8
8
28

6
9 0
5

~~8 14 f. 5~~

4110 6

Digitized by Google


Digitized by Google

OPERVM IVSTI LIPSI TOMVS II.

QVÆ VELVT IN PARTES ANTE SPARSA, NVNC IN CERTAS CLASSES DIGESTA; ATQVE IN GRATIAM & vtilitatem gentium, in nouum corpus redacta, & II. Tomis comprehenſa.

QVORVM QVÆ HOC TOMO CONTINENTVR, ſeriem & omnem ſequens pagina Lectoris oculis ſubijcit.

Accuratæ inſpectionis Nouæ Formæ editio: nec non ad mentem Autoris typóſque Figurarum elegantiâ omni perpolita.



LVGDVNI,
Sumtibus Horatij Cardon.

M. DCXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

[illegible]

Tomo Operis II. hæc habentur.

DE Conſtantia Libri duo.

Politicorum ſiue Ciuilis doctrinæ libri ſex.

Ad libros Politicorum Notæ, & de vna Religione liber.

Monita & Exempla Politica. Libri duo.

Leges Regiæ & leges Xvirales.

Diſſertatiuncula apud Principes: Item C. Plinii Panegyricus Traiano dictus: cum eiuſdem LIPSI perpetuò Commentario.

De militiâ Romanâ libri quinque, Commentarius ad Polybium.

Poliorceticωn, ſiue de Machinis, Tormentis, Telis libri quinque.

Admiranda, ſiue, de Magnitudine Romanâ, libri quattuor.

De Amphitheatro liber.

De Amphitheatris quæ extra Romam, libellus.

Saturnalium Sermonum libri duo, qui de Gladiatoribus.

De Veſta & Veſtalibus Syntagma.

De Cruce libri tres.

Diua Virgo Hallenſis.

Diua Virgo Sichemienſis.

Louanium.

De Bibliothecis Syntagma.

IVSTI LIPSI
DE CONSTANTIA
LIBRI DVO,

Qui alloquium præcipuè continent in Publicis malis.

Pertinet ad Bibliothecas S. Fran.ci Transtiberim Almæ Urbis

Ex Testam.to Ill.mi ac Rev.mi D. Ascanij Rivaldi

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM
PRO CONSTANTIA MEA
PRÆSCRIPTIO.

QVOD in iteratâ hac editione, iterùm te alloquor, Lector, præter votum meum accidit, etſi non præter opinionem. Iudicia enim iſta præuidi antè, imò prædixi. Negant ſatis piè hoc argumentum à me tractatum: negânt locis aliquot ſatis verè. Parùm piè ideò: quia Philoſophum egiſſe tantùm videor, inquiunt, nec inſperſiſſe quæ potui & debui è libris ſacris. Quæ admonitio valdè mihi grata: velim & illis ſimplex meum & ſine fuco reſponſum. Nam quòd apertam pietatem ante omnia requirunt, amo: hoc tantùm moneo, vt oculos priùs ſeriò intendant in finem meum & ſcopum. Si mihi Theologum agere propoſitum, aberraui: ſi Philoſophum, cur culpant? Haurimus enim è lacunis, inquiunt, quæ liceat è puriſſimo diuinarum litterarum fonte. Hùcne me vocant? At ego ex animo teſtor & reſpondeo, non aliam me viam ſalutis noſſe, quàm hanc quæ per vnum illum & directum limitem ducat: ad quem tamen percurrendum, humanas etiam litteras laxamenti aliquid afferre cenſeam, imò adiumenti. Auguſtini conſiliũ eſſe ſcio, quæ à Philoſophis ſcripta ſunt colligere, & in vſum noſtrũ vindicare, poſſeſſoribus illis iniuſtis erepta. Hoc ſequi volui: & peccaui? Peccaſſem, fateor, ſi purum hunc & myſticũ religionis noſtræ liquorem corrupiſſem veteri aliquâ & olenti fæce. At contrà inſtiti: & ſordentem per ſe, parúmque mundam doctrinam, depurgare atque illuſtrare aggreſſus ſum nouô iſto Sole. Cui bono autem id non bonum ſit? In pugna, equitum aut ſtatarij militis præcipuam operam eſſe ſcimus: ſpernis ideò ſagittarios & funditores? In domo exſtruendâ architecti maximam laudem & vſum: tolléſne operas igitur & adminiſtros? Idem hîc cenſe, diuinæ illæ litteræ veri roboris: veræ virtutis & conſtantiæ, ſolidæ effectrices: nec tamen humanam prorſus Sapientiam ſperne. eam dico quæ non ſe effert, ſed ſeruit placidè & ancillatur. Lapides, cæmenta, calcem, ex veteri & diu lapſo ædificio illo Philoſophiæ comportamus: ne inuide lucellum hoc architecto, & patiare materiam hanc ſubſterni ſaltem in fundamentis. At enim ſacra illa meliora, nec verbis iis abſtinendum fuit. Meliora fateor: ſed adde etiam grauiora. Lacertos meos expendo, & artus artéſque librorum onus mihi imponi patiar, cui non ſim ferendo? Theologis, id eſt magnis altiſque viris (& eximios multos hæc ætas tulit) magna iſta & alta relinquo: mea cimba leget litus. Philoſophum ego agam: ſed Chriſtianum. Nam de verbis, quid turbant? Non quo ſtilo ea ſcripta ſint, ſed quo ſenſu videant: nec an vſitatè, ſed an verè. Si enim recti ſenſus: quid refert in re tam arduâ, quo velo aut veſte (modò non indecorâ) eos texerim? Si vani: conuincant. Nempe hoc ipſum volumus, aiunt: & quædam à te ſcripta non ex fide. De rectâ Ratione erras, quam cum priſcis illis exaggeras nimis & attollis. Egóne? verbis fortaſſe illorum: ſenſu numquam meo. Nam ne ipſe erres, vno verbo hoc teſtor: nullam me rectam purámque Rationem intellegere, niſi à Deo directam, niſi à fide illuſtratam. Sed quæ, malùm, illegitima iſta captio eſt, cùm genere toto ſententia bona ſit, quærere in verbi vnius aut alterius latebrâ calumniæ anſam? Ratio ipſa, & ſuis viribus, non ducit nos ad Deum, non ad verum: ſed tamen vt in aquâ aut pelui defectum Solis intuemur, idque per Solis ipſius radios, obliquè & quodam flexu: ſic in iſtâ, res diuinas. ſed caue cenſeas aliter, quàm per Deum ipſum.

lam de ſato aut fatalibus, de impiis ob bonum punitis; ſiquid nimis exacui, aut ab aliis acutum arripui: itémque dolorẽ aut affectus ſi arctè nimis coërcui: velim ab æquo lectore æquiter legi & intellegi. quam ad rem præiuimus nunc aliquot ad oram Notis. Mihi quidẽ mens vbique bona: & ſi alibi humana hæc lingua aut calamus titubauit, ne aſperè quæſo nimis luam. Sum enim ex iis quibus Pietas in corde magis, quàm in ore: quique factis exerceri eam acriter malim, quàm verbis. Nec ſeculum hoc ſatis mihi placet, (audebo dicere) quo nullum vnquam feracius religionum fuit, ſterilius pietatis. Quæ contentiones vbique? quæ rixæ? & cùm omnia fecerint, cùm cælum & terram ſubtilis ingenij alâ peruolârint; quid aliud, quàm cum Ariſtophaneo Socrate ἀεροβατοῦσι? Habes, mi lector, breuem præſcriptionem noſtram: quæ tamen æquo tibi nimia, ſatis vel iniquo. Te cum curâ moneo hortórque, ne auocent & auertant animum à germano Philoſophiæ ſtudio noui Domitiani iſti: qui non eam ſolùm (facultas modò & vires ſint) ſed in exſilium pellant omnes bonas artes. Priſcos illos potiùs patres vide, Græcos Latinóſque. denſo agmine à nobis omnes ſtant, & modeſtum Philoſophiæ ſtudium non ferunt in Chriſtiano ſolùm, ſed inculcant & ſuadent. quorum auctoritatis ſcuto, ſatis me putem ſine aliâ vllâ ratione contra gigantes iſtos tectum. Nam Philoſophiam cur vberiùs verbis laudem? Fruſtrà. quia vt montium altitudo procul non appâret, ſed cùm acceſſeris: non item huius ſplendor, niſi cùm pernôris. Pernoſci autem ſine Chriſtianâ veráque religione non poteſt. quam prælucentem ſi tollis: fateor ecce & clamo, ludibrium illa, vanitas, delirium eſt.*

Bene Tertullianus: Cui veritas cognita, ſine Deo? cui Deus, ſine Chriſto? *In quâ ſententiâ finio, & ſeriò conquieſco. Velim tu mecum.*

* *per aërem incedunt*

NOBI

NOBILIBVS
ET MAGNIFICIS
CONSVLIBVS
ET
SENATVI POPVLOQVE
ANTVERPIENSI
IVSTVS LIPSIVS
dedico conſecróque.

LIBROS iſtos, quos de Conſtantiâ in mediis patriæ meæ turbis conſtanter ſcripſi & perſcripſi: eos vobis dare dedicare mihi viſum, vrbis magnæ magni Senatores. Splendor veſter me impulit, prudentia, virtus. humanitas etiam illa, quam coràm ſum expertus, propria vobis in bonos & eruditos. Nec, arbitror, pro ingrato erit munus. quod per ſe haut magnum, pondus ab animo meo accipiet: quia dedi quod, hoc quidem tempore, optimum maximúmque habui in omni meo litterario cenſu. Denique nouitas etiam forſan aliqua illud commendauerit: quoniam, niſi fallor, intercluſam diu & ſpinis obſitam hanc Sapientiæ viam, ſternere & munire aggredimur primi. quæ illa profectò eſt, quæ cum diuinis litteris coniuncta, poſsit ducere ad Tranquillitatem & Quietem. Mihi certè animus gratificandi vobis, iuuandi alios, non defuit. ſi vires: tam æquum eſt æquos vos aduerſum me eſſe, quàm ego aduerſus magnum illum Deum ſum: quem ſcio non vni omnia dediſſe. Valete.

AD LECTOREM, DE CONSILIO MEO SCRIPTIONIS ET FINE.

NIHIL me fugit, Lector, in nouo hoc ſcribendi genere, noua mihi iudicia parata & cenſuras. ſiue illorum, quos percutiet inopinata hæc Sapientiæ profeſſio ab eo, quem amœnioribus tantum litteris cenſebant operatum: ſiue aliorum, quibus vileſcet & pro leui erit, quidquid in hoc ſtudio aut ſtadio ſudabitur poſt antiquos. Quibus vtriſque vt breuiter reſpondeam, meâ intereſt, imo etiam tuâ. Ac primi quidem illi duabus diuerſiſſimis rebus peccare mihi videntur, Incuriâ & Curâ. Hac, quòd in aliena ſtudia actionéſque vltrò inquirendum ſibi cenſeant: illâ, quòd inquirant tamen parùm intente aut diligenter. Vt enim ipſe iis me indicem; numquam ita colles illi fonteſq; Muſarum totum me ceperunt, vt non oculos identidem mentemq; reflexerim ad ſeueriorem iſtam Diuam. Philoſophiam dico. cuius ſtudia iam tum à puero ita mihi placuêre, vt peccare iuuenili quodam ardore viderer, & freno atque inhibitione fuerim coërcendus. Sciunt præceptores mei, qui in Vbiis: excuſſos mihi velut per vim libros eos omnes è manibus, & ſcripta etiam Commentarióſque ereptos, quos laborioſè confeceram ex omni interpretum claſſe. Nec mutaui ſanè poſteà. & in omni hoc ſtudiorum curſu, ſi non recto rigore & lineâ, tamen flexu tetendiſſe me ſcio ad illam Sapientiæ metam. Nec id eâ viâ, quâ hic philoſophantium vulgus. qui in ſpinis argutiarum aut laqueis quæſtionum malè deditі, non aliud quàm ſubtili quodam diſceptationum filo texunt eas & retexunt. Hærent in verbis, aut captiunculis: & ætatem totam in aditu Philoſophiæ verſantur, adyta eius numquam vident. Habent eam vt oblectamentum, non vt remedium: & inſtrumentum vitæ maximè ſerium, vertunt in ludum quemdam nugarum. Quis eorum mihi de moribus quærit? quis adfectus temperat? quis timori, quis ſpei metam ponit aut modum? Quin adeò ad Sapientiam ſpectare hæc non arbitrantur: vt aliud aut nihil agere eos cenſeant, qui id agunt. Itaque vitam eorum, ſiue iudicia, ſi vides: nihil vel in ipſo vulgo reperias, quod ad illam attinet, ſpurcius, ſtultius, quod ad iſta. Scilicet vt vinum, quo nil ſalubrius, quibuſdam in venenum eſt: ſic iſtis Philoſophia, qua abutuntur. At mihi alia mens. qui nauim ſemper auertens ab illis argutiarum

ſalebris, velificationem omnem direxi ad vnum tranquillæ mentis portum. Cuius ſtudij mei primum nec fallax ſpecimen eſſe volui hos libros. Sed enim, inquiunt alteri, meliùs & vberiùs iſta veteres. Quædam ex iſtis, fateor: abnego, quòd vniuerſa. Si de moribus aliquid adfectibúſve carptim poſt Senecam, & diuinum illum Epictetum, ſcribam: me quoque iudice, parùm cordis habeam aut frontis. At ſi ea quæ ne attigerunt quidem illi, aut quiſquam (fidenter enim id adfirmem) ex antiquis: quid faſtidiunt aut carpunt? Solatia malis publicis quæſiui. quis ante me? Rem ſiue ordinem videant: mihi ea debere fatebuntur. & de verbis ipſis (fas dicere) non ea nobis inopia, vt cuiquam ſupplicemus. Denique hoc ſciant. alia pluria aliis mihi ſcripta; hunc librum præcipuè mihi: illa famæ; at hæc ſaluti. Quod olim altè & acutè quiſpiam, id hîc vera voce proclamo: Satis mihi pauci lectores, ſatis eſt vnus, ſatis eſt nullus. *Id tantùm peto, vt quicumque hæc tangent, cognoſcendi animum adferant, & ſimul ignoſcendi. Vt ſicubi fortè lapſus ſim, præſertim cùm locos illos altiores conatus ſcandere de Prouidentiâ, Iuſtitiâ, Fato: condonent. quia nuſquam certè malitia aut pertinacia eſt, ſed humana ſaltem imbecillitas & caligo. Denique ab iis docear: faxo, vt nemo tam promptus ad monendum ſit, quàm ego ad mutandum. Cetera vitia naturæ meæ non demo aut minuo: pertinaciam & contentionum ſtudium ſeriò deprecor ab eâ & deteſtor. Salue mi Lector. quod vtinam per hunc librum in parte tibi ſit.*

IANI DOVZÆ NORDOVICIS

AD

IVSTVM LIPSIVM SVVM

Melos ex iambis meris, potiorem Lipſiani argumenti partem, ſummamq́; totius operis carptim & quaſi ſaltuatim complectens.

NOVVM cui iſtud imputabimus Melos?
Cui hoc Poëma muſteum?
Tibíne LIPSI? Ita hercle verò ſeriò:
Tibi (inquio) tibi, ô decus
Meum, omniúmq; MENTEM habere queîs BONAM
Et eſſe * CORCVLIS datum eſt,
Siniſtra ritè queîs mamilla ſubſilit,
DEI ferens IMAGINEM.
Cape iſtud ergò Iambicum Melos tibi,
Cape hoc Poëma muſteum:
Poëma ductu & alite vnius tuo
Satúmque & editum ſimul:
Silentij eſſe quando longiùs reum
Pudet pigétque me tibi.
Neque vnquam id æquus ille Iuppiter ſinat,
Vt his amoris ignibus
Ita anteuortat vlla ſegnitas mihi.
Fidem ore LIPSIO vt datam
Reapſe fruſtret. abſit à Fide meâ
Modi iſtiuſce vanitas.
Abeſto, verba tertiata cui placent,
Referta falſimoniis.
Nec hocce SVADA LIPSIANA nos docet;
Pares cui haud Lepotibus
Scientiíſque; ſed Fide eſſe mutuâ
Fauentiáque nos decet.
Et ampla Laus ſat iſta: plura qui appetit,
Neque ille cor, neque os habet.
Tua introite Templa poſſe ſat mihi,
BONÆQVE MENTIS Abdita
Nouè reperta noſcitare, te Duce:
Tuique cote roboris
Cor aſperare, nec periculi vllius
Pauere magnitudinem.
O approbanda MENTIS OBSTINATIO!
O expetenda DOGMATA!
Vt hic ſuaue, LANGIANO IN ATRIO
Inambulare! vt, ô, ſimul
Tuo aſſidere ab ore pendulum iuuat;
Tuo, illiúſque quem facis
Loquentem! & hinc in HORTVLVM ſequi! ordines
Vtè virente PERGVLA
Notare florum: & omne Stirpium genus
Hiante obire lumine.
NOVOQVE rariora ab ORBE Semina
Sagace nare perſequi!
Odor beate, quidquid eſt Aromatum
Lepore prouocans tuo.
Licétne in hiſce floſculis & herbulis,
Remiſſionis indigo,
(Vti exſoluta mens aberret à malis
Parumper) requieſcere?
Licet: neque iſtud (annuente hero) modò
Sed & replere fructibus
Sinum, manúſque vtraſque, & vngue carpere,
Et admouere naribus.
Quid? an lubido ſerta texere eſt tibi,
Corollulámque pactilem?
Rei huius optio ecce plena ſit tibi,
Tuo arbitratu vt eligas,
Thyma, an roſas, amaracúmne maueliſ.
Age ecce, quantus hîc nitor?
Quis ordo? quàm omnia aptè in areas ſuas
Locata, teſſeræ in modum?
Heríne cultum, an elegantiam priùs
Loci ipſe mirer, ambigo.
Stupere certè vtrunque cogor intuens;
Herilem at indolem magis,
Cui ſcatere tot facetiis datum,
Cui hanc præire SYMBOLAM,
Et ęgra corda ſoſpitare ius fuit,
Medentibúſque pharmacis
Beate. Quæ modò ecce promus imputat
Nouâ arte LIPSIVS tibi.
Ahena vnde FIRMITVDO PECTORIS
Paranda: & vnde inertia
Sit iſta, & ægra Senſuum imbecillitas,
Habere cognitum queas.
Duplex Boni omnis ergo, ſeu Mali Caput;
OPINIO, atque MENS BONA.
Poſt illa GERMEN IGNEVM, atque SPIRITV
Originem trahens ſuam.
Quid? ipſe non HOMVLLO an inſitus DEVS
Per iſtam IMAGINEM ſui?

* Hoc cognomento honeſtatus Romæ, qui ceteros mortales ſapientiâ præſtaret, teſte Plin. lib. VII. cap. XXXI.

CVPIDINVM

CVPIDINVM, hancce quiſquis audit, omnium
Neceſſe victor audiat.

At altera illa pars, OPINIO puta
Imaginoſa, CORPORI
(Sata vnde) adhæret, impedita SENSIBVS,
Grauique fixa perpetim
Luto: cui vſque POENITENTIA it comes;
Vaga, ebrioſa, futilis.

HOMO miſelle, puluis, vmbra, ſomnium,
Quouſque fluctuabere,
OPINIONIS alligate vinculis?
Quouſque GAVDIVM, DOLOR,
METVS, CVPIDO pectus impetent tibi?
Iaces? & erigi cupis,
Supràque vulgus eleuare verticem?
Idonea ecce FEBRVA,
Quibus piatus ipſa nubila ac Notos
Superuolare poſſies:
Auéſque, quæ cor intus exedunt tibi,
Necare & ire perditum,
Quiéſne cordi, & otium domi tibi,
Procul tumultu ab hoſtico,
Vbi Actuoſus ipſo in otio cluas?
(O vnica occupatio!)
Ad HORTVLVM huncce LANGII, àone LIPSII,
Gradum capeſſe, ſi ſapis.
Opúſne vallo & Arce, vel Cetrâ tibi,
Cauere queîs SPEI ac METVS,
Cupidinúmque ſoſtinere vim queas?
Statu in gradúque fac tuo
Morêre, MENSQVE vortat ad DEVM tua,
Originem inquio ſui.
Quouſque CARNIS IMBECILLITAS tibi
Moleſta, & vmbra inanium
rahêre, prima quæ imperia Plebs putat?
Ducem ecce LIPSIVM tibi:
Eum ſequaris. At cui, inquies, bono?
Mane: in tumultu vt otium
Agas; & vnus, inter arma Publica,
Metu ſolutus ambules.
Quid eſt, quod hîc queráre? FATA te trahunt,
DEIQVE PROVIDENTIA?
Sequare: Cor enim irritum ſtruas pedem
HERO rebellis, ac tibi?
Quid abnuis, miſelle? cede Tempori
DEÓQVE. REBVS OMNIBVS
VICISSITVDO DEBITA. Hæc mori vides
Repentè, at illa oriri.
NECESSITATI vt obſequare, te moneat
Tot VRBIVM Cadauera,
Ferire viſa vertice antè quæ ſuo
Poli vtriuſque cardinem.
Vbi illa iam, Imperare ſueta REGIBVS,
Superba SEPTIMONTIVM?
Vbi MYCENÆ? vbi inclyta VRBS Agenoris,
CORINTHVS, ARGOS, ILIVM?
Minuta, magna, ſumma, & ima reſpice;
PERENNE SVB POLO NIHIL.

Εἰς τὸ

Εἰς τὸ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου

ΙΟΥΣΤΟΥ ΤΟΥ ΛΙΠΣΙΟΥ,

περὶ εὐσταθείας ἤτοι καρτερίας
βιβλίον.

Λειψϊάδου σελίδας σκολιῷ φθόνος ὄμματι πήξας,
Οὐκ ἄγαμαι λογίους, εἶπεν, ἄτερ σοφίης.
Ἀλλὰ τόδ᾽ ὀπιπεύων γλαφυρόν τε σοφόν τε πόνημα,
Καρτερικῆς κατέχον τέθμια σωφροσύνης:
Κρεῖσσον ἐμῶν, λέξας, πέλεται τόδε τεῦχος ὀδόντων·
Λῆξει ἐπεσβολίης τηκόμενος κραδίην.

Εἰς τὸ αὐτό.

Ἐλλογίμων φιλέω τρεῖς ἀστέρας, οὕνεκα πάντων
Εἰσὶν παντοδαπῇ κρείσσονες ἰδμοσύνῃ.
Σεῖο πόνους φιλέω Κουιάκιε, εἰμὶ δὲ λίαν
Καὶ φιλοσκαλιγερὸς, καὶ φιλολειψιάδης.
Ἀλλὰ σοφαῖς πραπίδεσσι σέλας σεῖο τόσσον ἀέξον
Λίψιε, οὐκ ἀστὴρ, ἀλλά μοι ἄστρον ἔῃς.

B. Vulcanij,

IVSTI LIPSI DE CONSTANTIA LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Præſatio, & introductio. querela item aliqua de Belgarum turbis.

A

ANTE annos aliquot cùm Viẽnã Auſtriæ iter haberem, fugiens patriæ meæ turbas: deflexi, non ſine Deo duce, ad *Eburonũ vrbem, quæ nec lõgè à viâ; & in quâ amici, quos ſalutare more ſuadebar & amore. Inter eos Carolus Langius, vir (ſine fraude aut ambitione dicam) optimus doctiſſimusque Belgarũ. Qui cùm me hoſpitio excepiſſet; non omni ſolùm comitate & beniuolentiâ id temperauit, ſed eo genere ſermonũ qui vtiles imò ſalutares mihi in omne æuum eſſent. Ille enim fuit, ille vir, qui oculos mihi aperiet, deterſâ vulgarium aliquot opinionum nubeculâ, qui viam oſtenderet, quâ ſine ambage peruenirem, vt cum Lucretio loquar, ad illa

Edita doctrinâ ſapientum templa ſerena.

Leodiũ intellego.

C. Lãgij vera laus. Humanitas eius. Sapientia.

B

Nam cùm poſt meridiem feruido ſole (præceps enim iam menſis Iunius erat) domi eius in atrio inambularemus: quæſiuit, vt fit, blandiùs de itinere meo & eius cauſſis. Cui cùm ego de turbis Belgarum, de inſolentiâ Præfectorum & militum, liberè & verè multa dixiſſem: addidi poſtremò, prætexi à me aliam, ſed hanc intimam eſſe diſceſſus mei cauſſam. Quis enim Langi, inquam, tam firmo & tam ferreo pectore, qui diutiùs ferendis iis malis ſit? Iactamur iam tot annos, vt vides, bellorum ciuilium æſtu: &, vt in vndoſo mari, non vno vento agitamur turbarum ſeditionúmque. Otium mihi cordi & quies? tubæ interpellant, & ſtrepitus armorum. Horti & rura? miles & ſicarius compellit in vrbem. Itaque certum mihi Langi, relictâ hâc infeſtâ & infauſta Belgicâ (ignoſcat mihi Genius patriæ) *γῆν πρὸ γῆς, vt ille ait, & quouis terrarum fugere ——— *vbi nec Pelopidarum facta neque nomen audiam.* Langius admirans & velut excitatus, Itáne tu Lipſi, inquit, abeas à nobis? A vobis, inquã, aut certè ab hac vitâ. Quod enim malorum iſtorum effugium, niſi in fugâ? Nam vt videam iſta cottidie & feram, non poſſum Langi: nec chalybs aliquis mihi circa pectus. Suſpirauit ad hunc ſermonem Langius, &, Infirme adoleſcens, inquit, quæ hæc mollities eſt? aut quæ tua mens ſalutem quærentis in fugâ? Turbat & æſtuat patria tua, fateor: ſed quæ non hodie pars Europæ? Vt verè illud Ariſtophanæum poſſis augurari:

Mala ciuilium bellorũ.

C

Terram terrâ commutare.

——— τὰ δ' ὑπέρτερα νέρτερα θῆκε
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης.

Itaque non patria fugienda, Lipſi: ſed Adfectus ſunt: & firmandus ita formandúsque hic animus, vt quies nobis in turbis ſit & pax inter media arma. Ego ſatis iuueniliter, imò deferenda illa Langi, inquam: certè enim audita mala leuiùs ad animum accident, quàm viſa: & ſimul ponemur ipſi extra tela, quod dicitur, & puluerem huius agonis. Homerum non audis callidè monentem,

ἐκ βελέων, μή πού τις ἐφ' ἕλκει ἕλκος ἄρηται?

CAPVT II.

Peregrinationem non facere ad internos morbos. inditinam eam eſſe, nõ medicinam, niſi ſi forte in leni quodam & primo adfectuum motu.

LANGIVS moto leuiter capite; Audio, inquit: mallem tu Sapientiæ vocem & Rationis. Nam hæ, Lipſi, quæ te inuoluunt, nebulæ & nebeculæ ſunt à fumo Opinionum. Itaque, vt cum Diogene dicam* λύχνῳ tibi hîc opus non, ἡλίῳ: radio inquam illo, qui caliginem tui capitis illuſtret. Patriam ecce deſerturus es. ſed dic ſeriò, illam cùm fugies, te quoque effugies? Vide ne contrà ſit: & tecum atque in pectore iſto circumferas fontem fomitémque tui mali. Vt ij qui febriunt, iactant ſe inquietè & verſant, & lectum ſubinde mutant vanâ ſpe leuamenti: in eâdem cauſsâ nos, qui terram terrâ fruſtrà mutamus, ægri ſcilicet mentis. Aperire enim hoc eſt morbum, non tollere: fateri internum hunc calorem, & non mederi. Eleganter *Romanus Sapiens: *Proprium eſt ægri nihil diu pati, & mutationibus vt remedijs vti. Inde peregrinationes ſuſcipiuntur vagæ, & littora peruagantur, & modo mari ſe modo terrâ experitur præſentibus ſemper infeſta leuitas.* Itaque fugitis magis turbas quàm vitatis. Vt cerua illa apud Virgilium,

*Quam procul incautam nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis:*
*——— illa fugâ ſiluas ſaltúsque peragrat
Dictæos.* ———

fruſtrà: quia vt idem poëta addit.

A —*hæret lateri letalis arundo:*

ita vos, qui telo hoc adfectuum penitus percuſſi, nō id excutitis, ſed migratione transfertis. Qui crus ſibi aut brachium fregit, non currum aut equum poſcit, vt opinor, ſed chirurgum: tua quæ vanitas, qui internam hanc plagam motu ſanare te poſtules & diſcurſu? Animus enim certè eſt, qui ægrotat: & omnis hæc exterior imbecillitas; deſperatio, languor, orta ab vno fonte, quòd iacet ille & languet. Sceptrum abiecit princeps diuinaque pars: & eò vilitatis lapſa eſt, vt ſponte ſeruiat ſuis ſeruis. Dic, locus hîc quid faciet aut motus? Niſi fortè regio aliqua eſt, quæ metus temperet, quæ ſpes refrænet, quæ malam hanc ſaniem educat, quam altè imbibimus, vitiorum. Atqui nulla ea eſt, nec in inſulis ipſis beatorum. aut ſi B eſt; oſtende, & omnes illuc agmine facto imus. Sed motio ipſa & mutatio, inquis, habet eam vim: & recreat attollitque iacentem animum cottidiana illa conſpecta nouitas morum, hominum, locorum. Lipſi erras. Nam, vt quod res eſt ſerò dicam, peregrinationem nō vſque eò deprimo, vt nihil ei in hominem & in adfectus dem iuris. Imò habeat, ſed hactenus, vt leuia tædia quædam animorum & velut nauſeas tollat: non tollat morbos, qui altiùs penetrârunt, quàm vt externa vlla medicina huc pertingat. Cantus, vinum, ſomnus, * commotiunculas illas primas non rarò ſanârunt iræ, doloris, amoris: at numquam ægritudinem, quæ radices egit & fixit pedem. Idem hîc eſt: & peregrinatio fortaſſe leues quoſdam languores ſanabit, non ſanabit veros. Hæ C rent enim primi illi motus, orti à corpore, quodammodo adhuc in corpore, aut certè in ſummâ, vt ſic dicam, animorū cute: idcòque non mirum, ſi quamnis leui ſpongia abſtergeantur. non ita inueterati illi adfectus, quibus ſedes imò regnum in ipſa animi mente. Cùm diu multùmque erraueris, cùm terram omnem & mare circulatus fueris: nullo eos mari elues, obrues nulla terra. Sequentur te: & poſt peditem *equitémque ſedebit*, vt eum poëta loquar, *atra cura.* Socrates interroganti cuidam, *quid ita peregrinatio ſibi non profuiſſet?* ſcitè reſpondit, *Non enim te deſeruiſti:* ſimile hîc dixerim. & quocunque fugies, corruptum corruptorémque animum tecum habebis, comi- D tem non bonum. Atque vtinam comitem! ſed vereor vt ducem: quia non ſequentur te adfectus tui, ſed trahent,

Morbū enim eū animi eſſe.

Quę locus nullus ſuâ vi ſanat.

Non itē mutatio ipſa.

Etſi faſtidia quędam minuat aut tollit.

* *Stoici hac ita diſtinguūt, vt primos contra aut præter rationē motus, Adfectus appellet: eoſdē crebros & inueteratos, Morbos.*

At veri & veteres adfectus nō leniuntur.

CAPVT III.

At veros animi morbos non tolli eâ, non minui: imò per eam recrudeſcere. Animum eſſe qui in nobis ægrotet: eique remedium à Sapientia & Conſtantiâ petendum.

NON auocat igitur, inquis, etiam à veris malis peregrinatio? non campi illi conſpecti, & flumina, & montes, ponunt te extra doloris tui E ſenſum? Auocant fortaſſe interdum & ponunt, ſed nec in longum, nec in firmum. Vt pictura, quamuis egregia, oculi non diu delectantur: ſic omnis iſta hominum locorúmque varietas nouitate nos capit, ſed ad breue tempus. Aberratio hæc aliqua à malis eſt, non fuga: nec ſoluit peregrinatio doloris hanc cathenam, ſed laxat. Quid autem iſtud me iuuat, ſi lucem paullìſper video, in arctiorem mox carcerem compingendus? Ita profectò eſt. inſidiantur animo externæ hæ omnes voluptates, & ſpecie iuuandi magis lædunt. Vt medicamenta minùs valida non extrahunt humorem noxium, ſed mouent: ſic vana hæc delectatio irritat in nobis fluctum illum cupidinum & adauget. Non diu enim à ſe aberrat animus: ſed vel inuitus domum mox compellitur, & in vetus contubernium malorum. Illa ipſa opida cōſpecta & montes, reducent te cogitatione in tuam patriam: & inter media gaudia videbis aliquid ſiue audies, quod ſenſum refricet tui doloris. Aut ſi paullìſper quieſces: breuis ille velut ſomnus erit, & mox experrecto tibi eadem aut maior febris. Creſcunt enim interpellatæ quædam cupidines, & vires capiunt ex interuallo. Mitte igitur, Lipſi, vana hæc, imò noxia. nec remedia, ſed venena: vera illa potiùs admitte & ſeuera. Solem ſolúmque mutas? imò animum, quem malè Adfectibus mancipaſti, ſubtractum legitimæ dominæ Rationi. Ab illo corrupto hæc deſperatio eſt, ab illo viatico hic lāguor. Illum mutes oportet, non locum: & efficere non vt alibi ſis, ſed vt alius. Tu fertilem illam Pannoniam videre nunc ardes, & fidam fortémque Viennam, & regem fluuiorum Danubium, & tot mira & noua, quæ ſuſpenſa aure bibant audientes: ſed quanto melius, ſi idem hic tibi ad Sapientiam impetus & cupido? ſi penetres in feraces illius campos? ſi fontes humanarum perturbationum inquiras? ſi valla & arces extruas, quibus arceas & defendas cupidinum inſultus? Hæc enim vera morbi tui remedia: cetera omnia, panni & fomenta. Nihil te abitio iſta iuuabit: nihil

—*euaſiſſe tot vrbes*

Argolicas, medióſque fugam tenuiſſe per hoſtes:

hoſtem reperies apud te, & in iſto (pectus mihi concutiebat) penetrali, quid refert, ad quàm pacata loca veneris? bellum trahis tecum, ad quàm quieta? turbæ circum te, imò in te ſunt. Pugnat enim pugnabitque ſecum ſemper diſcors hic animus, appetendo, fugiendo, ſperando, deſperando. Atque vt ij qui per timorem terga vertunt, magis exponunt ſe periculo intectos & auerſos: ſic errones & tirones iſti, quibus cum adfectibus numquam pugna fuit, ſed tantùm fuga. At tu, adoleſcens, ſi me audies, ſtabis: & gradum firmabis contra hunc doloris hoſtem. CONSTANTIA enim tibi ante omnia opus: & victor aliquis pugnando euaſit, nemo fugiendo.

Obiectioni occurſum.

Et videri aliquid in mutatione ſolatiū, non autem eſſe.

Aggrauari enim per eā mala.

Verùm autem remedium in animi mutatione. Curioſa cura peregrinātium circa externa. Quam ad interna transferri melius: & grauia potiùs, quam ſuauia quæri Turbas alioquin vbique comites eſſe.

Reſiſtēdum igitur, & pugnandū Conſtātiæ armis.

CAPVT IIII.

Definitiones Conſtantiæ, Patientiæ, Rectæ rationis, Opinionis. Item Pertinacia quid à Conſtantiâ differat & abeat: & à Patientiâ, Abiectio.

SERMONIBVS iis Langij erectior aliqua parte ego, Alta & præclara hæc tua monita, inquam: & iam ſtare conor & adſurgere, ſed, vt ij ferè qui in ſomnis laborant, vano niſu. Reuoluor enim Langi, nequid mentiar, identidem ad meam terram: & hærent fixæ animo publicæ priuatæque curæ. Tu, ſi potes pelle malas aues quæ me lancinant: & vincla ſolicitudinum deme, quibus in hoc Caucaſo lentè ligor. Langius vultu alacri, Ego verò demam, inquit: & nouus Hercules ſoluam hunc Prometheum. Attende tantùm, & intende. Ad Conſtantiam te vocaui, Lipſi, & in eâ ſpem & præſidium poſui tuæ ſalutis. Ea igitur ante omnia nobis cognoſcenda eſt. CONSTANTIAM hîc appello, RECTVM ET IMMOTVM ANIMI ROBVR, NON ELATI EXTERNIS AVT FORTVITIS, NON DEPRESSI. Robur dixi; & intellego firmitudinem inſitam animo, non

Ad explicationem Conſtātiæ deſcenſum. Quid propriè ea ſit.

A ab Opinione, ſed à iudicio & rectâ Ratione. Excluſam enim ante omnia volo Peruicaciā (ſiue ea * meliùs Pertinacia dicitur:) quæ & ipſa obſtinati animi robur eſt, ſed à ſuperbiæ aut gloriæ vento: & robur etiam dumtaxat in vnâ parte. Deprimi enim haud facilè tumidi iſti & peruicaces poſſunt, facillimè attolli: non aliter quàm culleus, qui vento inflatus ægrè mergitur, ſupereminet autem & exſilit ſuâ ſponte. Talis enim iſtorum ventoſa hæc duritiès eſt: cui origo à Superbiâ, vt dixi, & nimio pretio ſui. igitur ab Opinione. At Conſtantiæ vera mater, Patientia & demiſſio animi eſt. quam definio RERVM QVÆCVMQVE HOMINI ALIVNDE ACCIDVNT AVT INCIDVNT VOLVNTARIAM ET SINE QVERELA PERPESSIONEM. Quæ rectâ ratione ſuſcepta, vna illa radix eſt, quâ altitudo pulcherrimi huius roboris nixa. Caue enim & hîc Opinio tibi imponat: quæ Patientiæ loco Abiectionem ſæpe & torporem quemdam animi marcentis ſuggerit: verè vitium, & cui origo à Vilitate B ſui. Virtus autem mediâ viâ ingreditur. & cautè cauet nequid in actionibus ſuis deſiat, aut excedat. Dirigit enim ſe ad vnius Rationis trutinam: & illam habet examinis ſui velut normam & obruſſam. Eſt autem recta Ratio non aliud, quàm DE REBVS HVMANIS DIVINISQVE (quatenus tamen eæ ad nos ſpectant) VERVM IVDICIVM AC SENSVS. Opinio huic contraria, DE IISDEM FVTILE IVDICIVM AC FALLAX.

* Nam Atinus apud Nonium illam in virtute ponit, hâc in vitio. Sunt tamen & alij aliter.

Conſtātiæ origo à Patientiâ. Ea quoque definita.

Diſcreta a Torpore.

Conſtātia mediū inter Elationē & Abiectionē tenet.

Ratio quid ſit? Quid itē Opinio?

CAPVT V.

Ratio & Opinio vnde originem habeant. vtriuſque vires & effectus. Alteram ad Conſtantiam ducere, alteram ad Leuitatem.

C SED quoniam è duplici hoc velut capite (Opinionis ſcilicet & Rationis) non robur ſolùm aut infirmitas animi oritur, ſed omnes in hac vitâ laudes aut culpæ: pro bono vtilique facturus mihi videor, ſi de vtriuſque origine & naturâ vberius paullò dicam. Vt enim lana priuſquàm vltimum illum & optimum colorem combibat, ſuccis quibuſdam aliis præparanda & imbuenda eſt: ſic prædictionibus iſtis tuus Lipſi animus, priuſquàm eum hac Conſtantiæ purpurâ ſeriò tingam. Quod igitur D te non fugit, duæ in homine partes, Anima & Corpus. illa nobilior, quæ ſpiritum ignémque refert: hæc vilior, quæ terram. Iuncta iſta inter ſe, ſed concordiâ quadam diſcordi: nec facilè inter eas conuenit, vtique cùm de imperio agitur aut ſeruitute. Regere enim vtraque vult, & magis illa quæ non debet. Terra attollere ſe ſupra ignem ſuum conatur, & cœnum hoc ſupra cælum. Hinc in homine diſſidia, turbæ, & velut aſſidua quædam velitatorium inter ſe partium pugna. Cui duces & tamquam imperatores, Ratio & Opinio. Illa pro animâ, & in animâ: hæc pro corpore & in eo pugnat. Rationi origo à cælo, imò à Deo eſt: & magnifi- E cè eam Seneca celebrauit, * *Partem in homine diuini ſpiritus merſam.* Eſt enim hæc eximia illa intellegendi iudicandique vis: quæ, vt anima perfectio hominis, ſic ipſa animæ eſt. Græci eam Νοῦν dixêre, Latini Mentem, aut etiam iunctim Animi mentem. Non enim tota anima, ne aberres, recta Ratio eſt: ſed quod in eâ vniforme, ſimplex, immixtum, ſecretum, ab omni fæce & lentore: quodque, vt verbo dicam, ſidereum in eâ & cælεſte. Nam ipſa anima, quamquam labe corporis & contagie ſenſuum gra-

De vtrâque accuratiùs & vberiùs dictum.

Homo duplex.

Anima in eo ſublimis & ignea:

Corpus, humile & ab humo.

Pugna inter eas partes.

* Quod rigidè haud verum: ſed tamen imago quadam aliqua eſt.

Quid recta Ratio.

A uiter corrupta & infecta ſit: tamen veſtigia quædam ortus ſui altè retinet, & clarè in eâ ſcintillantes reliquiæ primi illius purique ignis. Hinc iſti etiam in malis proiectiſque hominibus conſcientiæ ſtimuli: hinc flagella interna & morſus: hinc approbatio melioris vitæ ex ore ipſa minis. Premi ſcilicet Sanior illa ſanctiórque pars poteſt, non poteſt opprimi: & tegi vrens illa flamma, non exſtingui. Emicant enim ſemper ſubtiliúntque illi igniculi, qui in his tenebris illuſtrant, in his ſordibus depurgant, in his ambagibus dirigunt, & ad Conſtantiam ducunt & Virtutem. Atque vt heliotropium, & flores quidam, ingenio ſuo ſemper ad ſolem: ſic Ratio ad Deū obuerſa eſt, & originem ſui. Firma in bono & immota: vnum idémque ſentiens: vnum idémque appetens aut fugiens recti conſilij, recti iudicij, fons & ſcaturigo. Cui parêre, imperare eſt: & ſubijci, præeſſe rebus B omnibus humanis. Domuit enim cupidines & exſultantes animi motus, quiſquis hanc audit: & in omnibus vitæ labyrinthis tutus ab errore, qui hanc ſequitur vt Theſeium filum. Deus ipſe per hanc ſui imaginem ad nos venit, imò quod propius eſt, in nos: & rectè ille quicumque dixit, *Bona mens ſine Deo nulla eſt.* At ſequens illa, & non ſana pars (Opinionem dico) originem ſuam Corpori, id eſt terræ debet: eóque nil niſi eam ſapit. Corpus enim etſi per ſe immobile & exſenſum, tamen vitam motúmque ab animâ ſumit: & viciſſim animæ imagines rerum ſubijcit per ſenſuum feneſtras. Ita velut communio quædam & ſocietas coïta, inter animam & corpus: ſed communio, ſi exitum attendis, animæ non bona. Abducitur enim paullatim per eam è ſuo faſtigio & addicitur miſcetúrque ſenſibus: & ex impuro hoc coetu C Opinio in nobis naſcitur, quæ non aliud quàm Rationis vana imago & vmbra. Cuius vera ſedes, Senſus: origo, Terra, ideóque abiecta & vilis, non erigitur, non attollitur, nec altum aliquid aut æthereum ſpectat. Vana eadem, incerta, fallax, malè conſulens, malè iudicans, Conſtantiâ inprimis animum ſpoliat & Veritate. Hoc cupit hodie, cras ſpernit: hoc probat, hoc damnat: nihil iudicio, ſed corpori ſenſibúſque gratificans omnia & indulgens. Atque vt oculus, qui per nebulam aut aquam inſpicit, res metitur falſo modo: ſic animus qui per Opinionis nubem. Hæc homini, ſi conſideras, malorum mater: hæc auctor in nobis confuſæ & perturbatæ vitæ. Quòd curæ nos exerceant, ab hac eſt: quòd adfectus diſtrahant, ab D hac: quòd vitia nobis imperent, ab iſtâ. Itaque vt ij qui Tyrannidem ſublatam è ciuitate volunt, tollunt ante omnia euertúntque arcem: ſic nobis, ſi ſeriò ad Bonam mentem pergimus, deiiciendum caſtellum hoc Opinionum. Fluctuabimur enim cum iis ſemper: ſuſpenſi, queruli, turbidi, non Deo non hominibus ſatis æqui. Vt nauis vacua & inanis circumagitur in mari omni vento: ſic in nobis vaga illa mens, quam pondus & tamquam ſaburra Rationis non ſtabiliuit.

Quæ aliquo modo ſemper in homine viuit.

Recta ratio conſtans, & ad Conſtātiam limes.

Laus eius & dignitas.

Opinionis origo a terra & corpore.

Quomodo ex iis naſcatur?

Opinio infima, & ad incōſtātiā limes.

Eius vituperiū.

CAPVT VI.

Conſtantiæ laus, & ſeria ad eam adhortatio.

E OPINIONIS igitur comes, Lipſi, leuitas eſt, vt vides: propriúmque eius, mutare ſemper & pænitere. at Rationis, Conſtantia: ad quam induendam animo, ſeriò te hortor. Quid abis ad vana aut externa? hæc eſt ſola illa Helena, quæ verum illud legitimúmque Nepenthes propinet, in quo obliuium curarum & dolorum. Quod G

Ad Cōſtantiā monitio.

Eius vis & fructus.

ſemel demiſiſti & imbibiſti; altus contra omnem caſum & erectus, vno tenore æquabilis, nec vt in lance propendens aut dependens. magnum illud Deóque proximũ tibi vindicabis, Non moueri. Vidiſtin' in ſcitis & ſcuris quorundam hodie tegnum ſublime & inuidendum illud, *Nec ſpe nec metu?* in te cõueniet: qui verè rex, verè liber, ſoli Deo ſubiacêre, immunis à iugo Adfectuum & Fortunæ. Vt fluuij quidam per media maria tranſire dicuntur, & ſeruare ſuam vndam: ſic tu per tumultus circumfuſos, vt ſalſedinem nullam trahas ex hoc pelago mærorum. Iacebis? Conſtantia te attollet. Vacillabis? ſuſtinebit. Ad lacum properabis vel ad laqueum? ſolabitur & reducet à limine mortis. Tu eripe tantùm & enge te, & nauim flecte ad hunc portum: vbi ſecuritas, vbi B pax habitat: in quo perfugium aſylúmque à turbis & & à curis. Quem ſi bonâ fide ſemel tenueris; non turbet ſolùm patria tua ſed tuar, ſtabis ipſe inconcuſſus. Nimbi circum te cadant, & fulmina & tempeſtas: clamabis verâ magnáque voce.

Contra dolorẽ præſeriim & turbas.

———medius tranquillus in vndis.

CAPVT VII.

Quid ſit & quotuplex quod Conſtantiam turbet. Bona & Mala externa eſſe. Mala autem duplicia, Publica & Priuata. ex iis grauia & periculoſa maximè videri Publica.

HÆc cùm dixiſſet Langius voce & vultu acrior quàm ſolebat, me quoque ſcintilla corripuit boni ignis. &, Mi pater, inquam, (verè non blandè ſic te appellem) duc me quò voles & doce, corrige & dirige. habes ægrum paratum ad omnem medicinam, ſiue tu ferrum cogitas ſiue ignem. Imò vtrumque pariter, ait Langius. quia & alibi ſtipulæ exurendæ inanium opinionum ſunt, & alibi ſtirpes adfectuum excidendæ ab radice. Sed ambulamúsne etiam? an potior commodiórque nunc ſeſſio? inquam ego. æſtuare enim iam incipio non ab vnâ cauſſâ. Cumque ſellas Langius ferri & poni in eodem atrio iuſſiſſet, & iuxtim eum aſſediſſem: ille paullùm ad me obuerſus, iterùm ſic cœpit. Ieci hactenus velut fundamenta Lipſi, quibus commodè & tutè inædificaretur futurus ſermo: nunc, ſi placet, accedam propiùs & cauſſas doloribus tui inquiram, & manu, quod aiunt, tangam tuum vlcus. Duo ſunt, quæ arcem hanc in nobis Conſtantiæ oppugnant, Falſa bona, Falſa mala. Vtraque ſic appello, QVÆ NON IN NOBIS SED CIRCA NOS, QVÆQVE INTERIOREM NVNC HOMINEM, ID EST ANIMVM, PROPRIE NON IVVANT AVT LÆDVNT. Itaque Bona aut Mala ea, re & ratione non dicam: ſatebor opinione eſſe, & communi quodam vulgi ſenſu. In priori claſſe numerant, Opes, Honores, Potentiam, Sanitatem, Longæuitatem. in poſteriore, Inopiam, Infamiam, Impotentiam, Morbos, Mortes: & vt verbo vno complectar, quidquid aliud fortuitum aut externum. Ab duplici iſto ſtirpe quattuor illi capitales in nobis Adfectus orti, qui continent & conterunt vitam omnem humanam, Cupiditas, & Gaudium; Metus, & Dolor. E quibus, priores duo bonum aliquod opinabile reſpiciunt, exque eo nati poſteriores, malum. Lædunt omnes turbantque animum, & niſi prouides, deiiciunt de ſuo ſtatu: ſed non vno tamen modo. Nam cùm quies eius & Conſtantia tamquam in æquabili quadam trutinâ ſit: depellunt eum ab hoc

Hoſtes Conſtãtiæ duo.

Falſa bona. Falſa mala.

Adfectus præcipui, quattuor oppoſiti inter ſe: ad quos reliqui referũtur.

Quomodo ij Cõſtãtiam turbẽt?

A libramento, illi attollendo; hi deprimendo. Sed falſa Bona & elationem nunc omitto (non enim is tuus morbus:) ad falſa Mala venio, quorum agmen iterùm duplex. Sunt enim Publica, ſunt Priuata. Publica deſigno & definio, QVORVM SENSVS VNO EODEMQVE TEMPORE AD PLVRES PERTINET. Priuata, QVORVM AD SINGVLOS. Inter illa cenſeo, Bellum, Peſtem, Famem, Tyrannidem, Cædem: & quæ alia foras & in commune ſpectant. Inter iſta, Dolorem, Inopiam, Infamiam, Mortem: & ſi quid velut domo clauſum, in vno ſinguloque homine conſideramus. Cauſſa mihi ita diſtinguendi non vana. quia reuera aliter is luget & alio quodam ſenſu, qui cladem patriæ, qui exſilium exitiúmque B multorum: quàm qui vnius ſuum. Adde quòd ex vtriſque alij atque alij morbi. ſed niſi fallor, grauiores ex primis: certè pertinaciores. Publicis enim malis obnoxij pleríque noſtrûm: ſiue quia impetu & turbâ ingruunt, ac confertâ velut acie obruunt reliſtentem: ſiue magis, quòd ambitione quadam blandiuntur, & ægritudinem ex iis innaſci animis non agnoſcimus ſæpe, non ſentimus. Ecce priuato dolori quiſquis ſuccubuit, fateatur vitium & imbecillitatem neceſſum eſt, etiamſi non emendet (quæ enim defenſio?) at qui huic, adeò de labe aut lapſu ſæpe non fatetur, vt ſit qui iactet etiam & cenſeat pro laude. Pietas enim & Miſeratio dicitur: & quantulum abeſt, vt inter virtutes imò numina conſecretur publica hæc Febris? Poëtæ & oratores paſſim C dilaudant & inculcant feruidum amorem patriæ: nec prorſus exculco ego, ſed temperandum eum moderandúmque eſſe cenſeo & ſciſco. Reuera enim vitium eſt, intemperies eſt, & animi à gradu deiectio ac lapſus. Sed & grauis morbus parte aliâ. quia non vnus in eo dolor, ſed cõfuſè Tuus & Alienus. Atque Alienus itẽ duplex, cauſſâ hominũ, cauſâ Patriæ. Vt id quod ſubtilius dici & diuidi à me videtur, capias ſub exẽplo: ecce Belgica tua nunc premitur non vnâ clade, & circũplexa eã vndique ciuilis huius belli flãma. vides paſſim agros vaſtari, diripi; opida incendi, euerti, homines capi, cædi; matronas pollui, virgines imminui; & quæ alia comitari amant bellũ. Nónne hîc tibi dolor? dolor. ſed varius & diuiſus, ſi inſpicis: quia ſimul & te luges, & ciues, & patriam ipſam. In te, damna: in ciuibus, varium caſum & occaſum; in D patriâ, conuerſionem euerſiunémque ſtatus. Alibi habes quod clames; *Me miſerum!* alibi,

———tot ciues mei

Mandatam hoſtili peſtem oppetiſtis manu.

alibi denique, *O pater, ò patria!* Vt qui his non moueatur, & in quem cuneus ac cumulus nihil poſſit ingruentiũ tot malorum; aut valdè ſiccum & ſapiẽtem eum eſſe oporteat, aut valdè durum.

Falſa bona, Cupidior & Gaudio: mala, Metu & Dolore. Sed Mala, duplicia: Publica, & Priuata.

Firmata ea diſtinctio, & aptata rei.

Dolor ex malis publicis grauiſſimus. Quia cũ impetu venit. Quia honeſti ſpecie irrepit & imponit

Quia itẽ varius & multiplex.

Idque exemplis oſtenſum.

CAPVT VIII.

E *Mala publica oppugnata. ſed ante omnia tres adfectus coerciti. exq; iis hoc Capite ambitioſa quadam Simulatio: quâ homines Mala propria, vt Publica, lugent.*

QVID eſt Lipſi? ſatin' vt præuaricari Conſtantiæ meæ, videor, & cauſſam adhuc agere tui doloris? Sed feci quod annoſi & fidentes Imperatores: elicui in campum & in aciem omnes tuas copias, cum quibus ſtrenuè nunc confligam. ſed velitatione quadam priùs, deinde aperto Marte & velut collatis ſignis. Inter velitandum autem, tres mihi Adfectus primo pedato (vt cum antiquis

Tres Adfectus, qui fautores Dolori publico.

loquar)

loquar) protetendi ſunt, Cõſtantiæ noſtræ valdè aduerſi, Simulatio, Pietas, Miſeratio. Atque ille quidem prius. Negas te ferre mala publica ea dolori tibi eſſe, imò morti. Sanè' ſeriò adfirmas? an fraus hîc aliqua & fucus? Ego commotior, Imò ſeriò tu hoc rogas? inquam. an fides & ſeritas? Ego ſeriò, inquit. non enim pauci ex hoc valetudinario veſtro imponunt medicis, & dolorem publicum ſimulant, qui reuerà eſt priuatus. Quæro igitur, ſatiſne acceptum habeas, curam iſtam

Contra Simulationem, primò.

Quam malâ ambitione ſæpe induũt.

Quæ te nunc coquit & verſat ſub pectore fixa,

patriæ ipſius cauſsâ ſuſceptam eſſe, an tuâ? Etiámne ambigis? inquam ego. patriæ vnius cauſsâ mihi hic luctus, Langi, patriæ. Ille capite abnuens, Adoleſcens vide etiam atque etiam, inquit. Nam in te ſi eximia hæc & ſincera pietas, mirabor: certè in paucis. B Queritmur homines ſæpe de malis publicis, fateor: nec alius tam communis dolor, & vt ſic dixerim, magis in frontem incurrens. ſed ſi propiùs examinas, reperies plerumque diſcidium aliquod linguæ & cordis eſſe. Ambitioſa illa verba ſunt, *Mouet me clades patriæ*, non vera: in labris nata, non in fibris. Quod de Polo hiſtrione nobili traditum eſt, cùm Athenis fabulam actitaret in quâ dolor repræſentandus, eum filij ſui defuncti oſſa & vrnam clàm intuliſſe, & theatrum totum vero gemitu luctúque compleſſe: idem hîc dixerim de pleriſque veſtrûm. Comœdiam ô boni luditis, & velati perſonâ patriæ, priuata veſtra damna veris & ſpirantibus lacrymis lugetis. *Mundus vniuerſus exercet histrioniam*, ait Arbiter: certè hîc. C Bellum hoc ciuile nos cruciat, inquiunt, & ſuſus innocentum cruor, & interitio libertatis & legum. Itáne? dolorem ſanè veſtrum video: quæro & cunctor de cauſsâ. Quian' publica malè habent? hiſtrio pone perſonam, imò quia tua. Vidimus agreſtes ſæpè trepidare & concurrere & vota facere, cùm calamitas ſubita ingruit aut tempeſtas: ſed tu, cùm deſæuit, eoſdem reuoca & examina, reperies vnumquemque timuiſſe dumtaxat ſegeti & agellulo ſuo. Ad incendium in hac vrbe clametur: claudi pænè dicam & cæci concurrent ad reſtinguendum. quid cenſes? vtrùm amore patriæ? imò pete ab ipſis: quia damnum illud ad ſingulos pertinet, aut certè eius metus. D Simile hîc eſt: & mouent vulgò turbántque homines mala publica, non quia plurium id damnum, ſed quia inter plures eos ipſi.

Priuata eximple xiq; lugent, nõ publica.

Itaque cauſſa intima quærenda doloris.

CAPVT IX.

Simulatio ea clariùs retecta, & ab exemplis. obiter de verâ Patriâ dictum. item malitiâ hominum gaudentium malis alienis, cùm ipſi extra ea.

ITAQVE coram te iudice hæc cauſſa agatur, & in tuo tribunali: ſed, quod olim, leuato velo. Nempe bellum hoc times? times. cur? quia peſtis & pernicies coniuncta bello. E Peſtis illa ad quos? nunc ad alios quidem, ſed pertingere etiam ad te poteſt. En caput tui doloris (ſi verum fateri ſine eculeo vllo vis) en fontem! Vt enim cùm fulmen in vnum aliquem cecidit, etiam ij qui in proximo ſtabant, tremuerunt: ſic in magnis iſtis communibúſque cladibus, damnum ad paucos peruenit, metus ad omnes. Quem ſi tollis, tollis vnà hunc dolorem. Ecce bellum ſi apud Æthiopas aut Indos geratur, nihil moueare (extra diſcrimen enim tu ſis:) ſi apud Belgas; plores, clames, frontem percutias & femur. Atqui mala publica propter ipſa ſi luges, quid intereſt? Non enim illa patria mihi, inquies. Sulte. an non & illi

Dolemus lugemuſque publica nõ vt publica. Sed quia aut dãnum iis priuatũ adiunctũ, aut eius metus.

Occurſum obiectioni de patriâ.

A homines, eâdem ſtirpe tecum & ſatu? ſub eodem cæli fornice? in eâdem terræ pila? Exiguum hoc quod hi montes coërcent, hi fluuij cingunt, patriam eſſe cenſes? Erras. vniuerſus orbis eſt, quacumque homines ſunt cæleſti illo ſemine oriundi. Egregiè olim Socrates interroganti, *cuiatem ſe ferret? Mundanum*, reſpondit. Magnus enim erectúſque animus non includit ſe iſtis ab opinione terminis: ſed cogitatione & ſenſu totum hoc Vniuerſum complectitur, vt ſuum. Vidimus ſtultos & riſimus, quos cuſtos aut magiſter alligabat ſtaminis vel exigui fili nodo: atque illi ſtabant, quaſi ferro aut verâ compede deuincti. ſimilis noſtra hæc amentia; qui futili opinionis vinclo aſtringimur ad certam terræ partem. Sed vt firmiora hæc omittam (vereor enim vt poſſis concoquere:) addo amplius. B ſi quis deus ſponſor tibi per hoc ipſum bellum ſit, agellos tuos intactos fore, domum pecuniámque ſaluam, teipſum in monte aliquo conſtituat velatum Homericâ nube: etiámne dolebis? de te quidem hoc non auſim dicere, ſed erit non nemo qui gaudebit etiam, & oculos ſuos auidè paſcet in confuſa illâ morientium ſtrage. Quid abnuis, aut miraris? Ita inſita neſcio quæ malitia humani ingenij fert, *Lætans*, vt poëta vetus loquitur, *malo alieno*. Atque vt poma quædam guſtu ſuauia et acerba ſunt: ſic alienæ curæ ſecuris nobis. Pone mihi aliquem in Oceani illo littore, qui naufragium ſpectet. adficietur ſanè, ſed non iniucundo quodam animi morſu: quia aliena pericula videt, ſine ſuo. at repone eumdem in iactatâ illâ naui: C dolebit ſcilicet alium dolorem. idem cùm omnia fecimus, diximus, hîc eſt: & noſtra mala verè atque ex animo lugemus publica dicis moriſque cauſsâ. Egregiè Pindarus: * τὸ γὰρ οἰκεῖον πιέζει πάνθ' ὁμῶς. εὖθυς δ' ἀπήμων κραδία κᾶδος ἀμφ' ἀλλότριον. Quamobrem aulæum hoc ſcænicum tandem remoue Lipſi & ſiparium complica: & miſsâ omni ſimulatione, oſtende te nobis vero doloris tui vultu.

Quæ latius pateт, quã cenſet vulgus: & Opinio ſola eſt, quæ eã artat.

Sed oſtẽſum, ne anguſtæ quidem illius patriæ cauſsâ nos dolere.

Malitia noſtra in alienis malis ideñtificit.

* Nã ꝓ propriũ infortuniũ premit quẽq; pariter: at ſtatim doloris expers cor ob luctũ alienũ.

CAPVT X.

Querela mea de increpatione Langij tam liberâ. ſed additum, Philoſophi id munus eſſe. Conatus item refutandi ſuperiora: & obligatio amórque qui in patriam.

ACRIS mihi viſa prima hæc velitatio. quam interpellans, Quæ iſta ſermonum libertas, imò acerbitas eſt? inquam. ſic vellicas, ſic pungis? Iure cum Euripide te compellem,

——* μὴ νοσοῦντι νουθέτει
φρονεῖν· ἄλις γὰρ συμφορᾷ βαρύνομαι.

Langius attidens, Ergóne tu cruſtulum, inquit, à me aut mulſum exſpectas? atqui ferrum paullò antè poſcebas & ignem. Et rectè. Philoſophum enim audis, Lipſi non tibicinem. cui docere propoſitum, non ducere: prodeſſe, non placere. Vt pudeas & vt rubeas malo, quàm vt rideas: vt pæniteas, quàm vt exſultes. E * ἰατρεῖον, ὦ ἄνδρες, τὸ τοῦ φιλοσόφου σχολεῖον, clamabat olim Rufus: quò ſanitatis cauſsâ concurritur, non voluptatis. Nihil palpat ille medicus, nihil blanditur: ſed penetrat, pungit, radit, & acri quodam ſermonum ſale ſordes abſterget animorum. Itaque ne in poſterum quidem, Lipſi, roſas cogita, ſeſamum, aut papauer: ſed ſpinas, ſicas, abſynthium & acetum. Ego iterùm, Sed enim Langi, ſi fas dicere, agis mecum malè & malignè: nec, vt bonus pugil, legitimo nexu deiicis, ſed per argutias ſupplantas. Simulatè, ais, lugemus patriam, nec propter ipſam, Egóne? falſum. Nam vt hoc tibi dem (agam enim ingenuè) reſpectum in eo aliquem mei

* Ægrotane ægritudinem Adde. ſa. in ſuperq; cladibus premor.

Sapientis acris oratio.

* Officina medica, ô viri, philoſophi ſchola eſt. Eſt autem Muſonij Rufi.

Per occaſionẽ tranſitus ad ſecũdum Affectum.

A eſſe; at non ſolus. Lugeo eum, Langi, patriam inprimis, lugeo: lugebóque, etiamſi nullum mihi in eius diſcrimine diſcrimen. Iure bono. illa ſiquidem eſt, quæ me excepit, fouit, aluit: communi gentium ſenſu, ſanctiſſima & antiquiſſima parens. At enim orbem vniuerſum patriam mihi das. Quis renuit? ſed tu quoque fatêre, præter hanc grandem & communem, aliam mihi eſſe magis definitam & peculiarem patriam: cui arcano quodam naturæ vinclo propiùs obſtringor. Niſi cenſes vim nullam eſſe iaciendi & attrahendi in natali illo ſolo. quod primùm corpore iſto preſſimus, pedibus inſtitimus: cuius aërem hauſimus: in quo infantia noſtra vagiit, pueritia luſit, iuuentus exercita & educata eſt.

Patriæ particularis laus: &

A naturâ eũ eâ vinclũ.

B Vbi familiare oculis cælum, flumina, agri: vbi longâ ſerie cognati, amici, ſodales: & tot gaudij illecebræ, quas fruſtrà terrarum alibi quæram. Nec opinionis hîc, vt videri vis, filum tenue, ſed firmi compedes Naturæ. Ad animalia abi. feræ ecce cubilia ſua amant & agnoſcunt; aues, nidos. Piſces ipſi in magno illo & interminato Oceano ſiui gaudent certâ eius parte. Nam homines quid dicam? qui culti ſiue Barbari, ita adfixi genitali huic glebæ; vt quiſquis vir eſt, nihil ambigat mori pro eâ, & in eâ. Itaque, Langi, nouam hanc & rigidam tuam ſapientiam nec ſequor adhuc, nec adſequor: Euripidem magis, verè adfirmantem:

Etiã in aliis animalib.

——ἀναγκαίως ἔχει

Πατρίδος ἐρᾶν ἅπαντας.

**imperat Neceſſitas Amare patriã cunctos.*

CAPVT XI.

Refutatus ſecundus Adfectus nimij amoris in patriam, quam Pietatem falſò vocant. idque oſtenſum. Item vnde origo illi Adfectui. & quid Patria propriè ac verè.

Rationes ex repulſæ.

AD hunc ſermonem renidens Langius, Adoleſcens, inquit, mira tua pietas: & iam periclitatur, opinor, de cognomine tuo M. Antonij frater. Sed tamen hoc commodè, quòd vltrò offert ſe hic Adfectus & procurrit ante ſigna: quem iam antè aggredi mihi decretum, & ſternere leui haſtâ. Detraho autem illi ante omnia velut ſpolium pulcherrimæ veſtis, quâ malè ſe exornat. Amor enim hic in patriam, Pietas vulgò dicitur: nec capiente me, fateor, nec ſciente. Vnde enim Pietas? quam eximiam virtutem eſſe ſcio: nec propriè aliud, quàm LEGITIMVM DEBITVMQVE HONOREM ET AMOREM IN DEVM AC PARENTES. Quâ fronte autem Patria mediam his ſe inſerit? Quia, inquiunt, etiam illa ſanctiſſima & antiquiſſima parens. O inepti: nec iam in Rationem iniurij, ſed in Naturam ipſam! Illáne parens? cur, aut quomodo? Nihil enim hîc video: & tu ſi acutior Lipſi, tenebras meas illuſtra. Quiáne excepit? id enim viſus antè dicere. atqui etiam hoſpes aliquis ſæpè aut caupo. Fouit? haud paullò molliùs olim gerula aut nutrix. Aluit? hoc pecudes, hoc arbores, hoc ſegetes cottidie: & inter magna corpora quibúſque nihil imputet Terra, Cælum, Aër, Aqua. Denique transfer te, & hoc idem faciet quæuis alia tellus. Madida hæc & inania verba ſunt: quibus nihil expreſſeris, præter plebeium & inutilem quemdam Opinionis ſuccum. Parentes quidem ij ſoli, qui genuerunt, formârunt, geſtârunt: quorum nos ſemen de ſemine, ſanguis de ſanguine, caro de carne ſumus. Quorum ſiquid in patriam vel comparatione conueniet; nil recuſo, quin Pietatem hanc oppugnem irrito telo. At enim viri docti, viri magni, ſic effari paſſim. Fateor. ſed ad famam, non ad verum. quod ſi ſequeris, ſacrum illud & auguſtum nomen deo remitties, &, ſi placet, parentibus: hunc quidem adſectum, etiam cùm emendatus eſt, contentum eſſe iubebis honeſto titulo Caritatis. Sed de nomine, tantum eſt: rem potiùs videamus. quam equidē non totam tollo, ſed tempero, & velut ſcalpello circumcîdo rectæ rationis. Vt enim vitis, niſi amputes, latiſſimè ſe ſpargit: ſic iſti præſertim Adfectus, quibus aura aliqua velificatur popularitatis. Ac fateor libens, Lipſi, (non enim ita hominem exui aut ciuem) inclinationem aliquam & amorem cuique noſtrûm in minorem hanc patriam eſſe: ſed

Adfectũ eũ malè Pietatis nomine velari.

D

Nec Patriã parẽtis nomine dignandã.

E

In Deũ & parẽtes, Pietas: in patriã, Caritas.

Quæ tẽperanda eſt.

B cuius cauſſæ, vt video, parùm liquidò tibi cognitæ, aut origo. A naturâ enim eſſe vis: reuera autem eſt à more quodam & inſtituto. Poſtquam enim homines, ex rudi illâ & ſoliuagâ vitâ, ab agris in oppida compulſi ſunt, & domos ac mœnia ſtruere cœperunt, & cœtus facere, & populariter vim inferre vel arcere: ecce communio quædam neceſſariò inter eos exorta, & ſocietas variarum rerum. Terram & fines quoſdam coniunctim habuerunt: templa in promiſcuo, fora, æraria, tribunalia: & quod præcipuum vinclum, ceremonias, iura, leges. Quas tamen ipſas res ita amare & curare animus noſter occœpit (nec errauit prorſus) vt ſuas. Verè enim ſingulis ciuibus in ea ius: nec differunt à priuatis poſſeſſionibus, niſi quòd non vnius. At conſortio iſta velut formam, & faciem quandam expreſſit noui ſtatus. quam Remp. & eamdem propriè Patriam appellamus.

Vnde ea Caritas nata? A more nõ à naturâ.

Imò ideò amamus patriã, quia quiddã in eâ noſtrum.

Et origo illi, ab amore priuato

C In quâ cùm intellegerent homines quantum momenti eſſet ad ſalutem ſingulorum: latæ etiam leges de eâ iuuandâ & propugnandâ: aut certè traditus à maioribus mos, qui inſtar legum. Hinc factum, vt commodis eius gaudeamus, doleamus incommodis: quia reipsâ priuatæ noſtræ opes ſaluæ, illâ ſaluâ: & morituræ, moriente. Hinc caritas in eam ſiue amor, quem boni publici cauſsâ (illùc autem occulta quædam dei Prouidentia nos trahit) auxêre maiores, factis dictiſque omnibus maieſtatē patriæ adſtruentes. Ab inſtituto hic adfectus igitur, me quidem iudice. quod ſi à naturâ, vt tu pertendebas: quid ita non pariter in omnes, & eâdem menſurâ, diffuſus? cur nobiles diuitéſque patriam magis amant, curant: minùs plebeij aut inopes, quos plerumque curarum ſuarum videas, publicâ omiſſâ?

Quem produxit & auxit conſuetudo, ſiue lex.

Idque ſocietatis humanæ cauſsâ.

Argumẽta clara, cur non a naturâ.

D Quod tamen aliter euenire certum eſt, in omni adſectu, qui à violento iuſſu naturæ promanat. Denique quid cauſſæ adferes, quòd tam leuis cauſſa ſæpe eum minuit aut tollit? Ecce alium ira, alium amor, quoſdā ambitio patriâ elicuit: & hodie quàm multos Lucrius ille deus? Quot Itali, relictâ reginâ regionum Italiâ, in Galliam, Germaniam, imò Sarmatiā ſedes tranſtulerunt & fixerunt, quæſtus tantùm cauſsâ? Hiſpanorum quot millia quotannis in ſepoſitas, & ſub alio ſole terras, auaritia aut ambitio trahit? Magno hercules & valido argumento, externum & opinabile totum hoc vinclum eſſe, quod vna aliqua cupiditas tam temerè ſoluit aut rumpit.

Primò, quia nõ æquiter tangit omnes.

Secũdò, quia facilis minui, imò tolli.

E At erras etiam largiter, Lipſi, in circumſcribendâ patriâ ipsâ. Adſtringis enim eam ad natale illud ſolum, quod inſtitimus, quod preſſimus: & quæ alia mihi tinnis inani ſonitu verborum. Petere enim illinc fruſtrà vis inſitas amoris huius cauſſas. Nam ſi genitalis ſolius ſoli id nomē: patria mihi quidem Bruxella tantùm erit, tibi Iſcanum, alteri copiam tugurium aut magar. imò multis nec tugurium quidem, ſed ſilua & nudus ager. Amor ergo meus & cura, intra iſtos anguſtos limites concluſa? villam illam tantùm aut domum; vt patriam, am-

Reiecta opinio de particulari patriâ. Nõ eſſe eam, locum natalem.

plectat & defendam? Vides ineptias. & quàm beati, te definiente, ſiluani illi aut agreſtes, quorum natalis terra florens ſemper eſt, & penè extra omne cladis aut interitus diſcrimen. Sed non illud profectò Patria eſt, non: ſed VNVS ALIQVIS STATVS; VT DIXI, ET COMMVNIS VELVT NAVIS, SVB VNO REGE AVT SVB VNA LEGE. Quam ſi iure amari à ciuibus vis; fatebor. defendi; agnoſcam. mortem pro eâ ſuſcipi; permittam. non illud, vt etiam doleat quis, iaceat, lamentetur.

Quid verè & propriè ea ſit?

Eaque ciuiliter ſanè defendenda.

Dulce & decorum eſt pro patriâ mori.

magno adſenſu caueæ dixit poëta Venuſinus: ſed mori dixit, non flere. Ita enim eſſe boni ciues debemus, vt etiam boni viri ſimus. quos exuimus, cùm in luctum & lamenta tranſimus puerorum aut mulierum. Poſtremò, Lipſi, altum illud & arcanum tibi inſtillo: ſi hominem totum aſpicis, vanas falſaſque eſſe has omnes patrias. & corpori quidem fortaſſe aliquam hic poſſe tribui, nullam animo: qui è ſuperno illo domicilio delapſus, velut carcerem & cuſtodiam habet omnem hanc terram. At cælum vera illi germanaque patria eſt. ad quam adſpiremus, vt cum Anaxagora ex animo poſſimus dicere fatuo huic vulgo quærenti, *Nihil tibi curæ patria eſt? Mihi verò illa patria.* & digitum mentemque in æthera intendamus.

At non muliebriter complorãda.

Sapientum decretũ de vera patria.

B

CAPVT XII.

Tertius Adfectus temperatus, qui miſeratio. eam nimiam in vitio eſſe diſcriminata, lucis cauſâ, à Miſericordiâ. quomodo, & quatenus eâ vtendum.

NVAM aliquam mihi ab animo diſpuliſſe hoc ſermone viſus Langius, & ad illum, Iuuas largiter me ſenex quà monendo, quà docendo. & iam Adfectum illum, qui erga ſolum aut ſtatum eſt, videor temperare poſſe: nondum illum qui in homines ipſos. Quomodo enim non tangant & angant me damna patriæ, propter ciues & populares meos: qui iactantur in hoc calamitatum pelago, aut pereunt, variâ & miſerâ ſorte? Langius excipiens, At iſtic, Lipſi, inquit, non dolor propriè, ſed Miſeratio eſt: quæ ipſa tamen ſpernenda à ſapiente & conſtante. Nihil enim illi magis conuenit, quàm firmitas animi & robur: quæ eſſe non poſſunt, ſi deiicit contrahitque eum non ſuus ſolùm luctus, ſed alienus. Interrupi hîc ego, & Quæ iſtæ Stoicorum ſpinæ ſunt? inquam. Miſerari me vetas? at virtus ea apud bonos eſt, certè apud nos qui verâ religione imburi ſimus & pietate. Langius adfirmatè, Ego verò vero, inquit: & ægritudinem hanc ſi ab animis tollo, ægrè non feret quiſquam ſeriò bonus. Verè enim ægritudo: nec longè à miſeriâ eſt, quiſquis miſeratur. Vt imbecilli malique oculi nota eſt, lippire ad conſpectum lippientis: ſic animi, dolere viſo dolente. Definitur ea rectè, VITIVM PVSILLI MINVTIQVE ANIMI, AD SPECIEM ALIENI MALI COLLABENTIS. Quid ergo? tam duri & ferrei nos, qui flecti in alieno dolore quemquam nolimus aut inclinari? Imò flecti non diſplicet: ſed ad iuuandum, non ad dolendum. Miſericordiã tibi permitto, non miſerationẽ. Diſtinguere enim ea nũc placet, & recedere paulliſper à noſtrâ porticu, docendi cauſâ. Miſericordiam appello, INCLINATIONEM ANIMI, AD ALIENAM INOPIAM AVT LVCTVM SVBLEVANDVM. Hæc virtus illa, Lipſi, quam velut per nebulam vides, & pro quâ Miſeratio tibi ſubrepit & imponit. At enim humanum eſt adfici, & miſerari. Eſto. ſed non tectum.

Ad miſeratiõnẽ tranſitũ.

Quæ aliena ſapienti.

Nec Chriſtiano quidẽ piorib. conuenit: ſano intellectu.

Quid ea ſit?

D

Miſericordiã tamẽ nõ excludi.

E

Quid itẽ ea ſit?

Diſcrimen inter vtrãque.

A

An tu virtutem vllam in mollitie & abiectione animi cenſes? vt ne ingemiſcas? vt ſuſpires? vt verba fracta & terniata cum lugente miſceas? Erras. alioqui dare tibi auiatas aliquot anus & deparcos Euclliones poſſum; è quorum oculis mille lacrymas citiùs expreſſeris, quàm vnum è bulgâ nummum. At noſter vetus ille miſericors, nõ miſerabitur quidem, ſed tamen eadem omnia aut maiora faciet miſeranti. Adſpiciet aliena mala humanis oculis, ſed tamen rectis: adducto quodam vultu adfabitur, ſed non lugubri aut deiecto. ſolabitur fortiter, iuuabit liberaliter: & faciet benigniùs, quàm dicet: & manum potiùs egeno aut lapſo porriget, quàm verba. Atque hæc omnia cautè & circumſpectè præſtabit. ne, vt in malâ contagione, alienus morbus in illum tranſeat: néve, quod de gladiatoribus dicitur, per alterius latus ipſe feriatur. Quid hîc rigidũ, ſodes, aut durum? & talis omnis Sapientia eſt: quæ procul intuentibus ſeuera & tetrica apparet; cùm propiùs acceſſeris, lenis, clemens reperitur, & quâ non mitior aut amicior ipſa Amorum dea. Sed ſatis de tribus his Adfectibus. quos ſi in parte tibi detersi, magnum mihi id ad reliquam pugnam momentum.

Effectus vtriuſque.

B

Multa Stoicorum παράδοξα, nõ ἄδοξα.

CAPVT XIII.

Remotis obſtaculis, ventum ſeriò ad eleuanda aut tollenda ipſa Publica mala. quattuor ea præcipuis argumentis oppugnanda à me & expugnanda. Ac primo hîc de Prouidentiâ dictum: eáque probata ineſſe & præeſſe rebus humanis.

C

VENIO enim tandem à velitatione ad veram ſeriamque pugnam; & omiſſis leuibus iſtis teli luſoriis, ad decretoria arma. Milites copiaſque meas omnes ordine & ſub ſignis inducam: quarum quadruplex mihi agmen. Primo pugnabo, A deo immitti & circummitti hæc publica mala: ſecundo, Neceſſaria ea eſſe & à Fato: tertio, Vtilia nobis: poſtremo, Nec grauia nimis, nec noua. Quæ copiæ ſi locis ſuis aptè pugnant & repugnant: etiamne reſiſtere mihi vltrà aut os obuertere audebit exercitus tui doloris? non audebit. Vici. Et cum hoc omine, ſigna canant.

Verum pro Cõſtantiâ nũc certamen.

Diuiſio & ordo quattuor rationum, quæ principes.

Cùm omnes igitur adfectus, Lipſi, qui vitam humanam variè incurrunt & turbant, à demente mente ſint: tum, meo animo, dolor præſertim, qui de rep. ſumptus. Nam cùm ceteri finem aliquem habeant & tamquam ſcopum (vt amator, potiri; iratus, vlciſci; auarus, acquirere; itemque in ceteris:) ſoli huic nihil propoſitum reperies, præter ipſum. Ne vaga & libera nimis oratio mea ſit, ſed adductis habenis maneam in hoc gyro: nempe tu patriam nunc luges, vt ais, corruentem. ſed quâ fini, cedo? aut quid ſpectas in eo aut ſpectas? Vtrúmne vt rem lapſam corrigas? labentem firmes? an vt dolendo imminentem patriæ peſtem perniciemque depellas. Nihil horum. tantùm vt tritum illud poſſis dicere, Doleo; & cetera vanus irritusque hic omnis luctus. Res enim præteritæ is eſt: quam reprendere & infectam reddere, ne diis quidem voluerunt eſſe in manu. Et vanus tantùm? imò fortaſſe impius, ſi rem pendes æquâ iudicij lance. Quod enim te non fugit, æterna quædam mens eſt, quam Deum appellamus: quæ cælorum perennes orbes, quæ ſiderum inæquales curſus, quæ elementorum alternas vices; quæ denique omnes res ſuperas, inferas, temperat, moderatur, gubernat. Caſum tu aliquem Fortunãve dominari in hoc pulcherrimo mundi corpore cenſes? temeta rio

Stultiſſimũ inter Adfectus, dolorẽ publicũ eſſe.

Quia ſine nullo aut ſpe ſuſceptus.

D

E

Eũdem impiũ. ſi in Deũ pugnat.

Fortuna expulſa è rebus humanis.

aut cæco impetu ferri miſcerique res humanas? ſcio, non cenſes: nec quiſquam à te alius, qui aliquid non dicam ſapientiæ habeat, ſed ſanitatis. Naturæ enim, naturæ iſta vox eſt: & quocumque oculos animumque conuertas; mortalia, immortalia; ſublimia & terrena; animata & inanima, clamant clarè & loquuntur, quiddam ſuper nos eſſe, quod hæc tam mira, tam magna, tam multa, creârit, fecerit: & creata, facta, etiam nunc dirigat & conſeruet. Id autem eſt Deus. cuius ſummæ & perfectiſſimæ naturæ nihil magis conuenit, quàm vt curam tutelamque operis ſui gerere & velit, & poſſit. Quidni autem velit? optimus eſt. quidni poſſit? maximus eſt. adeoque vires nullę ſupra ipſum, vt nullę ab ipſo. Nec diſtringit eum aut diſtinet magnitudo hæc rerum, aut varietas. Spargit enim æterna illa lux quoquouerſum ſuos radios: & vno eodemque, vt ita dicam, ictu ſinus omnes & abyſſos penetrat cæli, terræ, maris. nec præeſt ſolùm diuinitas hæc rebus omnibus, ſed intereſt, imò, ineſt. Quid miramur? Sol ille quantam mundi partem ſimul luſtrat & illuſtrat? noſtra mens quantam congeriem rerum vnâ cogitatione complectitur. & ſeruat? & ô fatui, non cenſemus plura inſpici & concipi ab eo poſſe, qui hunc ipſum Solem, hanc ipſam Mentem creauit & fecit? Egregiè vel diuinè potiùs, is qui non multa de rebus diuinis, * Ariſtoteles: ὅπερ ἐν νηῒ μὲν κυβερνήτης, ἐν ἅρματι δὲ ἡνίοχος, ἐν χορῷ δὲ κορυφαῖος, ἐν πόλει δὲ νόμος, ἐν στρατοπέδῳ δὲ ἡγεμών, τοῦτο θεὸς ἐν κόσμῳ. Πλὴν καθ' ὅσον τοῖς μὲν καματηρὸν τὸ ἄρχειν, πολυκίνητόν τε καὶ πολυμέριμνον· τῷ δὲ ἄλυπον, ἄπονόν τε, πάσης κεχωρισμένον σωματικῆς ἀσθενείας: *Quod in naui gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in vrbe lex, in exercitu Imperator: id in orbe eſt Deus. Hoc tantùm diſcrimine, quòd illis quidem laborioſum ſuum regimen, anxium, & exercitum eſt, deo autem ſine dolore aut labore, ſeiunctumq́; ab omni corporis nſu.* Eſt igitur in deo, Lipſi, fuit, erit, PERVIGIL ILLA ET PERPES CVRA (ſed cura tamen ſecura) QVA RES OMNES INSPICIT, AGIT, COGNOSCIT: ET COGNITAS IMMOTA QVADAM ET IGNOTA NOBIS SERIE DIRIGIT AC GVBERNAT. Id autem eſt, quod prouidentiam hîc voco, de qua queri non nemo per imbecillitatem poſſit, nemo quærere, niſi qui obſurduit & obturuit contra Naturæ vocem omnem & ſenſum.

Prouidētia ſtabilita.

Cuius immenſa capacitas, celeritas, immenſæ vires.

* *Libello περὶ κόσμου. quē Stobæus citat, vt Epiſtolam ad Alexandrū.*

Deſcriptio Prouidētiæ.

CAPVT XIV.

Nihil hîc geri, niſi prouidentia eius nutu. ab eâ clades in populos aut vrbes immitti. ideo parùm pie ſuper iis queri nos aut flere. Denique adhortatio ad parendum deo, cum quo temerè & fruſtrà pugnatur.

QVOD ſi benè imbibiſti, ſi gubernatorem illam vim inſerere ſe atque inſinuare, & vt eum poeta loquat,

——————ire per omnes
Terráſque tractuſq; maris,

ſeriò & ex animo credis: non video, quis locus vltrà eſſe poſſit dolori tuo aut querelæ. Illa enim ipſa prouida mens, quæ cælum hoc cottidie voluit reuoluit, ſolem ducit reducit, fruges promit recondit: caſus iſtos & viciſſitudines omnes rerum peperit, quas miraris & indignaris. Grata tu tantùm, & nobis commoda, ſubmitti cælitus putas? imò triſtia etiam, & incommoda: nec quidquam omnino in hac grandi machina geritur, turbatur, miſcetur, (peccatum excipio) cuius non cauſſa & origo à prima illâ cauſſâ. * Πάντων enim ταμίαι ἔργων ἐν οὐρανῷ ait rectè Pindarus: & aurea quædam, veluti cathena demiſſa ſuperò eſt (vt per fabulam Homerus velat) ad quam omnia hæc inferna alligata. Quòd ibi labes terræ oppida aliquot abſorpſit, à Prouidentiâ eſt: quòd alibi peſtis multa millia hominum demeſſuit, ab iſtâ: quòd cædes & bellum apud Belgas, ab eâdem iſtâ. Diuinitus Lipſi, diuinitus immiſſæ omnes iſtæ clades: ideoque benè & ſapienter Euripidi * ξυμφοραὶ θεήλατοι dictæ. Fluxus, inquam, omnis & refluxus hic rerum humanarum, ab illâ Lunâ dependet: ortus regnorum & occaſus, ab illo Sole. Itaque tu nūc cùm fræna dolori tuo laxas, & indignaris patriam tuam conuerti aut euerti: ne illud quidem cogitas, quis & in quem, indignēre? Quis? homo, vmbra, puluis. in quem? formido dicere, in deum. Vetuſtas gigantes quoſdam fabulata eſt, qui diuos deturbare aggreſſi de ſuâ arce. mittamus fabulas: vos queruli, iſ eſtis. Si enim hæc omnia non permiſſa ſolùm à deo, ſed immiſſa: vos qui fremitis, qui repugnatis, quid aliud quàm ſceptrum illi (quod in vobis eſt) eripitis, & arbitrium regnandi? Cæca mortalitas! Sol, Luna, ſidera, elementa, & omnia hæc ſæcla animantum, parent non inuita & obaudiunt ſupremæ illi legi: nobiliſſimum rerum homo, ſolus in conditorem ſuum calces iacit & reſiſtit. Atqui ſi vela ventis dediſſes, ſequerére non quò voluntas impelleret, ſed quò illi: & in hoc vitæ Oceano ſpiritum illum ſequi recuſas, temperatorem Vniuerſi? Et recuſas tamen fruſtrà. quia aut ſequêre, aut trahêre: & cæleſtia illa decreta vim ſuam ordinemque ſeruabunt, ſiue in volentem ſiue in rebellem. Ridemus, ſi is qui cimbam ad rupem alligauit & funem identidem trahat, rupem ad ſe accedere cenſeat, cùm ipſe ad illam: & non maior noſtra ſtultitia eſt, qui ad rupem illam æternæ Prouidentiæ nexi, trahendo & reluctando volumus eam nobis obſequi, non nos ipſi? Mittamus aliquando hæc vana: &, ſi ſapimus, ſequamur ab alto attrahentem illam vim, & æquum cenſeamus vt homini placeat, quidquid placuit Deo. Miles in caſtris, audito viæ ſigno, vaſa colligit; audito pugnæ, deponit; animo, oculis, auribus, paratus ad omne imperium & intentus. idem nobis ſit, & in hac militiâ ſequamur alacres & pleno gradu quocumque vocantem Imperatorem. *Ad hoc ſacramentum adacti ſumus*, ait Seneca, *ferre mortalia: nec perturbari his, quæ vitare noſtræ poteſtatis non eſt. In regno nati ſumus:* DEO PARERE, LIBERTAS EST.

Argumētū à prouidentiâ in rem præſentem. Ab eâ enim clades & mala immitti.

* *omniū rerū diſpenſatores & adminiſtri in cælo.*

* *clades à Deo immiſſa.*

Indignū verò vt in eā homo inſurgat.

Cetera enim omnia creata parent.

Sed & ſtultum quia inſurgit ſine effectu.

Omnia enim ille mens trahit. Ideò ſpōtè parēdum.

Auro meliora verba Senecæ.

CAPVT XV.

Ad ſecundum pro Conſtantiâ argumentum tranſitum, quod à Neceſſitate. Vis eius & impetus. Dupliciter ea Neceſſitas conſiderata: & primò in Rebus ipſis.

HOc firmum, Lipſi, & Vulcanium planè ſcutum contra omnia externa: hæc *aurea illa arma*, quibus tectos, Plato pugnare nos iuſſit in caſum & Fortunam. Deo ſubiici, Deum cogitare: & in omni euentu, mentem hanc flectere ad magnam illam Mundi mentem. Prouidentiam dico. Cuius pias & felices copias quoniam ſatis explicui: producam & inducam agmen alterum, quod eſt ſub Neceſſitatis vexillo. Agmen forte, durum, ferreum: & quam non vanè legionem dixerim fulminatricem. Rigida enim & infracta iſta vis, quæ omnia domat, ſuperat: & cui imitabor, Lipſi, ſi reſiſtes. Thales interrogatus olim, * τί ἰσχυρότατον; rectè reſpondit, Ἀνάγκη. πάντων γὰρ κρατεῖ. & ſermo de eâdem vetus etſi pa-

A neceſſitate argumētū alterū.

* *Quid fortiſſimum?*

tium

Neceſſitas, à Prouidentia, non vltrà.
** ne Deos quidem cogere poſſe Neceſſitatem.*

rùm cautus, * τὴν ἀνάγκην οὐδὲ τοὺς θεοὺς βιάζεσθαι. Hanc Prouidentiæ nunc attexo: quia cognata illi, vel, vt verius dicam, ex eâ nata. A Deo enim eiuſque decretis Neceſſitas. nec aliud hæc Ἀνάγκη, vt Græcus philoſophus definiuit, quàm Κρίσις βεβαία καὶ ἀμετάτρεπτος δυνάμεως τῆς προνοίας. FIRMA *ſanctio, & immutabilis Prouidentiæ poteſtas.* Eam Malis publicis interuenire, dupliciter euincam. A rebus, & à Fato. A rebus ipſis: quoniam ingenium hoc omnibus creatis, vt inſitâ quadam vi ad mutationem ferantur & caſum. Vt ferro conſumens quædam rubigo per naturam agnata eſt: ligno, exedens caries aut teredo: ſic animalibus, opidis, regnis, internæ & ſuæ cauſſæ pereundi. Supera, infera reſpice; grandia, parua; manu facta, aut mente: ab omni æuo corruunt, & corruent in omne æuum. Atque vt flumina ad mare feruntur perpeti & prono curſu: ſic res omnes humanæ, per hunc (vt ſic dicam) cladium canalem labuntur ad ſuam metam. Meta autem ea, mors & interitus. quibus Peſtis, Bella, Cædes, adminiſtri & inſtrumenta. Ita ſi mors iis neceſſaria: neceſſariæ hoc reſpectu & clades. Quod vt clariùs videas ſub exemplis, non diffugiam mente & animo paullìſper tecum peregrinari per magnum hoc vniuerſum.

Quid ſit Neceſſitas? Quotuplex in noſtrâ hac re? Inſita rebus & innata, primò. Quia ad mutationem omnia & interitũ.

CAPVT XVI.

Exempla neceſſariæ mutationis aut mortis in toto Orbe. Cælum & elementa conuerti, aliquando interitura. Idem in oppidis ſpectari, in prouinciis, & regnis. Denique gyrare hic omnia, nec quidquam ſtabile aut firmum.

Exẽplis ſuperis inferiſque id oſtenſũ.

ÆTERNA lex à principio dicta omni huic Mundo naſci, denaſci, oriri, aboriri: nec quidquam ſtabile aut firmum arbiter ille rerum eſſe voluit, præter ipſum.

—— μόνοις οὐ γίγνεται
Θεοῖσι γῆρας, οὐδὲ μὴν θανεῖν ποτε·
Τὰ δ' ἄλλα συγχεῖ πάνθ' ὁ παγκρατὴς χρόνος:

** vnis Deo Nunquã ſenectus, neque mors imminet. Sed alia miſcet domitor omnia.*

exclamat Tragicus vates. Omnia iſta quæ ſuſpicis, quæ miraris, vicibus ſuis aut pereunt, aut certè mutantur. Solem illum vides? deficit. Lunam? laborat & tabeſcit. Sidera? labuntur & cadunt. Et vt velet aut excuſet hæc ingenium humanum: euenêre tamen in cælesti illo corpore & euenient, quæ Mathematicis legem omnem frangant & mentem. Cometas omitto, variâ formâ, vario ſitu, & motu: quos omnes ab aëre & in illo eſſe haud facilè imponat mihi Lycæum: ſed ecce nuper negotium Aſtrologis fecêre noui quidam motus deprehenſi, & nouæ ſtellæ.* Sidus exortum hoc ipſo anno: cuius incrementa & decrementa clarè obſeruata. vidimuſque (difficulter creditum) in cælo ipſo naſci aliquid poſſe, & mori. Quin Varro ecce apud Auguſtinum clamat & adſerit, *ſtellam Veneris quam Plautus Veſperuginem, Homerus* ἕσπερον *appellat, colorem mutaſſe, magnitudinem, figuram, curſum.* Proximum cælo aërem inſpice. mutatur cottidie: & in ventos abit, nubes, & imbres. Tranſi ad aquas. flumina illa, quæ perennia dicimus, & fontes, aliâs periiſſe videbis; aliàs alueum mutaſſe & curſum. Ipſe ille Oceanus, magna & arcana Naturæ pars, modò tempeſtatibus attollitur aut deiicitur: & vt eæ non ſint, ſuos habet aquarum acceſſus & receſſus. atque vt interire eum totum poſſe cenſeat, creſcit minuiturque cottidie per partes. Iam ſi Terram intuêris, quam vnam immobilem voluerunt, & * vi ſuâ ſtare: ecce illîc labat, & tremore atque occulto ſpiritu concutitur: alibi aquâ corrumpitur, aut igne. Pugnant enim & hæc inter ſe: neu bella inter homines tantũ eſſe indignêre. ſunt inter elementa ipſa. Diluuies maris ſubita inundatióq;, quot terras imminuit, aut abſorpſit! Olim magnam illam Atlantidem inſulam (nec enim meo animo fabula eſt) poſteà Helicé, Buren: & ne ad vetera aut remota eamus, apud nos Belgas, patrum æuo, * duas inſulas cum opidis viriſque. Quin iam nunc cùm maximè cærulus ille diuus nouos ſibi ſinus aperit, lambens cottidie & abrodens infidum marginem, Friſiorum Canunefatum, Cauchorum. Nec terra ipſa muliebri ignauiâ ceſſat: ſed interdum ſe vindicat, & in medio mari inſulas ſibi facit: mirante & indignante cano illo patre. Quòd ſi ad interitum mutationémque magna illa corpora, & noſtro ſenſu æterna, deſtinata ſunt: quid cenſes opida, reſpublicas, regna? quæ tam mortalia eſſe neceſſum eſt, quàm eos qui fecerunt. Vt hominibus ſingulis adoleſcentia ſua, robur, ſenecta, mors: ſic iſtis. Incipiunt, creſcunt, ſtant, florent: & omnia ideò, vt cadant. Vnus ſub Tiberio terræmotus duodecim celebres Aſiæ vrbes euertit. totidem Campaniæ opida alius, ſub Conſtantino. & vnum aliquod Attilæ bellum, plus centenas. Veteres Ægypti Thebas vix fama retinet: centum Cretæ vrbes vix fides. & vt ad certiora veniam, cadauera Carthaginis, Numantiæ, Corinthi, priſci viderunt & mirati ſunt: nos Athenarum, Spartæ, & tot illuſtriũ vrbium ignobiles ruinas. Illa ipſa rerum gentiumque * domina & falsò Æterna vrbs, vbi eſt? obruta, diruta, incenſa, inundata; periit non vno leto, & ambitioſè hodie quæritur nec inuenitur in ſuo ſolo. Byzantiũ illud vides, quod ſibi placet * duplicis imperij ſede? Venetias iſtas, quæ ſuperbiunt mille annorum firmitate? veniet illis ſua dies: & tu noſtra Antuerpia, ocelle vrbium, aliquando non eris. Diruit videlicet conſtruitque, & (ſi fas dicere) ludit in rebus humanis magnus ille architectus: & velut plaſtes, varias ſibi formas & imagines fingit ac diffingit ex hac argilla. Opida adhuc loquor & vrbes: ſed regna etiam & prouinciæ trahuntur in hanc labem. Olim oriens floruit. & Aſſyria, Ægyptus, Iudæa valuere armis ingeniiſque: ſors ea in Europam tranſiit. quæ tamen ipſa, vt corpora inſtante morbo, vibrari mihi nunc videtur. & præſentiſcere magnum ſuum caſum. Quod ampliùs & numquam ſatis miremur, hic à quinque annorum millibus & quingentis habitatus orbis ſeneſcit: & vt Anaxarchi exploſæ olim fabulæ iterùm applaudamus, ſurgunt alibi ſuccreſcuntque noui homines & nouus Orbis. O mira & numquam comprehenſa Neceſſitatis lex! abeunt omnia in hunc naſcendi pereundique fatalem gyrum: & longæuum aliquid in hac machinâ eſt, nihil æternum. Attolle & circumfer mecum oculos (non enim me piget premere hunc locum) & vide rerum humanarum alternas vices, &, vt in Oceano, æſtus. Tu ſurge, tu cade. tu impera, tu ſerui. tu occultare, tu emerge: & eat hic rerum in ſe remeantium orbis, quamdiu erit ipſe Orbis. Germani feri olim fuiſtis? nunc miteſcite ante pleroſque populos Europæ. Britanni inculti & inopes? deliciis ac diuitiis Ægyptios prouocate & Sybaritas. Græcia olim floruit? nunc iaceat. Italia ſceptrum tenuit? nunc ſeruiat. Vos Gothi, vos Vandali, vos fex Barbarorum prodîte è latebris, & gentibus imperate per vices. Adeſte etiam pelliti vos * Scythæ, & potenti manu paullìſper habenas temperate Aſiæ atque Europæ. Sed iſti ipſi mox diſcedite, & ſceptrum relinquite illi ad Oceanũ genti. Fallor enim? an Solem neſcio quem noui imperij ſurgentem video ab Occidente.

** Anno lxxij. quod ſupra omnẽ elementarem regionem fuiſſe peritiſſimi Mathematicorũ conſentiebant.*

Sunt Sophoclis verſus.
A cælo & aëre, initio facto.
Ab aquis & mari.
A terrâ.
Ideò To... am appellatã Hoc fi...

ne pugna & aduerſitas inter elemẽta.
** in Zelandiæ partibus.*
Si elemẽta pereunt, quanto magis quæ ex ipſis?
Vrbium magnarum exitia aut excidia.
** Romã ſentio.*
** Romani & Turcici.*
Cõcluſio, & per congeriem, mutationũ exẽpla.
** Ob Turcas dico, qui ex illis.*

CAPVT XVII.

Ventum ad Neceſſitatem quæ à Fato. Fatum ipſum primo adſertum. Vulgi in eo & ſapientum vniuerſum quemdam cōſenſum fuiſſe, ſed in partibus diſſenſum. Quotuplex priſcis Fatum.

DIXERAT Langius: & lacrimas mihi pænè expreſſerat hic ſermo. ita viſus mihi in clarā luce poſuiſſe ludibria rerū humanarum. Et exclamās, Heu, quid aut ipſi ſumus, inquam, aut omnia hæc in queis ſudamus? * ἐπάμεροι· τί δέ τις; τί δ' οὔτις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, vt verè nimis olim Lyricus vates. Langius ad me, At tu adoleſcēs, inquit, nō adſpice ſolū iſta, ſed deſpice: & Conſtantiā animo imprime, ex hac incōſtātiā & deſultoriā leuitate omnium rerum. Inconſtantem dico, à mente & ſenſu noſtro. quia Deum prouidentiámque ſi aſpicis, rato omnia & immobili ordine decurrunt. Iam enim omiſſis gladiis, ad machinas venio: nèc telis dolorem tuum oppugnabo, ſed tormentis. Fati arietem intorquebo, firmum, validum: & quem nulla vmquam humana vis elidet, aut acumen eludet. Qui locus etſi lubricus ad lapſum: tamen ingrediar. ſed cautè, lentè, & quod Græci dicunt, * ἀτρέμα ποδί. Ac principio Fatum aliquod in rebus eſſe, non tu Lipſi, vt opinor, non gens aut ætas vlla dubitauit. Ego interpellans, Ignoſce, inquam, ſi temerè ego tibi obiiciar in hoc curſu. Fata mihi opponis: Futiles hîc aries Langi, & qui Stoicorum neruis dirigitur parùm firmis. Liberè dico. & illa ego ſperno, & Parcas: & cum Plautino milite, totum hoc anile agmen vno ſpiritu diffluerim, vt folia ventus. Langius ſeuero atque adeò minace oculo, Temerarie & inconſpecte, inquit, fata tu eludis aut tollis? non potes: niſi vnà vim omnem tollis numénque diuinū. Si enim Deus eſt, Prouidentia eſt: ſi hæc, Decretum & ordo rerum: ſi iſtud, firma & rata neceſſitas euentorum. Quomodo exis hunc ictum? aut quā ſecuri ſcindis hanc cathenam? Deum enim & æternam illam mentem, non aliter cogitare nobis fas, quàm vt ſcientia & præuiſio in eo ſint æterna. Eumdemque fixum, firmum, immutabilē, ſemper vnum & ſui ſimilem ſentimus: in iis quæ ſemel voluit aut vidit, nihil flectentem, nihil fluctuantem.

*Οὐ γάρ τ' αἶψα θεῶν τρέπεται νόος αἰὲν ἐόντων.

Quæ ſi vera fatêri (& fatearis neceſſum, eſt, niſi rationem omnem exuis & ſenſum:) illud quoque adfatêre, decreta omnia diuina firma & immota eſſe, ab æterno in æternum. At ex eo neceſſitas emergit, & hoc quod illudis fatum. Cuius rei tam liquida & tam obuia veritas, vt non alia veterior aut receptior ſententia ſit inter gentes. omnibuſque ferè, quibus Dei aut prouidentiæ lux aliqua adfulſit, his & Fati. Vt idē illi primi puriq̄ue igniculi, qui homini illū aperuêre: præluxiſſe pariter videantur ad iſtud. Homerum ecce adi & audi, primum & ſapientiſſimum poëtarum. mentiar, ſi aliam magis orbitam diuina illa Muſa calcauit & inculcauit, quàm hāc Fatalem. Nec abiit reliqua poëtarum ſtirps à ſuo patre. Euripidem, Sophoclem, Pindarum: & è noſtris, Virgilium vide. Ad hiſtoricos me vocas? omnium illæ voces, Fatu hoc tale accidiſſe, &, Regna euerſa aut ſtabilita Fatis. Ad philoſophos (quibus cura maior eruendæ & tuendæ contra vulgum veritatis. At illi cùm in pleriſque aliis diuerſi ierint, ſtudio & malo ambitu certandi, miùum quàm omnes conuenerint in vitiis huius viæ capite, quæ ducit ad Fatum. Capite viæ dixi, quia nuo eo negatum, quin eam plures mox ſemitas ſecta. quas tamen omnes ad hoc Quadritinum videor poſſe reducere, Fati Mathematici,

* Quid eſt aliquis? quid nullus? vmbra ſomnium, homo.

Deflexū ad alterā Neceſſitatem, reſpectu Fati.

* modeſto pede.

Probatū tantio Fatalē aliquā neceſſitatē eſſe. Ex indiſſolubili iſto nexu.

* Non eternim diuina mē, vertitur aternorum.

Homeri verſus.

Fati impreſſa quædā omnib. notitia.

Homerus verè ſapiens poëta apud ſapientes. Dux ad Fatum.

Quē ſecuti ſcriptores reliqui.

Philoſophi pænè omnes in Fato cōſpirant.

Sed de natura eius, quadripertitæ

Naturalis, Violenti, Veri. Quæ explicabo breuiter, & tamquam pedem in ſingulis ponens: quia vulgo confuſio hic & error.

ſententiæ.

CAPVT XVIII.

Tria prima genera Fati explicata breuiter. omnium definitio ſiue deſcriptio. Stoici leuiter & breuiter excuſati.

AC Fatū Mathematicū quidē appello, QVOD LIGAT ET NECTIT FIRMITER ACTIONES OMNES EVENTVSQVE AD VIM SIDERVM ET POSITVRAM STELLARVM. Cui Chaldæi & Aſtrologi, primi auctores: interq̄ue philoſophos fundus & ſubſcriptor, ſublimis ille * Mercurius. qui Prouidentiam, Neceſſitatem, Fatum, ſubtiliter nec vanè prorſus diſtinguens, ait: πρόνοιά ἐστιν αὐτοτελὴς λόγος τοῦ ἐπουρανίου θεοῦ. δύο δὲ τούτου δυνάμεις αὐτοφυεῖς, ἀνάγκη καὶ εἱμαρμένη. ἡ δὲ εἱμαρμένη ὑπηρετεῖ τῇ προνοίᾳ καὶ ἀνάγκῃ. τῇ δὲ εἱμαρμένῃ ὑπηρετοῦσιν οἱ ἀστέρες. οὔτε γὰρ εἱμαρμένην φυγεῖν τις δύναται, οὔτε φυλάξαι ἑαυτὸν ἀπὸ τῆς τούτων δεινότητος. ὅπλον γὰρ εἱμαρμένης οἱ ἀστέρες. κατὰ γὰρ ταύτην πάντα ἀποτελοῦσι τῇ φύσει καὶ τοῖς ἀνθρώποις. *Prouidentia eſt perfecta & abſoluta ratio cæleſtis Dei. cui duæ cognatæ facultates, Neceſſitas & Fatū. Et Fatū quidem ſubſeruit miniſtratque Prouidentiæ ſimul & Neceſſitati: at Fato ipſi, ſubſeruiunt ſtellæ. Nam nec fati vim effugere quiſquā poteſt, nec cauere ſibi à vi & potētia ſtellarum. Hæc enim, tela & arma Fati. cuius arbitrio, cuncta efficiunt & perficiunt Naturæ atque Hominibus.* Et in eàdem ſtultiā naui hodie (pudor Chriſtiani nominis!) Aſtrologorum ferè volgus. At naturale Fatum voco, ORDINEM CAVSSARVM NATVRALIVM QVÆ (niſi impediantur) VI ET NATVRA SVA CERTVM EVMDEMQVE PRODVCVNT EFFECTVM. Ariſtoteles in hac parte: ſi * Alexandro Aphrodienſi fides, interpreti eius haud infido. itemque Theophraſtus, qui clarè ſcribit, τὴν εἱμαρμένην εἶναι τὴν ἑκάστου φύσιν, *Fatum eſſe vniuſcuiuſque naturam.* Ex horum mente, quòd homo hominem gignit, Fato fit: quòd moritur ab internis & ſine alienâ vi cauſſis, Fato. & retrò, Quòd homo ſerpentem gignit aut monſtrum * præter Fatum: itemque, quòd gladio occiditur aut igne. Sententia non valdè peccans, quia ad vim Fati ne adſurgit quidem. quis autem caſum non videt, qui non aſcendat? Et talis in * diuinis vbique ferè Ariſtoteles eſt: libellum illum de Mundo excipio: qui totus aureus, ab aliâ mihi videtur & magis cæleſti aurâ. Quin hoc ampliùs in Græco ſcriptore lego, Ariſtotelem cêſuiſſe, τὴν εἱμαρμένην οὐκ αἰτίαν μὲν, τρόπον δέ τινα αἰτίας συμβεβηκότα τοῖς ἐκ τῆς ἀνάγκης τεταγμένοις: *Fatum non eſſe cauſſam, ſed modum quemdam cauſſæ accidentem iis quæ à Neceſſitate ordinata.* Cor philoſophi! qui Fortunam Caſumque ſeriò numerare inter cauſſas audet, non audet Fatum. Sed hūc mitto: ad Stoicos meos venio (non enim diſſimulo. in pretio & amore mihi ea ſecta) qui auctores Fati Violenti. Quod definio, cum Senecâ NECESSITATEM RERVM OMNIVM ACTIONVMQVE, QVAM NVLLA VIS RVMPAT. aut cum * Chryſippo, δύναμιν πνευματικὴν τάξει τοῦ παντὸς διοικητικήν. *vim ſpiritualē, ordine Vniuerſum hoc gubernantē.* Nec abeunt definitiones illæ nimis à rectu aut vero, ſi ſanè & modeſtè interpretêre. vti nec tota fortaſſe eorum ſententia, niſi iugulaſſet eam pridem conuerſus pollex omnis vulgi. Tribuunt iis duo impia. &, Quòd Deū ſubiectum faciunt trigis fati: &, Quòd actiones item internas, & noſtræ voluntatis. Nec fidenter nimis eos purgem vtriuſque culpæ. E ſcriptis enim eorum,

FatūMathematicum, quid?

* Etiam Plato inclinare iſtuc videtur in Timæo.

Fatum Phyſicū quid?

* Nam ipſe Ariſtoteles ſi ler. excipio De mundo, vbi alibi aliter.

* Ita Virgilio, & Ciceroni, Fato perire, aut præter Fatum, ſcriptū.

* Vt qui nec Prouidentiā ſpleni, & planè ſatis adſerat, ſed obiter ais quod in Ethnicis.

Quid Fatum Stoicū.

* Cuius etiā alia definitio in Agellij lib. VI.

In quo aberrêt hic Stoici.

quæ pauca reſtant, eſt vbi hæc elicias; eſt etiam, vbi magis ſaniora. Seneca ſanè, porticus illius tibicen haud infirmus, in prius illud impingere videtur, libro quo minimè debuit, De Prouidentiâ: *Eadem neceſſitas,* inquit, *& Deos alligat irreuocabilis humana ac diuina pariter curſus vehit. Ille ipſe omnium conditor ac rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur. Semper paret, ſemel iuſſit.* Et indiſſolubilis illa cathena nexuſque cauſſarum, quo omnia & omnes ligant, vim facere non obſcurè videtur Arbitrio humano. At germani tamen veríque Stoici, apertâ fronte profeſſi numquam iſta. aut ſi quid tale iis elapſum in calore illo, vt fit, ſcribendi ſiue diſſerendi: verbis id magis tale comperies, quàm re & ſenſu. Chryſippus ipſe (qui primus corrupit & eneruauit virilem ſectam ſpinoſo acumine quæſtionum) de libertate imminuta, apud Agellium diluit & purgat. Nec Seneca noſter Deum Fato ſubiicit (ſanior illi mēs) ſed genere quodam ſermonis, Deū Deo. Nā qui inter eos proximè verū acceſsēre, Fatū alias Prouidētiā ipſam appellabāt, alias Deū. Itaq; Zeno cùm definiſſet εἱμαρμένην, δύναμιν κινητικὴν τῆς ὕλης κατὰ ταὐτὰ, καὶ ὡσαύτως: *Vim ſecundùm eadem eodem modo materiæ motricem.* addidit, ἥν τινα μὴ διάφορον καὶ πρόνοιαν καὶ φύσιν καλεῖν: *quam nihil intorſit, Prouidentiam etiam aut Naturam dixiſſe.* Et Chryſippus ab eadem mente Fatum alibi dixit λόγον ἀΐδιον τῆς προνοίας: *Prouidentiæ æternam rationem.* Iam Panænus Stoicus θεὸν ἀπεφήνατο τὴν εἱμαρμένην, *Deum ipſum dixit eſſe Fatum.* Quod idem ſentiens clarè ✝ Seneca: *Quoties voles,* inquit, *tibi licet aliter hunc auctorem rerum & naturarum compellare. Et Iouem illum optimum ac maximum ritè dices, & Tonantem & Statorem: qui non, vt hiſtorici tradiderunt, ex eo quòd poſt votum ſuſceptum acies Romanorum fugientium ſtitit, ſed quòd ſtant beneficio eius omnia Stator Stabilitorq; eſt. Hunc eumdem & fatum ſi dixeris, non mentieris. Nam cùm Fatum nihil aliud ſit, quàm ſeries implexa cauſſarum: ille eſt prima omnium cauſſa, ex quâ cetera pendent.* Quæ poſtrema iam piè dicta, vt calumniari ea nec Calumnia ipſa poſſit. Neque abiit hac parte à Stoicis ſcriptor ille * magnus ad regem Magnum: οἶμαι δὲ, inquit, καὶ τὴν ἀνάγκην οὐκ ἄλλο τι λέγεσθαι, πλὴν τοῦτον, οἷον ἀκίνητον οὐσίαν ὄντα, καὶ τὴν εἱμαρμένην, διὰ τὸ εἴρειν τε καὶ χωρεῖν ἀκωλύτως. id eſt: *Exiſtimo autem & Neceſſitatem non aliud dici debere, quàm Deum. tamquam ſtabilem naturam. & Fatum item ipſum, quòd connectat omnia, & progrediatur liberè ac ſine impedimento.* Qui ſermones ſi quid improuidi habent, nihil tamen impij: & apud æquos interpretes haud longè abſunt à vero noſtroque Fato. Illud quidem elogium ſeriò Stoicorum genti do. non aliam ſectam maieſtatem ſuam & prouidentiam Deo magis adſeruiſſe: non aliam homines ad ætherea illa & æterna traxiſſe magis. Et in fatalis huius ſtadij decurſu ſi quid lapſi: credo, à laudabili bonóque ſtudio fuit, cæcos mortales à cæca Dea reuocandi. Fortunam inquio. cuius non ſolùm numen ab iis fortiter exploſum, ſed & * nomen.

Deū Fato ſubiicere videntur.

Tollere humanã libertatem.

Sed re uera nõ penitus ea ſenſere.

Nã Fati nomine ſæpe aliter abutuntur, & Prouidentiã, imò Deum ipſum intellegunt.

* Lib. IV. De benef. cap. VII. vbi hæc tamē aliter & corruptè legas.

* Ariſtoteles De Mundo.

Alta & erecta Stoicorum ſecta: & quæ tales gignit.

* Vn & ab Auguſtino lib. I. Retract. c. I.

CAPVT XIX.

Quartum ſiue Verum Fatum explicatum. De nomine ipſo dictum breuiter. Id definitum tenuiore filo & oſtenſum à Prouidentiâ differre.

SED de ſenſu veterum aut diſſenſu, dixi ſatis. cur enim curioſè nimis aut ſubtiliter ſcruter * τὰς ἐν ᾅδου τριακάδας? Cum vero fato, adfatim mihi rigor: quod nunc propono & illuſtro. Id autem hîc appello, æternum Prouidentiæ decretum: quod tolli non magis è rebus poteſt, quàm Prouidentia ipſa. Nec nomen mihi aliquis cauilletur. quia fidenter hoc adſeuero, non aliud huic rei proprium in Romana linguâ. Abuſi eo veteres? nos vtemur: & eductam è Stoicorum carcere vocem trahemus ad lucem meliorem. Fatum enim certè à fando: nec aliud propriè, quàm * *dictum & iuſſum diuinum.* At hoc ipſum illud eſt, quod hîc quærimus Fatum enim Verum definio, ſiue cum illuſtri Pico: PENDENTEM A DIVINO CONSILIO SERIEM ORDINEMQVE CAVSSARVM. ſiue noſtris verbis, obſcuriùs, ſed ſubtiliùs: INHÆRENS REBVS MOBILIBVS IMMOBILE PROVIDENTIÆ DECRETVM, QVOD SINGVLA SVO ORDINE, LOCO, TEMPORE, FIRMITER REDDIT. Dixi, Prouidentiæ decretum, quia Theologis qui hodie (venia mihi in libero veri ſtudio ſit) prorſus adſentior, qui id cum Prouidentia ipſa, re & nomine miſcent. Scio arduum imò temerarium, ὑπερούσιον illam & ὑπερουράνιον φύσιν (Deum dico) verbis certis concipere velle aut adſtringere, & quidquid ad illum: tamen vt humanæ mentis captus eſt, perſeuero aliud Prouidentiam eſſe propriè, aliud noſtrum Fatum. Nam Prouidentiam non aliter capio aut conſidero, quàm vt IN DEO VIS SIT ET POTESTAS OMNIA VIDENDI, SCIENDI, GVBERNANDI. & vix dico vniuerſa, indiuiſa, ſtipata, &, vt cum Lucretio loquar, vniter iuncta. At Fatum ad res ipſas magis deſcendere videtur, in íſque ſingulis ſpectari, vt inquam ſit digeſtio & explicatio communis illius * Prouidentiæ diſtinctè & per partes. Itaque illa in Deo eſt, & ei ſoli tribuitur: hoc in rebus, & iis adſcribitur. Tricari tibi videor, & quod ille ait, * κόγχον τηρεῖν? Imò ſumo hæc, Lipſi è medio ſermone vulgi, quo nihil magis increbuit, quàm vt dicamus, *Meo bono fato id fieri, aut malo:* &, *Hoc eſſe regni illius aut oppidi fatum.* At de Prouidentia nemo ſic loquetur: nemo, inquam, rebus ipſis eam attribuet, citra impietatē aut riſum. Benè ergo dixi, in Deo illam eſſe: hoc à Deo quidē, ſed intellegi in rebus. Addo ampliùs, Prouidentiam etſi reapſe à Fato indiuulſam, tamen præſtantius quiddam & prius Fato videri: vti Solem præcellere lumini æternitatem tempori, intellectum rationi, vulgò adſerimus in Sapientum ſcholis. Sed ne dilatem hæc triſtia. etſi nondum trita: vides ex iſtis cauſſam mihi iuſtam diſcriminis, itémque nominis retenti contra nouitium τῶν θεολογουμένων Senatum. Nam priſci illi & olim cōſcripti * Patres, nihil mihi inuident aut inhibent quin verbo Fati in ſana & vera notione fidenter vtar. Sed vt ad clarandam finitionem meam redeam, dixi Inhærens decretum. vt oſtenderem ſpectari Fatum debere in iis ad quæ peruenit, non à quo venit. Addidi, Rebus mobilibus. illud adſignificans, Fatū ipſum etſi immobile, motum tamen inſitum & naturam non tollere à rebus: ſed leniter & ſine vi agere, vt cuique rei impreſſa à Deo ſigna poſtulant & notæ. In cauſſis quidem (ſecundas intellego) neceſſariis, neceſſariò: in naturalibus, naturaliter: voluntariis, voluntariè: contingentibus, contingenter. Itaque rerum quidem reſpectu, vim nullam adfert aut coactionem: ſed vt quidque natum eſt facere aut pati, ita dirigit ſingula & flectit. At ſi id ad originem ſuam tamen retrahis, id eſt Prouidentiam & Deum: conſtanter nec timidè adfirmandum, neceſſariò omnia fieri quæ Fato fiunt. Poſtremò adiunxi, de Ordine, Loco, Tempore. firmās quod antè poſui, Prouidentiam rerum omnium iunctim eſſe; Fatum per diſtributionem, ſingularum. Et in Ordine, ſeriem nexúmque cauſſarum intellego, quas Fatum definit. In

* Triceſimas quæ in orco. quod adagium

malè vertit, malè cepit non ſtet Deſiderius.

Fati nomen an, & quatenos, nobis licitum.

* Proſerpinæ verba. & ſimilia Varro.

Veri Fati finitio prior, ſimplex.

Altera implicatior, ſed ad rei vim expreſsior.

Idémq; id eum Prouidentiâ?

Non videtur.

Prouidētia communiter conſideratur: Fatū particulatim.

Illa in Deo, hoc in rebus.

* Hæc vt explicarent, aliqui Prouidentiam fecēre. vt Plotinus & Plutarchus. quâ duo ſi ne nihil otet.

* Milui cerebra re.

Prouidētia melior Fato.

* Minutius, Iſidor. Orig. VIII. cap. vlt. Quin & Thomas Aquinas libellum de Fato ſcripſit & vſurpauit.

Vlterior totius definitionis explicatio.

Fatū res nō violat.

Ordo cauſſarū in Fato

Adſtrictio eius ad Locũ & Tempus.

Loco & Tempore, miram illam & numquam explicandam vim, quâ omnia euenta & certis locorum ſedibus, & temporum momentis, ſunt adſtricta. Fatum eſt Tarquinium regno euci? fiat: ſed adulterium præcedat. ordinem vides. Cæſarem interfici? ita: ſed in Curiâ etiam, & ad ſtatuam Pompeij. locum vides. Domitianum à ſuis cædi? cædetur, & illa ipſâ horâ, quâ fruſtrà vitabat, quinctâ. tempus vides.

CAPVT XX.

Diſtinctum & diuulſum id à Stoico fato quattuor terminis. Oſtenſum accuratiùs, quomodo vim non inferat voluntati. itemq; Deum nec συνεργὸν mali nec auctorem eſſe.

Quidquid hic diſputo, prudenti modeſtoq; eſto. correxi momentum. & erroris aliquid me cluncor, nemo pertinacia.

SATIN' hæc capis adoleſcens? an clarior etiam fax tibi accendenda? Ego caput concutiens, Clarior Langi, clarior, inquam: aut æternùm relinquis me in hac nocte. Quod enim iſtud diſcriminum ſubtile ſtamen? qui quæſtionum captioſi laquei ſunt? Inſidias, mihi crede; metuebam: & iam expenſa & ſuſpenſa tua verba ſuſpiciebam, vt ſingulos hoſtes. Langius ſubridens, At tu confide, inquit. nullus hîc Annibal eſt: & in præſidium, non inſidias deueniſti. Dabo lucem: illud modò effare, vbi & in quâ parte cæcutis? In eâ, Langi inquam, quæ de vi eſt & neceſſitate. Non enim capio prorſus, quomodo Fatum hoc tuum ab illo Stoicorum disiungis. quod cùm verbis & ianua, quod dicitur, benè excluſiſti; re & poſtico videris admittere. Langius promptè, Abiit Lipſi, inquit. abiit. Non enim ego vel per ſomnium Fatum vllum Stoicorum induco: nec * anus illas recoquo diu extinctas: modeſtum piumque Fatum profero, quod ab illo Violento quattuor his finibus abiungo. Illi Deum Fato ſubiiciunt, nec Iupiter ipſe apud Homerum, cùm maximè vellet, Sarpedonem ſuum eripuit eius vinclis: at nos Fatum Deo. quem liberrimum omnium rerum auctorem & actorem eſſe volumus, & tranſcendere cùm libuit ac rumpere implexa illa agmina & volumina Fati. Item illi ab æterno fluentem ſeriem cauſſarum naturalium conſtituunt. nos nec naturalium cauſſarum ſemper, (Deus enim prodigij aut miraculi cauſſa, ſæpe citra, imò contra naturam egit:) nec ab æterno; quia ſecundæ cauſſæ non æternæ. Origo enim iis certè cum mundo. Tertio, illi τὸ ἐνδεχόμενον ſuſtuliſſe videntur è rebus: nos id reddimus, & quoties ſecundæ cauſſæ tales ſunt, Contingens fortuitumque admittimus in euentis. Poſtremò volũtati vim illi intuliſſe viſi violẽtã. abeſt hoc à nobis, qui & Fatũ ponimus, & in gratiã tamẽ reducimus cum arbitrij libertate. Ita enim Fortunæ & Caſus fallacem ventum fugimus, vt nauim hanc ad Neceſſitatis ſcopulum non allidamus. Fatum eſt? ſed prima nempe cauſſa. quæ adeò ſecundas mediaſque non tollit, vt non niſi (ordinatim quidem & * ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον) per eas agat. At inter ſecundas, etiam Voluntas tua eſt: quam fuge credere, vt Deus ille * cogat aut tollat. Hic error omnis in iſtâ re, hæc nubes. nemo ſcit aut cogitat ſe velle, quod vult Fatum: & dico, liberè velle. Deus enim ille qui res creauit, rebus vtitur, ſine corruptione rerum. Sicut ſupremum illud cælum inferiores omnes orbes ita ſecum ducit, vt proprium eorum motum non abrumpat aut ſiſtat: ſic Deus fati impetu humana omnia trahit, ſed peculiarem cuiuſque vim aut motionem non tollit. Arbores & fruges voluit creſcere? creſcunt ſine vllâ vi, per naturam. Homines deliberare, eligere? deliberant ſine vllâ vi

Fatũ verum vi deri cũ Stoico mixtũ.

** Παρὰ τῷ ἀδύρεγο.*

Sed diſcretum tamen his terminis.

Primò, quòd Deus nobis ſupra fatũ.

Secũdò quòd cauſſæ nobis nõ æternæ.

Tertiò, quòd cõtingẽtia non tollimus.

Poſtremò, quòd libertatẽ quandã homini permittimus.

** vt plurimùm.*

** Acutè Auguſtinus: Nõ enim volũt ac ergo poteſt vt velit quod non vult: nõ enim vol lumus, ſi nolemus*

A & eligant, per voluntatẽ. Et tamen hoc ipſum quod electun fuerunt, vidit ipſe ab æterno: ſed vidit, non coëgit; ſciuit, non ſanxit; prædixit, non præſcripſit. Quid ntubant hîc noſtri Curiones? Miſelli! non alius mihi locus videtur in clariori luce. niſi quòd petulca iſta mens identidem ſe ſcalpit & exaſperat, malâ quâdam ſcabie infecta litigandi & diſſerendi. Quomodo enim, inquiunt, ſi Deus præuidit peccaturum me, nec falli præuiſio illa poteſt, non neceſſariò peccem? Fateor, * neceſſariò: ſed non pro tuâ mente: liberâ voluntate hîc interueniente. Nempe hoc prouidit, vt eo modo pecces quo prouidit: prouidit autem vt liberè: igitur neceſſariò liberè peccas. Satin' hoc elatum? Sed vrgent iterùm, At enim Deus

B in nobis auctor omnis motus. Communiter auctor, fateor: ſed non niſi boni fautor. Ad virtutem accingeris? illo ſciente & iuuante fit. ad vinum? ſciente & ſinente. Nec eius hîc aliqua culpa. Equum inſideo & impello debilem & claudum: quòd impello, à me eſt; quòd debilem, ab ipſo. Citharam pulſo diſſonam & neruis malè vinctam: quòd tamen diſcordat, inſtrumenti vitium eſſe fatebere, non meum. Terra hæc ipſa arbores & fruges omnes alit communi ſucco: ſed illæ ſalutarem fructum proferunt, aliæ venenum. quid dices? à terrâ hoc eſſe, an potiùs ab inſitâ arborum vi, quæ alimentum bonum decoquunt in ſuum virus? Simile hîc eſt. & à Deo quidem quòd mouêre; à te & in te, quòd ad malum. Denique vt concludam de hac Libertate: Fatum ve-

C luti præſultor eſt, & funem ducit in mundi iſtâ choreâ: ſed ita, vt partes aliquæ noſtræ ſint volendi ſemper aut nolendi. nec vltrà. non enim efficiendi: quia arbitrium ſaltem relictum homini, quo reluctari & obniti Deo libeat: non vis etiam, quâ poſſit. vt in naui ambulare mihi fas. & per foros diſcurrere aut tranſtra, ſed nihil minutus hic motus valet vt impediat eius curſum: ſic in fatali hac naui, quâ omnes vehimur, currant licet voluntates noſtræ & tranſcurrant, non viâ eam eiiciant aut ſiſtent. Temperabit & habenas moderabitur ſemper ſuprema illa voluntas: & quo viſum erit cumque, curſum hunc diriget leni quodam fræno.

** προγινώσκει πάντα, ἀλλ᾽ οὐ πάντα προορίζει. Damaſcenus.*

** Neceſſitate ſequela.*

CAPVT XXI.

D

Concluſio tractationis de Fato. monitum periculi plenam & ancipitem eam eſſe. non curioſè indagandam. denique adhortatio ſeria vt vires animo imprimantur à Neceſſitate.

SED quid ego iſta? verto proram, & remoueo me ab hac Charybdi, quæ multorum ingenia abſorpſit. Ciceronis hîc naufragium video, qui Prouidentiam * maluit tollere, quàm delibare aliquid de humanâ libertate. *Ita dum homines liberos fecit*, (ait eleganter antiſtes Hipponẽſis) *fecit ſacrilegos*. Quàm multi etiam hodie natant in hoc freto, & diſputationum hîc fluctibus abripiuntur? Quorum periculis

E moniti, terram malimus legere, Lipſi nec altè penetremus nos in hoc mare. Euclides olim interroganti multa de Diis, percommodè reſpõdit: *Cetera quidem neſcio, illud ſcio, quod odère curioſos.* Idem de Fato cẽſe: quod aſpici vult non inſpici: credi nõ cognoſci. Biantis opinor illud eſt, * περὶ θεῶν λέγε ὡς εἰσί. melius ad Fatum transferam: de quo hoc ſatis eſſe moneo, vt eſſe ſcias. cetera, nihil peccas, ſi ignoras. Illud propriè ad noſtram Spartam (iam enim ab implicito hoc flexu redeo in veterem & apertam viam) vt Neceſſitatem agnatam malis Publicis credas, & in illâ ſolatium aliquod quæras tui luctus. Quid ad te

** In libris De diuinat.*

Ignẽ ſub cinere eſſe, hæc de Fato. Non omnis cõmouenda.

** De Dijs hoc dic, eſſe.*

Ad vtilitatẽ ſaltem noſtrã applicãda.

curioſè

curioſè de libertate arbitrij quærere, aut ſeruitute: de coactâ voluntate, aut ductâ? Miſer! Syracuſæ tuæ capiuntur, & in puluere pingis. Bellum tibi ſupra caput, Tyrannis, cædes, mors: quæ ſupernæ certè immiſſa, nec quidquam ad tuum arbitratum. Timere ea potes, non cauere: fugere, & non vitare. Arma aduerſum hæc indue, & arripe hoc Fatale telum. quod dolores iſtos omnes non pungit, ſed iugulat: non minuit, ſed tollit. Vt vrticam ſi contanter attingas, adurit; ſi fortiter, hebeſcit: ſic luctus iſta aſperitas increſcit, ſi lenioribus remediis attractes; ſi duris & fortibus, cedit. Neceſſitate autem nihil fortius eſt, quæ ſolo impetu mollia hæc agmina obruit & auertit. Quid enim tibi vis dolor? non inuenis locum in eo, quod fieri non ſolùm poteſt, ſed debet. Quid tu querelas? quatere hoc cæleſte iugum potes, non potes excutere.

Violenta enim hæc arma contra dolorem.

Deſine fata Deûm flecti ſperare querendo.

Neceſſitatis non aliud effugium eſt, quàm velle quod ipſa cogat. Eximiè *eximius ille Sapientum: Ἀήττητος δύνασαι εἶναι, ἐὰν μηδένα ἀγῶνα καταβαίνῃς, ὃν οὐκ ἔστιν ἐπὶ σοὶ νικῆσαι. *Inuictus eſſe poteris, ſi in nullum certamen te dimittes, quod in te non eſt vincere.* At talis agon iſte cum Neceſſitate eſt: quem quiſquis ſuſcipit, ſuccumbit: & quod magis mirere, ſuccubuit, priuſquàm ſuſcepit.

* Epictetus in Enchirid.

CAPVT XXII.

Ignauiæ latibulum aliquod quæri ſolere in Fato, ſed id detectum. Fatum agere per cauſſas medias, eóque illas adhibendas. Quatenus auxiliari patriæ, quatenus non oporteat, Finis impoſitus primo libro & ſermoni.

ET ſermonis pauſam hîc aliquam faciente Langio alacriùs erupi & interrupi ego: Si ventus hic diutiùs ſpirat à puppi, non procul mihi videar à portu. Audeo enim iam Deum ſequi, audeo neceſſitati obſequi: & videor cum Euripide poſſe dicere,

* Θύοιμ' ἂν αὐτῷ μᾶλλον, ἢ θυμούμενος
Πρὸς κέντρα λακτίζοιμι, θνητὸς ὢν θεῷ.

* Potius ſacra illi facerem, quàm percitus irâ contra calcibus ſtimulos verem, Mortalis ipſe altero pugnans Deo.

Æſtus tamen vnus eſt turbidæ cogitationis, qui me iactat: quem Langi ſiſte. Si enim Mala publica à Fato: nec vinci id poteſt aut vitari: quid vltrà de patriâ aut pro eâ laboramus? cur non omnia rectori illi magno & indomito permittimus, & ſedemus ipſi, quod dicitur, manibus compreſſis? nam tuo quoque côceſſu, vanum auxilium omne & conſilium, aduerſantibus fatis. Langius renidens, Per contumaciam aut proteruiam adoleſcens, inquit, à recto abis & à vero. Fatis hoc eſt obſequi, an oppedere & illudere? Sedebo, inquis, manibus compreſſis. Benè habet, vellem nunc labiis. Quis enim vmquam tibi dixit, Fatum merum ſolúmque agere, ſine mediâ & auxiliante cauſsâ? Liberos tibi tollere fatum eſt: ſed ita vt in vxoris tuæ horto priùs ſeras. A morbo ſaneſcere: ſed hactenus, vt medicum adhibeas & fomenta. Simile hîc. & ſeruari hanc fluctuantem & mergentem patriæ tuæ nauem ſi Fatum eſt, hoc quoque Fatum, propugnari eam & defendi. Si ad portum

Obiectio côtra Fatû, pro ignauis. Remora & oſtenſû, cauſſas medias Fato præcedere.

A peruehi vis, manum remis admoueas oportet, & vela expandas: non vt otioſus captes & exſpectes ab alto ventum. At contrà, ſi Fatum illam ipſam patriam tuam perire: fient Fato videlicet iſta quoque, quæ ad exitium humanâ viâ ducant. Plebs cum proceribus, & inter ſe, erit diſcors, nemo parêre gnatus, nemo imperare. ſtrenui linguâ multi, ignaui omnes operâ. denique in dulcibus ipſis non conſilium, non fides. Verè *Velleius: *Ineluctabilis fatorum vis, cuius fortunã mutare conſtituit, conſilia corrumpit.* Itémque: *Quippe ita res habet, vt plerumque qui fortunam mutaturus eſt Deus, cônſilia corrumpat: efficiátque, quod eſt miſerrimum, vt quod accidit etiam meritò accidiſſe videatur.*

Fata bona aut mala, ſine miraculo: & perſuetos modos.

Belgicã hanc vide.

* Velleius Paterculus hac lib. II. De Cæſare, & Varr.

B Nec tamen illuc ſtatim delabere, vt extrema fata vrgere patriam tuam cenſeas. Qui enim noſti, & qui ſcis an concuſſio & commotiuncula hæc tantùm ſit, an ad interitum morbus? Fer opẽ igitur. & quamdiu, iuxta vetus verbum, anima huic ægro eſt, ſpera. Quòd ſi iã certis clariſque indiciis fatalis mutatio apparebit: me quidem iudice valebit illud, *μὴ θεομαχεῖν. Et Solonis exemplum tutò hîc ingeram: qui cùm Athenas Piſiſtratus occupaſſet, videretque conatum omnem fruſtrà eſſe pro libertate; arma & ſcutum ante fores Curiæ ponens, *O patria*, inquit, *tibi & dictis & factis opitulatus ſum*: atque ita domum abiit, in poſterum quieturus. Hoc facias. cede Deo, cede tempori: &, ſi

Nõ deſperãdũ ſtatim, velut ſi infeſtũ Fatum.

Têtanda priùs omnia.

* Cũ Deo non pugnare.

C bonus ciuis es, te ipſum mollioribus & melioribus fatis reſerua. Quæ nunc perit libertas, reuiuiſcere poteſt: & patria quæ corruit, reſurgere labenti æuo. Cur temerè abiicis animũ, aut deſpondes? Ex illo pari Cunſulum apud Cannas, fortiorem ciuem Varronem habeo qui fugit, quàm Paullum qui occubuit. Nec aliter Senatus populúſque Romanus iudicarunt: qui publicè gratias ei egerunt, quòd de rep. non deſperaſſet. Ceterùm ſiue turbat illa tãtùm, ſiue cadit: ſiue perit, ſiue prorſus interit: ne nimis adfligere, ſed Cratetis excelſum illum animum indue, qui quærenti Alexandro, *An* *patriam ſuam vellet reſtitui? Quid*

Sed cum modo, quẽ ſola Prudentia definit.

D *opus?* reſpondit. *alius Alexander iterùm eam fortaſſe diruet.* Hæc ſapientum, hæc virorum.

——— *ἄλγεα δ' ἔμπης
Ἐν θυμῷ κατακεῖσθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ.
Οὐ γάρ τις πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο.

vt rectè monitum Achilli apud Homerũ. Nam aliâs vt Creon ille in fabulis ardentem filiam amplexus, nihil eam iuuit, ſed ipſe vnà periit: ſic te citiùs, Lipſi, extinxeris, quàm lacrymis tuis hunc publicum Belgicæ ignem. Dum dicit etiam Langius, validiore ſonitu ſtrepuêre fores. & puer ecce rectà ad nos introiit, qui à Læuino Torrentio miſſus, vt

Côcluſio, & generalis admonitio pro Conſtãtiâ.

* Thebas.

* Dolores autẽ in animo reſidere ſinamus, licet triſtes. Non enim vtilitas aliqua frigido luctui.

E admoneret de horâ cænæ. Langius velut experrectus, Hem! inquit, ita impoſuit mihi hæc fabulatio? & dies clàm elapſus? Simulque ſurgens & manum mihi iniiciens, Eamus Lipſi, inquit, ad optatam mihi cænam. Imò ſedeamus, inquam ego renitens. Ante omnes cænas hæc mihi eſt: quam verè cum Græcis dixerim *θεῶν τροφήν. In his epulis Eſurio ſemper ego, numquam Saturio. At Langius nihilominus me traxit, & Fidem, inquit, nunc ſeruemus: cras ſi voles, Conſtantiæ perlitabimus.

Abrupti & dilati ſermonis cauſſa.

* Deorũ cibum.

IVSTI LIPSI DE CONSTANTIA LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Occaſio repetiti ſermonis. itio ad Langij amœnum hortum, eiuſque laudatio.

Langij hortẽſe ſtudiũ.

A

SEQVENTI die, viſum Lãgio abducere me ad ſuos hortos. Quos impenſo ſanè ſtudio duplices colebat. alteros in colle, è regione ædium: alteros paullò longiùs ſitos, in depreſſiore loco, ad ipſum Moſam,

Ennij verſus.

Quod per amœnam vrbem lenis fluit agmine flumen.

Itio noſtra ad hortum.

Itaque cùm occupaſſet me ſatis maçè in cubiculo, Ambulamúſne Lipſi? inquit. an quies tibi magis cordi & ſeſſio? Imò ambulatio Langi, inquam, ſi tecum. ſed quò imus? ſi placet, ad hortos meos, inquit Langius, qui ad flumen. Non longa ea via eſt. corpus obiter exercuens: vrbem videris: denique grata ibi in hoc æſtu & frigerans aura. Placet, inquam ego. nec te duce via mihi vlla moleſta, non ad extremos Indos.

B

Et cum dicto pallia popoſcimus, ſumpſimus; iuimus, inuimus. Cumque in ipſo aditu, oculos circumtuliſſem vago quodam & curioſo adſpectu: miratus ex animo elegantiam & cultum loci, Mi ſenex, quæ hæc amœnitas eſt? inquam. quis ſplendor? Cælum hîc habes Langi, non hortum. nec aſtrorum illi ignes profectò magis nitent in ſerenâ nocte, quàm hi tui ſcintillantes micantéſque variè flores. Adonidis aut Alcinoi hortos loquuntur? nugæ, ad iſtos comparati, & imagines muſcarum. Et ſimul propiùs accedens, & flores quoſdam naribus oculíſque admouens, Quid primum voueam? inquam. oculus cum Argo fieri, an naſus cum Catullo?

Eius pulchritudo & nitor.

C

Ita vtrumque ſenſum pariter permulcet mihi & titillat hæc voluptas. Ite ite omnes Arabum odores, qui nauſeam mihi præ halitu hoc ingenuo & verè cæleſti. Langius manum mihi blandè premens, nec ſine riſu, Præficiſnè Lipſi, inquit. non ego, non hæc ruſtica mea Flora agnoſcimus tam ſcitam, tam vrbanam laudem. Ego iterùm, Tamen Langi veram. Blandiri me putas? ſeriò hoc dico & ex intimo meu ſenſu, Campi Elyſij, Elyſij non ſunt, præ hoc tuo rure. Ecce enim, quæ hîc vbique nitela eſt? quis ordo? quàm aptè omnia in areolas ſuas pulluillóſque diſpoſita? vt non elegãtiùs teſſellæ aliquæ in pauimento. Iam quæ florum herbarumque copia? quæ raritas & nouitas? vt videatur in exiguum hunc locum Natura cunclusiſſe quidquid eximium habet noſter aut alter orbis.

CAPVT II.

Hortorum in genere Laudatio. Cultum eum antiquum eſſe, & à naturâ. Reges & viros magnos vſurpaſſe. Denique delectatio eorum ob oculos poſita, & non improbum meum votum.

Hortorum ſtudium videri ingenitũ.

ET profectò egregium & laudabile hoc tuum ſtudium, Langi, in re hortorum. ſtudium ad quod, niſi fallor, optimus & modeſtiſſimus quiſque trahitur à naturâ ipſâ. Cui argumentum, quòd non facilè voluptatem aliam dixeris, in quam ab omni æuo tam cupidè conſenſerint ſelecti inter gentes.

Optimos eum ad ſe traxit, & trahit. Antiquitas hortí culturæ. Inſignes in eâ viri dediti.

Sacras litteras luſtras? videbis vnà cum orbe nato natos hortos: quos Deus ipſe primo homini domicilium attribuit, & velut ſedem beatæ vitæ. Profanas? ecce Adonidis, & Alcinoi, & Tantali, & Heſperidum, hortos prouerbia & fabulæ loquuntur: & in veris certíſque hiſtoriis, reperies Cyri regis manu plantaria inſtituta, & Semiramidis aerios penſiléſque flores, & Maſaniſſæ nouum & celebrem cultum, Africâ mirante. Iam inter priſcos Græcos Romanóſque, quot illuſtria capita tibi proferam, qui poſitis aliis curis, ſoli in hac curâ? in illis quidem: vno verbo, pleroſque philoſophos & ſapientes. qui remoti ab inſano foro & vrbe, hortorum ſe ſpatiis ſepibúſque clauſerunt. At in iſtis; Tarquinium regem video iam tum priſcâ illâ Româ, in hortis molliter ambulantem, & papauerum capita reſecantem: Catonem Cenſorium agnoſco, in re hortenſi deditum, & de eâ ſeriò ſcribentem: Lucullum, poſt Aſiaticas victorias, in iiſdem otiantem: Sullam, abiectâ Dictaturâ, ſuauiter hîc ſeneſcentem: & Diocletianum Principem, olera ſua & lactucas ad Salonam, purpuræ & omnibus ſceptris præferentem. Nec abiuit ab hoc meliorum iudicio vulgus. in quo ipſo, ſimplices omnes & ſine malâ ambitione animas, ſcio fuiſſe in hoc cultu.

Voluptas interna & myſtica in hoc ſtudio.

Eſt enim profectò arcana quædam & congenita nobis vis, cuius intimas cauſſas non facilè reddo, quæ ad hanc innoxiam & ingenuam delectationem trahit non nos tantùm, qui propendemus; ſed illos ipſos ſerios & ſeueros, qui renuuntur & . lent. Atque vt cælum

Digitized by Google

& æternos illos ignes nemini adſpicere fas, ſine occulto horrore quodam & religione: non item Terræ ſacras opes, & huius inferioris Mundi mundum, ſine tacitâ quadam gaudij titillatione & & ſenſu. Animum tuum mentémque percontare: capi ſe hoc adſpectu dicet, imò paſci. Oculos ſenſúmque: fatebuntur non alibi libentiùs ſe acquieſcere, quàm in his hortorum areis & puluillis. Circumſiſte, quæſo te, paullulùm hæc agmina florum & augmenta. vide mihi illum è calyce, hunc è vaginâ, alium è gemmâ protuberantem; vide hunc morientem ſubitò, alium ſubnaſcentem; denique inſpice in vno aliquo genere cultum, formam, faciem, mille modis paria & diuerſa. Quæ illa tam rigida mens, quæ inter hæc non flectat ſe molli aliquâ cogitatione, & liqueſcat? Iam ades curioſe tu ocule: defigere paullùm in nitores iſtos & pigmenta. inſpice hanc natiuam purpuram, hunc ſanguinem, hoc ebur, hanc niuem, hanc flammam, hoc aurum: & tot colores, quos artifici cuique penicillo æmulari fas. æmulari, ſed non imitari. Denique quis exhalans ille odor? quis penetrans ſpiritus? & neſcio quæ pars æthereæ auræ infuſa ab alto? Vt non vanè poëtarum noſtra gens, flores pleróſque natos finxerit è ſucco aut ſanguine immortalium Deorū. O gaudij & liquidæ voluptatis verè fons! ô Venerum & Gratiarū ſedes! mihi in veſtris vmbraculis quies & vita ſit: mihi fas remoto extra ciuicos tumultus, inter has herbas, inter hos noti ignotique orbis flores, hilari & hiante oculo oberrare: & modò ad hunc occidentem, modò ad illum exorientem manum vultúmque circumferre & cum vagâ quadam allucinatione, curarum hîc omnium falli & laborum.

Quæ animum & ſenſus faſcinat.

Ea in vario augmento aut facie florum.

Item in tot colorum laſciuiâ: &

In odoris fragantiâ.

Votum meum.

CAPVT III.

Contra curioſos quoſdam differtum, qui hortis ad vanitatem & ignauiam abutuntur. Quis verus eorum vſus. Sapientibus & doctis idoneos eſſe. & Sapientiam ipſam aliam in iis & educatam.

CVM dixiſſem hæc acriùs, & voce vultúque accenſo: remiſſo ore ad me Langius, Amas certè Lipſi, inquit, amas floridam hanc purpureámque Nympham: ſed vereor, vt ames immodeſtè. Hortos enim laudas. ſed ita, vt vana pleraque in iis mirere, aut externa: vera & legitima eorum gaudia omittas. Colores enim dumtaxat auidè inſpicis, & in puluillis quieſcis, & flores petis ab noto ignotóque orbe. Obſecro vt quid? vt ne te quoque eſſe ſciam in hac ſectâ, quæ exorta hodie, malè curioſorum hominum, malè feriatorum? qui rem optimam ſimpliciſſimámque, inſtrumentum duorum vitiorum fecerunt, Vanitatis & Torporis. Hac enim fini habent hortos. Herbulas aliquot & flores exoticos ambitioſè conquirunt, & quæſitos ita anxiè fouent & tuentur, vt nulla mater ſuum gnatum. Hi ſunt, quorum litteræ in Thraciam, Græciam, Indiam diſcurrunt: idque ſeminis exigui aut bulbuli cauſsâ. Hi, quibus ægrius ſit florem aliquem nouum mori, quàm veterem amicum. * Romanum illum rident aliquis, qui piſcem ſuum attatus lugubriſti plantam. Iam ſiquis ex his Floræ candidatis nouius aliquid aut rarius nactus eſt, vt oſtentat! vt alij competitores æmulantur, inuident! è quibus non nemo triſtior domum diſcedit, quàm olim in Præturæ petitione victus Sulla aut Marcellus. Quid dicam? niſi hilaram hanc quandam inſaniam eſſe: nec abſimilem illi puerorum, pallentium & rixantium circa pupas ſuas & ſigilla? At eorumdem induſtriam in hortis etiam cognoſce. Sedent, circumambulant, oſcitant, dormiunt. nec aliud. prorſus vt non otij ſui ſeceſſum hunc habeant, ſed diſſidiæ ſepulcrum. Profanum genus! & quos iure arceam ab orgiis veri arcaníque horti. quem modeſtæ voluptati natum ſcio, non vanitati: quieti, non torpori. An ego tam leuis, quem efferat aut deprimat herbula aliqua rarior, ſiue adepta ſiue amiſſa? Imò æſtimo res ſuis pretiis: & ſepoſito lenocinio illo nouitatis, ſcio herbas eſſe, ſcio flores: id eſt breuia quædam & fugacia, de quibus aptiſſimè poëta princeps

*[illegible]

Itaque non ſperno eas ſiue delicias ſiue elegantias (& exemplum vides:) ſed hoc à mollibus Hortenſiis iſtis mutu, quòd ſine curâ hæc talia conquiram: ſine curâ habeam: ſine curâ amittam. Nec idem ille ego tam marcidus, imò tam mortuus, vt recondam & velut ſepeliam me in his hortorum vmbris. Negotium etiam in illo otio reperio, & inuenit ibi animus, quod ſine actione vllâ agat, ſine labore vllo elaboret. *Numquam minùs ſolus ſum*, aiebat ille, *quàm cùm ſolus: numquam minùs otioſus, quam cùm otioſus.* Vox egregia, & quam auſim dicere natam in hiſipſis hortis. Scilicet menti parati illi, non corpori: ad eam recreandam, non ad hoc laxandum: & ad ſalubrem quemdam receſſum à curis atque turbis. Homines tibi moleſti? hîc apud te eris. Occupatio exhauſit? hîc repleberе. vbi animo quietis illud pabulum, & ab aurâ puriore velut inſpiratio nouæ vitæ. Itaque vides veteres illos Sapientes? in hortis habitarunt. Eruditas hodie doctáſque animas? hortis delectantur. & in iis diuina illa pleraque ſcripta procuſa, quæ miramur, & quæ nulla temporum ſeries aut ſenectus abolebit. Viridi illi Lycæo tot diſſertiones de naturâ debemus: vmbriferæ Academiæ de moribus: & ex hortorum ſpatiis diffuſi vberes illi Sapientiæ riui quos bibimus, & qui fæcundâ diluuie orbem terræ inundarunt. Scilicet attollit ſe magis erigitque ad alta iſte animus, cùm liber & ſolutus videt ſuum cælum: quàm cùm ædium aut vrbium carceribus tenetur incluſus. Hîc mihi vos poëtæ duraturum aliquod carmen pangite. hîc vos literati meditamini & ſcribite. hîc vos Philoſophi de tranquillitate, de conſtantiâ, de vitâ & morte diſputate. En Lipſi, quæ vera hortorum vſio & finis. otium inquam, receſſio, meditatio, lectio, ſcriptio: & ea tamen omnia velut per remiſſionem & per luſum. Vt pictores longâ intentione hebetatos oculos, ad ſpecula quædam & viſores colligunt: ſic nos hîc animum defeſſum, aut aberrantem. Et cur celem te meum inſtitutum? Pergulam illam topiario opere vides? Hæc Muſarum mihi domus eſt, hæc Sapientiæ meæ gymnaſium & palæſtra. Illîc aut ſeriâ arcanáque lectione pectus impleo: aut ſemente quâdam obſero bonarum cogitationum. Et vt tela quædam in armamentarium, ſic ex iis præcepta in animum recondo: quæ prompta mihi mox contra vim varietatémque Fortunæ. Intra eam quoties pedem penetraui, emanere viles omnes ſeruileſque curas iubeo: & erecto quantú licet capite, ſtudia profanæ plebis deſpicio, & magnum hoc in rebus hominum inane. Hominem imò ipſum exuere mihi videor, & in altum rapi igneis Sapientiæ quadrigis. An illîc angi me cenſes, quid Celtæ, quid Celtiberi moliantur? quis ſceptrum Belgicæ teneat, aut amittat?

Hortenſiorú ſecta: & ea riſa.

Hort… em. qui … gubria … pſiſſe … etur ob … uraná.

Deflexū ad verū hortorū vſum.

Qui nō in æſtimatione florū.

* Le… ferant aura alia quæ gignit, alia cōcoquit.

Sed in quiete & laxatione honeſtá animi

Aptiſſimi enim illi ad ſeceſsū

Ad captandā auram.

Domus ideò olim Sapientū.

Scriptioni & meditationi literatæ apti.

Sed inprimis exercitio Sapientiæ.

A Aſiæ tyrannus claſſe nobis an terrâ minetur? aut denique

——quid ſub Arcto
Rex gelidæ meditetur oræ?

Nihil horum metuens & clauſus contra externa, intra me maneo: à curis omnibus ſecurus præter vnâ, vt fractum ſubactúmque hunc animum rectæ Rationi ac Deo ſubiiciam, & animo ceteras res humanas. Vt quandocumque fatalis ille & meus dies venerit, fronte compoſitâ nec mæſtus eum excipiam: abeámque ex hac vitâ non vt eiectus, ſed vt emiſſus. Hæc meditatio mea in hortis Lipſi, hi fructus, quos non permutem (quamdiu ſana mihi mens) cum omni gazâ Perſarum aut Indorum. B

CAPVT IIII.

Ad Sapientiam igitur adhortatio. per eam ad Conſtantiam veniri. & ſeriò monita iuuentus, vt ſerias Philoſophiæ litteras cum amœnioribus illis & liberalibus coniungat.

DIXERAT Langius. & poſtremo illo tam alto & conſtanti ſermone, verè fateor, dederat me in ſtuporem. quem tamen abrupi, O te felicem, inquiens, otij pariter & curarum! & ô via humanam in homine vitam! Quam vtinam parte aliquâ imitari mihi fas: & per veſtigia iſta ſerpere, etſi longo interuallo. Langius velut caſtigans, Imitari? inquit, imò ſuperare. nec ſequi tibi ſolùm C

Omnibus ad Conſtantiam via patet.

hîc ius, ſed præire. Parum enim, Lipſi, parùm in hac Conſtantiæ & Virtutis viâ ipſi nos promouimus: nec fortibus boniſque pares adhuc ſumus, ſed præiectè mollibus aut malis paullò fortaſſe firmiores. At tu cuius vegeta & alta indoles, accingere. & me duce, viam hanc ini, quæ rectà ad firmitudinem & Conſtantiam ducit. Via quam dico, Sapientiæ eſt, cuius æquabilem & tranquillam orbitam, quæſo moneóque, ne vltrà fugias calcare. Litteræ tibi hactenus cordi, & nouem illæ Deæ placent: ſcio enim amœniore hac & externâ doctrinâ excoli & præparari priùs animum debere, * *non antè idoneum cui diuina ſemina committantur.* ſed illud non placet, ſi in his adhæreſcis, eáque vna tibi ſtudiorum, quod dicitur, prora & puppis. Rudimenta enim hæc noſtra eſſe debent, non opera: via, non meta. In D conuiuio aliquo ſi aſſediſſes, non bellaria ſolùm & placentas guſtares, credo: ſed ſtomacho fulcimentum aliquod dares cibi firmioris: in hoc publico doctrinarum epulo, cur non idem fit? cur inquam ad illa oratorum & poëtarum mella, non adiungis hanc firmiorem Philoſophiæ dapem? Non enim deſeri illas volo (ne tacitus me calumniêre) ſed hanc adſeri: & ſolutas per ſe fluentéſque Nymphas temperari hoc ſeueriore, vt ita loquar, Baccho. Proci illi apud Homerum non iniuriâ ridentur, qui relictâ Penelope conuertêre ſe ad ancillas: caue idem tibi ſit, neu ſpretâ illâ rerum dominâ, ardeas tantùm in eius adminiſtris. Pulchra hæc laudatio, O virum doctum! ſed illa melior, O virum ſapientem! & iſta optima, O virum bonum! Has ſectemur: E & per tot labores non Scire tantùm velimus, ſed Sapere & Facere.

Quæ eſt, Sapientia. Damnata igitur Philologia ſola.

* Auguſtini verba & ſententia, lib. 2. De Ordine.

Niſi Philoſophia adiungatur.

*Ὃς οὐδὲν ἐῤ μαθήσεις, ἂν μὴ νοῦς παρῇ;

ait vetus & verus verſus. Quàm multi hodie in hoc noſtro Muſico cœtu qui & ſe dedecorant, & omne nomen litterarum? quidam quia flagitiis & ſceleribus cooperti: plerique, quia vani, leues, *μετέωροι*, & nullius ſeriæ curæ. Linguas diſcunt? ſed linguas

* Quàm ſcire nihil eſt, ſapere ſi nõ adiicit?

Curiæ noſtræ ſordes: Aut ineptiæ.

A tantùm. Græcos Latinóſque ſcriptores intellegunt? ſed intellegunt tantùm. & quòd Anacharſis ſcitè olim de Athenienſibus dixit, *Nummis eos vti dumtaxat ad numerandum*: ſic iſti ſcientiâ, ad ſciendum. Vitæ factorúmque adeò nulla cura eſt: vt, me quoque iudice, non fruſtrà litteræ in vulgus malè audiant, tamquam ad nequitiam magiſtræ. Atqui ad virtutem eæ ſunt, ſi legitimè vtâre. Sapientiam modò adiunge. cui præparare ingenia noſtra litteræ debent, non detinere ea, aut ſibi vindicare. Vt enim arbores quædam fructum non ferunt, niſi aliis velut maribus adſitæ: non item tuæ iſtæ virgines, niſi cum virili Sapientiæ robore con- B iunctæ. Quid tacitum mihi corrigis: ſi vita tua inemendata eſt? Quid Tranquillum illuſtras: cùm tu in errorum tenebris? Plauto notas aut maculas ſtudioſè eluis: cùm animum ſordeſcere pateris & ſqualere, Transi aliquando ad meliores curas: & doctrinam para, quæ non in pompam tibi ſpeciémque ſit, ſed in vſum. Ad Sapientiam conuertere. quæ mores tibi corrigat, quæ animum turbidum ſordidúmque tranquillet & illuſtret. Illa eſt quæ virtutem imprimere, quæ Conſtantiam ſuggerere poteſt: illa ſola, quæ templum tibi aperire Bonæ mentis.

Quâ vera hic ſint litteræ?

Ad eam adhortatio.

CAPVT V.

C *Sapientiam non vouendo, ſed conando acquiri. Reditum in ſermonem de Conſtantiâ. Cupidinem diſcendi, bonum eſſe in adoleſcentiâ ſignum.*

ARDOREM mihi iniecit ea admonitio; quem non celaui. &, Animo ſequor te mi ſenex, inquam: quando factis? quis erit ille dies, qui me ſolutum his curis in Sapientiæ veræ orbita ſiſtat? qui per eam ad Conſtantiam ducat? Langius velut increpans, Itáne voues potiùs, quàm facis? inquit. vanè prorſus & ea more vulgi. Non enim vt Cæneus ille in fabulis, è fœminâ in virum tranſiit, optando: ſic tu votis, è fatuo in ſapientem, è leui in conſtantem! Addas iſtuc operam oportet, & * manum moueas, quod aiunt vnâ cum Minervâ. Quære, lege, diſce. Ego excipiens, Scio Langi, inquam. ſed tu quoque, ſodes, adde operam, & fi- D lum illud heſterni ſermonis pertexe, quod inuitatio malè abrupit. Ad Conſtantiam inquam redi: cuius intermiſſum ſacrum ſine piaculo non differs. Langius capite leuiter abnuens, Vtne includar iterùm in hunc ludum? inquit. non faciam Lipſi: non certè in hoc loco, quem otio meo ſcire debes, non negotio conſecratum. Denique aliàs decurremus illum curſum. imò nunc, inquam ego. & quis locus ſapienti huic ſermoni aptior, quàm illa Sapientiæ tuæ domus? Pergulam hanc dico. quæ mihi quidem velut templum eſt; & menſula in eâ, tamquam ara: ad quam ſedentes, ritè faciamus huic Diuæ. Denique capio etiam ex eâ omen. Quódnam illud? ait Langius. Iſtud, inquam. Vt ij qui in E tabernâ aromatum aut vnguentorum ſederunt, in veſtibus ipſis referunt ſecum odorem loci: ſic mihi ſpes, vt halitus aliquis Sapientiæ animo adhæreſcat, ab inſeſſâ hac eius officinâ. Langius ridens, Vereor vt in tam leui omine pondus ſit, inquit: tamen Lipſi, eamus. Non enim diſſimulo. me quoque excitat & calè iam facit tam ingenuus hic ardor. Atque vt aquileges, cum manè halitum quemdam erumpentem è terrâ vident, indicium id habent latentium aquarum: ſic mihi de fœcundâ

Nõ votis ad Sapientiam iri.

* σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει.

Reditio ad ſermonem abruptũ

Amor & ardor diſcendi, nota bonæ indolis.

A ſcaturigine virtutum ſpes, vbi in adoleſcente præit & elucet cupiditas hæc diſcendi. Et cum iis verbis duxit ad pergulam me, & induxit. Ille ad menſulam adſedit. ego priùs ad pueros conuerſus, Heus vos, inquam ſtate, obſeruate: oſtium illud imprimis obſerate. Atque audiſtis? Vita à vobis exit, ſi viuus quiſquam huc init. Non virum, non canem, non fœminam admitti volo: nō, ſi venerit, Bonam Fortunam ipſam. Et cum dicto adſedi. Sed Langius largiore riſu, Sceptrúmne tu vſquàm geſſiſti? inquit. ita barbaræ prorſus & ſeueræ tuæ edictiones. Nimirum, inquam ego, ab heſterno infortunio iure mihi caui. Tu perge, cum Deo.

B

CAPVT VI.

Pro conſtantiâ tertium argumentum ab Vtili. Clades bonas eſſe, Originem intueare ſiue Finem. Originem enim à Deo ſumere, qui æternùm & immutabiliter bonus. ideóque cauſſa nullius mali.

LANGIVS non diu meditatus, ſic infit. In ſermone quem de conſtantiâ herè cœpi, Lipſi, à conſtantiâ non abibo: ordinem eundem exſequar, & limites tenebo quos ſemel finiui. Quattuor, vt ſcis, velut agmina mihi facta, quæ pro eâ in Dolorem Abiectionémque pugnarent: è quibus priora duo, quæ de Prouidentiâ & Neceſſitate, iam produxi: docuíque ſatis, supernè & à Deo mala Publica immitti, itémque neceſſaria ea eſſe, nec vitari vllâ fugâ. Inſtruam nunc igitur agmen tertium, quod Vtilitas ducit: & in quo legio, quam rectè dixerim Adiutricem. Agmen, ſi inſpicis, validum & callidum: quod neſcio quo modo illabitur & inſinuat ſe in animos, & blandâ quadam vi vincit non inuitos. Irrepit enim potiùs, quàm irrumpit: ſuadet, non cogit & tam facilè duci nos ab Vtilitate patimur, quàm à Neceſſitate trahi. Hanc tibi, Lipſi, & mollibus tuis copiis nunc oppono. Vtilia enim ſunt: hæc quæ patimur Publica mala: & cum interno noſtro fructu commodiſque coniuncta. Mala autem? imò Bona veriùs, ſi remoto hoc Opinionum velo, oculos ad Ortum eorum referes & ad Finem. Quorum ille, à bono: hic, in bonum. Origo enim certè harum cladium (herè ſatis mihi dictum & doctum) à *Deo*: id eſt, non ab ipſo Summo bono ſolùm, ſed bonorum omnium auctore, capite, fonte. A quo non magis eſt, vt malum aliquod emânet, quàm vt malus ſit ipſe.* Benefica tantùm & ſalutaris illa vis: quæ lædere æquè ſpernit, ac lædi: & cui vna ſummaque potentia eſt, prodeſſe. Itaque etiam priſci illi tenebriones, cùm ſuperum illud numen mente conciperent, rectè à iuuando dixêre Iouem. An tu exaſperari cum cenſes & iraſci, & hæc velut noxia quædam tela ſpargere in humanum genus? Erras. Ira, vindicta, vltio humani adfectus nomina ſunt: & nata ex imbecillitate, cadunt tantùm in imbecillos. Perſeuerat autem æternùm in benignitate ſuâ illa mens: & iſta ipſa aſpera quæ ſuggerit aut ingerit, velut medicamenta ſunt: ſenſu triſtitia, re ſalubria & euêtu. *Homerus ille Philoſophorum rectè: ὁ ϑεὸς μηδὲν κακὸν ποιεῖ, οὐδ' ἄν τινος εἴη κακοῦ αἴτιος: *Deus nihil malû facit, adeò non ipſe mali alicuius cauſſa.* Et meliùs impreſſiùſque noſter *Sapiens: *Quæ cauſſa eſt Diis benefaciendi? natura. Errat, ſiquis putat illos nocere velle, vel poſſe. nec accipere iniuriam queũt, nec facere. Primus eſt, Deorum cultus, Deos credere: deinde, reddere illis maieſtatẽ ſuam, reddere bonitatẽ, ſine qua nulla maieſtas eſt. Scire illos eſſe qui præſident mundo, qui vniuerſa vt ſua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, curioſi etiam ſingulorum. Hi nec dant malum, nec habent.*

Breuis reductio priorũ.

Ratio tertia ab vtili: Eiusque communiter vices.

Mala Publica, Bona eſſe.

Quia à Deo.

* *Reſtringe tamen & illuſtra ex Ca. viij. ſequenti.*

Nec immitti ve pœnas:

Sed vt medecinas.

* *Plato.*

* *Seneca in Epiſtolis.*

CAPVT VII.

Finem item cladium ſemper dirigi in bonum. etſi ſæpe ea per noxios homines, & noxa cauſſâ adminiſtrata. Sed frangi & temperari eorum vim a Deo. flecti omnia in noſtrum vſum. obiterque dictum, cur Malorum operâ in iis Deus vtatur.

ORSGINA igitur clades bonæ: aio etiam Fine, quia ad bonum directæ ſemper & * ſalutem. Occurris mihi tacitus, ſcio: & quomodo? inquies. nónne bella hæc & cædes, clarè ſcopum nocendi habent, lædendíque? Habent, fateor, ſi homines ſpectas: non habent, ſi Deum. Quod vt planè & plenè capias, opus mihi illato quodam lumine diſtinctionum. Duplices diuinæ Clades: aliæ Meræ, aliæ Mixtæ. Meras appello, QVÆ PVRE A DEO SVNT, SINE INTERVENTV VLLO HVMANÆ MENTIS AVT MANVS. Mixtas, QVÆ A DEO QVIDEM SED PER HOMINES ADMINISTROS. Illius generis ſunt, Fames, Sterilitas, Terræmotus, Terræ labes, Inundatio, Morbi, Mortes. Iſtius, Tyrannides, Bella, Oppreſſiones, Cædes. in illis pura omnia & liquida, quia hauſtæ è puriſſimo fonte, in iſtis, ſordium admixtum aliquid non negauerim, quia lapſæ & deriuatæ per impurum hunc Adfectuum canalem. Homo iis interuênit: quid miraris, ſi noxa & peccatum? Illud mirare potiùs, quòd iam prouida Dei benignitas eſt, vt illam ipſam noxam in ſalutem noſtram vertat, & peccatum in bonum. Vides tyrannum illum, qui minas ſpirat & cædem? cui voluptas, nocere eſt? qui perire ipſe optet, dum perdat? Sine. aberrabit à ſua mente: & Deus occulto quodam fune inſcium inuitumque trahet ad ſuum finem. Vt ſagitta ad emittentis ſcopum peruenit, ſine vllo ſuo ſenſu: ſic impij iſti. Frænat videlicet coërcétque humanam omnem vim ſuprema illa vis: & exerrantes eorum greſſus dirigit ad ſalutarem hanc metam. Vt in exercitu varij adfectus militum ſunt, & hunc præda incitat, hunc gloria, illum odium; omnes tamen pro victoriâ & Principe pugnant: ſic omnes iſtæ voluntates bonæ malæque Deo militant, & inter varios fines veniunt tamen ad hunc, vt ſic dicam, finium finem. Sed cur inquies, malorum operâ Deus vtitur? cur ipſe clades eas bonas non immittit, aut ſaltem per bonos adminiſtros? Curioſè nimis, mi homo, quæris: nec ſcio an arcana illa expediam. hoc ſcio, conſtare illi rationem ſui facti, etiam cùm de eâ nihil nobis conſtat. Et tamen quid hîc miri, aut noui? Ecce Præſes prouinciæ in noxium aliquem cum lege agit: agi iubet per Brutianum, aut lictorem. Pater in magnâ familiâ, interdum filium ipſe caſtigat, eſt cùm ſeruo id munus mandat aut pædagogo. cur Deo non idem ius ſit? cur non ipſe, cùm viſum, ſuâ manu nos verberet; cùm aliter viſum, alienâ? Nihil enim hîc iniuriæ, aut noxæ. Seruus ille iratus tibi eſt? animum adfert nocendi? Nihil refert. tu illo omiſſo ad animum reſpice iubentis. Pater enim certè exactor adſtat: nec plagulam vnam tibi ſuperaddi ſinet vltra præſcriptum. Sed cur tamen peccatum hîc admixtum, & adfixum diuinis his ſagittis Adfectuum venenum? Ad aſperum & arduum me collem vocas: in quem tamen enitar. Vt ſapientiam

Mala publica itẽ Bona eſſe.

* *Certè in bonũ.*

Quia bonus ſemper eorum Finis.

Paſtamẽ duplicia

Purè a Deoq; quædam:

Quædã hominũ operâ.

In his poſtremis noxæ aliquid:

Quam Deus tamen abſterget, quod ad nos quidem ſpectet.

Ducit quò vult homines.

Nec iniquum eſſe, ſi per alios caſtiget.

Nõ itẽ, quod cũ peccato alieno: & cauſſa aliqua eius rei.

A potentiámque ſuam Deus oſtenderet, *melius iudicauit*(*Auguſtini verba ſunt) *de malis bona facere, quàm mala nulla permittere*. Quid enim eo ſapientius aut melius, qui è malo bonum poteſt elicere, & reperta ad perniciem vertere ad ſalutem? Medicum quoque laudas, qui Theriacæ ſuæ viperam admiſcet, ſaluberrimo effectu: in Deo cur improbes, ſi pharmaco huic cladium humanas quaſdam noxas intemperat, ſine tuâ noxâ? Decoquit enim certè & conſumit adiunctum illud omne virus, arcano quodam Prouidentiæ ſuæ igne. Denique ad potentiam eius hoc facit & gloriam, quò neceſſariò omnia ipſe refert. Quid enim magis vim eius exprimat, quàm quòd non vincat ſolùm obluctantes ſibi hoſtes, ſed ita vincat vt ad ſe traducat, & ſua caſtra vt pro ipſo militent? vt arma pro victoriâ eius ferant? Quod euenit cottidie, cùm in malis Dei volũtas fit, etſi non à malis: cùm ea quæ contra voluntatem eius improbi faciunt, ita flectit, vt B non fiant tamen præter eius voluntatem. Et quod poteſt inſignius miraculum, *quàm vt malos mali bonos faciant?* Ecce, ades paullùm tu C. Cæſar. abi, & duo ſancta nomina ſimul conculca, Patriam, Generúmque. Ambitio hæc tua, te ignaro, Deo ſeruiet: imò patriæ ſeruiet, contra quam ſumpta. Reparatio enim erit ſalúſque Romani ſtatus. Tu Attila ab extremo orbe aduola, ſitiens ſanguinis & prædæ. rape, cæde, vre, vaſta. Sæuitia hæc Deo militabit: nec aliud quàm excitatio Chriſtianorum erit, qui vitiis & delitiis immerſi nimis aut ſepulti. Quid vos duo Veſpaſiani? Iudæam Iudæóſque perdite: capite & excidite vrbem ſacram. quâ fini? vos quidem gloriæ & propagandi imperij: ſed erratis. reuerâ lictores & ſatellites vltionis diuinæ eſtis, in impiam gentem. C Ite. & qui Romæ Chriſtianos morte fortaſſe adficitis, Chriſti mortem in Iudæâ vindicate. Et exempla hæc ab omni æuo obuia, vbi Deus per improbas aliorum cupidines, bonam ſuam voluntatem exercuit; per aliorum iniuſtitiam, exſeruit iudicia ſua iuſta. Quare miremur, Lipſi, reconditam hanc Sapientiæ vim, non timemur: & ſciamus clades omnes exitu bonas eſſe, etiamſi cæca hæc mens non videat, aut tarda eò non pertingat. Latent enim nos ſæpe veri earum fines: ad quos tamen ignaris nobis peruenient. non aliter quàm fluuij quidam, qui erepti oculis & ſub terram reconditi, feruntur nihilominus ad ſuum mare.

* In Enchiridio, cap. xi.

Mali, ia ſcij & inuiti Deo ſeruiũt.

* Seuerini Boe his verba ſunt De Cõſolat.

Occulti ſæpe cladium fines.

D

CAPVT VIII.

Magis diſtinctè de finibus ipſis. eos triplices eſſe: & qui, quibus conueniant. Mox paullò fuſiùs de Exercitio, quod Bonis non vno modo prodeſt, firmando, probando, præeundo.

QVod ſi fas mihi vela pandere, & animi immittere altiùs in hoc rerum diuinarum fretum: poſſim de finibus ipſis promere fortaſſis aliquid magis diſertè & exſertè. Homericum tamen illud iure præfatus,

E *Εἰ δύναμαι τελέσαι γε, ἢ εἰ τετελεσμένον ἔστιν.

Sunt enim ex iis, quos ſatis certò comprehendere & ſignare poſſe videor: ſunt, quos ambiguè & adſpectu confuſo. E certis, hi tres: Exercendi, Caſtigandi, Puniendi. Pleraque enim iſta immiſſio cladium, ſi attendis, aut Bonos exercet; aut Lapſos caſtigat; aut Improbos punit. eáque omnia noſtro bono. Nam vt illuſtrem, & pedem paullìſper in primo fine defigã: videmus cottidie optimos quoſque, aut

* Si facere id poſſum, aut ſi res ipſa poteſt.

Tres fines Cladium. Exercendi cauſ-

A ſeorſim premi cladibus, aut iiſdem inuolui pariter cum malis. Videmus, & miramur. quia nec cauſſam ſatis capimus, nec attendimus ad finem. Cauſſa autem amor in nos Dei, non odium: finis, non læſio, noſtra ſed fructus. Iuuat enim Exercitium illud non vno modo: ſed Firmat, Probat, Præit. Firmat, quia hoc velut gymnaſiũ eſt, in quo Deus ſuos ad robur inſtituit & virtutem. Athletas per multa aſpera exerceri videmus, vt vincant: idem de nobis cenſe in hac cladium palæſtrâ. Acer enim ille noſter gymnaſtes & exercitor eſt: laboris patientiæque exactor, non ad ſudorem tantùm, ſed ad cruorem. Molliter eum habere ſuos cenſes? delicijs fouere aut luxu? non facit. Matres ſunt, quæ plerumque ſpecie dulcium corrumpunt, & eneruant liberos: patres, qui triſtium ſpecie ſeruant. Pater autem ille nobis eſt: ideóque verè nos diligit & ſeuerè. Si nautam te eſſe velis, per tempeB ſtates doceare. ſi militem; per pericula. ſi verè virum, cur recuſas adflictiones? non enim alia ad robur via. Vidéſne languida illa & vmbratica corpora, quæ rarus ſol vidit, ventus non ſtrinxit, aura triſtior non libauit: tales mollium iſtorum & perpetim felicium animi ſunt, quos deiiciet & reſoluet minima aduerſantis Fortunæ aura. Firmant clades igitur. & vt arbores ventis agitatæ, altiùs radices agunt: ſic boni in virtute magis comprehendunt, impulſi aliquoties aduerſitatum flabris. Sed Probant etiam. quia aliter, quomodo conſtare cuiquam poteſt de firmitudine ſuâ, aut progreſſu? Vela gubernatori ventus ſemper à puppi impleat: artem nuſquam explicabit. felicia omnia homini & obſequentia: nuſquam virtutem. Obruſſa enim eius vnica & non fallax, adflictio eſt. Magnificè Demetrius: *Nihil mihi* C *videtur infelicius eo, cui nihil euenit aduerſi*. & verè. Non enim parcit Imperator noſter talibus, ſed diffidit; nec indulget, ſed abiicit & contemnit. expungit inquam eos è legionum ſuarum numeris, vt ignauos quoſdam & imbelles. Poſtremò Præeunt. quia bonorum in cladibus robur & patientia; velut lumen quoddam eſt tenebroſo huic mundo. Vocant exemplo ſuo ad eadem alios, & velut limitem ſignant per quem eant. Bias bona & patriam amiſit: ſed inclamat etiam hodie mortalibus, vt *Omnia ſua ſecum portent*. Regulus inter tormenta fœdè periit: ſed viuit præclarum illud fidei exemplum. Papinianus à Tyranno cæditur: ſed ſecuris illa ſecuritatem nobis imprimit pro Iuſtitiâ moriendi. Denique tot ſelecti viri per D vim & iniuriam pulſi aut interfecti: ſed è riuis illis ſanguinis Conſtantiam cottidie bibimus & virtutem. Quæ tamen omnia laterent in tenebris, ſine cladium iſtâ face. Vt enim aromata longè latéque odorem emittunt, ſi teras: ſic virtutis fama diffunditur, ſi premas.

ſã, primò.

Quod tripliciter nos iuuat. Firmando:

Probando:

Præeundo.

CAPVT IX.

De caſtigatione, qui ſecundus finis. eam quoque oſtenſum ex vſu noſtro eſſe, dupliciter.

E IAM Caſtigandi alter finis eſt. quo nego aliud mitius aut melius repertum ad ſalutem. Iuuat enim ſeruátque dupliciter: ſiue Flagelli loco, cùm peccauimus; ſiue Fræni, ne peccemus. Flagelli quidem. quia paterna manus eſt, quæ lapſos crebrò verberat: carnificis, quæ tardè ſed ſemel punit. Vt ignis aut aquæ luſtratio quædam adhibetur ad ſordes: ſic iſta cladium, ad peccata. Et flagellum, Lipſi, meritò nunc nobis. Lapſi enim pridem Belgæ ſumus, & delicijs diuitiiſque corrupti, præcipitem

Clades caſtigãdi cauſſã.

Quę caſtigatio, aut eluit peccata & deterrit:

viam

viam inſtituimus vitiorum. Sed admonet ille Deus, & reuocat clementer; plagas aliquot infligens, vt iis admoniti ad nos redeamus, imò ad ipſum. Bona nobis eripit: quia ad luxum iis vſi. libertatem: quia ad licentiam eâ abuſi. & miti hac calamitatum ferulâ crimina noſtra velut expiat & depurgat. Verè miti. quantula enim iſta ſatisfactio? Perſas aiunt, cùm ſupplicium de illuſtri viro ſumpturi ſunt, veſtem & tiaram ei detrahere, eaque ſuſpenſa verberare vt hominem ipſum: facit hoc noſter ille pater, qui in omni caſtigatione non nos tangit, ſed corpus, agros, opes, & omnia externa. At Frænum etiam caſtigatio eſt. quod opportunè inîcit, cùm videt peccaturos. Vt medici ſanguinem interdum prouidè demittunt, non quia æger ſis, ſed ne ægreſcas: ſic Deus per has clades quædam nobis adimit, materiam aliàs & fomitem vitiorum. Nouit enim ille naturas omnium, qui condidit: nec ex venis aut colore de ægritudine iudicat, ſed è pectore & è fibris. Videt Etruſca ingenia vegeta nimis & excitata? Principe coërcet. Heluetiorum ſedata & mitia? libertatem indulget. Venetorum media? medium dat regimen. eaque ipſa in tempore fortaſſe mutaturus eſt, cùm ipſi ſe mutabunt. Tamen querimur & cur, inquiunt, nos diutiùs bello adfligimur, quàm alij? aut eus in acriori ſeruitute? Stulte & verè iam æger, tu prudentiâ ante Deum es? Dic mihi, cur medicus aliquis huic plus abſynthij aut ellebori miſcet, quàm illi? nempe quia morbus eius id poſtulat, aut natura. Idem in te cenſe. Videt hunc populum fortaſſe ferociorem eſſe, ideoque flagris coërcendum: illum alterum mitiorem, & in gyrum reduci poſſe ſolâ virgæ vmbrâ. At tibi ita non videtur. Valdè ſcilicet id refert! Ne parentes quidem puero cultrum aut ferrum in manu relinquunt, etſi valdè ſe adflictanti. præuident enim læſionem. cur Deus nobis ad perniciem indulgeat, qui verè pueri, nec ſalutaria gnari ſumus petere, nec abiicere nocitura? Tamen, ſi voles, & quantum voles, plora. bibes nihilominus illud poculum mærorum, quod non temerè tam plenum tibi cæleſtis ille medicus propinat.

Aut deterret ab iiſdẽ & arcet. Sæpe enim in anteceſſum adhibetur: Ab illo, qui internos omnes morbos, imò inclinationes nouit. Ideò fruſtra in medicinã eius inquirimus. Aptat etiam eã pro varietate ingeniorum. Noſtra porrò iudicia, in noſtro morbo, corrupta.

B

C

D

CAPVT X.

Denique Punitionem ipſam bonã & ſalubrem eſſe: Dei reſpectu, hominum, & eius qui punitur.

AT Punitio ad malos ſpectat, fateor: non tamẽ mala. Bona enim primò, ſi Deum reſpicis: cuius iuſtitiæ æterna & immota lex poſtulat, peccata hominum aut emendari, aut tolli. Caſtigatio autem quæ ablui poſſunt, emendat: quæ nequeunt, Punitio tollit. Bona iterùm, ſi homines ſpectes. quorum ſtare aut perennare hæc ſocietas non poteſt, ſi violentis ſceleſtiſque ingeniis omnia ſint impunè. Vt ad priuatam cuiuſque ſecuritatem, priuati furis aut ſicarij ſupplicio opus eſt: ſic ad publicam, illuſtri aliquo & communi. Animaduerſiones iſtæ in tyrannos, & orbis terræ latrones, aliquando interueniãt neceſſum eſt, vt exempla ſint quæ admoneant,

*Εἶναι δίκης ὀφθαλμὸν, ὃς τὰ πάνθ᾽ ὁρᾷ

quæ aliis regibus populiſque inclament,

Diſcite Iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

Bona tertiò, ſi eoſipſos ſpectes qui puniuntur. Pro ipſis enim. quia non tam vltio hæc aut vindicta propriè eſt, nec vmquam benignum illud numen — *extrà pœnas petere imbibit acres*, vt piè poëta impius ait: quàm cohibitio quædam à ſcelere & repreſſio: &, vt cum Græcis ſignanter dicam, *κόλασις ἀλλ᾽ οὐ τιμωρία. Vt mors bonis clementer ſæpe immiſſa, ante ſcelus:

Clades, puniendi cauſſâ.

Quæ punitio amara, ſed bona: Dei, hominũque reſpectu.

*Iuſtitiæ lumen eſſe, cũcta quod videt.

Imò etiam, reſpectu punitorum.

Diuina nõ vltio proprie,

ſic deſperatè malis, in ſcelere. quod ita amant, vt niſi ſectione ab eo non auellantur. Siſtit igitur Deus effrænem illum curſum, & peccantes paratóſque peccare benignè tollit. Denique pœna omnis bona, Iuſtitiæ adſpectu: ſicut impunitas mala, quæ efficit vt vt diutiùs ſceleſti, id eſt miſeri viuant. Acutè Boëthus: *Feliciores eſſe improbos ſupplicia luentes, quàm ſi nulla eos iuſtitiæ pœna coerceat.* & cauſſam dat, quia bonum aliquod iis acceſſit (pœna videlicet) quod in reliquo cumulo criminum non habebant.

ſed cohibitio.

* Ariſtoteles egregiè 1. Rhet. διαφέρει δὲ τιμωρία καὶ κόλασις. ἡ μὲν γὰρ κόλασις τοῦ πάσχοντος ἕνεκά ἐστιν, ἡ δὲ τιμωρία τοῦ ποιοῦντος.

CAPVT XI.

B *De Fine quarto, qui homini ambiguus eſt. eum pertinere vel ad Cõſeruationem tutelamq́; Vniuerſi, vel ad Cultum. Singula vberiùs explicata.*

HI tres illi fines, Lipſi, certi, clari: & quos pede peragraui ſatis firmo. quartus ſupereſt, quem vacillãte. Ignotior enim ille & remotior, quã vt humanæ mentis veſtigium firmiter eum premat. Per nubem duntaxat video: & ſuſpicari mihi de eo ius, non ſcire; ambire, ſed non adire. Finis quem intelligo communis eſt, & tangit Conſeruationem ſiue Cultum Vniuerſi. Ac de Conſeruatione quidẽ eò ſuſpicor, quòd Deus ille qui ſapienter hæc omnia condidit & diſpoſuit; ita condidit, vt ſingula certo *numero, augmento, pondere definiret. nec modũ eum generi cuique excedere fas, ſine inclinatione omniũ aut ruinâ. Ita magnis illis corporibus ſui termini, cælo, mari, terræ: ita animantium cuique ſæculo deſcriptus numerus: itemque hominibus, opidis, regnis. Excedere ea volunt? turbo igitur cladium aliquis atterat neceſſum eſt & tempeſtas. Nam aliter, noceant lædantque pulcherrimum hoc opus Vniuerſi. Atqui excedere volunt ſæpe, præſertim ea quibus data lex gignendi creſcendique. Homines ecce vide, quis neget denſiùs per naturam nos naſci, quàm per eamdem mori? adeò vt duo aliqui homines ex ſuo cœtu centena capita paucis annis producant, non occidant ex iis dena aut vicena. Gregem pecudum. creſcat immenſum, niſi pecuarij quot annis ſecernant aliquas & eligant ad macellum. Aues & piſces aëra ſiue aquas breui impleant, niſi diſſidia quædam & velut bella inter ipſa ſint, itemque inſidiæ ab humanâ gente. Opida aut vrbes. ſtruit & ædificat ſua quæque ætas: & niſi incendia interueniant aut ruinæ, vix ceperit ea noſter & alter orbis. Et licet, in cogitatione ſimili, perambules naturam hanc rerum. Quid ergo mirum, ſi Saturnius ille pater falcem interdum immittit in luxuriantem hunc agrũ, & ſuperflua aliquot millia peſte demetit, aut bello? Niſi faceret: quæ iam regio capiendis nobis ſit? quæ tellus alendis? Pereat ergo iure in partibus aliquid, vt ſumma iſta ſummarum æterna ſit. Vt enim moderatoribus reip. *ſalus populi ſuprema lex eſt*: ſic Deo, mundi. At de Cultu coniicio dupliciter. Primùm, quia ornatum nullum in hac vaſtâ machinâ concipio, ſine varietate & diſtinctâ viciſſitudine rerum. Solem illum pulcherrimum fateor. ſed gratiorem tamen eum roriflua nox facit, & pallium obductum nigræ matris. Æſtatem amœniſſimam. ſed quam Hiems commendat, & glacialia illa marmora, & canæ niues. Quæ ſi tollis, reuerâ ſenſum gaudiumque intimum tollis, ſiue lucis, ſiue æſtus. In hac ipsâ noſtrâ terrâ, non vna facies me delectat. ſed plana videre cupio & colles, valles & rupes, culta & arenas, prata & ſiluas: ſemperque faſtidium & ſatiâs, comites paritatis. Et in hac vitæ, vt ſic dicam, ſcænâ,

C

D

E

Finis quidam cladium cõmunis, & Vniuerſũ ſpectãs. Ad id cõſeruãdũ ſiue ornandũ.

* πάντα μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ καὶ σταθμῷ διέταξας, ait Hebræus Sapiẽs, cap. 11.

Creata omnia, & præſertim animata, exuberãt & fœtificant. Idque, ſi violentũ nihil interueniat, in immẽſum. Ideò gladio quodã cladium opus, ad metendum & minuẽdum. Alter orbis nõ ſtet.

Qui Deo tamen ante omnia curæ.

Ornant & colũt etiã clades.

Varietate quâdam rerum.

A cur idem habitus mihi ſemper placeat & vultus? Imò non placeat. ſed, meo animo, Alcedonia interdum & malaciæ quædam ſiot, quas mox bellorum aliqui turbines abrumpant, & ſævientium tyrannidum procellæ. Quis voueat hoc Vniuerſum, ſicut mare mortuum eſſe, ſine vento, ſine motu? Sed & cultum etiam alium odoror, magis ſerium, & cum interiore fructu. Hiſtoriæ mihi præeunt, meliora omnia & molliora ferè ſubſequi poſt cladium iſtos nimbos. Bella populum aliquem exagitant. ſed eadem * exacuunt, & ingenij variam culturam plerumque inferunt & artes. Romani olim orbi terræ acerbum iugũ impoſuerunt: ſed iugum ſalubre exitu, quod, vt ſol caliginem ab oculis, ſic barbariem ab animis fugauit. Quid Galli nos aut Germani nunc eſſemus, niſi magni imperij illa lux nobis adfulſiſſet? Feri, horridi, B cædibus alienis & noſtris gaudentes, Dei hominumque contemptores. Idemque, vt auguror, nouo huic Orbi eueniet; quem Iberi ſalutari quâdam ſæuitiâ exhauſerunt, & iidem mox replebunt & colent. Atque vt ij qui magna plantaria habent, arbores alias transferunt, alias inſerunt, alias excîdunt: eaque omnia peritè adminiſtrant, & in bonum ac fructũ: ſic in vaſto hoc mundi agro Deus. Scientiſſimus enim ille cultor eſt: & alibi oneroſos aliquot familiarum ramulos deſtringit; alibi hominum aliquot folia decerpit ac deſtringit. Iuuat hoc ſtirpem: at illi cadunt, & hæc volant ludibrium ventis. Videt idem gentem illam retorridam, & virtutum iam effœtam: eiicit. Aliam aſperam & infrugiferam: transfert. & C quaſdam inter ſe etiam confundit, & velut inſitione quadam miſcet. Vos, labente imperio, enerues & fracti Itali, quid optimam terrarum occupatis? cedite & duri illi robuſtique Longobardi feliciùs exerceant hanc glebam. Vos mali & molles Græci petite: & crudi illi Scythæ pangantur & molleſcant in hoc ſolo. Itemque confuſione quâdam gentium, vos Franci Galliam, Saxones Britanniam, Normanni Belgicam & finitima occupate. Quæ omnia & pluria, Lipſi, prompta non ignauo Lectori ex hiſtoriâ, & euentis rerum. Attollamur igitur. & quidquid noxæ priuatim nobis infertur, prodeſſe ſciamus in parte aliquâ Vniuerſi. Huius gentis aut regni interitus, D alterius ortus erit: illius opidi occaſio, extructio noui: nec quidquam propriè hic interit, ſed mutat. An ſoli Belgæ nos eximij apud Deum ſimus? ſoli felices perpetuò, & Fortunæ tantùm albæ pulli? Inepti: plures inſô liberi magno illi patri ſunt: quos permitte, quoniã ſimul omnes nõ vult aut poteſt, foueat & in ſinum recipiat per interualla Fulſere nobis noſtri ſoles: nox paullìſper hic nunc ſit, & radiatum illud lumen abeat ad Heſperios & occaſum. Seneca, vt ſolet, ad hanc rem aptè & altè: Vir ſapiens *nihil indignetur ſibi accidere, ſciatq́; illa ipſa quibus lædi videtur, ad conſeruationem Vniuerſi pertinere, & ex his eſſe quæ curſum mundi officiumq́; conſummant.*

Iterùm, emẽdatione & expolitione rerum, ſiue animorum.

* *Quo ſpectat prouerbium, ὁ πόλεμ@ ἁπάντων πατήρ: quòd ſruſtrà aliò referunt.*

Solatiũ, quod ea hoc fine petẽdũ.

E

CAPVT XII.

Contra iuſtitiam diuinam vetus & vulgata obiectio: cur impares pœnæ? ea inquiſitio ab homine remota, & oſtẽſa impia.

Per occaſionẽ, Iuſtitia diuina accuſata.

Quaſi pœnæ &

CVM interiungeret hîc paullùm Langius, excepi. Quod fons aquæ viatoribus in æſtu: id mihi tuus ſermo. Fouet, recreat, & frigerante quodam ſucco febrim meam temperat & calorem. Sed temperat etiam, non tollit. Spina mihi illa in animo, quæ priſcos quoque pupugit, de imparitate puniendi. Quid enim ita Langi, ſi æquabilis Iuſtitiæ illa lanx, telum hoc cladium,

—— * *plerumque nocentes*
Præterit, exanimatq́; indignos inq́; merentes?

clades non ex æquo, nec in meritos.

* *Lucretij verſus.*

Cur inquam immeriti aliquot populi euertuntur: & culpæ maiorum in poſteros ſæpe expetunt & nepotes? Fumus iſte acer mihi in oculis: quem, ſi potes, rationis radio tolle. Langius contractâ fronte, Itáne adoleſcens, inquit, iterùm mihi exorbitas? nolim. Vt enim periti venatores canem non ſinunt aberrare, ſed inſiſtere vni feræ: ſic ego te veſtigia illa tantùm velim premere, quæ ſignaui. Fines cladium tibi ingero, vt ſi bonus es, exerceri te ſentias; ſi lapſus, alleuari; ſi improbus, puniri: tu me rapis ad cauſſas. Vaga mens, quid per hanc curioſam curam tibi vis? Tangere cæleſtes illos ignes? liqueſces. Scandere in Pro-B uidentiæ arcem? cades. Vt papiliones, & minuta quædam animalcula, veſperè lucernæ lumen identidem circumuolitant, donec amburantur: ſic humana mens laſciuit circa arcanam illam flammam. Cedò cauſſas, inquis, cur diuina vltio hos prætereat, illos tangat. Cauſſas? tutiſſimè dicam, me neſcire. Non enim cepit me vmquam cæleſtis illa curia, nec ego eius decreta. Hoc tantùm ſcio, cauſſam ante omnes cauſſas eſſe, voluntatẽ Dei. A quâ qui quærit aliam, vim & potẽtiam ignorat naturæ diuinæ. Nam cauſſam omnẽ neceſſum eſt, genere quodã, priorem & maiorẽ eſſe ſuo effectu: at Deo & eius volũtate nihil prius aut maius. non ergo vlla eius cauſſa. Deus præteriit, Deus tetigit: quid vltrà hîc vis? *Summa iuſti-C tia eſt*, vt rectè & piè Saluianus ait, *voluntas Dei*. Tamen rationem aliquam huius imparitatis exigimus, inquiunt. A quo? à Deóne? cui vni licet quod libet: & nihil libet, niſi quod licet? Si ſeruus à patrefamilias, ſubditus à Principe rationes exigat; ille contumeliam putet, hic rebellionem: ubi plus animi aduerſus Deum eſt? Apage te peruerſa curioſitas. *non aliter hac ratio conſtat, quam ſi nulli reddatur.* Et tamen cùm omnia feceris; non euolues te tuis tenebris, nec ad conſilia illa & conſulta verè Tacita pertinges. Egregiè Sophocles:

* Ἀλλ' οὐ γὰρ ἂν τὰ θεῖα, κρυπτόντων θεῶν,
Μάθοις ἄν, οὐδ' εἰ πάντ' ἐπεξέλθοις σκοπῶν.

D

Sed ſupra hominem oſtenſa ea inquiſitio.

Quæ cũ caſus periculo.

Et ad quã planè cæcutimus.

Quidquid Deus vult, ideò rectum, quia vult.

Tacitus 1. Annal.

* *Diuina nunquã, ipſis tegentibus Deis, ſcibis, nec omnia uſque ſi perueſeris.*

CAPVT XIII.

Tamen vt curioſis ſatisfiat, ſeparatim ad tres veteres obiectiones reſponſum. & primo ad eam de Malis non punitis: quos differri docemus, non dimitti. idq́; vel hominum ipſorum cauſsâ, vel naturâ quadam Dei, quæ ad ſupplicium lenta.

RVDIS hæc & ſimplex via, ſola hîc tuta, Lipſi: reliquæ fallaces & lubricæ ad lapſum. In diuinis ſuperiſque vnum acumẽ eſt, nihil cernere, vna ſcientia, nihil ſcire. Tamen quoniam olim & nunc inuoluit ingenia hæc nubecula: euoluam eã te breuiter, ſi poſſum, & hærentem transferam quoque per hoc flumen. Tu cæleſtis & æterna Mens (in altum ſuſpiciebat) pacem veniámque mihi da, ſiquid in his arcanis minùs pium putumve dicam, adfectu tamen pio. Ac primùm, Lipſi, communiter Iuſtitiam ſuam adſerere Deo poſſe videor, vno iſto ictu. Si adſpicit res humanas Deus, etiam curat. ſi curat, regit. ſi regit, iudicio regit. at ſi iudicio, quomodo iniuſtè? Non enim regimen vllum ſine eo ſit, ſed congeries, confuſio, turba. Quid habes quod opponas huic telo? quod ſcutum aut quæ arma? ſi verum fateri vis, imperitiæ humanæ. Non capio, ais, cur hi puniantur. hi

Simplicitas & modeſtia, Deo grata.

Cuius iuſtitia generatim probata.

Quã ſola imperitia noſtra accuſat.

non

Iniuſtâ lege & more.

non puniantur. Benè habet. ergóne ad imprudentiam, impudentiam adiunges? & vim diuini illius purique iuris quia non capis, carpes? Quæ poteſt contra iuſtitiam iniuſtior eſſe ratio? Si hoſpes aliquis arbitrari leges aut inſtituta patriæ tuæ velit, ſilere eum iubeas & faceſſere, quia non capit: tu terræ huius incola, temerè damnabis ignotas cæli leges? tu opus, conditorem? Et tamen age, liceat. premam te enim iam propiùs, & calumniæ tuæ nebulas diſtinctè examinabo ad rationis, vt poſtulas, ſolem. Tria obiicis. quòd malos non puniat: quòd immeritos puniat: quòd ſubſtituat & commutet. De primo, priùs. Malos, ais, diuina vltio malè præterit. Itáne præterit? imò, vt ego ſentio, differt. Si magnum æs alienum habeam, & ab illo debitore ſtatim exigam, huic in diem reponam: quid culpes? arbitrij enim hoc certè mei & ſpontis. Atqui idẽ facit magnus ille Deus, cui cùm pœnam improbi omnes debeant, ab iſtis eam ſtatim exigit, in alus differt, ſed cum fœnore ſoluendam. Quæ hîc iniquitas? Niſi tu Dei vicem fortaſſe ſolicitus es, & metuis nequid ei pereat per hanc benignam moram. Atqui ſecurus eſto, mi homo: nemo vmquam decoquet ſupero huic creditori. In oculis eius omnes ſumus, quocũque fugimus; imò in neruo & in vinclis. Sed vellem, inquies, tyrannum illum nunc puniri, & præſenti cæde eius ſatisfieri tot oppreſſis. clarior enim ita nobis Dei iuſtitia. Clarior iuſtitia? imò tuus mihi ſtupor. Quis enim tu ille es, qui Deo non ad pœnam ſolùm præeas, ſed eius etiam tempora præſcribas? Vtrùm iudicem eum tuum eſſe cenſes, an lictorem tantùm & adminiſtrum? Abi, duc, verbera, caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito. ita enim mihi viſum. Heu impudentiam! ſed Deo aliter viſum: quem ſcire debes paullò clarius hîc cernere, & alio quodam fine punire. Te calor exagitat, & aufert vindictæ quædam cupido. à quibus ille remotiſſimus, exemplum ſpectat, & correctionem aliorum. Scit autem optimè, quibus ea vtilis eſſe poſſit, & quando. Magna momenta temporum ſunt, & ſaluberrima ſæpe medicina abiit in perniciem, data non opportunè. Caligulam in primo tyrannidis ſuæ curſu ſuſtulit: Neronẽ graſſari paullò diutiùs ſiuit: diutiſſimè Tiberium. nec ambige, quin eorum ipſorum, qui tum quoque querebantur, bono. Egent diuturno ſæpe flagello mali noſtri & inemendati mores: at nos tolli illud ſtatim volumus, & coniici in ignem. Hæc vna tarditatis ratio, quæ nos tangit: alia quæ ipſum Deum. cui videtur inſitũ, *vt lento gradu ad vindictam ſui procedat, tarditatemq́ue ſupplicij grauitate compenſet.* Benè Synelius: * τὸ θεῖον σχολῇ καὶ τάξει βαδίζει. nec malè priſci, qui ab hac mente Deos fingebant laneos habere pedes. Vt quãtumuis feruidus & vindictæ properus ſis, non videatis ægrè ferre debere hãc moram: quæ ita pœnæ interuallum eſt, vt ſit & augmentum. Dic mihi, tragœdiam ſi ſpectes, an indignère ſi Atreus ille aut Thyeſtes, in primo alteroq; actu, ſublimes per ſcænam & elati paulliſper incedant? regnent, minentur, imperent? non opinor. breuem enim felicitatem eam eſſe ſcias, & exſpectes vt fœdè mox ruant in extremo. In mundi hac autem fabulâ, cur iniquior in Deum, quàm in poëtam aliquem es? Ille impius floret, ille tyrannus viuit. Ita. ſed cogita primum hunc actum eſſe: & iam antè animo tecum præcipe, gaudiũ iſtud manere lacrymas & angores. Scæna hæc mox ſanguine diffluet, & voluentur in eo purpureæ iſtæ auratæque veſtes. Bonus enim ille noſter poëta eſt, nec temerè migrabit tragœdiæ ſuæ leges. Nónne etiã in Muſicâ diſſonas aliquãdiu voces fers, quia eas trema deſitura ſcis in concentum? idem hîc fac. At enim

Omnis cõtra iuſtitiã ſupernã calumnia, triplex.

Diluta prima, quòd mali nõ puniantur.

Omittit præſentaneam pœnam interdũ Deus, non remittit.

Nec hęc dilatio ei fraudi.

Cur omittat, ſiue differat?

Primò, cœpeſtiuæ correctionis cauſſâ.

Secũdò, naturæ ſuæ (ſi fas ita loqui) ductu.

* *Diuinũ numẽ lẽtè & ordine progreditur.*

Quin clementiſſima illa mẽs, tarda in pœnas.

Quæ aliquando tamẽ cũ fœnore veniunt.

Vita hęc impiorũ tragœdiæ eſt.

Punitionem eam non video ſemper læſi. Quid mirum? longiuſcula enim ſæpe fabula eſt, nec illi perſedere tamdiu potuerunt in hoc theatro. Vident tamen alij: & concipiunt iure metum, quoniam amplari quoſdam in rigido hoc iudicio vident, non abſolui; diffundi pœnæ diem, non tolli. Quãobrem Lipſi, hoc tene, differri aliquando impios, non dimitti: nec crimen quemquam in pectore geſtare, qui non idem Nemeſim in tergo. Sequitur enim illa Dea, & vt cum Euripide dicam,

——* σιγᾷ καὶ βραδεῖ ποδὶ
στείχουσα μάρψει τοὺς κακοὺς ὅταν τύχῃ.

CAPVT XIIII.

Deinde oſtenſum plures eſſe Pœnas: & quaſdam Occultas internáſque, quæ ſcelus ipſum comitentur, & quas improbi effugiunt numquam. quæ grauiores quam vllæ externæ.

QVÆ tamen vt clariùs capias, & ſemel te ducam in arcem ipſam huius cauſſæ: hoc ſciendum, triplices diuinas eſſe pœnas. Internas, Poſtumas, Externas. Illas appello, QVAE ANIMVM TANGVNT, SED ADHVC IN CORPORE. vti ſunt angores, pœnitentia, metus, & cõſcientiarum mille morſus. Alteras, QVÆ EVMDEM ANIMVM, SED LIBERVM IAM ET A CORPORE ABIVNCTVM. vti pœnæ eæ ſunt quas, morte obitâ, ſceleſtos manere etiam è priſcis illis plerique non vanè ſunt ſuſpicati. At tertias, QVAE CORPVS TANGVNT, AVT QVAE CIRCA ILLVD. vt paupertas, exſilium, dolor, morbi, mortes. Et eſt quidem plerumque, vt eæ omnes iuſto quodam Dei iudicio in impios conueniant: certè quidem priores duæ ſemper. Vt de Internis dicam: quis ille vmquam tam protectus ad omne nefas, qui non acria quædam flagella in animo & veluti ictus ſenſerit, ſiue in faciendo ſcelere, ſiue magis iam facto? Verè enim * ἀκόλουθος τῆς ἀδικίας ἡ τιμωρία, vt Plato olim dicebat: vel, vt veriùs & fortiùs Heſiodus, * ἀλιτοῦντι. Cognatũ, imò innatũ, omni ſceleri ſceleris ſupplicium: & nihil in vitâ ſecurum ſolutúmque præter Innocentiam eſt. Vt cruciarij, Romano ritu, crucem ſuam ferebant, ipſi ab eâ mox ferendi: ſic impiis omnibus conſcientiæ hanc crucem Deus impoſuit, in quâ pœnas luant priuſquàm luant. An tu ſolam eam punitionem cenſes, quæ incurrit in oculos: quam corpuſculum hoc ſubit? Non eſt. externa iſta omnia leuiter nec in longum nos tangunt: interna ſunt, quæ angunt. Vt magis in morbo iudicantur, qui tabe aut marcore laborant, quàm qui inflammatione aliquâ aut febri: & tamen hæ magis appârent: ſic in grauiore pœnâ improbi, qui lento illo paſſu ducuntur ad æternam ſuam mortem. Caligula olim per ſæuitiam imperare ſolitus, *Ita feri, vt ſentiat ſe mori*: id iſtis euenit, quos carnifex ille animus cottidie minutis ictibus cedit & pungit. Nec ſplendor ille tibi imponat, & circumfuſa potentia, aut opes. quia non magis illi ideò felices aut beati, quàm ſani, quorum febris aut podagra recumbit in purpureo ſtrato. Mendicum aliquem in fabulâ vides, qui regis perſonam ſuſtinet, auratum & pulchrum. vides, ſed non inuides: quia latêre ſub auro illos ſcis ſcabiem, pædorem, ſordes. idem æſtima in magnis omnibus iſtis & ſuperbis tyrannis: *Quorum mentes ſi recludantur*, ait Tacitus, *poſſint adſpici laniatus & ictus: quando vt corpora verberibus, ita ſæuitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceretur.* Rident illi ſæpe, fateor: ſed non verum riſum. Gaudent: ſed non germanum

gaudium.

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

A

gaudium, non hercle magis, quàm ij qui capitis damnati in carcere attinentur, & talis interdum aut reſſeris fallere ſe conantur, nec fallunt. Manet enim impreſſus ille imminentis ſupplicij terror, nec tollit ſe vmquam ab oculis imago luridæ mortis. Vide mihi, ſodes, dimoto externorum iſto velo, Siculum illũ tyrannum:

Diſtrictus enſis cui ſuper impiâ
Ceruice pendet.

Audi Romanum illum lamentãtem: * *Dij me Deæq́ peius perdant, quam perire cotidie ſentio.* Audi alterum ingemiſcentem: * *Ergo ego ſolus nec amicum habeo, nec inimicum?* Hæc vera illa animorum tormenta, Lipſi, hi cruciatus, angi ſemper, pœnitere, metuere: quibus caue compares eculeos vllos, fidiculas, vncos.

** Tiberij verba in epiſtolâ ad Senatum.*
** Neronis morituri verba.*

felix & magnus Cæſar, & verè Auguſtus: ſed filiam tamen Iuliam habeat, ſed neptem. nepotes alios per fraudem per vim amittat, alios abdicet. & horum tædio, quatriduanâ mediâ mori velit, nec poſſit. denique cum Liuiâ ſuâ viuat, fœdè ductâ, fœdè retentâ: & quam turpi amore ipſe perit, * turpi morte per eam pereat. *In ſumma*, inquit Plinius. *Deus ille, cælumq́, neſcio adeptus magis an meritus, herede hoſtis ſui* * *filio excedat.* Hæc taliáque cogitanda, Lipſi, cùm querela illa iniquitatis erumpit: & ad duo ſemper vertenda mens, Tarditatem ſupplicij & Varietatem. Non punitur nunc ille? mane punietur. Non in corpore? ſed fortaſſe in animo. Non viuus? ſed certè mortuus.

Numquam antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Vigilat enim ſemper diuinus ille oculus: & cùm dormire eum cenſes, cõniuet. Tu tantùm æquus in eum ſis: nec iudicem tuum inaniter accuſa, ipſe ab eo iudicandus.

** Ob ſuſpicionẽ veneno ab eâ dati.*
** Nempe Tiberio.*
Concluſio huius loci & querelæ de Malis.

B

CAPVT XV.

Pœnas etiam Poſtumas manere improbos. & plerumque imò ipſas Externas: quæ exemplis aliquot illuſtribus adfirmata.

ADDE iam huc Poſtumas illas & æternas pœnas: quas è mediâ Theologiâ poſuiſſe mihi ſatis ſit, non euoluiſſe. Adde etiam Externas. quæ tamen ſi deſint, cùm priores illæ irrogentur, quis cæleſtem Iuſtitiam iuſtè culpet? At non deſunt. nec factũ vmquam (certè rarò) quin apertè ſceleſti & aliorum oppreſſores, pœnas item luerint ſpectabiles & apertas. alij citiùs, alij ſeriùs: alij in ſe, alij in ſuis. Vides & quereris Dionyſium illum in Siciliâ, ſtupra, rapinas, cædes, multos annos impunè exercentem? paullum ſuſtine. videbis eumdem mox infamem, extorrem, inopem, à ſceptro (quis credat?) ad ferulam deuolutum. Ille magnæ inſulæ rex, ludum Corinthi aperiet, ipſe Fortunæ verus ludus. Parte aliâ, Pompeium in Pharſaliâ vinci indignaris, & exercitum pænè è Senatu? ludere & laſciuire aliquamdiu in ciuili ſanguine tyrannum? ignoſco. video enim Catoni ipſi clauum hîc tantum non recti iudicij extortum, & elicitam ab alto pectore ambiguam vocem, *Res diuinas multum habere caliginis.* Sed tamen tu Lipſi, tu Cato, flectite paullùm huc oculos: vnus adſpectus in gratiam reducet vos cum Deo. Cæſarem illum videte, ſuperbũ, victorem, opinione ſuâ & aliorum iam Deum, in Senatu, & à Senatu interfectum.

C

Poſtumæ pœnæ de quibus Theologi propriè diſſerunt. Sed pleramque etiã Externæ præeunt. Siue in ipſis qui peccarũt, ſiue in ſtirpe Dionyſij mira & verè a Deo punitio.

Itẽ Iulij Cæſaris.

nec ſimplici morte, ſed viginti tribus plagis confectum, inſtar feræ in ſanguine ſuo volutantem. & (quid ampliùs vultis?) in Pompeij curiâ, ſuperſtante Pompeij ſtatuâ, magnam victimam Magni manibus parentantem. Ita Brutus in campis Philippicis, pro patriâ & cum patriâ moriens, mihi quoque miſerationi eſt. ſed conſolor idem, cùm haut longè video victores illos exercitus, velut ad eius tumulum, gladiatorio more inter ſe commiſſos: & è ducibus alterum, M. Antonium, terrá marique victum, inter tres mulierculas, mulierosâ illâ manu, ægrè mortem inuenientem. Vbi tu es Orientis ille paullò antè dominus? laniſta Romanorum exercituum? Pompeij & reip. ſector? En, in fune cruentis manibus pendes! en, viuus in monumentum tuum repiſſen, ne moriens quidem auellens ab eâ quæ tibi mortis! Vide an vanè vocem ſupremam & votum illud efflauerit Brutus iam moriens:

D

Item M. Antonij.

E

* Ζεῦ, μὴ λάθοι σε τῶνδ' ὃς αἴτιος κακῶν.

Non enim latuit profectò, non effugit, non item ille alter dux, qui pœnam iuuenilium ſcelerum non obſcurè in ſe luit, & clariùs in omni ſuâ ſtirpe. Sit

** Ne huius mali verſa lateat author, Iupiter.*

CAPVT XVI.

Reſponſio ad alteram obiectionem, de Immeritis. oſtenſum omnes meruiſſe pœnam, quia omnes in culpâ & qui magis aut minus, ægre imò nullo modo ab homine poſſe diſcerni. Deum ſolum eſſe, qui noxas clare videat, & ideo iuſtiſſime puniat.

SED enim immeriti & innoxij aliquot populi puniuntur, inquis. Nam hæc ſecunda tua querela, ſiue calumniam potiùs dicam. Incaute adoleſcens, ſic loqueris? Puniuntur-ne immeriti? Vbi ergo gentium, gentes tibi repertæ ſine noxâ? Fiducia, imò temeritas ſit, in ſingulo aliquo homine id ponere: tu nihil ambigis populos & gentes ſtatuere impeccantes? Vaniſſimè. Peccamus enim & peccauimus omnes, ſcio: nati in labe, viuimus in labe: & cæli iam armamentaria, vt cum Satyrico illo iocer, ſine telo ſint, ſi fulmina ſemper miſſa in merentes. Non enim vt piſces in ſalo nati & alti, ſalem tamen non referũt: ſic cenſendum homines in hâc mũdi fæce, eſſe ipſos ſine fæce. Atqui ſi omnes in noxâ, vbi populi iſti immeriti? Culpæ enim comes, iuſtiſſimè pœna ſemper eſt. Sed inæqualitas, inquies, illa mihi diſplicet: quòd quidam premuntur qui minora peccârunt; florent & regnant qui magna. Nempe hoc erat! eripies tu, credo, trutinam cæleſtis Iuſtitiæ manibus, & tuo quodam ſenſu ponderibusque eam librabis. Quò enim aliter ſpectat hæc delictorum parium impariũmve æſtimatio, quam ante Deum tibi ſumis? Sed duo hîc, Lipſi, cogita. Primùm, æſtimari ab homine noxas alienas non poſſe, non debere. Quomodo enim? Tu homulle peccata æquiter appendas, qui nec attendis quidem? tu ea legitimè diſcernas, qui nec cernis? Quod enim facilè mihi das, animus eſt qui peccat: per corpus quidem & ſenſuum hæc inſtrumenta, ſed ita vt momentum & pondus omne criminis ſit ab ipſo. Quod adeò verum eſt, vt ſi inuitum aliquem ſtatuis peccaſſe, non peccârit. Id autem ſi eſt: quomodo, obſecro, peccatum ipſum peruidebis, qui nec cubile eius aut ſedem? Nam mentem certè adeò alienam videre non potes, vt nec tuam. Magna igitur hæc vel vanitas vel temeritas tua eſt, cenſuram æſtimationemque vindicantis in te nec viſâ plenè nec videndâ, nec notâ nec noſcendâ. Secundò illud cogita, vt maximè ita ſit, nec malum tamẽ aliquid hîc eſſe, nec iniquum. Non malum: quia illorum ipſorum bono fit, qui caſtigantur ſtatim vel

Secunda calũnia, de Immeritis.
Verè calumnia; quia innoxij aut immeriti nuſquam.

Nec prætexenda inæqualitas culpæ aut pœnæ.

Cui homines non boni iudices.
Vt qui animum non videãt, peccati ſede.

Nec cauſſam item externæ punitionis: quæ ſæpe pro bono.

Google

in minimis noxis. Dilectio illa diuina eſt: & iure ſemper ſuſpecta tarditas, cui grauior Punitio adhæret. Non item iniquum: quia pœnam, vt dixi, omnes meruimus: nec vmquam vel in optimis illa puritas, vt non maculæ aliquæ ſuperſint falsâ hac aquâ cladium velut eluendæ.

Deo igitur ſoli ſeruāda hæc æſtimatio.

Quamobrem, adoleſcens, mitte hanc de æſtimatione noxarum intricatiſſimam litem, tu terreſtris pedaneusque iudex: Deo permitte, qui haut paullò æquiùs de eâ certiusque è ſuperiore tribunali cognoſcet.

Qui Καρδιογνώστης.

Ille eſt ſolus, qui merita poteſt expendere: ille, qui ſine vllo ſimulationum fuco aut ceruſsâ, virtutem vitiumque videt in vero ſuo vultu.

Et quē velū nullum aut ſimulatio externa fallat.

Quis ei imponat, qui externa & interna pariter rimatur? qui corpus videt & mentem? qui linguas & fibras? aperta denique & operta? Quique non facta ſolùm ipſa, ſed cauſſas eorum & progreſſus videt in clarâ luce. Thales olim interrogatus, * εἰ λήθοι θεοὺς ἄνθρωπος ἀδικῶν; ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενος, verè reſpondit.

* An falleret Deus iniuſtè faciens? ne cogitans quidem.

At nos contrà hîc in nube. qui non ſolùm occulta ſcelera non videmus, ſub tunicâ (quod aiunt) & ſinu admiſſa; ſed vix aperta & protracta iam in lucē. Non enim culpam ipſam & vim eius cernimus, ſed externa quædam veſtigia admiſſæ & iam fugientis. Optimi ſæpe nobis, qui Deo peſſimi: & reiecti contrà, qui illi electi. Claude igitur, ſi ſapis, de meritis aut immeritis os & oculus: cauſſæ tam obſcuræ non benè cognoſcuntur de plano.

CAPVT XVII.

Reſponſio ad obiectionem tertiam, de pœnis tranſlatis. exemplis monſtratum id etiam apud homines fieri. Quæ Deo tranſlationis huius cauſſa ſit. & pluſcula alia ſatis curioſa ſubtilitatis.

Tertia calūnia, de Subſtitutis in pœna.

AT tertia etiam offuſa à te Iuſtitiæ nebula abſtergenda eſt, de Subſtitutis. Pœnas enim, inquiunt, parùm iuſtè Deus transfert: & maiorum culpas malè luunt nepotes.

Quod tamen nec apud homines nouum.

Hem! itàne hoc nouum aut mirū? Imò miror ego mirari iſtos miriones: cùm cotidie ipſi id faciant in ſuâ terrâ. Dic ſodes, beneficia quæ ob virtutem à Principe maioribus data, nónne tranſeunt ad nepotes? ſanè tranſeunt. nec aliter in mulctis aut pœnis, opinor, quæ iiſdem impoſitæ ob ſcelus Ecce in perduellionis aut maieſtatis crimine, manifeſtò alij in culpâ ſunt, alij in pœnâ. adque adeò intendit humana ſæuitia, vt latæ leges ſint, quæ innoxios liberos æternâ egeſtate puniant, *vt mors ſit eis ſolatium, & vita ſupplicium.* Maligni veſtri animi! regi alicui aut dynaſtæ licêre id vultis, non vultis Deo.

*Quod in pœnis iuſtiſſimè facit Deus: Quia deuincti cū parētibus ſumus.

Cui tamen, ſi examinas, haud paullò iuſtior ſeueritatis huius cauſſa. Peccauimus enim, & rebelles magno huic regi fuimus in vno omnes: & per tot ſtirpium tráduces, primogenia illa macula propagata ad infelices natos. Ita nexus & catena quædam hæc criminum erit iam Deo eſt: nec peccare, exempli cauſsâ, pater meus aut tuus iam cœpit, ſed patrum omnes patres. Quid ergo mirum, ſi punit in poſteris nō propriè diuerſa delicta, ſed communione quâdam ſeminis iuncta, nec vmquam intermiſſa?

Deniq; quia cōiungit res & crimina.

Sed vt omittam hæc ſublimia, & agam tecum magis populari quâdā rationum viâ: hoc ſcito. Deum contingere, quæ nos per imbecillitatem aut imperitiam diſpatamus: & familias, opida, regna, non vt varium quiddam intueri aut confuſum, ſed vt corpus naturamq; vnam.

Societates aut corpora, Deo vnum.

Scipionum illa aut Cæſarum familia, vnum illi eſt: Romana aut Attica vrbs, ab omni ſuo æuo, vnum: vnū item Romanum imperium. Iure. vinclum enim quoddam eſt & legum iuriſq; ſocietas, quæ magna corpora hæc ligat: efficitq́ne vt, etiam inter æuo diſſitos, communio quædam ſit præmiorum & pœnarum. Itaque Scipiones olim boni? apud cæleſtem illum iudicem poſteris id quoque prodit. Mali? noceat. Belgæ ante annos aliquot laſciui. auari, impij? nos luamus. quia in externâ omni punitione Deus non præſentia ſolùm adſpicit, ſed præterita etiam reſpicit: & duûm horum temporum momentis temperat æquabiliter iuſtitiæ ſuæ lancem.

Tēpora itē diſſita coniungit.

Dixi, * externâ punitione. & velim notes. Non enim culpæ ipſæ tranſferuntur, aut criminum quædam confuſio fit: abeſt: ſed pœnæ dumtaxat ſiue caſtigationes quædam circa nos iſtæ ſunt, non in nobis: & ad corpora aut opes ſpectant propriè, non ad animum hunc internum.

* Quæ videlicet caſtigatoriæ pœnitentiæ & inſtar medicinæ eſſent in pœnis, vt cū vulgo dicā, ſpiritalibus, aliud eſt nec ea perſonam excedāt.

Quid autem hîc iniuriæ? Heredes enim certè commodorum præmiorumq́ue, ſi qua maioribus debita ſunt, eſſe volumus: cur onera recuſemus & pœnas?

Delicta maiorum immeritus lues
Romane,

canit Romanus ille vates. verè, niſi quod addit *Immeritus*. Meritiſſimò enim, quia meruêre maiores. Sed effectum videre poëta potuit, non adiuit exit ad cauſſam. Vt autem in vno eodemq́ue homine, iure in ſenectâ ætate delictum aliquod punimus, admiſſum in iuuentâ: ſic Deus in imperiis aut regnis peccata vetera. quia externæ communionis ratione, vnū quiddam Deo ſunt, & coniunctum. Interualla hæc temporum apud illum nos non diuidunt, qui omnē æternitatem clauſam habet in capaci ſuâ mente. An verò * Martiales illi lupi olim tot vrbes euerterint, tot ſceptra fregerint impunè? tantum cædium ſanguiniſque hauſerint, ipſi ſemper incruenti? Tum denique fatear vindicem nullum Deum eſſe, * *qui quæ nos gerimus audit & videt*.

* Romanos intelligo.

* Plauti eſt in Captiu.

Sed non eſt ita. pœnas vel in poſteris ſuis pendant aliquando neceſſum eſt, tardas etſi non ſeras. Nec Temporum ſolùm hæc coniunctio apud Deum eſt: ſed & Partium. Hoc volo dicere. ſicut in homine cùm * manus, penis, venter peccauit, totum corpus id luit: ſic in communi aliquo cœtu, paucorum delictum expetere ſæpe in omnes. præſertim ſi ij qui peccant velut digniora quædam membra ſint, vt reges, principes, magiſtratus. Verè Heſiodus & ex ipſo Sapientiæ penetrali:

* Furto, libidine, ingluuie.

Πολλάκις καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,
Ὅστις ἀλιτραίνει καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.
Τοῖσι δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων
Λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν.
Vnius ob crimen pœnas vrbs tota rependit,
Siquis ſacrilege ſeſe gerat aut iniuſtè.
Iuppiter hinc cælo clades immiſit ab alto
Peſtem ſiue Famem.

Ita claſſis Argiuorum tota periit,

Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei:

ita in Iudæâ ſeptuaginta millia hominum peſtis vna iuſtiſſimè abſtulit, ob iniuſtam * libidinem regis.

* Quā Dauid populum ambitioſè recenſuit.

Et interdum contrà. vbi omnes peccarunt, Deus vnum paucóſve ſeligit velut piaculares publicæ noxæ. In quo ſi à * rigido illo paritatis iure paulliſper diſcedit, tamen ex iniquitate ipsâ æquitas noua oritur: & clemens quædam iuſtitia in multos eſt, quod ſæuitia videtur in paucos.

* Rectè Tacitus: Sumit aliquid ex iniquo. omne magnū exēplū, quod aduerſus ſingulos vtilitate publicâ rependitur.

Nónne etiam pædagogi ferula, è numero laſciuientis gregis, vnum aliquem cædit? imperator è fuſo exercitu, paucos decimatione caſtigat? ſalubri tamen vterque conſilio, quia paucorum ea punitio terret nihilominus & emēdat omnes. Vidi medicos ſæpe venam in pede aut brachio incidere, cùm totum corpus doleret: quid ſcio an idem hîc ſit? Arcana enim hæc arcana, Lipſi: &, ſi ſapimus,

Abſtracta cogitatio ab iſtis: Quæ nec capta nobis, nec capienda.

Propi

propiùs non tangemus ſacrum illum ignem. cuius ſcintillas & ſtricturas quaſdam videre homines fortaſſe poſſumus: non poſſumus ipſum. Vt ij qui in Solem acriùs defigunt oculos, eius amittunt: ſic mentis omne lumen, qui eam intendunt in hoc lumen. Abſtineamus igitur cêſeo curioſæ & cum periculo quæſtionis: & hoc ſaltem nobis ſtet, æſtimari noxas humanitùs non poſſe, non debere. aliam apud Deum trutinam eſſe, aliud tribunal. & quomodocumque ſe recondita illa iudicia habeant; non culpanda ea nobis, ſed ferenda & verenda. Vnam hanc tibi ſententiam ingero, quâ manum huic rei & ſimul Curionum omnium ori imponam, *Iudicia Dei multa occulta ſunt: nulla iniuſta.*

Auguſtinus.

CAPVT XVIII.

Tranſitus ad Locum vltimum factus, qui ab Exemplis. & oſtenſum, vtile interdum eſſe, ſeriæ medicinæ admiſceri quædam iucunda.

Reditio ad ſermonem ipſum de Conſtātiâ.

HÆc ſunt Lipſi, quæ pro diuinâ iuſtitiâ dicenda cenſui contra hos iniuſtos. quæ non planè ex re meâ eſſe fateor, nec tamen præter illam: quoniam non dubiè æquiùs libentiúſque Clades has feremus, perſuaſi eas non iniquas. Et interuallo hîc aliquo ſermonis, ſubitò iterùm erupit Langius. Benè habet, inquiens. reſpiraui. Superaui omnes quæſtionum illos ſcopulos, & plenis iam velis inuehi mihi poſſe videor in portum. Quartum vltimumque meū agmen conſpicio: quod producam ſanè libens. Et vt nautæ, cùm in tempeſtate Geminos vident, ſpem magnam & alacritatem concipiunt: ſic ego, cui poſt hos fluctus apparuit Legio hæc Gemella. Fas mihi enim priſco ritu eam ita dicere: quia biceps, & duo per eam mihi vincenda, Nec grauia hæc mala eſſe quæ nunc patimur, Nec noua. Id dum facio, in pauca hæc quæ ſuperant, Lipſi, volentem attentumque te mihi da. Numquam magis Langi, inquam ego. Nam me quoque iuuat euaſiſſe illa aſpera: & à ferrâ & ſeuerâ illa medicinâ, auidè aſpicio ad hanc lenem & & popularem. Ita enim futuram eam titulus mihi indicat. Nec erras, inquit Langius. Nam vt medici poſtquàm vſſerunt & ſecuerunt ſatis, non omittunt ſtatim ægrum aut deponunt, ſed benigna fomēta quædam & acopa adhibent, doloribus mitigandis: ſic in te ego. quem quoniam ferro & igne Sapientiæ purgaſſe ſatis videor, lenibus nunc quibuſdam alloquiis fouebo, & tractabo manu, quod dicitur, molliore. Deſcendam ex illo philoſophiæ arduo colle, & deducam te paulliſper in amœnos Philologiæ tuæ campos. Idipſum tamen non recreando magis tibi, quàm ſanando. Vt Democharem medicum aiunt Conſidię cuidam mulieri nobili, quæ omnem aſperiorem medicinam abhorrebat, lac caprarum callidè propinaſſe, ſed quas lentiſco paſcebat: ſic ego hiſtorica quædā & oblectantia tibi infundam, ſed occulto quodam Sapientiæ ſucco tincta. Quid refert quâ viâ ſanemus ægrum dum perſanemus?

Quartū pro eâ telū, ferro duplici.

E litteris etiā medicina animorum, ſed præſertim hiſtoriis

CAPVT XIX.

Non tam grauia eſſe Mala publica, quàm videntur. idq; primò, ſed breuiter, Ratione oſtenſum. Circūiecta enim rebus plerumque vanè timeri, non ipſas.

SEd ades iam mea Legio. & tu ante omnes cohors prima, quâ pugnamus, Non eſſe grauia hæc mala. Id duplici telo effectum volumus, Rationis &

Prima argumēti huius pars, de

A Comparationis. Rationis: quia illam ſi reſpicis, reuera nec grauia aut magna hæc omnia, quæ adſunt quęque imminent, ſed videntur tantùm. Opinio eſt quæ attollit ea & exaggerat, & velut cothurnis quibuſdā auget. Sed deme, ſi ſapis, circumfuſam eam nubem, & vide res in clarâ luce. Paupertatem exempli cauſsâ in his Cladibus publicis times, Exſilium, Mortem. Ea igitur ſi rectis firmiſque oculis inſpicis, quantula ſunt? ſi ſuis ponderibus examinas, quàm leuia? Ecce bellum hoc aut tyrannus per tributa multa te exhauriet. Quid tum? eris igitur pauper. Natura nónne talem te dedit, talem rapiet? Quòd ſi triſte & infame nomen tibi diſplicet, commuta. eris expeditus. Sub leuauit enim te Fortuna, ſi neſcis, & tutiore iam loco repoſuit. nemo vltrà exhauriet. quod damnum tu

B putabas, remedium eſt. At exſul etiam ero. Imò, ſi voles, peregrinus. Adfectum tuum ſi mutas, mutas patriam. Sapiens vbicumque eſt, peregrinatur: fatuus ſemper exulat. Sed mors mihi à tyranno imminet. Quaſi non quotidie à naturâ. Sed infamis illa, quæ per gladium aut per laqueum. O ſtulte, non illa aut vlla mors infamis, niſi vita tua ſit. Cita ab orbe condito optimos & illuſtriſſimos quoſque, violenta eius vis rapuit. Hoc examen, Lipſi rebus omnibus (guſtum enim tantùm tibi do) adhibendum, quæ terribiles videntur: & inſpiciendæ eæ nudæ, ſine opinionum vllâ veſte aut perſona. At nos miſeri ad vana & externa conuertimur: nec res ipſas timemus, ſed circumpoſita rebus. Ecce ſi mare nauiges, & magnum illud fiat: mens tibi abit, & contremiſcis. non aliter

C quàm, ſi naufragium feceris, totum illud ebibendum tibi ſit. at ſextarius vnus aut alter ſuffecerint. Si terræmotus ſubitò exortus, qui clamor & metus? cenſes totum oppidum, ſi ruat, in te caſurum, aut certè domum. & neſcis quàm ad cerebrum tuum elidendum ſatis ſit vnus aliquis lapis. Non aliter in Cladibus iſtis fit: in quibus ſtrepitus præcipuè nos terret, & vaniſſima imago rerum. En ſatellitium illud! en gladios! Quid iſti ſatellites quid gladij? quid facient? occident. Quid occiſio? ſimplex mors. & ne nomen ipſum te terreat, animæ à corpore abſceſſus. Omnia illa agmina militum, omnes illi minaces gladij, facient idem quod vna febris, quod vnus acinus, quod vnus vermis. Sed enim durius. Imò non paullò lenius: ſiquidem febris illa quam præoptas, toto an-

D no hominem ſæpe torqueat; ictu hîc & momento tranſfigitur. Benè igitur Socrates, qui hæc omnia non aliter appellare ſolitus quàm μορμολύκεια ſiue laruas. Quas ſi ſumis, vidéſne quomodo pueri te fugiant? ſed pone eaſdem & verâ facie te oſtende, accedent iterùm & amplectentur. Idem in iſtis: quæ ſi detractis perſonis & ſine pompâ videas, timuiſſe te fatearis timorem puerilem. Vt grando tectis magno ſtrepitu illiſa, ipſa tamen diſſilit: ſic iſta in firmum animū ſi accidant, franguntur non frangunt.

leuitate cladiū. Si eas Ratione examinas.

Paupertas enim non dura.

Nō graue exſilium.

Nō ipſa mors.

Nos cogitando ea aggrauamus.

Plura nos habemus in Thraſea noſtro ſiue De contemptu mortis.

Socratis breue, ſed ſalubre, dictum.

CAPVT XX.

E *Ad Comparationem ventum. ſed priùs exaggerata Belgarum & huius æui mala. eáque opinio communiter refutata: & oſtenſum, ingenium humanum pronum ad augendos ſuos luctus.*

NOn ex ſpe aut opinione meâ tam ſerius Langij ſermo. Itaque abrumpens, Quò abis? inquam. hócne pollicitus? Mella & mulſa hiſtoriarum exſpectabam: tu acre mihi promis, & quo nihil meracius in Sapientiæ penu. Quid cenſes? cum Thalete aliquo rem tibi eſſe? cum Lipſio eſt: qui homo & inter medios homines, remedia etiā deſiderat paullò

Intercīſio ſermonis, nimis verbis alloqui & diffuſi.

magis

Digitized by Google

magis humana. Langius clementi voce & vultu, Agnoſco, iure culpas, inquit. Nam dum purum illum Rationis radium ſequor, exceſſiſſe Publicâ viâ me video,& furtim relapſum in Sapientiæ callê. Sed iam emendo : & gradum figo in limite magis noto. Diſplicet Falerni illius auſteritas? melle tibi temperO exemplorum. Ad Comparationem ecce venio: & oſtendam clarè, nihil graue aut magnum eſſe in his, quæ vndique circumfuſa, malis, ſi ea confers cum antiquis. Maiora enim multis partibus, & magis dolenda olim. Ego iterùm, & quidem impatienti geſtu, Hoc ais? inquam.

Cõparatione oſtendi poſſe leuitatem cladiũ.

——* Καὶ τοῦτο προσδοκᾷς πείσειν ἐμέ;

* *Et perſuaſurũ me hoc putas?* Ex Ariſtophane eſt.

Numquam Langi, quamdiu caput hoc ſentit. Quod enim retrò æuum, ſi rectè examinas, tam calamitoſum fuit, quàm hoc noſtrum eſt? aut quod erit? Quæ gens, quæ regio tulit

Tam multa dictu grauia, perpeſſu aſpera,

quàm hodie nos Belgæ? Bello ecce iactamur; nec externo ſolùm, ſed ciuili; nec hoc, ſed inteſtino. Non enim partes ſolùm inter nos ſunt: ſed partium (ô patria quæ Salus te ſeruet?) nouæ partes. Adde Peſtē, adde Famem, adde Tributa, rapinas, cædes: & *ἔσχατον ἐσχάτων tyrannidem, oppreſſioneſque non corporum ſolùm, ſed animorum. Iam in Europâ aliâ quid? aut bellum, aut belli metus. vel ſi pax; cum fœdâ ſeruitute ſub minutis dominis coniuncta, & non lætior quouis bello. Quocumque oculos mentemque conuertas, ſuſpenſa omnia & ſuſpecta: & vt in domo malè fultâ, ſigna plurima ruinæ. Ad ſummam Langi, vt amnium omnium confluxus in Oceanum: ſic cladium videtur in hoc æuum. Et recenſeo tamùm quæ in manibus iam, & adſunt. quid ea quæ imminent? de quibus verè illud Euripidæum canam,

Belgarũ fatales miſeriæ.

* *vltimũ vltimorum.*

Imò Europę totiuſque profectò labaſcit.

*Κακῶν ὁ Τάλας πέλαγος εἰσορῶ
Τοσοῦτον, ὥστε μή ποτ' ἐκνεῦσαι πάλιν.*

* *Pelagus malorũ cõtueor, Tam magnũ, vt enatare facile nõ ſiet.*

Langius ad me ſeuerè & in modum coërcentis, Iterùmne te per querelas iſtas deiicis? inquit. Stare firmum te iam putabam: & cadis. vulnera tua cõſſe: retractas. Atqui animi quâdam quiete tibi opus eſt, ſi ſaneſces. Infeliciſſimum, ais, hoc æuum. Vetus mihi iſta cantio. ſcio auum tuum idem dixiſſe, ſcio patrem, ſcio poſteros dicturos & nepotes. Inſitum hoc à naturâ humano ingenio, ad triſtia acriter flectere oculos, præterire quæ læta. Vt muſcæ & euiſmodi inſecta leuibus politiſque locis non diu inſident; ſcabris adhæreſcunt: ſic querula iſta mens meliorem ſortem leuiter tranſuolat, aſperam non dimittit. Tractat, inſpicit, & ingenioſè plerumque auget. Atque vt amantes in dominâ ſuâ numquam non inueniunt, cur eximia ea ante omnes: ſic dolentes, in ſuo luctu. Fingimus imò vana, nec præſentia ſolùm dolemus, ſed futura. Quo tam ſagacis ingenij pretio? Non alio, quàm vt quoſdam exercitus motus procul puluis caſtris interdum exuit: ſic nos deiicit futuri diſcriminis falſa ſæpe vmbra.

Querelæ mala ſopita cõmouent.

Omnis gens de ſuo æuo queſta.

Quia proni omnes ad dolorẽ augendum:

Imò & fingendum.

CAPVT XXI.

Magis deinde propriè & preſſè id refutatum, ex Comparatione cum veteribus malis. Primò de bellis, & de clade mirabili Iudæorum.

At tu, Lipſi, plebeia hæc mitte: & ad Comparationem me ſequere, quam depoſcis. Per eam tibi clarum, non paria ſolum in omni genere cladium olim euenisse, ſed maiora: & gratandi materiam huic æuo eſſe, quàm querendi. Bello, inquis, iactamur. Quid? ergo bella nulla apud priſcos? Imò nata ea, Lipſi, cum orbe natoque deſitura, niſi cum illo. At non tam grandia fortaſſe aut tam grauia quàm iſta. Adeò contrà eſt, vt ludus hæc omnia ſint & iocus (ſeriò loquor) ſi conferantur cum priſcis. Non aditum, non exitum facilè reperio, ſi ſemel me penetro in profundum hoc exemplorum: ſed tamen viſne paullùm peregrinemur per orbis partes? eamus. A Iudeâ ordiamur, id eſt à regione & gente ſacrâ. Omitto quæ in Ægypto paſſi, quę poſt exceſſum ab Ægypto: tradita enim hæc & prompta in diuinis libris: ad extrema venio, & quæ cum funere eorum coniuncta. Quæ operæ mihi eſt, vt *exponam velut per indicem, ſingillatim. Paſſi igitur ciuili externoque bello, non totis ſeptem annis, iſta:

Ipſa Cõparatio cœpta. Et qui-

Hieroſolymis primùm interfecti, iuſſu Flori, —— *ſexcenti triginta.*
Cæſareæ ab incolis, odio gentis & religionis, vno tempore *viginti millia.*
Scythopoli (Cœlæ Syriæ vrbs eſt) —— *tredecim millia.*
Aſcalone in Palæſtinâ, item ab incolis, —— *duo millia, quingenti.*
Ptolemaïde pariter —— —— *duo millia.*
Alexandriæ in Ægypto, ſub Tib. Alexandro Præſide *quinquaginta millia.*
Damaſci —— —— —— *decem millia.*
Atque hæc velut per ſeditionem aut tumultum geſta: legitimo deinde & aperto à Romanis bello:
Ioppe captâ à Ceſio Floro cæſi —— *octo millia & CCCC.*
In monte quodam Cabulone —— *duo millia.*
In pugnâ ad Aſcalonem —— —— *decem millia.*
Per inſidias iterùm —— —— *octo millia.*
Aphacæ, cùm capta eſſet, —— *quindecim millia.*
In monte Garizim cæſi —— *vndecim millia & DC.*
Iotapæ, in quâ ipſe Ioſephus, circiter —— *triginta millia.*
Ioppe iterùm captâ ſubmerſi —— *quattuor millia CC.*
In Tarichæis cæſi —— —— *ſex millia & D.*
Gamalæ, tam interfecti, quàm ſponte præcipitati, —— *nouem millia.* nec quiſquam homo natus ex eâ vrbe ſaluus, præter duas mulieres, ſorores.
Giſcalâ deſertâ, in fugâ trucidati —— *bis mille.* & fœminarum ac puerorum capti —— *tria millia.*
Gadarenium cæſa —— —— *tredecim millia.* capti —— —— *duo millia & ducenti*, Præter eos qui in flumen deſiliêre infiniti.
In Idumææ vicis cæſi —— —— *decem millia.*
Geraſij —— —— —— *mille.*
Machærunte —— —— —— *mille DCC.*
In ſiluâ Iardes —— —— —— *tria millia.*
In Maſſadâ caſtello, ſuâ manu perempti —— *nongenti & LX.*
In Cyrene à Catulo Præſide cæſi —— *tria millia.*
At in ipsâ Hieroſolymorum vrbe, per omne tempus obſidionis mortui aut cæſi, —— *decies centena millia.*
capti, —— —— *nonaginta ſeptem millia.*

Summa hæc colligit (præter *innumeros qui omiſſi) *duodecies cẽtena & quadraginta millia.* Quid ais Lipſi? deiicis ad hęc oculos? attolle potiùs. & aude mihi cõparare cũ vnius gentis clade, aliquot annorũ in orbe Chriſtiano bella. At quantula tamen illa hominum terrarumq; pars, ſi conferatur cum Europâ?

CAPVT XXII.

De Græcorum item Romanorumq́; Cladibus ex bello. Magnus interfectorum numerus ab aliquot ducibus. Item vaſtatio noui orbis. & miſeria captiuitatis.

Græciæ attritio mira.

* *De defectu oraculorũ.*

NEc hîc inſiſto: ad Græciam me confero. In quâ digerere ordine omnia bella, ſiue inter ipſos ſiue cum externis geſta, longum nec cum fructu. hoc dico. ita exhauſtam & attonſam eam continuo cladium iſto ferro, vt * Plutarchus tradat (numquam mihi ſine irâ & admiratione lectum) eam vniuerſam non fuiſſe ſuo æuo, conficiendis *tribus millibus militum*: quot tamen, inquit, olim bello Perſico, vnum Megarenſium opidulum confecerat. Heu, quò cecidiſti flos ille terrarum, ſol & ſal gentium! Vix opidum hodie alicuius quidem nominis in hac ipsâ attritâ Belgicâ eſt, quod non ierunt eum non adæquet idonei ad bellum ſexus.

Etiam Italiæ & Romani imperij.

Iam Romanos & Italiã perluſtramus? leuârunt me pridem hoc faſce receſſionum Auguſtinus & Oroſius. eos vide, & inanis mania malorum. Vnum bellum Punicum ſecundum, in ſolis Italiâ, Hiſpania, Siciliâ, ſupra *quindecies centena millia* hominũ (quæſiui enim curioſè) non totis annis ſeptemdecim conſumpſit. Bellum ciuile Cæſaris & Pompeij, ad *millia trecenta*: & largius, Bruti, Caſſij, Sex. Pompeij arma.

Cædes ingẽtes à Romanis editæ.

Et quid bella recenſeo plurium auſpicio geſta aut ductu? Vnus ecce C. Cæſar (ô peſtem perniciemq́ue generis humani!) fatetur & quidem glorians, * *vndecies centena & nonaginta duo millia hominum prælijs a ſe occiſa.* atque ita, vt non veniat in hanc rationem ſtrages ciuilium bellorum. Pauculis annis quibus ille Hiſpaniæ aut Galliæ præfuit, in exteros editæ iſtæ cædes.

* *Plinius hæc tradita, lib. VII.*

Quo tamen maior etiam hac parte ille Magnus, qui in delubro Mineruæ inſcripſit *fuſa à ſe, fugata, occiſa, in deditionem accepta, hominum vicies ſemel centena LXXXIII. millia.* Quibus velut in numerum, ſi vis adde Q. Fabium, qui *centũ decem Gallorum millia*: C. Marium, qui *ducenta Cimbrorum* poſteriori æuo Aetium, qui memorabili Catalaunico prælio *centum ſexaginta duo millia* Hunnorum occidit. Et nè bellis illis hominum cadauera tantùm fuiſſe cenſeas: fuêre etiam opidorum. Cato ille Cenſorius * gloriatur plura * opida ſe in Hiſpaniâ cepiſſe, quàm dies in eâ egerit. Sempronius Gracchus, ſi Polybio fides, *trecenta* in eâdem deleuit.

* *Apud Plutarchum.*

* *Ad quadringẽta, vt tradunt Plut. & Appian.*

Indorũ ſtrages, imò excidium.

Nec habet omne æuum, opinor, quod adſtruat his exemplis, præter noſtrum; ſed in orbe alio. Pauculi Iberi ante annos octoginta in vaſtas illas & nouas terras delati, quæ funera, Deus bone, ediderunt! quas ſtrages! Nec de cauſſis aut iure belli diſſero, tantùm de euentis. Cerno ingens illud terrarum ſpatium, quod vidiſſe magnum ſit non dicam viciſſe, à vicenis tricenisque militibus peruadi: & paſſim inermes illos greges ſterni, vt ſegetem à falce. Vbi tu es inſularum maxima Cuba? tu Hayti? vos Iucayæ? quæ olim ſexcenis ſingulæ, aut denis hominum millibus ſuccinctæ, alibi vix quindecim ex iis retinuiſtis in ſemen. Oſtende etiam te paullùm tu Peruana, tu Mexicana ora. Heu miram miſeramq́ue faciem! immenſus ille tractus & verè alter Orbis, vaſtus attritusq́ue * appâret, non aliter quàm ſi cæleſti quodam igne deflagraſſet. Mens & lingua mihi cadit, Lipſi, dum hæc memoro: & video noſtra omnia præ iſtis non aliud quàm palearum caſſa eſſe, vt Comicus ait, aut gurguliunculos minutos.

* *Certè ſub initia. Nam nunc habitari iterum ſcio & moliri nouis.*

Nec tamen legem illam mancipiorum adhuc refero: quâ nihil acerbius in veterum bellis. Homines ingenuos, nobiles, pueros, fœminas, omnes victor abripiebat, quis ſcit an in æternã ſeruitutem? Certè ſeruitutem. cuius veſtigium iure gratulor non fuiſſe, non eſſe adhuc, in Chriſtiano orbe. Turcæ ſanè vſurpant. nec aliud eſt quod magis inuiſum & terribilem nobis reddat Scythicũ illum dominatum.

Captiuitas olim acerba, & æquãda morti.

CAPVT XXIII.

Peſtis Famisq́; priſca inſignia maximè exempla. Tributorum magnitudo qua olim. & rapinarum.

AT tu pergis in querelâ. & Peſtem etiam adtexis Famemq́ue: Tributa & Rapinas. Vis igitur ſingula comparemus? ſed breuiter. Dic mihi quot millia Peſtis in totâ Belgicâ abſtulit, his quinque aut ſex annis? Opinor quinquaginta, aut vt largiter, millia centũ. At vna in Iudæâ peſtis ſub Dauide rege, *ſeptuaginta millia* abſorpſit, die non toto. Sub Gallo & Voluſiano Imperatoribus, * peſtis ab Æthiopiâ exoriens omnes Romanas prouincias peruaſit, & per quindecim continuos annos incredibiliter exhauſit. Nec alia vnquam maior lues mihi lecta, ſpatio temporum, ſiue terrarum.

Peſtis, quæ apud veteres.

* *Zonaras Tom. 2.*

Sæuitia tamen & impetu inſignior illa quæ Byzantij finitimisque locis graſſata, Iuſtiniano Principe. cuius vis tanta, vt in ſingulos dies *quinque millia* funerum daret, interdum etiam *decem*. Timidè hoc dicerem & ambiguus fidei: niſi fidiſſimi huic rei ab illo ipſo æuo * teſtes. Nec minùs miranda Africana peſtis, quæ euerſâ Carthagine orta, in ſolâ Numidiâ * *octingenta hominum millia* deleuit: in maritimâ Africâ, *ducenta*, & apud Vticam *triginta millia* militum, qui ad oræ eius præſidium relicti. Iterumq́ue in Græciâ, Michaëlis Ducæ imperio, tam ſæua: ὥστε οὐδ' ἱκανοὶ (Zonaræ verba ſunt) τοὺς ζῶντας πρὸς τὸ θάπτειν τοὺς ἀποθνήσκοντας, *vt viui prorſus pares non eſſent mortuis ſepeliendis*. Denique * Petrarchæ æuo, vt ipſe refert, tam valida in Italiam incubuit, vt ex millenis quibuſque hominibus vix decem ſupereſſent.

* *Procopius lib. II. de Bello Perſico. Agathias lib. V. Hiſt.*

* *Oroſius lib. V. cap. XI.*

* *Sub annum à Chriſto CCC. LIX.*

Fames, quæ apud veteres.

* *Zoſimus VI. Annal.*

Iam de Fame, nihil profectò nos aut ætas noſtra vidimus niſi videmus antiqua. Sub Honorio Imperatore * Romæ tanta caritas & raritas omnis annonæ, vt homines hominibus iam imminerent, & in Circo palàm audita ſit illa vox, PONE PRETIVM HVMANÆ CARNI. In totâ * Italiâ vaſtantibus eam Gothis, ſub Iuſtiniano, iterùm tanta, vt in ſolo Piceno *quinquaginta hominũ millia* fame interierint: & paſſim in viſum ciborum verſæ ſint non carnes ſolùm humanæ, ſed humana excrementa. Duæ mulieres (narrare exhorreſco) ſeptemdecim viros per inſidias noctu interfecerant, & comederant: ipſæ à decimooctauo, qui id agi ſenſerat, cæſæ. Nec refero in Sacrâ vrbe famem, & exempla iam prætrita.

* *Procop. de bello Goth. lib. II. apud quẽ plura vide.*

Tributorum olim magnitudo.

* *Appianus ſatis clarè innuit lib. τῶν ἐμφυλ.*

* *Dio apertè lib. XLVI. οἱ δὲ βουλευταὶ τέσσαρας ὀβολοὺς καθ' ἑκάστην κεραμίδα τῆς στέγης ἐσέφερον.*

* *Dio lib. L.*

Quòd ſi de Tributis etiam etiam aliquid dicendum eſt: non nego grauia eſſe quibus premimur, ſed ita ſi ſola & per ſe ea videas, non ſi componas cum priſcis. Pleræque omnes prouinciæ ſub Romano imperio, fructuum ex * agro paſcuo *Quintam* quotannis perſoluêre, *Decimam* ex agro arato. Nec defuêre Antonius & Cæſar nouem decemque annorum tributa exigere in vnum annum. Iulio Cæſare interfecto, cùm arma ſumpta pro libertate, ſinguli ciues *vigeſimamquintam* omnium bonorum dependere iuſſi: & hoc amplius, Senatorij ordinis omnes; in ſingulas ædium ſuarum * tegulas, *ſex aſſes*. Quæ immeoſa contributio, noſtriſque ſenſibus nec credenda nec reddenda. At * Octauianus Cæſar, (credo ratione ominis ſui habitâ) *octauam* omnium

A bonorum partē à libertis exegit, & accepit. Et omitto quæ Triumuiri, quæ alij tyranni patrauerint: ne noſtros doceam, recitando. Vnum tibi inſtar omniū exactionum rapinarúmque ſit, de Colonus. Quo inuento vt nihil ad vim imperij firmius, ita nihil in ſubditos cogitari potuit triſtius. Deducebantur paſſim legiones cohortéſque veteranæ in agros & oppida: miſeríque prouinciales momento temporis bonis & fortunis omnibus prouoluebantur. idque nihil auſi, nihil meriti: ſed pro crimine omni, opes aut opimi agri. In quo profectò gurges quidam calamitatum omnium appâret. Miſerum eſt nummis ſpoliari: quid etiam agris tectíſque? Graue iſtis pelli: quid totâ patriâ? quid templis aríſque? Diſtrahebātur ecce aliquot millia hominum, liberi à parentibus; domini à familiaribus; vxores à viris; & in B varias terras, vt cuique fors ſua fuit, ſpargebantur: alij in *ſitientes Afros*, vt poëta in hac ipſâ re ait, *Pars Scythiam, aut toto diuiſos orbe Britānos.* Solus Octauianus Cæſar in ſolâ Italiâ *duodetriginta* colonias collocauit. in prouinciis quot libuit. Nec alia res magis, vt ego ſcio, exitio fuit Gallis nobis Hiſpaniſque.

In colonis deducēdis acerbitas.

Quæ creberrimæ.

CAPVT XXIV.

Crudelitatis & Cædium narrationes aliquot, miræ, & ſupra omnia ſcelera huius æui.

C SEu ſæuitia tamen hodie, inquis, & cædes inauditæ. Scio quid innuas, & quod nuperum factum. Sed tuam fidem, Lipſi: tale nihil apud antiquos? O impetitum te, ſi neſcis malum, ſi diſſimulas! Exempla enim adeò prompta & multa, vt laboremus in eligendo. Sullæ nomen noſti, illius Felicis? ergo & proſcriptionem eius infamem & immanem, quâ **millia quattuor & ſeptingentos* ciues abſtulit vni vrbi. Et ne vilia quædam capita aut è plebe cenſeas, *centum quadraginta* in iis Senatores. Nec tango cædes innumeras, quæ vulgò factæ permiſſu eius ſiue iuſſu. vt non immeritò vox illa Q. Catulo expreſſa ſit, *Cum quibus tandem victuri ſumus, ſi in bello armatos, in* D *pace inermes occidimus?* At Sullam eumdem haut multò pôſt imitati tres diſcipuli (Triumuiros intellego) pariter proſcripsêre * *trecentos Senatores.* equites Romanus ſupra *bis mille.* Heu ſcelera, quibus nihil acerbius Sol ille vidit viſuruſque eſt, ab ortu omni ad occaſum! Appianum, ſi voles, lege, & in eo variam fœdámque imaginem latitantium, fugientium; ſiſtentium, extrahentium, liberorum circà eiulantium, & coniugum: peream ego, niſi humanitatem ipſam periſſe dices fero & ferino illo æuo. Atque hæc in Senatoribus equitibúſque geſta: id eſt, tondem pænè regibus aut dynaſtis: ſed in multitudinem fortaſſe non ſæuitum. Imò vide mihi eumdem Sul- E lam qui * *quattuor legiones contrariæ partis fidem eius ſecutas, in publicâ Villa, nequicquam fallacis dexteræ miſericordiam implorantes, obtruncari iuſſit.* Quorum cùm morientium gemitus Curiam quoque attigiſſet, attonito & conuerſo Senatu: *Hoc agamus,* inquit, *Patres conſcripti paucuh ſeditioſi iuſſu meo perimuntur.* Nec ſcio quid magis hîc mirer: hominem id facere potuiſſe, an dicere. Et pluráne poſcis ſæuitiæ exempla? cape. * Seruius Galba in Hiſpaniâ trium ciuitatum conuocato populo, quaſi de commodis earum acturus, *ſeptem millia*, in quibus flos iuuentutis conſiſtebat, repentè trucidauit. Id eâdem regione * L. Licinius Lucullus conſul, * Caucæotum *viginti millia* contra deditionis ſtipulatæ fidē immiſſis in

Cædes immanes & in fames, quæ olim.

* Valerius lib. 11.

* Appianus ita numerat.

* Ita Valerius lib. 1 x. idq; efficeret xxiv. millia hominū. At Seneca tantū de ſeptem millibus, de Irâ.

* Valerius.

* Appianus.

* Puto,

vrbem militibus occidit. Octauianus Auguſtus Peruſiâ captâ, * *trecentos è deditiis, electos vtriuſque ordinis trecentos, ad aram D. Iulio exſtructam hoſtiarū more mactauit.* * Antonius Caracalla, neſcio ob quos iocos infenſus Alexandrinis, pacis ſpecie in vrbem eam veniens, vniuerſam iuuentutem in campum conuocatam, milite circumdedit, & ſigno dato ad vnum omnes occidit, parique ſæuitiâ in reliquam multitudinem vſus frequentiſſimam vrbem prorſus exhauſit. * Mithradates rex vnâ epiſtolâ *octoginta millia* ciuium Romanorum negotiandi cauſſâ per Aſiam diſperſa interêmit. * Voleſus Meſſalla proconſul Aſiæ, *trecentos* vnâ die ſecuri percuſſit, & inter cadauera reiectis manibus ſuperbè inambulans, quaſi rem magnificam feciſſet proclamauit, * ὢ πρᾶγμα βασιλικόν. Et profanos adhuc loquor impióſque. ſed ecce tibi etiam inter Deo vero deuota numina Theodoſium Principem, qui Theſſalonicæ per ſummum ſcelus & fraudem *ſeptem millia* innoxiorum capitum in theatrum quaſi ad ludos conuocatos, immiſſo milite necauit. Quo facto nihil magis impium vetus omnis impietas habet. Ite poſt hæc mei Belgæ, & ſæuitiam ſiue perfidiam Principum accuſare in hoc æuo.

CAPVT XXV.

Tyrannis etiam noſtra eleuata. oſtenſa ea à naturâ ſine malitiâ humanâ eſſe. & externas internáſque oppreſſiones fuiſſe olim.

DENIQVE Tyrannidem etiam hodie culpas, & oppreſſiones corporum atque animorum. Nec ambitioſè mihi nunc decretum attollere æuum noſtrum, vel adfligere. cui enim bono? hoc quod ad Comparationem noſtram facit, dicam. Quando mala iſta non? & vbi non? Cedò mihi ſæculum aliquod ſine inſigni tyrannide, cedò gentem. Si potes: (ſubibo enim diſcrimen huius aleæ:) ego quoque confitebor miſerrimos nos miſerorum. Quid taces? Verum eſt, vt video, illud dicaſtyticum vetus, *Omnes bonos Principes in vno annulo poſſe perſcribi.* Inſitum nimirum humanis ingeniis, imperio inſolenter vti: nec facile modum ſeruare in eâ re, quæ ſupra modum. Nos illi ipſi qui de tyrannide querimur, ſemina tyrannidis incluſa in pectore geſtamus: nec voluntas pleríſque ea efferendi deeſt, ſed facultas. Serpens cùm frigore torpet venenum nihilominus habet, ſed non exerit: ſimile in nobis, quos ſola imbecillitas arcet à nocendo & Fortunæ quædam frigus. Da vires, da inſtrumenta: vereor vt vel impotentiſſimi pleríque iſtorum ſint, qui nunc tam iniqui in potentes. Exemplum in cottidianâ iſtâ vitâ. Vide mihi patrem illum ſæuientem in filios, dominum in ſeruos, præceptorem in diſcipulos. Phalarides in ſuo genere omnes iſti ſunt: & fluctus eoſdem in flumine excitant, quos reges in magno mari. Nec animantibus aliis non hæc natura. è quibus pleraque ſæuiunt in congeneras ſibi ſpecies, in aëre, terrâ, aquâ.

——piſces ſic ſæpe minutos
Magnus comeſt, ſic aues enecat accipiter.

ait rectè Varro. Sed corporū iſtæ oppreſſiones ſunt, inquies: hodie hoc eximium, quod etiam animorum. Itane, animorum? vide ne inuidioſè hoc potiùs, quàm verè. Ignorare mihi ſeſe & naturam illam cæleſtem videtur, quiſquis premi eam putat poſſe aut cogi. Nulla enim externa vis vmquam faciet, vt velis quod nolis, ſentias quod non ſentis. Ius aliquis

A in vinclum hoc animi habet ſiue nexum: nemo in ipſum. Soluere eum à corpore tyrannus poteſt, non naturam eius diſſoluere: quæ pura, æterna, ignea, ſpernit externum & violentum omnem tactum. At ſenſum tamen animi non licet expromere. Eſto. ſed linguæ tuæ igitur fræna ponuntur, non animo: nec iudiciis, ſed factis. Sed nouum hoc ipſum & inauditum. O bone quàm erras! Quot tibi poſſim dicere qui ſub tyrannis ſenſuum ſuorum pœnas luerunt, propter incautam linguam? Quàm multi ex iiſdem vim adferre iudiciis conati? & iudiciis dico in re pietatis. Perſarum & Orientis reges adorati, trabaricium fuit. & Alexandrum, eumdem diuinitatis cultum ſibi adſeruiſſe ſcimus, ruſticâ Macedoniâ ſuâ non probante. Inter Romanos bonus ille & moderatus Princeps Auguſtus, flamines & ſacerdotes in prouinciis imò in domibus ſingulis habuit, vt Deus. Caligula Deorum ſtatuis amputato capite, ſuum imponi iuſſit, ridiculâ impietate. idem templum ſuo numini, ſacerdotes, & quæſitiſſimas hoſtias inſtituit. Nero Apollo haberi voluit: & illuſtriſſimi ciuium interfecti, hac præſcriptione, *quod numquam pro cæleſti voce immolaſſent.* Iam Domitianus, *Deus dominúſque noſter,* palàm audiebat. Quæ vanitas vel impietas ſi hodie in vllo regum, Lipſi, quid diceres? Nec adiaugo propiùs hanc Scyllam, in quam non trahent aut pellent me vlli ambitioſorum venti.

Iuſſu inter alios Thraſea obiectū.

* Ἀκίνδυνον γάρ ἐστι τῆς σιγῆς γέρας.

** Periculo vacat ſilentii præmiū.*

Vnum tantùm in totam hanc rem priſcæ ſeruitutis teſtimonium adferam, & quidem è familiari tuo ſcriptore: quod velim attendas. Tacitus de Domitiani æuo: *Legimus cum Aruleno Ruſtico Pætus Thraſea, Herennio Senecioni Priſcus Heluidius laudati eſſent, capitale fuiſſe. nec in ipſos modò auctores, ſed in libros quoque eorum ſæuitum, delegato Triumuiris miniſterio, vt monumenta clariſſimorum ingeniorum in comitio ac foro vrerentur. Scilicet illo igne vocem populi Romani, & libertatem Senatus, & conſcientiam generis humani aboleri arbitrabantur: *expulſis inſuper Sapientiæ profeſſoribus, & omni bonâ arte in exſilium actâ, nequid vſquam honeſtum occurreret. Dedimus profectò grande patientiæ documentum, & ſicut vetus ætas vidit quid vltimum in libertate eſſet, ita nos quid in ſeruitute adempto per inquiſitiones etiam loquendi audiendique cõmercio. Memoriam quoque ipſam cum voce perdidiſſemus, ſi tam in poteſtate noſtrâ eſſet obliuiſci, quàm tacere.*

** Velim notes verba grauiſsima.*

CAPVT XXVI.

Poſtremò doctum non mira aut noua eſſe hæc Mala. hominibus gentibuſq; omnibus ſemper communia. & ſolatium in eâ re quæſitum.

NEc adtexo plura de Comparatione. ad alterium Legionis meæ agmen venio, quod oppugnat Nouitatem: ſed breuiter & contemptim. Spolia enim potiùs leget ex deuicto iam hoſte, quàm vt conſertâ manu acriter cum eo pugnet. Reuera autem quid hîc homini nouum eſſe poteſt, niſi qui ipſe nouus nouitius in humanis rebus? Crantor egregiè & prudenter, qui verſum hunc ſemper habebat in ore

Contra eos qui nouas aut eximias putant has clades.

* Οἴμοι, τί δ' οἴμοι; θνητά τοι πεπόνθαμεν.

** Heu me! quid heu me? humana perpeſsi ſumus.*

Circulantur enim cottidie hæ clades, & orbe quodam eunt per hunc Orbem. Quid triſtia hæc euenire ingemiſcis? quid admirare?

* Οὐκ ἐπὶ πᾶσί σ' ἐφύτευσ' ἀγαθοῖς
Ἀγάμεμνον Ἀτρεύς.
Δεῖ δέ σε χαίρειν καὶ λυπεῖσθαι,
Θνητὸς γὰρ ἔφυς· κἂν μὴ σὺ θέλῃς,
Τὰ θεῶν οὕτω βουλόμεν' ἔσται.

** Non te omnia ad læta genuit O Agamemnon Atreus. Opus tibi gaudere & dolere. Mortalis enim natus es: & vt recuſes Superis ita volentibus erit.*

Illud potiùs mirum, ſi exlex quiſquam ab hac communi lege, nec onus ferat quod ferunt omnes. Solon amicum quemdam Athenis grauiter lugentem in arcem deduxit, & ſubiectas omnes in magnâ vrbe ædes oſtendit: Cogita, inquiens, quàm multi luctus ſub his tectis olim fuerint, nunc verſentur, poſteà futuri ſint: ac mitte mortaliū incommoda tamquam propria deflere. Velim idem tibi fieri poſſit, Lipſi, in magno iſto mundo. Sed quoniam re non poteſt, age, fiat paulliſper cogitatione. Siſto te in alto illo, ſi vis, Olympo. deſpice mihi omnes vrbes, prouincias, regna: & cenſe totidem conſepta te videre cladium humanarum. Amphitheatra hæc quædam ſunt & velut Arenæ, in quibus cruenti illi Fortunæ ludi. Nec longè oculos mitte. Italiam vides? nondum triginta anni ſunt, cùm à ſæuis aſperiſque ab vtroque latere bellis conquieuit. Latam illam Germaniam? validæ in eâ ſcintillæ nuper diſcidij ciuilis: quæ iterùm exardeſcunt, & niſi fallor, in exitialem magis flammam. Britanniam? perpetua in ea bella cædéſque. & quod nunc paulliſper in pace eſt, tibi ferro debet pacati ſexus. Galliam? vide & miſerere. etiam nunc per omnes eius articulos gangræna ſerpit ſanguinolenti belli. Nec aliter in toto orbe. Quæ cogita Lipſi; & communione hac miſeriarum, tuas leua. Atque vt triumphantibus à tergo deſtitui ſeruos ſolet, qui in medio triumphi gaudio identidem interclamaret, Homo es: ſic tibi monitor iſte ſemper adſiſtat, Eſſe hæc humana. Vt enim labor cum pluribus communicatus lenior fit: ſic item dolor.

Solonis arguti inuenti Conſolatio.

Clades in omni orbe.

CAPVT XXVII.

Sermonis totius Concluſio. & ad repetendum eum ruminandúmque breuis admonitio.

EXPLICVI copias meas omnes & ſermonem, Lipſi: & habes quæ pro Conſtantiâ dicenda mihi cenſui in Dolorem. Quæ vtinam nõ grata tibi ſolùm, ſed ſalubria: nec delectent, ſed magis iuuent! Iuuabunt autem, ſi non in aures ſolùm ſed in animum demittes: nec audita iacêre & inareſcere ea patiêre, vt ſemina ſparſa ſummo ſolo. Denique ſi repetes ſeriò & ruminabere. quia vt ignis è ſilice non vno concuſſu elicitur: ſic in frigido iſto pectore, non primo admonitionū ictu accenditur latens & languens in nobis vis illa honeſti. Quæ vt verè aliquando in te ardeat, nec verbis aut ſpecie, ſed re & factis, ſupplex quæſo veneróque æternum & diuinum illum ignem.

Concluſio & adhortatio

Repetiti monitionū ictus iuuāt & penetrant.

Cùm dixiſſet, ſurrexit properè, &, Eo Lipſi, inquit. Sol hic meridies prandij mihi index. tu ſequere. Ego alacer ac libens, inquam: quódque in myſteriis ſolet, iure nunc acclamem,

———* ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον.

** Effugi malum, reperi bonum.*

AD DEVM

PRO CONSTANTIA PRECES

Fuſæ in graui & diuturno meo morbo, anno ∞. Iↄ. LXXIX.
Ætatis meæ XXXII.

CVI mare, cui tellus famulatur, & ignea cæli
Sidera: quem metuunt mortalia ſæcla animantum:
Alme Deus, ſine quo dîas in luminis oras
Nil venit, & ſine quo nil exit luminis oras:
Aſpice me quem languor habet, quem tabida vexat
Febris, & exiguam ſuadet ſperare ſalutem.
Annue ne pariter cum corpore mens bruteſcat,
Neu timefacta meum fugiat CONSTANTIA *pectus.*
Certa etenim vitæ finis mortalibus inſtat,
Et cuncti properamus eundem tangere portum:
Non curſus tamen omnibus vnus. ô ille beatus,
Qui vitæ infames ſcopulos & naufraga ſaxa
Feſtinâ potuit præteruexiſſe carinâ!
Quando voles mea Parca, ſequar. non hîc terrenis
Impedior curis: nec me fucata veneno
Vellera, nec rutilo ſplendor perſtrinxit ab auro.
Sola mihi doctæ arriſit pellacia Muſæ:
Hanc quoque ſperno libens. tu tantùm dîe Deorum,
Mundi mens æterna, & innenarrabile numen,
Suſcipe me, & lætum meliori in ſede repone.

INDEX CAPITVM,

Quem ſubiecimus vt Lector in vno aſpectu habeat filum totius operis & contextum.

LIBRI PRIMI

CAPVT I.

PRÆFATIO & introductio. querela item aliqua de Belgarum turbis.

CAP. II. Peregrinationem non facere ad internos morbos. indicinam eam eſſe, nō medicinam. niſi ſi fortè in leui quodam & primo adfectuū motu.

CAP. III. At veros animi morbos non tolli eâ, non minui: imò per eam recrudeſcere. Animum eſſe qui in nobis ægrotet: eiúſque remedium à Sapientiâ & Conſtantiâ petendum.

CAP. IIII. Definitiones Conſtantiæ, Patientiæ, Rectæ rationis, Opinionis. Item Peruicacia quid à Conſtantiâ differat & abeat: & à Patientiâ, Abiectio.

CAP. V. Ratio & Opinio vnde originē habeant. vtriuſque vires & effectus. Alteram ad Conſtantiam ducere, alteram ad Leuitatem.

CAP. VI. Conſtantiæ laus, & ſeria ad eam adhortatio.

CAP. VII. Quid ſit & quotuplex quod Conſtantiam turbet. Bona & Mala externa eſſe. Mala autem duplicia, Publica & Priuata. ex iis grauia & periculoſa maximè videri publica.

CAP. VIII. Mala publica oppugnata. ſed ante omnia tres Adfectus coërciti. exq́ue iis hoc Capite ambitioſa quædam Simulatio, quâ homines Mala propria, vt Publica lugent.

CAP. IX. Simulatio ea clariùs retecta, & ab exēplis. obiter de verâ Patriâ dictum, item malitiâ hominum gaudentium malis alienis, cùm ipſi extra ea.

CAP. X. Querela mea de increpatione Langij tam liberâ. ſed additum, Philoſophi id munus eſſe. Conatus item refutandi ſuperiora: & obligatio amorq́ue, qui in patriam.

CAP. XI. Refutatus ſecundus Adfectus nimij amoris in patriam. quem Pietatem falsò vocant. idq́ue oſtenſum. Item vnde origo illi Adfectui. & quid Patria propriè ac verè.

CAP. XII. Tertius Adfectus temperatus, qui Miſeratio. eam in vitio eſſe. diſcriminata, lucis cauſsâ, à Miſericordiâ. quomodo, & quatenus eâ vtendum.

CAP. XIII. Remotis obſtaculis, ventum ſeriò ad eleuanda aut tollenda ipſa Publica mala. quattuor ea præcipuis argumentis oppugnanda à me & expugnanda. Ac primò hîc de Prouidentiâ dictum, eaq́ue probata ineſſe & præeſſe rebus humanis.

CAP. XIV. Nihil hîc geri, niſi Prouidētiæ eius nutu. ab eâ clades in populos aut vrbes immitti. ideò parùm piè ſuper iis queri nos aut flere. Denique adhortatio ad parendum Deo, cum quo temerè & fruſtrà pugnatur.

CAP. XV. Ad ſecundum pro Conſtantiâ argumentum tranſitum, quod à Neceſſitate. Vis eius & impetus. Dupliciter ea Neceſſitas conſiderata: & primò in Rebus ipſis.

CAP. XVI. Exempla neceſſariæ mutationis aut mortis in toto Orbe. Cælum & elementa conuerti, aliquâdo interitura. Idem in opidis ſpectari, in prouinciis, & regnis. Denique gyrare hîc omnia, nec quidquam ſtabile aut firmum.

CAP. XVII. Ventum ad Neceſſitatem quæ è Fato. Fatum ipſum primò adſertum. Vulgi in eo & ſapientum vniuerſum quemdam conſenſum fuiſſe, ſed in partibus diſſenſum. Quotuplex priſcis Fatum.

CAP. XVIII. Tria prima genera Fati explicata breuiter. omnium definitio ſiue deſcriptio. Stoici leuiter & breuiter excuſati.

CAP. XIX. Quartum ſiue Verum Fatum explicatum. De nomine ipſo dictum breuiter. Id definitum tenuiore filo: & oſtenſum à Prouidentiâ differre.

CAP. XX. Diſtinctum & diuulſum id à Stoico fato quatuor terminis. Oſtenſum accuratiùs, quo modo vim non inferat voluntati. itémque Deum nec συνεργὸν mali nec auctorem eſſe.

CAP. XXI. Concluſio tractationis de Fato. monitum, periculi plenam & ancipitem eam eſſe. non curioſè indagandam. denique adhortatio ſeria vt vires animo imprimantur à Neceſſitate.

CAP. XXII. Ignauiæ latibulum aliquod quæri ſolere in Fato. ſed id derectum. Fatum agere per cauſſas medias, eóque illas adhibendas. Quatenus auxiliari patriæ, quatenus non oporteat. Finis impoſitus primo libro & ſermoni.

LIBRI SECVNDI

CAP. I. Occaſio reperiti ſermonis. itio ad Langij amœnum hortum, eiúſque laudatio.

CAP. II. Hortorum in genere Laudatio. Cultum eum antiquum eſſe, & à naturâ. Reges & viros magnos vſurpaſſe. Denique delectatio eorum ob oculos poſita, & non improbum meum votum.

CAP. III. Contra curioſos quoſdam diſſertum, qui hortis ad vanitatem & ignauiam abutuntur. Quis verus eorum vſus. Sapientibus & doctis idoneos eſſe. & Sapientiam ipſam altam in iis & educatam.

CAP. IIII. Ad Sapientiā igitur adhortatio. per eā ad Conſtantiam ventum. & ſeriò monita iuuentus vt

ſenes

ſerias Philoſophiæ litteras cum amœnioribus illis & liberalibus coniungat.

CAP. V. Sapientiam non vouendo, ſed conando acquiri. Reditum in ſermonem de Conſtantiâ. Cupidinem diſcendi, bonum eſſe in adoleſcentiâ ſignum.

CAP. VI. Pro Conſtantiâ tertium argumentum ab Vtili. Clades bonas eſſe, Originem intueare ſiue Finem. Originem enim à Deo ſumere. qui æternùm & immutabiliter bonus. ideóque cauſſa nullius mali.

CAP. VII. Finem item cladium ſemper dirigi in bonum. etſi perſæpe eæ per noxios homines, & noxæ cauſâ adminiſtratæ. Sed frangi & temperari eorum vim à Deo. flecti omnia in noſtrum vſum. obitérque dictum cur Malorum opera in iis Deus vtatur.

CAP. VIII. Magis diſtinctè de finibus ipſis. eos triplices eſſe: & qui, quibus conueniant. Mox paullò fuſiùs de Exercitio, quod Bonis non vno modo prodeſt, firmando, probando, præeundo.

CAP. IX. De caſtigatione, qui ſecundus finis. eam quoque oſtenſum ex vſu noſtro eſſe, dupliciter.

CAP. X. Denique Punitionem ipſam bonam & ſalubrem eſſe. Dei reſpectu, hominum, & eius qui punitur.

CAP. XI. De Fine quarto, qui homini ambiguus eſt. eum pertinere vel ad Conſeruationem tutelámque Vniuerſi, vel ad Cultum. Singula vberiùs explicata.

CAP. XII. Contra iuſtitiam diuinam vetus & vulgata obiectio: cur impares pœnæ. ea inquiſitio ab homine remota, & oſtenſa impia.

CAP. XIII. Tamen vt curioſis ſatisfiat, ſeparatim ad tres veteres obiectiones reſponſum. & primò ad eam de Malis non punitis. quos differri docemus, non dimitti. idque vel hominum ipſorum cauſâ: vel naturâ quâdam Dei, quæ ad ſupplicium lenta.

CAP. XIV. Deinde oſtenſum plures eſſe Pœnas: & quaſdam occultas internáſque, quæ ſcelus ipſum comitentur, & quas improbi effugiunt numquam. quæ grauiores quàm vllæ externæ.

CAP. XV. Pœnas etiam Poſtumas manere improbos. & plerumque imò ipſas Externas: quæ exemplis aliquot illuſtribus adfirmatæ.

CAP. XVI. Reſponſio ad alteram obiectionem, de Innocentis. oſtenſum omnes meruiſſe pœnam, quia omnes in culpâ. & qui magis aut minus, ægrè imò nullo modo ab homine poſſe diſcerni. Deum ſolum eſſe, qui noxas clarè videat, ideóque iuſtiſſimè puniat.

CAP. XVII. Reſponſio ad obiectionem tertiam, de pœnis tranſlatis. exemplis monſtratum id etiam apud homines fieri. Quæ Deo tranſlationis huius cauſſa ſit & pluſcula alia ſatis curioſæ ſubtilitatis.

CAP. XVIII. Tranſitus ad Locum vltimum factus, qui ab Exemplis. & oſtenſum vtile interdum eſſe, ſeriæ medicinæ admiſceri quædam iucunda.

CAP. XIX. Non tam grauia eſſe Mala publica, quàm videntur. idque primò, ſed breuiter, Ratione oſtenſum. Circumiecta enim rebus plerumque vanè timeri, non ipſas.

CAP. XX. Ad Comparationem ventum. ſed priùs exaggerata Belgarum & huius æui mala. eáque opinio communiter refutata, & oſtenſum ingenium humanum pronum ad augendos ſuos luctus.

CAP. XXI. Magis deinde propriè & preſsè id refutatum ex Cōparatione cum veteribus malis. Primò de bellis, & de clade mirabili Iudæorum.

CAP. XXII. De Græcorum item Romanorúmque cladibus ex bello. Magnus interfectorum numerus ab aliquot ducibus. Item vaſtatio noui orbis. & miſeriæ captiuitatis.

CAP. XXIII. Peſtis Famiſque priſcæ inſignia maximè exempla. item Tributorum magnitudo quæ olim. & Rapinarum.

CAP. XXIIII. Crudelitatis & cædium narrationes aliquot, miræ, & ſupra omnia ſcelera huius æui.

CAP. XXV. Tyrannis etiam noſtra eleuata. oſtenſa ea à naturâ ſiue malitiâ humanâ eſſe. & externas internáſque oppreſſiones fuiſſe olim.

CAP. XXVI. Poſtremò doctum non mira aut noua eſſe hæc mala. hominibus gentibúſque omnibus ſemper communia. & ſolatium iocâ re quæſitum.

CAP. XXVII. Sermonis totius Concluſio. & ac repetendū eum ruminādúmque breuis admonitio

APPROBATIO.

HOs *duos I. Lipſij de Conſtantia libros, vel hoc nomine prælo dignos cenſeo, quòd non iam, vt aliæ eiuſdem lucubrationes, libris & lapidibus, ſed ipſi animo caliganti languentique lucem & medicinam adferant; quibus, ſi admiſerit, ad illud robur proficiat quiſque ac conualeſcat, vt ſi fractus illabatur orbis, inpauidum feriant ruinæ.*

Goiliel. Fabricius Noniom. Apoſtolicus ac
Regius librorum Cenſor.

IN CONSTANTIAM
V. C. IVSTI LIPSI.

DVM patriam exercet plus quàm ciuilibus armis
Triſte inter Reges diſcidium & populos,
(Ah quantum lis illa dedit quantumq; datura eſt
Sanguinis! at vos ô DI *meliora date.)*
Non iiſdem caſtris, auibus non militat iiſdem
Belgica, & heu ciues perditum it ipſa ſuos.
Tantorumq; diu ſperata fine laborum
Decipimur. mendax ſpes ea abit miſeris.
An mirum aduerſa rerum ſuccumbere mole
Deq; gradu tantum non animum excidere?
Ceu nauem inuitus Rector pugnantibus Auſtris
Deſerit, & pelago ludibrium ire ſinit.
Id verò prohibet IVSTVS *(nihil addimus vltrà)*
Per quem degeneri non licet eſſe animo.
Ille ipſi bellum Dux non inglorius infert
Fortunæ, en viſo vt tota ſtupet titulo.
Ille addit vires animoſo: turpè labantem
Suſtinet, & mente ſtare facit ſolida
Omneis inpauidum contra caſusq; minaſq;
Ceu contra fluctus ſtare ſolent ſcopuli.
Vt iam, Socraticos quamuis ſcrutere magiſtros,
Quantum vſquam eſt, melius nil alibi inuenias.

F. Duicius I. C.

DOM. BAVDII AD EVMDEM
TETRASTICHON.

Κληΐζειν τε λόγοις ἀρετὴν, ἔργοις τε διώκειν
Τοῦτο μὲν ἠϋφυὲς, τοῦτο δὲ πουλυμαθές.
Λίψιος ἀμφότερον μόνος ἔλλαχε· μάρτυρές εἰσιν
Ἠϋφυής τε βίος, πουλυμαθεῖς τε βίβλοι.

EPIGRAMMA IN CONSTANTIAM IVSTI LIPSII.

PRodit iam in dîas Constantia luminis oras,
Et nora hæc Lipsi munere ſit Batavis,
Narrantis nobis, quantum Prvdentia, quanrum
Poſſit in humanis pectoribus Ratio.
Cedite Romanis sapientes, cedite Graii:
A'nne aliquid maius Sol videt hoc opere?

Ianus Douza Filius.

IN I. LIPSII V. C. LIBROS DE CONSTANTIA CARMEN.

NIl mirum ſubitò mortales rebus in arctis
Abiicere audaces ex animis animos.
Ipſa ignota diu latuit Constantia, noſtris
Robora quæ ſolita eſt indere pectoribus.
At nunc fortunæ ludibria ludicra,& eius
Vires atque vices diſcire ferre homines.
Sit vobis doctor non vanus Lipsivs,ille
Flos populi,atque oculus Pieridum & Charitum.
Ipſa à quo didicit Constantia ſtare, librisq;
Illius erectum tollere in aſtra caput.
Libris, quos Lipsi ſi doctum nomen abeſſet,
Æthereos dicam compoſuiſſe Deos.

Franciſcus Raphelengius Filius.

IVSTI LIPSI
POLITICORVM
SIVE
CIVILIS DOCTRINÆ
LIBRI SEX.

Qui ad Principatum maximè ſpectant.

Additæ NOTÆ auctiores, tum & DE VNA RELIGIONE liber.

Digitized by Google

IMPERATOR,
REGES,
PRINCIPES,

AMPLVM & illuſtre veſtrum munus eſt, quod ſuſtinetis. Quid maius inter homines, quàm vnum præeſſe pluribus; leges & iuſſa ponere; maria, terras, pacē, bella moderari? Diuinitas quædam videtur hæc dignitas: & eſt profectò, ſi ſalutariter atque ex vſu publico adminiſtretur. Sed hoc quàm arduum ſit, cùm ratio nos docet, tum exempla. Illam ſi inſpicimus; quantæ molis ab vno capite tot capita coërceri, & vniuerſam illam multitudinem, inquietam, diſcordem, turbidam, leniter redigi ſub commune quoddam Obedientiæ iugum? Si hæc; quàm pauci ab omni æuo reperti, qui laudabiliter hoc munere functi & defuncti? Nimirū maius quiddam eſt quàm imperiti ſuſpicentur, curſum rectum in vndoſo illo mari tenere, & in ſummâ Fortunâ non abripi licētiæ ventis. Quàm multis virtutibus opus eſt, quibus velut anchoris hæc nauis firmetur? quàm variâ Prudētiâ, quo velut clauo gubernetur? Vt veriſsimè dixerim, difficile eſſe homini in hominem imperium: nec vnius mēte vmquam dirigendum. Ideò meritò laudandi Sapientes, quibus olim & nunc hæc cura, vt ſalutarium monitorum face prælucerēt imperāti. Quâ enim in re meliùs mereātur de genere humano? In moribus aut ſcientiis aliquid præcepiſſe laudem & vſum habet: & non magis in regno & adminiſtratione ciuili? cùm illic vnum aliquem ciuem meliorem doctiorémve facias; hîc, in vno omnes. Nam ita profectò eſt: arctâ quadam cathenâ deuincti ſumus, qui imperamur, cum imperante. & vt in corpore mens ſana aut inſana eſſe non poteſt, niſi vt pariter vigeant aut langueant eius functiones: non item in hac ſocietate, Princeps. Ad virtutem ille præit? ſequimur. ad vitia? inclinamus. Benè beatéque agit? floremus. improſperè? labimur aut ruimus cum illo. Atque vt à ſole in ſubiecto hoc orbe lux aut tenebræ: ſic à Principe apud ſubditos praua pleraque aut recta. Cæſar ille non animoſè magis quàm verè dixit:

Procerum motus hæc cuncta ſequuntur. Lucan.

Humanum paucis viuit genus.

Ergo eximia hæc ratio de republicâ benè merendi,de Principe benè mereri:id eſt , ducere eum & dirigere ad metam illam Publici boni. Nam hic,ne erretis ô Principes,veſter finis.Præeſtis hominibus, ſed hominum cauſsâ:nec domini modò & arbitri rerum , ſed tutores & adminiſtri eſtis. Mali improbíque illi,qui in imperio non niſi imperiũ cogitant,ſuperbi, deſides , & qui ſe non ciuibus datos arbitrantur,ſed ſibi ciues. Nam ſicut ſidera illa ſplendorem habent,ſed vt vſibus mortalium deſeruiant:ſic vos dignitatem, ſed cum munere officióque deuinctam.Collata eſt in ſinum veſtrum à Deo hominibúſq. Reſpublica:ſed nempe in ſinum,& vt foueatur.O verè iuſtum & legitimum illum Principem,qui in ſummo faſtigio, non magnus magis quàm bonus audire deſiderat:& duas res diuerſiſsimas, Potentiã ac Modeſtiam,miſcet!Quem prodeũtem,certatim velut beneficum & ſalutare quoddam numen aſpiciunt : inter amorem timorémque medij:& alternis iudiciis ambigentes , Dominũ ſalutent an Patrem. Hæc illa ſunt,Principes,præclara,tuta:ad quæ veteres & ego vos vocamus.audite.nec ideò conſilia noſtra aſpernemini , quia eſtis ſupra iuſſa. Nam vt illud in Principatu beatiſsimum eſt, non cogi:ita miſerrimum,non ſuaderi.Sunt apud vos fateor , qui conſilij ſui copiam aſsiduè faciant : ſed vtinam conſilij fidi ſemper & recti ! Alphonſus olim,eximius ille regum, interrogatus,Qui eſſent optimi conſiliarij? Mortui,reſpondit.libros ſcilicet & hæc talia monimenta intelligens, qui nihil blandientes , nihil celantes , puram merámque propinant veritatem. Ea vt ſenſibus veſtris inſideat, & quæ optima ſunt aut per me cognoſcatis ; aut mecum recognoſcatis ; te qui Æterna Veritas es,ex imis ſenſibus precor. Valete

IMPERATOR,

REGES,

PRINCIPES,

& ſalubriter diu regnate.

Sapient. cap. vi. *Si delectamini ſedibus & ſceptris ô reges populi,diligite Sapientiam , vt in perpetuum regnetis.*

Sen. Epiſt. xxxvii. *Si vis tibi omnia ſubiicere, te ſubiice Rationi. Multos reges, ſi Ratio te rexerit.ab illâ diſces,quid & quemadmodum aggredi debeas.*

Plutar. Caton. Maior. Τῆς πολιτικῆς ἄνθρωπος ἀρετῆς οὐ κτᾶται τελειοτέραν:

Virtute Politicâ præſtantiorem nullam homo aſſequitur.

DE

DE CONSILIO ET FORMA NOSTRI OPERIS.

Finis huius ſcripti.

QVISQVIS *es Lector, paullùm in veſtibulo hoc ſiſte. Non diu te morabor, nec ambitioſè addam muneri meo pompam: ſaltem Conſilium inſtituti operis noſce, & eius Formam. Quod nunc tibi damus,* POLITICA *eſſe vides. in quibus hoc nobis conſilium, vt quemadmodum in Conſtantiâ ciues formauimus ad patiendum & parendum, ita hìc eos qui imperant, ad regendum. Quod feciſſe ante me alios nihil abnuo: & eximiè feciſſe. in primis illos veteres: inter quos Plato præcellunt & Ariſtoteles: ſed hic magis,*

Priſci quoque in hac materie.

Quo minor eſt, quiſquis maximus eſt hominum. *Sed hi tamē de Repub. vniuersâ & communiter ſcripſerunt: ego velut partem aliquam magni huius agri colendam mihi ſumpſi,* PRINCIPATVM. *Quod ipſum etſi inter veteres ſuauiſſimus ſcriptorum Xenophon fecit: tamen parum profectò, ſi verum amas, diſtinctè aut plenè. & addo, quòd in priſcis aut barbaris illis ritibus, haud vſquequaque conuenienter ad hoc æuum. Nam qui nuper aut herè id tentarunt, non me tenent aut terrent. in quos, ſi verè loquendum eſt, Cleobuli illud vetus cōueniat:* Ἀμουσία τὸ πλέον μέρος, λόγων τε πλῆθος: Inſcitia in pleriſque, & ſermonum multitudo. *Niſi quòd vnius tamen Machiauelli ingenium non contemno, acre, ſubtile, igneum: & qui vtinam Principem ſuum rectâ duxiſſet ad templum illud Virtutis & Honoris! ſed nimis ſæpè deflexit, & dum commodi illas ſemitas intentè ſequitur, aberrauit à regiâ hac viâ. Cum veniâ igitur nos quoque hæc ſcribimus: præſertim alio quodam & nouo planè modo. Nam inopinatum quoddam ſtili genus inſtituimus: in quo verè poſſim dicere, omnia noſtra eſſe, & nihil. Cùm enim inuentio tota & ordo à nobis ſint, verba tamen & ſententias variè conquiſiuimus à ſcriptoribus priſcis. idq́ maximè ab Hiſtoricis: hoc eſt, vt ego cenſeo, à fonte ipſo Prudentiæ Ciuilis. Nec huc ambitio nos aut nouitatis ventus impulit (ingenuè id teſtor:) ſed tuus fructus. Quid vtilius potui, quàm tot ſententias in vnum conducere; pulchras, acres, &, ita me ſalus amet, ad ſalutem natas generis humani? Nam quòd ego eadem dicerem: ecquando mihi eadem vis aut fides? Vt in vno aliquo telo aut gladio multùm intereſt, àquâ manu veniat: ſic in ſententiâ, vt penetret, valdè facit robuſta alicuius & receptæ auctoritatis pondus. Atqui ea veteribus adeſt. Nec verò nudas aut ſparſas ſententias dedimus; ne diffluerent, & eſſet, quod dicitur,* Arena ſine calce: *ſed eas aut inter ſe haud indecenter vinximus, aut interdum velut*

Sed non tam preſsè,

Nec tā nobis aptè.

Nouitij plerique futiles.

Laërt. in Cleob.

Machiauellus argutus:

Sed ſæpè prauus.

Forma noua noſtri operis.

Concinnata ab aliis; Maximè ab Hiſtoricis. Vsū hoc habet:

Et fidē.

Centonē quēdam fecimus.

Suet. Calig.

cæmento quodam commiſimus noſtrorum verborum. Ad ſummam, vt Phrygiones è varij coloris filo vnũ aliquod aulæũ formant: ſic nos è mille aliquot particulis vniforme hoc & cohærens corpus.

Figuras verborũ ſentẽtiarũmque miſcuimus.

Quod ipſum figuris etiam & vario ſermonis ductu ornare auſus ſum: vt non colorem ſolùm haberet, ſed quaſi ſpiritum & vitam.

Scripti huius moles & moleſtia

Hoc totum quàm arduum, in arduâ iſtâ materie, mihi fuerit, fruſtrà dixerim apud non expertum. Si quis volet, per tentamentum & iocum pauca aliquot Capita concinnet in Populi aut Optimatium ſtatu: nam eos non libaui. ἰδὲ Ῥόδος, ἰδὲ πήδημα. Ecce Rhodus, ecce ſaltus. *Atque eo maior mihi moleſtia, quòd per hæc aliena veſtigia ſic iuerim, tamquam in liberrimo ingenij curſu.*

Politica nos in artẽ redegimus.

Definiui, diuiſi, excepi: & nihil omiſi, quod faceret ad formam faciemq; perfectæ artis. Rationes imò dictorum etiam addidi: non ignarus, pleroſque hominum, vt Catonem illum, affici. qui iam tum puer ita præceptori ſuo credebat, vt tamen identidem poſceret & cauſſam.

Breuitatis ſtuduimus.

Atque hæc omnia, pro rerum quidem magnitudine, breuiter præſtiti. Nec enim ad diſputationes aut amœnitates me diffudi; ſed preſſis habenis currum hunc, vt ſic dicam, continui intra orbitas Vſus & Actionis.

Et vſui, non pompæ.

Ea mihi in oculis. ideóque nec ad tenuium rerum monitiunculas abij, contentus Communia quadam præcepta dediſſe, & velut decreta.

Cõmunia noſtra dogmata.

Nam legem breuem eſſe oportet, *ait Romanus noſter Sapiens*, quæ iubeat, non diſputet. *atque hoc ſeruaui. Quid autem opus alter? Vt is qui iaculari alium docet, ſatis habet manum oculoſq; eius dirigere ad certos quoſdam ſcopos: ille deinde arte eâ vtitur in quocumque loco aut interuallo: ſic animus, qui ſemel principia iſta firmiter hauſerit, facilè ad alia transferet, nec monitorem in ſingulis requiret.* (Senec. in Ep. xcv.)

Trahenda ad res ſingulas.

Semen quamuis exiguum in bono ſolo ſparſum facile comprehendit & ſe explicat: breue item monitum in bonâ mente. Hæc forma noſtri operis. quæ vt aſpecta ſtatim placeat, haud voueo: magis, vt inſpecta. Πλάτων τὰ πολλὰ ὧν τινες συγγράφουσι, τοῖς Ἀδωνικοῖς κήποις εἴκαζεν, οἳ τὴν ἀρχὴν ἐφήμερον ἔχοντες ῥαδίως μαραίνονται: Plato pleraque ſcriptorum cum Adoniis hortis comparabat, qui ſubitò & die vno nati, celerrimè pereunt: *ſpero haud id eueniet huic noſtro. quod laborioſè ſatum, vires magis à tempore capiet, &, poëtæ verbis,* (Apud Stobæum in Ethic. Eclog.)

Quæ citò placẽt, non diu placent. Ne mihi hoc eſto.

Creſcet occulto, velut arbor, æuo. (Horat. 1. Carm.)

Sed iam addo

MONITA *quædam, ſiue* CAVTIONES.

Cauendũ hodie in alienis ſcriptis, aut carptores. Obſcuritas mihi obijcitur.

NAM futurum vt in varia iudicia ſiue voces hic labor noſter incurrat, valdè temporum & morum ignarus ſim, niſi ſciam. Omnes hodie in Politicâ iſtâ re aliquid ſapiunt aut vident: atque etiam ij, qui nihil vident. Occurrendum igitur breuiter his talibus eſt, ſiquid quærent aut carpent: & tu ſimul, Lector, inſtruendus, vt magis ex tuo meóque vſu me legas. Ac primum, niſi fallor, Calumniæ telum erit in Obſcuritatem huius ſcripti. Tenebroſum eſt, inquient, nec omnia in eo liquent. Credo. ſed quæ mea hic culpa? ſcriptorum illa eſt, à quibus hauſi: quorum, neſcio quomodo, vt quiſque prudentiſſimus, ita aſtrictiſſimus eſt & pauci ſermonis. Ego quid facerem? ponere illa talia, lex mei operis iuſſit; mu-

tare aut addere,religio non permiſit.Tamen huic rei ſubſidia hæc cape.

I. Vt ſæpiùs legas.Nam quod gladiatoribus imperari ſolet,vtiliter ego hîc tibi, *Repete.*

II. Vt diſcrimina verborum,quæ mea,quæ aliena ſint, (nam litterarum figurâ diſparauimus) ſeriò obſerues. Ad fidem cuiuſque Sententiæ hoc faciet, tum etiam ad intellectum.

III. Vt diſtinctiones multo magis:id eſt, in fine cuiuſque clauſulæ cola poſita, ſemicola, puncta, aut bipuncta. Nam pro his,ſententia tibi tota terminanda eſt ſcilicet, aut ſuſtentanda: videbiſque vniuerſam orationem per membra ſua & periodos curioſè à nobis ſic diſcretam. Nec enim finis ſemper ſententiæ in fine clauſulæ:ſed pendet ea ſæpè ac hæret.

IV. Vt Notulas vbique adeas,quæ ad oram.Quas necti inter ſe reperies;& magno tuo commodo,ſemper in iis Breuiculum materiæ totius. imò & aſtringi ſæpè ab iis aliquid aut explicari.Quæſo,obſerua.atque etiam hoc,vt Capitum ſummas præfixas non neglegas, eidem huic fini.

V. Denique,vt nequid in legendo aſpetum te præbeas aut moroſum. Hoc aut illud non capis? ne damna aut abiice. ſed quod olim Socrates, cùm obſcurum Heracleti librum legiſſet, tu dicito: Α῾ μὲν συνῆκα, γεννᾶια· οἶμαι δὲ, ϗ ἃ μὴ συνῆκα: *Quæ intellexi,proba ſunt; credo, & quæ non intellexi.*

Calumnia altera futura videtur, aut potiùs iam fuit,in meam Fidem. Non rectè,inquiunt,nec ex ſcriptorum mente quædam citas. Quàm riſi,cùm hoc audiui! Nam reuerà culpant inſciti homines, quod elegantior aliquis mihi det in laudem.Quî aliter potui,aut debui,in hoc ſcripto? Nónne enim Centonem quemdam concinno(tale omnino noſtrum opus)in quo liberi ſemper & laudati à ſententiâ iſti flexus?Conſulant poëtas,qui olim & nunc ſic luſerunt. Id vnum modò ſpectandum eſt, nequid in ſententiam improbam aut falſam flectatur. quod neque iſti dicunt, nec verè vmquam in me dicetur.Etſi profectò leuicula hæc tota calumnia,imò vana.Nam nos amœnitatis iſto genere, in re ſcilicet ſeriâ, nimiſquàm raro vſi ſumus:& de induſtriâ, locũ nõ ei dedimus,niſi fortè in cõnexionibus,aut ad vtilem aliquam ſententiam explendam. Nam tunc,cùm nihil ab aliis directè ſic dictum præ manu:quidni leuiter aliquid nec indecorè torquerem? Licuit ſemper in hoc genere,& licebit.Nam illud omnino non excuſo, quòd Auctorum verba non rigidè ſemper,& vt ab iis poſita,reponolſed in Caſu aut Tempore,pro orationis meæ conformatione,pauxillum inflecto. Conſtare aliter non potuit hic textus.

At tertia Calumnia in ipſam Rem erit:idq; variè cùm hoc illi,hoc alteri diſplicebit:quoniam Solonis veriſſimo verbo,

Apud Plutarc. in Solone.

Ε῎ργμασιν ἐν μεγάλοις πᾶσιν ἁδεῖν χαλεπόν:

Omnibus,in magnis,difficile eſt placeas.

Huic adhuc incertæ quid opponam?preces. Tria hæc rogo,quicumque me leget.

I. Vt nemo temerè me arbitretur aut iudicet, niſi ſermonis Latij benè peritus. Nam qui leuiter tantùm,(iam antè denuncio) potiſſimam non capiet ſcripti huius partem.

II. Vt nemo,niſi qui rerum etiam peritus.Non tu aliquis è plebe:non tu etiam liberalior mea iuuentus.Nam etſi capere hæc poteſtis, non poteſtis iudicare.

III. Vt etiam qui vtriuſque peritus,cunctanter tamen pronunciet & lentè. Hoc aut illud offendit? ſuſtine paulliſper nigrum calculum, & ad NOTAS meas

Notas ad cauto. Commodè ipſi interpretatior.

diuerte. Nam eas duplici hoc fine ad finem adieci: vt & ambigua quædam definirem, & obſcuriora illuſtrarem. Quòd ſi ne ibi quidem tibi ſatisfacitur; tamen vt in ludo pilæ, alterius eſt commodè mittere, alterius etiam, ſiquid erratum eſt, quàm belliſſimè excipere & arte corrigere: ſic æqui Lectoris putabis, flectere quędam in benigniorem partem.

Suſpicionibus premimur.

Malum ad homin. facit.

Iam quarta & vltima Calumnia, non in Rem dirigitur, ſed in Opinionem: imò & eſt ab Opinione. cùm homines ſcilicet malè acuti & callidi, ſenſiſſe aut ſcripſiſſe me volent, quæ per ſomnium non ſenſi, non ſcripſi. Periculoſum, ita me deus amet, genus: ſed nimis per hæc diſſidia ciuilia crebrum. Referunt pleraque omnia ad vnum hoc æuum: & quæ nos communiter diximus, ſic volunt accipi quaſi in Titium aut Seium dicta. Imò vates etiam agunt, non lectores: nec ſumunt à nobis ſenſum, ſed adferunt, & mentem aliquam adfingunt ex ſua mente.

Nos deteſtamur.

Iuuare volumus.

Et debemus in hoc morbo.

O angues, ô viperæ! Fugio vos, fugio: & tamen vix effugio. nam quid hîc remedij? niſi fortè à votis: quæ ab imo pectore concipio. Abite à me Ophiogenes, abite Pſylli, nati venena tantùm exſugere librorum. Vos contrà adeſte mites & candidi, qui parati non impellere lapſantem, ſed benignâ potiùs aliquâ interpretatione leuate. Nam ego me labi & errare, non poſſe ſolùm fateor, ſed debere. Nónne homo ſum? nónne æger ſum? vt nihil mirum, ſi in tam diutino iſto languore (per eum hæc ſcripſimus) memoria etiã & iudicium langueát alibi aut vacillent. Sed valebit hoc mihi, ſpero, ad veniam, imò & ad gratiam. quoniam

> *Vt eſſe Phœbi dulcius lumen ſolet* Senec. Troad.
> *Iam iam cadentis:*

ſic noſtra debent abeuntium ſcripta.

ORDO

ORDO ET INDEX LIBRORVM SINGILLATIM ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS

DICENDA *proponit. Duces duos ſiue directores dat ad Vitam ciuilem, Virtutem cum Prudentiâ. Vtriuſque naturam, & quæ adnexa, explicat: & vniuerſa operi ſubſternit fundamenta. Seriem Capitum hanc habet.*

I. SCopus & materies mei ſcripti. Vita ciuilis definita. Virtus communiter laudata. II. Pietas Virtutis prima pars. definita ea, & diuiſa in Senſum ac Cultum. Hic de Senſu dictum. III. De altero Pietatis Membro, Cultu. Is definitus, & duplex factus. Plura ad Religionem monita. IV. Fatum, appendix Pietatis. Quid illud, & à quo ſit? quam vim habeat, & quem vſum? V. Etiam Conſcientia, Pietatis lacinia. Definio eam, diuido. tormentum eius, ſi mala, oſtendo: quietem, ſi pura. VI. Alterum Virtutis membrum, Probitas. Quid eam hîc appellem? Breuia & vniuerſalia ad hanc præcepta. VII. Ad Prudentiam tranſitum, qui Rectorum alter. Neceſſitas eius oſtenſa. Definitio poſita, & expoſita. Partes eius, & vtilitas. IIX. Quid gignat Prudentiam? Vſum eſſe, & Memoriam. Quid ea vtraque? Vis & firmitudo illius prælata: ſed raritas & difficultas item oſtenſa. IX. Memoriæ rerum, ſiue hiſtoriæ, fructus. Facilem hanc, ad Prudentiam, viam: etiam ad Probitatem. X. Appendix de Doctrinâ, quæ vtrique rectori vtilis. Quis legitimus vſus eius, finis, modus.

LIBER SECVNDVS

DISTINCTE *ad rem venit. Imperia partitur, Principatum præfert, & definit. Virtutes ei adtribuit, & ſeorſim præcipuas ponit. Seriem Capitum hanc habet.*

I. DE Imperio vniuerſè dictum. eius neceſſitas in Societate oſtenſa, & fructus. II. Diuiſio Imperij. Principatus, prima & optima eius pars. id variis argumentis oſtenſum. III. Principatus definitio. per partes declaratio. & primùm, vterius ſexus ille ſit? IV. Quomodo capiendus Principatus? duos legitimos modos eſſe, Electionem & Succeſſionem. & de vtráque aliquid diſſertum. V. Initia Principatuum plerumque laudabilia: ſed id non ſatis. Perſeuerandum eſſe. VI. Quis finis, quò actiones omnes Princeps dirigat? Bonum publicum id eſſe, & ſeponenda priuata. VII. De viâ rectâ quam Princeps ingrediatur: & primùm de Virtute. oſtenſum hanc ei, ſuâ cauſsâ, neceſſariam. IIX. Subditorum etiam cauſsâ Principi virtutem induendam, & ipſis inſtillandam. ſine quâ probus aut diuturnus nullus cœtus. IX. Subditos probos fieri maximè à Principis exemplo, cuius incredibilis vis in vtramuis partem. X. Diſtinctiùs de Virtutibus Principis dictum, & primùm de Iuſtitiâ, quàm ea neceſſaria: etiam in ipſo Principe. XI. Iuſtitiam adminiſtrandam Subditis eſſe, æquabiliter: temperanter: & ſine cumulo legum. remoto etiam litium ſtudio. XII. Clementia definita. Principi commendata. quæ amabilem eum, quæ firmum, quæ illuſtrem facit. XIII. Clementia vberiùs commendata, ſed cum temperie. Abire eam à Iuſtitiâ leniter. nec tamen ſoluere vim Imperij, ſed vincire lento nodo. XIV. De fide adiunctum, quæ Iuſtitiæ origo aut ſuboles. Ea commendata, vt columen humani generis. Glorioſam hanc Principi eſſe. vtilem. Spreti ab Etruriâ doctores noui. XV. De Modeſtiâ præſcriptum, quæ Clementiæ aſſidet. Inſtillata Principi, & in Senſu & in Actione. XVI. Ex occaſione, de Maieſtate adnexa lacinia quid ea, & quî, & quatenus paranda? XVII. Minores aliquot virtutes poſitæ, quæ Principem deceant: ſed ſparſim, & breuiter.

LIBER TERTIVS

DE *Prudentiâ diſtinctè agit. Alienam primò Principi commendat: Conſiliarios & adminiſtros ſeriò format. Seriem capitum hanc habet.*

I. PRudentiam Principi perneceſſariam. ſine eâ vim & opes inutilia. miſcenda eſſe. ſed primam illam in gubernatione præpollere. II. Sed duplicem Prudentiam eſſe: A ſe, & ab aliis. illam optari, hanc contingere. Rarum, imò ἀδύνατον eſſe, vt Princeps à ſe vno ſatis ſapiat. III. Itaque adiutores ei capiendum: idque iudicio. Eos duplices eſſe, Conſiliarios & Miniſtros. Qui, & quàm vtiles illi? IV. Definiri diſtinctiùs Conſiliarij. & prima eorum munera explicata, Probitas & Peritia rerum. denique oſtenſi illi, indice famâ. V. Explicatum tertium munus, vt ſalubriter conſulant. id incluſum quinque monitorum quaſi lineis. VI. Quæ vitanda Conſiliariis: & primùm quæ impedimenta & velut vada bonæ Mentis? Ea quattuor notata.

VII. Quæ turbamenta, & velut Scopuli bonæ Menſis? Tres oſtenſi. IIX. Ipſe Princeps qui ſe gerat in audiendis conſiliis. Dogmata huic rei. IX. Spernenda occulta Conſilia, & ab aulæ ſeruis. X. Dictum de Adminiſtris. & nota triplex, ad quam legi eos oporteat. XI. Adminiſtris ipſis præcepta tradita, eorum tutelæ. Primùm Minoribus, inde Maioribus. Ancipitem omnem potentiam eſſe in Aulâ.

LIBER QVARTVS

PRVDENTIAM *Propriam ingerit, diuidit: & de duplici Togatâ diſſerit, quæ circa res Diuinas verſatur, & quæ circa Humanas. Pleraque omnia quæ firmando aut infirmando Regno ſunt, noua, nec adhuc vſitata methodo proponit. Seriem Capitum hanc habet.*

I. PRopriam Prudentiam, id eſt eam quam ineſſe Principi volumus, præceptis difficilè alligari. Latè fuſam eſſe, Inſtabilem, & Obtectam. Itaque aliquid de eâ, non plenè, à nobis præcipi. II. Diuiſa Prudentia Propria in Togatam, & Militarem. Illa rurſus, in Humanam & Diuinam. De hac oſtenſum, curam Principi eſſe. Vnam religionem retinendam ei, & defendendam. III. De vnâ religione ampliùs quæſitum. Numquámne diſſidium ferri poſſit? ſaltem in tempus. idque quadamtenus videri. IV. An puniendi ſinguli, & quieti? itémque an extrahendi & perquirendi? Neutrum (ſi intentè quidem fiat) ex vſu videri. Doctore magis his opus, quàm tortore. V. Tranſitum ad Prudentiam in Humanis. Huic duo Fontes recluſi, Ingenium Populi & Regni. De priore dictum: & per indicem expoſita Natura vulgi. VI. Fons alter recluſus, Ingenium regum & regni. Duo hic conſiderata, quæ Communiter conueniunt, & quæ Diſtinctè. VII. Præcepta nunc ex hiſce fontibus petita, & primùm vniuerſè poſita, quæ firment Regnum aut violent: mox diſtinctè de Vi dictum. Opus Regi Cuſtodes, Milites, Arces, aut potiùs Colonias. IIX. De Virtute duplici, ſeruatrice Regnorum. Beniuolentia populi commendata, & oſtenſa triplex ad eam via. IX. Auctoritas commendata valdè. Tria oſtenſa, quæ ad eam ducunt. in quibus quia Imperij præcipua vis eſt, accuratè & enucleatè de his diſſertum. X. Ad ea tranſitum quæ Vertendo regno faciunt: in quibus prima, Vis eſt. Ea duplex oſtenſa: Inſidiæ & Proditio. Vtraque quomodo cauenda, aut punienda, oſtenſum. XI. De Vitio duplici, euerſore regnorum. Primùm de Odio: cuius peſtis ſubiecta oculis. Fugienda quæ eò ducunt: imò & imago eorum. qualis eſt in Suppliciis, Tributis, Cenſurâ. In his ſingulis quomodo ſe gerat Princeps, dictû. XII. Definitus & vituperatus Contemptus. Oſtenſa quæ illum gignunt; à rege, ſi ſapiet, fugienda. XIII. Quæſitum an Prudentia mixta locum apud Principem habeat? id eſt, ea in quâ fraudes. Dictum, & doctum, aliquem habere. XIV. Quomodo, & quatenus fraudes admittendæ. Triplex earum genus factum, & diſtinctè aliæ in Regnum receptæ, aliæ excluſæ.

LIBER QVINTVS

DE *Militari Prudentia agit. eam in Bello duplici elucere oſtendit: & primùm ac potiſſimùm, in Externo. Quæ Militum, quæ Ducum munia, quæ Conſilia in bello vſui ſint, docet. Seriem Capitum hanc habet.*

I. TRanſitio ad Militarem Prudentiam, cum excuſatiunculâ aliquâ mei, quòd de eâ diſſerã non miles. II. Prudentiæ hæc pars commendata Principi: quæ neceſſaria ad tutelam ſalutemque regni. III. Materies & ordo dicendorum. Bellum externum definitum, & remota ab eo ſuſcipiendo Iniuſtitia. IV. Ordine & paritè poſita, quæ ad Iuſtum bellum requiruntur: & maximè, quibus id cauſſis capiendum. V. Temeritas remota à bellorum initiis: & ſummatim, quæ in ſuſceptione omni cogitanda ſint. VI. Ad Gerendum bellum tria requiſita. Primò Apparatus triplex, Pecuniæ, Commeatuum, Armorum. VII. Milites terreſtri quidem Bello neceſſarij, duplices: Equites, peditesque. quæſitum breuiter, vtrorum maior vſus. IIX. Vtroſque bonos eſſe debere: alioqui pro nihilo omnis copia. Fieri bonos dupliciter, Dilectu & Diſciplinâ. Ea neglegi hodie, & ſuper hac re iuſta veráque querela. IX. De Dilectu cœptum dici. ſed primò quæſitum, Exteri an Domeſtici præferendi? nos iſtos cenſemus, cum cauſſâ. X. Obiecta & reiecta ea, quæ contra Domeſticum militem dicuntur. Hunc Regum eſſe, illum Tyrannorum. XI. Qui legendi ij milites? Duo genera facienda: Ordinarios & Subſidiarios. atque vtrique ſeorſim deſcripti. XII. Verè cum Dilectu vtrique capiendi: & notæ quinque ordine poſitæ, germanæ in milite virtutis. XIII. De Diſciplinâ verâ & ſeuerâ dictum. Ea laudata. partes eius (idque docendi cauſſâ) quattuor factæ. Singulæ explicatæ. XIV. Tranſitum ad Duces. Eos neceſſarios, non ſolùm vtiles. Duplices eſſe. Semper in iis Peritiam magis quàm Virtutem ſpectari. & vnum in vno bello eſſe debere. XV. Boni Ducis [illegible] ſiue Notæ. quinque eas videri: quas ordine explicamus. XVI. Conſilia neceſſaria bello eſſe. Eorum ſpecimen ſiue guſtus; item quæ monita, quæ vſui Ante pugnam, & In pugnâ. XVII. De callidis Conſiliis ſiue Strategematis: An vti iis ius & fas? Noſtrâ ſententiâ, non vtilia ea ſolùm, ſed glorioſa. XVIII. Quid poſt Pugnã faciendum videatur: & in Victoriâ, ſiue Clade, quomodo Princeps ſalubriter & decorè ſe gerat. XIX. Ad Pacem ex animo adhortatio. Ac primùm illuc inclinamus eos, qui Victi: ſed ad Tutã & Bonam. XX. Victores ad Pacem prouocati, argumento triplici: quia id Decôrum, Vtile, Tutum. atque adeò ad pacem mitem: ſed eam excluſione fraudis. Pro eâ auctor ipſe Pacis inuocatus.

LIBER SEXTVS

CIVILE *bellum tangit & deteſtatur. cauſſas eius, & in eas remedia, ſatis diffuſè explicat. Finem id ſuadet & vouet. Seriem Capitum hanc habet.*

I. AD Ciuile bellum ventum. & eius miſeriæ breuiter oculis ſubiectæ. II. De cauſſis Ciuilium bellorum. Eæ factæ duplices, Longinquæ & Propinquæ. Priùs de Prioribus dictum. III. De cauſſis Propinquis belli Ciuilis. Eæ tres. Factio prima eſt: eius pernicies in omni ſtatu. & ſintne diſſidia vmquam vſui? IV. Cauſſa altera è Propinquis, Seditio. eius Origo, Progreſſus, Remedia, diſtinctè explicata. V. De Tyrannide. quid ea ſit, & eius ingenium? mala ſubiecta oculis: quæſitumque, tollenda ea an toleranda? VI. Quæſtiuncula per occaſionem inſerta, An miſceat ſe bellis Ciuilibus vir bonus? vtrimque ea agitata: & cum diſcrimine aliquo perſonarum definita. VII. De Finiendo Ciuili bello. & Operis mei finis.

AVCTO

AVCTORVM SYLLABVS.

AVCTORES *vno aſpectu, ſi lubet, vide, è quorum ſcriptis hoc Opus. Inter eos eminet* CORN. TACITVS *extra ordinem dicendus : quia plus vnus ille nobis contulit, quàm ceteri omnes. Cauſſa in Prudentiâ viri eſt, & quia creberrimus ſententiis: atque etiam, quia familiaris nobis, & offerebat ſe non vocatus. Ceteri in claſſe duplici. Quorumdam verbis frequentiùs & libentiùs vtimur : vti ſunt iſti.*

E LATINIS:

C. Salluſtius
T. Liuius
Annæus Seneca
M. Cicero
Q. Curtius
C. Plinius Iunior
Fl. Vegetius, *ſed in materie militari.*

E GRÆCIS:

Ariſtoteles
Thucydides
Plato
Xenophon.

Aliorum rariùs: vti ſunt iſti

E LATINIS

Acta Apoſtolorum
Adagia
Æmylius Probus
Afranius
Agellius
Ambroſius
Ammianus Marcellinus
Apuleius
Attius
Auguſtinus
Auſonius
Bernardus
Boëtius
Cæcilius
Cælius ad Ciceronem
Cæſar
Capitolinus
Caſſiodorus
Cato Cenſorius
Claudianus
Columella
Corn. Nepos
Cyprianus
Eccleſiaſticus
Eccleſiaſtica Hiſtoria
Egeſippus
Feſtus Pompeius
Florus
Frontinus
D. Gregorius
Guil. Neubrigenſis
Horatius
Ieremias
Iſidorus
Iuſtinus
Iuuenalis
Lactantius
Lampridius
Lucanus
Lucretius
Manilius
Martialis
Origenes
Ouidius
Pacuuius
D. Paulus
Perſius
Petronius
Plautus
Plinius ſenior
Porcius Latro
Propertius
Prouerbia Salomonis
Publius Mimus
Quinctilianus
Seneca Tragicus
Silius Italicus
Statius
Suetonius
Terentius
Tibullus
Titinnius
Valerius Flaccus
Valerius Maximus
Varro
Velleius
Virgilius
Vlpianus
Vopiſcus
Vulcatius.

E GRÆCIS

Adagia Græcorum
Æſchylus
Appianus
Archilochus
Ariſtophanes
Baſilius
Callimachus
Democritus
Demoſthenes
Dio Caſſius
Diogenes Laërtius
Diodorus Siculus
Diphilus
Epicharmus
Euripides
Euſtathius
Gregor. Nazianzenus
Herodotus
Heſiodus
Homerus
Iamblichus
Iſocrates
Lucianus
Menander
Mercurius Triſmegiſtus
Philo Iudæus
Pindarus
Plutarchus
Polybius
Serenus
Sophocles
Stobæus
Syneſius
Theocritus
Theognis.

I. LIPSI
POLITICORVM
SIVE
CIVILIS DOCTRINÆ
LIBRI PRIMI

Capvt i.

Scopus & materies mei ſcripti. Vita Ciuilis definita. Virtus communiter laudata.

A VITÆ Ciuilis iter qui rectè ineas, rectè peragas, præcipere mihi eſt animus: nec id meis, ſed veterum monitis, imò & verbis. Tu mihi dux magne Deus: & manum hanc mentémque dirige, vt ſalutaria videam, diiudicem, promam.

Quid Vita Ciuilis.

Vitam Ciuilem definio, QVAM IN HOMINVM SOCIETATE MIXTI DEGIMVS, AD MVTVA COMMODA SIVE VSVM. Huic duos Rectores tribuo, Prudentiam & Virtutem. illam ex plurium mente: ſed & hanc ex meâ. quia ciuem verè bonum nullum arbitror, niſi & virum. Sine Virtute, Calliditas ea ſit & malitia, & quidlibet potiùs quàm Prudentia. cuius clauus etſi propriè Vitam Ciuilem dirigit, non tamen ſine vſu & auxilio illius magnetis. Igitur de Virtute iure præmittam, quæ

Duo ei neceſſaria, Prudêtia & Virtus.

B

Virtus ſolius hominis.

Proprium hominis bonum. [Tacit.iv.Hiſtor.]

Ea non interit.

Cetera humana pereunt, & *diuitiarum & formæ gloria, fluxa atque fragilis eſt: Virtus clara æternáque habetur.* [Salluſt. Catil.]

Hoc vnum contingit immortale mortali.
[Sen. Epiſt. xcix.]

Ceteris omnibus præeminet: Bona omnia côtinet. Familiaris naturæ.

Itaque iure, *quæ homines arant, nauigant, ædificant, Virtuti omnia parent.* [Salluſt. Catil.]

C

Nam ea *omnia in ſe habet, omnia aſſunt bona, quem penes eſt Virtus.* [Plaut. Amph.]

Nec aliena à nobis, vltrò ſe ingerit, & *in omnium animos lumen ſuum immittit. etiam qui non ſequuntur eam, vident.* [Senec.lib. iv. De Benef.]

Expoſita.

Obuia eadem & facilis, *in medio poſita neminem dedignatur, qui modò ſe dignum illâ iudicauerit.*
[Idem Conſ. ad Polyb.]

Aſylum in turbis.

Confugiamus igitur ad hanc, vt in aſylum. quia ſola ea quieta, tuta, & *in ſuâ poteſtate eſt. omnia, præter eam ſubiecta fortunæ dominanti.*
[Cornific. ad Heren.]

D

Aduerſus virtutem autem *hoc poſſunt calamitates, & damna, & iniuriæ, quod aduerſus ſolem nebula poteſt.*
[Seneca Epiſt.cxiii.]

A

CAPVT II.

Pietas Virtutis prima pars. definita ea, & diuiſa in Senſum ac Cultum. Hic de Senſu dictum.

Virtutis diuiſio.

HANC in duos velut ramos diuido, Pietatem & Probitatem. Illa eſt, RECTVS DE DEO SENSVS, RECTVS IN DEVM CVLTVS. Duobus enim his Pietas côſtat; ſine altero, mutila aut manca.

Quid Pietas. Eius duo mêbra. Sêſus & Cultus.

Noſſe ante omnia ſummum illud numen (quatenus homini datum) oportet: & cognitum, piè puréque venerari. Vtrique rei vera lux à ſacris literis: ſed & in profanis ſparſas quaſdam ſcintillas video: quas colligam. De Senſu, iſtas.

B

Sen ſus, totius pietatis initium.

Illum neceſſarium: quia *de Deo optimè exiſtimare, pietatis eſt exordium.* [Auguſtin.lib.i.De lib.arb.]

Deus vnus.

Conſtet igitur tibi, *Vnum eſſe regnatorem omnium deum.* [Tacit.v.Hiſtor.]

Æternus.

Ita appello *Summũ illud & æternum, neque mutabile neque interiturum.* [ibid.]

Deſcriptio eius.

Quem in parte deſcripſerim (infinitum enim illud quis definiet?) MENTEM *ſolutam quamdam, & liberam, ſegregatam ab omni concretione mortali, omnia ſentientem & mouentẽ, ipſámque præditam motu ſempiterno.* [Cicero i. Tuſcul.]

C

Periculoſum, rimari.

Nec plura addam: quia *de deo etiam vera dicere periculoſum eſt:* [Cyprian. in Symb.]
Qui melius ſcitur, neſciendo.
[Auguſt lib.ii.de Ord.]

Potêtia diuina.

Effectus tamen eius & affectus (ſi ita appellare fas) licet ingeram, amori tuo & admirationi. Ille maximus eſt:

——immenſa eſt, finémque potentia cæli
Non habet, & quidquid ſuperi voluêre, peractum eſt.
[Ouid. viii. Metam.]

Iuſtitia.

Ille Iuſtiſſimus. & Θεὸς οὐδαμῆ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ' ὡς οἷόν τε δικαιότατος: *Deus nuſquam & nunquam iniuſtus, ſed quantum poteſt iuſtiſſimus.*

D

[Plato in Theæteto.]
Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia iuſtis.
[Ouid. xiii. Metam.]

Ille arbiter & inſpector operum, conſiliorum,

mentium.

Google

Acbi- um,& ıque xſen

mentium. *Nihil deo clauſum eſt: intereſt animis noſtris & cogitationibus medijs interuenit.* [Seneca Epiſt. LXXXIV.]

Eſt profectò deus, qui quæ nos gerimus, auditque & videt. [Plaut.Capt.]

Quem, quia reſpicit omnia ſolus,
Verum poſsis dicere Solem.

[Boët. de Conſol.]

Cora- o, & æmij it pœ ;diſtri atio.

Nec inſpector ſolùm, ſed index idem & vindex. *Namque mihi pro vero conſtat, omnium mortalium vitam diuino numine inuiſi; neque bonum neque malum facinus cuiuſquam pro nihilo haberi, ſed ex naturâ diuerſa præmia bonos malóſque ſequi.* [Salluſt. ad Cæſar.]

uber- atio.

Hic qui gubernat omnia:

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventoſum, & vrbes, regnáque triſtia. [Horat. III. Odar.]

Nec enim ſecura quies illum, ſimiliſq; ſopori,
Detinet: [Ouid. I. de Arte.]

Sed ille eſt, *qui viget, qui ſentit, qui meminit, qui regit & moderatur.* [Cicero in Somnio.]

gnorā- ia ho ū,caui ſcele um.

Hæc talia non fas ſolùm, ſed neceſſe tibi ſcire: quia euerà

——prima ſcelerum cauſſa mortalibus ægris
Naturam neſcire deûm.

Silius IV.]

Creden a tam lora, uàm ciend a

Sed ſcire temperanter. quoniam & hoc verum, *Sanctius ac reuerentius eſſe, de actis deorum credere quàm ſcire.* [Tacit. in Germ.]

CAPVT III.

De altero Pietatis membro, Cultu. Is definitus, & duplex factus. Plura ad Religionem monita.

Qui- Cultus.

DE Cultu inſequor. qui non aliud, quàm COGNITI NVMINIS VENERATIO, CERTIS LEGIBVS CERIMONIISQVE DEVINCTA. Colì enim poſtulat, & huic fini homo natus: idque cultu duplici, Interno, Externo. Ille eſt, qui *in animo & ex animo, Deo vera preces concipit, laudes, grates.* Iſte, qui *hæc eadem, per ritus & geſtus, exprimit.* Totum illud, nec malè, Religionem vulgò appellamus: de quâ ſana quædam à non ſanis hæc habe.

Is du plex Inter- nus. Exter nus.

Magnum eius in animos imperium. *Religione enim vita conſtat.* [Plin. lib. XIV. Nat. Hiſt.]

Impe rioſa re igio.

Omnes religione mouentur, & deos patrios quos à maioribus acceperunt, colendos ſibi diligenter & retinendos arbitrantur. [Cicero v. in Verr.]

Omni- bus ca- ra.

Itaque qualiſcumque ea hauſta, ægrè educitur. quoniam *ſua cuique optima videtur, vt quæ non ratione, ſed affectu diiudicetur à ſingulis.* [Philo Iud. ad Caium.]

Perui- naciter inſidet.

Hæc publicè & priuatim habenda. *Omnia enim proſpera eueniunt colentibus deos, aduerſa ſpernentibus.* [Liu. lib. v.]

Optima ea ha- benda omni- bus:

Idque in vtrâque fortunâ. & videndum, *ne ritus ſacrorum inter aduerſa culti, per proſpera obliterentur.* [Tacit. XI. Annal.]

Et in omni ſorte.

Sed habenda cum modo: ne fiat illud, *Gens ſuperſtitioni obnoxia, religionibus aduerſa.* [Idem. v. Hiſtor.]

Sed citra ſuperſti- tionem.

In quam naturæ vitio nos proni: & trahunt etiam ij, *quibus quæſtui ſunt capti ſuperſtitione animi.* [Liu. lib. IV.]

Ad quā inclina- mus, aut trahi- mur.

Nec impediunt potentes. quoniam, vt indicant, *nulla res multitudinem efficaciùs regit, quàm ſuperſtitio.* [Curt. lib. IV.]

Telum hoc ad regēdū

At tu fuge. nam *ſuperſtitione qui eſt imbutus, quietus eſſe nunquam poteſt.* [Cicero I. de Finib.]

Sed inr metum ıs qui habent Timor' eius no ta.

Diſcrimen hoc habe: *Deos à religioſo vereri, à ſuperſtitioſo timeri.* [Varr. apud Auguſtin. De ciuit. lib. VI.]

Placeat ille verſus, ſed ſanius intellectus:

Religentem oportet eſſe, religioſum nefas. [Apud Agel. lib. IV. cap. IX.]

Spectā da no- bis Intrò re- uocāda religio.

In Cultu ipſo, ad interna ſemper præuertere; & cenſe, *Cultum deorum eſſe optimum, eumdemque caſtiſſimum atque ſanctiſſimum, vt eos ſemper pura, integrâ, incorruptâ & mente & voce venereris.* [Cicer. de Nat. deor. II.]

Aureum tibi dictum imprimo: *Optimus animus, pulcherrimus dei cultus eſt.* [Seneca.]

Et ani- mus ex- colēdus Sine Ri tualium tamen abiectio.

Nec ſic, vt externa tamen ſpreueris, niſi ſi impia. Nam & in his, *religioni parendum eſt, nec patrius mos contumaciter repudiandus.* [Cicero de Diu. lib. II.]

Non in ſubtili- tate re- ligio Sed in factis.

In verbis etiam aut quæſtiunculis ne nimium mihi pruri, ad facta abi: quia *Chriſtianorum omnis religio, ſine ſcelere & ſine macula viuere.* [Lactant. lib. v. cap. IX.]

Moyſen illum Ægyptium audi: qui *de fide cuiuſque magis oculis quàm auribus credit.* [Apud Ruffin. Eccl. Hiſt. lib. II. cap. VI.]

Capita lis hic ſermo.

Sed abſtineo, & Platonem inſuſurrantem audio: οὗτοί γε οἱ λόγοι χαλεποί: *difficiles, & cum diſcrimine, hi ſermones.* [Lib. de Repub. in hac ipſa re.] Quod oraculum, in hoc quidem æuo.

CAPVT IV.

*Fatum, * appendix Pietatis. Quid illud, & à quo ſit? quam vim habeat, & quem vſum?*

* Fati vo cē hic & alibi ve- terū mo- re pono, ſed non mente. Nil niſi prouiden- tiā diui- nam, ſi- pe & Chriſtia- no ſenſu intelli ge- re me, ſe- mel te- ſtor.

PIETATEM ſeui. pango nunc duos ſurculos, qui ſub arbore hac, imò ex eâ nati: Fatum, & Conſcientiam. Quorum illud, ex Senſu; hæc, ex Cultu, originem clarè ducunt. Si enim gubernat & dirigit deus; prouidet etiam & decernit. idque æternus ipſe, ab æterno in æternum. Hoc autem eſt Fatum:

Fati origo ex Senſu. Quid ſit.

Cuius lege immobilis rerum humanarum ordo ſeritur. [Liu. lib. XXV.]

Nec id aliud (vt non nemo etiam è priſcis ſenſit) quàm SANCTIO ET * VELVT VOX DIVINÆ MENTIS.

* vide lib. v. de Ciu. ca. IX.

——graue & immutabile ſanctis
Pondus adeſt verbis, & vocem fata ſequuntur.

[Stat. I. Theb.]

Nam quòd alij *Fatum quidem congruere rebus putant, ſed è vagis ſtellis, alij apud principia & nexus naturalium cauſſarum:* [Tacit. IV. Annal.]

Delirant. nos à cauſsâ principe id petimus: id eſt, deo. *ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, à quo ſunt omnes cauſſæ cauſſarum.* [Senec. II. Quæſt. Nat.]

Quis auctor eius? Nē pe ipſe Deus.

——Condita pergunt
Ordine cuncta ſuo, rerúmque à principe curſu
Fixa manent. [Val. Flac. I. Argon.]

Mihi quidem ſedet (pro illo ſenſu) *ab omni æternitate fataliter omnia deſtinata.* [Cic. II. de Diuin.]

Vis eius in hu- mana.

Et *eludant licet, quibus forte ac temerè humana negotia volui agique perſuaſum eſt: equidem æterna conſtitutione crediderim, nexúque cauſſarum latentium & multo antè deſtinatarum, ſuum quaque ordinem immutabili lege percurrere.* [Curt. lib. v.]

Cui conſtitutioni humana omnia ſubiecta.

Fata regunt orbē: certa ſtant omnia lege. [Manil. IV.]

Etiam actiones, & quæ circa eas: tempora dico, & modos.

manet

——manet hæc ab origine mundi A

Fixa dies bello, populíque in prælia nati. [Stat. III.Theb.]

* Volũtas enim eximia.

Quin ipſi homines, tamen in* parte. Πάντες οἱ ἄνθρωποι εἱμαρμένῃ ὑπόκεινται, καὶ γενέσει, καὶ μεταβολῇ: *Omnes mortales fato ſubiiciuntur, & initio, & mutatione.* [Mercur. Triſm. cap. XII. Pœmand.]

Cui Prudẽtia omnis impar.

Adeò vt nullis conſiliis vel auxiliis id vitemus, aut mutemus. *Nec conſilio prudenti, nec remedio ſagaci, diuinæ prouidentiæ fatalis diſpoſitio ſubuerti vel reformari poteſt.* [Apul. Metam. IX.]

——Tantúmne aliquis ſibi poſſe videtur

Fata quoque vt ſuperet? [Ouid. IX. Metam.]

Nec vitatur vllis monitis:

Nec ſi prædicitur quidem. Nam *quæ fato manent, quamuis ſignificata non vitantur.* [Tacit. I. Hiſtor.] B

Græcus ille rectè: Ξεῖνε, ὅ τι δεῖ γενέσθαι ἐκ τοῦ θεοῦ, ἀμήχανον ἀποτρέψαι ἀνθρώπῳ. οὐδὲ γὰρ πιστὰ λέγουσι ἐθέλει πείθεσθαι οὐδείς: *O hoſpes, quod diuinitus contingere debet, homo à ſe nulla arte expellet. ac ne veriſimilia quidem dicentibus fidem habebit.* [Herodot. IX.]

Aut prodigiis.

Non ſi monſtra eum moneant aut prodigia:

Heu vani monitus, fruſtráque morantia Parcas

Prodigia! heu fatis ſuperi certaſſe minores!

[Silius lib. V.]

Inuicta enim *leges neceſſitatis, pectus etiam ab amentiâ remotum, prodigia iuſtâ æſtimatione perpendere non patientur.* [Valer. Max. lib. I. cap. VI.]

Ideò, quia mẽtẽ deus adimit, aut obnubilat. Adeò, vt cauſſa eius à nobis videatur

Mentem ſcilicet tunc hominibus adimit ſupera illa Mens: quæ *cuiuſcumque fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.* [Velleius lib. II.]

Videmus ipſi cotidie, *manum iniicientibus fatis, hebetari ſenſus hominum & obtundi.* [Ammianus Mar. lib. XIV.] C

Ita *efficitur, quod eſt miſerrimum, vt quod accidit, etiam meritò accidiſſe videatur; & * caſus in culpam tranſeat.* [Velleius II.]

* Vulgi iudicio.

Adnecto amplius. * *Fugiendo in media ſæpè fata ruitur.* [Liu. IIX.]

Inuenit & inueniaut, qui fugit.

——Multi ad fatum

Venêre ſuum, dum fata timent. [Sen Trag. Oedip.]

——Multos in ſumma pericula miſit

Venturi timor ipſe mali. [Lucan. VII]

Remitamẽ mouendi in hoc cymbã, deo ad clauũ ſedente.

Quid ergo? inquies. nihil agam, & permittam omnia fatis? Stulte. imò vtam inibis quæ ad fata ducit: & hoc quoque ex Fato. Félicia illa vis? allabora. *Non enim * votis neque ſuppliciis muliebribus auxilia deorum parantur. vigilando, agendo, proſperè omnia cedunt.* [Salluſt. Catil.] D

* Solis quidem. Ignauos ille ſpernit. Fortes iuuat.

Nec expecta, *nihil agens in ſinum de cælo deuolaturam Victoriam* aut Fortunam *eſſe.* [Liu. VII.]

Θεοὶ τἀγαθὰ τοῖς πόνοις πωλοῦσιν: *dij bona laboribus vendunt.* [Græcor. Adag.]

Et hac mente verum, *Deos fortioribus adeſſe.* [Tacit. IV. Hiſtor.]

Simile in triſtibus. *Dij prohibebunt hæc, inquies: ſed numquam propter te de cælo deſcendent: tibi dent mentem oportet, vt prohibeas.* [Liu. VI.]

Quis à Fati notitiâ fructus. Præcipuus, patientia.

Nec plura de grandi hoc profundo: quod tentandum ſemper homini, numquam explorandum. Tibi quis hic fructus? iſte, vt verè pius ſis, & fata ſequare, id eſt deum. *Quid enim eſt viri boni? præbere ſe fato.* [Senec. De Prouid.] E

Φέρειν τε χρὴ τά τε δαιμόνια ἀναγκαίως, τά τε ἀπὸ τῶν πολεμίων ἀνδρείως: *Ferre quæ diuinitus immittuntur, neceſſariò oportet: quæ ab hoſtibus, viriliter.* [Thucyd. lib. II. in orat. Peric.]

Optimum eſt pati quod emendare non poſſis: & deum, quo auctore cuncta eueniunt, ſine murmure comitari. Malus miles eſt, qui Imperatorem ſuum gemens ſequitur. [Seneca Epiſt. CVIII.]

CAPVT V.

Etiam Conſcientia. Pietatis lacinia. Definio eam, diuido. tormentum eius, ſi mala, oſtendo: quietem, ſi pura.

Cõſcientia à Religione oritur. Et vis eſt, vbi non illa. Definitio eius. Diuiſio.

IAM & Conſcientia, vt dixi, Pietatis ſoboles eſt: & origo ei palàm à radice Cultus. Vbi enim ille floret & viget; hæc pariter. vbi areſcit & languet; etiam iſta. Quin vbi nulla religio aut diuinus metus; exiguum in animo huius germẽ, & à malâ terrâ velut oppreſſum. Eſt autem Conſcientia, RELIQVA IN HOMINE RECTÆ RATIONIS SCINTILLA, BONORVM MALORVMQVE FACINORVM IVDEX ET INDEX. Igitur & bipartita ea, Approbatio ſcilicet & Opprobratio: illa in benè, hæc in ſecùs factis. Sed iſtius vis (vt vita & vitia ſunt) creberrima; ideóque ferè obtinuit, vt hæc pars veniat in generis ſui nomen. Nam Conſcientiam vulgò appellamus, VIOLATI NVMINIS AVT PERPERAM CVLTI TRISTEM COGITATIONEM ET MORSVM. Qui ſenſus infixus homini; & viuit quamdiu ille, non vi extinguendus, non fraude.

Altera definitio arctior.

Altè hęc infixa. Vtilis homini in peccata.

Conſcientiam à diis immortalibus accepimus, quæ diuelli à nobis non poteſt. [Cicer. pro Cluent.]

Vtiliter autem ea data, vt *corrector adfectuum & animæ pædagogus.* [Origenes.]

Flagrum poſt peccatum: quia *perfecto demum ſcelere, magnitudo eius intelligitur.* [Tacit. XIV. Annal.]

Acris & violẽta.

Frænum ante peccatum: *quia infixa nobis eius rei auerſatio eſt, quam natura damnauit.* [Seneca Epiſtola XCVIII.]

Et *magna ſanè vis eius eſt in vtramque partem; vt neque timeant ij qui nihil admiſerunt, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent qui peccauerunt.* [Cicer. pro Milone.]

Bonæ quidem in ſolamium:

Itaque *bona* illa, *ſemper metu vacua eſt:* [Bias apud Stob.]

Imò in gaudio. *& vis numquã triſtis eſſe? benè viue.* [Iſidor. Soliloq. lib. II.]

Malæ in tormentum.

Mala autem *etiam in ſolitudine anxia & ſolicita eſt.* [Seneca Epiſt. XIV.]

Poteſt enim *nocenti contingere vt lateat; latendi fides non poteſt.* [Epicur. apud Sen. Epi. XCVII.

Et qui celes?

Nocte diéque ſuum geſtat in pectore teſtem.

[Iuuenal.]

Teſtis eo non fallax:

Qui non fallit, non fallitur. & ex oraculo hoc eſt: *Suus cuique animus ex conſcientiâ ſpem præbet.* [Salluſt. ad Cæſ.]

O te miſerum, ſi contemnis hunc teſtem! [Sen. Epiſt. XLIII.]

Carnifex aſſiduus:

Imò & Tortorem. Vrit enim, cædit, lancinat: eò grauiùs, quia ſine morte. Græcorũ Adagium verum: ἡ συνείδησις τὴν ψυχὴν πλήττει: *conſcientia animam verberat.*

Indefeſſus.

Et quidem aſſiduo illo & ſurdo verbere. *Namque animus impurus, diis hominibuſq́ue infeſtus, neque vigiliis neque quietibus ſedari poteſt. Ita conſcientia mentem excitam vaſtat.* [Salluſt. Catil.]

Quem imminuit tamen quidam. Nũquã vir bonus.

Sic tamen hodie viuitur, vt *multi famam, conſcientiam pauci vereantur.* [Plin. lib. III. Ep.]

Aliter vir bonus. cui fixum *in omni vitâ tranſuerſum vnguem à rectâ conſcientiâ non diſcedere.* [Cicero ad Attic. lib. XIII.]

Etiam tibi: qui hoc imbibe, *Tranquillitate conſcientiæ nihil excogitari beatius poſſe.* [Aug. XXI. De ciuit.]

CAPVT

CAPVT VI.

Alterum Virtutis membrum, Probitas. Quid eam hîc appellem? Breuia & vniuerſalia ad eam præcepta.

RAMVS Virtutis mihi alter ſupereſt, Probitas: quem tamen leui dolabrâ expolio, quia in hoc ciuili ædificio propriè non ei locus. Ad morale pertinet. nec Probitatem aliud hîc intellego, quàm RECTAM IN MORIBVS ET ACTIONE OMNI VITAM EX HONESTI NORMA. Mihi tamen non omittenda, vt neceſſitatem videas: & quia Pietati adnexa ea, aut veriùs innexa. Sine moribus Pietas, quidquid vultu, voce, calore præferas, vana eſt, imò nulla. Vt poma, in Iudæâ, non poma naſcuntur, quæ contacta in fumum abeunt & vaporem: talis verboſa illa Pietas, ſi non vitali hoc operum ſucco. Iure ergo mores ama, quiſquis amas illam: & factis magis, quàm ſpecie; ſeriò, nec ad pompam.

Quid Probitas? — Pietatis comes. … modò vera ſit.

Eſſe quam videri, probus malit. [Salluſt. in Catil.]

Et cum laudato illo Catone, *numquam rectè fecerit, vt feciſſe videaris.* [Velleius lib. II.]

Conſcientia virtuti ſatis amplum theatrum eſt. [Cicero.]

Interna Probitas ſola proba. … ſperenda …

Non tu mihi *inter claros magis, quàm inter bonos.* [Tacit. IV. Hiſtor.]

Non inter eos, quos *ambitio falſos fieri ſubegit, magiſque vultum quam ingenium bonum habere.* [Salluſt. Catil.]

Opes quid curas? *Fortunam velut tunicam, magis concinnam proba, quàm longam.* [Apul. in Apolog. I.]

Quid cultum aut corpus? *Honeſtum et vile eſt, cui corpus nimis carum eſt.* [Sen. Epiſt.]

Tu à te laudem tibi ſume; internâ veràque virtute, *non ſpecie inanium validus.* [Tacit. Annal. XV.]

Eſto mihi *cultu modicus, ſermone facilis.* [In Agric.]

Ore probo, animo verecundo. [Salluſt. in Frag.]

Pudor … Cum … animus … Qui ignus …

Opum contemptor, recti peruicax, conſtans aduerſum metus. [Tacit. IV. Hiſtor.]

Vnius animi cultor: qui *dux atque imperator vitæ mortalium.* [Salluſt. Iugurth.]

Rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipſe habetur. [Indidem.]

Præclara enim *facies, magnæ diuitiæ, ad hoc vis corporis, & alia huiuſmodi omnia breui dilabuntur:* [Indidem.]

At ingenij præclara facinora, ſicuti anima, immortalia ſunt. [Indidem.]

CAPVT VII.

Ad Prudentiam tranſitum, qui Rectorum alter. Neceſſitas eius oſtenſa. Definitio poſita, & expoſita. Partes eius & vtilitas.

VIÆ tuæ Ducem vnum habes, Virtutem: adiungo nunc alterum, quem Prudentiam dixi. Is non tuus ſolùm, ſed ſi inſpicis, Virtutis ipſius rector. certè director. Sine prudentiâ enim quæ poteſt eſſe virtus?

Plato verè ait, ἡ φρόνησις μόνον ἡγεῖται τοῦ ὀρθῶς πράττειν: *Prudentia ſola præit & ducit ad rectè faciendum.* [In Menone.]

Et Sophus alter: οὐχ οἷόν τε ἀγαθὸν εἶναι κυρίως ἄνευ φρονήσεως: *fieri non poteſt vt quiſquam verè probus ſine Prudentiâ audiat.* [Ariſt. VI. Ethic. cap. V.]

Cauſſa hæc, quòd Virtus omnis in Electione & Modo eſt: non hæc ſine Prudentiâ: ergo nec Virtus. Atque vt Architectis opus nullum rectè proceſſerit, ſine libellâ & lineâ: non item nobis, ſine normâ hac directrice. Quam definio, INTELLECTVM ET DILECTVM RERVM, QVÆ PVBLICE PRIVATIMQVE FVGIENDÆ AVT APPETENDÆ.

Intellectum dixi. quia hæc eſt quæ videt omnia: ideoque ὄμμα τῆς ψυχῆς; *oculus animæ*, iure dicta. [Ariſt. & Iamblich.]

Quid Prudentia? Sagacitas eius.

Dilectum addidi. quia eadem, quæ ſeligit: & recto iudicio, *honeſta ab deterioribus, vtilia ab noxiis diſcernit.* [Tacit. IV. Annal.]

Diſcretio.

Priuatim etiam & Publicè, inſerui. quoniam ſpecies eius velut duplex, Domeſtica & Ciuilis: quarum illa ſibi, hæc aliis prodeſt. Φρονίμους οἰόμεθα εἶναι, οἳ τὰ αὐτοῖς ἀγαθὰ, καὶ τὰ τοῖς ἀνθρώποις δύνανται θεωρεῖν: *Prudentes cenſemus, qui ea, quæ ſibi, quæque hominibus conducunt, poſſunt diſpicere.* [Ariſtot. IV. Ethic. cap. V.]

Duplex ea, Priuata, & quæ foras ſpectat.

Φρόνιμόν γε φὴς εἶναι, ἀγαθὸν ξύμβουλον καὶ αὐτὸν αὐτῷ καὶ τῇ πόλει: *Prudentem dicemus, ſibi & reipublicæ conſulere potentem ac validum.* [Plato Alcib. II.]

Itaque vſus eius multiplex. & rectè ille qui dixit *Artem viuendi eſſe Prudentiam, vt medicinam valetudinis.* [Cicer. V. de Finib.]

Ars & norma totius vitæ.

Hæc enim eſt, quæ *præſentia ordinat, futura prouidet, præterita recordatur.* [Auctor lib. de IV. Virt.]

Munia eius.

Hæc quæ *fallere non vult, & falli non poteſt.* [Idem.]

Vis eius.

Cui omnia ſubiecta,

ἅπαντα δοῦλα τοῦ φρονεῖν καθίσταται: [Menander.]
Famulatur omne, quidquid eſt, Prudentiæ.

Etiam ipſa Fortuna. nec vanè dictum,

Sapiens pol ipſe fingit fortunam ſibi. [Plautus Trin.]

Igitur iure Tragicus,

Πολλῷ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας
Πρῶτον ὑπάρχει.
Longè prudentia felicitatis
Primas tenet. [Sophoc. Antig.]

At contrà, Imprudentia infelix. quæ *pleraque & ſe præcipitat.* [Salluſt. ad Cæſ.]

CAPVT VIII.

Quid gignat Prudentiam? Vſum eſſe, & Memoriam. Quid ea vtraque? Vis & firmitudo illius prælata: ſed raritas & difficultas item oſtenſa.

PRVDENTIÆ autem parentes duo, Vſus & Memoria rerum. Nam quod Poëta vetus in Sapientiam ſcripſit,

Duo Prudentiam faciunt. Vſus, &

Vſus me genuit, mater peperit memoria: [Afranius.]

abnuo: & verius eſt in iſtam. Vſum intellego, NOTITIAM HVMANARVM RERVM EX VSV VEL TRACTATV. Memoriam, NOTITIAM SIMILEM EX AVDITV VEL LECTV. Vſus haud paullò firmior: & ideò iure pater. Per ſe enim, non per aliena pericula diſcit: per propinqua exempla, non remota. quin pleriſque euentibus ipſe adeſt, intereſt, præeſt. Itaque verè ſcriptum,

Memoria. Vſus certiſſimus doctor.

Vſus efficaciſſimus rerum omnium magiſter. [Plin. lib. XXVI.]

Et experimentis optimè creditur. [Idem lib. XVII.]

Longè ſupra alios magiſtros.

Imò ampliùs: *Vſus omnium magiſtrorum præcepta ſuperat.* [Cicer de Orat. I.]

Quem qui multum habet, glorietur iure.

——νόεω καὶ οἶδα ἕκαστα
Ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια.
——*noui & ſcio ſingillatim*
Quæ bona, quæ mala ſunt. [Homer. Odyſſ. Σ.]

Is bona malaque nouit.

Hic ad omnem artem vtilis ſiue neceſſarius:

Per varios vſus artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam. [Manil. I.]

Artes omnes genuit.

Ciuilem perficit.

A Sed ad hanc ciuilē imprimis. *καὶ τοῖς ἐφιεμένοις περὶ πολιτικῆς εἰδέναι, προσδεῖν ἔοικεν ἐμπειρίας:* *& quiſquis in re Ciuili intelligens haberi volet, opus eſt experientiâ.* [Ariſtot. Ethic. x. cap. vlt.]

Incommodus tamen quia ſerus. Et extimæ ætatis proprius.

In quo tamen hoc mali, quòd præceptis non traditur: ſed *ætas eum denique affert.* [Cicer. II. de Orat.

Nam vt poëta ait,

—*ſeris venit vſus ab annis.* [Ouid. vi. Metam.]

Hinc *Prudentia ſenum* in vulgi verbo:

Hinc illud ſapientis,

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Aſſiduè addiſcens, ad ſenium propero. [Solon.]

CAPVT IX.

Memoria rerum, ſiue Hiſtoriæ, fructus. Facilem hanc ad Prudentiam viam: etiam ad probitatem.

Memoriæ dotes, Facilitas.

B AT Memoria, parens altera eſt. quam Vſui non appono ſolùm, ſed in parte præpono. Magis enim obuia hæc & facilis: diffuſa latiùs, & quæ plura ad Prudentiam & in plures confert. In quoſuis enim ea, & quouis tempore, cadit: cumque iter illud per propria pericula, longum, nec ſine periculis ſit: hæc via tutior, ideóque tritior; & haud paullò

Crebritas.

Plures aliorum euentis docentur. [Tacit. iv. Annal.]

Ea viuit in libris hiſtoricis

Id eſt, Hiſtoriâ. quæ non aliud, quàm anima & *vita Memoria.* [Cic. II. de Orat.]

Exempla enim *omnia iacerent in tenebris, niſi litterarum lumen accederet.* [Idem pro Archiâ]

Per eā, virtutibus & vitiis ſuus honos.

Hæc eſt illa *φυλακὴ τῆς ἀξιολόγων ἀρετῆς, μάρτυς τῆς τῶν φαύλων κακίας, εὐεργέτις τοῦ κοινοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους:* *cuſtos illuſtrium virorum virtutis, teſtis malorum ſceleris, benefica in omne humanum genus.* [Diodor. Sicul. I. Biblioth.]

Vitam inſtruit priuatā

C Hæc *lux veritatis, magiſtra vitæ.* [Cic. II. de Orat.]

Verè magiſtra. In hac enim tibi fas, *ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ, κοσμεῖν πως καὶ ἀφομοιοῦν πρὸς τὰς τῶν ἄλλων ἀρετὰς τὸν βίον: tamquam in ſpeculo, ornare & componere vitam tuam ad alienas virtutes.* [Plut. in Timoleonte.]

In quâ *hoc præcipuè ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita intueri: vt inde tibi tuæque reip. quod imitere, capias; inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* [Liu. I.]

Publicā dirigit.

Eadem ad Ciuilem hanc partem vtiliſſima. nec temerè Polybius, *ἀληθινωτάτην παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν* dixit: *veriſſimam diſciplinam exercitationémque ad res Ciuiles Hiſtoriam eſſe.* [Lib. I.]

Ad conſilia pertinet.

D Et ad Conſilia *χρήσιμοι πρὸς τὰς πολιτικὰς συμβουλὰς αἱ τῶν περὶ τὰς πράξεις γραφόντων ἱστορίαι: vtiles ad publicas deliberationes, rerum geſtarum hiſtoria.* [Ariſt. I. Rhet. cap. v.]

Quo aſpectu Imperator Alexander conſiliis togæ & militiæ *litteratos adhibebat, & maximè eos qui hiſtoriam norant.* [Lamprid. in Alexan.]

Conſiliarij mortui, boni, liberi, ſine fuco.

A Et rex alius, *optimos conſiliarios Mortuos* aiebat, intelligens hos ipſos Hiſtoriæ libros. [Alphonſus Siciliæ.]

CAPVT X.

Appendix de Doctrinâ, quæ vtrique Rectori vtilis. Qui legitimus vſus eius, finis, modus.

VTRVMQVE Rectorem dedi, & abeo ab his præloquiis: niſi quòd de Doctrinâ etiam breuiter attexo. id eſt, ipſis adiutoribus tuis do adiutorem. Nam hæc eſt, quæ non ad Prudentiam ſolùm facit validè (clarum id quidem) ſed & Virtutem.

Doctrina Prudentiam promouet.

Quæ *etſi quoſdam impetus à naturâ ſumit, tamen perficienda doctrinâ eſt.* [Quinct. lib. XII. cap. II.]

Virtutē ornat, aut perficit.

Non enim plenè ſatis *contingit ea, niſi animo inſtituto & edocto.* [Seneca Epiſt. xci.]

Et propriè animos ei purgat ac præparat.

B Eo tamen ſenſu; *non quia Virtutem dare poſſit, ſed quia animum ad accipiendam illam præparat.* [Idem Epiſt. lxxxix.]

Vſus eius verè vſus.

Auidè igitur hæc haurienda, ſed ad vſum. *Non* enim *paranda nobis ſolùm, ſed fruenda Sapientia eſt.* [Cicer. I. de Finib.]

Ego cum Poëtâ

Odi homines ignauâ operâ, philoſophâ ſententiâ. [Pacuuius.]

Nec enim in verbis nudis, ſed bonis factis.

Et cum Salluſtiano Mario, *parum mihi placent eæ litteræ, quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt.* [In Iugurt.]

Abutūtur qui non tales.

Imò nocuerunt. quia multi vitia ſua tegunt & inumbrant hoc velo, *animo perfidioſi & ſubdoli, auaritiam ac libidinem occultantes.* [Tacit. xv. Annal.]

Specie bonarum artium falſi, & amicitia fallaces.

C [Indidem.]

Quod genus ferè tincti eâ non imbuti.

Sed ij ferè ex eo genere, *qui doctrinâ ore tenus exerciti, animum bonis artibus non induerunt.* [Indidem.]

Finis eius verus: &

Tu contrà habeto eam non ad pompam aut ſpeciem, *nec vt nomine magnifico ſegne otium veles, ſed quò firmior aduerſum fortuita rempublicam capeſſas.* [iv. Hiſt.]

In eâ modus.

Et habeto etiam cum modo. quia *plus ſcire velle quàm ſatis ſit, intemperantiæ genus eſt.* [Seneca Epiſt. lxxxix.]

Nec enim ſapit, qui nimis ſapit.

Ὁ χρήσιμ' εἰδώς, οὐχ ὁ πολλ' εἰδώς, σοφός. [Æſchylus.]

Qui fructuoſa, non qui multa ſcit, ſapit.

Atque adeò veriſſimè dictum: *Plus ſapit interdum vulgus, quia tantum quantum opus eſt, ſapit.* [Lactant. lib. II. Inſtit.

Quin frænanda immodica diſcendi cupiditas.

D Imitare igitur Agricolam: qui *ſtudio ſcientiæ flagrantem animum coercuit, retinuitque, quod eſt difficillimum, ex Sapientiâ modum.* [Tacit. in Agric.]

Vitium hodie & in ſenibus crebrum.

Nam nos plerique hodie, *vt omnium rerum, ſic litterarum intemperantiâ quoque laboramus: nec vitæ, ſed ſcholæ diſcimus.* [Senec. Epiſt. cvii.]

Quo veriloquio claudo & conſigno hunc librum.

I. LIPSI POLITICORVM SIVE CIVILIS DOCTRINÆ LIBRI SECVNDI

Capvt I.

De imperio vniuersè dictum. eius neceſſitas in Societate oſtenſa, & fructus.

A VIæ huius Rectores oſtendi tibi: ſed cõmuniter, & oſtendi tantùm. ipſam mihi, ſodes, ingredere: ego qui ſequare atque adſequare eos, dicam: nec id per ſtadia ſolùm ſingula, ſed pænè paſſus. Vita Ciuilis in Societate eſt: Societas in duabus rebus, Commercio & Imperio. Illud * alterius argumenti eſt, hoc mei. quod definio, CERTVM ORDINEM IN IVBENDO ET PARENDO. Cuius tanta vis ſiue neceſſitas potiùs, vt hoc vnum fulcrum ſit rerum humanarum.

* Nempe Moralis aut Oeconomices.

Definitio Imperij.

Vis eius.

Sine imperio enim *nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.* [Cicer. III. de Legib.]

B

Vtilitas.

Et quod ſequitur, magna eius vtilitas. τὸ γὰρ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι, οὐ μόνον τῶν ἀναγκαίων, ἀλλὰ καὶ τῶν συμφερόντων: *Regere enim & regi, non ſolùm inter ea quæ neceſſaria, ſed & vtilia.* [Ariſtot. 1. Polit. cap. III.]

Vinculum rerum.

Iſtud ſanè *eſt vinculum, per quod reſpublica cohæret: ille ſpiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt: nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa imperij ſubtraheretur.* [Seneca 1. de Clem.]

Regimẽ hominum.

Denique hæc Circæa illa virga, quâ tactæ feræ hominéſque miteſcunt. quæ è *ferocibus vniuerſis, ſingulos, ſuo quemque metu, obedientes facit.* [Liu. lib. VI.]

C

Contrà, Inobedientia Confuſionum parens.

At contrà, ruunt omnia, vbi non hoc firmamentum: diffluunt, vbi non hoc coagulum. & omnis pro vate, ille vates:

Ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστι κακόν.
Αὕτη πόλεις ὄλλυσιν, ἥδ' ἀναστάτους
Οἴκους τίθησιν. ἥδε σὺν μάχῃ δορὸς
Τροπὰς καταρρήγνυσι, τῶν δ' ὀρθουμένων
Σώζει τὰ πολλὰ σώμαθ' ἡ πειθαρχία.
Confuſione teterius nullum eſt malum.
Hæc perdit vrbes, iſta perdit & domos
Vaſtáſque reddit; Martis in certamine
Hæc terga vertit. vitę ſed parentium
Res ſeruat atque vitam Obedientia. [Sophocles]

D

CAPVT II.

Diuiſio Imperij. Principatus, prima & optima eius pars. id varijs argumentis oſtenſum.

IMPERIVM hoc autem triplex: Principatus, Optimatum, & Populi ſtatus.

Tres Imperij formæ.

Nam cunctas nationes & vrbes (ait meus ſcriptor) *Populus, aut Primores, aut Singuli regũt.* [Tacit. lib. IIII.]

Et quidquid ſcruiẽre: nec cœtum aliquem ſocialem ſine vllâ harum formarum reperies, nec in eo aliam præter iſtas. Miſcentur inter ſe, fateor, & remittuntur aut intenduntur: ſed ſic, vt propendeat & præponderet ſemper aliqua pars, à quâ iure ei nomen.

B

Sed quæ ex his optima? diu hoc in lite. quam ſoluit & non ſoluit idem ille noſter. *Delecta*, inquit, *ex his & conſtituta reipub. forma faciliùs laudari quàm euenire: aut ſi euênit, haud diuturna eſſe poteſt.* [Ibidè.]

Difficile, nec certum de iis iudicium.

Ego ſi non veriùs, clariùs rem aperio, & præfero palàm Principatum. Mouent me iſta:

Optimus tamen Principatus videtur.

Quòd ille vetuſtiſſimus: *πρώτη καὶ θειοτάτη ἡ βασιλεία: primus & diuiniſſimus Principatus.* [Ariſtot. in Polit.]

Qui vetuſtiſſimus.

Et certum eſt *omnes antiquas gentes regibus primùm paruiſſe.* [Cicer. III. de Legib.]

Idque *in terris nomen imperij primum fuit.* [Salluſt. in Catil.]

C

Vt veriſſimè præfatus ſit ille, *Principio rerum, gentium nationúmque imperium penes reges erat.* [Iuſtin. lib. I.

Addo, quòd ad naturam aptiſſimus. Docent animantes ceteræ, in quibus imago hæc imperij: docent plerique hominum. & orbem peragra; *pauci libertatem, pars magna iuſtos dominos volunt.* ſed & habent. [Salluſt. Epiſt. Mithridatis.]

Idem ex naturâ maximè.

Idem ſecundùm rationem maximè. *Vnum enim imperij corpus, vnius animo regendum videtur:* ſicuti ab vno gubernatore, vna nauis. [Tacit. I. Annal.]

Ex ratione & vſu.

D

Plures, quid mihi adfers? turbas. non aliter, quàm *εἰ δύο ἥλιοι ...: ſi duo Soles velint eſſe, periculum ne incendio omnia perdantur.* [Senous.]

Nã plurium imperiũ ad plures trudit.

Diſcordiam gignit. Contrà pacem Principatus. Pro quo & veterum auctoritas.

A *Arduum* enim *ſemper eòdem loci potentiam & concordiam eſſe.* [Tacit.IV.Annal.]

Itaque *pacis intereſt, omnem poteſtatem ad vnum conferri.* [I. Hiſtor.]

Legimus imò ipſi vidimus, *diſcordantis ſæpè patriæ non aliud remedium fuiſſe, quàm ſi ab vno regeretur.* [I.Annal.]

Nec diſſentiunt à me prudentes. Ille clamat: Ὁ βασιλεὺς, ὡς θεὸς ἐξ ἀνθρώπων: *Rex, deus quiſpiam humanus eſt.* [Plato Polit.]

Alius, Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες: *Ex Ioue ſunt reges.* [Callimachus.]

Et tertius inculcat——διοτρεφέες βασιλῆες: *à Ioue educatos reges.* [Homer.]

Quinetiam nouus nemo: *Regnum res inter deos hominesque pulcherrima.* [Liu. lib. XXVI.]

B Vt iure concludam & optem cum Homero:

——εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.
——*herus vnicus eſto,*
Vnicus & Princeps. [Iliad.C.]

Nam plures rationes ſcio; nec affero, in hoc anguſto circo aliorum verborum, cui me incluſi.

CAPVT III.

Principatus definitio. per partes declaratio. & primùm, vtrius ſexus ille ſit?

Quid Principatus?

NEc tamen Principatum omnem confusè extollo, ſed verum & legitimum. quem definio VNIVS IMPERIVM, MORIBVS AVT LEGIBVS DELATVM, SVSCEPTVM GESTVMQVE PARENTIVM BONO. in quâ formulâ, niſi fallor; non vim ſolùm omnem boni Principatus incluſi; ſed & ad illum viam. Diducam, & explicabo. Poſui primò, VNIVS IMPERIVM. virine, an fœminæ? Vtriuſque. ſed illius maximè: quia iubet ſic natura.

Virorũ id munus. Vix fœminarũ.

Τό, τε γὰρ ἄρρεν, φύσει τοῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον: *Nam quidquid maſculum, naturâ magis factum ad imperandum, fœminæ.* [Ariſt.I.Polit.cap.VIII.]

Quæ imbecillæ.

Etiam ratio. Nam palàm eſt quòd ille conditor noſtri deus, fœminis quidem

——*pectus inſtruxit dolis,*
Sed vim negauit. [Seneca Octau.]

Quæ inconſtantes.

Nec conſtantiam dedit:

——*nulla diu fœmina pondus habet.*

D [Propert. lib. II. Eleg.]

Quæ nõ adſapiẽtes. Sæpè vitioſæ,

Ne prudentiam quidem plenè. & *plerumque muliebre conſilium deterius.* [Tacit.XV. Annal.]

Atqui hæc imperij vera inſtrumenta. Sed adde & vitia. quia *non imbecillis tantùm & impar laboribus hic ſexus, ſed ſi licentia adſit, ſæuus, ambitioſus.* [III. Annal.

Et lubricæ.

Quid etiam ſi ſæpè lubricus? quàm in lubrico tunc reſpublica. *Nec enim fœmina, amiſſa pudicitiâ, alia abnuerit.* [IV.Annal.]

Nec honeſtũ viris id iugum:

Denique indecorum, & ſeruum nimis hoc ſeruitium.

Doctor meus de barbarâ quapiam gente. *Fœmina dominatur. in tantum non modò à libertate, ſed à ſeruitute degenerant.* [De morib. Germ.]

In alterã tamẽ partẽ ratio.

Atque his cauſſis videatur fœminis *ſufficere obſequij gloria.* [Plinius Paneg.]

A communione virtutis

E Ecce tamen & tela non imbellia pro imbelli ſexu. Pro iis hæc ratio. quòd *Nulli præcluſa eſt virtus. omnes admittit.* [Seneca Epiſt.]

Ab exẽplis.

Nec cenſum; nec ſexum eligit. [Idem.]

A ritu gentiũ.

Et reuerà, nónne eximiæ aliquot reginarum lectæ nobis, auditæ, viſæ: quæ fortes, cautæ, caſtæ, *virilibus curis, fœminarum vitia exuerant.* [Tacit.VI. Annal.]

A Pro iiſdem, conſenſu aliquot gentes. Britanni illi veteres non regno ſolùm præfecêre, ſed bello. *Solitum* quippe *Britannis, fœminarum ductu bellare.* [In Agr.]

Germani viris ipſis ante-tulerunt: & *meſſe iis ſanctum aliquid ac prouidũ putarunt.* [De Morib.Germ.]

Itaque *nec conſilia earum aſpernabantur, nec reſponſa negligebant.* [Ibidem.]

Imò *pleraſque earum* (rides an ringeris?) *fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione, arbitrabantur deas.* [IV.Hiſt.]

Capaces igitur ſceptri: vt hi quidem cenſent. atque etiam ego, niſi lex aut mos patrius aliter iubent.

CAPVT IV.

B *Quomodo capiendus Principatus? duos legitimos modos eſſe, Electionem & Succeſſionem. & de vtraque aliquid diſſertum.*

NAm hæc ante omnia ſeruo. ideò addo, MORIBVS AVT LEGIBVS DELATVM: non temerè initium & velut caput regiæ huius viæ muniens, quia multi calcare eam volunt pede non recto.

Locum Principũ plures adfectant. Et id naturæ vitio.

Natura mortalium auida imperij eſt, ait ille: [Salluſt. Iugurth.]

Et alter: *Vetus ac pridẽ inſita mortalibus potẽtiæ cupido.* [Tacit.II.Hiſt.]

Eaque *cunctis affectibus flagrantior.* [XV. Annal.]

Frænum eis duplex Succeſſio, Et Electio.

C Itaque Principatum multi appetunt, nec boni ipſi, nec bono fine. quos repreſſit tamẽ mos ſiue lex gentium repagulo duplici, Electionis & Succeſſionis. Hanc appello, CVM GENTILIS IS HONOS EST, ET PRINCEPS E PRINCIPE NASCITVR. Illam, CVM SPRETO NATALIVM IVRE, SVFFRAGIIS DESIGNATVR. Electio, antiquior. tamen ſucceſſio receptior, & aſpectu aliquo melior: quia verum eſt

Illa, vt videtur, melior. Pacatior

Minore diſcrimine ſumi Principem, quàm quæri. [Tacit.II. Hiſtor.]

Turbis etiam hoc obſtaculum, cùm alioqui *magnis* aut nouis *conatibus opportuni ſint tranſitus rerum.* [I.Hiſt.]

Securior

Nam clarum eſt, *prauas aliorum ſpes cohiberi ſi ſucceſſor non in incerto.* [III. Ann.]

Ex Principum impliorũ viſu.

Princeps ipſe per hanc viam ſecurior, & *pluribus* velut *munimentis inſiſtit.* [I.Annal.]

Oraculum eſt, *Non claſſes, nõ legiones, perinde firma imperij munimẽta, quàm numerũ liberorũ.* [IV. Hiſt.]

D Tamen aliis ratio magis placet alia. & aiunt, *Imperaturum omnibus, eligi debere ex omnibus.* [Plin.Paneg.]

Pro Electione & ſua ratio: Quia digniores reperit.

Vel ideò, quòd plerumque *Optimum quemque Electio inuenit.* [Tacit.I.Hiſtor.]

Nam naſci & generari à principibus, fortuitum, nec vltrà æſtimatur: cooptandi iudicium integrum, & ſi eligere velis, conſenſu monſtratur. [Ibidem.]

Minùs etiam ſeruilis hæc ſpecies. & *loco libertatis erit, ſi eligi incipimus.* [Ibidem.]

Quia & ipſa dignior.

Sed vtra harum rectior, non rectæ viæ aliæ: nec *quiſquam imperium flagitio quæſitum bonis artibus exercuit.* [Eodem libro]

Ceterùm extra has obliquæ viæ, nec fauſtæ.

Imò nec diu exercuit. quia *nulla quæſita ſcelere potentia diuturna eſt.* [Curt. lib. IV.]

CAPVT V.

E *Initia Principatuum plerumque laudabilia: ſed iis non ſatis perſeuerandum eſſe.*

SEd addidi etiam, SVSCEPTVM GESTVMQVE. nec geminaui temerè; quia ſunt qui ſuſcipiant rectè, non gerant & finiant. ego autem palmã hanc in metâ, non in carceribus figo. Ft

malo vitio,an fato humani generis,vt

Initia magiſtratuum aut Principû *ferè meliora ſint, ſed finis inclinet.* [Tacit.xv. Annal.]

Principia Principû ferè bona: at nô finis.

Poëta non neſciuit:

——*mitiſſima ſors eſt*

Regnorum ſub rege nouo. [Lucan. lib.VIII.]

Imò nec ipſum vulgus. qui *accipiunt regem lætantes,vt fermè ad noua imperia.* [Tacit.IX. Annal.]

Ideò grati, non reges. Sed non in lōgû.

Spes ſuæ quàm ſæpè falli! Nam plerique regnantium, *ſuóne an ſeruitu ingenio,dum adipiſcuntur dominationes,multa caritate ſunt; & maiore odio. poſtquam adepti.* [XII.Ann.]

Fit ideò, quia plurimùm ſimulatæ eæ virtutes: cùm ſciant omnes, *Nouum imperium inchoantibus, vtilem eſſe Clementiæ famam.* [IV.Hiſt.]

Cauſſa, quia fucent decidit. Aut certè mutâtur in regno.

Aut certè non altè inſitæ. ideoque peccare paullatim *indulgentiâ fortunæ, & prauis magiſtris diſcunt audentq.* XII.Annal.

Siue etiam Regni ipſius natura hoc fert,vt *diuturnitate in ſuperbiam mutent.* [Salluſt.Catil.]

At malè. *Imperium* enim *iis artibus faciliime retinetur,quibus initio partum eſt.* [Ibidem]

Suo ſæpè malo. quia Et fortuna cû iis mutatur.

Quòd ſi ſe mutant: videant,ne *Fortuna* quoque *cum moribus immutetur.*

CAPVT VI.

Quis finis, quo actiones omnes Princeps dirigat? Bonum publicum id eſſe, & ſeponenda priuata.

DENIQVE in extremo poſui PARENTIVM BONO: in iis verbis Finem ipſum veri Principatus complexus,& candidam illam metam, ad quam currat Regius hic athleta. quæ non aliud,quàm ſubditorum commodum,ſecuritas,ſalus.

Nam *moderatori reipub.beata ciuium vita propoſita eſt.* [Cicero V.de Rep.]

Beatitas ciuium, Principi propoſita: Et ideò eligitur.

Vt ea *opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit.* [Ibidem.]

Te ſpectas? erras. ὁ γὰρ βασιλεὺς αἱρεῖται, οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελῆται, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι δι' αὐτὸν εὖ πράττωσι: *nam rex eligitur,non vt ſeſe molliter curet ſed vt per ipſum,ii qui elegerunt, bene beateq. agant.* [Xenoph.in Memorab Socrat. lib.III.]

Hac vnâ in re maximè abit ille à Tyranno. quòd ὁ μὲν τύραννος τὸ αὑτοῦ συμφέρον σκοπεῖ, ὁ δὲ βασιλεὺς, τὸ τῶν ἀρχομένων: *Tyrannus ſuum ipſius commodum ſpectat & quærit,at rex ſubditorum.* [Ariſt.VIII.Polit,ca.x.]

Tyrāno autem, ſua.

Qui verè eſt Homericus ille ποιμὴν λαῶν: *Paſtor populorum.*

Vt paſtoris cura gregis eſt

Scias igitur quiſquis hoc nomine, *ciuium non ſeruitutē tibi traditam, ſed tutelam.* [Seneca de Clemen.]

Nec rempublicam tuam eſſe, ſed te reipublicæ. [Indidem.]

Non igitur dominium, finis. Ideò curet, foueat, Non negligat, vt fluxi illi & ſoluti.

Vatem audi:

Tu ciuem patrémque geras,tu conſule cunctis,

Non tibi:nec tua te moueant,ſed publica damna.

[Claud.ad Honor.]

Malus ille, qui ex *magna Fortuna licentiam tantùm vſurpat:* [Tacit IV.Hiſtor.]

Qui *non ad curas intentus, ſed ſtupris & adulteriis Principem agit.* [Ibidem]

At verus bonuſque noſter intendit,vigilat:& ſcit, *Maximo imperio maximam curam ineſſe.* [Salluſt.]

Omnium ſomnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vocationem illius occupatio. [Senec. Conſ. ad Polyb.]

Onus enim hoc non ſolum magnus eſt.

Ideò *remiſſum aliquando animum habebit, numquam ſolutum.* [Ibidem.]

Hoc ſubditorum bono fiet, hoc eius. quia *illius*

Vigilans

demum *Principis magnitudo ſtabilis fundatáque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe quam pro ſe ſciunt.* [Ibidem.]

autem Princeps firmus.

CAPVT VII.

De viâ rectâ quam Princeps ingrediatur: & primùm de Virtute. oſtenſum hanc ei, ſua cauſſâ, neceſſariam.

VERVM ecce Principem definiui: formabo tibi nunc eumdem, & quî perueniat ad ſalutarem illam metam velut manu ducam. Incluſa ſanè hæc via in ipſo boni publici fine, fateor: (nemo enim ſic geret, qui non ipſe bonus: nec id ſolùm, ſed & prudens,) verùm incluſa occultè. ego educam, aperiam, & totum hoc imperandi iter tenuiore quodam, vt ſic dicam, ſabulo ſternam ſalubrium præceptorum. Duo ſunt quæ legitimum & numeris ſuis abſolutum Principem faciunt; Prudentia & Virtus. illa vt in Actionibus eius eluceat, hæc in Vitâ. De Virtute præmittam: quæ prorſus & Regi aſſumenda, & per eum his qui regnantur. Regi: quia ita decorum eſt, vt probitate emineat, qui dignitate. Cyrum lubens audio: qui

Ad Finē Boni publici duo cō ducunt: Virtus & Prudētia. Illa Principi cōuenit, ex decoro.

Οὐκ ᾤετο προσήκειν οὐδενὶ ἀρχῆς, ὅστις μὴ βελτίων εἴη τῶν ἀρχομένων: *non cenſebat conuenire cuiquā imperium, qui non melior eſſet iis quibus imperaret.* [Xenophon Pæd. IIX.

Vulgò ita iudicamus,& vbi ſuffragiorum res, plerumque ὁ βασιλεὺς καθίσταται ἐκ τῶν ἐπιεικῶν καθ' ὑπεροχὴν τῆς ἀρετῆς ἢ πράξεων τῶν ἀπὸ τῆς ἀρετῆς: *rex conſtituitur ex idoneis aptiſque ob eminentiam virtutis, aut actionum quæ à virtute.* [Ariſtot.v.Polit.ca.x.]

Meo ſanè & poëtæ puncto,

Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit rex. [Auſon. in Monoſ.]

Sed & fama eius hoc poſtulat: quæ parùm puta, ſi non vita. *Omnia* enim *facta dictáque Principis rumor excipit:* [Senec. I.de Clemen.]

Ex famâ:

Nec magis ei, quàm Soli latere contingit. [Indidem.]

Vt iure *cauere debeat qualem famam habeat: qui qualemcūque meruerit, magnā habiturus eſt.* [Indidem]

Eò magis, quòd *inuiſum ſemel Principem ſeu bene ſeu malè facta premunt.* [Tacit.I.Hiſtor.]

Etiam regni firmitas ſic poſcit, quia

——*vbi non eſt pudor*

Nec cura iuris, ſanctitas, pietas, fides,

Inſtabile regnum eſt. [Senec.Thyeſt.]

Ex vtili.

Sit ante oculos Nero, & qui alij tyrannorum: *quos ſua immanitas, ſua luxuria, ceruicibus publicis depulêre.* [Tacit.I.Hiſtor.]

Ad exitium natæ voces,

——*ſanctitas, pietas, fides,*

Priuata bona ſunt. qua iuuat, reges eant.

[Seneca Thyeſt.]

Et vſu diſces.

CAPVT VIII.

Subditorum etiam cauſſâ Principi virtutem induendam, & ipſis inſtillandam. ſine quâ probus aut diuturnus nullus cœtus.

IAM & Principi cura altera, vt cùm ipſe bonus, ſubditi etiam tales. Vbi virtus abeſt, quæ ſocietas non dicam laudabilis, ſed firma? Quod de oppido poëta, de ſtatu omni dixeris:

Si incolæ benè morati ſunt, pulchrè munitum arbitror. [Plaut. Perſâ]

Infirmus reipubl. ſtatus ſine virtute.

Sin aliter: profectò

——*centuplex murus rebus ſeruandis parum eſt.* [Ibidem.]

Audi Prudentiæ alumnum: *Ille reipub. ſtatus optabilis & firmus eſt, in quos priuatim ſanctè innoxieq́; viuitur, & publicè Iuſtitia ac Clementia vigent.* [Polyb. lib. VI.]

Cum eâ firmus & felix.

Audi & Sapientiæ: Εἰ μέλλεις τὰ τῆς πόλεως πράξειν ὀρθῶς καὶ καλῶς, ἀρετῆς σοι μεταδοτέον τοῖς πολίταις: *Si remp. rectè laudabiliterq́; inſtituis gerere, virtus tibi cum ciuibus communicanda eſt.* [Plato Alcib. I.]

Praua quorumdã opinio.

Hos, inquam, potiùs, quàm illos malè callidos, qui *eò munitiores reges cenſent, quò illi quibus imperitant, nequiores fuêre.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Eiuſque ratio.

Quod patientiores ſeruitutis arbitrantur, quos non deceat niſi eſſe ſeruos. [Plinius Paneg.]

Sed hæc ſubuerſa.

Sed profectò hac ipsâ in re errant. Nam *peſſimus quiſque aſperrimè rectorem patitur.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Quò quis melior, hoc iugi patientior.

Contrà boni, mites & obnoxij, *metuentes magis, quàm metuendi.* [Idem in Iugurth.]

Et ab ore veritatis illud eſt,

——*Facile imperium in bonos.* [Plaut. Milit.]

Iure igitur dabis operam, *cùm ipſe bonus atque ſtrenuus ſis, vti quàm optimis imperites.* [Salluſt. ad Cæſ.]

CAPVT IX.

Subditos probos fieri maximè à Principis exemplo. cuius incredibilis vis in vtramuis partem.

HOc duplici viâ aſſequêre, Legum & Exempli. De illâ, mox tangam: de hac nunc habe.

Subditi ad Principẽ ſe formant.

Quales in repub. principes ſunt, tales reliquos ſolere eſſe ciues. [Cicer. in Epiſt.]

——*componitur orbis*
Regis ad exemplum. [Claud. V. Conſ. Hon.]

Eius cauſſa:

Nec cauſſa occulta. quoniam ad alta illa verſæ plerumque mentes & oculi: *nec tam imperio nobis opus, quàm exemplo.* [Plinius Paneg.]

Duci natura mauolt, quam cogi.

Quod vrget efficaciùs, quàm ipſæ leges. *Obſequium* enim *in Principem & æmulandi amor validiora, quàm pœna ex legibus.* [Tacit. III. Annal.]

Facta Principũ, iuſſa.

Quamquam illud ipſum tacita quædam lex eſt. quoniam *hæc conditio principum, vt quidquid faciant, præcipere videantur.* [Quinct. Declam. IV.]

Ex eo bono, plerique boni.

Vis tuos bonos? ipſe eſto. *Rectè faciẽte Princeps ciues ſuos faciendo, docet.* [Velleius lib. II.]

D

Rex velit honeſta, nemo non eadem volet. [Seneca Thyeſt.

Malo, mali.

Solutos & malos? te ſolue. Nam *Vitia non ſolùm ipſi Principes concipiunt, ſed etiam in ciuitatem infundunt: pluſq́; exemplo, quàm peccato nocent.* [Cicer. III. de Legib.]

Et benè noſter: *Vnius inuidiâ* (addo ego *& culpâ*) *ab omnibus peccatur.* [Tacit. III. Annal.]

CAPVT X.

Diſtinctiùs de virtutibus Principis dictum. & primùm de Iuſtitiâ, quàm ea neceſſaria: etiam in ipſo Principe.

ERGO Virtus Principi decôra & vtilis. omniſne? ita cenſeo. ſic tamen vt ſpecies eius quaſdam magis neceſſarias fatear, quæ eminent & propriè regnum ſibi poſtulant in Regno. Hæ mihi duorum generum: & ſunt quædam vt minuta ſidera, quædam vt magna. Inter magna luminaria habeo, Iuſtitiam & Clementiam. è quibus illam veluti Solem facio: qui niſi Imperiorum omne corpus illuceat, tenebræ in iis, tempeſtas, nimbi.

Duplices virtutes Principis Maiores, Minores.

Tanta enim huius vis eſt, vt nec ij quidem qui ſcelere ac maleficio paſcuntur, poſſint ſine vllâ particulâ Iuſtitiæ viuere. [Cic. I. Offic.]

Iuſtitia inter maiores.

Quam in hac meâ te definio, VIRTVTEM IVS ET ÆQVVM IN SE INQVE ALIIS FIRMITER SERVANTEM. In ſe, dixi: quia Principem ipſum huic alligo: quem legibus placet ſubijci etſi (quorumdam ſenſu)

Eius deſcriptio. Principi in ſe exercenda. Iſque legibus illigandus.

Principi eas nemo ſcripſit. [Plinius Paneg.]

Nam ἄνομος ſanè μοναρχία, χαλεπὴ, καὶ βαρυτάτη ξυνοικῆσαι: *illex Principatus moleſtus, & cui haud facile ſubſis.* [Plato in Polit.]

Turpe illud, *Licet, ſi libet.* [Spart. in Anton. Carac.] Hoc pulchrius:

Ne quid uis ei li ceat.

B

Minimum decet libêre, cui nimium licet. [Seneca Troad.]

Et meminerit Princeps, *non ſolùm quantum ſibi commiſſum: ſed etiam quatenus permiſſum ſit.* [Cic. Orat. pro Rabir.]

Poetæ illud falſum & improbum:

Quæ obſtrictio imperiũ non minuit: Imò firmat: Et facit verè Regnum.

Sceptrorum vis tota perit, ſi pendere iuſta
Incipit. [Lucan. lib. VIII.]

Oratoris hoc verius: *Ius & æquitas, vincula ciuitatum.* [Cicer. Paradox.]

Item illud diuini viri: *Remotâ Iuſtitiâ, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia?* [Auguſt. IV. de Ciuit.]

Vocẽ contrariæ & improbæ Oppoſitæ meliores.

A barbaro iſtud barbarum: *In ſummâ fortunâ id æquius quod validius.* [Tacit. XV. Annal.]

Contrà, à rege illud regium: *Cùm omnia poſſimus, ſola credimus licere nobis laudanda.* [Theodahad. apud Caſſiod. Var. lib. X.]

C

Poëta etiam ſapienter:

Οὐ τοὺς κρατοῦντας χρὴ κρατεῖν, ἃ μὴ χρεών:
Non ſat potentes poſſe, fieri quod nefas. [Euripid.]

Malitioſo item dogmati.

Denique nec Euphemi illius ſermo ſophiſmus. Ἀνδρὶ τυράννῳ, ἢ πόλει ἀρχὴν ἐχούσῃ, οὐδὲν ἄλογον ὅ,τι ξυμφέρον, *Viro aut vrbi principi nihil iniuſtum quod fructuoſum.* [In Thucydid. lib. VI.]

Dogma ſimplicius ac verius.

Apage. ab ore aureo aurum illud purius: Ἐγὼ δὲ οὐδὲν νομίζω γε ἀνδρὶ, ἄλλως τε καὶ ἄρχοντι, κάλλιον εἶναι κτῆμα οὐδὲ λαμπρότερον ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης. *Ego verò nullas opes viro ac præſertim Principi, pulchriores honeſtioreſq́; cenſeo. quam Virtutem & Iuſtitiam.* [Xenoph. de Cyri Exped. lib. VII.]

Gloria Iuſtitiæ ad ſecla:

Et fructum Regi quid ingerunt? gloriam potiùs. *Fundamentum* autem *perpetuæ commendationis & famæ Iuſtitia eſt ſine quâ nihil poteſt eſſe laudabile.* [Cicer. III. de Offic.]

Et pænè diuinitas.

Præclarè Principum princeps: *Pietate & Iuſtitiâ, Principes dij fiunt.* [Auguſt. apud Senec. in Ludo.]

CAPVT. XI.

Iuſtitiam adminiſtrandam Subditis eſſe. æquabiliter: temperanter: & ſine cumulo legum. remoto etiam litium ſtudio.

EAM igitur in ſe Princeps ſeruet: nec id ſolùm, ſed, vt addidi, IN ALIIS. quia Diuam hanc aſſeruere, vnâ cum regni munere ei munus. Originem

Ius reddere primum Principis munus.

E

ſceptri ſi repetis,

Fruendæ iuſtitiæ cauſſâ reperies *olim benè moratos reges conſtitutos.* [Cicer. II. de Offic.]

Hac cauſſâ creatus maximè:

Quid enim aliud quàm contra vim & manuariam illam legem inuenti & inuecti iſti? vt eſſent, qui *ſummos cum infimis pari iure retinerent.* [Ibidem]

Benè Sapientiæ Filius: Βούλεται ὁ βασιλεὺς εἶναι φύλαξ, ὅπως οἱ μὲν κεκτημένοι τὰς οὐσίας μηδὲν ἄδικον πάσχωσιν· ὁ δὲ δῆμος μὴ ὑβρίζηται μηθέν: *Rex debet & vult eſſe cuſtos, vt nec opulenti iniuſtum aliquid patiantur, nec plebs contumeliam accipiat.*

Vt ſuum cuiq. detur, ſeruetur.

Benè & Muſarum filius:

Τὄνεκα γδ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς
Βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι:
Hac vnâ, reges olim, ſunt ſine creati:
Dicere ius populis, iniuſtáque tollere facta.
[Heſiod. Theog.]

Ius ſit æquum: Siue pretij aut gratiæ aſpectu:

Ius ergo noſter dicat, reddat: & id habeat *ſupra omnem iniuriam poſitum.* [Senec. De Clem. 1.]

Nihil in penatibus eius venale ſit, aut ambitioni peruium. [Tacit. XIII. Annal.]

Cauſſas reoſque audiat. quia *inauditi atque indefenſi, tamquam innocentes pereunt.* [1. Hiſt.]

Ex legũ præſcripto.

Leges ne violet. ἐν γδ τοῖς νόμοις ἐστὶν ἡ σωτηρία τῆς πόλεως: *nam in legibus ſalus ciuitatis ſita.* [Ariſtot. Rhet. 1. cap. III.]

Nouæ aut multæ leges fugiendæ:

Interdum tamen temperet. quia haud fruſtrà *Summum ius, antiqui ſummam putarunt crucem.* [Colum. lib. 1.]

Nouas parcè ferat. nam & illud verum, *Corruptiſſimâ republicâ plurimæ leges.* [Tacit. IV. Annal.]

B

Hoc æuum ſi vides; fateare, *vt antea flagitiis, ſic nunc legibus laborari.* [Ibidem.]

Et fori hæc litigia. Quod inter cauſſas (mihi quidẽ) corrupti huius æui: Ideò nouo & diuerſo lutitanno opus.

Inde litigandi ars & ſtudium: *vt quemadmodum vis morborum pretia medentibus, ſic fori tabes pecuniam aduocatis ferat.* [Annal. XI.]

Inde *publica mercis nihil tam venale, quam aduocatorum perfidia.* [Ibidem.]

Et cur diſſimulem? peſtis Eſt, pax *caninum hoc ſtudium.* quod haud temerè quiſpiam *conceſſum latrocinium* dixit. [Colum. lib. 1.]

Catonis priſci voto meum adſonet, *Forum muricibus ſterni.* [Plutarch.]

Et medeatur noſter Princeps, videatque *ne legibus fundata ciuitas legibus euertatur.* [Plinius Paneg.]

C

Sine cauſſidicis ſatis felices olim fuêre, futuræq́; ſunt vrbes. [Colum. lib. 1.]

CAPVT XII.

Clementia definita. Principi commendata. quæ amabilem eum, quæ firmum. quæ illuſtrem facit.

Clemẽtiæ munera.

PRÆFERO nunc Principi lumen alterum, Clementiam: id eſt, vt ego appello, Imperiorum Lunam. Mitis & mollis ea Diua: quæ lenit, quæ temperat; noxios eripit, lapſos erigit; & ſeruatũ it eos ipſos qui ſe perdunt. Nec deſcripſerim eam aliter, quàm VIRTVTEM ANIMI A POENA AVT VINDICTA AD LENITATEM CVM IVDICIO INCLINANTIS.

Eius deſcriptio. Conueniẽtiſſima Principi:

D

Hæc homini omnium virtutum conuenientiſſima, quia humaniſſima. ſed

Nullum tamen ex omnibus magis, quàm Regem aut Principem decet: [Senec. 1. de Clemen.]

Qui largiter exercere poteſt: Et debet. quia gratiam ei parat: Tutelã:

Quia *plus habet apud illos quod ſeruet, ac maiore in materiâ apparet.* [Ibidem.]

Quia etiam omnia conciliat, quæ ſceptro digna. Amorem in primis:

Qui vult amari, languidâ regnet manu. [Seneca Tragic.]

Securitatem, quæ ex amore.

Non enim ſic excubiæ, nec circumſtantia tela,
Quam tutatur amor. [Claud. ad Honor.]

E

Et cetera vi aut fraude perrumpas: *hæc arx inacceſſa. hoc inexpugnabile munimentum eſt, munimento non egere.* [Plinius Paneg.]

In regno a-

Etiam firmitatem. Nam *firmiſſimum id imperium, quo obedientes gaudent.* [Liu. lib. VIII.]

Contrà autem,

Inuiſa nemo imperia retinuit diu. [Seneca.]

u-
:

Euentibus omnis æui crede. *qui benignitate ac clementia imperium temperauêre, his candida & læta o-*

A

mnia fuiſſe: etiam hoſtes æquiores quam alios ciues. [Salluſt. ad Cæſ.]

immites vnquã diuturnt.

Adde, quòd æterna gloria ab hac viâ: *nec vllâ re propius homines ad deum accedunt, quam ſalute hominibus dandâ.* [Cicero pro Ligar.]

Sed & gloriam parat: Immòrtali, vt diuinitaté.

Poëta, verſibus aureis:

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros:
Conſulere patriæ, parcere afflictis, ferâ
Cade abſtinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſæculo pacem ſuo.
Hæc ſumma virtus, petitur hac cælum viâ.
[Seneca Octau.]

Audiat, recõdat, Princeps.

Vſurpet igitur meus Princeps: & *amorem apud populares, metum apud hoſtes quærat.* [Tacit. XI. Annal.]

Rex eſto, nõ Dominus.

Nec dominationem, & ſeruos, ſed rectorem, & ciues cogitet: Clementiámque & iuſtitiam capeſſat. [XII. Ann.]

B

Item pater:

Ita Homerii illud conueniet:

———Πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν.
———*mitis erat patris inſtar.* [Odyſſ. 6. & alibi.]

Vt illi timeant, non illum.

Ita Biantis illud eueniet: τοὺς ὑπηκόους φοβεῖσθαι μὴ αὐτὸν, ἀλλ' ὑπὲρ αὐτοῦ: *timere ſubditos non illũ, ſed pro illo.*

CAPVT XIII.

Clementia vberiùs commendata, ſed cum temperie. Abire eam a Iuſtitia leniter. nec tamen ſoluere eam vim Imperij, ſed vincire lento nodo.

SED vſurpet (non temerè à me poſitum) CVM IVDICIO. quia abſque illo, mollities hæc & lentitudo ſit, & flagitium, adeò non virtus.

C

Flectit a iuſto clementia:

Secedit paullùm, fateor, ab acri illo Iuſtitiæ Sole hæc Luna: ſed ſecedit, non diſcedit, diuerſa potiùs quàm aduerſa. Iuſtitia ipſa nihil indignetur, haud vſquequaque adhærere ſibi Principem noſtrum pede preſſo: quoniam ſine peſte & pernicie id non poteſt generis humani.

Sed bono noſtro.

Flagitia enim & facinora ſine modo ſunt: [Tacit. III. Annal.]

Idq; ob aſſiduas & innumeras culpas:

Πεφύκασι τε ἅπαντες, ait ille, καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἁμαρτάνειν, καὶ οὐκ ἔστι νόμος ὅστις ἀπείρξει τούτου: *nati omnes peccare & labi ſunt, quà priuatim, quà publicè, neque lex eſt quæ ſatis valide vetet aut capiat modum.* [Thuc. lib. III.]

Quæ diſſimulandæ: aut omnes & omnia, perdeda.

Ita neceſſarium eſt, ſæpè diſſimulet, & *malit videri inueniſſe bonos quam feciſſe.* [Tacit. in Agric.]

D

An rigidè ſemper puniat? non ex publico id vſu. quia *ſeueritas amittit aſſiduitate auctoritatem:* [Sen. 1. De Clem.]

Crebra punitio vileſcit.

Et neſcio quo obnitendi vitio, *videbis ea ſæpè committi, quæ ſæpè vindicantur.* [Ibidem.]

Imò irritat peccata

Sed nec ipſius priuato. quoniam *vt arbores quædam reciſæ pullulant: ita regia crudelitas auget inimicorum numerum, tollendo.* [Ibidem.]

Rebelliones excitat.

Temperatus enim timor eſt, qui cohibet: aſſiduus & acer in vindictam excitat. [Ibidem.]

Nec timor coërcet.

Veriſſimè dixerim: Sæuitia *plus timoris quam potentiæ addit.* [Salluſt. Iugurth.]

E

Metus autem & terror infirma vincula caritatis. quæ vbi remoueris, qui timere deſierint, odiſſe incipient: [Tacit. Agric.]

Infame hoc etiã Principi.

Et repertis auctoribus, tollent animos. [VI. Annal.]

Et tamen fac proficere. quæ hic gloria? *Principi non minùs turpia multa ſupplicia, quam medico funera.* [Sen. 1. De Clem.]

Et Iuſtitia omnino tẽperãda

Melior ergo via altera. & veri *benignique Principis eſt, ad Clementiæ commodum, tranſilire interdum terminos Æquitatis, quando ſola eſt Miſericordia, cui*

A *omnes virtutes cedere honorabiliter non recuſant.* [Caſſiod.xi.Var.]

In leuiter errāte, aut ſerò pœnitente.

Clementis Iuſtitiæ exemplum,ſiue præceptū hoc habeat. *Omnia ſcire,non omnia reſequi; paruis peccatis veniam, magnis ſeueritatem commodare:nec pœnâ ſemper,ſed ſæpius pœnitentia contentum eſſe.* [Tacit. Agric.]

——ignoſcere pulchrum
Iam miſero. pœnaq́; genus,vidiſſe precantem.
[Claudian.]

Non reſoluit imperiū benignitas.

Cleon quid mihi obgannit? Tria eſſe ἀξυμφορώτατα τῇ ἀρχῇ, οἶκτον, καὶ ἡδονὴν λόγων, καὶ ἐπιείκειαν, nocentiſſima Imperio, *Miſerationem, Blandiloquentiam, & Lenitatem.* [Thuc.lib.iii.]

Imò efficaciùs iubet quędam & patrat.

Mentitur.nam & Clementiæ ſui nerui,&
——peragit tranquilla poteſtas
B *Quod violenta nequit:mandataque fortiùs vrget*
Imperioſa quies. [Claud. Paneg.Mallij.]

Malè ſanè *terrore veneratio acquiritur.longéque valentior amor ad obtinendum quod velis,quam timor.* [Plin.lib.viii.Ep.]

O non niſi ęgeo verba.

Criſpi gemmâ hæc conſigno. *Equidem ego cuncta imperia crudelia,magis acerba quàm diuturna arbitror: neque quemquam a multis metuendum eſſe,quin ad eum ex multis formido recidat. Eam vitam,bellum æternum & anceps gerere. quoniam neque aduerſus,neque ab tergo aut lateribus tutus ſit, ſemper in metu aut periculo agitet.* [Salluſt.ad Cæſ.]

Hauri, Princeps,hauri.

C
CAPVT XIV.

De Fide adiunctum, quæ Iuſtitiæ origo aut ſuboles. Ea commendata, vt columen humani generis. Glorioſam hanc Principi eſſe. vtilem. Spreti ab Etruria doctores noui.

HABES duo lumina.de quorū fulgore & quaſi repercuſſu,ecce tibi duo altera accenſa, Fidem & Modeſtiam. E quibus illa Iuſtitiæ ita vicina eſt,vt alteram ab alterâ oriri verè dixeris,nec refert vtram. Nam &

Fides Iuſtitiæ fundamentum eſt. [Cicero i.Offic.]

D Et hæc in animo non ſubſidet, niſi in quo illius honos & amor. Eam deſcribere breuiter poſſum, EFFECTVM, QVOD IN NOBIS SIT, DICTI AVT PROMISSI. Virtus, quæ iure omnino cara ſit Principi,cui ſua aut publica res cara. Nam hæc

Fidei deſcriptio.

Sanctiſſimum humani pectoris bonum eſt. [Seneca Epiſtolâ LXXXIX.]

Commendatio.

Ante Iouem generata,decus diuûmq́; hominumq́;,
Quâ ſine non tellus pacem,non æquora norunt:
Iuſtitiæ conſors,tacitúmque in pectore numen.
[Silius ad Fidem.]

Honos ei Romæ.

Quam nec immeritò *in Capitolio vicinam Iouis optimi maximi* Romani *eſſe voluerunt.* [Cato Cenſorius.]

E Vt enim ille tutor humani generis,ſic iſta: *nec vlla res vehementiùs remp.continet,quàm Fides.* [Cicer. iii.Offic.]

Seruāda firmiter in republ.

Itaque eam *magnoperè cenſemus conſeruandam:* [Auctor ad Heren.lib.iii.]

Honos ita exigit:

Fama ſuadet:quoniam
——Καλόν τι χρῆμα,ὅτῳ πίστις παρῇ:
——*res pulchra,lingua cui ſiet Fides.* [Euripid.]

Et vtilitas.

Fructus ſuadet. Καὶ ἀναιρεῖ γιγνομένων τῶν συνθηκῶν, ἀνῄρηται ἡ πρὸς ἀλλήλους χρεία τῶν ἀνθρώπων: *& infirmatis violatisq́; pactis, tollitur inter homines commerciorum vſus.* [Ariſtot.Rhetor.ad Theod.i.cap.xv.]

A Planè igitur *perfidioſum & nefarium eſt,fidem frangere,quæ continet vitam.* [Cicero pro Q.Roſcio Com.]

Et vbi iſti doctores noui?

Nec audiendi vulpiones, qui ſuffodiunt,

Οἷσιν οὔτε βωμὸς οὔτε πίστις, οὐδ' ὅρκος μένει:
Queis nec ara,nec fides,nec vlla firma pactio eſt.
[Ariſtoph.Acharn.]

Qui aures Principum venenant; & ſuadent, *Vt omnia recta & honeſta neglegant, dummodò potentiam conſequantur.* [Cicero iii.de Offic.]

Qui intermortuum illud recoquunt,
——ius regnandi gratiâ
Violandum eſt.aliis rebus pietatem colas. [Ex Eurip.]

Frangēda ea nulla vi.

Heu vani, falſi! Nam *Fides nullâ neceſſitate ad fallendum cogitur,nullo corrumpitur præmio.* [Seneca
B Epiſtolâ LXXXIX.]

——Fulgentibus oſtro
Hæc potior regnis. [Silius lib.xiii.]

Nulla fraude.

Fraudes & captiunculas miſcent? ſcio. & *perfidos numquam cauſſa deficiet,cur pacto non ſtent:* [Liu. lib.ix.]

*Semper*que *aliquam fraudis ſpeciem iuris imponent.* [Ibidem.]

Sed audiant generoſum Braſidam. Ἀπάτῃ γὰρ εὐπρεπεῖ αἴσχιον τοῖς γε ἐν ἀξιώματι πλεονεκτῆσαι, ἢ βίᾳ ἐμφανεῖ: *Iis qui in dignitate ſunt, turpius,fraude honeſta circumuenire aut lædere,quàm vi apertâ.* [Thucyd. lib.iv.]

Etiā infido ſeruanda:

C Nam quod nonnulli ſibi *ſumunt, nullam eſſe fidem quæ infideli data ſit:* [Cic. iii.Offic.]
Errant, & *quærunt latebram periurio.* [Ibidem.]
Nam *Fides etiam perfidis præſtanda eſt:* [Ambr. ii.de Offic.]

Etiā hoſti.

Etiam inter arma. &
——Optimus ille
Militiæ, cui poſtremum eſt primumque tueri
Inter bella fidem. [Silius lib.xiv.]

Apagite igitur iſtos, ô mei reges:
——neu rumpite fœdera pacis,
Nec regnis poſtferte fidem. [Idem lib.ii.]

Periuris deus hominéſq; infeſti.

D Hoc cogitate. μὴ ἐπιορκεῖν, φοβούμενοι τήν τε παρὰ τῶν θεῶν τιμωρίαν, καὶ τὴν παρὰ τοῖς ἀνθρώποις αἰσχύνην: *non peierare, timentes & diuinam vltionem, & humanam infamiam.* [Ariſtot.Rhet. ad Alexand.cap.xviii.]

Nam profectò
——etſi quis primò periuria celat:
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus. [Tibul.]

CAPVT XV.

De Modeſtiâ præſcriptum,quæ Clementiæ aſſidet. Inſtillata Principi,& in Senſu & in Actione.

ET Fides quidem Iuſtitiæ, vt ſic dicam, παρέδρος eſt:de Clementiæ autem lumine, Modeſtiæ lumen refulget. quæ concolor illi valdè, & lenis mitiſque animi aſſidua comes. Definio, RATIONE
E TEMPERATVM, NEC ACTIONE EXSVLTANTEM, DE SE SVISQVE SENSVM. Quæ virtus cùm aliis inculcanda(quid enim homines ſumus? aut quamdiu ſumus?)tum Principi maximè:quem

Quid Modeſtia?

In alto poſitum non alta ſapere,difficile eſt, [Bernard.in Epiſt.]

Rara ea in aulis, & apud magnos.

Quidquid enim *leue & inane in animo eſt, ſecundâ ſe aura ſuſtollit.* [Seneca ii,De Irâ.]

Hinc plerumque in magnis ille *contemptor animus & ſuperbia,commune nobilitatis malum.* [Salluſt. Iugurth.]

Eſſe tamen debet.

Sed noſter temperet,ſciatque *Modeſtiæ famam ne-*

que

A

quæ ſummis mortalium aſpernandam, & à diis æſtimari. Tacit.xv.Annal.]

Cur autem inſoleſcat? *Non minùs hominem ſe, quàm hominibus præeſſe cogitet.* [Plin.Paneg.]

Nam ſupra, non extra homines Princeps.

Sceptrum, aut opes, faciunt animos? Miſer & vane. *Cunctu mortalium incerta: quantóque plus adeptus ſis, tanto te magis in lubrico* cenſeas. [Tacit. 1.Annal.]

Et regnũ, & omnia regni vana; Incerta, Ruinæ præcipitio obnoxia.

Caduca hæc & fragilia, puerilibusq́ consentanea crepundiis, quæ vires atque opes humanæ vocantur. [Valer. lib.vi.cap.vlt.]

An ignoras magnas arbores diu creſcere, vnâ horâ extirpari? [Curtius lib.vii.]

B

Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis tergu plebeiâ manu
Scindi Tyranni. [Seneca Herc.Fur.]

Scilicet *nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit etiam ab inualido.* [Curtius lib.vii.]

Leo ipſe *aliquando minimarum auium pabulum fit, & ferrum rubigo conſumit.* [Ibidem.]

Etiã in externis Modeſtia amplectenda.

Senſum ergo modificetur & temperet: imò & ACTIONEM. *Perſona* enim *Principis non ſolùm animis, ſed etiam oculis ſeruire debet ciuium.* [Cic. Philip.viii.]

In ſermone;

Sermo ei grauis. *Nam quemadmodum ſapienti viro inceſſus modeſtior conuenit: ita oratio preſſa, non audax.* [Seneca Epiſt.]

Nõ futiles, inutiles.

Etiam paucus. Apage linguaces illos: quibus (plerumque ita euenit) *loquentia multum, ſapientia parum.* [Salluſt.Catil.]

C

Quorum omnis vis virtúsque in lingua ſita eſt. [Idem ad Cæſ.]

Sanè vetus illud nondum me fefellit: *Canem timidum latrare vehementiùs, quàm mordere. altiſſima quæque flumina minimo ſono labi.* [Curtius lib.vii.]

In veſte:

At in Cultu, ne exuberet. Virum magnum ad regem Magnum audiat: πολὺ κάλλιον εἶναι βασιλικώτερον, τὴν ψυχὴν ἔχειν εὖ γυμνασμένην, ἢ τὴν ἕξιν τοῦ σώματος ὁρᾶν εὖ ἐσταλμένην: *multo pulchrius magíſque regium, animum præferre cultum & compoſitum, quàm corporis veſtem.* [Ariſtot.Præf.ad Alexand.]

Benè Romanus Imperator: *Munditias mulieribus, viris laborem conuenire.* [Marius apud Salluſtium.]

D

Et cultu quid opus? Ἔμοιγε δοκεῖ καὶ ἐκ θεῶν τιμή τις καὶ χάρις συμπρέπειν ἀεὶ τῷ ἄρχοντι. *Mihi à deo & è cælo videtur Venus quapiam & Gratia comitari ac ſubſequi virum principem.* [Xenoph. in Hier.]

Et alia circumfuſa ſpecie.

Nec aliter de externâ omni ſpecie cenſeo. & hoc de Modeſtiâ, ab Scythiâ præcepto non Scythico concludo. *Fortunam tuam,* ô Princeps, *preſſis manibus tene. lubrica eſt, nec inuita teneri poteſt. Impone felicitati tuæ frænos, faciliùs illam reges.* [Curt. lib. vii.]

CAPVT XVI.

Ex occaſione de Maieſtate adnexa lacinia. quid ea, & qui, & quatenus paranda?

E

SED Modeſtiam tamen ita commendo Principi, vt non ſpernam ab eo Maieſtatem. Hæc eſt REVERENDA QVÆDAM AMPLITVDO, OB MERITVM VIRTVTIS, AVT RERVM AFFINIVM. Græcis ea Σεμνότης dicta: nobis, in priuato Auctoritas, in Principe Maieſtas. Acre ea telum ad imperium: quoniam & in pace

Deſcriptio maieſtatis.

A

Ad fidem faciendam Auctoritas quæritur. [Cicero Topic.]

quæ viribus regnantis.

Et *multum in bellis quoque adminiſtrandis, atque imperio militari valet.* [Idem pro leg.Man.]

Propriè à Virtute oritur: ſed & ab externis.

Nec magis eam à Principe remoueo, quàm Virtutem ipſam: quæ plerumque illam gignit. Quamquam & *concurſio rerum externarum affert Auctoritatem.* [Idem Topic.]

A Grauitate.

Vt morum in primis grauitas. ſi tamen ita temperes, vt *triſtitiam & arrogantiam exuas:* [Tacit. Agric.]

Nec tibi, quod eſt rariſſimum, aut facilitas auctoritatem, aut ſeueritas amorem deminuat. [Ibidem.]

B

Qualis laudatus ille Germanicus: qui *viſu & auditu iuxtà venerabilis, cùm magnitudinem & grauitatem ſummæ fortunæ retineret, inuidiam & arrogantiam effugerat.* [ii Annal.]

A corpore, aut verbis.

Faciunt & quædam à naturâ. vt ſiquis *corpore ingens, verbis magnificus.* [xv.Annal.]

A temperato receſſu.

Aut ab arte. vt receſſus & ſeiunctio: quia viles plerumque, qui nimiùm ciuiles. Et effatum Liuianum verum eſt: *Continuus aſpectus minùs verendos magnos homines ipsâ ſatietate facit.* [Liuius lib.xxxv.]

Et *maieſtati maior ex longinquo reuerentia:* [Tacit. 1.Annal.]

Hominibúſque *omne ignotum* ſemper *pro magnifico eſt.* Sed modus in his talibus eſto: qui ſal & anima virtutum. [In Agric.]

C

CAPVT XVII.

Minores aliquot virtutes poſita, quæ Principem deceant: ſed ſparſim, & breuiter.

VENIO nunc ad minora, quæ dixi, lumina: id eſt, virtutes haud æquè illuſtres aut neceſſarias regibus, tamen vtiles. quas, velut ſtellas, ſpargam & defigam (fas ita loqui) in ſupremi Capitis huius cælo. Audi Princeps.

Liberalitas decora Principi.

BENEFICVS eſto. *Liberalitate* enim *nihil eſt naturæ hominis accommodatius.* [Cicero 1.Offic.]

D

Et Regum in primis. quos *armis, quàm munificentiâ vinci, minùs flagitioſum eſt.* [Salluſt. Iugurth.]

Cum dilectu tamen, & modo.

Sed cum iudicio eſto. *Subita* enim *largitionis comes, pœnitentia.* [Plinius lib.vii.Epiſt.]

Etiam cum modo. ne *ſi ærarium ambitione exhauſeris, per ſcelera ſupplendum ſit.* [Tacit. ii.Annal.]

Nimis hauriendo Fontem ipſum exhauris. nec malè vir ſanctus: *liberalitate liberalitas perit.* [Hieron.]

Falluntur autem *quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit. perdere multi ſciunt, donare neſciunt.* [Tacit. 1.Hiſt.]

E

In coniugem amor. At non obſequium.

CASTVS eſto. *Animo* enim *per libidinem corrupto nihil honeſtum ineſt.* [xi.Annal.]

Coniugi deditus: nec tamen cum Claudiano illo ſtipite, *coniugum imperiis obnoxius.* [xii.Ann.]

Turpe viro, imò ipſi imperio. Καίτοι τί διαφέρει γυναῖκας ἄρχειν, ἢ τοὺς ἄρχοντας ὑπὸ τῶν γυναικῶν ἄρχεσθαι; *Quid verò intereſt, vtrùm fœmina gubernent, an qui gubernant, gubernentur à fœminis?* [Ariſtot. ii.Politic.cap.vii.]

Iram vitet: aut aperiat.

IRAM fuge. eáque aut nulla tibi, aut aperta eſto. Principi viro *honeſtius puta offendere, quàm odiſſe.* [Tacitus Agric.]

Mali

Mali illi *obſcuri, eóque irreuocabiles.* [Ibidem.]

Qui reponunt odia, *quódque ſana cogitationis indicium eſt, ſecreto ſuo ſatiantur.* [Ibidem.]

In conuicia ne inquirat.

CONVICIA ſperne. *Magnam fortunam magnus animus decet,* & talium contemptor. [Senec. I. de Clemen.]

Cuius eſt *proprium, placidum eſſe tranquillumq́, & iniurias atque offenſiones supernè deſpicere.* [Ibidem.]

℞ Vniuersè autem verum eſt: *Conuicia, ſi iraſcare, agnita videntur: ſpreta exoleſcunt.* [Tacit. IV. Annal.]

Famam curet.

FAMAM tamen ne contemne: & cogita *Ceteris* A *mortalium in eo ſtare conſilia, quid ſibi conducere arbitrentur: Principum diuerſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.* [Ibidem.]

Laus tibi & poſteritas in oculis: cenſeasque *cetera Principibus ſtatim adeſſe: vnum inſatiabiliter parandum, proſperam ſui memoriam. Nam contemtu famæ, contemni virtutes.* [Ibidem.]

Doctrinam amet.

DOCTRINAM nonnihil ad hunc finem promoue: quæ languet, quoniam *ſublatis ſtudiorum pretiis, etiam ſtudia pereunt.* [XI. Annal.]

Ea *ſpiritum & ſanguinem ſub te recipiant.* [Plin. Panegyr.]

Ita *temporibus tuis dicendis, non deerunt decôra ingenia.* [I. Annal.]

IVSTI LIPSI
POLITICORVM
SIVE
CIVILIS DOCTRINÆ
LIBRI TERTII

CAPVT I.

Prudentiam Principi per-neceſſariam. ſine eâ vim & opes inutilia. miſcenda eſſe. ſed primam illam in gubernatione præpollere.

PERTEXVI regiam hanc Virtutum veſtem: Prudentiæ telam ordior. quam vt felici pectine percurram & percutiam, te vera Minerua noſtra inuoco, ô æterni patris æterna proles. Prudentiæ ad omnes res humanas vſus: ſed ad imperium maximè. quod ſine eâ non ſolùm infirmum ſit, ſed auſim dicere nullum. Quis nauim mihi dirigat, ſine ferro quod affricuit Siderites? ſic nemo rempub. ſine mente quam afflauit illa Diua. Vim ſolam cogites? fruſtrà. Qualis poëtarum ille Cyclops, amiſſo oculo: talis Princeps, cui abeſt lumen hoc frontis.

Prudentię in gubernando vſus.

Potẽtia ſine ea, cæca, pręceps.

Vis conſili expers mole ruit ſuâ. [Horat. III. Od.]

Nec eſt diuturna poſſeſſio, in quam gladio inducimur. [Curt. lib. VIII.]

At contrà,

Vim temperatam di quoque prouehunt
In maius: [Horat. III. Od.]

Temperatam dico, prudentiæ hac mixturâ. Ῥώμη γὰρ μετὰ φρονήσεως, ait mellitus orator, ὠφέλησεν. ἄνευ δὲ ταύτης, πλείω τοὺς ἔχοντας ἔβλαψε: *Nam vis prudentiæ adiuncta, vſui eſt: ſine eâ, abit magis in noxam.* [Iſocrat. ad Demonic.]

Mixta vtraque efficaciſſima.

Nec malè poëta:

——non ſolis viribus æquum
Credere. ſæpe acri potior prudentia dextrâ.

[Valer. Flac. IV. Argon.]

Et certè in gubernatione palàm potior: quia ſola lene illud frænum eſt, quo voluntarij rediguntur in obedientiæ gyrum. Ecce, ne animalia quidem cetera domueris ſine tractatione quadam & arte: tu ſperes hominem? quo *nullum animal moroſius eſt, nullum maiori arte tractandum.* [Senec. I. De Clem.]

Imperiũ alioqui in homines durum:

Naturâ nos feroces, indomiti, æqui impatientes, nedum ſeruitutis. καὶ οἱ ἄνθρωποι ἐπ' οὐδένας μᾶλλον συνίστανται, ἢ ἐπὶ τούτους, οὓς ἂν αἴσθωνται ἄρχειν αὐτῶν ἐπιχειροῦντας: *& homines in nullos magis inſurgunt, quàm in eos quos imperium in ſe adfectare ſenſiſſent.* [Xenoph. I. Pæd.]

Qui natura refractarij.

Et rem vidit, qui ſcripſit: πάντων τῶν ἄλλων ζώων ῥᾷον, ἢ ἀνθρώπων ἄρχειν: *omnibus animalibus faciliùs, quàm hominibus imperitare.* [Ibidem.]

Illam igitur adhibe, & hoc adhibe: Ἡ φρόνησις, ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ μόνη: *Prudentia, imperantis propria & vnica virtus.* [Ariſt. III. Politic.]

Ideò prudentia opus:

Sanè omnium temporum euentus docebit, & docuit, *plura in ſummâ fortunâ auſpiciis & conſiliis, quàm telis & manibus geri.* [Tacit. XIII. Annal.]

Cuius vis ſupra vim.

Oraculum non inſolens effatus eſt ille vates:

Σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας
Νικᾷ.
Mens vna ſapiens, plurium vincit manus.

[Euripid.]

Cui addo: *Multa, quæ naturâ impedita ſunt, conſilio expediri.* [Liu. XI.]

CAPVT II.

Sed duplicem prudentiam eſſe: A ſe, & Ab aliis. illam optari, hanc contingere. Rarum, imò ἰδιώτατον eſſe, vt Princeps à ſe vno ſatis ſapiat.

IVRE hanc ergo Principi noſtro ineſſe volo, & multò magis adeſſe. Nam Sapientum duplex genus poëta vetus appoſitè facit.

Duplex ſapiẽtia.

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει.
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Laudatiſſimus eſt, ipſus qui cuncta videbit:
Sed laudandus & is, qui paret recta monenti.

[Heſiod. Oper. I.

Propria: Mutuatitia.

Et noſtra Suada: *Sapientiſſimum eſſe dicunt eum, cui quod opus ſit, ipſi veniat in mentem: proxime accedere illum, qui alterius bene inuentis obtemperet.* [Cicero pro Cluent.]

Cumque iis, vel ab iis potiùs, hiſtoricorum vberrimus: *Sæpè audiui eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat quod in rem ſit: ſecundum eum, qui benè monenti obediat: qui nec ipſe conſulere, nec alieri parêre ſcit, eum extremi eſſe ingenij.* [Liu. XXII.]

Et quamquam inter primos Principem eſſe voueam: tamen ad ſecundos magis admoueam. Pri-

Prior, nimis rara in purpurâ.

mùm, quia neſcio quomodo (verè hoc, ſed verecundè dicam) ſiue ætate, ſiue inſtitutione, ſiue naturâ etiam, his ab aulâ *prima illa animi ingeniique negata ſors eſt.* [Indidem]

Altera igitur aſſumẽda.

Deinde vt eam habeant, tamen cùm *omnis ratio & inſtitutio vitæ, adiumenta hominum deſideret:* [Cicer. I. Offic.]

Magna enim moles imperij.

Tum hæc Gubernatoria maximè, in quâ certum eſt, *Principem ſuâ ſcientiâ non poſſe cuncta complecti.* [Tacit. III. Annal.]

Nec vnius mentem eſſe tantæ molis capacem. [I. Annal.]

Itaque eſto mihi

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ:

Princeps ſapiens, ſapientium commercio. [Euripid opinor.]

Et *adſumat in partem curarum* alios, [Tacit. I. Annal.]

Nec Atlas ſine Hercule ſuſtineat. Exẽpla docent.

Certus *magna negotia magnis adiutoribus egere:* [Velleius lib. II.]

Grauiſſimosq; Principis labores, quis orbem terræ capeſſit, egère adminiculis. [Tacit. XII. Annal.]

Æuum omne videas, *rarò eminentes viros non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam ſuam vſos* reperies. [Velleius II.]

Ὀλίγα γὰρ εἷς ἂν ἴδοι, καὶ εἷς ἀκούσειε: *Pauca enim aliquis vnus videat, vnus audiat.* [Xenoph. VIII. Pæd.]

At eſſe debent πολλοὶ βασιλέως ὀφθαλμοί, καὶ πολλὰ ὦτα: *multi Regis oculi, & multæ aures.* [Ibid.]

Thales mihi, ſi volet, rex eſto. tamen *ſi de ſuâ vnius ſententiâ omnia geret, ſuperbum hunc iudicabo magis quàm ſapientem.* [Liu. XLIV.]

CAPVT III.

Itaque Adiutores et capiendum: idq; iudicio. Eos duplices eſſe, Conſiliarios & Miniſtros. Qui, & quam viles illi?

Principi amicis opus.

ADIVTORIBVS enim certè opus: & hoc regiæ prudentiæ caput cenſeam, adſumere prudentes. Verè Atticus orator monuit,

Præcipuum Principis opus eſſe, amicos parare. [Plinius Paneg.]

Qui, vere eorũ theſaurus.

Nullum enim *maius boni imperij inſtrumentum, quàm bonos amicos.* [Ibid.]

Regibus rex hoc crede. Illi Africano: *Non exercitus neque theſauri, præſidia regni ſunt, verùm amici.* [Micipſæ apud Sall. Iugurth.]

Et ſceptri fulcrum.

Huic Medo: Οὐ τόδε τὸ χρυσοῦν σκῆπτρον τὴν βασιλείαν διασῶζόν ἐστιν, ἀλλ' οἱ πολλοὶ φίλοι σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέστατον καὶ ἀσφαλέστατον: *Non aureum iſtud ſceptrum eſt quod regnum cuſtodit, ſed copia amicorum ea regibus ſceptrum veriſſimum tutiſſimumque.* [Cyro, apud Xenoph. lib. VIII.]

Iudicio eligẽdi

Sed qui parabis? Iudicij hic res eſt. quod ſi Principi noſtro rectum à naturâ vel ab vſu, ô ſalutarem illum & bono publico natum! Tamen ego dirigam, & adminiculabor in parte.

Bipartiti.

Adiutores mihi duorum generum, Conſiliarij & adminiſtri. Illi, qui linguâ & mente in primis iuuant: Hi, qui manu & factis. Digniſſimi illi, & à magno Philoſopho ſcriptum:

Cõſiliarij eminent.

Τὸ βουλεύεσθαι, τῶν περὶ τοὺς ἀνθρώπους, θειότατόν ἐστι: *Conſultare, eorum quæ inter homines, diuiniſſimum eſt.* [Ariſtot. Rhet. ad Alexand.]

Veteri verbo vſurpatum:

Ἱερὸν ἀληθῶς ἐστιν ἡ συμβουλία:

Quiddam ſacrum profectò conſultatio eſt. [Apud Platon.]

Phœbi dicto.

Idem maximè neceſſarij. Nònne conſilio ſtant regna, vrbes, domus? *Ego ita comperi, omnia regna, ciuitates, nationes, vſque eò proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt. vbicumque gratia, timor, voluptas, ea corrupêre, poſt paullo imminutæ opes, deinde ademptum imperium, poſtremò ſeruitus impoſita eſt.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Itaque de his iure primò dicam.

CAPVT IV.

Definiti diſtinctius Conſiliarij. & prima eorum munera explicata, Probitas, & Peritia rerum. denique oſtenſi illi, iudice famâ.

Cõſiliarij.

APPELLO Conſiliarios, QVI FIDI, RERVM HOMINVMQVE PERITI, SALVTARIA SVGGERVNT, PACE SIVE BELLO.

Fidi, ſiue vita probi.

Dixi FIDOS, id eſt probos. *Optimum* enim *quemque fideliſſimum puto.* [Plinius Paneg.]

Iidem prudentes vniuerſè:

Addidi RERVM HOMINVMQVE PERITOS, id eſt prudentes. τοῦ γὰρ φρονίμου μάλιστα τοῦτ' ἔργον εἶναι φαμέν, τὸ εὖ βουλεύεσθαι: *prudentis enim hoc proprium maximè munus arbitramur, rectè conſulere.* [Ariſtot. VI. Ethic. Nicom. cap. VII.]

Et diſtinctè, ſerũ patriæ.

Tales cenſeo, motum *animorùmque prouinciæ gnaros.* [Tacitus Agri.]

Non enim exteros temerè, non aduenas. qui veriloquium hoc imbibi: *Ad conſilium de rep. dandum, caput eſſe, noſſe rempublicam.* [Cicer. II. de Orat.]

Ætate grandes.

Item Senes, *quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientiâ validum ſit.* [Salluſt. Catil.]

Adoleſcentium quidem animi plerumque parùm prouidi: iique *molles & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiuntur.* [Ibid.]

Nec errat verbum vetus: *Conſilia ſenum, haſtas iuuenum eſſe.* [Plutarch.]

Sortis vſuſque gnari.

Tertiò, fortunâ variâ exercitos. Reuerâ enim nocumenta, documenta: & appoſitè de ſe Mithridates. *Mihi fortuna, multis rebus ereptis, vſum dedit benè ſuadendi.* [Salluſt. in Fragm.]

Cũ modo acuti.

Quartò, quod ſatis ſit, acutos. Nam qui nimis, fugio: & arcanum illud dogma ingero: Οἱ φαυλότεροι τῶν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς ξυνετωτέρους, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἄμεινον οἰκοῦσι τὰς πόλεις: *Hebetiores, [illegible] acutiores, vt plurimùm, meliùs remp. adminiſtrant.* [Thucydid. lib. III.]

Cauſſa, quia ſubtilia illa & ignea ingenia in aſſiduo motu, *nouandis quam gerendis rebus aptiora.* [Curtius IV.]

Legendi ſine ambitu.

At hos tales Princeps quî reperiet? *Non ſtudiis priuatis, nec ex commendatione aut precibus* paucorum: [Tacit. Agric.]

Teſtimonio pluriũ.

Sed aut ipſe noſcet, ſi poteſt: aut tanget ad lapidem illum Lydium communis Famæ. *Singuli* enim *decipere & decipi poſſunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* [Plin. Paneg.]

Nec malè ille olim ad Principem: *Tales nos crede, qualis fama cuiuſque eſt.* [Idem ibidem.]

CAPVT V.

Explicatum tertium munus, vt ſalubriter conſulant: id incluſum quinque monitorum quaſi lineis.

FECI etiam SALVTARIA SVGGERENTES, meritò. Nònne hic finis & velut portus quo veliſicentur conſultores? veri & probi quidem. Peruenient autem, ſi per lineas has dirigant, quas ſignabo. Pietatem primùm his ingero, & vt

Pij ſunto.

Conſiliorum gubernaculum, Lex diuina ſit. [Cypr. in Epiſt.]

Vniuersè enim verum eſt, *Nihil ritè nihilque pru-*

dente

nidenter homines, ſine deorum immortalium ope, conſilio, honore auſpicari. [Plinius Paneg.]

Liberi ſunto. Libertatem ſecundò. vt fortiter, non obnoxiè, ſententias dicant: néve *cum fortunâ potius Principis loquantur, quam cum ipſo.* [Tacit. I. Hiſtor.]

Nam Libertas ſicut & *Fides, in præſentiâ quibus reſiſtit, offendit; deinde illis ipſis ſuſpicitur laudaturque.* [Plin. lib. 3. Ep. IX.]

Improbi illi, qui *veri copiam non faciunt; ſed ſuſpenſa, & quò ducantur inclinatura, reſpondent.* [Tacit. XI. Annal.]

Qui ambigui. & *ita compoſiti, vt ex euentu rerū aduerſa abnuant, vel proſpera agnoſcant.* [III. Hiſt.]

Conſtãtes & firmi ſunto. Tertiò, Conſtantiam. Nam illaudati, qui *ex alienâ libidine huc illuc fluctuantes agitantur: interdum alia, deinde alia decernunt. uti eorum qui dominantur ſimultas atque arrogantia fert, ita bonum malumve publicum exiſtimant.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Sed cum tẽpere. At non Rigorem etiam: *nec inconſtantis putem ſententiam, tamquam aliquod nauigium, è reip. tempeſtate moderari.* [Cicero pro Balbo.]

Nam verè prudens & *ſapiens, non ſemper it vno gradu, ſed vnâ viâ:* [Seneca.]

Nec ſe in aliquibus mutat, ſed potiùs aptat: & vt verbo dicam, non curſum eumdem tenet, ſed portum. [Idem.]

Modeſti & placidi ſunto. Quartò, Modeſtiam. & placent illi, qui *ſpecie obſequij regunt; ad omniáque quæ agēda ſunt, quietâ cum induſtriâ adſunt.* [Tacit. III. Hiſt.]

Atteenim & flexu quodam opus ſæpè: & obliquâ viâ eundum, quò non licet rectâ. Talis Cornelianus Piſo: *nullius ſeruilis ſententiæ ſponte auctor, & quoties neceſſitas ingrueret, prudenter moderans.* [VI. Annal.]

Talis Lepidus: qui *pleraque ab ſæuis adulationibus aliorum in melius deflexit. nec tamen temperamenti egebat, cum æquabili auctoritate & gratiâ apud Principem viguerit.* [IV. Annal.]

Deniq; ore preſſo. Quintò, Silentium. quia *Taciturnitas optimum atque tutiſſimum rerum adminiſtrandarum vinculum:* [Valer. II. cap. II.]

Nec rei magnæ ſuſtineri poſſunt ab eo, cui tacere graue eſt. [Curt. IV.]

Arcani ergo ipſi, nec tamen arcanorum (ſalubriter moneo) ſcrutatores. quia *abditos Principis ſenſus, & ſi quid occultius parat, exquirere illicitum, anceps; nec ideò aſſequare.* [Tacit. VI. Ann.]

CAPVT VI.

Quæ vitanda Conſiliariis: & primùm quæ impedimenta & velut vada bonæ Mentis? Ea quattuor notata.

HÆc loca illa plana, per quæ tutò explicentur conſiliorum vela. Sed vada etiam ſunt & ſcopuli: quos notabo. quia ludibrium profectò ventis debet, quiſquis non cauet. Inter vada mihi Contumacia eſt: ad quam non ſemel obhæſit ſuaſoria iſta ratis. Nam quidam naturâ ita pugnaces, vt

Contumacia, conſilij remora.

Tantùm ſententiis aliorum contradicant. [Tacit. I. Hiſtor.]

Qui, *conſilij quamuis egregij, quod non ipſi afferunt, inimici:* [Indidem.]

Et aduerſus peritos pervicaces. [Indidem.]

Ne priuatim quidem vtilis. Bis ſtulti. ſiue quòd omnes *ſapere* volunt *ex ſuo ore:* [Lucret.]

Siue quòd, *ſi quid auctoritatis in ipſis eſt, crebris contradictionibus deſtruunt.* [Tacit. XIV. Annal.]

Sicut & diſſidiũ. Diſcordia item inter conſuaſores. *Stimulat* enim

A non rarò *priuati odij pertinacia in publicum exitium.* [I. Hiſtor.]

Item in hanc illã ve partē affectio. Tertiò, Affectus. à quibus ſanè, *omnes qui de rebus dubiis conſultant, vacuos eſſe decet.* [Salluſt. Catil.]

Nam *haud facile animus verum peruidet, vbi illi officiunt.* [Ibidem.]

In primis vbi Ira. *cum quâ nihil rectè, nihil conſideratè fieri poteſt.* [Cicero I. Offic.]

——malè cuncta miniſtrat

Impetus. [Stat.]

Deniq. lucri ſtudium. Quartò, Auaritia, ſiue rei ſuæ ſtudium. Ex adyto Patauino hæc ſors data: *Priuatæ res ſemper offecêre, officiéntque publicis conſiliis.* [Liuius lib. XXII.]

Quod corrumpit omnia: Et pertũpit. B Quid mirum? *Peſſimum veri affectus* & iudicij *venenum ſua cuique vtilitas.* [Tacit. I. Hiſtor.]

Auaritia eſt, quæ *omnia venalia habere edocet:* [Salluſt. Catil.]

Quæ *Fidem & Probitatem euertit:* duo boni conſilij inſtrumenta. [Ibid.]

Iuſtum maximè mercatoribus. Cui plerique hominũ obnoxij: ſed Mercurij proles maximè. nec de nihilo lex Thebanis, quæ vetuit τὸν δέκα ἐτῶν μὴ ἀπεσχημένον τῆς ἀγορᾶς μὴ μετέχειν ἀρχῆς: *eum qui decem ipſos annos à commerciis nō abſtinuiſſet, non admoueri ad gubernationem:* [Ariſtot. III. Polit. cap. III.]

CAPVT VII.

Quæ turbamenta, & velut Scopuli bonæ Mentis? Tres oſtenſi.

Confidentia noxia. AT inter Scopulos, quibus collidi & frangi hæc nauis ſolet, prima mihi Fiducia occurrit:

Quæ profectò *cum ſapientiâ non commiſcetur.* [Cicero pro Leg. Man.]

Cui pectus eſt, in pectus hoc demitte. Phœbea vox eſt: *Conſilia calida & audacia, prima ſpecie læta ſunt, tractatu dura, euentu triſtia.* [Liuius lib. XXXV.]

Nec te fallet. Nam plerumque feroculi iſti, μετ' ἀσφαλείας μὲν ὀξύνειν, ἐν δὲ τῷ ἔργῳ ἐλλείπουσι. *cum ſupinâ fiduciâ ſententiam dicunt, in reipſa trepidantes deficiunt.* [Thucyd. lib. I.]

Cauti in cōſiliis, in factis audaces. D At ego cautum Mimum audio:

Animus vereri qui ſcit, ſcit tutò aggredi: [Publius.]

Et mihi cum Græco ſcriptore, ἀνὴρ οὕτως ἂν εἴη ἄριστος, εἰ βουλευόμενος μὲν ἀρρωδέοι πᾶν ἐπιλεγόμενος πείσεσθαι χρῆμα, ἐν δὲ τῷ ἔργῳ θρασὺς εἴη: *vir ea ratione fiet optimus, ſi in deliberando quidem cunctetur & prætimeat quidquid pote contingere: in agendo autem confidat.* [Herod. lib. VIII.]

Cupiditas teſtè nauda. Scopulus alter, Cupiditas. Ἐπιθυμίᾳ μὲν γὰρ ἐλάχιστα κατορθοῦσι, προνοίᾳ δὲ πλεῖστα: *Nam cupiditate pauca rectè conſiunt, circumſpectione plurima.* [Thuc. VI.]

Celeritas repudianda. Cui adiuncta Celeritas, infamis naufragiis in hoc mari. Nam qui cupit, feſtinat: qui feſtinat, euertit; *Omnia non properanti clara certáque ſunt: feſtinatio, improuida eſt & cæca.* [Liuius lib. XXII.]

Prudentiæ vera peſtis. E Itaque verè dictum: *Nihil magis diſcriminis conſiliis tam inimicum, quàm Celeritas:* [Idem lib. XXXI.]

Itémque: Δύο μὲν ἐναντιώτατα τῇ εὐβουλίᾳ, τάχος τε καὶ ὀργή: *Duo aduerſiſſima rectæ Menti, Celeritas & Ira.* [Thuc. lib. III.]

Cui tarditas amica. Lentos ego amo, lentos: & qui cũ noſtro Comico

Quidquid eſt incoctum, non expromunt, benè coctum dant. [Plaut. Mil.]

Et rarò celeres felices: Nam quòd nonnulli *in conſultando temerarij, in exſequendo viri ſunt:* [Velleius lib. II.]

Subiti conſiliis, ſed euentu felices: [Tacit. IV. Hiſt.]

Cur moneat? ſcio à caſu eſſe, cui non fido: magis rationi, & huic dictu: Celeres iſtos *celerem pœni-*

tentiam, ſed eamdem feram atque inutilem ſequi. [Liuius lib. xxxi.]

Niſi in ſcelere.

Vidimus, videmus, videbimus, ſempérque verum, *Scelera impetu, bona conſilia morâ valeſcere.* [Tacit. i. Hiſtor.]

Actionibus tamen ea grata.

Quæ iis propria, ſicut Celeritas actioni. Nam δεῖ μὲν βουλεύεσθαι ἐφ' ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς: *Conſulere quidem oportet lentè, conſulta exſequi feſtinanter.* [Demoſth. Exord. xxii.]

Addo à grauiſſimo viro pondus: πράττειν μὲν δεῖ ταχὺ τὰ βουλευθέντα, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως: *Celeriter deliberata peragenda ſunt, deliberandum autem tarde.* [Ariſtot. vi. Ethic. cap. ix.]

B

CAPVT VIII.

Ipſe Princeps qui ſe gerat in audiendis conſiliis. Dogmata huic rei.

Princeps aptet ſe ad cõſilia.

CONSILIARIOS formaui: res monet, vt etiam ipſum conſulentem. Fruſtrà enim illi idonei, ſi non iſte: & periet omnis ſalubrium conſiliorum liquor, niſi aptum velut vas ſit in quod inſtilles. Princeps igitur, in capiendis conſiliis, hæc ſeruet.

Tempeſtiue cõſulat.

Maturè deliberet. *Timet, atque eum deficere omnia videntur, qui in ipſo negotio conſilium capere cogitur.* [Cæſ. lib. v. Comm.]

Gladiatorum hoc eſt non Principum, *In arenâ conſilium.* [Seneca Epiſt.]

C

Magna in rep. momenta ſunt temporum: & multum intereſt, idem illud vtrùm antè an poſt decernatur, ſuſcipiatur, agatur. [Cicero Philip.]

Quod rarum in Polyarchia.

Peccatur hîc in Plurium ſtatu, vbi *illud ex libertate vitium, quòd non ſimul, nec iuſſi conueniunt.* [Tacit. in Germ.]

Sed & alter & tertius dies cunctatione coeuntium abſumitur. [Ibidem.]

Ne lẽtè nimis cõſulat.

Caueat Princeps etiã illud: *ne inutili cunctatione, agendi tempora deliberando conſumat.* [iii. Hiſt.]

Néve *dies rerum, verbis terat.* [Illic.]

Eligat & iudicet.

Audiat cum iudicio. Turpis Claudianus ille frutex, *cui non amor, non odiũ, niſi indita & iuſſa.* [xii. An.]

Qui à ſuis

Ducitur, vt neruis alienis mobile lignum. [Horat.]

D

Nõ pertendat.

Tamen ſine Pertinaciâ. quia illud Marci Principis diuinum: *Æquius eſt, vt ego tot taliúmque amicorum conſilium ſequar, quàm tot táleſque amici meam vnius voluntatem.* [Capitol. in M. Antonino Philoſoph.]

Nõ aperiat.

Sententiam ſuam celet: ex hoc præcepto. *Fiers quid debeat cum multis tracta: quid facturus ſis, cũ pauciſſimis, vel potius ipſo tecum.* [Vegetius lib. iii.]

Sanè anima conſilij, ſecretum: & *nulla ſunt meliora conſilia, quàm quæ ignorauerit aduerſarius antequàm fierent.* [Ibidem.]

Liberos amet.

Libertatem admittat, nec amet Aulæ *verba illa byſſina.* [Plutarch. Apophth.]

Adulantes oderit.

Regum opes ſæpiùs aſſentatio, quàm hoſtis euertit. [Curtius lib. viii.]

E

Qui noxij.

At mihi ſalus illius deſperata eſt, *cuius ita aures formatæ ſunt, vt aſpera quæ vtilia, & nihil niſi iucundum & læſurum accipiant.* [Tacit. iii. Hiſt.]

Miſer eſt Imperator, apud quem vera reticentur. [Capitol. in Gord. Iun.]

Nõ præmia cõſiliis.

Sine diſcrimine audiat. & nec bona quidem conſilia præmiis afficiat (arcanum dogma ſuggero:) ne quis ſpe adipiſcendi à vero deflectat, & παρὰ γνώμην τι καὶ πρὸς χάριν λέγει *præter animi mentem aliquid, & ad gratiam loquatur.* [Thucydid. lib. iii.]

Nõ pœnas ſtatuat.

Sed nec mala ſuppliciis. *Deſuturi enim ſunt qui ſuadeant, ſi malè ſuaſiſſe periculũ ſit.* [Curtius lib. iii.]

Et ſanè *non melioris fides habendi, qui prudentiùs ſuaſerint.* [Ibidem.]

Succeſſus enim à fortunâ, ſiue deo.

Ideſt, Feliciùs. Nam profectò *ſæpè praua magis quàm bona conſilia proſperè eueniunt. quia pleraſque res Fortuna ex libidine ſuâ agitat.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Imò

Centum doctũm hominum conſilia ſola hæc deuincit dea. [Plaut. Pſeud.]

Et quidã ſupra nos.

Cum quâ (extremum id moneo) ne pugnet. & ardua illa atque implexa *conſilia, quibus impar eſt, fato permittat.* [Tacit. vi. Annal.]

B

CAPVT IX.

Spernenda occulta Conſilia, & ab Aula ſeruis.

Aulici cõſiliarij improbi.

ADDO breuem, ſed magnæ rei notam. vti ſpernat genus illud Domeſtici conſilij, quod per prauam prudentiam nonnemo ſibi ſumit. Id ferè conſtat ex Aulæ quibuſdam mancipiis:

Qui placita loquũtur.

Quibus *omnia Principum, honeſta atque inhoneſta, laudare mos eſt.* [Tacit. iii. Annal.]

Rem ſuã quærũt.

Qui in aures eorum fictè & ſimulatè, quæſtus ſui cauſsâ, inſuſurrant. [Cic. ad Q. Frat. ep. i. lib. i.]

Ah caue, caue. & quiſquis priuatim tibi ſeruus, *is de iis rebus quæ ad officium imperij tui atque ad aliquam partem reip. pertinent, nequid attingat.* [Ibidem.]

Principẽ dehoneſtant.

Quantumuis ille idoneus, tamen *ſpecies ipſa gratioſi liberti aut ſerui, dignitatem habere nullam poteſt.* [Ibidem.]

C

Imò & vẽdunt.

Minùs, fructũ. & clamat tibi ipſa Veritas: Hi ſunt cubiculares illi conſiliarij, à quibus *bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* [Vopiſc. in Aureliano.]

CAPVT X.

Dictum de Adminiſtris. & nota triplex, ad quam legi eos oporteat.

IAMQVE plenè abſolui de Conſiliariis: tranſeo ad genus alterum Adiutorum, Adminiſtros.

Adminiſtri Principis.

Eos dico, QVI PVBLICE AVT PRIVATIM PRINCIPI EXHIBENT IN FVNCTIONE ALIQVA SVI VSVM.

D

In publico:

Publicè: vt ſunt Præfecti, Præſides, Quæſtores, Iudices, & vno verbo ij omnes qui tangunt imperij aut reip. partem.

In Aulã.

Priuatim: vt ſunt ij ferè, qui ad Aulæ ſaltem vſum aut ſplẽdorem adhibentur: quos ſuo proprióque verbo dicimus, Palatinos. De his minus eſt. illos qui in publico verſantur, eligi ſuadeam cum curâ: & in primis à triplici hac notâ.

Eligẽdi à genere.

Vt genus in iis honeſtum. Benè enim Philoſophorũ columẽ: εἰκὸς βελτίους εἶναι, τοὺς ἐκ βελτιόνων: *Par eſt meliores eſſe, eos qui ex melioribus.* [Ariſtot. v. Politic.]

Viles ſpernendi.

Et ſanè vilis ille, qui viles tantùm ſibi admouet: *præcipuumque indicium non magni Principis magni liberti.* [Plin. Panegyr.]

E

Niſi inſigni aliquâ virtute.

Excipio, ſi eximia in talium aliquo virtus. Tunc enim libens fatear, *Optimum quemque, eſſe nobiliſſimum.* [Velleius lib. ii.]

Et *in cuiuſcũque animo virtus inſit, ei plurimum eſſe tribuendum.* [Ibidem.]

Probi eligendi.

Nam nota mihi altera; Vita eſt: quam ſuper omnia ſpecto. Legi enim: *Meliorem eſſe remp. & propè tutiorem, in qua Princeps malus ſit, eâ, in quâ mali Principis miniſtri.* [Apud Lampridium in Alexand.]

Moribus ergo probi ſint: valeátque illud,

———*emitur ſolâ virtute poteſtas.* [Claudian.]

Digitized by Google

Nõ infames.

A Malis famoſiſque *nihil crediderit, nullam exiſtimationis ſuæ partem commiſerit.* [Cic. ad Q. Frat. ep. I.]

Non ancipites.

Imò nec ambiguis. Nónne melius *officiis & adminiſtrationibus non peccaturos præficere, quàm damnare cum peccarint?* [Tacit. in Agric.]

Princeps peccat, quidquid illi.

Ego cenſeo. nam in Principem
——*culpa cunctorum redit.*
Qui non vetat peccare cùm poſſit, iubet. [Seneca Med.]

Illi incumbit *in hac cuſtodia imperij, vt non ſe vnum modo ſed omnes miniſtros ciuibus & reip. præſtet.* [Cic. ad Q. Frat.]

Apti ob ingenio, eligẽdi.

B At nota tertia. Ingenium eſt, quod quia varium in nobis, καὶ ὁ μὲν πρὸς πολιτείαν, ὁ δὲ πρὸς πόλεμον εὐφυέστερος: *ille ad ciuilia, hic ad bellica, naturâ aptior:* [Plutarch. Politic. Præcept.]

Quiſq; pro inclinatione.

Primum illud eſt, vt poſſit τὸ ἑκάστῳ χρείᾳ τὸ οἰκεῖον ἐφαρμόττειν: *quemque, cuique functioni, pro indole ſuâ, admonere.* [Ibidem.]

Mæcenas enim aptè quædam obiuerit, quæ non Agrippa. & rectè poëta:
Omnia non pariter rerum ſunt omnibus apta. [Propert. lib. III.]

Non nimis alti.

Alterum, vt ingenia inſpiciat. id eſt, recta eligat nec tamẽ erecta. Scilicet, *vt pares negotiis, neque ſupra ſint.* [Tacit. VI. Annal.

C Tiberiana cautio non de nihilo. qui *nec eminentes virtutes ſectabatur, & rurſum vitia oderat. Ab optimis, periculum ſibi: à peſſimis, dedecus publicum metuebat.* [I. Annal.]

Medij cõgrui.

Medij ergo optimi, quibus olim & nunc tutiſſimò *ſecreta Principum innixa.* [III. Ann.]

Quò mihi *Labeo* aliquis *incorruptâ libertate?* [Eodem lib.]

Capitonis obſequium dominantibus magis probatur. [Eodem.]

Tamen rarò recta hic electio.

D Iſta ſuadeo: an perſuadeo? ægrè. Neſcio quomodo Aulica hæc comitia affectus dirigit: & *fato quodam ac ſorte naſcendi, vt cetera, ita Principum inclinatio in hos, offenſio in illos eſt.* [IV. Annal.]

CAPVT XI.

Adminiſtris ipſis præcepta tradita, eorum tutela. Primùm Minoribus, inde Maioribus. Ancipitem omnem potentiam eſſe in Aulâ.

NEc de Adminiſtris, plura diſſero: quædam, ad ipſos. O boni, lubrica veſtra vita & via eſt, qui in Aula verſamini: in quâ, vt verè vir ſanctus dixit,

Periculi plena Aula.

E *Per pericula, peruenitur ad grandius periculum.* [Auguſtin. VIII. Confeſ. cap. VI.]

Itaque acri circumſpectione & cuſtodiâ vobis opus contra lapſum. Ego fulcio his præceptis. Vos qui Minores in Palatio,

Obſequium Adminiſtros decet.

Obſequioſi eſte. Nam *quanto quis apud Principem obſequio promptior, honoribus & opibus extollitur.* [Tacit. I. Annal.]

Sui vſus.

Vtibiles. ne ſitis dicto veteri, *Tineæ & ſorices Palatij.* [Conſtantini Imp. dictum.]

Audacia.

Audaculi. Nam profectò
Malus eſt miniſter regij imperij pudor. [Seneca Trag. Hippol.]

Modeſtia.

At vos qui Maiores, cauete ne vobis tales. & *veſtrâ vobis non Principis fortunâ metiamini.* [Plinius Paneg.]

Quieta actio.

Quod agitis, ſine iactantiâ agite. placent illi, qui *actu otioſis ſimillimi.* [Velleius II.]

Qualis ille Piſo: *quo nemo aut validiùs otium dilexit, aut faciliùs ſuffecit negotio: magisque quæ agenda ſunt, egit, ſine vllâ oſtentatione agendi.* [Eod. lib.]

Virtutũ diſſimulatio.

Inuidia ſic vitabitur. cui amoliendæ, nonnemo delapſus eſt ad *vitiorum etiam imitamenta.* [Tacitus XVI. Ann.]

Mæcenates illi hoc ſpectarunt,
——*quis mens circumfiua luxu*
Noverat intactum vitio ſeruare vigorem. [Claud. de Probini & Ol. conſul.]

O virum verè ad Aulam!

B Et callidus Criſpi nepos. *qui diuerſus à veterum inſtituto, per cultum & munditias luxu propior. Suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior, quò ſomnum & inertiam magis oſtentabat.* [Tacit. III. Annal.]

Accepta omnia Principi referant.

Qui ſapis, capis etiam iſtud: vt nihil tibi adſcribas, nec *ad famam tuam geſtis exſultes, ſed ad auctorem & ducem, vt miniſter, fortunam referas.* [Tacit. in Agric.]

Luna inquam eſto, & gloriæ tuæ & omne lumen refunde illi Soli. *Hæc eſt conditio regum, vt caſus tantùm aduerſos hominibus tribuant, ſecundos fortunæ ſuæ.* [Æmilius Prob. in Datame.]

Sibi labores capiat, gloriam illi.

C Benè Agrippa. Δυοῖν ἐκεῖνος τὸν ἄνδρα τὸν συνδιατρίβοντα, τοῦ μὲν δυσχερείας αὐτὸν τῶν πραγμάτων ἀπαλλάττειν, τοῦ δὲ τὰ κατορθώματα σφῶν ἐκείνοις φυλάσσειν: *Duorum admonebat virum in Aulâ ſaluum futurum: Vnius, vt difficultatem rerum ipſe amoliretur: alterius, vt gloriam impoſitæ ſummæ manus illis relinqueret.* [Dio. lib. XLIX.]

Patiẽtes ſunto.

In vniuerſum autem, in Aulâ perennare vultis? duo hæc adſumite. Patientiam: veterani illius exemplo. qui interrogatus, *Quomodo rariſſimam rem in aulâ conſecutus eſſet, Senectutem; Iniurias* inquit *ferendo, & gratias agendo.* [Senec. II. De irâ.]

Extremè cauti.

Item Cautelam. quia multi vobis laquei, &
Fraus ſublimis regnat in aulâ. [Seneca Hippol.]

D Illîc ad *reprehendenda aliena dicta & facta, ardet omnibus animus. vix ſatis apertum os, aut lingua prompta videtur.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Fraudiũ enim ſedes, aula.

Illîc inſidiatores & hoſtes: qui *ſecretis criminationibus infament ignarum, & quo incautior decipiatur, palam laudatum.* [Tacit. I. Hiſt.]

Cur te fallam? *cùm omnia caueris, per ornamenta ferieris.* [Sen. Præf. lib. IV. Quæſt. Nat.]

Pótẽtia ea lubrica.

Imò vt nemo te euertat, cades ſponte. quia *Nihil rerum mortalium tam inſtabile & fluxum eſt, quàm potentia non ſuâ vi nixa.* [Tac. XIII. Annal.]

Vide mihi illos Emeritos: *ſpeciem magis in amicitiâ Principis, quàm vim retinent.* [III. Ann.]

Reges mutabiles.

E Siue id vitio *regum* fiat, quorum *voluntates vt vehementes, ſic mobiles, ſæpè ſibi ipſæ aduerſæ.* [Salluſt. Iugurth.]

Fatũ incertum.

Siue *fato potẽtia rarò ſempiterna. & ſatietas, capit aut illos cùm omnia tribuerunt, aut hos cùm iam nihil reliquum eſt quod cupiant.* [Tacit. III. Annal.]

Inopinatum.

Et ô benè ſi non Arateæ aliqua vox erumpat. Ταῦτ' ἐστιν, ὦ Κεφάλων, ἐπίχειρα τῆς τυραννικῆς φιλίας: *Hæc ſunt, ô Cephalo, præmia regiæ amicitiæ.* [Plutarch. in Arat.

Nos procul a loue & fulmine.

Iſta eueniunt: nunquam mihi. &
Stet quicumque volet potens
Aulæ culmine lubrico,
Me dulcis ſaturet quies.
Obſcuro poſitus loco,
Leni perfruar otio. [Senec. Thyeſt.]

I. LIPSI POLITICORVM SIVE CIVILIS DOCTRINÆ LIBRI QVARTI

CAPVT I.

Propriam Prudentiam, id eſt eam quam ineſſe Principi volumus, præceptis difficilè alligari. Latè fuſam eſſe, Inſtabilem, & Obtectam. Itaque aliquid de eâ, non plenè à nobis præcipi.

ALIENÆ Prudeoniæ ſemitâ decurri: aperitur mihi campus Propriæ, ſed verè campus. in quo certâ viâ aut limite quis comprehẽdet? Diffuſa nimis res eſt, Cõfuſa, Obſcura. Diffuſa primùm. quid enim latiùs ſe quàm res humanæ, pandit? quarum omnium Prudentia eſt, imò & ſingularũ. Philoſophum audi:

Prudentiæ materies, omnes res humanæ. Eæque ſingulariter inſpectæ.

Τῶν καθ' ἕκαστά ἐστιν ἡ φρόνησις, ἃ γνώριμα γίνεται ἐξ ἐμπειρίας: Rerum ſingularum Prudentia eſt, quæ nota hominis per Vſum fiunt. [Ariſtot. vi. Ethic. cap. viii.]

Atqui res ſingulæ, infinitæ ſunt: quas adeò non ſcientiâ, vt nec numero complectare.

Præcepta enim *finita eſſe debent, & certa:* [Seneca Epiſtolâ xcv.]

Si qua finiri nõ poſſunt, extra Sapientiã ſunt. [Ibid.]

Circa res incertas verſatur: Ipſa quoque mobilis.

Iam Confuſa eadem. quia reuerâ inſtabile totum & fluctuans eſt, quod Prudentiam vocamus. Quid enim aliud ea, quàm electio rerum quæ aliter atque aliter ſeſe habent? Quòd ſi illæ incertæ: etiam ipſa eo magis, quòd non rebus ſolum deuincta, ſed iis quæ rebus adſtãt. Tempora, loca, homines adſpicit: & pro minima eorum mutatione ipſa ſe mutat, adeòque non vbique vna, ve oec in vnâ re vna. Scieotiæ autem alia natura eſt: &

Πάντες ὑπολαμβάνομεν, ὃ ἐπιστάμεθα, μὴ ἐνδέχεσθαι ἄλλως ἔχειν. Omnes cenſemus, quod ſcimus, natum non eſſe Variare. [Ariſtot. vi. Ethic. cap. iii.]

Sanè incertum aliquid, nemo redegerit in certa hæc & ſtricta præceptorum vincula. Denique obſcura eadem. quia res euentúſque omnes humani in altâ nocte.

Tenebroſa eſt, ob cauſſas ignotas.

Nam *occultas eorum ſemina deus, & plerumque bonorum malorúmque cauſſa ſub diuerſâ ſpecie latent.* [Plin. Paneg.]

Quis in rebus etiam obuiis non ſuſpicatur potiùs de cauſſis, quàm cognoſcit? Sine cauſſis autem Scientia oou eſt, nec traditio vlla firma. Addo, quòd in publicâ & Ciuili hac gubernatione, etſi in terrenis rebus, pleræque tamen cauſſæ ab alto ſunt, nec reperiendæ in hac terrâ.

Aut hominum nec noſcendas

Vſque adeò (vt ille exclamat) *res humanas vis abdita quædam*
Obterit, & pulchros faſces ſæuáſque ſecures
Proculcare ac ludibrio ſibi habere videtur. [Lucret. lib. v.]

Itaque (verum fateamur) ego & alij hîc caligamus: nec eſt quiſquam qui ad plenum præcepta Prudentiæ noo dicam tradiderit, ſed tentârit. Quid ergo? quieſco, & ſileo? res & ordo vetant: & faciam potiùs quod in Syrtium aliquo æquore deprehẽſus. & quoniam clauſum directúmque iter tenere non poſſum, confusè viam aliquam ſignabo, velut aſtris. O tu me adiuua: qui ſuper aſtra.

CAPVT II.

Diuiſa Prudentia Propria in Togatam, & Militarem. Illa rurſus, in Humanam & Diuinam. De hac oſtenſum, curam Princip. eſſe. Vnam Religionem retinendam ei, & defendendam.

PRVDENTIA omnis, quam in Principe quæro, duplex eſt: Togata & Militaris. Illam intellego, QVÆ IN COTTIDIANA HAC GVBERNATIONE, TRANQVILLISQVE REBVS, INTERVENIT. Iſtam, QVÆ IN BELLO, REBVSQVE TVRBATIS. Illius materies iterùm duplex, Res Diuinæ, Res Humanæ. In rebus Diuinis verſari eam dico, QVÆ SACRA RELIGIONEMQVE TANGIT ET DIRIGIT, QVATENVS TAMEN PRINCIPIS EA CVRA. Iuſtè & conuenienter ſic limito. quia non Principi liberum in ſacra ius. abſit. ſed inſpectio quædam, idque tuendi magis quàm cognoſcendi cauſſa.

Togata Prudentia.

Militaris.

In diuinis Prudentia.

Sanè in omni republicâ *Πρῶτον, ἡ περὶ τὸ θεῖον ἐπιμέλεια: Primum eſt, curatio rerum diuinarum.* [Ariſtot. vii. Polit. cap. viii.]

Religio, caput in repub.

Ad

A

Curãda Principi: Decori cauſſâ.

Ad quem autem ea potiùs, quàm ad Principem pertinet? Δεῖ γὰρ τὸ ἄριστον ὑπὸ τοῦ ἀρίστου τιμᾶσθαι, καὶ τὸ ἡγεμονοῦν ὑπὸ τοῦ ἡγεμονεύοντος: *Decet enim quod optimum eſt, ab optimo coli; & quod imperat, ab imperante.* [Diogenes Stoic. apud Stob.]

Tutelæ cauſſa.

Nec decet ſolùm, ſed expedit. Tutelæ tuæ primùm: quia veriſſimè Cyrus ἐλογίζετο, ὡς εἰ πάντες οἱ κοινωνοῦντες θεοσεβεῖς εἶεν, ἧττον ἂν αὐτοὺς ἐθέλειν περί τε ἀλλήλους ἀνόσιόν τι ποιεῖν, καὶ περὶ ἑαυτόν: *ratiocinabatur ſi omnes Familiares* (imò & ſubditi) *deûm metuentes eſſent, minùs eos aut inter ſe aliquid illicitum patraturos, aut in ipſum.* [Xenoph. Pæd. lib. VIII.]

Augmẽti cauſſâ.

Ad augmentum etiam Imperij. Scito enim τοὺς θεοὺς εὐνουστέρους εἶναι τοῖς μᾶλλον αὐτοὺς τιμῶσι: *deos proniores eſſe in eos, qui maximè illos colunt.* [Ariſtot. Rhet. ad Alexand.]

B

Auſus gloriari Tullius:, Romanos, non *calliditate aut robore, ſed pietate ac religione omnes gentes nationéſque ſuperauiſſe.* [Orat. de Aruſp. reſponſ.]

Status Publici cauſſâ.

Iam verò publicè. quî ſalui ſimus niſi illâ ſaluâ? *Religio, & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem.* [Lactantius De irâ cap. XII.]

Tolle hoc vinculum: *vita hominum ſtultitiâ, ſcelere, immanitate complebitur.* [Exod. lib. cap. VIII.]

Non ea miſcẽda.

Idémque, ſi confundis. Nec enim audiendi Ægyptij illi reges, qui *variam & miſcellam religionem induxerunt, ſtabiliendo,* vt putarunt, *ſceptro*: Καὶ ἵνα μηδέποτε ὁμονοῆσαι δύνωνται οἱ κατ' Αἴγυπτον: *& ne vmquam conſpirare inter ſe Ægyptij omnes poſſent.* [Diodor. Sicul. lib. II.]

C

Vna, optima.

O fatui! Vnionis auctor illa vna: & à confuſâ eâ, ſemper turbæ. Mæcenas ille patet quanto meliùs! cuius hoc ad Auguſtum monitum exſtat. Τὸ μὲν θεῖον πάντῃ πάντως αὐτός τε σέβου κατὰ τὰ πάτρια, καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκαζε: *Diuinum illud numen, omni modo, omni tẽpore, ipſe cole iuxta leges patrias: & alij vt colant, effice.* [Mæcen. apud Dionem Caſſium, lib. LII.]

Puniendi, qui variant.

Addit: Τοὺς δὲ ξενίζοντάς τι περὶ αὐτὸ καὶ μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνον τῶν θεῶν ἕνεκα, ὧν ὁ καταφρονήσας οὐδ' ἄλλου ἄν τινος προτιμήσειεν, ἀλλ' ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀντεσφέροντες πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν· κἀκ τούτου καὶ συνωμοσίαι, καὶ συστάσεις, ἑταιρεῖαί τε γίγνονται, ἅπερ ἥκιστα μοναρχίᾳ συμφέρει: *Eos verò qui in diuinis aliquid innouant, odio habe & coerce non deorum ſolum cauſſâ (quos tamen qui contemnit, nec aliud ſanè quidquam magni fecerit) ſed quia noua quædam numina hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum. Vnde coniurationes, ſeditiones, conciliabula exiſtunt, res profectò minimè conducibiles Principatui.* [Ibidem.]

D

O Verba, ab impio & ad impium, nimis pia! Hæc vera prudentia: & Principi qui ſapit, *religio, & veneratio nulla alia, niſi vnius Dei tenenda eſt.* [Lactant. I. inſtit. cap. XX.]

Mos priſcus & vetus ſeruandus.

Et tenenda ex ritu veteri. *Maiorum inſtituta tueri, ſacris cærimoniiſque retinendis, ſapientis eſt.* [Cicero II. de Diuinat.]

E

Καὶ τὸ τὰ πάτρια ἔθη παρὰ πᾶσι παραβαίνειν ἄδικόν ἐστι: *& patrios ritus migrare aut violare, vbique gentium nefarium habetur.* [Ariſtot. Rhet. ad Alexand.]

Vindicãdus:

Puni igitur, ſi quis turbat. *Iure ille à diis proximus habetur per quem deorum maieſtas vindicatur.* [Iuſtinus lib. VIII.]

Omni vi defendẽdus:

Seriò, iterò, hoc imbibe: *Nihil eſſe in rebus humanis religione præſtantius, eámque ſummâ vi oportere defendi.* [Lactantius lib. V. Inſtitut. cap. XX.]

CAPVT III.

De vnâ religione ampliùs quæſitum. Numquámne diſſidium ferri poſſit? ſaltem in tempus. idque quadamtenus videri.

ERGO firmiter hæc noſtra ſententia eſt, Vnam religionem in vno regno ſeruari. Quæri tamen duo poſſunt: Sempérne puniendi qui diſſentiunt, & An omnes? Quâ de re vt diſſeram, non Curioſitas me impellit, ſed publica Vtilitas, & præſens hic Europæ ſtatus, quem nego me ſine lacrimis intueri. O melior mundi pars, quas diſſidiorum faces religio tibi accendit! Colliduntur inter ſe Chriſtianæ reipub. capita, & milleni aliquot homines perierunt ac pereunt per ſpeciem Pietatis. Quis hîc ſilebit? non ego. & quamuis cum Platone ſciam εὐδιάβολα τὰ τοιαῦτα πρὸς τοὺς πολλούς: *calumniis hæc obnoxia in vulgus:* [In Eutyphr.]

Calamitas Europæ a diſſidio Religionum.

Calumniantur, ſi quis me deri vale:

Nec quidquam tam probè aut prouidè hîc dici, *quod non vellicare malignitas poſſit:* [Seneca Epiſt.]

At nos conabimur.

Tamen ſubibo hoc diſcrimen, & pro virili aquam infundam in Sacrum hunc ignem. Hoc excuſatiùs, quòd conſilia, non decreta adfero; nec aſſero aliquid, ſed pono. Tu qui legis, ſcito à piâ puráque mente hæc eſſe; & ſi ipſa aliter, ſubiici à me iis quorum propriè cognitio hæc & cenſura.

Obnoxij tamen Prudentiorũ iudiciis.

C

Vt rem intellegas, duo genera eorum facio qui in Religione peccant: qui Publicè, & qui Priuatim. Publicè peccare dico, QVI ET IPSI MALE DE DEO RECEPTISQVE SACRIS SENTIVNT, ET ALIOS AD SENTIENDVM PER TVRBAS IMPELLVNT. Priuatim, QVI PARITER MALE SENTIVNT, SED SIBI. De primis primò quæritur, an talibus eſſe debeat impunè? nego. *Puniantur à te, ne tu pro illis puniaris.* [Cypr. de vtil. Pœnitentiæ.]

Peccãtes in religionem duplices: Turbones. Et Errones.

Maximè ſi turbant. *Melius enim eſt, vt pereat vnus, quàm vt pereat vnitas.* [Auguſt.]

Turbones, ſemper puniendi.

Violatarum religionum alibi atque alibi diuerſa pœna eſt ſed vbique aliqua. [Seneca De Beneſ. III. c. VI.]

D

Clementiæ non hic locus. *Vre, ſeca, vt membrorum potiùs aliquod, quàm totum corpus intereat.* [Cicero Philip. IIX.]

Nam *quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriã.* [L. IIII. Cod. Iuſtin. de Hæret.]

Vnicâ exceptione, niſi metus a turbis.

Atque hoc firmũ certumque eſto, quamdiu turbatores coërceri poſſunt ſine maiore turbâ. Quid autem, ſi aliter? & quid ſi ea tempora ſint, vt *ſubita coercitio plus damni in rempub. ferat?* [Tac. III. Ann.]

Æui noſtri infelix curioſitas.

Nam ea interueniunt: vel noſtrum hoc vide. quo fatalis iſta eſt ingeniorum ſcabies, vt *omnes diſputare malint, quàm viuere.* [Seneca Epiſt.]

E

Aculeones vbique & Curiones, qui περιεργάζονται ζητοῦντες τά τε ὑπὸ γῆς, καὶ τὰ ἐπουράνια: *ſatagunt inquirentes, & quæ ſubter terram ſunt, & quæ ſuper cælum.* [Plato in Apol.]

Horum quanta multitudo? *Vt res agi poſſint, acie vincendi ſunt.* [Tacit. III. Annal.]

Tolerãdi interdum, vt meliùs tollas. Calidi nocent.

Hic igitur iuſtè ambigo, An nõ fas tempora pauliſper Principi inſpicere, *quibus parêre omnes Politici præcipiunt.* [Cic. ad At. XII. Ep. I.]

Et an non *potius ſit, omittere adulta & prævalida vitia, quàm illud aſſequi vt palàm fiat quibus flagitiis impares ſimus.* [Tacit. III. Annal.]

Omittere dico in tempus. *Nam in morbis quoque nihil eſt magis periculoſum, quàm immatura medicina:* [Seneca Conſol. ad Helu.]

A

Et ſcio *medicos plus interdum quiete, quàm mouendo atque agendo proficere.* [Liuius xxii.]

Tempus multa ſanat.

Sanè iſtos *ab atrâ bile, Dies plerumque ſanat & Quies.* [Ex medicorum ſcito.]

Arma, arma clamant alij. Sed nònne te vidimus, *arma armis irritari?* [Plinius Paneg.]

Naturâ contumax eſt humanus animus, & in cōtrarium atque arduum nitens. [Sen. i. de Clemen.]

Et diæta melior chirurgiâ.

Tu iterùm iterùmque vide, an non conniuere interdum melius, quàm *intempeſtiuis remedijs delicta accendere.* [Tacit. xii. Annal.]

CAPVT IV.

An puniendi ſinguli, & quieti utcùmque an extrahendi & perquirendi? Neutrum (ſi inmeritè quidem fiat) ex vſu videri. Doctore primùm his opus, non tortore.

B

Errores ſimplices non ſtatim puniēdi.

SECVNDA Quæſtio eſt, de his qui in Religione peccant priuatim. Ecce labes errorum in meâ mente, ſed neminem maculo: quieſco domi, & ſileo. Hicne talis etiam puniendus? De quietis temporibus, non diſputo: de turbidis, ambigo. & interdum illa valeant,

Tacere liceat, nulla libertas minor
A rege petitur. [Seneca Oedip.]

Nemo rex *perinde animis imperare poteſt, ac linguis.* [Curt. vii.]

Mentium rex, Deus eſt. [Auguſtin. in Ioan.]

Hac viâ vix emēdes.

Sanè nimio aut intempeſtiuo terrore quid efficitur? vt *vulti, qui maximè ſeruit, aſſentiantur:* [Curt. viii.]

C

Corde minimè. *Quis enim imponat mihi neceſſitatem vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi?* [Lactant. v. cap. xiv.]

Simulatores efficit.

Fictiones ea res inducit. & fortaſſe *Purpura tua cultores aliquot efficiet, non Deo.* [Ex Themiſtij dicto apud Socrat. Eccleſ. Hiſt. iii. ca. xxi.]

Docēdi potiùs.

Vide ne, in ſtatu ſimili, tutior via altera docendi ac ducendi. *Fides ſuadenda eſt, non imperanda.* [Bernat. in Cant.]

Ingenia noſtra, vt nobiles & generoſi equi, meliùs facili fræno reguntur. [Seneca i. de Clem.]

Et *errantem per agros ignorantiâ viæ, melius eſt ad rectum iter admonere, quàm expellere.* [Idem i. de Irâ.]

D

Ita profectò eſt. Tolluntur hæc talia quæ ſenſibus inſident, *docendo magis quàm iubendo, monendo quàm minando.* [Auguſt. Epiſtolâ lxv.]

In fidibus ſiquid diſcrepat, non abrumpis ſtatim; ſed paulatim reducis ad concentum: in Fide cur non idem fit? & *peccata ſic compeſcis, vt ſint quos peccaſſe pœniteat?* [Idem ad African. Procos.]

Pœnitētes, bis boni.

Atque hi tales ſępè meliores. *Multo firmior eſt Fides quam reponit pœnitentia.* [Lactant. in hac tali re, lib. v. cap. xiii.]

Etſi Pœna etiam ſæpè repoſuit. & *lentis tepidiſque animis quod cohortatio quieta nō ſuaſit, minax ſubitò terror extorſit.* [Proſper. ii. De Vocat. Gent. cap. xxiii.

E

Sed quid Tempora, quid etiam Pietas poſcat, Princeps videro: idque de piorum ſententiâ. Tuô benigne & miſerator Deus (nam voto & ſuſpirio locum hunc claudo) diuiſa hæc iunge, & effice, vt *multitudinis credentium ſit cor vnum, & anima vna.* [In Act. Apoſt. cap. iv.]

A

CAPVT V.

Tranſitum ad Prudentiam in Humanis. huic duo fontes recluſi, Ingenium Populi & Regni. De priore dictum: & per indicem expoſita Natura vulgi.

PRVDENTIA in Humanis rebus me vocat: de quâ liberiùs iam & libentius dicam. Hanc intelligo, PERITIAM IN EXTERNIS TRANQVILLE ET FIRMITER GVBERNANDI. Duos illi fontes tribuo, Naturam populi & Naturam regni. Sanè cùm omnia diſpexeris, nihil reperies penitè ad gubernandum olim aut nunc monitum, cui non hinc ſcaturigo. Itaque ante omnia ad eos te ducam: & tum denique riuulos aliquot ex iis deducam vtilium monitorum. Quiſquis callidus peritiùſque regendi eſſe vis,

Duplex caput Prudentiæ gubernatoriæ

B

Noſcenda tibi natura vulgi eſt, & quibus modis temperanter habeatur. [Tacit. Ann. iii.]

Vulgi meo iudicio, triplicis, Tui, Finitimi, Vniuerſi. Tui. quid enim magis neceſſarium quàm vt eum nôris cui præes?

Prius, Natura populi. Qui triplex noſcendus. Tuus:

Principis eſt virtus maxima, noſſe ſuos. [Martial.]

Vicinus:

Finitimi. iure: quia res tibi ſæpè cum eo & fœdera. Variant autem ingenia, & *ſunt tam ciuitatum quàm ſingulorum hominum mores gentesque aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ: in vinum, in Venerem proniores aliæ ſunt.* [Liu. xlv]

Omnis.

Vniuerſi etiam. quoniam motus qui iam affectúſque ſunt, quos communiter reperias in omni hominum gente. Quos niſi noſti, quî ad eos te componas? Scriptum olim: Οὐκ ἔστιν εὖ ἄρξαι τὸν μὴ ἀρχθέντα: *Non eſt vt rectè imperet, cui non imperatum.* [Ariſt. iii. Politic.]

C

Siue, vt vertit noſter Sophus, *Nemo benè imperat, niſi qui antè paruerit imperio.* [Seneca ii. De Irâ.]

Rectè. non quia omnes reges voluerint eſſe è ſubditis: (minimè. multi in purpurâ nati, & à ſucceſſione ferè regna) ſed hoc indicantes, ingenia & inclinationes ſubditorum imperanti noſcenda, ſic tamquam ipſe inter eos. Audi ſenem illum Principem: *Vtiliſſimus idem ac breuiſſimus rerum bonarum malarúmque delectus, cogitare quid ſub alio Principe aut nolueris aut volueris.* [Galba apud Tacit. i. Hiſtor.]

A notitiâ affectuū, rectū imperium.

D

Audi regium ſuaſorem: Ἂν ὅσα ἂν ἕτερον τινὰ ἄρχοντά σε ποιεῖν ἐθελήσῃς, ταῦτα αὐτὸς αὐτεπάγγελτος πράττῃς, οὔτε τι ἁμαρτήσῃ, καὶ πάντα κατορθώσεις, ἐκ τούτου καὶ ἥδιστα καὶ ἀκινδυνότατα βιώσῃ: *Si omnia quæ alium quemuis in te imperantem facere velles, ea ipſe tua ſponte feceris: nec peccabis quidpiam, & omnia rite diriges, & vitam ex eo iucundiſſimam ſimul & tutiſſimam viues.* [Mæcen. apud Dionem lib. iii.

Tu igitur hæc diſce. vnde? à Percunctatione, ab Vſu, à Libris. à Me etiam nonnihil, qui præcipuos popularium Affectuum depingam hic tibi vt in tabellâ Vulgus omne

Vnde ij noſcendi?

INSTABILE. *Vulgo nihil incertius.* [Cicero pro Muræn.]

Breuis eorū index.

E

In multitudine eſt varietas, & crebra tamquā tempeſtatum, ſic ſententiarum commutatio. [Idē pro Domo.]

AFFECTVS ponit, aut ſumit. *Vt eſt mos vulgo, mutabili ſubitis, & tam prono in miſericordiam, quàm immodicum ſæuitiâ fuerat.* [Tacit. i. Hiſtor.]

Pronum in affectus.

Nec quidquam faciliùs, quàm in quemlibet affectum mutare populum. [Quinct. ii. Decla.]

IVDICII EXPERS. *Plebi non iudicium, non veritas.* [Tacitus i. Hiſtor.]

Sine iudicio.

Non delectu aut ſapientiâ ducitur ad iudicandū, ſed impetu & quadā etiā temeritate. [Cicero pro Planc.]

Non

Digitized by Google

Non eſt conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia. [Ibidem.] A

Ex opinione multa, ex veritate pauca iudicat. [Idem pro Roſcio.]

Vulgus vacuum curis, & ſine falſi veriq́ diſcrimine ſolitas adulationes edoctum. [Tacit. II. Hiſtor.]

Adhæret turbæ: AD PLVRES inclinat. *Multitudo vulgi, more magis quàm iudicio, poſt alius alium quaſi prudentiorem ſequuntur.* Salluſt. ad Cæſ.

Pecorum ritu, antecedentium gregem. [Seneca De vitâ beat.]

Inuidet. NATVRA INVIDVM. *Ægris oculis alienam felicitatem intuetur.* [Tacit. II. Hiſtor.]

Prauo ſtudio, quo etiam in certaminibus ludicris vitur, deteriori atque infirmiori fauet. [Liuius lib. XLII.]

Suſpicatur. SVSPICAX. *Municipale vulgus pronum ad ſuſpiciones.* [Tacit. II. Hiſtor.] B

Mos vulgo, quamuis falſis reum ſubdere. [I. Ann.]

Omnia credit. CREDVLVM. *Facilis ciuitas ad credenda accipiendaq́ omnia noua:* [I. Hiſtor.]

Præſertim cùm triſtia ſunt. [Ibidem.]

Quoquomodo audita pro compertis habent. [III. Ann.

A ſe auget. RES AVGET. *Cuncta, vt mos famæ, in maius credita.* [Eod. lib.]

——Sic quiſque pauendo
Dat vires famæ: nulloq́ auctore malorum,
Quæ finxêre, timent. [Lucan. I.]

——tradúntque metus, nec poſcitur auctor. [Silius IV.]

Adſtruit auditis, docilis per inania rerum
Paſcere rumorem vulgi pauor. [Ibidem.] C

Vagus primùm & incertus rumor. mox, vt in magnis mendaciis, interfuiſſe ſe quidam & vidiſſe adfirmant: credulâ famâ inter gaudentes & incurioſos. [Tacit. I. Hiſtor.]

Vetita loquitur. COMPRIMI NESCIT. *Prohibiti per ciuitatem ſermones, eoq́ plures, ac ſi liceret, vera narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgauerant.* [III. Hiſt.]

Vagi per vrbem militibus, qui ſermones populi coërcerent. id præcipuum alimentum famæ erat. [II. Hiſt.]

Publica exſpectatio magnis ſecretis impatiens: & malè coërcitam famam ſupprimentes augebant. [I. Hiſt.]

Pēdet in turbas. TVRBIDVM. *Vulgus cuiuſque motus noui cupidum.* [Eod. lib.]

Ingenio mobili, ſeditioſum atque diſcordioſum, cupidum nouarum rerum, quieti & otio aduerſum. [Salluſt. Iugurth.] D

Vtrique ſiquis cō citat. Præſertim SI QVIS SIT. *Vt mare, quod ſuâ naturâ tranquillum eſt, ventorum vi agitatur: ſic populus ſuâ ſponte placatus, hominum ſeditioſorum vocibus, vt violentiſſimis tempeſtatibus, attollitur.* [Cicero pro Cluent.]

Nam *vulgus ſine rectore, præceps, pauidus, ſocors.* [Tacit. IV. Hiſtor.]

Verèque dictum, *Nihil auſuram plebem principibus amotis.* [I. Ann.]

Calidos amat. FAVET FERVIDIS. & plebe iudice, τὸ σῶφρον τοῦ ἀνάνδρου πρόσχημα· καὶ τὸ πρὸς ἅπαν ξυνετὸν, ἐπὶ πᾶν ἀργόν. τὸ δ' ἐμπλήκτως ὀξὺ, ἀνδρὸς μοίρᾳ προσετέθη. *quidquid modeſtum, ignauiæ ſpeciem habet: quod circumſpectum & prouidum, ſegnitia. quidquid autem abruptū & præceps, id verò forte & virile cenſetur.* [Thuc. lib. III.] E

Ideò *vincit in rē plerumq́, pars maioris animi quam conſilij.* [Liu. VII.]

Et grati *ſtolidi, ac vecordi facundiâ.* [Tacit. IV. Hiſtor.]

Rei publicæ neglegens: NEGLEGIT REM PVBLICAM. *Magnitudine nimiâ, communium curarum expers populus.* [I. Hiſtor.]

Suæ diligens. *Priuata cuique ſtimulatio, & vile decus publicum.* [Ibidem.]

Intenta mala, quaſi fulmen, optant dumtaxat ſe quiſque ne attingant. [Salluſt. Orat. Philip.]

Forte verbis: VERBIS FEROX. *Procacia plebis ingenia.* [Tacit. 2. Hiſtor.]

Nec vltrà. Sed *nihil vltra verba auſurum.* [III. Hiſt.]

Impigra lingua, ignaui animi. [Salluſt. Orat. Marcij.]

Semper immodicum. METV AVT SPE NIMIVM. *Hæc eſt natura multitudinis. aut ſeruit humiliter, aut ſuperbe dominatur. Libertatem, quæ media eſt, nec ſpernere modicè, nec habere ſciunt.* [Liuius XXIII.]

Nihil in vulgo modicum. terrêre, ni paueant: vbi pertimuerint, impunè contemni. [Tacit. I. Annal.]

Vulgus *audaciâ turbidum, niſi vim metuat.* [VI. Ann.]

Plura ſunt, quæ tu à te addes. B

CAPVT VI.

Fons alter recluſus, Ingenium regum & regni. Duo hic conſiderata, quæ Communiter conueniunt, & quæ Diſtinctè.

Alterum caput Prudentiæ, Natura regni. EGO ad Naturam regni propero: è quâ pauca hæc tibi delibo. Communiter eam noſce, & Diſtinctè. In Communi notitiâ hæc ſunt.

Id inſtabile. Regnum omne fluctuans & INSTABILE. *Arduum enim & ſubiectum Fortunæ cuncta regendi onus.* [Tacit. I. Annal.]

Vt alta ventos ſemper excipiunt iuga,
Imperia ſic excelſa Fortunæ obiacent. [Seneca Oedip.] C

Subitò ſæpè deiectum: *Nihil inanſum eſt Fortunæ. aduerſus Imperia idem habet iuris, quod aduerſus imperātes.* [Sen. Epiſt. XCI.]

Itaque ſæpè occultis cauſſis labitur. & *quæ, domeſticis ſteterant bellis, quæ externis regna, nullo impellente ruunt.* [Ibidem.]

Et totū, cùm aliqua pars. Et totum ferè labitur, cùm cœpit. Verè ille ſcripſit, *Regum maieſtatem difficilius à ſummo faſtigio ad medium detrahi, quàm à mediis ad ima præcipitari.* [Liuius lib. XXXVIII.]

In ſummo aut in imo eſt. *Non enim his gradibus, quibus ad ſumma peruentum eſt, retrò itur: ſæpe inter fortunam maximam & vltimā nihil intereſt.* [Seneca De Benef. VI. cap. XXXIII.]

Imperium cupientibus (aut habentibus) nihil medium inter præcipitia aut ſumma. [Tacit. II. Hiſtor.] D

Odioſū plerumque. Nec fortunæ ſolùm obiectum, etiam ODIIS.

Simul iſta mundi conditor poſuit Deus,
Odium atque Regnum. [Seneca Theb.]

Idq; ob regum mores. Qui licentioſi. Cauſſa ſæpè in Impotentiâ regum. Nam

Id eſſe regni maximum pignus putant,
Si quidquid aliis non licet, ſolis licet. [Idem Agamemn.]

Quod non poteſt, vult poſſe, qui nimium poteſt. [Idem Hippol.]

Pertinaces & ſuperbi. Et in peruicaci eorum Superbiâ.

——durus & vetitinſolens
Ad recta flecti regius non vult tumor. [Ibidem.] E

Flecti non minùs exiſtimant turpe, quàm vinci. [Senec. De Benef. VI. cap. XXX.]

Etiam quia nos parêre difficiles. Sed cauſſa etiam altera in Naturâ noſtrâ. quia *nemo alteri imperium volens concedit: & quamuis bonus atque clemens ſit qui plus poteſt, tamen quia malo eſſe licet, formidatur.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Inſidiis exponitur. Ideoq; regnum obnoxium INSIDIIS.

Multi iniqui atque infideles regno, pauci ſunt boni. [Attius.]

Ideò meticuloſi reges. Nec immeritò reges ſemper in TIMORE. *Ingenia regum prona ad formidinem.* [Salluſt. Iugurth.]

Sæpè nimis: &

——dubia pro certis ſolent

Timere reges. [Seneca Oedip.]

Suſpicaces & æmuli:

Iidem ÆMVLI, & *ſuâpte naturâ potentia anxij.* [Tacit. IV. Annal.]

Nec regna ſocium ferre, nec tædæ ſciunt. [Seneca Agam.]

In ipſos filios.

Adeò, vt *diſpliceant regnantibus etiam ciuilia filiorum ingenia.* [Tacit. II. Annal.]

Et *ſuſpectus ſemper inuiſuſq; dominantibus, quiſquis proximus deſtinatur.* [I. Hiſtor.]

Regni vires noſcendæ:

Hæc taliaque Communiter ſcies. iam illud Diſtinctè, Quantum tuum regnum ſit, & quale. Potentia, inquam, tua, ſeriò tibi noſcenda eſt.

Metiri ſua regna decet, vireſque fateri. [Lucan. VIII.]

Multi dum ſe tam magnos, quàm audiunt, credunt, attraxêre ſuperuacua & in diſcrimen rerum omnium peruentura bella. [Seneca De Benef. VI. cap. XXX.]

Et eius cõſtitutio ſine formâ.

Etiam regni Qualitas. cuiuſmodi illud ſit, Vetus, Nouum; Hereditate, an Suffragio traditum & tradendum; Legibus, an Vi quæſitum. & quidquid tale. Pro his enim variè attemperandum ſceptrum, & laxandæ aut adducendæ imperij illæ habenæ.

CAPVT VII.

Præcepta nunc ex hiſce fontibus petita. & primùm vniuerſè poſita, quæ firmēt Regnum aut violent: mox diſtinctè de Vi dictum. Opus regi Cuſtodes, Milites, Arces aut potiùs Colonias.

BENE habet. duplicem Arcton meam ſignaui, ad quam flectendi mihi identidem oculi: nunc audacter vela do, & vndoſum mare ingredior Præceptorum. Ea hoc ordine diſponam, vt quæ Iuuant firmantque regnum, præmittam: ſubiungam, quæ Lædunt & perdunt. Duo igitur ſunt, quæ tranquillũ id aut firmum efficiant, VIS & VIRTVS: duo item, quæ turbidum aut caducum, VIS & VITIVM. Singula hæc, vt meus captus eſt, ſubtiliter videamus & partitè. Vim in Iuuante parte primùm pono, & intellego PRÆSIDIVM QVOD PRINCEPS VTILITER ADHIBET AD SE TVENDVM AVT REGNVM. Id ferè duplex, Milites, & Munimenta. Milites iterùm duplices, Cuſtodes & Ordinarij. CVSTODES, regis ipſius tutela propria: qui ſcilicet

Duo firmando Regno: Duo euertẽdo.

Vis definita:

Diuiſa. Cuſtodes regij.

Somnum eius nocturnis excubiis muniant, latera obiectis circumfuſiq; defendant, incurrentibus periculis ſe opponant. [Sen. I. de Clemen.]

Miles in forum, miles in curiam comitabatur, ſcribit de ſuo Principe Tacitus. [Tacit. I. Annal.]

Nam probus verusq; ille mos: & quanquàm nullo metu, decorè tamen eos Princeps, & *vel ornamenti cauſſâ habeat.* [Seneca I. De Clem.]

Ordinarij & perpetui milites.

Sed eſſe & ORDINARIOS milites volo: manum ſcilicet aliquam grandiorem (pro viribus & modo regni) ad ſubita caſuum aut bellorum. & qui, *ſi auxilium res poſcat, haud procul accieantur.* [Tacit. IV. Annal.]

Nam ſcimus, *voluntarium* ſæpè *militem deeſſe. ac ſi ſuppeditet, non eâdem virtute ac modeſtiâ agere: quia plerumque inopes ac vagi* (vt hodie quidem mos eſt) *ſponte militiam ſumunt.* [Ibidem.]

Grande momentum in hoc præcepto: & C. Cæſar ſolitus dicere, Δύο τὶ ἔϛι τὰς δυναϛείας παρασκευάζοντα ϗ φυλάσσοντα ϗ ἐπαύξοντα, ϛρατιώτας ϗ χρήματα: *Duo eſſe, quæ Principatus comparent, ſeruent, augeant, Milites & Pecuniam.* [Dio lib. XLII.]

Atque alius ab eâdem mente (etſi paullò improbiùs) ad ſuos liberos: Ὁμονοεῖτε, τοὺς ϛρατιώτας πλουτίζετε, τῶν ἄλλων πάντων καταφρονεῖτε: *Inter vos conſentite, milites ditate, reliquos omnes ſpernite.* [Seuerus Imp. apud Dionem in vitâ eius.]

Arces quatenus Viles.

At munimenta poſſis vſurpare duplicia, Arces aut Colonias. Illas vulgus & hodiernus mos tibi ingerit: ego iſtas, & mos vetus. Sanè ARCES non tam firmæ compedes, quàm cenſentur: ad exiguum motum validæ; fragiles (ipſi vidimus) ad communem & magnum. In finibus tamen & contra hoſtem, haud valdè eas ſpernam: in mediterreis & contra ciues, valdè. Populo alicui diffidis? premere eum vis? COLONIAS tibi ſuggero, verè *ſedes ſeruitutis.* [Tacit. Agric.]

Prælatæ iis Coloniæ:

Hoc ſolidum, hoc firmum munimentum eſt: in quo non locus ſolùm talis, ſed homines ipſi ſint. Coloniæ enim ferè conſtant externis (quibus, cum indigenis haud facilis conſpiratio:) nec vſurpandæ temerè niſi in externos. Nam *non aſſueta frænis ſeruitutis tumida gentium inflataq; ceruices, facile alias ab impoſito iugo reſiliunt.* [Flor. IV. cap. vlt.]

Sed falſò in exteros.

Siue etiam in feroces & recèns ſubiectos. Quidquid enim dicunt, *quos viceris caue amicos tibi eſſe credas.* [Curt. VII.]

Aut recèns domitos.

CAPVT VIII.

De virtute duplici, ſeruatrice Regnorum. Beniuolentia populi commendata, & oſtenſa triplex ad eam via.

VIS ergo opportunè etiam ab optimo Principe adhibenda, ex ſcito veteri:

Quædam vi tractanda, quò ceteris quies ſit: [Tacit. I. Annal.]

Sed magis Virtus. in quâ mihi videtur præcipuũ Principatus robur eſt & pondus. Eam, paullò aliter quàm vulgus, hîc appello LAVDABILEM VTILEMQVE IMPERIO AFFECTVM, DE REGE, VEL IN REGEM. Studioſè ſic diſcrimino. Nam cùm duplex eiuſmodi Virtus ſit, Beniuolentia & Auctoritas: naſci quidem vtraque à rege & per regẽ debet, ſed ſedem tamen ſuam & domicilium in animis Populi habet, atque illa, in regem Affectus eſt; hæc, Opinio de rege. Ex definitionibus facilè rem mentemque meam capies. Nam BENIVOLENTIA, quam hîc quæro & ſuadeo, eſt SVBDITORVM IN REGEM EIVSQVE STATVM PROMPTA INCLINATIO ET AMOR.

Quid hîc virtus.

Beniuolẽtia definita.

Quæ nimis vtilis, imò neceſſaria, ad res gerendas. Plato verè dixit: Διὰ τὸ ἀρέσκειν τοῖς ἀνθρώποις, ϗ τὸ πρακτικὸν ἐϛί: *Ab eo quòd placeat hominibus, actionum efficacia eſt.* [Epiſt. IV. ad Dionem.]

Vtilitas eius.

Para igitur: idque viâ triplici, Lenitatis, Beneficentiæ, Indulgentiæ. LENITATEM promes in Teipſo primùm, verbis factiſque benignus, *comitate & alloquiis officia prouocans.* [Tacit. V. Hiſtor.]

Quomodo parãda? Lenitate in te, & circa te:

Quid ni *ita cum ciuibus tuis, quaſi parens cum liberis, viuas?* [Plin. Paneg.]

Cum illâ tamen exceptione, vt *incorrupto ducis honore.* [Tacit. V. Hiſtor.]

Temperie opus eſt. *nec aut reuerentiam terrore, aut amorem humilitate captabis.* [Plinius Paneg.]

Raræ hoc ſed magnæ laudis, cùm *virtutes ſpecie diſpares prudentiâ iunguntur.* [Cic. Oratore ad Brutum.]

Sed promes etiam in Imperio: vt tranquillum id ac lene ſit, *nec alia eius facies, quàm ſereni cæli ac nitentis.* [Seneca I. De Irâ.]

Lenitate in omni imperio.

Hoc ex ingenio hominum eſt: qui *nec totam ſer-*

niuntem pati poſſunt, nec totam libertatem: [Tacit. I. Hiſt.]

Hinc Quies:

Domiti vt pareant, non vt ſeruiant. [Idem Agric.]

Hoc ex vſu ipſius imperij: quia reuerà *remiſſius imperanti meliùs paretur.* [Seneca I. De Clem.]

Hinc Fides.

Sed & fideliùs paretur. *Nullus terror*, ait Liuius, *cùm omnia bello arderent, fide ſocios dimouit: videlicet quia iuſto moderatoq; regebantur imperio.* [Lib. XXII.]

Hinc ſtabilitas.

Cæſaris effatum eſt: Ἡ ἐξουσία μετρίως ἀσκηθεῖσα πάντα τὰ κτηθέντα τηρεῖ: *Poteſtas mediocriter exercita, omnia quæſita conſeruat.* [Apud Dionem lib. XLIII.]

Contrà, Οἱ ἀναιδῶς ἐς πάντα ἁπλῶς τῇ δυνάμει καταχρώμενοι, οὔτε εὔνοιαν ἀληθῆ οὔτ' ἀσφάλειαν ἀκριβῆ ἔχουσι: *Qui impudenter & paſſim in omnibus poteſtate abutuntur, ii neque veram beniuolentiam neque firmam ſecuritatem inueniunt.* [Ibidem.]

Beneficentiã itẽ parator.

B

Iam & BENEFICENTIAM adiunges. Nam *liberalitate qui vtuntur, Beniuolentiam ſibi conciliant, & quod aptiſſimum eſt ad quietè viuendum* (ſiue & *regendum*,) *caritatem.* [Cicer. II. De Finib.]

Quæ ſẽper vſui:

Vis ſcire quanta eius vis? *Meliùs beneficiis imperium cuſtoditur, quàm armis.* [Seneca De Breu. Vitæ.

Sanè vulgo, ex veteri verbo, *Omnium dulciſſimum eſt, accipere.* [Idem De Benef.]

Donabis igitur, vel Auguſti exemplo: qui *Militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otij pellexit.* [Tacit. I. Annal.]

Maximè in nouo ſtatu.

Idque effuſiùs in nouo imperio. Sic enim tibi firmabis, & *nouis ex rebus aucti, tuta & præſentia, quàm vetera & periculoſa malent.* [Ibidem.]

C

Quibus tamẽ cõferas, vide:

Sed cum Iudicio: nec placeant mihi illi *Reges*, qui *multa opertis oculis donant.* [Senec. IV. De Benef. cap. XXXVII.]

Tu largiere *bellorum ſociis, periculorum conſortibus:* [Plin. Paneg.]

Siue etiam *de te benè ac fortiter, ſed in togâ, meritis:* [Ibidem.]

Aut iis denique qui mereri poſſunt. *illis ſcilicet præmia, his exempla.* [Ibidem.]

Et quãtum, vide.

Sed eum Modo etiam. Nam *ſimplicitas ac liberalitas, niſi modus adſit, in exitium vertuntur.* [Tacit. III. Hiſtor.]

Alioqui tua & te perdis.

D

Si omnibus, ſi paſſim: quis finis? *Singuli nunquam exſatiabuntur, reſpublica deficiet.* [II. Annal.]

Itaque *alienis bonis manus afferre cogêris:* [Cicero II. de Offic.]

Quod exitiabile. *nec vnquam tanta ſtudia aſſequêris eorum quibus dederis, quanta odia eorum quibus ademeris.* [Ibidem.]

Caue igitur. atque adeò *nihil largiatur Princeps, dum nihil auferat.* [Plin. Panegyr.]

Deniq; indulgẽtiâ paratur.

Tertiò INDVLGENTIAM ſuaſi: hac mente, vt quatenus ſine corruptelâ morum poteſt, populum Laxè habeas & Iucundè. Laxè, vt in Victu: ne *plebes acri annonâ fatigetur.* [Tacit. IV. Annal.]

In viliore Annonâ:

Nam *vulgo vna ex republica annonæ cura.* [IV. Hiſt.]

——*duas tantùm res anxius optat,*
Panem & Circenſes. [Iuuenal. Sat. 10.]

E

Omnes autem *qui remp. gubernant, conſulere debent, vt earum rerum copia ſit, quæ ſunt neceſſariæ.* [Cicero II. De Offic.]

In ludicris.

Iucundè etiam: puta in ludis & eiuſmodi receptis voluptatibus. Nam vulgo, ſicut *pueris, omne ludicrum in pretio eſt.* [Seneca Epiſt. CXVI.]

Idemq; *cupiens voluptatum, & ſitrahat eò Princeps, lætum.* [Tacit. XIV. Annal.]

Itaque vides, *nec maiores abhorruiſſe ſpectaculorum oblectamentis.* [Ibidem.]

Quæ ſeriu etiã vſũ præbent.

A

Vſus enim aliquis in iſtâ re: cùm ita ferociores populi, eoque *bello faciles, quieti & otio per voluptates aſſueſcunt.* [Idem in Agric.]

Frangũt & molliunt.

Idque *apud Imperitos Humanitas vocatur, cùm pars ſeruitutis ſit.* [Ibidem.]

Veriſſimum eſt, *Voluptatibus Romanos plus aduerſus ſubiectos, quàm armis valuiſſe.* [Tacit. IV. Hiſtor.]

A generoſis curis auocant.

Nec id neſciuit ille hiſtrio, qui increpanti Auguſto quòd eius cauſâ in plebe eſſent tumultus: συμφέρει σοι, Καῖσαρ, inquit, περὶ ἡμᾶς τὸν δῆμον διασχολεῖσθαι: *Expedit tibi, ô Cæſar, populum circa nos diſtineri.* [Pylades apud Dionem lib. LIV.

Acutè. Nam profectò *virtus ac ferocia ſubditorum, ingrata imperantibus.* [Tacitus in Agric.]

Tamen laſciuia & luxus vitanda.

Sed modum tene: & vide vt hæc *lætitiæ potiùs, quàm laſciuiæ dentur.* [Annal. XIV.]

B

Facilè enim iſta irrumpet. *nec pudicitia aut modeſtia, nec quidquam probi moris vltrà reſeruabitur.*

Ita Tui & Tu peribitis. Quid enim ſalui, amiſſis moribus?

CAPVT IX.

Auctoritas commendata valdè. Tria oſtenſa quæ ad eam ducunt. in quibus quia Imperij præcipua vis eſt, accuratè & enucleatè de his diſſertum.

AVCTORITAS inter iuuantes virtus altera eſt. quam * ſuprà quoque libaui: ſed hoc tantùm. nunc vberiùs, & pleno magis ore dicenda eſt. Definio iterùm: Auctoritas eſt IMPRESSA SVBDITIS, SIVE ET EXTERIS, OPINIO REVERENS DE REGE EIVSQVE STATV. Conſtat ex Admiratione & Metu: cuius vtriuſque ſæpe res ſiue mixtio facit hanc Virtutem. Quam parari apud quaſdã nationes promiùs aio:

C

* Lib. II. c. XVI.

Quid Auctoritas? Vnde nata?

Eſt enim *ingenita quibuſdam gentibus erga reges ſuos veneratio.* [Curtius III.]

Quibus reb. paranda?

Apud alias ægriùs: ſed tamen apud omnes triplici hoc, quem dicam, modo ſiue viâ. Formâ imperij, Potentia imperij, Moribus imperantis. Per ſingula te ducam, & figam in iis pedem non diſtinctè ſolùm, ſed lentè & impreſsè. quis carpet? ego fulcrum hoc regnorum ſcio, &

Tutela ea regnorum.

D

Maieſtatem imperij, ſalutis eſſe tutelam. [Idem lib. VIII.]

Hæc illa velut edita arx eſt, quâ Princeps ſe vindicat à rebellione & contemptu. Scande & occupa deo auſpice, me duce. Prima viarum eſt

FORMA IMPERII. in quâ tria ad Auctoritatem requiro: vt Seuera ſit, vt Conſtans, vt Adſtricta. SEVERA primùm, quia perpes illa & aſſidua Lenitas Contemptum inducit, id eſt Principatus ipſam peſtem. In hac colluuie morum & hominum *habendus metus, aut faciendus eſt.* [Salluſt. Orat. Lepid.]

Hanc creat Seuera gubernatio.

Quæ ex vſu Principis, Et ſubditorũ.

Ampliùs, quia inducit *maximam illecebram peccandi impunitatis ſpem.* [Cicero pro Mil.]

E

Quis eum metuat, *apud quem conditum, imò conſtrictum ferrum eſt?* [Sen. I de Clemen.]

Qui per ſegnitiem potiùs quàm clementiam, *patiatur hebeſcere aciem ſuæ auctoritatis?* [Cicer. I. in Catil.]

Nã vulgus metu coercendum.

Ne feceris, & noſce vulgus. Οὐ γὰρ πεφύκασιν αἰδοῖ πειθαρχεῖν, ἀλλὰ φόβῳ· οὐδ' ἀπέχεσθαι τῶν φαύλων διὰ τὸ αἰσχρόν, ἀλλὰ διὰ τὰς τιμωρίας: *Non enim ita natum eſt, vt Pudori obſequatur, ſed vt Metui: nec vt abſtineat à prauis ob turpitudinem, ſed ob ſupplicia & pœnam.* [Ariſt. 10. Ethic. c. 10.]

Adhibe hæc igitur in tempore. *Salutaris Seueritas vincit inanem ſpeciem Clementiæ.* [Cic. ad Brut. epiſt. II.

Cotys

Cotys rex Thracum, increpanti ſeueritatem eius, & aienti, Μανία τοῦτ' ἐστὶ, καὶ οὐ βασιλεία: bellè reſpondit, Ἀλλ' ἥ γε ἐμὴ μανία τοὺς ἀρχομένους σώφρονας ποιεῖ: *Furor hic eſt, non Regnum. At meus hic Furor ſubditos ſanos reddit.* [Stob. de Regno.]

Ita, ita. *Adhibenda eſt reip. cauſſâ Seueritas, ſine quâ adminiſtrari ciuitas nulla poteſt.* [Cicero II. De Offic.]

Et noxia recidenda.

Scimus digitum præcidi oportere, ſi ob eam rem gangræna non ſit ad brachium ventura. [Var. in Fragm.]

Sed per interualla:

Tamen tempeſtiuè, & cum intermiſſione. Nam *ciuitatis mores magis corrigit parcitas animaduerſionū.* [Senec. I. De Clem.]

Illud laudabile, quoties potes, efficere *vt pœna ad paucos, metus ad omnes perueniat:* [Cic. pro Cluent.]

Et *vnius improbi ſupplicio multorum improbitatem coercere.* [Idem III. in Ver.]

Niſi mala herba nimiùm ſuecreuerit.

Quòd ſi crebra tamen nimis aut pertinacia vitia: tum ſanè illud valeat,

Crudelem medicum intemperans æger facit. [Publius.]

Falce tūc recidēda eſt.

Ne corporis quidem morbos veteres & diu auctos, niſi per dura & aſpera coerceas. Corruptus ſimul & corruptor, æger & flagrans animus, haud lenioribus remediis reſtinguendus eſt, quam libidinibus ardeſcit. [Tacit. III. Annal.]

Cōſtantia Auctoritati facit:

Secundò, CONSTANTEM voluit imperij Formam: quod interpretor, vno & veteri tenore fluentem. Quid mihi mutas? Alcibiadem audi verè cenſentem: Τῶν ἀνθρώπων ἀσφαλέστατα τούτους οἰκεῖν, οἳ ἂν τοῖς παροῦσιν ἤθεσι καὶ νόμοις, ἢν καὶ χείρω ᾖ, ἥκιστα διαφόρως πολιτεύωσι: *Eos hominum tutiſſime agere, qui præſentibus moribus legibúſque, etiamſi deteriores ſint, minimùm variantes, rempub. adminiſtrant.* [Apud Thucyd. lib. VI.]

Obſeruatióq; legū & morum.

Ipſum Auguſtum: qui ſic olim ad Senatum: Τοὺς κειμένους νόμους ἰσχυρῶς φυλάττετε, καὶ μηδένα αὐτῶν μεταβάλητε. τὰ γὰρ ἐν ταὐτῷ μένοντα, κἂν χείρω ᾖ, συμφορώτερα τῶν ἀεὶ καινοτομουμένων, κἂν βελτίω εἶναι δοκῇ, ἐστίν: *Poſitas ſemel leges conſtanter ſeruate, nec vllam earum immutate. Nam quæ in ſuo ſtatu eadémque manent, etſi deteriora ſint, tamen vtiliora ſunt reip. his quæ per innouationem vel meliora inducuntur.* [Apud Dionem LIII.]

Cōtemnuntur leges, latæ, relatæ

Et inopinati dogmatis cauſſa duplex. Quod nec leges ipſæ vim & vitam ſatis habeant, vertendæ ſtatim aut euertendæ. *Non enim conualeſcit planta, quæ ſæpiùs transfertur.* [Seneca Epiſt.]

Et voā earū lator.

Et quòd Princeps vileſcit, qui ſic vacillat: fœdaq; inconſtantiâ, *quæ iuſſerat, vetat; quæ vetuerat, iubet.* [Tacit. III. Hiſtor.]

Aerieuli in rep. mali.

Sperne ergo circa te nouatores: qui *vt aliquid ſui videantur afferre, etiam recta commutant.* [Quinct. lib. III. Inſtitut.]

Veteres, & vetera, optimi.

Et ſcito, *ſuper omnibus negotiis meliùs atque rectiùs olim prouiſum: & quæ conuertuntur, in deteriùs mutari.* [Tacit. XV. Annal.]

Ideò in *minimis quoque rebus, omnia antiquæ conſuetudinis momenta ſeruanda.* [Val. Max. lib. II.]

Interdū tamē innouādū.

Sed numquam, inquies, mutem? numquam: niſi aut ſumma Vtilitas expreſſerit, aut ſumma Neceſſitas. Nam, fateor, *nocet* interdum *priſcus rigor, & nimia ſeueritas, cui iam pares non ſumus.* [Tacit. I. Hiſtor.]

Sed non violētè:

Sed tunc quoq; fiat leniter: & vt *quàm minimo ſonitu orbis ille in rep. conuertatur.* [Cic. ad Att. lib. II. epiſt. IX.]

Et pauxillatim.

Itemque Lentè: vt per gradus, nec omnia ſimul. Auguſti exemplo: qui ſub initia imperij οὐ πάντα δ' εὐθὺς, ὥσπερ ἐπενόησεν, ἐποίησε. φοβηθεὶς μὴ καὶ σφαλῇ τι, ἀθρόους μεταρρυθμίσαι τοὺς ἀνθρώπους ἐθελήσας· ἀλλὰ τὰ μὲν παραχρῆμα μετεκόσμησε, τὰ δὲ ὕστερον: *non omnia ſtatim, vti decretum erat, exſecutus eſt: veritus ne parum ſuccederet; ſi ſimul homines transferre & inuertere vellet ſed quædam ex tempore diſpoſuit, quædam reiecit in tempus.* [Dio LII.]

Atque hoc eſt, quod de eodem noſter: *Inſurgere paulatim, munia legum & magiſtratuum in ſe trahere.* Ait Paulatim: & tu in te ſimili ſerua. [Tacit. I. Annal.]

Tertiò, ASTRICTAM Imperij Formam poſui. id eſt, vt non ſolùm A te præcipua vis & honos, ſed etiā Apud te ſint. A te quidem, vt maxima rerum aut agas ipſe, aut ſi mes: *nec vim Principatus reſoluas, cuncta ad Senatum reuocando.* [I. Annal.]

Adſtrictio imperij, pro Auctoritate.

Non quia cōſilia ſpernam (valdè ſuaſi, & ſuadeo:) ſed quia innoteſcere omnibus velim, te eſſe à quo pendeant omnes. Eſto mihi *ſolus arbiter rerum, iure ac nomine regio.* [II. Annal.]

Princeps vnus res manu teneat.

Regis domini rerum temporumq́; trahūt conſiliis cuncta, non ſequuntur. [Liu. IX.]

Eum omnes ſpectēt: & omnia ab eo exſpectēt.

Aliquid hîc laxas? totum amittis. *Ea eſt imperandi ratio, vt non aliter conſtet, quam ſi vni reddatur.* [Tacit. I. Annal.]

Sed Apud te etiam pleruſque honos maneat, certè magnus. Doctorum ille doctor: Κοινὴ φυλακὴ πάσαις μοναρχίαις, τὸ μηδένα ποιεῖν ἕνα μέγαν: *Communis cuſtodia Principatus, neminem vnum magnum facere.* [Ariſtot. V. Polit. cap. XI.]

Honores nimios ne dato.

Semper *periculoſum priuati hominis nomen ſupra* (imò & iuxta) *Principis attoli.* [Tacit. in Agric.]

Quid ſi tamen factum? corriges. ſed ſic, vt non detrahas eum, ſed deducas. Δεῖ γὰρ ἐκ περιαγωγῆς, vt ille loquitur, ταῦτα δρᾷν, καὶ μὴ πᾶσαν ἀθρόον ἀφαιρεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν: *Oportet circumductione quadam & per ambages id facere, nec totam poteſtatem ſimul tollere.* [Ariſtot. V. Polit. cap. XI.]

Datos auferto: ſed vellicatim.

Nec verò magnos ſolùm honores dari abnuo, ſed & (vtique in Militiâ aut Præfecturâ) longos. Vetus monitum: *Nihil tam vtile, quàm breuem poteſtatem eſſe quæ magna ſit.* [Latro apud Senec. VII. Controu. VIII.]

Non lōgos item dato.

Libertatis (ſiue *Principatus*) *magna cuſtodia eſt, ſi magna imperia diuturna eſſe non ſinas.* [Liuius IV.]

Cauſſa. quoniam αἱ μακρότεραι καὶ πολυχρονιώτεραι ἀρχαὶ ἐπαίρουσι τοὺς πολλοὺς, καὶ ἐς νεωτεροποιίαν ἐξάγουσι: *Longiora & diuturniora imperia multos attollunt, & ad res nouandas impellunt.* [Dio. LII.]

Nā homines inſoleſcūt.

VIAM primam vides: alteram tibi POTENTIÆ ingredior, quæ eſt illa ipſa directa & regia ad ſolidā auctoritatē via. Cetera omnia adſint, hæc abſit: quid iuuabunt? Scito *parùm tutam maieſtatem ſine viribus eſſe.* [Liuius XI.]

Potētia certiſſima ad Auctoritatē ratio.

Potentiam autem hîc intellego, ad *Sua conſeruanda, & Aliena obtinenda, idonearum rerum facultatem.* [Cicero II. de Inuen.]

Quid eā appellē?

Quam quinque hæc inſtrumenta tibi dabunt: Opes, Arma, Conſilia, Fœdera, Fortuna: ſi tamen appoſitè vtâris, & vt præcipiam. Attende, attende. Primo loco Opes pono. & de vi atque vſu earum quis ambigit? Δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἔστι γενέσθαι τῶν δεόντων: *Opus ſunt Opes, & ſine iis nihil fiet quod opus.* [Demoſth. Olynth. I.]

Quī parari cenſeam. 1. Pecuniā.

Expertiens callidusque vir clamabat olim: Νεῦρα τῆς ἡγεμονίας τὰ χρήματα εἶναι: *Neruos imperij pecuniam eſſe.* [Mucian. apud Dion. in Veſpaſ.]

Illa nerui, caput, pedes.

Nam ſocios aut milites habere vis? Illa dabit. Πάντα

Animorū domina:

ὠνητὰ

ὤνια τὰ πάντα: *Omnia venalia nummis.* [Ariſtot. Rhet.II.cap.XVI.]

Locorū domina.

Hoſtes aut vrbes perdere? hæc faciet. *Nihil tam munitum, quod non expugnari pecuniâ poſſit.* [Cicero II. in Verr.]

Omnia caſtella hæc machina deiiciet, *in qua modò aſellus onuſtus auro poſſit aſcendere.* [Cicero I. ad Att.Epiſt.XII.]

Ad ſummam,

——*diuina humanaq́ue pulcris*
Diuitiis parent. [Horat.II.Sermon.]

Argenteus gladius omnia penetrat.

Non credis? ſaltem oraculo:

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις.
Haſtis pugna argentatis, atque omnia vinces.

[Philippo Macedoni id datum.]

B

II. Arma opus ad potētiā. Reges inuadunt.

Inſtrumentum ſecundum, Arma. Nam illud certum, *Non ignauiâ magna imperia contineri, ſed virorum armorumq́ue faciendum certamen.* [Tacit.XV.Annal.]

Improbè dictum videatur, ſed in tempore vtiliter: *Sua retinere, priuatæ domus; de alienis certare, regiā laudem eſſe.* [Ibidem.]

Fateor optabilius *magnitudinem ſuam iuſtitiâ tueri:* [De morib.German.]

Et ſæpè debent, aut ipſi inuaduntur.

Sed optabilius. quî enim ſemper poſſis? *Inter impotentes & validos falsò quieſcas. vbi manu agitur, modeſtia & probitas nomina ſuperioris ſunt.* [Ibidem.]

Ab exteris: A ſuis:

Nec vmquā deerūt, *niſi ſiluâ hac* humani generis *exciſâ, raptores alienæ libertatis lupi.* [E Velleio lib. II.]

C

Addo, ſi non hoc ſit, quòd *nulla magna ciuitas diu quieſcere poteſt. ſi foris hoſtem non habet, domi inuenies.* [Liu.XXX.]

Cōprimant ergo bella bello.

Arce, arce internam illam peſtem: & alios potiùs turba, quàm vt te perdas. *Agendo audendoq́ue res humanæ creuit, non his ſegnibus conſiliis, quæ timidi cauta vocant.* [Idem XXII.]

III. Cōſilia vſui ad potētiam. Haud temerè bellum mouendum:

Quamquā Conſilia profectò & ego miſceo: nec vlla ſtabilis potentia ſine iſtis. *Arma,* inquit ille, *conſilio temperanda ſunt.* [Tacit.I. Ann.]

Quod tibi ita præco. Arma inferre vis? Primùm vide vt Prouidè.

Animus vereri qui ſcit, ſcit tutò aggredi. [Publius.]

Odi iſtos properos, qui *dum inferre pericula volūt, non cauent.* [Seneca I.De irâ.]

Et ſcio *cautis quàm acrioribus conſiliis Potentiam tutius haberi.* [Tacit.II. Annal.]

Nec nimis diu habēdū.

Vide etiam vt cum Modo. *ne dum ad culmen venire contendis, vnà cum ipſis ramis, quos comprehendiſti, decidas.* [Curt.VII.]

Ea demum potentia tuta eſt, quæ viribus ſuis modum imponit. [Val.IV. cap.I.]

Explendus animus.

Pyrrhus mihi es? & *nouâ ſits ad alia aliaq́ue properas?* [Plut. in Pyrrho.]

Noli. *Facilius eſt quædam vincere, quàm tenere.* [Curt. IV.]

Et Fortunam citiùs reperias, quàm retineas. [Publius.]

Et in quæſitis aut relictis quieſcendū:

Tu firma antè-parta. *Difficilius eſt prouincias obtinere, quàm facere. viribus parantur, iure retinentur.* [Florus lib.IV.cap.vlt.]

Et quid feſtines? *Non durat, nec ad vltimum exit, niſi lenta felicitas.* [Seneca Conſol.ad Marc.]

Præſertim minutis Principibus, Qui periculosè ſemper ſe mouent:

Regibus ego ita ſuadeo: at regulis, iſta. Quies vobis tutior, nec de Obtinendo laborate, ſed Tenendo. Scitote, *teſtudinem, vbi collecta in ſuum tegmen eſt, tutam ad omnes ictus eſſe: vbi exſerit partes aliquas, quodcumque nudauit, obnoxium atque infirmū habere.* [Liuius XXXIV.]

Sic vos, apud vos, tutos eſſe. *ſimul auiditate plura complectendi hinc exceditis, nuda vobis omnia quæ extra ſunt, & expoſita ad omnes ictus eſſe.* [Ibidem.]

A

Voluat quod nec teneant.

Stulti qui *concupiſcunt, quod non capiunt.* [Curtius VII.]

Vobis melius, *conſilio & aſtu res externas moliri, arma procul habere.* [Tac.II.Annal.]

IV. Fœdera vſui ad Potētiam.

Itemque via hæc Fœderum: quæ ipſa, vt dixi, ad Potentiam valent. Socios legi ſuadeam, *qui non mediocri valeant potentiâ, & in proximo habitent.* [Ariſtot.Rhet. ad Alexand.cap. vlt.]

Ineunda cū proximis & validis. Vix cum afflictis:

Id eſt, qui vtibiles eſſe & viribus loci opportunitate poſſint. Nā infirmis aut miſeris quid te iungas?

——*quærunt,*
Cum quâ gente cadant. [Lucan.VIII.]

B

Tu, ſi ſapis,

——*fatis accede deiſq́ue,*
Et cole felices. [Ibidem.]

In caducum parietem ne inclina. [Ex Hadriani dicterio.]

Ne ipſe affligare Niſi quopiā periclitante, etiā tu:

Suam quiſque fortunam in conſilio habeat, cùm de alienâ deliberat. [Curt.IV.]

Niſi tamen quiſpiam talis, *cuius ruina te quoque tractura ſit.* [Ex Tac.de Morib.Germ.]

Tūc vel aſtu iuua.

Tum enim ſanè aut iunge te, aut iuua: ſed quid ſi occultè? Vetus illa calliditas, *ſocietatem alterius palam induere, ad alterum per occulta & fida magis inclinare.* [XII. Ann.]

Periculoſum, potentē in potētem iungi:

C

Magnus nodus cùm diſſentiunt inter ſe vicini duo potentes: *qui nec vincere, nec vinci, ſine periculo tuo poſſunt.* [Salluſt.Ep.Mithrid.]

Quid facies? non enim effugias, quin alterum *aut ſocium habeas, aut hoſtem.* [Liuius XXXII.]

Et tamē pænè neceſſariū. Adiaforia, hîc nulla.

Nam quòd nonnemo *tamquam mediam & tutiſſimam conſilij viam, vt quieſcas abſtineasq́ue armis, oſtendit: ea verò non media, ſed nulla eſt.* [Ibidem.]

Quid enim aliud, quàm nuſquam gratiâ ſtabili, velut qui euentū exſpectaueris vt Fortunæ applicares conſilia tua, præda victoris eris? [Ibidem.]

Vidimus, & videbimus (ita nunc Europæ ſtatus) eos, *quos ignauia aut praua calliditas, vt alienis laboribus tuti eſſent, armis abſtinuit, acerbiſſimas pœnas ſoluiſſe.* [Salluſt.Ep.Mithr.]

Iunge te igitur, cū deo.

D

Cum Cæſare igitur *Iacienda* tunc *alea:* & alterutri ſe adiungendum. [Suetun.]

Sed in cauſſâ palàm diſpari, meliori: in ambiguâ, fortiori. niſi alia Opportunitas aut Vtilitas vincat. Nam profectò eas hîc ſpecto. Alta & animoſa quid cogites? Tuta potiùs: & cum Gallis, *Valentium animum prebes, conſilium Auſpicis ſequare.* [Tacit.IV. Hiſtor.]

V. Fortuna vſui ad Potentiam: Et quidē ſupra alia.

At Fortunam vltimum inſtrumentum ad Potentiam fecitcur non primum? Debebam, ſi vim eius intueret. Nam *quis neget eximiam quoque gloriam* & potentiam, *ſæpius Fortunæ quàm virtutis eſſe beneficium?* [Curt.VIII.]

Quæ minutos quoſdā fouet.

Sunt enim quidam hoc aſtro; vt iis *ad amplitudinem, & gloriam, & ad res magnas benè gerendas, diuinitus adiuncta Fortuna videatur.* [Cicero pro Leg. Man.]

E

Homines ad Pompeianum illud elogium, *maiore fortunâ quàm ſapientiâ.* [Salluſt.ad Cæſ.]

Omnia ſine labore ſuggerit.

Quibus *dormientibus dij omnia conficiunt.* [Terent.Adelph.]

Rete vrbes capiunt: [Inter Adagia è Plut.]

Et *In ſinū iis de cælo Victoria deuolat.* [Liuius VII.]

Qui nec volentes peccant.

Quos poëta quoque depinxit:

Πολλοί τοι χρῶνται δειλαῖς φρεσί, δαίμονι δ' ἐσθλῷ.
Οἷς τὸ κακὸν δοκέον γίγνεται εἰς ἀγαθόν.
Multis mens læua eſt, ſed eiſdem numina dextra.
Queis malè quod cœptum eſt, vertit & in melius.

[Theog.]

Sicut

A Sicut contrà, aliis *deſtinata ſalubriter, omni ratione poſt eum Fortuna diſcuſſit.* [Curtius III.]

Gaudeant ergo qui illam habent. Nam vel ab hac ſolâ Auctoritas.

Tales vulgò magni:

———vt quiſque fortunâ vtitur,
Ita præcellet, atque exinde ſapere eum omnes dicimus. [Plaut. Pſeud.]

Neſcio aoin lógum.

Sed gaudeant moderatè, quia mera & nuda felicitas fragilis: nec *quidquam poteſt eſſe diuturnum, cui non ſubſit ratio.* [Curt. IV.]

Nam illa ſe mutat:

Licet pullis iſtis ſuis *adſpirare Fortuna videatur, tamen ad vltimum temeritati non ſufficit.* [Ibid.]

Et quos diu *proſecuta eſt, repentè velut fatigata deſtituit.* [Velleius II.]

Eclædit, quibuſcum luſit.

Deſtituit? imò abiicit. *ſoléſque quos plurimis beneficiis ornauit, ad duriorem caſum reſeruare:* [Cæſ. III. Ciuil.]

B

Tu caue, caue, & poëtæ monito
Fortunam reuerenter habe. [Auſon.]

Mores, via vltima ad Auctoritatem.

Tertia via ſe nunc pandit, MORVM. quos duplices in Imperante hîc conſidero, Internos & Externos. Illos, qui in animo: vt virtutes. iſtos, qui in corpore: vt certos habitus, aut geſtus. Quod ad Virtutes: omnes eæ conciliandę Auctoritati ſunt, imò & *ſpecies virtutum ſimiles:* ſed duæ eminēt, Pietas & Prouidentia. Nam illa ſanè vulgo venerabilis, facitque *Principes inſtar deorum eſſe.* [Tacit. XV. Annal.]

Facit valdè præclata Pietas.

Et mouet opinionem, vt *nihil ſine diuinâ ope aggredi videantur.* [Curt. III.]

Stagirites ideò monuit: Δεῖ (τὸν ἄρχοντα) τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς φαίνεσθαι ἀεὶ σπουδάζοντα διαφερόντως: *Oportet Principem res diuinas videri curare ſeriò & ante omnes.* [Ariſtot. V. Polit. cap. XI.]

C

Obediētiam cōciliat.

Additq́; cauſſas. Ἧττόν τε γὰρ, inquit, φοβοῦνται τὸ παθεῖν τι παράνομον, ἐὰν δεισιδαίμονα νομίζωσιν εἶναι τὸν ἄρχοντα καὶ φροντίζειν τῶν θεῶν. καὶ ἐπιβουλεύουσιν ἧττον, ὡς συμμάχους ἔχοντι καὶ τοὺς θεούς: *Nam & minùs iniuſtum aliquid ſperant ab eo Principe pati, quē religioſum deorumq; verentem exiſtimant: & minùs ei inſidiantur, vt tutores & adiutores habenti etiam Deos.*

Inſidias tollit.

Facit & Prouidentia.

Iam Prouidentia quoque *animis hominum illabitur, admirationis prætextâ velata:* ſi nihil aut ſuſcipis, aut agis, niſi lentè & circumſpectè. [Val. II. cap. X.

Quæ ratò labitur.

D

Id eſt, feliciter. Plerumque enim *omnia ſummâ ratione geſta etiam Fortuna ſequitur.* [Liuius lib. V.

Ideóque æſtimatur.

Ergo & Auctoritas: nam Contemptus à lapſu. *Res aduerſæ Auctoritatem imperatorum imminuunt.* [Cæſ. VII.]

Quin ipſa talis indoles, per ſe potens eſt ad Amplitudinem obtinendam. ſi quis tardus in actionibus & *cunctator naturâ, & cui cauſa conſilia cum ratione quàm felicia ex caſu placeant.* [Tacit. II. Hiſtor.]

Faciunt nōnihil externa.

Inter Externos Mores pono geſtum: vt ſis *compoſitus ore:* [II. Ann.]

Graui & ad ſeueritatem flexo, non tamen ad iminas. καὶ φαίνεσθαι μὴ χαλεπόν, ἀλλὰ σεμνόν, ὥστε μὴ φοβεῖσθαι τοὺς ἐντυγχάνοντας, ἀλλὰ μᾶλλον αἰδεῖσθαι: *& apparêre non acerbum, ſed auguſtum. vt qui obuij ſunt, non metuant ſe ſed magis vereantur.* [Ariſtot. V. Polit. cap. XI.]

E

Atq; adeò ipſū domicilium.

Etiam habitatio habet & adfert aliquid dignitatis, ſi ea in loco ſplendido & illuſtri. Me auctore, elige vrbem aliquam principem, *vnde in omnia regimen.* [Tacit. III. Ann.]

Hanc cole.

———medium non deſerit vmquam
Cæli Phœbus iter, radiis tamen omnia luſtrat.
[Claudian.]

Et ſecede tamen interdum, vt *viſitatio aſſiduitatis faſtidio, Auctoritatem abſentiâ tueâre.* [Sueton. Tib. cap. X.]

Alia quæ huic rei faciunt, pete è proprio Capite, * ſuprà. An ego quæ dixi repetam, * ἔτι μαψιλάκας, Διὸς Κόρινθος?

*Lib. II.

* Sicut nugator aut blactero, Iouis Corinthus?

[Pindar.]

CAPVT X.

Ad ea tranſitum quæ Vertendo regno faciunt: in quibus prima, Vis eſt. Ea duplex oſtenſa: Inſidiæ & Proditio. Vtraque quomodo cauenda aut punienda, oſtenſum.

QVÆ Iuuant aut firmant regnum, dixi: ad Noxia veniendum eſt. In quibus prima Vis mihi occurrit, hoc ſenſu: vt ſit MOLITIO OCCVLTA VNIVS PLVRIVMVE, IN REGEM AVT REGNVM. Occultam dixi, quia non de omni Vi propoſitum hîc mihi dicere (eſt enim Aperta quædam, vt Factio, Seditio, Bellum: quas iure differo, & refero ad Prudentiam Militarem:) ſed ſaltem de illâ Clanculariâ, quæ propriè oppoſita Vi noſtræ Iuuanti. Hanc duplicem facio: Inſidias, & Proditionem. è quibus illę ſcilicet Cuſtodibus aduerſæ ſunt; iſta Munimentis. Nam ego ita diſcrimino, vti inſidias propriè in caput regis eſſe velim: Proditionem in loca eius, copias, arces. Vtrumque peſtilens & metuendū magis, quàm cauendum. Qui poſſis? latet: nec prodit ſe, niſi cùm perdit. Enimuerò *Arma aperta palàm vitet: fraus & dolus occulta, eoq; ineuitabilia.* [Tacit. II. Hiſtor.]

Vis definita meq menti.

Diuiſa.

Periculū ab eā: Vix reprimendū.

Hoſtem aduerſum, ait ille, *homini ſtrenuo opprimere haud difficile eſt: occulta pericula neque facere, neque vitare, bonis in promptu eſt.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Nam de INSIDIIS vt primò dicam: ſcimus *patēre vel vnius inſidiis regem. nihil nefas eſſe Auaritiæ.* [Curtius IV.]

Princeps vni alicui expoſitus.

Scimus *fluxam militum fidem, & periculum ex ſingulis.* [Tacit. II. Hiſtor.]

Quid proderunt cohortes alæq;, ſi vnus alterve, præſenti facinore paratum ex diuerſo præmium petant? [Ibidem.]

Profectò *regum exitus ſi reputauerimus, plures à ſuis quàm ab hoſtibus interemptos reperiemus.* [Curtius IX.]

Quid miremur? *Quiſquis vitam ſuam contempſit, tua dominus eſt.* [Sen. Epiſt. IV.]

Contempſit omnes ille, qui mortem prius. [Senec. Trag. Her. Oet.]

Et patrat, qui deſperat.

Difficile igitur auxilium, ſiue conſilium: tamen aliquod. & id capies ab his quattuor, Indagatione, Punitione, Innocentiâ, Fato. Ab illâ primùm: quoniā omnino vtile habere te * κατασκόπους quoſdam ſiue * ὠτακουστάς etiam. καὶ τὸ μὴ λανθάνειν πειρᾶσθαι, ὅσα τυγχάνει τις λέγων ἢ πράττων τῶν ἀρχομένων: *& conari ne te lateat, quid quiſque ſubditorum faciat aut dicat.* [Ariſtot. V. Politic. cap. XI.]

Remedia tamē quatuor.

* Speculatores.

* Auricularios vt vertūt Gloſſ. priſcæ.

Subditorum, inquam, maximè Illuſtriorum. Nam in omnes quæ acies inquirat? Hoc cùm ad alia vtile, tum contra Inſidias valebit firmiter. quoniam rarò, niſi malè locuti, malè faciunt: & *Lingua temeritas, peruenit ad gladios.* [Curt. VI.]

loquiſitio in ſermones.

Obſerua. reperies pleroſque inſidiantium, aut ipſos alibi criminatos Regem eſſe, aut *ſermonibus vituperantium criminantiumq; faciles aures præbuiſſe.* [Idem VIII.]

Lingua meotem prodit.

Itaque ſagaci hac viâ, non parum *latus à domeſticis hoſtibus munies.* [Idem VI.]

Rem enim factam habes, ſi detectam. Quod quo magis fiat, cur non *Indici præmia* palàm *decernas,*

Indicinę præmia ponēda.

pecuniam

Digitized by Google

pecuniam & impunitatem? [Salluſt.Catil.]

Publica lege vel Edicto.

Idque lege latâ,& ſæpiùs renouata? Ego è re Principum cenſeam: & ſcio *Cruciatu aut Præmio cuncta peruia eſſe.* [Tac.xv.Annal.]

Eorum ſpes omnia reuelat.

Nam cùm ſecum quicumque *animo Præmia reputat, ſimúlque immenſa pecunia & potentia animo obuerſantur: cedet fas & ſalus* aliorum. [Ibidem.]

Et, mihi crede, *cariſſima ſuorum pignora prodent.* [Ibidem.]

Cautè tamen credendum:

Sed in delationibus his vide, vt aures omnibus præbeas, non etiam fidem. Nam multi, ſpe aut odio, vana deferent. ideóque, ex Mæcenatis monito, *οὐ χρὴ πᾶσι τοῖς λεγομένοις ὑπὸ τινῶν πιστεύειν, ἀλλ᾽ ἀκριβῶς αὐτὰ ἐξετάζειν: non oportet omnibus quæ ab his talibus dicuntur, fidem adhibere, ſed acriter ea examinare & diſcutere.* [Dio LII.]

Ne innoxij eis cumueniantur:

Et per Deum, *quis innocens eſſe poterit, ſi accuſaſſe ſufficiet?* [Ammian.Marcel.XVIII.]

Ne locū calūniis & odiis aperias.

Imò, quia res te tuúmque caput ſpectat, eò magis videndum nequid hîc properè agere videaris, aut in tuâ cauſsâ, tuâ cauſsâ. Alioqui *crebro vulgi rumore laceraberis, tanquam viros inſontes ob inuidiam aut metum extinxeris:* [Tacit.xv.Annal.]

Nam *χαλεπώτατοι οἱ πολλοὶ πιστεῦσαι, ὅτι τις ἄοπλος ὤν, ἐπιβουλεύει τῷ ὡπλισμένῳ: ægerrimè vulgus credit, quòd quiſpiam inermis inſidias armato ſtruat & militibus cincto.* [Dio LII.]

Et penè *non creditur niſi perpetratum facinus.* [Liuius XL.]

Vt non immeritò ille exclamauerit, *Conditionem Principum miſerrimam, quibus de coniuratione compertâ non creditur, niſi occiſis.* [Suet.Domit.cap.XXI.]

Cōuicti puniēdi

Cautè igitur age & lentè. Quid ſi comperis? puni (ſecundum enim hoc Auxilium eſt) & grauiter puni. Nam *inſidiatori aut latroni quæ poteſt inferri iniuſta nex?* [Cic.pro Mil.]

Ille eſt, per quem *libertas & anima omnium in dubio:* [Salluſt.Catil.]

Ille, qui in vno capite ſæpè omnes perdit, & *magni fortunam populi in ruinas agit,* [Sen.I.de Clem.]

Hic mihi quiſquam, manſuetudinem & miſericordiam nominat? [Salluſt.Catil.]

Tua cautio, ô Princeps, *noſtra cautio eſt:* [Cic.pro Marcello.]

Nec tua propriè, ſed reip. hæc vindicta. *Ne ſanguinem noſtrum largiare; & dum paucis ſceleratis parcis, bonos omnes perditum eas.* [Salluſt.Catil]

Nec tamé properè.

Sed tamen ita animaduerte, vt mora interdum interueniat vltioni. Quid enim ſi importuno tempore inſidiæ detectæ? Diſſimulabis. gnarus, *ſolum ſæpè inſidiarum remedium eſſe, ſi non intelligantur.* [Tacit.XIV.Annal.]

Quid etiam ſi à magnis conceptæ, & quos tutò ſtatim haud punias? Premes: & *ſecuritati conſules, antequam vindictæ.* [XI.Annal.]

Res enim monet, cauere ab illis magis, quàm quid in illos ſtatuas, conſultare. [Salluſt.Catil.]

Nec itē ſemper.

Et quamquam ad Vindictam te incito, tamen à Veniâ haud ſemper excludo. Pone illuſtrem aliquē deprehenſum in hoc ſcelere, cui tu & patria deuincti: quid facies? Profectò *pœnam, ſi tuto poteris, donabis ſin minus, temperabis.* [Senec.I.De Clem.]

Audi à muliere non muliebre conſilium. Liuia ſuo Auguſto: *Deprehenſus eſt, iam nocere tibi non poteſt, prodeſſe famæ tuæ poteſt.* [Ibidem.]

Nihil glorioſius eſt Principe impunè læſo. [Ibidem.]

Clemētia hic ſæpe vtilis.

Famæ tantum: imò & ſaluti. Incredibile eſt, quantum inſignita hæc aliqua clementia, alios arceat à ſimili conatu, vel pœnitentiâ, vel pudore. Oraculum puta: *Clementia non tantùm honeſtiores, ſed tutiores præſtat: ornamentúmque imperiorum eſt ſimul, & certiſſima ſalus.* [Ibid.]

Nam profectò * *parentes liberique eorū qui interfecti ſunt, & propinqui & amici, in locum ſingulorum ſuccedunt.* [Ibid.]

* Hoc valet in illuſtribus maximè familiis.

Atqui ita fit inſidiantium nexus quidam & cathena. quî eam rumpes? Clementiâ iſtâ, vt dixi: & maximè tertio noſtro auxilio, Innocentiâ. id eſt, ne crebrâ aliorum læſione, cauſſam ipſe præbeas tui lædendi. *Male vim ſuam poteſtas aliorum contumeliis experitur.* [Plin.lib.VIII epiſt.vlt.]

Cauſſa inſidiis tollēda.

Et *diſcimus experimento, fidiſſimam eſſe cuſtodiam Principis ipſius Innocentiam.* [Idem Panegyr.]

Reliqua fatis permittenda.

Iam quartum tibi ſcutum ſuggero, Fatum. Miſer, quid te torques? Si illud volet,

Præbenda eſt gladio pulchra hæc & candida ceruix. [Iuuenal.Satyr.IV.]

Cùm omnia feceris, nec *percuſſorem tuum tolles, nec ſucceſſorem.* [Ad dictum vetus alluſum.]

In Dei nos manu.

Si noles: es ſaluus. Deus, deus, *ἐν ᾧ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν, quo viuimus, & mouemur, & ſumus.* [Actor.cap.XVII]

Qui reges ſeruat maximè.

Ille *erit in latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum ne capiaris.* [Prou.Salom.c.III.]

——Διὶ Κρονίωνι μέλονται
Αἰδοῖοι βασιλῆες.
——*Ioui curæ eſt venerandi*
Principis. [Theocrit.]

Votum meū pro Principe.

Huic fide, ego vota pro te ſuſcipio, ſed hac lege: *Ago cum Deo, vt ſoſpitem te incolumémque præſtet, ſi tu cæteros:* [Plin.Panegyr.]

Si rēpublicā benè, & ex vtilitate omniū reges. [Ibid.]

Si contra; ille quoque à cuſtodiâ tui corporis oculos dimoueat, teque relinquat votis quæ non palam ſuſcipiuntur. [Ibid.]

Proditionis noxa.

Peregi de inſidiis. *nunc occultum & inſidioſum malum* PRODITIO *latebris ſuis extrahenda eſt:* [Val.IX.cap.VI.]

Tantum incommodi humano generi afferens, quantum ſalutis bona Fides. [Ibid.]

Periculoſum quoque iſtud, cùm ſcilicet plerumque *intra mœnia atque in ſinu vrbis ſunt hoſtes.* [Salluſt.Catil.]

Qui proni ad eā? Auari:

In quod inclinant auari maximè. qui *fama, fidei, poſtremò omnibus rebus commodum ſuum anteferunt.* [Idem Iugurth.]

Palàm honeſti, *animo perfidioſi ac ſubdoli, Auaritiam ac libidinem occultantes.* [Tacit.XVI.Annal.]

Item *Temporaria* iſta *ingenia:* Curt.IV.

Leues:

Id eſt, homines leues, inſtabiles, & *ex ancipiti mutatione temporum pendentes.* [Ibidem.]

Tamquam cum Fortunâ fidem ſtare oporteat. [Liuius XXIV.]

Occulti.

Denique diſſimulatores & occulti. qui ad illud Homeri,

Ἐσθλ᾽ ἀγορεύοντες, κακὰ δὲ φρεσὶ βυσσοδόμευον·
Pulchra loquentes, eadem in pectore praua ſtruebant. Odyſſ.β.

Adeò vt *non antè intelligas proditorem, quàm proditus ſit.* [Latro apud Senec.Controu.VII.lib.VII.]

Imò fidem præferunt vel maximè, vt faciliùs fallant. Obſerua. *Fraus in paruis fidem ſibi præſtruit, vt cùm opera pretium ſit, cum mercede magnâ fallat.* [Liuius XXVIII.

Simulatio ſæpè detegit.

Qua ipſâ notâ haud vanè eos noſcas. Nam inſitum homini, *quanto magis falſa ſunt quæ fiunt, tanto plura facere.* [Tacit.I Hiſt.]

Malum, & malos iſtos, vides. quî vitabis? duplici illâ viâ maximè quam ſuprà præiui, Indagationis & Pœnæ. In illâ nihil muto: in hac

Puniẽdi celeriter:

aliquid. quia placet numquam eam differri. & *impia proditio celeri pœnâ vindicanda eſt.* [Val. IX. cap. VI.]

A

Quid hîc trepides? omnia patent. Καὶ οὐδὲ ἐς δικαστήριον τοιούτους τινὰς ἀγαγεῖν, ἀλλ᾽ ἐν πολεμίων μοίρᾳ κολάζειν: *imò nec in iudicium tales adducere oporteat, ſed hoſtium loco illicet punire.* [Dio. LII.]

Puniẽdi & ſemper.

Et vindicanda ſemper. Me iudice, veniæ non hîc locus: & ſiquis viuit, *ne iſta manſuetudo & miſericordia illi in miſeriam vertat.* [Salluſt. Catil.]

Quia inemẽdabiles:

In patriam improbi, cui & quando vmquam boni? nec ſpera. Abſcindendi ſunt, *neque tam vlciſcendi cauſſâ, quàm vt & in præſens ſceleratos ciues timore ab impugnandâ patriâ deterreas; & in poſterum documentum ſtatuas, nequis talem amentiam velit imitari.* [Cicero ad Brut. epiſt. XV.]

Et in exẽplum.

Puniẽdi itẽ grauiter.

B

Pœna autem grauis vſurpãda. Platonem ſi audis, qualis in Sacrilegos. Δικασταί, inquit, τούτοις ἔστωσαν, οἵπερ ἱεροσύλοις: *Iudices iſtis dantor, qui ſacrilegis ſolent.* [Lib. IX. De Leg.]

Quia impium hoc facinus:

Meritò. Patria nónne proximo à diis gradu eſt? atqui ea *horum nefario conſilio in maxima pericula venit.* [Salluſt. Catil.]

Itaque *nulla eſſe poteſt in tanti ſceleris immanitate puniendâ crudelitas.* [Cicero IV. in Catil.]

Vix gratum iis quibus gratificantur:

Sceleris, quod exſectantur ipſi hoſtes: nec bonum iis quibus bono. *Proditores, etiam iis quos anteponunt, inuiſi ſunt.* [Tacit. I. Annal.]

Præmia interdum capiunt, fateor. ſed *non hercules quò tanto honore digni habeantur, ſed vt alienum ſolicitentur animi.* [Curt. V.]

Nõ certè ipſi.

Rem inquam amant, non reum. & commodè Auguſtus, Ἐγὼ προδοσίαν φιλῶ, προδότας δ᾽ οὐκ ἐπαινῶ: *Ego proditionem amo, proditores non approbo.* [Plutarch. Apophth.]

C

Commodiùs etiam ante eum Philippus. *Amare ſe proditures, non proditores.* [Stobæus Serm. LII.]

CAPVT XI.

De vitio duplici, euerſore regnorum. Primùm de Odio. cuius peſtis ſubiecta oculis. Fugienda quæ eò ducunt: imò & imago eorum. qualis eſt in Suppliciis, Tributis, Cenſura. In his ſingulis quomodo ſe geras Princeps, dictum.

PERNICIEM igitur à Vi præſentem, nec infrequentem, vides: quæ,

D

Vt ait poeta ille noſter, ſummas frangit infirmátque opes. [Cicero pro Rabir. Poſt.]

Sed frequentiorem eam ſcio, etſi tardiorem, à VITIO: quod definio PRAVVM NOXIVMQVE IMPERIO AFFECTVM, OB REGE VEL IN REGEM. Tale duplex, oppoſitum ſcilicet totidem iuuantibus virtutibus, Odium & Contemptus: illud in regem affectus, hic opinio de rege.

Vitij definitio.

Nam Odium eſt SVBDITORVM IN REGEM EIVSQVE STATVM MALEVOLENTIA PERTINAX ET OFFENSA. Non enim hîc intellego commune & ciuile illud odium, *quo omnes improbos odimus*: Sed affectum acriorem, cui ex Metu origo, cum cupidine vlciſcendi. Nam metuunt potentes, ob iniurias aut damna ſub exemplo inferenda: dolent & vlciſci cupiunt, ob illata. Ita è mixtione peſſima, proles peſſima nata Odium: quod ſemel *inſitum animis hominum & inuſtum*, [Idem De Aruſp.]

Odij definitio.

[Idẽ pro Mil.]

Vnde id naſcatur?

E

Incredibile eſt *quantum valeat ad peſtem.* [Idem II. De offic.]

Quanta ab eo pernicies.

Nam à metu aliquid quî ſit firmum? *malus ille diuturnitatis eſt magiſter.* [Idem Phil. II.]

A

Nulla vis imperij tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna. [Idem II. de Offic.]

Cauſſa apud poëtam veterem:

Quem metuunt, oderunt: quem quiſque odit, periſſe expetit. [Ibidem.]

Scilicet per gradus quoſdam, *exſecrãtur, inſidiantur, opprimunt.* [Seneca I. De Clem.]

Paullatim perdit.

Quidni faciant? *multa illis manus ſunt, tibi vna ceruix.* [Ex dicto Caligulæ.]

Et pænè certò perdit.

Captatur occaſio, & qui non tantum opibus valent, neſcio quam tamen fortunam ac tempus exſpectant. [Cicero De Aruſp. reſp.]

Denique *incluſum illud odium omne repentè apparet.* [Idem ad Lentul. lib. I. ep. IX.]

B

Ah neſcis *quanta rabies oriatur, vbi ſupra modum odia creuerunt.* [Seneca I. De Clem.]

Cinge te, ſtipa, muni: ſenties *multorum odiis nullas opes poſſe reſiſtere.* [Cicer. II. de Offic.]

Tam multis enim *periculis peteris, quàm multis ipſe periculum es.* [Senec. I. De Clem.]

Aſſiduis periculis expoſitum.

Nec illas ipſas manus, quibus te cõmiſiſti, ſecurus aſpicies. [Ibidem.]

Ideò fugiendũ.

Fuge hoc ergo, aut Regnum te fugit, imò Vita. Quomodo autem? ſi ea fugies, quibus id paratur. Primùm Vitia: deinde & Vitiorum opinionem. Vitia quidem tria, aduerſa prioribus illis ad Beniuolentiam inſtrumentis: Sæuitiam, Auaritiam, Rigorem. Nam hæc mala ac noxia eſſe imperiis, quis tam imprudens qui neſciat, tam impudens qui neget? Itaque fugienda hæc moneo, non doceo: magis inſiſtam in Opinione, à quâ maius tibi diſcrimen.

Naſcitur à vitiis:

C

Sciunt enim *homines, vt metuant aut oderint, non minùs opinione & fama, quam certa aliqua ratione moueri.* Opinio autem vitiorum ab illis, quæ agnata & aſſita iam dictis Vitiis; vti ſunt Supplicia, Tributa, Cenſura. Quæ per ſe laudabilia, imò neceſſaria omni regno, ſpeciem tamen & vultum illaudabilem ſumunt, niſi peritè & callidè adminiſtres.

[Cic. pro Leg. Manil.]

Aut opinione vitiorum.

Ecce Supplicia quantulum à Sæuitiâ abeunt? ſanguis enim vbertim effunditur. Tributa ab Auaritia? pecunia auidè congeritur. Cenſura à Rigore? frænum & modus inuitis imponitur. Et profectò ea ipſa ſint, niſi finis diſcriminet: qui palàm ad ſalutem. In his igitur vt cautè & prouidè ambules, valdè tibi prouideo dum. Primùm in SVPPLICIIS & vide ne tecurè Iuſtitiæ illâ ſecurim diſtringas: ſed ſit apud te *Parſimonia etiam viliſſimi ſanguinis.* [Seneca I. De Clem.]

Cui ſedes in Suppliciis: Tributis: Cẽſurâ.

D

Supplicia ab odio munienda:

I. Tardè inquam ad ea venire. *Prope* enim *eſt vt libenter damnet, qui citò.* [Ibidem.]

Tarditate.

Decretum hoc tibi maneat: *Melius ſanare vitioſas partes, quàm exſecare.* [Cic. II. ad Att. ep. I.]

II. Etiam numquam venies, niſi *quoties id fieri publica vtilitas ſuadebit.* [Senec. I. De Clem.]

Boni Publici velo.

Te aut tua cogites? peccas. *Omnis* enim *animaduerſio debet, non ad eius qui punit aliquem, ſed ad reipub. vtilitatem referri.* [Cicero II. De Offic.]

Aut ſi potiſſimum & tua res agitur (in Principatu id euenit:) diſſimula: & vultum eum indue *tamquam inuitus & magno cum tormento ad caſtigandum venias.* [Seneca I. De Clem.]

E

Nec tam vt ipſi pereant, quàm vt alios pereundo deterreant. [Seneca I. De Irâ.]

III. Ad exemplum ſcilicet omnia referenda, non ad vltionem. Itaque *Ira maximè prohibenda eſt in puniendo.* [Cicero II. de Offic.]

Excluſione Iræ.

Numquis enim *membra ſua odit, tunc cùm abſcindit?* [Seneca I. De Irâ.]

Addo, quòd *iratus ad pœnam qui accedit, numquam*

medio

mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter Nimium & Parum. [Cicer. II. de Offic.]

Gaudij. IV. Sed & Gaudio abſtinendum vel magis, omnique eius notâ. *Ferina iſta rabies eſt, ſanguine ac vulneribus gaudere.* [Sen. I. de Clemen.]

Et acutè poëta:

Qui fruitur pœnâ, ferus eſt: legúmque videtur
Vindictam præſtare ſibi. [Claud. Conſul. Mallij.]

Itaque hoc aſſequêris, vt *quamquam aduerſus ſontes & extrema exempla meritos, Miſeratio tamen oriatur, tamquam non vtilitate publicâ, ſed in Sæuitiam vnius abſumantur.* [Tacit. IV. Annal.]

Obſeruatione morum. V. Videndum vt pœnæ ſint è moribus receptóque ritu. Δεῖ τὰς κολάσεις πατρικῶς ποιεῖν: *Oportet ſupplicia more patrio ſumi.* [Ariſtot. V. Polit. cap. XI.]

Lædit, quidquid in his nouum aut nimium: crudeléſque meritò, *qui puniendi cauſſam habent, modum non habent.* [Senec. II. De Clem.]

Æqualitate pœnæ. VI. Etiam hoc, vt Æquabiles. & *ne iiſdem de cauſſis, alij plectãtur, alij ne appellẽtur quidẽ.* [Cic. II. De offic.]

Aut iſti duriùs, alij mitiùs puniantur. quod improbum: niſi fortè in Nobilibus. Nã *video & à medicis, quamquam in aduerſâ valetudine nihil ſerui à liberis differant, molliùs tamen liberos clementiúsque tractari.* [Plinius lib. VIII. Epiſt. vlt.

Sui ſubductione. VII. Denique poſtremò, vt Supplicia ipſe nomquam exigas, atque adeò vix ſpectes. Nam & *Nero ſubtraxit oculos, iuſſítque ſcelera, non ſpectauit.* [Tacit. Agric.]

Placet viri magni ſcitũ: Ἀνδρὶ ἄρχοντι, τὸ μὲν ἀναγκαῖον ὅσον, ἄλλοις προστακτέον εἶναι κολάζειν· τὸ δὲ τὰ ἄθλα ἀποδιδόναι, δι' ἑαυτοῦ ποιητέον: *Viro Principi, vbi pœnarum aut coërcitionis res eſt, aliis id delegandum: vbi præmiorum aut munerum, ipſi obeundum.* [Xenoph. in Hier.]

Nodus in multitudine puniendorum. Habes quæ cottidiana vulgatáque Supplicia ſatis mitigent. quid in raris aut nouis? Puta enim multos aliquos & grandes peccauiſſe, quos citra inuidiam grandem haud tollas. Hîc primùm illud ſuadeam: non carptim aut per interualla, ſed omnes tolli *vno velut ictu.* [Tacit. Agric.]

Tollẽdi ſimul. Specie hoc acerbius, re mitius. Nam *repetita illa & frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat.* [Seneca I. De Clem.]

Molliẽdũ odiũ beneficiis. Incîde ſemel quidquid incidendum eſt: & tum malagmata adhibe hæc bina. Prius, in alios Beneficia: quaſi *illis demotis, auctam lenitatem tuam teſtificando.* [Tacit. XIV. Annal.]

Et ſupplicio miniſtrorũ. Alterum, Deriuationem: *puniendo rerum atrocium miniſtros.* [XIII. Ann.]

Vtique ſi & ipſi in aliquâ noxâ, quod ſæpè. Olim, & *ſeueris quoque Ducibus, vſurpatum.* [I. Hiſtor.]

Qui fuſo ſanguine, fuſi ſanguinis eluerunt inuidiam: & viles quoſdam, *velut piaculares publici odij victimas*, dederunt. [Plinius Paneg.]

Vulgus hominum eâ ratione placati; imò *læti, recidiſſe iram in ira miniſtros: nec vllam potentiam ſcelere quæſitam cuiquam eſſe diuturnam.* [Curt. X.]

In Tributis aſperitas, & odium. VENIO ad TRIBVTA leniẽda: quo nomine cenſeo omne genus exactionum. Aſpera in vulgi auribus vox, res in animis: nec alia crebrior odiorum ſeges. *Nullum enim vitium tetrius Auaritiâ, præſertim in Principibus & reip. gubernatoribus.* [Cicero II. De Offic.]

Nã vulgus pecuniæ tenaciſſimum. Quàm turpis ille Homeri

Δημοβόρος βασιλεύς?
Popliuorus Princeps? [Iliad. α.]

Populo quidem iudice; cui pecuniam eripere, idem quod vitam.

Τὰ χρήματ' ἐστὶν ὥσπερ αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς:
Pecunia, anima & ſanguis eſt mortalibus: [Comicus vetus.]

Ait nõ falſus vates. & videmus audimúſque cottidie quã multi Principũ *pecuniis acerbè cõquirẽdis plus inuidiæ ſibi quàm virium addant.* [Tacit. III. Hiſt.]

Itaque intentè & cum curâ hanc quoque partem habe: & inſitum illi Odium, quà poteſt, deterge aut mulli. Quod feliciter facturum te ſpondeo quinque his fomentis. Primùm illo Neceſſitatis. Id plagæ huic animorum ſtatim applica: & *da operam vt omnes intellegant, ſi ſalui eſſe velint, Neceſſitati eſſe parendum.* [Cicero II. De offic.] — Fomẽta huic rei quinq. Primum Neceſſitatis.

Quæ enim reſpublica aut regnum ſine Tributis? *Nec quies gentiũ ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* [Tacit. IV. Hiſtor.] — Sine Tributis nullus ſtatus.

Hæc ornamenta pacis ſunt, & ſubſidia belli. [Cicero pro Leg. Man.]

Diſſolutionem itaque *imperij doce, ſi fructus quibus reſpublica ſuſtinetur, deminuãtur.* [Tac. XIII. An.] — Quæ ſeruanda:

Imò niſi interdum & Augeantur. Semper enim videndum *vt ratio quæſtuum, & neceſſitas erogationum inter ſe congruant.* [Ibidem.] — Vel augenda:

Non videt hoc vulgus, ſcio: τὰς μὲν προσόδους (τοῦ ἄρχοντος) ἑτοίμως ἐξεταζόμενον, τὰ δ' ἀναλώματα οὐκ ἔθ' ὁμοίως ἐκλογιζόμενον: *reditus quidem & prouentus Principis acribus oculis intuens, conniuens ad erogationes & ſumptus.* [Dio. LII.]

Sed tu ingere: & vtiliter interdum *calculum cum Imperio pone.* [Plinius Paneg.] — Sed populus docendus:

Quid ambigis? *numquam hîc luſciniolæ defuerit ſua cantio.* [Plaut. Bacch.]

Semperque in Principe, *cupido auri immẽſa, obtẽtu habebit, quaſi ſubſidiũ regno paretur.* [Tac. XII. Annal.]

Si tu hæres; ecce qui transferant, & te contra ſe iuuent. Miror & rideo: *Principes ſuâ ſponte auidi & rapaces, & qui magiſtris non egerent, plura tamen ſemper à nobis contra nos didicerunt.* [Plinius Paneg.]

Numquam iis defuerunt, qui fronte graui & ſupercilio triſti, vtilitatibus Fiſci contumaciter adeſſent. [Ibidem.]

Quod ſi populus tamẽ renuet, tum ego ad Themiſtoclem te mitto: cuius factum vide. Is ad Andrios ſuper pecuniâ legatus, δύο ἥκειν ἔφη θεοὺς κομίζων, πειθὼ καὶ βίαν: *duobus diis comitatum venire ſe dixit, Suadâ & Violentiâ.* [Plutarch. Themiſt.] — Suadendus.

Vide. imò & imitare. ac priorem illam Diuam ſemper adhibe. nónne impetrare melius, quàm imperare? alteram, cùm opus. Etſi quando opus? *Suaſio ab eo qui iubere poteſt, vim neceſſitatis affert.* [Tacit. XIV. Annal.] — Vix cogendus.

Sed vide (Fomentũ hoc ſecundum) vt Moderatio ſeruetur: ne Grandia nimis ea ſint, ſed *modica, pro copiâ ſcilicet aut anguſtiâ rerum.* [IV. Annal.] — Modeſtè habẽda Tributa. Ne magna ſint.

Apage iſtos, qui *rem auferunt cum puluiſculo.* [Plaut. Bacch.]

Quibus ærarium eſt *Spoliarium ciuium, cruentarúmque prædarum receptaculum.* [Plin. Paneg.]

Tu cum Tiberio, *tondere pecus* malis *quàm deglubere.* [Sueton. Tib.] — Vt delibentur opes tãtum.

Alexander olim rectè: Καὶ κηπουρὸν, inquit, μισῶ τὸν ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα. *Hortulanum odi, qui ab radice olera exſcindit.* [Plutarch.]

Et ego ſanè Principem, qui *pennas ita incidit, vt nequeant renaſci.* [Ex Cic. IV. ad Att. Epiſt. II.]

Carpe, carpe. Niſi facis, iure inſurgent & clamabunt, *Sibi quoque duos deos adeſſe*, Πενίαν καὶ Ἀπορίαν: *Paupertatem & Impotentiam.* [Plutarch. Themiſt.]

Denique *pacem* fortaſſe *exuent, tuâ magis auaritiâ, quàm obſequij impatientia.* [Tacit. IV. Annal.]

Profectò *qui nimis emungit, elicit ſanguinem.* [Prouerb. Salom. cap. XXX.]

Ne Sordida:

Vide etiam ne Sordida. Indignum rege, *lucrum ex omni occaſione odorari.* [Ammian.xxii.]

Et quod vetus verbum ait, κἂν ἀπὸ νεκροῦ φέρειν: *vel à mortuo auferre.* [Ariſtot.Rhet.ii.]

Morboniam mihi Flauius cum *vectigali ſuo vrinario* abeat. [E Sueton.Veſp.]

Nec à delationibus capta.

Multo magis damno *Delationes, & locupletiſſimum quemque in prædam corripi.* [Tacit.ii.Hiſtor.]

Nec nimis etiam ex meo ſenſu (aſperè quidem exercita) lex Maieſtatis, ſæpè *ſingulare & vnicum crimen eorum, qui crimine vacant.* [Plinius Paneg.]

Ne Frequētia:

Denique ad Moderationem pertinet, ne Crebra: & ne identidem *Prouinciæ nouis oneribus turbentur.* [Tacit.iv.Annal.]

Noua, q; ſemper inocuti.

Non *exquires ſubinde nouos ſinus, & varia prædandi vocabula:* [iv.Hiſt.]

Centeſimas, quadrageſimas, quinquageſimas: [xiii. Ann.]

Columnaria, hoſtiaria: [Cæſar.3.bell. Ciuil.]

Et *quæ alia exactionibus illicitis nomina* Grypi iſti *inuenerunt.* [Tac.xiii. Annal.]

Coërcēdi adminiſtri Tributorum.

Tu vetera ſerua. & ea quoque (Fomentum tertium Coërctio) *vt ſine Auaritiâ & crudelitate Miniſtrorum tolerentur*, vide. [iv.Annal.]

Vtramque hanc arceo. Auaritiam, quæ Fraude graſſatur: Crudelitatem, quæ Vi. Sed ab illâ (Fraude, inquam) periculum tibi grande, & pænè certum. Adeò Miniſtrorum omne hoc genus (bonorum pace dixerim) *Lauernienes:* [Feſtus.]

Qui plurimùm improbi: Et Harpaces.

ἁρπακτικώτεροι τῶν γαλῶν: *Felibus rapaciores.* [Luciā.]

Quibus ſtudium πάντ' ἄνδρ' ἀποσκολύπτειν: *omnem hominem natum decoriare.* [Archiloch.]

Prædam in ſinum ſuum conferre. [Lāprid.Cōmod.]

Lucellum in lucro tuo facere: *& præter imperatas ecunias, priuato compendio ſuo ſeruire.* [Cæſ.iii. de bello Ciuil.]

Vno verbo,

Homines cum ſenis manibus, genere Geryonaceo:
Quos ſi Argus ſeruet, qui oculeus totus fuit,
Is nunquam ſeruet. [Plaut.Aul.]

Et tamen ſeruandi frænandíque ſunt, aut te perdent. *Actæonem*, inquam, *ſuum comedent iſti canes.* [Varro in Frag.]

Duplex ab iis cautela Electio: Amotio:

Quomodo poteris? Cautione duplici. Primùm, vt *res tuas non niſi ſpectatiſſimo cuique mandes.* [Tacit.iv.Annal.]

Deinde, ſi fallent, amoueas: nec id ſine pœnâ. Quâ illâ? Talionis. *Ereptum alienas pecunias iuerunt, perdant has quas habent.* [Plinius Paneg.]

Spongiæ faciendi ſunt: *& exprimendi, poſtquam affatim biberunt.* [E Sueton. Veſpaſ.cap.xvi.]

Neutra ſatis firma.

Si vlla res, hæc eos comprimet: etſi vereor, vt nec iſta. Cur te fallā? *Succedēt Mucianus & Marcellus, & magis alij homines quā alij mores.* [Tacit.ii. Hiſt.]

Legibus fraudes reprime: *miras per artes rurſus orientur.* [vi.Ann.]

Mille pœnarum indagine include: erumpent. [Plin.Paneg.]

Adeò ſplendens hoc *aurum perſtringit oculos.* [Varro Fragm.]

Et altè impreſſum omnibus,

——— μηδὲν εἶναι σὺν κέρδει κακόν.
——— *nihil eſſe cum lucro malum.* [Sophoc. apud Athen.xii.]

Violentia in exigendo vitanda.

Iam à Crudelitate quoque & à Vi cauendum; *ne tot per annos ſine querelâ tolerata, nouis acerbitatibus ad inuidiam vertant.* [Tac.xiii.Annal.]

* Nam Tribuo, Diuido.

Modeſtè iube exigi, & vt verè* Tributa: id eſt, per partes. Valdè hoc (tenuiores præſertim) ſubleuat, cùm poſſunt κατ' ὀλίγον ἐκ τῶν τάξεων ἃ ὀφείλουσιν εἰσφέρειν: *paullatim & per partes, quæcumque ex præſcripto modo debent, inferre.* [Dio lii.]

Non tecolæ auferendæ.

Abſint, quantum poteſt, illa extrema: ne *bona ipſos, mox agros, poſtremò corpora ſeruitio* aut pœnæ *tradant.* [Tac.iv. Annal.]

Securi ſint ab alio rapto: Præſertim à Milite.

In primis vt vno certóque Tributo defungantur: & in reliquum, *ſit libera nec ſolicita res ſua cuique cuſtodia.* [Cicero ii.De Offic.]

Non prædo, non miles diuexet. Quamuis enim grauia tamen *iniuncta imperij munera impigrè obibunt, ſi Vis & Iniuria abſint.* [Tacit.in Agric.]

Hæc ægre tolerant. [ibidem.]

Hinc ira & queſtus. & poſtquam non ſubuenitur (interdum ſanè euenit) *remedium ex bello.* [iv.Ann.]

Parcè, & ex vſu, diſpenſanda Tributa:

At quartum Fomentum, Diſpenſatio. Eam reſtrictam vtilémque eſſe ſuadeo, & qualis in familiâ boni patris. Exiguam in publicum impenſam quis grauabitur, ἂν ὁρῶσί σε σωφρόνως τι διαιτώμενον, καὶ μηδὲν μάτην ἀναλίσκοντα; *ſi videant te continenter ſobriéque viuentem, ac nihil vanè effundentem?* [Dio.lii.]

Tāquā aliena pecunia.

Scient enim verè in publicum tribui: téque eſſe dumtaxat φύλακα καὶ ταμίαν, ὡς κοινῶν, ἀλλὰ μὴ ὡς ἰδίων: *Cuſtodem & Diſpenſatorem, vt communium bonorum, non vt tuorum.* [Ariſtot.v.Polit.cap.xi.]

Nō vbi voles:

Ita debes. non *priuatim largiri, quod auidiùs de rep. ſumas:* [Tacit.i.Hiſtor.]

Et explere *hiantes in magnâ fortunâ amicorum cupiditates.* [i.Hiſt.]

Non per delicias aut ſumptus, *pecuniæ illudere:* [ii.Hiſt.]

Vt *quas honeſtè habere* & vti *licet, per turpitudinem abuti properes.* [Salluſt.Catil.]

Sed vbi debes.

Abſit. Alexander Romanus tibi præeat: qui *aurum & argentum rarò cuiquam niſi militi diuiſit: Nefas eſſe dicens, vt Diſpenſator publicus, in delectationes ſuas ſuorúmve conuerteret, id quod Prouinciales dediſſent.* [Lamprid.Alexand.]

Torpes hic prodigi:

O virum, ô Principem! imitare. Non illos tyrãniones: qui *diuitiarum & pecuniæ non alium fructū putant, quàm Profuſionem.* [Sueton.Ner.cap.xx.]

Quos Crates rectè olim aſſimilauit ταῖς ἐπὶ τῶν κρημνῶν συκαῖς, ὧν ὁ ἄνθρωπος μηδὲν λαμβάνει, κόρακες δὲ καὶ ἰκτῖνες: *iis ficubus quæ in altis prærupt isque naſcũtur, è quibus homo fructum non accipit, Corui tãtùm & Milui.* [Stobæus Serm.xv.]

Id eſt, ἑταίρας καὶ κόλακας: *Scorta & Adulatores.* [Ibid.]

Statimque exhauſti.

His talibus *cùm omnia rapiant, & rapta retineant; vt ſi nihil rapuiſſent, nihil retinuiſſent, omnia deſunt.* [Plin.Paneg.]

At noſter ille Princeps qui *ſuæ pecuniæ parcus, publicæ auarus:* [Tacit.i.Hiſtor.]

Laudabiles parci. Et ſemper in multo ære.

Qui eam nō abiicit in ſcurras, mimos, & id genus *amicitiarum dehoneſtamenta:* [Tacit.ii.Hiſtor.]

Semper abundat. & *tantas vires habet Frugalitas, vt tot impendiis, tot erogationibus, vel ſola ſufficiat.* [Plinius Paneg.]

Πλοῦτος γὰρ ἀθρόος (aiebat olim magnus amicus ad Auguſtum) οὐχ οὕτως ἐκ τοῦ πολλὰ λαμβάνειν, ὡς ἐκ τοῦ μὴ πολλὰ ἀναλίσκειν, ἀθροίζεται: *Magnæ opes, non tam multa capiendo, quàm haud multa perdendo, quæruntur.* [Mæcen.apud Dion.lii.]

Æquiter onera imponenda.

Quintum vltimúmque Fomentum, Æqualitas. hoc eſt, vt iuſta & vniformis contributio ſit, nec per bonam malámve gratiam hunc ſubleues, illum premas.

Sine odij & gratiæ aſpectu.

Vt Sol & dies omnibus in commune naſcitur: [Plinius Paneg.]

Sic debet Princeps, & incommoda aut *commoda ciuium non diuellere, atque omnes eàdem æquitate continere.* [Cicero ii.De offic.]

Odioſa quorũdã ſublevatio aut exemptio.

Vix credas, vbi inæqualitas, quãtum angantur inſitâ humano ingenio inuidiâ, vt *pars doleret alienis commoda, ne ſuas iniurias metiantur.* [Tacit. I. Hiſtor.]

Huic autem Æqualitati ratio vnica, *Cenſus: res ſaluberrima magno futuro imperio.* [Liuius. I.]

Cenſus ad hæc vtilis. Flagitio ſè adhuc neglectus.

Quem neſciri aut neglegi hodie, non mirer. cùm tam prompti obuiique exempli ſit, (nam quæ mediocriter bona reſpub. olim ſine illo?) & ſimul tam manifeſti vſus. Plato verè: τὸ τιμᾶσθαι μὲν ἑκάστῳ τὴν οὐσίαν, εἰς πολλὰ χρήσιμον: *Quemque opes ſuas in cenſum deferre, ad multa vtile.* [Lib XII. De Leg.]

Conducit ad plenam reip notitiam. Ad viros militares ſciẽdos: Ad tributa pariter imponẽda.

Sanè ad Multa. Nam hac vnâ re ſit, *vt omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium, officiorúmque diſcrimina in tabulas referantur.* [Flor. I. cap. VI.]

Atque ita *quantum* vrbes gentéſque ſingulæ *numero militum, quantum pecuniâ valeant, monumenta exſtent.* [Liuius I.]

Denique ad noſtram hanc rem, vt æquiter *ex cenſu quotannis Tributa conferuntur.* [Cicero II. in Verr.]

Itaque, ſi ſapis in tuam publicámque rem reuoca. & lecti *Cenſores, populi æuitates, ſuboles, familias, pecuniáſque cenſento.* [III. De Legib.]

Quibus *poteſtas omnis æſtimationis ſummaq; faciendæ permittatur.* [II. in Verr.]

Legendi Cẽſores a Populo:

Sed à quo lecti? ſi me audis, vt odium ſuſpicionéſque muneri detrahantur per ſe aſpero, deſignet *ipſe populus, vt cui maximam fidem rerum ſuarum habet, maximâ curâ deligat.* [Ibidem.]

In opida bini.

Quàm multi legendi? *Sunto bini aut terni in ſingulis ciuitatibus.* [Ibidem.]

Iterãdus Cenſus.

Cenſus ipſe quoties inſtituendus? Variant. ἐν ἐνίαις μὲν πόλεσι τιμῶνται κατ' ἐνιαυτόν, ἐν δὲ ταῖς μείζοσι διὰ τριετηρίδος ἢ πενταετηρίδος. *Et in quibuſdam ciuitatibus vertente anno cenſentur, in aliis maioribus nõ niſi tertio aut quinto quoque anno.* [Ariſtot. V. Polit. cap. VIII.]

Noſtro iudicio quotannis.

Ego in annos, tutius meliúſque cenſeam: ob migrationes, mortes, opum augmenta aut imminutiones.

De Cẽſura:

SED à Cenſu ad CENSVRAM tranſeo, vicino flexu. Ea enim tertia odiorum materies. de quâ tamen mitigandâ fruſtrà diſſeram, niſi priùs de vſurpandâ. Nam (heu æui dedecus!) rem moribus & vitæ vtiliſſimam *adeò obliuione obſoletam videmus, vt non modo non colatur, ſed etiam ignoretur.* [Cic. V. De Rep.]

Quæ ignota nũc aut ſpreta.

Definitione igitur priùs aperienda eſt. & appello Cenſuram, ANIMADVERSIONEM IN MORES AVT LVXVS EOS, QVI LEGIBVS NON ARCENTVR. Proprium enim hoc eius munus, ἐπανορθοῦν ἃ μήτε τινὰς τιμωρίας ἄξια ἐστί, καὶ παρορώμενα, πολλῶν δὲ μεγάλων κακῶν αἴτια γίνεται: *corrigere ea, quæ pœnâ digna nondum ſunt, neglecta tamen aut inſuper habita, multorum magnorúmque malorum cauſſam præbeant.* [Dio. LII.]

Quid mihi ſit? Sine eâ ſluit reſpubl.

Imò paullatim, *omiſſa funditus rempublicam trahunt.* [Tacitus III. Ann.]

Aut perit.

Quid enim prodeſt foris eſſe ſtrenuũ, ſi domi male viuitur? [Val. II. cap. IX.]

Profectò niſi ſingulis quoque hominibus *officium ac verecundia ſua conſtiterit, partarum rerum æquatas cælo cumulus ſedem ſtabilem non habebit.* [Ibidem.]

Firmanda hoc vinclo.

Hæc itaque inſtituenda eſt, *magiſtra pudoris & modeſtiæ:* [Cicero in Piſon.]

Et eligendus vnus alterve *Præfectus moribus, magiſter veteris diſciplinæ.* [Pro Cluent.]

Vt metus aliquis etiam præter leges ſit, & ſciant omnes *ſiquid in Moribus labat, non defuturum corrigendi auctorem.* [Tacit. II. Annal.]

Eius materies, Mores:

Nam duo hæc diſtinctè Cenſuræ ſubicio, Mores & Luxum. Mores intellego, Laſciuias, Libidines, Ebrietates, Iurgia, Periuria, & quidquid tale Probitas ac Modeſtia damnant. Igitur noſter Cenſor omnem ætatem, & omnem ſexum caſtigabit. *Prauas artes malaſque libidines ab iuuentute prohibebit:* [Salluſt. Ad Cæſ.]

Caſtigãdi in iuuenib In ſenibus: In plebe ignauia.

A ſenibus, eas *voluptates quas eorum ætas ſine dedecore non attingit:* [Ibidem.]

Ab vniuerſâ plebe otium: *vt habeat negotia ſua quibus à malo publico detineatur.* [Ibid.]

Denique dabit operam, vt omnes *Probitati atque Induſtriæ, non Sumptibus neque Diuitiis ſtudeant.* [Ibid.]

Materies altera, Luxus. Cui origo ab opulẽtiâ.

Nam hæc quoque cohibenda; id eſt Luxus. qui alioqui *in immenſum prorumpat, ad cuncta quis pecunia prodigitur.* [Tacitus III. Ann.]

Eum ego in quatuor his pono: Pecuniâ, Domo, Conuiuiis, Veſte. In primâ maximè: quæ nutrix imò mater huius, & plurium malorum.

——turpi fregerunt ſæcula luxu
Diuitiæ molles. [Iuuenal. Sat. VI.]

Itaque meus cẽſor ante omnia, *Pecuniæ, quæ maxima pernicies eſt, vſum ac decus demet.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Minui opes, è re Principum:

Quid tenuis Princeps? è re tuâ eſt: ὥστε μηδένα ἐγγίγνεσθαι πολὺ ὑπερέχοντα δυνάμει, μήτε φίλων, μήτε χρημάτων: *neminem exiſtere qui nimis excellat, ſiue amicorum copiâ, ſiue opum.* [Ariſtot. V. Polit. cap. VII.]

Auri vis atque opes Principibus infenſæ. [Tacit. XI. Annal.]

Et regni

Imò, Principatui infenſæ. atque *ij demum penates* (oraculi vocem audi) *ex ciuitas, id regnum, æterno in gradu facile ſteterit, vbi minimum virium Veneris Pecuniæque cupido ſibi vindicauerit.* [Valer. IV. cap. III.]

Per has ciuitas perduntur.

Sæpè iam audiui, qui reges, quæ ciuitates, per opulentiam magna imperia amiſerint, quæ per virtutem inopes ceperant. [Salluſt. ad Cæſ.]

Conducit & Subditis

Sed è re Subditorum multo magis. Nam *vbi diuitiarum cupido inuaſit, neque diſciplina, neque bonæ artes ſatis pollent:* [Ibidem.]

Omnia bona vilia ſunt: fides, probitas, pudor, pudicitia. [Ibidem.]

Nã vbi diuitiæ, vitia.

Virtuti aut deo numquã carus, cui caræ opes. *Nec quiſquã extollere ſe, aut diuina mortalis attingere poteſt, niſi omiſſis Pecuniæ & corporis gaudiis.* [Ibidem.]

Itaque meritò Cenſor, *Pecuniæ ſtudium tollet, aut quoad res feret, minuet.* [Ibidem.]

Auaritia coërcẽda: Et fœnus:

Alligabit *Auaritiam belluam feram, immanem, intolerandam:* [Ibid.]

Et illud *vrbib. vetus, fœnebre malũ,* [Tac. VI. Ann.]

Ne *ex libidine potentium agitetur.* [Ibidem.]

Et ſordidi quæſtus.

Vtque *res familiaris iis* nudò *rebus quæratur, à quibus abeſt turpitudo.* [Cicero II. de Offic.]

Denique profuſiones vetabit: *& finem Sumptuũ ſtatuet.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Sũptus circa ædificia.

In Domo. ne ſuperbè nimis ſtruant, aut inſtruant: *& ſignis, aulæis, aliiſque operibus exornent.* [Ibidem.]

Ah ſtulti, qui *omnia potius viſenda quàm ſemet efficiunt!* [Ibidem.]

Et in eâdem, *modum poſcet argento, ſupellectili, familiæ.* [Tacit. II. Annal.]

Circa cõuiuia.

In Conuiuiis. damnabit *exquiſita ingenia cœnarum:* [Plin. Paneg.]

Et iſtos helluones, quibus *mos veſcendi cauſſâ, terrà marique omnia exquirere.* [Salluſt. Catil.]

Et vno verbo, videbit ne *luxus menſæ profuſis ſumptibus exerceantur.* [Tac. III. Annal.]

Circa veſtes.

In Veſte. ne *promiſcua viris & fœminis:* [Ibid.]

Nobilibus & plebeiis. vtque ſui & certi quidam cultus ſint his, qui *ordinibus & dignatione antiſtant.* [II. Annal.]

Momētum in his grāde.

In leui hæc habes? erras, *Conuiuiorum luxuria & veſtium, ægræ ciuitatis indicia ſunt:* [Seneca Epiſt. cxv.]

Et hinc ferè nouitas:

Imò morituræ. Nam hæc *iuuentutē, vbi familiares opes defecerunt, ad facinora incendit* [Salluſt. ad Cæſ.]

Res abit, fides petit: *eadem tamen illa, quæ erat, in abundantia libido permanet.* [Cicero II. in Catil.]

Itaque quid aliud quàm *moneant compoſita, & res nouas ſceleribus acquirant?* [Salluſt. ad Cæſ.]

Scito certò, *hoc in rep. ſeminarium Catilinarum fore.* [Cicero II. in Catil.]

Aut immutatio

Vidit Prudentiæ oculus. Γίγνονται, inquit, μεταβολαί, καὶ ὅταν ἀναλώσωσι τὰ ἴδια ἀσελγῶς ζῶντες. καὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι καινοτομεῖν ζητοῦσι, καὶ ἢ τυραννίδι ἐπιτίθενται, ἢ παρασκευάζουσιν ἕτερον: *Fiunt in rep. mutationes, cùm homines ſua conſumunt prodigè viuentes. Hi enim tales, res nouas quærunt: & aut ipſi Tyrannidi imminent, aut ad eam alios vocant.* [Ariſtot. v. Polit.]

Cēſoris arma.

Ignominia:

Hæc ſunt, quæ effici à Cēſore cupimus. Quo telo? duplici, Ignominiæ & Mulctæ. Illa quidem propria eius eſt, & olim ſola. *Cenſoris iudicium*, ait Cicero, *nihil ferè affert damnato, niſi ruborem.* [Cic. IV. de Rep.]

Timoris enim cauſſam, non vitæ pœnam in illâ poteſtate eſſe voluerunt. [Idem pro Cluent.]

Et Mulcta in perſeuerantes.

Sed vt nunc mores, alteram ego illam omnino adiungam. Quid enim ſi quidam *ea duritia oris ſint, vt dependère didicerint?* [Seneca ad Seren.]

Et voluptatum *non illecebris tantùm, ſed ipſa infamia gaudeant?* [Val. lib. VI. cap. IX.]

Sanè eos multem: nec *exſanguem illam & ferream frontem nequicquam conuulnerem* notis. [Plinius Paneg.]

Cotidianum enim *iſtud, ac ſine effectu iurgium ſit.* [Seneca Nat. Quæ. IV.]

Adhortatio ad Cenſurā reuocādam.

Habes vniuerſam Cenſuram. tu inſtitue, aut potiùs reſtitue eam, ô Bono generis humani nate Princeps. Omnia *iacère ſentis, bellorum impetu perculſa atque proſtrata.* [Cicero pro Marcel.]

Quæ nunc, ſi vnquā, vtilis.

Excita per deum immortalem *reuoca fidem, comprime libidines, & quæ dilapſa fluxerunt, ſeueris legibus vinci.* [Ibid.]

Inuidioſa ea.

Non nego, quin *aſpera hæc res in principio futura ſit.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Quia noua; quia contra ſenſum vulgi. Οἱ γὰρ πολλοὶ τὴν ἡδονὴν, διὸ καὶ τὸν βίον ἀγαπῶσι τὸν ἀπολαυστικόν: *Nā multitudo voluptatem, adeòque & vitam amant diſſolutam.* [Ariſtot. Ethic. I. cap. V.]

Sed ſpernenda hîc inuidia:

At tu *capeſſe rempub. & omnia aſpera peruade.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Quid trepidas? *multorum ſaluti potiùs, quàm libidini conſule.* [Ibidem.]

Aut aſperitatis opinio.

Ea verò apud ſapientes *clementia erit, reſtinxiſſe ab ſtultitia & falſis voluptatibus.* [Ibidem.]

Non ſi flagitiis obſecutus, delicta perpeſſus, præſens gaudium cum mox futuro malo conceſſeris. [Ibid.]

Hęc ipſa qui mitigetur.

Et tamen quidquid hîc aſperum, facilè mitigabis triplici noſtrâ obſeruatione. Primùm, ſi tu ſub Cenſurâ: id eſt, ſi vita tua ad illam normam, ad quam alios formas. O mitem & efficacem hac ratione Cenſuram! *Ad hanc dirigemur, ad hanc conuertemur.* [Plinius Paneg.]

Primū vita Principis.

Et *præcipuus adſtricti moris auctor eris, antiquo ipſe cultu victuque.* [Tacit. III. Annal.]

Nam *vita* profectò *Principis cenſura eſt, eáque perpetua.* [Plinius Paneg.]

Deinde modeſtiā emēdatiunit

Secundò, ſi non omnia ſimul emendabis: ſed paullatim καὶ ἠρέμα ποδὶ *ad priſcum morem recides.* [Tacit. III. Annal.]

Neque enim poteſt quiſquam noſtrûm ſubitò fingi, neque cuiuſquam repente vita mutari, aut natura conuerte. [Cic. pro Sullâ.]

Tempore opus: & *vitiis quædam tollit ſuetius Princeps, ſi patiens eorum eſt.* [Seneca I. De Clem.]

Quoſdam pudor, alios neceſſitas, nonnullos ſatias in melius mutet. [E Tacit. III. Ann.]

Nā *peregrinatur* quorumdam *animus in nequitia, non habitat.* [Val. VI. cap. IX.]

Poſtremò, præmiorum diuiſione:

Tertiò denique, ſi Præmia diuides in bonos. Quis cenſebit niſi virtutis amore te aſperum, cùm iam benignum te videant in eos qui habent illam? *Præmio, & pœna remp. contineri*, Solon olim dixit: [Cicero ad Brut. Epiſt. XVI.]

Verè. Nam, *præmia bonorū malorúmque bonos ac malos faciunt.* [Plin. Panegyr.]

Quæ, validus ſtimulus ad Virtutem.

Videbis ſemper eò *impendi laborem ac periculum, vnde honos atque emolumentum ſperetur.* [Liuius IV.]

Πᾶν τὸ τιμώμενον αὔξεται, ἐλαττοῦται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον. καὶ τοῦτό ἐστι διαφανέστατον σημεῖον ἀρχῆς εὖ διοικουμένης: *Augetur & creſcit, quidquid in honore eſt: deficit & minuit, quidquid in contemptu. Atque hoc ſignum clariſſimum eſt imperij benè conſtituti.* [Iamblich.]

Tu vſurpa. & vide ne te Principe *ſit benè factis tantùm ex conſcientiâ merces.* [Plin. Paneg.]

Bono Principatu omnino in vſu:

Cōcluſio; & munitio, Odium omne nō vitari.

Finivi de Odio: hoc addo. adeò altè inſitam peſtem hanc Regnis, vt neſciam an vlla ars aut aſtus penitus eam euellat. Nam *libertas iuxtà bonis & malis, ſtrenuis & ignauis optabilis eſt:* [Salluſt. ad Cæſ.]

Minutū aliquod ſemper adhæret:

Ideóque per naturam in odio nobis, quiſquis eam libat. Libat autem omnis Princeps. ergo *quamuis id agas, vt nequis meritò te oderit, erunt tamen ſemper qui oderint.* [Seneca de Prouid.]

Sed tu ſperne.

———*odia qui nimiùm timet,*
Regnare neſcit. [Seneca Oedip.]

E naturâ vulgi.

Odia dico hæc plebeia & leuia. Παντὶ γὰρ δήμῳ τὸ κακόηθες καὶ φιλαίτιον ἔνεστι, πρὸς τοὺς πολιτευομένους: *Omni enim populo ineſt malignum quiddam & querulum, in imperantes.* [Plutarch. Polit.]

Et veriſſimè à rege Magno dictum: *Regium eſſe audire malè, cùm facias benè.* [Idem Apophth.]

Id in leui habēdum: Dū probent te probi.

Solaberis igitur te illo Auguſtæo: *Satis eſt, ſi hoc habemus ne quis nobis malè facere poſſit.* [Suet. Au. cap. LI.]

Et melioribus item ſanioribúsque iudiciis. quoniam te aliquando *ſeria carmina, honórque æternus Annalium, non hæc breuis* & plebeia *prædicatio colet.* [Plin. Paneg.]

Suū cuique decus poſteritas rependet. [Tac. IV. Ann.]

CAPVT XII.

Definitus & vituperatus Contemptus. Oſtenſa quæ illum gignunt; à rege, ſi ſapiet, fugienda.

Definitio Cōtēptus.

Contemptvs ſequitur, quem Vitium alterum fecimus euertendo regno. Is eſt ad noſtram rem, IMPRESSA SVADITIS SIVE ET EXTERIS, VILIS ABIECTAQVE OPINIO, DE REGE EIVSQVE STATV. Peſtifera omnino res Regnis: quorum anima & vita ipſa eſt Auctoritas, & eximia quædam opinio de imperante. Quæ enim vis alia eſt, quæ efficit, *vt tot mortalium millibus vna anima præſideat, nonnumquam ſenis & inualidi?* [Senec. I. De Clem.]

Eius pernicies.

Anima regni, Auctoritas.

Sola illa. omniáque videmus, hac, *quaſi mente quadam regi atque adminiſtrari.* [Cicero pro Cluent.]

Vt anima, pedes, manus, oculi, negotium gerunt: & illius iuſſu iacemus, aut inquieti diſcurrimus. [Sen. I. De Clemen.]

Sic *hæc immenſa multitudo* Auctoritatis quaſi ſpiritu

rius regitur. [Ibid.]

Sine eâ vnus tã multis non imperet:

Quis verò aliter regat? *Vires imperij in conſenſu obedientium ſunt:* [Liuius II.]

Conſenſus ille ab Æſtimatione: per quam,

——vnum, tam magna iuuentus,
Priuatum factura, timet. [Lucan. v.]

Et regnũ omne ruat.

Hanc tolle, tollis regnum. *omniſq́; hic imperij contextus in multas partes diſſiliet.* [Seneca I. De Clem.]

——Subuerſa iacebit
Priſtina maieſtas ſoliorum; & ſceptra ſuperba. [Lucret. v.]

Auctoritati autẽ Contemptus aduerſus.

Quid autem clariùs eam tollit, quàm Contemptus, & hæc ἐνέργεια δόξης πρὸς τὸ μηδενὸς ἄξιον φαινόμενον: *opinionis actio in id quod nullius rei pretiiq́; cenſeas?* [Ariſtor. Rhet. II. cap. II.]

Ergo regni peſtis:

B Igitur ille, mors & interitus regnorum: imò ſupra ipſum Odium, aliquo adſpectu. Philoſophus iudicauit: Δύο δ' οὐσῶν αἰτιῶν, δι' ἃς μάλιστ' ἐπιτίθενται ταῖς τυραννίσι, μίσους καὶ καταφρονήσεως, θάτερον μὲν δεῖ τούτων ὑπάρχειν τοῖς τυράννοις, τὸ μῖσος· ἐκ δὲ τοῦ καταφρονεῖσθαι πολλαὶ γίγνονται τῶν καταλύσεων: *Cùm duæ cauſſæ ſint, ob quas inſurgitur in Tyrannos, Odium & Contemptus: alteram earum adeſſe Tyrannis oportet, Odium. è Contemptu verò plurimæ fiunt euerſiones.* [Idem v. Polit. cap. x.]

Etiã in parte, ſupra Odium.

C O verè Phœbum, longè ſemper aciem ingenij iaculantem! Ita res eſt. Cauſſa prima & motio euertendis regnis, plerumque ab Odio eſt: ſed extrema & efficax maximè à Contemptu. Nam illud tardum, vel, vt cum poëta dicam, inaudax eſt, niſi armetur ab iſto. Metus enim ſæpè retinet: quem Tyranni habent pro aſylo. Ideoque eum cauſsâ *exſecrabilis ille verſus & qui multos dedit præcipites*, iis placuit: *Oderint dum metuant.* [Seneca I. De Clem.]

Hic enim ad rem ſtatim ducit.

Quamdiu enim hoc frænum, incurrere magis cupiunt, quàm audent. At excutit Contemptus, & efficit vt non velis ſolùm, ſed audeas & tentes. Itaque certa ab eo pernicies. numquid crebra? haud cenſeo. *Neque enim ab vllo periculo fortuna Principis longiùs abeſt, quàm ab Humilitate.* [Plinius Paneg.]

Nec tamen frequẽs nimis in Reges:

An contemnatur, qui imperium, qui faſces habet? niſi qui humilis & ſordidus, & qui ſe priùs ipſe contempſit? [Idem VIII. Epiſt. vlt.]

D

Legitimos quidem.

Non inquam crebra ab eo ſolo: (nam Odio miſceri iam dixi:) præſertim ſi quis verus legitimúſque ſit Princeps. Tamen quia euenit: qui vites, docebo. ſed breuiter. Cur diffundam? nónne in Auctoritate formandâ, ſatis muniui hanc ipſam viam? Satis: ſi verum hoc ſcitum, μίαν αὐτὴν τῶν ἐναντίων ἐπιστήμην εἶναι: *Eamdem contrariorum ſcientiam eſſe.* [Ariſtot. I. Topic. cap. IIX.]

Origo eius.

Fit igitur contemptus in Principem ab his tribus maximè: Formâ imperij, Fortunâ, Moribus. FORMA imperij: ſi iuſto ea lenior & remiſſior. Quod peccatum peccant ij qui nimiâ *lenitate dulces.* [Cicero ad Attic. v. ep. XIV.]

A leni imperio

E Effusè dant ſe popularì auræ, & *omnem infimæ plebis rumorem affectant.* [Tacit II. Hiſtor.]

Quod publicè etiã nocuũ per licentiã.

Bis noxij, in ſe & in rempublicam. Qui & plebi reuerentiam omnem excutiunt: & licentiam præbent peccandi. Ἡ γὰρ ἐξουσία τοῦ πράττειν ὅ τι ἂν ἐθέλῃ τις, οὐ δύναται φυλάττειν τὸ ἐν ἑκάστῳ τῶν ἀνθρώπων φαῦλον: *Facultas faciendi quod cuilibet viſum, non poteſt comprimere ingenitam ſingulis hominibus prauitatem.* [Ariſto. v. Polit. cap. IV.]

Acutè olim Fronto, in Neruam ſenem & iam eneruem: Κακὸν μὲν εἶναι αὐτοκράτορα ἔχειν, ἐφ' οὗ μηδενὶ μηδὲν ἐξεστι ποιεῖν, χεῖρον δὲ ἐφ' οὗ πᾶσι πάντα: *Malum quidem eſſe, Principem habere ſub quo nihil vlli liceat: peius verò eum, ſub quo omnia omnibus.* [Dio in Neruâ.]

A

Nec lenis ſolùm Forma ad Contemptum facit: ſed & Leuis. quæ decretis legibuſq; variat, & de quâ dici poſſit, Ἀνέμων πεδίον: *Ventis campus.* [Adag.]

Eſt & à Leui imperio.

Maximè, ſi ipſe Princeps inſigni *mobilitate ingenij*: [Tacit.]

Aut Principe.

Quem *ſubitis offenſis, vel intempeſtiuis blanditiis mutabilem*, meritò *contemnant metuantq́;*. [II. Hiſtor.]

Etiam, ſi Soluta Forma. nempe cum rerũ omnium incurioſus Princeps, & *leui auditu, quamuis magna, transmittit.* [Ibidem.]

Item à Soluto imperio

Abundè ratus, ſi præſentibus fruatur, nec in longius conſultans. [Ibidem.]

B

Siue cùm Honores effusè diuidit, Magnos, Diuturnos. Quidni illum ſpernant, aliis adhæreant, qui *munia tranſmittit:* [IV. Ann.]

Et velut ſponte videtur *exire de Imperio?* [III. Hiſtor.]

FIT ſecundò Contemptus à FORTVNA. nempe ſi nouerca ea, non mater: & *votis tuis malignum pedem opponit.* [Ex Ouidio de Triſt.]

A Fortunâ aduerſâ pertinaciter.

Scito certò. *Proſperis tuis rebus certaturi ad obſequium, Fortunam aduerſam omnes ex æquo detractabũt.* [Tacit. II. Hiſtor.]

Imò in te incurrent.

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται·
Ruente quercu, ligna quiuis colligit. [Schol. Theocr.]

C

Amplius, ſi eadem *munimenta* tibi nõ dat aut ſubtrahit, *quibus inſiſtas.* [Tacit. I. Annal.]

Ab orbitate.

Succeſſores dico certos, aut liberos. Valdè ab eâ re ſpernunt, & vertunt ſe ad ſperatum aliquem Solem. Alexander Magnus ſciuit, & queſtus eſt: *Orbitas mea, quòd ſine liberis ſum ſpernitur.* [Curt. IV.]

Reuerà enim, vt Tragicus ait,

--τύραννοι παῖδες, ἔρυμα δώμασι·
Munimen aulæ, regij ſunt liberi. [Euripid.]

Certus cuiuſque ſucceſſor te firmat.

Et *non legiones, non claſſes, æquè firma imperij munimenta, quàm numerus liberorum.* [Tacit. v. Hiſtor.]

TERTIÒ & poſtremò, fit à MORIBVS Cõtemptus: maximè iſtis. Si quis Libidini deditus, ſeq; ne *per licita & illicita fœdat.* [XV. Annal.]

D

Deniq; à Libidine.

Nam muliebria hęc flagitia valdè opinionem non regis modò, ſed viri detrahunt. Alij *viribus peccant*, ait quiſpiam: [Seneca De Breuit. cap. VI.]

In Venerem ac libidinem proiectorum inhoneſta labes eſt. [Ibidem.]

In pari cauſsâ, qui *Luxui & ſaginæ mãcipati, emptiq́;*: [Tacit. II. Hiſtor.]

A luxu & temulentiâ.

Medio dies temulenti. [Ibidem.]

Noui Vitellij ſiue vituli, qui *vt ignaua animalia, ſi cibum ſuggeras, iacent torpentq́;: & præterita, inſtantia, futura pari obliuione dimittunt.* [Ibidem.]

E

Dux noſter ad Prudentiam, benè. Ἀπολαυστικῶς ζῶντες εὐκαταφρόνητοι γίνονται, καὶ πολλοὺς καιροὺς παραδιδόασι τοῖς ἐπιτιθεμένοις: *Solutè viuentes, deſpicabiles fiunt; & multas opportunitates præbent inſidiantibus.* [Ariſtot. v. Polit. cap. x.]

Οὔτε γὰρ ῥᾳδίως ἐπιτίθενται, οὔτε εὐκαταφρόνητος ὁ νήφων, ἀλλ' ὁ μεθύων· οὐδ' ὁ ἀγρυπνῶν, ἀλλ' ὁ καθεύδων: *Nec enim facilis aggreſſu aut contemptu ſobrius, ſed ebrioſus: nec vigilans & excitatus, ſed ſomnolentus.* [Ibidem cap. XI.]

Item, in quibus *tarditas ingenij, ſtupor, debilitas linguæ:* [Cicero in Piſon.]

Aut alia magis leuicula, vt Facies parùm decora, Ætas grauior, Valetudo imbecillior. quæ ſæpè *irriſui & faſtidio ſunt:* [Tacit. I. Hiſtor.]

A rebus externis

Vt eſt mos vulgo, fortuita aut externa *ad culpam*

A *trabenti:* [IV. Annal.]

Et *Imperatores formâ ac decôre corporis comparanti.* [I. Hiſtor.]

Plura talia, ipſe manu facili educes & hauries è riuulis, quos ad Auctoritatem recluſi.

CAPVT XIII.

Quæſitum an Prudentia mixta locum apud Principem habeat? id eſt, ea in quâ fraudes. Dictum, & doctum, aliquem habere.

Aſtû in regno eſſe poſſe. Etſi rigidi quidam negent.

VIDOR liberaliter ſatis & plenâ, quod dicitur, manu, tibi prompſiſſe è gemino Prudentiæ
B fonte: & quidem probum ac merum. Faſne eſt vt leuiter miſceam, & iungam aliquid è fraudium fæce? ego puto. quidquid Zenones quidam mihi abnuant, quibus *vnum illud ad laudem, cum virtute directum iter probatur.* [Cic pro M.Cæl.]

Qui fas non putant *Rationem bono conſilio à dîs immortalibus datam, in fraudem malitiamq́; conuerti.* [III. De Naturâ deorum.]

Sed mores hominesq; contra volunt.

Quos alibi ſanè libens audio: hîc quî poſſum? Æuum & homines ignorare mihi videntur, & *dicere tamquam in Platonis πολιτείᾳ, non tamquam in Romuli fæce ſententiam.* [Ad Att. II. Epiſt. I.]

Inter quos enim viuimus? nempe argutos, malos: & qui *ex fraude, fallaciis, mendaciis, conſtare toti videntur.* [Pro Roſ. Com.]

Ipſi Principes, cum quibus nobis res, plerique in
C hac claſſe: & quidquid leonem præferant,

Aſtutam vapido ſeruant ſub pectore vulpem. [Perſius Sat. V.]

Et hîc mihi clamat quiſpiam, *ne quid inſidiosè, ne quid ſimulatè, ne quid fallaciter.* [Cicer. III. De Offic.]

Tecum velim, qui poteſt? *Per fraudem & dolum regna euertuntur,* notat Philoſophus: [Ariſtot. V. Polit.]

Cretizandû cum Crete:

Tu ſeruari per eadẽ, nefas eſſe vis? nec poſſe Principem interdum

Ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέρας ἀλώπεκας?

Cum vulpe iunctum, pariter vulpinarier?

Idq; ex vſu Principis, & publico.

Præſertim ſi publicus Vſus Saluſque ſuadeat: quæ
D ſemper cum Principis vſu ac ſalute coniuncta? Profectò erras. *Communis vtilitatis derelictio contra naturam eſt*, non ſolùm rationem. [Cic. III. De Offic.]

Stare omnes debemus, tamquam in orbe aliquo reipublicæ. qui cùm iam verſatur, eam deligere partem debemus, ad quam nos illius vtilitas ſalusq; conuerterit. [Pro Planc.]

Bono fine, quædam talia bona.

Turpe aliquid in eo mixtũ videbitur? fruſtrà. hoc enim aſpectu, *quod plerumque turpe haberi ſolet, turpe non erit.* [Cicer. III. De Offic.]

Semper officio fungitur, vtilitati hominum conſulens & ſocietati. [Ibid.]

Principẽ præfractò rectum eſſe non debere. Ad vtilia inclinare: Non tamen ad ſcelesta.

Itaque ne tanto opere, quæſo, mirentur aut indignentur; ſi, nobis arbitris, *non ſemper ſuperet vera illa & directa ratio:* [Pro M.Cæl.]
E Velimuſque Principem, alto quidem ſplendidoq; ingenio: ſed tamen *eruditum vtilia honeſtis miſcere.* [Tacit. Agric.]

Miſcere, dico. Nam vt prorſus ab Honeſto recedat, nulla vis ſuadere me adiget. Sperno ſeriò & exſecror illas voces. *Nihil glorioſum, niſi tutum: & omnia retinendæ dominationis honeſta eſſe.* [Salluſt. Orat. Lepidi.]

Item:

Vbicumque tantùm honeſta dominanti licent, Precariò regnatur. [Seneca Thyeſt.]

Ad Orcum hi ſenſus, vnde nati. De me fateor:

Ego ille ſum, qui ſcelera committi vetem:
Ego ſum magiſter iuris ac moris probi. [Auctor Theb.]

Circuire, non aberrare.

Et hoc volo tantùm, ius faſque eſſe interdum in turbido hoc rerum humanarum pelago, *obliquare ſinus:* [Virgil.]

Et ſi rectà *portum tenere nequeas, id ipſum mutatâ velificatione aſſequi.* [Cicero ad Lentulum epiſt. IX.]

Alij quoque faciunt.

Quis me adeò culpet, aut cur à Virtute abeam? Vinum, vinum eſſe non deſinit ſi aquâ leuiter temperatum: nec Prudentia, Prudentia, ſi guttulæ in eâ fraudis. Semper intellego, vt modicè & ad Bonũ finem. Nónne matres aut medici quoque, teneræ ætati fucum ſæpè faciunt,

Vt puerorũ ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus? [Lucr. I.]
——*deceptaq́; non capiatur?* [Ibid.]

Cur Princeps non idem in Plebeculam ſuam, aut vicinum aliquem Dynaſtam poſſit? Profectò

Mente opus vbi manus nõ ſufficit.

Cùm contendi nequitum eſt, clam tendenda eſt plaga. [Pacu.]

Et ex Spartani regis monito: ὅπου ἡ λεοντῆ μὴ ἐφικνεῖται, προσραπτέον ἐκεῖ τὴν ἀλωπεκῆν: *Vbi Leonina pellis non pertingit, oportet Vulpinam aſſuere.* [Plutarch. Lyſandr. & Apophth.]

Mihi, cum Pindaro, ſemper laudatus ille vir; qui

Princeps ex Leone & Vulpe.

——τόλμᾳ μὲν ἐοικὼς
Θυμὸν ἐριβρεμετᾶν θηρῶν λεόντων
Ἐν πόνῳ, μῆτιν δ᾽ ἀλώπηξ.
——*fiduciâ refert*
Animum grauiter frementium leonum
In diſcrimine: conſilio verò vulpes. [Iſth. Od. IV.]

Adoleſcentuli hoc parum capiunt: Benè ſenes, aut periti.

Tuque, in tempore & loco, eſto ſecurus, quid iſti à Scholâ aut Vmbrâ adoleſcentuli dicent: quos ſcio τῆς πολιτικῆς οὐκ εἶναι οἰκείους ἀκροατάς: *Ciuilis diſciplinæ non eſſe idoneos auditores:* [Ariſtot. I. Ethic. cap. III.]

Multò minùs Arbitros. & virum profectò quærit hoc tribunal, qui οὐκ ἄπειρος τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων: *non ignarus rerum quæ eueniunt in hac vitâ.* [Ibidem.]

Ab illo facilè obtinebimus eſſe quamdam, vt vir ſanctus ait, καλὴν καὶ ἐπαινετὴν πανουργίαν: *honeſtam atq; laudabilem calliditatem.* [Baſil. in Prouerb.]

CAPVT XIV.

Quomodo & quatenus, Fraudes admittendæ. Triplex earum genus factum; & diſtinctè aliæ in Regnum receptæ, aliæ excluſæ.

NEc tamen ita hæc diſſero, vt fræna omnia Fraudi malitiæque permittam. abſit. Diſtinctionum tibi lumen præferam, &, nequid libero nimis pede vageris, lineis ſuis liminibuſque includam fallacem hunc campum. Fraus vniuerſè mihi hic eſt, ARGVTVM CONSILIVM A VIRTVTE AVT LEGIBVS DEVIVM, REGIS REGNIQVE BONO. Ea triplex: Leuis, Media, Magna. Illam appello, QVÆ HAVT LONGE A VIRTVTE ABIT, MALITIÆ RORE LEVITER ASPERSA. in quo genere mihi eſt Diffidentia, & Diſſimulatio. Mediam, QVÆ AB EADEM VIRTVTE ELECTIT LONGIVS, ET AD VITII CONFINIA VENIT. in quâ pono Conciliationem, & Deceptionem. Tertiam, QVÆ NON A VIRTVTE SOLVM SED LEGIBVS ETIAM RECEDIT, MALITIÆ IAM ROBVSTÆ ET PERFECTÆ.

Fraudiũ cõmunis definitio. Eiuſdẽ diuiſio. Leuis: Media: Magna.

vti ſunt Perfidia & Iniuſtitia. Illam ſuadeo, hanc tolero, iſtam damno. Ordine omnes vide. In Leui, Diffidentiam primò poſui. quam ego protſus Principi inſinuo: quia vt in actionibus omnibus tardum lentumque eum eſſe expedit, ſic in fide & aſſenſu. Vt intentus, inquam, ſuſpenſuſque ambulet, & pæne dixerim, vt *nihil niſi quod in oculos incurret manifeſtumque erit, credat.* [Seneca II. De Irâ.]

Diffidẽtia commẽdata regnãti.

Etſi enim *Credulitas error eſt magis, quàm culpa, & quidem in optimi cuiuſque mentem facillimè irrepit:* [Cic. Epiſt. lib. x. epiſt. xxIII.]

Cui turpis credulitas:

Tamen à Principe remouenda ea longiſſimè. apud quem *plurimum mali credulitas facit.* [Seneca II. De Irâ.]

Et per eam error:

Nónne pro omnibus ille excubat? Turpe igitur, & omnibus noxium, illum *Labi, errare, decipi.* [Cic. Phil.]

Iam faciles iſti & incauti, quàm *opportuni iniuriæ!* [Salluſt. Iugurth.]

Vndique patent. & paſſim apud eos, *minore metu, & maiore præmio, peccatur.* [Tacit. I. Hiſtor.]

Ac ſæpè noxa.

Imò & in eos peccatur.

Aditum nocendi perfido præſtat fides. [Seneca Oedip.]

Reducat ergo ſe Princeps, & tutum hoc ſcuto reddat; *Nihil credendo, atque omnia cauendo.* [Cic. Orat. Poſt redit. in Senat.]

Infidæ enim vbique omnia. Et ſimulata.

Amici & fidi videntur? circumſpice.

O vita fallax, abditos ſenſus geris! [Seneca Hipp.]

C

Nimis *multis ſimulationum inuolucris tegitur, & quaſi velis quibuſdam obtenditur vniuſcuiuſque natura. Frons, oculi, vultus, perſæpè mentiuntur, oratio verò ſæpiſſimè.* [Cic. ad Q. Frat. ep. I.]

Quod ille clamabat olim: ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος: *O amici, nemo amicus:* [Ariſtot. apud Laërt.]

Præſertim in Aulâ.

Tu iure potes. quia profectò *in domo Principum, nomen tantùm Amicitiæ inane irritumq; remanet:* [Plinius Paneg.]

Res ipſa exulat. &

Licet omne tuâ vulgus in aulâ,
Centum pariter limina pulſet:
Cùm tot populis ſtipatus eas,
In tot populis vix vna fides [Senec. Her. Oet.]

D

Ideò cauendum & diffidẽdum.

Itaque meritò *Pragmatici homines, omnibus hiſtoricis præceptis, verſibus denique, cauere iubent & vetant credere.* [Cicero ad Att. lib. II. epiſt. xx.]

Ille Siculos inſuſurrat:

Νᾶφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν:
Vigila, & memor es ne quid credas: nerui hi ſunt Prudentiæ. [Epichar.]

Clamat alter à Græciâ:

———σώφρονος δ᾽ ἀπιστίας
Οὐδ᾽ ἔστιν ἄλλο χρησιμώτερον βροτοῖς:
———*ſapiente Diffidentiâ,*
Non alia res vtilior eſt mortalibus. [Euripid.]

Quibuſdã tamẽ fidendũ:

E

Quid ergo? inquies. nulli credam? Non hoc ſuadeo: (*Vtrumque enim in vitio eſt, & omnibus credere, & nulli:*) [Seneca Epiſt. III.]

Sed per paucis.

Sed vt paucis. nec niſi iis, quorum longo vſu cognita tibi fides. His talibus, quid eſt *quod non & committi & credi rectiſſimè putem?* [Cic. ad Q. Frat. epiſt. I. lib. I.]

Reipsâ, inquam, paucis: at in ſpecie, omnibus. id eſt, *Fronte & vultu, quibus Simulatio facillimè ſuſtinetur.* [Ad Lentul. epiſt. IX.]

Diffidẽtia celãda.

Nam nihil magis hìc cauendum, quàm ne Diffidere videaris. *Multi fallere docuerunt, dum timent falli.* [Seneca Epiſt. III.]

Vult ſibi quiſque credi, & habita fides ipſam plerumque obligat fidem. [Liuius xxII]

A

Diſſimulatio adhibẽda:

Itaque Diſſimulatio adſumenda, quam poſui & ſuaſi loco altero: quæ verè Diffidentiæ huius proles. Quid enim eâ opus, ſi mutua inter nos fides? Hæc eſt, quæ *frontem aperit, mentem tegit.* [Cicero pro Cn. Planc.]

Cuius late vſus.

Neceſſaria ſanè Principi. adeò, vt veteranus Imperator dixerit: *Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare.* [Fridericus ſiue Sigiſmundus. Nam variant.]

Et Tiberius ab eàdem mente, *Nullam, vt rebatur, ex virtutibus ſuis magis, quàm Diſſimulationem diligebat.* [Tacit. IV. Annal.]

Diſplicebit hoc ingenuæ alicui fronti, & clamabit: *Ex omni vitâ Simulatio Diſſimulatioq; tollenda eſt.* [Cic. II. De Offic.]

B

Et Principi ea planè neceſſaria.

De priuatâ, fateor; de publicâ, valdè nego. Numquam tegent, qui non tegent: *nec aliter poſſunt ij, quibus commiſſa eſt tota reſpublica.* [Pro Milone.]

Vt *ad effectum conſiliorum ſuorum veniant, multa ſimulent oportet inuiti, & diſſimulent cum dolore.* [Lib. x. Epiſt. IX.]

Apud hoſtes:

Nec id ſolùm aduerſus Exteros aut Hoſtes. (nam ibi receptum dogma eſt, Vt *malum ſub linguâ, non in linguâ habeas* quia [Gregor. XV. Moral.]

Profeſſa perdunt odia vindictæ locum:) [Seneca Med.]

Apud ſuos.

Sed etiam apud Tuos. Aperti iſti & ſimplices, *ſine fuco, ſine fallaciâ:* [Cic. I. ad Attic. epiſt. I.]

Et qui animum, quod dicitur, *in fronte promptum gerunt:* [Ennius.]

Numquam apti huic theatro. in quo, me iudice, primum locum *Afranij Simulans* habet. [Cic. pro Sextio.]

Sed cũ modo habẽda.

Sic tamen vt aptè eam fabulam agas & decorè. Οἱ γὰρ μετρίως χρώμενοι τῇ εἰρωνείᾳ, καὶ περὶ τὰ μὴ λίαν ἐμποδὼν καὶ φανερὰ εἰρωνευόμενοι, χαρίεντες φαίνονται: *Nam qui modicè diſſimulatione vtuntur, & in iis quæ haud planè perſpicua & ante pedes oculoſq; ſunt, gratioſi apparent.* [Ariſtot. Eth. III. cap. VII.]

Contrà, qui immodicè & ineptè, reuerâ fatuelli. Cui enim bono tegmen, ſi tranſluces? Quin ſemel hoc in omni genere fraudium cape:

———*Doli non ſunt Doli, niſi aſtu colis.* [Plaut.]

Cõciliatio, mihi quid?

Habes de Leuibus fraudibus. ad MEDIAS venio: in quibus Conciliatio prima, ſiue vt liberiùs dicam, Corruptio. Ea eſt, cùm callidè inclinas & allicis ad te eorum animos operaſque, qui alieni iuris. O artem nimis hodie Principibus receptam! quæ vna ferè in Aulis *pleraſq; res* (vt ille de Fortunâ ait) *ex libidine ſuâ agitat.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Vſitata:

Sed & vtilis.

Quam valdè etiam attollit Tullius. & *Proprium hoc eſſe Prudentiæ ſtatuit Conciliare ſibi animos hominum, & ad vſus ſuos adiungere.* [Cicero II. De Offic.]

Muneribus plerumque fit.

Quod duplici viâ fit. Suaſionis & Doni. Rarentet illâ: hac alterâ crebertimè, vt hodie *corrupti deprauatiq; mores ſunt admiratione diuitiarum.* [Ibidem.]

Quibus faciles vbique corrũpi.

Quotuſquiſque eſt, cui non illæ *bono atque honeſto potiores ſunt?* [Salluſt. Iugurth.]

Itaque ſcitè & tectè hac machinâ ſi vtâre; vbique reperies, *quos perniicioſa libido teneat aliena potentia decus atque libertatem ſuam gratificari.* [Ibidem.]

Arcana referãt. In bello produũt.

Qui & Principem ſuum, & omnia eius, *venalia habeant.* [Ibidem.]

Atque adeò (hoc reconde) in *ipſâ hoſtium acie inuenies tuas manus.* [Tacit. Agric.]

Etiã fæminæ huc adhibitæ.

Quid? quod in ſacrum ac indiuiduum thorum penetrauit iſta fraus? Rem turpem! & fæminæ etiam

inducuntur ſiue emuntur, ἵν᾽ ἐξαγγέλλωσι κατὰ τῶν ἀνδρῶν: *vt efferant & enuncient quæ contra maritos.* [Ariſtot.v.Polit.cap.xi.]

In Tacito legi. *Secreta quoque eius, corruptâ vxore, prodebantur.* [Tacit.iv. Annal.]

Deceptio quid mihi ſit.

Iam Deceptio eſt, cùm inducis alium in tua commoda, errore aut mendacio obiecto. Quod licitum probúmque in Principe eſſe, volunt probi auctores.

Licita ex ſenſu veterũ.

Magnus Plato cenſuit, συχνῷ τῷ ψεύδει καὶ ἀπάτῃ δεήσει χρῆσθαι τοὺς ἄρχοντας, ἐπ᾽ ὠφελείᾳ τῶν ἀρχομένων: *crebro mendacio & fraude vti imperantes debere, ad commodũ ſubditorum.* [v.De Rep.]

Et noſter Plinius: *Decipere*, inquit, *pro moribus temporum Prudentia eſt.* [Lib.viii. Epiſt.]

Quinetiam neſcio quis poëta;

Ὑπολαμβάνω τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ
Λεγόμενον, οὐδὲν περιποιεῖσθαι δυσχερές:
Exiſtimo mendacium, ſi gratiâ
Salutis effers, nihil habere incommodi.

Crebra apud Principes:

Et Principes ſanè promptè audiunt. qui neſcio quomodo *laudem occulto magis tramite, quàm apertâ viâ petunt.* [Val.vii.cap.iii.]

Vim differunt, potiorem dolum arbitrantur: [Tacit.xii.Annal.]

Et ſæpè quod rerum aut *temporis anguſtia negant, ſagacitate conſilij aſſequuntur.* [Val.vii.cap.iii.]

Decipiunt verbis, literis, Legatis. atque adeò ipſos Legatos:

Eosq́ue, per quos fallere alium cogitant,
Fallunt. [Seneca Thyeſt.]

Qui vſu omnia metiuntur.

Et quid diducam? vno verbo, cum Lyſandro plerique ſentiunt, τὸ ἀληθὲς τοῦ ψεύδους κρεῖττον εἶναι, ἑκατέρου δὲ τῇ χρείᾳ τὴν ἀξίαν καὶ τὴν τιμὴν ὁρίζεσθαι: *Verum falſo eſſe melius, ſed vtriuſque dignitatem & præſtantiam Vſu diſcerni.* [Plutarch. Apophth.]

Toleratur humanitate:

Atque hæc, humanam Prudentiam ſi conſideras, proba. Quidni? ad Bonum enim publicum referuntur: quod inditum in iis malitiæ virus facilè exſugit & abſorbet. Vt medicamentis venena laudabiliter miſcemus, ſalutari illo fine: ſic videntur ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει τὰ τοιαῦτα χρήσιμα εἶναι: *Inſtar pharmaci, hæc talia vtilia eſſe.* [Plato v.De Rep.]

Adde receptiſſimos mores, & quòd hæc *conſuetudine iam pro nihilo habentur.* [Salluſt.Iugurth.]

Imò neceſſitatem etiam. quòd cõtra tot inſidiantes, vix eſt vt ſe ſuosq́ue aliter tueatur bonus Princeps. Quibus cauſſis ego quoque prædixi tolerari Medias has fraudes à me, non tolli. Quid tamen, rectam illã

At vix Diuina ſanctio.

diuinamq́ue legem ſi conſidero? hæreo valdè & ſudo. Abnuere illa nobis videtur: & à ſimpliciſſimo ac puriſſimo deo hæc effata manarunt: *Abominatio Domini eſt omnis illuſor.* [Prou.iii.]

Item: *Ne velis vti mendacio vllo, nunquam enim prodeſt frequentatio illius.* [Eccl.vii.]

Et vt claudam omne effugiũ, ecce palàm de Principibus: *Non decent ſtultum verba compoſita, nec Principem labium mentiens.* [Prouerb.xvii.]

Quid obtendis tu Politice? Publicum bonũ? Sed enim vir ſanctus occurrit. & *Mentiri*, inquit, *non licet nec pro Dei laude.* [Auguſtin.Epiſt.viii.]

Tu pro humanâ aliquâ tecula aut gloriâ vis? *Vide, vide* (vt inuertam tibi dictum vetus) *ne dum terram defendis, cœlum amittas.* [Demadis.]

Nec effiicimus aut effugimus, quin leuia ſaltẽ peccata ſint.

Sanè ægrè vos, aut me, hîc expedio. niſi quod idem ille Antiſtes ſuggerit, *Eſſe genera quædam mendaciorum, in quibus non ſit magna culpa, ſed tamen non ſint ſine culpa.* [Auguſt.in Pſal.v.]

Cautio in hac re.

In eâ claſſe Corruptiunculas, Deceptiũculas cenſeamus, idque tunc ſaltem, cùm à bono legitimoque rege contra malos vſurpantur, Boni cõmunis cauſsâ.

A

Si aliter, ſæpè nõ tantùm peccatũ, ſed grande peccatũ ſunt, quidquid me rideant veteratores ab Aula. *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat cõfidenter.* [Prou.9.]

Fraus magna.

Sequuntur Magnæ fraudes, quas ad bina capita reduxi, Perfidiam & Iniuſtitiam. Eas palàm verbis amplecti aut tueri paucos video, nimis multos factis. Nam de Perfidiâ; quoties per cauillos & argutiolas, fœdera eluſa vidimus aut pacta? In animo enim ita ſentiunt: Τοὺς μὲν παῖδας ἀστραγάλοις δεῖν ἐξαπατᾶν, τοὺς δὲ ἄνδρας ὅρκοις: *Pueros quidem talis circumueniri oportere, at viros iuramentis.* [Plutarch.Apophth.]

Fœdera per calũnias eludunt:

Itaque iis ſatis, ſi quamcumque rimam effugio reperiant. & ſtatim *liberatos ſe eſſe iureiurandô interpretantur.* [Cic.iii.De Offic.]

Scimus omnes,

B

———*quo pacto ſoleant perplexarier:*
Pactum non pactum eſt, non pactum pactum eſt,
cùm illis lubet. [Plaut. Aulular.]

O vani! Certè enim *Fraus diſtringit, non diſſoluit periurium.* [Cic.iii. De Offic.]

At Deũ non ludunt.

Et quid expectent, niſi *iratos omnes deos, quorum eluditur numen?* [Liuius ix.]

Nam ego illud ſcitum pro firmo habeo. *Quacumque arte verborum quis iuret, Deus tamen qui conſcientiæ teſtis eſt, ſic illud accipit, ſicut ille cui iuratur, intelligit.* [Iſidor.lib.ii.de ſummo Bono.]

Iniuſtitiæ actiones.

Iam altera Fraus, Iniuſtitia eſt: cùm ſcilicet contra iura & leges, ſe & ſua improbè potiùs quàm callidè augent. Ab hoc fonte illi actionum riuuli.

Obſtantes tollit.

C

Eminentes illuſtresque viros, καὶ ἀναιρεῖν λάθρᾳ καὶ φανερῶς, καὶ φυγαδεύειν, ὡς ἀντιτέχνους καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ἐμποδίους: *perdere clàm vel palàm, ſiue in exſilium mittere, tamquam æmulos & dominationi quoſdam obices.* [Ariſtot.v.Polit.cap.x.]

Per cauſſam aliquam,

Huic rei *ſtruere cauſſas, vel ſponte oblatas arripere.* [Tacit.ii.Annal.]

Nam illud nimis mite & dilutum putant, *ſpecie legationis*, aut honoris, *ſeponere.* [i.Hiſtor.]

Tollunt potiùs. quoniam ex ſcito Aulæ veteris, Οἱ τεθνεῶτες οὐ δάκνουσιν: *Mortui non mordent.* [Plutarch. in Pomp.]

Aut etiã nullam.

Et laudatos ille Cæſar etiam, ὅσους μηδενὶ ἀξιολόγῳ ἐγκλήματι μετελθεῖν ἐδύνατο, ἐν τρόπῳ δή τινι ἀφανεῖ ὑπεξῄρει: *quoſcumque digno & probabili crimine deferre nõ poterat, occultâ quâdam viâ tollebat.* [Dio xliii.]

Iulij Cæſaris fraus immanis.

D

Imò nonnullos, οἱ πολλοὶ τῶν ἑταίρων, ἐξ ἐπιβουλῆς, ἐν αὐταῖς ταῖς μάχαις ἀπολλύμενοι: *inimica ſuis & qui eiuſdem partis erant, per inſidias, in ipſâ acie tolli curauit.* [Ibidem.]

Iniuſtitia item inuadit. In mutatione Principum:

Ab eodem capite manat, aliena appetere, & inſidiari temporibus. veluti in morte aliquâ Principis. *Opportuni* enim *magnis conatibus tranſitus rerum.* [Tacit.i.Hiſtor.]

Aut in domeſticis diſcidiis.

Siue in diſcidiis finitimorum & turbis. Iuxta enim Ariſtophanem, *anguillas tunc capiunt:* [Pluſculi verſus in Equit.]

Et iſti magni *in partem accisi, aduerſus omnes valeſcunt.* [Tacit.vi.Annal.]

Ius in armis habet:

E

Leges aliquis inclamet? audiet illud: Οὐ παύσεσθε ἡμῖν ὑπεζωσμένοις ξίφη, νόμους ἀναγινώσκοντες; *Non ceſſabitis nobis gladio accinctis, leges prædicare?* [Plutarch. Pomp.]

Et huc alterum: Ὁ ταύτης (μαχαίρας) κρατῶν, βέλτιστα περὶ γῆς ὅρων διαλέγεται: *Qui iſto* (gladio) *prævalet, is optime de finibus diſputat.* [Idem Apophth.]

Omnia vtilitate metitur.

Hæ voces, & in animo illa decreta: *Quidquid valdè vtile ſit, id fieri honeſtum, etiam ſi antea nõ videretur.* [Cicer.iii.de Offic.]

Item: *Sua retinere, priuatæ domus; de alienis certare, regiam laudem eſſe.* [Tacitus xv.Ann.]

Si Principes *iuſtitiam ſequi velint ac ſuum cuique reſtituere quod vi & armis occupauerint, ad caſas & egeſtatem reuerſuros.* [Cicer.III. De Rep.]

Habes in parte iſtorum Scholam. nam vniuerſam vt excutiam, nulla res me inducet. Quid autem opus? Ex oraculo ſcriptum,

Regnũ, ſchola fraudiũ.

Vt nemo doceat fraudis & ſcelerum vias,
Regnum docebit. [Seneca Thyeſt.]

Ego illud potiùs videro, Tolerandáne hæc talia, an damnanda.

Aliquã iniuſtitiã multi approbant.

Et magnam quidem aliquam apertamque iniuſtitiam, nec ij palàm probant, qui probant. In exiguâ & palliatâ modò conniuent. & aſſerunt, *ὡς ἀναγκαῖον ἀδικεῖν τὰ μικρὰ, τοὺς βουλομένους τὰ μεγάλα δικαιοπραγεῖν: neceſſarium eſſe in paruis à iuſtitiâ abire, qui ſaluam eam velint in magnis.* [Iaſoni Theſſalo tribuit Plutarch. in Polit.]

B

Vt, præter leges occidere:

Quid enim, inquiunt, ſi vnus altérve regnum meũ turbant, nec legibus in eos facilè vindicem ſine maiore turbâ; nónne fas elàm tollere? Videtur. & hoc referendum inter *magna* illa *exempla*, quæ *habent aliquid ex iniquo, quod aduerſus ſingulos vtilitate publicâ rependitur.* [Tacit.XIV. Annal.]

Priuilegia flectere, aut frãgere:

Quid etiam, ſi leges aliquæ aut priuilegia Subditis, non pro meo bono; violare non poſſim? poſſim: *καὶ οὐ κατὰ τοὺς νόμους μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν νόμων ἄρχειν, ὡς τὸ συμφέρον: nec iuxta leges ſolùm, ſed legibus ipſis imperare, vſu ſic ſuadente.* [Plut. in Flamin.]

Aliena occupare:

Denique tertiò, ſi vrbs aut prouincia Statui meo peropportuna, quam niſi occupo, alius faciet cum æterno meo metu aut damno: non præueniam? Illi volunt. quibus hæc talia ſemper licita & proba, ſi cum ſucceſſu.

C

Honeſta quædam ſcelera ſucceſſus facit. [Sen. Hipp.]

Ἐν γὰρ δὴ τοῖς τοιούτοις τό,τε ἀπολωλὸς πάντες ἀεὶ καταισχύνουσι, καὶ τὸ κρατῆσαν τιμῶσι: In his enim talibus, ſemper & victum premunt ac dedecorant, & victorem honore omni afficiunt. [Dio XLIIX.]

———proſperum ac felix ſcelus,
Virtus vocatur. [Sen.Herc.Fur.]

Idq; eõmodi tãtũ aſpectu.

Hæc, taliaq; ſunt, quæ rectiſſimas etiam mentes à à recto abſtrahũt: vt quò Vtilitas vexillum ſitum prætulit & explicuit, illuc eant.

Princeps Ariſtoteli haud purè bonus:

Ita Ariſtoteles paullùm ſe inclinat, & cenſet Principem *διακεῖσθαι κατὰ τὸ ἦθος, ἤτοι καλῶς πρὸς ἀρετὴν, ἢ ἡμίχρηστον ὄντα, καὶ μὴ πονηρὸν, ἀλλ' ἡμιπόνηρον: moribus talem eſſe, vt aut planè bonus ſit, aut ſemi-bonus; nec malus omnino, ſed ſemi-malus.* [Ariſtot.v.Polit.cap.XI.]

Democrito etiam iniurius:

Et magnus vetuſque item Philoſophus dixit: *Οὐδεμία μηχανὴ, τῷ νῦν καθεστῶτι ῥυθμῷ, μὴ οὐκ ἀδικεῖν τοὺς ἄρχοντας, ἢν καὶ πάνυ ἀγαθοὶ ἔωσιν: Fieri non poteſt, quin etiam optimi Principes, vt nunc rerum ſtatus eſt, iniquè aliquid agant.* [Democritus.]

Nobis nũquã, niſi leuiter in vltimã Neceſſitate.

Nos an mouemur? haud multum. Illud ſaltem dederim, Principem in rebus valdè afflictis & aduerſis, *non ſpecioſa dictu, ſed vſu neceſſaria ſequi.* [Curtius III.]

Tunc, inquam, abire leuiter ab humanis legibus; ſed non niſi ſui ſeruandi cauſsâ, augendi nunquam.

B

Illa excuſat quædã:

Neceſſitas enim *magnum imbecillitatis humanæ patrocinium, omnem legem frangit.* [Seneca Declam. lib.IX.]

Et, vt poëta ait,

Haud eſt nocens, quicumque non ſponte eſt nocens. [Seneca Herc.Oet.]

Apud homines tamen potiùs, quã Deum.

Hoc ipſum timidè. Deus, deus, nónne palam reclamat? qui igneo illo ſpiritu omnes iſtas humanas argutiolas diſſilat.

Quaſi ventus folia, aut peniculum tectorium. [Plaut.Mil.]

Ille edicit: *Dominus auerſatur omnem iniuſtitiam.* [Deuter.cap.XXV.]

Qui purus, omnia pura vult.

Ille minatur: *Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniuſtitiam, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.* [Eccleſ.cap.X.]

C

Cauſſa (ſi dicẽdũ homini) turbarũ hodie, à Gubernatione obliquã.

Et profectò libero ore effabor, Quòd Europa tot motibus agitatur, quòd reges & regna ardent ſeditionum flammâ & bellorum, veram fortaſſe iuſtamque cauſſam eſſe, Adminiſtrationem apud pleroſque parùm veram aut iuſtam.

———σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.
———deprauant publica iura,
Iuſtitiamq; fugant, diuûm nil verba verentes. [Homer.Iliad. π.]

Ideoq; merito quem deſerunt, deſerit: &

Τοὔνεκ' ἄρ' ἄλγε' ἔδωκεν ἑκηβόλος, ἠδ' ἔτι δώσει.
Cauſsâ horum pœnas miſit Deus, & quoque mittet. [Ibidem α.]

I. LIPSI POLITICORVM SIVE CIVILIS DOCTRINÆ LIBRI QVINTI

CAPVT I.

Tranſitio ad Militarem Prudentiam, cum excuſatiunculâ aliquâ mei, quòd de eâ diſſeram non miles.

SEd iam tibi, ô æterna Sapientia,

Lætus, lubens, laudes ago, grates gratiaſq; habeo:

[Plautus Trin.]

quòd te duce euaſi ex illis ſalebris & loca deueni per quæ faciliot mihi curſus. Diu me tenuit Pacata illa & togâ ſuâ verè inuoluta Prudẽtia: tamen me explicui, & ad Militarem iſtam veni, quæ horrida, ſed minimè ardua, ſagum ſuum promptè offert. Ego accipio; & ſermonem vnà veſtemque mutans, præcepta iam molior rei bellicæ vniuerſæ.

Pars altera Prudentiæ, Militaris.

Arma viri, ferte arma. [Virg.]

Tune hæc audebis homo vmbraticus? inquiunt. qui ſeriò *numquam hoſtem, numquam caſtra videris, numquam denique partem vllam bellici muneris attigeris?* [Cic. 2. de Orat.]

Nóſne tradedæ illi apti?

Ego verò audebo. nec mei tamen ingenij aut virium fiduciâ, ſed eorum à quibus iamdiu mutuor & ſumo. Quid enim hîc meum? ordo aliquis & contextus fortaſſe: at verba ſenſuſq; mihi præeunt illi, quos in hac ipsâ re (fidenter dicam) Annibal aliquis audire nihil abnuat, aut ipſe Cæſar. Nam quid ſapientes incultoſque illos viros fugit? cur nõ hîc quoque rectum eorum & purum iudicium? qui partim interfuerunt, imò & præfuerunt, bellis: partim in Senatu & populo illo verſati ſunt, vbi aſſidua materies & agitatio harum rerum. Viderunt igitur, audierũt: & quod caput eſt, cum iudicio obſeruarunt cauſſas ipſas origineſq; rerum, nec πρᾶξεις ſolùm euentuũ, ſed αἰτίας ipſa. Alexander ille, in re quidem bellicâ verè Magnus, Homerum ſibi militiæ magiſtrum aſſumere & aſſerere nihil verebatur: non meliore iure ego mihi iſtos? Nam vates ille (eximius ſanè & ſupra hominem vates, ſed tamen vates:) quid niſi vnum bellum, & idipſum fabellis aſperſum decantauit? Noſtri iſti (Hiſtoricos me intellegere palàm eſt) ab omni pænè æuo bella, continuatâ ſerie, & intemeratâ fide ſcripſeruot. Nec id tantùm. ſed ſæpè in ipsâ narratione, aut extra eam in concionibus, velut datâ operâ ſaluberrima monita & conſilia miſcuerunt ad omnẽ rem Militarem. Quæ eius pars ſiue ars eſt, quam non ij cùm exemplis ſubiiciant, tum verbis etiam delibẽt? vt *de Exercitu, de Caſtris, de Agminibus, de* Signorum collationibus, de Oppidorum oppugnationibus, de Commeatu, de Inſidiis faciendis atque vitandis, de reliquis rebus quæ ſunt propriæ belli adminiſtrandi.* [Cic. 1. De Orat.]

Ita, ſed nõ a nobis.

Veteres ducunt. Qui viu docuit

Iudicio magni.

Hiſtorici magiſtri ad militiã.

Præcepta clam & palã dant.

** id eſt, pugna.*

In quibus cùm iam tot annos verſer, & curioſo iſto mentis oculo cottidie vager per latos & lætos illos Hiſtoriarum campos: cur non mihi etiam fas intellegere & iudicare aliquid in iſtis? Non enim vidiſti, inquiunt. Certè. idemque nec viſum aut tractationem armorum mihi vindico; ſententiam & iudicium tantùm, eaque ipſa aſtricta ſententiæ alienæ. Ecce *in circulis omnibus, atque etiam, ſi diis placet, in conuiuiis, ſunt qui exercitum ducunt, vbi caſtra locanda ſint, ſciũt; quæ loca præſidiis occupanda; quando cum hoſte manus conſerenda, quando quieſcendum ſit:* [Liuius XLIV.]

Noſtis multi.

Sapere aliquid debemus ex iis.

Vel vulgus iudicat in bellis:

Et hos nemo carpit. ego canicula & impudens, ſi verbum his de rebus faciam ex veterum mente? Iphicrates olim interrogatus, Τίς ὢν μέγα φρονεῖς; πότερον ἱππεύς, ἢ τοξότης, ἢ πελταστής, ἢ πεζός; Οὐδεὶς, ἔφη, τούτων, ἀλλ' ὁ πᾶσι τούτοις ἐπιστάμενος ἐπιτάττειν. *Quis tu es qui tantos ſpiritus tibi ſumis? vtrùm eques, an ſagittarius, an veles, an legionarius? Nihil horum, inquit; ſed qui his omnibus noui imperare.* [Plut. in Apophth.]

Cur nõ nos?

Æmulabor in parte, & dicam; Non ego dux aut miles, ſed qui his in tempore conſulere aliquid poſſim & ſuadere. Itaque pergam audacter nec vacillanti pede, in incepto: & ex veterum Scriptorum velut hortis Sententiarum flores legam, & intexam in has Capitum corollas. Quod ſi probè & iudicio à me fiet, nemo diminuet: ſin aliter, tum ego quoque nihil negem *Quiſquilias volantes, & venti ſpolia,* hæc eſſe. [Cæcil.]

Qui ſi non manu, mẽte ſumus bellatores.

Sed vtrum horum ſit, iam res ducebit, quàm ocior, & compono me in prælii eum ſtatum, ſtrenuè ribi cum Ariſtophane,

Γνώμαισι, λόγοισι, καὶ τῇ γλώττῃ πολεμοῦσι:

Conſilio, calamo & lingua pugnaturus. [Ex Ariſtoph. Neb.]

CAPVT II.

Prudentia hæc pars commendata Principi: quæ neceſſaria ad tutelam ſalutemque regni.

MILITAREM autem Prudentiam, ante omnia neceſſariam ego Principi aſſero, adeò vt ſine ea vix Princeps. Quomodo enim aliter ſe tueatur, ſua, ac ſuos? Vis nuda ac mera huic rei parum eſt, niſi arte quâdam & conſilio temperetur: id eſt, Prudentiâ militandi. Δυοῖν γὰρ ὄντων, δι' ὧν σώζεται πολίτευμα πᾶν, τῆς πρὸς τοὺς πολεμίους ἀνδρείας, καὶ τῆς πρὸς σφᾶς αὐτοὺς ὁμονοίας: *Cùm enim duo ſint, quibus omnis reſpublica ſeruatur, in hoſtes Fortitudo & domi Concordia:* [Polyb. vi.]

Princi. pis munus Tueri.

Id non poteſt ſine Fortitudine:

Hanc quidem abundè Togata Prudentia præſtiterit: illâ, non eſt vt abundè petas aut impetres, quàm ab iſtâ, non certè felicem, & cum ſucceſſu. Benè ergo ſcriptum: *Cetera vtcumque diſſimulari, ſed boni Ducis Imperatoriam eſſe virtutem.* [Tacitus Agric.]

Nec Fortitudo efficax, ſine Prudentia Militari. Abſoluti regis laus

Et Homerus perfectum ſuum legitimúmque regem ornauit hoc elogio:

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής:

Vtrumque, & rector bonus, & bonus Induperator. [Homer Iliad. γ.]

Ac nimirum dicendum eſt quod ſentio. Virtus militaris præſtat ceteris omnibus. [Cicero pro Mur.]

Quæ enim res vitam aut tranquillum vſum habeat ſine iſtâ? Patria, libertas, ciues, atque adeò ipſi leges *latent in tutelâ ac præſidio bellicæ virtutis.* [Ibidem.]

Rerum quies & ſecuritas a Militia.

Itaque vides, quàm ſeriò hæc amplectenda ſit: & meritò animum atque aures dare te debere ad hanc diſciplinam, quæ talis.

CAPVT III.

Materies, & ordo dicendorum. Bellum externum definitum, & remota ab eo ſuſcipiendo Iniuſtitia.

MILITARIS omnis Prudentia circa Bellum eſt: Bellum autem duplex, Externum & Internum. Illud definio, VIM ET ARMA IN PRINCIPEM AVT POPVLVM ALIENVM. De quo primò dicam, & vniuerſa quæ eò faciunt præcepta ad tria hæc capita redigam: Suſcipiendi, Gerendi, Finiendi. Horum aliquid ſi neglegis, aut perperàm adminiſtras, vix eſt vt Bono Euentui vmquam lites. In Suſcipiendo bello duo hæc ſeriò moneo, vt Iniuſtitia omnis & Temeritas ab eo abſint. Illa prior maximè: nec vmquam arma vlla moueas, niſi quæ mos & ratio admittunt. *Sunt enim & belli, ſicut pacis, iura: iuſtéque ea non minùs, quàm fortiter debes gerere.* [Liuius v.]

Duplex bellum.

Quæ in Externo ſpectanda?

Atque adeò *in omni republica maximè conſeruanda iura ſunt belli.* [Cicer. 1. De Offic.]

Iura belli ſeruanda.

Nam *temerè in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam & belluarum ſimile eſt.* [Ibid.]

Quod ſi admittimus, *quid aliud quàm omnium inter ſe gentium bella exiſtent?* [Tacit. iv. Hiſtor.]

Et *barbarorum, cædem cæde, & ſanguinem ſanguine, expiabimus.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Alias promiſcuæ & perpetuæ cædes erũt. Improba dicta.

Abſint, nec vmquam animum tuum penetrent illæ

A voces: *In armis ius ferre.* & , *omnia fortium virorum eſſe.* [Liuius v.]

Item:

——*Quæritur belli exitus*

Non cauſſa. [Sen. Herc. Fur.]

Et illud ſubtiliſſimæ malitiæ:

——*hæc acies victum factura nocentem eſt.* [Lucan. vii.]

Non, non, mi homo: erras. nec Acies eſt quæ innocentiam approbat, ſed cauſſa. etſi plerumque, fateor, *Euentus belli, velut æquus iudex, vnde ius ſtabat, ei victoriam dedit.* [Liuius xxi.]

Iuſtitia non ab Exitu, ſed a Cauſſâ aſſerẽda: Etſi ab hac bonâ, ille plerũq; bonus.

B Nam cauſſa, velut Caput Bonæ ſpei eſt (liceat huc alludere) quod te ducat ad Triumphales illas terras.

Cauſſa iubet ſuperos melior ſperare ſecundos. [Lucan. vii.]

Et occultâ quâdam internáque vi,

Frangit, & attollit, vires in milite cauſſa:

Quæ niſi iuſta ſubeſt, excutit arma pudor. [Propert. iv. eleg. vi.]

Imò auſus eſt Græcus poëta ſcribere:

Οὐδ' ἂν στρατεύσας ἄδικα σῶς ἔλθοι πάλιν:

Iniqua bellãs bella, ſaluus haud redit. [Eur. Erechth.]

Nimis rigidè, ſcimúsque interdum aliter eſſe, arcano & nobis ignoto fine. Sunt autem iniqua illa omnia bella, quibus Ambitio aut Auaritia cauſſæ. Quàm multa ea ſunt! Nam, ſi verum fateri audemus, pleriſque legibus *vna & ea vetus cauſſa bellandi* C *eſt, profunda cupido Imperij & Diuitiarum.* [Salluſt. in Fragm.]

Iniqua bella a duplici ferè cauſſâ:

Libidinem dominandi cauſſam belli habent, & maximam gloriam in maximo imperio putant. [Idem Catil.]

Ambitione,

Atque id in magnis animis ingeniiſque plerumque contingit. [Cicer. 1. De offic.]

Quibus pulchrum videtur *ex omni occaſione quærere triumphum.* [Plinius Paneg.]

Bellorum exuuiæ, truncis affixa tropæis

Lorica, & fracta de caſſide buccula pendens,

Humanis maiora bonis creduntur. [Iuuenal. Sat. x.]

Itaque hi tales *arma in omnes habẽt, acerrima* tamẽ *in eos, quib. victis ſpolia maxima ſũt.* [Salluſt. in Fragm.]

Et auaritiâ.

Nec vſquam aut vmquam, hoc falſum illis *maxi-* D *mum diſcrimen, penes quos aurum & opes, præcipuæ bellorum cauſſa.* [Tacitus iv. Hiſtor.]

Benè igitur poëta:

Rupère fœdus impius lucri furor,

Et ira præceps. [Seneca Hipp.]

Aptumq; quod de Irâ ſubiungit: quæ ipſa inter iniuſtas belli cauſſas. Nam illâ, aut odio impulſi, arma ſæpè mouent non mouenda. Damnat hanc aliáſque illas pius Antiſtes: *Nocendi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſunt ſimilia, hæc ſunt quæ in bellis iure culpantur.* [Auguſtin. contra Fauſtum, lib. xxii. cap. lxxiv.]

Addi poteſt & Ira.

E

CAPVT IV.

Ordine & partitè poſita quæ ad iuſtum bellum requirũtur. & maximè, quibus id cauſſis capiendum.

FVGIES igitur iſta Princeps, nec vmquam bello te implicabis niſi Iuſto. Quod, inquies, illud eſt? diſtinctè accipe. quod tria hæc habet iuſta: Auctorem, Cauſſam, Finem. Auctor iuſtus eſt, ipſe Princeps. Nec enim cuilibet ſanè fas aperire Belli iſtas portas: *ſed ordo naturalis mortalium paci accommodatus, hoc poſcit, vt ſuſcipiendi belli auctoritas atque conſilium penes Principes ſit.* [Auguſtin. contra Fauſtum.]

Principi ſoli ius armorũ.

Aut ſu-
premo
magiſtra
tui.

Aut certè eos, qui in quâque rep. loco Principum. Ideò Plato lege ſauxit: Ἐάν τις ἰδίᾳ ποιῆται πρός τινας εἰρήνην ἢ πόλεμον, ἄνευ τοῦ κοινοῦ, θάνατος ἔστω ζημία: *Si quis priuatim, ſine publico ſcito, pacem bellúmve fecerit, capital eſto.* [Lib. xii. De Legib.]

Defende
re, ſem-
per lici-
tum.

At Cauſſa iuſta duplex, Defenſio & Inuaſio. In Defenſione quis ambiget? *Illud eſt non modò iuſtum, ſed etiam neceſſarium, cùm vi vis illata defenditur.* [Cicero pro Mil.]

Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper vim, quacumque ope poſſent, a corpore, à capite, a vitá ſuá propulſarent. [Ibidem.]

Non ſe
ſolùm:

Defenſionem autem dico duplicem, Tuam & Alienam. Tuam, cùm vim à te tuiſque arces, & *libertatem, patriam, parenteſque armis tegis.* [Salluſt. Catil.]

Sed &
alios, vt
ſocios:

Alienam, iterùm duplicem: cùm à Sociis, aut Oppreſſis. De Sociis intellexit Tullius: *Nullum bellum,* inquit, *à ciuitate optimâ ſuſcipitur, niſi aut pro Fide, aut pro Salute.* [iii. De Rep.]

Fides ſanè agitur, & ea te impellit, vt opitulère iis, quibuſcum ſocietas tibi & auxilij pacta. Itaque & Princeps Philoſophus decreuit. Δεῖ τοὺς ἀδικουμένους, ὑπὲρ ἑαυτῶν πολεμεῖν, ἢ ὑπὲρ συγγενῶν, ἢ ὑπὲρ εὐεργετῶν, ἢ συμμάχοις ἀδικουμένοις βοηθεῖν: *Oportet iniuriam paſſos pro ſeipſis arma capere, ſiue pro cognatis & beneficis, itémque ſociis iniuriâ affectis auxiliari.* [Ariſtot. Rhetor. ad Alexand.]

Aut ini-
què op-
preſſos.

Nec diſſimilis ratio in oppreſſis. quos ſi grauior aliqua vis aut extrema Tyrannis vrget, videtur cogere te commune Societatis vinculum vt adiuues. *Qui* enim *non defendit nec obſiſtit, ſi poteſt, iniuriæ, tam eſt in vitio, quàm ſi parentes, aut patriam, aut ſocios deſerat.* [Cicero 1. De offic.]

Imò & Chriſtianus doctor in eâ parte: *Fortitudo quæ per bella tuetur à Barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena iuſtitia eſt.* [Ambroſ. De offic.]

Defen-
ſionis
ſpecie,
non lõ-
giùs eũ
dum.

Atque hæc licita & legitima Defenſio eſt. maneas in eâ tantùm, nec hoc prætextu pedem manúmque promoueas & aliena apprehendas. Quod Romanos feciſſe, ingenuè fatetur Romani eloquij flos: *Noſter,* inquit, *populus, ſociis defendẽdis, terrarum iam omnium potitus eſt.* [Cicer. iii. De Rep.]

Inuade
re fas, ob
Iniurias:

Malè: nec tu imitare. Iam Inuaſio quoque licita & iuſta eſt, ſed non omnis. Illa palàm, cùm iniuriam vindicas, & iure gentium res tuas repetis. Nam iuſtitiæ *primum hoc munus eſt, vt ne cui quis noceat, Niſi laceſſitus iniuriâ.* Idem 1. De offic.]

Sed priùs
tentatâ
iuris viâ:

Exceptionem vides. Itaque ſi quis res tuas aut ius rapuit: cape arma. cum eâ conditione tamen, vt ex formulâ veteri priùs mittas *clarigatum, id eſt, res raptas clarè repetitum.* [Plin. xxii. Nat. Hiſt. cap. ii.]

Quę po-
tior illã
armorũ

Nec enim, etiam læſus, iuſtè ſtatim bellum inferes: *ſed cùm duo ſint genera decertandi, vnum per Diſceptationem, alterum per Vim: cúmque illud proprium ſit hominis, alterum belluarum: cõfugiendum eſt ad poſterius, ſi vti non licet ſuperiore.* [Cicero 1. De Offic.]

Obſerua. quoties enim iudicio quiſpiã ſe ſiſtit, arma ſiſtenda ſunt: καὶ ἐπὶ τὸν διδόντα δίκην οὐ νόμιμον ὡς ἐπ᾽ ἀδικοῦντα ἰέναι: vt grauiſſimæ gentis rex cenſuit: *In eum qui iure agere & ſatisfacere paratus eſt, nefas bellum ſumere, tamquã in iniurium.* [Archid. apud Th. lib. 1.]

At ſi abnuit, & res retinet: *quid eſt quod contra vim ſine vi fieri poſſit?* [Cicero lib. xii. Ep. x.]

Hic illud valeat: *Iuſtum bellum quibus neceſſarium, & pia arma, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes.* [Liu. ix.]

Inuade-
re etiam
ſic Bar-
baros &
impios,
ſed vio-
lentos.

Iam & inuaſio quædam legitima videtur, etiam ſine iniuriâ. vt in Barbaros, & moribus aut religione prorſum à nobis abhorrentes: maximè ſi potentes ij, & aliena ipſi inuaſerunt aut inuadunt. Cauſſa enim hîc eſt, Coërctio, & in malo repreſſio. Auguſtinus eleganter: *Cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur.* [Epiſt. v.]

Idémque iterum: *Apud veros dei cultores, etiam illa bella peccata non ſunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, ſed pacis ſtudio geruntur, vt mali coerceantur, & boni ſubleuentur.* [Libro De Ver. Dom.]

Finis bo
nus re-
quiritur.

Sperno cauſſas alias, & de Fine adiungo: qui etiam in bonâ cauſâ poteſt eſſe malus: Quid ſi enim Victio tibi propoſita? quid ſi Gloria, aut Imperium? peccas. nec dirigenda aliò arma ſunt (ſi puta eſſe vis) quàm ad Tranquillitatem & Tutelam. *Ita bellum ſuſcipiatur, vt nihil aliud quàm pax quæſita videatur.* [Cicero 1. De Offic.]

Qui, eſt
Pax &
Quies.

Sapientes Pacis cauſſâ bellum gerunt, & laborem ſpe otij ſuſtentant. [Salluſt. ad Cæſ.]

CAPVT V.

Temeritas remota à bellorum initiis: & ſummatim, quæ in ſuſceptione omnia cogitanda ſint.

SATIS (quod in me quidem eſt) ab Iniuſtitiâ te arcui, nunc etiam à Temeritate. Nec enim ſtatim, vel cùm iuſta Cauſſa oblata eſt, deſcendere te velim in Martium hunc campum. Magna res eſt: deliberationem poſtulat, eámque lentam. Nam ſcito *omne bellum ſumi facilè, ceterùm ægerrimè deſinere, nec in eiuſdem poteſtate initium & finem eſſe.* [Salluſt. Iugurth.]

Bellis fa-
cilè te in
duas.

Vti in puteum facilè te demiſeris, haud facilè eduxeris: ita in bellum. quod *incipere cuiuis etiam ignauo licet, deponi cùm victores velint.* [Ibid.]

Ægrè ex
plices.

Itaque ſi ſapis, τοῦ πολέμου τὸν παράλογον, ὅσος ἐστί, πρὶν ἐν αὐτῷ γενέσθαι, προδιάγνωθι: *quidquid præter opinionem euenire in bello poteſt, priuſquam ingrediare, conſidera.* [Thuc. 1.]

Præcogi
tanda
omnia
euenta.

Cùm tuas vires, tum vim fortunæ, Martémque belli communem propone animo. [Liuius xxx.]

Verumque ferrum, & corpora humana erunt. Nuſquã minùs, quàm in bello euentus reſpondent. [Ibid.]

NãMars
ambi-
guus

Licet omne tecum Græciæ robur trahas.
Licet arma longè miles ac latè explicet,
Fortuna belli ſemper ancipiti loco eſt. [Senec. Theb.]

Et for-
tuna in
bellis do
mina-
tur.

Quæ *per omnia humana, maximè in res bellicas potens.* [Liu. ix.]

Itaque *quantumuis opibus tuis confidas, non debes certa pro incertis mutare.* [Salluſt. Iugurth.]

Non expedit concutere felicem ſtatum. [Sen. Oed.]

De ſum-
mâ re-
rum alea
iacitur.

Quid iuuat te *aureo hamo piſcari?* [Sue. Au. c. xxv.]

Simul parta, ac ſperata decora, vnius horæ fortuna euertere poteſt. [Liu. xxx.]

Clades
publicæ
præcogi-
tandæ.
Vaſtitas,

Adde huc mala, quæ neceſſariò in omni bello. cuius *non aduentus ſolùm ſed etiam metus affert calamitatem.* [Cicero pro Leg. Man.]

———non vllus aratro
Dignus honos ſqualent abductis arua colonis.
[Virgil. 1. Georg.]

Stupra,

Tum ſcelera, dempto fine, per cunctas domos
Iêre. nullis caruit exemplo nefas. [Seneca Hipp.]

Cædes.

Et quod caput eſt, quæ ſanguinis effuſio & quæ cædes?

Stat cruor in templis, multáque rubentia cæde
Lubrica ſaxa madẽt. nulli ſua profuit ætas. [Lucan.]
———notum quid cæde calentibus armis,
Quantũ ira liceat, motúque quid audeat enſis. [Sil. t.]

Mala pri
uata præ
cogitan-
da.

Hæc publica ſunt. quid ſi accedunt priuata etiam tua mala: Nam ærarium exhauritur, *conuerſa in vſum militum omni pecuniâ.* [Tacit. 1. Hiſtor.]

Te

Princeps ſue odia excipit. Cauſſa mali dicitur.

A Te obiicis periculis, imò & calumniis. *Nihil enim tam capax malignitatis ſermonumque, quam bellum.* [Quinct. Declam.]

Imò ſcripſit quiſpiã: Πολέμου καθεστῶτος ἀεὶ ἀνάγκη τοὺς ἄρχοντας ὑπὸ τῶν ξυμφορῶν διαβάλλεσθαι: *Bello inſtituto, neceſſum eſſe Principes male audire & culpari ob damna.* [Thuc. v.]

Et ſanè *iniquiſſima bellorum conditio hæc eſt. proſpera omnes ſibi vindicant; aduerſa vni imputantur.* [Tacit. in Agric.]

Horũ reſpectu omne bellũ fugiendũ.

Quæ talia penitus ſi conſideras, annon fateare *Bellum etiam iuſtum deteſtandum?* [Aug. xix. De Ciu.]

Præſertim pio & Chriſtiano Principi. qui, ex diuinâ lege, *alieno ſanguini tamquam ſuo parcit, & ſcit homini non eſſe homine prodigè vtendum.* [Sen. epiſt. LXXXIX.]

B Sperne igitur illas in Aulâ tuâ *furias facéſque belli.* [Liu. xxi.]

Ad quod multi excitant: Vt Nobiles, Turbidi,

Quo in numero interdum *Nobilitas, cui in pace durum ſeruitium eſt:* [Tacit. xi. Annal.]

Sæpiùs feroces aliquot & turbidi: quos dixeris πεφυκέναι ἐπὶ τῷ μήτε αὐτοὺς ἔχειν ἡσυχίαν, μήτε τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ἐᾶν: *natos, vt neque ipſi quieſcant, neque alios ſinant.* [Thuc. i.]

Exſules.

Nõ rarò etiam Peregrini aut Exſules, qui ſuâ ſpe aut *metu, cunctã ante in arma propellunt.* [Tac. III. Hiſt.]

Publico prætextu, ſed priuatâ cauſsâ.

Nam, vt poëta canit,

Quemque ſua rapiunt ſcelerata in prælia cauſſa. [Lucan. i.]

C Suæ, inquam, non Tuæ aut Publicæ, ne erres. Sed tu quid credas? In tali re, ſcito *conſilium ab omnibus dari, ſed periculum paucos ſumere.* [Tac. III. Hiſtor.]

Non audiendi.

Vno aduerſo ictu *languebũt omnium ſtudia, qui primò alacres fidem atque animum oſtentabant.* [I. Hiſt.]

Belli nomẽ bellum: Res turpiſſima.

Ne temerè ergo crede: & ſententiæ vnius ſcuto omnes iſtos ſuaſores repelle. Γλυκὺ πόλεμος ἀπείροισιν. ἐμπείρων δέ τις ταρβεῖ προσιόντα νιν καρδίᾳ περισσῶς. *Suaue bellũ non expertis, at qui guſtauit, valde contremiſcit animo quoties aduentans illud videt.* [Pindar. apud Stob.]

Vix niſi neceſſariò, eò veniẽdũ.

Felicem & magnũ Auguſtum illum ſemper cogita: qui *nulli genti ſine iuſtis & neceſſariis* (vocem nota) *cauſſis bellum intulit.* [Sueton. Auguſt. cap. xx.]

D Atque vtinam hunc affectum tibi imprimam! vt *ſine cupiditate, ſine impotentiâ, quietus ſecretúſque,* [Tacitus De Morib. Germ.]

Nec prouoces bella, nec timeas. [Plinius Paneg.]

Nec moleſtiæ capiendæ, Aut cædes inſtituẽdę.

Id beatius, quàm ſuas alienáſque fortunas ſpe metúque verſare: [Tacit. De Morib. Germ.]

Et illuc deſcendere, vt aut *perire neceſſe ſit, aut quod æquè apud bonos miſerum eſt, accidere.* [I. Hiſtor.]

CAPVT VI.

Ad Gerendum bellum tria requiſita. Primò Apparatus triplex, Pecunia, Commeatuum, Armorum.

E DECRETA mea in Suſcipiendo bello habes: tranſeo ad Gerendum. in quo tria conſidero vel potiùs deſidero; Apparatum, Viros, Conſilia.

Apparatus belli, quid, & quotuplex? Ante bellum faciendus. Per bellum exactiones odioſæ aut periculoſæ.

Apparatum dico, RES NECESSARIAS AD VSVM OMNEM BELLI. vti ſunt hæc tria: Pecunia, Commeatus, Arma. Nam hæc niſi iam antè & ex præparato habes, fruſtrà cogites de bello. *Prius eſt parare bellum, quam exercere.* [Quinctil. lib. XII. Inſtit.]

Imò

Diu apparandum eſt bellũ, vt vincas celerius. [Publ.]

Nam in ipſo bello, incommodum aut ſerum. quoniam, vt prudentiſſimus Atheniẽſium verè monuit, Αἱ περιουσίαι τοὺς πολέμους μᾶλλον, ἢ αἱ βίαιοι ἐσφοραὶ ἀνέχουσι:

A *Ex præparato copiæ, bella magis ſuſtinent, quam violentæ collationes.* [Pericles apud Thuc. lib. I.]

Igitur prouido Principi *antequam inchoetur bellum, de copiis expenſiſque ſolicitus debet eſſe tractatus.* [Veget. III. cap. III.]

Pecunia ſpiritus vitalis belli.

Maximè de Pecuniâ. quæ adeò neceſſaria, vt quemadmodum *medici negant ſine neruis homines ambulare poſſe:* [Petron Satyr.]

Ita nec bellum vſquam progredi ſine iſtâ. Hæc motum, hæc animam illi dat: & oraculum eſt, Τὰ πολλὰ τοῦ πολέμου, γνώμῃ καὶ χρημάτων περιουσίᾳ κρατεῖσθαι: *Pleraſque belli res confici Conſilio & vi Pecuniarum.* [Thuc. II.]

Nec arma valida ſine iſtâ.

B Nam profectò, ſi cõſideras, Ἔστιν ὁ πόλεμος οὐχ ὅπλων τὸ πλεῖον, ἀλλὰ δαπάνης, δι' ἣν τὰ ὅπλα ὠφελεῖ. *Bellum eſt non in armis maximè, ſed in expenſis & ſumptibus, per quos efficacia arma & vtilia fiunt.* [Idem I.]

Annonæ neceſſitas.

Et plura de Pecuniæ vi* ſuprà dixi. Nec minùs neceſſaria etiam Annona: ſine quâ non dicam vincere non eſt, ſed nec viuere. Nam *qui frumentum neceſſariúmque commeatum non præparat, vincitur ſine ferro.* [Veget. III. cap. XXVI.]

* Lib. IV cap. IX.

Et *reliquis caſibus poteſt in tempore ſubueniri: pabulatio & annona in neceſſitate non habent remedium niſi antè condita.* [Idem III. cap. III.]

Vſus duplex:

Paranda igitur ea, & quidem in vſum duplicem: Militum, & Præſidiorum. Illi, dum in agmine & caſtris ſunt, ne egeant: iſta, *vt aduerſus moras obſidionis annuis copiis firmentur.* [Tacitus Agric.]

C Mirari libet hac in re Romanam diſpoſitionem. quæ ad vtrumque hunc vſum in pleriſque oppidis, *totius anni in* aceto, frumento, larido, atque hordeo & *paleis, condita habebat.* [Capitolin. Gord.]

* Ad ſeſcam militarem.

* Ad vſum equorum

Miles intractabilis.

Culpare contrà hodiernam incuriam. cùm ferè *mendicitas ad omnem deſperationem vocat armatos.* [Lamprid. Alexand.

Diſciplinam non poteſt ſeruare ieiunus exercitus. [Caſſiod. IV. Var. cap. XIII.]

Et duci nec audies cùm egens

Et, vt Imperator ille dicebat, *miles non timet, niſi veſtitus, armatus, calceatus, & ſatur, & habens aliquid in zonulâ.* [Lamprid. in Alexan.]

Armorũ præparatio

D TERTIO loco Arma poſui. intellego, vt Armamentarium aliquod Princeps habeat, in quo ad certum numerum peditum equitúmque tela & arma, itémque tormenta, machinæ, puluis, & quæ talia iuuandis viribus hæc aut prior ætas inuénit. Addo naues, & inſtrumentum omne nauticum, ſi regio eius maritima & portuoſa. Nam ſubitò iſta ægrè parantur: & ſemel parata non ſolùm in bellum valent, ſed ne ſit bellum. *Nemo prouocare audet aut facere iniuriam ei regno aut populo, quem intellegit expeditum atque promptum ad vindicandum.* [Idem III.]

Nauium rerũ q; naualiũ.

Metuẽdũ hæc Principẽ faciunt:

Et qui deſiderat pacem, præparat bellum. [Idem III.]

Et pacatum.

CAPVT VII.

E *Milites terreſtri quidem bello neceſſarij, duplices: Equites, Pedites que. quæſitum breuiter, vtrorum maior vſus.*

Quid viri, & eorũ diuiſio.

AT Viros hîc intellego, ARMATAM MVLTITVDINEM, APTAM IMPVGNARE VEL REPVGNARE. Eam diuido, in Milites & Duces. Milites iterùm duplices, Pedites & Equites. Nam vtriſque ſanè opus eſt. à quibus *omne bellicis conſiliis robur, & ſine quibus quamuis egregia, inualida ſunt.* [Tacitus I. Hiſt.]

Equites præſtant peditibus.

Sed veris magis dubites. Polybius (peritus bellicus in omni re bellicâ & ciuili ſcriptor) Equites

attollere videtur, & vim præcipuam aſcribere ad vincendum. Κρεῖττόν ἐστι, inquit, *πρὸς τὰς τῶν πολέμων χρείας, ἥμισυ ἔχειν πεζούς, ἱπποκρατεῖν δὲ τοῖς ὅλοις μᾶλλον, ἢ πάντα ἴσα τοῖς πολεμίοις ἔχοντα διαμάχεσθαι: Melius eſt ad belli vſus * dimidiam partem peditum habere, & prævalere numero equitum, quàm omnia paria hoſtibus nactum in aciem deſcendere.* [Lib. III.]

* Intellego, reſpectu hoſtium.

Sed dumtaxat in pugnâ: Toti bello pedites meliores.

Nec de Pugnâ, nimis negem: nego de Bello vniuerſo; in quo Peditem præpono. Nam ad opida propugnanda aut expugnanda, quis equitum magnus vſus? quis etiam in montanis locis, aut impeditis? *Ex quo intellegitur magis neceſſarios reip. pedites, qui poſſunt vbique prodeſſe.* [Veget. II. cap. II.]

Scriptor meus hoc vidit, & vigilanti lectori ingeſſit, de Cattis: *Omne*, inquit, *in pedite robur.* [Tacit. De Morib. Germ.]

Additque: *Alios ad prælium ire videas, Cattos ad bellum.* [Ibidem.]

Imò & in pugna boni.

Quamquam & in ipſis præliis cur Pediti minor vis? Tardiùs ille vincit fortaſſe, ſed certiùs. Nā *equeſtrium virium proprium, citò parare, citò cedere victoriam.* [Ibidem.]

Quin ipſum illum impetum & *procellam equeſtrem.* [III. Hiſtor.]

Iuxta cū Equitibus, ſi aptè inſtructi & poſiti.

Facilè excipit, ſi idoneus illi ordo & arma: quod fit per Diſciplinam. Summus harum omniúmque rerum iudex, ita protulit. *ἄνευ μὲν συντάξεως, ἄχρηστον τὸ ὁπλιτικόν· αἱ δὲ περὶ τῶν τοιούτων ἐμπειρίαι καὶ τάξεις, ἐν τοῖς ἀρχαίοις οὐχ ὑπῆρχον, ὥστ᾽ ἐν τοῖς ἱππεῦσιν ἦν ἡ ἰσχύς. Sine ordine, inutilis pedeſtris armatura. ratio autem & peritia ordinandi ignota antiquis: ideóque, in equite apud eos omne robur.* [Ariſtot. IV. Polit. c. XIII.]

Barbari equitatu gaudent.

Diſce, vbicumque bona & compoſita militia, Peditem præualere: apud rudes aut barbaros, contrà. Nec ſanè inutiliter diſciplina & ratio illum prouexit: quia parabilior, & ſimul maior *numerus peditum ſumptu & impensâ minore nutritur.* [Veget. II. cap. I.]

Minor in pedites ſumptus.

Ex his concludo, *in vniuerſum æſtimanti plus penes peditem roboris eſſe.* [Tacit. De Morib. Germ.]

CAPVT VIII.

Vtroſque bonos eſſe debere: alioqui pro nihilo omnis copia. Fieri bonos dupliciter. Dilectu & Diſciplinâ. Ea neglegi hodie, & ſuper hac re iuſta veráque querela.

Milites boni habendi, Magis quā multi.

HÆc diſcrimina Militum ſunt: quæ fruſtrà tamen ingero, niſi illi boni. Cui vſui quamuis magna Equitum Peditúmque multitudo, ſi ignaua, imperita, & tantum multitudo? Tu ſcito *non vires eam habere, ſed pondus:* [Senec. VI. De Benef. cap. XXXI.]

Et eſſe *impedimentū maius quàm auxiliū.* [Liu. IX.]

Græcus ille ſcitè monuit: *Χειρῶν δεῖ τῷ πολέμῳ, καὶ οὐκ ὀνομάτων πολλῶν: Manibus opus eſt bello, non multis nominibus.* [Syneſ. Ep. LXXIX.]

Tolle mihi vana, & in oculis vulgi magna. quoniam *in omni conflictu non tam prodeſt multitudo, quàm virtus.* [Veget. I. cap. IIX.]

Pauci, qui ſemper vincunt.

Etiā in multis legionibus, pauci ſunt qui prælia profligant. [Tacit. XIV. Ann.]

Ad virtutem ergo veniendum: id eſt, vt bonos eos habeas fortéſque. nec habebis vmquam, niſi hæc duo velut inſtrumenta adhibeas, Dilectum & Diſciplinam: alterum parandis iis, alterum formandis. In quo video futurum vt multa ſuadeam, quæ ex vſu magis, quàm quæ in vſu. Quid faciam? hodiernam Militiam triſti oculo intueor, pudendam lugendámque nobis, hoſti ridendam aut

Militia noſtra corruptiſſima:

ſpernendam.

Itaque cogor apertis tibiis canere, & *illa militiæ flagitia palam aſpernari:* [Tacitus I. Annal.]

Sine ſerio dilectu.

Atque adeò imaginem eius proponere: non vt conuitium æuo faciam, ſed vt medicinam. Nam principiò, Dilectus quæ forma apud nos? nulla. *Emunt militem non legunt.* [Ex Galbæ dicto I. Hiſt.]

Viliſſimi eum aſciſcūtur aut peſſimi.

Peculiola proponitur, tympanum ſtrepit: & ecce coëunt aliquot *ignoti inter ſe, ignorantesque.* [Liu. XXI.]

Purgamenta vrbium ſuarum: [Curt. IX.]

Quibus ob egeſtatem & flagitia, maxima peccandi neceſſitudo eſt: [Tac. III. Annal.]

Aſſueti latrociniis, bellorū inſolētes. [Egeſip. IV. c. IV.]

Vitiis coperti.

Atque vt vno verbo abſoluam, *quorum lingua vana, manus rapaciſſima, gula immenſa, pedes fugaces, quæ honeſtè nominari non poſſunt inhoneſtiſſima.* [Pſeudo Salluſt. in Cicer.]

Plerique enim profectò tales: (nam omnes abſit vt culpem.) aut ſi qui melioris notæ immixti, facilè abripiuntur & velut obducuntur à reliquâ illâ fece. Atque hæc in Dilectu. in Diſciplinâ quid? *nec formam ſaltem eius & extrema tamquam lineamenta ſeruamus.* [Cicer. V. De Rep.]

Sine vllâ Diſciplinâ

Certatim laſciuiūt.

Atque vt *olim virtutis modeſtiæque, nunc procacitatis petulantiæque certamen eſt.* [Tac. III. Hiſtor.]

Omnia diſſoluta, temulenta, peruigiliis ac Bacchanalibus, quam Diſciplinæ & caſtris propiora. [II. Hiſtor.]

Paganos vexant.

Imò *nec in procinctu & caſtris habentur. ſed per omnia municipia deſides, hoſpitibus tantùm metuendi:* [III. Hiſt.]

Comeſſantur, Potāt, & tum pugnant:

Effundunt ſe in luxum, & epulas, & nocturnos cœtus. [IV. Hiſtor.]

Ibi *circumferri merum largiùs iubent, debellaturi ſuper menſâ* ALEXANORVM. [Curt. VII.]

Sua vires extollere, hoſtium paucitatem contemnere. [Ibidem.]

Apud hoſtes trepidant,

Sed, ô dedecus! ad ipſos cùm ventum eſt, *neque animo, neque auribus, neque linguâ competere.* [Salluſt. Fragm.]

Et fit illud Homericum,

——πᾶσι δὲ παραὶ ποσὶ κάππεσε θυμός.

——*inque pedes cunctis mēs decidit imos.* [Il. O.]

Fugiūt.

Verè *galeati lepores.* [Cornificij dictō ſuis militib.]

Violēti ad prædas, ignaui ad prælia.

Quibus vt ad populandos finitimorum agros, tectáque vrenda & capienda pecora, aliqua vis ſit: ita in acie ac ſignis collatis nulla eſt. [Liu. XXIX.]

Decoris ſecuri.

Nam ita collectis, ita habitis, *nec in victoriâ decus eſt, nec in fugâ flagitium.* [Tacit. II. Hiſtor.]

Ad ſommam, Militia hæc noſtra eſt. *Exercitus linguâ, quam manu promptior, prædator è ſociis, & ipſe præda hoſtium.* [Salluſt. Iugurth.]

CAPVT IX.

De Dilectu cœptum dici, ſed primò quæſitum, Exteri an Domeſtici præferendi? nos iſtos cenſemus, cum cauſâ.

Hæc immutāda:

QVÆ omnia fœda, turpia, & perdendæ militiæ patriæque eſſe quis non videt? Tibi emendanda Princeps: cuius eſt *pro ſalute reip. & noua excogitare, & antiqua reſtituere.* [Veget. I. cap. XXIIX.]

Reuocato Dilectu & Diſciplinâ.

Reſtitue ergo illa duo, quæ iam præſignaui, Dilectum & Diſciplinam: ſola probæ germanæque Militiæ vel fundamenta, vel firmamenta. Dilectum appello, EORVM QVI ARMIS IDONEI SVNT CVM IVDICIO ELECTIONEM, IDQVE E TVIS. Diſertè addo, è Tuis. Nam Militiam hanc Peregrinam quî approbem? aut quis ſerio Dilectui in eâ locus? Mos inuexit,

Quid ille ſit? An externi & mercenarij legendi:

faſeor:

Digitized by Google

Ego & ratio ne gamus.

fateor:ſed non Ratio. quam ego audio, & Domeſticum militem longè ſemper præferam externo. Cauſæ iſtæ.

Nō via fides apud eos.

Infidi ſæpè exteri:& *maiore ex diuerſo mercede, ius fásque exuunt.* [Tacit.III.Hiſtor.]

Tritum illud in iis propriè obtinet,

Venaleſque manus,ibi fas,vbi maxima merces. [Luc.]

Vix patientia.

Idem retractarij, amántque *non iuberi, non regi, cunctáque ex libidine agere.* [Tacit.IV.Hiſt.]

Idque ſæpè *propinquo ſummæ rei diſcrimine.* [I.Hiſt.]

In pugnâ frigidi: Aut pauidi.

Cùm tumultuari eos videbis & *ſeditioſè agere:* [III.Hiſt.]

Aut in ipſâ etiam pugnâ, *ſine pudore flagitij, ſine curâ ducum,abire,fugere.* [I.Annal.]

Quid mirū? *non fide, nō affectu tenentur.* [In Agric.]

Vt ſeriò velint aut debeant *dominationi alienæ ſanguinem commodare.* [Ibidem.]

Itaque plerumque *plus ibi minarum, quam periculi.* [Liu.VI.]

Ciuibus pernicioſi.

Adde, quòd graues incolis. ſoliti *omnia nunquam externa,aut vrbes hoſtium, vrere,vaſtare,rapere:* [Tacit.II.Hiſt.]

Populatores terræ, quam à populationibus vindicare debebant. [Curt.III.]

Graues ærario.

Imò teipſum diripere. veræ *hirudines ærarij:* [Cicer.I.ad Attic.]

Et quorum operâ maximè,hodie

Oſſa vides regū vacuis exſucta medullis. [Iuuenal. Sat.IX.]

Magis fidi Indigenæ.

At in Domeſtico & proprio milite, melior mitiórque res eſt. *qui non fortitudinem magis, quàm fidem colit.* [Curt.X.]

Obedientes.

Cui *obſequium & patientia imperij longè præſtantior quàm exteris.* [Ibid.]

Acres in pugnâ.

Ille idem acer in aciem *primâ fronte concurrens,& aduerſa vulneribus pectoris ferens,ne Imperatoris ſui ſigna vertantur.* [Seneca I.De Clem.]

Reuerentiâ vel amore regum.

Eſt enim naturâ plerìſque *populis vrbibuſque, conſenſus quidam protegendi amandique reges.* [Ibidem.]

Quod *nomen, gentes quæ ſub regibus ſunt, pro Deo colunt.* Curt.X.

Amātiores patriæ.

Denique ille modeſtior, & reueretur ac ſuſpicit *locu ſedeſque patrias.* [Tacit.2.Hiſtor.]

Vt ego omnino præferendos cenſeam *genitos tibi milites,non aſcitos.* [Curtius X.]

Mercenarij tamen interdum vtiles. Sed pauciores.

Nec illos tamen planè ſpernendos. vtique ſi maior vis aut neceſſitas ingruat per quam mito ſuadeam ad finitimos,qui *auxilia mercede faciāt.* [Tac.VI.An.]

Sed auxilia.vt vires inquam & robur exercitus è tuis ſint,nec corpus exteri faciant, ſed membrum. Nam *id cauendum ſemper* prouidis *ducibus, exempláque* vetera *pro documentis habenda, ne ita externis credant auxiliis,vt non plus ſui roboris ſuarumque propriè virium in caſtris habeant.* [Liu.XXV.]

Vbi multi, ſæpè deſtituunt, aut produnt.

Alioqui,vide ne ſerìò,ſed ſerò plores: & fiat illud vetus,

Ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον:

Decepit ipſe vineam palus ſuā. [Ariſtoph.in Veſpis.]

CAPVT X.

Obiecta & reiecta ea quæ contra Domeſticum militem dicuntur. Hunc regum eſſe,illum Tyrannorum.

Obiectio prior, à robore naturali quarūdam gentium.

AT enim inquiet aliquis: *Gens gentem præcedit in bello.& plaga cæli non tantùm ad robur corporum ſed etiam animorum facit.* [Veget.I cap.II.]

Ergo melius, ſpretis Domeſticis, Mercenarios conduci è pugnaci aliquà gente. Item: Regi à ſubditis periculum,ſi eos armat. *non in fide,non in officio manebunt.* [Liuius XXVII.]

Secūda, à metu rebellionis.

Atque adeò aliquid fortaſſe *aduerſus ſummi imperij maieſtatem audebunt.* [Ibidem.]

Reſponſio ad illam:

Hæc iactari vulgò & inſeri auribus Principum ſcio:ſed malignè profectò aut falsò. Nam quod ad primum, verè illud dici non nego: ſed hoc quoque verè.ex quauis Europæ noſtræ parte:(illi ſcribimus) *ſi modò exercitati & prudentes viri Delectui præponuntur,celeriter manum bellis aptam poſſe aggregari.* [Veget.II.cap.XVIII.]

Viros enim ea vbique fert: *qui omni armorum diſciplinâ vel arte bellandi, veteres illos milites qui orbem terræ ſubegerunt,facilè coæquabunt.* [Idē li.II.c.XVIII.]

Reſponſio ad iſtam.

Inſtitutio modò adhibeatur & Diſciplina, de quâ mox dicam. Iam quod ad metum à ſubditis:ille verò vanus. *Hæc perſuaſio illorum fuit,qui hoſtilia cùm facerent,timebant.* [Plinius Paneg.]

Tyrāni exarmāt ſuos.

A tyrannis,inquā,hæc opinio, δεδιὼς γὰρ ὁ ἄρχων ἀρχόμενον, ὅτε καλὸν ὅτι πλούσιον, ὅτε ἰσχυρὸν ὅτ' ἀνδρεῖον, ὅτε τὸ παράπαν πολεμικὸν ἑκὼν ἐάσει γίγνεσθαι: *Nam princeps ſubditos metuens, neque bonos eos, neque opulentos, neque fortes aut animoſos, neque in vniuerſum bellicoſos fieri,volens quidem vnquam patietur.* [Plato VIII.De Legib.]

Reges fidè habent & inueniunt.

At ea à noſtro Principe abeſt:cui bono,ſemper illi boni. *Obiicient ſe mucronibus inſidiantium,* [Seneca I.De Clem.]

Et ſe ſuáque iactabunt,quocunque deſiderauerit imperantis ſalus. [Ibidem.]

CAPVT XI.

Qui legendi milites? Duo genera facienda: Ordinarios & Subſidiarios.atque vtrique ſeorſim deſcripti.

ERGO Dilectus è tuis eſto.ſed, vt addidi, CVM IVDICIO: quod in his duobus pono, Quos & Quomodo legas. De priore ita cenſeo, duo genera Militum ſcribenda: Ordinarios, & Subſidiarios. Illos QVI ADSIDVE ET VELVT EX MVNERE ATQVE ARTE MILITENT: Iſtos, QVI RARENTER, QVIQVE DOMINI SINT ALIARVM RERVM. Priores illos non aliud eſſe volo, quàm legitimos quoſdam perfectóſque milites,& vt ita dicam, verè Martis pullos. qui lecti in hanc vnam ſpem, formentur *omni armorum exercitio,diſciplinà caſtrorum,vſuque militiæ.* [Veget.I.cap.I.]

Ordinarius miles:

Subſidiarius,

Prioris laus & vſus.

Qui ſint velut inuicta quædam acies: & *ipſâ plerumque famâ bella profligent.* [Tacit.De mor. Germ.]

Hi tales omnino Principi neceſſarij. *in pace decus, in bello præſidium:* [Ibidem.]

Nō multi ij ſcribendi.

Ob cauſſam duplicem.

Sed neceſſarij haud multi. non ſolùm quia Sumptus viro(immenſi enim faciendi ſint in aſſiduū illum frequentémque militem:)ſed quia turbas. Nam profectò vbi illi multi, facilè *proni ad res nouas:* [I.Hiſtor.]

Tum ingenio ſuo,tum *vbi vires reſpexère,ſecuritate.* [Ibid.]

Atque eueniet,vt *contra morem obſequij, contra fas diſciplinæ* interdùm *vim meditentur.* [I.Annal.]

Non item, in pace vna habendi.

Quibus rebus vna cautio,ſi nec multi nimis ſint: nec ſemper vnà. Hoc volo,vt *extra bellum, centurias tantum ſuas turmáſque nouerint.* [I.Hiſtor.]

Nam *longis ſpatiis diſcreti exercitus, quod ſaluberrimum eſt ad continendam militarem fidem, nec vitiis nec viribus miſcentur.* [Ibidem.]

Sed quo numero Ordinarij iſti igitur? *Age.*

Quàm multi, noſtro iudicio, legendi.
* *Plenã intelligo, ſ. & milium.*
* *Plenis ict, equitum quadringentorum.*
Equites hîc inprimis curo.

A certum aliquem definiam (pendet ſæpè à temporibus res, tum à magnitudine cuiuſque regni:) tamen communiter καὶ παχυμερῶς ſic præſcribo. In mediocri aliquo regno, vnam * Legionem ſatis eſſe, cum tribus equitum * Alis: in magno, alterum tantum. Nam Equitum numerum paullò grandiorem, quàm pro modo Peditum, hîc eſſe volo. quia è Subſidiariis, Pedites facilè expleas, & bonos reperias: at in Equite aliter eſt. in quo tractu & morâ opus vt *exerceas & docendum cures equo, armíſque.* [Liuius XXVII.]

Subſidiorum deſcriptio & vſus.
Diſcrimen ab Ordinariis.

Ordinarij iſti ſunto. At SVBSIDIARIIS etiã opus vt te firmes: quoniam palàm eſt, exiguam illam manũ non eſſe ad omnem vim hoſtilem. Hos non aliud eſſe volo, quàm paratas ſemper Auxiliares aliquas copias, fine duplici: ſiue vt prioribus illis in acie iungas, ſiue vt in præſidia diſtribuas oppidorum. B Qui hoc ab Ordinariis differunt, quòd illi quidem toto genere vitæ milites ſint, *& tantum in vſum præliorum ſepoſiti, velut tela atque arma, bello reſeruentur.* [Tacit. de Morib. Germ.]

Iſti dumtaxat *iuuentus ſueta armis, & more militiæ exercita.* [1. Hiſt.]

In pace, ſibi viuunt: In bello, bellant.

Qui extra belli tempus, *in artes vitáſque varias diſparati,* [Salluſt. ad Cæſ.]

Obnoxij ſũt.

Res ſuas agunt: per bellum euocantur, & eandem aut ſimilem operam tibi, quam Mercenarij, præſtant. Sed hoc meliorem: quòd non ſolùm *reuerentiùs & æqualiùs duci parebunt,* [Tac. II. Hiſtor.]

Dãnoſi nõ ſunt.

Sed etiam minùs impendioſi tibi erunt. quoniam omnino *viliùs conſtat armis erudire ſuos, quàm alienos mercede cõducere.* [Veget. I. c. XXVIII.] C

Paratiores exteris.

Quod exteri illi in itu & reditu conſumunt, hoc ſi in armandis iſtis impendis & exercendis: egregiã habes, & ad manum tibi ſemper militarem manũ. Nã illi longinquè acceſſendi, & cum diſpẽdio ſæpè exſpectandi ſunt: hi in tuâ ſede, vno edicto euocãtur & adſunt. Vnde eos parabis? è pagis. Nã oppida hîc fugio cauſſâ duplici. primùm, quia omnino melior ad arma ruſtica plebs, vt * mox dicã: deinde, quia ſecuritati etiam Principis conſulo & quieti. Nã ab armis, ferociorem & magis exſultantem populum fieri, non eſt negandum. quæ ſi oppidanis paſſim adtribuis vereor ne *locis & mœnibus freti rebellionem* ſortaſſe *cæpient,* [Tacit. III. Annal.] D

E pagis parandi.
* *Ca. ſeq.*
Vrbani proni in motus:
Fiduciã locorũ,

Vt ſolent homines, *Odio præſentium, & cupidine mutationis:* [Ibid.]

Et ſuopte ingenio,

Atque ita *patefieri occaſio etiam aduerſum te poſſit.* [1. Hiſtor.]

Non itẽ iſti.

Qui metus longè à Paganis. tum quia naturâ mitiores; tum quia variè ſparſi & diducti, non temerè conſentiant & coëant in vnum. Nec enim alia in Subſidiariis mea mens; quàm vt per pagos vicóſque ſingulos, quini, deni, viceni (vt frequentia aut infrequentia incolarũ erit) deſcripti inſtructiq; habeãtur: iidémque in centurias & cohortes ſuas tunc deniq; conueniant cùm erit bellum. Quos grandi aliquo numero eſſe quidni ſuadeam? Nam verè hoc illud eſt, *Bellum parare ſimul & ærario parcere.* [Salluſt. Iugurth.] E

Numerus eorũ, noſtro iudicio.

Si triginta aut quadraginta millenarias cohortes (ita diuidam, non in legiones) ex iſtis legas, vtile cenſeam: imò ſi plures. Sed Peditum tantùm. Nam Alas ruſticis non attribuo: & melius, vt in Nobilitatem & in *dites hæc à pauperibus onera inclines.* [Liu. I.

Quor pleroſq. pedites velim.

Plura, & tenuiore filo, de vtiliſſima re, in Notis.

CAPVT XII.

Verè cum Delectu vtrique capiendi: & Notæ quinque ordine poſita, germana in milite virtutis.

Pars præcipua Delectus, Exceptio & iudiciũ.

QVOS eligas, dixi: pars altera Iudicij ſupereſt, Quomodo. Nec enim paſſim profectò aut temerè oblati adſumendi: ſed *caſtra quoque, quos ad laborem & periculum accipiunt, faſtidioſè legunt.* [Seneca Epiſt.]

Quid mirum? *Vires regni, & Romani nominis* (ait ille) *fundamentum, in primâ Delectorum examinatione conſiſtunt.* [Veget. I. cap. VII.]

Quo magis hæc pars tibi cum curâ habenda. & *cùm conſtet, in omnibus locis, & ignauos & ſtrenuos naſci:* [Cap. II.]

Sũt notæ certæ militaris viri.

Illi ſeriâ inquiſitione reiiciendi, hi capiendi ſunt; B ſi fortem quidem militiam vis & felicem. Boni autem robuſtique militis certa indicia & velut Notæ ſunt, ad quas non fallaciter eum legas. Quas facio quinque: Patriam, Ætatem, Corpus, Animum, Vitam.

I.
Patria.

Nominæ PATRIÆ intellegi palàm eſt locum, vbi quis natus aut educatus. quem haud temerè in Delectu conſideres; quoniam profectò *locorum aſperitas hominum quoque ingenia durat.* [Curtius VIII.]

Vrbicolæ non boni: Procaces,

Fortior miles è confragoſo venit: ſegnior eſt, vrbanus & verna. [Sen. epiſt.]

Itaque in vtráuis militiã hunc ſperno. *Nam vernacula* illa *multitudo, laſciuia ſueta, laborum intolerans:* [Tacit. I. Annal.]

Molles.

C Mercurio addicta, qui effæminat. ſempérque homines, *quanto pecuniâ dites & voluptatibus opulenti, tanto magis imbelles.* III. Ann.]

Agreſtes boni:

Ex agris ergo, noſtro iudicio, *ſupplendum robur præcipuè videtur exercitus.* [Veget. I. cap. III.]

Catonis oraculum audio: *Ex agricolis & viri fortiſſimi, & milites ſtrenuiſſimi gignuntur.* [1. De Re ruſt. cap. I.]

Laborioſi, Duri,

Et vſu cõſtat *aptiorem armis ruſticam plebem, quæ ſub dino & in laboribus enutritur.* [Veget. I. cap. III.]

Quæ aſſueuit *hiemem & æſtatem iuxtà pati, humi requieſcere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare.* [Salluſt. Iugurth.]

Sine cõmerciis.

D *Miniméque ad eum mercatores ſæpè commeant, atque ea quæ ad effæminandos animos pertinent, important.* [Cæſ. I. De bel. Gal.]

Talibus viris non labor inſolitus, non locus vllus aſper aut arduus erit, non armatus hoſtis formidoloſus. [Salluſt. Catil.]

Sine deliciis.

Neſcio enim quomodo minùs mortem timet, qui minus deliciarum nouit in vitâ. [Veget. I. cap. III.]

Optimi etiam ex iſtis, ſilueſtres & montani.

Itaque ex iis leges. ſed hos maximè, qui *ſaltuoſos locos incolentes, duritia patientiaque magis inſueuere.* [Tacit. VI. Annal.]

Aut ad mare horridum.

Aut ſiqui Septemtriones & mare verſus, *ipſo terra ſua ſolo & cælo acriùs animantur.* [De Morib. Germ.]

II.
Ætas.
Iuuenes legendi.

At Nota altera ÆTATIS eſt. in quo, *ſi antiqua conſuetudo ſeruanda eſt, incipientem pubertatem ad Delectum cogendam nullus ignorat.* [Vegetius I. cap. 4.] E

Quod vult etiam ipſa ratio. *Nec enim tantùm celeriùs, ſed etiam perfectiùs imbibuntur, quæ diſcuntur à pueris.* [Ibid.]

Legi igitur eos ſuadeam, ex Romanâ regulâ, ab anno XVII. aut paullùm ſuprà. Nam iſtos grandes & veteranos ſi miſces; vnà etiam vetera vitia: vt ſunt propria *huius ſæculi mala, inertia & contumacia, & dedignatio parendi.* [Plinius Paneg.]

Seniores haud apti.

Ego ſanè in Delectu *non tã veteranos intuendos nobis arbitror,* [Cicero Philip.]

Quàm eos qui poſſint aliquando eſſe boni vete-

rani.

A tani. *Neque enim longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit, ſed continua exercitationis meditatio.* [Veget. II. cap. XXIII.]

Facilius autem eſt ad virtutem inſtruere nouos milites, quàm reuocare præteritos. [Idem III. cap. X]

III. Corpus.

Nota tertia CORPVS. quod grande & prælongum placuiſſe nonnullis video: vt C. Mario. qui tironem exegit *ita vt ſenos pedes, vel certè quinos, & denas vncias haberet:* [Veget. I. cap. V.]

Grande quidam probãt:

Vt regi Pyrrho. qui *Delectori ſuo fertur dixiſſe, Tu grandes elige, ego eos fortes reddam.* [Front. IV. Stratag. cap. I.]

Nec temerè à viris magnis abeo: tamen, me iudice, *non tam ſtaturæ rationem habere conuenit, quàm virium.* [Veget. I. cap. V.]

B *Vtiliusq́ue eſt fortes milites eſſe, quàm grandes.* [Idem cap. VI.]

Nos mediocre.

Placeat mihi illa *media militaris ſtatura.* [Liuius VII.]

Sic tamen *vt ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum eos eligas.* [Veget. I. cap. VI.]

Quod ſiccũ vegetũmque potiùs, quã fluidũ.

Nempe quibus ſunt *duri corpori, ſtricti artus, minax vultus, maior animi vigor.* [Tacit. De Morib. Germ.]

Stricti, inquam, *corpori.* nec probem facilè craſſulos & *ſuperfluâ carne diſtentos.* [Veget. I. cap. VI.]

Velocitas enim eſt, *quæ percepto exercitio ſtrenuum efficit bellatorem:* [Idem I. cap. IV.]

C A quâ nimirum magna illa & *fluxa corpora* aliena. [Tacit. VI. Hiſtor.]

IV. Animus.

Nota quarta ANIMI. Nam *hoc eſt, in quo totius reip. ſalus vertitur* (ait militaris ſcriptor) *vt tirones non tantùm corporibus, ſed etiam animis præſtantiſſimi deligantur.* [Veget. I. cap. VII.]

Animus acer & præſens, & acutus idem atque verſutus, inuictos viros efficit. [Cic. II. De orat.]

Audaces, probi:

Sint igitur eligendi, Audaces, *habeantq́ue confidentiam militarem.* [Veget. I. cap. VIII.]

Quibus ſudor, puluis, & alia talia, epulis iucundiora ſint. [Salluſt. Iugurth.]

Fati ſui ſecuri.

——— Quos ille timorum
Maximus haud vrget lethi metus, inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæq́ue capaces
Mortis. [Lucan. I.]

D Ad ſummam, qui *nihil metuant niſi turpem famam.* [Salluſt. Iugurth.]

Gloriæ auidi. Verecũdi.

Nam hanc ſanè volo timeant. Verè ſcriptor Græcus: Οἱ δειλότατοι πρὸς τοὺς νόμους, θαρραλεώτατοι πρὸς τοὺς πολεμίους εἰσί· καὶ τὸ παθεῖν ἥκιστα δεδίασιν, οἱ μάλιστα φοβούμενοι τὸ κακῶς ἀκοῦσαι: *Qui legum metuentiſſimi, iidem in hoſtes audaciſſimi; & pati quiduis minimè verentur, qui malè audire maximè verentur.* [Plutarch. in Agi & Cleom.]

Honeſtas enim idoneum militem reddit: verecundia, dum prohibet fugere, facit eſſe victorẽ. [Veget. I. c. VII.]

V. Vita. Molliũ artium cultores mali:

E Vltima Nota VITÆ. id eſt, quo genere quæſtus aut artis ſeſe ſuſtentent. Nam ad mollitiem aut duritiem, ignauiam aut ferociam, haud leuiter hoc facit. Ego *piſcatores, aucupes, dulciarios, linteones, omnesq́ue, qui aliquid tractaſſe videbuntur ad gynæcea pertinens, longè arbitror repellendos à caſtris.* [Ibidem]

Sedẽtarij, mali:

Quin etiam *opificum vulgus & ſellularij, minimè militiæ idoneum genus.* [Liu. VIII]

Viles aut infames, mali.

Sed nec ſerui olim admiſſi, aut damnati iudiciis: quique genere aut vitâ infames, aliter quàm nũc, cùm *tales ſociantur armis, quales domini habere faſtidiant.* [Veget. I. cap. VII.]

Et caſtra adeò non caſta, vt *quidquid vſquam corrumpi & corrumpere queat, in illis viſatur.* [Tac. XV. Annal.]

A Habes omnia de Dilectu: niſi quòd duo hæc etiam moneo. Prius, vt *non leue hoc officium putes, aut paſſim quibuſcumque mandandum:* [Veget. I. cap. VII.]

Idonei ad Dilectũ admouẽdi.

Sed à magnis viris, magnâ diligentiâ idoneos eligi cupes iuniores. [Ibidem.]

Iſq; iterandus

Alterum, vt identidem repetas. Quia enim morbo, fugâ, miſſione, numerus imminuitur; *niſi annis ſingulis, imò ſingulis penè menſibus, in decedentium locum iuniorum turba ſuccedat, quamuis copioſus exhaurietur exercitus.* [Idem II. cap. III.]

CAPVT XIII.

B *De Diſciplinâ verâ & ſeuerâ dictum. Ea laudata. partes eius (idq́ue, docendi cauſâ) quattuor factæ. Singula explicata.*

Diſciplinæ vtilitas.

SED *venio nunc ad præcipuum decus & ſtabilimentum imperij,* MILITARIS DISCIPLINÆ *tenaciſſimũ vinculum:* [Valer. II. cap. VII.]

Ex *cuius ſinu omnes triumphi manârunt.* [Ibidem.]

Ac neceſſitas

De quâ veriſſimè Imperator ille ad milites: *Diſciplina maiorum rempub. tenet. quæ ſi dilabatur, & nomen Romanum & imperium amittemus.* [Alex. Seu. apud Lamprid.]

C Nam ſine eâ quid Dilectus? ille ſaltem qui poſſint eſſe boni milites, inuenit; ſed hæc, facit tales & ſeruat. *Paucos viros fortes natura procreat, bonâ inſtitutione plures reddit induſtria.* [Veget. III. cap. XXVI.]

Nimis neglecta hodie.

At ea tamen hodie non dicam languet apud nos, ſed obiit; neque mala, ſed nulla eſt. Vt omnino, ſi reducere & inſinuare eam volumus; *de hiſtoriis vel libris, nobis antiqua conſuetudo repetenda ſit:* [I. cap. IIX.]

Repetẽda a Romanis.

Et maximè Romanorũ. Quis enim populus meliùs aut firmiùs eam coluit? Imò *Diſciplina caſtrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quàm caritas liberorum.* [Ic. l. XIX. De capt.]

Qui feliciſſimè ea vſi.

Magno quidem cum fructu. quoniam, ſi inſpicimus, ea ſola *acquiſiuit terrarum Principatum, Romano imperio peperit.* [Valer. II. cap. IIX.]

D Quâ ipſâ de cauſsâ, tu animoſe Princeps, *omnibus imperij neruis ad reuocandam priſtinam diſciplinam militiæ debes conniti:* [Ibidem.]

Deſcriptio Diſciplinę.

Me, pro viribus, adiuuante & præeunte. Appello autem Diſciplinam, SEVERAM CONFORMATIONEM MILITIS AD ROBVR ET VIRTVTEM.

Eius partes.

Partes eius ſiue munia (vt quæ variè ſparſa ſunt, in doctrinæ quendam gyrũ redigam) facio quattuor: Exercitium, Ordinem, Coërcitionem, Exempla. Priores duæ ad ROBVR ſpectant maximè; tertia ad VIRTVTEM, quarta ad vtrumque. Per EXERCITIVM, intellego, vt electum militem aſſiduè ad Arma condocefacias & ad Opus. Ipſum nomen ita ſuadet. nam *Exercitus dicitur, quòd melior fit exercitando.* [Varro IV. De L.L.]

Exercitium.

E Ipſa res & ratio. Cùm enim ad omnes artes perficiendas vſu aliquo & exercitio opus ſit: cur id in iſtâ militari neglegamus, *ſine quâ aliæ artes eſſe non poſſunt?* [Veget. III. in Præf.]

Quod in omni re valet: Etiã hîc.

Caſſius ſolebat dicere: *Miſerum eſſe, cùm exerceantur athletæ, venatores, & gladiatores, non exerceri milites. quibus minor eſſet futurus labor, ſi conſuetus eſſet.* [Vulcat. in Auid. Caſſio.]

Dat vſũ armorũ.

Imò & felicior labor. Nam *in omni prælio, non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & Exercitium ſolent præſtare victoriam.* [Veget. I. cap. I.]

Dat victoriã.

Ergo tu curabis, vt *ſiue Legio, ſiue Auxilia fuerint, exerceantur aſſiduè.* [II. cap. XXIII.]

Exercē di Armis milites.

A Quomodo? Primùm *tironibus, per cottidiana exercitia, Armorum eſt demonſtranda doctrina.* [1.cap. VIII.]

Idque exemplo veteri, à *Campidoctoribus.* [Veget.& alij.]

Vt *Miſſile, & deſtinato ictu, & magnis viribus iaciant:* [1.cap.IV.]

Vt nôrint tractare ſcutum, & obliquis ictibus venientia tela deflectere: [Ibidem.]

Aſſuefaciē di ad ordinē:

Vt militari gradu *ambulare celeriter & æqualiter diſcant:* [cap.IX.]

Sic vt *ne locum deſerant, ne ordines turbent.* [cap.IV.]

Ad imaginē omnē prœliorum. Simulatæ pugnæ bonæ:

Denique, vt *quæcumque euenire in acie atque prælus poſſunt, omnia in campeſtri meditatione prænoſcant.* [cap.I.]

B Cui rei vtile, eos interdum *inter ſe, in modum iuſtæ pugnæ concurrere:* [Liuius XXVI.]

Cū præmiolo aliquo ſtrenuis.

Ac tum præmium etiam aliquod proponi, & *ταῖς ἱππικαῖς τάξεσιν, ἥ τις κράτιστα ἱππεύοι· & ταῖς ὁπλιτικαῖς, ἥ τις ἄριστα σωμάτων ἔχοι: & equeſtribus turmis, quæ equo optimè vtentur; & Legionariis cohortibus quæ corpus decentiſſimè gerent ſub armis.* [Xenoph. in Ageſilao.]

Exercendi etiam Opere milites.

Hoc Armorum exercitium eſto: ſed addo & Operis. vt condiſcat tiro aſſiduè *Laborare, decurrere, portare pondus, & ſolem puluerem῀q ferre.* [Veget.1. cap.III.]

Quod corpora firmat: Et varium vſum habet belli.

Indurant hæc militem: & *exercitus labore proficit, otio conſeneſcit.* [III.cap.XXVI.]

Sed vſum quoque ſæpè habent, cùm *in arduis expeditionibus neceſſitas imminet annonam pariter & arma portandi.* [1.cap.XIX.]

C Præſertim ad caſtra ſtruēda:

Nec iſta tantùm, ſed *caſtrorū quoque munitionem debet tiro condiſcere.* [cap.XXI.]

Eoque fine *foſſam ducere, & ſudes ſcienter figere.* [cap. IV.]

Cur pigeat? *Nihil neque tam ſalutare, neque tam neceſſarium inuenitur in bello:* [cap.XXI.]

Siue ad munitiones in hoſtem.

Siue vt te tueare, ſiue vt hoſtem premas & circumualles. Sanè *Domitius Corbulo, Dolabrā, id eſt operibus, hoſtem vincendum eſſe dicebat.* [Frontin.IV.Strat. cap.IIX.]

Hæc olim Romanis ſolita:

Hæc noua, inquiet aliquis. Imò peruetera, nec Romanis tantùm vſitata, de quibus audi Tullium: *Quis labor, & quantus agminis? Ferre plus dimidiati menſis cibaria, ferre ſiquid ad vſum velint, ferre vallum. Nam ſcutum, galeam, gladium, noſtri milites in onere non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus.* Cicer.II.

D Hæc Germanis; aliiſque.

Sed etiam priſcis Germanis. è quibus Catti militem ſuum, *ſuper arma, ferramentis quoque & copiis onerabant.* [Tacitus De Morib.Germ.]

Nos, heu deſides!

Aliis etiam gentibus. Atque hæc vera, hæc pulchra militia: non iſta noſtra, vbi in agmine plus calonum, imò & ſcortorum eſt, quàm militum. Nam foſſores & eiuſmodi operas, deus bone, quanto labore quærimus, ſumptu circumducimus! Sapiamus tandem, & cum Pertinace *Militemus.* [Capitol. in Pert.]

Emēdemus.

Nec *hæc credantur eſſe difficilia, ſi vſus acceſſerit.* [Veget.1.cap.XIX.]

E *Omne opus difficile videtur, antequam tentes:* [II.cap. XIV.]

At *nihil eſt, quod non aſſidua meditatio facillimum reddat.* [1.cap.XIX.]

Et cur *deſperes fieri poſſe, quæ facta ſunt?* [III. cap. X.]

Ordinis vſus in exercitu.

Iam pars altera diſciplinæ, ORDO: qui multipliciter in Militiâ ſeruandus. Primùm in digerendis copiis per legiones, cohortes, centurias, decurias. quod pulchrum. quoniam *τάξις μὲν ἡ στρατιὰ, κάλλιστον μὲν ἰδεῖν τοῖς φίλοις, δυσχερέστατον δὲ τοῖς πολεμίοις: Ordinatus exercitus, iucundiſſimus aſpici amicis; moleſtiſſimus hoſtibus.* [Xenoph.Oecon.]

Ad digerēdū:

Sed & vtile. quia *acies diſtinctior & ex pluribus partibus conſtans, facilis partienti quacumque opus ſit, facilis iungenti.* [Liu.IX.]

Ad imperādū;

Eadémque facilior ad imperia: cùm *miles ſcilicet centurioni, centurio tribuno obſequitur.* [Tacit.I. Hiſtor.]

Atque ita ordine *imperium Ducis ſimul omnes copiæ ſentiunt,* [Seneca Epiſt.]

Et *ad nutum regentis, ſine tumultu reſpondent.* [Ibidem.]

Certum enim & clarum eſt, non omnia omnibus imperanda, ſed *ita ſe ducum auctoritas, ſic rigor Diſciplinæ habet, vt multa Centuriones Tribunóſque tantum iubere expediat.* [Tacit.1.Hiſtor.]

Ad incedendū:

Iam id quoque videndum, *In Itinere vel in Acie, vt omnes milites incedendi Ordinem ſeruent.* [Veget.1. cap.IX.]

Ad ſtandum in acie.

Vt æquali legitimóque ſpatio miles diſtet à milite: [cap.XXVI.]

Nec vltrà quàm expedit, aut conglobent agmen aut laxent. [Ibidem.]

Deniq; contra omnem turbam.

Grande in his rebus momentum: & ſæpè integri exercitus periere à tali aliquâ confuſione. *Ἔστι δ᾽ οὐδὲν οὕτως οὔτ᾽ εὔχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τάξις: Eſt verò nihil tam vtile aut decorum hominibus, quàm ordo.* [Xenoph.Oecon.]

Ordo in ipſis caſtris habendus. Aſſignatione certâ locorum: Diuiſione Contuberniorum.

Quem in caſtris etiam mihi ſerua. vt illa habeant aptâ dimenſione vias ſuas, portas, fora: & ſint velut ad formam minutæ vrbis. Ibi *pro gradu, legionibus, auxiliis, equitibus, & peditibus, loca in quibus papiliones tendant, deputentur:* [Veger.III.cap.VIII.]

Sic vt facile cuique ſit & locum ſuum & commilitones reperire. Nec enim ſolùm per Centurias velim eos tendere, ſed hæ *in contubernia diuiſæ ſint: vt decem militibus ſub vno papilione degentibus vnus præſit Decanus, qui caput contubernij nominetur.* [II. cap.XIII.]

Et plura talia, quæ alieno iſto & penè arenarum funiculo ægrè necto. tu prompta ea habes apud Polybium maximè, ac ſcriptores Romanos.

Coërctio & adſtrictio morū vſurpanda.

Pars tertia, COERCTIO: quæ mores ſcilicet militum coërcet ac frænat. Nam etſi, *neſcio quo pacto, aſſiduè dimicantibus difficile eſt morum cuſtodire menſuram.* [Caſſiod. I. Var.ep.XL.]

Maximè citra tria. Vitādus duplex luxus:

Tamen cuſtodiendi aliquatenus: aut ſoluitur militia tua, imò perit. Tria ſunt, ſine quibus non robur in exercitu, non ordo: Continentia, Modeſtia, Abſtinentia. Seruabis hæc igitur: Continentiam primò, in Cibo & Venere. id eſt, ne milites tui effuſè ſint *conuiuiis & ventri dediti, & turpiſſimæ parti corporis.* [Salluſt.Iugurth.]

A quo mollities & lāguor.

Vtraque res eneruat: & *degenerat à robore ac virtute miles aſſuetudine voluptatum.* [Tacit. II.Hiſtor.] *Siquid ardoris ac ferociæ habuit, popinis & comeſſationibus deteritur.* [Ibid.]

Haud vanè olim dictum: *Vna Annibalem hiberna ſoluerunt, & indomitum illum niuibus atque Alpibus, eneruauerunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus eſt.* [Seneca Epiſt.]

Quæ tu caue. & arce ſeueriter à caſtris tuis *luxurioſos apparatus conuiuiorum & inſtrumenta libidinum.* [Tacit.1.Hiſtor.]

Modeſtia ſeruanda. Iactabundi, otioſi:

MODESTIAM ſecundò exiges eámque tripliciter, in Verbis, Veſtibus, Factis. In Verbis, ne ſint vani, buccâ turgidi, & quod dicitur, Atrices milites. qui *in conuiuiis & circulis, cùm de hoſtibus mentio incidit, vix manibus temperant:* [Liuius XXXI.]

A Imò & ignaui.

Sed iidem vix vultum eorum ſuſtinent. Nam id euentu ſemper firmum: *Ignauiſſimus quiſque, & in periculo minimum auſurus, nimij verbis, linguæ feroces.* [Tacit.1.Hiſtor.]

Vera Virtus, tacita.

Videbiſque *viros natos militiæ, factis magnos, ad verborum linguæq; certamina rudes eſſe.* [Liu.ix.]

Egregiè noſter: *Fortiſſimus in ipſo diſcrimine exercitus, qui ante diſcrimen modeſtiſſimus.* [Tacitus 1. Hiſtor.]

Itemque Philoſophos: Οἱ δὲ ἀνδρεῖοι, ἐν τοῖς ἔργοις ὀξεῖς, πρότερον δὲ ἡσύχιοι: *Viri fortes, in opere acres, ante id placidi.* [Ariſtot.in Ethic.ad Nicom.]

Facit, nõ dicit.

Quibus ſcilicet *pectus animorum iræq; tacita plenũ, omnem ferociam in diſcrimen ipſum certaminis differt.* [Liu.vii.]

B

Compeſce igitur ventoſas linguas, & cum Memnone edicito: *Pugnare te conduxi, non conuiciari,* [Plutarch Apophth.]

In variâ verbis opus, in pugnâ manib.

Ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου, ἐπέων δ' ἐνὶ βουλῇ:

Lingua in conſilio valet, in certamine dextera.

[Homer.Iliad.π.]

Splẽdor & iactãtia in veſtitu vitanda.

In Veſtibus modeſtiam etiam quæro. quia etſi melius, eos *in decoris armis & militaribus equis, quàm in ſcortis atque conuiuiis libidinem habere:* [Salluſt. Catil.]

Miles horreat.

Tamen ſeruari modum valdè approbem, & ſperni externum omnem luxum. Magni duces ſic ſtatuerunt: *Horridum militem eſſe debere, non cælatum auro argentoq; ſed ferro & animis fretum.* [Liuius ix.]

C

Quippe illa, prædam veriùs quàm arma eſſe: nitentia ante rem, deformia inter ſanguinem & vulnera. [Ibidem.]

Tales priſci illi Macedones, *non auro, neque diſcolori veſte, ſed ferro atque ære fulgentes.* [Curtius iii.]

Cæſar hîc diſciplinæ negligens.

Etſi Cæſar in mente aliá. qui ſuos *habuit tam cultos, vt argento & auro politis armis ornaret; ſimul & ad ſpeciem, & quò tenaciores eorum in prælio eſſent, metu damni.* (Sueton.Iul.cap.lxviii.]

Fortunæ ſuæ confiſus.

Sed nempe Cæſar. qui rigidæ & priſcæ Diſciplinæ adeò non retinens, vt ſit *iactare ſolitus, Milites ſuos etiam vnguentatos, benè pugnare poſſe.* [Ibidem.]

D

Tu ſperne ſuperuacua. *nec teneat aut terreat vanus aſpectus, & auri fulgor atque argenti: quod neque tegit, neque vulnerat.* [Tacit.in Agric.]

Nos ma- umus armari pulchrè militẽ

Multo magis hoc vide, vt benè armati tui ſint, quàm vt ornati. *Neceſſe eſt enim, vt dimicandi acriorem ſumat audaciam, qui munito capite & pectore, non timet vulnus.* [Veget.1.cap.xx.]

Hodie neglegitur, manno ma- o.

At nũc (pudor!) *grauis peditis lorica videtur & galea.* [Ibidem.]

Ita fit, vt non de pugnâ, ſed de fugâ cogitent, qui in acie nudi exponuntur ad vulnera. [Ibidem.]

Parẽtia ecce mi- tem:

In factis denique Modeſtiam exigo. vt obnoxij nimirum pareotéſq; ſint, *intenti ad ducis non ſignum modò, ſed nutum.* [Curt.iii.]

E

Non in- uiſitio, ut re- racta- io.

Odi curioſos aut refractarios: quique *iuſſa ducum interpretari malunt, quam exſequi.* [Tacit. ii.Hiſtor.]

Tria e- as mu- era.

Benè Æmilius Paullus: *Militem hæc tria curare debere. Corpus vt quàm validiſſimum & perniciſſimum habeat: Arma apta: Animum paratum ad ſubita imperia.* [Liuius xliv.]

Cetera, diis immortalibus & Imperatori curæ eſſe. [Ibidem.]

Impera- ori ſuſ- o relin uenda: Militi ola exe- atio.

Enimuerò *diuiſa inter duces militeſq; munia:* [Tacit.iii.Hiſt.]

Illis arma & animus ſint: iſtis conſilium & virtutis ſuæ regimen relinquant. [1.Hiſtor.]

Parendo potiùs, quàm imperia ducum ſciſcitando res militaris continetur. [Ibidem.]

A

Breue ſed pulchrũ dogma

Mihi Braſidæ monitum pro pulchro: Νομίζετε, ait ad ſuos, εἶναι τοῦ καλῶς πολεμεῖν, τὸ ἐθέλειν, καὶ τὸ αἰσχύνεσθαι, καὶ τὸ τοῖς ἄρχουσι πείθεσθαι: *Cenſete hæc eſſe bona militia, Velle, Vereri, Obedire.* [Thuc.v.]

Violẽtia arcenda a milite.

Tertiò Abstinentiam ingeſſi. quâ volo milites à vi rapiniſque abeſſe, & habere manus puras. *Non permittes milites eſſe poſſeſſoribus inſolentes.* [Caſſiod.vi.Var.epiſt.xxiii.]

Ne Prouinciales infeſtet.

Viuant cum prouincialibus iure ciuili, nec inſoleſcat animus qui ſe ſentit armatum. quia clypeus ille exercitus, quietem debet præſtare paganis. Idem vii. epiſt.iv.]

Nec paſſim rapiat.

Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat, ſegetem nemo deterat, oleum, ſal, lignum nemo exigat, annonâ ſuâ contentus ſit. [Vopiſc.in Aur.]

B

Denique ita tranſeant, *vt non modò manus, ſed ne veſtigium quidem cuiquam pacato nocuiſſe dicatur.* [Cicero pro Leg.Man.]

Veterũ hîc obſeruãtia mira.

An rideor? vt nunc mores ſunt, credo. At apud veteres tam ſtrictè hæc in vſu: vt *memoriæ tradiderit Scaurus, pomiferam arborem, quã in pede caſtrorum fuerat complexa metatio, poſtero die abeunte exercitu, intactis fructibus relictam.* [Frontin.iv.Stratag.cap.iii.]

Pars vltima Diſciplinæ, Exempla. quo nomine præmia intellego & pœnas. Nam profectò ad robur & virtutem militum excitandam vtraque hæc valdè poſſunt. Præmia quidem, ſi benè mentis ea tribues;

C

Præmiis miles erigitur.

& Promotiones, Honores, Opes miles ſperabit ab inſigni aliquo facto. Neceſſum eſt acriùs ille dimicet, *quem ad opes ac dignitates ordo militiæ & Imperatoris iudicium conſueuit euehere.* [Veget.ii.cap.xxiv.]

Notum illud eſt: *Eò impendi laborem ac periculum, vnde emolumentum ac honos ſperetur.* [Liu.iv.]

Et, *Nihil à quoquam expeti, niſi cuius fructus ante prouiderit.* [Tacit.xi.Annal.]

Itaque Romani hîc mirifici. qui non ſolùm altiores ordines aſſignabant à virtute: ſed etiam publicè laudes cumulabant & honores. donabantque pro concione, haſtas, phaleras, coronas.

Pœnis idẽ continetur.

Iam Pœnis quoque omnino opus, & Seueritas vel efficaciſſima ad militiam firmandam. Clearchi vox

D

fuit: *A militibus Imperatorem potiùs, quàm hoſtem metui debere.* [Valer.ii.cap.vii.]

Indulgẽtia perniciosa.

Nam *indulgentia & largitio, ſpecioſum reddunt præſentem exercitus amorem, paullatim tamen & occultè militarem diſciplinam ſeueritatemq; minuunt.* [Cæſ. iii.Bel.Ciu.]

At *delicta militum nullâ veniâ proſequi, vſu ſalubre & miſericordiâ melius ſemper apparuit.* [Tacit. xiii. Ann.]

Armati aſperè habẽdi

Aſtringe igitur. *Aſpero & abſciſo caſtigationis genere militaris Diſciplina indiget. quia vires armis cõſtant: quæ vbi a recto tenore deſciuerunt, oppreſſura ſunt niſi opprimantur.* [Val.ii.cap.vii.]

E

Hocque ipſos delectat, etſi non delectat.

Gaudet eo ipſe miles.

——tam diri fœderis ictu

Parta quies, pœnaq; redit placata iuuentus.

[Lucan.v.]

Tempo rum tamen inſpectio eſto.

Diſcrimen tamen aliquod tibi militaris doctor ingerit. *Milites, inquit, pœna & timor in ſedibus corrigunt; in expeditionibus, ſpes & præmia faciunt meliores.* [Veger.iii.cap.vlt.]

Ad Romanos iterũ te relegatus Præceps.

Dixi de Diſciplinâ, vt potui alienis verbis, diſtinctè & apertè. Sed iterùm inculco. ſi plenam legitimamq; eam vis, *Diſciplinam militarem populi Romani debes inquirere, qui ex paruiſſimis finibus, imperium ſuum pæne ſolis regionibus & mundi ipſius fine diſtendit:* [Idem 1.cap.iix.]

Idque poſt Deum, hac vnâ duce.

CAPVT XIV.

Tranſitum ad Duces. Eos neceſſarios, non ſolùm vtiles. Duplices eſſe. Semper in iis Peritiam magis quam Virtutem ſpectari. & vnum in vno bello eſſe debere.

Docum neceſſitas.

DE militibus, perduxi quò volui: alteri nunc è Viris ſtilum & manum meam poſtulant, id eſt Duces. Quos vtiles bello eſſe quid dicam? immò neceſſarios: animam nempe exercitus, & vitam ipſam. adeò vt verè ſcriptum ſit, *Militarem ſine duce turbam, eſſe corpus ſine ſpiritu:* [Curtius x.]

Et, *vt remiges ſine gubernatore; ita milites ſine Imperatore, nihil valere:* [Quinct. v.]

Vt ille, talis miles.

Tanti eſſe exercitum, quanti Imperatorem, alibi leges. [Flor. 11. cap. xiix.]

A

B

Benè & prauè iſte dirigit? ille bonus, malè? malus. Itaque tu (*quod rariſſimum, nec niſi ratione Diſciplinæ conceſſum*) *plus in Duce repones, quàm in exercitu.* [Tacit. De Morib. Germ.]

Duplici diſcrimine Duces. Primarij: Secúdarij.

Illum ante omnia quæres; talem, qualem deſcribã. Duo enim genera Ducum: Primarij, Secundarij. Illi, QVI SVMMÆ REI IMPERANT, SVISQVE AVSPICIIS ET DVCTV REM GERVNT. Iſti, QVI IMPERANTIS ALTERIVS NVTV SIVE IVSSV IMPERANT, ET SVO SALTEM DVCTV REM GERVNT. In primâ claſſe, quiuis Rex aut Princeps, in ſuo ſolo: in alterâ, ij qui ab his conſtituuntur Adminiſtri bellorum & Legati. De prioribus illis, cùm bellum eſt, *intereſſe eos pugnæ an ſeponi melius foret, dubitauêre.* [Tacit. 11. Hiſt.]

Supremi Duces an prælijs intereſſe debeant. Pro affirmante:

C

Nec iniuriâ. Adeſſe enim ipſi rebus debere videntur. quoniam

——Vbi ſummus Imperator non adeſt ad exercitum,
Citiùs quod non facto eſt vſus, fit, quàm quod facto eſt opus. [Plautus Amph.]

Adde, quòd præſentiâ ſuâ robur & vires inſpirant militi. nec malè Antigonus olim trepidanti gubernatori (in nauali prælio contra Ptolemæi duces) & multitudinem hoſtilium nauium cauſanti: Ἐμὲ δ᾽, ἔφη, αὐτὸν παρόντα πρὸς πόσας ἀντιτίθης; *Me vero ipſum, inquit, præſentem cum quot comparas?* [Plutarch. Apophth.]

D

Pro negante:

Rectè. ſed tamen altrinſecus cauſſa ambigendi etiam: quia tutius videtur, vt ille ſummus *dubiis præliorum exemptus, ſummæ rerum & imperij ſeipſum reſeruet.* [Tacit. 11. Hiſtor.]

Nam *in milite, vnius ſors eſt, in Imperatore vniuerſorum periculum.* [Egeſip. v. cap. xxx.]

Solutio. Aliquando interſit: Aliquãdo abſit.

Ego diſtinctiunculâ rem expedio. Nam *ſi ſtatus imperij, aut ſalus prouinciarum in diſcrimine vertatur, debebis in acie ſtare.* [Tacit. 1v. Hiſt.]

At cenſeo *minora bella, minoribus ducibus delegãda.* [Ibidem.]

Non enim decòrum Principi, ſi vna alteráve ciuitas turbet, omiſſa vrbe inde in omnia regimen. [111. Ann.]

E

Exitioſi tamen plures Duces.

Ergo interdum ibit ipſe, interdum mittet. Plurêſne? nihil impedit: ſic tamen vt imperij militaris ſumma ſit penes vnum. Semper enim reperies μέγα βλάψαι καὶ τὸ πλῆθος τῶν στρατηγῶν, καὶ τὴν ἀναρχίαν: *Plurimùm nocere & multitudinem imperantium, & regimen nullum aut incertum.* [Thuc. vi.]

Nec de nihilo inualuit adagio:

Πολλοὶ στρατηγοὶ Καρίαν ἀπώλεσαν:
Multi imperantes perdidere Cariam. [Prouerbialis verſus.]

Sempérque vnus bello vnus præficiẽdus:

Ergo legendus aliquis vnus peritus, prudens, ne *quem tu imperare iuſſeris, is ſibi alium imperatorem quærat.* [Salluſt. Iugurth.]

Miles potiùs, quã vir bonus.

Nam peritiæ potiſſima hîc ratio. & rectè Ariſtoteles: Ἐν τῇ στρατηγίᾳ, εἰς τὴν ἐμπειρίαν μᾶλλον δεῖ βλέπειν, τῆς ἀρετῆς: *In bellicâ Præfecturâ maior aſpectus habendus Peritiæ, quàm Virtutis aut morum.* [v. Politic. cap. ix.]

CAPVT XV.

Boni Ducis γνωρίσματα ſiue Notæ. quinque eas videri: quas ordine explicamus.

SEd ò vt totum hoc magis tibi referem, & clariùs liqueat quò vtiliter capiendi: ego tibi veros germanosque Duces & eorum partes, paucis nec vanis coloribus depingam. Tu da mihi mentem, & quod in ſacris olim acclamari ſolitum, Hoc age. Ego in legitimo Duce quinque hæc requiro: Scientiam, Virtutem, Prouidentiam, Auctoritatem, Fortunam.

Quæ ſpectãda in bono Duce.

I. Sciẽtia, ſiue peritia:

SCIENTIAM: nempe vt artis ſuæ gnarus ſit, & qui militiam longo vſu combiberit, non auditione ſolùm aut lectione. *Qui plures*, inquam, *per prouincias ſtipendia expleuerit:* [Tacit. 111. Ann.]

Et *nullum genus belli ſit, in quo illum non exercuerit fortuna.* [Cicero pro Manil.]

Qui norit, *quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus vrgendo trahendove bello modus.* [Tacit. 111. Annal.]

Quæ ferè à periculo vtriuſque fortunæ.

Qui *ſecundarum ambiguarumque rerum ſciens, eoque interritus.* [1. Ann.]

Nam illi aſſiduè in rebus prolixis & lætis, diſplicent. *nec temerè aduerſa caſuum reputat, quem fortuna numquam decepit.* [Liu. xxx.]

II. Virtus.

Vt alacer actuoſiſque ſit.

VIRTVTEM ſecundò adiungo: & intellego Corporis ingeniique vigorem quemdam, & ſimul Animi probitatem. Vigorem in his talibus. vt *exerceat legiones etiam ſine bello, curâ, prouiſu, perinde agat, ac ſi hoſtis ingruat.* [Tacit. x11. Annal.]

Ipſemet *plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore.* [v. Hiſtor.]

Qui auſit

——primus ſumpſiſſe labores,
Primus iter carpſiſſe pedes. [Silius 1.]

Suis præeat, & verè ducat.

Quique adeò de ſe poſſit effari: *Facta, non dicta mea, vos milites ſequi volo: nec diſciplinam modo, ſed exemplum etiam a me petere.* [Liu. vii.]

Ipſe manu ſuâ pila gerens, præcedit anhelis
Militis ora pedes. monſtrat tolerare labores,
Non iubet. [Lucan. ix. de Catone.]

Denique breuiter, cui adſit *Labor in negotio, Fortitudo in periculo, Induſtria in agendo, Celeritas in conficiendo.* [Cicero pro leg. Man.]

Internas etiã virtutes habeat.

At Animi virtutes adhibendæ etiam quædam ſunt. *Non enim ſolùm bellandi virtus in ſummo atque perfecto Imperatore quærenda eſt, ſed multæ ſunt partes eximiæ, huius adminiſtræ comitesque virtutis.* [Ibidem.]

Quantâ Innocentiâ debent eſſe Imperatores? quantâ omnibus in rebus Temperantiâ? quantâ Fide? quantâ Facilitate? quanta Humanitate? [Ibidem.]

Quæ niſi aut omnia, aut pleraque habeat, *non ego poſſum Imperatorem in aliquo numero putare.* [Ibidem.]

III. Prouidẽtia. Cautus eſto:

At tertiò PROVIDENTIAM laudo: id eſt, cautos cunctanteſque duces, *nullo loco, niſi quantum neceſſitas cogat, commiſſuros ſe Fortunæ.* [Liuius xxii.]

Sperno equidem iſtos *ferociter omnia ac præproperè agentes:* [Indidem.]

Et *contemnendis, quam cauendis hoſtibus, meliores.*

[Tacit.

[Tacit. IV. Hiſtor.]

Etſi ea- los a- ai vul- is.

Etſi grati ſæpè vulgo, quoniam ſtolidis aut *barbaris cunctatio ſeruilis; ſtatim exſequi, regium videtur.* [VI. Annal.]

Ac ſanè ſi militaris ſuffragij res ſit, haud dubiè Minutium aliquem Fabio præferant ducem. [Liuius XXII.]

Sed te- eritas ienſſi- a a Du- nus il- eſto.

Non tu ſic deſipies, magiſq; cum Auguſto, *Nihil minùs in perfecto duce, quàm feſtinationem temeritatemq; conuenire, arbitrabere.* [Sueton. Aug. cap. XXV.]

Et cum Sertorio, ὅτι δεῖ τὸν στρατηγὸν κατόπιν μᾶλλον, ἢ κατὰ πρόσωπον βλέπειν: *Quòd oporteat ducē reſpicere magis, quàm proſpicere:* [Plutarch. in Sertor.]

Præliorum enim delicta emendationem non recipiunt. [Cato apud Veget. I. cap. XIII.]

Et vt ille aiebat, Οὐκ ἔστιν ἐν πολέμῳ δὶς ἁμαρτεῖν: *Nō licet in bellobis peccare.* [Plutarch. Apophth.]

à pro- ert, unt:

Atqui peccat penè neceſſariò, qui feſtinat. *Temeritas, præterquam quòd ſtulta eſt, etiam infelix.* [Liuius XXII.]

Nónne expoſita ad omnes laqueos? Polybius pulchrè: Προπέτεια γὰρ καὶ θρασύτης καὶ θυμὸς ἄλογος, ἔτι δὲ κενοδοξία καὶ τῦφος, εὐχείρωτα μὲν τοῖς ἐχθροῖς, ἐπισφαλέστατα δὲ τοῖς φίλοις. πρὸς γὰρ πάσας ἐπιβουλάς, ἐνέδρας, ἀπάτας ἕτοιμος ὁ τοιοῦτος: *Celeritas & Audacia & Impetus præter rationem, & Vanitas ac typhus, hoſtibus quidem opportuna, noxia verò maximè amicis. Nam ad omnes inſidias, fraudes, atque aſtus obnoxius eſt hic talis.* [Lib. III.]

gũt, nō arrant.

Quòd ſi tamen non labitur: quid efficit? parum. & *Temeritas vbi primum impetum effudit, ſicut quædam animalia, amiſſo aculeo, torpet.* [Curt. IV.]

ēti, fir- niores:

Ergo omnino ex Euripidæo ſcito,

ἀσφαλὴς γὰρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης:

Melior eſt Dux circumſpectus, quàm protectò audaculus. [Euripid. in Phœniſ.]

Sine timidum, pro cauto, tardum, pro conſiderato; imbellem pro perito belli vocent: [Liuius XXII.]

Sine *læti ſint in vulgus milites, ferociâ ducis.* [Indid.]

Effica iores.

Malo te ſapiens hoſtis metuat, quàm ſtulti ciues laudent. [Indid.]

Iſta nubes, quæ ſedit in mõtibus, ſollicitata procellâ aliquando *imbrem dabit.* [Indid.]

Non enim ego vt nihil agatur, moneo: ſed vt agentem te ratio ducat, non fortuna. [Indid.]

IV. elici- as. Quæ à ælo eſt.

Quamquam vtinam & iſta adſit! Nam quarto loco in Duce deſidero FELICITATEM. Ea ſanè comes ferè conſilij & rationis eſt, ſed tamen paullò benigniùs quibuſdam adtributa à Deo. Ille vnus eius auctor: *eamq; præſtare à ſeipſo nemo poteſt.* [Cicero pro leg. Man.]

Θεοῦ δὲ δῶρόν ἐστιν εὐτυχεῖν βροτούς:

Felicitas eſt munus à ſummo Deo. [Prouerbialis verſus.]

Etſi igitur Prouidentia potēs valdè ad ſucceſſum: tamen ego cum Platone cenſeo, στρατηγικὴν τέχνην εὐτυχίας πλείστης δεομένην: *Militarem artem plurima fortunæ egentem.* [In Epinom.]

Minimè quibuſ- dam at- tributa: Aliis vel- t agna- a.

Sunt enim quidam profectò ἐν τετράδι γεννηθέντες: *quartâ lunâ nati.* [Euſtat. in II. Iliad.]

Qui *domi habent equum Seianum.* [Ex Agell.]

Adeò cuicumque rei manum aut mentem admouent, ea ſe auertit. Contrà alij, *quibus etiam venti tempeſtateſq; obſecundant.* [Cicero pro leg. Manil.]

Itaque in Ducibus diligendis, hanc quoque ſortē aſpiciam. & *exiſtimo* olim *Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & ceteris magnis Imperatoribus, non ſolum propter virtutem, ſed etiam propter Fortunam, ſæpius imperia mandata, atque exercitus eſſe commiſſos.* [Ibidem.]

V. Auctori- tas.

Poſtremum AVCTORITATEM requiſiui. *Vehementer enim pertinet ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocij, de Imperatoribus exiſtiment.* [Cicero pro leg. Man.]

* Dixi lib. IV. cap. IX. Seueri- tas eam gignit:

Ea * proles maximè Felicitatis videtur: tamē apud Tuos etiam paranda ab aſtrictâ quâdam Imperij formâ. Vegetij monitum prudens: *Dux,* inquit, *Auctoritatem maximam ſeueritate ſumat, omnes culpas militares legibus vindicet, nulli errātium credatur ignoſcere.* [III cap. X.]

Dux fa- cilis, in- utilis:

Nam faciles profectò iſti & mites, vileſcunt. Benè olim Scipio: Τοὺς μὲν αὐστηροὺς καὶ ἀκριβεῖς τῶν στρατηγῶν, τοῖς οἰκείοις· τοὺς δὲ εὐχερεῖς καὶ φιλοδώρους, τοῖς πολεμίοις εἶναι χρησίμους: *Ducum auſteros & rigidos, ſuis; at faciles & largitores, hoſtibus eſſe vtiles.* [Appianus Iberic.]

Cōtem- ptus ſuis

Quid ita? Τὰ γὰρ στρατόπεδα τοῖς μὲν ἐστὶν κεχαρισμένα τε καὶ καταφρονητικά· τοῖς δὲ σκυθρωπὰ μὲν, ἀπειθῆ δὲ κατὰ πᾶσιν ἕτοιμα: *Nam iſtis quidem* (facilibus) *milites delectari videntur ſed eoſdem contemnunt. illos* (auſteros) *auerſari, ſed iiſdem obediunt, & per omnia parent.* [Ibidem.]

Contrà, Seuerus æſtima- tur.

Imò reuerà nec *militibus quidem iſti ingrati, eamdem virtutem admirantibus cui iraſcuntur.* [Tacit. I. Hiſt.]

Atque adeò a- matur, ſi in tēpo- re beoi- gnus.

Præſertim ſi temperetur interdum aliquâ comitate. *Nam fauorem militum vt largitione & ambitu malè acquiras, ita ii per bonas artes haud ſpernendus.* [Indid.]

Vti ſunt, *Exercitatio corporis inter ipſos, cultus habitusq; paullùm à priuato differens.* [Curt. III.]

Item, *vt quis inops aut ſaucius, veſtem & fomenta dilargiri:* [Tacitus I. Annal.]

Aliisq; *vel ingenij dotibus vel animi artibus, vt pariter carus ac venerandus ſit, efficere.* [Curt. III.]

CAPVT XVI.

Conſilia neceſſaria bello eſſe. Eorum ſpecimen ſiue guſtus; itemque Monita, quæ vſui Ante pugnam, & In pugna.

Cōſilio- rū vtili- tas.

AC de Viris, vniuersè iam abſolui. Conſilia ſuperant, vltimum ſed neceſſarium Belli inſtrumentum. Quid ſine iis apparatus omnes ſint? fumus. Quid viri? funus. Nec verbis oſtendi opus: *Periculo atque negotiis compertum eſt, ingeniū in bello plurimum poſſe.* [Salluſt. Catil.]

Impera- tori ea neceſſa- ria.

Videbiſq; magnos Duces *plura conſilio, quàm vi perfeciſſe.* [Tacit. II. Annal.]

Ideò Cæſar definiit, *Non minus eſſe Imperatoris conſilio ſuperare, quam gladio.* [I. Comm Bel. Ciu.]

Et Carthaginienſes, *Duces bella prauo conſilio gerentes, etiamſi proſpera fortuna ſubſecuta eſſet, cruci tamen ſuffigebant. quod benè geſſerant, deorum immortalium adiutorio; quod malè commiſerant, ipſorum culpæ imputantes.* [Val. II. cap. VII.]

Euentus pleruq; ab illis

Nec ſanè immeritò. Nam etſi *multum cùm in omnibus rebus, tum in re militari poteſt fortuna,* [Cæſ. Com. VI.]

Et quidquid eſt proſperè geſtum, id pœnè omne ducit ſuum: [Cicero pro Marcell.]

Tamen profectò Conſilij quoque magnæ & validæ hîc partes ſunt: ab eoq; bono, illa ferè bona. Quo adſpectu dixit Attius, *Fabrū eſſe ſuæ quemque fortunæ.* [Apud Salluſt. ad Cæſ.]

Et Fabius: *Bono imperatori haud magni momenti*

fortunam

fortunam eſſe: mentem rationemq́, dominari. [Liuius XXII.]

Tamen certa pięſcribere, arduum:

Conſilia igitur adhibēda. ſed quæ, aut quomodo: ægrè dixerim. Nam *Conſilia magis res dant hominibus, quàm homines rebus.* [Ibidem.]

Iis te aptare debes: præſertim in bello. ἥκιστα γὰρ πόλεμος ἐπὶ ῥητοῖς χωρεῖ, αὐτὸς δὲ ἀφ' αὑτοῦ τὰ πολλὰ τεχνᾶται πρὸς τὸ παρατυγχάνον: *Minimè omnium enim bellum ex decretis procedit, ſed ipſum ex ſe multa inuenit, & vt res ſunt natæ.* [Thuc. I.]

Et nō nemo in me carpat.

Sed nec decorè ſatis dixerim. An ego *iam nunc locatus in vrbe ſciam, quæ tibi armato gerenda ſint?* [Liuius XXII.]

Rideat, nec immeritò aliquis me dixerit delirum illum Phormionem. Itaque numquam hoc mihi ſumam, vt tamquam è ſublimi, Sagatis aut Paludatis, in Togâ meâ præcepta dem: ſed ſaltem ex magno Conſiliorum aceruo pauca ſeligam, & velut pugno præferam in exemplum. Quod tamen vt partitè & methodo aliquâ fiat, diſtinguo Conſilia, in Recta & Obliqua. Illa appello, QVÆ PLANAM ET MILITAREM VIAM INEVNT: Hæc, QVÆ OCCVLTAM ET FRAVDIVM ATQVE ASTVS SEMITA GRASSANTVR. Prioris generis hæc ſunt.

Specimē eorū damus Conſilia nobis duplicia.

Occaſionis prima ratio.

OCCASIO in bellis obſeruanda. κρατεῖ μὲν ἐπὶ πάντων μὲν τῶν ἀνθρωπίνων ὁ καιρός, μάλιστα δὲ τῶν πολεμικῶν: *Valet verò in omnibus humanis rebus & pollet occaſio, ſed maximè in bellicis.* [Polyb. IX.]

Occaſio in bello ſolet ampliùs iuuare, quàm Virtus. [Veget. III. cap. XXVI.]

Illa arripienda.

Itaque *armatus intentusq́, ſis, vt neque tua occaſioni deſis, neque ſuam hoſti des.* [Liu. XXII.]

Id eſt viri & ducis, non deeſſe Fortunæ præbenti ſe, & oblata caſu flectere ad conſilium. [Idem lib. XXVIII.]

Famæ ratio altera:

FAMÆ ſeruiendum. Nam *Famâ bella conſtant, & ſæpè etiam quod falsò creditum eſt, veri vicem obtinuit.* [Curt. VIII.]

Cuius momentum in bello.

Fama bellum conficit (ait alius,) *& parua momenta in ſpem metúmve impellunt animos.* [Liu. XXVII.]

Præſertim ſub initia. & *Fama in nouis cœptis validiſſima eſt:* [Tacit. XIII. Ann.]

Primiſque euentibus, metus aut fiducia gignitur. [XII. Annal.]

Scito igitur *inſtandum famæ, & prout prima ceſſerint, fore vniuerſa.* [In Agric.]

Nec tamē ſemper audienda: Magis recta ratio.

Sed FAMÆ etiam NON ſeruiendum: in ipsâ, inquā, ratione gerendi belli. In eâ enim *aduerſus famam rumoreſq́, hominum firmus ſtabis.* [Liu. XXII.]

Et *quæ probanda ſunt, non quæ vtique probabuntur, ſequeris.* [Vell. II.]

Nec *vmquam conſilia Ducis, iudicio exercitus; ſed exercitus, Prouidentiâ Ducis regendus eſt.* [Ibidem.]

Malè imperatur, cùm regit vulgus Duces. [Sen. Octau.]

Scito *militibus cupidinem pugnandi cōuenire, Duces, prouidendo, conſultando, cunctatione ſæpiùs quam temeritate prodeſſe.* [Tacit. III. Hiſtor.]

Mala in bellis Securitas:

SECVRITAS fugienda. *Nemo celeriùs opprimitur, quàm qui nihil timet.* [Vell. II.]

Et *frequentiſſimum initium calamitatis, Securitas.* [Indid.]

Hoſtiūque cōtemptus

Sæpe & contempti hoſtes cruentum certamen edidit, & inclyti populi regeſq́, perleui momento victi ſunt. [Liu. XXI.]

Nihil tutò in hoſte deſpicitur. quem ſpreueris, valentiorem neglegentia facies. [Curt. VI.]

Metuēs quędam cura ſit.

Itaque ego *vt nihil timendi, ſic nihil contemnendi auctor ſim.* [Liuius VI.]

Sæpe in bello, paruis momentis, magni caſus intercedunt. [Cæſar. I. Bel. Ciu.]

Nihil paruum in bello.

Et *nihil tam leue eſt, quod non magnæ interdū rei momentum faciat.* [Liu. XXV.]

Quò magis præceptum illud in omnium animis eſſe debet. Nihil in bello oportere contemni. nec ſine cauſſâ dici, Matrem timidi flere non ſolere. [Æmil. Prob. in Thraſ.]

Fiducia ſemper noxia.

Incredibile eſt, *Nimia fiducia quantæ calamitati ſoleat eſſe.* [Idem in Pelop.]

Exploratio in hoſtes vtilis.

INQVIRENDVM in omnia. *Tuum, & hoſtium exercitum, locorum ſitum, naturam regionis noſce.* [Liuius XXII.]

Pulchrum in Annibale elogium: *Omnia ei hoſtiū, haud ſecùs quàm ſua, nota erant.* [Ibidem.]

Qui, quales, quāti?

Diſplicet illud Spartanorum: qui interrogare ſoliti, Οὐχ ὁπόσοι εἰσίν, ἀλλὰ ποῦ εἰσιν; *non quot eſſent, ſed vbi eſſent?* [Plutar. in Agi & Cleom.]

Prætumidū eſt. Ille *difficilè vincitur, qui de ſuis & aduerſarij copiis verè poteſt iudicare.* [Veget. III. c. XXVI.]

Maximè, cuiuſmodi ipſe Dux.

Sed in primis Ducis ipſius ingenium noſce. οὐ γὰρ οἶδ' ἄλλως εἰπεῖν, ὡς εἴ τις οἴεται κυριώτερόν τι μέρος εἶναι στρατηγίας τοῦ γνῶναι τὴν προαίρεσιν καὶ φύσιν τοῦ τῶν ἐναντίων ἡγεμόνος, ἀγνοεῖ καὶ τετύφωται. *Nec enim aliter ego dixero, quàm ſi quis cenſet aliud magis proprium eſſe boni Ducis officium, quàm hoſtium Imperatoris ingenium naturámque noſſe, errare eum, imò inſanire.* [Polyb. III.]

Cuiuſmodi etiam hoſtes?

Inquire & in mores naturamq́; hoſtiū. Nam quorumdam *in impetu vis eſt, quæ paruâ idem morâ langueſcunt.* [Liu. VII.]

Vt plerique Barbari. quorum *impetus acres cunctatione langueſcunt, aut in perfidiam mutantur.* [Tacit. XII. Ann.]

Eorū fides tentanda:

Hoc quoque tenta. *nectere moras, mutare locos, & miſſis* (nempe occultè) *corruptoribus, exuendam ad fidē hoſtes emercare.* [Ibidem.]

Aut turbæ immittēdę.

Aut certè diſpara eos & diuelle. *Nihil præſtare maius Fortuna poteſt, quàm hoſtium diſcordiam.* [De Morib. Germ.]

Oraculū

Atque *inter eos diſcordiarum ſerere cauſſas, ſapientis eſt Ducis. Nulla enim quamuis minima natio* (ô verbum notabile!) *poteſt ab aduerſariis perdeleri, niſi propriis ſimultatibus ſe ipſa conſumpſerit.* [Veget. III. cap. IX.]

Tempeſtiue pugnandū:

Videndum QVANDO pugnes. Me iudice, numquā temerè.

——Ductorq́, placebit,
Qui non præcipiti rapiet ſimul omnia caſu;
Sed qui maturo vel læta vel aſpera rerum
Conſilio momenta regens, nec triſtibus impar,
Nec pro ſucceſſu tumidus; ſpatiumq́, morandi,
Vincendiq́, modum, mutatis noſcet habenis.

[Claudian.]

Id eſt, rarò.

Paullus Æmilius dixit, *Perrarò nimis, bonum Imperatorem ſignis collatis decertare, niſi ſumma neceſſitudo, aut ſumma ei Occaſio data eſſet.* [Sempron. apud Agel. Noct. lib. XIII. cap. III.]

Cæſar Auguſtus dixit: *Prælium aut bellum numquā ſuſcipiendū, niſi cùm maior emolumenti ſpes, quam damni metus oſtenderetur.* [Suetonius cap. XXV.]

Incerta enim illa alea.

ἄδηλα γὰρ τὰ τῶν πολέμων, καὶ ἐξ ὀλίγου τὰ πολλά, καὶ δι' ὀργῆς αἱ ἐπιχειρήσεις γίγνονται. πολλάκις τε τὸ ἔλασσον πλῆθος δεδιός, ἄμεινον ἠμύνατο τοὺς πλέονας, διὰ τὸ καταφρονοῦντας ἀπαρασκεύους γενέσθαι: *Incerta enim res bellica, & multa ex paruo, & aggreſſiones ferè per impetum fiunt. Sæpè autem vel minor multitudo maiorem propulſauit ac vicit cum metu incedens, quoniam hæc ob contemptum imparatior eſt.* [Thuc. II.]

Incerti exitus pugnarum, & Mars communis, qui ſæpè ſpoliantem iam & exſultantem euertit & percutit ab

abeſſo. [Cicer. pro Mil.] A

Aliâ magis viâ debellandus hoſtis.

Ergo hîc lentè. præſertim *aduerſus hoſtem, quem Tempus deteriorem indies & locus alienus facient:* [Liu. VII.]

Qui *in hoſtili eſt terrâ, inter omnia inimica infeſtáque:* [Idem XXII.]

Quem *nullæ vrbes accipiunt, nulla mœnia:* [Ibid.]

Hunc talem *dubitas quin ſedendo ſuperaturus ſit* [Ibid.]

Morâ ſæpè frangendus.

Multa bella impetu valida, per tædia ac moras euanuêre. [Tacit. II. Hiſtor.]

Tamen interdũ & Pugnã.

Nec de pugnâ tamen ſemper abnuo. Nam *ſtultitia ſit, ſedendo ac votis debellari credere poſſe:* [Liuius XXII.]

Καὶ ἐν τῷ μέλλειν πολλάκις τοῖς ἄρχουσι καὶ τῆς καλῆς παρασκευῆς ἀλλοιοῦταί τι: Et in tardando, ſæpè Ducibus etiã optimi Apparatus pars aliqua perit: [Xenoph. XII. Pæd.]

Idq; pro re & temporibus.

Sed conſilio & iudicio, *rem mitti in diſcrimen iubeo.* [Tacit. II. Hiſtor.]

Puta, ſi diu ſubſiſtere non potes:

Népe ſi in arcto tuæ res: *non commeatum, non ſupplementum, non pecuniam habeas.* [Liuius XXII.]

Cum bonis diis *educ in aciem, copiámque pugnandi facito.* [Indid.]

In rebus aſperis & tenui ſpe, fortiſſima quoque conſilia tutiſſima ſunt. [Idem lib. XXV.]

Et, vt poëta quoque monet,

Capienda rebus in malis præceps via eſt. [Sen. Agam.]

Aut ſi meritò præſumis victoriã.

Aut, ſi tua pars palàm potior, de qua tamen feriò, & nihil tibi blandiẽs, cognoſce. *Dux vigilans, ſobrius, prudens, tamquam de ciuili cauſsâ inter partes iudicaturus, adhibito cõſilio, de ſuis & aduerſarij copiis iudicet. Et ſi multis rebus ſuperior inuenitur, opportunum ſibi ne differat conflictum.* [Veget. III. cap. IX.]

Aliàs, noxia ſemper pugna.

Aliter, *nec vnquam mihi placeat, quando nulla cogat res, committere ſe Fortunæ.* [Liu. VII.]

Sanè iſti, qui *magis animis quàm viribus freti, ad certamen deſcendunt,* [Indid.]

Feſtinatum temerè prælium pari formidine deſerunt. [Tacit. IV. Hiſt.]

Prodigiorum habẽda ratio.

Quid ſi & in Diuina modicè inquiras? modicè dico, & ſine ſuperſtitione. Haud ſpernenda omnino videntur *cælo terráque prodigia, & fulminum monitus, & futurorũ præſagia, læta, triſtia, ambigua, manifeſta.* [I. Hiſt.]

Fortaſſe & Somniorũ.

Imò nec ſomnia. Nam *inſtantibus curis, agitant ſæpè per ſomnum ſpecies imminentium rerum: ſiue illas ægritudo, ſiue diuinatio animi præſagientis acciuerſit.* [Curt. III.]

Sanè ego te nolim *contemptorem talium, vt fortuitorum.* [Tacit. I. Hiſtor.]

Nam *amat Benignitas numinis, ſeu quòd merentur homines, ſeu quòd tangitur eorum affectione, his quoque rationibus prodere quæ impendent.* [Amm. XXI.]

Pugnæ ineundæ ratio.

Videndum QVOMODO pugnes. Captanda primò Tempora, vt *imparatis, cibum capientibus, in itinere laſſis, equos ſuos paſcentibus, ac nihil tale ſuſpicantibus ſuperuenias.* [Veget. III. cap. XXII.]

Subitò aut ex inſidiis.

Boni enim Duces, non aperto Marte, in quo eſt commune periculum, ſed ex occulto ſemper attentant. [Idem III. cap. IX.]

Quo caſu, tui audent, illi trepidant. *cauendumq́; ne dubitantem aut formidantem exercitum ad pugnam publicam aliquando producas.* [Ibidem.]

Niſi quòd ſimulare metum, interdum haud malum: *& ſpe victoriæ inducere, vt vincantur.* [Tacit. II. Ann.]

Aut cũ opportunum ſe dat hoſtis.

Item illud vtile, videre *quando hoſtis imprudentiâ ruat, & (quod loco ſapientiæ eſt) alienam ſtultitiam opperiri.* [II. Hiſt.]

Ὅστις δὲ τὰς ἁμαρτίας τῶν ἐναντίων κάλλιστα ἴδοι, καὶ ἅμα πρὸς τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν τὰς ἐπιχειρήσεις ποιεῖται, μὴ ἐκ τοῦ προφανοῦς μᾶλλον καὶ ἐκ παρατάξεως, ἢ ἐκ τοῦ πρὸς τὸ παρὸν ξυμφέροντος, πλεῖστ' ἂν ὀρθοῖτο: Quicumque peccata aduerſariorum optimè videt, & ſimul pro ſuâ copiâ eos aggreditur, non tam ex aperto & quaſi acie palàm inſtructâ, quàm ex vſu præſenti, plerumque huic res ſuccedat. [Thuc. V.]

Ad ſummam, cùm id poteſt, Tempora obſerua, *quia ſi in occaſionis momento, cuius prætéruolat opportunitas, cunctatus paullùm fueris, nequicquam mox omiſſam queraré.* [Liuius XXV.]

Dixi, cùm poteſt. Nam certè *Neceſſitas ante rationem eſt, maximè in bello. quod rarò permittit tempora legere.* [Curt. VII.]

Loci habẽda ratio.

Secundò Locus conſiderandus: *vtrùm inimicis, an tibi videtur accommodus.* [Veget. III. cap. IX.] B

Hîc quoque enim momentum, & *ampliùs prodeſt Locus ſæpè quàm Virtus.* [cap. XXVI.]

Exempli cauſsâ. *Si equitatu audemus, campos debemus optare: ſi pedite, loca eligere anguſta, foſſis, paludibus, vel arboribus impedita.* [cap. IX.]

Sæpè etiam iuuat, ſi is ita captus, vt tuis ſit *neceſſitas in loco, ſpes in virtute, ſalus ex victoriâ.* [Tacit. II. Annal.

Sanè *propinqua* munimenta aut mœnia, *quanto plus ſpei ad effugium, minorem ad reſiſtendum animum dare* ſolent. [III. Hiſt.]

Inſtructionis habẽda ratio.

At tertiò, momentum vel maximum in Acie. quę *ſi ſapienter diſponitur, plurimũ iuuat: ſi imperitè, quamuis optimi bellatores malâ diſpoſitione franguntur.* [Veget. III. cap. XIV.] C

Homericus aciei ordo.

Varia de eâ præcepta: quod melius illo Homerico?

Ἱππῆας μὲν πρῶτα σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφι,
Πεζοὺς δ' ἐξόπιθεν στῆσεν πολέας τε καὶ ἐσθλούς,
Ἕρκος ἔμεν πολέμοιο· κακοὺς δ' ἐς μέσσον ἔλασσεν,
Ὄφρα καὶ οὐκ ἐθέλων τις ἀναγκαίῃ πολεμίζοι.
Atque Equites poſuit cum Curribus ordine primo:
At Peditum à tergo, florémque & robora belli
Munimen ſeptúmque: ſed in medio agmine viles
Ignauóſque, vti vel nolentes depugnarent. [Iliad. δ.]

Subſidia ſemper habẽda.

Cui accedit Militaris Ductor. *Ad victoriam,* inquit, *plurimũ cõfert, vt lectiſſimos de peditibus & equitibus habeat Dux poſt aciem in ſubſidiis præparatos.* [Veget. III. cap. XVII.]

Imò quaſi in inſidiis. *Τὰ γὰρ ἐπιόντα ὕστερον, δεινότερα τοῖς πολεμίοις τοῦ παρόντος καὶ μαχομένου: Nam qui ſuperueniunt, terribiliores ſunt hoſti, iis qui in manibus ſunt & pugnant.* [Thuc. V.] D

Inopinata terrent.

Cauſſa. quia inopinata maximè mouent: &, vt ille ait, *ſubita conterrent hoſtes, vſitata viléſcunt.* [Veget. III. cap. XXVI.]

Ita clamor aliquis repentinus, aut imago & aſpectus, fugâ ſæpè exercitum impleuit. *καὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ξιφῶν μᾶλλον καταπλήττεται τοὺς ἐναντίους: & hæc talia, magis quàm gladius, conſternant hoſtem.* [Plutarch. in Catone maiore.]

Obſerua.

Primi in omnibus præliis oculi vincuntur:]Tacit. De Morib. Germ.]

Siue etiam Aures. videbiſque militem *vanis & inanibus magis, quàm iuſtis formidinis cauſſis moueri.* [Curt. IV.] E

Diuidẽda per nationes acies.

Noto amplius. in ſtruendâ Acie plerumque vtile, per gẽtes eam nationéſque diſponi: cùm ob alias cauſſas, tum *vt diſcretus labor fortes ignauóſque diſtinguat, atque ipſâ contentione decoris accendantur.* [Tacit. III. Hiſtor.]

Idque ita, vt exteri aut mercenarij proximi ſint diſcrimini: ibi ſcilicet *ingens victoria decus, citra domeſticum ſanguinem bellanti.* [In Agric.]

In tēpore in ſtruēda.

Semper autem ſtudere debes, vt prior inſtruas aciem. [Veget. III. cap. XVIII.]

Cauſsâ duplici. primùm, *quia ex arbitrio tuo potes facere, quod tibi vtile iudicas, cum nullus obſiſtit.* [Ibid.

Deinde, quòd *& tuis auges confidentiam, & aduerſariis minuis, quia fortiores videntur, qui prouocare non dubitant.* [Ibid.]

Plus animi eſt inferenti periculum, quàm propulſanti. [Liuius XXVIII.]

Dux ſis confidēs & lætus.

Quò valdè idem pertinet, ſi antè & in pugnâ Dux alacer, *ardorē animi vultu oculiſq; præferens.* [Vell. II.]

Quid enim audeant, ſi te videant *ſegnem, & velut animi captum, huc illuc clamoribus circumagi?* [Tacit. III. Hiſt.]

A

Profectò *neceſſe eſt ad fugam paratos ſint, qui Ducem ſuum ſentiunt deſperare.* [Veget. III. cap. XXII.]

B

Suos hortetur.

Excita, & doce: *Quò timoris minus ſit, eò minus fermè periculi eſſe.* [Liu. XXII.]

Effugere mortem, quiſquis contempſerit; timidiſſimum quemque eam conſequi. [Curtius.]

Semper in prælio his maximum periculū eſſe, qui maximè timēt. Audaciā pro muro haberi. [Sall. Iugurth.]

Ne pigros quidem ſibi fata diſponere, ſed vnicum bonum diuturnam vitam exiſtimantes, ſæpe acerba morte occupari. [Curt. IX.]

Hæc taliaq; (pauca pono in exemplum) opportunè diſſeres: & *quamquam virtuti confidas, tamen exhortationes & preces miſcebis.* [Tacit. XIV. Ann.]

C

In re trepidâ, oſt trepides.

Iā pugnas. Tui inclinant? ne diffide. *Euentus omniū* (aut certè, *plurium*) *præliorum, inter initia contra illos magis fuit, quibus victoria debebatur.* [Veget. III. c. XXV.]

Hîc animo opus, *vt nullum, in tali trepidatione, conſtantis Ducis aut fortiſſimi militis officium omittas.* [Tacit. III. Hiſt.]

Suos ſiſtat, & incitet.

Occurſa pauentibus, retine cedentes; vbi plurimus labor, vnde aliqua ſpes, conſilio, manu, voce, inſignis hoſti, conſpicuus tuis. [Ibid.]

Audi poëtam de Cæſare:

Ipſe manu ſubicit gladios, ac tela miniſtrat,
Promouet ipſe acies, impellit terga ſuorum,
Verbere conuerſa ceſſantes excitat haſtæ. [Lucanus lib. VII.]

D

Prouidè io Victoriā agēdum.

At contrà, Tui vincunt? cohibe, nec nimis diffunde. *Frequenter iam fuſa acies, diſperſos ac paſſim ſequētes, reparatis viribus interemit.* [Veget. III. c. XXV.]

Satis citò incipis victoriam, vbi prouiſum fuerit ne vincare. [Tacit. II. Hiſt.]

Aliquando etiam victis ira virtuſq;. [In Agric.]

Nō pertinaciter inſtādum.

Præſertim ſi nimium inſtas. *Clauſis ex deſperatione creſcit audacia, & cùm ſpei nihil eſt, ſumit arma formido.* [Veget. III. cap. XXV.]

Reprehenſi ex fugâ pugnabunt, quia fugere non poſſunt. [Curt. VI.]

Via munienda ad fugā.

Ideò *Scipionis laudata ſententia eſt, Viam hoſtibus quâ fugiant muniendam.* [Veget. III. cap. XXI.]

Et *Pyrrhus inter cetera præcepta imperatoria, memoriæ tradidit: Non eſſe pertinaciter inſtandum hoſti fugienti, non ſolum, ne fortius ex neceſſitate reſiſteret, ſed vt poſteà quoque faciliùs acie cederet.* [Frontin. II. cap. VI.]

E

A prædâ arcendi milites, donec planè vicerint.

Quod poſtremum, callidum ego ſcio, & aptum in militatoriâ. Denique à prædâ etiam arcendus miles. Nimis ſæpè *ob iſtas vincentibus prauum inter ipſos certamen, omiſſo hoſte, ſpolia conſectandi.* [Tacit. IV. Hiſt.]

CAPVT XVII.

De callidis Conſiliis ſiue Strategematis: An vti iis ius & fas? Noſtra ſententiâ, non vtilia ea ſolum ſed glorioſa.

Strategemata quid, & quo fine?

PRIORIS generis Conſiliorum ſpecimen vides. venio ad genus alterum, flexuoſum magis & occultum: *quorum vis propriè in arte ſolertiaq; poſita proficit, tam vti cauendus, quàm vt opprimendus eſt hoſtis.* [Frontin. I. Præfat.]

A

Cauſſa nominis.

Ea, Græcanicâ voce, Strategemata dicimus: credo, quia aut manant immanantuq; à Duce, vel quia bono illo maximè digna. In quo tamen controuerſiæ aliquid nobis, cū ſimplicibus illis candidiſq; naturis, quæ damnant; & aiunt eſſe veri militis, imò viri, *non fraude, neque occultis, ſed palam & armatum, hoſtes ſuos vlciſci.* [Tacit. II. Annal.]

Quidā ea damnant.

Stare pro iis poëta videtur:

Οὐδεὶς ἀνὴρ εὔψυχος ἀξιοῖ λάθρᾳ
Κτείνειν τὸν ἐχθρόν:
Vir nemo mentis altæ clanculum velit
Occidere hoſtem. [Euripides in Rheſo.]

B

Et populi nonnulli ſpreuerunt.

Atque etiam populi quidam noui & veteres. vt ab illâ ipsâ fallace Græciâ, Achæi: qui, Polybio narrante & laudante, τοσοῦτον ἀπηλλοτρίωντο τῆς κακομηχανίας, ὥστ' οὐδὲ τοὺς πολεμίους ἠβούλοντο δι' ἀπάτης νικᾶν: *in tantum abhorrebant à machinationibus iſtis & ſtruendis dolis, vt nec hoſtes ſuos vellent per fraudem vincere.* [Lib. XIII.]

Quaſi parū generoſa.

Cauſſam idem addit. ὑπολαμβάνοντες, inquit, ὅτι λαμπρὸν οὐδὲν εἶναι βέβαιον τῶν κατορθωμάτων, ἐὰν μή τις ἐκ φανεροῦ μαχόμενος ἡττήσῃ ταῖς ψυχαῖς τοὺς ἀντιταττομένους: *Cenſentes, neque ſplendidam neque firmam vllam victoriam, niſi quis palam & ex condicto depugnans, animos quoque deieciſſet aduerſariorū.* [Ibi.]

C

Scilicet

—— *nulla eſt victoria maior,*
Quàm quæ confeſſos animo quoque ſubiugat hoſtes. [Claud. in VI. Conſulat. Honor.]

Parū efficacia ad plenā victoriā.

Nam reuerā, qui dolo ſuccubuerunt, facilè iterùm inſurgunt, *non virtute ſed occaſione & arte Ducis victos ſe rati.*

Atque etiā cōtra bonā fidem.

Denique ſcripſit Romanus quiſpiam: *Eam vir ſanctus & ſapiens ſciet veram eſſe victoriam, quæ ſaluâ fide & integrâ dignitate parabitur.* [Florus I. cap. XII.]

Nos cōtra ſentimus.

Atqui nónne vtraque, inquiunt, hîc periclitantur? & vbi dolus ac ſupplantatio, vix fides eſſe poteſt, certè non dignitas ſalua. Hæc ſunt quæ ab iis dicuntur: ego contrà diſſero, & repono. Primùm, hoſtem eſſe, in quem ea vſurpamus. id eſt, quem perdere mos faſque ſit: & quid refert quo modo? Tritum illud poëtæ innotuit,

D

Hoſtem omni viâ ius lædere.

—— *Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?* [Virg. II.]

Cum quo poëta altet:

—— χρὴ δὲ πᾶν ἔρ-
δοντ' ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν.
—— *oportet quidlibet*
Conantem frangere aduerſarium. [Pindar. Iſthm. Od. IV.]

A ſimili.

Ecce venator etiam feras quaſdam vi & manu interficit, quaſdam occultus ſubſiſtit & laqueis aut retibus captat: quis reprehendit? A laude propiùs totum hoc genus inſidiarum abeſſe videtur, quàm à culpâ. Certè vir & dux bonus Braſidas, ita effatur: Τὰ κλέμματα ταῦτα κάλλιστον δόξαν ἔχει, ἃ τὸν πολέμιον μάλιστ' ἄν τις ἀπατήσας, τοὺς φίλους μέγιστ' ἂν ὠφελήσειε: *Illa belli furta pulcherrimam laudem habent, per quæ hoſtes maximè decipiuntur, & amici plurimū iuuantur.* [Thuc. V.]

E

Ab teſtibus.

Ipſe Polybius admirator paullo antè Achæorum, palàm ad nos trāſit. & ait τῶν ἐν πολέμῳ ἔργων ἐλάττω τὰ προδήλως καὶ μετὰ βίας ἐπιτελούμενα, τῶν μετὰ δόλου καὶ μετὰ καιροῦ πραττομένων: *Facinorum militarium ea eſſe minoris laudis ac momenti, quæ propalam & per vim patrantur, his quæ ex occaſione & per dolum.* [Lib. IX.]

Spartanorū de his iudicium

Quòd ſi gens etiam genti opponenda, an Sparta-

nos appendere cum Achæis verear in eâdem lance? imò virtute & fortunâ præponderabunt. Illi igitur, καίπερ ὄντες πολεμικώτατοι, μείζονα καὶ μᾶλλον ἀνθρώπῳ πρέπουσαν ἡγοῦντο τὴν διὰ λόγου καὶ συνέσεως πρᾶξιν, ἢ τὴν μετὰ βίας καὶ ἀνδρείας: *etſi pugnaciſſimi, tamen digniorem magiſque conuenientem homini cenſebant actionem ratione & mente inſtitutam, quàm illam per vim aut robur.* [Plutarch Marcel.]

Qui antepoſuerūt hæc tecta rectis.

Ideoque θύει μὲν ἐν Σπάρτῃ τῶν ἀποστρατηγῶν, ὁ μὲν δι' ἀπάτης ἢ πειθοῦς ὃ βούλεται διαπραξάμενος, βοῦν· ὁ δὲ διὰ μάχης, ἀλεκτρυόνα: *Sparta è Ducibus qui ſe abdicāt, ille qui rem dolo aut ſuaſione confecit, bouem immolat: qui prælio gallum.* [Ibidem.]

Reſpōſa ad rationes aduerſas.

Maiorem ſcilicet minorémque victimam, pro re tali. At negat, inquiunt, Euripides eſſe viri generoſi. Errant. non ille de hoſte publico aut prælijs loquitur: ſed ſentit de priuatis inimicitijs, in quibus locuoi (iuſtè quidem) eſſe non vult huic fraudi. aliud eſt in bellis. Nam etiā Romani veteres, auidi aliàs & tenaces regiæ huius viæ, quemdam *bonum Dolum dicebant, & pro ſollertiâ hoc nomen accipiebant: maxime ſi aduerſus hoſtē latronemve quis machinaretur.* [Vlpian. l. 1. De dolo.]

Diſtinctio inter hoſtes.

Quid verbis opus eſt? Ipſe ſacrorum Antiſtes definiuit, *Cum iuſtum bellum ſuſcipitur, vt apertè pugnet quis aut ex inſidiis, nihil ad iuſtitiam intereſt.* [Auguſtin. in Quæſt. ſuper Ioſue, q. x.]

Chriſtiana ſanctio.

Nam quòd Romanus ille ſcriptor damnare videtur; ille verò non damnat. Salua tantùm in iis vult Fidem & dignitaté. Nā cōtra fœdera aut pacta fraudem quis probet? quis item vilem aliquam & abiectam? vt ſi quis hoſté veneno tollat, aut clàm immiſſo emptóque percuſſore? Hæc talia ſperne, & cum Ageſilao cenſe: ὅρκους μὲν παραβαίνειν ἀσεβές, τοὺς δὲ πολεμίους παραλογίζεσθαι, οὐ μόνον δίκαιον καὶ ἔνδοξον, ἀλλὰ καὶ ἡδὺ καὶ κερδαλέον: *Fœdera tum iniuſte fallere, impium; at hoſtes, non ſolùm iuſtum, ſed etiam ſuaue & fructuoſum eſt.* [Plutarch.]

Ad Flotum reſponſio.

Quæ fraudes boaæ.

Hos tales, cum Homero,

> Κτείνειν ἢ δόλῳ, ἢ ἀμφαδὸν ὀξέϊ χαλκῷ:
>
> *Cōſice ſiue dolo, ſeu ſtricto comminus enſe.* [Odyſſ. λ.]

Οὐδὲν γὰρ οὐδὲν κερδαλεώτερον ἐν πολέμῳ ἀπάτης: *Reipſa enim nihil vtilius in bello dolis.* [Xenoph. Hipparch.]

Adhortatio ad ras.

Laudatio.

Quorum ſpecimē quid à me hîc exſpectes? Frontinum & Polyænum è veteribus habes: & nōnemo etiam hodie percoluit illum campum.

CAPVT XVIII.

Quid poſt Pugnam faciendum videatur: & in Victoriâ, ſiue Clade, quomodo Princeps ſalubriter & decore ſe gerat.

AD Pugnam Conſiliis meis ſatis te inſtruxi: aliquid etiam de iis quæ poſt Pugnam viſi ſunt, dicam, & hoc velut flexu ducam te ad candidam illam oletam: id eſt, Pacem. Poſt Pugnam, aut Victoria eſt, aut Clades. In illâ tria præcipio: vt Cautè eam habeas, vt Leniter, vt Modeſtè. Cautè ideò, *quòd fermè fit vt res ſecundæ neglegentiam creent:* [Liu. xxi.]

Ad Victoriæ [ſ]um [tri]a præ[ce]pta. [C]autela [ad]hibē[d]a.

Atque ita *aliquod vulnus per nimiam fiduciam accipiatur.* [Tacit. Agric.]

Crebra autem, *etſi modica damna, famam partæ victoriæ lacerant.* [xv. Histor.]

Leniter etiam: quia ſuapte naturâ ea cruda.

> ——*Regi frenis nequit*
>
> *Et ira. & ardens hoſtis, & Victoria,*
>
> *Gladiuſq́ felix, cuius infectis ſemel*
>
> *Vecors libido eſt.* [Seneca Troad.]

[Len]itas.

Regenda tamen; aut valdè hæres in tuo curſu. Nam vbi extrema omnia in oculis, *deſperatione in audaciam accinguntur.* [Tacit. iii. Histor.]

Neceſſ[itas] omnis [ad]imēda hoſti.

Ignauiam quoque Neceſſitas acuit, & ſæpe deſperatio ſpei cauſſa eſt. [Curt. iv.]

Grauiſſimi ſunt morſus irritatæ Neceſſitatis. [Porcius Latro in Declam.]

Ergo hoc caue, & ad ſpem ſemper aliquid relinque Iaſta, terre: ſed *vbi ſatis terrueris, parcendo rurſus irritamenta pacis oſtenta.* [Tacit. Agric.]

Ad pacé idéndé prouocandus.

Hoc mollit & *frangit aſpectu pignorum,* [Ibid.

Aſpectu Opum: quas ipſas ne plané perde Archidamus prudenter: Μὴ γὰρ ἄλλο τι νομίσητε, inquit, τὴν γῆν αὐτῶν (τῶν πολεμίων) ἢ ὅμηρον ἔχειν, καὶ οὐχ ἧσσον, ὅσῳ ἄμεινον ἐξείργασται· ἧς φείδεσθαι χρὴ ἐπὶ πλεῖστον, καὶ μὴ ἐς ἀπόνοιαν καταστήσαντας αὐτοὺς ἀληπτοτέρους ἔχειν: *Nec enim aliud terram hoſtium cenſete, quàm velut obſidem, idq́, eò magis, quo illa cultior. Huic parcendum vt plurimum eſt nec hoſtes in amentiam & deſperationem redactis, difficiliores expugnatu reddendi.* [Thuc. i.]

Agris parcendum.

Et alioqui ſpecioſa in hoc fiducia, quod parcas, vt tuis. Nam

> *Quæ corripis igne, quæ meis gladio ſubes,*
>
> *Aliena credis.* [Seneca Theb.]

Tertiò, Modeſtè eam habe. Nam non ſolùm *Felicitas in malo ingenio auaritiam, ſuperbiam, ceteraq́ occulta mala patefacit:* [Tacit. iii. Histor.]

Superbia legenda.

Sed *rebus ſecundis, etiam egregij duces inſoleſcunt,* [Tacit. ii. Hiſt.]

Et cum Pindarico illo Tantalo——μέγαν ὄλβον καταπέψαι οὐκ ἐδυνάσθη: *magnam felicitatem concoquere non poſſunt.* [Olymp. Od. i.

O ſtulti! ὅ τε ἐν πολέμῳ εὐτυχίᾳ πλεονάζων, οὐκ ἐντεθύμηται θράσει ἀπίστῳ ἐπαιρόμενος: *Is qui in bello ob res ſecundas exſultat, non cogitat quam infida fiduciâ ſe extollat.* [Thuc. i.]

Nam ea [ca]ſus incer[t]a.

Fortuna vitrea eſt, tunc cùm ſplendet, frangitur. [Publius]

Habet has vices conditio mortalium, vt aduerſa ex ſecundis, ſecunda ex aduerſis naſcantur. [Plin Paneg.]

Victor timere quid poteſt? quod non timet. [Seneca Agam.]

Et ſæpè victor, victus.

Iam in CLADE duo moneo: vt Prudenter eam & Fortiter feras. Prudenter, hoc ſenſu: vt noris eam ſeriò, & appendas. Nam quidam, *ecōtrario, læta omnia ſibi fingunt.* [Tacit. iii Hiſt.]

Clades tuas ſcire oportet:

Et nuntios cladis occultantes, ſtultâ diſſimulatione, remedia potius malorum, quàm mala differunt. [Ibid.]

A[l]ii non medentis,

Quod nulla ratio eſt, vt fiat. Nam primùm,

> ——*clades ſcire qui refugit ſuas,*
>
> *Grauat timorem. dubia plus torquent mala.* [Seneca Agam.]

Sicut contrà, *Sæpè calamitatis ſolatium eſt, noſſe ſortem ſuam.* [Curt. iv.]

Deinde, profectò

> *Iners malorum remedium, Ignorantia eſt:* [Seneca Oedip.]

Imò nullum: nec mederi tibi fas eùm neſcis. Tu verò agnoſce, atque adeò examina & appende. Si exigua damna, *iræ te magis quàm metu accendant.* [Tacit. xv. Annal.]

Iis obnitendum.

Si grandiora, ne ſic quidem *haſtam abiice.* [Cicer. pro Muræn.

Nec prælij vnius euentu paueſce. [Tacit. ii. Hiſt.]

Nónne *Mars communis & victum ſæpè erigit, & affligit victorem?* [Liuius xxviii.]

Et meliora ſperāda.

Infirmi ingenij eſt lapſu aliquo, ſumma rei diffidere, cùm exiguis momentis ſubito inclinentur omnia quæ in bello geruntur. [Egeſip. iv. cap. ii.]

Ergo hîc illud valeat, vt feras Fortiter.

> *Regium hoc ipſum reor*
>
> *Aduerſa capere, quoq́ ſit dubius magis*
>
> *Status, & cadentis imperi moles labat,*

Robur animi inducendum.

A *Hoc ſtare certo preſſius fortẽ gradu.* [Seneca Oed.]

Contra Fortunã inſurgẽdum. Vires reparãdæ.

Didici *fortes & ſtrenuos contra Fortunam inſiſtere ſpe, timidos & ignauos, ad deſperationem formidine properare.* [Tacit. II. Hiſtor.]

Tu verò erige te, *vires iuxtà & procul ſitas circumſpice.* [Ibid.]

Noui delectus, noua quærãtur auxilia. [Vege. III. cap. XXV.]

Opida aut *caſtella, aduerſus moras obſidionis, annuis copiis firmentur.* [Tacit. Agric.]

Ad ſummam (bona modò cauſſa tua ſit) *omnia experire: more anguium, qui obtriti capite, poſtremùm caudã minantur.* [Florus I. cap XV.]

Per decus mori melius, quã per dedecus viuere.

Si iuſta ac pia bella dij auerſantur, fortibus tamen viris licebit honeſtè mori. [Curtius V.] B

Quoniam quidem vnum omnibus finem Natura vel ferro ſeptis ſtatuit: [Salluſt.]

Id ſolùm refert, nouiſſimum ſpiritum per ludibrium & contumelias effundant, an per virtutem. [Tacit. III. Hiſt.]

CAPVT XIX.

Ad Pacem ex animo adhortatio. Ac primùm illuc inclinamus eos, qui Victi ſed ad Tutam & Bonam.

Pars tertia huius libri.

SED ſatis, ſatis, iam Pugnatũ eſt: Pax ſalutaris quãdo nos reſpicies? Ad te venio, & abſterſo Martio hoc puluere, quieſcam paullùm ſub felici arbore Mineruæ. Dixi quomodo Suſcipienda bella, & Gerenda: nunc audè, quomodo Finienda. Nam, C

Mũdos non ſtare per aſſidua bella.

Si æterna ſemper odia mortales gerant,
Nec cœptus vnquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret;
Nihil relinquent bella. tum vaſtus ager
Squallebit arvis ſubdità tectis face
Altus ſepultas obruet gentes cinis. [Senec. Herc. Fur.]

Eorũ finis pax.

Quamuis magna, quamuis diuturna bella, Pace finienda ſunt: cuius & *nomẽ dulce eſt, res verò ipſa cùm iucunda, tum ſalutaris.* [Cic. Philip. XIII.]

Laudatiúcula pacis.

Quà non modo ij quibus natura ſenſum dedit, ſed etiã tecta atque agri lætari videntur. [Idem de leg. Agrar.]

———Pax optima rerum
Quas homini nouiſſe datum eſt. Pax vna triũphis
Innumeris potior. [Silius XI.] D

Vtrique parti expedit:

Ergo pariter ad hanc ite, *tam quibus Salus quàm quibus Gloria cariſſima eſt:* [Tacit. Agric.]

Victi dico & Victores, ad hanc ite. illa *ex æquo vtilis:* [XV. Ann.]

Et

Victa maximè

Pacem reduci velle, Victori expedit,
Victo neceſſe eſt. [Seneca Herc. Fur.]

Sed tu me prior audi, qui VICTVS. Paullò antè ad arma te excitaui: nec nũc exeuitio. quia hæc directa ad Pacẽ via. *Si pace frui volumus,* inquit Tullius, *bellũ gerendum eſt, ſi bellum omittemus, pace nunquam fruemur.* [Phil. VII.]

Arma tenenda, ſi eam volumus.

Ἐκ πολέμου μὲν γὰρ εἰρήνη μᾶλλον βεβαιοῦται: *E bello enim pax magis firmatur.* [Thuc. I.] E

Metus faciendus hoſti,

Quomodo? nempe ne ignauum & vile aliquod animal videare: & ſciat *eſſe tibi adhuc vires ſi deliberas, ambiguas, acres ſi deſperaris.* [Tacit. III. Hiſtor.]

Ideò *erectum & fidentem animũ oſtende.* [IV. Ann.]

Et dic illud Homericum:

Τῷ μοι δόρατ᾽ ἔστι καὶ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι,
Καὶ κόρυθες, καὶ θώρηκες λαμπρὸν γανόωντες.
Et mihi ſunt teretes haſtæ, clypeíq; rotundi,
Tũ galeæ, tũ thoraces ſplendore micantes. [Iliad. γ.]

Vetus verbum non te fallet; *Sub clypeo meliùs ſuccedere pacis negotium.* [Gulielm. Neubr. Rer. Angl. lib. II. cap. XI.]

A Conſiderabis autem in omni pace hæc duo, vt Honeſta ea, & vt Simplex ſit. Honeſtam intellego, cùm *aliquâ tolerabili conditione finies bellũ.* [Liu. XXV.]

Duo in pace ſpectõ. Vt Honeſta ſit.

Vt verè *pax ea ſit, non pactio ſeruitutis.* [Ex Cic. Phil. XII.]

Nam quamuis *pax vel iniuſta, vtilior ſit iuſtiſſimo bello;* [Ad Attic. VII. Epiſt. XIV.]

Cũ aperta ſeruitute, turpis.

Tamen profectò viro Principi intolerabilis, quæ labem eiuſmodi aut ignominiam adfert.

In ſeruitutẽ cadere de regno, graue eſt. [Sen. Theb.]

Mors viro potior.

Videaturque *cum dignitate potiùs cadẽdum, quàm cum ignominia ſeruiendum.* [Phil. III.]

Pax ſine fuco eſto.

Deinde Simplicem eam volui: id eſt, putam, niueam, & verè Pacem. Nam fictam, fucatam illam, & B *pacis nomine inuolutum bellum, reformido.* [Phil. VII.]

Finiat bellum, non differat.

Sæpè ob potentium *interna mala, dilata magis prælia, quam datam pacem intelliges.* [Salluſt. Ep. Mithr.]

Ego autem cenſeo, *Pace ſuſpectâ tutius bellum.* [Tacit. IV. Hiſt.]

Quãdo ea optimè coeat?

Hæc duo ſunt quæ ſemper conſideres, nec plenè ſemper impetres: niſi fortè initio belli. Nam optimũ & propè *vnũ tempus eſt de pace agendi, dum ſibi vterque confidit, & pares ambo videntur.* [Cæſ. I. Bel. Ciu.]

Et *videntur pares, qui non fecerunt inter ſe periculum virium.* [Curt. VII.]

Interdũ faſces Dignitas ſubmittit:

At rebus inclinatis, magis eſt vt te inclines: & *quamuis iniquâ conditione pacem accipere malis, quàm viribus cum valentiore certare.* [Cicero V. Epiſt. XXI.] C

Gubernator, vbi naufragium timet iacturâ, quidquid ſanari poteſt, redimit. [Curtius V.]

Experti inuicem eſtis tu ac Fortuna: [Tacit. II. Hiſt.]

Contra te ſtetit. quid *proroges vltra ruinam?* [V. Hiſtor.]

Scito *apud victos plus ferè querimoniarum, quàm virium.* [II. Hiſt.]

Et *quanquam atrociter loquantur, minorem eſſe apud eos animum.* [III. Hiſt.]

Neceſſitate cogente.

Itaque morde frænũ, & (quod in te ſimili quiſpiam dixit) *Neceſſitati pare, quam ne dij quidem ſuperant.* [Liu. IX.]

Ecce *Pacem etiam qui vincere poſſunt, volunt: quid te oportet?* [Idem VII.] D

Nec in vili ſine conditione etiã dare ſe hoſti. Si is tamen generoſus.

Qui omiſſâ Ira ac Spe fallacibus auctoribus, teipſum tuaq; omnia cognitæ permiſit fidei. [Ibid.]

Sæpè hoc profuit, & *ſupplices, nihil abnuendo, veniam omnium accepêre.* [Tacit. II. Annal.]

Nam victores (qui alto quidem ſunt animo) *ſecundæ res in miſerationem ex ira vertunt.* [Salluſt. Orat Lepidi.]

CAPVT XX.

Victores ad Pacem prouocati, argumento triplici: quia ad Decorum, Vtile, Tutum. atque adeo ad Pacem mitem: ſed cum excluſione fraudis. Pro eâ auctor ipſe Pacis inuocatus.

E QVos huc quoque iam impellam. Nam ades tu VICTOR: & quàmuis vela tibi tumeant ſecundo vento, capeſſe hunc portum. Procellâ inuolui potes, & euerti. Nam quamuis ille dixerit, *Pacem & concordiam Victis vtilia, Victoribus tãtùm pulchra eſſe:* [III. Hiſt.]

Pax neceſſ[...]

Ne crede. illa verò non Pulchra iis ſolùm, ſed Vtilis plerumque & Tuta. Palàm quidem pulchra: *& in bonis tuis rebus, hoſtium dubiis, tibi ampla ac ſpecioſa dantis pax eſt.* [Liuius XXX.]

Quàm decorum Principi, *cùm victoriam propè in manibus habeas, pacem non abnuere! vt ſciant omnes, te & Suſcipere iuſte bella & Finire.* [Ibidem.]

[...] occaſione accipiẽdi.

Si prætermittis hoc tempus, quo dare magis quàm accipere

cipere potes pacem, vereor ne hæc lætitia luxuriet tibi ac vana euadat. [Lib.xxiii.]

Et fiat illud: *Gloriæq; & prædæ nonnihil partum, ſi aut gloriã cum modo, aut prædã cum curâ habuiſſet.* [Tacit. xv. Annal.]

Sanè vir ſanctus inclamat: *Pacem contemnentes, & gloriam appetentes, pacem perdunt & gloriam.* [Bern. in Epiſt.]

Vtilis etiam: Vt bello & moleſtiis defungare.

Iam Vtilis quoque eadem. Nam ſi in bello perſeueras, quid niſi *tædium ex morâ, periculum ex properantiâ* te manet? [Tacit.xii. Annal.]

Nam ferè *plus impetus, maior conſtantia penes miſeros.* [In Agric.]

Et fractis rebus violẽtior vltima virtus. [Silius i.]

Quàm maximè mortiferi taorſus eſſe ſolent morientium beſtiarum. [Flor.ii.cap.xv.]

Adde, quòd *Fortuna belli artem victos quoque docet.* [Curt.iii.]

Nõ diu in eoſdẽ bellãdũ.

Nec temerè id præuiſum præcautumque Lycurgo: qui Rhetram ſiue legem tulit, κωλύουσαν ἐπὶ τοὺς αὐτοὺς πολεμίους στρατεύειν, ἵνα μὴ πολλάκις ἀμύνεσθαι συνεθιζόμενοι πολεμικοὶ γένωνται; *vetantem eoſdem hoſtes ſæpius impugnare, ne repugnare aſſuefacti, ipſi quoque bellicoſi euaderent:* [Plut.in Lycurg.]

Pax tuta.

Denique Tuta: quoniã vitas per eam incerta belli. *Melior tutiorq; eſt certa pax, quàm ſperata victoria. Illa in tuâ, hæc in deorum manu eſt.* [Liuius xxx.]

Fortuna incerta.

Vim Fortunæ reputa, & omnia quæ agimus, ſubiecta eſſe mille caſibus. [Ibidem.]

———nemo ſe tutò diu
Periculis offerre tam crebris poteſt. [Sene.Herc. Fur.]

Omnis audaciſſimè incipientẽ nuſquam fefellit Fortuna? [Liu.xxx.]

Quę in extremo ſępè pũgit.

Eò magis time. & *ne quanto altiùs elatus es, hoc fœdiùs corruas.* [Ibid.]

Semel profectò premere felices Deus
Cùm cœpit, vrget. hos habent magna exitus. [Seneca Hercul.Oet.]

Non ergo irritanda.

Itaque *illam ipſam Fortunam, quâ aſpirante res tam proſperè geſſiſti, verearis.* [Curtius iii.]

Fortuna enim eſt: & *ex his quæ tribuit tibi, quàm mutabilis ſit, reputa.* [Ibid.]

Ξυνὸς Ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα:
Mars communis, & interimit quoque iam perimentem. [Homer. Iliad. σ.]

Ideò in ſecundis rebus, nihil in quemquam ſuperbè ac violenter conſulere decet, nec præſenti credere Fortunæ; cùm quid Veſper ferat, incertum ſit. [Liu.xlv.]

Sapientiam cũ eã mittee.

Profectò *ſi in ſecundis rebus bonam quoque mentem darent dij, non ea ſolùm quæ eueniſſent, ſed etiã quæ euenire poſſent, reputaremus.* [Lib.xxx.]

Dabis ergo Pacem, *nec ita aliena appetes, vt de tuis dimices.* [Ibidem.]

Pax tolerabilis eſto.

Sed qualem? mitem. Nam *bellorum egregij fines, quoties ignoſcendo tranſigitur.* [Tacit.xii.Annal.]

Cogita, *Ignoſcendo populi Romani magnitudinem auxiſſe:* [Salluſt. Orat. Philip.]

Imò benigna.

Neque victis quidquam, præter iniuriæ licentiam, eripuiſſe. [In Iugurth.]

Quidni imiteris? *Quantâ pervicaciâ in hoſtem, tantâ beneficentiâ aduerſus ſupplices vtendum.* [Tacit.xii. Annal.]

Vti animosè debes tanto munere deorum, dandi auferendiq; vitam potens: [Senec. i. De Clem.]

Et interdum *contentus eſſe, nihil ex rege victo, præter gloriam, ſumere.* [Ibid

Nã mala, infirma:

Ex Famâ tuâ hoc erit, imò etiam ex Vſu. Si enim duram acerbamque das, quis ſeruabit? *Nec crediderís vllum populum, aut hominem denique, in eâ conditione, cuius eum pœniteat diutiùs quam neceſſe ſit, manſurum.* [Liu.viii.]

Viuet ſemper in pectoribus eorum, quidquid iſtuc præſens neceſſitas inuſſerit. [Lib.ix.]

Et in tempore clamabunt, *Miſerã pacem vel bello benè mutari.* [Tac.xiii.Annal.]

Bona, cõſtantiſſima.

Liberè & verè olim Priuernas ille in ſenatu Romano, interrogantis, Qualem ab iis pacem exſpectarent? *Si bonam dederitis,* inquit, *& fidam & perpetuã: ſi malam, haud diuturnam.* [Liuius viii.]

Veriloquium eſt: *Ibi pacem eſſe fidam, vbi voluntarij pacati ſint, neque eo loco vbi ſeruitutem eſſe velint, fidem ſperandam eſſe.* [Ibidem.]

Eſto Pax igitur Mitis. ſed in eos qui ex animo eam volunt. Nam ſiqui ſubdolè aut inſidioſè agũt, hos tales adſtringe. *Frequentius* enim *conuentionum pacisq; ſimulatio credulis, quàm arma nocuerunt.* [Veget. iii. cap.iii.]

Inſidiæ tamen cauẽdæ.

Animaduerte.

Polybij hîc dogma aureum: Τοὺς ἐπὶ τῶν πραγμάτων ταττομένους, χρὴ τοῦ τοιούτου οὐδενὸς μᾶλλον φροντίζειν, ὡς τὸ μὴ λανθάνειν τὰς προαιρέσεις τῶν διαλυομένων τὰς ἔχθρας, ἢ συντιθεμένων τὰς φιλίας, πότε τοῖς καιροῖς εἴκοντες, καὶ πότε ταῖς ψυχαῖς ἡττημένοι ποιοῦνται τὰς συνθήκας, ἵνα τοὺς μὲν ἐφέδρους νομίζοντες εἶναι, τῶν καιρῶν ἀεὶ φυλάττωνται· τοῖς δὲ πιστεύοντες, ὡς ὑπηκόοις ἢ φίλοις ἀληθινοῖς, πᾶν τὸ παραπῖπτον ἐξ ἑτοίμου παραγγέλλωσιν: *Oportet eos qui rebus præſunt, nihil magis curare, quàm vt ne eos lateat quo animo ſint qui aut bella finiunt, aut amicitias conſtituunt. quando temporibus cedentes, & quando reuerà animis fractis pacem ineunt, vt illos quidem, tamquam ſubſeſſores & inſidiatores temporũ, obſeruent ac caueant. iſtis fidem habentes, tamquam verè ſubditis aut amicis, quidquid euenerit, imperent atque præcipiant.* [Lib.iii.]

Oratio pro pace.

Hominibus ſuaſi hactenus. nũc ad te, ô æternum Numen, qui *non Deus es diſſenſionis, ſed Pacis:* [Paul. i. ad Corinth.cap.xiv.]

Breues, ſed calidas preces conuerto. *O mucro Domini, quouſq; non requieſces? Ingredere in vaginã tuam, refrigerare, & ſile.* [Ierem.cap.xlvii.]

Cogita ſuper nos cogitationes pacis, & non afflictionis, vt des nobis finem & patientiam, & inuocabimus te, & viuemus. [Ex eodem cap.xxix.]

I. LIPSI POLITICORVM SIVE CIVILIS DOCTRINÆ LIBRI SEXTI

CAPVT I.

Ad Ciuile bellum ventum. & eius miseriæ breuiter oculis ſubiectæ.

FINEM Externo bello impoſui: vtinã Ciuilibus malis! quæ *noſtra per tot annos vidit ætas.* [Liuius Præfat.]

Quid ſit Ciuile bellum? Culmen miſeriarum.

Nam huc Ordo me trahit; & definio Ciuile bellum, ARMA SVBDITORVM IN PRINCIPEM MOTA, AVT INTER SESE. Quo nihil miſerius, nihil fœdius, & quod meritò mare ipſum dixerim calamitatum.

Formidatũ iis qui verè ciues.

Homerus verè ſcripſit,

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.
Ille nefarius & ſine gente tribuq́, mihi eſto,
Qui Ciuile cupit ferum & exſecrabile bellum.

[Iliad. ι.]

Imò qui homines.

Cuius mentem explicuit & diffudit magis Tullius: *Nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura cara habere poteſt, quem diſcordia, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat, eumq́, ex numero hominum eiiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto.* [Philip. XIII.]

In eo ſcelera,

Et reipsâ quid ſcelerum ab eo abeſt? *quæve humana ſuperant, aut diuina impolluta ſunt?* [Salluſt. Orat. Lepidi.]

Et impietas,

Caſtra ex vnâ parte contraria, & parentum liberorumq́, ſacramenta diuerſa. [Seneca II. De Irâ.]

——videre parentes
Frontib. aduerſis, fraternaq́, cominus arma. [Luc. VII.]
Cognataq́, acies. [Idem I.]

In eo clades.

Quid cladium non ei ineſt? *Proſcriptiones innoxiorum ob diuitias, cruciatus virorum illuſtrium, vaſta vrbes fugâ & cædibus, ciuiũ miſerorum bona, quaſi hoſtilis præda, venũ aut dono data.* Salluſt. Orat. Lepidi.]

Promiſcuæ cædes.

Occidere palàm, ignoſcere non niſi fallendo licet. [Tacit. I. Hiſtor.]

Non ætas, non dignitas, quemquã protegit, quo minùs ſtupra cædibus, & cædes ſtupris miſceantur. [III. Hiſt.]

Nobilitas cum plebe perit, lateq́, vagatur
Enſis, & a nullo reuocatũ eſt pectore ferrũ. [Luc. I.]

Perfidia.

Iam minora illa flagitia adde. *Fluxam per diſcordias militum fidem:* [Tacit. II. Hiſt.]

Nulla Diſcipli na, Aut obedientia.

Corruptam *Diſciplinam, quam in pace inexorabilem, diſcordiæ ciuium reſoluunt, paratis vtrimque corruptoribus, & perfidiâ impunitâ:* [I. Hiſt.]

Ideoque *Pecuniam inter ciuiles diſcordias ferro validiorem.* [II. Hiſt.]

Cernimus milites *in omne fas nefaſque auidos aut venales, non ſacro, non profano abſtinentes:* [Ibidem.]

Quippe *obnoxiis ducibus, & prohibere non auſis.* [Ibidem.]

Sciuntque *per turbas & raptus faciliùs eos ad ciuile bellum impelli.* [I. Hiſtor.]

Atque vniuerſè verum: *Ciuilibus bellis, plus militibus quàm Ducibus licere.* [II. Hiſt.]

——Rhenum mihi Cæſar in vndis
Duxerat, hic ſocios facinus quos inquinat, æquat.

Lucan. V.

Variæ tranſitiones.

Quidquòd nec apud togatos & paganos *vſquã fides aut amor: metu ac neceſſitate huc illuc mutantur:* [Tacit. I. Hiſt.]

Faciles occupantibus, & meliorũ incuriosi. [II. Hiſt.]

Victoria aſpera:

Ad ſummam, *Omnia ſunt in bellis ciuilibus miſera, ſed nihil miſerius quàm ipſa victoria.* [Cicero IV. Epiſt. ad Famil. epiſt. IX.]

Quæ etiamſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores impotentioreſque reddit: vt etſi naturâ tales non ſint, neceſſitate eſſe cogantur. [Ibidem.]

Nec in poteſtate vincentis.

Duces enim accendendo ciuili bello acres, temperandæ victoriæ impares. [Tacit. III. Hiſt.]

*Bellorum*que *ciuilium hi ſemper exitus, vt non ea ſolum fiant quæ velit victor, verumetiam vt iis mos gerendus ſit, quibus adiutoribus parta eſt victoria* [Cicer. XII. Epiſt. ad Fam. epiſt. XVIII.]

Plura ſunt in deteſtationem huius peſtis: quæ nimis nota nobis, omitto.

CAPVT II.

De cauſſis ciuilium bellorum. Eæ factæ duplices, Longinquæ & Propinquæ. Priùs de prioribus dictum.

Cardo hic rei, cauere bellum.

ILLVC tranſeo, vt de Cauſſis eius diſtinctè diſſeram, & de Fine. Quid enim opus de Modo gerendi? par ille aut idem, qui in Externo. Et alioqui, non tam de Gerundo eius cogitandum ſapienti Principi, quàm cauendo. Hoc caput, hic pes rei. & initia profectò ac ſemina Ciuilium motuum reſtinguenda ſunt: aut vbi accenſa, nulla Prudentia te habebit indemnem. Neceſſariò aut interitus conſequetur, aut mutatio rerum Igitur de Cauſſis [illegible] & intentè diſſeram: & in herbâ, ſi poſſum, opprimam peſtilentem hanc frugem.

Cauſſæ

A Cauſſæ Ciuilis belli duplices: Remotæ, & Propinquæ. Dico illas, QVÆ PRIMÆ VERÆQVE CAVSSÆ SVNT, SED MINVS ADHÆRENT EFFECTVI, AVT APPARENT. Illas, QVÆ ORTÆ AB ILLIS, EVENTVI CONIVNGVNTVR, ET PALAM SE OSTENDVNT. Priores, Sapientes intuentur: Vulgi oculi verſi ad illas. Sunt inter Remotas duæ, Fatum & Luxus. Fatum in primis: quia ab euentibus omnis æui certum, Deum velut ſolemniter magna imperia perdere per hanc viam.

Cauſſæ Remotæ: Cauſſæ Propinquæ. Fatû & ordo rerum gignit ciuiles turbas.

In ſe magna ruunt. Lætis hunc numina rebus
Creſcendi poſuere modum. [Lucan. I.]

Europæi notate.

B Licet de omni republicâ præſagias, quod Criſpus de ſua: *Ego ſic exiſtimo. quoniam orta omnia intereunt, quâ tempeſtate vrbi Romanæ fatum excidij aduentârit, ciues cum ciuibus manus conſerturos. ita defeſſos & exſangues regi aut nationi prædæ futuros. Aliter, non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ, mouere aut contundere queant hoc imperium.* [Ad Cæſ.]

Luxus paulatim quoque eas gignit.

At Luxus etiam cauſſa altera. *Quæ enim aliares ciuiles furores peperit, quàm nimia felicitas?* [Flor. III. c. XII.]

Opes atque diuitiæ afflixêre ſæculi mores, merſámque vitiis ſuis, quaſi ſentinâ, rempublicam peſſum dedêre. [Indid.]

Magnificus apparatus conuiuiorum, & ſumptuoſa largitio, nónne ab opulentiâ paritura mox Egeſtatem? [Ibidem.]

Ab illo enim æs alienû:

C *Cùm* ſcilicet *rapaciſſimo cuique ac perditiſſimo, non agri aut fœnus, ſed ſola inſtrumenta vitiorum manebunt.* [Tacit. I. Hiſtor.]

Ab hoc ſpes nouæ.

Hi tales, *miſcere cuncta, & priuata vulnera reipublicæ malis operire ſtatuent.* [Ind:d.]

Quippe ita ſe res habet. vt publicâ ruinâ quiſque malit, quam ſuâ proteri; & idem paſſurus, minus conſpici. [Vell. II.]

Sunt igitur iſti gradus:

Non auro tectiſve modus, menſáſque priores
Aſpernata fames. [Lucan. I.]
Hinc vſura vorax, auidúmque in tempora fœnus,
Et concuſſa fides, & multis vtile bellum [Ibidem.]

Remediû, aut ſolatiû potiùs, in Fatû.

Atque hæ duæ Remotæ illæ cauſſæ ſunt. quod in eas remedium? in alteram nullum. Fruſtrà cum Fato pugnes, id eſt diuino decreto. *Ita Fato placuit nullius rei eodem ſemper loco ſtare fortunam.* [Sen. Conſol. ad Hel.]

D *Nihil mutationis periculo exceptum: non terra, non cælum, non totus hic rerum omnium contextus. Quamuis Deo agente ducatur, non ſemper tenebit hunc ordinem, ſed illum ex hoc curſu dies aliquis deiiciet.* [Idem Ep.]

Certis enim cuncta temporibus naſci debent, creſcere, extingui. [Ibidem.]

At in Luxum (ſi tempore prouides) firmum auxilium habes à noſtrâ *Cenſurâ.

* ſuprà, lib. IIII. cap. XI.

CAPVT III.

E *De cauſſis propinquis belli Ciuilis. Ea tres. Factio prima eſt: eius pernicies in omni ſtatu. & ſintne diſſidia vnquam vſui?*

HÆc igitur ſunt, vt poëta ait,
——*publica belli*
Semina quæ populos ſemper merſêre potẽtes, [Luc. I.]

venio ad Propinquas cauſſas: quæ tres occurrunt, Factio, Seditio, Tyrannis. Factionē nomino, PAVCORVM AVT PLVRIVM INTER SE COITIONEM, ET CVM ALIIS DISSENSVM. Cui origo ſæpè a priuatis, aut publicis ſimultatum Odiis;

Definita Factio. Fôs Factionis, Odium:

A ſæpiùs ab Ambitione, dum quiſque præire vult, aliumque detrahere: & huic fini conſpirant. *Nemo enim eorum qui in rep. verſantur. quos vincat, ſed a quibus vincatur aſpicit.* [Seneca Ep. LXXIV.]

Aut Ambitio.

Habet hoc vitiû omnis Ambitio. Nõ reſpicit. [Indid.]

Tendunt igitur ſe, vt fluctus fluctum. atque inde contentio, odia, bellum. *Factiones fuêre eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbive, quæque alia in Deum iras, velut vltima publicorum malorum, vertunt.* [Liu. III.]

Peſtis hæc mera ſtatuum.

Nam quòd quidam hodie malè callidi eas etiam approbant, & negant Principi *quidquam aduerſus ſubditos vtilius, quam ſi in commune non conſulant:* [Tacit. Agric.]

Aulici côſilia. tij probant:

B Heu quàm errant! cùm enim duplex, vt in definitione oſtendi, Factio ſit, Paucorum aut Plurium: perniciosa vtraque. & hæc quidem palàm, quæ viribus freta ſtatim ad manus & arma tendit: & plerumque *pars quæ domeſtico certamine inferior eſt, externo potiùs ſe applicat, quam ciui cedat.* [Liuius XXXIV.]

Improbè. Factio popularis noxia.

Sed nec prior illa minùs exitiabilis, quæ inter paucos & potentes. Nam paullatim, vt Philoſophus quoque adnotat, *Αἱ τῶν γνωρίμων στάσεις συναπολαύειν ποιοῦσι καὶ τὸν ὅλον αὐτῶν*: *Nobilium factiones trahunt ad ſe & in partes vniuerſum etiam populum.* [Ariſt. V. Polit. c. IV.]

Factio potentû noxia.

Imò ægriùs hi placantur. *neque aliuiſoles eſſe diſcordiarum exitus inter claros & potentes viros, niſi aut vniuerſus interitus, aut victoris dominatus & regnum.* [Cicer. De Aruſp. Reſponſ.]

C Quomodo igitur vtiles? nam hæc exemplis heri atque hodie etiam ſumus edocti. Illud quidem fateor: haud ab re eſſe, leuiter inter ſe diſſentire finitima opida aut prouincias: ſed leuiter, & hoc vno bono, ne in te conſpirent. Cato in familiâ ſuâ id ſpectauit: qui *ἀεί τινα στάσιν ἔχειν τοὺς δούλους ἐμηχανᾶτο καὶ διαφορὰν πρὸς ἀλλήλους, ὑποπτεύων τὴν ὁμόνοιαν καὶ δεδοικώς*: *ſemper conſenſiunculas aliquas aut diſſenſum inter ſeruos callidè ſerebat, ſuſpectam habens nimiam concordiam eorum metuénſque.* [Plut. Caton.]

Gallia loquitur. Tamen aliqua diſſidia vſui. Sed exigua,

Nec malè hic illud applicauerim: *Societas noſtra lapidum fornicationi ſimillima eſt, quæ caſura niſi inuicem obſtarent, hoc ipſo continetur.* [Seneca Ep. XCVII.]

Talem igitur aliquem diſſenſum, & *ſolita inter accolas odia,* [Tacit. V. Hiſt.]

Et inter finitimos recepta.

D Fortaſſe toleremus: nunquam veras illas, præſertim inter Nobiles, factiones. Imò *τὰς τῶν γνωρίμων φιλονεικίας καὶ στάσεις*, ait princeps Philoſophus, *καὶ διὰ τῶν νόμων πειρᾶσθαι δεῖ φυλάττειν*: *Nobilium contentiones, & partes, etiam legibus oportet prohibere conari.* [Ariſtot. V. Polit. cap. VIII.]

Factiones legibus premendæ:

Neque inſignia vlla, aut diſcrimina Nominum Veſtiúmque permittere: ſaluberrimè olim à Mæcenate monitum, ad Auguſtum. *Κάλλιστον*, inquit, *τάς τε ἔχθρας καὶ φιλοτιμίας τὰς πρὸς ἀλλήλους παντάπασιν ἐκκόπτειν, καὶ μήτε ἐπωνυμίας τινὰς κενὰς, μήτ' ἄλλο τι ἐξ οὗ διενεχθήσονταί τισιν, ἐφιέναι σφίσι ποιεῖσθαι*: *Optimum verò inimicitias omnes & ambitioſa certamina prorſus exſcindere, atque adeò nec nomina noua, aut aliud quid, ex quo oriri diſcidia poſſint, ipſis permittere.* [Dio LII.]

Eaſdémque inſignia.

E Atque hæc talia in ſemine comprimenda. *Καὶ ἀρχομένων δεῖ τῶν τοιούτων ἀντιλαμβάνεσθαι, καὶ διαλύειν τὰς τῶν ἡγεμόνων καὶ δυναμένων στάσεις*: *Incipientia iſta cauenda ſunt, & diſſipanda magiſtratuum aut potentium contentiones.* [Ariſtot. V. Polit. cap. IV.]

Et ſemina.

Parua enim *ſæpè ſcintilla neglecta magnum excitauit incendium.* [Curt. IV.]

Et ſemper *ab hoc genere ſummum periculum eſt, ſi cœtus, & concilia, & ſecretas conſultationes, eſſe ſinas.* [Liuius XXXIV.]

Vetandi cœtus.

CAPVT IV.

Cauſſa altera è Propinquis, Seditio. eius Origo, Progreſſus, Remedia diſtinctè explicata.

Definita Seditio.

IAM Seditio etiam cauſſa Ciuilis belli. quam definio, MVLTITVDINIS IN PRINCIPEM AVT MAGISTRATVS, SVBITVM ET VIOLENTVM MOTVM. De cuius Origine, Progreſſu, Remediis vtiliter & ordine dicam. Origo ei à cauſſis variis. Sæpè ab oppreſſione aut metu. cùm *imminentium periculorum remedium, ipſa pericula arbitrati,*

Eius origo varia: Vt oppreſſio, Aut metus.

Conſternantur ad arma. Ariſtoteles cauſſam hanc diſcretè tetigit: Διὰ δὲ φόβον, inquit, στασιάζουσιν οἵ τε ἠδικηκότες, δεδιότες μὴ δῶσι δίκην, καὶ οἱ μέλλοντες ἀδικεῖσθαι, βουλόμενοι φθάσαι πρὶν ἀδικηθῆναι: *Ob metum ſeditiones mouent, tam hi qui fecêre iniuriam, metuentes pœnam; quàm ij, qui in ſe expectant, præuenire volentes priuſquam ea inferatur.* [v.Polit.cap.iii.]

Laxitas nimia,

Ab indulgentiâ etiam, & rebus laxis. quomodo Appius apud Liuium dixit, *non miſeriis, ſed licentiâ, tantum concitum turbarum: & laſciuire magis plebem, quàm ſæuire.* [Liu.ii.]

Anguſtia,

Sæpè etiã ab inopiâ, & rebus artis. *Semper enim in ciuitate quibus opes nulla ſunt, bonis inuident, vetera odêre, noua expetunt, odio ſuarum rerum mutari omnia ſtudent.* [Salluſt.Iugurth.]

Tribunitij ſpiritus.

Denique ſæpiſſimè à Ducibus, cùm Tribuni quidam exagitant & ſigniferi turbatũ. Nam *multitudo omnis, ſicut mare, per ſe immobilis eſt.* [Liuius xxviii.]

Æoli iſti exciãt: & *cauſſa atque origo omnis furoris penes auctores eſt, reliqui contagione inſaniunt.* [Ibid.]

Quos ambitio impellit:

Quos operæ eſt, vt tibi deſcribam. Sunt in eâ claſſe primùm, Ambitioſi aliquot homines. qui *priuatim degeneres in publicum exitioſi, nihil ſpei niſi per diſcordias habent.* [Tacit.xi. Annal.]

Quique *honores quos quietâ republicâ deſperant, perturbatâ conſequi ſe poſſe arbitrantur.* [Cic.ii.in Catil.]

Quos æs alienum:

Secũdò, Obærati & re familiari perditâ. quibus ſcilicet *afflicta fides in pace, & rebus turbatis alacres, & per incerta tutiſſimi.* [Tacit.i.Hiſtor.]

Quibus quies in ſeditionibus, in pace turba ſunt: [Salluſt.Orat.Philip.]

Ideóque auidè *tumultum ex tumultu, bellum ex bello ſerunt.* [Ibid.]

Quos inſita vanitas.

Tertiò etiam Vani quidam & ventoſi. qui *non tam præmiis periculorum, quam ipſis periculis læti, pro certis & olim partis, noua, ambigua, ancipitia malunt.* [Tacit.ii.Hiſt.]

Progreſſus & augmenta ſeditionum.

Hæc origo eſt, hæ cauſſæ & flabella: at Progreſſus iſte. Hi tales variâ arte *imperitos animos impellunt.* [i.Annal.]

Primo clàm, & *nocturnis colloquiis, aut flexo in veſperam die dilapſis melioribus deterrimum quemque congregantes.* [Ibidem.]

Illic *inſerunt querelas, & ambiguos de Principe ſermones, quaque alia turbamenta vulgi.* [i.Hiſt.]

Mox etiam, *promptis iam & aliis ſeditionis miniſtris,* [i.Annal.]

Agunt audaciùs: & palàm *libertas ac ſpecioſa nomina prætexuntur:* [iv.Hiſtor.]

Libertas & tutela publica prætexi ſolita.

Sed quàm falsò? Nam *vt imperium euertant, Libertatem præferunt; ſi euerterint, ipſam aggredientur.* [xvi.Annal.]

Nec quiſquam alienum ſeruitium, & dominationem ſibi concupiuit, vt non eadem iſta vocabula vſurparet. [iv.Hiſtor.]

Vulgus leue & credulũ.

Adſtrepit tamen *his vulgus.* [i.Ann.]

Primò *leuiſſimus quiſque, & futuri improuidus, ſpe*

A

vanâ tumens: [i.Hiſtor.]

Mox, *quod in ſeditionibus accidit, vnde plures erant, omnes fuêre.* [Ibid.]

Calidi hic regnant.

Atque hic regnum obtinent feruidi maximè & procaces: quique *inclementer in Principem inuehi ſoliti, nihil ſpei ſibi inter aduerſa reliquerunt.* [iii.Hiſt.]

Nam illi *apertè deſcîuiſſe in cauſſâ videntur:* [Ibid.]

Eóque plebi *gratiores, culpæ vel gloriæ ſocij.* [Ibid.]

Grati ſemper vulgo.

Ad ſummam, *quanto quis audaciâ promptus, tanto magis fidus, rebúſque motis potior habetur.* [i.Ann.]

Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ ὁ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς:

In turbis etiam prauus ſortitur honorem. [Prouerbialis verſus.]

Progreſſus eſt iſte: ſed quæ Remedia? iam dabo.

B

Remedia in principio adhibenda.

Suadeo vt in tempore occurras. Nam ſæpè *modicis remediis primi motus conſedêre.* [Tacit.xiv.Annal.]

Omne malum naſcens facilè opprimitur: inueteratum fit plerumque robuſtius. [Cic.Philip.v.]

Vide igitur, ſi *incipiens & nondum adulta ſeditio melioribus conſiliis flectetur.* [Tacit.i.Hiſt.]

Per interpretes placãdi tumidi:

Mitte qui moneant, ſuadeant: & præſertim eos, quibus *facundia adſit, mulcendíque vulgum artes, & auctoritas.* [iii.Hiſt.]

Nõ etiã tu ipſe eas: haud temerè. & malo vt *integra auctoritas tua maioribus remediis ſeruetur.* [i.Hiſtor.]

Interdũ per ſeipſum.

Tamen interdũ haud abnuam, *præſidium te ab audaciâ muniat.* [i.Ann.]

Fecit magnus Cæſar, &

C

——*ſtetit aggere fulti*
Ceſpitis, intrepidus vultu, meruitque timeri
Nihil metuens. [Lucan.v.]

Etiam *Diuus Auguſtus vultu & aſpectu Actiacas legiones exterruit.* [Tacitus i.Ann.]

Cur non tu idem in te ancipiti, & *vbi periculoſior ſit quies, quàm temeritas?* [i.Hiſtor.]

Forte aliquod factum eos terret.

Aude, illi metuent: &

Deteget imbelles animos nil fortiter auſa
Seditio, tantumq́; fugam meditata iuuentus [Luc.v.]

Plebs incipit magis, quã patrat.

Nam plebem noſce. *ferocior illa ad rebellandum, quàm ad bellandum.* [Ex Liuio vii.]

Eique inſitum *tentare magis, quàm tueri libertatem.* [Idem vi.]

D

Leui re ſedatur.

Audi vaticinium: *Omnis multitudo, maximè militaris, mobili impetu fertur. Ita Seditionis non remedia, quàm principia, maiora ſunt.* [Curt.ix.]

Coquus magnum aenum quando feruit paullâ confutat trua, [Titinnius.]

Interdũ tamẽ vi comprimenda:

Quid tamen ſi coaluit & iam fortis eſt Seditio? nempe *fortioribus remediis agendum:* [Tacit.i.Ann.]

Et *ſi imperium detrectetur, bello certandum.* [Ibid.]

Sed lenitâ,

Nec tamen ſtatim. *Da malorum pœnitentiæ, bonorum conſenſui ſpacium.* [i.Hiſt.]

Cogita *diem forſitan tempúſque ipſum leniturum iras, ſanitatémque animis allaturum:* [Liu.ii.]

Interea variè *ſpem offer, metũ intende.* [Tac.i.Ann.]

Variis artibus verſanda.

Sed in primis per artes diuelle eos ac diiunge: *quo tutiſſimo remedio conſenſus multitudinis extenuatur.* [Tacitus iv.Hiſt.]

E

Disiungenda.

Corrũpenda.

Quoſdam occultis præmiis ad te allice. *neque vmquam deerunt, qui gratiam melioris partis bono publico velint quæſitam.* [Liuius ii.]

Fallẽda.

Quoſdã ſubdolè ad ipſos mitte: qui eadẽ *velle ſimulẽt, quò plus auctoritatis conſiliis inſit.* [Tac.ii. Hiſt.]

Verbis demulcenda.

Hi fallent. Tu quoque da verba: quoniam *verba apud eos plurimùm valent.* [iv.Hiſt.]

Τὸν μὲν λύκον οὔ φασι τῶν ὤτων κρατεῖν· δῆμον δὲ καὶ πόλιν ἐκ τῶν ὤτων ἄγειν δεῖ μάλιστα. *Lupum aiunt auribus non teneri: at populum & ciuitatem auribus maximè oportet ducere.* [Plutarch.Politic.]

Ambiguis promiſſis inducẽda.

Offer blanda, imò ambiguè promitte. quid

retert?

refert? Facilè mox irrita facies, quæ per ſeditionem expreſſerint. [Tacitus I.Annal.]

Sed inducta, clementer habenda.

Ego bonum hunc dolum toto oſtio admitto. Falle, falle potiùs, quàm cæde. Quòd ſi quid hîc maculæ, elui id velim clementiâ & lenitate. Ad te redeuntne ſæui. *Omnium culpa fuit, paucorum ſit pæna.* [Ex Tacit. Hiſtor. I.]

Capita ſaltē puniuntur.

Abundè ſatis, ſi *nefariæ ſeditionis auctores ſanguine luant, quod admiſerunt.* [Liuius XXVIII.]

Imò *ſi vnus alterve, maximè prompti, ſubuertantur.* [Tacitus II. Hiſt.]

——Quidquid multis peccatur inultū eſt. [Luc. V.

Vnde orta culpa eſt, ibi pœna conſiſtat: [Liu. XXXIX.]

Et ſcito *ad multitudinē, caſtigationē ſatis eſſe.* [Ibid.]

Inquiſitio tollitor.

Sed nec in conſcios inquire. Bonâ fide ſecuri omnes ſint: & Tiberij exemplo, *quamquam multis ſuſtentaſſe opibus, iuuiſſe conſiliis dicentur, haud quæres.* [Tacit. II. Annal.]

CAPVT V.

De Tyrannide. quid ea ſit, & eius ingenium? mala ſub ſecta oculis: quæſitùmque, tollenda ea an toleranda?

TERTIA inter Ciuilis belli cauſſas, Tyrannis Quid ea eſt? VIOLENTVM VNIVS IMPERIVM. PRÆTER MORES ET LEGES. Aio violentum, quia in communi omnium odio, neceſſariò Tyrannus, decurrit ad hoc aſylum.

Definitio Tyrānidis. Vis ei adhæret:

Quod ciuibus tenere te inuitis ſcias,
Strictus tuetur enſis. [Seneca Herc. Fur.]

Præter alia, hoc inter Regem Tyrannumq; diſcrimen eſt: *quòd alter arma habet, quibus in munimentum pacis vtitur; alter vt magno timore magna odia compeſcat.* [Seneca I. De Clem.]

Et terror.

Aio etiam, Præter mores aut leges. Nam apud Tyrannos.

Sine lege eſt:

Ius eſt in armis, opprimit leges timor. [Sen. Her. Fur.]

Auferre, trucidare, rapere, falſis nominibus Imperium atque vbi ſolitudinem fecerint, Pacem appellant. [Tacitus Agric.]

Sine bono vllo iure.

Specie tamen aliquâ legum, euertunt leges: & habent huic rei Delatores, quod *genus hominum publico exitio repertum, nec pœnis vmquam ſatis coercitum, per præmia eliciunt.* [Tacit. IV. Annal.]

Amat Delatores.

Atque vt *quis diſtrictior accuſator, apud eos velut ſacroſanctus eſt: leues, ignobiles, pœnis adficiuntur.* [Ibid.]

Tuetur malos.

Itaque ſub iis *quam quiſque peſſimè fecit, tam maximè tutus eſt.* [Salluſt.]

Tyrannis enim *boni, quàm mali ſuſpectiores ſunt, ſemperque aliena virtus formidoloſa eſt.* [Idem Catil.]

Odit formidátq; bonos, aut illuſtres.

Inde *ſiniſtra erga eminentes interpretatio, nec minus periculū ex magna famâ, quam ex mala* [Tacit. Agric.]

Nobilitas, opes, omiſſi geſtique honores, pro crimine, & ob virtutes certiſſimum exitium. [I. Hiſt.]

Etiā doctos.

Imò etiam ob Doctrinam. Nā *pellunt Sapientiæ profeſſores, & omnes bonas artes in exſilium agunt.* [In Agric.]

Quid ita *nequid vſquā honeſti oculis occurrat.* [Ibid.]

Ipſi enim vitioſiſſimi, *inimicas vitiis artes, non odio magis, quam reuerentiâ relegant.* [Plinius Paneg.]

Scriptores & ſcripta auerſatur. Fruſtrà abolet.

Quin metu apud poſteros infamiæ, ſæuiunt in ipſa Scripta: & *monumenta clariſſimorum ingeniorum in foro ac comitio vrunt.* [Tacit. Agric.]

At non etiam *illo igne abolent vocem populi, & conſcientiam generis humani.* [Ibidem.]

Mihi ſocordiam eorum irridere libet, qui præſenti potentiâ freti, credunt extingui poſſe etiam ſequentis æui memoriam. [IV. Annal.]

Deus maior &

Nam contrà punitis ingeniis gliſcit auctoritas, nequ

aliud externi reges aut qui eâdem ſæuitiâ vſi ſunt, niſi dedecus ſibi, atque illis gloriam peperêre. [Ibid.]

melior ſeruat.

Odioſa omnib.

Hæc facta Tyrannorum: qui Fructus? acerbi. Sunt enim in omnium odio: & *malos Principes deteſtantur, etiam qui malos faciunt.* [Plinius Paneg.]

Omnes viciſſim metuēs.

In aſſiduo metu: & *ad omnes ſuſpiciones pauidi.* [Tacit. II. Hiſt.]

Ideò *adimunt per inquiſitiones loquendi audiendique commercium.* [In Agric.]

Nec linguas ſolùm, ſed *omnium manus obſeruant, & eo quoque tempore quo non captantur, per ſe iudicāt, nullùmque momentum immune à metu habent.* [Seneca I. De Clem.]

——Sors iſta Tyrannis
Conuenit: inuideant claris, fortéſque trucident,
Muniti gladiis viuant, ſeptique venenis,
Ancipites habeant arces, trepidique minentur.
[Claud. IV. Conſ. Honor.]

Cōſciētia ſuâ premitur:

Adde cruciatus & tormenta interna. Nam *ſi Tyrannorum mentes recludantur, poſſint aſpici laniatus & ictus. quando vt corpora verberibus, ita ſæuitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceretur.* [Tacit. VI. Annal.]

Et

Quàm vellent numquam ſceptris fulſiſſe ſuperbis!
[Silius XIII.]

Adeò facinora atque flagitia ſua ipſis quoque in ſupplicium verterunt. [Tacit. VI. Annal.]

Infortunitu inuenit.

Denique quis exitus? deiectio, aut cædes. Nam *reges conſeneſcunt, liberiſque ac nepotibus tradunt regna: Tyrannorum exſecrabilis ac breuis poteſtas eſt.* [Seneca I. De Clem.]

Nā rarò diuturni tyranni.

Thales interrogatus, τί δύσκολον εἴη τεθεαμένος; γέροντα, ἔφη, τύραννον: *Quid difficile vidiſſet? Tyrannum, inquit, ſenem.* [Laërt. in eius vitâ.]

Nec poëta noſter vanus.

Rarò incruenti.

Ad generum Cereris, ſine cæde & vulnere, pauci
Deſcendunt reges, & ſiccâ morte tyranni. [Iuuen. Sat. X.]

De Remedio. Tollere quidam volunt. Cum applauſu multorum.

Immanem belluam hanc vides. ſed quod in eam remedium? duplex: Auferre, aut Ferre. Illud erectioris ſpiritus eſt? cui videtur *moriendum potiùs, quam vultus aſpiciendus tyranni.* [Cicero I. De offic.]

Nec ego reprimo, cùm ſciam *Græcos homines deorum honores tribuiſſe iis, qui tyrannos necauerunt.* [Idem pro Milone.]

Audio etiam illum Tragicum:

——Victima haud vlla amplior,
Poteſt, magiſve opima mactari Ioui,
Quàm rex iniquus. [Seneca Herc. Fur.]

Sed tolerandi ſæpiùs videtur.

Sed tamen hoc alterum magis è Sapientiæ normâ cenſeo, & ſæpiùs è publico vſu. Quiſquis es inter Subditos, ſi me audis *ſcutum tibi magis quàm gladium ſume.* [Ex Liu. III.]

Quia Deus immiſit.

Hoc inquam Tolerantiæ ſcutum. Primùm, nónne à Deo reges ſunt? ergo anceps, *cæde ſe qualiſcunque Principis cruentare.* [Tacit. XV. Annal.]

Phœbus ille vatum dixit:

——δεινὸν δὲ γένος βασιλήϊόν ἐστι
κτείνειν:

——res eſt grauis occidiſſe
Regalem ſtirpem. [Homer. Odyſſ. π.]

Nec temerè ſanguis violandus. Priuatim rarò id benè ceſſit:

Nimis verè. Res grauis, imò plerumque & infelix: ſi tamen exemplis credimus omnis æui. Ecce priuatim, vindicta ſtatim ſequitur, & facinoris eius *vltor eſt, quiſquis ſucceſſit.* [Tacitus I. Hiſtor.]

Tradita ſcilicet *Principibus more, munimentum ad præſens, in poſterum vltione.* [Ibid.]

Nam vel exempli cauſſa,

Regi tuenda maximè regum eſt ſalus. [Sen. Oedip.]

Publicè minus.

At publicè; quid niſi clades? & rarò ea *moles conuelli, ſine conuellentium exitio poteſt.* [Tacit. IV. Hiſt.]

Factio

Sempéque ea cauſſa cladiũ.

A Factiones ex eo, diſcidia, & bella inteſtina. Atqui ego cum Fauonio aſſero, χεῖρον γὰρ μοναρχίας παρανόμου πόλεμον ἐμφύλιον: *Peius deteriúsque eſſe tyrannide ſine iniuſto imperio, bellum Ciuile.* [Plut. in Bruto.]

Tolerate melius: Vt cœleſtia omnia mala.

Quidni ergo laudabilius, noſtrum Ferre? *meminiſſe temporum, quibus nati ſumus: & bonos Principes voto expetere, qualeſcumque tolerare.* [Tacit. IV. Hiſtor.]

A deo enim iſta & ab alto. & *quomodo ſterilitatem aut nimios imbres, & cetera naturæ mala; ſic luxum & auaritiam dominantium tolerare* debemus. [Ibid.]

Nã ſubditorũ eſt, parere.

Indigna, digna habenda ſunt, rex quæ facit. [Plaut.]

Quid calcitras? *Principi ſummum rerum iudicium dij dederunt, ſubditis obſequij gloria relicta eſt.* [Tacit. IV. Annal.]

B

Iugum quiete, nocet.

Nihil tam exaſperat feruorem vulneris, quàm ferendi impatientia. [Egeſip. lib. II. cap. IX.]

In ipſis agreſtibus feris, artiſſima vincula, ſi ſe excutiũt, imprimuntur; ſi quieſcant, relaxantur. [Ibid.]

Modeſtia reges mitigat:

Sed & in teipſo vide, ne qua durioris imperij culpa. Nam vt verè magnus ille regum dixit: *Regum ducumque clementia non in ipſorum modò, ſed in illorum qui parent, ingenijs ſita eſt.* [Alexander apud Curt. lib. IIX.]

Obſequio mitigantur imperia. [Ibidem.]

Interrogatus quiſpiam, *quid ita Sparta floreret? quiáne reges rectè imperare ſcirent? Imo, inquit, quia ciues parere.* [Theopompo tribuit Plutarch.]

Contumacia exaſperat.

O benè! & tu tibi ſume. Nam ſæpè retractas, & *contumaciâ atque inani iactatione famam fatumque prouocas.* [Tacitus Agric.]

C

Et prælatio nimia libertatis.

Plenam merámque libertatem ſpiras. neſcius, *quomodo peſſimis Principibus ſine modo dominationem; ita quãuis optimis modũ libertatis placere:* [IV. Hiſtor.]

Et neceſſariò *contumacia inferiorum, lenitatem imperitantis deminui.* [XVI. Annal.]

Monita ſubditis:

Pone hos animos: & *compeſce ardorem, peritus obſequi, eruditúſque vtilia honeſtis miſcere.* [In Agric.]

Ne *contumaciam cum pernicie, quàm obſequium cum ſecuritate malis.* [IV. Hiſt.]

Aſſiduè cogita: *quanto libertate diſcordi ſeruientibus ſit vtilius, vnum eſſe cui ſeruiant.* [Plinius Paneg.]

Qui proni ad querelas aut calũnias.

Mali ſæpè Principes, fateor & doleo. ſed calumniando peiores etiã facimus. Ita ingenium vulgi. audent paſſim & gaudent

——*humili læſiſſe veneno*

D

Summa; nec impoſitos vmquam ceruice volenti
Ferre duces. [Statius Theb.]

Atque, vt ille ait, τὸ παρὸν ἀεὶ βαρὺ τοῖς ὑπηκόοις: *Præſens imperium ſubditis ſemper graue.* [Thuc. I.]

Ferant præſentia, ſpe meliorũ

Quid ſi aliud? idem Nam *vitia erunt, donec homines: ſed nec hæc cõtinua, & interuentu meliorum penſantur.* [Tacit. IV. Hiſt.]

Concludo igitur, *Ferenda regum ingenia, neque vſui crebras mutationes.* [XII. Ann.]

CAPVT VI.

Quæſtiuncula per occaſionem inſerta, An miſceat ſe bellis Ciuilibus vir bonus: vtrimque ea agitata: & cum diſcrimine aliquo perſonarum definita.

E

Vir bonus an ciuili bello interſit? Nõ debere videtur.

HÆ ei initia & hæ Cauſſæ ſunt belli Ciuilis. Modus Gerendi ſequebatur: ſed iuſtè negaui de eo me dicturum. Illud ſaltem hoc loco iubet quærere, Qui gerat ſe in bello Ciuili vir bonus? quieſcat, an abeat in partes? Quietem Ratio & Exempla ſuadere videntur. Ratio: quia *arma ciuilia neque parari, neque haberi poſſunt, per bonas artes.* [Tacitus I. Annal.]

Quia ipſum malum: Quia finis in eis malus.

Atque etiam finis in iis plerumque improbus: & A duces *bonum publicum ſimulantes, pro ſuâ quiſque potentiâ certant:* [Salluſt. Iugurth.]

His ciuilibus armis, ait Salluſtius, *dicta alia, ſed certatum vtrimque de dominatione eſt.* [Id. Orat. Macri tribun. pleb.]

Quid ergo *viro bono & quieto, & bono ciui magis conuenit, quam abeſſe à ciuilibus controuerſiis?* [Cæl. inter Epiſt. Ad Att. X. ep. VII.

Quia crudeliter geritur.

Adde, quòd ſæuitia quædam & feritas annexa his bellis: à quâ ſanè immenſùm abhorret vir bonus. Cicero hoc adſpectu clamat: *Melioris medius fidius ciuis & viri puto, quouis ſupplicio affici, quàm illi crudelitati non ſolùm præeſſe, verumetiam intereſſe.* [Ad Attic. IX. ep. IV.

B

Et viri magni abhorruerunt.

Iam exempla ſi quæruntur, illuſtria ſunt. *Aiunt gloriari ſolitum Q. Hortenſium, quòd numquam Ciuili bello interfuiſſet.* [Id ad Famil. II. ep. XVI.]

Aſinij etiam *Pollionis factum ac dictum memorabile. Nam rogante Cæſare, vt ſecum ad bellum proficiſceretur Actiacum: Ego, inquit, diſcrimini veſtro me ſubtraham, & ero præda victoris.* [Vell. II.]

Contrà, Debere videtur. Eſt enim boni, bonos ſequi.

Et plura reperies. Tamen altrinſecus, Ratio pariter & Exempla. Ratio hæc. Vbi diſſidium, cur vir bonus ſeiungat ſe à ſuis? immò *vt bos armenta ſic ipſe bonos viros, aut eos quicumque dicentur boni, ſequatur.* [Cicer. ad Attic. VII epiſt. VII.]

Et Solõ lege ita cauit.

Sapiens ille Solon lege etiam Medios iſtos quietóſque ſubmouit. *In caſu*, inquit, *ciuilis diſcordiæ, qui nõ alterutrâ parte ſeſe adiunxerit, ſed ſolitarius ſeparatúſque à communi malo ciuitatis ſeceſſerit, is domo, patriâ, fortuniſque omnibus careto, exſul extorriſque eſto.* [Agellius Noct. Att. lib. II. cap. XII.]

C

Fecerũe itẽ viri magni.

Quid Romanus ille *Cato virtutum viua imago*, [Seneca I De Tranq.]

Certius ſapiẽtis exemplar, quàm Hercules aut Vlixes, [II. De Tranq.]

Nónne non comitem ſolùm ciuilibus armis ſe præbuit, ſed ducem? conſtat. Ergo & vir bonus idem faciet. & *quemcumque ſors tulerit caſum, ſubibit potiùs cum iis qui dicentur eſſe boni, quàm videatur à bonis diſſentire.* [Cicer. ad Att. IIX. epiſt. I.]

Nos diſcriminamus. Illuſtres & actuoſos interesse volumus:

Conflictum ſententiarum vides: nos quid volumus? pacem. Vtramque ſententiam probam eſſe dicimus, ſed cum diſcrimine quodam perſonarum. Clarus quiſpiam aut illuſtris eſt? *verſari in republica, atque in ea excellentiùs ſe gerere ſtuduit?* [Idem pro Sextio.]

D

Poſterior ei ſententia tenenda: & faciendum *quod pecudes, quæ diſpulſæ, ſui generis ſequuntur gregem.* [Idem ad Att. VII. epiſt. VII.]

Quis color aut ratio, cùm tranquillis rebus ad clauum ſederis, vt deſeras abiiciáſque eum, turbatis? nõ potes. Huic generi hominũ, ſcimus *dignitati eſſe ſeruiendum, reipub. conſulendum, officij rationem in omni vita eſſe ducendam.* [Idem pro Sextio.]

Sed modeſtè.

Miſce te & iunge: ſed cum hac lege, vt appareat *Sapientem & bonum ciuem initia belli ciuilis inuitum ſuſcipere, extrema non libenter perſequi.* [Idem ad Fam. IV. Epiſt. VII.]

E

Minùs claros & quietos, quieſcere:

Conſilia tua ſi ad pacem confers, ſi in ipſo æſtu belli, iræ ac victoriæ moderaris: ô virum, ô ciuem! At parte alterâ, latet aliquis? & eſt ex eo genere qui *miſſos fecerunt honores, nec rempublicam attingunt?* [Idem pro Sextio.]

Hic, me iudice, ne ciuile quidem bellum attingat. Cur nunc ſe det in turbidum illud mare, qui tranquillum non tentauit? Ille verò *neque tutius, neque honeſtius reperiet quidquam quàm ab omni contentione abeſſe.* [Cæl. in iis Ad At. X. ep. VII.]

Eligat cẽſeo aliquod oppidũ vacuũ à bello, dũ hæc decer-

nuntur.

nem.ur. [Cælius ad Cic. lib. x. ad Attic.]

ſectæ men a ... nis ſta

Sed cum eâ tamen lege, vt *ne propenſior ad turpem cauſſam videatur.* [Cicero ad Att. vii. ep. xxv.]

... ctici io gue e- xemplū, obis a- ntao- um.

Animo ſaltem quis patriam non mutet? Cape exẽplum ab ipsâ Modeſtiæ & Prudentiæ prole, Tito Attico qui *ita in rep. eſt verſatus, vt ſemper optimatium partium & eſſet, & exiſtimaretur: neque tamen ſe Ciuilibus fluctibus committeret. quòd eos non magis in ſuâ poteſtate exiſtimabat eſſe, qui ſe his dediſſent, quàm qui maritimis iactarentur.* [Nepos in eius vitâ.]

Cæſaris modera tio, Prin cipibus imitãda.

Vir optime ſalue, & proba ade magno illi Cæſari: qui *denuntiante Pompeio, pro hoſtibus ſe habiturum qui reipubl. defuiſſent: ipſe medios & neutrius partis, ſuorum ſibi numero futuros pronuntiauit.* [Suetonius Iul. cap. LXXV.]

Hoc noſtrum arbitrium eſt in re litigioſâ in quo *facilè intellego, pugnandi cupidis hominibus me non ſatisfacere.* [Cic. in iis ad Att. IIX. Epiſt. xv.]

Sed iidem illi vitam meam cognoſcant: ſciántque *conſilia noſtra pacis & togæ ſocia, non belli atque armorum eſſe.* [Idem pro Marcel.]

CAPVT VII.

De Finiendo Ciuili bello. & Operis mei finis.

SED ſeriò iam exſulto. & vt nautæ
——*quando ex alto procul*
Terram conſpiciunt, [Plaut. Mæne. h.]

ex animo lætantur: ſic ego, qui terram non aſpicio, ſed tango. Breue ſaltem ſpatium intereſt, de Ciuili bello Finiendo: quod vnà nec mutatâ velificatione decurram.

Duplex ratio finiendi ciuilis motus.

Finitur Ciuilis diſcordia dupliciter, Pactione, aut Victoriâ. Illam eligo. & omnino melius *Sapientiâ id potiùs extingui, quàm armis & ferro rem diſcrimen ad ducere.* [Cicero Philip. v.]

Pactio melior.

Mihi omnis pax cum ciuibus bello Ciuili vtilior videtur. [Idem Philip. II.]

Dies & Tempus ſemper pro regibus.

Etiam temporaria & parum firma. Nónne diuulſi animi intereà coaleſcunt? Errant, qui exacta hîc omnia volunt & ad liquidum perducta. Acutè ſimul & verè Curtius: *nec fallebat Antipatrum diſſentire ab animis gratulantium vultus, ſed bellum finire cupienti opus erat decipi.* [Lib. vi.]

Diuturnum bellum is noxium.

Rex prudens ſæpè *moram magis quàm bellum metuet.* [Liu. xxi.]

Tamen pleriſque placere video Finiendi modum alterum: qui *veram volunt & ſine exceptione Victoriam.* [Florus II. cap. XIX.]

Victoria plena vix hîc conducit.

Quæ ſplendida ſæpiùs, quàm ſalutaris, niſi magnâ quâdam prudentiâ moderatis. Nam *ex victoriâ, cùm multa mala, tum certè tyrannis exſiſtit.* [Cicer. ad Attic. VII. epiſt. v.]

Niſi cõſilio valdè regitur

Tu caue, & callidum Mucianum hîc audi: *Initia bellorum Ciuilium Fortunæ permittenda, Victoriam conſiliis & ratione perfici.* [Tacit. III. Hiſtor.]

Auctores motuũ tollendi.

Illa adhibe, & inprimis ſemina motuum tolle. Capita ſpecie honoris aut muneris ablega, vt *noua cupientibus auferatur dux & auctor.* [XVI. Ann.]

Inſtrumenta remouẽda.

Ipſos milites remoue. quos *ſpargi per prouincias, & Externo bello illigari, pars conſilij pacíſque ſit* [III. Hiſt.] Sæpè *bellum externum* firmam *concordiam peperit.* [v. Hiſtor.]

Leniter cũ aliis agendũ.

Sed ante omnia Clementiæ veſtigiis tu adhære. neque audies *importuniſſima genera hominum qui tot miſerorum ciuium ſanguine ſaciari nequiuerunt.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Nõ audiendæ ſanguinariæ hirũdines.

Qui te ad crudeles pœnas, aut acerba iudicia inuocant [Ibid.]

Scilicet vt ipſi *trahant, rapiant. & tamquam vrbe captâ, libidine ac licentiâ ſua pro legibus vtantur.* [Ibid.]

Salutare conſiliũ.

Non, non. Brutus tibi doctor melior. cuius ſaluberrimum effatum, *Acriùs prohibenda eſſe bella Ciuilia, quàm in ſuperatos iracundiam exercendam.* [Cicero Ad Brut. epiſt. II.]

Iudica à pleriſque ignoratione potiùs, & falſo atque inani metu, quàm cupiditate aut crudelitate ciuile bellum eſſe ſuſceptum. [Idem pro Marcel.]

Ita res tuas augebis, ita famam, & efficies vt *nec inimici quidem queri quidquam audeant, niſi de magnitudine tuâ.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Decus regum, clementia.

Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius pulchriúſque eſt, quàm illa corona OB CIVES SERVATOS. [Seneca I. De Clem.]

CONCLVSIO.

SED ego hactenus, ô Princeps. *quæ mihi vtiliſſima factu viſa ſunt, quæq; tibi vſui fore credidi, quàm pauciſſimis potui, perſcripſi.* [Salluſt. ad Cæſ.]

Nunc *voto finiendum volumen eſt.* [Vell. II.]

Et pro Principe votũ.

Et ſocios, ciues, ac Deum ipſum precor. hunc, vt tibi ad finem vſque vitæ, quietam & INTELLEGENTEM HVMANI DIVINIQVE IVRIS MENTEM *duint: illos, vt quàndocumque conceſſeris,* CVM LAVDE ET BONIS RECORDATIONIBVS, *facta atque famam nominis tui proſequantur.* [Tac. IV. An.]

ANNVE O REX REGVM.

IVSTI LIPSI AD LIBROS POLITICORVM NOTÆ, ET DE VNA RELIGIONE LIBER.

Aucta omnia & innouata.

REVERENDO ET AMPLISSIMO

PRÆSVLI
IOANNI SARACENO,
ABBATI VEDASTINO,
ET A CONSILIIS
ſtatus Belgici.

NOTAS quas vides,& adiunctum *De vnâ religione* librum, aucta hæc variè aut innouata,tibi datum dicatúmque imus, Ampliſſime Præſul:atque intimo meo voto,vtinam maius aliquod aut ſpecioſius munus! Certè merebaris,& impensè ego volebam. ſed quid eſt? aliud præ manu nunc nō erat,& differre diutiùs profeſſionem huius æris alieni,pudor meus & ingenuus animus recuſabant. Tu ille es, cuius beneficia à quadriennio iam in me ſumma: qui aduenientem in amicitiam tuam admiſiſti,aut potiùs aduocaſti,fontem benignitatis tuæ vltrò reſeraſti,& verè fontem:ita largiter & perenniter in me fluxit. Nec in me tantùm. publica & teſtara beneficia tua ſunt in omnes, quibus commendatio aut inſigne aliquod eſt Religionis,Virtutis,aut Doctrinæ.Enimuerò ſacra ſi intuear,quis magis ea defendit,ornauit,ampliauit? Aræ & templa vetera inſtaurata, aut noua inſtituta,tui operis ſunt,tui,religioſorum cætus correcti, aucti, propagati, & vno verbo,omnes pietatis veræ,id eſt antiquæ,myſtæ aut cultores, te habent decus, ſubſidium,portum.Quid aliæ virtutes? ſimile.& cùm nullâ in re minùs ratio conſtare tibi videatur quàm in donando,mirâ prudentiâ domeſticâ tuâ aut parcimoniâ fit,vt ſuperſit ſemper quod dones. Nec iſta in gratiam aut gloriam. Deo ſoli & vſibus humanis imputas:& fructum beneficij vnum cenſes, feciſſe. Vt ſtellæ in cælo lucent, hoc tantùm vt luceant:ſic tu naturâ & inclinatione beneficus, ſine aliâ affectatione aut aſpectu.O rarum mirúmque virum! & in litteris magis hoc lubet diffundere,id eſt,in re noſtrâ.Quis earum titulum in Belgicâ ſibi inſcripſit, & te Patronum non aſſcripſit? rarus:cùm etiam eos qui colorem & ſpeciem earum habent,iuues. De Nicolao Quinto,egregio inter Pontifices,fama tenuit,cùm ſermo aliquando eſſet de Muſicis litteratíſque viris, & diceret quiſpiam, *Poëtas aliquot bonos Romæ eſſe. Non credo*, illum ſubieciſſe *cur enim ad me non veniant, qui etiam malis pateo*? Magni, ſed & candidi animi vox. quâ ſignificabat, non compotes ſolùm optimarum artium, ſed & candidatos à ſe diligi: & in iis demerendis munerandíſque decipi ſe, etſi non deceptum. Excitabat ſcilicet ita alios: & ad rem magis inuitabat,cùm & ſpem viderent honorari. Simile in te eſt: & quiſquis nomen hoc litterarum habet,velamenta & infulas,vt ſic dicam, præfert, quibus apud te exoret. Ah vtinā in hac & aliâ virtute tibi ſimiles,qui gradu ſimiles! quorum aliqui(plerique nolo dicere)in illâ altitudine, nil niſi alti ſunt:& vt cupreſſi. cetera ſteriles,præter ſpeciem nihil habent. At verò in te laudanda etiam alia. hoc

in primis,quòd curas tuas a ſingulis ad publica etiam profers:& patriam conſiliis & prudentia opportunè iuuas.En tenebras & confuſionem temporum: tempeſtatem in mari,in terrà:bella pro religione,pro imperio; diſſidia cum veris hoſtibus,cum ciuibus; & omnia ſic turbata aut deſperata, vt pars conſilij cenſeatur, conſiliis non ſe miſcere.Sed tu is obuiàm, & in quiete aut ſubductione aliorum, manum ad clauum porrigis:porrigis dico,ſed aduocatus.Ille,ille Rex poſt hominum memoriam Optimus Maximus, bona tua vidit, cùm te coràm vidit: illam dignitatem corporis,eloquium oris,animi prudentiam:& ſtatim in ſanctius illud conſilium,quod rerum ſtatúſque vocant,adſciuit. Quàm iudicio hoc fecerit, iudicia omnium conſentiunt.qui te mirantur,vt Numam aliquem aut Lycurgum, ſacris humanísque rebus,pacis bellíque artibus,mixtum & idoneum:& in duplici munere,feliciter & induſtriè omnia,ſic vt in vno alius, obeuntem. Macte his virtutibus PRÆSVL, & aliis,quas ſileo:quia iam nunc grauari te ſentio hos ſermones.in quos nec me dediſſem, niſi quia publicè intereſt, aliquod virtutibus præmium,aut præconium ſaltem eſſe: & ne iis ſit tantùm ex conſcientiâ merces. Tu meum animum,quod præcipuè volebam,vides.tuum nunc & poſteà; etiam túc,credo,cùm auulſus ab hoc corpore in æternis illis locis erit.Quæſo vt ita cenſeas,& eius obnoxij addictiq; teſtes,ac velut obſides, hos libellos capias: ſi per ſe haud magni pretij,operi tamen adnexos, cui pretium aliquod Fama adhuc eſſe voluit,& ſpero volet.Quòd autem nó perfeci vno tenore & protelo totum opus, non mea culpa aut ignauia eſt:ſed valetudo interpellauit, tum & occupatiunculæ,quæ nimis ſæpè diſtrahunt aut diuellunt. Fiet aliàs, ſi ille volet, qui ſuper nos vult & poteſt:qui te AMPLISSIME PRÆSVL, Religioni, Patriæ, nobis diu ſeruet.Louanij,poſtridie Natalem Dominicum.ꝏ.Iↄ.XCV.

SVETONIVS IN AVGVSTO
CAP. LXXXIX.

IN euoluendis vtriuſque linguæ auctoribus, nihil æquè ſectabatur, quàm Præcepta & Exempla,publicè vel priuatim ſalubria:eaque ad verbum excerpta,vel ad domeſticos, vel ad prouinciarum exercituúmque rectores, vel ad vrbis magiſtratus plerumque mittebat: prout quiſque monitione indigeret.

I. LIPSI AD I. LIB. POLITICORVM NOTÆ.

De titulo librorum.

POLITICORVM LIBRI I.] *Ita inſcripſi, nec perperam. Nam etſi propriè de principatu agimus, & eius inſtructio mihi ſcopus: tamen & librorum prior pars velut communem πολιτικὴν ad quāque Rempubl. eſt: & paſſim præcepta ad omnem Ciuilem vitam.*

Siue Ciuilis doctrinæ.] *Rectè ita licet vertere: imò Politicē ipſum Ciuilitatē Apuleius reddidit, de Philoſophiâ: & Seneca* Ciuilem *eius* partem *dixit.*

IN CAP. I.

Præloquium.

Pag. 46. Forma ſua propria.

Veterũ monitis, imò & verbis.] *Ita fecimus. Lapides & ligna ab aliis accepi: ædificij tamen exſtructio & forma tota noſtra. Architectus ego ſum, ſed materiam variè vndique conduxi. Nec aranearũ ſane textus ideo melior, quia ex ſe fila gignunt: nec noſter, vilior, quia ex alienis libamus, vt apes.*

Fulcra bina Reip.

Duos rectores Prudentiam & virtutem.] *Siue duo etiam fulcra, ſine quibus laudabilis & firma Reſpublica nulla vnquam fuit, nulla erit. Tetigerunt vtrumque alij: ſed ſi neminem diſtinctè aut plenè præceptis id amplexum dixerim, libera magis vox erit quàm ſuperba.*

IN CAP. II.

De Deo.

Pag. 46. Pietatis duo membra. Lib. III. Inſtit. c. XXX. Lib. IV. cap. IV.

RECTVS de deo ſenſus, in deum cultus.] *Ita Pietatem definimus. & hæc duo ſane præcipua eius munera ſiue partes, Noſſe ſupremum illud numen, & Venerari. Lactantius:* Omnis ſapientia hominis in hoc vno eſt, vt Deum cognoſcat & colat. *A Senſu tamen veniendum eſt ad Cultum. Idem.* Sapientia præcedit, Religio ſequitur: quia prius eſt Deum ſcire, conſequens colere.

Dei proprium nomē ignoramus. Lib. Iudicum cap. XIII. 1. De Fide, c. XIII.

Ita appello Summum illud.] *Heu miſeriam! adeò à cognitione Summi illius remoti ſumus, vt ignoremus & nomen. Ipſe increpat:* Cur quæris nomen meum, quod eſt Mirabile? *Et Damaſcenus:* Τὸ θεῖον ἀκατάληπτον πάντως καὶ ἀνώνυμόν ἐστι: Comprehendi omnino diuinum illud non poteſt, neque nominari. *Etſi nos tamen nomina ab antiquo habemus, & quod miremur, pleræque gentes quadrilittera. Sed cum eodem Damaſceno ſentio nullum nomen aptius Deo tribui,* ὁ ὤν. *Cauſſa:* ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβὸν ἔχει τὸ εἶναι, οἷόν τι πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον: Vniuer-

Quod ei nomen aptum.

A ſum enim illud Eſſe complectens in ſe ipſe habet, quaſi mare quoddam infinitum & immenſum. *Pulcherrimè Hermes:* ἔστιν αὐτὸς καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ μὴ ὄντα. Ipſe eſt, & quæ ſunt, & quæ non ſunt. *Quo ſenſu? addit:* τὰ μὲν γὰρ ὄντα ἐφανέρωσε, τὰ δὲ μὴ ὄντα ἔχει ἐν ἑαυτῷ: Nam & quæ ſunt, aperuit, & quæ non ſunt, habet in ſe ipſe. *Ille ſcilicet eſt (Ægyptiorum templis ritè inſcriptum)* τὸ γεγονὸς, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον: quod fuit, quod eſt, quod erit. *ille, vt Apoſtolus ait,* ex quo omnia, per quē omnia, in quo omnia. *Hæc talia nec impiè nec inſcitè dici poſſunt: ſed quanto anguſtior & Deo dignior illa confeſſio!* ἀνεκλάλητος, ἄρρητος, σιωπῇ φωνούμενος: ineffabilis, non dicendus, ſilentio exprimendus.

Pœmand. cap. V. Deus eſt, qui eſt & quod eſt.

Ad Rom. XI.

Hermes Pœmand cap. I.

B Mentem ſolutam quamdam.] *Mentem, ſed mente ſubtiliorem: Hermes ille vero Termaximus in his diuinis:* ὕλης μὲν τὸ λεπτομερέστερον, ἀήρ· ἀέρος δὲ ψυχή· ψυχῆς δὲ νοῦς· νοῦ δὲ, ὁ θεός. Materiā ſubtilior, aër: aëre, animā: anima, mens: mente, ipſe deus.

Deus mens purior. Pœmand. cap. V.

Præditam motu ſempiterno.] *Rectè accipe: pro vitâ & actione ſempiternâ Ariſtoteles explicabit:* θεοῦ δὲ ἐνέργεια, ἀθανασία, τοῦτο δ' ἐστὶ ζωὴ ἀΐδιος· ὥστ' ἀνάγκη τῷ θεῷ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάρχειν. Dei actio, immortalitas: hoc autē eſt perpetua vita: vt neceſſum ſit Diuinitati motum perpetuum ineſſe. *Nam de alio motu, ſane falſum. Ille omnia mouet immobilis: omnia quatit inconcuſſus, Hermes;* πᾶν δὲ τὸ κινούμενον οὐκ ἐν κινουμένῳ κινεῖται, C ἀλλ' ἐν ἑστῶτι. καὶ τὸ κινοῦν δὲ ἕστηκεν: Omne motum non in moto mouetur, ſed in quieſcēte. & id quod mouet, quieſcit.

II. De Cœlo, c. III.

Mouet, non mouetur. Pœmand. cap. II.

De deo etiam vera dicere periculoſum.] *Quis enim ſcis, an dicas vera? Circumludis infinitum & æternum illud, tu puſille, tu mortalis. Atque hoc ſenſu, iſtud verum. Aliàs, non nego quin de deo liberè & vere dicamus, quæ de ſe ipſe, id eſt, quæ in ſacris myſticiſque libris reſerantur.*

Pag. 46. Pauca de Deo dicenda. Nec niſi in ſacris tradita.

Qui melius ſcitur, neſciendo.] *Hoc quoque* D *pari cautione & ſenſu. Curioſos tantum excludimus: quoniam, vt ait Baſilius,* τὸ ψυχῆς νόσημά ἐστι, τὸ κακῶς καὶ περιέργως ζητεῖν περὶ θεοῦ: Animi morbus eſt, malè & ſuperfluè de deo quærere. *Quid autē quæramus? Cæli aut ſideris vnius naturā plene nondum cepimus: & volumus cæli ſiderúmque auctorē? Vani, vani! Poetam audiamus:*

Vitiū animi illum inquirere. Et inquiſitio vana.

Θεὸν νόμιζε, καὶ σέβου, ζήτει δὲ μή.
Πλεῖον γὰρ οὐδὲν ἄλλο τοῦ ζητεῖν ἔχεις.
Deum eſſe crede, & colito, ſed non quærito.
Nam nil habebis aliud hîc, quàm quærere.

Philetas.

Sed & Bion olim monuit: περὶ θεῶν λέγειν, ὡς εἰσί: De diis hoc tātùm dic, eſſe. *Imo noſter ſcriptor magis piè:* Deus religione intellegendus eſt, pietate profitendus eſt,

Laert. in eius vita. Hilar. De Trin. Vane, non vanitas.

ſenſu verò perſequendus non eſt, ſed adiuuandus.

Deus in effectis ab nobis noſcendus. Cap. 11.

Effectus tamen eius.] *Omnino Dei opera & effectus noſcendus, ſi vis ipſum.* Νῦν ὁρᾶται ἐν τῷ νοεῖν, ὁ θεὸς ἐν τῷ ποιεῖν, *ait Hermes, Vt ſolem deficientem non directo, ſed in aquis intuemur: ſic deum in operibus.*

Affectus nulli in Deo.

Affectus, ſi ita appellare fas.] *Meritò dubito imò non dubito. Nam reuera affectiones nulla in perfectâ illâ ſimplicique naturâ ſed pura res ipſa. Damaſcenus:* ποιότητος τὸ θεῖον ἐλεύθερον: Qualitatis Deus expers. *Itaque propriè non ille Sapiens, Bonus, Iuſtus ſed Sapientia, Bonitas, Iuſtitia. Hilarius:* Quidquid in deo eſt, deus eſt: totum quod in eo eſt, vnum eſt. *Et Auguſtinus:* Quidquid ibi intellegi poteſt, ſubſtantia eſt. *Nec Plato ignorauit:* Αὐτὸ τὸ ἴσον, αὐτὸ τὸ καλὸν, αὐτὸ ἕκαστον, ὃ ἔστι τὸ ὄν: Ipſum æquale, ipſum pulchrum, ipſum ſingulum, quod eſt id quod eſt.

De fide. De Trin. Totum, Substantia eſt. In Phædone.

Intereſt animis, & mediis cogitationibus interuenit.] *Aliè hoc imprimite mortales, vix peccatis. Heſiodus:*

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας.

In tenebris Deus. In Diſſert. ab Arriano digeſt. lib. 1. c. xiv.

Et Epictetus planè diuinitus: Ὅταν κλείσητε τὰς θύρας, καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε μηδέποτε λέγειν ὅτι μόνοι ἐστέ· οὐ γὰρ ἐστέ, ἀλλ' ὁ θεὸς ἔνδον ἐστί, καὶ ὁ ὑμέτερος δαίμων ἐστί. Καὶ τίς τούτοις χρεία φωτὸς, εἰς τὸ βλέπειν τί ποιεῖτε; Cùm ianuas adduxeritis, & tenebras intus feceritis, ne vmquam in mentem veniat dicere, quòd ſoli eſtis. non enim eſtis, ſed Deus intùs eſt; & Genius veſter intùs eſt. Quid autem opus iis lumine, vt videant quæ agatis?

In Cap. III.

De Religione.

Pag 47. Cum religione resp floret, aut cadit. Horat.

OMNIA proſpera colentibus deos, aduerſa ſpernentibus.] *Seriò cogitare debet Princeps, Religio neglecta aut prolapſa traxit ſemper remp. ſecum, & trahet. Vates ille haud vanus:*

Dî multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſæ.

Lib. 2 Inſtit. cap. viii.

Et Lactantius aſſerit, Ideò mala omnia rebus humanis cottidie ingraueſcere, quia Deus mundi huius effector & gubernator derelictus eſt: quia ſuſceptæ ſunt, contra quàm fas eſt, impiæ religiones.

Superſtitio ſi non naturâ. In Camillo. Aut impij.

In quam naturæ vitio nos proni. *Adeò verum eſt, vt in alia vitia duci videamur, in hoc rapi. Plutarchus haud iniuriâ deplorat* τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν, ὅρον οὐκ ἔχουσαν οὐδὲ κρατοῦσαν αὐτῆς, ἀλλ' ἐκφερομένην ποτὲ μὲν εἰς δεισιδαιμονίαν καὶ τῦφον, ποτὲ δὲ εἰς ὀλιγωρίαν τῶν θείων καὶ καταφρόνησιν; humanam infirmitatem, metam terminúmque non habentem, nec ſui potentem: ſed efferentem ſe, modò in ſuperſtitionem & vanitatem, modò in neglectum rerum diuinarum & contemptum. *Atqui, vt idem addit,* ἡ δ' εὐλάβεια, καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν, ἄριστον: Religio, vt nihil nimis, optimum: *Si tamen peccandum eſt, fateor tutiùs meliúſque peccari, in hanc Superſtitionis, quàm illam Impietatis partem.* Νόσος δὲ μεγάλη ψυχῆς, ἀσέβεια. ὅπου γὰρ δόξα εἰς πάντα τὰ κακὰ ἐπακολουθεῖ καὶ ἀγαθὸν οὐδέν. Magnus, magnus animi morbus eſt Impietas: quoniam illum opinio & inclinatio ad omnia mala ſequitur, boni autem nihil. *Et ſanè eâ ſtante, numquam reſpub. ſtabit.*

In medio virtus. Peſſima Impietas. Hermes c. xii.

Perniciosa rerum publicarum Superſtitio efficax ad regendum. Lib. 1. Lib. xv.

Nulla res multitudinem efficaciùs regit, quàm ſuperſtitio.] *Liuius de Numâ;* Omnium primum, rem, ad multitudinem imperitam, efficaciſſimâ, deorum metum iniiciendum ratus. *Et multitudinem dico, non hanc togatam tantùm aut muliebrem, ſed etiam illam accinctam & militarem. quæ, vt idem Curtius ait,* alioqui impotens, ſæua, mutabilis, vbi vanâ religione capta eſt, meliùs vatibus quàm ducibus ſuis pâret. *Itaque vſi vel abuſi hac ſæpè viri Principes. vt P. ille Scipio, qui Iouem in Capitolio conſulebat: Q. Sertorius qui ceruam circumducebat: C. Marius, qui Syram quãdam fatidicam, Martham. P. Sylla qui in prœliis preferre & oſtentare ſolitus ſigillum Apollinis. & exempla plura. Sed illud Caroli VII. Gallorum regis eximium. cuius res acciſas valdè reparauit hoc commentum. Virguncula fuit Iohanna Lotharinga, (à deóne inſtincta, an humanâ aliquâ fraude ſubornata?) qua palam ad Regem venit: & mirâ conſtantiâ aſſeruit diuinitus ſe miſſam, pellendis è Galliâ Anglis. Res relata ad conſilium: ſuaſa, diſſuaſa. Regi admittere viſum, & prudenter. Eius ſanè operâ, imo & ductu (nam arma gerebat, & viris præibat) Aurelianum arctâ obſidione liberatum, & pleraque alia fortiter ac feliciter geſta. Ad extremum tamẽ vacillauit vaticinij fides, cùm Iohanna capta ab Anglis & Rhotomagum ducta, igne exuſta eſt vt præſtigiatrix.*

Vſurpatum hoc ſæpe ...

Virguncula Gallicana inſtincta ſiue ſine dolo.

Pag 47. Principem dedecet ſuperſtitio.

At tu fuge.] *Ab omnibus ſuperſtitio arcenda, à Principe maximè. quem altus ſcilicet erectúſque animus deceat. at Superſtitio & aniles perſuaſiunculæ, vt cum poetâ dicam,*

Lucret.

—faciunt animos humiles formidine diuûm,
Depreſſoſque premunt ad terram,

Barbari ad eam proni. In Sertorio. Aut fœminæ ac pueri.

Et ſane vilium ferè aut barbarorum eſt Superſtitio. Plutarchus: Εὐάλωτον εἰς δεισιδαιμονίαν φύσει τὸ βαρβαρικόν: Inclinant naturâ ad ſuperſtitionem barbari. *Quod idem cenſebis de fœmineo imbecilliſque naturis.*

Timor et comes & anger. Epiſt. xxiv.

Deos à ſuperſtitioſo timeri. *Intellege ſeruiliter timeri. Nam duo vitij huius propria, Nimius timor, Nimius cultus. Seneca:* Superſtitio, error inſanus eſt. amandos timet quos colit, violat.

Intellectus ſanus in verſu veteri. Modeſta religio Principi conuenit. Hiſt. iii.

Religentem oportet eſſe, religioſum nefas.] *Meus priſco huic verſus, religionem cum modo habendam, vt omnia bona: quæ talia eſſe deſinunt, ſi ille abſit. Nam religioſum priſci dicebant in vitio, & cum copiâ quâdam immodicâ, vt Mulieroſum, Vinoſum. Statem alicui modus hic ſeruandus, certè Principi: imò omnibus qui in Rep. verſantur. Nicephorus Gregoras haud inſcitè:* Τῷ γὰρ μόνῃ προσέχοντι τῇ νοερᾷ τῇ κατὰ θεὸν θεωρίᾳ, ὄρη καὶ σπήλαια συνεξετάζειν προσήκει· ὅστις δὲ μετὰ τῆς ἀρετῆς καὶ πολιτικὸν ἠσκήσατο ἦθος, καὶ πεῖραν ἔχει πραγμάτων παντοίων, οὗτος δὴ λαὸν ἄγειν ἐς τὰ βέλτιστα καὶ συντέλεια πράττειν: Nam qui in vnâ Dei contemplatione mentem defigit, huic tali montes & ſpeluncæ conueniunt. at qui vnà cum virtute ciuiles etiam mores coniunxit; & notitiam ſibi parauit rerum variarum, ille verò populum ad optima & ſaluberrima ducere idoneus eſt.

Religio in vita & ſide. Lib. v Inſtit. cap. x

Optimus animus, pulcherrimus cultus.] *Breuiter hoc ipſum & acute Lactantius:* Religioſiſſimus eſt cultus, imitari. *Etiam Hermes Ægyptius:* Θρησκεία τοῦ θεοῦ μία ἐστί, μὴ εἶναι κακόν: Vnicus (*certè præcipuus*) dei cultus eſt, non eſſe malum. *Poſſem hic quædam appoſitè & verè; ſed Megarenſis ille Sapiens mihi inclamat,* ἀεὶ τούτων εἰς τὸ ἴδιον.

Moyſem illum Ægyptium.] *Hiſtoriola quam aſpexi, amœna & hodie vtilis eſt. Tu, ſi lubet, ab auctore eam pete.*

In Cap. IV.

De Fato.

Pag 47. Fata, Iouis verbum In P neg. ou theo. Veteres in moleſta

ET vocem Fata ſequuntur.] *Hac mente veteres Fata voluerunt Iouis præſta eſſe cum ſtilo & tabulis, ad inſcribenda eius dicta. Latinus Pacatus:* Au vt illi maieſtatis tuæ participi Deo feruntur aſſiſtere Fata cum tabulis: ſic tibi aliqua vis diuina ſubſeruit, quæ quod dixeris ſcribat ac ſuggerat? *Et Marcianus Capella* Parcas, ſcribas Iouis *appellat*, quòd eius decreta

Google

in æreas tabulas referant. *Ouidius aſpexit:*

——cernes illîc molimine vaſto
Ex ære & ſolido rerum Tabularia ferro.

Metam. xv. Voluntas à Fato immota: Lib. v. de Ciuit. c. viii. Nec ad mala, niſi à ſe, impellitur. Cap. xiv.

Ipſi homines, tamẽ in parte.] A deo *enim ſunt, ait Auguſtinus,* omnium poteſtates, quamuis ab illo non ſint omnium voluntates. *Ab vno & perpetuo illo bono, iure amouemus omnia mala. Triſmegiſtus:* Αὐτῷ γὰρ τῷ ποιοῦντι οὐδὲν κακὸν, οὐδ' αἰσχρὸν νομιζόμενον. ταῦτα γάρ ἐστι τὰ πάθη τὰ τῇ γενέσει παρεπόμενα, ὥσπερ ὁ ἰὸς τῷ χαλκῷ, καὶ ὁ ῥύπος τῷ σώματι. ἀλλ' οὔτ' ἰὸν ὁ χαλκουργὸς ἐποίησεν, οὔτε τὸν ῥύπον ὁ ποιητὴς γεγέννηκεν, οὔτε τὴν κακίαν ὁ Θεός: Ab ipſo conditore nihil malum aut turpe eſſe exiſtimandum eſt. Hæc enim ſunt affectiones quædam adhærentes & concomitantes ipſam generationem, ſicut ærugo æs, & ſordes corpus. Atqui nec æruginem faber fecit, nec ſordes auctor produxit, nec malitiam Deus.

Fatum ineuitabile. Li. xxiii.

Nullis conſiliis vel auxiliis vitamus.] *Ammianus:* Nulla vis humana vel virtus meruiſſe vmquã potuit, vt quod præſcripſit fatalis ordo, non fiat.

Pag. 48. Deus non ſubeſt Fato. Ouid. ix Metam. Lib. i.

Heu fatis ſuperi certaſſe minores!] *Ita Iupiter ipſe apud alium poetam.* Me quoque fata regunt.

Et Apollo Pythius apud Herodotum: Τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγεῖν καὶ θεῷ: Decretam ſortem nec deo quidem eſt effugere. *impiá ſententiá dicam, an ſtultá? Cur enim numen vincatur a Fato: nunquam certant. Et noſipſi cùm Deum ſupra Fata eſſe dicimus, magis Stoicis contradicimus, quam aliquid pro re dicimus. Nam quæ hic comparatio? proinde eſt, ac ſi ambigam Iudexne ſuper ſententiam ſit, an ipſa ſuper illum. Sed mutare, inquiunt, Fata an Deus poteſt? Abi inepte: ſcito eum nolle. & hoc ſatis.* Ordinem fati æterna ſeries regit, cuius hæc prima lex eſt, ſtare decreto.

Nec id tamẽ mutat. Senec. ii. Natural. Quæſt. Cõſilia noſtra ſiſtit Fatũ aduerſum. Niceph. Greg. Lib. vii. Lib. iv.

Conſilia corrumpit.] *Quæ aut mala ſcilicet immittit, aut nec bona fortunat.* Τῆς γὰρ θείας οὐ συμμαχούσης προνοίας τοῖς τῶν ἀνθρώπων βουλεύμασί τε καὶ πράγμασι, πονηρὸν αὐτοῖς ἀπαντᾷ τὸ τέλος, καὶ σφόδρα τοῖς ἐννοήμασιν ἐναντίον. οὔτε γὰρ βουλευθεὶς ὁ βουληφόρος, οὔτ' ἀνδρεῖος ὁ ἀνδρεῖος, ἀλλὰ τά τε σοφὰ βουλεύματα πρὸς ἄσοφον τελευτῶσι πέρας, καὶ τὰ γενναῖα καὶ ἀνδρειότατα πράγματα, ἄνανδρόν τε καὶ μάλα αἰσχρὰν τὴν ἔξοδον κληροῦνται: Nam vbi diuina Prouidentia non commilitat conſiliis actionibúſque hominum, malus iis exitus obuenit, & cogitationibus valdè aduerſus. Nam tunc neque vir conſultus, cõſultus eſt; nec fortis, fortis; ſed etiam ſapientiſſima cõſilia inſipienter deſinũt. & generoſa maximè ac fortia facta turpẽ & infamem exitum conſequũtur. *Liuius breuiter, de Gallorum aduentu ad Vrbem:* Occæcat animos Fortuna, vbi vim ſuam ingruentẽ frangi non vult. *Sed & Demoſthenes, cùm Athenienſes ſuos videt conſilio nihil facere, aperte clamat, vereri ſe* μή τι δαιμόνιον τὰ πράγματα ἐλαύνῃ: ne quid diuinum rebus ſe inſerat & adhæreat: *nempe hoc a fato.*

Fato per cauſſas agimur. Lib. vii.

Vt quod accidit, etiam meritò accidiſſe videatur.] *Lucani eadem mens:*

Hoc placet, ô ſuperi, vobis cùm vertere cuncta
Propoſitum, noſtris erroribus addere crimen?

Et veneráta ordo cauſſarum & euentuum, vt etiam humaná ratione non aliter cadere debuiſſe iudicemus. O mira ſapientia! quæ res omnes ita dirigit & flectit, vt tamen ipſi illuc iuiſſe videamur. Quid ergo? ad peccatum impellit deus? non, non, ſed ad lapſum. id eſt, res & fortunas mutat; ab alto deiicit, ab imo attollit; & hæc talia externa; ſic vt nos ipſi conſiliis factiſq́ gradum nobis ſtruamus ad fatalẽ illum lapſum, ſiue aſcenſum. Vt qui in vinclis a lictore ducitur, plerumque ſponte it, trahendus tamẽ niſi eat. ita hic.

Trahit nos ſæpè Deus in Externa mala. Sed cum culpá tamẽ noſtra.

Pag. 48. In Fato cõſid. randa

Tibi quis hîc fructus?] *Fructum vnum & præcipuum expreſſi, Patientia: licet alterum nunc addas. Scientia. Vt qui in Regno aut Republicá, ſcité: ferri & velut omnia ſurſum, deorſum, & nullius rei eodem ſemper loco ſtare fortunam.*

Volubilitas rerum Senec. Conſ. ad Helviam Sen. Oſtendi Hodie ſic eras aliter. Tacitus iii. Ann. Regna infirma.

Regitur fatis mortale genus,
Nil ſibi quiſquam ſpondere poteſt
Firmum & ſtabile.

Atque vt noſter ait, rebus cunctis ineſt quidam velut orbis, vt quemadmodum temporum vices, ita & morum vertantur: *imò & imperiorum. Græci floruerunt: poſt hos Afri, poſt hos Romani, poſt hos Scythæ: & quis ſcio an non breui noua aliqua gens? Nam* fati maligna perpetuaq; in omnibus rebus lex eſt, vt ad ſummũ perducta, rurſus ad infimũ; velociùs quidẽ quàm aſcenderunt, relabantur.

Sen. pater in Præfat. I. Cõtrou. Ouid. Metamorph.

——Sic omnia verti
Cernimus, atque alias aſſumere pondera gentes,
Concidere has.

Stare in faſtigio Scythas ſiue Turcas iam video: & ſtare. A multis annis nulli eorum progreſſus: profecto (verè vaticinor) ſpectant caſum. Hæc talia, quiſquis rebus conſiliiſq́ interes, conſidera: & quantum humano ingenio poteſt, prouide quò inclinent ſe fata & tu ad illa. Nam miſer quid pugnes? ἵνα γὰρ ἐξ αὐτῶν εἰδῇ ἄνωθεν προσγενόμενος ἄνθρωπος, ὡς ὅσα μὴ συναιρομένην ἔχει τὴν ἄνωθεν δεξιὰν, τούτοις ἡ γῆ καὶ θάλασσα μάχεται καὶ ἀήρ, ὥσπερ τινὰ δραπέτην θεοῦ καὶ τῆς δίκης ἀλάστορα δραστηρίως ἐπιτιθέμενα: ex ipſis factis homo diſcat, quæcumque cooperantem & commilitantem non habent ſupernam dexteram, his terram & mare & aërem aduerſari, tamquam fugitiuum aliquem Dei & Iuſtitiæ violatorem efficaciter perſequentia. *At contrà, quò Fatum vergit, alia etiam omnia: & velut viam illi muniunt ignari aut inuiti. Cæſar ad Principatum venire debet? Societatem cum illo Pompeius coeat, & calide enchat iuxta ſeſe. Deiicere poſteà vult? fruſtrà. cauſſam dumtaxat armorum præbeat, turpiter & imperite ex Italiá fugiat, aleam de ſumma re vno prælio iaciat feſtinanter. Romanos imperare fatum eſt? Annibal a Cannis Romam non petat: Philippus fœdus ſine effectu cum illo ineat, & nauis cum legatis velut caſu capiatur: ceteri item reges quieſcant, & alij poſt alios vincantur,* fatali omnium ignauiâ. *Quid de hodierno Europæ ſtatu cogitem, ſileo. Sed Fatum quid tibi vis? quod telum ſubitò in me iniicis? Ecce nuncius,** PLANTINVM *illum meum, quo neminem ego, nemo me fideliùs amauit; illum pulcherrima artis columen, & ſtili mei lucem, abiiſſe. Heu, heu, ego viuo & ſcribo?*

Fatorũ deuergia videnda. Niceph. Greg. vii. Illuc omnia ſi dãt, vnde occulto ſunt.

Tacit. xv. Annal. * Obiit Kal. Iulii, anni cIɔ Iɔ. LXXXIX

IN CAP. V.

De Conſcientiâ.

POTEST contingere nocẽti vt lateat, latendi fides non poteſt.] *Imitatus eſt & argute extulit minor Seneca.*

Scelus aliqua tutum, nulla ſecurum tulit.

Pag. 48. In Hippol.

IN CAP. VI.

De Probitate.

ESSE, quàm videri, probus malis.] *Machiauellum ergo nemo audiat, qui ſimulatam neſcio quam virtutem Principi induit, & ſcenæ ſeruientem. O dogma ad Principis perniciem pariter & ſubditorum!*

Pag. 49. Pura probitas, probũ.

Honeſtum ei vile eſt, cui corpus nimis carum eſt.] *Cato Cenſorius in hanc ſententiam:* Cultus magna cura tibi, magna virtutis incuria.

Apud Ammian. lib. xvi.

IN CAP. VIII.

De Vſu.

Pag. 50.

QVISQVIS in re Ciuili intellegens haberi volet, opus ei Experientiâ.] *Multa & pulchra apud Philo, ophum eo loco vide, quem hic citaui. Illud certum. intellegere te aliquid ex lectione vel auditu in rebus Ciuilibus poſſe, atque etiam iudicare; tangere aut tractare eas non poſſe, ſine vſu.*

Experientia in Reg. opus.

IN CAP IX.

De Memoriâ rerum.

Pag. 50.

PLVRA ad Prudentiam confert] *Si vlla quidē res ad Prudentiam publicam priuatamq́; facit, facit Hiſtoria. quam Leoni futuro Principi, Baſilius pater iam Princeps, egregiè commendat, verbis quæ meritò adſcribo:* Ἱστορίας ἀρχαίας ἐξερχεσθαι μὴ ὀκνήσῃς· ἐν αὐταῖς γὰρ εὑρήσεις ἀπόνως, ἅπερ ἕτεροι συνῆξαν ἐπιπόνως. καὶ μάθοις ἐκεῖθεν τάς τε τῶν ἀγαθῶν ἀρετὰς, καὶ τὰς τῶν φαύλων κακίας, τάς τε τοῦ βίου πολυτρόπους μεταβολὰς, καὶ τὰς ἐν αὐτῷ πραγμάτων ἐπαλλαγὰς, καὶ τοῦ κόσμου τὸ ἄστατον, καὶ τὸ τῶν ἀρχῶν εὐμετάπτωτον, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, τῶν μὲν φαύλων τὰς ἀμοιβὰς, τῶν δὲ σπουδαίων πράξεων τὰς ἀντιδόσεις, ὧν τὰς μὲν φύγῃς, ἵνα τῆς ἐκεῖθεν δίκης πεῖραν μὴ λάβῃς, τὰς δὲ κατορθώσῃς, ἵνα τῶν ἐντεῦθεν ἐπάθλων καταξιωθῇς: Per Hiſtorias veteres ire ne recuſa. Ibi enim reperies ſine labore, quæ alij cum labore collegerunt, atque illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia: vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in eâ conuerſiones: mundi huius inſtabilitatem, & Imperiorum præcipites caſus. Et, vt verbo complectar, malorum faciorum pœnas, & bonorum præmia. quorum illa fugies, ne in diuinæ Iuſtitiæ manus incidas; hæc amplectêris, vt præmiis quæ ea comitantur, potiaris. *Hæc Græcus ille Imperator, in libello quem* Κεφάλαια παραινετικὰ *inſcripſit: probo, pio, & digno quē Principes legant.*

Hiſtoria ad prud. vſu laus, & fructus. Cap. xvi.

Baſilij Memoria.

Pag. 50.

Eadem ad Ciuilem hanc partem vtiliſſima.] *Non tamen omnis Hiſtoria, ne erres. Vt aurum non quæuis terra gignit: ſic nec hæc promiſcua, Prudentiam Ciuilem. Quæ illa igitur? ea, quæ tres has Notas habet: Veritatem, Explanationem, Iudicium. id eſt, quæ legitima Hiſtoria eſt, & perfecta. Nec enim talem ego vmquam cenſuero, cui trium horum aliquid deſit. Prima, Nota,* VERITAS *eſt. vt nempe res euentuſq; omnes puriter & ex fide narret,* nec quidquam (quo nimis ferè inclinant ſcribentium animi) hauſtum ex vano velit. *Olim & nunc rara virtus: & à qua non affectu ſolum aut aſpectu plerique abeunt, ſed ſpecie etiam virtutis. Nam fidem in Principem aut ſtatum cenſent, narrare aliquid non ex fide. Atqui hoc fundamentum operis eſt:* καὶ ἡ ἀλήθεια *(ait in hac ipsâ re Dionyſius)* ἀρχὴ φρονήσεώς τε καὶ σοφίας : & Veritas, principium prudentiæ ſimul & Sapientiæ. *Vt animanti oculos ſi eruas, reliquū corpus inutile reddas: ſic Hiſtoriam, ſi ab eâ hoc lumen. In falſâ & errante, quomodo non fallare ſemper & erres? talis firmiter numquam te diriget, aut tuas actiones. Nota altera* EXPLANATIO *eſt. vt rem ſcilicet non fideliter tantùm narret, ſed diſponat etiam atque exponat. Quomodo, & quare, quidq; geſtum ſit, addat:* vt non modò caſus euentuſque rerum, ſed ratio etiam cauſſæque noſcantur. *Magna hæc laus, &, Polybio iudice, ita neceſſaria, vt vſum non habeat quæcumque eâ caret,* ἱστορίας γὰρ, *inquit,* ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸ διὰ τί, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς, ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ οὐ γίγνεται : Ab Hiſtoriâ ſi quis auferat, Quare, Quomodo, Quo fine quidque ſit

Quæ Hiſtoria vtilis?

Eaque Vera ſit. Liuius xxii.

Præfat. Archæol.

Quæ plena ſit.

Tacit. 1. Hiſtor.

Lib. iii.

actum, & an ex ratione ſatis ceciderit; quidquid in eâ reliqui, ad ludicrum magis erit, quàm doctrinæ. *At Nota tertia,* IVDICIVM. *vt diſcrimen lumenq́; rebus adhibeat: & hæc probet, (ſed breuiter, & quaſi aliud agens,) hæc damnet.* quod præcipuum munus Annalium reor, ne virtutes ſileantur, vtq; prauis dictis factiſque ex poſteritate & infamiâ metus ſit. *O pulchra iſta pars! & quæ actiones vitamq́; omnem format & dirigit, ſi à iudicio tamen profecta directo. Nam prauus aliquis aut imperitus, fruſtrà illuc ſe dabit: & cum ſuo tamen irriſu magis, quàm noſtrâ noxâ. quia vanitas ſtatim apparet. Hæ ſunt tres illæ Notæ, quas in quacumque Hiſtoriâ repperies, Veteri ſiue Nouâ, ſcito purum probumq́; eſſe illic aurum. Scrutare.*

Quæ mixta ... Tacit. iii. Annal.

Sed viſne etiam ad ſpecimen diſtinctè ſcriptores aliquot tales tibi ingeram? faciam: etſi in hoc iudicio, iudicium meum ipſe in iudiciū mitto. Diſtinguam per Tempora & Gentes. Inter Græcos veteres duo ſunt mirificè mihi probi,

Iudicium Hiſtoricorū, qui nobis probi.

THVCYDIDES: *qui res nec multas nec magnas nimis ſcripſit, ſed palmam fortaſſe præripit omnibus qui multas & magnas. Elocutione totâ grauis & breuis, denſus ſententiis, ſanus iudiciis, occulte vbique inſtruens, actiones vitamq́; dirigens, orationibus & excurſibus penè diuinus. Quem quò ſæpiùs legas, plus auferas: & numquam tamen dimittat te ſine ſiti. Alter ab iſto eſt.*

De Thucydide ſententia noſtra.

POLYBIVS, *qui multa & præclara libris XL. compoſuit: ſed pars pleraque, aut tota periit, aut mutilata ad nos venit, cum fraude generis humani. Ille iudicio & prudentiâ Thucydidi haud diſpar, curâ & ſtilo ſolutior. qui excedit, abrumpit, diffundit, & ſæpe non tam narrat, quàm ex profeſſo docet. Sed recta & ſalutaria vbique eius monita: & quem ego hoc magis Principibus commendatum velim, quòd anxiâ in eum inquiſitione non opus, ſed ſenſus ſuos aperit & reuelat ipſe. Nam Thucydides ſæpe artior & obſcurior: eoq; qui circa Principem magis, quàm Principi aptus.*

De Polybio.

Inter Græcos medios PLVTARCHVS *eſt. qui non Hiſtoriam propriè, ſed particulas Hiſtoriæ ſcripſit & ablêgit, Illuſtrium virorum vitas. Sed dignus tamen, ſi quis alius, Principe ſcriptor. qui iudicium mirificè format, & diffuſâ ac planâ quâdam ſcribendi viâ ad Virtutem vbique & Prudentiam ducit. ſed ad illam magis: &, niſi fallor, melior omnino quàm acutior doctor.*

De Plutarcho.

XENOPHONTEM *prætereo? abſit. Sed laudatiſſimus ille Cyrus eius non habet hic locum, quem magis ad exemplum vitæ, quàm ad fidem rerum ſcripſit. In reliquâ Hiſtoriâ (Græcanicâ inquam, aut Perſicâ) ſanè ſuauis ille, & fidus, certe circumſpectus ſcriptor: è quo tamen haurias magis Prudentiam hanc Ciuilem, quàm vt vltrò eam propinet. Sententias quidem & dogmata rarò miſcet. Sed iuuit nos hic egregiè viâ aliâ. cum Thucydidem adhuc latentem, & in ſuâ manu vt opprimeret (ô candidam, & ab omni æmulatione vacuam mentem!) primus ipſe protulit & diuulgauit.*

De Xenophonte.

Iam inter infimos quoque Græcos duo ſunt, quos non contemno. Prior eſt NICETAS CHONIATES, *qui res Græcanici imperij ſcripſit, orſus à * Iohanne Comneno Alexij F. ad vrbem captam, ſiue ad Balduinum Flandrum. Is parum adhuc vulgo notus, fateor: ſed digniſſimus notitiâ: purum rectumq́; ingenium, ſi aliud illo æuo. Stilus etiam operoſus, poetis & Homerum ſæpè reſpiciens: at res & narratio ipſa, diſtincta, compoſita, ſine vanitate, ſine ineptiis, breuis quod ſatis ſit, & fida. Crebra apud eum & opportuna monita: iudicia non libera ſolùm, ſed ſana. Ad ſummam, legite vos Politici, gratiam mihi aliquis pro iudicio habebit. certè debebit.*

De Nicetâ. *Ab anno Chriſtiano M.CXVIII. vſque ad annū circiter M.CCX.

Alter

De Gregorâ. *Alter eſt*, NICEPHORVS GREGORAS, *qui hiſtoriam & filum narrationis eius excepit, at non laudem. Scripſit enim ab vrbe captâ res, ad Andronici Palæologi poſterioris mortem: ſed nequaquam pari caſtigatione aut induſtriâ, & vitia plura traxit ſui æui. Superfluit, aut euagatur: & res orationéſque proprias miſcet, indecorè, imo ineptè. Iudicia tamen eius crebra, & plerumque recta: cauſſæ euentuum curioſè poſitæ: pietas inculcata, & multa opportunè ad primam illam cauſſam relegata, id eſt Deum. Sanè Prouidentiam & fatum non alius ſcriptor aſſerit magis. Legendus cùm hoc nomine, tum etiam illo, quòd pleraque eius Hiſtoriæ ab æuo noſtro non diſſident: imò lites diſſenſúſque in Sacris reperies, haud diſſimiles hodiernis.*

De Tacito. LATINI *ſequuntur. quorum agmen* CORNELIVS TACITVS *mihi ducat. Ante Liuium? inquies. Non eloquentiâ, aut aliis virtutibus: ſed iis quas nunc conſideramus, Prudentiâ, & Iudicij notis. Quis illo veriùs narrat, aut breuiùs? quis narrando magis docet? In moribus quid eſt, quod non tangat? in affectibus, quod non reuelet? mirabilis omnino ſcriptor, & qui ſeriò hoc ipſum agit, quod non agit. Nec enim Hiſtoria ſolùm eſt, ſed velut hortus & ſeminarium præceptorum. Vt ij qui veſtes acu pingunt, ingenioſe gemmas inſerunt, ſine confuſione aut noxâ formarum: ſic iſte paſſim Sententias, ſerie narrationis nihil omiſſâ aut læſâ. Scaber tamen quibuſdam & obſcurus videtur. ſuóne vitio, an ipſorum? Nam acutè argutéque ſcripſiſſe fateor: & tales eſſe debere, qui eum legent. Ideo Conſiliariis magis Principum, quàm ipſis commendo: qui habeant hunc Sapientiæ ſimul & Prudentiæ verum ducem.*

De Salluſtio. *Alter eſto* C. SALLVSTIVS; *omnino primus ſi libros modò eius haberemus. Sed Hiſtoriarum corpus illud totũ periit: & ex his pauculis, admirari eum magis libet, quàm anxiè iudicare. illud video Thucydidi ſimillimum eſſe: & ideò quæ de illo dixi, dixiſſe hic me puta.*

De T. Liuio. *Tertius eſt* T. LIVIVS, *magnitudine quidem & maieſtate operis ante omnes: Diffuſus ille & placidus, in concionibus maximè diſertus; & talis omnino qualem Fabius deſcripſit. Patauinitas ei obiecta ab Aſinio, id eſt, niſi fallor, ſermonis quædam peregrinitas, nec tam in verbis quàm ſtilo toto. Nos quoque ſupinum eum, alibi, aut frigidum, imò &* ταυτολόγον *agnoſcimus: deriuaturi libenter tamen in exſcriptores hãc culpã. Iudicius ſententiiſque bonus eſt, etſi non frequens. quid refert? pro ipſo loquitur docétque copia tot euentuum & exemplorum.*

De Q. Curtio. *Sequuntur ſcriptores duo, velut proprij Principum, & aſſiduè iis in manu ſinúque habendi.* Q. CVRTIVS: *qui me iudice probus eſt legitimúſque Hiſtoricus, ſi quiſquam fuit. Mira in ſermone eius facilitas, in narrationibus lepos. aſtrictus idem, & profluens, ſubtilis, & clarus; ſine curâ vllâ accuratus. Verus in iudiciis, argutus in ſententiis, in orationibus ſuprà quàm dixerim facundus. Quod ſi varium magis argumentum habuiſſet; fallor, aut variæ Prudentiæ eximium magis ſpecimen præbuiſſet. Sed Alexander, quid niſi bella?*

De C. Cæſare. C. CÆSAR *res ſuas ipſe digeſſit: compoſitè ſanè, & pari modeſtiâ ac libertate. In ſtilo ſunt quæ culpem, ſine eius tamen culpâ. nam malam aliquam & alienam manum acceſſiſſe, ſatis mihi liquet. Prudentiam non è verbis eius hauries, ſed è factis: & maximè Militarem. Commentarij enim ſunt, & nihil pollicentur præter nudam ſimplicémque narrationem.*

Inter mediæ ætatis ſcriptores (proh dedecus!) non eſt quem pro mediocri Hiſtorico laudem. Adeò labente imperio barbaries ſtatim & ſqualor omnia occuparunt: & ſi qui ſcripſerunt, ij ferè ad vana delapſi, falſo vera, aut maiora vero, miſcuerunt. AMMIANVS tamẽ MAR-CELLINVS *fidei & iudicij ſatis clarus eſt, modò ſtili.*

Tac. 11. Hiſt.

De Ammiano.

A *De Lamb. Schafnaburgenſi.* LAMBERTVM *etiam* SCHAFNABVRGENSEM *haud planè contemno in rebus Germanicis.*

De Roder. Toletano. *Vt nec* RODERICVM TOLETANVM, *in Hiſpanicis. Vterque bonus quantum potuit in tali æuo.*

De Cominæo. *At patrum & noſtro æuo videtur Hiſtoria ſe commoniſſe. Scripſit eam ante annos paulo minùs centum* PHILIPPVS COMINÆVS, *ita laudabiliter, vt nihil verear componere eum cum quouis antiquorum. Incredibile eſt quàm ille omnia videat, penetret, arcana conſiliorum eruat, & ſubinde inſtruat nos ſalutaribus variiſque præceptis. & id diffuſè, Polybiano quodam exemplo. Quamquam reuerà Polybium aut talem aliquem ille nec vidit: & hoc quoque laudem eius auget, quod tanta præſtitit, litterarum omnium rudis, ſolo vſu rerum peritus, & naturali quâdam iudicij bonitate.* B *Ite nunc ſcioli, & linguarum aliquâ cognitiuncula vobis placete. At Princeps noſter hunc legito, & Enchiridium* COMINÆVS *illi eſto. Dignus Alexandris omnibus hic Philippus.*

De Paulo Æmilio. PAVLVM ÆMILIVM *comitem huic da, qui in Galliis, & res quoque Gallicas ſcripſit, etſi non Gallus. Ludouicus* XII. *decus hoc Italiæ abſtulit, & vindicauit ſibi. Ille, vt rem dicam, penè vnus inter nouos, veram, & veterem Hiſtoriæ viam vidit, eámque firmo pede calcauit. Genus ſcribendi eius doctum, neruoſum, preſſum ad ſubtilitatem & argutias inclinans, & relinquens defigénſque aliquid in animo ſerij lectoris. Sententias & dicta ſæpè miſcet, paria Antiquis. Rerum ipſarum ſedulus ſcrutator, ſeuerus iudex: nec legi noſtra ætate, qui magis liber ab affectu.* C *Dedecus aui eſt, quòd minùs ille placeat, quaſi pauci ſint qui capiant hæc bona. In tantis tamen virtutibus etiam hæ labeculæ. quòd ſtilum parùm nectit, & ſpargit diuiditque eum in minuta quædam membra. Hoc cùm in omni ſeriosâ oratione parùm congruum, tum in Annalibus minimè: quorum eſt, vt ille ait,* tarda *quædam &* iners ſcriptura. *Deinde, quòd inæqualis. alibi nimiùm anxius & caſtigatus, ideóque ſubobſcurus: alibi (ſed rarenter) laxus & ſolutus. Vetuſtatis etiam neſcio quid affectat in nominibus hominum, locorum, vrbium immutandis, & in veterem formam redigendis: ſæpè eruditè, interdum vanè, ſed, vt ego iudico, ſemper indecorè. Quorſum* Chartierius *Gallorum Cancellarius*, Quadrigarius *mihi ſit? Ille ipſe* Cancellarius, *dicatur* Præfectus iuris? *& vbique* rex Tarraconenſis, Caſtulonen-D ſis, Dux Geldubenſis: *qui nobis & maioribus fuerunt*, Arragoniæ, Caſtellæ, Geldriæ? *Talia infinita ſunt audacter & ambitioſè innouata, & cum fraude pariter ac cruce lectoris. In his, & paucis aliis, ſi refingere leuiter eum nobis fas: (audeo dicere) virum daremus ſupra omnem hanc nouitiam, & ad priſcam laudem.*

Tacit. de cauſſis corrup. Eloq.

De Franc. Guicciardino. *Sunt & æui noſtri Hiſtorici duo, quos tangam.* FRANCISCVS GVICCIARDINVS, *prudens peritúſque ſcriptor, & qui tales lectores ſuos facit, liber eſt & verax; ab affectibus immunis; ſi tamen ab odio quod retegere mihi non ſemel videtur* E *in Ducem Vrbinatem. Sententias bonas vtiléſque inſerit, ſed parum aſtrictas. Vitia duo propria huius æui non effugit, Quòd & iuſto longior eſt, & Quòd minutiſſima quæque narret. parum ex lege aut dignitate Hiſtoriæ: quæ, vt Ammianus ait*, diſcurrere per negotiorum celſitudines aſſueta, non humilium minutias indagare cauſſarum. *Sed nec orationes eius ſatis vegetæ mihi, aut caſtigatæ. languent ſæpè, aut ſolutè vagantur. Denique vno verbo, inter noſtros, ſummus eſt Hiſtoricus: inter veteres, mediocris.*

Lib. XXVI.

De P. Iouio. PAVLVS IOVIVS *multorum iudicia magis*

acerba,

acerba, quàm libera experitur. Acriter valdè in virum eunt. Ego de eo ſic cenſeo. Stilo bonum grauémque eſſe, & planè ad hiſtoriam: iudicio ac fide ambiguum. Vbi affectus non diſtrahunt, rectum; vbi illi adſunt, obnoxium. Ad gratiam ſcilicet ſe dat & auram. Laudationum nec cauſſam ſæpè habet, nec modum. Gentis ſua, Vaſtio, Medicæis, nimis ex profeſſo addictus. his quidem ita, vt Laurentium Medicem parricidij reum velut apud iudices agat. Orationibus quoque aut frigidus interdum aut ineptus. Laudandus tamen legendúsque ob multiplicem & variam rerum ſeriem, quas redegit compoſitè & dilucidè in vnum Hiſtoriæ corpus. Imò nec in Perſicis aut Turcicis tam vanus, quàm videri volunt: & fidem ei in pleriſque adſtruunt Turcici Annales, qui nuper prodierunt.*

* Hoc anno, editi Io. Leunclavio.

De Petro Bembo.

De Petro Bembo *aliquid addam? illuſtri dignitate & famâ vir fuit: quam tamen Hiſtoriâ ſuâ Venetâ apud me non auxit. Iacet in narrationibus, vel friget: in verbis affectatiunculas habet, materie autem vero ſerio parum dignas. Nulla vox niſi ex Tulliano aut Iuliano penu: & quæ ſic dici non poſſunt (quippe noua, vel iis ignota) miro verborum ambitu comprehendit. Ipſa etiam tota ſcriptio & formulæ ſic compoſita, quaſi hæc omnia Romæ geſta, & republicâ illâ ſtante. Sunt in quibus rideam; ſunt in quibus indigner. & cùm tam curioſe à verbis ſibi cauerit, reperio alibi, quæ non dicam Tulliana non ſint, ſed vix Latina.*

Hæc iudicia noſtra ſuper præcipuis Hiſtoricis ſunt. Nec enim omnes ſanè aduoco. quid opus? Bonis ad vſum & exemplum hæc ſatis ſunt, improbis ad calumniam plus ſatis.

In Cap. X.

De Doctrinâ.

Pag. 51. Doctrina mentem illuſtrat. Apud Diog. Laërt. in Ariſtot.

AD Prudentiam facit validè.] *Omnis omnino Doctrina ad Prudentiam facit, & animi interior ille cultus. Tacitè enim acuit, & iudicij vim format. Ariſtoteles dicere ſolitus:* Ἡ μὲν ὅρασις ἀπὸ τοῦ περιέχοντος ἀέρος λαμβάνει τὸ φῶς, ἡ δὲ ψυχὴ ἀπὸ τῶν μαθημάτων: Aſpectus à circumfuſo aëre lumen accipit, mens à doctrinâ.

Eadẽ animũ domat: Modeſtiam inſerit.

In C. Martio Coriol.

Quia animum ad accipiendam illam præparant.] *Nam animus noſter per ſe ferox, molleſcit per doctrinā & ſe frangit, diſcitque affectus & omnes motus magis habere in Poteſtate. Plutarchus pulchrè:* Οὐδὲν γὰρ ἄλλο Μουσῶν εὐμενείας ἀπολαύουσιν ἄνθρωποι τοσοῦτον, ὅσον ἐξημεροῦν τὴν φύσιν ὑπὸ λόγου καὶ παιδείας, τῷ λόγῳ δεξαμένην τὸ μέτριον, καὶ τὸ ἄγαν ἀποβαλοῦσαν: Nihil maius ex Muſarum placido commercio homines capiunt, quàm quòd naturam mitigent, & manſuetam faciant Ratione & Doctrinâ, amplectentem ex iis Modeſtiam, & quod Nimis eſt fugientem. *Itaque idem ille ſcriptor Marcio Coriolano & C. Mario hoc defuiſſe oſtendit, ſummis alioqui viris: qui, inquit, ſi Muſis Gratiiſque litaſſent, non impetu ablati tam fœdum & turpem rebus ſuis exitum dediſſent. Conſidera.*

In C. Mario.

Ab hac vacui non ſitis. Ad vſum transferenda Doctrina.

Haurienda, ſed ad vſum.] *Abſit enim vt Princeps hic deſideat, aut in meditatiunculis conſeneſcat. Vt qui ignem à vicino petit, non illic hæret, ſed ablato eo domi focum ſuum accendit: ſic capiendi à Doctrinâ igniculi illi Prudentiæ, & ad vſum actiénemque Ciuilem transferendi ſunt.*

Pag. 50. Redundãs ſcientia, non vtilis. Laert. in Ariſtip.

Qui fructuoſa, non qui multa ſcit, ſapit.] *Egregiè in hac re Ariſtippus.* σεμνυνομένου τινὸς ἐπὶ πολυμαθίᾳ, ἔφη, ὥσπερ οὐχ οἱ τὰ πλεῖστα ἐσθίοντες καὶ γυμναζόμενοι ὑγιαίνουσι μᾶλλον τῶν τὰ δέοντα προσφερομένων, οὕτως οὐχ οἱ πολλὰ, ἀλλ' οἱ χρήσιμα ἀναγινώσκοντες, εἰσὶ σπουδαῖοι: quopiam ſe iactante ob multi-ſcientiam, dixit, Vt non ij qui plurimũ comedunt & exercentur, meliùs valent iis qui modicè: ita nõ qui plurima, ſed qui vtiliſſima legerent, docti cenſendi & ſtudioſi. *Ergo modus tenendus, præſertim principi. nec immeritò Iulianus Deſertor (alias magnus & multiplici virtute Imperator) malè audiuit, tamquam* Græculus litterio, *& Philoſophus nimium deditus. Sed nec Hadrianus extra culpam affectatæ ſupra modum doctrinæ. Peccauit pariter Michael Ducæ filius, Byzantij Imperator, qui, ducente Michaele Pſello, ita totum litteris ſe dedit, vt gubernatio rerum penes alios eſſet, & turpiter imperium dehoneſtaretur. Ego ſanè Traianum aliquem malim, doctum leniter, ſed vigilantem, ſerium; quàm principem otioſum & in litteris delicatum.*

Iulianus hic notatur. Ammian. xvii. Et Hadrianus: Et Michael. Ioh. Zonaras in Annal. to. iii.

Modus in Scientia. Non vna ea ſpernenda.

Tenuitque quod eſt difficillimum, ex Sapientiâ modum.] *Pulchra gnome & admonitio. Sed quis igitur ille Principi aptus modus? Ego hunc cenſeo, vt neque nihil neque omnia diſcat. Nam Ludouicum Vndecimum valdè damno, qui filium Carolum omnium bonarum artium rudem voluit.* Ne eſſet, *vt aiebat,* in cõſilijs capiendis refractior, & tenacior ſui ſenſus. *Et mehercule hoc eſt aſſecutus. Nam illum iam regem duo tréſve homunculi, & ꝗ ex viliſſimis, huc illuc pro ſuo arbitrio circumegerunt, cum magnâ ſubditorum indignatione & damno. Gothorum cauſſa, penè dicam iuſtior. qui, cùm Amalaſſuintha egregia femina filium ſuum Atalaricum liberaliter inſtitui docerique curaret, cœtu facto ad eam venerunt, querentes, regem ſuum, nec rectè nec decenter inſtitui. Nam iſta omnia litteraria longè à robore & armis abeſſe, imò effeminari iis animum & ad timorem traduci. Quare hæc omitteret, &* magiſtros exueret, ſatis amplis doctoribus inſtructus, maioribus ſuis. *Parêre Amalaſſuintha debuit, cum rogantium poſt damno. Hæc mala & barbara ſunt atque omnino ferâ inſtitutione formandi imprimis illi, qui* ita nati ſunt, vt bona maláque eorum ad rempub. pertineant. *Qualis ea eſſe debeat,* * *alibi fortaſſè fuſiùs, hic & in compendio dicam. In Liuio legi, de Seruio, poſtea rege.* Eruditum artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. *Tales, neque alias, in Principe ego quæram. Credo triplices eas eſſe: ad* Splendorem, *ad* Prudentiam, *ad* Virtutem. *Primi generis* Eloquentia *eſt &* Linguarũ ſcientia. *Opus ſanè iis, vel in legationibus audiendis, vel in conſilijs, vel in publicis alloquiis. Infantẽ eſſe Principem, turpe, & detrahit auctoritati. Sed quæ eloquentia eum decet? Tacitus de Auguſto præit:* Erat ei prompta ac profluens, & quæ Principem decêret, eloquentia. *Profectò talis aliqua conueniat, non moroſa illa aut affectata, & quæ artem aut ſtudium præferat. Quid tamen Tiberiana illa? de quo idem ſcriptor,* Artem calluiſſe quâ verba expenderet, validum ſenſibus, aut conſultò ambiguum. *Mihi non diſpliceat. imò in Principe maturo iam aut & regno, hanc ante illam probem. Profluentia & facilitas ſermonis ſit adoleſcentiæ, ſtata ætatis hæc librata & examinata oratio. Sed & ſi interdũ ambigua aut inuoluta, haud damnem. quia ſic opus inter exploratores aut callidos, qui ſæpè legationis aut aliâ ſpecie accedunt. De* Linguis *cenſeo, non niſi eas diſcendas, quarum apud ſubditos aut vicinos crebrior vſus. Mithridates hic ſe iactauerit, qui omnes ſuarum ditionum: ſuperfluum eſt, & pompa magis, quàm vſus. Romanos illos proceres, vix lego alias calluiſſe à Latinâ & Græcâ: & ſufficiebãt, quia ſparſæ & communes ferè per terrarum orbem. Noſter Latinam inter omnes diſcat, eatenus vt leniter (ſi opus) in ſermone vti poſſit, ſed maximè ad legendũ. Quæ diſciplina melior, non comprehenſa hoc ſermone: nec verſiones vim illam aut indolem ſemper habẽt. Addiſcenda eſt; & facile poteſt, ſi Præceptor adſit iudicio probus, qui nõ circumducat per varia & ſuperuacua præcepta. Pauca*

Procop. de Bell. Goth. Lib. I.

Tacit. xiv. Ann.

Aſſumenda ſaltem vtilia.

Tacitus iv. Ann.

* In Libris De inſtitutione Lib. I.

Artes Principe dignæ. Trium generum:

Eloquentia, & manſueta.

xiii. Annal.

Ibid.

Linguarũ ſcientia:

Et in primis Latina.

Eius vtilitas.

hæc, & lectio, in breui eam dabunt. Adijcenda autem eò magis, quia etiam nunc quaſi commune vinculum eſt, quod Europam inter ſe commercijs litterarum & ſermonis iungit. Scio viros Principes in grandiore iam ætate, cùm vſum viderent, aſſumpſiſſe, ſpretam aut neglectam malè in iuuentute Sed pergo. Ad Prudentiam *palam faciunt*

Politica & Hiſtoria.

Politica, & Hiſtoriæ, *quas dixeris eorum fontem. Quod illa præcepta complexa ſunt, hæ præiuerunt exemplis: & prudens aliqua meliùſque mens hauriet ſemper ex illis. Hæc propria & peculiaris lectio ac palæſtra Principum: ſe atque otium hic exerceant, incredibili ſuo & alieno fructu. Sed in quibus auctoribus aut libris? de Hiſtoricis iam diximus: de Politicis, nemo mihi ante* Ariſtotelem:

Qui legendi in Politicis.

cui Platonis leges & Rempublicam, *&* Xenophōtis Cyrum *velim addi. In hac claſſe pono* Militaria, *cuiuſmodi vetera & noua noſter legat. Inter veteres,* Leo Imperator *bonus eſt, in libello huic rei ſcripto; inter nouos ſunt multi & erunt, iudicio tamen eligendi. Ad hanc partem etiam addo,* Phyſica, Geographica, Aſtronomica, Geometrica. *Omnia hæc ad Prudentiam neceſſum eſt, non dicam plenè ſcire ſed tamen libare. Phyſica primùm, quia mentē attollūt (quod idem in Aſtrologicis) & abducunt à vano metu aut admiratione rerū. Plutarchus ſapienter conſiderat, & notat in Pericle. quem ait*

Phyſica non ſpernenda.

præceptorem habuiſſe Anaxagoram, à quo imbutus ſcientiâ rerum ſublimium & cæleſtium, non ſolùm alto fuit animo, ſed & oratione erectâ, longè à plebeiâ & futili loquentiâ. Nec verò, *inquit*, hunc ſolum fructum Pericli dedit Anaxagoræ conſuetudo, ſed etiam omni eum ſuperſtitione liberauit, quæ terrorem ex rebus aëreis aut ætheteis imprimit ignorantibus earum cauſſas. quem eximit naturalis diſciplina, & pro terrificâ & vrente ſuperſtitione trāquillam inſerit cum bonâ ſpe religionem. *At* Geographica

Meteorologica vtilia.

Geographica.

quidni nouerit, vt vnà prouincias & membra ſui regni? Prorſus ad conſilia facit (delectationem omitto, quæ maxima & liberalis eſt) ad conſilia, inquam, facit ſitus terrarum, & magnitudines, atque interualla noſſe, tum etiā portus atque aditus; flumina, maria, montes; denique præcipua opida & munitiones; & ſiquid aliud eximiū Deus in machinâ iſtâ inferiore oſtendit. Aſtronomica *addidi, vt tempora anni, imò & tempeſtates, nouerit aut præſagiat: dies noctesq́; alibi diuerſas, communiter curſus ſiderum, & alia iucunda, ſed & vſui ad opportunitates aggreſſionum terrâ aut mari. Polybius hæc diffundit, & Principi aut Duci bono commendat, in libro ſuo IX. Idem &* Geometrica. *ac reuerâ ad caſtra locanda, opida muniēda, propugnacula ſtruenda, tormenta dirigenda, vtilem hanc eſſe partem nemo negauerit, & Principi haclenus tangendam vt poſſit iudicare. Nam multum operæ ſtudiiq́; in iſtis poſtremis ponēdum, haud dicam: nec probo vel Afrorum reges quoſdam, vel Caſtellæ Alphonſum Decimum, qui toti in Mathematicis aut Aſtrologicis, cælum potiùs coluēre quàm terram. Atqui haud magnos etiam reges eos fuiſſe, res & facta clamant. Caueat Princeps ne ſubtilia hæc & inducentia nimis eum capiant: nō item minuta alia. quod Neroni obiectum à graui cenſo-*

Aſtrologica.

Geometrica.

Modicè hæc habenda.

re Tacito eſt: Nero puerilibus ſtatim annis viuidum animum in alia detorſit. cælare, & pingere; cantus, aut regimen equorum exercere. *Hæc indigna magno Principe cui ſedere illud ſummi Poëtæ debeat,*

XIII. Annal.

Tu regere imperio populos Romane memento:

& ad hunc finem atque artem, alias artium dirigere ac referre. Architectonica *tamen non abiicio. vtile & decorum aliquatenus eā ſcire: atque vtinam vtantur noſtri, non ad Palatia aut arces ſolum, ſed ad opida tota ſtruenda, quod veteres factitarunt. At verò tertij generis artes,* ad Virtutem. *Principem probum moribus, ingenio modeſtum, conſtantem aduerſum metus, æquiamantem eſſe, publicè expedit: & hæc talia per doctrinam etiā inſeruntur.* Ethica *facient, & quam verè ac propriè Philoſophiā licet dicas. Agrippinam non audiemus Neronis matrem, quæ filium, ait Suetonius,* à Philoſophiâ arcuit, monēs imperaturo contrariam eſſe. *O fœminam alia quoque improbam! quid ais?* imperaturo contrariam? *ita, qui ex libidine imperium velit gerere, diuina & humana iura ſpernere: quod tuus ille eximiè fecit. At qui benè, iuſtè, feliciter imperare, inſtrumētum & adiumentum ei Philoſophia eſt, ſed hauſta etiam cum modo. Aptiſſimus in hac parte Plutarchus erit, cuius omnis ſcriptio cum prudentiâ & virtutem inſerit; cui Seneca libellos aliquot addere, valde ſit è meo voto. Ieſum Syrachidem etiam commendo, de quo veriſſimo Baſilius Imperator ad filium:* è libris eius ciuiles & regias virtutes colligi atque hauriri. *Libros autem ſacros tractari interim & volui, etiā cùm non dico, dico. Quis enim neſcit caput in virtutibus Pietatem eſſe? petatur è ſuo fonte, & in omni parte doctrinæ miſceatur. Hæc præcipua in Inſtitutione ſunt: à quâ molliores illas artes* Muſicen & Poëſin *ſperno: aut certè non exigo. Themiſtoclis dictum Principi conuenies: qui cùm rideretur ab iis, qui ſcitiores & gnari magis talium artium viderentur,* At ego, *inquit*, lyram aut pſalteriū tractare neſcio, vrbem quam paruam accepcrim, claram & magnam reddere, id ſcio. *Nec diſſenſit ab hoc iudicio Philippus Macedo. cuius Alexander cùm ſcitè aliquando & ſuauiter cecíniſſet:* Non te pudet, *inquit*, tam benè canere? *Et addit Plutarchus:* Satis enim eſt, ſi vel audire vacet regi canētes alios, & Muſis abundè honorem habet, ſi in huiuſmodi artibus exercentes ſe ſpectet. *Hoc ſi Græci, multo magis Romani. & ſcribit Cornelius Nepos:* Scimus Muſicen noſtris moribus abeſſe à perſonâ Principis, ſaltare etiam in vitiis poni. *Atque hæc ſi arceo, quid de fabellis ad corruptelam factis? In quo numero Amadæus eſt, ingenioſi nugatoris proles, peſtilens liber, ſi vmquam fuit, & natus blandè inficere aut & interficere iuuentutem. Fugito Princeps & Aulicæ, qui vera & ſeria amatis. In clauſulâ moneo, plurimùm hæc profutura, ſed & interdum non profutura. ac verè de Commodo Imperatore Lampridius:* Sed tot diſciplinarum magiſtri nihil ei profuerunt. Tantum valet aut ingenij vis, aut eorum qui in aulâ inſtitutores habentur. *Nota. cauendum ab aulicis corruptoribus in ipsâ Aulâ, & nil niſi ſerium ac probum ad iuniores Principes admittendum.*

Virgilius Æneid.

Architectonica adhibenda.

Virtus Principē decet. Ad hanc Ethica.

Cap. LII.

Plutarchus commēdatus. Seneca, Syrachides.

Cap. VII.

Muſica remota.

In Pericle.

Fabuloſa hiſtoria inutilis.

I. LIPSI
AD II. LIB.
POLITICORVM NOTÆ.

IN CAP. II.

De præſtantiâ principatus.

Pag. 52. Regni præſtantia.

REGNVM res inter deos homineſq; pulcherrima.] *Dictū ſimillimū in Iſocratis Euagora*: Πάντες ἂν ὁμολογήσειαν τυραννίδα, καὶ τῶν θείων ἀγαθῶν καὶ τῶν ἀνθρωπίνων, μέγιστον καὶ σεμνότατον καὶ περιμαχητότατον εἶναι: Omnes fateātur Regnū inter diuina humanáque bona, maximū, auguſtiſſimū, & ſummo ſtudio appetēdū eſſe. *Atq; ego ſi me effunderer in aſſerēdo laudādóq; Principatu velim, benigna materia eſt, & ingeniū ſeruiat: ſed malo te hæc ab aliis petere, qui in Politicis ſcribendis habēt has Diſſertatiūculas velut pro præcipuo ſcopo. Mihi alia mens eſt, & tamē quidquid ad rē dici poteſt, ſemina eius in Textu noſtro iacta ferè habes. Quod ſcite me (ſemel moneo) alibi ſeruaſſe.*

IN CAP. III.

De Fæminarum imperio.

Pag. 58. Fæminæ imperare ... De reb. Alex.

PRo iiſdem conſenſu aliquot gentes] *Pleraque gentes in Chriſtiano orbe, excipio Galliæ regnum. Sed & veteres Aſiatici ita vſurparūt. Arrianus*: Νενομισμένον ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ἔτι ἀπὸ Σεμιράμεως, καὶ γυναῖκας ἄρχειν ἀνδρῶν: Receptum ſolitúmque in Aſia, iam inde à Semirami, etiam fæminas imperium in viros exercere.

IN CAP IV.

De Electione, & Succeſſione.

Pag. 52. ... Apud Nic. Chon. ... Ann.

MINORE diſcrimine ſumi Principem, quàm quæri.] *Aſſidet Cornelianæ huic ſententia illud Irenes imperatricis in re ſimili*: Οὐ δεῖ βασιλέα μὴ ὄντα ἀναζητεῖν· παρόντα δὲ μὴ μετακινεῖν: Quòd nec abſentem Principem quærere oporteat, nec præſentem demouere.

IN CAP V.

De Initiis & Mutatione in deterius.

Pag. 51. ... Tacit. I. Hiſt.

SIVE etiam regni ipſius natura hoc fert.] *Potius addere cauſſam tertiam, Falſam de regnaturo opinionem. Nam quod Galbæ olim euēnit* qui omnium iudicio dignus imperio, niſi imperaſſet: *id multis aliis, qui in bonâ ſpe adepti deinde imperium oſtendunt eo ſe minores. Nec temere a Pittaco dictum* Ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι: Imperium virum oſtendit.

Regnū depravat. Tacit. VI. Ann.

Diuturnitate in ſuperbiam mutant.] *Ægrè ſcilicet tam magna felicitas fertur, atque is ipſe* Tiberius poſt tantam rerum experientiam, vi dominationis conuulſus eſt, *ait meus ſcriptor.*

Lib. 2.

Imperiū iis artibus facillimè retinetur] *Clarè & pulchrè pro hac ſententiâ Polybius, cū quærit cur Hiſpania tam citò à Carthaginenſibus amiſſa?* Nam, *inquit*, aliter cenſebant quæri imperia debere, aliter ſeruari: nec imbibebant, eos optimè retinere dominia, qui in iiſdem inſtitutis perſeuerant, quibus ea initio ſunt adepti. At verò illud clarum teſtatúmque exemplis eſt, quòd homines felicitatem aſſequantur benignitate in alios, & bonâ de ſe opinione. iidem, cùm adepti quæ voluerāt, ad iniurias & impotentiā in imperiis delabūtur, fit meritiſſimò, vt vnà cū imperāriū mutatione, ipſi ſubditi ſe & affectus motent.

IN CAP. VI.

De fine Principis.

Pag. 58. Externa ... Lopez. Gomara.

VTea opibus firma, copiis locuples.] *Populus ab his externis Principatuum bonum maxime metitur. Itaque lēgi non ſine riſu in Mexicanâ Hiſtoriâ (libenter & iucundè rītus noui illius orbis conſidero) morem ibi fuiſſe, vt cùm regem aliquem conſecrarent, is iuraret in hæc verba*: Iuſtitiam ſe adminiſtraturum. nullum è ſubditis oppreſſurum. bello fortem futurum. Effecturum vt Sol curſum ſplendorémque ſuum teneret, nubes pluerēt, riui currerēt, & terra produceret omne genus frugum. *Quæ poſtrema, etſi vnius dei propria, tamen & alij à ſuis regibus exſpectabant. De Burgundionibus, Ammianus*: Apud hos rex appellatur generali nomine Hendinos, & ritu veteri, poteſtate depoſitâ remouetur, ſi ſub eo fortuna titubauerit belli, vel ſegetum copiā negauerit terra, quemadmodum ſolent Ægyptij caſus eiuſmodi adſignare rectoribus. *Et quod ſatuitatē accuſem? vetus hæc opinio imò ſapientiſſimo Homero prodita: & ſub bono rege vult omnia externa etiam bona. Sic enim Vlyſſes ad ſuam Penelopam.* Lib. xxviii.

———ἦ γάρ σευ κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει, Odyſſ. τ.
ὥς τέ τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅς τε θεουδὴς
ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων,
εὐδικίας ἀνέχῃσι, φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα
πυροὺς καὶ κριθάς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ.
τίκτῃ δ' ἔμπεδα μῆλα. θάλασσα δὲ παρέχῃ ἰχθῦς
ἐξ εὐηγεσίης, ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ.

Sicut

——tua laus latum conſcendit olympum;
Sicut per celebris regis, qui numina curat,
In multiſque probiſque viris iura æqua miniſtrat,
Ipſa illi tellus nigricans, prompta atque benigna,
Per fruges ſegeteſque, & pomis arbor onuſta eſt,
Prouenmnt pecudes, & ſuppeditat mare piſces,
Ob rectum imperium, populi ſois tota beata eſt.

Reip. Princeps ſeruit. Spart. in Hadr.

Nec remp. tuam eſſe, ſed te reip.] *Hadrianus Imperator* in concione ſæpè dixit, Ita ſe remp. geſturum, vt ſciret populi rem eſſe, non propriã. *Vox aurea, & res multo magis, cùm præſtatur.*

In Cap. VIII.

De Regno Virtute firmando.

Pag. 54. Lib. vi.

ILLE reip. ſtatus optabilis.] *Partem hic magis Polybianæ ſententiæ, quam ipſam expreſſi. Atque digna adſcribi.* Ἐγὼ γὰρ οἶμαι δύο ἀρχὰς εἶναι πάσης πολιτείας, δι' ὧν αἱρετὰς ἢ φευκτὰς συμβαίνει γίνεσθαι τάς τε δυνάμεις αὐτῶν καὶ τὰς συστάσεις, ταῦτα δ' ἐστὶν ἔθη, καὶ νόμοι. τὰ μὲν αἱρετά, τούς τε κατ' ἰδίαν βίους τῶν ἀνθρώπων ὁσίους ἀποτελεῖ καὶ σώφρονας, τό, τε κοινὸν ἦθος τῆς πόλεως, ἥμερον ἀπεργάζεται καὶ δίκαιον. τὰ δὲ φευκτὰ τοὐναντίον.

In Cap. IX.

De Imitatione & aſpectu ciuium in Principem.

Pag. 54. Principem ſubditi æmulantur. Apud Caſſiod. iii. Var. epiſt. xi. iv. De Legib.

QVALES in rep. Principes, tales ciues] *Theodoricus rex Gothorum ad Senatum populumque Rom.* Facilius eſt errare naturam quàm diſſimilem ſui Princeps poſſit rempublicam formare. *Plato etiam exertè:* Μηδεὶς ἡμᾶς πειθέτω, ὦ φίλοι, ἄλλῃ θᾶττον καὶ ῥᾷον μεταβάλλειν ἄν ποτε πόλιν τοὺς νόμους, ἢ τῇ τῶν δυναστευόντων ἡγεμονίᾳ, μηδὲ νῦν γε ἄλλῃ γίγνεσθαι, μηδ' αὖθίς ποτε γενήσεσθαι: Nemo nobis perſuadeat, ò amici, vllâ ratione citiùs aut faciliùs ciuitatem leges moreſque immutare, quàm Principũ exemplo præeunte: neque aliter nunc eſſe, nec in poſterum vmquam futurum. *Vt igitur regulam oportet rectam eſſe, ad quam cetera adæquantur ſic meritò Principem, ad quem alij diriguntur.*

In Cap. X.

De Iuſtitiâ neceſſariâ regnis.

Pag. 54. Iuliæ turpe dictum.

LICET, ſi libet.] *Iulia Auguſta dictum eſt, priuignum ſuum ad ſtuprum inuitantis. & addidit amplius:* An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, nõ accipere? *Scilicet, vt Velleius ait,* magnitudinem fortunæ ſuæ peccandi licentiâ metiuntur, quidquid libêret pro licito iudicantes. *Ammianus obſcuriùs, ſed hoc ipſum dixit:*

Li. xxvii.

Nulla vacat quæſtio prauitatum apud eos, qui quod volunt, maximas putant eſſe virtutes. *Ab hoc fonte Perſarum iudicum illa reſponſio Cambyſi,* roganti num qua lex permitteret nuptias cum ſorore? illi negarunt talem ſe inuenire, ſed quamdam aliam quâ liceat Perſarum regi facere quidquid libeat. *Æquè turpis & pernicioſa illa Anaxarchi adulatio. qui cùm Alexander lamentaretur ob Clytum interfectum, nec ſolatia admitteret dixit,* ignorare illum, cur veteres ſapiẽtes Iuſtitiam adſeſtricem Ioui fecerunt. nimirum, quia quidquid à Ioue decretum, id iure quoque factum ſit. *Anaxarchi tales, ſed occulti, vtinam non hodie apud imperantes!*

Anaxarchi [illegible]. Apud Arrian. De reb. Alex. lib. iv. & Plut. in Alex.

In Cap. XI.

De Iuſtitiæ adminiſtratione.

CAVSSAS reóſque audiat.] *Ipſene? an per alios? Vtrumque: & hoc magis. Certè quin ipſe quoque interdum Iuſtitiæ illud munus in publico viriliter ac decorè obeat, non puto ambigendum. Veteres Imperatores ac Reges fecere: & Caroli etiam Magni Conſtitutio hæc legitur.* Hoc miſſi noſtri notum faciant Comitibus & populo, quòd nos in omni hebdomadâ vnum diem ad cauſſas audiendas ſedere volumus. Populo autem dicatur, vt caueat de aliis cauſſis ad nos reclamare, niſi de quibus aut miſſi noſtri, aut Comites, eis iuſtitiam facere noluerint. *Vbi finem etiam huius conſilij vides, nempe vt per ſupremum illum iudicem, ius ſicubi labat, corrigatur, firmetur.*

Medeatur noſter Princeps] *Vtinam, vtinam Ludouico Galliarum regi xi. hoc propoſitum & conſilium fuiſſet! decima illa, vera tabes Galliæ, nunc non eſſet, ſi ille paucu-los annos fuiſſet. Exoriatur alius, & efficiat vt* tandem vipeꝛæ iſtæ ſibilare deſiſtant.

In Cap. XIV.

De Fide.

IN Capitolio vicinam Iouis opt. max. eſſe voluerunt.] *Credo hanc eandem mentem eſſe in Liuianis verbis:* Apud quos (*Romanos*) iuxta diuinas religiones Fides humana colitur. *Et profectò ſanctitas quædam in ipſâ fide. Scytharum legati ad Alexandrum, pulchre:* Iurando gratiam Scythas ſancire, ne credideris. Colendo fidem, iurant. Græcorum iſta cautio eſt, qui acta conſignant, & deos inuocant: nos religionem in ipſâ fide nouimus. Qui non reuerentur homines, fallent deos.

In Cap. XV.

De Modeſtiâ.

IN alto poſitum non alta ſapere, difficile eſt.] *Certè difficile. &* magnę felicitatis eſt, à felicitate nõ vinci. *Vt quiuis haud facilè multum vini fert: non item abundantem fortunã. Da mihi circumſpectiſſimum regẽ: tamen* inter *tot* obſequia fortunæ, non ſatis cauta mortalitas eſt. *Natura, educatio, adulatio deprauant.*

Non minùs hominem ſe, quàm hominibus præeſſe, cogitet.] *Hoc primum remedium & cautio à Faſtu, ſe cogitare. Externa illa omnia ſunt quæ te inflant; æſtimari debes à teipſo. Illa abeunt, veniunt: tu quid es, niſi vile infirmúmque corpus? Vide non quid in te magnum habeas, ſed quid tuum. Saladinus, Chriſtianorum olim terror, qui Syriam, Ægyptum, & Africæ bonam partem ſubegit, morti iam vicinus, in cogitationem hanc feriò deſcendit: & ſolam interiorem tunicam, pro omni pompâ funebri, in haſtâ ſublimem ferri iuſſit, cum acclamatione,* Hoc vnum ex domitore Orientis reſtare. *O virum illâ & maiore fortunâ dignum, qui tam bene eam cepit! Nihil hic proprium aut tuum, corona, ſceptrum, & omnia hæc ad quæ ſtupemus, à Deo ſunt: & ne auferat, tu ad eũ refer. Thymoleon, magnus laudatúſque dux, qui Dionyſium Siciliâ eiecit, & in illuſtri gloriâ vixit, exemplo hic tibi eſto de quo Probus:* Nihil vmquam neque inſolens, neque glorioſum ex ore eius exiit. Qui quidem cùm ſuas laudes audiret prædicari, numquam aliud dixit, quàm ſe in eâ re maximas diis gratias agere atque habere, quòd cùm Siciliam recreare conſtituiſſent, tum ſe potiſſimùm ducem eſſe voluiſſent. *Nihil poteſt magis ſapienter magis Chriſtiane.*

Magnas arb. diu creſcere, vnâ hora exſtirpari.

Superbia depreſſio adiuvat.
Seneca Herc. Fur.

Remedium alterum, cogitare Superbiæ aſſiduam comitem, Deiectionem, & Pœnam.

Dominare tumidus, ſpiritus altos gere,
Sequitur ſuperbos vltor à tergo Deus.

Laer. in Chilone.

Nihil aliud ille præter ſe, vult. eique proprium, τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῦν, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῦν: erecta deiicere, deiecta erigere.

Varia & miſeranda ſors regum.

Vidi cruentos carcere includi duces.] *Remedium tertium, à fortunâ variâ nimis & incertâ. Hodie magnus eſt, cras alius, aut nullus. Iugurtham in carcere, Perſeum in cuſtodiâ obiiſſe ſcimus: & patrum memoriâ: quam illuſtre exemplum Tomambais eſt! Ille Ægypti Africæque Sultanus, in veteri & feliciſſimo regno, non ſolùm eo ſubitò exuitur; ſed & vitâ. Arbiter paullo ante vitæ necisque gentium, in vrbe ſuâ principe, mulo vectatum per ludibrium circumductus, inſami laqueo, & manu carnificis, ſtrangulatus eſt. Quid ſub idem illud æui, Attabalipa in nouo orbe magnus Rex, nonne in carcere, poſt infinitam vim auri quaſi pro vita extortam, amiſit & vitam? In eodem tractu, rex regum Mexicanus, nec viſitatâ quidem morte obiit, lento igne per ſummum cruciatum vſtulatus. Quæ tam tragica exempla meritiſſimo verbis Senecæ concludo.* Quod regnum eſt, cui non parata ſit ruina & proculcatio, & dominus, & carnifex? Nec magnis iſta interuallis diuiſa: ſed horæ momentum intereſt inter ſolium, & aliena genua.

Tomombaus virtus.
Attabalipa.
Quahutimoc. De Tranquil. Animi, c. xi.

Breuis ſit ſermo, opti mus.

Oratio preſſa] *Vt moneta illa optima, quæ pretij plurimum habet in paruâ mole: ſic ſermo, qui ſenſus. Quid viſurus ſim neſcio, ſed verboſos valde & vnà ſapientes, nondum ego vidi. Cæterùm hæc Breuitas imprimis decet Principem. Tacitus de Galba*: Imperatoriâ, *inquit*, breuitate adoptari à ſe Piſonem pronuntiat. *Cauſſa apud Demetrium Phalereum hæc*: Nam præcepta & iuſſiones, quæ Principi conueniunt, breuibus verbis formantur; preces autem, quæ humilioribus, verboſæ & longæ eſſe debent.

1. Hiſt.

Veſtis, & hoc talia, negligenda. Ammian. lib. xxv.

In Cultu ne exuberet.] *Iuliani Imperatoris familiare dictum fuit*: Turpe eſſe ſapienti, cùm animum habeat, captare laudes ex corpore. *Et ſanè viri magni, incurioſi rerum iſtarum ſemium. Carolus noſter Quintus in veſte reſtrictus. Ludouicus* XI. *cultu corporis neminem familiarium anteiuit. Iulius agricola (vt ſcribit de eo Tacitus)* cultu modicus; ſermone facilis; adeò vt plerique quibus magnos viros per ambitionem æſtimare mos eſt, viſo aſpectóque Agricolâ, quærerent famam, pauci interpretarentur. *Sic de Annibale Liuius*: Veſtitus nihil inter æquales excellens, arma atque equi cõſpiciebantur. *Et quod exẽplis opus? vno verbo, plerique illi veteres ἁπλῶς ἑαυτῶν εἶχον: οὐκ ἀπὸ σκευῆς, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ψυχῆς βασιλεῖς ὄντες, καὶ τὰ ἔνδον τῶν πλήθους διαφέροντες, τὰ δ' ἐκτὸς ὅμοιοι τοῖς ἀγελαίοις ἑωρῶντο.* leuiter & ſine curâ ſeipſos habuerunt, non ab apparatu, ſed ab animo reges; & introrſum à plebe differebant, extrorſum vel gregariis ſimiles videbantur. *Ego Græcorum Imperatores (imagines enim exſtant) ſine riſu nõ aſpicio, in purpurâ, in auro, in gemmis, & à capite ad calcem non regiè, ſed muliebriter cultos.*

In Agric.
Synes. Orat. de Regno

Pag 17.

Munditias mulieribus conuenire.] *Ideo Heſiodus quoque monet:*

11. Oper. & dies

Μηδὲ γυναικείῳ λουτρῷ χρόα φαιδρύνεσθαι
Ἀνέρα.
Nec muliebri ſe compitu lotúque polito
Vir quiſquam.

Nimia & affectata pompa ſpernenda.

Nec aliter de externâ omni ſpecie cenſeo.] *Vt in comitatu, in victu, in omni tua vitâ quàm minimum ſit Tragœdiæ & pompæ. Cari Imperatoris illuſtre exemplũ non omittendum, quia nec vulgarum. Syneſius ita narrat. (Carino tamen adtribuit, per errorem, vti opinor: quia* Carus res in Perſis geſſit, Carinus contra mol-*

** Vide Vopiſcum & Eutrop.*

A *les, deſes, & nullis expeditione nobilis.) ſed is ita narrat.* Bellum inferebat Perſis, & iam ad Armeniorum limites peruenerat. Illîc militem curare corpus, & cibum è ſuo commeatu capere iuſſit, mox ex hoſtico (Parthorum agros oſtendebat) petendũ. Dum id agunt, ecce hoſtiũ legatos, qui aduenıũt. Atq; illi opinabantur futurum primò, vt ad Proceres quoſdam aulicos deducerentur: deinde dierum aliquot interuallo, ad Imperatorem. Atqui inciderant caſu in ipſum iam cœnantem. Circumſtabat frequens miles, ſed auro aut argento nihil cultus. Ipſe veſte puniceâ indutus, iacebat in herbâ. Cibus erat, vetus aliquod nigrũ pulmentarium: & in eo fruſtula quædam ſalſæ ſuillę carnis. Cùm autem legatos vidiſſet, nihil turbatũ aiunt, nec quidquam immutaſſe, ſed vocaſſe ad ſe
B vltrò, & dixiſſe, Scire quòd ad ſe veniſſent. nam Carũ hunc ipſum eſſe. Iubere igitur vt renuncient iuueni ſuo Regi, niſi reſipiſcat, futurum vt intra vnam Lunam omnis eorum ſilua & omnis ager, magis nuda & læuia ſint, quàm Cari ipſum caput. & ſimul cum dicto pileum ſuſtulit, & caput oſtendit tam glabrum quàm galea eius quæ adiacebat. Et ſi quidem apperent, iuſſit manum in ollam mittere: ſin minùs, ſtatim abire, & extra Romana præſidia eſſe, tanquam legatione omni iam defunctos. *Ita me Deus amet, hæc virum olent, imo heroem.*

Orat. de regno.
De Caro narratio amœna.

IN CAP. XVI.

C *De Maieſtate.*

TRISTITIAM & arrogantiam exuas.] *Quæ duo imperitè nonnulli adſumunt, quaſi conciliandæ Maieſtati. Plutarchus hos tales taxat.* Qui mentem non habent, Reges & Principes, *inquit*, imitantur imperitos ſtatuarios, qui exiſtimant coloſſos ſuos magnos & venuſtos futuros; ſi tibiis quam maximè diductis, & inflatos, & hiantes fecerint. ſic iſti grauitate vocis, & toruitate aſpectus, & morum aſperitate, & inſociabili quadam vitâ, dignitatem & maieſtatem imperantium exprimere ſe cenſent.

Pag 57. Externa ſuperbia non ad Maieſtatem. In Comment. ad Princip. indoct.

Viles plerũque qui nimiùm ciuiles.] *Omni-*
D *no abſtractione quadam opus iis qui gubernant, & ne nimis vulgo ſe vulgent. Pericles ſciuit qui antè à familiaris maximè & comis, ſimul remp. attigit, ab omni cœtu amicorum & conuiuiis ſe abiunxit, vitæ genere quodam ſubducto. & planè mutato. Cauſſam Plutarchus adiungit.* Δειναὶ γὰρ αἱ φιλοφροσύναι, παντὸς ὄγκου περιγενέσθαι, καὶ δυσφύλακτον ἐν συνηθείᾳ τὸ πρὸς δόξαν σεμνόν: Comitas enim facilè faſtum omnẽ atterit, & in familiari conſuetudine ægrè cuſtodias illud opinionis de re auguſtum.

Pag 57. Nimia comitas haud bona. Periclis inſtitutum. In Pericle.

IN CAP. XVII.

De variis Virtutibus decoris Principi.

NEC tamen coniugum imperiis obnoxius.]
E *Nam* quod ſubſidium in eo, *vt inquit, Tacitus*, qui à fœmina regaretur? *Cui tamen humili & ſeruili vitio plerumque feroces & militares gentes obnoxias eſſe, Ariſtoteles notauit: & hodie nos videmus. Sed vt imperia mulierum, ita conſilia non ſemper damno. Feliciter ſæpè eas Princeps audiet: præſertim ſi qua à naturâ paullò magis facta ad prudentiam & virtutem. An Auguſtum pœnituit, Liuiam ſuam audiiſſe? Ferdinandum Hiſpaniæ regem, Iſabellam? cui fœminæ Conſaluum, Canarias, Nouum orbem, eiectos Mauros, & hanc magnitudinem ſuam Hiſpania in parte debet. Mariti enim ſui, etſi à ſe virum magnum, tamen haud æquè altum aut ſplendidum, ad illuſtria illa facta impelle-*

Pag. 57. Ne regant fœminæ. Lib. xiii Annal. Lib. II. Polit. c. viii.
Interdum ſuadeant.
Iſabella regina laus.

bat

bat leniter ac ducebat. At in vita priuatâ, eadem mirifica. Vino ætatem abſtinuit. artibus litteriſq́; ita amica, vt ſermonem Latinum, ætate iam grandior didicerit, & auctores libroſq́; intellegere atq; interpretari potuerit. In fortunâ & in moribus infracta; atque etiam in partu ſic magnanima, vt emitteret vix vocem. Rarum heroinæ exemplum, & cum veteri omni æuo comparandum.

Conuitia ſi iraſcare, agnita videntur: ſpreta, exoleſcuut.] *Spreuit ſanè Auguſtus. qui cùm audiret Ælianum quemdam malè de ſe opinari ſolere.* Faciam, *inquit*, ſciat Ælianus & me linguam habere. *Animosè item Philippus Macedo, ſuadentibus amicis, maledicum hominem in exilium mitteret:* Minimè ſis, *inquit*, ne vagus & errn, apud plures de nobis malè loquatur. *Plura & obuia talia exempla. ſed cauete tamen vos caniculæ: quia non omnes Auguſti ſunt aut Philippi. Ramirus Hiſpanorum rex mirè probus fuit & in moribus ſimplex: ob eam rem cùm irriſui Aulicis eſſet, & dicteriis identidem peteretur, ad extremum exarſit, & vndecim viros nobiles ad ſe vocatos, in Oſcâ vrbe gladio percuti iuſſit: addito dicto,* * Neſcit vulpecula cum qnn ludat. *Reipsâ ſcilicet oſtendit periculoſum valdè,* τὸ λέοντα νύττειν, leonem vellicare.

Magni Principes in cõtumeliam fortes.
Sueton. Auguſt. cap. LI.
Plut. in Apophth.
Ramirus dictum.
Roder. Sãct. Hiſt. Part. III.
* Nõ ſabela volpeja con quien tra beja.
Lib. I. Epiſt. LXXIII.
Littera promouenda. Sed cum modo.
Malè, qui tollunt.
Zonar. in Annal.

Doctrinam nonnihil ad hunc finem promoue.] *Iure moneo. nam, vt Symmachus ait*, ſcimus bonas artes honore nutriri, atque hoc ſpecimen eſſe florentis reip. vt diſciplinarum profeſſoribus præmia opulenta pendantur. *Sed tamen voculam*, Nonnihil, *de induſtriâ addidi: quia vt tollere eas noxium, ita calidè nimis promouere. Iuſtinianus* τὰς σιτηρέσεις ἀρχῆθεν ἐν ἑκάστῃ τῶν πόλεων δίδοσθαι ταχθείσας τοῖς ἐν αὐ- A τοῖς διδασκάλοις τῶν λογικῶν τεχνῶν ἐκ τῆς πόλεως, ἀπὸ θυμοῦ τοῦ ὑπάρχου ἐξέκοψε. καὶ οὕτως τῶν ἐν ταῖς πόλεσι διδασκαλείων σχολασάντων ἀγροικία τῶν ἐν αὐταῖς κατῳκηκότων: antiquitus conſtitutas, in quoque opido annonas, profeſſoribus bonarum artium dandas, de conſilio Præfecti ſui ſuſtulit. atque ita frigentibus paſſim per opida Scholis, ruſticitas & barbaria occupauit inhabitantes. *Mala hæc fecerit quam Thrax Imperator iniecit: ſed illi quoque occultè noxii, qui effuſè nimis promouerunt. Nam otium & mollitiem nullâ re facilius aut honeſtius in animos irrepere, quàm viâ hac litterarum, omnino eſt fatendum. Atqui robur & virtus* B *non ſunt, vbi illa. Vt catuli ad venandum inepti, qui ſaltare & eiuſmodi delicias docti: ſic ad virilia exercitia parùm apti, ciues nimis exculti. Franciſcum regem primum, & Leonem decimum, qui auidè litteras excitârunt, in cælum tollimus. Si propoſitum ſpectamus, meritò: ſi finem & ſucceſſum, ambigo. quia reuerà alter Galliam ſuam, alter Italiam, cultiorem amœnioremq́; reddidit, ſed vnà & molliorem. Quid bonæ ſpei reliquum, vbi etiam fœmina paſſim in libris & litteris? atqui eò ventum. Mihi Spartani illi probi, qui* γράμματα μὲν ἕνεκα τῆς χρείας ἐμάνθανον. τὰ δ' ἄλλη παιδεία, πρὸς τὸ ἄρχεσθαι καλῶς ἦν αὐτοῖς, καὶ καρτερεῖν πονοῦντα, καὶ νικᾶν μαχόμενον: C Litteras ad vſum ſaltem diſcebant. reliqua omnis diſciplina erat vt pulchrè parêrent, vt labores perferrent, vt in pugnâ vincerent. *Et à Principe meo in ſuis ciuibus id ſeruari, ſuadeam valdè. Non nimis, non omnes, ſtudiis ſe applicent. ſed Nobilitas tamen maximè: quia* patres valere decet conſilio, populo ſuperuacanea eſt calliditas.

I. LIPSI
AD III. LIB.
POLITICORVM NOTÆ.

IN CAPVT I.
De Prudentiæ neceſſitate.

Pag. 59. Difficile gubernare. Lib. 11.

NVLLVM animal moroſius, nulliũ maiori arte tractandum.] *Inde Liuianum hoc effatum*: Excellentibus ingeniis citiùs defuerit ars, quâ ciuem regant, quàm quâ hoſtem ſuperent.

Mens vna ſapiens pluriũ vincit manus.] *Hoc Vlyſſes ille apud ſapientiſſimum vatem voluit, cùm Mineruam (id eſt Prudentiam) ſic affatur:*

Odyſſ. θ.

Αἴκί μοι ὡς μεμαυῖα παρασταίης γλαυκῶπι,
Καί κε τριηκοσίοισιν ἐγὼν ἄνδρεσσι μαχοίμην
Σὺν σοί, πότνια θεά, ὅτε μοι πρόφρασσ' ἐπαρήγοις:
Atqui ego, ſi mihi ſic adſiſtas cæſia diua,
Vel tercentum contra homines cõcurrere pugnâ
Auſim, te fretus comite, ô dea, & adiutrice.

IN CAP. II.
De duplici Prudentiâ.

Pag. 60. Viri celebres & ſapientes in domo Principis decori. Cap. XXXIII. Tacit. XV Ann.

PRINCEPS ſapiens ſapientium commercio.] *Cominæus*: Nullum maius indicium bonæ mentis Princeps poteſt oſtendere, quàm vt adiungat ſibi & familiariter vtatur viros virtute & famâ celebres. Nã omnes ſtatim iudicabunt eum talem eſſe, quales ij qui apud illum. *Hoc fine vtile, non tantùm in conſilio, ſed etiam in contubernio quoſdam habere*, inſigni tranquillitate vitæ, nullis reip. negotiis permixtos. *Nam aliena hæc fama valdè ad tuam famam. Ita Alexandro Calliſthenem, Scipioni Panætium & Polybium, Auguſto Areum & Athenodorum, alios alios adhæſiſſe ſcimus, priuatim magis ornamenta quàm publicè adiumenta.*

IN CAP. III.
De Adiutoribus Principis.

Pag. 60. A pueris quaſi formandi ad remp.

SED qui parabis? iudicij hîc res eſt.] *Imò res etiã aliquæ Induſtriæ. Nam iam antè præparari quidã poſſunt, vt ſiãt apti. Turcarum Princeps à pueritia inſtruit, pacis aut belli futuros adminiſtros. & Germanorum proceres Alumnos quoſdam (ita appellant) ſuo ſumptu educant in eumdem vſum. Quid ſi imitetur Princeps, & ſelecta quædam ingenia à teneris formari curet ad res Ciuiles? laudem. Apud Macedones quid ſeruatum, Q. Curtij verbis dicam.* Mos erat Principibus Macedonum, adultos liberos regibus tradere, ad munia haud multum ſeruilibus miniſteriis abhorrentia. Excubabant ſeruatis noctium vicibus proximi foribus eius ędis, in quâ rex acquieſcebat. Ij actos ab agaſonibus equos, cùm rex aſcenſurus eſſet, admouebant: comitabanturque & venantem, & in prœliis, omnibus artibus ſtudiorum liberalium exculti. Præcipuus honos habebatur, quòd licebat ſedentibus veſci cum rege. Caſtigandi eius verberibus, nullius poteſtas pręter ipſum erat. Hæc cohors, velut Seminariũ Ducum Præfectorumq; apud Macedonas fuit. hinc habuêre poſteri reges, quorum ſtirps poſt multas ætates Romani opes ademerunt.

Macedonicum Lib. VIII.

IN CAP IV.
De Conſiliariis.

Pag. 60. Salomonis ſcripta plenè diuina. Decoctores non apti ad Conſilia. Prouerb. cap. XII. Cap. XVIII.

OPTIMVM quemque fideliſſimũ puta.] *Rex Salomon (cuius ſcripta diuinæ humanaq; Sapiẽtiæ plenissima, vti & Syrachidæ, vnicè tibi commẽdo) paucis verbis*: Conſilia impiorum fraudulenta. *Excludo autẽ ab hac probitate etiam eos, qui rem ſuam priuatim malè geſſerunt, conturbatores aut decoctores. Baſilius Imp. ad filium*: Συμβούλοις δὲ χρῶ τοῖς καλῶς περὶ τὴν οἰκείαν βουλευσαμένοις καὶ διοικήσασι, ἀλλὰ μὴ τοῖς κακῶς ἐξ ἀβουλίας τὰ ἑαυτῶν οἰκονομήσασιν. ὁ γὰρ κακῶς περὶ τὰ οἰκεῖα διατιθεὶς, οὐδέποτε καλῶς βουλεύσεται περὶ τῶν ἀλλοτρίων: Conſiliariis vtere iis, qui rebus propriis benè conſuluerunt, rectéq; eas adminiſtrarunt, non autem qui per imprudentiam malè. Nam qui ſuis rebus malè proſpexerit, numquam ille benè conſuluerit alienis.

Conſiliarij linguarum periti ſint.

Morum animorúmque prouinciæ gnaros.] *Etiam linguæ: ſi tamẽ ſermo diuerſus, in locis qui tibi parent. Nam iſti qui per interpretem accipiunt omnia aut reddunt, nec tam grati nec tam idonei ad agendum. ac multa neceſſario eos fallunt.*

Conſiliarij exteri mali.

Non exteros temerè, non aduenas.] *Nota Princeps. nam hic peccamus. Vt vulgo remedia quædam ab Afris aut Indis petita æſtimamus. ſic plerumque externa ingenia præferuntur internis. At non oportet. Primùm quia ab hac re turbæ. Indigenæ haud facilè concoquunt, in ſuâ rep. plus aliquid credi aut tribui alienis. Inde liuor, queſtus, & auerſio quædam animorũ. Secundò, quia raro illi, morum, ingeniorũ, & totius reip. periti. Plato autem breuiter & rectè dixit*: εἰδότος περὶ ἑκάστου ἡ συμβουλή: Conſiliũ eius eſt, qui rei cuiuſque peritus. *Quod*

Turbas faciunt.

Imperiti non ſunt. Alcib. II.

In Phædro.

idem alibi diffuſius: περὶ παντός, ὦ παῖ, μία ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύσεσθαι, εἰδέναι δεῖ περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλή, ἢ παντὸς ἁμαρτάνειν ἀνάγκη: In omni re conſulendi principium, noſſe id de quo conſiliũ inſtitutum: aut totâ viâ aberrare neceſſum eſt. *Tertio, quia etiamſi ius peritia, vix tamen affectus aut fides. Qui poteſt in alienam rempublicam, in quâ ſemper illud cogitent.* Mihi iſtic nec ſeritur, nec metitur. *Itaque ad commodum ſuum, aut arbitrium Principis, videbis pleraque ab iis referri. Quartò & vltimò, quia vſu compertum, conſilia externa fere eſſe infauſta. Alexander male audire cœpit, cùm Perſas audiit: Romanus labi, cùm Græcos & exteros. noſter Carolus Audax, (ne plura cumulem) cui ruinam ſuam niſi Campobacchio debet? Effatũ hoc habe. Vt in quam domũ veſpillones veniunt, ſignum eſt funeris: ſic reip. labentis, ad quã fulciendã adhibentur peregrini. Quod tamen ita intellego, ſi multi. nam vt vnus aut alter interdum, fide aut ingenio valdè cognitus, haud pertinaciter damnem.*

Non amãtem aut in vanto. Plaut. Epid.

Infeliciter ſunt.

Nos reſpo[illegible] quam [illegible]

Pag. 60. Qualis mores [illegible] quæ æſtimandi.

Item ſenes.] *Qui tales non annis magis quàm moribus. Nam* in quibuſdam, *vt ait Seneca,* non pueritia, ſed, quod eſt grauius, puerilitas remanet.

Epiſt. iv. Iuuenes inepti ad remp. vii Polit. cap. ii.

Conſilia ſenum, haſtas iuuenum eſſe.] *Pindari dictum eſt, vti è Plutarchi Lycurgo videbis. cui hoc Ariſtotelaum velut interpretamentum adde:* ἡ μὲν δύναμις ἐν νεωτέροις, ἡ δὲ φρόνησις ἐν πρεσβυτέροις ἐστί: Vires in iuuenibus, Prudentia eſt in ſenibus. *Iuuenes autem nõ ſolùm à conſiliis, ſed omnino à rep. amouendi, cauſâ duplici. Primùm, quia Temeritas & calor in iis. Atqui* cùm ad gubernacula reip. temerarij atque audaces homines accedunt, maxima ac miſerrima naufragia fiunt. *Deinde, quia non cadit in ætatem eam Auctoritas: quæ tamen ad iubẽdum ſuadendumq́; plurimum valet. Opinio ſæpè de aliquo, plebem magis mouet, quàm res aut ratio ipſa. Solon igitur iure vetuit* τὸν πρόσφατον μήτε ἄρχειν, μήτε ξυμβουλεύειν, εἰ καὶ ἄριστα δοκοίη γνώμης ἔχειν: valdè iuuenẽ neque magiſtratum gerere, neque conſulere, etiam ſi optimè à mente conſtitutus eſſe videretur. *Rei etiam Romanæ grande olim fulcrum, Annariæ leges: quas male amiſſas bonus ſapiensq́; Princeps reuocabit.*

Cauſa vna. Cic. de Senect.

Cauſa altera.

Solon eos omnino arcuit. Iuncus apud Stob. Annales leges vtiliſſimæ.

Fortunâ variâ exercitos.] *Nam qui aſſiduè in rebus proſperis & lætis, quid ſapiat?* Non temerè aduerſa caſuum reputat, quem Fortuna numquam decepit. *At qui aliam eam expertus eſt, magis ille ad Modeſtiam factus & Cautionem, præcipuas Prudentiæ partes. Pindarus rectè:*

Felices vix ſapiunt. Liuius xxx. Magis qui aliquando aſflicti.

——ὁ πονήσαις δὲ νόῳ
Καὶ προμάθειαν φέρει:
——Qui mente laborauit,
Prudentiam inde aufert.

Ann. xii. *Tacitus item de Caractaco,* Quẽ multa ambigua, multa proſpera extulerant, vt ceteros Britannorum Imperatores præmineret. *Annibal de ſe, ad Antiochum:* Hæc ſuadeo. qui vt non omnis peritiſſimus ſum belli, cum Romanis certè bellare bonis malisque meis didici. *Nec ſolùm conſiliarij, ſed ipſi Principes optimi & prudentiſſimi, qui aliquando in aduerſâ ſorte. Carolus V. Galliarum Rex mirâ ſapientiâ fuit, atque adeò cognomen id etiam tulit: ſed quem Fortuna à teneris annis magis iactauit? Patrem ſuum Iohannem capi abducique vidit, & regnum pene totum occupari ab Anglis. Ludouicus XI. planè callidus. ſed ille quoque nónne per annos ſex à patre & patriâ profugus, apud Philippum Ducem Burgundiæ egit, quaſi exſul? Emanuel Allobrogum nuper Princeps, in eâdem hac claſſe. Veriſſimum igitur Græcorum verbum:* * Ἐξ ὧν ἔπαθες, ἔμαθες: *& Miſeria Prudentiæ bona mater.*

Liu xxxv.

Principes ſoles, optimi. Carolus V. Sapiens.

Ludouicus XI. callidus.

Emanuel comes.

* A quibus leſus, ab his doctus.

Quod ſatis ſit, acutos.] *Profectò mali & inepti, qui nimis. Diſputare & ſermocinari magis, quam ſuadere poſſunt: & ſemper ſæpe terunt, milium, quod dicitur, terebrando. Tu ſcito, caput omne conſilij eſſe, non in acumine, aut ſermonum rationúmque copiâ, ſed in directâ quâdam iudicij normâ. Ea autem plerumque his acriculis abeſt. Machiauellum vide quid eo acutius? at parum bonus aut felix ille Cæſaris Borgiæ Conſiliarius, quidquid excuſet ſe & fatum accuſet. Vt & Clementem VII. Pontificem. miram ei ingenij vim omnes tribuunt: ſed in actionibus conſiliisque quam infelix, Roma ſcit & nunc etiam dolet. In populis ipſis hoc notabis. Quis neſcit Athenienſes ante Spartanos, Florentinos ante Venetos, ingenio & acrimoniâ fuiſſe? melius tamen conſtantiúſque hos rempublic. ſuam dirêxiſſe omnes videmus. Cauſſæ huius res tres. Prima, quam in Textu libaui. quòd velocia iſta ingenia ſemper moueant aliquid, & nec quieta, quieta ſinunt. Altera quod in multiplici inuentione & rationum copiâ plerumque natant, & ægrè expediunt aliquid cui inſiſtant. Tertia, quòd ea ſibi proponunt quæ non ſunt, noncrunt; & mentem conſiliáque aduerſarij æſtimant à ſubtili ſuâ mente. Atqui ille ſæpè ſtipes. nec quidquam tutius (obiter moneo) quam de conſiliis eius, ex ipſius indole moribusq́; iudicare, aut eorum qui apud illum magni. Sed aliquis hic quærat. Quid ergo? ſubtiles quoniam damnas, etiamne litteratos? Haud prorſus. Ego verò libenter eos in Conſilium admitto, ſed qui non ſint hoc tantùm. Nam qui ſola & nudâ iſtâ cognitione litterarum ſe iactant, valde repello. Conſtantius Imperator Conſtantini F. me quidem iudice, valde hic peccauit: qui, vt ait Zonaras,* μηδένα τῇ γερουσίᾳ συνέταξεν, ὃς παιδείας μὴ μετείληχεν, ὡς εἶναι αὐτὸν τὸ λέγειν, καὶ γράφειν ἔμμετρα καὶ πεζά: nemi nem in Senatum allêgit, niſi eruditum, quique ſe ad dicendum exercuiſſet, & ſciret ſcribere vincta oratione & ſolutâ. *Nimis tribuit noſtro generi: nec vel doctiſſimi ſemper ad remp. apti. Neceſſum eſt adſint aliæ illæ dotes, de quibus in hoc Capite monemus. Quas ſi adſferunt, ô magnos tunc, & Principi optandos! Nam* deſiderabilis eruditio litteratom, quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam. Ibi prudens inuenit, vnde ſapientior fiat: ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur: inde Princeps accipit, quemadmodum populos ſub æqualitate componat. Nec aliqua in mundu poteſt eſſe fortuna, quam litterarum non augeat glorioſa notitia. *De his alibi, ipſa Sapientia loquitur:* Ego Sapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus.

Exempla.

Res tres hic notatæ.

An literati adhibendi Conſiliis? Per ſe, non nimis.

In Conſtant.

Boni & doctiſſimi [illegible] Laudatio vera doctrinæ. Caſſiod. Var. lib. a epiſt. iii.

Prouerb. viii.

In Cap. V.

De ratione conſulendi.

Pag. 60. An Sacerdotes in Conſilium?

Hiſt. iii.

Epiſtola cxxvii. ro tã.

Interdum vtiliter eſſe.

CONSILIORVM gubernaculum. Lex diuina.] *Apparet ergo meritò Conſiliis intereſſe debere viros ſacros religioſosq́; : id eſt, legis eius peritos. Tamen alij abnuunt, & indecoram atque inutilem cenſent hanc mixturam. Nicephorus Gregoras inter hos videtur:* Οὐ γὰρ, *inquit,* θεωρία πνευματικὴ καὶ πρᾶξις πολιτικὴ, ὡς τὰ πολλὰ, συνεῖναι πεφύκασιν: Non enim Spiritalis contemplatio, & Ciuilis adminiſtratio, vt plurimum, inter ſe iunguntur. *Et Syneſius Cyrenenſis Epiſcopus multo apertius:* Πολιτικὴν ἀρετὴν ἱερωσύνῃ συνάπτειν, τὸ κλώθειν ἐστὶ τὰ ἀσύγκλωστα: Ciuilem virtutem iungere cum ſacerdotio velle, eſt miſcere omnino non miſcenda. *Ac plura & diffuſè in eam rem ibi ſcribit. Quid ergo noſ? eum veniâ ſic cenſemus. Intereſſe eos poſſe, imò & debere: ſed rarenter. tunc videlicet, cùm de rebus planè ſeriis grauibusq́; agitur, & quæ tangunt vniuerſum ſtatum. Nam tunc ſanè quidni audiantur? ſiue vt robur & auctoritatem bonæ ſententiæ adferant, ſiue vt reprimant coërceántque in aliam ruentes. Nam quamquam illi rerum Ciuilium propriè non periti: tamen ſæpe etiam in iſtis ſaluberrimè conſulunt, & Syrach-*

Sic ſcribi ſupra ſeptem ſedentes ſuos ſapiunt. Eccl. cap. xxxvii.

A des non falſo ſcripſit: Anima viri ſancti enunciat aliquando vera, quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo. *At ſemper tamen eos & aſſiduè, etiam rebus conſilij q, minoribus adhiberi non probem · nec id mihi aut ex illorum videatur, aut publico vſu. Diſtri Eti videlicet terrenis curis, cæleſtia illa deſerent: nec terrena ipſa (quippe aliud illorum munus) ſatis commodè aut decorè adminiſtrabunt.*

Liberi & veraces Conſiliarij eſſe debent. Laert. in Zenone. Rara ea virtus. Senec. vi. De Benef. cap. xxx.

Libertatem ſecundò.] *Magnum in Conſiliario atque vtile munus, vt libera ei lingua. Solon olim rectè:* Συμβούλευε μὴ τὰ ἥδιστα, ἀλλὰ τὰ κάλλιστα: Conſule non quæ ſuauiſſima, ſed quæ optima ſint. *Sic oportet. nam rara hac nimis in Aulis Principum virtus: & vis ſcire cuius rei inopiâ laborãt magna faſtigia? quid omnia* B *poſſidentibus deſit? ille qui verum dicat. Certamen plerumque adulationis eſt: & dant ſe non magno alicui ſolùm, ſed his qui magni apud magnum. Placentini aut Laudenſes fere hoc totum genus, pauci Veronenſes. Inter hos tu eſto: & ſcito libere te ſemper cum Rege loqui poſſe, ſed non de Rege. Cum modeſtiâ tamen: ad quã Hephæſtion ille tibi præit apud Curtium:* Libertatis quoque in admonendo (*Alexandrum*) non alius ius habebat: quod tamen ita vſurpabat, vt magis à rege permiſſum, quàm vindicatum ab eo videretur.

Adulatio regnat. Te ſperãda tamẽ libertas.

Fœdi Mutationes cõſilio ſemper. Caroli V. iocus.

Tertiò Conſtantiam.] *Turpis enim & fœda illa vacillatio ſententiam mutantium, & certum ſignum non certæ mentis. Idq; cùm ſingulis Conſiliariis, tum magis* C *Conſiliis, vitandum, ne audiant illud, quod Carolus V. Imp. faceto conijcere in Germanorum conuentus ſolet. quos aſſimilabat viperis: quia (aiebat) vt iſta matres ſuas tollunt, ſic illorum poſteriora decreta, priora.*

Fas aliquã do mutare conſilia. De Rep. lib. x.

At non Rigorem.] *Conſilia enim ad euentus & tempora accommodanda & ſæpe inflectenda ſunt. atque, vt Plato ait,* ὥσπερ ἐν πτώσει κύβων, πρὸς τὰ πεπτωκότα τίθεσθαι τὰ αὑτοῦ πράγματα, ὅπῃ ὁ λόγος αἱρεῖ βέλτιστ' ἂν ἔχειν, ἀλλὰ μὴ προσπταίσαντας, καθάπερ παῖδας, ἐχομένους τοῦ πληγέντος, ἐν τῷ βοᾶν διατρίβειν: oportet, tamquam in talorum iactu, ad id quod ceciderit res ſuas aptare, quocumque modo ratio id optimum eſſe dixerit. non autem, quaſi pueros, ipſos quoque cadentes, firmiter eam rem tenere in quam impegeris, & clamando quiritandoque tempus conſumere. *Conſilia* D *ergo noua pro rebus nouis, aut vbi priora improſpera.*

Sed cum cautiâ.

Reges leniter regendi. v. De Benef. cap. xxv.

Arte enim & flexu quodam opus ſæpè.] *Seneca appoſitè:* Huc illuc frænis leniter motis flectendus eſt animus, paucis ſui rector optimus. *Plerique enim rectorum rectore alio egent, etſi palam habere eum ſpernunt. Calliſthenes hic offendit, qui præter monita magni ſui Doctoris, nimis apud Alexandrum abſciſus & aſper. Quæ debebat dicebat, ſed non quomodo debebat.*

Calliſthenes præfractus.

Lib. iv. de reb. Alex.

Arriani cauta ſententia ego accedo: καὶ τούτων ἐγὼ οὐδέν τι ἐπαινῶ Ἀλεξάνδρου, καὶ ἐς σκαιότητα τὴν Καλλισθένους οἴσομαι, οὐδ' ἐν μέρει ἐπαινῶ. ἀλλὰ τὸ καθ' αὑτὸν κοσμίως τίθεσθαι ἐξαρκεῖν φημί, αὔξοντα (ὡς δυνατὸν) τὰ βασιλέως πράγματα, ὅτῳ τις ξυνεῖναι ἠξίωσεν. οὔκουν ἀπεικότως δὲ ἀπεχθεῖαι ... Ἀλεξάνδρῳ Καλλισθένην τίθεμαι, ἐπὶ τῇ ἀκαίρῳ τε παρρησίᾳ, καὶ ὑπερόγκῳ ἀβελτηρίᾳ: Ego verò nihil eorum, quæ vel ad Alexãdri iniuriam, vel ad Calliſthenis moroſitatem pertinent, laudauerim. Sed illud aio & ſtatuo, ſufficere vt ſeipſum modeſtè habeat geratque, & Regis, quoad fieri poteſt, negotia promoueat is, quicumque adeſſe & ſeruire illi in animũ ſemel induxit. nec immeritò grauem fuiſſe Alexandro Calliſthenem, tum ob intempeſtiuam libertaté, tum ob ſuperbam ſtultitiam.

E

Regibus nõ fruſtra ob nitendum. Epiſt. vii.

Quoties neceſſitas ingrueret, prudẽter moderans.] *Præclarum huius Piſonis exemplum, atque omnino imitandum. Plato ad Dionis propinquos:* Ταὐτὸν δὲ καὶ περὶ πόλεως αὑτοῦ διανοούμενον χρὴ ζῆν τὸν ἔμφρονα, λέγειν μὲν, εἰ μὴ καλῶς αὐτῷ φαίνοιτο πολιτεύεσθαι, εἰ μέλλοι μήτε ματαίως ἐρεῖν, μήτε ἀποθανεῖσθαι λέγων. Hoc eodem animo erga patriam ſuam affectum, viuere prudentem virum oportet, Dicere quidem, ſi quid non rectè adminiſtrari ei videatur; *ſed eâ lege,* ſi futurum putet vt neque fruſtrà dicat, neque dicendo vitæ periculum incurrat. *Quod tamen ita verum, niſi rex aut regnum periclitetur. Nam tunc nullum diſcrimẽ bonum conſiliarium teneat, quin clamet. Themiſtocles ille exemplo, qui olim ad Lacedæmonium:* Feri, ſed tamen audi.

Plut. in Themiſt.

Conſiliarij taciti ſunto. Caſſiod. viii. Var. ep. x.

Quintò Silentium.] *Omnino ſeruandum in Conſilio, quod vim habere vis aut vſum. Et ſeruandum etiam tuâ conſulentis cauſſâ. quia* arduum nimis eſt, meminiſſe Principis ſecretum, vbi ſi quid cognoſcitur, prodi vel ab alio formidatur. *Alexander cum arcanas quaſdam litteras Hephæſtioni legiſſet, detractum annulum ori eius admouit. quiſque ſibi id factum putet, & ſimul in Conſilium lectus eſt, os ſibi clauſum à Principe ſignatúmque. Perſas cogita:* apud quos, *ait Ammianus,* nemo conſiliorum eſt conſcius, præter optimates taciturnos & fidos, apud quos ſilentij quoque colitur numen. *De quibus & Curtius:* More quodam Perſarũ, arcana regum mirâ celant fide. non metus, non ſpes elicit vocem, quâ prodantur occulta. vetus diſciplina regum, ſilentium vitæ periculo ſanxerat. *Simile apud Romanos. quorum Curia, in tanto numero Senatorum, ſilentio ſic vndiq; clauſa;* vt non dicam vnum, ſed neminem audiſſe crederes, quod iam multorum auribus fuerat commiſſum. *Notabile illud de Eumene rege: qui cùm Romam veniſſet, & regem Perſeu in Senatu accuſaſſet, ac de toto bello cum Patribus deliberaſſet:* in præſentiâ nihil, præterquã fuiſſe in Curiâ regem, ſcire quiſquam potuit. bello denique perfecto, quæque dicta ab rege, quæq; reſponſa eſſent, emanauêre. *Mira & diuturna ſilentij fides.*

Sicut apud Perſas. Lib. xxi.

Sicut apud Romanos. Valer. ii. cap. ii.

Liu. xlii.

IN CAP VI.

Vitanda Conſiliariis.

Pag. 6. Exord. xxxix.

ADVERSVS peritos, peruicaces.] *Turpe. & eſt aliquis, etiam vbi iuſte refragaris, refragandi modus. Demoſthenes meritò Spartanorum inſtitutum laudat, quod tale.* Ferunt, *inquit,* apud eos dum decernitur, quemque ſententiam ſuam liberè promere: ſed vbi decretum eſt, eadem laudare omnes, & adiutores eſſe etiam illos qui contrà dixerant.

Diſſidia in Conſiliis mala. Ann. iii.

Diſcordia inter conſuaſores.] *Pernicioſa ſemper, non aliter quàm ſi remiges & nautæ digladientur in vnâ aliquâ naui. Tacitus notat:* Iulius Claſſicianus Suetonio diſcors, bonum publicum priuatis ſimultatibus impediebat. *Et ſemper ita euenit vbi inter collegas æmulationes. Quid remedij? vt aut ponantur eæ, aut certè ſeponantur. Ariſtides exemplo: qui Themiſtocli valde aduerſus, cùm tamen vna in legationem miſſi eſſent, & ad portã Vrbis veniſſent.* Viſne ô Themiſtocle, *inquit,* inimicitias pauliſper hîc deponamus, recepturi eas cùm redierimus? *Sciebat ſcilicet rem communem, ſine communione animorum, numquam rectè admini ſtrari.*

Ad ſinem Curia ponenda.

Auaritia cauenda. Cic. pro Quinct.

Auaritia, ſiue rei ſuæ ſtudium.] *Ah peſtis!* Nullum enim eſt officium tam ſanctum atque ſolemne, quod non auaritia cõminuere ac violare ſoleat. *Quinetiam, vt Pindarus ait,* κέρδει καὶ σοφία δέδεται: Lucro etiã Sapientia capitur & irretitur. *Igitur cauenda illa, & omnes ad eam cauſſa. Ac prouide illi populi: quibus* legem fuiſſe *Ariſtoteles ait*, vt qui agros limitaneos hoſtibus haberent, non admitterentur ad Conſilia belli gerendi, quaſi ob priuatæ rei aſpectum ſuadere minùs commodè poſſent. *Nec Principi remedium hic aliud, quàm vt ne naturâ tales eligat: &*

Polit. vii. cap. x.

item

item vt prolixè cum electis agat, atque omnia à ſe exſpectent.

Mercatores non apti ad Conſilia. Cauſa.

Lex Thebanis, quæ vetuit.] *Videntur remouendi à reip. adminiſtratione mercatores, cauſâ non vnâ. Primùm, quia conſuetudine & inclinatione auari: ideóque facile publicam rem, in ſuam vertant. Secundò quia parùm magnanimi aut ſplendidi: atque vt Ariſtotelis verba vſurpem,* ἀγεννὴς ὁ τοιοῦτος βίος καὶ πρὸς ἀρετὴν ὑπεναντίος: parum generoſa hæc ratio vitæ, & virtuti aduerſa. *Tertiò denique, quia in publicâ perſonâ Auctoritatem id minuit: & vt Liuius ait,* quæſtus omnis indecorus Patribus eſt viſus. *Ab hac ſententiâ fateor me ſtare, præſertim in regno. Vbi tamen aut rara nobilitas, aut plerique honeſtiorum amplexantur id genus vitæ: non nimis eos repellam. & ſcio Venetos, Florentinos, Genuates, Batauos ſic vſitaſſe, haud magno ſuo malo. Quinetiam olim* dignitatem mercaturæ fuiſſe, *Plutarchus tradidit*: vt, quæ commoda ex regionibus barbaris afferret, amicitias cum dynaſtis conciliaret, & ad multarum rerũ peritiam conferret. *Nota Princeps. & hoc genere hominum cum fructu ſæpè vtere, ſiue ad explorandum, ſiue ad ingreſſum & aditum aliquem apud longinquos & ignotos faciendum. Nónne hoc Luſitanis regibus limen ad Orientis regna & primus gradus?*

VII. Polit. cap. II. — *Lib. XXI.* — *Interdum tamen ad mittendi.* — *In Solone.* — *Vſus eorum Principi.*

IN CAP. VII.

Impedimenta boni conſilij.

FIDVCIA.] *Noxia valdè in conſiliis, quia ſuas alienásque vires parùm librat, & euentus omnes aptat ad ſua vota: Principes eadem ſæpe fallit. qui naturâ magni, libenter audiunt hos magnanimos, &* ſpem magis ipſam, quàm ſpei cauſſam intuentur. *Arcenda, vitandáque, ſemper ne illud audiamus:* Πρὶν ἐσφάχθαι, δέρεις. Priuſquàm occideris, excorias. *Polybij ſanum hîc dogma, iubentis:* μηδέποτε βεβαιοῦν περὶ τῶν μελλόντων, ὡς ἤδη γεγονότων, μηδὲ προκαταλπίζειν βεβαιουμένους ὑπὲρ ὧν εἰκὸς ἐνδεχόμενον ἐστὶν ἄλλως γενέσθαι· οἶμαι δὲ μερίδα τῷ παραδόξῳ καταλιπεῖν ἀνθρώπους ὄντας, μάλιστα δ' ἐν τοῖς πολεμικοῖς: Numquam de futuris rebus, tamquam iam factis, deliberare; neque præfidere conſtanter in iis quæ aliter euenire poſſunt. ſed partē aliquã inopinato euentui relinquere, cùm vbique homines ſimus, maximè verò in rebus bellicis.

Fiducia Præſidentis noxia. Cum mora conſulendum. Lib. XXII. Ad Græcos. L. bati.

Cum ſapiētia non commiſcetur.] *Non hercules, cùm ſit imperitia ipſa proles. Thucydides,* ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει: Inſcitia Fiduciam, Prudentia Cunctationem gignit: *ſiue, vt Hieronymus tranſtulit:* Imperitia Confidentiam, Eruditio Timorem creat. *Cui apud reges Adulatio etiam ſæpè mixta: dum auribus illorum ſeruiunt, & tam magnos validóſque eos faciunt, quàm videri volunt. Talis Minio ille apud Antiochum: qui* ignarus omnium externorum, viréſque exiſtimans regis ex rebus in Aſiâ Syriáque geſtis, *temerè eum impulit ad Romanum bellum. Acceſſit eiuſdem ingenij neſcio quis Alexander Acarnan, qui* tamquam non vtrùm bellandum néene eſſet, conſuleretur, ſed vbi & quâ ratione bellum gereretur, victoriam ſe haud dubiam animo proponere affirmabat. *O peſtilens genus, præſertim vbi Princeps ipſe ad typhum & faſtum inclinat!*

Imperitiæ plerique ſolida. Lib. II. Epiſt. ad Euagr. Aut adulatoris. Lib. XXXV. Ibidem.

Conſilia calida & audacia.] *Quæ tamen haud ſemper improba, ne erres. In communi quidem adminiſtratione rerum valdè damnanda: at in nouo aliquo aut ſubito diſcrimine, vtiliter & neceſſariò ſæpè adhibenda. Apud Capitolinum ſcribitur:* Hanc nouis rebus debere ineſſe conſtantiam, vt rapienda ſint conſilia, non quærenda. *Doctor noſter regulam hanc ſuggerit*: Cunctatione non opus, vbi pernicioſior ſit quies quàm temeritas. *Imò ab eodem diſces:* Inter ancipitia, deterrimum eſſe, media ſequi. *Obſerua, quia plerique hic peccant, & in rebus afflictis, vt idem loquitur,* nec prouident ſatis, nec audent.

Quando & quomodo conſilia ſubita aut ſeriora, vtilia? In Maxi. Tacit. Hiſtor.

Celeritas, infamis naufragiis.] *Pulchrè Artabanus apud Herodotũ.* Ἐπειχθῆναι μέν νυν πᾶν πρῆγμα τίκτει σφάλματα, ἐκ τῶν ζημίαι μεγάλαι φιλέουσι γίνεσθαι· ἐν δὲ τῷ ἐπισχεῖν ἔνεστι ἀγαθά, εἰ μὴ παραυτίκα δοκέοντα εἶναι, ἀλλ' ἀνὰ χρόνον ἐξεύροι τις ἄν: Feſtinate quoduis negotium gignit errores: vnde maxima detrimenta exoriri ſolent. At in cunctando bona inſunt, quæ non ſtatim talia videantur, tamen in tempore bona quis eſſe reperiat.

Conſulta oportet exſequi feſtinanter.] *Velleius M. Agrippæ hanc laudem tribuit:* Vir, *inquit*, labore, vigiliâ, periculo inuictus, & per omnia extra dilationes poſitus, conſultiſque facta coniungens.

IN CAP. VIII.

De Principe, quî ſe gerat in Conſiliis.

MATVRE deliberet.] *Ne eueniat ſcilicet,* quod in conſiliis infelicibus (*Taciti verba*) vt optima videantur quorum tempus effugit. *Tu verò tempeſtiuè, cùm res non erit ſubita, delibera. quia oportet, vt ſcitè Demoſthenes dixit,* οὐκ ἀκολουθεῖν τοῖς πράγμασιν, ἀλλ' ἔμπροσθεν εἶναι τῶν πραγμάτων: non ſubſequi & comitari res, ſed rebus ipſis antecedere & præire. *Et addit*: Sicut Imperatoris eſt præire exercitui, ſic benè conſulti viri ipſis negotiis. *Aliud tamen in ſubitis. vbi facto potiùs opus quàm conſulto, Tum feſtinandum, neque hæſitandum: vt ij,* qui neque alienis conſiliis regi, neque ſua poſſunt expedire. *Enimuero, ait Demoſthenes,* dum nauis eſt ſalua, promptè conſulere & prouidere oportet, ne euertatur: poſtquam fluctus exſuperat, inane eſt ſtudium.

Magna in rep. momenta ſunt temporum.] *Quis id neſcit? adeo vt ſuper eâdem re, alio tempore, aliud ſit cenſendum. Seneca pulchrè*: Conſilia rebus aptantur, res noſtræ feruntur imò voluuntur. ergo conſilium ſub die naſci debet; & hoc quoque tardum eſt nimis, ſub manu, quod aiunt, naſcatur.

Peccatur hîc in plurium ſtatu. *Veriſſimum eſt, nec quidquam tam ibi ſolitum, quàm diſputando rem extrahere, & ſæpè labefactare. Cauiſſe olim Achæos video, & legem habuiſſe,* vt in conuentibus dies vnus deliberationis eſſet, alter decreti. *Vtilis ipſa aut ſimilis lex, in optimatium aut populi ſtatu: Princeps vitare facile, vbi & pauciores conſulant, & à nutu eius pendent.*

Ne inutili contatione.] *Siue in deliberando, ſiue in apparando. Demoſthenes Atheniensibus ſuis non ſemel hoc obiicit, & tarditati huic imputat res amiſſas.* Τὸν γὰρ, *inquit,* τοῦ πράττειν χρόνον εἰς τὸ παρασκευάζεσθαι ἀναλίσκομεν· οἱ δὲ τῶν πραγμάτων καιροὶ οὐ μένουσι τὴν ἡμετέραν βραδυτῆτα καὶ ῥαθυμίαν: Nam agendi tempus in apparatu conſumimus. rerum autem occaſiones non exſpectant ignauiam veſtram & tarditatem.

Néve dies rerum, verbis terat. *Sed nec diſputatiuncula de verbis: quod in ciuili hac diſſenſione euenire aliquoties memini, & prudẽtiores riſiſſe. Audiatur Latinorum ille Prætor apud Liuium*: Ad ſummam rerum noſtrarum pertinere arbitror, vt cogitetis magis quid agendum vobis, quàm quid loquendum ſit, Facile erit, explicatis conſiliis, accommodare verba. *Nec pro meo guſtu vmquam conſiliarij, qui circa hæc occupati. Compoſitæ orationes alibi locum habeant, hic breuis dictio & rectum iudicium.*

Audiat cum iudicio.] *Latè hoc patet, & momentum habet. Primum eſt, quod hic moneo, vt non flectat*

ſe affectu quodam & inclinet ad vnum aut alterum, ſed A *res rationeſque ipſas magis ſpectet. Demoſthenes hoc quoque ſuis Athenienſibus:* Sed ſi quidem verba auditum conueniſtis, hæc dicere & audire oportet: ſin autem ſuper rerum electione deliberaturi, res ipſas per ſe nudas, quantum poteſt, diiudicare vos hortor, auferentes ſermones omnes qui facti videntur ad fallendum. *Secundum, vt peritos in quaque re maximè audiat atque ijs credat. Lubet adſcribere exemplum Imperatoris Alexandri Seueri, de quo Lampridius:* Fuit illi conſuetudo, vt ſi de iure aut de negotiis tractaret, ſolos doctos & diſertos adhiberet; ſi verò de re militari, milites veteres, & ſenes benè meritos, & locorum peritos ac bellorum & caſtrorum; & omnes litteratos, & maximè eos QVI HISTORIAM norant: requirens quid in talibus cauſſis quales in diſceptatione verſabatur, B veteres Imperatores vel Romani, vel exterarum gentium, feciſſent. *Tertium, vt nõ tam numeret ſententias, quàm appendat. Vetus hic querela Plinij:* In publicis conſiliis nihil tam inæquale quàm ipſa æqualitas. nam cùm ſit impar omnium prudentia, par omnium ius eſt. *Locum non habet in Principe, qui potens eſt rerum, & ad ſuam ſententiam omnes trahit.*

Exord. LXV. — *Periti in quaque re audiendi.* — *Et meliores, nõ plures.*

Qui à ſuis ducitur, vt nemis.] *Quod Galba meritiſſimo obiectum, de quo Suetonius:* Regebatur trium arbitrio, quos vnà & intra Palatium habitantes, nec vmquam non adhærentes, Pædagogos vulgò vocabant. *Nec tamen abnuo, vnum alterumque valere gratiâ, auctoritate, fide apud Principem poſſe, imo & debere:* C *ſed cuius nempe nota prudentia & probitas ſit. atque hoc ipſum ita, vt non ſolus aut alter ille audiantur. Sunto enim vel prudentiſſimi; tamen profectò nemo in omni re, ſed nec in omni horâ æqualiter ſapit: & rectè Cominæo dictum,* à meridie ſæpè non iidem, qui manè fuimus. *Purior illa & ſine nube mens, non ſemper eſt præſto. Ergo tutius plures audias, vtique in rebus grauibus: & ſic Artabanus, apud Herodotum, Perſarũ regi:* Rex, niſi diuerſæ variantéſque ſententiæ dicantur, non poteſt quis eligere meliorem, ſed neceſſe habet vti eâ quæ dicta ſit. At cùm plures ſunt, licet tamquam aurum purum ſecernere: quod ſolum ſeparari cùm nequeat, alteri applicatum comparatumque poteſt. *Addo etiã, quòd vnus ille aut alter præpotens, facilè à ve-* D *ro abeunt, priuato aliquo affectu) & à recto. Cominæus ita obſeruat, & monet.* Siquis ſingularis tãtam habeat fidem apud Principem, vt eum alij obſeruent & metuant, is reuerà dominatur, & regnum obtinet, ſuiſque rebus tantùm & facultatibus conſulit, publicis neglectis: quod regi (*Carolo Octauo*) ſcimus eueniſſe. *Quod ipſe de Carolo, impari ſucceſſore Ludouici patris; idem de pluribus poſſis, & decerem vel nouitia exempla. Non lubet, nec lædo. magis illuſtre vnum, vetuſtius pauſlo de Iſaacio Imperatore Græco qui Theodorum quemdam Caſtamonitam, hominem & ad alias res ciuiles, tum ad pecuniarias aptiſſimum, non ſuis tantùm ſed ſibi præfecit. quem, inquit Choniates,* Logothetam deſignauit, & ab eo ducebatur, reducebatur vt obnoxium E aliquod animal, aut potiùs inſtar mancipij omne quod ab eo imperaretur, peragebat, nihil ipſe diſcernens. *Contigit autem mori illum Theodorum: quid deinde? quærit alium dominum,* & adoleſcentulum quemdam, vix à tabulis & ſcholis digreſſum, ſummæ rei præficit; qui non ipſum Imperatorem ſolùm, vti cetum maximum paruus piſcis qui Pompilus dicitur, ducebat quò volebat & circumagebat, ſed & militares numeros legionéſque tractabat; quaſi ab ipſo ſemine & incunabulis maximarum rerum adminiſtrationi innutritus eſſet, aut quaſi ab ipſo natali ſcilicet ſapuiſſet: haud aliter, quàm Sibyllam, ſimulatque ab aluo produiſſet, de fabricâ vniuerſi diſ-

Paucis non credendum ſemper. Cap. XIV. — *Homines alij aliàs, & in diem.* — *Lib. VII. Plures audiendi.* — *Vnus ali-qui ſ[illegible]* — *Imperator, cui imperatum.*

A ſeruiſſe ferunt. *Facetè deinde addit Choniates, & ſubſannat:* Erat, inquit, ille adoleſcens, velut apicula aut culex, aures leonis aſſiduè circumſonans; aut vt niger pumilio, qui maximum terræ pondus elephantẽ gubernat; vel vt funiculus, qui camelum naſo trahit; vel denique vt anguſta porta aut ſemita, quæ ad Aulam duceret. *Et quid miramur? profectò hæc ſunt riſu, aut morſu potiùs & Satyrâ digna. Faciat quis volet Principum audiet viuus aut mortuus quod iſte.*

Tamen ſine pertinaciâ.] *Alterum hoc eſt vitium. nec mollem & ſequacem nimis eſſe, nec refractarium oportet. Sapiat ipſe aliquid, ſed & alios putet. quam animi temperiem pulchro mihi complexus Homerus videtur.*

Ἀλλὰ ἄναξ αὐτός τ' εὖ μήδεο, πείθεό τ' ἄλλῳ.

B Ipſe, ô rex benè conſulito, & pareto viciſſim.

Peccant hic ſæpe magni, qui vt fortunâ, ſic ſenſibus, ſuper alios ſe putant. Itaque Seneca hunc affectum expreſſit.

——regale hoc putat,
Sceptris ſuperbas quiſquis admouit manus,
Quà cœpit, ire.

Imò quidam ita fatui, vt etiam poſt conſilia, ne alienæ ſententiæ egêre videantur, in diuerſa ac deteriora tranſeant. *In hoc numero ille Xerxes,* qui Græciæ indicturus bellũ, (*Valerius refert*) adhibitis Aſiæ principibus, Ne viderer, inquit, meo tantummodò vſus conſilio, vos contraxi: ceterùm mementote, parendum magis vobis eſſe, quàm ſuadendum. *Neſcio inſo-* C *lentius, an ſtultius dictum. At ego hoc quoque nomine, Principem parum aptum eſſe dixerim ad puriter conſulendum: quòd de re eius maximè agatur. Benè autem hoc Cebares quidam apud Curtium:* Natura mortalium hoc quoque nomine praua & ſiniſtra dici poteſt, quòd in ſuo quiſque negotio hebetior eſt, quàm in alieno. Turbida ſunt conſilia eorum, qui ſibi ſuadent. *Quid tamen in rege ſene, & gubernationis iam gnaro? aliquid plus et permiſerim: ſed non ita, vt cum Tiberio (apud Suetonium)* ſemper ſit ſui arbitrij, contentúſque ſe vno. *Plus iudicare ipſe poteſt, plus tamen ſuggerere & inuenire plures.*

Sententiam ſuam celet] *Quod duplici ſenſu moneo. vt nec ipſe declaret quò inclinet,* ne ceteris (*ait Ta-* D *citus*) aſſentiendi neceſſitas fiat: *ſed nec dictis iam ſententiis, aperiat quam probet. Decorum enim ita, quaſi* ſuæ meditationi quædam relinquat: *ſed & vtile ad effectum, vt minùs periclitetur efferri.*

Anima conſilij ſecretum.] *Cui ſanciendo, reperio & iuramentum interdum interpoſitum apud Principes. Ita enim Capitolinus in Gordiano:* Omnino exemplum Senatuſconſulti taciti non aliud eſt hodie, quàm quod veſtra clementia (*ad Diocletianum ſcribit*) conuocatis ad interiora maioribus, ea diſponit quæ non ſunt omnibus publicanda: de quibus adiurare etiam ſoletis, nequis ante rem completam quiſquam vel audiat vel intellegat. *Produntur autem conſilia non verbis tantùm, ſed & ſignis. de quo ſtudiosè ita monuit Polybius:* Primum præcipuúmque eorum E quæ ad felicem conſilij exitum requiruntur, eſt ſilere. Itaque neque gaudij oſtentatione, ob ſpem ſcilicet inopinatam affulgentem, neque metus; ſed neque familiaritate inductum aut affectu & amore quidquam communicare cum exteris oportet; ſed cum iis dumtaxat, ſine quibus res ad exitum deduci non poteſt. nec iiſipſis anteà quàm cuique rei agendæ tempus adiget. Silere autem non linguâ tantùm oportet, ſed multò magis mente. Multi enim ſermone quidẽ celãtes, ipſo aſpectu & vultu, aut & factorũ aliquo, reuelarunt ſua decreta. *Ea verò poſtrema veriſſima ſunt, & quidam ſuſpicari de conſiliis ſuis dant*

Obſtinatio vitanda. — *Iliad. ß.* — *[illegible] ſæpe magni.* — *In Medeâ.* — *Tacitus XV. Ann.* — *Lib. IX. cap. V.* — *Lib. VII.* — *Ca. XVIII.* — *Celãda ſententia. IV. Ann.* — *Tac. XV. Ann.* — *Iuramentũ in conſilio.* — *A ſignis cauendũ, in dicendo. Lib. IX.*

ſuſpenſi

ſuſpenſi aut maſti,& magnæ cogitationis manifeſti.

Libertatem admittat.] *Imò verò & promoueat, atque arte eliciat intimos eorum ſenſus. Difficile enim & rarum eſt, vt non aut eò ſententias dirigant quò Principem ire cenſent; aut in gratiam eorum flectant, qui ipſi in flagranti gratiâ ſint regentis. Itaque interdum bonum, Principem ſubitò & quaſi aliud agentem, ſententiam ab hoc aut illo ſeorſim exquirere. quod Sfortiam cognomento Magnum callide & frequenter feciſſe, ſcriptum reliquit Paulus Iouius. Interdum non per ſe, ſed per interpoſitam perſonam iubeat explorari. Sed & hoc vtile, ſententiam ſine ordine, aut immutato ordine ab infimis petere, ne aſſeclæ ſint potentiorum, vt dixi: ſed & vt æqualiter omnes parati. Suetonius de Auguſto:* Sententias de maiore negotio non more neque ordine, ſed prout libuiſſet perrogabat, vt perinde quiſque animum intenderet, ac ſi cenſendum magis, quàm aſſentiendum eſſet. *Vtiliſſimum autem, in ſcripto eas exigere & clauſis tabellis. Ita enim & accuratior ſententia, & certè liberior, ſine alterius gratiâ aut offenſâ. Suadet hoc Auguſto Mæcenas, apud Dionem:* In cauſſis grauioribus, ſententias non palàm rogabis, ne amicis ſuis fauentes parùm liberè quid ſentiant, pronuncient, ſed in tabellis eas ſcriptas ad te ſolum, ne cui alij innoteſcant, perferri iube, & lectas etiam ſtatim deleri. Ita enim verum ſenſum euiuſque maximè cognoſces, ſi eum illi à nemine alio cognitū iri, perſuaſum habebūt. *Quòd ſi tui affectus (ita interdum cauſſa aut res eſt) minùs liberè vel ſcripturos putes, tum remedium ſolos relinque, & inter ſe deliberare. Mihi etiam non diſpliceat, quod Turcarum Principes audio vſurpare, vt proximo Senatus habendi loco poſſint occultè, cùm velint, conſiſtere, illinc per cancellos (ſed velo oppoſito) omnium ſententias audire: vt tamen adeſſe eos, etiam cùm non adſint, fas ſit ſuſpicari: & contrà. Id verò & libertatem dare ſententiis videtur, cùm non coràm ille immineat: ſed & intentionem addere, cùm ſemper poſſit auſcultare, & adeſſe.*

Regum opes ſæpiùs aſſentatio, quàm hoſtis euertit.] *Quod vitium ita inhærens & affixum Aulæ, vt deſperem (niſi apud magni excellentiſque animi regem) poſſe euelli. Iuuat Senecæ verba ruminari & hîc apponere:* Monſtrabo tibi, cuius rei inopiâ laborant magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit; ſcilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem ipſáque conſuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à conſenſu concentúque falſorum. Non vides, quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obſequium ſeruile ſubmiſſa, dum nemo ex animi ſui ſententiâ ſuadet diſſuadétque, ſed adulandi certamen eſt, & vnum omniū amicorum officium, vna contētio, quis blandiſſimè fallat? *Nec mirum ſanè, tam crebrum hoc genus eſſe. nam & fructum præſentem capiunt, & rei in facili ac ſine labore. Tacitus:* Suadere Principi quod oporteat, multi laboris; aſſentatio erga Principem quemcumque ſine affectu peragitur. *Vult dicere, in recto veróque conſilio adnitendum, & induſtriè agendum eſſe: in adulatione, cùm verus amor aut cura rei publicique non ſit, ex facili omnia dici, tantùm ad voluntatem.*

At mihi ſalus illius deſperata eſt.] *Tale hoc Ciceronis:* Cuius aures clauſæ ſunt veritati, vt verum audire non poſſit, eius ſalus deſperanda eſt. *Quid de Perſeo rege dicam, qui ab amicis duobus liberiùs admonitus de vitiis præteritis & culpis, verumque pugione interfecit? dignus qui verum poſtea non audiret, & ipſe ac regnum periret, vt euênit.*

Nec bona quidē conſilia præmiis adficiat.] *Cauſſam habes in fragilitate vel ambitione humanâ. quia cùm ſemel iterúmque placuiſſe ſe vident, & præmium retuliſſe, extra limites facile abeunt, & tibi ſe dant muneranti. Sed & ſibi placent, & ſuperbiam induunt: fugiendum. Mæcenas tamen apud Dionem aduerſus nobis videtur, ſuadétque Auguſto:* Eos qui rectam ſententiam probamq. dicent, & lauda & honora. illorum enim ex inuentis ipſe benè audies. qui verò aliter, neque ignominiâ affice, neque accuſa. Mentem enim illorum conſiderare oportet, non autē aberrationē caſtigare. *Concilio, quod communiter prudentem Conſiliarium honorare ac præmiari, fas & ius. at non ob ſingula conſulta aut ſuaſa.*

Sæpè praua magis, quàm bona cōſilia proſperè eueniunt. *Aut ſi non ſæpè, vt Salluſtius, certè interdum: & dominatur ac ludit in humanis rebus, præter omnem rationem noſtram, præpotens illa ratio, id eſt Fatum. Hoc Demoſthenes ſapienter:* Conſultores veſtros, *inquit*, vt impoſtores, ſiquid aliter accidit, accuſatis: neque conſideratis, quærere & rationibus colligere optima, quātum homo poteſt valétque, id noſtrū eſſe; effici autē iſta & ſuccedere feliciter, id plurimùm in fortunâ ſitum eſſe. *Itaque vir prudens non eò ſibi diſplicet, ſi in mente & ratiocinio recto minùs rectus ſucceſſus. imò cum Phocione ſentiet ac dicet: qui cùm aliquando ſuaſiſſet, nec obtinuiſſet, & contraria etiam ſententia feliciter effectui data eſſet: rogatus, ecquid pœniteret?* Minimè, *inquit*, nam mea meliora, etſi hæc feliciora. *Cui adſonat hoc Artabani, apud Herodotum:* Suadeo tibi rex, *inquit*, benè deliberare in quo maximum eſt lucrum. Nam etiamſi aliter accidat, nihilominus tamen benè conſultum eſt, & ſuperauit Fortuna conſilium: qui verò malè conſilium cepit, ſi Fortuna ei arriſit, ille eſt quidem voti ſui compos, ſed nihilo ſecius malè conſultum eſt. *Atque hæc de Conſiliis. ad quæ quoniam bellum & commodum eſt* Caput *ſiue tractatio in Leone Imp. de* Apparatu bellico, *iubet id totum hîc adſcribere, cum fructu imò & voluptate à Politico legendum.*

Quomodo conſilium capiendum ſit.

CAP. IV.

OMnem actionem conſilium anteeat: incōſulta enim rerum tractatio haud ſatis tuta eſt. Nam quamquam interdum quis glorietur ſe, quaſi ſimul & deliberauerit, & res ſuas geſſerit, multa proſperè atque ex tempore geſſiſſe: tamen perrarò aliquid tale vſu venire fortunate ſolet.

2. Propterea in primis præcipimus tibi, vt ante omnes res ſuſcipiendas, maximè autē bellicas, conſilium cū iis præfectis capias qui tibi ad hoc idonei videbūtur: cuius generis Turmachæ reliquiq; ſunt. Vbi verò firmitatem aliquā habere conſilium videbitur, rē ipſam de quâ deliberaſti, omni ſtudio ac diligentia contendas ad exitum perducere, niſi ſi (quod perſæpè ſolet accidere) aliquid interim aduerſum & contrarium conſilio contingat. Conſilium autem quidnam tandem ſit, & quemadmodum conſilium tutò expedire poſſis, explanabo.

3. Conſiliū eſt, deliberatio quædā de re agēda vel non agēda. Si res agēda non ſit, ſtatim ſiſtendum tibi eſt: ſin agēda ſit, modū agendi vel quomodo, tēpus vel quādo; vbi vel locū, quid vel rē agendā, quē vel perſonā qui hoc ſuſcepturus & ad exitū perducturus eſt, propter quid vel cauſam cuius gratia res ſuſcipitur, cōſiderare oportet.

4. Qui deliberaturus ſecū eſt, ante omnia ſuam ipſius mentē ab omnibus perturbationibus liberā habeat, maximè autē ab amore vel odio atque omni aliâ perturbatione, quæ rei de qua deliberatur damnoſa eſſe poteſt.

5. Deinde nō ſolū quid facile ſit eligito, & in hoc meditabito, ſed etiā omnia quę vſu venire poſſūt animo proſpicee: fortaſſis enim poſt rē incœptā aliquid ſe tibi quod in primis cōducibile eſt, offeret, quod anteà prætermiſiſti.

6. Quòd ſi tecū ipſe non ſolùm capere conſilium verū

etia.

A

etiam alios aſſumere volueris, teipſum tamen ab omni perturbatione vacuum præbe, ac ſi ſolus deliberares. Conſultores autem adhibe experientes rerum, prouidos, perſpicaces, ærumnarũ ac proſperitatis tuæ ſocios, ad excogitãdum ſolertes, fideles, qui tibi neque ad gratiam obtemperabũt, neque illi qui rei ſuſceptor extitit, neque ſibi mutuo, ſed qui quod cogitat dicunt, qui ſimplici animo & incorrupto ſunt, nullúmque ex iis rebus lucrum quærunt, ſed in ipſo tempore quid maximè vtile ſit explorant.

7. Sunt enim qui cùm lucrum aliquod aut compendiũ, aut ad ſe, aut eos quos caros habent atque diligunt, pertinere poſſe vident, totam iudicationem rei eò transferunt: & quia pertinaces ſunt, vniuerſum cõſilium ab vtilitate communi, ad id quod ipſi volunt, deducunt.

8. In rebus occultis & abditis, fideles adhibe tibi & temperantes viros, & tacituros, & qui in ſua & nõ aliorum poteſtate ſunt, cum ſecretæ res iſtæ, vt ſecretiores fiant, minimè ad cognoſcendum multitudine indigent.

B

9. Delibera tarde, niſi aliqua neceſſitas celeritatem requirit: vbi conſulueris, ſi nullum impedimentum ſit, ſtatutè facito.

10. Tempus & locum, quemadmodũ prædictum eſt, rei idoneum elige. Sed de eâ referas non ad teipſum ſolùm, ſed etiam ad omnes qui tecum conſilij participes fuerant, & quid facto opus ſit, cum multis delibera: quæ verò agere volueris, cum paucis cõmunica, & vbi optimum ex omnibus conſiliũ ceperis, apud te ſolum tene, ne aduerſariis hoc indicetur, & inſidiis illorũ appetare.

11. Res ipſæ diuerſas & plurimas ſæpè afferunt ſententias. fortaſſis autem quæuis res circumſtans omni ex parte manifeſta fiet, ſi ſingulæ conſultorum ſententiæ inter deliberandum in vnum conferantur.

C

12. Omnes autẽ debẽt huc ſpectare & cõuenire ad ſaluã atq; illæſam multitudinem conſeruãdã, & ad curam prouiſionémque eius qui eos conuocauit ſuſcipiendam.

13. Finis conſilij ſit tibi, vt cognoſcas in rebus gerendis vbi & quando agendum vel non agendum ſit, & quà de cauſsâ quidque agendum.

14. In deliberatione tuà, & in omnibus ſententiis quæ in deliberationem veniunt, adeſſe hæc duo oportet, poſſe illud fieri, atque vtile eſſe: hæc enim duo ſi nõ adſint, infirmum conſiliũ eſſe & temerarium ſtatim deprehenditur, & quaſi ante oculos illius vitium cernitur.

15. Si enim inutile ſit de quo deliberas, non modò non cõmodaberis, verumetiã lædẽris. Si verò non poſſunt de quibus deliberatum eſt perfici, inanis hæc conſideratio ad temerariũ exitũ, quod fieri nullomodo aut vix poteſt, neceſſariò pertinet. In primis autẽ vitare oportet eas offenſiones, quæ in promptu ſunt. vulgus enim hominũ ſolet rerum futurarũ cogitationibus ſeipſos oblectare, offenſiones autem circumſtantes prouidere non ſolent.

D

16. Vtiliſſima autẽ eſt in omnes partes animi quaſi excubatio, & eorũ quæ vlla ratione fieri poſsũt in cõſiderãdis rebus pertractatio: ita enim fiet, vt neque teipſũ omnis cęcæ temeritati exponas, nec rurſus nimiã rerũ cupiditate illectus, in manifeſtũ aliquod diſcrimẽ incidas.

17. Rurſus timor abſque vllà audaciã, à vitio nõ abeſt & qui quoſuis caſus temerarios formidat, temerè ſæpè aduerſus ſeipſum multa facit, & quæ ex vſu ſuo ſunt negligit, & ab vtilibus rebus ſuſcipiendis abhorret.

IN CAP. IX.

De occultis & domeſticis conſiliis.

E

VTI ſpernat genus illud domeſtici cõſilij.] *Hoc genus nempe quod ſubiungo, e vilibus aut ſeruilibus ingeniis: non in vniuerſum damno, ſiquis in familiâ auctoritate & fide dignus: ſed ipſe quoque inter digniores. Crede hoc ſemel Princeps, nihil generoſum aut altum à ſeruitiis illis exſpectandum, & contagione iſtâ tu quoque ſordeſces. Vide te quaſo Ammiani ſcomma, ſed appoſitum, in Conſtantium Imperatorem:* Mercari complures nitebantur Euſebij fauorem, cubiculi tunc præpoſitum, apud quem (ſi vera dici debent) multa Cõſtantius potuit. *O figuratum, ſed aſperum morſum! multum erat illum homuncionem Eunuchum, aliquid apud Imperatorem poſſe, at ille imuerat, & quaſi ipſe potens rerum & arbiter eſſet,* Multa, *inquit*, apud illum Cõſtantius potuit: *Eo veniunt deſcenduntq; illi, qui domeſticis regimen ſui præbentes. Claudio Imp. nónne olim ſimile? qui* libertis vxoribúsque addictus (*ait Suetonius*) non Principem ſe, ſed miniſtrum egit. *Vnum hoc incommodum, Indignitas: addo alterum, Prædationem. Iſti enim rapiunt, exhauriunt, vendunt omnia, & prædas agunt. Crebrũ olim malum & in hiſtoriis frequens, præpotentes liberti aut eunuchi. Spreuit Alexander Imp. (bonus, & variè imitandus) qui vt Lampridius ait,* Eunuchos nec in conſiliis, nec in miniſteriis habuit, qui ſoli Principes perdunt, dum eos more gentium aut regum Perſarũ volunt viuere. qui à populo, etiam amiciſſimum Principẽ ſemouẽt, qui internũcij ſunt, aliud quàm reſpondetur ſæpè referentes, claudentes Principẽ ſuũ, & ante omnia agentes, ne quid ſciat. Qui cùm empti ſint, & praui fuerint, quid tandẽ poſſunt boni ſapere?

Bonus, cautus, optimus venditur Imperator.] *Dictum hoc & querela Diocletiani fuit, de quo Vopiſcus:* Sed ego à patre meo audiui, Diocletianum Principem, iam priuatũ, dixiſſe, Nihil eſſe difficilius quàm benè imperare. Colligunt ſe quattuor vel quinque, atque vnum conſilium ad decipiendũ Imperatorẽ capiunt, dicunt quid probandum ſit. Imperator, qui domi clauſus eſt, vera nõ nouit: cogitur hoc tãtùm ſcire quod illi loquũtur: facit iudices quos nõ oportet, amouet à rep. quos debeat obtinere. Quid multa? vt Diocletianus ipſe dicebat, Bonus, cautus, optimus venditur Imperator. *Nec diſſimile, quod Miſitheus Præfectus prætorio, vir laudatus, Gordiano Auguſto, & genero ſuo ſcripſit, apud Capitolinum:* Euaſiſſe nos grauem temporum maculam, quã per ſpadones & per illos qui amici tibi videbantur (erant autem vehementes inimici) omnia vendebantur, voluptati nobis eſt, & eò magis quò tibi gratior emẽdatio eſt. Neque enim quiſquam ferre potuit, datas eunuchis ſuffragantibus militum præpoſituras, negatum laboribus pręmium, aut inter emptos aut liberatos, pro libidine atque mercede, quos non decebat: vacuatum ærarium per eos, qui quotidie inſidioſiſſimè frequentabant; initas factiones, vt tu decipereris, cùm inter ſe de bonis peſſimi quique haberent conſilia tibimet ſuggerẽda: bonos pellerẽt, deteſtãdos inſinuarent, omnes poſtremò tuas fabulas venderent. Diis igitur gratias, quòd volente teipſo emendata reſp. eſt. Delectat ſanè eſſe boni Principis ſocerũ, & eius qui omnia requirat & velit ſcire, & qui pepulerit homines, per quos anteà velut IN AVCTIONE POSITVS NVNDINABATVR. *Quæ talia interdum diffuſiùs exſequor & repono, vt in alienà vitiorum imagine ſua Principes videant, & damnent, ſi habeant, exſecrentur, & abſtineant, ſi non habent.*

IN CAP. X.

De Adminiſtris, eorúmque lectione.

ELIGI ſuadeam cum curâ.] *Et mecum Caſſiodorus, in perſonâ Theoderici regis:* Ad ornatum palatij credimus pertinere, aptas dignitatibus perſonas eligere: quia de claritate ſeruientium, creſcit fama dominorum. Tales enim prouehere Principẽ decet, vt quoties procerem ſuum fuerit dignatus aſpicere, toties ſe cognoſcat recta iudicia habuiſſe.

Vt genus iis honeſtum.] *Enimuerò intereſt, & de his talibus ſpes omnino maior meliórque. Theodericus item rex, apud Caſſiodorum:* Prouidentiæ noſtræ ratio eſt, in tenerâ ætate merita futura tractare, & ex

Pag. 61. Vilium hominũ cõſiliis haud vtendum.

Diſſeriam in conſpectum. Lib. xviii.

C. xxix.

Rapaces eunuchi.

Notabilis vox. In Aureliano.

Contra Miniſtros improbos.

Boni Miniſtri, laus Principum. Variar. iv epiſt. iii.

Pag. 62. Præſumptio melior de Nobilibus. 1. Var. epiſt. xv.

parētum virtutibus prolis iudicare ſucceſſum. Quia bona certa ſunt, quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo neſcit deficere, quæ conſueuit radicitus pullulare. Fertur etiam curſu perenni fontium vena vitalis, & hanc conditionem ſuſtinent cuncta manantia, vt ſapor, qui conceſſus eſt origini, niſi per accidentia fuerit fortè vitiatus, neſciat riuulis abnegari. *Atque etiam in omni nobilitate etſi corruptâ, generoſum tamen aliquid & ambitioſum ineſt.* Habet autē *vt Seneca*, hoc optimum generoſus animus, quòd concitatur ad honeſta. Neminem excelſi ingenij virum humilia delectant & ſordida. *Tiberius igitur, in pleraq; gubernatione prudens, hoc quoque ſeruabat.* vt mādaret honores, (*Taciti verba*) nobilitatem maiorum, claritudinem militiæ, illuſtres domi artes ſpectando, vt ſatis conſtaret non alios potiores fuiſſe.

Vt fons, ita manat.

iv Ann.

Vilis ille, qui tantùm viles ſibi admonet.] *Neque hoc tantùm, ſed cauſſæ etiam aliæ accidunt. Dionis Caſſio, in Agrippæ ſuaſoriâ ad Auguſtum, dicta.* Si remp. *inquit*, ignauis & non magni pretij hominibus committas; ſtatim & nobilium ac ſtrenuorum iram in te prouocabis, ob cōtemptam eorum fidem, & maximis in rebus damna patieris. Quid enim præclari homo vilis aut ignobilis gerat? quis hoſtis eum non cōtemnat? quis ſocius ei obediat? quis militum non dedignetur ſub imperio eius eſſe? Enimuerò quę mala inde manare poſſint, nihil opus habeo apud ſcientem te dicere: hoc tamen omittendum non eſt, hunc talem, ſi rem malè gerat, plus tibi damni, quàm ipſos hoſtes, daturum; ſin rectè aliquid egerit, ſtatim eius mentem, bonarum artium expertem, amentia & ſtoliditate completum iri, eumque ex eo tibi ipſi formidoloſum fore. *Cauſſæ ſunt, quæ appenſæ pondus habeant, & vtique iſta poſtrema. Itaque Turcarum inſtitutum, haud ſatis mihi probabile, qui ex militari ſola virtute promouent, generis nullo adſſ ectu. Tegitur tamen hactenus culpa, quia nobilitas ibi ſublata, & præter vnum Dominum eiuſq; ſtirpem, reliqui ſeruorum loco ſunt. Niſi tamen, quòd vna hic ratio dari poſſit, fides & obſtrictio maior tenuium, cùm facti grandes. Ammianus tangit, de Ioniano, qui ſub initia vndique ſe firmare volebat:* Malarichum ex familiaribus negotiis agentem etiam tum in Italiâ, Iouino iuſſit ſuccedere armorum magiſtro per Gallias: geminâ vtilitate præſpeculatâ, vt & dux meriti celſioris, ideoque ſuſpectus, abiret è medio; & homo inferioris ſpei ad ſublimiora prouectus, auctoris ſui nutantem adhuc ſtatum ſtudio fundaret ingenti. *Et profectò beneficiarij beneficiis ſuis ferè adhærent, vel ſua cauſſâ: & indicauit Liuius, de centum Senatoribus à Tarquinio Priſco allectis.* Factio, *inquit*, haud dubia regis, cuius beneficio in curiam venerant.

Ex Sapul... non promouendis. Lib. lii.

Aliter Turca.

Ex Caſſ. Lib xxv.

Lib. i.

Excipio, ſi eximia in aliquo virtus.] *Multa exempla ſunt reipub. talibus feliciter communicata. Plutarchus & ſolam virtute conſiderari vult, in Sulla:* Ὥσπερ γὰρ κυνηγὸς οὐ ζητεῖ τὸ ἐκ κυνός, ἀλλὰ κύνα, οὐδ᾽ ἱππικὸς ἵππον, οὐ τὸ ἐξ ἵππου. (τί γὰρ ἂν ἐξ ἵππου ἡμίονος φανῇ;) οὕτω τι ὁ πολιτικὸς ἁμαρτήσεται τῷ παντός, ἐὰν μὴ ζητῇ τὸν ἄρχοντα τίς ἐστιν, ἀλλ᾽ ἐκ τίνος: Vt enim venator non quærit quod tali cane natum ſit, ſed canem, & eques equū ipſum, non quod ex equo (quid enim ſi mulus ex equo natus ſit?) ita vir politicus totâ viâ errauerit, ſi in rectore non requirat quis ſit, ſed è quibus. *Claudianus conuenienter, in Stiliconis laudibus ponit:*

Virtus in quærenda.

Lib ii.

——lector ex omnibus oris
Euehis, & meritum, numquam cunabula quæris,
Et qualis non vnde ſitus.

Ita iſti. quod aduerſum prærogatiuæ nobilitatis videatur a nobis aſſerta: ſed de eximiâ ſcilicet virtute loquimur. & vbi paritas aut concurſus, Nobiles antehabendi: imo etiam ſi paullum infra.

Meliorem eſſe remp. & propè tutiorem, in quâ Princeps malus] *Cauſſa ex eodem Lampridio additur:* ſiquidem vnus malus poteſt à plurimis bonis corrigi, multi autem mali non poſſunt ab vno, quantumuis bono, vlla ratione ſuperari. *Atque hoc eſt quod in Traiano deſiderabatur, ipſo optimo, ſed patiente & retinente miniſtri ry mali.*

Praui miniſtri peior malo.

Emitur ſolâ virtute poteſtas.] *O beatum Principem, qui ſic facit! ò ſtatum felicem, vbi id facit! Sed rara hæc electio, & vel optimi Principes miſcent. Theodaricus rex, in Caſſiodoro.* Dignitas dum ad incognitum venit, donum eſt; cùm ad expertum, compenſatio meritorum: quorum alter, debitor iudicij, alter obnoxius eſt fauori. Hos enim æſtimatione ſubuehimus, alios gratia promouemus, & ad omnes indulgentiæ vias ſe noſtra relaxat humanitas. *Ille verò fatetur, quod res eſt: & Gratia per ſæpe in cōmercia hæc venit, an nō & Pecunia? fortaſſe, ſed ò turpe, ſcelo & exitioſum! vel hac cauſſâ: quod rara in talibus integritas, & corrumpuntur facile qui corrupere. Alexander Seuerus dicebat:* Ego verò non patiar mercatores poteſtatum. neceſſe eſt enim vt qui emit, vendat. *Pariter Seneca:* Prouincias ſpoliari, & nummarium tribunal, auditâ vtrimque licitatione, alteri addici, non mirum: quando, quæ emeris vendere, gentium ius eſt. *Sed & Ludouicus Duodecimus, rex Galliarum, de talibus ſolitus dicere,* Eos quod auctione emiſſent, ſingillatim poſteà vendere. *O Francia, quod taces & peris, hanc habes vel inter primas cauſſas.*

Facere vià ... Lib. vi. Var. epiſt. x.ii.

Interdū & munera.

Lampr.

De Benef. i cap. xv.

In Principem culpa cunctorum redit.] *Mecenas ita Auguſto, apud Dionem:* Nulli amicorum aut officialium tuorum nimia eſt indulgenda potentia, ſed ita iis moderandum, vt ne te in culpam aut reprehenſionem coniiciant. Quidquid enim hi rectè vel ſequius egerint, id verò tibi adſcribetur, talemq́; te cuncti cenſebunt, qualia eos facta exercere permiſeris. *Ipſa autem ratio, quæ in poetâ noſtro adiungitur,* iubere peccare, qui non vetat: *prorſus eadem in Philone conſpicitur, contra Flaccum. Is enim cum Agrippam regē, Alexandriæ paſſus eſſet illudi, atque ipſe ibi Præſes: obiicit ei Philo, & addit:* ὁ γὰρ ἐπιτρέψας ὃ τὸ παντάπαν ἐπισχεῖν ἐδύνατο, εἰ μὴ κωλύσει, δῆλος ἦν ἐφιεὶς καὶ ἐπιτρέπων αὐτός: Qui enim caſtigare, aut ſaltem cohibere, cùm poſſit, nec cohibet; palàm eſt, eum permittere & pænè mandare.

Ex Mecoen. Principi ... peccat. Lib. lii.

Permittere, quaſi iubere eſt.

Omnes miniſtros ciuibus & reip. præſter.] *Theodahadi regis, apud Caſſiodorum, dictum præclarum:* A domeſticis incohare volumus diſciplinam, vt reliquos pudeat errare, quando noſtris cognoſcimur excedendi licentiam non præbere.

Lib x. Var epiſt v.

Ille ad ciuilia, hic ad bellica naturâ aptior.] *Quod Homerus quoque, vt pleraque prudentiæ aut ſapientiæ, ſic reuelauit.*

Ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἂρ μύθοισιν, ὁ δ᾽ ἔγχεϊ πολλὸν ἐνίκα:
Vnus conſiliis, alter præſtantior haſtâ:

Iliad. ξ.

de Polydamante & Hectore ab eo prolatum. Et Polybius illuſtri exemplo hoc notauit in Arato Sicyonio. qui ad ciuilia omnia mirificè vafer & appoſitus, trepidabat in bellicis: nec exſequi aut facere, cor aut corpus ei firma. Ipſa Polybij verba compendio dabo: Aratus, *inquit*, erat in rebus ciuilibus vir vndique perfectus. facundè loqui, prudenter cogitare; induſtriè cogitata exſequi, hæc omnia poterat: diſcordias etiam ciuiles leniter ferre, & amicos adiungere & ſocios facere, inter primos artifices. Tum etiam inſidias, fraudes, ſubſeſſus in hoſtes comminiſci, eademque ad exitum deducere, ob tolerantiam & audaciam, efficax maximè aptuſq́ue erat. Hic autem ipſe, ſi quando in

De Arati ingenio notabile. Lib. iv.

aperto acie dimicare vellet, ſegnis in conſiliis, timidus in aggreſſionibus, nec aſpectu quidem aut vultu pugnam tolerans. Ideoq; & Peloponneſum repleuit trophæis, ſed in ſe erectis. Adeò natura hominibus non corpora ſolùm, ſed animos dedit diſſimiles variantesque, vt idem ille vir non ſolùm erga res diuerſas diuerſè ſe habeat; ſed & in iis quæ aſſimiles, aliàs ſapientiſſimus videatur, aliàs tardiſſimus, itémque & audaciſſimus, & timidiſſimus. Neque hæc inopinata nimis aut paradoxa ſunt, ſed nota & familiaria iis qui volunt intendere. Nam ecce & in venatibus alij ſunt audaces, feráſque ſubſiſtunt, idem ad arma & contra hoſtes, degeneres. Sed & in bellicis rebus, alij in ſingulari certamine, & cùm vir cum viro componitur, acres & validi ſunt; iidem communiter in prælio & inſtructâ acie, ignaui & nullius pretij. Theſſalorum equites turmatim & confertim ſi ingruant, intolerabiles ſunt: extra aciem, in tempore aut loco viritim pugnare, timidi, & inutiles. Ætoli autem côtrà. *Scilicet magnus ille Deus hoc voluit, aliud eſſe aliis, nec in omni re vnum eminere.*

Diuiſa dona. Claud.

——partim ſingula quemque
Nobilitant, hunc forma decens, hunc robur in armis,
Hunc rigor, hunc pietas, illum ſolertia iuris,
Hunc ſoboles caſtique thori.

Atque vt alius poeta ait:

Homer. Iliad. ν.

Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
Ἄλλῳ δ' ὀρχηστὺν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν·
Illi bellica nempe Deus donauit, at illi
Saltare, atque alij fidibus cantúque valere.

Pag 61. Fruſtra quoſdā promouent. & ſunt Germani. 11. Hiſt.

Principum inclinatio in hos, offenſio in illos eſt.] *Quis non cottidie animaduertat? & eſt ſane in his promotionibus ſuum aliquod etiam fortuna. Tacitus de Veſpaſiano:* Multos præfecturis & procurationibus, pleroſque ſenatorij ordinis honore percoluit, egregios viros & mox ſumma adeptos; quibuſdam fortuna pro virtutibus fuit. *Sed & ius hoc eſt diuinis regibus, vt in Homero legi*, alium virorum odiſſe, alium amare. *Itaque argutè Caſſiodorus*: Non eſt maius meritum, quàm gratiam inueniſſe regnantium. *Quid, quòd ipſa electio viſa initio abſurdior, ſæpè poſtea laudatur? Verè enim Tacitus*: Multos in prouinciis, contrà quàm ſpes aut metus de illis fuerit, egiſſe. excitari quoſdam ad meliora magnitudine rerum, hebeſcere alios.

Odyſſ. δ.

IN CAPVT XI.

Præcepta Adminiſtris.

Lib.1.c.11.

AVDACVLI.] *Seneca de Tranquillitate*: Quorumdam parùm idonea eſt verecundia rebus ciuilibus, quæ firmam frontem deſiderant: quorumdam contumacia non facit ad aulam. *Medium ergo tenendum, vt & fiducia adſit, & contumacia abſit.*

Pag 65. Iactantia aliſa.

Sine iactantiâ agite.] *In quo peccant ſæpè aulici, & odia atque inuidiam prouocant fruſtrà. Talis ille Heraclides, potens apud Philippum Macedonem, & ex vili humilíq; euectus: de quo Polybius*, πρὸς μὲν τοὺς ταπεινοτέρους καταπληκτικώτατος καὶ τολμηρότατος, πρὸς δὲ τοὺς ὑπερέχοντας κολακικώτατος: aduerſus inferiores ſeuerus maximè & ſuperbus, erga ſuperiores in primis adulator. *Atque iſti iidem, de quibus Seneca*, regiæ potentiæ miniſtri, quos delectat ſuperbiæ ſuæ longum ſpectaculum; minuſq; ſe indicant poſſe, niſi diu multumq; ſingulis, quid poſſint, oſtendant. Nihil confeſtim, nihil ſemel faciunt. Iniuriæ illorum præcipites, beneficia lenta ſunt. *O penicillum, nō calamum. & quo temporis etiam noſtri egregiè mores effinguntur! Sed & a Dione, de Seiano illo, non altero à Tiberio, ſed altero penè Tiberio*: Is, *inquit*, homo ſuperbiſſimus ſtudiosè ab omnibus colebatur, ſalutabatur, deducebatur. Omnia enim acriter, & maximè procerum, obſeruabat & verba & nutus. Nam qui propriâ potentiâ nituntur, neq; ſalutationes aut hæc obſequia valdè requirunt; & ſi omiſſa fuerint, vitio non vertunt, ipſi nempe ſibi conſcij contemptu ſui hoc nō factum. Qui verò fuco & adſciticio ſplendore vtuntur, ij omnia talia magno opere, & tamquam ad dignitatis ſuæ culmen pertinentia, requirunt, & niſi conſequantur, grauiter ferunt vt abiecti, & iraſcuntur quaſi iniuriâ affecti. Ideoq; iſtos magis pænè, quàm ipſos imperatores, vulgò obſeruant, & circa eos ſatagūt: quoniam apud hos ſi quid peccatur, virtus cēſetur remittere & ignoſcere; apud illos, imbecillitas & virīū inopia; contrà autem vlciſci, facere ad ſtabiliendam oſtentandamq; potentiā arbitrantur. *Tales iſti, qui potentiam ſuam non benè ferunt. & ideo nec diu ſæpe ferunt.*

Aulæ mores 11 De Benef.c.v.

Li.lviii.

Ad auctorem & ducem, vt miniſter. fortunam referas.] *Valde hoc obſeruandum, præſertim in bellicis, in quibus haud temerè alios volunt eminere. Ad Principem igitur refer, cuius auſpiciis pugnas, per eius fortunam (mares eſt) fortunatus. Dirigit enim hæc ſuprema Prouidentia, & miniſtros quoque attollit aut deprimit eius, in quo alterutrum vult fieri. Germani hoc erga Principes ſuos ſeruabant olim: &* illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ eius aſſignare, præcipuum ſacramentum erat, *vt Tacitus ſcribit. Simile Gallorum* Deuoti.

Felices felicium miniſtri.

Hæc eſt conditio regum, vt caſus.] *Quod ingenium regum in vno Philippo Macedone benè expreſſit Demoſthenes*: Eum ita gloriæ cupidum eſſe dicunt familiares, vt omnia præclara facinora ſua eſſe videri velit, & magis indignetur ducibus ac præfectis qui proſperè & laudabiliter aliquid geſſerint, quàm iis qui infeliciter & ignauè. *Ipſe hic affectus in filio Alexandro de quo Curtius*: Quippe Alexander hoſtes vinci voluerat, Antipatrum viciſſe ne tacitus quidem indignabatur, ſuæ demptum gloriæ exiſtimans quidquid ceſſiſſet alienæ. *Suſurrant idem & inſtillant Antiocho regi interiores aulici, apud Liuiū*: Ipſam eam gloriam belli, quâ, velut dote, Annibal concilietur, nimiam in Præfecto regio eſſe. Regem conſpici, regem vnum ducem, vnum imperatorē videri debere. *Denique, conſenſu ita reges: & patrum quoque memoriâ legimus, (vt vetuſtiora omittam) quicumq; res magnas ſub regibus geſſère, ad extremū aut in offenſâ, aut in exiguâ gratiâ fuiſſe. Teſtor* Alfonſum Albuquerkum, *qui pleraq; Indiæ Orientalis Luſitano regi ſuo ſubiecit: at idem accuſatus maioris ſpei, & ſuſpectus denique, reuocatus in patriam eſt, & morte opportunâ fortaſſe ignominiis exemptus. Simile in* Duarte Pacieco, *qui poſt magna merita, in cuſtodiam & vincla coniectus etiam fuit, & in clarâ innocentiâ liberatus tandem, ſed vt in paupertate ſeneſceret.* Conſaluum Magnum, & Ferdinandum Corteſium, *nec ipſos parem gratiam meritis retuliſſe, aliquis arbitretur & dicat. Quid cauſſa eſt? beneficij magnitudo, cui reges dolent & nolunt obſtringi. Noſter Tacitus*: Deſtrui per hæc fortunam ſuam Cæſar, imparémque tanto merito rebatur. Nam beneficia vſque eò læta ſunt, dum videntur poſſe exſolui: vbi multum anteuenêre, pro gratiâ odium redditur. *Sed & ſimile hic quod in arboribus, ſub quarum vmbram, vbi tempeſtas eſt, confugimus: cùm deſerenauit, ramos frangimus, & abimus. Addam prudentiſſimi Comminæi ſententiam.* Memini regem (*Ludouicum*) mecum ſic loqui, vt diceret, ſicut aliquando vt operæ nauatæ laudabiliter minus pretium ſit, idque culpâ eorū qui nauaſſent: dum enim quadam confidentia, inſolenter & proteruè ſe gerent. Atque addebat, felicem

Reges gloriæ auidi. Orat. ad Epiſt. Philippi.

Lib.vi.

Li. xxxv.

Magni Duces, ſiue poſtea neglecti.

Ann. iv.

eſſe,

cite, eius ſententia, cui rex nullo ſuo magno merito beneficium conferret: atque id præſtare, vt obſtringatur aliquis Principi, quàm vt illum habeat obſtrictum. Se quoq. hoc ingenio eſſe, vt plus amaret, qui ob beneficentiam ſibi deberent, quàm alios quibus ſe debere putaret. *Claudit deinde Comineus:* Tam eſt difficile in omni genere vitæ ſic ſe gerere, ne impingas: magnúmque eſt Dei donum, valere ſenſu communi, & iudicio naturali. *Præclara omnia: ſed age tu Comineæ, qui hæc ſcis & præcipis, ſatiſne cauiſti? naturalis tua prudentia ſepſit aut muniit? accepiſti plagā, & in tuâ arenâ circūuentus es ab amicis; qui, mortuo rege Ludouico, effecêre calumniis vt in carcerem conderêris, per triennium ferè ſeruatêris, denique capitis cauſſam ipſe diceres, ne patrocinari quidem quoquam auſo. En ludibria vitæ, & iactationes hominum! quibus nihil vſquam, per vllam ſapientiam, eſt certi: non certè in lubrico illo culmine & faſtigio Aulæ. Licet dicere:*

Laberius. Summum ad gradum cùm claritatis veneris,
Conſiſtes ægrè, & quàm deſcendas, decides.
Cecidi ego, cadet qui ſequitur.

Externi ab inuidia tumida. Lib. 1. *Atque his liuoribus aut periculis exteri maximè ſunt expoſiti (vt ille ipſe Comineus:) quod monuit Polybius:* Xantippus, reſtitutis Carthaginenſium rebus, paullò pòſt in patriam rediit, optimè ſibi conſulens. Nam res egregiè geſtæ & præclara facinora inuidiam & calumnias gignere ſolent, quas ciues quidem aut indigenæ, amicorum & affinium copiâ atque operâ, poſſunt repellere, at exteri facilè & ſtatim ab vtroque iſto vincuntur, & periclitantur. *Eſt in mente magnus Princeps, qui voces & ſuſpiciones, in diuturnitate Præfecturæ & fortuna ſecundante, non effugit: maior futurus, ſi in vigore famæ, & tempeſtiuè diſceſſiſſet. Plutarchus igitur ſapienter monuit:* Εἶναί τινα καὶ πολιτικῆς ἀγῶνος κατάλυσιν. τῶν γὰρ ἀθλητικῶν ἀγώνων τοὺς πολιτικοὺς οὐδὲν ἧττον ἀκμῆς καὶ ὥρας ἀπολιπούσης ἐλέγχεσθαι: (tempore hiſdem ... in Lucullo.) Eſſe & politici curſus finem quemdam ac terminum. nec minùs ciuilia certamina, quàm athletica, vigore & tempore deſtituta, vituperari ac coargui.

Gloriam impoſitæ ſummæ manus illis relinqueret.] *Hoc ſciuit iam olim & fecit Ioab, magiſter militiæ Dauidica, de quo libri ſacri:* Miſitque Ioab nuncios ad Dauid, dicens: Dimicaui aduerſum Rabbath, & capienda eſt Vrbs-aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obſide ciuitatem, & cape eam: ne cùm à me vaſtata fuerit vrbs, nomini meo adſcribatur victoria. (Reg. xii.) *Ergo, vno verbo, gloria omnis Principi adſcribenda, & vindicanda. Quam fecit hoc vanè aut ſtultè potiùs ipſe Princeps Conſtantius? de quo Ammianus:* (Ammianus lib. xvi.) eum, edictis propoſitis, ſe ſolum (cùm geſtis non adfuiſſet) & dimicaſſe & viciſſe, & ſupplices reges gentium erexiſſe, aliquoties ſcripſiſſe: *& talia, quæ ſine riſu aut miſeratione fatuæ ſuperbiæ nemo legat.*

Patientia à Aulicis. Iniurias ferendo, & gratias agendo.] *Tacitus & hoc indicat:* Egit grates, qui finis omnium cum dominante ſermonum. *Cur autem non ita faciant, qui in aulà beatitatem quærunt? Ariſtippus prius, verſutus philoſophus,* qui conſputus à Dionyſio, cùm nihil moueretur, & quidam mirarentur: Nempe piſcatores, inquit, vt gobium capiant, aquis patiuntur ſe adſpergi; & ego vt balænam, non patiar ſputo madidari? *Addo Senecam:* (De Irâ, xxiii.) Potentiorum iniuriæ hilari vultu non tantùm patienter ſunt ferendæ. facient iterùm, ſi ſe feciſſe crediderint.

(63. ... Chronica.) Qui ſecretis criminationibus infament.] *Contra quos quid remedij? Expoſtulat cum Deo Choniates in hac re:* O inſpector omnium ocule, quem nemo fallit, cur conniues ſæpe in his hominum, & grauioribus etiam culpis? nec ſtatim immittis ignē & tonitrua & fulmina, ſed vindictam ſuperſedens differs? Imperueſtigabile tuum iudicium, & humanis ratiocinijs inacceſſum: niſi quòd ſapiens profectò es, & norma certa vtilitatis, etſi nos tenui mente præditos id latet. At enim venator aliquis ſerpentem, aut leonem denſâ iubâ, qui in montibus videt vel audit, ſtatim declinat & effugit, ſed & maleficus aut latro exorabilis eſt, & precibus aut lacrimis molleſcit: virum verò qui proximo & amico malum in corde machinatur, aliúdque ſentientem aliud loquentem, multę ſapientiæ eſt euadere, & à diuino auxilio pendet. *Præmiſerat verò idem de Theodoro Styppiota, per Camateri Logothetæ calumnias euerſo: ac miſcet deinde præcepta:* eſſe eos æmulos, quantum poteſt, obſeruandos, qui ingenio moribúſque parùm liberalibus & occultis ſunt præditi, & linguam habent à corde diſſentientem. Ante omnia verò, cuſtodiam ori ponendam, nec ſinere linguam temerè euagari dentium ſeptum & labiorum propugnaculum, quibus à naturâ, velut duplici vallo, eſt circumdata. *Bene & ſilentium aut circumſpectus ſermo optima hic arma.*

Quo incautior deciperetur, palàm laudatum.] *Id verò argutè malignum & mirum genus lædendi eſt, laudare. Excitatur enim occultè Princeps in liuorem aut metum, præſertim ſi animo puſillus eſt. Polybius exēplo & ſententiâ id docet, de Apelle quodam ſubdolo calumniatore. qui cùm Aratum apud Philippum Macedonum regem traduxiſſet, ac falſi compertus eſſet; non ideò deſtitit, ſed tranſtulit deinde calumniam in Taurionem quemdam, qui Peloponneſi rebus præerat.* Hunc non accuſauit, ſed laudauit, aſſerens digniſſimum eſſe, qui cum rege ipſo in caſtris atque acie ageret. *Addit deinde:* Καινὸς γὰρ δή τις οὗτος εὕρηται τρόπος διαβολῆς, τὸ μὴ ψέγοντας, ἀλλ᾽ ἐπαινοῦντας λυμαίνεσθαι τοὺς πέλας: Nouus enim calumniæ modus repertus iſte, non culpantes, ſed laudantes, lædere atque euertere alios.

Nihil rerum mortalium tam inſtabile & fluxum.] *Quæ ſecula id non docent? vetera, media, noſtra. Inter veteres, Ioab ille vir acer, callidus, militum Dauidis & conſiliorum arcanorum arbiter, cùm à vno rege non euertitur, iuſſu eſt cædi à ſucceſſore. Quid* Apelles *inter Græcos? ille à Philippo rege proximus, eo iam gradu & opibus, vt ab ipſo timeretur, momento horæ deijcitur, deſertus ab iis qui anteà ſtipabant & colebant. Polybius ita narrat:* Aratus flagitia & ſuperbiam eius regi aperit, ad vindictam ſtimulat, & rex id ſecum ſtatuit, ſed ita altâ diſſimulatione, vt mentem hanc eius nemo ſciret. Vocatur Apelles. ille fidenter veniens, & quaſi omnia ex ſententiâ patraturus, ſimulac conſpectus eſſet, ex Chalcide Corinthum venit. Cùm appropinquaſſet, certatim ſatellitij militumq; Præfecti, cum ipſis militibus obuiam procedunt, agmine & pompâ in regiam deducunt. Cùm autem ingredi ſtatim, vt conſueſſet, vellet, ianitor quidam præſtolari eum iuſſit, occupatum in præſenti regem dicens. Apelles nouitatem rei demirans, hæſitabundus aliquamdiu conſtitit: mox mæſtus, inópſque cōſilij, inde diſceſſit. Comites illi omnes ſubitò dilapſi, vt denique ſolus cum ſeruulis ſuis domū penetrârit. *Paullò pòſt captus cum filio, vinctus, & interfectus eſt. Sed poſt priora illa, Polybius appoſitè addit:* Parua omnino interualla temporis, omnes homines attollunt rurſumque deijciunt, maximè verò eos qui in Aulis verſantur. Reuera enim iſti adſimiles ſunt abacorum calculis, qui, vt ſecundùm voluntatē calculatoris modò obolum æreum, modò talentum valent; ita Aulici, ad nutum Principis modò beati, modò miſeri fiunt. *Atque hoc in Apelle exemplum: quam geminum Romæ, in* Seiano? *qui diu Tiberij Auenſis*

potens, & ad inſtar eius ſtatuis, honoribus, cultus; tandem vnâ epiſtolâ ſubuerſus eſt, & caput *illud* totu orbe ſecundum, *vt cum poetâ dicam, laqueo præbuit, & cadauer ſuum opprobrijs, lacerationi, vnco.* Quo die illum Senatus deduxerat, populus in fruſta diuiſit: in quem quidquid congeri poterat, dij hominesq; contulerant, ex eo nihil ſuperfuit quod carnifex traheret. *Et ſimilis potentia atque exitus Plautiani, ſub Antonino, qua in Dione Caſſio lege. Iam in æuo poſteriore, apud Hiſpanos quam nobile documentum fluxæ potentiæ* Aluarus Luna *eſt? Amabat & euehebat eum Ioannes rex Caſtellæ, ſuper omnes homines & amicos. Opibus, titulis, præfecturis, cottidie augebatur; atque ita regem ſuum fecerat, vt vel bellum eius cauſſâ gereret cum vicinis regibus, & cognatis. Nulla res in maiore famâ & inuidiâ, quàm iſte amor: atque is ſatis diuturnus. Sed quis exitus?* Sicut diuiſiones aquarum, ſic cor regis, *ait Hebræus Sapiẽs. Occultè abduxit ſe ab Aluaro, odit quantũ amauerat, denique paucis conſcijs, in oppido Burgenſi, ſagaciter hominem in vincla coniicit, damnari per ſententiam iubet, caput abſcindi, & in foro per triduum oſtendi. O cæca mortalitas! tu ille ſuperbus paullo antè & inſolens, vbi es? quid es? deſiiſti eſſe, & tot annorum cumulata felicitas ſubito turbine quaſſata & euerſa eſt. Vere tu prædixeras Aluaro, non ſine mali præſagio. admirãtibus alijs fortunam tuam & apud te prædicantibus,* Improuidi, ne ædificium ante finem operis laudaueritis. *Sed mihi finis non ſit, ſi exempla cumulem, obuia, vt verè dixi, in omni æuo. Claudianus Sidonij verbis appoſitis:* Periculoſam regum familiaritatem eſſe. quorum conſuetudinem ſpectatiſſimus quiſque flammarum naturæ benè comparat, quæ ſicut paullulum à ſe remota illuminant, ita ſatis admota ſibi comburunt.

Seneca De Tranq. lib. I.

Aluari omnioſum dictum.

Sidonij egregium.

Lib. III. Epiſt. III.

Nota Aulico. accede, inſinua, ama, amare; ſed non nimis.

Speciem magis in amicitiâ Principis, quàm vim retinent.] *Imagine ad hanc rem vſus pater Themiſtocles: quẽ cùm à rep. gerendâ vellet abducere,* oſtendit ei in litore triremes veteres, abiectas iam & contemptas: tales adminiſtratores reip. eſſe, cùm non vltrà ex iis fructus. *In Plutarcho.*

Vetus Aulicus, vetus nauis.

Aratæa aliqua vox erumpat.] *Nam & Aratus inter exempla infida regiæ amicitiæ. qui Philippo Macedoni diu carus vtiliſque amicus veneno tandem ab eo tolli iuſſus eſt lento, & ſenſim occidente. Non latuit Aratum ſed cùm aperire, mederi non eſſet, tulit tacitus: niſi quod amicorum cuidam Cephaloni, in cubiculo, cùm eo in coram ſanguinem ſpuiſſet: illo admirante, ſubiunxit,* Ταῦτα τἀπίχειρα τῆς τυραννικῆς φιλίας: hæc ſunt præmia regiæ amicitiæ. *Talis Philippus & alij: non ſic noſtri* AVSTRIACI *(quod verè & in loco dicimus:) patientes miniſtrorum ſuorum, & ad extremum mites.*

Aratus veneno perijt.

Iſta eueniunt, numquam mihi.] *Quid ergo? aulam & totum hoc genus damnamus aut deſpicimus? abſit: ſed Sicyonia iſta aut cothurnos pedibus meis conuenire, hoc nego. Valerius olim, quaſi Apollinis voce, dixit:* Magis ſe probare ſecuritate ridens tuguriũ, quàm triſtem curis & ſolicitudinibus aulam. *Nam hæc duo, etiam in optimâ eſſe, nemo expertus abnegabit. Nos verò ſeceſſum & otium quærimus: quid tum? otium, ſed non ignauiam.* Habet vbi ſe, etiam in priuato lare, explicet magnus animus: nec vt leonum animaliũmque impetus caueis coërcetur; ſic hominum, quorum maximæ in ſeductu actiones ſunt. Vbicumque otium meũ abſcondero, prodeſſe volam ſingulis & vniuerſis, ingenio, voce, conſilio. Nec enim is ſolus reip. prodeſt, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace belloq; cenſet: ſed qui iuuentutem exhortatur, qui in tanta bonorum præceptorũ inopiâ, virtute inſtruit animos, qui ad pecuniã luxuriamq; curſu ruentes prẽſat ac retrahit, etſi nihil aliud, certè moratur; in priuato publicum negotium agit. *Hæc ſapiens Seneca: cuius verba expreſſi, animum velim, ac conor.*

Otium nobis ante Aulam.

Lib. VII. cap. I.

IVSTI

I. LIPSI
AD IV. LIB.
POLITICORVM
NOTÆ.

IN CAPVT I.

De Prudentiâ, quam Propriam dixi.

Pag. 44. 11 Polit. cap. vii.

CONFVSE viam aliquam ſignabo.] *Propriè & diſtinctè vix poteſt. Ariſtotelem Audio:* ὥσπερ ἄρα τὰς ἄλλας τέχνας, καὶ περὶ τὴν πολιτικὴν τάξιν ἀδύνατον ἀκριβῶς πάντα γραφῆναι. καθόλου γὰρ ἀναγκαῖον γραφῆναι, αἱ δὲ πράξεις περὶ τῶν καθ᾽ ἕκαστόν εἰσι: Sicut in aliis artibus, ita in Politicâ ordinatione, fieri non poteſt vt omnia ſingillatim & accuratè ſcribantur. Vniuersè enim ſcribi neceſſum eſt, at actiones ſunt rerum ſingularum. *Enimuerò eorum eſt, qui mente & vſu valent, ex his communibus formare ſententiam & decretum in rebus ſingulis, & ad haſce velut normas adaptare.*

Vniuerſalia præcepta ſcribi.

IN CAP. II.

De Prudentiâ Togatâ.

Togata prudentia ardua.

PRVDENTIA duplex eſt, Togata & Militaris.] *Benè enim hoc Salluſtius:* Firmanda eſt reſ- A publica, non armis modò neque aduerſus hoſtes ſed quod multo maius multóque aſperius eſt, bonis pacis artibus. *Artes pacis ad Togam faciunt, atque hoc opus* maius aſperiúſque *meritò dicit. Idem Liuius:* Excellentibus ingeniis citiùs defuerit ars quâ ciuem regant, quàm quâ hoſtem ſuperent.

Materies duplex, Res diuinæ, Res humanæ. *Hoc quoque Strabo ita dicit, vbi de Moſe differit*; Hoc à naturâ hominibus eſt inſitum, & commune Græcis ac Barbaris, vt in politicâ vitâ, communi præcepto & legibus viuant. Præceptum hoc autem duplex B eſt, aut de Diis aut de Hominibus: *& plura addit, de vi religionis in animos noſtros, & quàm antiquus eius fuerit cura. At nos quoniam olim (ante annos penè ſex) in reliqua capitis huius & ſequentium ſuper Religione ſcripſimus, prouocati ab importuno homine, & quem nec amici amentiore viſum eſt hîc inſerere, & eſſe Notarum loco. Tu lege qui voles, en habes.*

IVSTI LIPSI
DE
VNA RELIGIONE
ADVERSVS
DIALOGISTAM
LIBER.

In quo tria Capita Libri quarti Politicorum explicantur.

Digitized by Google

ILLVSTRES

ORDINES,

LIBER in me nuper prodiit, cui an reſponderem, iure dubitaui Auctor an ille eſt, cui debeam? homo inquietus, turbidus: & cu vnum hoc ſtudium, litigare. Sicut canibus quibuſdam inſitum eſt, ſine cauſsâ aut diſcrimine latrare: talem audiebam iſtum. nec iudicio hæc ſcribere, ſed morbo. Cum hoc me componerem, & velut includerem in eodem campo? quem & vincere inglorium, & à quo atteri ſordidum eſſet. *Facit enim ſe aduerſarium*, ait Seneca, *quiſquis contendit, & vt vincat par fuit.* Sed cauſſa etiam ſilendi altera, ab ipsâ ſcriptione Nam qualis ea eſt? plebeia, futilis: & concepta plebeio quoque ſtilo. Quorſuſquiſque ea leget, ſi ego ſileam? nec deprimere aduerſarium meum poſſum, niſi vt attollam. Adde quòd calumniarum conuiciorúmque plena: & corniculas citiùs in Africâ, quàm res rationéſque ſolidas rep pererim in hoc ſcripto. Vetus ille verſus hîc valet:

* Sic Hermodori verba, mercimonium.

* Λόγους μὲν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται.

& flumen verborum vbique video, mentis vix guttam. Quid igitur reponam aut reſpondeam? ſerium aliquid aut eruditum? non eſt occaſio. cõuicia & dicteria? non eſt meum: & ita adhuc viximus ſcripſimuſq́;, vt nemo de nobis, de nemine queri etiam ego poſſim. Primus iſte eſt (heu fatum Lipſij!) qui procaciter & ex ſuperuacuo me laceſſit. Quem vt imiter, non adducar: perſuaderi tamen mihi paſſus ſum, vt reſpondeam. ſiue quia publicè intereſt, tam effrænem petulantiam reprimi & retundi; ſiue quia meâ, calumnias & mendacia leui manu abſtergeri, quibus nos aſpergit. Dicit enim nec ſcripta mihi, nec dicta: aut certè non ſic ſcripta. *Tantum autem veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtilus.* Quæ ratio præcipuè me mouit, vt reſcriberem: nequis ſilentium meum in conſenſum duceret, & crederet approbata nobis, quæ non videret refutata. Sed fecimus tamen breuiter. quoniam, vt ait Pindarus, * εὐώνυμον εἰς δίκαν τρία ἔπεα διαρκέσει: idémque modeſtè. quia vt ſcopulus aſſilientes vndas ſine motu vllo ſuo frangit; ſic nos conuiciatores iſtos, ſine acerbitate vllâ aut irâ. Dicta tamen quædam aut ioca miſcuimus. cur non liceat? viri magni, imò & ſancti, fecerunt in ſimili genere: & benè Tertullianus, *Multa ſunt ſic digna reuinci, ne grauitate adorentur. Vanitati propriè feſtiuitas cedit.* Hæc omnia ad vos

Tertull. aduer. Hæreſ. c.xvi.

* Iuſtâ ad cauſſam tria verba ſufficiunt.

Aduerſum Valent. cap. vi.

ILLVSTRES ORDINES,

& ad veſtrum tribunal deferimus: vt iudicetis tamen non vt vindicetis. Nam mihi purgatio ſola propoſita eſt, non vltio: & auertere plagá voluimus, non inferre. Vos, quorum id munus, me meaq́; auctoritatis veſtræ clypeo tegite: neu patiamini *innocentiæ plus periculi, quàm honoris eſſe.* Atque hoc eâ lege, ſi proba iſta apud probos. Nam quòd iſti ea calumniantur aut carpunt: nihil eſt. imò hoc quoque boni argumentum, talibus diſplicere.

Salluſt. Iugurth.

AD LECTOREM QVEMCVMQVE.

VIDES *reſcriptum meum, Lector, ex amicorum ſententiâ potiùs, quàm ex meâ. Nam mihi initio decretiſſimum fuit, non reſpondere : qui vetus illud memineram,*

Plaut.
Bacchæ bacchanti ſi velis aduerſarier,
Ex inſanâ inſaniorem facies, feriet ſæpiùs.

Sed vicerunt iidem illi eò minùs iam reluctantem, quòd eâdem operâ NOTAS *noſtras daturus eram ad trina illa Capita; quæ in calumniam venerunt. Nam quòd illi tantùm reſponderem: nugæ. quis fructus? at aliquis ex hoc concilio, & ſcriptione, quam vides. Vt etiam ordine & velut preſſo pede ſcripto eius inſiſterem, non placuit. quid enim ille ordine dicit? prima, media, vltima, pleraque eadem : repetitio vbique & mixtio, &, quod Græci dicunt,* * πάντα μία κόνις. *Nos ſi quid ad rem fecit, non omiſimus : conuicia vix attigimus. quia ſcimus*

* Omnia idem pului.

Plaut. ...
Iſtunc theſaurum ſtultis in linguâ ſitum,
Vt quæſtui habeant malè loqui melioribus.

Seneca.
Et ampliùs ſcimus: Æquo animo audienda eſſe imperitorum conuicia, & ad honeſta vadenti contemnendum eſſe iſtum contemptum. *Tu quiſquis es Lector, in bonâ cauſſâ faue: & ſi quid eſt quod minùs pro veſtro omnium guſtu, ſcitote me ſcripſiſſe & ſuaſiſſe quæ viſa optima, &* vtilitatem iuuandi prætuliſſe gratiæ placendi.

Plinius Præfat.

CENSVRA.

QVÆ *de vna hîc religione apologeticè ſcripſit J. Lipſius, ex Auctoris ipſius confeſſione & totius diſceptationis filo; de orthodoxa, catholica & Romana (quæ vna & ſola vera eſt Religio) ſcripta eſſe teſtificor. Louanij ix. Calendas Septembres,* 1593.

Henricus Cuyckius, D. Petri Louanij Decanus,
Academiæ Cancellarius, & Pontificius ac
Regius librorum Cenſor.

I. LIPSI ADVERSVS DIALOGISTAM LIBER.

LIBRVM tuum legimus, & quæ viſum mihi reſpondere, hîc habes. Pauca mole, ſed non pondere: & tu quoque non multa ſcripſiſti, ſed multis. Toto libro placuit tibi nō ſolùm *πολυλογεῖν*, ſed *ταυτολογεῖν*, & quod poëta dicit, *oberras* vbique *eâdem chordâ*. Lacon quidam ad luſciniam: *Vox es, prætereà nihil.*

In libri titulum. ORDIAR *à capite & ab ipſâ fronte tui libri. Titulum feciſti:* LIS ſiue PROCESSVS INTER IVSTVM LIPSIVM ET.] *Nollem te hoc præſcribere, mali augurij eſt in principio lapſus. Ego tecum litigo? numquam factum. Natura mea, conſuetudo, valetudo, abhorrent ab omni litigio; & ſi me non noſti, ſcito non eſſe pacatius ingenium in Batauiâ veſtra. Denique ego tecum? ſi viſum mihi litigare, alius eſſet cum quo confererem manum. Nam vt ille ait,*

Attius. —trophæum ferre me à forti viro pulchrum eſt.
Sin autem & vincat, vinci à tali nullum eſt probrū.

At tu quis es? ignotus es, imò tu quis es? nimis notus es.

In dedicationem. DEDICATIO *ſequitur, eáque* Ad Senatum huius vrbis.] *Grata erit, niſi fallor. Cur tamen ad hunc potiſſimùm? quiáne olim hic turba? & eos fautores putaſti turbidi tui animi aut ſcripti? Scis enim: & te quoque aliquid occulti ligni ſuggeſſiſſe in hanc flammam nos ſcimus. Sed mi homo erras. illa reſederunt, & beata pax ac concordia iterùm in hac vrbe. Æole, non eſt hic locus tuis flabris.*

De epiſtolis meis editis. EPISTOLAS deinde meas ſubiungis.] *Quo exemplo? nullo bono, aut cuiuſquam boni. Egóne hoc ſine ſcripſi, vt ederes? per ſomnium non cogitans.* Terent. *Homo inconſpecte, tollis è vitâ commercia aut certè libertatem litterarum. Apud bonos ita ſolet, vt duobus ſcripta inter duos pereant. Tu aliter. eſto. Cur tamen, ſi viſum eas edere, non edis ipſas? Veris, inquies. Ita ſanè, ſed non in decentiorem formam.* Emporiad. *Quid enim ſi parum fideliter? quid ſi parum expreſſe? Vtrumque verum eſt. nam nec tu Latine nimis (ſine contumeliâ dico) doctus: & quod nolo te neſcire, multa ſunt in illis noſtris proprio & ἐμφατικῶς ſcripta, ad quæ vertenda tu non adſpiras.* Aliter lōgè* Plaut. catuli olent, aliter ſues. *Atque ecce, Ordines, epiſtola præcipua exemplar ipſum.*

I. LIPSIVS S. D.

ACRITER tu cauſſam hanc non Libertatis ſed Licētiæ agis. Nefas tibi inijci quemquā religionis cauſſâ. Quid ais? etiámne ſeditioſum? etiámne palā

A impium & blaſphemū? Vis enim nō cōſtare Principi quæ ſit proba aut vera Religio. Bellè. Dic ſodes, in re tā ſeriā ludis? aut vis Academiā tādiu mortuam excitare, & facere omnia cōtrouerſa? Sed video quid agas. Vis me definire quam probam cenſeam: & hunc quoque tibi campum dare diſſerendi. Non faciam mi ::::::::::, nec nunc opus. Illud dogma noſtrum *γενικῶς** firmum maneat, Vnam religionem (eámque probam) in vno regno teneri. Quid tu mihi Ioannem aut Petrum, & martyres adducis? Scilicet qui probam religionem oppugnant ſunt Ioannes & Petrus. Quin dic ſeriò quod ſentis. * Vis quamuis religionē à quouis poſſe oppugnari; aut tu quid in meâ ſententia oppugnes nō video. Sæua eſt, inquis. Quid ita? Statim enim homines ad ferrum

B & ad ignem. Non ego: ne erres. Et caue imponant tibi illa verba *Vrendi & ſecandi*. *Παροιμιώδης* enim ille ſermo eſt, Latinis vſurpatus in omni asperâ & paullùm immitiore medicinâ. Puniri nos turbidos Hæreticos volumus (verba mea * nota) ſed non omnes vno modo. Vt criminum gradus ſunt, ita pœnarum: & quoſdam Pecuniâ, alios Exſilio, raros aliquos Morte ego mulctem. In priſcâ Eccleſiâ nónne ſemper factum? vtique poſtquam ea reſpirare cœpit, & ſub Chriſtianis imperatoribus attollere paullum preſſum diu caput. Si exēplis & * auctoritatibus ago, vinco: ſi rationibus, vna te vincit. quòd numquā ſocietas aut reſp. ſtabit, vbi tam indefinita hæc libertas. Audi mi vir. Religionē euertit, quiſquis libertatē hāc

C Religionū inducit: ex quâ confuſio, ex quâ * contemptus. Sed enim auctoritatibus Patrum non eſt agendū, ſed nudo meróque Verbo Dei. Seriò in omni re * externâ tu hoc ſentis? neſcio. Sed tamen ſi etiam illo ſcuto tegere me debeo, poſſum. Mæcenatem valdè culpas qui hoc Auguſto ſuaſerit, impio tyranno, inquis, & Chriſtianorum hoſti. Vnde hoc tibi in mēte aut calamo? Ille Chriſtianorum hoſtis, qui * Chriſtianos fādo non nouit? Replica Annales, docebunt te Chriſtum ſalutare verbi ſui ſemen non niſi ſub Tiberio ſparſiſſe. Plura ſunt quæ in tā vberi re poſſim: ſed parco, & reſeruo me Notis: quas, Deo volente,

D dabo. Intereà qui ſedatè & puriter noſtra illa leget, nec ſæuitiam nec lentitudinem increpabit: & fatebitur viam præſcriptam, quam bono generis humani ineant hodie qui regnant. Tu ſi aliter ſentis, quin ſententiam tuā potiùs promis, quàm ſic per diſſertatiunculam hæc oppugnas? Effuſam licentiam omnes boni viri abhorrent, & quibus exiguum aliquod lumen mentis: ſi modus coërcendi melior apud te au-

A mitior,ſcribe. Ego inter primos qui amplectentur. Verum enim amare didici: ſed contentiones etiam fugere. & quod Telemachus apud poëtam quem vertiſti,de me profiteor,

*Ἀλγαλέοι τ' ἰσόμεσθα, καὶ ἀδαημόνες ἀλκῆς.

* *Infirmi ſumus & non docti depugnare.*

Vale,& ter liberè reſpondentem, qui liberè prouocaſti. Acerbitas certè abeſt,& ſum in te qui ſoleo,

I.Lipſius.

Hoc eo quo modo versa, videat lector cui videre placet

Sic qualem exponit.

Lugd.Bat.Kal.Aprilis ∞.Iↄ. xc.

Alteram non pono,quia nec exemplar quidem eius(neque tanti eſt) ſeruaui.

Sed iam ingrederis in actionem ipſam,& ſuauiter incipis ...*.Et primùm promis apud illos tuos ſermocinatores cauſſam quæ impulerit te ad ſcribendum.* Videre te pernicioſa conſilia quæ publicè promuntur, valdè peccaturum niſi detegas, cùm Deus te præſertim idoneum aptumque fecerit huic rei.*Itáne Diodore:tu ille es qui cenſuram hic nobis ſine ſuffragio geris?tu qui prouides, nequid res publica capiat detrimenti? Bene eſt.ſta ac firmi Batauis hoc tibicine & deſtinâ. Sed tamen ego Ordines putabam eſſe & Magiſtratus,quibus hæc cura.qui non admonere ſolùm poſſint,ſed compellere:& quibus parère nos non volumus tantùm,ſed debemus.Illi cùm ſileant, tu loqueris? imò illi cùm probent,tu improbas? Niſi tu vnus plus ſapis & vides,quam ceteri.O mi ſenex,*Omnes videmur nobis ſaperdæ,feſtiui,belli,cùm ſimus copreæ.

Cenſor publicus.

Salus ſaperis Varro.

Querelam adtexis & ſcriptionis cauſſam alteram, quòd aliquoties prouocatus à te colloquium ſpreui.]*Heu quòd mare me purgabit? Tu me ad colloquium vocas, id eſt ad tuam* LITEM. *ego renuo: quid peccaui? Ignoſce. liberum hic me cenſui, nec obnoxium imperio cuiuſquam priuati. Et tamen quod colloquio hoc quærebas, nónne præſtiti? Nam de ſenſu meo binis epiſtolis reſpondi; & ſatisfeci tibi,etſi non ſatisfeci. Tibi inquam & interiori tuo animo purgatiſſimus ſum. ſed diſſimulas, quia decretum tibi velitari. Atque ego quam abhorruerim ab hac contentione, teſtis quoque Epiſtola hæc eſto, quam ad amicum tuum miſi,a meum,ſed moribus & ingenio valdè a te diſiunctum. Ea hæc eſt,*

Imperioſa auctoritas.

Φιλόνεικεῖα.

I. LIPSIVS H. L. S.

S. D.

OCCASIONEM mihi datam abs te gaudeo, vt promam animi mei ſenſum. Tu vtrique noſtrûm & Paci amicus es, vtrumque audi. Primum queror, Quid ille vir ſibi vult, quòd quaſi datâ operâ in me incurrit? In Conſtantiâ noſtrâ nuper impunere mihi voluit ſententiam, quam non dixi vmquam, non ſcripſi. Nunc ſimile. Adeò nemo alius eſt,qui aliquid ſcribat præter eius mentem? Addo etiam liberè. quid illi cum Latinis meis ſcriptis, ad quæ aliter reſpondet,nec prouocat me iiſdem armis? Sed hoc leue. Etiamne benè ea capit? ambigo: quia video palàm torqueri in alium & diuerſum à ſenſu meo ſenſum. In hac ipsâ re,quàm clarè ſcripſi *Hæreticos ſeditioſos,turbidos* puniendos eſſe? ille ita accipit,quaſi dixerim,quoſcumque in religione errones. Nónne Capita mihi diuerſa facta,& diſparaui? Si rectam diſputandi viam inire vellet,hoc ei docendum, *Puniendos non eſſe nec quidem tales.* Dialecticam ſcio te & illum ſcire. In eâ vitium eſt,ſiquid in Hypotheſi dictum,ad Theſim & communem aliquem locum referre. Atqui verba noſtra inuidiam habent, *Vre,ſeca.* Non noſtra,ſed veterũ: & quod liquidò ad eum ſcripſi, non ita arctè capienda, quaſi ferrũ nobis ſtatim in manu aut ignis. Abſit, abſit. Prouerbialis ille ſermo eſt, à

A medicis ſumptus,qui in praua aliquo vlcere vtebãt, ſecabant. Valet igitur,vti asperâ aliquâ medicina. Nequid eũ turbaret,addidi: *Pœnarum hic gradus eſſe.* & Turbatores quoſdã Pecuniâ,alios Exſilio,raros quoſdã Morte à nobis plecti. Hæc ſcripſi.ille quid reſpondet ... , & acerbè ac contumelioſè agit: quod ex litteris eius,ſi voles,videbis. Quin etiã Cardinalẽ Grannellanũ mihi obiicit,& quòd hauſerim hæc ab illo fõte. Obſecro te,hæc modeſti aut philoſophi hominis ſunt? vt omittã, quòd paſſim impietatis me arguit, & quaſi eſſem in gentiliũ ſectâ. Ego miror magis hanc rationẽ ſcribẽdi quã indignor, & ad poſtremas eius non reſpondi, quia nos differere

B poſſumus & volumus,nõ litigare. Iã quàm ſuperbè minatur ſe cõtra me ſcripturum? Ego nihil mihi tribuo, ſed nec valdè mihi metuo à tali Antagoniſtâ. Modeſtiſſimè(velim oſtẽdat & videas)ad primas eius literas reſpõdi.ſi alia illi ſententia,& decretum ei promere,faceret,ſed ſine conuiciis aut dicterio vllo in perſonam. Ille hîc quoque pro ſuo more,ait hæc ſua aſpera,eſſe *Verba pura & nuda veritatis.* Quid dicam mi::::::::? quod res eſt. Annos ſupra quadraginta iã vixi,ſupra viginti ſcripſi: ſtilum adhuc ego in neminẽ,& nemo in me ſtrinxit. Amo ſcilicet & à naturâ ipſâ factus ſum (inſtitutio etiam acceſſit) ad modeſtiã & quietem:nec mihi ingeniũ aut votum inclareſcendi per turbas. Si priuatim laceſſit,ſilebo,ſi publicè, quid niſi me meaq; vindicem, & aſſeram à maligno dente? ſed ſine conuiciis,& meo more. Vt in viâ ſi quis improuidè præteriens luto me aſpergat,

C non ego in illum regeram,ſed potiùs me purgem: ita hîc. Dicam tibi hoc quoque. Amici illius tui grande ingeniũ eſt,ſed ferox,aſperum,& cum multâ mixtione fellis. Si patriæ cauſſam agit, & docere Principes meliora vult,cur ſilet? latus hic campus: nec opus eſt in me aut alium incurrat. Parũ progrediuntur in bonâ viâ,qui in obuios quoſque arietant. Habes meam ſententiã,& quia epiſtolam hanc nihil opus illi oſtẽdere (niſi aliter tibi videtur) ecce etiã in* chartâ ſeorſim, quod oſtendas illi. Quæ proba mihi nunc quidẽ videntur,& libenter tamen deſiſtam,ſi quis benignè & comiter docuerit meliora. Vale vir amice,& fratrẽ tuum ſaluta. Lugd. Bat.xv. Kal.Maij. ∞.Iↄ.xc.

** Ipſa addidit, & ...*

En,hæc ipſa ſatis eſſe debebant ad temperãdum tuum feruorem: in te miſſa,de re apertâ. Et quid his opponis

D *longo tuo & lacinioſo ſcripto? nihil. nugas & nebulas verborum offundis: & dimiſſâ vbique verâ meâ mente, aliam oppugnas. & ad ſummam,imaginarium tibi ſtadiũ exſtruis,& miſerum Lipſium adiungis cum quo decurras.imò in quem incurras. Sed iam ad rem veniamus: niſi quòd hoc etiam præmitto.*

...

Nam ais,ſ retum ſcilicet te debuiſſe hæc edere, & plebis oculis ſubiicere, eámque iudicem capere in hac cauſſâ.]*Quid hoc,quia hoc eſt: M.Cato,opinor,olim in iudicio quodam accuſatus,valdè ſenex, initio hoc dixit,* Miſerum eſſe apud alios cauſſam dicere;cùm apud alios vixeris: *nónne ego iure poſſim? Ad plebem me vocas: abnuo,& teſtor plebi me nihil ſcripſiſſe.*

Populare alter.

E *Principes formamus: in populum iudicem hic eſſe viſi atqui* bouem currus non trahit, *ait vetus verbum. Denique vniuersè teſtor.* Numquam volui populo placere. quæ ego ſcio,non probat populus: quæ probat populus,ego neſcio.

Nec optimatibus ſcripſi ... pendemus. Tacit. 1.

Addis, cauſſam à me Ordinum improbari, & hanc quoque à te defendi.]*O calumniam! vbi ego verbum de Ordinibus? vbi ad hæc tempora,vel cauſſam accommodo meum ſcriptum? niſi forte quã de religionis diſſidio temperãdo ſuadeo. Illic ergo cõtra Ordines? nec verbũ: inſpice,reſpice. Sed talia ſunt reliqua tua conuicia: quibus diſtinctè ſi reſpondeam,quis finis? De re,de re*

Non horum temporum noſtra ſcripta ...

pugnemus:

pugnemus non amo ventilationes, aut ventos.

IN CAP. II.

LIB. IV. POLITIC.

Pag 64. Reges, in tores Eccleſia.

PRIMVM *hoc carpis, quòd ſcripſerim* Principi inſpectionem eſſe in ſacra, idque tuendi cauſsâ.] *Cenſeo iure me ſcripſiſſe. Sacra littera à me ſunt, earum interpretes, ratio ipſa. In illis, Deus per Vatem prædixit, & prædicendo edixit:* Erunt reges nutricij tui (*Eccleſiam adfatur*) & reginæ nutrices tuæ. *Iterùm:* Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi. *Auguſtinus:* Pertinet hoc ad reges ſæculi Chriſtianos, vt temporibus ſuis pacatam velint habere matrem ſuam Eccleſiam. *Etiam Leo primus hoc probè ad Imp. Leonem:* Debes Imperator incunctanter aduertere, regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidiũ eſſe collatã. *Cauſſa in Ambroſio:* Cùm enim omnes homines qui ſub ditione Romanâ ſunt, vobis militent Imperatoribus terrarum atque Principibus, tum ipſi vos omnipotenti Deo & ſacræ fidei militatis. *Atqui militiæ primum ſacramentum eſt, tueri ſalutem, commoda, dignitatem eius cui militamus.*

Eſa. xlix. Eiuſdem lx.

Tract. 11. in Ioan.

Epiſt. ad Valent.

Tu quid ad hæc oppoſuiſ verba. Diſtinctum eſſe Eccleſiaſticum & Politicum regimen, *& talia quæ ſuggerit tibi tuus Adnotator. Quis hæc neſcit? aliam quercum excute. Nos Principi in Eccleſiam ipſam nihil iuris damus: atque hoc volumus tantùm, vt vim, fraudes, turbas & externa hæc mala ab ea arceat: &, quod in ipſo eſt, pacata Sacra præſtet & quieta. Nonne quæ Chriſtianum velle debet, quà Princeps eſt, poteſt? At tua iſta vox,* Quid eſt Imperatori cum Eccleſia? *Ipſa Donati hæreſiarchæ vox eſt, & damnata iam olim.*

Quatenus in eam ius habeant.

Optat. Mileuit. lib. III.

Hic deinde effundis te in conuicia, & in tuum campum. Principum pleroſque inſipientes eſſe, impios, cæcos: & ideò non aptos ad hanc inſpectionem.] *Mirum hoc argumentum eſt, quo efficies vt Principes nec ad ciuilem quidem gubernationem adhibeantur. nam illi tales profectò ad eam non apti. Ergo vniuerſorum iuri derogamus: & ex tuâ ſententiâ ſubiicimus omnia plebi? Cùm de Principibus loquimur, de bonis aptiſque loquimur: & qui à ſe, aut ab aliis tales. Conſilia enim certè volumus adeſſe: & in hac ipſâ Sacrorum re, eorum qui in Sacris periti. At tu lector hoc hoc à me diſce, ita proprium Principis eſſe curare & tueri ſacra, vt plerique veterum habuerint duo hæc munera coniuncta, Sacerdotium inquam & Regnum. Diotogenis Pythagorici* (*male in margine noſtri textus* Diog. Stoici) *illa mẽs qui* tria in legitimo Rege requirit, vt Belli dux ſit, vt Iudex, vt Sacerdos. *Verba eius:* Ἀνάγκα τὸ τέλεον βασιλέα, στραταγὸν τε ἀγαθὸν ἦμεν, καὶ δικαστὰν, καὶ ἱερέα. *Sed quia multiplices iſta cura nimis diſtringere Principem videbantur, inſtitutum ab aliis meritò diſcrimen. Liuius de Numâ:* Tum ſacerdotibus creandis animum adiecit, quamquam ipſe plurima ſacra obibat, ea maximè quæ nũc ad Flaminem Dialem pertinent. Sed quia in ciuitate bellicoſâ, plures Romuli quàm Numæ ſimiles reges putabat fore; ituróſque ipſos ad bella, ne ſacra deſererentur, Flaminem Ioui adſiduum ſacerdotem creauit. *Ita Numa. tamen Auguſtus iterùm Pontificatum Maximum Imperio iunxit, idémque ſecuti Principes, maieſtati ſuæ & tutelæ. Quin hodie Malabarum Reges in Orientali Indiâ Sacerdotes ſiue Bramenes omnes ſunt, & lex eos mors cogit velut deo conſecratos in loco ſacro.*

Dioduris in Principes ore ſapienti.

Olim iidem Reges & Sacerdotes.

Apud Stob. de Regno

Quidam diuiſerunt & quare.

Lib. I.

Ferd. Lopez lib. I. Hiſt. Indic. c. XIV.

Pag 64. Baſis & fundamentum reip. Religio.

Orat. de regno.

In omni rep. primum eſt, curatio rerum diuinarum.] *Ita à deo ordiendum. Atque vt nauis, ædium aliarúmque rerum carinas aut fundamenta volumus eſſe & prima & firmiſſima: ſic debemus in rep. hanc partem. Syneſius:* Εὐσέβεια δὲ πρῶτον ὑποβεβλήσθω, κρηπὶς ἀσφαλὴς, ἐφ' ἧς ἑστήξει τὸ ἄγαλμα ἔμπεδον τῆς βασιλείας: Pietas primùm ſubſternitor fulcrum & crepido cui firmiter inſiſtat ſimulacrum hoc regni.

Tu quid hic culpas? In re nihil, aut in verbis, ſed quòd ab Ariſtotele ſumpſi. & ſæpè id mihi obiectas. Debuis enim è ſacris, inquis. Mihi aliter viſum Diodore, qui Politicum hic non Theologum ex profeſſo egi. A profanis cetera omnia mutuatus ſum: cur in vno alteróue Capite mutarẽ? Niſi fortè nihil illis ſanũ hic aut piũ. Erras, multa eximiè ab iis in hac quoque parte ſcripta, & velut inſtinctu diuino. Sed audi quod verum eſt. Tu tuique ſimiles aliquot, & illos, & omnem veterem litteraturam, velletis extinctã. Noctua non fertis hunc Solem. Atq; vt olim Philiſtæi Hebræis fabros omnes ferrarios atque opifices armorum ademerunt, ne bellare poſſent aut rebellare: ſic vos hac doctrinæ tela, quà inguſtini vana veſtra doctrinarum. Nos non audimus: Lactantium magis. Scientia litterarum, non modò nihil nocet religioni atque iuſtitiæ, ſed etiã prodeſt plurimũ: ſi is qui eas didicerit, ſit virtutibus inſtructior, & veritate ſapientior. *Et quid Baſilius hac de re quoque ſcripſerit, ſcimemus.*

Vana calumnia.

Odium litterar.

DECET enim quod optimum eſt ab optimo coli & quod imperat, ab imperãte. *Omnino decet. Vt enim Princeps eſt in omni virtute populo præire; ita in hac maximè, quæ princeps & caput virtutum. Religionem ipſe ſi non præfert, quomodo alij?* Nam ſecundùm iudicem populi, ſic & miniſtri eius: & qualis eſt rector ciuitatis, tales & inhabitantes eam. *Hæc cauſſa vna cur debeat: etiam altera. quòd ſublimis ille factus, & elatus à Deo, meritò vereatur & colat magnitudinis ſuæ auctorem. Niſi facit, quid exſpectat niſi iterùm deiici?* Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret ſuperbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam duceret vniuerſos inclytos terræ.

Principem religioſum eſſe decet, ob exemplum.

Eccleſ. c. x. Ob gratitudinem.

Eſaiæ cap. XXIII.

At tu nobis hic illudis, & in verbulo argutaris. Vbi ſunt, *inquis*, iſti optimi? quorum centeſimus quiſque vix tolerabilis; neque reges vltrà, ſed tyrãni, neque fatui, ſed furioſi.] *En roſas, quas Principum capitibus inſpergis, tuto & feliciter, quia non ſab illis. Sed vaniſſime plebicola diſce. Ita illi optimi, quomodo ratio & inſtitutio noſtra eos format: quomodo poſtulat & exigit publica ciuium ſalus. Optimi etiam, quia in pari virtutum gradu, magis iſti eminent qui in alto. Quid ſi vtilior quoque eorum virtus ſit, & ad plures pertinens? liquet.*

Proteruus maledicen in Principes.

Quâ ſenſu iſti Optimi.

Tutelæ tuæ primùm] *Nihil certius. Libenter enim religioſi Subditi parent, & mitis fractâque ceruice humanum iugum ferunt, qui ſemel illud diuinum. Sed fideliter etiam parent. quia pietas & Dei metus; quaſi frænum eſt & coercitio in animis ab omni rebellione & inſolenti motu. Hæc vna tutelæ ratio: altera ab ipſo Principe. Deus enim illi pio clypeus & tector. Triſmegiſtus pulchrè:* Μία φυλακὴ, εὐσέβεια. εὐσεβοῦς γὰρ ἀνθρώπου οὔτε δαίμων κακὸς, οὔτε εἱμαρμένη κρατεῖ. Θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ: Vna cuſtodia, Pietas. Pium enim virum non malus Genius, non Fatum ipſum deuincit. Deus enim eum liberat eripitque ex omni malo.

Subditos religioſi magis obediũt.

Principe religioſus Deo curæ.

Apud Lactant. II. Inſtit. c. XVI.

AD augmentum etiam imperij.] *Non quia bono Principi Pietatis ſua ille finis (ad alia regna aſpiramus:) ſed quia Deo viſum ſæpè etiam externa hæc vt præmia adiicere, Sceptra inquam & dignitates. Priſci viderunt: interque eos Valerius:* Non dubitauerunt, *inquit*, ſacris imperia ſeruire, ita ſe rerũ humanarum futura regimen exiſtimantia, ſi diuinæ potentiæ benè atque conſtanter eſſent famulata. *Etiam poeta:*

Pietas etiã externis fructus.

Lib. I. c. I.

Dis te minorem quòd geris, imperas.

Horat.

Tu hæc admordes, ſed admordes tantum. Nam frãges etiùs, quàm imprimes dentem.

DEOS proniores eſſe in eos.] *Accuſas me hæc aut altero loco (non enim lubet inſpicere) quod Deos nomi-*

Irrisus & in plano verbo ca lumnia.

nem

Digitized by Google

nemo ille, inquis, qui Bembum in epiſtolâ grauiter nuper increpui. quòd feciſſet. Homo pepone inſulſior, ego Deos nomino? Vide iterum, vide. Ariſtoteles eſt, qui nominat. & vis vt reſingam gentilium libros, & Deos vndique tollam? Cùm de iis, aut eorum nomine ſermo eſt, etiam in Sacris libris oſtendam tibi Deos. *At Bembum increpui. Non hac cauſsâ; ſed niſi leuiter, quòd vbique & quòd indecorè, in Chriſtianorum & grauium virorum perſonâ, ſic loqueretur. Age, excute omnia poſtrema mea ſcripta: (iuuenilia non excuſo.) en* Deos *inuenies à me nominatos? neſcio: ſi erunt, iam nunc reſcribo & deleo.*

Religio in omni ſocietate neceſſaria & fundamentum reip.

Religio & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem.] *Quod facit etiam vana religio: nec vmquam aut vſquam reſp. ſtetit, ſine ſpecie aliquâ religionis. Quanta igitur veræ illius vis eſt, cuius vmbra ſuſtinet hanc molem? Plutarchus pulchre:* Ἀλλὰ πόλις ἄν μοι δοκεῖ μᾶλλον ἐδάφους χωρὶς ἢ πολιτεία τῆς περὶ θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντάπασι σύστασιν λαβεῖν, ἢ λαβοῦσα τηρῆσαι: At mihi vrbs videtur citiùs ſine ſolo, quàm reſpublica ſine opinione de diis aut conſtitui, aut conſtituta ſeruari. *Et religionem ibidem appellat,* συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας, *&* νομοθεσίας ἔρεισμα: vinclum ſiue coagulum omnis ſocietatis, & iuſtitiæ firmamentum. *Et potuitne aliquid impreſſius à quoquam Chriſtiano?*

Contra Colot.

Et vinculũ.

Albada. Diodori.

Hic quoque alludas & lamberas. Mira dictio, *inquis*, hic religio mihi vinclum eſt ſocietatis, alibi diſſidij cauſsâ & quomodo vnus calamus tam pugnantia ſcribit?] *Eas & mihi quærere. Quomodo duo oculi & vna mens tam parum vident? Cæcule. hic pacata quietaq́; religio vinculum eſt rerum: paullo poſt,* diſſidiorum faces à religione accenſæ, *ſed à malâ, turbidâ, & à tuâ illâ diſſidente. In Lucretio non legiſti,*

Religionem vix in malam partem ſumptã.

—— quòd ſæpiùs olim
Religio peperit ſceleroſa atque impia facta?
Item: Tantum religio potuit ſuadere malorum?

Pag. 65.

Neqve audiendi Aegyptij reges, qui variam & miſcellam religionẽ induxerunt, ſtabiliendo, vt putarunt, ſceptro.] *Nos non audimus, at tu attollis etiam & dilaudas. Vter iuſtiùs? Primùm hoc vide. non toleraſſe eos varias religiones ſcripſi, ſed induxiſſe. Vbi pietas tua, ſi hoc approbas? vbi acritas, ſi non vidiſti? Atque hoc perpetuò facis, & vinum, vt ſic dicam, meæ ſcriptionis corrumpis, & diluis affuſâ incogitantiæ tuæ aquâ. quid ſi etiam malitia? Sed de re. Poteſtne cuiquam probo probari ille rex, qui plures falſasq́; (nam id conſequitur) religiones inſtituit, firmandi ſui cauſsâ? qui ſubditos in diſſidiis & turbis habet, vt ipſe ſit quietior? non mihi talis rex, ſed tyrannus. Nam legitimus ille, ſalutem & commoda ſubditorum præcipuum habet, imò vnicum finem. In hoc igitur culpo damnoq́; Ægypti reges, vt ex profeſſo impios. ſed etiam vt improuidos. Nam quæ hæc ſecuritas ab alienâ turbâ? infirma. nec ego regnum vmquam ſtabile putauerim, vbi in diſſidiis aut odiis ij qui regnentur. Partes enim factionesq́; erunt: & in te hi vel illi inſurgent, ſi tu pronior in hos vel illos. Exemplo illi ipſi. Ægyptij docuerint. & quod regnum magis anceps, varium, imò & cruentum, quam illud, fuit? Hiſtoria loquuntur. Exſpecto quid tu reſpondeas, & quo acumine hæc expungas. Aliquid ſubiicio? nam laboras, ſcio. Ecce Symmachum pro varietate hac religionum:* Æquum eſt, quidquid omnes colunt, vnum putari. Eadem ſpectamus aſtra, commune cælum eſt, idem mundus inuoluit. Quid intereſt, quâ quiſque prudentiâ verum inquirat? Vno itinere perueniri non poteſt ad tam grande ſecretũ. *Hæc ille diſertus vir & Pontifex. Tria verba in aurem Diodore. Tu ita ſentis.*

Iterum à Diodoro.

In viro illo perpetuo.

Malus rex, qui ſubditos turbat.

Quales Ægyptij inſtitutis ad concipi ſunt.

Turbulẽ & factioſum ſemper Ægypti regnũ, ex imacht ſubditis turpatum.

Illa quæ ex Adnotatore hic congeris, aliena ſunt.

Diodori vaſa pagina.

Nihil ad noſtram Andromacham. Nam ille quid? exempla aliquot Imperatorum adfert, qui varietatem hanc religionum permiſere. Quid opus eſt? nemo negat, ſed permiſere nempe, non inſtituere. & id alio fine. Proſeminare malas errorum herbas ſemper impium: ſatas tolerare interdum nec ſtatim euellere, ratio aliqua defendit. Iuliani tamen exemplum fateor huic ſimile. ſed numquid probum? Ammianus ita narrat: Vtque diſpoſitorum roboraret effectum, diſſidentes Chriſtianorum antiſtites cum plebe diſciſſâ in Palatium intromiſſos monebat, vt ciuilibus diſcordiis conſopitis ſuæ quiſque religioni ſeruiret intrepidus. quod agebat ideò obſtinatè, vt Diſſenſiones avgente licentia, non timeret vnanimantem poſteà plebẽ: nullas infeſtas hominibus beſtias, vt ſunt ſibi feralibus pleriſque Chriſtianorum, expertus. *Nota, nota. duo ſpectauit alia haud malus, ſed in religione peſſimus Imperator. Primùm, ſecuritatem ſuam ab hoc Chriſtianorum diſcidio: quos meritò ſibi, vt* ἀποστάτῃ *& deſertori, ſciebat infenſos. Secundo exitiũ ipſum eius religionis, quam licentiâ hac ſecabat & quaſi deducebat in varios doctrinarum riuos. Hæc Iuliani mens. quam Optatus Mileuitanus perſpexit & aperuit:* Eo modo, *inquit*, putans Chriſtianum nomen poſſe perire de terris, ſi vnitati Eccleſiæ de quâ lapſus fuerat, inuideret, & ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret. *Tu ſi hæc probas, parum Chriſtianus es, ſi improbas, parum ſanus es. Vt quid enim hanc Iuliani, quod dicitur, in te detrahis? Mihi autem* glorioſum victoriæ genus eſt, ab eo cum quo decertem arma capere: quæſitumque aduerſario teſtem, illinc ſtare, & iſtinc dicere.

Iuliani factum.

Obſtinati Iuliani aliquid cauſa tamen inter diſſidentes odia Cauſſa eius falſa.

Libertas nimia religionis, pernicies religionis.

Lib. II. & August. ep. CLXVI.

Claud. Mamer. lib. II. cap. 2.

Sed heus tu illo ipſo Adnotatore, ecquid ita ſcriptum eſt? Tertullianum & Epiphanium recenſere, quòd Theodoſij temporibus, vt minimùm, centum pacificæ ſectæ fuerint.] *Ita ille, an tu? vter veſtrum; tam ſupino & craſſo errore, vt ſine riſu non legamus. Tertullianus ſcilicet de temporibus Theodoſij potuit ſcribere, qui* ducentis pænè annis *illo maior. Nam, vt ſcias, Seueri Afri temporibus magnus Afer iſte noſter vixit. Sed hoc ſimile illi, quod in Epiſtolâ ad me:* Auguſtum hoſtem & perſecutorem Chriſtianorum fuiſſe. *Quod tamen tu incredibili acumine diſſoluiſti, & nos docuiſti à principio mundi fuiſſe Chriſtianos. Abi, nimiùm graphicus nugator es.*

Sed enim operæpretium eſt videre quis Adnotator *iſte, in quo tantùm tibi places. Nam ille non ſolùm paginas, ſed librum tibi impleuit, itemq́;* Ciuitas Leidenſis. *Quis igitur ille eſt? Albada, vt audio. quem ego quidem nec album nec nigrũ noui: ſed tu eum habes quaſi** μάρτυρα ἐκ Διὸς ὄχλον. *Quid ita? Ordines, inquis, approbarunt. O te ipſum albâ mente! Quam multa Ordines approbant, pro tempore aut præſenti re ſcripta, quæ temerè alorſum traxeris, & habueris quaſi* κυρίας *quaſdam* δόξας! *Nobis Albada non niſi Albada eſt: nec viro cedimus aut credimus, rationibus tamen ſi quas adfert. Sed ille nihil minùs toto ſcripto illo egit, quam quod tu agere eum vis: & hoc tantùm, in neceſſitate aliquâ temporum, permitti poſſe aut debere libertatem. Nec noſtra mens diſſimilis, etſi tu diſſimulas, in Capite tertio huius libri. Quæ autem* Ciuitas Leidenſis? *mihi quidem aliuq́; nota, ſed non illa vocem, opinor, emiſit, alius pro eâ. Quis igitur ille? quis? quis? Siles & palles? nam erubeſcere tu quidem non ſoles. Quid ſi amicus aliquis tuus: quid ſi ipſe tu, tu? heu quàm rideamus, ſi ſe, pro te, in me voces? Sed premo, nec vltrà diuulgo hoc arcanum.*

De teſtibus Diodori. Adnotator fuit Albada.

** Teſtẽ à tabulis Iouis.*

Ciuitas Leidenſis. Ea eſt, forſan, Diodorus.

Pag. 45. Vnitatẽ religionũ dat & Amorem.

O ſatui! vnionis auctor illa vna.] *Ego quidẽ, & ſani ſanctiq́; homines mecũ ita ſentiunt. Quid magis animos alliget, quàm* vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma. *hic amor, hic caritas: & hi ſales* ſolliciti ſeruare

Paulus ad Eph. cap. IV. Ibid.

A vnitatẽ ſpiritus in vinculo pacis. *At contra, vbi hæc varia. Nõne ipſi dicunt, qui pro te dicunt? Ægyptij, inquam, reges & Iulianus: qui palam fatẽtur diſſidentes religiones induxiſſe, vt ſubditi diſſiderent. Ergo illorũ quoque ſenſu vnionis vna auctor, diſcordia diſcors. Tu tamen mihi hic inequitas & inſultas, quaſi omnia ponam nuda, & ſine vallo vllo rationis. Non ſoleo mi homo, non. Ratio hic & alibi incluſa in meis verbis: ſed, vt in preſſo iſto ſcribendi genere, incluſa. quid ego poſſum ſi tu non educis? Numquid ego Prometheus tuæ mentis? alia eſſet, ſi finxiſſem. Solare tamen te.*

Teſtantur aduerſarij. — *Priſcos rationes vbique adſeruimus.* — *Diodori in his αἰσχροβλύτης.*

Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι.

ET à confuſâ eâ ſemper turbæ.] *Vtinam tu aut alius verè mihi neget? Sed heu funeſta nimis exempla non dicam legimus, ſed videmus. Vbi mota hæc* B *anchora, & non ſimul turbata reſp. nauis? Et ratio hoc ipſa vult, vt in externis iſtis rebus facilè promptéque diſſideant, qui in ſenſu interno & in ſalutis ipsâ ſummâ. Odium imò vulgò à religionis diſſidio, quaſi in impios aut profanos: nec lædere eos verentur, quos læſiſſe deum ipſum arbitrantur. Sed lubet hic paullùm euagari, & cum Politico aut prudenti viro (non tecum Diodore) diſputare. Quid enim? inquit ille. Si à variâ religione turba: cur ergo apud Ægyptios hodie, apud Iapanes, Turcas, Chriſtianorum quoſdam, pax eſt? Nam de Ægyptiis ita tradunt:* quattuor ſectas vigere, quæ inter ſe ritibus ſententiiſque differant, etſi ex Mahumedis dogmate initium omnes trahant. Earum tamen antiſtites & ſacerdotes inter ſe ſine odiis & concorditer viuere: ſed nec inconditam plebem inimicitias aut rixas ideò fouere. Homines autem qui ingenio aut doctrinâ præſtent, ſæpè C ſermones inter ſe ſerere, & ſuam quiſque ſectam aſſerere: ſic tamen vt nemo quattuor illos Doctores, à quibus ſectæ ortæ, carpere auſit aut conuiciis lancinare. eique rei mulctam grandem conſtitutam eſſe, ſi quis faxit.

Turbata religio potiùs turbat. Cauſſa. Diſputatiuncula, An, & quã do, variæ religiones non turbẽt? — *Ægyptiorũ moris ſectæ religio. Ioh. Leo lib. viii.*

Iam de Iapanibus magno potentique populo, etſi inſulano, legi: Nouem eſſe illîc religionum genera, integrumque eſſe omnibus pro libito quam velit ſectari. adeò vt familias multas reperias, in quibus vir huic, vxor alteri, filius iterũ alteri alteriq; adhæreat: nec id turbare quidquam domeſticam quietem. *Etiam de* D *Turcis quis ignorat omnem religionem apud eos liberam? quos tamen in ſummâ atque inuidendâ, imò & pudendâ nobis, pace agitare nemo diffitetur. Sed & inter Chriſtianos populos confuſionis huius exempla, in Poloniâ, Tranſſiluaniâ & finitimo tractu. Reſpondemus, ſed ordine & diſtinctè. Primùm quod ad Ægyptios. improbum illud diſſidium eſſe, nondum tamen turbidum ob tres has cauſſas. Primam, quia mutuò non ſe damnant. Diſcrimina ſunt & electio, ſed nullum adhuc præiudicium eſt probatis. Non Pontifex, non Princeps, aut vlla maior poteſtas hanc illámve partem alteri voluit præferre. Secundam, quia ſub potenti domino, cuius metu & ſimul maleſtis illis, ſiquid peccare incipiunt, rigidè coercentur. Tertiam & præcipuam, quia nulla illic publica conciones, nec flabra atque incitamenta turbarum. Itaque conuenticula non ſunt, priuatis parietibus diſſidia illa clauduntur: in tempore tamen, in tempore (vaticinor) eruptura.*

Item Iapanum. In epiſt. Iapanicis. — *Turcarum vt videtur.* — *Aliquot gentium Chriſtianarum. Reſponſum de Ægyptiis.*

At de Iapanibus, ſpecioſè dictum: ſed decoloratur valde hoc adtextu. Nam fideliter ſubdunt: Agitantur interim non rarò ſeditionibus inter ſe; quin & armis decertant, dum ſuam religionẽ ſinguli aliis anteferre conantur. *Et profectò hoc neceſſum eſt: aut religio nõ eſt religio, quæ ſic friget: Iam de Turcis, planè diſconueniens eſt. Nam quod ad ipſos attinet, vna inter eos religio: & væ illius capiti, qui verbo aut facto turbet. Alienas tantùm, nec corruptas ex eâ: ſed planè* A *aduerſas permittunt: atque ita communicandi aut differendi vix cupiditas eſt aut cauſſa. Contemnunt enim magis inter ſe, quam contendunt. Pone in mediâ Europa Iudæos, Turcas, Sinenſes (modò ne immanes nimis numero) nihil turbabis religionis aut Eccleſiæ pacem. Adde, quòd vna religio dominans apud Turcas: reliquæ muſſant, & falſa illi ac barbara vel inuito ſubmittant faſces dignitatis. Sed nec ad honores aut militiam cuiquam aditus, niſi per illam vnam. quid mirum ergo ſi oppreſſa illæ ſileant, reſumpturæ animos ſi gens aut Princeps accedat eiuſdem ſectæ? Videremus Chriſtianos ſi tam liberos nobis veros & legitimos illos hoſtes inuadere, quàm mutuum & fraternum ſanguinem haurire. Græcia diu victa manus attolleret, armaréque Chriſtianos ſuos, etſi* B *flaccidos, pro Chriſtianâ gente.*

Ibid. — *De Turcis.*

Poſtremum de Polonis aut Tranſſiluanis non me mouet. Inſida profectò illa quies eſt, & videmus quam in omni occaſione, vt in comitiis aut electione regis, inter ſe diuidantur, imò in ſe armentur. Continentur tamen prudentiâ & auctoritate paucorum capitum, quæ vbi deſierint, vereor vt deſinat illa. Denique quis magnis & ſummis hoc incommodi ex confuſione religionum etiam nunc ibi non videt? quod paullatim aſſueſcant per hanc licentiam homines non variare in religione noſtrâ, ſed oppugnare Proh pudor! prodeunt & palam circumferuntur ibi Quæſtiones & libri in Moſem ſcripti, quibus creatio mundi euertatur, & quidquid Vetus aut Noua ſcriptura ſuperſtruxit, φεῦ, θεῶν τ' ἀθεότητος! Illa pleno gradu per C *confuſionis hunc limitem intrat.*

De Polonis & Tranſſiluanis.

At tu de pacatâ Germaniâ exemplum hic nobis obiicis: imperitè. Neſcis quo loco ibi res ſint. Nec enim in vno Principatu religiones plures, ſed in pluribus: nec illæ ipſæ valde quietæ aut concordes. quod ſcripta & reſcripta hæc aſſidua (Nundinarum Francofurti vnica meſſis) clarè docent. Plura ſunt, quæ nunc non augurer aut dico.

Germania ne pacata?

DIVINVM illud numẽ, omni modo, omni tempore, & ipſe cole iuxta leges patrias, & alij vt colant effice.] *Hoc non fers: & palàm, inquis,* coactionem induco, & impono animis ſeruitutem. *Sententiam noſtram modeſtè non calumnioſè accipe. Effice vt colant alij: nempe eâ viâ quâ decet, & quam Chri-* D *ſtiana lex permittit. Et quid tamen? numquam, aut nulla, licita coactio? Valde abhorres ab eo verbo, ſcio: & hoc eſt in vlcere tuo tamquam vnguis. Tamen Tertullianus pæne vetuſtiſſimus, & planè eruditiſſimus patrum ita ſcripſit:* Ad officium hæreticos compelli, non illici, dignum eſt. Duritia vincenda eſt, non ſuadenda hæreſis. *Auguſtinus it in eandem ſententiam:* Melius quidem eſſe quis dubitauerit, ad Deum colendum homines doctrinâ duci, quàm timore pœnæ, vel dolore compelli? Sed non quia iſti meliores ſunt, ideò illi qui tales non ſunt, negligendi ſunt. Multis enim profuit, priùs timore vel dolore cogi, vt poſſint poſteà doceri, aut quod iam verbis didicerunt, opere ſectari. *Et quod tibi tuiſq; aſſiduè in ore eſt, ille refutat:* E Fruſtrà dicis, Relinquar libero arbitrio. Cur enim non in homicidiis & ſtupris, & quibuſcumque aliis facinoribus & flagitiis, libero te arbitrio dimittendum eſſe proclamas? quæ tamen omnia iuſtis legibus comprimi vtiliſſimum eſt. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem, ſed nec bonam infructuoſam, nec malam eſſe voluit impunitam. *Quid ſi exempla etiam huius coactionis? Illud* Siſebuti regis (alij Siſenandum vocant) in Hiſpania nobile. qui omnes Iudæos coegit Chriſti nomen & ſacra agnoſcere: eaq; re multa millia hominum auerſa à peſtiferâ ſectâ referuntur. Quod æmulatus Dagobertus rex in Galliâ, diem Iudæis præſtituit, intra quam niſi religionem noſtram ſuſciperent, hoſtes iudicarentur, pertina-*

Theologorũ de Theologiâ. Pag. 79. — *An coactio in religione licita.* — *Quadam inius eſſe Aduerſ. Gnoſt. cap. ii.* — *Epiſt. i. ad Bonif.* — *Nec id attinere Libertatem animi. Lib. ii cõtra Creſcon. c. li.* — ** Anno D. c. xvi. Siſebutis factum. Ifid. lib. v. Etym & Hiſp. Ann. Et Dagobertis. P. Æmil. in Dagob.*

A

cunmque capite lacerent. Verear tamen vt feruentioris fides & animi vtrumque exemplum ſit. certe actio illa Siſebuti regis, in * *IV. Concilio Toletano, pro parte reſciſſa eſt: decreuimque vt* * qui iam ſacro lauacro tincti eſſent, cogerentur ad ſeruandam fidem quam acceperant, ſed ne poſteriùs Iudæi compellerentur ad baptiſmum. *Ego in hæc penetralia Theologiæ non abeo. πολιτικῶς tamen ſi diſſero, non verebor lenem aliquam & cum ſpe fructus compulſionem admittere; monentem tamen magis, quàm cogentem.*

* An. D C XXXIII.
* Excerpta è Can. LVI
Compulſio magis & exſtimulatio, quam coactio probanda
Coercendi Nouatores.

Eos verò qui in diuinis aliquid innouant, odio habe, & coerce.] *Recalcitras & reclamas: fruſtrà. Ita ſemper in omni bona rep. factum; &, quidquid licentioſi velint, fiet.* De negotiis ciuilibus ſi quid ſtatuitur, nemo putat eſſe violandum: & præceptum de religione calcabitur? *Quis autem finis, ſi ſemel carceres hos aperis ad innouandum? Nulla in re lubentiùs aut periculoſiùs homines ludimus: vt eſt* mens noſtra vaga, & nouitate rerum lætiſſima. *Aſſiduè audies ius fanaticos aliquos, aut ſimulatores pietatis, qui monebit* * *χρὴ ἐκ τῶν ἀνθρώπων. Atqui apud omnes gentes coercitis iſtis, & punitis. Græcos vides? reperies Socratem & Protagoram damnatos, Anaxagoram & Ariſtotelem accuſatos, ob nouitatem in religione. Quin Athenienſium talis hic calor, ὥστε (Ioſephi verba ſunt)* [illegible] : vt eos qui verbulum modò effarentur præter leges de diis receptas, ſine vllâ veniâ punirent. *Abit ad Romanos? par cura & ſeueritas.* Quoties, *inquit Liuius*, patrum auorumq; ætate negotium magiſtratibus datum eſt, vt ſacra externa fieri vetarent?

Ambr. ad Valent.
Homines in innouando, & periculoſiùs ludimus.
Seneca.
* Chordas non mouendas, Athenienſes puniuerunt.
Lib. II. contra Appion.
Romani puniuerunt.
L. XXXIX
Variatio in legum diſſolutio religionis.

C

Et addit veriſſimam rationem, etſi in religione vanâ: Iudicabant enim prudentiſſimi viri omnis diuini humaniq; iuris, nihil æquè diſſoluendæ religionis eſſe, quàm ſi non patrio ſed externo ritu ſacrificaretur. *Nec aliter ſecutis Romani fecère, & Principes ipſi. Quid Iudæi? quorum reſpublica & religio extra controuerſiam optima. Illi verò hic ita duri, vt nec cohabitationem admitterent cuiuſquam à patria religione diſſidentis. Quod idem in Hiſpaniâ decretum* * *olim, lege in Concilio VI. Toletano:* Vt quiſquis ſuccedentium temporum regni ſortiretur apicem, non antè conſcenderet regiam ſedem, quàm inter reliqua conditionum ſacramenta polliceretur, Non ſiturum ſe degere in regno ſuo eum qui non eſt Catholicus. Si verò poſtquam ad regni gubernacula acceſſiſſet, huius ipſe temerator exiſteret promiſſi: eſſet anathema maranatha in conſpectu ſempiterni Dei, & pabulum efficeretur ignis æterni.

Iudæi puniuerunt
Ioſephū vide contra Appion.
* An. D. C XXXVIII
Hiſpani puniuerunt.

D

Quin apud Sinenſes (vetus & compoſitum valde regnum) etiam lex eſt: Ne qua religio alia admittatur, ſine ſcito Regis eiuſque Conſilij: qui aliter, capitale ei ſit. *Quæ vna res progreſſum curſumq; ibi valdè impedit noſtræ religionis. Quid in Eccleſia Chriſtianâ? vetera licentia effuſa nunquam fuit, quam primùm Principes & tutores illa habuit Chriſtianos. Conſtantinus exemplum eſto: cuius leges & ſcita ſunt in Arianos. Longum eſſet de ceteris omnibus dicere. Longum? imo etiam ſuperuacuum. Nam fecerunt ante me alij:*

Sinenſes (ſiue Chinenſes) ſimiliter.
Chriſtiani fecere, & faciunt.

———— * ἐχθρὸν δέ μοί ἐστιν
Αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν.

* odi ego porro, quæ ſunt dicta aliis, iterum ſermone amplecti. Homer. Odyſſ. μ.

E

Illud breuiter & vno verbo dico. ſemper coercitionem in Nouatores fuiſſe: alias aliam, pro tempore ſcilicet aſtrictam magis aut remiſſam, pro ſectâ lenem aut ſeueram.

Doctores ſemper ſeuierunt.

Hæc illa ſunt quæ ſuadet noſter ille Pater Muſarum tanto opere exagitatus tibi & irriſus. Verba autem multa fundis: in quibus, ita me Deus amet, vt neſcio quid reſpondeam. Excedis enim ſemper à lineâ, & cùm de aliis loquor, tu reſpondes de cepis.

A

Hi tales multos impellunt ad mutationem rerum.] *Seriò ego vos Principes moneo, cauete. A nullâ re maius periculum imperiis & ſceptris, quàm ab innouatâ aut inſidioſe ſimulatâ religione. Hi enim tales commouent animos plebis maximè & per ſpeciem pietatis impellunt quò volunt. Exempla dabo? ecce hæc pauca.* EVNVS *olim in Siciliâ fuit conditione ſeruus: qui* fanatico furore ſimulato, dum Syriæ deæ comas iactat, ad libertatem & arma ſeruos, quaſi numinum imperio, concitauit: *&* LX. *amplius millium exercitu coacto, palam Regem ſe ferens, Siciliam totam ſubegerat, niſi ægrè, ægre, coercuiſſent Romana arma.*

Nouatores periculoſi in omni ſtatu.
Exempla dabimus.
Euni, Flor. III. cap. XIX. Et Diod. Sicul. in Fragm.

B

Quid PSEVDOPROPHETA *ille* ÆGYPTIVS *ſub Claudio? qui in Iudæâ, per hanc ipſam ſpeciem Pietatis ad* XXX. *M. hominum ſibi adiunxit, cum iis Hieroſolyma petiit, arcem illam & ſedem regni habiturus: niſi a Felice Præſide, qui obuiam egreſſus, acie victus cæſuſque eſſet.*

Pſeudopropheta Ægyptij

Haud diſſimile MARICI *illius factum ſub Vitellio: qui* aſſertor Galliarum & Deus (id ſibi nomen indiderat) concitis octo millibus hominum, proximos Æduorum pagos trahebat: *maiora & ipſe auſurus cùm fanatica multitudo delecto milite oppreſſa vel disiecta eſt.*

Ioſeph. II. Bel Iud. cap. XII.
Marici, Taciti II Hiſt.

Quid ELMAHELI *in Africa? is mirâ ſanctimoniæ opinione conciliatâ gente bellum ſuo & Marroccenſium regi (Abraham is tunc erat) palam intulit, acie vicit, regno & vita ſpoliauit.*

Elmahelis, Ioh. Leo lib. II.

C

*Nec diſſimilis fraudis & fati in eadem Africâ impoſtor alius (*CHEMIN MENNAL *vocant) quiritium & religionis vnitate illectum populum in regem Feſſæ concitauit, pendere tributum vetuit, denique per aperta arma eo adegit, vt pacto ſibi traderet Temeſna regnum. Apud Turcas ipſos nonne aliquoties res mota hoc prætextu? fuit* SCHACOCVLIS *quidam ſimulatâ ſanctimonia vir, & hoc fine in ſolitudinibus plerumque agitans. cui ipſe Princeps Turcarum Baiazetes munuſcula annua mittere in ſpeluncam veneratione pietatis ſolebat. Is vbi maturum viſum, poſt ſeptem annos prodit, ſectam nouam proſeminat, fautores aſſeclaſque reperit, cum iis vrbes aliquot Aſiæ inuadit & diripit, ipſam Baſſam Anatoliæ iuſto prælio vincit. imò paullo poſt Corcutem quoque Baiazetis filium, & mox Ali Baſſam cum Romeliæ veteribuſque copiis aduenientem. Quid multa? in diſcrimen ſummam rem Turcicam adduxerat: cùm viſum ei deflectere in Perſarum fines, quorum rex eiuſdem illius ſectæ.*

Chemin, Ioan. Leo lib. III.
Schacoculis.
An. Chriſti M. D. IX.
Annal. Turc.

D

Sed cùm in via Caranauam quamdam Perſicam (agmen viantium ita vocant) milites eius inuaſiſſent ac diripuiſſent, pleriſque viatorum etiam cæſis: ita ægrè Iſmael Sophi Perſarum id tulit, vt ipſum, præfectóſque eius omnes, ſilicà trucidandos ſatellitibus ſuis obiiceret: reliqua multitudine in ſeruitutem adiudicata & diuiſa. Hæc iuſta Nemeſis nebulonem illum inſecuta eſt. In eadem Aſiâ iam nuper, Sulemanno Principe, quidam CALENDER ZELEBIS *ſeſe ſurrexit ad res nouandas, tectus hoc ipſo pietatis velo. Is cum aliquo Deruiſiorum numero, Sangiacos plures fudit, & Anatoliam totam vocauit ad arma. Sedatum miſſu auſpicüque Sulemanni, Ibrahimes Baſſa, ancipiti prælio, ipſum factionemque deleuit.*

* Nam hæc eſt Sophianorū ſecta, quæ vtrumque conſpiciamus ... [illegible]
Anno M. D. XXVI.
Calender. Annal. Turc.

E

Quid in Cretâ inſulâ (veniendum ad ridenda eſt) IVDÆVS *quidam, Theodoſio Imperatore, quàm ſceleſtè & periculoſe genti ſuæ impoſuit! Finxit ſe nouum Moſem adeſſe, cælitus miſſum, vt eriperet eos e diutinâ ſeruitute. Oppida in ergo circumit: hortatur, opes, amicos relinquere, ſe ſequi in terram illam promiſſionis. & addebat (veteris illius Moſis exemplo) per ipſum mare ſe eos traducturum. Credunt, conueniunt, immenſa multitudo. omnis ætas, omnis ſexus ad promontorium, illo duce, properant, ituri in beatam terram. Ipſe inſilire iubet,*

Iudæi impoſtura, Socrat. in Eccleſ. hiſt. VII. c. XXXVIII.

quod

quod factum inſanâ confidentiâ à plurimis, qui ſtatim merſi, paucis eorũ ſcaphis piſcatoriis exceptis. Caput ipſum ſceleris nuſquam comparuit, ſiue homo, ſiue humanâ ſpecie Genius malus fuit. Denique noſtro aut patrum æuo, nónne talia monſtra? IOHANNES LEYDENSIS ille nobilis, vibex & macula ſuæ vrbis. qui opificio ſartor, regna & ſceptra ſomniauit: & adeptus erat, captâ Monaſterio vrbe, niſi potenti exercitu Principes Imperij obſediſſent, recepiſſent, ipſum & aſſeclas condignis ſuppliciis affeciſſent. Vt iure hæc concludam Liuiano dicto: Nihil in ſpeciem fallacius, quàm praua religio eſt, vbi deorum numen prætenditur ſceleribus.

Quid ad hæc tu Diodore? periculum nullum tale hodie nobis eſſe? neſcio. Multorum, quia imbecilla ſunt, latẽt vitia; nõ minùs auſura, cùm illis vires ſuæ placuerint.

NVLLA religio alia niſi vnius Dei tenenda eſt. Quæ hæc eſt? Chriſtiana. Vnde petimus? è libris ſacris: idque pro Eccleſia Catholica ſenſu. Nam hic eſt fons veritatis, ait Lactantius, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei: quò ſiquis non intrauerit, vel à quo ſiquis exiuerit, à ſpe vitæ ac ſalutis æternæ alienus eſt.

ET TENENDA ex ritu veteri.] Hic iam claſſicum canis, & conuocas in me turbas. Ite in ſuffragium de Lipſij capite Quirites. Quid enim feci? Ille eſt, inquis, qui antiquas omnes ſordes retinet. ille, qui nec in melius quidem mutari quidquam vult. O homo Iſtro fallacior! Vbi hæc à me ſcripta aut dicta? In Capite de Auctoritate, inquis. Et hæc tu audes ad Religionem trahere, quæ palã ſcripſi & monui de ciuilibus externiſque rebus? Mens, an frons, an vtraque tibi deeſt? Confœderati ORDINES, (nam iure vos hic appello) ego disertè monui Retinere antiqua: ſed cum illa cautione, Si proba. Nónne expreſſim in margine hoc poſui? Clemens enim ille priſcus me docuerat: Οὐ πάντως φυλάσσειν τὰ πάτρια δεῖν, ἀλλὰ φυλάσσειν μὲν, εἰ εἴη ὅσια, ἀποσείεσθαι δὲ, μὴ οὕτως ἔχοντα: Non omnino & præfractè ſeruare ritus patrios: ſed ſeruare quidem ſi pij eſſent, aſpernari autem, & abiicere qui non tales. Et ratio in Arnobio: quia religionis auctoritas non eſt tempore æſtimanda, ſed numine: nec colere quâ die, ſed quid cœperis, conuenit æſtimare. Itaque non omnino damno mutare, aut ſiquid lapſu aut incuriâ corruptum, corrigere. non. cũ Platone ſcio λοιδορεῖν πράγματα ἀνίατα καὶ πόῤῥω προβεβηκότα ἁμαρτίας, οὐδαμῶς ἡδὺ, ἀναγκαῖον δὲ ἐνίοτε: Vituperare res malè affectas & longiùs in errorem progreſſas, minimè iucundum, ſed neceſſarium interdum eſſe. Quis tamen id faciet? non priuatus aliquis; imò non ipſe Princeps, niſi de conſilio ſententiáque eorum qui auctoritate, vitâ & doctrinâ ad hoc apti. Concilia huic rei vtiliter reperta, & crebriùs quàm nunc, olim vſurpata. quorum propriè hoc munus, videre ſiquid in doctrinâ aut diſciplinâ Eccleſiæ labat. & reuocare ac reducere ad veteres ſuos puróſque fontes.

Sequitur altera Calumnia, quam multis verbis (nouimus tuum morem) texis. Ille Lipſius Machiauelliſſat. ille ad fraudes, homicidia, periuria Principi ſuo præit.] Dic ſodes, vbi, vbi Diodore? In Capite, inquis, de Fraudibus. Teſtor Deũ & homines, poſt Calumniam natam, turpiore & apertiore calumniâ neminem petitum. Ego illa probo aut prææo? Quin diſertis clariſque verbis damno, deteſtor, repudio: nec niſi vt damnarem, vnquam illa ſcripſi. Tu homo, in iſtâ luce temporum atque hominum, audes hæc ſic propalam ementiri? quaſi nemo eſſet qui mea legiſſet aut legeret? Mihi crede. ſinciput tibi ſanum non fuit, cùm ſcripſiſti: admone in tempore cucurbitas, aut periſti.

Nondum etiam finis, ſed vt corporibus in præceps iactis nullum vltrà ſui arbitrium eſt, nec eunt ſed feruntur: ſic tu qui ſemel ad calumniandum conuiciandúmque te proieciſti, abis extra omnem honeſti metam. Ego ſuperbus & arrogans, qui his de rebus ſcribam nec Theologus nec Iuriſconſultus: quid denique? vt poſteà addis, Ludimagiſter tantùm. Bonâ fide, Ordines, vtrùm priſcus mos redit, & conuicia ſpargimus è plauſtro? Et an reſpondeo? non debebam: tamen breuiter. De Iuriſconſulto quidem: non præferre me eum titulum, ſed tamẽ publicè, in magnâ frequentiâ, & poſt ſolemnia experimenta, Louanij* illo donatum. De Theologo: planiſſimè, non ſum, fateor, & Patres tamen Græcos Latinóſque legi, ac pluſculum in iis quàm tu intellexi. At de Ludimagiſtro quid tibi vis? ſcholam priuatim me habuiſſe? numquam factum. In aliam ſpem, ſi neſcis, educauerunt me parentes. Bono honeſtóque genere ſumus: & per Auiam & Proauiam paternam nobiliſſimis familiis inſerti. Illa ex Eeckhoutiis fuit, hæc è Linckebekiis: gente vtraque iam intermortuâ, ſed tamen in noſtris quoque Annalibus non ignotâ. Ipſi Lipſij ante annos cẽtum, opibus & dignitate inter Bruxellenſium primos. Iſta iactare non aſſueuimus ſed tu adigis qui, quod olim neſcio quis Seneca, mihi nunc inter probra obiicis, Profeſſoriam linguam. Vtor eâ, fateor, nec cum infamiâ aut damno Batauiæ veſtræ vtor. hoc quoque fateor. denique facio, quod ante me nobiles imò Principes viri.

MAIORVM inſtituta tueri ſacris cærimoniiſque retinendis, ſapientis eſt.] Omnino & auſus eſt Plutarchus ſcribere, etiam honeſtiùſque etiam in his errari. Verba eius notabilia: Χαλεπὴ μὲν ἐν τούτοις ἡ ἀσφάλεια καὶ δύσκολος. ἐπιεικέστερον δὲ αὐτοῖς τὸ ἀνθρωπίνου καὶ αὐθάδους. τὸ μὴ δόξης παλαιᾶς καὶ συνήθους ἀλλάξαι ἁμαρτανόμενον: Difficilis in iſtis (quæ ad religionem) certitudo, & comprehenſu ardua. benigniùs tamen erratur, cum recepta & veteri opinione per circumſpectam timiditatem, quàm contra mores, & præfidenter.

Sed hîc video imperitiam tuam, an malitiam? Nam Verba iſta ſic vertis, non quaſi fuerit ſacris cærimoniiſque: ſed omiſſa copulâ ſacris cærimoniis. & linguâ Belgicâ pulchrè me apud tuam plebeculam traducis. Senex, ſenex, Τὸ γῆρας ὑμῶν ὡς σοφὸν ποιεῖ με ἔχοι.

Iam multa quoque in ipſam ſententiam (proprio verbo vtar) deblateras: ſed quid reſpondeo? quod olim Ariſtoteles cuidam ſimili. qui cùm multa nugatus eſſet, & abiens excuſaret, Nunquid moleſtus fui? Non mehercules, inquit. non enim attendi. Diodore, ego non legi.

PVNI igitur, ſiquis turbat.] Nunquam ſcripſi aut ſenſi aliter: nec hic atque infra errantes in religione puniri iuſſi, ſed turbantes. Tu ſi ſcis, quid in me clamas? ſi neſcis,

Τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὄμματ' εἶ.

Sed ventum iam eſt ad locum, qui niſi fuiſſet, præclara hæc ſcripta non fuiſſent. Sic ipſe in ſermone alteri dixit, Omnia ſe mihi condonare & remittere poſſe: non poſſe inſignem calumniam quâ Lactantium inuſſi. Quæ ea eſt? ſcripſi: Seriò, ſeriò, hoc imbibe. Nihil eſſe in rebus humanis religione præſtãtius, eámque ſummâ vi oportere defendi.] & in margine Lactantium adſcripſi. O facinus, ô iniuria! Lactantius hæc planè, planè, in contrariam mentem ſcripſit: & vide Lector quid in aliis quoque Lipſio credas, corruptori, facto (hem, hem, tolutim badiza.) malitioſo: & quid non? Triumphas, & inueheris equis albis. Ego quid? teneor miſer, deprehenſus ſum, nec Orci galea me teget. Tamen vno alteróque verbo Diodore. Legiſtin' MONITA mea ad Lectorem? ſi non; iniurius es, qui non lecta mea carpis: ſi ſic (& verò legiſti, tu ipſe pro-

Ioh. Leyden.
Liu. l. xxxix.
Seneca ep. xlii.
lib. iv. Inſtit. cap. ult.
Varia conuicia.
* An. 13. LXXVI.
Genus noſtrum.
Agrippina apud Tacit. XI. Ann.
Non temere profanãda. Nota. In Camillo.
Panegyris Diodori.
Eurip.
Nugæ non refutabiles.
Vera mens noſtra, ab illo corrupta.
Ridicula ἀλαζονεία Diodori.
Detectio fraudis.

A *dis & clamas:) malitia tua inſignis eſt, impingere mihi culpam, quam aperui antè, & retexi. Si tamen culpa eſt, vti proborum auctorum verbis inſanam probamq́ mentem. Nónne ea hic eſt? lande negare. Ambroſius:* Nihil maius *eſt* religione, nihil ſublimius fide. *Et quis non religionem ante res humanas habeat, eamq́ (probam vtique) defendat? Etiam ethnici ſenſerunt & fecerunt. Valerius:* Omnia poſt religionem ponenda ſemper noſtra ciuitas duxit. *Inſitum hoc nobis, vt cum aliquâ numinis notitiâ æſtimemus idem & tueamur. Tamen peccaui, quòd teſtimonio Lactantij malè vtor. Ego teſtimonio numquam putaui te tam matulam. Deſunt mihi ſcilicet teſtimonia clara, aperta, irreprehenſa de puniendis hæreticis: niſi particulam hanc ſumam à Lactantio, & iſto fine.* B *Erras, erras. non hoc nobis propoſitum, vt Teſtimonia iſta adducere, ſed mentem ſententiamq́ noſtram exprimere, & filum illud ſermonis contexere inuidendum aut irridendum vobis, non imitandum. Interdum tamen vt Teſtimonia: ſed tunc compârent. Erras ampliùs, quòd cenſes Lactantium hanc ſententiam damnare falſum. Ille Romanos ſentire ita dicit: nec de ſenſu aut defenſione carpit, ſed de improuidâ defenſione.* Malam enim vanamq́ religionem, & ideò malè, ibant defenſum. Iam hæc capis? heu vices rerum! detractus es de tuo curru: & triumpharis, qui triumphabas.*

Epiſt. ad Valentin. Imp. Lib. 2. ep. 1.

Error in meâ mente.

*Et alter in Lactantij. * Ideo promiſit: O quàm inhoneſta volũtate, miſcent ortus!*

Voluntas igitur defendendi probaſi probam.

IN CAP. III.

VNAM religionem in vno regno ſeruari.] *In regno, inquam, bono & compoſito, & quale formamus atque optamus. Nam priora illa noſtra, bono tranquilloq́ ſtatui ſcripta ſunt. hæc quæ ſequuntur, turbido. illa perpetua; hæc temporaria atque vtinam numquam eorũ vſus!*

C *Pag. 61. Limitata ſententia.*

QVAS diſſidiorum faces religio tibi accendit!] *Atque ita accendit, vt nulla prudentia videatur poſſe reſtinguere. Vt enim fratrum odia acerrima ſunt ſic eorũ ferè qui conſortes aliquando eiuſdem religionis. Tu, tu Deus adiuua.*

Pag. 10. Bella ἄσπονδα ob religionem.

COLLIDVNTVR inter ſe Chriſtianæ reip. capita.] *Miſerabili & nouo prorſus exemplo. Videamus Annales omnium gentium, & omnis æui: tam acria, tam diuturna bella pugnata non legemus de religione. Iuuenalis pro miro & monſtro habuit, duo opida in Ægypto concurriſſe inter ſe ob hanc cauſſam, & id dignum Satyrâ cenſuit: quid nunc diceret aut ſcriberet, vbi Europa penè tota?*

D *Miſeria huius ſeculi.*

PERIERVNT ac pereunt per ſpeciē Pietatis.] *Alrinſecus verum eſt. ſiue quod ij qui perdunt, demereri ſe Deum putant: ſiue quod ij qui pereunt, mori pro diuino cultu. Ceterùm non neſcio ludos & mimos ſceleſtè hic interuenire & quorumdam ambitionem aut auaritiam velari hoc mantello. Paulus Æmilius pro me loquitur:* Nihil in ſacris bellis perinde offuit, atque mos iam exortus, vt honeſta præſcriptione ſuas quiſque reſpiciat res. In ore omnium Sanctum Piumque verſetur: conſilio, conatu, animo, ſecus afficiantur. Si de religione tantùm agatur, ſi obliuio noxæ ſanciatur, ſi ſanatis mentibus, fortunis hominum abſtineatur omnes idem ſentiant. Nunc de Mortalium iure, de Comitatu res eſt. *Dicas virum vatem fuiſſe, & ſcripſiſſe in hoc æuum.*

Interpretatio.

Mira & ſagacis ſermonis veſt. ... in Phil. III.

E NEC quidquam tam probè aut prouidè hic dici, quod non vellicare malignitas poſſit.] *Tu et exemplo qui non ſenſus tantùm, ſed verba etiam noſtra rimaris, & velut in aurariâ trutinâ pendis.*

Maligna in nos ὀξέαν...

CONSILIA non decreta adfero, nec aſſero aliquid, ſed pono.] *Hæc noſtra modeſtia eſt, quæ ſola effrenes tuos impetus debebat cohibere. Sed tu vt calx aqua accenditur: ſic efferaris temperanti omni ſermone.*

Modeſtia noſtra carpitur.

A *Hic igitur inſultas, & ait* repugnantia me ſcripſiſſe. *Nam in preloquio ad Lectorem dixi* communia quædam præcepta me dare, & velut decreta. *hic Scepticum ago, & nego me decernere. Semper tui ſimilis es, incogitans, ineptus, & paratus inferre tantùm ictum, nõ vitare. Vtrumque ego aio rectè & verè a me dictum. illud in duobus his Capitibus; illud in reliquo opere toto. Et quid ni hic ambigam? res Theologa eſt: quam haud iniuria iis ſubiicio.*

Ἀνοησία aduerſarij.

* Οἱ μὲν φιλόσοφοι εἶναι νόμους τε κοινάς τε.

Atque ego vniuerſè etiam didici ὡς οὐ σοφίας γνωστικῆς μάτηρ ἡ ζητητικὴ ἀπορία. Non deſipit, qui aliquid ambigit ô Diodore: ille magis qui in omnibus & ſupra omnes ſapit. Itaque ingenuè & verè præfatus ſum illud, quod plus decies in hoc libro mihi impingis:* Me labi & errare non ſolùm poſſe, ſed debere.

B *Nónne ita eſt? miror amentiam. Solum ego Deum omniſcium, & expertem erroris habeo: hominum quidquid eſt, opinantur, vacillat, errant. Ipſi beati genij & æterni ſpiritus ab * errore non tuti, niſi Deo dirigente. Audi ſapientem à priſco æuo:* Inter cetera mortalitatis incommoda & hoc eſt, caligo mentium: nec tantùm NECESSITAS ERRANDI, ſed errorum amor. *Audi Sapientem à nouo æuo:* Nemo eſt mortalium, quem non aliqua pars ignorantiæ attingat. hanc contagionem ex ipſâ mortalitate traximus. Nam homo cum errat, humanitus errat. Errorem autem in homine calumniari, eſt toti ipſi mortalitati conuicium facere. *Audi, te reſpice, reſipiſce.*

** Qui ponitores me iſtæc cernere & arbitrari.*

** Quòd vbertis ſcientiæ matet, inquiſitiua dubitatio.*

Homer. Odyſſ. 8. Euſtath. in Odyſſ.

Vnus Deus ἀναμάρτητος.

** Ind. ij In Monit. ad Lecto. rem.*

Seneca. Mortalitatis ignorantia errare.

Seneca De irâ, lib. II. c. X.

C *Neſcio quid ſubinde nugaris,* me contemnere aliena iudicia, vtique Conſulum aut Tribunorum. *Nam ita dicis me ſcripſiſſe Cent. 1. Epiſtol. LXXXVIII.* Tribuni illi me abſterreant? nihil. iacient te apud ſuam plebem; mihi abundè ſatis, ſi eques hic plaudat & Senatus. *En, etiámne Epiſtolæ hic mihi defendendæ ſunt? fiat. Ego nihil ibi de Conſulibus ſcripſi, nec nominaui vel verbo. Sententia etiã mea nec ſuperbiam nec contemptum præfert. Hoc ſenſi, quod ille Ter maximus:* Οἱ ἐν γνώσει ὄντες, οὔτε τοῖς πολλοῖς ἀρέσκουσιν, οὔτε οἱ πολλοὶ αὐτοῖς: Qui cognitione imbuti, nec ipſi populo placent, nec populus ipſis. *Tu eandem ibi lacſa.*

———οἱ γὰρ ἐν σοφοῖς

φαῦλοι, παρ' ὄχλῳ μουσικώτεροι λέγειν.

Καὶ γνῶσιν & ψυχὴ γνῶσιν.

Triſmegiſt. Pœmand. c. IX.

Eurip.

D *Sugillas etiam Breuitatem meam, & in Socratis dict. facetus & venuſtus eſſe volui, ita. Quam te non decet! vidimus, quod ille ait,* camelum ſaltantem. *Sed de Breuitate, eam ego amo, amabo:* & ſi fieri poſſit, quid ſentiam oſtendere, quàm loqui mallem.

Paruus & eſt cygni melior canor, ille gruũ quàm
Clangor, in æthereis diſperſus nubibus Auſtri.

Irriſa noſtra breuitas.

Sen. epiſt. LXXVI.

Lucret.

E DVO genera eorum facio, qui in religione peccant.] *In hac diuiſione conſentit mecum Clemens Alexandrinus.* Ex iis, *inquit*, qui declinant à veritate, alij ſeipſos ſolos, alij verò propinquos quoque conantur fallere. Atque ij quidem qui appellantur δοξίσοφοι, id eſt opinione ſapientes, qui ſe veritatem inueniſſe exiſtimant, nullam habentes veram demonſtrationem, ij ſeipſos decipiunt: quorum non parua eſt multitudo, & quæſtiones declinantium propter confutationes, & doctrinam vitantiũ propter condemnationem. Qui autem eos, qui accedunt, decipiunt: ij ſunt valdè callidi & aſtuti. qui etiam ſi ſatis ſciant ſe nihil ſcire, probabilibus tamen argumentis obſcurant veritatem. *Et vero diuiſio hæc neceſſaria ob temperandum feruorem qui in animis quorumdam accenditur importunè.* Difficile *enim* eſt modum tenere in eo quod bonum (*magis quod pium*) eſſe credideris.

Hæreticorũ duplex genus.

Qui ſibi errant & ſapiunt.

Lib. VII. Stromat.

Qui alios inducunt.

Omiſſa noſtra ſententia & moderatione apta.

Seneca epiſt.

PVNIANTVR à te, ne tu pro illis puniaris.] *A te, a te dico, quicumque Rex aut Princeps. Nonne*

Reges hoc meminiſſe.

A *gladium tibi ad diuina humanaq́ue defendenda?* Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat OMNE malum intuitu ſuo. *Auguſtinus*: Quomodo reges ſeruient Domino in timore, niſi ea quæ contra iuſſum Domini fiũt, religioſa ſeueritate prohibendo atque plectendo?

Prou. xx.

Epiſt. ad Bonif.

MAXIME ſi turbant.] *Et antè & nunc addo. Non enim quoſcumque in religione errantes puniri velim (en vbique confundis & obiicis) ſed hos peccantes. Qui ergo turbatores iſti ſunt? meo iudicio duplices. Nam hoc quoque diſcrimino ad pœnarum diſcrimen. Priores,* qui palàm contra leges, contra magiſtratus, nouam religionem inuehunt, docendo, ſcribendo, cœtus colligendo. *Alteri,* qui non tam nouam religionem inuehunt, quàm produnt: & receptam quoque per diſputatiunculas & argutias in publico conuellunt. *Quo in genere ventoſa fere iſta & praua ingenia; nemóque homines Saturnij, queruli,* δυσχεραίνοντες *(vt Philonis verbis vtar)* τὰ πάτρια πολιτικά, λόγον & κατηγορίαν ἐπὶ τῶν νόμων μελετῶντες: malè affecti erga patria inſtituta, & in reprehenſionem ſemper legum accuſationemque intenti. *Denique, vno verbo, quibus nihil placet quod alijs placet. Noſti eos Diodore?*

Duo turbatorum genera.

Violenti ſeditioſi.

Forma ſeditioſa. De conf. linguar.

Sed hic ſatagis valde vt reperias γνωμίδιον *iſtud & commation apud Cyprianum. Subtiliter & acute multa diuinas. Libero te æſtu. Verba Cypriani ſunt, ſententia mea. Poſt hæc erumpis, & lancinas vniuerſum meum librum:* Farraginem eſſe, inepta Miſcellanea, Moretum, Lancem Satyram, *ſiue, Hiſpanico verbo,* putridam ollam. *Euge euge! Benè ſperare de tuo morbo incipio: enomuiſti. Sed enimuero quid iſta ad rem præſentem? imò quid iſta ad tuam cognitionem? Tu homo, quod ipſe fatearis, bonarum artium litterarumq́ue rudis, iudicas de litterato illo ſcripto? Appello, appello Diodore: agenda hæc ſunt apud aliud tribunal. ad ſubſellia Tribunicia non veniunt hæ cauſſæ. Quid tamen diſplicet? Confuſum eſt, breue eſt. De confuſione erras. nego quemquam veterum magis diſpoſitè totam hanc rem ſcripſiſſe. De breuitate, verum eſt: & eo magis placet, quod te tuiq́ue ſimiles arcet ab illo ſcripto. Non capis hic, etiam qua capis.* Omnium honeſtarum rerum ſemina, *ait Seneca,* animi noſtri gerunt: quæ admonitione excitantur, non aliter quàm ſcintilla flatu leui adiuta ignem ſuum explicat. *Sed oportet, Diodore, priùs in animis eſſe honeſti hanc ſcintillam, prudentiæ hanc ſcintillam: aliàs nullis follibus excitandam. Denique, ego fateor, minimè popularem eſſe illum librum & quo vis aliquis magis poſſit debeatq́ue, quàm frui.*

Τῆς ἐπιγνώσεως Diodori.

Conuiciorũ cumulus.

Ἀπαίδευτος.

Politica non pro quo uis. Diſpoſitio, breuitas & compendium.

Epiſt. xcv.

CLEMENTIÆ non hic locus.] *Quid ergò? ego ſum ille Cyclops, Scinis, Phalaris, qui non miſereor? cui ludo & ioco ſanguis humanus eſt? Ah, abſit. mite mihi pectus, fateor: & vtinam Principibus, quos hæc res tangit! Cur igitur ita ſcribimus? quia publicè expedit: quia ſeueri pro pietate & legibus eſſe volumus: quia hæc ipſa clementia eſt, non eſſe hic clementem. Multos ſeruamus, dum vnum tollimus, illum ipſum ſeruamus, certe iuuamus, dum tollimus. Non enim id facimus (mox audies) niſi in extremè & deſperatè malis: quos ſiſti & reprimi in illo nequitiæ curſu, eſt pro ipſis. Sed & aliàs, cùm citra mortem punimus, bono quoque eſt & expedit puniri.* Si mutaris hoc pro aliquo eſſe, mirabeꝛis quoſdam ferro & igne curari, nec minùs fame & ſiti. Sed ſi cogitaueris tecum, remedij cauſsâ quibuſdam & radi oſſa & legi, & extrahi venas, & quædam amputari membra, quæ ſine totius perniciæ corporis hærere non poterant: hoc vtique patieris tibi probari, quædam incommoda pro his eſſe, quibus accidunt. *Nam emendandi corrigendique per pœnas, bonus Princeps ſemper habet finem.* Quemadmodum quædam haſtilia detorta, vt corrigamus,

Sæuitia à me abeſt, & clementia.

Cauſſa ſeueritatis dicta.

Puniri bonum.

Sen. de Prouid. c. iii.

Finis eius ... Idê ... de Ira, c. v.

aduritmus, & adactis cuneis non vt frangamus, ſed vt explicemus, elidimus. ſic ingenia vitio praua, dolore corporis animique corrigimus. *Auguſtinus in hac ipſa re* Magis pro eis ſunt leges iſtæ, quæ illis videntur aduerſæ, quoniam multi per illas correcti ſunt. *Iterumque*: Moleſtus eſt & medicus furenti phrenetico & pater indiſciplinato filio, ille ligando, hic cædendo, ſed ambo diligendo. Si autem illos neglegãt & perire permittant: iſta potiùs manſuetudo falſa, crudelitas eſt. *Denique de Turbatoribus hic loquor: ad quos Catonis illud aptem:* Miſereamini cenſeo. næ iſta vobis manſuetudo & miſericordia, ſi illi arma ceperint, in miſeriam vertet.

Epiſt. ad Bonif.

Ibidem.

Apud Salluſt. in Coniur.

B

VRE, ſeca.] *O verba nata in turbas! periiſſent illa, & calamus, cùm ſcripſi. Et tamen ratione ſi diiudicamus, quid peccam? A veteris medicinæ ritu ſumptus ſermo, qui in vlcere aut vulnere ſecabant, & deinde ſiſtendo ſanguini vrebant. Teſtimonium hoc crede, &, quod dicitur,* Mittatur ſenex in ſcholas. *Seneca, vt ego, planiſſimè:* Hoc erit non molli viâ mederi, ſed * vrere & ſecare. *Neſcio quis poeta alluſit*: Fortiter & ferrum, ſæuos patiemur & ignes. *In hac ipsâ, ipsâ re, Hieronymus verbo & imagine ſimul vſus.* Scindendæ putridæ carnes, & ſcabioſum animal à caulis ouium repellendum: ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereant. *Sed quid ego hæc ad te?* Oleum perdit & impenſas *(vt idem ſanctus & doctus vir loquitur)* qui bouem mittit ad ceroma.

Vnde dicta vocula, Vnde & quomodo accepta.

** Idest aſperius mederi & durius. Conſolat. ad Helu. cap. iii. Prouerb. lib. i.*

Poeta, ipſe ſic loquitur.

Ad Pammach.

C

Iterùm obturbant tuæ nugæ. Cicero hæc de Catilinâ ſcripſit, tu ad Hæreticos malâ fide transfers. *Prouide & benè monitum. Nam hercules periculum erat, ne ego aut alius conſeret, ſcripta hæc à Cicerone in Hæreticos ipſos.* Senator bullâ digniſſime, *tecum ego contendo?*

Reductio inepta.

Sed de re. Quid volo igitur? non ad ferrum ſtatim omnes aut ignem, ò bone, non: ſed pro modo delicti coercere aut puniri. Puniri dico. & cautè ac circumſpectè communi eo verbo ſemper in hac re ſum vſus; non dixi, Interfici *aut* Occidi. *Pœnarum gradus hic facimus, & numquam raro ad extremum illum venimus. Vt medicus omnia tentat, priuſquam ad ſectionem aut vſtionem accedat*: ita legum Præſidem ciuitatiſque Rectorem decet, quamdiu poteſt, verbis, & his mollibus, ingenia curare. Tranſeat deinde ad triſtiorem orationem, quâ moneat adhuc & exprobret: nouiſſimè ad pœnas, & has adhuc leues & reuocabiles, decurrat. Vltima ſupplicia ſceleribus vltimis ponat, vt nemo pereat, niſi quem perire pereuntis etiam interſit. *O Princeps nota, & hos tales ſapienses audi potiùs, quàm iſtos de viâ clamoſos, & quibus cerebrum omne eſt in linguâ. Quod ſi mea quoque conſilia locum inueniunt, non inuidebo. Quatuor pœnarum genera ſiue gradus in Turbatoribus iſtis agnoſco: Mulctam, Ignominiam, Exſilium, Mortem. Omnes vtiliter, ſed aliter atque aliter adhiberi. Duas primas plerumque in minutis illis Turbatoribus, & quos poſui in Claſſe ſecundâ: duas alteras in maioribus, & quos in Claſſe primâ.*

Accurate de ratione puniendi dictum.

Gradus puniendi facti.

Sen. de Irâ, lib. i. cap. v.

D

Nobis illi quatuor ſunt. Secundùm genera Turbatorũ diſtincte adhibemus.

E

MVLCTAM *quid appellem, ſatis clarum eſt. pecuniarum nempe aliquod damnum, quod incurrant quoties in hac re peccant. In quos ea vtilis? meo iudicio in Sophos illos aut diſputatores, & quicumque publice liberi nimis aut proterui erunt. Hos tales mulcta, nec ſanguinem ab iis, ſed pecuniam duce. Veteres quoque fecerunt. & Theodoſij lex ſuis: quæ in* conuictos hæreticos *ſtatuit* decem librarum auri pœnam. *Tu pro tempore & pro re moderare. Quid ſi contemnant? rarum erit: & apud quoſdam proficiet. tamen ſi pertendunt, alterum ſcilicet adhibebis*

Mulcta, quid, & in quos vſurpanda.

Codic. Theod. De hæret.

Ignominia quid, & quotuplex? Excommunicatio.

IGNOMINIÆ *telum. Ea eſt, quæ pudorem publicè adfert, & maculam ſuffundit famæ. Multa ſunt in hoc genere: & variè vſurpata priſcis. Vetuſtiſſima in Eccleſiâ Excommunicatio, id eſt, vt a templis arcerent & communi piorum ſocietate. Synodo Laodicenâ veteri canon fuit.* περὶ τοῦ μὴ συγχωρεῖν τοῖς αἱρετικοῖς εἰσιέναι εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ, ἐπιμένοντας τῇ αἱρέσει: De nô patiendo vt templum Dei hæretici ingrediantur, quamdiu in hæreſi perſeuerant. *Item interdictio cum iis copulæ aut nuptiarum. Eadem Synodus:* Non coontrahere cum hæreticis nuptias, nec filios aut filias collocare, etiamſi promittant Chriſtiani fieri. *Amplius, priuatio munerum & honorum. vt Theodoſij, Valentiniani, Arcadij lex fuit: quâ* omnis denegatur hæreticis facultas militandi, quinimò extra vrbis mœnia arcentur. *Iuſtiniani etiam latior:* Ἑλληνίζοντας μὴ πολιτεύεσθαι ἢ αἱρετικοὺς, εἰ μὴ μόνους τοὺς ὀρθοδόξους Χριστιανούς. προθεσμίαν δίδωσι τοῖς τοιούτοις, εἰς ἐπιστροφὴν τριῶν μηνῶν: Gentiles aut hæreticos non tangere remp. ſed ſolos Chriſtianos orthodoxos. datque iis ad conuerſionem tres menſes. *Potes ad hanc ignominiæ partem referre, quòd remoti* ab omni liberalitate aut ſucceſſione, quodlibet titulo venienti. *Item inuſtiones frontium aut ſtigmata, ritu priſco. Reperio in Angliâ hæc adhibita ſub* rege Henrico II. De quo Gulielmus Neubrigenſis.* Tunc Epiſcopi, ne virus hæreticum latiùs ſerperet, eoſdem publicè pronunciatos hæreticos, corporali diſciplinæ ſubdendos Catholico Principi tradiderunt. Qui præcepit hæreticæ infamiæ characterem frontibus eorum inuri, & ſpectante populo virgis coërcitos vrbe expelli. *Ego pleraque ex iſtis commodè & iudicio admiſerim: atque etiam hanc frontium inuſtionem. Fallor, aut ipſos dedecus illud valdè coerceat, aut alios certè notabiles reddantur ad cauendum. Nam quæ de diſcretâ veſte aut pileo dici poſſint, ridicula, & leuia ad talia ingenia refrenanda.*

Con VI.

Interdictio nuptiarum. Can. XXXI.

Priuatio munerum. Codex Theodoſij. Georg. Cedrenus.

L. IV. Cod. de hæret.

Inuſtio frontium.

* Anno M. C LXII. II. ca. XIII.

Iam EXSILIVM *quoque inter Pœnas, idq́ue creberrimè olim fuit. Conſtantinus Imp. Arium & Arianos* deportari exſilio *præcepit. Conſtantius* Aëtium propter confeſſionem diſſimilis ſubſtantiæ mulctauit exſilio. *Theodoſius minor,* Neſtorium pulſum ex Oriente, relegauit apud Oaſim. *Et exempla plura atque obuia. Ego hanc pœnam valdè amplectar, & peculiarem maximè huic malo cenſeam, quòd ſepoſitione iſta & relegatione vitetur. Præſertim ſi ea ſit priſco exemplo, in loca inſulaſq́ue deſertas aut minùs frequentes. Etiam in iis qui ſummè Turbatores, vide ne conuenientiſſimum ſit iſtud, & ex Patrum ac Principum veterum mente. Nam etſi*

Exſilium frequens iis olim: Eccleſ. Hiſt. paſſim.

Propria quaſi pœna.

MORS *(quarta ea pœna eſt) in hoc genus ſeductores & Pſeudoprophetas à Moſe decreta exercitaq́ue ſit: tamen à Chriſtianis olim rarò. & paucis ea Principum legibus expreſſa: idq́ue terrendi fortaſſe magis, quàm repræſentandi cauſsâ. Theodoſij ſanè hæc mens fuit: qui* χαλεπὰς τοῖς νόμοις ἐπιγράφει τιμωρίας· ἀλλ' οὐκ ἐπεξῄει. οὐ γὰρ τιμωρεῖσθαι, ἀλλ' εἰς δέος καθιστᾶν τοὺς ὑπηκόους ἐσπούδαζεν· ὅπως ὁμόφρονες αὐτῷ γένοιντο περὶ τὸ θεῖον. ἐπεὶ καὶ τοὺς ἑκόντι μεταθεμένους ἐπῄνει. Graues pœnas legibus cõſtituebat, ſed eas non exſequebatur. Non enim punire, ſed metum iniicere ſubditis ſtudebat: vt concordes ſibi fierent in rebus diuinis: quoniam & ſponte conuerſos laudabat. *Ego ſententiam meam non diſſimulo, Melius magisq́ue è re & mente Chriſtianâ videri, vt maneat quamdiu poteſt, in mulctâ aut ignominiæ gradu: & cum Tertulliano,* ſuffundere malis hominis ſanguinem, quàm effundere. *Quòd ſi vlteriùs progrediendum quoque ſit Exſilio contentus eſto. aut ſi ad mortem: ſimplex tamen ea & mitis ſit, imò (arcanum aliquid audi)* arcana. Reliqua ſcelera cùm caſtigantur, oſtendi expedit, hoc flagitium occuli & tegi. Cauſſa in*

Mors verò his vſurpata. Deuter. c. XIII.

Sozom. Eccleſ. Hiſt. VII. cap. XII.

Rarò, in noſtrâ mẽte vſurpanda.

In Apol. cap. IV.

Leniter tamen, eſſe expediat.

* Sic tamen vt aperta ſupplicia nõ

promptu. vt miſerationem detrahas, & minuas ſermones. Ceterùm illud imbibe: Exquiſitior quæque crudelitas, illecebra eſt magis ſectæ. *Simul & hoc ſcito. quomodocumque rem inſtitues, erunt praui iſti & refractarij (Deus ipſe prædixit, hæreſes fore) & multum ſi efficis,* non vt deſinant planè, ſed ne vincant. *Deum precor, tibi ô Princeps, moderatam mentem, illis ſanam & pœnitentem det.*

damnum, cum Eccleſia induat expedire. Tertull. Apolog. c. VII. Seneca De Irâ. lib. II.

QVAMDIV turbatores coerceri ſine maiore turbâ poſſunt.] *Hæc exceptio & quaſi limes eſt, quo priora illa ſigno. An ſeueritatem indefinitè ſemper Principi prædicem: non poſſum.* Cogunt ſæpè diuerſas inuenire medicinas, variorum experimenta morborum, *dixit in hac ipſâ re Auguſtinus.*

Suſpendit interdum Legũ curſus. II. Retrac.

FATALIS eſt iſta ingeniorum ſcabies.] *Ita loquor quia velut a cælo &, vt dixerim, aſtro aliquo eſt hæc peſtis. Atque vt corporũ quidam morbi certis temporibus interueniunt ſic nunc iſte animorum. Viri, fœmina, ſenes, pueri, quæſtiunculis ludunt & laſciuiunt: eoq́ue ventum, vt pro parum ſano ſit, qui non ſic inſanit. Myſterium Theologia erat, facta eſt populare oblectamentum. Vis imaginem claram horum temporum? Nicephori Gregoræ iſta lege.* Apud nos etiam opificibus effuſa ſunt arcana Theologiæ, atque ita omnes inhiant ratiocinatiunculis & ſermonibus ſyllogiſticis, vt herbæ & paſcuis armenta. Et illi, qui de rectâ fide ambigui ſunt, & qui nec quomodo credendum ſit ſciũt, nec quid ſit illud quod credere ſe dicunt; illi inquam & fora & porticus, & theatra omnia Theologiâ complentur. neque ſolem hunc teſtem facere impudentiæ ſuæ reuerentur. Quomodo autem non ſit abſurdiſſimum, olim quidem cùm florerent Gentium dogmata, ordinem aliquem fuiſſe, & arcana quæ Delforum Theologis commiſſa erant, nulli alij vel edicere vel indagare licuiſſe, ſiue is Plato, ſiue Socrates, aut alius ſapientia celebris fuiſſet: apud nos verò, qui purum pietatis myſterium profitemur, ita profanari res diuinas, & omnibus, qui de Theologiâ diſſerere volunt, id licêre ſuopte arbitrio & ſuffragio? *Iam diſſidia & ambitionem quæ inter capita ſectarum & duces, pulchrè idem exprimit & deplorat.* Factionum verò Principes inter ſe digladiabantur, & linguas contra ſeſe mutuò armabant, nõ zelo diuino ſed iracundiæ impetu ducti. Nam qui ſecundùm Deum eſt zelus, à ſupernâ potentiâ dependet, & diuinâ quadam ac moderatâ concinnâque ratione gubernatur. Qui verò mentis ſuæ fores ambitioni aperiunt, ij non vident zelum ſuum in æmulationem & odium conuerti, & pro frumento, vuâ, ceteriſque bonis fructibus, ſpinas & tribulos in hoc agro produci. Hæc autem ſunt lites, ab animo non ſatis inſtituto profectæ, & aduerſariarum orationum certamina. *Hæc in Græciâ olim fuêre. quando? cùm paullo pòſt ruit. Nos quid aliud exſpectemus, niſi malis errationibus finem facimus.*

Pag. 61. Conteſtim noſtri æui.

Theologia prophanatio.

Apud Græcos inſcitione idem. Hiſt. li. XI.

Partes & factiones. Lib. VI. Odio zelo velantur.

Anus ad armillum, Diodorus ad illudia. Si fatalis, *inquit,* iſta ſcabies, cur punis? Nam fato nulla humana vis aut mens reſiſtit. *Pueri in ſcholis reſpondeant, Fatalis ſceleri fatalos quoque eſſe pœnas. Nexa hæc inter ſe & deuincta. Quamquã aliâ mente hoc à nobis dictum, & abſit vt ſcelera aut errores velimus eſſe à Fato vel aſtris. Sed alterius iſta loci ſunt.*

Ἀλογισία Diodori.

VT diſputare omnes malint, quàm viuere.] *Diſputationes ergo damno? non. ſi in loco, ſi inter idoneos, ſi cum modo vſurpatæ. Locum cenſeo, Scholas, Academias, Collegia. Idoneos, rerum ſacrarum & Philoſophiæ item peritos. Modum, vt contentio & nimia ſubtilitas abſint.* Nec enim quidquam minùs conuenit, quàm ſubdola iſta calliditas, animis conatibus magna. *Sed in publico & in populo diſputationes omnes*

Vbi, à quibus, & quatenus, diſputandum. Publicæ & populares diſputationes noxiæ. Seneca epiſt. I.

valde improbem. Primùm, quia per eas excitantur ad nouitates multi, & pruriunt.*

Humanum genus eſt auidum nimis auricularum, *ait poeta. Deinde, quia Siſinnij conſilium (in re quidem iſtâ religionis) mihi probum*, Viri diſerti, rerum vſu periti, in litteris ſacris eruditi, & ſummi item philoſophi. *Nam hæc elogia illi dant ſcriptores. Is igitur Theodoſio aiebat*: Diſceptationes non ſolùm non reconciliare ſchiſmata, ſed hæreticos prætereà ad contentionem magis accendere. Idcircò cõcertationes Dialecticas vitandas, teſtéſque adhibendas tantùm *Formulas fidei à veteribus editas. *Antiqua enim & antiquos ſi reuicimus, quæ ratio aut argutia eos vincet?*

* Vel. Principia aut ma\[i\]ora præiudicia, ob conſuetudinem vſitata.

Lucret.

Siſinnij cõſilium

Socrat. Eccleſ. hiſt. v. c. x & alij. Sozom. lib. vii. Eccl. Hiſt. c. xii.

*———αἰεὶ ἀπεχθαίνοιτε ἀνδρῶν

Δύσμαχοι, οὐδ' ἰθύνοιτ' ἀγχιμάχοισι ποδώκης.

Oppian.

* τὰς ἐκ δόσεως τῶν παλαιῶν.

Andronicus igitur Imp. ſapiens. qui tantum abfuit vt morem tunc & nunc receptum de diuinis dogmatibus diſſerendi probaret, aut de Deo nouum aliquid vel dicere vel audire vellet, (etſi ipſe rerum diuinarũ peritiſſimus:) vt Nouarũ Patrarum Epiſcopum Euthymium virũ eruditione clarũ & Iohannem Cinamum, in tabernaculo ſuo contra Lopadium diſſerentes ſuper iſto, PATER MAIOR ME EST, non ſolùm obiurgarit, ſed etiam abiecturum ſe in præfluentem amnem Rhyndacum ſeriò minatus ſit, niſi deſiſterent talia loqui. *Sed & Turcæ & Moſchi hac parte ſapiunt: apud quos de religione ſacriſque diſputare, capitale eſt.*

* Mẽs reſractaria ſemper indoctũ hominum, & nolũt vel cedere veris.

Andronicus diſputationes dãnat, aut ſubtiles inquiſitiones. Nicetas Choniat.

DISPVTATIONI *aſſidet contentioſa aut curioſa Scriptio, quæ ipſa factionum ſæpè cauſſa & fomentum. Tollatur. Quomodo? Primùm, nequid edatur ſine idoneâ approbatione aut conſenſu: quod Plato palàm requirit in rep. benè conſtitutâ.* Τὸν ποιητὴν, αὖ, παρὰ τὰ τῆς πόλεως νόμιμα, καὶ δίκαια: ὅ καλά, ἢ ἀγαθά, μηδὲν ποιεῖν ἄλλο. τὰ δὲ ποιηθέντα μὴ ἐξεῖναι τῶν ἰδιωτῶν μηδενὶ πρότερον δεικνύναι, πρὶν ἂν αὐτοῖς τοῖς περὶ ταῦτα ἀποδεδειγμένοις κριταῖς καὶ τοῖς νομοφύλαξι δοχθῇ ἢ ἀρέσῃ. Poëta præter ciuitatis leges & iura, item honeſta & bona, nequid componito. & quod compoſuerit, necui priuatorum antè oſtendere fas eſto, quàm iudicibus ſuper hac re conſtitutis Legumq́; cuſtodibus oſtenſa ea approbatáque. *Secundo, vt ſi quid aliter editum, tollatur. Factum ſemper in ſcriptis impiis. vt in illis Protagoræ: de quibus Laertius*: Καὶ τὰ βιβλία αὐτοῦ κατέκαυσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ, ὑπὸ κήρυκι ἀναλεξάμενοι παρ' ἑκάστου τῶν κεκτημένων. Et libros eius foro combuſſerunt, per præconem eos à ſingulis qui habebant colligentes *Valerius de Numæ libris.* Eos quia aliquâ ex parte ad diſſoluendam religionem pertinere videbantur, L. Petilius Prætor vrb. ex auctoritate Senatus per victimarios igne facto in conſpectu populi cremauit. *Et teſtimonia plura ſunt, etſi aliquando cum ſaluberrimarei abuſu.*

Scripta nõ paſſim edẽda.

Platonica proba lex. Lib. vii. De Leg.

Edita quædam tollenda.

In Protag.

Lib. i. c. i.

ACVLAONES vbique & Curiones.] *Quos ego quidem deteſtor: vtique in iſtâ re, quæ ſimpliciſſima, & Fidem non rationem ducem habet. Aſſentiendum hîc, non quærendum. Plato mecum*: Τὸν μέγιστον θεὸν καὶ ὅλον τὸν κόσμον φαμὲν οὔτε ζητεῖν δεῖν οὔτε πολυπραγμονεῖν, τὰς αἰτίας ἐρευνῶντας· οὐ γὰρ οὐδ' ὅσιον εἶναι: Maximũ illũ Deum, & vniuerſum Mundum dicimus neque inquiri oportere, nec curiosè ſatagere cauſas ſcrutãtes: neque enim fas eſſe.

Curioſi in religione, mali.

vii. De Legib.

HORVM quanta multitudo.] *Et ideò iure mitiges aut differas pœnam. Senec.*: In ſingulos ſeueritas Imperatoris diſtringitur; at neceſſaria venia eſt vbi totus deſeruit exercitus.

Multitudo peccantium pœnâ tolli non ſimul oportet.

II. De Irâ, cap. x.

AN NON fas tempora paulliſper Principi inſpicere?] *Ego cenſeo: nam honeſtè cedit, qui tempori cedit. Plures veterum Principum fecere (Eccleſiaſtica Hiſtoria docebunt) tum maximè Valentinianus. De quo iſta Ammiani ſunt*: Valentinianus hoc moderamine Principatus inclaruit, quòd inter religionum diuerſitates medius ſtetit, nec quemquam inquietauit, neque vt hoc coleretur imperauit aut illud, nec interdictis minacibus ſubiectorum ceruicem ad id quod ipſe coluit, inclinabat, ſed intemeratas reliquit has partes vt *repperit. *Idem aut ſimile Conſtantius, Theodoſius, alij: & nónne nuper in Germaniâ Carolus quintus? De cuius facto qui calide aut proterue pronuncias, iniuriam facit maximo Principum à multis retrò annis.*

Temporum habita ratio.

Lib. xxx.

Valentiniani moderatio.

* Nota Dei dona, non inſtituit.

OMITTERA dico in tempus.] *Non vt eos fallas, aut fidem in occaſiunculâ frangas: (indigna hæc alto rectóque noſtro Principe:) ſed vt intereà cures, verbis factiſque benignè ad meliora traducas. Nonne Princeps ſemper poteſt? vtinam intellegat! per honores, præmia, pecuniolam imò per ſpei ſolius auram, etiam pertinaciſſimos ad ſe trahet. Atqui huic rei quiet & pax danda. & ſpecies aliqua honeſti Transfugij. Hæc concilia Chriſtiani Principes ante aliquot annos ſi audiſſent, iam in Aſiâ & Africâ volitarent victricia noſtra ſigna.*

Pax ad redeuntes facit.

Item & promiſſa, aut præmia.

Damnoſa regibus ciuilia bella.

Heu, quantum terræ potuit pelagíque parari,
Hoc, quem ciuiles hauſerunt, ſanguine, dextræ!

Lucan. i.

ISTOS ab atra bile Dies plerumque ſanat & Quies.] *Deferueſcunt enim animi paullatim: & affectum veritas ac ratio vincunt. Sicut autem muſto tempus dandum eſt, vt deſpumet: ſic animis, vti faces illas eiiciant opinionum. Medici aiunt Melancholicos morbos (nos ſenſimus) medicinis omnis efferari: idem in iſto eſt. quem verè μελαγχολίαν dixeris & Imaginoſum quemdam animi morbum. Princeps ille medicorum*: Χρόνος ἐστὶν ἐν ᾧ καιρός· ὁ καιρὸς ἐν ᾧ χρόνος· ἄκεσις χρόνῳ, ἔστι δὲ ὅτε καὶ καιρῷ. Tempus eſt in quo Occaſio: & Occaſio in quâ Tempus. Medela Tempore, eſt etiam vbi Occaſione contingit. *Qui potes, cape.*

Errores paullatim exuuntur.

Hipp. in Præcept.

NATVRA cõtumax eſt humanus animus.] *Et præſertim in re hac ſenſuum, cùm opinio acceſſit pietatis. Clamant enim quod olim Achæorum ille prætor*: Veremur vos Romani, & ſi ita vultis, etiam timemus: ſed plus veremur & timemus deos immortales. *Itaque cottidie vides. Torque, occide*: quaſi quadam dulcedine ac nectare ebrij cuncta contemnunt: *& eò veniunt, vt* dum mori poſt mortem timent, interim mori non timeant. *Si pro verâ pietate, ô conſtantiam! ſi pro eius ſpecie, ô pertinaciam! Sed concludo hunc locum Galeni verbis*: Οὕτως ἄρα δυσιατότερον τι κακόν ἐστιν ἡ περὶ τὰς αἱρέσεις φιλονεικία, καὶ δυσιατότερον ἐν τοῖς μάλιστα, καὶ ψώρας ἁπάσης δυσιατότερον: Adeò contentio hæc circa Sectas malum eſt, quod nec auertas facilè nec eluas, idque omni ſcabie inſanabilius.

Pag. 46.

In religione vis pertinacia.

Lycortas apud Liuiũ xxxix.

Arnob. i.

Minut. Felix in Oct.

Lib. i. De natur. lib. lauda.

IN CAP. IV.

PAVCA, *vt opinor, in hoc Capite mihi dicenda ſunt. De re non lubet hoc tempore: in te non eſt opus. Pleraque enim probas, & poſt fella guſtas nunc meos fauos. Tamen hoc miraris, quomodo Mors & Vita in vno ore habitent; & qui anteà gladios & ignes loquebar, nunc roſas & mulſa. Si res & tempora diſtinguis (quod ſeriò fecit) non miraberis: Atque adeò mirum erit te hoc poſſe mirari.*

Fruſtrà ἀντίῤῥησις meuſamur.

Verbum vix, in margine valdè te torquet. Scin' quid eo facias? abige & eiice, per me licet. Velim tamen Latiaris phraſis paullò magis te eſſe peritum.

Vocula vix. Latina quoque negat.

QVIESCO domi & ſileo.] *Quiſque autem domi ſua imperat; ſi rectè olim Telemachus*:

Αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο.

Domi liberias & imperium.

Odyſſ. a. Pag. 66.

MENTIVM rex Deus eſt.] *Ambigere nemo poteſt. tamen quia par ſententia fortiter expreſſa à vetuſto*

Mẽtis præter Deum, nemo imperat.

ILLVSTRES

ORDINES,

LIBER in me nuper prodiit, cui an reſponderem, iure dubitaui. Auctor an ille eſt, cui debeam? homo inquietus, turbidus: & cui vnum hoc ſtudium, litigare. Sicut canibus quibuſdam inſitum eſt, ſine cauſsâ aut diſcrimine latrare: talem audiebam iſtum. nec iudicio hæc ſcribere, ſed morbo. Cum hoc me componerem, & velut includerem in eodem campo? quem & vincere inglorium, & à quo atteri ſordidum eſſet. *Facit* enim *ſe aduerſarium*, ait Seneca, *quiſquis contendit, & vt vincat par fuit*. Sed cauſſa etiam ſilendi altera, ab ipsâ ſcriptione. Nam qualis ea eſt? plebeia, futilis: & concepta plebeio quoque ſtilo. Quotuſquiſque ea leget, ſi ego ſileam? nec deprimere aduerſarium meum poſſum, niſi vt attollam. Adde quòd calumniarum conuiciorúmque plena: & corniculas citiùs in Africâ, quàm res rationéſque ſolidas reppererim in hoc ſcripto. Vetus ille verſus hîc valet:

* [illegible] verba, [illegible] * Λόγοις μὲν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται.

& flumen verborum vbique video, mentis vix guttam. Quid igitur reponam aut reſpondeam? ſerium aliquid aut eruditum? non eſt occaſio. côuicia & dicteria? non eſt meum: & ita adhuc viximus ſcripſimuſq́ue, vt nemo de nobis, de nemine queri etiam ego poſſim. Primus iſte eſt (heu fatum Lipſij!) qui procaciter & ex ſuperuacuo me laceſſit. Quem vt imiter, non adducar: perſuaderi tamen mihi paſſus ſum, vt reſpondeam. ſiue quia publicè intereſt, tam effrænem petulantiam reprimi & retundi; ſiue quia meâ, calumnias & mendacia leui manu abſtergeri, quibus nos

Tertull. aduer. Hæreſ. c.xvi. aſpergit. Dicit enim nec ſcripta mihi, nec dicta: aut certè non ſic ſcripta. *Tantum* autem *veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtilus*. Quæ ratio præcipuè me mouit, vt reſcriberem: nequis ſilentium meum in conſenſum duceret, & crederet approbata nobis, quæ non videret refutata. Sed fecimus tamen breuiter.

* [illegible] ad cauſam tria verba ſufficiunt. quoniam, vt ait Pindarus, * *εὐώνυμον ἐς δίκαν τρία ἔπεα διαρκέσει*: idémque modeſtè. quia vt ſcopulus aſſilientes vndas ſine motu vllo ſuo frangit; ſic nos conuiciatores iſtos, ſine acerbitate vllâ aut irâ. Dicta tamen quædam aut ioca miſcuimus. cur non liceat? viri magni, imò & ſancti, fecerunt in ſimili genere: & benè Tertul-

Aduerſum Valent. cap. vi. lianus, *Multa ſunt ſic digna reuinci, ne grauitate adorentur. Vanitati propriè feſtiuitas cedit.* Hæc omnia ad vos

ILLVSTRES ORDINES,

& ad veſtrum tribunal deferimus: vt iudicetis tamen non vt vindicetis. Nam mihi purgatio ſola propoſita eſt, non vltio: & auertere plagá volumus, non inferre. Vos, quorum id munus, me meaq́ue auctoritatis veſtræ clypeo tegite: neu patiamini

Salluſt. Iugurth. *innocentiæ plus periculi, quàm honoris eſſe*. Atque hoc eâ lege, ſi proba iſta apud probos. Nam quòd iſti ea calumniantur aut carpunt: nihil eſt. imò hoc quoque boni argumentum, talibus diſplicere.

AD LECTOREM QVEMCVMQVE.

VIDES *reſcriptum meum, Lector, ex amicorum ſententiâ potiùs, quàm ex meâ. Nam mihi initio decretiſſimum fuit, non reſpondere : qui vetus illud memineram,*

Plaut. Bacchæ bacchanti ſi velis aduerſarier,
Ex inſanâ inſaniorem facies, feriet ſæpiùs.

Sed vicerunt iidem illi eò minùs iam reluctantem, quòd eâdem operâ NOTAS *noſtras daturus eram ad trina illa Capita; quæ in calumniam venerunt. Nam quòd illi tantùm reſponderem: nugæ. quis fructus? at aliquis ex hoc concilio, & ſcriptione, quam vides. Vt etiam ordine & velut preſſo pede ſcripto eius inſiſterem, non placuit. quid enim ille ordine dicit? prima, media, vltima, pleraque eadem : repetitio vbique & mixtio, &, quod Græci dicunt,* * πάντα μία κόνις. *Nos ſi quid ad rem fecit, non omiſimus : conuicia vix attigimus. quia ſcimus*

* Omnia idem pulu.

Idem. Pœn. Iſtunc theſaurum ſtultis in linguâ ſitum,
Vt quæſtui habeant malè loqui melioribus.

Seneca. *Et ampliùs ſcimus:* Æquo animo audienda eſſe imperitorum conuicia, & ad honeſta vadenti contemnendum eſſe iſtum contemptum. *Tu quiſquis es Lector, in bonâ* Plinius Præfat. *cauſſâ faue: & ſi quid eſt quod minùs pro veſtro omnium guſtu, ſcitote me ſcripſiſſe & ſuaſiſſe quæ viſa optima, &* vtilitatem iuuandi prætuliſſe gratiæ placendi.

CENSVRA.

QVÆ *de vna hîc religione apologeticè ſcripſit J. Lipſius, ex Auctoris ipſius confeſſione & totius diſceptationis filo; de orthodoxa, catholica & Romana (quæ vna & ſola vera eſt Religio) ſcripta eſſe teſtificor. Louanij ix. Calendas Septembres,* 1593.

Henricus Cuyckius, D. Petri Louanij Decanus,
Academiæ Cancellarius, & Pontificius ac
Regius librorum Cenſor.

I. LIPSI ADVERSVS DIALOGISTAM LIBER.

LIBRVM tuum legimus, & quæ viſum mihi reſpondere, hîc habes. Pauca mole, ſed non pondere: & tu quoque non multa ſcripſiſti, ſed multis. Toto libro placuit tibi nō ſolùm πολυλογεῖν, ſed ταυτολογεῖν, & quod poëta dicit, *oberras* vbique *eâdem chordâ*. Lacon quidam ad luſciniam: *Vox es, prætereà nihil.*

ORDIAR *à capite & ab ipſâ fronte tui libri. Titulum feciſti:* LIS ſiue PROCESSVS INTER IVSTVM LIPSIVM ET.]*Nollem te hoc præſcribere, mali augurij eſt in principio Lipſius. Ego tecum litigo? numquam factum. Natura mea, conſuetudo, valetudo, abhorrent ab omni litigio; & ſi me non noſti, ſcito non eſſe pacatius ingenium in Bataniâ veſtra. Denique ego tecum? ſi viſum mihi litigare, alius eſſet cum quo conſererem manum. Nam vt ille ait,* — In libri titulum.

—tropbæum ferre me à forti viro pulchrum eſt.
Sin autem & vincar, vinci à tali nullum eſt probrū. — Attius.

At tu quis es? ignotus es, mio tu quis es? nimis notus es.

DEDICATIO *ſequitur, eáque* Ad Senatum huius vrbis.]*Grata erit, niſi fallor. Cur tamen ad hunc potiſſimùm? quiáne olim hîc turbæ? & eos fautores putaſti turbidi tui animi aut ſcripti? Scis enim: & te quoque aliquid occulti ligni ſuggeſſiſſe in hanc flammam nos ſcimus. Sed mi homo erras. illa reſederunt, & beata pax ac concordia iterùm in hac vrbe. Æole, non eſt hic locus tuis flabris.* — In dedicationem.

EPISTOLAS deinde meas ſubiungis.] *Quo exemplo? nullo bono, aut cuiuſquam boni. Egóne hoc ſine ſcripſi, vt ederes? per ſomnium non cogitaui. Homo inconſpecte, tollis è vitâ commercia aut certè libertatem litterarum. Apud bonos ita ſolet, vt duobus ſcripta inter duos pereant. Tu aliter. eſto. Cur tamen, ſi viſum eas edere, non edis ipſas? Verti, inquies. Ita ſanè, ſed non in decentiorem formam. Quid enim ſi parum fideliter? quid ſi parum expreſſe? Vtrumque verum eſt. nam nec tu Latinè nimis (ſine contumeliâ dico) doctus & quod nolo te neſcire, multa ſunt in illis noſtris propriè & ἐμφατικῶς ſcripta, ad quæ vertenda tu non adſpiras.* Aliter lōgè catuli olent, aliter ſues. *Atque ecce, Ordines, epiſtolæ præcipua exemplar ipſum.* — De epiſtolis meis editis. — Proterué. — Imperitè. — Plaut.

I. LIPSIVS S. D.

ACRITER tu cauſſam hanc non Libertatis ſed Licētiæ agis. Nefas tibi interfici quemquā religionis cauſâ. Quid ais? etiámne ſeditioſum? etiámne palā A impium & blaſphemū? Vis enim nō cōſtare Principi quæ ſit proba aut vera Religio. Bellè. Dic ſodes, in re tā ſeriâ ludis? aut vis Academiā iādiu mortuam excitare, & facere omnia cōtrouerſa? Sed video quid agas. Vis me definire quam probam cenſeam: & hunc quoque tibi campum dare diſſerendi. Non faciam mi :::::::::::, nec nunc opus. Illud dogma noſtrum [illegible]* firmum maneat, Vnam religionem (eámque probam) in vno regno teneri. Quid tu mihi Ioannem aut Petrum, & martyres adducis? Scilicet qui probam religionem oppugnant ſunt Ioannes & Petrus. Quin dic ſeriò quod ſentis. * Vis quamuis religionē à quouis poſſe oppugnari; aut tu quid in meâ ſententia oppugnes nō video. Sæua eſt, inquis. Quid ita? Statim enim homines ad ferrum B & ad ignem. Non ego: ne erres. Et caue imponant tibi illa verba *Vrendi & ſecandi*. Παροιμιώδης enim ille ſermo eſt, Latinis vſurpatus in omni aſperâ & paullùm immitiore medicinâ. Puniri nos turbidos Hæreticos volumus (verba mea * nota) ſed non omnes vno modo. Vt criminum gradus ſunt, ita pœnarum: & quoſdam Pecuniâ, alios Exſilio, raros aliquos Morte ego mulctem. In priſcâ Eccleſiâ nónne ſemper factum? vtique poſtquam ea reſpirare cœpit, & ſub Chriſtianis imperatoribus attollere paullum preſſum diu caput. Si exēplis & * auctoritatibus ago, vinco: ſi rationibus, vna te vincit. quòd numquā ſocietas aut reſp. ſtabit, vbi tam indefinita hæc libertas. Audi mi vir. Religionē euertit, quiſquis libertatē hāc C Religionū inducit: ex quâ confuſio, ex quâ * contemptus. Sed enim auctoritatibus Patrum non eſt agendū, ſed nudo meróque Verbo Dei. Seriò in omni re * externâ tu hoc ſentis? neſcio. Sed tamen ſi etiam illo ſcuto tegere me debeo, poſſum. Mæcenatem valdè culpas qui hoc Auguſto ſuaſerit, impio tyranno, inquis, & Chriſtianorum hoſti. Vnde hoc tibi in mēte aut calamo? Ille Chriſtianorum hoſtis, qui * Chriſtianos fādo non nouit? Replica Annales, docebunt te Chriſtum ſalutare verbi ſui ſemen non niſi ſub Tiberio ſparſiſſe. Plura ſunt quæ in tā vberi re poſſim: ſed parco, & reſeruo me Notis: quas, Deo volente, D dabo. Intereà qui ſedatè & puriter noſtra illa leget, nec ſæuitiam nec lentitudinem increpabit: & fatebitur viam præſcriptam, quam bono generis humani ineant hodie qui regnant. Tu ſi aliter ſentis, quin ſententiam tuā potiùs promis, quàm ſic per diſſertatiunculam hæc oppugnas? Effuſam licentiam omnes boni viri abhorrent, & quibus exiguum aliquod lumen mentis: ſi modus coërcendi melior apud te aut

* Verte te in omnes formas, non euertes.
* Veriſſimū eſt, & aliquot annis iam non aliud ago.
* Nūquam feciſti: ſed in toto hoc ſcripto Errores cum Turbatoribus confundis.
* Quæ cōterna ſunt in Bibliis, in Patribus, in Legibus.
* Ita ſanè Ambigere de religione incipiunt, non aſpernari.
* Nam abſurdū Politicum omni illoc aſpergere, qua lætum, ſicut ... non purgant.
* Puerile erratū tuū eſt & fruſtrà ſarcitū in purgādo.

mitior,

A mitior, ſcribe. Ego inter primos qui amplectentur. Verum enim amare didici: ſed contentiones etiam fugere. & quod Telemachus apud poëtam quem veruſti, de me profiteor,

*Ἀλλ' χαλεποὶ δ' ἐσόμεσθα, ἐγὼ δ' οὐ δεδαηκότες ἀλκήν.

* Infirmi ſumus & non docti depugnare. Hæc eſt quo modo vertas. videat lector cui melior placeat. Sit qualem expriit.

Vale, & fer liberè reſpondentem, qui liberè prouocaſti. Acerbitas certè abeſt, & ſum in re quiſolco,

I. Lipſius.

Lugd. Bat. Kal. Aprilis ∞. Iↄ. xc.

Alteram non pono, quia nec exemplar quidem eius (neque tanti eſt) ſeruaui.

Sed iam ingrederis in actionem ipſam, & ſuauiter incipis ψευδολογίζεσθαι. Et primùm promis apud illos tuos ſermocinatores cauſſam quæ impulerit te ad ſcribendum. B Videre te perniciosa conſilia quæ publicè promuntur, valdè peccaturum niſi detegas, cùm Deus te præſertim idoneum aptumque fecerit huic rei. *Itáne Diodore? tu ille es qui cenſuram hic nobis ſine ſuffragio geris? tu qui prouides, nequid res publica capiat detrimenti? Bene eſt. ſtate firmi Batani hoc tibicine & deſtinâ. Sed tamen ego Ordines putabam eſſe & Magiſtratus, quibus hæc cura. qui non admonere ſolùm poſſint, ſed compellere: & quibus parère nos non volumus tantùm, ſed debemus. Illi cùm ſileant, tu loqueris? imò illi cùm probent, tu improbas? Niſi tu vnus plus ſapis & vides, quam ceteri. O mi ſenex,* Omnes videmur nobis ſaperdæ, ſeſtiui, belli, cùm ſimus copreæ.

Cenſor publicus. Caſtos.

Solus ſapiens Varro.

Querelam adtexis & ſcriptionis cauſſam alteram, quòd aliquoties prouocatus à te colloquium ſpreui.] C *Heu quòd mare me purgabit? Tu me ad colloquium vocas, id eſt ad tuam* LITEM. *ego renuo: quid peccaui? Ignoſce. liberum hic me cenſui, nec obnoxium imperio cuiuſquam priuati. Et tamen quod colloquio hoc quærebas, nónne præſtiti? Nam de ſenſu meo binis epiſtolis reſpondi; & ſatisfeci tibi, etſi non ſatisfeci. Tibi inquam & interiori tuo animo purgatiſſimus ſum. ſed diſſimulas, quia decretum tibi velitari. Atqui ego quam abhorruerim ab hac contentione, teſtis quoque Epiſtola hæc eſto, quam ad amicum tuum miſi, amicum, ſed moribus & ingenio valdè a te diſiunctum. Ea hæc eſt.*

Imperioſa auctoritate.

Velitari.

I. LIPSIVS H. L. S.

S. D.

OCCASIONEM mihi datam abs te gaudeo, vt promam animi mei ſenſum. Tu vtrique noſtrûm & Paci amicus es, vtrumque audi. Primum queror, Quid ille vir tibi vult, quòd quaſi datâ operâ in me incurrit? In Conſtantiâ noſtrâ nuper imponere mihi voluit ſententiam, quam non dixi vmquam, non ſcripſi. Nunc ſimile. Adeò nemo alius eſt, qui aliquid ſcribat præter eius mentem? Addo etiam liberè. quid illi cum Latinis meis ſcriptis, ad quæ aliter reſpondet, nec prouocat me iiſdem armis? Sed hoc leue. Etiamne benè ea capit? ambigo: quia video palàm torqueri in alium & diuerſum à ſenſu meo ſenſum. In hac ipſâ re, quàm clarè ſcripſi *Hæreticos ſeditioſos, turbidos* puniendos eſſe? ille ita accipit, quaſi dixerim, quoſcumque in religione errones. Nónne Capita mihi diuerſa facta, & diſparaui? Si rectam diſputandi viam inire vellet, hoc ei docendum, *Puniendos non eſſe nec quidem tales.* Dialecticam ſcio te & illum ſcire. In eâ vitium eſt, ſiquid in Hypotheſi dictum, ad Theſim & communem aliquem locum referre. Atqui verba noſtra moderatiam habent, *Vre, ſeca.* Non noſtra, ſed veterũ: & quod liquidò ad eum ſcripſi, non ita arctè capienda, quaſi ferri nobis ſtatim in manu aut ignis. Abſit, abſit. Prouerbialis ille ſermo eſt, à A medicis ſumptus, qui in prauo aliquo vlcere vrebãt, ſecabant. Valet igitur, vti asperâ aliquâ medicina. Nequid eũ turbaret, addidi: *Pœnarum hic gradus eſſe.* & Turbatores quoſdã Pecuniâ, alios Exſilio, raros quoſdã Morte à nobis plecti. Hæc ſcripſi. ille quid reſpondet? οὐδὲν πρὸς ἔπος, & acerbè ac contumelioſè agit: quod ex literis eius, ſi voles, videbis. Quin etiã Cardinalẽ Granuellanũ mihi obiicit, & quòd hauſerim hæc ab illo fõte. Obſecro te, hæc modeſtia aut philoſophi hominis ſunt? vt omittã, quòd paſſim impietatis me arguit, & quaſi eſſem in gentiliũ ſectâ. Ego miror magis hanc rationẽ ſcribẽdi quã indignor, & ad poſtremas eius non reſpondi, quia nos diſſerere B poſſumus & volumus, nõ litigare. Iã quàm ſuperbè minatur ſe cõtra me ſcripturum? Ego nihil mihi tribuo, ſed nec valdè mihi metuo à tali Antagoniſtâ. Modeſtiſſimè (velim oſtẽdat & videas) ad primas eius literas reſpõdi. ſi alia illi ſentẽtia, & decretum ei promere, faceret, ſed ſine conuiciis aut dicterio vllo in perſonam. Ille hîc quoque pro ſuo more, ait hæc ſua aſpera, eſſe *Verba pura & nuda veritatis.* Quid dicam mi : : : : : : : : ? quod res eſt. Annos ſupra quadraginta iã vixi, ſupra viginti ſcripſi: ſtilum adhuc ego in neminẽ, & nemo in me ſtrinxit. Amo ſcilicet & à naturâ ipſâ factus ſum (inſtitutio etiam acceſſit) ad modeſtiã & quietem: nec mihi ingeniũ aut votum inclareſcendi per turbas. Si priuatim laceſſit, ſilebo, ſi publicè, quid niſi me meaq; vindicem, & aſſeram à maligno dente? ſed ſine conuiciis, & meo more. Vt in viâ ſi quis improuidè prætereuns luto me aſpergat, C non ego in illum tegeram, ſed potiùs me purgem: ita hîc. Dicam tibi hoc quoque. Amici illius tui grande ingeniũ eſt, ſed ferox, aſperum, & cum multâ mixtione fellis. Si patriæ cauſſam agit, & docere Principes meliora vult, cur ſilet? latus hic campus: nec opus eſt in me aut alium incurrat. Parũ progrediuntur in bonâ viâ, qui in obuios quoſque arietant. Habes meam ſententiã. & quia epiſtolam hanc nihil opus illi oſtẽdere (niſi aliter tibi videtur) ecce etiã in* chartâ ſeorſim, quod oſtendas illi. Quæ proba mihi nunc quidẽ videntur, & libenter tamen deſiſtam, ſi quis benignè & comiter docuerit meliora. Vale vir amice, & fratrẽ tuum ſaluta. Lugd. Bat. xv. Kal. Maij. ∞. Iↄ. xc.

* Ipſi edidit, & nos eadem infrà.

En, hæc ipſa ſatis eſſe debebant ad temperãdum tuum feruorem: in te mitia, de re apertâ. Et quid his opponis D *longo tuo & lacinioſo ſcripto? nihil. nugas & nebulas verborum offundis: & dimiſſâ vbique verâ meâ mente, aliam oppugnas. & ad ſummam, imaginarium tibi ſtadiũ exſtruis, & miſerum Lipſium adiungis cum quo decurras imò in quem incurras. Sed iam ad rem veniamus: niſi quòd hoc etiam præmitto.*

σκιαμαχία.

Nam ais, ſi rerum ſcilicet te debuiſſe hæc edere, & plebis oculis ſubiicere, eámque iudicem capere in hac cauſsâ.] *Quid hoc, quia hoc eſt: M. Cato, opinor, olim in iudicio quodam accuſatus, valdè ſenex, initio hoc dixit,* Miſerum eſſe apud alios cauſſam dicere, cùm apud alios vixeris: *nónne ego iure poſſim? Ad plebem me vocas: abnuo, & teſtor plebi me nihil ſcripſiſſe.* E *Principes formamus: tu populum iudicem hic eſſe vis. at qui* bouem curtus non trahit, *ait vetus verbum. Denique vniuerſè teſtor* Numquam volui populo placere. quæ ego ſcio, non probat populus: quæ probat populus, ego neſcio.

Popularis actor.

Nos optimatibus ſcripſimus. At tu plebemus.

Tacet i.

Addis, cauſſam à me Ordinum improbari, & hanc quoque à te defendi.] *O calumniam! vbi ego verbum de Ordinibus? vbi ad hæc tempora, vel cauſſam accommodo meum ſcriptum? niſi fortè quia de religionis diſſidio temperãdo ſuadeo. Illis ergo cõtra Ordines? nec verbũ: inſpice, reſpice. Sed talia ſunt reliqua tua conuicia: quibus diſtinctè ſi reſpondeam, quis finis? De re, de re*

Non hæc ad tempora noſtra ſcripta. De altero vbique agi ratur.

pugnemus:

pugnemus non amo ventilationes, aut ventos.

IN CAP. II.

LIB. IV. POLITIC.

Pag 64. Reges, nutritores Eccleſiæ.

PRIMVM *hoc carpis, quòd ſcripſerim* Principi inſpectionem eſſe in ſacra, idque tuendi cauſſâ.] *Cenſeo iure me ſcripſiſſe. Sacra litteræ à me ſunt, earum interpretes, ratio ipſa. In illis, Deus per Vatem prædixit, & prædicendo edixit:* Erunt reges nutricij tui (*Eccleſiam adfatur*) & reginæ nutrices tuæ. *Iterum:* Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi. *Auguſtinus*: Pertinet hoc ad reges ſæculi Chriſtianos, vt temporibus ſuis pacatam velint habere matrem ſuam Eccleſiam. *Etiam Leo primus hoc probè ad Imp. Leonem*: Debes Imperator incunctanter aduertere, regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidiũ eſſe collatã. *Cauſſa in Ambroſio:* Cùm enim omnes homines qui ſub ditione Romanâ ſunt, vobis militent Imperatoribus terrarum atque Principibus, tum ipſi vos omnipotenti Deo & ſacræ fidei militatis. *Atqui militiæ primum ſacramentum eſt, tueri ſalutem, commoda, dignitatem eius cui militamus.*

Iſa. XLIX. Eiuſdem LX.

Tract. 11. in Ioan.

Epiſt. ad Valent.

Tu quid ad hæc opponis verba. Diſtinctum eſſe Eccleſiaſticum & Politicum regimen, *& talia quæ ſuggerit tibi tuus Adnotator. Quis hoc neſcit? aliam quercum excute. Nos Principi in Eccleſiam ipſam nihil iuris damus: atque hoc volumus tantùm, vt vim, fraudes, turbas & externa hæc mala ab ea arceat: &, quod in ipſo eſt, pacata Sacra præſtet & quieta. Nonne quæ Chriſtianus velle debet, quà Princeps eſt, poteſt? At tua iſta vox,* Quid eſt Imperatori cum Eccleſia? *Ipſa Donati hæreſiarchæ vox eſt, & damnata iam olim.*

Quatenus in eam ius habeant.

Optat. Mileuit. lib. III.

Hic deinde effundis te in conuicia, & in tuum campum. Principum pleroſque inſipientes eſſe, impios, cæcos: & ideò non aptos ad hanc inſpectionem.] *Mirum hoc argumentum eſt, quo efficies vt Principes nec ad ciuilem quidem gubernationem adhibeantur. nam illi tales profectò ad eam non apti. Ergo vniuerſorum iuri derogamus: & ex tuâ ſententiâ ſubiicimus omnia plebi? Cum de Principibus loquimur, de bonis aptiſque loquimur: & qui à ſe, aut ab aliis tales. Conſilia enim certè volumus adeſſe: & in hac ipſâ Sacrorum re, eorum qui in Sacris periti. At tu lector hoc hoc à me diſce, ita proprium Principis eſſe curare & tueri ſacra, vt plerique veterum habuerint duo hæc munera coniuncta, Sacerdotium inquam & Regnum. Diotogenis Pythagorei (male in margine noſtri textus* Diog. Stoici) *illa mẽ, qui* tria in legitimo Rege requirit, vt Belli dux ſit, vt Iudex, vt Sacerdos. *Verba eius:* Ἀνάγκα τὸν τέλειον βασιλέα, στραταγόν τε ἀγαθὸν ἦμεν, καὶ δικαστὰν, καὶ ἱερέα. *Sed quia multiplices iſta cura nimis diſtringere Principem videbantur, inſtitutum ab aliis meritò diſcrimen. Liuius de Numâ*: Tum ſacerdotibus creandis animum adiecit. quamquam ipſe plurima ſacra obibat, ea maximè quæ nũc ad Flaminem Dialem pertinent. Sed quia in ciuitate bellicosâ, plures Romuli quàm Numæ ſimiles reges putabat fore; iturósque ipſos ad bella: ne ſacra deſererentur, Flaminem Ioui adſiduum ſacerdotem creauit. *Ita Numa, tamen Auguſtus iterùm Pontificatum Maximum Imperio iunxit, idemque ſecuti Principes, maieſtatis ſuæ & tutela. Quin hodie Malabarum Reges in Orientali Indiâ Sacerdotes ſiue Bramenes omnes ſunt, & lex eos mori cogit velut deo conſecratos in loco ſacro.*

Diadorus in Principes orn ſ… inuis.

Olim iidem Reges & Sacerdotes.

Apud Stob. de Regno

Quidam diſtinxerunt & quare. Liba.

Ferd. Lopez lib. I. Hiſt. Indic. c. XIV. Pag 64.

In omni rep. primum eſt, curatio rerum diuinarum.] *Ita à deo ordiendum. Atque vt nauis, ædium aliarúmque rerum carinas aut fundamenta volumus eſſe & prima & firmiſſima: ſic debemus in rep. hanc partem. Syneſius:* Εὐσέβειαν ὑποβεβλῆσθαι, κρηπῖδα ἀσφαλῆ, ἐφ' ἧς ἑστήξει τὸ ἄγαλμα ἔμπεδον τῆς βασιλείας: Pietas primùm ſubſternitor fulcrum & crepido cui firmiter inſiſtat ſimulacrum hoc regni.

Baſis & fundamentum rep. Religio. Orat. de regno.

Tu quid hic culpas? In re nihil, aut in verbis, ſed quòd ab Ariſtotele ſumpſi. & ſæpè id mihi obiectas. Debuisſe enim è ſacris, inquis. Mihi aliter viſum Diodore, qui Politicum hic non Theologum ex profeſſo egi. A profanis cetera omnia mutuatus ſum: cur in vno alteróq; Capite mutarẽ? Niſi fortè nihil illi ſanũ hic aut piũ. Erit as. multa eximiè ab iis in hac quoque parte ſcripta, & velut inſtinctu diuino Sed audi quod verum eſt. Tu cuique ſimiles aliquot, & illos, & omnem veterem litteraturam, velleis exſtincta. Noctua non fertis hunc Solem. Atq; vt olim Philiſtæi Hebræis fabros omnes ferrarios atque opifices armorum ademerunt, ne bellare poſſent aut rebellare: ſic vos hæc doctrinæ tela, quæ iugulant vana veſtra doctrinarum. Nos non audimus: Lactantium magis. Scientia litterarum, non modò nihil nocet religioni atque iuſtitiæ, ſed etiã prodeſt plurimũ: ſi is qui eas didicerit, ſit virtutibus inſtructior, & veritate ſapientior. *Et quod Baſilius hac de re quoque ſcripſerit, tenemus.*

Vana calumnia.

Odi omnem litteras.

DECET enim quod optimum eſt ab optimo coli & quod imperat, ab imperãte.] *Omnino decet. Vt enim Princeps eſt in omni virtute populo præire, ita in hac maxime, quæ princeps & caput virtutum. Religionem ipſe ſi non præfert, quomodo alij?* Nam ſecundùm iudicem populi, ſic & miniſtri eius: & qualis eſt rector ciuitatis, tales & inhabitantes eam. *Hæc cauſſa vna cur debeat: etiam altera. quòd ſublimis ille factus, & elatus a Deo, meritò vereatur & colat magnitudinis ſuæ auctorem. Niſi facit, quid exſpectat niſi iterùm deiici?* Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret ſuperbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam duceret vniuerſos inclytos terræ.

Princeps religioſus eſſe decet. Vt exemplum.

Eccleſ. c. X. Ob gratitudinem.

Iſaiæ cap. XXIII.

At tu nobis hic illudis, & in verbulo argutaris. Vbi ſunt, *inquis*, iſti optimi? quorum centeſimus quiſque vix tolerabilis; neque reges vltrà, ſed tyrãni, neque fatui, ſed furioſi.] *En roſæ, quas Principum capitibus inſpergis, tanto & feliciter, quia non ſub illis. Sed vaniſſime plebicola diſce. Ita illi optimi, quomodo ratio & inſtitutio noſtra eos format: quomodo poſtulat & exigit publica ciuium ſalus. Optimi etiam, quia in pari virtutum gradu, magis iſti eminent qui in alto. Quid ſi vitiis quoque eorum virtus ſit, & ad plures pertinens liquet.*

Protervus maledicentia in Principes.

Quã ſenſu ſint illi Optimi.

Tutelæ tuæ primùm] *Nihil certius. libenter enim religioſi Subditi parent, & mites fractâque ceruice humanum iugum ferunt, qui ſemel illud diuinum. Sed fideliter etiam parent. quia pietas & Dei metus; quaſi frænum eſt & coercitio in animis ab omni rebellione & inſolenti motu. Hæc vna tutelæ ratio: altera ab ipſo Principe. Deus enim illi pro clypeus & tector. Triſmegiſtus pulchrè:* Μία φυλακὴ, εὐσέβεια. εὐσεβοῦς γὰρ ἀνθρώπου οὔτε δαίμων κακὸς, οὔτε εἱμαρμένη κρατεῖ. Θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ: Vna cuſtodia, Pietas. Pium enim virum non malus Genius, non Fatum ipſum deuincit. Deus enim eum liberat eripitque ex omni malo.

Subditi religioſi magis obediũt.

Princeps religioſus Dei cura.

Apud Lactant. II. Inſtit. c. XVI.

A D augmentum etiam imperij.] *Non quia bono Principi Pietatis ſua ille finis (ad alia regna aſpiramus:) ſed quia Deo viſum ſæpè etiam externa hæc vt præmia adiicere, Sceptra inquam & dignitates. Priſci viderunt: interque eos Valerius:* Non dubitauerunt, *inquit*, ſacris imperia ſeruire, ita ſe rerũ humanarum futura regimen exiſtimantia, ſi diuinæ potentiæ benè atque conſtanter eſſent famulata. *Etiam poetæ:*

Pietatis etiã externus fructus.

Lib. I. c. I.

Diis te minorem quòd geris, imperas.

Horat.

Tu hæc admordes, ſed admordes tantum. Nam frãges citiùs, quàm imprimes dentem.

DEOS proniores eſſe in eos.] *Accuſas me hoc aut altero loco (non enim lubet inſpicere) quod* Deos nomi-

Ieiuna & in altero verbo calumnia.

nem

A *nem. ille, inquis, qui Bembum in epiſtolâ grauiter nuper increpuit quod feciſſet. Homo pepone inſulſior, ego Deos nomino? Vide iteram, vide. Ariſtoteles eſt, qui nominat: & vis vt refingam gentilium libros, & Deos vndique tollam? Cum de iis, aut eorum nomine ſermo eſt, etiam in Sacris libris oſtendam tibi* Deos. *At Bembum increpui. Non hac cauſsâ, ſed niſi leuiter, quod vbique & quòd indecorè, in Chriſtianorum & grauium virorum perſonâ, ſic loqueretur. Age, excute omnia poſtrema mea ſcripta: (iuuenilia non excuſo:) au* Deos *inuenies à me nominatos? neſcio: ſi erunt, iam nunc reſcribo & deleo.*

Religio in omni ciuitate neceſſaria & ſundamentum eius.

RELIGIO & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem.] *Quod facit etiam vana religio: nec vmquam aut vſquam reſp. ſtetit, ſine ſpecie aliquâ religionis. Quanta igitur veræ illius vis eſt, cuius vmbra ſuſtinet hanc molem? Plutarchus pulchre:* ἀλλὰ πόλις ἄν μοι δοκεῖ μᾶλλον ἐδάφους χωρὶς, ἢ πολιτεία τῆς περὶ θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντάπασι σύστασιν λαβεῖν, ἢ λαβοῦσα τηρῆσαι: At mihi vrbs videtur citiùs ſine ſolo, quàm reſpublica ſine opinione de diis aut conſtitui, aut conſtituta ſeruari. *Et religionem ibidem appellat,* συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας, καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα: vinclum ſiue coagulum omnis ſocietatis, & iuſtitiæ firmamentum. *Et potuiſne aliquid impreſſius à quoquam Chriſtiano?*

Contra Color.

Et vinculũ.

Adnotatio. Diodori.

Hic quoque alludeas & lamberas. Mira dictio, *inquis*, hîc religio mihi vinclum eſt ſocietatis, alibi diſſidij cauſſa & quomodo vnus calamus tam pugnantia ſcribit?] *Fas & mihi quærere. Quomodo duo oculi & vna mens tam parum vident? Caecule, hîc pacata quietaq́; religio vinculum eſt rerum. paullo poſt, diſſidiorum* faces à religione accenſæ, *ſed à malâ, turbidâ, & à tuâ illâ diſſidente. In Lucretio non legiſti,*

Religionis vera in malam partem ſumpta.

——quòd ſæpiùs olim
Religio peperit ſceleroſa atque impia facta?
Item: Tantum religio potuit ſuadere malorum?

Pag. 65.

NEQVE audiendi Aegyptij reges, qui variam & miſcellam religionẽ induxerunt, ſtabiliendo, vt putarunt, ſceptro.] *Nos non audimus, at tu attollis etiam & delaudas. Vter iuſtius? Primùm hoc vide. non* tolerâſſe *eos varias religiones ſcripſi, ſed* induxiſſe. *Vbi pietas tua, ſi hoc approbas? vbi acritas, ſi non vidiſti? Atque hoc perpetuò facis, & vinum, vt ſic dicam, mea ſcriptionis corrumpis, & diluis affuſâ incogitantiæ tuæ aquâ. quid ſi etiam malitia? Sed de re. Poteſtne cuiquam probo probari ille rex, qui plures falſasq́; (nam id conſequitur) religiones inſtituit, firmandi ſui cauſsâ? qui ſubditos in diſſidiis & turbis habet, vt ipſe ſit quietior? non mihi talis rex, ſed tyrannus. Nam legitimus ille, ſalutem & commoda ſubditorum præcipuum habet, imò vnicum finem. In hoc igitur culpo damnoq́; Ægyptireges, vt ex profeſſo impios, ſed etiam vt improuidos. Nam quæ hæc ſecuritas ab alienâ turbâ? infirma. nec ego regnum vmquam ſtabile putauerim, vbi in diſſidiis aut odiis ij qui reguntur. Partes enim factioneſq́; erunt: & in te hi vel illi inſurgent, ſi tu pronior in hos vel illos, Exemplo illi ipſi Ægyptij docuerint. & quod regnum magis anceps, varium, imò & cruentum, quàm illud, fuit? Hiſtoriæ leguntur. Exſpecto quid tu reſpondeas, & quo acumine hæc expungas. Aliquid ſubiicio? nam laboras, ſcio. Ecce Symmachum pro varietate hac religionum:* Æquum eſt, quidquid omnes colunt, vnum putari. Eadem ſpectamus aſtra, commune cælum eſt, idem mundus inuoluit. Quid intereſt, quâ quiſque prudentiâ verum inquirat? Vno itinere perueniri non poteſt ad tam grande ſecretũ. *Hæc ille diſertus vir & Pontifex. Tria verba in aurem Diodore, Tu ita ſentis.*

Iſtum ἀβασίλευτ. (?)

In viro illo perpetuus.

Mala rex, qui ſubditos turbat.

Quales Ægyptij. cur ſic turbatum.

Turbulentũ & ſluctuans ſemper Ægypti regnũ. & inaniter ſubiectum . . .

Diodori . . .

Illi quæ ex Adnotatore hæc congeris, aliena ſunt.

A *Nihil ad noſtram Andromacham. Nam ille quid? exempla aliquot Imperatorum adfert, qui varietatem hanc religionum permiſère. Quid opus eſt? nemo negat, ſed permiſère nempe, non inſtituère. & id alio fine. Proſeminare malas errorum herbas ſemper impium: ſatas tolerare interdum nec ſtatim euellere, ratio aliqua defendit. Iuliani tamen exemplum fateor huic ſimile: ſed num quid probum? Ammianus ita narrat:* Vtque diſpoſitorum roboraret effectum, diſſidentes Chriſtianorum antiſtites cum plebe diſciſſâ in Palatium intromiſſos monebat, vt ciuilibus diſcordiis conſopitis ſuæ quiſque religioni ſeruiret intrepidus. quod agebat ideò obſtinatè, vt DISSENSIONES AVGENTE LICENTIA, non timeret vnanimantem poſteà plebẽ: nullas infeſtas hominibus beſtias, vt ſunt ſibi feralibus pleriſque Chriſtianorum, expertus. *Nota, nota. duo ſpectauit alia haud malus, ſed in religione peſſimus Imperator. Primùm, ſecuritatem ſuam ab hoc Chriſtianorum diſcidio: quos meritò ſibi, vt ἀποστάτῃ & deſertori, ſciebat infenſos. Secundo exitium ipſum eius religionis, quam licentiâ hac ſecabat & quaſi diducebat in varios doctrinarum riuos. Hæc Iuliani mens. quam Optatus Mileuitanus peruidit & aperuit:* Eo modo, *inquit*, putans Chriſtianum nomen poſſe perire de terris, ſi vnitati Eccleſiæ de quâ lapſus fuerat, inuideret, & ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret. *Tu ſi hæc probas, parum Chriſtianus es; ſi improbas, parum ſanus es. Vt quid enim hanc Lunam, quod dicitur, in te detrahis? Mihi autem* glorioſum victoriæ genus eſt, ab eo cum quo decertem arma capere: quæſitumque aduerſario teſtem, illinc ſtare, & iſtinc dicere.

Iuliani factum.

Obſerua Lector astu tam iſte inter diſſidentes odia. Cauſa eius facti.

Libertas in noua religionis, pernicies religionis. Lib. II. & August. ep. CLXVI.

B

Claud. Mamert. lib. II. cap. X.

C *Sed heus in illo ipſo Adnotatore, ecquid ita ſcriptum eſt?* Tertullianum & Epiphanium recenſere, quòd Theodoſij temporibus, vt minimùm, centum pacificæ ſectæ fuerint.] *Ita ille, an tu? vter veſtrum, tam ſupino & craſſo errore, vt ſine riſu non legamus. Tertullianus ſcilicet de temporibus Theodoſij potuit ſcribere, qui* ducentis pænè annis *illo maior. Nam, vt ſcias, Seueri Afri temporibus magnus Afer iſte noſter vixit. Sed hoc ſimile illi, quod in Epiſtolâ ad me:* Augoſtum hoſtem & perſecutorem Chriſtianorum fuiſſe. *Quod tamen tu incredibili acumine diſſoluiſti, & nos docuiſti à principio mundi fuiſſe Chriſtianos. Abi, nimiùm graphicus nugator es.*

*De teſtibus Diodori. Adnotator ſiue Albada. * Teſtẽ à tabulis louis.*

D *Sed enim operæprecium eſt videre quis* Adnotator *iſte, in quo tantum tibi placet. Nam ille non ſolùm paginas, ſed librum tibi impleuitq́; Ciuitas Leidenſis. Quis igitur ille eſt? Albada, vt audio. quem ego quidem nec album nec nigrũ noui: ſed tu eum habes quaſi* μάρτυρα ἐκ Διὸς δέλτου. Quid ita? Ordines inquis, approbarunt. O te ipſum albâ mente! Quam multa Ordines approbant, pro tempore aut præſenti re ſcripta, quæ temerè aliorſum traxeris, & habueris quaſi κυρίας quaſdam δόξας! Nobis Albada non niſi Albada eſt: nec vero cedimus aut credimus, rationibus tamen ſi quas adfert. Sed ille nihil minus toto ſcripto illo egit, quam quod tu agere eum vis: & hoc tantum, in neceſſitate aliquâ temporum, permitti poſſe aut debere libertatem. Nec noſtra mens diſſimilis, etſi tu diſſimulas, in Capite tertio huius libri.*

E *Quæ autem* Ciuitas Leidenſis? *mihi quidem aliusq́; nota: ſed non illa vocem, opinor, emiſit, alius pro eâ. Quis igitur ille? quis? quis? Siles & palleſcis? nam erubeſcere tu quidem non ſoles. Quid ſi amicus aliquis tuus? quid ſi ipſe tu, tu? heu quàm rideamus, ſi te, pro te, in me voces? Sed premo, nec vltrà diuulgo hoc arcanum.*

Ciuitas Leidenſis. Ea eſt, ſuit ſum. Diodorum. Pag. 45. Vnitatẽ religionum dat & Amorem.

O fatui! vnionis auctor illa vna] *Ego quidẽ, & ſani, antiquiq; homines mecũ ita ſentiunt. Quid magis animos alliget, quàm* vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma *hic amor, hic caritas: & hi tales* ſollicite ſeruare

Paulus ad Eph. cap. IV. Ibid.

A vnitatẽ ſpiritus in vinculo pacis. *At contra, vbi hæc varia. Nõne ipſi dicunt, qui pro te dicunt? Ægyptij, inquam, reges & Iulianus: qui palàm fatẽtur diſſidentes religiones induxiſſe, vt ſubditi diſſiderent. Ergo illorũ quoque ſenſu vnionis vna auctor, diſcordia diſcors. Tu tamen mihi hîc inequitas & inſultas, quaſi omnia ponam nuda, & ſine vallo vllo rationis. Non ſoleo mi homo, non. Ratio hîc & alibi incluſa in meis verbis: ſed, vt in preſſo iſto ſcribendi genere, incluſa. quid ego poſſum ſi tu non educis? Numquid ego Prometheus tua menti? alia eſſet, ſi finxiſſem. Solare tamen te.*

Teſtantur aduerſarij.

Preſſim rationes vbique adferimus.

Diodori in hæc ἀμ-βλύτης.

Πολλοὶ ἐν ἀγκαλίῃ βαλλαντιοφάγοι.

E T à confusâ eâ ſemper turbæ.] *Vtinam tu aut alius verè mihi neges? Sed heu funeſta nimis exempla non dicam legimus, ſed videmus. Vbi mota hæc anchora, & non ſimul turbata reip. nauis? Et ratio hoc ipſa vult, vt in externis iſtis rebus facilè promptéque diſſideant, qui in ſenſu interno & in ſalutis ipſâ ſummâ. Odium imò vulgo à religionis diſſidio, quaſi in impios aut profanos: nec lædere eos verentur, quos læſiſſe deum ipſum arbitrantur. Sed lubet hîc paullùm euagari, & cum Politico aut prudenti viro (non tecum Diodore) diſputare. Quid enim? inquit ille. Si à variâ religione turba: cur ergo apud Ægyptios hodie, apud Iapanes, Turcas, Chriſtianorum quoſdam, pax eſt? Nam de Ægyptiis ita tradunt:* quattuor ſectas vigere, quæ inter ſe ritibus ſententiiſque differant, etſi ex Mahumedis dogmate initium omnes trahant. Earum tamen antiſtites & ſacerdotes inter ſe ſine odiis & concorditer viuere: ſed nec inconditam plebem inimicitias aut rixas ideò fouere. Homines autem qui ingenio aut doctrinâ præſtent, ſæpè ſermones inter ſe ſerere, & ſuam quiſque ſectam aſſerere: ſic tamen vt nemo quattuor illos Doctores, à quibus ſectæ ortæ, carpere auſit aut conuiciis lancinare. eíque rei mulctam grandem conſtitutam eſſe, ſi quis faxit.

Turbata religio politiã turbat. Cauſſa.

Diſputatiuncula, An, & quãdo, varia religiones non turbẽt?

B

Ægyptiorũ duodeno ſecta religio.

Ioh. Leo lib. viii.

C

Iam de Iapanibus magno potentíque populo, etſi inſulano, legi: Nouem eſſe illîc religionum genera, integrumque eſſe omnibus pro libito quam velit ſectari. adeò vt familias multas reperias, in quibus vir huic, vxor alteri, filius iterũ alteri alteríq; adhæreat: nec id turbare quidquam domeſticam quietem. *Etiam de Turcis quis ignorat omnem religionem apud eos liberam? quos tamen in ſummâ atque inuidendâ, imò & pudendâ nobis, pace agitare nemo diffitetur. Sed & inter Chriſtianos populos confuſionis huius exempla, in Poloniâ, Tranſſiluaniâ & finitimo tractu. Reſpondemus, ſed ordine & diſtinctè. Primùm quod ad Ægyptios. improbum illud diſſidium eſſe, nondum tamen turbidum ob tres has cauſſas. Primam, quia mutuò non ſe damnant. Diſcrimina ſunt & electio, ſed nullum adhuc præiudicium eſt probitatis. Non Pontifex, non Princeps, aut vlla maior poteſtas hanc illámve partem alteri voluit præferre. Secundam, quia ſub potenti domino, cuius metu & ſimul mulctis illi, ſiquid peccare incipiunt, rigidè coercentur. Tertiam & præcipuam, quia nulla illîc publica conciones, nec flabra atque incitamenta turbarum. Ita dum conuenticula non ſunt, priuatis parietibus diſſidia illa clauduntur: in tempore tamen, in tempore (vaticinor) eruptura.*

Item Iapanum,

In epiſt. Iapanicis.

Turcarum vt videtur.

Aliquot gentiũ Chriſtianarum.

Reſponſum de Ægyptiis.

D

At de Iapanibus, ſpecioſè dictum: ſed decoloratur valde hoc adiectis. Nam fideliter ſubdunt: Agitantur interim non rarò ſeditionibus inter ſe; quin & armis decertant, dum ſuam religionẽ ſinguli aliis anteferre conantur. *Et profectò hoc neceſſum eſt: aut religio nõ eſt religio, quæ ſic friget. Iam de Turcis, planè diſconueniens eſt. Nam quod ad ipſos attinet, vna inter eos religio: & væ illius capiti, qui verbo aut facto turbet. Alienas tantùm, nec corrumpas ex eâ: ſed planè aduerſas permittunt: atque ita communicandi aut diſſerendi vix cupiditas eſt aut cauſſa. Contemnunt enim magis inter ſe, quam contendunt. Pone in mediâ Europa Iudæos, Turcas, Sinenſes (modò ne immanis nimis numero) nihil turbabis religionis aut Eccleſiæ pacem. Adde, quod vna religio dominans apud Turcas: reliquæ muſſant, & falſa illi ac barbara vel inuita ſubmittunt faſces dignitatis. Sed nec ad honores aut militiam cuiquam aditus, niſi per illam vnam. quid mirum ergo ſi oppreſſa illa ſileant, reſumptura animos ſi gens aut Princeps accedat eiuſdem ſectæ? Videremus Chriſtiani, ſi tam liberet nobis veros & legitimos illos hoſtes inuadere, quàm mutuum & fraternum ſanguinem haurire. Græcia diu victa manus attolleret, armaretque Chriſtianos ſuos, etſi flaccidos, pro Chriſtianâ gente.*

Ibid.

De Turcis.

E

Poſtremum de Polonis aut Tranſſiluanis non me mouet. Infida profectò illa quies eſt, & videmus quàm in omni occaſione, vt in comitiis aut electione regis, inter ſe diuidantur, imò in ſe armentur. Continentur tamen prudentiâ & auctoritate paucorum capitum, quæ vbi deſierint, vereor vt deſinat illa. Denique quis magni & ſummi hoc incommodi ex confuſione religionum etiam nunc ibi non videt? quòd paullatim aſſueſcunt per hanc licentiam homines non variare in religione noſtrâ, ſed oppugnare. Proh pudor! prodeunt & palam circumferantur ibi Quæſtiones & libri in Moſem ſcripti, quibus creatio mundi euertitur, & quidquid Vetus aut Noua ſcriptura ſuperſtruxit. ἰοῦ, ἰοῦ ὦ ἄθεοι τ[illegible]! *Illa pleno gradu per confuſionis hunc limitem intrat.*

De Polonis & Tranſſiluanis.

At ea de pacatâ Germaniâ exemplum hîc nobis obiicis imperite. Neſcis quo loco ibi res ſint. Nec enim in vno Principatu religiones plures, ſed in pluribus: nec illa ipſa valde quieta aut concordes. quod ſcripta & reſcripta hæc aſſidua (Nundinarum Francofurti vnica meſſis) clarè docent. Plura ſunt, quæ nunc non auguror aut dico.

Germania vt iſta ſta[illegible]

D I V I N V M illud numẽ, omni modo, omni tempore, & ipſe cole iuxta leges patrias, & alij vt colant effice.] *Hoc non fers:* & palàm, *inquis*, coactionem induco, & impono animis ſeruitutem. *Sententiam noſtram modeſtè non calumnioſè accipe. Effice vt colant alij. nempe eâ viâ quâ decet, & quam Chriſtiana lex permittit. Et quid tamen? numquam, aut nulla, licita coactio? Valdè abhorres ab eo verbo, ſcio: & hic eſt in vlcere tuo tamquam vnguis. Tamen Tertullianus pæne vetuſtiſſimus, & planè eruditiſſimus patrum ita ſcripſit:* Ad officium hæreticos compelli, non illici, dignum eſt. Duritia vincenda eſt, non ſuadenda hæreſis. *Auguſtinus it in eandem ſententiam:* Melius quidem eſſe quis dubitauerit, ad Deum colendum homines doctrinâ duci, quàm timore pœnæ, vel dolore compelli? Sed non quia iſti meliores ſunt, ideò illi qui tales non ſunt, negligendi ſunt. Multis enim profuit, priùs timore vel dolore cogi, vt poſſint poſteà doceri, aut quod iam verbis didicerunt, opere ſectari. *Et quod tibi tuiſq; aſſiduè in ore eſt, ille refutat:* Fruſtrà dicis, Relinquar libero arbitrio. Cur enim non in homicidiis & ſtupris, & quibuſcumque aliis facinoribus & flagitiis, libero te arbitrio dimittendum eſſe proclamas? quæ tamen omnia iuſtis legibus comprimi vtiliſſimum eſt. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem, ſed nec bonam infructuoſam, nec malam eſſe voluit impunitam. *Quid ſi exempla etiam huius coactionis? Illud* Siſebuti regis (alij Siſenandum vocant) in Hiſpania nobile. qui omnes Iudæos coegit Chriſti nomen & ſacra agnoſcere: eaq; re multa millia hominum auerſa à peſtiferâ ſectâ referuntur. Quod æmulatus Dagobertus rex in Galliâ, diem Iudæis præſtituit, intra quam niſi religionem noſtram ſuſciperent, hoſtes iudicarentur, pertina-*

Theologorũ de Τιδο-γίας, pag. 79.

An coactio in religione licita.

Quadam tenus eſſe. Aduerſ. Gnoſt. cap. II.

Epiſt. I. ad Bonif.

Nec id adimere Libertatem animi. Lib. II cõtra Creſcent. c. LI.

* *Anno D. C. XVI. Siſebuti factum:* Iſid. lib. v. Etym. & Hiſp. Ann. Et Dagobertus.

† Æmil. in Dagob.

A

ciámque cupiæ inerent. Vereor tamen vt ſeruemtoris ſides & animi vtrumque exemplum ſit. certo actio illa Siſebuti regis, in * IV. *Concilio Toletano, pro parte reſciſſa eſt: decretumque vt* * qui iam ſacro lauacro tincti eſſent, cogerentur ad ſeruandam fidem quam acceperant; ſed ne poſteriùs Iudæi compellerentur ad baptiſmum. *Ego in hæc penetralia Theologiæ non abeo: πολιτικῶς tamen ſi diſſero, non verebor leuem aliquam & cum ſpe fructus compulſionem admittere; monentem tamen magis, quàm cogentem.*

* An. D C XXXIII.
* Excerpti è Can. LVI.
Compulſio magis & cum ſimulatione, quam coactio probanda.
Coercendi Nouatores.

Eos verò qui in diuinis aliquid innouant, odio habe, & coerce.] *Recalcitras & reclamas: fruſtrà. Ita ſemper in omni bona rep. factum, &, quidquid licentioſi velint, fiet.* De negotiis ciuilibus ſiquid ſtatuitur, nemo putat eſſe violandum: & præceptum de religione calcabitur? *Quis autem ſinis, ſi ſemel carceres hos aperis ad innouandum? Nulla in re lubentiùs aut periculoſiùs homines ludimus:* vt eſt mens noſtra vaga, & nouitate rerum lætiſſima. *Aſſiduè audientius fanaticus aliquis, aut ſimulator pietatis, qui monebit* * χορδὰς τὰς ἀκινήτους. *Atqui apud omnes gentes coerciti iſti, & puniti. Græcos vides: reperies Socratem & Protagoram damnatos, Anaxagoram & Ariſtotelem accuſatos, ob nouitatem in religione. Quin Athenienſium talis hic calor, ὥστε (Ioſephi verba ſunt)* καὶ τοὺς ῥῆμα μόνον παρὰ τοὺς ἐκείνων νόμους φθεγξαμένους περὶ θεῶν, ἀπαραιτήτως κολάζειν: vt eos qui verbulum modò effarentur præter leges de diis receptas, ſine vllâ veniâ punirent. *Abit ad Romanos? par cura & ſeueritas.* Quoties, *inquit Liuius*, patrum auorumq; ætate negotium magiſtratibus datum eſt, vt ſacra externa fieri vetarent? *Et addit veriſſimam rationem, etſi in religione vanâ:* Iudicabant enim prudentiſſimi viri omnis diuini humaniq; iuris, nihil æquè diſſoluendæ religionis eſſe, quàm ſi non patrio ſed externo ritu ſacrificaretur. *Nec aliter ſecuti Romani fecère, & Principes ipſi. Quid Iudæi? quorum reſpublica & religio extra controuerſiam optima. Illi verò hic ita duri, vt nec cohabitationem admitterent cuiuſquam à patriâ religione diſſidentis. Quod idem in Hiſpaniâ decretum* * *olim, lêgi in Concilio VI. Toletano:* Vt quiſquis ſuccedentium temporum regni ſortiretur apicem, non antè conſcenderet regiam ſedem, quàm inter reliqua conditionum ſacramenta polliceretur, Non ſiturum ſe degere in regno ſuo eum qui non eſt Catholicus. Si verò poſtquam ad regni gubernacula acceſſiſſet, huius ipſe temerator exiſteret promiſſi: eſſet anathema maranatha in conſpectu ſempiterni Dei, & pabulum efficeretur ignis æterni. *Quin apud Sinenſes (vetus & compoſitum valde regnum) etiam lex eſt:* Ne qua religio alia admittatur, ſine ſcito Regis eiuſque Conſilij: qui aliter, capitale ei ſit. *Quæ vna res progreſſum curſumq; ibi valdè impedit noſtræ religionis. Quid in Eccleſiâ Chriſtianâ? vetera licentia effuſa nunquam fuit, quam primùm Principes & tutores illa habuit Chriſtianos. Conſtantinus exemplum eſto: cuius leges & ſcita ſunt in Arianos. Longum eſſet de ceteris omnibus dicere. Longum? imò etiam ſupervacuum. Nam fecerunt ante me alij:*

Ambr. ad Valent.
Homines eò inclinant, ad periculoſè ineiamen.
Seneca.
* Chordas non mouendas.
Athenienſes puniuerunt.
Lib. II. contra Appion.
Romani puniuerunt.
Li. XXXIX.
Varietas religionum diſſolutio religionum.
Iudæi puniuerunt.
Ioſephū vide contra Appion.
* An. D. C. XXXVIII
Hiſpani puniuerunt.
Sinenſes (ſiue Chineſes) puniunt.
Chriſtiani ſecere, & faciunt.

B

C

D

E

— * ἐχθρὸν δέ μοί ἐστιν
Αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν.

* odi ego porro, e re dicta alias, iterum ſermone amplecti. Homer. Odyſſ. μ.

Illud breuiter & vno verbo dico. ſemper coercitionem in Nouatores fuiſſe: aliàs aliam, pro tempore ſcilicet aſtrictam magis aut remiſſam, pro ſectâ lenem aut ſeueram.

Hæc illa ſunt quæ ſuadet noſter ille Pater Muſarum tanto opere exagitatus tibi & irriſus. Verba autem multa fundis: in quibus, ita me Deus amet, vt neſcio quid refutem. Excedis enim ſemper a lineâ, & cùm de aliis loquor, tu reſpondes de cepis.

Diodorus ſemper ἔξαλος.

A

Hi tales multos impellunt ad mutationem rerum.] *Seriò ego vos Principes moneo, cauete. A nullâ re maius periculum imperiis & ſceptris, quàm ab innouatâ aut inſidioſe ſimulatâ religione. Hi enim tales commouent animos plebis maxime & per ſpeciem pietatis impellunt quo volunt. Exempla dabo? ecce hæc pauca.* EVNVS *olim in Siciliâ ſuit conditione ſeruus: qui* fanatico furore ſimulato, dum Syriæ deæ comas iactat, ad libertatem & arma ſeruos, quaſi numinum imperio, concitauit: & LX. *amplius millium exercitu coacto, palam Regem ſe ferens, Siciliam totam ſubegerat, niſi ægrè, ægre, coercuiſſent Romana arma.*

Nouatores periculoſi in omni ſtatu.
Exempla dolorum.
Eun. Flor. III. cap. XIX. Et Diod. Sicul. in Fragm.

Quid PSEVDOPROPHETA *ille* ÆGYPTIVS *ſub Claudio? qui in Iudæâ, per hanc ipſam ſpeciem Pietatis ad* XXX. M. *hominum ſibi adiunxit, cum iis Hieroſolyma petit, arcem illam & ſedem regni habiturus: niſi a Felice Præſide, qui obuiam egreſſus, acie victus caſúſque eſſet.*

Pſeudopropheta Ægy.

Haud diſſimile MARICI *illius factum ſub Vitellio: qui* aſſertor Galliarum & Deus (id ſibi numen indiderat) concitis octo millibus hominum, proximos Æduorum pagos trahebat: *maiora & ipſe auſurus cùm fanatica multitudo delecto milite oppreſſa vel disiecta eſt.*

Ioſeph. II. Bel Iud. cap. XII.
Marici, Tacitus II Hiſt.

Quid ELMAHELI *in Africa? is mirâ ſanctimoniæ opinione conciliatâ gente bellum ſuo & Marroccenſium regi (Abrahamus tunc erat) palam intulit, acie vicit, regno & vita ſpoliauit.*

Elmahelo, Ioh. Leo lib. II.

Nec diſſimilis fraudis & fati in eadem Africâ impoſtor alius (CHEMIN MENNAL *vocant*) *quiritium & religionis vnitate illectum populum in regem Feſſa concitauit, pendere tributum vetuit, denique per aperta arma eo adegit, vt pacto ſibi traderet Temeſna regnum. Apud Turcas ipſos nónne aliquoties res mota hoc prætextu? fuit* SCHACOCVLIS *quidam ſimulata ſanctimonia vir, & hoc fini in ſolitudinibus plerumque agitans. cui ipſe Princeps Turcarum Baiazetes munuſcula annua mittere in ſpeluncam veneratione pietatis ſolebat. Is vbi maturum viſum, poſt ſeptem annos prodit, ſectam nouam proſeminat, fautores aſſeclàſque reperit. cum iis vrbes aliquot Aſiæ inuadit & diripit, ipſum Baſſam Anatoliæ iuſto prælio vincit. imò paullo poſt Corcutem quoque Baiazetis filium, & mox Ali Baſſam cum Robuſtis veteribusque copiis aduentantem. Quid multa? in diſcrimen ſummam rem Turcicam adduxerat: cùm viſum ei deflectere in Perſarum fines, quorum rex eiuſdem illius ſectæ. Sed cùm in via Caranam quamdam Perſicam (agmen viantium ita vocant) milites eius inuaſiſſent ac diripuiſſent, pleriſque viatorum etiam caſis: ita ægrè Iſmael Sophi Perſarum id tulit, vt ipſum, præfectóſque eius omnes, aliò trucidandos ſatellitibus ſuis obiiceret: reliqua multitudine in ſeruitutem adiudicatâ & diuiſâ. Hæc iuſta Nemeſis nebulonem illum aſſecuta eſt. In eâdem Aſiâ iam nuper, Sulemanne Principe, quidam* CALENDER ZELERIS *inſurrexit ad res nouandas, tectus hoc ipſo pietatis velo. Is enim aliquo Deruiſiorum numero, Sangiacos plures fudit, & Anatoliam totam vocauit ad arma. Sed enim miſſu auſpiciſque Sulemanni, Ibrahimes Baſſa, ancipiti prælio, ipſum factionemque deleuit. Quid in Cretâ inſulâ (veniendum ad ridenda eſt)* IVDÆVS *quidam, Theodoſio Imperatore, quàm ſceleſtè & perniciose genti ſuæ impoſuit! Finxit ſe nouum Moſem adeſſe, cælitus miſſum, vt eriperet eos è diutinâ ſeruitute. Oppida iam ergo circumit: hortatur, opes, amicos relinquere, ſe ſequi in terram illam promiſſionis. & addebat (veteris illius Moſis exẽplo) per ipſum mare ſe eos traducturum. Credunt, conueniunt, immenſa multitudo. omnis ætas, omnis ſexus ad promontorium, illo duce, properant, ituri in beatam terram. Ipſe inſilire iubet,*

Chemin, Idem Leo lib. III.
Schacoculis.
An. Chriſti M. D. IX. Annal. Turc.
* Nam hæc eſt Sophianorum ſecta, quæ iam pridem conſpiratione vtráque gentē hala.
Anno M. D. XXVI.
Calenderis: Annal. Turc.
Iudæi impoſtura. Socrat. in Eccleſ. hiſt. VII. c. XXXVIII.

quod

quod factum inſanâ confidentiâ à plurimis, qui ſtatim merſi, paucis eorũ ſcaphis piſcatoriis exceptis. (caput ipſum ſceleris nuſquam comparuit, ſiue homo, ſiue humanâ ſpecie Genius malus fuit. Denique noſtro aut patrum æuo, nónne talia monſtra? IOHANNES LEYDENSIS *ille nobilis, vibex & macula ſua vrbis. qui opificio ſartor, regna & ſceptra ſomniauit: & adeptus erat, captâ Monaſterio vrbe, niſi potentis exercitu Principes Imperij obſediſſent, recepiſſent, ipſum & aſſeclas condignis ſuppliciis affeciſſent. Vt iure hæc concludam Liuiano dicto:* Nihil in ſpeciem fallacius, quàm praua religio eſt, vbi deorum numen prætenditur ſceleribus.

Ioãnis Leydani.

L. l. xxxix.

Quid ad hæc tu Diodore? periculum nullum tale hodie nobis eſſe? neſcio. Multorum, quia imbecilla ſunt, latẽt vitia; nõ minùs auſura, cùm illis vires ſuæ placuerint.

Tu noſter nota. Seneca epi. xlii.

NVLLA religio alia niſi vnius Dei tenenda eſt. *Quæ hæc eſt? Chriſtiana. Vnde petimus? è libris ſacris: idque pro Eccleſia Catholica ſenſu. Nam* hic eſt fons veritatis, *ait Lactantius*, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei: quò ſiquis non intrauerit, vel à quo ſiquis exiuerit, à ſpe vitæ ac ſalutis æternæ alienus eſt.

Vera religio. Lib. iv. Inſt. cap. vlt.

ET TENENDA ex ritu veteri.] *Hic iam claſſicum canis, & conuocas in me turbas. Ite in ſuffragium de Lipſij capite Quirites. Quid enim fecit?* Ille eſt, *inquis*, qui antiquas omnes ſordes retinet. ille, qui nec in melius quidem mutari quidquam vult. *O homo Iſtro fallacior! Vbi hæc à me ſcripta aut dicta? In Capite de Auctoritate, inquis. Et hæc tu audes ad Religionem trahere, quæ palã ſcripſi & monui de ciuilibus externiſque rebus? Mens, an frons, an vtraque tibi deeſt? Conſiderate* ORDINES, (*nam iure vos hic appello*) *ego disertè monui* Retinere antiqua: *ſed cum illa cautione.* Si proba. *Nónne expreſſim in margine hoc poſui? Clemens enim ille priſcus me docuerat*: Οἱ πάντως φυλάσσειν τὰ πάτρια δεῖ, ἀλλὰ φυλάσσειν μὲν, εἰ ἦ σπουδαῖα, ἀποσείεσθαι δὲ, μὴ οὕτως ἔχοντα: Non omnino & præfractè ſeruare ritus patrios: ſed ſeruare quidem ſi pij eſſent, aſpernari autem, & abiicere qui non tales. *Et ratio in Arnobio*: quia religionis auctoritas non eſt tempore æſtimanda, ſed numine: nec colere quâ die, ſed quid cœperis, conuenit æſtimare. *Itaque non omnino damno mutare, aut ſiquid lapſu aut incuriâ corruptum, corrigere. non. cũ Platone ſcio* λοιδορεῖν πράγματα ἀνιατὰ καὶ πόρρω προβεβηκότα ἁμαρτίας, οὐδαμῶς ἡδύ, ἀναγκαῖον δὲ ἐνίοτε [illegible]: Vituperare res malè affectas & longiùs in errorem progreſſas, minimè iucundum, ſed neceſſarium interdum eſſe. *Quis tamen id faciet? non priuatus aliquis; imò non ipſe Princeps, niſi de conſilio ſententiáque eorum qui auctoritate, vitâ & doctrinâ ad hoc apti. Concilia huic rei vtiliter reperta, & crebriùs quam nunc, olim vſurpata quorum propriè hoc munus, videre ſiquid in doctrinâ aut diſciplina Eccleſiæ labat. & reuocare ac reducere ad veteres ſuos puróſque fontes.*

Λοιδορία Diodori.

Et turpis ψευδολογία.

Religio antiqua optima. Quã aſtruimus In Epitomã Vitæ Petri. Lib. ii. aduerſ. Gent. *Corrigere in ea ſiue magis quàm mutare.* xi. De legibus.

Concilia huic fini.

Sequitur altera Calumnia, quam multis verbis (nonimus tuum morem) texis. Ille Lipſius Machiauelliſſat. ille ad fraudes, homicidia, periuria Principi ſuo præit.] *Dic ſodes, vbi, vbi Diodore? In Capite, inquis, de Fraudibus. Teſtor Deũ & homines, poſt Calumniam natam, turpiore & apertiore calumniâ neminem petitum. Ego illa probo aut prauo? Quin diſertis clariſque verbis damno, deteſtor, repudio: nec niſi vt damnarem, vmquam illa ſcripſi. Tu homo, in iſtâ luce temporum atque hominum, audes hæc ſic propalam ementiri? quaſi nemo eſſet qui mea legiſſet aut legeret? Mihi crede. ſinciput tibi ſanum non fuit, cùm ſcripſiſti: admone in tempore cucurbitas, aut periſti.*

Turpis διαβολὴ Diodori. Et in apertis mẽdacio.

Nondum etiam finis, ſed vt corporibus in preceps iactis nullum vltrà ſui arbitrium eſt, nec eunt ſed feruntur: ſic tu qui ſemel ad calumniandum cõuiciandúmque te proiecisti, abis extra omnem honeſti metam. Ego ſuperbus & arrogans, qui his de rebus ſcribam nec Theologus nec Iuriſconſultus: *quid denique? vt poſteà addis*, Ludimagiſter *tantùm. Bonâ fide, Ordines, vtrùm priſcus mos redijt, & conuicia ſpargimus è plauſtro? Et an reſpondeo? non debebam: tamen breuiter. De Iuriſconſulto quidem: non præferre me eum titulum, ſed tamẽ publicè, in magnâ frequentiâ, & poſt ſolemnia experimenta, Louanij* illo donatum. De Theologo: planiſſimè, non ſum, fateor, & Patres tamen Græcos Latinóſque legi, ac pluſculum in iis quam tu intellexi. At de Ludimagiſtro quid tibi vis? ſcholam priuatim me habuiſſe? numquam factum. In aliam ſpem, ſi neſcis, educauerunt me parentes. Bono honeſtóque genere ſumus: & per Auiam & Proauiam paternam nobiliſſimis familiis inſeres. Illa ex* Eeckhoutiis *fuit, hæc e* Linckebekiis: *gente vtraque iam intermortuâ, ſed tamen in noſtris quoque Annalibus non ignotâ. Ipſi* Lipſij *ante annos cẽtum, opibus & dignitate inter Bruxellenſium primos. Iſta iactare non aſſueuimus ſed tu adigis qui, quod olim neſcio quis Seneca, mihi nunc inter probra obiicis,* Profeſſoriam linguam. *Vtorâ, fateor, nec cum infamiâ aut damno Batauia veſtra vtor. hoc quoque fateor. denique facio, quod ante me nobiles imò Principes viri.*

Varia conuicia.

* *An.* ∞. IƆ. LXXVI.

Genus noſtrum.

Agrippinus apud Tacit. xi. l. Ann.

MAIORVM inſtituta tueri ſacris cærimoniiſque retinendis, ſapientis eſt.] *Omnino & auſus eſt Plutarchus ſcribere, tutius honeſtiuſque etiam in his errari. Verba eius notabilia:* Χαλεπὴ μὲν ἐν τούτοις ἡ ἀσφάλεια καὶ δυσπόριστος. εὐσεβέστερον δὲ αὐτοῖς τῆς προϋποληφθείσης δόξης καὶ παλαιᾶς καὶ συνήθους ἢ ἀλλάξειν ἁμαρτάνειν: Difficilis in iſtis (*quæ ad religionem*) certitudo, & comprehenſu ardua. benigniùs tamen erratur, cum recepta & veteri opinione per circumſpectam timiditatem, quàm contra mores, & præfidenter.

Non temere præſcriptum mutanda. Nota. In Craſſo.

Sed hic rideo imperitiam tuam, an malitiam? Nam Verba iſta ſic vertis, non quaſi fuerit ſacris cærimoniiſque: *ſed omiſſa copulâ* ſacris cærimoniis. *& linguâ Belgicâ pulchrè me apud tuam plebeculam traducis. Senex, ſenex,* Τὸ γῆρας ὑμῶν εἰ σοφὸν τοῦτ᾽ ἂν ἔχοι.

Παραγωγὴ Diodori.

Eurip.

Iam multa quoque in ipſam ſententiam (proprio verbo vtar) deblateras: ſed quid reſpondeo? quod olim Ariſtoteles cuidam ſimili. qui cùm multa nugatus eſſet, & abiens excuſaret, Nunquid moleſtus fui? Non mehercules, inquit, non enim attendi. *Diodore, ego non legi.*

Nugæ non refutabiles.

PVNI igitur, ſiquis turbat.] *Numquam ſcripſi aut ſenſi aliter: nec hic atque infra errantes in religione puniunt ius, ſed turbantes. Tu ſi ſcis, quid in me clamas? ſi neſcis,*

Τυφλὸς τά τ᾽ ὦτα τόν τε νοῦν τά τ᾽ ὄμματ᾽ εἶ.

Vera mens noſtra, ab illo corrupta.

Sed ventum iam eſt ad locum, qui niſi fuiſſet, præclara hæc ſcripta non fuiſſent. Sic ipſe in ſermone altero dixit, Omnia ſe mihi condonare & remittere poſſe: non poſſe inſignem calumniam quâ Lactantium inuſſi. *Quæ ea eſt? ſcripſi*: Seriò, ſeriò, hoc imbibe. Nihil eſſe in rebus humanis religione præſtãtius, eámque ſummâ vi oportere defendi.] *& in margine Lactantium adſcripſi. O facinus, ô iniuria!* Lactantius hæc planè, planè, in contrariam mentem ſcripſit: & vide Lector quid in aliis quoque Lipſio credas, corruptori, fatuo (*hem, hem, tolutim badiza.*) malitioſo: *& quid non? Triumphas, & inueheris equis albis. Ego quid? teneor miſer, deprehenſus ſum, nec Orci galea me teget. Tamen vno alteróque verbo Diodore. Legiſtin'* MONITA *mea ad Lectorem? ſi non; iniurius es, qui non lecta mea carpis: ſi ſic (& verò legiſti, iniuſe pro-*

Ridicula ἀλαζονεία Diodori.

Πρὸ τῆς ὁμιλίας ἰδεῖν φρόνησιν.

Detecta fraudis. In calumniã II.

dis & clamas:) malitia tua insignis est. impingere mihi culpam, quam aperui antè, & retexi. Si tamen culpa est, vti proborum auctorum verbis insanam probamque mentem. Nónne ea hic est? aude negare. Ambrosius: Nihil maius *est* religione, nihil sublimius fide. *Et quis non religionem ante res humanas habeat, eamque (probam vtique) defendat? Etiam ethnici scierunt & fecerunt. Valerius:* Omnia post religionem ponenda semper nostra ciuitas duxit. *Insitum hoc nobis, vt cum aliquâ numinis notitiâ æstimemus idem & tueamur. Tamen peccaui, quòd testimonio Lactantij malè vtor. Ego testimonio? numquam putaui te tam matulam. Desunt mihi scilicet testimonia clara, aperta, irreprehensa de puniendis hæreticis: nisi particulam hanc sumam à Lactantio, & iste fine. Erras, erras. non hoc nobis propositum, vt Testimonia ista adducere, sed mentem sententiamque nostram exprimere, & filum illud sermonis contexere inuidendum aut irridendum vobis, non imitandum. Interdum tamen vt Testimonia: sed tunc comparent. Erras ampliùs, quòd censes Lactantium hanc sententiam damnare falsum. Ille Romanos sentire ita dicit: nec de sensu aut defensione carpit, sed de improuidâ defensione.* Malam enim vanamque religionem, & ideò malè, ibant defensum. Iam hac capis? heu vices rerum! detractus es de tuo curru: & triumpharis, qui triumphabas.*

> Epist. ad Valentin. Imp. Lib. 1. c. 1. — Error in mea mente. — Et alter in Lactantij. * Idem promisit: O quàm inhonesta voluntate, miseri erant! — Voluntas igitur defendi probasse pro bam.

IN CAP. III.

VNAM religionem in vno regno seruari.] *In regno, inquam, bene & composito, & quale formamus atque optamus. Nam priora illa nostra, bono tranquilloque statui scripta sunt. hæc quæ sequuntur, turbido. illa perpetua; hæc temporaria atque vtinam numquam eorû vsus!*

QVAS dissidiorum faces religio tibi accendit!] *At quæ ita accendit, vt nulla prudentia videatur posse restinguere. Vt enim fratrum odia acerrima sunt, sic eorũ ferè qui consortes aliquando eiusdem religionis. Tu, tu Deus adiuua.*

COLLIDVNTVR inter se Christianæ reip. capita.] *Miserabili & nouo prorsus exemplo. Videamus Annales omnium gentium, & omnis antiquam acria, iam diuturna bella pugnata non legemus de religione. Iuuenalis pro miro & monstro habuit, duo oppida in Ægypto concurrisse inter se ob hanc caussam, & id dignum Satyrâ censuit: quid nunc diceret aut scriberet, vbi Europa penè tota?*

PERIERVNT ac pereunt per speciẽ Pietatis.] *Altrinsecus verum est. sine quod ij qui perdunt, demereri se Deum putant: siue quod ij qui pereunt, mori pro diuino cultu. Ceterùm non nescio ludos & mimos scelestè hic interuenire: & quorumdam ambitionem aut auaritiam velari hoc mantello. Paulus Æmilius pro me loquitur:* Nihil in sacris bellis periode offuit, atque mos iam exoritus, vt honesta præscriptione suas quisque respiciat res. In ore omnium Sanctum Piumque versetur: consilio, conatu, animo, secus afficiantur. Si de religione tantùm agatur, si obliuio noxæ sanciatur, si sanatis mentibus, fortunis hominum abstineatur omnes idem sentiant. Nunc de Mortalium iure, de Comitatu res est. *Dicas virum vatem fuisse, & scripsisse in hoc æuum.*

NEC quidquam tam probè aut prouidè hic dici, quod non vellicare malignitas possit.] *Tu es exemplo qui non sensus tantùm, sed verba etiam nostra rimaris, & velut in aurariâ trutinâ pendis.*

CONSILIA non decreta adfero. nec assero aliquid, sed pono.] *Hæc nostra modestia est, quæ sola effrenes tuos impetus debebat cohibere. Sed ut calx aquâ accenditur: sic efferaris temperanti omni sermone.*

> Pag. 61. Lamiata sententia. — Pag. 80. Bella dira dis et religionis. — Miseria humana [illegible]. — Interpreta[illegible]. — Mens & sa[illegible] Æmil. in Phil. [illegible] — Maligna [illegible] — Modestia nostra carpitur.

Hic igitur insultas, & ais repugnantia me scripsisse. Nam in proloquio ad Lectorem dixi communia quædam præcepta me dare, & velut decreta. *hic Scepticum ago, & nego me decernere. Semper tui similis es, incogitans, intellus, & paratus inferre tantùm ictum, nõ vitare. Vtrumque ego aio rectè & vere a me dictum. istud in duobus his Capitibus; illud in reliquo opere toto. Et quid ni hic ambigam? res Theologa est: quam haud iniuria iis subiicio.*

* Οἱ μὲν γὰρ τοιοί εἰσι νοῆσαί τι κεῖναί τι.

Atque ego vniuersè etiam didici * ὡς ἡ σοφίας γνωστικῆς μήτηρ ἡ ζητητικὴ δοκεῖν. *Non desipit, qui aliquid ambigit ô Diodore: ille magis qui in omnibus & supra omnes sapit. Itaque ingenuè & vere præfatus sum illud, quod plus decies in hoc libro mihi impingis:* Me labi & errare non solùm posse, sed debere. *Nónne ita est? miror amentiam. Solum ego Deum omniscium, & expertem erroris habeo: hominum quidquid est, opinantur, vacillãt, errant. Ipsi beati genij & æterni spiritus ab* * *errore non tuti, nisi* * *Deo dirigente. Audi sapientem a prisco ævo:* Inter cetera mortalitatis incommoda & hoc est, caligo mentium: nec tantùm NECESSITAS ERRANDI, sed errorum amor. *Audi Sapientem a nouo ævo:* Nemo est mortalium, quem non aliqua pars ignorantiæ attingat. hanc contagionem ex ipsâ mortalitate traximus. Nam homo cum errat, humanitus errat. Errorem autem in homine calumniari, est tuti ipsi mortalitati conuicium facere. *Audi, te respice, resipisce.*

Nescio quid subinde nugaris, me contemnere aliena iudicia, vtique Consulum aut Tribunorum. *Nam ita dicis me scripsisse Cent.* 1. *Epistol.* LXXXVIII. Tribuni illi me absterreant? nihil. tacent te apud suam plebem; mihi abundè satis, si eques hic plaudat & Senatus. *Eu, etiámne Epistolæ hic mihi defendendæ sunt? fiat. Ego nihil ibi de Consulibus scripsi, nec nominaui vel verbo. Sententia etiã mea nec superbiam nec contemptum præfert. Hoc sensi, quod ille Termaximus:* Οἱ ἐν γνώσει ὄντες, οὔτε τοῖς πολλοῖς ἀρέσκουσιν, οὔτε οἱ πολλοὶ αὐτοῖς: Qui cognitione imbuti, nec ipsi populo placent, nec populus ipsis. *Tu caudam ibi vacla.*

——οἱ γὰρ ἐν σοφοῖς
Φαῦλοι, παρ' ὄχλῳ μουσικώτεροι λέγειν.

Sugillas etiam Breuitatem meam, & in Socratis dict. facetus & venustus esse voluisti. Quam te non decet! vidimus, quod ille ait, camelum saltantem. *Sed de Breuitate, eam ego amo, amabo:* & si fieri possit, quid sentiam ostendere, quàm loqui mallem.

Paruus & est cygni melior canor, ille gruũ quàm
Clangor, in ætheriis dispersus nubibus Austri.

DVO genera eorum facio, qui in religione peccant.] *In hac diuisione consentit mecum Clemens Alexandrinus.* Ex iis, *inquit*, qui declinant à veritate, alij seipsos solos, alij verò propinquos quoque conãtur fallere. Atque ij quidem qui appellantur δοξόσοφοι, id est opinione sapientes, qui se veritatem inuenisse existimant, nullam habentes veram demonstrationem, ij seipsos decipiunt: quorum non parua est multitudo, & quæstiones declinantium propter confutationes, & doctrinam vitantiũ propter condemnationem. Qui autem eos, qui accedunt, decipiunt: ij sunt valdè callidi & astuti. qui etiam si satis sciant se nihil scire, probabilibus tamen argumentis obscurant veritatem. *Et vero diuisio hæc necessaria ob temperandum feruorem, qui in animis quorumdam accenditur importunè.* Difficile *enim* est modum tenere in eo quod bonum (*magis quod pium*) esse credideris.

PVNIANTVR à te, ne tu pro illis puniaris.] *A te, a te dico, quicumque Rex aut Princeps. Nónne*

> Ἀκρισία adversary. — * Qui pretiores me illæ cetera & arbitrari. * Quod vberi sciens mete[illegible] quarta dubitatio. — Nomen Odyss. Eustath. in Odyss. — Vana Deus [illegible] — * Ind. In Monit. ad Lectorem. — Solutum Mortalitati agnatus error. — Seneca De ira lib. 2. c. 10. — Κακ-γρία [illegible] — Trisme. gist. Poemand. c. 14. — Eurip. — Iocus in his [illegible] epist. LXXVI. — Lucret. — Hominum [illegible] — Qui [illegible] Lib. 1. Stromat. — Qui ab [illegible] Dimissio [illegible] Seneca epist. — Reges [illegible]

gladium tibi ad diuina humanaq́ue defendenda? Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat OMNE malum intuitu ſuo. *Auguſtinus*: Quomodo reges ſeruient Domino in timore, niſi ea quæ contra iuſſum Domini fiūt, religioſâ ſeueritate prohibendo atque plectendo?

Prou. xx.
Epiſt. ad Bonif.

MAXIME ſi turbant.] *Et antè & nunc addo. Non enim quoſcumque in religione errantes puniri velim (tu vbique confundis & obuicis) ſed hos peccantes. Qui ergo turbatores iſti ſunt? meo iudicio duplices. Nam hoc quoque diſcrimino ad pœnarum diſcrimen. Priores,* qui palàm contra leges, contra magiſtratus, nouam religionem inuehunt, docendo, ſcribendo, cœtus colligendo. *Alteri,* qui non tam nouam religionem inuehunt, quàm produnt: & receptam quoque per diſputatiunculas & argutias in publico conuellunt. *Quo in genere ventoſa fere iſta & praua ingenia, itemq́ue homines Saturnij, queruli, δυσχεραίνοντες (vt Philonis verbis vtar) τῇ πατρίῳ πολιτείᾳ, ψέγειν ἢ κατηγορεῖν ἀεὶ τῶν νόμων μελετῶντες:* malè affecti erga patria inſtituta, & in reprehenſionem ſemper legum accuſationemq́ue intenti. *Denique, vno verbo, quibus nihil placet quod alijs placet. Noſti eos Diodore?*

Duplices Turbatores.
Violenti. Subdoli.
Ingenia refractaria.
De conf. linguar.

Sed hic ſatagis valdè vt reperias γυμνάσιον iſtud & commation apud Cyprianum. Subtiliter & acutè multa diuinas. Libero te aſtu. Verba Cypriani ſunt, ſententia mea. Poſt hæc erumpis, & lancinas vniuerſum meum librum: Farraginem eſſe, inepta Miſcellanea, Moretum, Lancem Satyram, *ſiue, Hiſpanico verbo,* putridam ollam. *Euge euge! Benè ſperare de tuo morbo incipio xenomuiſti. Sed enimuerò quid iſta ad rem præſentem? imò quid iſta ad tuam cognitionem? Tu homo, quod ipſe fatearis, bonarum artium litterarumq́ue rudis, iudicas de litterato illo ſcripto? Appello, appello Diodore: agenda hæc ſunt apud aliud tribunal. ad ſubſellia Tribunicia non veniunt hæ cauſſæ. Quid tamen diſplicet? Confuſum eſt, breue eſt. De confuſione erras. nego quemquam veterum magis diſpoſitè totam hanc rem ſcripſiſſe. De breuitate, verum eſt: & eo magis placet, quod te tuiq́ue ſimiles arcet ab illo ſcripto. Non capis hic, etiam quæ capis.* Omnium honeſtarum rerum ſemina, *ait Seneca,* animi noſtri gerunt: quæ admonitione excitantur, non aliter quàm ſcintilla flatu leui adiuta ignem ſuum explicat. *Sed oportet, Diodore, prius in animis eſſe honeſti hanc ſcintillam, prudētiæ hanc ſcintillam: aliàs nullis follibus excitandam. Denique ego fateor, minimè popularem eſſe illum librum: & quo vix aliquis magis poſſit debeatq́ue, quàm frui.*

Politica noſtra quâ ... Diſpoſita, Breuia, & imperitis obſcura.
Epiſt. xcv.

CLEMENTIÆ non hic locus.] *Quid ergò? ego ſum ille Cyclops, Sciron, Phalaris, qui non miſereor? cui ludo & ioco ſanguis humanus eſt? Ah, abſit. mite mihi pectus, fateor: & vtinam Principibus, quos hæc res tangit! Cur igitur ita ſcribimus? quia publicè expedit: quia ſeueri pro pietate & legibus eſſe volumus. quia hæc ipſa clementia eſt, non eſſe hic clementem. Multos ſeruamus, dum vnum tollimus; illum ipſum ſeruamus, certè iuuamus, dum tollimus. Non enim id facimus (mox audies) niſi in extremè & deſperatè malis: quos ſiſti & reprimi in illo nequitiæ curſu, eſt pro ipſis. Sed & aliàs, cùm citra mortem punimus, bono quoque eſt & expedit puniri.* Si miraris hoc pro aliquo eſſe, miraberis quoſdam ferro & igne curari, nec minùs fame & ſiti. Sed ſi cogitaueris tecum, remedij cauſſâ quibuſdam & radi oſſa & legi, & extrahi venas, & quædam amputari membra, quæ ſine totius perniciæ corporis hærere non poterant: hoc vtique patieris tibi probari, quædam incommoda pro his eſſe, quibus accidunt. *Nam emendandi corrigendique per pœnas, bonus Princeps ſemper habet finem.* Quemadmodum quædam haſtilia detorta, vt corrigamus, adurimus, & adactis cuneis non vt frangamus, ſed vt explicemus, eliditmus: ſic ingenia vitio praua, dolore corporis animique corrigimus. *Auguſtinus in hac ipſa re:* Magis pro eis ſunt leges iſtæ, quæ illis videntur aduerſæ, quoniam multi per illas correcti ſunt. *Iterumque:* Moleſtus eſt & medicus furenti phrenetico & pater indiſciplinato filio, ille ligando, hic cædendo, ſed ambo diligendo. Si autem illos neglegāt & perire permittant: iſta potiùs manſuetudo falſa, crudelitas eſt. *Denique de Turbatoribus hic loquor ad quos Catonis illud aptem:* Miſereamini cenſeo. næ iſta vobis manſuetudo & miſericordia, ſi illi arma ceperint, in miſeriam vertet.

Fruſtrà clementia accuſamur.
Pœnæ bona punitis. Sen. de Prouid. c. iii.
Idē de Ira, c. v.
Epiſt. ad Bonif.
Ibidem.
Apud Salluſt. in Coniur.

VRE, ſeca.] *O verba nata in turbas! periſſent illa, & calamus, cùm ſcripſi. Et tamen ratione ſi diiudicamus, quid peccant? A veteris medicinæ ritu ſumptus ſermo, qui in vlcere aut vulnere ſecabant, & deinde ſiſtendo ſanguini vrebant. Teſtimonium hoc crede, &, quod dicitur,* Mittatur ſenex in ſcholas. *Seneca, vt ego, planiſſimè:* Hoc erit non molli viâ mederi, ſed * vrere & ſecare. *Neſcio quis poeta alluſit:* Fortiter & ferrum, ſæuos patiemur & ignes. *In hac ipſa, ipſa re, Hieronymus verbo & imagine ſimili vſus:* Scindendæ putridæ carnes, & ſcabioſum animal à caulis ouium repellendum: ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereant. *Sed quid ego hæc ad te?* Oleum perdit & impenſas *(vt idem ſanctus & doctus vir loquitur)* qui bouem mittit ad ceroma.

Seu de Irâ. lib. 1. cap. v.
Ad Pammach.

Iterùm obturbas tua nuga. Cicero hæc de Catilinâ ſcripſit, tu ad Hæreticos malâ fide transfers. *Prouidè & benè monitum. Nam hercules periculum erat, ne ego aut alius cenſeret, ſcripta hæc à Cicerone in Hæreticos ipſos.* Senior bullâ digniſſime, *tecum ego contendo?*

Sed de re. Quid volo igitur? non ad ferrum ſtatim omnes aut ignem, ô bone, non: ſed pro modo delicti coercere aut puniri. Puniri dico. & cautè ac circumſpectè communi eo verbo ſemper in hac re ſum vſus; non dixi, Interfici *aut* Occidi. *Pœnarum gradus hic facimus, & nuniſquàm raro ad extremum illum venimus. Vt medicus omnia tentat, priuſquam ad ſectionem aut vſtionem accedat:* ita legum Præſidem ciuitatiſque Rectorem decet, quamdiu poteſt, verbis, & his mollibus, ingenia curare. Tranſeat deinde ad triſtiorem orationem, quâ moneat adhuc & exprobret: nouiſſimè ad pœnas, & has adhuc leues & reuocabiles, decurrat. Vltima ſupplicia ſceleribus vltimis ponat, vt nemo pereat, niſi quem perire pereuntis etiam interſit. *O Princeps nota, & hos tales ſapientes audi potiùs, quàm iſtos de viâ clamoſos, & quibus cerebrum omne eſt in linguâ. Quòd ſi mea quoque conſilia locum inuenient, non inuidebo. Quatuor pœnarum genera ſiue gradus in Turbatoribus iſtis agnoſco: Mulctam, Ignominiam, Exſilium, Mortem. Omnes vtiliter, ſed aliter atque aliter adhiberi. Duas primas plerumque in minutis illis Turbatoribus, & quos poſui in Claſſe ſecundâ: duas alteras in maioribus, & qui in Claſſe primâ.*

Pœnæ illi quatuor ſunt.
Secundum genera Turbatorū diſtincte adhibemus.

MVLCTAM *quid appellem, ſatis clarum eſt. pecuniarum nempe aliquod damnum, quod incurrant quoties in hac re peccant. In quos ea vtilis? meo iudicio in Sophos illos aut diſputatores, & quicumque publicè liberi nimis aut proterui oris. Hos tales mulcta, nec ſanguinem ab iis, ſed pecuniam duce. Veteres quoque fecerunt. & Theodoſij lex fuit: quæ in* conuictos hæreticos *ſtatuit* decem librarum auri pœnam. *Tu pro tempore & pro re moderare. Quid ſi contemnant? rarum erit: & apud quoſdam proficies. tamen ſi perſeuerant, alterum ſcilicet adhibebis*

Mulcta, quid, & in quos vſurpanda.
Codic. Theod. De hæret.

A *valde* * *improbem. Primùm, quia per eas excitantur ad nouitates multi, & pruriunt.*

Niſi Principes aut in quos prauiunt, ob cauſſas aliter videatur.

Humanum genus eſt auidum nimis auricularum, *aut poeta. Deinde, quia Siſinnij conſilium (in re quidem iſtâ religionis) mihi probum*, Viri diſerti, rerum vſu periti, in litteris ſacris eruditi, & ſummi item philoſophi. *Nam hæc elogia illi dant ſcriptores. Is igitur Theodoſio aiebat*: Diſceptationes non ſolùm non reconciliare ſchiſmata, ſed hæreticos præterea ad contentionem magis accendere. Idcircò cõcertationes Dialecticas vitandas, teſteſque adhibendas tantùm * Formulas fidei à veteribus editas. *Antiqua enim & antiquos ſi reuicimus, quæ ratio aut argutia eos vincet?*

Lucret. Siſinnij conſilium. Socrat. Eccleſ. hiſt. v. c. 8 & alij. Sozom. lib. vii. Eccl. Hiſt. c. xii. Oppian.

* ——— αἰεὶ κακ ὀτωνοὺς αἱ δ' ῥων
Δύσμαχος, οὐδ' ἐθέλουσι ἐπιγναμψαι ποδιοῖς.

** Τὰς ἐκ δ'ώρεις τῶν παλαιῶν.*

B *Andronicus igitur Imp. ſapiens.* qui tantum abfuit vt motem tunc & nunc receptum de diuinis dogmatibus diſſerendi probaret, aut de Deo nouum aliquid vel dicere vel audire vellet (etſi ipſe rerum diuinarũ peritiſſimus:) vt Nouarũ Patrarum Epiſcopum Euthymium virũ eruditione clarũ & Iohannem Cinnamum, in tabernaculo ſuo contra Lopadinm diſſentientes ſuper iſto, PATER MAIOR ME EST, non ſolùm obiurgarit, ſed etiam abiectutum ſe in præfluentem amnem Rhyndacum ſeriò minatus ſit, niſi deſiſteret talia loqui. *Sed & Turca & Moſchi hac parte ſapiunt: apud quos de religione ſacriſque diſputare, capitale eſt.*

** Mei rebus tractanda ſemper indoctis hominum, & nolũs vel cedere veris. Andronicus diſputationes dãnat, aut ſubtiles inquiſitiones. Nicetas Choniat. Scripta nõ paſſim edẽda. Platonica proba lex. Lib. vii. De Leg.*

C DISPVTATIONI *aſſidet contentioſa aut curioſa Scriptio, quæ ipſa factionum ſæpè cauſſa & fomentum. Tollatur. Quomodo? Primùm, nequid edatur ſine idoneâ approbatione aut conſenſu: quod Plato palàm requirit in rep. benè conſtitutâ.* Τὸν ποιητὴν, ait, παρὰ τὰ τῆς πόλεως νόμιμα, καὶ δίκαια· ἢ καλὰ, ἢ ἀγαθὰ, μηδὲν ποιεῖν ἄλλο. τὰ δὲ ποιηθέντα μὴ ἐξεῖναι τῶν ἰδιωτῶν μηδενὶ πρότερον δεικνύναι, πρὶν ἂν αὐτοῖς τοῖς περὶ ταῦτα ἀποδεδειγμένοις κριταῖς καὶ τοῖς νομοφύλαξι δειχθῇ καὶ ἀρέσῃ. Poëta præter ciuitatis leges & iura, item honeſta & bona, nequid componito. & quod compoſuerit, necui priuatorum antè oſtendere fas eſto, quàm iudicibus ſuper hac re conſtitutis Legumq́; cuſtodibus oſtẽoſa ea approbatáque. *Secundò, vt ſi quid aliter editum, tollatur. Factum ſemper in ſcriptis impiis. vt in illis*

Edita quodam tollenda.

D *Protagoræ: de quibus Laertius*: Καὶ τὰ βιβλία αὐτοῦ κατέκαυσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ, ὑπὸ κήρυκι ἀναλεξάμενοι παρ' ἑκάστου τῶν κεκτημένων. Et libros eius foro combuſſeruot, per præconem eos à ſingulis qui habebant colligentes *Valerius de Numæ libris*: Eos quia aliquâ ex parte ad diſſoluendam religionem pertinere videbantur, L. Petilius Prætor vrb. ex auctoritate Senatus per victimarios igne facto in conſpectu populi cremauit. *Et teſtimonia plura ſunt, etſi aliquando cum ſaluberrima re eſt abuſu.*

In Protag. Lib. i. c. 1.

ACVLEONES vbique & Curiones.] *Quos ego quidem deteſtor: vtique in iſtâ re, quæ ſimpliciſſima, & Fidem non rationem ducem habet. Aſſentiendum hic, non quærendum. Plato mecum*: Τὸν μέγιστον θεὸν καὶ ὅλον τὸν κόσμον φαμὲν οὔτε ζητεῖν δεῖν οὔτε πολυπραγμονεῖν, τὰς αἰτίας ἐρευνῶντας· οὐ γὰρ οὐδ' ὅσιον εἶναι: Maximũ illũ

Curioſi in religione, mali. vii. De Legib.

E Deum, & vniuerſum Mundum dicimus neque inquiri oportere, nec curioſè ſatagere cauſas ſcrutãtes: neque enim fas eſſe.

HORVM quanta multitudo.] *Et ideò iure mitiges aut differas pœnam. Seneca*: In ſingulos ſeueritas Imperatoris diſtringitur; at neceſſaria venia eſt vbi totus deſeruit exercitus.

Multitudo peccantium pœnâ tollit aut mitigat. ii. De Irâ, cap. x.

AN NON fas tempora paulliſper Principi inſpicere?] *Ego cenſeo: nam honeſtè cedit, qui tempori cedit. Plures veterum Principum fecere (Eccleſiaſtica Hiſtoria docebunt) tum maximè Valentinianus. De quo*

Temporum habẽda ratio. Lib. xxx.

A *iſta Ammiani ſunt*: Valentinianus hoc moderamine Principatus inclaruit, quòd inter religionum diuerſitates medius ſtetit, nec quemquam inquietauit, neque vt hoc coleretur imperauit aut illud, nec interdictis minacibus ſubiectorum ceruicem ad id quod ipſe coluit, inclinabat, ſed intemeratas reliquit has partes vt * repperit. *Idem aut ſimile Conſtantius, Theodoſius, alij: & nónne nuper in Germaniâ Carolus quintus? De cuius facto qui calidè aut proteruè pronunciat, iniuriam facit maximo Principum à multis retrò annis.*

Valentiniani moderatio.

** Nota Diodoro, non inſtituit.*

OMITTERE dico in tempus.] *Non vt eos fallas, aut fidem in occaſiunculâ frangas: (indigna hæc alto rectóque noſtro Principe:) ſed vt interea cures, verbis factiſ-*

Pax ad tẽpus idoſ facit.

B *que benignè ad meliora traducas. Nonne Princeps ſemper poteſt (vtinam intellegat!) per honores, præmia, pecuniolam imò per ſpei ſolius auram, etiam pertinaciſſimos ad ſe trahes. Atqui huic rei quies & pax danda, & ſpecies aliqua honeſti Transfugij. Hæc concilia Chriſtiani Principes ante aliquot annos ſi audiſſent, iam in Aſiâ & Africâ volitarent victricia noſtra ſigna.*

Itemq; promiſſa, aut præmia. Damnoſa religionum ciuica bella.

Heu, quantum terræ potuit pelagíque parari,
Hoc, quem ciuiles hauſerunt, ſanguine, dextræ!

Lucan. i.

ISTOS ab atra bile Dies plerumque ſanat & Quies.] *Deferueſcunt enim animi paullatim: & affectum verſus ac ratio vincunt. Sicut autem muſto tempus dandum eſt, vt deſpumet: ſic animis, vt faces illas exciant opinionum. Medici aiunt Melancholicos morbos (nos ſenſimus) medicinâ omni efferari: idem in*

Errores paullatim extinguntur.

C *iſto eſt, quem verè μελαγχολίαν dixeris & Imaginoſum quemdam animi morbum. Princeps ille medicorum*: Χρόνος ἐστὶν ἐν ᾧ καιρός· καὶ καιρὸς ἐν ᾧ χρόνος· ἄκεσις χρόνου, ἔστι δὲ ὅτε καὶ καιρῷ: Tempus eſt in quo Occaſio: & Occaſio in quâ Tempus. Medela Tempore, eſt etiam vbi Occaſione contingit. *Qui poteſt, capit.*

Hipp. in Præcept.

NATVRA cõtumax eſt humanus animus.] *Et præſertim in re hac ſenſuum, cùm opinio acceſſit pietatis. Clamant enim quod olim Achæorum ille prætor*: Veremur vos Romani, & ſi ita vultis, etiam timemus: ſed plus veremur & timemus deos immortales. *Itaque cottidie vides. Torque, occide*: quaſi quadam dulcedine ac nectare ebrij cuncta contemnunt: *& eò veniunt, vt* dum mori poſt mortem timent, interim mori non timeant. *Si pro verâ pietate,*

Pag. 66. In religione vt per animis. Lycortas apud Liuium xxxix. Arnob. i. Minut. Felix Oct. Lib. i. De natu calib ta[illegible]

D *ô conſtantiam! ſi pro eius ſpecie, ô pertinaciam! Sed concludo hunc locum Galeni verbis*: Οὕτως ἄρα δυσαπότριπτόν τι κακόν ἐστιν ἡ περὶ τὰς αἱρέσεις φιλοτιμία, καὶ δυσέκνιπτον ἐν τοῖς μάλιστα, καὶ ψώρας ἁπάσης δυσιατότερον: Adcò contentio hæc circa Sectas malum eſt, quod nec auertas facilè nec eluas, idque omni ſcabie inſanabilius.

IN CAP. IV.

PAVCA, *vt opinor, in hoc Capite mihi dicenda ſunt. De re non lubet hoc tempore: in te non eſt opus. Pleraque enim probas, & poſt fella guſtas nunc meos fauos. Tamen hoc mirarìs, quomodo Mors & Vita in vno ore habitent; & qui anteà gladios & ignes loquebar, nunc roſas & mulſa. Si res & tempora diſtinguis (quod ſeriò feci:) non miraberis: Atque adeò mirum erit te hoc poſſe mirari.*

Fruſtrà ἀντίρρησις accenſemur.

E *Verbum* vix, *in margine valdè te torquet. Scin' quid eo facias? abige & eiice, per me licet. Velim tamen Latinis phraſis paullò magis te eſſe peritum.*

Vocula; vix, Latinis quoque negat.

QVIESCO domi & ſileo.] *Quiſque autem domi ſua imperat; ſi rectè olim Telemachus*:

Domi libertas & imperium

Αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο.

Odyſſ. α Pag. 66.

MENTIVM rex Deus eſt.] *Ambigere nemo poteſt. tamen quia par ſententia fortiter expreſſa à vetuſto*

Mẽis præter Deum, nemo imperat.

Digitized by Google

In libro Philonis, Quod omnis probus liber.

Indorum Philoſopho Calano. Iubet adducere hæc ex epiſtola eius ad Alexandrum Magnum. φίλοι πείθουσι, *inquit*, χεῖρας καὶ ἀνάγκην προσφέρειν Ἰνδῶν φιλοσόφοις, οὐδ' ἐν ὕπνῳ ἑωρακόσι τὰ ὑμέτερα ἔργα. σώματα γὰρ μεταθήσεις ἐκ τόπου εἰς τόπον· ψυχὰς δὲ οὐ βιάσεις ποιεῖν ἃ μὴ βούλονται, ἢ μᾶλλον πλίνθους καὶ ξύλα φωνὴν ἀφιέναι. οὐκ ἔστι βασιλεὺς, οὔτε ἄρχων, ὃς ἀναγκάσει ἡμᾶς ποιεῖν ἃ μὴ προαιρούμεθα. Amici ſuadent, vti manus & vim adferas Indorum Philoſophis, qui nec per ſomnium noſtras res viderunt. Corpora enim de loco in locum transferes; animos non coges quæ nolint facere: aut citiùs lapides & ligna vocem emittere. Non eſt rex aut imperator, qui adigat nos facere ea quæ non decreuimus.

A

QVIS enim imponat mihi neceſſitatem.] *Quæ eadem mens Theodahadi regis fuit*: Cùm diuinitas diuerſas religiones eſſe patiatur, nos vnam non audemus imponere. *Quod ſi regum non eſt religiones pro arbitrio imponere: quanto minus priuatorum?* *Moleſtia Gothis Regis. Caſſiod. lib. x. Var. ep. xxvi.*

SVMMVS *ille Rex regum rogandus (ego ex animo facio) vti hoc miſerabili æuo aut errantium animos ſanet, pertinaciam tollat: aut ipſos reges, benignos miteſque faciat, & qui ſciant ſentiántque* homines, in quantum homines ſunt, emendandos eſſe potiùs quàm perdendos. *Sit feruor eorum cum prudentiâ; ſeueritas cum clementiâ; actiones cum ſalute ciuium coniuncta. Audi nos Deus*, in cuius manu eſt cor Regis, & velut riuus aquarum, quocumque voles, inclinas illud. *Preces ad Deum non ficta.* *Auguſt.* *Prou. xxi.*

IN
ADMONITIONEM
DIODORI.

DEFVNCTVM *me putabam: ecce vnum adhuc capitulum in hac hydrâ. Admonitio concepta eſt in fine ad Imperatorem, Reges, Principes: in quâ velut vno faſce complectitur & recolligit calumnias omnes ſiue probra. Videamus breuiter.*

A

Ait, clarè & verè iam à ſe oſtenſum, Periculoſum eſſe duci à cæco duce.] *Id quidem vel cæco appâret, aiebat olim Philippus. A cæco duci, citra controuerſiam, periculoſum eſt. ſed ille quis? qui ducit, an in quem ducis?*

Appellaſſe & nominaſſe me cæremonias ſacras.] *Quid de iis ſentiam, lib. 1. ſatis dixi. At nuſquam ita à me appellatas, non docebis.*

B

*—Τίπτε χρὴ τοῖον ἐόντα
Μαψιδίως ψεύδεσθαι;——

**Quid opus te, talis cum ſis, mentiri aſſiduè? Homer. Odyſſ. ξ.*

Nuſquam vel verbulo Principi à me deſignatam Chriſtianam veritatem.] *Nego & feci clarè lib. 1. in ſuo loco, vbi de Senſu & Cultu diuino ſcripſi*: Vtriuſque rei vera lux à ſacris litteris. *Copioſiùs aut vberiùs, non fuit huius inſtituti.*

Sumptu publico me hîc ſuſtentari.) *Ita eſt. ſed nec grandi nimis, nec inuidendo. Et tamen ſi oneri ſumus, imus.*

Librum hunc meum ſuſpecta facere omnia in Europâ, & præſertim in Galliâ poſſe.] *Suſpecta? pacata, pacata, mi homo: & id quis paci hoſtes ſunt, ſciunt. Tibi tamen pro vigilantiâ gratias debemus, quod*

*Ταῦτα πρὸ πολλοῦ τῷ δέοντι προὐβλέπεις.

**Hæc ante multo per diu prudentiâ proſpicis, inſidias.*

Velle me in tempus religiones plures admitti, mox qui adhærent omnes è medio tolli atque interfici.] *Planiſſimè. Omnes, omnes*: à caluo ad caluum. *Vbi tamen hoc ſcripſi?* *κακοδαιμονᾷς ὦ ἄνθρωπε.

**Furiæ te agitant ô homo.*

Docere me fidem fallere, nec promiſſa ſeruare.] *Mene? qui nihil magis quàm Fidei partes & ſacra ſtabiliui?*

—*σὺ δὲ μαίνεαι οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς.

**Tu iam non tolerabiliter inſanis. Homer. Odyſſ.*

Voluiſſe ſe hoc Opere omnibus prodeſſe, nec lædere vel ipſum Lipſium] *Quid volueris, neſcio. quod non læſeris, hoc ſcio. Vt tela quædam in cælum emiſſa, ire eò videntur, non eunt: ſic nos calumniæ tuæ petunt, non tangunt. Preme, preme ego, cum Pindaro,*

*ἀβάπτιστός εἰμι, φελλὸς ὣς ὑπὲρ ἕρκος ἅλμας.

**Immerſabilis ſum, ſicut ſuber ſuper maris ſeptum. Pind.*

Non acriter aut aſperè ſe mecum egiſſe.] *Mimus mihi inſuſurrat:*

Malus vbi bonum ſe ſimulat, tunc eſt peſſimus,

Tamen de acrimoniâ, fateor, nihil es eâ vſus. Ante hac putabam tibi eſſe cornua: *nunc agnus es. balas tantùm.*

Imò alios iudicaturos, quòd nimis leniter.] *Habeo itaque gratiam. nam*

B

—Pol, ſiquidem
Connixus eſſes, per corium, per viſcera,
Pérque eos elephanto brachium tranſmitteres.

Plaut. Mil.

At hic indiligenter fuiſti. Ego autem, mea Salus, vitam tibi debeo, & CLEMENTIÆ *tuæ Aram.*

Omnia quę ſcripſit, vera eſſe, idque ſe certò ſcire.] *O confidentiam! hoc tamen nemo tibi credet, qui cerebrum in capite, non in calcaneis geſtat. Multa ſtolida & vana in hoc ævo légi:*

C

*τοῦτ' ἐστὶν ὑπερβολὴ μανίας.

**Iſtud verò eſt culmen omnis inſaniæ.*

Nihil ſe in verbis meis exaſperaſſe, ſed omnia cãdidè, puriter, & ex merâ veritate protuliſſe!] *Tu candidè? qui me calumniis & mendaciis vbique oneras? qui ex profeſſo in toto ſcripto aliam ſententiam mihi affingis? omnia ad popularem inuidiam deflectis, & torques: O pectus niueum! ô germẽ reliquum priſcæ probitatis!*

Non hercle apluda eſt hodie, quàm tu nequior. *Nævius.*

Poſtremùm, Seriò conſiderandũ iis eſſe quorũ intereſt, annon expediat, imò neceſſium ſit, Latinam SITVLAM conſcribi atque effundi: vt ſcintillæ huius latè ſparſi incendij vbique

gentium

gentium extinguantur *Conſideraui ego: & ita cenſeo, Prorſus id neceſſarium, éque republicâ eſſe. Hoc amplius, vt tuus iſte liber (nam tu per verecundiam ſignificas magis, quam expromis) in Latinam pluréſque alias Linguas transferatur, excudatur, per omnia opida, fora, conciliabula, diuulgetur; in bibliothecis locíſque publicis reponatur, & contra caſus mortalitatis (exemplo Imp. Taciti, qui ſcriptori ſuo gentili honorem hunc habuit) quotannis renouetur: vt hoc modo clara æternáque apud omnes gentes ſit*

A

Sapientia Diodori.

Habes, *quæ viſum mihi in tempore reſpondere, atque adeo ex tempore. Speramus nihil omiſſum, quod propriè ad rem faciat: ſiquid eſt, erit me inſciente. Quamquam alioqui* nemo reprehenſus eſt, qui è ſegete ad ſpicilegium reliquit ſtipulam. *Alius ſi volet, tollet. De Religione aut Rep. quæ multa & ambitiosè miſcuiſti, non ſum reſecutus: quia aliena ſunt: quia pro ingenio noſtro non ſunt; qui haud procaciter inter hos ſinus & ſcopulos nauigamus. denique quia riſimus tam grauiter ea à te dicta. Cleomenes olim Spartæ rex, Graculo cuidam multa de Fortitudine diſſerenti, aures non præbuit, & auertit. Illo mirante, Quia enim, inquit, ſi Hirundo hæc diceret,* B *idem quod nunc facerem, atque aſſiſtim riderem: ſin autem Aquila, aurem ei libenter mentem & aures. Simile in te Diodore, quem tam ſeriò & cum affectu de vtraque differentem ridemus, qui ſcimus quo modo in vtramque ſis affectus. Siquid autem hic aut alibi in te luſi, ſiue ioci (quod modicè à me factum & diſiunctè) ignoſces: & feres æquo animo. tu laſciuus ille Prouocator, pauca non conuicia noſtra, ſed dicta. Quòd ſi reſponſum etiam paras: fac tuo ſed iam antè edico: alium tibi quære parem. Non vltra tecum componor: nec contra Retiarium ferula me delectat. Quin etiam finiuerit, quod dicitur, Thynſcum iurgium, & per eamdem lineam aſſiduè reciprocabimus ſerram. Bonus cordatuſque vir tu ſatis diximus tibi ipſe ſatis. Cede, cede:* Bonum eſt à veritate vinci. *Diſce, diſce:* Nulla ætas ad perdiſcendum ſera eſt. Erubeſcat ſenectus, quæ emendare ſe non poteſt. Nõ annorum canicies eſt laudanda, ſed morum.

Varro.

*Οὐχ αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν.

Menãder *Cani capilli haud afferunt prudentiam.

Quodſi aliter tibi viſum, fiat: ſi tamen,

Ordines,

vobis ita viſum: quos ego cenſeam vtrique noſtrûm ſtilo & calamo interdicere in hunc quidem vſum. Non ſemper debent eſſe Satvrnalia. *Tu Diodore æternùm mihi salue.*

APPROBATIO.

Politicorvm Ivsti Lipsi *libros ab auctore ipſo probè recognitos, vnà cum Notis prælo dignos cenſeo: Louanij* XII. *Calendas Octobres*, M. D. XCIII.

Henricus Cuyckius, D. Petri Louanij Decanus, Academiæ Cancellarius, & Pontificius ac Regius librorum Cenſor.

IVSTI LIPSI MONITA ET EXEMPLA POLITICA.

LIBRI DVO,

Qui Virtvtes et Vitia Principum ſpectant.

Digitized by Google

SER^MO ET POTENTISS^MO PRINCIPI ALBERTO ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVNDIÆ, PRINCIPI BELGARVM.

TERTIVM hoc ingenij & ſtili mei monumentum eſt, SER^ME PRINCEPS, quod inclyto nomini tuo LIBENTES MERITO imus conſecratum. Etſi vllum; quomodo non iſtud, quod ipſo titulo ad Te vocat, & auguſtum hoc nomen vult inſcribi? Sunt enim MONITA POLITICA: ad quem iuſtiùs, quàm ad Politiæ & ſtatus noſtri rectorem ibunt? Sunt EXEMPLA: & cui conuenientiùs dabuntur, quàm qui ſtirpem & gentem ſuam in iis agnoſcet? *Ruldolfi, Philippi, Maximiliani, Caroli, Ferdinandi, Alphonſi,* paſsim hîc memorabuntur, è maioribus tuis: qui ſcriptionem hanc illuſtrant & inſigniunt, vt cælum ſtellæ. Quid, quòd argumentum & materies eódem ducit? VIRTVTES ET VITIA Principum; illas formamus aut ſuggerimus, & hæc amolimur: at tu illarum grande exemplar es: qui eximias habuiſti & habes; & horum (quantum homini licet) pænè expers, in omni ætate aut neſciuiſti ea, aut ſpreuiſti. Ergo ad Te imus: & quo fine? vt ſplendorem huic ſcriptioni mutuemur, & tutelam. Sicut inſignia veſtra ædibus, Prætoriis, villis appendimus, contra vim aut proteruiam: ſic nomina hæc ſacra, contra calumniam, aut liuorem. Neque enim vobis hîc aliquid quæritur: non aliter quàm cùm Deo ſacra facimus, & donum ponimus, noſtrâ id fit, non ipſius cauſsâ. A nobis officium omne eſt, & debetur; à vobis beneficium. & hoc ipſo accipi-

mus, quòd frontes operum ſolâ præſcriptione veſtrâ honeſtatis Ego eo fine feci:patere SERME PRINCEPS. & ſicut aurum aut ebur magis æſtimare ſoletis, à ſolerti manu & arte politum: ſic has EXEMPLORVM gemmas, ingenij & eloquij aliquâ luce (cum Deo dicam)perfuſas.Ille idem Deus, SERME ET POTENTISSME PRINCEPS longæuum Te nobis ſeruet,& donet aliquando ſub OPTIMO PRINCIPE optimum ſtatum, id eſt, deſideratam diu tranquillitatem & PACEM. Louanij xv. Kal. Feb. anni ∞.Ↄc.v.

LECTORI.

ECCE *duos iſtos libros, Lector, trientem operis deſtinaui, & addam, affecti. Nam duo alij ſequuntur, qui* Ciuilem Prudentiam *habent: itemq́ duo, qui* Militarem. *Eſt ſcilicet eadem diuiſio, & ordo, qui in Politicis noſtris fuit: quorum luci aut aſſertioni hæc ſcribuntur. Sed cur non confeci igitur? aut certe cur non diſtuli? vtrumque ab eâdem cauſâ. fatebor enim ingenue poſtremus ille grauior morbus me deiecit, & à ſtilo arcuit: atque idem impulit vel incohata hæc ſic edere, quia poſt me nihil edi, adamantinum eſt meum decretum. Ego quidem, vt res erat, oſtium tunc ſpectabam: neque nunc ad interiora valdè me recepi. Ceterùm* Exempla *quæ hic ſunt, aut in alijs erunt, ſcito ab optimis, nec obuijs ſemper auctoribus eſſe: & cur non eos edidi? quia nouitij aut Grammatici commatis illa cura videtur, & aut à vano aut puſillo animo eſſe. A vano, ſi lectionem variam iactas: à puſillo, ſi diffidis credi. Nobis ætas, & priora ſcripta, fidem vindicant: qui abrogat, inquirat, ſpondeo inuenturum auctores. Satis eſt. tu iſtis fruere, & reliqua exſpecta (vtiliora haud dubiè & rariora, vt res & materia eſt) exſpecta, inquam, ſi Deus, vita, & otium, dabunt. Si non; à te ſuppone, & dedi exemplum.*

INDEX CAPITVM
MONITORVM, QVÆSTIONVM,
LIBRI PRIMI,

CAP. I.

IN ſermonem & rem ingreſſio, atque obiter vtilitas Exemplorum. p.161

CAP. II.

DE RELIGIONE. Eius vtilitas, ſiue neceſſitas oſtenſa: vel in totâ Societate, vel ſeorſim in Rege, & ſubditis. 162

MONITVM I. Deus vbique colendus, etiam inter & apud hoſtes. ibid.

MON. II. Sacra nec in periculis deſerenda, aut negligenda. ibid.

MON. III. Tuitio ſacrorum famam & potentiam donat. 163

MON. IV. Sacrorum antiſtites aut adminiſtros honorandos, audiendos eſſe. 164

CAP. III.

DE SVPERSTITIONE. Affitam Religioni eſſe, & in vanitatem, vilitatem, timorem inclinare. ibid.

MON. I. In triſtibus aut aduerſis ſæpè ſe inſinuat. ibid.

MON. II. In ſtultis aut paruis ſe oſtendit. 165

QVÆSTIVNCVLA. An in populo non vtilis Superſtitio, & Principi permittenda? ibid.

CAP. IV.

DE IMPIETATE. Eius matrem Superbiam, aut Ferociam, ſæpè & Vitiorum cumulum, eſſe. 167

CAP. V.

DE FATO. Id conſiderandum, credendúmque eſſe. 168

MON. I. Regna & Reges à Deo dari. ibid.

MON. II. Regna à Deo & Reges tolli. 169

MON. III. Et cauſſas quaſdam medias, ſed inopinatas, his interuenire. 170

MON. IV. Regna à Deo & Reges temperari. 171

MON. V. Clariſſimè Fata in Prædictionibus elucere. ibid.

QVÆSTIO. Liceátne igitur & deceat in euentus inquirere, & vates aut diuinos conſulere? 173

CAP. VI.

DE CONSCIENTIA. Eam curandam eſſe, atque obſequendum. 174

CAP. VII

DE PROBITATE ET CONSTANTIA. Vtramque Principi conuenientem, aut neceſſariam eſſe. 175

CAP. VIII

DE PRVDENTIA: Quam Vſus & Hiſtoria gignunt, & producit Doctrina 178

LIBRI SECVNDI,

CAP. I.

DE PRINCIPATV. Eum præferendum aliis imperiis videri. 182

MON. I. Antiquiſſimum hunc eſſe. ibid.

MON. II. Communiſſimum hunc eſſe. ibid.

MON. III. Iuſtitiam magis in eo exerceri. ibid.

MON. IV. Tranquillitatem & concordiam coli. ibid.

MON. V. Modum regendi meliorem tutioremque eſſe. 183

MON VI. Maximè hanc imperij formam diuinare. ibid.

CAP II.

In eo Viros Fæminis præferendos, & has vix feliciter imperare. ibi.

Muliebris imperij infelicis Exempla. 184

Muliebris Imperij boni & felicis Exempla. 185

CAP. III.

DE ELECTIONE. Quæ commendare eam, quæ abiicere poſſint. 187

CAP. IV.

DE SVCCESSIONE. Hanc præferendam, etſi incommoda etiam habet. 189

MON. I. Certos liberos præferri ibid.

MON. II. Præferri ætate primos, etſi in exēplis interdum aliter. 190

MON. III. Patruum, aut fratris filium, variè præferri. ibid.

CAP. V.

DE FRAVDE ET VI. Has quoque priorum ſpecie interuenire. 191

CAP. VI.

DE PRINCIPVM INCLINATIONE. Deteriores eos ſæpè fieri & mutari. 197

CAP. VII.

DE FINE PRINCIPATVS: Qui eſt, publicum bonum. 198

CAP. VIII.

DE EXEMPLIS PRINCIPVM. Ea facere ad Virtutes aut vitia ſubditorum. ibid.

CAP. IX.

DE IVSTITIA: Quam Princeps in ſe, & ſuis, ſeruet. 199

DE IVSTITIA: Quam Princeps erga Subditos ſeruet. 200

MON. I. Seuerè adminiſtranda. 201

MON. II. Sine affectu vel aſpectu adminiſtranda. ibid.

MON. III. Subtiliter interdum vel ſagaciter inquirenda.

QVÆSTIO: An ergo deceat, aut expediat, ipſum Principem ius dicere, reddere?

QVÆSTIO: An Curias, & Ordines Iudicum perpetuas eſſe conueniat. 204

CAP. X.

DE LEGIBVS. Eas nec multas, nec item lites probari. ibid.

CAP. XI.

DE IVSTITIA DIVINA: atque eam rebus interuenire. 206

CAP. XII.

DE CLEMENTIA. Eam quoque Principi decoram vtilémque eſſe ibid.

CAP. XIII.

DE FIDE. Hanc quoque Principi conuenientem, vel neceſſariam eſſe. 210

CAP. XIV.

DE MODESTIA IN SENSV. Hanc Principi decoram, & vtilem eſſe. 214

CAP. XV.

DE MODESTIA IN CVLTV: Et hanc conuenire, elegantiam aut pompam non conuenire. 217

CAP. XVI.

DE MAIESTATE: Et saluâ Modeſtiâ poſſe aſſumi. 218

CAP. XVII.

DE CASTITATE: Quam Princeps extra connubium, & in eo pro parte ſumet. ibid.

DE PATIENTIA. Ab irâ & vindictâ alienum eſſe debere, præſertim in conuiciatores. 221

CAP. XVIII.

DE MAGNITVDINE ANIMI. Famam & immortalitatem Principi propoſita, & expetenda eſſe. 224

I. LIPSI
MONITA ET EXEMPLA
POLITICA.
LIBER PRIMVS.
CAPVT PRIMVM.

In ſermonem & rem ingreſſio, atque obiter vtilitas Exemplorum.

AVDITOR. Accedo. annuis? LIPSIVS. Imò accede, & ſede. vacuum reperis, & ſermonibus haud alienum. Otium eſt, & lapſus cum equo (non enim ab equo, ne rideas) ferias mihi fecit, & domum ſeruare, focum aſſidere, iuſſit. O rem ingenio meo alienam! nec aliud magis vitam aut vigorem mihi ſuſtinet, quàm exercitatio & motus. At ferendum eſt, quod non mutes. AVD. Ferendum. & nobis diutinum deſiderium, quod haud ſemel promere memini, & ad te velut communi legatione deferre. LIPS. Quid ais? AVD. illud de EXEMPLIS. quæ viri & iuuenes flagitant (ita loquendum eſt: nec enim petunt tantùm.) ſubiungi POLITICORVM tuis libris. Sunt ibi Sententiæ & velut Decreta, vtilia ac ſalutaria: quis abnuat? ſed vt valida atq; efficacia ſint, nónne vides vſum, id eſt Exempla deeſſe? Hæc adde, & pulcherrimè cœptum opus [illegible] mutos tantùm [illegible], leo inſtrumenta atque ornamenta adiunge. Sicut herbas qui ſeuit, opportunè eas irrigat atque alit, vt adoleſcant: ſic tu Sententiarum iſtos velut frutices foue & attolle, vel ſole vel pluuiâ, vt ſic dicam, Exemplorum. Vtrumuis enim præſtant. illuſtrant, dum in rem velut præſentem ducunt, & facta oſtendunt, quæ facienda ſuadentur; fouent etiam, dum animum erigunt: & te docent non noua, non ardua proponi. Sed & viam præeunt, in quâ veſtigia tutò ponamus. ſicut qui gubernandi parùm peritus eſt, vbi plures naues, curſum temperat, & ſequitur priores. Ita vada & ſcopulos vitat, & ſine magnâ ſuâ arte portum cum prioribus petit, & tenet. Vidiſtine etiam, qui ad ſpeculum ſe comunt, faciem & cultum rectè diſponere? prorſus hîc idem: aliena vita & facta ſpeculum ſunt, & imago, in quâ te videas & ad eam decorè componas. Quod magis fit, vbi varia & multiplex lectio Exempla varia & multa ſuppeditat, vt eligere ſit, & ad rem talem aut talem appoſitum aliquid ſemper applicare. Ita ſicut Zeuxis ille pictor olim, Iunonem effigiaturus, virgines Agrigentinorum pulcherrimas conduxit, & è ſingulis apta uit quod præſtantiſſimum in quaque eſſet: ita, inquam, Princeps, & politici viri, ab exemplis factiſque illuſtribus potentiam (ea Iuno eſt) & prudentiam ſuam forment. Quid ais, mi Doctor? nihil moueo: aut impetro? LIPS. Illud, nondum iſtud. Moues, fateor: & ea facili, quippe iam antè motum. Rationes quas dicis, iamdiu in mente agito: & rem per ſe vtilem atque opportunam agnoſco: ſed vt ſuſcipiam & præſtem, nondum herclè impellis. Nam liberè dicamus, cui bono? Spargimus hæc monita; & velut pharmaca ægris, aut lumen cæcutientibus, offerimus: quem vſum tamē fructumque videmus? Et vis plura etiam addam, id eſt perdam? AVD. Bona verba, vir optime. Quod medicis, hoc tibi faciendum cenſe: cum veteri imperitiæ morbo acriter pugnandum: & à perſeuerantiâ fructum expecta. Sparge, ſparge ſalutaria hæc velut ſemina: & cur non vel ab [illegible] ſpes deſtituit, exemplu? Ille ſi hoc alteroue [illegible] Bonus Euentus ſerius, ſed tamen [illegible] ſæpè reſpondet. Audi tuum doctorem. *Quare verbis parcam? gratuita ſunt. Non poſſum ſcire, an ei profuturus ſim, quem admoneo: illud ſcio, alicui me profuturum, ſi multos admonuero. Spargenda eſt manus. non poteſt fieri, vt non aliquando ſuccedat multa tentanti.* LIPS. Hæc quidem auctoritas valdè me quatiat: ſed & tua honeſta ſic voluntas. Etiam ratio alia. quòd ſicut gemmæ, etſi in lutum aut ſordes abiectæ, ſplendorem non amittūt: & dies poſteà reuelat, & attollit: ſic in iſtis, quæ benè & honeſtè dicuntur, ſi diem tamen ferent. Ergo huc imus? eamus. tanto alacriùs, quò breuius iter laboribus ſeriptiſque noſtris reſtat. Sicut athletæ cùm metam vident & accedunt, etſi feſſi, approperant: ſic nos in ſenectutis hoc limite, alacriùs promptiuſque laboremus, quia laborū mox expertes. Conſcientia vtiq; ſuſtētabit, & vires porriget: quòd hæc atq; alia, in tuū ô magne Deus honorē, in veſtrum Principes ac ſubditi bonum moliti ſumus, atque vtinam emoliti. Aſpira tu idem ille Deus, vt poſſim; fauete vos iſti, & delectantia ſimul atque vtilia (talia erunt) pronis animis admittite. Ordinem ſeruabo, quem POLITICIS præſtrui: nec EXEMPLA ſolùm, ſed & MONITA paſſim inſpergam, & alibi QVÆSTIVNCVLAS. hæc omnia vtrique iam ſint à me dicto. At tu audi.

Sen. Ep. XXIX.

CAPVT II.

DE RELIGIONE.

Eius vtilitas, ſiue neceſsitas oſtenſa: vel in totâ Societate, vel ſeorſim in Rege, & Subditis.

VT autem qui domum molinntur, à fundamentis: ſic nos qui Rempublicam, à fulero & velvt baſi eius, Religione ordiri debemus. Sine eâ, non Princeps officium ſuum, non Subditi facient: ſine eâ, ſocietas non erit. quia non Fides, non Iuſtitia, non Virtus; ſed fraus, licentia, proteruitas, & vno verbo, confuſio hominum ac rerum. Quod frænum erit peccaturis? quis metus ſatis validus? nam externum illum, qui à pœnis aut morte eſt, multi contemnunt: & deſperatio, impetus, aut iracundia, eò ducunt. Eſto igitur vinculum & firmamentum reipublicæ, Religio: ac Princeps, vt dixi, ipſe habeat. quò Ratio eum & Gratitudo vocant. Rex es? à Deo habes: & quò maior altiórque, plura benefico illi Numini debes: & per cultum igitur venerationémque eius agnoſce. Rex ea? vt diu & feliciter eſſe poſſis, datori ſupplica: & ſcito tollere poſſe qui tribuit, & euertere qui ſublimauit. Ariſtoteles, ad ſuum Regem: Ἀρχαῖος μέν τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα, καὶ διὰ θεοῦ, ἡμῖν συνέστηκεν: *Vetus & à maioribus acceptus hominibus eſt ſermo, quòd* OMNIA A DEO ET PER DEVM *nobis ſint conſtituta.* Qui hoc imbibit, Religionem quomodo non habebit?

De Mũdo ad Alexandr.

Prima mihi debes animi bona SANCTVS *habere.*

Ex quo ſequetur vt virtutes etiam habeas, & maximè Modeſtiam ac Clementiam: quæ Religioni proximè adhærent. Addo, quòd tutior ita eris. amor enim ex iſto, & veneratio erga ipſos Principes innaſcitur: nec facilè exteri aut ſubditi lædent, cui Numen amicum & proprium arbitrátur. Quid quòd ipſi Subditi ita meliores tranquilliorésque? Nulla res magis animos & mores componit, quàm Religio: & illa vbi in pectus demiſſa, Virtutum agmen [illegible] in primis manſuetudo quædam animi & tranquillitas, [illegible] [illegible]erantibus, & quæ faciles obnoxioſque præceptis reddit. Denique [illegible] terna Felicitas eò vocat quod ab omni æuo obſeruatum, Deum qui ſe colunt attollere; & piis religioſíſque Principibus proſpera plurimùm eueniſſe; alia aliis. Exemplis hæc firmemus: videamúſque in veteri & vanâ Religione etiam eius cultores fuiſſe, & præmium à Deo externum tuliſſe. Qui ſi imaginem & ſpeciem eius boneſtat at munerat: quid in verâ faciet? Primum igitur *Monitum*:

MONITVM I. *Deus vbique colendus, etiam inter & apud hoſtes.*

Exemp. I

AGESILAVS Spartæ rex fecit. qui, vt Xenophon ait, venerabatur delubra etiam in hoſtico ſita; ab iiſque vim militum & iniuriam abſtinebat: *quòd exiſtimaret diuina auxilia, non minùs in hoſtili, quàm amico ſolo, imploranda eſſe.*

II. ALEXANDER MAGNVS quàm illuſtri exemplo docuit? Tyrum obſederat, Iudææ finitimam, ceperátque. In arduâ eâ & longâ obſidione, auxilia ab Iudæis petierat; repulſus. quia cum Dario vetuſtius iis fœdus erat. Iræ igitur plenus (& animos victoria fecerat) mouit in Iudæos, vlciſci certus, & prædæ ac cædi omnia deſtinabat. Venítque ita affectus. ſed *Iaddus*, tunc Pontifex, diuinitùs ſomnio monitus, cum omni populo candidato, cum cœtu ſacerdotũ byſſino, ipſe in byacinthinâ ſtolâ tiaram capite & in eâ DEI nomen gerens, obuium ſe dedit, pacis ſpecie atque habitu. Atque ita ferocem Regem religio obiecta mouit, vt ſtatim mitis ſubmiſſúſque ad Pontificem vltrò accederet, & ipſum ſalutaret, & MIRABILE illud nomen adoraret. Mirati comites, quidam & indignati: è quibus Parmenio Regem adiit, *Quid ita hominem adoraret, quis ipſe paſſim iam pro Deo eſſet?* Reſpondit, *non illum ſe, ſed in ipſo Deum adoraſſe: quem eâ ſpecie amantè, in vrbe Dio Macedoniæ, per ſomnium vidiſſet, hortantem vt promptè in Aſiam pergeret, ſuâ ope & numine eam ſubiecturus.* Hæc Alexander. & vrbi ac genti veniam: quid veniam? præmia atque honores tribuit, & immunes ſuiſque legibus viuere iuſſit; & quoſdam in militiam ſuam allegit.

III. ANTIOCHI Syriæ regis in eâdem gente factum ſimile, imò à ſe, ſi non ab auctore, illuſtrius. Obſidebat Hieroſolyma, in vnâ vrbe bellum patraturus: & ecce feſtum magnum Iudæi Scænopegiæ, ſiue Tabernaculorum, celebraturi erant. Gens nec in afflictis rebus cultum Dei deſeruit: & Legatos ad Antiochum mittit, ſine alio colore petitum ſeptem dierum inducias, vt operari ſacris magni Dei poſſent. Magnum ille Deus pectus mouit. nec petita modò rex indulſit; ſed ipſe ad eius cultum verſus, boues auratis cornibus, magnam thuris & odorum vim, deduci ad portas iuſſit, ac ſacerdotibus tradita immolari. Quid magis miteriam victoriæ interpellatæ patientiam? an ſacra non ſolùm permiſſa, ſed inſtructa? ſacra, quæ contra ſe conatúſque ſuos ſuſcipi ſciebat, fortaſſe & caput ſuum iis peti. Sed fructus, vt ſolet, pietati adfuit. & Iudæi moti inopinatâ benignitate, finem certaminis, initium amicitiæ fecêre, ac ſe ſuáque Antiocho permisêre.

MON. II. *Sacra nec in periculis deſerenda, aut negligenda.*

I. Romani in arce Capitolinâ obſidebantur à Gallis, clauſis vndique viis, nec aditu nec exitu. Quem tamen Religio inuênit, quæ nihil deterrita, Q. FABII pectus impulit, ſacra ſolleunia & familiaria in colle Quirinali, ſtato die, obire. Is cùm [illegible] habituque ſacro degreſſus, per medias hoſtium ſtationes, [illegible] itum & reditum habuit: ſiue attonitis illis inopinatâ audaciâ; ſiue religione etiam motis, ne pietati intercederent, quam nec præſens periculum, nec mors in oculis, impediſſent.

II. Quid PAVSANIAS Spartanorum rex, & Græciæ tunc totius dux? Is in pugnâ nobili ad Platæas cum Perſis, in quâ de Græciæ ſalute agebatur: ingruente iam hoſte & laceſſente, ſuos continuit, donec per ſacra & victimas Dij conſulti pugnæ annuiſſent. Fiebat longius. & hoſtes interea cunctationem pro metu interpretari, magis inſtare, premere: multi è Græcis cadere. nec vel ſic tamen telum remitti permiſit: ſed victimis multiplicatis, ſupinas denique manus ad cælum, & preces, tulit: *Vt ſi in fatis non foret Græcos vincere; at ſaltem ne inulti ſed facinore aliquo memorabili edito, mori indulgerent.* Auditus eſt. & ſtatim felicia exta: inde procurſus, & victoria. Sed quis ille animus? quàm fixus obnixuſque in ceremoniis patriis? qui vel internecione cædi eligebat, quàm Diis inuitis ferrum ſtringere.

III. An. ∞. cc.XXVII. At verò LVDOVICVS, cui DIVI prænomen virtus & merita pepererunt, Galliæ rex: per ipſa pericula,

cula, imò infortunia, religionem aſſertum & defenſum iuit. Vitâ ille Princeps & moribus optimus; iuſtitiæ tutor vnicus, hiſtrionum oſor, impiorum expulſor, ab anno duodecimo rex, in annum quinquageſimum ſextum quo obiit, omnia (vt verbo dicam) cælo, & titulo ſuo digna, edidit. Sed quod meæ nunc rei facit, arma pro religione bis cepit. primò in Ægyptum traiciens, infeliciter rem geſſit, copiis, commeatu, machinis amiſſis. Nec tamen animo. iterumque magno exercitu in Africam iuit, vxore, liberis, regno relicto: ſed nec ibi felix, vnâ re ſe putauit, quòd vitam ſi non in acie, in expeditione tamen poſuit ad eſſet, religioni donauit. Mortuus enim in ipſâ Africâ: ſed in ſtirpe diu vixit, & viuit. è qua HENRICVS QVARTVS Galliarum nunc rex imperat: quem proaui illos animos, ſed feliciùs ſumere, bellis & victoriis clarum, tacitum multorum eſt votum.

IIII. M. XCVI. Quid ante Ludouicum GODEFREDVS Lotharingiæ & Bullionij Dux? quàm acres illi in pectore ſtimuli, qui adegerunt rem tentare atque aggredi, vix Europæ viribus patrandam? Iudæa & Terra Sancta à profanis & impiis tenebatur: qui loca illa Chriſto Deo calcata, ant cruentata, illudebant ac profanabant. Perdoliturn eſt puſſimo Heroi (ſic nominandus eſt, & homine in eo aliquid maius:) militem collegit, opes ſuas & auitum patrimonium expendit, fratres ipſos duos impendit. Deus autem cœptis quàm palàm adfuit? ad *ſexcenta millia peditum, equitum centena millia* armauit: exercitum, quem rarò Europa noſtra vidiſſet. Scio eſſe, qui numerum minuant: ſed fuiſſe certum eſt, etſi non omnes peruenisſe. *Venit* igitur in Syriam, & (vt Iulianis olim verbis dicam) *vidit, vicit.* Rex Terræ Sanctæ factus, victoriis & vitâ illuſtris obiit: quem mirari aliquando ſubiit, non & ipſum relatum in Diuorum numerum, tam claris teſtatiſque meritis.

V. CAROLVS QVINTVS Imperator, multâ vitæ ſanctimoniâ, præſertim iam ſenior, fuit. Preces ipſe componere, noctu ſurgere & ad Deum fundere: ſed ardorem præſertim & ſtudium in tuendâ religione profiteri. Voluiſſet & propagandâ: ac querentis eius vox ſæpè audita, Quòd per bella interna, & cum Chriſtianis Principibus, laurea eriperetur, quam de veris profaniſque hoſtibus poſſet referre. Sed quod ad tuendam, notum quid in Germanico bello fecerit: quàm periculosè ſuſceperit, animosè geſſerit, feliciter conſummarit. In eo, dum Saxonem perſequitur, ad Albim fluuium: ſub ipſum prælij tempus obſcurauit imaginem Chriſti, in cruce adfixi, plumbeâ glande ab impio milite recenter traiectam. Stetit, & ingemuit: atque altâ voce ad Deum clamanit, *Domine, ſi vis iniuriam hanc vlciſci, potes: ecce autem me vindicem tuum paratum inua.* Certè audiuit, & iuuit. fuga & diſſipatio hoſtium ad eius adſpectum facta, Dux ipſe ſancius in manus venit, & bellum vno prælio confectum.

MON. III. *Tuitio ſacrorum famam & potentiam donat.*

I. Cuius clariſſimum exemplum eſt PHILIPPVS MACEDO: qui tenuis adhuc viribus, neque inclytus nomine, gradum ad illa vtraque fecit à ſacrorum tutelâ. Phocenſes in Græciâ, cùm Delfico templo præeſſent, bello impliciti, theſauros eius Dei veteres & famâ celebres tangere auſi, & mutui titulo, quid niſi ſpoliare? Ea res in odio & exſecratione omnium cùm eſſet, ſolus ipſe non iram, ſed vindictam etiam & arma ſumpſit. Contrà ſumunt Phocenſes, Onomarcho quodam duce: & iuncti exercitus, & prælio inſtruuntur. Ibi Philippus, pulcherrimo aſtu, ſuos omnes lauru coronari iuſſit (ſacræ Apollini eæ frondes:) atque ita velut Deo duce, & Deo dicatum exercitum, manus conſerere. Factum. & alacriter, & feliciter. cùm Phocenſes ipſis inſignibus violati numinis conſpectis, in fugam conſternati, armis abiectis abeunt, & temerariæ religionis pœnas multo ſanguine ſuo pendunt. In gratia & gloriâ ab hac re Philippus. auxit opes & regnum, quod obſcurum & modicum, validiſſimum Europæ effecit: & filio materiem ad illud Aſiæ quætendum reliquit.

II. CONSTANTINVM MAGNVM licet addere: eò iuſtiùs, quòd veræ pietatis præbuit ſe aſſertorem. Quàm ea ad id æui iacebat? oppreſſa ſedibus, ignibus, aquis: & caput aut vocem attulere in eius profeſſionem non erat. Ille ante Principatum affectum aliquem, & iam Princeps amorem oſtendit: templa Diis clauſit, Chriſto aperuit, & omni vi atque arte hoc nomen & numen iuit propagatum. An non ſeuū imperium turbidis illis temporibus, & ſeditioni factis, firmiter ad ſenectutem tenuit, & ſuis adeò reliquit. Proſpera multa bello geſſit, veterem Romam tenuit, & nouam ſtruxit. Hæc omnia cui acceptò, niſi Religioni atque eius tutelæ, referas?

III. CAROLVS deinde MAGNVS iterùm noui auctor imperij, quid à Romanis v I potiùs Barbaris (nam ij dominabantur in Italiâ) ad Francos Germanosque tranſtulit: is, inquam, palàm hunc titulum debet inſcriptitque tuitioni ſacrorum. Ter in Italiam copias duxit, & victrices reduxit: vt laborantem à ſeditioſis aut ab hoſtibus Pontificem maximum, in libertatem aſſereret, atque etiam dignitatem Eumdem potentiâ & finibus auxit, Rauennatæ Exarchatu, atque aliis in Italiâ, perpetuo dominij iure conceſſis. Aliône etiam ſuo fructu? alio. nam iam Imperator victorias inclytas peperit: & ô laudabiles! contra hoſtes fidei bellis ferè ſuſceptis. Mauros in Hiſpaniâ fregit & comminuit, Saxones, Danos, Auares in triumphum, nec ſuum, ſed Chriſti, duxit. Pleriſque enim errores detraxit, & lumen veritatis noſtræ infudit. Magnum Principem! & vnde, dixi.

III. DCCC. XXXI. At Hiſpaniæ mentio ALFONSVM, ſiue ADALFONSVM vt priſci ferè ſcribunt, eius regem mihi. ſuggerit, ab illâ hac radice florentem. Hiſpania ſeiſſa tunc variè, & Mauricis armis regniſque infeſſa erat: multa recepit. ſtruxit: & ſemper in ijs prima ei cura, templa inſtaurare; vaſis veſtibuſque, ad ſacrorum cultum, exornare. Adeóque hæc agenti fauor numinis adfuit, vt ſæpè, cum animosâ audaciâ an temeritate dicam, caſtra hoſtium explorabundus, atque id ſolus adiret: ſolus rediret ac ſeſe explicaret, idque cùm agnitus interdum ab iis fuiſſet. Miraculum hic quis non agnoſcat? Iſto ſemore (ſic appellare debeo) CATHOLICI regis agnomen meruit: quod idem anteà *Recaredo* datum in Concilio Toletano, cùm Gothorum gentem, abiectis Arij deliriis, in Eccleſiæ caſtra reduxiſſet. Ac tertiùm, idem in *Ferdinando* rege, patrum memoriâ, à Iulio II. Pontifice renouatum. qui Mauros tota Hiſpania eiecit: & ab eo poſteris ſucceſſoribuſque, ad hunc diem, glorioſum id & ſolenne manſit.

Téne ego hîc RVDOLFE AVSTRIACE prætereàm? te, qui fluctuans per diſſidia Imperium ſtabiliſti, & gentem fatalem ſceptris regniſque propagaſti. Quo merito? inquiete in Deum & diuina conſulta nefas, nec facio: ſed non eſt inquiſitio, quæ in aperto ſunt memorare. Tu in modica adhuc for- IIII. M. CC. LXXIII.

tunâ, nec niſi Comes Habeſpurgenſis, Pietatis multiplex ſtudium prætuliſti : & illi ſequentem magnitudinem tuam vaticinia & diuinæ voces adſcripſerunt. Vnum videamus. Venatum fortè, vt nobilitas illa & noſtra ſolet, cum paucis in equo exiuerat. Pluuius dies erat, & viæ fractæ & ſordentes: ecce occurrit ſacerdos, venerabilem & myſticam hoſtiam, extremum ſolatium, ægro laturus : & occurrit pedes. Is adſpectus pium pectus perculit. nec ſine indignatiunculâ aliquâ equo deſilit. &, *Me vehi, te qui ſeruatorem meum portas, pedibus incedere? indecorum, vel impium ſit: conſcende, & equum hunc cape.* Iuſſio, non preces erant: paret ille, & iſte capite reuelato humilis ſequitur, ad ipſas ædes ægri deducit, ab iis eodem habitu reducit. Iam domi & apud ſe Sacerdos erat. qui officio attonitus, & mente à Deo motâ, bene abeunti dixit, & ſimul Imperium ipſi poſteriſque prædixit. Alij tamen ad Sueuicam vatem hoc referunt: quidam & ſomnio ſequentis noctis edoctum ipſum volunt. Vndevnde prædictio, & res illa certa, & rata iſta fuit, ac fidem etiam nunc ab euentis habet. Sed hæc narratio Monitum aliud mihi ſuggerit.

MON. IIII. *Sacrorum antiſtites aut adminiſtros honorandos, audiendos eſſe.*

I. ALEXANDER SEVERVS Imperator tanti eos fecit, vt iudicatas à ſe cauſſas, à Pontificibus atque Auguribus retractari, atque aliter quàm ipſe cenſuiſſet terminari, æquo animo pateretur. Bona ſubmiſſio. non minuit, ſed auxit Principale culmen, intra Religionem id potuiſſe.

II. CONSTANTINVS MAGNVS, cùm initio, vt fit, libertatis, feruor & fluctus, & contentio aliqua, inter Eccleſiæ proceres eſſet : indicto Concilio Nicæno, ipſe interfuit, & auctoritatem accommodauit. Ecce autem libelli plures, qui mutuas criminationes continerent, ad eum delati fuerunt : quos omnes quaſi lecturus cogniturusque accepit. ſed in vnum faſcem collectos, in ignem ſtatim, nec inſpectos quidem, coram omnibus iecit. Duo videlicet eo facto ſignificans. & indignum illis eſſe, certare æmulatione aut odiis: nec ſe dignum, qui de iis iudicaret, quos Deus iudicare vicem ſuam in terris iuſſiſſet.

III. D.CCC.XCVII. Iam ROBERTVS Galliæ rex quàm eoſdem honorauit, & miſceri iis honorem ſuum putauit? Scholas & templa adibat, locum inter eos ſumebat : nec orabat ſolùm cum iis, ſed in publico pſallebat. Quin & cantica eius ſacra, quæ compoſuit edideritque, Eccleſia etiam nunc vſurpat. Vir demiſſæ & raræ ſanctimoniæ. cui Deus etiam miraculo atteſtatus eſt: cùm, Auallonem vrbem eo obſidente, muri ſponte corruerunt. ipſo intereà laudes hymnoſque cum ſacerdotibus in tabernaculo concinente.

IIII. ∞ CC. LXXIX. Sed hoc mirari quàm imitari plures volunt. ſicut & illud, quod de OSMANE, VRCHANE, MVRATHE, à quibus Turcicum hoc grande imperium fundatum cœptumque eſt, Annales eius gentis hiſipſis verbis (digna enim ea prodi) tradunt. *Quoties conuiuas vocabant, veſcebantur adhibitis Taliſmanis* (ita Sacerdotes dicunt :) *quorum præceptis & admonitionibus inter conuiuandum aures præbebant, & Alcoranum legi iubebant.* De Principibus, an de Monachis hæc narrantur?

V. ∞ C. LXXIIII. At ſubmiſſionis exemplum etiam vnum, quod horridæ &, vt quorumdam deliciæ ſunt, ſordidæ Pietatis videbitur, in HENRICO II. Anglorum rege. Ille ſuſpectus in cæde beati Thomæ Cantuarienſis Antiſtitis, non facto aut manibus eius, ſed iuſſu conſenſuve patratâ: & ſæpè admonitus, ac renitens ſemper aut abnuens, ad extremum ipsâ conſcientiâ ſalutariter adducente, ad ipſum locum ſepulchri vſque beati viri, Cantuariam venit atque ibi ſtatim in terram, ſimul & lacrimis, effuſus veniam pacemque petiit. Sancto deinde à pœnitentiâ impetu, ad cœtum monachorum pergit, & multis precibus impetrauit, vt à ſingulis eorum ordine virgis vapularet. Quid dicam? ſtupeo. rex fecit, ſponte fecit; ſui oblitus, dum Deum cogitat; iudicij hominum, dum cæli præmia. O ſi hîc vilem, ibi beatum! imò & hîc, dum Deus ipſo illo tempore eum attollit & magnificat, rege Scotorum à ducibus ſuis victo, capto, & per triumphum adducto. Plura in Religione liceat: ſed ſeorſim iam feci in libello, quem *De Vna religione* vulgaui.

CAPVT III.

DE SVPERSTITIONE.

Aſſitam Religioni eſſe, & in vanitatem, vilitatem, timorem inclinare.

RELIGIO igitur laudabilis: ſed ſita velut inter duos ſcopulos, Superſtitionem & Impietatem. quem vtrumque ſuademus, & opus eſt, vitare. Subit miſeram humanam conditionem, ſiue, vt Plutarchi verbis efferam, ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν, ὅρον οὐκ ἔχουσαν, ἀλλ' ἐκφερομένην, ὅπου μὲν εἰς δεισιδαιμονίαν καὶ τῦφον, ὅπου δ' εἰς ὀλιγωρίαν τῶν θείων καὶ καταφρόνησιν: *humanam imbecillitatem, quæ finem aut modum non habet. ſed aliàs abripitur in Superſtitionem & vanitatem, aliàs in Neglectum rerum diuinarum aut Contemptum.* O vtraque magna peſtis! ſed illa crebrior, hæc deterior : atque illa Pietatis ipsâ imagine ſe commendat. Sed imagine. neque aliud eſt, quàm *humanarum mentium ludibrium, Superſtitio.* Quæ rudes, barbaros, & malè factos animos maximè tangit: εὐάλωτον (ait idem Plutarchus) εἰς δεισιδαιμονίαν φύσει τὸ βαρβαρικόν: *Pronum natura ad Superſtitionem genus barbaricum.* Ea autem non aliud eſt, quàm cultus Dei, quem, aut cui, non debet; aut aliter, ac debet. Errat in eligendo : vel modum excedit in colendo. & ſeruiliter, muliebriter, pueriliter ſe gerit. Proprius autem ei timor, & inquietudo : quæ animos deprimunt, & ad nullam rem ſeriam aut altam patiuntur aptari. Itaque Principi fugienda maximè: etſi

MON. I. *In triſtibus aut aduerſis ſæpè ſe inſinuat:*

Quod in ALEXANDRO MAGNO notatum. qui omni quidem vitâ religioſus, in extremâ eâ ad hanc declinauit. Nam ita animi & corporis æger iam ſe geſſit, ait Plutarchus, *vt nihil eſſet tam paruum aut abſurdum, ſi modò inſolitum, quod in prodigium aut omen non verteret. Itaque ſacrificantium, luſtrantium, diuinantium regia erat plena*: & plenus ipſe malis curiſque, mortem dum fugit, accerſit. I. In Alexandro.

An non in LVDOVICO XI. rege Galliæ ſimile? qui ætate & valetudine iam inclinante, medicis blanditur, & auri montes promittit aut donat: deinde & ſanctos viros euocat, & è ſiluis educit, quibus vitam ſuam non emendandam, ſed propagandam commendat. Tanto intereà metu, vt in arce munitâ, & feneſtris ipſis atque omni aditu clatbris ferreis obſtructo, ſeſe includeret: id eſt, quid niſi in ſpontaneum carcerem daret? O miſer, hoc aſſiduè II.

A times, quod ſemel faciendum eſt? hoc times, quod in tuâ manu eſt, ne timeas? Pietatem aſtume, Superſtitionem omitte: mors tua vita erit, & quidem beata, atque æterna.

MON. II. *In friuolis aut paruis ſe oſtendit.*

Cuius rei cottidiana, pænè dicam, exempla ſunt. Illuſtre in magno AVGVSTO. qui *Auſpicia & omina*, ait Suetonius, *pro certiſſimis obſeruabat: ſed nec Somnia ſua, aut aliena de ſe, negligebat. ne peregrinarum quidem religionum contemptor, cùm Cereris Attica myſteriis initiari voluerit.* Quid ei quietum, in talibus occupato?

B

QVÆSTIVNCVLA.

An in populo non vtilis Superſtitio, & Principi permittenda?

A Principe igitur ipſo remouemus: imò auſim dicere, nimiam Pietatem. Munus enim eius intueor, quod à Diuinis ad Humana etiam vocat: in quo ipſo eſt Dei quidam cultus & honos. Nicephorus Gre-
Lib. 11. goras ſcitè hoc mihi dixiſſe videtur: Τῷ μὲν προσέχοντι τὸν νοῦν τῇ κατὰ Θεὸν θεωρίᾳ, ὄρη καὶ σπήλαια ἐνδιατρίβειν προσήκει. ὅστις δὲ μετὰ τῆς ἀρετῆς καὶ πολιτικὸν ἤσκησεν ἦθος, καὶ πεῖραν ἔχει πραγμάτων παντοίων, οὗτος λαὸν ἰθύνειν ἐς τὰ βέλτιστα καὶ τὰ τοιαῦτα κράτιστος: *Qui in vnâ Dei contemplatione mentem defixam habet, ei montes & ſpeluncas habitare conuenit. At qui vnà cum virtute, etiam mores ciuiles exercuit & iunxit, quique notitiam parauit rerum variarum; ille verò populum regere, & ducere ad optima optimus eſt.* Sed hoc cùm ita ſit: quid igitur? inquiunt. an non populum ſaltem in Superſtitione habere, Principi vtile, & optandum eſt? Sunt qui aſſerant, & præſertim è priſcis. Nam mitigari ita animos, & faciliores reddi ad parendum. Liuius Nomam, qui Romam ſuperſtitionibus repleuit,
Lib. 1. ſpectaſſe hoc vult: *& omnium primum, rem ad multitudinem imperitam, & illis temporibus rudem, efficaciſ-*
Curtius lib. IIII. *ſimam, Deorum metum iniecisse.* Et verò facit ad ingenium multitudinis. quæ alioquin *impotens, ſæua, mutabilis, vbi vanâ religione capta eſt, meliùs vatibus ſuis* (ſiue & *ſacerdotibus*) *quam ducibus regibúſque paret.* Quin & Polybius Romanos laudat, & prudenter feciſſe autumat, *quòd partem eam, qua Religionem & Deos ſpectat, in republicâ ſuâ ſic confirmarint & penè tragicè extulerint, vt nihil ſit addere. Quod mihi quidem videntur*, inquit, PLEBIS CAVSSA *feciſſe. nam ſi è Sapientibus viris Rempublicam fas conſtituere: nihil opus ſit tali iſtâ inductione vis: at cùm multitudo vana ſit, & varia præter leges appetat, iracunda ac violenta, vtile fuit interno hoc terrore, & Superſtitionis velut tragœdiâ cohiberi.* Hæc iſti: at nobis non perſuadeant, in bonâ republicâ vitiorum caput & fontem approbare. Mites animi fiunt, inquiunt. Imò viles, & iſtæ perſuaſiunculæ, vt cum poëta dicam,

——faciunt animos humiles formidine diuûm,
Depreſſoſque premunt ad terram.

Nemo magnanimus, & alta meditans Princeps, tales ſubditos ſuos velit. Obedientiores etiam ſunt? Abnuo, imò ad motus aut rebellionē proniores. Quoties olim, & nuper viſum, prauæ aut nouæ Religionis titulo, populum concitatum? Vnus aliquis concionator, ſanctimoniæ famâ, vt telo, armatus, & eloquentiâ aliquâ ornatus, quid non patrat? Omitto vetera, aut extera: ante annos circiter centum HIERONYMVS SAVANAROLA Florentinus, religioſi habitu (in Diui Dominici cœtu erat) tum vitæ verâ an fictâ ſanctimoniâ, ad hæc facundiâ, populum in ſe conuerterat. Pulſi Medicæi vrbe erant, & popularis ſtatus introductus: quem ille, vt ambitioni ſuæ opportunum, omni ope tuebatur. Plebs ab eo pendula, & verba conſiliáque eius, oraculo habere: ipſi optimates virum colere, & per eum ſe ſuoſque ad remp. (nam hæc in eius manu) promouere. Regnabat enim non in concionibus tantùm & ſacris ædibus, ſed in curiâ, ſed in comitiis: & rarò publicè, imò priuatim maius aliquid, ſine eius arbitrio geſtum. Dicam? non animis modò, ſed & arcis, ſed & armis ciuium, imperabat. Hoc regnum totos annos quattuor exercuit. ſed cùm inuidiâ interfectorum aliquot ciuium laboraret; alia etiam obiicerentur, quorum purgando-
B rum, & diuinitatis famæ augendæ, cùm pyram ardentem ingreſſurum ſe vltrò ſpopondiſſet; mox retractans, vanitatis manifeſtus, & ex eo contemptior, apparuit. Denique in Pontificem ſummum linguæ ſuæ tela vibrans, primò bonorum, mox & mediorum fauore deſtitutus, pœnas ad vltimum ambitioſæ pietatis publico igne luit. Scio variate ſuper eo iudicia, & benigniùs quoſdam loqui: eſto. ſed exemplum tamen potentiæ in populo, per titulum Religionis, inſigne & Principibus metuendum præbuit. Talia aliqua in libello *De Vna religione* dicta. Iam ratio firmiſſima & intima, Chriſtiano Principi nefas Superſtitionem fouere. Et illi exterorum qui fecerunt, quàm turpiter & fœdè inſtituerunt? Exempla libet dare, & ridere: ac
C primùm

ÆGYPTIORVM. quos omnes gentes credo equidem vanâ & ſtultâ Superſtitione anteiuiſſe. Neque enim ad homines, aut ad mortuos modò Deorum cultum, *Iſim*, *Serapim*, *Anubim*; ſed ad beſtias, eaſque viliſſimas tranſtulerunt, *Canes*, *Ichneumones*, *Feles*, *Accipitres*, *Ibides*, *Lupos*, *Crocodilos*, tales plures. O amentiam! his cibos dare per obſequium pietatis ſoliti; his agros & vectigalia è publico aſſignare; horum in ſignis imagines præferre; his denique defunctis cum planctu funus, & ſumptu monumenta facere. Ex his ſiquis ſciens aliquod interfeciſſet, interficiebatur; ſiquis vel inſciens *Felem* aut *Ibidem*, idem. Nugari videar. ſed vera ſuo malo ſenſit Romanus ciuis, æuo Diodori Siculi, id eſt I.
D Tullij Ciceronis. nam ipſe id ſcribit, & teſtem ac ſpectatorem rei ſe adſcribit. Ptolomæus, inquit, quem Romani in regnum poſteà reſtituerunt, cùm primò Socius & amicus à Senatu P. Q. Romano dictus eſſet, magna lætitia publica, & concurſus fuit. Erant & Romani in turba: atque inter eos miles caſu (non enim ſponte) felem occidit. Clamor, ira, tumultus. non inſcitia miſeri, non Romani nominis reuerentia, non imperium Regis, qui purpuratorum præcipuos miſerat ad ſedandum & deprecandum: nihil, inquam, horum iuuit, quin ille ſtatim mille iis manibus diſcerperetur, ſic vt nec funeri aut rogo aliquid ſupereſſet. Vides quàm mitis Superſtitio? rabies & furor eſt, cùm pectora inuaſit.

Sed & aliter etiam ſæuitia, an veſania eſt, in exem- II.
E plo, quod eidem ſcriptori debemus. ÆGYPTVM aliquando fames inuaſit, ſic vt alimenta deeſſent. Quid factum? verſi ſunt ad humanas carnes, & pepercerunt dictis beſtiis: pepercerunt? imò & aluerunt, neque ambiguum quin & humana carne. Cæcitatem! ergo homo Deo proximus, infra fœda animalia ponitur: & ille horum gratiâ interit, id eſt quid niſi iis immolatur?

Tolerabiliùs AFRI, qui non beſtiis, ſed Saturno III. tamen homines viuos ſacrificabant, & præſertim

pueros, ætatem florentem, innoxiam; & ideò cru- A
do illi Deo gratiorem. Res ita fuit. Stabat Cartha-
gine ſtatua Saturni ænea, manibus leuiter ſublatis,
iterúmque pandis in terram demiſſis. In eas ſolen-
niter vir aut puer impoſitus, ſtatim præceps deuol-
uebatur in ſubiectum barathrum, igne & eius ali-
mentis plenum. Id viuicomburium Deo dabatur,
ſtato quidem die quotannis: ſed aliquando & extra
ordinem, & multiplicatis victimis, ſi clades aut tri-
ſtius aliquid ciuitati eueniſſet. Vt in eâ, quam ab
Agathocle acceperant, placuit decreto ducentos
(horreſco referens) optimatum filios Saturno ſic im-
molari, & (quis credat?) totidem alij ſponte ſe obtu-
lerunt. ipſa clades an florem hunc ciuium abſtule-
rat, quem Superſtitio impendit? Indignor, an mi-
ſeror? & lacrimas conditioni humanæ impendo, cui
vni Superſtitionem datam Plinius conqueritur: an B
non iure, cùm in hos vſus?

IIII. DCXX. Sed ad ridenda magis, quàm deflenda eamus: &
ſtultitiam, quàm ſæuitiam accuſemus. MAHV-
MATES ille, heu nimis noſtris cladibus notus, cùm
cupidine agitaretur nouarum opum & imperij, no-
uam Religionem, id eſt Superſtitionem commen-
tus eſt: ita me Deus, indecoram, futilem, nec colore
vllo veri tinctam: etſi ex Iudæorum Chriſtianorúm-
que libris, velut per Satyram, miſcuit & confecit.
O nugas, ô deliria! & iubet quædam recenſere.
Primum eſt, Deum vnum ſolidumque (ἀδιαίρετον
Græci exprimunt) eumdemque incorporeum eſſe:
Chriſtum non Deum, ſed magnum vatem & pro-
phetam; ſe tamen maiorem, & proximè à Deo miſ-
ſum. Præmia qui ipſum audient, Paradiſum, qui poſt C
aliquot annorum millia reſerabitur: ibi quattuor flu-
mina, lacte, vino, melle, aquâ fluere: ibi palatia
& ædificia gemmata atque aurata eſſe: carnes auium
ſuauiſſimarum, fructus omne genus, quos ſpatii
iacenteſque ſub vmbrâ arborum edent: ſed caput
felicitatis, viros fæminaſque maiores ſolito, magnis
genitalibus, aſſiduâ libidine & eius vſu, ſine tædio
aut fatigatione. Credet hæc aliquis dicta, & acce-
pta? ampliùs. Ille verò Veneris his illecebris totam
legem ſuam impleuit: & viro permittit vxores iu-
ſtas quattuor habere, pellices tot quot lubet. Etiam,
ſcribit his ipſis verbis: *Mulieres habitaculum viri eſſe,
ideò aſſiduè debere eas colere, ſed & ingredi qua vel-
lent.* O turpitudinem! non prouocat ſolùm ad cre- D
bram, ſed ad promiſcuam libidinem: & ſupera, in-
fera, aduerſa, auerſa, eodem iure habet. Atque adeò
ipſe bellè & in exemplum gloriatur, *Vndecim ſe mu-
lieres habuiſſe in contubernio, & omnes vna hora ſingil-
latim iniuiſſe, & patraſſe.* Hæc & plura in eius *Cora-
no*: ſed & Phyſica quoque miranda: Nam facit So-
lem & Lunam in equis vehi: illum autem in aquam
calidam veſpere mergi, & bene lotum aſcendere
atque oriri. Stellas in aëre è catenis aureis pendêre:
terram in bouini cornu cuſpide ſtabilitam, & agi-
tante ſe boue ac ſuccutiente fieri terræmotum. Ho-
minem autem ex hirudine aut ſanguiſugâ naſci. &
quid addam? pudet, piget, miſeret generis huma-
ni, cuius magna aut maxima pars his non vanitati-
bus, ſed ſtuporibus eſt oppreſſa. Nam Aſia ferè to- E
ta, plurimum Africæ, multum Europæ, iura ſceptri
& ſacri Turcici accepit. Quin & multi extra Turca-
rum iura, vt magnus Tatarorum Chamus, vt
Perſa, vt alij in Indiâ & extremo Oriente, deliria
hæc delirant.

V. Quid etiam omitto? iidem TVRCÆ, ad Ægy-
ptiorum morem, feles, canes, piſces, aues, ſi non
adorant, colunt tamen & paſcunt: & his ſe velut
largitionibus demereri diuinum Numen cenſent.
Itaque videre Byzantij ſtatis horis eſt, cibos apponi
dictis animalibus: nec viles quoſdam, aut menſa-
rum analecta, ſed oryzam coctam, carnes aſſas re-
cens, & hoc fine ex opſopolio emptas. quas &
perticis longis imponere ſolent, & ſic fugacibus aut
vitabundis eorum dare. Quid, quòd aues etiam
captas redimunt, & aëri ac libertati deinde, per pie-
tatem, reſtituunt? Iam in re inanimâ, id eſt Char-
tâ, quas nugas edunt? Netas eam abijci, aut calcari:
ſicubi vel fragmen vident, tollunt religiosè, & pa-
rieti adfigunt, aut imponunt. Refert Augerius Bus-
bequius, in legatione ſuâ ad Soleimaonum, cùm du-
ctores tutoreſque viæ Genitzaros haberet, grauiter
aliquando apud ſe queſtos, quòd famulitio eius
charta ad obſcœnos vſus eſſet. Cauſſa autem quàm
iuſta? quia *Coranus* ille in eâ ſcriptus.

Sed iubet leui oculo alia terrarum etiam, & in iis VI.
Superſtitionem, luſtrare: quæ diſcolor, ſed vbi-
que decolor, & candori ac veritati aliena compa-
ret. Sunt in Orientis magno tractu, qui MALA-
BARAS appellantur, & à Calecutio, mare ver-
ſus, & introrſum etiam colunt. Iis varij Dij, & ſi-
mulacra eorum fœdo habitu, colore etiam ferè in
nigrum. Templa *Pagodes* vocant: ſacerdotes, *Brah-
manes*. Iis tanta reuerentia, vt & belli tempore me-
diis armis interueniant, ſolâ religione & nomine
ſuo tuti. Inſigne eorum, tria fila, quæ ab humero
dextro in ſiniſtrum latus ligant. Nomen vetus eſt
Indorum ſapientum: & quædam ex iis habent. Sunt
enim Aſtrologiæ periti, ſed & Magiæ, ac prædi-
ctionibus plebi variè ſpem aut metum præbent. Fi-
nis earum, quæſticulus; vt in hoc genere ſolet.
quem & ex ſacrificiis aucupantur, cùm Diis ſuis ci-
bos, ſed & nummos, offerri iubent: atque ipſi iis
veſcuntur, aut vtuntur. Sacra eorum & conuentus
ferè cruenti. tela enim inter ſe ſpargunt, & qui iis
occumbunt, migrare ad beatorum ſedes rectà cen-
ſentur. Animas immortales prædicant, ſed Pytha-
goræ ſomnio, in corpora alia tranſire.

Sunt & SINITÆ, ſiue SINENSES, vlterio- VII.
re tractu: ij quoque in Deorum cultu, quos dome-
ſticatim plures habent. quoſdam & tricipiti figurâ:
an auditiunculâ aliquâ & adumbratione noſtræ
Trinitatis, quando & D. Thomam, & Chriſtiana
olim ſacra, in iis locis fuiſſe, conſtans traditio eſt?
Sed deunculos iſtos adeò magni haud faciunt, vt ſi
aliquid præter ſpem aut vota euênit, ab ipſis pœnas
exigant, atque adeò flagris cæſos in publicum ſæpè
abiiciant & exponant. Mox tamen pœnitentiâ re-
cipiunt, iterúmque (ô bellum ludum?) adorant,
placant, ſupplicant, verbis, thure, mero. Solem
tamen inter omnes præcipuo cultu & æſtimatione
habent: atque huic extra ædes progreſſi, ſub dio, de
paterâ * vinum, Græco & Romano more, libant. * Vinum eius loci, è palma.
Sacerdotes, pro deorum numero, ipſi quoque fre-
quentes. Sunt *Bonzij*, ſunt & *Bonziæ* fœminæ; &
ſuper vtroſque *Tundi*: denique vnus ſupremus o-
mnium, *Zaſſo*. Hi Bonzij conuentus ſuos & contu-
bernia habent: vt Religioſi apud nos cœnobia: in
regno quidem Iaponiæ ita crebra, vt vna aliqua
prouincia ſupra DCCC. recenſeat: in quorum ſin-
gulis haud minus ſit triginta Bonziorum. Nomino
Iaponiam. nam & ij ritus eoſdem eum Sinitis & ſa-
cra habent, hauſeruntque vtrique à communi do-
ctore *Xacâ*. Eorum dogma, Animas interire, ea-
demque omnia à morte, quæ ante natalem: exitia-
bile Virus.

Iam in nouo orbe & illâ AMERICA quid di- VIII.
cam? ſpiſſæ & Cimmeriæ tenebræ: niſi quòd Hiſpa-
ni leuiter (ſed adhuc leuiter) diſpulerunt, & lucem

noſtram intulerunt. In PERVVII regni finibus receptum, Solem colere: quod Ingæ reges pro firmamento aut inſigni dominationis inſtituerunt, cùm eſſent dij anteà diuerſi. Illorum ſolenne, templa vbique Soli erigere, ampla, magnifica, auro laqueata, aut & ſtrata. In iis caſtæ aliquot Virgines, quarum pudicitia deuota: nec fas polluere, niſi vt luerent morte. Excuſatur, ſiqua iurauit à ſole compreſſam ſe, & ex eo vterum ferre. Pænè is ritus fuit, qui Veſtalium Romæ: ſed numerus prægrandior, & in vno aliquo templo ducentæ, aut plures. Alij etiam miniſtri & æditui, alibi ad millia triginta: idque tantùm in templi vnius cultum & vſum. Sed earum munus, lanam & filum carpere, veſtes texere, dijs ornandis: ſiue & ad ſacrorum ritum, quo ſolent veſtes & hæc texta vnà cum oſſibus pecudum cremare, & mixtum cinerem, in altum ſpectantes, Soli iactare. Has virgines *Mamaconas* vocabant: ipſa templa, aut & idola, *Guacas*. Sunt & alij ſacerdotes, veſtitu niueo inſignes: qui Deos adeunt, ſalutant, ſermocinantur. ſed id cum hac cautione, vt terram deſpectent, & oculos verſus eos non attollant. Imò quidam aut obligant ſibi lumina, aut eruunt ſemel & euellunt: quod ſanctius reuerentiusque habetur. Sacrificia ſunt pecudes eius loci, ſed homines crebrò etiam, & infantes. Horum ſanguine ſimulacra oblinunt: deinde exta inſpiciunt, & è notis augurantur.

IX. In VICINIS ei regno LOCIS deorum alia portenta. Quidam tigres, leones, feras eiuſmodi animalia colunt: alij feles, aut aues. Quidam (in prouinciâ, quæ *Manta* dicitur) Smaragdum inſignem gemmam adorant, & pro vero numine habent. Mos omnibus, herbas certas pro thure adolere & incendere; itemque captiuos ſacrificare, aut ſi deſunt, è ſuis. Oracula petunt, & capiunt: tam certâ plerumque fide, vt Hiſpani tradant, nihil vel in eorum bellis, aut in ſuis ciuilibus eueniſſe, quod non prædictionibus fuerit vulgatum. Immortalitatem animi credunt, ſed, vt videtur, cum ipſo corpore, & quaſi migrent: certè ſepulchra laxiora, & magis apparata faciunt, quàm vllas viuentium domos. Sed & cùm moriuntur, comites accipiunt, quaſi ad miniſterium aut ſolatium: atque inprimis cariſſimas vxorum. Eæ certant inter ſe & æmulantur, quæ cum mortuo viua (ita fit) defodiatur. Quòd ſi inſignior aliquis ſatrapa aut regulus obiit, turba eſt eorum earumque, quæ commoriuntur. Argumentum, quòd ad res lætas & geniales ire ſe putent, hoc eſt, quòd potum & cibum affatim apponant; ſed & quotannis, velut parentalibus, per foramen ſupernè, de induſtriâ ſic factum, infundant. Choreas illic, & in aliis feſtis diebus honori Deorum ducunt, bini & bini iuncti in ſeriem, duobus præſultoribus, qui dant modos. Tenent autem ſic ſaltantes manu vas potorium (aſſiduè enim bibunt) & alterâ interim penem, vt infuſa emittant.

X. Vltimi ſunto MEXICANI, quos diuidit anguſtior ille Iſthmus. Vaſtum regnum, & olim innumerus populus, & dij pro modo. Nam omnium fermè rerum affectuumque eos habebant, vt Aquæ, Piſcium, Frumenti, Fructuum, Amorum, Bellorum, & quidquid dici fingique tale poteſt. Aiunt ad duo millia Deorum culta ſolenniter in vrbe *Themiſtitan*, quæ regni metropolis, fuiſſe. Templa iis magnifica, laxa, quadratâ ferè formâ. Sacrificia cruenta, ex animato, & ex homine: atque adeò hominum ad quinquaginta, aut ſupra, millia vno anno immolabant. Dignum relatu eſt quod Ferdinando Corteſio (immortalis gloriæ, ob quæſitum ſubactumque hunc tractum) Corteſio, inquam, euênit. Populi quidam illi, nouitate facinorum eius attoniti, legatos mittunt, qui ſic affantur. *Tria genera munerum ad te ferimus. Primò quinque homines. & ſi Deus quidem crudus es, & ſanguine placandus; cape iſtos, & veſcere. plures etiam dabimus. Sin bonus mitisque es Deus; en tibi herbas & plumas, ad ſupplicandum. Si porrò homo es; cape has aues & fructus, quos damus in tuum & tuorum vſum.* O Deus, qui cœpiſti has tenebras minuere, totas pelle, & ipſum te verum nouumque Deum cum nouo imperio oſtende.

Pleraſque Superſtitiones, quæ in partibus orbis ſunt, dixi: vnam quæ in toto eſt, omiſi, IVDÆORVM. Ij enim ſparſi per Europam, Africam, Aſiam, quaquà verſus colunt: pertinax natio, & qui vmbram pro luce, pro veritate imaginem tenuerunt, & tenent. Quàm multa etiam priſcis illis ſuis, ſacriſque libris, vana, ſuperflua, inepta addiderunt! ad Thalmudem appello. Sed iſti, quod mirum, & ter mirum eſt, toties attriti vel exciſi potiùs, viuunt & vigent; & corpus illud gentis ſeruant, atque adeò propagant. Legat, qui volet, ab Hieroſolymis captis, quoties à Principibus Romanis Græciſque pulſi vel cæſi, quoties à Chriſtianis etiam regibus ſint: mirabitur & vix credet, vel paucos ſupereſſe in ſemen. At illi, vt dixi, frequentes ſunt & florent. frequentes? Bellonium audi, fidum obſeruatorem. *In omni imperio Turcico*, inquit, *vix opidum aut pagus eſt, in quo non plurimi Iudæi agant: atque ij ferè variarum linguarum periti, quod magno vſui eſt exteris aut peregrinis.* Nec in illo tantùm imperio, ſed in Oriente, in Septemtrione, apud Chriſtianos etiam agunt: & quamquam ſic diſtracti, vnionem & puritatem gentis ſeruant, à coniugiis alienigenarum decreto auerſi. Quid Deus in iſtis ſtruat aut moliatur, neſcio: nulla quidem gens ab orbe condito, aut frequentiam, aut ſinceritatem ſuam ſeruauit, opinor, præter iſtam. XI.

CAPVT IV.

DE IMPIETATE.

Eius matrem Superbiam, aut Ferociam, ſæpè & Vitiorum cumulum, eſſe.

DEflexio altera *Impietas*, ſiue *Irreligio*, ſi *ἀσέβειαν* Græcorum ſic licet vertere. Grande, & vt ſic dicam, malorum malum: cùm homo à ratione, imò à naturâ abit, contemptor Numinis aut negator, quod illa aſſerunt, & hæc inſerit. Eò veniri ſolet, ſiue à ſuperbâ quadam & rudi Ferociâ, ſiue à Vitiorum magnitudine & cumulo, quæ animum manciparunt. Deo enim tum ſe ſubtrahit, & ne illum timeat, ſpernit: itemque præmia omnia futura, aut pœnas. Infelices hi tales! etiam in externis rebus ſucceſſibusque: quia deſertores ſui Deus deſerit, nec cadunt ſolùm turpiter ſæpè, ſed ruunt. Quàm fœdi etiam ſunt! ſuper omnes Superſtitioſos: quia vt illi conniuent ad ſupremum Numen, aut malè vident; ſic iſti cæcutiunt, & nihil vident. Quis autem neget cæcitatem deteriorem lippitudine eſſe? Eam ego in paucis exemplis proponam: paucis, & idipſum timidè. nec aliter quàm in templis malos Genios ſolemus, ad fugiendum & abhorrendum.

Omitto veteres, apud quos veniam aliquam habuerit, in caligine errorum: apud Chriſtianos qui poteſt? Et ſunt tamen, qui non vitâ ſolùm eam præferunt: ſed impudenter linguâ exprimunt. vt ille I.

A FREDERICVS II. Imperator. cui ſæpè in ore: *Tres fuiſſe inſignes impoſtores, qui genus humanum ſeduxerunt, Moyſem, Chriſtum, Mahumetem.* O impure, ô impie! hoc dicere, quod gentilium quidam olim,

Arnob. lib. I. *Chriſtum magum fuiſſe, & ex Ægyptiorum adytis angelorum potentium nomina habuiſſe!*

55. Mitior A L P H O N S I X. Hiſpaniæ regis,, ſed non melior vox aut ſenſus, qui ſolitus Prouidentiam identidem culpare, & dicere: *Si principio mundi ipſe Deo adfuiſſet, multa melius ordinatiúſque condenda fuiſſe.* Miſelle, ſapientiâ ſupra Deum es? lingua quò abis, mens quò abiſti? Sed notabile, vtrumque iſtum, & Fridericum & Alfonſum, illum imperio, hunc regno priuatos in publico odio & infamiâ obiiſſe. Plura nun addo, nec vel calamum aut chartam relatione B ipſâ maculo.

CAPVT. V.

DE FATO.

Id conſiderandum, credendúmque eſſe.

AT tu qui Deum & religionem colis, etiam Fatum; id eſt Prouidentiam decretúmque diuinum. *Quid enim aliud eſt Fatum* (dicet pro me Minutius Felix) *quàm id quod de vnoquoque noſtrûm fatus eſt Deus?* De vnoquoque noſtrûm, ſed & de rebus omnibus quæ ſunt, fuerunt, erunt. Is enim qui omnia fecit, dirigit eadem, mouet, ſeruat: Cap. xv. καθάπερ ἡνίοχος ἀγαθὸς (verba Triſmegiſti) τὸ τοῦ κόσμου ἅρμα ἀσφαλῶς [illegible] ἀναδήσας εἰς ἑαυτὸν, μή πως ἄτακτος φέροιτο. *quàm Auriga peritus, currum hunc mundi firmans in ſe* C *atque alligans, ne incompoſitè feratur.* Prorſus ita eſt. per cauſſas medias, variè nexas, prima illa cauſſa omnia temperat, ſuauiter, prudenter, vtiliter: nec aliter eſt cenſendum. Hoc monitum variam vtilitatem Principi dabit. à Deo ſe & regnum; à Deo bona maláque externa eſſe: ideò nec in illis elatè, nec in iſtis abiectè nimis agendum. Conſtantia vbique eſto, & volens quædam obedientia decretis diuinis. *Nam longe præſtat* (ait Gregoras Nicephorus) Lib. VII. *quietum ferri à ferente Fato, quàm obnitendo velut materiam & alimentum ei præbere. Hoc enim tale eſt, ac ſiquis ignem metuẽs ædes iam circumdantem, non exſtinguat eum, ſed ſarmentorũ faſces aggerat, & oleum affundat: aut ſiquis furente Boreâ, & tempeſtate, exiguâ fragilique cymbâ, contra flu-* D *ctus & per eos eluctari conetur.* Altera etiam vtilitas, inquirere leuiter & modeſtè in Fata, & videre quò vis illa ſupera, noſtra hæc trahat: próque eâ inclinatione, ſe & conſilia adaptare. Magnus eſt fructus; & prudenti viro vix publica Fata conuerſionéſque obſcuræ, ex ſignis quæ præeunt vel adhærent. Ruere aut vertere hunc ſtatum vult? conſilia praua, & homines tales erunt, qui ad gubernacula admouebuntur. Delatio, adulatio, vanitas locum habebunt: probitas, veritas, prudentia exſulabunt. Sed &, vt in citharâ, concentus turbabitur: & obſcura primùm, mox palàm diſcordia erit. Vult attollere? omnia alia. locus conſiliis, locus honóſque virtutibus, etiam artibus: denique ſiquid ægri in Republicâ, E ſanatur; ſiquid ſani, fouetur. Vt qui libram tenet, in hanc aut illam lancem pondus adiici iubet, & inclinat: ſic Deus. & fortunam temperat, ſed manibus aut conſiliis ferè noſtris. Atque hæc ita palàm, vt vel hebes mens videat, ſi non præuideat: & dominum arbitrúmque terreſtrium rerum, ex euentis, illum è cælo agnoſcat. O quàm mira, quàm inopinata ſæpè ab illâ potentiâ? Nam & hoc gaudet atque amat, præter opinionem (non enim rationem) quædã facere, & vel ſic oſtendere vim illam

A omnia gubernantem & mouentem. Hæc vniuersè: ſed in Exemplis etiam diſtinctiùs videamus, & monita pro iis aptemus. Primum eſto,

MON. I. *Regna & Reges à Deo dari.*

Quid clarius? quæ vis, gratia, aut commendatio, A G A T H O C L I regnum in Siciliâ dederunt? I.
Pater ei figulus, pueritiam in luti ſordibus, adoleſcentiam in impudicitiæ, iuuentam in libidinis egit. Ab omni parte infamis, odio ciuium & inopiâ, ad latrocinium compellitur. En gradus, quibus ad ſceptrum veniatur! Sed mox miles & dux è milite: id quoque cum infamiâ, quòd defuncti *Damaſconis*, cui ſucceſſerat, vxorem ſtupro anteà cogni- B tam, ſibi ceperat, & cum eâ ingentes opes. His fretus, occupare imperium patriæ bis conatus, bis repellitur; denique in exſilium agitur. Quid fit? iungit ſe Siculis, Syracuſiorum hoſtibus, palàm bello patriam petit, & obſidet: nihil efficit, cùm Pœni in auxilium euocati ſtrenuè propugnarent. Vi deſperatâ, ad fraudes ſe vertit, *Hamilcarem* Pœnorum ducem ad pacem inuitat (ea ſpecies & honeſtus titulus fuit:) reuera ad pactionem, vt cederet; & traderet ſibi Syracuſas. Ita factum. regnat, cædes populi & Principum facit: & miro iterùm fato, ipſis conciliatoribus ſceptri Pœnis bellum infert, & in Africam transfert. Præter ſpem variè victor, & præter ſpẽ quoq; mox victus, deſerto exercitu, liberis, amicis, penè ſolus in Siciliam effugit. Seruat C tamen regnum, etſi in variâ ſorte, immoritur ei, ſed ita vt pelli vxorem liberóſque videret, & ab nepote id eripi, nun diu fruituro. In his talibus vbi ratio alia, quàm ſumma illa Ratio eſt, Fatum nobis dicta?

Hæc in vno illo rege. quid in quattuor (ſeptem in vniuerſum fuêre) ROMANORVM? Primus *Romulus*, II.
& tertius *Tullus Hoſtilius*, vterque ex paſtore ad ſceptrum peruênit: quintus *Tarquinius Priſcus*, è peregrino & exſule: ſextus *Seruius*, quod ipſum nomen præfert, è vernulâ & ſeruo. Quid hæc aliud ſunt quàm

Sidus, & occulti miranda potentia fati?

Nam de C. M A R I O minùs mirum in populari III.
electione, ſi ad ſumma peruênit ipſe popularis. Sed ex imâ tamen plebe ac municipali, miles mox factus in caligâ, tum Centurio, tum Tribunus: & in vrbe D etiam petere honores auſus, ſæpè repulſus, ſpretus, irrupit tandẽ in Curiã magis, quàm peruênit. Ex illo tamen Mario tam humili, tam faſtidito, ille Marius emerſit qui Africam vicit, regem Iugurtham, formidatum Romanis, in triumphum duxit: & parum eſt: ille Marius, qui

——Cimbros, & ſumma pericula rerum
Excepit:

& trepidam non Italiam modò, ſed vrbem defendit. Ille, qui poſt ſextum Conſulatum (rarum decus) carcerem & exſilium ſubiuit: plenus tamen certusq; ſpei, quòd olim iuueni in agro apricanti, Aquila ſeptem pullos in ſinum iecisſet, toties iterandi ſcilicet ſummi imperij ſignum. Nec ſefellit euentus. Re- E diit, hoſtes vicit, vrbem & Conſulatum ſeptimò iniuit, & in eo exſpirauit. Quidlibet ſperandi & timendi, cùm Fata volunt, clarum exemplum.

Nec minus in M A S A N I S S A (*Marius* enim me in Africam reuocat.) qui mortuo patre Galâ, patruo IIII.
ſuccedente, & mox illo quoque mortuo, per fraudem exutus regno & priuatus, arma ſumpſit, ac denique victoriæ & illius compos fuit. Sed non diu eâ gauiſus, & hoc fruitus, à *Syphace* rege bellum excepit: qui iuſto prælio eum fudit. In montem

Balbum conſugerat,ſed illinc quoque *Bocchar* Præfectus regius eum pepulit, ad tantam paucitatem redactum, vt vix quatuor equitibus comitatus effugerit. Ventum erat ad flumen, nec vadari poterat: quid facis Maſaniſſa,& tuum Fatum ? metu vrgente in id ſe conicit, & duobus comitum gurgite abreptis, ipſe cum duobus aliis iotet virgulta vlteriora delituit. Fama tamen ſparſa ſubmerſi, populares (vt quiſque in eum affectus) erexit, aut terruit: cùm ille vulnus (nam & id acceperat) in ſpeluncâ auiâ curans, latrocinio duorum equitum per dies aliquot vixit. Mox vbi equi patiens fuit,audaciâ ingenti pergit ire ad regnum recuperandum : quibus præſidiis ? haud plus quadraginta equitibus, qui in viâ ſe addiderant : auctiſque paullatim ad vi. millia peditum , iii. equitum, copiis, paternum totum regnum recepit. Sed nondum finis fatalis diſpoſitionis. iterùm pellitur, victus à *Vermınâ Syphacis* filio, quem rex in eum miſerat. Ibi omnibus opibus, ſed noo ſpe amiſsâ, cum lxx. equitibus effugit ad Garamantum terram : hæſitque vagans aut latitans, donec C. Lælius à Scipione miſſus cum claſſe appoliſſet. Iunxit ſe, & magnum nomen, etſi exiguas vires attulit : peritiâ tamen militiæ & locorû aliquod ad victoriam momentum. Quæ mox ſecuta. victi Carthaginenſes & Syphax : iſte perit, & regnum eius Scipio totum Maſaniſſæ donat, finibus etiam auctis. Quid deinde ? nec ſic fideliter Fortuna ei ridet. in ipſo aditu tactatur, ſed Veneris inſidiis, non vi Martis. Erat *Sophonisba*, Syphacis anteà vxor, mulier inſigni facie, facundiâ, & aſtu. Hæc regiam ingredienti occurrit, deiecta, mæſta, ſed quod decêret: & ſtatim Numidam in amorem ſui rapit. Iubet igitur bono animo eſſe, dexteram & mox corpus ıtogit: ſed petenti anteà iurat, *Nemini ſe traditurum eam Romano.* In his erat, cùm Lælius ſuperuenit, & Sophonisbam dedi poſtulat : fluctuante Maſaniſsâ,in vehementiſſimi amoris æſtibus, illam deſereret,an amicitiam Romanam. Sed ratio & vtilitas affectum vicit : illa vitâ abit,iſte ad Romaoos redit, & adhæret.per eos regnum ſtabilit,auget, quod ad poſteros etiam tranſmiſit.

v. Inſerit ſe his exemplis & fæmina.Erat *Leontij* cuiuſdam Athenienſis philoſophi filia ATHENAIS nomine multo ingenij corporiſque lepôre, aut Venere. Pater occulto aliquo de fortunâ eius præſagio,omnes opes moriturus duobus filiis reliquerat; huic ſolos centum aureos, cum elogio, *Suffecturam ei fortunam ſuam.* Igitur cum fratribus litigat, vt iniuriâ affecta. ſed infirmior ſexus aliam etiam accipit, & pulſa ab iis Conſtantinopolim venit, vt viam futuræ magnitudini aperiret. Inſinoat ſe, & commendat cauſſam *Pulcheriæ* Imperatoris ſorori;cui ſtatim ita placuit, vt percontata, ecquid virgo eſſet; in aulam acceperit, ſed baptiſmo, rudem ad id Chriſtianæ religioois, priùs abluram. Nomen eius in EVDOCIAM mutat : ac ſic denique amat, vt fratri *Theodoſio*, apud quem omnia poterat,coniugem deſponderet. Hem, aſcenſus! ſed ecce & deiectio. nam diu felix eo coniugio,amata & amans, in ſuſpicionem probri incidit, & contubernio excidit , hac cauſsâ. Imperator inſigne, & prægrande pomum dono acceperat: quod portò vxori ſuæ blandiens tranſmiſit. Accepit illa , & idem mox *Paullino* , facundo & erudito viro, ideóque eruditæ fæminæ caro, nihil ſequius cogitans dedit. Quod ille , ignarus vnde eſſet,iterùm Imperatori, vt regium aliquod munus offert. Mirari ille,& primûm ambigere ; mox agnoſcere , & ſuſpicari. atque ita properè ad vxorem veniens,callidè pomum ab eâ repetit, anteà donatum. Hæc totius facti ignara,temerè & iuueniliter aſſerit, ſeſe ediſſe : iterùmque rogata dicit, atque adeò iurat. Imperator feriò tum offenſus, & mendacij arguens, pomum profert : neſciens. de amore occulto & improbo ſuſpicatus ; Paullinum occidit, illam abdicat, & relegat. O vterque amans, veſtri miſereor ! etſi hæc quidem cauſam fortiter tulit : & iuit Hieroſolyma, & piè caſtéque viuens ibi moritur, ſed præmortuo marito.

vi. Multa hæc in hiſtoriâ veteri: noſtri æui vnum addam. PHILIPPVS II. Hiſpaniarum rex, quid niſi fato in illud Luſitaniæ etiam vênit ? Quod ita fundatum firmúmque in copiâ ſucceſſorum videbatur, vt locus non eſſet aut rima vel improbæ externæ ſpei. Ecce * *Emanuel* XIIII. Luſitaniæ rex tres vxores duxerat, & ex omnibus liberos tulerat. primam, *Iſabellam* , maximam natu filiarum *Ferdinandi* & *Iſabellæ* Hiſpaniæ regum. Proles ex eâ nata *Michael* : qui ſi vixiſſet , certus heres omnium iſtorum regnorum erat,quæ nunc magnus Hiſpaniarum rex tenet. Obiit puer , & ipſa mater eius à partione. Ergo alteram tunc filiam *Mariam*, quæ tertia erat eiſdem Ferdinando & Iſabellæ , oupuiis iungit:nam *Ioanna* ſecunda,tradita *Philippo* Auſtriaco fuit, è quo coniugio Hiſpaniæ iſti reges. Emanuel igitur ex *Maria* numeroſam ſanè prolem gignit,ſex maſculos,duas filias : denique é tertiis etiam nuptiis. quas cum *Leonorâ* Philippi Auſtrij filiâ coiuit,duos liberos,filium filiàmque. Obſerua , te obſecro.an non hæc fundata domus,in tot fulcris,vt ſic dicam,regni ? Iam ad liberos iſtorum veni, quanta ſeries? *vigintiduo* erant , qui Philippum regem anteibant , & ſucceſſione legitimè arcebant , & tamen quò Fata vocabant vênit & ſucceſſit. Præmortui omnes illi ſunt,quid ? niſi vt vnum facerent Hiſpaniæ totius caput. Magnus fauor Numinis , nec ſemel in hac gente (Auſtriam dico) ſe oſtendit : quæ per hereditates & aduenticia incrementa ferè creuit.

Regnare cœpit an. ∞. cccc. xcv.

II. *Regna à Deo & Reges tolli.*

i. Vis illuſtre exemplum ? CYRVS erit. qui per annos triginta, in magnâ gloriâ rex Perſarum , finitimis deinde longinquis ſubactis, longiùs manus etiam ad Scythas porrexit. Venit cum magno & victore exercitu, ô dedecus ! à fæminâ vincendus. *Thamyris* ea erat,quæ genti præerat, & filium ad fines regni,repulſurum vim externam, miſerat : ſed victus eſt , & inſidiis à Cyro circumuentus. Ergo ipſa molem regni vltimam exciuit, & dat ſe animosè obuiam , atque iiſdem fraudibus circumuentum & clauſum ipſum copiaſque cecidit.Ducêta Perſarû millia erât : ingês clades:adde ludibriû. caput mortuo reſecat , & in vtrem ſanguine plenum merſo exprobrat : *Satia te ſanguine , quo expleri nequiſti.* Regnum longâ mole fundatum, vbi es ? Rex tot annos felix & victor,vbi es ? quò Fata & ordo rerum miſerunt, à ſummis ad ima decidiſti.

ii. Iam POLYCRATES, rex Samiorum,non fortunati,ſed Fortunæ nomen videbatur. Nihil ei in vitâ aduerſum : ante voto ſupra vota , omnia aderant: id eſt , priuſquã vellet.& pluſquã vellet Cœlũ , terra, mare fauebãt, aut ſeruiebãt:& res in Exẽplo rato dixit. Anulum in mare abiecit, quaſi Nemeſi placandæ : quid fit ? in piſce mox inuentum recepit.At vltima diſſident.& *Oroetes* Darij regis ſatrapa victum captum, morte nec eâ communi (non dicam regiâ) affecit : ſed in cruce alta ſuſpenſum,

mirabile & miſerabile orbi ſpectaculum, ſubiecit: O | A
verè Deum, qui inopinatè mutat!
Et in VALERIANO etiam Imperatore Roma-
III. norum, id eſt orbis pænè terræ, quàm ſimile ludi-
brium! Ille poſt quindecim regni annos in igno-
bilem ſeruitutem, & audientium aures grauaturam,
vi Fati incidit. Bellum, magnis viribus, *Sapori* Perſa-
rum regi fecit: ſed eo fine, vt victus & viuus in ma-
nus hoſtium veniret Imperator. Barbaro faſtu vi-
ctoriâ vſi ſunt. ſiquidem Sapor, vt catenatum man-
cipium circumduxit; & quoties equum conſcende-
ret, non manu eius, ſed inclinati dorſo, adiutus in-
nixúſque eſt. Quis hominum ſic ſubitò deiicere &
calcare Principem rerum potuit, præter diuinum
ſupremúmque decretum?
IV. Aſſidet, quod BAIASITES PRIMVS, quem
Gilderun Chan à fulmine Turcæ dicunt, magnus
animo & rebus Imperator fuit. Atque is va-
riè, & per decem ampliùs annos victor, magno il- | B
lo prælio cum *Temire Chano*, quem *Temir-lancum*
à claudicatione item vocant, conflixit. Vtrimque
ingentes copiæ. robora virorum & militiæ vſus à
Turcis; Fatum aliunde ſtetit. Nam & auxilia res co-
piæ Tatarorum in ipſâ pugnâ deſeruerunt Baiaſitem,
tranſitione ad hoſtem factâ: idem milites, è regione
Germiani & Menteſij. Solus ſe non deſeruit, cum
immoto Prætoriano agmine, Baiaſites: & mutus il-
lic belli. Sed vis ac multitudo perrupit, ipſe captus,
filius eius *Muſtaphas* cæſus, & quidem felicius. Nam
pater ad victorem Temirem perductus, honeſtè
primùm exceptus eſt: cùm & obuiâ pedes extra ten-
torium iuiſſet illi, in equo aduentanti. Cùm deſcen-
diſſet; vterque pro more gentis, humi in tapete con-
ſedit. atque ibi Temir (operæ pretium viſum, fide
Domini notat, Annalium Turcicorum verba dare) *O * Chan*, in-
quit, *magnas vterque Deo gratias debemus. ego, quòd* | C
claudus ille ab ipſis Indiæ finibus ad mœnia Sinaſta im-
perium extenderim; tu quòd a Sinaſtâ, ad ipſos Panno-
niæ fines. Orbem terræ inter nos partiti penè ſumus.
Debemus igitur gratias, atque ego reddidi. & reddam:
tu verò pariùm fortaſſe memori gratáque mente fui-
ſti, & ideo hæc calamitas interuenit. Sed age mi Chan,
ſi ego in tuâ ſic ſim poteſtate, quid ageres? dic libere &
veraciter. Ibi aiunt Baiaſitem, qui feroci & elato
animo erat, ſubieciſſe: *Equidem te, ſi numen victoriam*
admiſiſſet, in ferream caueam incluſum circumduxiſſem
ſpectaculo & oſtentui cunctis. Temir eo audito, ſen-
tentia hac in ipſum eſt vſus, & ſic incluſit. Miſer
triennium ferè ita vixit: & cùm deſperata liberatio-
ne audiſſet in Tataros ſe abducendum, caput validis
iteratiſque ictibus caueæ ferreæ incuſſit, & indignâ-
tem animam ſic emiſit. Multi & pulchri ludi in hoc | D
Mundi theatro: ſed tragœdiam belliorem rarò, aut
nec legimus.
V. Niſi lubet & ad Sacros apices venire, & videre
quomodo nec iis vis iſta parcat. CAROLVS CA-
RAFFA à Paullo IIII. Pontifice deſignatus Car-
dinalis fuit: eius frater IOANNES Montorij Co-
mes, & Dux Paliani factus. Omnia iſti apud Pon-
tificem, quæ vellent poterant: & plus quàm æquum
decorúmque erat, volebant. Manſit aura ſecunda,
quamdiu ſidus illud luxit: poſt eius occaſum,
Pius Quartus in Pontificatum aſſumptus, idque
opera & gratia (notabile eſt) *Carraffarum* maximè.
Sed iſte inter primas ferè publicas actiones habuit,
Caraffas euertere: fecitque initium VII. Idus Iu- | E
an. 59. IX. nij, ipſo die, quo *Carolus* pilei honore donatus
fuerat, in carcerem eo coniecto. Additus Dux Pa-
liani, frater; Comes Allifanus; aliique propinqui
eorum aut clientes. Nouem menſes in arce Sancti

A | Sancti Angeli habiti, non niſi crimina & mortes au-
dierunt: & hanc denique ſententia Pontificia ſub-
ierunt. Cardinalis nocte, carnificis manu ſtrangu-
latus; Dux capite truncatus, vnà cum Allifano Co-
mite; & cadauera in publicum ſpectaculum expoſi-
ta. Quis ſenſus, & occulta vox, tibi Roma tunc fuit?
cùm multi Pontificis ſeueritatem, & ingratitudi-
nem accuſarent: ſapientiores, incerta rerum huma-
narum, ſub illuſtribus exemplis, agnoſcerent; & vi-
lium reorum pœna atque ignominia periiſſe, qui
dignitate & opibus culmina paullo antè fuerant rei
Romanæ.

MON. III. *Et cauſſas quaſdam medias, ſed inopinatas, his interuenire.*

Adſtruit & aſſerit ſe vbique Prouidentia: ſed I.
apertiùs, cùm cauſſæ quædam mediæ ſubitæ, aut in-
B | ſolitæ interueniunt, & liceat dicere, Quis exſpectaſ-
ſet? In DIONIS rebus hoc elucet, cùm Syracuſas
liberatum iret à tyrannide Dionyſij, graui & fa-
moſâ. Erat tum fortè in Italiâ Dionyſius, & res
alias agebat: id quod Dioni (fato ſic diſponente)
commodè & feliciter euênit. Nam cùm ipſe in Si-
ciliam exiguis copiis, animo quàm prudentia maio-
re, appuliſſet: *Timocrates*, primus amicorum Dio-
nyſij, & qui vicem eius regebat, ſtatim hominem
certũ cũ litera ad Dionyſiũ ablegat, qui Dionis ad-
uentũ & res in Sicilia motas nũciaret. Sũma erat, o-
mnia relinqueret, rediret, niſi à ſuis vellet relinqui.
Homo feliciter fretũ traiicit, *Caulonià* terrà ſedit, vbi
Dionyſius tunc ſecurè agebat. In via fortè notus oc-
currit, qui recèns victimam immolauerat, & partem
eius amicè communicat & donat. Accipit, in vi-
dulum lateralem imponit, vbi & Timocratis epi-
C | ſtola erat. Pergit intereà ſtrenuè, & noctem itineri
cùm adſumpſiſſet, iam feſſus neglectim abiicit ſe in
humum, & componit leuiter dormiturus. Haud pro-
cul à ſilua erat: è qua ecce lupus egreditur, & odore
carnis ſtimulatus accedit, & vidulum à latere abri-
pit cum ipſa carne. Paullo pôſt homo expergiſcitur,
vidulum deſiderat, & circà quærit: fruſtrà. itaque
metuens offenſæ aut pœnæ, non ſuſtinet ad Diony-
ſium ire, & aliò diuertit. Hoc caſu, tardiùs quàm opus
erat, & aliis literis, Dionyſius cognoſcit quid age-
retur. Subuenire vult, non poteſt: à ſceptro ad ſeru-
lam redigitur. à quo? Deo, Deo qui inopinatum il-
lud interiecit.
Quid in M BRVTO, & campis Philippicis? II.
manu Prouidentiam tango. Legiones vtrimque, &
inſtructæ copiæ: egregij duces. cõcurritur: vincit cor-
D | nu dextero Brutus. & oppoſitum *Octauianum* pel-
lit, atque ad ipſa caſtra eius capit: & quàm penè ipſum;
Plena & certa victoria videbatur: ſed quam Caſ-
ſius mala ſorte peruertit. Nam ipſe ab *Antonio* pul-
ſus in ſuo cornu, ſed fuga & damno leuiore: & fa-
cilis inſtauratio, ſi de Bruto ſciuiſſet, aut ſperaſſet.
At campus, qui puluere ſtabat, impedit proſpe-
ctum: & triſte, ſed falſum, ei augurium in ani-
mo, victum etiam Brutum eſſe. Tamen adhuc
dubius, ſubſtitit in colle quodam. & L. Titin-
nium, ex fidis amicis, mittit ad explorandum.
Ille in Bruti milites ſtatim incidit, victores, &
vt fit, palantes. De Caſſio, *Quàm ſalue?* quæ-
runt, audiunt, & læti Titinnium circumfun-
E | dunt, & vnà ad Caſſium, animaturi eum tendunt.
Qui cùm videt, & rectà ad ſe venire, hoſtes
arbitratus, & amicum ſuum captum: *Quid vl-*
trà moramur? inquit: *ſpes, vita, dedecus a-*
beant: & ſimul ceruices ſuas liberto præbuit

inciden

incidendas. Vix factum, Titinnius ſuperuênit: & caſum miſeratus, ſibi iratus, (quaſi mora in cauſsâ fuiſſet) idem genus fati ſponte ſumpſit. Hæc res & Brutum perdidit: qui in Caſſij anima ſuum animum amiſit.

III. Multa poſſim vnum ex hiſtoriâ vetere, & de inclyto illo ANNIBALE inter omnis æui duces, iure hoc elogium vindicat: nec fuit aut erit, qui militari aſtu aut peritiâ virum æquabit, non dicam ſuperabit. Is in Italiâ dominabatur, poſt Cannas victor: & quid niſi Roma reſtabat? Frænum fati cohibuit, ne ſtatim iret. idem conſilia eius alia, conſulta licet & firma, euertit. Fœdus cum *Philippo* tunc Macedonum rege percuſſerat, & vt is in ſocietatem belli, aut potius victoriæ, veniret: legibus iis, vt Italia quidem Annibalis & Carthaginenſium eſſet; Græcia Philippi, Punicis mox armis ſubiuganda. In hanc rem firmandam, Xenophanes legatus à Philippo mittitur. nauigat, legit oram Italiæ, iuxta Tarentum in claſſem Romanam incidit, capitur, & *Quis, quò, quare*, rogatur. Ille Græculus, callido mendacio ſe expedit; & ait à Philippo rege ad Senatum Romanum mitti, vt fœdus in Annibalem & Pœnos iungat. Romani, & eorum Dux Valerius Læuinus, lætari, ouare: & cælitùs tam opportunum auxilium à potenti rege, in rebus arctis, miſſum opinari. Itaque honore honeſtant, proſequuntur, & in tutum Italiæ litus exponũt. Expoſitus ille rectà ad Annibalem tendit, & mandata dat, accipit: denique de tota re peragit & definit. Nihil ſupererat, niſi vt ipſe ad Philippum, Philippus in Italiam veniret; & funus res Romanæ eſſent. Deo aliter viſum, vigilat: & in reditu eadem nauis in Romanam claſſem incidit, ſed cui Q. Fuluius præeſſet. Ille prioris doli & hominum ignarus, quærit ſolita: & Xenophanes ſemel mentiendi felix, eodem applicat, *A Senatu venire, ad regem ſuum ire*. Hæc vultu ac voce conſtans; iámque perſuaſerat. cùm ecce vident inter comites, quoſdam Punico habitu. & *Qui iſti*? clamat Fuluius: *à Græciâ non ſunt*. Turbantur, fatentur, in vincula dantur, Romam mittuntur: omnia conſilia & pacta detecta, Roma ſeruata. Seruare enim eam fuit, vel in tempus cœptum impedire, & donec miſera reſpiraſſet. I nunc, & quis Epicurus hic Prouidentiam neget?

IV. Iterùm idẽ in EODEM. Rebus iam, ſuâ culpâ & morâ, dubiis, & Romanis animo ac viribus auctis: vt ſua pariter firmaret, fratrem *Aſdrubalem* ex Hiſpania euocauerat, cum nouis copiis, & valido exercitu. Iam Alpes tranſierat, iam aduentabat: quis non actum de re Romana cenſuiſſet, quæ ægrè vel vni Annibali reſiſtebat? Iunge iſtum, veteranum ducem, tot ſubſidia: ad exſequias tuas Roma imus. Vide rem leuem, ſed à Deo, quæ turbat. Neſciebat etiam Annibal fratrem in Italiam veniſſe, & in extrema Apulia conſidebat: cui obuiam ire, rano alioqui & conſilium erat. Miſerat autem Aſdrubal, præmiis inductos, quattuor Gallos equites, duos Numidas, qui omnia Annibali ſignificarent: ſed ij cùm totam ferè Italiam tutò emenſi ad Tarentum veniſſent, ibi à vagis Romanis pabulatoribus excipiuntur, Annibali iam vicini. Deducuntur ad Conſulem *Claudium Neronem*, caſtra oppoſita Annibali illic habentem: fatentur, literas tradunt; per interpretem explicantur. Ibi cognitum, Aſdrubalem in Vmbriam venire in animo habere, ac fratri ibi occurſuro iungi. Conſul ſtatim, magno animo facinus auſus (vt in magno periculo) validiſſimam partem copiarum clàm è caſtris ſubducit: lectos omnes, ſex millia peditum, mille equites: & dies noctéſque non intermiſſo itinere, occultiùs ad *Liuium Salinatorem* (is alter Conſul oppoſitus Aſdrubali erat) venit. Ita ſtatim duplicatis viribus cum Aſdrubale pugnatum: cuius & cæſi caput Nero ſecum eadem celeritate in caſtra refert, ac poſtero die ante ſtationes hoſtium proiecit. duobus etiam captiuis dimiſſis, qui rem omnem ordine nunciarent. Tum denique perculſus, imò deſperans Annibal, vocem hanc è pectore emiſit: *Agnoſco fortunam Carthaginis*. Benè, benè. Tu nitere, & omnia fac, vinceus non vinces, prudentia infra fortunam erit, & Nemeſis Carthaginẽ tuã premet.

MON. IIII. *Regna à Deo & Reges temperari.*

Breue monitum, ſed magni ſenſus & vſus: videre quomodo Deus diſponat & cohibeat, hos ne creſcant, hos ne cadant, & velut in æquilibrio res ſuſpendat. I. Hoc Nicephori Gregoræ verbis dicendum eſt: *Mirari mihi ſubit*, inquit, *imperueſtigabilem Dei ſapientiam, qui planè contraria vno fine concluſit. Nam cum duas aduerſarias poteſtates inter ſe committere ſtatuit, nec alteram alteri ſubiicere: aut ingenio & virtute præſtantes vtrique parti moderatores præficit, vt alter alterius conſilia & conatus euertat, & vtrimque ſubditorum libertati conſulatur; aut vtroſque hebetes & imbelles diligit, vt neuter alterum tentare, & ſepta (quod aiunt) tranſilire audeat, vetereſque regnorum limites conuellere.* Lib. v. Dici prudentius nihil potuit: & Prouidentiæ hanc diſpoſitionem quot exempla adfirmant? non inſiſto, & vetera omitto: ſed nuper *Carolus*. v. nobis, *Franciſcus* I. Gallus, *Solemannus* Turcis imperitabant: quiuis eorum dignus orbis terræ imperio. & habuiſſent, aut promouiſſent, niſi concurſus ille fuiſſet, & alius alium interpellaſſet. In parte altera exempla, quæ verecundia prohibitus non dicam.

MON. V. *Clariſſimè Fata in Prædictionibus elucere.*

At nulla res Fatum clariùs certiúſque, quàm Vaticinia, aut Prodigia aſſerant: quæ diu antè cauſſis notíſque nullis apparentibus, cùm euenta deſignent: I. quid niſi & hæc definita, & à Deo eſſe clamant? Daniel ille VATES, & SIBYLLÆ multis antè ſæculis multa & magna prædixerunt: vnde & quomodo, niſi quia in Prouidentiæ libro hæc deſcripta? & Deus reuelauerat. Nam ita amat Numinis illa benignitas, per *Somnia*, per *Signa*, per *Spectra*, & *Vaticinia* res futuras oſtendere: diuinitati ſuæ adſtruendæ, nobis inſtruendis aut præparandis. Latus lætúſque campus eſt, placet ingredi, & leuiter luſtrare? fiat. Ac primò de SOMNIIS, nobile eſt quod ASTYAGI vltimo Medorum regi factum. Vidit per quietem, ex natura filiæ, quam vnicam habebat, vitem enaſci, & ſic mox diffundi, vt totam Aſiam palmite ſuo obumbraret. Conſulti vates aiunt, *Naſciturum ex filiâ, qui Aſiæ regnum occupet, ſuo eum nudet*. Territus hac denunciatione, & vt fatum auerteret (miſer, quid operam ludis?) iam primùm filiam ſuam extero, & obſcuro tunc viro, *Cambyſi* deſpondet. deinde eamdem partui vicinam ad ſe traducit, & vt quod natum eſſet ſe teſte necaretur. Ergo infans *Harpago* traditur occidendus, notæ fidei, & cui arcana illius regis iamdiu innixa. At ille veritus, ne ſi mortuo Aſtyage imperium ad filiam veniret (nec enim virilis ei ſexus liberi) pœnam obſequij lueret: non necat, ſed paſtori regij pecoris tradit exponendum. Fortè & vxor huius pepera quæ re auditâ

rogat opere maritum, puerum ad ſe deferri, & oculis ſaltem libari. Maritus indulget, it in ſiluam vbi reliquerat: reperit canem fœminam, quæ mammas præbebat, & vnà alites ferâſque abigebat. Tactus miraculo, & vel à cane doctus miſerari, tollit puerum, vxori defert; quæ videt, amat, alit. & creſcit in virum in regem: qui Aſtyagem vicit, ſceptrum ad Perſas tranſtulit.

II. Sed & ANTIGONI ſomnium mirabile, ſuper *Mithridate*. Iſte è Perſarum magis oriundus, erat in comitatu Antigoni Macedonum regis, Perſide ſcilicet deuictâ, & fortunâ ſuâ cum publicâ inclinatâ. Viſus videre noctu Antigonus, ſementem auream in magno campo ſe facere, eam ſurgere, adoleſcere & matureſcere: ſed mox omnia demeſſa item videre, & culmos ſpicâſque iacêre inanes. Vocem adhæc audire, *Mithridatem in Pontum Euxinum fugere, auream meſſem ſecum aſportantem*. Non obſcurum ſomnium aut ſignificatio. itaque rex, vbi euigilaſſet, exterritus tollere ſtatim Mithridatem ſtatuit, & cum filio *Demetrio* communicat, fidem ſilentij iureiurando ſtipulatus. Erat familiaris, in pari ætate, Mithridati Demetrius: & fortè iſte ſe obtulit, à recenti indicio. Miſeratur adoleſcens, & adiutum velit, ſed religione iuramenti cohibetur. Quid facit? apprehenſum ſeducit ab aliis, & nihil effatus, haſtâ in terræ puluere ſcribit: FVGE MITHRIDATES. Quod ille arripit, & verbis iſtis, & vultu ipſo Demetrij monitus, in Cappadociam clàm aufugit, & regnum mox potens & inclytum Ponti condidit: quod ſtetit in octauam ab eo ſtirpem, alterum illum *Mithridatem* Romana potentiâ vix euerſum.

III. Aſſidet iſtis, & primo vtique, ſomnium quod ERTVGVLES pater *Oſmanis*, à quo potentes iſti Aſiatici *Oſmanidæ*, vidit: ſed vidit de die, cùm poſt cibum ſumptum meridiaretur. Experrectus igitur, & imagine eâ confuſus, primò corpus aquis abluit, & ſe purgat, vti religio gentis eius habet. tum ad *Edebalim*, virum inter ipſos ſapientem & ſanctum, venit atque iuſſit: *Somniaui vir venerabilis* (Annalium Turcicorum verba pono) *ſplendorem Lunæ è ſinu tuo prodire, eúmque in meum deinde ſinum peruenire. Eò cùm delatus eſſet, ex meo vmbilico enaſci arborem, quæ regiones varias, montes & valles inumbraret. Ad ipſas autem radices arboris, aquas emanaſſe, quibus vinea & horti rigarentur: atque ibi ſomnium me ſomnúſque deſeruit.* Edebales audito, aliquamdiu ſecum reputans, effatur: *Naſcetur tibi filius, vir bone, cui nomen erit Oſman. Is multa bella geret, victoriam & famam pariet; ac poſteri tui Principes Regéſque terrarum erunt. Mea autem filia Oſmani nubet: atque is ſplendor eſt: qui e ſinu meo prodiit, & in tuo comit: ex vtroque autem arbor.* Quàm mira, & vera prædictio! ſed & de *Luna* notabile, quam ſcimus inter ſigna prima eſſe Turcicæ gentis.

IIII. Iam ad SIGNA tranſeo: quæ *Magna* aut *Parua*, ſed certa pariter ſe oſtenderunt. TIMOLEONTI Corinthio, cùm in Siciliam, ad pellendum tyrannum exiguâ manu iret: fax ei in mari, totam noctem, nauiganti præluxit. Amplius, Delphos paullo antè profectus, vt Apollini ſacra & vota faceret; è donis ſuſpenſis vittam, in caput ſuum deciduam, ita excepit, vt coronæ aut diadematis ritu cingeretur. atque erat ea vitta victoriolis & corollis intexta: prorſus vt à Deo coronari, & victor pronunciari videretur. Quid, quod eidem ante pugnam cum *Icete* contigit? Contentio honeſta inter Centuriones & manipulos de ordine erat, & præire omnes volebât: cùm ille, litis dirimendæ, ſorte definire iubet, & annulos Centurionū in eā poſcit. Coniiciuntur in ſinū veſtis, commiſcentur: qui primus educitur, is tropæum pro inſigni habebat inſculptum. Audit omnes ab omine animis, in hoſtem alacriter eunt, cædunt, vincunt.

V. MARCIANO Thraci, plebeio genere, & mox Imperatori, plura hæc potentiæ Signa euenerunt. Ad militiam primam eunti, & vt nomen daret, cadauer hominis occiſi in viâ offertur: ad quod ſubſtitit, & miſeratione tactus in eo eſt vt ſepeliat, & terrâ regat. Dum facit, deprehenditur, accuſatur vt homicida, & Philippopolim abducitur. Iam pœna imminebat inſonti: cùm verus homicida caſu ſuperuenit, & agnoſcitur: ipſe liber ad vicinos numeros tendit. quibus inſcribitur, & (pulchrum omen!) in locum defuncti militis, *Auguſti*. Et iam cum legionibus in expeditionem ibat: cùm morbus eum inuaſit, & in Lyciâ ſubſtitit, hoſpitio apud duos fratres exceptus, *Iulium* & *Tatianum*. Cùm meliuſculè ei eſſet, recreandi cauſsâ, tres ſimul venatum eunt: & fatigati decumbunt, & obdormiunt. Æſtus ſolis erat, & ipſe meridies: ibi aquila panſis alis, leuitérque corpus librans, ſuper Marcianum ſe ſuſpēdit, & vmbrā fecit. Tatianus experrectus id videt, ac fratrem excitat, & oſtendit. Vterque mirabundus haud vanè augurantur, auem regiam regnum ei portendere: & Marciano futuram ſortem gratulati, ducentos etiam aureos in viaticum donant. vnum hoc apprecati, vt memor gratúſque eſſet, cùm ad Imperium veniſſet. Idem hoc prodigium iterùm ei ſic factum. In Africam, ſub *Aſpare* copiarum duce, profectus eſt: atque ibi pugnâ cum *Ganzerico* rege parùm proſperâ, capitur aſſeruatúrque. Cum pluribus ſub diuo recumbit, calido item ſole: ecce aquilam quæ aduolat, Marciano ſuperſiſtit, & incoràm omnibus vmbraculum ei ſedulò præbet. Vidit ipſe Ganzericus, & miratur, & vocat: ac liberum hac lege amittit, vt Imperator pacem cum Vandalis colat. Nec diu pòſt, mortuo *Theodoſio*, *Pulcheria* eius ſoror Principem hunc, & ſibi maritum deſtinat. ſed maritum ſermonis cauſsâ: ſtipulatúſque vt nomine contentus, cetero fructu corporis ſui abſtineat: quod caſtum pia virgo Deo conſecraſſet. Num quid veracia, & palàm à Deo hæc Signa?

VI. DCCXII. Atque eadem, ſed triſtioris fortunæ nuncia, in Hiſpaniâ apparuerunt, RODERICO vltimo Gothorum rege. Palatium Toleti erat, ſed clauſum & validis vectibus ferróque minutum. Fama tenebat, reſeratum id excidio Hiſpaniæ futurum: quod Rodericus ridere, & theſauros occuli ratus, ſeras perfringendas curauit. Theſauri nulli, ceterùm arca reperta, & in eâ linteum: in quo inſolentes hominum facies veſtéſque depictæ, atque ipſi militari habitu atque impetu graſſantes. Verba Latina inſcripta, *A tali eà gente exitium Hiſpaniam manere*. Quid plura? fides factis facta: *Iulianus* Comes, cuius filiam rex ſtuprauerat, ex Africâ hoſtes inducit, regem occidit, patriam perdit.

VII. Sunt & parua magnarum ſæpè rerum ſigna. Noſtro æuo, cùm in locum *Pauli* IIII. Pontifex creandus eſſet, & in conclaue purpurati patres veniſſent: en ſuper IOANNIS ANGELI Cardinalis Medicæi, qui pòſt PIVS IIII. nomen habuit, columba aliquamdiu circumuolitans, cellam cònſedit. nec aliter omnes interpretari ſunt, quàm velut à Numine miſſam, Pontificem hunc oſtendere deſignandum.

VIII. In tranſlatione Luſitanici ſceptri ad PHILIPPVM Hiſpaniarū regem, notatum à curioſis eſt, *Seba-*

ſtianum

ſtianum regem Luſitaniæ, cùm in Africam magnâ mole moueret, & pecuniæ inopia eſſet, edicto permiſiſſe & aditum dediſſe in Luſitaniam *Regalibus Caſtellanis*: quod genus monetæ aureâ ibi ſpretum. Item, in ipſo apparatu & cultu nobilium, ſub diſceſſum omnes ſubitò variaſſe, & ad Hiſpanicum trâſiſſe. Clariora ſũt, quàm vt interpretatione illuſtretur.

IX. At verò *Spectra* etiam ſæpè & Genij, variâ ſpecie, prædicunt. Vt ille, qui DIONI SYRACVSIO apparuit, poſtquàm patriam magnâ ſuâ gloriâ à tyrannide liberaſſet. Domi ſedebat, & clarâ luce habitu Furiæ mulier ſe obtulit, grandi ſtaturâ, horrendâ fœditate. Ea domum ſcopis verrere, nihil aliter prolocuta: & territo Dione, cùm familiares aduocaſſet, ſpectrum abſceſſit. Sed non noxa, quam ſignabat. nam filius eius grandior, incertum an per inſaniam ſubitam, an iram, è ſummâ domo præcipitem ſe iecit, & fœdè occîdit. Sed & ipſum Dionem mox inſidiatores domi interfecerunt, vxore & ſorore eius in carcerem abductis. Quid? non egregiè domus hæc verſa, ſi non euerſa fuit, monſtro ſignificatum?

X. M. BRVTO Dionis æmulo, ſimile etiam ſpectrum oblatum. Parabat traiicere ex Aſiâ exercitum in Europam, & funeſtus illos Philippos, vbi mox certatum. Nox alta erat, Luna lucens, & Brutus aliquid ſerium animo voluebat, aut, vt alij, lucubrabatur: cùm ecce ſonus ſtrepitúſque ad cubiculi ianuam, & ingreditur vaſtâ formâ Æthiops, tæno & terriente aſpectu. atque is ſilentio ante Brutum conſtitit. Qui animo & ore conſtans, interrogat: *Quis hominum deorúmque es? quæ res huc egit?* Reſponſum retulit: *Malus tuus Genius ſum, in campis Philippicis me videbis.* Iterùm animosè Brutus: *Videbo.* Diſparuit. ſed vt dixerat, in ipſis illis campis comparuit nocte quæ pugnam vltimam anteceſſit: cùm à bono Genio Brutus deſertus, malo ſuccubuit; atque adeò ipſe occubuit, & Romana cum eo Libertas.

IX. 00. 12. XXVI. Compar iſtis, quod patrum æuo LVDOVICO Hungariæ regi accidit: cui bellum *Solemanus* Turcarum princeps parabat, atque ipſe pariter ſe accingebat. Prandebat in arce Budæ, foribus tunc regiæ de more clauſis. Aſtat ad portam quiſpiam humanâ ſpecie, ſed claudus, diſtortus, & habitu cetero cultúque fœdo: qui acri & ſtridulâ voce clamat, poſcítque colloquium regis. Negligitur, & putabant mendicabulum hominis eſſe: cùm magis magíſque inclamat, & opus conuento rege, nec alio, eſſe. Re ad regem delatâ, mittit è ſplendidioribus aulicis, iuſſum nomen & perſonam ſuam præferre, & hoc quidquid eſſet elicere. Venit, & appellat claudum de arcano. qui inſpecto, abnuit hunc regem eſſe: & *Quoniam*, inquit, *audire aſpernatur, abi, nuncia breui & certo periturum.* Et cum dicto ex oculis adſtantium euanuit. Nimis vera comminatio fuit. rex ad *Mohatzium* vrbem, grandi prælio victus, & fugiens in paludes incidit: & dum enititur, equo ſuper eum corruente obteritur, aut ſuffocatur. Annum agebat vigeſimumprimum.

XII. Ad *Vaticinia* aut prædictiones venio: è quibus *Thraſylli* TIBERIO facta, quàm teſtata eſt? Erat in comitatu Tiberij, Mathematici titulo, cùm Rhodi in exſilio ageret. In exſilio: & quàm procul à Principe? & *Caius* ac *Lucius Cæſares*, etiam viuebant. Non deſinebat tamen iſte identidem Tiberio fidem facere certi principatus. Sed parùm credulo, & iam de dolo etiam ſuſpectanti: & ne ſubornatus ab æmulis, ad eliciendas arcanas aliquas voces eſſet. Atque adeò perdere eum ſtatuit, & clàm necare. Domum Rhodi habebat. & in ea turrim, quæ rupibus impoſita, mare ex alto deſpectabat. In hanc turrim duci Thraſyllum, cum vno fido & valente liberto comite: certus, vt dixi, tollere, niſi fidem ei faceret fidæ prædictionis. Cùm aſcendiſſent igitur, cœpit interrogare: *Soli ſumus, dic per quidquid carum habes, vera hactenus mihi dicis? de imperio etiam adfirmas?* Ille iterare, & ſidera ſic velle. *Si de meo igitur ſtatu compertum*, inquit, *ex ſideribus habes: de tuo ecquid ais? inſpice.* Ille thema ponere, ſitus ac ſpatia ſiderum conſiderare: denique timere, palleſcere, & exclamare, *Anceps ſibi, ac propè vltimum, diſcrimen inſtare.* Eo dicto complexus hominem Tiberius, verè conſcium futurorum aſſerit: & quod de ipſo meditabatur, ſi non ſatisfeciſſet, pandit. Quâ arte hoc Thraſyllus potuerit, verè ſiderali, an potiùs Geniali, alibi videndum ſit: nunc aliud eius mirandum addo. Ambulabat io litore, cum eodem Tiberio. nauis longè conſpicitur: ille ſtatim affirmat Romà venire, & litteras nunciósque ab Auguſto de reditu eius afferre. An & hoc tale ex ſideribus? nugæ: ex inſtinctu.

XIII. Neque minùs nobiles iſtæ (plures enim ſunt) in DOMITIANI Principis rebus. Fuit *Largius Proculus* quidã, vir inter illuſtres: qui publicè in Germaniâ prędixit, ipſo tali die Domitianum obiturum. Cúmque res ea ad Præſidem dimanaſſet, gratificaturus Domitiano, & ſimul quia hæc præſagia verita, vinctum eum Romam miſit. Nec negauit, cùm introductus ad Domitianum eſſet, imò magis magíſque aſſeuerauit. Iuſſus igitur io carcerem recludi, & aſſeruari donec dies is tranſiſſet, tum puniendus: imò, vt res docuit, tum liberandus, & præſagij ſuſpiciendus. Aliud. Fuit eodem tempore *Aſcletario* Mathematicus, qui & diem & genus mortis Domitiani apud quoſdam dixit. Vocatus ab ipſo, eadem iterauit: quærentique Domitiano, vt eluderet, *Tu igitur, quâ morte periturus?* ille ſtatim, *Fore, vt à canibus laniaretur.* Tum Imperator, ad fidem coarguendam extemplò abduci, & viuum exuri iuſſit: ſiue, vt Suetonius, priùs interfectum. Sed vtrùm borum, tamen extra vrbem, viâ Latinâ, homo vritur, ſcilicet vt nihil reliquum è cadauere eſſet, quod canes laniarent. Sed ecce nimbus ſubitò ortus rogum exſtinguit, & miniſtri ſemiuſtum relinquentes diffugiunt. Canes ſuperueniunt, & vorant. Veſpere cœnanti Domitiano, inter alias fabellas eius diei, id refertur: & valdè eum, ſed fruſtrà commouit. Munit ſe, domi hæret, neminem admittit: ſed ſui eum reperiunt, & Stephanus, cubiculariorum primus, cædem patrat. Quâ ipſâ in re, *Apollonij Thianei* nobile vaticinium non eſt omittendum. Erat tunc Epheſi in Aſiâ, tanto terrarum & marium abiunctus. Is diſſertationem fortè in publico habebat, ac primò hæſitare & loqui remiſſiùs, mox palleſcere, & ſilere: denique paſſus aliquot exſiliens, vt mente motâ, *Euge Stephane*, inquit, *rectè. Percute tyrannum, percute homicidam. Bene eſt, percuſſiſti, vulneraſti, occidiſti.* Hęc in publico dicta & geſta, ipſâ horâ, quâ Stephanus percoſſit: ô mira, ſed vera. Attexetur autem non indecorè.

QVÆSTIO:

Liceátne igitur & deceat, in euentus inquirere, & vates aut diuinos conſulere?

Non arbitramur: etſi ſuprà tetigi, prudentiâ aliquâ ſcrutari poſſe & odorari, quò tendant fata. Sed diſtinguenda tota res eſt: & ſic habe. Indiciis aut notis, quas vir prudens ex lectione, ex vſu, & obſeruatione

ſimilium collegerit, aliquid ſuſpicari aut præſumere A de fatis, id licet: ſed cautè, & timidè. At ex artibus magorum, ariolorum, diuinorum, mathematicorum, & quod aliud tale genus, id verò nefas eſt, nec diuina aut humana lex permittit. Deus palàm edicit. Deuteron. cap. xviii. *Non inueniatur in te, qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia atque auguria: nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones conſulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus.* Et noſtra diuina lex tantùm? etiam falſa illa Mahumetis. lib. iii. de Africâ. Ioannes Leo ſcribit: *Magiam & caballiſticas artes lege Mahumeticâ vetitas, & velut hæreticas haberi. Huius enim,* inquit, *Alcoranus* OMNIA DIVINATIONVM *genus vanum eſſe aſſerit, Deúmque ſolum arcana noſſe.* Benè hoc & prudenter Mahumetes: atque omnis bona Reſpublica damnat. Illa Romana, quot decretis & legibus? notæ ſunt: nec cauſſæ etiã ignotæ, aut diu quærendæ. Eruo iſtas. primam, quòd turbant prædictionibus animos, & ad nouas aut magnas B ſpes impellunt. Mecænas apud Dionem, in Oratione ad Auguſtum de Republicâ conſtituendâ, dignâ quam Principes legant: Τοὺς δὲ μαγευτάς, inquit, πάνυ οὐκ ἐν τῇ [illegible]· πολλοὺς γὰρ πολλάκις οἱ τοιοῦτοι, τὰ μέν τινα ἀληθῆ, τὰ δὲ πλείω ψευδῆ λέγοντες, νεοχμοῦν ἐπαίρουσι: Lib. lii. *Diuinos & vates in republicâ eſſe, prorſus non oportet. Multos enim hi tales, dum vera quædam, plura falſa proferunt, ad res nouas impellunt.* Rem dicit. & quid tam proprium iſtis, quàm magna & blanda prædicere, & animos ad fortunæ faſtigia attollere? facili noſtrâ credulitate, *tamquam peritiâ & monitu fatorum* (ait Tacitus) *prædicantur, & cupidine humani ingenij, libentiùs obſcura credi.* O veriloquis! inclinamus: & vidi & ſiſi Principes viros, auribus atque animis in 1. Hiſtor. hæc pronos, imò alia omnia artium præ his ſpernentes. At, vt Dio aiebat, turbas & res nouas dant. Quis neſcit, qui hiſtoriam veterem legit? & *ad ſcelus* (ait C iterùm Tacitus) *ab huiuſmodi votis facillimè tranſitur.* Hinc conſpirationes in Principem, aggreſſiones, defectiones: & quę copiâ exemplorum deterreor Ibid. affirmare. Poeta luſerat, aut veriori nomine hîc vates:

> *——Nos prauum ac debile vulgus*
> *Scrutamur penitus ſuperos. hinc pallor, & ira,*
> *Hinc ſcelus, inſidiæq́. & nulla modeſtia voti.* Statius.

Apollo veriora dicta numquam dedit. Sed cauſſa altera, Fallacia. Nihil in prædictionibus iſtis firmum, nihil ex arte certâ (quidquid aſſimulent) hauſtum: & qui veriora dixiſſe videntur, à Geniis habent. Sed ii ipſi quàm ament & gaudeant nos fallere, id quoque ſcimus. Quid, quòd vel inuiti etiam fallunt? neque enim ſunt omniſcij, & quamquam ſubtiles, & arcanorum Dei per notas ſcrutatores: tamen aberrant, & abyſſum illam Fati non peruadunt. Itaque benè D iterùm Tacitus: *Mathematici, genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax.* Certè vtrumque. nam 1 Hiſtor. & potentes deſtituunt aut decipiunt, aliò tranſgreſſi: & vanitatibus falluot. *Parere* (ait iocosè Seneca) *aliquãdo Mathematicos vera dicere.* Patior. & tot ſagittas cùm emittãt, vnã tangere, aberrãtibus cęteris. Enimuerò ridiculi Principes, qui huc ſe donant. Vide Agrippinã, Neronis matrem: quæ mortuo Claudio, domi eum aliquandiu tenuit, famam de morte ſuppreſſit, vt progreſſui ſcilicet & auſpiciis *tẽpus proſperum ex monitis Chaldæorum, attentaret.* O dij Tac. xii. Annal. deæque, tetigit! quàm ſalutaris ille rector, quàm diuturnus, quàm illi & ſibi lætus etiam fuit! Bellum a- E liud in Nicetâ Choniate, prudenti illo (fatendum eſt) hiſtoriæ ſcriptore. Tangit vitium ſui (vtinam non & noſtri!) æui, atque ait. *Noſtris temporibus* IMPERATORES NIHIL SINE PRÆSCRIPTO ASTROLOGORVM *agunt: & rebus gerendis dies atque horas eligunt, vt ſidera dictarunt. Itaque Alexius Imperator, diu cunctatus, quando opportunè Blachernas rediret: tandem dies & hora ex aſtris eliguntur. Redit. & quidem ita feliciter, vt cùm primùm ſe moueret, terra ante ipſum profunde dehiſceret: atque ipſe euaderet, ſed Alexius gener eius, & multi illuſtrium in ſpecum delaberentur, læderentúrque: Eunuchus verò vnus è gratioſis planiſſimè periret.* En, & hîc veracem ac felicem artem! quam Deus de induſtriâ ridendam ſic propinat, vt nos auertat. Recitat magis ridendum, de *Manuele.* cuius imperio, cùm Siculi & Latini mare occupaſſent, vicinum Byzantio, & damnum ac dedecus in oculis cottidie eſſet: ſemel iterumque in eos claſſem miſit, ſed cum clade & ignominiâ ſemper repulſam. Igitur Mathematici & aſtra conſuluntur, eligitur dies felicior, nec ambigitur de ſucceſſu. Parat ſe *Conſtantinus Angelus,* vir illuſtris, & prodit iam in hoſtem: ſed ecce citis nunciis è medio curſu reuocatur: *quia exploranerat Princeps parùm certè & ſagaciter indagationem factam, & erroris aliquid interueniſſe.* Ergo thema iterùm ſtatuitur, magnâ curâ: & diu diſputato inter peritos, tandem conuenit de benefico & ſalutari ſiderum aſpectu. Conſtantinus emittitur: & quid quæris? victoria in manibus. Adeò quidem certò, vt vix in mare progreſſus Conſtantinus, non dicam vincatur, ſed ipſe cum ſuis capiatur: quo nihil deterius potuit euenire. Eant Principes, & his credant. Atqui peritiores aliquos ſortientur. Ita, peritiores ad fallendum, non ad ſciendum: & quidquid dicitur, extrema fraus & noua occupabit, rideant licet prima. Valerij verbis claudam: *Mathematici* (& alios intellige) *leuibus & ineptis ingeniis, fallaci ſiderum interpretatione, quæſtuoſam mendaciis ſuis caliginem iniiciunt.* Audis C Princeps? *leuibus & ineptis ingeniis* adhærent, placent: & tu inter eos cenſeri velis? Audi & de *quæſtu,* quod addit: finem hunc omnes iſtæ præſtigiæ (non enim artes) habent: caue, ſperne. Tantùm, ſi *Somnia, Signa, Spectra, Vaticinia* Deus palàm mittit (& viros tunc pios doctóſque conſule:) inſuper ne habe.

CAPVT VI.

DE CONSCIENTIA.

Eam curandum eſſe, atque obſequendum.

A Religione prioſquam abeam, de Conſcientiâ etiam admoneo, & adnecto. Quid ea eſt? ex religione & Dei metu animi iudicium ortum, bona approbans, mala abhorrens. Omnes illuc vocamur D ab interno iſto iudice, velut ad tribunal: & homini formato indelebilem hunc characterem Deus impreſſit. Tertullianus pulchrè: *Poteſt obumbrari, quia non eſt Deus: extingui non poteſt quia à Deo eſt.* Vtrumque rectè. nam & nubes aliqua ſiue aulæum ei obducitur, affectu aut cõtemptu iubente: ſed prorſus non amouetur aut tollitur, imò ipſa aulæum tollit. Mali doctores in Politicis, qui hanc ſeponunt aut calcant: qui externam virtutum ſpeciem nobis ingerunt, ipſas admitti negant. Bis térque miſeri, etiãmne animo huic & Conſcientiæ imponent? Vela te, & verte in varias formas: vbicumque vera virtus non eſt, vitium ſubſequetur, & ex eo inquies E in animo aut timor. Vetus ille idem ſcriptor: *Omne malum aut timore, aut pudore natura ſuffudit.* Quanto Apolog cap. I. melius, ſecurius, firmius rectâ apertâque via incedere; Deo, ſibi, hominibus, ſe probare? Exclamare cum Philoſopho noſtro: *Nihil opinionis* Seneca.

cauſſâ,

cauſſâ, omnia Conſcientia faciam. Populo ſpectante fieri credam, quidquid me conſcio faciam? Ades, ades, quiſquis populum ducis, hanc babe conſiliorum actionumque tuarum ducem & magiſtram. *Nihil hac luce clarius, nihil hoc glorioſius teſtimonio, cùm veritas in mente fulget, & mens in veritate ſe videt.* Vis vnum, ſed illuſtre, probæ vitæ, probæ mentis exemplum? cape.

Bernard. in Cantic. Serm. LXXXV.

Livivs Drvsvs, cùm domum in Palatio ædificaret, & architectus offerret, ita ſe ſtructurum, vt libera ab arbitris & omni deſpectu eſſet: *Quin tu potiùs*, inquit, *ſi quid in te artis eſt, ita compone domum meam, vt quidquid agam, ab omnibus inſpici poſſit.* Vox magnifica, vox laudanda! vita an pro eâ fuerit, ambigo, neque inquiro.

CAPVT VII.

DE PROBITATE, ET CONSTANTIA.

Vtramque Principi conuenientem, aut neceſſariam eſſe.

HAs Virtuti & Religioni addidi: quæ rite vbique vtraque in Principum factis ſe oſtendat. Quid enim *Probitatem* appello? niſi rectum & ſine fuco Virtutis amantem animum, quique ipſam propter ipſam, non commodum aut famam, amat. Talem in Principe requiro, & ex deſcriptione Amphiarai, apud Æſchylum:

> Οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
> Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
> Ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα:
> *Nam iuſtus eſſe, non videri ſtudet,*
> *Sulcum profundum in mentis agro conſerens,*
> *Conſilia de quo germinant ſalubria.*

Bona deſcriptio, & monitio. Iuſtus probuſque eſto: & ex profundâ mente pullulabunt honeſta, & vtilia, conſilia. Ne enim iſta ſeparemus: non inquam Honeſtum ab Vtili. & errat ab Italiâ doctor, qui ducit aliò, qui tyranniones minutos, non Reges aut Principes legitimos format. Abeat. tolle tu fucum & fraudem: quæ nec valida, nec diuturna eſſe poſſunt. Poſteà ſuper hac re plura. At verò *Conſtantiam* dico, animi erecti magnitudinem, qui vtrique Fortunæ par eſt, nec attollendus à lætâ, nec alterâ deprimendus. Sicut adamas, nobiliſſima inter gemmas, infractam vim habet: ſic Princeps debet animi robur. Et verò quàm ei opus eſt? in altam illam fortunam quot nimbi, procellæ, fulmina incidunt, aut incurrunt? Nihil miſerius Principe, qui ad ſingula moueatur, aut ſe inflectat. Debet & ab vſu, & tractatione rerum, inducere Conſtantiam. Videt aſſiduè incerta rerum humanarum: publicè aut priuatim caſus & calamitates audit: verſetur in iis, non inhæreat. & vt rota in curru per terram voluitur, ſed ſuper eam exſtat: ſic ipſe. Tractet humana, & norit: ſed iis ſe etiam eximat, & ſecum dicat: *O quàm contempta res eſt homo, niſi ſuper humana ſe erexerit!* Seneca. Denique poëtæ hoc imbibat:

Lucanus.

> *Lege Deum, minimas rerum diſcordia turbat,*
> Pacem Svmma *tenent.*

Sed exempla aliquot veræ *Probitatis*, & tum *Conſtantiæ* videamus.

I. Aristide inter Græcos, quid probius aut ſimplicius? qui cùm gloriæ & nominis cauſſâ periclitaretur in exſilium decennale mitti, quod à genere ſuffragij *Oſtraciſmum* Græci dicunt: minuendæ ſcilicet priuatæ potentiæ, & muniendæ publicæ libertati: ille, inquam, cùm in ſuffragia iam iretur, ipſe quoque aderat, & ſtabat permixtus plebi. Ibi aliquis de numero, ſcribere imperitus, hunc propinquum rogauit, vt in teſtulam nomen *Ariſtidis* inſcriberet, damnandi ſcilicet eijciendique. *Ergo eum noſti?* inquit: *aut aliàs is te læſit, nocuitque?* *Neutrum*, inquit alter: *ſed hoc malè habet & damnatum eo, quòd paſſim vocari audio Iuſtum.* Teſtam accepit Ariſtides, & paruit, ac nomen ſuum promptè inſcripſit. O ſumma Probitas, & alio quàm populari illo theatro digna!

In iiſdem Græcis, Epaminondæ tota vita nil niſi probitas & rectitudo fuit: adeò in factis non obliquus, vt nec in verbis: & *ne ioco quidem mentitum vmquam*, fidi ſcriptores tradiderunt. Idem, cùm inuidiâ premente, bello præfectus non eſſet, re tamen & neceſſitate talem Ducem poſtulante: imò & alius imperitus eiuſce artis delectus eſſet: ipſe nihilum motus, pro gregario milite nomen dedit. Ac cùm mox, ignauiâ ductoris, ventum in verum & grande diſcrimen eſſet; cunctis circumſpicientibus & Epaminondam requirentibus, ille alacris, & deterſâ iniuriæ memoriâ, prodiit, & exercitum obſidione ereptum, incolumem in patriam reduxit. II.

Simile aut gemellum tuum Q. Fabi factum. qui cùm per iniuriam æquatus imperio, ipſe Dictator, cum *Minutio* Magiſtro tuo militum eſſes; quin & diuiſio legionum, vt inter Conſules ſolet, facta: haud diu fuit, cùm temeritas & vanitas in laqueos incidit, datura Annibali pœnas, niſi tu patriæ & ciuium caritate, & probitatis illo ſtimulo, copias tuas ſtatim de caſtris eductas hoſti obiecisſes; & ciues non libertati ſolùm, ſed ſanitati reddidiſſes. Pænituit enim actorum, atque ipſum adeò auctorem Minutium. qui reuerentiâ & admiratione virtutis, ſigna, ſe, & ſuos in caſtra tua reduxit, & ſeriò ſubmiſit ac ſubiecit. III.

M. Porcii Catonis nomen, in duplici homine meruit, vt Probitatis & Virtutis habeatur. IV. Sanè ille ſenior, quantâ integritate vixiſſe debuit, qui cauſſam quinquagies dixit, & obtinuit? nec id gratiâ aut opibus, ſed contra gratiam aut opes totius ferè ciuitatis. Nam inimicos plurimos ei aut inuidos, cùm Probitas tum & Seueritas faciebat: qui nemini parcere aut amicus eſſe didicerat, qui reip. non eſſet. Atque adeò (miræ fiduciæ factum) ex hoc numero inimicorum *Tib. Sempronium Gracchum*, cùm ſenex accuſaretur, vltrò iudicem popoſcit & ſumpſit: ſed & aduerſario iudicante abſolutus, in poſterum & gloriam ſibi & ſecuritatem peperit.

Quid Iunior Cato Vticensis? ſed ille Conſtantiæ reſeruetur, cuius pectus templum & ſacrarium proprium ei Diuæ fuit. V.

In eius locum M. Brvtvs prodeat, qui & in contubernio eius vixit, cùm Cyprum peteret; nec virtutibus ſolùm, ſed adfinitate ſe iunxit. Duxit enim *Porciam* eius filiam, tali patre, tali marito dignam. Sed ipſe Brutus, fallor, aut vnicum exemplar eſt in omni vitâ benignæ & manſuetæ Probitatis. Quàm compoſitus ille animus fuit, qui inſtante Pharſalicâ pugnâ, ipſo veſpere ad multam noctem legit, & ſcripſit, Polybij Epitomen commentans? Vnde ea quies, niſi ab animo introrſum quieto & puro? Qui nec Cæſarem quidem cum perturbatione aut odio occidit: teſtante M. Antonio, cuius hæc vox fuit, *Vnum ſe putare M. Brutum, exſortem affectus, Cæſarem adortum, patriæ & legum amore.* Atque ita eſt. alij in regem ſurrexerunt, ipſe in regnum. Quàm certum argumentum in ipſo M. Antonio? quem cùm vno ore coniurati occidendum cum Cæſare cenſerent, ſolus reſtitit, iuſtitiam magis quàm commodum ſpectans, & quia ex normâ legum modò VI.

putaret, tolli tyrannum. Eâdem animi rectitudine, cùm alij optimatum ad Octauianum deflecterent, illum colerent: reſtitit, & palàm denunciauit, imponi & tolli in humeros tyranni heredem, grauiori mox ſeruitute. Nec id quidem metu ſuo, aut odio. quem ille odiſſet, qui nec armatum & inſidioſum hoſtem, C. Antonium? Bis eius copias & ipſum cinxit, & in manu habuit capere aut occidere: dimiſit. Quo tam benignæ virtutis fulgore milites percuſſi, ad eum tranſierunt, atque ipſum ducem captiuum tradiderũt. Quid deinde in Lycios? acres & peruicaces hoſtes erant: tamen captis per vim arcibus aliquot & opidis, omnes ſine pretio liberos dimiſit. Nec ſic placantur. igitur Xanthios obſidet, premit, & fortuitus ignis vrbem comprehẽdit: quem ciues introrſum, deſperatione & peruicaciâ, augent, alimenta iniiciunt, ſe interficiunt: Bruto miſerante, reſtinguente, ſalutem offerente. Sed & lacrimas vbertim emiſit in triſti caſu, & præmium militibus pronunciauit, ſiquis hominem Lycium conſeruaſſet. Talis & in Patarenſes fuit, pertinaciter item reſiſtentes. Atque ipſe cùm animi dubius eſſet, oppugnaret an omitteret; non victoriæ diffidentiâ, ſed metu ſimilis veſaniæ: ecce habuit in poteſtate pleraſque eorum fæminas, quas omnes intactas in vrbem remiſit. Perfregit ea res animos, & ſponte opidum Virtuti, quod non Terrori aperuerunt. Tamen ille tam mitis in hoſtes, qualis in ſuos fuit? ſeuerus, vbi meruiſſent. In ipſo ardore ciuilium armorum, cùm multa militi, omnia ferè ducibus licent; accuſatum apud ſe à Sardianis *L. Pellam* Prætorem, repetundarum, nihil cunctatus damnauit, & infamiâ notauit: improbante & indignante Caſſio, quòd id temporis amici non alienandi, ſed noui adiungendi viderentur. At ille in Virtutis & Iuſtitiæ orbitâ firmus, nec in communi exceſſu exceſſit: & deſeri, ac deſerere omnia maluit, quàm illas. O virum, cui vel hoſtis meritò lacrimas impendit! Is fuit *M. Antonius*. qui interfecti (ſponte, & ſuâ manu) corpus liberto cuidam ſepeliendum tradidit: atque adeò paludamento ſuo velauit. Quod ille cùm auaritiâ interuertiſſet, neque vnà cremaſſet; gnatus iratusque Antonius, protinus interfici iuſſit, cum hac ſuperdictione: *Et tu neſciebas, cuius tibi viri ſepulturam mandaueram?* Neſciebat vile ingenium: ſed viri hercules magni, & vel *primi*, *vel vltimi* (vtrumuis dicas) *Romanorum*. Tranſeo ad exempla

CONSTANTIÆ.

I. Quorum agmen ducat PHOCION Athenienſis: vir qui contra vulgus, contra potentes, contra fortunam & mortem ipſam immotus ſtetit. Oraculo aliquando Athenis recitato, *Eſſe vnum virum, qui à concordi ciuitate diſſentiret*: quærentibus omnibus, & frendentibus: *Quæſo*, inquit, *quieſcite: ego ille ſum, quem quæritis. nam mihi nihil eorum, quæ agitis, placet.* Proh animum! ſicne vnâ voce totum populum reum agere peruerſitatis, & inſipientiæ? Sed cauſſa tamen erat: & illis Alexandri temporibus, populus Athenienſis delirabat ſenectute. Idem igitur, cùm Dux electus, trepidos ſuos in bello videret, & linguâ ſolâ fortes, prudenter abſtinuit à pugnâ. Mox, cùm rediiſſent, & pace factâ incuſarent illum ignauiæ, & quaſi vincere neſciſſet, aut noluiſſet: inquit, *Felices vos, qui Ducem habetis veſtri gnarum! nam alioqui iamdiu periiſſetis.* Feſtinè & mordaciter, exprobrans ignauiam & imbelliam, quam in animo gerebant, ore autem iactabant. Iterùm in populum, & eius aurigam Demoſthenem. cùm ille quaſi coërcens libertatem Phocionis diceret, *Interficient te Athenienſes, ſi furere cœperint*: iſte, *At te*, inquit, *ſi ſapere.* Tetigit illum, vt improbum; hos, vt parùm ſanos. Et conſtans hic tenor per omnem vitam, nec in morte deſeruit. ad quam publico iudicio damnatus, ſciſſâ ciuitate in factiones: cùm duceretur in carcerem, præcurrerunt improbi, in viâ obuij & conuiciantes. inter eos vnus, ſputum in os eius congeſſit. Ille conuerſus placidè ad Archontes, *Nemon' huius*, inquit, *reprimet proteruiam?* Cùm amicus eius in carcere quereretur, quòd iniuſtè cum Phocione interficeretur: *Et tu*, inquit, *non in magnâ gloriâ ponis, quòd cum Phocione?* Alio rogante, *Num quid ad filium vellet? Maximè*, inquit: *iubere me, vt iniuriarum populi Athenienſis obliuiſcatur.* Alio amico petente, vt priori ſibi bibere cicutam liceret: *Grauis mi Nicocle*, inquit, (id ei nomen) *hæc petitio: ſed cui per omnem vitam nihil abnui, hoc quoque indulgeo.* Ita conſtantiſſimus vir obiit, cum ſui famâ, Athenienſium infamiâ æternâ.

Quid verò mulier in eâdem Græciâ? CRATESICLEA fuit, mater *Cleomenis*, qui rex Spartæ res ibi nouauit, aut potiùs lapſas in antiquum locum reponere tentauit. Is cùm grandi bello cum Achæis diſtineretur, ſed & *Antigonum* ac Macedonas timeret; à ſe impar, opem & opes à *Ptolomæo* Ægypti rege petebat. Qui ſpem fecit, eâ lege, vt hæc Crateſicléa mater eius, itemque filius, obſides fidei in Ægyptum mitterentur. Durum & inſolens ſatis viſum Cleomeni, nec auſus matri proponere, etſi neceſſitas adigebat. Itaque aliquoties loqui eâ de re conatus, abſcîdit, & abſceſſit. Mulier acuta animaduertit aliquid eſſe, & amicos eius percontata, *Ecquid vellet effari Cleomenes, nec auderet?* Quin hortata eos eſt, vt incitarent & ſubmonerent. Tandem ergo Cleomenes poſtulata regis aperuit: illa autem in cachinnum effuſa, *Et hoc erat*, inquit, *quod dicere aggreſſus, non dicebas? Mitte verò hoc corpuſculum quocumque terrarum, vbi vſui Spartæ ſit, potiùs quàm hic ſenio & deſidiâ ſoluatur. At tu vir & rex eſto.* Statimque inſtitit mitti, & nauigare. Deduxit igitur Cleomenes cum toto exercitu Tænarum vſque, Laconiæ promontorium, vbi parata nauis. Illîc in templo Neptuni congreſſi, priuſquam nauim conſcenderet, mutuo complexu & lacrimis (quis matris & filij affectum neſcit?) diuelluntur. Sed illa egrediens, *Age rex Spartanorum*, inquit, *compone vultum & animum, ac caue quiſquam, qui foris adſiſtunt, lacrimantes nos videat, aut Spartâ aliquid indignum admittentes. Hoc enim in nobis eſt, caſus dij gubernabunt.* Sic fata egreditur alacri aſpectu, puerum manibus trahens: nec fæminam ſolùm exuit, ſed matrem. Eadem paullò pòſt, cùm Ptolomæus parùm ex fide ageret; & Cleomeni occaſio eſſet paciſcendi cum Achæis, ſed cunctaretur ob matrem: illa audito, reſcripſit animosè, *Ageret quod ex vſu & dignitate Spartæ eſſet, nec Ptolomæum hunc timeret, ob vnam anum & puerum, quorum eſſet compos.* O mulier, non quidem filio meliore, ſed fato dignaâ! nam & tu, & ille, poſteà ſub ignauo & inſido rege periiſtis.

III. Licet & alteram fœminam addere MONIMEN Mileſiam, quæ inſigni formâ & lepôre, ſed ingenio melior, *Mithridati* regi placuit. Tentauit pudicitiam eius, blanditiis, donis, & ad quindecim millia aureorum ſimul miſit: quæ fortiter ſpreuit, & reiecit procum regem, donec nuptiarum titulo & pacto euicit. Sed nec eæ fregerunt magnitudinem animi. mærebat, & ſortem ſuam deplorabat, quòd pro marito dominum, pro liberis & familiâ, cuſtodiam nacta eſſet eunuchorum & barbarorum. Victus tandem Mithridates à Romanis, & animi atque amoris æger,

ne in poteſtatem Monimæ veniret, miſit qui mortem indiceret, eunuchum *Bacchidem*. Illa nihil cunctata, & cupienti propior, diadema detractum capiti (nam vt regina ornabatur) collo aptauit, atque ex eo ſe ſuſpendit. Sed imbecillo & diffracto, indignabunda, *Infelix faſcia*, inquit, *nec hîc mihi eris vſui?* Et abiiciens illud ac conſpuens, iugulum Bacchidi alacriter obtulit, ac tantum non læta periit.

IV. Quid Græca me tenent? M. CATO ad ſe vocat, ille inclytus Conſtantiæ ſacerdos: cuius vel à puero dedit ſpecimen. Nam cùm apud Liuium Druſum auunculum, vnà cum Cæpione fratre educaretur, ac Latini ſub id tempus de impetrandâ ciuitate agerent: euênit, vt *Popedius Silo*, vir inter primos Latinorum, hoſpitium item apud Druſum haberet. Itaque cum pueris familiariter cauillans & iocans, & *Heus vos*, inquit, *ecquid apud auunculum pro nobis, & ciuitate capiendâ, intercedetis?* Ibi Cæpio blandè ſtatim annuere, Cato ſilere & toruùm intueri. Tum Popedius, *Quid tu igitur? non promittis?* & ſimul ſuſtollit, & extra feneſtram elatum, pendulum habet, cum minis & terrore deiiciendi. Vocem etiam & vultum exaſperat: ſed Cato nihil mutus, intrepidè ſuſtinuit, & perſtitit ſilentio negare. Ibi Popedius, relato & depoſito, ſubmiſsè ad amicos: *Et quid ſi hic vir ſit? ne vnum quidem ſuffragium, credo, in populo feramus.* Benè diuinabat. nam Cato firmus & certus, nihil in remp. vllo metu dicere aut facere; ſed nec ab aliis, quod in ſe erat, fieri. Eiuſdem roboris, in Sullanis temporibus, à paullò iam grandiore exemplum. Annum enim agebat quartumdecimum: & ſæpè *Sarpedon* pædagogus & doctor eius ad Sullam ducebat, honoris cauſsâ, ſalutatum. Atque ipſe admittebat, quia amicus patris eius fuerat, & comi ſermone excipiebat. Domus autem illa parùm à carnificinâ aberat. ita capti, vincti, torti, ducebantur, ſed & capita inferebantur & efferebantur interfectorum. Cato inhorruit, & vidit alios clàm ingemiſcentes: atque ad magiſtrum ſuum, *Hunc hominem*, inquit, *quid ita nemo interficit?* Subiiciente illo, *Nam metuunt eum magis, quam oderunt. Quin tu ergo mihi*, inquit, *gladium do diſto, vt eum interimam, & patriam è ſeruitute aſſeram?* Quæ dixit vultu atque oculis ita acribus & minacibus, vt Sarpedon deinceps & rariùs ad Sullam duceret, nec niſi tentatum & excuſſum. Tertium, à iam viro. *Metellus Nepos* Tribunus plebis temp. turbabat perniciosis rogationibus, quas Catoni certum erat impedire. Ille hoc prouidens, Cæſare adiutore, forum de multâ nocte ſeruis & mercede conductis operis occupauerat, vim haud dubiè facturus in reſiſtentes. Amici igitur Catonis, & tota domus, mæſti & anxii, ſolus ipſe ſecutus cibum cepit, dormiit, manè ad forum iit. Cùm veniſſet, videt templum & gradus Caſtoris armatis inſeſſos, ipſum Metellum aſſidente Cæſare, supernè imminentes, quaſi duces: omnia ad pugnam & tumultum parata. Riſit, & ad proximos: *O hominem timidum, qui aduerſus vnum & inermem tantum habuit dilectum!* Et Munatium Tribunum è bonis, manu ſecum trahens, eluctatus per gradus eſt in ſummum; atque ibi medium ſe ſtatim immiſit & compoſuit, inter Cæſarem & Metellum. Stupuit ipſa audacia, ad hoc robur: & cùm trepidè Metellus legem per ſcribam recitari iuſſiſſet, Cato inhibuit: donec ipſe Metellus, arrepto codice, recitaret. Sed & hunc Cato è manibus ei extorſit: ac Metellus, ſigno dato, armatos immiſit, diſſipatâ ſtatim concione, & nemine, præter Catonem, reſtitante. Hunc cùm lignis lapidibuſque peterent, *Murena* Conſul ægrè texit, & abduxit: ſed confirmatis iterùm ciuibus rediit, & ſolâ ſuâ conſtantiâ peſtilentem rogationem diſiecit. Quartum. Pompeius ab Oriente redux, & in magnis opibus ac gloriâ, vidit quid animorum in viro eſſet, & quanta ſibi acceſſio ſi hunc adiunxiſſet. Itaque ad affinitatem adſpirauit, & ſororem (ſiue ſororis filiam, vt alii) petiit vxorem. Votiua conditio omnibus viſa, atque ipſis maximè fœminis: ſed non Catoni. qui renunciari liberè iuſſit, *Non capi aut illaqueari ſe per fœminas. quod ſi Pompeius rectam in rep. viam iniret, vltrò ſe amicum fore; ſin aliam, nullo pacto aut pretio.* Quintum. C. Cæſar Conſul legem de diuidendo agro Campano ferebat, priuatim vtilem, publicè exitioſam. Vnus Cato reſiſtebat acerrimè. adeò vt Cæſar pro imperio, abſtrahi à Roſtris hominem, & duci in carcerem iuberet. Ducebatur, ſed & ſic inter viam de lege identidem diſſerebat, incommoda & inſidias eius oſtendens. Iámque peruenerat pænè ad carcerem, deducente pleraque parte Senatus & optimatium; cùm Cæſar à conſtantiâ victus deſtitit, & è Tribunis vnum ſubmiſit, qui eximeret & liberaret. Sextum. Præturam petebat Cato, & impetraſſet, niſi Cæſar, Pompeius, & illa potentium manus ſe obieciſſet: vnum hunc rerentii, vt progreſſibus ſuis impedimentum. Itaque effuſâ & apertâ largitione effecerunt, vt præferretur ei Vatinius, mortalium pænè poſtremus. Quid Cato? accepit & tulit iniuriam eo animo, quo alii beneficium: & vultu etiam nihil deiectus, eodem die in forum venit, ambulauit, & pilâ luſit. Deus immortalis, an non ſuper affectus & motus humanos hic vir fuit? an non dignus, de quo poëta ſcriberet:

> *Quippe malo vnum Catonem, quam trecentos Socratas?*

Dignus. & robur etiam in morte ſileo, quod variam interpretationem habere poteſt, & noſtræ religionis ſerio, culpam.

P O R C I A M ſubnecto, patri filiam. Nupſerat ea *M. Bruto*, marito heroinâ hac digno. Is cùm agitaret de nece Cæſaris, etſi ſedulò ſilebat, tamen vultu manifeſtus erat grande aliquid & atrox agitare. præſertim amanti, & coniugi. Suſpicata igitur tale aliquid, & maritum ſilere quia diffideret imbecillitati: ſtatuit ſui ſumere experimentum, & fecit. Cultro tonſorio, cùm ſola eſſet, grauiter in femore ſe læſit. Secutus ſanguis largior, debilitas, atque etiam febris: cùm Brutus domum venit, trepidus & re inopinatâ mæſtus. Illa remotis arbitris, *Age mi marite, aſſide, eſt quod seriò fabulemur. Ego tibi cùm nupſi, coniux in domum tuam veni, non amica aut pellex: nec menſæ aut tori tantùm, ſed triſtium lætorúmque conſortem me dedi. Catonis filia ſum: & pro illa ſtirpe me cenſe. Quid ergo? de te queror? minimè, ſi alia ſpecto, & ſollennia coniugiorum, aut beniuolentiam ſiue & amorem hunc externum. Sed altius ſpiro, & amicitiam etiam volo: atque vnus ille in animo dolor eſt & pungit, fidem non haberi fidei meæ. Nam quid diſſimulas? nónne curam video, quæ te coquit? arcani magníque aliquid, quod agitas? Cur me celas? auxilium ſi non ſperas, ſolatium expecta: nam de ſilentio poſſum apud te ſpondere. Non reſpice ad alios mei ſexus: ego (iterùm dico) Catonis filia ſum: & addo, M. Bruti vxor. Vel natura me à tali patre, vel conſuetudo à marito, fortem conſtantémque reddant, etiam aduerſus extremos metus. Quid verba facio? rem vide. Cepi ipſa mei experimentum: & ecce hoc vulnus, quod ſponte intuli, vt diſcerem ecquid dolori aut tormentis par eſſem. Sum, confide. poſſum ferre, poſſum contemnere: & mori ô Brute cum marito, & pro marito poſſum. Proinde ſiquid tu honeſti agitas, quod vtroque noſtrûm ſit dignum, ne ſile.* Brutus admiratus animum, & oſculatus affectum, manus præ gaudio in V.

altum

altum ſuſtulit: &, *O omnes cælites, adeſte volentes propitij, ac dignum me Porciâ maritum præſtate.* Tum ordine coniurationem aperit, & conſortes: nihil territæ aut deterrenti, imò animanti. Atque hoc primum eius Conſtantiæ, vt ſic dicam, ſacrum alterum à mariti morte. Audit enim de triſti in Philippis pugnâ, & Brutum ſuum fuiſſe. nihil igitur morata, mori voluit: ſed amici & cuſtodes impediebant. Illa ipſis & iam ſibi irata, *Quid?* inquit, *mortem aliquis impediat, aut neget? non poteſt: & pater vos docuit.* Ac cum dicto proſiluit, & è foco prunas ardentes hauſtas ori ingeſſit: & ſpiritum, quem emittere non potuit, ſuffocauit incluſum. Probas hoc? inquies. non, ſed miror: imò & probet aliquis, ſed ab illo æuo.

VI. Ep. CC. XCIII. Ad Chriſtiana & noſtra exempla tutiùs tranſeo: quæ in ſanctis viris & martyribus ſunt infinita. Nullâ re hæc religio magis abundat, magis ſe commendat & adfirmat. Sed ea in ſuis locis ſunt prompta: nus ſparſa in hiſtoriis colligimus. & in iis vnum ALFONSI PERESII GVSMANI, in Hiſpaniâ Bæticâ, cui à moribus cognomentum BONI fuit. Magnus pace & bello ille vir, clarus opibus & earum vſu: atque ecce ſpecimen. Rex Caſtellæ Sanctius *Tariffam* (quæ veterum *Carteia* ſiue *Tarteſſus* eſt) de Mauris ceperat, ſed anxius cuſtodiendi & tenendi, ob hoſtium viciniam, & ingentes ſumptus. Suſcepit vltrò in ſe curam Alfonſus, & partem ſtipendij de ſuo daturum promiſit: rex intereà res alias ageret. Paullò pòſt, frater regis, *Ioannes*, ambitione prauâ ad Maurum tranſiit, & copiis ab eo acceptis ſubitò Tariffam obſedit. Obſeſſi nihil trepidare, in ſuâ & ducis virtute fidere, animos ſupra periculum habere: niſi quòd infregit eos ſubitò inopinata res, captus Alfonſi filius (in agris fortè interceperant:) & ante mœnia oſtenſus. Vnicus porrò patri erat. Illi minati, niſi oppidum dederetur, ſub oculis interfectutos ſe, & fœdè lancinaturos. Motis flexiſque aliis, ille nec hilum: & altâ voce negat, *Si centum filios in poteſtate haberent, non ideò ſe à fide & honeſto abiturum. Quin*, inquit, *ſi tanta libido iugulandi eſt, en gladium:* & ſuum è mœnibus proiecit. Stupor me habet hæc ſcribentem: quid ſpectantes? Ille ſic abiit, & ad prandium ſe compoſuit. cùm ecce clamor & eiulatus diffuſus auditus eum euocat: iterumque in mœnibus ſe ſiſtit. Quærenti conſternationis cauſſam, refertur, *Filium barbarâ crudelitate interfectum. Hoc erat?* inquit, *credebam vrbem ab hoſtibus captam*: & pari tranquillitate ad prandium vxoremque redit. Creditis poſteri? ſed credite. res ita geſta eſt: & hoſtes magnitudine viri attoniti, nihil vltrà tentantes, diſceſſerunt. Libet hîc exſultare: éſtne factum vel in omni antiquitate fortius, vel laudabilius? Gratulor tibi genos & domus illuſtris Ducum *Methymnæ Sidoniæ*, quæ ad hunc auctorem ſtemma & ſanguinem refers. Felix origine, eſto imitatione.

VII. Hæc ad miraculum exempla ſunt: alia non tam ſententia, ſed haud minùs ſapienti approbanda. De FERDINANDO Hiſpaniarum rege traditur, poſtremo iſto qui Mauros eiecit, per omnem ætatem firmo conſtantique ingenio fuiſſe: & cùm vtramque ſæpè ſortem expertus eſſet, proſpera atque aduerſa ſic compoſitè & ſedatè tuliſſe, vt nulla vmquam in vultu eius conſiliorum aut affectuum veſtigia deprehenderentur. Idem cùm Barcinone, à furioſo quodam graue vulnus in ceruice ſubitò accepiſſet, neque animo turbatus eſt. nec gemitum aut vocem doloris indicem emiſit: tantùm ſeruari parricidam & examinari iuſſit, quo auctore feciſſet.

VIII. Vxor eius ISABELLA virilis animi cuicæque mulier, & hac laude æquauit, aut ſuperauit maritũ. Nam cùm nuptias adornaret cognominis ſuæ filiæ, cum *Emanuele* Luſitaniæ rege, & ſubitò nuncius adferretur de morte *Ioannis* vnici filij, illa hoc agere, & dolorem comprimere, vultumque fingere tamdiu potuit, donec Emanuel ab aliis id reſciſſet. Eadem non in aduerſæ ſolùm valetudinis, ſed in partus acutiſſimis doloribus, & gemitum & vocem ſupprimebat. rem incredibilem, niſi à fidiſſimis matronis, quæ à cubiculi curâ erant, id certò ſe cognouiſſe *Marinæus Siculus* adfirmaret.

Horum nepos CAROLVS QVINTVS Imperator, cùm in Germaniâ copias & caſtra ad Ingolſtadium haberet, cinxiſſentque eum ingenti numero militum fœderati hoſtes: nec illi viſum dimicare, vel quia ſui nondum conueniſſent, vel quia præuidebat tutam mox & ſine cæde victoriam: ecce iſti æneorum tormentorum copiâ validi, tantum ferreæ grandinis in caſtra iaculati ſunt, vt vno die ad VI. *millia* maiorum globorum numerarent. Itaque omnia ictibus petita: ipſum Cæſaris tentorium, & ad latus eius & tergum occiſi: cùm ille nec locum, quid locum? nec ſtatum, nec vultum mutauit. Quin etiam monentibus amicis ſibi, atque omnibus in ſe, parceret, dixiſſe arridens fertur, *Conſiderent, neminem Imperatorem tormenti ictu periiſſe.* Breuia hæc relatu, examinanti ingentia ſunt, & digna memoriâ ac laude ſæculorum. Atque hæc talis conſtantia, & morum actionumque grauitas, in omni reliquâ eius vitâ fuit: IX.

Etiam in ſanguine. Nam ab hac ſtirpe PHILIPPVS II. rex, familiarium teſtimonio, Conſtantiæ laude veteres nouóſque æquauit. extra aut ſupra affectus; non gaudio, non dolori peruius, neque animo ſolùm, ſed vultu æquabili & immoto. Quis Sapientium, & qui vnum hoc egerunt, eò peruênit? Sed quod alij verbis; ipſe factis ſibi vindicauit, NEC SPE NEC METV. Finiui, & addo, non aliam virtutem Principe digniorem, aut in eo, vt ſic dicam, honeſtiorem eſſe. X.

CAPVT VIII.

DE PRVDENTIA,

Quam Vſus & Hiſtoria gignunt, & producit Doctrina.

POſt Virtutem, cuius caput eſt Religio ſiue Pietas, Prudentia neceſſaria eſt Principi, atque iis qui in republicâ verſantur. Hæc non aliud eſt, quàm notitia rerum euentuúmque, & iudicium in iis rectum. Tria illam pariunt, Natura, Vſus, Doctrina. Natura multum poteſt, & ab eâ ſolâ, aut certè leuibus aliis auxiliis, prouecti quidam operæ pretium fecerunt. Sed vſus ſi acceſſerit, etiam mediocris Natura attollitur, & in conſiliis actionibúſque ſe probat. Quid ſi doctrina? plurimùm: & tria hæc vbi concurrunt, mirum quàm valida ea mixtio, & vera ex iis firmáque Prudentia oritur. Nam profectò vbi aliquid horum ſolitarium, Superbia, Pertinacia, Error comitantur: & in multis ſcio me obſeruitaſſe. Quid tamen ex his ad rempublicam optimum? puto, Vſus: & Theognidem ſapienter ſcripſiſſe,

Δόξα μὲν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα, πεῖρα δ' ἄριστον.

Eſt mala Opinio, at eſt homini longè optimus Vſus.

Nam vbi ſola Natura, ſiue & Doctrina; profectũ Opinio innaſcitur, & gnari ſcientéſque eſſe volumus, vbi non ſumus. At Vſus firmior, & in artibus per ſe valet. Age, fabricam quàm multi ſolo opere & vſu didicerunt? quid artem nauis gubernandæ? &

ciuilis & militaris in republicâ quædam ars eſt: ab A
Vſu igitur diſcenda. Nec tamen plenè ſatis aut perfectè. quia illa, quæ dixi, vniforme aliquid & ſimplex ſunt; iſta, Deus bone, quas varietates, quos ſinus & receſſus habet? Lumen vndique inferendum, vt peruideamus: & maximè à Doctrinâ, non illâ tamen argutâ aut ſubtilium ſcientiarum, ſed memoriæ rerum præſertim, quam Hiſtoriam appellamus. Nam eam ſi attendis, quid niſi alter Vſus eſt? Quæ in iſto video, tracto, facio; in illâ lego, haurio, diſco: & tanto plura, quanto plus rerum euentuúmque complectitur, ab omni æuo. Mihi paucis annis experiri licet, & in vnâ aliquâ orbis parte, ſiue angulo: illîc ſæculorum res ſunt; illîc, quàm latè patent ſola hæc terrarum. Itaque materies diſcendi maior: & diſces, ſi oculos mentis in illo velut ſpeculo defigis exemplorum. Accedit, quòd prudentes multi, & B
viri docti, olim ferè hiſtoriam conſcripſerunt: & iidem ſenſus breues, aut monita inſeruerunt. Deus bone, quàm recta, quàm ſalutaria, ſi bona mens eligit & excerpit? Sed Hiſtoriæ laudes pertexere, non hîc eſt locus, nec decet: addo, de *L. Lucullo* tradi, eo qui Mithridatem & Tigranem vicit, potentiſſimos reges, vix aliâ imperandi bellandíque peritiam, quàm ab Hiſtoriis attuliſſe. Et iſtas igitur præcipuè ego Principi; ſed & adhærentem *Geographiam* commendem: *Geometriam* leuiter: & tum maximè *Philoſophiam*, id eſt Ethicam Phyſicámque. Duæ iſtæ partes forment eius animum, vel ad Virtutum amorem & pretium; vel ad notitiam cæleſtiû & terreſtrium. è quibus Magnitudo animi oritur, & ſimul Modeſtia, C
collatione vtrorumque. Non inſiſto (alibi feci:) ſed *Peregrinationem* etiam obiter ſuadeam: quæ valdè ad notitiam ſui ſtatus, tum & ad Prudentiam facit. Hæc omnia quæ Principi, magis iis & pleniùs, qui circa ipſum, ſuggeram: quibus plus ſcilicet otij & ſæpè ingenij eſt, ad talia pernoſcenda. Sed age, pro inſtituto, Exemplis hæc illuſtremus aut firmemus.

I. SOLON Atheníenſis, horum omnium vnus exemplum præbeat: in quo Natura, Vſus, Doctrina viguerunt. In republicâ aſſiduus ille fuit: ſed etiam in peregrinationibus, & Ægyptum, Cyprum, Aſiam luſtrauit: atque id diſcendi cauſâ. Vſum vides: quid Doctrinam? ſcripta & verſus docent, quos reliquit. Atque adeò tantâ eius cupiditate exarſit (ſic loquendum eſt:) vt ipſe in Carmine quodam glorietur, *Cotidie addiſcentem ſe aliquid ſenem fieri.* Cotidie. D
itáne? etiam circa ipſam mortem. Nam cùm langueret, & aſſidentes amici aliquid inter ſe diſſererent, ille caput ſuſtulit, & flexit ad audiendum. Interrogatúſque, Quo fine tunc aut fructu? nobilem illam vocem edidit, *Vt cùm iſtud ſciero, doctior moriar.* O deſiderium! & quid in vitâ, aut eius flore faciendum: cùm ille hæc in morte?

II. EPAMINONDÆ verò, etſi in craſſiore aëre nato, tantum litterarum ſtudium, philoſophiæ doctrina tanta fuit, vt *mirabile videretur*, ait Iuſtinus, *vnde tam inſignis militiæ ſcientia homini inter litteras nato.* Quod mihi tamen non mirabile. imò eum Diodoro Siculo ſentio, qui ipſam hanc ſcientiam cauſſam fuiſſe vult rerum ab eo præclariſſimè geſtarum. Philoſophatus ille ſcilicet eſt, ſed ἄνευ μαλακίας, vt Thucydides loquitur & approbat: *ſine mollitie, aut deſidiâ*: & habuit ad robur & ad prudentiam magiſtram. Sanè Pythagoricis dogmatibus addictum maximè, & Phyſicæ ſcientiæ fuiſſe, idem Diodorus monet. E

Lib. v.

Lib. xv.

III. Huius diſcipulus & alumnus PHILIPPVS MACEDO, non *Alexandri* ſolùm, sed & *Magni* pater. Ille, inquam, omnem hanc magnitudinem aut inſtitutione, aut inſtrumento & inſtructo reliquit. Græcia domita, & firmus ille ordo militiæ, veteranus miles, optimi Duces, hæc omnia à Philippo fuerunt; & ipſe Philippus ab Epaminondâ, & doctrinâ. Nam obſes triennio Thebis habitus, in eius domo diuertit, optimo magiſtro vſus ad dicendum, ſapiendum, faciendum.

IV. Ipſe ALEXANDER haud aliâ re mihi quidem magis laudabilis, quàm doctrinæ ſtudio videtur, & moribus quos hauſit à doctrinâ. Ij fuêre, Magnanimitas & Clementia. Sed à puero mitioribus artibus imbutus, mox in Ethicis & Politicis, aliíſque Philoſophiæ, præceptorem habuit Ariſtotelem: quem virum? ipſius Sapientiæ prolem aut alumnum. Felix doctore, ſed & felix ingenio. cùm non, vt plerique, leuiter imbuit iis animum, nec ſtatim, vt ad arma vênit, artes faſtidiit; ſed & doctos in contubernio ſuo habuit, audiuítque; & ipſe, cùm licuit, aſſiduè legit. Idque *Homerum* maximè. quem ita non amauit, ſed coluit, vt cùm in Darianâ prædâ ſcrinium, gemmis & auro cultiſſimum, repertum eſſet, aliíque aliò deſtinarent; *Imò*, inquit, *Homeri carminibus reſeruetur*: quaſi pulcherrimum opus, pulcherrimo conditorio dignum eſſet. Sed & incubuiſſe, & indormiſſe eum ſæpè Homeri libris, traditur: vel ex eo, non vulgaris ſcriptoræ aut iudicij æſtimandus, qui altum & ſuper omne vulgus poëtam æſtimaret.

V. Vltimus, inter Græca exempla, PHILOPOEMEN eſto: quem *vltimum Græcorum*, magnâ eius laude, quiſpiam dixit. Is etſi in militiam ſtudio & indole propenderet, tamen (ait Plutarchus) & *Philoſophorum præcepta ac monita legebat, ſed non omnium, eorum dumtaxat, è quibus progreſſum ſe ad Virtutem ſperabat facturum.* Habebat & hoc in ore: *Doctrinam debere ad facta tendere, non otij aut inutilis loquacitatis cauſâ vſurpari.* Atque vtinam hoc aliis, vt mihi, probet! Sed nos facere id debet, Principes debent.

VI. Ad Romanos tranſeo. quorum conditores ROMVLVS & REMVS, non tam ruſticuli fuerunt, quàm vulgò eos faciunt: ſi verum eſt, quod Dionyſius & Plutarchus tradiderunt, *Gabiis in adoleſcentiâ, liberalibus ſtudiis operatos, atque omni eorum liquore perfuſos.* Et ſanè facta atque ordo Romuli, non olent barbariem minùs *Numæ, Seruij*, aut *Tarquinij* regum.

VII. Etſi fateor, acuiſſe pòſt, aliquot ætatibus, Romæ Doctrinam; donec Græciâ captâ, ab hac caperentur. Longum ſit omnes aut plures dicere; M. CATO VTICENSIS, pronepos illius qui Græcus & omne id genus pelli vrbe volebat, ita ſtudiis eorum ſe dedidit, vt & in Senatu, obiectu curiæ togæ, libros legeret: vir, cuius nomen rectè factum defendit, quidquid fecit.

VIII. Quid IVLIVS CÆSAR, ille ſic acer militiæ, & Martis verè pullus? haud minùs Muſarum fuit. Scripta eius id docent, quorum pauca extant, pleraque perierunt: quæ inter ipſos rerum ciuilium aut militarium æſtus iactationéſque confecit. Nec in itinere quidem vacuus: ſed amanuenſem in vehiculo apud ſe habens, dictánſque aut legens. Itinere Hiſpanienſi, ſpatio XXIIII. dierum, ſiue vt alij, ſeptem, poëma compoſuit, quod inſcripſit *Iter*. In ipſâ Hiſpania ſub tempus Mundenſis prælij (& quando vmquam magis, non dicam occupatus, ſed ſollicitus?) libros duos de *Analogia* confecit, & totidem *Anticatones*. Mirabitur, qui breuitatem temporis, & occupationes viri nouerit: ſed non mirabitur, qui vigilantiam & inſtantiam, quando pleraque hæc & alia, ipſis noctibus, ſub pellibus ſcribebat. Macte diuini, & indefeſſi ſimul ingenij. virtutis & hoc ſignum, quòd ſollenne tibi *ſcribere & legere ſimul, di-*

ctare & audire (verba Plinij ſunt:) *epiſtolas verò maxi-* A
marum rerum quaternas pariter librariis dictare, aut ſi
nihil aliud ageres, ſeptenas. En aquilam! & quis ad hoc
æui ſublime ſic volauit?

IX. Nec degenerauit ab eo OCTAVIANVS, iu-
dicio filius, poſteà Auguſtus. qui *Eloquentiam & li-*
beralia ſtudia, ait Suetonius, *ab ætate primâ cupidè &*
laborioſiſſimè exercuit. Ipſo Mutinenſi bello, in tantâ
mole rerum, & legiſſe, & ſcripſiſſe, & declamaſſe
cottidie legitur. Itaque opera pluſcula ſcripſit, quæ-
dam & verſibus; à tempore tamen, & eius inuidâ
falce, præſecta. Nec in ſe modò eruditionem vole-
bat, ſed in Adminiſtris neceſſariam cenſebat. adeò,
vt cuidam Legato Conſulari, tamquam rudi & indocto,
ſucceſſorem dederit, cuius manu IXI. pro IPSI. ſcri-
ptum animaduerterat.

X. TIBERIVS verò, vel ad culpam, vtriuſque lin- B
guæ ſtudiis artibuſque ſe dedit. Affectabat enim &
rara & obſcura, & quæ pauci ſcirent, ſcire gloriaba-
tur. Itaque adſidui in cohorte eius Græculi, quos &
præmiis honorabat, & quæſtionibus exercebat. Hic
tamen eſt Tiberius, cui nemo in calliditate, & firmâ
regendi arte, ſe componat.

XI. Non eo per Imperatores ceteros: nam quis eo-
rum non ferè talis fuit? Vſque adeò vt M. ANTO-
NINO *Philoſophi* cognomen hæſerit: quòd ſupra
alios in eo ſtudio deditus eſſet, Stoicam etiam ſe-
ctam profeſſus. Et quis tamen vitâ melior, imperio
mitior, aut felicior dabitur?

XII. Quid autem Chriſtiani deinde noſtri? de THEO-
DOSIO IVNIORE traditur, eum hiſtorias Græcas La-
tinaſque aſſiduè euoluiſſe tam pertinaci in libris ſtu- C
dio, vt cùm diem militaribus aut ciuilibus occupa-
tionibus daret, noctem iis ſeponeret. Quin & can-
delabrum ſibi ſtrui adfabrè curaſſe, eo opificio, vt
oleum ſponte ad lychnum perueniret ac ſuppete-
ret: ne vel interpellaretur lectio, vel miniſtri cum vi-
gilante, (ô humanitas!) vigiles eſſent.

XIII. CAROLI MAGNI amorem & honorem in lit-
teras multa loquuntur. Quid clarius, quàm, velut
vexillo propoſito, vocari vndique viri docti Lute-
tiam, in caſtra quædam litterarum! Felicia caſtra, quæ
tot præclaros non milites, ſed duces dediſtis & da-
tis, in militiâ hac togatâ! Sed illud quoque in *Pau-*
lum, Aquileienſis Eccleſiæ Diaconum eminet, ge-
nere nobilem, ingenio litteriſque nobiliorem. His
dotibus conciliatus olim *Deſiderio* Longobardo-
rum regulo, dum fata erant: poſtquam ea ad Caro-
lum tranſiſſent, huic iiſdem cauſſis carus, & inter in- D
timos familiares admiſſus. Sed Paulus veteris beni-
uolentiæ & aulæ memor, conſilia agitabat liberandi
Deſiderij, & è finibus ea filij educendi: quorum con-
uictus, ipſe in exſilium, in Diomedis inſulas, ſeponi-
tur. Sed nec illîc fidei aut legum ſatis reuerens, rupit
tranſcenditque terminos, & ad *Ragaiſum* Beneuen-
ti Ducem confugit. Itaque proceres certatim accu-
ſant, damnántque capitis duplicem perfidiam: & in
ipſum Ragaiſum arma ſuadentur. fruſtrà, apud mitiſ-
ſimum & litterarum amantiſſimum regem: quod ſo-
lum nomen & titulus Paulum ſeruauit, ipſúmque
cum Paulo Ragaiſum ei conciliauit. Impoſitum
modò munus, vt Hiſtorias à fine Eutropij ſcriberet,
item ſeorſim Longobardica, aliáque in profanis aut
ſacris. O dignum Principem, qui in digniorem hæc E
conferret!

XIIII. Neque abnuo tenebras deinde fuiſſe, & neſcio
quo malo fato barbariem: præſertim in Principum
aulis, & priuatum modò bonum Doctrina cenſe-
batur: an addam, & nunc cenſeri? Tamen, velut
ſtellæ, interluxerunt pauci. vt ROBERTVS rex

A Neapolitanos, cui litteræ & litterati percari fue- M.CCC.
runt, Ille eſt qui *Petrarcham*, & poëſi, & ſetiis ſcriptis XL.
nobile ingenium, fouit: ille qui *Boccatium* in amori-
bus habuit. Quid ipſam doctrinam? Vox eius audi-
ta: *Cariores ſibi litteras regno eſſe.* Deſipuit, an altè
ſapuit?

Et quàm ſimilis vox & animus ALFONSI illius XV.
magni, in eodem regno fuit? Neque enim ſemel edi-
ait: *Malle ſe omnium regnorum* (ſeptem ea numera-
bat) *iacturam facere, quàm minimam doctrinæ.* Et ſa-
nè amauit in ſe, in aliis: & *Laurentium Vallam, Anto-*
nium Panormitam, Bartholomæum Faccium, Georgium
Trapezuntium, Ioannem Auriſpam, Iouianum Ponta-
num, & examen deinde iuniorum, huic regi debe-
mus. Ille Athenæa in regnis paſſim, ille Bibliothecas
inſtituit, aut exornauit: nec gratius ei munus offerri
B poterat, quàm rarior aut electior liber. Quin ipſum
Librum apertum pro inſigni vſurpabat: ſignificans
Scientiam Principibus conuenire, ea iis hauſtam. Et
cùm aliquando audiret regem Hiſpanum dixiſſe,
Non conuenire Principibus litteras: ſtomachans ſubie-
cit, *Bouis, non hominis, vocem eam eſſe.* Itaque legit
aſſiduè: *Liuium* & *Cæſarem* maximè. nec dies fuit, vt
familiares tradiderunt, quin his inuerſaretur. Idem,
quod miremur, *Annæi Senecæ* magnus amator: adeò
vt ipſe, ſuo Marte, in Hiſpanicum ſermonem Epiſto-
las verterit, vſui ſuæ gentis. Sed nec ſacrâ lectione
abſtinebat: gloriatúſque eſt, totum *Vetus & Nouum*
teſtamentum, vna cum Gloſſis, decies & quater ſe
perlegiſſe. Hæc Rex, hæc ſenex: vbi priuati & iuue-
nes eſtis? Senex, inquam. nam vix ante quinquage-
C ſimum annum ſtudia attigit, inſtitutione eius in ado-
leſcente neglectâ. Tunc Grammaticam, operâ *Mar-*
tini cuiuſdam didicit: quem ita carum deinceps ha-
buit, vt nunquam à latere dimiſerit. Videor non de
Principe, ſed litterione aliquo loqui: at ille etiam
quantus vir belli domique fuit? quàm magnus,
quàm felix rebus geſtis? Elogium ei demus. à *Carolo*
Magno maiorem virtute & fortunâ Principem Eu-
ropa non habuit: & (mentiri velim) non habebit.

Addamus è Pannoniâ MATTHIAM COR- XVI.
VINVM regem. qui clariſſimo militari patre *Ioan-*
ne Hunniade natus, nec in eo ſtudio degener, Doctri-
næ iſtud adiunxit. Ferox ad id æui ea natio, & tota
Martis, cultum ingeniorum morúmque à Matthiâ
accepit: & quis neſcit regum exempla ſubditos æmu-
lari? Itaque Italos Germanóſque, ſiqui litterarum
gloriâ clarerent, euocauit: Bibliothecam inſtituit in
D ipſâ regiâ Budæ, rarum theſaurum, & quem cum do-
lore recordamur Barbaris, cum ipſâ Pannoniâ,
obueniſſe.

An & mulier his ſe inſeret? inſeret meritò ISA- XVII.
BELLA, *Ferdinandi Catholici* regis vxor. quæ ad
omnia alta nata, & verè virilium curarum mulier,
etiam Doctrinam vnicè amauit. Delectatam ſem-
per conſtat (neſcio quâ inclinatione animi) ipſo La-
tinæ linguæ pronunciatu & ſono: nihil vt libentiùs
audiret. Et mox reſpirans paulliſper à grauiſſimis cu-
ris & bellis (reuera enim particeps & thori & ſceptri
erat:) reſpirans, inquam. ſtatim ſe ad Grammaticum
demiſit, eíque annum ita aſſiduam operam dedit, vt
Latina non ſolùm capere, ſed vertere ipſa in ſuum
E ſermonem, poſſet. Sacris etiam & diuinis officiis
cùm intereſſet, lapſantes, aut vel in ſillabâ peccantes
ſacrificos aduertebat, ſed & ſæpè admonebat.

Enimuerò nec olim aut nunc Barbari (tam clara XVIII.
vtilitas eſt) ab hoc cultu alieni. teſtor MITHRI-
DATEM illum veterem Ponti regem, qui variè, &
in ipſâ medicinâ doctus, hoc præfert eximium, Te-
nuiſſe viginti duas linguas, ſicut omnes ſubditos,

quemque

quemque ſua dialecto, promptè & ſcienter alloqueretur.

x x. CHOSROES autem Perſarum rex, Iuſtiniano & Romanis per ſuas clades notus, & eloquentiam Græcam adamauit, & Philoſophiæ ipſius non limen, ſed adyta penetrauit. Ariſtotelem totum percalluiſſe aiunt, Platonis lineas & numeros: ſed & ipſa Græcorum opera in ſuam linguam multa tranſtuliſſe. Hæc aiunt: & demus famam aliquid adſtruere: vel conatum iſta. nónne magnum in magnis iſtis regum?

xx. MAHVMETES etiam Turca me tenet, SECVNDVS eo nomine. qui cognitionis illuſtrium virorum facinorúmque maximè cupidus, Hiſtorias ſibi verti in ſuum ſermonem iuſſit, Græcas Romanáſque: & ipſos viros depingi à *Gentile Bellino*, eleganti pictore, quem ad hanc operam à Venetis exambierat. His ille ſtimulis, vtinam ne ad tam alta, & nobis triſtia, animum æmulatione erexiſſet!

CAROLVM V. de induſtriâ totum hoc agmen volo claudere, & ſimul ſalutare monitum ſuggerere. xxi Eum magnitudo ſtatim rerum & imperij, tenerum adhuc à ſtudiis abduxit: etſi amorem tamen & reuerentiam non excuſſit. Ac quondam cùm Genuæ oratorem aliquem audiſſet Latinè dicentem, nec plenè ſatis cepiſſet, triſti & ingenuo ore confeſſum Paullus Iouius ſcribit (is arbiter coràm & teſtis erat:) confeſſum, inquam, *Dare ſe nunc puerilis incuria pœnas: & præſagum Hadrianum præceptorem fuiſſe, qui hanc pœnitentiam ei prædixiſſet.* Credimus optime Princeps. & quàm multi hodiéque tecum, iam grandiores, id eſt ſapientiores, dolent in hoc neglectu? Cogitent parentes, emendent, filiorum & publico bono. Voueo.

IVSTI LIPSI

MONITA ET EXEMPLA POLITICA.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

DE PRINCIPATV.

Eum præferendum aliis imperiis videri.

QVæ adhuc dixi, etſi ad Principem aptaui, communia eum aliis ſunt, & in omni imperio adhibenda. Hunc formare magis, & propiùs dirigere incipiã: ſi tamen priùs breuiter adſtruxero eum, & laudaro. Nam ambigere multos, & diſſeri variè de optimâ Imperij formâ olim & nunc ſcitum eſt: at nos iſtum præferimus, & cauſſas diſtinctè, & velut per titulos libabo. Primò, quia liquet

MON. I. *Antiquiſsimum hunc eſſe.*

Homines autem primi, & origini ſuæ id eſt Deo proximi, malis artibus fraudibúsque nondum corrupti, cenſendi ſunt optima elegiſſe: elegerunt Principatum. In familiis, quod primum imperium, vnus fuit. Plures deinde familiæ cognationibus iunctæ, vnum habuerunt, & ex iſtis ſocietates, conuentus, oppida; vnum. donec magna imperia nata, & oppreſſio cœpit, ab ambitione exorta: & ſic quoque ferè vnus. Seneca veriſſimè: *Primi mortalium, quique ex his geniti Naturam incorrupti ſequebantur, eumdem habebant & Ducem & Legem, commiſſi melioris arbitrio.* Itaque idem alibi: *Natura commenta eſt regem. quod & ex aliis animalibus licet cognoſcere, & ex apibus: quarum regi ampliſſimum cubile eſt, medióque & tutiſſimo loco.* Sed quibus *aliis animalibus?* in parte alibi explicat: *Mutis gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima. non præcedit armenta degener taurus: elephantorũ gregẽ excelſiſſimus ducit.* Idem in ouibus, in auibus, & alio genere cõgregũ animãtiũ, eſt videre. Eſt igitur antiquiſſimus Sacræ etiam noſtræ litteræ oſtendunt: in quibus à condito orbe ad diluuium, moderatum in familiis imperium fuit: à Diluuio, ambitio miſcuit, & *Nimrodus* Noachi pronepos, imperium in Aſſyria & finitimis inuaſit. Hic eſt quem profanæ litteræ (ad primorem ſillabam alluſione) *Ninum* appellant Sed addo etiam,

Epiſt. xcr. & de Clementia: (margin)

Epiſt. xci. (margin)

MON. II. *Communiſsimum hunc eſſe:*

Neque olim tantùm, ſed & nunc plurimo orbis ſic notari. Olim quidem, Sacra dicunt. vbi Iudæi regem poſcentes ſic audiuntur: *Conſtitue nobis regem, ſicut & VNIVERSÆ habent nationes.* Sed & in Italiâ diriomlli Romani (apud Liuium) *in variis voluntatibus regem tamen OMNES volebant.* Etſi poſteà mutarunt, & ad Optimatum ſtatum iuerunt: quid ita? naturali hac ſæpè mutatione, vt à rege in tyrannum, à tyranno ad optimates aut populum Reſpublica eat: iterúmque ab illis ad tyrannum, & regem. Faſtidio & odio hoc fit, non Principis alicuius malè eo vſi. Ceterùm & vetus hic orbis Principes ferè vbique habuit, in Aſiâ, Africâ, Europâ (pauca loca, neque diu excipias:) & nouus item repertus, ſic eſt, aut fuit. Argumentum, optimum vſu & ratione eſſe, quod tam diu, & tam multis placuit: atque, vt dixi, ab ipſâ naturâ. Sanè rationem ſi exerimus, eam videbis hinc ſtare, ab his cauſſis. Primò dicimus,

1. Reg. cap. viii. Lib. 1. (margin)

MON. III. *Communiſsimum hunc eſſe:*

At Iuſtitiæ fruẽdæ cauſsâ Imperia primùm ſunt reperta. Ea igitur magis in Principatu floret, vigétque: nec ſunt noxæ aut corruptelæ, quæ in aliis illis formis. Vide. Rex aut ipſe ius dicit (ultro & * nuper etiam factum:) aut quid dicant, elegit & deſignat. Si ipſe, ſupra metum aut gratiam eſt, magis auaritiam & nihil iſtis, quæ præſtringere oculos iudicantium ſolent, donat. Si alij; ſunt tamen ab ipſo. & curâ eligit, & electis iam ſupereſt & intendit. Non ſunt iis ſic libera iudicia, vt non iudicium huius metuant; & ſiquid fœdius patrent, pœnam. In alio ſtatu quid ſimile? Si ad Optimates is; factio, & agnati, & amici occurrent, & alternis inter ſe ius aut iniuriam gratificantes. Si ad Populum; magis peccabitur, & irâ aut affectu damnatos paſſim videbis, aut demiſſos. Ad Athenienſes aut Romanos leuiter tranſi: oſtraciſmi optimorum ſunt, & exſilia, & mulctæ. Contrà, peſſimis honores habiti, & iudiciis per vim & manum etiam erepti. Quid de corruptelis dicam? hîc regnant. Secundò,

* Vide hoc libro cap. xi. (margin)

MON. IV. *Tranquillitatem & concordiam coli:*

Quod optimum aut optatiſſimũ in Societate eſt,

viuere

A viuere quietos, à vi & iniuriâ tutos. Metus vel auctoritas hoc facit Principis. quem vnum omnes reſpiciunt: qui vnus omnia poteſt: & ius vitæ neciſque habet. Itaque meritò animi magis domiti & fracti ſunt, & colla ad iugum inclinant. Non ſic ſoret plures dominos: quorum potentia ſparſa eſt, & ideò minor, vt flumen in plures riuos diductum. Alius alium reſpicit; patronum contra hunc aut illum habet: & addo, quòd nec coërcitio ſeuera aut libera. quia in ſuffragiis aut comitiis, popularium operâ egent. Itaque conniuent & indulgent, gratiam ſingulorum quærunt. Ita minuitur Auctoritas, & quod ſequitur reuerentia aut metus, vinculum obedientiæ & quietis. Parte alterâ minùs tranquilli, quia ad rempublicam ſæpè auocantur. ſunt comitia, ſunt leges: & ſuffragia ſua habent. B In iis deinde ambitio & factio interuenit: quid prætereà? ſeditio ſæpè, & turbæ, atque etiam pugnæ. Vt mare rarò quietum eſt, ventos plurimùm, & ſæpè procellas habet: ſic reſpublica, vbi comitiorum poteſtas. Noſter Tacitus tem tetigit: *Suſpectum Senatus Populique imperium, ob* CERTAMINA *potentium &* AVARITIAM *magiſtratuum*. En duas aſſiduas ibi Peſtes: *Certamina*, & factiones, & exitum ſiue exitium, Ciuilia deinde bella: *Auaritiam*. & ſunt nundinationes rapinæ, corruptelæ, in magiſtratibus, in prouinciis, in iudiciis. Tertiò, & vniuersè dico,

1. Annal.

MON. V. *Modum regendi meliorem tutiorémque eſſe.*

C Princeps diutiùs imperat, vnus & idem ſemper manet: itaque & diſcit magis aſſiduo ipſo vſu, & rem etiam, vt propriam, cordi habet. Aliter in magiſtratibus, qui mutantur Sunt ferè annui: id eſt, abeunt imperio, cùm diſcere imperare cœperunt. Sed neque intentio eadem aut cura eſt, in breui & alieno imperio. Tradunt enim ignotis, aut inuiſis ſæpè ſucceſſoribus: ſatis habent quomodocumque defungi, in poſterum ſecuritate. At princeps non ſe ſolum cogitat, ſed heredes. Deinde, arcana conſilia aut litteræ ſæpè interueniunt in gubernando: cum vicinis Principibus conſilia aut pactiones, quas nolint intempeſtiuè vulgari. Quod ſecretum hîc inter plures erit? quis liberè accedet, aut tutò credet? Hæc in Principatu ceſſant. & aut vnus ipſe tractat, aut fidi miniſtrorum, quibus cõmittit. Quid etiam de ſecretâ corruptelâ dicam, crebrâ inter plures? D Vnus aliquis emi contra rempublicam poteſt, & ſana conſilia aut euertere, aut impedire. Athenis ſuis quàm hoc factum Demoſthenes conqueritur, à callido Philippo! & *hunc eſſe ſcopulũ* (ita loquitur) *ad quem res adhæreſcant.* Quid Romæ? idem: & Tribunus aliquis emptus res turbabat, & hunc aut illum ſuper capita ciuiũ imponebat. Poëta ingenioſè,

Mutatúſque fuit momentum Curio rerum.

ita. vnus Corio à Cæſare corruptus, Cæſarem Pompeio antetulit, reipublicæ & libertati finem dedit. Quartò denique dicimus,

MON. VI. *Maximè hanc imperij formam diurnare.*

E An non faciat, cùm à Naturâ maximè & Ratione ſit? Deus fauet & tutor eſt; vnus ille rector, vnius. Vide Status alios, pauci æuum tulerunt, quantumuis legibus bonis & inſtitutis: excipio paruas quaſdam reſpublicas, & validiorum tuitione aut amicitiâ firmas. Sparta, quâ nihil videbatur moribus aut viris melius, vix quingentos annos tenuit libertatem. Athenæ ſæpe mutarunt, & oppreſſæ iterum caput extulerunt: ſed turbidæ ſẽper, & in metu, aut potentioribus obnoxiæ. Roma quadringentos paullò plus annos liberum illum ſtatum ſeruauit. Quid iſta ad Principatus? Ille Aſſyriorum, vt à veſtuſtiſſimo ordiar, *mille ducentos quadraginta annos* ſtetit: ſiue vt alij largiùs, *mille trecentos*. Ita enim vel Hiſtorici, vel Chronici ſcriptores conſenſu tradiderunt: nec Appiano vbi mens fuerit, ego ſcio. qui in iino operis ſcribit, nec *Aſſyriorum, Medorum, Perſarum tria regna ſimul congeſta, æquare illud ſpatium aut potuiſſe, quod in Romano imperio ad ſuum tempus eſſet.* Profectò fallitur, nec excuſes. nam à Româ conditâ ad Hadriani æuum *nongenti* circiter anni ſunt, & ſic ipſe ſupputat: quanto plures, vt dixi, in ſolis Aſſyriis? Iam Medi *ducentos ſexaginta* ferè annos vindicant: Perſæ *ducentos triginta tres*. Quamquam de Perſis, mirum & notabile, haud diu ab Alexandro iterùm reuixiſſe, & vires regnúmque recepiſſe, duce Arſace quodam (vnde *Arſacidæ*) ſub bellum Punicum primum, ſiue annum vrbis D. I. Sed quia tamen initium aſſerendi à *Parthis* fuit, inde Romani atque alij, Parthorum hoc regnum appellarunt: reuera tamen in iiſdem ferè gentibus & finibus, manſitque ad *Alexandrum Mammeæ* filium, per annos circiter CCCC. LXXX. Tum iterùm nomen *Perſarum* ſurrexit, duce *Artaxerxe* quodam, qui *Artabanum* demouit & ſuſtulit vltimum Parthorum Regum. Exinde autem ad hoc æui diuturnitatem (agnoſce, & mirare) Perſæ viuunt & regnant, etſi grauiter ab *Heraclio* Imp. contuſi, poſteà à *Tamer lanco* & nuper ab vtroque *Selymo* Turcarum, auo & nepote: ſed viuunt. Quid de *Ægyptiorum* olim regibus dicam? millia plura annorum numerant, ad vltimam Cleopatram. Quid hodie de *Sinarum*? iidem millia: & à *Vitao*, qui primus fuit, ad *Bonegum*, qui nuper imperitabat, reges in ſerie continuâ habent *ducentos quadraginta tres*. Rarum exemplum: neque in noſtrâ Europâ reperiendum. Tamen & in eâ Principatus longæui. Gallorum regnum potens & florens, à *Faramundo* primo rege vſque ad *Henricum* IV. qui nunc feliciter regnat, computat *ſexaginta tres* reges: idque per annos ∞. c. xc. At in Hiſpaniâ Gothorum reges ab anno Chriſti CCCVIII. ad *Rodericum* & Maurorum inuaſionem numerantur *triginta nouem*. Et ſanguis quidem ille, ſed non regnum defecit: ſuſcepítque *Pelagius* anno Chriſti DCCXVII. à quo perpetuâ ſerie, nec interruptâ, ad *Philippum* hunc III. ſunt reges *quadraginta octo*. Alia exempla in minoribus Principibus liceat dicere: omitto, ſicut & Reſpublicas minores. Sola *Veneta* eſt, quæ æuum *millenarium* iactet: felix fati, ſed & legum atque inſtitutorum felix, quibus velut vinculis firmata eſt adhuc contra lapſum. Maneat, Floreat, fauemus & vouemus.

CAPVT II.

In eo Viros Fæminis præferendos, & has vix feliciter imperare.

PRincipatus igitur optimus, & cum Solone,

Εὐδαίμων πόλις ἔνθα ἑνὸς κήρυκος ἀκούει:

Felix vrbs, quæ iuſſa vnius Principis audit.

ſed quis ille Princeps eſſe debet, vnius & melioris, an & alterius ſexus? Vtrimque argumenta & exempla ſunt: ſed magis pro nobis. Vir ad virtutem, ad regimen natus: animo, corpore, voce, viſu robuſtior, & quem magis vereare, aut venerere. In

fæminâ omnia leuia, mollia; quæ amorem, non reuerentiam creent. A naturâ ipſa timidæ magis ſunt quàm timendæ.: non igitur hîc Auctoritas. Iam in viro prudentia & conſtantia: in illis calliditas aut argutiæ, imbecillitas deinde iudicij, & in decretis ſenſibúſque Euripus. Septies in die mutant. Rarò etiam altum aut honeſtum ſpirant: ſunt in vanis aut vilibus curis: non ergo ad ſceptrum & publicum decus idoneæ. Duæ etiam virtutes Principum primæ, Iuſtitia & Fides, firmiter vix ſunt in iſtis. Non prior, quia inclinant facilè & miſerantur: facillimè & gratiæ aut affectui obſecundant. Non altera, quia mobiles ingenio ſunt, & mutant vt ventus. Ne Clementia quidem ſit, quæ putetur: & benignior ille vultus, neſcio quomodo, ſæuum ſæpè animum & vindicem celat. Quid de laſciuia aut luxu dicam? vtrique vitio opportunas ſcimus, & pudorem atque opes prodigere: præſertim cùm ſui iuris ac ſpontis, frænum non habent quod adſtringat. O quale regnum, vbi *Cleopatra* aliqua, *Meſſallina*, aut *Ioanna Neapolitana* imperat? Neque ſine cauſſa Sacræ litteræ inter peſſima comminantur: *Fæminarum imperium ſubiectum iri.* Sed parte tamen alterâ, exempla nos redarguant, itémque inſtituta gentium. Nam & alibi ſuccedunt in regna, & feliciter atque induſtriè adminiſtrarunt: cui rei vtrique lubet Exempla ex Hiſtoriis dare. ac primùm

Muliebris imperij infelicis

I. LAODICE *Ariarathis* Cappadocum regis, cùm marito mortuo in regni adminiſtratione eſſet, quas clades, in media pace, dedit? Sæuit paſſim in proceres, & in vulgus: parùm eſt. ſæuiit in liberos, & ſuum ſanguinem & (ô ſancta pietas!) ſex è ſe natos veneno omnes ſuſtulit: qua cauſſa? tantùm, vt diuturnior in imperio eſſet. Vnus paruulus fato euaſit Medéam illam: quem populus mox ad regnum ſuſtulit, illa priùs communibus votis & ſuffragiis extincta. ſed quid? vna & ſimplici morte extincta, quæ toties parricida, tot culleos meruiſſet.

II. Tale olim, & vetuſtius, in Sacris litteris, malum nomen ATHALIA, quæ Ioſepho eſt *Gotholia*. Ea cùm filius *Ochozias* per inſidias interfectus eſſet, inuaſit ipſa regnum: & nepotes ex eo, & totum ſemen regium ſuſtulit: conniuente in ſex annos diuina Nemeſi. donec *Ioas* à muliercula cædi ſubductus & ſeruatus, & iam adultior, regnum, & tot agnatos vindicauit, bellua illa occiſa. Nam quid fæminam dicam, ſupra omnes feras immanem & ſæuam?

III. Tragicum aulæum complicemus, ſcænicum ſiparium aperiamus: & laſciuiam pro ſæuitia magis demus. CLEOPATRA in theatrum veniat à paruulâ ad nequitias, libidines, & luxum facta. Tirocinium fuit in *Iulio Cæſare.* qui cùm Alexandriæ obſideretur; illa velut fati præſaga, fratrem *Ptolemæum*, & potiores (vti videbantur) partes deſeruit, ad Cæſarem tranſlata. Verè, inquã, trãslata: nam & hũc aſtũ ad fallendũ, & tutò trãſeundũ, cogitauit. Portæ ſeruabantur, atq; exitus: illa *Apollodorũ* quẽdam inducit, culcitâ ſe inuoluere & adſtringere, vt ſarcinam: ac ſic in regiam, vbi Cæſar, deferre. Factum eſt, deponitur ante pedes eius: & ecce ſoluta emergit Venus, non è mari, ſed è culcitâ: & culcitellam mox ſe Cæſari ſubſternit. Nam ille, etſi in medio actu & æſtu etiam rerum, tamen & ingenio illo, & mox forma ac lepôre captus, adamauit: & pretium libidinum adoleſcentula necem fratris, & regnum Ægypti, tulit. Hoc, vt dixi, tirocinium fuit: fallor? an virgineam prætextam iam in amoribus *Cn. Pompey* filij paullo antè poſuerat? quod credere nos Plutarchus, bonus auctor iubet, Credo tum cùm miſſus ille à patre in Ægyptum, ad arceſſendam claſſem & auxilia fuit. Sed hæc puella peccauit: quid iam mulier? flagitia, cum ætate, magis adulta. Poſt pugnam illam Philippenſem, *M. Antonius* & *Octauianus* partiti inter ſe ſunt operas; vt alter in Italiam rediret, & veteranos in agris diſponeret: alter in Aſiam & Orientem iret, pecuniæ vndique corrogandæ. M. Antonio iſtud euênit. qui dum reges, tetrarchas, vrbes, omnia excutit, & colligit: viſum & de Ægypto cogitare, illa diuite, & quæ offendiſſe videbatur, non ſemel auxiliis aduerſæ parti ſubmiſſis. Nam ipſa Cleopatra *Caſſio* ſuppetiata dicebatur. Itaque, etſi ſuccinctus iam ad Parthicum bellum, tamen *Q. Dellium* Senatorem ad eam mittit, & queſtum ſimul & denunciatum, vti in Ciliciam ſibi occurreret ad dicendam cauſſam. Ah miſer! ad cauſſæ dictionem euocas, tuam mox dominã & arbitrã, & apud quã fatalem ſermes ſeruitutem! Dellius venit, fæminam videt, & homo ſagax quid futurum præuidet: quippe & huius Veneres, & ſimul obnoxium talibus Antonium notat. Itaque captare tamnunc huius gratiam, audacter monere ad Antonium iret: mite & venuſtum ingenium reperturam. Perſuaſit, & conſcia formæ erat: ac pro eâ, & ſpe quam agitabat, cultum & comitatum ſumpſit. Cydno fluuio ſubuehi ſe molliter iuſſit, naui auratâ, remigio argentato, velis purpureis, ad modulos tibicinum & citharœdorum. Ipſa recumbebat ſub cælo aureo, gemmis diſtincto: pueri formoſuli, habitu Cupidinum adſtabant & miniſtrabant, quidam ventulum ei facientes. Virgines & ancillæ, inſtar nympharum, per funes & tabulata nauis diſponebantur. Ad ripam vtramque frequentes ab obuiis, & viſoribus, aræ & odores. Quid verbis opus? paſſim voces (& res ita erat) *Venerem ad Bacchum venire comeſſaturum.* Iam propinqua Antonio erat. & ille, magnitudinis ſcilicet Romanæ retinens, pro tribunali etiam ſedere, atque eam exſpectare: quid niſi ſupplicem & excuſaturam? At vide fiduciam. rectà in hoſpitium abit: & Antonius, ab omni cœtu deſtitutus, relinquitur ſolus. Itaque ſubmittit paullùm faſces, & ad cænam eam inuitat. Recuſat, & excuſat: quid iam Antonius? malè ſumptam perſonam abicit, & prior atque vltrò ad eam venit. Cænat ibi, edit & bibit amorem: quem illa non tam vultu vt aiunt, quàm verbis & ingenio inſpirabat. quæ vtraque tam mirifica poſſidebat, vt ſemel audita caperet & deuinciret. Argumentum ſanè ingenij, quòd varias linguas docta, Hebræum, Græcum, Arabicum, Æthiopicum, Parthicum ſermonem efferret, ſono & natiuo cuiuſque ſono. Hem M. Antoni quid facis? ictus es, habes: & omiſſo bello omni, aliam militiam militas, & cum tuâ reâ in Ægyptum, id eſt in caſſes & carceres eius vltrò abis. ibi quæ deliciæ, luxus, cõuiuia? Non *Fuluia* tua abſtrahit, mori in angore & æmulatione adacta. non poſteà *Octauia*, noua vxor: hæres, peris, ipſa tecum, & cum vtroque (infelicis fæminei regni exitus) ipſa Ægyptus.

Quid MESSALLINA in Romanis? illa ſæuitiæ, auaritiæ, impudicitiæ, impudentiæ, omnium flagitiorum (fas ſit in illa ſordidâ tali verbo vti) cloaca. Hæc vxor erat *Claudij* Imperatoris; nomine quidam. ſed quem ipſa & liberti, vt elephantum paruus æthiops, regebant Itaque iure hanc pono iret imperantiũ exempla. Omitto cædes tot nobilium IV.

quas patrauit, tot exilia & fugas: in libidine non cre-
do ab æuo tale monſtrum fuiſſe. Cottidie adulte- A
ria, nouæ conditiones & admiſſarij: nec clàm, ſed
in ipſo Palatio, coram matronis & viris, quaſi in-
famia delectaret, Venenabatur. Quin noctu, ve-
ſte tecta, & Meſſallinam diſſimulans, ad publi-
cum lupanar ire ſulita, proſtare inter meretrices il-
las victimas, cellam ſuam & titulum habere, ac-
cipere æra & poſcere, & explere libidinem nec ſa-
tiare. Quid etiam? marito ipſi illudere, & hunc
adigere non teſtem flagitiorum, ſed exactorem.
Videretur *Mneſter* quidam, nobilis Pantomimus,
in quo ardere mulier cœpit: & pro ſuâ verecundiâ,
ſolicitare ipſa, & poſcere. Ille ſubduxit, & renuit,
Principem reueritus; ſiue etiam veritus, ne torum
eius non impunè macularet. Mulier ad hoc ridere. B
& *Quid ais?* inquit. *ſi ipſe Claudius mens iubeat, pare-*
bis? incredibilia videbantur: fiunt. It ad maritum,
perſuadet illi ſtipiti, vt Mneſterem vocet, & iubeat,
in omnibus dicto ſibi audientem eſſe. Factum eſt:
& mox hiſtrio liberè, quaſi iuſſu domini, res do-
mini egit. Eſtne quod ſuprà etiam poſſit? mulier
reppetit. Vulgaria adhuc hæc probra videbantur:
nouum excogitat, & cui poſt factum vix ſit fides.
Erat *C. Silius* Romanæ iuuentutis pulcherrimus.
hunc allicit, fruitur, & palàm in amoribus habet.
Præmium etiam eorum, facit Conſulem, opes, &
decora Aulæ ad eum transfert: & iam colebatur,
velut alter Princeps. Non eſt ſatis: oportet lan-
guentis voluptatis nouum aliquod eſſe condimen-
tum. Itaque hoc addidit, vt maritum eum palàm C
caperet: viuo marito? viuo: Principe? Principe.
Nec longiùs differtur, quàm dum maritus Hoſtiam
iret, & quaſi de compacto paullùm ſecederet. tum
nuptiæ, & nuptialis tota pompa. flos Senatorum
& equitum adſunt, menſæ apparantur, lectulus
Genialis ſternitur, auſpices adhibentur, alia ſolen-
nia: quin & in mariti gremio noua nupta recumbit,
oſcula, complexus, & reliqua licentiæ coniugalis.
Dum ſcribo, ſtupeo: & adhuc etiam Claudius, nec
excitabatur, niſi liberti, & in quorum manu res
erant, metu mutationis, eum commouiſſent. Ita-
que tandem finis fabulæ impoſitus, & venit Ro-
mam, tollit æmulum, & mox coniugem: nec id quo-
que, ſine aſtu liberti.

v. Conſortem an non liceat addere FAVSTINAM, D
& hanc etiam Romani Principis coniugem? Age-
bat in matrimonio M. ANTONINI *Philoſophi*
cognomento, optimi non Principum ſolùm, ſed
virorum. Infelicem tantùm hac fœdâ labe! quia
& hæc libidinum ſic promiſcua & vilis erat, vt
vulgò ſe vulgaret: in balneis, in arenis, & Xy-
ſtis, vbi homines nudabantur, legere conditiones
ſolita, & benè vaſatos adnotare. Atqui non impe-
rauit, inquies. Dedit qui imperaret *Commodum*, non
falsâ opinione, gladiatore genitum: & hic rem Ro-
manam perdidit, ab illâ matre.

vi. In Galliam tranſeo, vbi reginam video FREDE-
GVNDEM, nec ſcio an ſceleſtius aliquid Sol vidit.
Ea diu pellex duarum reginarum, *Chilperici* regis
Galliæ vxorum: alteram *Andoueram*, vt pelleretur, E
effecit; alteram *Galſuindam*, per inſidias curauit oc-
cidi. Ita totum Chilpericum, & ſola iam poſſidens,
legitimam vxorem & reginam egit: ſed, pro inge-
nio, parùm fidam. Nam cum *Landrico* magiſtro
equitum furtim conſueuerat: & res marito caſu quo-
dam detecta fuit. Ibat venatum, & vxorem conſpi-
catus, quæ capillum comebat, & lotum ſiccabat in
in ſole, accedit tacitus, & per luſum à tergo virgâ
percutit. Illa ſuſpicata amatorẽ ſuũ eſſe, & nomine

cōpellans, *Quid agis mi Landrice?* inquit: *quin ſi vir*
es, aduerſam me, non auerſam pete. Confeſſio flagitij
erat: & cum dicto ſe obuertit, plura etiam dictura;
ſed attonita maritum videt, & ſilet. Etiam ille, & por-
rò venatum, vt inſtituerat, pergit: iram coquens, &
vindictam, vt res erat, meditans. Sed præuenit mu-
lier, & Landrico ſuo vocato: *Perimus vterque*, in-
quit, *mi cantâ meâ voce*: & rem narrat. additque: *Quid*
ſtupes? virum oſtende. patiendum, aut patrandum eſt
ſcelus. Landricus ſuo metu, & illo ſtimulo excitatus,
rem ſuſcipit: deligit duos è fidiſſimis, qui Chilperi-
cum ſerâ nocte e venatu redeuntem, turbæ mixti,
ferro inuadunt, & ſinguli ſingulis ictibus conficiũt.
Clamor eſt ab ignaris, & conſciis: atque iſti quaſi ex-
ternæ inſidiæ eſſent, *In ſiluas*, vocẽ tollunt, eóque ſe
proripuiſſe paricidas. Ita auctores celantur: & felix
Fredegundis ad alia ſcelera animum adiicit, infenſa
inprimis *Prætextato* Rhotomagenſium antiſtiti, non
ob noxam aliquam, ſed viri eximiam virtutem. Ita-
que lætiſſimo die Paſchatis, cùm in frequenti tem-
plo ſacra perageret, non Deum non homines verita,
percutiendum curauit letali quidem vulnere, ſed
cui aliquamdiu ſuperuixit. Mæſta eo ipſo, venit vi-
ſere, ſiue vt exploraret, ſiue vt oculos in eius ango-
re paſceret: atque ibi bellè, vt putabat, diſſimu-
lans, queſtus & iram miſcuit, quòd in tali die & lo-
co, in talem virum, patratum eſſet facinus, & au-
ctor lateret. Sed Prætextatus, vicinâ morte liberior:
Minimè, inquit, *latet. & teſtor me eius ſcelere percuſ-*
ſum, quæ reges occidit. Benè ille de regibus, nam præ-
ter maritum ſuum, etiam fratrem eius ſuſtulerat
Sigibertum, Mediomatricum (vt tunc diuiſio erat)
regem. Suſtulerat autem ſceleſtaro aſtu, immiſſis
duobus percuſſoribus: quos, cùm facinus exſecuti
eſſent, ilicò iuſſit interfici: vt vocem cum vitâ amit-
terent, & in tuto auctor agitaret. Ita iuſtitiæ vi-
ctrix, ſi non famæ, egit: & paulò pòſt *Childebertum* et-
iam regem, prælio priùs victum, cui ipſa interfuit
ſtans in prima acie, veneno tolli cum vxore, eodem
vtrumque die curauit. Quot palmas vna mulier me-
ruit? habeat: & ſicca etiam ſuáque morte abeat, Pro-
uidentia apud imperitos laborante.

vii. Faſtidio eiuſmodi narrationum inam quis modus
ſit, ſi velim perſequi? Ecce in vno Neapolitano re-
gno duæ IOANNÆ, æuo ſuppares, in nequitia
compares quarum flagitia atque etiam ſcelera (nam
& hæc mixta ſemper adulteriis) Annales texam, ſi
velim recenſere. Et propero magis ad alia Exem-
pla: neque enim deſunt ea

Muliebris imperij boni, & felicis.

i. PHILA vxor *Demetrij* regis, filia *Antipatri*, il-
lius qui Macedoniam & Græciam viuo mortuó-
que Alexandro gubernauit. Hæc iam tunc puella,
& in annis teneris, natiua quadam prudentia ſic
viſa excellere, vt ipſe pater conſilia ab ea peteret, &
audiret. Pater, ille ſenex, ille vſu & tractatione re-
rum ſic peritus. Quid Demetrius, cùm iam vxor
eius eſſet? erat ipſe vario ingenio, & vitiis propior:
ſed mira tempene hæc maritum flectebat, ne di-
cam regebat: calumnias ſupprimebat, iras mitigabat,
iuſta & honeſta inſerebat. Iam populi verè mater,
tenuiorum filias dotibus datis elocabat; afflictos à
fortuna releuabat, bonos prouehebat: quid apud
ipſos milites? Saluo pudore fæmineo, & iis ſe miſce-
bat: alloquebatur, erigebat, tanta auctoritate vel
gratia, vt ſola tumultuantes repreſſerit, & in ſeditio-
nem lapſos reuocarit. Quæ fides deinde & amor in

ipſum maritum? cùm victus à *Pyrrho* rege eſſet, captus ac regno exutus: viuere non vltrà ſuſtinuit, & morte ſpontaneâ inuidiam Fortunæ fecit.

II. Æuo, non animo, inferior ZENOBIA Palmyrenorum regina. Hæc ſtirpem & ſanguinem à *Ptolomæis*, & ipſâ Cleopatrâ, ſed non mores (dij boni, quàm aberat!) ducebat. Vxor erat *Odenati*, fortiſſimi viri, & qui ad imperium Romanum auſus adſpirare. Illo viuo iiſdem cum eo exercitiis in venatu, in montibus, in ſiluis, in ipſâ militiâ vti. Amans eius vtique, ſed ob matrimonij finem, liberos: quos vt concepiſſet, tangi à marito mox abnuebat. In aliis virtutibus ſcientiæ etiam auida; & hiſtoriæ Orientalis ita perita, vt ipſa eam ſuo ſtilo in compendium redegerit, vſui poſterorum. Nec Græci Latinique ſermonis, aut rerum, ignara fuit. Formâ autem corporis egregiâ, *oculis ſupra modum vigentibus* (verba Pollionis dabo) *& nigris; tanto candore in dentibus, vt margaritas eam plerique habere putarent, non dentes. Vox præterea clara & virilis.* Cum his dotibus, vt dixi, nupta, & forti quidem viro, etſi haud felici. Nam Gallieno illo ignauo Imperatore, cùm decus omne imperij labaret, aut rueret: ipſe Perſidem & Orientem inuaſit, quaſi *Valerianum* captum, & Romanam ignominiam vindicaturus. Res magnas gerit: adeò, vt ipſe Gallienus conſortem imperij ſumpſerit, & vltrò Auguſtum declararit. Nec diu in hoc honore, inſidiis *Maonij* conſobrini ſui vitam & poteſtatem amiſit, aut hanc potiùs tranſmiſit. Nam Zenobia illa vxor, laborum & victoriarum antè particeps (aſſiduè enim comitari maritum, ipſa etiam ſub armis ſolita) imperium ſuſcepit fortiter, & geſſit. Bella cum Romanis, & *Aureliano* Principe habuit: Ægyptum inuaſit, & victo ac cæſo eius præſide *Probo*, occupauit. Denique Aurelianus, ſed ægrè, fregit, non enim profectò vicit: imò velut tacito pacto, paſſa in triumpho ſe duci, ſed vt vitam & dignitatem in parte ſeruaret. atque adeò ſunt, qui filiam eius Imperatori dicant nuptiis iunctam: imò & ſtirpem eius diu poſt Romæ inter illuſtres familias floruiſſe.

III. Hæc militaris fœmina: pacatius exemplum PVLCHERIA dabit. Ea *Theodoſij* iunioris ſoror vitam & virginitatem Chriſto deuouit: paullò maiore natu, quàm ille. qui ſeptuennis ferè à patre *Arcadio* relictus, hanc habuit morum & inſtitutionis magiſtram. Atque adeò iam grandiore illo adhæſit, & curas imperij participauit: ſalubriter omnia, & piè, modeſtèque diſponens. Et verò quamdiu habenas tenuit, felix imperij & rectus curſus: poſtquam inuidiâ aliorum, & calumniis Eunuchorum (*Chryſaphij* præſertim) ſubmota eſt, & loco pulſa: contulit ea ſe in *Hebdomon*, locum Byzantio ſuburbanum. atque ibi ſummâ pietate & quiete victitabat. Donec poſt annos ſeptem, fraude calumniatorum agnitâ & imperio vndique concuſſo, fulcrum iterùm rebus labentibus adſumitur, aut reparatio iam lapſis. Fit vtrumque: & reſtituit pleraque omnia, aut tuetur. Specimen animi eius & prudentiæ hoc eſto. Fratrem Theodoſium videbat, & dolebat, temerè libellis ſæpè ſubſcribere, & nec lectis: alienâ commendatione aut fide, vt fit, nixum. Dolum bonum hunc repperit, ad emendandum. concepit enim & ipſa libellum, atque obtulit, quo *Eudociam* eius coniugem petebat mancipari ſibi in ſeruitutem. Capit, & ſubſcribit ſtatim: quidni in ſororis petitione? atque illa, ſcænæ inſtruendæ cauſſâ, Eudociam apud ſe aliquamdiu habet. Miranti, & euocanti, negat miſſuram, & ſuam eam, vti quæ OPTIMO MAXIMOQVE iure, eſſe. Profert manum & ſubſcriptionem, confuſo iam illi, neſcio an emendando. Reuera enim ſecors ingenium fuit, & alter Claudius in fœminarum aut effœminatorum (Eunuchos intelligo) poteſtate. Mortuo autem illo, & ſine liberis ſe celatâ, *Marcianum* euocat, vitâ & bello bonũ, & ad imperium producit. Quóque magis commendaret, nuptias ſuas ei donat, ſed titulo tenus: ſtipulata, ne ſacrata Deo virginitas libaretur. Rexit cum illo annos aliquot, mirificè à noſtræ religionis apicibus, *Leone* Pontifice, *Hilario* Epiſcopo aliiſque laudata. Vixit annos circiter LVI.

Similem, non enim parem vndique, ei iungo ISABELLAM *Ferdinandi* coniugem, Hiſpaniarum reginam. Parem? in quibuſdam ſuperiorem, & ſolâ fortaſſe virginitate cedamus. IIII. Hæc, ſi pietatem ſpectas, in ſacrorum cultu mirifica, & aſſidua; nullâ occupatione aut delectatione dimoueri; horas ſuas Canonicas (vt loquimur) ſacerdotali exemplo cotidie legere: ipſos ſacerdotes honorare, templa exornare. Atque id ſuis aut ſuarum ferè manibus, cùm & ipſa acu pingeret aulæa aut veſtes, aut à familiaribus puellis pingi texique iuberet. Iam reliquæ virtutes inſtructæ huic fundamento. caſta, ſic vt nec rumor de eâ mentiretur; & maritum pariter eò ducens, pellices, amicas, & id genus callidè ſcrutata, & ab Aulâ amolita. Frugalis adeò, vt in omni vitâ nec vinum libarit: quæ vitiis fomes, vt ſcimus, eſt caſtitatis, & modeſtæ grauitatis. Quam ſanè habuit, exoſa mimos, ſcænicos, ludiones, totum hoc leuitatis inſtrumentum, & nec priuatim aut publicè audire ſuſtinens, vel ſpectare. Eorum vicem, viros graues, matronas ſerias apud ſe habere: item pueros aut puellas nobiles, & vtrôſque, pro ſexu, artibus ſtudiiſque informare. Aula illa, nil niſi palæſtra honoris & virtutis erat. Itaque inſignes viri, etiam militiâ, ex eâ prodierunt: & magnum illum *Conſaluum*, cui regnum Neapolitanum Hiſpania debet, hæc refert expertum. Matrona ipſa ciuilium rerum gnara, bellicarum nec ignara. Quid magni in regno ſine illâ, imò niſi per illam fuit, geſtum eſt? Rex maritus & conſiliarij, vſu edocti peritiam eius & felicitatem in ſententiis, quæ edicebat pro oraculis (nec id per adulationem) amplecti. Illa factionibus, latrociniis, infeſtum regnum purgauit, & pacauit: illa iuſtitiam reſtituit, potentiorum iniuriis exſulantem. Et quid alia commemorem? quàm in grauia animaduerterit, argumentum eſto: quòd nec aleæ aut teſſeræ ludum tolerauit, & edicto vetitum ſic repreſſit (etſi prona eò gens eſt) vt nec furtim & in angulis luderent, ſoliti in cauponis, viis, angiportis. Iam verò & militiæ non conſilio tantùm, ſed operâ interuenit: modeſta quædam *Zenobia*: & bellum Luſitanicum, abſente marito, confecit, & Maurico ſiue Granatenſi, quod plures annos traxit, plures interfuit, & ſummam manum præſens cum marito impoſuit. Magni ad omnia animi, & res ſpeſque magnas complexa. itaque Nauarræ regnum conſiliis eius iunctum; Canariæ inſulæ occupatæ, & poſſeſſæ; ipſe Nouus orbis, Naturæ occultior pars, per eam retectus & ſubiectus. Nam maritus, cetera vir egregius, reſtrictior aut timidior erat, retinere ſua melior, quàm augere. Hæc dilatabat. & cùm *Chriſtophorum Columbum* diu rex duxiſſet, & ad extremum deſtituiſſet: bono Genio ſtimulante ad ipſam Reginam venit, conatus ſuos & perficiendi vias expoſuit, & inſtrumenta, id eſt naues, viros, arma ab hac impetrauit. Salue, ſalue heroina,

priſcis par aut maior: & in qua iure claudam exempla fœminei boni imperij. quid enim tale addam?

CAPVT III.
DE ELECTIONE.

Quæ commendare eam, quæ abijcere poſſint.

Viri igitur potiùs imperent, & ſoli. Sed quomodo? Electione, an Succeſſione admoti? Electio antiquior videtur, & heroicis illis temporibus vix aliter factum; & Principatus pace aut bello, virtutis aut roboris prærogatiua aſſignati. *Natura enim eſt*, ait Seneca, *deteriora potioribus ſubmittere.* Itaque Baſilienſes quidam, cùm ad *Carolum* IX. Galliæ regem Rothomagum deducti veniſſent, valdè mirabantur, *Quomodo validi illi & proceri viri* (Heluetios intelligebant) *parerent paruo & tenello regi.* Nimirum pro ſuo more, & ſenſu, iudicantes: ſatis læuè, quaſi à ſolà corporis magnitudine præſtantia eſſet. Sunt etiam rationes, quæ commendare Electionem videantur. Prima, quòd optimi & aptiſſimi per eam capi; non item à Succeſſione poſſint, in qua quoſcumque genitos admitti. Item, quòd iuſtà ætate capi, & idonea iam regere: aliter in Succeſſione, vbi pueri ſæpe aut infantes ius ſumunt. Deinde, quòd regnum ita moderatius videatur. cùm nec innutriti ſint potentiæ, & ex eâ ſuperbiæ; & quòd neque proprium habeant, ab aliis acceptum, ad alios tranſmittendum. Eò minùs intendunt imperium, aut ſubditos opprimunt: in quem enim poſt vſum? Aperitur & virtutibus campus: ac multi ad eas aſpirent, vel ſpe Principatus. Hæc & talia Ariſtotelem mouerent, vt Carthaginienſes laudaret hoc nomine, & Spartiatis præferret, qui ſtirpe reges legebant. Sunt & hodie, aut nuper fuerunt inter Chriſtianos, electi reges: hodie quidem Poloniæ, nuper Bohemiæ, Daniæque. Iſta pro Electione, plura in eam poſſunt. Primò quod dicitur, veterem eſſe: fatemur, ſed vſus illis rudibus ſubiecit. hîc & alibi, meliora. Additur, optimos ſic poſſe eligi: & verum eſt. ſed etiámne eligi? ſi rem & experimenta vides, ſæpe falſum. Rara electio, quæ ſine priuato cuiuſque affectu aut reſpectu fiat: nec rei publicæ vtiliſſimum, ſed ſuæ legunt. Quærunt opportunos. vt omittam, pecuniam & corruptelas ſuffragia ſæpe trahere, & rem geri promiſſis doniſque. Atque ea nec fortaſſe meliore aliquo ſæculo excludas: ſicut nullo, odium aut amorem. Nicetas Choniates in hac re prudenter iudicat, vbi res *Alexij* Imp. Græcanici narrat: qui fato vicinus, & ſine liberis, de eligendo ſucceſſore cum ſuis agitabat. Scribit: *Igitur alij atque alij varie nominabantur, ſed omnes qui ſibi opportuni aut vtiles eſſent, nominabant. De eo autem eligendo, qui optimè & ex vſu publico imperaret, nulli cura aut cogitatio erat.* Veriſſima dicit, & vſu probata ac probanda. Iam quod tertiò inquiunt, iuſtæ ætatis, & maturæ imperio, ſic eligi: ita habet, & commodum eſt. Sed enim illud adhæret incommodi, quòd regnum intereà vacat, nec poſſeſſorem habet. Quod ſiquis conſiderat, maius malum eſt, & plura ſæpe daturum, quàm imbecilla in imperio ætas. Sanè vbi interregnum eſt, iuſtitia & leges ſilent, licentia & vis valent: atque id ſæpè hebdomadas, menſes, annos manet. Quæ intereà confuſio, aut ſcelera ſunt? quæ ambitio & prenſatio? per quas fraudes, & artes? Germaniam vide, vbi Imperator demortuus: boni omnes in præſenti & futuro ſunt metu. Ipſa Roma nunc, in ſacrorum Pontifice, hæc mala eſt cùm ſentit. Quid deinde in eligentium diſſenſu? diſſidia, & bella. Quæ nec inter paucos electores ſemper effugias: appello ad illos Imperij Septemuirales. Appello ad ipſam iterùm Romam: & cum noxâ religionis, & pænè dicam probro, audiuimus legimuſque, plures vno tempore Pontifices, à tali cauſâ, ſe geſſiſſe. Nota mihi illud, & incertum illud fluctuánſque in ſucceſſione: magna ratio & efficax eſt, ad totam Electionem repudiandam. Iam quartum erat, Moderatius ita fore regnum. Non abnuam: ſed addam, ſolutius etiam, & minore curâ adminiſtrandum. Vt quid enim rei nec diu meæ, nec poſteà meorum, nimis acriter intendam? Frui ſatis eſt. Obnoxij etiam viuunt, ſiue iis qui elegerunt, & quibus hoc velut beneficium debent; ſiue omnibus, qui in occaſione minuere poſſunt poteſtate, aut priuare. Poloniam adi: hæc fiunt. Itaque & Iuſtitiam minùs coli, neceſſum eſt: & Principem indulgere, aut oculos clauſiſſe, in potentium noxis. Dixi etiam, minùs curæ aut cuſtodiæ eſſe regnum: an non ita eſt? Germaniæ Imperatores video, ex facili aut oppida, aut prouincias totas, vel liberis agnatiſque ſuis, vel & exteris, auulſas à corpore contribuiſſe: ſæpè per gratiam, aliquando & pecuniam aut mercedem. Non ſic fieret in proprio & hereditario regno. Neque Principes tolùm ſecordes: ſed miniſtri eorum tunc tales. Nam & ipſi futurorum ſecuri, præſentibus inhiant, lucellum in omni occaſione captant, ſubitò, auidi, & vt inter incerta feſtinantes. Iam quintum illud, Virtutes ſic excitari: vix colorem habet. Valdè ſcilicet, quia vnus aliquando, nec meritò ſed caſu, bonus eligitur, boni eſſe elaborent. Si ad euenta imus, quocumque in regno, Electiones mixtas videbis, & ſæpè deterioribus pronas. Vel Roma in Principibus ſuis, vel Germania, dicat. Vltimum, Ariſtotelem approbare: & hodiéque alibi eſſe. De Ariſtotele, non mirum: Græcus & liber, regna amat proxima libertati. De vſu hodierno aut nupero, leue eſt: nam præponderant exempla alia, & pro vno Electionis, centena ſunt Succeſſionis. Quæ vis hîc igitur? Quòd ſi illud dicatur, etiam nunc meliùs regi aut creſcere regna ab Electione: magnum ſit. ſed non dicetur, & oculi ac ſenſus refutabunt. Ego verò amplius dico. vbicumque bonum & laudabile regnum fuit, in Perſide, in Macedoniâ, in Ægypto, in Sinenſibus, in Hebræis ipſis, Succeſſionem valuiſſe: etiam in Româ, quoties Principum liberi aut geniturâ, aut (quod ſæpius) adoptione eſſent. Iterumque amplius dico: nec fuiſſe vlla Comitialia regna, nec fore diuturna. Exſurgit ſemper aliquis, animo & conſilio inter Principes maior, qui creditum vni ſibi regnum, ſuis ſtabilit gratiâ, arte, præmio: & vis interdum adhibetur. Dania & Bohemia oſtendunt, alia magna regio fortaſſe oſtendet. Sed in fine non metuo, quin Nicetæ etiam verba, & ego eius ſenſibus, ſubſcribam. Exclamat: *O quanto deterius eſt multorum ſuffragium & electio, quam vnius! Tu inclytum Romanum imperium, & gentibus adorandà maieſtas, quos tyrannos pertuliſti? quales amatores te petierunt? quibus ſubſtrata, tui copiam feciſti? quales coronâ, & diademate, & puniceo veſtitu exornaſti? Grauiora vtique tuliſti, quam Penelope procorum illa frequentià obſeſſa.* Res ita habet. Romanum imperium ſtatim à *Claudio*, qui primus à milite electus eſt, & fidem eorum præmio pignerauit, in viliſſima capita & peſſima hac Electione venit: Electione, an palam Emptione? Nam & hoc ſcimus, velut ſub haſtâ, vænale pependiſſe: & non aliud magis clarum certumque exitium rei Romanæ fuiſſe. Sed exempla quædam Electionis videamus, bonæ aut malæ mixtum.

Avruncani populi barbari ſunt in Peruano

tractu. Ij à ſolis viribus corporis ductores legere ſoliti: experti eas in graui aliquo ligno. quod qui diutiſſimè humeris baiular, nec ſuccumbit, putatur & regendi oneri par futurus.

II. Melius qui ab animi viribus aut præſtantiâ ſumunt: quod Romani olim veteres in ſuis regibus, *Romulo, Numâ, Seruio*, vix alio aſpectu fecerunt Sequuti quàm aliter? & ſtirps Augusti cùm defeciſſet, caſus aut corruptio Principes ferè dedit. Primum in CLAVDIO. qui C. Caligulâ occiſo, tumore cædis exterritus, & ſui quoque anxius, prorepſit ad ſolarium, & inter ianuæ prætenta vela delituit. Miles aliquis è Prætorio, diſcurrens ad prædam, hunc reperit, protrahítque: & interrogato Quis eſſet? acceptóque, impetu aut inſtinctu, Principem ſalutauit. Quanta vnius & gregarij quidem, in re tantâ audacia! Perduxit ad alios Prætorianos, fluctuantes adhuc, nec aliud quàm frementes: qui vt cælitus oblatum arripuerunt, & lecticæ impoſitum in caſtra ſua, viciſſim ſuccollantes, tulerunt. Senatus & vrbanæ cohortes diſſidebant, & Libertatem præferebant: inane nomen vicit militaris electio, & fatale Romanis ſeruire. At Claudius iam imperij compos, vt militem magis obſtringeret, *quinadena ſeſtertia* ſingulis (ſunt nobis *trecenti ſeptuagintaquinque* Philippici) promiſit, & dedit.

III. Idem caſus ſiue error clariùs in VITELLIO ſe aperuit, longè ab omni Imperatoriâ aut virtute, aut ſtirpe. Homo ventri & abdomini factus erat, nullâ vel ſpecie virtutum, niſi quòd candor aut ſimplicitas in eo placerent. Is Legatus inferioris Germaniæ à Galbâ electus; & quattuor legionibus præfectus (amabant autem hos ignauos, & altioris cogitationis non ſuſpectos) præfectus, inquam, agebat Coloniæ Agrippinæ, cùm nuncium accipit, ſuperioris Germaniæ legiones defeciſſe à Galbâ, & in S. P. Q. R. nomina iuraſſe. Dum conſultat, quid facto opus, vis in defectores an conſenſus placeat? ecce *Fabius Valens* è Legatis legionum, cum paucis equitibus, oppidum intrat, ipſum Vitellium Imperatorem ſalutat. Vnius vox omnium fuit. ſecutæ legiones, alæ, cohortes, ciues, ſocij, ardore magis quàm iudicio: & inuaſit imperium atque armis peperit, armis mox amiſit.

IIII. Lubet etiam hos fortunæ ludos videre, & in theatrum producere PROBVM. *Tacitus* Imp. abſumptus erat, & *Florianus* frater eius adſpirabat. ſed dum electio pendet, Orientales exercitus eam occupare, & ſui beneficij Principem habere voluerunt. Conueniunt ad eligendum: & Tribuni, quaſi per decorum, eos monent, *fortem, clementem, probum Imperatorem requirendum eſſe.* Arripiunt vocem, & ſtatim acclamant, *Probe Auguſte dij te ſeruent.* Inde purpura, tribunal, & legitimus Princeps.

V. Quid in REGILLIANO, quàm conſimile? Dux Illyrici erat, & milites malè in *Gallienum* animati, res nouas agitabant. Fortè vnà plures cœnitabant. fuitque *Valerianus* Tribunus qui in ioco & vino diceret, *Regilliani nomen vnde credimus ductum?* Subiecit ſtatim alius, *A regno*: & milites communiter, *Ergo poteſt rex eſſe?* &, occaſione ſolâ temerarij dicti, fecerunt.

VI. O ludos! & luſum etiam adiungo, qui PROCVLO tradidit Principatum. In Galliâ milites ad latrunculos ludebant, item conuiuantes. Fortè decies Imperator Proculus exiuit: atque ibi quiſpiam ludens, *Aue Auguſte*: allatâque lanâ purpureâ, humeros eius velauit. Timor mox eorum qui adfuerant: & ne accuſarentur apud veterem Imperatorem, nouum hunc faciunt conſenſu.

VII. Ridere in illis liceat, in iſtis indignari, vbi Corruptio ſuffragia temperauit. Sicut in M. SALVIO OTHONE, qui clàm & palàm militibus pecuniâ ſubornatis, & in *Galbam* armatis, eum ſuſtulit, ſe immiſit, ſed Principem non diuturnum.

VIII. Nunc item, à ſimili fœditate, IVLIANVS peterenauit. qui poſt cædem *Pertinacis*, cùm vænale in caſtris Prætorianis penderet imperiû, & *Sulpicianus* licitaretur: iſte, pecunioſus & ambitioſus ſenex, eòdem aſpirauit: & ad muros ſubiens, modum pecuniæ certum promiſit: cumque illi ad *Sulpicianum* retuliſſent, plus aliquid adiicientem, iterumque ad iſtum (prorſus vt in ſollenni auctione) tandem peruicit Iulianus: finiſque fuit, vt *vicenaquina ſeſtertia* (ſunt *ſexcenti viginti quinque* Philippæi) virilim Prætorianis darentur. Immanis ſumma! quam ille concuſſionibus & rapinis mox coëgit: atque hæc omnia, qui inter claros Iuriſconſultos nomen vindicabat. adeò facilius eſt peritum eſſe legum, quàm ſeruàtem. Sed pœna à tergo preſſit: ſtatimque *Seuerus* ſuperueniens, vitâ & imperio illum, Prætorianos zonâ & militiâ exuit.

IX. Sed hæc fœda, exemplo vno aut altero eluantur laudabilis Electionis. Quæ autem laudabilior illâ, quam Deus iniecit, & direxit? CASIMIRVS fuit, filius *Miecislai* vnicus, qui ob teneram ætatem regno minimè aptus, ſub curâ & gubernatione matris *Rixa* conquieuit. *Anno ∞ XI.* Sed ea mulier auara, ſuperba, exteris Germaniſque addicta, prouocauit odia Polonorum: quæ fugâ denique vitauit, ablatâ ſecum regni gazâ, & filio mox in Saxoniam ſecuto. Qui in exſilio iſto animum ad litterarum ſtudia appulit, & Lutetiam Pariſiorum deuênit. Illinc in Italiam porrò, & denique pietate impulſus, in Cluniacenſi cœnobio Benedictinum monachum profeſſus, Deo totum ſe vouit & ſacrauit. Intereà turbæ & fluctus in Poloniâ, vt in naui rectore vacuâ, & oculi atque animi requiſierunt illum Caſimirum: decretúmque publicè, vt miſſâ legatione vbiubi terrarum eſſet, requireretur. Ad Reginam primò ventum, ab eâ Cluniacum: & inueniunt non iam Caſimirum, ſed *Carolum* (nam & nomen mutauerat) eundemque ſacramenti religione, ſed & Diaconatus vinculo, obſtrictum. Illi præterita excuſant, patriæ diſcrimina & calamitates proponunt; & hunc, vt vnicum præſidium & ſubſidium, Principem depoſcunt. Ipſe fortiter recuſare; alienæ poteſtatis ſe iam oſtendere, nec quidquam cum mundanis rebus commercij eſſe. Tamen vrgent; ad Abbatem tenduntur, ab illo ad Pontificem. atque iſte indulget, laxat ſacramenti atque ſacerdotij vincula, data etiam venia coniugij: cum lege, aiunt, vt Poloni caput deinceps in coronam tonderent ritu monachali, itémque nummum annuum in luminaria & cereos Diui Petri Romam conferrent. Hoc eiuſce indulti monumentum eſſet. Ita in regnum ducitur, gaudio & conſenſu excipitur: prudentiſſimè & fortiſſimè adminiſtrat, domi pace parta, hoſtibus foris victis aut repulſis. Piè vixit, piè obiit, regno in poſteros (nam & vxorem duxit, & liberos ex ea tulit) propagato. Quis abnuet hæc à Deo eſſe? profugo, monacho, Diacono, patriam, ſceptrum, vxorem, cum gratia laude, veniâ.

X. Sed memorabilis illa quoque electio. ſiue iudicium fuit, quo regnum Aragoniæ, auorum iure ad FERDINANDVM *Henrici* Caſtellæ regis fratrem tranſiit. *∞. CCCC. XI.* Obierat *Martinus* rex, idque ſine liberis: & inter agnatos vel cognatos variè certabatur. Ius, fauor, factio comparabantur: & iam ad cœtus & arma res ſpectabat: quippe inter potentes competitores, *Ludouicum Andegauenſium Ducem & Nea-*

politanum regem, Iacobum Comitem Vrgelitanum, Alfonſum Marchionem Villenæ & Ducem Gandiæ, & noſtrum illum tam dictum. Sed viſum conſenſu procerıbus (rarum in tali ambitu) iudices ſiue arbitros ſuper hac re legere, & quemcumque Regem ij dixiſſent, eſſe. Electi nouem, ſanctimoniâ vitæ, & doctrinâ aut prudentiâ, conſpicui: terni ex ipsâ Aragoniâ, totidem è Catalauniâ, iterumque totidem è Valentiâ: quæ tria regna ſcilicet in vnum corpus contributa. Dies igitur dicta electioni, locus captus arx *Caſpa* in Aragoniâ. Magna exſpectatio, concurſus, aperta & occulta vota aut metus; denique ipſo iam die, tribunal pro foribus templi erectum, aulæis inſtratum & regifico ornatu. Conſederunt iudices, præſedit iis (nam adeſſe voluit) Summus ipſe Pontifex, etſi in ſchiſmate, *Benedictus*: tum ſurrexit *Vincentius Ferrerius* Dominicani ordinis, magnâ ſanctimoniæ opinione, & inſigni ac feruidâ eloquentiâ, qui concione ad rem appoſitâ, proceres & populum conſentire, obedire denique nouo Regi hortatus eſt. *Quis is erit?* ſuſpendit aliquamdiu omnium animos, & grandi tandem voce protulit *Ferdinandum*. Clamor coronæ, & iubilus, fauſta precantium. nam plurium in hunc & virtutes eius inclinatio: quorumdam tamen & mæſtitia, qui ſuos candidatos decidiſſe tantâ ſpe indignabantur. At ipſe coronam mox Regni, ſollenni ritu, accepit: pacem vbique repperit, aut pepetit. & magnum illum *Alphonſum* genuit, Aragoniæ, Siciliæ, Neapolis regem.

xI. Pulchra electio, & quam in manu Luſitanorum erat nuper imitari. Nam plures regnum illud, mortuo *Sebaſtiano*, competebant, ſuis quiſque titulis, Philippvs rex Hiſpaniarum; *Alexander* Parmæ Dux liberorum loco; *Ioannes* Dux Bragantiæ, ab vxore; *Antonius* nothus, ſed qui legitimum credi ſe volebat. Concurrebat & regina Galliæ, *Catharina Medicea*, vetuſto & obſoleto titulo à Comitibus Bononienſibus repetito. Rex ſenex *Henricus* mederi futuris malis poterat, & velle videbatur: ſed fortior animus deerat, & cunctantem mors occupauit. Sed & poſt eum quinque *Gubernatores* electi, & vndenı *Iudices*, tarditate aut frigore peccarunt: & quamquam proni in Philippum regem, non auſi ius ei adſcribere, ob populi ſtudia diſſentientis. Quem ſuum ferè *Antonius* fecerat, & plenis velis per plebeias illas vndas ferebatur. Ita factiones, diſſidia, & denique arma. Quæ tamen priuſquam Philippus inferret (& parata habebat) pro ſuo ingenio leniter ac tardè agere, legationibus quàm legionibus velle rem conficere: à vi quidem adeò alienus, vt cùm *Antonius* ille, caput turbarum, eiectus ab Henrico rege, in Caſtellâ eſſet, & in cœnobio quopiam Diui Benedicti, gnaro rege Philippo, latitaret: ille ne extraxit, nec repulit, cùm in illo velut torre exſtinguere incendium ſurgens poſſet. Simile in altero competitore Duce Bragantiæ: cuius filium captum à Mauris, infelici illo prælio, redimi per Legatum ſuum curauit, & eumdem iam in Hiſpaniâ, cùm eſſent qui omni vi & viâ retinendum cenſerent, imò retinerent; ille firmus in quietis conſiliis, & iure ſuo nixus, liberum dimiſit. Sed neque ſic, cùm alij arma pararent aut caperent, inuaſit, aut eiecit. ſed ante omnia ius ſuum diſputari à Theologis, & Conſultis eius, fecit: iámque de eo certior, copias promouit. In limite erat Luſitaniæ, & omnis mora noxia: tamen iterùm moratur, iterumque peritos conuocat, & per Deum & Fidem obteſtatur, liberis vocibus ſententiíſque edicerent, ecquid iuris ſui eſſet. Hoc non cupere ſe modò, ſed iubere. Omnes vno ore ius affirmant. Tum denique *Ferdinandus* Dux Albæ inuadit, & ſeptuaginta dierum ſpatio Luſitaniam totam ſubiicit: vno prælio Antonio, qui regem ſe ferebat, pulſo. Si tamen prælium dixerim, veterani exercitus, cum ſemiermi & vrbanâ turbâ congreſſionem. * Annos paullò minus *quingentos* auulſa Luſitania fuerat à reliquo ſuo corpore: redit, vt retuli. ſed cum admiratione aliqua eorum qui attenderent, in re tam opportunâ, vtili, facili, cunctatorem Philippum ſic fuiſſe. Imitentur reges, nec temerè ambitio ad arma impellat. * Auulſa anno ∞. c. x.

CAPVT IIII.
DE SVCCESSIONE.

Hanc præferendam, etſi incommoda etiam habet.

MElıorem eam Electione tutiorémque eſſe ſuprà oſtendimus: & duplex certè cauſſa eminet. Prior, quòd nullum hîc interregnum; atque ita nec competitio, nec bellorum materies: præſertim cùm iura ſucceſſionum legibus aut moribus vbique firmentur. Secunda, quòd caritas vtrimque maior. & ſubditorum in genitum & ſanguine Principem; & Principis in ſubditos, certo & veteri iure ſuos. Addam tertiam, aſtrictioris imperij, & reuerentiæ aut obedientiæ promptioris: quia vitari aut differri vindicta ægrè poteſt, cùm patri filius ſuccedit, & illius iniuriam ſuam putat. Non ſic in exteris: qui tutiùs contemnuntur, & ſi offenderis, receſſu aliquo vitas, donec illi abeant è vitâ. Duo tamẽ incommoda adhærent (& quid purè bonum in rebus humanis?) quòd vel mali vel inutiles ſic capiendi interdum ſint; vel pueri & infantes, quos ætas arcet à regendo. Quod ad prius, ſciamus idem & in Electione euenire poſſe, atque adeò ſæpe eueniſſe. Ferendum eſt, & melior exſpectandus: vt poſt hiemem, aliqua æſtas. Quod ad alterum, grande incommodum, fateor: & ferè Deus ſic diſponit (ipſemet dicit) vbi viſum ei punire regna aut immutare. Quid ni feramus tamen, ſi à Deo? Hanc ei viam caſtigãdi adime; aliam repetiet, fortaſſe triſtiorem. Leges viam ſuam teneant, itémque fata. Et tamen in illapsâ puerili Succeſſione remedium, ſi viuit mater. Hanc admoueri, & vices pueri gerere, cum prudenti aliquo Senatu, è re ſit: & exempla docent, feliciter eueniſſe. Nam proceres regni eligi, anceps ſi vnum, ceteros offendis, vt ſpretos; & hic fortaſſe próprias opes cogitet: ſi plures, non euades factiones inter eos, & turbas. Mater igitur melior. Sed exempla aliquot, aut iura diuerſa Succeſſionis videamus: in quâ conſenſu gentium receptum.

Mon. I. *Certos Liberos præferri:*

Sed, vt dixi, certos legitimoſque. Ceterùm, vbi fraus timeri poterat, cautiones video adhibitas, calumniæ aut ſuſpicioni vitandæ. Sicut in Ogiva Lucemburgicâ, quæ pænè *quinquagenaria* in matrimoniu *Balduini Pulchro-barbi*, Flandriæ Comitis, grauida eſt facta: & res ea ſuſpecta multis, ne vanus aut fartus tumor, non à naturâ & puero eſſet. Igitur circa dies iam partioni ſollennes, maritus in medio Atrebatium foro, tabernaculum tendi iuſſit, laxum & pretioſi operis: edixítque, omnibus fœminis, famâ & loco honeſtis, fas eſſe adſiſtendi, & oculis arbitrandi verus an ſuppoſititius ille partus eſſet. Factum ita. viderunt plures, obſeruarunt: & omnes ita rumuſculos diſſiparunt, qui de ſterilitate eius erant ſparſi. I. Circa annũ ∞ xIIII.

Planè idem in Constantia, Neapolitanâ regina. quæ nupta *Henrico* Imperatori, quinquage- II. ∞. c. xcIIII.

putaret, tolli tyrannum. Eâdem animi rectitudine, cùm alij optimatum ad Octauianum deflecterent, illum colerent: reſtitit, & palàm denunciauit, imponi & tolli in humeros tyranni heredem, grauiori mox ſeruituti. Nec id quidem metu ſuo, aut odio. quem ille odiſſet, qui nec armatum & inſidioſum hoſtem, C. Antonium? Bis eius copias & ipſum cinxit, & in manu habuit capere aut occidere: dimiſit. Quo tam benignæ virtutis fulgore milites percuſſi, ad eum tranſierunt, atque ipſum ducem captiuum tradiderũt. Quid deinde in Lycios? acres & peruicaces hoſtes erant: tamen captis per vim arcibus aliquot & opidis, omnes ſine pretio liberos dimiſit. Nec ſic placantur. igitur Xanthios obſidet, premit, & fortuitus ignis vrbem comprehẽdit: quem ciues in totum, deſperatione & peruicaciâ, augent, alimenta iniiciunt, ſe interficiunt: Bruto miſerante, reſtinguente, ſalutem offerente. Sed & lacrimas vbertim emiſit in triſti caſu, & præmium militibus pronunciauit, ſiquis hominem Lycium conſeruaſſet. Talis & in Patarenſes fuit, pertinaciter item reſiſtentes. Atque ipſe cùm animi dubius eſſet, oppugnaret an omitteret; non victoriæ diffidentiâ, ſed metu ſimilis veſaniæ: ecce habuit in poteſtate pleraſque eorum fæminas, quas omnes intactas in vrbem remiſit. Perfregit ea res animos, & ſponte opidum Virtuti, quod non Terrori aperuerunt. Tamen ille tam mitis in hoſtes, qualis in ſuos fuit? ſeuerus, vbi meruiſſent. In ipſo ardore ciuilium armorum, cùm multa militi, omnia ferè ducibus licent, accuſatum apud ſe à Sardianis *L. Pellam* Prætorem, repetundarum, nihil cunctatus damnauit, & infamiâ notauit: improbante & indignante Caſſio, quòd id temporis amici non alienandi, ſed noui adiungendi viderentur. At ille in Virtutis & Iuſtitiæ orbitâ firmus, nec in communi exceſſu exceſſit: & deſeri, ac deſerere omnia maluit, quàm illas. O virum, cui vel hoſtis meritò lacrimas impendit! Is fuit *M. Antonius*. qui interfecti (ſponte, & ſuâ manu) corpus liberto cuidam ſepeliendum tradidit: atque adeò paludamento ſuo velauit. Quod ille cùm auaritiâ interuertiſſet, neque vnà cremaſſet; gnarus iratusque Antonius, protinus interfici iuſſit, cum hac ſuperdictione: *Et tu neſciebas, cuius tibi viri ſepulturam mandaueram?* Neſciebat vile ingenium: ſed viri herculés magni, & vel *primi*, *vel vltimi* (vtrumuis dicas) *Romanorum*. Tranſeo ad exempla

CONSTANTIÆ.

I. Quorum agmen ducat PHOCION Athenienſis: vir qui contra vulgus, contra potentes, contra fortunam & mortem ipſam immotus ſtetit. Oraculo aliquando Athenis recitato, *Eſſe vnum virum, qui à concordi ciuitate diſſentiret*: quærentibus omnibus, & frendentibus: *Quæſo*, inquit, *quieſcite: ego ille ſum, quem quæritis. nam mihi nihil eorum, quæ agitis, placet.* Proh animum! ſicne vnâ voce totum populum reum agere peruerſitatis, & inſipientiæ? Sed cauſſa tamen erat: & illis Alexandri temporibus, populus Athenienſis delirabat ſenectute. Idem igitur, cùm Dux electus, trepidos ſuos in bello videret, & linguâ ſolâ fortes, prudenter abſtinuit à pugnâ. Mox, cùm rediiſſent, & pace factâ incuſarent illum ignauiæ, & quaſi vincere neſciſſet, aut noluiſſet: inquit, *Felices vos, qui Ducem habetis veſtri gnarum! nam alioqui iamdiu periiſſetis.* Feſtiuè & mordaciter, exprobrans ignauiam & imbelliam, quam in animo gerebant, ore autem ferebant. Iterùm in populum, & eius aurigam Demoſthenem. cùm ille quaſi coërcens libertatem Phocionis diceret, *Interficient te Athenienſes, ſi furere cœperint*: iſte, *At te*, inquit, *ſi ſapere.* Tetigit illum, vt improbum; hos, vt parùm ſanos. Et conſtans hic tenor per omnem vitam, nec in morte deſeruit. ad quam publico iudicio damnatus, ſciſſâ ciuitate in factiones: cùm duceretur in carcerem, præcurrerunt improbi, in viâ obuij & conuiciantes. inter eos vnus, ſputum in os eius congeſſit. Ille conuerſus placidè ad Archontes, *Nemon' huius*, inquit, *reprimet proteruiam?* Cùm amicus eius in carcere quereretur, quòd iniuſtè cum Phocione interficeretur: *Et tu*, inquit, *non in magnâ gloriâ ponis, quòd cum Phocione?* Alio rogante, *Num quid ad filium velles? Maximè*, inquit: *iubere me, vt iniuriarum populi Athenienſis obliuiſcatur.* Alio amico petente, vt priori ſibi bibere cicutam liceret: *Grauis mi Nicocle*, inquit, (id ei nomen) *hæc petitio: ſed cui per omnem vitam nihil abnui, hoc quoque indulgeo.* Ita conſtantiſſimus vir obiit, cum ſui famâ, Athenienſium infamiâ æternâ.

II. Quid verò mulier in eâdem Græciâ? CRATESICLEA fuit, mater *Cleomenis*, qui rex Spartæ res ibi nouauit, aut potiùs lapſas in antiquum locum reponere tentauit. Is cùm grandi bello cum Achæis diſtineretur, ſed & *Antigonum* ac Macedonas timeret; à ſe impar, opem & opes à *Ptolomæo* Ægypti rege petebat. Qui ſpem fecit, eâ lege, vt hæc Crateſicléa mater eius, itemque filius, obſides fidei in Ægyptum mitterentur. Durum & inſolens ſatis viſum Cleomeni, nec auſus matri proponere, etſi neceſſitas adigebat. Itaque aliquoties loqui eâ de re conatus, abſcîdit, & abſceſſit. Mulier acuta animaduertit aliquid eſſe, & amicos eius percontata, *Ecquid vellet effari Cleomenes, nec auderet?* Quin hortata eos eſt, vt incitarent & ſubmonerent. Tandem ergo Cleomenes poſtulata regis aperuit: illa autem in cachinnum effuſa, *Et hoc erat*, inquit, *quod dicere aggreſſus, non dicebas? Mitte verò hoc corpuſculum quocumque terrarum, vbi vſui Spartæ ſit, potiùs quàm hic ſenio & deſidiâ ſoluatur. At tu vir & rex eſto.* Statimque inſtitit mitti, & nauigare. Deduxit igitur Cleomenes cum toto exercitu Tænarum vſque, Laconiæ promontorium, vbi parata nauis. Illîc in templo Neptuni congreſſi, priuſquam nauim conſcenderet, mutuo complexu & lacrimis (quis matris & filij affectum neſcit?) diuelluntur. Sed illa egrediens, *Age rex Spartanorum*, inquit, *compone vultum & animum, ac caue quiſquam, qui foris adſiſtunt, lacrimantes nos videat, aut Spartâ aliquid indignum admittentes. Hoc enim in nobis eſt, caſus dij gubernabunt.* Sic fata egreditur alacri aſpectu, puerum manibus trahens: nec fæminam ſolùm exuit, ſed matrem. Eadem paullò pòſt, cùm Ptolomæus parùm ex fide ageret; & Cleomeni occaſio eſſet paciſcendi cum Achæis, ſed cunctaretur ob matrem: illa audito, reſcripſit animosè, *Ageret quod ex vſu & dignitate Spartæ eſſet, nec Ptolomæum hunc timeret, ob vnam anum & puerum, quorum eſſet compos.* O mulier, non quidem filio meliore, ſed fato digna! nam & tu, & ille, poſteà ſub ignauo & infido rege periiſtis.

III. Licet & alteram fæminam addere MONIMEN Mileſiam, quæ inſigni formâ & lepôre, ſed ingenio melior, *Mithridati* regi placuit. Tentauit pudicitiam eius, blanditiis, donis, & ad quindecim millia aureorum ſimul miſit: quæ fortiter ſpreuit, & reiecit procum regem, donec nuptiarum titulo & pacto euicit. Sed nec eæ fregerunt magnitudinem animi. mærebat, & ſortem ſuam deplorabat, quòd pro marito dominum, pro liberis & familiâ, cuſtodiam nacta eſſet eunuchorum & barbarorum. Victus tandem Mithridates à Romanis, & animi atque amoris æger,

ne in poteſtatem Monimæ veniret, miſit qui mortem indiceret, eunuchum *Bacchidem.* Illa nihil cunctata, & cupienti propior, diadema detractum capiti (nam vt regina ornabatur) collo aptauit, atque ex eo ſe ſuſpendit. Sed imbecillo & diffracto, indignabunda, *Infelix faſcia,* inquit, *nec hîc mihi eris vſui?* Et abiiciens illud ac conſpuens, iugulum Bacchidi alacriter obtulit, ac tantum non læta periit.

IV. Quid Græcam me tenent? M. CATO ad ſe vocat, ille inclytus Conſtantiæ ſacerdos: cuius vel à puero dedit ſpecimen. Nam cùm apud Liuium Druſum auunculum, vnà cum Cæpione fratre educaretur, ac Latini ſub id tempus de impetrandâ ciuitate agerent: euênit, vt *Popedius Silo*, vir inter primos Latinorum, hoſpitium item apud Druſum haberet. Itaque cum pueris familiariter cauillans & iocans, & *Heus vos,* inquit, *ecquid apud auunculum pro nobis, & ciuitate capiendâ, intercedetis?* Ibi Cæpio blandè ſtatim annuere, Cato ſilere & toruùm intueri. Tum Popedius, *Quid tu igitur? non promittis?* & ſimul ſuſtollit, & extra feneſtram elatum, pendulum habet, cum minis & terrore deiiciendi. Vocem etiam & vultum exaſperat: ſed Cato nihil motus, intrepidè ſuſtinuit, & perſtitit ſilentio negare. Ibi Popedius, relato & depoſito, ſubmiſsè ad amicos: *Et quid ſi hic vir ſit? ne vnum quidem ſuffragium, credo, in populo feramus.* Benè diuinabat. nam Cato firmus & certus, nihil in remp. vllo metu dicere aut facere; ſed nec ab aliis, quod in ſe erat, fieri. Eiuſdem roboris, in Sullanis temporibus, à paullò iam grandiore exemplum. Annum enim agebat quartumdecimum: & ſæpè *Sarpedon* pædagogus & doctor eius ad Sullam ducebat, honoris cauſsâ, ſalutatum. Atque ipſe admittebat, quia amicus patris eius fuerat, & comi ſermone excipiebat. Domus autem illa parùm à carnificinâ aberat. ita capti, vincti, torti, ducebantur, ſed & capita inferebantur & efferebantur interfectorum. Cato inhorruit, & vidit alios clàm ingemiſcentes: atque ad magiſtrum ſuum, *Hunc hominem,* inquit, *quid ita nemo interficit?* Subiiciente illo, *Nam metuunt eum magis, quam oderunt. Quin tu ergo mihi,* inquit, *gladium dedisti, vt eum interimam, & patriam è ſeruitute aſſeram?* Quæ dixit vultu atque oculis ita acribus & minacibus, vt Sarpedon deinceps & rariùs ad Sullam duceret, nec niſi tentatum & excuſſum. Tertium, à iam viro. *Metellus Nepos* Tribunuſplebis remp. turbabat perniciosis rogationibus, quas Catoni certum erat impedire. Ille hoc prouidens, Cæſare adiutore, forum de multâ nocte ſeruis & mercede conductis operis occupauerat, vim haud dubiè facturus in reſiſtentes. Amici igitur Catonis, & tota domus, mæſti & anxii; ſolus ipſe ſecurus cibum cepit, dormiit, manè ad forum iit. Cùm veniſſet, videt templum & gradus Caſtoris armatis inſeſſos, ipſum Metellum aſſidente Cæſare, supernè imminentes, quaſi duces: omnia ad pugnam & tumultum parata. Riſit, & ad proximos: *O hominem timidum, qui aduerſus vnum & inermem tantum habuit dilectum!* Et Munatium Tribunum è bonis, manu ſecum trahens, eluctatus per gradus eſt in ſummum: atque ibi medium ſe ſtatim immiſit & compoſuit, inter Cæſarem & Metellum. Stupuit ipſa audacia, ad hoc robur: & cùm trepidè Metellus legem per ſcribam recitari iuſſiſſet, Cato inhibuit: donec ipſe Metellus, arrepto codice, recitaret. Sed & hunc Cato è manibus eius extorſit: ac Metellus, ſigno dato, armatos immiſit, diſſipatâ ſtatim concione, & nemine, præter Catonem, reſtitante. Hunc cùm lignis lapidibuſque peterent, *Murena* Conſul ægrè texit, & abduxit: ſed confirmatis iterùm ciuibus rediit, & ſolâ ſuâ conſtantiâ peſtilentem rogationem diſiecit. Quartum. Pompeius ab Oriente redux, & in magnis opibus ac gloriâ, vidit quid animorum in viro eſſet, & quanta ſibi acceſſio ſi hunc adiunxiſſet. Itaque ad affinitatem adſpirauit, & ſororem (ſiue ſororis filiam, vt alii) petiit vxorem. Votiua conditio omnibus viſa, atque ipſis maximè feminis: ſed non Catoni. qui renunciari liberè iuſſit, *Non capi aut illaqueari ſe per feminas. quòd ſi Pompeius rectam in rep. viam iniret, vltrò ſe amicum fore; ſin aliam, nullo pacto aut pretio.* Quintum. C. Cæſar Conſul legem de diuidendo agro Campano ferebat, priuatim vtilem, publicè exitioſam. Vnus Cato reſiſtebat acerrimè. adeò vt Cæſar pro imperio, abſtrahi à Roſtris hominem, & duci in carcerem iuberet. Ducebatur, ſed & ſic inter viam de lege identidem diſſerebat, incommoda & inſidias eius oſtendens. Iámque peruenerat pænè ad carcerem, deducente pleraque parte Senatus & optimatum; cùm Cæſar à conſtantiâ victus deſtitit, & è Tribunis vnum ſubmiſit, qui eximeret & liberaret. Sextum. Præturam petebat Cato, & impetraſſet, niſi Cæſar, Pompeius, & illa potentium manus ſe obieciſſet: vnum hunc reueriti, vt progreſſibus ſuis impedimentum. Itaque effuſâ & apertâ largitione effecerunt, vt præferretur ei Vatinius, mortalium pænè poſtremus. Quid Cato? accepit & tulit iniuriam eo animo, quo alii beneficium: & vultu etiam nihil deiectus, eodem die in forum venit, ambulauit, & pilâ luſit. Deus immortalis, an non ſuper affectus & motus humanos hic vir fuit? an non dignus, de quo poëta ſcriberet:

> *Quippe malo vnum Catonem, quam trecentos Socrates?*

Dignus. & robur etiam in morte ſileo, quod variam interpretationem habere poteſt, & noſtræ religionis ſcito, culpam.

PORCIAM ſubnecto, patri filiam. Nupſerat V.
ea *M. Bruto*, marito heroinâ hac digno. Is cùm agitaret de nece Cæſaris, etſi ſedulò ſilebat, tamen vultu manifeſtus erat grande aliquid & atrox agitare. præſertim amanti, & coniugi. Suſpicata igitur tale aliquid, & maritum ſilere quia diffideret imbecillitati: ſtatuit ſui ſumere experimentum, & fecit. Cultro tonſorio, cùm ſola eſſet, grauiter in femore ſe læſit. Secutus ſanguis largior, debilitas, atque etiam febris: cùm Brutus domum venit, trepidus & re inopinatâ mæſtus. Illa remotis arbitris, *Age mi marite, aſſide, eſt quod ſeriò fabulemur. Ego tibi cùm nupſi, coniux in domum tuam veni, non amica aut pellex: nec menſæ aut tori tantùm, ſed triſtium lætorúmque conſortem me dedi. Catonis filia ſum: & pro illâ ſtirpe me cenſe. Quid ergo? de te querer? minimè, ſi alia ſpecto, & ſollennia coniugiorum, aut beniuolentiam ſiue & amorem hunc externum. Sed altius ſpiro, & amicitiam etiam volo: atque vnus ille in animo dolor eſt & pungit, fidem non haberi fidei meæ. Nam quid diſſimulas? nónne curam video, quæ te coquit? arcani magníque aliquid, quod agitas? Cur me celas? auxilium ſi non ſperas, ſolatium exſpecta: nam de ſilentio poſſum apud te ſpondere. Non reſpice ad alias mei ſexus: ego (iterùm dico) Catonis filia ſum: & addo, M. Bruti vxor. Vel natura me a tali patre, vel conſuetudo à marito, fortem conſtantémque reddant, etiam aduerſus extremos metus. Quid verba facio? rem vide. Cepi ipſa mei experimentum: & ecce hoc vulnus, quod ſponte intuli, vt diſcerem ecquid doloris aut tormentis par eſſem. Sum, confide. poſſum ferre, poſſum contemnere: & mori ô Brute cum marito, & pro marito poſſum. Proinde ſiquid tu honeſti agitas, quod vtroque noſtrûm ſit dignum, ne ſile.* Brutus admiratus animum, & oſculatus affectum, manus præ gaudio in

altum

altum ſuſtulit: &, *O omnes cœlites, adeſte volentes propitij, ac dignum me Porciâ maritum præſtate.* Tum vt dine coniurationem aperit, & conſortem nihil territæ aut deterrenti, imò animanti. Atque hoc primum eius Conſtantiæ, vt ſic dicam, factum: alterum à mariti morte. Audit enim de triſti in Philippis pugnâ, & Brutum ſuum fuiſſe. nihil igitur morata, mori voluit: ſed amici & cuſtodes impediebant. Illa ipſis & iam ſibi irata, *Quid?* inquit, *mortem aliquis impediat, aut neget? non poteſt: & pater vos docuit.* Ac cum dicto proſiluit, & è foco prunas ardentes hauſtas ori ingeſſit: & ſpiritum, quem emittere non potuit, ſuffocauit incluſum. Probas hoc? inquies. non, ſed miror: imò & probet aliquis, ſed ab illo æuo.

VI. m. cc. xciii. Ad Chriſtiana & noſtra exempla tutiùs tranſeo: quæ in ſanctis viris & martyribus ſunt infinita. Nullâ re hæc religio magis abundat, magis ſe commendat & adfirmat. Sed ea in ſuis locis ſunt prompta: nos ſparſa in hiſtoriis colligimus. & in iis vnum ALFONSI PERESII GVSMANS, in Hiſpaniâ Bæticâ, cui à moribus cognomentum BONI fuit. Magnus pace & bello ille vir, clarus opibus & earum vſu: atque ecce ſpecimen. Rex Caſtellæ Sanctius *Tariffam* (quæ veterum *Carteia* ſiue *Tarteſſus* eſt) de Mauris ceperat, ſed anxius cuſtodiendi & tenendi, ob hoſtium viciniam, & ingentes ſumptus. Suſcepit vltrò in ſe curam Alfonſus, & partem ſtipendij de ſuo daturum promiſit: rex intereà res alias ageret. Paullò pòſt, frater regis, *Ioannes*, ambitione prauâ ad Maurum tranſiit, & copiis ab eo acceptis ſubitò Tariffam obſedit. Obſeſſi nihil trepidare, in ſitâ & ducis virtute fidere, animos ſupra periculum habere: niſi quòd infregit eos ſubitò inopinata res, captus Alfonſi filius (in agris fortè interceperant:) & ante mœnia oſtenſus. Vnicus porrò patri erat. Illi minari, niſi oppidum dederetur, ſub oculis interfecturos ſe, & fœdè lancinaturos. Motis flexíſque aliis, ille nec hilum: & altâ voce negat, *Si centum filios in poteſtate haberent, non ideò ſe à fide & honeſto abiturum. Quin*, inquit, *ſi tanta libido iugulandi eſt, en gladium:* & illum è mœnibus proiecit. Stupor me habet hæc ſcribentem: quid ſpectantes? Ille ſic abiit, & ad prandium ſe compoſuit. cùm ecce clamor & eiulatus diſſonus auditus eum euocat: iterumque in mœnibus ſe ſiſtit. Quærenti conſternationis cauſſam, refertur, *Filium barbarâ crudelitate interfectum. Hoc erat?* inquit, *credebam vrbem ab hoſtibus captam*: & pari tranquillitate ad prandium vxoremque rediit. Credit is poſteritas? ſed credite. res ita geſta eſt: & hoſtes magnitudine viri attoniti, nihil vltrà tentantes, diſceſſerunt. Libet hîc exſultare: éſtne factum vel in omni antiquitate fortius, vel laudabilius? Gratulor tibi gens & domus illuſtris Ducum *Methymnæ Sidoniæ*, quæ ad hunc auctorem ſtemma & ſanguinem refers. Felix origine, eſto imitatione.

VII. Hæc ad miraculum exempla ſunt: alia non tam ferientia, ſed haud minùs ſapienti approbanda. De FERDINANDO Hiſpaniarum rege traditur, poſtremo iſto qui Mauros eiecit, per omnem ætatem firmo conſtantique ingenio fuiſſe: & cùm vtramque ſæpè ſortem expertus eſſet, proſpera atque aduerſa ſic compoſitè & ſedatè tuliſſe, vt nulla vmquam in vultu eius conſiliorum aut affectuum veſtigia deprehenderentur. Idem cùm Barcinone, à furioſo quodam graue vulnus in ceruice ſubitò accepiſſet, neque animo turbatus eſt, nec gemitum aut vocem doloris indicem emiſit: tantùm ſeruari parricidam & examinari iuſſit, quo auctore feciſſet.

VIII. Vxor eius ISABELLA virilis animi curæque mulier, & hac laude æquauit, aut ſuperauit maritũ. Nam cùm nuptias adornaret cognominis ſuæ filiæ, cum *Emanuele* Luſitaniæ rege, & ſubitò nuncius adferretur de morte *Ioannis* vnici filij, illa hoc agere, & dolorem comprimere, vultumque fingere tamdiu potuit, donec Emanuel ab aliis id reſciſſet. Eadem non in aduerſæ ſolùm valetudinis, ſed in partus acutiſſimis doloribus, & gemitum & vocem ſupprimebat. rem incredibilem, niſi à fidiſſimis matronis, quæ à cubiculi curâ erant, id certò ſe cognouiſſe *Marinæus Siculus* adfirmaret.

Horum nepos CAROLVS QVINTVS Imperator, cùm in Germaniâ copias & caſtra ad Ingolſtadium haberet, cinxiſſentque eum ingenti numero militum fœderati hoſtes: nec illi viſum dimicare, vel quia ſui nondum conueniſſent, vel quia præuidebat incruentam mox & ſine cæde victoriam: ecce iſti æneorum tormentorum copiâ validi, tantum ferreæ grandinis in caſtra iaculati ſunt, vt vno die ad VI. *millia* maiorum globorum numerarent. Itaque omnia ictibus peruia. ipſum Cæſaris tentorium, & ad latus eius & tergum occiſi: cùm ille nec locum, quid locum? nec ſtatum, nec vultum mutauit. Quin etiam monentibus amicis ſibi, atque omnibus in ſe, parceret; dixiſſe arridens fertur, *Conſiderent, neminem Imperatorem tormenti ictu periiſſe.* Breuia hæc relatu, examinanti ingentia ſunt, & digna memoriâ ac laude ſæculorum. Atque hæc talis conſtantia, & morum actionumque grauitas, in omni reliquâ eius vitâ fuit: IX.

Etiam in ſanguine. Nam ab hac ſtirpe PHILIPPVS II. rex, familiarium teſtimonio, Conſtantiæ laude veteres nouóſque æquauit. extra aut ſupra affectus; non gaudio, non dolori peruius; neque animo ſolùm, ſed vultu æquabili & immoto. Quis Sapientium, & qui vnum hoc egerunt, eò peruênit? Sed quod alij verbis; ipſe factis ſibi vindicauit, NEC SPE NEC METV. Finiui, & addo, non aliam virtutem Principe digniorem, aut in eu, vt ſic dicam, honeſtiorem eſſe. X.

CAPVT VIII.

DE PRVDENTIA,

Quam Vſus & Hiſtoria gignunt, & producit Doctrina.

POſt Virtutem, cuius caput eſt Religio ſiue Pietas, Prudentia neceſſaria eſt Principi, atque iis qui in republicâ verſantur. Hæc non aliud eſt, quàm notitia rerum euentuúmque, & iudicium in iis rectum. Tria illam pariunt, Natura, Vſus, Doctrina. Natura multum poteſt, & ab eâ ſolâ, aut certè leuibus aliis auxiliis, prouecti quidam operæ pretium fecerunt. Sed vſus ſi acceſſerit, etiam mediocris Natura attollitur, & in conſiliis actionibúſque ſe probat. Quid ſi doctrina? plurimùm: & tria hæc vbi concurrunt, mirum quàm valida ea mixtio, & vera ex iis firmáque Prudentia oritur. Nam profectò vbi aliquid horum ſolitarium, Superbia, Pertinacia, Error comitantur: & in multis ſcio me obſeruaſſe. Quid tamen ex his ad rempublicam optimum? puto, Vſus: & Theognidem ſapienter ſcripſiſſe,

Δόξα μὲν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα, πεῖρα δ' ἄριστον.
Eſt mala Opinio, at eſt hominis longè optimus Vſus.

Nam vbi ſola Natura, ſiue & Doctrina; profectò Opinio innaſcitur, & gnari ſcientéſque eſſe volumus, vbi non ſumus. At Vſus firmior, & in artibus per ſe valet. Age, fabricam quàm multi ſolo opere & vſu didicerunt? quid artem nauis gubernandæ? &

ciuilis & militaris in republicâ quædam ars eſt: ab Vſu igitur diſcenda. Nec tamen plenè ſatis aut perfectè. quia illa, quæ dixi, vniforme aliquid & ſimplex ſunt; iſta, Deus bone, quas varietates, quos ſinus & receſſus habet? Lumen vndique inferendum, vt peruideamus: & maximè à Doctrinâ, non illâ tamen argutâ aut ſubtilium ſcientiarum, ſed memoriæ rerum præſertim, quam Hiſtoriam appellamus. Nam ea, ſi attendis, quid niſi alter Vſus eſt? Quæ in iſto video, tracto, facio; in illâ lego, audio, diſco: & tanto plura, quanto plus rerum euentuúmque complectitur, ab omni æuo. Mihi paucis annis experiri licet, & in vnâ aliquâ orbis parte, ſiue angulo: illîc ſæculorum res ſunt; illîc, quàm latè patent ſola hæc terrarum. Itaque materies diſcendi maior: & diſces, ſi oculos mentis in illo velut ſpeculo defigis exemplorum. Accedit, quòd prudentes multi, & vſu docti, olim ferè hiſtoriam conſcripſerunt: & iidem ſenſus breues, aut monita inſeruerunt, Deus bone, quàm recta, quàm ſalutaria, ſi bona mens eligit & excerpit! Sed Hiſtoriæ laudes pertexere, non hîc eſt locus, nec decet: addo, de *L. Lucullo* tradi, eo qui Mithridatem & Tigranem vicit, potentiſſimos reges, vix aliâ imperandi bellandíque peritiam, quàm ab Hiſtoriis attuliſſe. Et iſtas igitur præcipuè ego Principi; ſed & adhærentem *Geographiam* commendem: *Geometriam* leuiter: & tum maximè *Philoſophiam*, id eſt Ethicam Phyſicámque. Duæ iſtæ partes forment eius animum, vel ad Virtutum amorem & pretium; vel ad notitiam cæleſtiũ & terreſtrium, è quibus Magnitudo animi oritur, & ſimul Modeſtia, collatione vtrorumque. Non inſiſto (alibi feci:) ſed *Peregrinationem* etiam obiter ſuadeam: quæ valdè ad notitiam ſui ſtatus, tum & ad Prudentiam facit. Hæc omnia quæ Principi, magis iis & pleniùs, qui circa ipſum, ſuggeram: quibus plus ſcilicet otij & ſæpè ingenij eſt, ad talia pernoſcenda. Sed age, pro inſtituto, Exemplis hæc illuſtremus aut firmemus.

I. SOLON Athenienſis, horum omnium vnus exemplum præbeat: in quo Natura, Vſus, Doctrina viguerunt. In republicâ aſſiduus ille fuit: ſed etiam in peregrinationibus, & Ægyptum, Cyprum, Aſiam luſtrauit: atque id diſcendi cauſsâ. Vſum vides: quid Doctrinam? ſcripta & verſus docent, quos reliquit. Atque adeò tantâ eius cupiditate exarſit (ſic loquendum eſt:) vt ipſe in Carmine quodam glorietur, *Cottidie addiſcentem ſe aliquid ſenem fieri.* Cottidie. itáne? etiam circa ipſam mortem. Nam cùm langueret, & aſſidentes amici aliquid inter ſe differerent, ille caput ſuſtulit, & flexit ad audiendum. Interrogatúſque, Quo fine tunc aut fructu? nobilem illam vocem edidit, *Vt cùm iſtud ſcièro, doctior moriar.* O deſiderium! & quid in vitâ, aut eius flore faciendum: cùm ille hæc in morte?

II. Lib. v. Lib. xv. EPAMINONDÆ verò, etſi in craſſiore aëre nato, tantum litterarum ſtudium, philoſophiæ doctrina tanta fuit, vt *mirabile videretur*, ait Iuſtinus, *vnde tam inſignis militiæ ſcientia homini inter litteras nato.* Quod mihi tamen non mirabile. imò cum Diodoro Siculo ſentio, qui ipſam hanc ſcientiam cauſſam fuiſſe vult rerum ab eo præclariſſimè geſtarum. Philoſophatus ille ſcilicet eſt, ſed [illegible], vt Thucydides loquitur & approbat: *ſine mollitie, aut deſidia*: & habuit ad robur & ad prudentiam magiſtram. Sanè Pythagoricis dogmatibus addictum maximè, & Phyſicæ ſcientiæ fuiſſe, idem Diodorus monet.

III. Huius diſcipulus & alumnus PHILIPPVS MACEDO, non *Alexandri* ſolùm, ſed & *Magni* parer. Ille, inquam, omnem hanc magnitudinem aut inſtitutione, aut inſtrumento & inſtructo reliquit. Græcia domita, & firmus ille ordo militiæ, veteranus miles, optimi Duces, hæc omnia à Philippo fuerunt: & ipſe Philippus ab Epaminondâ, & doctrinâ. Nam obſes triennio Thebis habitus, in eius domo diuertit, optimo magiſtro vſus ad dicendum, ſapiendum, faciendum.

IV. Ipſe ALEXANDER haud aliâ re mihi quidem magis laudabilis, quàm doctrinæ ſtudio videtur, & moribus quos hauſit à doctrinâ. Ij fuêre, Magnanimitas & Clementia. Sed à puero mitioribus artibus imbutus, mos in Ethicis & Politicis, aliíſque Philoſophiæ, præceptorem habuit Ariſtotelem: quem virum ipſius Sapientiæ prolem aut alumnum. Felix doctore, ſed & felix ingenio. cùm non, vt plerique, leuiter imbuit iis animum, nec ſtatim, vt ad arma vênit, artes faſtidiit: ſed & doctos in contubernio ſuo habuit, audiuítque; & ipſe, cùm licuit, aſſiduè legit. Idque *Homerum* maximè. quem ita non amauit, ſed coluit, vt cùm in Darianâ prædâ ſcrinium, gemmis & auro cultiſſimum, repertum eſſet, aliíque aliò deſtinarent; *Imò*, inquit, *Homeri carminibus reſeruetur*: quaſi pulcherrimum opus pulcherrimo conditorio dignum eſſet. Sed & incubuiſſe, & indormiſſe eum ſæpè Homeri libris, traditur: vel ex eo, non vulgaris ſcientiæ aut iudicij æſtimandus, qui altum & ſuper omne vulgus poëtam æſtimaret.

V. Vltimus, inter Græca exempla, PHILOPOEMEN eſto: quem *vltimum Græcorum*, magnâ eius laude, quiſpiam dixit. Is etſi in militiam ſtudio & indole propenderet, tamen (ait Plutarchus) & *Philoſophorum præcepta ac monita legebat, ſed non omnium, eorum dumtaxat, è quibus progreſſum ſe ad Virtutem ſperabat facturum.* Habebat & hoc in ore: *Doctrinam debere ad facta tendere, non otij aut inutilis loquacitatis cauſsâ vſurpari.* Atque vtinam hoc aliis, vt mihi, probet! Sed nos facere id debet, Principes debent.

VI. Ad Romanos tranſeo. quorum conditores ROMVLVS & REMVS, non tam ruſticuli fuerunt, quàm vulgò eos faciunt: ſi verum eſt, quod Dionyſios & Plutarchus tradiderunt, *Gabiis in adoleſcentiâ, liberalibus ſtudiis operatos, atque omni eorum liquore perfuſos.* Et ſanè facta atque ordo Romuli, non olent barbariem: minùs *Numæ, Seruij*, aut *Tarquinij* regum.

VII. Etſi fateor iacuiſſe pòſt, aliquot ætatibus, Romæ Doctrinam; donec Græciâ captâ, ab hac caperentur. Longum ſit omnes aut plures dicere: M. CATO VTICENSIS, pronepos illius qui Græcos & omne id genus peſſ[um] ire volebat, ita ſtudiis eorum ſe dedidit, vt & in Senatu, obiectâ exteri togâ, libros legeret; vir, cuius nomen rectè factum detendit, quidquid fecit.

VIII. Quid IVLIVS CÆSAR, ille ſic acer militiæ, & Martis verè pullus? haud minùs Muſarum fuit. Scripta eius id docent, quorum pauca exſtant, pleraque perierunt: quæ inter ipſos rerum ciuilium aut militarium æſtus iactationéſque confecit. Nec in itinere quidem vacuus: ſed amanuenſem in vehiculo apud ſe habens, dictánſque aut legens. Itinere Hiſpanienſi, ſpatio XXIIII. dierum, ſiue vt alij, ſeptem, poëma compoſuit, quod inſcripſit *Iter*. In ipſâ Hiſpania ſub tempus Mundenſis prælij (& quando vmquam magis, non dicam occupatus, ſed ſollicitus?) libros duos de *Analogia* confecit, & totidem *Anticatones*. Mirabitur, qui breuitatem temporis, & occupationes viri nouerit: ſed non mirabitur, qui vigilantiam & inſtantiam, quando pleraque hæc & alia, ipſis noctibus, ſub pellibus ſcribebat. Macte diuini, & indefeſſi ſimul ingenij. vnicum & hoc ſignum, quòd ſollenne tibi *ſcribere & legere ſimul, di*

ctare & audire (verba Plinij ſunt:) *epiſtolas verè maximarum rerum quaternas pariter librariis dictare, aut ſi nihil aliud ageret, ſeptenas.* En aquilam! & quis ad huc æui ſublimis ſic volauit?

IX. Nec degenerauit ab eo OCTAVIANUS, iudicio filius, poſteà Auguſtus. qui *Eloquentiam & liberalia ſtudia*, ait Suetonius, *ab ætate primâ cupidè & laborioſiſſimè exercuit.* Ipſo Mutinenſi bello, in tantâ mole rerum, & legiſſe, & ſcripſiſſe, & declamaſſe cottidie legitur. Itaque opera pluſcula ſcripſit, quædam & verſibus; à tempore tamen, & eius inuidâ falce, præſecta. Nec in ſe modò eruditionem volebat, ſed in Adminiſtris neceſſariam cenſebat. adeò, *vt cuidam Legato Conſulari, tamquam rudi & indocto, ſucceſſorem dederit, cuius manu IXI. pro IPSI. ſcriptum animaduerterat.*

X. TIBERIUS verò, vel ad culpam, vtriuſque linguæ ſtudiis artibuſque ſe dedit. Affectabat enim & rara & obſcura, & quæ pauci ſcirent, ſcite gloriabatur. Itaque adſidui in cohorte eius Græculi, quos & præmiis honorabat, & quæſtionibus exercebat. Hic tamen eſt Tiberius, cui nemo in calliditate, & firmâ regendi arte, ſe componat.

XI. Non eo per Imperatores ceteros: nam quis eorum non ferè talis fuit? Vſqueadeò vt M. ANTONINO *Philoſophi* cognomen hæſerit: quòd ſupra alios in eo ſtudio deditus eſſet, Stoicam etiam ſectam profeſſus. Et quis tamen vitâ melior, imperio mitior, aut felicior dabitur?

XII. Quid autem Chriſtiani deinde noſtri? de THEODOSIO IUNIORE traditur, eum hiſtorias Græcas Latinasque aſſiduè euoluiſſe tam pertinaci in libris ſtudio, vt cùm diem militaribus aut ciuilibus occupationibus daret, noctem iis ſeponeret. Quin & candelabrum ſibi ſtrui adfabrè curaſſe, eo opificio, vt oleum ſponte ad lychnum perueniret ac ſuppeteret: ne vel interpellaretur lectio, vel miniſtri cum vigilante (ô humanitas!) vigiles eſſent.

XIII. CAROLI MAGNI amorem & honorem in litteras multa loquuntur. Quid clarius, quàm, velut vexillo propoſito, vocati vndique viri docti Luteciam, in caſtra quædam litterarum! Felicia caſtra, quæ tot præclaros non milites, ſed duces dediſtis & datis, in militiâ hac togatâ! Sed illud quoque in *Paulum*, Aquileienſis Eccleſiæ Diaconum eminet, genere nobilem, ingenio litteriſque nobiliorem. His dotibus conciliatus olim *Deſiderio* Longobardorum regulo, dum fata erant: poſtquam ea ad Carolum tranſiſſent, huic iiſdem cauſſis carus, & inter intimos familiares admiſſus. Sed Paulus veteris beniuolentiæ & aulæ memor, conſilia agitabat liberandi Deſiderij, & è finibus exſilij educendi: quorum conuictus, ipſe in exſilium, in Diomedis inſulas, ſeponitur. Sed nec illic fidei aut legum ſatis reuerens, rupit tranſcenditque terminos, & ad *Ragaiſum* Beneuenti Ducem confugit. Itaque proceres certatim accuſant, damnántque capitis duplicem perfidiam: & in ipſum Ragaiſum arma ſuadentur. fruſtrà, apud mitiſſimum & litteratum amantiſſimum regem: quod ſolum nomen & titulus Paulum ſeruauit, ipſúmque cum Paulo Ragaiſum ei conciliauit. Impoſuit modò munus, vt Hiſtorias à fine Eutropij ſcriberet, item ſeorſim Longobardica, aliáque in profanis aut ſacris. O dignum Principem, qui in digniorem hæc conferret!

XIIII. Neque abnuo tenebras deinde fuiſſe, & neſcio quo malo fato barbariem: præſertim in Principum aulis, & priuatum modò bonum Doctrina cenſebatur: an addam, & nunc cenſeri? Tamen, velut ſtellæ, interluxerunt pauci. vt ROBERTUS rex Neapolitanus, cui litteræ & litterati percari fuerunt. Ille eſt qui *Petrarcham*, & poëſi, & ſetiis ſcriptis nobile ingenium, fouit: ille qui *Beccatum* in amoribus habuit. Quid ipſam doctrinam? Vox eius audita: *Cariores ſibi litteras regno eſſe.* Deſipuit, an altè ſapuit? M.CCCXL.

XV. Et quàm ſimilis vox & animus ALFONSI illius magni, in eodem regno fuit? Neque enim ſemel dixit: *Malle ſe omnium regnorum* (ſeptem ea numerabat) *iacturam facere, quàm minimam doctrinæ.* Et ſanè amauit in ſe, in aliis: & *Laurentium Vallam, Antonium Panormitam, Bartholomæum Faccium, Georgium Trapezuntium, Ioannem Auriſpam, Iouianum Pontanum*, & examen deinde iuniorum, huic regi debemus. Ille Athenæa in regnis paſſim, ille Bibliothecas inſtituit, aut exornauit: nec gratius ei munus offerri poterat, quàm ſanior aut electior liber. Quin ipſum *Librum apertum* pro inſigni vſurpabat: ſignificans Scientiam Principibus conuenire, ex iis hauſtam. Et cùm aliquando audiret regem Hiſpanum dixiſſe, *Non conuenire Principibus litteras*: ſtomachans ſubiecit, *Bouis, non hominis, vocem eam eſſe.* Itaque legit aſſiduè: *Liuium & Cæſarem* maximè. nec dies fuit, vt familiares tradiderunt, quin his inuerſaretur. Idem, quod miremur, *Annæi Senecæ* magnus amator: adeò vt ipſe, ſuo Marte, in Hiſpanicum ſermonem Epiſtolas verterit, vſui ſuæ gentis. Sed nec ſacrâ lectione abſtinebat: gloriatúſque eſt, totum *Vetus & Nouum teſtamentum, vnà cum Gloſſis*, decies & quater ſe perlegiſſe. Hæc Rex, hæc ſenex: vbi priuati & iuuenes eſtis? Senex, inquam. nam vix ante quinquageſimum annum ſtudia attigit, inſtitutione eius in adoleſcentiâ neglectâ. Tunc Grammaticam, operâ *Martini* cuiuſdam didicit: quem ita carum deinceps habuit, vt numquam à latere dimiſerit. Videor non de Principe, ſed litterione aliquo loqui: at ille etiam quantus vir belli domíque fuit? quàm magnus, quàm felix rebus geſtis? Elogium ei demus. à *Carolo Magno* maiorem virtute & fortunâ Principem Europa non habuit: & (mentiri velim) non habebit.

Addamus è Pannoniâ MATTHIAM CORVINUM regem, qui clariſſimo militari patre *Ioanne Hunniade* natus, nec in eo ſtudio degener, Doctrinæ iſtud adiunxit. Ferox ad id æui ea natio, & tota Martis, cultum ingeniorum morúmque à Mathiâ accepit: & quis neſcit regum exempla ſubditos æmulari? Itaque Italos Germanóſque, ſiqui litterarum gloriâ clarerent, euocauit: Bibliothecam inſtituit in ipſâ regiâ Budæ, rarum theſaurum, & quem cum dolore recordamur Barbaris, cum ipſâ Pannoniâ, obueniſſe. XVI.

An & mulier his ſe inſeret? inſeret meritò ISABELLA, *Ferdinandi Catholici* regis vxor. quæ ad omnia alta nata, & verè virilium curarum mulier, etiam Doctrinam verè amauit. Delectatam ſemper conſtat (neſcio quâ inclinatione animi) ipſo Latinæ linguæ pronunciatu & ſono: nihil vt libentiùs audiret. Et mox reſpirans paulliſper à grauiſſimis curis & bellis (reuera enim particeps & thori & ſceptri erat:) reſpirans, inquam, ſtatim ſe ad Grammaticum demiſit, eique annum ita aſſiduam operam dedit; vt Latina non ſolùm capere, ſed vertere ipſa in ſuum ſermonem, poſſet. Sacris etiam & diuinis officiis cùm intereſſet, lapſantes, aut vel in ſillabâ peccantes ſacrificos aduertebat, ſed & ſæpè admonebat. XVII.

Enimuerò nec olim aut nunc Barbari (tam clara vtilitas eſt) ab hoc cultu alieni. teſtor MITHRIDATEM illum veterem Ponti regem, qui variè, & in ipſâ medicinâ doctus, hoc præfert eximium, Tenuiſſe viginti duas linguas, ita vt omnes ſubditos, XVIII.

quemque

quemque ſuâ dialecto, promptè & ſcienter alloqueretur.

xx. CHOSROES autem Perſarum rex, Iuſtiniano & Romanis per ſuas clades notus, & eloquentiam Græcam adamauit, & Philoſophiæ ipſius non limen, ſed adyta penetrauit. Ariſtotelem totum percalluiſſe aiunt, Platonis lineas & numeros: ſed & ipſa Græcorum opera in ſuam linguam multa tranſtuliſſe. Hæc aiunt: & demus famam aliquid adſtruere: vel conatum iſta. nónne magnum in magnis iſtis regum?

xx. MAHVMETES etiam Turcametenet, SECVNDVS eo nomine. qui cognitionis illuſtrium virorum facinorúmque maximè cupidus, Hiſtorias ſibi verti in ſuum ſermonem iuſſit, Græcas Romanáſque: & ipſos viros depingi à *Gentile Bellino*, eleganti pictore, quem ad hanc operam à Venetis exambierat. His ille ſtimulis, vtinam ne ad tam alta, & nobis triſtia, animum æmulatione erexiſſet!

CAROLVM V. de induſtriâ totum hoc agmen volo claudere, & ſimul ſalutare monitum ſuggerere. xxi. Eum magnitudo ſtatim rerum & imperij, tenerum adhuc à ſtudiis abduxit: etſi amorem tamen & reuerentiam non excuſſit. Ac quondam cùm Genuæ oratorem aliquem audiſſet Latinè dicentem, nec plenè ſatis cepiſſet, triſti & ingenuo ore confeſſum Paullus Iouius ſcribit (is arbiter coràm & teſtis erat:) confeſſum, inquam, *Dare ſe nunc pueriliis incuria pœnas: & præſagum Hadrianum præceptorem fuiſſe, qui hanc pœnitentiam ei prædixiſſet.* Credimus optime Princeps. & quàm multi hodiéque tecum, iam grandiores, id eſt ſapientiores, dolent in hoc neglectu? Cogitent parentes, emendent, filiorum & publico bono. Voueo.

IVSTI LIPSI

MONITA ET EXEMPLA POLITICA.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

DE PRINCIPATV.

Eum præferendum aliis imperiis videri.

A QVæ adhuc dixi, etſi ad Principem aptaui, communia cum aliis ſunt, & in omni imperio adhibenda. Nunc formare magis, & propiùs dirigere incipiã: ſi tamen priùs breuiter adſtruxero eum, & laudaro. Nam ambigere multos, & diſſeri variè de optimâ Imperij formâ olim & nunc ſcitum eſt: at nos iſtum præferimus, & cauſſas diſtinctè, & velut per titulos libabo. Primò, quia liquet

MON. I. *Antiquiſsimum hunc eſſe.*

Homines autem primi, & origini ſuæ id eſt Deo proximi, malis artibus fraudibúſque nondum corrupti, cenſendi ſunt optima elegiſſe: elegerunt Principatum. In familiis, quod primum imperium, vnus fuit. Plures deinde familiæ cognationibus B iunctæ, vnum habuerunt, & ex iſtis ſocietates, conuentus, oppida; vnum. donec magna imperia nata, & oppreſſio cœpit, ab ambitione exorta: & ſic quoque ferè vnus. Seneca veriſſimè: *Primi mortalium, quique ex his geniti Naturam incorrupti ſequebantur, eumdem habebant & Ducem & Legem, commiſſi melioris arbitrio.* Itaque idem alibi: *Natura commenta eſt regem. quod & ex aliis animalibus licet cognoſcere, & ex apibus: quarum regi ampliſſimum cubile eſt, medióque & tutiſſimo loco.* Sed quibus aliis animalibus? in parte alibi explicat: *Mutis gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima. non præcedit armẽta degener taurus: elephantorũ gregẽ excelſiſſimus ducit.* Idem in ouibus, in auibus, & alio genere cógregũ animãtiũ, eſt videre. Eſt igitur antiquiſſimus Sacræ etiam noſtræ litteræ oſtendunt: in quibus à condito orbe ad diluuium, moderatum in familiis C imperium fuit: à Diluuio, ambitio miſcuit, & *Nimrodus* Noachi pronepos, imperium in Aſſyria & finitimis inuaſit. Hic eſt quem profanæ litteræ (ad primorem ſillabam alluſione) *Ninum* appellant Sed addo etiam,

Epiſt. xc. & de Clement.

Epiſt. xci.

MON. II. *Communiſsimum hunc eſſe.*

Neque olim tantùm, ſed & nunc plurimo orbis A ſic notari. Olim quidem, Sacra dicunt. vbi Iudæi regem poſcentes ſic audiuntur: *Conſtitue nobis regem, ſicut & VNIVERSÆ habent nationes.* Sed & in Italiâ diriori illi Romani (apud Liuium) *in variis voluntatibus regem tamen OMNES volebant.* Etſi ueſicâ mutarunt, & ad Optimatum ſtatum iuerunt: quid ita? naturali hac ſæpè mutatione, vt à rege in tyrannum, à tyranno ad optimates aut populum Reſpublica eat: iterúmque ab iſtis ad tyrannum, & regem. Faſtidio & odio hoc fit, non Principis alicuius malè eo vſi. Ceterùm & vetus hic orbis Principes ferè vbique habuit, in Aſiâ, Africâ, Europâ (pauca loca, neque diu excipias:) & nouus item repertus, ſic eſt, aut fuit. Argumentum, optimum vſu & ratione eſſe, quod tam diu, & tam multis placuit: atque, vt dixi, ab ipsâ naturâ. Sanè rationem ſi excutimus, eam videbis hinc ſtare, B ab his cauſſis. Primò dicimus,

1. Reg. cap. viii. Lib. 1.

MON. III. *Communiſsimum hunc eſſe:*

At Iuſtitiæ ſiuẽdæ cauſsâ Imperia primùm ſunt reperta. Ea igitur magis in Principatu floret, vigétque: nec ſunt noxæ aut corruptelæ, quæ in aliis illis formis. Vide. Rex aut ipſe ius dicit (olim & * nuper etiam factum:) aut quid dicant, elegit & deſignat. Si ipſe, ſupra metum aut gratiam eſt, magis auaritiam & nihil iſtis, quæ præſtringere oculos iudicantium ſolent, dunat. Si alij; ſunt tamen ab ipſo, & curâ eligit, & electis iam ſupereſt & intendit. Nunſunt iis ſic libera iudicia, vt non iudicium huius metuant; & ſiquid fœdius patrent, pœnam. In alio ſtatu quid ſimile? Si ad Optimates is; factio, & agnati, & amici occurrent, & alternis inter ſe ius aut iniuriam gratificantes. Si ad Populum; magis peccabitur, & irâ aut affectu damnatos paſſim videbis, C aut demiſſos. Ad Athenienſes aut Romanos leuiter tranſi: oſtraciſmi optimorum ſunt, & exſilia, & mulctæ. Contrà, peſſimis honores habiti, & iudiciis per vim & manum etiam erepti. Quid de corruptelis dicam? hic regnant. Secundò,

Vide hoc libro cap. xi.

MON. IV. *Tranquillitatem & concordiam coli:*

Quod optimum aut optatiſſimũ in Societate eſt,

viuere quietos, à vi & iniuriâ tutos. Metus vel auctoritas hoc facit Principis. quem vnum omnes reſpiciunt: qui vnus omnia poteſt: & ius vitæ neciſque habet. Itaque mentò animi magis domiti & fracti ſunt, & colla ad iugum inclinant. Non ſic inter plures dominos: quorum potentia ſparſa eſt, & ideò minor, vt flumen in plures riuos diductum. Alius alium reſpicit; patronum contra hunc aut illum habet: & addo, quòd nec coërcitio ſeuera aut libera. quia in ſuffragiis aut comitiis, popularium operâ egent. Itaque conniuent & indulgent, gratiam ſingulorum quærunt. Ita minuitur Auctoritas, & quod ſequitur reuerentia aut metus, vinculum obedientiæ & quietis. Parte alterâ minùs tranquilli, quia ad rempublicam ſæpè auocantur. ſunt comitia, ſunt leges: & ſuffragia ſua habent. In iis deinde ambitio & factio interuenit: quid præterea? ſeditio ſæpè, & turbæ, atque etiam pugnæ. Vt mare ratò quietum eſt, ventos plurimùm, & ſæpè procellas habet: ſic reſpublica, vbi comitiorum poteſtas. Noſter Tacitus rem tetigit: *Suſpectum Senatus Populique imperium, ob* CERTAMINA *potentium &* AVARITIAM *ma-*
1.Annal. *giſtratuum.* En duas aſſiduas ibi Peſtes: *Certamina*, & factiones, & exitum ſiue exitium, Ciuilia deinde bella: *Auaritiam.* & ſunt nundinationes rapinæ, corruptelæ, in magiſtratibus, in prouinciis, in iudiciis. Tertiò, & vniuerſè dico,

MON. V. *Modum regendi meliorem tutiorémque eſſe.*

Princeps diutiùs imperat, vnus & idem ſemper manet: itaque & diſcit magis aſſiduo ipſo vſu, & rem etiam, vt propriam, cordi habet. Aliter in magiſtratibus, qui mutantur Sunt ferè annui: id eſt, abeunt imperio, cùm diſcere imperare cœperunt. Sed neque intentio eadem aut cura eſt, in breui & alieno imperio. Tradunt enim ignotis, aut inuiſis ſæpè ſucceſſoribus: ſatis habent quomodocumque defungi, in poſterum ſecuritate. At princeps non ſe ſolum cogitat, ſed heredes. Deinde, arcana conſilia aut litteræ ſæpè interueniunt in gubernando: cum vicinis Principibus conſilia aut pactiones, quas nolint intempeſtiuè vulgari. Quod ſecretum hîc inter plures erit? quis liberè accedet, aut tutò credet? Hæc in Principatu ceſſant. & aut vnus ipſe tractat; aut fidi miniſtrorum, quibus cõmittit. Quid etiam de ſecretâ corruptelâ dicam, crebrâ inter plures? Vnus aliquis emi contra rempublicam poteſt, & ſana conſilia aut euertere, aut impedire. Athenis ſuis quàm hoc factum Demoſthenes conqueritur, à callido Philippo! & *hunc eſſe ſcopulũ* (ita loquitur) *ad quem res adhæreſcant.* Quid Romæ? idem: & Tribunus aliquis emptus res turbabat, & hunc aut illum ſuper capita ciuiũ imponebat. Poëta ingenioſè,

Mutatúſque fuit momentum Curio rerum.

ita. vnus Curio à Cæſare corruptus, Cæſarem Pompeio antetulit, reipublicæ & libertati finem dedit. Quartò denique dicimus,

MON. VI. *Maximè hanc imperij formam diurnare.*

An non faciat, cùm à Naturâ maximè & Ratione ſit? Deus fauet & tutor eſt; vnus ille rector, vnius. Vide Status alios, pauci æuum tulerunt, quantumuis legibus bonis & inſtitutis: excipio paruas quaſdam reſpublicas, & validiorum tuitione aut amicitiâ firmas. Sparta, quâ nihil videbatur moribus aut vitiis melius, vix quingentos annos tenuit libertatem. Athenæ ſæpe mutarunt, & oppreſſæ iterum caput extulerunt: ſed turbidæ ſẽper, & in metu, aut potentioribus obnoxiæ. Roma quadringentos paullò plus annos liberum illum ſtatum ſeruauit. Quid iſta ad Principatus? Ille Aſſyriorum, vt à vetuſtiſſimo ordiar, *mille ducentos quadraginta annos* ſtetit: ſiue vt alij largiùs, *mille trecentos.* Ita enim vel Hiſtorici, vel Chronici ſcriptores conſenſu tradiderunt: nec Appiano vbi mens fuerit, ego ſcio. qui initio operis ſcribit, nec *Aſſyriorum, Medorum, Perſarum tria regna ſimul congeſta, æquare illud ſpatium aut potuiſſe, quod in Romano imperio ad ſuum tempus eſſet.* Profectò fallitur, nec excuſes. nam à Româ conditâ ad Hadriani æuum *nongenti* circiter anni fuit, & ſic ipſe ſupputat: quanto plures, vt dixi, in ſolis Aſſyriis? Iam Medi *ducentos ſexaginta* ferè annos vindicant: Perſæ *ducentos triginta tres.* Quamquam de Perſis, mirum & notabile, haud diu ab Alexandro iterùm reuixiſſe, & vires regnúmque recepiſſe, duce Arſace quodam (vnde *Arſacidæ*) ſub bellum Punicum primum, ſiue annum vrbis D. I I I. Sed quia tamen initium aſſerendi à *Parthis* fuit, inde Romani atque alij, Parthorum hoc regnum appellarunt: reuera tamen in iiſdem ferè gentibus & finibus, manſitque ad *Alexandrum Mammeæ* filium, per annos circiter C C C C. L X X X. Tum iterùm nomen *Perſarum* ſurrexit, duce *Artaxerxe* quodam, qui *Artabanum* demouit & ſuſtulit vltimum Parthorum Regum. Exinde autem ad hoc æui diuturnitatem (agnoſce, & mirare) Perſæ viuunt & regnant, etſi grauiter ab *Heraclio* Imp. contuſi, poſteà à *Tamer lanco* & nuper ab vtroque *Selymo* Turcarum, auo & nepote: ſed viuunt. Quid de *Ægyptiorum* olim regibus dicam? millia plura annorum numerant, ad vltimam Cleopatram. Quid hodie de *Sinarum*? iidem millia: & à *Viteo*, qui primus fuit, ad *Bonogum*, qui nuper imperitabat, reges in ſerie continuâ habent *ducentos quadraginta tres.* Rarum exemplum: neque in noſtrâ Europâ reperiendum. Tamen & in eâ Principatus longæui. Gallorum regnum potens & florens, à *Faramundo* primo rege vſque ad *Henricum* I V. qui nunc feliciter regnat, computat *ſexaginta tres* reges: idque per annos ∞. C. XC. At in Hiſpaniâ Gothorum reges ab anno Chriſti CCCVIII. ad *Rodericum* & Maurorum inuaſionem numerantur *triginta nouem.* Et ſanguis quidem ille, ſed non regnum defecit: ſuſcepitque *Pelagius* anno Chriſti DCCXVII à quo perpetuâ ſerie, nec interruptâ, ad *Philippum* hunc III. ſunt reges *quadraginta octo.* Alia exempla in minoribus Principibus liceat dicere: omitto, ſicut & Reſpublicas minores. Sola *Veneta* eſt, quæ æuum *millenarium* iactet: felix fati, ſed & legum atque inſtitutorum felix, quibus velut vinculis firmata eſt adhuc contra lapſum. Maneat, Floreat, fauemus & vouemus.

CAPVT II.

In eo Viros Fœminis præferendos, & has vix feliciter imperare.

PRincipatus igitur optimus, & cum Solone,

Εὐδαίμων πόλις ἑνὸς ἣ κήρυκος ἀκούει:

Felix vrbs, quæ iuſſa vnius Principis audit.

ſed quis ille Princeps eſſe debet, vnius & melioris, an & alterius ſexus? Vtrimque argumenta & exempla ſunt: ſed magis pro nobis. Vir ad virtutem, ad regimen natus: animo, corpore, voce, viſu robuſtior, & quem magis vereare, aut verere. In

fæminâ omnia leuia, mollia; quæ amorem, non reuerentiam creent. A naturâ ipſa timidæ magis ſunt quàm timendæ: non igitur hîc Auctoritas. Iam in viro prudentia & conſtantia: in illis calliditas aut argutiæ, imbecillitas deinde iudicij, & in decretis ſenſibúſque Euripus. Septies in die mutant. Rarò etiam altum aut honeſtum ſpirant: ſunt in vanis aut vilibus curis: non ergo ad ſceptrum & publicum decus idoneæ. Duæ etiam virtutes Principum primæ, Iuſtitia & Fides, firmiter vix ſunt in iſtis. Non prior, quia inclinant facilè & miſerantur: facillimè & gratiæ aut affectui obſecundant. Non altera, quia mobiles ingenio ſunt, & mutant vt ventus. Ne Clementia quidem ſit, quæ putetur: & benignior ille vultus, neſcio quomodo, ſæuum ſæpè animum & vindicem celat. Quid de laſciuia aut luxu dicam? vtrique vitio opportunas ſcimus, & pudorem atque opes prodigere: præſertim cùm ſui iuris ac ſponte, frænum non habent quod adſtringat. O quale regnum, vbi *Cleopatra* aliqua, *Meſſallina*, aut *Ioanna Neapolitana* imperat? Neque ſine cauſſa Sacræ litteræ inter peſſima comminantur: *Fæminarum imperio ſubiectum iri*. Sed parte tamen altera, exempla nos redarguant, itémque inſtituta gentium. Nam & alibi ſuccedunt in regna, & feliciter atque induſtriè adminiſtrarunt: cuius rei vtrique lubet Exempla ex Hiſtoriis dare. ac primùm

Muliebris imperij infelicis

I. LAODICE *Ariarathis* Cappadocum regis, cùm marito mortuo in regni adminiſtratione eſſet, quas clades, in media pace, dedit? Sæuiit paſſim in proceres, & in vulgus: parùm eſt. ſæuiit in liberos, & ſuum ſanguinem & (ô ſancta pietas!) ſex ex ſe natos veneno omnes ſuſtulit: qua cauſſa? tantùm, vt diuturnior in imperio eſſet. Vnus paruulus fato euaſit Medéam illam: quem populus mox ad regnum ſuſtulit, illa priùs communibus votis & ſuffragiis exſtincta. ſed quid? vna & ſimplici morte exſtincta, quæ toties parricida, tot culleos meruiſſet.

II. Tale olim, & vetuſtius, in Sacris litteris, malum nomen ATHALIA, quæ Ioſepho eſt *Gotholia*. Ea cùm filius *Ochozias* per inſidias interfectus eſſet, inuaſit ipſa regnum: & nepotes ex eo, & totum ſemen regium ſuſtulit: conniuente in ſex annos diuino Numine. donec *Ioas* à muliercula cædi ſubductus & ſeruatus, & iam adultior, regnum, & tot agnatos vindicauit, bellua illa occiſa. Nam quid fœminam dicam, ſupra omnes feras immanem & ſæuam?

III. Tragicum aulæum complicemus, ſcænicum ſiparium aperiamus: & laſciuiam pro ſæuitia magis demus. CLEOPATRA in theatrum veniat à paruulâ ad nequitias, libidines, & luxum facta. Tirocinium fuit in *Iulio Cæſare*. qui cùm Alexandriæ obſideretur; illa velut fati præſaga, fratrem *Ptolomæum*, & potiores (vti videbantur) partes deſeruit, ad Cæſarem tranſlata. Verè, inquã, trãſlata: nam & hũc aſtũ ad fallendũ, & tutò trãſeundũ, cogitauit. Portæ ſeruabantur, atq; exitus: illa *Apollodorũ* quẽdam inducit, culcitâ ſe inuoluere & adſtringere, vt ſarcinam: ac ſic in regiam, vbi Cæſar, deferre. Factum eſt, deponitur ante pedes eius: & ecce ſoluta emergit Venus, non è mari, ſed è culcitâ: & culcitellam mox ſe Cæſari ſubſternit. Nam ille, etſi in medio actu & æſtu etiam rerum, tamen & ingenio illo, & mox forma ac lepôre captus, adamauit: & pretium libidinum adoleſcentula necem fratris, & regnum Ægypti, tulit. Hoc, vt dixi, tirocinium fuit:

A fallor? an virgineam prætextam iam in amoribus *Cn. Pompey* filij paulloantè poſuerat? quod credere nos Plutarchus, bonus auctor iubet. Credo tum cùm miſſus ille à patre in Ægyptum, ad arceſſendam claſſem & auxilia fuit. Sed hæc puella peccauit: quid iam mulier? flagitia, cum ætate, magis adulta. Poſt pugnam illam Philippenſem, *M. Antonius* & *Octauianus* partiti inter ſe ſunt operas; vt alter in Italiam rediret, & veteranos in agris diſponeret: alter in Aſiam & Orientem iret, pecuniæ vndique corrogandæ. M. Antonio iſtud euênit. qui dum reges, tetrarchas, vrbes, omnia excutit, & colligit: viſum & de Ægypto cogitare, illa diuite, & quæ offendiſſe videbatur, non ſemel auxiliis aduerſæ parti ſubmiſſis. Nam ipſa Cleopatra *Caſſio* ſuppetiata dicebatur. Itaque, etſi ſuccinctus iam ad Parthicum bellum, tamen *Q. Dellium* Senatorem ad B eam mittit, & queſtum ſimul & denunciatum, vti in Ciliciam ſibi occurreret ad dicendam cauſſam. Ah miſer! ad cauſſæ dictionem euocas, tuam mox dominã & arbitrã, & apud quã fatalem ſerues ſeruitutem! Dellius venit, fæminam videt, & homo ſagax quid futurum præuidet: quippe & huius Veneres, & ſimul obnoxium talibus Antonium notat. Itaque captare iamnunc huius gratiam, audacter monere ad Antonium iret: mite & venuſtum ingenium reperturam. Perſuaſit, & conſcia formæ erat: ac pro eâ, & ſpe quam agitabat, cultum & comitatum ſumpſit. Cydno fluuio ſubuehi ſe molliter iuſſit, naui auratâ, remigio argentato, velis purpureis, ad modulos tibicinum & citharœdorum. Ipſa recumbebat ſub cælo aureo, gemmis diſtincto: C pueri formoſuli, habitu Cupidinum adſtabant & miniſtrabant, quidam ventulum ei facientes. Virgines & ancillæ, inſtar nympharum, per foros & tabulata nauis diſponebantur. Ad ripam vtramque frequentes ab obuiis, & viſoribus, aræ & odores. Quid verbis opus? paſſim voces (& res ita erat) *Venerem ad Bacchum venire comeſſatum*. Iam propinqua Antonio erat. & ille, magnitudinis ſcilicet Romanæ retinens, pro tribunali etiam ſedere, atque eam exſpectare: quid niſi ſupplicem & excuſaturam? At vide fiduciam. rectâ in hoſpitium abit: & Antonius, ab omni cœtu deſtitutus, relinquitur ſolus. Itaque ſubmittit paullùm faſces, & ad cœnam eam inuitat. Recuſat, & excuſat: quid iam Antonius? malè ſumptam perſonam abijcit, & prior atque vltrò ad eam venit. Cœnat ibi, edit & bibit amorem: quem illa non tam vultu vt aiunt, quàm verbis & ingenio inſpirabat. quæ D vtraque tam mirifica poſſidebat, vt ſemel audita caperet & deuinciret. Argumentum ſanè ingenij, quòd varias linguas docta, Hebræum, Græcum, Arabicum, Æthiopicum, Parthicum ſermonem efferret, ſcito & natiuo cuiuſque ſono. Hem M. Antoni quid facis? ictus es, habes: & omiſſo bello omni, aliam militiam militas, & cum ſuâ reâ in Ægyptum, id eſt in caſſes & carceres eius vltrò abis. Ibi quæ deliciæ, luxus, cõuiuia? Non *Fuluia* tua abſtrahit, mori in angore & æmulatione adacta. non poſteà *Octauia*, noua vxor: hæres, peris, ipſa tecum, & cum vtroque (infelicis fæminei regni exitus) ipſa Ægyptus.

Quid MESSALLINA in Romanis? illa ſæuitiæ, auaritiæ, impudicitiæ, impudentiæ, omnium flagitiorum (fas ſit in illa ſordidâ tali verbo vti) cloa- IV.
E ca. Hæc vxor erat *Claudij* Imperatoris; nomine quidam. ſed quem ipſa & liberti, vt elephantum paruus æthiops, regebant Itaque iure hanc pono inter imperantiũ exempla. Omitto cædes tot nobilium

A quas patrauit, tot exilia & fugas: in libidine non credo ab æuo tale monſtrum fuiſſe. Cottidie adulteria, nouæ conditiones & admiſſarij: nec clàm, ſed in ipſo Palatio, coram matronis & viris, quaſi infamia delectaret, Venerabatur. Quin noctu, veſte tecta, & Meſſallinam diſſimulans, ad publicum lupanar ire ſolita, proſtare inter infelices illas victimas, cellam ſuam & titulum habere, accipere æra & poſcere, & explere libidinem nec ſatiare. Quid etiam? marito ipſi illudere, & hunc adigere non teſtem flagitiorum, ſed exactorem. Vide. erat *Mneſter* quidam, nobilis Pantomimus, in quo ardere mulier cœpit: & pro ſuâ verecundiâ, ſolicitare ipſa, & poſcere. Ille ſubduxit, & renuit, Principem reueritus; ſiue etiam veritus, ne torum eius non impunè macularet. Mulier ad hoc tidere.
B & *Quid ais?* inquit. *ſi ipſe Claudius meus iubeat, parebis?* incredibilia videbantur: fiunt. It ad maritum, perſuadet illi ſtipiti, vt Mneſterem vocet, & iubeat, in omnibus dicto ſibi audientem eſſe. Factum eſt: & mox hiſtrio liberè, quaſi iuſſu domini, res domini egit. Eſtne quod ſuprà etiam poſſit? mulier reppertit. Vulgaria adhuc hæc probra videbantur: nouum excogitat, & cui poſt factum vix ſit fides. Erat *C. Silius* Romanæ iuuentutis pulcherrimus. hunc allicit, ſtimulat, & palàm in amoribus habet. Præmium etiam eorum, facit Conſulem, opes, & decora Aulæ ad eum transfert: & iam colebatur, velut alter Princeps. Non eſt ſatis: oportet languentis voluptatis nouum aliquod eſſe condimen-
C tum. Itaque hoc addidit, vt maritum eum palàm caperet: viuo marito? viuo: Principe? Principe. Nec longiùs differtur, quàmdum maritus Hoſtiam iret, & quaſi de compacto paullùm ſecederet. tum nuptiæ, & nuptialis tota pompa. flos Senatorum & equitum adſunt, menſæ apparantur, lectulus Genialis ſternitur, auſpices adhibentur, alia ſolennia: quin & in mariti gremio noua nupta recumbit, oſcula, complexus, & reliqua licentiæ coniugalis. Dum ſcribo, ſtupeo: & adhuc etiam Claudius, nec excitabatur, niſi liberti, & in quorum manu res erant, metu mutationis, eum commouiſſent. Itaque tandem finis fabulæ impoſitus, & venit Romam, tollit æmulum, & mox coniugem: nec id quoque, ſine aſtu liberti.

v. D Conſortem an non liceat addere FAVSTINAM, & hanc etiam Romani Principis coniugem? Agebat in matrimonio M. ANTONINI *Philoſophi* cognomento, optimi non Principum ſolùm, ſed virorum. Infelicem tantùm hac fœdâ labe! quia & hæc libidinum ſic promiſcua & vilis erat, vt vulgò ſe vulgaret: in balneis, in arenis, & Xyſtis, vbi homines nudabantur, legere conditiones ſolita, & benè vaſatos adnotare. Atqui non imperauit, inquies. Dedit qui imperaret *Commodum*, non falsâ opinione, gladiatore genitum: & hic rem Romanam perdidit, ab illâ matre.

vi. In Galliam tranſeo, vbi reginam video FREDEGVNDEM, nec ſcio an ſceleſtius aliquid Sol vidit. Ea diu pellex duarum reginarum, *Chilperici* regis Galliæ vxorum: alteram *Andoueram*, vt pelleretur,
E effecit; alteram *Galſuindam*, per inſidias curauit occidi. Ita totum Chilpericum, & ſola iam poſſidens, legitimam vxorem & reginam egit: ſed, pro ingenio, parùm fidam. Nam cum *Landrico* magiſtro equitum furtim conſueuerat: & res marito caſu quodam detecta fuit. Ibat venatum, & vxorem conſpicatus, quæ capillum comebat, & lotum ſiccabat in in ſole, accedit tacitus, & per luſum à tergo virgâ percutit. Illa ſuſpicata amatorē ſuū eſſe. & nomine

A cōpellans, *Quid agis mi Landrice?* inquit: *quin ſi vir es, aduerſam me, non auerſam pete.* Confeſſio flagitij erat: & cum dicto ſe obuertit, plura etiam dictura; ſed attonita maritum videt, & ſilet. Etiam ille, & portò venatum, vt inſtituerat, pergit: iram coquens, & vindictam, vt res erat, meditans. Sed præuenit mulier, & Landrico ſuo vocato: *Perimus vterque*, inquit, *nec animâ meâ vocem.* & rem narrat. additque: *Quid ſtupes? virum oſtende. patiendum, aut patrandum eſt ſcelus.* Landricus ſuo metu, & illo ſtimulo excitatus, rem ſuſcipit. deligit duos è fidiſſimis, qui Chilpericum ſerâ nocte e venatu redeuntem, turbæ mixti, ferro inuadunt, & ſinguli ſingulis ictibus conficiūt. Clamor eſt ab ignaris, & conſciis: atque iſti quaſi externæ inſidiæ eſſent, *In ſiluas*, vocē tollunt, eóque ſe
B proripuiſſe parricidas. Ita auctores celantur: & felix Fredegundis ad alia ſcelera animum adiicit, inſenſa inprimis *Prætextato* Rhotomagenſium antiſtiti, non ob noxam aliquam, ſed viri eximiam virtutem. Itaque lætiſſimo die Paſchatis, cùm in frequenti templo ſacra perageret, non Deum non homines verita, percutiendum curauit letali quidem vulnere, ſed cui aliquamdiu ſuperuixit. Mæſta eo ipſo, venit viſere, ſiue vt exploraret, ſiue vt oculos in eius angore paſceret: atque ibi bellè, vt putabat, diſſimulans, queſtus & iram miſcuit, quòd in tali die & loco, in talem virum, patratum eſſet facinus, & auctor lateret. Sed Prætextatus, vicinâ morte liberior: *Minimè*, inquit, *latet. & teſtor me eius ſcelere percuſſum, quæ reges occidit.* Benè ille de regibus, nam præ-
C ter maritum ſuum, etiam fratrem eius ſuſtulerat *Sigibertum*, Mediomatricum (vt tunc diuiſio erat) regem. Suſtulerat autem ſcelerato aſtu, immiſſis duobus percuſſoribus: quos, cùm facinus execuri eſſent, ilicò iuſſit interfici: vt vocem cum vitâ amitterent, & in tuto auctor agitaret. Ita iuſtitiæ victrix, ſi non famæ, egit. & paulò pòſt *Childebertum* etiam regem, prælio priùs victum, cui ipſa interfuit ſtans in prima acie, veneno tolli cum vxore, eodem vtrumque die curauit. Quot palmas vna mulier meruit? habeat: & ſicca etiam ſuáque morte abeat, Prouidentia apud imperitos laborante.

Faſtidio eiuſmodi narrationum. nam quis modus ſit, ſi velim perſequi? Ecce in vno Neapolitano regno duæ IOANNÆ, æuo ſuppares, in nequitia vii.
D compares quarum flagitia atque etiam ſcelera (nam & hæc mixta ſemper adulteriis) Annales texam, ſi velim recenſere. Et propero magis ad alia Exempla: neque enim deſunt ea.

Muliebris imperij boni, & felicis.

PHILA vxor *Demetrij* regis, filia *Antipatri*, illius qui Macedoniam & Græciam viuo mortuóque Alexandro gubernauit. Hæc iam tunc puella, & in annis teneris, natiua quadam prudentia ſic viſa excellere, vt ipſe pater conſilia ab ea peteret, & audiret. Pater, ille ſenex, ille vſu & tractatione rerum ſic peritus. Quid Demetrius, cùm iam vxor
E eius eſſet? erat ipſe vario ingenio, & vitiis propior: ſed mira temperie hæc maritum flectebat, ne dicam regebat: calumnias ſupprimebat, iras mitigabat, iuſta & honeſta inſerebat. Iam populi verè mater, tenuiorum filias dotibus datis elocabat; afflictos à fortuna releuabat, bonos prouehebat: quid apud ipſos milites? Saluo pudore fœmineo, & iis ſe miſcebat: alloquebatur, erigebat, tanta auctoritate vel gratia, vt ſola tumultuantes repreſſerit, & in ſeditionem lapſos reuocarit. Quæ fides deinde & amor in i.

ipſum maritum: cùm victus à *Pyrrho* rege eſſet, caſtris ac regno exutus: viuere non vltrà ſuſtinuit, & morte ſpontaneâ mundiam Fortunæ fecit.

II. Æuo, non animo, inferior ZENOBIA Palmyrenorum regina. Hæc ſtirpem & ſanguinem à *Ptolomæis*, & ipſa Cleopatrâ, ſed non mores (dij boni, quàm aberat!) ducebat. Vxor erat *Odenati*, fortiſſimi viri, & qui ad imperium Romanum auſus adſpirare. Illo viuo, iiſdem cum eo exercitiis in venatu, in montibus, in ſiluis, in ipsâ militiâ vti. Amans eius vtique, ſed ob matrimonij finem, liberos: quos vt concepiſſet, tangi à marito mox abnuebat. In aliis virtutibus ſcientiæ etiam auida; & hiſtoriæ Orientalis ita perita, vt ipſa eam ſuo ſtilo in compendium redegerit, vſui poſterorum. Nec Græci Latinique ſermonis, aut cæterum, ignara fuit. Formâ autem corporis egregiâ, *oculis ſupra modum vigentibus* (verba Pollionis dabo) *& nigris: tanto candore in dentibus, vt margaritas eam pleriqúe habere putarent, non dentes. Vox præterea clara & virilis.* Cum his dotibus, vt dixi, nupta, & forti quidem viro, etſi haud felici. Nam Gallieno illo ignauo Imperatore, cùm decus omne imperij labaret, aut rueret: ipſe Perſidem & Orientem inuaſit, quaſi *Valerianum* captum, & Romanam ignominiam vindicaturus. Res magnas gerit: adeò, vt ipſe Gallienus conſortem imperij ſumpſerit, & vltrò Augustum declararit. Nec diu in hoc honore, inſidiis *Maony* conſobrini ſui vitam & poteſtatem amiſit, aut hanc potiùs tranſmiſit. Nam Zenobia illa vxor, laborum & victoriarum antè particeps (aſſiduè enim comitari maritum, ipſa etiam ſub armis ſolita) imperium ſuſcepit fortiter, & geſſit. Bella cum Romanis, & *Aureliano* Principe habuit: Ægyptum inuaſit, & victo ac cæſo eius præſide *Probo*, occupauit. Denique Aurelianus, ſed ægrè, fregit, non enim profectò vicit: imò velut tacito pacto, paſſa in triumpho ſe duci, ſed vt vitam & dignitatem in parte ſeruaret. atque adeò ſunt, qui filiam eius Imperatori dicant nuptiis iunctam: imò & ſtirpem eius diu pòſt Romæ inter illuſtres familias floruiſſe.

III. Hæc militaris fæmina: pacatius exemplum PVLCHERIA dabit. Ea *Theodoſij* iunioris ſoror vitam & virginitatem Chriſto deuouit: paullò maiore natu, quàm ille. qui ſeptuennis ferè à patre *Arcadio* relictus, hanc habuit morum & inſtitutionis magiſtram. Atque adeò iam grandiore illo adhæſit, & curas imperij participauit: ſalubriter omnia, & piè, modeſtéque diſponens. Et verò quamdiu habenas tenuit, felix imperij & rectus curſus: poſtquam inuidiâ aliorum, & calumniis Eunuchorum (*Chryſaphij* præſertim) ſubmota eſt, & loco pulſa: contulit ea ſe in *Hebdomon*, locum Byzantio ſuburbanum. atque ibi ſummâ pietate & quiete victitabat. Donec poſt annos ſeptem, fraude calumniatorum agnitâ & imperio vndique concuſſo, fulcrum iterùm rebus labentibus adſumitur, aut reparatio iam lapſis. Fit vtrumque: & reſtituit pleraque omnia, aut tuetur. Specimen animi eius & prudentiæ hoc eſto. Fratrem Theodoſium videbat, & dolebat, temerè libellis ſæpè ſubſcribere, & nec lectis: alienâ commendatione aut fide, vt fit, nixum. Dolum bonum hunc reppert, ad emendandum. concepit enim & ipſa libellum, atque obtulit, quo *Eudociam* eius coniugem petebat mancipari ſibi in ſeruitutem. Capit, & ſubſcribit ſtatim: quidni in ſororis petitione? atque illa, ſcænæ inſtruendæ cauſſâ, Eudociam apud ſe aliquamdiu habet. Miranti, & euocanti, negat miſſuram, & ſuam eam, vti quæ OPTIMO MAXIMOQVE iure, eſſe. Profert manum & ſubſcriptionem, confuſo iam illi, neſcio an emendando. Reuera enim ſecors ingenium fuit, & alter Claudius in fæminarum aut effæminatorum (Eunuchos intelligo) poteſtate. Mortuo autem illo, & ſine liberis ſe celatâ, *Marcianum* euocat, vitâ & bello bonū, & ad imperium producit. Quóque magis commendaret, nuptias ſuas ei donat, ſed titulo tenus: ſtipulata, ne ſacrata Deo virginitas libaretur. Rexit cum illo annos aliquot, mirificè à noſtræ religionis apicibus, *Leone* Pontifice, *Hilario* Epiſcopo aliiſque laudata. Vixit annos circiter LVI.

IIII. Similem, non enim parem vndique, ei iungo ISABELLAM *Ferdinandi* coniugem, Hiſpanarum reginam. Parem? in quibuſdam ſuperiorem, & ſolâ fortaſſe virginitate cedamus. Hæc, ſi pietatem ſpectas, in ſacrorum cultu mirifica, & aſſidua; nullâ occupatione aut delectatione demoueri; horas ſuas Canonicas (vt loquimur) ſacerdotali exemplo cotidie legere: ipſos ſacerdotes honorare, templa exornare. Atque id ſuis aut ſuarum ferè manibus, cùm & ipſa acu pingeret aulæa aut veſtes, aut à familiaribus puellis pingi texíque iuberet. Iam reliquæ virtutes inſtructæ huic fundamento. caſta, ſic vt nec rumor de eâ mentiretur; & maritum pariter eò ducens, pellices, amicas, & id genus callidè ſcrutata, & ab Aulâ amolita. Frugalis adeò, vt in omni vitâ nec vinuro libarit: quæ virtus fomes, vt ſcimus, eſt caſtitatis, & modeſtæ grauitatis. Quam ſanè habuit, exoſa mimos, ſcænicos, ludiones, totum hoc leuitatis inſtrumentum, & nec priuatim aut publicè audire ſuſtinens, vel ſpectare. Eorum vicem, viros graues, matronas ſerias apud ſe habere: item pueros aut puellas nobiles, & vtróſque, pro ſexu, artibus ſtudiiſque informare. Aula illa, nil niſi palæſtra honoris & virtutis erat. Itaque inſignes viri, etiam militiâ, ex eâ prodierunt: & magnum illum *Conſaluum*, cui regnum Neapolitanum Hiſpania debet, hæc refert expertum. Matrona ipſa ciuilium rerum gnara, bellicarum nec ignara. Quid magni in regno ſine illâ, imò niſi per illam ferè, geſtum eſt? Rex maritus & conſiliarij, vſu edocti peritiam eius & felicitatem in ſententiis, quæ edicebat pro oraculis (nec id per adulationem) amplecti. Illa factionibus, latrociniis, infeſtum regnum purgauit, & pacauit: illa iuſtitiam reſtituit, potentiorum iniuriis exſulantem. Et quid alia commemorem? quàm in grauia animaduerterit, argumentum eſto: quòd nec aleæ aut teſſeræ ludum tolerauit, & edicto vetitum ſic repreſſit (etſi prona eò gens eſt) vt nec furtim & in angulis luderent, ſoliti in cauponis, viis, angiportis. Iam verò & militiæ non conſilio tantùm, ſed operâ internêuit: modeſta quædam *Zenobia*: & bellum Luſitanicum, abſente marito, confecit, & Maurico ſiue Granatenſi, quod plures annos traxit, pluries interfuit, & ſummam manum præſens cum marito impoſuit. Magni ad omnia animi, & res ſpeſque magnas complexa. itaque Nauarræ regnum conſiliis eius iunctum; Canariæ inſulæ occupatæ, & inſeſſæ; ipſe Nouus orbis, Naturæ occultior pars, per eam retectus & ſubiectus. Nam maritus, cetera vir egregius, reſtrictior aut timidior erat, retinere ſua melior, quàm augere. Hæc dilatabat. & cùm *Chriſtophorum Columbum* diu rex duxiſſet, & ad extremum deſtituiſſet: bono Genio ſtimulante ad ipſam Reginam venit, conatus ſuos & perficiendi vias expoſuit, & inſtrumenta, id eſt naues, viros, arma ab hac impetrauit. Salue, ſalue heroina,

pulcis

priſcis par aut maior: & in quâ inter claudam exempla fœminei boni imperij. quid enim tale addam?

CAPVT III.
DE ELECTIONE.

Quæ commendare eam, quæ abijcere poſſint.

Viri igitur potiùs imperent, & ſoli. Sed quomodo? Electione, an Succeſſione admoti? Electio antiquior videtur, & heroicis illis temporibus vix aliter factum; & Principatus pace aut bello, virtutis aut roboris prærogatiuâ aſſignari. *Naturæ enim eſt,* ait Seneca, *deteriora potioribus ſubmittere.* Itaque Braſilienſes quidam, cùm ad *Carolum* IX. Galliæ regem Rothomagum deducti veniſſent, valdè mirabantur, *Quomodo validi illi & proceri viri* (Heluetios intelligebant) *parerent paruo & tenello regi.* Nimirum pro ſuo more, & ſenſu, iudicantes: ſatis læuè, quaſi à ſolâ corporis magnitudine præſtantia eſſet. Sunt etiam rationes, quæ commendare Electionem videantur. Prima, quòd optimi & aptiſſimi per eam capi; non item à Succeſſione poſſint, in quâ quoſcumque genitos admitti. Item, quòd iuſtâ ætate capi, & idoneâ iam regere: aliter in Succeſſione, vbi pueri ſæpe aut infantes ius ſumunt. Deinde, quòd regnum ita moderatius videatur, cùm nec innutriti ſint potentiæ, & ex eâ ſuperbiæ; & quòd neque proprium habeant, ab alijs acceptum, ad alios tranſmittendum. Eò minùs intendunt imperium, aut ſubditos opprimunt: in quem enim poſt-vium? Aperitur & virtutibus campus: ac multi ad eas adſpirent, vel ſpe Principatus. Hæc & talia Ariſtotelem mouerent, vt Carthaginienſes laudaret hoc nomine, & Spartiatis præferret, qui ſtirpe reges legebant. Sunt & hodie, aut nuper fuerunt inter Chriſtianos, electi reges: hodie quidem Poloniæ, nuper Bohemiæ, Daniæque. Iſta pro Electione, plura in eam poſſunt. Primù quod dicitur, veterem eſſe: fatemur, ſed vſus illis rudibus ſubiecit, hîc & alibi, meliora. Additur, optimus ſic poſſe eligi: & verum eſt. ſed etiámne eligi? ſi rem & experimenta vides, ſæpe falſum. Rara electio, quæ ſine priuato cuiuſque affectu aut reſpectu fiat: nec rei publicæ vtiliſſimum, ſed ſuæ legunt. Quærunt opportunos. vt omittam, pecuniam & corruptelas ſuffragia ſæpe trahere, & rem geri promiſſis doniſque. Atque ea nec fortaſſe meliore aliquo ſæculo excludas: ſicut nullo, odium aut amorem. Nicetas Choniates in hac re prudenter iudicat, vbi res *Alexij* Imp. Græcanici narrat: qui fato vicinus, & ſine liberis, de eligendo ſucceſſore cum ſuis agitabat. Scribit: *Igitur alij atque alij varie nominabantur, ſed omnes qui ſibi opportuni aut vtiles eſſent, nominabant. De eo autem eligendo, qui optime & ex vſu publico imperaret, nulli cura aut cogitatio erat.* Veriſſima dicit, & vſu probata ac probanda. Iam quod tertiù inquiunt, iuſtæ ætatis, & maturæ imperio, ſic eligi: ita habet, & commodum eſt. Sed enim illud adhæret incommodi, quòd regnum intereà vacat, nec poſſeſſorem habet. Quod ſiquis conſiderat, maius malum eſt, & plura ſæpe daturum, quàm imbecilla in imperio ætas. Sanè vbi interregnum eſt, iuſtitia & leges ſilent, licentia & vis valent: atque id ſæpè hebdomadas, menſes, annos manet. Quæ intereà confuſio, aut ſcelera ſunt? quæ ambitio & prenſatio? per quas fraudes, & artes? Germaniam vide, vbi Imperator demortuus: boni omnes in præſenti & futuro ſunt metu. Ipſa Roma nunc, in ſacrorum Pontifice, hæc mala eſt cùm ſenſit. Quid deinde in eligentium diſſenſu? diſſidia, & A bella. Quæ nec inter paucos electores ſemper effugias: appello ad illos Imperij Septemuirales. Appello ad ipſam iterùm Romam: & cum noxâ religionis, & pænè dicam probro, audimus legimuſque, plures vno tempore Pontifices, à tali cauſâ, ſe geſſiſſe. Nota mihi iſtud, & incertum illud fluctuántque in ſucceſſione: magna ratio & efficax eſt, ad totam Electionem repudiandam. Iam quartum erat, Moderatius ita fore regnum. Non abnuam: ſed addam, ſolutius etiam, & minore curâ adminiſtrandum. Vt quid enim rei nec diu meæ, nec poſteà meorum, nimis acriter intendam? Frui ſatis eſt. Obnoxij etiam viuunt, ſiue iis qui elegerunt, & quibus hoc velut beneficium debent; ſiue omnibus, qui in occaſione B minuere poſſunt poteſtate, aut priuare. Poloniam adi: hæc fiunt. Itaque & Iuſtitiam minùs coli, neceſſum eſt: & Principem indulgere, aut oculos claudere, in potentium noxis. Dixi etiam, minùs curæ aut cuſtodiæ eſſe regnum: an non ita eſt? Germaniæ Imperatores video, ex facili aut opida, aut prouincias tutas, vel liberis agnatiſque ſuis, vel & exteris, amiſſas à corpore contribuiſſe: ſæpè per gratiam, aliquando & pecuniam aut mercedem. Non ſic fiet in proprio & hereditario regno. Neque Principes ſolùm ſecordes: ſed miniſtri eorum tunc tales. Nam & ipſi futurorum ſecuri, præſentibus inhiant, hic illum in omni occaſione captant, ſubitis, audi, & vt inter incerta feſtinantes. Iam quintum illud, Virtutes ſic excitari: vix colorem habet. Valdè ſcilicet, quia vnus C aliquando, nec meritò ſed caſu, bonus eligitur, boni eſſe elaborent. Si ad euenta imus, quocumque in regno, Electiones mixtas videbis, & ſæpè deterioribus pronas. Vel Roma in Principibus ſuis, vel Germania, dicat. Vltimum, Ariſtotelem approbare: & hodiéque alibi eſſe. De Ariſtotele, non mirum: Græcus & liber, regna amat proxima libertati. De vſu hodierno aut nupero, leue eſt: nam præponderãt exempla alia, & pro vno Electionis, centena ſunt Succeſſionis. Quæ vis hîc igitur? Quòd ſi illud dicatur, etiam nunc meliùs regi aut creſcere regna ab Electione: magnum ſit. ſed non dicetur, & oculi ac ſenſus refutabunt. Ego verò amplius dico. vbicumque bonum & laudabile regnum fuit, in Perſide, in Macedoniâ, in Ægypto, in Sinenſibus, in Hebræis D ipſis, Succeſſionem valuiſſe: etiam in Romanis quoties Principum liberi aut genitura, aut (quod ſæpius) adoptione eſſent. Iterumque amplius dico. nec fuiſſe vlla Comitialia regna, nec fore diuturna. Exſurgit ſemper aliquis, animo & conſilio inter Principes maior, qui creditum vni ſibi regnum, ſuis ſtabiliſit gratiâ, arte, præmio: & vis interdum adhibetur. Dania & Bohemia oſtendunt, alia magna regio fortaſſe oſtendet. Sed in fine non moror, quin Nicetæ etiam verba, & ego eius ſenſibus, ſubſcribam. Exclamat: *O quanto deterius eſt multorum ſuffragium & electio, quam vnius! Tu inclitum Romanum imperium, & gentibus adoranda maieſtas, quos tyrannos pertuliſti? quales amatores te petierunt? quibus ſubſtrata, tui copiam feciſti? quales coronâ, & diademate, & puniceo ve-* E *ſtitu exornaſti? Grauiora vtique tuliſti, quam Penelope procorum illâ frequentiâ obſeſſa.* Res ita habet. Romanum imperium ſtatim à *Claudio*, qui primus à milite electus eſt, & fidem eorum præmio pignerauit, in viliſſima capita & peſſima hac Electione venit: Electione, an palam Emptione? Nam & hoc ſcimus, velut ſub haſtâ, vænale pependiſſe: & non aliud magis clarum certumque exitium rei Romanæ fuiſſe. Sed exempla quædam Electionis videamus, bonæ aut malæ mixtim.

AVRVNCANI populi barbari ſunt in Peruano 1.

politanum regem, Iacobum Comitem Vrgelitanum, Alfonſum Marchionem Villenæ & Ducem Gandiæ, & noſtrum illum iam dictum. Sed viſum conſenſu proceribus (tantum in tali ambitu) iudices ſiue arbitros ſuper hac re legere, & quemcumque Regem ij dixiſſent, eſſe. Electi nouem, ſanctimoniâ vitæ, & doctrinâ aut prudentiâ, conſpicui: terni ex ipsâ Aragoniâ, totidem è Cataloniâ, iterumque totidem è Valentiâ: quæ tria regna ſcilicet in vnum corpus contributa. Dies igitur dicta electioni, locus captus arx *Caſpa* in Aragoniâ. Magna exſpectatio, concurſus, aperta & occulta vota aut metus; denique ipſo iam die, tribunal pro foribus templi erectum, aulæis inſtratum & regifico ornatu. Conſederunt iudices, præſedit iis (nam adeſſe voluit) Summus ipſe Pontifex, etſi in ſchiſmate, *Benedictus*: tum ſurrexit *Vincentius Ferrerius* Dominicani ordinis, magnâ ſanctimoniæ opinione, & inſigni ac feruidâ eloquentiâ, qui concione ad rem appoſitâ, proceres & populum conſentire, obedire denique nouo Regi hortatus eſt. *Quis is erit?* ſuſpendit aliquamdiu omnium animos, & grandi tandem voce protulit *Ferdinandum*. Clamor coronæ, & iubilus, fauſta precantium. nam plurium in hunc & virtutes eius inclinatio: quorumdam tamen & mæſtitia, qui ſuos candidatos decidiſſe tantâ ſpe indignabantur. At ipſe coronam mox Regni, ſollenni ritu, accepit: pacem vbique repperit, aut peperit & magnum illum *Alphonſum* genuit, Aragoniæ, Siciliæ, Neapolis regem.

XI. Pulchra electio, & quam in manu Luſitanorum erat nuper imitari. Nam plures regnum illud, mortuo *Sebaſtiano*, competebant, ſuis quiſque titulis. PHILIPPVS rex Hiſpaniarum; *Alexander* Parmæ Dux liberorum loco; *Ioannes* Dux Bragantiæ, ab vxore; *Antonius* nothus, ſed qui legitimum credi ſe volebat. Concurrebat & regina Galliæ, *Catharina Medicea*, vetuſto & obſoleto titulo à Comitibus Bononienſibus repetito. Rex ſenex *Henricus* mederi futuris malis poterat, & velle videbatur: ſed fortior animus deerat, & cunctantem mors occupauit. Sed & poſt eum quinque *Gubernatores* electi, & vndeni *Iudices*, tarditate aut frigore peccarunt: & quamquam proni in Philippum regem, non auſi tamen id adſcribere, ob populi ſtudia diſſentientis. Quem ſuum ferè *Antonius* fecerat, & plenis velis per plebeias illas vndas ferebatur. Ita factiones, diſſidia, & denique arma. Quæ tamen priuſquam Philippus inferret (& parata habebat) pro ſuo ingenio leniter ac tardè agere, legationibus quàm legionibus velle rem conficere: à vi quidem adeò alienus, vt cùm *Antonius* ille, caput turbarum, electus ab Henrico rege, in Caſtellâ eſſet, & in cœnobio quopiam Diui Benedicti, gnaro rege Philippo, latitaret: ille ne extraxit, nec reppulit, cùm in illo velut rore extinguere incendium ſurgens poſſet. Simile in altero competitore Duce Bragantiæ: cuius filium captum à Mauris, infelici illo prælio, redimi per Legatum ſuum curauit, & eumdem iam in Hiſpaniâ, cùm eſſent qui omni vi & viâ retinendū cenſerent, imò retinerent; ille firmus in quietis conſiliis, & iure ſuo nixus, liberum dimiſit. Sed neque ſic, cùm alij arma pararent aut caperent, inuaſit, aut eiecit. ſed ante omnia ius ſuum diſputari à Theologis, & Conſultis eius, fecit: iámque de eo certior, copias promouit. In limite erat Luſitaniæ, & omnis mora noxia: tamen iterùm moratur, iterúmque peritos conuocat, & per Deum & Fidem obteſtatur, liberis vocibus ſenſibúſque edicerent, ecquid iuris ſui eſſet. Hoc non cupere ſe modò, ſed iubere. Omnes vno ore ius affirmant. Tum denique *Ferdinandus* Dux Albæ inuadit, & ſeptuaginta dierum ſpatio Luſitaniam totam ſubiicit: vno prælio Antonio, qui regem ſe ferebat, pulſo. Si tamen prælium dixerim, veterani exercitus, cum ſemiermi & vrbanâ turbâ congreſſionem. * Annos paullò minus *quingentos* auulſa Luſitania fuerat à reliquo ſuo corpore: redit, vt retuli. ſed cum admiratione aliqua eorum qui attendent, in re tam opportunâ, vtili, facili, cunctatorem Philippum ſic fuiſſe. Imitentur reges, nec temerè ambitio ad arma impellat. * Auulſa anno ∞. c. x.

CAPVT IIII.

DE SVCCESSIONE.

Hanc præferendam, etſi incommoda etiam habet.

MEliorem eam Electione tutiorémque eſſe ſuprà oſtendimus: & duplex certè cauſſa eminet. Prior, quòd nullum hîc interregnum; atque ita nec competitio, nec bellorum materies: præſertim cùm iura ſucceſſionum legibus aut moribus vbique firmentur. Secunda, quòd caritas vtrimque maior, & ſubditorum in genitum & ſanguine Principem; & Principis in ſubditos, certo & veteri iure ſuos. Addam tertiam, aſtrictioris imperij, & reuerentiæ aut obedientiæ promptioris: quia vitari aut differri vindicta ægrè poteſt, cùm patri filius ſuccedit, & illius iniuriam ſuam putat. Non ſic in exteris: qui tutiùs contemnuntur, & ſi offendens, ſeceſſu aliquo vitas, donec illi abeant è vitâ. Duo tamē incommoda adhærent (& quid purè bonum in rebus humanis?) quòd vel mali vel inutiles ſic capiendi interdum ſint; vel pueri & infantes, quos ætas arcet à regendo. Quod ad prius, ſciamus idem & in Electione euenire poſſe, atque adeò ſæpe eueniſſe. Ferendum eſt, & melior exſpectandus: vt poſt hiemem, aliqua æſtas. Quod ad alterum, grande incommodum, fateor: & ferè Deus ſic diſponit (ipſemet dicit) vbi viſum ei punire regna aut immutare. Quid ni feramus tamen, ſi à Deo? Hanc ei viam caſtigādi adime; aliam reperiet, fortaſſe triſtiorem. Leges viam ſuam teneant, itémque fata. Et tamen in illapsâ puerili Succeſſione remedium, ſi vnum mater. Hanc admoneri, & vices pueri gerere, cum prudenti aliquo Senatu, è re ſit: & exempla docent, feliciter eueniſſe. Nam proceres regni eligi, anceps. ſi vnum, ceteros offendis, vt ſpreros; & hic fortaſſe próprias opes cogitet: ſi plures, non euades factiones inter eos, & turbas. Mater igitur melior. Sed exempla aliquot, aut iura diuerſa Succeſſionis videamus: in quâ conſenſu gentium receptum.

MON. I. *Certos Liberos præferri:*

I. Sed, vt dixi, certos legitimosque. Cui rei, vbi fraus timeri poterat, cautiones video adhibitas, calumniæ aut ſuſpicioni vitandæ. Sicut in OGINA Lucemburgicâ, quæ pænè *quinquagenaria* in matrimonio *Balduini Pulchro-barbi*, Flandriæ Comitis, grauida eſt facta: & res ea ſuſpecta multis, ne vanus aut fartus tumor, non à naturâ & puero eſſet. Igitur circa dies iam partioni ſollennes, maritus in medio Atrebatium foro, tabernaculum tendi iuſſit, laxum & pretioſi operis: edixítque, omnibus feminis, famâ & loco honeſtis, fas eſſe adſiſtendi, & oculis arbitrandi verus an ſuppoſiticius ille partus eſſet. Factum ita. viderunt plures, obſeruarunt: & omnes ita rumuſculos diſſiparunt, qui de ſterilitate eius erant ſparſi. Circa annū ∞ XIIII.

II. Planè idem in CONSTANTIA, Neapolitanâ regina, quæ nupta *Henrico* Imperatori, quinquage- ∞. c. XCIIII

nariâ

natâ etiam maior vterum cœpit ferre, fraudem aut fictum ſuſpectantibus multis. Quod vtrumque prudenter amoliuus eſt Henricus. ac primùm, cùm vxor ad eum in Germaniâ agentem adſpirarer: vetuit, iuſſitque in regno ſubſiſtere, & aduentum ſuom exſpectare, coram ſuis (cum bono Deo) heredem regni parituram. Deinde, vxore etiam ipſâ ſic volente, in foro tentorium expanſum, factâ poteſtate nobilibus fœminis veniendi, & parientem ac partum pariter oculis vſurpandi. Peperit igitur, in tali, vt ſic dicam, ſcænâ *Fridericum*, paterni aui nomine appellatum. Hæc ſatis mira, in illâ ætate etſi rei fides aliqua iam antè ab Abbate *Ioachimo* facta, illo cuius vaticinia tunc clara erant, & nunc quoque tradita ſcriptis leguntur. Quippe parituram prædixit, & quidem filium, tali vitâ, & ſorte: quæque alia *Friderico* euenerunt.

MON. II. *Præferri ætate primos, etſi in exemplis interdum aliter.*

I. Liberi igitur ſuccedunt: ſed mares ſupra fœminas, quod liquet; inter autem mares, ij qui ætate antecedunt. Tamen hîc interdum quæſtio, an ex cauſſâ, minore aliquis natu non præferatur? Cauſſæ plures eſſe poſſunt. vna, quæ olim inter *Darij* liberos litem mouit, *Artemenem*, & XERXEM. Nam ex his Artemenes regnum iure & more gentium petebat, natu prior: at Xerxes controuerſiam non de ordine, ſed de naſcendi felicitate faciebat. Nam illum Dario priuato prouenisse, ſeſe regi. Ita priuatas illi opes deberi, quas tunc habuit; at ſibi regnum, in quo genitus, educatúsque eſſet. Contentio, quamquam de regno, intra arma ſtetit: & arbitrum patruum ſumpſerunt *Artaphernem*. qui re penſiculatâ, præponendum Xerxem putauit. ſiue ratione iam dictâ, ſiue & indole vtriuſque motus. De patruo iudice, in Iuſtino ſcribitur: in Herodoto pater ipſe definit. qui idem Herodotus alterum fratrum non *Artemenem*, ſed *Ariobarzanem* appellat.

II. Ipſum hoc in eodem Perſarum regno, diu pòſt mouit *Paryſatis*, *Darij* alterius vxor: mouit, ſed non eodem ſucceſſu. Nam ægro marito perſuadere conata, vt CYRVM minorem filium *Arcaſæ* (qui poſteà *Artaxerxes* dictus) in iure ſceptri præferret, ipsâ illâ dictâ cauſâ, & quòd in regno natus eſſet: non impetrauit. & ſtabile priori ius ſuum fuit. Etſi callida mulier *Xerxis* exemplum ſuggereret: ſed quod paullò diuerſum inueniet, qui explorabit. Nam Artemenes tunc natus Dario fuit, cùm verè priuatus eſſet, nec in ſtirpe aut iure vllo regio (quippe poſteà à Magis inopinatò electo:) at Arſaces patri quidem nondum regi natus, ſed nato è regibus & in banc ſpem ſublato. Itaque diſcrimen apparet in vtraque ſorte: etſi nec id quidem alibi obſeruatum, & quomodocumque primogenitis ſceptrum ferè delatum.

III. Excipio, in cauſâ etiam alterâ: ſi minor aliquis virtutibus excellat; & contrà, inopiâ ſit in maiore. Tum enim præponendus videtur, quem Deus honeſtauit: idque ex publico etiam bono. Tale *Ioannes Comnenus* prætextum habuit MANVELEM filium præferendi *Iſaacio*: idque moriens perſuaſit. Cepit igitur imperium, & tenuit: ſed reuera non pro ſpe rexit, nec fratri fortaſſe, niſi ab affectu patris, præponendus.

IV. Et verò rarò felix, nec niſi turbandis rebus, talis electio. vt in PTOLOMÆO LAGI F. qui cùm minorem item, rupto gentium iure, regno impoſuiſſet: ipſa naturæ iura violata mox ſunt. cùm alter fratrem ſuum paricidio ſuſtuliſſet.

V. In PTOLOMÆO Phyſcone haud diſpar euentus, ſed purus à ſcelere. Blanditijs vxoris illectus iuniorem ſeniori antehabuit, & ſceptrum credidit: ſed populus eo mortuo, huic reddidit, & illi exſilium dedit.

Quid in LVDOVICO *Pio*, *Caroli Magni* filio? ille item Iudithæ vxoris ſuadâ *Carolum* minorem *Ludouico* in multis prætulit: cum eo fructu, vt bellum ipſo viuo adhuc motum ſit, & arma adeò, iunctis etiam alijs fratribus, in patrem ſumpta. VI.

Ideò non nimis ridendi fortaſſe Pannonij, qui pertinaciter hoc ius ſunt tutati in ſuo COLOMANNO. *Vladiſlaus* rex, liberis ipſe orbus, *Almum* fratris ſui filium adoptauerat, animo & corpore meliorem, æuo inferiorem. Vt autem rata magis electio eſſet, *Colomannum* fratrem ſacris initiauit, & procul à patriâ Lutetiam Pariſiorum, ſpecie ſtudiorum, ablegauit dicam, an relegauit? Hæc facta, & ipſe obiit: ſed ſtatim proceres & populus *Colomannum* reuocant, & veniâ execrationis à Pontifice impetratâ, regem ſimul & maritum fecerunt. Quem autem hominem? videbis Lector: ſtatu puſillum, linguâ balbum, oculo luſcum, pede claudum, dorſo gibberum. Non monſtrum vides? tamen hic placuit, & ius hominum etiam in ambiguo, penè dicam, homine ſeruarunt. VII. M. XCV.

In hac totâ re tamen fateor morem ABVSSINORVM (in Africâ latè dominantur) non improbandum videri, aut improbum. qui gentiles omnes agnatóſque Regis in vnâ quadam arce educant, remotos à populo: quia & arx in monte penè inacceſſo eſt (*Angam* nominant) & valido præſidio cuſtoditur. Tenentur illic igitur, ne turbas aut partes faciant: & mortuo rege, eum qui maximè idoneus optimatibus & cuſtodibus videtur, aſſumunt & ſubſtituunt. VIII.

MON. III. *Patruum, aut fratris filium, variè præferri.*

Quid autem, ſi filius maior præmoritur, prole ex ſe relictâ? Rationes & exempla in diuerſum trahunt: id eſt, vtraque vtroque. Nam qui patruum præferunt, rationem proximi ſanguinis adſpiciunt, à parte rege: & nepotem toto gradu antecedit. At nepoti fictio iuris ſubuenit, & idem cum patre cenſetur: cur non ergo & in iura ſuccedat? Sed exempla etiam, vt dixi, variant: & pro patruo ſunt iſta.

LVDOVICI Pij primum. Qui *Bernardum* Italiæ regem deiecit, & vinclis ac carcere coërcuit, quia ius ſibi à patre *Pipino* primogenito vindicabat, contra patruum *Ludouicum*. I.

ROBERTI regis Neapolitani. cui & Pontificis auctoritas pondus addit. Nã hic *Clemente* v. ſic cenſente ius regni tenuit, contra *Carolum Numbertum* Hungariæ regem: etſi iſte natus è *Carolo Martello* eſſet, Roberti maiore fratre. Res clara eſt, & Annalibus teſtata: ſed *Baldus* ICtus arbitratur, in regni vſum hoc à Pontifice factum, & quia optimus & prudentiſſimus Robertus eſſet, quod res docuit: itémque ſalubri temperie & partitione, quòd Carolus iam regnũ Hungariæ teneret, in eóque poſſet acquieſcere. II. M. CCC. IX.

Iamolim etiam NVMIDÆ pro communi iure habuerunt, patruum nepoti præferri. III.

Quod & VANDALI vſurparunt: IV.

Itemque hodie MOSCOVITÆ, ſed reſtrictiùs. nempe ſi impubes filius relictus ſit, tum patruus ſceptrum accipit: in *Baſilio* noſtro æuo factum. Aliter autem, ſi iuſta nepoti ætas: atque ea diſcretio rationem ſuam habet. V.

Hæc pro Patruo: plura etiam ſunt pro Nepote. SPARTIATÆ, ſapiens populus, ſic ſeruarunt: & ipſe *Lycurgus* regnum *Charilao* fratris filio ceſſit. VI.

quod

quod in manu eius erat, omnium gratia, tenere.

VII. ROBERTVS Neapoleos rex, etſi alio iure, vt dixi, promotus, hoc velut æquius melius reſtituit, & ſententiam publico iudicio ſic tulit, in lite ſuper *Comitatu S^ti Seuerini*. Quæ inter patruum & nepotem vertebatur, & Iuriſconſulti variè trahebant: meliores & ipſe ad nepotem flexerunt.

VIII. Ita ille rex: at OTHO *Magnus* Imp. iudicio armorum rem commiſit. Pugnarunt ſingulari certamine, barbaro illo ritu, & vicit nepos. quod iterùm ita ſub *Henrico* I. Imp. adnoto eueniſſe. Ergo & Deus hanc cauſſam videatur comprobaſſe.

IX. MCCCCVI. Sed quod iudicium, publicum aut priuatum, iſto Hiſpanienſi clarius? Rex *Henricus* defunctus erat filio infante relicto *Ioanne*, duos & viginti menſes nato. Patruus ei erat FERDINANDVS, vir vel ſolo virtutum merito (vt ſanguis ſeponatur) omni ſummâ fortunâ dignus. Itaque coniecti in eum oculi, vulgi & procerum: nec ambire opus, ambiebatur. Atque id non à ſingulis tantùm, & in priuatis colloquiis, vbi adulatio timeretur; ſed in Conuentu publico, huic rei indicto, omnium non ſtudia, ſed aperta ſuffragia in eum ibant. Incitabat non ipſe ſolùm æui maturus, & virtutum, vt tetigi, ſpectatus; ſed & ætas pueri. *quæ quando tandem gubernationi ſuffectura eſſet? Longum annorum interuallum, bella in manibus, turbas & diſſidia in motu eſſe: quæ ſemper ferè comitari, vbi penes alios regimen eſſet. Ergo ageret cum Deo bene iuuante, expergiſceretur, & vel regni cauſſa, caperet fraternum regnum.* Surdæ aures ad has voces; & ius infantis oſtendebat, & Hiſpaniæ conſuetudinem: quæ eo magis tutanda ipſis, quò minùs ille puer (hoc ipſo miſerandus) poſſet. Nondum tamen perſuaſerat; neruumque Conuentus, ſi fortè pœnitentiâ ſubeunte mutaſſet. Non ignarus ipſe eius rei & affectuum, infantem chlamyde tectum occultè intulit: & cùm *Daualus* magiſter equitum, de communi conſenſu, iterùm tentaturus dixiſſet, *Quem regem, Ferdinande, renuntiari tibi placet?* ille acri voce & vultu, *Quem autem*, inquit, *niſi Ioannem fratris mei filium?* Et ſimul puerum in ſublime extulit, nomé *Ioannis* identidem & *Regis*, vt mos eſt, ingeminans: iuſſitque vexilla explicari, & alia ſolita fieri in nouo regno. Tu Fides, tu Modeſtia, è cælo paulliſper deſcendite, & hunc alumnum veſtrum lætis oculis videte: quanto illuſtriorem ſpreto ſic regno, quàm ſi decem fraude vel ambiguo iure quæſiſſet? Sed pauci iſti *Ferdinandi*: cui Deus tamen regnum Aragoniæ paullò pòſt contulit, pretium virtutum, & Electione (de quâ dixi) ſiue iudicio delatum.

CAPVT V.

DE FRAVDE ET VI.

Has quoque priorum ſpecie interuenire.

SEd violat Succeſſionis iura aut polluit ſæpe Ambitio, quæ vim & fraudem miſcet. Quàm ſæpe ſceptra ſic delata non ad longinquos tantùm, ſed indignos: & hîc quoque ludi interueniunt: quos lubet paullùm, Sapientiâ volente, ſpectare. Venite qui regna æſtimatis, cælo æquiparatis: en ſeruulum, aut infimum homuncionem, ſuo ingenio ad ea ſublimatum. Videte:

I. Et primùm PISISTRATVM, qui fraude quidem, ſed virtutibus pænè debitum regnum Athenis quæſiuit. Ille comem & benignum ſe ciuibus oſtendere, etiam liberalem vbi opus, adeò vt refugium & aſylum iniuriâ aut inopiâ preſſis haberetur. Suſpecta iſta optimatibus: neque neſciebat. quos vt in ordinem redigeret & ſatellitium pararet aliquo prætextu, ipſus ſe vulnerauit. Sic ſaucius, in forum delatus, ſanguinem & vulnera ciuibus oſtendebat, à potentibus illis, præmium ſcilicet benignitatis ſuæ in ipſos, accepta. Quin & vitam ſuam periclitari niſi ſubueniant, quibus eam conſecraſſet. Fremitus & indignatio populi, mox ſuffragia, & cuſtodia illi decreta. Quâ cinctus, & inimicos ſuos ſtatim, & mox populum tyrannide oppreſſit. Nec omittendum hîc *Solonis* dictum, qui dolum odoratus eum aggreſſit: *Non rectè*, inquiens, *ô Piſiſtrate, Homericum Vlyſſem imitaris, ſiquidem ille flagris ſe conſcidit, vt hoſtes falleret; tu te vulneribus, vt ciues.*

II. Ac genera ſanè fraudium plura ſunt: ſed vna ad rem hanc Succeſſionum appoſita, quæ crebra. Eſt eorum, qui inſerunt ſe in alienam familiam & callidè adoptant: hiſtrionio toto & ludicro initio, ſed quoties in turbas & cædes iuit? Fuit in Macedoniâ ANDRISCVS quidam, homo vltimæ ſortis, diurnâ mercede vitam tolerare ſolitus: qui *Philippum* ſe ſubitò, *Perſei* regis filium dixit. Et oris ſimilitudo ad animum inclinabat. Ipſe dixit, alij credunt aut credere ſimulant: Macedones & Thraces maximè, tædio Romani imperij, quod nouitate & aſperitate diſplicebat. Itaque ingentes mox copiæ, & Prætorem Romanum fudit: donec à *Metello* idem victus, & in catenis Romam ductus triumphatusque eſt.

III. In eodem imperio, ſed ſub *Tiberio* Principe, CLEMENS quidam extitit, genere ſeruus *Agrippæ Poſtumi*, quem nepotem ſuum ex *Iulia* Auguſtus in Planaſiam inſulam relegauerat: ſed famâ & fallaciâ, mox ipſe Poſtumus effectus. Fuit enim magno animo, auditâ morte Auguſti, in inſulam, vt dominum furtim educeret, & ad Germanicos aut alios exercitus ferret. Sed dum tardiùs nauigat, interfectum *Agrippam* repperit: & huc iam delabitur, vt ſeſe eum ferat. Venit in Etruriam, ignotis locis ſe abdit, crines barbamque in ſquallorem promittit: mox per idoneos homines ſpargitur, viuere *Agrippam*, primùm occultiùs, vt vetita ſolent, tum vago rumore apud imperitos aut turbidos, eoque nouarum cupientes. Iamque in municipiis & coloniis ſe oſtendebat, ſed lentiter & obſcuro diei, & copiam ſui haud plenè facturus. Augentur aſſeclæ, audet Hoſtiam venire, atque adeò in vrbem, & occultis cœtibus celebrabatur. Tiberius, non ignarus periculi, ambigebat, vim militarem, an fraudem fraudi opponeret. & hæc magis placuit, electique *Salluſtij Criſpi* operâ duo milites, qui ſimulatâ conſcientiâ adierunt, pecuniam & pericula ſua offerentes. Mox noctem ſpeculari & ſolitudinem circa eum, acceptâ idonea manu, vinctum & ore clauſo, in palatium ad Tiberium attraxêre. Ibi interrogatus, *Quomodo Agrippa factus eſſet?* reſpondiſſe liberè fertur, *Quomodo tu Cæſar*: dolum & illi maternum obiciens, quo ab Auguſto adoptatus eſſet. Secretò interfectus eſt, magna inter tormenta conſtantia, cùm neminem conſciorum edidiſſet: nec Tiberius (prudenter in talibus) vltrà quæſiuit.

IV. In Syriâ ſimilis dolus, etſi vix dolus. *Demetrius Soter*, ille qui Româ obſes profugerat, iis imperabat: cùm certâ, nec iniuſtâ de cauſsâ, Antiochenſibus offenſus, bellum iis infert. Ipſi extremorum metu, ad noua remedia confugiunt, & vilem quemdam è plebe ALEXANDRVM ſubornant, & *Antiochi* filium faciunt, ac repetere optimo iure paternum Syriæ regnum. Fraus cui non apparebat? ſed nouitatis ſtudium (inſitum popularibus, & addo Orientalibus) ſiue odium Demetrij effecit, vt crederent quæ non crederent, & certatim Alexandrum omnes amplexi

Ipſe mirabatur nouam ſuam ſortem, & tot comitum militumque agmina: ac vires propè Orientis trahebat. quibus ſtipatus pugnat, primò partim feliciter; mox aliter, & non vincit ſolùm Demetrium, ſed cædit. Eo facto pacificus Syriæ poſſeſſor, quod ſolet, in vitia & luxum ſe effudit: paruis Demetrij liberis, nec ab iis metu. Sed cùm adoleuiſſet *Demetrius* Demetrij F. eum parua manu Cretenſium rem aggreſſus, adiutores repperit, & pari leuitate ad ſe tranſeuntes, qui à patre defecerant; in iis, ipſos Antiochenos. Itaque ſolutum illum, & inter ſcorta ac menſas iactatum, inuadit, ſuperat, trucidat. Hic finis ſcænici & imaginarij Regis, ſed ſatis tamen diuturni, quique annos nouē & menſes decē in imperio alieno fuit.

V. Alius ab iſto, ſed tamen ALEXANDER, & in finitimâ Iudæâ, ipſe Iudæus genere, adoptauit ſe in familiam *Herodis* regis. Occaſio erat, quia facie *Alexandrum* referebat, ab illo exſtinctum. Igitur mortuo Herode hic reuixit, & fucum etiam acutioribus faciebat, naturâ & ingenio vafer, tum ipsâ illâ ſimilitudine valde geminâ, & vel noſcentes fallente. Venit igitur Cretam & Iudæos illîc induxit ſeſe agnoſcere, pecuniam & alia vſui dare. quod idem in Melo inſulâ, omnibus ſubtractum verum neci Alexandrum, alium que ſuppoſitum, credentibus, vulgantibusque. Ita Puteolos appulit, pari illîc Iudæorum credulitate & gaudio: ac mox Romam, grandi comitatu, regiâ pompâ, narri & Iudæi, qui Romæ frequentes, & in his hoſpites notique *Herodis* obuiam ire, iurare eum eſſe, lecticam eius deferre: prorſus vt à regio cultu & faſtigio, præter Cæſaris auctoritatem, nihil abeſſet. Et ſanè Cæſar Auguſtus moueri quoque cœperat: ſed retentabat, quòd vetus ille & veterator *Herodes*, non videbatur, in re tantâ decipi potuiſſe. & denique vt experimentum caperet, mittit *Celadum* vnum è libertis ſuis, qui olim familiariter cum *Alexandro* & *Ariſtobulo* fratre (nam & is ſeruatus dicebatur) verſatus fuerat: ſed quid? impoſitum ipſi Celado, & ille quaſi notor & aſſertor ad Cæſarem redit. Tamen dubitat, ipſum Alexandrum vocat. & ſagaciter animaduertit manus calloſas, & duratas opere; item in ſermone & moribus non illum Principalem Genium & gratiam, quæ ſolet ſic natis comitari, & vel matris inclitiſque adeſſe. Tum etiam interrogat, quid factum *Ariſtobulo* eſſet, & cur non ille aduenilſſet? Cauſante ipſo, Cypri hæſiſſe, ob pericula maris & itinerum, & ne, ſiquid durius eueniſſet, totum Mariamnes genus vnà periret. Hæc illo canente, & doctore eius accinente, qui ſimulatâ grauitate aderat; Cæſar ſeductum adoleſcentem monet & interminatur vera dicere, & propoſitâ impunitate, *Quis eſſet?* interrogat. Ille verò metu inſtantium, & ſplendore illo præſenti territus, vera fatetur, ſeriem fabulæ denarrat: & à Cæſare ad remum damnatur, vt fidem in vitâ datâ non falleret, doctorem eius exuit vita. Reliquis ſatis ſupplicij cenſuit ſtetdidiſſe, & pecunias effudiſſe.

VI. Hæc vetera, aut longinqua videbuntur: addam haud longè ab æuo, aut finibus noſtris. Ecce in candida & ſimplicilla Germania, exſtitit PSEVDO-FRIDERICVS, tempore *Rudolfi Habſpurgenſis* Imperatoris, qui verum ſe *Fridericum* diceret, mortuum ante * plures annos. Obſidebat tum Rudolfus Colmariá: ſed haud vanè territus, quòd impoſtor ille in Germaniâ noſtrâ inferiore magnas ſibi vires, nobiles, vrbeſque adiūgeret; ſolutâ obſidione, Rheno prono deſcendit, & quaſi veneraturus veterē Auguſtū acceſſit. Sed eius cōpos, interrogatū quis, vnde, qui ita ſic eſſet, igne in oppido *VVetzlaria* combuſſit.

∞.CC. LXXXIII.

XXII.

VII. Pôſt in eadem Germania nobilis impoſtura circa Marchionem Brandeburgenſem VOLDEMARVM euenit. Is ante annos triginta & vnum amiſſus, ſiue mortuus peregrè erat: cùm *Rudolfus* Saxoniæ Dux deſpicit, qua via *Ludouicum Bauarum Ludouici Auguſti Filium*, Principatu Brandeburgenſi pellere poſſet. Componit fabulam, ipſe inquam eius poeta & actor. nam molitorem quemdam ſecretò habitum, omnibus notis inſignibúſque arte & aſtu inſtructum, ad verum illum Marchionem, producit tandem in ſcænam: atque ecce populares, deſiderio & more plebis, accurrunt, ſe & ſua, plerique arces & oppida etiam tradunt. Reſiſtentes, partim Saxonis copiis, partim *Caroli Bohemi*, qui Imp. à quibuſdam deſignatus, ad deditionem coguntur. Ipſi Bauari, & auxiliares eorum Palatini, variâ fortunâ certant, & grādi vno prælio vincuntur: capto *Rudolfo* Palatino Rhenenſi, cum LXXIX. è nobilitate equeſtri. Deinque triennio toto eluſit, aut potiùs illuſit ille molitor: donec capitis tandem ignem ipſe, infamiam fautores eius ſubierunt. ∞.CCC. XLVIII.

VIII. Sed in vicinâ etiam noſtrâ & ſociâ *Flandria* factum, omnia dicta adæquat aut ſuperat. Fuit *Balduinus Octauus* Flādriæ Hannoniæque Comes, & idem grandi auſu progreſſúque Orientis ſiue Byzantij Imperator. Dum illîc res gerit, in prælio contra Bulgaros cadit: nec ambigua res erat, donec quidam BERNARDVS RAINSVS, Campaniâ Gallicâ oriundus, & ſpecie religionis iuxta Valentianas in ſiluâ quadam Anachoreta; donec is, inquam, vulgaret fingerétque poſt annos XX. reducem & rediuiuum ſē Balduinum eſſe. Impulſus à nobilium quibuſdam creditur, & ætas, forma aſtus, atque etiam audacia aderant ad fallendum. Igitur rebus in Hannoniâ motis, in Flandriam ipſam cum hac fama venit: & rara quadam oris grauitate, commemoratione hominum rerúmque priorum, & ſemmatis totius notitia, etiam ſagaces cautóſque inducit. Deſciſcunt & adhærent paſſim, faſtidio etiam & contemptu fœminei imperij: quòd *Ioanna* id temporis, Balduini filia, rebus præſidebat. Quin ipſa profligata, & propemodum in Querceto oppido intercepta, præſidium & refugium ad regem *Ludouicum Octauum* Galliæ habuit: qui ſubuēnit, ſed cùm priùs à Senatu *Ioannæ* examinatus inquiſitúſque planus ille eſſet. Eius enim Præſes ſic dixit, rogauitque: *Tu quocumque nomine appellandus, ſi te verum Balduinum iactas, cur Orientis magnum imperium deſeruiſti, ad hoc minus properaſti? Cur apud notos atque optime de te meritos duces ac ciues, mortem ſimulaſti, vitam diſſimulaſti? Qua commenti cauſſa, aut merces? An numquid dij oderant? etiam nunc reſument, ſi verus es Auguſtus. Obnoxij ſemper ſubditi fuerunt; atque vtinam illi domino eſſe poſſint! Quid ad nos potiſſimùm veniſti, tot luſtra non viſus, niſi vt inter ignotos ignotus falleres? Viginti anni iam ſunt à morte illius, quem te dicis: quibus tenebris, & quâ cauſſâ, iam curioſe te occuluiſti, ſic vt nec aura fama de te ſpirauerit? Paſſi multa mala ſumus, & id ob te mortuum: mederi vna voce, vno ſcripto poteras,* VIVO: *cùm non feceris, ego etiamſi viuis, viuum te habebo? Impietas tua non meretur: abi ingrate à patria, cuius caritatem exuiſti; à Principatu cuius curam abieciſti; à ciuibus, quos obliuione ſepeliſti.* Dixerat Quæſitor: at ille mirum qua confidentia, & ex ipſa fidem præſtruens: *Domi*, inquit, *inclementiores ciues, quam foris hoſtes, repperi. Tu me Flandria, mater & altrix reiicis: quem Græcia, Macedonia, Thracia aduenam excepit, coluit: ipſa Barbaria, maieſtatem veritæ ſeruauit. At enim, vbi delitui? audite, & caſuum humanorum miſereſcite, ſi quid tamen humani in pectoribus iſtis habetis. Captus prælio ad Hadrianopolim à Bulgaris, ab iiſdem in cuſtodia habeor,*

∞.CC. XXV.

ſatis

ſatis lentâ & remiſſa: vſque eò vt effugium etiam pateret, & animo iſto ac Deo ducibus me liberarim. Cum ad meos propero vagus & erro, in alios barbaros incido, ignaros fortuna mea, & ab iis in Aſiam trahor ac vendor. Heu miſeriam! pudet, ſed vos narrare cogitis. Syri me habent, & in ergaſtulum ruſticum damnant. Ego Balduinus. Comes, Imperator, quâ manu ſceptra tenui, raſtra tractaui, plures per annos: donec à Germanis mercatoribus caſu tranſeuntibus, quibus me aperui, pretio liberarer. Ii me domum remiſerunt: vos expellitis? ingrati, immemores veterum beneficiorum, quibus aut veſtri patres etiam tu atque ille, à me affecti eſtis. En ſenium & hanc canitiem, quo reſeruati ſumus? poſt tot fluctus, ſcopulum repperi, vbi portum putabam: ipſa mea filia, mea Ioanna patrem non agnoſcit, ne Comitem cognoſcat. Hæc & plura opportunè diſſerens, magnitudinem ſuam vel fallaciam tuebatur; vario animorum motu, & pleriſque ad illum inclinatis. Adeò, vt nobilium populariúmque bona pars ſtatim adhæreſceret, Comitem & Auguſtum ſalutaret: donec re iam in præcipiti, *Ioanna* ad *Ludouicum* Regem ſupplices Legatos mitteret, vt *Balduini*, auunculi quoque ſui, magnâ ſanctámque memoriam, ab impuri nebulonis contage tueretur. Suſcepit negotium Rex, diem homini dicit: venit ille magno comitatu, ſolitâque fiduciâ & faſtu. Veſtis erat purpurea, alba in manu virga, barba promiſſa, à quâ vulgò *Peregrinus Longobarbus* vocabatur: ſiſtitque ſe Regi, Peronæ. Ille orditur, ſuccinctus nobilitate & Senatu: *Flandria in fide & clientela meâ eſt, ne mirereis te huc vocatū. quod more & iure, non ambitione aut vſurpatione factum. Sine iniuria afficeris, à me vindicandus es: ſine afficis puniri debes. Vtinam Deus & cælites facerent, vt ipſis ille Balduinus, mihi auunculus, amitina meæ pater, nec vno nomine Galliæ mea illigatus. Vtinam! inquā, ſed fama tot annorū, tā cōſtās, quid faciā? illa te iugulat. Credere me abnuis, & vnus tot millibus cōtradicis: ſed fidē ex genere humano tollis, ſi cōſenſui mortalium non vltrà credimus. Tamen eſſ ire, fateo ſiquid habes quo famā redarguas, quo Balduinū te aſſeras, quo veterem meum cognatum aut potiùs parentem à mortuis reſtituas. Si ille es, breuiter ad hæc reſpondere, & ſtatim, potes. Quæro, Tene pater meus Flandriæ Comitem dixerit, iura dederit? quo teſte, loco, tempore, ritu? Baltheóne te & inſigni militari donarit? Quæ mulier ex ex Francicâ nobilitate, quo conciliante, quo auſpice, loco, cœtu nupſerit? Quid hæres? hæc ignorare ſe verus Balduinus non poteſt.* Iſta rex: tamen audacia illa, velut deprehenſa, hærebat, & ſpatiū cogitandi recolligendique ſui petebat. Inde pro impoſtore haberi, & contemptim dimitti. dimitti tamen, quia ſub fide publicâ, venisſet. Nec diu poſt in Burgundiâ captus, ab equite gentis Chaſtenaiæ, *Ioannæ* offertur: quæ cōuictum confeſſúmque, vt dicunt, laqueo ſtrangulauit. Non tamen ſine plebeculæ rumoribus, quæ patrem ab improbâ filia in ligno ſuſpenſum, tunc & diu poſteâ differebat.

IX. Nonne conſimile in Hiſpaniâ, cùm *Alfonſus* Aragoniæ rex eſſet, iuuenis & vndecennis, matre gubernante? ſuperuēnit qui ſe ALFONSVM veterem adfirmaret, ante annos viginti & octo ad Fragam cæſum. Piu colore adferebat, tædio ſe rerum humanarum in Aſiam & Terrā ſanctam iuiſſe, illîc bella pro Deo & religione pugnaſſe, rediſſe ad ſuos culpis expiatis. Cur ſpernerent, & puero ac mulierculæ potiùs adhæreſcerēt? Moueat multos res turbaturus haud dubiè, niſi Cæſarauguſtę captus laqueo gulā fregiſſet.

X. ∞.CCCC.XXII. Tædium iſte vetorum paribus auſis & euētis: qui tamen duos MVSTAFAS ſileam in Turcarum imperio, vt nec id ſit à ſcænicis his ludis immune? Prior fuit *Muratis Secundi* principatu DVSMIS; ſed qui ſe *Muſtafam* diceret *Baiazetis* primi filium, quem tamia & res erat, infelici illu prælio cum *Temir-lanco* periſſe, vbi & pater eius captus. At enim poſt annos *vigintiduos* iſte ſe ſuffîcit, & fraudes ac turbas *Murati* miſcet. quas turbas tantas, vt Begi, Baſſæ, & primorum plerique ad eum deficerent, ipſi Chriſtianorum Principes fœdus inirent, & Byzantij Imperator. Deniquè per triennium Muratem ſic exercet, vt incertum imperij & vitæ faceret: donec ad *Lopadium* lacum collatis caſtris (& Murates ipſe aderat) arte quàm viribus magis vincitur, & transfugis paullatim nudatur. Iuuit ad hanc rem commentum callidum Legatorum, quos Byzantinus vno tempore, ad fœdus & ſocietatem, ipſe & Murates miſerant. Sed Muratis irriti dimiſſi, illius impetrauerāt: cùm tamen Muratæi, curſim præuenientes, audaci aſtu ſpargunt, ſeſe voti compotes, & Græcos à ſe ſtare. quod creditum ſparſúmque in vtriſque caſtris, multos Muſtafæ detractos *Murati* iunxit. Deniq; fugit ille, ſed retrahitur; & Hadrianopoli ad pinnā muri laqueo ſuſpēditur.

Alter MVSTAFA mihi & noui commenti eſt, ſed ab alieno impulſu, & in alterius, vt putabatur, fructum. Ne graue ſit me deducere paullùm, quæ faciunt ad grauem illum nobis hoſtem. *Solcimanno*, maximo inter Turcarum principes, duæ vxores fuerunt, & ex iis liberi: altera *Boſphorana*, à quâ MVSTAFAS; altera *Roxolana*, è qua iſti quattuor, *Mahometes, Selymus, Baiazetes, Giangir*. Sed omnes hos ætate & gratiâ apud militem *Muſtafas* anteibat; nec dubium illius imperium, ſi id exſpectare, quàm habere maluiſſet. Pater ſanè eum ſuſpectum nimiæ ſpei interfecit. Iam è quatuor illis *Mahometes* obierat, & mox item *Giangir*: duo competitores ſupererant, è quibus *Selymum* fata & pater promouebant, *Baiazetem* mater, mirificè in eum prona. Fruſtrà maritum aliquoties tentauerat, vult fraudem & fortunam. Itaque re cum filio collatâ, viſum illis initium res nouandi per falſum *Muſtafam* facere, ad cuius nomen & gratiam miles facilè concurreret: ipſi deinde eo in rem ſuam vterentur. Reperiunt iuuenem audaciâ & facie idoneum, inſtruunt & dimittunt. Perſonam ſumit & agit, venit in Thraciæ loca quæ Valachiam & Moldauiam ſpectant, vbi equitum copia, & qui plerique viuo nuper *Muſtafæ* addicti. Ibi clanculùm & quaſi timidè ſe oſtendit, comites qui aderant, muſſitant *Muſtafam* eſſe; fugâ elapſum à patre, & alium ab amicis ſubſtitutum qui interfectus pro ipſo eſſet, incuria, nec ſeriò agnitum aut inſpectū. Id argumentum fabulæ erat, ad quam ſpectandam agendámque ſtatim concurſus. Veniebant & ij, qui oculis ſuis *Muſtafam* interfectum viderant: ſed vel falli volebant, vt locus eſſet ſi non recipiendi *Muſtafa*, ſaltem vindicandi. Iam penè exercitus erant: ſed Sangiacci trepidi rem ad Soleimannum referunt, qui fraudis certus eos acerbè increpat, *Quid ita initiis non obſtitiſſent? vel nunc facerent, aut iram ac pœnam à ſe expectarent. Mittere ſe Pertavvm Baſſam, cum validis fidiſque copiis, ſed melius gratiúſque fore, ſi ij quod neglectum eſt ſarciant, & ignem nondum validum exſtinguant.* Sāgiacci iis monitis miniſq; excitati aduigilāt, cōcurrunt; aduentantes reprimunt, manus iam factas diſſipant & ſpargunt; nihil reliqui ſibi ad diligentiam faciunt, vt fidē & operam ſuam Domino probent. Tamen Baſſa ſuperuenit: nec res adhuc *Muſtafæ* ſatis validæ aut conſtitutæ erant. itáque à præſenti metu fluctuare multi incipiunt, dilabi alij & transfugere, donec deſertus miſer cum præcipuis miniſtrorum in manus venit. Viuus trahitur Byzantium, exami- XI.

natur, nihil celat: cura iam non de illo puniẽdo (quod ſtatim factum) ſed de filio patrem ſubit. Hócne illum auſum, in tã recenti Muſtafæ infelici exemplo? dolor non ab impietate ſolùm erat, ſed ab impudentiâ & temeritate ita. Et iam magnum aliquid parabat: ſed mater filium non deſerit, callida mulier & mariti ſui diu potens. Venit & rem fatetur, excuſat & deprecatur. *Quid enim magni mali*, inquit, *ſi in fratrem (non enim in te, ne cogita) aliquid molitus eſt, non tam ambitu, quàm metu impulſus? Leges ſiue fata noſtræ gentis ſunt, vnum non imperare ſolùm, ſed viuere, & exordium noui Principatus eſt, fraternum parricidium. Quid unquam mirum igitur, ſi fugere triſte & extremum hoc voluit? ſi vitam prorogare? Naturâ impellimur, & te conſule. Hic ſcopus huius conatus fuit, miſeratione ſi conſideras, quàm irâ dignioris. Tu illam da. cui? filio. cui? & mihi vxori. nam certum non ſuperuiuere illi, & in vno duos occides. Quamdiu autem daturo? me miſeram, inſtant fata, & in tua ſenis animâ adoleſcentis illius ſpirat, & mea.* Mouit intimum ſenile pectus & concuſſit mulier: dat veniam, ſed eâ lege vt filius ſe videat, & ipſe eam petat. Ergo aduocatur, & à matre quoque excitatur iam ſecurâ vt tutò veniat. Venit, ſed cùm in aditu paterni hoſpitij eſt (extra vrbem conueniebant, nec temerè filij patre viuo in ipſam intrant:) ecce milites, qui deſcendentẽ ex equo tradere pugionẽ & gladium iubent. Id in alijs de more fiebat, ſed conſcientiâ ſtimulante omnia timet, & multus in oculis *Muſtafas* vterque erat. Mater tamen dat animos. quæ de induſtriâ ad ianuam exſpectat, & per feneſtram linteo obductam hortatur intrepidè pergat, viam omnem à ſe præmonitam. Accedit ad manum patris, petit veniam & accipit, monitus magis quàm caſtigatus. Atque vt plenam fidem reconciliationis faceret, potum de more gentis iuſſit offerri: ſed nec hunc ſine metu bibit, venenum ſuſpectans, donec pater ex eodẽ poculo hauſtu ducto, omni eum curâ liberauit. Atque hæc Fraudium ſunt, addam

Violentiæ exempla.

I. Heu, quàm multa ea occurrunt! paſſim video aditus atque exitus Regiarum ſanguine reſperſos. Sed temperabo, & eligam. Ab Oriente ordior. atque ibi, in Iudæâ, triſte fatum Gedeonis familiæ video, viuus ambitione conſumptæ. Laudatus ille vir, & dux per quadraginta annos populi, liberos genuit & reliquit *ſeptuaginta*: atque hos legitimos. vnum è concubinâ *Drumâ*, cui nomen ABIMELECH. Hic poſt mortem patris imperio imminens, & adiutus maternâ pecuniâ atque amicis, copias collegit è vagis & ſordidis hominibus: cum quibus *Sichimam* venit inopinatò, atque omnes ibi fratres *ſeptuaginta ſuper lapidem vnum* (vt ſacra loquuntur) interfecit, & velut immolauit. Quid ſi totidem alienos & extraneos? ô facinus! at ille imperium inuadit, & in triennium etiam retinet, vt cœperat, ſæuiens, & ſubditos variè affligens, ſic vt *Sichimita* arma caperent & rebellarent. Fruſtrà, domuit eos & occidit, & ipſum opidum deleuit, ſalémque in eo conſperſit. Sed cæleſtis vindicta tamen conſequitur, & cùm turrim quamdam oppugnaret, fragmine molaris lapidis mulier ſupernè caput eius contriuit. quo ictu collapſus, & iam moribundus, ad ſatellitem ſuum, *Tu me*, inquit, *gladio iugula, ne muliebri manu dicar cecidiſſe.*

II. In Parthis *Orodes* regnauit, ille qui *Craſſum* victum iactat & occiſum. Is cùm ſenuiſſet, in luctu ob *Pacorum* filium à *Ventidio* cæſum, aquæ intercutis vitio laborauit, neque longè iam à morte. Quàm tamen longum PHRAATI filio viſum exſpectare: & veneno eam maturat. Sed id contrà fuit, nec aliud quàm motâ aluo in medicinam abiit, & totius morbi ſenem alleuauit. Quod ille indignatus (neque enim pœnitentia ſubit ſceleris, cui vel Numen videbat aduerſari) ad apertum parricidium ab occulto tranſit, atque hominem palàm ſuffocauit. Iámne finis? minimè: catenata ſunt ſcelera, & poſt patrem fratres *triginta*, quaſi inferias, adiecit. Quis tamen illius finis? conſimilis. nam cùm in pace & fœdere cum Auguſto eſſet, cui & ſigna Craſſo erepta remiſit; hic viciſſim dona dedit inter alia, pellicem inſigni formâ Italici generis, quæ prolem ei genuit *Phraatacem*. Hic ipſe vt adoleuit, conſcientia & opera matris patrem interfecit. Benè, benè. quidni dicam? tulit quæ meruit, & quæ docuit: rediit in auctorem exemplum.

Breui ſtilo lata ſcelera in MITHRIDATE PONTICO ſtringam, cui bellum & clades fuit à Romanis, ſed mors ab ipſo filio. An & hoc immerito? ecce ille matrem iam primis annis ſuſtulit, mox fratrem; deinde tres filios, totidémque filias. Cælum, terra, mare, aſpicere, ferre, purgare toties impium potuiſtis? Ignoſco Pharnaci, & animos ad ſcelus pænè addo: vindica adoleſcens auiam, patruum, fratres, ſorores, tot mortes (leue eſt) in vnâ. III.

Iam in PRVSIA Bithyno tyranno, Romanorum non ſocio rege ſed ſeruo, vix memorabile eſt, quòd is filium *Nicomedem* tollere è medio voluerit: quid ita? vt locum alijs filijs faceret ad regnum. Peruerſa aliqua pietas hæc fuerit. ſed ecce filius, rei conceptæ gnatus, ſcelus in ipſum vertit, & defectione populorum regnum ei ademit, & deinde vitam. IV.

Relinquo te Oriens, fariges me ſi perambulem: centeſimam partem (verè loquor) non libaui: ſed vnum tamen abiens hîc conſignem. PTOLOMÆVS inter Alexandri ſucceſſores, pulſo *Antigono*, Macedoniam occupauerat, pacem cum *Antiocho*, fœdus & affinitatem cum *Pyrrho* fecerat: ſecurus iam omnium, niſi ſororis, & ex eâ liberorum. *Arſinoe* erat, quæ in matrimonio *Lyſimachi* fuerat Macedoniæ regis. Itaque animum & artes intendit ad eam vnà cum liberis captandam: cautam tamen, monitam, & omnia timentem. Quid adhibet? machinam in hunc ſexum validiſſimam, amorem. ſoror erat, ſed quid ad rem? incendit, non abſterret ea cognatio Orientales barbaros, & res in mores & iura vertit. Itaque munera, legatos, litteras miſſitare; offerre ipſi ſocietatem regni, liberis hereditatem: nec alio fine ſe armis id occupaſſe, quàm vt iis poſſet relinquere. In has res fidem ſe paratum dare quam vellet, & vbi vellet, apud ſanctiſſimas aras & templa. Quid multa? perſuadetur mulierculæ, ex fidiſſimis amicis mittit, qui iuramentum accipiat: quod ille incunctanter, & pænè inuitans, in vetertimæ religionis templo concipit, ipſa ſimulacra & altaria deorum tangens; ſe ſuúmque caput inauditis vltimiſque execrationibus deuouens: *Sincerâ ſe fide matrimonium ſororis petere; nuncupaturum eam reginam; eiuſque liberos ſuos heredes habiturum, nec alios.* Ergo Arſinoe ſpe iam plena, in conſpectum colloquiúmque fratris venit: qui vultu ipſo & oculorum acrimonia amorem ſimulans, fabulam peragit, vxorem ducit, capiti diadema coram milite populóque imponit, & Reginam appellat. Secuta quæ ſolent nuptiis: & læta *Arſinoe*, *Caſſandréam*, minutiſſimam vrbem (quod vnum petebatur) vbi theſauri & liberi, præiuit, maritum introductura, & feſto apparatu exceptura. Viæ, templa, domus ornantur, V.

tur,

tur; aræ & hoſtiæ diſponuntur, filios quoque ſuos, *Lyſimachum* ſedecim annos natum, *Philippum* triennio minorem, patri & auunculo occurrere iubet. Quos ille extra portam obuios, cupidè & vltra modum ſolitæ affectionis amplexus, oſculis fatigat, nec dimittit. Portam & arcem ingreſſus, ponit perſonam, ſumit ſuum vultum & affectum, ſtatímque milite introducto, pueros iubet interfici in gremio ipſo matris, ad quam confugerant. Illa hoc miſerior, quòd mori cum iis non licuit (ſæpe ſe gladiis interpoſuerat & obtulerat:) in exſilium cum duobus ſeruulis pulſa eſt: *Ptolomæo* tamen haud diu ab hac victoria triumphante, cùm Galli Macedoniam inundantes, victo ei caput paullò pòſt abſtulerunt, in haſtâ, ad terrorem & fidem, circumlatum.

VI. Ad Occidentem iam ire mihi licet, & ordiri ab Hiſpaniâ: in quâ cùm Cn. Scipio, pòſt Africanus, victoriales & funebres ſimul ludos daret, captâ *Carthagine nouâ*: en duo fratres patrueles CORBIS & ORSVA, qui de regno armis certaturi eum adeunt. Ipſe, vt mitis ingenio, omnia conatur & tentat, vt ratione non Marte iudice, rem componant: fruſtrà: campum & arenam volunt. Conceſſo, magnis animis concurrunt, ſed maior natu *Corbis*, facilè minorem natu, aſtu & armorum vſu vicit, atque occidit.

VII. Dicam in Italiâ de ROMVLO, *Tarquinio Superbo*, *Nerone*, tot aliis, qui ſcelere & ſanguine ſceptrũ peperêrũt? multa & nota ſunt, ideóq; cũ venia omittẽda.

VIII. Venio ad æui noſtri parricidam nobilem, & quod

CIↃ.IↃXI. indignetur aliquis, felicem. Sceptra imperij Turcici tenebat *Baiazites Secundus* rebus geſtis clarus, & numeroſâ prole ſuccinctus, in quâ natu minimus SELYMVS erat, de quo eo dictum. Sex ille fratres habebat: è quibus duo primæ ſuo fato obierunt, tertius paternâ vi: duo ſupererant, ætate & iure imperij ante ipſum. Sed imperium tamen animo agitabat: & vt perueniat, patrem impedimento futurum, è medio vult ſublatum. Id variè tentauit, & primò colore aliquo pietatis. Mos Turcarum habet, filios Principis in certo loco aut oppido claudere, nec finibus iis egredi, niſi permiſſu aut iuſſu patris. Id contra ſpes aut res nouas inſtitutum videtur, & ne militibus aut populo miſceantur, captentúrve aut captent. At Selymus fines iſtos audacter migrat, comites & milites colligit, & cum hac manu ad patrem pergit. Miranti, & per legatos etiam expoſtulanti, *Ecquid ſibi vellet? patria leges patris iuſſa ſperneret? quo fine, aut cauſsâ?* ille refert: *Non prauitate, ſed pietate motum facere. & Mahumetis legem eſſe, tertio quoque aut quarto anno viſere ad parentes: velle ſe parere, & parentis optimi manum* (ita Turcarum etiam ſermo habet) *oſculari.* Baiaziti haud placitum, iterúmque legatos & aſperiora mandata mittit: quorum ſumma, rediret. Ille pergere nihilo ſequiùs, & iam Hadrianopoli appropinquare: nixus, vt putabatur, occulto fauore & gratiâ Genitzarorum, quos in partes traxerat. Erat in eâ ipsâ tunc vrbe pater. qui fraudes aut vim metuens, & ſimul vrbi dominæ timens Conſtantinopoli, vbi theſauri & regia gaza erat, illuc concitus pergit. Idem filius, & patrem in vico aſſequitur qui *Tzurulus* appellatur: quid? ad manus oſculum? imò ad manus conſertionem, & ſuos inſtruit, & vim parat facere: patre contrà, cùm eò ventum videt, dirigente. Pugna committitur, anceps & cum diſcrimine, maiore etiam metu Baiazitis; qui haud de nihilo fidem ſuorum ſuſpectabat: & Deum ac Mahometum alta voce inuocabat, vindices patriæ & imperatoriæ maieſtatis. Audiuit ille (non enim iſte) & fugit Selymus, vaſa & impedimenta omnia amittit, animum & impietatem retinet: ac *Capham* cùm veniſſet, copias iterùm colligit, & primâ hieme in Thraciam redit. Fiduciam etiam Genitzari dabãt, qui in vrbe tumultuari. *Achmetes* (is frater maior erat) imperium aſpernabantur, atque adeò legatos eius qui tunc aduenerant, per ignominiam eiecerunt. Occultè ad Selymum etiam miſſis, vt approperaret: ſeſe cætera exſecuturos, & manu viam facturos ad ſolium & ad ſceptrum. Imperium illud miles temperat, prauo & noxio more: nec alia cauſſa exitij aliquando erit. Sed *Achmetes* horum non ignarus, cùm ipſe quoque iuxta Conſtantinopolim veniſſet; & militum quidam operam ac fidem obtuliſſent, adnuit, ſed quod momentum inclinationi aliorum facturum erat, aurum præſens, & amplioris ſtipendij ſpem, non adiecit. Imò vocem iecit liberam, ſed intempeſtiuam, *Seſe vel inuitis illis imperaturum.* Offendit, & alienauit: iámque Selymus ad vrbem venit, tentoria in pratis fixit: cui obuiam factus *Corcutes*, frater alter, modeſti ingenij, & ſapientiæ ac religionis ſtudiis deditus, vt captus eſt genius. Genitzari audito aduenisse, ſtatim coeunt & tumultuantur: decem è ſuis ad Baſſas (Præfectos ſic nominant) ablegant, qui poſtulent, *Dominum & Sultanum Selymum eſſe: Baiazitem vltrà non eſſe, ætatis & virium imbecillum, nec molem imperij ſuſtinentem. Hoc ipſi edicerent, ſuaderéntque volens faceret, quod vel nolens adigeretur: & cederet, aut cadi ipſi Baſſa exſpectarent. Sententiam omnium ſic ferre.* Hæc dicta, & prompti facere erant: ergo timor Baſſas inceſſit, & Baiaziti rem & diſcrimen exponunt. Generoſus animus & veteris laudis factorúmque conſcius indignari, nihil indultum velle, arma & manus ſuorum ſpectare, & implorare. ſed abnuentium: atque ibi primus Baſſarum (*Vizirium* dicunt) *Muſtaſas*: *Ergo ſupremum vale Imperator*, inquit: *nam nos quidem morituri te alloquimur, neſcio an moriturum. Hoc animis iis decretum, vltimum nobis iam dicit*: & minas militares addit. Mouetur ille, & ipſos miſeratur, atque infit: *Ergo certum iis, vitam nobis adimere: & huc ventum?* Muſtaſas: *Huc ventum, quod ad nos attinet: de te, Deus meliora. ſed vt optima. ſpiculis tamen haſtarum* (verba ponimus) *de ſolio imperatorio ſcito te detrahendum.* Senex videt neceſſitatem vltimam eſſe, & pauliſper vocem compreſſam ſoluit: *Agite igitur*, inquit, *ad filium ite, nunciate rerũ ſummã illi permitti.* Filius venit, pater excipit, vultu quidem lætus, & theſauros ei atque alia imperij reſignat. tum & ſoliũ cõſcendere iubet. ſed recuſantem: & ſubdolâ modeſtia, ſolam pietatem, affectúmque viſendi patris, præferentem. Iterùm iubet, propinquo etiam periculo monitus. & minaces militum vultus vocéſque audiens, aut videns. Admittit filius, ſed in ſequentem diem. Conueniunt frequentes, equites peditéſque: ſedet pro tribunali imperij iuriſque vſurpandi cauſsâ, vnum è Genitzaris ſuſpendi laqueo iubet: cęteris ſpe factâ benigni ſimul, & fortis digníque maioribus imperij. Cuius primum facinus relegatio patris *Demotucum*: & priuſquam perueniret, interitus veneno procuratus. Aiunt medicum eius corruptum id obtuliſſe, adamante minutatim confracto, & cibis immixto: cui tamen pretium operæ mors fuit, & ceruix inciſa cum voce Selymi præuia: *Veteri domino infidum, nouo fidum non futurum.* Itum in alias cędes. & quinque fratrum filij occiſi: tum ipſe frater *Corcutes* neruo arcus ſtrangulatus, cùm è fugâ reprehẽdi eualiſſet. Supererat *Achmetes*, primus fratrũ, & ſocietate Ægyptiaci etiã Sultani validus ſed falſis Genitzarorum litteris elicuit, tamquã faſtidientium nouelli & iniqui imperij: prodiret mudò, arma cum ipſo in hunc ſociaturis ſe daret. Prodit, pugnauit,

victus, ſuffocatus eſt: & ſolus iam certúſque Selymus Princeps. Qui in Baſſas & proceres variè item ſæuiit, homo cædis totus & ſanguinis: idem tamen Fortunæ (non enim Deo) carus, & qui res maximas in imperio ſuo geſſit. Perſas vicit & reppulit, Sultanum Ægypti ſuſtulit, & amplum id regnum ſibi poſteriſque firmiter ſubiecit. Nihil etiam priuatim aduerſum: & dormire videbatur cæleſtis Iuſtitia, niſi quòd in extremo actu ſe oſtendit, & peſte correptum exſtinxit, ipſo loco & vico, vbi prima cum patre ſigna contuliſſet. Sed & filio tamen felix fuit, magno illo & infeſto nobis *Solemanno*: vt externarum rerum fluxus, non ſint teſſeræ ſemper beniuolentiæ diuinæ.

12. Atque illud ſeculi noſtri eſt, hoc etiam ſoli. Fuit ADOLPHVS EGMONDANVS, cui pater *Arnoldus* Geldriæ Dux & dynaſta erat. Ille adoleuerat, iſte ſenuerat, & ægrè ferre cœpit patris diuturnum imperium & vitam: Itaque per factiones, quoſdam è popularibus in arma trahit, & patri bellum palàm facit. Sed pater viribus & cauſſà melior, obſeſſum in opido *Venlone* tenet: ac denique Principum vicinorum interuentu pax coit: hac lege, vt iuuenis vrbem *Nouiomagenſem* ſibi accipiat teneátque, in qua liberè & ſolus dominetur. Sed exigua hæc ei portiuncula viſa, reſilit mox à fœdere, familiares quoſdam patris in eius contumeliam laqueo enecat: & cùm videt à ſe vim fruſtrà tentari, ad alienam potentiam fugit, ad noſtrum *Philippum Bonum*. Bruxellam venit, patrem accuſat, ſeſe approbat, promittit multa: ſed apud verè *Boni* Principis ſurdas aures. Deſperatis igitur auxiliis, ne patrem videat, Hieroſolyma properat, homo ſacer ſcilicet ad terrã ſacrã: paullò pòſt redit, omniũ inops, quò niſi ad patrem? Recipitur amicè, & ipſe pœnitentiam & amorem ſimulat, ſed vultu non animo bonus. Nam fraudem & inſidias patri ſtatim ita ſtruit. Erat ſenex *Grauiæ* ditionis ſuæ tunc opido, cum vxore: venit quaſi per officium filius. More gentis epulantur & bibunt largiùs, ſaltant etiam in multam noctem: ipſo ſene Duce ſuſtentante, & in filij gratiam præter vires & morem lætiore. Tandem cubitum ſeſe confert. Vix ſoporat, cùm adſunt à *Nouiomago* (ij iuueni parebant) ciues armati, & ab *Adolpho* clàm intromiſſi; rectà ad cubiculum Ducis, duce filio, tendunt. Pulſant fores. ille è lecto, iocos & choréas etiam tunc cogitans, *negat id noctis ſaltare vltrà poſſe: iuuenes faciant, & abeant.* At illi effractis iam foribus adſtant, iubent ſurgere & ſe conſequi. *Quò autem?* ait ſenex, *& vbi filius?* Miſer, vbi auxilium putat, exitium eſt: & ille improbus, *Pater*, inquit, *neceſſitati parendum eſt, age ſequere.* Nec tantillum exſpectant, vt tuniculam interiorem aptet atque induat, ne tibialia quidem ſumat: ſed patrem equitantem filium nudis pedibus & corpore, ita ſequitur *Buram* vſque. Ibi carcere tætro includitur, & ſex annos totos (non illius, ſed & populatrium impietatem culpo) ſex inquam annos detinetur. Tandem improbitas querelas vulgi excitat, ſed & minas Principum vicinorum: è quibus *Ioannes* Cliuiæ Dux, ipſius *Adolphi* auunculus arma etiam ſumit. Qui tamen à ſe parùm validus, auctoritatem vel auxilia à Pontifice *Paullo Secundo*, & *Friderico* Imp. petit. Illi ſtatim annuunt, ad *Adolphum* acres minacéſque litteras ſcribunt, & vt patrem luci & libertati reddat, iubent. Nihil ſit, ridet. Itaque iidem *Carolo Audaci* noſtro, valido Principi, totam rem committunt: liberet ſenem, reconciliet filium, denique faciat quod ex æquo & vſu videretur. Ille vtrumque coram ſe ſiſtere iubet, qui in Galliæ finibus *Dorlani* tunc erat. *Adolphus* haud ſpernendam iram, & iuſſa, tam potentis vicini ratus, patrem ſecum eò ducit: accuſat in conſilio, fœda & falſa in eum ingerit: quorum facilè purgatus ſenex, bonorum & illuſtrium virorum teſtimoniis, tandem impatientiâ & fiduciâ eò prorumpit, vt filium ad ſingulare certamen prouocaret, ferro & Deo iudicibus innocentiam ſuam aſſerturus. Mos tunc ſatis creber in Martiali noſtro populo erat: ſed *Audax* tamen abnuit, fœditatem rei proponens & inſolentiam, & ſimul in euentu incerto certum ſcelus, vtercumque viciſſet. Ita re cum ſuis deliberatâ, pro ſententia dixit: *Arnoldus pater ſolus, titulo Ducis vtatur: ſed filio opida arceſque totius Geldriæ cedat, ſolâ Grauiâ ſibi exceptâ. Accipiat in alimoniam de manu filij tria quotannis aureorum millia.* Hæ conditiones: quis abneget, imò quis non miretur filio tam bonas? Sed non ſilent hiſtorici *Carolum* neſcio quâ occultâ cauſſâ an pacto, in filium proniorem. Quid tamen deinde? referunt ad filium, & quidem à viris primariis & grauibus, inter quos *Philippus* ille *Comineus* erat, qui hæc ſcripſit. At ille reſpondit in ipſa verba: *Malle ſe præcipitem dare parentem in puteum, ſe deinde ſuperiicere, quàm vt in has conditiones paciſcatur. Quid malum?* inquit, *pater alibi imperet, qui totos quadraginta annos omnibus præfuit? Æquum eſt vt noſtræ quoque iam vices ſint: nec aliud admiſero quam de penſione vt pater tota Geldriâ cedat, atque adeo excedat, nec triũ milliũ; ſic quoque vnquã pedẽ in eã referat.* En reſponſũ nõ tã impiũ (& ita tũc omnibus viſũ) quàm inſanũ. Igitur *Carolus*, cui aliæ res præuertẽdæ, cùm idipſum temporis *Ambianum* Galliæ rex intercepiſſet; dilata hac cognitione, expeditioni ſe parat. Iuuenis ſuſpicatus detentũ ſe iri, auerſione animorum cognita fugam cum duobus comitibus, Gallicâ veſte, ad ſuos capit: omnia in reditu vi & armis occupaturus, aut turbaturus. Sed ecce *Namurci*, dum Moſam flumen cymbâ tranſmittit, agnitus ab vno alteróque vectorum, mox à pluribus, capitur, & ad *Audacem* reducitur. qui *Viluordiam*, atque inde *Cortracum* duci, & in honeſtâ cuſtodia aſſeruari iuſſit. Manſit ad *Audacis* ipſius mortem: cùm *Gandauenſes*, pro ſuo tunc more turbas daturi, hunc idoneum ducem arbitrati, eum ſoluunt, & bello in *Tornacenſes* præficiunt, quos tunc Galli habebant. Iuit cum manu aliqua, adequitat mœnibus, erumpunt præſidiarij, & miſer inter primos cecidit. Quid tu nunc pateris? talionem aliqua parte à iuſto Iudice vides. Carcere te puniuit? ipſe ſuſtinuit. Mortem machinatus eſt? ipſe ſubiuit. Nec ſanguis hîc multus fuſus aut violentæ cædes, fateor, vt in prioribus: mihi tamen libranti impiæ Impietatis exemplum viſum eſt, & ſupra omnia infixæ & obſtinatæ. Nero, Tullia, aut alius aliquis, impetu peccauerint & calore: hîc meditatum, hîc diuturnum ſcelus eſt, nec adhæſit animo, ſed inſedit.

Apud nos hæc geſta. quid ſi in Græciam nouellam, & BYZANTIVM abeo? ſi ad illos à *Conſtantino* Imperatores? Fideliter dico, plura ſcelerum ab hac Ambitione exempla, quàm in alia Europa tota reperiam. Sollennia illa erant necare, exſecare, excæcare: hæc patres in filios, item matres ipſæ; hæc filij in vtroſque patrabant. Quid patruos, fratres, agnatos dicam? in leui ſuſpicione, & minimo metu hæc facta, quaſi per ludum aliquem & iocum. Et vide ingenium ſæuitiæ! certum eſt, non alia re hominem magis abiici, & animo conatúque cadere, quàm Exſectione illa aut Excæcatione. Qui aut virũ viro aut

lumen demit: nihil ab eo vi ui vltrà formidet, & in pœnam aut ludibrium modò viuit.

xi. Sed claudo hoc rorum de Ambitione, vno eóque iocoſo exemplo. CHAN TARTARORVM (eorum Princeps ſic dicitur) cùm *Stephanus* haud ita nuper optimus fortiſſimúſque Poloniæ Rex obiiſſet, in comitiis de Rege creando, ipſe quoque per Legatos interuênit. Dixit & propoſuit iſta: *Potentem ſe eſſe & poſſe myriades aliquot equitum* (vera ſunt) *educere è ſuis terris Poloniæ tuendæ vel augendæ. Item frugalem ſe & continentem eſſe, ac ſine vllis ciborum deliciis, ſolâ equinâ in fame contentum. Tertiò, quod ad Religionem, de quâ diſputari audiebat, Tuus, inquit, Pontifex, meus Pontifex eſto, tuus Lutherus, meus Lutherus eſto.*

Si riſu excepta Legatio fuit, nemo quærat. effuſo maximè: & ecce hominem paratum omnia ſacta & deos deſerere, regnandi cauſsâ.

CAPVT VI.

DE PRINCIPVM INCLINATIONE.

Deteriores eos ſæpe fieri, & mutari.

NEſciu quâ cauſsâ occultâ, præter apertas, etiam euenit: vt cùm in aliis artibus, vſu homines diſcant, & meliores fiant, in hac regendi ferè contrà, & Principes inclinent. Omnis ætas dicet, & raro decurſum ad metam æquabiliter hunc curſum. Cauſſæ partim in Principe, partim Nobis, partim Principatu ipſo videntur: atque obiter examinemus. In Principe, quia initio magis intendit. & pudor eſt, & bonæ famæ ſtudium: quæ calcar paulatim, & in omnium obſequiis audaciam, & proteruiam, & contemptum ſumit. Itaque *rumor ille* (ait Lampridius) *qui plerumque nouis ſolet dominari Principibus, niſi ex ſummis virtutibus non permanet.* Benè initio audiunt, & faciunt: ſed raò conſtans eſt illa virtus, niſi firmo fundamento nixa & inſtructa. Secunda cauſſa, ab infirmitate ingenii humani eſt. grande illud imperii pondus aliquamdiu rectâ ceruice ſuſtineri, vix ſemper poteſt: laſſantur, & ſe inflectunt. Quò facit natura, prona in vitia: & magis, vbi non metus aut pœna retinet; ſicut in Principe, qui eſt ſuper iſta. Et niſi ipſum illud Honeſtum eum teneat, & Religio: quis eſt qui poſſit? Accedunt deprauatores, inſitum Aulæ malum: & qui prauè etiam ſacta laudantes, magis illuc ducunt. Itaque vt qui vinum bibunt, initio pares ſunt, & ſenſibus ſubſiſtunt: mox alienantur, & compotores etiam inuitant aut vrgent: ſic in poteſtâ, cùm noua & modica, ferunt: diuturnâ corrumpuntur, & fiunt ebrii, & magis tales faciunt adulatores. Panegyricus ſcripto rectè: *Vbi ſub tanto onere infirmitas lapſa eſt, faciunt licentiam de poteſtate*: habenas omnes ingenio ſuo & cupidini laxant. Cauſſæ etiam in Nobis & ſubditis, ſunt iſtæ. Credulitas prima. quòd temerè initio, etiam de malis aut ambiguis benè ſperamus: & quid mirum igitur falli? Neque illi ſe mutant: ſed nos opinionem. Inde iactatum apud nos prouerbium: *Flandros amare futuros Principes, odiſſe factos.* Cùm præſentes enim diſplicent, alios adſpicimus & optamus: atque vt ægri, mutationem remedium deſtinamus. Secunda, quòd refractarii ſæpe & praui ſimus, & communiter etiam erga optimos ingrati: donec eſſe deſinant. Id Principes grauantur & indignantur, & paullatim affectum & curam à talibus abducunt. Magis autem cùm ſeditio, rebellio, aut inſidiæ ſunt: tum & iuſtè putant ſe opprimere aut affligere, & plurium noxam omnes luunt. Auſim dicere, bonos Subditos facere aut ſeruare Principes bonos. At cauſſæ in Principatu ipſo ſunt: quòd is ad Superbiã & contemptum inuitet: & vel firmiſſimos conuellat, & à ſtatu paullatim abducat. Sicut cæli à ſupero illo abripiuntur, & quamquam contrà nitentes obſecundant: ſic Principes ab ipsâ illâ poteſtate. Videſne priuatos homines in opibus magnis, aut proſperitate, deprauari, & à vereri viâ & vita flectere? idem fit iſtic. Potentia impotentiam gignit, licentia libidinem, vitia: & vt pondera ab alto lapſa, in præceps eunt. Quid, quòd interdum ipſa Infelicitas mutet? vt quibus domi aut militiæ res ſunt improſperæ, ipſi fortunæ, ipſis ſubditis (etſi extra culpam) obiraſcuntur; & vt in tempeſtate, clauum abiiciunt, & dant vela ventis. Priuatim ſaltem oblectamenta quærunt, conuiuia, ludos, mulierculas: publicum omne dedecus aſpernantur. Exempla horum pauca videamus.

Inſigne primum in DIONYSIO IVNIORE tyranno Siciliæ, qui mortuo patre, mirè clementem ſe exhibuit & benignum. Tria millia nexorũ ob æs alienum, ſoluit; tributa per triennium remiſit; alia in gratiam & famam populi. Sed mox iam dominationis certus, retulit ingenium, quod paulliſper ſepoſuerat: auunculos interfecit, quos verebatur aut timebat, item fratres ſuos, nequis æmulus ſupereſſet; mox in omnes promiſcuè ſæuiit, ille *Dionyſius* effectus, cuius non tyranni, ſed tyrannidis, nomen habetur. i.

Ac hic natura prauus, à cauſſis, & vi aut vitio Regni PHILIPPVS, Macedonum rex pænultimus, cui cum Romanis bellum fuit. Erat ſanè ille (Polybius teſtatur, qui nouit & vidit) pleriſque dotibus corporis atque animi ornatus: vultu decorus, corpore erectus, eloquentia promptus, ingenio & memoria validus, lepôre & dictis etiam facetus; atque omnia cum regio quodam decore & maieſtate. Acceſſit virtutum ſtudium in togâ, & in bello, animi magnitudo, & liberalitas: vno verbo, vix alium tanta indole aut ſpe Regem Macedonia aut Græcia viderat. Sed ecce momento omnia vertuntur: ſiue Fortunæ culpa, quæ aduerſa ei in Romanos, animum infregit, & ab inſtituto ad gloriam curſu reuocauit; ſiue delatorum vitio & ſuo, qui aures eis temerè & facilè præbebat. Sanè optimos quoſque à ſe ſpreuit, veneno & ferro graſſatus: ſed nec ſanguini & filio ſuo *Demetrio* tandem parcens. Denique ille *Philippus*, de quo omnia bona ſperata & videri cœpta, in omnia mala deſiit, prauus, inuiſus, infelix. ii.

HERODEM Iudææ regem licet addere, inſignem, mirum, magnificum, primis ſex annis, ſi quem alium: reliquos triginta & vnum ſic immanem, trucem in ſuos alienóſque, vt *ſeptuaginta* Senatores regiæ ſtirpis interfecerit, vxorem ſuam, & tres filios: denique moriturus, ex omni Iudæa nobiliſſimum quemque, quaſi ob aliam cauſſam, euocari ad ſe iuſſerit; & cùm veniſſent, ambitioſè ab amicis petiit, vt incluſos Circo, ad vnum interfici à militibus curarent, non ob noxam, ſed (vt aiebat) quò verus iuſtúſque dolor funeri ſuo exhiberetur, cùm nulla familia immunis ab hac clade eſſet. iii.

Quid TIBERIVM Romanum Principem loquar? res peruota eſt, bonum fuiſſe, donec *Germanicus* ac *Druſus* ſuperfuêre; mixtum virtutibus ac vitiis, matre incolumi, pòſt in omne ſcelus, flagitium, & infamiam prorupiſſe, vt ipſum quoque interdum non factorum ſolùm (animo torquente) ſed vitæ pæniteret. iv.

NERO in eadem re Romana notatur magnus ini- v.

A tu Princeps, magnum poſteà monſtrum: & Traiani elogium de illo fuit, *Omnes etiam optimos Principes longe à primo quinquennio Neronis abeſſe.* Quod tu aliis fortaſſe verum fuerit; ſed domi tamen veneno frater ſublatus ſecundo ſtatim anno, dedecorat hanc laudem. Plura exempla notare eſt: plura? imò plurima: ſed faſtidium paritatis vitandum eſt, & nihil hîc quod ſingulariter narretur.

CAPVT VII.

DE FINE PRINCIPATVS:

Qui eſt, Publicum Bonum.

B AT Princeps, ne inclinet ſic & labatur, ſed bonus ſit & perſeueret: quid magis eum fulciat & firmet, quàm Finis ſemper in oculis, quò ſpectet? Neque enim Principatus ipſe finis eſt, abſit, aut altitudo illa & ſplendor: ſed populi bonum, id

Epiſt.xci eſt directio eius & tutela. *Officium eſt imperare, non regnum*, ait Seneca noſter. Græci ἄνακτας *reges* dixerunt, vt Plutarchus interpretatur, ἀπὸ τοῦ ἀνακῶς ἔχειν: quod eſt *curam gerere & tueri.* Certè debent. ipſum *Regis* nomen apud Latinos eódem vocat: vt ordinem ſeruet, compoſitè imperet: quod qui ne-

Sen.1.de Clem. glegit, non regit ille, ſed diſſipat & perdit. Cogitet ſecum Princeps: *Ego ex omnibus mortalibus placui, electúſque ſum, qui Deorum vice in terris fungerer: ego vitæ necíſque gentibus arbiter: qualem quiſque ſtatum ſortémque habeat, in meâ manu eſt poſitum.* C O dignitas! vicarium Dei eſſe, & non eſſe æmulum? Vide vt ille ab orbe condito diſpenſet, & regat, æſtates, hiemes, anni tēpora; fruges, fructus, tot vſui noſtro aut voluptati; cælos, terras, maria, omnia in ſtatu & concordiâ, etſi maximè diſcordia, ſeruet; & parcat plurimùm, interdum puniat; vetus pater ſimul & dominus generis humani: quid deſideres, præter hoc exemplum? Subſequere: & à Deo reges, ad Deum eant. Sint igitur in aſſiduâ curâ, ſed eum tranquillitate & pace; & hæc vtraque ſuis quantum poteſt, procurent. Abſit otium. *neque enim ſpecie tenus* (ait Panegyriſtes) *ac nomine, fortuna Imperij conſideranda eſt.* Sunt trabeæ, & faſces, & ſtipatio, & fulgor, & quidquid aliud huic dignitati adſtruximus:

Ibid. ſed longè maiora ſunt, quæ viciſſim nobis auctori- D bus fautoribúſque potentiæ, debent. *Admittere in animum totius reipublicæ curam, & populi fata ſuſcipere. & oblitum quodammodo ſui, gentibus viuere. Accipere innumerabiles vndique nuncios, totidem mandata dimittere, de tot vrbibus, nationibus, & prouinciis cogitare.* NOCTES OMNES DIESQVE *perpeti ſolicitudine* PRO SALVTE OMNIVM *cogitare.* En breuiter tuum munus, & in fine Finis, Populi ſalus. Exempla addamus, qui fecêre, aut facturos ſe ſūt profeſſi. Inter iſtos

I. TIBERIVS Imperator. qui pulchrâ voce (vtinam & re!) teſtatus, in pleno Senatu: *Dixi & nunc, & ſæpe aliàs P. C. bonum & ſalutarem Principem, quem vos tantâ & tam liberâ poteſtate inſtruxiſtis, Senatui* SERVIRE *debere, &* VNIVERSIS *ciuibus: ſæpe ac plerumque, etiam* SINGVLIS. *neque id dixiſſe me pœ-* E *nitet.* Pulchrâ, inquam, voce, & quam ſine Numine conceptam non reor, aut emiſſam. Quid verba facimus in inſtruendo Principe? ecce hîc compendium. *Seruiat*, id eſt audiat obſequatúrque *Senatui* & bonis conſiliatus: *ſeruiat vniuerſis*, in bono omnium procurando: *ſeruiat ſingulis*, in iuſtitiâ adminiſtrandâ, iniuriâ arcendâ. Sine iſtis, non eſt Princeps, ſed tyrannus.

II. Quod TRAIANVS, item Imperator, conſiderans, cùm Præfectum ſuum Prætorij, de more, gladio ſuccingeret, daretque vitæ & necis poteſtatem: *Cape hunc*, inquit, *& ſi quidem rectè &* EX VTILITATE OMNIVM *imperauero, pro me; ſin aliter, contra me vtere.* Optimam *Optimi* illius vocem! Viuam, ſi reipublicæ viuo ſi mihi, arma hæc in me verte.

Iam HADRIANVS Imp. quoties auditus eſt dicere: *Ita ſe rempublicam geſturum, vt ſciret* REM POPVLI *eſſe non ſuam*: Iterúmque, quod eódem ducas: *Talem ſe præſtiturum Imperatorem qualem ſibi optaſſet priuatus.* III.

VESPASIANI etiam cæleſte dictum eſt, qui ſanus valénſque, ſemper in publicis occupatus, etiam æger perſeuerauit: & reuocantibus amicis, vtque ſibi parceret, *Imperatorem inquit ſtantem mori oportere.* IV.

Inferiore æuo HENRICVS Imp. *Friderici* filius, ita aſſiduus in rebus, vt vix ſerò cibum caperet. Cúmque idem moneretur, valetudinem & vires cordi habere, reſpondit: *Priuato quidem homini omne tempus cibi eſſe, cùm id lubet, aut ſoleat: Regi ſi nomen ſuum non abdicat, id ſolum, quo vacat.* V.

Itaque rebus hominibuſque ſe dant, etiam vilioribus: nam & ij Principatus membra. Inſigni hîc monito RVDOLFI Imperatoris *Auſtriaci*, qui cùm ſubmoueri à ſatellitio ſuo tenuiores quoſdam videret, ad ſe affectantes, non ſine ſtomacho edixit: *Per Deum* (ipſa eius verba ſunt) *ſinite homines ad me venire. Non enim ideò ad imperium ſum vocatus, vt in arculâ includar.* Melius nihil poſſum, deſino, & hoc infigo. VI.

CAPVT VIII

DE EXEMPLIS PRINCIPVM.

Ea facere ad Virtutes aut Vitia ſubditorum.

PRincipem ob ſe bonum eſſe oportet, ſed etiam ob alios: quos talis emendat, aut alius deprauat. Nam homines inprimis ad alta iſta flectunt oculos, & exempla ſibi ſuis inde moribus ſumunt. Salluſtius: *Qui magno imperio præditi, in excelſo ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales nouêre. Ita maxima fortuna, minima licentia eſt.* Sicut igitur regulam maximè rectam eſſe oportet, ad quam cetera diriguntur: ſic Principem. Et vt in corporibus grauiſſimus eſt morbus, qui à capite diffunditur: ſic qui ab illo. Pindari, ad Hieronem Siciliæ regem, aurea dicta ſunt:

> ἀλλ' ὅμως, κρέσσων γὰρ οἰκτιρμῶν φθόνος,
> μὴ παρίει καλά· νώ-
> μα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατόν. ἀ-
> ψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλ-
> κευε γλῶσσαν.
> εἴ τι καὶ φλαῦρον παραιθύσ-
> σει, μέγα τοι φέρεται
> πὰρ σέθεν· πολλῶν ταμίας
> ἐσσί· πολλοὶ μάρτυρες ἀμφοτέροις πιστοί.
> *Attamen (melior enim miſeratione Inuidia)*
> *Ne omitte honeſta. guberna*
> *Iuſto clauo populum,*
> *Veracíque ad incudem*
> *Fabrica linguam.*
> *Si enim vel leue eruperit,*
> *Magnum ſertur*
> *Abs te. multorum diſpenſator*
> *Es multi teſtes vtriſque fidi.*

ALPHONSVS rex Aragoniæ & Neapoleos, cùm de Subditorum moribus diſputaretur, dixit: *Vt herbas quaſdam ad Solis motum, ſic populares in Principum mores verti.* I.

II. ALEXANDER MAGNVS ceruice leuiter incuruâ & pandâ fuit, quod certatim proceres & aulici imitati, quaſi ipſum ſic effingentes. Adeò & minuta obſeruant, atque æmulantur: vtinam ſic interiora & virtutes!

III. Luxus in conuiuiis, veſte, ſuppellectile, familiâ, ad VESPASIANI tempora nimis Romæ inualuit: nec vel legibus potuit coerceri. at ſtatim, illo Principe, ſponte exoleuit. Cauſſa in Tacito: *Præcipuus adſtricti moris auctor Veſpaſianus fuit, antiquo ipſe cultu victúque. obſequium inde in Principem, & æmulandi amor, validior quàm pœna ex legibus & metus.*

III. Annal.

CAPVT IX.

DE IVSTITIA.

Quam Princeps in ſe, & ſuis, ſeruet.

INter omnes autem Virtutes, ſunt quædam velut Regiæ, & Principales, vt *Iuſtitia* primùm. à quâ Homerus Reges δικασπόλους appellauit, *circa ius occupatos & verſantes.* Nihil iis conuenientius, nihil dignius: & ſeruata, regna ſeruat. Seruanda autem, etiam in iis quæ Principes, aut qui circa ipſos ſunt, tangunt. Mali doctores, qui à legibus eximunt: qui cum Caligulâ cenſent, *Omnia ipſi, & in omnes licere.* Siue cum Salluſtiano Memmio: *Impunè quidlibet facere, id eſt regem eſſe.* Abite qui docetis, qui diſcitis: imò qui præeſt Iuſtitiæ, ad eam præeat, & exemplo commendet. Theodoſium imitetur, de quo Panegyriſtes: *Idem es qui fuiſti; & tantum tibi per te licet, quantum per leges antea licebat. Ius ſummum, facultate & copiâ commodandi, non ſecuritate peccandi expertus.*

I. Dixit, ſenſitque ANTIGONVS Macedonum rex, cui cùm blandiens aliquis ſuggereret, *Omnia regibus honeſta iuſtáque eſſe:* reſpondit: *Sunt hercules, ſed Barbarorum dumtaxat regibus. at nobis ea honeſta, quæ honeſta ſunt, & iuſta quæ iuſta.* Retudit adulatorem, & docuit, non regulam iuſtitiæ regem, ſed miniſtrum eſſe. Quid idem iterùm? Scripſit ciuitatibus, vt *Siquid fortè iuberet, quod aduerſaretur legibus, ne admitterent: ac pro eo haberent, atque ſi inſcio ſe ſcriptam eſſet.*

II. ZALEVCVS verò & inſigni facto iuſtitiam aſſeruit. Legé, inter alias, Locrenſibus tulerat, *vt Adulter oculis orbaretur:* iuſtiſſimè, quia ij ferè ad hoc crimen illices ſunt, aut duces. At ecce filius paullò pòſt adulterauit, & legis reus etiam pœnæ erat. quam tamen populus conſenſu, miſeratione moti (vnicus enim erat) & in patris gratiam, remiſerunt: ſed patre abnuente & indignante. *Lex,* inquit, *ſancta & pœna, etiam in nobis eſto: ſed viam repperi, quâ illâ ſaluâ humanitati indulgeamus. Ipſe & ego, vnum ſumus. mihi ergo vnus oculus, alter ipſi eruatur:* atque id factum.

III. CHARONDAS autem Thuriorum legiſlator, in eâdem magnâ Græciâ, ſeuerior & in ſe fuit, aut verè dicam crudelior. Nam & ipſe legem tulerat contra ciuiles factiones & cædes, *Nequis cum telo in concionem veniſſe vellet: qui aliter, capitale id eſſet.* Accidit, vt ipſe rure veniens, & indictâ ſubitò concione, vti erat, ad eam armatus accederet. cúmque æmuli occlamaſſent, *Soluere eum legem, quam tulerat, ac palàm eum telo eſſe:* ipſe errore cognito, *Mehercule ita eſt,* inquit, *ſed idem ego ſanciam.* ſtatimque ſtricto ferro incubuit. A fine aliquis laudet, à facto nō probet.

IIII. At PHILIPPVS MACEDO, Magni pater, quàm obnoxium ſe iuſtitiæ præbuit, & aures ſuas verberari vel conuicio paſſus eſt, quod ægriùs quàm gladio, Principes ferant? Dicebat apud eum cauſſam *Machetas* quidem: & Philippus parùm intentè viſus

A audiſſe, & re non benè totâ cognitâ, damnaſſe. Machetas non tulit, & Macedonicâ ac militari libertate, *Appello,* inquit. Philippus miratus & iratus, *Tuà rege? & ad quem?* Machetas: *Ad ipſum te,* inquit, *ſed vigilantem & attentum:* Siue, vt alij efferunt, *Ad Philippum ſobrium.* Sed ſiue incuria, ſiue vinolentia regi obiecta; excuſſit vtramque, & re propiùs penſiculatâ, iniuriam Machetæ factam agnouit, & vindicauit. Quomodo? ſaluo tamen priore decreto: & æſtimationem litis ipſe à ſe dependit. Dupliciter laudandus. & quòd ſe, ſaluâ rei iudicatæ firmitate, immutauerit: & pœnitentiam, pœnam etiam ſuam fecerit.

Hæc in ipſis Principibus: circa ipſos, iſta. ARTAXERXES Perſarum rex, *Longimanus* cognomento, V.
B identidem obtundebatur (ſic loquendum eſt. Importunè, & ſæpe, alter ingerebat) cùm, inquam, obtunderetur à *Satibarzane* gratioſo ſatrapa, in re quapiam iniuſtâ, quam alteri volebat impetratam: ille tandem reſciuit *triginta Daricorum millibus* emptum Satibarzanem, vt confectum hoc daret. Vocat ad ſe igitur, atque vnà Quæſtorem: & *Heus tu,* inquit, *triginta millia huic illicò adnumera. tu autem hæc cape, & tibi habe. Cùm enim dedero, nihilo pauperior ero; at ſi tuum illud conceſſero, multo iniuſtior.* Laudo, laudo. neque amicum alienauit, fidei cognitum; neque Iuſtitiam vllâ re violauit.

PHILIPPVS iterùm *Macedo* conſimile: neque par tamen vndique. nam æquitate aſtidet, liberalitate non conuenit. *Harpalus* pro amico quodam, iniuria- VI.
C rum poſtulato, acer & multus apud Philippum intercedebat, & liberari volebat. Addebat, ſe pro eo molctam, quanta eſſet, depenſurum. Hîc Philippus: *Quid tu igitur ſatagis, ſi multa dependitur?* Harpalus: *Nempe vt fama ſit ei ſalua.* Philippus: *Quid tu ais? & non æquius illum malè audire, qui male fecit, quam me innoxium, eius cauſſâ?* bonum factum, bonum dictum.

Noſtri aut patrum æui vnum adiungam. Erat CAROLO AVDACI, Burgundiæ & noſtro Duci, vir VII.
nobilis in feruenti gratiâ atque ei præfecturam oppidi in Zelandia dedit. Ipſe ibi in otio, amorem concipit in fæminam corpore ſcitam & moribus, animo meliorem, vt docuit euentus. Primò aſpectus, obambulatio, ſuſpiria, & quæ ſolent amantes: mox auda-
D cior & verba miſcet, & affectum aperit, & ſolatium orat. Neque promiſſis abſtinet, & omnia tentat, quæ ſint expugnandæ. Fruſtrà, munita vndique caſtitas erat. Igitur deſperatione ad facinus ſe vertit. Præfectus erat, vt dixi, & *Carolus* noſter in bello: maritum igitur amatæ fæminæ proditionis inſimulat, & ſtatim in vincla miſſum carcere cuſtodit. Quo fine? vt vel hoc metu minîſque illam moueat, & obnoxiam ſibi reddat: vel maritum ipſum amoueat, remoram amori. Cuſtodit igitur. & mulier caſta & viri amans ſtatim ad carcerem, à carcere ad Præfectum, deprecatura aut liberatura, ſi poſſit. Præfectus: *Et tu à mea me rogas? imperium, quod in me habes, ignoras? affectum ſaltem mutuum redde, & maritum ecce reddo. Detinemur enim vterque, ille in meo, ego tuo carcere aut vin-*
E *culis: ah, quam facile vtrumque ſoluis! Quid renuis? amans peto, & per meam vitam; Præfectus peto, & per mariti tui vitam. Vtraque agitur: & perire ſi debeo, perdam. Atqui miſerere, & mulierem te, & coniugem oſtende.* Mulier rubere ad iſta, & ſtupere: & tamen pro marito etiam timere. Cunctat magis animo, quàm corpore: & trepidat, & pallet. Atque ille, quia moueri viſa, & leuiter vim verecundanti adhibendam ratus (ſoli erant) in lectum impellit. fruitur fructum, vtrique mox acerbum. Nam mulier confuſa & lacrimabunda abiens, pudoris magis quàm peccati

A ægra, iram & vindictam coquit: quam magis etiam accendit barbarum (quomodo aliter appellem?) Præfecti factum. Nam ille voti potitus, & cetera prolixa auramans, ni æmulum ſuſtuliſſet: maritum damnari curat, damnatum capite plecti. At id non in publico, ſed carcere ipſo factum: atque ibi cadauer in arcam ligneam incluſum, mox ſepeliendum. Venit intereà mulier, ſiue accita ab ipſo (vt quidam tradiderunt) ſiue ſponte & ſuper ſalute mariti anxia: ſed venit, & vel ex pacto maritum recipere ſe ſperat. Ille benignè affatus, *Et maritum*, inquit, *quæris? habebis. Abi* (& digitum ad carcerem intendit) *inuenies, & tolle.* Nihil ſuſpicata abit, videt & percellitur, & animo ac corpore lapſa ſuper cadauer ſe abiicit: ac diu lamentata, recipit animum atque iram, rediensque atroci vultu & verbis. *Et hercules*, inquit, *reddidiſti maritum: gratia debetur, exſoluam.* Retinere & placa-

B re conatur, fruſtrà: non tigris magis ſæuiat, fœtu erepto. ſtatimque amicorum fidis aduocatis, rem denarrat, eius ordinem, & culpam ſuam non culpam; ac conſilium viamque vltionis exquirit. Cenſent omnes ad Principem eundum: qui inter alias virtutes (inſignes habuit, niſi ſuperbiâ & peruicaciâ corrupiſſet) eximius Iuſtitiæ cultor erat. Accedit duobus amicis comitata, auditur: vix creditur. & indignatur & dolet Princeps, hoc in ſuo ſolo, & è ſuis, quemquam auſum. Sed & mulieri edicere minaciter, niſi vera & certa afferret, malum habituram. Iubet manere in Aulâ, & in vicinum cubiculum ſecedere, dum Præfectum vocat: nam fortè & ipſe in Aulâ erat. Venit, introducitur & mulier. *Hanc noſti?*

C ait Princeps. Colorem homo mutat: & Princeps exſequitur: *At querelas, quas ſuper te defert, etiam noſti? Atroces ſunt, & quas nolim eſſe veras. Quid ais?* Vacillat, perplexè loquitur, negat aliquid & annuit: donec Princeps ex vultu ipſo & ſermone culpam ſuſpicatus, vt tamen certior eſſet, remotis omnibus ſolum alloquitur. *Quam fidem mihi debeas, & quam beneficiis meis gratiam, non neſcis. Per hanc & illam te adiuro, vt quid in hac re ſit, liquido & ſine ambagine denarres. Fatenti gratia, aut aliqua ſeueritas, non deerit: nec abnuenti tormenta.* Ibi ille ad genua ſe abiicere, factum agnoſcere: denique mulierem culpæ omnis liberare, ſe onerare: ſed in gratiâ Principis refugium & ſolatium ponere. Quam vt magis impetret, illicitam

D libidinem purgaturum matrimonio offert. Princeps, quaſi aures præbens & iam mitior, mulierem reuocari, quoſdam è ſuis adſiſtere iubet. *Et heus tu, quoniam huc ventum eſt mulier, placétne maritum hunc habere?* Illa abnuit: & tamen voluntatem aut iuſſa Principis timens, adſpicit circumſtantes. Qui certatim innuunt aut ſuggerunt, accipiat conditionem viri nobilis, diuitis, apud Dominum gratioſi. Victa dat manus. quas Princeps iungi cum Præfecti iubet, & ſollennibus verbis matrimonium firmari. Firmato, iterùm Princeps: *Tu nunc marite hoc iam nunc largire, vt ſi prior ſine liberis obeas, hæc coniux heres omnium bonorum tuorum ſit.* Libens concedit, teſtes audiunt, tabularius ſcribit. Et his iam peractis, noſter *Carolus* ad fæminam: *Dic ſodes, animo tuo factum iam ſatis? Sa-*

E *tis*, inquit mulier: *At nondum meo*, ille ſubiicit: & ablegatâ fæminâ, iubet Præfectum in illum ipſum carcerem duci, in quo maritus cæſus, & pariter cæſum in arcam ligneam ſiue capulum deponi. Facta ſunt. tum mulierem ignaram eò mittit: quæ inopinato iterùm caſu conterrita, duobus maritis eodem ferè tempore, eodem certè ſupplicio amiſſis, mox in morbum incidit, & fato obiit. Hoc ſolùm alteris nuptiis lucrata, vt liberos ex priore coniugio diuites relinqueret, nouâ hereditate. Tragœdiæ exemplum

A eſt: ſed gratulor Belgicæ talem exitum, ſub tali Iuſtitiæ vindice: & vos ſucceſſores ſeruate.

Atque hæc circa Amicos breui, ſed memorabili, facto claudam MAHVMETIS *Secundi* Turcarum Principis, quem veriùs *Muchemetem* ſcribi, gnari linguæ perſuadent nobis. Memorabili, quia circa filium: & quid propiùs tangat? Is igitur *Muchemetes* filium habuit *Muſtafam*, imperio deſtinatum. & cetera bonum, libidinibus pronum. Hic *Achmetis* Baſſæ vxorem, inſigni formâ, adamabat, & blanditiis diu peruincere conatus, cùm non ſuccederet, inſidiis tentauit. Speculatus eſt tempus, quo in balneum mulier iuit (& ſæpe lauant ſe Turcæ:) & mox ſecutus cum paucis ſuorum, ibi nudam & fruſtrà renitentem compreſſit. Illa ad maritum, maritus ad Imperatorem flagitium detulit, pœnas popoſcit. *Muchemetes* VERI.

B primò cunctari, tum aſperioribus verbis (ſed alius in mente ſenſus erat) Baſſam excipere: *Et quid*, inquit, *ſic grauiter de filio queri tibi viſum eſt? An neſcis te, & tuam, iuris mancipiſque mei eſſe? Si filius igitur illam amplexus eſt, & animo ſuo morem geſſit, nempe ancillam meam amplexus eſt. ſine ullâ quidem culpâ, ſi me volente. Hæc cogita atque abi: cetera mihi permitte.* Sed iſta iuris tuendi cauſâ magis, quàm quia ſentiret, dixit: atque animi æger & ſaucius, filium ad ſe vocatum primò examinauit; tum confeſſum peſſimis verbis minisque acceptum dimiſit. Et mox minas in rem contulit: ac triduo pòſt, cùm aliquamdiu in pectore ſibus & Iuſtitia pugnaſſent, hac vincente, fauces Muſtafæ neruo arcus iuſſit effringi, & morte Pudicitiæ litare.

C

CAPVT IX.
DE IVSTITIA.

Quam Princeps erga ſubditos ſeruet.

QVid enim potiùs faciat? prima inſtitutio & admiſſio regum ab hoc fine fuit. Sine Iuſtitiâ viuere inter nos, id eſt in Societate, non licet: ergo aliquis, aut aliqui eligendi, qui huic adminiſtrandæ præſint. Liuius benè: *Multitudo coaleſcere in vnius populi corpus, nullâ re, quàm legibus, poteſt.* Planè nulla. Lib. 5. hæc vinclum eſt, & vt ſic dicam, coagulum: ſolue, diſſipamur, & vt feræ ſolitariæ, vagamur. Homerus,

D qui omnia ſciuit, de Iuſtitiâ iſtud:

Ἥ τ' ἀνδρῶν ἀγορὰς ἠμὲν λύει, ἠδὲ καθίζει.

Quæ cœtus hominum cogit, ſoluitque viciſſim. Odyſſ.

Cogit & ſeruat, ſi ſeruas: ſoluit, ſi negligis & ſeponis. Mirum & breue, ſed verum eſt: nullâ re (ad vſum prouoco) quæcumque Reſpublica magis florebit aut floruit, quàm rigidâ & immotâ Iuſtitiâ: nullâ re magis flacceſſet & deficiet, quàm illâ tali. Hæc felicitas regnorum & ſtatuum, interna & externa. Interna quidem. nam quis neſcit ſcelera & flagitia per eam remoueri, virtutes promoueri? Externa. quia agri, viæ, maria frequentantur, & ſecuritas vbique ac tranquillitas regnant. Boëtius egregiè, *Annum bo-* 1. De Cõ. *num, non tam de magnis fructibus, quàm de iuſtè re-* ſol. phil.

E *gnantibus, exiſtimandum.* Quid iterùm Homerus?

Ὥς τέ τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅς τε θεουδὴς, Odyſſ. T
Ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων,
Εὐδικίας ἀνέχῃσι· φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα
Πυροὺς καὶ κριθὰς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ,
Τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχῃ ἰχθῦς,
Ἐξ εὐηγεσίης, ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ.
Vt cùm Rex bonus imperat, & metuēs Diuorum,
In multis populis & fortibus ille quoque idem
Iuſtitiam colit: obſerues & tunc ſola terra
Fructus ferre ſuos, & fruges fundere, itémque

Fatiſcare armenta, & piſces exundare:

Nempe ex Iuſtitiâ, populiq́; bene atque beatè eſt. Si attendas, & dilates: quam laudationem vberem Iuſtitiæ non ſcribas? Ergo felicia regna reddit: eadem alia, ſi languet aut perit. O pulchrum, cùm licet gloriari aut dicere, quod GVILIELMI, quem *Acquiſitorem* vocant, temporibus in Angliâ: *Totum regnum puellam onuſtam auro poſſe peruadere!* Vt poſſit, Iuſtitia

10.LXXXV

MON. I. *Seuerè adminiſtranda.*

I. Etiam in paruis rebus, aut iniuriis. Quod fecit ANDRONICVS *Comnenus*, Imperator Byzantij: qui nullo diſcrimine nobiles aut nouos, tenues, diuites, ſuos, aut alienos, ſolitus culpæ conuictos damnare. In his *Theodorum* quemdam è ſuis catis, quem agricolæ detulerant, diuertiſſe apud ſe cum ſeruitiis, necio diſceſſu quidquam ſoluiſſe. Res erat (vt hodie) non nimis noua aut inſolens Palatinis. Tamen Imperator hominem ſtatim corripi, fuſti duodecies in publico cædi iuſſit, tum agricolis damnum largiter rependi.

II. Scripſit IDEM ad Præſides & Magiſtratus hiſi pſis verbis: *Aut iniurias aut vitam relinquite. nam vos iniuſtè agere, & viuere, nec Deo gratum, nec mihi eius miniſtro ferendum eſt.* Tu verò nunc viue Imperator, & mapalia noſtra ordina.

III. LEO ARMENVS ibidem Imperator, cùm Palatio digreſſus adiretur à tenuioris ſortis homine, qui vxorem ſuam diceret à Senatore raptam, ſtupratamque: & id ſe facinus ad Præfectum detuliſſe, nec ius adhuc ſibi dictum: *Leo* confeſtim mandauit, vt reuerſo ſibi actor, reus, Præfectus ſiſterentur. Quos deinde auditos, cùm noxæ reum, negligentiæ Præfectum comperiſſet: hunc dignitate, illum vitâ exuit. O factum, Dei hominumque fauore dignandum!

IIII. Neque aliter in cauſsâ ſimili TOTILA rex: eo laudabilior quòd barbarus patrauit, & in militem, non ſine metu ſeditionis militaris. Acceſſit eum Calaber quidam, iocuſauitque è ſatellitio eius militem filiæ ſuæ per vim compreſſæ. Totila ſtatim in vincla hominem dat, pœnas ſumpturus: quas tamen milites remorantur, miſeratione, an cupidine ſimilis licentiæ: atque agmine adeuntes petunt dimitti, & ſibi donari, commilitonem notæ virtutis, & facinorum clarum. Totila auditos acri oratione caſtigat: *Quid agitis parùm prouidi, aut vobis vultis? Sine iuſtitia rem ciuilem, aut militarem, ſtare non poſſe ſatis vos Theodahadus rex docuiſſe debuit: qui pretio aut gratia eam largitus, quas clades ipſe paſſus eſt, & per eum gens Gothorum? Nunc me rege, & illa reuixit, ac ſtatim caput ſuſtulit vetus illa gloria noſtra ac fortuna: & vultis illam & hanc iterùm (nexa ea ſunt) corruere ac labi? Quo autem pretio? vnus è vulgo ſcelus admiſit: & placet gentem totam luere, & vos venire, ſtrenuos & integros, in communionem noxæ? Nam venitis: & aſſident inter ſe, ac penè paria ſunt, delinquere & tueri delinquentes. Paria? imò maius hic peccatum eſt, viam aperire & ſtruere peccaturis. Sed de vobis, vos videritis milites: ego alta voce & corde proclamo, non feram: & ſi ferro vultis, me auferte. Ecce corpus & pectus.* Moti ſunt, & animos ponunt, rem ei permittunt. qui hominem carcere eductum audit, ac capitis damnat: damnati bona viiatæ velut io dotem donat.

V. ALFONSVS rex Hiſpaniæ, ſed *Imperator* cognomento, quia huic dignitati deſtinatus, inſignis æqui iuſtique cultor fuit. Exemplum. Nobilis quidam in Galæciâ, ſtirpe ſuâ fiſus, & temporum perturbatione confiſus; ruſticulum bonis omnibus ſpoliauit. Prætorem ille adit, hic nobilem monet deſiſtere & reponere: non audit, rex aditur, iubet idem, nec obtemperat, in locorum longinquitate ſpem etiam ponens. At rex, ceteris omnibus omiſſis, priuati habitu, quo res occultior eſſet, Toleto in extremam Galæciam pergit. Militis ædes obſidet, dilapſumque comprehendi è fugâ, & pro ipſis foribus laqueo ſuſpendi, & cum ignominiâ ſtrangulari mandauit.

In noſtrâ verò Belgicâ BALDVINVS *Septimus* Comes Flandriæ, *Petrum* virum nobilē, & *Orſcampi* toparcham, ob duos boues paupérculæ viduæ reclamanti abductos, re ad eum delatâ, ſubitò atripi iubet, & atroci morte puniri. Fortè lebes aquæ feruentis in medio Brugenſi foro erat, monetario puniendo deſtinatus; in hunc ſine morâ hominem conſici iubet, ſic vt erat, ocreatum, veſtitum, gladio accinctum. Quid ais? ſic calidè, & an non temerè? Nihil. nam inquiſitio præceſſerat, & culpæ conuictus, per aliam cauſſam euocatus, pœnas ſic luit: meo animo, rectè & ſalubriter. VI.

Ille IDEM vndecim equeſtris loci viros, quòd tres mercatores per viam bonis, & deinde vitâ exuiſſent, vocatos in Palatium damnauit. Statimque ſe coram laqueis iniectis, deſtitui ſuper tabulam annexos ad trabem iuſſit: ac manu tum ſuâ tabulam ſubduxit, ac penſiles fecit ſuffocauitque. Rem laudo, modum improbo: ac potuit debuitque manibus hoc alienis. VII.

MON. II. *Sine affectu vel aſpectu adminiſtranda.*

Quod nobili exemplo præiuit C. MARIVS, ille ſeptimùm Conſul. Cimbricum terribile Romanis bellum erat, & ei, poſtquàm aliorum ducum pertæſum eſſet, Marius præfectus. Fecerat Tribunum in legione ſororis ſuæ filium, militiæ fortaſſe fortem, libidinis impotentem. Amare cœpit in legione ſuâ *C. Plotium*, tironem militem, & in flore adhuc æui: nam Romani ab anno decimoſeptimo eos ſcribebant. Igitur aliquoties tentare, & de ſtupro eum appellare: iſte aſpernari, & conuicio mox repellere. Tanto flagrantior, & ad imperij vim verſus, noctu adoleſcentem in tabernaculum vocat: & capitale erat non parēre Tribuno. Venit, & ſolita audit, & flagitij tentamenta, aut prçmia: quæ cùm fortiter tenceret, manus Tribunus iniicit, & vim parat. cùm ille boni ſanguinis, gladio educto, *Virum me ſcito*, inquit: & Tribunum tranſadigit. Clamor in tabernaculo, tumultus in caſtris: nouum & atrox facinus omnes concitat. Tribunū à manipulari occiſum. Ducitur manè ad C. Marium, qui fortè eâ nocte non fuerat in caſtris, qui tribunali conſcenſo, voces & præiudicia militum audit, diſciplinam caſtrorum, & ſuam etiam cognationem cogitat: atque omnia prædamnabant militem; ſed eius innocentia, & Marij firma æquitas, eripiunt. Nam cùm ille ægrè & inuitus; ſed victo pudore denique, rem explicaſſet: Marius nihil cunctatus, ſententiam & infamiam in defunctum vertit, & hunc noxæ abſoluit. Abſoluit tantùm? imò & laudatum coronâ donauit, cum elogio: *Quòd pulcherrimum facinus eo tempore edidiſſet, quo fortibus exemplis opus eſſet.* Macte Mari! Pudicitia te amat, atque ipſa Diſciplina amat: quam ſoluiſſes, niſi ſic ſoluiſſes. I.

Talis ANDREÆ regis Hungariæ iuſtitia, nec in cauſſâ nimis diſpare. Iuit in terram Sanctam cum copiis, religione impulſus, & curam regni *Banchano* commiſit, fidei eius & vxore *Gertrude* commendatâ. Quæ apud eum ſancta, non ipſam fuit. nam cùm frater Gertrudis, adoleſcens laſciuus & petulans, abſente rege, viſum ad ſororem veniſſet: illa iuuenem

gratificatura, vxorem Banchani, pudicam ad id formoſamque fœminam, fraudibus & pellacijs ei ſubſternit. Quæ poſt facinus pœnitentiâ ducta, rem omnē marito exponit, & ſimul reginæ fraudes, & iram à ſe in illam vertit. Quâ vtiliſſimâ Banchanus accenſus, vt erat doloris recens, reginam adit, exprobrat factum, & gladio vlciſcitur. Cæde patratâ Byzantium abit, Andreæ regi occurſurus, illac in Syriam tendenti. quem mox reperit, & rem aperit, illum vnum iudicem, &, ſi meruit, vindicem poſcit. Rex differt in ſuum reditum, & vultu atque animo compoſito *Tu verò abi*, inquit *& in regnum redi vicem meam, vt antè, functurus. Nam reduci mihi, ſi Deus annuit, ſtat hanc cauſſam cognoſcere & decidere. Si innocens es, tunc libens abſoluero: ſin autem nocens, ne nunc quidem damnatum volo nec expeditionem hanc in hoſtes fidei ſumptam, Chriſtiano ſanguine auſpicor & perfundo.* Vterque abiit: ille in Aſiam, hic in Hungariam: & cùm rediſſet, cauſâ ſerò inquiſitâ & cognitâ, pronunciat, *Vxorem ſuam iuſtè cæſam videri.* O multa in hoc facto inſignia! Quòd nihil ſacræ expeditioni antepoſuerit: quòd ſuſpectum, ſi non conuictum, reum regno præpoſuerit: quòd amorem coniugalem Iuſtitiæ poſtpoſuerit. Salue vel hoc facto magne rex: & tu CROYORVM inclyta familia, ramus ab illâ ſtirpe.

III. At OTHONIS *Tertij* Imperatoris affectus, etiam in ſuo capite & ſalute, domitus Iuſtitiæ ceſſit: ſi vera eſt narratio, quam ab illo æuo plures ſcriptores tradunt. Aiunt vxorem ei fuiſſe, parùm caſti corporis: & hanc cùm ad *Mutinam* Italiæ Imperator eſſet, cuidam Comiti in iis locis copiam vſuramque ſui obtuliſſe, ſed repulſam tuliſſe. Id perdolitum fœminæ (veteres ab eo iras & calumnias ſcimus:) atque auſa eſt ipſa crimen vltrò ſtruere, & tentatæ pudicitiæ ſuæ Comitem accuſare. Imperator calidè audit, credit, damnat, occidit. Comes tamen antè mortem rei ſeriem vxori ſuæ aperit: & rogat vt mortuum vindicet, & famam, quoniam vitam non poteſt, ſeruet. Dat conſilium, vt iudicio candentis ferri, Deo freta, rem committat: qui mos tunc frequens, nuper & hodie meritò exoleuit. Ille ita moritur: & paullò pòſt dies aderat, quâ ſollenniter Cæſar ius dicebat, viduis maximè & pupillis. Vidua igitur Comitis, mandatum exſecutura, venit ad tribunal, & caput mariti occultum in ſinu geſtat. Stat ante Cæſarem, & veniam præfata rogat: *Ecquâ pœnâ dignus eſſet, qui vitam alteri iniuriâ ademiſſet?* Hic Imperator: *Id quidem, loquere mulier*, inquit: *morte.* Tum illa, *Ergo pœnam hanc tu, Cæſar, te iudice ſubibis, qui innocentem maritum meum ſuſtuliſti. En caput, quod recidiſti. Innocentem autem eſſe, quoniam teſtes & alia deſunt, tractatione ignitî ferri probabo.* Dixit, & ſine noxâ fecit: miraculum Imperatorem & adſtantes commouit. ſed hunc maximè, qui Deum etiam vindicem timebat. Itaque permittit ſe fœminæ, vt ſuâ voce damnatum: ſed veniam vitamque quattuor caſtrorum donatione redemit. Ea ſunt in Etruriâ, Lunenſi tractu, & *Decimum, Octauum, Septimum, Sextum* appellant: à numero dierum, quibus prorogationem ſupplicij à fœminâ, ante plenam veniam, impetrauerat. Haud negauerim, à fabulâ quàm hiſtoriâ hoc videri propius: ſed bonis tamen auctoribus ſcripta, quæ culpa eſt deſcribere?

IIII. Minùs aſpera, & vt ſic dicam, Tragica ſunt, quæ ſubiungam: ſed in quibus affectus tamen egregiè calcati. ARISTIDES Athenienſis, qui meritò, & à pluribus cauſſis, cognomen *Iuſti* vindicat, iudex inter duos captus ſedebat: cùm aduerſarius, vt illum aduerſario ſuo alienum redderet, ſibi propitium; multa dicere de hoſtili eius in Ariſtidem animo, & documenta adiungere. Sed ille interrumpens, *Quin tu*, inquit, *ſiquid te læſit, hoc dicis, & alia omittis? nam huius rei nunc ſedemus.*

V. GRATIANVS Imperator Romanus lepidè etiam hîc luſit, & ablegauit mulierem ſtultè importunam. Acceſſit, & de marito queſta eſt, & aſpera multa dixit. Ille placidè, *Quid hoc ad me mulier?* At enim ſubiecit ipſa, *etiam in te male animatus eſt, & loquitur.* Ille iterùm, *Quid hoc ad te mulier?* & contumam tritamque ſic dimiſit.

MON. III. *Subtiliter interdum vel ſagaciter inquirenda.*

I. SALOMONIS regis Hebræi factum innotuit, celebratæ ſubtilitatis in eruenda veritate: cui æquitas comitem ſe dedit.

II. GALBÆ Imperatoris. qui, cùm de proprietate iumenti quæreretur, incertis vtrimque argumentis, ita decreuit, vt ad lacum, vbi aquari ſolebat, capite inuoluto duceretur: atque ibidem reuelato, eius eſſet ad quem ſponte ſe recepiſſet.

III. Sunt alia huius generis: ſed omnia æquat aut ſuperat RVDOLFI Auſtriaci iſtud. Agebat Norbergæ, & rebus imperij ac publicis intendebat: cùm ad priuatas eum venit leuiter mercator quiſpiam, ius & vindictam petens in hoſpitem ſiue diuerſitorem ibi notum, à quo grandi pecuniâ fraudatum ſe aiebat. Nam bona fide depoſuiſſe apud eum in ſacculo *ducentas argenti ſelibras* (Marcas appellant:) quas ille impudenter abnegabat, iniurioſè retinebat. Imperator de fide dictorum rogat: ille affirmat, ſed ſua fide, nec aliis (vt ſolet ferè in Depoſito) argumentis. Igitur Imperator, re perpenſâ, aſtum adhibendum cenſuit, & veſtigiis verum indagandum. Quærit ab homine, ille ſacculus ſiue vidulus cuiuſmodi eſſet? Deſcribit formam: nec aliud Cæſar, quàm ſecedere eum in proximum cubiculum, & præſtolari iubet. Habebat in animo euocare hoſpitem, ſed Fortuna commodius inſtituit, & vltrò ad eum mittit. Nam veniunt primarij vrbis ciues, vt ſolet, gratulatū Principi, & ſalutatum: inter quos iſte inſidiis hoſpes. Norat adeò iamantè Cæſar, & vt comitas eius erat, benignè & per facetias appellat: *Heus tu, ſcitum illic pilleum habes. mihi dona, & permutemus.* Ille arriſit, pilleum libens dimiſit, & honori hoc factum duxit. Cæſar ſecedit paullùm, quaſi publicum negotium auocaret: & fidum ac notum eius oppidi ciuem, cum ipſo pilleo illo, ad vxorem hoſpitis mittit cum mandatis. *Heus matrona, maritus iubet vt ſacculum illum talem ad eum mittas. opus habet: & ecce teſſeram fidei mea hunc eius pilleum.* Mulier agnoſcit pilleum, & ſacculum deſcripſerat: itaque nihil ambigens aſcendit, tradit, quaſi ad maritum deferendum. At ille rectà ad Cæſarem. qui vidulum vocato tunc denique mercatori oſtendit: & *Hicne eſt? & agnoſcis?* Affirmat, exſultat: tum & Hoſpitem Imperator adhibet, & *Hic*, inquit, *de te queritur, & perfidiam accuſat: quid ais, & refellis?* Audacter ille, *mentiri eum dicere, aut dementire: nihil ſibi rei cum eo eſſe, aut fuiſſe.* Denique Imperator ſacculum profert: ad cuius aſpectum ille confunditur, & animo ac linguâ labitur. Quid multa? mercator pecuniam, hoſpes infamiam recipit, atque etiam damnum. nam grandi pecuniâ aliâ Cæſar eum mulctat. At Rudolfus omnium ore & ſenſu laudem: & decantatum in Germaniâ ſatis hoc factum fuit. Sed quoniam nunc, & antè, Principes dedi, qui ipſi & ſuo ore, ſtatim & de plano ius dixerunt, omni pro moribus noſtris poteſt

QVÆST.

QVÆSTIO

An ergo deceat, aut expediat, ipſum Principem ius dicere, reddere?

Ego putem decere, expedire, debere. Non alia res imperium magis aſſerit & oſtendit, quàm hęc in bona vitamque noſtram poteſtas: & cur Princeps cunctetur exercere? Expedit etiam, quia contra potentes ſæpe cauſſæ aguntur: nec minores illi aut delegati iudices, ſatis in eos oris, aut roboris, ſemper habent. Seuerior igitur ita, ſed & breuior Iuſtitia: & tricis remotis ſupremus ille decidit. Addidi, debere. quidni? In *Politicis* docui, reges iuſtitiæ fruendæ cauſsâ primitùs inſtitutos. Si hoc fine, cur munus ſuum refugiant? Homerus audiatur:

> Εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
> Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν βασιλεύῃ:
> *Vnus rex, cui conceſſit Saturnia proles*
> *Sceptrumq́, & leges, vt iudicet & dominetur.*

Leges & iura Deus in manu eius, cum ſceptro poſuit: hoc oſtendit & præfert, illas aliis demandet? Non debet: & vel veteres ab omni æuo, in omni ferè orbe, reges videat: ius ipſi dixerunt. Hæc & plura in iſtâ parte ſunt: ſed & alia acies habet aſſertores. Aiunt incommoda multa fuiſſe, & eſſe, ſi Princeps iudicet, iisque animaduerſis, ad hodiernam hanc rationem ventum. Primùm ecce, da Imperitum Principem, qui par erit? qui non faciet recta curua? Item, da Ineptum in ſermone, in geſtu: quid oſſi irriſui ſe exponit? Ampliùs, crebra hæc oſtentatio ſui, & in populo locutio, nônne vulgat Principem, & detrahit maieſtati? Quartò, vel ſeuerè iudicabit, & Odium pariet; vel remiſsè, & Ius violabit. Melius ergo res aſperas, & ſine bonâ gratiâ, in alios inclinari. Quintò denique, ſunt nunc Curiæ maiores minoréſque, & cuique rei ſtata ſua iudicia: quid Principem in nouas curas arceſſimus, variè & affatim diſtractum? Quin melius tutiúſque nil nouare, & ſiquid in iam ſtatutis labat, firmare & vincire. Iſta nec malè, nec abs re prorſus dicuntur, fateor: ſed reſponderi tamen poteſt, & iuſtitiæ cauſsâ, debet. Primùm de Imperitiâ, dico. plurimùm & principem, & quemcumque alium, naturâ duce in magnis aut enormibus cauſſis iudicare poſſe, nec opus grandi ſcientiâ (ad hanc rem) Iuris & Legum. Da ſimplicem, da probum, affectuum expertem: audeo dicere, rara cauſſa erit, in quâ verum, aut quod iuxta verum, non videbit. Imò Deus plerumque inſpirat, & talibus mentem mouet. quod ſacer ille ſcriptor voluit: *Diuinatio in labiis Regis, in iudicio non errabit os eius.* Et tamen fac interdum caligare: quid? nônne in aperto remedium, & damus ei Adſeſſores? damus, comitentur eum ad hæc talia exeuntem, nec auxilij ſolùm cauſsâ, ſed decori. Atqui in Sermone aut geſtu aliquis ineptus eſt. Scio eſſe, & tamen ſi alibi loqui eos deceat; hîc vel maximè, in re ſeuerâ, graui, paucorum verborum. Itaque aut Principem talem mutum, niſi fortè in cubiculo, faciant: aut patiantur & hîc loqui. Etſi talia exempla rara ſunt: cur adducimus, aut inſiſtimus? Ad tertium, Vulgat ſe nimis ita Princeps. Fortaſſis, ſi in rebus aliis: at hæc per ſe talis eſt, vt reuerentiam ſui gignat, vel terrorem. Videmus in cotidianis iſtis iudicibus, quàm plebecula eos veneretur & timeat, etiam illa innoxia, & cui nihil cum iis negotij eſt aut fuit. Benè à Deo ita facti ſumus, vt vereri hoc numen & nomen ipſum Iuſtitiæ, & quicunque ei adminiſtrant. Quanto magis in Principe, ſi ſe non mandare tantùm (in occulto id fit) ſed exercere, cum ſummâ poteſtate, oſtendat? Et ſanè nihil hîc familiariter aut comiter fit: verba, geſtus, aſpectus, apparatus, omnia triſtitiæ aut ſeueritati propiora. Ergo hoc faceſſat: quartum videamus, de Odij metu. Incurret in id, inquiunt, ſi ſeuerè iudicat; in Iniuſtitiam, ſi remiſsè. Extrema accipiunt, & eunt extra ipſas Iuſtitiæ metas. Quid? an ſemper damnationis materia? faceſſe: in ea ipsâ certè alter ſic deprimitur, vt alter alleuetur. Hunc lædis, illum iuuas: ergo ab illo Odium, ab hoc Gratia, paria ſunto. Sed nego etiam in ſeueritate crebrâ, odia excitari populariter: & contrà eſt in rectis animis, qui acclinant ſe magis ad tales & attrahuntur. In aſpectu illa offendunt; cogitata & cum vſu publico collata, delectant. Vidéſne vt in medicinâ quoque triſtia & tetra ſæpe proponentur, ſed ſalutis cauſsâ? itaque ab hoc fine, adeò non odimus medicos, amamus & laudamus. Simillimum in Iuſtitia: à cuius acerbâ ſectione aut vſtione ſalus generis humani pendet: & quis id vel è plebe neſcit? Iam de Remiſſione, non abnuo naturas quaſdam ad mitiora ſemper inclinare: & quid mali erit? imò ſit nobis talis Princeps. Nam hunc ſic clementem ratio tamen reget, & norma iuris & legum excitabit: nec deerunt, qui ad viriliora & triſtiora, cùm opus erit, flectent. Aliqua verò interdum remiſſio, planè ex vſu erit, ſi tamen terror iſte, & ſub magno Iudice, præiuit: Ignouit illi Princeps: ſed metu, ſed ignominiâ perfuſo. Ignouit illi Princeps: ſed Princeps, id eſt ſine corruptelâ, aut affectu alio ſordido, humanitatis tantùm amore. Hoc ipſum quàm Amorem omnium conciliet? & verum eſt, ſi opportunè adhibeatur. Vltimò, nobis Mos opponitur, & Conſilia ac Curiæ iam definitæ. Equidem cum More haud temerè pugnem: ſed quàm vetuſto? Aui vel proaui noſtri aliter fecerunt: vide quàm longinqua repetamus. Quin totum hoc de perpetuis Curiis iudicum, nuperum eſt, & è Galliâ ad nos manauit. Concludimus, & moderamur: Principem decorè & vtiliter ius dicturum, ſed aliquando id eſt, vel certis temporibus, vt id ſciri poſſit; vel in cauſſis grauibus, ſiue atrocibus; vel denique, contra potentes aliquos, & partibus graues. *Caroli Magni* legem, quæ exſtat, traxerim in exemplum: *Hoc miſſi noſtri notum faciant Comitibus & populo, quòd nos in omni hebdomadâ vnũ diem ad cauſſas audiendas ſedere volumus. Populo autem dicatur, vt caueat de aliis cauſſis ad nos reclamare, niſi de quibus aut miſſi noſtri, aut Comites, eis iuſtitiam facere noluerint.* Ecce erant illo æuo paſſim in opidis & pagis etiam *Comites* ſiue *Grauiones*, qui communiter ius dicebant: interueniebant extra ordinem & *Miſſi* ſiue Delegati à Principe, qui idem. At *Carolus* ipſe tamen audire cauſſas voluit, idque hebdomadarim: cauſſas ſcilicet grauiores, aut in quibus læſio aut iniuria interueniſſe ab ipſo iudice videbatur. Si non alius in hac re fructus, quantus iſte eſſet? Coërcere hoc modo iudices, & vigilantes attentoſque reddere: cùm Principem cogitarent iudicij ſui iudicem, & fortè vindicem mox futurum. Sed Exempla, pro inſtituto, hîc addamus.

Prou. cap. xvi.

PHILIPPVS MACEDO, de communi tunc more, crebrò ius dixit. Sed cùm fortè in viâ, & aliò feſtinantem, mulier de re ſuâ appellaſſet, negauit *Sibi vacare.* Tum illa audacter: *Noli igitur regnare.* quaſi admonens, ſiue exprobrans, regium hoc ita munus eſſe, vt ſine eo legitimus rex non eſſet. Admiſit, & mulierculam ſtatim audiuit, & ſiquis alius inibi vellet. I.

Aliter DEMETRIVS *Poliorcetes*, in eâdem Macedoniâ rex: qui per proteruiam illuſit etiam ſupplicibus. Nam cùm libellos adeuntium benignè in viâ accepiſſet, quaſi lecturus, & cogniturus: mox cùm ad pontem Axij fluminis veniſſet, excuſſo chlamydis II.

ſinu

ſinu, omnes in ſubiectam aquam abiecit. Non impunè. nam Macedones, qui talem *Philippum* ſuum non videbant ſiue audiebant, mox ſpreto illo ad *Pyrrhum* tranſierunt, & Iuſtitiæ deſertorem deſeruerunt. Meritò, meritò. ſic habeant, & luant.

III. AVGVSTVS Cæſar, quàm aliter? *quis ius dixit aſſiduè* (ait Suetonius) *& in noctem nonnumquam.* Quòd ſi infirmior etiam eſſet, & à corpore minùs valeret; lecticâ pro Tribunali poſitâ, & in eâ recubans, vel etiam domi, ius reddebat. Quid ad hanc diligentiam addi poteſt, præter *Euge*, & *Bellè*?

IIII. Iam CLAVDIVS Imperator item aſſiduus. imò & ſuis ſuorumque ſolleonibus diebus, atque adeò feſtis & religioſis, non abhorruit iuriſdictionem.

V. Omitto vetera. in ipſâ Galliâ vicinâ, CAROLVS *Octauus* patrum æuo rex, ſub finem vitæ rebus iam attentior, omnibus ſeptimanis binos dies deſtinauit iuri in publico reddundo: idque aditu tam libero, vt nemo vel è fæce plebis regio conſpectu & affatu arceretur.

VI. Sed dixi, vtiliter imò neceſſariò (quid enim ſi res ſubtilis, aut in legum ambiguitate ſit?) Adſeſſores adhiberi. quod plerique Romani Principes, aut prouinciarum Præſides, fecêre. Imò ALEXANDER *Seuerus negotia & cauſſas prius à ſcriniorum principibus, & doctiſſimis Iuriſconſultis, & ſibi fidelibus, quorum primus tunc Vlpianus fuit, tractari ordinarique, atque ita ad ſe referri precepit.* Prouidè. ius ipſe dixit, ſed inquiſitum priùs & euolutum. Sed alia hîc etiam

Lamprid. in eius vitâ.

QVÆSTIO:

An Curias, & ordines Iudicum perpetuos eſſe conueniat?

Hodie ſic habemus, nec cùm Princeps intendit, & velut cenſuram interdum exercet, improbemus. Tamen ſuæ etiam rationes ſint improbanti. Vt, quòd tempore omiſſiores ſegnioreſque fiant: & aſſiduâ Iuſtitiæ tractatione, minùs eius reuerentes. Redditur enim cottidianum opus, & cum tædio aliquo aut faſtidio vſurpandum. Secundò, factio aut coitio facilè oriri poteſt, & ſuperba etiam quædam dominatio. quod Liuius notat in *ordine iudicum perpetuo* apud Carthaginenſes: & *qui vnum eius ordinis, idem omnes aduerſos habebat.* idque inter cauſſas lapſæ illius reip. quidam habent. Tertiò, corruptelæ interueniunt: & quibus ex diuturnitate ſecuritas adeſt, facilè aures & manus iis laxant. Itaque vt in aliis imperiis, breuia plerumque meliora, & peccare minùs obnoxia: ita quidam hîc cenſent, & mutandos eſſe. Romani ita. qui Decurias Iudicum ſcribebant, ex honeſtiſſimis, & ex cenſu (ne paupertas ad culpam impelleret:) ſed non eas omnes adſiduè iudicare volebant, dumtaxat quotannis certum & neceſſarium numerum ſorte legebant, reliquis tunc feriatis. Sed re tamen benè examinatâ, cùm iam ad hanc multitudinem legum, & ex eâ tricas aut captendulas ventum: bonum eſt perpetuos eſſe, eoſque iuris benè peritos. Quod ad *Omiſſionem* aut *Coitionem*: Princeps facilè arcebit, ſi, vt dixi, iis intendit. Quod ad *Corruptelam*: idem, ſi ſtipendia & præmia digna donat. Operæ eſt ex Annalibus Turcarum inſerere, quod huc mirè facit. BAIASITES *primus*, cùm fraudes & iniurias *Cadiorum* ſuorum (ita Iudices vocant) ſæpe iam audiret: commotus denique *Neapolim* omnes ad ſe venire iubet, ibi in domû quandam includi, & igne iniecto comburi. Faciendum erat: cùm *Alis* Baſſa, vir prudens, rationem quæſiuit, & repperit, Principis molliendi. Habebat Baiaſites Æthiopem puerum, garrulum & lepidum, inter delicias:

Lib. XXXIII.

A hone inſtructum quid diceret, faceterque, ad Principem miſit. Venit igitur in meliore veſte, & ornatu omni: *Quid hoc rei?* inquit Princeps: *quid extra morem hic veſtitus?* Æthiops: *Vt peregrè eam, & ableger à te ad Imperatorem Conſtantinopolitanum.* Princeps: *Ad illúmne hoſtem noſtrum: quid facturus?* Æthiops: *Nempe * Calogeros aliquos arceſſiturus, vt nobis ius dicant: quoniam Cadios tuos omnes vis occiſos.* Princeps: *At ô mi Æthiopille, numquid iſti periti legum noſtrarum ſunt?* Hîc Alis Baſſa opportunè interloquitur: *Et non ſunt ô Domine. cur peritos igitur tollis? Nam*, inquit, *cur male iudicant?* Iterùm Alis: *Ego Domine cauſſam edam. hi noſtri ſtipendium è publico nullum accipiunt, capiunt igitur mercedulas à priuatis. Hoc corrige, eos correxiſti.* Placuit conſilium Baiaſiti: vitam illis dedit, Ali poteſtatem in hac re, quod ex vſu eſſet, ſtatuendi. Ille decreuit (& poſteà manſit) *Vt cuicumque B hereditas tot millium Aſprorum obueniſſet, is in ſingula millena Cadio ſuo daret Aſpros vicenos.* Amplius: *Vt in matrimoniorum, & eiuſmodi contractuum, inſtrumentis, item vicenos.* Ita inopiæ ſubuentum, & ſimul Iuſtitiæ quæ laborabat. Alia munera nefas accipere, nec certè, quocumque colore aut velo, decet. Ægyptius rex Iudices ſculpi fingique iuſſit, velatis oculis, truncos manibus: ſignificans, nec affectu flecti, nec muneribus capi debere. Aliquid laxant quidam. vt dumtaxat leuia munera, & cibaria: item, poſt ſententiam latam: quæ talia, quid niſi rimam primò, tum ianuam patefaciunt corruptelæ?

* Sunt monachi Græcorũ, aut religioſi.

CAPVT X.

C

DE LEGIBVS.

Eas nec multas, nec item lites, probari.

LEges in republicâ, vt medicamenta, eſſe debent: atqui nec hæc multa aut varia probentur: non item illæ. Plato veriſſimè: ὅτι παρ' οἷς πλεῖστοι νόμοι, καὶ δίκαι πλεῖσται, καὶ βίοι μοχθηροί: *Quòd vbi plurimæ leges, ibi & LITES, itémque MORES improbi.* Deus bone, quàm rem tetigit! & vſus vbique gentium, aut temporum, hoc affirmabit. Maneamus in Romanâ republicâ. paucas ea initio habuit: paullò plures Decemuiri addiderunt: & ita ad Principes ferè manſit. Tunc ſanè plures: & à Iuſtiniano plurimæ, quibus vtimur; *Lothario* Imperatore, cùm diu ſiluiſſent, eas reducente. Nam Gallia, Hiſpania, Germania, earum ad id æui ferè expertes erant. Receptæ D igitur ſunt: & quo fructu? Certè illo litium, nemo negauerit: quæ ex eo nimium quantum ſuccreuerunt. Europam vide, & mentior, niſi maxima eius pars circa iſtas occupatur. Alij iudicant, alij inſtruunt, alij agunt, &, qui miſerrimi ſunt, eas habent. Bone Lothari, manes tui per me quieſcant: ſed roſæ aut lilia ſepulchrum tuum non ornent, qui tot tricas & ſpinas nobis ſeuiſti. Nam quæ tam clara cauſſa eſt, quæ non aliquâ lege, lege? imò interpretatione (nam & has admiſimus) obſcuretur? Quæ tam improba, cui non dent colorem? Ars enim facta eſt Cauſſidicinâ, & peritè captare aut capere laudem habet. Atqui opus eſt, inquiunt, multitudine: vt varij factorum euentuúmque velut vultus & ſpecies diſcernantur. Nam ſi paucæ leges, quid? an iudici libera pleraque E relinquentur? feneſtram ſiue oſtium ad iniquitatem pandemus? Non ego cenſeo: ſed neque ſic iudicem coerceri. Obſecro, quæ illa copia eſt, quæ omnia comprehendat, aut diſtinguat? Ipſum Iuſtinianeum ius vide: hîc deficit, & multa ex ſimilitudine, aut obſcuris extra argumentis, iudicantur. Imò vbi copia, plus intricati erit: & ſemper argutia aut calumnia in ſinu aut receſſu huius illiúſque legis latebit, & ſe

defendet.

A defendet. An non videmus cottidie? præter ius illud Romanum, Statuta & Decreta oppidatim, pagatim, populatim habemus: claudimur vndiq; & velut obſidemur, à legibus: at litiū tamē copia, quāta non alio æuo, & cōtrouerſiæ aſſiduæ ſuper ipſo iure, aut querelæ. Pulcherrima Strabonis nota eſt, & vel aureis litteris ſignāda: *Zaleucū illū Thuriis olim* PAVCAS *&* SIMPLICES *leges dediſſe; ſed ſecutos, alias per ſubtilitatem & nimiam curam addidiſſe: ex quo factum ſit, vt celebres magis quàm boni redderentur.* Lib. vi. Additque dogma quantiuis pretij: Εὐνομεῖσθαι γὰρ, οὐ τοὺς ἐν τοῖς νόμοις ἅπασι τὴν φυλαττομένους τὰ τῶν συκοφαντῶν, ἀλλὰ τοὺς ἐμμένοντας τοῖς ἁπλῶς κειμένοις: *Bonis enim vti legibus, nō qui omnes iis ſycophātias aut calūnias cauēt & excludūt, ſed qui* SIMPLICITER LATIS *firmiter inhærēt.* Oraculū eſt, oraculū. nō multæ leges bonos mores, bonum ius faciunt: ſed paucæ, fideliter ſeruatæ. At-
B qui interueniunt calumniæ. Quid igitur? quo fine iudex? quo fine Princeps eſt? ille vir bonus, & os Iuſtitiæ; iſte potens, & viua ipſa lex, an non verbo vno decîdet? Et da, quòd alibi malè: quid magni mali eſt? primùm in re obſcurâ, & in quâ haud valdè intereſit, Titius an Seius vincat. Deinde (vera dicam) in re paruâ: in agello, in prædiolo, in pecuniolâ: habeat, cui iudex donat. Abſit tantùm aperta iniquitas: neque aliter in maximâ orbis parte hodie viuunt. Alterum in Platone, de Moribus malis, palàm verum. Improbitas huic Cauſſidicinæ adhæret: excipio ſemper eos, qui ex dignitate & veritate ius habent. Ecce vbi lites, nónne diſcordia: nónne odia deinde, iniuriæ, & ſæpe cædes? Platonem iterùm aduoco: Οὐκ εἶεν ἄν ποτε πολῖται φίλοι, ὅπου πολλαὶ μὲν δίκαι ἐν ἀλλήλοις εἶεν, ἀλλ' ὅπου ὡς ὅτι σμικρόταται καὶ ὀλίγισται: *Non*
C *fuerint cōcordes vmquā aut inter amātes ciues, vbi mutua multæ lites iudiciales ſūt, ſed vbi eæ* BREVISSIMÆ, ET PAVCISSIMÆ. v De Legib. Nota hæc vltima: volo non Paucas ſolùm lites, ſed Breues. Ego tecum: nunc vbi ſumus? vna aliqua lis Metonis annum tenet. Fit inuolucris legum, fit ſordibus aduocantium: & comperendinationes iſtæ ad quæſtum & lucellum eunt. Per Symplegadas, nauigatur Colchos & aureum vellus. Quid iam in ipſis litigantibus? pernicacia eſt, & ſæpe impoſtura, aut improbitas: *neque enim bona Conſcientia* (ait ſcitè Celſus) *ſed Victoria, litigantis eſt præmium.* Enimuerò nec publicè ſic expedit. nam quāta pars hominū in iſtis dedita? in ſcholis, in foris, in curiis: & pulchriùs meliùſque ſit, in agriculturâ, in mercatu, in militiâ, & quæ maioribus noſtris ſtudia fuêre. Vt concludam (& ſatis fucos irritaui)
D Princeps lites minuat, Princeps & leges minuat, pro meo ſenſu. Vt imputata vitis latè ſpargit, & infructuoſa eſt: ſic Ius profectò illud vetus, & labruſcas iam pro vuis gignit. *Iuſtinianus* ipſe olim reformauit, & nouauit; ante eum *Theodoſius*; poſt vtrumque *Carolus Magnus*, & tum *Fridericus*, Imperatores; denique in Hiſpaniâ rex *Alfonſus*. Quid? Principibus hodie potentibus & magnis, non idem ius ſit? habent, ſumant. His monitis robur ab exemplis etiam demus.

I. C. IVLIVS *Cæſar deſtinabat* (ait Suetonius) *ius Ciuile ad certum modum redigere, atque ex immensâ diffuſâque legum copiâ* OPTIMA *quæque &* NECESSARIA *in pauciſſimos conferre libros.* Fata inuiderunt.

E

II. VESPASIANVS, poſt bella ciuilia, cùm *litium ſeries vbique maiorem in modum excreuiſſent* (iterùm Suetonius) *ipſe ſorte elegit, qui iudicia, quibus peragendis vix ſuffectura litigatorum ætas videbatur,* EXTRA ORDINEM *diiudicarent, redigerentque ad* BREVISSIMVM *numerum.*

III. Et verò extra ordinem ſic eligi, vbi reformatione opus, vtile: fecitque IVSTINVS *Curopalates* Imperator Byzantij. Cùm enim ipſe morbido corpore eſſet, ac rarò ius diceret; iniuria & lites creuerant, adeò vt pro deſperatâ res penè (Byzantij præſertim) videretur. Ecce adit eum quidam, & ingenium operámque obtulit ad coercendum, eâ lege, vt ipſe Præfectus plenâ poteſtate in tempus certum eſſet. Annuit Imperator, ſumit poteſtatis inſulas, & pro Tribunali ſedet. ac primò accuſatur ex compoſito apud eum vnus ex illuſtribus Senator, in Aulâ ipsâ gratioſus: accuſatur, ſpernit ſe ſiſtere, & contemptim, præter ipſum tribunal, in Aulam pergit. Pergit extemplò & Præfectus, videt Principem in conuiuio, & ibidem hunc reum. Nihil deterritus: *Imperator*, inquit, *iuri dicendo Præfecturam à te habeo: & ab ipſo te auxilium & præſidium meritò ſperabam. Nunc quid? vides his oculis homines palam iniurios, & legū non fractores ſolùm, ſed ſpretores aut illuſores, in tuâ domo, gratiâ, ineūa eſſe. Itaq; inſignia hæc tibi habe irrita poteſtatis: ego abdico.* Imperator mirari & excitari: *Tu verò* inquit, *quod es eſto: & ius tuum vel in me, quidni meos? exerce. Duc ſi peccaui, ſequor: duc ſiquis hic alius, & ſequetur, aut trahetur.* Præfectus iam animi erectior, oculos & manus in illum Senatorem conicit, per apparitores renitentem etiam trahit: atque in iudicio conuictum damnatúmque, primùm verberibus afficit, tum & grandi pecuniâ mulctat. Hic ictus, qui tam validum illum concuſſerat, multos terruit: & in paucis diebus vim & vitam Iuſtitia recepit.

IV. Sed de iis, qui lites aut leges minuere voluerunt, CAROLVS etiam *Nonus* in Galliâ nuper fuit. Is prurigini ſiſtendæ, vectigal iudiciarium excogitauit, *Vt quicumque litem ordiretur, deponeret & dependeret in fiſcum Regium duos aureos, recipiendos ſi iure litigaſſe iudicatus eſſet; ſi aliter, omittendos.* Sed non diuturnum id fuit: & leue etiam remedium in grandia & vetera mala.

V. Seuerius, & fortaſſe vtilius, illud IACOBI Aragonū regis, qui litibus & litigioſis ſemper infenſum ſe
M CCC XXXVI. præbuit: & ex iis *Semenum Radam*, inſignem & primarium eâ ætate Iuriſconſultum, quod eius argutiâ aut malitiâ multi ſe afflictos quererentur, Præuaricatoris lege poſtulatum, regni finibus eiecit.

VI. Quid GALEACIVS Dux Mediolanenſium? cùm aliquoties audiſſet vafro ingenio Cauſſidicum eſſe, qui lites ſerere, & ſatas producere atque alere, etiam in liquido iure poſſet: hominem ad ſe accitum affatur. *Debeo*, inquit, *Piſtori meo centum aureos. non lubet ſoluere. tu ecquid tueri me in iure, & rem protollere potes?* Annuit largiter, & Principi promptè ſe dedit: ſed iſte ei malum. Nam fraudis ſic confeſſum, verbis priùs increpitum laqueo publicè necari iuſſit.

VII. Heu, percutiunt hæc aures tabularum! deſino: ſi MAHVMATANVM ſiue *Turcicum* iudiciorum morem, & in iis breuitatem, explicaro. Qui alium in ius vocat, ne lictorem quidem aut publicum apparitorem adhibet ad vadandum: ſed ipſe aduerſarium adit, & coram teſtibus *ad Dei iuſtitiam* (ſic loquuntur) vocat. Hic nec verbo refragari auſit, ſed ſtatim vnà ad Iudicem ſiue *Cadium* ſuum eunt. Ille autem ſemper paratus, totum diem ante ædes ſub tecto aliquo ſedet, & copiam ſui facit. Iſti, nullo aduocato aut cauſſidico, quiſque rem ſuam narrat: teſtes, ſi eos habēt, adhibēt: iudex, ibidē re penſitatâ, in hanc aut illam partē decîdit. Quod poſteà aliud alleges, aut approbes, nihil eſt: arbor ea cecidit, releuari aut erigi vltrà non poteſt. Quid? inquies, non interdū Iudices improbè, aut improbi? credo eſſe: ſed in rebus humanis nihil ſinceri eſt. eligēda quæ minus noxæ habent.

CAPVT XI.

DE IVSTITIA DIVINA:

Atque eam rebus interuenire.

PRincipi Iuſtitiam commendauimus: ſed vt magis diſcat à Deo interdum aſſeri, ſi quis violat, aut contemnit. Exempla mira, & ſupra fidem videantur, ſed fidis aut certè priſcis auctoribus ſcripta.

I. m. c. LIIII. *Frederico Ænobarbo* Imperatore, Antiſtes Moguntinus fuit HENRICVS, vir pius, tranquillus, ſuarum rerum: & ideò Romæ accuſatus vt ineptus ſiue inutilis muneri, quod gerebat. Acceſſit *Arnoldus*, qui poſteà in locum eius venit, & fertur ab ipſo Henrico miſſus ad purgandum, igni oleum addidiſſe; & purpuratorum quoſdam patrum corrupiſſe, & in ſe vertiſſe. Eò ventum, vt Cardinales duo Moguntiam miſſi, de cauſsâ quæſiuerint, Henricum damnarint, abdicarint, Arnoldum illum ſubrogarint. Henricus patienter id ferens, hactenus queſtus eſt, vt diceret: *Iniuſtè iudicaſtis. appello igitur ad* IESVM CHRISTVM, *æquiſſimum iudicem, ibi me reſponſurum exhibebo, venite.* Illi ioco eludentes: *Cùm præceſſeris, nos ſequemur.* Profectò factum eſt. nam ille poſt annum ferè & dimidium fato conceſſit: & rumore ad aures Cardinalium delato, iterùm illudentes, *Ecce præceſſit*, inquiunt, *nos ſequemur.* Secuti ſunt, & vno die vterque ſubitò obierunt. Addunt Annales de genere mortis, quæ ſileo: nec aſſenſum huic narrationi firmiter etiam dono.

II. m. LIX. Firmiùs *Lamberto Schafnaburgenſi*, egregio, vt illa tempora tulerunt, ſcriptori: qui narrat BVRCHARDVM Epiſcopum Halberſtadienſem, iniquam diu litem cum *Abbate Herueldenſi* fouiſſe, ſuper decimis Saxoniæ, quas Epiſcopus monachis ereptum, ſibi vindicatum manu magis, quàm iure ibat. Neque ſpes aut ratio erat valenti aduerſario reſiſtendi: cùm Abbas, paucis ante mortem diebus, Comitem Palatinum *Fridericum* ad ſe vocat, & extrema hæc mandata ferre Antiſtiti rogat: *Se quidem hîc imparem, lege meliorem, cedere: atque etiam vita cedere. ſed Deum iudicem futurum, ad quem appellaret. Pararent igitur ſe ambo, vt cauſſam in Tribunali dicerent, vbi gratiâ & potentiâ ſpretis, ſola Iuſtitia poſſet polleretque.* Neque diu pòſt Abbas ipſe febri obiit, ſtatimque Antiſtes, cùm equum conſcendere vellet, vt fulmine ictus, concidit deſiitque in vocibus, *abripi ſe ad diuinum tribunal, ibi iudicandum.* Hæc mira quamquam, fidem merentur à tradentibus, & ex vſu etiam vitæ eſt credi.

III. m. ccc. XIII. Certiſſimum verò habetur, quod CLEMENTI *Quinto* Pontifici max. euênit. qui cùm *Templarios*, cœtum religioſum, & diu bonũ atque vtilem, Viennæ in concilio damnaſſet, & in ſodales ferro atque igne paſſim vel animaduertiſſet, vel (vt alij) ſæuiſſet: à pluribus eorum citatus ad Tribunal ſuperum, prolò plus anno pòſt obiit, quaſi ad vadimonium obeundum à ſupremo Prætore arceſſitus.

IV. Sub idem tempus (quod admirationem auget) in eâdem cauſsâ PHILIPPVS rex Galliæ: cui bono damnationes illæ fuiſſe putabantur, opibus ad eum translatis & confiſcatis. Si à caſu, miremur: ſi à Deo, vereamur.

V. m. ccc. XII. At res etiam nota, & cognomine prodita in FERDINANDO *Quarto* Hiſpaniæ rege, ipſo illo æuo, ſi non anno. Bello & pace bonus habebatur, ſed in iudicando præceps aut rigidus, & ad ſæuitiam inclinare videbatur. Fuit vt *Carnaualy* duo fratres, *Petrus* & *Ioannes* ſuſpecti eſſent in occultâ cæde *Benauidij*, primarij viri inter nobiles. Sed ſuſpecti: neque teſtibus, aut aliis probationibus conuicti, neque crimen ſanè vel in vinculis, faſſi. Tamen, vt rex erat, duci eos iubet, & de rupe altà præcipites dari. Cùm id fit, clamant & vociferantur, *Innocentes ſe mori: & quoniã regis aures iuſtiſſimæ defenſioni obſtructæ eſſent, ſeſe igitur ad ſummũ Iudicẽ prouocare, & regi diẽ dicere, ab iſto (qui ſibi vltimus eſſet) trigeſimũ.* Dicta nihil valuerũt, ſententia tenuit: etiã ipſorũ vadatio, nec tempore nec die fallax. Nam cùm rex, animi ſecurus, *Alcandetem* in caſtra abiiſſet, contra Mauros: ibi morbo ſtatim tentatus, ſed leui, *Giennium* ſe contulit: atque ecce VII. Idus Septembris, id eſt, ipſo trigeſimo à ſupplicio die, in lecto exanimatus repertus eſt, in ipſo ætatis flore, annos natus XXIIII. menſes nouẽ. Quis neget diuinum, aut Geniale aliquid, hîc interueniſſe, ſed ſupremo Numine conſciſcente?

Diſcite Iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

CAPVT XII.

DE CLEMENTIA.

Eam quoque Principi decoram vtilémque eſſe.

DEcet ſanè magnos animos & fortunam lenitas: &, quod notes, non niſi in eos cadit. Barbari aut viles homines vbi licentia adeſt, plerumque ſæui ſunt: mites in eâ & moderati, ingenui ſanguinis & ſtirpis. Sed quid? inquies: ad hanc ego Principes inuito, quæ aduerſa Iuſtitiæ, & ſoluere eam videtur? Videtur: in re non facit, imò eumdem vtraque finem & ſcopum habet. Iuſtitia ſeueritate & metu emendat: Clementia benignitate & remiſſione. Illa pœnam, hæc veniam dat: ſed cum iudicio vtraque, & vbi debet; & addam, à quo debet. Non enim quorumuis eſt Clementia; ſed eorum qui in ſuprema poteſtate conſtituti ſunt, & temperare aut flectere ex vſu aliquo leges poſſunt. Eſt, vt verbo dicam, Principum. Itaque definitur à Senecâ, *Clementia, lenitas ſuperioris in inferiorem, in conſtituendis pœnis.* I. De Cle. cap. III. Ais, *conſtituendis?* in parte verum eſt: ſed adde & partem alteram, *in remittendis.* nam & Clementia hoc ſolet. Sed eſt *ſuperioris*: & *nihil pulchrius*, ait idem Sophus, *in faſtigio collocatis, quàm multarum rerum veniam dare, nullius petere.* Quarum autem rerum? nec enim omnium, & multas lex adſtringit non reſoluendas: ſed earum ferè, quæ Principem ipſum tangunt, vt ſunt Iniuriæ, Calumniæ, Violentiæ; & quæ alia meritam pœnam habeant, ſed contentus poteſtate, remittit & donat. Cogitat publicum ſe parentem eſſe. vt autem priuati iſti parentes liberos peccantes ſæpe caſtigant, interdum virgas modò oſtendunt, & metum incutiunt pro pœnâ: ſic ille facit, & faciendo ſic emendat. Mirum enim & varium ingenium hominum. quoſdam benignitas, & ex eâ reuerentia, quoſdam ſeueritas, & ex eâ terror, meliores faciunt: Princeps vtitur omnibus, ad dictum hunc vſum. Eſt & communiter illud dogma veriſſimum: *Verecundiam peccandi facit ipſa clementia regentis*: & in domo meâ ac familiâ ſũ expertus. Plura ſuper hac Virtute liceat: ſed pudor ſit poſt Senecam, cuius aurei libelli duo, & Principibus meritò legendi, ſatis eam reuelant. Nos Exempla pro more, demus: & quàm multa ea ſunt? & nemo magnus laudatuſque Princeps ſine iſtis.

Sed agmen ducat diuinus ille dux, MOSES. I.
Qui cùm populum ex Ægypto cæleſti voce

&

& moniro, clatis miraculis adſtipulantibus, eduxiſſet: iſti tamen identidem ingrati, refractarij, rebelles erant. Nunc carnē, nunc panē aut aquā petebāt: & ita petebant, vt voces proterui͂s, & pænè lapides ac manus in illum mitterent: ſed tamen ille, & veniam etiam dedit. Nec vulgum modò procacem habuit: etiam proceres, etiam proximos. & ecce *Aaron* frater, & ſoror *Maria*, in mitiſſimum virum inſurrexēre: quâ cauſsâ? priuatâ, & leui, quòd Æthiopiſſam quæ animo eius collibita eſſet, vxorem duxiſſet. *An huic ſoli*, inquiebant, *Dominus locutus eſt? nonne & nos cæleſtem vocem auribus his accepimus?* Etiam ſe Moſi non opponebant ſolùm, ſed æquabāt. cùm Deus pro *viro mitiſſimo ſuper omnes homines* (ita Scriptura appellat) iratus eſt, & Mariam virgine ac leprâ ſubitò percuſſit. Quæ ſic cum fratre ad ſanitatem mentis reuerſa, ad Moſem reſpexerunt, ille ad Deum: & poſt ſeptem dies, precibus eius ſincera puráque à morbo apparuit. Quid plures ſeditiones enumerem? fuēre enim plures: ſed Moſes ille ſemper in manſuetudine conſtans: vſque eò amans & ignoſcens ſuorū, vt Dei iram vel hac voce ſedaret, *Dele me*, inquit, *de libro vitæ, potiùs quàm vt hos tollas*. O verè diuine vir! non niſi ab æthereo Spiritu hic ſpiritus: & venerari magis io hac parte te fas, quàm imitari.

II. Tamen & DAVID imitatus eſt: quis? ille quoque Deo & cælo plenus. qui, cùm *Abſalomus* filius fratrem *Ammonem* proterue in conuiuio interfeciſſet, & triennio apud auum maternum in Syriā exſulaſſet, fractus & miſertus reuocauit. Quid tamen? ille à ſcelere ad ſcelus manus, quaſi gradu facto, properat, & regno patrem pellit: vitâ quoque, ſi potuiſſet. Dauid arma neceſſaria capit, *Ioabum* Præfectum militiæ cum delectis viris in illum mittit, ſed cum mandato, *Seruate mihi puerum Abſalomum*. Adeò nec in iram, nec in vindictam exarſerat; vt tunc quoque, cùm ambiguo euentu arma caperet, ſolicitus de veniâ magis, quàm de victoriâ eſſet. At Deus pro illo exarſit & vindicauit, & filius nō filius interfectus eſt: ſcis quàm inuito & dolēte? Luctus eius in publico, & iſtæ voces: *Fili mi Abſalome, Abſalome fili mi! quis mihi tribuat vt ego moriar pro te Abſalome fili mi, fili mi Abſalome?* Proh ſuperi! vbi Orientales vos Reges, & hodie Turcici eſtis, qui patres, liberos, fratres interficitis prompti libēteſque pro regno? iſte nec inſidiatorem ſceptri & vitæ, vitâ vult exutum: & exutum veris lacrimis luget.

III. Exempla hæc pænè ſupra hominem: at noſtræ ſortis PERICLES fuit. qui morti iam vicinus, & ſpiritu ac vitâ abeunte, cùm amicos aſſidentes queri & lamentari audiret, atque alium prudentiam, eloquentiam, victorias alium alia laudare: ille modicè erecto capite, *Et quid hoc eſt?* inquit: *aut parua aut fortuita laudatis: at illud maximū omittitis, quòd nemo meâ opera pullam veſtem ſumpſerit*. Mirum iudicium! hoc vir ille magnus in ſummis ſuis laudibus ponebat, quòd comis in omnes & humanus, numquam acerbitatem aut vindictam exercuiſſet. Macte Pericles! vel hoc nomine cognomen *Olympij* meruiſti: qui ſic extra iſtos turbidos affectus, vt nulla non dicam crudelitas, ſed aſperitas, mentem tuam obnubilarit.

IIII. PHILIPPVS Macedo, non maior Alexandro: ſed fortaſſe melior & certè moderatior: is, inquam Philippos famam & immortalitatem vel ſolâ hac virtute meruit. Amici ſtomachabantur & deferebāt, quòd Peloponeſij tot beneficiis affecti, criminarentur eum, atque adeò ludis Olympicis exſibilarent. Iſte in iocum rem vertit, & *Quid ergo*, inquit, *facient, ſi læſi à nobis fuerint?* Idem ſuadentibus, vt ſeueriùs paullò cum Athenienſibus ageret palàm ingratis: *Abſit*, inquit, *an ego qui ad gloriam omnia refero, theatrum gloriæ meæ euertam?* Sciebat Athenienſes ingenio & ſtilo valere: eoque (etſi alibi humaniſſimus) hîc magis eſſe voluit, vt hanc quoque materiem & amandi & prædicandi præberet. At illud in hoc ipſo incredibilis non clementiæ, ſed & patientiæ. quòd cùm iidem Athenienſes legatos ſuper aliqua re ad eum miſiſſent, atque ipſe benignè audiſſet atque indulſiſſet; dimittens, pro cumulo adiecit, *Ecquâ aliâ in re gratificari vis poſſet?* Hîc Demochares è legatis, *Ita verò*, inquit, *ſi te ipſe ſuſpenderis*. Hem, vocem & conuicium importunum, & vt rē dicam flagro aut cruce dignum! Itaque amici & adſtantes exarſerant: ſed compeſcuit ſe & illos Philippus, ac Therſitem illum nullâ vel re, vel voce acerbiore, læſum dimiſit. Tantùm hoc ad legatos alios, *Nunciate Athenienſibus, impotentiores eſſe qui iſta dicunt, quam qui dicta comiter audiunt*.

Ad Romanos flecto. inter quos M. MARCELLVS qui Syracuſas cepit, tantum cùm cepit, clementiſſimi animi ſigna, in medio furore Martis, miſit: Parci ciuibus, quà potuit, iuſſit: edicto. Ne quis liberū corpus, manu, ferro, ſtupro violaret, ſeruitia modò & pecuniæ prædæ eſſent. Sed vel ſic cùm multa ſæuitiæ aut libidinis exempla edi tum in videret, vt in vrbe per vim capta, cōſcendiſſe eū in arcē, vt ferunt, lucū diem ?, & ſubiectâ eā oculis, caſum eius paullò antè ſic florentis, illacrimantibus illis defleuiſſe. Priuatim etiam cùm de *Archimede* eiuſque ingenio audiſſet, & vidiſſet, mandauit incolumem ſeruari, & curæ hoc omnes haberent. Non mirum in rudi adhuc æuo, & Romanis ad artes iſtas parùm factis? Sed mandauit, etsi fruſtrà. nam miles diſcurrens, cùm Archimedem repperiſſet in puluere figuras deſcribentem, & totâ mente illuc versâ ignarum publici fati, interrogat gladio ſuper caput intento, *Quis eſſet?* Ille nihil niſi puluerem ſuum manibus tegens, & *Oro ne turba*, inquit. Ita miles indignatus, & contemni ratus, occidit. Hæc in Siciliâ, & victoriâ: poſt ipſam iſta. Siculi parùm grati, & ab inimicis eius impulſi, queſtum ad Senatum ſuper eo venerunt, ſcilicet alienas etiam iniurias adſcripturi. Conſultum erat, & collega *Valerius Læuinus* fortè in Senatu non erat. Itaque facile ei turbare aut diſturbare rē & homines & irritos illuſóſque dimittere. Non fecit, & audiri voluit, ſed cùm collega aduenijſſet: ſedit in ſubſelliis inferioribus, & finita accuſatione; cùm Senatus illos faceſſere iuberet; ille verò retinendos cenſuit, & vt ſuæ quoque defenſioni, non vt partes, ſed velut iudices intereſſent. Quâ abſolutâ, exceſſit curiâ, vt liberiùs ſententiæ dicerentur: ſed quid opus? clara eius innocentia, iſtorum impudentia omnibus, atque etiam ipſis fuit. Nam ſtatim è partibus in fautores ſe transferunt, fiunt ſupplices, atque adeò Patronum illum Siciliæ adoptant; & ſuſcepit. tam bonâ fide, vt præſentium oblitus aliis ſuper alia beneficiis eā ornaret. V.

M. etiam BIBVLVS, etſi fortunâ parùm attollente aut proſperâ ſemper vſus, tamen virtute, & hac animi clementiâ, excelluit. Duos filios præſtantiſſimæ indolis, cùm in Syria Procōſul ipſe ageret, Gabiniani milites in Ægypto per ſæuitiam, an protervitiā, interfecerant. Eos *Cleopatra* regina, iram iuſtam magnatis viri verita, comprehenſos ad ipſum miſit, arbitrio ſcilicet eius puniendos: at ille, etſi in recenti dolore, patrem, & aliquis dixerit, hominem exuit, vt humanitatem retineret. ac ſepoſita omni vltione, eoſdem ad Cleopatram intactos remiſit, vindicare potuiſſe contentus. VI.

Quem autem *Bibulo* adiungam? veterē collegam, IVLIVM CÆSAREM: in omni quidem vitâ & pro-

poſito hoſtes, ſed in hac virtute geminos, niſi quòd copiâ vincit, qui omnes vicit. Ecce iam adoleſcens, in freto illo æui, quàm ſuſtinuit ſe & moderatus eſt? Captus à piratis, iurauerat ſæpius, ſe cruci omnes ſuffixurum, ſi in poteſtatem redegiſſet. Redegit, ſed tamẽ æſtuat. Homines ecrucifigat? crudele erat. Remittat? religio adſtringebat. In hac pugnâ naturæ & fidei, clementia viam reppetit: & iugulari prius iuſſit, deinde ſuffigi. Item ſub hoc æui, *Cornelius Phagita* quidam fuit, ex aſſeclis & emiſſariis Sullæ, homo nequam & ad bonorum cædem aut pericula factus. Is latitantem in ciuili diſſidio *Cæſarem*, tamquam Marianarum partiũ acriter & ſagaciter indagarat: & ſubinde mutantem latebras ægrè, *pretio accepto, dimiſerat: huic tamen in mutatione temporum, cùm poſſet, fortaſſe & deberet, nocere numquam ſuſtinuit. planè quaſi poſt nimbum & tempeſtates, non Æolo non Auſtro vltrà offenſus. Iſta priuatus aut impotens fecit: quid in imperiis? minor ſeipſo illo priuato. Initio bellorum ciuilium, cùm quæri terror & adhiberi conſilio ſolet ad reprimendum aut reducendum: ipſe diuerſiſſimâ viâ veniam, libertatem, vitam omnibus non dabat ſolùm, ſed vltrò offerebat. *Corfinij* quid euenerit, dignum memorari. Tenebat hoc opidum *L. Domitius*, vetus & acer eius inimicus, cum cohortibus triginta. Inerant Senatores plurimi, equites Romani, & flos aut robur Pompeianarum partium. Ipſe obſedit: milites vim non exſpectarunt, ſed inclinatis in Cæſarẽ animis tráſire ad illũ, dedere duces & opidum parant: & iam colloquia erant. Domitius ſibi prætimens, & ex conſcientiâ diffidens, vitam ponere ſuo, quàm Cæſaris, arbitrio (heu, quàm ignarus eius animi!) elegit. Itaque ſeruum medicum aduocat, iubet venenum ſibi dari. *Quid deliberas?* inquit: *dominus rogo, & armatus rogo.* Seruus quaſi paruit, ſed aſtu facinus diſcuſſit. nam ſoporem ei temperat, pro veneno, & filio mox indicauit. Præuidebat ſcilicet futurum, vt hominem pæniteret præcipitis conſilij, maximè ſi ſpes veniæ à Cæſare eſſet. Atque ea ſtatim affulſit. Nam ille vir omnes honeſtiores ad ſe in caſtra vocauit, benignè affatus eſt, ad pacẽ & pacata cõſilia hortatus. dimiſit cum rebus incolumes: & quò? ſtultitiam rideat aliquis: pleroſque iterùm ad Pompeium. Sed hæc illorum, non Cæſaris culpa. Domitius intereà cùm audiſſet, atque experrectus eſſet, torqueri & angi de veneno: donec famulus metum diſcuſſit, rem aperuit. atque ille quoque rectà ad Cæſarem, vitam, libertatem, pecuniam recepit. Eodem bello, in Hiſpaniâ ad Ilerdam, cùm hoſtes ad pacis neceſſitatem adegiſſet, & iam conditiones ferrentur, milites ſermones & conuiuia miſcerent, & ex binis caſtris vna facta eſſent: en *Petreius* & *Afranius*, Põpeiani duces, ſubitâ pænitentiâ, an perfidiâ, arma capiunt, Iulianos inuadunt, occidũt: ipſe cùm facinus reponere poſſet, & Põpeianos detinere vel iterũ occidere, illorũ diſſimilis, ſui ſimilis, ſũmâ diligẽtiâ cõquiri omnes iuſſit, & remitti. In ipſâ acie Pharſalicâ, medio ardore pugnæ, ita vincere voluit, vt perdere timuerit; & vox eius obequitãtis paſſim excepta, *Parce ciuibus.* Atqui non fecit, inquies. Imò ille fide optimâ: niſi in acie, niſi reſiſtens nemo occiſus eſt: & ſeruare promptior, quàm illi ſeruari. O inauditã nec niſi cæleſtẽ clementiã! è tanto numero, tam pertinaciũ aduerſariorũ, non niſi tres (*L. Afranius, Fauſtus Sulla, L. Cæſar*) interfecti poſt aciem, eius iuſſu ſiue permiſſu reperiuntur: atque ij ſæui & crudeles in eum, & venia, quam antè impetrauerant, iteratâ rebellione, corruptâ.

*Duorũ talentorum.

A Omnibus etiam ſuæ partis nominatim vnum, quem vellent, ſeruare & excipere ex hoſtibus conceſſit; denique tandem vno Edicto, etiam quibus nondum ignouerat, redire in Italiam, ad opes, honores, imperia, permiſit. In ipſius *Pompeij* morte, qui alieno ſcelere & inuidia ceciderat, tantũ à gaudio aut inſultatione abfuit, vt lacrimas nõ tenuerit; & auerſatus homicidas, bello etiam mox perſecutus ſit, & cæde ac ſanguine manibus illius parentarit. Quin & memoriam ſtatuáſque eius, diſiectas à plebe, reſtitui iuſſit: cauillemur aut interpretemur, vt volumus, magno animo; & (vt ego cenſeo) verè miti & clementi. Verba eius ex epiſtola quadam ad *Oppium & Balbum* notari & amari iſta: *Gaudeo me hercules, vos ſignificare litteris, quam valde probetis ea quæ apud Corfinium ſunt geſta. Con-*
B *ſilio veſtro vtar libenter, & hoc libentius, quòd meâ ſponte facere conſtitueram, vt quam leniſſimum me præberẽ, & Pompeium darem operam vt reconciliarem. Tentemus hoc modo, ſi poſſumus, omnium voluntates recuperare, & diuturna victoria vti. Hæc noua ſit ratio vincendi, vt miſericordia & liberalitate nos muniamus.* Ex pectore ſunt iſta verba; & familiariter apud homines familiariſſimos prolata. Ego te Cæſar, ob alia tua & cauſſis belli non nimis amo: in ipſo bello, & ob hanc clementiam inter heroas numero, & meo calculo, hac quidem re DIVVS eſto.

Aliquid ab hac ſtirpe aut multum traxit OCTAVIANVS CÆSAR adoptione filius, ſanguine eius nepos. Is in republicâ varium clementiæ ſpecimen dedit, adeò vt in theatro cùm recitaretur *O dominum æquum & bonum!* vniuerſi oculos ad ipſum referrent, & voce geſtúque comprobarent. Sed in
C priuatâ etiam vitâ (vbi natura maximè apparet, nec gloriam aut ſermonem ſibi proponit) præbuit inſignita exempla. Vt in *Diomede* ſeruo ſuo diſpenſatore. qui, cùm vnà ambularent, & repentè ferus aper in eos incurreret, ipſe dominum obiiciens, manibúſque propellens, poſt eum latuit. Atque Auguſtus quidem fato, aut animo ſuo, ſeruatus eſt; ſed & hunc nihil læſit, timori potiùs factum, quàm noxæ adſcribens. Idem cùm in Hiſpaniâ *Corocotta* quidam famoſus latro eſſet, & paci publicæ ac priuatæ diu infeſtus, præmium propoſuit, ſi quis hominem viuum adduxiſſet, * *decies ſeſtertium*. At ille, ſpe euadendi aut latendi abſciſſâ, magno animo ad Cæſarem vltrò venit: & *Quæſitus tibi Corocotta,* inquit, *ecce adſum: facies quod voles, huic capiti.* Cæſar itâ omni depoſitâ, & memoriâ tot facinorum, non ſolùm ignouit ei, ſed & præmium promiſſum
D (quia Corocotta Corocottam ſiſterat) appendit. Sed ſuperat priora, hoc de *M. Bruto*: cuius ſtatua ærea adfabrè facta, Mediolani erat: credo, monumentum virtutis & modeſtiæ, qua Galliæ illi Ciſalpinæ, ſub Cæſare, præfuerat. Hanc diu poſt tranſiens Auguſtus conſpexit, & repreſſo gradu ſubſtitit: vocauitque coram omnibus ad ſe magiſtratus, quaſi in ſe grauiter: & cùm veniſſẽt, *Quid vos?* inquit, *inimici noſtri eſtis? & hoſtes meos apud vos habetis?* Illi timidi, nec gnari quò acenſatio ſpectaret, negare, & mutuò ſeſe intueri. Cæſar iterùm, oſtenſâ ſtatua: *Nonne hic ille eſt meus hoſtis?* Tũ verò illi ſeriò trepidare & muſſitare: at Cæſar arridens, laudare etiã eos benigno vultu &
E verbis cœpit, quòd iudiciũ aut animum cum fortuna non mutarent; & vt talis viri ſtatua maneret, porrò præcepit. Duplex clementia, & in defunctũ Brutũ, cuius memoriam honorat, & in Mediolanenſes, qui rigidè interpretantibus deliquiſſe in maieſtatem Principis videbantur.

An dignus eſt, qui inter hæc nomina locũ habeat NE-

VIII.

*xxv M Philippicûm.

IX.

RO CÆSAR? monſtrum crudele, tetrum, ſed vnâ voce meritum clementiſſimis accenſeri. Initio imperij, cùm duo milites deliquiſſent, & more puniendi viderentur, *Burrhus* Præfectus Prætorio, chartam de more ad Imperatorem tulit, vt is ſubſcriberet & mortē & cauſſam. *Nero* allatam aliquoties reiecit & diſtulit: tandem cùm repeteret & inſtaret *Burrhus*, nec vltrà eſſet effugium, triſtis accepit: & cum hac voce: *Quàm vellem neſcire literas!* O dictum magnæ, vtinam diuturnæ, lenitatis! O dictum, quod laudes magni *Senecæ* illius meruit, & libros de *Clementiâ* expreſſit! Amemus laudemúſque, vel hoc nomine.

x. Diuerſi ab iſto vterque VESPASIANVS, pater & filius: qui ante Principatum & ſub initia, multo ſæuitiæ & luxuriæ rumore, in ipſo morari in melius fuêre. Patris quidem quanta benignitas? qui & *Vitellij* hoſtis ſui filiam (adeò ſtirpem ex eâ non veritus) ſplendidiſſimè maritauit, dotauit etiam & inſtruxit. Atque idem, cùm ſub *Nerone* interdicta ei aula eſſet, trepidúſque abiret; accurrit quidam ex Admiſſionalibus, qui aſperè eum compellans, & ſimul expellens, *abire Morboniam* iuſſit. Hunc poſteà, & iam Princeps, vitæ ſuæ anxium & deprecantem, non niſi ioco aſperſit, & pariter *abire Morboniam* totidem verbis iuſſit. Denique communiter hoc de illo Tranquillus: *Neque cæde cuiuſquam vnquam lætus eſt, iuſtis ſuppliciis illacrimauit etiam & ingemuit.*

xi. At filius TITVS, amor & deliciæ generis humani, nil niſi bonitas & lenitas. Pontificatum maximum ideò ſe capere profeſſus eſt, vt in ſummo ſacerdotio, puras à ſanguine manus ſeruaret: & re præſtitit. *nec auctor poſt hac* (verba Suetonij) *cuiuſquam necis vel conſcius, quamuis interdum vlciſcendi cauſſa non deeſſet, ſed* PERITVRVM SE POTIVS, QVAM PERDITVRVM *adiurans*. Duos patricij generis conuictos in affectatione Imperij, ſatis habuit verbis monere, *vt deſiſterent. Principatum fato dari: à ſe ſiquid aliud vellent, peterent impetrarentque.* Et ſtatim etiam ad alterius matrem, quæ procul agebat, ne triſtiore nuncio percelleretur, curſores ſuos miſit, qui & periculũ filij nunciarent, & ſalutem. Fratrem *Domitianum* ex profeſſo inſidiantem, & exercitus in eum ſollicitantem nullâ re læſit aut minuit: imò precibus ſæpe egit mutuo in ſe animo eſſe vellet, & conſortem ſucceſſorémq. imperij nihilo ſecius ſemper nominauit. Non fregit improbum. veneno eius paullò pòſt periit, cum publico generis humani damno.

xii. CAROLVS verò MAGNVS inter noſtros (nam ad propiora veniendum eſt) gloriam & gratiam hac quoque virtute collegit. *Pipinus* eius filius in patrem coniurauerat, res clara erat, ignouit: fecit iterùm, ignouit: at ne tertiùm tamen tam lubrica mens laberetur: adſtringendum religione cenſuit, & monachum eum fecit. Duplici beneficio, & veniæ & viæ ad melius regnum oſtenſæ. Peccauit in eum & filia, ſed ridicula narratio eſt, tamen expromenda. Erat *Eginhartus* in aulâ *Carolo* ab Epiſtolis, vir, vt illo æuo, doctus & prudens, ſed non in Amorem. Concepit enim in Domini ſui filiam, etſi impar erat; & ipſa viciſſim arſit. Reſtinxerunt, vt ſolent amantes, furtiuâ ſui copiâ & congreſſu, qui aliquamdiu latuit, donec hiemante quadam nocte, cùm in ſecretiore cubiculo *Eginhartus* fuiſſet, & ſub ipſam lucem exire vellet, videt multam niuem cecidiſſe. Hæret, & timet ne à veſtigiis deprehendatur vir in gynæceo fuiſſe. Conſilio & aſtu ſubuênit amica, & illum in humeros ſublatũ & pendentem, dulce onus aliquamdiu tulit. Ecce (ô ſortem iniquam pariter, & æquam!) videt hoc caſu *Carolus*, & cum dolore ſuo & riſu ſimul vtrumq; benè notat. Diſſimulat, die pleno cõuentũ principũ virorũ habet, narrat iocosũ & fœdũ factũ: rogátque (ſed nomina tacuit) ſimulus qui ſic in dominũ, filia quæ in patrē peccaſſet, quâ pœnâ digni viderētur? illi, *Mortis* reſpondēt. Tũ igitur vtrumque aduocat, & coram ſe ſiſtit. *En*, inquit, *iſti ſunt qui peccarunt. Tu Eginharte, tu filia, qui auſi hoc eſtis? Nec negandi locus eſt: me inſpectorem, accuſatorem, iudicem, vindicem habetis. Quid meruiſtis? iſti dixerunt Mortem: ſed & animus veſter vobis idem dicet. Tamen, mitem in Dominum, in Patrem videte: ignoſcimus, hac lege quam dicam. Eginharte hanc tuam lectricem vxorem ducite: concordes eſtote, & mutuum deinceps quoque inter vos ferte.* Dixerat, illi â ſummo metu in ſummum gaudium tranſlati, grates agunt, gratulationes accipiunt: *Carolus* in gloria eſt, iſti in fama.

Nec nimis ſeuerum eſt, quod addã. CAZIMIRVS erat Dux Sendomitienſium, potens Princeps, idémque poſteà rex Polonorum. Viſum illi aliquando fuit tempus ludo fallere, & domeſticum quendam ſuum *Ioannem Conarium* Equitem ad aleam vocat. Ille pâret, ludunt, alternat fortuna: & tandem cùm multa nox eſſet, atque incaluiſſent, placuit vno tactu de totâ ſummâ decidere. Is felix *Cazimiro* fuit, & pecuniam totam ad ſe attraxit. Indignatus *Ioannes*, & ſorti ſuę iratus, per calorē Principē inuadit, & fortiter os eius depalmat. Clamor & ira omnium, famulus Dominum, eques hunc Principem? Capitale erat: ſed beneficio noctis elabitur, & manè tamen captus reducitur, & *Cazimiro* ſiſtitur puniendus. Ille re benè conſideratâ, in prudentem hunc ſermonem erupit: *Amici, iſte minùs quàm ego peccauit: imò quidquid peccatum eſt, eſt meum. Calor & ſubita ira (cui nec ſapientes ſemper pares ſunt) tranſuerſum eum egit, & mentem ac manum mouit: ego cauſſam cur præbui? cur oblitus conditionis & dignitatis meæ, quaſi cum pari luſi? Imò tu Ioannes, non veniam à me ſolum, ſed gratiam accipe. vtili caſtigatione me docuiſti, nequid in poſterum indignum Principe committam, & intra decori ac grauitatis metas me ſiſtam.* Ita dixit, fecítque. ô clementiam, ô patientiam, ô prudentiam! omnes hæ virtutes concurrunt, ſed primas tamen prima, me iudice ferat.

xiii.

xiv. At in LVDOVICO *Duodecimo*, Galliæ rege, ſpectabilis eadē virtus fuit. Prēſſerat eũ *Carolus Octauus* rex, vt hæredem proximum: & qui doleret prolem ſibi non eſſe. Ita preſſerat, vt in cuſtodiam etiam daret; & vitæ ſuæ parùm ſecurus videretur: pleriſque procerum & vulgi pro præſenti fortunâ ſtantibus, & aduerſantibus, certè auerſantibus infelicem. Intereà Deus in occulto alia deſtinat: *Carolum* ſubitò tollit, hunc ad regnum euehit, attonitis multis, & vultum ſermonémque mutantibus, & ad gratiam noui regis ſe acclinantibus. Erant enim qui ſuperbiebant, conſtantes anteà in eius cultu aut obſequio: è quibus vnus magnâ fiduciâ ad eum accedit, & bona petit ciuis cuiuſdam Aurelianenſis, qui triſti illo tempore inter acerrimos Ludouici hoſtes fuerat. Hic rex, animo planè regio, effatur: *Tu verò aliud à me pete, & meritis tuis gratia erit. De iſto omitte nam rex Galliæ* (verba eius ſunt) *non exſequitur iniurias ducis Aurelianenſis.* Optimè. Dux enim anteà, cum hoc titulo, fuerat: & ſignificabat argutè, dignitatem ſe, atque etiam affectus cum eâ mutaſſe. Ille verò eadem magnitudine animi (mater hæc ſemper Clementiæ) edixit publicè: *Habiturum ſe eoſdem conſiliarios cum defuncto rege, miniſtros, ſtipatores, eodemque honore & ſalario.* Deus bone, eoſdem cum illo ſic infeſto, & iniquo? Fiducia virtutis hoc facit: & præſtari ſibi ſpondet, quæ ſcit deberi.

eripuerunt, & Romanis ſuis reſtituerunt. Poterat excuſatio eſſe, & qui in cuſtodiâ habentur, fallere poſſe cuſtodes: ſed noluit Senatus, & bonâ ac verè priſcâ fide cenſuit obſides remittendos. Iterùm: *Faliſcorum* ciuitas aliquoties rebellis, dedere ſe tandem *Q. Luctatio* Conſuli coacta eſt. in quam cùm ſæuire populus Romanus cuperet, & aſperiùs conſulere; doctus à *Papirio*, Faliſcos non poteſtati, ſed fidei ſe Romanæ commiſiſſe; ſtatim deſtitit, & verbuli religione motus, iram omnem impetumque depoſuit. Quàm longè illi à cauillis, quos mala calliditas ſemper reperit? Romani etiam CONSVLES, bello Punico primo; ſpecioſè hac fide ſe oſtentarunt. Victa erat circa Siciliam magna Punica claſſis, fractique duces conſilia pacis agitabant. Sed ex iis *Amilcar*, negabat ire ſe ad Romanos, ne eodem exemplo ſibi catenæ iniicerentur, quo ab ipſis *Cornelio Aſina* Conſuli fuiſſent nuper iniectæ. Sed *Hanno* melior Romani ingenij morisque æſtimator, dixit fidenter ſe iturum, & iuit. Verba fecit, & facienti Tribunus militum qui circa Tribunal adſtabat, dixit, *Nónne tibi meritò eueniat, quod Cornelio factum?* Conſules ſtatim Tribuno tacere iuſſo, *Iſto te*, inquiunt, *metu Hanno fides ciuitatis noſtræ liberat.* Verba grauia, verba veracia: & quanta gloria, nec ſpeciem violandæ fidei dare voluiſſe?

v. Quod & P. SCIPIO *Africanus* fecit. qui captâ naue Carthaginienſiû, in quâ multi illuſtresque viri vehebantur; illi ad effugium commenti ſubitò ſunt, Legatos ſe ad eum veniſſe. Apparebat mendacium, & argui poterat: ſed magno Romanóque animo maluit decipi fidem ſuam, quàm accuſari. Idem. Carthagine iam obſeſsâ, cùm feſſi malis legatos pro pace in vrbem miſiſſent, atque intercà naues Romanas & commeatum diriperent, contra fœdus: *Scipio* nihil armis etiam tentans, ſuos Legatos in vrbem miſit conqueſtum, & ius petitum. At illi vix retenti ſunt, quin manibus eos violarent: niſi quòd ereptos tamen è turbâ, primores ad mare deduxerunt, & præſidium triremium dederunt, quæ proſequerentur redeuntes. Sed id quoque parùm bonâ fide. certè abeuntibus triremibus, *Aſdrubal* ſtatim eos aggreſſus eſt, & in conflictu duo Legatorum perierunt, reliqui inter tela volitantia ægrè ſe in caſtra & ad Scipionem receperunt. An non & hæc cauſſa ſoluendi iuſtè fœderis? non fecit: Legatos Româ exſpectauit. Sed ij cùm re infectâ diſcedere à Senatu iuſſi eſſent, & ad ſuos ſtatim ſe recipere, vt hoſtes: ecce tempeſtas detulit eos ad ipſa *Scipionis* caſtra. Et cùm Præfectus maris à *Scipione* petiſſet, *Quid iis facere deberet? Nihil tale*, inquit, *quale nobis Carthaginienſes*: dimiſitque intactos. Hominem hunc fidum dicam, an ipſam in humano corpore Fidem?

vi. Diſſimilis aliâ virtute, aut fortunâ: ſed hac par fuit SEX. POMPEIVS, is qui Siciliâ & Sardiniâ occupatis, graue bellum fecit Triumuiris, & populo Romano. Et cùm inediâ atque inopiâ eos conficeret, coacti ſunt ad pacem venire, etſi parùm fidam aut diuturnam. Igitur *Octauianus Cæſar*, & *Antonius*, colloquium cum eo inſtituerunt, circa Miſenum: quò ipſe claſſe inſtructâ appulit, illi terreſtribus copiis ſuccincti. Conuênit tandem certis conditionibus de pace: atque vt illi firmandæ, inter ſe beneuolè agerent ac cœnarent. Prima cœnæ ſors *Sexto* euênit: qui roganti *Antonio*, *Vbinam cœnaturi eſſent?* facetè reſpondit, *In meis carinis*: ad nauem ſuam reſpiciens, in quâ paratum epulum; tum & ad domum paternam, quam ſitam Romæ in *Carinis* Antonius occupabat. Igitur in naui conuenerunt, & iam epulæ, & ſermones, & cauilli in *Antonium & Cleopatram* eius erant: cùm ſenſim à tergo accedens *Menas* libertus, claſſis Præfectus, *Sextum* clàm affatus eſt: *Viſne tu vt funes incidam, & nauim abducam, faciámque te non Siciliæ modò & Sardiniæ, sed orbis terræ dominum?* Dixerat; & facere poterat. pons tantùm nauim cum terrâ iungebat: qui eâ morâ iucbat: & quis hominum impedire, aut ſuccurrere potuiſſet? In duobus autem illis capitibus vniuerſa tunc res Romana nixa. Sed Deus & Fata noluerunt: nec ipſa Fides, quæ *Sexti* mentem mouit: *Et te quidem, Mena, facere fortaſſe oportebat*, inquit, *non prædicere. Nunc autem præſentibus acquieſcamus*: NEC EST MEVM PEIERARE. Macte *Sexte*! quem vel ob hoc dictum factumque (nam cetera degenerant) nec Roma abdicet, nec pater.

Atqui & in ſingulos fidei etiam exempla ſunt. vt hoc LVCILLII, qui vir & Senator illuſtris, in partibus *Bruti* atque acie Philippenſi fuit. Cùm Brutus igitur altero prælio victus fugeret, & equitum manus inſectaretur, & iam in eo eſſet vt apprehenderet: ille ſtatuit vel morte ſuâ illum eripere, ac paullùm velut fatigato equo ſubſiſtens, Brutum ſe ſimulat & præfert, ac capi ab illis eſt paſſus. Qui ingenti gaudio perfuſi, vt tam vbere prædâ, adducebant eum reflexis habenis (nam id quoque petierat, quò magis falleret) ad *Antonium*, non ad *Cæſarem*: quaſi de eius benignitate meliùs ſperaret. Intereà *Antonius*, per præmiſſos quoſdam iam certior de capto *Bruto*, prodibat ſcilicet obuiam; ſed & alij cum illo, partim miſerantes, partim incuſantes, quòd vitæ cupidine eò deductus eſſet. Iam propinquis, ſubſtitit *Antonius*, incertus quo vultu verbiſque Brutum exciperet: cùm ſtatim *Lucillius*, *M. Brutum*, *Antoni*, inquit, *nemo cepit, aut capiet, ſpero, hoſtis: Dij meliora, quàm vt in tantum Fortuna Virtutem calcet. Sed enimuerò ille aut alibi viuus reperietur liberque: aut certè, vt illo dignum eſt, abiuit. Ego verò Lucillius ſum, qui militibus tuis impoſui, vt illi eſſet effugium: nec quidquam pœnæ hoc nomine recuſo.* Obſtupuerant omnes, præſertim milites, qui ſic ſibi dolebant prædam ereptam: ſed ad eos *Antonius*: *Commilitones*, inquit, *bono animo eſtote, nec putate vobis fraude vel errore iſto illuſum. Imò vberiorem, certe gratiorem mihi prædam, quam putabatis aut petebatis, ſcitote adductam. Nam Bruto ipſo quid facturus fuerim viuo, ſum incertus. nunc dum hoſtem quæritis amicû reperiſtis, & adduxiſtis: qui, in Lucilli, ſemper mihi eris. Abite, præmium exſpectate.*

viii. Laudabilis & ille Cæſaris CENTVRIO, qui captus in mari Africo, cum paucis veteranis, & ad *Scipionem* deductus, cùm is vitam & pecuniam propoſuiſſet omnibus, ſi militare ſecum vellent: ipſe reſpondit, *Pro tuo ſummo beneficio, Scipio (nec enim Imperatorem appellabo, qui vnus mihi Cæſar eſt) gratias ago, qui vitam offers belli iure capto. Sed huic beneficio quia ſcelus coniunctum eſt, non vtor. Egóne contra Cæſarem, apud quem ordines duxi, viginti ſex ampliùs annos militans, aduerſus armatúſque conſiſtam? Ne fides hoc ſinat, aut virtus: & te magnopere hortor, vt de incepto deſiſtas. Contra cuius enim copias contendas, ſi noſſe vis, age, elige ex tuis cohortem vnam, quam voles: ego ex meis, quos nunc habes, non ampliùs decem ſumam: tunc ex virtute & ſucceſſu noſtro intelleges, quid ſperare de copiis tuis debeas.* Ita militariter Centurio. quêm ſtatim ante pedes ſuos *Scipio* interfici iuſſit: quo crimine damnatum? fidei, quod inter deſciſcentes grauiſſimum eſt.

ix. Sed nec ſuperior aut noſtra ætas huius laudis ignara eſt. vt in Hiſpaniâ cùm rex *Ferdinandus Primus* tres filios reliquiſſet, *Sanctium*, *Alphonſum* *Gar*

etiam, regna quoque inter eos diuiſit, ſed volũtate aut M.LXX. pace nõ firmâ Nã ſtatim ab eius morte *Sanctius*, ingenio violentior, fratrem *Alphonſum* bello aggreſſus vicit, cepit, & monachum profiteri coëgit. Non diu perſeuerat coacta pietas, abdicat, & clàm cum *Petro Anſurio Comite*, ad regem Toleti, *Almenonem*, confugit. Maurus is erat, & religioni hoſtis, ſed cum patre Alphonſi *Ferdinando* amicitia ei & pax fuerat: eoque electus à profugo, cui ſe crederet: & iſte cum fide recepit, habuitque. Dum illic eſt, euênit vt coram *Almenone* capilli eius ſubrigerentur, & manu aliquoties compreſſi non ſubſiderent: quod Mauri vates triſte prodigium interpretati ſunt, & hunc eſſe, qui ad vrbis Toletanæ imperium erigeretur. Itaque de nece ſuadebant. non fecit Rex, & potior ei metu B fides fuit. Quod mirum in barbaro, ſatiſque habuit, iuramento *Alphonſum* adſtringere, ne ſe viuo regni ſui terminos infeſtaret. Ecce autem paullò pòſt interficitur ex inſidiis, ad *Zamoram*, rex *Sanctius*: & ſoror *Vrraca* benignè in hunc fratrem affecta, nuncios literaſque ſtatim mittit, quibus ad regnum euocat, & ſuadet aſtu aut celeritate euadere barbaros fines. Æſtuabat *Alphonſus*. facere? ingrati animi notam metuebat; tum etiam ne non celaret, & reduceretur meritò non demittendus. Non faceret, & rem aperiret? ne vinclis, aut conditionibus adſtringeretur ab eo, qui à tam vicino & potenti rege haud fruſtrà timeret. Vicit tamen fides in honeſto animo, & gratitudo: ad *Almenonem* venit. *Quod tibi glorioſum*, inquit, *mihi felix ſit, ad regnum à meis vocor, ereptum in C parte à fratre nuper, nunc eius fato vniuerſum relictum. Culpare illum mortuum, pietas me vetat: eadem, vt tuum beneficium prædicem, incitat. qui profugum, ab hominibus & fortunâ relictum recepiſti, fouiſti: quà ſpe aut præmio, niſi quod ab ipſâ virtute eſt? Et tamen animus agnoſcendi ſoluendique non deficit, fortaſſe nec occaſio aut materies, ſi per te mihi datur eò ire. Age Rex magnanime imple tua beneficia, & pro cumulo, Regem me in regnum remitte. Hactenus vita tui muneris eſt, fac vt ſit & ſceptrum.* Ita noſter: quem Maurus amplexus, incolumem regemque gratatur, & promittit. *Neutrum*, inquit, *futurum, ſi me inſcio, non iter, ſed fugam tentaſſet. Nec enim te celo, notam mihi mortem Sanctij fuiſſe, & tacitum exſpectaſſe tua conſilia, vt aut laudarem ea, aut vindicarem. Iſtud facturus ſane eram, D ſi fallaci & ingrato animo te ſubduxiſſes: & exploratores ſubſeſſoreſque viarum diſpoſiti à me erant, qui, ſed taceo, & gaudeo opus non fuiſſe. Virum bonum fidúmque te, erga me talem, oſtendiſti: fac & in regno, quod omnes dij tibi fortunent. Nihil ſtipulor, niſi illud vetus, Amicum te fore mihi & maiori filio Hiſſemo, quamdiu vita vtrique erit.* Dixit, & pecuniam comiteſque dedit, atque ipſe, honoris cauſâ, aliquantum ſpatium deduxit. Clariſſimum hercules exemplũ Fidei in Afro, quod miremur, religioniſque diuerſo: ſed & diuinæ Prouidentiæ, quæ id regnum & vrbem ab eo voluit capi, qui perfugium ibi habuerat & tutelam. Quod nouem circiter annis pòſt euênit, ſed mortuo *Almenone* & filio maiore.

X. M.CC. XLIIII. Habet & iterùm Hiſpania Fidei exemplum, in E Luſitaniâ, ſed in homine Chriſtiano. Is fuit FLECTIVS vir nobilis, arci *Conimbricæ* atque vrbi à *Sanctio* rege præfectus. Sed enimuerò is *Sanctius* malè & improſperè regnum adminiſtrabat, aulicis quibuſdam nimis credulus, & inprimis *Menciæ* vxori ſuæ addictus mancipatuſque. Igitur querelæ, & mox conſpiratio procerum in illum fuit: denique eò ventum, vt Pontifice ipſo, quem adierant (is *Innocentius* fuit) auctore, curam tutelamque regni ad *Alphonſum* transferrent, *Sanctij* fratrem. Inde bellum, & pleraque à Rege A veteri alienata: ſed conſtans pro eo *Flectius* iſte fuit, & oppugnationem & arma etiam *Alphonſi*, ac totius gentis, excepit. Nec flecti potuit, donec ei nunciatum, *Sanctium* in exilio *Toleti* mortem obiiſſe: *pro quo pugnaret vltrà, aut fidem obtenderet? Daret ſe & verteret, quò Fortuna & omnes; nec pulcherrimam laudem, titulo Pertinaciæ aut Inſaniæ mutaret.* Audit Flectius, nec ſatis credit: petit veniam ab Alphonſo, vt ipſus Toletum ire, & coràm arbitrari poſſit. Facilè impetrat: & intereà ab oppugnatione ceſſatur. Cùm venit, Regem ſuum fato functum, ſepultumque inuenit: atque vt in animo ſuo, non ſolum opinione hominum, liber eſſet: aperto ſepulchro, cum ſuſpiriis & lacrimis, ipſas claues vrbis Conimbricenſis in manus dat, his verbis: *Quamdiu ô Rex, viuere te ſciebam, extrema omnia ſum perpeſſus. coriis pellibuſque fa-* B *mem tolerans, ſitim lotio: ciuium animos ad deditionem inclinantes, & conantes erexi aut repreſſi: denique quidquid à fideli homine, & in tua verba iurato, exigi exſpectarique potuit, id præſtiti, & perſeueraui. Vnum ſupereſt, vt clauibus tuæ vrbis tibi traditis, ſolutum me iuramento omnibus, & ciuibus te vitâ ceſſiſſe, denunciem. Deus tibi bene faciat, in alio & meliore regno.* Ita abiit, & legitimum iam alterum Regem agnouit, & adhæſit.

TRIMVMPARA etiam in Orientali Indiâ, qui XI. rex *Cochini* erat, cùm eò Luſitani veniſſent, fœdus pacemque panxit. Mox in nouam & ſuſpectam gentem conſpiratio omnium, & maximè *Calecutienſis* regis, qui opibus & milite inter vicinos pollebat. Ille C igitur copias amicoſque iungere, & hunc in primis *Cochini* regem pertrahere, & ſuadere vt eiectis aut potiùs traditis pauculis Luſitanis, quos fidei ſuæ creditos acceperat, ſe culpâ, omnes metu exſolueret. Ille verò obniti, & apertè dicere, *Omnia ſe potiùs, quàm fidem amiſſurum. Si qui è ſubditis aut amicis id ſuaderent, eos verò magis hoſtes ſe ducere ipſo Calecutienſe: quoniam ille regnum modo aut vitã eripere, iſti pulcherrimam virtutum conarentur. Et vita ſpatium breue ac definitum, perfidiæ maculam ſempiternam eſſe.* Hæc & ſimilia dicta factis affirmauit. oppugnat eum vndique *Calecutienſis*, tandem & ſui deſerunt: vincitur, pellitur regno, in vicinam quandam inſulam ſe recipit, ſed nullius rei maiore curâ, quàm vt ſecum paucos illos Luſitanos ſeruaret. quid? ignotos & exte- D ros? cladem & peſtem ſui regni? Tanti fides fuit. quinetiam cùm *Calecutij* rex iam victu pulſoque, offerret veterem fortunam & ſtatum, eâ lege ſi illos traderet; abnuit, fortiter profeſſus, *Sceptrum & vitam eripi poſſe, fidem non poſſe.* Hũc hominẽ barbarum ego dicam? ſolo & gente fortaſſe, animo nõ poſſum.

Haud magis quàm SOLEIMANVM Turcicum XII. Principem, cuius claſſis, ducibus *Luſitbeio & Barbaroſſâ*, in Salentinos exſcenderat. Ibi *Caſtrum* opidum arcemque, vicinum Hydrunti, ſubito terrore in deditionem acceperant, incolis & ipſo Domino *Mercurino* ſalutem & libertatem pactis. Sed barbari, & præſertim nauales ſocij, nihil penſi habentes, omne maleficium inferre; & idoneæ ætatis captiuos, cum E ipſo *Mercurino*, ad claſſem deduxêre. *Luſitbeius* tamen, non dubiâ perfidiæ infamiâ, ad minuendam, *Mercurinum* liberauit: ceteros paullò pòſt ipſe *Soleimanus*, quiòrer grauiores curas, *Corcyram* Venetorum obſidens, audito rem parùm bonâ fide cum *Caſtrenſibus* geſtam; ingenuo pudore perfuſus, ſtatim conquiri captiuos omnes iuſſit, & in naues impoſitos, ad penates ſuos remitti. Ipſos quoque præcipuos auctores ſupplicio affecit, non hîc tantùm Fidei amator & cultor.

Nam & in Pannoniâ, cùm Budam cepiſſet, metu XIII.

A vacuam, eiuſque arcem oppugnaret, in qua Germanus miles, eique præfectus *Thomas Nadaſtus*, curabant: ille quoque metu perſtrictus, colloqui cum hoſtibus cœpit, & de arce dedendâ paciſci. Quod ægrè *Nadaſtus* ferens, ipſe plenus animi & conſtantiæ, compeſcere conabatur, & diremptis colloquiis tormenta verti in hoſtem iubet. Eo muerò hic illi ignaui ad ſcelus etiam verſi, ipſum in vincula coniiciunt, & fruſtrà reclamante & minante, rebus corporibuſque ſuis ſaluis, arcem dedunt. Intrant barbari, iſti exeunt, vt pacti erant: ſed cùm *Nadaſtum* vinctum reppeniſſent, & rem, vti erat, ex ipſo auditam, ad Imperatorem ſuum detuliſſent; ille perfidæ ignauiæq; obiratus, ſtatim immiſſis in abeuntes Genitzaris, omnes interfici iubet: ipſum *Nadaſtum* vinclis liberatum, & ad ſe adductum, laudat & liberali ſtipendio inuitat, ac tenuentem dimittit.

B XIIII. Claudamus inclito exemplo, quod magnus rex Galliarum FRANCISCVS nobis docet. Ille *Carolum Quintum* noſtrum, ſolâ fide regis & ſuâ fortunâ nixum, in Belgas & turbidos tunc *Gandauenſes* properantem, ſine copiis, pænè ſine comitibus, comiter & regaliter excepit, apud ſe habuit, deduxit. Sermones inter eos varij, & de pace etiam fuerunt, donando ducatu Mediolanenſi (vti iniectum erat) *Carolo* Regis filio. Sed cùm Cæſar iam apud ſuos, pacatique domeſtici motus eſſent; tardior in hanc rem videbatur, ſiue quia nec antè ſeriò cogitaſſet. Tum igitur vapulare multorum ſermonibus regia comitas, aut credulitas. *cur non hominem, in quo rerum omne momentum, tenuiſſet? ecquando tam bella vmquam occaſio? & inuidiæ aliquid aut & infamiæ, pro tam ſpectabili vtilitate, ſubeundum fortiter fuiſſe. Saltem leges firmiores certioreſque ei dixiſſet: nunc, quid niſi inanem gloriam apud vulgus, apud prudentiores riſum quæſitum?* C Neque neſciit *Franciſcus*: & in conuentu procerum celebri, cùm alia in purgationem ſui dixit, tum hæc ipſa in clauſulâ: *Etiamſi Fides toto orbe exſularet, tamen Regibus tenendam eſſe, qui eâ ſolâ, & nullo metu, cogi adſtringique poſſent.* Notabile dictum, & res ſic habet. nos alios Lex aut Pœna coërcet, Principes ſolus Pudor aut Fides.

XV. Quid claudam? Gallus rex alium eius gentis, & vetoſtiorem ſubiicit, IOANNEM *Primum*, qui ingenti clade ab *Eduardo* VValliæ Principe victus, captúſque, in Angliam abductus fuit. Ibi quatuor annis in cuſtodiâ liberiore habitus, ad ſuos rediit, certis conditionibus cum hoſte depactus, quæ tamen cùm D grauiores ſubditis viderentur, nec ciuitates Anglis dedendæ, facilè nouum iugum præſidiúmque admitterent; ipſe placando hoſti, & fidei teſtandæ, iterùm in Angliam traiecit, ibique ex morbo deceſſit. Clade acceptâ famoſus, ſed ſic latâ clarus, & fide elatiſſimus.

XVI. Sed heus vos, date veniam boni Reges & Principes, ac liceat illuſtri choro veſtro ſeruile nomen inſerere: non maculam, ſed lucem & ſplendorem merum, quatenus hîc quidem ſpectabimur. Nam & Fidei illorū in dominus aut patronos mirifica exēpla ſunt, nec niſi cum virtutis damno ſilenda. *Haſdrubal* in Hiſpania res gerebat, & magnam eius partem vi aut aſtu ſubegerat; ſed cùm nobilē aliquem Hiſpanum interfeciſſet, SERVVS natione Gallus E id non tulit, & mortem Domini certa ſua morte vindicaturus, *Haſdrubalem* occidit. Rapitur, torquetur, cruci affigitur: inter omnia mala eo vultu, vt ridentis etiam ſpeciem præberet, expleta vltione, ſui ſecurus.

XVII. *M. Antonius* inter Romanos oratores, & in dignitate viros, nobilis fuit: atq; is fœdo crimine (puto falsò) A inceſti publicè poſtulabatur. Accuſator SERVVM maximè in quæſtionem flagitabat, quem dicebat præluxiſſe hero ſuo ad flagitium eunti, & laternam prætuliſſe. Aderat ipſe ſeruus, cùm hæc in iudicio dicerentur, & videbat rem ad ſuam pellem, quod dicitur, ſuoſque cruciatus pertinere. Addo, quòd iuuenis erat, imberbis, & in ætate adhuc minùs aut patienti, aut conſtante. Tamen cùm domum ventum eſſet, & herum ſuum animi anxium videret: *Quid diffidis here?* inquit. *In meo robore & conſtantiâ, ſi vis & exxedat, ſpem audacter pone. nullus metus, cruciatus, mors me adiget, vt te & honorem tuum prodam. Minus arcto vinculo anima hæc corpori elligata eſt, quam affectus tibi: nihil diuidet, nullus dolor aut carnifex vocem lædendi tui ex ore iſto extorquebit. Adeo non diffugio, depoſco hoc certamen, in quo tibi annis tiro, animi veteranum ro-* B *bur probem.* Erexit, & fiduciæ impleuit *Antonium*: qui iterùm poſcentibus ſeruum, præbuit. atque ille flagris virgiſque laceratus, eculeo impoſitus, laminis aduſtus, mira patientiâ perſtitit, & omnem vim accuſatorum fregit atque eliſit. Acceſſit facundia *M. Antonij*: ſed heus, quæ tanta, vt hunc eruditione ſeruum, animo heroëm ſatis celebret?

Quid ille *Vrbinij Panopionis* SERVVS? qui cùm proſcriptus in villâ ſuâ Reatinâ latêret, nec ſatis latêret (alij ſerui prodiderant;) ecce aduenientibus militibus, ipſe veſtem heri ſubitò induit, ſuam illi dedit, anulo etiam in digitum inſerto: atque ita, hero per poſticum emiſſo, ipſe in lectulum ſe repoſuit, & pro illo occidi fortiter paſſus eſt. Citò id dictum: non tam citò ſuſcipi, aut ſuſceptum fieri, verus iudex di- C cet. Magna fides: quæ vltima eſt, & poſtquam nec gratiæ, nec vitæ, vltrà locus eſt. XVIII.

Antiſtij verò *Reſtionis* SERVVS (qui & ipſe miſerabili illo Triumuiratus tempore, inter proſcriptos erat) ad fidem ingenium quoque adiunxit. Nam fugientem ſuum herum, & vt putabat, ignotum aſſecutus eſt, & apprehendit; primò territum, quoniam hic erat ſtigmatum perpetuâ iniuriâ ab eo affectus, eoque in re trepidâ vindictam timebat. At ille primùm conſidere eum iuſſit. & *Ego te lædam?* inquit. *qui tot annos aluiſti, benigne feciſti; abſit. nec iſta ſtigmata plus apud me poſſint, meo merito impoſita. quam vetera tua beneficia in nec meritum collata. Quod ſeruiui, & ſeruio, fortunæ iniuria eſt; tuum beneficium, preſſum non oppreſſiſſe. Diuinitas hunc ordinem rerum diſponit, & pareo: tu conſide, tibi quoque parco, & ſcis quomodo? vel* D *vita huius periculo tuam ſeruabo.* Dixit breuiter fideliterque. & herum in ſpeluncam abduxit, atque ibi ex operis & mercede diurnâ aliquamdiu aluit. Sed cùm milites, omnia ob præmium rimantes, ad ſpeluncam quoque, aliquid ſuſpicati, tenderent; ille ſubitò ſenem viatorem abreptum occidit, & exſtructo rogo ſuperiecit. Superuenientibus in re militibus, & ferociter rogantibus *Quid ageret? Quin*, inquit, *ſceleſtum meum herum interfeci, & crudelitatis huius ab eo* (ſtigmata oſtendebat) *pœnas exegi.* Perſuaſit, & herum ſeruauit. XIX.

Singulorum hæc fides, plurium illa ſimul in eâdem proſcriptione. Nam *Pomponius*, audaci aſtu, arreptis inſignibus Prætoriis, ipſe in prætextâ, ſerui inſtar lictorum, & cum faſcibus exculti, vrbem me- E diam tranſiêre; arctiùs dominum ſtipantes, ne ab obuiis poſſet agnoſci. Ad portam ſumpſit conſcenditque vehiculum publicum, vt Prætor, & per tutam Italiam ſic inceſſit, quaſi legatus à Triumuiris ad Sex. Pompeiū iret: itaque & triremi publicè præbitâ in Siciliam, certiſſimū miſeris tunc portū, tranſmiſit. In tot hominibus, tot occaſionibus & locis, admirāda pluriū fides, & mēte magis quàm ſtilo penſanda.

Addatur

XX. = CCCC XXIII. Addatur his nun ſeruus, ſed clieos *Roderici Dauali*, Magiſtri equitum in Hiſpaniâ. Is *Rodericus*, cum alijs aliquot, poſtulatus maieſtatis fuit, & literarum ad *Ioſephum* regem Maurum ſcriptarum, quaſi patriæ prodendæ. Plura exemplaria prolata, & res in conſilio Regis cognita, atque ipſe alijque damnati. Hæſit in herili iſtu crimine ALVARVS NVNNIVS FARRERIVS, Cordubæ natus: qui Præfectus aulæ & domus *Dauali* erat. Sed is ſtrenuè ſe herúmque defendens, non priùs quieuit, quàm falſas literas oſtenderet, earumque auctorem *Ioannem Garſiam* conuinceret ac damnaret. Et ipſe quidem ſe expediuit, ſed magni illi manſêre exſules: cùm ecce *Ferrerius*, ad heri egeſtatem ſubleuandam, omnia bona ſua (quæ beneficio patroni acceperat) diuendidit, & *octo aureorum millibus* confectis, textrinæ lignis excauatis ea indidit; atque aſino impoſita, agente in viliore veſte filio, clàm ad *Daualum* miſit. Dignus, quem illuſtriſſima ea gens etiam nunc in memoriâ & laude habeat, & poſterus, ſiqui extant.

CAPVT XIIII.

DE MODESTIA IN SENSV.

Hanc Principi decoram, & vtilem eſſe.

DIximus tres virtutes & commendauimus, planè Regias, & quæ in publicum ſpectant: ſunt aliæ velut Priuatæ, quæ magis ipſum. Inter eas Modeſtia, quæ vario adſpectu Principi adſumenda. Primùm, quia omnes homines decet ſubmitti, & ab Arrogantiâ fugere, ſcopulo virtutum. Sed magis Principem, qui in alto eſt, & cauſſas plures ſiue occaſiones Superbiæ habet. Natura quidem hæc corrupta eò vocat, & vani aut tumidi per eam ſumus: quid cùm Fortunæ ille ventus obſecundat, & vela implet? auferimur. Adde Educationem, quæ in aulis, molliter, indulgenter, ſplendidè habentur; obſequia & demiſſio omnium, etiam apud pueros: quî non inflentur? Denique Adulatio accedit, ô Aulæ certa peſtis! blandiuntur aſſiduè, & laudant, honoribus ac titulis afficiunt, id eſt dementant. Non iure ſic loquar? vide *Alexandrum* illum, à tali patre, tali præceptore: faſtidit homo eſſe, nec iam *Philippi*, ſed *Iouis* filius audit. *Iulius Cæſar*, ille animi & ingenij magnus, impingit: & omnium victor, Adulationi ſuccumbit. Voces emittit, *Debere iam homines conſideratiùs ſecum loqui, ac pro legibus habere quæ dicat.* Itáne pro legibus omnia dicta? difficile eſt credere, virum talem ſic elatum & ablatum. *Caligulam*, *Domitianum*, *Commodum* omitto, & hæc portenta qui palàm ſalutari & haberi, *Dominus Deúsque noſter*, volebant. Vide an temerè ad Modeſtiam vocem: & quæ hodie peccentur, non dicam. Caue, caue Princeps: & cogita ſupra homines te, ſed hominem eſſe. Quamdiu autem eſſe? mors imminet, & æquabit. Quamdiu etiam eſſe? triſtis aliqua ſors imminet, & demittet. Regnas? potes ſubiici. Dominaris? potes ſeruire. Quidquid altè ſe ſuſtulit, opportunum eſt ad caſum. Seneca noſter: *Nulli Fortuna minùs benè, quàm optima creditur. aliâ felicitate, ad tuendam felicitatem, eſt opus.* Vidéſne hiſtriones in ſcenâ, perſonam Agamemnonis aut Priami gerere: & mox, cùm fabula peracta eſt, ad habitum & ſortem veterem redire? Date veniam Principes, tales eſtis. Deus perſonam in orbis theatro hanc impoſuit: ſuſtinete, agite, ſed qui introrſum & apud vos ſitis, cogitate. Choragus ille eſt qui dedit ornamenta: & niſi refertis ad eum, aufert.

De Breuit. vit. cap. XVII.

A Hunc vocant magnorum regum Dicta, vel Exempla: & vtraque ex magnâ copiâ, cum delectu quodam, habe.

I. SARDANAPALVS rex Aſſyriæ à delicijs, & purpurâ, vt ita loquar, vitâ innotuit. tamen idem ab ebrietate longâ ſobrius, ſepulchro incidi curauit ſymbolum, quod ad Modeſtiam altiſſimus vocet. Erant digiti duo, qui colliſi inter ſe * crepitum edebant: ſignantes, omnia regna, omnia votiua aut magna, NEC TANTI eſſe.

* [illegible]

II. Sine alijs verbis ille hoc docuit: at ARCHIDAMVS Spartæ rex paucis, & pro Lacone. *Philippo* enim Macedum, poſt victoriam ad Chæronéam, quâ libertas Græciæ concidit, inſolentiùs ſe efferenti, ſcripſit: *Metire vmbram tuam, nihilo reperies auctiorem.* O ſapienter! B Quid attulis te in hoſtibus victis, in finibus propagatis? tibi nil acceſſit. Numquid animo? curæ maiores, aut metus. Numquid corpori? *metire vmbram*, videbis.

III. Senſit ipſe PHILIPPVS, cùm aliquando in palæſtra, inter luctandum, prolapſus ſurrexiſſet, & corporis veſtigium in arenâ vidiſſet: *Papæ*, inquit, *quàm paruam terræ partem ſortiti, orbem appetimus!*

IIII. SEVERVS Imperator Romanorum, diu in ambitione, & ob eam bellis, ſenio confectus ac moriturus, vrnam ad ſe deferri iuſſit in quâ cineres (priſco illo more) erant recondendi. Et diu contrectans & contemplatus, vocem miſit: *Tu virum capies, quem orbis terræ non capit.* Ita, ita. —— *mors ſola fatetur, Quantula ſint hominum corpuſcula.* Attollere in vitâ C manus & ſpes ab Oriente ad Occaſum mitte: illa contrahet, & te intra te coget.

V. *Seuerus* hoc ſub mortem: diu ante eam MAXIMILIANVS *Primus* Imperator *Auſtriacus.* Nam ille memor fragilitatis huius, triennio (alij biennio) ante morbum, non ſolùm mortem, capulum funebrem è querno ligno, arcæ viatoriæ incluſum, circumferri ſecum iuſſit: cauitque teſtamento, vt exanimum corpus ſuum, rudi linteo inuolutum, ſine vllâ exenteratione, illi imponeretur, naribus, ore, auribúſque viuâ calce oppletis. Quid ſibi voluit magnus vir? niſi monumentum illud aſſiduè in oculis habere, quod diceret, *Cogita mori.* quod ampliùs diceret, *Quid te dilatas & extendis? quid multa poſſides, plura* D *appetis? Quem tot prouinciæ & regna non capiunt, loculus iſte capiet.* Cur autem & calcem cauis illis partium immiſit? en aromata quibus condiretur! Sed hoc ſpectauit, vt corpus putredini natum, eâ quoque excedente & conſumente materie, citiùs conſumeretur, & iret in ſuam terram. *Maximiliane*, magnus fuiſti! & res tuæ dicunt, tum & hæc circa mortem.

VI. Sed amplius, ille idem, pluribus diebus ante mortem nil niſi *Maximilianus* appellari voluit. quod imitatus nepos eius CAROLVS, cùm raro & miro exemplo, Imperio ſe vltrò abdicaſſet, & in filium, iam validum æui & animi, curas contuliſſet. Seceſſit enim in Hiſpaniam, & in Diui *Iuſti* monaſterio, ſeptem à *Placentiâ* milliaribus, ſe abdidit, cum duodecim dumtaxat familiaribus, Deo & quieti vacaturus. Interdixit autem, aliter ſe quàm *Carolum* appellari; E *Cæſaris* atque *Auguſti* illa nomina, cum rebus animo exuens, & totum hunc honorari contemnens.

VII. Sed inter mundanos iſtos externóſque Principes, fas ſit locum dare & Eccleſiæ Principi ac capiti, CLEMENTI *Quarto* natione Gallo: qui incredibile eſt, quàm ſe in ſummo illo culmine modeſtè geſſerit & temperarit. Ante Pontificatum Iuriſconſultus fuerat, & filias ex vxore ſuſceperat duas. Harum vni in monaſterium collocatæ, non niſi *tri-*

ginta

ginta libras Turonenſes ſeu el dedit:alteri quæ maritum habebat, *trecentas* , loco dotis ; idq́ue hac lege, nequid vmquam plus peteret. Nepoti quoque tria Beneficia,vt luquimur , habenti, optionem detulit vnum rennendi, eetera ſtatim dimittendi. Minantibusq́ue & inſtantibus amicis , vt & illa permitteret, & alia daret; in elaram hanc vocem erupit , *Non eſſe dignum Petri ſucceſſorem,qui plus cognationi,quam pietati largiretur.* Exſtat epiſtola viri ſancti ad nepotem quemdam ſuum,ab Antonio Auguſtino promulgata, in quâ & voces & ſenſus videre eſt, ab ipsâ modeſtiâ conceptos. (In Onuſrio.)

VIII. Sed CANVTI etiam Anglorum regis inſigne ad Modeſtiam documentum eſt. qui cùm obſideretur ab Adulatoribus , id eſt coruis aulicis , & ſortem eius attollerent,dicerentq́ue omnia ſeruire,& *ad nutum eius vultúmque* (verba Annalium) *conuerti* : ille fœdam adulationem ſic repreſſit. Spectantibus iis, ſedem regiam in litore maris poſuit , in ipſo aeceſſu eius & fluxu. Tum dixit : *Tu mare ditionis meæ es ; & terra,in quâ ſedeo, eſt mea. Impero tibi & denuncio , ne in terram meam aſcendas,nec membra,nec veſtem domini tui madore perfundas.* Ille dixerat , mare tenorem ſuum tenebat , veniebat , alluebat. Tum reſiliens: *En*, inquit , *quam ego omnibus impero! Quin ſciant omnes,qui terram incolunt,vanam & falſam eſſe regum potentiam.atque vnum eo nomine dignum,qui vere imperium inhibet cælo,terra, mari.* Neque intra verba Modeſtia hæc ſtetit. in omni actione talem ſe præbuit,atque adeò coronam vltrà in caput nō admiſit.

IX. Hæc inuitent & excitent,ſed Mutationum exempla quæ addam,fortius etiam percellant.Quot enim ea ſunt:& quàm paucis Fortuna currum à carceribus ad metam,ſine offensâ aut euerſione, perduxit? In omni æuo , & in omni orbe occurrent. In Ægypto SESOSTRIS rex hoc didicit , & imbibit. Victor erat vicinorum , & imperium longè protenderat:ſed & animum euexerat , & quattuor reges, equorum vice,curru ſuo ſubiungebat,quo vehebatur. In eo cùm ſublimis ſederet,regum illorum vnus capite reflexo identidem rotam currus aſpiciebat,& capi ac paſci videbatur. Quid rei ſit , Seſoſtris rogat : ille liberè, *Intueor volumen hoc aſſiduum rotæ, in quâ viciſſim ima ſumma,& ſumma ima fiunt : quod exemplum capio , & applico noſtræ fortune.* O bene! potuiſſet tamen addere, *& tuæ*. ſed Seſoſtris ipſe fecit, & ſtatim illos à iugo , ſe à faſtu liberauit.

X. SOLONIS etiam monitum tale , ſed non apud talem : neque doceri , niſi malo ſuo , aptum. Apud CROESVM erat Lydiæ diuitem illum regem. qui Solonem comiter,vt peregrinum, excipiens , & gazam omnem atque opes oſtentans, *Et quid videtur? habes dicere hominem me beatiorem* ? Habeo , inquit Solon : & *Tellum* quendam , hominem modicæ ſortis , ſed in eâ quietum , nominauit : tum & duos alios,qui vitâ benè actâ eſſent defuncti. Riſit Crœſus : *& nos quo loco ſumus? Haud dixerim* , ait Solon. *nec fas beatum etiam cenſere,qui in his vitæ fluctibus iactatur , donec ſit in portu. Nonne tempeſtas interuenire poteſt,& turbo qui euertat?* Nec ſic hominem docuit, ſed fecit mox Cyrus. Nam ille acie victum , & vinctum, rogo impoſuit exurendum. cùm Crœſus clamare incœpit , *O Solon,Solon!* Miratus Cyrus,rogari iubet, *Quem in extremâ illâ ſorte hominum deorumve inuocaret ?* Dixit, *Solonem ſibi in mente eſſe , qui ſapienter monuiſſet , non fidere præſenti fortunæ, nec beatitudinem ante finem vindicare. Riſi* , inquit , *nunc probo & miror.* Probauit & Cyrus. ſtatimq́ue ad modeſtiam etiam ipſe flexus, liberari Crœſum iuſſit , & in amicos tranſcripſit.

XI. Addamus quanquam æuo diſſitum , ſenſibus exemplum aſſitum , GILIMERIS regis in Africâ Vandalorum. Diu felix fuerat, opes , terrasq́ue victoriis quæſiuerat : vertit ſe Fortuna , & *Beliſarius à Iuſtiniano* Imperatore miſſus,cum exiguâ manu, hominem euertit. Acie igitur victus, fugit in Numidiæ excelſum montem *Pappuæ* , atque illîc obſidione aliquamdiu toleratâ,deſperans ad *Pharam* miſit, qui mandato Beliſarij obſidebat;actum ſuper deditione, ſimulq́ue petitum , *Panem ſibi mitti , ſpongiam , & citharam.* Panem , fami releuandæ; ſpongiam , ſiccandis oculis; citharam , leniendo animo. Dedit ea Pharas , & mox ſeſe Gilemer. qui ad Beliſarium deductus,nil niſi riſit. Deſipere eum è cladibus homines cenſebant:vera ſapientia erat,quâ incerta hæc rerum , vſu edoctus , ridebat. Idq́ue apertiùs in ipſo triumpho oſtendit. cùm per pompam Byzantij , ad *Iuſtinianum & Theodoram* coniugem in ſublimi ſolio ſedentes adductus,hoc tantùm effatus eſt , *Vanitas vanitatum , & omnia vanitas.* O bone Gilimer.felix tua infelicitas,quæ mentem hanc dedit! nec vita deinceps infelix , quam in Galliæ angulo priuatus quietusq́ue duxiſti.

XII. In eâdem Africâ , ſed vetuſtiore æuo, non alium regem video vinci , capi, triumphari : IVGVRTHA is fuit , Maſaniſſæ nepos, opibus & ingenio validus, ſed tamen à Mario deuictus. Romam ducitur , & poſt triumphalem illuſionem in carcerem coniectus,veſte ſpoliatur , inaures , quas more genteo ferebat , detrahuntur , ſic ſerociter , vt partem imam auris ſenſerit auelli. Tum denique nudus in carcerem infimum abiectus,tætrum & horridum , *Papæ*, inquit , *quam frigidum eſt veſtrum balneum !* atque ibi fame obiit.

XIII. Quid Rex è Macedoniâ PERSES ? is quoque victus à Romanis , & animo fractus , ad religionem templi in Samothrace confugit : quaſi ſacra tueri poſſent , quem non arma. Incutum igitur aſylum: fraude vel vi eductus eſt, & cum vxore & liberis ad *Æmilium Paullum* Conſulem perductus. Ibi ſolutus in lacrimas , & humiles preces,ad genua etiam ſe ſubmiſit : miſerante Paullo , & ſimul indignante, quòd homo ſic vilis & degener victoriæ ſuæ decus delibaret. Triumphatus deinde eſt , cum duobus filiis , & filiâ : ipſe in carcere , & duo mortui : tertius ſeruatus,quid niſi iterùm ludibrium? Regia illa ſtirps primò fabrili arte vitam tolerauit ; & vſu iam Latini ſermonis aliquo , ſcriba & aſſecla magiſtratuum fuit. Vbi es Confidentia,aut Superbia?

XIV. Ante illum, & maior illo PHILIPPVS eiuſdem Macedoniæ rex , & *Magni* pater , quàm ſenſit infidam ſortem ? Græciam ferro vel auro ſuam fecerat, ſpes in Aſiam mittebat : & iam conuentus indictus erat , vbi caput & Præfectus eius belli legeretur. Quem vt celebriorem lætioremq́ue faceret,nuptias in eum contulit filiæ ſuæ *Cleopatræ* , cum *Alexandro* Epiri rege. Ludi & theatra parantur , etiam ſacra & duodecim Deorum ſtatuæ in pompâ ferendæ : quibus ipſius (ô cæca mortalitas !) decimatertia adderetur. Quid lætitiæ aut gloriæ abeſt ? diuturnitas. & dum ſecurum ſe putat , & theatrum ingreditur, *Pauſanias* ex amicis (& hoc inopinatum) à tergo conſecutus interficit. Vis iterùm inopinatum ? conſcendit ille celerem equum , & euaſerat , niſi pes eius in vite adhæſiſſet : vbi à ſatellite Philippi confectus eſt.

XV. Sed quid ego talia memorem? vna illa Græcia, præſertim à *Conſtantino Magno* , qui imperium in eam tranſtulit , tot exempla caſuum iſtorum det , vt nō ſit opus alio theatro. Quid in Italiâ? ab *Auguſto* ad

eumdem *Conſtantinum* numerantur IMPERATORES *quadraginta tres.* Diſpice. vix decem ex iſtis certù da bis, qui ſuâ morte ſint defuncti. Alios ferrum, venenum, laqueus abſtulit: à filio, fratre, vxore, amico, inimico: quid niſi ſingulos iuſtæ tragœdiæ argumentum?

XVI. Iam & fati alia genera miſeranda. PULYCRATEM in cruce mori video, BAIASITEM in caueâ, DIONYSIVM in ſcholâ, BOLESLAVM Poloniæ in culinâ. Quid ANTIOCHVM Syriæ, nónne à latronibus occiſum? PYRRHVM à fœmina? HENRICVM nuper Galliæ à monacho?

XVII. ∞. CC. XVII. In ſolâ Hiſpaniâ tria hæc demus: & quattuor alij. HENRICVS *Primus* puer ſceptrum ceperat, nec diu tenuit, poſt biennium miro caſu, & verè caſu, ſublatus. Nam dum Palentiæ, in areâ domus, cum æqualibus ludit, tegulæ lapſæ ictu repentè caput cóminutum: & ex vulnere vndecimo pòſt die obiit. ∞. CCC. XC. IOANNES itidem primus, in flore rerum & ætatis (annum *trigeſimum tertium* agebat) dum equum iuueniliter calcaribus incitat, & ad curſum admittit, eum eo labente lapſus, inibi exſtinctus eſt. Magis tragicum eſt de PETRO. qui cùm aliquamdiu ſæuirer, & multâ procerum cæde, regnaſſet, *Henricus* ∞. CCC. LXIX. frater arma in eum cepit; & auxilia è Gallia etiam conduxit. Pugnatum acriter, quàm odiis pertinacibus, exitus docuit. nam victus *Petrus*, cùm in conſpectum Henrici captus adductus eſſet, iſte pugione faciem eius percutit: atque alter dum vindicare parat, fœdè colluctati, vterque ad terram proſternitur. Sed aliis quoque ſuppetiantibus Henricus ſuperior, fratrem multis vulneribus conficit, & regnum capit. Nónne hoc Thebanum verus illud par fuit? Quartum exemplum in mente habeo, nondum in ſtilo:

XVIII. Io iſto, quintum. & eſt SEBASTIANI nuper Luſitaniæ & Indiarum regis, *Indole prob, quanta iuuenis!* ſed Fata eum euerterunt, & ipſum regnum verterunt. Iuuenis erat, animorum plenus: & accedebant, qui etiam Pietatis ſpecie illos tollerent, & arma in Mauros, eáque iis victorias, ſuaderent aut ſponderent. Acrior ſtimulus *Mahumetes Abdala* filius, profugus è Feſſæ regno; qui ius ſuum & amicos oſtendebat, & largiter promittebat, exſulum ingenio & more. Ergo excitatur, & omnia parat, naues, milites, commeatus; præter conſilia, quorum inops tunc & poſteà fuit. Vetus regnum, & altâ pace, commouetur. inſolens armorum nobilitas, & facta maiorum faciliùs, quàm ſua oſtentans. Additur & mercenarius miles: Dux nuſquam, niſi in titulo & ſplendore regis. Mare tranſeunt, regna Feſſæ & Marocci, vt deſtinant, occupaturi: ſed rex illorum ex aduerſo prodit, *Moleus Moluccus*, corporis æger, animo melior. Diſponuntur acies, pugnatur, *Moleus* intereſt, etſi per ægritudinem vix in equo hærens. videt autem fluctuare ſuos aut fugere, & generoſâ ira in hoſtem ipſe equum concitat, exemplo aut terrori futurus: ſed proximi retinent, gnari virium. Qua re ita excanduit, quaſi in ordinem redactus, aut proditus, vt gladio eos petierit; & mox animo linquens, in lecticam repoſitus, illîc in ipſa acie obiit. Sed mira fides aut prouiſio amicorum fuit. ſilentium de morte, curſus & recurſus ad lecticam eius, quaſi à viuo mandata peterentur: quæ res victoriam parti illi dedit. Nam Chriſtiani pauci in plures paullatim fatigari aut cedere, multi cadere: poſtremùm ipſe rex, qui in mediis hoſtium pugnabat, cùm videt omnia aduerſa, cinctum ſe ſine ſpe effugij, verba de pace aut deditione facere: ah, quàm ſerò! Hoſtes inuadunt, & occidunt, ſiue inter plures ignotum (& quidam aiunt regia inſignia ſibi detraxiſſe:) ſiue cognitum, ſed rixâ inter ipſos ortâ, quorum præda eſſet, per iram interemptum. Addunt, equeſtri ſellæ cadauer impoſitum, & in tentorium noui regis Afri (frater defuncti erat) delatum abiectumque oſtentui fuiſſe, donec à captiuis bonâ fide agnoſceretur. Ita ille obiit: & ſimul rex tertius *Mahumetes* exſul, qui fugere & fluuium vadare conatus, verticibus ſiue voragine hauſtus merſuſque eſt. O acerbi fati adoleſcens, quæ tuliſti, & quæ dediſti! nam tecum regnum corruit, & quod ſeorſim diu luxit ſplenduitque, velut radius rediit ad ſuum Solem.

Aſſiduus hic ludus: & ideò non ſit finis narrationum, niſi reprimam. quod facio: ſed vnicum inſigne exemplum Mutationis effatus, in quâ & manus carnificis interuênit. CONRADINVS imperatoriâ & regiâ ſtirpe iuuenis, vltimus Ducum Sueuiæ fuit. XIX. Pater ei *Conradus*, rex Neapoleos & Siciliæ; mater è Ducibus Bauariæ; auus, *Fridericus Secundus* Imperator; auia, *Conſtantia* filia *Ferdinandi* Hiſpaniæ regis fuit. Quàm amplum, & illuſtre hoc ſtemma! quos animos non faciat? quæ fata non promittat? Sed ſpes vndique deſtituit: & ſtatim à puero aduersâ ſorte, regna Neapolitana & Sicula, iure debita, *Manfredus* patruus fraude inuaſit, vi tenuit. Cùm ille abiiſſet aut pulſus eſſet, auctoritate Pontificis (*Clemens quartus* tunc erat. Gallici ſanguinis, & genti fautor) *Carolus Andegauenſis* aduocatur & inuadit. Quem *Conradinus* dum pellere conatur, copias contrahit, è Germaniâ in Italiam venit, multâ nobilium manu: inter eos, *Friderico* Duce Auſtriæ, cognato ſuo. Sed & Itali ſe iungunt, quidam ius eius, plures commoda vel affectus ſuos ſpectantes. Pugnâ cum *Carolo* commiſſâ, primò victor, denique vincitur: & fugit cum eodem *Friderico Auſtrio* per ignotam Italiam, trepidi & agaſonum habitu ſe occultantes. Ita Aſturam ventum. vbi conſilium capiunt nauis conſcendendæ, & Piſas dirigendæ, ſociam & fidam vrbem. Conueniunt cum nauiculatore, & iam in naui erant, ſed panis & commeatus deerat, quem mittunt eumdem illum præſtinatum. Pecunia etiam deerat: ergo annulum alter à digito detrahit, ſiue pignus nauiculario, ſiue pretio ab eo permutandum. Is annulus gemmam raram & æſtimatam habebat: itaque aurifex miratus à ſordido homine deferri, & ſuſpectans, *vnde habeat*; quærit. Ille candidè, *A duobus iuuenibus, ingenui vultus & ſanguinis, ſed habitu & veſte ſqualidis: neque vltrà ſe ſcire.* Defertur res ad Dynaſtam vrbis (qui tunc illi proprius erat) *Ioannem*, è gente *Frangipanum*: atque is ex euentu prælij, & famâ, tale ſuſpicatus, nauem inſtrui iubet, adoleſcentes retrahi, & ad ſe duci. Dictum, factum: ſiſtuntur, agnoſcuntur: & putabant extra periculum ſe, quia extra hoſtile ſolum erant, eſſe. Aliter accidit prauitate, ſiue auaritiâ Dynaſtæ. nam is *Carolo* indicat: qui ſtatim cum copiis terrâ marique aduolat, & captiuos ſuos Neapolim abducit. Quid exſpectas? aliquid regium? pudor eſt Andegauenſis ſtirpis aut macula, quod dicam. Diu deliberato concluditur, tollendos adoleſcentes, & publicè capite minuendos. Quid? vt ſicarios aut prædones? qui ius ſuum repetiitant? qui bellum palàm intulerant, & iure ac more gentium adminiſtrarant? Omnia in hoc facto ſæuitiam & barbariem habent: etſi Pontificem etiam obtendunt, atque illũ conſenſiſſe, aut ſuaſiſſe. Alterum poteſt, vix alterũ: ſed æſtimatiu aliorũ etiam eſto, in re autem iſtud. Producuntur in ſcænam publicam, concurſus ad tale ſpectaculum è

A totâ Italiâ, plerique omnes mirarentur & illacrimantur; ſed nemo, niſi manu ſaguare, iuuat. *Conradinus* animoſè loquitur, *Carolum* accuſat, ſe excuſat: Deum vindicē inuocat, & ius ſuū in hæc regna *Hedrico Caſtellano*, amitæ ſuæ filio, donat. Huic rei teſſerā, chirotecam exuit, abiicitque. Tum *Fredericus* primus ingeniculare iubetur, & caput inciditur: quod ſublatum è tabulato *Conradinus* (quis ſine motu audiat?) pectori appreſſum: deinde ori applicuit: & ſortem miſeram defleuit, cui auctor ipſe eſſet. Tum & ipſe in genua prouoluens, fortiter carnificem exſpectat: qui caput amputat. & cùm feciſſet, ſtatim alius hunc interficit, ne exſtaret qui iactaret generoſum illum ſanguinem à ſe ſublatum. Hoc vnum *Carolus* magno in ſpeciem animo: cetera feritatem habent. etiam illud, quòd ipſe ſpectator ſupplicij eſſe ſuſtinuit, in altâ quadam turri occultus. Illi obierunt: nec diu victoria aut regnis *Caroli* poſteri gauiſi ſunt, & Hiſpani (an non morituri voce & voto?) eiecerunt. B

CAPVT XV.

DE MODESTIA IN CVLTV:

Et hanc conuenire, elegantiam aut pompam non conuenire.

ET præcipuum quidem eſt, animum eſſe affectum eſſe. ſed vt corpore idem prodatur, quidni decorum ſit? Aurum, gemmæ, ſerica, non digna ſunt ornamenta magno Principe: & negotiator aliquis aut mango ea vſurpet. Quis etiam neſcit, Principi in mundo hæc eſſe? habet geſtatque, ſi velit, ſed maioris animi eſt, ſepoſuiſſe. Sanè egregios aliquot Principum ſic factitaſſe video, & plebi virtute eminuiſſe, cultu conſenſiſſe. C

AVGVSTVS apud Romanos: de quo Suetonius. *Inſtrumenti eius & ſupellectilis parſimonia apparet etiamnunc, reſiduis lectis atque menſis, quarum pleraque vix priuatæ elegantiæ ſunt. Ne toro quidem cubuiſſe aiunt, niſi humili, & modicè inſtrato. Veſte non temerè alia, quam domeſtica vſus eſt, ab vxore ſorore, & filia neptibuſque confecta.* Vt alia omittam, vide an veſtis illi ... mare petenda, qui non niſi domo ſumptam, & ... ctam geſtauit.

ALEXANDER *Seuerus*, planè inter bonos Imperatores, gemmas lapilloſque omnes, quos in Palatio repperit, vendidit: addens, *Gemmas viris vſui non eſſe.* Idem in ... apparatu, ne pompâ multùm vtebatur hoc vſurpans: *Imperium in virtute eſſe, non in decore.* D

Quod ſenſit ſanè AGESILAVS, Spartâ dignus rex. qui iam ſenex in Ægyptum *Tacho* regi ſuppetias iit. Nauibus vehebatur: & cum appropinquaret, ingens Ægyptiorum turba in portum ſe effudit, ad ... ſpectandum. Præceperant animo magnificum ... veſte, comitatu, ipſo corpore ... at ille prodit cum vili palliolo, par ... aſpectu verendus, niſi ſiquis noſſet. It... cœpit contemni aut irrideri. *Hunc eſſe, qui res lapſas inſtauraret? ancoram ſuæ ſpei? Omnino ... eruntis conſpici, Montes parturire, murem naſci.* Hæc & talia plebecula: ſed plebecula. vir ... & ... cem ſe mox exhibuit, non ... em fam..., ...

Talis in ... in Græciâ PHILOPOEMEN, quem ſcitè & verè dixit aliquis. *Vltimum Græcorum.* Poſt ... m, vix ſanè ... magnâ virtute, & laude fuit. At ... & corpore pa... decens, & cultus omnis negligens fuit: ac dedit fa... modeſtiæ ... ſed apud fœminam poëtas. *Megara* ... ibat, & præmiſerat nun- E

A ciatum amico cuidam, affuturum ſe veſperè, & hoſpitem conuiuamque ei futurum. Gauiſus ille, vt cocti aliquid eſſet, rectà ad forum properat, vxori denuncians, vt domi interea paret, verrat, ſternat: & quæ tanto hoſpiti conuenirent. Illa ſatagit, & *Philopœmen* opinione maturiùs adeſt, & comites poſt ſe reliquit. Salutat hoſpitam. illa reſalutat: & de cultu & eius corpore ſuſpicata anteceſſorem aliquem eſſe, & ex famulitio: *Heus tu*, inquit, *feſtinamus. adde manum & adiuua atque hæc ligna mihi ſcinde.* Vnà porrigit ſecurim: & facit opus ſedulò *Philopœmen*, donec amicus de foro ſuperuenit, & attonitus, *Quid hoc rei eſt Philopœmen? ita te & me dedecoras?* Ille ſubridens, *En pœnas*, inquit, *vultus & cultus mei luo.* Adeò non indignatus pro ſeruo ſe habitum, vt vltrò iocatus in ſe ſit: & credo materiam bellam ſermonum ea die, hoc factum fuiſſe. B

RVDOLFO noſtro Auſtriaco non aliter Moguntiaci euênit, & pari cauſa. Nam veſtitu, nihil à plebeio differebat. Manè igitur egreſſus ſolus (& aura frigidior erat) videt in piſtoris domo carbones de fornace recentes, ignitoſque. Intrat fidenter, adſidit, calefacit. cùm mulier eum adſpicit, & ex veſtitu æſtimans. *Heus*, inquit, *mi homo, parum decet vos ad mulierculas, & in alienam domum ſic venire.* Rudolfus, *Mea mater, miles ſum, qui meas res in obſequio & comitatu Imperatoris contriui: at ille parùm benignè me nunc habet, nec pro ſpe aut meritis muneratur.* Mulier ad illud Imperatoris nomen cœpit ſtomachari, & multa mala in *Rudolfum* dicere: *Quam iſte vir eſt*, inquit, *qui nos & noſtra perdit, pauperum ſcopulus & exitium. Meritò hæc vobis eueniunt, qui adhæretis & ſequimini: atque vt plura eueniant, opto.* Rudolfus delectatus procaciâ mulierculæ, *Sed mulier*, inquit, *de me miſſum fac: vos propriè qua re læſit?* Ibi mulier exclamare, *Idne? qui omnes piſtores huius vrbis, lautos ſatis antea, fortunis euertit: nec facile reſurgemus. At tu bone vir fabulari deſine, nec vltrà moleſtiæ aut impedimento nobis eſto. abi.* Aliquid voluiſſet etiam Rudolfus, ſed illa Amazon vas aquarium in prunas accenſas iecit, & fumo, vapore, cinere perfuſum eiecit. v. C

Sed iſte cultus eius priuatim, & non publicè fortaſſe fuit. Publicè vide. Quis dies lætior, & magis pompæ aptus, quàm cùm victum *Ottocarum*, Bohemiæ regem, ad ſe vocatum excepturus erat, & fidem ab eo (Homagium dicimus) accepturus? Ille venit cum magno & ſplendido comitatu: viri & equi auro, gemmis, ... nitebant. Dictum Rudolfo, ad ... ientare: & ſedulò à quibuſdam additum, *Pararet ſe, veſte & cultu ornatiore & Imperatorio, talem regem admiſſurus.* Rudolfus renidens. *Imò rex Boemiæ*, inquit, *[*]griſeam meam veſtem (verba fuerunt) ſæpe deriſit: nunc ipſum veſtis mea griſea deridebit. At vos arma & equos expedite. & accincti inſtructique, vt ad pugnam, ſtate. Decus Teutonicorum armorum, non veſtium, aduenti iſti oſtendite: hoc me vobiſque dignum eſt.* Dixit *Rudolfus*, neque aliter fuit. *Ottocarus* illi vili cultui ſe & aurum ſuum ſubmiſit, & ad genua acceſſit: non ſine ludibrio etiam. cùm Imperator iuſſiſſet tentorium, in quo res gerebatur, ſubitò pandi & reuelari, vt ab omnibus geniculans *Ottocarus* conſpici poſſet. vi. D

*Leucophæa Græcis cinerea aut murinâ Latinis.

CAROLVS *Quintus* Imperator, vt ſanguinem ab eo, ſic hanc virtutem traxit. In omni vitâ modicus vel potiùs tenuis, in cultu fuit. quod notarunt Itali, & mirati aut calumniati ſunt, in primo eius & ſolenni ingreſſu Mediolanum, Inſubrum vrbē. Ciues nouo domum omnia inſtruxerant, plateas aulæis tabulis, frondibus, ſeſe quiſq; veſtibus exornauerant: vii. E

vmbella aurea parata, quæ ingredientem tegeret. cùm ille & Imperator, & non ſemel Rex ac Princeps, in lanceâ aureâ pedulis, & [illegible] pileolo, ſub eam ſe dedit. Videbant eum, & requirebant: matronæ præſertim, & virorum vaniores. qui trabeas, & illuſas auro veſtes, & fulgentes in capite & collo gemmas exſpectabant.

VIII. O quàm diſpares iſti à Germanicis Imperatoribus, quos luxus & deliciæ ad cultum vix virilem traduxerunt! In quâ re lepidum eſt, quod *Nicetas Choniates* denarrat de ALEXIO ANGELO, Principe Byzantino. Erat in Italiâ tunc *Henricus Quintus* Imperator filius *Friderici Ænobarbi*, qui Siciliâ & Neapoli ſubiectâ ſpes ſuas longiùs porrigebat, & Græciæ imminebat. Miſit igitur legatos, qui magnum auri pondus poſcerent, velut tributi nomine: ant ſi negaretur, cauſſam belli. *Alexius*, quem dixi, audito aduentu exterorum, vt opes ſuas & ſplendorem iis oſtenderet, & oculos veneratione aut metu præſtringeret; iuſſit ſuis omnibus quàm ornatiſſimos adeſſe, auratos gemmatóſque: ipſe autem à capite ad calcem nil niſi ſplendor, & nitor erat, rarum vel in exemplo aliquo ſpectaculum. Veniunt legati, ſed Germani, id eſt viri, qui tantum abſuit (ait Nicetas) vt ſpectaculo eo ad metum mouerentur, vt contrà ad cupidinem: & nihil magis vellent, quàm cum iſtis quàm primùm ad manus venire, effæminatis, nec niſi ad prædam natis. Cùm interim Græculi etiam accedentes eos cubitis tangebant, & digitis præibant, vt *Imperatoris veſtem & gemmas aſpicerent: quibus ille, vt floridum aliquod pratum, aut Alcinoi hortus, variè nitebat. En, aiebant, vel in media hieme, Veris opes & gratias vſurpate, & oculos iis paſcite atque hilarate.* O belli parati! & quid ad hæc Germani? *Nihil capi aut affici ſe iſtis muliebribus ſpectaculis aut ornamentis. atque adeo iam tempus eſſe, vt hos ſepoſitis Græculi ferro aurum commutarent. Nam ſi irrita legationis ſuæ redirent; pugnandum iis cum viris eſſe, qui non vt prata lapillis niteant, neque veſtibus variegatis, vt pauones, glorientur: ſed qui vero Martis alumni, flammas ruboremque ex oculis in acie iaciant, & quorum ſudor ſplendidis guttis defluens referat margaritas.* Hæc noſtri Germani ad Græcos, iam verbis terrefactos: quid ſi ad rem ventum fuiſſet? & fuiſſet, niſi *Henrici* mors ſubſecuta conſilia hæc & incepta turbaſſet.

in c. xcvii.

CAPVT XVI.

DE MAIESTATE:

Et ſaluâ Modeſtiâ poſſe aſſumi.

NEque enim inter ſe hæc pugnant, & conuenientia eſt etiam inter ſpecie diſpares virtutes. Appello autem *Maieſtatem*, venerationem aliorum animis inſitam, cui à magnitudine eſt origo. Et ipſum etiam nomen Maieſtatis eſt à Magno. Ouidius decenter aperit:

Donec Honor placidóque decens Reuerentia vultu
Corpora legitimis impoſuere toris.
Hinc ſata Maieſtas.

Proles igitur eſt Honoris & Reuerentiæ, ſed & matrē ſi quis horum dicat, non aberret. Origo ei præcipua ab interna magnitudine, id eſt virtute: etſi externa etiam ſpecies, geſtus, cultus, aliquid addunt. Orientales in his talibus magis curioſi aut affectati: minùs Europæi, & veteres Principes diademate & purpurâ ferè contenti fuêre. Hodierno æuo, illis abolitis ſceptrum & corona ſucceſſerunt. Porrò eſt arbitraria ſunt: lege adiumentum ad maieſtatem, niſi aliunde ea adſit. Sunt & inſignia quædam [illegible] inuentionis, vt Aurei velleris, Conchæ S^ti Iacobi, & talia: è quibus primum, omen habuiſſe videtur aut præſagium pluſquàm Iaſoniæ nauigationis quâ nouus orbis, & in eo aurum, ſunt retecta. Aliquid & Aulæ pompa, & miniſteriorum varietas atque copia, item ſatellitium huc faciunt: & *Iulianum* Imperatorem, vulgò *Apoſtatam*, culpatum in his meminimi, qui ſuſtulit aut recidit: *Ὅτι* (ait Socrates *[illegible] ὁ ἐκ τῶν βασιλικῶν πάντα τοὺς πολλοὺς ἐξ [illegible] κατέλυσεν, [illegible] βασιλείαν quoniam ceſſante admiratione opum & potentiæ, quæ plebeis animis hoc aſpectu inſeritur, vilem & contemptui fieri eſſem reddidit Principatum.* Plebeium iudicium eſt nec magni hæc momenti: magis mores, ii ſi compoſiti & graues. Talem *Periclem* Plutarchus deſcribit, *vultu ſerio, nec ad riſum facili, inceſſu moderato, voce & ſermone ſedato.* Alacritas illa nimia vix conuenit ſed nec dicacitas, etſi ingenij notam dicas. Liuius in *Philippo* vltimo Macedone hoc notat: *Et erat dicacior naturâ, quàm Regē deceret, & ne inter ſeria quidem riſu temperans.* Iam corpus & ſpecies ſi adeſt, valdè iuuant. atque ita de *P. Scipione Africano* id Liuius: *Præterquam quòd ſuapte naturâ multa maieſtas inerat, adornabat promiſſa cæſaries, habituſque corporis* NON CVLTVS MVNDITIIS, *ſed virilis ac verè militaris.* Poſtremo, ſeceſſus & abductio iuuat. Vt enim ille ait, *Parit conuerſatio contemptum, raritas conciliat ipſis rebus admirationem.* Sed nimia ne ſtatim tollit munus & officium regis. Neque enim Perſæ laudandi, *apud quos perſona regis, ſub ſpecie Maieſtatis, occulitur.* Non item qui eos imitati, *intra ſecretum palatinæ domus incluſi tamquam aliquod Veſtale ſecretum conſuluntur*: tumida & odioſa ſunt, niſi gentium aliquis receptus mos (nec is bonus) ita habet. Quid tamen de regibus dicam? ecce olim libertum, qui huc ſuperbiæ & faſtidij deuenit. Is fuit *Pallas* Claudij, qui venerationi aſſerendæ, *numquam domi aliquid niſi nutu aut manu, ſignificauit, vel ſi plura demonſtranda eſſent, ſcripto vſus, ne vocem ſociaret.* Examina hoc, & vide ſeruilia illa portenta tam impotenter regnaſſe.

CAPVT XVII.

DE CASTITATE:

Quam Princeps extra connubium, & in eo pro parte ſeruet.

ADdidi denique alias virtutes, quæ ex deſignatione aut vſu ſunt: & quattuor præſertim, *Clementiam, Caſtitatem, Patientiam, Animi magnitudinem.* De primâ [illegible] dicendum commodius: [illegible] de Caſtitate, digniſſimâ Principe: [illegible] eſt, alta & ſeria cogitare [illegible] ſordidis cogitationibus & cæno ſuo [illegible]. Benè ille veterum: *Nihil [illegible] tam mortiferum [illegible] quam libido.* Nec animi ſolùm, ſed corporis [illegible] & perplacet illud Auguſtini, *Pudicitia eſt virtus, quæ [illegible] indumem.* [illegible] ex eâ & [illegible] alibi dicenda. Habe igitur [illegible] enim [illegible] *quod [illegible] ille Imperatoriæ mentis [illegible] quam [illegible] contingere, proſperis dubijsque ſociam? [illegible] parui liberos tradi* [illegible] nones, nec tamen omnes. Illæ [illegible] reipub[illegible], non [illegible] per [illegible] & interdum infid[illegible] exui, committuntur. Spernimus [illegible] qui referunt ad iſtas plerique omnia, & qui audiunt: etſi Ariſtoteles notat ſe-

A *roces & militares ſæpe populos ſua ſubiici, & nominatim Lacedæmonios.* Quod idem de iſtis Plutarchus, (11. Polit. cap. vii.) ſcribitque : *Lacedæmonios vxoribus ſuis ſemper addictos eſſe, plúſque cum his, de negotiis politicis, quàm hæc cum illis, de priuatis communicare.* Turpe eſt, ne fiat. Quis *Claudij* imperium non nouit, hoc nomine famoſum, quòd ſemper aut *Meſſalina* aliqua, aut *Agrippina* regeret; aut vnà cum his, quiſpiam è libertis? Quis & *Alexandri Seueri*, boni aliàs Principis, non miſeratur: qui per pietatem nimis matri ſe addixit, & ſe ſic euertit? Herodianus obſeruat: (Lib. vi.) *Quippe illi mater ſupra modum imperabat; atque is dicto audiens ſemper fuit. idq́; aliquis ſolum in Alexandro* B *reprehenderit, quòd manſuetudine nimiâ, & reuerentiâ maiore quàm oportuit, matri etiam in iis quæ diſplicebant, obſequeretur.* Atque idem ſcriptor proprium muliebre vitium tangit, quod inſtillant. *Alexander* inquit, *ipſe ad prælium cũ Partho non venit, incertũ metúne proprio, an quia mater retinuerit, fœmineo pauore. Omnes enim illius* (hæc nota) GENEROSOS SPIRITVS *retundebat, ſuadens alios potiùs periclitari pro ſe fineret, quàm vt ipſe in acie conſiſteret.* Talia fœminæ, & deteriora ſolent: ac bonarum rara exempla, animoſarum pauciora ſunt. Mihi verò, ſi quæ Principis fœminæ partes in republicâ eſſe poſſunt, eæ ſint quas Homerus in *Arete Alcinoi* deſcribit: *quam*, inquit, *maritus honorat & ciues: Quid ita?*

C

> Οὐ μὲν γὰρ τι νόου γε καὶ αὐτὴ δεύεται ἐσθλοῦ,
> Οἷσιν τ' εὖ φρονέῃσι, καὶ ἀνδράσι νείκεα λύει.
>
> *Nam neque mente animóque ea deficitur ſapienti,*
> *Atque inter ciues & amicos iurgia ſoluit.*

Hoc bonum germanúmque fœminæ opus, pacare, mitigare: amplius, ex eodem Homero, afflictos iuuare. Ita enim Minerua *Vlyſſi* ſuadet, adire in primis & blandiri *Aretæ*: quia per eam in patriam reſtituendus eſſet. Plura quæ facit, plurimùm malè facit. & pulchrum elogium de *Mariâ Emmanuelis* Luſitani vxore. quæ (ait ſcriptor eius gentis) *erat moribus & vitâ grauis, humanitate comis, otij inimica & ipſa manibus ſuis opera muliebria, è lino aut ſerico, faciebat; & virgines ſuas eodem ducebat.* NEGOTIIS PVBLICIS *numquam ſe admiſcebat, ſummum mulieris decus* D *in modeſtiâ ponens, & vitæ perturbationem cenſebat munerum confuſionem.* Hæc magnanimæ illius *Iſabellæ* filia fuit: ſed non in virilibus curis ei par: & vt verum dicam, *Iſabellæ*, vt Phœnices, vix quingenteſimo anno gignuntur. Siquis tamen talem nactus, vtiliter audiat: vel minorem eâ, ſed audiat, non ſemper auſcultet. Exempla porrò *Caſtitatis*, atque etiam deinde *Caritatis* inter coniuges, demus. ac primum illud, quod de

I. CYRO Xenophon, ſiue verè ſiue decorè, ſcripſit. Cùm, inquit, *Panthea* formoſiſſima fœminarum capta eſſet, atque ad eum adducenda, vetuit: ne vel oculis ſcilicet caſtitatem matronalem, & ſuam violaret. Atque *Araſpo* ex amicis ſuadenti adire eam, E & alloqui: *eſſe enim mulierem inſigni formâ, & Regis planè oculis dignam: Ob iſtuc ipſum*, inquit, *magis eſt vt abſtineam. Etenim ſi nunc illam adiero, cùm vacat, fortaſſe illa efficiet vt adeam, etiamcùm non vacat, eíq́; aſſideam neglectis rebus ſeriis.* Bona oratio, & ratio. ac ſanè ſi non alia noxia in vſu fœmineo; iſta certè eſt, auocari à melioribus curis.

II. Itaque iure PERICLES, cùm Athenienſibus Prætor, collegam *Sophoclem* poetam haberet, atque is in communi officio fortè diſtrictus, prætereuntem egregium puerum intentiùs intuitus eſſet, impen- A ſiúſque laudaſſet; grauiſſimâ iſtâ voce corripuit, *Oportet, ô Sophocles, Prætorem non ſolùm manus à lucro, ſed oculos à libidine habere puros.*

Quod fecit rex ANTIOCHVS tertius. qui Epheſi in ſuâ vrbe, conſpectâ Dianæ ſacerdote, ſupra alias formâ decorâ, continuò illinc ſoluit: veritus ſcilicet, ne amor aſpectu paullatim auctior audaciórque, eò impelleret, vnde pius caſtúſque non rediret. Laudari meritiſſimò poſſet, & contra impios quoſdam Principes: quibus Deo dicatas virgines violare aut inceſtare idque ſub velo (ô nefas!) ſacrorum & religionis, ludus iocúſque fuit. III.

At ALEXANDRI *Magni* in hac re continentia, cui B non innotuit? Is magno prælio *Darij* victor, eiúſque gazam, coniugem, & filias etiam potitus: non ſolùm benignè & regiè habuit, ſed ſic caſtè & ſanctè, quàm ſi eodem, quo ipſe, parente genitæ forent. Darij quidem vxorem, exſuperanti formâ fœminam, nec oculis attingere vmquam voluit: quod ipſe de ſe in epiſtolâ quâdã ad *Parmenionẽ* ſic ſcripſit: *Ego enim nõ ſolùm non vidiſſe inueniar Darij vxorem, aut* VIDERE COGITASSE *ſed nec verba facientes de eius forma audire ſuſtinuiſſe.* O raram in eâ fortunâ, & ætate, laudem! quam factum ſequens cumulat. IV.

Cùm aliquando enim IDEM, naturâ incitante, vſum fœminæ voluiſſet, & miniſtri formoſam noctu adduxiſſent: ille rogauit, *Ecquid tam ſerò veniſſet?* Ibi mulier excuſare mariti vigilias, & exſpectaſſe donec cubitum iuiſſet. Quod cùm audiſſet, quaſi telo ictus & calore omni remiſſo, mulierem omiſit: C vocatíſque miniſtris, *Reducite*, inquit *iſtam. & quàm penè imprudentem me adulterio illigaſtis?* V.

Iam quæ verba EIVS & ira, aduerſus *Philoxenum* quemdam maritimæ rei Præfectum ſuum? qui ad eum ſcripſerat. *Eſſe apud ſe Theodorum mangonem, & venales habere duos pueros forma eximia, ecquid eos emeret?* Quibus lectis valdè indignatus, & identidem exclamans amicos interrogabat, *Quid igitur in ſe Philoxenus tam fœdum vidiſſet, vt tantam maculam ſibi inureret?* Sed & in epiſtolâ ad ipſum, multis eum probris ſcidit, iuſſítq; *Theodorum* illum cum mercibus ſuis in malam rem ablegari. Quod ſi ſic alij Reges & Principes; faxo, vt talium rerum conciliatores & interpretes pauciores in Aulis eſſent. VI.

D Quid autem Romanus SCIPIO? nec robur eius in hoſtes magis, quàm in libidines ſuſpexeris: quas an non ſupra *Alexandrum* domitas habuit & compreſſas? Nam ille oculis ſuis parùm credidit, & veritus eſt capi: iſte cominus congreſſus, & vidit, & vicit. *Carthago Noua* ab eo capta erat, vbi præter aliam affluentiam rerum, pueri virginéſque nobiles reperti: & inter eos vna, quæ ad *Scipionem* deducta, oculos, quaquà ibat, omnium in ſe ſplendore formæ vertebat. Donum dabatur iuueni Imperatori, vt putabant, gratiſſimum: ſed ille oculis libatam modò, abnuit: & *Acciperem*, inquit, *fruerérque, ſi priuatus, & non cum Imperio eſſem. Nunc reſpublica occupatum hunc animum tenet. Accipio tamen quaſi depo-* E *ſitum, reddendum cui ratio & humanitas ſuadebunt.* Simúlque virginem percontari de patriâ, parentibus & ſorte cœpit: agnouítque principe loco natam, & principi item ſuæ gentis adoleſcenti (cui *Luceio* nomen) deſponſam eſſe. Igitur parentes, & hunc aduocat: cúmque veniſſent, ſtatutâ apud ſe virgine, ſponſum ex iis priorem alloquitur: *Ego, vt hæc virgo ad me deducta à militibus noſtris, ac donum data eſt; & formam eius libens vidi, & dotes animi corporíſque laudaui. Nec enim cæcos, aut ignaros talium, Natura genuit: hæc quoque pectora amor tangere poteſt. ſed non niſi honeſtus, & quẽ tẽpora reſq́; mea permittũt* VII.

Hæc igitur etſi iure belli mea erat; tamen non lubet inter arma hos ludos ludere; nec deceat fortaſſe præripere, viro forti iam deſponſam. Hoc enim ab eâ didici, & ideò te euocaui: vt coram viderem, coràm tibi hanc traderem (numina teſtor) caſtus caſtâ. Sic pudicè caſteq; meâ curâ habita eſt, ac ſi apud ſoceros tuos, parenteſque ſuos fuiſſet. Non eſſet me téque dignum donum ſi aliquid ex eâ vis aut occulta fraus libaſſet. intactam, inuiolatam accipe, & fruere. nec aliam mercedem, quàm te volumus, id eſt animum tuum Scipioni & Romanis addictum. Attonito iuuene, & præ gaudio vix mentis aut linguæ compote; parentes interuenerunt, gratias agentes habentéſque. & ad pedes Scipionis ſatis grande auri pondus depoſuerût, quod pro redimêdâ attulerant: rogarúntque, quoniam gratis redderet, ipſe hoc munus ab ſeſe haberet. At ille beneficentiam aliâ cumulans, ſponſum tollere hoc aurum totum iuſſit; & ſuper dotem, quam parentes daturi eſſent, hanc quoque à ſe habere. Quid laudes potiùs? libidinem victam, auaritiam victam? cum laude priuatâ, cum publico fructu? quia vno hoc facto magnam Hiſpaniæ partem ad Romanos & ad ſe traxit, certatim cupientes tali virtuti ſubeſſe.

VIII. Iam in IVLIANO quoq; Principe etſi à pietate & religione noſtrâ abiit, admirâda hæc côtinentia fuit. quem fides certa habet, mortuâ *Helenâ* coniuge, nihil vmquam venereum attigiſſe: celebrantem ſæpe & recolentem Bacchylidis poetæ illud dictum: *Vt egregius pictor vultum ſpecioſum effingit, ſic pudicitia celſius conſurgentem vitam exornat.*

IX. Libentiùs & Chriſtianos hic inſero, & laudo. primúmque inter eos BALDVINVM, ex Flandriæ Comite Byzantij Imperatorem: qui annos XXXII. natus, in ipſo illo ætatis æſtu, ſic continuit ſe & adſtrinxit, vt toto illo tempore quo ab vxore abfuit, nec impudicis quidem oculis mulierem ſit intuitus, quod de illo totidem verbis, hoſtis eius alioqui *Nicetas* in hiſtoriâ conſignauit. addítque, etiam in aliis hanc caſtimoniam exegiſſe, & *bis quaquâ hebdomade, ſub veſperam, proclamari iuſſiſſe, Ne quis qui alienam mulierem attigiſſet, dormiſſe aut cubuiſſe in Palatio ſuo vellet.*

X. MAXIMILIANVS *Primus Auſtrius*, quàm caſtus à libidine fuiſſe cenſebitur, qui ſic verecundus à contactu aut aſpectu fuit? Inter alias dotes, corpore & omnibus membris pulcherrimus deſcribitur: ſed eorum quæ natura occultari voluit, ita celans, vt nemo vir aut fæmina nudum eum viderit, aut tectum. Subducebat ſe furtim, cùm naturæ purgationes vocarent: ad lectum iturus, nec cubicularium quidem ad exuendum, deponendum, collocandúmque ſe admittebat. adeò vt nulla virgo magis teneri pudoris fuiſſe videatur. Quid, quòd teſtamento cauit, caligas & feminalia mortuo ſibi induci? vt & tunc cura pudoris eſſet, cùm iam non eſſet.

XI. Sed & CONSALVVM *Magnum* Hiſpanâ ſtirpe, meritò celebrauerim. qui tot bellis, cùm regnum Neapolitanum ſuo Regi vindicaret, conſenſu traditur, nullam matronarum aut virginum temeraſſe, imò & oblatas aut offerentes ſe (nec nouum in tali potentiâ) comiter reieciſſe. Atque adeò cùm pater quidam vir nobilis ſed pauper, duas filias ſcitas & lepidas, ipſe ad eum perduxiſſet, ratus hac ſe viâ ad opes poſſe venire: admiſit quidem, ſed cauſsâ facti cognitâ, vt ſuas filias, dote datâ nobilibus viris collocauit, à ſe tam integras, quàm à parente.

XII. Addi fortaſſe meretur, etſi in vno facto, continentia, quam alij FRANCISCO *Sfortiæ*, alij CAROLO *Octauo* regi Galliarum adſcribunt. Sed huius nomen vſurpemus, vt dignius: & potuit tamen hoc ſimile in vtroque eueniſſe. Igitur *Carolus*, in reditu à regno Neapolitano (quod quæſiuit fortiùs, quàm tenuit) cùm opidum aliquod Italiæ expugnaſſet; in militû direptione & diſcurſu, virginem perhoneſtâ formâ ad pedes eius accidiſſe ferunt, tutelam à vi militum & cuſtodiam pudicitiæ ſuæ rogantem. Atque illum à militibus quidem ſemaſſe; ſed vt iuuenem & talium rerum ſatis liberum, ſtatim oculos & cupidinem ad eam adieciſſe, & ſeductam in lectum abieciſſe, iam imminuendam. Ibi ea toto animo anxia, videt tabulam in pariete ſuſpenſam, in quâ Diua virgo puerum, mundi Seruatorem, ſinu geſtabat: & eâ oſtenſâ, *Per intactam hanc Virginem*, inquit, *oro, adiuro, virgini mihi parce.* Mouit ita regem (non ſine Diuæ illius numine) vt libidinem iam exſilientem coerceret: & lacrimis etiam profuſis, ſolo amplexu proſecutus liberam dimiſerit, cum dote quingentorum aureorum. Sed & propinquos, aut affines captos, ei donauit.

Hæc exempla in regnis, aut imperiis: quis carpet vnum alterúmque prodi, in fortunâ priuatâ? SPVRINA adoleſcens in Etruriâ, excellenti pulchritudine, matronarum virginúmque in ſe oculos, ſed & virorum trahebat. Illæ potiri auidè, & in occulto aut palàm, ſuſpitabant: iſti æmulatione tabeſcebantur, & in ſuis quiſque fæminis timentes, aut ſuſpectantes. Optimus iuuenum vidit. & vt ſe alióſque metu vel moleſtiâ liberaret, faciem illâ ſic emendatam plagis ſciſſuriſque totam ipſe deformauit. Quid addam? ludibrium poſteà, non irritamentum vixit. XIII.

Addatur, addatur ille DAMOCLES, adoleſcens Atticus tam inſigni facie & corpore, vt vulgò ei cognomen *Formoſi* eſſet. Itaque eo ipſo proditus *Demetrio* regi, qui tunc Athenis laſciuiebat, poſtulatur ad ſtuprum, impellitúrque donis, promiſſis, minis. Nihil horum valuit, & vim aut inſidias veritus, abſtinere etiam cœpit gymnaſiis publicis, & palæſtrâ. Quod rex cùm aduertiſſet, poſitis obſeruatoribus, euênit vt in balneas priuatas lauandi gratiâ iuiſſe cognoſceret, ſtatímque eo properans nudum deprehendit, quid niſi certam, vt putabat, prædam? Et iam irâ quoque accenſa libido irruebat: cùm ille niſi in morte effugium videns, hanc elêgit, reſeratóque aheni operculo, in aquam feruentem ſe demerſit, & exſtinxit. Triſte fatum, etſi forte factum! ſed iuſtiùs vndique laudandum, quod adiungam. XIV.

PELAGIVS in Hiſpaniâ fuit. qui in clade à Mauris acceptâ ad *Iuncariam*, ſub *Ordonio* rege, cùm obſes datus eſſet, ſiue pro auúculo *Hermogio* Epiſcopo Tudenſi, vt plures certioréſque volunt; ſiue pro patre Galiciæ Principe, qui captus Cordubam trahebatur: ſed pro vtro, tamen obſes *Abderamini* regi Mauro datur: ecce formâ eius captus Barbarus, florem hunc ſibi deſtinat: & alludere cœpit, côtrectare, & tentare. Ille reiicit, atque id ſæpius: donec vim etiam pararet amator. cui iſte ingenuâ irâ, pugnum impegit: & *Tolle canis*, inquit, *vitam, non pudicitiam mihi extorquebis.* Hic quoque ſoram ſeriò iam datus, iuſſit vt fundæ machinali impoſitus, trans Bætim fluuium vi emiſſus rupibus illideretur. Quod factum: ſed Pudicitia ipſa opinor, alumnum ſuum tuitaeſt, & cum miraculo viuus euaſit. Non mutauit tamen Barbarus niſi ſupplicium: & forcipibus membratim diſcerpi laniarique iuſſum, in flumen proiecit. Vnde Chriſtiani noſtri extraxerunt, coluerunt; noménque eius in Diuorum numerum ab Eccleſiâ meritò eſt relatum. XV. DCCCC. XX.

Satis ſit iam talium. videamus & CARITATIS inter coniuges exempla. Nam ea caſtitati ferè ſemper comes.

Veſpaſiani æuo turbæ aut rebellio in Galliâ fuit, & XVI.

dux

A dux partium *Iulius Sabinus*, cui vxor EPONINA. victis Gallis dux ad ſupplicium quærebatur: ſed is in ſpeluncam auitam ſe abdidit, & famam mortis ſuæ ſparſit, quaſi veneno ſponte eam ſumpſiſſet: ac rei fidem, villam, tamquam ſuper ſe, iuſſit incendi. Ipſa vxor hæc ignorabat, eratque in multis & mæſtis lacrimis: ſoli duo liberti ſciebant, qui miſerati mulierem, mori certam, & cibi iam triduum expertẽ, marito indicant, & ſuadent amanti ſubuenire. Factum, & illa reſciſcit *Sabinum* ſuum ſic viuere: venitque ad eum, itidem & ſilentium coluit per totos nouem annos, & liberos etiam in ſpeluncâ cõcepit ac peperit, ſolâ Caritate obſtetricante. Denique res euulgata eſt, capti ſunt, Romam deducti: an non veniâ donati? laudem & præmium merebantur, certè iſta. Sed *Veſpaſianus* (ah meo animo hic ſæuus) iuſſit interfici. quamquam illa prolatis oſtenſiſque liberis: *En Cæſar*, dixiſſet, *quos ego in monumento peperi atque alui, vt plures ſupplices haberes.* Indignor, non vel dicto huic B indulgentiam donatam. ſed nihil illa: & læta, opinor, cum marito periit, cum quo tot annos iam antè fuerat ſepulta.

XVII. Fuit & CABADIS Perſarum regis vxor, ignoto nomine, mirâ in eum fide. Is regno ſuo ſpoliatus à ſubditis quibus duriùs imperaſſe viſus, & in cuſtodiam datus erat. *Blazes* frater in eius locum ſubſtitutus, conſilium habuit, quid captiuo faciendum? atque ibi *Chanaranges* (magiſtratus & præfecturæ præcipuæ nomen) oſtenſo cultello, *Hic*, inquit, *tam exiguus ſtatim peraget, quod poſteà viginti millia hominum non efficient.* Significans, tolli ex facili nunc poſſe; viuum, daturum moleſtias aut clades, vti euênit. Nam cùm mitior ſententia in virum ſanguinis & loci regij obtinuiſſet, vtque in carcere cui *Lethe* nomen, perpetuò adſeruaretur: fuit ibi aliquãdiu, vxore idẽtidem inuiſente, & focillante. Sed ſors ita tulit, vt Præfectus carceris conſpectam iam ſæpius mulierem adamaret: quod illa ad maritum retulit: atque hic eam iuſſit obſequi, vel ſalutis ſuæ cauſâ. Non volens paruit: ſed volentior deinde Præfectus, & mulieri, cùm vellet, ad maritum acceſſus fuit. Itaque operâ tandem *Seoſis*, veteris & fidi amici, equi parati in propinquo ad effugium: atque ipſa carcerem, de more, ingreſſa, viro ſuam veſtem induit, illius accepit: qui egreſſus ſic ſefellit. Iam plures dies abierant, & *Cabades* in tuto, & apud *Euthalitas Hunnos*: cùm fraus deprehenſa, & mulier iuſſu regio pœnas dedit. Infelix hac parte, nec *Cabadi* ſuo proſperorum futura ſocia. qui vxore aliâ ductâ filiâ regis *Euthalitarum*, grandes à ſocero copias impetrauit, regnum recuperauit, & *Blazen* in cuſtodiam dedit, oleo feruente ſuper oculos infuſo priùs excæcatum.

XVIII. DCCC. LVIII. Simile eſt SANCTIÆ Hiſpanæ facinus. quæ ſoror *Theraſiæ* reginæ Legionenſis, aut eius ex fratre neptis (nam diſſentiunt) fidem & affectum erga ſponſum, & mox maritum, oſtendit. Is erat *Ferdinandus* Caſtellæ Comes, cui infenſa *Theraſia* ob patris mortem, vlciſci eam fæmineâ fraude apparabat. Itaque nuptias *Sanctiæ* ſororis offert, quæ apud *Garſiam* fratrem, Vaſconum regem, educabatur. Placuit Comiti conditio, it modico & in pacis ſpeciem comitatu, ad ſponſam capiendam, & fruendam & deducendam: cùm *Garſias*, inſidiarum gnarus & E particeps, in vincla eum condit. *Sanctia*, audito ſuâ cauſâ & amore id eueniſſe, etſi amoris anteà expers, honeſtè eum concipit: occultè in carcerem venit, nuptias paciſcitur, & cum eo in Caſtellam, eluſis cuſtodibus, abit. *Theraſia* nec ſic mitior aut quieſcens, aliam iterùm fraudem ſtruit: idque per filium *Sanctium*, Legionis regem. Qui

A cõuentus regni indicit, quaſi de magnis publicis rebus, & eò Comitẽ, de more, vocat. Hæret nonnihil iſte, & dubitat: ſed vt ſolent generoſi animi, in ſidei partes inclinat. Tamẽ cùm veniſſet, immitiore ſtatim vultu & ſermone exceptus, in arctã cuſtodiã datur. Quid facis *Sanctia*? in ſororem, in nepotem, pro marito quid ſtruis? fraudem iterùm, ſed piam. Simulat voti ſe ream, velle ad Diui Iacobi proficiſci: facit iter per Legionem, & ſatis benignè (quidni à nepote, matertera?) excipitur. Orat inprimis, viſendi obiter mariti copiam ſibi fieri atque impetrat, ſed in noctem vnam. Ibi complexus, ibi lacrimæ; & domo allatum conſilium exſequitur, vt veſte permutatâ, vicariam ſe daret pro marito. Ita ille luce dubiâ emittitur pro *Sanctiâ*, equos ex compoſito reppererit, inſcendit, euaſit. Ipſa Sanctia, cùm nepoti indicium fraudis factum, educitur: & quamquam ſtomacharetur primò, B & deluſum ſe doleret, tamen impetu ad rationem reuocato, pietatem & robur fœminæ veris laudibus tollit, & honeſto comitatu ad maritum remittit.

Firmus etiam fundatiúſque ille amor, qui in BLANCA SCAROBONIA, Italicâ matronâ, ad ſtuporem apparuit. XIX. M.CC. LIII. Captum *Baſſianum* erat, in agro Patauino municipium, ab *Actiolino* immanis ſæuitiæ tyranno: atque ibi dum fortiter repugnat maritus *Blancæ*, interficitur; ipſa etiam in armis virilibus marito iuncta, & ſimul pugnans, capitur. Adducta igitur ad tyrannũ, & armis exuta, formoſiſſima mulier apparuit; & accenſus libidine, potiùs, quàm amore, potiri ſtatim voluit. Illa abnegat: precibus, minis & terroribus immobilis: donec ad vim tyrannus ſe parat. quod intellegens, aſtu ad feneſtram ſe ſubducit, & præcipitem ex eâ iecit. Non tamen vel ſic obijt, ad aliud facinus ſuperuixit, quod fuit tale. Cùm enim ſanguine fœdata & ſemianimis, ſublata *Actiolini* iuſſu eſſet, & in lecto repoſita, curatáque: poſt dies aliquot iterùm tentata recuſauit, & eumdem animum vitæ potiùs, quàm pudicitiæ perdendæ, ſibi eſſe teſtata eſt. Ab irato igitur conſtringi ligaríque iuſſa, violata, non contaminata eſt (quî enim poſſet illa caſtitas?) ſed tamen dedecori huic ſupereſſe noluit, & fortiùs quàm aliqua *Lucretia* cùm ad mariti ſepulchrum iſſet, alleuato & ſuffulto lapide, ſuper fœtidum cadauer ſe proiiciens, atque id amplexa, *Teneo te*, inquit, *mi anime: quis tyrannus vltrà auellet? Maneo, accipe fidam tuam Blancam, corpore & funere nunc iunctam.* Dixitque, & fulcrum reuellens, caput ſibi contriuit, & ſpiritum tenuem & exiturientem emiſit.

At hæc in fœminis ſunt, quarum ad honeſta aut praua maior ſæpe impetus: ſed nec viri deſtituimur XX. M.D.XVI. huius Caritatis exemplis. Omitto vetera. ſub rege *Emanuele* Luſitaniæ, in Africâ bellum gerebatur; & *Ataidius* eius ibi Legatus, cum ſatis magnâ manu prædatum in agrum Marochienſem iuerat. Inopinantibus ſuperuênit, atque ita RAHUM BENXAMUTIUM reppererit, claro nomine inter Arabum duces: qui caſtra illic & de more, familiam habebat. igitur ingens à Luſitanis cædes edita, præda item hominum pecorúmque parta. Ipſe *Rahus* tamen euaſerat: & cùm Chriſtiani, onere graues, tardiùs iter facerent, collectis ad LXX. è ſuis equitibus, à tergo obequitabat minitabundus. Plures intereà accedebant: & ipſe tum ſuos cohortans, tum Arabas E excitans (qui cum Luſitanis fœderati militabant) vt eos deſererent proderéntque: *En egregiam occaſionem*, inquiebat, *Deo, Mahumeti, gentilibus placẽdi, ſi iſtos canes & alienigenas, facto agmine ac nobiſcum iuncti, inuaditis, & cinctos vndiq; trucidatis. Præda erit veſtra, gloria æterna erit veſtra, patria liberata muneris erit veſtri. Agite fratres agite cõmilitones, expiate fœderis*

dedecus honeſtiſſima tranſitione. Clamabat, non mouebantur: imò contrà, quò fidem ſuam magis noſtris approbarent, in primum agmen cum prædâ ſe conferebant. Iam parabat, vt impar, diſcedere *Rabus*: ſed vxor illius *Hota* nomine, ſingulari ſpecie mulier, amata vnicè & amans, ex agmine nominatim eum inclamauit. Subſtitit ille, & vocem agnouit, ſimúlque fœminæ fatum: atque ipſâ à ducibus petito breui colloquio & impetrato, *Rabe*, inquit, *Benxamutie vbi promiſſa & fides ſunt? Quoties iuraſti, captiuitatem meam & diſcrimen ipſâ morte tuâ depellere? En trahor captiua, & patris, perfide dicam an ignaue? Nec vtrum probrum viro indignius ſit, ſcio. Vbi autem de robore tuo vaniloqua verba: pudet & fama, quæ ſic eſt mentita.* His vocibus, & ipſis amoris ſtimulis, incitatus *Rabus*: *Dies*, inquit, *longa eſt, victoria in Dei manu, virtus in meo brachio, confide.* At illa puluerem manu è terrâ tollens, & in altum proiiciens, *Sic*, inquit, *verborum tuorum fidem aura diſpellit. Abi ingrate, aliâ fruere, quam mihi, vt video, prætuliſti.* Sed *Rabus* ſtatim, vt in more gentis eſt, calceum ſibi detractum, in illam iecit: quod ſignum & pignus ſanctum erat ſeruatæ ſeruandæque fidei; & ſimul ad equites ſuos conuerſus, *Si vmquam amor vos tetigit*, inquit, *mei atque huius miſeremini, & adiuuate. Per ſacra noſtra, per gloriam gentis, per vitam hanc meam obſecro, quæ diuturna eſſe non poteſt, ſi hæc aufertur. Inſiſtite, dij audentes & amantes iuuant.* Fecitque ipſe & alij impetum, quem egregiè ſuſtinebant noſtri, donec *Ataidius* in extremo agmine propugnans & ſuſtinens, cùm guttur eius caſu arma nudaſſent, haſtâ *Rabi* transfixus occubuit. Duce amiſſo, confuſio, & ea maior, quòd æmulatio etiam erat & certamen de loco. Alij hunc, alij iſtum ſufficiebant, & id tanto certamine, vt pænè (ô fatalem inſaniam!) ad manus inter ſe, relictis hoſtibus venirent. Quod Arabes fœderati conſpicati, & ſimul miſeratione nobilis illius Ducis tacti, arma in noſtros verterunt, & puncto temporis diſſipatâ acie, cæſi plerique omnes aut capti ſunt. Recepta ita *Hota*: quam ſecum ducens victor *Rabus*, omnium oculos, voces & laudes in ſe vertit, fidem & robur prædicantium, & vtriuſque felicem affectum. Nec diu ſanè pòſt mulier pro ſe fidem quoque teſtata eſt; cùm marito in prælio quodam mortuo, illa funus eius cum multis lacrimis magnificè curauit: & inediâ deinde nouem dierum ſe vitâ exuit, & marito iunxit.

xxi. Hæc tragica. mitius exemplũ eſt, quo claudã, noſtri PHILIPPI *Boni* cognomento; qui præcipuus auctor fuit magnitudinis huius, quam domus Burgundicæ appellamus. Is igitur annos natus vigintitres, patrem *Ioannem* Burgundiæ Ducem, ſcelere & perfidiâ (res dicenda eſt) *Caroli Delphini* interfectũ amiſit. Atque vt erat dolore & irâ recens, ad vxorem venit, quæ ipſa ſoror *Caroli* erat: & *O mea Michaela*, inquit (id mulieri nomen) *Frater tuus patrem meum occidit.* Mulier ſtatim in lacrimas & clamores. (nam mirificè viri amans erat.) & diſcidium non fruſtrà verita, ſine ſolatio lugebat: niſi quòd ipſe eam erexit, multiſque verbis affirmauit, *Nihilo ſibi viliorem futuram, ob hanc propinquam quidem, ſed alienam tamen culpam. Reciperet animum, & metum poneret, viro æternùm fido bonóque futuro.* Et fecit. vixit triennium cum eâ, omni amore & honore ſolito proſecutus: etſi ipſe aſpectus eius, ſcelus fraternũ & triſte parricidiũ ſentibus ingerebat. Accedebat, quòd ſterilis eſſet, quæ ſola cauſſa diuortij, quoties apud Principes valuit? Sed nihil apud iſtum: qui amorem & primam copulam, niſi morte, noluit ſolui.

xxii. Verè claudebam, ſed SCYTHICA mulier interuenit, & oſtendi poſtulat in hoc theatro. non illa magna, nec in re ſpecioſâ aut magnâ, ſed ſi ad calculos reuocetur, magni mirandique amoris. Sub *Andronico Palæologo Iuniore*, Scythæ incurſionem in Græciam Thraciámque fecêre, & latè populati magnam prædam auexêre. In ea captiuus quidam Thrax fuit, qui cum alijs ante fores Scythicæ huius trahebatur: viditq; & miſerata eſt, & emit eũ, imò mox & nupſit. Sed iuramentum tamen priùs exegit, non deſerendam ſe ab eo vllâ fortunâ, tempore, aut loco. Mulierem autem hanc iam antè acre deſiderium habebat capiendæ noſtræ religioni, & vt ſalutari aquâ tingeretur; quod marito indicat, atque ille approbat, & vnà conſtituunt hoc fine in Chriſtianos fines demigrare. Sed dum ſe apparant, & opportunitatem quærunt, annus elabitur, & binos intereà liberos marito ſuo, alterum peperit, alterum in vtero geſtabat. Ex quo & creuit amor mutuus, & iam firma nexio videbatur. Ecce autem intereà euênit, vt iterùm Scythæ incurſione factâ, priorem vxorem huius mariti ſui abducerent, & prætereuntem cum captiuis ille agnoſceret & videret. Itaque, pro veteri affectu & conſuetudine, illacrimauit, & cauſſam vxori ſuæ Scythicæ dixit. Illa nec indignata marito eſt, nec odio aut æmulatione (pro muliebri ingenio) in alteram illam tacta; ſed ſtatim eam quoque emit, tum ad domeſtica miniſteria, tũ vt aſpectu ipſo dolorem marito leuaret. Et iam tempus migrandi viſum: migrant, Conſtantinopolim veniunt: mulier baptiſmate tingitur: altera illa (anſim ingratam, ſi non iniquam, dicere;) ſtatim ad Patriarcham accurrit, clamitat per iniuriam maritum ſibi ereptum, & à Scythicâ poſſideri. Illa quoque venit, & auditor, & rem totam exponit, nec quiſquam damnare eam ſuſtinuit, vt quæ ambobus domina eſſet, eóſque ex ſeruitute & immanibus illis belluis liberaſſet. Tamen heſitantibus illis, ipſa ſententiam hanc vltrò tulit: *Marito meo ſi prior vxor cordi eſt, habeat: cui etiam ob conſuetudinem, & ſuſceptos ex eo liberos, pretium redemptionis condono. In ipſam hanc autem fœminam vti eadem liberalitate cupiam. ſed cùm in terrâ alienâ ſim, & aliarum rerum inops, haud poſſum. Itaque illa pretio reddito, cum marito abeat: ego cum duobus meis liberis benigni Dei manus exſpectabo.* Dixerat mulier, & mirati omnes æquanimitatem ſunt: cui Deus ſanè mox adfuit. & cùm altera illa in Thraciam iuiſſet, ad pecuniam corrogandam; ecce iterùm â globo Scytharum abripitur, nec vltrà viſa eſt, & maritus iam tutò illius coniugio acquieuit.

CAPVT XVII.

DE PATIENTIA.

Ab irâ & vindictâ alienum eſſe debere, præſertim in conuiciatores.

POterat ſub Clementiâ hæc virtus contineri, ſed educere malui, & ſeorſim oſtendere. quia valdè Principem decet, & ſæpe in eâ fortunâ locum habet. Quis non alta illa ſemiuncialis aut iudicus petit? Grauamur imperari; & quamuis benè atque vtiliter aliquis faciat, tamẽ hoc, illud, carpimus: & ſemper aliquid eſt quod nõ omnibus placet. Inde voces. ſed ſpernat Princeps, & ſciat *Nullũ eſſe argumentum magnitudinis certius, quàm nihil poſſe, quo inſtigeris, accidere.* Sicut ſuprema Mundi pars ventis, fulminibus, pluuiis non turbatur: non item debent apices iſti rerum. Hic aut ille in te iocatus eſt conuicio aſperſit? calumnias diſperſit? contemne. *Ille* Sene. iii. De Irâ c. vi.

magnus

ri Delrâ, cap. xxx. *magnus & nobilis eſt, qui more magnæ feræ, latratus canum ſecurus exaudit.* Potentia tua ſupra læſionem eſt,
gloria (ſi benè agis) ſupra infamiam. Sed Mecænatis verba & conſilium, quod *Auguſto* in hac re dedit, digna adſcribi: *Si quis conuiciatus tibi fuerit, aut in*
Dio lib. LII. *occulto detraxerit; neque deferentem audire debes, neque delatum punire. Turpe enim ſit, facilè te id credere, cùm cauſſam non prabeas, eſſe tamen qui conuicio petant. Atque id ferè non niſi mali Principes credunt, quos ad fidem inclinat conſcientia. Deinde autem iniquum ſit, hac traſci aut punire. quæ ſi vera ſunt præſtat non admittere; ſin falſa, diſſimulare. Nam vltione iſtâ, quid niſi plures ſermones & plurium prouocabis?* Sunt ſaluberrima monita, ſiue rationes: & vltimam iſtam nota. Ne moue, quod motum magis exhalet: ne moue, quod mouendo non ſedes. Quòd ſi omnes punitum ibis, quis finis erit? neque aliud agas, & aſſiduè in iis occupetis. Contemne igitur, & Senecæ hoc imbibe: *Contumeliarum patientiam, ingentis inſtrumentum eſſe, ad tutelam regni.* Et, vt ad Exempla veniam,

I. LACONES appoſitè in publicis ſacris apprecari ſolent, *Vt poſſent iniuriam pati.* Ne propetè ſcilicet exſilirent ad vindicandum, & ſtatum ita ſuom turbarent. Tum etiam, quia parùm idoneos iudicabant ad res gerendas, qui iniuriâ aut contumeliâ ſtatim abriperentur. Sedatio animi & frigus decet imperantes.

II. In quâ parte DAVID, rex Hebræus, mirificus. qui pulſus à filio *Abſalomo*, & profugus, cum manu tamen fortium virorum, vt ad montem *Bahurim* venit, auſus eſt *Semei* è *Saulis* cognatis, petere virum conuiciis: tantùm? imò & lapidibus, quos ex alto in eum iecit. Indignati comites. & ex iis *Abiſai*: *Itáne hic canis Domino meo & ſuo male dicat? idq́ue impunè? Ibo, mi rex, & recidam ei caput, domicilium proteruæ huius linguæ.* At mitiſſimus virorum Dauid, *Mitte, vt male dicat. En filius, quem genui, ſanguis meus, ſanguinem iſtum quærit. & indignamur ſi conuiciatur alienus?* Cæleſtis quædam hæc patientia: quid mirum in viro cæleſti?

III. Magis in tyrãno PISISTRATO. cuius vxore petulanter & iniuriè habitâ à quibuſdam adoleſcentibus ebriis. idq́ue in publico: malum illi timentes, manè ad Piſiſtratum ſupplices veniunt deprecatum. Ille autem: *Quid vos vultis? mea vxor heri nuſquam prodiit. At in poſterum date operam, vt ſobrij ſitis.*

IV. Quid in ARTAXERXE Perſarum Rege, in quâ gente ſuperbia domicilium habere viſa? Apud quem legatus Spartanus *Euclidas* liberè pro ingenio gentis, & pro ſuo ferociter locutus, hoc reſponſi retulit: *Tibi licet, quæ libet, apud me dicere: mihi & dicere, & facere.* Saluâ maieſtate modeſtia inſerta fuit: & ad hanc iuit, ab illâ non abiuit.

V. Sed in hac virtute Macedonum aliquot reges eximij. Quid enim PHILIPPVS *Alexandri* pater? qui plura eius dedit exempla. Vt in *Nicanore*. qui circumiens malè de *Philippo* opinabatur, & detractabat: nec defuit, vt ſolet, delator *Smicythas*. Amici igitur aduocandum, & plectendum cenſere: ille contrà, *Et Nicanor*, inquit, *non eſt peſſimus Macedonum. videndum igitur, numquid per nos admiſſum aut commiſſum, cur malè dicat.* Et ſenù quærens, repperit pauperem virum eſſe, benè mentum, nec adhuc habitam eius rationem. Itaque ſtatim munere eum affecit: qui & ipſe, mutatâ mente & linguâ, laudare vbique *Philippum* & attollere. Quod cum idem *Smicythas* retuliſſet: *Videtiſne ò amici*, inquit, *in noſtrâ manu eſſe, benè vel ſecus audire?* Factum dictumque penſitandum Regibus, qui cupiunt famam.

VI. Iam iterùm IDEM, de petulanti quodam & pro-
A caci conuiciatore, cùm ſuaderent exſilio plectendum: *Nequaquam*, inquit, *ne oberrans apud plures de nobis male loquatur.*

VII. Nec verò in abſentes ſolùm lingulacas talis, ſed in præſentes, & qui in os inſultabant. Vt ille *Demaratus Corinthius*, cùm aduenisset ad eum, tunc fortè cum *Olympiade* coniuge & filio *Alexandro* diſſidentem: rogareturq́ue à Philippo, *Ecquid conſentirent iam inter ſe Græci?* ille ore libero, *Scilicet tibi conuenit de Græcorum concordiâ agere, qui diſſides ipſe à proximis tuis?* Senſit eum vera dicere Philippus: ad ſe rediit, & eum ſuis in gratiam.

VIII. IDEM cùm pro tribunali ſublimis, ſub haſtâ captiuos venderet, ac parùm decorè, veſte reductiore,
B ſederet: quiſpiam è captiuis clamare cœpit, *Iniuriâ ſe affici, eſſe enim paternum ſe Philippi amicum.* Quod cùm miraretur Philippus, & dicere eum ac docere iuberet: *Apud te ſolum*, inquit. accedenſq́ue ad tribunal, in aurem inſuſurrat, *Heus tu, veſtem demitte. nam ſic parùm honeſtè ſedes.* Rex nihil offenſus, gratiam imò retulit: *Et verè*, inquit, *iſte mihi amicus erat. mittite hominem.* ſimulq́ue aliter ſe compoſuit. En, fructum etiam ſuum alienam libertatem fecit. & ſolet ipſe dicere: *Gratias ſe debere Athenienſium oratoribus, quòd conuiciis ſuis redderent ſe meliorem: dum illos factis conatur refellere.*

IX. At inter ſucceſſores eius ANTIGONVS, æmulus & penè par fuit in hac laude. Qui in caſtris aliquando, cùm duo è vigilibus, iuxta ipſum Prætorium, de rege
C malè dicerent, atque ipſe omnia audiret, nihil vltrà quàm tentorij velum concuſſit; & *Heus vos*, inquit, *paullo longiùs ſecedite, ne Rex vos audiat.* Quid iſtuc eſt? ne diſſuadet quidẽ malè loqui, ſed cautiùs loqui.

X. IDEM cùm exercitum in tenebris aliquò duceret, & moleſtum ac ſalebris interruptum iter eſſet, milites ductorem paſſim exſecrabantur Antigonum. At ille ad ſingulos quoſque accedens ignotus, & explicans: *Nunc*, inquit, *benè dicite ei, qui vos eripuit.*

XI. Iam PYRRHVS qui Macedoniæ regnum aliquamdiu tenuit, idem hanc virtutem. Iuuenes aliqui Tarentini, cùm in Italiâ ipſe eſſet, inter pocula malè de eo & minaciter locuti, deferuntur: adductiq́ue poſtridie, *An dixiſſent?* interrogantur. Vnus facetè & liberè: *Diximus, atque adeò te interfeciſſemus, niſi la-*
D *gena defeciſſet.* Vini culpam, non animi oſtendit: & Pyrrhus ſic accepit, atque ipſe attiſit.

XII. Inter germanos Græcos PERICLES, conuiciis petitus in foro, à proteruulo quodam, nihil repoſuit, & placidè res ſuas egit. Actis, domum iuit, illo proſequente & linguæ tela identidem eiaculante. Nihil ſenſit, nihil dixit *Pericles*: hoc tantùm, cùm ad ædes iam veniſſet, & nox eſſet, miniſtro ſuo, *Abi puer, & facem accende & huic rediture præluce.* Vah, non patientiam ſolùm, ſed benignitatem! qui adiutum iuit in ipſo improbitatis fireto æſtuantem.

XIII. PTOLOMÆVS *Lagi* filius, Ægypti rex, in Grammaticum cauillans, & inſcitiam arguens, *Quis eſſet Pelei pater?* rogauit. Cui ille, *Expediam, ſi tu mihi priùs dixeris, quis Lagi.* Genus obſcurum aut ſordi-
E dum regi palàm obiectabat: & id indignati omnes qui aderant, præter regem. Qui ad incitantes: *Niſi ferre dicterium regium eſt, nec dicere*, inquit. Idem ius volebat ferulæ, quod ſceptro, in iſtis eſſe.

XIIII. Sed Romani quoque Principes huc ducant, & primus eorum CÆSAR. Ille *C. Caluo* oratori, qui famoſis epigrammatis proſciderat, cùm de reconciliatione ſignificaſſet, prior & vltrò ſcripſit, tamquam ipſe læſiſſet. Idem *Catullum* poëtam, qui famæ eius perpetua ſtigmata (& nunc leguntur) verſibus inuſſerat, ſatisfacientem eâdem die adhibuit cœnæ.

A Nihil ſtipulatus eſt, aut iniunxit, ſolâ pœnitentiâ pro pœnâ contentus.

XV. At AVGVSTVS verè & hîc ſucceſſor, cùm in iudicio quodam inter alia crimina reo obiiceretur, quòd malè loqui de Cæſare ſoleret: interrupit, & ad accuſatorem, *Velim hoc mihi probes, faxo ſciat Ælianus* (id rei nomen) *& me linguam habere.* Benè, & benignè. quid aliud ſignificabat, quàm dicta dictis vlturum? Etſi nec fecit, nec vltrà quidquam inquiſiuit.

XVI. IDEM in *Timagine*, hiſtoriarum nobili ſcriptore, plus ſemel patientiam oſtendit. Multa in ipſum, etiam in vxorem, in filiam & familiam eius dixerat: atque ea vt arguta, & ab homine docto, excipiebantur vulgò & circumferebantur: Cæſar tamen nihil, niſi monuit eum vt modeſtiùs ingenio & linguâ vteretur: idque in domo ſuâ. Nam & (vide ingratitudinem) Cæſar eum alebat. B Sed cùm nec ſic deſineret, tandem domo ei ſuâ interdixit: & quis accuſaſſet, ſi vrbe, ſi toto imperio? At ecce, qui velut in inuidiam Cæſaris excipiat: & is fuit amicus eius *Aſinius Pollio*, nec ideò deſiit eſſe. Fouit hominem, & eius exemplo alij: viſitur, colitur. & quis? priora omitto, ſed qui tunc quoque, tamquam profeſſas inimicitias cum Cæſare gereret, libros Hiſtoriarum de rebus eius ſcriptos combuſſit. Non hoc erat dicere, *Indignus es de quo ſcripſerim? falſa cenſeo, quæ prædicauerim?* Tulit & hæc Cæſar: tantùm Pollioni ſemel dixit: Θηριοτροφεῖς, id eſt, *Serpentem nutris.* Et paranti excuſationem obſtitit, addiditque, *Fruere mi Pollio, fruere.* Cùm hæc lego & examino, dicam Romam tunc ſeruiſſe? Aut ſi, addam quod publicè in theatro acclamatum, C *O Dominum æquum & bonum!*

XVII. Nimirum confirmatus in hac patientiâ animus iam erat, & contra concuſſionem omnem ſtabilis. quod etiam Tiberio oſtendit, conquerenti ſuper eâ iuueniliter, & exſtimulanti. Reſcripſit enim in hæc verba: *Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari, quemquam eſſe, qui de me malè loquatur.* SATIS EST ENIM *ſi hoc habemus, ne quis nobis malè facere poſſit.*

XVIII. Et hauſit ab eo TIBERIVS. qui aduerſus talia firmus, ſubinde iactabat, *In ciuitate liberâ liberas linguas eſſe debere.* Idem in Senatu, cognitionem ſuper iis flagitante: *Non tantum habemus otij P. C vt implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc feneſtram D aperueritis, nihil aliud agi ſinetis: omnium inimicitiæ, hoc prætextu, ad vos deferentur.* O pulchra, ô aduertenda! etſi ipſe non tenuit, & poſteà ſe mutauit.

XIX. Vnum propioris æui exemplum etiam, & finio. FRIDERICVS Imp. conuiciis petitus, & ab amicis ad vindictam excitatus: *Minimè*, inquit. *an neſcitis Principes, quaſi ſcopum, expoſitos ad has ſagittas?* Ita eſt. alta liuor & calumnia petent: petent, ſed non tangent, vbi animus quidem eſt altus.

CAPVT XVIII.

DE MAGNITVDINE ANIMI.

Famam & immortalitatem Principi propoſita, & expetenda eſſe.

E HOc enim nunc appello Magnitudinem animi, alta & honeſta proponere, & nunc, ac magis olim, in famâ bonâ ac gloriâ eſſe. Vt ſol in aurorâ tenuior, aſſurgit & inclareſcit; ſic ex virtute & meritis fama cum æuo ipſo augetur & creſcit. Hoc velim equidem amare Principem, & vt trahat illum

——*fax mentis honeſta Gloria*, vt poëta ait. Quid enim aliud in externis? Τὰ μὲν ἀργύρεια, ait Polybius, ἐστὶ κοινόν τι πάντων ἀνθρώπων κτῆμα. τὸ δὲ καλὸν, καὶ A τὸ πρὸς ἔπαινον καὶ τιμὴν ἀνήκοντα, θεῶν καὶ τῶν ἔγγιστα τούτοις πεφυκότων ἀνδρῶν ἐστί: *Argentum quidem & pecunia eſt communis omnium hominum poſſeſſio; at honeſtum, & ex eo laus & gloria, Deorum eſt, aut eorum qui a Diis proximi cenſentur.* Dictum egregium. alia aliis communia, & adipiſcenda: at bona & magna fama magnis conuenit, & quos Deus vicem ſuam fungi voluit in terris. Velleius de *Pompeio Magno*: *Quo viro nemo alia omnium minùs, aut gloriam magis concupiuit.* Egregiè. illuc eundum eſt, ad honeſtam ambitionem & nomen: quod non plebeiæ voces, ſed ſeria Annalium teſtimonio celebrent & poſteritati commendent. Ita ad Virtutem (etſi per ſe appetendam) ducitur: *nec poteſt quidquam abiectum & humile cogitare, qui ſcit de ſe ſemper loquendum.* Studia hoc donant, & rerum memoria: Princeps foueat, ſed cum B modo & iudicio, vt nec paſſim eò vocet, nec argumentum ſe cuicumque illo velit. Auguſtum videat, qui *ingenia ſæculi ſui* (ait Tranquillus) *omnibus modis fouit: componi tamen aliquid de ſe, niſi & ſeriò, & à præſtantiſſimis, offendebatur.* Seriò, non per ludos & mimos: à præſtantiſſimis, non ab ingeniis paſſiuis aut plebeis, ſed quæ Genium aliquem æternitatis à ſe haberent. Hanc laudis cupidinem ſummi viri prætulerunt; vt

Mamertinus, Paneg. ad Iulianum.

Themistocles. qui in adoleſcentiâ ſolutus, & aliarum rerum, poſt *Miltiadæ* de Perſis victoriam, honeſtâ æmulatione percuſſus, depoſitis nugis ſeria agitare cœpit, & totas noctes inſomnis agitare. Rogatus cauſſam, reddidit: *Miltiadæ ſe trophæis è ſomno excitari.* I.

C IDEM in theatrum iturus, cùm rogaretur, *Cuius vocem libentiſſimè audiret?* aliò rettulit, & *Eius*, inquit, *à quo laudes meæ optimè celebrabuntur.* Numquid diſſimulauit? profeſſus eſt gloriæ cupidinem, & eius aliqua mercede inductum ſe res geſſiſſe. II.

IDEM tertiò, in conuentu celebri Græciæ, ludis Olympicis, cùm plerique ſpectaculis omiſſis oculos in illum verterent, eumque mirabundi & fautores exteris etiam oſtenderent: dixit alacer animi & lætus, *Illo die ſe laborum, quos pro Græciâ tuliſſet, fructum maximum cepiſſe.* Ad rigidam Sapientiam ſi examino, non ſapientiſſimè. quid enim adiectum eſt? vox modò & laudatiuncula: ſed virtuti aliqua oblectatio, cùm & gratos iſtos videt, & poſteros ſperat. III.

D At ALEXANDER hîc vel nimius. qui patrem creſcere & inclareſcere, interpretabatur ſe minui & obſcurari. Cùmque nuncij identidem venirent, huius illiúſque victoriæ: inter æquales ingemiſcens, *Hem!* inquit, *quid tandem pater nobis vincendum relicturus eſt?* Mirus vehemenſque affectus, qui vel innatam pietatem vicit. IV.

Et quid quereris ô ALEXANDER? ecce Aſiam, & Africam, & reliqua Europæ, tibi palæſtram. Sed nimiam ambitionem iure dixerim, cui & orbis fuit anguſtus. Nam diſſerente *Anaxarcho*, plures eſſe mundos: ſuſpiraſti, & *Me miſerum! qui nec vnum ſubieci*, ſubiecisti. V.

An non ſimile alterius *Alexandri*, imò maioris, E id eſt IVLII CÆSARIS? qui in Hiſpaniæ *Gades* cùm veniſſet, ibique imaginem *Alexandri* illius vidiſſet, diu intuitus in vocem & gemitum erupit: *Heu, nihil etiam memorabile à me geſtum in ætate, quâ iſte orbem terræ vicit!* Non geſtum, ſed gerendum: acquieſce. affatim Deus & fata materiem gloriæ tuæ dabunt. VI.

IDEM in Alpibus, cùm iter illac faceret, & comites ruſtica tuguria, & pauperes illos cœtus, riderent: *Atqui malim hic primus eſſe*, inquit, *quàm Romæ ſecundus.* Quid hæc vox, niſi tuba & claſ- VII.

ſicum belli ciuilis eſt? nolo ſecuodus eſſe, vapula libertas.

VIII. Sed magis honeſtiuſque ſe affectus hîc prodit, cùm poſteros, & monumenta iis futura, cogitat. vt in PERICLE: qui in concionem ab iratis Atheniensibus vocatus, qòòd tantam vim pecuniæ in opera & ornatum vrbis contuliſſet: ille placidè, *An ergo, ô ciues, panitet? conditionem fero, meum nomen iis inſcribatur, & priuatim mihi feram expenſa.* Reclamatum à totâ concione: hortatique vltrò ſunt, *Cum bonis diis pergeret, nec impendiis tali fine abſtineret.* Ecce in toto populo honeſtum ambitum, & certamen à nullo, in gloriâ ad poſteros, vinci.

IX. TRAIANVS hoc quoque. *Optimus* ſuo iure Imperator, quæſiuit: & paſſim noua ac vetera opera cùm faceret, aut reficeret; oomen ſuum etiam minimis inſcripſit. adeò vt quidam ſubſaonantes *Herbam parictariam* eum appellarent.

X. Sed fidelior in libris ſcriptiſque memoria: & ALEXANDER iam dictus ſciuit. Is *Calliſthenem* ab Ariſtotele acceptum, eloquentiâ & ſapientiâ clarum, ſecum circumduxit, rerum ſcriptorem, & famæ propagatorem. Sed heu! præptoperâ irâ vitam abſtulit, à quo æternitatem ſpetabat.

XI. IDEM Ariſtotelem quàm fouit hoc fine, & produxit? feliciùs. nam ille nomen eius ſecum perenne fecit, in operibus quæ exſtant. Sed non ſine præmio. & in voam *Hiſtoriam Animalium* ſcribendam, certum eſt Alexandrum contuliſſe *octingenta talenta*, noſtræ pecuniæ *quadringenta & octoginta millia Philippicorum.* Quid dicitis hodierni Principes? compello excitandos?

XII. IDEM eiuſdem ardoris ſcintillas indicio iecit, in vate *Homero.* Et cùm ad tumulum Achillis in Sigæo coostitiſſet, è pectore vocem emiſit: *O fortunate adoleſcens, qui præconem Homerũ repperiſti!* Certè, fateinor. tantũ enim neſcio an ipſe ſe, ſed tãtus ille fecit.

XIII. Ab eodem indicio IDEM, in aecurſu tabellarij cuiuſpiam res, vt videbatur, lætas ferentis: *Et quid*, inquit, *nuncias? an Homerum reuixiſſe?* Nec feriunt, aut capiunt, ſcio, hæc dicta vulgares animos: ſed altos mirificè: & quid ille, niſi ſummum votorũ, æſtimauit, Homerũ reuiuiſcere, idque in ſuas (huc ibat) laudes?

XIIII. Græciæ etiam colonus HIERO rex Syracuſanus, animom Græcaoicum habuit, id eſt, vt eum Venuſino dicam, *laudis auarum.* Nam cùm poëta quidam *Archimelus*, epigrammate haud inſcito, ſed breui (octodecim modò verſuum fuit) nauim, quam ingentem fabricarat, celebraſſet: ille delectatus, & porrò prouocans, in aliâ naoi *mille modios tritici* Athenas, doourn poëtæ miſit; idque in ipſum Pyræi portum, omni ſuo ſumptu. Si qois inſtructam nauim, & ſocios nauales euntes redeunteſque, cogitet: mirabitur regiam planè liberalitatem.

XV. At oec Latini expertes huius ambitus, etiam ſæculo adhuc rudi. En P. SCIPIO *Africanus* poëtam *Ennium*, à quo res ſuas celebratas videbat gaudebatque, & vinum beniuolentiâ omni complexus eſt, & mortuum ſtare in effigie iuſſit in ſuo & *Corneliorum* monumento. Quid aliud, quàm dictum voluit? Per me in imagine viuat, cuius ſcriptis ego mortuus etiam viuo?

Nec degeoerauit alter SCIPIO *Africanus*, qui (verba Velleij Paterculi) *tam elegans liberalium ſtudiorum. omniſque Doctrina, & admirator & fautor fuit, vt Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæq; ſecum habuerit.* Macte Scipio! dignus tu comite Polybio, dignus ille te amico & patrono. XVI.

Iam POMPEIVS *Magnus*, apud ſe habuit *Theophanem Mitylenæum*: quem Græcum & exterum, in concione militum, ciuitate donauit. Quâ cauſsâ & titulo? ſcriptorem rerum ſuarum. XVII.

Sed in vnum benignus *Pompeius*, in totum genus IVLIVS *Cæſar.* qui rerum iam potens, *omnes liberalium artium doctores*, qui Romæ eſſeot, ciuitate dooauit. Quæ hæc liberalitas? inquies, nihil à ſe dedit. Dedit à publico: nec maior aut optabilior tunc honos extero, quàm ciuem dici. XVIII.

AVGVSTVS autem mirificè in hos propenſus, quod tot ſcriptores aut vates dicent, ab eo producti & alleuati. Ambitio autem ab iis viciſſim attolli, vel ex epiſtolæ eius his verbis ad *Horatium* poëtam (quem hodie legimus) ſaoſelucet: *Iraſci*, ioquit, *tibi me ſcito, quòd non in pleriſque eiuſmodi ſcriptis mecum potiſſimùm loquaris. An vereris, ne apud poſteros infame tibi ſit, quòd videaris familiaris nobis eſſe?* Atque hoc velut conuicio expreſſit Eclogam, cuius initium: XIX.

Cùm tot ſuſtineas, & tanta negotia, ſolus:

Sed quod operę talis pretiũ? ſerui, ſupellex, fundi tori.

Sed & VESPASIANVS, etſi cetera parcus, ingenia arteſque fouit vel maximè & primus è fiſco (ait Suetonius) *Latinis Græciſque Rhetoribus annua* * *centena conſtituit.* Idem *Saleio Baſſo*, eximio poëtæ, vnâ donatione * *quingenta* donauit: id eſt, eenſum tunc equeſtrem. XX.

* *Bis mille & quingentos Philippeos.*
* *Duodecim millia Philippicorum & quingentos.*

ANTONINVS *Pius* diffudit etiam liberalitatem *Veſpaſiani*, nec Romæ tãtùm, ſed *per omnes prouincias, Rhetoribus & Philoſophis*, honores ac ſalaria detulit. XXI.

Quibus ALEXANDER *Seuerus* addidit, *Grammaticos, Medicos, Mathematicos.* XXII.

Magna in omnes liberalitas, & ſic perpetua: ſed illa in vnum ſtupenda. ANTONINVS *Caracalla*, cetera haud laudabilis, delectatus elegantiâ carminum *Oppiani*, quæ illa inſcripta legimus, in ſingulos verſos *ſingulos aureos* iuſſit rependi: id eſt, *noſtrates duos.* & verſus numera, ſtupebis. XXIII.

DIOCLETIANVM addam? is *Eumenio* Rhetori * *ſexcenta* annua aſſignauit, in ſcholâ Auguſtodunenſi doctori. Credimúſne? reſtiãgarur, & reſcribũt [illegible] pro iudiciis & animis, addam etiã, opibus hodiernis. XXIIII.

Sed conuenio vos, PRINCIPES, voce Anaxagorę, qui ſenex & æger decumbebat; nunciatúmque Pericli, ex eius diſciplinâ. Is accurrit, & ſolatus eſt, & precatus ne ſic deſereret: ſed ibi opportunè Anaxagoras: *At enim, ô Pericle, quibus opus eſt lucernâ, oleum infundunt.* XXV.

Infundite boois meritiſque. & cum LEONE Græcanico Imperatore Eunuchum non audite dicentem, *Hæc in milites debere abſumi.* Cui ille repoſuit: *Vtinam meis temporibus eueniat, ſtipendia militum in doctores artium abſumi!* Vtinam, vtinam! ſed meis non fiet: & inſcitiæ caligo aut tenebræ (falſus ſim!) imminent Europæ. XXVI.

APPROBATIO.

HAS I. LipſI lucubrationes vt egregiè frugiferas fore confido, ita prælo digniſſimas cenſeo, quòd ea quæ Principibus ac politicis viris apprimè conueniant, non modo legenda, verumetiam velut in tabula, non ſine voluptate, ſpectanda, exhibeant.

Guilielmus Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus ac Archiducalis librorum cenſor.

LEGES

M.LXX. *etiam*, regna quoque inter eos diuiſit, ſed volũtate aut pace nõ firmâ. Nã ſtatim ab eius morte *Sanctius*, ingenio violentior, fratrem *Alphonſum* bello aggreſſus vicit, cepit, & monachum profiteri coëgit. Non diu perſeuerat coacta pietas, abdicat, & clàm cum *Petro Anſurio Comite*, ad regem Toleti, *Almenonem*, confugit. Maurus is erat, & religioni hoſtis, ſed cum patre Alphonſi *Ferdinando* amicitia ei & pax fuerat: eoque electus à profugo, cui ſe crederet: & iſte eum fide recepit, habuitque. Dum illîc eſt, euênit vt coram *Almenone* capilli eius ſubrigerentur, & manu aliquoties compreſſi non ſubſiderent: quod Mauri vates triſte prodigium interpretati ſunt, & hunc eſſe, qui ad vrbis Toletanæ imperium erigeretur. Itaque de nece ſuadebant. non fecit Rex, & potior ei metu fides fuit. Quod mirum in barbaro, ſatiſque habuit, iuramento *Alphonſum* adſtringere, ne ſe viuo regni ſui terminos infeſtaret. Ecce autem paullò pòſt interficitur ex inſidiis, ad *Zamoram*, rex *Sanctius*: & ſoror *Vrraca* benignè in hunc fratrem affecta, nuncios literaſque ſtatim mittit, quibus ad regnum euocat, & ſuadet aſtu aut celeritate euadere barbaros fines. Æſtuabat *Alphonſus*. faceret? ingrati animi notam metuebat; tum etiam ne non celaret, & reduceretur meritò non demitteodus. Non faceret, & rem aperiret? ne vinclis, aut conditionibus adſtringeretur ab eo, qui à tam vicino & potenti rege haud fruſtrà timeret. Vicit tamen fides in honeſto animo, & gratitudo: ad *Almenonem* venit. *Quod tibi glorioſum*, inquit, *mihi felix ſit, ad regnum à meis vocor, ereptum in parte à fratre nuper, nunc eius fato vniuerſum relictum. Culpare illum mortuum, pietas me vetat: eadem, vt tuum beneficium prædicem, incitat. qui profugum, ab hominibus & fortunâ relictum recepiſti, fouiſti: quà ſpe aut præmio, niſi quod ab ipſâ virtute eſt: Et tamen animus agnoſcendi ſoluendique non deficit, fortaſſe nec occaſio aut materies, ſi per te mihi datur eò vti. Age Rex magnanime. imple tua beneficia, & pro cumulo, Regem me in regnum remitte. Hactenus vita tui muneris eſt, fac vt ſit & ſceptrum.* Ita noſter: quem Maurus amplexus, incolumem regemque gratatur, & promittit. *Neutrum*, inquit, *futurum, ſi me inſcio, non iter, ſed fugam tentaſſes. Nec enim te celo, notam mihi mortem Sanctij fuiſſe, & tacitum exſpectaſſe tua conſilia, vt aut laudarem ea, aut vindicarem. Iſtud facturus ſane eram, ſi fallaci & ingrato animo te ſubduxiſſes. & exploratores ſubſeſſoreſque viarum diſpoſiti à me erant, qui, ſed taceo, & gaudeo opus non fuiſſe. Virum bonum fidúmque te, erga me talem, oſtendiſti: fac & in regno, quod omnes dij tibi fortunent. Nihil ſtipulor, niſi illud vetus, Amicum te fore mihi & maiori filio Hiſſemo, quamdiu vita vtrique erit.* Dixit, & pecuniam comiteſque dedit, atque ipſe, honoris cauſâ, aliquantum ſpatium deduxit. Clariſſimum hercules exemplũ Fidei in Afro, quod miremur, religioniſque diuerſo: ſed & diuinæ Prouidentiæ, quæ id regnum & vrbem ab eo voluit capi, qui perfugium ibi habuerat & tutelam. Quod nouem circiter annis pòſt euênit, ſed mortuo *Almenone* & filio maiore.

X. M.CC. XLIII. Habet & iterùm Hiſpania Fidei exemplum, in Luſitaniâ, ſed in homine Chriſtiano. Is fuit FLECTIVS vir nobilis, arci *Conimbricæ* atque vrbi à *Sanctio* rege præfectus. Sed enimuerò is *Sanctius* malè & improſperè regnum adminiſtrabat, aulicis quibuſdam nimis credulus, & inprimis *Menciæ* vxori ſuæ addictus mancipatuſque. Igitur querelæ, & mox conſpiratio procerum in illum fuit: deinque eò ventum, vt Pontifice ipſo, quem adierant (is *Innocentius* fuit) auctore, coram tutelamque regni ad *Alphonſum* transferrent, *Sanctij* fratrem. Inde bellum, & plerique à Rege veteri alieni: ſed conſtans pro eo *Flectius* iſte fuit, & oppugnationem & arma etiam *Alphonſi*, ac totius gentis, excepit. Nec flecti potuit, donec ei nunciatum, *Sanctium* in exilio *Toleti* mortem obiiſſe: *pro quo pugnaret vltrà, aut fidem obtenderet? Daret ſe & verteret, quo Fortuna & omnes; nec pulcherrimam laudem, titulo Pertinaciæ aut Inſaniæ mutaret.* Audit Flectius, nec ſatis credit. petit veniam ab Alphonſo, vt ipſus Toletum ire, & coràm arbitrari poſſit. Facilè impetrat: & intereà ab oppugnatione ceſſatur. Cùm vênit, Regem ſuum fato functum, ſepultumque inuenit: atque vt in animo ſuo, non ſolum opinione hominum, liber eſſet: aperto ſepulchro, cum ſuſpiriis & lacrimis, ipſas claues vrbis Conimbricenſis in manus dat, his verbis: *Quamdiu, ô Rex, viuere te iudicabam, extrema omnia ſum perpeſſus. coriis pellibuſque famem tolerans, ſitim lotio: ciuium animos ad deditionem inclinantes, & conantes erexi aut repreſſi. denique quidquid à fideli homine, & in tua verba iurato, exigi exſpectarique potuit, id præſtiti, & perſeueraui. Vnum ſupereſt, vt clauibus tua vrbis tibi traditis, ſolutum me iuramento omnibus, & ciuibus te vitâ ceſſiſſe, denunciem. Deus tibi bene faciat, in alio & meliore regno.* Ita abiit, & legitimum iam alterum Regem agnouit, & adhæſit.

TRIMVMPARA etiam in Orientali Indiâ, qui rex *Cochini* erat, cùm eò Luſitani veniſſent, fœdus pacemque panxit. Mox in nouam & ſuſpectam gentem conſpiratio omnium, & maximè *Calecutienſis* regis, qui opibus & milite inter vicinos pollebat. Ille igitur copias amicoſque iungere, & hunc in primis *Cochini* regem pertrahere, & ſuadere vt eiectis aut potiùs traditis paucuilis Luſitanis, quos fidei ſuæ creditos acceperat, ſe culpâ, omnes metu exſolueret. Ille verò obniti, & apertè dicere, *Omnia ſe potiùs, quàm fidem amiſſurum. Siqui è ſubditis aut amicis id ſuaderent, eos verò magis hoſtes ſe ducere ipſo Calecutienſe: quoniam ille regnum modò aut vitâ eripere, iſti pulcherrimam virtutem conarentur. Et vitæ ſpatium breue ac definitum, perfidia maculam ſempiternam eſſe.* Hæc & ſimilia dicta factis affirmauit. oppugnat eum vndique *Calecutienſis*, tandem & ſui deſerunt: vincitur, pellitur regno, in vicinam quandam inſulam ſe recipit, ſed nullius rei maiore curâ, quàm vt ſecum paucos illos Luſitanos ſeruaret. quid? ignotos & exteros? cladem & peſtem ſui regni? Tanti fides fuit. quinetiam cùm *Calecuty* rex iam victo pulſoque, offerret veterem fortunam & ſtatum, eâ lege ſi illos traderet; abnuit, fortiter profeſſus, *Sceptrum & vitam eripi poſſe, fidem non poſſe.* Hũc hominẽ barbarum ego dicam? ſolo & gente fortaſſe, animo nõ poſtùm. XI.

Haud magis quàm SOLEIMANVM Turcicum Principem, cuius claſſis, ducibus *Luſitbeio* & *Barbaroſſâ*, in Salentinos exſcenderat. Ibi *Caſtrum* opidum arcemque, vicinum Hydrunti, ſubito terrore in deditionem acceperant, incolis & ipſo Domino *Mercurino* ſalutem & libertatem pactis. Sed barbari, & præſertim nauales ſocij, nihil penſi habentes, omne maleficium inferre; & idoneæ ætatis captiuos, cum ipſo *Mercurino*, ad claſſem deduxêre. *Luſitbeius* tamen, non dubiâ perfidiæ infamiâ, ad minuendam, *Mercurinum* liberauit: ceteros paullò pòſt ipſe *Soleimanus*. qui inter grauiores curas, *Corcyram* Venetorum obſidens, audito rem parùm bonâ fide cum *Caſtrenſibus* geſtam; ingenuo pudore perfuſus, ſtatim conquiri captiuos omnes iuſſit, & in naues impoſitos, ad penates ſuos remitti. Ipſos quoque præcipuos auctores ſupplicio affecit, non hîc tantùm Fidei amator & cultor. XII.

Nam & in Pannoniâ, cùm Budam cepiſſet, metu XIII.

A vacuam, eiuſque arcem oppugnaret, in qua Germanus miles, eique præfectus *Thomas Nadaſtus*, curabant: ille quoque metu perfuſus, colloqui cum hoſtibus cœpit, & de arce dedendâ paciſci. Quod ægrè *Nadaſtus* ferens, ipſe plenus animi & conſtantiæ, compeſcere conabatur, & diremptis colloquiis tormenta verti in hoſtem iubet. Enimuerò hic illi ignaui ad ſcelus etiam verſi, ipſum in vincula coniciunt, & fruſtrà reclamante & minante, rebus corporibuſque ſuis ſaluis, arcem dedunt. Intrant barbari, iſti exeunt, vt pacti erant: ſed cùm *Nadaſtum* vinctum repperiſſent, & rem, vti erat, ex ipſo audiſſent, ad Imperatorem ſuum detuliſſent; ille perfidæ ignauiæ obiratus, ſtatim immiſſis in abeuntes Genitzaris, omnes interfici iubet: ipſum *Nadaſtum* vinclis liberatum, & ad ſe adductum, laudat & liberali ſtipendio inuitat, ac renuentem dimittit, B

XIIII. Claudamus inclito exemplo, quod magnus rex Galliarum FRANCISCVS nobis donet. Ille *Carolum Quintum* noſtrum, ſolâ fide regis & ſuâ fortunâ nixum, in Belgas & turbidos tunc *Gandauenſes* properantem, ſine copiis, pænè ſine comitibus, comiter & regaliter excepit, apud ſe habuit, deduxit. Sermones inter eos varij, & de pace etiam fuerunt, donando ducatu Mediolanenſi (vti iniectum erat) *Carolo* Regis filio. Sed cùm Cæſar iam apud ſuos, pacatique domeſtici motus eſſent; tardior in hanc rem videbatur, ſiue quia nec antè ſeriò cogitaſſet. Tum igitur vapulare multorum ſermonibus regia comitas, aut credulitas. *cur non hominem, in quo rerum omne momentum, tenuiſſet? ecquando tam bella vmquam occaſio? & inuidiæ aliquid aut & infamiæ, pro tam ſpectabili vtilitate, ſubeundum fortiter fuiſſe. Saltem leges firmiores certioreſque ei dixiſſe: nunc, quid niſi inanem gloriam apud vulgus, apud prudentiores riſum quæſitum?* C Neque neſciit *Franciſcus*: & in conuentu procerum celebri, cùm alia in purgationem ſui dixit, tum hæc ipſa in clauſulâ: *Etiamſi Fides toto orbe exſularet, tamen Regibus tenendam eſſe, qui eâ ſolâ, & nullo metu, cogi adſtringique poſſent.* Notabile dictum, & res ſic habet. nos alios Lex aut Pœna coërcet, Principes ſolus Pudor aut Fides.

XV. Quid elaudam? Gallus rex alium eius gentis, & vetuſtiorem ſubiicit, IOANNEM *Primum*, qui ingenti clade ab *Eduardo* VValliæ Principe victus, captúſque, in Angliam abductus fuit. Ibi quattuor annis in cuſtodiâ liberiore habitus, ad ſuos rediit, certis conditionibus cum hoſte depactus, quæ tamen cùm grauiores ſubditis viderentur, nec ciuitates Anglis dedendæ, facilè nouum iugum præſidiúmque admitterent; ipſe placando hoſti, & fidei teſtandæ, iterùm in Angliam traiecit, ibique ex morbo deceſſit. D Clade acceptâ famoſus, ſed ſic latâ clarus, & fide clariſſimus.

XVI. Sed heus vos, date veniam boni Reges & Principes, adiiceat illuſtri choro veſtro ſeruile nomen inſerere: non maculam, ſed lucem & ſplendorem meritum, quatenus hîc quidem ſpectabuntur. Nam & Fidei illorū in dominos aut patronos mirifica exēpla ſunt, nec niſi cum virtutis damno ſilenda. *Haſdrubal* in Hiſpania res gerebat, & magnam eius partem vi aut aſtu ſubegerat; ſed cùm nobilē aliquem Hiſpanum interfeciſſet, SERVVS natione Gallus id non tulit, & mortem Domini certa ſua morte vindicaturus, *Haſdrubalem* occidit. E Rapitur, torquetur, cruci affigitur: inter omnia mala eo vultu, vt ridentis etiam ſpeciem præberet, expleta vltione, ſui ſecurus.

XVII. *M. Antonius* inter Romanos oratores, & in dignitate viros, nobilis fuit: atque is fœdo crimine (puto falsò) A inceſti publicè poſtulabatur. Accuſator SERVVM maximè in quæſtionem flagitabat, quem dicebat præluxiſſe hero ſuo ad flagitium eunti, & laternam prætuliſſe. Aderat ipſe ſeruus, cùm hæc in iudicio dicerentur, & videbat rem ad ſuam pellem, quod dicitur, ſuoſque cruciatus pertinere. Addo, quod iuuenis erat, imberbis, & in ætate adhuc minùs aut patienti, aut conſtante. Tamen cùm domum ventum eſſet, & herum ſuum animi anxium videret: *Quid diffidis here?* inquit. *In meo robore & conſtantiâ, ſi vis & exerceſ, ſpem audacter pone. nullus metus, cruciatus, mors me adiget, vt te & honorem tuum prodam. Minus arcto vinculo anima hæc corpori illigata eſt, quam affectus tibi: nihil dimides, nullus dolor aut carnifex vocem lædendi tui ex ore iſto extorquebit. Adeò non diffugio, depoſco hoc certamen, in quo tibi animus tiro, animi veteranum robur probem.* B Erexit, & fiduciæ impleuit *Antonium*: qui iterùm poſcentibus ſeruum, præbuit. atque ille flagris virgiſque laceratus, eculeo impoſitus, laminis adustus, mira patientiâ perſtitit, & omnem vim accuſatorum fregit atque eliſit. Acceſſit facundia *M. Antonij*: ſed heus, quæ tanta, vt hunc cōditione ſeruum, animo heroëm ſatis celebret?

Quid ille *Vrbinij Panapionis* SERVVS? qui cùm proſcriptus in villâ ſuâ Reatinâ latêret, nec ſatis latêret (alij ſerui prodiderant:) ecce aduenientibus militibus, ipſe veſtem heri ſubitò induit, ſuam illi dedit, anulo etiam in digitum inſerto: atque ita, hero per poſticum emiſſo, ipſe in lectulum ſe repoſuit, & pro illo occidi fortiter paſſus eſt. Citò id dictum: non tam citò ſuſcipi, aut ſuſceptum fieri, verus iudex dicet. C Magna fides: quæ vltima eſt, & poſtquam nec gratiæ, nec vitæ, vltrà locus eſt. XVIII.

Antiſtij verò *Reſtionis* SERVVS (qui & ipſe miſerabili illo Triumuiratus tempore, inter proſcriptos erat) ad fidem ingenium quoque adiunxit. Nam fugientem ſuum herum, & vt putabat, ignotum aſſecutus eſt, & apprehendit; primò territum, quoniam hic erat ſtigmatum perpetuâ iniuriâ ab eo affectus, eoque in re trepidâ vindictam timebat. At ille primùm confidere eum iuſſit. & *Ego te lædam?* inquit. *qui tot annos aluiſti, benignè feciſti: abſit. nec iſta ſtigmata plus apud me poſſint, meo merito impoſita, quam veteranea beneficia in nec meritum collata. Quòd ſeruiui, & ſeruio, fortunæ iniuria eſt, tuum beneficium, preſſum non oppreſſiſſe. Diuinitas hunc ordinem rerum diſpoſuit, & pareo: tu confide, tibi quoque parco, & ſcis quomodo? vel vitæ huius periculo tuam ſeruabo.* D Dixit breuiter fideliterque. & herum in ſpeluncam abduxit, atque ibi ex operis & mercede diurnâ aliquamdiu aluit. Sed cùm milites, omnia ob præmium rimantes, ad ſpeluncam quoque, aliquid ſuſpicati, tenderent; ille ſubitò ſenem viatorem abreptum occidit, & exſtructo rogo ſuperiecit. Superuenientibus in re militibus, & ferociter rogantibus *Quid ageret?* *Quin*, inquit, *ſceleſtum meum herum interfeci, & crudelitatis huius ab eo* (ſtigmata oſtendebat) *pœnas exegi*. Perſuaſit, & herum ſeruauit. XIX.

Singulorum hæc fides, plurium illa ſimul in eâdem proſcriptione. Nam *Pomponius*, audaci aſtu, arreptis inſignibus Prætoriis, ipſe in prætextâ, ſeruos inſtar lictorum, & cum faſcibus exculti, vrbem mediam tranſiêre; E arctiùs dominum ſtipantes, ne ab obuiis poſſet agnoſci. Ad portam ſumpſit conſcenditque vehiculum publicum, vt Prætor, & per totam Italiam ſic inceſſit, quaſi legatus à Triumuiris ad Sex. Pompeiū iretatque & triremi publicè præbitâ in Siciliam, certiſſimū miſeris tunc portū, tranſmiſit. In tot hominibus, tot occaſionibus & locis, admirāda pluriū fides, & mēte magis quàm ſtilo penſanda.

Addatur

XI. ∞ CCCC XXIII. Addatur his non ſeruus, ſed cliens *Roderici Danali*, Magiſtri equitum in Hiſpaniâ. Is *Rodericus*, cum aliis aliquot, poſtulatus maieſtatis fuit, & litterarum ad *Ioſephum* regem Maurum ſcriptarum, quaſi patriæ prodendæ. Plura exemplaria prolata, & res in conſilio Regis cognita, atque ipſe aliiq́ue damnati. Hæſit in herili illo crimine ALVARVS NVNNIVS FERRERIVS, Cordubæ natus: qui Præfectus aulæ & domui *Danali* erat. Sed is ſtrenuè ſe herúmque defendens, non priùs quieuit, quàm falſas litteras oſtenderet, earumque auctorem *Ioannem Garſiam* conuinceret ac damnaret. Et ipſe quidem ſe expediuit, ſed magni illi manſère exſules: cùm ecce *Ferrerius*, ad heri egeſtatem ſubleuandam, omnia bona ſua (quæ beneficio patroni acceperat) diuendidit, & *octo aureorum millibus* confectis, ternis æ lignis excauatis ea indidit; atque aſino impoſita, agente in viliore veſte filio, clàm ad *Danalum* miſit. Dignus, quem illuſtriſſima ea gens etiam nunc in memoriâ & laude habeat, & poſteros, ſiqui extant.

CAPVT XIIII.

DE MODESTIA IN SENSV.

Hanc Principi decoram, & vtilem eſſe.

DIximus tres virtutes & commendauimus, planè Regias, & quæ in publicum ſpectant: ſunt aliæ velut Priuatæ, quæ magis ipſum. Inter eas Modeſtia, quæ vario adſpectu Principi adſumenda. Primùm, quia omnes homines decet ſubmitti, & ab Arrogantiâ fugere, ſcopulo virtutum. Sed magis Principem, qui in alto eſt, & cauſſas plures ſiue occaſiones Superbiæ habet. Natura quidem hæc corrupta eò vocat, & vani aut tumidi per eam ſumus: quid cùm Fortunæ ille ventus obſecundat, & vela implet? auferimur. Adde Educationem, quæ in aulis, molliter, indulgenter, ſplendidè habentur; obſequia & demiſſio omnium, etiam apud pueros: quî non inflentur? Denique Adulatio accedit, ô Aulæ certa peſtis! blandiuntur aſſiduè, & laudant, honoribus ac titulis afficiunt, id eſt dementant. Non iure ſic loquar? vide *Alexandrum* illum, à tali patre, tali præceptore: faſtidit homo eſſe, nec iam *Philippi*, ſed *Iouis* filius audit. *Iulius Cæſar*, ille animi & ingenii magnus, impingit: & omnium victor, Adulationi ſuccumbit. Voces emittit, *Debere iam homines conſideratiùs ſecum loqui, ac pro legibus habere quæ dicat.* Itáne pro legibus omnia dicta? difficile eſt credere, virum talem ſic elatum & ablatum. *Caligulam*, *Domitianum*, *Commodum* omitto, & hæc portenta: qui palàm ſalutari & haberi, *Dominus Deúſque noſter*, volebant. Vide an temerè ad Modeſtiam vocem: & quæ hodie peccentur, non dicam. Caue, caue Princeps: & cogita ſupra homines te, ſed hominem eſſe. Quamdiu autem eſſe? mors imminet, & æquabit. Quamdiu etiam eſſe? triſtis aliqua ſors imminet, & demittet. Regnas? potes ſubiici. Dominaris? potes ſeruire. Quidquid altè ſe ſuſtulit, opportunum eſt ad caſum. Seneca noſter: *Nulli Fortuna minùs benè, quam*

De Breuit. vit. cap. XVII. *optima creditur. aliâ felicitate, ad tuendam felicitatem, eſt opus.* Videſne hiſtriones in ſcenâ, perſonam Agamemnonis aut Priami gerere: & mox, cùm fabula peracta eſt, ad habitum & ſortem veterem redire? Date veniam Principes, tales eſtis. Deus perſonam in orbis theatro hanc impoſuit: ſuſtinete, agite, ſed qui introrſim & apud vos ſitis, cogitate. Choragus ille eſt qui dedit ornamenta: & niſi refertis ad eum, aufert.

Hæc vocant magnorum regum Dicta, vel Exempla: & vtraque ex magnâ copiâ, cum dilectu quodam, habe.

I. SARDANAPALVS rex Aſſyriæ à deliciis, & purpurarâ, vt ita loquar, vitâ innotuit. tamen idem ab ebrietate longâ ſobrius, ſepulcro incidi curauit ſymbolum, quod ad Modeſtiam altiſſimos vocet. Erant digiti duo, qui colliſi inter ſe * crepitum edebant: ſignantes, omnia regna, omnia votiua aut magna, NEC TANTI eſſe.

* Σκιμαλ-ιομα.

II. Sine aliis verbis ille hoc docuit: at ARCHIDAMVS Spartæ rex paucis, & pro Lacone. *Philippo* enim Macedoni, poſt victoriam ad Chæronéam, quâ libertas Græciæ concidit, inſolentiùs ſe efferenti, ſcripſit: *Metire vmbram tuam, nihilo reperies auctiorem.* O ſapientem! Quid attollis te in hoſtibus victis, in finibus propagatis? tibi nil acceſſit. Numquid animo? curæ maiores, aut metus. Numquid corpori? *metire vmbram*, videbis.

III. Senſit ipſe PHILIPPVS, cùm aliquando in palæſtra, inter luctandum, prolapſus ſurrexiſſet, & corporis veſtigium in arenâ vidiſſet: *Papæ*, inquit, *quam paruam terræ partem ſortiti, orbem appetimus!*

IIII. SEVERVS Imperator Romanorum, diu in ambitione, & ob eam bellis, ſenio confectus ac moriturus, vrnam ad ſe deferri iuſſit, in quâ cineres (priſco illo more) erant recondendi. Et diu contrectans & contemplatus, vocem miſit: *Tu virum capies, quem orbis terræ non capit.* Ita, ita. —— *mors ſola fatetur, Quantula ſint hominum corpuſcula.* Attollere in vitâ, manus & ſpes ab Oriente ad Occaſum mitte: illa contrahet, & te intra te coget.

V. *Seuerus* hoc ſub mortem: diu ante eam MAXIMILIANVS *Primus* Imperator *Auſtriacus.* Nam ille memor fragilitatis huius, triennio (alii biennio) ante morbum, non ſolùm mortem, capulum funebrem è querno ligno, arcæ viatoriæ incluſum, circumferri ſecum iuſſit: cauitque teſtamento, vt exanimum corpus ſuum, rudi linteo inuolutum, ſine vllâ exenteratione, illi imponeretur, naribus, ore, auribúſque viuâ calce oppletis. Quid ſibi voluit magnus vir? niſi monumentum illud aſſiduè in oculis habere, quod diceret, *Cogita mori.* quod ampliùs diceret, *Quid te dilatas & extendis? quid multa poſſides, plura appetis? Quem tot prouinciæ & regna non capiunt, loculus iſte capiet.* Cur autem & calcem cauis illis partium immiſit? en aromata quibus conderetur! Sed hoc ſpectauit, vt corpus putredini natum, eâ quoque exedente & conſumente materie, citiùs conſumeretur, & iret in ſuam terram. *Maximiliane*, magnus fuiſti! & res tuæ dicunt, tum & hæc circa mortem.

VI. Sed amplius, ille idem, pluribus diebus ante mortem nil niſi *Maximilianus* appellari voluit. quod imitatus nepos eius CAROLVS, cùm raro & miro exemplo, Imperio ſe vltrò abdicaſſet, & in filium, iam validum æui & animi, curas contuliſſet. Seceſſit enim in Hiſpaniam, & in Diui *Iuſti* monaſterio, ſeptem à *Placentiâ* milliaribus, ſe abdidit, cum duodecim dumtaxat familiaribus, Deo & quieti vacaturus. Interdixit autem, aliter ſe quàm *Carolum* appellari; *Cæſaris* atque *Auguſti* illa nomina, cum rebus animo exuens, & totum hunc honorati contemnens.

VII. Sed inter mundanos iſtos externóſque Principes, fas ſit locum dare & Eccleſiæ Principi ac capiti, CLEMENTI *Quarto* natione Gallo: qui incredibile eſt, quàm ſe in ſummo illo culmine modeſtè geſſerit & temperanter. Ante Pontificatum Iuriſconſultus fuerat, & filias ex vxore ſuſceperat duas. Harum vni in monaſterium collocatæ, non niſi *tri-*

ginta

ginta libras Turonenſes ſemel dedit: alteri quæ mari-
tum habebat, *trecentas*, loco dotis; idq́ue hac lege,
nequid vnquam plus peteret. Nepoti quoque tria
Beneficia, vt loquimur, habenti, optionem detulit
vnum retinendi, cetera ſtatim dimittendi. Mirantibusq́ue & inſtantibus amicis, vt & illa permitteret,
& alia daret; in claram hanc vocem erupit, *Non eſſe
dignum Petri ſucceſſorem, qui plus cognationi, quàm pie-
tati largiretur.* Exſtat epiſtola viri ſancti ad nepotem
In Oau-ſuo. quemdam ſuum, ab Antonio Auguſtino prouulgata,
in quâ & voces & ſenſus videre eſt, ab ipsâ modeſtiâ
conceptos.

VIII. Sed CANVTI etiam Anglorum regis inſigne
ad Modeſtiam documentum eſt. qui cùm obſideretur ab Adulatoribus, id eſt coruis aulicis, & ſortem
eius attollerent, dicerentq́ue omnia ſeruire, & *adnu-
tum eius vultúmque* (verba Annalium) *conuerti*: ille
fœdam adulationem ſic repreſſit. Spectantibus iis,
ſedem regiam in litore maris poſuit, in ipſo acceſſu
eius & fluxu. Tum dixit: *Tu mare ditionis meæ es; &
terra, in quâ ſedeo, eſt mea. Impero tibi & denuntio, ne
in terram meam aſcendas, nec membra, nec veſtem domi-
ni tui madore perfundas.* Ille dixerat, mare tenorem
ſuum tenebat, veniebat, alluebat. Tum reſiliens:
En, inquit, *quàm ego omnibus impero! Quin ſciant
omnes, qui terram incolunt, vanam & falſam eſſe regum
potentiam atque vnum eo nomine dignum, qui vere im-
perium inhibet cælo, terræ, mari.* Neque intra verba
Modeſtia hæc ſtetit. in omni actione talem ſe præbuit, atque adeò coronam vltrà in caput nõ admiſit.

IX. Hæc inuitent & exciteut, ſed Mutationum exem-
pla quæ addam, fortius etiam percellant. Quot enim
ea ſunt: & quàm paucis Fortuna currum à carceribus
ad metam, ſine offenſâ aut euerſione, perduxit? In
omni æuo, & in omni orbe occurrent. In Ægypto
SESOSTRIS rex hoc didicit, & imbibit. Vi-
ctor erat vicinorum, & imperium longè protenderat: ſed & animum euexerat, & quattuor reges,
equorum vice, currui ſuo ſubiungebat, quo vehebatur. In eo cùm ſublimis ſederet, regum illorum vnus
capite reflexo identidem rotam currus aſpiciebat, &
capi ac paſci videbatur. Quid rei ſit, Seſoſtris rogat: ille liberè, *Intueor volumen hoc aſſiduum rotæ,
in quâ viciſſim ima ſumma, & ſumma ima fiunt: quod
exemplum capio, & applico noſtræ fortunæ.* O benè! potuiſſet tamen addere, *& tuæ.* ſed Seſoſtris ipſe fecit,
& ſtatim illos à iugo, ſe à faſtu liberauit.

X. SOLONIS etiam monitum tale, ſed non apud
talem: neque doceri, niſi malo ſuo, aptum. Apud
CROESVM erat Lydiæ diuitem illum regem. qui
Solonem comiter, vt peregrinum, excipiens, & gazam omnem atque opes oſtentans, *Et quid videtur?
habes dicere hominem me beatiorem?* Habeo, inquit
Solon: & *Tellum* quendam, hominem modicæ
ſortis, ſed in eâ quietum, nominauit: tum & duos
alios, qui vitâ benè actâ eſſent defuncti. Riſit Crœſus: *& nos quo loco ſumus? Haud dixerim*, ait Solon.
*nec fas beatum etiam cenſere, qui in his vitæ fluctibus ia-
ctatur, donec ſit in portu. Nonne tempeſtas interuenire
poteſt, & turbo qui euertat?* Nec ſic hominem docuit,
ſed fecit mox Cyrus. Nam ille acie victum, & vinctum, rogo impoſuit exurendum. cùm Crœſus clamare incœpit, *O Solon, Solon!* Miratus Cyrus, rogari iubet, *Quem in extremâ illâ ſorte hominum deorúmve inuocaret?* Dixit, *Solonem ſibi in mente eſſe, qui ſa-
pienter monuiſſet, non fidere præſenti fortunæ, nec beati-
tudinem ante finem vindicare. Riſi*, inquit, *nunc pro-
bo & miror.* Probauit & Cyrus, ſtatimq́ue ad modeſtiam etiam ipſe flexus, liberari Crœſum iuſſit, & in
amicos transſcripſit.

XI. Addamus quanquam æuo diſſitum, ſenſibus
exemplum aſſitum, GILIMERIS regis in Africâ
Vandalorum. Diu felix fuerat, opes, terrasq́ue vi-
ctoriis quæſiuerat: vertit ſe Fortuna, & *Beliſarius à
Iuſtiniano* Imperatore miſſus, cum exiguâ manu, hominem euertit. Acie igitur victus, fugit in Numidiæ
excelſum montem *Pappuam*, atque illic obſidione
aliquamdiu toleratâ, deſperans ad *Pharam* miſit, qui
mandato Beliſarij obſidebat; actum ſuper deditione,
ſimulq́ue petitum, *Panem ſibi mitti, ſpongiam, & ci-
tharam.* Panem, fami releuandæ; ſpongiam, ſiccandis oculis; citharam, leniendo animo. Dedit ea
Pharas, & mox ſeſe Gilemer. qui ad Beliſarium deductus, nil niſi riſit. Deſipere eum è cladibus homines cenſebant: vera ſapientia erat, quâ incerta hæc rerum, vſu edoctus, ridebat. Idq́ue apertiùs in ipſo
triumpho oſtendit. cùm per pompam Byzantij, ad
Iuſtinianum & Theodoram coniugem in ſublimi ſolio ſedentes adductus, hoc tantùm effatus eſt, *Vani-
tas vanitatum, & omnia vanitas.* O bone Gilimer, felix tua infelicitas, quæ mentem hanc dedit! nec vita
deinceps inſelix, quam in Galliæ angulo priuatus
quietusq́ue duxiſti.

XII. In eádem Africâ, ſed vetuſtiore æuo, non alium
regem video vinci, capi, triumphari: IVGVRTHA
is fuit, Maſaniſſæ nepos, opibus & ingenio validus,
ſed tamen à Mario deuictus. Romam ducitur, &
poſt triumphalem illuſionem in carcerem coniectus, veſte ſpoliatur, inaures, quas more gentico ferebat, detrahuntur, ſic ferociter, vt partem imam
auris ſenſerit auelli. Tum denique nudus in carcerem infimum abiectus, tætrum & horridum, *Papæ*,
inquit, *quàm frigidum eſt veſtrum balneum!* atque
inibi fame obiit.

XIII. Quid Rex è Macedoniâ PERSES? is quoque
victus à Romanis, & animo fractus, ad religionem
templi in Samothrace confugit: quaſi ſacra tueri
poſſent, quem non arma. Irritum igitur aſylum:
fraude vel vi eductus eſt, & cum vxore & liberis ad
Æmilium Paullum Conſulem perductus. Ibi ſolutus in lacrimas, & humiles preces, ad genua etiam ſe
ſubmiſit: miſerante Paullo, & ſimul indignante,
quòd homo ſic vilis & degener victoriæ ſuæ decus
delibaret. Triumphatus deinde eſt, cum duobus
filiis, & filiâ: ipſe in carcere, & duo mortui: tertius
ſeruatus, quid niſi iterùm ludibrium? Regia illa ſtirps
primò fabrili arte vitam tolerauit; & vſu iam Latini ſermonis aliquo, ſcriba & aſſecla magiſtratuum
fuit. Vbi es Confidentia, aut Superbia?

XIV. Ante illum, & maior illo PHILIPPVS eiuſdem
Macedoniæ rex, & *Magni* pater, quàm ſenſit infidam ſortem? Græciam ferro vel auro ſuam fecerat,
ſpes in Aſiam mittebat: & iam conuentus indictus
erat, vbi caput & Præfectus eius belli legeretur.
Quem vt celebriorem lætioremq́ue faceret, nuptias
in eum contulit filiæ ſuæ *Cleopatræ*, cum *Alexandro*
Epiri rege. Ludi & theatra parantur, etiam ſacra &
duodecim Deorum ſtatuæ in pompâ ferendæ: quibus ipſius (ô cæca mortalitas!) decima tertia adderetur. Quid lætitiæ aut gloriæ abeſt? diuturnitas. &
dom ſecurum ſe putat, & theatrum ingreditur,
Pauſanias ex amicis (& hoc inopinatum) à tergo
conſecutus interficit. Vis iterùm inopinatum? conſcendit ille celerem equum, & euaſerat, niſi pes
eius in vite adhæſiſſet: vbi à ſatellite Philippi confectus eſt.

XV. Sed quid ego talia memorem? vna illa Græcia,
præſertim à *Conſtantino Magno*, qui imperium in
eam tranſtulit, tot exempla caſuum iſtorum det, vt
nõ ſit opus alio theatro. Quid in Italiâ? ab *Auguſto* ad

eumdem

Digitized by Google

eumdem *Conſtantinum* numerantur IMPERATORES *quadraginta tres.* Diſpice, via decem ex iſtis certò dabis, qui ſuâ morte ſint defuncti. Alios ferrum, venenum, laqueus abſtulit: à filio, fratre, vxore, amico, inimico: quid niſi ſingulos iuſtæ tragœdiæ argumentum?

XVI. Iam & ſani alia genera miſeranda. POLYCRATEM in cruce mori video, BAIASITEM in caueâ, DIONYSIUM in ſcholâ, BOLESLAUM Poloniæ in culinâ. Quid ANTIOCHUM Syriæ, nónne à latronibus occiſum? PYRRHUM à fœmina? HENRICUM nuper Galliæ à monacho?

XVII. ∞.CC.XVII. In ſolâ Hiſpaniâ tria hæc demus: & quartum alij. HENRICUS *Primus* puer ſceptrum ceperat, nec diu tenuit, poſt biennium miro caſu, & verè caſu, ſublatus. Nam dum Palentiæ, in areâ domus, cum æqualibus ludit, tegulæ lapſæ ictu repentè caput cõminutum: & ex vulnere vndecimo pòſt die obiit.

∞.CCC.XC. IOANNES itidem primus, in flore rerum & ætatis (annum *trigeſimum tertium* agebat) dum equum iuueniliter calcaribus incitat, & ad curſum admittit, cum eo labente lapſus, inibi exſtinctus eſt. Magis tragicum eſt de PETRO. qui cùm aliquamdiu ſæuiter, & multâ procerum cæde, regnaſſet, *Henricus*

∞.CCC.LXIX. frater arma in eum cepit; & auxilia è Gallia etiam conduxit. Pugnatum acriter, quàm odiis pertinacibus, exitus docuit. nam victus *Petrus*, cùm in conſpectum Henrici captus adductus eſſet, iſte pugione faciem eius percutit: atque alter dum vindicare parat, fœdè colluctati, vterque ad terram proſternitur. Sed aliis quoque ſuppetiantibus Henricus ſuperior, fratrem multis vulneribus conficit, & regnum capit. Nónne hoc Thebanum vetus illud par fuit? Quartum exemplum in mente habeo, nondum in ſtilo:

XVIII. Io iſto, quintum. & eſt SEBASTIANI nuper Luſitaniæ & Indiarum regis, *Indole prob, quanta iuuenis*! ſed Fata eum euerterunt, & ipſum regnum verterunt. Iuuenis erat, animorum plenus: & accedebant, qui etiam Pietatis ſpecie illos tollerent, & arma in Mauros, exque iis victorias, ſuaderent aut ſponderent. Acrior ſtimulus *Mahumetes Abdalæ* filius, profugus è Feſſæ regno; qui ius ſuum & amicos oſtendebat, & largiter promittebat, exſulum ingenio & more. Ergo excitatur, & omnia parat, naues, milites, commeatus; præter conſilia, quorum inops tunc & poſteà fuit. Vetus regnum, & altâ pace, commouetur. inſolens armorum nobilitas, & facta maiorum faciliùs, quàm ſua oſtentans. Additur & mercenarius miles: Dux nuſquam, niſi in titulo & ſplendore regis. Mare tranſeunt, regna Feſſæ & Marocci, vt deſtinant, occupaturi: ſed rex illorum ex aduerſo prodit, *Moleius Moluccus*, corporis æger, animo melior. Diſponuntur acies, pugnatur, *Moleius* intereſt, etſi per ægritudinem vix in equo hærens, videt autem fluctuare ſuos aut fugere, & generoſâ ira in hoſtem ipſe equum concitat, exemplo aut terrori futurus: ſed proximi retinent, gnari virium. Quare ita excanduit, quaſi in ordinem redactus, aut proditus, vt gladio eos petierit; & mox animo linquens, in lecticam repoſitus, illic in ipſa acie obiit. Sed mira fides aut prouiſio amicorum fuit. ſilentium de morte, curſus & recurſus ad lecticam eius, quaſi à viuo mandata peterentur: quæ res victoriam parti illi dedit. Nam Chriſtiani pauci in plures paullatim fatigari aut cedere, multi cadere: poſtremùm ipſe rex, qui in medijs hoſtium pugnabat, cùm videt omnia aduerſa, cinctum ſe ſine ſpe effugij, verba de pace aut deditione facere: ah, quàm ſerò! Hoſtes inuadunt, & occidunt, ſiue inter plures ignotum (& quidam aiunt regia inſignia ſibi detraxiſſe:) ſiue cognitum, ſed iraâ inter ipſos ortâ, quorum præda eſſet, per iram interemptum. Addunt, equeſtri ſellæ cadauer impoſitum, & in tentorium noui regis Afri (frater defuncti erat) delatum abiectumque oſtentui fuiſſe, donec à captiuis bonâ fide agnoſceretur. Ita ille obiit: & ſimul rex tertius *Mahumetes* exſul, qui fugere & fluuium vadare conatus, vorticibus ſiue voragine hauſtus merſuſque eſt. O acerbi fati adoleſcens, quæ tuliſti, & quæ dediſti! nam tecum regnum corruit, & quod ſeorſim diu luxu ſplenduitque, velut radius rediit ad ſuum Solem.

Aſſiduus hic ludus: & ideò non ſit finis narrationum, niſi reprimam. quod facio: ſed vnicum inſigne exemplum Mutationis effatus, in quâ & manus carnificis interuênit. CONRADINUS imperatoriâ & regiâ ſtirpe iuuenis, vltimus Ducum Sueuiæ fuit. Pater ei *Conradus*, rex Neapoleos & Siciliæ; mater è Ducibus Bauariæ; auus, *Fridericus Secundus* Imperator; auia, *Conſtantia* filia *Ferdinandi* Hiſpaniæ regis fuit. Quàm amplum, & illuſtre hoc ſtemma! quos animos non faciat? quæ fata non promittat? Sed ſpes vndique deſtituit: & ſtatim à puero aduerſâ ſorte, regna Neapolitana & Sicula, iure debita, *Manfredus* patruus fraude inuaſit, vi tenuit. Cùm ille abiiſſet aut pulſus eſſet, auctoritate Pontificis (*Clemens quartus* tunc erat. Gallici ſanguinis, & genti fautor) *Carolus Andegauenſis* aduocatur & inuadit. Quem *Conradinus* dum pellere conatur, copias contrahit, è Germaniâ in Italiam venit, multâ nobilium manu: inter eos, *Friderico* Duce Auſtriæ, cognato ſuo. Sed & Itali ſe iungunt, quidam ius eius, plures commoda vel affectus ſuos ſpectantes. Pugnâ cum *Carolo* commiſsâ, primò victor, denique vincitur: & fugit cum eodem *Friderico Auſtrio* per ignotam Italiam, trepidi & agaſonum habitu ſe occultantes. Ita Aſturam veniunt. vbi conſilium capiunt nauis conſcendendæ, & Piſas dirigendæ, ſociam & fidam vrbem. Conueniunt cum nauiculatore, & iam in naui erant, ſed panis & commeatus deerat, quem mittunt eumdem illum præſtinatum. Pecunia etiam deerat: ergo annulum alter à digito detrahit, ſiue pignus nauiculario, ſiue pretio ab eo permutandum. Is annulus gemmam raram & æſtimatam habebat: itaque aurifex miratus à ſordido homine deferri, & ſuſpectans, *vnde habeat*; quærit. Ille candidè, *A duobus iuuenibus, ingenui vultus & ſanguinis, ſed habitu & veſte ſqualidis: neque vltrà ſe ſcire.* Defertur res ad Dynaſtam vrbis (qui tunc illi proprius erat) *Ioannem*, è gente *Frangipanum*: atque is ex euentu prælij, & famâ, tale ſuſpicatus, nauem inſtrui iubet, adoleſcentes retrahi, & ad ſe duci. Dictum, factum: ſiſtuntur, agnoſcuntur: & putabant extra periculum ſe, quia extra hoſtile ſolum erant, eſſe. Aliter accidit prauitate, ſiue auaritiâ Dynaſtæ. nam is *Carolo* indicat: qui ſtatim cum copiis terrâ marique aduolat, & captiuos ſuos Neapolim abducit. Quid exſpectas? aliquid regium? pudor eſt Andegauenſis ſtirpis aut macula, quod dicam. Diu deliberato concluditur, tollendos adoleſcentes, & publicè capite minuendos. Quid? vt ſicarios aut prædones? qui ius ſuum repetebant? qui bellum palàm intulerant, & iure ac more gentium adminiſtrarant? Omnia in hoc facto ſæuitiam & barbariem habent: etiam Pontificem etiam obtrendunt, atque illũ conſenſiſſe, aut ſuaſiſſe. Alterum poteſt, vix alterũ: ſed æſtimatio aliorũ etiam eſto, in re autem iſtud. Producuntur in ſcænam publicam, concurſus ad tale ſpectaculum è XIX.

[illegible] eius [illegible] & [illegible] Germaniam [illegible] Conradinus [illegible]. *Coelum* ac [illegible] ipse excusat: Deum [illegible] & ius suum [illegible] regna *Hectruo* [illegible] filio, du[illegible]. Hinc [illegible] tesseram [illegible] Tu[illegible] *Fridericus* primus in[illegible] caput [illegible]: quod subla[illegible] *Conradinus* [illegible] audiat? [illegible] applicuit: [illegible] sortem [illegible] esset. Tum & ipse [illegible] exspectat: [illegible] itaque alii hunc [illegible] tractaret generosum [illegible]. [illegible] *Carolus* [illegible] cetera [illegible] habent. etiam [illegible] supplicij [illegible], in al[illegible] occultus. Illi obierunt. nec diu [illegible] *Caroli* posteri gaui[illegible] sunt, & Hispa[illegible] voce & voto [illegible].

CAPVT XV.

[illegible] IN CVLTV [illegible]

[illegible] antiquum [illegible] pompam non conuenire.

[illegible]

Rudolfus [illegible]

Imperium in [illegible] non in decore.

[illegible]

A [illegible] amico [illegible] & hospitem [illegible] Quintus ille, vt [illegible] aliquid esset, recta ad [illegible] properat, vxori denuncians, vt domi [illegible] pararet, verrat, sternat: & quæ tanto hospiti conueniant. Illa satagit, & *Philopœmen* [illegible] opinione [illegible] & comites post se relinqui. S[illegible] hospitam [illegible] salutat: & de cultu & eius corpore [illegible] ante [illegible] alium quem esse, & ex famulitio: *Heus tu* inquit, *[illegible] adde manum & [illegible] hæc [illegible] mihi [illegible] de.* [illegible] tecum. & [illegible] sedulo *Philopœmen* donec [illegible] foro superuenit, & atto[illegible], *Q[illegible] hoc [illegible] te & me de[illegible]* Ille [illegible] *meæ luo.* [illegible] tum, vt [illegible] in se [illegible] iam bel[illegible] lum [illegible]

B Rvd[illegible] Austri[illegible] non aliter Moguntiaci euênit, & [illegible]. Nam vestitu, nihil [illegible] plebeio di[illegible]. Ma[illegible] & [illegible] erat [illegible] domo carbones de fornace recentes, ign[illegible]. [illegible] fidenter, ad[illegible], cale[illegible] cum [illegible] eum adspici[illegible], & ex vestitu æstimaus. *Heu*, inqu[illegible] *parum de[illegible] vos [illegible] mulierculas, & [illegible] domum [illegible] venire.* Rudolfus *Meu mater, miles sum, qui mea [illegible] comitatu Imperatoris [illegible] at ille parum [illegible] me nunc habes, nec pro[illegible] aut [illegible] remuneratur.* Mulier ad illud Imperatoris nomen cœpit stoma[illegible] & multa mal[illegible] in *Rudolfum* di[illegible]: *Quem [illegible] vir est,* inquit, *qui nos [illegible] nostra perdit, paupe[illegible]*

C *[illegible]. Meriti[illegible] nobis eueniunt, qui adhære[illegible] & sequimini: atque [illegible] plura eueniant [illegible].* Rudolfus delectatus pro[illegible] mulier [illegible] *Sed mulier,* inquit, *de me missum fac[illegible] vos propri[illegible] quæ relaxi?* Ibi mulier exclamare [illegible] *qui omne [illegible] vr[illegible] bus, tanto [illegible] antea, fortunis euertit: nec [illegible] resur[illegible] gemus. At tu bone [illegible] de [illegible], nec [illegible] molestiæ aut impedimento nobis esto. abi.* Aliquid vol[illegible] iam Rudol[illegible], sed [illegible] Amazon vas aquarium in prunas accensas [illegible], & fumo [illegible] vapore, cinere perfusum eiecit.

Sed [illegible] priuatim, & non publice [illegible] sunt. [illegible], & magis pompæ aptus, qu[illegible] *[illegible]ocarum* Boe[illegible] rege[illegible] tum [illegible] fidem ab [illegible] Huma[illegible] venit cum mag[illegible] & [illegible] & equi[illegible] ro, gem[illegible] Rudolfo, a[illegible] & [illegible] itum, *Parare se, veste & cultu [illegible] talem [illegible] admissurus.* [illegible], rex Boemi[illegible] vi.

D quit [illegible] *[illegible] meam [illegible] ba fuerunt sæpe [illegible]: nunc ipsum [illegible] deridebit. At vos arma [illegible] equos expedite. [illegible] vt ad pugnam, state. [illegible] Teutonicorum armorum, non ve[illegible] aduenis [illegible] hoc me vobis qui dignum [illegible]* Rudo[illegible] ne [illegible] vi[illegible] & aurum suum submisi[illegible], & ad genua [illegible] ludibri[illegible] cum Imp[illegible] num in qu[illegible] gerebatur, subito pandi & [illegible], vt ab omnibus [illegible] *Ottoca[illegible]* [illegible] esset.

*I euco[illegible] pi[illegible] ea [illegible] au[illegible] nu[illegible] Lenois.

E [illegible] *Qui [illegible]* Imperat[illegible] vt sanguinem ab [illegible] traxit. In [illegible] vel potius [illegible] quo[illegible] Iran, & [illegible], in primo eius [illegible] gressu Mediolanum, [illegible] vrbe. Cu[illegible] domino omnia [illegible], plateas aulæis tabulis, frondibus, [illegible] vestibus [illegible] ornauerant.

vmbella aurea parata, quæ ingredientem tegeret. A cùm ille & Imperator, & non ſemel Rex ac Princeps, in lana atra penula, [illegible] p. collo, ſub cam ſe dedit. Videbant eum, & requirebant: matronæ præſertim, & virorum iuniores. quæ tabeas, & illuſas auro veſtes, & fulgentes in capite & collo gemmas expectabant.

VIII. O quàm diſpares iſti à Græcanicis Imperatoribus, quos luxus & deliciæ ad cultum vix virilem traduxerunt! In quâ re lepidum eſt, quod *Nicetas Choniates* deſcribit de ALEXIO ANGELO Principe Byzantino.
m. c. xcvII. Erat in Italiâ tunc *Henricus Quintus* Imperator filius *Friderici Ænobarbi*, qui Sicilia & Neapoli ſubiectâ ſpes ſuas longiùs porrigebat, & Græciæ B imminebat. Miſit igitur legatos qui magnum auri pondus poſcerent, velut tributi nomine: aut ſi negaretur, cauſſam belli. *Alexius* quem dixi, audito aduentu exterorum, vt opes ſuas & ſplendorem oſtenderet, & oculos veneratione aut metu præſtringeret, iuſſit ſuis omnibus quàm ornatiſſimos adeſſe, auratos gemmatóſque: ipſe autem à capite ad calcem nil niſi ſplendor, & nitor erat, rarum vel in exemplu aliquo ſpectaculum. Veniunt legati. [illegible] d Germani id eſt viri, qui tantum abfuit (ait Nicetas) vt ſpectaculo eo ad metum mouerentur, vt contrà ad cupidinem: & nihil magis vellent, quàm cum iſtis quàmprimum ad manus venire, effœminatis et [illegible] ad prædam natis. Cùm interim Græculi etiam accedentes eos cubitis tangebant, & digitis præibant, vt *Imperatoris veſtem & gemmas aſpicerent: quibus ille, vt floridum aliquod pratum, aut Alcinoi hortus, varie nitebat. En*, aiebant, *vel in media hieme, Veris opes & gratias vſurpate, & oculos iis paſcite atque hilarate.* O belli parati! & quid ad hæc Germani? *Nihil capi aut affici ſe iſtis muliebribus ſpectaculis, aut ornamentis. atque adeo iam tempus eſſe vt his ſepoſitis Græculi ferro aurum commutarent. Nam ſi irruit [illegible] gationis ſuæ redirent, pugnandum ſibi cum viris eſſe, qui non vt prata lapillis niteant, neque veſtibus variegatis, vt pauones, glorientur: ſed quis vere Martis alumni flammas micorumque ex oculis in acie iaciant. & quorum ſudor ſplendidus guttis [illegible] nens [illegible] margaritas* Hæc noſtri Germani ad Græcos [illegible] in verbis terreſ ctos: quid ſi ad [illegible] ventum fuiſſet? & fuiſſet, niſi *Henrici* mors ſubſecuta conſilia hæc & incepta turbaſſet. D

CAPVT XVI.

DE MAIESTATE.

Et ſaluâ Modeſtiâ poſſe aſſumi.

NEque enim inter ſe hæc pugnant, & coniuncta eſt etiam inter ſpecie diſpares virtutes. [illegible] o autem *Maieſtatem*, venerat [illegible] animorum in mis mihi am, cum magnitudine eſt on [illegible]. Et ipſum etiam nomen Maieſtatis eſt à Magno. Ouidius decenter aperit:

Donec Honor placidoque decens Reuerentia vultu
Corpora legitimis impoſuere toris.
Hinc ſata Maieſtas. E

Prole igitur eſt Honoris & Reuerentiæ ſed & [illegible] ſiqui [illegible] rum dicat, non aberret. O [illegible] pria ab æterna magnitudine, id eſt virtute. et externa etiam ſpecies, geſtu, cultus, aliquid adiungunt. Orientales in his talibus magis curioſi atque affectati: parnis Europæi & veteres Principes diademate & purpurâ fere contenti fuere. Hodierno æuo illis abolitis, ſceptrum & corona ſucceſſerunt. Petàm eſt arbitraria ſunt: leue adiumentum ad maieſtatem.

A niſi aliunde ea adſit. Sunt & [illegible] m nimuenimonis. Aut vel [illegible] bi, & talia: quibus primum, [illegible] tur aut præſtigium pluſquàm Iaſon [illegible] o quâ nouus orbis, & in eo aurum ſunt [illegible] Aliquid & Auiæ pompa, & miniſteriorum varietas atque copia, item ſatellitum huc faciunt: & *Iulianum* Imperatorem, vulgò *Apoſtatam*, culpatum in [illegible] m minor, qui ſuſtulit aut recidit: [illegible] Socrates [illegible] [Greek, illegible] *niam ceſſante admiratione opum & potentiæ, quæ plebeis animis hoc a pectu inſeritur, vilem & contemnenB dum reddidit Principatum.* Plebeium [illegible] eſt nec magni hæc momenti. magis mores, [illegible] non poſiti & graues. Talem *Periclem* Plutarchus d[illegible] ſibit *vultu ſerio, nec ad riſum fac[illegible] ce ſu moderat[illegible] ſermone ſedato.* Alacritas illa nimia vix e [illegible] iuuenis ſed nec dicacitas, etſi ingenij notam dicas. Liuius in *Philippo* vltimo Macedone hoc notat *Erat dicacior natura quam Regem deceret, & [illegible] inter [illegible] iſum temperans.* Iam corpus & ſpeciem tade[illegible] va di[illegible] murant. atque ita de *P. Scipione Africano* [illegible] *rat ſecer quam quod ſuapte natura multa maieſtas in [illegible] adornabat promiſſa caſaries, [illegible] rpo ris* NON CVLTVS MVNDITIIS, *ſed virilis ac vere militaris.* Poſtremo, ſeceſſus & abducti [illegible] enim [illegible] *Parit conuerſatio contemptum, raritas [illegible] hat ipſa rebus a[illegible] rationem.* Sed nimia n[illegible] tollit munus & officium Regis. Neque enim Perſæ laudandi, *apud quos perſona regis ſub ſpecie Maieſtatis, occulitur.* Non item qui eos imitati, *intra ſecretum palatiis domus incluſi tamquà aliquod Veſtale ſecretum conſuluntur* [illegible] a & odioſa ſunt, niſi gentium [illegible] liquis ceptus mos [illegible] is bonus ita ha[illegible]. Quid [illegible] en de Regibus [illegible] qui huc ſuperbiæ & faſtidii [illegible] uenit. Is fuit *Pallas* C[illegible] dij, [illegible] venerationi a[illegible] nd[illegible], *num [illegible] illum [illegible] aliquid niſi nutu aut manu, ſigni [illegible], vel [illegible] ademo[illegible] da eſſent, ſcripto [illegible] em ſociare.* Examina hoc & inde ſemita illa porrenta iam [illegible] enter [illegible] ſſe.

Apo. [illegible]

Panegyr.

T[illegible]

A[illegible]

CAPVT XVII.

DE CASTITATE.

Quam Princeps extra connubium [illegible] pa[illegible] eris.

ADDi[illegible] deni[illegible] ue [illegible] as [illegible] es eque [illegible] de [illegible] [illegible] unt. [illegible] op[illegible] *tiam*, *Caſtitatem Patientiam Animi magnitudinem.* [illegible] a b [illegible] omi[illegible] odius [illegible] de [illegible] d[illegible] cipe [illegible] e [illegible] ci [illegible] qui [illegible] ſ [illegible] & c[illegible] le [illegible] *m ni* [illegible] *qui m* [illegible] *to.* [illegible] anim [illegible] ede [illegible] ſponſ [illegible] c [illegible], *Puri* [illegible] *tus, q[illegible] m[illegible] in linem.* Ou[illegible] ex [illegible] m [illegible] d. [illegible] igitur an [illegible] ue [illegible] ot [illegible] *Imperator* [illegible] *men*, [illegible] *em pr[illegible] pertiauit* [illegible] *octam? mico[illegible] nes* [illegible] *partu* [illegible] *ero.* [illegible] ues. [illegible] xile ſc [illegible] ub [illegible] non bet [illegible] & [illegible] terd[illegible] m [illegible] do f[illegible] ut [illegible] muttun [illegible] p [illegible] u [illegible] ferunt [illegible] ſ [illegible] que omni[illegible] & [illegible] neceſſi Au[illegible] notat *fe-*

Taci. l. 6.

[illegible]

roces

11. Politic. cap. vii. A *roces & militaret ſæpe populos ita ſubiici, & nominatim Lacedamonios.* Quod idem de iſtis Plutarchus, ſcribitque: *Lacedamonios vxoribus ſuis ſemper addictos eſſe, plúſque cum his, de negotiis politicis, quàm has cum illis, de priuatis communicare.* Turpe eſt, ne fiat. Quis *Claudij* imperium non nouit, hoc nomine famoſum, quòd ſemper aut *Meſſalina* aliqua, aut *Agrippina* regeret; aut vnà cum his, quiſpiam è libertis? Quis & *Alexandri Seueri*, boni aliàs Principis, non miſeratur: qui per pietatem nimis matri ſe addixit, & ſe ſic euertit? Herodianus obſeruat:

Lib. vi. *Quippe illi mater ſupra modum imperabat; atque is dicto audiens ſemper fuit. idq́; aliquis ſolum in Alexandro* B *reprehenderit, quod manſuetudine nimiâ, & reuerentiâ maiore quàm oportuit, matri etiam iniis quæ diſplicebant, obſequeretur.* Atque idem ſcriptor proprium muliebre vitium tangit, quod inſtillant. *Alexander* inquit, *ipſe ad prælium cũ Partho non venit, incertũ metúne proprio, an quia mater retinuerit, fæmineo pauore. Omnes enim illius* (hæc nota) GENEROSOS SPIRITVS *retundebat, ſuadens alios potius periclitari pro ſe ſineret, quàm vt ipſe in acie conſiſteret.* Talia fæminæ, & deteriora ſolent: ac bonarum rara exempla, animoſarum pauciora ſunt. Mihi verò, ſi quæ Principis fæminæ partes in republicâ eſſe poſſunt, eæ ſint quas Homerus in *Arete Alcinoi* deſcribit: *quam,* inquit, *maritus honorat & ciues: Quid ita?*

C
Οὐ μὲν γὰρ τι νόου γε κ᾽ αὐτὴ δεύεται ἐσθλοῦ,
Οἷσιν τ᾽ εὖ φρονέῃσι, καὶ ἀνδράσι νείκεα λύει.

Nam neque mente animóque ea deficitur ſapienti,
Atque inter ciues & amicos iurgia ſoluit.

Hoc bonum germanúmque fæminæ opus, pacare, mitigare: amplius, ex eodem Homero, afflictos iuuare. Ita enim Minerua *Vlyſſi* ſuadet, adire in primis & blandiri *Areta*: quia per eam in patriam reſtituendus eſſet. Plura quæ facit, plurimùm malè facit. & pulchrum elogium de *Mariâ Emmanuelis* Luſitani vxore. quæ (ait ſcriptor eius gentis) *erat moribus & vitâ grauis, humanitate comis, otij inimica & ipſa manibus ſuis opera muliebra, è lino aut ſerico, faciebat; & virgines ſuas eodem ducebat.* NEGOTIIS PVBLI- D CIS *numquam ſe admiſcebat, ſummum mulieris decus in modeſtiâ ponens, & vitæ perturbationem cenſebat, munerum confuſionem.* Hæc magnanimæ illius *Iſabella* filia fuit: ſed non in virilibus curis ei par: & vt verum dicam, *Iſabella*, vt Phænices, vix quingenteſimo anno gignuntur. Siquis tamen talem nactus, viriliter audiat: vel minorem eâ, ſed audiat, non ſemper auſcultet. Exempla porrò *Caſtitatis*, atque etiam deinde *Caritatis* inter coniuges, demus. ac primum illud, quod de

I. CYRO Xenophon, ſiue verè ſiue decorè, ſcripſit. Cùm, inquit, *Panthea* formoſiſſima fæminarum capta eſſet, atque ad eum adducenda, vetuit: ne vel oculis ſcilicet caſtitatem matronalem, & ſuam violaret. Atque *Araſpo* ex amicis ſuadenti adire eam, E & alloqui: *eſſe enim mulierem inſigni formâ, & Regis plane oculis dignam: Ob iſtuc ipſum,* inquit, *magis eſt vt abſtineam. Etenim ſi nunc illam adiero, cùm vacat, fortaſſe illa efficiet vt adeam, etiamcùm non vacat, eiq́; aſſideam neglectis rebus ſeriis.* Bona oratio, & ratio. ac ſanè ſi non alia noxia in vſu fæmineo; iſta certè eſt, auocari à melioribus curis.

II. Itaque iure PERICLES, cùm Athenienſibus Prætor, collegam *Sophoclem* poetam haberet, atque is in communi officio fortè diſtrictus, prætereuntem egregium puerum intentiùs intuitus eſſet, impenſiúſque laudaſſet; grauiſſimâ iſtâ voce corripuit, *Oportet, ô Sophocles, Prætorem non ſolùm manus à lucro, ſed oculos à libidine habere puros.*

Quod fecit rex ANTIOCHVS tertius. qui Epheſi in ſuâ vrbe, conſpectâ Dianæ ſacerdote, ſupra alias formâ decorâ, continuò illinc ſoluit: veritus ſcilicet, ne amor aſpectu paullatim auctior audaciórque, eò impelleret, vnde pius caſtúſque non rediret. Laudari meritiſſimò poſſet, & contra impios quoſdam Principes: quibus Deo dicatas virgines violare aut inceſtare idque ſub velo (ô nefas!) ſacrorum & religionis, ludus iocúſque fuit. III.

At ALEXANDRI *Magni* in hac re continentia, cui non innotuit? Is magno prælio *Darij* victor, eiúſque gazam, coniugem, & filias etiam potitus: non ſolùm benignè & regiè habuit, ſed ſic caſtè & ſanctè, quàm ſi eodem, quo ipſe, parente genitæ forent. Darij quidem vxorem, exſuperanti formâ fæminam, nec oculis attingere vmquam voluit: quod ipſe de ſe in epiſtolâ quadã ad *Parmenionẽ* ſic ſcripſit: *Ego enim nõ ſolùm non vidiſſe inueniar Darij vxorem, aut* VIDERE COGITASSE *ſed nec verba facientes de eius forma audire ſuſtinuiſſe.* O raram in eâ fortunâ, & ætate, laudem! quam factum ſequens cumulat. IV.

Cùm aliquando enim IDEM, naturâ incitante, vſum fæminæ voluiſſet, & miniſtri formoſam noctu adduxiſſent: ille rogauit, *Ecquid tam ſerò veniſſet?* Ibi mulier excuſare mariti vigilias, & exſpectaſſe donec cubitum iiſſet. Quod cùm audiſſet, quaſi telo ictus & calore omni remiſſo, mulierem omiſit: vocatíſque miniſtris, *Reducite,* inquit *iſtam. & quam penè imprudentem me adulterio illigaſtis?* V.

Iam quæ verba EIVS & ira, aduerſus *Philoxenum* quemdam maritimæ rei Præfectum ſuum? qui ad eum ſcripſerat. *Eſſe apud ſe Theodorum mangonem, & vanales habere duos pueros forma eximia, ecquid eos emeret?* Quibus lectis valdè indignatus & identidem exclamans amicos interrogabat, *Quid igitur in ſe Philoxenus tam fœdum vidiſſet, vt tantam maculam ſibi inureret?* Sed & in epiſtolâ ad ipſum, multis eum probris ſcidit, iuſſitq́; *Theodorum* illum cum mercibus ſuis in malam rem ablegari. Quod ſi ſic alij Reges & Principes, ſaxo, vt talium rerum conciliatores & interpretes pauciores in Aulis eſſent. VI.

Quid autem Romanus SCIPIO? nec robur eius in hoſtes magis, quàm in libidines ſuſpexeris: quas an non ſupra *Alexandrum* domitas habuit & compreſſas? Nam ille oculis ſuis parùm credidit, & veritus eſt capi: iſte cominus congreſſus, & vidit, & vicit. *Carthago Noua* ab eo capta erat, vbi præter aliam affluentiam rerum, pueri virginéſque nobiles reperti: & inter eos vna, quæ ad *Scipionem* deducta, oculos, quaquà ibat, omnium in ſe ſplendore formæ vertebat. Donum dabatur iuueni Imperatori, vt putabant, gratiſſimum: ſed ille oculis libatam modò, abnuit: & *Acciperem,* inquit, *fruerérque, ſi priuatus, & non cum Imperio eſſem. Nunc reſpublica occupatum hunc animum tenet. Accipio tamen quaſi depoſitum, reddendam cui ratio & humanitas ſuadebunt.* Simúlque virginem percontari de patriâ, parentibus & ſorte cœpit: agnouitque principe loco natam, & principi item ſuæ gentis adoleſcenti (ei *Luceio* nomen) deſponſam eſſe. Igitur parentes, & hunc aduocat: cúmque veniſſent, ſtatutâ apud ſe virgine, ſponſum ex iis priorem alloquitur: *Ego, vt hæc virgo ad me deducta à militibus noſtris, ac donum data eſt; & formam eius libens vidi, & dotes animi corporiſque laudaui. Nec enim cæcos, aut ignaros talium Natura genuit: hæc quoque pectora amor tangere poteſt. ſed non niſi honeſtus, & quẽ tẽpora reſq́; meæ permittũt* VII.

Hæc igitur etſi iure belli mea erat; tamen non lubet inter arma hos ludos ludere; nec deceat fortaſſe præripere, viro fores iam deſponſam. Hoc enim ab eâ didici, & ideò te euocaui: vt coram viderem, coràm tibi hanc traderem (numina teſtor) caſtus caſtâ. Sic pudicè caſtéq; meâ curâ habita eſt, ac ſi apud ſoceros ſuos, parenteſque ſuos fuiſſet. Non eſſet me téque dignum donum ſi aliquid ex eâ vis aut occulta fraus libaſſet. intactam, inuiolatam accipe, & fruere. nec aliam mercedem, quàm te volumus, id eſt animum tuum Scipioni & Romanis addictum. Attonito iuuene, & prægaudio vix mentis aut linguæ compote; parentes interuenerunt, gratias agentes habentéſque. & ad pedes Scipionis ſans grande auri pondus depoſuerũt, quod pro redimẽdâ attulerant: rogarúntque, quoniam gratis redderet, ipſe hoc munus ab ſeſe haberet. At ille beneficentiam aliâ cumulans, ſponſum tollere hoc aurum totum iuſſit; & ſuper dotem, quam parentes daturi eſſent, hanc quoque à ſe habere. Quid laudes potiùs? libidinem victam, auaritiam victam? cum laude priuatâ, cum publico fructu? quia vno hoc factu magnam Hiſpaniæ partem ad Romanos & ad ſe traxit, certatim cupientes tali virtuti ſubeſſe.

VIII. Iam in IVLIANO quoq; Principe etſi à pietate & religione noſtrâ abiit, admirãda hæc cõtinentia fuit. quem fides certa habet, mortuâ *Helenâ* coniuge, nihil vmquam venereum attigiſſe: celebrantem ſæpe & recolentem Bacchylidis poetæ illud dictum: *Vt egregius pictor vultum ſpecioſum effingit, ſic pudicitia celſius conſurgentem vitam exornat.*

IX. Libentiùs & Chriſtianos hîc inſero, & laudo. primúmque inter eos BALDVINVM, ex Flandriæ Comite Byzantij Imperatorem: qui annos XXXII. natus, in ipſo illo ætatis æſtu, ſic continuit ſe & adſtrinxit, vt toto illo tempore quo ab vxore abfuit, nec impudicis quidem oculis mulierem ſit intuitus, quod de illo tondem verbis, hoſtis eius alioqui *Nicetas* in hiſtoriâ conſignauit. additque, etiam in aliis hanc caſtimoniam exegiſſe. & *bis quaquâ hebdomade, ſub veſperam, proclamari iuſſiſſe, Nequis qui alienam mulierem attigiſſet, dormiſſe aut cubuiſſe in Palatio ſuo vellet.*

X. MAXIMILIANVS *Primus Auſtrius*, quàm caſtus à libidine fuiſſe cenſebitur, qui ſic verecundus à contactu aut aſpectu fuit? Inter alias dotes, corpore & omnibus membris pulcherrimus deſcribitur: ſed eorum quæ natura occultari voluit, ita celans. vt nemo vir aut fœmina nudum eum viderit, aut retectum. Subducebat ſe furtim, cùm naturæ purgationes vocarent: ad lectum iturus, nec cubicularium quidem ad exuendum, deponendum, collocandúmque ſe admittebat. adeò vt nulla virgo magis teneri pudoris fuiſſe videatur. Quid, quòd teſtamento cauit, caligas & feminalia mortuo ſibi induci? vt & tunc cura pudoris eſſet, cùm iam non eſſet.

XI. Sed & CONSALVVM *Magnum* Hiſpanâ ſtirpe, meritò celebrauerim. qui tot bellis, cùm regnum Neapolitanum ſuo Regi vindicaret, conſenſu traditur, nullam matronarum aut virginum temeraſſe, imò & oblatas aut offerentes ſe (nec nouum in tali potentiâ) comiter reiecisse. Atque adeò cùm pater quidam vir nobilis ſed pauper, duas filias ſcitas & lepidas, ipſe ad eum perduxiſſet, ratus hac ſe viâ ad opes poſſe venire: admiſit quidem, ſed cauſsâ facti cognitâ, vt ſuas filias, dote datâ nobilibus viris elocauit, à ſe tam integras, quàm à parente.

XII. Addi fortaſſe meretur, etſi in vno facto, continentia, quam alij FRANCISCO *Sfortiæ*, alij CAROLO *Octauo* regi Galliarum adſcribunt. Sed huius nomen vſurpemus, vt dignius: & potuit tamen

A hoc ſimile in vtroque eueniſſe. Igitur *Carolus*, in reditu à regno Neapolitano (quod quæſiuit fortiùs, quàm tenuit) cùm opidum aliquod Italiæ expugnaſſet; in militũ direptione & diſcurſu, virginem per honeſtâ formâ ad pedes eius accidiſſe ferunt, tutelam à vi militum & cuſtodiam pudicitiæ ſuæ rogantem. Atque illum à militibus quidem ſeruaſſe; ſed vt iuuenem & talium rerum ſatis liberum, ſtatim oculos & cupidinem ad eam adieciſſe, & ſeductam in lectum abieciſſe, iam imminuendam. Ibi ea toto animo anxia, videt tabulam in pariete ſuſpenſam, in quâ Diua virgo puerum, mundi Seruatorem, ſinu geſtabat: & eâ oſtensâ, *Per intactam hanc Virginem*, inquit, *oro, adiuro, virginis mihi parce.* Mouit ita regem (non ſine Diuæ illius numine) vt libidinem iam exſilientem coerceret: & lacrimis etiam pro-
B fuſis, ſolo amplexu proſecutus liberam dimiſerit, cum dote quingentorum aureorum. Sed & propinquos, aut affines captos, ei donauit.

Hæc exempla in regnis, aut imperiis: quis carpet vnum alterúmque prodi, in fortunâ priuatâ? SPVRINA adoleſcens in Etruriâ, excellenti pulchritudine, matronarum virginúmque in ſe oculos, ſed & virorum trahebat. Illæ potiri auidè, & in occulto aut palàm, ſuſpirabant: iſti æmulatione tangebantur, & in ſuis quiſque fœminis timentes, aut ſuſpectantes. Optimus iuuenum vidit. & vt ſe alióſque metu vel moleſtiâ liberaret, faciem illâ ſic emendatam plagis ſciſſuriſque totam ipſe deformauit. Quid addam? ludibrium poſteà, non irritamentum vixit. XIII.

Addatur, addatur ille DAMOCLES, adoleſcens Atticus tam inſigni facie & corpore, vt vulgò ei cognomen *Formoſi* eſſet. Itaque eo ipſo proditus *Deme-* XIV.
C *trio* regi, qui tunc Athenis laſciuiebat, poſtulatur ad ſtuprum, impellitúrque donis, promiſſis, minis. Nihil horum valuit, & vim aut inſidias veritus, abſtinere etiam cœpit gymnaſiis publicis, & palæſtrâ. Quod rex cùm aduertiſſet, poſitis obſeruatoribus, euenit vt in balneas priuatas lauandi gratiâ iuiſſe cognoſceret, ſtatimque eo properans nudum deprehendit, quid niſi certam, vt putabat, prædam? Et iam irâ quoque accenſa libido irruebat: cùm ille niſi in morte effugium videns, hanc elêgit, reſeratóque aheni operculo, in aquam feruentem ſe demerſit, & extinxit. Triſte factum, etſi forte factum! ſed iuſtiùs vndique laudandum, quod adiungam.

PELAGIVS in Hiſpaniâ fuit. qui in clade à Mauris XV.
D acceptâ ad *Iunc ariam*, ſub *Ordonio* rege, cùm obſes DCCCC.
datus eſſet, ſiue pro auúculo *Hermogio* Epiſcopo Tu- XXI.
denſi, vt plures certioréſque volunt; ſiue pro patre Galiciæ Principe, qui captus Cordubam trahebatur: ſed pro vtro, tamen obſes *Abderamini* regi Mauro datus: ecce formâ eius captus Barbarus, florem hunc ſibi deſtinat: & alludere cœpit, cõtrectare, & tentare. Ille reiicit, atque id ſæpius: donec vim etiam parat amator. cui iſte ingenuâ irâ, pugnum impegit: & *Tolle canis*, inquit, *vitam, non pudicitiam mihi extorquebis.* Hic quoque in iram ſeriò iam datus, iuſſit vt fundæ machinali impoſitus, trans Bætim fluuium vi emiſſus rupibus illideretur. Quod factum: ſed Pudicitia ipſa opinor, alumnum ſuum tuita eſt, & cum miraculo
E viuus euaſit. Non mutauit tamen Barbarus niſi ſupplicium: & forcipibus membratim diſcerpi lancinarique iuſſum, in flumen proiecit. Vnde Chriſtiani noſtri extraxerunt, coluerunt: noménque eius in Diuorum numerum ab Eccleſiâ meritò eſt relatum.

Satis ſit iam talium. videamus & CARITATIS inter coniuges exempla. Nam ea caſtitati ferè ſemper comes.

Veſpaſiani æuo turbæ aut rebellio in Galliâ fuit, & XVI.

dux

dux partium *Iulius Sabinus*, cui vxor EPONINA. victis Gallis dux ad ſupplicium quærebatur: ſed is in ſpeluncam auiam ſe abdidit, & famam mortis ſuæ ſparſit, quaſi veneno ſponte eam ſumpſiſſet: ac rei fidem, villam, tamquam ſuper ſe, iuſſit incendi. Ipſa vxor hæc ignorabat, eratque in multis & mæſtis lacrimis: ſoli duo liberti ſciebant. qui miſerati mulierem, mori certam, & cibi iam triduum expertē, marito indicant, & ſuadent amanti ſubuenire. Factum, & illa reſciſcit *Sabinum* ſuum ſic viuere: venitque ad eum, eidem & ſilentium coluit per totos nouem annos, & liberos etiam in ſpeluncâ concepit ac peperit, ſolâ Caritate obſtetricante. Denique res euulgata eſt, capti ſunt, Romam deducti: an non veniâ donati? laudem & præmium merebantur, certè iſta. Sed *Veſpaſianus* (ah meo animo hîc ſæuus) iuſſit interfici. quamquam illa prolatis oſtenſiſque liberis: *En Cæſar*, dixiſſet, *quos ego in monumento peperi atque alui, vt plures ſupplices haberes*. Indignor, non vel dicto huic indulgentiam donatam. ſed nihil illa: & læta, opinor, cum marito periit, cum quo tot annos iam antè fuerat ſepulta.

XVII. Fuit & CABADIS Perſarum regis vxor, ignoto nomine, mirâ in eum fide. Is regno ſuo ſpoliatus à ſubditis quibus duriùs imperaſſe viſus, & in cuſtodiam datus erat. *Blazes* frater in eius locum ſubſtitutus, conſilium habuit, quid captiuo faciendum? atque ibi *Chanaranges* (magiſtratus & præfecturæ præcipuæ nomen) oſtenſo cultello, *Hic*, inquit, *tam exiguus ſtatim peraget, quod poſteà viginti millia hominum non efficient*. Significans, tolli ex facili nunc poſſe; viuum, daturum moleſtias aut clades, vti euênit. Nam cùm mitior ſententia in virum ſanguinis & loci regij obtinuiſſet, vtque in carcere cui *Lethe* nomen, perpetuò adſeruaretur: fuit ibi aliquâdiu, vxore identidem inuiſente, & focillante. Sed ſors ita tulit, vt Præfectus carceris conſpectam iam ſæpius mulierem adamaret: quod illa ad maritum retulit: atque hic eam iuſſit obſequi, vel ſalutis ſuæ cauſsâ. Non volens paruit: ſed volentior deinde Præfectus, & mulieri, cùm vellet, ad maritum acceſſus fuit. Itaque operâ tandem *Seoſis*, veteris & fidi amici, equi parati in propinquo ad effugium: atque ipſa carcerem, de more, ingreſſa, viro ſuam veſtem induit, illius accepit: qui egreſſus ſic fefellit. Iam plures dies abierant, & *Cabades* in tuto, & apud *Enthalitas Hunnos*, cùm fraus deprehenſa, & mulier iuſſu regio pœnas dedit. Infelix hac parte, nec *Cabadis* ſuo proſperorum futura ſocia. qui vxore aliâ ductâ filiâ regis *Euthalitarum*, grandes à ſocero copias impetrauit, regnum recuperauit, & *Blazen* in cuſtodiam dedit, oleo feruente ſuper oculos infuſo priùs excæcatum.

XVIII. Simile eſt SANCTIÆ Hiſpanæ facinus. quæ ſoror *Theraſiæ* reginæ Legionenſis, aut eius ex fratre neptis (nam diſſentiunt) fidem & affectum erga
DCCC. LVIII. ſponſum, & mox maritum, oſtendit. Is erat *Ferdinandus* Caſtellæ Comes, cui infenſa *Theraſia* ob patris mortem, vlciſci eam fœmineâ fraude apparabat. Itaque nuptias *Sanctiæ* ſororis offert, quæ apud *Garſiam* fratrem, Vaſconum regem, educabatur. Placuit Comiti conditio, et modico & in pacis ſpeciem comitatu, ad ſponſam capiendam, & fruendam & deducendam: cùm *Garſias*, inſidiarum gnarus & particeps, in vincla eum condit. *Sanctia*, audito ſuâ cauſsâ & amore id eueniſſe, etſi amoris anteà expers, honeſtè eum concepit: occultè in carcerem venit, nuptias paciſcitur, & cum eo in Caſtellam, eluſis cuſtodibus, abit. *Theraſia* nec ſic mitior aut quieſcens, aliam iterùm fraudem ſtruit: idque per filium *Sanctium*, Legionis regem. Qui conuentus regni indicit, quaſi de magnis publicis rebus, & eò Comitē, de more, vocat. Hæret nonnihil iſte, & dubitat: ſed vt ſolent generoſi animi, in fidei partes inclinat. Tamē cùm veniſſet, immitiore ſtatim vultu & ſermone exceptus, in arctâ cuſtodiâ datur. Quid facis *Sanctia*? in ſororem, in nepotem, pro marito quid ſtruis: fraudem iterùm, ſed piam. Simulat voti ſe ream, velle ad Diui Iacobi proficiſci: facit iter per Legionem, & ſatis benignè (quidni à nepote, matertera?) excipitur. Orat inprimis, viſendi obiter mariti copiam ſibi fieri atque impetrat, ſed in noctem vnam. Ibi complexus, ibi lacrimæ; & domo allatum conſilium exſequitur, vt veſte permutatâ, vicariam ſe daret pro marito. Ita ille luce dubiâ emittitur pro *Sanctiâ*, equos ex compoſito reperit, inſcendit, euaſit. Ipſa Sanctia, cùm nepoti Iudicium fraudis factum, edocitur: & quamquam ſtomacharetur primò, & deluſum ſe doleret, tamen impetu ad rationem reuocato, pietatem & robur fœminæ veris laudibus tollit, & honeſto comitatu ad maritum remittit.

Firmius etiam fundatiúſque ille amor, qui in BLANCA SCARDEONIA, Italicâ matronâ, ad ſtuporem apparuit. XIX. MCC. LIII. Captum *Baſſianum* erat, in agro Patauino municipium, ab *Actiolino* immanis ſæuitiæ tyranno: atque ibi dum fortiter repugnat maritus *Blancæ*, interficitur; ipſa etiam in armis virilibus marito iuncta, & ſimul pugnans, capitur. Adducta igitur ad tyrannū, & armis exuta, formoſiſſima mulier apparuit; & accenſus libidine, potiùs, quàm amore, potiri ſtatim voluit. Illa abnegat: precibus, minis & terroribus immobilis: donec ad vim tyrannus ſe parat. quod intellegens, aſtu ad feneſtram ſe ſubducit, & præcipitem ex eâ iecit. Non tamen vel ſic obijt, ad aliud facinus ſuperuixit, quod fuit tale. Cùm enim ſanguine fœdata & ſemianimis, ſublata *Actiolini* iuſſu eſſet, & in lecto repoſita, curatáque: poſt dies aliquot iterùm tentata recuſauit, & eumdem animum vitæ potiùs, quàm pudicitiæ perdendæ, ſibi eſſe teſtata eſt. Ab irato igitur conſtringi ligaríque iuſſa, violata, non contaminata eſt (qui enim poſſet illa caſtitas?) ſed tamen dedecori huic ſupereſſe noluit. & fortiùs quàm aliqua *Lucretia* cùm ad mariti ſepulchrum iſſet, alleuato & ſuffulto lapide, ſuper fœtidum cadauer ſe proiiciens, atque id amplexa, *Teneo te*, inquit, *mi anime: quis tyrannus vltrà auellet? Maneo, accipe fidam tuam Blancam, corpore & funere nunc iunctam*. Dixitque, & fulcrum reuellens, caput ſibi contriuit, & ſpiritum tenuem & exiturientem emiſit.

At hæc in fœminis ſunt, quarum ad honeſta aut praua maior ſæpe impetus: ſed nec viri deſtituimur XX. M.D.XVI. huius Caritatis exemplis. Omitto vetera. ſub rege *Emanuele* Luſitaniæ, in Africâ bellum gerebatur, & *Ataidius* eius ibi Legatus, cum ſatis magnâ manu prædatum in agrum Marochienſem iuerat. Inopinantibus ſuperuênit, atque ita RAHUM BENXAMUTIUM reperit, claru nomine inter Arabum duces: qui caſtra illic & de more, familiam habebat. igitur ingens à Luſitanis cædes edita, præda item hominum pecorúmque parta. Ipſe *Rahus* tamen euaſerat: & cùm Chriſtiani, onere graues, tardiùs iter facerent, collectis ad LXX. è ſuis equitibus, à tergo obequitabat minitabundus. Plures intereà accedebant: & ipſe tum ſuos cohortans, tum Arabas excitans (qui cum Luſitanis fœderati militabant) vt eos deſererent proderéntque: *En egregiam occaſionem*, inquiebat, *Deo, Mahumeti, gentilibus placēdi, ſi iſtos canes & alienigenas, facto agmine ac nobiſcum iuncti, inuaditis, & cunctos vndiq; trucidatis. Præda erit veſtra, gloria æterna erit veſtra, patria liberata muneris erit veſtri. Agite fratres agite cōmilitones, expiate fœderis*

dedecus honeſtiſsima tranſitione. Clamabat, non mouebantur: imò contrà, quò fidem ſuam magis noſtris approbarent, in primum agmen cum prædâ ſe conferebant. Iam parabat, vt impar, diſcedere *Rabus*: ſed vxor illius *Hota* nomine, ſingulari ſpecie mulier, amata vnicè & amans, ex agmine nominatim eum inclamauit. Subſtitit ille, & vocem agnouit, ſimúlque fœminæ fatum: atque ipſa à ducibus petito breui colloquio & impetrato, *Rabe*, inquit, *Benxamutie vbi promiſſa & fides ſunt? Quoties iuraſti, captiuitatem meam & diſcrimen ipſà morte tuâ depellere? En trahor captiua, & patris, perfide dicam an ignaue? Nec vtrùm probrum viro indignius ſit, ſcio. Vbi autem de robore tuo vaniloqua verba? pudet & famæ, quæ ſic eſt mentita.* His vocibus, & ipſis amoris furiis, incitatus *Rabus*: *Dies*, inquit, *longa eſt, victoria in Dei manu, virtus in meo brachio, confide.* At illa puluerem manu è terrâ tollens, & in altum proiiciens, *Sic*, inquit, *verborum tuorum fidem aura diſpellit. Abi ingrate, aliâ fruere, quam mihi, vt video, prætuliſti.* Sed *Rabus* ſtatim, vt in more gentis eſt, calceum ſibi detractum, in illam iecit: quod ſignum & pignus ſanctum erat ſeruatæ ſeruandæque fidei; & ſimul ad equites ſuos conuerſus, *Si vnquam amor vos tetigit*, inquit, *mei atque huius miſeremini, & adiuuate. Per ſacra noſtra, per gloriam gentis, per vitam hanc meam obſecro, quæ diuturna eſſe non poteſt, ſi hæc auferetur. Inſilite, dij audentes & amantes iuuant.* Fecitque ipſe & alij impetum, quem egregiè ſuſtinebant noſtri, donec *Atarcdus* in extremo agmine propugnans & ſuſtinens, cùm guttur eius caſu arma nudaſſent, haſtâ *Rabi* transfixus occubuit. Duce amiſſo, confuſio, & ea maior, quòd æmulatio etiam erat & certamen de loco. Alij hunc, alij iſtum ſufficiebant, & id tanto certamine, vt pænè (ô fatalem inſaniam!) ad manus inter ſe, relictis hoſtibus venirent. Quod Arabes fœderati conſpicati, & ſimul miſeratione nobilis illius Ducis tacti, arma in noſtros verterunt, & puncto temporis diſſipatâ acie, cæſi plerique omnes aut capti ſunt. Recepta ita *Hota*; quam ſecum ducens victor *Rabus*, omnium oculos, voces & laudes in ſe vertit, fidem & robur prædicantium, & vtriuſque felicem affectum. Necdiu ſanè poſt mulier pro ſe fidem quoque teſtata eſt, cùm marito in prælio quodam mortuo, illa funus eius cum multis lacrimis magnificè curauit: & mediâ deinde nouem dierum ſe vitâ exiit, & marito iunxit.

xxi. Hæc tragica. mitius exemplū eſt, quo claudā, noſtri Philippi *Boni* cognomento; qui præcipuus auctor fuit magnitudinis huius, quam domus Burgundicæ appellamus. Is igitur annos natus vigintitres, patrem *Ioannem* Burgundiæ Ducem, ſcelere & perfidiâ (res dicenda eſt) *Caroli Delphini* interfectū amiſit. Atque vt erat dolore & irâ recens, ad vxorem venit, quæ ipſa ſoror *Caroli* erat: & *O mea Michaela*, inquit (id mulieri nomen) *Frater tuus patrem meum occidit.* Mulier ſtatim in lacrimas & clamores. (nam mirificè viri amans erat.) & diſcidium non fruſtrà verita, ſine ſolatio lugebat: niſi quòd ipſe eam erexit, multiſque verbis affirmauit, *Nihilo ſibi viliorem futuram, ob hanc propinquam quidem, ſed alienam tamen culpam. Reciperet animum & metum poneret, viro æternùm fido bonóque futuro.* Et fecit. vixit triennium cum eâ, omni amore & honore ſulito proſecutus: etſi ipſe aſpectus eius, ſcelus fraternū & triſte parricidiū ſenſibus ingerebat. Accedebat, quòd ſterilis eſſet, quę ſola caußa diuortij, quoties apud Principes valuit? Sed nihil apud iſtum: qui amorem & primam copulam, niſi morte, noluit ſolui.

xxii. Verè claudebam, ſed Scythica mulier interuenit, & oſtendi poſtulat in hoc theatro. non illa magna, nec in re ſpecioſâ aut magnâ, ſed ſi ad calculos reuocetur, magni mirandíque amoris. Sub *Andronico Palæologo Iuniore*, Scythæ incurſionem in Græciam Thraciámque fecêre, & latè populati magnam prædam auexêre. In ea captiuus quidam Thrax fuit, qui cum aliis ante fores Scythicæ huius trahebatur: viditq; & miſerata eſt, & emit eū, imò mox & nupſit. Sed iuramentum tamen priùs exegit, non deſerendam ſe ab eo vllâ fortunâ, tempore, aut loco. Mulierem autem hanc iam antè acre deſiderium habebat capiendæ noſtræ religioni, & vt ſalutari aquâ tingeretur: quod marito indicat, atque ille approbat, & vnà conſtituunt hoc fine in Chriſtianos fines demigrare. Sed dum ſe apparant, & opportunitatem quærunt, annus elabitur, & binos intereà liberos marito ſuo, alterum peperit, alterum in vtero geſtabat. Ex quo & creuit amor mutuus, & iam firma nexio videbatur. Ecce autem intereà euênit, vt iterùm Scythæ incurſione factâ, priorem vxorem huius mariti ſui abducerent, & prætereuntem cum captiuis ille agnoſceret & videret. Itaque, pro veteri affectu & conſuetudine, illacrimauit, & cauſſam vxori ſuæ Scythicæ dixit. Illa nec indignata marito eſt, nec odio aut æmulatione (pro muliebri ingenio) in alteram illam tacta; ſed ſtatim eam quoque emit, tum ad domeſtica miniſteria, tū vt aſpectu ipſo dolorem marito leuaret. Et iam tempus migrandi viſum: migrant, Conſtantinopolim veniunt: mulier baptiſmate tingitur: altera illa (auſim ingratam, ſi non iniquam, dicere;) ſtatim ad Patriarcham accurrit, clamitat per iniuriam maritum ſibi ereptum, & à Scythicâ poſſideri. Illa quoque venit, & auditur, & rem totam exponit, nec quiſquam damnare eam ſuſtinuit, vt quæ amborum domina eſſet, eóſque ex ſeruitute & immanibus illis belluis liberaſſet. Tamen hæſitantibus illis, ipſa ſententiam hanc vltrò tulit: *Marito meo ſi prior vxor cordi eſt, habeat: cui etiam ob conſuetudinem, & ſuſceptos ex eo liberos, pretium redemptionis condono. In ipſam hanc autem fœminam vti eadem liberalitate cupiam, ſed cùm in terrâ alienâ ſim, & aliarum rerum inops, haud poſſum. Itaque illa pretio reddito, cum marito abeat: ego cum duobus meis liberis benigni Dei manus exſpectabo.* Dixerat mulier, & mirati omnes æquanimitatem ſunt: cui Deus ſanè mox adfuit. & cùm altera illa in Thraciam iuiſſet, ad pecuniam corrogandam; ecce iterùm à globo Scytharum abripitur, nec vltrà viſa eſt, & maritus iam tutò illius coniugio acquieuit.

CAPVT XVII.
DE PATIENTIA.

Ab irâ & vindictâ alienum eſſe debere, præſertim in conuiciatores.

POterat ſub Clementiâ hæc virtus contineri, ſed educere malui, & ſeorſim oſtendere. quia valdè Principem decet, & ſæpe in eâ fortunâ locum habet. Quis non alta illa ſermunculis aut iudicus petit? Grauamur imperari; & quamuis benè atque vtiliter aliquis faciat, tamē hoc, illud, carpimus: & ſemper aliquid eſt quod nō omnibus placet. Inde voces. ſed ſpernat Princeps, & ſciat *Nullū eſſe argumentum magnitudinis certius, quàm nihil poſſe, quo inſtigeris, accidere.* Sicut ſuprema Mundi pars ventis, fulminibus, pluuiis non turbatur: non item debent apices iſti rerum. Hic aut ille in te iocatus eſt conuicio aſperſit? calumnias diſperſit? contemne. *Ille*

Sene. III. De Irâ c. VI.

magnus

magnus & nobilis eſt, qui more magnæ feræ, latratus canum ſecurus exaudit. Potentia tua ſupra læſionem eſt, gloria (ſi benè agis) ſupra infamiam. Sed Mecænatis verba & conſilium, quod *Auguſto* in hac re dedit, digna adſcribi: *Siquis conuiciatus tibi fuerit, aut in occulto detraxerit, neque deferentem audire debes, neque delatum punire. Turpe enim ſit, facilè te id credere, cum cauſſam non præbeas, eſſe tamen qui conuicio petant. Atque id ferè non niſi mali Principes credunt, quos ad fidem inclinat conſcientia. Deinde autem iniquum ſit, hec iraſci aut punire. quæ ſi vera ſunt præſtat non admittere; ſin falſa, diſſimulare. Nam vltione iſtâ, quid niſi plures ſermones & plurium prouocabis?* Sunt ſaluberrima monita, ſiue rationes: & vltimam iſtam nota. Ne moue, quod morum magis eahalet: ne moue, quod mouendo non ſedes. Quòd ſi omnes punitum ibis, quis finis erit? neque aliud agas, & aſſiduè in iis occupetis. Contemne igitur, & Senecæ hoc imbibe: *Contumeliarum patientiam, inter ius inſtrumentum eſſe, ad tutelam regni.* Et, vt ad Eaempla veniam,

I. Dio lib. LII. — In Delrâ, cap. XXX.

I. LACONES appoſitè in publicis ſacris apprecati ſolent, *Vt poſſent iniuriam pati.* Ne properè ſcilicet exſilirent ad vindicandum, & ſtatum ita ſuum turbarent. Tum etiam, quia parùm idoneos iudicabant ad res gerendas, qui iniuriâ aut contumeliâ ſtatim abriperentur. Sedatio animi & frigus decet imperantes.

II. In quâ parte DAVID, rex Hebræus, mirificus. qui pulſus à filio *Abſalomo*, & profugus, cum manu tamen fortium virorum, vt ad montem *Bahurim* venit, auſus eſt *Semei* è *Saulis* cognatis, petere virum conuiciis: tantùm? imò & lapidibus, quos ex alto in eum iecit. Indignati comites. & ex iis *Abiſai*: *Itáne hic canis Domino meo & ſuo male dicat? idq; impunè? Ibo, mi rex, & recidam ei caput, domicilium proteruæ huius linguæ.* Artiſſimus virorum Dauid, *Mitte, vt male dicat. En filius, quem genui, ſanguis meus, ſanguinem iſtum quærit. & indignamur ſi conuiciatur alienus?* Cæleſtis quædam hæc patientia: quid mirum in viro cæleſti?

III. Magis in tyráno PISISTRATO. cuius vxore petulanter & iniuriè habitâ à quibuſdam adoleſcentibus ebriis, idque in publico: malum illi timentes, manè ad Piſiſtratum ſupplices venium deprecatum. Ille autem: *Quid vos vultis? mea vxor heri nuſquam prodiit. At in poſterum date operam, vt ſobrij ſitis.*

IIII. Quid in ARTAXERXE Perſarum Rege, in quâ gente ſuperbia domicilium habere viſa? Apud quem legatus Spartanus *Euclidas* liberè pro ingenio gentis, & pro ſuo ferociter locutus, hoc reſponſi retulit: *Tibi licet, quæ libet, apud me dicere: mihi & dicere, & facere.* Saluâ maieſtate modeſtia inſerta fuit: & ad hanc iuit, ab illâ non abiuit.

V. Sed in hac virtute Macedonum aliquot reges eximij. Quid enim PHILIPPVS *Alexandri* pater? qui plura eius dedit exempla. Vt in *Nicanore*. qui circumiens malè de *Philippo* opinabatur, & detrectabat: nec defuit, vt ſolet, delator *Smicythas*. Amici igitur aduocandum, & plectendum cenſere; ille contrà, *Et Nicanor,* inquit, *non eſt peſſimus Macedonum. videndum igitur, numquid per nos admiſſum aut commiſſum, cur malè dicat.* Et ſeriò quærens, reperit pauperem virum eſſe, benè meritum, nec adhuc habitam eius rationem. Itaque ſtatim munere eum affecit: qui & ipſe, mutatâ mente & linguâ, laudare vbique *Philippum* & attollere. Quod cum idem *Smicythas* retuliſſet: *Videtiſne ô amici,* inquit, *in noſtrâ manu eſſe, benè vel ſecùs audire?* Factum dictumque penſitandum Regibus, qui cupiunt famam.

VI. Iam iterùm IDEM, de petulanti quodam & procaci conuiciatore, cùm ſuaderent exſilio plectendum: *Nequaquam,* inquit, *ne oberrans apud plures de nobis male loquatur.*

Nec verò in abſentes ſolùm lingulacas talis, ſed in præſentes, & qui in os inſultabant. Vt ille *Demaratus Corinthius*, cùm aduenisset ad eum, tunc fortè cum *Olympiade* coniuge & filio *Alexandro* diſſidentem: rogareturque à Philippo, *Ecquid conſentirent iam inter ſe Græci?* ille ore libero, *Scilicet tibi conuenit de Græcorum concordiâ agere, qui diſſides ipſe à proximis tuis?* Senſit eum vera dicere Philippus: ad ſe rediit, & cum ſuis in gratiam. VII.

IDEM cùm pro tribunali ſublimis, ſub haſtâ captiuos venderet, ac parùm decorè, veſte reductiore, ſederet: quiſpiam è captiuis clamare cœpit, *Iniuriâ ſe affici, eſſe enim paternum ſe Philippi amicum.* Quod cùm miraretur Philippus, & dicere eum ac docere iuberet: *Apud te ſolum*, inquit. accedentiſque ad tribunal, in aurem inſuſurrat, *Heus tu, veſtem demitte. nam ſic parùm honeſtè ſedes.* Rex nihil offenſus, gratiam imò retulit: *Et verè*, inquit, *iſte mihi amicus erat, mittite hominem.* ſimulque aliter ſe compoſuit. En, fructum etiam ſuum alienam libertatem fecit. & ſolet ipſe dicere: *Gratias ſe debere Athenienſium oratoribus, quòd conuiciis ſuis redderent ſe meliorem dum illos factis conatur refellere.* VIII.

At inter ſucceſſores eius ANTIGONVS, æmulus & pænè par fuit in hac laude. Qui in caſtris aliquando, cùm duo è vigilibus, iuxta ipſum Prætorium, de rege malè dicerent, atque ipſe omnia audiret, nihil vltrà quàm tentorij velum concuſſit; & *Heus vos*, inquit, *paullo longiùs ſecedite, ne Rex vos audiat.* Quid iſtuc eſt? ne diſſuadet quidē malè loqui, ſed cautiùs loqui. IX.

IDEM cùm exercitum in tenebris aliquò duceret, & moleſtum ac ſalebris interruptum iter eſſet, milites ductorem paſſim exſecrabantur Antigonum. At ille ad ſingulos quoſque accedens ignotus, & explicans: *Nunc*, inquit, *benè dicite ei, qui vos eripuit.* X.

Iam PYRRHVS qui Macedoniæ regnum aliquam diu tenuit, idem hanc virtutem. Iuuenes aliqui Tarentini, cùm in Italiâ ipſe eſſet, inter pocula malè de eo & minaciter locuti, deferuntur: adductique poſtridie, *An dixiſſent?* interrogantur. Vnus facetè & liberè: *Diximus, atque adeò te interfeciſſemus, niſi lagena defeciſſet.* Vini culpam, non animi oſtendit: & Pyrrhus ſic accepit, atque ipſe arriſit. XI.

Inter germanos Græcos PERICLES, conuiciis petitus in foro, à proteruulo quodam, nihil repoſuit, & placidè res ſuas egit. Actis, domum iuit, illo proſequente & linguæ tela identidem eiaculante. Nihil ſenſit, nihil dixit *Pericles*: hoc tantùm, cùm ad ædes iam veniſſet, & nox eſſet, miniſtro ſuo, *Abi puer, & facem accende & huic redituro præluce.* Vah, non patientiam ſolùm, ſed benignitatem! qui adiutum iuit in ipſo improbitatis freto æſtuantem. XII.

PTOLOMÆVS *Lagi* filius, Ægypti rex, in Grammaticum cauillans, & inſcitiam arguens, *Quis eſſet Pelei pater?* rogauit. Cui ille, *Expediam, ſi tu mihi priùs dixeris, quis Lagi.* Genus obſcurum aut ſordidum regi palàm obiectabat: & id indignati omnes qui aderant, præter regem. Qui ad incitantes: *Niſi ferre dicterium regium eſt, nec dicere*, inquit. Idem ius volebat ferulæ, quod ſceptro, in iſtis eſſe. XIII.

Sed Romani quoque Principes huc ducant, & primus eorum CÆSAR. Ille *C. Caluo* oratori, qui famoſis epigrammatis proſciderat, cùm de reconciliatione ſignificaſſet, prior & vltrò ſcripſit, tamquam ipſe læſiſſet. Idem *Catullum* poëtam, qui famæ eius perpetua ſtigmata (& nunc leguntur) verſibus inuſſerat, ſatisfacientem eâdem die adhibuit cœnæ. XIIII.

Nihil ſtipulatus eſt, aut iniunxit, ſolâ pœnitentiâ pro pœnâ contentus.

XV. At AVGVSTVS verè & hîc ſucceſſor, cùm in iudicio quodam inter alia crimina reo obiiceretur, quòd malè loqui de Cæſare ſoleret: interrupit, & ad accuſatorem, *Velim hoc mihi probes, faxo ſciat Ælianus* (id rei nomen) *& me linguam habere.* Benè, & benignè. quid aliud ſignificabat, quàm dicta dictis vlturum? Etſi nec fecit, nec vltrà quidquam inquiſiuit.

XVI. IDEM in *Timagine*, hiſtoriarum nobili ſcriptore, plus ſemel patientiam oſtendit. Multa in ipſum, etiam in vxorem, in filiam & familiam eius dixerat: atque ea vt argota, & ab homine docto, excipiebantur vulgò & circumferebantur: Cæſar tamen nihil, niſi monuit eum vt modeſtiùs ingenio & linguâ vteretur: idque in domo ſoâ. Nam & (vide ingratitudinem) Cæſar eum alebat. Sed cùm nec ſic deſineret, tandem domo ei ſuâ interdixit: & quis accuſaſſet, ſi vrbe, ſi toto imperio? At ecce, qui velut in inuidiam Cæſaris excipiat: & is fuit amicus eius *Aſinius Pollio*, nec ideò deſiit eſſe. Fouit hominem, & eius exemplo alij: viſitur, colitur. & quis? priora omitto, ſed qui tunc quoque, tamquam profeſſas inimicitias cum Cæſare gereret, libros Hiſtoriarum de rebus eius ſcriptos combuſſit. Non hoc erat dicere, *Indignus es de quo ſcripſerim? falſa cenſeo, quæ prædicauerim?* Tulit & hæc Cæſar: tantùm Pollioni ſemel dixit; Θηριοτροφεῖς, id eſt, *Serpentem nutris.* Et paranti excuſationem obſtitit, addiditque, *Fruere mi Pollio, fruere.* Cùm hæc lego & examino, dicam Romani tunc ſeruiſſe? Aut ſi; addam quod publicè in theatro acclamatum, *O Dominum æquum & bonum!*

XVII. Nimirum confirmatus in hac patientiâ animus iam erat, & contra concuſſionem omnem ſtabilis. quod etiam Tiberio oſtendit, conquerenti ſuper eâ iuueniliter, & extimulanti. Reſcripſit enim in hæc verba: *Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari, quemquam eſſe, qui de me malè loquatur.* SATIS EST ENIM *ſi hoc habemus, ne quis nobis malè facere poſſit.*

XVIII. Et hauſit ab eo TIBERIVS. qui aduerſus talia firmus, ſubinde iactabat, *In ciuitate liberâ liberas linguas eſſe debere.* Idem in Senatu, cognitionem ſuper iis flagitante: *Non tantum habemus otij P. C vt implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc feneſtram aperueritis, nihil aliud agi ſinetis: omnium inimicitiæ, hoc prætextu, ad vos deferentur.* O pulchra, ô aduertenda! etſi ipſe non tenuit, & poſteà ſe mutauit.

XIX. Vnum propioris æui exemplum etiam, & finio. FRIDERICVS Imp. conuiciis petitus, & ab amicis ad vindictam excitatus: *Minimè*, inquit. *an neſcitis Principes, quaſi ſcopum, expoſitos ad has ſagittas?* Ita eſt. alta liuor & calumnia petent: petent, ſed non tangent, vbi animus quidem eſt altus.

CAPVT XVIII.

DE MAGNITVDINE ANIMI.

Famam & immortalitatem Principi propoſita, & expetenda eſſe.

HOc enim nunc appello Magnitudinem animi, alta & honeſta proponere, & nunc, ac magis olim, in famâ bonâ ac gloriâ eſſe. Vt ſol in aurorâ tenuior, aſſurgit & inclareſcit; ſic ex virtute & meritis fama cum æuo ipſo augetur & creſcit. Hoc velim equidem amare Principem, & vt trahat illum ——— *fax mentis honeſtæ Gloria*, vt poëta ait. Quid enim aliud in externis? Τὸ μὲν ἀργύριον, ait Polybius, ἐστὶ κοινόν τι πάντων ἀνθρώπων κτῆμα. τὸ δὲ καλόν, καὶ

A τὸ ἐπ' αὐτῷ ἔπαινον καὶ τιμὴν ἀκόλουθον, θεῶν καὶ τῶν ἔγγιστα τούτοις πεφυκότων ἀνδρῶν ἐστί: *Argentum quidem & pecunia eſt communis omnium hominum poſſeſſio; at honeſtum, & ex eo laus & gloria, Deorum eſt, aut eorum qui a Diis proximi cenſentur.* Dictum egregium. alia aliis communia, & adipiſcenda: at bona & magna fama magnis conuenit, & quos Deus vicem ſuam fungi voluit in terris. Velleius de *Pompeio Magno*: *Quo viro nemo alia omnia minus, aut gloriam magis concupiuit.* Egregiè. illuc euodum eſt, ad honeſtam ambitionem & nomen: quod non plebeiæ voces, ſed ſeria Annalium teſtimonio celebrent & poſteritati commendent. Ita ad Virtutem (etſi per ſe appetendam) ducitur: *nec poteſt quidquam abiectum & humile cogitare, qui ſcit de ſe ſemper loquendum.* Studia hoc donant, & rerum memoria: Princeps foueat, ſed cum Mamertinus, Panegyr. ad Iulianum.
B modo & iudicio, vt nec paſſim eò vocet, nec argumentum ſe cuicumque illo velit. Auguſtum videat, qui *ingenia ſæculi ſui* (ait Tranquillus) *omnibus modis fouit: componi tamen aliquid de ſe, niſi & ſeriò, & à præſtantiſſimis, offendebatur.* Seriò, non per ludos & mimos: à præſtantiſſimis, non ab ingeniis paſſiuis aut plebeis, ſed quæ Genium aliquem æternitatis à ſe haberent. Hanc laudis cupidinem ſummi viri prætulerunt; vt

THEMISTOCLES. qui in adoleſcentiâ ſolutus, & aliarum rerum, poſt *Miltiadæ* de Perſis victoriam, honeſtâ æmulatione percoſſus, depoſitis nugis ſeria agitare cœpit, & totas noctes inſomnis agitare. Rogatus cauſſam, reddidit: *Miltiadæ ſe trophæa è ſomno excitare.* I.

C IDEM in theatrum ingreſſus, cùm rogaretur, *Cuius vocem libentiſſimè audiret?* aliò retulit, & *Eius*, inquit, *à quo laudes meæ optimè celebrabuntur.* Numquid diſſimulauit? profeſſus eſt gloriæ cupidinem, & eius aliqua mercede inductum ſe res geſſiſſe. II.

IDEM tertiò, in conuentu celebri Græciæ, ludis Olympicis, cùm plerique ſpectaculis omiſſis oculos in illum verterent, eumque mirabundi & fauentes exteris etiam oſtenderent: dixit alacer animi & lætus, *Illo die ſe laborum, quos pro Græciâ tuliſſet, fructum maximum cepiſſe.* Ad rigidam Sapientiam ſi examino, non ſapientiſſimè. quid enim adiectum eſt? vox modò & laudatiuncula: ſed virtuti aliqua oblectatio, cùm & gratos iſtos videt, & poſteros ſperat. III.

D At ALEXANDER hîc vel nimius. qui patrem creſcere & inclareſcere, interpretabatur ſe minui & obſcurari. Cùmque nuncij identidem venirent, huius illiúſque victoriæ: inter æquales ingemiſcens, *Hem!* inquit, *quid tandem pater nobis vincendum relicturus eſt?* Mirus vehemenſque affectus, qui vel innatam pietatem vicit. IV.

Et quid quæreris ô ALEXANDER? ecce Aſiam, & Africam, & reliqua Europæ, tibi palæſtram. Sed nimiam ambitionem iure dixerim, cui & orbis fuit anguſtus. Nam diſſerente *Anaxarcho*, plures eſſe mundos: ſuſpiraſti, & *Me miſerum! qui nec vnum ſubieci*, ſubieciſti. V.

An non ſimile alterius *Alexandri*, imò maioris, E id eſt IVLII CÆSARIS? qui in Hiſpaniæ *Gades* cùm veniſſet, ibique imaginem *Alexandri* illius vidiſſet, diu intuitus in vocem & gemitum erupit: *Heu, nihil etiam memorabile à me geſtum in ætate, quâ iſte orbem terræ vicit!* Non geſtum, ſed gerendum: acquieſce. affatim Deus & fata materiem gloriæ tuæ dabunt. VI.

IDEM in Alpibus, cùm iter illac faceret, & comites ruſtica tuguria, & pauperes illos cœtus, riderent: *Atqui malim hic primus eſſe*, inquit, *quàm Romæ ſecundus.* Quid hæc vox, niſi tuba & claſ- VII.

ſicum

ſicum belli ciuilis eſt? nolo ſecundus eſſe, vapula libertas.

VIII. Sed magis honeſtiuſque ſe affectus hîc prodit, cùm poſteros, & monumenia iis futura, cogitat. vt in PERICLE: qui in concionem ab iratis Athenienſibus vocatus, quòd tantam vim pecuniæ in opera & ornatum vrbis contuliſſet: ille placidè, *An ergo, ô ciues, panitet? conditionem fero, meum nomen iis inſcribatur, & priuatim mihi feram expenſa.* Reclamarum à totâ concione: hortatique vltrò ſunt, *Cum bonis diis pergeret, nec impendiis tali fine abſtineret.* Ecce in toto populo honeſtum ambitum, & certamen à nullo, in gloriâ ad poſteros, vinci.

IX. TRAIANVS hoc quoque, *Optimus* ſuo iure Imperator, quæſiuit: & paſſim noua ac vetera opera cùm faceret, aut reficeret; nomen ſuum etiam minimis inſcripſit, adeò vt quidam ſubſannantes *Herbam parietariam* eum appellarent.

X. Sed fidelior in libris ſcriptiſque memoria: & ALEXANDER iam dictus ſciuit. Is *Calliſthenem* ab Ariſtotele acceptum, eloquentiâ & ſapientiâ clarum, ſecum circumduxit, rerum ſcriptorem, & famæ propagatorem. Sed heu! præproperâ irâ vitam abſtulit, à quo æternitatem ſperabat.

XI. IDEM Ariſtotelem quàm fouit hoc fine, & produxit? feliciùs. nam ille nomen eius ſecum perenne fecit, in operibus quæ exſtant. Sed non ſine præmio. & in vnam *Hiſtoriam Animalium* ſcribendam, certum eſt Alexandrum contuliſſe *octingenta talenta*, noſtræ pecuniæ *quadringenta & octoginta millia Philippicorum*. Quid dicitis hodierni Principes? compello excitandos?

XII. IDEM eiuſdem ardoris ſcintillas iudicio iecit, in vate *Homero*. Et cùm ad tumulum Achillis in Sigæo conſtitiſſet, è pectore vocem emiſit: *O fortunate adoleſcens, qui praconem Homerũ reperiſti!* Certè, fatemor. tantũ enim neſcio an ipſe ſe, ſed tãtus ille fecit.

XIII. Ab eodem iudicio IDEM, in accurſu tabellarij cuiuſpiam res, vt videbatur, lætas ferentis: *Et quid*, inquit, *nuncias? an Homerum reuixiſſe?* Nec feriunt, aut capiunt, ſcio, hæc dicta vulgares animos: ſed altos mirificè: & quid ille, niſi ſummum votorũ, æſtimauit, Homerũ reuiuiſcere, idque in ſuas (huc ibat) laudes?

XIIII. Græciæ etiam colonus HIERO rex Syracuſanus, animum Græcanicum habuit, id eſt, vt eum Venuſino dicam, *laudis auarum*. Nam cùm poëta quidam *Archimelus*, epigrammate haud inſcito, ſed breui (octodecim modò verſuum fuit) nauim, quam ingentem fabricarat, celebraſſet: ille delectatus, & porrò prouocans, in aliâ naui *mille modios tritici* Athenas, donum poëtæ miſit; idque in ipſum Pyræi portum, omni ſuo ſumptu. Si quis inſtructam nauim, & ſocios nauales euntes redeunteſque, cogitet: mirabitur regiam planè liberalitatem.

XV. At nec Latini expertes huius ambitus, etiam ſæculo adhuc rudi. En P. SCIPIO *Africanus* poëtam *Ennium*, à quo res ſuas celebratas videbat gaudebatque, & viuum beniuolentiâ omni complexus eſt, & mortuum ſtare in effigie iuſſit in ſuo & *Corneliorum* monumento. Quid aliud, quàm dictum voluit? Per me in imagine viuat, cuius ſcriptis ego mortuus etiam viuo?

Nec degenerauit alter SCIPIO *Africanus*, qui (verba Velleij Paterculi) *tam elegans liberalium ſtudiorum, omniſque Doctrina, & admirator & fautor fuit, vt Polybium Panatiumque, pracellentes ingenio viros, domi militiaq; ſecum habuerit.* Macte Scipio! dignus tu comite Polybio, dignus ille te amico & patrono. XVI.

Iam POMPEIVS *Magnus*, apud ſe habuit *Theophanem Mitylenaum*: quem Græcum & exterum, in concione militum, ciuitate donauit. Quâ cauſsâ & titulo? ſcriptorem rerum ſuarum. XVII.

Sed in vnum benignus *Pompeius*, in totum genus IVLIVS *Caſar*. qui rerum iam potens, *omnes liberalium artium doctores*, qui Romæ eſſent, ciuitate donauit. Quæ hæc liberalitas? inquies, nihil à ſe dedit. Dedit à publico: nec maior aut optabilior tunc bonos extero, quàm ciuem dici. XVIII.

AVGVSTVS autem mirificè in hos propenſus, quod tot ſcriptores aut vates dicent, ab eo producti & alleuati. Ambitio autem ab iis viciſſim attolli, vel ex epiſtolæ eius his verbis ad *Horatium* poëtam (quem hodie legimus) ſatis elucet: *Iraſci*, inquit, *tibi me ſcito, quòd non in pleriſque eiuſmodi ſcriptis mecum potiſſimùm loquaris. An vereris, ne apud poſteros infame tibi ſit, quòd videaris familiaris nobis eſſe?* Atque hoc velut conuicio expreſſit Eclogam, cuius initium: XIX.

Cùm tot ſuſtineas, & tanta negotia, ſolus:

Sed quod operę talis pretiũ? ſerui, ſupellex, fundi toti.

Sed & VESPASIANVS, etſi cetera parcus, ingenia arteſque fouit vel maximè. & primus è fiſco (ait Suetonius) *Latinis Græciſque Rhetoribus annua* * *centena conſtituit.* Idem *Saleio Baſſo*, eximio poëtæ, vnâ donatione * *quingenta* donauit: id eſt, cenſum tunc equeſtrem. XX.

* Octo millia & quingentos Philippicos.

* Duodecim millia Philipp. circiter & quingentos.

ANTONINVS *Pius* diffudit etiam liberalitatem *Veſpaſiani*, nec Romæ tãtùm, ſed *per omnes prouincias, Rhetoribus & Philoſophis*, honores ac ſalaria detulit. XXI.

Quibus ALEXANDER *Seuerus* addidit, *Grammaticos, Medicos, Mathematicos.* XXII.

Magna in omnes liberalitas, & ſic perpetua: ſed illa in vnum ſtupenda. ANTONINVS *Caracalla*, cetera haud laudabilis, delectatus elegantiâ carminum *Oppiani*, quæ illi inſcripta legimus, in ſingulos verſus *ſingulos aureos* iuſſit tependi: id eſt, *noſtrates duos.* & verſus numera, ſtupebis. XXIII.

DIOCLETIANVM addam? is *Eumenio* Rhetori * *ſexcenta* annua aſſignauit, in ſcholâ Auguſtodunenſi doctori. Credimúſne? refrãgatur, & reſcribũt ignorantiæ pro iudiciis & animis, addam etiã, opibus hodiernis. XXIIII.

Sed conuenio vos, PRINCIPES, voce Anaxagoræ, qui ſenex & æger decumbebat; nunciatúmque Pericli, ex eius diſciplinâ. Is accurrit, & ſolatus eſt, & precatus ne ſic deſereret: ſed ibi opportunè Anaxagoras: *At enim, ô Pericle, quibus opus eſt lucernâ, oleum infundunt.* XXV.

Infundite bonis meritiſque. & cum LEONE Græcanico Imperatore Eunuchum non audite dicentem, *Has in milites debere abſumi.* Cui ille repoſuit: *Vtinam meis temporibus eueniat, ſtipendia militum in doctores artium abſumi!* Vtinam, vtinam! ſed meis non fiet: & inſcitiæ caligo aut tenebræ (falſus ſim!) imminent Europæ. XXVI.

APPROBATIO.

HAS I. LIPSI lucubrationes vt egregiè frugiferas fore confido, ita prælo digniſſimas cenſeo, quòd ea quæ Principibus ac politicis viris apprimè conueniant, non modò legenda, verumetiam velut in tabula, non ſine voluptate, ſpectanda, exhibeant.

Guilielmus Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus ac Archiducalis librorum cenſor.

LEGES

LEGES REGIÆ
ET
LEGES X. VIRALES,

I. Lipsi operâ ſtudioſè collectæ.

DE REGIIS LEGIBVS,
ET QVI REGES QVAS TVLERINT.

IVS omne Publicum aut Priuatum eſt. Publicum, Diuinum, aut Humanum. Diuinum, quod ad ſacra & ſacerdotes pertinet: Humanum, quod ad magiſtratus & publicam adminiſtrationem. Ex his Romulus rex [illegible] ſumme [illegible]: Numa, Diuinum conſtituit. Et publico quid in iure pauca aut re[illegible] ceteri aut x viri addiderunt. Super erat Priuatum: quod in Naturale, [illegible]entium, & Ciuile tribuitur. Natur[illegible] ius Romuli fere leges præſcribunt: [illegible] Gentium addidit. Romulus de educatione liberum, de matrimoniis, de parentum iniuria ſanxit: Numa, de homicidis, de bonæ fidei contractibus, de ſepultura, quædam tulit. Iuris [illegible] pr[illegible] auctor Seruius Tullius, qui auctore [illegible] de Contractibus & Iniuriis quinquaginta[illegible] ro[illegible] de fœnore, de nexis ære alieno, & alia, quæ compluria in ſuas [illegible] x [illegible] tranſtulerunt. Non aliena ab hac origine iuris Ariſtotelis diuiſio eſt Iuſtitiæ [illegible] in διανεμητικὴν ſiue Diſtributiuam, & ἀλλακτικὴν ſiue Commutatiuam. Priorem illam iuſtitiam Romulus maximè, & ex parte Numa: poſteriorem ceteri ſpectarunt. [illegible] leges, quarum verba ipſa perierunt, ſententiæ ex antiquis, præcipue Dionyſio, co[illegible] [illegible] concipi poſſunt.

I. D[illegible] [illegible] colunto: externas ſuperſtitiones aut [illegible] admittunto.

II. N[illegible]d inauſpicato publicè gerunto.

[illegible] ma [illegible], peruigiliaque amouentor.

R[illegible] m[illegible] ſtos eſtu. iudicia [illegible] imperium hab[illegible].

[illegible] ſacerdotia & magiſtratus capiunto: ple[illegible]

Po[illegible] a [illegible]: magiſtratus creanto: leges [illegible]nto, pacem bellumque iubento.

[illegible] ncta e[illegible] manantor.

Vxor [illegible] auore [illegible] uncta in ſacra & bona [illegible] deuortend ne eſto.

[illegible] ſtuprum con[illegible] aliud [illegible] quid peccaſſit, maritus [illegible] & vindex eſto: deque eo cum cognatis [illegible].

[illegible] tu[illegible] her ne bibito.

Qu[illegible] pa[illegible] entes tollunto: monſtroſos [illegible] partu[illegible] e fraude exponi fas eſto.

[illegible] e[illegible] ſuprema patrum auctoritas eſto: ve[illegible] de[illegible] elicito.

Verba ipſa legum.

SEI PA[illegible] FILIVM TER V[illegible]NVM [illegible]T, FI[illegible]VS A PATR[illegible] LIB[illegible]R ESTO.

SEI PV[illegible]R PARENTEIS V[illegible]RBER[illegible]T, [illegible] O[illegible] PI[illegible]RASSIN[illegible], P[illegible]ER DI[illegible] R [illegible] SA ER EST[illegible], SEI [illegible] ACRA DIVEIS PAREN[illegible]M [illegible].

PAT[illegible] NV[illegible] [illegible] FRAVDEM FAXIT, [illegible] ACER ESTO.

DVVMVIRI PERDVEL[illegible]IONEM I[illegible]DICENT: S[illegible] A DVVMVIRI[illegible] PR[illegible]VOCARIT, PR[illegible]VOCATIONE CERTATO. SI [illegible]INCENT, CAP[illegible]T OBNVBITO, ARBORI INFELICI [illegible] VSPENDI[illegible]. VERBERATO V[illegible] INTRA POMOERIVM, VEL EXTRA POMOE[illegible]M. I.

Numæ Pompilij leges

Numa, ait Dionyſius, Romuli leges firmauit, nouas ipſe de ritibus & miniſtris ſacrorum adiunxit. [illegible], Flamines, Augures, Veſtales [illegible]. [illegible] inſtituit. Legum aliquot verba hæc reperiuntur.

DI[illegible] EX[illegible] IMVTAT[illegible] V[illegible]ENE [illegible]BAN[illegible]O. I.

VINO R[illegible]GVM NE R[illegible]. II.

PISC[illegible] QV[illegible] I[illegible] S[illegible]AMOSI N[illegible] N[illegible]VNT NEI PO[illegible]LVCTO. SQVAMOS[illegible] OMN[illegible]S PRÆTER [illegible]ARVM POLLVCET[illegible]. III.

QVOIVS AVSPI[illegible]IO, [illegible]A[illegible]E PROCINCTA, OPEIM[illegible] [illegible]LIA CAPIVNTVR, IOVI F[illegible]R[illegible] BOVEM CÆD[illegible]T[illegible]. QVEI CEPIT, ÆRIS DVC[illegible]NTA DARI[illegible]R [illegible]P[illegible]RTET[illegible]. IIII.

SE[illegible]VNDA [illegible]IA [illegible] N[illegible] M[illegible] ARAM IN CAMPO [illegible]ITAVRILIA VTRA V[illegible]VERIT [illegible]ÆDIT[illegible].

TERTIA [illegible] IAN[illegible] [illegible]IR[illegible] A[illegible]NVM MARIS [illegible]A[illegible]IT[illegible], [illegible]

QVI CEPERIT E R TO.

V. QVI TERMINVM EXARASSIT, IPSVS ET BOVES SACREI SVNTO.

VI. SI QVIS HOMINEM LIBEROM DOLO SCIENS MORTI DVIT, PARICID ESTO. SI IMPRVDENS, TVM IN CONCIONE PRO CAPITE OCCISI ET NATIS EIVS ARIETEM OFFERTO.

VII. PELLEX ARAM IVNONIS NE TAGITO. SI TAGIT, IVNONI CRINIBVS DEMISSIS AGNVM FÆMINAM CÆDITO.

VIII. SEI HOMINEM FVLMIN IOVIS OC IT, NE SVPRA GENVA TOLLITO.

HOMO SI FVLMINE OCCISVS E I IVSTA NVLLA FIERI OPOR TO.

Senſa legum iſta.

IX. Deis fruge & mola ſa l. upplicanto.

X. In contractibus fides ſeruator. Fidei numen omnes metuunto.

XI. Si filius familias vxorem duxit, patri vendundi eius ne vltrà ius eſto.

XII. Mulieré, ſi praegnas mortua fuat, niſi exciſo partu, ne humato: qui ſecus faxit, quaſi ſpem animantis peremerit, ita eſto.

Tulli Hoſtilij.

I. Nati trigemini, donicum puberes eſſint, de publico aluntor.

De x virorum Legibus, quando & quomodo ſcriptae.

Regiae leges partim ſcriptae partim inſcriptae aduſque Tarquinij Superbi tempora valuerunt. Primus ille & Seruij leges omnes abrogauit, & priorum Regum pleraſque conſcidit, ad vim omnia referens & libidinem dominandi. Tarquinio vero pulſo, a Bruto & Valerio Coss. *renouatas iterum Seruianas aliáſque leges Dionyſius adfirmat. Quaſdam & ipſi* Coss. *& poſtea Tribuni addiderunt tuendae libertatis, vt ſunt Valeriae, Sacratae, Iciliae leges. Sed haec omnes ius publicum ſpectabant & priuato iuri nulla facta acceſſio ante leges x. virales. A.* V. C. CCXCII. *promulgata a Tribunis lex Terentia eſt de Quinqueuiris, vt Liuius, vel Decemuiris, vt Dionyſius, Legum ſcrib. creandis. Eaque lex plebi volenti fuit. Nam ad id tempus l eo regum* Coss. *ius dicebant: Conſules autem ex patribus erant. Itaque in diſ cenſa ordinum, cum Patres occaſione iuris praecipue uterentur ad premendam plebem. nec plebeio contra patricium ius vllum aequum eſſet omnibus concionibus ta ata & flagitata lex Terentia eſt. Reſtitère tamen, ſeptem annos ipſos, patres. Fracti demum conceſſère, miſſique le ati in acta ad Solonis inclitas leges alias umque ciuitatum inſtituta moreſque noſcendos, addit Dionyſius etiam in Graecanicas Italiae ciuitates. Biennium plusminus legati abfuerunt. Reuerſi ſunt* A. V. CCCI. *Statimque plebs peruicit vt ſcribendarum legum initium fieret pat s tenuerunt vt x. viri e patriciis tantum crearentur. Creati Ap. Claudius. T. Genutius, P. Sextius, p. Veturius, C. Iulius, A. Manlius, Ser. Sulpitius, P. Curiatius, T. Romulius, Sp. Poſtumius, omnes conſulares. Iterum magiſtratum ſine prouocatione* A. V. CC II. *ſineque anni propoſitae decem tabulae. Duae reliquae ſequenti anno additae. In Graecis inte pretandis vſi operâ ſunt Hermodori Epheſij philoſophi. Tabulas vocare placuit exemplo Athenienſium qui Solonis le es dixerunt Ἄξονας. tabulis ligneis inciſas. quamuis iſtas aereas fuiſſe conſtet diſſentiente Pomponio. elatae ſunt comitiis centuriatis, fixae in foro ad Curiam Hoſtiliam. manſeruntque, quamuis poſt varia incendia vrbis vltra ſeptimij Seueri Imp. tempora. De diuiſione tabularum ex ſra me. tis difficile iudi ium eſt. Modo tamen & ordine ſcriptas fuiſſe non e dubium. Leges giae & Solonis decem primas tabulas impleſſe videntur. duae poſtremae de Sacris fuerunt ea que a is petitas*

Seruius eſt tegiae tabula a Feſto citantur ex Romuli a Dionyſio in quartâ ponitur. Fragmenta haec ſunt.

IVSSVS POPVLI ET SVFFRAGI QVODCVMQVE POSTREMVM POPVL ID IVS RATVMQVE ESTO

PRIVILEGIA NE IRROGANTO.

DE CAPITE IVI NI PER MAXI MITIATVM NE FERVNT.

FOR I SANA V IDEM IV ESTO

Qui hoſtem con au rit, quive ciuem didérit quive coetus nocturnos agitauerit tal eſto.

Sodalitates & collegia ſunto: aſt e in publ leges commoda-e pe an:

QVI FR LANT T CE RI E TO.

QVI FRVGEM ATRO QVAESITAM PAVI SE VIT VE, PVBES C RE CRATOR: IM PVBES PRAETORI A BIT VTV VERBERATOR, NOXAMVE DVPLIONEMVE PRAESTATO.

Si in alieno p cus pauei t actio eſto.

Qui iniuria arbores alienas ciderit, in ſingulas xxv. aeris luito.

Arboris impendentis ramos v. pedes terra circumcidere iu eſto.

PATERFAMILIAS VTI GASSIT SV R PECVNIA TVT LAVE SVAE , IT I TO.

SI INTES TVS MORITVR C V HERES NEC ES IT, AGNATVS P O IMVS FAMIL HABETO. SI AGNATVS N TILES FAMIL AM HER ISCVNTO.

SI FVRI V SSE , A ATORVM GEN I IVMQVE IN EO PE VNIAQVE EIVS POTESTAS ESTO.

HOMINEM MORTVVM IN VRBE N S P L TO NEV ITO.

HOC P VS NE FACITO ROGVM ASCIA N POLITO.

MVLIERES GENAS NE RAD NTO, NEVE LESSVM FVNERIS ERGO HABENTO.

HOMINI MORTVO NE OS A LEGIT, POST FVNVS FACIAS NI I BEI MORTVO.

QVI CORONAM PARI , I CVNIAVE EIVS, VIR AVSA ARDVITOR.

NEVE AVRVM ADDITO.

QVOI AVRO D NT S V CTI ESVNT AST IM CVM OLLO EPELIRE ET VRER E FRAVDE ESTO.

Seruilis vnctura tol itor, omniſque circu potatio.

Rogum buſtumve nouum, propius LX. pedes alienas aedes ne adiicito.

For buſt mve ne vſucapito

SI IN IVS VO ET AT E AT.

SI ORBVS EVITASVE VITIVM ESCIT QVI IN IVS VOCASSIT, IVMENTVM DATO. SI VOLET AR ERAM, NE STERNITO.

SI D HORVM FVIT VITIVM IVDI I, ARBITROVE, R OVE, DIE DI IE VS IS D.

SI VIS VOCATIONI T A ESTAMINI IGITVR EM ITO.

SI ALVITV PEDEMVE STR IT, MANVM ENDOIACITO.

SIQVI IN IVRE MANVM CONSERVNT VTRI VE SVPE ITIBVS P AESENTIBVS VINDICIAS SVMVNTO.

SI VINDICIAM FA SAM TVLIT, REI SIVE

LITIS

... RGOS TR... TO ... M ARBI... CTVS O... NE D... DECIDI...

...M VBEI PAI...T, ORANTO. NEI P... ...T, ANTE MERIDIEM IN FORO AVT IN COMITIO CAVSAM CONIICIVNTO. POST MERIDIEM ... EMBOBVS LITEM ADDICI... ... PR... TEMPESTAS ...

... IBVSQVE IVRE IVDICA... SVNTO · PO TID A... ... DVCITO: ... AVT ... PS ENDO ... CV... DV...ITO, VIN... ... COMPEDIBVS QVIN... ...ORE, AVT SI V... MAIORE VINC... VOLET, VO VI... ...VO ... QVI EM VINCTVM HA... ... IBI A FARRIS ... DIES DATO: SI ... LVS D... T...

...IS NVM... PARTES SECANTO: SI ... ...VERINT, SE FRAVDI ESTO. ... DEX A... IOVVS ... O: ... VOLET VINDEX ESTO.

... IRIT TESTA... ER ... BRIPENSVE ... NI TE TIMONIVM ... ARIA... VR ... IM... ...TE... ABI... ST...

... IMONIVM DE... ... TERTII ... ... P... TV... VM ... ...ium dixerit, saxo Tarpei...

... ...ve ...rem iudicandam, pec...iam

B

accepei...

Si ...esto.

QVI INIVRIAM ... AERI ... VNTO.

SI Q... CARMEN OCCENTASSIT, ACTITASSIT, ... NDIOIS IT, QVOD ... FERI FLAGITIVM FAXIT, CAPITAL ESTO. XLII.

SI MEMBRVM RVPSIT, NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO. XLIII.

SI NOX FVRTVM FAXIT, ET IM ALIQVIS OCCISIT, IVRE CAESVS ESTO. XLIV.

Interdiu ... defenderit, iure caeſus eſto. XLV.

SI ... RAT FVRTO QVOD NE MANIFESTVM ... T, ... NEM LVITO. XLVI.

Fur... per lancem licíumque concepta, quaſi manifeſta ...ndicantor. XLVII.

De ...rto paciſ... liceto. XLVIII.

TIGNVM IVNCTVM AEDIBVS, VINEAEQVE ... ON ... NE SOLVITO. XLIX.

FVRTIVAE REI AETERNA AVCTORITAS ESTO. L.

... AVCT... NDI ... VM ESTO. LI.

ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS ESTO. LII.

QVI NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ITA IVS ESTO. LIII.

Vindiciae ſecundùm libertatem dantor. LIV.

N... uis ... ario foenore plus exerceto. LV.

Pat... cij ...m pl... beiis c... nubia ne iunguntο. LVI.

Via in porrectum ... P. ... anfractum XVI. P. LVII.

C lata eſto.

In finibus intra ... pede... ucapio ne eſto. LVIII.

APPROBATIO

... legibus nihil eſt quod Religionem Catholicam offendat: quod atteſtor

VValterus Vander Steeghen S. Theol. Licentiatus Eccleſiæ Antuerpienſis Canonicus.

IVSTI LIPSI
DISSERTATIVNCVLA
APVD PRINCIPES:
item
C. PLINI PANEGYRICVS
LIBER TRAIANO DICTVS,

Cum eiuſdem LIPSI perpetuo
COMMENTARIO.

SER^MIS POTENTISSIMISQVE
PRINCIPIBVS
ALBERTO MAXIMILIANI II.
IMP. FILIO, FERDINANDI NEPOTI, RVDOLFI II. FRATRI:

ET

ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ,
PHILIPPI II. CATHOLICI REGIS FILIÆ, CAROLI V. IMP. ET REGIS NEPTI, PHILIPPI III. REGIS SORORI, INFANTI HISPANIARVM

ARCHIDVCIBVS AVSTRIÆ,
DVCIBVS BVRGVNDIÆ, PRINCIPIBVS DYNASTISQVE BELGARVM:

IVSTVS LIPSIVS
SESE ATQVE ISTA
CVM ÆTERNA FIDE, CVLTV, OBSEQVIO, DEDICAT CONSECRATQVE.

NAM venit ad vos, PRINCIPES, *Diſſertatiuncula* mea, an & veſtram dicam? Vos iuſsiſtis, vos iuuiſtis: nec niſi Genio illo Principum adſpirante, vel tria verba hiſcere potuiſſem, in tam clarâ luce ſubitò deprehenſus. Et à me quidem, res parua eſt: ſplendorem tamen à vobis habet: & (fas ſit dicere) vos ab eâ aliquem. vt dimanet ad exteros aut poſteros ſingularis hic veſter in optimas artes vel amor, vel honor: dimanet inquã, in laudẽ veſtram, in aliorũ exemplum. Quo ſolo fine & cauſsâ fateor me edidiſſe. Nam me & famam meam ſi ſpectem, quid accedit? imò decedat fortaſſe. ſed vt miles, qui in acie pro Principe ſuo honeſta vulnera accepit, adeò non celat ea, vt etiam reuelet ac iactet: ſic mihi viſum, glorioſam hanc ignominiã ſubire, quæ ſeruiat nomini veſtro. Atquin aliud etiam viſum addere, quod non excuſo: *Pliny*, inquam, *Panegyricum*, quem Traiano optimo Principi optimum laudatiſsimúmque ſcripſit. Nec id quidem magnum opus. tamen vt in

exiguam ſæpe tabulam orbis & regionum magnitudo aut varietas includitur: ſic in hunc libellum, quidquid ad munus aut decus veri Principatus. Laudat ſuum Traianum, non monet, fateor: ſed hoc quoque decorum apud Principes, vt ſub blando eo titulo, & boni quæ faciunt, recognoſcant; & alij, quæ facere deberent, cognoſcant. Quid, quòd Traiano dictus dicatúſque eſt, Hiſpano Principi, & qui primus florentis imperij ſceptrum tranſtulit ad externam & ſuam gentem? Et eius gentis tu maternâ origine, ALBERTE, & longâ etiam inhabitatione es; tu ISABELLA, ortu & ſtirpe. Accipite ergo, PRINCIPES, & munuſculum hoc, & munus: quorum illud felicium Auſpiciorum veſtrorum memoriæ aliquid faciat; iſtud, Principatus optimi (talem ab optimis ſperamus) exemplo. Louanij, prid. Idus Aprilis, anno Chriſtiano ∞.Iↄc.

AD LECTOREM.

HABES duplex hic ſcriptum, Lector: etſi, vt rem dicam, neutrum propriè tibi ſcriptum. Nam illud prius ſubita benignitas Principum elicuit: cùm Athenæum noſtrum inopinatò viſentes, me quoque dicere aliquid ſubitarium voluiſſent, ſiue iuſſiſſent. Factum, dixi. edo, leuia & breuia: id eſt, illa ipſa quæ dixi. Nam augere & polire, exemplo veterum, atque adeò Tullij & Plinij, poteram: ſed in re quæ ad Principes, veritatem amaui, & quidquid hoc fuit, damus ſine colore aut fuco. Nec tibi tamen, vt aiebam, propriè damus. ſed vt qui ſagittam mittit, ſcopum intuetur, non circumſtantes: ſic mihi nunc Principes in oculis, non ſiquis alius forte leges. Lege tamen me optante, & hoc ſaltem diſce, magna quædam exempla cadere etiam in hoc æuum. An aliud illuſtrius, quàm fœminam (ALBERTVM enim nunc omitto) fœminam inquam, inter Principes principem, veniſſe vltrò ad has litterarias recitationes, ſediſſe, audiſſe? Fecit. quid niſi heroinam illam ISABELLAM, atauiam ſuam, imitata? quæ adeò omnium rerum honeſtarum, tum etiam artium amore flagrauit, vt iam nupta & grandior Latinas litteras didicerit, cum intellegendi illo fine & fructu. O eat in ſæcula illud & hoc exemplum, & vnà cum bonâ famâ, Principes ament Famæ & Aeternitatis iſtas artes! Sed alterum etiam ſcriptum non ex deſtinatione tibi damus. Priori illi in hac occaſione ſubiunximus, & aptum putauimus Principibus in viâ regiâ & rectâ dirigendis. Vetus eſt, non nego. ſed non vt aromata vim ſuam æuo exſpirant; ſic monita iſta ſalubria & doctrinæ. imò contrà, auctoritatem & fidem ab ætate ſumunt. Ac meo voto, priſca illa, & vſu felicia ac glorioſa, reuocentur: præ nouitiis quibuſdam, obliquis, callidis, & quæ ſpeciem magis prudentiæ quàm ipſam habent. Meliùs profectò æquabiliusq́; regantur res humanæ. Sed non huc eo. tibi ſi non laudatam, excuſatam operam meam, Lector, volui: quam nulla ambitio, ſed ſola pietas in Principes expreſſit. Louanij, prid. Idus Apriles anni ∞ . IƆ.C.

IVSTI LIPSI
DISSERTATIVNCVLA
apud
SERENISSIMOS
ALBERTVM
ET
ISABELLAM
BELGARVM PRINCIPES

EXTEMPORANEA:

Poſtridie diei Auſpicalis, qui fuit ſeptimus Kal. Decembrium,

anni CIↃ. IↃ. XCIX.

SERENISSIMI
ET
POTENTISSIMI
PRINCIPES,

E[illegible] m[illegible] vestra [illegible] apparuit, [illegible] aliquid [illegible] & delectat Sicut [illegible] [illegible] [illegible], & [illegible] Solis, vt [illegible], & [illegible], habetem [illegible] gn[illegible] [illegible], & [illegible] promptitudo [illegible]. [illegible] sicut [illegible] sol ex[illegible] mox & [illegible], & [illegible] videat vigorem [illegible] intentio ab asp[illegible] offundi, [illegible] tenebras, [illegible]. Itaque [illegible] hos [illegible] vestra [illegible] ex tempore pauca dicere: [illegible], [illegible] ta, quia subita & ex tempore. [illegible] a mo[illegible] *Arnsum* [illegible] [illegible] minus ſumam, & pa[illegible] a [illegible] & tempore hoc non alien[illegible] bona venia vestra P[illegible] bona gratia vestra [illegible] A[illegible], [illegible] Clementia cap. III.

[illegible]us d[illegible] Princip[illegible] ab[illegible] [illegible] um [illegible] : unus cura excubare pro ſalute ſ[illegible] um at[illegible]um [illegible]. Quo procederet, non tanquam ma[illegible] [illegible] pro [illegible] ffugiunt ſed tanquam a[illegible] cla[illegible] [illegible] aduolar[illegible], o[illegible]cere ſe pro [illegible] lo mucron[illegible] [illegible] [illegible] corpora ſua, ſi per [illegible] iter ad ſa[illegible] ſter[illegible].

Pauca verba, vt [illegible] ſed magn[illegible], & a [illegible] breuiter e[illegible]ducendæ. [illegible] *[illegible] Principi* [illegible] [illegible] ſuggerit. Si [illegible],

& parum firmæ ... conſiſtere cui ... ſimit domus, cui fundamentum non ... caduca eſt: ... Princeps, cui non iſta, quæ ... addit: *Quem omnes tam ſupra ſe eſſe.* Dignitas Principis tangitur & eminentia, quis autem eam neſcit? Ille eſt imago & exemplar ... in terris rerum moderator & arbiter, in cuius manu poſitæ opes, di... vita omnium noſtrûm. Sicut anima corpori præeſt, & animæ ... Princeps hâc populum regit, & eadem illa ratio ipſum. Tolle ... ac funus eſt hæc omnis multitudo; & vt Cyclops apud Homerum, amiſſo vnico oculo, huc illuc impingitur, & denique ruit ... moles populi, ſine lumine illo Principatus. Ergo *ſupra omnes* ... merito eſſe ſciunt, & fatentur. quid amplius? *Pro ſe eſſe.* O monitum eximium ô in duobus verbis incluſum finem, munuſque Principatuum! Non præeſſe ſolùm Princeps, ſed prodeſſe debet: ... ſibi tantùm ciues datos ... ſed ſe etiam ciuibus arbitrari. Sicut ſol ille (ne abeam ab hac imagine) non lucet modò, ſed fouet, veget..., animat: ſic verus ille populorum rector, in ſplendore ſuo commodat & iuuat. *Moderatori Reip.* (ait Cicero) *beata ciuium vita propoſita eſt, vt ea ſit opibus ampla, copiis locuples, virtute inſtructa.* Et Hadriani Principis ... illa vox eſt: *Ita ſe remp. geſturum, vt ſciret rem populi, non ſuam ...* Sed quomodo hoc faciet, & ... ? addit noſter: *Curam eius excubare pro ſalute etiam ſingulorum.* Itane excubare? & nec noctes vacuæ excepṫæque ſint? nec noctes. *Magna fortuna, magna ſeruitus eſt,* ait quiſpiam: & maximo cuique imperio maximam curam, atque adeo aſſiduam ineſſe, vos & animos veſtros, PRINCIP..., teſtor. Vt Palinurus ille in mari, non de die ſolùm gubernabat, ſed ipſa nocte

---c... neque ... & hærens
Nuſquam amittebat, oculoſque ſub aſtra tenebat:

... in Principe, cuius *curam excubare* Seneca volt pro ſalute etiam *ſingulorum.* Quid tu ais? ... *vniuerſorum.* Aio, inquit & vt pater aliquis in magna familia, ad ſingulos animum atque oculos adiicit, ita verus Princeps. Philippus Macedo, inter laudatos olim reges, admonitus huius muneris fuit à fæmina etiam ... quæ ipſum adiens, ... in aliquod ... tur, & ... *ſibi vacare.* ... *imperare.* ... : & ... ſed monitus à fæmina ... ab ipſo autem ſe Imp. RV... ille dico, primus auctor & fons magnitudinis veſtræ, a quo inclita gens AVSTRIACA per annos iam plus trecentos in hoc ... floret, & in omne (ita voueo) florebit. Is cum ... aliquot homines ad ... ad eum captarent, & ... hoc genus, ... animaduertit, ... *Per Deum*, inquit (ipſa Annalium verba ponam) *ſine homines ad me venire. Non ... in arculâ includar.* Voc... vocem ... vocem vere AVSTRIAM: & in qua hoc de ... Pergit noſter:

Quo procedente) Fructus eſt, qui Principes manet, ex hoc munere ſuo & curâ. Quis ille? duplex, Beneuolentiæ & Fidei, quam vtramque ſubditi præſtant. De illâ, *Quo procedente*, inquit, *non tamquam malum aut noxium animal*(tigris, lupus, ſerpens) *e cubili proſilierit, diffugiunt*: quod in Caligulâ, Nerone, Domitiano aliquo obſeruare licuit, qui nunquam è cubiculo,& ex illâ ſolitudine ſua in publicum prodibant, niſi vt ſolicitudinem, imò & ſolitudinem, facerent:ſed *tamquam ad clarum & beneficum ſidus certatim aduolant.*) Ita ſanè,aduolant, non accurrunt;certatim,non lentè aut timidè;viæ,domus,opida ſunt anguſta. Videtiſne ô noſtri PRINCIPES?tanquam ad clara & benefica duo ſidera concurrimus:tamquam ad gemellos illos Caſtores reſpicimus, in diuturnâ hâc Belgicâ tempeſtate.Illi conſpecti,nautas recreant,illi,cùm nauibus inſederunt,

----tumida æquora placant,
Collectáſque fugant nubes, Solemque reducunt:

ita vos,qui inſediſtis,& corpore preſsiſtis iam Belgicæ hanc nauim,è bellorum fluctibus, ex inſidiarum procellis, ſubducetis eam in portum.Atque hæc igitur Beneuolentia eſt.de Fide ſequitur:*obijcere ſe pro illo mucronibus parati.*) Quídni faciant?in vobis,vt dixi,viuimus: animam & ſpiritum hunc in animâ Principum ducimus:& meritò ergo pro iis obiecturi ea, imò proiecturi. Ego SER^mi PRINCIPES, publicâ Belgarum voce & ſenſu vtraque hæc offero:Beneuolentiam,inquam, & Fidem. & ſimul ſine iactantiâ addo, duas in nobis notas ſiue inſignia ab antiquo eſſe: Fortitudinem, ac Fidem. *Fortiſſimos Gallorum Belgas*,Iulius Cæſar iam olim dixit:de Fide, idem ille & Plutarchus, DEVOVERE Gallos (qui mos & Hiſpanis) corpora vitámque ſuam Principibus ſolere:id eſt,ita conſecrare,vt cum viuis viuerent,pro iis periclitarentur, morerentur, atque adeò cum iis.Nam ſupereſſe nefas erat. Magna fides,& neſcio an alibi gentium lecta vel audita.Sed iam deſino memor apud quos dicam; & quàm breues ſermones non ſolùm apud Deum ſæpe, ſed apud Principes ſemper,grati decorique ſint. Gratias tantùm ago, Athenæi huius & meo nomine, quos tam clarâ iſtâ luce perpetuum illuſtraſtis. In eo quoque imitati magnos illos Principes: vt Cn. Pompeium,qui è bello Mithridatico victor, Rhodum veniens ſingillatim omnium Profeſſorum ædes circumiuit,iniuit,& faſces illos laureatos priuatorum ianuis ſubmiſit. Quid Tiberius Imp^or in eadem vrbe?*circa ſcholas & auditoria profeſſorum*(Suetonij verba ſunt)*aſſiduus fuit.* Quid Claudius Imp^or?ille verò inopinatus ſæpe recitantibus interueniebat: quod vos SER^mi nunc feciſtis. Gratias igitur agimus, & voto eas claudimus: vt felicibus auſpiciis cœptum hoc imperium diuturnum ac ſtabile vobis, & ſtirpi veſtræ (ô Deus eam donet!)ſit,cum Dei ipſius,cum veſtrâ gloriâ, & publicâ Belgarum ſalute. DIXI.

C. PLINI SECVNDI
PANEGYRICVS
LIBER,
Quem
IMP. NERVÆ TRAIANO
OPTIMO PRINCIPI

ſcripſit ſiue dixit:

Et ad eum IVSTI LIPSI COMMENTARIVS P. P.

Digitized by Google

AD LECTOREM MEVM,

CVI SALVS.

H[illegible] tuum, [illegible]em me[illegible] Commen[illegible],
[illegible]am, & [illegible] La[illegible] au-
[illegible] nec minora [illegible] attingere,
[illegible] & [illegible] ingenii, præcipue h[illegible]c
[illegible] omnium unuſt, præcla-
[illegible], obſequi & audire. Ita-
[illegible] plero[illegible]que [illegible] tranſ[illegible]ſſe per h[illegible]c ſtudia [illegible],
[illegible] patos [illegible] iuuandos a nobis, præſertim in [illegible],
[illegible] ter [illegible] a.
quod p[illegible] & [illegible] nimis [illegible] probo, qu[illegible] in ſin-
[illegible] ſce [illegible]ſt,
[illegible] plura [illegible] quem [illegible]
[illegible], & ornatis [illegible] orationis tan[illegible] nam
[illegible] & Sc[illegible] a [illegible] qua didi[illegible] oport[illegible] at magis quam
[illegible] ne diſc[illegible], neq; Aquil[illegible], vt in prouerbio eſt, captat mu-
[illegible] a & [illegible] la dogm[illegible] a explic[illegible] dicet alius: & conue-
[illegible] Aulæ. cui ſcribis H[illegible]ud negauerim. iſt[illegible], [illegible]ud non ſuſcipio. quia etſi ta-
[illegible] rum [illegible] a & p[illegible] ima[illegible], tamen falcem meam nunc
[illegible] & [illegible] at[illegible] a unde meſſui[illegible] e arbitror in P[illegible] R[illegible] libris,
[illegible]. S[illegible] la in lo[illegible] & tempore agere, mihi ſenten[illegible] a & [illegible] atque
[illegible] ſtudii [illegible] um, P[illegible] anum textum di[illegible] lucere & reuelare, & [illegible] erbi
[illegible] eius lucem dare, nec vltrà. Si quis plura atque a[illegible] olet, ibit ad
[illegible] te & indu[illegible] ſtriæ ſtruere mo[illegible] operum [illegible] nt. Caſ[illegible] la hæc m[illegible] a eſt,
[illegible] aria & leui manu ad [illegible] ſum, non decus aut ſpeciem, ſtructa. [illegible] Ariſtopha-
[illegible] ad in cribo,

[illegible] τοῖς ἐμοῖς μὴ χαιρέτω.

Qu[illegible]s capitur illis talibus, his me[illegible] gaudeat.

[illegible] Lector, & Senecam noſtrum [illegible] ſi Deus pauxi[illegible] um etiam vita dat [illegible] ſpe
[illegible]. Lo[illegible], x[illegible]. Kal. Martias ∞.IↃC.

ARGVMENTVM, CAVSSA, TEMPVS HVIVS SCRIPTI.

ARGVMENTVM & materies eſt, *Laudatio* T[illegible] duplicem exſequitur, Publicæ vitæ & Priuatæ. [illegible] quodam temporum [illegible] peragit, orſus ab Adoptione [illegible] tium eius Conſulatum, in quo hæc dixit & ibi [illegible] Quid igitur moderate interea, liberaliter, benigne, [illegible] in publicum feciſſet, recenſet, diducit, ornat, ſæpe [illegible] & pæne poëtarum in morem: quem ſtilum in hoc [illegible] num genus vſquequaque non ſpernit. Pleraque [illegible] datio intra togam & pacem conſiſtit: quia bella nondum attigerat, & magni ducis ſigna magis, quàm res adhuc erat. In Priuatâ deinde vita, compoſitam domum eius, vxorem, & ſororem laudat: quod amicos colat, libertos [illegible], & quoſque habeat ſuo loco. Hæc breuiter & ſummatim *Laudatio* con[illegible]: qua CAVSSA aut occaſione ſic inſtituta? Quia Plinius Conſul [illegible], & ex more veteri imò ex Sc[illegible] (vt ipſe loquitur) *Gratiæ agendæ* optimo Principi [illegible]. At autem hoc eſt gratias agere, ſic laudare? [illegible] duplex erat illa *Gratiarum* [illegible] quod ipſe ſub finem Panegyrici dicit: & Publica, & Priuata illa, reip. non[illegible] ſcepta: & aptiſſimè in laudationem ibat, beneficia recenſendo, quæ contuliſſet. Imò quæ abſque eâ commemoratione gratiæ dici poterant. Al[illegible] eta, quum Conſules ſuo nomine dicebant. quæ prima origo & cauſſa harum Orationum apud Romanos eſt, fateor: ſed in leui tamen poſteà habita, & hic quoque a Plinio paucis lineis perſtricta. En cauſſam igitur ſcripti: addo nunc TEMPVS. Aio P[illegible] Conſulem, primo die cùm iam iniſſet (id eſt Kalendis Septembribus [illegible]) non autem antè, neque deſignatum, vt vir doctus cenſet. Induxit eum epiſtola xxvii. lib. vi. in quâ cùm interrogaſſet quidam *deſignatus Conſul, quid in honorem Principis cenſeret?* inter alia, reſpõdet: *Deſignatus ego Cõſul, omni hac etſi non adulationis ſpecie tamen in adulationis abſtinui.* Refert ad hunc Panegyricũ, & errat: nec aliud ibi Plinius quam de ſentẽtiæ dictione, quá primi deſignati Conſules rogabantur. Mos autem inualuerat, vt loco ſententiæ, aliquid in honorẽ Principis cenſerẽt: quæ adulatio, [illegible] in hoc ſcripto, Plinio memoratur. Itaque nihil ea epiſtola ad rem præſentem. & ipſe oſtendit non ſemel, à *ſe Conſule* hæc dici. Neque alius ſanè mos erat. quem tangit lib. ii. epiſt. i. de Verginio Rufo: *Acturus in Conſulatu Principi gratias.* Nota, in Conſulatu. Et Spartianus in Ælio Vero: [illegible] *orationem pulcherrimam paraſſet, quá Kal. Ianuariis Hadriano patri gratias ageret.* At *Kalendis*; ergo ipſo primo die Conſulatus. Sed [illegible] rerum hic dubitatio, quando igitur Plinius Conſul? In quarto Conſulatu Traiani, ſcripſit nouiter vir inter æui noſtri ſummos: & ita cenſet, quia Proconſul[illegible] Plinij in[illegible]dit in annum, poſt illum Traiani dictum. At ego bonâ ven[illegible] diſſentio, & [illegible] *tertio* Principi[illegible] hunc Conſulem fuiſſe, cum Onu-

frio adfirmo: in tertio, id [illegible], quo [illegible] gumentis, ſatis certis. P[illegible] in hac Ora[illegible], vbi [illegible]cta P[illegible] *nondum*, inquit, *de biennio loquor*. Quomodo hoc verè, ſi in quar[illegible] tu dicit? certè triennium imperij iam erat. At in *tertio*, veriſſime [illegible] poſt mortem Neruæ extremus alter annus. Item: *Quò iuſtius Senatus* [illegible] *quartum Conſulatum, & rogauit, & iuſſit*. In futurum hæc dicuntur, neque [illegible] aperti[illegible]: *Atque ego video, proximo anno Conſulatus recuſandi* [illegible] *rationem, quòd eum abſens gerere non poteras*. Nota de anno *pro[illegible]* & [illegible]. non [illegible]o iſto. Quid amplius? *abſens*, inquit. Ita ſanè, ab[illegible]s. na[illegible] [illegible]m Dacicum iam ſe parabat: quod cum Decebalo fortiter & felicit[illegible]r, [illegible] [illegible]art[illegible] Conſulatu, geſſit. Itaque ne adfuit quidem, cum hæc a Plinio [illegible]r. Quid etiam, ſi adfuiſſet? credétne aliquis omiſſam pulcherrimam il[illegible] materiem, victos hoſte[illegible], ſupplicem regem, & mer[illegible]iſſimum triu[illegible] [illegible]do ipſa Plinij oratio exſultaſſet in eo, ac pænè triump[illegible]ſſet? [illegible] is cauſâ, non ſub id tempus hanc re[illegible]rati[illegible]m in[illegible]eru[illegible]ſſ[illegible] [illegible]cti Decebal[illegible] [illegible]mbigi non poteſt, vel [illegible]x lapide q[illegible]i exſta[illegible] [illegible]M [illegible] [illegible]RVÆ. F. NER[illegible]A. TRAIANV[illegible]. AVGVSTV[illegible]. GERMANIC[illegible] [illegible]AX. TRIB. POT. IIII. COS. IV. VICTO. DECEBALO. Et [illegible]or. Adde & hæc Plinij, ſi libet: *Nondum bi[illegible]nium compleras* [illegible]*mo, cum tu nobis Conſulatum obtuliſti*. Quæ d[illegible] Præfectura æra[illegible]; [illegible]m [illegible] ipſo Neruâ accepiſſe ſe fatetur. At ſi *nondum* [illegible]*ennium* ab [illegible] [illegible]d clarius, quàm Traiano *tertium* Conſule [illegible]æc f[illegible]. O[illegible] [illegible] Plinij, quo argumento vir ille nititur:) [illegible]s ver[illegible] tardio[illegible] po[illegible] [illegible] Dacicam. Exſtat epiſtola XIIII. Plinij, lib. X. ad Traia[illegible]m, [illegible]latur[illegible] [illegible]*aximam, pulcherrimam, antiquiſſimam victoriam*: neque alian[illegible], quam iſta[illegible]. Deinde [illegible]tem, epiſtolâ XVII. in Bithyniam prouinciam ſuam, veniſ[illegible]e nunciat: certe poſt [illegible]ctoriam. Ergo in quinto eius aut circa, Conſulatu. Neque [illegible]ane mo[illegible] [illegible]llo Principum æuo, ſtatim & quaſi ex lege, finito Conſulatu in prouinciam ire. Imo c[illegible]n[illegible]a lex erat, iam inde à Iulio, non ire, nec imperia aut honores continuare: etſi [illegible]n rota res in arbitrio Principum, & illi aut ſo[illegible]e, aut imperio, quando & quò [illegible] eſſ[illegible]t, mittebant. Quæ in Dione variis loci[illegible] ſed hoc poſtremum libro LIII. [illegible]cti [illegible] DCCXXV. habes.

C. PLINI SECVNDI
PANEGYRICVS
TRAIANO AVG. DICTVS.

BENE ac ſapienter, Patres Conſcripti, maiores inſtituerunt, [1] vt rerum agendarum, ita [2] dicendi initium, à precationibus capere: quòd nihil ritè, nihilque prouidenter homines, ſine deorum immortalium ope, conſilio, honore, auſpicarentur. Qui mos cui potiùs, quàm Conſuli aut quando magis vſurpandus colendusque eſt, quàm cùm imperio Senatus, [3] auctoritate Reip. ad agendas optimo Principi gratias excitamur? Quod enim præſtabilius eſt, aut pulchrius munus deorum, quàm caſtus & ſanctus, & dijs ſimillimus Princeps? Ac ſi adhuc dubium fuiſſet, forte caſuque rectores terris, an [4] aliquo numine darentur: Principem tamen noſtrum liqueret diuinitus conſtitutum. Non enim occultâ poteſtate fatorum, ſed ab Ioue ipſo coràm ac palàm repertus, electus eſt quippe inter [5] aras & altaria, eodémque loci, quem Deus ille [6] tam manifeſtus ac præſens, quàm cœlũ ac ſidera inſedit.

COMMENTARIVS.

VT RERVM.] *Xenophontis præceptum.* πειρᾶσθαι σὺν θεοῖς ἄρχεσθαι παντὸς ἔργου. ὡς τῶν θεῶν κυρίων ὄντων οὐδὲν ἧττον τῶν εἰρηνικῶν, ἢ τῶν πολεμικῶν ἔργων: Conari omne opus cum dijs aggredi. quia dij non ſequius rebus ciuilibus, quàm & bellicis præſunt ac dominantur. [2 Dicendi initium] *Vetus mos Romanus, à precatione orationes ordiri. Cicero, Liuius, auctor ad Herennium, oſtendunt.* [3 Auctoritate reipublicæ.] *Plinius* III. *epiſt.* XVIII. Vt reip. nomine Principi gratias agerem. [4] Aliquo numine.] *Homerus*: Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες: Ex Ioue ſunt reges. *Plutarchus in Numâ*, μέγιστον καὶ θεῖον δῶρον: Maximum & diuinum donum, *de regno.* [5 Aras & altaria.] *Diſtincta*, & Altare *anguſtius aliquid*, & *in quo victimæ adolentur: Ara etiam, in quâ ſupplicatur, aut libatur tantùm. Illud item ſuperorum Deorum; hæc etiam manium & inferorum. Gloſſa:* Altare, ὑποβωμὶς: Ara, βωμός. *Vide Feſtum in* Altare, & Adoleſco, *Seruium in illud:*

——en quattuor aras,
Ecce duas tibi Daphni, duoque altaria Phœbo.

[6 Tam manifeſtus.] *Ob loci templique religionem, cum maieſtate. Cicero*: In Capitolio, hoc eſt in terreſtri domicilio Iouis.

A [7 QVO magis aptum piumque eſt te Iuppiter optime maxime, anteà conditorem, nunc [8] conſeruatorem imperij noſtri precari, vt mihi digna Conſule, digna Senatu, digna Principe contingat oratio: vtque omnibus quæ dicentur à me, libertas, fides, veritas conſtet: tantumque à ſpecie adulationis abſit gratiarum actio mea, quantum abeſt à neceſſitate. Equidem non Conſuli modò, ſed omnibus ciuibus enitendum reor, ne quid de Principe noſtro ita dicant, vt idem illud [9] de alio dici potuiſſe videatur. Quare abeant ac recedant voces illæ, quas metus exprimebat. nihil, quale antè B dicamus, nihil enim quale antea patimur. nec eadem de Principe palàm, quæ priùs, prædicemus: neque enim eadem [10] ſecretò loquimur, quæ priùs. Diſcernatur orationibus noſtris diuerſitas temporum, & ex ipſo genere gratiarum agendarum intelligatur, cui [11] quando ſint hactenus vt deo, nunc nuſquam vt numini blandiamur. Non enim de tyranno, ſed de ciue. non de domino, ſed de parente loquimur. Vnum ille ſe ex nobis, & hoc magis excellit atque eminet, quòd vnum ex nobis putat; nec minùs hominem ſe, quàm hominibus præeſſe memi- C nit. Intelligamus ergo bona noſtra, dignóſque nos [12] illius vſu probemus: atque identidem cogitemus, [13] ſi maius principibus præſtemus obſequium, qui ſeruitute ciuium, quàm qui libertate lætamur.

[7 Aptum, piúmque.] Aptum, *quia à te, & in tuo templo, ille Princeps*: pium, *quia agnoſcere beneficium, neque ingrati eſſe debemus.* [8] Conſeruatorem.] *In Traiano. Plinius ad eum, in epiſtolâ*: Diem domine, quo ſeruaſti imperium, dum ſuſcipis, celebrauimus, [9 De alio dici.] *E prioribus Principibus, apud quos blanda & humilis ſemper oratio. Martialis, lib.* X.

Hoc ſub Principe, ſi ſapis, caueto
Verbis Roma prioribus loquaris.

D [10 Secreto loquimur.] *Seneca, de bono Principe*: Eadem de illo homines ſecretò loquuntur, quæ palàm. [11. Quando ſint hactenus.] *Olim emendauimus*: cui, quando, ſint actæ. Nuſquam vt Deo nunc, nuſquam vt. *Iterum Martialis concurrit*:

Fruſtrà blanditiæ venitis ad me,
Attritis miſerabiles labellis.
Dicturus Dominum Deumque non ſum,

Iam

Iam non eſt locus hac in vrbe vobis.

[12 Illius vſu.] *Traiani. Sed melius, aut fallor, quod olim ego :* illis vſu. *Bonis illis dignos probemus, vtendo. Libertas & veritas redierunt ? vſurpemus.*

[Si maius.] *Vult intellegi quod minus.*

Et populus quidem Romanus [14] dilectum Principem ſeruat, quantóq; paullò antè [15] concentu [16] formoſum alium, hunc fortiſſimũ perſonat : quibusq; aliquando clamoribus [17] geſtum alterius & vocem; huius pietatem, abſtinentiam, manſuetudinem laudat. Quid noſipſi? diuinitatem Principis noſtri, an humanitatem, temperantiam, facilitatem, vt amor & gaudium tulit, celebrare vniuerſi ſolemus? Iam quid tam ciuile, tam ſenatorium, quàm illud additum à nobis [18] Optimi cognomen? quod [19] peculiare huius & proprium, [20] arrogantia priorum principum fecit. Enimuerò quàm commune, quàm ex æquo, quòd [21] Felices nos, Felicem illum prædicamus, alternisque votis, Haec faciat, haec avdiat, quaſi non dicturi, niſi fecerit, comprecamur? Ad quas ille voces [22] lacrymis etiam, ac multo pudore ſuffunditur. agnoſcit enim ſentitque [23] ſibi, non Principi dici. Igitur quod temperamentum omnes in illo ſubito pietatis calore ſeruauimus, hoc ſinguli quoque meditatíque teneamus : ſciamúsque, nullum eſſe neque ſincerius, neque acceptius genus gratiarum, quàm quod [24] illas acclamationes æmuletur, quæ fingendi non habent tempus. Quantum ad me pertinet laborabo, vt orationem meam ad modeſtiam Principis moderationémque ſubmittam, nec minus cõſiderabo quid aures eius pati poſſint, quàm quid virtutibus debeatur.

[14 Dilectum Principem.] *Lego,* Principum. *Ipſe populus, cui minor ſapientia, diſcrimen & delectum habet in Principum laude : qui non magis nos?*

[15 Concentu.] *Proprio ad rem verbo. Nam acclamationes illæ theatricæ, cum modulis & quodam velut cantu erant. Tacitus XVI. Annalium :* Plebs perſonabat certis modis, plauſúque compoſito. *Ibi ego.* [16 Formoſum.] *Domitianum. qui* pulcher ac decens *(ait Suetonius)* maximè in iuuentâ. *Martialis:*

Purpureum fundens Cæſar ab ore iubar.

Et ipſe de ſe illud Homericum vſurpat:

Οὐχ ὁρᾷας, οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε;

Nónne vides tu qualis egu magnusque decensque?

[17 Geſtum. *Neronis, qui hiſtrioniam exercebat. Ad eundem ſpectat, de voce : quam* cæleſtem & diuinam *dici viderique volebat.*

18 [Optimi cognomen.] *Quando additum? Dionis compendium ait,* Armenia ſubactâ: *& ſanè lapides aut nummi (notabit mecum, qui volet) rarò præferunt hoc, velut cognomen, ante VI. eius conſulatum. Exinde aſſiduè, vt,* IMP. CAES. NERVAE. TRAIANO. OPTIMO. *Græcè etiam:* NEP. TPAIANOC. APICTOC. *Ante non memini ſic obſeruare, ſic inquam poſitum, nomini ipſi ſubiectum : dumtaxat,* SENATVS. POPVLVSQVE. ROM. OPTIMO. PRINCIPI *; quaſi in laudationis loco. Tamen iam nunc ei datum (præter Dionis mentem) ambigi ex Plinij his verbis nihil poteſt : etſi in titulis fortaſſe non ſic vſurpauit.*

[19 Peculiare] *Adeò, vt Eutropius ſcribat, ad ſuã vſque ætatem (Valentiniani Imp.)* non aliter in Senatu Principibus acclamari, niſi, Felicior Augusto, melior Traiano. [20 Arrogantia priorum.] *Qui id ſpreuerunt.* [21 Felices nos.] *Infra :* Eſtne verum, quod inter iſta clamauimus, O nos felices! [22 Lacrymis etiam.] *Gaudio expreſſis. Infrà* Vidimus humeſcentes oculos tuos, demiſſúmque gaudio vultũ. [23 Sibi, non Principi.] *Galba, apud Tacitum:* Ceteri libentiùs cum fortunâ noſtrâ, quàm nobiſcum loquentur. [24 Illas acclamationes.] *Quæ in liberâ rep. non ſic fuère, ſed ſub Auguſto cœperunt : niſi fallor, à theatris in Curiã inuectæ, imitando. Earũ exempla in Cæſareis ſcriptoribus, & breuia & pleraque acuta.*

Magna & inuſitata Principis gloria, cui gratias acturus, nõ tam vereor, ne me in laudibus ſuis parcum, quàm ne nimium putet. hæc me cura, hæc difficultas ſola circumſtat. Nam merenti gratias agere, facile eſt, Patres Conſcripti. non enim periculum eſt, ne cùm loquar de humanitate, exprobrari ſibi ſuperbiam credat; cùm de frugalitate, luxuriam; cùm de clementiâ, crudelitatem; cùm de liberalitate, auaritiam; cùm de benignitate, liuorem; cùm de continentiâ, libidinem; cùm de labore, inertiam; cùm de fortitudine, timorem. Ac ne illud quidem vereor, ne gratus ingratúsve videar, prout ſatis, aut parum dixero. Animaduerto enim [25] etiã Deos ipſos, non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocẽtiâ & ſanctitate lætari: gratioremq; exiſtimari, qui delubris eorum puram [26] caſtamq; mẽtem, quàm qui [27] meditatum carmen intulerit. Sed [28] parendum eſt Senatuſconſulto, quo ex vtilitate publicâ placuit, vt Conſulis voce ſub titulo gratiarum agendarum, [29 boni Principes quæ facerent, recognoſcerent; mali, quæ facere deberent. Id nunc eò magis ſolenne ac neceſſarium eſt, quòd parẽs noſter priuatas gratiarum actiones cohibet & comprimit : interceſſurus etiam publicis, ſi permitteret ſibi vetare, quod Senatus iuberet. Vtrumque Cæſar Auguſte moderatè, & quòd alibi tibi gratias agi non ſinis: & quòd hîc ſinis. non enim à teipſo tibi honor iſte, ſed ab agentibus habetur. cedis affectibus noſtris, nec nobis munera tua prædicare, ſed audire tibi neceſſe eſt.

[Etiam deos ipſos.] *Seneca, De Beneficiis :* Sicut nec in victimis quidem, licet opimæ ſint, auróque præfulgeant, Deorum eſt honos, ſed piâ ac rectâ voluntate venerantium. *Plinius alter, Præfatione magni operis :* Verùm & diis lacte ruſtici, multæque gentes ſupplicant : & molâ tantum ſalsâ litant, qui thura non habent : nec vlli fuit vitio, Deos colere, quoquomodo poſſet. *Vetus verſus reſpondet:*

Καδδύναμιν δ᾽ ἔρδειν ἱερ᾽ ἀθανάτοισι θεοῖσι.

Sacrificate diis, vt opes viresque tulerunt.

[26 Caſtámque mentem.] *Seneca :* Optimus animus, pulcherrimus Dei cultus eſt. [27 Meditatum carmen] *Orationem compoſitam, & ſol-*

A *lenuem dictionem : etiamſi metrum numeríque non ſint. Tale enim priſcis* Carmen *: vt infrà,* carmen comitiorum. [28 Parendum eſt ſenatusconſulto.] *Quando facto? non repperi. puto ab Auguſto eſſe, cum mutatâ rep. hoc quoque mutauit. Nam iſta Gratiarum actio, in concione, populo Rom. Quiritibus ſolet fieri, pro honore dato : at nunc cùm Princeps iura populi in ſe traxit, atque ipſe magiſtratus fecit ; Gratiæ illi in Curiâ, non in concione, dicta. Hic fons Panegyricorum. qui etiam ad Præſides prouinciarum manarunt, atque ij electi, gratias agebant. quod Claudius vetuit, in Dione :* καὶ τῶν ἐξ τῆς αἱρέσεως (ἄρχοντας) μηδεμίαν οἱ χάριν ἐν τῷ συνεδρίῳ γιγνώσκειν, ὥσπερ εἰώθεσαν τι ἔθος ἐποίουν. Inſtituit ne electi *(Præſides)* aliquas ei gratias in Senatu dicerẽt, quod ex more quodam faciebant. *Hoc inquam, ad ſolos prouinciales Præſides & imperia ſpectat (priora vide :) & errãt, qui ad noſtra hæc trahunt.* [29 Boni Principes.] B *Cauſſa duplex huius inſtituti. vt & boni laude iſtâ firmarentur in benè agendo; & mali, eò blandè traherentur. O ſi noſtri aui mos ferret, quod vidimus?*

Saepe ego mecum. P. C. tacitus agitaui, qualem quantumq; eſſe oporteret, cuius ditione nutuq; maria, terrę, pax, bella regerentur : cùm interea fingenti formantíque mihi Principem, quem [30] æquata diis immortalibus poteſtas deceret, nunquã voto ſaltem concipere ſuccurrit ſimilẽ huic, quem videmus Enituit [31] aliquis in bello, ſed obſoleuit in pace: alium toga, ſed nõ & arma honeſtarunt: reuerentiã ille terrore, alius amorem C humanitate captauit: ille quæſitã domi gloriã in publico, hic in publico partã [32] domi perdidit: poſtremò adhuc nemo extitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio læderẽtur. At Principi noſtro [33] quãta cõcordia, quãtusq; concentus, omnium laudum, omníſque gloriæ cõtigit? vt [34] nihil ſeueritati eius hilaritate, nihil grauitati ſimplicitate, nihil maieſtati humanitate detrahitur? Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris, ad hoc ætatis [35] indeflexa maturitas, nec ſine quodã munere deũm feſtinatis [36] ſenectutis inſignibus, ad augendam maieſtatẽ, ornata cæſaries: nónne longè D latéque [37] Principem oſtentant?

[30 Aequata diis.] *Poeta.* — cùm laudatur diis æqua poteſtas.

[31] Aliquis in bello.] *Ab Homero, iam olim.*

ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήια ἔργα,
ἄλλῳ δ' ὀρχηστύν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν:
Namque alij bellare Deus conceſſit, at illi
Saltare; atque alij citharâ cantuque valere.

Claudianus, in Stiliconis laudibus, hauſiſſe (vt alia) videtur à noſtro.

——Numquam ſincera bonorum
Sors vlli conceſſa viro. quem vultus honeſtat,
Dedecorãt mores. animus quẽ pulchrior ornat,
Corpus deſtituit. bellis inſignior ille,
Sed pacem fœdat vitiis. hic publica felix,
E Sed priuata minùs. partitim ſingula quemque
Nobilitant.

[32 Domi perdidit.] *Vt Auguſtus, in filiâ, nepte, nepotibus, & totâ familiâ infelix.* [33 Quanta concordia.] *Idem Claudianus:*

——ſparguntur in omnes,
In te mixta fluunt: & quæ diuiſa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Victor de ipſo Traiano : Tantus erat in eo maximarum rerum modus, vt quaſi temperamento quodam virtutes miſcuiſſe videretur.

[34 Nihil ſeueritati.] *Cicero, ad Brutum :* Quid tam diſtans, quàm à ſeueritate comitas? quis tamen vnquam te aut ſanctior eſt habitus, aut dulcior? [35] Indeflexa maturitas.] *Nondum vergens, & adhuc in ſtatu. Sumptum à Circo, vbi medio ſpatio flexus circùm metam, & tum deflexus. Quæ igitur ætas nũc Traiani? ex Dione,* quadrageſimuſquartus *annus. Nam illo auctore, imperium* quadrageſimo ſecundo *cepit : atque hæc biennio pòſt circiter dicta. Errat aut diſſentit Victor (& cum eo alij) qui* LXIIII. *annos vixiſſe prodit: quod non poteſt, Dionis iſto calculo; quia omnium conſenſu, non niſi* nouemdecim annos, VI. menſes, dies XV. *imperauit. Itaque Eutropius mihi verior, qui vitæ adſignat annos* LXII: *etſi vel ſic menſes aliquot deſint.* [36 Senectutis inſignibus.] *Non enim ipſa, vt iam dixi. Acclamationes igitur illæ Senatoriæ, in Tacito Vopiſci,* Et Traianus ſenex ad imperium venit; *pro re magis, quàm pro vero. Noſter apertè infrà* Iuuentam *attribuit.* [37 Principem oſtentant.] *Atque ipſis etiam hoſtibus. qui (in Dione)* τὴν πολιὰν αὐτοῦ τὸ γεραρὸν, καὶ τὸ σεμνοπρεπὲς τοῦ προσώπου ἰδόντες, ὑπετόπησαν εἶναι ὃς ἦν : caniciẽ eius lætitiam conſpicati, & vultus maieſtatem, ſuſpicati ſunt eſſe qui erat.

Talem eſſe oportuit, quem non bella ciuilia, nec armis oppreſſa R. P. ſed pax & adoC ptio, & tandem [38] exorata terris numina, dediſſent. An fas erat nihil differre inter imperatorem, quem homines, & quẽ dij feciſſent? Quorũ quidẽ in te, Cæſar Auguſte, iudiciũ & fauor, tunc ſtatim cùm [39] ad exercitũ proficiſcereris, & quidem inuſitato indicio, enituit. Nã ceteros Principes aut [40] largus cruor hoſtiarum, aut ſiniſter volatus auium conſulentibus nũciauit: tibi aſcẽdenti [41] de more Capitolium, quanquam non id agentiũ ciuiũ clamor, vt iam Principi, occurrit. Siquidẽ omnis turba quæ limẽ inſederat, ad ingreſſum tuũ foribus recluſis, illa quidẽ vt tũc arbitrabatur Deũ, ceterùm vt docuit D euentus, [42] te conſalutauit Imperatorem. nec aliter à cũctis omẽ acceptũ eſt: nam ipſe intelligere nolebas. recuſabas enim imperare, recuſabas quod [43] benè erat imperaturo. Igitur cogẽdus fuiſti. cogi porrò nõ poteras, niſi periculo patriæ, & mutatione Reip. Obſtinatũ enim tibi nõ ſuſcipere imperium, niſi ſeruandũ fuiſſet. Quare ego illum ipſum [44] furorẽ motúmque caſtrenſem reor extitiſſe, quia magnâ vi magnóque terrore modeſtia tua vincenda erat. Ac ſicut [45] maris cælique temperiẽ turbines tempeſtatéſque commendant; ita ad augendã pacis tuæ gratiam, illum tumultũ præceſſiſſe crediderim. E [46] Habet has vices conditio mortalium, vt aduerſa ex ſecundis, ex aduerſis ſecũda [47] naſcantur. [48] Occultat vtrorumque ſemina Deus, & plerunque bonorum malorúmque cauſſæ ſub diuersâ ſpecie latent.

[38] Exorata terris numina.] *Oroſius :* Nerua

Traianum

Traianum adoptauit, per quem reuera afflictæ reip. diuina prouidio conſuluit. [39 Ad exercitum.] *A Domitiano, in Germaniam inferiorem miſſus, Legatus conſularis.* [40 Largus cruor hoſtiarum.] *Nam hoſtias cædebant, qui per haruſpicinam conſulebant de futuris. Aues inſpiciebant, qui per augurium. Puto antè his verbis Plinium adſpexiſſe ad omnia Auguſto facta futuri Principatus. quæ ſic in Suetonio:* Primo Cõſulatu ei auguriũ capienti, duodecim ſe vultures, vt Romulo, oſtẽderũt: & immolanti, omniũ victimarũ iocinera replicata intrinſecus ab imâ fibrâ paruerũt. [41 De more.] *Ad vota nũcupãda, quæ ſolẽt iturі in prouincias, aut bella.* [42 Te conſalutauit Imperatorem.] *Explicari hac video: Populus ſalutauit* Iouem optimum, maximũ; *tu autem poſtea dictus* Optimus: *ita in illo cognomine te ſalutarunt. Frigidè, & nihil ad Plinium. Res ita eſt. Turba* Iouem *ſalutauit*, Imperatorẽ. *nam ita & infra iterat:* Qui te primi, eodẽ loco, ſalutauerant Imperatorẽ. *Ergo in eâ voce alluſio tota & omen. Quomodo? ſciendum, præter Iouem illum Capitolinum, alium in eodẽ templo religioſè cultũ, cognomine* Imperatoris. *Docet hoc Liuius, libro* VI. Triumphans (*T. Quinctius*) ſignum, Præneſte deuectũ, Iouis Imperatoris, in Capitolium tulit. Dedicatũ eſt inter cellã Iouis ac Mineruæ. *En locum etiam ſignatè habes, vbi fuit. De eodem Cicero in Verrem:* Tria ferebantur in orbe terrarum ſigna Iouis Imperatoris. vnũ illud Macedonicũ, quod in Capitolio videmus; alterum in Ponti ore & anguſtiis; tertium quod Syracuſis ante Verrem Prætorem fuit. Illud ita Flamininus ex æde ſuâ ſuſtulit, vt in Capitolio, hoc eſt terreſtri domicilio Iouis poneret. *Vbi tamen diſſenſum, in auctore, à Liuio notes. nam Cicero T. Quinctiũ Flamininum è Macedoniâ tuliſſe vult: Liuius T. Quinctium Cincinnatum, Præneſte. Vter verior? neſcio. dubitationem fuiſſe ex eo arbitror, quod* T. Quinctij *nomine inſcriptum ſignũ fuerit & dedicatum, haud alio cognomine: atque ita alius aliò traxit. Sed pro Liuio P. etiam Victor eſt, in deſcriptione vrbis, qui regione* VIII. *Capitolij ponit:* Signum Iouis Imperatoris Præneſte deuectum. *Atque illinc diſce, poſt tot incendia, etiam infra Plinij æuum longè manſiſſe. Hac hiſtoria ſic poſita, rem aperit. Ingreſſa turba,* Salue Imperator *clamauit ſed ad Iouem. Quia tamen ipſo puncto ingreſſus Traianus, omen ad illum haud vanè tractum.* [43 Bene erat imperaturo.] *Nam ſi ignouiſſes, à tyranno Principe diſcrimen aut mors tibi imminebat. Bene igitur erat futuro Imperatori. Sed libri alij,* imperaturi: *quod ſequẽtia magis approbant. & eſt ſenſus, Recuſare imperium, ſignum erat quòd bene imperaturus eſſes. Nã qui ambitione affectant honores, raro virtute gerunt: qui recuſant & abnuunt, ij magis. Inde Imperatoris illa vox,* Inuitos ad remp. admouendos. [44 Furorem motúmque caſtrenſem.] *Qui talis. Cæſo Domitiano,* miles grauiſſimè tulit (*Suetonij verba*) paratus ſtatim vlciſci, niſi duces defuiſſent. *Quieuit igitur, ſed Nerua iam electo, ſene, molli, & parum ad ſuum nomen, animos iraſq; ſumpſerunt, incendente Caſperio Æliano, Prætorij Præfecto: qui idem munus & ſub Domitiano habuerat. Inde in eum occultus fauor, & miſeratio & impulſi milites depoſcere ad cædem cædis auctores. Factũ turbidè & acriter: Nerua reſiſtit pariter, vſque eò vt iugulum nudum potiùs iis offerret feriendum. Non demouit tamen, & cùm perſeuerarent furere, traditi caſiq; ſunt ij, quos depopoſcerunt. Hac ex Dione: & adde Victorem diffuſiùs. Suetonium breuiter tangentem, cap.* XXIII. *Domitiani.* [45 Ac ſicut maris.] *Caſſiodorus* VIII. *Variar.* Bonum inſolitum plus amatur. & ſequenti gaudio confert dulcedinẽ præmiſſa triſtitia. [46 Habet has vices.] *Certe habet. & Pindarus aptè cecinit:* Ποτὲ δ' ἄλλοτε ἄλλαι εὐδοξιᾶν τι μετ' ἀγαθῶν, ἐς ἄνδρας ἴσαν: Fluctus alij alias, Gaudiorum atque laborum, In homines veniunt. *Caput ſapientiæ, id eſt Homerus:*

——ἄταρ θεὸς ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλῳ
Ζεὺς ἀγαθόν τε κακόν τε διδοῖ:
——aliàs Deus, illi aliįque,
Nunc bona, nunc mala dat.

[47 Naſcantur.] *Manilius:*

——Tanta eſt rerum diſcordia in æuo,
Et ſubtexta bonis mala ſunt, lacrimęque ſequũtur
Vota, nec in cunctis ſeruat Fortuna tenorem.

Naſci igitur alia ex aliis videntur, quia ſic ſubtexta, vt ait, & inter ſe iuncta. Alij tamen libri, noſcantur: *nec malè. Id eſſet, dijudicentur meliùs & ſentiuntur, ex contrariorum ſenſu.* [48 Occultat vtrorumque ſemina.] *Dicit: Deus cauſſas rerum ſecundarum vel aduerſarum, ſub diuerſâ facie promit: & ſæpe lætos effectus triſtia initio, & contrà triſtes læta gignunt.*

MAGNVM quidem illud ſæculo dedecus, magnum Reipub. vulnus impreſſum eſt. Imperator, & [49] parens generis humani, obſeſſus, captus, incluſus: ablata [50] mitiſſimo ſeni ſeruandorum hominum poteſtas; ereptumque Principi illud in principatu beatiſſimum, quòd nihil cogitur. Si tamen hæc ſula erat ratio, quæ te publicæ ſalutis gubernaculis admoueret: propè eſt vt exclamem, [51] tanti fuiſſe. Corrupta eſt diſciplina caſtrorum, vt tu [52] corrector emendatorque contingeres: inductum peſſimum exemplum, vt optimum opponeretur: poſtremò coactus Princeps quos nolebat occidere, vt daret Principem qui cogi non poſſet. Olim tu quidem adoptari merebare: ſed neſciſſemus, quantum tibi deberet imperium, ſi antè adoptatus eſſes. [53] Exſpectatũ eſt tempus, in quo liqueret, non tam accepiſſe te beneficiũ, quàm dediſſe. Confugit in ſinũ tuũ cõcuſſa Reſpub. ruensq; imperiũ ſuper Imperatorẽ, Imperatoris tibi voce delatum eſt. [54] Imploratus adoptione, & accitus es: vt olim duces magni, à peregrinis externisque bellis, ad opẽ patriæ ferendã reuocari ſolebãt. Ita filius ac parẽs, vno eodemq; momẽto, rẽ maximam inuicem præſtitiſtis: ille tibi imperiũ dedit, tu illi reddidiſti. Solus ergo ad hoc æui, pro munere tanto [55] paria accipiendo feciſti, imo [56] vltrà dantẽ obligaſti: cõmunicato enim imperio, ſolicitior tu, ille ſecurior factus eſt. O nouum atque inauditũ ad Principatum iter: non te propria cupiditas, [57] proprius metus, ſed aliena vtilitas, alienus timor, Principem fecit. Videaris licet, quod eſt ampliſſimũ, cõſecutus, inter homines; felicius tamen erat illud, quod reliquiſti. ſub bono Principe, [58] priuatus eſſe deſiiſti. Aſſumptus es in laborum curarumque conſortium, nec te læta & proſpera [59] ſtationis iſtius, ſed aſpera & dura, ad capeſcendam eam compulerunt. Suſcepiſti imperium, poſtquam alium ſuſcepti pœnitebat.

[49 Parens generis.] *Auſonius de ipſo:*

Nerua ſenex. Princeps nomine, mente parẽs.

[50 Mitiſſimo.] *Ideo cognomento* Tranquillus

dictus

dictas. Panegyricus Theodoſio: Quando me Nerua Tranquillus, amor generis humani Titus, pietate memorabilis Antoninus teneret. *Sidonius*:

Poſt quē Tranquillus vix me mihi reddere Nerua
Cœpit.

Claudianus: Tranquillique, Pij, bellatoreſq; Seueri.

[51 Tanti fuiſſe.] *Vel cladium illarū pretio emendū, vt tu Princeps eſſes. Lucanus ſimili colore, pulcherrime*:

Quòd ſi non aliam venturo fata Neroni
Inuenêre viam, magnoq; æterna parantur
Regna deis, cælumq; ſuo ſeruire Tonanti
Non niſi ſæuorum potuit poſt bella gigantum:
Iam nihil ô ſuperi querimur, ſcelus omne nefaſq;
Hac mercede placent.

Vtitur & Auguſtus apud Dionem, Oratione in Senatu, lib. LIII. cùm beneficia ſua cōmemoraſſet, & bona præſentis ſtatus: ὥστε, *addit*, εἴπερ ποτὲ ϗ αὖθις πεπρωμένον εἴη τὴν πόλιν ἡμῶν νοσῆσαι, τοῦτον αὐτὴν τὸν τρόπον δέξασθαί τινα ϛασιάσαι: adeò vt, ſi iterùm in fatis ſit Rēp. noſtrā affligi & ægrotare, optauerit aliquis hoc eâ modo turbari ac collidi. *Sed & Princeps iure ſuo oratorū, Demoſthenes, pro Rhodiorū libertate, cùm mala recenſuiſſet, quæ eis intulerāt*: Οὐδὲ δεῖ ἀλγεῖν, ἂν ὑμεῖς αὐτοῖς ἀλῶτε τοιαῦτα, ὡς ϗ συνεχώρησαν ταῦτ' αὐτοῖς: Propè tamē abeſt quindicā, ſi vos iis auxiliari decernitis, ex vſu eorū fuiſſe hęc pati. *In diuerſum ſenſum, ſpeâ figurâ & phraſi, Martialis*:

Flauia gens, quantum tibi tertius abſtulit heres,
Pæne fuit tanti non habuiſſe duos.

[52 Correctot emendatórque.] *Fecit, in iſtâ etiam re. Nam* Ælianū, & Prætorianorum præcipuos turbatores, ad ſe euocatos, quaſi operâ eorū vſurus, aliū alibi ſuſtulit *Dio*. [53 Exſpectatū eſt tempus.] *Palam igitur, nō initio ſtatim imperij à Neruâ, ſed eo inclinante, adoptatus eſt. At Onufrius (verus pater Principalis hiſtoriæ & Faſtorū) aſſeuerat*, Diem adoptionis, & Tribunitiæ poteſtatis aſſumptæ, proculdubio fuiſſe 13. Kal. Octobris. *Quid? illū primū imperij? non poteſt. anno igitur poſt? hoc propius ad verū; ſed quo tamen auctore, tam definitè eumdem ſtatuat, requiro. Ego hoc ſaltē inuenio (in Aur. Victore)* tribus menſibus cū adoptato Neruā vixiſſe. *Atqui imperauit Nerua* annū vnum, menſes quattuor, dies nouē: *cœpit imperare certò* 14. *Kal. Octobris, cùm Domitianus caſus ergo, hoc calculo, adoptio Traiani incidat in* VI. *Kal. Nouembris, aut circà*. [54 Imploratus adoptione.] *Cùm ad abſentē Homerico verſu Nerua ſcripſiſſet*:

Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν.
Has lacrymas, Traiane, tuis vlciſcere telis.

[55 Paria accipiendo.] *Atqui reddendo paria fiunt, & nomen expungitur. Pulchrum acumen, vt centena in hoc ſcripto*. [56 Vltra.] *Volebā, & nunc velim*, vltrò. [57 Proprius metus.] *Vt Tacitus, de Othone*: Fingebat & metū, quò magis cōcupiſceret. [58 Priuatus eſſe.] *Atqui Senator erat, & Conſularis, & prouinciæ præſes. Nihil ad rem. more huius & ſuperioris æui, omnes* Priuati, *qui non Principes: & ſolus ille ab hoc nomine exceptus. Tacitus de Galbâ*: Maior priuato viſus, dum priuatus fuit: *& millies alibi*. [59 Stationis iſtius] *Suetonius, Claudio*. Quòd aliter peruenturus ad inſceptam ſtationem non fuerit. *Spartianus*: Qui Principum locum in hac ſtatione retentarunt. *Lampridius*: Etiam in his artifex, quæ ſtationis Imperatoriæ non erāt. *& ſæpius alibi, pro ſummo hoc loco & Principali. Quare? ab militaribus ſtationibus ductū puto. quia ſicut ille in excubiis contra hoſtem, ita Imperator quaſi in perpetuâ vigiliâ & Reip. curâ. An non Veſpaſianus eò alluſerit, cùm extremum illud protulit?* Imperatorem ſtantem mori oportere. *Stabāt enim in his Stationibus. etſi ad actionem potuit etiam eſſe reſpectus*.

Nvlla adoptati cum eo qui adoptabat

A cognatio, nulla neceſſitudo: niſi quòd vterq; optimus erat, dignúſq; alter eligi, alter eligere. Itaque adoptatus es, nō vt priùs [60] alius atque alius in gratiā vxoris: adſciuit enim te filiū nō vitricus, ſed Princeps, eodémq; animo diuus Nerua pater tuus factus eſt, quo erat omniū. Nec decet aliter filium adſumi, ſi adſumatur à Principe. An Senatū P. Q. R. exercitus, prouincias, ſocios trāſmiſſurus vni: ſucceſſorem è ſinu vxoris accipias? ſummæq; poteſtatis hæredē, [61] tantùm intra domū tuam quęras? nō per totam ciuitatē [62] cir-
B cumferas oculos? & hunc tibi proximū, hunc coniunctiſſimū exiſtimes, quē [63] optimū, quem diis ſimillimū inueneris? Imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus. non enim [64] ſeruulis tuis dominum, vt poſsis eſſe contentus quaſi [65] neceſſario hærede, ſed Principem ciuibus daturus Imperator. Superbum iſtud & regium, niſi adoptes eum, quem [66] conſtet imperaturū fuiſſe, etiam ſi non adoptaſſes.

[60 Alius, atque alius.] *Tiberius & Nero intelliguntur: ille ab Auguſto matris Liuiæ ambitu; hic à Clau-*
C *dio, Agrippinæ, ad imperium adſciti*. [61 Tantum intra domum.] *Galba apud Tacitum*: Sed Auguſtus in domo ſucceſſorem quæſiuit, ego in republicâ.

[62 Circumferas oculos.] *Hæc omnia pro Electione, & Politicis notanda ſunt. Senator quiſpiam, apud Vopiſcum, ſenem iam Tacitum Imp. eò hortatur*: Quare circumſpice, imitare Neruas, Traianos, Hadrianos. Ingens eſt gloria morientis Principis, remp. magis amare, quàm filios. [63 Quem optimū] *A virtute, non à ſanguine. Roma, apud Claudianum*:

Hîc illi manſere viri, quos mutua virtus
Legit, & in nomē Romanis rebus adoptans,
Iudicio pulchram ſeriem, nō ſanguine, duxit.

[64 Seruulis tuis.] *Idem ille Senator, in Vopiſco*: Ne ſic remp. patreſq; conſcriptos, & populum Romanum, vt villulam tuam, vt colonos tuos, vt ſeruos
D tuos, relinquas. [65 Neceſſario hērede.] *Statius*:

—natos genuiſſe neceſſe eſt. At legiſſe iuuat: *Tacitus in oratione Galbæ*. Sub Tiberio, & Caio, & Claudio, vnius familiæ quaſi hereditas fuimus.

[66 Conſtet imperaturum.] *Glorioſè hoc erga Traianum. quaſi ille, virtutis merito, ad imperium venturus, etiam non electus*.

Fecit hoc Nerua. nihil intereſſe arbitratus, genueris an elegeris; ſi perinde [67] ſine iudicio adoptentur liberi, ac naſcūtur. niſi tamen, quòd æquiore animo ferunt homines, quem Princeps parum feliciter genuit, quàm quem malè elegit. Sedulò ergo vitauit hunc caſum, nec iudicium hominum,
E ſed deorum etiam in conſilium aſſumpſit. Itaque non tua in cubiculo, ſed [68] in templo; nec ante genialem torum, ſed ante puluinar Iouis optimi maximi adoptio peracta eſt: quâ tandem non ſeruitus noſtra, ſed libertas, & ſalus, & ſecuritas fundabatur. Sibi enim dij gloriam illū vindicauerunt: horum opus, horum illud imperiū; Nerua tantùm miniſter fuit. Vterque, qui adoptaret, tā

paruit; quàm tu, qui adoptabaris. Allata erat A ex [69] Pannoniâ laurea, id agentibus dijs, vt inuicti Imperatoris exortum victoriæ inſigne decoraret. hanc Imperator Nerua [70] in gremio Iouis collocarat; cùm repentè ſolito maior & anguſtior, aduocatâ [71] hominum concione deorúmq; te filium ſibi, hoc eſt vnicum auxiliũ feſſis rebus aſſumpſit. Inde quaſi depoſito imperio, quâ ſecuritate, quâ gloriâ lætus (nã quantulum refert deponas, an partiatis imperiũ: niſi quod [72] difficilius hoc eſt?) nõ ſecus ac præſenti tibi innixus: tuis humeris ſe patriámq; ſuſtentans, B [73] tuâ iuuentâ, tuo robore inualuit; ſtatim conſedit omnis tumultus. Non adoptionis opus iſtud fuit, ſed adoptati; atq; adeò temerè fecerat Nerua, ſi adoptaſſet aliũ. Obliti ne ſumus, vt [74] nuper poſt adoptionem non deſierit ſeditio, ſed cœperit? Irritamẽtũ iſtud irarum, & fax tumultus fuiſſet, niſi incidiſſet in te. An dubiũ eſt, vt [75] dare non poſſet imperium Imperator, qui reuerentiã amiſerat? auctoritate eius effectum eſt, cui dabatur. Simul filius, ſimul Cæſar, mox Imperator, & conſors Tribunitiæ poteſtatis, & omnia pariter & ſtatim factus es; quę proximè [76] pa- C rens verus tãtùm in alterum filium contulit.

[67 Sine iudicio.] *Nam hoc eſt, quod diſcrimen facit inter Adoptionem & Genituram: & quo titulo hanc vult præferri. Hadrianus moriturus, apud Dionẽ:* Mihi, ô amici, liberos gignere natura non dedit, ſed lege & adoptione vos mihi dediſtis. Differt autem hoc ab illo, quòd nati quidem liberi, quales Deo eumque viſum eſt, gignuntur & creſcũt; at adoptione, quales quiſque vult, pro arbitrio adſciſcit. Ita à naturâ ſæpe corpore aut mente imminutum habes; ab adoptione & iudicio, vtroque perfectum, ſi voles. [68 Sed in templo.] *In Capitolio. Dio Caſſius:* Νερούας δὲ ὑπὸ τοῦ γήρως καταφρονούμενος, ἀνέβη τε ἐς τὸ καπιτώλιον, καὶ εἶπε γεγωνήσας, ἀγαθῇ τύχῃ τῆς τε βουλῆς, καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων, καὶ ἐμοῦ αὐτοῦ, Μάρκον Οὔλπιον Τραϊανὸν ἐσποιοῦμαι. καὶ μετὰ ταῦτα ἐν τῷ συνεδρίῳ καίσαρά τε D αὐτὸν ἀπέδειξε. Nerua ob ſenium iam contemptui, in Capitoliũ aſcẽdit, & magnâ voce inclamans dixit, Quod felix fauſtúmque Senatui, Populóq; Romano, mihíque ſit, M. Vlpium Traianum adopto. Et poſt hoc eumdem Cæſarem in Senatu deſignauit. [69 Ex Pannonia laurus.] *Georgius Cedrenus:* Ἐκ Παιονίας ἡ δάφνη ἐπινίκιος ἐλθοῦσα παρὰ Τραϊανοῦ: E Pannoniâ victoriæ nuncius à Traiano veniens: *etſi fallitur de Traiano. nam ille nunc alibi, & in coloniâ Agrippinâ.* [70 In gremio Iouis.] *Quod in triumphis factum, atque etiam vbi victoria non digna triumpho. Suetonius, Domitiano:* De Cattis triumpha- E uit, de Sarmatis Lauream modò Ioui Capitolino retulit. *Plura nos ad 11. Annalium Taciti.* [71 Hominum concione.] *Itaque & tribunal aſcendit, quod ſic Cedrenus:* Λιβανωτὸν ἐπιθύσας, εἰς ἐπὶ βήματος, μεγάλῃ φωνῇ ἔφη, Ἀγαθῇ τύχῃ, Νερούας Τραϊανὸν εἰσποιοῦμαι: Thure cùm ſupplicaſſet: ſtans in ſuggeſtu clamauit, Quod fauſtum felixque ſit, Nerua Traianum adopto. [72 Difficilius hoc eſt.] *Nã vt ille ait,* Nec regna ſocium ferre, nec tædæ ſciunt.

[73 Tua iuuenta.] *Supra de ætate dixi. At Romanis* Iuniores, *ex Seruij ſcito, ad annum* XLV. *vltrà* Seniores. *Martialis etiam* Iuuenem *dixit, his verſibus:*

Et fortem, iuuenémque, Martiúmque
In tanto duce militem videret.

[74 Nuper poſt adoptionem.] *Piſonis à Galbâ factam: neque aliter acceperis. Qui volunt à Neruâ ipſo alium aliquem adoptatum, vt verbo dicam, blatiunt nugas.* [75 Dare non poſſet.] *Haud improba ſententia. Poſſetne dare imperium alteri, qui ipſe iam penè amiſerat? non poſſet. At libris tamen alijs abeſt negatio: ac tunc legendum continuatione,* An dubium eſt, vt dare poſſet imperium Imperator, qui reuerentiam amiſerat, auctoritate eius effectũ eſſe, cui dabatur? *magiſq́ hoc placet. Sed magis etiam:* An dubium eſt? vt dare poſſet imperium I. q. r. a. auctoritate eius effectũ eſt, cui dabatur. [76 Parens verus.] *Veſpaſianus, qui Titum conſortem imperij accepit, ſepoſito Domitiano, cuius ſuperbia & properu ambitio timebatur. Suetonium vide.*

MAGNVM hoc tuæ moderationis indicium, quòd [77] non ſolùm ſucceſſor imperij, ſed particeps etiã ſociúſque placuiſti. nam ſucceſſor, [78] etiam ſi nolis, habendus eſt; non eſt habẽdus ſocius, niſi velis. Credéntne poſteri, [79] Patricio & [80] Conſulari & [81] Triũphali patre genitũ, cùm [82] fortiſſimum, ampliſſimũ, amãtiſſimum ſui exercitum regeret, Imperatorem nõ ab exercitu factum? eidẽ cùm [83] Germaniæ præſideret, [84] Germanici nomen [85] hinc miſſum? nihil ipſum vt Imperator fieret agitaſſe, nihil feciſſe? niſi quod meruit, & paruit. Paruiſti enim Cæſar, & ad Principatum obſequio perueniſti: nihílque magis à te [86] ſubiecti animo factum eſt, quàm quod imperare cœpiſti. Iam Cæſar, iam Imperator, iam Germanicus, abſens & ignarus, & poſt tanta nomina, quantũ ad te pertinet, priuatus. Magnũ videretur ſi dicerem, neſciſti te Imperatorẽ futurum: eras Imperator, & eſſe te neſciebas. Vt verò ad te fortunæ tuæ nũcius venit, malebas quidem hoc eſſe quod fueras, ſed non erat liberũ. An non obſequereris Principi ciuis, Legatus Imperatori, filius patri? Vbi deinde diſciplina, vbi mos à maiorib traditus, quodcunque Imperator munus iniungeret, æquo animo paratóq; ſubeũdi? Quid enim ſi prouincias ex prouinciis, ex bellis bella mãdaret? [87] eodem illo vti iure poſſe putes, cùm ad Imperiũ reuocet, quo ſit vſus cùm ad exercitum miſerit; nihílque intereſſe, ire Legatum, an redire Principem iubeat. niſi quòd maior ſit obſequij gloria in eo, quod quis minùs velit. Augebat auctoritatem iubentis, in ſummum diſcrimen auctoritas eius adducta: vtq́ue magis parendum imperanti putares, efficiebatur eo, quòd ab aliis minùs parebatur. Ad hoc audiebas, Senatus [88] populíque conſenſum. non vnius Neruæ iudicium illud, illa electio fuit: nam qui vbique ſunt homines, hoc idem votis expetebant; ille tantùm iure Principis occupauit, primúſque fecit, quod omnes facturi erant. Nec herculo tantopere cunctis fa-

ctum

[illegible] placeret, niſi placuiſſet antè quàm [illegible]rct.

[illegible]on ſolū ſucceſſ[illegible] *[illegible] Cæſarem ſe [illegible] deſignauit. Et ſilum [illegible] Imperatore appel[illegible] Tribunicia poteſtatis colle[illegible] Adeò ac modeſti[illegible] [illegible] eſt, ne timuit ne his [illegible], ſiquid ſuper[illegible] contra ipſum, vellet.* [78 Etiam ſi nolis. Nemo enim [illegible] [illegible]orem ſuum [illegible].

[illegible] Patrici[illegible] *Eutropius [illegible] ex famil[illegible] magis, qu[illegible] [illegible] Et [illegible] homine Hiſpano non potuit niſi nortus eſſe [illegible] Papaga [illegible]* Coſulari. [illegible] *Conſularis v[illegible] triumpha[illegible] filius. Sed quan[illegible] haud liquet [illegible] in conſul bus tamen [illegible]* 81 Triumph[illegible] *[illegible] meruimi [illegible]*[illegible]um puer admodum Parthica lauro glori[illegible] augens. *[illegible] in Parthis rem ge[illegible] [illegible] bel[illegible] cum Parthis ſub Nerone duce Corbu[illegible] ac pueri [illegible] Traianus ſucceſſit [illegible] tempus. [illegible] in Iudæa etiam [illegible] Le[illegible] Prætorius [illegible] Decima præfe[illegible] [illegible] narrat [illegible] appellat: D[illegible]cimæ legionis Præpoſitu[illegible] Legatum.* [82 Fortiſſimum ampl[illegible] *[illegible] Germania inferior: [illegible] in qua legiones quatuor [illegible]* Germania. *[illegible] inferiora [illegible]* per not in Gallijs, apud Agrippina ciuitate factus. *Orofius:* Apud Agrippinā, Galliæ vrbē, inſignia ſumpſ[illegible] imp[illegible]. *[illegible]:*

Vlpius inde v[illegible], quo ſoetuid[illegible] Sicambus

[illegible] Agrippina fuit.

Dio Caſſius [illegible] [illegible] Germaniæ. *Ac[illegible] hic præfuiſſe, Clau[illegible] indicat*

Cedant, Druſe [illegible], cedan[illegible] Traiane labores.
Veſtra manus dub[illegible] quidquid [illegible] gerſſit,
Tranſcurrens [illegible] en [illegible] diebus
Edomuit Rhenum, quot vo[illegible] poſt iſtis in annis.

Monumenta eius ſunt, Vlpia caſtra *haud longe à* Veteribus, *& ad Manum flumen,* Monumentum Traiani, *quod commemorat Ammianus [illegible] lib. [illegible]* [84 Germanici nomen] *Quod inter titulos imperij erat, eo[illegible] vſi omnes, qui Germanicum [illegible] Cæſarem ſanguine vel adoptione contingerent [illegible], Claudius, Nero, poſtea & Vitellius, et ſi alia cauſſa, item Domitianus, & nunc Traianus. Nota[illegible] aliquid ad h[illegible] Taciti [illegible] Annalium:* In ſuum cognomentū adſcit[illegible] Imp[illegible]ratores. [85 Hinc [illegible]] *[illegible] præſides, copijs ſubnixi, ipſi ſe Principes [illegible], Galba, Vitellius, cum ſucceſſu [illegible] Scribonius, [illegible] nius, conati.* 86 Sub[illegible]mq. [illegible] *Qu[illegible] mo [illegible] imperare [illegible] [illegible] tamen, ſed quos in [illegible]* 87 Eodē illo. [illegible], illum. 88 Popu[illegible]que c[illegible]ſum. *Ita [illegible] magnif[illegible] [illegible]* [illegible]eutom hominum [illegible] conſenſu ad [illegible] [illegible]ocatum.

A T [illegible] qu[illegible] conſ. tēperamen[illegible] poteſta[illegible] [illegible] Imp[illegible]rato[illegible] & in[illegible]nibus, & [illegible] [illegible] vigi[illegible] [illegible] Dux, [illegible] & mi[illegible], [illegible] tua [illegible] qui[illegible] magno [illegible] adi an[illegible] [illegible] ex ill[illegible] adoptione, quā [illegible] rere [illegible] [illegible] am g[illegible] pre[illegible] [illegible] prouexer[illegible] [illegible] atqu[illegible] [illegible] priuatus

tibi videbaris, q[illegible] ſeſ[illegible] [illegible] Audieſſent vo[illegible] [illegible] mo illi & ſanctiſſimo ſen[illegible] que [illegible] 92 cælo vindicauerunt, ne quid poſt [illegible] diuinum & immortale [illegible] morta[illegible] ret. Deb[illegible] quippe [illegible] v[illegible] rationem, vt nouiſſimum [illegible] ore [illegible] eius ſtatim conſecrandum, vt quādoque inter poſteros quæreretur, an illud iā Deus feciſſet. Ita ille nullo magis [illegible] publicus parens, q[illegible] gloriā, ingēns que [illegible] 93 [illegible] expertus eſſet, quā [illegible] 94] ſederet imperium, tibi terras, te terris reliquit; eo ipſo carus omnibus ac deſiderandus, quòd proſpexerat ne deſideraretur. Q[illegible] lacrymis pri[illegible] templis hone[illegible]ſt[illegible], nō imitatus [illegible] qui hoc idem [illegible] mente fecerūt. Dicauit cælo Tiberius Auguſtū, ſed vt 95 maieſtati[illegible] induceret: Claudium Nero, ſed 96 vt irrid[illegible]. Veſpaſianum Titus, Dom[illegible] Titum, ſed ille vt dei filius, hic vt frater videretur. Tu ſi[illegible]deribus patr[illegible] [illegible] non ad [illegible] ciuium, no[illegible] in contumel[illegible] [illegible] honor[illegible] tuum [illegible] 98 qu[illegible] Deum cr[illegible]. Minus eſt [illegible], qui & ſeſe D[illegible] putant. Sed [illegible] 99 flamine co[illegible] Deum & fa[illegible] & p[illegible] qu[illegible] [illegible]. In Principe enim qui el[illegible] ſucceſſ[illegible] fato co[illegible]it. vna itémque [illegible] fides eſt, bonus ſucceſſor.

[illegible] *Inſcrip[illegible] [illegible] militaria illa, quibus nomina inſcripta Imperatorum, & imagines ex auro arg[illegible] . Decu[illegible]* Milit[illegible] Romana. [90 Modeſtia. *Hyſterolog[illegible] ſingula ſingulis ſequentibus [illegible]. Modeſtia à miles, labore Legatus [illegible] Dux.*

[91 Gradi a[illegible] *Pedibus, more [illegible] [illegible] de Catone:* [illegible] dit anheli M[illegible] pedes. *Tacitus de Othone:* N[illegible] illi ſegnis aut corruptum luxu iter, ſed [illegible] ferr[illegible], & ante ſigna pedeſter. *Spartianus, de Hadriano:* Vicena millia pedibus a[illegible] ambulaſſ[illegible]

[92 C[illegible] *[illegible] loquuntur, [illegible] Conatus H[illegible] de quo ita Spartianus:* [illegible] a Nerua ad[illegible], ad gratulationem exercitus miſſus, in Germaniam ſuperi[illegible] tranſlatus eſt, ex quā feſtinauit ad [illegible] vt primus exercitum Neruæ nūciaret. *Q[illegible] od libentius puto, [illegible] quod inter adoptionem [illegible] mortem fuiſſe (ſupra à me notatū) neu quem fallat hoc Plinium [illegible]* auctoritate [illegible] ſtatim conſecrandū: *[illegible] colorate & oratori dicta.*

[illegible] Abundè expertus. *[Quomodo autem [illegible] fuiſſet, vt dicimus?* 94 Sederet imperium. *[illegible] perpetuitate notat.* [illegible] Maieſtatis numen [illegible] *magis [illegible] & hic [illegible] ſub [illegible]* publicā parte [illegible] *[illegible] accen[illegible] inſcripta titul. Maie[illegible] [illegible] ſuum [illegible]*

ſepons

ſtirpem vel leuiter tangeret, crimen [illegible] *erat.* Impietatis, [illegible] *Græ*[illegible] *ſiue Maieſtatis, vt Latini.* [96 Vt irrideret.] *Palam quidem. cùm & Boletos, deorū cibū diceret, & plura huic rei in Suetonij Nerone. cap.* XXXIII. [97 Non ad metum.] *Vt Tiberius. ſicut de Contumeliâ, quod ſequitur, ad Neronem ſpectat: de Honore, ad Titum & Domitianum.* [98 Quia Deū credis.] *Et virtutibus cælū meruiſſe. Seneca de Clem.* Deum eſſe, nō tanquam iuſſi credimus, bonum Principem Auguſtum. [99 Flamine colas.] *Proprio ſacerdote. Vide notata nobis ad I. Annalem Taciti.*

Nvm ergo tibi ex immortalitate patris aliquid arrogātiæ acceſſit? nu hos p[illegible]os, diuinitate par[illegible] d[illegible] ac [illegible]perbos, potiùs, quā illos v[illegible] & antiqu[illegible]s? qui hoc ipſum imper[illegible] peperer[illegible] q[illegible] mo- dò [10[illegible]] hoſtes inuaſ[illegible]rāt conte[illegible] antq; [101 *] cuius pu[illegible] [illegible] non [illegible] gis habebatur ind[illegible] q[illegible]ā [1[illegible]2] [illegible] tetur. Ergo ſuſtulerāt animos [illegible] uſ- ſerant, nec iam nobi[illegible] de ſuâ lib[illegible]ate [illegible]ed de noſtrâ ſeruitute certabant: ac ne inducias quidem, [103] niſi æquis [illegible]onditionibus, inibant, legéſq; vt a[illegible] [illegible]p[illegible]ēt, dabaut At nunc rediit omnibus [1[illegible]4] terr[illegible] & metus, & votū imperata fac[illegible]endi. [1[illegible]5] Vident enim Romanum ducem, vnum [illegible]x illis v[illegible]teribus & priſcis: quibus Imperatorū nomen addebant contecti cædibus campi, & infecta victoriis maria. Accipimus obſides e[illegible] [10[illegible]6] non emimus, nec [10[illegible]] in[illegible]ētibus dam[illegible] [illegible]mmē- ſiſque muneribus p[illegible]ciſcimur, vt [illegible]icer[illegible]us. [108] rogant, ſupplicāt: largimur, negamus, vtrūq; ex imperii maieſtate. agūt gratias qui impetrauerunt, non audent que[illegible] quibus negatum eſt. An audeāt, qui ſciant [10[illegible]] te adſediſſe ferociſſimis populis, eo ipſo tempore, [110] quod amiciſsimū illis, difficillimū nobiscum: [illegible]anubius [111] ripas gelu iūgit, du[illegible] [illegible] acie i[illegible]gentia tergo bella trāſportat: c[illegible]n feræ [illegible]tes, non te[illegible]s magis, quam [112] ſuo cælo, ſuo ſidere armantur. S[illegible]d [illegible]bi in proximo tu, non ſecus ac ſi mutatæ temporum vices eſſent, illi quidem [113] latibulis ſuis clauſi tenebantur; noſtra a[illegible]mina per- c[illegible]rſare ripas, & al[illegible]enâ occaſio[illegible] [illegible]ermitte- res, vt vltroq; [114] hiemē[illegible] [illegible]m [illegible]a[illegible]tis inferre gaudebant.

[100 Hoſtes inuaſerant.] *Daci, Sarmatæ, Sueui, Catti, ſub Domitiano.*

[101 * Cuius pul[illegible]i.] *E[illegible] verò* [illegible] *vide, & firmat etiam vetus codex Io. Liuineio* [illegible] *ſus, qui lacunam præfert. Ille tamen* [illegible] *ſe putat, reſcribendo.* quod modò hoſtis inuaſi[illegible] contempſeratq; [illegible] pulſi. *nempe, inquit, hoſtis. Parcito manes,* [illegible] *lon- ge Secunde. Tan*[illegible] *palam Domitianus cuius hæc demens* [illegible] [illegible] *naſſet ipſe aut* [illegible] *egatis,* [illegible] *de- inque Romæ* [illegible] *iret, quaſi vict*[illegible] *De Cat*[illegible] [illegible] Proxi[illegible] [illegible] tepo [illegible] (*Domitianus*) [illegible] phat[illegible] [illegible] quā [illegible] [illegible]. *Idem, in A*[illegible] *colâ* Dentū tuiſſe [illegible] (*Domitianum*) [illegible] man[illegible] triumphū. *At de Dacis, Oroſius:* Prauiſſima [illegible] clatus, ſub nomine ſupera[illegible] [illegible] de [illegible] legionib.

triūphauit. *Dio ſimilia habet & nos aliquid infra. Hæc igitur ſententia, & proinde reformare p*[illegible]. [illegible] pulſi. *Sed non placet, atque aliquid omnino deſunt.* [102 Si triūpharetur.] *Nempe Romæ a Domitiano. At alij libri* ſi ab illis triumpharetur [illegible] *que tunc* de illis. [103 Niſi æquis conditionibus.] *Hócne ergo adeo iniquum, ſi æqu*[illegible] [illegible] *Romana & potentia maior, quam vt barbaris æquaretur. Neque male tamen alterutrâ vocul*[illegible] *legeris:* ac ne inducias qui[illegible] [illegible]quis [illegible]ditionibus. *vel,* inducias quidem, niſi conditionibu[illegible]. [illegible] *ce & fate- l*[illegible] *ſortius* [illegible] *magis* [illegible] *nanter. Atque adeò ſequentia dicunt, ne æquas conditiones fuiſſe,* [illegible] *arbitrium imponere.* [1[illegible]4 Terror & metus.] [illegible] *vinebo les nos terreat: minime.* [illegible] *terror a nobis ad ipſos venit, habentq; & illi metum.* [illegible] enim ad [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]bant [illegible] [illegible] *legere* [illegible] omnibus [illegible] & [illegible] *ut* [illegible]*bar.* [105 Vident Romanum ducem.] [illegible] *& Martialis verſibus* [illegible] *in Traianum palam ſui laudem:*

T[illegible]rat [illegible] nti nq[illegible],
Dixit [illegible] de [illegible]tiolæ [illegible].
P[illegible] [illegible] in prō[illegible]te [illegible] que Serum,
Thraces, S[illegible] uom[illegible]æ, Get[illegible], Brit[illegible],
P[illegible] [illegible] veni[illegible]e.

[106 Non [illegible].] *Fa*[illegible] *Domitiano, qui* [illegible] *captiuos emit,* [illegible] *Agricola* Emptis p[illegible], quorū habitus & crines in [illegible] [illegible]orum ſpe[illegible] formarentur. [107 Ingentibus damnis.] *Pecuniariis. Sed hæc* [illegible] *& ſub-* [illegible] *acciperant* [illegible] *loco, qui in Fulmanis Fragmentis publicauius. Aut me*[illegible] *eo.* Domitianus victus [illegible] Marcomannis & [illegible] Decebalū Dacorum regem, [illegible] pacem [illegible]. Quā ille ſuſcepit, ne-ſi [illegible] ipſe ad Domitianū venire [illegible] Dieg[illegible] quem [illegible] miſit, qui arma [illegible] pauca & [illegible] tos quaſ[illegible] [illegible], tradet[illegible] [illegible] facto, Domitianus, vt [illegible] vic[illegible] [illegible] Dieg[illegible] impoſuit, *nempe illi, ſed, in vicem nomineq; ab eo tis Decebali*) tanquam & ipſe [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] dona pecuniæ [illegible]. Romam etiam quaſi victor, cūm [illegible] [illegible] Decebalo [illegible] & epiſtolā ab eodem [illegible] finxiſſe: & pompa triū[illegible] [illegible] decade [illegible] non ex [illegible] quæ ipſe ab hoſt[illegible] bus [illegible] nā omnia [illegible] atqu[illegible] de [illegible] [illegible] pactum hanc emendam & [illegible] in poſterū etiam datu- rum ſe promiſit; [illegible] omne genus, vel pacis vel [illegible] Decebalo donauit: nō [illegible] ſed e[illegible] Principalibus tributis [illegible]. *En* [illegible] *triūm- phos!* [illegible] *poſtea Barbari* [illegible] *Attila rex,* [illegible] *apud Suid.* [illegible] Me[illegible] [illegible] R[illegible]man[illegible] [illegible] [illegible] R[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]bant [illegible], & [illegible] [illegible]. *Hæc Suidas,* [illegible] Ro[illegible] ſupplicāt. *Dio in Fra*[illegible] [illegible] Q[illegible] [illegible] [illegible] Le[illegible] [illegible] [illegible] ad [illegible] venei[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] quæ D[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] em ſibi fore, non cum D[illegible] [illegible] populo Romano, & Prin[illegible] [illegible]

to videbat. *Nam id bellum anno poſt hac Pliniana, cœpit. Porrò ſimilia iſtis, ſed in viro diſſimili, Stilicone ſuo, iactat Claudianus:*

Illi terribiles, quibus otia vendere ſemper
Mos erat, & fœdâ requiem mercede paciſci,
Natis obſidibus pacem, iam ſupplice vultu
Captiuóq; rogant, quàm ſi poſt terga reuincti
Tarpeias preſſis ſubeant ceruicibus arces.

[109 Te adſediſſe.] *Caſtra & prætenturas habuiſſe, in fluminum ripâ. Quia enim ibi firmiter & adſiduè, ipſa caſtra etiam* Sedes *poſteriore iſto æuo dicta.* [110 Quod amiciſſimum illis.] *Claudianus, diligens Plinij lector, & imitator:*

——quòd gentibus illis
Frigore conſuetis fauet inclementia cæli.

[111 Ripas gelu iungit.] *Sic & pontibus iungi dicuntur, cum ſcilicet commeare licet & adire, vt iniectas. De re ipsâ, & immani hoc frigore, copiosè Herodianus libro* VI. *quem vide. Ait, inter alia,* vtrumque fluuium, & Rhenum & Danubiom, per hiemem ſic gelaſcere, vt camporum in morem perequitentur. Eſſe autem adeò ſolidam firmámque glaciem, vt nō pedibus modò vngulisque hominum & equorū ſub ſiſtat; ſed qui hauſturi aquam ſunt, non tam vrnas aut vaſa ſecum afferant, quàm ſecures & dolabras, vt exciſam aquam, quaſi lapidē, ſine vllo vaſe, aſportent. *Quæ poſtrema tangere Catonem in fragmento Originum, quod apud Nonium eſt, ſcio:* Qui aquatum, vt lignatum, videntur ire. ſecurim atque lorum ferunt, gelum craſſum excidunt, eum loro colligatum auferunt. *De Rheno, opinor, dixit,* [112 Suo cælo.] *Vt Tacitus Germaniâ:* Mattiaci, ipſo adhuc terræ ſuæ ſolo & cælo acriùs animantur. *Sidus autem, Arctoum certum eſt capi.* [113 Latibulis.] *Subterraneis ſuis ſpecubus, quos contra hiemem aperiunt: Tacitus.* [114 Hiemem ſuam inferre.] *Poeticótera ſunt hæc omnia, & floridè tumentia. Dicit, milites paratos vti occaſione hiemis & glaciei, ac tranſire fluuium: quod anteà illi in nos ſolent.*

HÆC tibi apud hoſtes veneratio, quid apud milites? quam admirationem, quemadmodum comparaſti? cùm [115] tecum inediam, tecum ferrent ſitim; cùm in illâ [116] meditatione campeſtri militaribus turmis imperatorium puluerem ſudoremq; miſceres, nihil à ceteris niſi robore ac præſtantiâ differens; cùm [117] libero Marte nunc cominus tela librares, nunc [118] vibrata ſuſciperes alacer virtute militū & lætus, quoties aut caſſidi tuæ aut clypeo grauior ictus incideret: (laudabās quippe ferientes, hortabariſq; vt auderent, & audebant iam;) cùm ſpectator moderatorq; ineuntium certamina virorum, arma componeres, tela tentares, ac ſi quod durius accipienti videretur, ipſe vibrares. Quid cùm ſolatiom feſſis, [119] ægris opē ferres? Non tibi moris tua [120] inire tentoria, niſi commilitonum antè luſtraſſes, nec requiem corpori, niſi poſt omnes, dare. Hac mihi admiratione dignus Imperator non videretur, ſi inter Fabricios, & Scipiones, & Camillos talis eſſet. tunc enim illum imitationis ardor, ſemperque melior aliquis, accenderet. Poſtquam verò ſtudium armorū [121] à manibus ad oculos, [122] ad

A voluptatem à labore tranſlatum eſt; poſtquam exercitationibus noſtris non veteranorum aliquis, cui decus, muralis aut ciuica ſed [123] Græculus magiſter aſſiſtit; quàm magnū eſt vnū ex omnibus [124] patrio more, patriâ virtute lætari, & ſine æmulo ac ſine exemplo ſecū certare, ſecum contendere; ac ſicut imperat ſolus, ſolum ita eſſe qui debeat imperare?

[115 Tecum inediam.] *Præcipit Honorio ita pater Theodoſius, apud Claudianum:*

Inuenis vtare cibis. ſolabere partes
Æquali ſudore tuas.

B [116 Meditatione campeſtri.] *Exercitio in campo, μελέτη. De iſtâ eiusque modis, ſcripſi affatim lib.* v. De militiâ. [117 Libero Marte.] *Sine ira & reuerentiâ. cùm quaſi miles in militem eſſes compoſitus.* [118 Nūc vibrata.] *Imò* librata. [119 Aegris opem.] *Ars Imperatoria, valdè ad beniuolentiam parandam. Velleius, de Tiberio:* Per omne belli Pannonici tempus, nemo è militibus, cuiuſcumque gradus, imbecillus fuit; cuius ſalus & valetudo non ita ſuſtentaretur Cæſaris curâ, tanquam diſtractiſſimus ille tantorum operum mole, huic vni negotio vacaret animus. Erat deſiderantibus paratum iunctum vehiculum, lectica eius publicata: cuius vſum cùm alij, tùm ego ſenſi. Iam medici, iam apparatus cibi, iam in hoc ſolum importatum inſtrumentum balnei, nullius non ſuccurrit valetudini. *At de noſtro Traiano, Dio in compendio: cuius tamen verba plura & meliora leguntur in Suidâ, iſtæc:* Τραϊανὸς ὁ βασιλεὺς τοὺς ἐν πολέμῳ τιτρωσκομένους ἐθεράπευεν. ἐπιλειπόντων δὲ ποτε τῶν ἐπιδέσμων, οὐδὲ τῆς ἑαυτοῦ ἐσθῆτος ἐφείσατο, ἀλλ' εἰς τὰ λαμπάδια αὐτὴν κατέτεμε πᾶσαν: Traianus Princeps milites in prælio vulneratos curabat. cùm autem faſciæ & volumina deficerent, nec ſuæ quidem veſti pepercit, ſed eam totam in ligamenta & fomenta diſcidit. *O factum (quid enim altius poſſim?) verè Traiani! quod tamen & fœmina ſimile, ante eum, vſurparat Agrippina, Germanici vxor, in Tacito:* Sed fœmina ingens animi, munia ducis per eos dies induit, militibusq;, vt quis inops aut ſaucius, veſtem & fomenta dilargita eſt. *Macte & tu, alio patre & patruo, quàm Tiberio digna.* [120 Inire tētoria.] *Auſonius, de Gratiano:* Vidi te circumire tentoria; Satin' ſaluæ? quærere; tractare vulnera ſauciorum, & vt ſalutiferæ apponerentur medelæ inſtare. [121 A manibus ad oculos.] *Quas manus non in pugnâ, ſed in theatris Circisq́; mouemus. Ibi gladiatores, ibi beſtiarios depugnantes oculis vſurpamus: & in Stadiis, athletas.* [122 Ad voluptatem.] *Siue ob cauſſam iam dictā: ſiue quia tangit gymnaſia, Græcorum ritu vſurpata.* [123 Græculus magiſter.] *Pro gymnaſtes, vel aliptes, Græcis item vocibus. Nam* proh facinus (*ait Seneca in iſtâ re*) ne Romanis quidem vitiis laboramus: *nempe in ceromate dedita & haphe. Enimuerò Plutarchus, etſi Græcus, fatetur* Palæſtrā effæminaſſe corpora, & ad mollitiē deduxiſſe ſpecie exercēdi.

E [124 Patrio more.] *Quid ergo? quid à te diſco Plini? Traianū e Romanis aut Italis eſſe? Victoris epitoma hoc etiam dicat, in quâ ſcribitur,* Vipins. Traianus, ex vrbe Tudertinâ. *Atqui* Tuder *in Italia Vmbriâ eſt. Si tamen hoc, quid fiet Dioni, qui diſertè ſcribit,* ὅτι Ἴβηρ ὁ Τραϊανὸς, οὔτε Ἰταλὸς οὔτε Ἰταλιώτης ἦν: quòd Hiſpanus eſſet Traianus, & nec Italus, nec quidem Italicus. *Poteſtne clarius Hiſpanum aſſerere, & nec Italum, nec Italo patre natum? Et addit:* μηδεὶς πρόσθεν ἀλλοεθνὴς τὸ τῶν ῥωμαίων κράτος ἐσχήκει: Nemo anteà alienigena & exterus Romanum imperium eſt adeptus.

A *Et pondus lapidis accedit, quod nō amolare, ſic inſculpti:*

IMP. CÆS. NERVÆ. TRAIANO.
AVG. GERMANIC.
DACIC. PARTHIC. PONT. MAX.
TR. POT. XV. COS. VI. P. P.
DE. ROMANO. IMPERIO. DE. PATERNA. ET. AVITA
HISP. PATRIA. ET. DE. OMNI. HOMINVM. GENERE. MERITISS.
POPVLARES. PROVINC. AREVATVM. OPTIMO. PRINCIPI.

Et verò origine Hiſpanâ fuiſſe, patremq́; talem, nihil ambigo: de ipſo, ſuſpendit me ipſe lapis, dum ſcrutor. Nam nominat B *Hiſpaniam*, paternam & auitam *eius patriā. cur non* eius *ſimpliciter, ſi ibi natus? Conſidera, & momentum hoc eſt ad inclinandū: ſicut & Victor alter* ortū dicit Italicâ, *non etiam natum. Sed nec Panegyricus ſatis apertè, qui Theodoſio dictus:* Hæc (*Hiſpania*) Traianum illum, hæc Hadrianum dedit imperio. *Imò ſi ita intellegit datum, vt Hadrianum: profectò origine tantùm Hiſpanus ſit, non etiam natiuitate. Nam ille (in Spartiano) parentes quidē ab Italicâ Hiſpaniæ habuit*, natus tamen Romæ. *Hoc uerum ſi verum: quid Dionis ſuperior aſſertio, nónne concutitur ab ipſo Dione, qui in Hadriano ſcribit*, πολίτην Τραϊανοῦ, *id eſt*, ciuem & ex eâdem vrbe *fuiſſe? Ergo vterq́; Romanus. Cōtrà tamen, liquidò Eutropius, & ex eo Euſebius vt ſolet*, natū Italicæ in Hiſpaniâ, *adfirmāt. Diſtrahi me fateor. & quod ad Victorē, parata correctiūcula erat*, ex vrbe Turdetanâ: *etſi lapis tum etiā turbat, qui* Areuates (*Ptolomæo* Areuacas) populares *Traiani facit, aut certè videtur: illi autem in diuerſo Hiſpaniæ tractu, & prope* Cluniā, *in eius medit ullio ponūtur. O in viro tā illuſtri pudēdas tenebras! Vbi eſtis Græci Latiniq́; qui vitam & res huius Principis ſcripſiſtis? ſupra decem fuiſſe ſcio, ſed (ô dolor) fuiſſe. Pergamus in Plinio: qui aut verè Romanum eum habet, aut callidè vbique diſſimulat Hiſpanum fuiſſe.*

N o n n e incunabula hæc tibi, Cæſar, & rudimēta, cùm puer admodum [125] Parthicâ lauro glotiam patris augens, noménque Germanici iam tū mererere? cùm ferociam ſuperbiámque Parthorum ex proximo auditus magno terrore cohiberes, Rhenúmque & Euphratem admirationis tuæ famâ coniungeres? cùm orbem terrarum non pedibus magis, quàm laudibus peragtares, apud eos ſemper maior & clarior, quibus poſteà contigiſſes? & necdum Imperator, necdum dei filius eras. [126] Germaniamq́; cùm plurimæ gentes, ac propè infinita vaſtitas interiacentis ſoli, [127] tum Pyrenæus, Alpes, immenſique alij mōtes niſi his compararentur, muniunt dirimúntque. Per hoc omne ſpatium cùm legiones duceres, ſeu potiùs (tanta velocitas erat) raperes: [128] non vehiculum vnquam, nō equum reſpexiſti. leuis hic, non ſubſidium itineris, ſed decus, & cum ceteris ſubſequebatur: vt cuius nullus tibi vſus, niſi cùm die ſtatiuorum proximum campum alacritate, diſcurſu, puluere attolleres. Initium laboris mirer, an finem? multum eſt quòd perſeueraſti, plus tamen quòd non timuiſti, ne perſeuerare non poſſes. Nec dubito quin [129] ille qui te inter illa Germaniæ bella ab Hiſpaniâ vſque, vt validiſſimum præſidium, exciuerat, iners ipſe alienísque virtutibus tunc quoque inuidus Imperator cùm ope earum indigeret, tantam admirationem tui non ſine quodam timore conceperit: quantam ille genitus Ioue, poſt labores duráque imperia, [130] regi ſuo indomitus ſemper indefeſſúsque referebat, cùm aliis ſuper alias expeditionibus [131] itinere illo dignus inuenireris.

[125 Parthica lauro] *Nihil hac de re lēgi: comitem patris fuiſſe, id appàret. Mox velim ſcribi*, augeres. [Germaniámque.] *Defectum aliquem video, ſed leuem.* [127 Tum Pyrenæus.] *Itáne Pyrenæus inter Germaniæ terminos? ita, ſed latè illius ſumpta, vt Gallias etiam comprehendat. Nec id nouum eſt: & ſicut* Celtas *eos priſci Græci communiter vocarunt, ſic Latini modò* Germanos, *modò* Gallos *alternant. Plura exempla ſunt: ſed hoc Senecæ huc aptiſſimum, Conſolat. ad Heluiam:* Pyrenæus Germanorū tranſitus non inhibuit: *vbi de gentiū migratione agit. Ergo Germani in Hiſpaniā? non, quod ſcia. ſed Galli, id eſt Celtæ, à quibus & Celtiberia nomen habet.* [128 Non vehiculum.] *Nota duritiem & perpeſſionem laboris in Principe. de quâ etiam Dio:* Ἐβάδιζεν ἀεὶ μετὰ παντὸς τοῦ στρατοῦ πεζῇ, τούς τε ποταμοὺς, ὅσους γε ἐκείνῃ, πεζῇ διέβαινε: Pedibus ibat, iuxta ac totus exercitus: & quoſcumque fluuios illi, etiam ipſe pedeſter tranſibat. *At Velleius in Tiberij laudibus ponit, quòd* ſolus ſemper equo vectus ſit, *in bello Germanico: quo colore aut cauſſâ? Quòd molliores Principes vehiculo ſemper aut lecticâ, & durior eſt equus. Suetonius de Domitiano:* In expeditione & agmine, equo rariùs, lecticâ aſſiduè vectus eſt. *Neque omnes ſanè Traiani fuerunt. cuius factum ore qui ſubſannat, animo miretur.* [129 Ille qui te.] *Domitianus, dum bella parum proſpera cum variis Germaniæ gentibus habet. Sed accitum ait*, ab Hiſpaniâ. *Vnde nunc ergo, aut quare, illio? Exiſtimo poſt Conſulatum (quem geſſit ſub Domitiano, anno* DCCCXLIII.*) miſſum in Hiſpaniæ aliquā partem, vt præſideret. Illinc nunc cum legionibus excitum.* [130 Regi ſuo.] *Euryſtheo, qui talia imperabat.* [131 Itinere illo.] *Tā longo, difficili. Sed magis arridet, quod libri alij*, munere alio *habent. Per munera & Præfecturas, quas ſuſtinebas, gerendo probabas te aliis maioribúsque ſufficere.*

T r i b v n v s verò, diſiunctiſſimas terras, [132] teneris adhuc annis, viri firmitate luſtraſti: iamtunc [133] præmonēte fortunâ, vt diu penitùs perdiſceres, quæ mox præcipere deberes. Neque enim proſpexiſſe caſtra, breuémque militiam quaſi tranſiſſe contentus: ita egiſti tribunum, vt eſſe ſtatim dux poſſes, nihilque diſcendum haberes tempore docendi. Cognouiſti [134] per ſtipendia decem [135] mores gentium, [136] regionum ſitus, opportunitates locorum, & diuerſam [137] aquarum cælíque temperiem, vt patrios fontes patriúmque ſidus, ferre conſueuiſti. Quoties equos, quoties emerita arma mutaſti? Veniet ergo tempus quo poſteri viſere, viſendum tradere minoribus ſuis geſtiēt, quis ſudores tuos hauſerit [138] campus, quæ [139] refectiones tuas arbores, quę [140] ſomnum ſaxa prætexerint, quod deni-

que tectũ [141] magnus hoſpes [142] im-
pleueris:vt tunc ipſi tibi ingeſtiũ ducum ſa-
cra veſtigia,iiſdem in locis, monſtrabantur.
Verùm hæc olim.in præſentia quidem, quiſ-
quis paulò vetuſtior miles,hic te commilito-
ne cenſetur. quotus enim quiſque, cuius tu
non antè commilito,quàm Imperator? Iode
eſt, quòd [143] propè omnes nomine ap-
pellas; quòd ſingulorũ fortia facta comme-
moras:nec habent [144] adnumeranda ti-
bi pro rep.vulnera,quibus ſtatim laudator &
teſtis contigiſti.

[132 Teneris adhuc annis.] *Nam tribuni, illo aeuo, adoleſcentes fiebant. Hadrianus demùm inſtituit,* neminem Tribunum, niſi plenâ barbâ, fieri. *Spartianus.* [133 Præmonẽte fortuna.] *Lege,* præmuniente, *vel* præmoliẽte. *Nam Deus inquit iam tunc diſpoſuit & praſtruxit,vt adoleſcens diſceres,quæ exercẽda aut iubenda Princeps haberes.* [134 Per ſtipendia decem.] *Totius militiæ? non puto,ſed Tribunatus. Nã ſi puer admodũ (ita Plinius) militiæ Parthicæ interfuit, ſi à teneris annis Tribunus militũ; ſi deniq; anno XLII. ad imperiũ venit: quomodo probabile, decẽ tantùm annos militaſſe? At Polybius ita de Equitibus. Scimus:ſed hoc quoque,liciſſe & receptũ fuiſſe, vt vltrà; & deniq; hoc aeuo, illa Polybiana in obliuionem & ſitũ abiſſe.* [135 Mores gentiũ.] *Cum illo Vlyſſe,* —ὃς μάλα πολλὰ Πλάγχθη: &, Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω: —qui

per ſola multa iactatus —

Multorumque hominum mores atque opida nouit. *Caſſiodorus:* Ioterdũ expedit patriã negligere, vt ſapientiam quis poſſit acquirere. Vlyſſes Ithacus niſi hoc feciſſet,in laboribus (*ſcribe*, latibus) propriis forſitan latuiſſet. [136 Regionũ ſitus.] *Quod vtiliſſimum futuro Duci. Plutarchum in Philopœmene vide.*

[137 Aquarũ cœlique.] *Cur de aquis? quia Romani milites aquam aceto mixto,vulgo bibebant.*

[138 Campus.] *In quo te exercuiſti.* [139 Refectiones tuas arbores.] *Pro Ruſtice & militari item ritu,qui cibos capiebant,*

Propter aquæ riuos,ſub ramis arboris altæ.

[140 Somnum ſaxa.] *Credemúſne? credamus, & res eſt: duces militeſque olim, non in culcitis, ſed in terrâ aut gramine, & (vt magnum) in antro aut ſpecu, ſaxo impendente ac tegente, dormiſſe. Marius in Salluſtio:* At illa multo optima edoctus ſum, hiemem & æſtatẽ iuxtà pati, humi requieſcere. [141 Magnus hoſpes] *Claudianus:*

—ſtat pallidus hoſpite magoo Paſtor.

[142 Impleueris.] *Aut magnitudine (nam & corpore talis) aut certè maieſtate.*

[143 Prope omnes nomine appellas. *Mirũ, tam hercules quàm in Cyro, qui milites in numeroſo exercitu omnes nomine compellaſſe dicitur. Sed hoc ſtudium in togâ & militiâ Romanis, hac comitate erga inferiores vti, & ſic deuincire. Mox infrà.* [144 Adnumeranda tibi.] *Non opus recenſeant, aut ſuggerant: cùm tu pleruq; factis præclaris interfueris. His rebus effectum, vt milites vnicè amarent Traianum,* neque vnquã (*Dionis ſcriptum*) contemptus aut ſeditio eum militaris excepit.

S E D tanto magis prædicanda [145] mo-
deratio tua, quòd innutritus bellicis laudi-
bus pacẽ amas:nec quia vel pater tibi trium-
phalis,vel adoptionis tuæ die dicata Capito-
lino Ioui laurus, idcirco ex occaſione omni
quæris triumphos. Non times bella,nec pro-
uocas. Magnum eſt,Imperator Auguſte,ma-
gnum eſt, ſtare in Danubij ripâ, ſi transeas,
certum triumphi, nec decertare cupere cum
recuſantibus: quorum alterum fortitudine,
alterum moderatione efficitur. Nam vt ipſe
nolis pugnare,moderatio; fortitudo tua præ-
ſtat, vt neque hoſtes tui velint. Accipiet er-
go aliquando Capitolium, [146] non ina-
nes currus, nec falſæ [147] ſimulacra vi-
ctoriæ, 148] ſed Imperatore veram ac ſoli-
dam gloriam reportante,pacem, tranquilli-
tatem,& tam confeſſa hoſtium obſequia, vt
vincẽdus nemo fuerit. Pulchrius hoc omni-
bus triumphis. neque enim vnquam, niſi ex
contemptu imperij noſtri factum eſt, vt vin-
ceremus. Quòd ſi quis [149] barbarus rex
eò inſolentiæ furoriſque proceſſerit, vt iram
tuam indignationémque mereatur; næ ille,
ſiue interfuſo mari, ſeu fluminibus immen-
ſis, ſeu [150] præcipiti monte defenditur,
omnia hæc tam prona támque cedentia vir-
tutibus tuis ſentiet,vt ſubſediſſe montes, flu-
mina exaruiſſe, [151] interceptum mare,
illatáſque ſibi non claſſes noſtras, ſed
[152] terras ipſas arbitretur. Videor iã cer-
nere non ſpoliis prouinciarum,& [153] ex-
torto ſociis auro,ſed hoſtilibus armis,capro-
rúmque [154] regum catenis, triumphum
grauem. Videor ingentia ducum nomina,
[155] nec indecora nominibus corpora no-
ſcitare. Videor intueri immanibus auſis bar-
barorum [156] onuſta fercula, & ſua quẽ-
que facta [157] vinctis manibus ſequen-
tem; mox ipſum te ſublimem, inſtantémque
curru domitarum gentium tergo; ante cur-
rum autẽ clypeos, quos ipſe perfoderis. Nec
tibi opima defuerint, ſi quis regum venire in
manus audeat; nec modò telorum tuorum,
ſed etiam oculorum,minatúmque cõiectum
toto campo, totóque exercitu oppoſito, per-
horreſcat. Meruiſti [158] proximâ mode-
ratione,vt quandocunque te vel inferre, vel
propulſare bellum coëgerit imperij dignitas,
non ideò viciſſe videaris, vt triumphares,ſed
triumphare,quia viceris.

[145 Moderatio tua.] *Item Dionis laudata.* Εἰ δὲ καὶ φιλοπόλεμος ἦν, ἀλλὰ τῷ τε κατορθοῦντι, καὶ τῷ ἐχθίστῳ μὲν καθαιροῦντι, τῷ οἰκείῳ δὲ αὔξοντι ἠρκεῖτο: Etſi autem militaris gloriæ cupidus erat,tamen victoriâ contentus, & hoſtes depreſſiſſe, ſocios ſubleuaſſe, ſatis habebat. [146 Noo inanes currus.] *Iterum hæc in Domitianum.* Inanes *autem, ſpoliis vacuos. Propertius:*

Quâ videam ſpoliis onerato Cæſaris axe,
Ad vulgi plauſus ſæpe reſiſtere equos.

Poſſis & vniuerſè referre ad currus, qui cum ſpoliis ſolent præire grandi numero. Vide Plutarchum in Æmilio. [147 Simulacra victoriæ.] *Imagines & iconiſmi pugnarum, quæ in ferculis.* [148 Sed Imperatore.] *Malim,* Imperatorem, *& mox*, reportantem, *diſtinctiunculis mutatis leniter.*

[149 Barbarus rex.] *Decebalus, cum quo bellum iam in opinione, & anno ſequenti incohatum.* [150 Pre-

cipiti monte.] *Hoc quoque ad ipſum. Nam Dacia montana, & ibi in præruptis arces: Dio Caſſius:* ὁ δὲ Τραϊανὸς ὄρη τε ἀποτετειχισμένα εἷλε: Traianus montes (*Dacorum*) emunitos cepit. *Et Statius:*

Quæque ſuum Dacis donat clementia montem.

[151 Interceptum.] *E medio ſublatum.* [152 Terras ipſas.] *Quaſi Italia iam (exempli cauſâ) contigua Africa aut Illyrico eſſet.* [153 Extorto ſociis auro.] *Omnia in Domitianum. Aurum porrò* Coronarium *intellegit, quod prætextu victoriæ acerbè exigebant, nec vt collationem (ita olim) ſed vt tributum. Vide me in* Admirandis *lib.* II. [154 Regum catenis.] *Solenne, ad pompam & ſpeciem. Ouidius:*

Vincláque captiuâ reges ceruice gerentes.
Ante coronatos ire videbis equos.

Albinouanus Pedo:

Aſpiciam regum liuentia colla catenis,
Duráque per ſæuas vincula nexa manus.

Vopiſcus Aureliano: Incedebat etiam Zenobia gemmis ornata, catenis aureis, quas alij ſuſtentabant. *Adeò graues ſcilicet catenæ iſtæ, vt ſupportanda eſſent. Vetus planè mos, & Dionyſius in triumpho T. Quinctij Cincinnati.* τόν τε ἡγεμόνα τῶν πολεμίων, καὶ τοὺς ἄλλους ἐπιφανεῖς δεσμώτας ἐπιδεικνὺς ἦγε: Ducem hoſtium, aliósque illuſtrium, catenis vinctos ante ſe egit. [155 Nec indecora corpora.] *Nomina magna, & in famâ omnium, & corpora item magna reſpondebant. An* nomina magna, *longa & polyſyllaba: vt* Decebalus *& talia Barbarorum.* [156 Onuſta fercula.] *Id eſt, in ipſis ferculis expreſſa facinora audacia Barbarorum. Nam ibi flumina, vrbes, pugnæ, quidquid ſingulare, populo oſtendebatur. Tacitus* II. *Annal. de Germanici triumpho:* Vecta ſpolia, captiui, ſimulacra montium, fluminum, præliorum.

Propertius:

—& titulis opida capta legam.

Claudianus:

Hi famulos traherent reges, hi facta metallis
Opida, vel montes, captiuáque flumina ferrent.

Metallis *aut facta, id eſt auro vel argento, ſed & ebore, cero, aut ſiquid aliud carum vel rarum. Vide Suetonium Iulij cap.* XXXVII. *Dionem* XLIII. *qui hæc* Fercula πομπεῖα *vertit, iiſque imponit* ἔργων εἰκόνας, factorum imagines: *ſed ante omnes Ioſephum, in Iudaico triumpho, qui* Pegmata *ea dicit.* [157 Vinctis manibus ſequentem.] *Nota morem triumphalem. Facta ipſa in ferculis, auctores præcipui eorum iuxta ea ſequebantur. Aut etiam in ipſo ferculo impoſiti, ſublimes ita monſtrabantur. Ioſephus clarè:* τέτακτο δ' ἐφ' ἑκάστῳ τῶν πηγμάτων ὁ τῆς ἁλισκομένης πόλεως στρατηγός: Impoſitus erat in vnoquoque pegmatum dux vrbis captæ. *Seneca, De vitâ beatâ* In alienum imponar ferculum, exornaturus victoris feri pompam. *Propertius:* Et ſubter captos arma ſedere duces. *Nam habitu ita mæſto & ſupplice repræſentabantur.* [158 Proxima moderatione.] *Cùm ad Danubium ſederes, certus victoriæ, ſi tranſiſſes.*

ALIVD ex alio mihi occurrit. quàm ſpecioſum eſt enim, quòd diſciplinam caſtrorum lapſam extinctámque refouiſti, depulſo prioris ſæculi malo, inertiâ, & contumaciâ, & [159] dedignatione parendi? Tutū eſt reuerentiā, tutū caritatem mereri: nec ducū quiſquam, [160] aut non amari à militibus, aut amari timet. & inde offenſæ gratiæque pariter ſecuri, [161] inſtant operibus, [162] adſunt exercitationibus, arma, [163] mœnia, viros aptant. Quippe non is Princeps, qui ſibi imminere, ſibi intendi putet, quod in

A hoſtes paretur: quæ perſuaſio fuit illorum, qui hoſtilia cùm facerent, timebant. Eodem ergo tempore militaria ſtudia, nec animos modò, ſed & corpora ipſa langueſcere, gladios etiam incuriâ hebetari retundíque gaudebant. Duces porrò noſtri, non tam regum exterorum, quàm ſuorum [164] Principum inſidias; nec tam hoſtium, quàm commilitonum manus ferrúmque metuebant. Eſt hæc natura ſideribus, vt parua & exilia validiorum exortus obſcuret: ſimiliter Imperatoris aduentu [165] Legatorum dignitas inum-
B bratur. Tu tamen maior omnibus quidem eras, ſed ſine vllius diminutione maior. eandem auctoritatem præſente te quiſque, quam abſente retinebat. quin etiam pleriſque ex eo reuerentia acceſſerat, quòd tu quoque illos reuerebare. Itaque perinde ſummis atque infimis carus, ſic Imperatorem commilitonémque [166] miſcueras, vt ſtudium omnium laborémque, & tanquam exactor intenderes & tanquam particeps ſociúſque releuares. Felices illos, quorum fides & induſtria, non per internuncios & interpretes, ſed ab ipſo te, nec auribus tuis, ſed oculis probabantur!
C Conſecuti ſunt, vt abſens quoque de abſentibus, nemini magis, quàm tibi crederes.

[159 Dedignatione parendi.] *Quod malū ipſi Principes augebant, quibus nec gratum, nimis audientes Ducibus milites eſſe. Imò nec tutum erat, vt addit, reuereatiam mereri.* [160 Aut non amari.] *Acutè. Securi duces nunc, inquit, vel in odio militum, vel in amore. Cur in odio? quia delationibus non apud te locus. In amore? quia nec tua virtutis ab alienâ times.*

[161 Inſtant operibus.] *Quæ res odia gignere ſolet, ſi duces rigidi operum & munium exactoris, præſertim æuo & militiâ iam molliore. At ſub Traiano faciebant, & diſciplinam & morem veterem inſtaurantes.* [162 Adſunt exercitationibus] *Nam & ea ſub*
D *Tyrannis omiſſa, aut remiſſa, cùm ſegnitia pro ſapientiâ eſſet.* [163 Mœnia.] *Caſtrorum, aut vrbium in limitibus. An* munia *placet legi? Inde* Munifices *milites. qui facere ea cogebantur;* Immunes, *qui exempti. Nam quòd vir doctus* armamenta *iunctim hic legit, cui docto probabit?* [164 Principum inſidias.] *Qui vel per calumnias in Senatu, vel per ſubmiſſos percuſſores in caſtris tollebant. Ideò ſubiungit,* cōmilitonū manus timuiſſe: *& eſt in Tacito, de ſublato Cinicâ, ſtinente Domitiano, exēplū. Quid, quòd ipſe Agricola, veneno ſublatus à ſuſpicioſo atque inuido Principe putabatur? At Traianus noſter liber purúſque horum ſcelerum: qui, vt Dio ait,* οὔτε ἐφθόνει, οὔτε καθῄρει τινά, ἀλλὰ καὶ πάνυ πάντας τοὺς ἀγαθοὺς ἐτίμα καὶ ἐμεγάλυνε: neque inuidit cuiquam, neque occidit, ſed planè omnes bonos & honeſtabat, & dignitate augebat. [165 Legato-
E rum.] *Hic* Conſulares *intellegit, & prouinciis copiiſque præfectos. Nam* Legati *iſto æuo duplices:* Conſulares, *iidem dicti loco Præſidum, &* Prætorij, *minores, qui ſub illis ſingulis legionibus Præfecti. Sunt iſta ab ordinatione Auguſti, quæ Dionis optimè expreſſa in Oratione Mæcenatis, lib.* LII. [166 Miſcueras.] *Auctoritate & comitate. tum etiam, quod exigebas opera ſiue exercitia, & idem obibas.*

IAM te ciuium deſideria reuocabant, amorémque caſtrorum ſuperabat caritas patriæ.

Iter

Iter inde placidum ac modestum, vt plan[illegible] à pace redeuntis. Ne[illegible] vero ego in laudibus tuis ponam, quòd adu[illegible]ntum tuum [167] non pater quiſquam, no[illegible] maritus expauit. affectata aliis [illegible] ca[illegible] [168] tibi in[illegible]nita & innata, interque ea [169] [illegible] pu[illegible]re non poſſis. N[illegible]lus [illegible] [170] ex[illegible]ndis [illegible] tu[illegible], nullum circa l[illegible] [171] annona, quæ [c]eteris. A[illegible]tatus [172] accinctus, & parens. d[illegible] gnum [illegible]quem ducem, ac te potiſſim[u]m ad exercitus ire: ade[illegible] nil [illegible] te p[illegible] interrat, inter Imp[er]at[ore]m factum, [illegible]tum. Quam diſſimi[illegible] nup[er] alte[r]ius Principis tranſitus? ſi tamen tran[illegible] ſic non po[pu]latio fuit, cùm [173] abactus hoſpitum exerceret, omniaque dextra læ[illegible] p[illegible] & [illegible], vt ſi [174] [illegible] aliqui, vel [illegible] Barbari, [175] quos [illegible], incideren[illegible]. Perſuadendum prouincijs erat, illud iter Domitiani fuiſſe, non Principis. Itaque non tam pro tuâ gloriâ, quàm pro vtilitate communi, [176] edicto ſubiecisti, quid in vtrumque veſtrûm eſſet impenſum. Adſueſcat Imperator cum Imperio calculum ponere: ſic exeat, ſic redeat, tanquam rationem redditurus: edicat quid abſumpſerit: ita fiet vt non abſumat, quod pudeat edicere. Præterea futuri Principes velint nolint, ſciant [177] tanti tuum conſtat: propoſitiſque duobus exemplis meminerint perinde conie[c]turam de moribus ſuis homines eſſe facturos, prout hoc vel illud elegerint. Nónne his tantiſque meritis, nouos aliquos honores, nouos titulos, merebare? At tu etiam nomen Patris patriæ [re]cuſabas. Quàm longa nobis cum modeſtiâ tuâ pugna? quam tarde vicimus? Nomen illud quod [178] alij primo ſtatim principatus die vt Imperatoris & Cæſ[ari]s receperunt, tu vſque [illegible] iſt[illegible], donec tu quoque benefic[iorum] [illegible] tuorum parciſſimus æſtimator, iam te mereri fatereris. Itaque ſo[li] omnium contigit tibi, vt Pater patriæ eſſes antè quàm fieres: eras enim in animis, in iudi[cij]s noſtris, nec publ[ic]æ pietatis intererat quid vocarere, [n]iſi quo[d] [illegible] [videba]tur, ſi te Imperatorem potius vocaret & Cæſarem, cùm patrem experiretur. Quod quidé nomen quâ benignitate, quâ indul[illegible] [illegible]rer cu[illegible] cũ ciuibus tuis [qu]aſi cũ l[iberis] [illegible] viuis? Vt r[illegible]erſus I[illegible] q[illegible] [179] [illegible] ſce[illegible] nos, [illegible] p[illegible] par[illegible] & hoc tan[t]um ceteris maior, [illegible].

[[illegible]] *Q[illegible] [illegible]* [illegible]

[illegible] *no* [illegible] p[illegible] [illegible] non p[illegible] *le* [illegible] *Vix enim induci* [illegible] *ſe na-*

A *[illegible]* [illegible] E[illegible]. *Quæ eſſi publica per vias di[illegible] [illegible] Principes ſufficiebant. Erat itaque Palatinum munus in hanc rem, vt [illegible] lapide.* M. VLPI[illegible]. AV[illegible]. L. CR. SEIN[illegible]. AB. VEHICVLIS *fueritque profecti* [illegible] *Vlpij Tra*[illegible] *Et* [illegible] *cru* [illegible] *in* [illegible] VEHICVLA[illegible] F. IT[illegible] REMISSA *ſed a publ[illegible] cursum* [illegible] *quod a* [illegible] *Princeps.* [171] [A]nnona, quæ cete[ris]. *Spartianus in Hadriano* [illegible] cibis [illegible] aſtentibus in [illegible] v. batu [illegible] cal[illegible], poſ[illegible], [illegible] *em* [illegible] *Hadrianum Principem fecit* [illegible] *creatura* [172] [A]ccinctus. *Metaphora, non fluens* B *aut ſolutus, vere adſtrictus & vt milites ſuos dece*[illegible], [173] Aba[ct]us hoſpitum. *[Qu]omodo? [illegible] ab*[illegible] *an res atque animantes eorum?* [illegible] *aut* [illegible] *m*[illegible] *em* [174] [illegible] al[i]qua.] [illegible] *cate* [illegible] Q[illegible]. *Adde quæ ſupra, de* [illegible] *in Domitianum, tota hac oratione* [illegible] *Plinianis* [illegible] *ſcopum.* [176] Edicto ſubiecisti [illegible] *edi*[illegible] *pacatis limine defen*[illegible] *de impendiis* [illegible] [177] T[anti] [illegible] *patienter audio* [illegible] *Critica priori* [illegible] *Re*[illegible] *est, vt* [illegible] *inquit, poſteri* [illegible] *alterius.* C [178] Alij p[ri]mo ſtatim. *No*[n] *omnes, ne hoc per*[illegible] *Auguſtus quidem* [illegible] *Tiberius* [illegible] *Nero, per ætatem* [illegible] *in Suetonio ita leges. Quam tamen plerique a*[illegible] *Plinio hoc* [illegible] *An non tandem Capitolinus, qui ſic in Pertinace:* Primus ſanè omnium, e[a] die quâ Auguſtus eſt appellatus, etiam Patris patriæ nomen recepit. *Aperta, vt videtur,* [illegible] *Ex*[illegible] *concipies* [illegible] *aliter ordinandum, hoc modo* E[a] [d]em die quâ A[u]guſtus eſt appellatus, & Flauia [T]itiana eius vxor Auguſta eſt appellata, eis horis quibus ille in Capitolio vota ſoluebat: prima ſanè omniũ eâ die, quâ Auguſtus eſt appellatus, etiam Patris patriæ nomen recepit. *Quam* [illegible] *nullam* [illegible] *ſententiam totam mutamus* [illegible] *vere,* [illegible] *dico. Non de Auguſto, ſed* D *Augu*[illegible] *adſirm*[illegible], *p*[illegible] *eodem die hoc* [illegible] *eſſe, quo & maritus. Examina priorem hiſtoriam, ita reperies. Liuia illa, poſt mortem denique mariti,* teſtamento in nomen Auguſtæ adſumpta; *quod Tacitus & Dio adfirmant. Agrippina Claudij, longule poſt nuptias* auge[illegible] [illegible] [illegible]to Auguſtæ: *Tacitus & Domitianus, ille ſuperbus tamẽ ſuam* altero denique anno ſalutauit Au[gu]ſtam: *Suetonius. Antoninus Pius, aliquamdiu poſt imp*[illegible]m, Fauſtinam Auguſtam appella[illegible]. *Notes igitur hoc poſtea, & ſe*[illegible]. *S*[illegible] *aliud neque aliud Capitolinus voluit, quàm hun*[illegible] *ſtudio properum* [illegible] *Pertinax in Ca*[illegible], *enim* [illegible] *accenſuiſſe vxori.* [179] Agno- E [illegible] *nihil in ſtatum mutatus, comiter appell*[illegible] *ſalutat ciues,* [illegible] *ab iis vicissim idem ille agnoſce*[illegible] *quod ad mo*[illegible]. *Imperium acceſſit, modeſtia non ab*[illegible].

A[illegible] [180] o qui dies ille, quo ex[s]pe[ctatus] [illegible] [v]ſque vrbem tuam ingreſſus es? Iam hoc ipſum, quòd ingreſſus es, quàm mirum lætumque? nam priores inuehi, & importari ſolebant, non dico quadrijugo curru, & albentibus equis, ſed [181]

[illegible]

humeris

humeris hominum, quod arrog[illegible]ntius erat. Tu ſolâ corporis pro[illegible]ritate celſior [illegible] & excelſior, non de patientiâ noſtrâ q[illegible]endam triumphu[illegible] ſed d[illegible] ſuperb[illegible] Principum egiſti. Er[illegible]o [illegible] non [illegible]ctudo, non ſexus retardauit, quò minus oculos inſolito ſpectaculo impleret. Te paruuli noſcere, oſtentare iuuenes, mirari ſenes, ægri quoque neglecto medentium imperio, ad conſpectum tui, quaſi ad ſalut[illegible]m ſan[illegible]tat[illegible] [illegible]que prorepere. [illegible] de alij ſe [illegible] vixiſſe te viſo, te recepto; alij [illegible] magis [illegible] viu[illegible] [illegible], prædicabant. F[illegible]minas et[illegible]m tun[illegible] [182] ſe unditatis ſuæ maxima voluptas ſubiit, c[illegible]m cernerent cui Principi ciue[illegible], cui Im[illegible] [illegible]periſſent. Videres [183] [illegible], ac la[illegible]rantia, a[illegible] ne eum q[illegible] m [illegible]acantem locum, qui non niſi [184] ſuſpenſum & inſtabile veſtigium caperet; oppletas vndique vias, anguſtúmque tramitem relictum tibi alacrem hinc atque inde populum, vbique par gaudium paremque clamorem. Tam æqualis ab omnibus ex aduentu tuo lætitia percep[illegible]a eſt, quàm [185] omnibus veniſti: quæ tamen ipſa cum ingreſſu tuo creuit, ac prope [186] in ſingulos gradus adaucta eſt. Gratum erat cunctis, quòd [187] Senatum oſculo exciperes, vt [188] dimiſſus oſculo fueras. gratum, quòd [189] equeſtris ordinis decora honore nominum, [190] ſine monitore, ſignares: gratum, quòd tantum non vltrò c[illegible] [illegible] tibi ſalutaris, quaſdam familiaritatis notas adderes. [191] gratius tamen, quòd ſenſim & placidè, & quantum [192] reſpectantium turba pateretur, incederes: quòd occurſantium populus te quoque, te imò [193] maximè aſtaret; quòd primo ſtatim d[illegible] [illegible]latis tuum cred[illegible]es omnibus. Neque enim ſtipatus ſatell[illegible]tum manu, ſed circumfuſus vndique nunc Senatus, nunc equeſtris ordinis flore, prout alterutrum frequentiæ genus inualuiſſet, [194] ſilentes quietóſque lictores tuos ſubſequebare. [illegible] [195] milites [196] nihil à plebe habitu, tr[illegible]nquillitate, modeſtiâ differebant.

[180 Qui dies.] *Quem votis aduocat Martialis lib. x. epigr. v1. & v11.*

[181 Humeris hom[illegible]] *[illegible] neccollati in lecticis. Imitatur Pacatus in The[illegible] [illegible] [illegible]lera que eminentiores (ſemel moneamus e[illegible] loc[illegible])* Qui[illegible] quando in lucem venire, & d[illegible]nſerte potui[illegible] ne lecticis, thenſiſque ſubuecti, & denſiſſima ſup[illegible] cúmque coopeni virorum armorumque [illegible] ſenſim atque ad numerum inou[illegible] *& plura [illegible]des, adde vel cum Plinianis argu[illegible] & Ve[illegible] tantia. Porrò à noſtro Domitianum prac[illegible]*

[182 Fecunditatis ſuæ.] *Senec[illegible] de [illegible] bono Principe.* Tollere filios cup[illegible]nt, & [illegible] indicta ſterilitas recluditur. [18[illegible] R[illegible]ta[illegible]] *Suprema aduum pariet, vi[illegible] Au[illegible] proprie capit, que plana [illegible] con[illegible] [illegible] [illegible] inſiſtit Claudianus,*

Nonne vides, & plebe [illegible]
Matribus?

[illegible] in Honorij

——quam [illegible] licuit com[illegible]
Vna replet turb[illegible] [illegible]cies, [illegible]
[illegible]mavios, altas e fulgere ma[illegible]bus [illegible]

Itaque altior adeunt [illegible] in theatr[illegible].

[184 Suſpenſum & inſta[illegible]] *[illegible] dis aut procellurus pariesum.* [185 [illegible]ſti.] *Nempe, æqualiter vent[illegible] benignus.* [186 In ſingu[illegible]os grad[illegible]] *Tum [illegible] ter acceperis. Te procedente, ma[illegible] magi[illegible] ip[illegible] ſi, & [illegible] Nam [illegible] [illegible] aut [illegible]* [187 S[illegible]atum [illegible] [illegible] de [illegible]] Ill[illegible] honeſtatus aſſa[illegible]le menſa beatus, ille oſculo conſecratus eſt. *E[illegible] g[illegible] igitur oſculo ſolent excipere, etſi præterea aut [illegible] Principes faſtidierunt. De Caligula Dio:* Pauci[illegible] oſculatus eſt, pl[illegible]iſque autem, etiam Senatorum manum vel pedem præbuit oſculandum. *De N[illegible] Tranq[illegible]illus* Neque aduenièns, neque proficiſcens, quenquam oſculo impertiuit. *Quid Domitianus? ille ſecundum Principis,* Cænidi patris concubinæ, oſculum, vt ſolet, offerenti, manum præbuit. *Cogita, quid in Principatu. Nempe his [illegible] illud, apud Arrianum (lib. [illegible] rerum Alexandri inſederat:* [illegible] *).* Hominibus oſculum à ſalutantibus dari, at numina in alto poſita, quia contingere non licet, adoratione coli. *Et iſti profectò inter numina ſe cenſebant. De toto vita [illegible] ego. 11. Electorum, ſuo capito.*

[188 Dimiſſus oſculo.] *[illegible] adhuc [illegible] par, & pro communi more.*

[189 Equeſtris ordinis decora.] *Nota. Non verò totum ordinem (multa in eo millia) ſed decora & apices. Et ſatis mirum de Nerone ſcribi, à Tranquillo:* Omnes ordines ſubinde, ac memoriter ſalutauit. *Treſne omnes ordines: populum, equitem, Senatum? infinitum ſit, & nulla memoria fecerit. Sine cauillo [illegible] aut calumnia accoper[illegible],* Omnes *quot[illegible] eſſet, ſingulos ordines, [illegible] res ferret, [illegible] expreſſius [illegible], omnes quidem ordines ſed non qui in ordinibus. Mens eſt, nec plebem quidem in ſalutationibus omiſſam. Sed [illegible] rara memoria q[illegible] in Auguſto etiam laudibus,* quod p[illegible] [illegible] ſedentes, & quidem nominatim [illegible] *ita Sueto[illegible] de ill[illegible] ſed Pat[illegible] [illegible], qui ad [illegible]* unc, *[illegible] Luſi[illegible] aliquate [illegible] loco, & [illegible]:* Omnes S. ordine ſubinde, *quoi eſſet, omnes Senatores, & [illegible] Auguſti [illegible]. Sed [illegible] [illegible] exemplis* [illegible]ges prope m[illegible]es [illegible] o S[illegible]ne [illegible] *ta [illegible] pparebat.*

[191 Gratius quod ſenſim.] *Simi[illegible] aſſe[illegible] aperit Panegyriſtes Conſtantini:* [illegible], qui te prop[illegible] aſpicere [illegible] poſſint nn[illegible] [illegible]as, loci quem occupauer[illegible] *Eſt* [illegible] etiam [illegible] [illegible] palam & *plura.*

[192 R[illegible] [illegible]m tu[illegible]a.] *[illegible] te diſcedebant, per [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible] alet [illegible] ſuũ, tumque vna tardabant.*

[193 Maximè aſtaret.] *[illegible] de [illegible] cup[illegible] improbe occurſa[illegible] quia [illegible] [illegible]*

[194 [illegible]] *[illegible] nel aut. De illo, [illegible] etiam* S[illegible]

illc lictorum & prænuncius clamor. *Quid prænunciant? Conſulem aut magiſtratum venire. ſolenni verbo,* Animaduertite. *De virgâ, quâ pellebant aut pulſabant, Panegyricus Theodoſio:* Tom longè populus abigebatur, nec otioſa viatoris manus plebem verbere abigebar. *Plura in 1. Electorum, capite* De Lictoribus. [195 Nam milites.] *Iſ quoque ſtipabant Principem, & ferociter ſeſe ſubmonere. Non fecit Traianus: nec Pertinax quidē, de quo Herodianus:* Ἐκέλευσε τοὺς στρατιώτας παύσασθαι τῆς πρὸς τοὺς δήμους ὕβρεως, καὶ μήτε παίειν τινὰ τῶν παριόντων: Milites iuſſit abſtinere ab omoi contumeliâ in populum, & nec pulſare aliqoem adeuntium. [196 Nihil à plebe habitu.] *Quiáne togati erant? Capitolinus, in M. Antonino:* In Italiam veniens rogam & ipſe ſumpſit, & togatos iuſſit eſſe milites: occ vnquam ſagati fuerunt ſub eo. *Quod honoris Italia & vrbis datum, in quâ ipſa cuſtodia Principis togata. Tacitus.* Nec vna cohors togata defendit ounc Galbam, ſed detinet.

VBI verò cœpiſti [197] Capitolium aſcendere, quàm læta omnibus adoptionis tuæ recordatio? quàm peculiare gaudiũ eorum, qui te primi eodem loco ſalutauerant Imperatorem? quin etiam deum ipſum tunc præcipuam voluptatem operis ſui percepiſſe crediderim. Vt quidem [198] iiſdē veſtigiis inſtitiſti, quibus parens tuus ingēs illud deorum prolaturus arcanum, quæ circumſtantium gaudia? [199] quàm recens clamor? quàm ſimilis illi dies, qui hunc genuit diem? vt plena altaribus, [200] auguſta victimis cuncta? vt [201] in vnius ſalurem collata omnium vota? cùm ſibi ſe ac liberis ſuis intelligerent precati, quæ pro te precarentur. Inde tu in Palatium quidem, ſed eo vultu, ſed eâ moderatione, vt ſi priuatam domum peteres: ceteri ad penates ſuos quiſque, iteraturus gaudij fidem, vbi nulla neceſſitas gaudendi eſt. Oneraſſet aliũ huiuſmodi introitus, tu quotidie admirabilior & melior: talis denique, quales alij Principes futuros ſe tantùm pollicentur. Solum ergo te commendat augétque temporis ſpatium. iunxiſti enim ac miſcuiſti [202] res diuerſiſſimas, [203] ſecuritatem olim imperantis, & incipientis pudorem. Non tu ciuium amplexus [204] ad pedes tuos deprimis, nec oſculum [205] manu reddis. manet Imperatori [206] quæ prior humanitas, dexteræ verecundia. Incedebas pedibus? incedis. lætabaris labore? lætaris. [207] eademq; omnia illa circa te, nihil ipſo te fortuna mutauit. Liberum eſt ingrediente per publicum Principe ſubſiſtere, occurrere, comitari, præterire. Ambulas inter nos, [208] non quaſi contingas: & copiam tui, [209] non vt imputes facis. [210] Hæret lateri tuo quiſquis acceſſit, finémque ſermoni [211] ſuus cuique pudor, non tua ſuperbia facit. Regimur quidé à te, & ſubiecti tibi, ſed quemadmodum legibus ſumus. nam & illæ cupiditates noſtras, libidinéſque moderantur; nobiſcum tamen, & inter nos, verſantur. Emines, excellis, vt honor, vt poteſtas, quæ ſuper homines quidem, hominum ſunt tamen. Ante te Principes, faſtidio noſtri & quodam æqualitatis metu, vſum pedum amiſerant. illos ergo [212] humeri, ceruicéſque ſeruorum [213] ſuper ora noſtra; te fama, te gloria, te ciuium pietas, te libertas ſuper ipſos Principes vehunt: te ad ſidera tollit humus, [214] ita communia & confuſa Principis veſtigia.

[197 Capitolium aſcendere.] *Priſcâ pietate & ritu; Diis in abitu vota nuncupare, in reditu ſoluere.* [198 Iiſdem veſtigiis.] *In ſuggeſtu ante editiore loco, vt ex Cedreno dixi in adoptione à Neruâ factum. Sed cur ille, hoc clarum: cur nunc Traianus? neque enim ibi concio. Puto alterutrum, ſiue vt Iouem eminētior, & conſpicuus omnibus, ſalutaret; ſiue vt populum ipſum. Nam & hunc venerari in publico Principes ſolent.* [199 Quàm recens clamor.] *An repens & ſubitus? Sed nil muto. toti nempe via clamauerant fauerántque; tamen nunc alacriter & fortiter iterùm, quaſi recentes.* [200 Auguſta victimis.] *Vt moris in aduentu & auſpiciis noui Principis, quem Diis commendabant. Tacitus 11. Hiſtor.* Extructis altaribus cæſiſque victimis, regium in morem: *Vitellio ſcilicet adueatante: Quid, quòd in Caligulæ, optatiſſimi (heu vana ſpes!) Principis initio, ſupra centum ſexaginta millia victimarum cæſa? Suetonius tradit: & ego plura, ad Taciti dictum locum.* [201 In vnius ſalutem:] *Infrà:* Non diſtringimus te (*Iupiter*) votis. implex, cunctaq; iſta complexũ, vnum omniũ votum eſt, Salus Principis. [202 Res olim diuerſiſſimas.] *Phraſi pari & acumine, Tacitus de Neruâ:* Res olim diſſociabiles miſcuit, Principatum & libertatem. *Pacatus de ſeſe:* Res diuerſiſſimas iunxi, metum & temeritatem. [203 Securitatem.] *Qui diu imperarunt, fidunt iam ſibi, ac potentia ſua ſunt ſecuri: qui incipiunt, metum aliquem & pudorem, vt in re nouâ & arduâ, habent. At tu, inquit, vtrumque iungis & temperas: ſecurus, vt vetus regnandi, verecundus modeſtúſque, vt tiro.* [204 Ad pedes.] *Vt Caligula, & eiuſmodi monſtra.* [205 Manu reddis.] *Infrà:* Cùm velut affixi curulibus ſuis, manum tantùm, & hanc cunctanter, & imputantibus ſimiles promerent. [206 Quæ prior.] *Aliquid hic alterutrâ vulneris aut defectus, ſed ex Cuſpiniani libro ſupplendi. In illo eſt:* quæ prioris humanitas dexteræ verecundia. *Planè legendum*, quæ *prior oris humanitas, dexteræ verecundia. *Ad antecedentia hoc refer. Ore oſculum reddis; humanitas eſt: dexteram oſculandam non offers; verecundia eſt.* [107 Eadémque omnia illa.] *Vide ne argutius veriúſque:* eadémque omnia. Ita circa te, nihil in ipſo te fortuna mutauit. [208 Non quaſi contingas.] *Iterum melius:* inter nos, nos quaſi contingas: *quaſi vnus ſis è nobis.* [209 Non vt imputes.] *Vt quaſi beneficium inſcribas, in rationibus noſtris ponas. Id eſt, ita hoc facis, tamquam faciendum ſit: non quaſi nouum aliquid aut magnum.* [210 Hæret lateri tuo.] *Quo nomine laudatur & Marcus Imp. ab Hadriano:* Παρεῖχε δὲ καὶ τοῖς ἀρχομένοις ἑαυτὸν ἐπιεικῆ καὶ μέτριον βασιλέα, τούς τε προσιόντας δεξιούμενος, καὶ κωλύων τοὺς περὶ αὐτὸν δορυφόρους ἀποσοβεῖν τοὺς ἐντυγχάνοντας: Exhibuit ſe ſubditis comem & commodum Principē, cùm quoſuis accedentes exciperet, & vetaret ſtipatores quemquam adoenientem à ſe repellere. [211

* Sine niã prim.

Suus

Suus cuique pudor.] *Qui ſermonem magnum breuem:que facias, vt ipſe talis.*

[212 Humeri ceruicéſque.] *Nempe in lecticis. Sed quid: nonne vulgo ea in vſu? nonne, non dicam Senatores, ſed equites, & omnes paulo honeſtiores iis vecti? Factum, & docui 1. Electorum. Quæ igitur hic ſuperbia culpata? Quòd vbi Princeps, & maior illa perſona; itemque in publicis conuentibus, aut pompis; alij abſtinerent à lecticis, & pedibus graderētur. At illi, vt eminerēt, aſſumebant, & quod hic addit, ſuper ora & capita aliorū ferebantur.* [213 Super ora noſtra.] *Iuuenalis:*

——turba cedente vehetur
Diues, & ingenti curret ſuper ora Liburno.

Seneca: Quos ſupra capita hominum lectica ſuſpendit. [214 Itacommuoia.] *Iam olim emendauimus:* ita communis: *de humo ſcilicet, quam tu Traiane nobiſcum calcas, & veſtigia cum noſtris miſces.*

N E c vereor P.C. ne longior videar, cùm ſit maximè optandum, vt ea pro quibus agūtur Principi gratiæ, multa ſint: quæ quidem reuerentius fuerit integra illibatáque cogitationibus veſtris reſeruari, quàm carptim breuitérque perſtringi. quia ferè ſequitur vt illa quidem, de quibus taceas, tanta quanta ſunt, eſſe videantur. Niſi verò leuiter attingi placet, locupletatas tribus datúmque [215] cōgiarium populo, & datum totum, [216] cùm donatiui partem milites accepiſſent. An mediocris animi eſt his potiùs [217] repræſentare, quibus [218] magis negari poteſt? Quanquam in hac quoque diuerſitate, æqualitatis ratio ſeruata eſt. æquati ſunt enim populo milites, eò quòd partem, ſed priores: populus militibus, quòd poſterior, ſed totum ſtatim accepit. Enimuerò quâ benignitate diuiſum eſt? quantæ curæ tibi fuit, ne quis expers liberalitatis tuæ fieret? Datum eſt his qui poſt [219] edictum tuum, [220] in locum eraſorum, ſubditi fuerant: æquatique ſunt ceteris illi etiam, quibus non erat promiſſū. Negotiis aliquis, valetudine alius, hic mari, ille fluminibus diſtinebatur; exſpectatum eſt prouiſúmque, ne quis æger, ne quis occupatus, ne quis denique longè fuiſſet. veniret quiſq; cùm vellet, veniret quiſq; cùm poſſet. Magnificum Cæſar, & tuum, diſiunctiſſimas terras, munificentiæ ingenio [221] velut admouere, immenſaque ſpatia liberalitate contrahere, intercedere caſibus, occurſare fortunæ: atque omni ope adniti ne quis è plebe Romanâ dante cōgiariū te, hominem magis ſentiret fuiſſe, quàm ciuem. Aduentante congiarij die, obſeruare Principis egreſſum in publicum, inſidere vias examina infantium, futuruſque populus ſolebat: labor parentibus erat oſtentare paruulos, impoſitóſque ceruicibus adulantia verba blandaſque voces edocere: reddebant illi quæ monebantur. ac plerique irritis precibus ſurdas Principis aures adſtrepebant, ignaríque quid rogaſſent, quid non impetraſſent, donec [222] planè ſcirent, differebantur.

A Tu ne rogari quidem ſuſtinuiſti. & quanquā
lætiſſimum oculis tuis eſſet, conſpectu Romanæ
ſobolis impleri, omnes tamen antequàm
te viderent, audiréntve, recipi, [223]
incidi iuſſiſti: vt iam inde ab infantiâ parentem
publicum munere educationis experirentur.
creſcerent de tuo, qui creſcerent tibi;
alimentiſque tuis ad ſtipendia tua peruenirent;
tantúmque omnes vni tibi quantum
parentibus ſuis quiſque, deberent.

[215 Congiarium populo.] *Id eſt plebi, nec niſi illi parti fere (ita obſerues) quæ frumentum è publico*
B *capiebat. Martialis.*

Dat populus, dat gratus eques, dat thura Senatus.

Ita Popularia *in theatris, plebis loca: &* Populares, *homines è plebe. Suetonius voce* Populi *crebrò ſic vtitur, vel aſſiduè.* [216 Cum donatiui partem.] *Hæc res ita fuit. Promiſerat congiarium plebi, donatiuum militis, eodem tempore (nam ſic ferè ſolet) Traianus. At cùm ærarium vtrique largitioni ſimul non ſufficeret, dimidium promiſſi militibus ſtatim dedit: populo, totum, ſed paullo ſeriùs. Ita illi in tempore prælati, hi in ſummâ.* [217 Repræſentare.] *Totum in præſenti ſoluere.* [218 Magis negari poteſt.] *Quidni? aut quid à populo præter voculas & querelas, timeat? Sed miles & facta addere poteſt: tamen illi totum datum, huic negatum aut dilatum: quod magnitudinem animi iure inter-*
C *pretatur.* [219 Edictum tuum.] *Quo proſcripſiſti, & pronunciaſti publice te daturum.* [220 In locum eraſorum.] *In tabulis ciuium nomina, qui frumentum capiebant. Si qui morerentur, vel migrarent; eraſis nominibus alij ſubſtituebantur, vel per Annonæ Præfectum, vel per eius diuidendæ Curatores. Nunc igitur dicit, Si qui ſubſtituti poſteà & ſubſcripti; iure non iis debebatur. neque enim promiſſum erat, niſi qui tunc eſſent. at Traianus tamen benignè, etiam hos admiſit. Aliter atque Auguſtus, qui,* cùm cōgiario propoſito multos manumiſſos inſertóſque ciuium numero comperiſſet, negauit accepturos, quibus promiſſum non eſſet. [221 Velut admouere.] *Quia abſentes habiti pro præſentibus. & mox* intercedere caſibus, *ad agros ſpectat vel occupatos.* [222 Donec planè ſcirent.]
D *Quouſque igitur? ad vndecimum annum, ex his Suetonij in Auguſto:* Congiaria populo frequenter dedit, ac ne minores quidem pueros præterit, quamuis ante non niſi ab vndecimo ætatis anno accipere conſueſſent. *Maiores igitur pueri, ſed tamen adhuc pueri capiebant.* [223 Incidi.] *In tabulis. Seneca* IIII. *De Benefic.* Frumentum publicum tam fur quàm periurus accipiunt, & ſine diſcrimine morum, quiſquis ciuis eſt. *Aliquot ibi ſcripti libri,* quiſquis inciſus eſt.

R E C T E Cæſar, quòd ſpem Romani nominis
ſumptibus tuis ſuſcipis. nullum eſt
enim magno Principe, immortalitatémque
merituro, impendij genus dignius, quàm
quod erogatur in poſteros. Locupletes ad tol-
E lendos liberos [224] ingentia præmia, &
pares pœnæ, cohortantur; pauperibus educandis
vna ratio eſt, bonus Princeps. Hic fiducia
ſui procreatos, niſi largâ manu fouet,
auget, amplectitur; occaſum imperij, occaſum
Reipublicæ accelerat. fruſtráque proceres
Princeps, plebe neglectâ, vt defectum corpore
caput, nutaturúmque inſtabili pondere
tuetur. Facile eſt coniectare, quod perceperis

gaudium, cùm te parentum, liberorum, ſenum, infantium, puerorum clamor exciperet. Hæc prima paruulorum ciuium vox aures tuas imbuit, quibus tu [225 daturus alimenta, hoc maximum præſtitiſti, ne rogarent. Super omnia eſt tamen, quòd talis es, vt ſub te liberos tollere libeat, expediat. Nemo iam parens filio, niſi fragilitatis humanæ vices horret, nec inter inſanabiles morbos Principis ira numeratur. Magnum quidem eſt educandi incitamentum, tollere liberos in ſpem alimentorum, in ſpem congiariorum; maius tamen in ſpem libertatis, in ſpem ſecuritatis. Atque adeò nihil largiatur Princeps, dum nihil auferat; non alat, dum non occidat; nec deerunt, qui filios concupiſcant. Contrà, largiatur & auferat, alat & occidat; næ ille in tam breui tempore effecerit, vt omnes non poſterorum modò, ſed ſui parentumq; pœniteat. Quocircà nihil magis in tuâ totâ liberalitate laudauerim, quàm quòd congiarium das de tuo, alimenta de tuo: neque à te liberi ciuium, vt ferarum catuli, ſanguine & cædibus nutriuntur. quodque gratiſſimum eſt accipientibus, ſciunt dari ſibi, quod nemini eſt ereptum; locupletatiſq; tam multis, pauperiorem eſſe factum Principem tantùm. quanquam nec hunc quidem: nam cuius eſt quidquid eſt omnium; tantum ipſe, quantum omnes habet.

[124 Ingẽtia præmia. *Ex lege Iuliâ & Papiâ: de quibus affatim* 111. *Annalium Taciti.*

[225 Daturus alimenta. *Atqui de Congiario dixit tantùm, quod ſane diuerſum ab iſtis: & infrà hu iterq; diſiungit:* In ſpem congiariorum, in ſpem alimentorum. *Iterum:* Congiarium das de tuo, alimẽta de tuo. *Diuerſa hæc igitur. ſed opinari licet, quòd qui ad congiaria admiſſi, iidem ad frumenta. Nam ſic* Alimenta *interpretari Capitolinus videtur in Antonino:* Pueros & puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni adſcripſit: *vt puto, exẽplo iſto Traiani, ſed & Hadriani, de quo Spartianus:* Pueris ac puellis, quibus etiã Traianus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adiecit. *Etſi haud negem, potuiſſe & in pecuniæ modo hæc alimenta finiri. Sed hæc nunc à Traiano Romæ: poſtea per Italiam hanc liberalitatem ſparſit. Qua in eo tam benigna (verba Dionis)* ὡς καὶ ταῖς πόλεσι ταῖς ἐν Ἰταλίᾳ πρὸς τὴν τῶν παίδων τροφὴν πολλὰ χαρίσασθαι: vt etiam opidis Italiæ multa, ad puerorum alimenta, contulerit. *Hoc nummi ita edunt:* IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. PP. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI: *parte verſâ,* ALIM. ITAL. *cum figurâ viri alimenta in pueros diſtribuentis. Manſit inſtitutum: &* Cura alimentorum in Italiâ, *inter honeſtiſſima munera fuit, atque adeò poſt regimen Prouinciarum ſuſcepta. Vide in vitâ Pertinacis, & Iuliani.*

ALIÒ me vocat numeroſa gloria tua. aliò autem? quaſi verò iam ſatis veneratus miratusque ſim, quòd tantam pecuniam profudiſti, non vt flagitij tibi conſcius ab inſectatione eius [226 auerteres famam; nec vt triſtes hominum mœſtosque

A ſermones lætiore materiâ detineres. Nullam cõgiario culpã, nullã alimentis crudelitatem redemiſti; nec tibi benefaciẽdi fuit cauſſa, vt quæ malè feceras, impunè feciſſes: amor impendio iſto, non venia quæſita eſt, populusq; Rom. obligatus à tribunali tuo, nõ exoratus receſſit. Obtuliſti enim congiarium gaudentibus gaudens, ſecurusque ſecuris: quodq; anteà Principes ad odium ſui leniendum tumentibus plebis animis obiectabant, id tu tam innocens populo dediſti, [227 quàm populus accepit. Paullò minus P. C. [228

B quinque millia ingenuorum fuerunt, quæ liberalitas Principis noſtri conquiſiuit, inuenit, adſciuit. hi ſubſidium bellorum, ornamentum pacis, publicis ſumptibus aluntur; patriamque non vt patriam tantùm, verùm vt altricem amare condiſcunt. Ex his caſtra, ex his tribus replebuntur, ex his quandoque naſcentur, quibus alimentis opus non ſit. Dent tibi Cæſar ætatem dij, quam mereris, ſeruentque animum quem dederunt, & quanto maiorem infantium turbam iterùm atque iterùm iubebis incidi? Augetur enim

C quotidie & creſcit, non quia cariores parentibus liberi, ſed quia Principi ciues. dabis congiaria ſi voles, præſtabis alimenta, ſi voles: illi tamen [229 propter te naſcuntur.

[226 Auerteres famam. *Vt Nero, qui ſublato Britannico,* potiſſimos amicorum largitione auxit, *ait Tacitus; & poſt cædem matris, donatiua, congiaria, ludos dedit, frigerando rumori.*

[227 Quam populus accepit. *Nam vt Claudianus cecinit:*

Non tibi vænales captaot ætaria plauſus
Corruptura fidem, meritis offertur inemptus,
Purâ mente, fauor.

At in noxâ populus videtur, cùm noxioſo, lucelli cauſſâ,
D *blanditur & fauet.*

[228 Quinque millia ingenuorum.] *Numerus haud grandis (pro opibus Romanis, aut copiâ aliâ frumentantium.) ſed notandum, quòd* ingenuorum *dicit. Non paſſim conquiſiuit liberos aut libertos; ſed ingenuos dumtaxat, & ſanguinis purioris. ex quibus miles, & alibi vtiles ciues, legerentur.*

[229 Propter te naſcuntur. *Inuitante fecunditatem virtute & liberalitate tuâ. ſic ſuprà:* Fiduciâ tui procreatos: *itemq; fiduciâ boni ſtatus.*

[230 * INSTAR ego perpetui congiarij reor affluentiam annonæ. [231 Huius aliquando cura Pompeio non minus addidit

E gloriæ, quàm [232 pulſus ambitus campo, exactus hoſtis mari, Oriens triumphis, Occidénsque luſtratus. Nec verò [233 ille ciuiliùs, quàm parẽs noſter, auctoritate, conſilio, fide, recluſit vias, portus patefecit, itinera terris, [234 litoribus mare, litora mari reddidit, diuerſasque gentes ita commercio miſcuit, vt quod genitum eſſet vſquam, id apud omnes natum eſſe videretur. Nónne cernere datur, vt ſine vllius iniuriâ omnis

vſibus noſtris annus exuberet? quippe non
ex hoſtico raptæ, perituræq; [235 in horreis
meſſes, nequidquam quiritãtibus ſociis au-
feruntur. Deuehunt ipſi quod terra genuit,
quod ſidus aluit, quod annus tulit; nec [236
nouis indictionibus preſſi, ad vetera tributa
deficiunt. Emit fiſcus, quidquid [237 vide-
tur emere. inde copiæ, inde annona, de quâ
inter licentem vendentémque conueniat:
inde hîc ſatietas, nec fames vſquam.

[*230 Inſtar ego. *Suſpicor de hiatu aliquo, nec ſa-
tis hærent. etſi fateor tamen appoſitè Congiariis Annonam
ſubtexi, vt quæ pariter liberalitatem tangit: ſed verba ali-
qua abſunt, quibus decorè eò tranſierit.* [231 Huius
cura Pompeio. *Cn. Pompeius, anno vrbis* DCXCVI.
Præfecturam annonæ in quinquennium accepit, cum XV.
*Legatis attributis, & imperio in maria, portus, inſulas, vt
bello Piratico habuerat. Id SC. factum in ſententiam Ci-
ceronis, recenter ab exſilio reducti, cum plebem timerent,
annonæ prætextu, motus turbasq; daturam.* [232 Pul-
ſus ambitus. *In tertio eius Conſulatu, cùm legem de
Ambitu pertulit, & iudicia ea ſeueriter exercuit.* [233 Il-
le ciuilius. *Diligentiâ enim & auctoritate, non armis,
copia annonæ parta. Factum eius, quod laudem plauſum-
que meruit, ſcriptores ita narrant. Miſſis Legatorum aliis
aliò, ipſe in Siciliam, Sardiniam, Africam iuit. ac magnâ
iam vi frumenti, naues conſcendit, ſoluiq; iuſſit. Timen-
tibus & cunctantibus gubernatoribus, ob vim venti (tur-
bido ita atque infeſto mari:) ipſe primus eram ſoluit, &
animosè exclamauit,* Nauigare neceſſe eſt, viuere ne-
ceſſe non eſt. *Nauigauit, appulit, horrea frumẽto, omnes
gaudio impleuit.* [234 Litoribus mare. *Quia terra
videbantur ſine mari iam eſſe, cuius vſum fructumq; non
habebant. Nihil enim inferebatur.* [235 In horreis.
*Quæ Romani in prouinciis paſſim habebant, vbi frumen-
ta conderent, & militares annonas. Sed & Romæ horrea,
per omnes regiones vrbis ſparſa (vt in Victore videas) ad
publicum hoc frumentum.* [236 Nouis indictioni-
bus. *Propriè. Aſconius:* Omne genus penſitationum
in hoc capite poſitum eſt, Canonis, Oblationis, In-
dictionis. *Et Canon, eſt ordinarium tributum; Oblatio,
voluntarium; Indictio, nouũ & ſuperadditum.* [237 Vi-
detur emere. *Vera, & non imaginaria emptio eſt fiſci.
Quomodo imaginaria? Apronius ille Tullianus docuerit,
Frumentariâ in Verrẽ. Cogebant ſocios alteras Decumas
addere. ſed emendas ex SC. Ipſis pecunia cedebat, ſociis
ludibriũ, & titulo emendi rapiebant. Vide, ſodes, Oratorẽ
dictum. Nihil hic tale, ait noſter: fides vbiq; & veritas.
Aberrant mente (Plinij, dico) qui iubetius hic emendãt.*

ÆGYPTVS, [238 alendis augendisq; ſemi-
nibus, ita gloriata eſt, vt [239 nihil imbribus
[240 cæloq; deberet, ſiquidẽ proprio ſemper
amne perfuſa, nec alio genere aquarum ſoli-
ta pingueſcere, quàm quas ipſa deuexerat,
tantis ſegetibus [241 induebatur, vt eum fe-
raciſſimis terris quaſi nunquam ceſſura cer-
taret. hæc inopinâ ſiccitate vſq; in iniuriam
ſterilitatis exaruit: quia [242 piget Nilus cũ-
ctanter alueo ſeſe ac languidè extulerat, in-
gentibus quoque tunc quidem ille flumini-
bus, fluminibus tamen, conferendus. Hinc
pars magna terrarum, mergi palanti amne
conſueta, alto puluere incanduit. Fruſtra
tunc Ægyptus nubila optauit, [243 cœlúm-
que reſpexit, cùm ipſe fecunditatis parens

A contractior & exilior, iiſdem vbertatem eius
anni anguſtiis, quibus abundantiam ſuam
cohibuiſſet. Neque enim ſolum vagus ille,
[244 expanditor amnis, intra vſurpata ſem-
per collium ſubſtiterat atque hæſerat, ſed
[245 ſupino etiam ac detinenti ſolo non
placido ſe molliq; lapſu refugum abſtulerat,
& necdum ſatis humentes terras addiderat
arentibus. Igitur inundatione, id eſt, vberta-
te, regio fraudata, ſic opem Cæſaris inuoca-
uit, vt ſolet amnem ſuum: nec longius illi ad-
uerſorum fuit ſpatium, quàm dum nunciat.
Tam velox Cæſar potentia tua eſt, tamq́ue
B in omnia pariter intenta bonitas & accincta:
vt triſtius aliquid ſæculo tuo paſſis, ad reme-
dium ſalutemq; ſufficiat, vt ſcias. Omnibus
equidem gentibus fertiles annos, grataſque
terras precor: crediderim tamen, per hunc
Ægypti ſtatum, tuas fortunam vires experi-
ri, tuámque vigilantiam [246 exſpectare vo-
luiſſe. Nam cùm omnia vbique ſecunda me-
rearis, nónne manifeſtum eſt, ſi quid ad-
uerſi cadat, tuis laudibus, tuiſque virtutibus,
materiem campumq́ue præſterni? cùm ſe-
C cunda felices, [247 aduerſa magnos pro-
bent.

[238 Alendis augendíſque. *Duo in Ægypto
laudat, quòd bene alat & producat ſemina. alterum, quòd
augeat, & cum* centeſimo *ſæpe (ita alter Plinius) fructu
reddat.*

[239 Nihil imbribus. *Notum, hodiéque certum
in eâ regione non pluere, ſtillare interdũ roris inſtar; cete-
ra fluuio irriganti deberi. Claudianus in Epigrammatis:*

Ægyptus ſine nube ferax, imbreſq; ſerenos
Sola tenet, ſecura poli, non indiga venti,
Gaudet aquis quas ipſa vehit, Niloq; redundat.

Vbi imbres ſerenos *dicit ipſam irrigationem fluuialem,
quæ ſerenè, & in æſtate.* [240 Cœlóque. *Neq; enim
hîc, vt ille canit,* pluuio ſupplicat herba Ioui. *& vt alter:*

Terra ſuis contenta bonis, nihil indiga mercis
D Aut Iouis. in ſolo tanta eſt fiducia Nilo.

[241 Induebatur. *Audacter ſatis & poeticè. terra
ſegetibus tegi, & quaſi veſtiri videtur.* [242 Piger ni-
lus. *Non aſſurgens & exſpatians, vt ſolet. cuius* iuſtum
incrementum *Plinius eſſe ſcribit,* cubitorum XVI. Mi-
nores aquas, non omnia rigare; ampliores, detineri
tardiùs recedendo. *Diodorus, atque alij videndi.*
[243 Cælumque reſpexit. In Ægypto (*ait Seneca*)
nemo aratorũ aſpicit cælũ. [244 Expãditor amnis.
*Vim verbi capio, ipſum vix admitto. Nouum durumq;
eſt: & an nõ magis* exſpatiator: *aut ſiquis Vulcanus ma-
gis affabrè aliquid effingit.* [245 Supino etiã ac de-
tinenti. *Supinum ſolũ dicit, molliter altum pendulum-
E que & fortaſſe aptius eum eâ voce,* detinenti *hic iun-
gat. Etſi* detinenti *capere licet, ſolum iacens aut planum,
quod ſolet aquas diutius tenere.*

[246 Expectare voluiſſe. *Vide an, ſpe-
ctari.*

[247 Aduerſa magnos. *Seneca de Prouidentiâ:*
Magnus es vir. ſed vnde ſcio, ſi tibi fortuna non dat
facultatem exhibendæ virtutis? *& toto eo libello (certè
aureo) argumentum hoc pertractat.*

]248 PERCREBVEBAT antiquitus, vrbem
noſtram, niſi opibus Ægypti ali ſuſtenta-
ríque non poſſe. Superbiebat [249 ventoſa

& inſolens

& inſolens natio, quòd victorem quidem populum paſceret tamen; quódque in ſuo flumine, in ſuis manibus, vel abundantia noſtra, vel fames eſſet. Refudimus Nilo ſuas copias, recepit frumenta quæ miſerat; deportatáſque meſſes reuexit. Diſcat igitur Ægyptus, [illegible]que experimento, non alimenta ſe nobis, ſed tributa præſtare · ſciat ſe non eſſe populo R. neceſſariam, 250 & tamen ſeruiat. Poſt hæc, ſi volet, Nilus amet alueum ſuum, & fluminis modum ſeruet: nihil hoc ad vrbem, ac[illegible] ad Ægyptum quidem. niſi vt inde nauigia inania & vacua, & ſimilia redeuntibus, hinc plena & onuſta, & qualia ſolent venire, mittantur [251 conuerſóque munere maris, hinc potius [252 venti [illegible]erentes, & breuis curſus optentur. Mirum, Cæſar, videretur, ſi deſidem Ægyptū, [illegible]antemque Nilum, [253] non ſenſiſſet v[illegible] annona. quæ tuis opibus, tuâ curâ v[illegible] [illegible]uc redundauit, vt ſimul probaretur, & nos Æ[illegible] & nobis Ægyptum carere non po[illegible]. Actum erat de fecundiſſima gente, ſi libera f[illegible] pudebat ſterilitatis in[illegible]litæ, n[illegible] [illegible]beſcebat fame, quàm torquebatur; cum pariter à te neceſſitatibus eius pudorique ſ[illegible]buentum eſt. Stupebant [illegible] plena horrea, quæ non ipſi referſiſ[illegible] [illegible]uibúſque de campis illa ſubuecta meſ[illegible] [illegible]ave in Ægypti parte 254 alius [illegible] Ita beneficio tuo [255 nec mali[illegible] [illegible], & obſequens Nilus Ægypto q[illegible]m[illegible]pe, [illegible]d [256] gl[illegible] noſtræ nun[illegible] [illegible]r[illegible] fl[illegible]x[illegible]t. Quàm nunc iuuat pro[illegible] [illegible]nes in fidem [illegible]ſtram ditionem[illegible] [illegible]e po[illegible]am contigit Princeps ter[illegible] [illegible]cunditatem nunc huc, nunc il[illegible] [illegible] & neceſſitas poſceret, trans[illegible] [illegible]e! qui [illegible]remptā mari gen[illegible], [illegible] populi plebiſque R[illegible], [illegible] [illegible]eretur: Et cælo [illegible] [illegible]tas tan[illegible], vt [illegible] terras v[illegible]eret, foueatque: hic [illegible]dus pariter, ſi non ſterilitatem, a[illegible] ma[illegible] [illegible]ſter[illegible]itatis exturbat hic ſi non fecundi[illegible] [illegible] a bona fecunditatis importat. hic [illegible] [illegible]mmeati[illegible]us Orient[illegible]m Oc[illegible] [illegible]nec[illegible]t: [illegible]t quæ vbique ſe [illegible], q[illegible] [illegible] omnes gentes [illegible] & [illegible] qu[illegible] [257] [illegible] d[illegible] [illegible] ſit vel [illegible]is, [illegible] Q[illegible]p[illegible]e diſcre[illegible] [illegible]nium, ſua [illegible]que ad [illegible] [illegible]atis a[illegible] atque per[illegible] [illegible] [259] mala ad nem[illegible] [illegible]noua bona pertinent Sed [illegible] [illegible]ritas quædam, [illegible] [illegible] Genius; & [illegible] lud [illegible] precor, vt hac Prin[illegible] [illegible] [illegible]tum, m[illegible] gr[illegible] [illegible]

[248 Percrebuerat antiquitus.] *Et ſane bene antiquitus, opem illinc a Romanis repetitam petitam. In Polybianis fragmentis:* Οἱ Ῥωμαῖοι [illegible] [illegible] Πτολεμαῖον, [illegible] *: Romani legatos ad Ptolomæum miſerunt, petētes frumenti ſibi copiam fieri, [illegible] inopia premebantur. Hoc factum bello Punico ſecundo, cùm Italia [illegible] vaſta ab Annibale fuit. Factā & aliàs ſed Plinij tamen hic dictio, ſpectat Auguſti tempora maxime, & deinceps, cum publica inſtituta frumentatio fundum & fundamentum haberet in Africa & Ægypto.* [249 Ventoſa natio.] *Ipſo illo verbo V[illegible]ſcus, in Saturnino:* Ægyptij, viri ventoſi, furibundi, iactantes, iniurioſi, v[illegible]. *Atque alij pa[illegible]im, haud ſplendide ſuper ipsâ gente loquuntur, etſi de terra.* [250 Et tamen ſeruiat.] *Ingeni[illegible]*, tantùm ſeruiat. [251 Conuerſoque munere.] *Quia mare iam non adfert plenas illinc naues, ſed nos illuc mittimus.*

[252 Venti ferentes.] *A puppe, & qui impellunt & prouehunt. [illegible]eneca* [illegible] illum afficiunt diuitiæ, vt nauigantem ſecundus ac ferens ventus. *Virgilius:*

Exſpectet facilemque fugam, ventoſque ferentes.

[253 Non ſenſiſſet vrbis annona.] *Quia, vt Ioſephus lib. 11. Excidij notat, Ægyptus quatuor menſium* annonam vrbi ſuppeditabat, Africa octo. [254 Alius amnis.] *Nilus, fecunditatis auctor. Sed vel* [illegible] *alius alibi prouenit*[illegible].

[255 Nec n[illegible] [illegible] [illegible].] *Tu feciſti* [illegible] *fertilem, & Nilum* [illegible]*tem. nam* [illegible] *qua illa & ille dare ſolent, ſed beneficio tuo.* [256 Gloriæ noſtræ.] *Traianus ſane hoc in* [illegible] *po*[illegible]*it, & nummos cudit, qui extant* IMP. CAS. NERVA. TRAIANO AVG. *parte in altera* S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. NILVS. *Pila effigies Nili recubantis, cum crocodilo ſuo & hippopotamo.* [257 Alternis commeatibus.] *An, alt*[illegible]*nis etiam. & deinde, ſeruitui malim.* [258 Libertate diſcordi ſeruientibus.] *P*[illegible] *in verbis* [illegible]*detur. ſi enim in libertate, quomodo ſeruiunt? Sed nempe vel ſic regimen aliquod & imperium p*[illegible] *vel plu*[illegible]*m: & ſemper ſu*[illegible] *ac parentia. Libertas duntaxat reſpectu mag*[illegible] *arcta ſeruit*[illegible] *dicitur. No*[illegible] *tamen diſplicuit aliquando* [illegible]*tibus le*[illegible] *quod fere aſſiduè in libertate, vt pars partem premat, & pellant inter ſe aut* [illegible] [259 Mala ad neminem.] *Intellege, neminem alium in*[illegible] *apud eum, quem primo premunt & tangunt* [illegible] *periodi* [illegible]*, hoc eſt in magno* [illegible] *communi imperio, bona ſiunt communia, & quid* [illegible] *eſt* [illegible] [illegible] *& commercio:* [illegible] *ma*[illegible] *quæ* [illegible] *apud p*[illegible]*rem.* [2[illegible] Terra [illegible]tas [illegible] Terra mater [illegible] Ops, & Rhea, *inter deos ſed & ſingulis* [illegible] [illegible] *Ægyptij,* [illegible] *pingebant, habe*[illegible] *de*[illegible]. [261 Amnibus G[illegible].] *Item optimi piſci*[illegible]*, flumina & fontes minores Deos,* [illegible] *eum.*

SAT[illegible] factum, quâ ciuium, quâ ſociorum v[illegible]tatibus. v[illegible]um eſt ſpectaculum inde non euenit, nec flux[illegible] nec quod animos v[illegible]rum molliret & [illegible] ſed quod ad [26[illegible] [illegible] c[illegible]mpt[illegible] mor[illegible]ti[illegible] [illegible]erret [illegible] [2[illegible]3 ſe[illegible]rum etiā [illegible]orumque corpori[illegible] amor laudis, &

cupido victoriæ cerneretur. Quam deinde [264] in edẽdo liberalitatem, quã [265] iuſtitiã exhibuit? [266] omni affectione, aut intactus, aut maior. Impetratum eſt [267] quod poſtulabatur, oblatum quod nõ poſtulabatur: [268] inſtitit vltrò, & vt concupiſceremus, admonuit. Ac ſic quoque plura inopinata, plura ſubita. Iam quàm libera [269] ſpectãtiũ ſtudia, quàm ſecurus fauor? [270] Nemini impietas, vt ſolebat, obiecta, quòd [271] odiſſet gladiatorem. nemo ſpectator [272] ſpectaculũ factus, miſeras voluptates [273] vnco & ignibus expiauit. Demẽs ille, veriq; honoris ignarus, qui crimina maieſtatis in arenã colligebat, ac ſe deſpici & contẽni, niſi etiã gladiatores eius venerarentur; ſibi maledici in illis, ſuã diuinitatẽ, ſuũ numen violari interpretabatur: cùm ſe [274] idem quod deos, idẽ gladiatores quod ſe putabat.

[262 Pulchra vulnera] *Gladiator[illegible] intellige,* quibus delectatũ Traianũ fuiſſe *Dio ſcribit. Hic antẽ color, quo tuebatur Gladiatores quaſi ea [illegible] ad militiã ac robur facere[illegible], & vulnera a[illegible] ac mortes, contemptum inducerent vtriuſque. C[illegible] ita dixit,* fortiſſimam hanc eſſe contra dolorem & mortem diſciplinam. [263 Seruorum etiam noxiorúmque.] *Duo enim genera hominũ ad hos ludos, Serui aut Noxij. Illi, vel bello capti, vel pretio a laniſtis empti iſti, qui ob facinus aut ſcelus damnati in hos ludos. Ego fuſius de vtriſq, 11. Saturn. cap. 11.* 264 In edendo liberalitatem. *Refertne ad copiam & numerum largiter præbitum an ad miſſilia [illegible] dona interiecta? Vtrumque poteſt. Traianus quidẽ ita lar[illegible] vt aliquando* ad decem millia *Dionis aſſertio eſt* gladiatorũ dederit in vnis ludis, *et [illegible] [illegible] plerosq, fuiſſe opinamur. [illegible] autem, nimis etiam [illegible] ſpargebant, ingentis [illegible] iactura.*

[265 Iuſtitiam] *Vt leges Arenæ ſeruaret. itemq; præmia promiſſa fideliter præſtaret ſed nec in [illegible] aut illos [illegible] affectum incl[illegible]aret.*

[266 Omni affectione.] *Vide. [illegible] eſt, vbi certamen & commiſſio, vt editor aut ſpectator non det ſe in partes. [illegible] eſt inclinatio humani ingenij, pugnare, aut pugnantibus fauere. Itaq, non dicam vulgus, ſed Principes ipſi huic aut illi generi (puta Threcibus, aut Myrmillonibus) fauebant, & vincere illos [illegible] volebant. atq, fraude adeò, vel imperio, rem cõtrahebant. Suetonius in Tito, cap. 8. oſtendit. & in D[illegible] dicam.*

[26[illegible] Quod poſtulaba[illegible]t] *[illegible] landata e[illegible], & [illegible] addit comitatem [illegible] petebat, fiebat, [illegible] ſeſe aptabat. Volebant [illegible] & illos [illegible] vel Auliсos gladiat[illegible] [illegible] ſingulares impetrabant. A[illegible] me, de Poſt[illegible] gladiatoribus, lib. 1 cap. 16 [illegible] de Populi petitionibus cap. 2*

[268 Inſtitit vltro] *Planè, [illegible] Titus de quo [illegible] Anquillus.* Po[illegible] tanta [illegible] propoſito gladi[illegible] munere, non ad [illegible] ſpectantium arbitrium ſe editurum [illegible] planè ita fecit, nam neque negauit quic[illegible] bus, & vt [illegible] vellent pe[illegible] tatus [illegible]. *[illegible] ſed eadem, his noſtra.* [illegible] Spect[illegible] tium ſtudia. *Quam [illegible] diceа[illegible]. Videmte [illegible] c. 2[illegible]* [illegible] impieta[illegible] *Quo[illegible], & [illegible] autem [illegible] Principe [illegible]*

A *bant: atque ita læſa maieſtas, quod impietatem appellant. & Græci paſſim [illegible] quæ publ[illegible] vio-latus vel quia [illegible] diuinitas, quam [illegible] dicabant.* [2]71 Odiſſet gla[illegible] *[illegible] genus, Principi carum.*

[272 Spectaculum factus] *Qui ſpectabat ſpectandus datus, & in Arenam productus. Id quoque duo dilla [illegible], loco dicto.*

[273] Vnco & ignibus.] *Nam occiſi aut [illegible] inter gladiatores, vnco impacto in Sp[illegible] trahebantur [illegible] ac [illegible] Commodi morte* Gladiatoris cadauer vnco trahatur. Gladiatoris cadauer in ſpoliario ponatur *[illegible] & pueri illud* B *bant. De ignibus autem [illegible] adhibebant eos, vel in principio pugnæ, cum [illegible] in ferrum irent, & a tergo flagellis aut facibus [illegible] ſtimulabant: vel in fine, cum morerentur iam, aut iacentes in mortuum ignibus & ferro explorabantur. Simulabant enim quidam mortem, vt ſic efferrentur, & ſubducerẽtur morti. [illegible] Tertullianus.* Ridemus inter meridianorum crudelitates, [illegible] [illegible] tum ſ[illegible] examinatorem. *Quod [illegible] aptatum ad [illegible] etiam [illegible] ſuit. S[illegible]* de Ignib[illegible] *[illegible] ipſi ad [illegible] arſerint in arenã. quod item ſcimus fi[illegible].* [2]74 Idem quod Deos *[illegible] de Domitiano, qui Deus [illegible] audire voluit.*

At tu Cæſar, quàm [illegible] rum ſpectaculum pro illo nobis execrabi[illegible] reddidiſti! vi-
C dimus delatorum [275] [illegible]um quaſi graſſatorum, q[illegible] ſolitudinem illi, non iter, [276] [illegible] ſed forum inſederant. [277] [illegible] teſtamenta ſecura, [278] nullius ſtatus c[illegible] tus, non orbitas, [279] non liberi p[illegible]. Auxerat hoc malum Princi[illegible] uerat oculo, atque vt [illegible] ita poſteà pacem foro red[illegible] inteſtinũ malum, & prouidã [illegible] ne fundata legibus ciuitas, [2]8[illegible] a legibus videretur. Licet erg[illegible] liberalitas tua viſenda nob[illegible]
D præbuit, nunc [illegible] res animos, nunc [illegible] ferarũ, [283] nu[illegible] mitam; nun[illegible] ſe[illegible] retas [illegible] ana[illegible] te primùm [284] comm[illegible] opes: nihil [illegible] gratius, nihil ſæcu[illegible] dignius, qua[illegible] d contigit [285] deſuper [illegible] delatorum [286] ſupina ora, retor[illegible] A[illegible] [illegible] & fruebatur, cum [illegible] 28[illegible] pia[illegible] pu[illegible] ma[illegible] pra[illegible] [illegible] rum, [illegible] [illegible] 289 [illegible] réſque p[illegible] cerentur. Con[illegible]
E raptim co[illegible] eſta[illegible] abirent, fu[illegible]rẽt[illegible] vaſtat[illegible] terra: ac ſi [illegible] ac proce[illegible] pu[illegible] fle[illegible] & [illegible] inc[illegible] erret [illegible] ram & an[illegible] [illegible] que po[illegible] tergum to[illegible] neris humani [291] ſecuritat[illegible]

[275 [illegible] [illegible] *[illegible] per [illegible] medi[illegible] [illegible] quo*

Sueto

Suetonius: Delatores mandatoreſque in foro fuſtibus & flagellis cæſos, nouiſſimè traductos per Arenam, partim ſubiici ac vænire imperauit, partim in aſperrimas inſularum auehi.

[276 Sed templum.] *Quod illud? Curiam? an ærariũ? De iſto magis placeat, quod in æde Saturni; & circa pecuniã, grandis vel præcipua materia calumniarum.* [277 Nulla iam teſtamenta.] *Dixine de pecuniis? en exempla. Delationes aut calũnia circa teſtamenta primùm: & audi Suetonium, in Domitiano.* Confiſcabantur alieniſſimæ hereditates, vel exiſtente vno qui diceret, audiſſe ex defuncto cùm viueret, heredem ſibi Cæſarem eſſe. [278 Nullius ſtatus certus.] *Et hic calumnia, cum lucro. nam liberi in ſeruitutem, ingenui in libertinitatem trahebantur, bono fiſci.* [279 Non liberi.] *Ex legibus Papijs, orbitas damnoſa: at liberi prodeſſe debebant, præſertim terni. Omnia autem nunc ſub vnam, quod dicitur, Myconũ: & crimen, vbi opes.* [280 Ante caſtris.] *Diſciplinâ correctâ.* [281 Euerſa legibus.] *Tacitus, de Papiâ hac ipſâ, ſemper calumniarum ſegete* Omnes domus delatorum interpretationibus ſubuertebantur; vtq; antehac flagitiis, ita tũc legibus laborabatur. [282 Ferarum.] *Venationes. quas ipſa etiã largiter præbuit, vt aliquando (in Dione)* mille feræ cæſæ, interdum ad decem millia fuerint. *Ego, cùm talia iſta, & ſæpius ſub vno Principe, aſſiduè ſub variis lego: admiratione cunctor & hæreo, vnde hæc copia ferarum parari potuerit: nec videtur vna aut triplex Africa, cum Aſiâ & Europâ, ſuffeciſſe.* [283 Nunc manſuetudinem.] *Nam & ea ſpectaculo. atque aſſuefaciebant feras, præter ingenium, vel parcere paratæ prædæ, vel iugum ferre, ac talia, quæ per naturam vetabantur. Ita in Martiali pluſcula epigrammata de Leone in Arenâ, qui lepuſculos ferebat, nõ dicam prætercurrentes, ſed inſultantes, ſeduſ in apertum os, vt in caueam, ſe condentes. Sic & vno epigrammate feras aliquot domitas ac verè ſubiuges, comprehendit lib. 1.*

Picto quòd iuga delicata collo
Pardus ſuſtinet, improbæq; tigres
Indulgent patientiam flagello:

& adiungit Ceruos, Leones, Apros, Biſontes: *quid niſi, vt ipſe dicit,* ſpectacula deorum? *Ac plura eiuſmodi monſtra aſſiduè in Arenam producta.* [284 Communes opes.] *Opes Palatinas. quas theatris vulgauit, & templis dedicauit Traianus. Idem Martialis lib. 12.*

Quidquid Parrhaſiâ nitebat aulâ,
Donatum eſt oculis, deiſq; noſtris.
Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Iupiter, & ſtupet ſuperbas
Regis delicias, grauesq; luxus:
Omnes cum Ioue nunc ſumus beati:
At nuper, pudet ac piget fateri,
Omnes cum Ioue pauperes eramus.

Eſt ipſum hoc, quod tangit Plinius. ſed primò ſcilicet in ludis hæc oſtenſa, tum denique conſecrata. [285 Deſuper intueri.] *E ſpectaculorũ gradibus, cùm ij per arenam ducerentur.* [286 Supina ora.] *Vt conſpici ab omnibus, & agnoſci poſſent. Sic milites* Vitelliũ erigere os, & præbere contumeliis coëgerunt, *vt breuiter Tacitus: vt Suetonius quaſi interpretans,* reducto comâ capite, ceu noxij ſolent, atque etiam mento mucrone gladij ſubrecto, vt viſendam præberet faciẽ. *Nam in ignominiâ & ſupplicio, naturâ os oculoſq; ſubmittimus: erigebant igitur,* reducto comâ capite *(vt Suetonius) id eſt, capillo manu arrepto, & retrorſum cum capite tracto.* [287 Piaculares.] *Victimæ ſic dicuntur, quæ ob culpã, & ad piãdum purgandumq; dantur. Noſter lib. 3. epiſt. 9.* Ne potentiſſimi, viliſſimo quoque quaſi piaculari dato, elaberentur. *Plautus*: Men piacularem oportet fieri ob ſtultitiam tuam? *Victimæ igitur tales aliena*

A *mala excipiebant, & in pœnam ſuccedebant. Ita iſti, ad expiãda ſcelera præterita, & detergendam ſolicitudinem omnium, in mare mittebantur.* [288 Noxiorum.] *Super cadauera aut veſtigia gladiatorum.* [289 Grauioreſque pœnas.] *Nam gladiatores breui morte defuncti; ipſi intabeſcere pœnis ſuis deſtinati.*

[290 Raptim conquiſita.] *Ergo parua aut praua.* [291 Securitate.] *Quæ ſub bonis Principibus. & ideo nummi plures inſcripti,* SECVRITAS. PVBLICA. *Abeant igitur, & ceteris ſecuris quos inquietabant, ſoli mæreant.*

MEMORANDA facies, delatorũ claſſis permiſſa omnibus ventis, coactaq; vela tẽpeſtatibus pãdere, iratoſq; fluctus ſequi, quoſcunque in ſcopulos detuliſſent. B Iuuabat proſpectare ſtatim à portu ſparſa nauigia, & apud illud ipſum mare agere Principi gratias, qui clementiâ ſuâ ſaluâ, vltionẽ hominum terrarumq; diis maris commẽdaſſet. Quantum diuerſitas temporũ poſſet, tum maximè cognitũ eſt: cùm iiſdẽ quibus antea [292] cautibus innocẽtiſſimus quiſq;, tũc nocẽtiſſimus adfigeretur; cumq; inſulas omnes, quas modò Senatorũ, iam delatorũ turba compleret. quos quidẽ non in præſens tantùm, ſed in æternum repreſſiſti mille pœnarũ [293] indagine incluſos. C Ereptum alienas pecunias eunt? perdant quas habẽt. expellere penatibus geſtiunt? ſuis [294] exturbẽtur. neque, vt anteà, [295] exſanguem illã & ferream frontẽ, nequidquã conuulnerandã præbeãt [296] punctis, & [297] notas ſuas rideant: ſed ſpectẽt paria præmio damna, nec maiores ſpes quã metus habeãt, timeantq; quantum timebantur. Ingenti quidẽ animo diuus [298] Titus ſecuritati noſtræ vltioniq; proſpexerat, ideóq; numinibus æquatus eſt: ſed quanto tu quandoque dignior cælo, qui tot res [299] illi adieciſti, propter quas illum [300] Deum fecimus? Id hoc magis arduũ D fuit, quòd Imperator Nerua te filio, te ſucceſſore digniſſimus, perquàm magna quædã [301] edicto Titi adſtruxerat, nihilque reliquiſſe tibi videbatur: qui tã multa excogitaſti, vt ſi ante te nihil eſſet inuentũ. Quæ ſingula quãtũ tibi gratiæ diſpẽſata adieciſſent? at tu ſimul omnia profudiſti: [302] vt ſol & dies nõ parte aliquâ, ſed ſtatim totus, nec vni aut alteri, ſed omnibus in commune profertur.

[292 Cautibus.] *Scopulis, ſiue inſulis ſaxoſis. vt Gyarus, Seriphus, ſimiles: quibus exſules ſolent includere.*
E [293 Indagine incluſos.] *Variarum legum laqueis retibuſque cinctos, vt feras, ne poſſint perrumpere.*
[294 Exturbentur.] *In exſilium pellantur. Martialis*: Et delator habet, quod dabat, exſilium. *Apparet ex illis, parem pœnam delatoribus poſitam, quam ibant irrogatum. Quod Theodoſius & Honorius ſtatuerunt, vel reſtituerunt, lege latâ*: Quiſquis crimen intendit, non impunitam fore nouerit licentiã mentiendi, cùm calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicij. *Origo autẽ ab Auguſto videtur. qui* diuturnorum reorum nomina aboleuit,

conditione propoſitâ, vt ſi quis quę repetere vellet, par periculum pœnæ ſubiret: Suetonius, cap. 32. [295 Exſanguem.] Sine rubore, cuius cauſſa ſanguis. [296 Punctis.] Litteris, ſtigmate inuſtis. Nam vetus pœna calumniatorum à lege Rhemmiâ fuit, frontē inuri K. litterâ, qua Kalumniam (ita olim ſcribebant) notat. Cicero pro Roſcio Amerino apertè & Papiniano, homo integræ frontis, opponitur calumniæ damoato.

[297 Notas ſuas.] Stigmata, vt dixi. An eadem nota intellecta Capitolino, cùm ſcribit in M. Antonino: Calumniis quadruplatorum interceſſit, appoſitâ falſis delatoribus notâ: an infamia notam magis eſt accipi? Nam & ea delatores ſequebatur, vt Valens ac Valentinianus Impp. reſcribunt.

B

[298 Titus.] Tangit Suetonius in Tito, cap. VIII. [299 Illi adieciſti.] Commodius illis. [300 Deum fecimus.] Atqui antè dixit à Domitiano Deum factum, vt ipſe Dei frater videretur: hic à Senatu. Promſigni pugna hac habet vir doctus: quā ego nullam video, aut ſtili huius breui motu componam. Domitianus Deū dici voluit & curauit, ſed ob ſuum finem: Senatus cenſuit & libens paruit, quia meritus erat, & maximè ob ſecuritatem hanc Senatus bonisq; partam. [301 Edicto.] De calumniatoribus. Apud Dionem aliquid in Nerua: Seruos eum & libertos puniſſe, qui dominis aut patronis periculum feciſſent; ǫéve in poſterum liceret. Itē nequis impietatis aut ritus Iudaici (Chriſtianiſmi etiā, opinor) accuſaretur. [302 Vt ſol.] Apta imago, & ſimilis in Symmachi epiſt. 1. lib 9. Sicut omnibus in hac vitâ poſitis ac locatis communis eſt cæli ſpiritus, lux diei: ita clementiam maximi Priocipis ſentiaot vota & facta cunctorum.

C

QVAM iuuat cernere ærariū [303] ſilens & quietū, & qualę ante delatores erat? nunc [304] templū illud, nunc verè [305] Deus, non [306] ſpoliarium ciuium, cruentarúmque [307] prædarum ſæuum receptaculum: ac toto in orbe terrarum adhuc [308] locus vnus, in quo, optimo Principe, boni malis impares eſſent. Manet tamen honor legum, nihílq; ex publicâ vtilitate conuulſum: nec pœna cuiquam remiſſa, ſed

D

[309] addita eſt vltio, ſolúmque mutatum quòd iam nō delatores, ſed leges timentur. At fortaſſe non eâdem ſeueritate fiſcum, quâ ærarium cohibes. imò tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo, quàm de publico credis. Dicitur [310] actori atque etiā [311] Procuratori tuo, in ius veni, ſequere ad tribunal. nā tribunal quoque [312] excogitatum [313] cruciatu eſt [314] par ceteris, niſi illud [315] litigatoris amplitudine metiaris. [316] Sors & vrna fiſco iudicem

E

aſſignat. Licet [317] reiicere, licet exclamare, hunc nolo, timidus eſt, & [318] bona ſæculi parum intelligit: illum volo, quia Cæſarem [319] fortiter amat. Eodē foro vtuntur, Principatus & libertas. [320] Quę pręcipua tua gloria eſt, ſæpiùs vincitur fiſcus: cuius [321] mala cauſſa nūquam eſt, niſi ſub bono Principe. Ingens hoc meritum, maius illud, quòd eos Procuratores habes, vt plerumque ciues tui non alios iudices malint. liberum eſt autem diſceptanti dicere, nolo

A

eum eligere, neque enim vllā neceſſitatem [322] muneribus tuis addis, vt qui ſcias hāc eſſe beneficiorum Principalium ſummam gratiam, ſi illis & [323] non vti licet.

[303 Silens.] Sine ſtrepitu, ſine litibus. Nam & apud Præfectos ærarij querela, & cauſſa. [304 Templum.] Ergo ſuprà benè interpretatus ſum. Templū inſediſſe delatores nēpe hoc ipſum. [305 Deus.] Saturnus, in cuius tutelà ærarium. [306 Spoliarium.] Locus in Amphiteatri parte, vbi veſtes occiſorum & arma deponebantur, atq; alia ornamenta. Vide Saturnalia noſtra, lib. 1. cap. 18. [307 Prædarum.] Quæ ciuibus occiſis parta. Claudianus ſimilia in Honorij laudibus:

B

Nullæ nobilium cædes, non crimina vulgò
Texuntur, patriâ mæſtus non truditur exſul.
Non infelices tabulæ, non haſta refixas
Vendit opes, auidusq; emptor oō voce citatur,
Nec tua priuatis creſcunt ærar ia damois.

[308 Locus vnus.] Mirifica laudatio, & arguta. In toto orbe vnū hoc ærariū eſt, ſub bono Principe, in quo boni à malis vincuntur. Quid hoc eſt? iſtud. qui boni & iuſti ſunt, voluntq; patrocinari ærario, impares ſunt malis & fraudatoribus, aut etiam tricontibus: quia, vt mox addit, ſæpius vincitur fiſcus. Sanè ſalubris imperij ſignum, lienem hunc in corpore non creſcere. Niſi hæc ſententia loci, alius me alióque doceat. [309 Addita eſt.] Pœna manet, ſiquis in leges fiſcales peccat; ſed additū hoc (ne temere exigatur) vt vlciſci liceat delatores. Quomodo? talione, vt opinor. Ereptum meas pecunias eunt?

C

perdēt, quas habent: ſuprà. Itaque vltio addita in calumniātes, pœna tamē manente in ſontes. [310 Actori.] Actor in familiis, qui res rationesque heri adminiſtrat: idem in republicà, qui & Actor publicus Tacito dicitur 12. Annaliū, atque ibi explicani. Actor Cæſaris, de quo hîc, differt ab illo, & in lapidibus etiam nominatur: qui res & patrimoniū Cæſaris curat. [311 Procuratori.] Nondū autē Aduocatus fiſci, quē primus inſtituit Hadrianus. [312 Excogitatū.] Ab ipſo te. nouitatem oſtendit. [313 Cruciatu.] Obiter olim dixerā, curâ tuâ: ſed neque tunc perplacuit, & nunc ſperno. In melioribus libris, ciuciatui: puto verum, Principatui. Ita ſtatim: Eodē foro vtuntur Principatus & libertas. [314 Par ceteris.] In quo eadem omnia aliis iudiciis. Ammianus

D

lib. 25. Iulianum ſic laudat, quòd ſub eo æquata fiſci iurgia cū priuatis. [315 Litigatoris.] Cæſaris. nā eius ibi res, ſed & nomen, verſatur. [316 Sors & vrna.] Quod iam olim in omnibus ferè iudiciis. Itaq; nemo ſubornatus, & fautor Cæſaris. Quid ſi talis? licet inquit [317 Reiicere.] Nam & id moris priſci, vt ſortitione facta, & cùm iudices iā ſediſſent, accuſator & reus, quiſque ſibi ſuſpectos, poſſent reiicere, & iubere ſurgere. In eorum locum alios ſubſortiebantur. Lex Pompeia huic rei modum & numerū dedit. [318 Bona ſæculi.] Quāta libertas ſit ſub optimo Principe. [319 Fortiter.] Non temerè aut timidè, vt adulantes, aut metuentes offendere. Seneca De Prouidentiâ: Patriom habet Deus erga

E

booos viros animū, & illos fortiter amat. [320 Quæ præcipua.] Malim, quæq; pręcipoa. [321 Mala nūquam] Tranſcripſit Caſſiodorus, lib. 1. epiſt. 22. ad Fiſci aduocatum. Tunc fama noſtra proficit, quaodo ſe cōmoditas iniuſta ſubducit. Quapropter fit interdum cauſſa mala fiſci, vt bonus Princeps eſſe videatur.

[322 Muneribus.] Inter quæ, & boni Adminiſtri. [323 Non vti.] Quod haud ita ſub Tyranno. qui munus ſuom faſtidire te (ait Seneca) iniuriam iudicaturos eſt.

ONERA imperij pleraque vectigalia inſtitui, vt pro vtilitate cōmuni, ita [324] ſingulorum iniuriis coëgerūt. [325] His [326]

Vige

Vigeſima reperta eſt, tributum [327] tolerabile & facile hæredibus dumtaxat [328] extraneis, domeſticis graue. Itaque illis irrogatum eſt, his remiſſum. videlicet quòd manifeſtum erat, quanto cum dolore laturi ſeu potiùs non laturi homines eſſent, deſtringi aliquid & abradi bonis, quæ ſanguine, gentilitate, [329] ſacrorum denique ſocietate meruiſſent; quæque nunquã vt aliena & ſperanda, ſed vt ſua ſempérque poſſeſſa, ac deinceps proximo cuique tranſmittenda cepiſſent. Hæc manſuetudo legis [330] veteribus ciuibus ſeruabatur: [331] noui, ſeu [332] per Latium in ciuitatem, ſeu [333] beneficio Principis veniſſent, niſi ſimul [334] cognationis iura impetraſſent, alieniſſimi habebantur quibus coniunctiſſimi fuerant. Ita maximum beneficiũ vertebatur in grauiſſimã iniuriam, ciuitáſque Romana inſtar erat odij, & diſcordiæ, & [335] orbitatis, cùm cariſſima pignora, ſaluâ ipſorum pietate, diſtraheret. Inueniebantur tamen, quibus tãtus amor nominis noſtri ineſſet, vt Romanam ciuitatem non Vigeſimæ modò, verùm etiam affinitatum damno bene compenſari putarent: ſed his maximè debebat gratuita contingere, à quibus tam magno æſtimabatur. Igitur pater tuus ſanxit, vt quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis perueniſſet ad matrem, etiam ſi cognationum iura non recepiſſent, cùm ciuitatem adipiſcerentur, eius Vigeſimam ne darent. Eamdem immunitatem in paternis bonis filio tribuit, ſi modò [336] reductus eſſet in patris poteſtatem: ratus improbè & inſolenter, ac pœnè impiè, his nominibus inſeri [337] publicanum, nec ſine piaculo quodam ſanctiſſimas neceſſitudines velut intercedente Vigeſimâ ſcindi. nullum eſſe tanti vectigal, quod liberos ac parentes faceret extraneos.

[324 Singulorum Iniuriis] *Id eſt, in commune bonum, ſed cum noxâ & detrimento priuatorum. Aufertur enim iis aliquid & abraditur, quæ iniuria aut eius ſpecies, vtilitate publicâ rependitur.* Diſſolutio enim imperij ſequitur (*verba Taciti*) ſi fructus quibus reſpublica ſuſtinetur, diminuantur: *quid, ſi tollantur?* [325 His.] *Oneribus.* [326 Vigeſima.] *Vulgò & plenè dicta,* Vigeſima hæreditatium: *cui Auguſtus inuentor ad Ærarium militare. De quâ ego in* Admirãdis *nuper, lib. II cap. IIII. & olim ad XIII. Annalem* Taciti. [327 Tolerabile.] *Quidni? cum gaudio enim ſemper fructúque iunctum. Et vbi largiter, ſæpe inopinatò, acquirebas, quid acerbi aliquid detrahi? Mihi ſæpe mirum hodie, cùm tam multa quærantur, odioſa magis, fructuoſa minùs; hoc tam promptum & obuium vſque adhuc neglectum.* [328 Extraneis.] *Nam Auguſtus ipſe etiam exceperat τοὺς πάνυ συγγενεῖς, ἢ πένητας,* planè coniunctos ſanguine, aut pauperes. [329 Sacrorum ſocietate.] *Nam & ſacra priuata ſua familiis erant, atque ea pro notâ, & vinculo. Inde* Tranſire in gentem & ſacra: *itemque,* Hereditas cum ſacris, *aut* ſine ſacris *in Plauto.* Sine *inquam, cùm in gentem adoptione non tranſitur.* [330 Veteribus.] *Qui, tempore eius tributi inuecti, fuiſſent.*

[331 Noui.] *Deinceps facti.* [332 Per Latium.] *Quibus Latinitas data, vt pleriſque coloniis, ij plenè ciues fieri poterant tribus ferè modis. vel ſi magiſtratum domi geſſiſſent, ſiue ſtirpe domi relictâ, Romam migraſſent, ſiue denique naue, piſtrino, ædificio. Nam de lege Seruiliâ, vt euentu iam raro, omitto. Qui igitur, inquit Plinius, ex Latio ciues facti erant, ij non fruebantur hoc indulto.* [333 Beneficio Principis.] *Nam iam olim liberâ rep. Imperatores ciuitatem dabant, ſed vt populus firmaret: qui non magis nunc Princeps? Crebrum erat, & Plinij aliquot epiſtolæ ſunt lib. X. quibus ciuitatem amicis aut clientibus ſuis petit à Traiano, impetràtque.* [334 Cognationis iura.] *Quia illâ trãſitione in ciuitatem diuulſi à ſuis videbantur, qui nondum ciues: atque ita alieni extraneique habebantur, niſi Princeps ſeorſim tribuiſſet.* [335 Orbitatis.] *Quia pater à filiis, filij à patre abiungebantur, nec cognati cenſebantur.* [336 Reductus eſſet.] *Exierat enim ſi ipſe donatus ciuitate, ſiue etiam ſi pater. Nam deminutione hac capitis, id eſt ſtatus, ciuilis illa poteſtas ſoluebatur. Feſtus:* Deminutus capite appellatur, qui ciuitate mutatus eſt.

[337 Publicanum.] *Nota per eos igitur exactum collectúmque hoc vectigal.*

Hactenvs ille, parciùs fortaſſe quàm decuit optimum Principem, ſed non parciùs quàm optimum patrem. qui optimum adoptaturus, hoc quoque parentis indulgentiſſimi fecit, quòd delibaſſe quædam ſeu potiùs demonſtraſſe contentus, largam ac propè intactam benefaciendi materiam filio reſeruauit. Statim ergo muneri eius liberalitas tua aſtruxit, vt quemadmodum in patris filius, ſic in hæreditate [338] filij pater eſſet immunis, nec eodem momento quo pater eſſe deſiſſet, hoc quoque amitteret [339] quod fuiſſet. Egregiè Cæſar, quòd lacrymas parentum [340] vectigales eſſe non pateris. Bona filij pater ſine diminutione poſſideat, nec ſocium hereditatis accipiat, [341] qui nõ habet luctus: nemo recentem & attonitam orbitatem ad computationem vocet, cogátque patrem quid reliquerit filius ſcire. Augeo P. C. Principis munus, cùm oſtendo liberalitati eius ineſſe rationem: ambitio enim, & iactantia, & effuſio, & quiduis potiùs quàm liberalitas exiſtimanda eſt, cui ratio non conſtat. Dignum ergo Imperator manſuetudine tuâ, minuere orbitatis iniurias, nec pati quẽquam filio amiſſo inſuper affici alio dolore. Sic quoque abundè miſera res eſt, pater filio ſolus heres: quid ſi coheredem non [342] à filio accipiat? Adde, quòd cùm diuus Nerua ſanxiſſet, vt in paternis bonis liberi neceſſitate Vigeſimæ ſoluerentur, congruens erat eãdem immunitatem parentes in liberorum bonis obtinere. Cur enim poſteris amplior honor, quàm maioribus haberetur? cúrve non rettò quoque recurret æquitas eadem? Tu quidem Cæſar illam exceptionem remouiſti, ſi modò filius in poteſtate patris fuiſſet,

intuitus opinor vim legémque naturæ, quæ [343] ſemper in dirimi one parentum eſſe liberos iuſſit, nec vti inter pecudes, ſic inter homines poteſtatem & imperium valentioribus dedit. Nec verò contentus primum cognationis gradum abſtuliſſe Vigeſimæ, ſecūdum quoque exemit, cauitque vt in ſororis bonis frater, & contra in fratris ſoror, vtque auus, auia in neptis nepotiſque, & inuicem illi, ſeruarentur immunes. His quoque, quibus [344] per Latium ciuitas Romana patuiſſet, idem indulſit: omnibúsque inter ſe cognationum iura commiſit, ſimul & pariter; & more naturæ; quæ [345] priores Principes à ſingulis rogari geſtiebant, non tam præſtandi animo, quàm negandi. Ex quo intelligi poteſt quantæ benignitatis, quanti ſpiritus fuerit [346] ſparſas, atque, vt ita dicam, laceras gentilitates colligere atque connectere, & quaſi renaſci iubere: deferre quod negabatur, atque id præſtare cunctis, quod ſæpe ſinguli non impetraſſent: poſtremò ipſum ſibi eripere tot beneficiorum occaſiones, tam numeroſam obligandi [347] imputandique materiam. Indignum credo ei viſum, ab homine peti, quod dij dediſſent. Sorores eſtis & frater, auus & nepotes: quid eſt ergo, [548] cur egetis? vt ſitis, vobis eſtis. [349] Qui pro cæterâ ſuâ moderatione, non minùs inuidioſum putat [350] dare hereditatem, quàm auferre. Læti ergo [351] adite honores, capeſſite [352] ciuitatem, neminem hoc neceſſitudinis [353] abruptū, [354] velut truncum amputatúmque deſtituet: iiſdem omnes quibus antè pignoribus, ſed [355] honeſtiores perfruentur. Ac ne remotus quidem iámque deficientis affinitatis gradus, [356] à qualibet quantitate Vigeſimam inferre cogetur. ſtatuit enim communis omnium parens ſummam, quæ publicanum pati poſſit. Carebit onere Vigeſimæ parua & exilis hereditas: & ſi ita gratus heres volet, tota ſepulchro, tota funeri ſeruietur. nemo obſeruator, nemo caſtigator adſiſtet. [357] Cuiuſcumque modi ea pecunia ex hereditate alicuius obuenerit, ſecurus habeat quietúſque poſſideat. Ea lex Vigeſimæ dicta eſt, vt ad periculum eius perueniri, niſi opibus non poſſit. conuerſa eſt iniquitas in gratulationem; iniuria in votum: [358] optat heres vt Vigeſimam debeat. Additum eſt, vt qui eiuſmodi ex cauſſis in diem edicti Vigeſimam deberent, nondum tamen intuliſſent, non inferrent. At in præteritum ſubuenire, [359] ne dij quidem poſſunt. tu tamen ſubueniſti cauiſtíque, vt deſineret quiſque debere, quod non eſſet [360] poſteà debiturus. [361] Idem feciſti ne malos Principes habuiſſemus: quo ingenio, ſi natura pateretur, quàm libenter tot ſpoliatis, tot trucidatis ſanguinem & bona refudiſſes? Vetuiſti exigi, quod deberi [362] non tuo ſæculo cœperat. Alius, vt contumacibus, iraſceretur, tarditatémque [363] ſoluendi dupli, vel & quadrupli irrogatione mulctaret: tu nihil referre iniquitatis exiſtimas, exigas quod deberi [364] non oportuerit, an conſtituas, vt debeatur.

[338 Filiꝰ pater.] *Cur non autem hoc etiam Nerua? ille naturæ ordinem vidit ſecutusque eſt, ex quo magis iuſtum, certè votiuum, filium patri ſuccedere, quam contra. Itaque quia hoc & rarius, nec ita ex naturæ ordine, id neglexit.* [339 Quod fuiſſet.] *Traianum naturæ vinculum intuitum, quod putanie ciuili conſtitutione non ſolui. Itaque etſi ciuiliter deſinebat pater eſſe, attamen quia antè ciuiliter fuerat, & nunc quoque naturaliter erat, habuit immunem.* [340 Vectigales.] *Subiectas vectigali, obnoxias Vicesimæ.* [341 Qui non habet.] *An,* quem non habet? *Nam poteſt ſane in filij morte conſortes habere luctus, etſi non Fiſcum.* [342 A filio.] *Nec teſtamento eius datum, nec ei ſimilium. qualis eſt Fiſcus, quem lex ingerit.* [343 Semper.] *Etiam grandes & adultos. etiam patre digniores, potentiores. Huc enim ſequens comparatio ſpectat.* [344 Per Latium.] *Non ſolum, qui beneficio Principis. An hoc dicit, qui tantum Latini ciues?* [345 Priores Principes.] *Suetonius in Tito:* Cùm ex inſtituto Tiberij, omnes dehinc Principes beneficia à ſuperioribus conceſſa Principibus, non aliter rata haberent, quàm ſi eadem iiſdem & ipſi dediſſent; primus præterita omnia vno confirmauit edicto, nec à ſe peti paſſus eſt. [346 Sparſas.] *Tranſitione hac in ciuitatem.* [347 Imputandi.] *Vt ſupra, inſcribendi beneficij. demerendi* [348 Cur egetis.] *Omnino verum,* cur rogetis, *Linineio quoque viſum. Diſtingue autem,* cur rogetis, vt ſitis? vobis eſtis. *Quaſi dicat & eſtis fratres, & vobis eſtis tantùm, non fiſco, qui nil iam decerpit.* [349 Qui pro.] *Lego,* Quin. [350] Dare.] *Non à petitione, quam ſuſtulit, & ſemel vniuerſe dedit.*] 351 Adite honores.] *In coloniis veſtris. Hoc enim ad Latinos pertinet, qui (vt dixi) ciuitatem Romanam adipiſcebantur, domi honoribus geſtis.* [352 Ciuitatem.] *Noſtram.* [353 Abruptum.] *Abruptio & diſiunctio. Diſſociabantur enim, qui ciuitatem mutabant.* [354 Velut Truncum.] *Tanquam à patre iam abſciſum, aut contra à filio patrem. Herent & manent tales, interpretatione Traiani.* [355 Honeſtiores.] *Ciuitate nostra.* [356 A qualibet.] *Altera moderatio Traiani, qui non in gradibus ſolùm diſpenſauit, ſed in modo Hereditatis. Si ea modica & intra talem ſummam (non eſt expreſſa vſquam:) nihil delibatur.* [357 Cuiuſcumque modi.] *Quidam libri,* Cuiuſcumque modica pecunia. *quod amplector, ſtatim tamen legendo* alicui, *pro* alicuius. *Sententia eſt: Cuiuſcumque ea parua pecunia fuerit, agnati vel extranei, non refert: nihil pendit.* [358 Optat.] *Nec enim dabit, niſi diues.* [359 Ne dij quidem.] *Plinius annuentius:* Ne Deum quidem poſſe omnia. namque nec reuocare defunctos, nec facere vt qui vixit, non vixerit, qui honores geſſit, non geſſerit: nullúmque habere in præterita ius præterquam obliuionis. *Agathon Comicus apud Ariſtotelem:*

Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται,
Ἀγένητα ποιεῖν ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα:
Vnum hoc nec ipſe præpotens habet Deus,
Quæ facta ſunt, infecta poſſe reddere.

[360 Poſteà.] *Poſt diem tui edicti.* [361 Idē.] *Liuineius,* id eſt: *rectè etſi ſequentia non bene ordinat.* [362 Nō tuo ſæculo.] *Vno verbo, remiſit reliqua*

cem vectigalium cauſis dictu. Hoc eſt quod Auſonius in Laudibus ac Gratians tangit Velud vnum cuiuſmodi eſt, de condonatis reſiduis tributorum. Quis vnquam Imperatorum hoc prouincijs ſuis vberiore te indulgentiâ dedit? Fecerat & Traianus ... parumus retentis. Non habebat tantam oblectationē conceſſi debiti portio, quanta ſuberat amaritudo ſeruati. *Omnino hoc factum, nec de alio Traiani remiſſione legas. Qui enim ... adſerunt* RELIQVA VETERA HS. NOVIES MILL. ABOLITA: *falli credo, nec Traianus, ſed Traiano Hadrianus ... dicitur nummus ... ita enim extant hodieque in Conſulatu eius III. Inſcriptio Romæ.* IMP. CÆSARI. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. F. TRAIANO. AVG. PONT. MAX. TR. POT. II. COS. II. QVOD. OMNIVM PRINCIPVM ET. SOLVS. REMITTENDO. HS NOVIES. MILLIES. CENTENA. MILLIA. N. DEBITVM. FISCI. NON. PRÆSENTES. MODO. SED. ET. POSTEROS. SVOS. PRÆSTITIT. HAC LIBERALITATE SECVROS. *Ex remiſſo ... & noſtra æſtimatione & locutione valeat vigin duos milliones ... ſeſtertium. At Traiani liberalitas minor, & in partibus tantum vt dixit Auſonius.* [364] Soluendi dupli. *... poena etiam more ſolet adici ... de Nerua ... quod antea pœnæ nomine tributis acceſſerat, ... itaque exemplum ... a paterna indul ... imperauit.* [364] Non portuer. *Illud vetus in cauſis quas ... edicto. Æque ... exigere talia ... cantur.*

FERES Cæſar curam & ſolicitudinem [365] Conſulatem nam mihi cogitanti ... dem te, [366] collationes remiſiſſe, ... reddidiſſe, congiarium obtuliſſe, delatores abegiſſe, vectigalia [367] tempe... interrogandus videris, ſatiſne computa ... imperij redditus, an tantas vires habeat ... tas Principis, vt [368] tot impendus, ... gationibus ſola ſufficiat? Nam quid ... cauſſæ, cur alijs quidem cum omnia raperent, & rapta retinerent; vt ſi nihil ... nt, nihil detinuiſſet, deficerint omnia: ... tā multa largiaris, & nihil auferas, ... ſuperſint? Nunquam Principibus de... nt, qui fronte graui & triſti ſupercilio, ... tatibus fiſci contumaciter adeſſent & ... Principes ipſi ſuâ ſponte auidi & rapaces, & qui magiſtris non egerent: plura tamē ... a nobis contra nos didicerunt ſed ad ... aures cùm ceteris omnibus, tum vel maxime au... tis adulationibus obſtructus eſt adi... ſilent ergo & quieſcunt, & poſtquam nō ... qui ſuadeant ... ſunt. quo ... t tibi cùm plurimum pro tuis, plus ... pro [370] noſtris moribus debeamus ... ſupleſtabant & fiſcum & ærarium non tam [371] Voconiæ & [372] Iuliæ leges, quàm Maieſtatis ſingulare & [373] vnicum crimen ... qui crimine ... carerent: huius tu metum penitus ſuſtuliſti contentus magnitudine: qua nulli magis caruerunt quàm qui ſibi ... em ...

cabant. Reddita eſt [374] amicis fides [375] liberis pietas, obſequium [376] ſeruis verentur, & parent, & dominos habent. non enim iam ſerui Principis noſtri amici, ſed nos ſumus; nec pater patriæ alienis ſe mancipiis cariorem, quàm ciuibus ſuis credit. omnes is accuſatore domeſtico liberaſti, vnoque [377] ſalutis publicæ [378] ſigno illud, vt ſic dixerim, [379] ſeruile bellum ſuſtuliſti. In quo non minus ſeruis, quàm dominis præſtitiſti: hos enim ſecuros, illos bonos feciſti. Non vis interea laudari, [380] nec fortaſſe laudanda ſint; grata ſunt tamen ... [381] Principem illum in capita dominorum ſeruos ſubornantem, monſtrantemque crimina, quæ tanquam delata puniret: magnum & inuitabile, ac toties cuique experiendum malum quoties quiſque ſimiles Principi ſeruos haberet.

[365] Conſulatem. *Quia ... debeo.* [366] Collationes re... *ſpectas cum alia pro... Imperij ... tum* Coronarium aurum *maxime, quâ ſpecie ... llationis exhauriebantur. itaque bene Principes ... tebant. ... Traianus: ... inter cuius liberalitates ... Coronarium in... dulgentiam ... ſtate, con...* [367] Tempe... *... ad ... Toti ... ra... ludi ... ipſa atque ali... Admirandis, libro ... ad ... omnem nummi pertinent. ...* [368] Non ... moribus ... *Quibus ... b adulatoribus ... arces.* [371] Voconiæ. ... *... neque heredem feminam ... etiam ... quadra... m heredi ... ſuta le... Multa ... tiunc ... ſolet ...* ... augendo ſi... [373] Vnicum c... *... quibus nihil obiciebat ... Nero etiam ...* ... eta ſictaque, quibus ... [374] A... *... non ... de erunt.* [375] ... [377] S... *... ſalutis publ.* [378] *Velut formul... Principum & in nummis ...* ... [378] Signo] ... [379] Seruile bellum ... *ra... A, cum manus ... in linguas. Traianum autem ... Nam patres ... im de te Dioni ...* ... nos & ... ent, ... quodam crimen ... [380] N... *... dumtaxat ſunt ... non ...* Prin... m. *Dominorum.*

In eodem genere ponendum eſt, quòd teſtamenta noſtra ſecura ſunt: nec vnus omnium [382] nunc, quia ſcriptus heres. Nō tu [383] falſis, non tu [384] iniquis tabulis aduocaris: nullius ad te [385] iracundia, nullius [386] impietas, nullius [387] furor [illegible] fugit. nec quia offendit alius nuncupa[illegible]d quia ipſe meruiſti. Scriberis [388] ab amicis, ab ignotis præteritis: nihilque inter priuatum & Principem intereſt, niſi quòd nunc [389] à pluribus amari[illegible]am & pl[illegible]s amas. Tene Cæſar hunc curſum & probabitur experimento, ſitne feracius & vberius non ad laudem modò, ſed ad [illegible]ecu[illegible]am Principi, ſi hærede illo mori homines velint, quàm ſi cogantur. Donauit [3]9[0] pater tuus multa, & ipſe donaſti: [391] eſſerit [392] parum gratus; manent tamen ij, qui [39]3] bonis eius fruantur, nihilque ex illi[illegible] ad te niſi gloria redit. nam liberalitatem iucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit. Sed quis ante te laudem iſtam pecuniæ præti[illegible] lit? quotusquiſq; Principum ne id quidem in patrimoniis noſtris ſuum duxit, quod eſſet de [illegible]. nónne vt regum, ita Cæſarum munera [illegible]ſitos cibis hamos, opertos prædâ laqueos, æmulabantur? cum pri[illegible]tis facult[illegible] [illegible]s velut [394] hauſta & multipl[illegible]ata, re[illegible] ſecum quidquid attigerant referrent.

[38]2 Nunc quia ſcriptus.] *Obſcura, nec mihi [illegible] Inſi[illegible] ne[illegible]* [illegible]us omnium, nunquam ſcriptus h[illegible]s. *[illegible] & verè aut fallor. Non tu, inquit, omnium [illegible] nunc es, vt ille Domitianus, qui falſo talem ſe gerebat nec cogitatum, nec ſcriptum.* [383 Fal[illegible]is.] *Mendac[illegible] & co[illegible].* [384 Iniquis.] *Vbi propior aut ſuus heres eſt.* [385 Iracundia] *Puta liberis, quis [illegible] vt illum iure ſucceſſionis priuaret, [illegible] cribebat.* [386 Impietas.] *Patris aut [illegible] Taci[illegible] Agricola*, à bono patre non [illegible], n[illegible] lus Princeps. [387 Furor] *Ab[illegible] parum ſanæ mentis, qui ſpretis ſuis ad Princi[illegible] [illegible].* [388 Ab amicis.] *Pro more, & iure. At [illegible] Augu[illegible] profeſſus,* viginti proximis annis [illegible]q[illegible] deci[illegible] [illegible]llies HS. ex teſtamentis ami[illegible]um [illegible]. [3]89 A pluribus.] *Erg[illegible] a [illegible] liberis.* [3]9[0] Pater tuus.] *Nerua. Qui [illegible]na omnia, quæ extabant, & Domitianus iniqu[illegible] [illegible] omnis [illegible] & plebi Romanæ agros [illegible] Dio. Factum eiuſdem liberale & me[illegible] Zonar[illegible] P[illegible] brato ſcriptum. Reppererat [illegible] opinſta p[illegible] domi ſuæ ingentem theſ[illegible]um. C[illegible] veritus, ad [illegible] incipem [illegible], & in[illegible] [illegible] V[illegible] Atticus ne [illegible] ſecurus, [illegible]* At c[illegible]m [illegible]tus priuati [illegible] [illegible] ſup[illegible]. *Nerua [illegible] animosè* [illegible] [illegible] C[illegible]] [illegible] cepera[illegible] [illegible] [illegible] *[illegible] aliquis parum gra[illegible]* [illegible] Pa[illegible] [illegible] *[illegible] ab [illegible] rapaudinem* [illegible] teſtan[illegible] [illegible] enifeciſſent, vt [illegible] *beneficio ad gradu* [illegible] *ernua. quia ta-* [illegible] [illegible].

ca. [394 Hauſta] *[illegible] vox multiplicata ſedeat. Pro qua [illegible], impl[illegible] mihi no diſpliceat, aptius q; ita ad* [illegible] [ha]mos Laqueosque [illegible]. *bona illa Cæſaris velut* [illegible] & abſ[illegible]pta *vt piſcibus hamis, primatis* [illegible] *ſidemque* [illegible] *& innexis vt feris laquei: [illegible] ad Principem [illegible] gratitudin[illegible] in teſtamentis.*

Qvam vtile eſt, ad vſum ſecundorū [395] per aduerſa veniſſe? Vixiſti nobiſcum, periclitatus es, timuiſti: [396] quæ tunc erat innocentium [v]ita, ſ[illegible]s & expertu[s es] quantopere deteſtentur malos Principes, etia[m] qui [397] malos faciunt. meminiſti quæ opta[re] nobiſcum, quæ [illegible]s queri ſolitus. Nā [39]8 [pri]uato iudicio Principē geris, meliorem [illegible] te præſtas, quàm tibi [399] alium precabare. Itaque ſic imbuti ſumus, vt quibus erat ſumma votorum, melior peſſimo Princeps, iam non poſſimus, niſi optimum, ferre. Nemo eſt ergo [400] tam tui, [401] tam ignarus [illegible], vt locum iſtum poſt te concupiſcat. facilius eſt, vt eſſe aliquis ſucceſſor tuus poſſit, quàm [40]2 vt velit. Quis enim curæ tuæ mo[le]m ſponte ſubeat? quis comparari ti[bi] non reformidet? Expertus & ipſe es quam ſit onerosum ſuc[ced]ere bono Principi: & afferebas excuſationem, [403] adoptari. An prona par[ia]que ſunt ad æmulandum, quòd nemo incolumitatem [404] turpitudine rependit? Salua eſt omnibus [vi]ta, & [40]5 dignitas vitæ: nec iam [40]6 conſiderat ac ſapiens, qui ætatem [407] in teneb[ris] agit. Eadem quippe ſub Principe virtutibus præmia, quæ in libertate: nec benefactis tantùm [40]8 ex conſcientiâ merce[s]. A[ma]s conſtantiam ciuium, rectóſque a[nimos] [4]0[9] [illegible] ani[illegible]mos non, vt alij, contundis ac [de]primis, ſed [fo]ues & attollis. Prudeſt bonos eſſe, cùm ſit ſatis abund[e]que, ſi non nocet. His honores, his ſacerdotia, his prouincias offers: hi amicitiâ tuâ, hi iudicio [fl]orent [41]0 [illegible]tur iſti int[illegible] [illegible] induſtriæ pretio [illegible] [illegible] diſſimiles al[illegible] [illegible] [41]1 præmi[a] b[o]norum ma[lo]rumque, bonos ac malus faciunt. Pa[uci] adeo [412] ingenio valent, vt non [illegible] honeſtúmque prout bene ac ſecus [illegible] expetant fugiantve [illegible] [illegible]en[illegible] vbi la[illegible] inertiæ [v]igilantiæ ſumno, frugalitatis [lu]xuriæ merces [d]atur; eadem iſta [illegible] quibu[s] alios artibus aſſecuros vident, co[illegible] [illegible] qual[e]ſque ſunt illi, tales eſſe & videri v[illegible] & dum volunt, fiunt.

395 Per aduerſa. *Pindarus enim ver[illegible]* [illegible] *[illegible]* qui animo exercitus fuit & laborauit, [illegible] ntiam fructum tulit. [39]6 Quæ tunc. *Sub [Do]mitiano.* [397 Malos faciu[nt]] *Adulantes, & [illegible] mentes.* [39]8 [Pri]uato. *Clarus ſi, priuati legat. [illegible] ille. Tutela eius Principem, vis priuatus [illegible]* [illegible] *[illegible] alia & qui [illegible] bene de [illegible] [illegible]*

nos damus. [399 Alium precabare. *Tacitus in oratione Galbæ* : Vtiliſſimus idem ac breuiſſimus bonarum malarúmque rerum dilectus, cogitare quid aut nolueris ſub alio Principe, aut volueris. [400 Tam tui. *Virtutis ſumma tua, & Prudentia.* [401 Tam ſui. *Qui ad te non poteſt accedere.* [402 Vt velit. *Sapient quidem. nam ſuccedere aliquis poteſt, & debet : par eſſe, aut ſimilis etiam, non poteſt.* [403 Adoptari. *Id eſt, excuſatior tibi ſucceſſio, quia non ſponte neque vltrò veniſti, ſed adoptione adſcitus, & quaſi coactus. At qui ſe ingerit, minùs excuſatur, niſi parem ſe præbeat.* [404 Turpitudine rependit. *Id eſt, nemo hoc ipſo ſaluus, quòd virtutem non habeat ſaluam. Sub malis, ea in odio; & qui grati aptique Aulæ eſſe volunt, eiurant probitatem. Exempla etiam, vbi obſcænitas & profeſſa turpitudo ſaluti fuerint: in Suetonij Nerone, cap. XXIX. & Domitiano X.* [405 Dignitas vitæ. *Licet etiam in dignitate & luce viuere.* [406 Conſideratus. *Quod ſub improbis Principibus; & ſapientia tum, latêre. Seneca, de Vatiâ:* In hac villâ ille Prætorius diues, nullâ re aliâ quàm otio notus, conſenuit: & ob hoc vnum felix habebatur. Nam quoties aliquos Aſinij Galli amicitia, aut Seiani odium, deinde amor, merſerant; exclamabant homines, O Vatia, ſolus ſcis viuere. [407 In tenebris. *Ouidij monitu:*

Viue tibi, quantúmque potes prælustria vita,
Sæuom prælustri fulmen ob arce venit.

[408 Ex conſcientia. *Vt virtutem habeat, ſine famæ aut honoris præmio. Et ſanè eò Philoſophi, atque etiam poeta iſte vocat, Theognis:*

Εὖ ἔρδων, δ' ὦ πρήττοις. τί δ' ἄγγελον ἄλλον ἰάλλεις;
Τῆς ἀρηκτοῦς ῥηιδίη ἀγγελίη.

Si benè agis, benè ſit tibi. quid præconia quæris?
Virtuti facilis promptáque fama venit.

[409 Viuidos. *Altius ſpirantes. quod genus non dicã minutis, ſed modicis Principibus parum grati ſunt qui pares rebus quærũt, nõ qui* vltrà ſiut. [410 Acuũtur iſti. *Imò iſto, meo iudicio. & ſententia eſt, qui vident ſic attolli à te virtutem, magis acuuntur & ſtimulantur, boni quidem eam perſequi; & qui non boni, flectere ſe & ſequi.* [411 Præmia. *Salluſtius:* Gloriâ induſtria alitur. vbi eam dempſeris, ipſa per ſe virtus amara atque aſpera eſt. *Idem* : Vbi malos præmia ſequuntur, haud facilè quiſquam gratuitò bonus eſt. *Liuius*: Nihil non aggreſſuri ſunt homines, ſi magna conatis magna præmia proponantur. [412 Ingenio valent. *Tam validâ ſolidáque mente ſunt; vt virtutem aut vitium à ſeſe, non à ſucceſſu aut mercede pendant.*

Et priores quidem Principes, excepto parte tuo, prætereà [413 vno aut altero (& [414 nimis dixi) vitiis potiùs ciuium, quàm virtutibus lætabantur. primùm, quòd in alio ſua quemque natura [415 delectat; deinde, quòd [416 patientiores ſeruitutis arbitrabantur, quos nõ deceret eſſe niſi [417 ſeruos. [418 Horum in ſinum omnia congerebant: bonos autem otio aut ſitu abſtruſos, & quaſi ſepultos, non niſi delationibus & [419 periculis in lucẽ ac diem proferebant. Tu amicos ex optimis legis: & hercule æquũ eſt eſſe eos cariſſimos bono Principi, qui inuiſi malo fuerint. ſcis, vt ſicut [420 diuerſa natura dominatio & Principatus; ita non aliis eſſe Principem gratiorem, quàm qui maximè dominum grauentur. Hos er-

A go prouehis & oſtentas, quaſi ſpecimen & exemplar, quæ tibi ſecta vitæ, quod hominum genus placeat: & ideò non [421 Cenſuram adhuc, non [422 Præfecturam morum recepiſti: quia tibi [423 beneficiis potiùs, quàm remediis, ingenia noſtra experiri placet. & alioquin, neſcio an plus moribus conferat Princeps, qui bonos [424 eſſe patitur, quàm [425 qui cogit. Flexibiles quamcumque in partem ducimur à Principe: atque, vt ita dicam, ſequaces ſumus. huic enim cari, huic probati eſſe cupimus:

B quod fruſtra ſperauerint diſſimiles. eóque obſequij continuatione peruenimus, vt propè omnes homines [426 vnius moribus viuamus; porrò non tam ſiniſtrè conſtitutum eſt, vt qui malum Principem poſſumus, bonum non poſſimus imitari. Perge modò Cæſar, & vim, effectúmque Cenſuræ, tuum propoſitum, tui actus obtinebunt. Nam vita Principis, Cenſura eſt: eáque perpetua. ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur: [427 nec tam imperio nobis opus eſt, quàm exemplo. quippe [428 infidelis recti

C magiſter eſt metus. meliùs homines [429 exemplis docentur, quæ in primis hoc in ſe boni habent, quòd [430 approbant, quæ præcipiunt fieri poſſe.

[413 Vno aut altero. *Auguſto & Tito.* [414 Nimis dixi. *Corrigit ſe, nec fruſtra fortaſſe in Auguſto. qui recta aut certè erecta non nimis amabat. Suos etiã ludis & voluptatibus molles atque inflexis, in bono totóque habebat.* [415 Delectat. *Ex notiſſimo verbo,* Simile amicum ſimili. [416 Patientiores. *Malos & molles, quibus honeſti æquíque nec amor, nec cura eſt.* [417 Seruos. *Nam mali digniſſimi ſeruitute, & qui meliorum imperiis coerceantur, aut emendentur.*

D [418 Horum in ſinum. *Iuuenalis:*

Criminibus debent hortos, prætoria, menſas.

[419 Periculis. *Noti non niſi per mala ſua, fiebant.* [420 Diuerſa natura. *Tiberij dictum eâ mente.* Dominum ſe ſeruorum, Imperatorem militum eſſe, Principem ceterorum. *Princeps igitur liberorum.* [421 Cenſuram. *Vt Claudius, vt Veſpaſianus, Domitianus.* [422 Præfecturam. *Quo titulo C. Cæſar, ſi memini, vſus. & Auguſtus (in Suetonio)* recepit morum & legum regimen perpetuum, ſine honore Cenſuræ. [423 Beneficiis. *Leniter ad bona ducere, & benè faciendo, potiùs quàm cenſendo, mulctando, puniendo.* [424 Eſſe patitur. *Inopinata & mira ſentẽtia: ſed, vt hic multa, ex abditis prudentiæ & naturæ. Seneca huic aſſertor & interpres, De Clementiâ I. cap. XXII.*

E Conſtituit bonos mores ciuitati Princeps, & vitia eius faciliùs compeſcit, ſi patiens eorum eſt. non tanquam probet, ſed tanquam inuitus, & cum magno tormento ad caſtigandum veniat. [425 Qui cogit. *Panegyricus Pacati, ad Theodoſium:* Vitiis corrigendis curam adieciſti, idque moderatè; vt ſuadere potiùs honeſta, quàm cogere videreris. [426 Vnius moribus. *Principis, quem omnes, vt Solem, ſpectant & ab eo colorantur.* [427 Nec tam imperio. *Idem Pacatus* : Sic eſt enim, ſic eſt. exaſperat homines imperata correctio, blandiſſimè iubetur exemplo. *Plura huic rei ego, in Politicis, lib. II.* [428 Infidelis. *Similis gnome Tullius* : Malus diuturnitatis

cuſtos, eſt metus. [429 Exemplis docentur. *Fabius*: Quantum Græci præceptis valent, tantum Romani (quod eſt maius) exemplis. [430 Approbant. *Re oſtendunt.*

E T quis terror valuiſſet efficere, quod reuerentia tui effecit? [431 Obtinuit aliquis, vt ſpectaculum [432 pantomimorum populus Ro. tolli pateretur? ſed non obtinuit [433 vt vellet Rogatus es tu, quod cogebat alius: cœpitque eſſe beneficium, quod neceſſitas fuerat. neque enim à te minore [434 concentu, vt tolleres pantomimos; quàm à patre tuo, vt reſtitueret, exactum eſt. Vtrumque rectè. nam & reſtitui oportebat, quos ſuſtulerat [435 malus Princeps; & [436 tolli reſtitutos. In his enim quæ à malis benè fiunt, hic tenendus eſt modus, vt appareat [437 auctorem, non diſplicuiſſe factum. Idem ergo populus ille aliquando [438 ſcænici Imperatoris ſpectator & applauſor, nunc in pantomimis quoque auerſatur & damnat effæminatas artes, & indecora [439 ſæculo ſtudia. Ex quo manifeſtū eſt, Principum diſciplinam capere etiam vulgus: cùm rem, ſi [440 ab vno fiat, ſeueriſſimam, fecerint omnes. Macte hac grauitatis gloriâ Cæſar, quâ cōſecutus es, vt quòd anteà vis & imperium, [441 nunc mores vocarentur. Caſtigauerunt vitia ſua [442 ipſi, qui caſtigari merebantur: iidémque emendatores, qui emendandi fuerunt. Itaque nemo de ſeueritate tuâ queritur, & liberum eſt queri. Sed cùm ita comparatum ſit, vt de nullo minùs Principe querantur homines, quàm de quo maximè licet: [443 tamen in ſæculo nihil eſt, quo non omne hominum genus lætetur & gaudeat. Boni prouehuntur, mali (qui eſt tranquilliſſimus ſtatus ciuitatis) [444 nec timent [445 nec timentur. Mederis erroribus, ſed [446 implorantibus: omnibúſque, quos bonos facis, hanc aſtruis laudem, [447 ne coëgiſſe videatis.

[431 Obtinuit aliquis. *Et Tiberius olim, qui hiſtriones Italiâ pepulit: & Nero, qui* factiones Pantomimorum vnà cum ipſis relegauit: *& Domitianus denique,* qui interdixit hiſtrionibus ſcænam, intra domum quidem exercendi artem iure conceſſo. *De iſto eum ſentire, ſequentia docent.* [432 Pantomimorum. *Qui geſtu, & ſaltatione motúque corporis, omnia exprimunt & imitantur: vnde Græcum nomen. Latini* Hiſtriones, & Saltatores, & Geſticulatores *reddunt.* [433 Vt vellet. *Animo non aſſenſit, etſi factis Principi non diſſenſit.* [434 Concentu. *Harmonico clamore, vt ſupra notauimus hic magis verum* Conſenſu? [435 Malus. *Domitianus.* [436 Tolli. *A te iterùm.*

[437 Auctorem. *Vt Lacedæmony, qui bonam ſententiam ab improbo homine in Senatu dictam, inſerunt à bono iterùm dici, eique inſcribi: Agellius, & Plutarchus.* 438 Scænici. *Neronis.* [439 Sæculo. *Huic tuo virili, & honeſto.* [440 Ab vno. *Principe.* [441 Nunc Mores. *Seneca:* Deſinit eſſe remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores ſunt. *Mores autem, id eſt, peruulgata iudicia aut facta, & vno verbo, Sæculum.*

[442 Ipſi qui. *Nempe, ipſe populus. Non enim Caius, aut Nero, vt quidam explicat.* [443 Tamen. *Lunæneus* tum. *ex veteri libro: fortaſſe, tuo.*

[444 Nec timent. *Hocne probas Plini? malos ſolutos metu eſſe? ita, ſed nempe magno metu, qui ad res nouas facile impellit. Tutius meliusque, vbi iam multi mali, paullatim pati emendare & ad frugem ſe recipere, quā acribus pœnis cōcitare. Vt in humano corpore vitioſi humores non impetu purgantur, niſi cum periculo. ita in republicâ. Significat igitur, bonis amicum & bonum Traianum fuiſſe; nec malis quidem nimis aſperum, & meliores exemplo & morâ feciſſe.* [445 Nec timentur. *A bonis, quia vires non habent.* [446 Implorantibus. *Cùm ipſi qui emendandi, volunt emendari. Qui feſtinat, & qui aliter, quid niſi* intempeſtiuis remediis delicta accendit? [447 Ne coegiſſe. *Ita Agricola, apud Tacitum, cùm Britanniæ præſideret,* rariſſimâ moderatione maluit videri inueniſſe bonos, quàm feciſſe. *Denique quid in totâ hac re ſit, pulchrè Apuleius.* Neminem Proconſulem prouincia Africa magis reuerita eſt, minùs verita: nullo, niſi tuo, anno ad coërcenda peccata plus pudor valuit, quàm timor. Nemo te alius, pari poteſtate, ſæpiùs profuit, rariùs terruit.

Q V I D vitam? quid mores iuuentutis? quam [448 principaliter formas? quem honorem [449 dicendi magiſtris? quam dignationem ſapientiæ doctoribus habes? vt [450 ſub te ſpiritum, & ſanguinem, [451 & patriam receperunt ſtudia: quæ priorum temporum immanitas exſiliis puniebat? cùm ſibi vitiorum omnium conſcius Princeps, inimicas vitiis artes, non odio magis, [452 quàm reuerentiâ, relegaret. At tu eaſdem artes in complexu, oculis, auribus habes. præſtas enim quæcumque præcipiunt, tantúmque eas diligis, quantum ab illis [453 probaris. An quiſquam ſtudia humanitatis profeſſus, non cùm omnia tua, tum vel in primis laudibus ferat [454 admiſſionum tuarum facilitatem? Magno quidem animo parens tuus, hanc [455 ante vos Principes arcem, [456 publicarum ædium nomine inſcripſerat: fruſtrà tamen, niſi adoptaſſet, qui habitare vt in publicis poſſet. Quàm bene cum titulo iſto moribus tuis conuenit? quámque omnia ſic facis, tanquā [457 non alius inſcripſerit? Quod enim forum, quæ templa, tam reſerata? non Capitolium, ipsáque illa adoptionis tuæ ſedes, magis publica, magis omnium. Nullæ obices, nulli [458 contumeliarum gradus: ſuperatiſque iam [459 mille liminibus, vltrà ſemper aliqua dura & obſtantia. Magna ante te, magna poſt te, iuxta tamen maxima quies. [460 tantum vbique ſilentium, tam altus pudor, vt ad paruos penates & larem anguſtum, ex domo Principis, modeſtiæ & tranquillitatis exempla referantur.

[448 Principaliter. *Siue, vt decet Principem; ſiue* ... [Greek, illegible] *Habes hinc curam inter principes.* [449 Dicendi magiſtris. *Rhetoribus. Victor de*

Tra-

Traiano: Eruditiſſimos, quâuis ipſe parcæ eſſet ſcientiæ, moderatéque eloquẽs, diligebat. *Et Dio*: παιδείας μὲν γὰρ ἀκριβοῦς, ὅσην ἐν λόγοις, οὐ μετέσχε, τό γε μὴν ἔργον αὐτῆς καὶ ᾔδει καὶ ἐποίει: Doctrinæ accuratæ, quæ in verbis conſiſtit, particeps non fuit: at quæ præcipiuntur, ea & nouit & fecit. *Summa eſt, ſumme doctum in litterariis artibus non fuiſſe; at in Philoſophicis & moralibus, maximè. Quis enim hoc negauerit, qui vel Plutarchum cogitauerit, eius doctorem? Exſtat epiſtola viri, quam miſit ad Traianum iam recenter Principem, digna quæ apud ipſum legatur.*

[450 Sub te ſpiritum. *Hanc laudem & alij tribuunt Traiano. Iuuenalis:*

Et ſpes & ratio ſtudiorum in Cæſare tantùm.

In epiſtolis. noſter: Studiis, quæ propè exſtincta refouentur. *Argumentum & a viris doctis, quibus auum illud claruit: & a* Bibliothecâ Vlpiâ. *quam ij liberaliter ſtruxit, atque inſtruxit.* [451 Et Patriam. *Nam exſulauerant, vt addit. & Suetonius de Domitiano*: Philoſophos omnes vrbe Italiaq; ſubmouit. [452 Quàm reuerentia. *Vt Tacitus in eodem Domitiani facto*, ne quid vſquam honeſti oculis occurreret. *Et qui illud non amant, aut non habent: quomodo has ament, famæ aut infamiæ publicas tubas?* [453 Probaris. *Nam ſermonibus aut ſcriptis honeſtant & laudant te totum hoc genus.* [454 Admiſſionum. *Officium erat Palatinum*, Ab admiſſionibus, *&* Admiſſionales: *per quos aditus ad Principem erat. Ij ſæpe duri, molles miteſq; ſubmiſit hoc Traiano.* [455 Ante vos. *Te & Neruam. Sententia eſt, Palatium hoc anteà arx quædam & velut regia; ſub vobis facta eſt communis quædam domus, atque adeo à Neruâ ſic inſcripta.*

[456 Publicarum ædium. *Factum Neruæ cauſſam etiam aliam habuit (imò primitùs aliam) ab hac quam Orator tangit. Nam Principes Romani, quatenus Pontifices Maximi, in publico habitare debebant. Dio in Auguſto notat lib. 55.* cùm domum ædificaſſet, totam eam publicaſſe, quòd Pontifex max. eſſet. *Ipſum hoc dicit, libro 54. poſt Lepidi mortem: vide. Facit huc quod in Dionis M. Antonino eſt*: ἡμεῖς γὰρ, ἔφη, πρὸς τὴν βουλὴν λέγων οὕτως οὐδὲν ἴδιον ἔχομεν, ὥστε καὶ ἐν τῇ ὑμετέρᾳ οἰκίᾳ οἰκοῦμεν: Nos, inquit Antoninus ad Senatum, adeò nihil proprij habemus, vt etiam in veſtris ædibus habitemus. *Ergo palatium iam ab Auguſto publicum & iterum fecit ſcripſitq; Nerua.* [457 Non alius. *Ipſe in, non Nerua. adeo elogium hoc verũ præſtas.* [458 Contumeliarum gradus. *Vt alij primo oſtio admitterentur, interioribus excluderentur: alij, nec primo. Siue, quòd ægrè & ſuperbè excepti à ianitoribus, iterùm iterúmque (vt plura erãt limina) hæc contumelia ſubeũda.* [459 Mille liminibus. *Satis hoc laxum, de* mille liminibus: *ſed oratoriâ nempe, an poeticâ ſuperlatione. Tamen multa hæc oſtia, ex more, diuitibus. Seneca, De Benef. 6 cap. 33.* Vt gradum intra domum ponas, in quâ deinceps multa ſunt oſtia, quæ receptos quoque excludunt: *de ipſis iſtis ſalutationibus.* [460 Tantum vbique ſilentium. *O pulchre! & hoc nomine barbara illa Turcarum natio laudanda, quibus in ſuâ Portâ, inter mille Ianizaros aliſq; conſluxũ, ſilentium eſt penè ſolitudinis.*

Ipse autem vt excipis omnes, [461 vt exſpectas? vt magnam partem dierum, inter tot imperij curas, [462 quaſi per otium tranſigis? Itaque non [463 vt aliâs attoniti, nec vt periculum capitis adituri [464 tarditate, ſed ſecuri & hilares, cùm cõmodum eſt, conuenimus: & admittente Principe, interdum eſt aliquid, quod nos domi quaſi magis neceſſarium teneat. excuſati ſemper tibi, nec A vnquam excuſandi ſumus. Scis enim [465 ſibi quemque præſtare, quòd te videat. quod te frequentet: ac tanto liberaliùs ac diutiùs voluptatis huius copiam præbes. Nec [466 ſalutationes tuas [467 fuga & vaſtitas ſequitur. remoramur, reſiſtimus, vt in communi domo: quam nuper illa immaniſſima [468 bellua plurimo terrore munierat. cùm velut quodam ſpecu incluſa, nunc [469 propinquorum ſanguinem lamberet, nunc ſe ad clariſſimorum ciuium ſtrages cædéſque proferret. Obuerſabantur foribus horror & minæ, & par metus [470 admiſſis B & [471 excluſis. Ad hæc, ipſe occurſuquoque [472 viſuque terribilis. ſuperbia in fronte, [473 ira in oculis, fæmineus pallor in corpore, in [474 ore impudentia multo rubore ſuffuſa. Non adire quiſquam, non adloqui audebat, tenebras ſemper [475 ſecretúmque captantem: nec vnquam ex ſolitudine ſuâ prodeuntem, niſi vt [476 ſolitudinẽ faceret. Ille tamen, quibus ſibi [477 parietibus & muris ſalutem ſuã tueri videbatur, [478 dolum ſecum & inſidias, & vltorem ſcelerum C Deum incluſit. dimouit perfregitq; cuſtodias pœna, [479 anguſtóſque per aditus & obſtructos, non ſecus ac per apertas fores & inuitantia limina, irrupit: [480 longéque tunc illi diuinitas ſua, longè arcana illa cubilia [481 ſæuiq; receſſus, in quos timore, & ſuperbiâ, & odio hominum, agebatur. Quanto nunc tutior, quanto ſecurior eadem domus, 482 poſtquam eius non crudelitatis, ſed amoris excubiis, non ſolitudine & clauſtris, ſed ciuium celebritate defenditur? Ecquid ergo diſcimus experimento, fidiſſimam eſſe cuſtodiam, Principis ipſius innocentiam? hæc arx inacceſſa, hoc [483 inexpugnabile D munimentum, munimento non egere. Fruſtra ſe terrore ſuccinxerit, qui [484 ſeptus caritate non fuerit. [485 armis enim arma irritantur.

[461 Vt exſpectas? *Non excipis ſolùm comiter, ſed in limine velut obuium te das: aut certe inuitas, & vacuum te oſtentas.* [462 Quaſi per otium. *Vulgando te, audiendo, alloquendo, vt ſolent feriati.* [463 Vt alias. *Antè, ſub malis Principibus. Sed quidam libri*, non alij & attoniti: *quod magis probo. Id eſt, non colore vultuq; alio, & à prioribus demutaaret: vt eſt facies metus.*

[464 Tarditate. *Quaſi periclitaturi, ſi tardè venire- E mus. Ideò Satyricus:* — raptâ properabat ab ollâ Pegaſus. *Sic explicant; at mihi reſcribi placeat*, tardè ad te. *Non, inquit, trepidè & cunctanter te adimus: ſed hilares & ſecuri, quia libet, & cùm libet.* [465 Sibi quemque. *Non tuâ cauſſâ, nec vt velut officium præſtemus: ſed in noſtram voluptatem, & vt te fruamur.* [466 Salutationes tuas. *Illas ſollennes & matutinas, quas & Principi ferebant. Tacitus* Cn. Nonius, in cœtu ſalutantium Principem. [467 Fuga & vaſtitas. *Quia iuſſi ſtatim recedere, nec ſubſiſtere ibi fas, aut morari.* [468 Bellua *Seneca.* Non, tanquam malum aliquod aut noxium animal è cubili proſilierit, diffugiunt.

A [469 Propinquorum. *Nam Flauios, Clementem & Arretinum, patrueles ſuos occidit.* [470 Admiſſis. *No verbo aut geſtu offenderent.* [471 Exclusis. *Ne tam offendiſſent.* [472 Viſuque terribilis. *Tacitus:* Cùm tot hominum palloribus denotandis ſufficeret ſæuus ille vultus. [473 Ita in oculis. *Nihil Suetonius. tantùm, grandibus oculis fuiſſe.*

[474 Ore impudentia *Tacitus* Rubor, quo ſe contra pudorem muniebat. *Apparebat igitur verecundus, non erat.* [475 Secretúmque. *Cottidie horarium, vt Suetonius cap. 111. ſcribit. etſi male ibi diſtinctum, quaſi inter initia Principatus tantùm. Ille verò aſſiduè hoc fecit & ea verba ad ſuperius Caput ac periodum pertinent, de Tito. Qui legis, attende.* [476 Solitudinem. *Occidendo, pellendo. nam ad ſæuitiam exercendam prodibat. Non diſplicoat tamen* ſolicitudinem *legi, apta alluſione, & ſententiâ verſore.* B

[477 Parietibus. *Quos etiam* Phengite lapide diſtinxit, vt quidquid à tergo fieret, peruideret, *inſidiarum metu: Suetonius.* [478 Dolum ſecum. *Inſidiatores ipſos domeſticos, & è cubiculo.* [479 Anguſtoſque. *Ædificij ratione tales, an cuſtodum frequentiâ?* [480 Longéque tunc illi. *Latij quidam idiotiſmus, quo ſignificatur, hoc aut illud nil iuuare aut prodeſſe. Nam quæ præſentia, auxilio eſſe ſolent: longinqua, fruſtrà implores. Itaque &* Adeſſe *dixerunt, pro iuuare & patrocinari. Illa phraſis, in Virgilio:* Longè illi dea mater erit. *In Ceſare:* Longè iis fraternum nomen populi Rom. futurum. *In Floro:* Longè illi triplex murus, totidémque arces.

C [481 Sæuique ſeceſſus. *Vbi ſæua & triſtia machinabatur. Tacitus:* Quodque ſæuæ cogitationis indicium erat, ſecreto ſuo ſatiatus. [482 Poſtquam eius. *Legendum,* poſtquam ea: *aut vocula deeſt,* dominus eius, *taliſve: an placet,* herus *legi?* [483 Inexpugnabile. *Seneca:* Vnum eſt inexpugnabile munimentum, amor ciuium. [484 Septus caritate. *Ex Cicerone, in Antonium.* Caritate & beniuolentiâ ciuiũ ſeptum oportet eſſe, non armis. [485 Armis enim. *Homerus hoc voluit.*

——ἕλκει δὲ τ' ἄνδρα σίδηρος:
——viſúsque virum trahit enſis.

NVM autem [486 ſerias tantùm partes dierũ, in oculis noſtris cœtuq; cõſumis? num [487 remiſſionibus tuis eadẽ frequentia, eademq; illa ſocialitas, intereſt? Non tibi ſemper in medio cibus, ſemperq; menſa communis? non ex conuictu noſtro mutua voluptas? non [488 prouocas reddiſq; ſermones? non ipſum tempus epularum tuarum, cùm [489 frugalitas cõtrahat, extendit humanitas? Non enim [490 ante medium diẽ diſtentus [491 ſolitariâ cœnâ, ſpectator [492 adnotatorque cõuiuis tuis [493 immines: nec ieiunis & inanibus plenus ipſe [494 eructans, non tam apponis quàm obiicis cibos, quos dedigneris attingere; ægreq; perpeſſus ſuperbã illam conuictus ſimulationem, rurſus te ad clandeſtinã ganeã, occultumq; luxũ, refers. Ergo non aurum nec [495 argentũ, nec exquiſita ingenia cœnarũ, ſed ſuauitatem tuã iucunditatemq; miramur. quibus nulla ſatietas adeſt; quando ſincera omnia, & vera, & [496 ornata grauitate. Neque enim aut [497 peregrinæ ſuperſtitionis myſteria, aut [498 obſcœna petulãtia menſis Principis [499 oberrat: ſed beni- E

A gna [500 inuitatio, & liberales ioci, & [501 ſtudiorum honor. Inde tibi parcus & [502 breuis ſomnus, nullumq; amore noſtri anguſtius tempus, quàm quod ſine nobis agis.

[486 Serias tantùm. *Matutinas, & meridianas. nam poſtea exercitiis & cura corporis ſe dabant.*

[487 Remiſſionibus tuis. *Dio Caſſius, ſuper iſtis:* Ἀγαπητὸς μὲν πᾶσι, φοβερὸς δὲ μηδενί, πλὴν πολεμίοις. καὶ γὰρ θήρας, καὶ συμποσίων, ἔργων τε καὶ βουλευμάτων, σκωμμάτων τε συμμετεῖχεν αὐτοῖς, καὶ πολλάκις καὶ τέταρτος ὀχεῖτο: Amabilis omnibus, nulli, præterquam hoſtibus, formidandus. Venationibus, conuiuiis, deliberationibus actionibuſq; amicorũ intererat, atque etiam iocis & dicteriis: & ſępe vel quartus vehebatur. *Eutropius planè eadem:* Gloriam militarem ciuilitate & moderatione ſuperauit: Romæ, & per prouincias, æqualem ſe omnibus exhibens: amicos ſalutandi cauſſâ frequentans, vel ægrotantes, vel cùm feſtos dies habuiſſent. Cõuiuia cum iiſdẽ indiſcreta viciſſim habens: ſæpe in vehiculis eorum ſedens: nullum Senatorum lædens. B *Atque hic quod de* Vehiculis *ait, conſonat & explicat illud Dionis,* quartum vectum *eſſe, id eſt cum pluribus: etſi Principes & magnates ſoli fere ſolerent.* [488 Prouocas. *Suetonius, de Auguſto:* Cænã præbebat, vt non nimio ſumptu, ita ſummâ comitate. Nam & ad communionem ſermonis tacentes, vel ſubmiſſim fabulantes, prouocabat. [489 Frugalitas. *Hoc & in epiſtolis adſerit lib. 6. epiſt. 31.* Adhibebamur cotidie cænæ. erat modica, ſi Principem cogites. interdum acroamata audiebamus, interdum iucundiſſimis ſermonibus nox ducebatur. *Nota in* noctem ducta, *quod hic eſt* Extenſa *fuiſſe.* [490 Ante medium. *Vt Domitianus, de quo Suetonius.* Lauabat de die, prandebátque ad ſatietatem: vt non temerè ſuper cænam, præter Matianum malum, & modicâ (*ſic lego*) in ampullâ potiuneulam ſumeret. [491 Solitaria. *Ipſum illud plenum prandium, cænam appellat: quia eius loco.* C

[492 Adnotatórque. *Quid dicant, edant, bibant, innuant.* [493 Immines. *Auidè ſpectando. Catullus:* Vir tuus, Tyrio in toro, Totus immineat tibi.

[494 Eructans. *Aptius videbatur,* irructans: *quaſi in os iructans.* [495 Argentum. *Miniſteriale, ſcitum & multiplex.* [496 Ornata. *Neſcio quid ſubolet vel vitij, vel defectus. An fuit,* ornata comi grauitate?

[497 Peregrinæ. *Referunt ad* ſacerdotes, quos in monte Albano inſtituit. *Sed cur ea* peregrina ſuperſtitio? *aut quid ad menſas? Malim accipere Iſiacos, Bellonarios, Gallos matris deûm, qui cum cœtu aut choro domos & conuiuia ſolent irrumpere. Iuuenalis Sat. 6 dicet, & deſcribet. An & de Iudæis vis accipi?* 498 Obſcæna. *Pſaltriarum, cinædorum, puellarum a Gadibus: de quibus ſcriptores ſparſim.* [499 Oberrat. *Plinius lib. 9. epiſt. 17.* Quereris tibi tædio fuiſſe quamuis lautiſſimam cænam, quòd ſcurræ, cinædi, moriones menſis inerrabant. [500 Inuitatio. *Adloquendũ, edendum, an & bibendum? ita, ex ingenio Traiani. Nam* vini cupidiorem fuiſſe *Dio notat: & Spartianus,* Hadrianũ vino indulſiſſe, Traiani moribus obſequentem. E *Id maximè factitabat, & quaſi ſollenniter, poſt ſecundam menſam. Lampridius in Alexandro:* Cùm militares amicos habuiſſet, vt vſum Traiani, quem ille poſt ſecundam menſam potandi vſque ad pocula inſtituerat, reſeruaret, vnum tantùm poculum exhibebat in honorem Alexandri Magni. *Numerus poculorum deeſt, & video quoſdã legiſſe,* vſque ad quinque pocula. *Si è libris, benè eſt: ſi à ſeſe, malim ego,* vſque ad pocula 111. *qui numerus ex initialibus litteris vocis ſequentis. Vinoſus igitur aliquantulũ Traianus: ſed & viri alij magni, cum excuſatione iuſtiſſimã, ad diluendas curas. De quo Seneca in extremo De Tranquill.*

videndus

videndus. Eutropius & cautionem ſtius in vino ſuggerit: Vinolentiam, quo vitio, vt Nerua, tangebatur, prudentiâ molliebat, curari vetans illa poſt longiores epulas. [501 Studiorum. *De quibus ſermo. Nec enim librum lectum ſuper menſam arbitror: et ſi id quoque viri magni, & in dignitate, tunc faciebant. Alij comœdum aut lyriſten audiebant, iucundo fructu. Plinius lib.* III. *de Spurinna* Frequenter comœdis cœna diſtinguitur, vt voluptates quoq; ſtudiis condiantur. *Traiani ſermones, Philoſophici fuerunt, aut Politici: nec ambigo.* [502 Breuis ſomnus. *Ex Homerico præcepto;*

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα·

Dedecus eſt totam rectorem ſtertere noctem.

Sed cùm rebus tuis vt participes perfruamur, quæ habemus ipſi, quàm propria, quàm noſtra ſunt? Non enim exturbatis prioribus dominis, [503 omne ſtagnũ, omnem lacum, omnem etiam ſaltum, immenſa poſſeſſione circumuenis: nec vnius oculis [504 flumina, fontes, maria deſeruiunt. Et quid Cæſar non ſuum videat? [505 tandémque imperium Principis, quàm patrimonium maius eſt. multa enim ex patrimonio refert in imperium, quæ priores Principes occupabant, non vt ipſi fruerentur, ſed ne quis alius. Ergo in veſtigia ſedéſque nobilium immigrant [506 pares domini, nec iam clariſſimorum virorum [507 receptacula habitatore [508 ſeruo teruntur, aut fœdà [509 vaſtitate procumbunt. Datur intueri pulcherrimas ædes deterſo ſitu, [510 auctas ac vigentes. Magnum hoc tuum non erga homines modò, ſed erga tecta ipſa meritum, ſiſtere ruinas, ſolitudinem pellere, ingentia opera, [511 eodem quo exſtructa ſunt animo, ab interitu vindicare. Muta quidem illa & animâ carentia: ſentire tamen & lætari videntur, quòd niteant, quòd frequententur, quòd aliquando cœperint eſſe [512 donum ſcientis. Circumfertur, ſub nomine Cæſaris, [513 tabula ingens rerum venalium. [514 quò ſit deteſtanda auaritia [515 illius, qui tã multa concupiſcebat: cùm haberet ſuperuacua tam multa. tamen exitialis erat apud Principem, huic laxior domus, illi [516 amœnior villa. Nunc Princeps in hęc eadem dominos [517 quærit, ipſe inducit, ipſos illos [518 magni aliquando Imperatoris hortos, illud [519 nunquam niſi Cæſaris ſuburbanum, licemur, emimus, [520 implemus. Tanta benignitas Principis, tanta ſecuritas temporum eſt, vt ille nos Principalibus rebus exiſtimet dignos; nos non timeamus, quòd digni eſſe videmur. Nec verò emendi tantùm ciuibus tuis copiam præbes, ſed amœniſſima quæque largiris & donas. [521 Ita inquam, donas in quę electus, in quæ adoptatus es: transfers quod iudicio accepiſti, ac nihil magis tuum credis, quàm quod [522 per amicos habes.

A [503 Omne ſtagnum. *Loquitur de villis priuatim Principum, qui ea ſpecie immenſum agrorum tractũ occupabat.* [504 Flumina. *Quid mirũ? cum tũc opes priuatæ ita magna, vt flumina haberẽt in ſuo oriẽtia & cadentia. Seneca epiſt.* LXXXIX. Illuſtrium fluminum per priuatum decurſus, & amnes magni, magnarúmque gentium termini, vſque ad oſtium à fonte, veſtri ſunt: *& plura huic res vix credendæ & admirandæ, quæ ſubiungit. Ideóq; & in* Admirãdis *dixi lib.* II. *c. vlt. Non audio, qui hæc ad Neronis domũ referunt: planiſſime contra Plinij verba & mentem.* [505 Tandémque Imperium. *Quaſi olim Principum poſſeſſiones per totum imperium ſparſæ, & illi penè æquales. Nam errant, qui in alium hæc ſenſum trahunt. quaſi ideò* maius imperium, quia ciues dicto audientes B ſunt, *Nugæ.* [506 Pares Domini. *Item nobiles.* [507 Receptacula. *Villæ, & Prætoria olim illuſtrium.* [508 Seruo. *Qui villicus ibi, vel actor ſit.* [509 Vaſtitate. *Deſolata, nec culta. Sed vnde, inquies, tam multa hæc ad Principem? Ex iniquis damnationibus, cædibúſque nobilium, quorum bona ad fiſcum.* [Auctas. *Reſtitutas, niſi cui arridet*, lautas. [511 Eodem *Magno, & locorum amante.* [512 Donũ ſcientis. *Libris aliis*, Domini non ſeruientis: *id eſſe, quod ſuprà dixit*, non habitatore ſeruo teruntur. *Ego negationem reiecerim, ſcribámque*, domini fruentis. [513 Tabula. *Villarum, fundorúmque venalium, qui Principis fuiſſent. Nam Nerua iam antè vendiderat (in Dione)* pecuniæ egens, veſtes, vaſa, ſupellectilem, & quidquid non neceſſarium in Aulâ eſſet. *At Traianus igitur ex ipſo patrimonio Principali imminuit: quod immenſum creuerat.* [514 Quo ſit. *Odoror hiatum aliquem, ſed leuem.* [515 Illius. *Domitiani palam. male qui ad Neronem trahunt.* [516 Amœnior villa. *Simile* C *in Triumuirali proſcriptione Appianus notat*, & quemdam conſpecto nomine ſuo in Tabulâ, exclamaſſe; Heu villa Albana me perdidit! [517 Quærit. *Publicâ venditione.* [518 Magni. *Veteris alicuius Luculli, Pompeij, aut ſimilis.* [519 Nunquam niſi. *Aſſiduè poſſeſſum Cæſaribus. Talia autem multa, nec opus ad vnum* Albanum *Domitiani confugere.* [520 Implemus. *Noſtris rebus, ſeruis, nobiſipſis.* [521 Ita inquam. *Fortaſſe*, iſta: *tua nempe propria, & in qua, vt heres, Neruæ ſucceſſiſti.* [522 Per amicos. *Regis illius nota vox*, Vbi theſauri? amicos *oſtendens*.

Idem tam parcus in [523 ædificando, quàm diligens in tuendo. Itaque non [524 vt antè, immanium tranſuectione [525 ſaxorum vrbis tecta quatiuntur: ſtant ſecuræ domus, nec iam templa nutantia. Satis eſt tibi, nimiúmq;, cùm ſucceſſeris frugaliſſimo Principi, magis reiicere aliquid, & amputare D ex his, quæ Princeps tanquam neceſſaria reliquit. Præterea pater tuus vſibus ſuis detrahebat, quæ fortuna imperij dederat, [526 tutius quod pater. At quàm magnificus [527 in publicum es? hinc [528 porticus, inde delubra occultâ celeritate properantur, vt non [529 conſummata, ſed tantùm [530 commutata videantur. Hic [531 immenſum latus Circi templorum pulchritudinem prouocat, digna populo victore gentium ſedes, nec minùs ipſa viſenda, quàm quæ ex illâ [532 ſpectabuntur. viſenda autem, cùm ceterâ ſpecie, tum quòd æquatus plebis, ac Principis locus. Siquidem per omne ſpatium

vna facies, omnia continua & paria, nec magis proprius ſpectandi Cæſaris [533 ſuggeſtus, quàm propria quæ ſpectet. Licebit ergo ciuibus tuis inuicem contueri, dabitur non [534 cubiculum Principis, ſed ipſum Principem cernere, in publico, in populo ſedentem: populo, cui locorum [535 quinque millia adiecisti. auxeras enim numerum eius congiarij facilitate, [536 maiorémque in poſterū ſuſcipi liberalitatis tuæ fide iuſſeras.

[523 Ædificando. *Priuatim ſcilicet, & in tuos vſus. nam publicè contrà, vt ſubdet.* [524 Vt ante. *Sub Domitiano, aulam illam ſuam Parrhaſiam ædificante.* [525 Saxorum. *Columnarum, obeliſcorum. Iuuenalis ſatyrâ* 111.

Nam ſi procubuit qui ſaxa Liguſtica portat
Axis, & euerſum fudit ſuper agmina montem,
Quid ſupereſt de corporibus?

Seneca in Epiſtolis: In hunc vſum pinus aut abies deferebatur, longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus. [526 Tutius quod. *Olim emendauimus & ſcripto communicauimus cum amico:* tu tuis quod patet. *Ille detraxit ſibi ab imperio relicta, ea magis propriè tua, quæ à patre: id eſt Neruâ.*

[527 In publicum. *Multa enim publicè ædificauit, aut reparauit. Eutropius magnificè de illo:* Orbem terrarum ædificaſſe. *Victor:* Caſtra ſuſpectioribus atque opportunis locis exſtructa, ponſque Danubio impoſitus, ac deductæ coloniarum plerǽque. Adhoc Romæ à Domitiano cœpta fora, atque alia multa, pluſquam magnificè coluit ornauitque. *Sed & Dio Caſſius*, extruxiſſe plurima, & maximè neceſſaria in viis, portibus, publicis ædificiis. *Exſtant hodieque aliqua. inprimis veſtigia admirandi illius in Danubio pontis, ſuper humana ingenia atque opes. Item alter egregius in Hiſpaniâ: quem* Alcantaræ, *vocant, Tago impoſitus: & plura, monumenta vera laudis. Quã dicterio tamen carpſit & libauit, qui* Herbam parietariã *Traianum dixit; quòd nomen vbique inſcriberet operibus vel nouis, vel nouatis. Quid mali? faciant alij Principes: faciant, & inſcribant.* [528 Porticus. *Quæ, neſcio. nec tamen ſuſpicioni Catanæi accedo,* Portus *ſuggerentis. Nam hæc de ipsâ vrbe.* [529 Conſummata. *Nouâ ſtructione.*

[530 Commutata. *Reparatione.* [531. Immenſum. *Sanè immenſam, &* longitudine ſtadiorum trium, *vt Plinius ſcribit,* latitudine vnius.

[532 Spectabuntur. *Circenſes ſiue curules ludi inprimis; ſed etiam Gladiatores, Venationes & omne genus ſolet interim hic dari.* [533 Suggeſtus. *Editior locus, in quo ipſe ſpectet. Cui honoris origo à Iulio Cæſare. quem Suetonius notat, inter nimios honores, recepiſſe* Suggeſtum in orcheſtrâ. *Vide me de Amphitheatro, cap.* 11. [534 Cubiculum. *vbi velut clauſus, tutúſq; ab iniuriâ cæli, ſedebat. Populariter Traianus hoc ſpreuit, & ſpectauit ipſe, ſpectatúſque eſt.* [535 Quinque millia. *Hic numerus mihi ſuſpectus, & minutus eſt. Quid magni, vbi tot millia,* quinque *dumtaxat adiecisſe? At enim ſuprà dixit:* quinque millia ingenuorum conquiſita. *Ita, ſed ad alendum (quod aliud valdè eſt) non ad ſpectandum: Denique illi* ingenui, *ſpectant verò & libertini. Moneor etiam, quòd in Plinio legam,* Circum à Cæſare Dictatore ſtructum, ad ſedem CCLX. millium. *At poſtea, in Victore,* cepiſſe *ſcribitur* loca CCCLXXXV. millia: *ſiue vt veriùs in Notitiâ imperij, & integris vocibus perſcriptum,* quadringenta octoginta quinque. *Igitur poſt Cæſarem, largiter ſanè ei adiectum. & penè duplum. Ac fateor alios Principes potuiſſe augere, ſed publica teſtimonia inclinant eximium aliquid Traianum patraſſe. Baſis Romæ exſtat huic inſcripta:* TRIBVS. XXXV. QVOD LIBERALITATE. OPTIMI. PRINCIPIS. COMMODA. EARVM. LOCORVM. ETIAM. ADIECTIONE. AMPLIATA. SINT. *Etſi ea poſita in Conſulatu eius* V. *dintalò poſt ipſum factū: dum decernitur, diu paratur ſtatua, vt ſolet. In Dionis etiam compendio:* οὕτω γάρ τι καὶ μεγαλόφρων καὶ μεγαλογνώμων ἔφυ, ὥστε καὶ τῷ ἱπποδρόμῳ ἐπιγράψαι, ὅτι ἐξαρκοῦντα αὐτὸν τῷ τῶν Ῥωμαίων δήμῳ ἐποίησεν, ἐπειδὴ διαφθαρέντα τι ἢ μείζω καὶ περικαλλέστερον ἐξεργάσατο: Adeò autem & magni animi cõceptus erat, vt circo ioſcripſerit, Quòd capacem populi Romani ſtruxiſſet: quia ſcilicet corruptū, & maiorem, & elegantiorem fecerat. *Ex his talibúſque incluno legere:* quinquaginta millium, *aut vltrà, ſi quis ** φιλορώμαιος *velit. ad hanc autem Circi reparationem Suetonij illa ſpectant, Domitiani cap.* v. Fecit Odeum, & Naumachiam. è cuius poſteà lapide maximus Circus, deuſtis vtrimque lateribus, exſtructus eſt. *Poſteà, nempe à Traiano.* [536 Maiorémque. *Ergo non ad ſolum illud augmentum* quinque millium *amplitudo accommodata.* *Romanorum amans.

HORVM vnum ſi præſtitiſſet alius, illi iamdudum [537 radiatum caput, [538 & media inter deos [539 ſedes, auro ſtaret, aut ebore, auguſtioribúſque aris, & [540 grandioribus victimis, inuocaretur. Tu delubra non niſi [541 adoraturus intras, tibi maximus honor [542 excubare pro templis, poſtibúſque [543 prætexi. Sic fit vt [544 dei ſummum inter homines faſtigium ſerues, cùm deorum ipſe non adeptus. Itaque tuam ſtatuam in veſtibulo Iouis optimi maximi vnam alterámve, & hanc æream cernimus: at paullò antè aditus omnes, [545 omnes, gradus totáque area, [546 hinc auro hinc argento relucebat, ſeu potiùs polluebatur: cùm [547 inceſti Principis ſtatuis permixta deorum ſimulachra [548 ſorderent. Ergo iſtæ quidem æreæ & paucæ manent, manebuntq; quamdiu templum ipſum: illæ autem aureæ & [549 innumerabiles, [550 ſtrage & ruina, publico gaudio litauerunt. Iuuabat illidere ſolo ſuperbiſſimos vultus, inſtare ferro, ſæuire [551 ſecuribus, vt ſi ſingulos ictus ſanguis dolorque ſequeretur. Nemo tam temperans gaudij [552 ſeræq; lætitiæ, quin inſtar vltionis videretur, cernere laceros artus, truncata membra, poſtremò [553 truces horrendáſque imagines [554 abiectas excoctáſque flammis: vt ex illo terrore & minis, in vſum hominum ac voluptates, ignibus mutarentur. [555 Simili reuerentiâ Cæſar, non apud [556 Genium tuum bonitati tuæ gratias agi, ſed [557 apud numen Iouis optimi maximi pateris: illi debere nos quidquid debeamus, illius quod bene facias [558 muneris eſſe, qui te dedit. Antè quidem ingentes hoſtiarum greges per [559 Capitolinum iter, magnâ ſui parte velut [560 intercepti, [561 diuertere viâ cogebantur: cùm ſæuiſſimi

domini atrociſſima effigies, tanto victimarum cruore coleretur, quantum ipſe humani ſanguinis profundebat.

[537 Radiatum. *Qui habitus Deorum, aut Diuorum. Lucanus:*

Fulminibus manes, radiis ornabit, & aſtris.

Nam hæc inſignia Principibus conſecratis appoſita, vt Nummi etiam docent.

[538 Et media. *Honoris cauſſa, vel mixtus Diis, vel etiam inter duos medius. Vt Caligula* inter fratres Deos (*Caſtores*) medium ſe adorandum adeuntibus exhibuit. [539 Sedes. *Nam Iupiter, & iſti maiorum gentium, ſedentes ſæpe pingebãtur.* [540 Grãdioribus. *Nam Hoſtiæ duplices, Maiores Minoréſq.; atque illæ diis maioribus.* [541 Adoraturus. *Non adorandus ibi in ſtatua.* [542 Excubare. *Cùm vice cuſtodis aut ſatellitis, ſtatua tua ponitur in veſtibulis templorum: at non in ipſis.*

[543 Prætexi. *Apponi, vel opponi ianuarum poſtibus: quod decore ſolet.* [544 Dei ſummum. *Sententia eſt ita efficitur, vt dij colantur, vt decet, ab hominibus, ſummumq.; ſibi honorem vindicent: quia ipſe non te iis miſces, & ſacros ſanctoſque profanas. Hæc, inquam, è verbis iſtis ſententia. ſed quæ ego leuiter reſingam:* ſeruies, cùm Deorũ ipſe nõ adoptes. *Eo ipſo quod fugis Deus haberi, pro Deo te habemus, aut certè vices eius in terris gerente. Tertullianus pro hac ſententiã ad Scapulam:* Sic enim omnibus maior eſt (*Imperator*) dum ſolo vero Deo minor eſt. *Idem in Apologetico:* Ideò Imperator magnus eſt, quia cælo minor eſt. *Pulchrè etiam Athenienſes, inter monoſtica, quæ aduentanti Pompeio gratabundi ſcripſerant:*

Ἐφ' ὅσον οἶδας ἄνθρωπος ὤν, ἐπὶ τοσοῦτον εἶ θεός.

Quatenus te cenſes hominem, eatenus nobis es Deus.

[545 Omnes gradus. *Hui! atqui centum gradibus adibatur.* [546 Hinc auro: *Suetonius, Domitiano:* Statuas ſibi in Capitolio, non niſi aureas & argenteas, poni permiſit: eáſque ponderis certi. *vt ne paruas ſcilicet, tam magno Deo. Eutropius idem.* [547 Inceſti. *Iuliã, Titi fratris filiã compreſſit, & quam vxorem habebat.* [548 Sorderent. *Aliquid faciat pro lectione vulgatã ſuprà,* Dei ſummum inter homines faſtigium ſeruent: *ſed leuiter & aliquid.* [549 Innumerabiles. *Nec enim in vrbe tantum,* ſed totus orbis. *ait Dio,* ſtatuis eius poſt victos, vt aiebat, Dacos impletus eſt.

[550 Strage & ruina. *Initio à Senatu ipſo facto.* qui auditã morte eius (*Suetonius*) adeò lætatus eſt, vt ſcalas etiã inferri clypeóſque & imagines eius corãm detrahi, & ibidem ſolo adfligi iuberet. *Dio hoc amplius, in Nerua:* Μίσει δὲ τῷ τοῦ Δομιτιανοῦ αἱ εἰκόνες αὐτοῦ, πολλαὶ μὲν ἀργυραῖ, πολλαὶ δὲ καὶ χρυσαῖ οὖσαι συνεχωνεύθησαν, καὶ ἐξ αὐτῶν μεγάλα χρήματα συνελέγη: Odio Domitiani, ſtatuæ eius multæ argenteæ, multæ & aureæ conflatæ ſunt, atque ingens pecunia ex iis facta. [551 Securibus. *Ita ſtatuas frangebãt. Iuuenalis:*

——rotas bigarum impacta ſecuris

Cædit, & immeritis franguntur crura caballis.

[552 Seræque læt. *Quæ etſi ſerò, & diu optata, tamen venit.* [553 Truces. *An quia* ſuperbia in vultu, ira in oculis, *vt prædixit iam & in habitum militarem ac minantem, vt triumphales illæ, formatæ?* [554 Abiectas. *Sine,* obiectas. [555 Simili reuerentia. *Illiquã ſtare inter deos recuſas.* [556 Genium. *Singulis hominibus Genium aſſignauit antiquitas: atque is maius & ſanctius aliquid ipſo homine. Itaque vulgo,* per Genium alicuius *ſolent orare, obteſtari, iurare. Sed quanto magis Principis? quibus etiam modeſtis paſſim* ſtatuæ, aræ, templa, cum inſcriptione GENIO CÆSARIS: *quod lapides nummique docent, & Suetonius in Aug. cap. LX. Hunc ergo colebant, ſi non ipſum Principem: & Caligula* quoſdam interfecit (*apud Suetonium*) quòd numquam per Genium eius deierãſſent. *Minutius Felix* Cæſarum numen inuocant, ad imagines ſupplicant, Genium, hoc eſt dæmonem implorant: & eſt eis tutius per Iouis Genium peierare, quàm regis. *Adde Tertullianum Apolog. cap. XXVIII.* [557 Apud numen. *In Capitolio.*

[558 Muneris. *Piè, ſicut Homerus Odyſſ. υ.*

Ζεὺς δ' ἀρετὴν ἄνδρεσσιν ὀφέλλει τε μινύθει τε,
Ὅππως κεν ἐθέλῃσιν:

Virtutem Deus in nobis auget minuítque,
Vt voluit.

[559 Capitolinum iter. *Cùm per forum in Capitolium irent.* [560 Intercepti. *Abducti priuſquam venirent quò deſtinati erant.* [561 Diuertere. *Deflectere quò? ſiue ad Domitiani ſtatuam, quæ in foro equeſtris ſtabat; Statio curioſe deſcripta ſiue etiam ad alias.*

OMNIA P. C. quæ de aliis Principibus à me aut dicuntur, aut dicta ſunt, eò pertinent, vt oſtendam quàm longâ conſuetudine corruptos deprauatóſque mores Principatus parens noſter reformet & corrigat. alioquin nihil non parum gratè ſine [562 cõparatione laudatur. Præterea hoc primũ erga optimum Imperatorem priorum ciuiũ officium eſt, inſequi diſſimileis. neque enim ſatis amarint bonos Principes, qui malos ſatis non oderint. Adiice, quòd Imperatoris noſtri non aliud amplius ac diffuſius meritum eſt, quàm quòd inſectari malos Principes tutũ eſt. An excidit [563 dolori noſtro modò vindicatus [564 Nero? permitteret credo famã, vitámque eius carpi, qui mortẽ vlſciſcebatur: nec vt in ſe dicta interpretaretur, quæ de ſimillimo dicerentur. Quare [565 ego te Cæſar muneribus omnibus tuis, omnibus comparo, multis antepono, quòd licet nobis & in præteritũ de malis Imperatoribus quotidie vindicari; & futuros ſub exemplo præmonere, nullum locum, nullum eſſe tempus, quo funeſtorum Principum manes à poſterorum execrationibus conquieſcant. Quo conſtantiùs P. C. & dolores noſtros & gaudia [566 perferamus, ingemiſcamus illis quæ patiebamur. Simul vtrumque faciendum eſt, ſub bono Principe. Hoc ſecreta noſtra, hoc ſermones, hoc ipſæ gratiarum actiones agant; memineríntq́; ſic maximè laudari incolumem Imperatorem, ſi priores ſecus meriti, reprehendantur. Nam cùm de malo Principe poſteri tacent, manifeſtum eſt eadem facere præſentem.

[562 Comparatione. *Quæ, vt Fabius in hac ipsã re laudationum ait,* duplicat materiam, & virtutum vitiorúmque non tantùm naturam, ſed etiam modum tractat. [563 Dolori. *Dolentibus nobis. quid ſi tamen* dolore *ſcribas? eſſet, cũ dolore noſtro vindicatus.* [564 Nero. *Nam Domitianus Epaphroditum occidit, adiutorem illi in adipiſcenda nece. Adi Suetonium cap. XIV. Domitiani.* [565 Ego te *Illud,* te, *mihi*

ſuperſlue: & e iure è notis natum Te! *quod interpretère,* Traiane. [566 Perferamus. *An*, proferamus?

Et quis iam locus miſeræ adulationis manebat, cùm laudes [567 Imperatorum ludis etiam & [568 comeſſationibus celebrarentur, [569 ſaltarenturque, atque in omne ludibrium [570 effeminatis vocibus, modis, geſtibus, frangerentur? Sed illud indignum, quòd eodem tempore in Senatu & in ſcænâ, ab hiſtrione & [571 à Conſule, laudabantur. Tu procul à tui cultu ludicras artes remouiſti. Seria ergo te carmina, honórque [572 æternus Annalium, non hæc [573 breuis & [574 pudenda prædicatio colit: quinetiam tanto maiore conſenſu in venerationem tui [575 theatra ipſa [576 conſurgent, quanto magis de te ſcænæ ſilebunt. Sed quid ego iſtud admiror, cùm eos quoque honores, qui tibi [577 à nobis offeruntur, aut [578 delibare parciſſimè, aut omnino ſoleas recuſare? Nihil ante tam vulgare, tam paruũ in Senatu agebatur, vt non laudibus Principum immorarẽtur, quibuſcumque cenſendi [579 neceſſitas accidiſſet. De [580 ampliando numero gladiatorum, aut de inſtituendo collegio [581 fabrorum conſulebamur: & quaſi prolatis imperij finibus, nunc ingentes [582 arcus, [583 exceſſuróſq; templorum faſtigium titulos, nunc [584 menſes etiam, nec hos ſingulos, nomini Cæſarum dicabamus. patiebantur illi, & quaſi meruiſſent, lætabamur. At nunc quis noſtrum tanquam oblitus eius de quo refertur, cenſendi officium Principis honore conſumit? [585 Tuæ moderationis hæc laus, [586 conſtantia noſtra; & tibi obſequimur, quòd in curiam non ad certamen adulationum, ſed ad vſum munúſque [587 iuſtitiæ conuenimus, hanc ſimplicitatitiæ, [588 veritatique gratiam relaturi, vt te quæ vis velle, quæ non vis nolle credamus. Incipimus inde, deſinimus ibi, à quo incipi, in quo deſini, ſub alio Principe [589 non poſſet. Nam pleroſque ex decretis honoribus & [590 alij non receperunt, nemo ante [591 tantus fuit, vt crederetur [592 noluiſſe decerni. Quod ego titulis omnibus ſpecioſius reor, quando non [593 trabibus, aut ſaxis nomen tuum, ſed [594 monumentis æternæ laudis inciditur. Ibit in ſæcula, fuiſſe Principem, cui [595 florenti & [596 incolumi, numquam niſi modici honores, ſæpius nulli decernerentur. Et ſanè ſi velimus cum priorum temporum neceſſitate [597 certare, [598 vincemur: 599 ingenioſior eſt enim ad excogitandum ſimulatio veritate, ſeruitus libertate, metus amore. Simul cùm [600 iampridem nouitas omnis adulatione conſumpta ſit, non alius erga te nouus honor ſupereſt, quàm ſi aliquando de te [601 tacere audeamus.

[567 Imperatorũ. *Neronis & Domitiani. Tamen de vno iſto hic agi, verius eſt: itaque ita ſingulare,* Imperatoris, *ſcribendũ.* [568 Comeſſationibus. *Olim monui,* commiſſionibus *legi poſſe. Nam eo nomine ludi & vbicumque certamen de palmâ. Tamẽ poſſe non debere, nã* Comeſſationes *retinere licet & tueri, quia comœdi, citharœdi, & id genus in menſa etiam dabatur. Et quidni carmina ibi in laudem Principis, cui hæc placerẽt?*

[569 Saltarentur. *A Pantomimis.* [570 Effæminatis. *Sunt ſanè, & quidquid ad hiſtriones. quos ideò* molles viros *Linius alibi appellat.*

[571 A Conſule. *Ipsâ Gratiarum ſollenni actione, qualem Plinius nunc habet.* [572 Æternus. *Ita eſt, ſcitote hoc Principes. Quos Annalium ille honor honeſtauit, iam ab orbe condito honeſti ſunt, & ad deſinentem erunt.*

[573 Breuis. *Quæ cum voce & plauſu perit. Et tamen talem, ſunt qui hodie etiã (ô vera fama imperitiã!) præ magnâ & diuturnâ petãt.* [574 Pudenda. *Ab illis propudiis.* [575 Theatra. *Theatrici ſpectatores.*

[576 Conſurgent. *De more. Tacitus, aut Fabius, in Dialogo*: Populus, auditis in theatro Virgilij verſibus, ſurrexit vniuerſus, & fortè præſentem ſpectantémq; Virgilium veneratus eſt, ſic quaſi Auguſtum. *Nota. honor inquam iſte (illo æuo) ferè Principum. ideóq; Auguſtus, Caio & Lucio,* adhuc prætextatis, aſſurrectum ab vniuerſis in theatro, & à ſtantibus plauſum grauiſſimè queſtus eſt: *quia iuuenes, & quia nimius honor.* [577. A nobis *Senatoribus, decreto vel acclamatione.* [578 Delibare. *Quoſdam ex iis decerpere.* [579. Neceſſitas. *Quos ordo primo loco ſententiam dicere iuberet. nam alij manu, aut pedibus aſſentiebantur.* [580 Ampliando. *Vt plures habere & dare liceret, quam Senatuſconſultis antè cautum. Nam Principes, coercendo luxui & auitiæ. certo numero paria incluſerant, & ipſas editiones. Vide me Saturnalium* 1. *cap.* XII. [581. Fabrorum. *Iam olim hæc collegia & corpora artificum: ſed ſæpe abolita, & reſtituta. Tale ſub Domitiano fortuſſe; aut nouum aliquod etiam adiectum. Nam plura erant, cognominibus diſtincta: vt Fabri* Ferrarij, Argẽtarij, Automatarij, Tignarij, *in lapidibus priſcis reperiẽdi.* [582 Arcus. *Fornices triũphales. quos per omnes regiones vrbis ſibi ſtruxit. Suetonius Domit. cap.* XIII. [583 Exceſſuróſque. *Altitudine, ſuper ipſa templa. Nam hoc eſt, quod* ingentes *premiſit: & in Suetonio,* arcus tantos ac tot ſtruxit: *tantos, ad magnitudinem. Deſcribitur vnus talis Martialis, libro* VIII. *epig.* LXV. [584. Menſes. *Duos*, Septembrem & Octobrem, *ut ſe transnominauit* Germanicum & Domitianum: *Suetonius, cap.* XIII. *Martialis*:

Dum Ianus hiemes, Domitianus Autumnos,
Auguſtus annis commodabit æſtates,
Dum grande famuli nomen aſſeret Rheni,
Germanicarum magna lux Kalendarum.

Adde Macrobium 1. *Satur. cap.* XII. [585. Tuæ moderat. *Quam & in Theodoſio Pacatus laudat*: Non enim iam coacta laudatio, & expreſſæ metu voces, periculum ſilentij redimunt. Fuerit abieritque illa triſtis facundiæ ancillantis neceſſitas, cùm trucem dominum, auras omnes plauſuum publicorum captantem, mendax aſſentatio titillabat. [586. Conſtantia. *Id eſt, quòd nos conſtantes ſimus, tuæ præcogitæ modeſtiæ debetur. Niſi hoc eſſet, iremus (vt olim) in laudes. Quidam tamen libri,* conſtantiæ noſtræ, *ex quo aliquis, negatione additũ,* non conſtantiæ, *fortuſſe legerit. Tua, inquit, modeſtia hæc laus eſt, quæ renuis: non noſtra conſtantia aut grauitatis, qui & antè fecimus & faciamus niſi nolles.* [587 Iuſtitiæ. *Vt iuſta illic decreta & vſui publico, faciamus.* [588 Veritatique.

Toti

Tota huic rei Epigramma Martialis, lib. x.

Fruſtrà blanditiæ venitis ad me,
Attritis miſerabiles labellis.
Dicturus Dominum Deumque non ſum,
Iam non eſt locus hac in vrbe vobis.
Non eſt hic Dominus, ſed Imperator,
Sed iuſtiſſimus omnium Senator,
Per quem de Stygiâ domo reducta eſt
Siccis ruſtica veritas capillis.

[589 Non poſſet. *Quia ſemper aliquid, extra ordinem, ad honores eorum in ſententiâ addendum: vel in fine, inquam, vel in capite.* [590 Alij *Tiberius, Claudius, Veſpaſianus: in Tranquillo.* [591 Tantus. *Tam magni animi firmiq́;.* [592 Noluiſſe. *Vt nõ putarent ſaltẽ delectari eum & titillari oblatione.* [593 Trabibus aut. *Ædificiis, quæ trabibus ſaxiſq́; conſtant. Poſſit & diuiſim capi, de Tabulis & Lapidibus, in quibus etiam tituli inciſi: etſi tabulæ iſtæ magis æreæ.* [594 Monumentis. *Annalibus, & libris.*

[595 Florenti. *Gratiâ & fortunâ.* [596 Incolumi. *Vivo. nam mortuos neglegere; facile & tutum eſt.* [597 Certare. *Titulis & laudibus.* [598 Vincemur. *Nam vt Seneca epiſt.* xlv. adulatio amicitiam non imitatur tantùm, ſed vincit & præterit. [599 Ingenioſior. *Vera cauſſa. qui ſimulant, magis connituntur & ingenium intendunt. Ideo delectant nos ſimulata ira, triſtitia, & ſimilia: quæ tamen in re ſpectata, anguntur. Vide Plutarchum Quæſt. Conuiual. v. cap. i.* [600 Iampridem. *Tot nouis Principibus, nouiſq́; honoribus.* [601 Tacere. *Pacatus de Theodoſio:* Quàm promptum laudare Principem, tam tutum ſiluiſſe de Principe.

ACE, ſiquando pietas noſtra ſilentium rupit, & [602 verecundiam tuam vicit, quæ qualiaq́; decernimus nos, tu non recuſas: vt appareat, non ſuperbiâ & faſtidio te ampliſſimos honores repudiare, qui minores non dedigneris. Pulchrius hoc Cæſar, quàm ſi recuſares omnes. nam recuſare omnes, [603 ambitionis; moderationis eſt, eligere parciſſimos. Quo temperamento & [604 nobis & [605 ærario prodes: quòd ſumptibus eius adhibes modum, vt qui exhauſtum non ſis innocentium bonis repleturus. Stant igitur effigies tuæ, quales olim ob egregia in Remp. merita priuatis dicabantur: viſuntur eâdem è [606 materiâ Cæſaris ſtatuæ, quâ [607 Brutorum; quâ [608 Camillorũ. Nec diſcrepat cauſſa. illi enim reges hoſtemq́; victorem mœnibus depulerunt: hic [609 regnum ipſum, quæq́; alia [610 captiuitas gignit, arcet ac ſubmouet: ſedémque obtinet Principis, ne ſit domino locus. Ac mihi intuenti ſapientiam tuam minùs mirum videtur, quòd mortales iſtos caducóſque titulos, aut [611 depreceris, aut [612 temperes. Scis enim [613 vbi vera Principis, vbi ſempiterna ſit gloria: vbi ſint honores, in quos nihil flammis, nihil ſenectuti, nihil [614 ſucceſſoribus liceat. Arcus enim & ſtatuas, aras etiam templáque, [615 demolitur & obſcurat obliuio, negligit [616 carpitq́; poſteritas: contrà contemptor ambitionis, & infinitæ poteſtatis domitor ac frænator animus, ipſâ

A vetuſtate floreſcit, nec ab vllis magis laudatur, quàm quibus minimè [617 neceſſe eſt. [618 Non ergo perpetua Principi fama, quæ inuitum manet, ſed bona concupiſcenda eſt. ea porrò non [619 imaginibus & ſtatuis, ſed virtute ac meritis prorogatur. Quinetiam leuiora hæc, formam Principis figurámque, non aurum meliùs, vel argentum, quàm fauor hominum [620 exprimat, teneátque: quod quidem prolixè tibi cumulatéque contingit, cuius lætiſſima facies, & amabilis vultus in omnium ciuium ore, oculis, animo

B ſedet.

[602 Verecundiã. *Quæ dedignatur laudes, præſertim nimias. Euripides:*

Αἰνούμενοι γὰρ οἱ ἀγαθοὶ, τρόπον τινὰ
Μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἢν αἰνῶσ' ἄγαν:
Laudati enim viri boni, quodammodo
Laudantem odio habent, laudet ille ſi nimis.

[603 Ambitionis. *Propoſtera. & quæ fugâ famæ, famam captat.* [604 Nobis. *Vel quia veros eſſe patres liberoſq́; vel quia non periclitamur accuſari aut confiſcari.* [605 Aerario. *Quia è publico ſtatuæ, arcus, & talia.*

[606 Materia. *Non auro aut argento, ſed ære.* [607 Brutorum. *M. Iunius Brutus qui reges eiecit, inter illos medios poſitus in Capitolio fuit, dextrâ gladium tenens. Plutarchus in Bruto.* [608 Camillorum.

C *Camilli, qui Gallos Româ expulit,* ſtatua ſine tunicâ in Roſtris: *Plinius.* [609 Regnum. *Vt Brutus.* [610 Captiuitas. *Quam Camillus depulit.* [611 Depreceris. *Prece amoliaris.* [612 Temperes. *Modicos recipiendo.* [613 Vbi. *In animis hominum, in monumentis & prædicatione poſterorũ.* [614 Succeſſoribus. *Nam & alij Principes aliorum honores aut tollunt, aut minuunt.*

[615 Demolitur &. *Impropriè nec rectè* Obliuio *dicatur* demoliri. *Tabeſcere patitur, & ignorantiâ ſepelirt. Itaque legam, & membrum expleam:* demolitur ætas, obſcurat obliuio. [616 Carpitque. *Si non meritis.*

[617 Neceſſe. *Alius Panegyriſtes imitatur:* Neminem magis laudari Imperatorem decet, quàm quem minùs neceſſe eſt. [618 Perpetua. *Nam eunt ſtatim*

D *in Annales, & capita hæc mundi, mundo oſtenduntur.*

[619 Imaginibus. *In clypeis, ex auro, argento, ære: quos ſolent celeberrimis locis ſuſpendere.* [620 Exprimat. *In alio Panegyrico:* Hic vultus vniuerſorum pectoribus infixus eſt, nec commendatione ceræ aut pigmentorum fucis renitet, ſed deſiderio effloreſcit animorum.

ADNOTASSE vos credo P. C. iamdudum me [621 non eligere quæ referam: propoſitum eſt enim mihi [622 Principem laudare, non Principis facta. nam laudabilia multa etiam mali faciunt; ipſe laudari, niſi [623 optimus, non poteſt. Quare non alia maior, Imperator Auguſte, gloria tua, quàm

E quòd agentibus tibi gratias nihil velandum eſt, nihil omittendum eſt. Quid eſt enim in Principatu tuo, quod cuiuſquam prædicatio vel tranſilire, vel præteruehi debeat? quod momentum, quod imò temporis punctum, aut [624 beneficio ſterile, aut vacuum laude? non omnia eiuſmodi, vt is optimè te laudaſſe videatur, qui narrauerit fideliſſimè? Quo fit, vt propè in immenſum diffundatur

oratio mea & necdum [625 de biennio loquor. Quàm multa dixi de moderatione, & quanto plura adhuc reſtant? vt illud, quòd [626 ſecundum Conſulatum recepiſti, quia Princeps & pater deferebat. at poſtquam ad te imperij ſummam, & cùm omnium rerum, tum etiam [627 tui poteſtatem dij tranſtulerint; tertium Conſulatum recuſaſti, [628 cùm agere tam bonum Conſulem poſſes. Magnum eſt differre hoorem: gloriam maius. [629 Geſtum Coosulatum mirer, an non receptum? Geſtus oon in hoc vrbis otio, & intimo ſinu pacis: ſed iuxta [630 barbaras gentes, vt [631 illi ſolebant, quibus erat moris, [632 paludamento mutare prætextam, ignotáſque terras victoriâ ſequi. Pulchrum imperio, glorioſum tibi, cùm te ſocij atque amici, [633 ſuâ in patriâ, ſuis in ſedibus adierunt. Decora facies Conſulis. multa [634 poſt ſæcula [635 tribuoal viridi [636 ceſpite exſtructum, nec [637 faſcium tantùm, ſed [638 pilorum [639 ſignorumq́; [640 honore circumdatum. Augebant maieſtatem præſidentis, diuerſi poſtulantium [641 habitus, ac diſſonæ [642 voces, raráque ſine [643 interprete oratio. Magnificum eſt ciuibus iura; quid [644 hoſtibus reddere? ſpecioſum certam fori [645 partẽ; quid immanes campos ſellâ Curuli, victoriſque [646 veſtigio, premere? imminere minacibus [647 ripis tutum quietumque; quid ſpernere barbaros fremitus, hoſtilémque terrorem, non armorum magis, quàm [648 togarum oſtentatione, compeſcere? Itaque non te apud [649 imagines, ſed ipſum præſeotem audientémque conſalutabant Imperatorem. [650 noméoque, quod alij domitis hoſtibus, tu [651 contemptis merebare.

[621 Non eligere. *Cùm omnia laudanda ſint in noſtro.* [622 Principem. *Ipſum hominem, vndique bonum* [623 Optimus. *Adſpicit ad cognomen Traiani.* [624 Beneficio ſterile.] *Quæ præcipua laus, & materies virtutis, in Principe. Titi illud innotuit, recordatiſe nihil eo die benigne feciſſe,* Amici diem perdidi: *Traiani quæ non maior gloria, nec momentum vacuum à beneficio habentis? Auſonius hunc locum æmulatus eſt, de Gratiano:* Neque verò vnum aliquod bonũ vno die praſtas, ſed indulgentias ſæculares, per ſingula horarum momenta multiplicas. [625 De biennio. *Tempus vel hinc liquet Conſulatus Pliniani, & dictæ orationis.* [626 Secundum. *Nam primum Conſulatum ſub Domitiano geſſit, collegâ M'. Acilio Glabrione, anno vrbis* DCCCXLIII. *& hunc ſecundũ, adoptatus à Neruâ,* DCCCL. *Itaque benè Tacitus, De moribus Germanorum.* Cimbrorum arma audita ſunt, Cæcilio Metello, ac Papirio Carbone Coſs. Ex quo ſi ad alterum Imp. Traiani Conſulatum computemus, ducẽti fermè & decem anni colliguntur. *Nam illi Conſules, anno vrbis* DCXL. [627 Tui poteſtatem: *Quiiam ſub patre & Principe Neruâ non eſſes.* [628 Cùm agere. *Melius (me iudice) hæc cum ſequenti periodo continuari:* recuſaſti. Cùm agere tam bonum Conſulem poſſes, magnum eſt. *Nam hoc laudat iam experimentum sui ceperas & dederas in duplici Conſulatu: cùm ergo ſic pro*

A *ſpe, aut ſupra ſpem fuerit, quid renuis tertium, paratâ nouâ ſegete gloriæ?* [629 Geſtum. *Secundum.* [630 Barbaras. *Germanas.* [631 Illi. *Veteres Conſules.* [632 Paludamento. *Qui prætextam Conſules ponebant, & votis nuncupatis, paludati proficiſcebantur ad bellum.* Paludamentum *autem, chlamys (in ſtatuis nummiſq́, Imperatorum apparet) ab humeris dependens, colore cocci, id eſt ſanguinis bellique notâ. Ego De Militia, lib.* II. *Dial. vltimo.* [633 Sua in patria. *In finibus Germaniæ. intellegit Vbios, Batauos, & limitaneas eas gentes, quæ ſocia potiùs quàm ſubdita erant: aut dubia adhuc fidei.* [634 Poſt ſæcula. *Vix in Principatu viſum.* [635 Tribunal. *In quo Conſul ſederet, ius diceret, querelas audiret aut preces.* [636 Ceſpite. *Planè pro more priſco. Nec enim è lapide aut ligno ſuggeſtum hunc in caſtris ſtruebant, ſed militari & rudi opere, e terrâ. Notaui & firmaui ſatis, ad Taciti Annalem* I.
B *verbis,* Simul aggerunt ceſpites, conſtruunt tribunal. [637 Faſciam. *Vt in pace cùm lictores apparitoréſque tantum circumſtabant.* [638 Pilorum. *Haſtarum. Claudianus:*

Dictis antè tamen Princeps confirmat ituros,
Aggere conſpicuus. ſtat circumfuſa iuuentus,
Nixa haſtis, pronaſque ferox accõmodat aures.

[639 Signorũmque. *Ammianus:* Tribunal inſiſtens, ſigniſque ambitus & aquilis. *Nummi ſæpe hoc exprimunt, cum verbo,* ALLOCVTIO. [640 Honore. *Vellem,* horrore. [641 Habitus. *In veſte variâ.* [642 Voces. *In linguâ variâ.* [643 Interprete. *Qui Latinè explicaret.* [644 Hoſtibus. *Qui fuiſſent, & recenter tui metu compoſiti ad obſequium eſſent.*

C [645 Partem. *Alij libri,* pacem. *Ego cùm verba video,* partem *veriùs pronunciabo. Nam exiguâ fori parte ius dicere, confert cum magnis vaſtiſque illis campis, qui pro foro. Si* pacem *tamen vis: tum ſententia, Pulchrum eſt in togâ Roma, & togatis ius dicere quid inter ipſa arma & hoſtes?* [646 Veſtigio. *Pede tuo, victoris.* [647 Ripis. *Rheni, vel Danubij.* [648 Togarum. *Quas in iuriſdictione ſumebant, ſaltem aduocati, cauſidici, & id genus. Florus, de Germanis, quibus Quinctilius Varus ius dicere tentabat:* At illi, vt primum togas, & ſæuiora armis iura viderunt. [649 Imagines. *Nam Principum imagines in ſignis, & effigies etiam in caſtris. Atque ad eas exteri ducebantur, & obſequij ſignum venerabantur vel adorabant. Tacitus* XV. *Annal.* Medio tribunal, & tribunal effigiem Neronis ſuſtinebat. ad quam progreſſus Teridates, cæſis de more victimis, ſublatum capite diadema
D imagini ſubiecit. *Itaque nota, velut præſentem Imperatorem, in tribunali cultum per imaginem fuiſſe.* [650 Nomenque. *Imperatorium.*

[651 Contemptis. *Vincere enim poteras, noluiſti.*

HAEC laus]652 acti Conſulatus, illa [653 dilati, quòd adhuc [654 initio Principatus, vt [655 iam excuſatus honoribus & expletus, Conſulatum recuſaſti: quem noui Imperatores [656 deſtinatum alijs, in ſe transferebant. [657 Fuit etiam, qui in Principatus ſui fine, Conſulatum quem dederat, ipſe magnâ ex parte iam geſtum, extorqueret & raperet. Hoc ergo honore, quem & incipientes Principes, & deſinentes adeò concupiſcunt,
E vt auferant; tu otioſo ac vacante, priuatis ceſſiſti. Inuidioſúſne erat, aut tibi tertius Conſulatus, aut Principi primus? nam ſecundum Imperator quidem, ſub Imperatore tamen iniſti: nihilque [658 imputari io eo vel ho

nori poteſt, vel [659 exēplo, niſi obſequium. Ita verò, quæ ciuitas quinquies atque etiam ſexies Conſules vidit, [660 non illos qui exſpirante iam libertate per vim ac tumultum creabantur, ſed quibus ſepoſitis & abſentibus, [661 in rura ſua Conſulatus ferebantur; in hac ciuitate tertiũ Conſulatum Princeps generis humani, vt prægrauem, recuſaſti? Tantóne [662 Papiriis etiã & Quintiis moderatior, Auguſtus, & Cæſar, & Pater patriæ? At illos reſp. ciebat. quid te non eadem Reſp.? non Senatus, non Conſulatus ipſe? qui ſibi [663 tuis humeris attolli, & augeſcere videtur. Non te ad exemplar [664 eius voco, qui continuis Conſulatibus fecerat [665 longum quemdam, & ſine diſcrimine annum: [666 his te confero, quos certum eſt, quoties Conſules fuerunt, [667 non ſibi præſtitiſſe. Erat in Senatu [668 ter Conſul, cùm tu tertium Conſulatũ recuſabas. [669 Onerosũm neſcio quid verecundię tuæ conſenſus noſter indixerat, vt Princeps totiens Conſul eſſes, quotiens Senator tuus. nimiâ modeſtiâ iſtud, [670 etiam priuatus, recuſaſſes. An Conſulatis viri triumphaliſque filius, cùm tertiò Conſul creatur, aſcendit? non debitum hoc illi? non vel ſolâ generis claritate promeritum? Contigit ergo [671 priuatis [672 aperire annum, [673 Faſtoſque reſerare: & hoc quoque redditæ libertatis indicium fuit, quòd Conſul alius quàm Cæſar eſſet. Sic exactis regibus cœpit liber annus: ſic olim ſeruitus pulſa, priuata Faſtis nomina induxit. Miſeros ambitionis, qui ita Conſules ſemper, vt ſemper Principes erant! quanquam non ambitio magis, quàm [674 liuor & malignitas videri poteſt, omnes annos poſſidere, ſummũque illud [675 purpuræ decus, non niſi [676 præcerptum præfloratumq́ue transmittere. Tuam verò magnanimitatem, an modeſtiam, an benignitatem priùs mirer? Magnanimitas fuit, expetito ſemper honore abſtinere; modeſtia, cedere; benignitas, [677 per alios frui.

]652 Acti. *Secundi.* [653 Dilati. *Tertij.* [654 Initio. *Nam hæc deſignatio, & recuſatio facta anno ſuperiore.* [655 Vt iam excuſatus. *Tanquam multos, aut diu geſſiſſet. ideoq́, vacatio tibi ab honoribus & muneris danda.* [656 Deſtinatum aliis. *Quod Otho Imp. fecit, quem Tacitus ſcribit;* cum Titiano fratre Conſulem in Kal. Martias ſe feciſſe: ceteros autem Conſulatus, ex deſtinatione Neronis aut Galbæ manſiſſe. *Ergo in prioribus mutauit, & deſignatos loco mouit.* [657 Fuit etiam. *An Nero? de quo Suetonius, cap.* XLIII. Conſules ante tempus priuauit honore, atque in vtriuſque locum ſolus iniit Conſulatum, quaſi fatale eſſet, non poſſe Gallos debellari, niſi à Conſule. [658 Imputari. *Aſcribi, & poni in rationibus honoris geſti.* [659 Exemplo. *Quòd iteraſſes Conſulatum: quia non ſponte.* [660 Non illos. *Vt C. Marium, qui ſeptiens, C. Cæſarem, qui quinquies, Conſules.* [661 In rura. C. Atilium *Regulum intellegit, illius Reguli filium, qui captus occiſúsque à Pœnis fuit. Huic cognomen* Serrano *alij faciunt, & Plinius (lib.* XVIII. *cap* III.) quòd ſerentem inuenerint dati honores. *Alij tamen* Sarranum *ſcribunt, quaſi Tyrium vel Pœnum, quia pater apud eos mortuus. Adde & L. Quinctium Cincinnatum, cui aranti Dictatura delata. Sed tamen hi non toties Conſules: itaque dictum eſt oratorie & ἐν πλάτει, de aliis eiuſdem æui & paupertatis.* [662 Papiriis. *L. Papirius Curſor* V. *conſul fuit: T. autem Quinctius Capitolinus* VI. [663 Tuis humeris. *Altior digniórque fieri, te gerente.* [664 Eius. *Domitiani, de quo Suetonius:* Conſulatus XVII. cepit, quot ante eum nemo. [665 Longum *Nam anni per Conſules diſtingui ſolet: cùm autem ille vnus ſemper, videbatur & vnus annus* [666 His te. *Antiquis.* [667 Non ſibi. *Sed reipublicæ eius cauſâ, non honoris ſui, ſuſcepiſſe.* [668 Ter conſul. *Virginius Rufus fuerat, ſed obiit in Conſulatu, Principe Neruâ. Non ergo de illo an fortè de* C. Silio *capiendum, qui tertio item Conſul, & tunc viuus? At enim ſiſtit aliquid, quod in Plinij epiſtolâ* VII. *lib.* III. *legitur, vbi mortem huius Silij narrat, & breuiter vitam:* Nouiſſimè, *inquit*, ita ſuadentibus annis ab vrbe ſeceſſit, ſeq́ue in Campaniâ tenuit: ac ne aduentu quidem noui Principis inde commouit. Magna Cæſaris laus, ſub quo hoc liberum fuit; magna illius, qui hac libertate auſus eſt vti. *Enimuerò ſi ille ſe non commouit, nec in vrbem venit: quomodo* erat in Senatu, *quod Plinius hic affirmat? Dici poſſit, aliud* in Senatu, *aliud* in Curiâ *eſſe. In Senatu etiam abſens cenſetur, in Curiâ non niſi præſens. Sed reuera pars hæc Faſtorum in ſuffectis Conſulibus tenebroſa, nec acie ingenij (abſque monumentis ſit) facile illuſtrada.* [669 Onerosum. *Ironia.* [670 Etiam priuatus. *Si nempe Senatus petiiſſet.* [671 Priuatis. *C. Soſio, & A. Cornelio.* [672 Aperire annum. *Hoc dicitur, quia nouo anno iſti inibant & nomina præſcribebantur. Caſſiodorus:* Felix à Conſule ſumat annus auſpicium, portamq́ue dierum tali omine dicatum tempus introëat. *Itaque alibi, Conſules dicuntur* incohare, & pandere annum: *ſcilicet vnà cum Iano, de quo Ouidius:*

Ergo vbi Iane biceps longũ reſeraueris annum.

[673 Faſtóſque reſerare. *Cauſâ eâdem. quia nomina Faſtis præſcribuntur. Auſonius, de Iano:*

—Roma illa, domuſq́ue Quirini,
Hoc capite æternis ſignat ſua nomina Faſtis.

Hæc autem omnia ad primos & Ordinarios Conſules ſpectant (in quo maior honos:) non ad illos ſuffectos, à quibus anni auſpicium non erat. Seneca, De Irâ: Dedit duodecim faſces, ſed non fecit Ordinarium conſulem. A me numerari voluit annum, ſed deeſt mihi ad ſacerdotium. [674 Liuor. *Ita & Auſonius interpretatur, ad Gratianum:* Scis ſeptem & decem Conſulatus Domitiani, quos ille, inuidiâ alteros prouehendi, continuando conſeruit. [675 Purpuræ. *Quia Conſules in togâ prætextâ, id eſt cui limbus purpureus adtextus eſſet. Eadem & aliis magiſtratibus quidem: ſed ideò addit* ſummum decus, *quia iſti ſummi inter illos.* [676 Præcerptum. *Delibatum initio anni. Nam Domitianus atque alij, annum fere aperiebant: & tunc ſufficiebant.* [677 Per alios. *Quomodo? nam & ipſe nihilominus in Senatum veniebat, & omnia publica munia vſurpabat, etſi non Conſul. Itaque Conſulatum quaſi gerebat, eoq́, fruebatur, in aliis. Subibat tamen, an non* pati alios, *legendum eſſet.*

SED iam tempus eſt te ipſi Conſulatui præſtare, vt maiorem eum ſuſcipiendo gerendóque facias. Nam ſæpiùs recuſare, [678 ambiguam ac potiùs illam interpretationem habet, tamquam minorem putes. Tu quidem

dem vt maximum recuſaſti, ſed huc perſuadere nemini poteris, niſi aliquando & non recuſaueris. Cùm arcus, cùm trophæa, cùm ſtatuas deprecaris; tribuenda eſt verecundię tuæ venia. illa enim ſanè tibi dicantur: 679 cùm verò poſtulamus, vt futuros Principes doceas inertiæ renunciare, pauliſper delicias differre, pauliſper & ſaltem ad breuiſſimum tempus, ex illo felicitatis ſomno velut excitatos, induere [680 prætextam, quam cùm dare poſſent, [681 occuparint; aſcendere [682 curulem quam [683 detineant; eſſe denique quod concupierunt, nec ideò tantùm velle Conſules fieri [684 vt fuerint. Geſſiſti alterum Conſulatum, ſcio: illum exercitibus, illum prouinciis, illum etiam ceteris gentibus poteris imputare, non potes nobis. Audiuimus quidem te omne munus Conſulis obiiſſe, ſed audiuimus. Diceris iuſtiſſimus, humaniſſimus, patientiſſimus fuiſſe: ſed diceris. æquum eſt aliquando nos iudicio noſtro, noſtris oculis, non famæ ſemper & rumoribus credere. Quouſque abſentes de abſente gaudebimus? liceat experiri, an aliquid ſuperbiæ tibi ille ipſe ſecundus Conſulatus attulerit. Multum in commutandis moribus hominnm, [685 medius annus valet, in Principum plus. [686 Didicimus quidem, cui virtus aliqua contingat, omnes ineſſe; cupimus tamen experiri, an nunc quoque vna eademque res ſit, bonus Conſul, & bonus Princeps. Nam [687 præter id quod eſt arduum, duas, eaſq; ſummas, ſimul capere poteſtates: tum ineſt vtrique nonnulla diuerſitas, cùm Principem, quàm [688 diſſimillimum Conſuli deceat.

[678 Ambiguam. *Recuſes per modeſtiam, an per factum ſpernas.* [679 Cùm verò. *Textus requirit,* Nunc verò. [680 Prætextam. *Conſularem.*

[681 Occuparint *Non paſſi alios vti.* [682 Curulem. *Nam Conſules in Senatu ſublimiori ſuggeſtu, in ſellâ curuli præſidebant. Inde Caſſiodoro,* Infulæ curules, *pro Conſulatu; Iuuenali,*

—ſummas donare curules, *idem. Et Lucanus:*

Lentulus è celſâ ſublimis ſede profatur.

Ideò in Plinio hic, aſcendere: *& adde, ſi lubet, notata mihi ad* 1111. *Annalem Taciti, in verbis*, Conſules ſede vulgari, per ſpeciem mæſtitiæ, ſedentes. [683 Detineant. *Nequis alius aſcendat. Omnia eò ſpectant, vt oſtendat alios titulo Conſules; hunc re fuiſſe, & fore.* [684 Vt Fuerint. *Dicantur ſcribantúrque fuiſſe.* [685 Medius annus. *Qui iam effluxit à tuo Conſulatu. Quid ſibi velint, qui hic tricantur de* quinque tantùm menſibus, inter Traiani adoptionem & Neruæ mortem, *neſcio. In totâ re errant. nec quidquam hic de illo tempore, ſed de Conſulatus, vt iam dixi. Certum autem, Kalendis Ianuarij iniſſe ſecundum Conſulatum, depoſuiſſe de more poſt duos menſes: atque ita paullo plus quàm annus medius, ad hoc tempus.*

[686 Dicimus. *Philoſophatur, imò Stoiciſſat. quorum hoc dogma:* Τὰς ἀρετὰς ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, καὶ τὸν μίαν ἔχοντα, πάσας ἔχειν: Virtutes inter ſe conſequi, & qui vnam habeat, omnes habere. [687

A Præter id. *Deleam hoc,* id: *legámque,* præter quod. *Breuiter iste & polite, pro eo quod vulgò,* Præterquàm quod. [688 Diſſimillimum conſuli *Tramajunt. Cuſpinani editio refert.* Principem quàm ſimillimum eſſe priuato, Conſulémque quàm diſſimillimum deceat. *Approbo. Principis laus eſt, ſubmittere ſe, & ciuiliter gerere: at Conſulis aliter, attollere ſe & habitum animóſque ſumere pro magiſtratu.*

ATQVE ego video proximo anno Conſulatus recuſandi hanc præcipuam fuiſſe rationem, quòd eum abſens gerere [689 non poteras. ſed iam vrbi [690 votiſque publicis redditus: quid eſt, in quo magis B ſis approbaturus, quæ quantáque fuerint quæ deſiderabamus? Parum eſt vt in curiam venias, niſi & [691 conuocas: vt interſis Senatui, niſi & [692 præſides: vt cenſentes audias, niſi & [693 perrogas. Vis illud auguſtiſſimum Conſulum aliquando tribunal, maieſtati ſuæ reddere? aſcende. Vis conſtare reuerentiam magiſtratibus, legibus auctoritatem, modeſtiam [694 petulantibus? [695 adi. Quod enim intereſſet Reipub. ſi priuatus eſſes, [696 Conſulem te haberet tantùm, an & Senatorem; hoc nunc ſcito intereſſe, Principem te habeat C tantùm, an & Conſulem. His tot tantíſque rationibus, quanquam multum reluctata verecundia Principis noſtri, tandem tamen ceſſit. At quemadmodum ceſſit? non ſe vt [697 priuatis, ſed vt priuatos pares ſibi faceret. Recepit enim tertium Conſulatum, vt daret. Nouerat moderationem hominum, nouerat pudorem, qui non ſuſtinerent tertiò Conſules eſſe, niſi cum [698 ter Conſule. Bellorum iſtud (699 ſociis olim, periculorum conſortibus, parcè tamen tribuebatur: quod tu [700 ſingularibus viris, ac de te quidem bene ac [701 fortiter præſtitiſti, ſed in togâ meritis. Vtriuſque curâ, D vtriuſque vigilantiâ obſtrictus es Cæſar: ſed in Principe rarum, ac propè inſolitum eſt, vt ſe putet obligatum, aut ſi putet, [702 amet. Debes ergo Cęſar, & ſoluis. Sed cùm ter Conſules facis, non tibi magnus Princeps, ſed non ingratus amicus videris. Quin etiam perquam modica quędam ciuium merita, [703 fortunę tuę viribus in maius extollis. efficis enim, vt tantum tibi quiſque pręſtitiſſe videatur, quantum à te recipit. Quid iſti benignitati precer? niſi vt ſemper obliges, obligeris, incertúmque E facias, vtrum magis expediat ciuibus tuis [704 debere tibi, an præſtitiſſe?

[689 Non poteras. *Poteras quidem, per exempla. & multi ita Principes, imò priuati: ſed inire abſentem, gerere, & finire, hoc indecorū. & præter veterum inſtituta.* Nō poteras *igitur, id eſt rectè & ex tuâ mente.* [690 Votiſque. *Quæ ſollenniter concepta* Fortunæ reduci, *aut* Ioui *ipſi. vt ſolet. Deſiderium autem hoc populi expri-*

*mus Martialis lib.x.epigr.*VI.

Quãdo erit ille dies, quo cãpus, & arbor, & omnis
Lucebit Latiâ culta feneſtra nuru?
Quãdo moræ dulces longúſque à Cæſare puluis?
Totáque Flaminiâ Roma videnda viâ?

[691 Conuocas. *Nam hoc officium Conſulare, Senatum habere & vocare, cùm opus. Quo poteſtas etiam Principi tributa, inter ſingulares. Tabula de imperio Veſpaſiani:* VTIQVE. EI. SENATVM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT. DIVO. AVGVSTO. [692 Præſides. *In ſublimi ſellâ, vt dixi, Senatus rector.* [693 Perrogas. *Nam Conſul ſententias ordine rogabat, & perrogabat.* [694 Petulantibus. *Alij libri,* poſtulantibus. *nec malè. nam litigatores & cauſſidici (immodeſtum ſæpe genus) tribunalia Conſulum adibant, ius petituri.* [695 Adi. *Atqui iam antè dixit,* aſcende. *Frigidum ſchema ſit, & malim,* audi. *magis quidem, ſi* poſtulantibus *legamus.* [696 Conſulem te. *Vir doctus hæc ait nugas eſſe, nec quemquam Conſulem poſſe eſſe, qui non Senator. Itaque ſe reſcribere,* Conſulem habere te, an tantùm Senatorem. *Ego ſubſiſto, imò reſiſto. Nam Plinij verba examinata oſtendunt, comparationem ſub hypotheſi hanc eſſe. Sicut veteri rep. ſi eſſes, non Conſulem te ſolùm appeterent (etſi ſumma ea dignitas) ſed etiam Senatorem, vt in ſententiis dicendis vtilior reip. eſſes: ita nunc etſi tu Princeps, id eſt ſumma poteſtas; tamen cupiunt & Conſulem, vt in Senatu munia obeas, quæ tam decorè & vtiliter potes. Atquin, ait, nemo olim Conſul, niſi Senator. Nihil ad rem, vt dem ita eſſe: quia conditionalis modò eſt ſermo. Sed non do, & priſcis temporibus, ante annales leges, etiam iuuenes: nec Senatores, ad Conſulatum electi.* [697 Priuatis. *Ita ſub Principibus dicuntur, quicumque non Principes: ipſi etiam magiſtratus.* [698 Ter conſule. *Ipſo Principe. ne alter viderentur ſuper eum ſcandere.* [699 Sociis. *Vipſanius Agrippa intelligitur, de quo totidem verbis & Seneca apud Tacitum (Annali* XIV.) Quorum alter bellorũ ſocius. [700 Singularibus. *Alter innotuit* M. Cornelius Fronto, *oratoriâ laude clarus: quem collegam ſibi Traianus aſſumpſit. Alter qui deſignatus in Kal. Martias fuit, ignotus nobis: niſi quod Onufrius diuinat de* Sex. Pompeio Collegâ. [701 Fortiter. *Sanè vox repetenda, quæ mox ſubijcitur,* fortiter meritis præſtitiſti. [702 Amet. *Princeps potens beneficiorum omnium, ipſe extra ſortem capiendi videtur. quid ſi tamen ceperit, aut cepiſſe putet? non amat, inquit: id eſt, odit eos quibus putat ſe debere. Nam* deſtrui per hæc fortunam ſuam arbitrantur, *(aut quiſpiam.) & talium* auctores, quaſi exprobrantes cernuntur.

[703 Fortunæ tuæ. *Nam tu magna retribuendo, efficis vt magna videantur quæ tribuêre.* [704 Debere tibi. *Acutè. id eſt, vtrum vtilius ſit nobis, cepiſſe à te beneficium (quod eſt* debere: *) an dediſſe, quia hoc præſentem mox fructum & remunerationem trahit. Dediſſe autem, hic eſt* præſtitiſſe.

EQVIDEM illum [705 antiquum Senatum contueri videbar, cùm ter Conſule [706 aſſidente, tertiò Conſulem [707 deſignatum [708 rogari ſententiam cernerem. quanti tunc illi, quantúſque tu? Accidit quidem, vt corpora quamlibet ardua & excelſa, procerioribus admota decreſcant; item vt altiſſimæ ciuium dignitates, collatione faſtigij tui, quaſi deprimantur, quantóque

A propiùs ad magnitudinem tuam aſcenderint, tantò etiam à ſuâ deſcendiſſe videantur. Illos tamen tu, quanquam non potuiſti tibi æquare [709 cùm velles, adeò in edito collocaſti, vt tantum ſuper ceteros, quantum infra te cernerentur. Si vnius tertium Conſulatum [710 eumdem in annum, in quem tuum, contuliſſes: ingentis animi ſpecimen haberetur. vt enim felicitatis eſt, [711 quantum velis poſſe; ſic magnitudinis, velle quantum poſſis. Laudandus quidem & ille, qui tertium Conſulatum meruit: ſed magis, ſub quo meruit. Magnus
B memorandúſque, qui tantum præmium [712 cepit: ſed maior, qui capienti dedit. Quid? quòd duos pariter tertio Conſulatu [713 collegas tui ſanctitate decoraſti? vt ſit nemini dubium, hanc tibi præcipuam cauſſam fuiſſe [714 extendendi Conſulatus tui, vt duorum Conſulatus amplecteretur, & collegam te [715 vni daret. Vterque nuper Conſulatum alterum geſſerat à patre tuo, id eſt, quanto minùs quàm à te datum:
C vtriuſque adhuc oculis paullò antè dimiſſi faſces oberrabant: vtriuſque ſolennis ille lictorum & [716 prænuncius clamor auribus inſederat: cùm rurſus curulis, rurſúſque purpura. vt olim, cùm hoſtis in proximo, & in ſummum diſcrimen adducta Reſpub. expertum honoribus virum poſceret, [717 non Conſulatus hominibus iiſdem, ſed iidem homines Conſulatibus reddebantur. Tanta tibi benefaciendi vis, vt indulgentiam tuam [718 neceſſitas [719 æmuletur. Modò prætextas exuerant, reſumant. modò lictores abire iuſſerant, reuocent. Modò gratulantes amici receſſerant,
D reuertantur. [720 Hominiſne iſtud ingenium eſt? hominis poteſtas? renouare gaudia, redintegrare lætitiam, nullámque requiem gratulationis dare: neque alia repetendis Conſulatibus, interualla permittere, niſi [721 dum finiuntur? Facias iſta ſemper, nec vnquam in hoc opere, aut animus tuus aut fortuna laſſetur: des quàm plurimis tertios Conſulatus, & cùm plurimis tertios Conſulatus dederis, ſemper tamen plures quibus debeas dare,
E ſuperſint.

[705 Antiquum. *Ante Principes. cùm multis Conſulatibus ſic aucti.*

[706 Aſſidente. *Iuxta tuam ſellam.* [707 Deſignatum. *Pompeium Collegam, vt iam dixi, aut alium.* [708 Rogari. *A te ter Conſule. Primi autem rogari ſolent Conſules deſignati.* [709 Cùm velles. *Ter Conſules tecum faciendo.* [710 Eumdem in annum. *Non etiam menſes, quod feciſti.* [711 Quantum velis. *Quod Principi euenit: qui Iupiter alter in terris. Seneca in perſonâ eius:* Qualem quiſque ſortem ſtatúmque habeat, in meâ manu poſitum eſt. quid cuique mortalium Fortuna datum velit, meo ore pronunciat. [712 Cepit.

Cepit.

Capax eius, & dignus fuit.

[713 Collegas. *Melius, certè apertius,* collegij tui. [714 Extendendi. *Fecit pro more, poſt duos menſes debuiſſet cedere Conſulatu Traianus: nunc non fecit, ſed geſſit Conſulatum & produxit in Kal. Maias, atque ita collegam habuit, in Frontonis abeuntis locum, Pompeium collegam.* [715 Vni daret. *Iam nunc daret vni, in te: nempe Fronton. alteri daturus, cùm is abiſſet.*

[716 Prænuncius clamor. *Qui ſignificaret Conſules venire, darent locum. Clamor erat,* Animaduerte. *Suprà,* ſilentes quietóſque lictores *dixit.* [717 Non conſulatus. *Sic in omni munere deberet, non illud hominibus, ſed homines ipſi dari, id eſt, non vt ij per officium auctiores; ſed vt illi proſpectum cautúmque, per ipſas. Simili ſententiâ Seneca ſcripſit, Conſol. ad Heluiam, cap.* XIII. Quis M. Catonis ignominiam puret fuiſſe, duplicem in petitione Præturæ & Conſulatus repulſam? ignominia illa Præturæ & Conſulatus fuit, quibus ex Catone honor habebatur. [718 Neceſſitas. *Quæ neceſſitas olim erat, & iubebat Conſules ſæpe eoſdem creari, rerum expertos: at nunc ea nulla eſt, ſola benignitas tua hoc facit & inducit.* [719 Æmuletur. *Imitetur. non quòd illi priſci potuerint ſcire quid Traianus facturus, minùs imitari: ſed dictum voluit. Quod tua benignitas facit, hoc idem apud alios neceſſitas non tam imitatur, quàm partim vſurpat.* [720 Hominiſne. *An alicuius dei?*

[721 Dum finiontur. *Haud verè omnino. nam annus & vltrà, interfuit: Onufrium vide. Sed oratoriè hæc dicuntur.*

OMNIVM quidem beneficiorum, quæ merentibus tribuuntur, non ad ipſos gaudium magis quàm ad ſimiles redundat: præcipuè tamen ex horum Conſulatu, non ad partem aliqoam Senatus, ſed ad totum Senatum tanta lætitia peruenit, vt eundem honorem omnes ſibi & dediſſe, & accepiſſe videantur. Nempe enim hi ſunt quos Senatus, cùm [722 publicis ſomptibus minuendis optimum quemque præficeret, elegit & quidem primos. [723 Hoc eſt igitur, hoc eſt qnod penitus illos animo Cæſaris inſinuauit. An parum ſæpe experti ſumus, hanc eſſe rerum conditionem, vt Senatus fauor apud Principem aut proſit, aut noceat? Nónne paulò antè nihil magis exitiale erat, quàm illa Principis cogitatio? hunc Senatus probat, hic Senatui carus eſt. Oderat quos nos amaremus, ſed & nos [724 quos ille. Nunc inter Principem Senatúmque digniſſimi cuiuſque caritate certatur, [725 demonſtramus inuicem, credimus inuicem, quódque maximum amoris mutui ſignum eſt, eoſdem amamus. Proinde P. C. fauete apertè, diligite conſtanter. Non iam diſſimulandus eſt amor, ne noceat; non premendum odium, [726 ne proſit. Eadem Cæſar, quæ Senatus, probat improbátque: vos ille præſentes, vos etiam abſentes in conſilio habet. Tertiò Conſules fecit, quos vos [727 elegeratis: & fecit hoc ordine, quo electi à vobis erant. Magnus [728 vterque veſtrûm, ſiue eoſdem maximè diligit, quos A ſcit vobis eſſe cariſſimos; ſiue illis neminem præfert, quamuis aliquem magis amet. Propoſita ſunt ſenioribus præmia, iuuenibus exempla: [729 adeant, frequentent ſecuras tandem ac patentes domos. quiſquis probatos Senatui viros ſuſpicit, hic maximè Principem promeretur. Sibi enim accreſcere putat quod cuique adſtruatur: nullámque in eo gloriam ponit, quòd ſit omnibus maior, niſi [730 maximi fuerint quibus maior eſt. Perſta Cæſar in iſtâ ratione propoſiti, taléſque nos crede, [731 qualis fama cuiuſque B eſt. Huic aures, huic oculos intende. ne reſpexeris [732 clandeſtinas exiſtimationes, nullíſque magis, quàm audientibus inſidiantes ſuſurros. Meliùs omnibus, quàm ſingulis creditur. ſinguli enim decipere & decipi poſſunt: nemo omnes, neminem omnes feſellerunt.

[722 Publicis ſumptibus. *Quia per Domitianum exhauſto ærario, par non erat iis Reſpublica. Itaque factum hoc ſtatim ſub Neruâ. de quo Dio:* Καὶ πολλὰς μὲν θυσίας, πολλὰς δὲ ἱπποδρομίας, ἄλλας τέ τινας θέας κατέλυσε, συστέλλων ὡς οἷόν τε τὰ δαπανήματα: Multa ſa-C crificia, multos Circenſes, atque alia ſpectacula diſſoluit & ſuſtulit, contrahens quantum poterat impendia publica. [723 Hoc eſt. *Talis illa electio, & quòd probati Senatui.*

[724 Quos ille. *Domitianus. nam mali Principes ſemper Senatum oderant,* vt tecti boníque præceptorem, *& frenum aut obicem conſiliis factiſq. prauis: viciſſim autem, & Senatus talem.* [725 Demonſtramus. *Qui digni honore & prouectione ſint.* [726 Ne proſit. *Senſus, non amorem erga bonos iam diſſimulemus, ne apertus illis noceat apud Principem: non odium erga malos, ne contrà proſit. Nam ſi aperimus hoc odiũ & reuelamus; eo ipſo prouehimus, & iuuamus. quia Princeps malus, quos nos odimus, amat, quos amamus, odit.* [727 Elegeratis. *Ad publicos ſumptus tole-*D *randos.* [728 Vterque veſtrum. *Quaſi ad Frontonem, & Collegam: quod non probo. nec ſententia ſatis connexa: Quidam libri:* Magnus vterque honor veſter. *ex quibus legam,* vtique honor: *ad Senatum. Enimuerò, inquit, magnus hic honor, quem Cæſar vobis defert. ſiue & amat quos vos; ſiue eũm non amat, tamen iudicio vel affectui veſtro cedit, & honorat quos ipſi amatis.* [729 Adeant. *In ſalutationibus, in officiis cultúque alio oſtendant ſe tales revereri & amare. Hoc autem inuidioſum imò pernicioſum ſub malis inſignem aliquem virum frequentari aut coli. Itaque Seneca, hoc metu, apud Tacitum,* inſtituta prioris vitæ commutat, prohibet cœtos ſalutantium, vitat comitantes. [730 Maximi fuerint. *Aureum item dogma. Tyrannus vilibus & prauis imperare cu-*E *pit, ſecuritatis cauſſâ; Princeps bonus, optimis & honeſtiſſimis, gloriæ.* [731 Qualis fama. *Quæ publica quidem, rarò mentitur. Ideo Alexander Seuerus Imp.* vbi aliquos voluiſſet vel Rectores prouinciis dare, vel Præpoſitos facere, vel Procuratores ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, vt ſiquis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus.

[732 Clandeſtinas. *Delatorum aut paucorum, quibus magno ſuo periculo Principes credunt.*

[733 REVERTOR iam ad Conſulatum tuum; etſi ſunt quædam ad Conſulatum quidem pertinentia, ante Conſulatum

A tamen in primis, quod comitiis tuis interfuiſti, candidatus non Conſulatus tantùm, ſed [734 immortalitatis, & gloriæ, & exempli, quod ſequerentur boni Principes, mali mirarentur. Vidit te populus R. in illà [735 vetere poteſtatis ſuæ ſede: perpeſſus es longum illud [736 carmen comitiorum, nec iam [737 irridendam moram: Conſulque ſic factus es, vt vnus ex nobis, [738 quos facis Conſules. Quotuſquiſque Principum antecedentium, honorem iſtum aut Conſulatui habuit, aut populo? Non alij marcidi ſomno heſternaque cœnà redundantes, comitiorum
B ſuorum nuncios opperiebantur? Alij ſanè peruigiles & inſomnes, ſed intra cubilia ſua illis ipſis Conſulibus, à quibus Conſules renunciabantur, exſilia & cædem machinabantur. O praua & inſcia veræ maieſtatis ambitio, concupiſcere honorem quem dedigneris; dedignari quem concupieris: cúmque ex proximis [739 hortis campum & comitia proſpectes, ſic ab illis abeſſe, tanquam Danubio Rhenóque dirimare! Auerſeris tu honori tuo ſperata ſuffragia, renunciarique te Conſulem iuſſiſſe contentus, liberæ ciui-
C tati [740 ne ſimulationem quidem ſerues? abſtineas denique comitiis, abſtruſus atque abditus, quaſi illic tibi non Conſulatus detur, ſed abrogetur imperium? Hæc perſuaſio ſuperbiſſimis dominis erat, vt ſibi viderentur Principes eſſe deſinere; ſi quid facerent tanquam Senatores. Plerique tamen non tam ſuperbià, quàm metu quodam ſubmouebantur. An ſtuprorum ſibi [741 inceſtarúmque noctium conſcij, [742 auſpicia polluere, [743 ſacratúmque campum nefario auderent contaminare veſtigio? non
D adeò Deos hominéſque contempſerant, vt in illà [744 ſpatioſiſſimà ſede hominum [745 deorúmque, coniectos in ſe oculos ferre ac perpeti poſſent. Tibi contrà, & moderatio tua ſuaſit, & ſanctitas: vt te & religioni deorum, & iudiciis hominũ exhiberes. alij Conſulatum antè quàm acciperent, tu & dum accipis, meruiſti.

[733 Reuertor. *Nam antè cœpit dicere de tertio eius Conſulatu, apertè. Non ergo audio veterem aliquem codicem, qui* Præuertor. [734 Immortalitatis. *Metaphora. vt in Tertulliano, de Christianis:* Candidati æternitatis, & reſtitutionis. *De iiſdem,* Candidati an-
E gelorum. *qui honorem locúmque ambiunt angelorum.*

[735 Vetere. *Comitium intellegit, vel ipſa in eo Septa. Sedem autem* poteſtatis, *ideò quia olim ibi ſuffragiis magiſtratus liberè creati, leges rogatæ vel abrogatæ, pax & bellum iuſſa.* [736 Carmen comit. *Haud dubiè precatio præiuit iure magnà & publicà, vt in pleriſque talibus olim. Et mox ipſe tanget.* [737 Irridendam. *Poſtquã tu eam paſſus es, & ſubiſti.* [738 Quos facis. *Ergo Princeps facit Conſules? facit atque ipſe deſtinat ſiue deſignat. Quid igitur de* ſuffragiis Senatus, *&* Comitiis populi, *quod hic atque infrà legas? Reſpondeo, quod ad Conſules ipſos, videri rem totam hoc æuo*

A *à Principibus pependiſſe. qui nominabant ſiue deſtinabãt, hos illóſque, in hos & illos menſes. Et tamen, vt Patres viderentur ius aliquod habere, in Senatu proponebantur, atque ij ſuffragabantur: quæ omnia initio anni, aut circa geſta. Tum deinde, quaque paria producebantur in Comitium, & dicis cauſſa populus coibat: ibiq; renunciabantur, iurabant, & mox ſuo quiſque menſe inibant. Hæc e Plinio ferè, de Conſulibus. In Prætoribus, Tribunis, atque aliis pluſculum iuris Senatus habuit: ad quem à populo comitia tranſlata ſub Tiberio. Me vide, ſodes, ad 1. Annal. Taciti.* [739 Hortis. *Quibus? Horti Agrippinæ, quos Caius item coluit, vicini campo Martio. & credam hos intellegi. etſi alij etiam Cæſarum horti propinqui eſſe potuerunt.*

B [740 Ne ſimulationem. *Vt ipſe venias, & dicis cauſſà populo te ſiſtas.* [741 Inceſtarúmque. *De Domitiani inceſto, ſuprà.* [742 Auſpicia. *Quia comitia non niſi auſpicato habebantur; vt omnis actio cum populo.* [743 Sacratúmque. *Marti.* [744 Spatioſiſſima. *Campus ſanè magnus, atque adeò* Septa *in eo comitiorum magna. Ex Ciceronis epiſtolà quadam lib. 4. ad Atticũ colligas: in quà narrat Cæſarem deſtinaſſe* Septa marmorea facere, eaq; excelsà porticu cingere, mille paſſuum ſpatio. *Nam e porticu ambiente, videt ſpatium campi includendi.*

[745 Deorúmque. *Quia templa ibi paſſim: erátque vel ornatiſſima pars (Strabone auctore) totius vrbis.*

C PERACTA erant ſolennia comitiorum, ſi Principem cogitares, iámque ſe omnis turba [746 commouerat: cùm tu, mirantibus cunctis, accedis ad [747 Conſulis ſellam, adigendum te præbes [748 in verba Principibus ignota, niſi cùm iurare cogerent [749 alios. Vides quàm neceſſarium fuit Conſulatum non recuſare? non putaſſemus iſtud facturum te fuiſſe, ſi recuſaſſes. Stupeo P. C. necdum ſatis aut oculis meis, aut auribus credo, atque identidem me, an audierim, an viderim interrogo. Imperator ergo, & Cæſar, & Auguſtus, Pontifex maximus, ſtetit ante gremium Conſulis?
D ſedítque Conſul, Principe ante ſe ſtante: & ſedit inturbatus, interritus & tanquam ita fieri ſoleret? quinetiam ſedens [750 præbuit iuſiurandum, & ille iurauit. expreſſit explanauítque verba, quibus caput ſuum, domum ſuam, [751 ſi ſcienter fefelliſſet, deorum [752 iræ conſecraret. Ingens, Cæſar, & par gloria tua, ſiue fecerint iſtud poſteà Principes, ſiue non fecerint. Vlláne ſatis prædicatio digna eſt, idem tertiò Conſulem feciſſe, quod primò? idem Principem, quod priuatum?
E idem Imperatorem, quod ſub Imperatore? Neſcio iam, neſcio pulchriúsne ſit iſtud, quòd [753 præeunte nullo, an hoc, quòd alio præeunte iuraſti. [754 In Roſtris quoque, ſimili religione ipſe te [755 legibus ſubiecisti: legibus Cæſar, quas nemo Principi ſcripſit. Sed tu nihil amplius vis tibi licere, quàm nobis: ſic fit, vt nos tibi [756 plus velimus. [757 Quod ego nunc primùm audio, nunc primùm diſco: non eſt Princeps

ſupra leges, ſed leges ſupra Principem. Idem A
Cæſari Conſuli, quod ceteris non licet: iurat
[758 in legem attendentibus diis: nam cui
magis quàm Cæſari attendant? iurat [759
obſeruantibus his, quibus idem iurandum
eſt. non ignarus alioquin, nemini religioſiùs
quod iurauerit cuſtodiendum, quàm cuius
maximè [760 intereſt non peierari. itaque
& [761 abiturus Conſulatu iuraſti, te nihil
contra leges feciſſe. Magnum hoc erat cùm
[762 promitteres, maius poſtquam præſti-
tiſti. Iam totiens procedere [763 in Roſtra,
[764 inaſcenſúmque illum ſuperbiæ Prin-
cipum locum terere, hîc ſuſcipere, hîc pone- B
re magiſtratus: quàm dignum te, quámque
diuerſum conſuetudine illorum, qui [765
pauculis diebus geſtum Conſulatum, imò
[766 non geſtum, abiiciebant per [767 edi-
ctum? Hoc [758 pro concione, pro Roſtris,
pro iureiurando: ſcilicet vt primis extrema
congruerent; vtq; hoc ſolo intelligerentur
ipſi Conſules fuiſſe, quòd alij non fuiſſent.

[746 Commouerat. *Abitura, te declarato.*

[747 Conſulis. *Qui præſidebat comitiis.* [748 In
verba. *Sollennis videlicet iuramenti. Caſſiodorus lib.8.*
epiſt.3. de hoc facto, vbi populo Romano Athalaricus C
rex *ſcribit*: Ecce Traiani veſtri, clarum ſæculis, repa-
ramus exemplum. Iurat vobis, per quem iuratis, nec
poteſt ab illo quiſquam falli, quo inuocato non li-
cet impunè mentiri. [749 Alios. *A ſe factos Conſu-*
les. Nam vetus hoc iuramentum Conſulare, & duplex
erat. Vnum initio magiſtratus, de quo hic, cùm iurabant
ſe leges ſeruaturos: alterum cùm abirent, iurabantq; ſer-
uaſſe. De illo, pauciora teſtimonia ſunt: ſed hoc Liuij in-
ſigne, lib.31. C. Valerius Flaccus, quia Flamen Dialis
erat, iurare in leges non poterat. magiſtratum autem
plus quinque dies, niſi qui in leges iuraſſet, non lice-
bat gerere. [750 Præbuit. *Multo meliùs alij*, præit:
quod ſequentia dicent. Moris enim, vt ſollenniter iura-
rent, alio verba præeunte. [751 Scienter. *Fortaſſe*, ſi
ſciens. *Nam hæc iuramenti clauſula & ſanctio ferè erat:*
Si ſciens fallo, tum Iupiter diique omnes mihi, meæ- D
que domui, irati ſunto.

[752 IRÆ CONSECR. *Plautus Amphitruone*: Si fal-
lo, tum te ſumme Iupiter Quæſo, Amphitruoni ve
ſemper iratus ſies. *Briſſonius lib.8. De formulis vide-*
tor.

[753 Præeunte nullo. *Hoc ad Principes tra-*
hendum, non ad verba iuranda. Captas igitur acumen
in verbo. & mirum laudandúmque, quòd nullo Princi-
pum exemplo præeunte, iuraſti: & hoc quoque, quòd alio
verba præeunte, quaſi illo iubente, iuraſſe.

754 In roſtris. *Ergo & hic iterum iuratum: ſed il-*
lud à deſignato Conſule, hoc cùm iam iniſſet, primo illo & E
auſpicali die. [755 Legibus. *Verba enim iurandi erãt*,
ſeruaturum leges. [756 Plus velimus. *Ambiguè.*
plus licere videlicet. an, plus te noramemus. *Nam* velle
alicui εὐνοεῖν, *bene velle & fauere ſignificat Latinis.*

[757 Quod ego. *Vegeta magis oratio, ſi* Quid e-
go *legis, & interrogando acuas poſt*, diſco? [758 In le-
gem. *Palam*, in leges. [759 Obſeruantibus. *Se-*
natoribus, & aliquando Conſulibus futuris. [760 In-
tereſt. *Nam Principum ſtatus & ſalus iuramento nite-*
batur, quod quotannis, ipſis Kalendis Ianuariis, Senatus
præſtabat. Scripſi de hoc ritu ad 16. Annalium, in ver-
ba: Principio anni, vitare Thraſeam ſollenne iuſiu-

A randum. *Itaque ſi fides ſoluitur, labat eorum pote-*
ſtas.

[761 Abiturus. *Huius moris multa exempla in Ci-*
cerone, Dione, Plutarcho. Bona & prouida inſtitutio, reli-
gione iuſiurandi incipere magiſtratum, & finire.

[762 Promitteres. *Initio magiſtratus. ſuprà.*

[763 In Roſtra. *Iurandi cauſſâ. nam ibi accipie-*
bant magiſtratum, ibi deponebant: & cum iuramento, vt
dixi.

[764 Inaſcenſúmque. *Mallem*, inacceſſum-
que.

[765 Pauculis diebus. *In Domitianum. de quo*
Tranquillus: Omnes Conſulatus pænè titulo tenus
geſſit, nec quemquam vltra Kalendas Maij, plores ad
Idus vſque Ianuarias. *Si ad Idus, ecce 12. aut 13. dies.*

B [766 Non geſtum. *Nihil enim publicè fecerant,*
nulla eius munia obierant. [767 Edictum. *Quo pu-*
blicè ſignificabant, ſe abire eo magiſtratu, alios ſufficere,
tales & tales. [768 Pro concione. *Quam more pri-*
ſco habere ſolent ad Quirites.

[769 NON tranſiliui Patres Conſ. Prin-
cipis noſtri Conſulatum: ſed eundem in lo-
cum contuli, quidquid de iureiurando di-
cendum erat: neque enim vt in ſterili, ieiu-
náque materiâ [770 eandem ſpeciem lau-
dis diducere ac ſpargere, atque identidem
tractare debemus. Illuxerat primus Conſula-
tus tui dies, quo tu curiam ingreſſus, nunc
C ſingulos, nunc vniuerſos adhortatus es re-
ſumere libertatem; capeſſere quaſi com-
munis imperij curas, inuigilare publicis vti-
litatibus, & [771 inſurgere. [772 Omnes
ante te eadem iſta dixerunt, nemini tamen
ante te creditum eſt. Erant ſub oculis [773
naufragia multorum, quos [774 inſidioſâ
tranquillitate [775 prouectos, improuiſus
turbo perculerat. Quod enim tam infidum
mare: quàm blanditiæ Principum illorum,
quibus tanta leuitas, tanta fraus, vt [776 fa-
cilius eſſet iratos, quàm propitios habere? Te
verò, ſecuri & alacres, quò vocas ſequimur.
D iubes eſſe liberos? erimus. iubes, quæ ſenti-
mus, promere in medium? proferemus. Ne-
que enim adhuc ignauiâ quadã & inſito tor-
pore ceſſauimus: terror & metus, & miſera
illa ex periculis facta prudentia monebat, vt
à rep. (erat autem omnino [777 nulla reſp.)
oculos, aures, animos [778 auerteremus. At
nunc tuâ [779 dexterâ tuiſque promiſſis
freti & innixi, obſepta diutinâ ſeruitute ora
reſeramus, frænatamq; tot malis linguam re-
ſoluimus. Vis enim tales eſſe nos, quales iu-
E bes: nihilque exhortationibus tuis fucatum,
nihil ſubdolum, denique quod credentem
fallere paret, non ſine periculo fallentis. ne-
que enim vnquam [780 deceptus eſt Prin-
ceps, niſi qui priùs ipſe decepit. Equidem
hunc parentis publici ſenſum, cùm [781
exhortatione eius, tùm pronunciatione
ipsâ perſpexiſſe videor. Quæ enim illa gra-
uitas ſententiarum, quàm inaffectata ve-
ritas verborũ, quæ adſeueratio in voce, quæ
affirmatio in vultu, quanta in oculis, habitu,

geſtu, toto denique corpore fides? Tenebit ergo ſemper quod ſuaſeiit: ſciétq; nos, quotiens libertatem quam dedit experiemur, ſibi parêre. nec verendum eſt ne incautos putet, ſi fidelitate temporum conſtanter vtamur, quos meminit ſub malo Principe aliter vixiſſe.

] 769 Non tranſiliui. *Oratoriè ſe reuocat. quia enim de iuramento dixerat, quod abeuntes præſtant. quid ergo? iam abiuit? iam de fine, nihil de ipſo Conſulatu dicit? Dicam inquit: ſed in vnum locum contuli, quod de iuramento dicendum erat.* [770 Eandē ſpeciē. *Vtiuriſiurandi.* [771 Inſurgere. *Animus iterum erectus, quos ſeruitus depreſſerat.* [772 Omnes *Nero etiam, de quo Tacitus initio 13. Annaliū.* [773 Naufragia. *Opū & vitæ.* [774 Inſidioſa. *Blandis fallacibusq; Principum dictis.* [775 Prouectos. *Longius in remp. liberiusq; ſe immittentes.* [776 Facilius. *Friget ſententia. animabitur ſi legas,* felicius. *Inopinatum dictum. nam omnes amant volentes habere Principes: at iſtorum ea fraus vel leuitas, vt iuuaret affligere ſubitò amicos aut propinquos. Spectant in Domitianum, de cuius* callidâ inopinatáq; ſæuitiâ *(ita loquitur) Suetonium, ſodes, cap. 11. vide, & hac capo Vniuerſe autem etiam verum eſt, πόῤῥω Διός τε & κεραυνοῦ:* Procul à Ioue & fulmine. [777 Nulla reſpublica. *Sed vnius res priuata.* [778 Auerteremus.] *In quâ nihil honeſtè, nihil liberè, fas eſſet dicere, aut facere.* [779 Dextera. *Quam fidei tesseram dediſti.* [780 Deceptus eſt. *A nobis. neque alios repperit, niſi cum alium ipſe ſe geſſit.* [781 Exhortatione. *Putarem,* ex oratione.

Nvncvpare [782 vota & pro æternitate imperij & pro ſalute [783 ciuium, imò pro ſalute [784 Principum, ac propter illos pro æternitate imperij ſolebamus. Hæc pro imperio noſtro, in quæ ſint verba ſuſcepta, operæpretium eſt adnotare. [785 Si bene remp. et ex vtilitate omnivm rexeris. Digna vota, quæ ſemper ſuſcipiantur, ſempérque ſoluantur. Egit cum diis, ipſo te auctore Cæſar, [786 resp. vt te ſoſpitem incolumemque præſtarent, ſi tu ceteros præſtitiſſes: ſi contrà, illi quoque à cuſtodiâ tui corporis oculos dimouerent, teque relinquerent votis, quæ [787 non palàm ſuſciperentur. Alij ſe [788 ſuperſtites reip. optabant, faciebantque: tibi ſalus tua inuiſa eſt, ſi non ſit cum reip. ſalute coniuncta. nihil pro te pateris optari, niſi expediat optantibus: omnibusque annis [789 in conſilium de te deos mittis, exigisq; vt ſententiam ſuam mutent, ſi talis eſſe deſieris, [790 qualis electus es. Sed [791 ingenti conſcientiâ Cæſar [792 paciſceris cum diis, vt te ſi merueris ſeruent: cùm ſcias, an merearis, neminem magis, quàm deos ſcire. Nónne vobis P. C. hæc diebus ac noctibus agitare ſecum videtur? Ego quidem in me, ſi omniū vtilitas ita poſceret, etiam [793 Præfecti manum armaui: ſed ne deorum quidem aut iram, aut negligentiam, deprecor. quæſo imò & obteſtor, ne vnquam pro me vota resp. [794 inuita ſuſcipiat; aut ſi ſuſceperit, inuita [795 ne debeat. Capis ergo Cæſar ſalutis tuæ glorioſiſſimum fructum, ex conſenſu deorum. nam cùm excipias, vt ita demùm te dei ſeruent, Si bene remp. et ex vtilitate omnivm rexeris: certus es te benè remp. gerere, cùm ſeruent. Itaque ſecurus tibi, & lætus [796 dies erit, qui Principes alios curâ & metu diſtinebat: cùm ſuſpenſi & attoniti, parumq; confiſi patientiâ noſtrâ, [797 hinc atque inde publicæ ſeruitutis [798 nuncios exſpectarēt; ac ſi fortè aliquos flumina, niues, venti præpediſſent, ſtatim hoc illud eſſe credebant, quod merebantur. nec erat diſcrimē vllum pauoris: propterea quòd cùm à malo Principe tanquam ſucceſſor timeatur, quiſquis eſt dignior, cùm ſit nemo non dignior, omnes timentur. Tuam ſecuritatem non mora nunciorum, non litterarum tarditas differt. ſcis tibi vbique iurari: cùm ipſe [799 iuraueris omnibus. Nemo hoc [800 ſibi non præſtat. amamus quidem te, in quantum mereris: iſtud tamen non tui facimus amore, ſed noſtri. nec vnquam illuceſcat dies, quo pro te nuncupet vota, [801 non vtilitas noſtra, ſed fides, Cæſar. Turpis tutela Principis, [802 cui poteſt imputari. Queri libet, quòd in [803 ſecreta noſtra non inquirant Principes, niſi [804 quos odimus. Nam ſi eadē cura bonis & malis eſſet; quam [805 vbique admirationem tui, quod gaudium exſultationémque deprehenderes? quos omnium cum coniugibus ac liberis, quos etiam cum domeſticis [806 aris fociſque [807 ſermones? ſcires [808 molliſſimis iſtis auribus parci. & alioquin cùm ſint odium amórque contraria, hoc perquam ſimile habent, [809 quòd ibi [810 intemperantiùs amamus bonos Principes, vbi liberaliùs malos odimus.

[782 Vota. *Quæ tertio Nonas Ianuarias publicè ſuſcipi moris erat, feſtâ omnium lætitiâ. De iis ſcripſi, nec repeto, 16. Annalium Taciti.* [783 Ciuium. *Aiunt aliquis ineptam hanc lectionem eſſe, & fidenter reſcribendum* Principum. *At mihi non probat. & puto Plinium dicere antiquis inſtituti fuiſſe, vt vota pro imperio & ciuibus ſuſciperentur; at nunc pro ſalute Principum. Res ſanè ita fuit. & olim Conſules Vota nuncupabant. vt Liuius 22. de Varrone:* Capitolium, & ſollennem votorum nuncupationem, fugiſſe: *quid autem niſi pro rep. & imperio* S. P. Q. R. [784 Principum. *Corrigit dictum, quia illi priores de ſuâ ſalute ſatagebant, ſecuri publicæ. Et alioqui verba ipſa erant de Principe. Tacitus 111. Annalium:* Pontifices, eorúmque exemplo ceteri ſacerdotes, cùm pro incolumitate Principis vota ſuſciperēt. *Paullus Iuriſconſultus:* Poſt Kalendas Ianuarias, die tertio, pro ſalute Principis vota ſuſcipiuntur. *Plinius, in epiſtolâ ad Traianum.* Sollennia vota pro incolumitate tuâ, quâ publica ſalus continetur, & ſuſcepimus Domine, & pariter ſoluimus. precati Deos, vt velint ea ſemper ſolui, ſempérque ſignari. [785 Si bene. *Clauſula eſt, Traiani iuſſu addita, vt ex Plinio apparet: clauſula, ô Dens, egregia, & magno ac ſalubri illo*

Principe digna. [786 Reſpublica. *Quæ vota illa ſuſcipit.* [787 Non palam. *Id eſt, malis noxiiq́ votis. Nam in tyrannos tacita paſſim execrationes, mortem & exitium precantium.* [788 Superſtites. *Cum perditum eam irent & euerſum.* [789 In conſilium. *A iudicibus ſumptum. qui in conſilium à Prætore mittebantur, cauſſâ cognitâ, ſententias laturi.* 790 Qualis electus. *Bonus, vtiliſq.* [791 Ingenii. *Egregius conſilii factiq. ſubnexit.* [792 Paciſceris. *Sub pacto & conditione ſeruari petis, Si merearis.* [793 Præfecti. *Factum inſigne & immortale tangit: & miror ab Oratore, qui minora diducit, tangi tantum. Dio, Zonaras, Suidas, Victor ita referunt.* Cùm Præfecto Prætorij gladium traderet, quo accingi eum moris eſt, ſtrinxit, & nudatum tenens, ait, Cape iſtum, & ſi rectè imperauero, pro me, ſin aliter, contra me vtere. *Hic campus, in quo exſultares Plini. decebitne tam auream vocem & ſenſum, tam arido & propero ſtilo ſtringi tantum?*

[794 Inuita. *Si male me in eam geſſero.* [795 Ne debear. *Si vel me inuitè, cùm iam ſuſceperis.* [796 Dies erit. *Placet quod in veteri*, exit. [797 Hinc atque inde. *Nam in omnibus prouinciis & iurabatur Principi, & vota item fiebant.* [798 Nuncios. *Quos Præſides aut Proconſules illico mittebant, ſignificantes iuraſſe, vouiſſe. In Plinij epiſtolis ad Traianum, tales iſtæ nunciatoriæ leguntur. Vide.*

[799 Iurauerit. *Vel in Conſulatu, vel in iſtâ deorũ obteſtatione.* [800 Sibi præſtat. *Suâ cauſſâ facit, non tuâ.*

[801 Non vtilitas. *Senſus. nunquam ſit ille dies, vt vota noſtra nuncupemus ſolâ fide inducti, quam Principibus debemus; ſed magis vtilitate propriâ ſuaſi, quam à te capimus. & ideò diuturnum æternumque, ſi poſſit, eſſe te velimus.* [802 Cui poteſt. Cui, *nempe Principi. hoc argute dicit. Turpis eſt defenſio, aut nuncupatio pro ſalute eius Principis, cui hanc poſſis imputare, id eſt, quam eius cauſſâ ſuſcipias, & quam velut beneficium inſcribas. At illa tutela pulchra & glorioſa, quam ſuâ cauſſâ ſubditi ſuſcipiunt.* [803 Secreta. *Sermones occultos, aut ſenſus.* [804 Quos odimus. *Niſi mali. nam hi, conſcientiâ ſuggerente, ſciunt malos de ſe ſermones eſſe. Quod boni? bonos eâdem teſte.* [805 Vbique admit. *Domi, in foro, circulis, conuiuiis. O optabiles fidáſque iſtas priuatas, ſuper publicas omnes laudationes! Ac Senecam de his affectibus audiamus:* Quid pulchrius eſt, quàm viuere optantibus cunctis, & vota nõ ſub cuſtode nuncupantibus? ſi paullùm valetudo titubauit, non ſpem hominum excitari, ſed metum? nihil eſſe cuiquam tam pretioſum; quod non pro ſalute præſidis ſui commutatum velit? omne quod illi euenit, ſibi quoq; euenire deputet? [806 Aris focíſque. *Apud Lares ſiue Deos Penates.*

[807 Sermones. *Laudes grateſq. de te dicentium, vota pro te concipientium.*

[808 Molliſſimis. *Verecundiſſimis.*

[809 Quod ibi.] *Domi & in ſecreto.* [810 Intemperantius. *Vtrumq. ibi libere & effuſè, & amor, & odium ſe prodit atque erumpit.*

CEPISTI tamen & affectus noſtri, & iudicij, experimentum, quantum maximum præſens capere potuiſti, illo [811 die, quo [812 ſollicitudini [813 pudoríq; candidatorum ita conſuluiſti, ne vllius gaudium alterius triſtitia turbaret. alij cum [814 lætitiâ, alij [815 cum ſpe receſſerunt: multis gratulandum, nemo conſolandus fuit. Nec ideò ſegniùs iuuenes noſtros exhortatus es, [816 Conſulatum circumirent, Senatui ſupplicarent: atque ita à Principe ſperarent honores, ſi à Senatu [817 petiſſent. Quo quidem in loco, ſi quibus opus exemplo, adiceiſti, vt te imitarentur. Arduum, Cæſar, exemplum, & quod imitari non magis quiſquam candidatorum, quàm Principum poſſit. Quis enim vel [818 vno die reuerentior Senatus candidatus, quàm tu cùm omni vitâ, tum illo ipſo tempore, quo [819 iudicas de candidatis? An aliud à te, quàm Senatus reuerentia, obtinuit, vt iuuenibus clariſſimæ [820 gentis, debitum generi honorem, ſed [821 antequàm deberetur, offerres? Tandem ergo nobilitas non obſcuratur, ſed illuſtratur à Principe: tandem illos ingentium virorum nepotes, illos [822 poſteros libertatis, nec [823 terret Cæſar nec pauet. quinimò [824 feſtinatis honoribus amplificat atque auget, & maioribus ſuis [825 reddit. ſiquid vſquam ſtirpis antiquæ, ſiquid reſiduæ claritatis: hoc amplexatur & refouet, & in vſum reip. promit. Sunt in [826 honore hominũ, & in honore famæ, magna nomina, ex tenebris obliuionis, indulgentiâ [827 Cæſaris: cuius eſt, vt nobiles & conſeruet, & [828 efficiat.

[811 Die quo. *Ambigo leuiter, an non hic defectio aliqua, & perierint quæ de affectus notis. Etſi poſtea tamẽ aliquid, ſed poſt hæc tarde.* [812 Solicitudini. *Dum ſit deſignatio, & dum pendent.* [813 Pudoríque. *Poſt repulſam.* [814 Lætitia. *Quod deſignati.* [815 Cum ſpe. *Quod deſignandi.* [816 Conſulatum. *Inepte. cum veteri libro*, Senatum, *lego.* [817 Petiſſent. *Vt ii commendaret.* [818 Vno die. *Quo ambit quiſque & humiliter petit.* [819 Indicas. *Deſignas, & eligis. quia nempe ſententiis noſtris tuum aptas.* [820 Gentis. *Magis velim cum libris aliis*, clariſſimè genitis.

[821 Antequam. *Non ad annales leges nunc etiam refero, ſed quod in honorem ſolum nobilitatis eos crearet. Generi eorum hoc dat, inquit & quia tali ſtirpe nati, quã meruit; etſi nondum ipſi.* [822 Poſteros libert. *Reliquam illam prolem aut liberi, & illorum qui in libertate magni fuerunt: ò Caſſios, Iunios, Fabios notos.* [823 Terret. *Nam vt ille ait, iam* olim monſtrum eſt in nobilitate ſenectus. [824 Feſtinatis. *Etiam ante ætatem, aut certe maturitatem & merita.* [825 Reddit. *Dignos iis facit, titulis & imaginibus ſuis æquat.*

[826 Honore. *Ego velim legere*, in ore famæ. *Salluſtius:* In ore agens gentibus, populo, ciuitati. *Pluſcula ego ad III. Hiſtor. Taciti, verbis:* Non in ore vulgi agere. [827 Cæſaris. *Satis fracte hoc dicitur: videaturque vox deeſſe*, extracta, *aut ſimilis.* [828 Efficiat. *Iure annulorum dato, ingenuos facit; cumulatis honoribus, nobiles.*

PRAEFVERAT prouinciæ Quæſtor vnus ex [829 candidatis: [830 in quem ea ciuitas ampliſſima, redditus egregiâ conſtitutione fundauerat. hoc Senatui allegandũ putaſti. Cur enim te Principe, qui generis tui claritatẽ virtute ſuperaſti, deterior eſſet conditio eorum, qui poſteros habere nobiles [831 mererentur, quàm eorum qui parentes habuiſſent? O te dignum, qui de magiſtratibus noſtris ſemper hæc nuncies:

nec

nec pœnis malorum, ſed bonorum præmiis, bonos facias! Accenſa eſt iuuentus, erexitque animos ad æmulandum, quod laudari videbat: nec fuit quiſquam, quem non hæc cogitatio ſubiret, cùm ſciret quidquid à quoque in prouinciis benefieret, omnia te ſcire. Vtile eſt, Cæſar, & ſalutare Præſidibus prouinciarum, hanc habere fiduciam: paratum eſſe ſanctitati, induſtriæ ſuæ, maximum præmium, iudicium Principis, [832 ſuffragium Principis. Adhuc autem quamlibet ſincera rectáque ingenia, & ſi non detorquebat, hebetabat tamen miſera, ſed vera reputatio: [833 Vides enim, ſi quid benè fecero, neſciet Cæſar, aut ſi ſcierit, teſtimonium non reddet. Ita eadem illa ſeu negligentia, ſeu malignitas Principum, cùm malè conſultis impunitatem, rectè factis nullum præmium pollieeretur: nec illos à crimine, & hos deterrebat à laude. At nunc, ſi benè aliquis prouinciam rexerit, huic quæſita virtute dignitas offertur. patet enim omnibus honoris & gloriæ campus. ex hoc quiſque, quod cupit, petat; & aſſecutus, [834 ſibi debeat. Prouinciis quoque in poſterum, & iniuriarum metum, & accuſandi neceſſitatem, remiſiſti. Nam ſi [835 profuerint quibus gratias egerint, de nullo queri cogentur. [836 & alioquin nihil magis prodeſt candidato, ad ſequẽtes honores, quàm peractus optimè magiſtratus. Magiſtratus magiſtratu, honore honor petitur. Volo ego qui prouinciã rexerit, non tantùm [837 codicillos amicorum, nec [838 vrbanâ coniuratione eblanditas preces: ſed decreta coloniarum, decreta ciuitatum alleget. [839 Næ ſuffragiis [840 cõſularium virorũ, vrbes, populi, gentes inſeruntur. efficaciſſimum pro candidato genus eſt rogandi, gratias agere.

[829 Candidatis. *Prætura, an Conſulatus.* [830 In quem ea. *Alius videbit. me hic luſcitioſum confiteor, aut cæcum. Legerem*: inque eâ ciuitatis ampliſſimæ. *Præfuerat prouinciæ, & in eâ reditus ac vectigalia ampliſſima vnius ciuitatis, pulchrè & prudenter fundauerat.*

[831 Mererentur. *Virtute propriâ.* [832 Suffragium. *Ad honores.* [833 Vides enim. *Ethopœia, quã vocant.* [834 Sibi debeat. *Suæ induſtriæ & virtuti, quam Princeps honoribus remuneratur.* [835 Profuerint. *Si prouinciarũ iudicia bona & honeſta, honori vſuiq; fuerint apud Cæſarem: nulla querela exſpectanda à prouincialibus. quia quiſque placere iis ſtudebit, & demereri hæc eadem bene agendo: vt Cæſarem amicum habeat, & per eum honores.*

[836 Et alioquin. *Iterùm cautio, neque hæc inter ſe vincta. Lego omnia.* & liquebit nihil magis prodeſſe candidato ad ſequentes honores, quàm peractos. Optimè magiſtratus magiſtratu, honore honor petitur. *Sententiam dedi, fortaſſe & verba. Sciens omnes, inquit, ad futuros honores, priores prodeſſe: & ſi iis benè geſti in vrbe aut in prouinciis, gradu ad alios eſſe.* [837 Codicillos. *Priuatas laudatiunculas. qualis illa Martialis, ad hunc Traianum, lib. 12.*

A Palma regit noſtros, mitiſſime Cæſar, Iberos,
Et placido fruitur pax peregrina iugo.
Ergo agimus læti tanto pro munere grates,
Miſiſti mores in loca noſtra tuos.

[838 Vrbana coniuratione. *Paucorum aliquot ciuium. Quã in re peccatum ſæpe, Thraſeas apud Tacitũ 15. Annalium queritur: & cenſet,* vt laus falſa, ac precibus expreſſa, proinde cohibeatur, quàm malitia, quàm crudelitas. *Et decretum mox interpoſitum*: Nequis ad concilium ſociorum referret, agendas apud Senatum Proprætoribus Proueconſulibus grates, neu quis eâ legatione fungeretur. *Et fraudes vetari, bonum eſt: recta illa iudicia ſperni aut ſupprimi, non bonum.* [839 Næ ſuffrag. *Aſſentior Lipſio,* vt ſuffraB gus: *& ſtatim,* inſerantur. *Etſi poſſit etiam legi*: Benè ſuffragiis. [840 Conſularium. *Qui in Senatu nominant, ac commendant candidatos. Tamen dubito, an non è notis error, veriúsque*: Clariſſimorum virorum, *de toto Senatu. Nec enim ſoli* Conſulares *ſuffragia dabant.*

Iam quo adſenſu Senatus, quo gaudio exceptum eſt, cùm candidatis, vt quemque [841 nominaueras, [842 oſculo occurreres? [843 deuexus quidem in planum, & quaſi vnus ex gratulantibus. Te mirer magis, an improbẽ illos, qui effecerunt, vt iſtud magnum videretur? cùm velut affixi curulibus C ſuis, [844 manum tantùm, & hanc cunctanter & pigrè, & [845 imputantibus ſimiles, promerent. Contigit ergo oculis noſtris inſolita facies, Princeps & candidatus [846 æquales & ſimul ſtantes: intueríque parem accipientibus honorem, qui dabat. Quod factum tuum à cuncto Senatu, quàm verâ acclamatione celebratum eſt? [847 TANTO MAIOR, TANTO AVGVSTIOR. Nam cui nihil ad augendum faſtigium ſupereſt, hic vno modo creſcere poteſt, ſi ſe ipſe ſubmittat, ſecutus magnitudinis ſuæ. Neque enim D ab vllo periculo fortuna Principum longiùs abeſt, quàm ab humilitatis. Mihi quidem non tam humanitas tua, quàm [848 intentio eius admirabilis videbatur. quippe cùm [849 orationi oculos, [850 vocem, manum commodares: vt ſi [851 alij eadem iſta mandaſſes, omnes comitatis numeros obibas. atque etiam, cùm [852 ſuffragatorum nomina, honore quo ſolent, exciperentur: tu quoque inter excipientes eras, & ex ore Principis ille ſenatorius aſſenſus audiebatur. quodque apud Principem perhibere teſtimonium merentibus gaudebamus, E perhibebatur à Principe. Faciebas ergo, cùm diceres, [853 OPTIMOS: nec [854 ipſorum modo vita à te, ſed [855 iudicium Senatus comprobabatur: [856 ornariq; ſe, non illos magis quos laudabas, lætabatur.

[841 Nominaueras. *Deſignaueras palam.*

[842 Oſculo. *Vt ſoles in gratulatione. & fauſtâ precatione.* [843 Deuexus. *Inclinans, & pæne deſcendens è tuo tribunali. Seneca de Tranquillitate*: Tutiores erunt, ſuperbiam detrahendo, & fortunam ſuam in planum deferendo. [844 Manum. *Superbiæ, vt*

ante monui. & vide II. *Electorũ, cap. proprio* De oſculis. [845 Imputantibus. *Quaſi beneficium darent eo ipſo, quòd liceret contingere.* [846 Æquales. *Hoc mihi placeat, & eſt pro ſenſu. At libri tamen plerique,* equitis, *vel* equitus ſimul, *habent: vt omnino cenſeam fuiſſe*, & candidatus eius, ſimul ſtantes. *Erant enim* candidati Cæſaris. *& ita in lapidibus nominantur. quos is produceret & commendaret. Nam de* cãdidato equitis, *id eſt, equeſtris ordinis (quod quidam ſuggerunt) alienum, & ineptum eſt.*

[847 Tanto maior. *In adhortatione & comprobatione formula. Sic in Senecâ*, Multóque audire mauult Tanto melior, quàm, Tanto felicior: *& alibi in eodem.* [848 Intentio. *Expreſſio, cũ veritate & acrimoniâ.* [849 Orationi. *Quâ gratulabaris honorem candidatis.* [850 Vocem, manum. *Seneca, epiſt.* 8. In Senatu candidato vocem & manum commodare. [851 Alij eadem. *Priuato, qui tibi obſequeretur. Sed puto rectiùs lectum iri*, vt ſi alius eadem iſta mandaſſet. *Tu, inquit, omnia ita comiter & benignè faciebas; tanquam ſi non à te hoc beneficium, ſed ab alio acceptum gratulareris. Nemo enim nimis gaudet aut exſultat in eo, quod ipſe confert.* [852 Suffragatorum. *Hoc intellegi poteſt ex epiſto.* xx. *lib.* III. *eiuſdem Plinij, vbi rationem hanc comitialem ita explicat:* Citato nomine candidati, ſilentium ſummum. dicebat ipſe pro ſe, vitam ſuam explicabat, teſtes & laudatores dabat. Addebat quoſdam ex ſuffragatoribus. illi grauiter & paucis loquebantur. Plus hoc quàm preces proderat. *Itaq. Suffragatores prodibant, & loquebantur: apparetq́; cum plauſu & fauore (vt tunc mores ad leuitatẽ vel adulationem inclinabant) exceptos. Apparet, inquam, vt hæc eſt lectio. quam mihi immutare tamen ſuadeat animus, ac ſcribere:* cùm ſuffragatores nomina, honore quo ſolent, exciperent, tu quoque. *Ipſi dico Suffragatores nomina excipiebant. quorũ? nempe candidatorum, qui nomine & ordine (ex verbis iam Plinij) citabantur. Princeps igitur ipſe, mirâ comitate, quaſi inter ſuffragantes laudantesq́; erat.* [853 Optimos. *Notetur ritus, adhuc inobſeruatus. Candidati*, boni vel optimi *acclamabantur, ad nomẽ. Seneca hunc lux, epiſt.* III. Itaq; verbo illo quaſi publico vſus es, & ſic amicum dixiſti, quomodo omnes candidatos viros bonos dicimus. [854 Ipſorum. *Candidatorum. Itaque ex his palàm eſt, ſuperiora, vt dixi, legenda.* [855 Iudicium. *Quia Senatus tales elegerat.* [856 Ornarique ſe. *Ipſum Senatum, cui ſic credebas.*

NAM quòd precatus es, vt illa ipſa [857 ordinatio comitiorum BENE AC FELICITER EVENIRET NOBIS, REIP. [858 Nónne tibi tale eſt, vt nos hunc ordinem votorum conuertere debeamus? deos denique obſecrare, vt omnia quæ facis, quæque facies, proſperè cedant tibi, reip. nobis? vel ſi breuiùs ſit optandum, vt [859 vni tibi? in quo & reſp. & nos ſumus. [860 Fuit tempus, ac nimiũ diu fuit, quo [861 alia aduerſa, alia ſecunda, Principi & nobis. nunc communia tibi nobiſcum tam læta, quàm triſtia: nec magis ſine te nos eſſe felices, quàm tu ſine nobis potes. An ſi poſſes, in fine [862 votorum adieciſſes, VT ITA PRECIBVS TVIS DII ANNVERENT, SI IVDICIVM NOSTRVM MERERI PERSEVERASSES? Adeò nihil tibi amore ciuium antiquius; vt antè à nobis, deinde à diis; atque ita ab illis amari velis, ſi à nobis ameris. Et ſanè priorum Principum [863 exitus docuit, ne à diis quidem amari, niſi quos homines ament. arduum erat, has precationes tuas laudibus adæquare: adæquauimus tamen. Qui amoris ardor, qui ſtimuli, quæ faces illas nobis exclamationes ſubiecerunt? Non noſtri, Cæſar, ingenij, ſed tuæ virtutis tuorúmque meritorum voces fuerunt: quas nulla vmquam adulatio inuenit, nullus cuiuſquam terror expreſſit. Quem ſic timuimus, vt hæc fingeremus? quem ſic amauimus, vt hæc fateremur? [864 Noſti neceſſitatem ſeruitutis. quando ſimile aliquid audiſti, & quando dixiſti? Multa quidem excogitat [865 metus, ſed quæ appareant quæſita ab inuitis. aliud ſollicitudinis, aliud ſecuritatis ingenium eſt; alia triſtium inuentio, alia gaudentium: neutrum [866 ſimulationes expreſſerint. habent ſua verba miſeri, ſua verba felices: vtq́; iam maximè eadem ab vtriſq; dicantur, [867 aliter dicuntur.

[857 Ordinatio. *Sollennis & vetus illa precatio, quam vſurpabat is qui comitiis præerat & moderabatur. Cicero, pro Murenâ:* Quæ precatus ſum à diis immortalibus, more inſtitutoque maiorum, illo die quo L. Murenam conſulem renunciaui, vt ea res mihi, magiſtratuíque meo, populo plebique Romanæ benè atque feliciter eueniret. *Et appellat mox* Sollennem comitiorum precationem. *Ordinatio hic igitur, diſpoſitio & creatio magiſtratuum in hunc annum.* [858 Nonne tibi. *Planiſſimè tranſpoſitâ voce legendum:* tibi, nónne tale. *Nam hæc formula erat*, Senatui, reip. mihi. *Seſeipſos in eâ comprecatione ſemper includebant: vt in Ciceronis illis verbis, & alibi. Occurrit hoc Ennij:*

——ea vt mî,
Reique & fidei, regno, vobiſq; Quirites
Se fortunatim, feliciter, ac benè vortent.

[859 Vni tibi. *Infrà:* Simplex, cunctáque iſta complexum, vnum omnium votum eſt, Salus Principis. *Adde Meſſalla verba in Suetonij Aug. cap.* 58. [860 Fuit tẽpus. *Sub malis Principibus.* [861 Alia aduerſa. *Diſſidebant enim. & Princeps Senatum minus vel perire, ipſi Principem optabant.* [862 Votorum. *Publicorum, de quibus ſuprà? an quæ ipſe Traianus in Senatu nunc concepit?* [863 Exitus. *Violentus, aut fœdus.* [864 Noſti. *Nã & ipſe paullo antè inter ſeruientes.* [865 Metus. *Dogma pulcherrimum eſt in Plutarchi Demetrio*, Non fidendum honoribus iſtis, qui decernuntur ſic vulgò; Τὰ γὰρ αὐτά, *inquit*, καὶ δεδιότες ψηφίζονται, καὶ φιλοῦντες: eadem enim & timentes decernunt, & amantes. At vnum argumentum eſſe veræ beniuolentiæ, ſi ij quibus dantur, conſcij ſibi ſint, factis & virtute meruiſſe.

[866 Simulationes. *Tibullus:*

——difficile eſt imitari gaudia falſa,
Difficile eſt triſti fingere mente iocum.

Nazarius: Fingit quidem timor gaudium, ſed ita intimos mentis affectus proditor vultus enunciat, vt in ſpeculo frontium imago exſtet animorum.

[867 Aliter dicuntur. *Aliâ aſſeueratione, intentione, & vultu.*

TESTIS ipſe es, quæ in omnium ore lætitia. [868 non amictus cuiquam, non habitus [869 quem modò extulerat. inde reſultãtia vocibus [870 tecta: nihilq; [871 tãtis

clamoribus ſatis clauſum. Quis tunc non è veſtigio ſuo exiluit? quis exiluiſſe ſenſit? Multa fecimus ſponte, plura [872 inſtinctu quodam & imperio. nam gaudio quoque cogendi vis ineſt. Num ergo modum ei tua ſaltem modeſtia impoſuit? nam quanto magis à te reprimebatur, exarſimus. non contumaciâ Cæſar: ſed vt in [873 tuâ poteſtate eſt, an gaudeamus; ita inquantum, [874 nec in noſtrâ. Comprobaſti & ipſe acclamationum noſtrarum fidem, lacrymarum tuarum [875 veritate. Vidimus humeſcentes oculos tuos, [876 demiſſumque gaudio vultum, tantúmque ſanguinis in ore quantum in animo pudoris. Atque hoc magis incenſi ſumus, vt precaremur, nequando tibi non eadem cauſſa lacrymarum, [877 vtque nunquam frontem tuam abſtergeres. [878 Hoc ipſum has ſedes nos, quaſi reſponſuras, interrogemus, [879 viderintne vnquam Principis lacrymas? at Senatus ſæpe viderunt. Oneraſti futuros Principes, ſed & [880 poſteros noſtros. nam & hi à Principibus ſuis exigent, vt eadem audire mereantur: & illi quòd non audiant, indignabuntur. Nihil magis poſſum propriè dicere, quàm quod dictum eſt à cuncto Senatu: O TE FELICEM! quod cùm diceremus, nõ opes tuas, ſed animũ mirabamur. Eſt enim demum vera felicitas felicitate [881 dignum videri. Sed cùm multa illo die dicta ſunt ſapienter & grauiter, tum vel in primis, [882 CREDE NOBIS, [883 CREDE TIBI. Magnâ hoc fiduciâ noſtri, maiore tamen tui diximus. alius enim fortaſſe alium: [884 ipſum ſe nemo deceperit. Introſpiciat modò vitam, ſéque quid mereatur interroget. Proinde [885 dabat vocibus noſtris fidem apud optimum Principem, quod apud malos detrahebat. quamuis enim faceremus, quæ amantes ſolent: illi tamen non amari ſe, credebant ſibi. Super hæc precati ſumus, VT SIC TE AMARENT DII, QVEMADMODVM TV NOS. quis hoc aut de ſe, [886 aut Principi diceret mediocriter amanti? Pro nobis ipſis quidem hæc fuit ſumma votorum: vt nos ſic amarent dij, quomodo tu. Eſtne verum quod inter iſta clamauimus, O NOS FELICES! Quid enim felicius nobis, quibus non iam illud optandum eſt vt nos diligat Princeps: ſed dij, quemadmodum Princeps? Ciuitas religionibus dedita, ſempérque deorum indulgentiam [887 piè merita, nihil felicitati ſuæ putat aſtrui poſſe, niſi vt dij Cæſarem imitentur.

[868 Non amictus. *Mamertinus Iulian laudatione:* Nimiæ lætitiæ decoris ſunt & grauitatis immemores. Illa iactatio togarum, illa exſultatio corporum, neſcientibus pænè hominibus excitabatur. [869 Quem modo. *Forte*, quem domo. [870 Tecta. *Curia.* [871 Tantis clamoribus. *Ponesexcentos vnà clamantes: & adde Actuarios, & Laticlauios, quibus ius veniendi in Senatum.* [8^2 3 Inſtinctu quodam. *Nam animus in gaudio emicans & ſubſultans, corpus ignarum & pene inuitum eo ducit.* [873 Tua poteſtate. *Quis materiem dare potes, non potes.*

[874 Nec in noſtra.] *Quia à vi gaudij auferimur, vt à ſubito torrente.* [875 Veritate. *Non enim ficta ille, aut expreſſa. Quid ſi tamen*, vbertate?

[876 Demiſſúmque gaudio. *Si ſic legas, ad pudorem miſtum gaudio referendus hic geſtus. nam ille in laude, qua titillat & ſuauiter afficit, vultum tamen ſubmittit. At ſi de gaudio ſolo; legerem* remiſſumque. *id eſſet, hilarem & diffuſum gaudio vultum. cuius proprium ſcilicet* dilatare, *vnde &* lætitia: *ſicut contrahere, & anguſtare doloris, vnde* angor. [877 Vtque nunquam. *Hæc clauſula inter mutilas aut corruptas. nam meliores libri illud*, abſtergeres, *mox non habent: nec verò eò facit. Quid enim* abſtergeat? *lacrymas? ea in genas delabuntur, non in frontem aſcendunt. Pudorem, inquies. non ſolet abſtergeri, nec poteſt: velari in eo frons aut vultus ſolet, nec aliter.*

[878 Hoc ipſum. *Pariter corruptum. ſentabam*, hoc templum. *Sed explicet etiam aliquis:* Hoc ipſum *nos rogemus has ſedes: quid* hoc ipſum? *nempe quod dico de lacrymis.* [879 Viderintne vnquam. *Ita, & quidem Auguſti ipſius, in cauſſa ſimili, cùm Pater patriæ dictus. Vide Suetonium, cap.* LVIII. [880. Poſteros noſtros. *Senatores, qui poſt nos erunt.* [881 Dignum videri. *Id eſt, non eſt felix, qui in magnâ fortuna eſt, ſed qui habetur & eſt (ob virtutes) ea dignus.* [882 Crede nobis. *Seriò ſe laudantibus.* [883 Crede tibi. *Cui animus dicit laude dignũ eſſe.* [884 Ipſum ſe nemo. *Nam ſimulata virtus alteri imponit, non autem ſimulanti.* [885 Dabat vocibus. *Quid dabat? nempe, conſcientia ipſius Principis, meritis & non meritis teſtis.* 886 Aut principi. *Malim*, Principe. *& max, amante.* [887 Piè merita. *Suſpicio, an non* pietate *fuerit: deprauatum compendio ſcripturæ. Cicero.* Deorum numine tantum hoc imperium & natum eſt, & auctum, & retentum *addit, omnes gentes* pietate & religione ſuperatas.

SED quid ſingula conſector & colligo? quaſi verò aut oratione complecti, aut memoriâ conſequi poſſim, quæ vos P. C. nequa interciperet obliuio, & in [888 publica acta mittenda, & incidenda in ære cenſuiſtis. [889 Antè, orationes Principum tantùm, eiuſmodi genere monumentorum mandari æternitati ſolebant: acclamationes quidem noſtræ parietibus curiæ claudebantur. Erant enim, quibus nec Senatus gloriari, nec Princeps poſſent. Has verò, & [890 in vulgus exire, & [891 poſteris prodi, cùm ex vtilitate, tum ex dignitate publicâ fuit. Primùm, vt orbis terrarum pietatis noſtræ adhiberetur teſtis & conſcius. deinde, vt manifeſtum eſſet, audere nos de bonis maliſque Principibus, non tantùm [892 poſt ipſos, iudicare. poſtremò, vt experimento cognoſceretur & antè [893 nos gratos, ſed miſeros fuiſſe: quibus eſſe nos gratos, probare anteà non licuit. At quâ contentione, quo niſu, quibus clamoribus expoſtulatum eſt: ne affectus noſtros, ne tua

merita [894 ſupprimeres denique vt in poſterum exemplo prouideres? Diſcant & Principes acclamationes veras falſaſq́; diſcernere: habeántque muneris tui, quòd iam decipi non poterunt. Non inſtruendum illis iter ad bonam famam: ſed non deſerendum. non ſubmouenda adulatio: ſed non reducenda eſt. certum eſt & quæ facere, & quæ debeant audire, ſi faciant. Quid nunc ego ſuper ea, quæ ſum cum toto Senatu precatus, pro Senatu precer? niſi vt hæreat animo tuo gaudium; quod tunc [895 oculis protuliſti. Ames illum diem, & tamen B [896 vincas. noua merearis, noua audias: eadem enim dici, niſi ob eadem facta, non poſſunt.

[888 Publica acta. *Quid? nónne igitur omnia Senatus decreta, aut ſeria magis dicta, in acta mittebantur? certè. & erant huic rei* Actuarij, *&* *Acta Senatus *in Tacito aliiſque crebrò leguntur. Sed nota, quòd aut* Publica acta: *ea autem ſunt* Populi, *quæ alio nomine* Vrbana. *Nempe decretum, vt vulgus quoque ea ſciret, & in publicis illis actis ſcripta legerentur, præter morem.* [889 Ante orationes. *Imò ea non in æs tantum, ſed aurum argentumque inciſa, & lectione publicâ repetita. Vide me, ſi lubet, ſuper hoc more ad* XIIII. *Annalem Taciti, haud procul initio.* [890 In vulgus. *Quod* C *factum, in* Acta publica *mittendo.* [891 Poſteris. *Nempe in æs incidendo, & perpetuando.*

Vide me v Ann. init.

[892 Poſt ipſos. *Cùm iam mortui. etſi, ô bone Plini, libertas ea tantùm ſub bonis, & de bonis: in malis, iudicia quidem, ſed non libera aut publicata.*

[893 Nos gratos. *Placeat*, non ingratos: *etſi nec aliter ſententia valdè diſſidente, ſed ſic clariore.* [894 Supprimeres. *Quia ſolebas publicari vel incidi.* [895 Oculis protuliſti. *Lacrymando, ſuprà.* [896 Vincas. *Maiora faciendo, maiora audiendo.*

IAM [897 quàm antiquum, quàm conſulare, quòd triduum totum Senatus, ſub exemplo tui, ſedit? cùm interea nihil, præter Conſulem, ageres. Interrogauit quiſque quod placuit; diſſentire, [898 diſcedere, & D copiam iudicij ſui reip. facere tutum fuit; cõſulti omnes, atque etiam [899 dinumerati ſumus: vicítque ſententia [900 non prima, ſed melior. At quis antea loqui, quis hiſcere audebat, præter miſeros illos qui primi interrogabantur? ceteri quidem defixi, & attoniti, ipſam illam mutam ac [901 ſedentariam aſſentiendi neceſſitatem, quo cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore perpetiebantur? Vnus ſolúſque cenſebat quod ſequerentur omnes, & omnes impro- E barent; in primis ipſe, qui cenſuerat. Adeò nulla magis omnibus diſplicent, quàm quæ ſic fiunt, tanquam omnibus placeant. [902 Fortaſſe Imperator in Senatu ad reuerentiam eius componebatur: ceterùm egreſſus, ſtatim ſe recipiebat in Principem, omniáque conſularia officia abigere, negligere, contemnere ſolebat. Ille verò ita Conſul, vt ſi tantùm Conſul foret: nihil infra ſe putabat, niſi quod infra Conſulem eſſet. Ac pri-

A mùm, ita [903 domo progrediebatur, vt illum nullus apparatus arrogantiæ Principalis: nullus [904 præcurſorum tumultus detineret. vna erat in limine mora, [905 conſultare aues, reuererique numinum monitus. nemo proturbabatur, nemo [906 ſubmouebatur. tanta viatoribus quies, tantus pudor faſcibus, vt plerumque [907 aliena turba ſubſiſtere & Conſulem & Principem cogeret. Ipſius quidem [908 officium tam [909 modicum, tam temperatum, vt antiquus aliquiſque magnus Coosul, ſub bono Principe incedere videretur.

B [897 Quàm antiquum. *De eâdem re, epiſtolâ* XI *lib.* II. Iam hoc ipſum, quàm pulchrum, & antiquum, Senatum nocte dimitti, triduo vocari, triduo contineri? *Ideò autem* antiquum, *quia olim aſſiduè Senatus habitus, & res omnes in eo agitata, decreta. at ſub Principibus, rariores conuentus; quia illi ad ſe trahebant præcipua rerum, & Patres in ſpeciem conuocabant interdum. Atque Auguſtus dies certos habendo Senatus definiuit: de quibus Tranquillus, cap.* XXXV. [898 Diſcedere. *Non quidem e Curiâ ſed pedibus ire in hanc illámve ſententiam. Cui libertati mox opponit* ſedentariam aſſentiendi neceſſitatem. [899 Dinumerati. *Vtra pars præpolleret. Neque enim hoc ad in-* C *frequentiam Senatus retulerim, cùm ad impediendum decretum diceretur*, Numera Senatum; *Feſtus, in ſuis vocibus.*

[900 Non prima. *Vide tyrannos, quibus Senatus pro imagine aut vmbrâ erat. vnum dicere ex compoſito iubebant, & quòd ipſi vellent atque vnum tantùm.* [901 Sedentariam. *Cùm nec interrogarentur, nec ſurgerent ad dicendum: ſed nec (vt in pluribus ſententiis) diſceſſio fieret.* Sedentes *igitur aſſentiebantur. quomodo? manu, aut voce. Nempe illâ ſublatâ, & hanc in vnum verbum ſoluẽtes,* Aſſentio, *aut,* Idem. [902 Fortaſſe. *Syllabam retraham,* At forſitan. [903 Domo. *Palatio.*

[904 Præcurſorum. *Apparitorum, & anteambulonum.* [905 Conſultare. *Notetur. an de more publico, an Traiani priuato? Nihil ſanè res maioris,* D *niſi auſpicatò Romani aggrediebantur: quòd tamen in domus egreſſu id ſemper factum, haud ſubeunt nunc exempla. Niſi iſtuc facit, quòd Victor in regione Palatij,* Auguratorium *ponit. At potuit priuatim, & ex more ſuæ gentis deditus huic ſuperſtitioni eſſe. nam in Alexandro Lampridij legas:* [illegible] (*augur*) magnus fuit, vt & Vaſcones, & Hiſpanorum, & Pannoniorum augures vicerit. [906 Submouebatur. *A lictoribus, vel ab ipſâ officij turbâ. Lucanus ſeu quis alius, ad Piſonem:*

—nec enim tibi dura clientum
Turba rudíſque placet, miſero quæ freta labore,
Nil niſi ſummoto nouit præcedere vulgo.

E [907 Aliena. *Occurrentis diuitis alicuius, aut magiſtratus.* [908 Officium. *Ipſi, qui deducunt, aut comitantur. Ouidius:*

Subſtitit hîc, agménque ſuum, turbæque ſequẽtis
Officium, placido viſus dimittere vultu.

Suetonius, Seneca, alij. [909 Modicum. *Non frequens aut magnum: vt diuites illi agmina tota ſolent trahere.*

ITER illi ſæpius [910 in forum, frequenter tamen & in campum. nam comitia Conſulum obibat ipſe, & tantum ex renunciatione eorum voluptatis, quantum priùs

ex [911 deſtinatione capiebat. Stabant candidati ante curulem Principis, vti ipſe ante Conſulis ſteterat: adigebanturque in verba, in quæ paullò antè ipſe iurauerat Princeps: qui tantum putat eſſe in iureiurando, vt illud & ab aliis exigat. Reliqua pars diei tribunali dabatur. Ibi verò quanta religio æquitatis? quanta legum reuerentia? Adibat aliquis vt Principem? reſpondebat, ſe Conſulem eſſe. Nullius ab eo magiſtratus ius, nullius auctoritas imminuta eſt: aucta etiam. ſiquidem pleraque ad Prætores remittebat: atque ita, vt [912 collegas vocatet. non quia populare gratúmque audientibus: ſed quia ita ſentiebat. Tantum dignationis in ipſo honore ponebat: vt [913 non amplius eſſe cenſeret, quòd aliquis collega appellaretur à Principe, quàm quòd Prætor eſſet. Ad hæc tam [914 aſſiduus in tribunali, vt labore refici ac reparari videretur. Quis noſtrûm idem curæ, idem ſudoris ſumit? quis adeò expetitis honoribus, aut [915 deſeruit, aut [916 ſufficit? Et ſanè æquum eſt, tantum ceteris præſtare Conſulibus ipſum, qui Conſules facit. quippe etiam fortunæ videbatur indignum, ſi poſſet honores dare, qui gerere non poſſet. Facturus Cõſules, [917 doceat; accepturiſq; ampliſſimum honorem perſuadeat, ſcirè ſe quid ſit quod daturus ſit. ſic fit, vt illi quoque ſciant, quid acceperint. Quò iuſtiùs Senatus vt ſuſciperes quartũ Conſulatũ, & rogauit, & iuſſit Imperij hoc verbum, non adulationis eſſe, [918 obſequio tuo crede: quod non aliâ in re magis aut Senatus exigere à te, aut tu præſtare Senatui debes. Vt enim ceterorum hominum, ita Principum illorum etiam qui dij ſibi vidẽtur, æuum omne & breue & fragile eſt. Itaque optimum quemque niti & contendere decet, vt poſt ſe quoque reipublicæ proſit, moderationis ſcilicet iuſtitiæque monumentis, quæ prima ſtatuere Conſul [919 poteſt. Hæc nempe intentio tua, vt libertatem reuoces ac reducas. Quem ergo honorem magis amare? quod nomen vſurpare ſæpiùs debes, quàm quod plurimum inuenit recuperata libertas? Non eſt minùs [920 ciuile, & Principem eſſe pariter, & Conſulem: quàm tantùm Conſulem. Habe etiam rationem verecundiæ collegarum tuorum. Collegarum inquam, ita enim & ipſe loqueris, & nos loqui vis. Oneroſa erit modeſtiæ illorum tertij Conſulatus ſui recordatio, donec te [921 Conſulem videant. Neque enim poteſt non nimium eſſe priuatis, quod Principi ſatis eſt. Annuas Cæſar optantibus, quibusque apud deos [922 eſſe conſueſti, quorum potes ipſe, votorum compotes facias. Fortaſſe ſufficiat tibi tertius Conſulatus, ſed nobis tanto minùs ſufficit. [923 Ille nos inſtituit & induxit, vt te iterum iterúmque Conſulem habere cupiamus. Remiſſiùs illud contenderemus, ſi adhuc non ſciremus, qualis eſſes futurus. Tolerabilius fuit, experimentum tui nobis, quàm [924 vſum negari. Dabitúrne rurſus videre Conſulem illum? [925 audiet, reddet, quas proximè voces? præſtabitne gaudium, quantum ipſe percipiet? præſidebit lætitiæ publicæ, auctor eius & cauſſa? tentabitque affectus noſtros, vt ſolet, cohibere; nec poterit? [926 pietati Senatus, cum modeſtiâ Principis, felix ſpecioſumque certamen: ſeu fuerit victa, ſeu vicerit? Equidem incognitam quandam, proximâque maiorem, præſumo lætitiam. Quis enim eſt tam imbecilli ingenio, qui non tanto meliorem Conſulem ſperet, quanto ſæpius fuerit? Alius labores, ſi non [927 continuos deſidiæ ac voluptati dediſſet, otio tamen & quiete recreaſſet. hic conſularibus curis exolutus, principales reſumpſit: tam diligens temperamenti, vt nec Conſulis officium, Princeps; nec Principis, Conſul appeteret. Videmus vt prouinciarum deſideriis, vt ſingularum etiam ciuitatum precibus occurrat. nulla in [928 audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora. adeunt ſtatim, dimittuntur ſtatim: [929 tandémque Principis fores excluſa legationum turba non obſidet.

[910 In Forum. *Ad ius dicendum.* [911 Deſtinatione. *Deſignatione. nam Princeps faciebat: & nunc Traianus, vt Conſul, ipſe renunciabat.* [912 Collegas. *Meſſalla verba vide apud Agellium, lib.* XIII. *cap.* XIIII. *quibus docet*, Collegam eſſe Prætorem Conſuli, quòd eodem auſpicio creantur. [913 Non amplius. *Id eſt, tanti faciebat honorem Præturæ, vt non pluris æſtimaret* Collegam Principis dici, *quàm* Prætorem. [914 Aſſiduus. *Priſco more, & Auguſti exemplo, de quo Suetonius:* Ipſe ius dixit aſſiduè: & in noctem nonnunquam: ſi parùm corpore valeret, lecticâ pro Tribunali collocatâ, vel etiã domi cubans. *Mos in Principe numquam ſatis laudandus.* [915 Deſeruit. *Vacat, & ſe impendit.* [916 Sufficit. *Par eſt.* [917 Doceat. *Exemplo ſuo, Conſules agere.* [918 Obſequio tuo. *Crede, inquit, nos iubere, non adulari; quomodo? obſequendo. Si facis & ſuſcipis, oſtendis te credere ſeriò nos ſic velle: & volumus certe.* [919 Poteſt. *Malim*, potes. [920 Ciuile. *Moderatum, æquabile, & ciue dignum.* [921 Conſulem. *Quarto. & fortaſſe is numerus excidit.* [922 Eſſe cõſueſti. *Corrigebam*, adeſſe conſueſti: *quod & aliis placuit. Sententia eſt, Tu Cæſar, qui adeſſe nobis apud Deos precantibus ſoles, & vota noſtra tuis iuuare: ecce nunc concede. quod a te, non à Diis, petimus, & a te pendet.* 923 Ille nos. *Tam laudabiliter geſtus.* [924 Vſum. *Vtilitatem iam notam.* [925 Audiet. *A Senatu acclamationes ſimiles: atque ipſe reſpondebit.* [926 Pietati. *Omnino reuocanda vox, è ſine prioris:* erit pietati. *& interrogatione efferenda clauſula.*

Con-

[927 Continuos. *Scribe*, continuò te. [928 Audiendo *Fortaſſe* adeundo: *etſi illud quoque ſimilem habere poteſt ſenſum.* [929 Tandémque. *Vt ſub Domitiano ſolet ſeſe includente.*

QVID, in omnibus cognitionibus, quàm mitis ſeueritas, quàm non diſſoluta clementia? Non [930 locupletando fiſco [931 ſedes, nec aliud tibi ſententiæ tuæ pretium, quàm benè iudicaſſe. Stant ante te litigatores, non de fortunis ſuis, ſed de tuâ [932 exiſtimatione ſolliciti; nec tam verentur, quid de cauſſâ ſuâ, quàm quid de moribus ſentias. O verè Principis, atque etiam Conſulis; reconciliare [933 æmulas ciuitates; tumenteſque populos non imperio magis, quàm ratione, cumpeſcere; [934 intercedere iniquitatibus magiſtratuum, infectúmque reddere, quidquid fieri non oportuerit; poſtremò, velociſſimi [935 ſideris more, omnia inuiſere, omnia audire, & vndecunque inuocatum ſtatim, veluti numen, adeſſe & aſſiſtere. Talia eſſe crediderim, quæ ipſe mundi parens temperat nutu, [936 ſiquando oculos demiſit in terras, & facta mortalium inter diuina opera numerare dignatus eſt. quibus nunc per te liber ſolutúſque, [937 cælo tantùm vacat: poſtquam te dedit, qui erga omne hominum genus [938 vice ſuâ fungeteris. Fũgeris enim ſufficiſque mandanti: cùm tibi dies omnis, ſummâ cum vtilitate noſtrâ, cùm tuâ laude, condatur.

[930 Locupletando. *Non, vt tyranni, ideò iudicas vt damnes, & bona ad fiſcum tuum trahas. non fructus, ſed æquitas ſola tibi finis.* [931 Sedes. *Pro tribunali.* [932 Exiſtimatione. *Tam te ſcilicet reuerentur, tuámque virtutem: vt malint opum iacturam, quàm famæ apud te facere.* [933 Æmulas ciuitates. *Qui morbus, etſi in publicà illà ſeruitute, ciuitates tenebat. queritúrque de ſuá Græciâ Plutarchus. Sed & Tacitus notat, quaſdam* ad exitium inter ſe diſcordes. [934 Intercedere. *Irrita iniqua decreta facere, & nulla.* [935 Sideris more. *Solem intellige.* [936 Si quando oculos. *Ille verò ſemper ô Plini; & tu hic cum auunculo tuo Epicuriſſas, cui* irridendum *videtur,* agere curam rerum humanarum illud, quidquid *eſt*, ſummum. *Sed prudentiam, eloquentiam, & omnia alia à vobis haurimus, quàm pietatem.* [937 Cælo tantùm. *Vt poeta:* Iupiter in cælis, Cæſar regit omnia terris. [938 Vice ſua. *Seneca De Clemen. vbi Nero*: Ego ex omnibus mortalibus placui electúsque ſum, qui deorum vice fungerer in terris.

QVOD ſiquando cum [939 influentibus negotiis paria feciſti, inſtar refectionis exiſtimas mutationem laboris. Quæ enim remiſſio tibi, niſi [940 luſtrare ſaltus, excutere cubilibus feras, ſuperare immenſa montium iuga, & horrentibus ſcopulis gradum inferre, nullius manu, [941 nullius veſtigio adiutum: atque inter hæc pia mente [942 adire lucos, & occurſare numinibus? [943 Olim hæc experientia iuuentutis, hæc voluptas erat: his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu: nec mediocre pacis decus habebatur, ſubmota campis irruptiu ferarum, & [944 obſidione quadam liberatus agreſtium labor. Vſurpabant gloriam iſtam illi quoque Principes, qui obire non poterant: vſurpabant autem, vt domitas fractáſque clauſtris feras, ac deinde in ipſorum quidem ludibrium emiſſas, [945 mentitâ ſagacitate colligerent. Nunc par capiendi quærendíque ſudor, ſummúſque & idem grauiſſimus [406 labor, inuenire. Enimuerò ſiquando placuit idem corporis robur in maria proferre, non ille fluitantia vela, aut [647 oculis ſequitur, 948 aut manibus: ſed nunc gubernaculis aſſidet, nunc cum valentiſſimo quoque [949 ſodalium certat [950 frangere fluctus, domitare ventos reluctantes, remíſque tranſire obſtantia freta. Quantum [951 diſſimilis illi, qui non Albani lacus otium, Baianíque torporem & ſilentium ferre, non pulſum ſaltem fragorémque remorom, perpeti poterat, quin ad ſingulos ictus turpi formidine horreſceret. itaque procul ab omni ſono, inconcuſſus ipſe & immotus, religato reuinctóque nauigio, non ſecus [952 ac piaculum aliquod, trahebatur. Fœda facies, cùm populi Romani Imp. alienum curſum, alienúmque rectorem, velut [953 captâ naue, ſequeretur. Nec deformitate iſta ſaltem flumina carebant, atque amnes. Danubius ac Rhenus, tantum illud [954 noſtri dedecoris vehere gaudebant, non minore cum pudore imperij, quòd hæc Romanæ aquilæ, Romana ſigna, Romana denique ripa, quàm quod hoſtium proſpectarent. hoſtium, quibus moris eſt, eadem illa nunc rigentia gelu flumina, aut campis ſuperflua, nunc liquida ac [955 deferentia, luſtrare nauigiis, nandóque ſuperare.

[939 Influentibus negotiis paria. *Id eſt, ſi exhauſiſti omnia negotia, quæ magnâ copiâ velut inundant.* Paria facere, *eſt reliqui nihil habere: à ratiociniis ſumptum.* [940 Luſtrare ſaltus. *Venationis in eo ſtudium commendat. quidquid mox dicat, rarum tamen, nec in magno priſcis Romanis. At aliæ gentes amarunt, & ab Hiſpanis ſuis traxit Traianus. Ab eo Hadrianus, qui* vſque ad inſaniam & periculum eo detentus *ſcribitur. Sed & M. Antonius*, piſcando & venando multum ſe oblectauit. *Quis carpere poſſit? vſum habet, ſi modum: & Plato, Xenophon, alij laudarunt.* [941 Nullius veſtigio. *Praeuntis, opinor, & viam facientis aut monſtrantis.* [942 Adire lucos. *Veterum opinione ſacros.* [943 Olim hæc experientia. *Dubito an non*, experimenta. *Sed quando olim? vix ſanè*

veteres Romanos factitaſſe lego, qui a prima adoleſcentiâ in militiâ, aut eius exercitiis, erant. Sed & Salluſtius, agrum colere, & venari, ſeruilibus officiis *adſcribit. Licet tamen opinari, haud neglexiſſe prorſus, etſi in laude aut curâ non habuiſſe. Poſteà inualuiſſe, haud nego, adeò vt Maximinus (ſed Thrax ille, & barbarus*) ſolis venationibus legiones frequẽter exerceret: *in eius vitâ.* [944 Obſidione quadam. *Vine ipſi obſederint, & indagine feras cinxerint? an vt liberarint ferarum obſidione agreſtes?* [945 Mentita ſagacitate. *Quò hæc ſpectent, quæro. Domitianum ſcio*, ſagittarum vel præcipuo ſtudio tentum, & centenas varij generis feras ſæpe in Albano ſeceſſu confeciſſe: *ex Suetonio. An igitur vult Plinius, feras iſtas clauſtris caueisq; emiſſas, & tum quaſi ſagacitate eius indagatas percuſſasq; eſſe? poteſt: ſed magis credam, apros, ceruos, aut id genus omiſſos: & captos deinde, quaſi verâ venatione & ſagacitate quæſitos.* 946 Labor, inuenire. *Quaſi dicat, Tu quærebas reuera feras, & eâ ipſâ quæſitione delectabaris (ita eſt in venatoribus:) finiſque tuus erat præcipuus inueniſſe. Quis enim magnus ob prædam quærit?* [947 Oculis ſequitur. *Quietus & ſedens: ac pulchrè à moribus & ingenio nauigantium ſumptum: quia reuera oculi eò feruntur.* [948 Aut manibus. *An demonſtrando, huc aut illuc, ecce, fert ventus? an*, nauibus, *lego remus? Mihi verius. & ignauia tangitur illorum, qui ne remos ſtrepitúsque alios nauticos audirent, naue aliâ religati nauem producentem ſequebantur. Mox palàm dicit.* [949 Sodalium. *Qui* Socij nauales *dicuntur.*

[950 Frangere. *Remis.* [951 Diſſimilis illi. *Domitiano.*

[952 Ac piaculum. *Hoſtia, quâ ſcelera piabant, ſiue purgabant. Ea procul, nequis deuotam & malis publicis onuſtam tangeret, trahebatur, & in mare deuectam mergebant. Græcorum κάθαρμα, μόλυσμα.* [953 Capta naue. *Is erat ritus, Liuio expreſſus libro* XXI. Romani naues omnes (*captas*) religatas puppibus in altum extraxêre. [954 Noſtri. *Liber ſcriptus*, monſtri dedecus: *quod neſcio an eduo præferam.* [955 Deferentia. *Prono & ſuo curſu euntia. Quidam libri*, deferentia: *quod eſſet, in ſe redeuntia, omiſſis campis. Poſſit &*, deferuentia, *lego.*

Nec verò laudauerim per ſe magnopere duritiam corporis ac lacertorum: ſed ſi his validior toto corpore animus imperitet, quem non fortunæ indulgentiæ molliant; non copiæ Principales ad ſegnitiem luxúmque detorqueant; tunc ego ſeu montibus, ſeu mari exerceatur, & lætum opere corpus, & creſcentia laboribus membra, mirabor. Video enim iam inde antiquitùs, maritos dearum, & deorum liberos, nec dignitate [956 nuptiarum magis, quàm his artibus inclaruiſſe. Simul cogito, cùm ſint iſta ludus & auocamentum huius, quæ quantæque ſint illæ [957 feriæ & intentæ, & à quibus ſe in tale otium recipit, voluptates. Sunt enim voluptates quibus optimè de cuiuſque grauitate, ſanctitate, temperantiâ creditur. Nam quis adeo diſſolutus, cuius non occupationib. aliqua ſpecies ſeueritatis inſidat? otio [958 prodimur. An non plerique Principes hoc idem tempus in aleam, ſtupra, luxum conferebant? cùm feriarum laxamenta curarum, vitiorum [959 contentione ſupplerent. Habet hoc primum 960 magna fortuna, quòd nihil tectum, nihil occultum eſſe patitur: [961 Principum verò non modò domus, ſed cubicula ipſa intimóſque receſſus recludit, omniáque arcana noſcenda famæ proponit, atque explicat.

[956 Nuptiarum. *Pars membri altera deeſt*, & natalium: *ac pluſcula hîc obſeruo hiulca, aut fœdata.* [957 Seriæ & intentæ. *Sequitur mox* voluptates; *& niſi litterarias aut illas animi interioris intellegat, quid velit ignoro. Imò placebat legere*: quæ quantáque ſint illa ſeria & intenta, & à quibus ſe in tale otium recipit. Voluptates ſunt enim, voluptates quibus: *oratoriâ & efficaci repetitione.* [958 Prodimur. *Mens retegitur. quæ neque per remiſſiones intenta eſt ad velandum; & ipſius naturâ aptas moribúſque aperit.* [959 Contentione. *Laxabant ſe à curis, vt in vitia animum intenderent. Quo ſenſu nec malè*, contentiones. [960 Magna fortuna. *Iuuenalis*: — ſecretum diuitis vllum Eſſe putas? homines taceant, iumenta loquentur. [961 Principum. *Seneca pulcherrimè, ad Neronem*: Tibi non magis, quàm Soli, latêre contingit. multa contra te lux eſt: omnium in iſtam conuerſi ſunt oculi. Prodire te putas? oriris. loqui non potes, niſi vt vocem tuam, quæ vbique ſunt gentes, excipiant. *Claudianus, ad Honorium, patris nomine.*

Hoc te prætereà crebro ſermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoſcas: cunctis tua gentibus eſſe
Facta palàm: nec poſſe dari regalibus vſquam
Secretum vitiis. nam lux altiſſima fati
Occultum nihil eſſe ſinit.

Sed tibi, Cæſar, nihil accommodatius fuerit ad gloriam, quàm [962 penitus inſpici. Sunt quidem præclara, quæ in publicum profers; ſed non minora ea, quæ [963 limine tenes. eſt magnificum, quòd te ab omni contagione vitiorum reprimis ac reuocas; ſed magnificentius, quòd tuos. Quanto enim magis arduum eſt, alios præſtare, quàm ſe; tanto laudabilius, quòd cùm ipſe ſis optimus, omnes [964 circa te [965 ſimiles tui effeciſti. Multis illuſtribus dedecori fuit, aut [966 inconſultiùs vxor aſſumpta, aut retenta [967 patientiùs. ita foris claros domeſtica deſtruebat infamia: & ne maximi ciues haberentur, hoc efficiebat, quòd mariti minores erant. Tibi [968 vxor in decus & gloriam cedit. quid enim illa ſanctius? quid antiquius? Nónne ſi [969 Pontifici maximo deligenda ſit coniux, aut hanc, aut ſimilem (vbi eſt autem ſimilis?) elegerit? Quàm illa nihil ſibi ex fortuna tua, niſi gaudium vindicat? quàm conſtanter, non potentiam tuam, ſed ipſum te reueretur? Idem eſtis inuicem quod fuiſtis, probatis ex æquo: nihilque vobis felicitas addidit, niſi quòd ſcire cœpiſtis, quàm bene vterque veſtrûm felicitatem ferat. Eadem quàm modica cultu?

quàm parca comitatu? quàm ciuilis inſeſſu? mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita inſtituit: nam vxori ſufficit [970 obſequij gloria. An cùm videat, quàm te nullus terror, nulla comitetur ambitio: non & ipſa cum ſilentio incedat, ingredientémque pedibus maritum, inquantum patitur [971 ſexus, imitetur? Decuerit hoc illam, etiam ſi diuerſa tu facias. Sub hac verò modeſtiâ viri, quantam debet verecundiam vxor marito, [972 fæmina ſibi? [973 Soror autem tua, vt ſe ſororem eſſe meminit? vt in illâ tua ſimplicitas, tua veritas, tuus candor agnoſcitur? vt ſi quis eam vxori tuæ conferat, dubitare cogatur, vtrum ſit efficacius ad rectè viuendum beoè [974 inſtitui, aut feliciter [975 naſci. Nihil eſt tam pronum ad ſimultates, quàm [976 æmulatio in fæminis præſertim. ea porrò maximè naſcitur ex [977 coniunctione, alitur [978 æqualitate, exardeſcit inuidiâ, cuius finis eſt odium. Quo quidem, admirabilius exiſtimandum eſt, quòd mulieribus duabus in vnâ domo, parique fortunâ, nullum certamen, nulla conrenrio eſt: ſuſpiciunr inuicem, inuicem cedunr; cúmque te vtraque effuſiſſimè diligat, nihil ſuâ putanr inrereſſe, vtram tu magis ames. idémque vtrique propoſitum, idem tenor vitæ, nihílque ex quo ſentias duas eſſe. Te enim imitari, te ſubſequi ſtudent. ideò vtraque mores eoſdem, quia vtraque tuos haber. Inde moderatio, inde eriam perperua ſecuritas. neque enim vnquam pereclitabuntur eſſe priuatæ, quæ [979 non deſierunt. Obtulerar illis Senatus cognomen Auguſtatũ, quod certatim deprecatæ ſunt, quamdiu appellationem Patris patriæ tu 980 recuſaſſes: ſeu quòd plus eſſe in eo iudicabant, ſi vxor & ſoror tua, quàm ſi Auguſtæ dicerentur. Sed quæcumque illis ratio, tanram modeſtiam ſuaſit, hoc magis dignæ ſunr, quæ in animis noſtris & ſint & habeantur Auguſtæ, quia non vocantur. Quid enim laudabilius fœminis, quàm ſi verum honorem non in ſplendore tirulorum, ſed in iudiciis hominum reponant; magniſque nominibus pares ſe faciant, etiam dum recuſant?

[962 Penitus inſpici. *Proprium omnis vera virtutis, qua vult tractari.* [963 Limine. *Domeſticæ & penetrales tua virtutes, pares publicis aut publicatis.* [964 Circa te. *Domeſticos & familiares. Suetonius Iulio:* Omnibus circa eum obſtrictis. *In Domitiano:* Omnes circa ſe largiſſimè proſecutus. [965 Similes. *Martialis.*

Nemo ſuos (hæc eſt aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæſarianus habet.

[966 Inconſultius. *Parum exploratâ pudicitiâ eius.* [967 Patientius. *Iam infamis.* [968 Vxor. *Plotina, cuius memoria in lapidibus & nummis. Vel vno facto integritas & modeſtia comprobetur. Nam primò Palatium ingreſſura, conuertit ſe ad populum, tam ſtans in gradibus:* καὶ τοιαύτη, *inquit,* ἐνθάδε εἰσέρχομαι, οἵαπερ καὶ ἐξελθεῖν ἂν εὐξαίμην: Talis huc ingredior, qualem & exire me optauerim. *Liberos non peperit optimo viro: ſed fautrix Hadriano ad imperium fuit, condigno item ſucceſſori. Is eam conſecrauit, poſt maritum mortuam, & Baſilicam miro opere Nemauſi in memoriam eius ſtruxit.* [969 Pontifici. *Qualis ipſe Traianus, & omnes Cæſares à Iulio fuerunt. At vxores eorum nec caſtæ ſemper, nec inter probas: atque adeò neſcio an leges vlla de Pontificis toro. Scio Tertullianum tale ſcribere, bis terque: ſed viri docti de* Flamine *rectè interpretati ſunt, quem ille* Pontificem maximum *appellat. At curioſè hæc nunc non quæro: mentem Plinij arbitror, Si Pontifici, pro ſacrorum reuerentiâ, condigna vxor legenda ſit, hanc illam fore.* [970 Obſequij. *Quod proprium fæminæ eſt, audire maritum & parere.* [971 Sexus. *Infirmior, & ideò in Sellam aut Lecticam ſæpè transferendus.* [972 Fæmina ſibi. *Quia huic ſexui innata verecundia, præcipuum eius ornamentum.* [973 Soror. *Marciana, quæ tamen ante Conſulatum Traiani ſextum obijt, vt ex fornice Anconitano conſtat, in quo legitur.* DIVÆ. MARCIANÆ. AVG. SORORI. AVG. *Nam* Diuæ *appellatio mortuam notat, & conſecratam.* [974 Inſtitui. *Quod in vxore euênit.* [975 Naſci. *Quod in ſorore.* [976 Æmulatio. *Contentio de dignitate.* [977 Coniunctione. *Cùm vnà agunt, & hærent.*

[978 Æqualitate. *Vbi difficile diſcrimen, vtra prior.* [979 Non deſierunt. *Seruant modeſtiam, quam priuatæ habuerunt.* [980 Recuſaſſes. *Atquin ille tamen admiſit, vt ſupra vidimus: nondum tamen iſta cognomen* Auguſtarum. *Etſi poſtea, & in lapidibus, veraque ſic appellatur.*

IAM etiam & in priuatorum animis exoleuerat priſcum mortalium bonum, Amicitia: cuius in locum migrauerant [981 aſſentationes, blanditiæ, & [982 peior odio, amoris ſimulatio. Etenim [983 in Principum domo nomen tantum amicitiæ, inane ſcilicet irriſumque manebat. Nam quæ poterat eſſe inrer eos amicitia, quorum ſibi alij domini, alij ſerui videbantur? [984 Tu hanc pulſam & errantem reduxiſti: habes amicos, quia amicus ipſe es. neque enim vt alia ſubiectis, ita amor imperatur: neque eſt vllus affectus tam erectus & liber, & dominationis impariens, nec qui magis vices exigat. Poteſt fortaſſe Princeps iniquè, poteſt tamen odio eſſe nonnullis, etiam ſi ipſe non oderit: amari, niſi [985 ipſe amet, non poteſt. Diligis ergo cùm diligaris, & in eo quod vtrique honeſtiſſimum eſt, tota gloria tua eſt: qui ſuperior factus, [986 deſcendis in omnia familiaritatis officia, & in amicum ex Imperatore ſubmitteris. imò tunc maximè Imperator, cùm amicum ex Imperarore agis. Etenim cùm plurimis amicitiis fortuna Principum indigeat, præcipuum eſt Principis opus, amicos parare. Placeat tibi ſemper hæc ſecta, & cùm alias virtutes tuas, tum hanc conſtantiſſimè teneas: nec vnquam perſuadeatur, [987 humile eſſe Principi, [988 niſi odiſſe. Iucundiſſimum eſt in rebus humanis amari,

ſed non minùs amare: quorum vtroque ita frueris, vt cùm ipſe ardentiſſimè diligas, adhuc tamen ardentiùs diligaris. Primùm, quia facilius eſt vnum amare, quàm multos: deinde, quia tibi amicos tuos obligandi adeſt facultas tanta, vt nemo poſſit te niſi ingratus, non magis amare. Operæ pretium eſt referre, quod tormentum tibi iniunxeris, nequid amico negares. Dimiſiſti [989 optimũ virũ tibíque cariſſimum, inuitus & triſtis, & quaſi retineré non poſſes. quantum amares eum deſiderio expertus es: diſtractus ſeparatúſque, dum cedis & vinceris. Ita quod fando inauditum, cùm Princeps & Principis amicus diuerſa velletis, id potiùs factum eſt quod amicus volebat. O rem memoriæ, litteriſque mandandam! Præfectum prætorij non ex ingerẽtibus, ſed ex ſubtrahentibus legere; eundémque otio, quod pertinaciter amet, reddere; cumque ſis ipſe diſtentus imperij curis, nõ quietis gloriã cuiquã inuidere.

[981 Aſſentationes. *Cicero.* Sic habendum eſt, nullam in amicitiis peſtem eſſe maiorem, quàm adulationem, blanditiam, aſſentationem.

[982 Peior odio. *Quia falſus amor plus nocet, quàm profeſſum odium.*

[983 In Principum. *In Panegyrico, qui Theodoſio dictus:* Ecquis Imperatorum vnquam putauit amicitiæ cultum in regiâ laude ponendum? Humilis hæc virtus, dubiúmque an virtus, iudicabatur, nec palatiis digna, ſed periculis habebatur. [984 Tu hanc. *Iterùm imitatus idem Panegyriſtes:* Tu amicitiam, nomen antea priuatum, non ſolùm intra aulam vocaſti, ſed indutam purpurâ, auro gemmiſque redimitam, ſolio recepiſti. [985 Ipſe amet. *Apud Senecam,* Hecaton ait: Ego tibi monſtrabo amatoriũ, ſine medicamẽto, ſine herbâ, ſine vllius veneficæ carmine. Si vis amari, ama. [986 Deſcẽdis. *Vſqueeò, vt* ægrotantes amicos viſeret: *Auſonius in Gratiarum actione, & Eutropius, quem ſuprà dedi.* [987 Humile eſſe. *Quod videatur, quia amicitia inter æquales modò eſt: at ille eminet ſuper omnes. Sed nempe amicitia parem ſi non accepit, facit.* [988 Niſi odiſſe. *Quia in odio occultus & degener metus. Generoſi autem altique animi, vlciſci eligunt quàm odiſſe.* [989 Optimum virum. *Licinium Suram fuiſſe volunt: ſed quo auctore? Mihi promptum vel ex eo arguere, quòd hic Sura biennio pòſt, ſecundùm Conſul fuit: iterumq́, quadriennio interiecto, tertiùm. Quomodo autem, ſi nunc abiuit, otio & quieti redditus? Sanè alius fuit hic Præfectus, cui & gladium tradidit, cum verbis æternis illis, quæ antè poſui: etſi ibi quoque* Suram *nobis ſupponunt. Quis igitur alius? ex Victore* Saburanum *retineo: etſi ignotum mihi hominem, nec in* Suranum *demuto.*

Intelligimvs Cæſar, quantum tibi pro laborioſâ iſtâ ſtatione & exercitâ debeamus, cùm otiũ à te, tanquã [990 res optima, & petatur & detur. Quam ego audio [991 confuſionem tuam fuiſſe, cùm digredientem proſequereris? proſecutus enim, nec tẽperaſti tibi quo minùs exeunti [992 in litore amplexus oſculum ferres. Stetit Cæſar in illa [993 amicitiæ ſpeculâ, precatúſque maria, celerémque (ſi tamen ipſe voluiſſet) recurſum: nec ſuſtinuit recedentẽ nõ etiã atq; etiã votis, lacrymis, ſequi. Nam de liberalitate taceo. quibus enim muneribus æquari hæc cura Principis, hæc patientia poteſt? quâ meruiſti, vt ille ſibi nimium fortis, ac propè durus videretur? Nec dubito, quin agitauerit ſecum an gubernacula retorqueret: & feciſſet, niſi quòd pænè ipſo contubernio Principis felicius iucundiúſque eſt, [994 deſiderare Principem. Et ille quidem vt [995 maximâ fructus ſuſcepti, ita maiore depoſiti officij gloriâ fruitur: tu autem facilitate iſtâ conſecutus es, ne quem retinere videaris inuitum. Ciuile hoc erat, & parenti publico cõuenientiſſimum, nihil cogere: ſempérque meminiſſe, nullam tantam poteſtatem cuiquam dari poſſe, vt non ſit gratior poteſtate libertas. Dignus es Cæſar, qui officia mandes deponere optantibus; qui petentibus vacationem inuitus quidem, ſed tamen tribuas; qui ab amicis orantibus requiem, non te relinqui putes; qui ſemper inuenias, & quos ex otio reuoces, & quos otio reddas. [996 Vos quoque, quos parens noſter familiariter inſpicere dignatur, fouete [997 ſanctè iudicium eius, quod de vobis habet. hic veſter labor eſt. Princeps enim, cùm in vno probauit amare ſe ſcire, vacat culpâ, ſi alios minùs amat. Ipſum quidem quis mediocriter diligat? cùm leges amandi non det, ſed accipiat? hic præſens, ille mauult abſens amari: vterque ametur, vt mauult. Nemo in tædium præſentiâ, nemo in obliuionem abſentiâ veniat. tenet quiſque locum [998 quem ſemper meruit; faciliúſque eſt, vt oculis eius vultus abſentis, quàm vt animo caritas excidat.

[990 Res optima. *Quidni optima? meo intimo animo, & Socratis dicto* πολὺ κάλλιστον κτημάτων: Quies optima rerum *Adi Senecã noſtrum De Breuit. cap.* v. [991 Confuſionem. *Triſtitiam, animi turbationem. vtiturq́, plus ſemel ita Plinius, & eius æui ſcriptores.* [992 In litore. *Hic ergo homo trans mare ſeceſſum quærebat, aut in aliquâ inſularum.* [993 Amicitiæ ſpecula. *In litore eminentiore, vnde amicum videret & proſequeretur abeuntem.* [994 Deſiderare Principem. *Tali virtute & benignitate, vt ſuaui ſemper cogitatione delectet. Sed plenius tamen argutiuſq́, quod in aliis:* deſiderare Principem deſiderantem. *Iucundum in amore etſi cum morſu, deſiderare abſentem, à quo ſcias & te deſiderari.* [995 Maxima. *Legendum, vt Livineius,* maximo fructu. *Quo illo? quòd ex Præfecturâ illâ ſuſceptâ geſtâque, & opes, & tuam amicitiam, retulit.* [996 Vos quoque. *Amici & familiares eius.* [997 Sancte. *Ego vellem,* ſancite. [998 Quem ſemper. *Videbatur aptius,* quem ſemel promeruit.

[999 Plerique Principes cùm eſſent ciuium domini; libertorum erant ſer-

ſerui: horũ conſiliis, horũ nutu regebantur, per hos audiebãt, per hos loquebantur, per hos præturæ etiã & ſacerdotia, & cõſulatus, imò & ab his petebantur. Tu libertis tuis [1000 ſummũ quidẽ honorẽ, ſed tanquã libertis habes: abundéq; ſufficere his credis, ſi [1001 probi & frugi exiſtimentur. Scis enim præcipuum eſſe indicium [1002 non magni Principis, magnos libertos. Ac primùm neminem [1003 in vſu habes, niſi aut tibi, aut patri tuo, aut optimo cuique Principum dilectum; [1004 ſtatimq; hos ipſos quotidie, deinde ita formas, vt ſe non tuâ fortunâ, ſed ſuâ metiantur. & tanto magis digni, quibus honor omnis præſtetur à nobis, quia non eſt neceſſe.

[999 Plerique Principes. *Vt Claudius, Galba, Vitellius.* [1000 Summum quidem. *Apage, ſi ſummum, quid abit à Claudio? Reſcribe,* ſuum. [1001 Probi & frugi. *Quæ nota & laudes boni ſerui aut liberti.*

[1002 Non magni. *Quomodo enim ille magnus, aut ſibi fidens, qui tam vilibus ſe ſubiicit?* [1003 In vſu habes. *Rebus tuis, aut procurationibus præficis.* [1004 Statimque hos. *Corruptum eſt. Fortè,* dilectum æſtimatúmque: hos ipſos cotidie deinde ita formas.

IVSTISNE de cauſis S. P. Q. R. OPTIMI tibi cognomen adiecit? Paratum id quidem, & in medio poſitum: nouum tamen. ſcias neminem antè meruiſſe, quod non erat excogitandum, ſi quis meruiſſet. An ſatius fuit [1005 Felicem vocare? quod non moribus, ſed fortunæ datum eſt. ſatius Magnum? cui plus inuidiæ, quàm pulchritudinis ineſt. Adoptauit te optimus Princeps in ſuum, Senatus in Optimi nomen. Hoc tibi tã propriũ, quàm paternum: nec magis definitè diſtinctéque deſignat, qui Traianum, quàm qui Optimum appellat, vt olim frugalitate Piſones, ſapientiâ Lælij, pietate Metelli monſtrabantur. quæ ſimul omnia vno iſto nomine continẽtur: nec videri poteſt optimus, niſi qui eſt omnibus optimis, in ſua cuiuſque laude, præſtantior. Meritò tibi ergo, poſt ceteras appellationes, hæc eſt addita, vt maior. Minus eſt enim Imperatorem, & Cæſarem, & Auguſtum, quàm omnibus Imperatoribus, & Cæſaribus, & Auguſtis, eſſe meliorem. Ideoq; ille parens hominum deorúmque OPTIMI priùs, deinde MAXIMI nomine colitur: quò præclarior laus tua, quem non minùs conſtat optimum eſſe, quàm maximum. Aſſecutus es nomen, quod ad alium tranſire non poſſit, niſi vt appareat in bono Principe [1006 alienum, in malo falſum: quod licet omnes poſteà vſurpent, ſemper tamen agnoſcetur vt tuum. Etenim vt nomine Auguſti admonemur eius, cui primum dicatum eſt: ita hęc Optimi appellatio, nunquam memoriæ hominum ſine te recurret, quotiéſque poſteri noſtri optimum aliquem vocare cogentur, toties recordabuntur, quis meruerit vocari. Quanto nunc diue Nerua gaudio frueris, cùm vides & eſſe optimum, & dici, quem tamquam optimum elegiſti? quàm lętum tibi, quòd comparatus filio tuo vinceris? Neque enim illo magis approbatur animi tui magnitudo quàm quòd optimus ipſe, [1007 non timuiſti eligere meliorem. Sed & tu pater Traiane (nam tu quoque, ſi nõ ſidera, [1008 proximam tamen ſideribus obtines ſedem) quantam percipis voluptatem, cùm illum [1009 Tribunum, illum militem tuum, tantum Imperatorem, tantum Principem cernis: cumq; eo qui adoptauit amiciſſimè contendis, [1010 pulchrius fuiſſe genuiſſe talem an elegiſſe? Macte vterque ingenti in rempublicam merito, cui hoc tantum boni contuliſtis! Licet alteri veſtrûm filij virtus [1011 triumphalia, cęlum alteri dederit: non minor tamen veſtra laus, quòd iſta per filium, quàm ſi ipſi meruiſſetis.

[1005 Felicem vocare *Senecam vide, De Clem. 1. cap. XIIII.* [1006 Alienum. *Quia à te tranſſumptum ſcilicet.* 1007 Non timuiſti. *Quod feciſſe Auguſtus à quibuſdam arguitur. qui Tiberium elegit, vt* comparatione peſſimâ gloriam ſibi augeret: *Tacitus.* [1008 Proximam tamen. *Supremum aërem, vbi heroes. Lucanus:*

Quodque patet terras inter, Lunæque meatus,
Semidei manes habitant. quos ignea virtus,
Innocuos vitâ, patientes ætheris imi
Fecit.

Stoicorum opinio eſt, Ἥρωας εἶναι τὰς ἀπολελειμμένας τῶν σωμάτων ψυχάς: Heroas eſſe, animas, relictis corporibus, ſapientum. *Ad Senecam plura.*

[1009 Tribunum *Ergo ſub patre Legato Tribunus filius fuit.* [1010 Pulchrius fuiſſe. *Vellem,* fueritne. [1011. Triũphalia. *Initiò:* Cùm puer admodum Parthicâ lauro gloriam patris auxit.

SECO Patres Conſcripti, cùm ceteros ciues, tum pręcipuè Conſules oportere ſic affici, vt ſe publicè magis quàm priuatim obligatos putent. Vt enim malos Principes rectius pulchriúſque eſt ex communibus iniuriis odiſſe, quàm propriis: ita boni ſpecioſiùs amantur, ob ea quę generi humano, quàm quę hominibus pręſtant. Quia tamen in conſuetudinem vertit, vt conſules publicâ gratiarum actione perlatâ, ſuo quoque nomine quantum debeant Principi, profiteantur: concedite me non pro me magis, munere iſto, quàm pro [1012 collegâ meo Cornuto Tertullo C. V. fungi. Cur enim non pro illo quoque gratias agam, pro quo non minus debeo? pręſertim cùm indulgentiſſimus Imp. in concordiâ noſtrâ ea pręſtiterit ambobus, quę ſi tantùm in alterum contuliſſet, ambos tamen ęqualiter obligaſſet. Vtrũque noſtrûm ille optimi cuiuſque ſpo-

liator

liator & carnifex,ſtragibus [1013 amicorum & in proximũ [1014 iacto fulmine afflauerat: iiſdem enim amicis gloriabamur, eoſdem amiſſos lugebamus: ac ſicut nunc ſpes gaudiúmque, ita tunc communis nobis dolor & metus erat. Habuerat hunc honorem periculis noſtris diuus Nerua, vt nos [1015 etſi minus, vt bonos, tamen promouere vellet: quia mutati ſæculi ſignum & hoc eſſet, quòd florerent, quorum præcipuum votum antè fuerat, vt memoriæ Principis [1016 elaberentur. [1017 Nondum biennium compleueramus in [1018 officio laborioſiſſimo & maximo, cùm tu nobis optime Principum, fortiſſime Imperatorum, Conſulatum obtuliſti, vt ad ſummum honorem gloria celeritatis accederet. Tantũ inter te & illos Principes intereſt, qui beneficiis ſuis commendationem [1019 ex difficultate captabant, gratioréſque accipientibus honores arbitrabantur, ſi priùs illos deſperatio & tædium, & ſimilis repulſæ mora, [1020 in notam quandam pudorémque vertiſſent. Obſtat verecundia, quò minus percenſeamus, quo vtrumque noſtrûm teſtimonio ornaris: vt amore recti, amore reipublicæ, priſcis illis Conſulibus æquaueris: merito necne, neutram in partem decernere audeamus. quia nec fas eſt affirmationi tuæ derogare; & oneroſum, confiteri vera eſſe, quæ de nobis, præſertim tam magnifica, dixiſti. Tu tamen dignus es, qui eos Conſules facias, de quibus poſſis iſta prædicare. Tribuas veniam, quòd inter hæc beneficia tua gratiſſimũ eſt nobis, quòd nos rurſus collegas eſſe voluiſti. Ita caritas mutua, ita congruens tenor vitæ, ita vna eadémque ratio propoſiti poſtulabat: cuius ea vis, vt morum ſimilitudo concordiæ noſtræ gloriam minuat, ac perinde ſit mirum, ſi alter noſtrûm à collegâ, ac ſi à ſe ipſo diſſentiat. Non ergo temporarium & ſubitum eſt, quòd vterque collegæ Conſulatu, tanquam [1021 iterum ſuo gaudet; niſi quòd tamen qui rurſus Conſules fiunt, bis quidem, ſed temporibus diuerſis obligantur: nos duos Conſulatus accipimus ſimul, ſimul gerimus, alúerque in altero Conſules, ſed iterùm & pariter ſumus.

[1012 Collega meo. *Vide epiſtolam* xv. *libri* v. [1013 Amicorum. *Heluidij, Ruſtici, Senecionis, Maurici, plurium: quos in Epiſtolis ipſe nominat, cæſos aut pulſos à Domitiano.* [1014 Iacto fulmine. *Ipſe in epiſtolis pariter:* Tot circa me iactis fulminibus quaſi ambuſtus, mihi quoque impendêre idem exitum certis quibuſdam notis augurabar. [1015 Etſi minus. *Hæc in vitio ſunt, ægre ſine libris tollendo. Nitebar:* etſi minùs notos, vt bonos. *Pro virtute, non ex amicitiâ promouit. Quibuſdam etiam libris mox illud*, tamen, *abeſt.* [1016 Elaberentur. *Ne noti & cogitati, periclitarentur.* [1017 Nondum biennium. *Quando igitur, aut à quo, electi ad hoc officium? Vt hæc verba palàm volunt, à Nerua. Atqui epiſtolam Plinij video, quæ repugnat, & ad Traianum ipſum refert. Ita enim tertia epiſtola, lib.* x. *habet:* Vt primùm me domine indulgentia veſtra promouit ad Præfecturam ærarij Saturni. *Satin' hoc clarè ad Traianum? Reſpondeo*, veſtram indulgentiam *ibi legi, non* Tuam: *itaque ad vtrumque referendum, & Neruam & Traianum: Sic enim in epiſt.* VIII. Poſteà curis delegati à vobis officij retentus: *de ipſo hoc officio, & de vtroque illo auctore. Neque enim temerè hoc numero ad Traianum ſolum vti ſolet. Meo igitur iudicio, electus Plinius cum Tertullo ad hoc munus, adprato iam Traiano & imperij conſorte: atque ita vtrumque (etſi Traianus abſens) promotorem agnoſcit. Hoc euênit paucis ante Neruæ obitum ſeptimanis, an menſibus: nec opinor, etſi deſignatos, munus obiiſſe ante Ianuarium menſem. Benè ergo hic*, nondum biennium *in officio expletum: quia* Conſulatus ei oblatus (*ita & hic loquitur*) *ante Ianuarium menſem. Oblatus inquam à Principe. qui reuera ſolus faciebat Conſules: ſed poſteà tamen in Senatu ſuffragiorum aliqua ſpecies, & in campo comitiorum, vt ſequentia declarant; quæ vide ne aliter acceperis, & ne te fallant.* [1018 Officio laborioſiſſimo. *De quo ipſe epiſt.* x. *lib.* I. Diſtringor officio, vt maximo, ſic moleſtiſſimo. Sedeo pro tribunali, ſubnoto libellos, conficio tabulas, ſcribo plurimas, ſed illiteratiſſimas, litteras. *Poſt quam epiſtolam tamen mortem Verginij Rufi memorat: quæ diu anterior. vt appareat, ſeriem temporum, in diſponendis illis, non vbique ſeruatã.* [1019 Ex difficultate. *Ars nec ignota noſtris Aulicis. quibus* hoc vitium eſt (*vt cum Senecâ dicam*) ambitione prauâ differendi promiſſa, ne minor ſit rogantium turba. *Plura ille de hoc genere.* II. *De Benef. cap.* v. [1020 In notam. *Ignominiam.* [1021 Iterum ſuo. *Non quòd alteruter antè Conſul: ſed acumen eſt, quòd vterque in collegæ Conſulatu videatur ſibi Conſul. Itaque bis, & eodem tempore atque anno.*

ILLVD verò quàm inſigne? quòd nobis Præfectis ærario Conſulatum antè, quàm ſucceſſorem dediſti. Aucta eſt dignitas dignitate, neque continuatus tantùm ſed geminatus eſt honor: finémque poteſtatis alterius, tamquam parũ eſſet excipere [1022 præuenit. Tanta tibi integritatis noſtræ fiducia fuit, vt non dubitares te ſaluâ diligẽtiæ tuæ ratione eſſe facturum, ſi nos poſt maximũ officium [1023 priuatos eſſe non ſineres. Quid, quòd [1024 eundem in annum Conſulatum noſtrum contuliſti? Ergo non alia nos [1025 pagina quàm te Conſulem accipiet, & noſtra quoque nomina addentur Faſtis, quibus ipſe [1026 præſcriberis. Tu comitiis noſtris [1027 præſidere, tu nobis ſanctiſſimum illud [1028 carmen præire dignatus es, [1029 tuo iudicio Conſules facti, tuâ voce [1030 renunciati ſumus: vt idem honoribus noſtris ſuffragator in curiâ, in campo declarator exiſteres. [1031 Nã quòd eũ potiſſimùm menſem attribuiſti, quẽ tuus natalis exornat, quàm pulchrũ nobis! quibus [1032 edicto, quibus [1033 ſpectaculo [1034 celebrare cõtinget diem illũ, [1035 triplici gaudio lætũ: qui Principẽ

[1036 abſtulit peſſimum, [1037 dedit optimum, meliorem optimo [1038 genuit. Nos [1039 ſub oculis tuis [1040 auguſtior ſolito [1041 currus accipiet, nos inter [1042 ſecunda omina & vota certantia, quæ præſenti tibi conferentur, vehemur alacres, & incerti [1043 ex vtrá parte maior auribus noſtris accidat clamor. Super omnia tamen prædicandum videtur, quòd pateris Conſules eſſe quos feciſti. quippe nullũ periculum, nullus ex Principe metus, conſulares animos debilitat & frangit: nihil inuitis audiendum, nihil coactis decernendum erit. Manet manebitq; honori veneratio ſua, nec [1044 ſecuritatem auctoritate perdemus. Ac ſiquid fortè ex Conſulatus faſtigio fuerit diminutum; noſtra hæc erit culpa, non ſæculi: licet enim quantum ad Principem, licet tales Conſules agere, quales ante Principes erant. Vllámne tibi pro beneficiis referre gratiam parem poſſumus? niſi tamen illam, vt ſemper nos meminerimus Conſules fuiſſe, & [1045 Conſules tuos. Ea ſentiamus, ea cenſeamus, quæ conſularibus digna ſunt. Ita verſemur in repub. vt credamus eſſe rempublicam. non conſilium noſtrum, non operam ſubtrahamus: nec diſiunctos nos, & quaſi [1046 dimiſſos Conſulatu, ſed quaſi aſtrictos & deuinctos putemus: 1047 eundémque locum laboris & curæ, quem reuerentiæ dignitatíſque, teneamus.

[1022 Præuenit. *Non ipſo Conſulatus, quem tardiùs geſſerunt, ſed ipſa deſignatio.* [1023 Priuatos eſſe. *Non quod reuera deſignati magiſtratus, iam magiſtratus ſint: ſed quodammodo & quia dignitatis ſuæ iam ſecuri & certi.* [1024 Eumdem in annum. *nihil deeſt, nec muto. Eumdem in annũ, nempe in quem tuum contuliſti.* [1025 Pagina. *Faſtorum.* [1026 Præſcriberis. *Benè, in eius nempe capite, vt primus anni Conſul: & nos ſuffectis tum ex ordine.*

[1027 Præſidere. *Hæc iam poſt oblatum Conſulatum facta, vt tetigi. & dicis cauſâ, comitia velut habita: præſeditque iis Conſul Traianus.*

[1028 Carmen. *De quo ſuprà*: Perpeſſus es longum illud comitiorum carmen. [1029 Tuo iudicio. *Commendatione & ſuffragio, in Senatu.*

[1030 Renunciati. *Declarati, in campo. Obſerua ordinem tunc comitialem.*

[1031 Nam quod eum potiſſ. *Mihi nihil clarius aut verius. vir tamen doctus nuper ex vet. codice legit & emendat*, nam quod eos, *& mox* menſi. *Eos, inquit, nempe honores. Quid opus eſt nebulam ſuffundere? ſententia liquida: Dediſti nobis enim menſem (nempe Septembrem) in quo celebritas & decus adnei poſſet noſtro Conſulatui. Quia ex Kalendis Septembribus deſignati, in Nouembres.* [1032 Edicto. *Quo feſtiuitas Natalis tui indicabitur, itemque in eo ludi.* [1033 Spectaculo. *De more, iam inde ab Auguſto. Nam* eius natalem annuus Circenſibus, idque decreto in perpetuum, celebratum, *Dio tradit lib.* LIIII *&* LV. *Suetonius, Tiberium per modeſtiam omiſiſſe, &* natalem ſuum, plebeis Circenſibus interc urrentem, vix bigæ vnius adiectione paſſum honorari. *Sed alij deinde fecerunt, & plura exempla.* [1034 Celebrare

A re *Frequentem reddere. Diuus Maximus in natali Domenico:* Lætitia quanta ſit, quam úſque cõcurſus, cùm Imperatoris mundi illius natalis celebrandus eſt, benè noſtis: *& plura, quæ addit.* [1035 Triplici gaudio. *Mirus fatis, & a fato concurſus.* [1036 Abſtulit. *Domitianum. qui mortuus* XIII *Kal Octobr.* [1037 Dedit. *Neruam, illo ipſo die lectum Principem.* [1038 Genuit. *Traianum* [1039 Sub oculis. *Cùm ſis in vrbe, te ſpectante & ſedente.* [1040 Auguſtior ſolito. *Quia hactenus Tribuni, inquiunt, aut Prætores, at nunc Conſules in ſella altiore, & curuli. Legi, vt ſtatim dicam: nunc illud, videri reſcribendum* auguſtiores. *Ipſi, qui ſic vehuntur, creſcere videntur, & maieſtatem ab illo ſplendore aſſumere. Quod ſi de* curru *tamen, &* auguſtior *placet: benè, auguſtior vulgaribus, quia triumphalis.*

B [1041 Currus. *Ipſe currus; non ſella curulis. Mos verò ſic habet. Circenſes iſtos Prætor aut Conſul edebat: atque is curru ſublimis, & in habitu triumphali. Iuuenalis:*

Quid, ſi vidiſſet Prætorem in curribus altis
Exſtantem, & medio ſublimem in puluere Circi,
In tunicâ Iouis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ?

En Prætorem tibi in curru, in Circo, in veſte triumphi. *Symmachus lib.* VI *.epiſt.* XLI. Illud ante omnia interpretatio triſtis horreſcit, quòd natali vrbis ſuffectum Conſulem, currus quo vehebatur euoluit, per ferociam bigarum, quæ triumphum vehebãt. *Tacitus* I. *Annal. de Tribunis plebis, qui* Auguſtalia *celebrarunt*: Curru vehi, haud permiſſum: *ne ſcilicet Conſulibus aut Prætoribus æquarentur. Vide me ibi. Poſſit tamen etiam ſimpliciter aptari ad ritum, quo primo die Conſules in curru vehebãtur ſublimes. Caſſiodorus lib.* II *.epiſt.* II. Celſos currus (*ſic legendum*) niſi confidentia magna

C non appetit. *Et mox*: Reſpice te ſupra omnium humeros atque ora volitare: *quæ omnia ad Conſulem deſignatum ſcribuntur. Ammianus lib.* XXV. Adhibito in ſocietatem trabeæ Varroniano filio, admodum paruulo. cuius vagitus pertinaciter reluctantis, ne in curuli ſellâ veheretur, ex more, id quod mox accidit, portendebat. *Sed fortaſſe magis nouitius iſte mos.* [1042 Secunda omina. *Læta tibi nobiſq; precantium.* [1043 Ex vtra parte. *Ex vtro latere Circi.* [1044 Securitatem auctor. *Id eſt, nec periclitabimur, ſi auctoritatem loci magiſtratuſq; tenebimus: vt antè ſub tyrannis* [1045 Conſules tuos. *A te tali creatos, quod eſt ſuper ipſum Conſulatum.* [1046 Dimiſſos. *Quaſi iam vltrà non opus vacare reip. vt emeritos, & rude donatos. quia ſcilicet culmen honorum ſcandimus.* [1047 Eundémque locum. *Primum ſcilicet. ſicut in reuerentiâ & dignitate primi ſumus, iam Conſulares: ita & in labore curáque ſimus.*

D IN fine orationis præſides cuſtodeſq; Imperij deos, ego Conſul pro rebus humanis, ac te præcipuè Capitoline Iupiter, precor, vt beneficiis tuis faueas, tantiſque muneribus addas perpetuitatem. Audiſti quæ malo [1048 Principi precabamur, exaudi quæ pro diſſimillimo optamus. Non te diſtringimus votis. non enim pacem, non concordiam, non ſecuritatem, non opes oramus, non honores: ſimplex cunctáque iſta complexum [1049 vnum omnium votum eſt, SALVS PRINCIPIS. Nec verò noua tibi iniungimus. tu enim iam tunc illum in tutelam recepiſti, cùm prædonis auidiſſimi faucibus eripuiſti: neque enim ſine auxi-

lio tuo, cùm altiſſima quæque quærerentur, hic, qui omnibus excelſior, inconcuſſus ſtetit. præteritus eſt à peſſimo Principe, qui præteriri [1050 ab optimo non potuit. Tu clara iudicij tui ſigna miſiſti, cùm proficiſcenti ad exercitum [1051 tuo nomine, tuo honore ceſſiſti. Tu voce IMPERATORIS quid ſentires locutus, filium illi, nobis parentem, tibi Pontificem maximum elegiſti. Quo maiore fiduciâ, iiſdem illis votis quæ ipſe pro ſe nuncupari iubet, oro & obteſtor, ſi bene remp. ſi ex vtilitate omnium regit, primùm vt illum nepotibus noſtris ac pronepotibus ſerues; deinde vt quandoque ſucceſſorem ei tribuas quem genuerit, quem formauerit, ſimilémque fecerit [1052 adoptato; aut ſi hoc Fato negatur, in conſilio ſis eligenti, monſtréſque aliquem quem adoptari in Capitolio deceat. Vobis P. C. quantum debeam, [1053 publicis etiam monumentis continetur. vos mihi in Tribunatu quietis, in Præturâ modeſtiæ; vos in iſtis officiis etiam quę [1054 è ſtudiis noſtris circa tuendos ſocios iniunxeratis, cuncti conſtantiæ antiquiſſimum teſtimonium perhibuiſtis. vos proximè deſtinationem Conſulatus mei his acclamationibus approbauiſtis, vt intelligam etiam atque etiam enitendum mihi, vt hunc conſenſum veſtrum complectar & teneam, & in dies augeam. Etenim memini tunc veriſſimè iudicari, meruerit quis honorem, nécne, [1055 cùm adeptus eſt. Vos modò fauete huic propoſito, & credite. ſi [1056 curſu quodam [1057 prouectus ab illo inſidioſiſſimo Principe, antè quàm profiteretur odium bonorum, poſtquàm profeſſus eſt, ſubſtiti; cùm viderem quæ ad honores [1058 compendia paterent, longius iter malui; ſi malis temporibus inter mæſtos & pauentes, bonis inter ſecuros gaudentéſque numeror; ſi denique intantum diligo optimum Principem, inquantum inuiſus [1059 peſſimo fui. Ego reuerentiæ veſtræ ſic ſemper inſeruiam, non vt me [1060 Conſulē, & mox Conſularem ſed vt [1061 candidatū Conſulatus putem.

[1048 Principi precabamur. *Aptius*, imprecabamur, *litterâ finali geminatâ. Eſt autem de Domitiano* [1049 Vnum omnium votum. *Vide Suetonium in Aug. cap.* LVIII. *Senecam de Clem.* I. *cap.* XIX. *Martialis illud nec abſimile, ad Iouem*:

Nil pro me mihi Iupiter petenti,
Ne ſuccenſueris, velut ſuperbo.
Te pro Cæſare debeo rogare,
Pro me debeo Cæſarem rogare.

[1050 Ab optimo. *In eligendo, & adoptando.* [1051 Tuo nomine. *Imperatoris, vt explicant ſubiunctū*: Omnis turba quę limē inſederat, te cōſalutauit Imperatorē. *Et Iupiter communiter ſic agnominatus. Plautus*: Qui eſt imperator diuûm atque hominum Iupiter. [1052 Adoptato. *Sibi.* [1053 Publicis monumentis. *Actis Senatus, vbi elogia ſuper Plinio.*

[1054 E ſtudiis *Eloquentia, & forenſium cauſſarum.* [1055 Cùm adeptus eſt. *veteri dicto*, ἡ ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσι: magiſtratus virum probat.

[1056 Curſu quodam, *Siue*, quondam. [1057 Prouectus. *Ad Tribunatum & Præturam*: *epiſt.* XI. *lib.* III. [1058 Compendia. *Per malas artes, & delationes.* [1059 Peſſimo fui. *Videtur pendere tota hæc periodus: nec tamen pendet. Modus ita rogandi eſt*, Si hoc feci, dixi, *&c. fauete & credite.*

1060 Conſulē. *Qui nunc hæc dico.* [1061 Candidatum. *Qui obnoxij ſemper, reuerentes ſupplices. Finem meum ſcribendi habeo. vtinam illum alterum, vt legant, capiant, audiantq; hæc Principes, cum æterno ſuo & publico bono! Da ô tu Æterne.*

APPROBATIO.

DISSERTATIVNCVLA I. LIPSI apud PRINCIPES, *quòd erudita ſit & Chriſtiana conſentanea pietati, quæ ſuperiores non poteſtate dominante, ſed Charitate ſeruiente felices verè prædicat, digna eſt quæ typis excudatur ac diuulgetur. Item, de* Plinij Panegyrico eiuſq; Commentario *: luce hanc dignam cenſeo.*

Guilielmus Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus ac Archiducalis librorum Cenſor.

IVSTI LIPSI

DE

MILITIA ROMANA

LIBRI QVINQVE,

Commentarius ad Polybium.

PHILIPPO III.
HISPANIARVM
ET INDIARVM
PRINCIPI.

QVæ de Militia ſcripſi, magne Princeps, etiam tunc cùm ſcripſi, animo tibi deſtinaui & inſcripſi, & ſuſpendi, vt ſic dicam, ad tuam aram. Multa me incitabant. ſed præcipua: quòd tuus eſſem, in ſolo & vetuſtiſsimo patrimonio tuo natus: quòd res militaris, & ideò magnitudine & fortunâ tuâ non indigna. Enimuerò quem magis tractare aut ſcire hæc deceat, quàm Principem? & veriſsimè prudens ille noſter Cornelius: *Cetera vtcumque diſsimulari, ſed ducis boni Imperatoriam eſſe virtutem.* Quid verò talem Principem? Nihil blandimur tibi, nec publicè locus ſit, aut gratia: ſed ab orbe condito non fuit: qui maior in re aut ſpe fuerit, quàm te fata videntur deſtinaſſe. Præeſt iamdiu maximus Regum pater tuus tot regnis; in vtroque orbe iura reddit, veteri & nouo; atque ecce nouam ad potentiam viam fortuna nuper aperuit, adiectá Luſitaniâ: quæ ſola adhuç lacinia deerat pulcherrimæ & ſolidæ Hiſpaniarum veſti. Adſuta eſt, & vnà cum eâ Africæ & Aſiæ portus aut inſulæ: id eſt, clauſtra atque aditus, quibus ipſas illas inuadatis, & totas ſubiiciatis in leges & iura veſtra. Pietas iamdiu huc vocat & religio: ſed recenter etiam iniuria, quam immanis ille hoſtis Auſtriacis tuis infert, factus & ſolens violare, rapere, & regna regnis adiicere, nullo niſi armorum iure. O expergiſcere tu aliquando, adoleſcens & vegere, & magno PHILIPPO tuo eſto magnus ALEXANDER. Omnes iſti Aſiatici Darij ſe contrahent, & ad motum tuum timebunt quantum nunc timentur. Exempla tibi adſunt fortiter & feliciter capiendi imperij à maioribus illis tuis, quos immensâ ſerie è Cæſaribus & Regibus nectis. Sed eminent inter iſtos FERDINANDVS & ISABELLA Proaui

(ſæn

(fæminam nihil me pudet addere ; non fæminam , ſed vero verbo heroinam) eminent, inquam , primi auctores magnitudinis & claritudinis Hiſpanæ. Ij in Italiam arma intulerunt, ij in Galliam : ij nouum orbem tibi aperuerunt , arcanum depoſitum , & quid niſi limitem ad nouum imperium à Prouidentiâ diuinâ ? Sed & CAROLVS inter iſtos luce ſuâ fulget , auus tuus , vir bello maximus , & idem moderati bonique exemplar imperij. Quid PHILIPPVS pater? cuius vt ceteræ virtutes ſileantur (viuit enim , & poſteritas magis hæc dicet ,) at certè LENITAS & CONSTANTIA non omittentur, illuſtria ſidera in illo virtutum choro. Non fuit à natis regibus(te Fides & Veritas appello) qui magis propriè hæc ſibi vindicauerit : & addo ab illis fontibus ſcaturiginem , Sedatum regimen & quietum. Vt gubernator in magnâ naui , flectit & regit omnia , paruo motu. quid ad minuta eo ? vt ſummus ille mundi rector Deus , machinam hanc quatit & mouet, ipſe inconcuſſus : talis tuus ille genitor , vetus regnandi & ſecurus. Tu ſuccede , ſed ſerò (pietas tua hoc poſtulat:) & illum atque illos nobis redde, quorum ſanguinem & partem præfers. Rapitur ad ſimilitudinem ſuorum excellens quæque natura , & ſimulacrum cæleſtium animorum refert decerpta ab iis aura. En orbem Chriſtianum turbatum bellis aut diſsidiis : in te oculos conijcit , & aliorum aperta inclinatio eſt , aliorum occultus metus. Quid hæc niſi maxima , iam magno tibi , præſagiunt ? tu vtere aduocante fortunâ ; ſed ita vt nihil ei debeas , & feciſſe eam virtus tua videatur. Abſque hac , Princeps , magnam famam habere potes, non potes bonam : ſed nec firmam aut diuturnam potes , niſi nixa ſit eo fulcro. Nam viuos & ſuperſtites premere in rectè factis etiam Liuor aut Inuidia poteſt,& plebeij ſermones:at mortuos,& cùm tractu Veritas inualeſcit,ſplendor ille Famæ & Virtutis irradiat,& ſeria ſcripta ad memoriam tradunt poſterorum. Hæc ad te : de me & meo munere,exiguum hoc vtrumque fateor,etſi in re magnâ. Quid enim maius Militiâ?quæ ſola orbē temperat,nec regna ſolùm dat aut adimit,ſed ipſam vitam. Nulla reſpublica aut ſtatus ſine eâ floruit,nulla perennauit: & vt quæque melioribus legibus aut moribus fuit, ita hanc habuit meliorem. Talem ROMANAM apud te audacter profitemur : quâ nihil cultius,ſanctius,amplius,moribus,diſciplinâ,imperio fuit.Igitur nec Militiâ. & hæc eſt illud telum,quo, Virtute comite,terras ſibi ſub vtroque Sole ſubiecerunt,& ſubiectas in ſæcula aliquot tenuerunt. O ſi mens tibi ſit Princeps(facultas adeſt, & probæ inſtitutioni hoc debes,vt intellegas) ſi mens,dico,ſit vagandi per eorum Annales & geſta : quos flores virtutum colligas ? quæ præcepta paci & bello ? Sed huic maximè, in quo excelluiſſe eos ſuper omnes gentes,dicere poſſumus cum gentium conſenſu. Tuam illam conſule,& ipſos Hiſpanos. qui etſi robore & bello ſemper validi,tamen ab arte deſtituti ſunt : & ea fecit vt caderent, quamuis ægrè & ſerò,ſub

Romanas leges. In laudem eorum hoc dixerim. nulla natio vetuſtiorem hanc gloriam ſibi vindicat,nulla diuturniorem:non ipſi illi,quos laudatum imus, Romani. Ecce ab antiquo, & priuſquàm Romana virtus ſe exſereret, bello Peloponneſiaco fama eorũ ad Græcos ipſos venerat:& Alcibiades in oratione quapiam apud Thucydidem, *fortiſsimos* teſtatur *& pugnaciſsimos omnium * barbarorum.* Quid Liuius? *gentem natam inſtaurandis reparandiſque bellis*: & alibi, *qui nullam vitam rentur ſine armis eſſe.* Annæus Florus,ipſam Hiſpaniam indigetat *bellatricem,viris armiſque nobilem, Annibalis eruditricem.* Velleius Paterculus, ita fortem, vt duce Sertorio, *per quinquennium diiudicari non potuerit, Hiſpanis Romaniſne in armis plus eſſet roboris, & vter populus alteri imperaturus eſſet.* Quid plus dici poteſt, idque à Romanis:id eſt,& hoſtibus & ſuperbis? Nec verba ſunt: res docuit bello Annibalico, qui præcipuas ſuas victorias Hiſpano militi non inuitus referet acceptas.Sed & Romani,cùm primam prouinciarum Hiſpaniam inierint, poſtremam domuerunt:ducentos per annos in eâ, & de eâ,pugnantes, variè victi aut victores.Sed victores tamen ad extremum,idque ab hac militari arte quam adferimus:quam vel nunc ſi adſumitis, quis ambiget quin cum æternâ laude fructúque veſtro? In parte tamen adſumitis:nam vt vniuerſam,non ſuadeo aut probo. Multa diuerſa à moribus armíſque noſtris,quædam &aduerſa: iudicio opus eſt,quod tu & tui Duces facilè interponent. Mihi quidem animus fuit,in tui gratiam è tenebris hæc eruere, & res mortuas ſepultáſque protrahere: faxit Deus vt haud in vanum,& ſedandis hæc in Europâ turbis ſint, & extra eam imperio tuo propagando. Vires ſi pro animo non fuerunt,ignoſci poſtulo:& hunc laborem ſtudio potiùs mei cultus,quàm ſui pretio æſtimari. Ego quidem in te, ô Principum maxime,vel veterum Gallorum more adficior, & lege illâ priſcâ me tibi ſacro DEVOTIONIS.

LE

LECTORI MEO.

CVM opus aliquod iamdiu meditarer & ſolicitè quærerem, quod compendio eſſet tot ſcriptionibus, & lucem præferret ad hiſtorias: repperi cuius ſpecimen & primitias nunc præbeo, quod FACEM HISTORICAM non ex ſuperbiâ, ſed ex propoſito, appellaui. Id eſt, vt mores Romanos publicos priuatóſque proferam (alibi & Græcos:) atque eos ita illuſtrem, vt ſimul loca ſcriptorum veterum, qui alludunt vel tangunt. Hoc cùm diffuſum, imò & confuſum ſit (negare non poſſum:) placuit excerpere primùm ex omni cumulo quidquid ad MILITIAM facit, & id iunctim proponere, & ſerie aliquâ ac cohæſione rerum. Ideo quæ ad Militiam: quia ea non creberrimè, ſed aſſiduè, in hiſtoriâ occurrit, & omnem in eâ paginam, vt ſic dicam, facit. Vt enim vita noſtra publica eſt, ſic ſcriptio: illa ab æuo in æuum, turbæ & bella: ergo & Annales, qui æuum repræſentant. Atque ego ſciens & gnarus dico, nihil eſſe quod magis ſiſtat aut remoretur iuuentutem, quàm militiæ priſcæ ignorantia: cui malo ante omnia medemur, & hanc caliginem noſtrâ FACE (pro copia quidem ingenij) imus depulſum. In tres partes totum hoc DE MILITIA diuiſi: prima eſt, quam vides, AD POLYBIVM: in qua generalis eius notificatio, & ſiquid ad ordinem, arma, leges facit, aperimus & reuelamus. Sunt libri quinque, quos habes. Altera, POLIORCETICΩN, ſiue De machinis, tormentis, telis, libri totidem: qui parati, & ſubſequentur. Tertia, DE TRIVMPHO, lætiſſima pars, & clauſula felicis belli. Tum ad reliqua FACIS ordine ibimus, ſi auctor ille vitæ noſtræ dabit vitam, ſed & vires. Nam voluntas quidem & materies adeſt, ſed valetudo ſæpe intercedit, plures hos annos hoſtilis & aduerſa. Ah, quàm in hoc ipſo ſcripto ſæpe me ligauit, & ad ſtamma deductum retinuit? Scio, & apud me magis quàm publicitùs queror. Tamen & publicitùs tango, vt venia & miſeratio aliqua ſit, ſicubi quod voluimus non fecimus, & euenit nobis in iſto curſu quod dicitur, Caballus in Cliuo. Tamen vt Flauiorum ille primus dicere ſolitus, Imperatorem ſtantem mori oportere: ſic nobis ſenſus, Hominem in opere deficere: nec deſinere potiùs, quod ſuadebat olim priſcus aliquis cenſor. Certè vel in iſtis alibi languidis, fructus & vſus ſuus erit iuuentuti; & noſtro labore quæſitum aliquid aut erutum, in quo nonnemo inueniendo ſudaſſet. Totum enim hoc Polybij ſcriptum perplexum & caligine obſitum: nec induſtriâ ſolùm, ſed acritate ingenij opus ad peruadendum. Speramus, imò profitemur, in parte feciſſe: idque non adiutos à prioribus, niſi fortè à Franc. Patricio Italo, quem ſolum veſtigia preſſiſſe in hac ſemita equidem ſcio. Quid nos præter eum, lector viderit: quid alius præter nos, ſequẽs item ætas. Nec enim neſcio, vbi ſemel opus cœptum eſt, & vel vt fragmina aut ſentes amota, concurſum fieri, & poſtremos quoſque priorum etiam laudem in ſe deriuare. Aliquid nempe reperient, & vnus ſæpe locus aut remotior lectio eſt quæ rem conficit: quod non tam doctrinæ dixeris, quàm fortunæ. Ego verò & hoc excuſo, quòd antè publica iudicia ſubire nobis opus, quàm priuata experiri: nec vllæ recitationes aut inter amicos lectiones ſunt, ſapientiſſimo conſilio vſurpatæ antiquis. Typographia iſta nos ſtatim protrahit, & irreuocabiliter protrahit: nec fas, etiam cùm reſipueris, reſipuiſſe. Alia tamen editio relinquitur, & mederi poteſt: ſub eam vos æqui & iniqui aduoco, iuuate. Siue laudi noſtræ fauetis, ſuggerite: ſiue carpere gaudetis, corrigite. ego vtroque affectu vtar in vnum finem, emendandi & diſcendi. Erunt ex verbo veteri,* δεύτεραι φροντίδες. Iam, quod ad Polybij ipſum hoc opuſculum ſpectat, re non mole magnum, haud ambigendum arbitror quin Polybij ſit, & ipſe agnoſcit, vt* alibi notamus. Sed tamen ab aliena manu contractum aut reciſum aliquid videri, non nego: & eſt cetera Polybiana ſcriptio vber magis & diffuſa. Titulus etiam qui Librum Sextum Hiſtoriarum præfert, mihi eſt falſus: cùm nec iſta ſic continua, vllo modo aut veniâ hiſtoriæ ſint, & ipſe fateatur è libro an libris De rebuſpublicis eſſe. Fuit videlicet introductio in Hiſtorias, & grande adiumentum, noſſe quid Romani, Carthaginienſes, Spartani, pace aut bello vſitarint: & tum, cùm breuiter inter narrandum tangitur, habere vnde doctior ſis, & petas. Satis de meo & Polybij inſtituto: vtile vtrumque ſit voueo: & hoc quoque, vt iſtis abſolutis pedem mihi porrigere & promouere fas ad ſerium illum Sapientiæ callem, quò adſpiro. Da hoc Deus, & in omni vitâ non mihi ſolùm vixiſſe.

* Curę ſecund

* Lib. Dialog. xv.

IVSTI

IVSTI LIPSI
DE MILITIA ROMANA
LIBER I.
DIALOGISMVS I.

Præfatiuncula & occaſio dicendi, tum laus aliqua militiæ Romanæ.

A MERIDIE, vt ferè mos meus eſt, inambulabam, cupidis honeſtarum artium me præbens, & velut domeſticas quaſdã ſcholas habẽs, reſpondendo aut diſſerendo. Venit ad me honeſtę frõtis & mentis adoleſcens, AVDITOR meus (nec aliter nũc appellem) qui ſalute dictâ, Illud de Militiâ promiſſum Lipſi, inquit, quando expungis? Tardum nomen es, ne dicam malum. Ego, Cùm otium erit, inquam. Longa res eſt, nec paucarum aliquot horarum. Ille iterum, De otio ne obtende, feriæ ſunt, & tam vacui nos nũc, quàm ipſa Vacuna. Quando etiam aptius? feruent omnia bellis, nec alij magis in menſis aut in circulis ſermones. Quàm volupe ſit, inter iſta veterem illam ſeriò intellegere, & decerpere ex eâ aliquid quod ſit in hodiernum vſum? Ego riſi, & Quid ais, inquam, decerpere? ſæculum hoc ignoras, aut diſſimulas. Nam contemnunt noſtri Martes hæc talia, & nænias & ludos ea habent puerorum. Fortaſſis, inquit ille, vel ideò quòd parùm norunt. Nam pleriſque horum iure illud occinas:

Initiũ ſermonis. *Opportunitas.*

*Πρὶν γὰρ φρονεῖν δεῖ, καταφρονεῖν ἐπίςασαι.

Et quid de illis mirer? pauci noſtrûm, qui libelliones habemur, ſcitè hæc ſcimus, & in nos quoque conuenit ſenis Coi dictum:

*Πολλοὶ θαυμάζουσι, ὀλίγοι γινώσκουσι.

** Priuſquã ſapere, didiciſti contemnere. Charemon.*
** Multi admirantur, pauci intelligunt.*

Ne inter eos diutiùs ego ſim, tu effice & adiuua. Nã pleraque video, non video, & vt in confinio lucis ac noctis poſitus, parùm certo oculo diſcerno. Iam facis? Volo, inquam: ſed, niſi vt tibi gratificer, quâ ſpe fructus? Imò verò duplicis, inquit ille, Certi & Incerti. Certi quidem, quòd vera ea fax ad hiſtorias: quarum quæ alia ferè materies, quàm bella & pugnæ? Incerti autem, quòd & hodierni Duces aliquid ex iis fortaſſe haurient, ad ſuum & præſentem vſum. Moui caput, &, De hoc quidem diffido, inquam, illud prius ſpero. Subiecit, Non ego: & meo animo ac vaticinio, aut iam eſt aut erit Princeps aliquis magnus, qui prauam & laxam hanc militiam corrigat,

Vtilitas. Ad hiſtoriam. *Ad vſum.*

A & ad veterem illam ordinet atque adſtringat. O ſi ille dies, quas laureas & victorias videã? quam longè latéque ſparſa Chriſtiana ſigna? Inũce hanc mentem Deus, & ad priſcam illam ac Romanã maximè militiã flecte: cum cuius Dilectu, Diſciplinâ, Ordine, ſi noſtra hæc nouitia arma iungãtur, quæ viſ aut acies reſiſtat? Ego hîc manũ ſuſtuli, Euge, inquã, me quoq; hac commemoratione incendis. Et vt ſcintilla in aridam materiem incidẽs facilè comprehendit: ſic ego inflammor in nomine & virtute Romanâ. Et bonâ fide, quæ gens in militiâ fortior aut felicior? Dilectũ vide; nihil accuratius. Ordinẽ, nihil aptius. Diſciplinã, nihil ſeuerius ſanctiuſq;. Itaque per annos ſeptingentos, tot triumphos penè quot annos numerãt, & B imperio ſuo ſubiecerunt quidquid validum aut bonum in orbe terrarum. Nam alios quoſdã latiùs imperaſſe fortaſſe dixeris, aut nunc imperare (certè magnum noſtrũ Regem:) ſed in tam ſelectis gentibus aut terris, non dices. Pœnos, Macedonas, Aſſyrios vicerunt, & imperium in eos vſurparũt qui antè imperarent. Quid Hiſpanos, aut Gallos? quos vincere non gloriæ fortaſſis maioris, ſed operæ fuit. Ita paullatim molem illam *maximi ſecundùm deorum opes imperij* (Liuij verba agnoſcis) conſtituerunt, idq; in optimâ Europæ, Aſiæ, Africæ parte. Quâ autem aliâ re, niſi C militiâ hac, quam laudamus? Nam ingenia, numerũ, robora hominum ſi vides; ſingulis, aut omnibus, ſæpè vincebãtur: ſuperabat Ordo & Diſciplina. Ergo haud vanè olim vaticinatus apud Liuium Romulus: *Nullas opes humanas armis Romanis poſſe reſiſtere.* Quid Romulum loquor? ipſe Romanorum hoſtis Taxiles, ille à ſinu & latere Mithridatis, libero ore apud Tigranem faſſus: ἄμαχον πρᾶγμα, τὰ ῥωμαίων ὅπλα. *Rem inuictam, Romana arma.* Atque hæc ita olim fuerunt, quamdiu diſciplina & ſanctitas quædã, vt ita dicam, D armorum viguit, poſtquàm ſanguine ciuili infecta ea & corrupta ſunt, poſtquàm rapere & lancinare, atque etiam laſciuire, in morem vertit; reſedit illa virtus, & quod ſequitur, fortuna, nec aliud quàm vmbra & nomen fuit militiæ Romanæ. Ideò ſi vis me illuſtrare hanc & explicare; de Veteri modò promitto, nec inferiorem iſtam, niſi parcè, tangam. Ille alacer, Ergo promittis? ô me beatum! Et ſedeo, an porrò ambulo? Imò tu ſede, inquam: ego vtrumuis fecero, vt animus hic aut valetudo ſuadebunt.

Cum excusatione.

Atque vtinam iſta ſit quæ ſolet, & cum eâ vigor & alacritas etiam, quæ ſolent! Nunc vereor vt ipſa & ætas, ſed ipſa maximè, libauerint in me lætum illud aut lepidum etiam, ſi quid olim fuit. Quid tamen eſt? vt in Vere anni flores ſcilicet plures gignuntur, Autumnus tamen eſt qui dat fructus: ſic in priori illâ ætate amœniora fortaſſe quædam dedimus, nunc viliora, ſi Deus & Tempora volent. De iſtis quidem non fruſtrà ambigo, quæ apud nos malarum ferè aut turbidarum artium, noſtras iſtas honeſtas & pacis oppreſſum eût aut expulſum. Sed Deus videbit: quem, priuſquàm ordiar, veneror atque inuoco. & tu Lux æterna, Sol ſine ortu aut occaſu, per has antiqui æui tenebras euntem dirige,

Cum inuocatione.

——clara meæ præpandens lumina menti,
Res quibus occultas penitus conuiſere poſſim.

Lucret.

DIALOGVS II.

Modus & Ordo dicendorum, tum de Dilectu, de Tribunis, de Stipendiis.

AT tu iam ſediſti. AVD. Animo & corpore cõpoſitus ad audiendum. LIPS. Audi igitur, ſed Modum atque Ordinem priùs, quem tenebo in diſſerendo. *Modus* hic erit, vt Polybij verba eligam & inſiſtam, qui vnus ſupereſt eorum qui de veteri militiâ ſcripſerũt. Nam Vegetius quidem nihil habet meri, ac ſui & ſuperioris æui inſtituta aut mores miſcet ac confundit. Polybium adhærebimus igitur. & vt ij qui iter ignotum ſuſcipiunt, limitem aut aggerem aliquem comprehendunt, quem inſiſtant: ſic nos illum, tuti ab errore aut lapſu. Sed *Ordo* tamen eius quia haud aptus vbique ad docendum, aut etiam plenus: ſuggeram alium, atque eum quem definitio hæc noſtra dabit. Ab eâ enim appoſitè Militiam exorſuri videmur: quæ eſt, MVLTITVDO APTA ET COMPOSITA IN ARMIS, AD VIM FACIENDAM AVT ARCENDAM, SVB CERTA LEGE. Quinque in definitionem iſtam partes incluſi, DILECTVM, ORDINEM, ARMA, ACIEM, DISCIPLINAM: quas ſingulas ordine, & totidem Sermonibus, educam. Polybij ipſa verba ſecundùm has partes aptabo, vbi ea quidem erunt: quà deficient, velut laciniam hanc veſti à me aut ab aliis adtexam. Omnia deinde explanabo & illuſtrabo, ſed breuiter: quia iamdiu nobis illud ſedit, * Οὐ τὸ μέγα εὖ, ἀλλὰ τὸ εὖ μέγα. Ita olim Demoſthenes, valdè pro meo ſenſu. Sed Polybium ipſum iam audiamus, qui ſic de Dilectu. Vin' tu legere? cape. AVD. Et vtrâque manu quidem: ſed Græcis adſcripta quæ hæc verſio? LIPS. Noſtra eſt. nam etſi Ianus Laſcaris, homo Græcus, aptè & doctè pleraque iam verterat: tamen reuera alibi aliter, & quod caput eſt, non ſemper preſſè & adſtrictè. Id autem adprimè mihi placet in ſcriptoribus qui ſtilo tales, maximè cùm de re agitur: in quâ verbum additum, aut omiſſum, aut laxiùs etiam redditum, magnas facit vel mutationes vel errationes. At tu lege.

Modus tractandi, Polybianus. *Ordo noſter.* *Definitio militiæ.* *Partitio eius.* ** Non quod magnum, bonum, ſed quod bene, magnum.* *Cauſſa verſionis noſtræ.* *Et qualis ea.*

POLYB.

Ἐπεὶ δ᾽ ἂν ἀποδείξωσι τοὺς ὑπάτους, μετὰ ταῦτα χιλιάρχους καθιστῶσι, τέσσαρας καὶ δέκα μὲν ἐκ τῶν πέντε ἐνιαυσίους ἐχόντων ἤδη στρατείας, δέκα δ᾽ ἄλλους σὺν τούτοις ἐκ τῶν δέκα τῶν λοιπῶν, τοὺς μὲν ἱππεῖς δέκα, τοὺς δὲ πεζοὺς ἕξ, οὓς δεῖ στρατείας τελεῖν κατ᾽ ἀνάγκην, ἐν τοῖς τετταράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ἀπὸ γενεᾶς, πλὴν τῶν ὑπὸ τὰς τετρακοσίας δραχμὰς τετιμημένων. τούτους δὲ παριᾶσι πάντας εἰς τὴν ναυτικὴν χρείαν. ἐὰν δέ ποτε κατεπείγῃ τὰ τῆς περιστάσεως, ὀφείλουσιν οἱ πεζοὶ στρατεύειν εἴκοσι στρατείας ἐνιαυσίους. πολιτικὴν δὲ λαβεῖν ἀρχὴν οὐκ ἔξεστιν οὐδενὶ πρότερον, ἐὰν μὴ δέκα στρατείας ἐνιαυσίους ᾖ τετελεκώς.

Cùm verò Conſules deſignauerint, tum Tribunos militum conſtituunt, quattuordecim quidem ex iis qui iam quina ſtipendia annua confecerint; decem alios præterea ex iis qui dena. At reliquorum, equites quidem dena, pedites vicena ſtipendia explere oportet neceſſariò in annis quadragintaſex à natiuitate. Excipio eos qui infra drachmas quadringenas cenſi ſunt; quos omittunt, & reſeruant omnes ad nauticum vſum. Quòd ſi quando res & circumſtans neceſſitas eò adigunt, debent pedites facere annua vicena ſtipendia. Vrbanum verò magiſtratum non antè capere cuiquam fas, quàm decem ſtipendia militiæ adimplerit.

Satis: inſiſte. Orditur Polybius à Dilectu, quem in Definitionis meæ verbis primis incluſerã, MVLTITVDO APTA. Quomodo enim talis ſine iſto? quin niſi eligis & excerpis, non militem ſed turbam habes. De eo tria dicit. *Qui elegerint, Quos, Quomodo.* Duo prima ſunt in verbis, quæ legiſti: & quia Tribuni ſunt qui eligunt, de ipſis, & numero eorum nunc præmittit.

In Dilectu tria ſpectanda.

„ *Cum Conſules deſignauerint, tum Tribunos militum conſtituunt.*] Quod fit ſcilicet principio cuiuſque anni. Et meritò Conſules priùs deſignantur, quia ij ſunt qui in parte Tribunos faciunt, in aliâ parte ipſe populus, * poſteà dicendum.

** Libro. Dialog. … Dimiſsi Tribunorum.*

„ *Quattuordecim quidem ex iis.*] Diuiſio hæc eſt & numerus Tribunorum, qui ſcripti in quattuor legiones. Nam ad tot iſtas accõmodat ſua Polybius: quia quotannis ferè ita ſcriptæ, ſingulis nempe Conſulibus binæ. Ergo ait quattuordecim Tribunos factos ex iis.

„ *Qui iam quina ſtipendia annua confecerint.*] Qui ſunt iſti? Tribuni equeſtres, id eſt ex equitum corpore lecti. Nam ſemel mihi hoc nota: Duo genera Tribunorum Polybius facit, *Iuniores* & *Seniores*: quos à ſtipendiorum numero ſic appellat. Iuniores ſunt, Equites quibus hoc datum, vt priùs citiúſque Tribuni fiant, quàm plebeij. Quid ita? tum quia reip. intereſſe videtur, vt iſti ex optimis ſtatim ad eam accedant: tum etiam, quia ſtipendiorum ratio & æqualitas ſic popoſcit. Moris enim erat, poſt dimidiata ſtipendia confecta, Tribunum capi, nec antè: ecce Equites dena conficiebant, Pedites vicena: ergo proportione illi poſt quina ſtipendia lecti, hi poſt dena. Hæc vera Polybij mens & ſententia, & cauſſa diuiſionis. Sunt autem quattuordecim iuniores ſiue ex equite, decem tantùm è plebe: quia plures nimirum habere voluerunt honeſtiores.

Iuniores Tribuni.

„ *Decem alios præterea ex iis qui dena.*] Ego ita reddidi, pro ſententiâ iam dictâ: at vulgò legunt & vertunt implicatè. Laſcaris quidẽ ſic: *Decem autem alios, præter hos, ex iis qui decẽ reliqua fecerint.* Quæ ergo hæc

Seniores Tribuni.

decem

decem reliqua: an quinque illis prioribus addenda, vt ſiant quindecim annorum ſtipendia? nugatoria, aut talia. Quin Græca leuiter corrigenda ſunt. δεῖ δὲ ἄλλως ποιῶν τινὰς ἐν τῇ δέκα. τῶν λοιπῶν τοὺς μὲν ἱππεῖς δέκα: ſententiâ à me verſâ. Nam hoc ait: Tribuni quidem fieri poſſunt ex equite, qui quina ſtipendia fecerint; ex plebe, qui dena: at reliqui iam milites in vniuerſum ſtipendia conficiunt, equites dena, pedites vicena. Non etiam diſpliceat: τὸ λοιπὸν, τοὺς μὲν ἱππεῖς: quod eſſet, *Ceterum, equites quidem* formulâ & modo ſermonis deflectendi.

Corr. Polyb.

„ *Pedites vicenis ſtipendia explere oportet.*] Iterùm à meâ correctione, vulgatam non eſt vt expedias: certè qui admiſi, hactenus non fecerunt. Laſcaris ita reddidit: *pedites verò ex iis qui ſextum & quadrageſimum ætatis intigerunt annum.* Quam lectionem ſecutus ſit, neſcio: vulgatam non expreſſit. atque amplius, ſententiam bonæ mentis nullam expreſſit. Sigonius & Grucchius, viri talium curioſi & docti, ita hæc citant: *Quatuordecim ex iis qui quinque ſtipendia annua habebant, decem verò ad hos ex iis qui decem equites quidem qui decem, pedites verò qui ſex.* Et explicant, *Neminem qui equo meruiſſet* (ſunt ipſa Grucchij) *Tribunum fieri potuiſſe niſi decem ſtipendia haberet, cùm interim ſatis eſſet peditibus vel ſex annos meruiſſe.* Nego quidquam magis aut à Polybio, aut à ratione abire. Iſtud quidem de *ſex* annis vbi lectum aut ſcriptum? quin diſertè de *quinque* & *decē* in Polybio eſt. Quæ etiā ratio, vt equites tardiùs ad honores, quàm plebeij perueniant: idque tot annis? Omnia contrà ſunt, vt dixi. & profectò Græcanica hæc emendanda: τοὺς δὲ πεζοὺς εἴκοσι δεῖ στρατείας τελεῖν: *pedites viginti oportet ſtipendia implere.* Nihil verius. Quòd equites dena, ecce Liuius docuerit: *Addiderūt acerbitati & tempus, ne præterita ſtipendia procederent iis qui equo publico meruerant, ſed dena ſtipendia equis priuatis facerent.* Loquitur de iis qui ad Cannas fugerant, & hac ignominia affectos à Cenſoribus, vt ne in numerum venirent ſtipendia præterita, vtque iterùm à nouo ſtipendia ſua dena facerent, & quidem equis ſuis ac priuatis. Idem ex Plutarcho clarius. apud quē Gracchus in Oratione quâdam iactat, Ἐστρατεῦσθαι δώδεκα ἔτη, τῶν ἄλλων δέκα στρατευομένων ἐν ἀνάγκαις: *Militaſſe ſe annos duodecim, cùm alij non niſi decem neceſſitate militent.* Quis ambigit quin Gracchus hic inter equites? & in gloriâ ſuâ ponit & ſtudio in patriam, quòd duodecim ſtipendia confecerit, præter morem & legem dena exigentem. Iam verò pedites vicena dicimus meruiſſe. Qui auctores? Ipſe Polybius palàm, qui mox ſubiungit: ὀφείλουσιν οἱ πεζοὶ στρατεύειν εἴκοσι στρατείας ἐνιαυσίους: *Pedites debent conficere ſtipendia viginti.* Idem ex Liuio eſt colligere, apud quem Sp. Liguſtinus quidam detrectat militiam Macedonicam, & ſic ſe excuſat: *Viginti duo ſtipendia in exercitu emerita habeo, & maior ſum annis quinquaginta.* Duplex cauſſa. quòd & ſtipendia largiter confecerit (duo ſupra numerum, vti & Gracchus:) & quòd ætatis iam beneficio debeat vacare. Reſcribere & mutare eum numerum *alibi volui: malè, & Seruius mihi dux in errorem. Nam apud eum legas, *eos qui ſacramento rogantur & plenam militiam habent, viginti quinque annis teneri.* Quod nec veteri nec ſequenti æuo vniuerſè verum fuit, & corrigere humanius Seruium ſit quàm corripere: *viginti quoque annis teneri.* Res quidem ita fuit. atque apud Tacitum, cùm milites per ſeditionem expreſſiſſent, vt *ſextuſdecimus ſtipendij annus finem adferret*; diſplicuit Patribus & Principi, & eo abrogato, mos priſcus repoſitus, decretumque *vt viceſimo militiæ anno veterani dimitterentur.* Atque ita deinceps factum. Suidas: Βετερανὸς παρὰ Ῥωμαίοις ὁ ἀπολυθεὶς τῆς στρατείας. ἔτη εἴκοσι στρατευσάμενος δὲ ἔνδον: *Veteranus Romanis dicitur militiâ dimiſſus. in viginti autem annos merebant.* In Codice Iuſtinianæo conſimiliter Veterani definiuntur, qui *poſt viceſimum ſtipendia honeſtam, vel cauſſariam miſſionem ſunt conſecuti*: quod ita interpoſitâ diſtinctione legendum eſt: quia certè cauſſaria miſſio poſt expleta ſtipendia non datur. Idem numerus in Codice Theodoſij aliquoties. etſi in eodem etiam de *viginti quinque aut quatuor* ſtipendiis leges: ſed in certo genere militum, & conditionis deterioris. Hæc mihi ita videntur. quid erudito viro, qui in Polybio hîc corrigi voluit: τοὺς δὲ πεζοὺς ἐξ ἢ δεῖ στρατείας τελεῖν: non equidem ſcio, nec ſcintillam lucis in iis verbis video.

„ *In annis quadraginta ſex.*] Eſt hæc Seruij regis definitio, qui annos eos vtiles militiæ fecit. Nam diſtinxit Claſſes in Centurias Iuniorum & Seniorum: illos qui militarent, hos qui vacarent, niſi in magnâ neceſſitate. *Iuniores, ad annum quadrageſimumſextum* (ita Tubero apud Agellium) *ſupràque, eum Seniores appellant.* Cenſorinus anno vno minùs numerare videtur: *Vſque quinque & quadraginta annos Iuuenes appellatos quòd remp. in re militari poſſent iuuare.* Hoc ergo Polybius nunc dicit, vicena illa ſtipendia complenda fuiſſe in orbe tot annorum. Sed cur non principium etiam militiæ ponit, cùm dixerit finem? Licet ex eodem Tuberone apud Agellium addas: *Seruium ab anno decimoſeptimo, quòd idoneos iam eſſe reip. arbitrabatur, milites ſcripſiſſe.* Atque illud manſit. & in Punico ſecundo bello, cùm neceſſitas violaſſet: tum decretum *vt Tribuni plebis* (Liuij verba) *ad populum ferrent, vt qui minores annis ſeptem & decem ſacramento dixiſſent, iis proinde ſtipendia procederent, ac ſi ſeptem & decem annorum, aut maiores, milites facti eſſent.* Ecce, in iuuentutis inopiâ, quidam tunc etiam prætextati milites capti: id ne fraudi iis eſſet, & quia præter Seruij ac vetus inſtitutum, lege ſubuentum fuit, & anni illi in ſtipendia venerunt, haud ſecus quàm ſi à decimoſeptimo cœpiſſent: Atqui ambitio etiam interueniſſe videtur, & quidam, vt citò ad honores & Tribunatus venirent, ante id tempus militiæ aſcripti. quod Gracchi lex poſteà cauit, & interdixit νεώτερον ἐτῶν ἑπτὰ καὶ δέκα μὴ καταλέγεσθαι στρατιώτην: *iuniorem annis ſeptem & decem militem non legi.* Plutarchus id ita in Gracchis. Vegetium ergo miror ſcribere: *Si antiqua conſuetudo ſeruanda ſit, incipientem pubertatem ad delectum vocari.* Quod diſtrictè verum non eſt, nec decimuſſeptimus certè annus *incipiens pubertas.* At Silius magis etiam intendit:

> *Pubeſcit miles caſtris, galeâque teruntur*
> *Nondum ſignata flauâ lanugine malæ:*

quaſi impuberes ad ea venirent. Habes carceres, habes metam militiæ. Sed an non igitur plura vicenis ſtipendiis? imò triginta erunt, ſi totum id tempus militarunt, ab anno XVII. ad XLVI. Caue erres. Cōtinua olim militia nōn fuit (ſicuti cùm legiones perpetuæ inſtitutæ:) ſed per annos ferè, aut certè ſingula bella, inibant militiam, & deſinebant. Lex igitur volebat, vt in annis illis triginta vtilibus, quiſque neceſſariò impleret ſtipendia ſua viginti. Poterat quidē priùs: & exempli cauſâ, qui continuò militabat, implebat ea trigeſimoſeptimo anno: ſed poterat, non debebat. Hi ſunt anni triginta illi, de quibus lex Tullia capienda, cùm *Iuniorum ætatem annis triginta definiunt.* Item Salluſtius ad Cæſarem, cùm monet illum *vt videat ne militia iniuſta ſit, cùm alij triginta, pars nullum ſtipendium faciat.* Itemq; in Tacito, veterani querantur, *tricena aut ſupra ſtipendia ſe numerare.* Nec virum doctum audiemus hinc colligentem

Margin notes (left): Corr. Polyb. — Praua ſententia, cum Laſcari. — Tam Sigonij & Grucchij. — Iterum ſcriptura correcta. — Li. XXVII. Equitum quot ſtipendia. — Quot peditum. — Liuius explicatus. — Lib. XLII. — * Ad 1. Ann. Tac. — 1. Annal. — Ibid. — Qui Veterani.

Nolim alter ne metâ militia.

genitem (Carolus Sigonius is eſt) legitima ſtipendia fuiſſe triginta annorum. Sed iterùm hîc aliqua hæſitatio ad annum *quadrageſimumſextum*: quem finem militiæ dicti ſcriptores faciunt : at alij diſertè *quinquageſimum*. Seneca De breu. vit. cap. vlt. *Lex a quinquageſimo anno militem non cogit.* Fabius : *Vt militiâ vacaret ex lege , quòd quinquagenarius eſſet.*

Lib. IX. Inſtit.

Legem vterque nominat: an poſterioribus temporibus latam ? an potiùs iam olim illa lex , ſiue mos? Nam & in Liuio, bello Macedonico decretum, *ne illi qui non maior annis quinquaginta eſſet , vacationem militiæ eſſe.* Quî igitur conciliamus iſta cum inſtituto Seruij ? bellè. Nam exiſtimo manſiſſe quidem illud de annis quadraginta ſex communiter : ſed pone aliquem , caſu aut morbo, ſtipendia ſua intrà id tempus non impleſſe , dico cogi potuiſſe vſque ad annum quinquageſimum. Iſte igitur quinquageſimus plenè liberabat , ſiue facta ſtipendia ſiue infecta. Ex verbis Liguſtini ſuprà colligas, qui in clauſulâ, velut decretorium id ponit: *Et maior ſum annis quinquaginta.* Hi anni in militiâ Romanâ : nec diſſimiles admodum in Græcâ. In Demoſthene lego , *iuſſos omnes conſcendere triremes , vſque ad eos qui quadragintaquinque annorum eſſent.* In quem tamen locum Vlpianus Scholiaſtes notat , *Nouum hoc fuiſſe. quia Lex Apud Athenienſes ad annum quadrageſimum dumtaxat iubet militare , exorſos à decimooctauo. Idq́; his gradibus, vt ad vigeſimum circa vrbem militent & caſtella cuſtodiant , tutiori ſcilicet militiâ : à vigeſimo autem , ad longinqua bella & extra limites etiam eant.* Ita ferè Vlpianus. & dixeris Macrobium , Atticum hoc inſtitutum adſpicere, cùm de vi Septenarij numeri ſcribit : *Nonnullarum rerum publicarum is mos eſt , vt poſt ſextam hebdomadem ad militiam nemo cogatur , in pluribus detur remiſſio poſt ſeptimam.* Sexta hebdomas , quadrageſimusſecundus annus eſt , & tangere Athenienſes videtur : ſeptima quadrageſimusnonus , & ad Romanos pertinet. cùm dicat *poſt ſeptimam* : qui eſt quinquageſimus annus. Plato in ſuâ republicâ , paullo ſeriùs quàm alij, & admittit & dimittit. Nam legem fert , ſtatuitque ἀνδρὶ μὲν εἴκοσι μέχρι τῶν ἑξήκοντα ἐτῶν. γυναικὶ δὲ ἐπειδὰν παῖδας φύσῃ, μέχρι τῶν πεντήκοντα. *viro quidem annos viginti, vſque ad ſexaginta ; fœmina verò cùm pepererit, vſque ad quinquaginta.* Quæ ille de Militia , in quam & fœminas ſcilicet adſcribit.

Lib. I. in Som. Scip.

Græcorum par ratio. III. Olynth.

Platonis proprium ſcitum. VI. de Leg.

A cenſu milites capiuni.

„ *Excipio eos, qui infra drachmas quadringenas cenſi.*] Prima nota legendorum, fuit *Ætas*: altera nunc *Cenſus*. Tangit eam magis, quàm explicat , quia tunc nota. Nam Ser. Tullius rex cùm cenſum inſtituiſſet, in claſſes populum diuiſit, idque pro opibus: ex quibus dilectus atque alia reip. munia adminiſtrarentur. Nō enim profectò viliores quoſdam in militiam legebant , nec erat hoc inopiæ aſylum : ſed diuites, honeſtos, & quos res priuata rei quoque publicæ alligaret. Nabis tyrannus, apud Liuium , cùm diuerſa oſtendit Spartana inſtituta à Romanis : *Vos*, loquit, *à cenſu equitem , à cenſu peditem legitis.* Et exſtant ipſa diſcrimina & modus opum in claſſibus Seruianis, quas Liuius & Dionyſius deſcripsêre. Sed enim hîc nodus in Polybij verbis. Ait, *qui infra drachmas quadringenas* : quæ ſunt Romano more & eloquio, *quaterna millia æris.* An ergo talis aliqua finitio cenſus in claſſibus? nuſquam. Vide & examina. Imò illa infima. *Quinta* claſſis *vndecim millia* habuit, vt Liuius; ſiue *duodecim quingenta* , vt veriùs à Dionyſio ſcriptum. Infra hanc autem qui eſſent , *immunes fuêre militiâ*, vt Liuius ait. Quid dicendum igitur? quid, niſi mutationem aliquam , vt ſolet , interueniſſe ? Nam cùm olim tota *Sexta* claſſis vacua ſeriatáque eſſet,

L. I. XXXIV.

Hinc tri claſſes. Obſcuritas in Polybio.

Eadē pulſa.

A Polybij & ſuprà æuo, aliter: nec placuit tantam multitudinem munerum omnium eſſe expertem. Itaque inſtituta noua aliqua diuiſio (quando, neſcio: crediderim ſub bella Punica) & *Sexta* illa numeroſa claſſis diſtributa quaſi in tres iterùm claſſiculas, pro ratione cenſus. Prima fuit, de quâ hîc Polybius, eorū qui à *mille ducentis drachmis* (ſiue *duodecim millibus æris*) pertingerent ad *quadringentas*. Altera, qui ab iſtis ad *centum quinquaginta*. Tertia denique, qui ad *trigintatres*, paullu ſuprà. Hæc non à coniecturâ merâ ponimus , ſed Iulij Paulli verbis apud Agellium firmamus. Quærebatur qui eſſent *Proletarij* in verſo Ennij : atque ille ſic explicat : *Qui in plebe Romanâ tenuiſſimi pauperrimique erant , neque amplius quam* B *mille quingentum æris in cenſum deferebant , Proletarij appellabantur : qui verò nullo aut perquàm exiguo ære cenſebantur , Capitecenſi vocabantur. Extremus autem Capitecenſorum cenſus æris fuit trecenta ſexagintaquinque.* Hæc ſi attentè cum Polybianis iſtis conferſ , neceſſariò infers & elicis diuiſionem à me dictam. Sunt enim certè aliqui ſupra iſtum Proletariorum cenſum *mille quingentum æris* : Qui autem niſi illi *Quatermillenarij* à Polybio dicti ? Atque eſt etiam proportio aliqua in his gradibus, quòd primus ille à duodenis millibus ſic deſcendit , vt ſit eius quaſi triens ; alter , trientis huius iterùm triens, cum leui exceſſu ; tertius, non iam triens, ſed iuſtus quadrans , ſi tamen legas in Agellio *trecenta ſeptuaginta*- C *quinque*. quod faciundum arbitror, & video libros quoque variare.

Sexta claſſis diuiſa trina.

Ex Agellio adſtruitur. Lib. XVI. cap. X.

„ *Quos omittunt.*] Clarè habes, tenuiores iſtos ad militiam non vocari. Nunquam igitur ? imò verò, ſed in neceſſitate aut tumultu. Idem loco dicto Iulius Paullus : *Quoniam res pecuniaq́; familiaris obſidis vicem pignoriſque apud remp. eſſe videbatur, amoriſque in patriam fides quædam in eâ & firmamentum ; neque Proletarij, neque Capitecenſi, milites, niſi in tumultu maximo, ſcribebantur.* Itaque Ennij verſus huc ducit, & explicat:

Pauperes niſi in neceſſitate ſcripti.

Proletarius publicitus ſcutiſq́; feróque
Ornatur ferro, muros, vrbemq́; forúmque
Excubiis curant.

D Duo ibi notes , & quòd arma iis data è publico Ennius dicit; & quòd muros dumtaxat cuſtodierint & vrbem. Nam etiam cùm neceſſitas adigeret, non tamen in aciem hoc genus educebant, aut legionibus miſcebant , ſed in vrbe habebant ſub oculis & curâ ſeniorum: qui & ipſi in armis ſolent adiungi. Paullatim tamen & eò ventum (ſed poſt Polybij) vt Proletarij atque etiam Capitecenſi in militiam vulgò ſcriberentur. Salluſtius de Mario: *Ipſe milites ſcribere non more maiorum, neque ex claſſibus, ſed vti libido cuiuſque erat, Capitecenſos pleroſque.* Ecce , humiles eos ipſe iam Conſul legit, per eos ex humili talis factus. Plutarchus de eâdem re: Ἀναγορευθεὶς δὲ λαμπρῶς, εὐθὺς ἐστρατολόγει παρὰ τὸν νόμον καὶ τὴν συνήθειαν, πολὺν τὸν ἄπορον καὶ δοῦλον καταγράφων, τῶν πρόσθεν ἡγεμόνων οὐ προσδεχομένων τοὺς τοιούτους, ἀλλ' ὥσπερ ἄλλο τι τῶν E καλῶν, τὰ ὅπλα μετὰ τιμῆς τοῖς ἀξίοις νεμόντων, ἐνέχυρον τὴν οὐσίαν ἑκάστου τιθέναι δοκοῦντος : *Conſul declaratus ſplendide , ſtatim Dilectum habuit præter legem & morem , plurimos e pauperibus & ſeruili genere conſcribens : cùm antea Duces hos tales non ſuſcepiſſent , ſed arma quoque , vt aliud aliquid honeſtorum , non niſi honeſtis dignisq́; darent, cùm quiſque velut pignus rem familiarem opponere videretur.* In cuius verbis *ſeruile genus* verti, quod alij *ſeruos* fecerunt : parùm verè, neque vnquam ipſos ſeruos Marius legit, ſed libertinos & tales qui nati è ſeruis. Quo ſenſu tamen clariùs ſcribant, πολὺ τὸ ἄπορον καὶ δουλικόν: ſiue vt Ioſ. Sca-

In Iug. Capitecenſi ſcripti.

In Mario.

Incautius verſio in Plutarcho.

Digitized by Google

ligero placet, è ἄδηλον. Sed à Mario, vt dixi, principiũ; mox progreſſus. Nam bello Sociali cœpêre iã in militiam ſcribi, & manſêre. Eâ mente Liuij epitomen exaudio.: *Libertinos tunc primùm militare cœpiſſe.* Quid? non etiam antea? non ſub Mario? Ita, ſed pauci, nec ita vulgò. Nam quod in Liuio eſt iam olim, *Nec ingenui modò aut iuniores ſacramento adacti ſunt, ſed ſeniorum etiam cohortes factæ, libertinique centuriati:* id ſcilicet excuſes, quòd in tumultu, nec niſi ad tutelam vrbis. Sed propriè etiam Liuius *Libertinos* intellegit, τοὺς ἐξελευθέρους, id eſt, qui nati ex libertis: at Epitoma fortaſſe capienda de *libertis* ipſis. Ego ſuſpicor, nec vocem eam notione priſcâ ibi vſurpatam. vti nec in Macrobio, eâ ipsâ re: *Bello ſociali cohortium duodecim è libertinis conſcriptarum opera memorabilis virtutis apparuit.* Puto *libertos intellegi: & Appianus 1. Ciuil. in hac hiſtoriâ ἀπελευθέρους nominat, qui ſunt profectò iſti. Ita vides paullatim, quod dixi, tenuiores etiam ciues admiſſos: tamen ciues. quid ni? cùm etiam ſocij paullò pòſt ciuitate donati, & ex iis milites in legiones ſcripti.

„ *Reſeruant ad nauticum vſum.*] Quæ militia ſcilicet vilior, & talis habita ſemper. An quia periculorum ibi plus, & metus etiam ignauæ mortis? an quia parùm loci virtuti & robori militari? ars & nautæ pleraque adminiſtrant. An quia paullatim animos quoque dehoneſtat & corrumpit? Tale aliquid Plato indicat, & optat ciues ſuos Athenienſes (etſi militiâ eâ ſolâ claros) res maritimas numquam attigiſſe. Sed Romanis quidem perpetuum hoc iudicium: & pro eo Liuius: *Nauales ſocij*, inquit, *relictis nuper claſſibus ad ſpem honoratioris militiæ tranſgreſſi:* id eſt, terreſtris. Sic Tacitus: *facta & reliquis* (claſſicis) *ſpes in poſterum honoratioris militiæ.* Ergo iſti Sextani & viles, ait Polybius, ad mare ſepoſiti & aſſeruati. Exempla in Liuio: *Magna vis hominum conſcripta Romæ, libertini etiam, quibus liberi eſſent & ætas militaris, in verba iurauerant. Ex hoc vrbano exercitu, qui minores quinque & triginta annis eſſent, in naues impoſiti, alij vt vrbi præſiderent relicti.* Vbi ſilentio non tranſeo, quod addit, *quibus liberi eſſent:* vt ſcilicet quos opes reip. non adſtringerent, caritas iſta liberorum & alterum pignus vinciret. Et an non iſti, quos *Proletarios* Ennius dixit? Sed nefas fortaſſe à Paullo & Grammaticis diſſentire. Exemplum aliud in eodem Liuio: *M. Iunio Prætori datum negotium, vt in claſſem ſocios nauales libertinos legeret.* Et alibi: *Naues ciuibus Romanis qui ſeruitutem ſeruiſſent, completæ, ingenui tantùm præfecti.*

„ *Vrbanum magiſtratum non antè capere cuiquam fas.*] Mira & ad militiam bona lex, neſcio an alibi legenda. Obſeruetur. Ab honoribus excluſi, qui tot ſtipendia non feciſſent: & miramur frequentem & volentem militiam illam fuiſſe? Sed ait, *Vrbanum magiſtratum*: non ergo *militarem*; & certè Equites Tribuni in legionibus facti, poſt ſtipendia quina. Definit etiam *decem* ſtipendia. cur illa? quia hic modus & finis militiæ equeſtris, è quo genere plerique ad magiſtratus. An rigidè autem ſeruata hæc lex, non lubet nunc inquirere, & vereor vt perruptæ eius (quid non auſit & poſſit Ambitio?) ſint exempla.

Li. xxxiii. Libertini in militiâ. Lib. x. — Ex libertis. — 1. Saturn. cap. xi. — * Vel illa [illegible] — Naualis militia vilis. — iv. de Legib. — L. xxiii. — I. Hiſt. — Lib. xxii. E libertinis fere claſſis. — Li. xxxvi.

DIALOGVS III.

Ratio & modus legendi. Signa propoſita, dies edictus. Tribuni per legiones diſtributi. Sortitio tribuum, & alia.

QVI legerint, & *Quos*, è Polybio vidimus: nunc ex eodem, *Quomodo*. An aliquid habes, aut interpellas? AVR. Ego verò nihil, & vt ij qui valdè ſitiunt, ſilentio adhuc bibo. Sed didici etiam à viro *Ter maximo*: Συμφρονεῖν δεῖν τὸν ἀκούοντα τῷ λέγοντι καὶ συμπνεῖν, καὶ ὀξυτέραν ἔχειν τὴν ἀκοὴν τῆς τοῦ λέγοντος φωνῆς: *Conſentire dicenti diſcentem & conſpirare debere, ac celeriorem acutioremque auditum habere eius linguâ.* LIPS. Hoc verè, & in philoſophicis maximè, vbi inſtructio aut cura eſt animorum: hîc vbi delectatio aut doctrina exterior, cur obnoxium te præbeas aut ſilentem? Nolo, verò, & interloqui te cupio atque etiam obloqui, ſiquid viſum. Fræna tibi laxo, & do plenum ius. AVR. In tempore igitur vtar, nunc perge. LIPS. Imò tu perge, & Polybiana hæc conſequenter lege. Intereà quieuero.

Ἐπὰν δὲ μέλλωσι ποιεῖσθαι τὴν καταγραφὴν τῶν στρατιωτῶν, οἱ τὰς ὑπάτους ἔχοντες ἀρχάς, προλέγουσιν ἐν τῷ δήμῳ τὴν ἡμέραν, ἐν ᾗ δεήσει παραγενέσθαι τοὺς ἐν ταῖς ἡλικίαις Ῥωμαίους ἅπαντας. ποιοῦσι δὲ τοῦτο, καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν. τῆς δ' ἡμέρας ἐπελθούσης, καὶ τῶν στρατευσίμων παραγινομένων εἰς τὴν Ῥώμην, καὶ μετὰ ταῦτα συναθροισθέντων εἰς τὸ Καπετώλιον, διεῖλον σφᾶς αὐτοὺς οἱ νεώτεροι τῶν χιλιάρχων, καθάπερ ἂν ὑπὸ τοῦ δήμου κατασταθῶσιν, ἢ τῶν στρατηγῶν εἰς τέτταρα μέρη, διὰ τὸ τέτταρα παρ' αὐτοῖς στρατόπεδα τὴν ὁλοσχερῆ καὶ πρώτην διαίρεσιν τῶν δυνάμεων ποιεῖσθαι. καὶ τοὺς μὲν πρώτους κατασταθέντας τέτταρας, εἰς τὸ πρῶτον καλούμενον στρατόπεδον ἔνειμαν· τοὺς δ' ἑξῆς τρεῖς, εἰς τὸ δεύτερον· τοὺς δ' ἑπομένους τούτοις τέτταρας, εἰς τὸ τρίτον· τρεῖς δὲ τοὺς τελευταίους, εἰς τὸ τέταρτον. τῶν δὲ πρεσβυτέρων, δύο μὲν τοὺς πρώτους, εἰς τὸ πρῶτον· τρεῖς δὲ τοὺς δευτέρους, εἰς τὸ δεύτερον τιθέασι στρατόπεδον· δύο δὲ τοὺς ἑξῆς, εἰς τὸ τρίτον· τρεῖς δὲ τοὺς τελευταίους, εἰς τὸ τέταρτον. τῶν δὲ πρεσβυτέρων. γενομένης δὲ τῆς διαιρέσεως καὶ καταστάσεως τῶν χιλιάρχων τοιαύτης, ὥστε πάντα τὰ στρατόπεδα τοὺς ἴσους ἔχειν

Cùm verò Dilectum habituri ſunt, Conſules publicè diem prodicunt, quâ die Romanos omnes adeſſe oporteat, quibus ætas ſit militaris. Faciunt hoc penè quotannis. Cùm igitur dies adeſt, & militaris omnis iuuentus in vrbe, & mox in Capitolio congregata, tum diuidunt ſe Iuniores Tribuni eo ordine quo à populo ſiue ab Imperatoribus ſunt facti, in quattuor partes. Quia nimirum quattuor apud eos legiones totam & præcipuam copiarum diuiſionem faciunt. Et primos quidem deſignatos quattuor Primæ legioni dicta adtribuunt; tres proximos Secundæ, quattuor aliòs Tertiæ; denique tres vltimos Quartæ. Seniorum verò Tribunorum, duos quidem primos Primæ; tres alios Secundæ; duos ſequentes Tertiæ; denique tres vltimos Quartæ. Factâ autem diuiſione Tribunorum eiuſmodi, vt omnes legiones iam pari numero habeant

ἔχειν ἄρχοντας, μετὰ ταῦτα καθίσαντες χωρὶς ἀλλήλων κατὰ στρατόπεδον, κληροῦσι τὰς φυλὰς κατὰ μίαν, καὶ προσκαλοῦνται τὴν ἀεὶ λαχοῦσαν. ἐκ δὲ ταύτης ἐκλέγουσι τῶν νεανίσκων τέτταρας ἐπιεικῶς τοὺς παραπλησίους ταῖς ἡλικίαις καὶ ταῖς ἕξεσιν. προσαχθέντων δὲ τούτων, λαμβάνουσι πρῶτοι τὴν ἐκλογὴν οἱ τοῦ πρώτου στρατοπέδου, δεύτεροι δ' οἱ τοῦ δευτέρου, τρίτοι δ' οἱ τοῦ τρίτου, τελευταῖοι δ' οἱ τοῦ τετάρτου. πάλιν δ' ἄλλων τεττάρων προσαχθέντων, λαμβάνουσι πρῶτοι τὴν αἵρεσιν οἱ τοῦ δευτέρου στρατοπέδου, καὶ ἑξῆς, οὕτως. τελευταῖοι δ' οἱ τοῦ πρώτου. μετὰ δὲ ταῦτα πάλιν ἄλλων τεττάρων προσαχθέντων, πρῶτοι λαμβάνουσιν οἱ τοῦ τρίτου στρατοπέδου, τελευταῖοι δ' οἱ τοῦ δευτέρου. καὶ ἀεὶ κατὰ λόγον οὕτως ἐκ περιόδου τῆς ἐκλογῆς γινομένης, παραπλησίους συμβαίνει λαμβάνεσθαι τοὺς ἄνδρας εἰς ἕκαστον τῶν στρατοπέδων.

habeant duces, tum ſedentes ſeiuncti & ſeorſim Tribuni cuiuſq; legionis, tribus ſortiuntur ſingillatim, & euocant vt in quamq; ſors cecidit. Ex eâ eligunt quatuor iuuenes ætate & habitudine propemodum æquales. Quibus productis, primi electionem faciunt Primæ legionis Tribuni; ſecundi Secundæ; tertij Tertiæ; vltimi Quartæ. Iterúmque quatuor productis, primi electionem habent Secundæ legionis Tribuni; & ſic deinceps, vltimi verò Primæ. Poſt hæc denuò quatuor productis, primi capiunt Tertiæ legionis Tribuni, vltimi verò Secundæ. Atque ita ſemper electione alternante & in orbem eunte, fit vt pares admodũ capiantur in quamq; legionem.

Iam ſuſtine, & audi. Tribunos creauit, numerauit, de ætate & cenſu adiunxit: nunc denique Modum & formam exponit Dilectus.

Cõſules Dilectui præſunt, Tribuni eligũt.

„ *Conſules diem publicè prodicunt.*] Etſi enim Tribuni electi, tamen præcipua dilectuum Cõſoles ipſi obeunt, & ſummæ rei præſident, Tribuni adminiſtrant & exſequuntur per partes. Polybius de rep. Romanâ, inter munia conſularia hoc recenſet, καταγράφειν στρατιώτας καὶ τοὺς ἐπιτηδείους ἐκλέγειν: *Conſcribere milites, & idoneos deligere.* Liuius non ſemel narrat: *Conſules poſitis ſellis dilectum habebant.* Vbi & aliquid de formâ. nam in curulibus ſuis ſedebant, ſpecie magiſtratus. Dionyſius lib. VIII. *Conſules in ſubiecto campo curules ſellas* (τοὺς στρατηγικοὺς δίφρους) *poſuerunt, vbi & dilectum habuerunt.* Vt nouũ notat, quòd in campo. nam ſolent in Capitolio, vt iam dicemus: ſed eò factum, quò Tribunitiæ interceſſiones vitarentur, quibus non ibi locus.

Lib. III. Sedent in curulibus.

Diei proditio.

„ *Diem prodicunt.*] Voce præconis, an ſcripto, an vtroque? De ſcripto credo, cùm ordinaria res fuit: de voce etiam, cùm aliquid ſubitum, & ſcriptum videbatur tardum. Scriptum Dionyſius ingerit: προέγραψαν ἡμέραν: *diem proſcripſerunt*, in hac re & Liuius, qui *Edictum* nominat: *Iuniores Romam ad edictum ſine detractatione conuenerunt.* Sic etiam alibi: *Silentio patrum edicitur dilectus.* Nunquid & aliud huic rei ſignum? ita, ſed non niſi ſub ipſum conuentus diem. Nam ſignum tunc ex arce tollebant, ſeruabántque donec is ſolutus. Arnobius inter ea, quæ olim vſitata, poſtea aboleuerant: *Cùm paratis bella, ſignum mon-*

Lib. VIII. Aut proſcriptio. Lib. VI.

Item ſigni ſublatio.

ſtratis ex arce? Virgilius alluſit:

Lib. VIII.

> *Vt belli ſignum Laurenti Turnus ab arce*
> *Extulit.*

Lib VIII.

Dionyſius apertiſſimè: προέθεσαν τὰ τοῦ πολέμου σημεῖα, καὶ τὰς δυνάμεις τῆς πόλεως κατέγραφον: *Propoſuerunt belli ſigna* (Conſules) *& copias vrbanas conſcripſerunt.* Ex quo ſuſpicère, hæc ſigna ſola aliquando propoſita, & fortaſſe præcones circummiſſos, cùm res non ferret moram. Sanè Seruius in Virgilianũ illum locum vult non niſi in Tumultu id factum: & agnoſcit non ſignum, ſed ſigna (quo numero & Dionyſius) *duplex ſcilicet vexillum, ruſſeum & cæruleum, illud ad pedites, hoc ad equites conuocandos.* Non auſim ſubſignare, cùm Liuius vnius tantùm meminerit: *Cùm*, inquit, *vexillo in arce poſito, comitiorum cauſſâ, exercitus indictus eſſet.* Feſtus in voce Iuſti: *Iuſti dies dicebantur triginta, cùm exercitus imperatus, & vexillum in arce poſitum eſſet.* Dio Caſſius diffuſè ſatis ſuper hoc ritu ſcribit (tu vide) idémque notat in comitiis centuriatis ſolere ſeruari, etiam Tulliano æuo: at centuriata quædam comitia fuêre hæc noſtra, ad Dilectum. Quòd autem idem *arcem Ianiculi* definiat, ambigo: cùm ſic *Arx* ſine definitione poſita Capitolinam magis deſignet, ἐξόχως: & Seruius diſertè de eâ adfirmet. Quid quòd ipſe Dilectus in Capitolio? id enim iam ſequitur.

Li.XXXVI.

Li.XXXVII.

In Capitolio dilectus.

„ *In Capitolio.*] Siue in eius areâ, vti opinor. Sed in loco tamen auguſto, ſacro: & quare? niſi vt ante oculos religio & Iupiter opt. max. obnoxios magis omnes fractioréſque redderet ad parendum. Nam ſæpe hîc controuerſiæ & turbæ. Pertinet ad hunc ritum, quod Liuius de Marcello Conſule: *Ipſe dimiſſis Siculis, in Capitolium ad dilectus diſceſſit.* Nec Dilectus ſolùm, ſed alia quæ ad bellum, illic agitata, ſi credis Appiano: ἡ δὲ βουλὴ ἐς τὸ Καπιτώλιον, ἔνθα εἰώθασι περὶ πολέμου σκοπεῖν, συνῆλθε. *Senatus in Capitolium, vbi ſuper bello deliberare ſolent, conuênit.*

Lib.XXVI.

Et bella. In Lybic.

„ *Iuniores Tribuni.*] id eſt, equites: ab ætate tales, aut ſtipendiis.

Primi Tribuni laudi [illegible]. Lib.XXI.

„ *Eo ordine quo à populo aut Impp. ſunt facti.*] Ne æmulatio ſcilicet exſiſtat aut ambitus de locis. Nam in primis, aliquis honos. Ita in Liuio: *L. Atius Tribunus primus legionis ſecundæ*, quaſi per laudem dicitur. Hoc igitur cauerunt, inquit, & locarunt eos vti deſignati. Atqui miſcella iſta deſignatio: * pars à populo, pars à Conſulibus: ergo & plures loci primi, aut ſecundi. Quæ hîc deciſio? ego pro meo ſenſu dabo. Primùm vnius generis omnes vno loco ſunto, id eſt Equeſtres aut Plebeij. Iam in Equeſtribus ſi duo primi (vnus videlicet à populo, alius à Conſule:) me arbitro præeat ille Popularis. Nam publica illa ſuffragia ſemper honeſtiſſima habita, & viri clari ferè à populo hunc ipſum Tribunatum petierunt. Hiſtoriæ docebunt, cùm obſeruabis. Idem in Plebeiis cenſeo, præiſſe inquam Populares vbi idem gradus.

* Vide lib. II. Dial. X.

„ *Quatuor apud eos legiones.*] Ita plerunque ſub id æui factum: & cuique Conſuli adtributæ duæ legiones. Polybius ita ferè numerat, & metationẽ caſtrorum, aliaq;, ad hũc modum aptat. Sed & Liuius: *Volumnius in Etruriam cum iuſto conſulari exercitu profectus.* Et alibi: *Duo Conſulares exercitus ſcripti.* Vtrobique hos intellegit duarum legionum. At poſtea creſcente imperio, & Prætoribus creatis qui in prouincias mitterentur, & ſæpe ad bella: notum teſtatúmque eſt plures legiones ſcriptas. Quid poſtea? imò iam ante Polybij æuum, quoties magnum aliquod aut dignum diſcrimen eſſet. Ita ſub

Lib.X.

Conſulares exercitus. Lib.III.

Plures [illegible]

initium

ioitium ſtatim liberatæ vrbis, M. Valerio Dictatore, *quantus numquam exercitus* (ſunt verba Liuij,) *decem legiones effecta.* Quin idem generatim prodidit lib. IX. *in omni ſociorum defectione, vrbano propè dilectu, decem ſcriptas legiones.* Sunt profectò magnæ copiæ, & præſertim capitum ſic electorum: idque ex vnâ Romanâ vrbe. Quid tamen admirationem hîc defigam? cùm bellis Punicis, atque adeò poſt cladem Cannenſem, ciuibus tam multis illic & alibi amiſſis, ſociis paſſim deficiéntibus, legam *duodeuiginti legionibus rem geſtam.* Et ſtatim pòſt, *Summam trium & viginti legionum effectam.* Hæc ita ſuis locis Liuius. At illud iam pænè ſupra fidem, cùm in expectatione & metu bellum Gallicum eſſet, Romanos & ſocios armaſſe numerum quem Plinij verbis magis eſt vt dicam: Ille ſic: *Italia L. Æmilio Paulo* (*Papo* legendum) *C. Atilio Regulo Conſulibus, nunciato Gallico tumultu, ſola ſine externis vllis auxiliis, atque etiam tunc ſine Tranſpadanis, equitum octoginta millia, peditum ſeptingenta millia armauit.* Quid adſtupeſcis? Oroſius auget etiam hunc numerum, & quidem Fabio auctore. *In vtriuſque Conſulis exercitu octingenta millia armatorum fuère, ſicut Fabius Hiſtoricus, qui eidem bello interfuit, ſcripſit. Ex quibus Romanorum & Campanorum fuerunt peditum trecenta quadraginta octo millia ducenti, equitum verò viginti ſex millia ſexcenti. Cetera multitudo ſociorum fuit.* Sed Polybius (fideliſſimus in talibus ſcriptor) ad Plinianum calculum accedit, ſummâ etiam per ſingulas gentes conceptâ. Si voles, vide. Iam verò per bella ciuilia Romana quæ copiæ? Vnus Cornelius Cinna, vt Velleius ait, *ex nouorum ciuium dilectu trecentas amplius cohortes ſcripſit, & triginta legionum inſtar effecit.* Pompeij, & Cæſaris bello, ſparſas in variis locis pluſquam *quadraginta legiones* memini adnotare. Quid in Mutinenſi & Philippenſi? (bonâ fide numero) ſupra *quinquaginta*: Imò malâ fide numero, & deminuo. Appianus enim auctor, ſoli Octauiano Cæſari fuiſſe, *quadraginta legiones, cùm bellum pararet in Antonium, Domitium Ænobarbum, & Sextum.* Et quid cenſes de tribus illis aliis, copias pares aut maiores non habuiſſe? Verè ſtupenda iſta: ſicut & hoc eiuſdem Appiani, in vnâ Siciliâ, vno tempore, *legiones fuiſſe quadragintaquinque, equitum vigintiquinque millia, leuis armaturæ tantundem & plus dimidio, naues longas & militares ſexcentas, onerarias ſine numero.* Hæc ſcriptor ille narrat & adfirmat; cùm Sextus Sicilia pulſus fuit, & Lepidus ab Octauiano exarmatus. Et quid ais de potentiâ Romanâ? nónne hoc ſpecimen? & nónne ille verè, qui ſcripſit, *Romanis viros & ſobolem militarem, tanquam è perenni fonte domi affluxiſſe?* Nónne & Pyrrhus haud iniuriâ queſtus, *videri ſibi pugnam cum Lernæâ quadam hydrâ ſuſceptam, cui capite vno reſecto, aliud aliúdq; duplicetur & accreſcat?* Atqui hæc à pulcherrimo iſto Dilectu fuerunt, in quo pergamus.

Lib. II. Potentia & frequentia Romanorum. — Lib. XXIII. Lib. XXIV. Viginti tres legiones. — Italia olim vires. Lib. III. cap. XX. — Lib. IV. cap. XIII. — Lib. II. — Lib. II. — Legiones triginta. — v. Ciuil. Quadraginta. — Viribus bonis duellat. — Plut. in Pyrrho. Ibidem.

„ *Primos deſignatos quatuor primæ legioni attribuunt:* Ingenioſa diuiſio, vt omnia in hac militiâ, nec prudentiæ tantùm, ſed acuminis plena. Miſcuerunt plebeios cum equeſtribus: ſed ita vt hi, alternante numero, aut pares eſſent aut ſuperiores. Ita primorum ciuium par aut maius ſemper imperium. Quid autem ſi plures legiones? eadem ratio. Pone ſex: erunt Tribuni Iuniores viginti & vnus: Seniores quindecim. Mixtio eadem. Quid ſi vna legio tantùm? credo Iuniores numero præſtitiſſe, & quaternos fuiſſe.

Mixtio Tribunorum.

„ *Seniorum verò Tribunorum.*] Cauſſam nominis intellegis, quia annis aut certè ſtipendiis maiores. Vir benè doctus Grucchius cenſet hos eoſdem *Veteres* à Cicerone appellatos: *Hi tres homines, veteres Tribuni militares ſunt deſignati.* At Aſconius aliter, qui explicat, *Veteres graues & ſenes.* Diſtinctiuncula igitur mutanda, ſcribendumque *Homines veteres.*

Seniores Tribuni. — II in Ver. — Cicero aliter intellegendus.

„ *Sedentes ſeiuncti.*] Hoc vult, ſenos & ſenos diſcretos fuiſſe & interuallis diuiſos eo fine, vt quique ad ſe vocarent & ſeponerent ſuos.

„ *Tribus ſortiuntur.*] Itáne Tribus? at ego claſſes & centurias exſpectabam, quia ſecundùm eas, imò ex eis milites lecti. Verum eſt: ſed & hoc quoque, in omnibus comitiis centuriatis populū diuiſum fuiſſe per Tribus: at in ipſis deinde tribubus, centuriæ & diſcrimen claſſis. Crede hoc (ne longiùs à re abeam) facilè & prolixè aliter docturo. Sed ecce in ipsâ noſtrâ re quòd iā olim tribus, Liuius ſatis auctor: *Dilectum haberi non ex toto populo placuit, decē tribus ſorte ductæ, ex his ſcriptos Iuniores duo Tribuni ad bellū duxère.* Hoc ille non longè poſt Decemuiros exactos: Et nota inibi, non omnes ſemper tribus vocatas ad Dilectum, ſi exigua aliqua manus ſcribenda. Quid opus, cùm tam multæ (XXXV. erant) & tam frequentes? quod ex cēſibus poſterioris æui ſatis liquet. At quæras, Cur hîc ſors adhibita? cur nō hanc illamve vocabant, arbitrio Conſulum? Cauſſâ duplici, vel vt æmulatio tolleretur, ne hæc poſthabita illi videretur: aut querela, ne iſta aut alia onerari, ſi fortè dilectus non iret per omnes.

Quomodo è tribubus lecti. — Et è claſſibus. — Lib. IV.

„ *Singillatim.*] Ita capio, vt non ſolùm alia poſt aliā ſorte ducta ſit, ſed etiam Capitolium ingreſſa. Nam iūctim plures aut omnes nō ceperit locus. Et opus laxitate aliquâ, vt Conſules præſiderent, Tribuni ſederent, milites ſeiungerentur componerentúrque.

„ *Ex eâ verò eligūt.*] En iam electio, nec ſortis vltrà mentio. Tribus ſic vocata in centurias ſuas iuit, omiſſis tamen ſenioribus: quos aduocari in ſuperuacuum, nihil opus. Ex ſingulis tum centuriis, & pro cēſu ac claſſe, milites citati nominatim. Dico *nominatim*: & aliquoties in hac re leges. Itaque Tabulas ad manum fuiſſe opus eſt, in quibus nomina, ætates, & opes. Iſta igitur electio: nec aliter potuit, aut debuit. Appianus tamen immutatum id oſtendit bello Hiſpanico L. Lucullo Conſule, qui fuit annus vrbis DCII. Ait: ἐς στρατιὰν δ᾽αὖθις ἐκλήρουν ἐς Ἰβηρίαν, τότε πρῶτον ἀντὶ καταλέξεως: *Et exercitum ſorte ſcripſerunt in Hiſpaniam, tunc primùm loco dilectus.* Obſerua, atque etiam quam edit cauſſam. *Cùm enim multi*, inquit, *accuſarent Conſules quòd iniuſtè & iniquè dilectus haberent, & quoſdam ad leniores aut minùs periculoſas expeditiones caperent, viſum tunc Senatui ſorte milites ſcribere.* Cauſſa ſpecioſa, nec ambigo quin ſæpe vera. Sicut enim factum vellent Conſules, non in longinquam eum aut aſperam militiam ſcribebant, ſed reſeruabant in mitiorem, vt *per oppida militiam expleret* (vtar Taciti verbis in re ſimili) *nitidus & quæſtuoſus.* Cùm id ſæpiculè fieret, animaduerſum, & publicè culpatum. Sed enim duo hîc quæro. Prius, an tunc primùm milites ſorte capti? Negat Valerius, qui adhibet in dilectu M'. Curij, ætatibus aliquot antè. *M'. Curius*, inquit, *Conſul cùm dilectum ſubitò edicere coactus eſſet, & Iuniorum nemo reſpondiſſet, coniectis in ſortem omnibus tribubus, Polliæ quæ proxima exierat, primum nomen vrnâ extractum citari iuſſit.* Vides ſortitionem tribuum fieri, nec id tantùm, ſed ipſum nomen extrahi vrnâ. Reſpondeo, id hîc præter morem paullò, atque ex occaſione factum. Res enim ſubita fuit, & ſcripti velut in tumultu, non curioſo dilectu, ſed ſorte. Itaque vocauit, & ſortitus eſt tribus, ex tribu quæ prima, hunc aut illum iuuenem: ſiluerunt & de-

Ratio & modus eligendi. — Sorte aliquando capti. — In Iberic. — Valerij locus excuſſus. Lib. VI. cap. III.

trectarunt : quid ipſe? exemplo & ſeueritate eſſe opus vidit. Ergo iterùm (ne in primam illam tribum aut citatos videretur deſtinatò ſæuire : ſiue etiam vt locus pœnitentiæ eſſet) iterùm inquam tribus coniecit in ſortem. Tunc proxima (nota *proxima*, id eſt ſecunda : alioqui certè hæc *prima* eſſet atque ita ſcribenda) exiit Pollia. Ex hac ipſâ, vt omnia ſorti permitteret, & nequis diceret ſe in plurium culpâ eximiè electum ad pœnam, iterùm militem ſortitus eſt : & quem ſors dedit, vocauit. Renuentem, vendidit. Ergo rarum hoc exemplum, nec niſi in re tumultus. Alterum, ſuper quo ambigo, An poſtea ſortitio iſta ſemel vſurpata manſerit? Minimè. ipſe Appianus admonet, quinquennio circiter pòſt rediſſe eos ad morem ſolitum : & *Fabio Æmiliano permiſſum, vti militum dilectus iterùm haberet :* verè dico dilectus. Sub hoc tempus Polybius vixit : ideóque nec ſortem iam agnuſcit.

Sors ſtatim deſiit.

E tabulis citati.

„ *Quattuor iuuenes, ætate & habitudine propemodum æquales.* An id ex aſpectu, an è tabulis? Imò verò è tabulis. Nam vt ætatẽ ex aſpectu diiudicare potuerint ; non certè cenſum, cuius habita maximè ratio. Et ait, *iuuenes* : ſignificans, quòd ab infimo genere militum orſi, id eſt, Velitari. In hac autem citatione ſeruatum per religionem, vt primus miles boni nominis eſſet. Captabant enim ex eo omen. Cicero: *In dilectu conſules obſeruant, vt primus miles fiat bono nomine.* Feſtus : *Lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur ruendus* (puto, *fruendus.* nec terram aut rudera quotannis, ſed piſces ex eo fructúmque capiebant) *ominis boni gratiâ, vt in dilectu censúve primi nominantur Valerius, Saluius, Statorius.*

Miles boni nominis, de Dilectu.

„ *Primi electionem faciunt Primæ legionis Tribuni.*] Negari non poteſt, quin hæc commoda & ingenioſa electio, & vt viri ac vires æqualiter in legiones diſtribuantur, ſine querelâ.

DIALOG. IIII.

Quædam Polybio non dicta. Subitarij milites. Pœna & coërcitio non parentium. Item de Vacationibus.

ABSOLVI Polybiana hæc & illuſtraui : éſtne quod requiras? AVO. O te benignum! vtar hac comitate, & ſubiiciam quod animo voluo. Vtrùm ſemper cunctus hic Dilectus? & in omni bello? LIPS. Minimè. Pone in vicino hoſtem : pone repens alibi periculũ, & auxilium ſubitò ferendum : omittebant tribus, cẽturias, ſortes, & militem confuſè ac raptim capiebant, educebant. Id genus *Subitarios* vocabant. Liuius : *Senatũ Conſules vocant, iubentur ſubitarium ſcribere exercitum, atque in Algidum ducere.* Idem: *Hernici & Colonia Antium dare Quinctio ſubitarios milites (ita tum repentina auxilia vocabant) iuſſi.* Ac ſolent iſtos ſcribere in tumultu. Liuius : *Senatum cenſere ſubitarios milites, tumultus cauſâ conſcriptos, primo quoque tempore dimitti.* Atque ita ſcribere, vt ſine diſcrimine aut excuſatione ſæpe cogerentur, iuuenes ſenéſque, Liuius: *Iuſtitium indici ; Dilectum omnis generis hominum haberi Senatus iuſſit.* Iterum: *Nec Iuniores modò conſcripti, ſed Seniores etiam coacti nomina dare, vt vrbis cuſtodiam agerent.* Et alibi: *Dictator omnes Iuniores nullo detrectante militiam, ſacramento adegit.* Tale fuiſſe dico in M'. Curij dilectu, de quo ſuprà : & ideò ſortem adhibitam, non electionem, quia res feſtina. Satis tibi factum? AVO. Hic ſatis: poſco aliud. Dixiſti citatos nominatim ſingulos:

Neglectus interdũ dilectus: et ſubitò ſcripti.

Lib. III. Ibid.

Lib. XI.

Lib. X. Lib. V.

De citatis.

quid ſi non prodirent? & quæ coactio? LIPS. Iure hoc quæris, & miror Polybio omiſſum : ſed ego repònam. Inuenio igitur pronos interdum & ſpontaneos valdè in militiam fuiſſe, interdum contrà. Pronos, cùm aut dux gratioſus, vt de Q. Fabio Liuius : *Concurſus inde ad Conſulem factus omnium fermè Iuniorum, & pro ſe quiſque nomina dabant. Tanta cupido erat ſub eo duce ſtipendia faciendi.* Aut bellum aliquod in ſpe lucri. vt de bello Perſico idem Liuius: *Licinius veteres quoſque ſcribebat milites, & multi voluntate nomina dabant, quia locupletes eos videbant qui priore bello Macedonico, aut aduerſus Antiochum in Aſiâ, ſtipendia fecerant.* In his talibus igitur vix citatione opus. At contrà in aliis, & ſæpè citati ad nomen nec reſpondebant. Propria ea hîc locutio. Liuius : *Iuniores cùm ſine prouocatione imperium eſſet, ad nomina reſponderunt.* Et ſæpe in eodem. Dionyſius alibi vertit, προσιέναι τῇ καταγραφῇ, *accedere ad Dilectum* : quia non voce ſolùm & reſponſo, ſed corpore & progreſſu ſe ſiſtebant Tribunis. Sicut contrà, non reſpondebant, qui ſilebant & ſe ſubtrahebant. Sed nunquid pœna his talibus? fuit. Polybius nec id dixit: ego breuiter, ſiquid lêgi alibi aut collegi. Ac video eſſe qui de *Multâ* hîc ſuſpicentur, quia Varro ita apud Agellium : *M. Terentius Varro, quando citatus neque reſpondit, neque excuſatus eſt, ego ei vnum ouem multam dico.* Sed profectò pro reliquâ ſeueritate in militiâ, leue iſtud & lene ſit : ac potiùs Varroniana ceperim de citatione iudiciaria & ad magiſtratuum tribunal. In Dilectu quidem reperio coërcitionem magis arctam, & pœnam, non mulctam. Primùm *Vincla*, vt in Dionyſio : Πολλοὺς τῶν πολιτῶν ἐκέλευον εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπάγειν: *Multos ciuium iuſſerunt* (ipſi Conſules) *in vincla & carcerem duci.* Itaque prehendi eos iubebant, & ſic in Liuio: *Quemcunque lictor iuſſu Conſulis prehendiſſet Tribunus mitti iubebat.* Nam Tribuni etiam, prauo certamine, ſæpe interueniebant, & vim Conſularem frangebant. Legas & collum iis tortum, vt ſcilicet ducerentur. In eodem Liuio; *Hoc decreto Conſul armatus, cùm paucis appellantibus Tribunum collum torſiſſet, metu ceteri ſacramento dixère.* Sed & interdum *Virgæ* adhibitæ in contumaces. Liuius: *Acerbitas in dilectu non damno modò ciuium, ſed laceratione corporum, partim virgis caſis qui ad nomina non reſpondiſſent, partim in vincla ductis, inuiſa erat.* Sed interdũ, nec niſi à Conſulibus immodicè ſeueris. Magis illud, quod ibidem tangitur, *Damno* affectus ciues: id eſt, direpta aut vendita eorum bona. Dionyſius hoc diducit, & copioſè narrat de Valerio & Fabio Conſulibus, qui dilectum extra vrbem habebant (nouo more) ne poteſtas eorum à Tribunis interpellaretur. Atque illi, inquit, *eos qui non parebant, ſi ipſos ducere non poterant* (abſentes ſcilicet) *in bonis damno afficiebant. Qui prædia agróſque habebant, excidebant, deuciebant; qui in conducto habitabant, eorum agebant ferebántque ſupellectilem, boues, pecora, & iumenta, & inſtrumentum omne ruſticum.* Imò verò interdum *extremâ pœnâ* affecti & morte ciuili, id eſt venundati in ſeruitutem. Valerius : *Tunc M'. Curius, præfatus non eſſe opus reip. eo ciue qui parère neſciret, & bona eius & ipſum vendidit.* Varro in hoc ipſo facto: *Curius Conſul, in Capitolio cùm dilectum haberet, nec citatus in tribu ciuis reſpondiſſet, vendidit tenebrionem.* Vterque, vt vides, clarè de venditione eius. Eò miror in Liuij epitomâ ſcriptum : *Curius Dentatus cùm dilectum haberet, eius qui citatus non reſpondebat, bona vendidit.* Bona tantùm? mutilum arbitror, & iuuat lectio ſcripta: *bona primus vendidit.* Imò verò, *bona primùm, mox eum vendidit.* Sic aut fuit, aut eſſe debuit:

Interdũ voluntarii.

Lib. X.

Lib. XLII.

Interdum refractarii. Reſpondere ad nomen.

Lib. III. Lib. VIII.

Pœna detrectantiũ.

An Multa fuerit? Lib. XI. c. I.

Primò vincla. Lib. X. Lib. III.

Lib. IV.

Et verbera. Lib. III.

Bonorum ablatio.

Lib. VIII.

Libertas adempta. Lib. VI. cap. III.

Apud Non. in Teneb.

Lib. XIV. Epitome Liuij Epitom.

ſe adfirmat hunc ordinem Valerius, qui multa ſua è Liuio hauſit. Sed hæc quidem pœna æris, & rata: ab Auguſto tamen etiam vſurpata in eo, qui *duobus filiis adoleſcentibus, cauſſâ detrectandi ſacramenti, pollices amputaſſet, ipſum* (ait Suetonius) *& bona ſubiecit haſtæ.* Sed idem Auguſtus detrectantes militiam, & bonis & famâ mulctauit, apud Dionem, ſortitione tamen factâ. Καὶ ἐπεί, inquit, μηδεὶς τῶν στρατεύσιμον ἡλικίαν ἐχόντων καταλεχθῆναι ἠθέλησεν, ἐκλήρωσεν αὐτούς, καὶ τῶν μὲν μηδέπω πέντε καὶ τριάκοντα ἔτη γεγονότων τὸν πέμπτον, τῶν δὲ πρεσβυτέρων τὸν δέκατον ἀεὶ λαχόντα, τήν τε οὐσίαν ἀφείλετο καὶ ἠτίμωσεν: *Et quoniam Iuniorum nemo in militiam allegi vellet, ſortitus eſt eos: & eorum qui nondum quinque & triginta annos expleſſent, quintum quemque; eorum qui maiores, decimum ſorte ductos, & bonis priuauit, & infamiâ notauit.* Vbi diſcrimen pœnæ factum in iis qui minores triginta-quinque annis, quia hæc ætas pauciorum ſtipendiorum, & vegeta maximè, & geſtire ad militiam debebant. Iſta olim. & agnoſcit Menander I.C^tus^ illã ſeruitutis pœnam, etſi in æuo ſuo mutatam. *Qui ad dilectum olim,* inquit, *non reſpondebant, vt proditores libertatis, in ſeruitutem redigebantur: ſed mutato ſtatu militiæ, receſſum à capitis pœnâ eſt, quia plerumque voluntario milite numeri ſupplentur.* Habes pœnas, quas tamẽ ſæpe Tribuni tardabant, aut tollebant. Illi enim intercedebant, & de cauſſis etiam cognoſcebant. Itaque hac arte dilectus ſæpe impediebant, cùm aliquid à Patribus vellent expreſſum. Liuius: *Tribuni, ſuo more, impedire dilectus.* Dionyſius: *Et cùm nomina,* inquit, *non darent, impotentes erant Conſules eos iuxta leges punire.* Προειστήκεσαν γὰρ τοῦ πλήθους οἱ δήμαρχοι, καὶ κωλύσειν ἔμελλον εἴ τις ἐπιχειρήσειεν ἢ τὰ σώματα τῶν ἐκλιπόντων τὴν στρατιὰν ἄγειν, ἢ τὰ χρήματα φέρειν: *Stabant enim pro plebe Tribuni, & impedituri erant ſi quis tẽtaſſet aut corpora eorum ducere qui militiam detrectabant, aut bona auferre.* Atque obiter iſtic nota duplicem illam pœnam. Sed & cognitio ipſa ſæpe ad Tribunos tracta. vt in Liuio: *Cùm milites Tribunos plebis adiſſent, vti cauſſas cognoſcerent eorum quibus aut emerita ſtipendia, aut morbus cauſſa eſſent, quò minùs militarent.* Etſi prima & propria hæc cognitio Conſularis. Ipſe Liuius: *Centuriones citati Tribunos plebis appellarunt. duo ex collegio ad Conſules reiicebant, eorum cognitionem eſſe debere quibus dilectus quibúſque bellum mandatum eſſet. Ceteri cognituros ſe de quo appellati eſſent, aiebant. &, ſi iniuria fieret, auxilium ciuibus laturos.* Et ſtatim addit: *Ad ſubſellia Tribunorum res agebatur.* Coërcita tamen interdum hæc Tribunorum licentia, præeunte decreto Patrum. In Liuio: *Tribunos plebis non placere cauſſas militares cognoſcere, quò minùs ad edictum conueniretur.* At enim haud inintiâ quæres, Quæ cauſſæ igitur iuſtæ ad detrectandum? Triplices. nam & hoc huic notitiæ addam. Prima, *Vacatio.* atque ea triplex, ab *Ætate*, ab *Honore*, à *Beneficio.* Ab ætate, vt cùm aliquis ſupra quinquageſimum annum, ſiue impleuit ſtipendia ſua ſeu non impleuit (puta non ſcriptum ſemper, aut aliâs ægrotaſſe) is talis vacat. Suprà dictum. Ab honore, vt ſiquis in magiſtratu, aut ſacerdos. Nec enim aut illi à rep. aut iſti abducti à ſacris. De illis ratio & exempla dictant; de iſtis & auctoritas: Nam Plutarchus elatè, θέσθαι νόμον ἀφεῖσθαι τοὺς ἱερεῖς τῆς στρατείας χωρὶς ἂν μὴ Γαλατικὸς ᾖ πόλεμος: *legem poſitam, quâ ſoluebantur militiâ ſacerdotes, niſi ſi Gallicum bellum eſſet.* Iam à Beneficio, vt ſicut Senatus populúſve dediſſet. Factum id ſæpe pro meritis, aliâs in annos, aliâs in æuum. In annos, vt apud Liuium, *Pranestinis militibus Senatus duplex ſtipendium, & quinquennij militiæ vacationem decreuit.* In quinque ccce annos decreuit, qui de legitimo ſtipendiorum numero deducerentur. Aliâs tamen largiùs, & in æuum. vt apud Ciceronem indefinitè, *P. Vatienus & agro à Senatu, & vacatione donatus eſt.* Apud eundem: *Militibus veteranis, qui libertatem populi R. defendiſſent, his liberiſq; eorum vacationem militiæ eſſe.* Iſta Senatus, ſed dedit & populus. vt apud Liuium: *Conſul cum Tribunis plebis ageret, vt P. Æbutio emerita ſtipendia eſſent, neu inuitus militaret.* Atque hæc de primâ cauſſâ, quæ eſt Vacatio. Altera, *Emeritum.* Qui enim ſtipendia ſua viginti finiſſet, tutò non dabat nomen. Suprà dictum. Cauſſa tertia, *Morbus aut Vitium*, quæ latè patet. Nam & manci aut debiles, non habiles ad militiam iudicati: & nominatim ij, quibus pollices aut digiti non eſſent. Ex Suetonio ſuprà adduxi de patre miti & immiti: & ſimile in Valerio, *C. Vettienum ſiniſtra manus digites, ne bello Italico militaret, ſibi abſcidiſſe.* Nota, *ſiniſtra* etiam. quid ita? quia ea manus inepta tunc ad ſcutum tenendum, ſicut dextra ad gladium. Ammianus de Gallorum moribus: *Nec illorum quiſquam, in Italiâ, munus Martium extimeſcens pollicem ſibi præcidit, quos localiter Murcos appellant.* Sed & Menander I.C^tus^. *Eum qui filium debilitauit, dilectu per bellum indicto, vt inhabilis militiæ ſit, præceptum D. Traiani deportauit.* Dixi hoc genus latè patuiſſe: addo & fraudes interueniſſe. Ideò non ſtatim accepta quæcunque cauſſa, ſed diſcuſſa. ſæpe & plurimùm ante bellum, interdum poſt illud. Liuius: *Cognitio vacantium militiæ munere poſt bellum differtur. ita dubij quoque inclinant ad nomina danda.* Idem alibi: *Conſules in concione pronunciant, tempus non eſſe cauſſas cognoſcendi. omnes Iuniores poſterâ die, primâ luce, in campo Martio adeſſent. cognoſcendis cauſſis eorum qui nomina non dediſſent, bello perfecto, ſe daturos tempus. pro deſertore futurum, cuius cauſſam nõ probaſſent.* His talibus volentes reddebant etiam non volentes. Nec verò dilatæ ſolùm cauſſæ, ſed & ſublatæ. Hoc in magno tumultu & cùm publicum diſcrimen. Liuius: *Cùm, quod per magnos tumultus fieri ſolitum erat, iuſtitio indicto, dilectus ſine vacationibus habitus eſſet:* Eidem rei Cicero: *Grauius eſſe Tumultum quàm Bellum vel hinc intellegi poteſt, quòd bello vacationes valent, tumultu non valẽt.* Quidã ibi libri *bello Gallico* edũt, non rectè. Nã id profectò olim eximiũ, & habitũ ferè pro tumultu. Liuius: *Mamercinus Conſul, cui bellum Gallicũ euenisset, ſcribere exercitũ, ſine vllâ vacationis veniâ iuſſus.* Ipſe Cicero, iam ſuo æuo: *Conſules duas Gallias ſortirentur, dilectus haberetur, vacationes ne valerent.* Atque etiam aliâs in metu id factũ, & cauſſæ pro non cauſſis. Liuius: *Exercitus ex Cauſſariis Senioribuſq; à L. Quinctio ſcribitur, qui vrbi mœnibúſque præſidio ſit.* Cauſſarios iſtic dicit, quibus morbus aut talis cauſſa, & à Senioribus diſtinguit. Seneca in hãc mentẽ ſcripſit, *In animo noſtro eſſe cauſſarias partes, quibus adhibẽda curatio ſit.* nempe morbidas & vitioſas. Nec aliter Sex. Empiricus *Cauſſarium dentem, Cauſſarium oculum,* qui afficitur & dolet. Ipſa *Cauſſaria* miſſio nomen habet iſtinc.

In Aug. c. xxiv. — *Ignominioſi ſubit refractarij. Lib. lvi.* — *Lib. iv. De re mil.* — *Tribunicia intercesſio.* — *Lib. iii. Lib. viii.* — *Cognitio cauſſarum. Lib. xxiv.* — *Propria Conſulum. Lib. xlii.* — *Lib. xxxiv.* — *Cauſſæ detrectandi.* — *Vacatio. Eius tres ſpecies.* — *Magiſtratus & Sacerdotes.* — *In Camillo.* — *Et quibus indulgens.* — *Lib. xxiii.*

Lib. iii de Nat. deor. Philip. v. — *Li. xxxix.* — *Item Emeriti.* — *Item morbus vel defectus.* — *Lib. vii cap. iii.* — *Lib. xv.* — *L. iii De re milit.* — *Lib. iv.* — *Lib. iii.* — *Sublatæ cauſſæ in tumultu. Lib. vii.* — *Lib. viii.* — *Lib. i. ad Attic.* — *Lib. vi. Cauſſarij pro morbidis.* — *Epiſt. lxix.*

DIALOG. V.

Equitum dilectus, genera & diſcrimen. De equo publico accuratè diſſertum, & tranſuectione.

HÆc de Dilectu peditum. Polybius: Equitum adiungit.

Μετὰ ταῦτα τοὺς ἱππεῖς, τὸ μὲν παλαιὸν ὑστέρους εἰώθεσαν δοκιμάζειν ἐπὶ τοῖς τετρα-

Olim quidem equites ſolent legere poſt pedites quatermillenos ducenos,

Polyb.

χιλίοις διακοσίοις· νῦν δὲ πρότεροι, πλουτίνδην αὐτῶν γεγενημένης ὑπὸ τοῦ τιμητοῦ τῆς ἐκλογῆς, καὶ ποιοῦσι τριακοσίους εἰς ἕκαστον στρατόπεδον.

ducenos, nunc verò priores capiunt, iuxta opes ſecretione eorum à Cenſore factâ. & conſtituunt in quamque legionem trecentos.

Pauca verba, ſed nobis ad lucem totius rei diffundenda. Primùm de tempore lectionis notat, id variaſſe. &

Tēpus huius delectus.

„ *Olim*, inquit, *ſolent legere poſt pedites.*] Credo ideò quòd facilis illa lectio, nec ita vt peditum operoſa. Seruabant igitur in finem. Mutatum tamen ſub Polybij æuum, vt indicat: quâ cauſſâ? an non ambitione? & quia vt dignitate præibant, ſic ipsâ lectione voluerunt?

„ *Iuxta opes ſecretione eorum à Cenſore factâ.*] Oſtēdit quomodo lecti, & facile id fuiſſe, quippe è corpore ſuo. Nam Cenſores iamantè, equites à reliquis ſepararant, & in tabulis habebant hoc genus. Separant, inquit, ab opibus: id eſt, quicunque *quadringenta* habebant, & vita non improbabatur, in equites referebant. Sed tamen hîc ſciendum, ipſorum equitum duplex etiam corpus fuiſſe: alios Equo publico, alios ſine eo. Illi vetuſtiſſimi, & propriè ac ſoli equites olim dicti. Plinius: *Anulis plane medium ordinem tertiúmque plebi & patribus inſeruere, & quod antè militares equi nomen dederant, hoc nūc pecuniæ indices tribuunt.* Significat, ſolos equites dictos olim ab ipsâ re, & quibus militares ſiue publici equi: ſed poſteà ac ſuo æuo, omnes quibus anuli aurei, pecuniæ indices ac teſtes. *Indices*, inquam: & hoc legi quàm *iudices* malim. Pro eâdem ſententiâ idem Plinius: *Equitum nomen ſubſiſtebat in turmis equorum publicorum.* Et Feſtus: *Equitare antiqui dicebant, equo publico merêre.* Certū igitur hoc genus, & manſit ad inferiora tēpora diſtinctum. Cicero in Antoniū: *Altera ſtatua eſt equitum Romanorum equo publico.* Et in lapidibus Principum æuo, ſæpe occurrit inter dignitates. Aſconius eos *Militares* dixit: *His decem annis, victore Sullâ, ſpoliatus eſt populus Romanus iudicandi iure quod habuit per equites Romanos militares.* Non quia ſoli tunc iſti, ſed quia neceſſariò & plurimùm militabant: & quibus equus publicus non eſſet, poterant etiam inter pedites merêre. Sed olim iſti ſoli videntur in equis militaſſe: quod tamen mutatum, & bello Veienti etiam alij in eam militiam admiſſi. Liuius originem rei ſic aperit: *Cùm repentè quibus cenſus equeſtris erat, equi publici nondum erant aſſignati, Senatum adeunt, factâ dicendi poteſtate; equis ſe ſuis ſtipendia facturos promittunt.* Atque addit, gratum id Senatui fuiſſe, & *equis certum numerum æris aſſignatum, túmque primum equis merêre equites cœpiſſe.* Quid vult in eâ clauſulâ, niſi tunc primùm inſtitutum vt etiā alij quibus cenſus equeſtris eſſet, etiamſi equos publicos non haberent, tamen militarent & æra mererent? Sed æra, non vt illi Equo publico, ſed, ad exēplum peditum, annua ſtipendia, nec niſi cùm militarent. Hāc equidem mentē puto, & conditionē priorum illorum meliorem, aut certè digniorē. Nam accipiebant è publico pecuniam & ad emendum equū & ad alendum: illam ſemel, hanc annuam. eſtque vtraque ſumma à Liuio in cenſu Seruiano (ita vetus res eſt) ſic expreſſa: *Ad equos emēdos dena millia æris ex publico data, & quibus equos alerent viduæ attributa, quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent.* Habes *dena millia* ad emendum, id eſt Philippicos noſtros circiter centum: *bina millia* ad alendum, id eſt Philippicos viginti. Satis grandis, pro illo æuo & opibus, vtraque ſumma: ſed cogitandum, quòd prior illa non niſi ſemel data, & onera etiam huic militiæ plura adiuncta, calones, alij equi aut muli ad ſarcinas, tentoria, & cibatum ferendum. Sed in ſummâ priore abire à nobis Varro videtur, qui clarè definit, *Equum publicum mille aſſariûm eſſe.* Atqui *decem millium* è Liuio verum eſſet, & puto notâ numerali immiſsâ ſic legendum: *Equum publicum x. mille.* At in alterâ ſummâ concors teſtimonium Catonis reperio apud Chariſium, ex Oratione *quâ ſuaſit vti plura æra equeſtria fierent.* Ex eâ adfert: *Nunc ego arbitror oportere * reſtitui, quo minus duobus millibus ducentis ſit ærum equeſtrium.* Credo & hîc immiſsâ negatione ſcribendum: *oportere inſtitui ne quo minus.* Augeri enim vult & ſuadet (titulus indicat) æra equeſtria, atque ita *ducenta* illa addit. Ipſa autem vetus ſumma in eodem Catone, ibidem: *De æribus equeſtribus, de duobus millibus actum eſt.* Atque hæc de præmio: niſi quis malit Cataniana illa ad numerum ipſum referri equitum, & vt ſuaſerit tot æra inſtitui, totidémq; capita quæ haberent. Non abſurdū ſit: nec longè ab hoc numero fuiſſe arbitror illo æuo. Seruius quidem rex *octodecim centurias* inſtituit, ex Liuio: & quanquam intrà numerum illum manſerint, tamen ipſæ Centuriæ largiter & valdè auctæ. Adeò vt Dionyſius ſuo æuo (id eſt Auguſti, & circà) ad *quinque millia* numeret eorum quibus equus publicus eſſet. Magnæ vires, nec fruſtrà iis ſiſi Romani, quod apud Liuiū Perſes iudicat, qui leui equeſtri prœlio victor ſuos excitat: *Præiudicatum euentū belli habetis, meliorē partem hoſtium, equitatum Romanum, quo inuictos ſe eſſe gloriabātur, fudiſtis.* Nec tamen temerè aut omnes ad equum publicum teſcripti, ſed cum dilectu & examine etiam morum. In Excerptis Gloſſarij veteris lēgi: *Dicente quodam eſſe ſibi ſubſtantiam equeſtris dignitatis, ſed cùm equum publicum peteret, prætermiſſum ſe eſſe: ſecurum crimine quod ipſi concitauerunt: Hadrianus dixit, Qui equum publicum petit, emendatus eſſe debet, cetera autem vita tua ipſe probabis.* Itaque nō Cōſul aut Imperator, ſed Cenſor olim eum dabat: iudex ſcilicet morum. In Liuio, de Sex. Ebutio, cui præmij loco Vacario data: *Ne inuitus militaret, néue Cenſor ei equum publicum aſſignaret.* Atque ille ipſe Cenſor, cùm iam haberent, recognoſcebat, & ſiquid vitij in iis, adimebat. Liuius: *His ſuperioribúsque illis equi adempti, qui publicum equum habebant:* quod de Cenſoris notis narrat. Aſpexitque eò Perſius:

Cenſorémue tuum vel quod trabeate ſalutas.

Obiter ad Tranſuectionem etiam alludens, quam trabeati ſolent obire. Sed ibi Commentator vetus: *Cognitio equitum Romanorum Cēſoribus erat ſubiecta, quæ nunc Conſulum eſt officij.* Miror de Conſulibus, nec exemplum lēgi: ſed Principes ipſos id vſurpaſſe inferioribus temporibus, ſatis clarum. Suetonius in Caligulâ: *Equites Romanos ſeuerè curioſeq; recognouit, palam adempto equo quibus aut probri aut ignominiæ aliquid ineſſet.* Et in eodem ſcriptore alibi exempla. Faciebat ad hoc examen ipſa Tranſuectio, propria equitum iſtorum pompa: de quâ operæ pretium audite Dionyſium loquentem: *Pugna*, inquit, *ad Regillum plura monumenta ſunt, ſed antè omnia inſigne, pompa & tranſuectio equitum Romanorum qui equum publicum habent. Iſ per centurias & turmas diuiſi, ordine equis inſidentes vehuntur omnes quaſi è pugnâ venientes, ramis oleæ coronati, & purpureas palmatas togas induti, quas Trabeas dicunt. Incipiunt autem ab æde quadam Martis extra vrbem ſitâ, tranſeuntesque cùm alia loca vrbis, tum forum, & ædem Caſtorum prætereunt, interdum ad quinque virorum millia, gerentes præmia & dona militaria quæcumque à Ducibus in bello acceperint.*

Marginal notes: Duplices equites. Priores e quo publico. L. xxxiii. cap. 1. — Locus emēdatus in Plinio. Ibid. — Philip. vi. — Militares equi. — Lib. v. Quando equo ſuo merere cœperint. — Summa ad equum publicum. Lib. i. — Varronis locus emendatus. Vid. de L.L. — [illegible] — * Fortè, inſtitui. — Qui fuerint equo publico. — Profluentia Romanorum equitum. — Lib. xlii. — [illegible] — Cenſor aſſignabat. — Li. xxxix. — Idem recognoſcebat. Lib. xxix. — Poſtea Principes. Cap. xvi. — Tranſuectio equitum. Lib. vi.

Egregium ſanè dignúmque magnitudine imperij ſpectaculum. Clarè & liquidò omnia habes: quæ apud alios breuiùs, vt apud Valerium: *Trabeatos equites, Idibus Iulijs Q. Fabius tranſuehi inſtituit.* Apud Liuium: *Ab eodem* (Fabio) *inſtitutū dicitur, vt equites Idibus Quintilibus tranſueherentur.* Sed & Plinium in viris illuſtribus: *Fabius Rullianus primus inſtituit, vt equites Romani Idibus Quinctilibus ab æde Honoris, albis equis inſidentes in Capitolium tranſirent.* Qui tamen ab *æde Honoris* eos deducit; at Dionyſius à *Martis*: concilies quòd Honoris ædes extra portam Collinam fuerit, nec longè ab eâ Martis. Idem in *albis equis* omnes collocat: & quis credat tot vnius coloris fuiſſe? quâue cauſâ? Reſcripſerim: *altis equis inſidentes*, nec aliud vult quàm eà ſublimes & conſpicuos fuiſſe in equis. Quod etiā in Dionyſio eſt de *oleaginis coronis*, idem in Plinio. *Olea honorem Romana maieſtas magnū tribuit, equitum turmas Idibus Iulijs ex eâ coronando.* Ait *Turmas*: inceſſiſſe igitur apparet turmatim, idque ſub vexillis. E Tacito eſt colligere, qui inter honores mortuo Germanico decretos refert: *Vt turma Idibus Iulijs imaginem eius ſequerentur.* De hac ipsâ Tranſuectione Valerius capiendus: *Equeſtris verò ordinis iuuentus, omnibus annis bis vrbem ſpectaculo ſui ſub magnis auctoribus celebrabat, die Lupercaliū, & Equitum probatione.* Et qui hîc *magni auctores*? puto vel ipſi qui præibant & ducebant, è primoribus ciuium: vel potiùs qui inſtituerunt, vt Romulus Lupercalia, Fabius Tranſuectionē: Quam nunc *Probationem* Valerius dixit; quia, vt tetigi, in eâ examen & diſcuſſio vitæ. Suetonius clarè: *Auguſtus equitum turmas frequenter recognouit, poſt lōgam intercapedinē reducto more Trāſuectionis. Sed neque detrahi quemquam in tranſuehendo ab accuſatore paſſus eſt, & ſenio vel aliquâ corporis labe inſignibus permiſit, præmiſſo in ordine equo, ad reſpondendum, quoties citarentur, pedibus venire.* Vides in ipſa Tranſuectione accuſatos, citatos, imò & detractos ignominiosè, quod tamen Auguſtus fieri vltrà interdixit. Spectat eò Ouidij carmen excuſantis ſe apud Auguſtum.

At memini vitámque meam moréſque probabas
Illo, quem dederas, prætereuntis equo.

Et tu, inquit, ſæpe in Tranſuectione tacitus me probaſti, cùm tranſirem & præterueherer, nemine accuſante: tranſirem illo ipſo equo, quem tu aſſignaras. Iterùm idem:

Carmináque edideram, cùm te delicta notantem
Præterij toties irrequietus eques.

Eodem *Prætereundi* verbo vtitur, & palàm indicat neminè ſe ſtitiſſe. Hærebant enim & quieſcebant accuſati: quo ſenſu forraſſe illud *irrequietus* adiunctū. Etſi quidē malim, & verius arbitror, *ille quietus*: nempe ingenio & vitâ talis, in otio, ac nemini moleſtus. Quòd ſi igitur ſine culpâ, abibant, & *equum traducebant*: ſi aliter, ſiſtebant & iubebantur *vendere equum*. Solenne in vtrauis re vtrumque verbum. Valerius *Traduc equum*, inquit, *Sacerdos, & lucrifac cenſoriam notam.* Liuius: *Claudius Liuium vendere equum iuſſit.* Et plura exempla, & in re Cenſoriâ tibi prompta. Hæc igitur Tranſuectio, quæ ad ima etiam tempora manſit, etſi Neronis æuo aliquid in eâ mutatū. Dionis epitome ita narrat: καὶ γὰρ ἐν τούτοις ἤδη ἐξημάρτανε, ὥστε καὶ ἀζώστους χιτῶνας ἐν τῷ δημοσίῳ ἐνδύνειν. λέγεται δὲ ὅτι καὶ οἱ ἱππεῖς οἱ ἐκ τοῦ τέλους, ἐπ᾽ αὐτοῦ πρῶτον ἐφ᾽ ἵπποις ἐν τῇ ἐτησίᾳ σφῶν ἐξετάσει ἐχρήσαντο. Quæ verba vt ſcriptio quidem iſta eſt, ſic reddidero: *Iam & in iſtis à moribus patrijs abibat Nero, vt & diſcinctas tunicas indueret in publico. Feruntur & equites equo publico ſub illo primùm equis inſidentes in recognitione annuâ, ijs eſſe vſi.* Sic inquam reddi, in nouam τοὺ opinatam que ſententiam. cùm hactenus verterint: *Feruntur equites ſub illo ephippijs primùm vſi*: quaſi in Græco eſſet ἐφιππίοις. Atqui de ephippijs quis id crederet? cū conſtet ſæculis aliquot* antè Romanos, & vulgò ijs vſos. Noſtra ſententia magis pro hac re & vult equites trabeis, ſiue etiam tunicis ſolutis vſos, & Neronis exemplo in ijs trāſuectos. Atque hæc de equo publico, quem confectis ſtipendijs reſtituebant, & reducebant ad Cenſorem. Eius meminit Varronianū hoc fragmentum arbitror: *In noſtris permāſi, inde caballum reduxi ad Cenſorem.* Et optimè de eo ritu Plutarchus, in Pompeio. *Mos eſt*, inquit, *Romanis equitibus, vbi legitima ſtipendia impleuerint, ducere in forum equum ſuum ad Duumuiros, quos Cenſores appellant, & commemorantes Imperatores quoſque ſub quibus meruerint, miſſiā ſolui.* Quod inibi factum etiam à Pompeio narrat: & Nummi in hanc rē hodiéque exſtant, vt iſte Claudij in recognitione equitum. Satis de hoc equo, quem lapides etiam memorant. vt CN. POMPEIO: POMPEIANO. EQVO. PVBLICO. TRIBVNO. LEGIONIS. Iterùm: CVRATORI. REIP. MANT. EQVO. PVBL. PRÆF. FABR.



„ *In quamque legionem trecentos.*]De hoc numero commodiùs* infrà dicam.

DIALOG. VI.

Sacramentum militiæ. Qui exegerint: quomodo datum aut dictum: quibus verbis.

DILECTVI ciuium conſequens eſt & adhæret Sacramentum. Itaque de eo Polybius ſic adiungit: Tu verò lege.

Ἐπιτελεσθείσης δὲ τῆς καταγραφῆς τὸν προειρημένον τρόπον, ἀθροίσαντες τοὺς * ἐπιλεγομένους οἱ προσήκοντες τῶν χιλιάρχων καθ᾽ ἕκαστον στρατόπεδον, καὶ λαβόντες ἐκ πάντων ἕνα τὸν ἐπιτηδειότατον, ἐξορκίζουσιν ἦ μὴν πειθαρχήσειν καὶ ποιήσειν τὸ προσταττόμενον ὑπὸ τῶν ἀρχόντων κατὰ δύναμιν. οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ὀμνύουσι καθ᾽ ἕνα προπορευόμενοι, τοῦτ᾽ αὐτὸ δηλοῦντες, ὅτι ποιήσουσι πάντα, καθάπερ ὁ πρῶτος.

Finita iam conſcriptione ad modum dictum, Tribuni militum ſuæ cuiuſque legionis, eos congregantes & vnum ex omnibus maximè idoneum eligentes, Sacramento adigunt, Obtemperaturum ſe & facturum quidquid mādabitur ab Imperatoribus, iuxta vires. Reliqui autem omnes adiurant ſingillatim prodeuntes, hoc ipſum affirmantes ſe facturos vt ille primus.

„ *Suæ cuiuſque legionis.*]Obſerua legiones ſingulas iuraſſe, & apud ſuos quamque Tribunos. An non Conſules ipſi exigebant? non apparet. tamen in verba eorum iuraſſe certum eſt, & ijs obtemperaturos ſe, ad formulam mox dicendam Sed Tribuni, vt alia vice Conſulum, ſic hoc quoque adminiſtrarunt.

„ *Vnum ex omnibus maximè idoneum eligentes.*]Palàm & ſignanter hoc dicit, vnū ex totâ legione electū qui ſingula iuramēti verba conceperit præiuerítque: alios deinde ſecutos, hoc ſaltem dixiſſe, *Iurare ſe idem*

* Vide l. iii. Dial. var.

Reddito equo. Non in Catal.

* Lib. ii. Dialog. vi.

POLYB.

* Scal. ἐπιλεγομένους.

Tribuni exigebant.

Vnus è legione iurabat.

idem. Hoc eſt quod Feſtus notauerat : *Præiurationes facere dicuntur, qui ante alios conceptis verbis iurant, poſt quos in eadem verba iurantes, tantummodo dicunt, Idem in me*. Ita Polybius: ſed in Liuio an non aliter? Nam ille, poſt ſeditionem Hiſpanienſem ad Sucronem: *Citati*, inquit, *milites nominatim apud Tribunos militum in verba P. Scipionis iurant*. De Tribunis, idem eſt quod in Polybio : ſed de militibus *nominatim citatos* facit, & iuraſſe. Poteſt tamen flecti ad hãc ſententiam, vt ſinguli citati & progreſſi, iurauerint in ea quæ vnus aliquis præiiſſet. Si hîc aliter, factum nouiter eſto, & maiori vinculo ob priorem fidem in ſeditione violatam. Tale aliquid in Appiano lego à Fimbriâ tentatum, cuius milites cùm ad Sullam ſpectarent, ipſe, ſubornatis quibuſdam, nouâ religione ſacramenti adſtringere voluit : ἐκβοησάντων δὲ τῶν Ἐνετῶν, ὅτι δέοι καλεῖν ἐπὶ τὸν ὅρκον ἐξ ὀνόματος, ὁ μὲν ἐκήρυττε τοὺς εὖ τι παθόντας ὑπ' αὐτοῦ : *clamantibus autem Venetis, oportere nominatim citare ad Sacramentum, ipſe quoſdam ex beneficiariis ſuis citabat*. Ecce & hîc nominatim vocandi erant, eodem illo fine. Sed enim in Appiani verbis qui iſti Veneti? falſi, nec in ſuo loco: & reſcribendum ἐνίων ὠνητῶν, quod eſt, *clamantibus corruptis illis & venalibus*. Rem & narratiunculam totam vide, agnoſces: & pretio quoſdam iamante huc induxerat Fimbria, vt id vellent. Ergo viritim iurarunt plurimùm: neſcio an ſemper. Dixeris quòd per centurias etiam, ex Cæſare : *Petreius princeps in hæc verba iurat, ipſe idem Sacramentum adigit Afranium, ſubſequuntur Tribuni militum Centurionéſque : centuriatim producti milites idem iurant*. Sed potuit & in Centuriis præiuratio eſſe, & mox viritim coniuratio.

Liuij locus expenſus. — *Et Appiani.* — *In Mithr.* — *Corrigitur Appianus.* — *II. Ciuil. Centuriatim iurare.*

„ *Obtemperaturum ſe & facturum.*] Formulam tangit Sacramenti militaris, vellem vt religioſè verba. Nã ea, quidquid quæſiuerint, parùm mihi certa ſunt. Dionyſius aliquoties commemorat, ſed verbis non iiſdem. Alibi ad Polybij hoc ſcriptum ferè accedit: Ὁ στρατιωτικὸς ὅρκος, ὃν ἁπάντων μάλιστα ἐμπεδοῦσι Ῥωμαῖοι, τοῖς στρατηγοῖς ἀκολουθεῖν κελεύει, ὅποι ποτ' ἂν ἄγωσι : *Sacramentum militiæ, quod omnium maximè Romani ſeruant, iubet ſequi Duces quocunque duxerint*: Alibi diſcedit, aut certè plura adiungit : Ἀκολουθήσειν τοῖς ὑπάτοις, ἐφ' οὓς ἂν καλῶνται πολέμους, καὶ μήτε ἀπολείψειν τὰ σημεῖα, μήτε ἄλλο πρᾶξαι μηδὲν ἐναντίον τῷ δήμῳ : *Secuturos ſe Conſules ad quacumque bella vocauerint, neque ſigna deſerturos, neque aliquid aduerſum populum facturos*. Tria ibi complectitur, & poſtremum illud de Populo, nuſquam temerè legas : de Signis alterum, ſæpius, vt in eodem Dionyſio: τῶν γὰρ ἱερῶν ταγμάτων κύριος ἦν τοῖς στρατιωτικοῖς ὅρκοις κατειργμένων, καὶ οὐδεὶς ἀπολείπεσθαι τῶν σημείων ἠξίου: *Sacrarum enim legionum dominus etiã erat, quæ ſacramẽto militari adſtrictæ, nec quiſquam ſigna relinquere auſit*. Vbi *ſacras legiones* nec intellego, nec retineo: tranſpono magis Græcam vocem, & lego: τῶν ἱερῶν σημείων: & *Signis* addo, quæ dicta & habita ſacra. Ad hoc ipſum autem, de Signis in Sacramento, Seneca aſpexit : *Primùm militiæ vinculum eſt religio, & ſignorum amor, & deſerendi nefas.* Hæc ita in Dionyſio: at in Liuio diuerſam etiam formulam reperio, & breuem iſtam : *Conuenturos ſe iuſſu Conſulum, neque iniuſſu abituros.* Hoc ille ſtatim à regibus pulſis ita prodidit, vbi P. Valerius Capitolium recuperat. Iterat & reponit ipſa verba in bello Punico ſecundo : *Milites tum primùm, quod numquam antè factum erat, iureiurando adacti à Tribunis militum, iuſſu Conſulum conuenturos, neque iniuſſu abituros.* Quid ais Liui? numquam antè id factum? Tu aliter docuiſti, & dedi iam totidem verba. Sed diſcriminat ipſe, etſi non ſine ambage & nodo. Nam ſubdit : *Ad eum diem nil præter Sacramẽtum fuerat, & vbi decuriati aut centuriati conueniſſent, ſuâ voluntate ipſi inter ſe equites decuriati, pedites centuriati coniurabãt, Seſe fugæ atque formidinis ergò nõ abituros, neque ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi aut petendi, aut hoſtis feriendi, aut ciuis ſeruãdi cauſſa. Id ex voluntario inter ipſos fœdere a Tribunis ad legitimam iuriſiurandi adactionem tranſlatum.* Dicit hîc duo, nec vinclum æquè validum fuiſſe, nec eadem verba. Nõ vinclum, quia Sacramentum & velut fœdus ſpontaneũ quoddã inter ipſos erat, nec Tribuni adigebant. Non verba, quia formula tota diuerſa, nec quidquam ibi de ſequelâ Ducum aut Signorum. Ita hîc quidem Liuius: ſed quis cum Dionyſio conciliet, qui palàm de ducibus & ſignis habet? Quin habet etiam ipſe Liuius, vt dedi, ſuprà. At inquies, non tamen iurarunt. Cur igitur idem Liuius ſic locutus? *Omnes qui in verba iuraſtis.* Item : *In verba ſua iuratos centuriauit.* Atque hæc olim, & diu ante Punica. Præfatus ſum intricatè hæc ſcripta, nec ego plenè & ad meum votum extrico. Implicat & aliquid L. Cincius apud Agellium, qui iuramentum aliud ſuggerit: *Cùm dilectus antiquitus fieret, & milites ſcriberentur, in iuſiurandum eos Tribunus militum adigebat hoc modo. In magiſtratu C. Lælij C.F. Conſulis L. Cornelij P.F. Conſulis, in exercitu decemque millia prope furtum non facies*: & alia quæ addit aliena à iam dictis. Sed moneo, alterum hoc & poſterius priore iuramentum eſſe. Hoc enim præſtabant iam milites, & educendi : imò, ſi* Polybium audimus, in ipſis iam caſtris : at illud prius ſtatim à conſcriptione. Iſtud ad Diſciplinam modò pertinuit; illud ad militiam ipſam. Alia etiam verba ſub Impp. vt* alibi ſcripſi.

Inuerta ipſa verba Sacramenti Dionyſius & conciliat. — *Lib. XI.* — *Lib. X.* — *Lib. VI.* — *Corrigitur obiter. Epiſt. XCVI.* — *Vis Liuius eiuſque. Lib. III.* — *Lib. XXII.* — *Implicata Liuij ſcripta.* — *Lib. VI.* — *Lib. XVI. cap. IV.* — ** Vide II. V. Dial. XX.* — ** ad Annal. Taciti.*

DIALOG. VII.

Sociorum electio. Diſcrimen inter Auxilia. Præfectus eorum, & Quæſtor.

DE ciuibus finiuit, & iam ad ſocios ſe confert. Vide, & lege:

Κατὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς οἱ τὰς ὑπάτους ἀρχὰς ἔχοντες, παραγγέλλουσι τοῖς ἄρχουσι τοῖς ἀπὸ τῶν συμμαχίδων πόλεων τῶν ἐκ τῆς Ἰταλίας, ἐξ ὧν ἂν βούλωνται συστρατεύειν τοὺς συμμάχους, διασαφοῦντες τὸ πλῆθος καὶ τὴν ἡμέραν καὶ τὸν τόπον, εἰς ὃν δεήσει παρεῖναι τοὺς κεκριμένους. αἱ δὲ πόλεις παραπλησίαν ποιησάμεναι τῇ προειρημένῃ τὴν ἐκλογὴν καὶ τὸν ὅρκον, ἐκπέμπουσιν, ἄρχοντα συστήσασαι καὶ μισθοδότην.

Sub hoc ipſum tempus Conſules denunciant magiſtratibus ſociarum in Italiâ ciuitatum, è quibus auxilia & commilitium habere volunt, ſignificántque iis & numerum, & diem, & locum in quem conuenire debeant quos legent. At verò ciuitates ſimilem facientes iam dicto dilectum, itémque iuramentum adigẽtes, mittunt eos, Præfectum conſtituentes & Quæſtorem.

Polyb.

Pars altera Romanarũ virium, Socij, qui pari numero legionibus iuncti, aut & maiori. De horum igitur Dilectu quoque tangit, ſed breuiter, quia multa paria iam dictis.

„ *Sub*

„ *Sub hoc ipſum tempus.*] Nouorum Conſulum.

„ *Denunciant magiſtratibus*] Aut coràm ipſis, aut eorum legatis, qui ferè tunc Romæ. Veniebant enim ſponte aut aduocabantur, ob has tales cauſſas. Liuius: *Conſul ſocijs & Latini nominis magiſtratibus, legatiſue eorum qui milites dare debebant, edixit vt in Capitolio ſe adirent.*

Latini in vrbe, notis annis, aut acci.

„ *Sociarum ciuitatum in Italia.*] Tota Italia ſub hoc Polybij tempus ſubiecta Romanis, ſed ita vt in prouinciam nulla pars redigeretur: liberi manebant, ſuis legibus plerique & magiſtratibus (excipio paucas Præfecturas:) & *Socij* appellabantur, quaſi confœderati, & conſortes armorum. Diſcrimen autem inter *Socios & Auxilia*, apud eos qui ſignatè & curatè ſunt locuti: quòd Socij, ſemper Italici; Auxiliares, externi. Varro: *Auxilium ab auctu, cùm acceſſerant qui adiumento eſſent alienigenæ.* Diſertim addit, *alienigenæ.* Feſtus: *Auxiliares dicuntur, in bello ſocij Romanorum, exterarum nationum.* Etiam ipſe ad *exteros* refert. Et ſocij quidem ſemper gratis militarunt, id eſt ſine impendio Romanorum (frumentum excipio:) Auxiliares aliter, & quanquam ſæpe à regibus miſſi ſuopte ſumptu, tamen & pecuniâ etiam ſcripti. Primi in Hiſpaniâ, ſi Liuio credimus: *Id in Hiſpaniâ ad memoriam inſigne eſt, quòd mercenarium militem in caſtris neminem, antequam tum Celtiberos, Romani habuerunt.* Ambiguè hoc refero, haud fruſtrà: & euertit ſanè Zonaras, quid iu antè initium huic rei facit. Nam illa Liuij incidunt in Annibalicum bellum, cùm duo Scipiones in Hiſpaniâ: at iſte in Siciliâ, bello Punico primo originē aſſignat. Μεταπέμψας δὲ, inquit, ἀπὸ Καρχηδονίων Γαλάτας, καὶ ἄλλους τῶν σφῶν συμμάχων τινάς, οἱ Ῥωμαῖοι ἐπὶ μισθοφορᾷ προσελάβοντο, μήπω πρότερον τρέφοντες ξενικόν: *Deficientes à Carthaginenſibus Gallos, & alios quoſdam ſociorum, Romani ſtipendio conduxerunt, non ante peregrinum militem ſoliti alere.* Iuuat aliquid Liuium, quod iſti per occaſionem adſumpti, & reperti magis quàm quæſiti: at primi conſilio & ex deſtinato, illi Celtiberi. Noto etiam *Socios* propriè dictos, poſt Italiam ciuitate donatam, defeciſſe: & eorum vicem Auxilia fuiſſe, quæ variis gentibus ſolent imperare.

Socij & Auxiliares differunt.

Iſti mercenarij.

Qui primi Romanis. Lib. xxiv.

Diſſenſus Zonaræ.

Tom. II.

Temerata conciliatio.

Deſinunt ſocij poſt Sociale bellum.

„ *Significántque iis & numerum.*] Cùm multæ Italorum gentes eſſent, non credo omni anno per omnes itum: maximè ſi paucæ legiones ſcribendæ: ſed in orbem iuiſſe, & viciſſitudine quâdam ex his illiſque cepiſſe. In eâ tamen ipsâ re, inquies, non grauces erant aut iniurij, cùm ſic numerum præſcribebant? Non, quia vires propemodum ſciebant, & pro iis indicebant. Liuius: *Ex coloniis quindecim millia peditum & quingentos equites pro numero cuiuſque iuniorum, Conſul ſcripſit.* Sed vnde ſciuit numerum? è tabulis Cenſoriis, quas probabile eſt Romæ quoque fuiſſe. Imò verò tandem ipſi Romani Cenſores cenſum illic egerunt, eidem Liuio narratum, in Liuio & Claudio Nerone Cenſoribus: *Duodecim deinde coloniarum, quod nunquam antea factum erat, deferentibus Cenſoribus ipſarum coloniarum, cenſum receperunt. vt quantum numero militum, quantum pecuniâ valerent, in publicis tabulis monumenta exſtarent.* Itaque pro imperio rem hic gerebant, & tot aut tot milites imperabant. Imperabant, inquam. & ſic Liuius diſtinctè: *Præter eum numerū militū, quot L. Quinctius in eā prouinciā ſcripſiſſet, imperaſſétue.* Scripſiſſet, ad ciues refertur; imperaſſet, ad ſocios. Idē ſtatim: *Quos L. Quinctius milites conſcripſiſſet, & quos ſocijs nominique Latino imperaſſet.*

Ratio indicendi.

Idq́ pro numero & opibus. Cenſus habebant. Aut ipſi capiebant. Lib. xxvi.

Iurant in duci & rē Romanam.

„ *Diem & locum.*] Illa ipſa, quæ ciuibus.

„ *Itemque iuramentum adigentes.*] Quale illud? in Romanos Conſules, an in præfectos ſuos tantùm? puro in Conſules & rem Romanam. Opus enim fuit vinculo hoc & alio, vt cùm pares viribus eſſent, nequid nouarent aut mouerent in Romanos. Denique oportuit ſubiectos omnes pariter eſſe vni Duci: ergo & in euo probabile iuraſſe Socij itaque iurabant, non tamen Auxilia. & hac mente ſcriptum à Dione accipio in bello Actiaco: τοσαύτῃ γε προθυμίᾳ ἀμφότεροι ὁμοίως ἐχρήσαντο, ὥστε καὶ ὅρκοις τὰς συμμαχίας σφῶν ἐπιβεβαιώσασθαι: *Tanto autem ſtudio & propenſitudine vtrique agebant* (Octauianus & Antonius) *vt etiam auxiliares ſuas copias Sacramento adegerint.* Narrat vt nouum, nec antè receptum.

Auxilia non iurāt. Lib. L.

„ *Præfectum ſubſtituentes.*] Quem verò illum? an ex eo genere *Præfectos*, qui cum Tribunis comparantur? non opinor: & contrà * Polybius mox dicet, à Conſulibus eos non à ſocijs conſtitutos. In Græco eſt ἄρχοντα. An *Prætorem* verti melius? quos interdum nominatos hîc reperio. Vt in Liuio, de obſeſſis Caſilini: *Prænestini maxima pars fuere, ex quingentis ſeptuaginta minus dimidium ferrum famésque abſumpſit: ceteri incolumes cum Prætore ſuo Manicio (ſcriba is antè fuerat) redierunt.* Et alibi Prætoris in hac militia mentio. An ergo ſingula oppida ſic Prætores ſuos dabant, qui ius aliquod in ſuos haberent, eóſque obſeruarent: ex omnibus tamen iunctim ſocijs duodecim alij, Præfecti in quodque Cornu creabantur? idque à Conſulibus? dicendum videtur. Aut certè *Præfectus cohortis* intelligēdus, non ille Tribunicio iure.

** Lib. II. Dialog. x. Dubium Coſilij locus. Prætores in Latio. Lib. xxiii.*

„ *Et Quæſtorem.*] In Græco eſt, μισθοδότην: Romano ego iure verti, quocunque * nomine dixerint Latini. Res ita eſt, habuiſſe eos proprios ſuos Tribunos ærarios, ſiue mercedis exhibitores. Itaq; ſuâ pecuniâ & omni ſumptu Socij militarunt, frumentū excepto tantùm, quod habuere à Romanis. Magna hæc res, & grāde imperij, inſtrumētum, fidas volētéſque tot manus habere, nec ſuâ aperire ad largiendū Prædę dumtaxat participes fuiſſe, & ſiquid donorū aut aduentitij lucelli. De ſtipendiis igitur, queruntur ipſi Socij grauiillo bello Annibalis: *Decimum annum dilectibus & ſtipendiis exhauſtos eſſe.* Iterúmque: *Nec militem qui legeretur, nec pecuniam quæ daretur in ſtipendium ſibi eſſe.* Video ad hanc rem pacta fœderis cum Æquis initi, quod Dionyſius ſic recitat: Αἰκανοὺς εἶναι Ῥωμαίων ὑπηκόους, πόλεις τε καὶ χώρας τὰς ἑαυτῶν ἔχοντας, ἀποστέλλειν δὲ Ῥωμαίοις μηδέν, ὅτι μὴ στρατιάς, ὅταν αὐτοῖς παραγγελθῇ, τέλεσι τοῖς ἰδίοις ἐπιτιμῶντας αὐτάς: *Æquos Romanis ſubditos eſſe, vrbes agróſque ſuos retinentes, Romanis nihil dantes præter copias quoties imperabuntur, atque eas ſuo ipſorum ſumptu ſtipendióque.*

*Quæſtor ſocij. * Fortaſſe & Scribam ex Liuio. Suo ſumpto militant.*

Lib. xxvii. Ibid.

Lib. x.

DIALOG. VIII.

Additum de Euocatis. Cur ita dicti, & quid & quàm multi fuerint. Dignitas eorum, & paritas cum Centurionibus.

NEc plura de omni Dilectu Polybius: plurâne etiam ſunt? quædam nec mihi omittenda. Neglegit de *Euocatis* verbo admonere, qui ſæpe tamen exercituum robur. Ij ex ciuibus, è ſocijs; ex equite, ex pedite ſumebantur; ſed rogatione & precibus, atque ideo Euocati dicti. Veterani enim fuerunt, gnari prudentiórésque militiæ, qui expletis ſtipendiis ſponte in gratiam Conſulum aut Ducum militiam ſumebant. Et quia ſæpe litteris aut nunciis nominatim euocabantur, inde habuere nomen. Dio optimè: Τὸ τῶν ἠουοκάτων σύστημα, οὓς ἀνακλήτους ἄν τις ἑλληνίσας, ὅτι πεπαυμένοι τῆς στρατείας ἐπ' αὐτὴν αὖθις ἀνεκλήθησαν, ὀνομάσειεν: *Euocatorū manus: quos aliquis Anacletos Græcè, quaſi Renocatos, quòd defuncti militiâ iterùm ad eā reuocentur*

Euocati crebri in copiis.

Vnde dicti.

Lib. xLv.

reuocentur, dixerit. Agretius neſcio quid ſubtilius, & pro Grammatico: *Aduocatus daturus patrocinium: Inuocatus, præſtaturus auxilium: Euocatus, præbiturus obſequium.* Parùm ad noſtros iſtos: magis hoc Donati in Terentiũ, ad verba: *Simalio, Donax, Syriſce ſequimini.*] *Huiuſmodi militia,* ait, *per tumultum repente ſuſcipitur, & dicitur Euocatio, vbi dux alloquitur ciues, Qui remp. ſaluam eſſe vultis, me ſequimini,* Vnde Virgilius ait,

n Eunuc.

vii. Æn.

——deſuetáque bello

Agmina in arma vocat ſubitò, ferrúmque retractat.

Erat Seruius cum Donato.

Et ſimilia Seruius ad hoſce verſus. Nec dubium eſt, quin Virgilius huc reſpexerit: etſi neſcio an hoc aptè vterq; Grammaticus, quòd id factum velit non niſi in tumultu. Non hoc dedero, imò ordinariò & vulgò in omni ferè bello. Quòd tamen origo prima à Tumultu libens concedam, etſi deſunt mihi exempla, ſed ratio ſatis ſuadet. Noto autem vetus hoc genus, & Liuio indicatum bello in Volſcos & Æquos, vbi T. Quinctium Conſulem duxiſſe memorat *cohortes veteres, voluntate ſequentes. Voluntate,* inquit, *& veteres:* quæ duæ Euocatorum notæ. De voluntate Polybius infrà, vbi caſtra diſponit, ponit apud Prætorium τοὺς ἐθελοντηδὸν στρατευομένους τῇ τῶν ὑπάτων χάριτι: *eos qui voluntate militant, in gratiam Conſulum:* & intelligit ſanè iſtos. Et cur non voluntate, etiam *veteres,* id eſt militiâ legitimâ defuncti? Vtramque notam ſignatè exprimit Dionyſius de L. Siccio, iam veteri rep. & ſub annum vrbis trecenteſimum. *Erat in eſtis,* inquit, *L. Siccius, qui cohortem ducebat virorum octingentorum, qui iam ſupra ætatem militarem erant, nec in militia leges cadebat (vti nec ipſe Siccius:) honorãtes tamen virum, & beneficiis pluribus ab eo affecti, eundem ad bellum noluerunt deſerere. Atque erat hæc manus exercitus totius ſiue præliorum peritia ſiue in periculis conſtantia longe princeps.* Omnia deſcripta habes; multos fuiſſe, voluntarios, veteres & bellorum peritos: denique in gratiam etiam vnius Ducis iuiſſe. Quid Salluſtius? breuiter, ſed plenè, vti eius mos eſt: *Marius ex Latio fortiſſimum quemque, pleroſque militiâ, paucos famâ cognitos, accire, & ambiendo cogere homines emeritis ſtipendiis ſecum proficiſci.* Et obſerua, non è ciuibus ſolùm, ſed ex Latio etiam euocatos: ſiue & è coloniis aut prouinciis, vt de ſeipſe Cæſar: *Multis præterea viris fortibus Toloſâ & Narbone nominatim euocatis.* Vides *nominatim euocare,* id eſt, nunciis aut litteris miſſis. Et fuit ea manus ſæpe grandis. In Plutarcho de T. Quinctio ituro in Macedoniam lego, collegiſſe veteranos, Scipionis antè milites, ἀκμάζοντας ἔτι καὶ προθύμους, ὥσπερ στόμωμα, τρισχιλίους: *validos adhuc, & voluntarios, velut mucronem aciei, ad ter mille.* Cæſar Pompeio adiungit, *Euocatorum circiter duo millia, quæ ex beneficiariis ſuperiorum exercituum ad eum conuenerant.* Id eſt, ex iis qui beneficia & promotiones ab ipſo habebant. Nam tales ſcilicet magis obſtricti. atque ita Cæſar Octauianus ex colonis Campanis, patris ſui beneficiariis, collegit *ad decem millia* Euocatorum, vt in Appiano leges. Quid autem iſti ſic collecti, in legiones ſparſi & deſcripti? non opinor. ſed propria quædam & ſeorſim manus fuit, per cohortes quidem aut centurias diſpoſita: ſed ſub vno tamen aliquo vexillo. Iuuat Appianus, qui illos Octauiani decem mille ait, ὡς ἐς μόνην τοῦ σώματος φυλακὴν, ὑφ' ἑνὶ σημείῳ, *tamquam ad ſolam corporis cuſtodiam, ſub vno vexillo* habitos fuiſſe. Dionyſij etiam octingenti illi vna cohors dicuntur. Et ab hoc exemplo paſſim in Tacito, *Vexillum veteranorum: vexillarij legionum,* & talia leguntur. quia ſcilicet exauctorati tunc milites, & nondum tamen plenè miſſi (dum præmia

Iam olim Euocati. Lib. iii. Duplex eorum indicatio.

In Iug.

E Latio etiam ſumpti. Grandis numero interdum.

in Quinctio.

Lib. iii. Ciuil.

Plerique beneficiis obſtricti. iii. Ciuil.

Octonario etiam.

Sub vexillo habitos.

A & agros exſpectant) velut veterani & Euocati quidam, ſecreti à legionibus *ad vexillum retinebantur* (verba & hæc Taciti) *ceterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis.* Vbi & hoc notes in rem noſtram, Euocatos immunes ab excubiis, operibus valli & caſtrorum fuiſſe. Quidni, quaſi quoſdam Centuriones & Principales milites, vt mox dicam? Ergo ſub Vexillo erant, & ſeorſim. Quanquam non negem, interdum etiam aliis militibus mixtos & inſertos, ſed ſic vt præeſſent. Indicare Cæſar videtur, de Pompeij bellico apparatu: *Multi vndique ex veteribus Pompeij exercitibus, ſpe præmiorum atque ordinum euocantur.* Nam & ordinum ſpes iis proponitur, quos ſcilicet eſſent ducturi. An tamen & inter ipſos, Centuriones non habuerint, quæri poteſt. Cicero *Præfectum* modò attribuere videtur ad Appium: *Antonium Præfectum Euo-*

Immunes operum & munerum. i. Annal.

iii. Ciuil. Ordines ſperantes.

B *catorum ad te miſi.* Cæſar Centuriones etiam: & de Craſtino. *Erat,* inquit, *in exercitu Craſtinus Euocatus, qui ſuperiore anno primum pilum in legione decimâ duxerat. Hic ſigno dato, Sequimini me, inquit, manipulares mei qui fuiſtis.* Manipulo præfuiſſe videtur: ſed tamen ait, *qui * fuiſtis,* quaſi iam non eſſent ſic vocandi, non vltrà ſcilicet gregarij, ſed veterani & inſignes. Tamen in Liuio clarius lego de Scipione traiiciente in Africã: *Voluntarios ſeptem fermè millia poſtquam in Siciliã venit, ordinauit centuriauitq;.* Ita Liuius fine libri vigeſimioctaui, & initio ſequẽtis: etſi ambigo an veri iſti Euocati, an non extra ordinem ſponte ſequentes, ſed ætate adhuc militari. Nam video & *iuuenes florentes ætate* inter eos poni. Sed ſiue reuera Centuriones etiam ſuos habuerint, ſiue modò Præfectum: ſinguli tamen profectò velut Centuriones

iii. Ciuil.

* Aut qui ipſe non eſſet ... [illegible]

Euocati pro Centurionibus.

C fuêre, & hoc honore atq; inſignibus affecti. Gloſſæ illæ bonæ: *Euocatus,* ταξίαρχος, id eſt, *Ordinum ductor.* Et Cæſar paſſim iungit & æquiparat vtroſq; iſtos. vt: *Pollicetur quaterna in ſingulos iugera, & pro rata parte Cẽturionibus Euocatiſq;.* Iterùm: *Ex Põpeianis cecidiſſe reperiebamus Centuriones & Euocatos complures.* Atque à Dione vites etiam iis (proprium Centurionum geſtamen) tribuuntur. Vbi de Euocatis in ſatellitiu Augusti: καί τινες καὶ τῶν οὐετρανῶν ἰδίᾳ, ῥάβδους φέροντες ὥσπερ οἱ ἑκατόνταρχοι: *Ac etiam nonnulli manus propria & diſcreta, vites ferentes vti Centuriones.* Interpres reddidit, *Legionem,* & *Faſces,* neutrũ rectè. Quia igitur Centurionibus comparati, interdum & miſcentur. vt qui Valerio Maximo *Titinnius Centurio* eſt in parte Caſſianâ, is Velleio Paterculo dicitur *C.*

Ciuil. i.

Ciuil. iii.

Vites geſtant.

Cum ... [illegible] Lib. ... cap. ...

D *Caſsij Euocatus.* Inde Suetonij illa dubitatio, in origine gentis Flauiæ *T. Flauius Petro municeps Reatinus, bello ciuili Pompeianarum partium Centurio, incertum ſponte an euocatus, profugit ex acie Pharſalicâ, domúmque ſe contulit.* Quæ verò hæc dictio, *incertum ſponte an euocatus?* & nonne omnes Euocati (in militiâ quidem) ſpontanei ſunt? Habeo excerpta priſci libri, quo Turnebus olim vſus: in eo nulla hæc verba, *incertum ſponte.* Et profectò ab imperito addita, qui nec Euocatos nouerat, nec breue hoc dicendi genus digerebat, *Centurio an Euocatus.* Quod Suetonius omnino ſcripſit: eſtque in dubitando phraſis, Ciceroni, Plinio, Tacito, aliíſque frequentata. Quin &

In Veſp. cap. i.

Manifeſte Suetonij locus ... [illegible]

E cum Legatis iunguntur, quaſi honeſtiſſimi, in Hirtij De bello Africo: *Legatis Euocatique obſecrare Cæſarem, ne dubitaret ſignum dare.* Ibidem & opidis præſunt. *Cæſar ad opidum Sarſuram venit, & capit, fortiter repugnante P. Cornelio Scipione Euocato, qui ibi præerat.* Honeſtum igitur omnino genus. & iam vides, quid fuerint: pedites pleriq, haud dubiè ſed etiã Equites, quod Cæſar docet. *Germanorum aduentu quòd minùs idoneis equis vtebatur, à Tribunis reliquiſq; equitibus Romanis atq; Euocatis equos ſumit, Germaniſque*

Equites etiam ... vii. Gallic.

diſtribu-

cap. x.

diſtribuit. Galba etiam apud Suetonium: *dilegit equeſtris ordinis iuuenes, qui, manente aureorum anulorum vſu, Euocati appellarentur, excubiáſque vice militum circa cubiculum ſuum agerent.* Qui tamen non verè Euocati, ſed honeſtiore hoc nomine affecti, & exemplo illo Augusti, in cuſtodiam allecti.

DIALOG. IX.

Conquiſitores ad Dilectum. Tirones poſſeſſoribus indicti. In cute puncti.

Conquiſitorum munus.

CIRCVMSPICIO, ſiquid etiam in hanc rem non dictum: & occurrunt *Conquiſitores*, qui adhibiti ad dilectus. Ij fuerunt, qui in agros & extra vrbem miſſi, ad indagandam & conquirendam iuuentutem, atque ab ea re dicti. Multi enim ſæpe aut ſuo metu, aut parentum timido amore, militiam fugiebant, latitabant, nec dabant nomen. Ad eruendos eos & conducendos, iſti. Liuius oſtendit Triumuiros interdum huic rei creatos, vt aſpero illo bello Punico ſecundo: *Creati Triumuiri bini, conquiſitionem ingenuorum per agros habuerunt.* Vſurparunt & exteri. atque idem Liuius de Annibale: *Magone fratre ad conquiſitionem militum miſſo.* Idem in eiuſdem rebus: *Duo populi dilectus acerbitate conſternati, recentis conquiſitoribus, cùm metū defectionis feciſſent.* Sed iterum de Romanis Cicero: *Si Italia dilectus, vt nonnulli conquiſitores tui dictitant, contra Milonem parati ſunt.* Idē: *Nec enim conquiſitores φαινοπροσωπεῖν audent, cùm ille adſit.* Quibus locis ſimpliciter ij ſunt, qui militem cogunt, & ad militiam porrò adducunt. Crebrū munus inferiore æuo, & poſt bellum Sociale. Nam cùm iam ciuibus æquati, & ex totâ Italiâ ſcriberentur legiones, valdè vereor vt mutata ſit tota Dilectuum forma, nec Romæ iam habiti, ſed in opidis coloniiſque paſſim. Ratio ſuadet. quomodo enim omnes illi, & tā diſſiti, vno tempore Romā venirent? Quin reuera legiones in regionibus, vt Piceno, Samnio, Etruria, ſcribebāt, & exempla addicū. Cæſar: *Attius dilectum toto Piceno, circummiſſis Senatoribus habebat.* Et vides honeſtiores quoſdam, atque è Senatu conquiſiſſe: imò ipſos Legatos. Cæſar idem. *Cato hac magno ſtudio agebat, in Lucanis Brutiiſq; per Legatos ſuos ciuium Rom. dilectus habebat.* Sed & extra bellum ciuile, idem de ſe: *Cæſar maiorem Galliæ motum expectans, per M. Silanum, C. Antiſtium, T. Sextium Legatos, dilectum habere inſtituit.* Ita paullatim alia atque alia in motibus mutāt, aut ſuccedūt. ſicut ſub Principibus illud valdè diuerſū, vt iam nec Dilectus eſſet, ſed indictio militum pro opibus cuiuſque & agris. Exempla huic rei permulta ſunt, & in Codice Theodoſiano ſolo tota res explicata. Res improba, & ad perniciem militiæ germanæ inuenta. Partim enim ignauos aut ineptos tirones dabant, partim pro iis aurum inferebant, & mille hîc prædandi ſinus & artes. Vegetius haud falsò queritur & declamat, cauſſam hanc Romani exitij. & *Hinc*, inquit, *tot vbique ab hoſtibus illata ſunt clades, dum longa pax militem incuriosiùs legit, dum poſſeſſoribus indicti tirones per gratiam aut diſſimulationem probantur, taleſque ſociantur armis, quales domini habere faſtidiunt.* Itaque eò ventum, vt etiam ſeruitia & vilia capita darētur: etſi leges reprimere conarentur, ſed conarentur. Gratiani, Valentiniani, Theodoſij lex fuit: *Quotieſcumque ſe aliquis militiæ crediderit offerendum, ſtatim de natalibus ipſius ac de omni vita conditione examen habeatur & ad militiam nullus adſpiret, niſi quem penitus liberum aut genere, aut vita conditione, inquiſitio tam cauta deprehenderit.* Eorumdem alia: *Inter optimas lectiſſimorum militum turmas, neminem è numero ſeruorum dandum eſſe decernimus; neque ex caupona ductū, vel ex famoſarum miniſtris tabernarū, aut ex cocorum aut piſtorum numero, vel etiam eo quem obſequij deformitas militiâ ſecernit, nec tracta de ergaſtulis nomina.* Heu rem iam hoc ipſo non Romanam, quòd hæc vetentur! Olim quis fraudibus iſtis locus? cùm ex ingenuis milites ſcripti, atque iis non crimine, non infamia aſperſis. Nam hi tales aut vrbe, aut tribu mouebantur: è tribubus autem, atque iis honeſtioribus, miles ferè lectus. Itaque Liuius hoc vno probat, Atellanos *censoriâ notâ vacuos fuiſſe, quòd neque tribu mouerentur, neque à militaribus ſtipendiis repellerentur.* At ſub Principibus etiam ergaſtula intrudere cœperunt: & quid mirer? ipſi eos habuere quaſi ſeruos. Ecce enim tirones iam captos compungebant, & in cute ſignabant. Vegetius: *Victuris in cute punctis milites ſcripti, & matriculis inſerti, iurare ſolent.* Vera hæc ſtigmata fuêre, & quidem manibus impreſſa. Aëtius medicus: Στίγματα καλοῦσι τὰ ἐπὶ τοῦ προσώπου ἢ ἄλλου τινὸς μέρους τοῦ σώματος ἐπιγραφόμενα, οἷα τῶν στρατευομένων ἐν ταῖς χερσί: *Stigmata vocant quæ in facie aut alia parte corporis inſcribuntur, qualia ſunt militum in manibus.* Quid autem ibi ſcriptum, ſolidè neſcio, ſuſpicor tamen nomen Imperatoris. Diuus Auguſtinus inducit: *Sic error corrigendus eſt ouis, vt non corrūpatur in eâ ſignaculum redemptoris. Neque enim ſi quiſquam regio charactere à ſignato deſertore ſignetur, & accipiat indulgentiam: atque ille redeat ad militiam, ille autem eſſe in militiâ in qua nondum erat, incipiat; in aliquo eorum character ille reſcinditur, an non potiùs in ambobus agnoſcitur, & honore debito, quoniam regius eſt, approbatur.* Appellat enim *regium characterem*, vti & Chryſoſtomus Homil. III. in II. ad Corinth. σφραγῖδα: Καθάπερ γὰρ στρατιώταις σφραγίς, οὕτω καὶ τοῖς πιστοῖς τὸ πνεῦμα ἐπιτίθεται. κἂν λειποτακτήσῃς, κατάδηλος γίνῃ πᾶσιν: *Sicut militibus ſignaculum, ita fidelibus ſpiritus imponitur. & ſi ordinem deſerueris, notus omnibus fias.* Enimuerò & in Codice de Aquæductu, Impp. ſic edicunt: *Aquarios ſingulis manibus nomine Pietatis noſtræ impreſſo ſignari decernimus, vt huiuſmodi annotatione manifeſti ſint omnibus.* Quid, quòd & olim nomen Imperatoris in ſcutis, haſtis, vexillis ſolent inſcribere, atque ex eo exemplo nunc in cute? An & à ſacris hoc petitum? dici poſſit. Nam quos deo alicui conſecrabant & initiabant, hos ſtigmatibus inurebant. Prudentius apertè:

> *Quid, cùm ſacrandus accipit ſphragitidas?*
> *Acus minutas ingerunt fornacibus,*
> *His membra pergunt vrere; vtq; igniuerint,*
> *Quamcumque partem corporis feruens nota*
> *Stigmarit, hanc ſic conſecratam prædicant.*

Potuit igitur exemplo quodam prauæ religionis primò hoc induci, vt talis quaſi conſecratus militiæ oſtenderetur: tum etiam ab hac cauſsâ, vt agnoſci poſſet, nec latitaret. Eam Imperatores Arcadius & Honorius prætulerunt: *Stigmata, hoc eſt notā publica, fabricenſium brachiis, ad imitationem tironum infligantur, vt hoc ſaltem modo poſſint latitantes agnoſci.* Adfatim hæc puto ad clarandum Dilectum totum: non quin aliquid deſit: ſed tenue, obuium, & per te videndum ac capiendum. Subtexo Tabulam memoriæ tuæ & intelligentiæ iuuandæ.

Marginal notes: Triumuiri ad conquirendum. Lib. xxiii. — Lib. xxi ibid. — Pro Mil. — Ad Att. lib. vii. ep. x. — Dilectus ratio mutata. — Milites in regionibus ſcripti. Ciuil. lib. per Senatores, aut Legatos. — Ibid. — De Gall. — Tirones indicti. — Mala inde & eius. — Lib. 1. cap. vii. — Serui in militiam. Lib. vii. Cod. Th. Tit. xiii. — Lib. vii. Tit. xiii. — Olim ingenui, & poſt iberum. — Lib. vii. — Tirones ſtigmatia. Lib. ii. c. v. — Nomina Principis inſcripta. Epiſt. 1. — Auguſtinus explicatus. — Initiandi ſtigmate puncti. — περὶ ϛεφ. Hym. 1. — C. de Fabric.

TABVLA, ſeu BREVIARIVM
LIBRI PRIMI.

- DILECTVS eſt duplex.
  - CIVIVM.
    - PEDITVM qui lecti
      - E tribubus honeſtiſſimis: & per claſſes:
      - Fit in Capitolio:
      - Præſident Conſules,
      - Adminiſtrant Tribuni.
      - Cogunt nolentes
        - Vinclis
        - Direptione, aut venditione bonorum.
        - Venditione ipſorum.
      - Excuſantur quibus Vacatio
        - Ætatis, vt quinquagenarij.
        - Honoris, vt magiſtratus, & ſacerdotes.
        - Beneficij, quibus præmium Senatus, aut populus dedit.
    - EQVITVM qui duplices
      - Equo publico,
      - Equo ſuo.
  - SOCIORVM qui ſunt,
    - Propriè ſocij, qui capti
      - Ex Italiâ, per gentes imperati:
      - Militant ſuo ſumptu.
    - Auxiliares qui ſunt
      - Exteri:
      - Militant ferè mercede.

Hi omnes ſacramento dicunt in Conſulum verba, poſt Dilectum.
Sunt & Euocati, veterani qui ſponte militiam ſumunt.
Vulgò & olim iſta: poſteà Conquiſitores ſæpe adhibiti, qui in agris, aut coloniis indagarent iuniores, cogerentque.
Imò ſub Principibus inferioribus tirones indicti poſſeſſionibus: ſæpe viles, & non pro robore, aut ſplendore priſco. Iidem in cute ſignati, ſeruilem in modum.

IVSTI LIPSI
DE MILITIA ROMANA
LIBER II.

DIALOGISMVS I.

De Ordine, & is quotuplex. tum de quattuor generibus militum, Velitibus, Haſtatis, Principibus, Triarijs.

DIES alter erat, & is iam medius atque *ad vmbilicum mortuus*, vt vocatur pater lepôrum Plautus: venit ad me Auditor, & vultu alacri, Quid velim ſcis, inquit, & quid etiam debeas. LIPS. Scio. ſed heus tu, an hodie tam bona nomina? Leges & Plætorius ſuum vix obtinent: tu vnâ admonitiunculâ cenſes habere te rem factam? AVD. Nam fidem tuam noui. LIPS. Blandiris. ſed tamen mei, non æui huius, memor, reddam. Nolo reliquator eſſe tibi, qui alia probus, hîc ore ferreo ſis ad petendum. AVD. Scis quomodo? niſi totum & ad aſſem mihi reddis, nec mortuus per me quieſces. LIPS. Heu negotium! & quàm non ſemel benignitas mea mihi noxæ! ſed ſum eo fato. Tu ſede, atque audi. Heſternò de *Dilectu* ſatis diximus: *Ordo* excipit, qui in his definitionis noſtræ verbis incluſus, MVLTITVDO COMPOSITA. Nam vt *apta* ea fit per Dilectum; ſic *compoſita* per Ordinem, qui digerit, & facit vnius corporis velut habilia quædam membra. Is Ordo varius eſt, & in *Militibus*, atque in *Ducibus* ipſis. In Militibus dupliciter conſiderandus: ſecundùm *Genera*, & per *Partes*. Genera appello, *diſcrimina ipſa militum, diffuſa per pleraſque partes*. At partes, *ipſas diuiſiones, & ſub certis ſignis ac ducibus diſtributiones*. Intelleges ex ſermone ſequenti. Genera igitur ſunt quattuor, *Velites, Haſtati, Principes, Triarij*: quod tamen de Peditibus accipio tantùm, & Polybius noſter ſic reuelat. Lege:

Ordo duplex conſideratur.

[illegible]

Genera militum.

POLYB.

Οἱ δ᾽ ἐν τῇ Ῥώμῃ χιλίαρχοι, μετὰ τὸν ἐξορκισμόν, παραγγείλαντες ἡμέραν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ, καὶ τόπον, εἰς ὃν δεήσει παρεῖναι χωρὶς τῶν ὅπλων, τότε μὲν ἀφῆκαν. παραγενομένων δ᾽ εἰς τὴν ταχθεῖσαν ἡμέραν, A διαλέγουσι τῶν ἀνδρῶν τοὺς μὲν νεωτάτους καὶ πενιχροτάτους εἰς τοὺς γροσφομάχους· τοὺς δ᾽ ἑξῆς τούτοις, εἰς τοὺς ἀστάτους καλουμένους· τοὺς δ᾽ ἀκμαιοτάτους ταῖς ἡλικίαις, εἰς τοὺς πρίγκιπας· τοὺς δὲ πρεσβυτάτους εἰς τοὺς τριαρίους. αὗται γάρ εἰσι καὶ τοσαῦται διαφοραὶ παρὰ Ῥωμαίοις, καὶ τῶν ὀνομασιῶν, B καὶ τῶν ἡλικιῶν, ἔτι δὲ τῶν καθοπλισμῶν, ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ. διαιροῦσι δ᾽ αὐτοὺς τὸν τρόπον τοῦτον ὥστ᾽ εἶναι τοὺς μὲν πρεσβυτάτους, καὶ τριαρίους προσαγορευομένους ἑξακοσίους, τοὺς δὲ πρίγκιπας χιλίους καὶ διακοσίους, ἴσους δὲ τούτοις τοὺς ἀστάτους· τοὺς δὲ λοιπούς, καὶ νεωτάτους, γροσφοφόρους· ἐὰν δὲ C πλείους τῶν τετρακισχιλίων ὦσι, κατὰ λόγον ποιοῦνται τὴν διαίρεσιν, πλὴν τῶν τριαρίων· τούτους ἀεὶ τοὺς ἴσους.

Tribuni verò Romæ cùm Sacramento milites dixerint, diem & locum cuique legioni denunciantes in quem conueniant, idq; ſine armis, tunc quidem dimittunt. At ij cùm adfuerint die dictâ, horum iuuenes & pauperes maximè Tribuni ſeligunt in Velites; iſtis proximos, in Haſtatos; ætate florentiſſimos, in Principes; ætate maximos, in Triarios. Tot enim & talia diſcrimina apud eos sũt & appellationum, & ætatum, & armorum, in quaque legione. Diuidunt autem in hunc modum, vt maximi ætate, quos Triarios dicunt, ſint ſexcenti; Principes mille ducenti; totidem Haſtati; reliqui & ætate minimi Velites. Quòd ſi plures quatuor millibus ſint, pro ratâ diuidunt, exceptis Triariis, quos habent ſemper numero eodem.

Poſt Dilectum ſtatim Ordo: ſed quâ ſerie atque ordine ipſe dicit.

„ *Cùm Sacramento milites dixerint.*] Ergo omnes iam milites & coniurati (ſic quoque appellabant) ſed nondum gnari in quo genere aut loco, niſi quòd ex ætate & cenſu de ſe quiſque opinabatur. Tum igitur, addit;

„ *Diem & locum cuique legioni denunciant.*] E Polybio colliges triplicem in hac totâ re diem dictum fuiſſe. Primum, ad dilectum: ſecundum, ad Ordinationem: tertium, ad iter & expeditionem.

vno quidem tempore non potuerunt hæc omnia commodè peragi. Dicit etiam *locum*, quem illum? extra vrbem opinor, & in aliquo campo. Nam pluribus opus fuit, cùm quæque legio euocata ſit ſeorſim, ne miſcerentur aut ſe impedirent.

Locus ordinationis.

„ *Idq; ſine armis.*] Meritò. nam hæc pro aſſignatione ordinum & genere militum capienda.

„ *Horum iuuenes & pauperes maximè Tribuni ſeligunt*] A Velitibus incipiunt, & attende. A duplici eos notâ excernunt, Ætatis & Opum. Qui vtraque ea parua habuit, in minimo iſto genere militauit. Quid qui alterum tantùm? Da pauperē, ſed æuo & vſu veterem: credo in Triarios tranſlatum. Da diuitem, ſed annis modicum: credo in Haſtatos tranſcriptum. Sanè illud dignum notâ eſt, hîc vtriuſque rei mentionem fieri. mox in quoque aliorum generum, Ætatis tantùm. Quod argumentum eſt, niſi valdè pauperes & infimarum claſſium inter Velites non militaſſe. Hoc ideò, quia non ſolùm parùm honorata hæc militia (quippe leues, & eminus ferè pugnant) ſed etiam quia parùm tuta, & in fronte plurimùm exponuntur hoſti & in ore, vt ſic dicam, belli: idque pænè inermes.

Velites è quibus lecti.

Vilisſimi Velites.

„ *In Velites.*] Ita vertendum fuit, quod in Polybio eſt γροσφομάχους. At Laſcaris *Pilanos* fecerat; quàm diuerſos ab iſtis, & ipſe à vero! Nam *Pilani*, Triarij ſunt, vt mox videbis. Polybius autem pro ſui æui moribus ſolos Velites agnoſcit in leui armaturâ: & Accenſi ac Rorarij, quos Liuius, iam deſierant,* militiâ in hac parte leuiter mutatâ.

Laſcaris error.

Vide infrà Dialog. iii. iv. de L.L.

„ *In Haſtatos.*] Quos Varro vult dictos, *quòd primi pugnabant haſtis.* Nec malè ſi *primò* legas. Olim enim ita factum adſignificat, poſteà mutatum, etſi nomine manente. Nam Polybij æuo, atque etiam antè, Haſtati pilis & gladiis pugnabant: haſtæ iaculatoriæ apud Velites remanſerant ſolos. Olim tamen vt Varro, aliter, & cum eo Ennius:

Haſtati olim haſtis vſi.

Haſtati *ſpargunt haſtas, fit ferreus imber.*

* Quod verbum ad emiſſionem Lib. viii. Haſtati uo lio ſenſu

Quinetiam Liuius, bello in Latinos, cuique Haſtatorum manipulo admiſcet *vicenos leues, qui haſtam tantùm geſáque gererent*: reliquias vt appâret, veterū Haſtatorum. Sunt & alij nouitij in Ammiano ac Vegetio, ſed qui ſtabilibus haſtis pugnāt ſiue contis. Itaque in Gloſſis, *Haſtatus* explicatur Κοντοφόρος.

„ *Ætate florentiſſimos.*] In Liuio eſt, *Robuſtior inde ætas, quibus Principibus eſt nomen.* Sicut in eodem de Haſtatis, *Flos iuuenum pubeſcentium.* Ex quo facilè colligas, Haſtatos adoleſcentes iuuenes fuiſſe; Principes, viros aut viris proximos, Triarios grandes & maturos.

Lib. viii. Principes maturi.

„ *In Principes.*] Varro deriuat, *qui à principio gladiis pugnabant, & poſt commutata re militari minus illuſtres ſumuntur.* Verba obſcuriuſcula, ſed credo ſenſum: Olim Principes à principio pugnabant, vnde & nomen: poſteà alij minùs illuſtres ſumpti in eum locum. qui? nempe Haſtati. Tale aliquid fuiſſe ſub Seruio, & in acie ſtetiſſe ordine claſſium, * alibi ediſſeretur.

Vnde dicti Varroni mens quæ ſit.

* Lib. iv Dialog. ii

„ *Ætate maximos.*] In Liuio, *Veteranum militem & ſpectatæ virtutis.*

„ *In Triarios.*] Sic dictos, ait idem Varro, *quòd in acie tertio ordine extremis ſubſidio deponuntur.* Ergo ab ordine dicti, quia tertij. Eſt & in Gloſſis, *Terriarius*, ὑποθέτης quaſi dicas ſubſeſſorem, & in vicem locùmque paratum. Ipſi etiam Triarij ſubſidebant, preſſo altero genu. Sed vetuſtam magis vocem credo Pilanos fuiſſe: ideò, inquit, Varro, *quòd pugnabant pilis.* Et ipſe totus ille ordo *Pilus* dictus. An & *Armiteri*? Gloſſæ ſuggerūt: *Armiter.* ὑπὸ ἕνα οἱ ἐν ὅπλοις τάξις.

Triarij vnde.

Terriarij

Pilani.

Armiteri.

„ *Diuidunt autem in hunc modum, vt maximi ætate ſint ſexcenti.*] Addit numerum cuiuſque generis, & primùm Triarios facit ſexcentos: idque ſemper, & legionibus etiam auctis non augent ipſi. Quæ ratio iſta eſt? & cur tam diſpar ab aliis partibus iſta pars? Plures dari poſſunt. Prima, quòd robora hæc & flos ipſe virorum: atque ideò, ſi non numero, tamen virtute æquarent. Altera, quòd rarò aut numquam hæc pars pugnabat ſola: ſed in extremo demum integrabat aciem aliis admixta. Tertia, quòd ob adiunctas etiam copias fuit acies iuſta. Nam cogita Imperatorem in hac parte (poſtea docendum) cum eo Selectos & ſæpè Extraordinarios, item pleroſque Euocatorum: hi iuncti numero priores ſuperent, nedum æquent. Quarta, à nobis recenter excogitata, quòd olim ita fuit in Pilanis: nec id mutatum, etſi in totâ re, inſtitutione nouâ Velitum, mutatum. Ad Liuiū * mox diducam: tu memento.

Qui cur Triarij.

Cor partis... virorum

* Dialog.

„ *Principes mille ducenti.*] Quo ipſo numero reliquæ duæ partes, Velitum dico & Haſtatorum. Collige & conſumma, reperies legionem Polybianam *quater mille virorum & ducentorum.* Ad numerum autem hunc ipſum vnius generis haud dubiè Liuij locus facit de Petilio Conſule: qui auxilium laturus, *ad cornu ſuum tendit, cum mille ducentis viris.* Eſt ipſa vna pars ſiue Principum, ſiue Haſtatorum. Vnde enim aliter tam iuſtus numerus? nec diuiſio alia in exercitu ad hanc ſummam.

Quot Principes.

Lib. xli.

„ *Quòd ſi plures quatuor millibus ſint, pro ratâ diuidunt.*] Genera tali illo numero definiuit: ſed quid ſi legio igitur maior, & quinque aut circiter millium? nam & id fiebat. Tunc, inquit, augebant partes proportione, Triariis modò exceptis. Facile eſt. Pone legionem *quinque millium ducentorum*: habebunt genera milites *mille quingentos triginta quatuor*: Triariis tamen exceptis. Sic in ſex millenariâ, aut tali.

Partes cum legione augentur.

DIALOG. II.

De Manipulis militum. Eorum numerus & Græca nomina.

HABES *Genera* militum: eo ad *Partes.* Parùm enim ſit ſic diſtinctos, niſi & diuiſio fiat vtilis ad imperia, & ad pugnas. Erant igitur in quatuor his generibus *Manipuli*, ex iis *Cohortes*, ex his *Legio* tota. De Manipulis, doctorem noſtrorum audiamus: & fac quod ſoles.

POLYB.

Ἑξῆς δὲ τούτοις μετὰ τῶν ταξιάρχων διεῖλον τὰς ἡλικίας, ἑκάστην εἰς δέκα μέρη, πλὴν τῶν γροσφομάχων. καὶ προσένειμαν ἑκάστῳ μέρει τῶν ἐκλεχθέντων ἀνδρῶν, δύο ἡγεμόνας, καὶ δύο οὐραγούς. τῶν δὲ γροσφομάχων τοὺς ἐπιβάλλοντας κατὰ τὸ πλῆθος, ἴσους ἐπὶ πάντα τὰ μέρη διένειμαν, καὶ τὸ μὲν μέρος ἕκαστον ἐκάλεσαν καὶ τάγμα, καὶ σπεῖραν, καὶ σημαίαν.

Poſt hæc, vnà cum Ordinum ductoribus diuidunt ætates ſingulas ſiue Genera, quamque in decem partes, exceptis Velitibus. Et adtribuunt cuique parti duos Vragos. Ipſos Velites, vti multitudo eſt, æquabiliter diſtribuūt in omnes partes. Atque vnamquāque harum partium appellant Ordinem, & Manipulum, & Signum.

Pauca verba, ſed grauida & plena ſunt, dilatemus & referemus. Ait:

„ Vna

Tribum & Centuriones dimidiant.

A ,, *Vna cum Ordinum ductoribus dimidiunt.*] Qui diuidunt? Tribum, de quibus anterior ſermo. Sed id, inquit, cum *Ordinum ductoribus*, id eſt Centurionibus, quos in conſilium & auxilium hîc aſſumunt. Nam etſi de iis poſteà dicam, vt confuſio vitetur, tamen ſcito creatos iam eſſe, atque id ſtatim poſt Genera diuiſa.

Quot manipuli in legione.

,, *Ætates ſingulas ſiue Genera, quamque in decem partes.*] Ætates appellat, quia pro ætate diuiſi, vt dictum. Leue eſt: hoc in magno, quod tam diſertè ait *quamque ætatem diuiſam in decem partes*, Velitibus tamen exceptis. Ergo triginta iſtæ fuerunt, & tot Manipuli in legione: quos hîc dicit Partes. Conſentit L. Cincius apud Agellium: *In legione ſunt centuriæ ſexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.* Et eſt vetuſtiſſima hæc diuiſio, imò à Romulo ipſo, ſi Ouidio

Lib. xvi. cap. iv. Manipulorum vetus res & diuiſio.

B accredo. Is cùm de anno decem menſium diſſereret, & quæreret huic rei argumēta, hæc quoque protulit:

III. Faſt.

Inde Patres centum denos ſecreuit in orbes
Romulus, Haſtatos inſtituitque decem.
Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat
Corpora, legitimo quique merebat equo.

Dubitatum de lectione in Ouidio.

Et de *Patribus* ambigo an rectè ſcriptum, etſi probè ſcio centum eos à Romulo inſtitutos. Sed quis me docet in decem partes, ſiue orbes, vt loquitur, diuiſos vnquam fuiſſe? Quàm etiam non aptè, copulâ incertâ, curiæ milites ſtatim miſcet? Ego verò cenſeo litterulâ detractâ reſcribendum: *Inde pares centum.*

Coniectura in eo.

Pares ætate & habitudine, vt ferè in quoque genere ſeruabant. Mens igitur poëtæ; Inde factum vt Romulus decies centum pares eligeret, faceretque

C decem Haſtatos: idem in Principibus, idem in Pilanis.

Haſtatorum ipſe ordo.

Haſtatos dico decem, ipſos Manipulos ſiue *corpora*, vt benè poëta appellat. Quàm verè etiam *centum*? nam eo numero primi illi Manipuli fuerunt. Plutarchus aliique aſſerunt: & conſenſu traditur, primam legionem Romuli non niſi *trium millium* fuiſſe. Ergo quodque dictorum generum mille habuit: etiam Pilani, nec accurata alia diuiſio adhuc reperta. Avd. Pulchra & vera (aut fallor) correctio, & in litterulâ quod momentum? Lips. Sæpe in noſtrâ Criticâ, vtiliſſimâ & ſaluberrimâ, ſi modicè adhibetur & modeſtè.

Velites extra Signa. Subſignanus miles ab Auxiliis diuerſus.

,, *Ipſos Velites, vti multitudo eſt, æquabiliter diſtribuunt in omnes partes.*] Valdè hoc notandum, Velitum nec Manipulos vllos fuiſſe proprios & quod ſe-

D quitur, nec Signa. Itaque *Subſignanus miles* diuiditur & ſecernitur ab iſto leui. Tacitus I. Hiſt. *Penino ſubſignanum militem itinere & graue legionum agmen traduxit.* Idemque III. Hiſt. *Monuit ſubſignano milite media firmare, auxilia paſſim circumfuſa ſunt.* Opponit Auxiliis, quæ in locum Velitum venêre. Sed ipſi

Velites ſparſi per manipulos.

igitur Velites, ſi propria nulla corpora, quos Duces habuêre? Credo Centuriones aliorum manipulorum, quo fine in eos ſparſi. Nam hoc eſt quod hîc Polybius dicit, *æquabiliter diſtributos in omnes partes*: id eſt, vt quodque genus *quadringentos* habuerit, quiſque manipulus *quadraginta*. Etſi rarò tamen in agmine aut acie ſic inceſsêre, & ſeorſim ferè poſiti, aut intermixti. Imperia tamen, & ſiquid opus, à Centurionibus illis quiſque habebant, & ad hos ſe

E applicabant.

Ordo, quid.

,, *Appellant Ordinem.*] Etſi propriè, ex Liuio, Ordo manipuli pars eſt dimidiata. Nam cùm duo Centuriones ſint in Manipulo, cuique ſuam partem aſſignarunt quam duceret, vocaruntque *Centuriam* aut *Ordinem*. Ea fuit *ſexaginta militum* in legione veteri & Polybianâ: atque ita Liuius *Ordinem* definit. Mox plura. nam hæc connexa inter ſe ſunt, & alibi repetenda.

Spira, quid.

A ,, *Et Manipulum.*] Dixit Græcè σπεῖραν: ſed aliter hîc reddi non poteſt, non debet. Scio equidem *Cohortem* eâ voce Græcis vulgò notari: hîc res abnuit. & Polybius ipſe non ſemel eâ voce pro Manipulo palàm eſt vſus. Idem Dionyſius, cuius locum operæ eſt

Pro Manipulo capta. Lib. x.

recitem atque illuſtrem. Gloriatur apud eum L. Siccius (Sicinium alij vocant) vir Romanus, & à robore notus, *triginta ſe annis in militiâ & in imperiis fuiſſe*, τοτὲ μὲν σπείρας ἡγούμενον, τοτὲ δὲ ὅλου τάγματος. *aliâs manipuli ductorem, aliâs legionis totius.* Ita verò

Dionyſij vera ſententia & verſio.

dum aio, & mecum, quibus notæ res Romanæ. Nam quod faciunt *Cohortis Præfectum*, non poteſt pro iſtâ re militari. Inter ciues enim & in legionibus, nemo fuit; ſociorum Præfecti tantùm, inter quos conſtat hunc Siccium non meruiſſe. Ergo ait, aliâs ſe Centu-

B rionem fuiſſe & manipuli ducem, aliâs Primipilum & caput legionis totius. Atque hæc prima igitur diuiſio eſt in Manipulos, quæ diutiſſimè in militiâ

Manipuli diu in militia. I. Annal.

manſit. Nam & Principum æuo, Tacitus: *Concionem, quia permixta videbatur, diſcedere in manipulos iubet.* Idem de Prætoriis quoque cohortibus: *Manipulatim allocuti ſunt Licinius Proculus & Proculus Firmus.*

I. Hiſt. An à ſummis Imperiis labente imperio. Lib. II. cap. XIII.

Etſi paullò poſt (an ſub Hadriano aut Antoninis?) mutauit, & Centurias pro Manipulis habere cœperunt, iſtos pro Contuberniis aut Decuriis ipſis. Vegetius: *Contubernium Manipulus vocabatur, ab eo quod iunctis manibus pariter dimicabant.* Ait vocabatur, quaſi de æuo priſco: ne te hîc aut alibi fallat, paullò ſuperius æuum, vt Traiani aut talium, ille habet

Lib. XVII.

C pro priſco. Iam in Ammiano Manipulus non alio ſenſu. *Conuocatis*, inquit, *cohortibus, & centuriis, & manipulis.* Poſtponit enim Centuriis, & vſurpat vt illud æuum.

DIALOG. III.

Inuoluta quædam Liuij ſuper Ordine euoluta, partim emendata.

HÆc ita ediſſerui, & clara, firma videntur: niſi quod venius à Liuio, qui turbat. Ille vbi bellum inter Romanos & Latinos narrat, & digreſſiunculâ ordines (qui in vtroque populo eidem) recenſet: Deus bone, quàm à nobis abit! Dixeris de alia prorſus militiâ, quàm Romanâ, aut certè Polybianâ, eum loqui. Operæ tibi videtur vt verbatim legamus, &

D euoluamus? Avd. Vnicè aueo, nam in memoriam loci, te monente, redeo: quem quoties lego & inſiſto, apud Cimmerios agere me cenſeo, & in nigrâ nocte. Lips. Vide igitur, & ſepoſito paullùm Polybio, hæc lege:

Lib. VIII.

,, *Fuit ciuili maximè bello pugna ſimilis, adeò nihil apud Latinos diſſonum ab Romana republica, præter animos, erat. Clypeis anteà Romani vſi ſunt, deinde poſtquam ſtipendiarij facti ſunt, ſcuta pro clypeis fecêre. Et quod anteà Phalanges ſimiles Macedonicis, hoc poſteà Manipulatim ſtructa acies cœpit eſſe: poſtremò in plures Ordines inſtruebantur. Ordo ſexagenos milites, duos Centuriones, vexillarium vnum habebat.*

E *Prima acies Haſtati erant, Manipuli quindecim, diſtantes inter ſe modicum ſpatium. Manipulus leues vicenos milites aliam turbam ſcutatorum habebat. Leues autem, qui haſtam tantùm geſaque gererent, vocabantur. Hæc prima frons in acie Florem iuuenum pubeſcentium ad militiam habebat. Robuſtior inde ætas totidem Manipulorum, quibus Principibus nomen eſt, hos ſequebantur*

„ *bantur, ſcutati omnes, inſignibus maximè armis.*
„ *Hoc triginta Manipulorum agmen Antepilanos*
„ *appellabant, quia ſub ſignis iam alij quindecim*
„ *Ordines locabantur, ex quibus Ordo vnuſquiſque*
„ *tres partes habebat: earum vnamquamque Pri-*
„ *mumpilum vocabant: tribus ex vexillis conſta-*
„ *bat: vexillum centum octogintaſex homines*
„ *erant. Primum vexillum Triarios ducebat, vete-*
„ *ranum militem, & ſpectatæ virtutis: ſecundum*
„ *Rorarios, minus roboris ætate factiſque: tertium*
„ *Accenſos, minimæ fiduciæ manum, eò & in poſtre-*
„ *mam aciem reiiciebantur.*

Ne vltrà. affatim turbarum aut tricarum in his verbis. Ait primò:

„ *Adeo nihil apud Latinos diſſonum ab Romanâ republicâ, præter animos, erat.*] Communiter dicit, arma, ordines, manipolos, omnia eadem fuiſſe Latinis. Sed quod eſt, *ab Romanâ republicâ*: in ſcripto optimo libro ſaltem erat: *ab Romanâ re.* & malim.

„ *Clypeis antea Romani vſi.*] Ab capite petit & ab alto. Sed quod tamen ait de clypeis, non ſic capiendum quaſi ſolis iis anteà vſi: imò verò & ſcutis (ipſe in Seruiano cenſu docuit:) ſed quòd poſt ſtipendia inſtituta ſolùm vſi ſint ſcutis, anteà etiam clypeis.* Poſteà docebo.

Cautio in Liuio.

** Lib. III. Dialog. II.*

„ *Quod anteà phalanges ſimiles Macedonicis*] Quãdo *antea*? Nam ſub Romulo iam Legio, atque etiam Manipuli, vt videbo. Quid ergo vis? credo hoc. Manipulos quidem fuiſſe, ſed non in acie diuiſim & diſtinctè ſtetiſſe: concurriſſe per totas legiones, ſiue, vt ipſe appellat, phalanges. Nam & in ipsâ illâ Macedonum phalange diſcrimina ſua & ſectiones erant vſque ad Cẽturias, Decurias: ſed in acie iũcta omnia & deuincta. Tale igitur fuiſſe vult olim. In Athenæo lego: ἔλαβον δὲ καὶ παρὰ Τυρρηνῶν τὴν σταδίαν μάχην φαλαγγηδὸν ἐπιόντων: *Acceperunt & à Tyrrhenis ſtatariam pugnam, per phalanges incedentibus.* Agit de iis, quæ Romani à variis gentibus ad ſe traxerint. Sed hoc *per phalanges ingredi*, ſiue φαλαγγηδὸν, aliter equidem acceperim quàm primò ſonat. Nec enim vult, credo, legiones ipſas ab Etruſcis ſumptas: ſed magis, manipulos aut ſectionem potiùs diuiſionemque per manipulos in pugnâ. Nec aliter ego interpretor τὸ φαλαγγηδὸν, quàm *manipulatim*. De eâ re ſequitur:

Phalanges olim Romanum. Quo ſenſu?

Lib. VI. Athenæus explicatus.

„ *Hoc poſteà manipulatim ſtructa acies cœpit eſſe.*] Iterùm rogo, Quando *poſtea*? incuria tua eſt (audeo dicere) Liui, quòd non explicaſti. Quin tu natare mihi in totâ iſtâ re videris, nec vel cum aliis ſcriptoribus, vel tecum, ſatis conſentire. Age, de Manipulis hoc quale eſt? Enimuerò Manipuli ſtatim ab vrbe conditâ fuerunt, imò ante ipſam. Romuli primum tirocinium belli, & cùm eripiendo fratri Remulo paſtorum manum collegit, Manipulos habuit, vt fatentur priſci omnes qui hæc exſecuti. Illi ipſi Manipuli, centenûm hominum fuerunt. In Collectaneis de origine Romanâ: *Romulus coactâ paſtorum manu, eâque in centenos homines diſtributâ, perticas manipulis fæni variè vinctas dedit. Vnde inſtitutum, vt poſteà milites qui eiuſdem ſigni eſſent, Manipulares vocarentur.* Plutarchus eadem; & diſertè illam totam manum facit συνταγμένην εἰς ἑκατοντάδας: *diuiſam ordinatámque in centurias.* Ouidius:

Manipuli vetuſtiſſimi.

Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos,
Vnde maniplaris nomina miles habet.

III Faſt.

At enim deſierunt poſteà fortaſſe Manipuli. Imò tu ipſe Liui renouas, & iam ſub rege Tarquinio agnoſcis: *Miſcuit manipulos ex Latinis Romaniſque.* Quæ tamen mixtio nõ diuturna fuit, etſi habuit ſuas cauſas: metom, vt opinor, à Latinis, ſi ſoli & ſeorſim ordinarentur. Quin & ſub primis ſtatim conſulibus ponis, atque etiam numeroſè, & diſcretus: *Conſulum alter T. Lucretius portâ Næuiâ cum aliquot manipulis militum eſt egreſſus.* Atque adeò vniuerſè alibi, nec falsò, affirmas: *Diſciplinam militarem, iam inde ab initiis vrbis, in artis perpetuis præceptis ordinatæ modum veniſſe.* Ita ſanè, ab ipſis initiis, & Romulus decem Manipulos in claſſe quaque inſtituit; & Tullus Hoſtilius fortaſſe digeſſit magis & perpoliuit. de quo Florus: *Hic omnem militarem diſciplinam artémque bellandi condidit.* Sed quid tamen hîc pro te? quod antè dictum. non negare te de Manipulis, ſed de eorum ſecretione in pugnâ, deque interuallis inter ſingulos, quæ poſteà (Etruſcorum fortaſſe exemplo, ex Athenæo) ſunt inſtituta.

Etiam ſub Liuio aſſerta. Lib. II.

Lib. II.

Lib. IX.

Lib. I. cap. VII. Etruſcorum Liuius.

„ *Poſtremò in plures ordines inſtruebantur.*] Ergo Ordo aliud Liuio quàm Manipulus eſt, quod nexus ſermonis poſcit, aut potiùs cogit. Primò in phalanges, inquit, diuiſa acies, poſteà in manipulos, poſtremò & in plures ordines. Quis gradationem hanc non videt, & cum temporibus res diſtinctas? Nec enim vult ſectionem ibi ſtetiſſe: ſed ipſius Manipuli factas duas partes, quos Ordines appellarunt. Itaque adiungit quid ſit Ordo:

Ordo à Manipulo diuerſus.

„ *Ordo ſexagenos milites.*] Si Ordo hîc ipſe Manipulus, quod vulgò volunt: cedò, quis Manipulum tam exiguum (niſi fortè in Triariis, de quibus non hic ſermo) legit? Imò iam à Romulo centenarij illi, vt dictum, poſteà etiam auctiores. Nec tamen nego Ordinem interdum pro Manipulo ſumi: quod in hac ipsâ narratione alibi Liuius: ſed non hîc, vbi palàm diſtinguit. Quid ergo hîc? idem, quod *Centuriam* idem Liuius appellat, Polybius *Partem*. Ille *Priorem & Poſteriorem* in Manipulo agnoſcit; iſte *Dextram & Lauam*. Nec alio ſenſu *Ordines petere & Impetrare*: item *Ordinis ductor*, pro Centurione ipſo. Sequitur nodus.

Quod enim.

„ *Duos Centuriones.*] Itáne? hoc cõuenit & æquum eſt, vt in vno ordine duo ſint Centuriones? vt Sexageni milites bis diuiſi, quæque pars ſuum habeat? nunquam factum, nec niſi hîc lectum. Age, pergamus. Addit quindecim Manipulos Haſtatorum fuiſſe: ergo triginta Ordines. Totidem Principum: quid conſequitur? In ſolis duabus claſſibus *centum viginti* Centuriones fuiſſe. Hæc talia ſunt, vt color iis albus nullus poſſit ad fallendum. Equidem lectionem & diſtinctionem muto leuiter: *Ordo ſexagenos milites & duos, Centurionem & vexillarium vnum habebat.* Ipſa hæc res fuit. Primùm. vetus ille & Liuij hic Ordo, non *Sexagenos* milites habuit, vt Polybij, ſed duobus plures, *ſexagenos* inquam *duos*. Palàm id euincit Liuij numerus infrà, qui in tribus vexillis (ſiue Ordinibus, tot enim Vexilla, quot ordines) *centũ octogintaſex* milites ponit. Vnde illi ſex ſuper rotundum numerum, niſi à duobus iſtis qui redundant? Attende, clarum & firmum eſt. Secundò, feci *Centurionem & Vexillarium vnum*. Nec hîc aliquid ambigui. vbi dux cumque, ibi Vexillum: & Polybius diſertè, *In quemque Manipulum duos ſigniferos* capit, ſcilicet in Ordine vnum.

Abſurda lectio.

Correctio.

Confirmatio.

„ *Haſtati erant Manipuli quindecim.*] Turbidus hic Auſter, qui inuoluit, & euertit dicta omnia in militiâ, aut dicenda. Ergóne XV. manipuli Haſtatorum? totidem Principum? totidem Pilanorum? Sunt igitur in legione non *triginta*, vt priſci conſenſu volunt, ſed manipuli *quadraginta quinque*. Si ſequimur, ecce & Centurionum numerus atque ordo mutandus, & erunt in vniuerſum *nonaginta*. Id quoque contra ſcripta veteribus. At enim Liuius apertè, & iteratò, nam

De numero manipulorum.

& mox

& mox ſequitur, *Hoc triginta manipulorum agmen*, de duabus claſſibus: & deinde *quindecim* iterùm adduntur. Quid dicam, aut expediam? Ades Critica, tu illa proba cùm neceſſaria: & hîc puto eſſe. Legam: *Manipuli decem*: aut copulâ inſertâ, quæ errorem genuerit, *Manipulique decem*. Etſi quid de cauſſâ erroris quæro? nuſquam magis aut crebrius, quàm in numeris, peccatum.

Correctio.

,, *Hoc triginta Manipulorum agmen.*] Meâ voluntate, *viginti*.

,, *Antepilanos appellabant, quia ſub ſignis iam alij quindecim ordines locabantur.*] Mirè hæc poſtrema inuoluta aut fœdata. Si ſana ſunt: aliâ mente & ingenio opus (ego cedo) ad eliciendū aliquid ſani. Tranſilit ecce à Manipulis ad Ordines: & *alij*, inquit, *quindecim ordines*. Quid alij? quaſi & Manipuli Ordines. Vide ſeriem, hoc euincit. Quid refutem, aut te teneam? ſine fraude ſententiæ dictio mihi eſto. Corrigo: *quia ſub ſignis iam alij decem ordine locabantur*. Qui alij *decem*? nempe manipuli. Quomodo locabantur? *ordine* (ita lego) *& ſub ſignis*. Cur hoc monet? nónne & alij ſub ſignis? Ita. ſed quia hoc poſteà immutatum, & Rorarij & Accenſi (id eſt leuis armatura) ſub nullis ſignis: ideò expreſsè addit *ordine* ſtetiſſe (non ſparſim in frõte, ad latera, aut per interualla) idque ſub ſignis. Qui veteris militiæ firmiter ſciens eſt, hæc non refutabit. Quòd ſi quis totam vocem *Ordines* eiicit, per me licebit.

Iterum correctio.

,, *Ex quibus Ordo vnuſquiſque tres partes habebat.*] Nec id admitto. tollo *Ordinem*, ex repetitione prauè inſertum, & lego: *Ex quibus vnuſquiſque*. Quis vnuſquiſque? manipulus, de quo præiuit. Sententiam totam clarè mox videbis: ſunt enim nexa.

Glossema sublatum.

,, *Earum vnamquamque Primumpilum vocabant.*] Falsò, falsò. quid ſtultius, quàm ſingulas partes *Primas* dicere? Vbi ordo & poſitio eſt, etiam numerus variat pro ſitu. Lego: *Earum vnamquamque primam, Pilum vocabant.* Tres, inquit, ſunt Manipuli cuiuſque partes, non duæ, vt in prioribus. Primam quamque harum partium (ſunt enim decem ita primæ) appellant *Pilum*. Nónne id clarum eſt? Tres fuêre claſſes, *Haſtati, Principes, Pilani*. Sunt iſti vltimi, quibus ſubiuncti & adiuncti *Rorarij & Accenſi*. Ergo in iſto vno Manipulo tres partes, ſingulæ nominibus ſuis diſtinctæ. Ecce iam complexione ſententiam totius loci: *Hoc viginti Manipulorum agmen Antepilanos vocabant, quare? quia iam ſub ſignis & ordine alij decem Manipuli ſequebantur; qui tres partes ſinguli habebant; & earum vnaquaque prima, Pilus dicebatur. Quia igitur ante Pilum poſiti illi, Antepilani dicti.*

Cur Antepilani dicti.

,, *Tribus ex vexillis conſtabat.*] Ipſe Manipulus (ἀπὸ κοινοῦ) cõſtabat tribus vexillis. Quid mirum? ratio exigit, & antè dicta. Nam quiſque ordo ſuum vexillum habuit: tres hîc ordines ſiue partes: ergo tria vexilla.

,, *Vexillum centum octoginta ſex homines erant.*] Iterùm hîc vro & ſeco: Diodote vbi es? Nam age, decem manipuli in extremâ acie, cuiuſque tres partes, & totidem vexilla: ſunt igitur hæc triginta. Si autem in quoque vexillo homines *centum octoginta ſex*, erũt in ſolâ hac acie *quinque millia quingenti octoginta*. Adde reliquas duas, quæ & quanta iſta legio? Atque hæc ex noſtrâ primâ correctione: ſi *quindecim ordines* retines, partes & vexilla magis etiam auges. Ergo iterum neceſſariò ſeco, & vocem reiicio *Vexilli*. Lego: *Tribus ex vexillis conſtabat, centum octogintaſex homines erant.* Id iuſtiſſimè & veriſſimè. Quiſque ordo, vt antè dictum, ſexaginta duo homines erant: tres ſunt in hoc tali Manipulo: ergo in totum homines *centum octogintaſex*. Atque eſt hæc ipſa Polybia-

Amputo libra. *Vox recisa.*

A na militia & ordo, cum vnico ſaltem diſcrimine, quod eſt à Leui armaturâ. Nam Polybij, vt dixi ſeorſum eſt, & extra ordines: hîc in Ordinibus, & Pilanis coniuncta. Sed numerum ſi vides, nihil diſcriminis prorſus. Nam ſunt Rorarij *ſexcenti viginti*, totidem Accenſi: ergo ſimul *mille ducenti quadraginta*. Nónne totidem Velites in Polybio? excipio, quòd *quadraginta* iſti redundent, ex ſupernumerariis illis duobus. Idem eſt in Triariis ſiue Pilanis. ibi ſunt *ſexcenti*, hîc *ſexcenti viginti*: & nunc vides ac diſcis cauſſam (ſuprà tetigi) cur & vnde illi tam pauci, reſpectu priorum. Ab antiquo ſcilicet inſtituto eſt, & cùm in vno Manipulo Leues habuerunt: ij poſteà diuulſi ſunt & dirempti: manſerunt igitur illi eodem numero, nec aucti. Dic ſodes, quæ diuinatio hæc ſic attigerit,

B & vndique pariauerit, niſi quia res fuit? Vt igitur conſummem, habes triginta manipulos in Liuio: priores viginti, faciunt homines *bis mille quadringentos octoginta*: poſteriores decem, *mille octingentos ſexaginta*. Ergo eſt hæc legio *quattuor millium trecentorum quadraginta*. Superat Polybianam *centum quadraginta*: qui nati ſunt ex *duobus* ſupra ſexaginta toties dictis. At in Liuio mox ſequitur, *Legiones tunc ſcriptas ferè quinis millibus peditum*: non ergo ad noſtrum numerum. Aio id quoque falsò, & in Liuio reſcribendum, *quaternis*. Bonâ fide, inuitus toties reſcribo: ſed quæ mea culpa, ſi res, ſi Liuius ipſe poſcit? * poſteà docebo. Turbinem hunc vitaui, & quanquam colligere paullùm vela nos iuſſit & inhibere, non tamen ea ſcidit, nec eiecit de recto curſu. A V O.

C Per fidem, multa acutè, & me mirante. Vnum tamen quæro, de vltimo agmine. ſi tria illic vexilla, an etiam totidem Centuriones? nam id appâret. Si ita eſt, non ergo ſexaginta Centuriones, pro tuo & Polybij ſenſu. L I P S. Benè infers. Sed hac de re mihi non liquet, niſi quod ſuſpicor iam tunc Pilanos ſolos habuiſſe ſuos Centuriones, iiſque leuem illam manum paruiſſe. Itaque nec diuulſa poſteà, habuit vllos duces. Quod autem de Vexillo ais, id hîc fefellerit, nec ſemper dux vbi illud. Hîc autem fuit, ad diſcrimen, non ad imperium: & quia armis ordines iſti inter ſe diſtincti. Habes ad Liuianum locum quæ nobis viſa: ad quem ſi viros primores in doctrinâ adhęſiſſe dicam, quid faciã magnum? ego ad plures alios. & in iſto ipſo interdũ Ariſtophanæum illud occurrit,

* [illegible]

D Vix tamen opinor. niſi ſi diuerſiſſima illa Militia ab eâ quæ ſecuta, imò quæ præceſſit. Tamen habe ſummatim & id, quod colligitur ex lectione vulgatâ. Haſtati Manipuli quindecim, totidem Principes: ſinguli *ſexagenûm* militum, idemque quod Ordines. Sunt in quaque claſſe homines *nongenti*. Adde Pilanos, Rorarios, Accenſos, in quaque iſtarum claſſium *nongentos triginta*: erit tota legio *quattuor millium quingentorum nonaginta*. Sic tamen, vt poſtrema à nobis emendes, quæ nimis alioqui exorbitant.

Patria hæc cum Polybio. Situs leuis armaturæ alius.

Consummatio tota & digestio.

Obiectio.

*Correctio. * Dialog. v. infrà.*

** An d. vel non prorsus [illegible]*

DIALOG. IIII.

Cohors, Numeri, Spira. Cohors prima, Cohors Prætoria.

E SED in viam redeamus, Liuio iam dimiſſo. A V D. Non hercules cum bonâ gratiâ. L I P S. Quid ita? A V O. Nimis ſecuiſti & vſſiſti, nec inuitâ timebas alium Diodorum. Nam tuus ille fuit, & ad plures abiit: homicida, occidiſti. L I P S. Rides me? ſed ſeriò. Luſi ſiue pugnaui ſemel in Diodorum; ſed ſemel, ſed in te ſeriâ. In his minutis & litterariis, impugnet qui volet, non repugno. Noſti ingeniũ meum? Pacis eſt: & cum Theognide,

——τόν γ' ἐχθρὸν ἀλῶ μου
ὥστε ναυβάτης χοιράδας εἰναλίας:
——*hoſtem ego vito,*
Nauta velut ſcopulos vel vada naufraga.

Cohors Græcum.

Sed ad rem noſtram. Dictum de Manipulis, è quibus conficitur deinde *Cohors.* Ea vox origine Græcanica eſt, & χόρτος illis, περίφραγμα καὶ περιχώρημα, ſiue vt Heſychius; περιβολὴ τῆς αὐλῆς: Vno verbo, quod clauſum & ſeptum in anteriore domo vel villâ, χόρτον illi dixerunt, & Latini *Cohortem*, vel *Chortem.* Nam & ſic ſcribebant, & vetuſta marmora docent. Sic in Martiali. *Rauca chortis aues.* Varro: *In plano cohors, in quâ paſcebantur gallina.* Vopiſcus in Aureliano: *Roſas in eiuſdem mulieris cohorte exiſſe purpureas.* Hodie quoque Galli, Hiſpani, Itali retinent, & ſuperioris paullò æui ſcripta appellant *Curtes.* Græca vox igitur, etſi Varro tamen deriuat etiam à coërcendo: *quòd circa eum locum pecus coerceretur.* Noſtram militarem ille idem ab hac ruſticâ deducit. *quòd vt in villâ ex pluribus tectis cõiungitur & quiddam fit vnum, ſic hæc ex manipulis copulatur cohors.* E quot autem manipulis? tribus. Nam certum eſt, & prædocui, decem modò cohortes in legione fuiſſe. Sed quomodo è manipulis? an tribus eiuſdem generis? exempli causâ Haſtatorum, aut Principum? Minimè. nec commodè id potuit: ſuperaſſet enim manipulus vnus in quoque genere poſt tres cohortes. Verius eſt mixtam è triplici genere fuiſſe, ſic quaſi paruam aliquam legionem. Habuit Haſtatos, Principes, Triarios, è ſingulis manipulum vnum: & adde Velites, qui manipulos ſolent comitari. Ita fuit iuſta plenáque legionaria cohors, homines *quadringenti & viginti.* Quòd ſi pleniores manipuli aut legiones, plenior ſcilicet etiam ipſa: atque ita *Quingenarias* & *Sexcenarias* etiam leges. Græci Hiſtorici eas vulgò vocant & reddunt σπεῖρας: quod & Ennius vſurpauit Græciſſans——*ſpiras legionibus nexunt*: puto de Socialibus, quæ legionibus adnexæ. Nazarius etiam vſus in Panegyrico: *Cum ſpiris tenebriſque congreſſus.* Suidas interpretatur Spiras, etiam *Numeros.* Σπεῖραι, inquit, πλῆθος στρατιωτῶν, φάλαγξ, ἀριθμός. Et ſcis *Numeros* inferiore æuo crebiò legi, ſiue de Cohortibus ſiue de Legionibus ipſis. Cohortes autem iſtæ omnes in legionibus numero æquales, quia & manipuli tales erant. Hoc miraris? fortaſſe quia dignitas aliqua *Primæ* tribuitur. vt apud Ciceronem: qui vt magnum refert, *Bibulum amiſiſſe totam cohortem primam.* Cæſar pariter attollit: *Duabus miſſis ſubſidio cohortibus, atque his primis legionum duarum.* Sed moneo, non à numero hoc, ſed à ſplendore & primatu fuiſſe. Eminebat ceteris ideò, quòd primi in eâ Centuriones generis cuiuſque: fortaſſe & flos aliquis & electio virorum. Vegetius non te abducet. A v n. Iam rem tangis: is mihi in mente, & commouebat. L i p s. Non inquam te abducet dum ſcribit, in Primâ cohorte *mille centum quinque pedites* fuiſſe, in aliis non niſi *quingentos quinquagintaquinque.* Hæc nouitiæ militiæ ſunt, procul à noſtrâ priſcâ. Illud modò obſeruo, *Prætorias* fuiſſe quaſdam, velut extra ordinem, edecumatas & grandes. Earum origo à P. Scipione, vt adfirmat Feſtus: *Prætoria cohors, quòd à Prætore non diſcederet. Scipio enim Africanus primus fortiſſimum quemque delegit, qui ab eo in bello non diſcederent, & cetero militiæ munere vacarent, & ſeſquiplex ſtipendium acciperent.* Non ergo anteà? inquies. Non ordinaria, nec in iſtas ſtipendij aut vacationis leges. Alioqui & olim tale aliquid. vt in Liuio, de A. Poſthumio Dictatore: *Cohortem ſuam delectâ manu, præſidij cauſâ, circa ſe habuiſſe.* & appellat ſtatim, *Cohortem Dictatoris.* Sed & rarò factum leges, & fuit è voluntariis fortaſſis, aut in vnius pugnæ euentum captis, illa manus. Imò nec Scipionem priorem Africanum puto inſtituiſſe. Quo argumento? quia Polybius ſuper eâ ſilet, non facturus ſi in vſu iam tunc fuiſſet. Atque adeò eius loco *Selecti* è ſociis videntur fuiſſe, vt ex eodem diſces. Igitur ipſo Polybij æuo inſtituta eſt, vel verius eſt, ab Scipione Numantino. Indicat Appianus, qui de iſto Numantiam ituro: Ἐθελοντὰς τινὰς ἐπηγάγετο καὶ πελάτας ἐκ Ῥώμης καὶ φίλους πεντακοσίους, οὓς εἰς ἴλην καταλέξας, ἐκάλει φίλων ἴλην: *Voluntarios quoſdam & clientes amicóſque ſuos Româ eduxit ad quingentos, quos in cohortem conſcribens appellauit Cohortem amicorum.* Nec mirare ſi ἴλην Cohortem verto (ſcio *Alam* aut *Turmam* plurimùm eſſe:) ſed res hîc ſuadet, & Appianus ipſe atque alij Græci, qui vſi pro peditum etiam manu. Neque neſcio Prætorianos etiam equites fuiſſe: ſed cùm *quingentorum* hîc numerus ſit, qui cohorti reſpondet; itemque Feſtus originem rei ad Scipionem referat: bellius viſum ſic interpretari. De Turmâ ſanè Prætoriâ, in Salluſtio eſt, de Mario: *Cum turmâ ſuâ, quam ex fortiſſimis magis, quàm familiariſſimis parauerat.* Vides in hoc genus adoptatos ferè & tranſſcriptos amicos: etſi alij fortibus potiùs viris implebant. Plutarchus de Octauiâ, quæ ad Antonium venit, adduxitque ſecum à fratre ἐπιλέκτους στρατιώτας διχιλίους, εἰς στρατηγικὰς σπείρας, κεκοσμημένους διαπρεπέσι πανοπλίαις: *Delectos milites ad bis mille, in cohortes Prætorias digerendos, ornatos inſignibus maximè armis.* Arma hæc fuêre, thoraces ſquamei, & ſcuta imbricata. Dio ingerit in Macrino, quem ſcribit *Prætorianis ſuis abſtuliſſe* τοὺς θώρακας τοὺς λεπιδωτούς, καὶ τὰς ἀσπίδας τὰς σωληνοειδεῖς. *quo leuiores in prælio eſſent.* Ac per bella ciuilia cohortes iſtæ auctæ, & vnus aliquis plures habebat: quo exemplo Auguſtus denique Romæ circa ſe habuit nouem Prætorias cohortes, firmamentum imperij, & poſteà peſtem. Veteres vt dixi non niſi vnam, nec ſcio an omnes. In Cæſare quidem, tot prœliis, nuſquam mentio (pro meâ nunc memoriâ) Prætoriæ ſuæ cohortis: niſi quòd libro primo Gallicorum obiter ſcribit, *cum ſolâ decimâ legione ſe iturum, ſibique eam Prætoriam cohortem futuram.* Salluſtius Petreio tribuit: *Petreius cohortem Prætoriam in medios hoſtes inducit.* Nec diſſimile, quòd Macedonibus fuit *Cohors regia*, de quâ in Liuio atque aliis legas. In Ammiano etiam Sapor Perſarum rex *portis obequitat, cum cohorte regali.* Vbi tamen Cohors de equitibus eſt, præter vſum antiquum. ſicut alibi iterùm: *Reliquos ex eâ cohorte ad pedeſtrem compegit militiam.* Adeò non res ſolùm, ſed verba in militiâ iam confuſa: ſicut & *Turmam* in eodem de Peditibus obſerues.

Atque ij è diuerſo Genere.
Spira.
Numeri pro Cohortibus.
Prima cohors dignitate.
Ad Att. lib. v. epiſt. xv. Gallic. v.
Vegetius abit à priſco.
Lib. ii. cap. vi.
Prætoria Cohors.
A quo inſtituta.
Lib. ii.
Non Scipionis inſtitutum.
Vidfunc. In Iberic.
Turma Prætoria. In Iug.
In Anton.
Arma Prætorianorum.
Plures ſæ. . .
In Catilin. Lib. xix.
Cohors pro equitum.
Lib. xxii.

DIALOG. V.

Legio, & paullatim eius augmenta.

EX Cohortibus *Legio* fit, atque iis denis. Dicta, ait Varro, *quòd leguntur milites in delectu.* Simile Plutarchus: Ἐκλήθη λεγιὼν τῷ λογάδας εἶναι τοὺς μαχίμους ἐκ πάντων: *Vocata eſt Legio, quòd lecti ex omnibus eſſent militares.* Inuênit fecitque eam Romulus., ſed quantam? *trium millium*, vt Varro, Dionyſius, Plutarchus tradiderunt: cùm ſumeret è ſingulis tribubus ſingula millia, atque eæ tres erant. Auxit idem Romulus, ſi Plutarchi verba ſic capienda, poſt Tatium & Sabinos in ciuitatem acceptos. Nam tunc, vt inquit, αἱ λεγιῶνες ἐγένοντο πεζῶν μὲν ἑξακισχιλίων, ἱππέων δὲ ἑξακοσίων: *legiones factæ peditum ſex millium, equitum ſexcentorum.* Et vulgò erroris ſati Plutarchum damnant, cùm certû ſit diu pôſt legiones tantas nunquam fuiſſe. At non ego. & optimi ſcriptoris bonam

Roſtella.
Quanta primò.
Plutarchus . . .

hanc

hanc mentem malo, Romulum duplicaſſe legiones populo iam duplici, & binas feciſſe tot millium. Sanè de ſexcentis equitibus in vnam legionem, nullo æuo factum. Tamen aucta haud longè pòſt, an à Romulo, an à Tullo Hoſtilio? de quo Flori hoc exſtat: *Hic omnem militarem diſciplinam, artémque bellandi condidit*: vt appareat eum aliquid in militiâ & legionum numero, aut ordine, innouaſſe. Sed coniectura eſt: iſta veritas, iam ſtatim à regibus eiectis fuiſſe *quatermillenas*. Ita Dionyſius à P. Valerio Poplicolâ ſcripta memorat δέκα τάγματα ἐξ ἀνδρῶν τετρακισχιλίων ἕκαστον: *decem legiones, è quater mille viris ſingulis*. Sed & Liuius haud longè poſteriùs, bello Volſco *quattuor legiones quaternûm millium* ſcribit. Auget & adiicit *ducentos*, poſt triginta circiter annos: *Decem legiones ſcripta quaternum millium & ducentorum peditum*. Hic vulgatus modus fuit, & diu manſit. Eò minùs trepidè correxi in Liuio ſuprà, *quaternis millibus*: quia hæc ille bello in Latinos ſcripſit, id eſt decennio poſt iam dicta. Atqui ſi *quinque millia* ſcribebant vulgò: quid ita non antè, non pòſt, commemorauit? imò cur aliter commemorauit? Excute libros omnes ſub hæc tempora, *quattuor millia* reperies, non *quinque*. Ecce de legione quæ Rhegium occuparat, bello Pyrrhi: *Tota legio, millia hominum quattuor, in foro ſecuri percuſſi ſunt*. Sed & diu infrà, initio belli Annibalici: *Sempronio data legiones dua, ea quaterna millia pedites erant, & treceni equites*. Imò expreſſè tempus idem Liuius adnotat, quo modus hic adauctus. Fuit eodem iſto Annibalis bello. & *alij*, inquit, *quattuor legiones nouas ſcriptas tradunt, numero quoque peditum equitúmque legiones auctas, millibus peditum & centenis equitibus in ſingulas adiectis*. En, tunc demum ad *quina* millia ventum, nec ſatis firmiter: cùm pro re aut tempore ad *quaterna* ſua redirent. Quod Polybius plus ſemel ſuggerit, & variatum in occaſionibus oſtendit. Denique facta etiam *ſex millium*, idque à Scipione in Africam traiecturo. qui *ſupplentur ita legiones* (ait Liuius) *vt ſingula ſena millia & ducenos pedites, trecentos haberent equites*. Iterarunt paullò pòſt bello Macedonico. & idem Liuius: *Id pracipue prouinciæ Macedoniæ datum, quòd cùm alterius Conſulis legionibus quina millia & ducenos equites ex vetere inſtituto darentur in legiones ſingulas, in Macedoniam ſena millia peditum ſcribi iuſſa, equites treceni æqualiter in ſingulas*. Vbi obſerua *vetus inſtitutum* appellari *quina* illa millia: quia nouinum iſtud Scipionis, nondum habebat firmitatem. At enim ibidem (monendus omnino es) *equites duceni* adtribuuntur, quaſi ex more. Falsò, vt pòſt ducebo: & iamnunc reſcribe *pedites*. quod ſpondeo eſſe certum. Nam plerumque *duceni* iſti ſupra quattuor, quinque, ſex millia addi ſolent: & malè exſcriptor, qui in *equites* mutauit. Nam illi ecce ſequuntur, *treceni æqualiter in ſingulas*. Variatum, inquit, in pedite fuit, nihil in equite, & treceni *æqualiter* (tam in quina millia, quàm in ſena) adſcripti. Ex his vides Feſtum culpæ vix liberari. qui ſic ſcripſit: *Sex millium & ducentorum hominum primus C. Marius conſcripſit legionem, cùm antea quattuor millium fuiſſet. vnde etiam Quadrata appellabatur*. Bis aut ter falſus. primù quod C. Marium *primum* ſcripſiſſe ita tradit: ſecundò, quòd anteà non niſi *quattuor millium*: tertiò, quòd ideò *Quadratam* dictam. Ego magis arbitror à formâ & ordine, quem in acie tenebat. Sed peccat in hac re aliter Eutropius, qui iam ſub annum Vrbis CCCXCII. legiones ſex millium facit: *Ex Romanis tantùm tirones lecti ſunt, factæq́; legiones decem, qui modus ſexaginta vel amplius armatorum millia efficiebat*. Erras ô bone Eutropi, aut quod mitius eſt, tuus exſcriptor, & *quadraginta* verum eſſet. Cæterùm autem & circa æuo quid fuerit, quæro. an Marianus ille modus? non perſuadeor: imò ex Commentariis Iulianis legiones haud reperio (ſedulò inquiſiui) ſupra Polybianum longè modum. Quinimò veteranas infra. Ipſe bello Gallico, *in duabus legionibus* ſuis *vix hominum millia ſeptem* fuiſſe disertè ſcripſit. Item Hirtius bello Alexandrino, *Legionem ſextam veteranam adeò diminutam, vt minus mille hominum in eâ eſſet*. Nec eſt error in numeris. prœlia ſcilicet attriuerant aliįque caſus, & tarda ſæpe ſupplementa. Auguſti etiam æuo ad Polybij modulum fuiſſe, euincit Taciti locus iſte, in ſeditione & ſæuitiâ legionum Germanicarum. Cùm enim Centuriones ſuos verberarent & occiderent, ſumpsêre ſibi, inquit, *ſexagenis ſingulos, vt numerum Centurionum adæquarent*. Sunt ipſi Ordines, ſiue dimidiati manipuli veteres, militum *ſexaginta*.

Lib. I. cap. III.

Quattuor millium facta.

Lib. VI.

Lib. VI.

Lib. VII.

Firmata Liuiana correctio.

Lib. XXX. VIII.

Lib. XXI.

Lib. XXII. Quinque millium facta.

Sex millium.

Lib. XXX.

Lib. XLII.

Correctus Liuius.

Feſtus incautè ſcripſit.

Item Eutropius.

DIALOG. VI.

Equitum diuiſio, Turmæ, & eorum in legione numerus.

PERGE de Ordine peditum qui in legione, vis vt Equites adiungam? ratio poſcit. In iis *Genera* nulla quærenda, vniuſmodi ſunt: tantùm *partes*. Eaſ ipſas paucis verbis promit Magiſter:

Παραπλησίως δὲ καὶ τοὺς ἱππεῖς εἰς ἴλας δέκα διεῖλον.	*Conſimiliter & equites in decem turmas diuidebant.*

Cùm dixiſſet Genera ſingula diuiſa in decē partes, infert pari diuiſione in equite vſos, & ſecuerūt, inquit, „ *In decem turmas*.] Ita vertimus ἴλας, etſi primitus ea vox *Alas* inſonat, & Laſcaris ita ſcripſit. At qui id poteſt? vni legioni vna Ala eſt, in Alâ Turmæ deinde decem. Imò Legio propriè *Alas* non habuit: & eſt ea vox ſociorum, quod curioſus Lector obſeruet. Sunt igitur Turmæ. & ſatis auctor ſic vertendi (ne ad alios eam) ipſe Liuius. qui in pugnâ Hiſpanienſi Scipionis cum Haſdrubale, è Polybio, vt ſolet, tranſſcribens, cùm ille *ſubductas ex acie* τρεῖς ἴλας ἱππέων dixiſſet: iſte vertit, *ternas equitum turmas*. Sed & Polybius in ipſo hoc ſcripto ſæpius ſic vſurpat. Quid eſt igitur Turma? ter deni equites ex Varrone, qui & nomen à ternario illo numero petit. *Turma*, inquit, *Terma eſt. E in V abiit, quòd ter deni equites ex tribus tribubus Tatienſium, Ramnium, Lucerum fiebant*. Eadem, paribus verbis & ſententiâ, Feſtus. Quid Iſidorus? *Turma triginta equites ſunt*. Hoc verius eſt, quàm quod idem alibi: *Legio habet ſexaginta centurias, manipulos triginta, cohortes duodecim, turmas ducentas*. Itáne *turmas ducentas*? imò *denas*, quod verum eſt; aut, *turmales ducentos*, quod haud longè à vero, & interdum ſic fuit. Corrige ibidem, *cohortes decem*. Vegetius Turmam paullò grandiorem facit: *Habet*, inquit, *vna Turma equites triginta-duos*. Virgilius longè minorem:

Tres equitum numero turmæ, terniq́; vagantur
Ductores, pueri biſſeni quemque ſecuti.

Duodenos enim in quaque turmulâ ponit: ſed hoc in ludicro. in militiâ fuerūt dicto iam numero, idque ex veteri inſtituto. Nam iam olim ſub ipſo Romulo *treceni* equites in legionem ſcripti, id eſt decem *triceneria* turmæ, ex Liuio, Dionyſio, Plutarcho. Manſit poſt reges exactos. & clarè idem Liuius: *Equites duarum legionum, ſexcenti ferè, ex equis deſiliunt*. ponit ſexcentos in duabus, ergo dimidiatos in ſingulis. Idem haud longè pòſt: *Decem legiones quaternûm millium & ducentorum peditum, equitum trecenorum*. Iterùm in bello Latino: *Scribebantur autem quattuor*

fere legiones quaternis millibus peditum, equitibus in ſingulas trecenis. Hæc liquida & clara ſunt, nubem inducit vnus Liuij locus in bello Punico ſecundo: *Alij quattuor nouas legiones ſcriptas tradunt. numero quoque peditum equitumque legiones auctas, millibus peditum & centenis equitibus in ſingulas adiectis: vt quina millia peditum, treceni equites eſſent.* Nebula hæc eſt, aut fabula: & malo *alios*, quàm Liuium ſic ſcripſiſſe. An verò tunc demum *treceni* facti? nego aliter anteà legi, & à ſæculis multis. Vereor vt tota ſcriptio interpolata ſit (quoties in Liuio, & præſertim his libris Punici belli?) & tantùm de peditibus fuerit. Si non placet, tum placeat *quadringeni equites* reſcribi. Id quoque enim factum reperio, etſi rarò, vt centenos adderent præter morem. Ipſe Liuius: *Nonam legionem quinque millium & ducentorum peditum, equitibus quadringentis Conſules ſcribere iuſſi.* AVD. Vtar iure quod dediſti, & interrumpam. Tu negas de *ducentis*? audi Polybium palàm adfirmantem. Ῥωμαῖοι, καθάπερ καὶ πρότερον εἰρήκαμεν, ἀεί ποτε τέτταρα στρατόπεδα προχειρίζονται. τὸ δὲ στρατόπεδον πεζοὺς μὲν λαμβάνει περὶ τετρακισχιλίους, ἱππεῖς δὲ διακοσίους. ἐπὰν δέ τις ὁλοσχερεστέρα προφαίνηται χρεία, τοὺς μὲν πεζοὺς ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ ποιοῦσι περὶ πεντακισχιλίους, τοὺς δὲ ἱππεῖς τριακοσίους: *Romani, ſicut anteà diximus, ſemper ferè quattuor legiones efficiunt: Accipit autem legio pedites quidem circiter quater mille, equites verò ducentos. Quòd ſi quando maior neceſſitas appareat, pedites faciunt in quamque legionem quinque millia, equites trecentos.* En, definit quando ducenti, quando treceni; & illos magis vulgò. LIPS. Si improuiſum mihi telum, percelleret: vidi antè, & animo remoui. Nam clarum Polybij locum fateor, nego tectum. Ne mihi hoc credas, volo Polybio ipſi. Nónne remittit nos ad ea quæ ſuper hac re antè dixit? *ſicut*, inquit, *& antè diximus.* Vbi igitur tale mi Polybi? Ecce verba libro primo Εἰσὶ δὲ παρὰ Ῥωμαίοις τὰ πάντα τέτταρα στρατόπεδα ῥωμαϊκά, χωρὶς τῶν συμμάχων, ἃ κατ' ἐνιαυτὸν προχειρίζονται, τούτων ἕκαστον ἀνὰ τετρακισχιλίους πεζούς, ἱππεῖς δὲ τριακοσίους: *Sunt apud Romanos in vniuerſum quattuor legiones præter Socios, quas in annos ſingulos parant. Harum quæque habet ad quater mille pedites, equites trecentos.* Quid tu iam mi Auditor? nónne hic locus ex diametro pugnat in alterum, atque etiam vincit? me iudice. & immutetur ille, ἱππεῖς τριακοσίους, *equites trecentos*: quos certum eſt ſemper & vulgò fuiſſe: immò rarò auctos, etiamſi pedites aucti. Vniuersè Polybius in hoc noſtro libello, vbi de Dilectu: ἱππεῖς ποιοῦσι τριακοσίους εἰς ἕκαστον στρατόπεδον: *equites faciunt trecentos in ſingulas legiones* Atqui legiones hæ eius non niſi quaternûm millium ſunt. Virgilius ad ſolennem hunc numerum reſpexit:

—equites ex vrbe Latinâ
Tercentum, ſcutati omnes, Volſcente magiſtro.

Et *iuſtum* hunc Liuius appellauit: *Decretæ duæ legiones cum ſuo iuſto equitatu*: Alibi ſimpliciter: *Bina legiones cum ſuo equitatu*: quia de numero conſtabat, & nullâ in re minùs variatum. In Cæſaris tamen Commentariis, bis, ter, lego de *equitibus ducentis*: an quia parùm plenus numerus, an ſic tunc moris? Abſolui, niſi quòd Ouidij verſum addo, qui facit diuiſioni dictæ.

Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat
Corpora, legitimo quique merebat equo.

Non ſolùm, inquit, peditum genera in decem quæque partes tributa, ſed & eques. Nam & ille habuit decem Turmas. Hæc mens: & ſunt igitur Turmæ in Alâ, quod Cohortes in legione: & Decuriæ, quod Manipuli Ternæ enim in Turmâ. Quod autem ſcripſit *legitimo equo*, aſpectare equum publicum videtur, & legibus datum: etſi is profectò nondum ſub Romulo.

Lib. xxi. Liuij ambiguus locus. — Æris & anni... expeditum. — Lib. xxi. — Polybij ſol. ſolutio. Lib. iii. — Correctus Polybius. — Lib. ix. — Iuſtus equitatus. Lib. xxi. — Ouidius explicatus.

DIALOG. VII.

Sociorum diuiſio, & numerus. Extraordinarij, Ablecti, Alares, & Alæ.

ABSOLVI Ciues, Socios admitto: niſi quid tu me tenes. AVD. Ego te? tu me verò, vt ſuos à linguâ deuinctos Hercules ille Gallicanus. Quin perge, & tu Sol (ſi imperium mihi, quod olim Ioui, ſit) ſiſte. LIPS. Polybiana hæc igitur lege:

Οἱ πρῶτον μὲν τοῖς ὑπάτοις τοὺς ἐπιτηδειοτάτους πρὸς τὴν ἀληθινὴν χρείαν ἐκ πάντων τῶν παραγεγονότων συμμάχων ἱππεῖς καὶ πεζοὺς ἐκλέγουσι, τούτους καλουμένους ἐκτραορδιναρίους. ὃ μεθερμηνευόμενον, ἐπιλέκτους δηλοῖ. τὸ δὲ πλῆθος γίνεται τὸ πᾶν τῶν συμμάχων, τὸ μὲν τῶν πεζῶν, πάρισον τοῖς ῥωμαικοῖς στρατοπέδοις, ὡς τὸ πολύ· τὸ δὲ τῶν ἱππέων, διπλάσιον. ἐκ δὲ τούτων λαμβάνουσι τῶν μὲν ἱππέων, εἰς τοὺς ἐπιλέκτους ἐπιεικῶς τὸ τρίτον μέρος· τῶν δὲ πεζῶν τὸ πέμπτον. τοὺς δὲ λοιποὺς διεῖλον εἰς δύο μέρη· καὶ καλοῦσι τὸ μὲν δεξιόν, τὸ δ' εὐώνυμον κέρας.

Præfecti primùm ex omnibus ſociis aptiſſimos eligunt ad propriũ vſum Conſulum, tam equites quàm pedites, quos vocant Extraordinarios. Id valet interpretatum, Electi. Multitudo autem omnis ſociorum eſt, peditum quidem par Romanis legionibus, vt plurimum; equitum dupla. Ex his accipiunt equitum quidẽ in Extraordinarios partem admodum tertiam; peditum, quintam. Reliquos diuidunt in duas partes, appellántque alterum Dextrum, alterum Siniſtrum cornu. POLYB.

Hæc ille de Sociorũ diuiſione, numero, & ordine breuiter, & miſcet equites pediteſque. Sed res intellegitur, & ego explicatiùs dicam. Ait:

„ *Præfecti.*] Ita ij dicti qui ſociis præerant, vice Tribunorum, de quibus poſteà. Ij ergo nunc diuidunt & ordinant, ſicut in legionibus Tribuni.

„ *Tam equites quàm pedites, quos vocant Extraordinarios.*] Obſeruabis, pedites equiteſque ſociorum in duo velut corpora diuiſos, nec habitos omnes vnà. Id ordinis cauſsâ factum vt non nego, ita ſuſpicor etiam ſecuritatis. Nam cùm equites dupli eſſent ad legionarios, pedites numero pari: viri prudentes Romani (profectò ita fuerunt) non pro bono ſuo cenſuerunt coire omnes in vnum, vbi viſu & æſtimatione ſui fiduciam caperent, & animos fortaſſe nouandi. Occultum, ſed verum dogma eſt, ad continendam militarem fidem, ſaluberrimum viribus nô miſceri. Itaque abiunxerunt, muneribus, & nominibus etiam, diſtinctos. Pars *Alares* fuerunt; pars *Extraordinarij*, de quibus primò agit. Ea vox, inquit, notat electos & exceptos: quod verum eſt, & Ordinarij, qui ſunt in vulgo. Suidas hunc Polybij locum adſpexit: Ἐκτραορδιναρίους, ῥωμαϊκὴ λέξις. δηλοῖ δὲ ἐπιλέκτους: *Extraordinarios, Romanus ſermo: ſignificat autem electos.* Quanti iſti fuerint, partitè dicit: Equites, inquit, *tertia pars*: id eſt, è ſexcentis *ducenti*. Tot enim in cornu vno ſociorum fuerunt. Horum equitum mentio certa in Liuio: *C. Scribonium Præfectum ſociûm ad vallum hoſtium cum Equitibus Extraordinariis*

Duaſ & ... — Extraordinarij. — Equitum eorum Numero. Lib. ii.

narijs

narius ſiniſtra ale mittit. Etiam ambigua alibi: *Cedere inde ab Romanis dextra ala & Extraordinarij cœpere.* Lib. xxvii. Lib. xxxv. Iterumque: *Siniſtra ſociorum ala & Extraordinarij in prima acie pugnabant.* Dico ambigua, quia etſi ſuſpicetur quiſpiam ob *Ala* nomen adiunctum de equitibus capiendum; fortaſſè falletur, & magis eſt vtroſque pedites hîc capi. Mox dicam. Certè & *Extraordinarij* pedites, vt Polybius palàm nunc aſſerit, & numerum etiam pandit. Ferè, inquit, *pars quinta.* Nempe totius cornu. id autem legionem pluſimùm æquabat: ergo è *quater mille ducentis* eſſent in Extraordinarios *octingenti quadraginta.* Quid ſi maior numerus ſociorum, vt ſæpè creſcebant & iſti, ſed ad modum dictum. Horum mentio item in Liuio: Li. xxxiv. *Cohors Extraordinaria miſſu a Conſule ad tuendum Quæſtorium.* Et ſtatim: *Quarta legio cum duabus Extraordinariis cohortibus portâ erupit.* Imò videtur & numerum alibi præire: Lib. xl. *Quatuor Extraordinariis cohortibus duas adiunxit præpoſito M. Valerio.* Quattuor ecce facit, & duas adiungit ſiue Legionarias ſiue Alares. Sanè ille numerus *octingentorum quadraginta* aptiſſimè dimidiatur in duas cohortes plenas, ſingulas *quadringentorum viginti.* Adde totidem è cornu altero, habes quattuor Liuianas. Sed tamen, ne te fallam, tam plenas eas fuiſſe non eſt cenſendum. Nam Polybius, etſi hîc nihil, tamen in caſtrorum poſitu ſuggerit, quod aliò nos vocet. Nam illîc diſertè ex vtroque iſto genere capit & detrahit τῶν ἐπιλέκτων (ita loquitur) ἀπολέκτους: *Extraordinariorum ablectos.* Atque ait certam manum ſecerni ex iſtis ſolitam, qui ſemper iuxta Conſulem, in viâ, in caſtris, in pugnâ, velut ſatellites quidam aut cuſtodes. Nunc nota, in loco magis videbimus. Quot ergo opinamur iſtos fuiſſe? Opinamur. nam ipſe numerum expreſſit nuſquam. Si è *ducentis* equitibus (tot dixi Extraordinarios fuiſſe) *quadraginta* detrahas in vnam Turmam *Ablectorum*, meo animo ſit ſatis. Ita in Conſulari exercitu duas habebit Conſul. Reliquæ erunt Turmæ Extraordinariorũ quattuor, & iterũ quattuor, ex vtraq; Alâ. Quid in peditibus? Cẽſeo cohortes quattuor vtriuſq; cornu fuiſſe, ex Liuio: ſed quales reliquæ ſociorũ, minùs grandes, & hominũ *trecentorum triginta ſex.* Ita vna cohors iuſta ſupereſt in *Ablectos.* In quoq; enim cornu diximus octingẽtos quadraginta fuiſſe: deduc *ſexcẽtos ſeptuaginta duos* in cohortes binas, dimidiata vna ſupereſt, homines *centũ ſexaginta octo.* Necte̅da deinde & explenda alterius cornu dimidiatâ alterâ. Frontem ad iſta contrahis? triſtiora aut minutiora ſunt: ſed ſemel intellegenda, ad ſeriã & plenam militiæ cognitionem. AVD. Non hercules mihi triſtia. & ſi à ſe talia; tamen vt lupini affusâ aquâ macerantur & miteſcunt: ſic iſta, diſſertione tuâ & linguâ. LIPS. Mi auditor omitte. nam eloquentiæ quis hîc locus? quin verè hæc talia ſunt, quæ *ornari negant, contenta doceri,* vt olim poëta. Sed habes Extraordinarios: pergo.

Etiam pedites. — Eorum numerus. — Quot iſtæ cohortes. — Ablecti Extraordinariorum. — Quot numero.

Numerus ſociorum. „ *Multitudo peditum quidem par Romanis legionibus, equitum dupla.*] Vniuersè nunc definit de totis peditibus, totis equitibus ſociorum. Et illi, inquit, vt plurimùm, æquant legiones; iſti excedunt. Liuius in eâdem ſententiâ. Par ferè Romanis. Lib. viii. *Scribebantur quattuor ferè legiones, alterum tantum ex Latino delectu adiiciebatur.* Et alibi: Lib. xxii. *Socij duplicem numerum equitum darent, pedites æquarent.* Denique & poſteriori æuo plurimùm hoc ſeruatum. vt in Suetonij Tiberio: Cap. xvi. *Bellum per quindecim legiones paremque auxiliorum copiam geſſit.* Et teſtimonia plura, quæ tute notabis. At enim in hac re variatum ſæpe, idque iam olim: vt non fruſtrà adiectione ſibi cauerit Polybius, *vt plurimùm,* ſignificans vulgò id fieri, & niſi tempori aut Patribus Interdum aliter, more ſæpe. aliter viſum fuiſſet. Nam hæc duo temperabant: & ſæpe neceſſitas aliqua maiorem numerum imperabat, ſæpe arbitrium Patrum. Equidem reperio poſt bellum Punicum ſecundum, plures Sociorum ferè lectos: quid ni? totâ Italiâ iam domitâ, & in ſocietatem amiciorum adſcitâ. Liuij libros ſi vides (non onero te exemplis;) ferè inuenies tertiâ aut alterâ parte ſocios exceſſiſſe, ſed tertiâ crebertimè. Imò Liuius hoc quaſi certum & legitimum (aliter ac Polybius) refert: Lib. xl. *Nouus totus exercitus Conſulibus decretus, bina legiones cum ſuo equitatu, & ſociorum Latini nominis, quantus ſemper numerus, quindecim millia peditum, & octingenti equites.* Sed verba aut ſcriptio mihi incerta. Itáne *ſemper* is numerus? Tu me longè aliter doces (vt Polybium hîc omittam) libros tuos ſingillatim euoluentem. Iam addis etiam de *octingentis* modò equitibus: & hoc credam *ſemper* fuiſſe? Imò profectò *mille ducenti* eſſe debebant, ex more. Quid faciam huic loco? corrigam, quia ſententiam non dirigo, faciamque: *quantus tum ſemper,* voculâ iſtâ inſertâ, quæ adſtringit & alligat ad tempora illa & annos. Credo verum eſſe. & cùm percurro eos libros & res ſub bella Macedonum aut Antiochi geſtas, ſæpe reperio talem illum numerum, etiam in equitibus ipſis. Credes tu hoc nobis, aut quæres. Ita tum igitur: at paullò pòſt, Polybij iterùm æuo reditum ad priſcum morem, & pedites vulgò alteri tanti, equites dupli ſcripti. Lubet quærere, cur equites magis dupli? Quia, opinor, latè ſocij per oppida & agros ſparſi: eoq; facilius habere iis equos, & tolerare. At Romani, nec cenſu multi nimis equites tunc erãt: & in vnâ vrbe haud tã cõmodè habebant.

Interdum aliter, more ſæpe. — Tertiâ parte ſuperant. — Emendatus Liuij locus. — Equites cur plures è ſociis.

„ *Appellant alterum Dextrum, alterum Siniſtrum cornu.*] Numerum dedit, nunc diuidit. & eſt, inquit, diſtributio ſimplex, qualis legionum: faciuntque duas partes, etſi non legiones, ſed *Cornua* appellant. Ita vox Græca ſonat: an pro mente tamen Polybij reddita? itémque pro re & more? Dubito, imò non dubito. Cedò exemplum vnum, vbi *Cornu* hac ſignificatione, & peculiariter Socios notet, ego cedo. Scio & nimis memini, paſſim *Cornu dextrum* aut *ſiniſtrum* legi in acie: ſed tam de legionibus, quàm de Sociis, nec de iſtis ſeorſim. Quid ergo ego? aliam vocem Latinã ſuggero, quæ ſit in hunc ſenſum. Ea eſt, *Ala.* Dico *Alam dextram & ſiniſtram,* vocatas partes illas duas ſociorum: quia plurimùm, vt alæ in auibus, corpus illud legionum vtrimque tegebant. AVD. Ne calor te Lipſi auferat. & ſcio de peditibus, non de equitibus, ſermonem hunc eſſe? LIPS. O tuam prouidentiam! abripiebar, niſi reuocaſſes. Quin ſile homo, ego de peditibus probè me ſcio loqui, & *Alas* iis adſigno, præter vulgi ac tuam, vt video, mentem. Atqui res firma eſt. & Liuiana hæc audi. Primùm: Lib. xxxi. *Dextera ala (in alas diuiſum ſocialem exercitum habebat) in primâ acie locata eſt, in ſubſidiis dua Romana legiones.* Totam narratiunculam vide, conſentiet ſtatim de peditibus hæc palàm, & altero illo cornu, ſcripta. Atqui, inquies, vt nouum refert, *diuiſum in alas exercitum habuiſſe:* fallor ergo, qui apto hoc ad morem. Imò litterula elapſa nos fallit, & omnino ſcribendum: *habebant,* numero multitudinis. Studioſè enim Liuius hoc ipſum, quod nunc ego, notat: & tunc, inquit, moris diuidi ſocios in duas Alas. Notat ideò, quia eius æuo & diu antè non iam ſocij: nec omnibus fortaſſe hoc gnarum. Iterum: Lib. xl. *Egregiè legiones, nec ſegnius duæ alæ pugnabant.* Instructionẽ hîc pugnæ & ipſam totã vide, certũ eſt pedites intellegi ſociales. Tertiũ: Li. xxvii. *Prima legio & dextra ala prœlium inibant.* Et ibidem: *Prima legionis tertia,*

Cornua ſociorum. — Ala in peditibus. — Liuius correctus, ſed cum monimento.

A *& dextra ala ſiniſtra ſabat.* Vtrobique com legionibus iungit & pariat. & nihil in iis pugnis videbit, qui hoc oõ videt. Sed & ſuprà in Extraordinariis exempla quæ adduxi, faciunt illuc. Iam clariſſimè & *ἀναντιῤῥήτως* hoc euincunt, *Alares cohortes.* Quæ enim iſtæ ſunt? non aliæ quàm ſociales, & quæ in duabus iſtis alis. Ecce iſta Liuij. *Sp. Nautius dux alaribus cohortibus erat.* Et ne de pauculis ſuſpicêre aut cauillêre, numerum ipſum expreſſit, qui in vtroque cornu. Nam mox ait: *D. Brutum Scæuam legatum cum legione primâ, & viginti alaribus cohortibus, in aduerſum hoſtem iubet.* Erant ibi duæ legiones. & duæ Sociorum alæ: ergo tot cohortes. Quin ibidem etiam clarè à Legionariis ſeiungit. Sed & in Cæſare *Alarij* hoc ſenſu. De pugnâ cum Arioniſto: *Omnes alarios in conſpectu hoſtium pro caſtris minoribus relinquit,* B *quòd minus multitudine legionariorum militum, pro hoſtium numero, valebat, vt ad ſpeciem alariis vteretur.* Mens ibi & conſilium Cæſaris, non diſiungere legionarios, ſed vnà habere ad pugnam: alarios autem, id eſt auxiliares & ſocios, pro caſtris alteris *in ſpeciem*, vt loquitur, relinquere, terrendo hoſti aut diſtinendo. Reuera enim huic manui (è Gallis pleríque erant) non nimis fidebat. Iterùm in Cæſare hæc vox: *Legionibus completis duabus Varro, cohortes circiter triginta alarias addidit.* nempe auxiliares ex Hiſpanis. Idem alibi: *Crebras ſtationes diſponunt equitum, & cohortium alariarum.* Ita in Capitolino: C *Albino ex familiâ Ceionioru duas cohortes alares dedi regendas.* Etiámne de pedeſtribus alis tibi perſuaſi? AVD. Non, ſed extorſiſti: credo, credo, & cum meo bono. Nam hæc talia legebam magis anteà, quàm capiebam. LIPS. Ergo pergamus quò? porrò diuidere pedites, quod Polybius omittit. Quare? quiáne ſimilia omnia Romanis, exceptâ tamen cohortium frequentiâ? Nam cùm detracti ſint *octingenti quadraginta* in Extraordinarios, palàm eſt remanere in Alam non niſi *ter mille trecentos ſexaginta.* Diuide in cohortes decem: id quoque liquet, ſingulas *trecentorum triginta ſex* eſſe. Cetera igitur ſimilia. & hoc eſt quod Liuius aſſerit, in bello cum Latinis: *Eodem ordine Latini inſtruxerant aciem, nec vexilla cum vexillis tantùm, Haſtati cum Haſtatis, Principes cum Principibus, ſed Centurio quoque cum Cen-* D *turione, ſi ordines turbati non eſſent, concurrendum ſibi eſſe ſciebat.* Neceſſum ex iis eſt, & Manipulos, & Centurias ſiue Ordines, eadem cum Romanis haboiſſe. Nos tamen ambigimus leniter, an Polybij æuo ſic factum. Primùm, quia ipſe tale nuſquam: ſed nec Liuius temerè (excipio libro primo, vbi *manipulos Latinorum* nominat) niſi *cohortes* ingerit ſociorum. Secundò, quia in caſtris metandis Polybius ciues quidem per manipulos diſtinguit; in ſociis nihil tale, ſed locat ſaltem per decem corpora, velut cohortes. Tertiò, quia poſteriore etiam æuo cohortes auxiliorum legis, non manipulos, aut Haſtatorum, Principum, Triariorúmque diſtinctiones. Denique ex iſtis Polybij argumentum, E quòd Extraordinarios tot decerpit. Si ita, flos ipſe & robora abierunt; qui ſunt reliqui in Triarios? Tamen haud temerè hoc decîdo, imò etiam in æquabili lance, & mediâ quod dicitur aginâ, adhuc nuto. AVD. Quieſcere te video: res de ſociis facta? LIPS. Facta. AVD. Atqui Alæ peditum ab illis equitum te abduxerunt, & de iis nec verbum. LIPS. Iure ſuggeris, redeo & iam dico. Equites, cùm duplos ita ponimus, fuêre in quamque pedeſtrem alam *ſexcenti*: detractis autem Extraordinariis, non niſi *quadringenti.* Hic quoque numerus *Ala* dictus, & ipſi illi equites *Alares.* An non confuſio in

Alares cohortes.

Lib. x.

Cæſar explicatus. 1. Gallic.

1. Ciuil.

In Clod. Alb.

Diuiſio cohortes ſociorum. Lib. viii.

An & Manipuli & Ordines.

Ala equeſtris. Quanta fuerit.

A hac re? non, quia ferè *equites* addebant, aut *cohortes*: aut certè narratio indicium faciebat. De hiſ in Salluſtio: *Ipſe Marius cum equitibus ſiniſtra ala eſſe.* Non niſi ſociales intellege, ſicut & Vegetius diſtingoit. *Alæ dicantur*, inquit, *equitum, quòd ad ſimilitudinem alarum ab vtraque parte protegunt acies, quæ nunc vexillationes vocantur. Eſt & aliud genus equitum, qui Legionarij vocantur, propterea quod connexi ſint legioni.* Facit idem poſteà: etſi haud negem *Alam* commune nomen eſſe, & interdum de Romanis etiam dici, ſed (apud veteres quidem) perrarò. Liuius, de Scipione qui *trecentos iuuenes florentes ætate* ad Siculorũ equos tranſſcripſerat: *Egregiam hanc alam equitum euaſiſſe ferunt.* Ipſi ibi viri & numerus, ſunt Romani. B Sed exempla hæc, vt dixi, perrara. *Alarij* de ſociis in Liuio: *Alarij equites, poſtquam tam memorabile facinus equitum Romanorum vidêre.* Diſtingoit planiſſimè. atque iterùm alibi: *C. Liuium Salinatorem, qui præerat alariis equitibus, quàm concitatiſſimos equos immittere iubet, & legionarios equites in ſubſidiis eſſe.* Hoc ille in pugnâ quapiam L. Cornelij Conſulis, cum Gallis Boiis: in cuius principio errorem non celo, aut veriùs culpam. Nam ſcribitur: *Siniſtra ſociorum equitum ala & Extraordinarij, in primâ acie pugnabant.* At ego aſſero *equites* ibi nullos fuiſſe, & temerè per inſcitiam inſertos. Scripſerat Liuius: *Siniſtra ſociorum ala*: & pedeſtrem intellexerat illam partem. C Sciolus quiſpiam, qui Alas non niſi in equitibus norat, eos iniunxit. Malè. ni ita ſit (totam narrationem vide) nunquam mihi apud te ſtet fides. Sed nec olim ſolùm *Alares* ſocij, ſed etiam poſteà Auxiliares dicti. Tacitus: *Alares Pannonij, robur equitatus.* Iterùm: *Alarios equites, & leues cohortium mittit.* Sed ſatis hæc firmauimus, porrò imus? AVD. Reprehendo, & leuiter etiam ſiſto. Quanta hæc ala fuerit, dictum à te, non doctum. LIPS. Ergo ſemper teſtes? ad morem me vocas, video, qui obtinuit, non inutilis hercle, vt omnia exemplis firmentur, ſed tamen cum ambitione coniunctus ſæpe, & interim cum tædio lectoris. Audi. Quadringenariam hanc ſocialem fuiſſe verè dixi, & Polybius euincit. Poſteà quoque tanta, ex Hirtio in elegantiſſimo libello (ita enim eſt) belli Africani: D *Poſtquam equites quadringenti Iuliani vim hoſtium ſuſtinere non poterant, Cæſar alteram alam mittit, quæ ſatagentibus celeriter accurreret.* Vides *Alam* dici, quadringentos. Sed & grandiores tamen quædam fuere. vt in Liuio: *Campanorum ala, quingenti ferè equites.* In eodem alibi: *Numidarum ala equites quingenti.* Nam *milliarias* quoque in Iulio Hygino lego: & in lapide priſco: PRÆF. AL. BRITANNICÆ. MILIAR. Sed quanquam paullò grandiores, manſit tamen diuiſio illa in decem Turmas, ipſas quoque ſcilicet paullò pleniores. Hoc in Sociis fuiſſe Polybij caſtrenſis metatio liquidò oſtendit. An poſteà, & ſemper? negat Hyginus, & in manuſcripto E eius codice ita lêgi: *Ala habet turmas ſedecim, decuriones & reliqua prout numerum turmarum.* Non de noſtris & communibus eum credo loqui, & fuerint tunc maiores. Dat & Tacitus ſuſpicari: *Quattuor equitum turmas, vniuerſam Treuirorum alam cum Iulio Claſſico miſit. ex quibus pars in coloniâ Forouienſi retenta, duodecim equitum turmæ aduerſus hoſtem iêre.* Si pro priſcâ diuiſione ſcriptum, duæ ſolæ turmæ remanſerint: ſi pro Hygini, octonæ. Sed & Turmas prægrandes Ammianus facit, numeratque, *Duarum turmarum equites circiter ſeptingentos.* Sed aut *ſeptuagenos* corrigendum eſt, aut voce eâ latè abuſus, non nouum illi æuo.

In leg. *Alæ propter ſimilitudinem.* Lib. ii. cap. 2. & ſeq. tunc.

Lib. xxiii.

Lib. xi.

Li. xxxi.

Gloſſema delbum è Liuio.

Hiſt. iii. Ann. iii.

Numerus in Ala.

Lib. x.

Quot Turmæ.

iii. Hiſt.

Lib. xviii.

DIALOG. VIII.

De Centurionum numero, ordine, prærogatiua, de Optionibus, Primopilis, omnia accuratè.

Diuiſio ducum. IAM denique bonâ fide pergimus, nec te moror ſi moraris. Abſolui de *Ordine in militibus*. alter in *Ducibus* ſuperest, vtilis atque etiam iucundus. Duces ſunt duorum generum, *Proprij* & *Communes*. Illi *qui certæ alicui & vni parti præſunt*: iſti, *qui communiter omnibus*. In illo genere *Centuriones* ſunt & *Tribuni*: in iſto, *Legati* & *Imperator*. Videamus ſingulos, & *Centuriones* primùm: de quibus ſic Polybius:

Polyb. Ἐξ ἑκάστου δὲ τῶν προειρημένων γενῶν, πλὴν τῶν νεωτάτων, ἐξέλεξαν ταξιάρχους ἀριστίνδην δέκα. μετὰ δὲ τούτους, ἑτέραν ἐκλογὴν ἄλλων δέκα ποιοῦνται. καὶ τούτους μὲν ἅπαντας προσηγόρευσαν ταξιάρχους. ὧν ὁ πρῶτος αἱρεθεὶς, καὶ συνεδρίου κοινωνεῖ. προσεκλέγονται δ' οὗτοι πάλιν αὐτοὶ τοὺς ἴσους οὐραγούς. ἑξῆς δὲ τούτοις μετὰ τῶν ταξιάρχων διεῖλον τὰς ἡλικίας ἑκάστην εἰς δέκα μέρη, πλὴν τῶν γροσφομάχων· καὶ προσένειμαν ἑκάστῳ μέρει τῶν ἐκλεχθέντων ἀνδρῶν, δύο ἡγεμόνας, καὶ δύο οὐραγούς. τῶν δὲ γροσφομάχων τοὺς ἐπιβάλλοντας κατὰ τὸ πλῆθος, ἴσους ἐπὶ πάντα τὰ μέρη διένειμαν, καὶ τὸ μὲν μέρος ἕκαστον ἐκάλεσαν καὶ τάγμα, καὶ σπεῖραν, καὶ σημαίαν. τοὺς δὲ ἡγεμόνας, κεντυρίωνας, καὶ ταξιάρχους. οὗτοι δὲ καθ' ἑκάστην σπεῖραν ἐκ τῶν καταλειπομένων ἐξέλεξαν αὐτοὶ δύο, τοὺς ἀκμαιοτάτους καὶ γενναιοτάτους ἄνδρας σημαιοφόρους. δύο δὲ καθ' ἕκαστον τάγμα ποιοῦσιν ἡγεμόνας, εἰκότως. ἀδήλου γὰρ ὄντος καὶ τοῦ ποιῆσαι, καὶ τοῦ παθεῖν τι τὸν ἡγεμόνα, τῆς πολεμικῆς χρείας οὐκ ἐπιδεχομένης πρόφασιν, οὐδέποτε βούλονται τὴν σπεῖραν χωρὶς ἡγεμόνος εἶναι καὶ προστάτου. παρόντων

A μὲν οὖν ἀμφοτέρων, ὁ μὲν πρῶτος αἱρεθεὶς ἡγεῖται τοῦ δεξιοῦ μέρους τῆς σπείρας· ὁ δὲ δεύτερος τῶν εὐωνύμων ἀνδρῶν τῆς σημαίας ἔχει τὴν ἡγεμονίαν. μὴ παρόντων δ' ὁ καταλειπόμενος ἡγεῖται πάντων.

Ex quoque autem dictorum Generum, exceptis natu minimis, eligunt Ordinum ductores, ſecundùm virtutem, decem. Poſt iſtos alterâ electione iterùm decem: atque hos omnes appellant Ordinum ductores. quorum is qui primus electus eſt, etiã conſilij particeps fit. Iſti autem rurſus eligũt totidem Vragos quos dicunt, ſiue Tergi duces. Poſt hæc deinde vnà cum Ordinum ductoribus diuidunt ætates ſingulas ſiue Genera, quãque in decem partes, exceptis Velitibus: & adtribuunt cuique parti ex viris iam electis duos duces, & duos Vragos. Reliquos autem Velites, vti multitudo eſt, diuidũt æquabiliter in omnes partes. Atque harum quanque appellant Ordinem, & Manipulum, & Signum: ipſos autem duces, Centuriones & Ordinum ductores. Qui etiam in quemque Manipulum, ex reliquis eligũt duos, vigore corporis & animi præſtantes, Signiferos. Duos autẽ in quemque manipulum duces faciũt, meritò. quia cùm incertum ſit quid quiſque facere aut pati poſſit, nec res bellica excuſationem capiat, nunquam volunt manipulum ſine duce eſſe. Vtroque igitur præſente, qui prior electus eſt, præeſt Dextræ parti manipuli; qui ſecundus, Siniſtræ. Cùm autem alter non adeſt, is qui relinquitur, præeſt omnibus.

Hæc ſunt quæ noſter doctor de numero & ordine inter ſe Centurionum, paucis benè intellecta etiam eruditiorum. Equidem in claram lucem dare enitar, tu animum & aures mihi. Ait:

» *Ex quoque dictorum generum.*] Verba ſi examinas, efficiunt, non ſolùm in quoque genere creatos B Centuriones, ſed ex quoque genere. Sic vt Haſtati ex Haſtatis, & deinceps. Quod in primâ iſtâ ordinatione ſeruatum fortaſſe, alias ſæpe neglectum aut calcatum: cùm è genere in genus ad honeſtiores ordines, virtutis alicuius cauſa, transferrent. *Centuriones primi, è ſuo quiſque genere.*

» *Exceptis natu minimis.*] Ij ſunt Velites, qui nec ſigna propria habent nec duces.

» *Eligunt.*] Ipſi Tribuni; ex ſermonis contextu: ſed ſic vt Conſulum iuſſu aut permiſſu. Nã iſti profectò ordines dabãt, attollebãt, pro arbitratu. Apud Liuium: *Conſul deprecatus eſt Tribunos plebis, ne prohibeant ſe quem cuique ordinem aſſignari e republicâ ſit, eum aſſignare.* Attamen vſi ſub initiũ, & vbi tam multi aſſignandi, operâ Tribunorũ. Itaque & de iis apud C Liuium Sp. Liguſtinus: *Ordinem, quo me dignum iudicent Tribuni militum, aſſignare ipſorum poteſtatis eſt.* Ibidem: Tribuni militum *in legione primâ primum pilum ei, virtutis cauſâ, aſſignarunt.* Nota, quòd ait ſolenniter: *virtutis cauſâ*: in formulâ id fuit, & iam ſequitur in noſtro: *Tribuni aſſignant ordines. Lib. xx.* *Lib. xl.*

» *Secundùm virtutẽ.*] Quæ vtraq; intellegẽda, animi & corporis: ſed maximè iſta militaris. Luca. de Scæuâ: *Ob virtutẽ dati.*

——ibi ſanguine multo *Lib vi.*

Promotus, Latiam longo gerit ordine vitem.

Significat ob ſtrenua facta multasq; cædes promotũ. *Promotũ* dico, quæ frequens, & velut propria, in hac re vox eſt: eoq; ſenſu Suidas: προμῶτος, προβιβαζόμενος παρὰ Ῥωμαίοις: *Promotus, qui prouehitur & aſcendit apud Romanos.* Exempla tibi vltrò obuia. A fortibus factis igi D tur promotio: & hoc milites reddebat fortes. In Tacito pluſcula & ordine expreſſa, quæ hîc ſpectabant; dabo verba. *Cẽturionatũ*, inquit, *Germanicus inde egit. Citatus ab Imperatore nomen, ordinem, patriã, numerum ſtipendiorum, quæ ſtrenuè in prælijs feciſſet, & cui erant donaria militaria, edebat.* Priora ad notitiam viri aut honeſtatem ſpectãt, poſteriora ad hanc rem propriè, & à ſtrenuè factis aut donariis maximè promotio. De his Lucanus ſignificat: *Promoti & Promotiones.* *Requiſita in Centurione. 1. Annal.*

——ſummi tum munera pili

Lælius, emeritiq; gerens inſignia doni,

Seruati ciuis referentem præmia quercum.

Significat, inquam, hunc Lælium ciuicâ inſignẽ fuiſſe, & ob id quoque Primopilatu donatum. Non eſt dubium, quin iſta res inter firmamenta fuerit militiæ E Romanæ: & infractã eam, cùm hæc neglecta. Vegetius de ſuo æuo queritur, *Legionũ robur infractũ, cum præmia virtutis occuparet ambitio, & per gratiã promouerentur milites, qui conſueuerant per virtutẽ.* Benè Vegetius, & ita poſt Auguſtũ paullatim factum. Nam & ipſi Principes inter beneficia cœperunt dare, & ab iis petebantur. Plinius de amico quodã: *Huic ego ordines impetraueram.* Capitolinus: *Per Lollianũ Auitum conſularem virum ordinis ducendi dignitatem petiit.* Nec aliâ mente Iuuenalis: *Lib. ii. cap. iii. & Per gratiã dati ordines.* *Lib. vi. cap. xxv.*

——perlege rubras

Maiorum leges, aut vitem poſce libello. *Sat. xvi.*

Quin & cẽſus ratione habitã video, & quoſdã ditio-

res ſtatim ab initio Centuriones factos, ſine militiæ aliis rudimentis. Mihi hoc Dio Caſſius dicit, apud quem Mæcenas ſuadet Auguſto, *recipi in Senatum quoſdam Centurionum, modò non eos qui aliquando inter gregarios meruiſſent, & corbes ac ſtoreas portaſſent. id enim indignum & turpe*, ἐπειδὴ δὴ τῶν ἀπ' ἀρχῆς ἐκατονταρχησάντων οὐδὲν κωλύειν τοὺς ἐλλογιμωτάτους αὐτῶν μεταλαμβάνειν*: ex iis verò qui ab initio & ſemper Centuriones fuiſſent, nihil impedire prudentiſſimos eorum aſſumere.* Facit hoc fortè illud Portij Latronis apud Senecam: *Cenſus in caſtris ordinem promouet, cenſus in foro iudices legit.* Quid, quòd etiam aliter facti per opes? emebant. Sed hoc apud turpes, & cuiuſmodi Piſonem Cicero carpit: quem ait, *Centurionatus palàm vendidiſſe, ordineſque per ſeruulum aſſignaſſe.* Seruulum, non Tribunum, & interpretem nempe nundinationis.

Centuriones à cenſu. Lib. LII.

Lib. II. Contr. 1.

Orat. in Piſon.

» *Decem.*] Hæc eſt prior electio, & ita fiunt triginta.

Cauſſa iteratæ electionis.

» *Altera electione iterùm decem.*] Adnota. duplex electio: & quo fine? cur non vno labore atque operâ defuncti, & ſtatim initiò legerunt *ſexaginta*? Noluerunt, & eſt hæc cauſſa. Triginta manipuli ſunt in legione, vt diximus: in quoque Centuriones duo. Vt igitur conſtaret vter ex iis prior & quodam genere dignior eſſet, duplex hæc electio facta, & in quoque ſuo manipulo prælati electi illi primi. Mox magis aperiemus. Nota & amplius, clariſſimè ex his verbis elici & aſſeri *ſexaginta* Centuriones: quos etiam Tacitus, in verbis quæ ſuprà de numero legionum dedi: *Sexageni ſingulos, vt numerum Centurionũ adæquarent.* Sed & Dionyſius vbi de Primipilo, verbis infrà reddendis. Liquidum hoc eſt, & omnis ordo ſic poſcit: vbi mentem viri docti & harum quoque rerum curioſi habent, cùm *triginta* modò ſtatuunt ex Polybij mente? valdè errant. Quid tamen inſultem?

Sexaginta Centuriones. 1 Annal.

Ἁμαρτάνει τι καὶ σοφοῦ σοφώτερος:

Et labitur ſapiente vel ſapientior:

ait quiſpiam. Illi hîc, ego alibi: maximè ille, qui minimè ſe putat.

» *Qui primus electus eſt.*] Primopilum intellegit. Ergo clarum, electionem iſtam factam primùm in Triariis, tum Principibus, tum Haſtatis: ordine ſcilicet dignitatum.

» *Etiam conſilij particeps fit.*] Pluribus eminuit iſte Primus; etiam eo, quòd more & iure ad Conſilium venit. Militare accipi liquet. in quod primò omnium Legati veniendi ius habebant, & Tribuni. Æquabatur igitur quadam parte iſtis. Liuius de prioribus lib. IX. *Ad Conſules mæſtos, nec aduocantes quidem in conſilium, ſuâ ſponte Legati ac Tribuni veniunt.* De iſto Cæſar: *Labienus noctu Tribunis militum primiſque ordinibus conuocatis.* Iterùm: *Ad conſilium rem deferunt. L. Cotta compluréſque Tribuni militum & primorum ordinum Centuriones nihil temerè agendum cenſebant.* Iſtos Primopilos vtrobique intellegi probabile eſt, ac cum iis, primos Principes & Haſtatos. Etſi interdum pleroſque omnes Centuriones aduocatos legam: ſed pro tempore, & arbitrio Ducis magis, quàm more. Cæſar inſtante pugnâ in Arioviſtum: *Conuocato conſilio, omniúmque ordinum ad id conſilium adhibitis Centurionibus.* Interdum & Equites admixti, digniores ſcilicet militum, & Centurionibus æquandi. Cato Priſcus apud Liuium, bello Hiſpanienſi, *Conuocat Tribunos Præfectóſque, & equites omnes, & Centuriones iuſſit.* Et Præfectos inibi accipiam Sociorum, qui Tribunis pares. Miror tamẽ de *omnibus equitibus*: nam duas legiones Cato habuit, ergo equites ſexcentos. Adde centum viginti Centuriones, duodecim Tribunos, totidem

Conſilium militare. E quibus?

Legatis ac Tribunis.

VI. Gallic. V. Gallic.

Et Primopilis:

Interdũ & aliis centurionibus:

I. Gallic.

Et equitibus. Li. XXXIV.

Dubitatio in Liuij verbis.

Præfectos ſociales, concio iſta non conſilium. Dubitaui legere: *Præfectóſque equitum omnes.* Atque ij ſint Decuriones, meritò ſanè vocati, vbi omnes Centuriones. De equitibus aliquid indicaſſe Virgilius videtur.

Lib. IX.

Ductores Teucrum primi, & delecta iuuentus,
Conſilium ſummis regni de rebus habebant.

Vt quid enim *iuuenes* conſilio tam arduo miſcet, niſi conſideratione Romani moris (ita poëta hîc amat) quo equites admiſſi? qui ferè è iuuentute.

» *Iſti autem rurſus eligunt totidem, quos Vragos dicunt.*] Qui autem *iſti*? Centuriones, vt videtur, iam lecti: illi inquam *Vragos* ſibi legunt. Sed quos? & quo Latino nomine dictos? iamdiu equidem ambigo & quæro. Si Græcanicam vocem intueor, dixerim eſſe *Agminis coactores*. Horum cùm alibi, tum in Suetonio, mentio: *Renunciantes coactum agmen, ſicut erant, loricatos ad diſcumbendũ adhortatus eſt.* Atque hi profectò à fine & à tergo curant. Si tamẽ hos intellegit, & ſi ordinarium hoc munus; mirum non ab hiſtoriæ aut militiæ ſcriptore dictum aut tactũ. An magis eſt *Optiones* hîc accipi? quos ipſe cùm Græco verbo reddere non poſſet, ſimili notificauit? Credo hos eſſe. eò magis quòd à Centurionibus lectos dicat: & fuit ſanè illi ſubſidia & velut vicarij Centurionum. In Feſto: *Optio qui nunc dicitur, antea dicebatur Accenſus. Is adiutor dabatur Centurioni à Tribuno militum: qui ex eo tempore, quem velint, Centurionibus permiſſum eſt optare, & nomen ex facto ſortitus eſt.* Clariùs ſcribatur: *qui, ex eo tempore.* Nam hoc ſentit dicitque Feſtus, anteà *Accenſum* dictum cùm Tribunus eum daret: ſed poſtquàm Centurioni optandi eligendique ius fuit, factum *Optionem*. Nonius ſimiliter: *Optiones in cohortibus, qui ſunt honeſti gradus, vt optatos, quod eſt electos.* Et Vegetius: *Optiones ab optando appellati, quòd antecedentibus ægritudine impeditis, hi tanquam adoptati eorum atque vicarij ſolent curare.* Quod aliquid etiam pro Polybij verbo. nam ſignificat ipſos Centuriones *anteceſſiſſe*, iſtos à tergo fuiſſe. Et an fortaſſe in acie ſic potius? opinor, etſi teſtibus haud firmem. Horum & Varroni mentio: *Optiones in turmis, Decurionum; & cohortibus, Centurionum appellati.* Item priſco lapide: BENEFICIARIVS. TRIBVNI. DEINDE. OPTIO. IN. CENTVRIA. In Procopio Latino facto: *Gezon erat quidem inter pedites, eius ordinis, quos Optios Romani appellant.* Sed & Tacitus inter officia militaria nominat, *Proculum teſſerarium ſpeculatorum, & Veturium Optionem eorumdem*: paullò alio tamen, vt videtur, ſenſu. Sed illud æuum nunc non inquiro, & aliquid ad Tacitum dixi. An iſti noſtri ſunt, quos *Succenturiones* Liuius? Ita enim bello Latino: *Centurioni primipilo permiſſum erat ab Conſulibus, vt Succenturionem quem vellet legeret.* Credam; & hinc eſſe originem rei, à bello inquam Latino, occultè ab eo tactam. Nam anteà, inquit Feſtus, Tribuni dabant: nunc permiſſum, *legeret quem vellet.* Video & in Dione Caſſio ἑκατοντάρχους καὶ ὑπομείονας iungi: id eſt ad verbum, *Centuriones & Sub-minores*: quaſi dicas, *Vicarios aut Procenturiones.* Ita acceperim: & notat, eos à Cæſare in Senatum etiam lectos. Simile in Tribunis & Ducibus fuit imo æuo, quorum *Vicarios* in Cæſareis ſcriptoribus ſæpe leges.

Qui Vragi Polybio.

An agminis coactores? Cap. XXV.

An Optiones?

Qui ſint ij?

Reſpexit etiam Feſtus.

Lib. II. Cap. VII.

IV. de L. L.

Lib. II. Vandal.

I Hiſt.

Succenturiones. Lib. VIII.

Lib. XLIII.

» *Adſcribunt cuique parti ex viris iam electis duos duces.*] Pars hîc manipulus eſt: tales in legione triginta: & in quâque duo duces ſiue Centuriones: quid ergo clarius quàm ſexaginta eos eſſe? Mentem aut oculos alibi habuerunt, qui non viderunt. Sed & ij verbis his refutantur, qui vnum *Primopilum* fuiſſe voluit tantùm: vnde enim ſexaginta erunt? vnde

cuique

cuique parti duo? quod hîc dicitur. Liuij locus qui eos inducit, eſt: *Duo Primipili ex vtraque acie inter Triarios erant, Romanus corpore haud ſatis validus, Latinus viribus ingens, bellatórque primus.* Sed non ea ſententia, duos tantùm fuiſſe, id eſt, vnum in quâque acie (id verò non poteſt. nam quatuor ibi legiones Romanæ erant) ſed duos tales, cum notis valetudinis & roboris adſcriptis.

» *Appellant ordinem & Manipulum & Signum.*] Ita verti, & videtur manifeſtò Polybius de Manipulo tantùm loqui. Alij tamen malunt, *Appellant Legionem, Cohortem, & Manipulum* nempe, inquiunt, pro variâ inter ſe partium illarum compoſitione & coniecturâ.

» *Centuriones & Ordinum ductores.*] Ipſa Latina vox in Græco eſt, *κεντυρίωνες*: ſed adſpiratè ſic ſcripta. Credo quia ſic ſolet illa ætas. Fabius: *Chorona, Chenturiones, Prachones adhuc quibuſdam inſcriptionibus manent.*

Lib. I.

» *Eligunt duos vigore animi & corporis præſtantes Signiferos.*] Ex hac ſcriptione clarum videatur, duo ſigna in quoque manipulo fuiſſe. Nec aliter è Liuio, qui in Ordine locat, id eſt dimidio manipulo, *Centurionem & Vexillarium vnum.* Videtur & Vegetius facere: *Antiqui cohortes in centurias diuiſerunt, & ſingulis centuriis ſingula vexilla conſtituerunt.* Dat ecce ſingula ſingulis Centuriis: atqui in manipulo centuriæ duæ. Ipſe *Vexilla* dicit, ſicut & Liuius *Vexillarium*: non quia reuera vela aut panni fuerint (nummi certè aut lapides non oſtendunt) ſed quia confundunt, & cum *Signi* voce miſcent. Nã *Vexilla* propriè olim non niſi equitum. Hæc ita dixerim, ſed non ſine retractatione & dubio aſſenſu. Nam profectò nimia videtur Signorum illa pluralitas, vt fuerint in legione ſolâ, peditum ſexaginta; equitum dena. Nam ſingulis turmis ſigna ſua fuiſſe, non videtur ambigendum. Adde iam Socios: & valdè creſcent. Hæc igitur tot ſigna an non confuſioni fuerint? Accedit Varronis auctoritas, qui aliò ducit: *Manipulus, minima exercitus manus, quæ vnum ſequitur ſignum.* De vno ait, non duobus. Ipſe Polybius, Manipulum paſſim *Σημαίαν*, id eſt *Signum*, vertit & appellat: ſed Signum, non Signa. Quid quòd vna modò legionis Aquila, & ea Primopilo commiſſa? cur non hoc exẽplo in ceteris? Denique Cæſar etiam fortaſſe nos huc inclinet. qui prælio Pharſalico *relata ad ſe* ſcribit, *centum octoginta ſigna militaria, aquilas nouem.* Atqui legiones Pompeianæ illic vndecim ſteterant: ergo ſigna manipulorum circiter *ſexcenta ſexaginta*, ex priore illâ ſententiâ: quod minimè conuenit in numerum Iulianum. Si enim nouem aquilæ captæ: quæ ratio aut proportio, vt tantùm *centum octoginta* è reliquis? Magis autem ea, ſi vnum modò ſignum manipulis demus, & tot capta faciamus è *trecentis triginta.* Minutè hæc deduco: quid refert? non alij inquiſiuerunt, & ſemel hæc ſcire cupido eſt, non quia delectet * *τειχολογεῖν*. Quid ergo aſſero? nihil firmiter, ſed propendeo vnicum vni manipulo fuiſſe. Ad Polybij & Liuij dico, duos quidem Vexillarios dari: ſed non conſequi neceſſariò de duobus Vexillis. Poſſunt enim ita dari, vt alter alterius vicem obeat in defatigatione (grauia enim hæc ſigna) aut etiam in morbo. Quæ ipſa cauſſa in Centurionibus duobus à Polybio expreſſa. Ad Vegetium, parùm is mouet. Nam eius æuo manipuli veri & veteres deſierant, eorumque vicem Centuriæ iam erant. Siſtit tamen iterùm Liuius, qui diſertè tria Vexilla tribus Ordinibus ponit, libro octauo, verbis ſuprà, vbi de Triariis, Rorariis, & Accenſis. Itaque hærere me fateor, nec largium hoc diſcingere. Quidquid

Quot ſigna in manipulo
Duo videri.
Lib. VIII.
Lib. II. cap. XIII.
An fortè & vnicum
IV. de L. L.
III. Ciuil.
* Argutari.

ſit, illud arbitror, in poſtremo Genere, id eſt Triariis, non niſi ſingula ſigna ſtetiſſe. Argumento ab vnâ aquila, tum etiam quia exiguus ille manipulus, & numero non niſi vnus ordo: atque ita Liuius olim, cum Rorarij & Accenſi adiuncti, nõ niſi vnum Vexillum donat. Credo igitur manſiſſe.

» *Qui prior electus eſt, præeſt dextræ parti.*] Alio ſenſu hîc *pars*, & ſignificat *Centuriam* ſiue *Ordinem*, id eſt Manipulum dimidiatum. Valde autem notanda hæc Polybij, ſine quibus quomodo de ordine & dignitate Centurionum expediamus? numquam ſatis certò. At nunc mihi omnia clara, & efficiam vt etiam tibi, ſi lubet attendere. AVD. Lubet? Ardeo. numquam magis hæreo, quàm cùm iſta in Hiſtoriis lego, de promotionibus ad altiores ordines, de primo Principe, octano Haſtato, & talia. Plenè hæc ſemel tu & planè. LIPS. Faciam. ſed vereor vt tenuia intercurrant, ad quæ non erigitur vulgus. Sed hoc ſeponam, tibi canam & paucis: Ordo Centurionum triplex, *A Numero, à Genere, à Situ. A Numero* eſt, qui in ipſis Manipulis aut cohortibus, & vt illi atque illæ non niſi Decimæ; ſic Centuriones. A primo ad hunc numerum deſcenditur, nec itur infrà. Honeſtiſſimi autem ſemper, quod liquet, primi, & ſic deinceps. *A Genere*, qui in ipsâ cohorte vnâ ſpectatur, & honeſtior Centurionum ille qui in eo honeſtiore. Exempli cauſsâ. Sex ſunt Decimi in cohorte Decimâ: duo in Haſtatorum manipulo, duo in Principum, totidem in Triariorum: qui honeſtiſſimi? Triariorum haud dubiè, tum Principum, vltimi Haſtatorum. *A Situ* denique, quod eos qui eiuſdem Numeri, Generis, imò Manipuli ſunt, ſpectat. Exempli gratiâ. quod diſcrimen aut prætio inter duos *Primos pilos*, duos *Octauos Haſtatos?* iſtud, quod Polybius in verbis ad quæ commentamur, promit, vt dignior ſit qui *præeſt parti ſiue ordini dextro*. Quis ille? certus, inquit, & ſine controuerſiâ ſemper, qui primus electus eſt in electione priore. Vt totum me aperiam, & diffundam vel ex ſuperuacuo, vide. Sunt duæ electiones (antè dictum:) & priore eligebant Centuriones triginta: nempe in quoque Genere decem: tum iterùm triginta, diuiſione eâdem. Ergo omnes qui primi, ſecundi, tertij, in tali Genere, in tali manipulo, priore electione dicti; ij præerant dextræ centuriæ, & hoc aſpectu in eodem Numero, Genere, Manipulo digniores. Hæc intellegi à te cenſeo: firmanda aut illuſtranda ſuot exemplis, eò promptiùs, quòd quædam in tenebris ſunt aut lite: obſcura dico, aut incerta. Ad Numeros & Genera ſpectant (iungi enim ferè ſolent) iſta. Liuius de Sp. Liguſtino, in concione ad populum, quæ tota ſine hac notitiâ obtenebrat: *Virtutis cauſſâ mihi T. Quinctius Decimum ordinem Haſtatum adſignauit.* Fuerunt rudimenta eius militiæ, & ideò pro magno narrat, ordinem ſibi adſignatum, etſi ille vilis & imus. Cicero: *Naſennius Creſenſi bello, Metello Imperatore, octauum Principem duxit.* Atque obiter, in his talibus, *Princeps Haſtatus* eſt ipſe ordo. Quo etiam modo Ouidius:

——*Haſtatos inſtituitque decem:*

& dictionis talis plurifariàm exempla. Neſcio an hoc in Cæſare: *Q. Fulginius ex primo Haſtato legionis duodecimæ.* Quid enim aliud vult, quàm Centurionem fuiſſe (è ſequentibus appâret) in primo ordine ſeu manipulo Haſtati? Tamen nouitia & ſuſpecta locutio, non nego, vt multa in hodierno Cæſare: & an non fuit, *Q. Fulginius Centurio primi Haſtati?* malim, & puto: cauſſamque corruptioni dederit nota, quâ ſculpi & ſcribi Centuriones ſolẽt vulgo. Millies in lapidibus eſt, & curnatur in modũ viter

A dagelli. Nam vitis ſcilicet inſigne Centurionum: eóque hac formâ illum notabant. Id in x. litteram aut *ex* præpoſitiunculam tranſiſſe, non nouum. Phraſis ſanè vulgata noua, nec nunc mihi tranſmittenda. Video etiam nominari ſine notâ Numeri, cum illâ Generis tantùm, vt in Floro: *C. Minucius quarta legionis Haſtatus.* Sed quis intelligitur ergo? κατ' ἐξοχὴν ipſe primus. Oroſius docet, qui de eâdem re & homine: *Minucius quarta legionis primus Haſtatus.* Simile in Liuio: *T. Pedanius Princeps tertia legionis*: accipe primum, & ipſe antè ſic dixit. An eo ſenſu Suidas: Πρίγκεψ, ὁ ἔξαρχος τῆς τάξεως παρὰ ῥωμαίοις: *Princeps, dux agminis apud Romanos?* an præſtat ſimpliciter interpretari de quocumque Centurione Principe? & certè eò facit. Exempla aliquot vtriuſque prioris diſcriminis habes: etiam vltimi iſta. Liuius in eâdem oratione Liguſtini: *Hic me Imperator dignum iudicauit, cui primum Haſtatum prioris centuria aſſignaret.* Iterùm ibidem: *Mihi primus Princeps prioris centuria eſt aſſignatus.* Cur vtrobique hic de *priore centuriâ* tam diſertim, niſi quia honeſtior, & eſt hæc ipſa quæ Polybio *dextra*? In eandem mentem Cæſar: *Omnibus prima cohortis Centurionibus interfectis, præter Principem priorem.* Breuius dictum, ſed æquiparat: *Princeps prior, & Centuria prioris.* Vereor vt in Liuio hîc corruptiuncula: *T. Pedanius Princeps primus Centurio.* Vtro modo vis diſtingui? *Princeps primus?* benè eſt, ſed tum *Centurionis* vox nonne vacat? *An Princeps, primus Centurio?* non potes, & falſum ſit: quia Primopilo hoc conuenit, eſſe *Centurionem primum.* In notæ fidei libro repperi: *primo Centurio*: parùm eſt, ſed tamen vacillatio dat ſuſpicari ne fuerit, *prima* aut *prioris centuria.* Nam & *prima* non malè, aſpectu ad omnes inferiores viginti. En exempla huius diſcriminis quoque habes. Sed iam ad promotiones eamus, quas tangit Cæſar ſed non explicat, in his verbis: *Erant in eâ legione fortiſſimi viri, qui iam primis ordinibus appropinquabant, T. Pulfio & L. Varenus. hi perpetuas controuerſias inter ſe habebant, omnibúſque annis de loco ſummis ſimultatibus certabant.* Obſeruare potes diuturnas, & vt ipſe ait, *perpetuas* has contentiones de loco fuiſſe, *omnibuſq; annis* repetitas. Quid ita? quia non ſaltu, ſed gradu promouebantur, & ab infimis ordinibus perueniebant lento pede ad primos. Id quî factum, quæro. An per Genera aſcendebant? exempli cauſsâ, vt à *Decimo* Haſtato ad *Nonum*, & ſic conſequenter ad *Primum*? tum retrogradi à *Decimo* Principe ad *Primum*? denique à *Decimo* pilo ad *Summum*? Hæc non opinor, nec admitto. Per cohortes & manipulos magis eſt promotionem iſtam factam: hoc modo. Erant decem cohortes; infima *Decima*; & in eâ tres manipuli; in quoque horum duo Centuriones. Iſti omnes Numero pares, Genere impares: ideóque prima promotio in eodem Numero & Cohorte, à manipulo ad manipulũ, ſiue à Genere ad Genus fuit. puta, à *Decimo Haſtato* ad *Decimũ Principem*, ab iſto ad *Decimũ Pilum.* Tũ expletâ eâ cohorte, Numero aſcendebãt, fiebantq; *Noni*, mox *Octaui*, & denīq; *Primi.* Cùm tã illîc, à *Primo Haſtato* ad *Primũ Principem*; à *Primo Principe* ad *Primum pilum ibant.* Hæc cùm ratio & analogia conſideranti ita ſuadeat, tum & firma auctoritas Vegetij, iſta: *Vetus conſuetudo tenuit, vt ex primo Principe legionis promoueretur Centurio primi Pili.* Si ita eſt, & non ex *ſecundo Pilo*; conuenienter profectò de toto illo ordine digeſſi. Cùm igitur Cæſar ait, *primis illos ordinibus appropinquaſſe*: ſignificat in *ſecundo Principe aut Pilo* fuiſſe, in cohorte inquam ſecundâ: & id certamen pluribus annis fuiſſe, quia pariter aſcendebant, & in pari virtute adnixi præire,

Lib. I. cap. XVIII. *Haſtatus, pro primo Haſt. &c.* Lib. IV c. I. Lib. XXV.

Exempla de Sca.

Lib. XLII.

III. Ciuil. *Cæſar explicatus.*

Lib. XXV. *Locus ambiguè correctus.*

Promotio Centurionũ. V. Gallic.

Quo ordine.

Ratiò explicatum.

Lib. II. cap. VIII.

non præibant. Nam virtutis ſæpe hîc aſpectus, & ea eximia ad primos etiam locos ſaltu traducebat. O bona contentio! ô arcanũ & vtile militiæ firmamentum! ſic in Cæſare: *Centuriones, quorum nonnulli ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum, cauſsâ virtutis, in ſuperiores erant ordines huius legionis traducti, ne antè partam laudem amitterent, fortiſſimè pugnantes cõciderunt.* Quod & indicat, traduci aliquando de legione in legionem ſolere. At de ſaltu promotionibus; exemplum in Sp. Liguſtino, apud Liuium: qui à *Decimo Haſtato* ad *Primum* traductus; ab iſto ad *Primum Principem*; iterùm ab iſto ad *Primum Pilum.* Hæc omnia virtutis cauſsâ: etſi tunc militia nondum continua, nec ita ordinariæ promotiones. At Cæſaris æuo iamdiu erant: ideoque magis inſigni exemplo Scæua ille apud eum; qui cùm ſe facto probaſſet vix humanæ virtutis, & poſteris quoque ſtupendo: ſtatim hunc Imperator *ab octauis ordinibus ad primũ pilum traduxit.* Ita ipſe Cæſar ſcribit, nec diſtinguit quibus *octauis*, Haſtatorum, Principum, an Pilanorum. Quid opus? inter imos ille ordo totus erat, & longè à primo: ideoq. & *longum ordinem* Lucanus dixit. In eâdem enim re, de eodem Scæuâ:

——*Latiam longo gerit ordine vitem:*

id eſt qui longinquus, & tardæ promotionis, procul à metâ. Hoc ſenſu & Frontinus, de Veſpaſiano Principe: *Cùm adoleſcentem honeſtè natum, anguſtiarum rei familiaris cauſsâ ad longiorem ordinem deductum reſciſſet; cenſu conſtituto exauctorauit.* Laudatur humanitas eius Principis, qui cùm ordines tunc (ſuprà monui) à cenſu aſſignarentur, tenuem quendam, etſi ſtirpe honeſtum, ad infimos ordines detruſum videbat: è quibus cùm lentè debuiſſet aſcendere & emergere, liberalitate potiùs illum iuuit, & militiâ ſoluit. Sunt iidem, *inferiores* aut *infimi ordines* vt Cæſari: *Q. Fulginius ex primo Haſtato legionis duodecima, qui ob eximiam virtutem ex inferioribus ordinibus ad eum locum peruenerat.* Eidem: *Fabius Pelignus ex infimis ordinibus de exercitu Curionis.* At contrà, *primi ordines* ſunt, illi in cohorte *primâ*: *Primus Haſtatus* vterque, *Primus Princeps*, *Primus Pilus.* Non aliter acceperim, quoties *primorum ordinum Centuriones* lego. Vt in Liuio: *Legati Tribuniq; & primorum ordinum Centuriones approbauêre.* In Cæſare: *Legatos primorum ordinum Centuriones ad Cæſarem mittunt.* In Tacito: *Vrgebatur maximè ſeptima legio nuper a Galbâ conſcripta, occiſi ſex primorum ordinum Centuriones.* Nota & numerum: *ſex*, inquit, ergo omnes interfecti in cohorte primâ. Idem eſt, cùm *primos ordines* pro ipſis Centurionibus talium ordinum, compendio quodã dicunt. Vti Cæſar: *Cùm à Cottâ primiſque ordinibus acriter reſiſteretur.* Iterùm: *Labienus Tribunis militum primiſque ordinibus conuocatis.* Apagete correctores. Hæc munda & bella ſunt, & Liuio quoque ſcripta: *Ipſe cum Tribunis primiſque ordinibus vadit ad contemplandos tranſitus.* Sed & Frontino imitata: *Imperauit Tribunis, & primis ordinibus, & centurionibus.* Vbi tamen quaſi ſeiungit à Centurionibus; ſed hoc ſenſu, quòd illi eximij ſuper alios, non gregales: & valet, *ceteríſque Centurionibus.* At enim *primum* etiam *ordinem* ſingulariè lego. In Tacito: *Iuſtus Catonius primi ordinis Centurio.* In Velleio: *Non interuentis Centurionibus, qui etiam primi ordinis cecidêre.* Et quia de vno ordine, magis eſt primorum primum capi, id eſt, ipſos Primopilos. Qui verò *Principes ordinum?* nam & hos in Liuio obſeruo: *Tribunos Principeſque ordinum nominatim ad pugnam ſecum iterandam vocare.* De Imperatore qui ſuos excitat: & puto eum iſtos cohortis primæ maximè

Virtus ſuperat ordinem.

III. Ciuil.

Lucanus illuſtratus.

Et Frontinus. Lib. IV. cap. VI.

Inferiores ordines. II. Ciuil.

Eodẽ libro. *Primi ordines.*

Lib. X.

II. Gallic. III. Hiſt.

V. Gallic.

Lib. I. cap. II.

Primus ordo quis. III. Hiſt.

Lib. poſter.

Principes ordinum. Lib. VIII.

affatum.

Lib. II. affatum. Idem paolò aliter, *Centurionum Principes. Non iam ſenſim, vt anteà, per Centurionum Principes poſtulant*: Suot iſti quoque primorum ordinum, & poſtulata edita probabile eſt per cuiuſque Generis ptimos. En peruetimus iam ad apicem, & de ipſo

De Primopilo dicta. Lib. II. Primopilo magnâ & ionidendâ militari dignitate, ſeorſim aliqoid dicamus. Is appellabatot variè. *Centurio primi pili*, vt in Liuio: *Populus dedicationem ædis dat M. Plætorio Centurioni primi pili.* Quæ vetuſtiſſima eius mentio in Liuio, & ſtatim à partâ libertate: vt

* Suprà Dial. III. appareat hunc ordinem, qood ad *intricata illa Liuij monuimus, vel hoc teſtimonio perpetuũ Romæ fuiſſe.

Lib. poſter. Nominatur deinde crebrò. Vt Velleio: *Primi pili Centurionem nomine Vibulliũ, fuſte percuſſit.* Cæſari: *P. Sextius Baculus primi pili Cẽturio.* Dicebatur & ſimplicitet *Primipilus, Primopilus*, vocibus coalitis & iũctis.

II Gallic. Cæſar: *Primipilo P. Sextio multis vulneribus confecto.* Lib. VIII. Liuius: *Duo Primipili in vtraq; acie erant.* In lapidibus

Primus Cẽturio. Lib. VII. PRIMOPILO LEG. III. & locis ſexcentis. Dicebatur & abſoluiè *Primus Centurio*. Liuius: *Primus Centurio, quem nunc Primipili appellant.* Nihil cũ aliis mota: *Primipili*, nempe Centurionem, & repetenda io ſtruendo ea vox eſt. Idem ἡγεμὼν τοῦ τάγματος, *dux aut princeps legionis*, aliqooties Dionyſio &

Dux legionis. στρατοπεδάρχας τοῦ τάγματος. *Præfectus legionis*: itémque Primopilatus ipſe στρατοπεδαρχία. Cur tam honeſtè? quia res ita fuit, & caput ipſe omnium Centurionum, & ductor.

Lib. X. Dionyſius de Flauoleio Primopilo, Ἦν δ' ἀνὴρ δημοτικὸς, ἀλλὰ τῶν ἐπαινουμένων δι' ἀρετὴν, καὶ τὰ πολέμια ἄλκιμος. καὶ δὴ ἄμφω ταῦτα ἐνὸς τῶν ταγμάτων τῇ λαμπροτάτῃ ἀρχῇ κεκοσμημένος, ᾗ τὰς ἑξήκοντα ἑκατονταρχίας ἕπεσθαί τε, καὶ τὸ κελευόμενον ὑπηρετεῖν κελεύει ὁ νόμος. τούτους Ῥωμαῖοι τοὺς ἡγεμόνας τῇ πατρίῳ γλώττῃ πριμοπίλους καλοῦσι: *Erat vir plebeius genere, ſed virtute nobilis, & bello bonus, atque ob eá vtraque* (duplicem virtotem nota in Promotione) *ſplendidiſſimâ dignitate ornatus in vnâ legionum, cui ſexaginta centurias ſubſequi, & quod iuſſerit exſequi, lex iubet. Hos tales duces, Romani patrio ſuo ſermone, Primopilos vocant.* Ait ſequi eum *ſexaginta centurias*: id eſt,

Omnes centuriæ duces. omnes. Tot enim in legione: & ergo etiam in collegam ſuom, Siniſtrum Primopilum, ius aliquod habet. Nam hæc de Dextro accipienda, & ſummo: niſi tamen imperium hoc inhibuere per vices. Ait & *iuſſa eius exſequi* debere. Ergóne aliis imperat? non iure profectò aut more: ſuæ duotaxat centuriæ: ſed quia Imperatoris ſæpe mandata aut Tribunorum per illom edebaotur in vulgus. Etiam in acie, in agmine illom adſpectabant, & ad eius notum ſiſtebant aut procedebant: ideò, quia Aquilam tegebat, ptimom ſignom.

Aquila præf. Lib. X. Dionyſios hoc docuerit lectorem iotentum, de L. Siccio: Ἑτέρου δὲ πάλιν ἀγῶνος συστάντος, ἐν ᾧ τόν τε στρατοπεδάρχην τοῦ τάγματος ἡμῶν συνέβη πεσεῖν, καὶ τὸν αἰετὸν ὑπὸ τοῖς πολεμίοις γενέσθαι, τὸν αὐτὸν τρόπον ἀγωνισάμενος, τόν τε αἰετὸν ἀνεκομισάμην, καὶ τὸν στρατοπεδάρχην ἔσωσα· ὃς ἐμοὶ τῆς τότε βοηθείας χάριν ἀποδιδοὺς, τῆς ἡγεμονίας τοῦ τάγματος ἐξίστατό μοι, καὶ τὸν αἰετὸν ἐδίδου: *Alio iterùm prælio, in quo præfectum legionis noſtræ contigit cadere, & aquilam venire in hoſtiũ poteſtatem, ego pariter pugnans & aquilam ſeruaui, & Præfectum eripui. qui gratiam mihi auxilij eius referẽs, ducatum legionis ceſſit, & aquilam dedit.*

Vera ſententia Dionyſij expreſſa. Hîc verti ab aliis στρατοπεδάρχην τοῦ τάγματος, *Tribunum qui caſtris & legioni præerat*, video: ſed *Primopilum* intellegi veriſſimum eſt, nec aliod, quàm *Primopilatum*, ipſam στρατοπεδαρχίαν, de quâ infrà addit. Argumẽtom certom, quòd nihil horum in Tribunum conuenit, omnia in Primopilum. quòd *Dux legionis*, quòd *Aquilam cuſtodierit*. Nam cùm alij Centuriones ſua ſigna quiſqoe aſſiſterent & tuerentur, hic totius

A legionis aquilam: quod etiam in Vegetio clarè. *Centurio*, inquit, *Primipili non ſolùm aquilæ præerat, ſed etiam quatuor centurias in primâ acie gubernabat.* De aquilâ, benè & ad vetuſtum morem: de quatuor centuriis, ad nouitium. atque iſte noſter non niſi vni præfuit & ſuæ. Ad eumdem morem Valerios: *Aquilarum altera vix conuelli à Primipilo potuit.* Indicat ita præfuiſſe, vt etiam ſub iter ipſe euelleret refixam, & Signifero ſuo in manum daret. Quinetiam in ipsâ acie adſiſtebat, & tuebatur. Dionyſiana illa ſuprà hoc oſtendunt, tum iſtud Taciti: *Ipſam aquilam Atilius Verus primipili Centurio, multâ cum cæde hoſtium, & ad extremum moriens ſeruauerat.* Quia igitur aquila in Primopili tutelâ, & ei velut aſſignata; inde manauit, vt

B Aquila pro ipſo illo munere & Primopilatu vſurparetur. A Plinio: *Centurionum in manu vitis, & optimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas.* Id verò eſt, vitis inſigne Centurionatus, & ea per tardas promotiones & adſcenſus tandem perducit ad Primopili aquilam. Et velim mihi *lætas*, quàm *lentas aquilas*: tum quia de lentis ordinibus iam dictum, tum etiam quia re lætæ ipsâ & lætificantes, ob *præmia*, vt loquitur, *opima*. Non enim dignitas ſolùm, ſed opes adiunctæ: idéḿque *locupletem aquilam* hoc ſenſu, mihi quidem, Iuuenalis dicit:

> *Vt locupletem aquilam tibi ſexageſimus annus*
> *Adferat.* ——

C Oſtendit, quod Plinius, tardum eſſe Primopilatum, & poſt gradatim ordines (ſi morem ſpectes, & niſi virtus perrumpat) decurſos: ſed tamen præmiis inſignem. Mihi, inquam, poëta & meis auribus hoc ſonat: Scholiaſtæ veteri aliter, qui de ſignifero hoc accepit. Atqui nec illa tanta dignitas, nec tam in quæſtu. De iſtâ, etiam Martialis:

> *Grata Pudens meritis tulerit cùm præmia pili.*

Quæ præmia? in pecunia primom, quam certam iis definiuit Augustus; & qoam Papinianus tetigit: *Pater filiam ex ratione commodorum primipili trecentos aureos accipere voluit.* Ad quam & Suetonius adſpexit, cùm ſcribit Caligulam, per improbam auaritiam, *pleriſque Centurionum maturis iam, & intra pauciſſimos quàm conſummaturi eſſent dies, primos pilos ademiſſe, cauſſatum ſenium cuiuſque & imbecillitatem.*

D Scilicet præmia magna Primipilorũ vel ex eo colligas, quòd gregariis etiam militibus ſatis ingens ſumma definita: de quâ *alibi dictum. Pecunia igitur primùm fortaſſe pro cenſu equeſtri: certè adiunctus is honos, & pro equite erant, qui Primopilatu functi. Martialis:

> *Soſpite me ſoſpes Latias reueheris ad vrbes,*
> *Et referes pili præmia clarus eques.*

Ouidius de æmulo ſuo in amore:

> *Ecce recens diues parto per vulnera cenſu,*
> *Præfertur nobis ſanguine factus eques.*

Rem, ait, indignam, quòd mea puella præponit mihi ſtirpe equiti, hunc oouitium, à militiâ factum. Itaque de eodem:

E
> *Læua manus, cui nunc ſerum malè conuenit aurum,*
> *Scuta tulit.*

Oſtendit equitem, ab inſigni & anolo aureo. Denique clariſſimè ad primum pilum hæc refert, cum indignatiunculâ:

> *Diſcite, qui ſapitis, non hæc quæ ſcimus inertes,*
> *Sed trepidas acies & fera bella ſequi.*
> *Próque bono verſu primum deducite pilum.*

AVD. Interpello. & bonâ fide, an nõ hodie, cum poëta, hoc liceat? quando nullus honos artibus à quibus verus omnis honos? Nam ſine iis quæ fama diuturna? LIPS. Omitte. —— *Τί δ' ἄκρον ἕδον ἐγείρειν,

Tale æuum eſt, & memento Καιρῷ λατρεύειν, μήτ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισιν: *Temporibus ſeruire, nec aduerſari Auſtris.* Deus eſt qui hæc dirigit, alibi alia excitat aut deprimit, bona, mala, vt et viſum. Quis legem dabit? tu querelæ iuæ, ſi ſapis, & ego ſermoni huic ne euagetur. Habes de Primopilatu, eiúſque honore aut commodis: ad quæ Suidas etiam adſpexit: Πριμοπιλάριος, τὸ μεῖζον ἀξίωμα τῶν στρατιωτῶν ἔχων παρὰ ῥωμαίοις: *Primopilarius, maximam inter milites dignitatem habens apud Romanos.* Cetera benè, ſed nō in ipſâ voce: confundit enim *Primopilarem*, cum *Primopilo*: id eſt qui habuit dignitatem, & qui habet. Nam certum eſt Romano vſu dici Primopilares qui fuerunt; vt *Conſulares*, & tales Tacitus circumſcribit: *P. Aëlium primi pili honore perfunctum.* Sunt & in vtroque legum Codice (Iuſtiniani & Theodoſij) Primopili: ſed ne erres, diuerſi ab iſtis. Illo æuo (ſic pleraque mutant) miniſteriū magis fuit, quàm honor: & ſic dicti *qui ad paſcendos milites ſollenniter, ad limitem deſtinantur.* Ita in Theodoſiano leges, & ibidem *paſtum primipili.* Facitne quod in lapide veteri: LEGIONEM PAVIT? Sed quia olim quiddam eximium, petitum ambitioſè & repetitum. Atque adeò Tribuni ipſi, poſtquàm defuncti, capiebant. Liuius: *Additum legi, ne quis vbi Tribunus militū fuiſſet, poſteà ordinum ductor eſſet. id propter P. Salonium, qui alternis propè annis & Tribunus militum & primus Centurio erat, quem nunc Primi pili appellant.* Lex igitur iterare vetuit, ſed poſt Tribunatum: aliter, nihil obſtitit. Ita in Liuio *Sp. Liguſtinus, quater primum pilum duxiſſe* gloriatur: atque tribi quintùm ducit. In Valerio: *Cornelius virtutis nomine quater honore primi pili ab Imperatoribus donatur.* Denique in Liuio: *Septimùm primum pilum iam Tullius ducit.* Septimùm, dico; vt iterationem tantùm, non numerum deſignet: etſi alij aliter, & volunt *ſecundum Primumpilum, Tertium*, & deinceps dici: qui totum ſcilicet ordinem non *Pilum*, ſed *Primumpilum* appellant. Alius viderit, ego me credo liquidum hoc ſatis è turbido de Centurionibus reddidiſſe: ſiquid minùs tamen depuraui, poſce. AVU. Tu verò non clarè ſolùm omnia, ſed præclarè. Quem te dicam? totum Memoriæ dolium exhauſiſſe mihi videns. LIPS. Eâ bonâ fuiſſe me, ad audientium admirationem, non nego: ſed anni & morbi hæc talia deprædantur. Tu de re, ſiquid voles, non de me. AVU. Approbè omnia, meo quidem ſenſu. Requiſiui tamen inter exempla de Triariis, *Secundum* aut *Tertium pilum* aut tale: nec dediſti. LIPS. Vt rem tibi dicam, non repperi, & in eâ enunciatione hæſito. Probabile tamen eſt fuiſſe, ſic vt dicis, *Primum, Secundum pilum*, ab exemplo ordinum aliorum. Eſt quidem in Vegetio *Triarius prior*, & vidi qui pariter vellet *Triarium ſecundum, & tertium*: ô quàm vanè! Nam Vegetius (ipſum vide) longè hoc in aliam mentem: & totus hic ordo tunc alius, vt aliâs docebo.

Primopilares qui.

XIII Ann. Aliq Primipili perfuncti.

Lib. VIII Tit. IV. l. VI. & VIII.

Qui militē paſcunt.

Olim iterarum hic honos.

Lib. VII.

Lib. XLII.

Lib. VI. cap. 1.

Lib. VII.

DIALOGUS IX.

De Tribunis militum. eorum electio. item diſcrimina, munia, inſignia.

PROXIMOS à Centurionibus Tribunos pono, quia vt illi Manipulis ſic iſti legioni toti præfuerunt. Toti dico: nec enim certæ eius parti. Ne moueat, quòd Græci χιλιάρχας, id eſt *Millenarios duces*, paſſim vocāt: à ſimilitudine aliquâ eſt, nō à veritate. Nā quia in Macedonū Græcorumque exercitu, ſupra Centuriones Millenarij iſti erant: ideò traduxerunt ad Romanam militiam, etſi cauſſa nominis non reſpōdet. Illi ipſi Chiliarchæ apud Macedonas quando cœperint, Q. Curtius exponit. Sub Alexandro id fuit. *Singulis millibus peditum*, ait, *præfuturi erant, Chiliarchas vocabant. tunc primùm in hunc numerum copiis diſtributis. Namque antea quingenariæ cohortes fuerant, neque fortitudinis præmia ceſſerant.* Ita lego. *ceſſerant*, non *geſſerunt*, vt vulgò. quoniam adſignificat Chiliarchias iſtas dari ex virtute cœptas, anteà non factum. Diſtributio autem talis in legione Romanâ nulla fuit, ſiue Genera videas, ſiue cohortes. Illa quattuor tantùm, iſtæ decem: at Tribuni ſex fuerunt: quomodo aptes? Sed enim legio poſtea ſex millia habuit. Scimus: ſed hoc manet, per millenarios numquam diſtributā. Tamen ecce & Latini Græcos imitātur, & Varro Atàcinus in pulcherrimo carmine præfatur:

Tribuni cur Chiliarchæ.

Lib. de Macedonum exercitu. Lib. V.

Curtius correctus.

At nos congeries obnubit turbida rerum,
Ferratéq; premunt milleno milite curæ.

Potuit aſpectus tamen eſſe ad ſex illa millia, non nego, cùm & Tribuni ſex eſſent. Sed imperium tamen commune. & benè Horatius:

Quòd mihi pareret legio Romana Tribuno.

Benè totam legionem ſibi vindicat, quia bini & bini imperabant ei per vices. Apud Latinos nomen iis à tribu: *quòd*, vt Varro ait, *terni è tribus tribubus Ramnium, Lucerum, Titium olim ad exercitū mittebātur.* Quod non valet (Turnebo viſum) ternos è quaque tribu captos: non: ſed è tribus. Nam initiò hic numerus, qui vnà cum legione poſteà auxit. Creauit autē eos primùs Romulus: eiúſque exemplo reges & cōſules, vt opinor, donec & populus in hunc honorem ius ac ſuffragium ſibi ſumpſit. Id factum ex Liuio colligimus circa annum vrbis *trecenteſimum nonageſimum tertium. Cùm placuiſſet*, ait Liuius, *eo anno Tribunos militū ad legiones ſuffragio fieri (nam & anteà, ſicut nunc quos Ruffulos vocant, Imperatores ipſi faciebāt) ſecundū in ſex locum Manlius tenuit.* Quibus verbis vlumis nō ille ſenſus, quaſi duodecim tantùm Tribuni tunc creati in legiones quattuor, eorúmque partem mediā populus creauerit: non aſſentior erudito Sigonio ſic cēſenti: ſed quòd è locis viginti quattuor, ſex tantùm, exigua quædam pars populo deciſa. Ipſe Liuius hoc addocet, cùm poſt annos paullò plus centū (hoc eſt, anno CCCCXLIIII.) iterùm mutatum narrat, atque ait: *Duo imperia eo anno dari cœpta per populum, vtrumque ad rem militarem pertinentia. vnum, vt Tribuni ſeni deni in quattuor legiones à populo crearentur, quæ anteà perquam paucis ſuffragio populi relictis locis, Dictatorum & Conſulum ferè fuerant beneficia.* Scribit populum anteà *perquam paucos locos* habuiſſe: non ergo dimidios, vt voluit ille. Et abſurdum etiam ſit, legionem tunc quæ ſupra quattuor mille, non niſi tres Tribunos habuiſſe: aut ſi ita, Liuium de augmento pòſt non tradidiſſe. Nam quòd idē ille hîc indicari augmentū cenſet, clarè aliud eſt: nec auctum Tribunos eunt ſed populi loca. Itaque anteà pars quarta relicta populo, id eſt ſeni: nunc pars tertiā Conſulibus & ſenoſdenos ipſe ſibi ſumpſit. Multos annos ita manſit, donec minùs idonei paullatim creati à populo, per ambitum & gratiam, vt ſolet. Igitur bello Perſei Macedonico, cùm id in metu, *Conſules*, ait Liuius, *ad populum ex S. C. tulerunt, ne Tribuni militum eo anno ſuffragiis crearentur, ſed Conſulum Prætorúmque iniis faciendis ius arbitriúmque eſſet.* Sed non id diuturnum; populus ius repetiit, & illo ipſo bello (idem auctor) *Tribunos militum non permiſſum vt Conſules facerent, populus creauit.* Itaque variabant & alternabant, donec *Senatus decreuit* (Liuij etiā verba) *vt in octo legiones parem numerum Tribunorū Conſules & populus crearent.* Æqualis hæc partitio, & numquid in poſterum firma? crediderim. Certè vtrumque genus Polybius noſter ſuprà agnouit, cùm Tri-

Tribuni vnde. IV. de L. L. in Varr.

A populo quando primum. Lib. VII.

Liuij ſenſus.

Lib. IX.

Exclaſus populus.

Lib. XLII.

Mox admiſſus. Li. XLIII.

Li. XLIV.

bunos

bunos in legiones diuiſit *eo ordine quo a populo, ſiue ab Imperatoribus ſunt facti.* Præmittit *a populo*: & monui illos quoq; habitos digniores. Feſtus de his vtriſque: *Rufuli appellabantur Tribuni militum a Conſule facti, non a populo de quorum iure quod Rutilius Rufus legem tulerat, Rufuli ac poſt Rutili ſunt appellati.* Contrà videatur verius *Rutili, ac poſt Rufuli.* Nam Aſconij etiã æuo Rufuli vulgò dicti. Ille in Verrino Commentario: *Tribunorum militarium duo ſunt genera. primum eorum qui Rufuli dicuntur: hi in exercitu creari ſolent. Alij ſunt Comitiati, qui Romæ comitiis deſignantur.* Itáne *in exercitu*? Atqui Romæ dilectum Conſules habebant, & ante eum Tribunos oportuit fuiſſe deſignatos. Verè hoc ex Polybio: ſed ſciendum, Aſconij, imò Ciceronis æuo, aliter fuiſſe. Perpetuæ iam legiones, nec annuo dilectu vltrà opus, niſi fortè in ſupplementa: ita Prætores aut Conſules, aut qui pro iis, creabant in prouinciis ſæpe. Nam & iſti in annos mutabantur. Sic à Cicerone, cùm in Ciliciâ Proconſul iam eſſet, *Scaptius Tribunatum accipit.* Ipſe ad Cæſarem in Galliam ſcribens, *Trebatio neque Tribunatum neque Præfecturam, ſed beniuolentiam petit.* Plura exempla: ſicut & in ipſis temporibus creationis à populo, quæ ſemper honeſta. Cato per illum, vt Plutarchus in eius vitâ. *Marius item à populo petit*, vt Salluſtius: ipſi Cæſari *primus hic Romam reuerſo per ſuffragia populi honor obtigit*, vt Tranquillus ſcripſit. A quibus creati, vides: ſed qui creati? Duplex genus, Equites & plebeij. Plures ex Equitibus, vt in Polybio dictum. Atque ideò Cæſar, cùm *Præfectos Tribunóſque militum ad ſe miſſos*, maritimæ Galliarum ciuitates in cuſtodiâ habuiſſẽt: mox inter cauſſas belli recenſet, *iniurias retentorum equitum Romanorũ* Equites clarè appellat. Idem alibi: *Centuriones ampliориsque ordinis equites Roman. tribunitiũ reſtituit honorem*: de his qui ab Afranio ad ſe tranſiſſent. Vbi Torrentij Antiſtitis fidus liber ſine copulâ habet, *amplioris ordinis.* Credo verius fore: *Cẽturiones amplioris ordinis, equites Rom. Trib.* vt pro conditione & genere velit quoſque promotos: Centuriones ad altiores ordines, Equites ad Tribunatum. Ita autem iſti ex Equitibus, vt etiam Senatores non rarò ſint electi præſertim grauiore bello. Liuius *Duo Conſulares Tribuni militum cum eo miſſi.* Apud eundẽ Senatus decernit, *creari neminem Tribunum eo anno, niſi qui magiſtratum geſſiſſet.* Scilicet vt experientiores bellorum eſſent, & æui iudicijque magis maturi. Sed id rarum: alioqui contrà, gradus hic ad Senatorium ordinem erat. Seneca hac mente: *Quàm multos ſplendidiſſimè natos, Senatorium per militiam auſpicãtes gradum, fortuna depreſſit?* de Tribunis captis aut cæſis in clade Variana. Sic Dionis epitome in Domitiano: [illegible]: *Iulius Caluaſter, qui Tribunus fuerat in ſpem Senatoriæ dignitatis.* Hoc fine Auguſtus, *Senatorum liberis protinus à virili togâ latum clauum induere permiſit, militiámque auſpicantibus non Tribunatum modo legionum ſed & Præfecturas alarum dedit.* Atque hinc illo æuo aliud diſcrimen Tribunorum ſubortum, vt quidam *Laticlauij*, quidã *Anguſticlauij* eſſent: illi, qui ex Senatu: iſti, qui ex equite nati. Vbique in libris & lapidibus occurrent TRIBVNI LATICLAVII: atque eos Statius intellexit,

Quem deceat clari præſtantior ordo Tribuni.

Præſtantior ordo, eſt iſte. At de Anguſticlauio Suetonius Othone: *Interfuit huic bello Suetonius Lenis tertia decima legionis Tribunus Anguſticlauius.* Vtrumque genus ambitiosè petitum & datum: & quò pluribus gratificari poſſent, factũ Semeſtre. Cuius origo à diuiſione munerum inter Tribunos, de quâ poſteà * dicam. Ad hanc rem Plinius: *Hunc ego rogo ſemeſtri Tribunatu ſplendidiorem & auunculo ſuo & ſibi faciat.* Iuuenalis:

Ille & militiæ multis largitur honorem,
Semeſtri vatum digitos circumligat auro.

De Paride ſermo, qui gratioſus apud Domitianum tales hos Tribunatus impetrabat. Ipſe explicat:

Præfectos Pelopea facit, Philomela Tribunos.

Et appellat ſcitè *Semeſtre aurũ*, quia anulo etiam aureo Tribuni vtebantur, quod Appianus in Punicis notauit. Ita ego hunc locum interpretor. quid ego? Scholiaſtes vetus in vitâ Iuuenalis ſcribit: *Satyram nõ abſurdè compoſuit in Paridem Pantomimum poetámque Claudij Neronis, eius ſemeſtribus militiolis tumẽtem.* Sic appellat iſtas Præfecturas & Tribunatus, à temporis ſcilicet modo. Suetonij locus eſt, in quo ego inclino verbi hoc reponere: *Equeſtres militias ita ordinauit, vt poſt Cohortem, Alam, poſt Alam, Tribunatum legionis daret.* Quid: Præfectura Cohortis, & Tribunatus, *equeſtres militia* ſunt? nemo dixerit. niſi fortè eo ſenſu, vt equitum hæc propria hæc promotio & militia, atque in curiam gradus. Quod haud reijcienim, & Cæſaris, Senecæ ſuprà, ſed & Taciti loca ſunt quæ eò docent. Tamen coniecturæ etiam noſtræ ſua ratio eſt. & *Semeſtres militia* approbat in hanc mentem. Reperio & *Tribunos cohortiũ* dici, vt in Cæſare: *Conſenſiſſe Gaditanos cum Tribunis cohortium*: an quia ſic in præſidia miſſis aut ſparſis Tribuni præerant? an mutatum aliquid poſt Polybium in numero Tribunorum? quod haud abſonum ſit, & Sociis iam admiſſis in legiones, aucti fortaſſe pro numero cohortium Tribuni. Sanè Scholiaſtes vetus illud Iuuenalis —*curam ſperare cohortis*, explicat *Tribunatum militum*: & in Plinij Epiſtolis eſt, *Tribunus cohortis ſub Claſſico fuerat.* Et in ſacrâ Domini hiſtoriâ, apud Iohannem: *Cohors ergo, & Tribunus, & miniſtri.* Et in Principum actis crebrò leges, *Tribunos Maurorum, Aſſyriorum, Vocontiorum*, ſociatúmque gentium: et iſti illi legionum ſemper honeſtiores. Ideò in epiſtolâ Valeriani, apud Vopiſcum: *Hoſpitia eidem, vt Tribunis legionum, prebebis.* Velleius Paterculus *functum ſe Tribunatu caſtrorum* cùm ſcribit, an non hunc Tribunatum militum intellegit? ſed ideò ſic agnominat, vt à Plebeio & Vrbis diſtinguat. Niſi quis accipit de *Præfecturâ caſtrorũ*, quod munus ſcimus tũc fuiſſe. Sanè *Tribunatus* vox laxâ notione vſurpari cœpta, & in variam adminiſtrationem aut præfecturã. vt *Tribunus ſtabuli, fabricæ, voluptatũ*, & plura in æuo inferiore lecta tibi aut legenda. At eo Tribunos iam pernoſti, ſi Munia breuiter addam & Ornamenta. Munia ſunt Ius dicere. Liuius: *Tribunos & iura reddere in principiis ſinebant, & ſignum ab eis petebant.* Iſidorus: *Tribuni vocati, quòd militibus ſiue plebibus iura tribuunt.* Complectitur vtroſque, & militum, & plebis. Tertullianus alludit, dum quærit an militia Chriſtiano conueniat *etiam caligata vel inferior, cui non ſit neceſſitas immolationum, vel capitalium iudiciorum.* Oſtendit Tribunos atque iſtos altiores gradus etiam de capite cognouiſſe: quod verum eſſe in Polybij de Caſtris cognoſces. Secundò, Signum excubiis dant, Vigilias curãt, munitiones, exercitia: atque alia in tẽpore * dicenda. Ornamenta ſunt, Anulus aureus, quo ceteros milites non fas vti. Appianus: [illegible]: *Aureos ferunt anulos inter militantes Tribuni, cùm alij inferiores ferreos geſtent.* Quid ais Appiane? etiámne equites non geſtant? Atqui notiſſima hiſtoria eſt de modiis anulorum à Magone in curiâ Carthaginẽſium excuſſis: quos niſi equites etiam detraxerint, vnde ea copia? Imò verò illi geſtarũt, nec negat Appianus, cuius dictio non niſi ad pedites producenda.

Equites autem pari pænè loco & dignitate cum Tribunis. Hoc diſcrimen tamen ſuſtulit diu pòſt Seuerus Imp. qui inter alia militibus induſit καὶ δακτυλίοις χρυσοῖς χρῆσθαι, etiã aureis anulis vti. Herodianus in ipſo. Fortaſſe & inſigne alterum in veſte, quam ſplendidiorem paullò geſſiſſe veroſimile eſt: ſicut & Centuriones ipſos. Liuius certè de Tribuno militum Decio: *Hac omnia ſagulo gregali amictus, Centurionibus item manipularium militum habitu ductis, ne ducem circumire hoſtes notarent, perluſtrauit.* In Appiano eſt, Octauianum Cæſarem *veſtes prætextas, & Senatoriam dignitatem in patriâ ſuâ cuique, obtuliſſe Tribunis & Centurionibus*, præmiorum loco. τοῖς, inquit, λοχαγοῖς καὶ χιλιάρχοις περιπορφύρους ἐσθῆτας καὶ βουλευτικὴν ἐν ταῖς πατρίσιν ἀξίωσιν. Sed hoc per bella ciuilia, cũ omnia immodica, & pleraq; iniuſta. De more, ſub Auguſto & deinceps, tunica laticlaui fuit Tribunis, iis qui Senatorij gradus aut ſtirpis eſſent. Nec aliud, niſi quod poſteà *Apparitores* etiã reperio, ſed ab Alexandro Principe ſublatos. De quo Lampridius: *Apparitores nullos eſſe paſſus eſt. Tribunis aut Ducibus, niſi milites anteire noluit: iuſſitque vt ante Tribunum quattuor milites ambularent, ante Legatum decem.* Duces ibi Legati, quod ipſe explicat: & ego iam nunc tangam. Ad hos enim eo.

Lib. vii.

v. Ciuil.

DIALOG. X.

Sociorum Duces & Præfecti.

DEmi Proprios legioni duces, ſed in Ciues, Peditéſque tantùm: Equites & Socij ſuperſunt, quos vnâ opera nunc abſoluam. Diſtiſi per ſe, fateor: ſed quia pauca de vtriſque dicenda, tractatione coniungam. De Equitibus, tu iſtæc in Polybio lege:

Polyb.

Παραπλησίως δὲ καὶ τοὺς ἱππέας εἰς ἴλας δέκα διεῖλον. ἐξ ἑκάστης δὲ τρεῖς προκρίνουσιν ἰλάρχας. οὗτοι δ᾽ αὐτοὶ τρεῖς προσελάβοντο οὐραγούς. ὁ μὲν οὖν πρῶτος αἱρεθεὶς ἰλάρχης ἡγεῖται τῆς ἴλης. οἱ δὲ δύο δεκαδάρχων ἔχουσι τάξιν. καλοῦνται δὲ πάντες δεκουρίωνες. μὴ παρόντος δὲ τοῦ πρώτου, πάλιν ὁ δεύτερος ἰλάρχου λαμβάνει τάξιν.	*Equites ſimiliter in turmas diuiſerunt decem. Ex vnaquaque tres ſumũt futuros duces. Iſti ipſi tres adſumunt Vragos, ſiue Tergiductores. Qui igitur primus electus eſt, imperat toti turmæ: reliqui duo Decurionum locum tenent, atque adeò omnes Decuriones appellantur. Cùm primus autem non adeſt, ſecundus Præfecti turmæ locum adſumit.*

Pauca omnino hîc dicenda, & tota res clara. Ait:

» *Tres ſumunt duces.*] Sunt igitur triginta in decem Turmis: & dignum obſeruatu eſt, quòd Turmas cũ Cohortibus componunt & numero æquant: Decurias cum Manipulis. Duces igitur etiam totidem: niſi hoc diſcrimine, quòd vna turma vnum, non geminos, vt Manipulus habet. Quid autem opus geminare inter iam paucos? præſertim, cùm vt addit,

Tot Turmæ quot cohortes, et Decuriæ quot Manipuli.

» *Iſti ipſi tres adſumunt Vragos.*] Vel hinc liquere poteſt, rectè nos de Optionibus ſuprà in Centurionibus affirmaſſe. Nam quos eàdẽ voce hîc vocat *Vragos*, non eſt alios accipere quàm *Optiones*. Varro: *Primi ſingularum decuriarum Decuriones dicti, qui ab eo in ſingulis turmis ſunt etiam nunc terni. Quos hi primò adminiſtros ſibi adoptabant, Optiones vocari cœpti, quos nunc propter ambitionem Tribuni faciunt.* Attende & examina. *Terni*, inquit, *Decuriones in ſingulis Turmis:* idem hîc Polybius. *Ij*, addit, *primò adminiſtros ſibi adoptabant, Optiones*: ſunt palàm illi Vragi. Nam & Polybius ait, quòd ipſi ſibi eos legebant. Sed Varro hoc amplius notat, immutatum poſteà eſſe, & Tribunos militium Optionatus iam illos dediſſe. Idque *propter ambitionem*, inquit: quia honos ſcilicet in eo & præmium, quod *M. Cato in ea quam habuit apud equites* ſcripſit, apud Feſtum: *Maiores ſeorſum atque diuerſum pretium parauere bonis atque ſtrenuis, Decurionatus, Optionatus, Haſtas donaticas, aliósque honores.* Titulus ipſe Orationis ad equites eſt, & res tota.

Optiones in equitibus. Varro l. i.

Optionatus, ipſum nomen.

» *Qui primus electus eſt, imperat toti turmæ.*] Ab igitur altu & Præfecti nomine dictus? negat ſtatim Polybius, & omnes Decuriones ait appellatos. Etiam Vegetius: *Turmæ qui præeſt, Decurio nominatur. Vt enim centum pedites ab vno Centurione, ſic triginta duo equites ab vno Decurione ſub vno vexillo reguntur.* Vbi tamen notandum, mutatum iam in numero, nec tres ſed vnum fuiſſe, nomine tamen priſco. Nam vt illa ætas Manipulos in pedite ſuſtulit, ſic etiam Decurias in equite neglexit. Amplius ait *ſub vno vexillo*. Ergo quæque Turma vnum ſignum: non etiam quæque Decuria aut dux, vt in pedite factum. Nota, quia Polybius non dixit.

Decurionum turma. Lib. ii. cap. xiv.

» *Cùm primus autem non adeſt, ſecundus.*] Idem eſt, quod in Centurionibus. Sed hoc quæro & velim ſcire, an in ipſis Turmis non etiam ordo? vt alia prima fuerit, alia ſecunda, ſic deinceps? neceſſum hoc eſt. Et ſi fuit, an non inter Decuriones ipſos? vt dignißimus ſit, qui primæ, & ſic reliquis, vt in Centurionum ſerie? id quoque opinor: non dictum tamen, quia à ſe videbatur notum.

Ordo in Turmis.

Et Decurionibus.

» *Præfecti turmæ.*] Ne te vox fallat, non exiſtimo Latinis ſic dictũ. Reddidi quod in Græco eſt, ἰλάρχης: quâ voce aliquoties hîc vtitur, & reliquos etiã duos ſic appellat. At Romani in ſuis Turmis non agnouerunt niſi Decuriones. Quid Socij? liquidò neſcio: neque adfirmem an habuerint diuiſiones iſtas tam varias in vnâ Turmâ. Præfectus habuiſſe, hoc nunc memini legere, vt in Floro: *Frentanæ Turmæ Præfectus Obſidius.* Si tamen & Decuriones ſuos; quia Turmæ maiores, plures ſcilicet in vnâ Decuriâ. Hæc de Ciuibus. In Socijs nihil inuenio diſtinctè, præter hoc in Polybio. Tu lege:

Præfecti Turmæ. Lib. i. cap. xviii.

Polyb.

Ἀθροισθέντων δὲ καὶ τῶν συμμάχων ὁμοῦ τοῖς Ῥωμαίοις, τὴν μὲν οἰκονομίαν καὶ τὸν χειρισμὸν ποιοῦνται τούτων αὐτῶν οἱ καθεσταμένοι μὲν ὑπὸ τῶν ὑπάτων ἄρχοντες, προσαγορευόμενοι δὲ πραίφεκτοι, δώδεκα τὸν ἀριθμὸν ὄντες.	*Iunctis congregatiſque ſocijs vnà cum Romanis; horum quidem ordinationem & gubernationem habent à Conſulibus conſtituti duces, qui Præfecti appellantur, duodecim numero.*

» *Iunctis congregatiſque ſocijs vna cum Romanis.*] Iis videlicet ſocijs, qui iungi duabus legionibus & vni Conſuli debebant.

» *Horum quidem ordinationem.*] Spectat eò, vt velit diſpoſitos per cohortes, centurias, diſcretóſque eſſe nutu Præfectorum, ſicut ciues Tribunorum. Sed & iidem minutes duces ad eſt Centuriones & Turmarum Præfectos, videntur deſignaſſe.

Præfecti ordinant ſocios.

» *A Conſulibus cõſtituti.*] Hoc valdè ad rem Romanam & ſecuritatem pertinet, vt arbitrio Conſulum ſint facti præcipui duces. Ideò non placet quod Laſcaris vertit, *Conſtituti a ſocijs Principes*: inductus verbis opinor, quæ* ſuprà aliter explicaui. Ego verò malo ipſos Conſules, & mecum Polybius: ad Græca

A Conſulibus Præfecti.

* Lib. i. Dial. 5.

appello. Hoc, vt dixi, è re, contra omnem motum aut rebellionem; vt ſocijs duces Romani dederint, non altos ſcilicet aut animorum plenos, ſuſpectos, aut parum fideliter Romanos.

Tribuni Præfecti. *Qui præfecti appellantur.*] Paſſim leges, atque etiã Præfectos Alarum aut cohortium, ſed qui diuerſi ab iſtis. Nam hi noſtri, vt numero, ſic iure & poteſtate Tribunis pares, & qui eadem omnia in Socios vſurpabant, quæ iſti in ciues. Ipſos Præfectos Cohortium puto inferioris æui eſſe, cùm ſocijs in ciues receptis Auxilia inſtituta. De Alis ambigo an olim habuerint: ſub Auguſto quidẽ. de quo Suetonius: *Militiam auſpicantibus non Tribunatũ modò legionum, ſed & Præfecturas Alarum dedit, ac nequis expers caſtrorum eſſet, binos plerumque Laticlauios præpoſuit ſingulis Alis.* Cap. xxxviii.

DIALOG. XI.

De Legatis, qui Imperatoribus attributi.

COMMVNES nunc duces profero, qui non huic aut illi parti, ſed omnibus copiis præfecti. Taliũ duo genera, Legati & Imperatores. D. Legatis, vetus eſt: etſi non tam ad imperandum primò inſtituti aut miſſi, quàm ad conſulendũ: Miſſi dico, quia hinc videtur ipſum nomen, quòd Senatus quoſdam è primoribus in caſtra & ad Ducem legabat, militiæ gnaros, quorum operâ & conſilio vteretur. Dionyſius largiter explicat de L. Siccio, quem Decemuiri ex vrbe hoc prætextu & titulo miſerunt in caſtra, fraude illic, vt putabant, tollendum. Dederunt autem ei, vt inquit, ἐξουσίαν πρεσβευτικὴν, poteſtatem Legati. tũ ſubiungit: Ἐστι δὲ πάντων τιμιώτατον τε καὶ ἱερώτατον ὁ πρεσβευτὴς παρὰ ῥωμαίοις, ἐξουσίαν μὲν ἄρχοντος ἔχων καὶ δύναμιν, ἀσυλίαν δὲ καὶ σέβασμα ἱερέως: *Eſt autem omnium res honoratiſſima & ſacerrima apud Romanos, Legatus vim quidem ac poteſtatem Imperatoris habens, ſanctitudinem verò & venerationem ſacerdotis.* Vides nomen explicari: quod etiam Græci veteres ita ſeruant. Dionyſius hîc πρεσβευτάς: Polybius ante eum ſemper, & cũ additione interdum πρεσβευτὰς καὶ συμβούλους, *Legatos & Conſiliarios*, munera ſcilicet eorum explicando. Iam olim in re Romanâ fuerunt & quidem ſupra Tribunos. Liuius: *Concurrunt ad eum* (Appium Conſulem) *Legati Tribunique monentes.* Idem: *Dictator Mamercus Æmilius Legatos ſe ſequi iuſſit Quinctium Capitolinum & Fabium Vibulanum.* Vbi de ratione conſtituendi etiam notes, & videntur ipſi Duces elegiſſe. Hîc de Dictatore, de Conſulibus Salluſtius: *Calpurnius Conſul, parato exercitu, legat ſibi homines nobiles.* Cicero ad Atticum: *Dolabella me ſibi legauit.* & alibi exempla. Imò verò proprium hoc Conſulum fuiſſe dixeris, & eos Prætoribus quoque Legatos nominaſſe. Polybij verba eò ducunt, in Fragmento belli Hiſpanienſis. vbi narrat *tantum fuiſſe eius terrorem, ob ferociam gentis & diſcrimina*, ὡς μήτε χιλιάρχους παραγίνεσθαι πρὸς τὴν ἀρχὴν τοὺς ἱκανούς, μήτε τοὺς ἐπιτηδείους ἀπὸ τῶν ὑπάτων πρεσβευτὰς ὑπακούειν, οὓς ἔδει παρακολουθεῖν μετὰ τοῦ στρατηγοῦ: *Vt nec Tribuni ſatis multi prodirent ad magiſtratum capiendum, neque nominati à Conſulibus Legati obedirẽt, quos oportebat cum Prætore ire.* Quod tamen ita verum cenſeo, vt conſilium conſenſuſque interuenerit Patrum. Liuius: *Senatus Cn. Seruilio Conſuli negotium dedit, vt eos in Macedoniã quos L. Æmilio videretur, legaret.* Et Cicero in Vatinium, hoc maximè ei obijcit, quòd morem hũc violarit. *Audire de te cupio, quo tandem S.C. legatus ſis. Ne hoc quidem Senatus relinquebas, quod nemo vnquã ademit, vt Legati ex eius ordinis auctoritate legarentur?* Etſi reuera alij quoque neglexerunt, & idem Cicero in Sextianâ: *Quos Legatos non modò nullo S. C. ſed etiam repugnante Senatu, tute tibi legaſti.* Magna autem hæc

Margin notes (left): Cap. xxxviii. — Legati vnde dicti. Conſilio & miſſione. — Lib. xi. — Lib. ii. — Lib. iv. — Duces elegerunt Conſules ipſi. In Iug. — Lib. xliv. — Sed ſine conſenſu Patrũ. Lib. xliv. — Eorũ numerus.

A dignitas, vt Dionyſius expoſuit. & munus eorũ conſulere, adminiſtrare, præeſſe, & vno verbo, vicariam operam Imperatori dare. Varro: *Legati qui publicè lecti* (nota publicè ergo à Patribus.) *quorum operâ conſilióque vterentur peregrè magiſtratus, quiue nuncij Senatus ac populi eſſent.* Eoſdem Cicero appellauit, *nuncios pacis ac belli, curatores, interpretes, bellici cõſilij auctores, miniſtros muneris prouincialis.* Larga ego poteſtas, ſed tamen Imperatori deuincta, eique obnoxia. Cæſar: *Aliæ ſunt Legati partes atque Imperatoris, alter omnia agere ad præſcriptum; alter liberè ad ſummam rerũ conſulere debet.* Atque ea re idem alibi ſcripſit, *Fiduciariã operam obtinere legatum* ſcilicet quòd reuocetur, cùm vult is qui dedit, propriam, & à ſe non habet. Cùm

B tamen habet, imperat, & imperij inſignia etiam ſumit. Liuius de Pleminio Scipionis Legato: *ſine reſpectu non maieſtatis modò, ſed etiam humanitatis in Legatum impetum, lictoribus priùs indignum in modum mulctatis, faciunt.* Vides lictores habuiſſe. Et Cicero de Verre Legato Dolabellæ Proconſulis: *In Achaiam ſumptu publico & legationis nomine, cum imperio & ſecuribus miſſus eſt.* Quod tamen obtinuiſſe modò Cenſeo, cùm abſens Conſul aut Proconſul, atque ipſe ſuſtineret eius vicem. De numero eorum, parùm certum eſt. plures pauciorẽſque fuerunt, vt Senatui viſum, & vt bellum aut res poſcebat Plerumque tamen pro numero legionum attributi. atque ita Polybius mox in re caſtrenſi, *duos* eos agnoſcit in legio-

C nibus binis, & ferè ſic obſeruabis. Sub Principibus quidem duo genera Legatorum facta. *Conſulares*, & *prætorij*. Quorum ille toti exercitui præeſſet; iſti legionibus ſingulis: idque Auguſti inuento. Quaſi enim vnus ille iam Imperator eſſet, rem adminiſtrabat per Legatos: nec aliter dicebantur: eóque nec triumphi ius habebant, cùm omnia gererent auſpicijs alienis. In Tacito atque illis ſcriptoribus hoc perpetuum: in quibus crebrò legas *Legatos Conſulares*, aut compendio *Conſulares*. itémque *Legatos prætorios*; ſiue *Legionum*. A Dione tota res explicata oratione Mæcenatis, & alibi. vocátque hos poſteriores ὑποστρατήγους καὶ ὑπάρχους, *Sub prætores aut Sub-præfectos*: qui ipſi poſteà *Duces* Latinis dicti. Apud Suidam

D aliquis ſcriptor: Ἐρρύσατο τὴν πόλιν ἔνδον ἐξεταζόμενος Φορτουνίου ὑποστράτηγος τῶν ἐν τῇ Μυσίᾳ ὃν δοῦκας καλοῦσι: *Liberauit vrbem intùm quæſitus Fortunio, Legatus copiarum Myſiæ, quos Duces appellant.*

DIALOGVS XII.

De Imperatore ipſo: Ductu & Auſpiciis. Lictores, Paludamenta, Equi eius.

AT ſupremus & communiſſimus, vt ſic dicam, ducum, ipſe Imperator, à quo ciues, ſocij, equites, pedites; denique omnes & omnia pendent. Ille eſt qui non doctum ſolùm, ſed auſpicia etiam habet.

E Diſtincta enim iſta: & Suetonius benè de Auguſto: *Domuit autem partim ductu, partim auſpicijs ſuis.* Ductu, cùm ipſe interfuit: auſpicijs, cùm illo mandante alius, & fortunam ac deos ſuos (loquamur cum priſcis) commodante. Horatius pulchrè ad Auguſtum, de priuignis:

Te copias, te conſilium, & tuos
Præbente diuos.

Significat ipſos duxiſſe, hunc direxiſſe & iuſſiſſe. Idẽ Ouidius elatè de Tiberio, ad eundem Auguſtum:

Per quem bella geris cuius nunc corpore pugnas,
Auſpicium cui das grande deóſque tuos.

Sed & Curtius hoc loquendi genus ad res Græcani-

A

Lib. vi. Veterū bis relegat. 2. De Diuinat.

cas tranſtulit, & ſic apud eum Alexander: *Quorū alia ductu meo, alia imperio auſpicióque perdomui.* Sumptū autem à more veteri, quo omnia geſta auſpicatò, & præſertim in bellis. Cicero: *Rem bellicam maiores noſtri adminiſtrari, niſi auſpicatò, noluerūt.* Et Liuius prælio Allienſi, vt nouum & triſte prodigiū habet, quòd *nec auſpicato, nec litato inſtruunt aciem.* Denique ſæpe apud eum aliósque mentio, *Conſules auſpicato operam dediſſe.* Nec aliā fuit in caſtris ipſum *Augurale,* & iuxta Prætorium ſitum. Hæc olim ita, & ſerò ſeruata, poſteà non niſi imago & nomen manſit. Cicero: *Veritas auſpiciorū ſpreta eſt, ſpecies tantùm retenta, itaque maxima reip. partes, in his bella, quibus reſp. ſalus continetur, nullis auſpiciis adminiſtrantur.*

Augurale. 2. De Nat. deor. Poſtea hæc imaginaria.

Quid verò mirū, cùm pleraque iam à Procōſulibus aut Proprætoribus adminiſtrarentur, quibus ea nulla? Idem in Oratore: *Quàm multi anni ſunt, cùm bella à Proprætoribus & Proconſulibus adminiſtrantur, qui auſpicia non habent?* Cauſſa, quia ſoli magiſtratus auſpicia habebant, atque ea domo, *Latinis feriis actis, ſacrificio in monte perfecto, votis rite nuncupatis, ſecum ferebant, nec priuatum auſpicia ſequebantur.* Hoc ita Liuius de Flaminio, qui ante initum Conſulatum, malo nouóque exemplo, vrbe abierat. Etſi tamē res neglecta, nomen manſit: & P. Scipio quoque ea ſibi vindicat, qui ſine vllo magiſtratu, Proconſule in Hiſpaniam miſſus. Ita enim ad ſeditioſos milites: *Qui mihi nec hodie quidem ſcire videmini quò amentiæ progreſſi ſitis: quid facinoris in me, quid in deos ſacramenti teſtes, quid aduerſus auſpicia ſub quibus militatis, auſi ſitis.*

11. De Diuinat.

Soli magiſtratus auſpicia habent.

Lib. xxii.

B

Li. xxviii.

C

Atque adeò *auſpicium* ſimpliciter pro *imperio.* vt apud Tacitum: *Druſus vrbe egreſſus, repetendis auſpiciis, mox ouans introiit.* Reſumpſiſſe imperium Proconſulare ſignificat, quod ingreſſu amiſerat: nec ipſa auſpicia fas capere extra vrbem.

Dilatatio vero 11. Annal.

Summus igitur Dux, cui auſpicium ſiue imperium: eiuſque inſignia lictores cum faſcibus, atque ij paludati. Ita enim ad bellum egredi ſolent. Silius de Varrone Conſule:

Inſignia Imperatoris. Lictores paludati. Lib. 12.

Iſque vt Varronem procul inter prælia vidit,
Et iuxta ſagulo circumuolitare rubenti
Lictorem, Noſco pompam atque inſignia, noſco:
Flaminius modo talis, ait.

Lictorem facit in rubenti ſagulo ire, id eſt paludamento. Quin ipſe Dux talis. Liuius iam olim de Fabio ad Cremeram ituro: *Conſul paludatus egrediens in veſtibulo omnem gentem ſuam videt.* Varro: *Paludamēta ſunt ornamenta & inſignia militaria. Ideò ad bellum cùm exit Imperator, & lictores mutant veſtem, & ſigna incinuerunt, paludatus dicitur proficiſci: quæ proptereà quòd conſpiciuntur qui ea habent, ac fiunt palam, paludamenta dicta.* Obſerua inibi ritum (neſcio an alibi lectum) quòd etiam tubæ tunc incinuerunt, & ad eas facta profectio. Niſi fortaſſis huc referendum eiuſdem Varronis fragmentum in Nonio: *Toga tracta eſt, & abolla data eſt ad turbam, vbi ſerâ militiâ in munera belli vt præſtarem.* Legerem, *ad tubam,* pro hoc ritu; & mox *vbi ſerâ,* eò protior, quòd Nonius inibi explicat *Abollam, veſtem militarem.* Diceret igitur Varro, aut quicumque ille apud Varronem, togam ſibi extractam, & paludamentum datum, incinente tuba. Tale in Salluſtio, *Togam paludamento mutauit.* Et exempla plurima de hiſce paludatis: cur obuia ingeram? nec temporis huius eſt, nec mei moris. Vnum Senecæ nō tranſeo, quem & viri docti ereptum nobis iuêre aut inuerſum. Scripſerat ille, in deteſtationem publicarum cædium: *Ex Senatuſconſultis plebiſqueſcitis ſcelera exercētur, & publicè iubentur vetita priuatim. Quæ commiſſa capite luerent, eadem quia paludati fecēre, laudamus.* Nihil clarius ad hunc ritum. At quidam immutarunt, *palam fecere.* quos ſecutum te M. Antonium nollem, qui Senecam iudicio tuo reformaſti nuper: & (liberè dicam) ſæpe tuo. Libris & membranarum fidei plus aliquid datum oportuit. Quid autem proprie *Paludamentum?* Varro dixit, *inſignia & ornamenta militaria.* Militaria inquam, ne ſolorum Imperatorum cenſeas. Itaque & in Lucilij verſu legas,

Paludamētum dare. Lib. iii. Lib. vi de L. L.

D

Ad tubam exibat.

In Abolla.

E

Seneca ſua lectio aſſerta. Epiſt. xcv.

A

Ponè paludatus ſtabat rorarius velox.

Paludamētum ſagum eſt. Vulgarium etiam militum. In Salia.

Nempe ſagulo militari amictus. & *Saliæ paludatæ* in Feſto, ſic ornatæ. Liuius de Coratio è trigeminis cæſo: *Cognito ſuper humero fratris paludamento ſponſi, quod ipſa confecerat.* Sagum ergò. & ſuprà Silius *Sagula* lictoribus dat, *paludatis.* Item Cicero: *Togula lictoribus ad portam præſto fuerunt, quibus illi acceptis ſagula reiecerunt.* In ipſo Imperatore *Sagum* aut *chlamydem* ſcriptores vtriuſque linguæ paſſim appellant. Scholiaſtes Iuuenalis, in illud. *Cùmq; paludatis ducibus:*] *Euntibus ad militiam,* inquit, *chlamydatis ſcilicet.* Plinius Agrippinā Claudij, in emiſſione lacus Fucini præſidentē, *Paludamēto auro textili indutā:* Tacitus in capſte *chlamyde auratá.* Plutarchus & Dio χλαμύδα στρατηγικὴν vel στρατιωτικὴν non ſemel vertunt: id eſt, *chlamydem Imperatoriam,* vel *militarem.* Quæ eius forma? lapides dant, & mox effigiabo. ſed & Strabo indicat, cùm ſcribit χλαμυδοειδὲς εἶναι σχῆμα τῆς γῆς τῆς οἰκουμένης: *Chlamydis figurâ terram habitatam eſſe,* id eſt, vt addit, extremis longitudinis vtrimque anguſtis, latioribus imis. Talis facies: at color in Imperatorio eximius, & quidem è cocco. Plinius: *Coccum imperatoriis dicatum paludamentis.* Et Silius:

In Piſon. Lib. 1.

B

Chlamys dicitur. Sat. iv.

Lib. xii.

Forma paludamenti. Lib. 1.

C

Coccum ei proprium.

At contrà ardens radiabat Scipio cocco.

Iſidorus: *Paludamentum pallium fuit Imperatorium, cocco, purpurâ, & auro diſtinctum.* Non credimus illi de auro, pro veteri quidem more: atque hoc reſeruatum triumphis. Ab hoc colore *Puniceum* dixerunt, ſiue *Punicum,* vt Horatius:

In Epod. ...

Terrâ marique victus hoſtis Punico
Lugubre mutauit ſagum.

De M. Antonio Imp. qui victus ab Auguſto ad priuatū & triſtem ſe habitum dedit. Græci φοινικίδα crebrò. Plutarchus de Craſſo pugnaturo in Parthos: λέγεται δὲ ἡμέρας ἐκείνης οὐχ ὥσπερ ἔθος ἐστὶ Ῥωμαίων στρατηγοῖς, ἐν φοινικίδι προελθεῖν, ἀλλ' ἐν ἱματίῳ μέλανι: *Dicitur autem eo die, non vt mos eſt Romanorum Imperatoribus, in puniceâ veſte progreſſus, ſed atrâ.* Idem de eodem Valerius: *Ducturus erat à carris aduerſus Parthos. ei pullum traditum eſt paludamentum, cùm in prælium exeuntibus album aut purpureum dari ſoleat.* Atque habent hoc vterque inter triſtia omina. Sed quod de *albo* etiā eſt in Valerio, nouum eſt: ſed verum. Nam etſi puniceo crebettimè, tamen & illo interdum vſi. Hirtius de Scipione Imp. in Africà. *Cùm ſagulo purpureo ante aduentum regis vti ſolitus eſſet, dicitur Iuba cum eo egiſſe, non oportere illum eodem veſtitu vti atque ipſe vteretur. Itaque factum eſt illicò, vti Scipio ſeſe ad album veſtitum transferret.* At de altero colore teſtimonia magis firmant. In Silio:

D

Lib. i. cap. vi.

Albi etiam paludamētum. Bello Afric.

———humeróque refulget
Sanguineis patrium ſaguli decus.

Lib. ...

E

De Sempronio Conſule. Dio Caſſius alibi de Cæſare, quem Alexandrini natantem ex paludamento nouerant: ἁλουργῆ ἱμάτια, *purpureas veſtes* dixit. & alibi de Vibio Panſâ exituro in Antonium, *hominem qui puniceam ei veſtem adferebat, prolapſum in effuſo ſanguine cecidiſſe, & veſtē maculaſſe.* Id quoque inter triſtia omina. & quod de ſanguine ait, ſerio ſacrificiorū fuiſſe, quia inter vota & immolationes exibant, & tunc veſtem hanc capiebant. Cicero in Verrem: *Cùm paludatus exiſſet, votáque pro imperio ſuo, communique populi Romani nuncupaſſet.* Liuius: P. *Sulpi-*

Lib. xlii. Lib. xlvi.

Vota & ſacra Imp. exeunte. Lib. xxxi.

cius

ens ſecundùm vota in Capitolio nuncupata, paludatus, cum lictoribus ab vrbe profectus. Quæ profectio etiam celebris eſſe ſolet frequentiâ deducentium proſequentiumque. Idem Liuius: *P. Licinius Conſul, votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab vrbe eſt profectus. Semper quidem ea res cum magnâ dignitate ac maieſtate geritur, præcipuè tamen conuertit oculos animóſque, cùm ad magnum nobilemque aut virtute aut fortuna hoſtem euntem Conſulem proſequuntur. Contrahit enim non officij modò cura, ſed etiam ſtudium ſpectaculi, vt videant ducem ſuum, cuius imperio conſilióque ſummam remp. tuendam permiſerunt.* Tangit hunc morē Cicero in Gabinium & Piſonem. *An cùm proficiſcebamini in prouincias paludati, Conſules vos quiſquam putauit? Itaque credo; ſi minus frequentiâ ſuâ veſtrum egreſſum ornando atque celebrando, at omnibus ſaltem bonis, vt Conſules, non triſtiſſimis, vt hoſtes aut proditores, proſequebantur.* Atque hæc paludamenta, ſiue inſignia lictorum, & ipſius Imperatoris, fuerunt: addo & in equis eius tale aliquid vſurpatum. Tacitus: *Turbatus equus, qui conſularia inſignia geſtabat, retrò euaſit.* Quod ille inter omnia aduerſa refert Cæſennio Pæto facta, expedienti in Parthos. Nec alium ſanè equum intellegit, quàm Imperatorium, quem vnum pluréſve inſignibus iſtis ornabant. Plutarchus de Craſſo, item in Parthos; ἵππος δὲ τῶν στρατηγικῶν ἐπιφαλαῖς κεκοσμημένος, βίᾳ συνεπισπάσας τὸν ἡνίοχον εἰς τὸ ῥεῖθρον, ὑποβρύχιος ἠφανίσθη: *Equus vnus ex Imperatoriis, ſplendidè ornatus, per vim abſtracto rectore in ipſum flumen, ſtatim demerſus diſparuit.* Nec ſcio an ad hunc ipſum hoc Cæſaris non referam: *Pompeius iam cùm intra vallum noſtri verſarentur, equum nactus, detractis inſignibus Imperatoriis, decumana portâ ſe ex caſtris eie-*

cit. Ambiguum enim eſt, vtrum ſibi detraxerit inſignia, an equo aut potiùs vtrique. Et quæ hæc inſignia? phaleræ & aurum, fortaſſe & coccineum ſtratum. Prorſus de eodem Pompeio lego, bello in Sertorium, cùm in manus penè hoſtium veniſſe Plutarchus narrat: niſi quòd equum eius diripuerunt, χρυσῷ κεκοσμημένον καὶ φαλάρων ἀνάπλεων: *auro ornatum & faleris plenum.* Sed & Iulius Obſequens prodigium triſte Vibio Panſæ factum ſcribit, quòd *equus faleratus in ipſius conſpectu feſtinans concidit.* Denique hunc talem inter imperij inſignia Dionyſius ponit, de L. Quinctio Dictatore ad aratrum capto: Ἵππους τε αὐτῷ φαλάροις κεκοσμημένους διαπρεπεῖς προσῆγον, καὶ πελέκεις ἅμα ταῖς ῥάβδοις, ἐσθῆτάς τε ἁλουργάς, καὶ τὰ ἄλλα παράσημα τῆς ἀρχῆς: *Equos ipſi phaleris decoris ornatos admouerunt, & ſecures cum faſcibus, veſteſque purpuratas, & alia imperij inſignia.* Ac vidi in columnâ illâ Traiani, cùm in Italiâ eſſem, hos tales extare ſculptos, & haud longè Principem à Stratoribus duci. An non apud Græcos ſimile? De Alexandro quidem Curtius ſcripſit, Taxili inter alia dona miſiſſe *triginta equos ex ſuis, cum iiſdem inſignibus, quis aſſueuerāt cùm ipſum veherent.*

Et iam decurri ſecundum hoc velut ſpatium *Ordinis*, in meo miſſu: feſſus ſum, & interiungam. AVD. Non licebit etiam de *Armis*? LIPS. Non nunc, fruſtrà reuocas. Sol tua vota non audiit, inclinauit. & is cum Homero nos monet,

Ὥρη μὲν πολέων μύθων, ὥρη δὲ καὶ ὕπνου:
Tempus ſermonis v'rij, tempus quoque ſomni.

Abi, cras redi. Quid etiam hæres? AVD. Saltem, quod in primo ſermone, da ſummulam. LIPS. Bene mones, cape.



TABVLA ORDINIS IN MILITIBVS.

- MILITES duplices ſunt:
  - CIVES, quæ Legio dicitur: & habet
    - EQVITES trecentos, vnius omues generis: diuiſos in Turmas decem: & has hominum triginta.
    - PEDITES quater mille ducentos. Atque hi ſunt quatuor generum.
      - VELITES, mille ducenti: diuiſi æqualiter per reliqua genera, & manipulos, in quoque horum quadraginta.
      - HASTATI, totidem: diuiſi in decem manipulos, ſingulos hominum CXX. Manipulus Ordines, ſiue Centurias duas habet, hominum LX.
      - PRINCIPES, numero, & diuiſione pari.
      - TRIARII, numero dimidiato, id eſt, ſexcenti. Diuiſio eadem, Manipuli, & Ordines dimidiati.
      - Iſti omnes curſus, iuncti diuiduntur in Cohortes decem, quæque habet tres Manipulos: Haſtatorum, Principum, Triariorum ſingulos: & Velites Manipulis ſuis adiunctos. Ergo ſunt hominum quadringentorum viginti.
  - SOCII, quæ Ala dicitur, aut Cornu: & habet
    - EQVITES numero duplo, id eſt, ſexcentos. Diuiduntur in
      - EXTRAORDINARIOS, qui ſunt ducenti: ex his vna Turma, id eſt, quadraginta ABLECTI.
      - ALARES, qui ſunt quadringenti. Diuiduntur in decem Turmas, ſingulas hominum XL. *Nota*, Sociales Turmas decuriâ excedere Ciuiles.
    - PEDITES quater mille ducentos, vt plurimùm. *Sunt duo genera.*
      - EXTRAORDINARII, numero octingenti & quadraginta. Sunt Cohortes duæ hominum trecentorum trigintaſex: & vna dimidiata, hominum centum ſexagintaocto in ABLECTOS.
      - ALARES, numero ter mille trecenti ſexaginta. Diuiduntur vel in Manipulos, fortaſſe & Genera, ritu Ciuium; vel dumtaxat in Centurias, & Cohortes. *Cohortes ſingulæ erunt*, trecentorum trigintaſex; minores quàm Ciuiles.

TABVLA ORDINIS IN DVCIBVS.

- DVCES ſũt duplices.
  - PROPRII vt ſunt
    - CENTVRIONES, in Manipulis. Ordo, & diuiſio eorum per Genera, Velitibus exceptis. Sunt
      - HASTATORVM, decem paria: duo primi, duo ſecundi, vſque ad decimum: & pro numero, ordo eſt dignitatum. Honeſtior in eodem pari, ille qui priori Centuriæ præeſt, ſiue dextræ.
      - PRINCIPVM, numero & ordine iiſdem.
      - TRIARIORVM, numero & ordine iiſdem, niſi quòd hîc Primopilus, caput & dux Legionis: is primus Centurio dicitur, & Aquilæ præeſt. Sunt ergo in vniuerſum Centuriones ſexaginta, & totidem Succenturiones, ſiue Optiones.
    - Quod ad EQVITES ciuium, aut ſociorum, per Turmas ſingulas habent tres Decuriones. Sunt ergo Decuriones in Alâ triginta, & totidem Optiones.
    - TRIBVNI, *in vnaquaque Legione*, ſunt numero ſeni, & totidem Præfecti in quàque Alâ ſociali, ſiue Cornu.
  - COMMVNES vt ſunt
    - LEGATI, conſilij cauſâ adiuncti, & auxilij ad imperandum. Sunt ferè bini apud Polybium, aliàs plures, & mox pro numero Legionum.
    - IMPERATOR ſummus, cui ius in omnes.

IVSTI

IVSTI LIPSI
DE MILITIA ROMANA
LIBER III.
DIALOGISMVS I.

Ad Arma ventum. De Velitibus prædictum, eorúmque origine. tum Haſtis eorum, Parmâ, Galeâ.

DIe tertio conuenimus, & ſtatim à cibo. Ego orſus ſum, Benè maturè teſtis, nec es è fæmineâ ſtirpe. AVD. Quid iam? LIPS. Nam eas è morâ natas, dixit Plautus: at tu vidêris potiùs è Metellis. AVD. Iterùm hæreo. LIPS. Quia enim *Celeris* cognomentum ſcis adhæſiſſe iſtis. AVD. Verum tibi, & ſtatim venias quò te voco! LIPS. Quò iſtuc? AVD. Rogas? ad Circum noſtrum, ad peragendos Martiales illos ludos. LIPS. Hodie adfatim talium, nec aliud crebrius in hoc mundi theatro. Galliam triplicem vide: ardet, imò exſtinguitur per peſſima bella, & vetus illa gloria abit in fauillas. Europam totam: hoſtis barbarus imminet, & ille ab Aſiâ tyrannus cathenas minatur perpetuæ ſeruitutis. Itaque bella ſi vis, habes. AVD. Apage talia. nec vera & acria illa volo; ſed hæc imaginaria, & quæ ſenſum ab iis abducant. LIPS. Non nego huic quoque fructum eſſe in hiſce ſtudiis. & vt grauiora illa firmant in malis animum, ſic hæc auocant & in ſe figunt. Ergo ad *Arma* imus? AVD. Imus. *Arma, arma.* LIPS. Tu quoque canis bellicum? multæ hodie eiuſmodi faces, vtinam vel aquis Stygiis reſtinguendæ! Sed ARMA tertia pars facta noſtri ſermonis, & incluſeram definitionis apertis verbis: MVLTITVDO IN ARMIS. Fruſtrà enim Dilectus & Ordo; niſi hæc adſint, ac prompto iam pugnare militi, dent quo pugnet. Arma igitur duplicia, *Ad petendum, Ad tegendum.* Illa *Tela* propriè, & hæc *Arma.* Sed Polybius in exſequendo diſcrimen hoc non ſeruat: ſeiungit ipſe & deſcribit ſecundùm Genera militum, quæ dixi. Dat primò Velitibus arma ſua, tum reliquis: & vtraque illa mixtim pandit. Videamus, lege.

POLYB. Καὶ τοῖς μὲν νεωτάτοις παρήγγειλαν μάχαιραν φορεῖν, καὶ γρόσφους καὶ πάρμην. ἡ δὲ πάρμη καὶ δύναμιν ἔχει τῇ κατασκευῇ, καὶ μέγεθος ἀρκοῦν πρὸς ἀσφάλειαν. περιφερὴς γὰρ οὖσα τῷ σχήματι, τρίποδον ἔχει τὴν διάμετρον. προσεπικοσμεῖται δὲ καὶ λιτῷ περικεφαλαίῳ, ποτὲ λυκείαν, ἤ τι τῶν τοιούτων ἐπιτίθεται, σκέπης ἅμα καὶ σημείου χάριν, ἵνα τοῖς κατὰ μέρος ἡγεμόσι προκινδυνεύοντες ἐρρωμένως καὶ μὴ διάδηλοι γίνωνται. τὸ δὲ τῶν γροσφῶν βέλος ἔχει τῷ μὲν μήκει τὸ ξύλον, ὡς ἐπίπαν δίπηχυ, τῷ δὲ πάχει δακτυλιαῖον· τὸ δὲ κέντρον, σπιθαμιαῖον, κατὰ τοσοῦτον ἐπὶ λεπτὸν ἐξεληλασμένον καὶ συνωξυμμένον, ὥστε κατ' ἀνάγκην εὐθέως ἀπὸ τῆς πρώτης ἐμβολῆς κάμπτεσθαι, καὶ μὴ δύνασθαι τοὺς πολεμίους ἀντιβάλλειν. εἰ δὲ μή, κοινὸν γίνεται τὸ βέλος.

Et iunioribus quidem mandabant gladiũ ferre, & haſtas, & parmam. Parma autem & firmitatem habet à ſtructurâ, & magnitudinem quæ ſit tegendo. Cùm enim formâ rotundâ ſit, tripedalem habet dimenſionem. Adornantur præterea & ſimplici tegmine capitis. atque eſt cùm lupinam aut tale aliquid imponit, tutelæ ſimul & ſigni cauſsâ, vt ductoribus ordinum, cùm ſtrenuè aut aliter pugnauerint, poſſint innoteſcere. Telum verò quod Groſphos vocamus, habet in longitudine quidem plerumque duorum cubitorum, in craſſitie verò vnius digiti. Ferrum eſt vnius ſpithamæ, atque adeo extenuatum & in aciem productum, vt neceſſario ſtatim à primo iactu inflectatur, nec poſſint hoſtes retorquere. Niſi id ſit, commune fiat hoc telum.

Ad verba ipſa priuſquam venio, eſt quod prædicam. Velitibus arma hîc aſſignantur, ſed quibus? propriè dictis. Nam ecce commune nomen eſt *Leuis armatura*: ſed eius plura genera ſiue partes, vt *Rorarij*, *Accenſi*, & quos *Velites* nunc dico. illi priores duo, in *Veteri* leui armaturâ fuerunt; iſti poſtremi, in *Nouâ*. Hoc attende, & ſcito, nouum totum iſtud de Velitibus fuiſſe, & anteà *Funditores*, *Iaculatores*, *Sagittarios*, & id genus in vſu habuiſſe, quos duobus illis nominibus dicebant. Credo me alibi explicaturum: nunc hoc imbibe manſiſſe illos ad bellum Punicum ſecundum, quo Velites inſtituti. Anteà perrarò id nomen in Romanâ re aut hiſtoriâ leges: nec certè propriè iſto noſtro ſenſu. Sed tunc, inquam, inſtituti * obſidione Capuæ, & rem notabilem Liuius aliique notant. Cùm Romani, inquit ille, ab equitatu Campano (cui hodie quoque meritiſſima gloria) plerumque

vincerentur, ægrè generoſis animis fuit, & *quod viribus deerat, arte æquauerunt. Ex omnibus legionibus iuuenes electi ſunt, maximè vigore & leuitate corporum veloces. Eis parmæ breuiores quàm equeſtres, & ſeptena iacula quaternos longa pedes data, præfixa ferro quale haſtis velitaribus ineſt. Eos ſingulos in equos ſuos accipientes equites aſſuefecerunt & vehi poſt ſeſe, & deſilire perniciter, vbi ſignum datum eſſet. Inde equitatu quoque ſuperior Romana acies fuit. Inſtitutum vt Velites in legionibus eſſent.* Habes inſtitutionem, cauſſam, & auctorem. Nec ſcio an exemplum non ſit à Germanis noſtris aut Gallis, quibus iam olim & diu antè id factitatum. Ipſe Liuius: *Galli inter equites raros ſagittarios expeditosq; leuis armaturæ interiecerant.* Idem poſteà: *Veniebant decem millia Gallorum equitum, par numerus peditum, & ipſorum iungentium curſum equis, & in vicem prolapſorum equitum vacuos capientium ad pugnam equos.* Cæſar quoque de Germanis, qui cum Arioviſto. *Erant equitum millia ſex, totidem numero pedites velociſſimi ac fortiſſimi, quos ex omni copiâ ſinguli ſingulos ſalutis ſuæ cauſſâ delegerant. Cum his in prœliis verſabantur, ad eos ſe equites recipiebant. hi, ſi quid erat durius, concurrebant: ſi qui grauiore vulnere equo deciderant, circumſiſtebant: ſi quo erat longiùs prodeundum aut celeriùs recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, vt iubis equorum ſubleuati curſum adæquarent.* Denique ſuo etiam æuo in eâ gente Tacitus hoc obſeruat: *Miſti prœliantur aptâ & congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum.* Et quanquam iſtos equo vectos non legamus, quod de ſuis Velitibus Liuius: tamen certum eſt nec Velites poſteà vſurpaſſe, & tunc quoque cùm fecerunt, celeriter ex equis delapſos. Video & Numidas hanc miſtionem ſic vſurpaſſe. Hirtius in bello Africo: *Impetum faciunt Numidæ, leueſque armaturæ mirabili velocitate prompti: qui inter equites pugnabant, & vna pariterque cum equitibus accurrere, & refugere conſueuerunt.* Sed ad noſtros Velites. Valerius de hac ipsâ inſtitutione primùm: *Q. Næuius Centurio è peditibus lectos expeditis corporis, breuibus & incuruis ſeptenis armatos haſtis, paruo tegmine munitos, veloci ſaltu iungere ſe equitibus, & rurſus celeri motu delabi inſtituit, quò facilius equeſtri prœlio ſubiecti pedites, viros pariter atque equos hoſtium telis incesſerent.* Hæc origo. & manſitantes diu poſteà, & Iugurthæ bello. Salluſtius: *Auxiliarios equites Tribunis legionum & Præfectis cohortium diſpertiuerat, vt cum his permiſti Velites, quacumque inuaderent, equitatus hoſtium propulſarent.* An & Cæſaris atque illo æuo, neſcio. certè in ſcriptis eius non eſt mentio: imò ſi fuiſſent, quid opus ex anteſignanis legionum eligere quoſdam in hunc vſum? Nam ita ipſe bello in Pompeium: *Adoleſcentes atque expeditos, ex anteſignanis electos milites ad pertinaciatem, armis inter equites prœliari iuſſit.* Ac mihi ſuſpicio eſt (ſuſpicio tantùm) poſt Socios receptos in ciues, mixtoſque legionibus, Velites deſiiſſe, & eorum loco fuiſſe iuniores quoſdam Anteſignanos, atque ita reliquas claſſes auctas. Liuius tale indicare videtur. cùm ſcribit, pugnâ Africanâ Scipionis in Annibalem: *Velitibus (ea tunc leuis armatura erat) vias cõplenit.* Vt quid enim ſollicitè monet, *tùc eam fuiſſe leuem armaturam*, ſi etiamnunc & eius æuo erat? Sed non opinor. & profectò poſteà *Sagittarios* & *Funditores* leges inter leues, qui longè à noſtris. AVD. Ego verò iamdiu poſt Cæſarem *Velitares*, & *Velitare auxilium*, reperio in Ammiano Marcellino. Ergo iterùm rediuiui? LIPS. Non ipſi, ſed vox in quorundam vſu, qui tamen eo verbo non niſi leuem militem ſignant. Nec abſurdè. Nam primos ipſos Velites Liuius indicat à *velocitate* dictos. & Feſtus aſſerit: *Velites dicuntur expedites milites, quaſi volites, id eſt volantes.* Iſidorus aliter, & *vel à volitatione vel à ciuitate Etruriæ quæ Velites vocabatur*, deriuat. Quæ iſta ciuitas, neſcio: *Velitates* quidem in Italiâ, ſed alibi lego. Heus tu, ſuggerat me pænè dicere, hos eſſe quos Γροσφομάχους Polybius toto iſto libro, & alibi, appellat: nec Laſcario tibi audiendum, qui *Pilanos* conſtanter vertit. Quàm ille errat? quàm nec ij (nec è grege homines) qui ſecuti? quibus iidem *Haſta velitaris* eſt *Pilum*, eodem illo Laſcari præeunte. Quis autem neſcit, rei Romanæ non planè expers, *Pilanos* ipſos Triarios eſſe? & *Pilum* commune legionariis telum? Statim docebimus, nunc ad prima Polybij, dicentis:

Etiam alij populi ſic vſi.

Galli. Lib. VII.

Lib. XXIII.

Et Germani. I. Gallic.

De mor. Germ.

Lib. II. cap. III.

Quamdiu Velites.

III. Ciuil.

Videri deſiiſſe ſub Socij.

Lib. XXX.

Inde dicti Velites.

Laſcaris ſuccenſet.

„ *Denunciant ferre gladium, & haſtas, & parmam.*]
Vniuersè primùm arma eorum nominat; mox partitè deſcribit. Sunt hæc quæ Salluſtius intellegit: *ferè ſagittarij, & cohors Pelignа cum Velitaribus armis, itineris properandi cauſſâ.*

B

Velitaria arma. In Iug.

„ *Gladium.*] Non aliter deſcribit, nec opus erat, quia fuit Hiſpanienſis. Idem inquam ille, qui aliis quoque militibus, & poſteà ab eo exponendus. Liuius hoc mihi dicit, *Velitem* noſtrum nominans: *Hic miles parmam tripedalem habet, & in dextrâ haſtas quibus eminus vtitur, gladio Hiſpanienſi eſt cinctus. Quod ſi pede collato pugnandum eſt, tranſlatis in leuam haſtis, ſtringit gladium.* Vides apertè quis gladius, & quo ſine.

Gladius Hiſpanienſis.

Lib. XXXVIII.

„ *Haſtas.*] Benè multitudinis numero. habuit nam *ſeptem*, vt ſtatim videbimus. Cur autem γρόσφους (ita in Græco) *Haſtas* vertimus? cur non cum Laſcari *Pila*? Quia iſtud quidem ratio & Polybius ipſe vetat, qui mox deſcribit Pila: illud autem Liuius ſuggerit & exempla. *Haſtæ* inquam propriæ ſunt Velitum, & ſic appellant. Liuius: *Velites emiſſis haſtis, comminus rem gerebant.* Ouidius:

C

Haſtæ Velitum.

Lib. XXXI.

Ibid.

Vtque petit primo plenam flauentis arenæ
Nondum calfactis velitis haſta ſolum.

Etſi Velites noſtros tempore poëtæ eius fuiſſe non opinor, ſed pro *Iaculatore* laxè ſumit: vti contrà, illum pro Velite Vegetius: *Claudius pluribus iaculatoribus inſtitutis atque perdoctis, hoſtem cui priùs impar fuerat, ſuperauit.* Intellegit Appium Claudium Conſulem, qui tunc ad Capuam imperabat, cùm Velites inuenti. Et primum ſanè præcipuumque eorum munus fuit, iaculari. Iſtæ haſtæ quia ſuâ quâdam formâ, & minores, diſcretim ab aliis dictæ, *Haſtæ velitares*. Feſtus: *Adueltatio, iactatio quædam verborum figurata ab haſtis velitaribus.* Liuius: *Conſul ingentem vim pilorum, & velitarium haſtarum, ſagittarum, glandiſque parauerat.* Plinius etiam ſcribit, *Tyrrenum inueniſſe haſtas velitares, pilúmque.* Ex quo aliquid in Iſidori mentem, qui Velites ex Etruriâ deducit. Sed profectò Plinius vniuerſè ibi pro haſtâ miſſili: vt Liuius, cùm de ipſis noſtris Velitibus: *Iacula*, inquit, *præfixa ferro, quale haſtis velitaribus ineſt.* Atqui nónne de iiſipſis ſermo? ineptum ergo videatur eadem per eadem illuſtrare. Sed quia propè Velites tunc perierant, communiter loquitur, & habuêre, inquit, haſtas ferro quale nunc quoque in iaculatoriis haſtis: quas illa ætas *Velitares* dicebat. Hæc ad Latinam vocem. de Græca, ea & in Plutarcho occurrit, ſed ſemel atque iterùm, apud alios rariùs: tamen proba eſt, & Polybius aſſiduè hac vſus. Γρόσφον enim ipſum telum, & ab eo Γροσφομάχους Velites dixit. Vulgata adhuc lexica, aut *Pilum* cum Laſcari explicant, aut, ſi Deo placet, *glandem*. Ridiculè. audiatur optimus Scholiaſtes poëtæ optimi, Euſtathius, in iſtud ——— αἰγανέῃσιν ἱέντες, *haſtis iacientes.* Οἱ, inquit, παλαιοί φασιν καὶ ὅτι αἰγανέα γρόσφος, μικρὸν ἀκόντιον· καὶ ζητητέον μήποτε ἥμαρτεν τὸ γρόσφος. γρόσφος γὰρ μάλιστα

Ouidius ante legendus. Iaculatoribus Velites. Lib. I. cap. V.

D

Lib. VII. cap. III.

Liuij verba imitaſſe.

E

Grosphus.

Odyſſ. verſ.

ὠρατης ὅσα τοῦ φρέατι ἄνω μικχαῖον λέξις; γρόσφος, ὁ δὲ γρόσφος ἀκόντιον: Antiqui dicunt Argaream eſſe Groſchum, paruum iaculum. Et quærendum an non error in iſto. Groſchus: crebrius enim reperitur Groſphus per ph. Niſi tamen mechanica dictio Groſphus, at Groſchus iaculum. Vides (etſi de ſcripturâ ambigit) tamen planè explicatum pro Polybij & noſtra mente.

„ *Parma & firmitatem habet à ſtructurâ.*] Atque ea firmitas etiam ſit à materiâ. Vnde igitur? ex ære. nugæ: nec honeſtiores ipſi talia nunc ſcuta habuerunt, nedum vt illi minimi. E corio? video eruditos quoſdam velle inductus à Suidâ: *Πάρμαι, δερματιναὶ θυρεοὶ παρὰ Καρχηδονίοις Parmæ, coriacea ſcuta apud Carthaginenſes.* ſed temerè fortaſſe inductos. Si talia apud Romanos, cur ad Carthaginienſes reſtringit Suidas? Cur Polybius verbo non tangit, & diſcriminat à legionariorum? Nam iſturum ſanè è ligno fueruot, corio ſaltem ſuperducto. Cenſeo igitur idem in iſtis. Ipſe Polybius alibi indicat, qui ſtabilitatem & * *δύναμιν* Romanæ parmæ tribuit: non habuiſſet è corio merò. Quod ad Suidæ, certum eſt Afrorum pleraque ſcuta ſic fuiſſe: ſed Afrorum, vt * aliâs deducam.

Parma qui materiâ. An è corio?

E ligno potius.

* *Vide mox de Scutis. Dial. ſeq.*

* *In Analectis Parma rotunda.*

„ *Formâ rotundâ.*] A quâ nomen petit Varro. Nam *Parma*, inquit, *quod a medio in omnes partes par.* Iuſtus orbis ſit, ex iis verbis. Idem & *rotundas* in Fragmento quopiam facit: *Quem ſequuntur cum rotundis Velites leues parmis.*

In Non.

„ *Tripedalem habet dimenſionem.*] Græcè *διάμετρον*: & ſcimus eo verbo venire normalem plerumque lineam rectam: Latini *dimetientem* dicunt. Nec cauſſa videtur vel hic ambigendi, niſi quia res inſpecta ſiſtit aliquid & moratur. Age, tripedalis eſt Diametrus? ergo Perimetrus ſiue ambitus nouempedalis. Id enim ſequitur ex certiſſimo ſcito menſuratorum. Et tu talem parmam, *paruam* appelles, *breuem*, & denique *Parmulam*? His enim adiectiunculis aut nominibus Latini efferunt. vt Nonius: *Parma, breue ſcutum.* Iſidorus: *Parma, leuia arma, quaſi paruus clypeus.* Frontinus de ipſis noſtris Velitibus: *Parmulis non amplius ornati.* Valerius. *Paruo tegmine muniti.* Si, inquam, omnes conſenſu breuitatem & leuitatem attribuunt; qui poteſt in iſto modo? qui adſatim amplus, & nec maior ferè in grauiore armaturâ. Nam ſcutum legionarij militis etſi *quattuor pedes* habet in longitudine, tamen *duos & ſemis* tantùm in lato. Amplius. Liuius ſcribit, *Parmas iis fuiſſe breuiores, quàm equeſtres*: id eſt minores. Ego non credo vllum equitem commodè tractare poſſe hanc vndique tripedalem. Tamen & Liuius ita: *Hic miles tripedalem parmam habet.* Et Polybius: *μέγεθος ἀρκοῦν πρὸς ἀσφάλειαν* adtribuit: id eſt, *magnitudinem quæ ſit tuendo.* Ergo ſatis magnæ: etſi inclinabam *tripedales* in longum facere, atque in eâ diametro tantùm; non etiam in latum: niſi quòd tunc non ſint rotundæ, & fortaſſe mutauerint. Conſideretur. Feſtus quidem oſtendit pariter exiguas fuiſſe: *Parmulis*, inquit (nota diminuentem vocem) *pugnare milites ſoliti ſunt, quarum vſum C. Marius ſuſtulit, datis in vicem earum Bruttianis.* De his Bruttianis, idem: *Bruttiana parmæ, ſcuta quibus Bruttij ſunt vſi.* Nota ſcutorum vocē, & talia in equitū poſteriorū armaturâ appârent: id eſt, oblōga.

Quanta fuerit, ad dubitatio.

Lib. III. cap. XII.

Lib. XXVI.

„ *Simplici tegmine capitis.*] Significat ex ære aut ferro nihil fuiſſe, dumtaxat è pelle aut lanâ aliquid, & *Galerum* aut *Galeam*. Nam ſic diſcernit hanc à Caſſide Iſidorus: quòd *Caſſis de laminâ eſt, Galea de corio.* Ille hoc verè, & pro eo Tacitus: *Vix vni alterive caſſis, aut galea*, de Germanis ſic ſcribens, & manifeſtò abiungens. Ipſa vox quoq; præfert. quia *Galea* eſt propriè *ἀπὸ τῆς γαλῆς, à fele aut muſtellâ*: etſi Varro maluit petere à *Galero*. Sanè priſci tegmina ferè capiebant à feris. vnde in Homero aliiſque *ἰκτιδέην, κυνέη, ταυρείη, αἰγείη*: *muſtellina, canina, taurina, caprilla.* Lego & in Suidâ: *Ἀλωπεκῆ ἡ περικεφαλαία*: *Vulpina. ipſa galea.* Sic igitur dictæ, quia à talibus animalibus captæ. Mos, qui paſſim tangitur à poëtis. vt Statio:

Galea à Caſſide differt.

Galea etymon.

pellibus olim.

Lib. VII.

Tela rudes trunci, galeæ vacua ora leonum.

Ipſas enim leonioas exuuias ſumebant, & ſic aptabant, vt caput capite velarent, cæteris humeros & dorſum. Homerus de Agamemnone:

Iliad. K. verſ. 23.

> *Ἀμφὶ δ᾽ ἔπειτα δαφοινὸν ἑέσσατο δέρμα λέοντος*
> *Αἴθωνος, μεγάλοιο, ποδηνεκές.———*
> *Atque humeros circumiecit pellem inde leonis*
> *Ardentis, magni, crurum tenus.———*

Noſter Virgilius de Auentino Italo:

Lib. VII.

> *Ipſe pedes tegmen torquens immane leonis*
> *Terribili impexum ſeta, cum dentibus albis*
> *Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat.*

Nec de nihilo hoc poëta Romanus. quoniam & Romani in ſuâ militiâ vulgò vſurparunt, & adnoto in Columnâ Traiani ſigniferos omnes ſemper in hoc habitu. cum pelle dico leonis, quæ caput, humeros, dorſum tegat, & caudâ pedes flagellet. Etiam in Tacito, Germanicus *contectus humeros ferinâ pelle, adit caſtrorum vias.* Non ſic tamen in noſtro Velite, cui galea tantùm è tali aliquo tegmine, & ſæpe lupo, (Romanâ ferâ, & Romuli nutrice) quod apertè Polybius hîc ſignat. Alludit Propertius, de caſcis illis Romanis:

Signiferi Romani leoninam induti.

Galea lupinâ.

Lib. IV. eleg. I.

> *Et galea hirſutâ compta lupina iubâ.*

Virgilius: ———*ſpicula geſtant*

> *Bina manu, fuluóſque lupi de pelle galeros.*

Aliâs ex vrſo, aut tali ferâ habuerunt. Statius:

> *Ille Lycaonia rictu caput aſperat vrſa.*

Lib. IV.

Quin Claudianus Afris dat è ſerpente:

Lib. I de Laud. Stil.

> *Serpentum geſtant patulos pro Caſſide rictus.*

Hæc talia *Galeros* appellat Virgilius ſuprà; & Frontinus Veliti noſtro *Galericulos* adaptat. Silius *Cudones* dixit:

Galeri.

Cudones.

> ———*caput hic cudone ferino*
> *Stat cautum.*

Iterùm: ———*cudone comantes*

> *Deſiecit crines.*

Sed & video Græcos iis vſos, aut finitimos. Xenophon de Thracibus. *Ἐπὶ δὲ τῇ κεφαλῇ κράνη σκύτινα, οἷα περ τὰ Παφλαγονικά*: *In capite galeæ e corio, cuiuſmodi Paphlagonū.* Sed & Macedones habuêre. Dio Caſſius ait M. Antonium Caracallam, *legionem Macedonum inſtituiſſe, & priſco ritu ornaſſe. Arma autem erant*, inquit, *Κράνος ὠμοβόειον, θώραξ λινοῦς*: *galea è crudo boue, lorica lintea*; & quę addit. Facit hoc poëtę in *Cauſiâ* Macedonū.

Lib. V.

Paphlagonū galea.

Cauſia ol Macedonū.

> *Καυσίη, ἡ τὸ πάροιθε Μακηδόσιν εὔκολον ὅπλον,*
> *Καὶ σκέπας ἐν νιφετῷ, καὶ κόρυς ἐν πολέμῳ.*
> *Cauſia, quæ Macetum genti fuit vtile tegmen,*
> *Pilleus in nimbis, inque acie galea.*

AVD. Sed heus, Polybij verba, cùm video: *atque eſt*, inquit, *cùm lupinam aut tale aliquid imponit, tutelæ ſimul & ſigni cauſâ*: hærere incipio, vtrum nudo capiti, an galeæ alteri imponat? Eò magis, quòd in Vegetio memini legere: *galeas ipſas ad terrorem hirſutis* (alij libri *vrſinis*) *pellibus tectas.* LIPS. Non ita hîc factum, cùm præmiſerit de *ſimplici tegmine*: nec ratio eſt tam cautè & cuſtoditè armare iſtos. Addo legere me *Galeam venatoriam*, pro hoc ſenſu, in Æmilio Probo, de Datami: *Ipſe agreſti duplicique amiculo circumdatus, hirtâque tunicâ, gerens in capite galeam venatoriam, dextrâ manu clauam.* Ita enim veriùs diſtingui, quàm vt ad *clauam* referatur. Et quidni iſti vſi, quibus è cæde ferarum copia? Sed pergo.

Lib. II.

Galea venatoria. In Datami.

„ *Habet lignum in longitudine duorum cubitorū*] Sunt igitur in haſtili tres pedes. Nā quod in Liuio eſt *Septena*

Concordia inter Polybium & alios.

iacula quaternos longa pedes data. & in Frontino: *Septenos ſingulis haſtis quaternorum circiter pedum armatur:* Id ad telum totum referendum eſt, vnà cum ferri modo, qui fuit dodrantalis, id eſt haud longè à pede.

Tenuita haſtæ Velitum. Valerij locus emendatus. Lib. II. cap. III.

» *Craſſitie vnius digiti.* Ergo tenue lignum, & vt hodiernæ ſagittæ. Quidni tale cùm *ſeptem* ea tulerint? ſuprà in Liuij & Frontini verbis habes. Septena igitur illa implebant manum. Huc facit Valerij locus, ſed eum noſtrâ correctione, qui ſcribit eos *breuibus & incuruis ſeptenis armatos haſtis.* Breuibus, pedum quattuor: ſed quomodo *incuruis?* an à ferro? non dicit Polybius. & poue hamatum fuiſſe, non tamen aptè hoc *incuruum.* Libri ſcripti quos conſului, habebant, *incurmis.* Putarem *infirmis* verum eſſe, & ad hanc tenuitatem referrem: ſiue etiam ad ferrum:

» *Ferrum eſt vnius ſpithamæ.*] Ita Græcis dicitur, qui Latinis eſt *Palmus maior,* ſiue & *Dodrans.*

» *Statim à primo ictu inflectatur.*] Tale aliquid in ipſo Pilo machinatus C. Marius, vt pòſt dicam. Sed & Liuius, etiam ante inſtitutos hos Velites ad Capuam, libro XXIIII. *Sagittarij, funditoreſque, & velites etiam, quorum inhabile telum ad remittendū imperitis eſt.* Qui tamen locus conſideratione duplici eget. primùm, quòd *Velites* nominat (neſcio an alibi) veteres illos *Iaculatores:* deinde quòd ait *imperitis inhabile.* Atqui & *peritis,* ſi tale & tam flexile eſt, quale hîc deſcribitur: & Polybios apertè negat remitti. An redundat vox *imperitis?* an mutanda in *impeditis?* vt niſi quis otioſè mucronem refingat & erigat, neget remitti. An ideò etiam *imperitis* inhabile; quia amento emittebatur, & certo motu? Sed quidquid eſt, hæc arma Velitū: à quibus moneo haud longè *Peltaſtas* ſiue *Cetratos* abiiſſe Græcorū. Vt alia loca omittā. Ælianus ita deſcribit: Οἱ πελτασταὶ μέσῃ πως κέχρηνται σκευῇ. ἡ γὰρ πέλτη μικρά τις ἐστιν ἀσπιδίσκη, καὶ τὰ δόρατα πολὺ τῶν ὁπλιτῶν λειπόμενα: *Peltaſtæ mediâ vtebātur armaturâ. nam Pelta paruus quidam clypeolus eſt, & leuis, & haſta eorum longè infra modum Grauium.*

DIALOG. II.

De Scuto accuratè. Diſcrimen à Clypeo. Magnitudo eius, Circulus, Vmbo, Origo, & exemplum.

VELITIBVS arma ſua dedit, dat nunc Haſtatis; imò & aliis iunctim, quia armis iſti leuiter inter ſe diſſidebant: & ſiquid fuit, dicit. Lege:

POLYB.

Τοῖς γε μὴν δευτέροις μὲν κατὰ τὴν ἡλικίαν, ἁστάτοις δὲ προσαγορευομένοις, παραγγέλλουσι φέρειν πανοπλίαν. ἔστι δ' ἡ ῥωμαϊκὴ πανοπλία, πρῶτον μὲν θυρεός, οὗ τὸ μὲν πλάτος ἐστὶ τῆς κυρτῆς ἐπιφανείας πένθ' ἡμιποδίων. τὸ δὲ μῆκος, ποδῶν τεττάρων. ὁ δὲ μείζων ἔτι καὶ παλαιστιαῖος, ἐκ διπλοῦ σανιδώματος, ταυροκόλλῃ πεπηγὼς ὀθονίῳ. μετὰ δὲ ταῦτα μοσχείῳ δέρματι περιειλημμένος τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν. ἔχει δὲ περὶ τὴν ἴτυν ἐν τῷ ἄνωθεν καὶ κάτωθεν μέρει, σιδηροῦν σιάλωμα, δι' οὗ τάς τε καταφορὰς τῶν μαχαιρῶν ἀσφαλίζεται, καὶ τὰς πρὸς τὴν γῆν ἐξερείσεις. προσήρμοσται δ' αὐτῷ καὶ σιδηροῦς κόγχος, ὃ τὰς ὁλοσχερεῖς ἀποστέγει πληγάς, λίθων καὶ σαρισσῶν, καὶ καθόλου βιαίων βελῶν.

Secundis verò ætate, & quos Haſtatos dicūt, mandabant ferre omnia arma. Sunt ea more Romano Scutum primò. cuius latitudo eſt in gibbâ ſuperficie duorū pedum & ſemis: longitudo pedum quattuor. Maius verò etiam palmo præterea excedit. Eſt ex duplici tabulatione, taurino glutino cum linteo compactum: dehinc vituli bouiſque corio tegitur exteriorem ſuperficiem. Habet in curuaturâ circa ſuperam inferámq; partem ferreum munimentum, quo & contra ictus enſium defenditur, & contra inclinationes aut depoſitiones in terram. Aptatur illi & ferreus vmbo, qui vehementiores ictus auertit lapidum & ſariſſarum, & vniuerſè violenti cuiuſque teli.

Aſſignat igitur primò

Scuti etymon. IV. de L. L. Diſcrimen à Clypeo. Lib. VIII.

» *Scutum*] Cui nomen παρὰ τὸ σκῦτος, id eſt, à loro, è quo factum. Id verius, quàm aut *à ſecando, quaſi ſecatum,* quod Varro comminiſcitur; aut *ab excutiendo,* quod Iſidorus, *quia excutiat tela.* Moneo differre à *Clypeo,* & ſeparant quicumque ſignatè ac propriè locuti. Liuius: *Scuta pro clypeis fecère.* & eſt diſcrimen à formâ. quæ enim rotunda & in orbem iuſtum relata, *Clypeos* dixère; quæ in longum exibant, *Scuta.* Virgilius:

II. Aen.

——*Clypeique ſub orbe teguntur.*

Idem: *Argolici clypei aut Phœbææ lampadis inſtar.*

Lib. XXXIV

Addit *Argolici,* quò magis orbem notet: quia talia illorum: Ammianus: *Ingum tereti ambitu, Argolici clypei ſpecie.* In Dionyſio: ἀργολικαὶ ἀσπίδες: *Argolici clypei:* in Seruiano cenſu, qui ſimpliciter ſunt *Clypei* Liuio noſtro. At de Scutis, contrà leges *Scuta longa:* & mox audiemus ſic fuiſſe. Simile diſcrimen apud Græcos. & Homerus ἀσπίδας εὐκύκλους agnomento dixit, *Clypeos rotundos:* at θυρεοὺς Polybius ſemper noſtra *Scuta:* nec aliter Dionyſius & Plutarchus. Dio & inferior ætas confundunt.

Duplex ſcutum.

» *Cuius latitudo in gibbâ ſuperficie.*] Metitur exteriorem ambitum, ſed vbi? Scutorum enim vnum & commune genus, inæquali latitudine: ac patet magis producitúrque circa vmbilicum extremis anguſtioribus. In tali ponitros menſuram mediam partem. Alterum genus rarius, ſed tamen in vſu etiam, quod vndique æquali latitudine, & ianuæ velut formam habet, ſed incuruæ: & vt apertè dicam, ſectum canalem aut imbricem refert. Dio Caſſius vtrumque genus copulat, cùm Teſtudinem militarē ſtruit, & in eius medio locat τοὺς τὰς πλατείας ἀσπίδας (confundit vocem, debuiſſet θυρεοὺς) ἔχοντας, *eos qui lata ſcuta habebant:* in lateribus τοὺς ἀσπίσι ταῖς κοίλαις ταῖς σωληνοειδέσι χρωμένους: *eos qui ſcutis cauis, in modum canalium factis vtebantur.* Vtrumque in monumentis videmus: etſi cum diſcrimine vſurpatum, vt oſtendit idem Dio. Nam notat Macrinum *Prætorianis militibus,* pugnâ in Antonium, *abſtuliſſe* τὰς σωληνοειδεῖς ἀσπίδας, *ſcuta imbricata: quo leuiores,* inquit, *eos redderet ad pugnam.* Ergo hæc grauiora & longiora etiā, quod Polybius indicare mox videtur, & palàm magis Apuleius: *Miles,* inquit, *è legione, habebat galeam nitore premicantem, & ſcutum cæteris his longius.* Noſtrum intellegit, quod vulgaria anteibat, & digniores militum geſtabant. Neſcio an & Ammianus, de militibus quibuſdam Romanis: qui *veriti ne remanerent poſt ſignum erectum, ſcutis quæ patula ſunt & incurua, firmius adhærentes, eáque licet imperitè regendo, per voraginoſum amnem velocitatem comitati ſunt nauium.* Poteſt hæc ſignare, poteſt illa alia: quia omnia leniter incurua. Forma & facies vtrorumque ſic in ſculpturis.

Ouatum.


Et Imbricatum.

Lib. XLIX

In Macrino.

Lib. II.

Lib. XXIV



Scuta oblonga. Lib. iii. Exc. In Æmilio.

,, *Longitudo pedum quattuor.*] Vides prominuiſſe igitur ſcuta,& oblonga magis quàm lata fuiſſe. Ioſephus ideò appellat Romanorum iſtos θυρεοὺς ἐπιμήκεις, *ſcuta longa* : & Plutarchus, ποδήρεις, *ad pedes demiſſos*. Nam reuera totum hominem tegebant, leuiter ſe inclinantem. Argumentum, quòd Liuius ſcribit milites in vigiliis *ſtantes,capite ſuper marginem ſcuto poſito, dormiſſe*. Si ſtantes, debuit fuiſſe productius. Reperio & inferiore ac corruptâ iam militiâ hunc modum. Nam in Nicetâ Choniate, vbi *Euſtratius quidam è legione Macedonicâ ad ſingulare certamen in hoſtem producitur* : ἀσπὶς, inquit, αὐτῷ ἐς ἀνδρομήκους καταντῶσα δίδοται : *ſcutum illi ad hominis longitudinem datur.*

Lib. xxiii.

,, *Maius verò ſcutum etiam palmo præterea excedit*] Hoc fortaſſis illud incuruum eſt, de quo dictum. Sed quis id geſtauerit? Triarij, opinor, aut digniores Principum : nec vulgatam Liuij ſcripturam audiemus : *Spoliare cupientem Triarij obiectis clypeis arcuêre.* Illine clypeis? nuſquam iam ij Romanis: & *ſcutis* repone cum priſcis libris.

Liuius correctus. Lib. xxii.

Scuti ligna coniuncta.

,, *Ex duplici tabulatione.*] Quo id ſenſu? An duas tabulas fuiſſe, incuruas ſic aptatas? an duplicatum totum textum? Ego hoc opinor, & è pluribus minutiſque tabellis corpus hoc iunctum. Varro ſubiicit, cùm etymon ſcuti quærit : *A ſecturâ*, inquit, *vt ſecatam, quòd minutè confectum ſit tabellis.* Etiam Ammianus : *Cum apud Pariſios adhuc Cæſar Iulianus quatiens ſcutum variis motibus exerceretur in campo, axiculis quis orbis erat compaginatus, in vanum excuſſis, anſa remanſerat ſola.* Oſtendit pluribus lignis & axiculis cõſtitiſſe. Atque hæc è certis arboribus, quas Plinius deſignat : *Frigidiſſima quæcumque aquatica; lentiſſima autem, & ideò ſcutis faciendis aptiſſima, quorum plaga contrahit ſe protinus, clauditque ſuum vulnus, & ob id contumacius tranſmittunt ferrum. In quo genere ſunt ficus, ſalix, tilia, betulla, ſambucus, populus vtraque. Leuiſſima autem ex his ficus & ſalix, ideòque vtiliſſima.* Vides Salicem inter vtiliſſimas cenſeri, atque etiam vulgatiſſimas, vt aliunde diſco. Adeò vt Græci poëtæ ἰτέαν ſiue *Salicem* dixerint pro ipſo Scuto. Euripides:

De L. L. Lib. xxi.

E quâ arbore. Lib. xvi. cap. xl.

E ſalice ſcuta.

Κρέων γε τ᾽ αἰθίοψ δ᾽ ἰτέαν λαβὼν χερί:

Salicem Creon dextrâ ſuſcipiens manu.

Heſychius : ἰτέαι, αἱ ἀσπίδες, διὰ τὸ πρώτας ἐκ ταύτης τῆς ὕλης κατασκευασθῆναι : *Salices, ſcuta. quia primùm ex hac materia ſunt facta.* In Theocrito etiam eſt:

Eidyll. xvi.

Ἀχθόμενοι σάκεσιν βραχίονας ἰτείνοισιν:

Brachia viminеis ſcutis preſſi atque grauati.

De Syracuſiis loquitur. & neſcio an non aliud ibi ſcutorum etiam genus tangat, quod non è tabellis, ſed è viminibus textum. Ideò etiam ita vetti. Nam Siculi & Syracuſij talibus vulgò vſi. Feſtus : *Cerrones leues, & inepti, à cratibus dicti. quòd Siculi aduerſus Athenienſes cratibus pro ſcutis ſint vſi, quas Græci γέρρας appellant.* Benè Feſtus. & cum eo Euſtathios : Γέῤῥα, ἀσπίδες περσικαὶ ἐκ λύγων, ἤγουν ἰτεΐνοι : *Gerra, ſcuta Perſica, ex viminibus, & ſaligna.* Perſis attribuit, quia crebertimè & recentiſſimè ij habuerunt. Gloſſæ item Γέῤῥον, εἶδος ἀσπίδος περσικῆς : *Gerrum* (hoc enim genere vulgò extulerunt) *genus ſcuti Perſici.* In Xenophonte aliquoties ea vox : & Ammianus de Perſis etiam ſui æui : *Obiectis*, inquit, *ſcutis vimine firmiſſimo textis, & crudorum tergorum denſitate veſtitis.* Idem poſteà : *Manipuli peditum contecti ſcutis oblongis & curuis, quæ texta vimine & crudis coriis geſtant.* Ipſa deſcripta habes, & item formam. A quâ tamen aliquid Strabo abit. qui de Perſis : ὁπλίζονται δὲ γέῤῥῳ ῥομβοειδεῖ : *Armantur ſcuto rhombi ſpeciem.* Hæc figura non planè quadrat in Ammiani *oblongam & curuam*. Sed potuerunt à Strabone mutaſſe. In Lunapio lego Parthis quoque (gens eadem, aut in eodem ſolo) ſcuta hæc talia, imò & galeas fuiſſe. Οἱ δὲ τῶν Πάρθων, inquit, οἰσυΐνας ἀσπίδας ἔχοντες καὶ κράνη οἰσυϊνα, πλοκήν τινα πάτριον πεπλεγμένα : *Qui Parthorum ſcuta habebant viminea, & galeas vimineas, ſuo & patrio quodam modo intextas.* Nec verò Perſæ tantùm, ſed Germani habuêre. Ex Tacito : *Nec ſcuta quidem ferro neruóve firmata, ſed viminum textus, vel tenues & fucatas colore tabulas eſſe.* Galli quoque in Cæſare: *Scutis ex cortice factis, aut viminibus textis, quæ ſubitò vt temporis exiguitas poſtulabat, induxerant pellibus.* De aliâ aliquâ gente Salluſtius, in fragmentis : *Soliti neclere ex viminibus vaſa agreſtia, ubi tum quod inopia ſcutorum fuerat, ab eâ arte ſe quiſque in formam parmæ equeſtris armabat.* Sed vterque oſtendit non optima aut firmiſſima ea ſcuta fuiſſe, & aſſumpta in egeſtate aliorum. Significat & Thucydides : Ναύτας ἐξώπλισαν ἀσπίσι φαύλαις, ταῖς πλείσταις οἰσυΐναις : *Nautas armauit ſcutis improbis, & pleriſque vimineis.* Tamen Macedones etiam olim vſi, ſed quæ in ærea aut argentea Alexander mutauit: & hoc iis apud Curtium obiicit : *Lignea enim vaſa deſiderant: & ex cratibus ſcuta.* An non Itali & ipſi Romani? Dicas ex Virgilio, qui de Italis:

—— * *flectúntque ſalignas*

Vmbonum crates alij.

Ex Lucano, de Romanis Arimini:

—— *nudâ iam crate fluentes*

Inuadunt clypeos.

Intellegit vetuſtos & pelle ſciſſâ & fluidâ iam deſtitutos. *Crates* vterque dicit : quæ vox tamen & in tabellarum textum conuenire poteſt. Scuta tamen rotunda & equeſtria, cùm * Salluſtius, tum Dio, indicare videntur (leuitatis fortaſſe cauſâ) talia fuiſſe. Dio ſic de Salouidieno, qui cymbas quaſdam contra Sextum Pompeium ridiculè inſtruxit : Δερμάτινα πλοῖα, κατὰ τοὺς ἐν ὠκεανῷ πλέοντας, ὀνομάσας ἐπεχείρησεν, ἔνδοθεν μὲν ῥάβδους αὐτὰ λύγοις διαλαμβάνων, ἔξωθεν δὲ βοὸς δέρμα ὠμὸν, ἐς ἀσπίδος κυκλοτεροῦς τρόπον, περιτείνων : *Coriacea nauigia, vt ſolent ij qui Oceanum nauigant, facere eſt aggreſſus, introrſus ea virgis lentibus intexens, extrorſus verò bouis crudum corium, in modum rotundioris clypei, circumponens.* Cum rotundo clypeo diſertè comparat; qui equitum ferè fuit. Sed heus tu, cur non me reuocas euagantem? & nónne hæc extra Polybium? A v n. Non extra hiſtoriam aut militiam: & ſint vtique illuſtrandæ. Quin ad tales excurſus liber eſto, & iam nunc mappam tibi

mitto. LIPS. Reduc & contrahe. non enim lubet extra viam: ipſa longa affatim, & fatigat. Pergo.

,, *Taurino glutino.*] Quod & linteum tabellis iunxit (de quo hoc in Polybio:) & tabellas ipſas inter ſeſe. Denique & corium firmauit. Auſonius:

Tergora dic clypeis accommoda quid faciat? glux.

Videtur & neruo aut ferro vinxiſſe. ex Tacito: *Ne ſcuta quidem ferro neruóue firmata.* Sed *ferrum* referri ad orbem circumpoſitum poteſt, de quo Polybius tangit, vel ad Vmbonem: *nerui*, non niſi huic rei & tabulis vinciendis fuiſſe videntur.

,, *Vituli bouiſue corio.*] Potiùs profectò *bouis*: & id robuſtius: tamen quia μοσχείῳ δέρματι in Græco eſt, de *vitulo* quoque expreſſi. Corij huius inducti apud Græcos Latinosque mentio, & crebertimè poëtas: qui coria etiam multiplicant & adaugent. Exempla illa omitto. Propriè ad Polybium & ad verum, Statius:

Nec pudor emerito clypeum veſtiſſe iuuenco.

Idem: ——*graues clypeos caſis veſtire iuuencis.*

Sed & Liuius teſtimonium, in re miſerabili, ſuggerit, de obſeſſis Caſilini ab Annibale: *Poſtremò ad id ventum inopiæ eſt, vt lora detractáſque ſcutis pelles, vbi feruidâ molliſſent aquâ, mandere conarentur.* Accuſarem cupidinem vitæ, niſi quòd à conſtantiâ non ab ignauiâ fuit. Silius idem de Saguntinis:

——*reſolutaque nudos*
Linquentes clypeos armorum tegmina mandunt.

Hegeſippus de Iudæis, qui in vrbe ſacrâ à Veſpaſiano obſeſſi: *Et cum alia famis ſolatia non reperirent, detrahebant coria ſcutis, vt cibo eſſent ſibi quæ præſidio non eſſent.*

,, *Ferreum munimentum.*] In Polybio, σιδηρῶν ἐπίσωμα: quæ vox *labrum* & extremitatem talem notat: propriè tamen *Spina* inſtar tenuem bracteam aut lamellam. Martialis: *Hoc linitur ſputo Iani caryota Kalendis.* Suidas ipſum hunc Polybij locum, opinor, reſpiciens: Σιάλωμα, σιδηρᾶ περιφέρεια τοῦ ῥωμαϊκοῦ θυρεοῦ: *Sialôma, ferreus ambitus Romani ſcuti.* Vult idem Heſychius: Σιάλωμα, μέρος τι τοῦ ὅπλου τοῦ καλουμένου θυρεοῦ: *Sialôma, pars aliqua armaturæ, quam Scutum dicunt.* Plutarchus λεπίδα dixit, & auctorem huiuſce rei Camillum fecit. Ille in pugnâ contra Gallos, quorum immanes gladios timebat, cùm alia machinatus eſt, tum iſtud. Τοῖς θυρεοῖς, inquit, κύκλῳ περιήρμοσε λεπίδα χαλκῆν, τοῦ ξύλου κατ' αὐτὸ τὰς πληγὰς μὴ στέγοντος: *Scutis laminam ferream in orbem adaptauit, ligno ſolo ictus parùm ſuſtinente.* Ergo hæc cauſſa vna & prima rei, altera quam Polybius adiungit, ad ſcuti tutelam & ſeruamen. Inclinabant enim ſæpe in terram, & ferè ſic ante tentoria aut in excubiis habebant, pilis etiam (quod marmora nos docent) acclinatis. Ne ergo putriſceret lignum, munimen à ferro.

,, *Ferreus vmbo.*] Ita plurimùm & vulgò, è ferro. At poëtæ aureum etiam faciunt. vt Virgilius:

——*vaſtos vmbo vomit aureus ignes.*

Sed & Sidonius poſteriore æuo reipsâ ſic fuiſſe oſtendit. *Clypeorum lux in orbibus niuea, fulua in vmbonibus, ita ſenſum prodebat vt ſtudium.* Hoc ille de Sigimere iuuene regio, eiuſque comitatu ſelecto: & ſatis indicat ditiores argentum in ambitu, & aurum in vmbone geſtaſſe: Non is luxus olim. Vmbonem autem certum eſt mediam illam partem ſcuti dictam, quæ protuberat & exſeritur cum rotundo tumore. Ideò Vmbo, quod Græcis eſt ἄμβων. Montes & eminentias hac voce Statius poëta ſæpe appellat, quod iure ſuo doctus Scaliger nos docuit in Varronem. Sed & Latini veſtis poſitum, qui ad pectus exibat in tumorem, ſic dixerunt. Tertullianus: *Totum contractis vmbonis figmentum.* Iterùm: *Recogniro rurſus vmbone, & ſiquid exorbitauit reformato.* Perſius:

——*totáque impunè Suburrâ,*
Permiſit ſparſiſſe oculos iam candidus vmbo.

De tirone loquitur, qui in viros tranſcriptus, & depoſitâ prætextâ candidam togam ſumpſit: vnâ cum eâ etiam libertatem. Non aliter ego illa interpretor. Apuleius huc etiam ducendus: *Palla ſub dextrum latus ad humerum læuum recurrens, vmbonis vice, dejectâ parte laciniæ, multiplici contabulatione dependebat.* Et Gloſſæ priſcæ: *Vmbilicus*, ὀμφαλὸς ἀσπίδος, τεβεννος: an non corrigendæ? *Vmbo*, ὀμφαλός. Nec enim *Vmbilici* vocem profectò temerè in vtrâuis ea notione leges.

,, *Ictus auertit lapidum.*] Atque vſus alter, quòd auertat etiam hoſtes. Nam in conflictu & pugnâ cominus vrgebant eo, ad impulſum. Suetonius de Acilio animoſo milite: qui *abſciſſâ dextrâ, tranſiliuit in nauem, vmbone obuios agens.* Curtius: *Totam aciem pauore ſuo fluitantem vmbonibus poſſe propelli.* Liuius: *Vmbonibus incuſſáque alâ ſternuntur hoſtes.* Iterùm: *Alâ deinde & vmbonibus pulſantes.* Vbi Alam etiam dicit partem illam humeri brachiique, adiutricem in hoc niſu. Quid, quòd ipſa incurua illa pars, Vmbo? Fallor, aut ſic Statius:

——*clypeum non ſuſtinet vmbo*
Mutatum ſpoliis.

De Tydeo ait, defeſſo à pugnâ & vix arma ſuſtinente. Ibi Luctatius: *Hic vmbonem pro humero poſuit, aut pro manu.* Martialis conſimiliter, de Valente ſuo liberto: *In turbam inciderit, cunctos vmbone repellet.* Profectò iſta pars brachij eſt, proiecta & incuruans. Satis de Scuto, pro Polybij quidem mente. AVD. Non etiam pro meâ. LIPS. Quid abeſt, aut ames igitur? AVD. Principium & inductionem ſcuti, ob Liuij verba (in mente habeo) quæ me torquent. Nam cùm illa de * Ordine legebamus, hæc quoque erant: *Clypeis anteà Romani vſi ſunt, deinde poſtquam ſtipendiarij facti ſunt, ſcuta pro clypeis fecêre.* Ergóne tunc demum ſcuta introducta, cùm ſtipendia, id eſt obſidione Veienti? Atqui ipſe Liuius aliter, & iam in armandis claſſibus Seruianis, dat primori dumtaxat *clypeos* (ἀσπίδας ἀργολικὰς Dionyſius:) reliquis *ſcuta*, quos θυρεοὺς idem ibi Græcus. Sed & ſæpius anteà Scutorum mentio. LIPS. Me ſpectas? propè eſt vt negem reſpondere ad talia quæ abducunt extra Polybianum campum. Sed tamen quia in margine hæres, fiat. Tetigi ſuprà leuiter de ſenſu verborum Liuij, qui non eſt (vt verba aſpecta præferunt) quaſi anteá clypeis tantùm Romani vſi, poſteà ſcutis. Id verò falſum: ſed quod vtrumque genus in vſu anteà, poſtinde ſola ſcuta. Breuiter hæc ſententia. Origo igitur Scutorum à regibus, imò à primo ipſo rege, ſi fidem habes Plutarcho. Ille ſic de Romulo: Θυρεοῖς τῶν Σαβίνων ὁ Ῥωμύλος ἐχρήσατο, καὶ μετέβαλε τὸν ὁπλισμὸν ἑαυτοῦ τε καὶ Ῥωμαίων πρότερον ἀσπίδας ἀργολικὰς φορούντων: *Scutis Sabinorum Romulus eſt vſus, & mutauit ſua ac Romanorum aliorum arma, antea clypeos Argolicos ferentium.* Id verò palàm contra Liuium, & iſto auctore diu permutatio hæc ante Veiens bellum; tunc ſcilicet cùm accepti, vnà cum Tatio, in vrbem Sabini. Sed poteſt vterque verum dicere. & fuit ita ſub Romulo, mutatum à Seruio; iterúmque mutatum, obſidione Veientum. Tamen ex Græco illo dixeris, ortum & notitiam ſcuti eſſe à Sabinis. At negat alius Græcus, Athenæus: qui inter ea quæ Romani à variis gentibus hauſêre: Παρὰ Σαυνιτῶν, inquit, ἔμαθον θυρεοῦ χρῆσιν: *A Samnitibus didicêre ſcuti vſum.* Cæſar apud Salluſtium huic ſtare videatur: *Armatáque tela militaria à Samnitibus ſumpſimus.* Nam Arma & Tela nominat: atque illa propriè ſcutum eſſe ſcimus,

Poris à Sabinis. A eáque quæ ab armo feruntur. Tamen ad Plutarchum magis ego eam, & à Samnitibus abiungam. Quid ita? cauſſâ duplici. Priore, quòd diu ante Samnitas notos, aut certè bello notos, in vſu Romanis ſcuta. Plutarchus, Dionyſius, Liuius, teſtes ſunto. Nam iſti bello non tentati ante annũ vrbis ccccx. diu antè promiſcua iam ſcuta, ſi illis fides. Alterâ, quòd etiam forma ſcuti Samnitici diſſedit à Romani.

Lib. IX. Ita enim de illo Liuius: *Forma erat ſcuti* (Samnitici) *ſummum latius, qua pectus atque humeri teguntur, faſtigio æquali ad imum cuneatior, mobilitatis cauſſâ.* Facilis intellectu hæc deſcriptio, & videmus etiam in maiorum noſtrorum inſignibus aut monumentis hæc talia ſcuta. Sed enim Romanum diuerſiforme fuit, & quale dixi: non ergo meâ ſententiâ Samnitibus.

Iterùm à Liguribus Lib. XLIV. B An non à Liguribus? dicet aliquis. ita enim Liuius præire videtur, & viri docti ſuper ex eo affirmarunt: *Stabilior aut parmâ aut ſcuto Liguſtino Romanus erat.* En apertè diſtinguit, Romaniſque tribuit & *Parmam* (nempe leuibus) & *Scutum*, (grauibus) ſed *Liguſtinum*.

Fallax Liuij ſcriptũ. Nolo imponant tibi verba, aut viri cetera curioſi & docti.

Id contra vetus docte explicatum. Hîc glaucoma in eorum oculis, & remonebo. Liuius ibi de leui tantùm milite agit, nihil de graui: Cur igitur ſcutum à parmâ diuidit? diuidit, ſed Liguſtinum. Scito igitur, totam illam à Liuio memoratam ibi pugnam, ſolius leuis armaturæ vtrimque fuiſſe. Et à Perſeo, inquam, & à Romanis, graues non concurrerunt. Liuius hîc defectus & mutilus, eóque minùs id ex eo ſtatim liqueat; at purissimè è Plutarcho, qui pugnam eam deſcribit. Is facit C Romanos Velites pugnaſſe, & vnà cum iis *ſeptingentos Ligures:* qui leuius ſcilicet armati, & ideò expreſſim hîc Liuius *Parmam* nominat, quæ Velitum; *Scutum Liguſtinum*, quod eius gentis.

Forma ſcuti Liguſtini. Lib. V. Quod diſſidet Romano. Quale id fuit: è Diodoro diſcas, & totam hanc litem ſopias: Ὁπλισμοὺς ἔχουσιν οἱ λίγυες ἐλαφροτέρους τῶν ῥωμαίων τῇ κατασκευῇ. σκεπάζει γὰρ αὐτοὺς ἐπιμήκης θυρεὸς εἰς τὸν γαλατικὸν ῥυθμὸν δεδημιουργημένος, καὶ χιτὼν συνειλημμένος ζωστῆρι. καὶ περιτίθενται θηρίων δορὰς καὶ ξίφος σύμμετρον: *Armaturam habent Ligures leuiorem Romanâ. Tegit enim eos ſcutum longum, ad Gallicum modulum factum, & tunica cingulo adſtricta. Circumponunt etiam pelles ferarum, & habilem gladium.* Ecce habes Scutum Liguſtinum, & ſimul leuiter armatos Ligures fuiſſe.

Correctus Suidas aut Polybius. Fragmentum in Suidâ reperio, quod huc facit, ſi corrigas: Τῇ δυνάμει τῆς πάρμης καὶ τῶν λιβυστικῶν θυρεῶν ἀντεῖχον ἐρρωμένως οἱ ῥωμαῖοι: D *Firmitate parmæ & Lybicorum ſcutorum fortiter reſiſtebant Romani.* Itáne Lybica ſcuta Romanis? nulla. Scribe λιγυστικῶν: & ſcito è Polybio fragmentum eſſe hanc ipſam velitarem cum Perſeo pugnam denarrante. Ex eo deinde vertit, vt ſolet, pænè verbatim Patauinus. Hæc ita vera me dixiſſe ipſe Liuius etiam ſuggeret, qui paullò pòſt adiungit, *Pugnatum vtrimque leui armaturâ eſſe.* Faceſſite igitur ſcuta Liguſtina à Romanis. AVG. Gaudeo quòd abduxerim, tu me reduxiſti, atque alios fortaſſis, errantes. LIPS. Vtinam me quoque alius, cùm opus, ſed clementer! Nam noſtri plerique hodie Archilochæi ſunt, & gaudent ἰαμβίζειν.

E

DIALOG. III.

Gladius Hiſpanienſis. Origo, Vſus, Bonitas.

SEQVOR nos ad Polybium. Dat ſecundò grauiori militi Gladium, & eum ſic depingit:

POLYB.

Ἅμα δὲ τῷ θυρεῷ μάχαιραν, ταύτην δὲ περὶ τὸν δεξιὸν φέρει μηρόν. καλεῖται δὲ αὐτὴν ἰβηρικήν. ἔχει δὲ αὕτη κέντημα διάφορον, καὶ καταφορὰν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν βιαίαν, διὰ τὸ τὸν ὀβελίσκον αὐτῆς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον εἶναι.	*Vnà cum ſcuto gladium imperant, quem fert ad dextrum femur. Appellant Hiſpanienſem, habétque mucronem eximiũ, & ictum vtrimque validũ, quoniam lamina eius firma eſt & ſtabilis.*

,, *Gladium imperant.*] Gladium, inquit, non ergo plures, etſi poſteà ita fuit. Nam ſequenti æuo minorem etiam alium ferebant, quem *Pugionem* Latinâ voce Tacitus dixit, alij Græcanicâ, *Parameriũm*, aut *Parazonium*, quia ad femur ſcilicet aut zonam penderet. De hoc quia nihil Polybius, omitto.

,, *Fert ad dextrum femur.*] Nouum eſt noſtris moribus, & videntur eſſe quæ reſiſtant. Primùm, quomodo facilis ea eductio? quomodo vagina inibi non impedimento ad pugnam? Sed & Ioſephus contrà, de ipſis Romanis: Οἱ μὲν πεζοὶ, inquit, μαχαιροφοροῦσιν ἀμφοτέρωθεν. μακρότερον δὲ αὐτῶν τὸ λαιὸν ξίφος πολλῷ, τὸ γὰρ κατὰ δεξιὸν σπιθαμῆς οὐ πλέον ἔχει μῆκος: *Pedites vtrimque gladium geſtant. Longiorem quidem illum ad ſiniſtrum latus: nam qui ad dextrum eſt, palmi ſiue duodecim digitorum menſum non excedit.* Nónne clarè longiorem, id eſt Hiſpanienſem iſtum, ad lævam ponit? Sed & cum eo Sidonius, vbi vrbem Romam armat:

——— bullis hoſtilibus aſper
Applicat à lævâ fulgentem balteus enſem.

Quis autem ambigit, quin Romam ornet pro Romano more? Amplius, ſub ipſum Polybij æuum nũmos reperio, in quibus gladij ſunt ſiniſtri. Hæc cùm ita ſint, olim dubitaui ecquid iſta Polybij vera ſatis aut ſana. Nunc minimè, & eò deſcendo vt mutaſſe hanc rem cenſeam, & aliter atque aliter geſtaſſe. Certè quin Ioſephi, id eſt Flauiorum, æuo ita fuerit vt ſcribit, gladij nempe ſiniſtri, non eſt ambigendum: & fortaſſe id introductum, cùm Gladioli aut Parameria introducta. Etſi parùm etiam firmiter. nam ecce in columnâ Traiani pleroſque militum cinctos iterùm pro priſco ritu dextros video, idémque in Antonini: etſi Imperator tamen ipſe & Tribuni habent ferè ſiniſtros. Omnino variauit ea res. & cur in Romanis ita miremur, quod non in Gallis? Nam ij quoque certò dextros geſtarunt, quod Strabo & Diodorus clarè ſcribunt. Atqui incommoda eductio. Non in Romanis quidem; qui nec longi nimis erant, & ab humero non à medio cingulo pendebant. Denique credo eos ſpectaſſe ſcuti vſum, præcipui inter arma. Id impediri videbatur eiuſque frequens motio, ſi gladius aut vagina ſub brachio ſiniſtro. Non ergo, inquies, in pugnâ idem, cùm vagina ad dextrum? Reciprocatio enim brachij ad ictus impedita. Fateor, nec habeo quod dicam, niſi reijci ſolere tunc ponè tergum. Vno verbo, arbitraria hæc res fuit, & vtrimq. cauſſæ.

,, *Appellant Hiſpanienſem.*] Paſſim quidem & crebrò: ſed quid ita ante Hiſpanos etiam notos? Vt Liuius in pugnâ Manlij illâ veteri cum Gallo: *Manlius Hiſpano cingitur gladio.* In eadem re Quadrigarius: *Scuto pedeſtri & gladio Hiſpanico cinctus contra Gallum conſtitit.* Vterque diſertè notat de Hiſpanico, me mirante. Vnde is tunc? quæ commercia? cùm Romani nec in Italia ſua domini etiam eſſent. At intellegunt formâ Hiſpanici fuiſſe. Nec id quidem dicet ſcriptor incertus apud Suidam (an non ipſe Polybius?) qui hanc quoque refert ad tempora Annibalis & ſecundi Punici belli. Tunc ſcilicet, cùm Romani

vires

Videntur ab Hannibale illatus.

A vires & conſtantiam experti militiæ Hiſpanicæ, adſumpsêre hunc enſem. Verba ſunt: Οἱ δὲ Κελτίβηρες τῇ κατασκευῇ τῶν μαχαιρῶν πολὺ διαφέρουσι τῶν ἄλλων. καὶ γὰρ κέντημα πρακτικὸν καὶ καταφορὰν ἔχουσι δυναμένην ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν. ᾗ καὶ Ῥωμαῖοι τὰς πατρίους ἀποθέμενοι μαχαίρας ἐκ τῶν κατ' Ἀννίβαν μετέλαβον τὰς τῶν Ἰβήρων, καὶ τὴν μὲν κατασκευὴν μετέλαβον, αὐτὴν δὲ τὴν χρηστότητα τοῦ σιδήρου καὶ τὴν ἄλλην ἐπιμέλειαν οὐδαμῶς δύνανται μιμεῖσθαι: *Celtiberi paraturâ gladiorum longè aliis antecellunt. nam & mucronem validum habent, & ictum potentem ex vtrâque parte. Quare & Romani vſitatos & patrios gladios deponentes, a temporibus Annibalis iſtos Hiſpanorum aſſumpſerunt. Et formam quidem aſſumpſerunt, ipſam vero bonitatem ferri & aliam accurationem nequaquam imitari potuerunt.* Hæc ſi vera (puto eſſe:) quid pro Liuio aut Claudio? vnum. appellaſſe eos gladium Hiſpanicum, ipſum pedeſtrem: non quia re ipsâ talis eſſet, ſed quoniam Manlius eques, depoſitâ parmâ, & longiore ſuo gladio (talis equitum, vt videbimus) ſumpſit pedeſtre ſcutum, & gladium breuiorem, Hiſpanicum poſteà dictum. Si tibi color melior, alline. B

Punctim gladio vſi.

,, *Habet mucronem eximium.*] Quo Romani etiam maximè vſi, & Hiſpani hodie, etſi gladij eorum aliâ priſcis formâ. Polybius: Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι οὐκ ἐκ καταφορᾶς, ἀλλ' ἐκ διαλήψεως ὀρθαῖς χρώμενοι ταῖς μαχαίραις, πρακτικοῦ τοῦ κεντήματος ὄντος αὐταῖς ὑπάρχοντος, τύπτοντες εἰς τὰ στέρνα καὶ τὰ πρόσωπα διέφθειραν τοὺς πλείστους: *At Romani non cæſim ſed punctim rectis gladiis vtentes, mucrone ad hanc rem efficaci, ferientes in pectora & facies, pleroſque interfecerunt.* Scribit facies petiiſſe: ne primus Cæſar hoc iuſſerit Pharſalicâ illâ pugnâ, *Miles faciem feri.* De Hiſpanis, Liuius: *Gallis prælongi gladij ac ſine mucronibus, Hiſpano punctim magis quam cæſim aſſueto petere hoſtem, breuitate habiles, & cum mucronibus.* Et vtilitatem huius rei in Vegetio habes. *Non cæſim,* inquit, *ſed punctim tirones ferire diſcebant: Nam cæſim pugnantes non ſolum facilè vicêre, ſed etiam deriſêre Romani. Cæſa enim quouis impetu veniat, non frequenter interficit, cùm & armis vitalia defendantur & oſſibus: at contrà puncta duas vncias adacta mortalis eſt. Deinde dum cæſa infertur, brachium dextrum latúſque nudatur: puncta autem tecto corpore infertur, & aduerſarium ſauciat antequā videat.* Bonæ & veræ cauſſæ. &, quod ipſe quoque notat, hac re facilè vicêre C eos qui pugnabant cæſim. Dio Caſſius tetigit pugnâ Iulianâ in Ariouiſtum: Τά τε γὰρ ξιφίδια αὐτῶν (Ῥωμαίων) καὶ ἐμβραχύτερα τῶν γαλατικῶν ὄντα, καὶ τὰς προσβολὰς χαλυβδικὰς ἔχοντα, χρησιμώτατα σφίσιν ἐγένετο: *Gladioli enim Romanorum & breuiores Gallicis, & mucrones e chalybe habentes, vtiliſsimi iis fuerunt.* Appellat ξιφίδια, *gladiolos*, aſpectu ad Gallorum illos immanes: & re ipsâ fuerunt haud magni. D

Lib. xxii

Puncta vtiliora.
Lib. I. cap. xii.

Lib. xxxviii.

Forma gladij Hiſpanici.

,, *Ictum vtrimque validum.*] Nota, *vtrimque*: & hinc facilè formam faciemque Romani gladij colligas, qualis ferè hodie eſt noſter equeſter. Appâret ita in monumentis priſcis: etſi in iiſdem etiam acie ſimplici, & ſupernè leuiter pandus, ad Orientalem aut Turcicam formam. Sed iſte rarior, & Polybio nunc ignotus. Ad cæſam igitur ſeruiit etiam hic gladius: &, vt res erat, Romani ambifariam vſi. Polybius, vbi Romanam militiam & arma cum Macedonū comparat: Τῇ μαχαίρᾳ ἐκ μεταφορᾶς καὶ διαιρέσεως ποιοῦνται τὴν μάχην: quæ ſupinè interpretes (vt pleraque alia) vertit. Ego ſic: *Gladio punctim & cæſim pugnant.* Nam illud ἐκ μεταφορᾶς, *e tranſlatione*; ad punctam refero: & huic ἐκ καταφορᾶς, *ex delatione* aut *demiſſione*, oppono. quia gladius ſcilicet in pungendo reciprocatur & transfertur, in cædendo demittitur. Ἐκ διαιρέσεως autem, cæſa eſt: ad verbum, *ex diuiſione.* quia ictus ille E

It ad cæſam quoque vtilis.
Lib. xvii.

A diuidit ſcilicet abiungitque. Tamen vide an non verius ſit, ἐκ διάρσεως, *e ſublatione*: quod Polybius alibi vſurpat in hunc ſenſum. Scribit de Gallis: Ἴδιον τῆς γαλατικῆς χρείας, ἡ ἐκ διάρσεως μάχη: *Proprium Gallicam vſus, pugnare cæſim.* Fateor tamen in Suidâ alibi & fragmentum hoc legi: μαχόμενοι ἐκ διαιρέσεως ταῖς μαχαίραις: ſed hoc quoque fortaſſe malè. De vehementiâ autem ictus exempla in Senecâ: *Galeam machærâ Hiſpanâ diuiſam.* Io Liuio: *Poſtquam gladio Hiſpanienſi detruncata corpora, brachiis abſciſſis aut totâ ceruice deſecta, & fœditatem aliam vulnerum viderunt.* Affirmatio in Diodoro: Οὔτε θυρεὸς, οὔτε κράνος, οὔτε ὀστοῦν ὑπομένει τὴν πληγήν: *Neque ſcutum, neque galea, neque oſſum ſuſtinet ictum.* Plutarchus cum eo, pugnâ Æmilij in Perſen: Μάχαιραι ἐκείνων ὑπὸ βάρους καὶ καταφορᾶς διὰ παντὸς ὅπλου χωροῦσαι ἐπὶ τὰ σώματα: *Gladij illorum (Romanorum) grauitate & ictu per omnia* B *arma ad corpora peruadentes.* Ait, *grauitate.* ergóne tam magni? minimè, ſed craſſiuſculi potius & firmi. Sculpturæ veteres ſic oſtendunt, & eruitos è terrâ ipſi vidimus, qui duos pedes in laminâ non explebant. Haud fruſtrà ergo Liuius dixit, *breuitate habiles*, idémque, *ad propiorem habiles pugnam*: Dio ξιφίδια, *gladiolos*: & Lucanus *exiguos*, iſto verſu:

Cantaber exiguus, & longis Teutonus armis.

Nec enim de Scutis acceperim, quæ Hiſpanis Gallíſque pæne eiuſdem formæ: magis de hiſce gladiis, qui ſic diuerſi.

Lib. II.

Vis gladij Hiſpanici.
Lib. v. De benef.
Lib xxxi.

Lib. v i.

In Æmil.

Breues fuere.

Lib. v i.

DIALOG. IV.

C *Pilum totum deſcriptum. magnitudo, forma, violentia: & ſiquid mutatum.*

TERTIVM inter arma *Pilum*: quod Polybium licet audias deſcribentem. Lege:

POLYB.

Πρὸς δὲ τούτοις ὑσσοὶ δύο καὶ περικεφαλαία χαλκῆ, καὶ προκνημίς. τῶν δ' ὑσσῶν εἰσὶν οἱ μὲν παχεῖς, οἱ δὲ λεπτοί. τῶν δὲ στερεωτέρων, οἱ μὲν στρογγύλοι παλαιστιαίαν ἔχουσι τὴν διάμετρον. οἱ δὲ τετράγωνοι, D τὴν πλευράν. οἵ γε μὴν λεπτοὶ σιβυνίοις ἐοίκασι συμμέτροις, οὓς φοροῦσι μετὰ τῶν προειρημένων. ἁπάντων δὲ τούτων τὸ ξύλον τὸ μῆκός ἐστιν, ὡς τρεῖς πήχεις. προσήρμοσται δ' ἑκάστοις βέλος σιδηροῦν ἀγκιστρωτὸν, ἴσον ἔχον τὸ μῆκος τοῖς ξύλοις, οὗ τὴν ἔνδεσιν καὶ τὴν χρείαν οὕτως ἀσφαλίζονται βεβαίως, ἕως μέσων τῶν ξύλων ἐνδέοντες, καὶ πυ- E κναῖς ταῖς λαβίσι καταπερονῶντες, ὥστε μὴ πρότερον τὸν δεσμὸν ἐν ταῖς χρείαις ἀναχαλασθῆναι, ἢ τὸν σίδηρον θραυσθῆναι, καίπερ ὄντα τὸ πάχος ἐν τῷ πυθμένι, καὶ τῇ πρὸς τὸ ξύλον συναφῇ τριῶν

Præter hæc, pila duo. & galea area, & ocrea. Pilorum autem alia ſunt craſſa, alia tenuia. E craſſis & firmioribus, iterùm alia rotūda, quæ palmarem habent diametrum, alia quadrangula, quæ latus. Tenuia autem ſibynis modicis aſsimilantur, quæ ferunt vnà cum prædictis. Omniū verò iſtorum longitudo ligni, ferè tria cubita. Aptatur ſingulis telum ferreum, hamatum, longitudine par ipſi ligno; cuius nexum vſionémque ita validè firmant, ad medium vſque ligni inſerentes, & crebris fibulis adſtringentes, vt non priùs deuinctio illa inter vtendum ſoluatur, quàm ipſum ferrum deſringatur. & ſi id craſsitiem habet in parte inferiore, & quà ligno infigitur

A ἡμιδακτυλίων, ὅπως τοῦ τοιαύτην πρόνοιαν ποιοῦνται τῆς ἐνδέσεως. *digiti & ſemis. Intantum & tam prouidè curant hanc connexionē.* Suſtine,& iam me audi. Ait:

De voce ὑσσός.

,, *Præter hæc pila duo.*] Pila rectè verto, quod eſt in illo ὑσσός. At Laſcaris,& eum ſecuti alij, *Veruta.* Quis hoc dabit? quis non videt obnubilari aut eripi germanam *Pili* deſcriptionē, alienâ hac voce immiſsâ? Imò ὑσσὸς Plutarcho, Dionyſio, Appiano, noſtro aſſiduè, eſt *Pilum.* Res ipſa vociferatur:&, nónne hîc legionarium militem armat, cuius proprium miſſile eſt Pilum? Inde Silius ſanè quàm commodè Latinos ſic adornat:

Ita pilum in Latio peculiare Romanum, Lib. VIII.

B *Non illis ſolitum criſpare haſtilia campo,*
Nec mos pennigeris pharetram impleuiſſe ſagittis,
Pila volunt, breuibúſque habiles mucronibus enſes,
Ære caput tecti ſurgunt ſuper agmina criſtis.

Latini, inquit, non haſtas ſpargunt, non ſagittas; ſed pila iis telum,& breues Hiſpanici gladij, tum galea & criſtæ. Eſt ipſe legionarius miles expreſſus. Sed & in Vegerio *Pilata legiones veterum*: & in Feſto, *Pilumnus populus* explicatur ipſe Romanus, *velut pilis vti aſſuetus.* Et quis populus præter eos vſus? Gloſſæ huc faciunt: *Pilum*, ὑπερῷον, ῥωμαϊκὸν δόρυ: *cænaculum,& Romanum telum.* Duplex interpretamentum dant; poſterius clarè verum, prius vitio exſcriptoris obſcurum aut falſum. Nam quid hoc noui aut monſtelli eſt, *Pilum* ſignificare *cenaculum*? Græca tamen vox id ſonat, ſed leuiter mihi reformanda in ὕπερος: quod valet *piſtillum.* Ita ſanè. Pilum, inquit Gloſſographus optimus, duo notat, & *piſtillum & telum.* Nihil hîc dubium. atque adeò Varro Pilum pro telo vſurpari cœptum vult ab illo. *Pilum enim dictum*, inquit, *ab omine quod hoſtes feriret, vt pilum.* Ea lectio mihi proba. & ſicut inſtrumento illo ruſtico aut cibario teri frangíque frumenta ſolent, ſic iſto hoſtes. Inde captum omen,& vox tralata in bellum. Alij tamen reſcribunt, *quòd hoſtis periret, vt perilum*: mihi quidem minùs probè.

Corrupta Gloſſa. Emendata.

C

Varro illuſtratus. IIII. de L. L.

,, *Pila duo.*] Quem numerum poëtæ, vt ſolent, tangunt. Virgilius:

Quot Pila miles. I. Æn.

Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.

Et Statius:

VI. Theb. Duo valens.

D *Qua duo ſola manu geſtans, acclinia monti*
Fixerat, intorquet iacula.

Sed & Vegetius apertè: *Habebant bina miſſilia, vnum maius quod Pilum vocabant,& aliud minus quod Verutum.* Diſſenſu tamen aliquo eum Polybio, quòd is videatur duo maiora pila dare militi, alterum rotundum, alterum quadrum. Si tamen is eius ſenſus. Cur non ambigam? pleraque hîc breuiter aut obſcurè dicta: ſicut hoc ipſum quod ait, *tenuia tuliſſe eos vnà cum prædictis.* Quid? an præter duo maiora, etiam tenuia? An ex Vegetij mente, cum vno maiorum, alterum minus? Hoc magis credam, ne nimis manum iis impleam aut onerem. Quod tamen Vegetius de Veruto addit & diſtinguit: vix ſcio an ita veteres. Imò ex Polybio & Liuio communiter hæc dicta Pila.

Lib. II. cap. XV.

Diſcrimen Vegetij notatum.

,, *Rotunda, quæ palmarem habent diametrum; quadrangula quæ latus.*] Fateor adhæſiſſe me in his verbis, nunc expedio. Dicit, Rotunda quidem palmarem diametrum habuiſſe; at quadrata, totum ambitum ſiue omne latus. Ita enim id accipiendum, etſi aliter videatur dictum. nam ſi quodque latus in his palmare; profectò ſedecim digitorum ambitus fiat, nullâ manu commodè ſtringendus. Sed nec proportio vlla ferri tunc ad lignum: cùm adiungat illud fuiſſe digiti & ſemis: qui modus quid ad ſedecim? Eſto igitur pro re interpretatio,& fiant Pila χειροπληθῆ, *manum implentia*, vt Dionyſius dixit; non hercules exeuntia & aperientia. Palmus hîc autem παλαιστὴ, digitorum quatuor: qui *quadrans* pedis eſt, vt moret *Trientale latus* Laſcari verſum.

E

Pili craſſities.

,, *Quadrangula.* Quæ crebra magis fuiſſe rotundis videntur. Liuius certè vulgarem hanc Pili formam agnoſcit, vbi de Falaricâ: *Haſtili cetera tereti, præterquam ad extremum vnde ferrum exſtabat. id, ſicut in pilo, quadratum.* Niſi fortè rotunda etiam, eâ parte ſic formabantur. Sed Appianus quadrata ſola agnoſcit, aut quidem deſcribit, in pugna C. Sulpicij cum Gallis: Τὰ δὲ δόρατα ἦν οὐκ ἰσοδῦτα ἀκοντίοις, ἃ ῥωμαῖοι ὑσσοὺς καλοῦσι, ξύλου τετραγώνου τὸ ἥμισυ, καὶ τὸ ἄλλο σιδήρου τετραγώνου, καὶ τοῦδε μαλακοῦ χωρὶς γε τῆς αἰχμῆς: *Erant haſtæ, non ſimiles iaculis, quas Romani Huſſos (imò Pila) dicunt, è ligno quadrangulo parte mediâ, parte reliquâ è ferro quadrangulo, atque eo molli, excepto mucrone.* Breuis, ſed bona deſcriptio. in qua quod negat *ſimilia iaculis fuiſſe*, ferri hoc ſenſu poteſt, non ſimilia ſcilicet vulgaris leuibúſque iaculis. Alioqui profectò ſimilia ſunt, imò ipſa iacula: & ſuſpicetur aliquis reſcribendum potiùs, * ἦν ἦν ἰσοδῦτα, ſententia aiente. Addit *Mediam partem è ligno, aliam è ferro*: & conſonat cum iis quæ Polybius hoc loco. Hoc diſſonat, quòd molle ferrum facit, credo ad inflexum,& vt in Velitum haſta. At nihil tale noſter, etſi poſteà opinamur ſic fuiſſe.

,, *Sibunis modicis aſſimilantur.*] Variè vox ſcribitur, in primâ aut mediâ ſyllabâ,(i) & (y) alternante. Parùm hoc eſt. ſignificatio quidem certa, venabulum fuiſſe, ſiue iaculum venatorum. Feſtus: *Sibunam appellant Illyrici telum venabuli ſimile.* Ennius: *Illyrici reſtant ſicis ſibuniſque fodientes.* Qui vult vocem, vt vides, Illyricam fuiſſe. cur non magis Græcam, certè Græcis iam olim tritam? Et ipſi Illurij finitimi tunc, opinor, Græciſſabant;&, extra controuerſiam, ipſe Ennius. Magiſtri igitur Græci paſſim explicant & oggerunt hanc vocem. vt Heſychius: Σιβύνη, ὅπλον δόρατι παραπλήσιον: *Sibuna, telum haſtæ conſimile.* Idem iterùm, ſed preſſiùs: Σιβύνη, καπροβόλιον: *Sibuna, telum figendis apris.* Quo ſenſu Athenæus ſcribit, illatos in conuiuium Carani συάγρους σιβύναις ἀργυραῖς διαπεπερονημένους; *apros ſibunis argenteis tranſfixos*. Cur? tali pompâ vt glorioſus conuiuator oſtenderet verè feros eſſe, nec domi à coquo ſed in ſiluis à venatore cæſos. Legi & in Suidâ: Σιβύνη, δόρατιον ῥωμαϊκόν: *Sibuna Romanum telum.* Quod verum ſit, pro Polybianâ hîc deſcriptione minoris Pili.

,, *Telum ferreum hamatum.*] Siue manis, *vncinatum.* Sententia eſt, hamos retrò mucronem fuiſſe, ne facile eſſet euulſu ſemel impactum telum. Ipſe autem mucro quantus aut quâ latitudine, non dicit: ſuſpicor grandiuſculum fuiſſe, tum pro ferri modo, tum ex Flori verbis. Ait de prima Romanorum pugna cum Philippo Macedonum: *Nihil tamen terribilius fuit ipſo vulnerum aſpectu, quæ non ſpiculis neque ſagittis, neque Græculo vllo ferro, ſed ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladiis, vltra morem* (ſic lege, non *mortem*) *patebant.* Pila vocat *ingentia*, nec *minores iis gladios.* quæ ſi de longitudine capis, quomodo vera? Gladij certè breuiculi, & valdè intra Pili modum. Magis eſt de latitudine dici & comparari,& ita mucrones fuiſſe pænè pares.

,, *Longitudine par ipſi ligno.*] Pluſculum hîc igitur ferri, nec de nihilo Silius hoc iterauit, *pondera pili.* Sed & Tibullus *Lenti* epitheto affecit: cur niſi quia pondus & grauitas tale faciebât, præſertim nec adiutum vllis pennis?

———celerémue ſagittam
Iecerit, aut lento perfregerit obuia pilo.

Oſtendit

Et violentum. Oſtendit & idem vim telo fuiſſe, & obuia ab eo perfracta. Hocquoque Liuius: *Pilum haud paullo quam haſta vehementius ictu miſſúque telum.* *lib. IX.* Cæſar: *Cùm primi ordines hoſtium tranſfixi pilis concidiſſent.* Vegetius magis apertè: *Arte & virtute directum ſcutatos pedites & loricatos equites ſæpe tranſuerberat.* *Lib. II. cap. XV.* Et exemplum in Suidâ ex incerto ſcriptore: Ἐξακοντίσας ὑσσὸν διήλασεν αὐτοῦ τόν τε θυρεὸν καὶ τὸν θώρακα: *Emiſſo pilo perfregit ſcutum eius & loricam.* Sed ad Polybium: *ferrum*, inquit, *par ipſi ligno.* Quod verum eſt: ſed ita, vt ſeorſim non extiterit & prominuerit totus ille modus, ſed pars eius dimidia circiter infixa fuerit vel adfixa ligno. Hoc ſatis oſtendit, cùm dicit *ad medium vſque lignum inſertum fuiſſe.* *Magnitudo pili.* Eminuit ergo in mucronem, & manſit cubitus & ſemis, alter ille modus periit in ligno. Hoc notabis, vt iuſtam magnitudinem totius Pili noris: quæ ex hoc ratiocinio fuit quattuor cubitorum & ſemis, id eſt pedum ſeptem paullo minus. Superauit igitur menſuram hominis: ideóque Silius niti in ea milites facit;

Lib. XIII. *Stabant innixi pilis exercitus omnis.*

Lib. V. Non longè ab hoc modulo Dionyſius abit, cùm Pilum de induſtriâ ſic deſcribit: Ἔστι δὲ ταῦτα (ὑσσοὺς præmiſit) βέλη Ῥωμαίων, ἃ συνιόντες εἰς χεῖρας ἐξακοντίζουσι, ξύλα προμήκη τε καὶ χειροπληθῆ, τριῶν οὐχ ἧττον ποδῶν ὀβελίσκους ἔχοντα προὔχοντας, κατ' εὐθεῖαν ἑκατέρωθεν τῶν ἄκρων, μετρίοις ἀκοντίοις ἴσα σὺν τῷ σιδήρῳ: *Sunt hæc tela Romanorum, quæ cùm in manus veniunt, iaculantur; haſtilia longa & manum implentia: trium non minus pedum mucrones exſtantes habentia rectâ lineâ ab vtroque extremorum; paria mediocribus iaculis vnà cum ferro.* *Dionyſius explicatur.* Verba, quibus inſiſtendum leuiter & examinandum eſt. Ait haſtilia *manum impleuiſſe*: ſuprà monui & diduxi. *Mucrones non minus tres pedes exſtitiſſe*: imò magis, ſi Polybium audis. Et ſanè ſeſquipede toto minus in Dionyſio eſt: an quia æuo eius iam decreuerat? an quia de ipſo exſtante mucrone modò ſentit, nec ferrum metitur quod in ligno? Sed nec ſic conſenſio vſquequaque cum Polybio: & credo reuera æuo hæc talia mutaſſe. Quidni credam? ecce Vegetij aut ſuprà temporibus, ferrum *trigonum* non tetragonum fuit: idemque non niſi *pedale.* *Pilum in ferro decreuit. Lib. I. Cap. XX.* Sic enim ſcribit: *Miſſilia quibus vtebatur pedeſtris exercitus Pila vocabantur, ferro ſubtili trigono præfixa, vnciarum nouem, ſiue pedali, quod in ſcutum fixum non poſſet abſcindi.* Amplius in Dionyſio: *rectâ lineâ ab vtroque extremorum.* Dicit igitur obeliſcos iſtos ſiue mucrones (alij *verucula* reddunt) vtrimque fuiſſe præfixos, vt verba quidem volunt, vel potiùs ij qui verterunt. Nam res & ratio diſſentit. Cur duplex tam grandis ibi mucro? cui vſui, imò quomodo non impedimento ſit? Exiguum ſanè ferrum à pede, ſiue Græcorum σαυρωτῆρα fuiſſe, omnino aſſeuerior, quo ſcilicet in terram poſſet defigi, quod communiter ſolet, ſed non illud ad ictum & longum. Ergo in Dionyſio clariùs legatur, ἐκ θατέρου, *ab altero*: etſi nihil opus eſt, & vulgara quoque dant hunc ſenſum.

,, *Crebris fibulis aſtringentes.*] Quod non miror in longitudine illâ ferri. Puto autem, & Polybius ſubindicat, non tubum ſiue auliſcum fuiſſe tam grandem, *Fibulatio in Pilo.* in quem lignũ immitteretur; ſed potiùs duas vtrimque alas ferreas, quas fibulæ iſtæ comprehenderent & affirmarent. Fibulæ inquam crebræ (palàm in Polybio πυκναῖς λαβίσι) *Diuerſa in Plutarcho.* etſi è Plutarcho dixeris duas modò fuiſſe. Sed, vt verum fatear, Plutarchi totum hoc mihi obſcurum eſt, aut alia valdè ratio illigandi, & in breuiore ferro. Verba eius accipe, ſed fideliter verſa, in Mario: *Dicitur*, inquit, *Marius in pugnâ illâ cum Teutonis primùm innouaſſe hoc de Pilis. Nam cùm anteà immiſſo ligno in ferrum duabus fibulis (*περόναις*) ferreis comprehenſa & obſtricta eſſet; tunc quidem Marius alteram vt erat reliquit; alteram tollens, clauum ligneum fragilem eius loco impoſuit, hoc commentus & ſpectans, vt pilum ſcuto aduerſarij incidens rectum non maneret, ſed fracto ligneo clauo flexus fieret circa ferrum, & telum ob incuruitatem mucronis ſic inhærens traheretur.* *Duæ modò fibulæ.* Clarè adſignat duas tantùm fibulas, nec aliter potuit ad effectum quem denarrat. Fuerint igitur duæ alæ ferreæ, atque eæ vtrimque fibulâ ſuâ comprehenſæ. *Cur altera lignea.* Harum alteram dicit è ligno ſuppoſitam, vt ſcilicet impetu & perruaſione teli incidentis diffracta, ſolueretur ea ala, & ſic inflexâ alterâ telum pendulum & incuruum traheretur. Cui bono? vt impediret ſcilicet pugnantem, & ſcuto is commodè vti non poſſet. Quid ergo? inquies. nónne & antè inhærebat, & impediebat? Ecce in Liuio ante aliquot ſæcula, pugnâ cum Gallis: *Oneratique telis* (Pila præmiſit) *quibus aut corpora transfixa, aut prægrauata inhærentibus gerebant ſcuta.* *Lib. IX.* Hoc ita fuit, ob vncos ſcilicet qui vetabant extrahi pilum aut reuelli. Sed Marius putauit maius impedimentũ hoſti, ſi pilum inflexum, non ita rectum penderet, & motum tranſlationemque ſcuti vetaret. *Flexus in Pilo.* Certè flexio hæc pili poſteà etiam manſit; ſiue à Mariano inuento, ſiue à mollitie & tenuitate ferri, quam Appianus agnoſcit. *I. Gallic.* In Cæſare quidem legis, pugnâ cum Heluetiis: *Gallis magno ad pugnam erat impedimento, quòd pluribus eorum ſcutis vno ictu pilorũ tranſfixis & colligatis, cùm ferrum ſe inflexiſſet, neque euellere, neque ſiniſtrâ impeditâ ſatis commodè pugnare poterant.* Ita & Liuius, pugnâ cum Gallogræcis. *Legionum anteſignani pila coniecerunt. Ij verò non ſolùm vulnerabantur, ſed tranſuerberatis ſcutis, plerique inter ſe conſerti hærebant.* Eſt illud Cæſarianum, & par colligatio conſertióque ſcutorum. Adnoto autẽ amplius, Mariani huius facti memoriam exſtare & in Scholiaſte priſco Horatij, qui hæc poëtæ:

II. Serm. I.

> *———nec enim quiuis horrentia pilis*
> *Agmina, nec fractâ pereuntes cuſpide Gallos,*
> *Aut labentis equo deſcribat vulnera Parthi:*

Hæc inquã poëtæ iſtuc refert. & *Ex hiſtoriâ*, inquit, *de Mario hoc ſumptum eſt. nam Marius aduerſus Santonas* (legendum *Teutonas*) *talia tela commentus eſt, vt fracta mitterentur, ne remitti ab hoſtibus poſſent.* In re, eadẽ Plutarcho dicit; in cauſsâ diſcrepat, & vult fuiſſe ne remitterentur. Vtrumque potuit eſſe, & hæc quoque cauſſa in Velitari telo à Polybio tacta.

DIALOG. V.

De Galeâ, & multiplici criſtâ.

SED perge, & lege:

POLYB. Ἐπὶ δὲ πᾶσι τούτοις προσεπικοσμοῦνται πτερίνῳ στεφάνῳ, καὶ πτεροῖς φοινικοῖς ἢ μέλασιν, ὀρθοῖς τρισίν, ὡς πηχυαίοις τὸ μέγεθος. ὧν προστεθέντων κατὰ κορυφὴν ἅμα τοῖς ἄλλοις ὅπλοις, ὁ μὲν ἀνὴρ φαίνεται διπλάσιος ἑαυτοῦ κατὰ τὸ μέγεθος, ἡ δ' ὄψις καλὴ καὶ καταπληκτικὴ τοῖς ἐναντίοις.

Super hæc omnia adornantur apice plumeo, pennísque puniceis aut nigris, rectis tribus, ad cubiti longitudinem. quæ cùm in ſummo vertice altis armis addiderint, vir duplo maior apparet, & pulchra ea ſpecies fit, hoſtíque formidoloſa.

De Criſtis agit, cùm anteà breuiter & verbo de Galeâ dixiſſet. Eſt in, aiebat, *Galea ærea.* *Galea ex ære.* Tales Liuius & Dionyſius agnoſcunt in Seruiano cenſu. Sed veteres cùm χαλκᾶ aut *ærea* dicunt, ex alio metallo nõ excludunt.

In Camil. dunt. Camillus militibus ſuis ἐχαλκεύσατο (verba Plutarchi) κράνη τοῖς πλείστοις ὁλοσίδηρα καὶ λεῖα ταῖς περιφερείαις, ὡς ἀπολισθαίνειν ἢ καταγνύσθαι τὰς μαχαίρας: *Fabricatus eſt galeas pleriſque totas ferreas, & læues in ambitu, vt gladij aut laberentur in iis, aut frangerentur.* Hoc ille fecit contra Gallos & immanes eorum gladios. Dixeris ergo non omnibus tunc fuiſſe galeas ferro aut metallo ſolido, ſed è corio aut tali materie, ferro aliquo per lineas aut circulos inducto. Forma galeæ. Galearum autem forma, cuiuſmodi paſſim in priſci æui monumentis appâret, hæc. Antrorſum apertæ, & ferè aliquâ eminentiâ, ſed repandi. vnde & Silæ dictæ Feſto: *Silus appellatur naſo ſurſum verſus repando. vnde Galea quoque à ſimilitudine Silæ dicebantur.* Ad latus & malas vtraſque, *Bucculæ* ſic dictæ, quòd buccas Buccula. tegant. Liuius: *Alij galeas bucculaſq; tergere.* Iuuenalis:

———aut fractâ de caſſide buccula pendens.

Lib. xliv. Inde *Bucculary* in Paterno Iuriſconſulto, qui has parant côficiuntq;. Ab imis Bucculis lora, quibus ſtrin- Lib. xiv. gerentur ad guttur & firmarentur. De his Silius:

Caſſidis à mento maleſida vincula rupit.

Lib. iii. epiſt. iii. Item Sidonius: *Alij de concauo tibi Caſſidis exituro flexilium laminarum vincula diffibulant.* Flexiles enim *laminas* Bucculas iſtas vocat, ſic aptas vt penderent à caſſide & flecterentur: *Vincula*, hæc lora, quæ & Sui- Lora in galea. das intellegit, & ὀχεῖς vocat. Ὀχεύς, inquit, ὁ ἱμὰς τῆς περικεφαλαίας, ᾧ συνέχεται περὶ τὸν τράχηλον τοῦ φοροῦντος: *Ocheus, lorum galeæ, quo adſtringitur circa collum ferentis.* Hæ partes Galeæ: atque adnoto, veteres clauſas & vultui appreſſas vndique (more noſtrorum equitum) vix habuiſſe. Inde illa vox Cæſaris, in acie Pharſalicâ, *Miles faciē feri*: quæ ſcilicet, niſi à ſcuti obiectu, nuda. Inde & in Perſis, vt nouum miratur Ammianus: *quòd humanorū vultuū ſimulacra ita capitibus diligēter aptata eſſent, vt imbracteatis corporibus ſolidis, ibi tantùm incidentia tela poſſent hærere, quà per cauernas minutas, & orbibus oculorum affixas, parciùs viſitur, vel per ſupremitates narium anguſti ſpiritus emittuntur.* Sunt pla- Criſta. nè hodiernæ equitum Galeæ: ſed tranſeo ad *Criſtam*, de quâ parte Polybius ſolâ dicit, aliis omiſsis. Quid ita? quia in hac mira & propria quædam ſuperbia an laſciuia Romanorum, & valdè ſibi in iis placebant. Itaque ad hanc eamus. Ait:

Apex pro criſta. » *Apice plumeo.*] Sic reddidi, quod in Græco eſt, πλεχίνῳ στεφάνῳ: quod ad verbum eſſet *corollâ plumeâ*. Sed quia non propriè hæc corolla, malui *Apicem*, & habeo auctores. Virgilium: *Ardet apex capiti.* Statiū: *Et cono Ledæus apex.* Ipſa vox Græca, στέφανος aut στε- In voce πλεχίνῳ. φάνη valet etiam in hunc ſenſum. Nec enim temerè mutauerim, etſi vir eximius ingenioſè (fatendum eſt) fecerit, πλεχίνῳ τε φάλῳ. Sed retinet Suidas, qui vt vulgò hæc lêgit: & Plutarchus, qui στεφάνην in hac In Pyrrho. re dicit. De Pyrrho rege: Τῇ στεφάνῃ, ᾗ διάσημον τὸ κράνος ἦν, ἀφελὼν ἔδωκέ τινι τῶν ἑταίρων: *Apicem quo inſignis & cognobilis galea eius erat, amicorum alicui auferens eum tradidit.* Non enim de regiâ vel aureâ aliquâ coronâ ſentit (etſi vertunt ſic interpretes) ſed de Apex Pyrrhi. hoc inſigni galeæ, quod proprium ipſe habuit *Cornua hirci.* Idem in eodem Plutarchus: Ἐγνώσθη τῷ τε λόφῳ διαπρέποντι καὶ τοῖς τραγικοῖς κέρασιν: *Agnitus fuit ab eximiâ criſtâ, & à cornibus hircinis.* Reges enim, itemque digniores militum, inſignes maximè & ſuper has faciebant has partes. Contrà plebeij. nec alio ſenſu Lu- Plebeia galea. Lib. viii. canus de M. Bruto, in acie Pharſalicâ:

Illic plebeiâ contectus caſſide vultus,
Ignotuſq; hoſti, quod ferrum Brute tenebas?

Vult eum habitu gregarij militis fuiſſe, & galeâ aut criſtâ minimè inſigni. Sed & Centuriones Romano more tranſuerſas criſtas hoc fine gerebant; vt inquam internoſcerentur. Vegetij quidem æuo ſic fuit: olim non arbitror. ſed ille ſic: *Centuriones habebant galeas ferreas ſed tranſuerſis & argētatis criſtis, vt faciliùs agnoſcerentur.* Argēti aliquid mixtum criſtis agnoſcit, fortaſſe & auri in nobiliorum. Non pello igitur στεφάνη vocem: & totum illud criſtatum cum alio ſæpe additamento nónne coronæ etiam ſpeciem referat maximè quia in capite, & cùm eſt triplex. Addo & φάλον propriè diſcretum eſſe ἀπὸ τοῦ λόφου. Ille *conus* eſt; hic *criſta.* Græci litteratores: φάλοι, τὰ ἐπὶ τῶν περικεφαλαιῶν ἀσπιδίσκια, λόφοι δὲ αἱ τριχῶσεις: *Phali clypeoli in galeis; lophi, iubæ aut criſtæ.* Euſtathius: φάλοι κατά τινας τῶν παλαιῶν σύριγγιά τινα ἐπὶ τῶν μετώπων, εἰς ἃ καθίεντο οἱ λόφοι: *Phali iuxta quoſdam veterum fiſtulæ aut tubuli ſuper frontem, in quos criſtæ immittebantur.* Ita iſti. nec nego tamen aut neſcio Heſychium confundere: φάλος, inquit, ὁ λόφος τῆς περικεφαλαίας: *Phalus, criſta galeæ.* Fortaſſis & alij, quod alius quærat. Sed quod Euſtathio φάλος, hoc Latinis eſt Conus. Statius: *———criſta nitēti Inſurgens cono.* Et Gloſſæ explicant *Conum*, κύμβαλον καὶ ἄκρον τῆς περικεφαλαίας: *cymbalum, & ſupremam partem galeæ.* De cymbalo non credo: & reſcribo, κυμβάχον, Homeri etiā voce. Nā κύμβαχος, Heſychio interprete, eſt τὸ ἀνώτατον μέρος τῆς περικεφαλαίας.

» *Penniſq; puniceis aut nigris.*] Appâret olim, & cùm Polybius ſcripſit, non niſi pennas ipſas rectas ſic tuliſſe, ſine alio paratu aut diffuſione, qui mos ferè hodie Turcarum. In monumentis tamen aliter conſpicimus, & ferè ad exemplum hodiernum. Sed quidquid eius fuit, colorem videamus, quos ponit duos. *Puniceum* primò, quem credo honeſtiorum fuiſſe, & aptum ſanè ſanguineo huic Marti. Virgilius:

———criſtaq; tegit galea aurea rubrâ:

Iterùm: *———criſtaſq; rubentes Excipiam ſorti.*

Et tertiùm: *Purpurei criſtis iuuenes.* Diodorus Hiſpanos quoque oſtendit amaſſe: Περὶ δὲ τὰς κεφαλὰς κράνη χαλκᾶ περιτίθενται φοινικοῖς κεκοσμημένα λόφοις: *Circum capita galeas æreas ponunt, puniceis ornatas criſtis.* Ponit ſecundò, *Nigrum.* Triſtis ille & Diti ſacer, ad quem multi in ferali hoc certamine ibant. Puto viliorū fuiſſe, nec lêgi exemplum. Benè de *candido*, vt in Virgilio:

Cuius olorinæ ſurgunt de vertice pennæ.

In Statio: *———capiti innexuit ærea caſſis,*
Ter niueâ ſcandente iubâ.

Is quoque color feſtus & dignior, datque Annibali Silius:

———vibrant cui vertice coni
Albentis niueâ tremulo nutamine pennâ.

Laſciuia poſteà in hac re, & aſſumpsêre etiam Pauonum. Sed fallor, aut regia & Iunonia hæc auis non niſi in Regum & Principum vſu fuit. Indicat Claudianus, qui Honorio ſuo talem dat:

Quòd picturatas galeæ Iunonia criſtas
Ornet auis.

Et ſcriptor Panegyrici ad Maximianū: *Offert tibi etiā tum puero galeam auro gemmiſq; diſtinctam, & pennis pulchrarum alitum eminentem.* Cui lux à Claudiano eſt. Sed etſi de nigris aut fuſcis negaui legere, non tamen ambigo quin tulerint: vt aquilæ, & talium auium, quæ pugnaces aut rapaces. vel ominis ſcilicet cauſſâ.

» *Rectis tribus.*] Triplex hæc criſta eſt, ſiue τρίλοφοι Græcorum, itemque τριφάλεια: etſi τρυφάλειαν tamen communiùs ſcribunt. Quis non eius meminit? poëtæ certatim. Vt ille:

Cui triplici criſtata iubâ galea alta.

Alter: *———triplici pulſans faſtigia criſtâ.*

Etiam alij vt Suidas: qui Geryonem autumat dictum τρικέφαλον, ſiue tricipitem, ὅτι τρεῖς λόφους εἶχεν ἐν τῇ περικεφαλαίᾳ: *quòd tres criſtas in galeâ haberet.* Vide & lepidam narratiunculā apud Plutarchum in Arato, de virgine, quam captam miles galeâ ſuâ tricriſti

inſignio erat, & in Dianæ templo depoſuerat: vnde egreſſa ſubito aſpectu terruit omnes, quaſi ipſa ibi Diana appareret, vrbemq́, ſeruauit. Hactenus de criſtis Polybius. Avo. Quid de iubis, eas omittis? Lips. Vnà cum Polybio: nec enim, quod miremur, tangit. niſi tibi noſtra cõiectura ſedeat, cui leuiter viſum legere: ὀρθαῖς θριξὶν: *aut rectis crinibus ſiue iubis*. Enimuerò quis neſcit *iubas* creberrimè galeis impoſitas? Nec Græcorum tantùm (perpetuum pænè apud eos) ſed & Latinorum. Virgilius de Mezentio: Lib. vii.

——criſtáque hirſutus equinâ.

Silius de Curione Romano: Lib. viii.

Horridus & ſquamis & equinâ Curio criſtâ.

Idem de Flaminio Conſule:

——cui vertice fulgens

Triplex criſta iubas effundit crine Sueuo.

Cui Sueuum ſiue Germanicum etiam crinem adfingit, quia ſcilicet ille Flaminius triumphauerat de Gallis, quos cum Germanis confundi à poëtis id æui, haud nouum. Aliter ego quidem Silium non intellego. Eſt & in eodem Silio, de Marcello: Lib. xii.

Circumſtant rapidi iuuenes, aptantq́, frementi

Sanguineas de more iubas.

Et cùm recogito, etiam in lapidibus vidi, etſi minùs ſæpe.

„ *Pulcher is aſpectus, hoſtiq́, formidoloſus.*] Io re tenui momẽtum ad pugnam & victoriã oſtendit: & cauſsâ duplici, inquit, bonæ criſtæ. ſiue quòd vir maior, & animo quoque creſcit: ſiue quòd hoſti terrorem magis præbet. Vtrumque verum, & neſcio quo naturæ ductu vbique terrarum ferè bellatores hoc adſectãt, Orientales paſſim, atque etiam rudes iſti in nouo orbe. Maiores noſtri ſtudioſè, etſi nos vulgò omiſimus: ſtudioſè? imò ambitioſè, & hinc inſignia iſta familiarum tam varia, quîs ſuperbimus. Primi auctores rei Cares, quod ſcriptores adnotarunt, vt Herodotus: Ἐπί τε τὰ κράνεα λόφους ἐπιδέεσθαι Κᾶρές εἰσι οἱ καταδέξαντες: *In galeis criſtas illigare Cares ſunt qui oſtenderunt*. Strabo: Τοῦ δὲ περὶ τὰ στρατιωτικὰ ζήλου τά τε ὄχανα ποιοῦνται τεκμήρια, καὶ τὰ ἐπίσημα, καὶ τοὺς λόφους: *Studij ſui erga rem bellicam teſtimonia adferunt ſcutorum anſas, & inſignia & criſtas*. Idem Plinius prodidit vbi de inuentoribus rerum: idem Polyænus. Sed Galeas & Criſtas aliquot è monumentis vide.

Vſus criſtarum.

Inuentores criſtæ. In Clio. Lib. xiiii.

Lib. vii.



DIALOG. VI.

De Loricâ, & variâ eius ſpecie.

VLtimvm inter arma, *Lorica*: quam duplicem fuiſſe oſtendit in his verbis: Legito.

Polyb.

Οἱ μὲν οὖν πολλοὶ προσλαβόντες χάλκωμα σπιθαμιαῖον πάντῃ πάντως, ὃ προστίθενται μὲν πρὸ τῶν στέρνων, καλοῦσι δὲ καρδιοφύλακα, τελείαν ἔχουσι τὴν καθόπλισιν. οἱ δὲ ὑπὲρ τὰς μυρίας τιμώμενοι δραχμάς, ἀντὶ τοῦ καρδιοφύλακος, σὺν τοῖς ἄλλοις, ἁλυσιδωτοὺς περιτίθενται θώρακας. ὁ δ' αὐτὸς τρόπος τῆς καθοπλίσεώς ἐστι καὶ περὶ τοὺς πρίγκιπας καὶ τριαρίους, πλὴν ἀντὶ τῶν ὑσσῶν οἱ τριάριοι δόρατα φοροῦσιν.

At plerique capientes aream laminam quæ ſit palmi maioris ſiue duodecim digitorũ vndique, nec amplius, eam pectori apponunt, & vacant pectorale. ac ſic plenam iuſtámque habent armaturam. Qui tamen ſuper decem mille drachmas cenſi ſunt, ij pro pectorali, ſuper cetera arma loricas capiunt hamatas. Par ratio ſimilíſque armorum in Principibus eſt & Triariis, niſi quòd pro pilis Triarij ferunt haſtas.

„ *Plerique capientes aream laminam.*] Vult pleroſque militum non habuiſſe loricas illas hamatas, de quibus mox dicit: ſed eius loco partem æris aut ferri procuſam, quæ tegeret ſummum pectus. Nam ima ventris ſcutum ſatis muniebat. Fuit adſimile quid-

Aeramentum aſpectus.

dam

dam hodierno pectorali, ſed minùs longum, & æquabiliter quadrum. Id, inquit,

» *Vocant pectorale.*] Diu hæſi quomodo verterem καρδιοφύλακα, & ſedit tādem iſtud. Nam quod Laſcaris *Cordicum* fecit, ſcitè vocem expreſſit, non tamen ſcriptoris mētem. Cedò enim quis Romanorum ſic dixit? vbi vox ea lecta? Nec tamen dubiū, quin obuiā vulgatámq; vocē Polybius habuerit in mente. Eam cenſeo, *Pectorale*: & ſic à te & vſu dicebant, pectori regendo. Varro: *De corio crudo pectoralia faciebant.* Plinius:

E pectoralibus eorum, ocreiſq; & galeis.

Alluſit & tetigit Silius:

Pectora pellis obit cæſi è venatibus vrſi:

pectoralia è corio vult fuiſſe, vti & Varro. Etiam è ferro, idem:

Ille viris pila, & ferro circumdare pectus
Addiderat.

Xenophon de Perſis: Θώραξ μὲν περὶ τὰ στέρνα ἑκάστῳ ἦν: *Lorica circa pectus cuique erat.* An Liuij ea mens in Saliis deſcribendis, qui armati ſaltabant? *Æneum pectori tegimen.* Ex ipſo dicas, è Dionyſio non dicas, qui hoc interpretatur, χαλκαῖς μίτραις κατεζωσμένους: *æreis balteis ſuccincti*: & alibi clariùs appellat χαλκέους ζωστῆρας, *ænea cingula.* Sed nec quod in eodem Liuio de Samnitibus: *Spongia pectori tegumentum*: huc conuenit propriè, nec illa ex ære. Hoc genus appellat Polyænus ἡμιθωράκια, *ſemiloricas*, in his verbis: Ἀλέξανδρος, inquit, ἡμιθωράκια τοῖς φεύγουσι στρατιώταις ἀντὶ θωράκων ἔδωκεν, ἵνα μένοντες μὲν ἀσφάλειαν ἔχωσιν, τὰ κατὰ πρόσωπον φραττόμενοι· φεύγοντες δὲ τὰ ὄπισθεν μέρη φυλάσσειν μὴ δύνωνται: *Alexāder fugitiuis militibus ſemiloricas pro integris dedit, vt manentes quidem tuti eſſent, anterioribus tectis; fugientes poſtica tueri non poſſent.* Et Pauſanias, loricas veterum & Homericas deſcribens, oſtendit habuiſſe duas partes. Δύο ἦν, ait, χαλκᾶ ποιήματα, τὸ μὲν στέρνῳ καὶ ὅσα ἀμφὶ τὴν γαστέρα ὁμιλεῖν, τὸ δὲ ὡς νώτου σκέπην εἶναι. γύαλα ἐκαλοῦντο. τὸ μὲν ἔμπροσθεν, τὸ δὲ ὄπισθεν προσῆγον· ἔπειτα περόναι συνῆπτον πρὸς ἄλληλα: *Duæ erant æreæ partes, illa quidem pectori & iis quæ circa ventrem apta; hæc vt dorſo tegmen eſſet. Vocabant Gyala, ſiue Caua & incurua, à formâ. Illam antrorſus, hanc retrorſus inducebant: deinde fibulâ vtramque iungebant.* Vide & inquire, fateberis adſimiles aut ipſas eſſe hodiernas loricas noſtras. Sunt enim iſti στατοὶ θώρακες, ſiue *ſtantes & ſolidi*, quos Euſtathius aliique in Homero item agnoſcunt. Ergo duæ partes: nec diſſimile in Hamatis, quo aſpectu Valerium arbitror *duas loricas* ex eâ feciſſe. Nam de Scæuâ ille cùm ſcriberet, & factum eius attolleret Britannico bello; in ſcopulo, inquit, relictus, & diu magnâ vi hoſtium ſuſtentatâ, cùm ſolus eſſet, tandem *galeâ iam ictibus diſcuſſâ, & ſcuto crebris foraminibus abſumpto, profundo ſe credidit, ac duabus loricis onuſtus inter vndas enauit.* Augendæ admirationi addit de *duabus loricis.* ſed quas eas ſuſpicer? ab hoſte alteram? non id tempus aut occaſio legendi ſpolia, cùm ſuum ſcutum ipſe amiſit, ſiue, vt honeſtè Valerius, *impendit.* Opinor magis, intelligi duplicem hanc loricam, & hoc dilaudare, quòd feſſus & duplici etiam loricâ onuſtus potuerit enatare. Sanè Euſtathius mihi auctor, διπλοῦς θώρακα ſic quoque dici: quem vide. De fibulis quidem, quæ in latere vtroque loricas iſtas iungebant, in Silio eſt:

——quà fibula morſus
Loricæ crebro laxata reſoluerat ictu.

Et apud Suidam, de ſquameâ loricâ Parthorum: περόναι δὲ εἰσι πρὸς ταῖς πλευραῖς: *Fibulæ ſunt ad latera.* Sed & Pauſanias hîc apponit.

» *Plenam iuſtámque habent armaturam.*] Corpore ſcilicet iam vndique munito & tecto. Quod ita gloriatur Titus Cæſar de ſuis Romanis, apud Hegeſippum: *Progredimur in bellum muniti vndique. Tegitur galeâ caput, loricâ pectus, totúmque clypeo corpus. Vbi feriat hoſtis Romanum militem, reperire non poteſt, quem ferro tectum circumſpicit.*

» *Qui tamen ſuper decem mille dracmas cenſi.*] Deſignat genus militum, idque à cenſu, quibus neceſſitas ferendi non pectoralia, ſed totas loricas. Ii erant ditiores, & quod ſumma iſta indicat, è primâ claſſe. Atque iſti etiam olim, ex Seruij inſtituto, eximiè & præter ceteros debebant armari: quod ex Liuio & Dionyſio diſcas. Manſit ſub Polybio, atque etiam poſteà, vt videtur. Nam eâ cauſſâ Hirtius in Bello Hiſpanienſi aliquoties *Loricatos* exprimit & nominat, quaſi militum digniores aut certè ditiores. *Loricatus vnus*, inquit, *ex legione vernaculâ ad nos transfugit.* Iterum: *Centuriones loricati octo ad Cæſarem trāſfugerunt.* Niſi tamen ita agnominat legionarios, & ad diſcrimen armaturæ leuis. Ad Polybij mentem facit quod Panegyriſtes ad Conſtantinum: *Tibi vincendi erant milites, proh nefas! paullo ante Romani, & armis omnibus more primæ claſſis armati.* quod ille de Prætorianis Maxentij ſcripſit.

» *Loricas capiunt hamatas.*] Græcè θώρακας ἁλυσιδωτούς, quod ad verbum eſſet, *Loricas catenatas*: ſed Latini, vt ego, dixerunt, credo, quia circuli & catenæ nexæ, hamuli ſpeciem dimidiatæ referebant: an quia & hami catenulas iungebant? Dicere hoc Sidonius videatur:

——nec ſutilis illi
Circulus impactus loricam texuit hamis.

Etſi potes etiam pro priore ſenſu interpretari. *Lorica* quidem *hamata* verſa à veteri Bibliorum interprete, vbi in Græco θώραξ ἁλυσιδωτός: & hamos ſiue catenas legis hîc paſſim. In Virgilio:

Loricam conſertam hamis auróque trilicem.

In Lucano: *——quæ torta graues lorica catenas*
Opponit. In Statio:
Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ.

Et non aliud quidem fuit, quàm circuli ſiue anuli ferrei inter ſe nexi, more quem hodie Galli & Germani ſeruamus, etſi exoleſcentem. Imò origo à Gallis. *Varro*: *Lorica à loris, quòd de corio crudo pectoralia faciebant. Poſteà ſuccuderunt Galli e ferro ſub id vocabulum ex anulis ferream tunicam.* Verè de etymo. etſi Iſidorus aliter: *Lorica, quòd loris careat. ſolis enim ferreis circulis contexta eſt.* Ridiculè, vt ſolet. Sed *poſteà*, inquit Varro, *Galli ſuccuderunt è ferro.* Quando *poſteà*? Quin ego loricas æreas Romæ diu reperio ante Gallos notos. In ipſo Seruij cenſu præſcribitur primæ claſſi *lorica ex ære.* Sed credo eam fuiſſe, qualis Homeri & veterum, è laminâ non ex anulis: quod genus ſuprà diximus, & στάδιους vel στατοὺς appellabāt: ſcilicet quia ſolidi, & ſtabant ſine inflexione. Ergo hamatæ iſtæ à Gallis. quarum alterum etiam genus, quod non anulis ſolis ſed & ſquamis conſtat. Græci φολιδωτοὺς vocant, vel λεπιδωτούς, à ſquamis piſcium vel ſerpentum. Sic Lucullum Plutarchus ſcribit, ipſo die quo pugnauit in Tigranem, indutum habuiſſe θώρακα σιδηροῦν φολιδωτόν: *loricam ferream ſquameam.* Et Dio Caſſius, Macrinum Imperatorem abſtuliſſe Prætorianis τοὺς θώρακας τοὺς λεπιδωτοὺς *loricas ſquameas*: notéſque ab his exemplis, honeſtiorum planè has fuiſſe. Has dico hamis & laminis ſolidis ſimul conſtitiſſe: Ex Silio qui Flaminium Conſulem armans:

Loricam induitur. tortos huic nexilis hamos
Ferro ſquama rudi, permiſtóque aſperat auro.

Et Iſidoro: *Squama eſt lorica ex laminis æreis vel ferreis concatenata, in modum ſquamarū piſcis.* Ipſas ergo

Pectorale.
Lib. VIII.
Id.
L.I.
L.III.
L.VIII.
Lorica. IV. XL.
Vndique armati. Lib. III. cap. 3.
Primæ claſſi arma militia.
Prætoriani loricati.
Lorica hamata.
Paneg. ad Anthem.
Li. I. Reg. cap. XVII. Lib. VII.
Lib. XII. Quod ea fuerit Galli reperiunt.
De L. L.
Verba Varronis controverſa.
Lorica ſquamata.
In Lucul.
In Macr.
Eius textus & cōſertio Lib. V.

Tertullianus illuſtratus. De Pall. cap. IIII.
A ſquamas catenæ iungebant. Tertullianus hanc intelligit, & Alexandro Magno tribuit: *Pectus ſquamarum ſignaculis diſculptum* (malo *diſcalptum*) *textu pellucido tegendo nudauit.* Et Virgilius:

Lib. XI.

> ———*rutilum thoraca indutus ahenis*
> *Horrebat ſquamis.*

Lib. VIII. Silius:

> *Horridus & ſquamis & equina Curio criſta.*

Lib. III. Hanc aut priorem, idem:

> *At laterum textus ſpatioſiq́ pectora ſeruat*
> *Nexilis innumero chalybum ſubtemine thorax:*

Plumæ quæ? Haſ ipſas ſquamas etiam *Plumas* video dici, à ſpecie pari. In Statio:

Lib. II.

> ———*enſem germani in corpore preſſit,*
> *Qua male iam plumis imus tegit inguina venter.*

Parthorum cataphracta. B Atque explicat ibi Luctatius, *laminis.* Parthorum aſſiduum hoc tegmen, etiam in equis. Iuſtinus. Lib XLI. *Munimentum ipſis equiſq́ loricæ plumatæ ſunt, quæ vtrumque toto corpore tegunt.* Li. XXIIII. Ammianus de iiſdem: *Hoſtem vndique laminis ferreis in modum tenuis plumæ contectum.* In Fragm. Salluſtius: *Equites cataphracti, ferrea omni ſpecie, equis paria operimenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Et ipſe quidem linteo laminas ſupernectit, Virgilius pelli,

> *Spumantémque agitabat equum, quem pellis ahenis*
> *In plumam ſquamis auro conſerta tegebat.*

Quam etiam pellem *auro conſertam* facit: an quia aurum in ſquamis mixtum, an quia ipſæ ſquamæ auro innexæ? id eſſet; catenulis aut filis ex auro. Certè ſquamas ipſas ordine connexas & ratio vult, & Cur- C
Lib. IIII. tius: *Equitibus equiſq́ tegumenta erant ex ferreis laminis, ſerie inter ſe connexis.* Atque eo ſenſu *Hamatis laminis* Claudianus dixerit:

Lib. II. In Rufin.

> ———*coniuncta per artem*
> *Flexilis inductis hamatur lamina membris,*
> *Horribilis viſu, credas ſimulacra moueri*
> *Ferrea, cognatoq́ viros ſpirare metallo.*

Niſi ſi ibi verius, *animatur lamina*: quòd quaſi viuere in corpore, & aggenita videatur. Ammianus, qui ſæpe vidit: *Praxitelis manu polita crederes ſimulacra, non* Lib XVI. Corporis loricatio. *viros, quos laminarum circuli tenues apti corporibus, flexibus ambiebant, per omnia membra diducti, vt quocunque artus neceſſitas commouiſſet, veſtitus congrueret, iunctura cohærenter aptata.* Pleniſſimè ſcriptor Græcus apud Suidam. Θώραξ δὲ ἱππέως Πάρθου τοιός δ' ἐστι, τὸ μὲν γὰρ αὐτοῦ πρόσω, στέρνα τε καὶ μηροὺς, καὶ χεῖρας ἄκρας, καὶ D κνήμας καλύπτει. τὸ δὲ ὄπισθεν νῶτά τε καὶ τὸν αὐχένα, καὶ τὴν κεφαλὴν ἅπασαν. πόρπαι δέ εἰσι, πρὸς ταῖς πλευραῖς περιπομπήσιμαι, ὡς ἑκάτερον τῶν μερῶν συμπεριπλακὲν ὅλον σιδηροῦν ποιεῖ φαίνεσθαι τὸν ἱππέα. κωλύει δὲ οὐδὲν ὁ σίδηρος οὔτε τὰς ἐλάσεις τῶν μελῶν, οὔτε τὰς συστολάς· οὕτως ἀκριβῶς πρὸς τὴν τῶν μελῶν φύσιν πεποίηται. ὁπλίζουσι δὲ καὶ τὸν ἵππον ὁμοίως σιδήρῳ πάντα, μέχρι τῶν ὀνύχων. διότι οὐδὲν αὐτοῖς ὄφελος ἂν εἴη τῶν ἰδίων ὅπλων, εἰ ὁ ἵππος αὐτοῖς ἀποπόλοιτο: *Lorica Parthi equitis eſt talis. Prior eius pars pectus & femora & manus extremas & crura tegit: poſterior, tergum & ceruicem & caput totum. Fibulæ verò ſunt ad latera, quibus vtramque partem iungunt, atque ita totum equitem ferreum dant videri. Prohibet verò nihil aut impedit ferrum membrorum extenſiones ſiue con-* E *tractiones: adeò curioſè factum ſectúmque eſt ad naturam membrorum. Armant autem & equum ſimiliter ferro, totum quidem & vſque ad vngulas. hoc ideò, quia nihil iis arma proſint propria, ſi equus interficiatur.* Iſti Libanarii. igitur Parthorum Cataphracti ſiue Clibanarij, de quibus & Propertij verſus:

> *Ferreus aurato neu cataphractus equo.*

Clibanarii Sarmatarum tuſi. ſed à Douſa filio noſtro emendatus, *ærato.* Nec ſoli illi, ſed & Sarmatæ in hac armatura. Tacitus: *Cataphracta Principibus ac nobiliſſimo cuique tegmen, ferreis* A *laminis aut præduro corio conſertum.* Valerius Flaccus: Lib. VI.

> *Sarmatica coiere manus, fremituſq́ virorum.*
> *Semiferi riget his molli lorica catena,*
> *Id quoque tegmen equis.*

Et deſculpti hi tales in columnâ Traiani, cum contis, atque etiam ſagittis. Nec verò ferro ſolùm nectebant has loricas, ſed & cornu. Ammianus: *Sarmatis* Lorica cornea. Li. XVII. *& Quadis haſtæ ſunt longiores, & loricæ ex cornibus raſis & leuigatis, plumarum ſpecie, linteis indumentis innexa.* Ideò iure in Taciti loco ſuprà ambigam, (non enim aſſectam, abſit.) an non reponendū *præduro cor-* Suſpicatio in Tacito. *nu.* quoniam & Pauſanias, vt proprium, Sarmatis hoc adtribuit, atque adeò negat ferrum iis eſſe. Τοὺς δὲ Lib. I. θώρακας, inquit, ποιοῦσι τὸν τρόπον τοῦτον. ἵππους πολλὰς ἕκαστος τρέφει. ταύτας οὐκ ἐς πόλεμον χρῶνται μόνον, ἀλλὰ καὶ B θεοῖς θύουσιν ἐπιχωρίοις. συλλεξάμενοι δὲ τὰς ὁπλὰς, ἐκκαθήραντές τε καὶ διελόντες, ποιοῦσιν ἀπ' αὐτῶν δρακόντων φολίσιν ἐμφερῆ. ὅστις δὲ οὐκ εἶδέ πω δράκοντα, πίτυός γε εἶδε καρπὸν χλωρὸν ἔτι. τοῖς οὖν ἐπὶ τῷ καρπῷ τῆς πίτυος φαινομέναις ἐντομαῖς εἰκάζων τὸ ἔργον τὸ ἐκ τῆς ὁπλῆς, οὐκ ἂν ἁμαρτάνοι. ταῦτα διατρήσαντες, καὶ νεύροις ἵππων καὶ βοῶν συῤῥάψαντες, χρῶνται θώραξιν, οὔτε εὐπρεπείᾳ τῶν Ἑλληνικῶν ἀποδέοντας, οὔτε ἀσθενεστέροις: καὶ γὰρ συστάδην τυπτόμενοι καὶ βληθέντες ἀνέχονται: *Thoraces verò ita faciunt. Multos equos quiſq́ nutrit. iis non ad bellum modo vtuntur, ſed & diis patriis ſuis immolant. colligentes verò vngulas, eas purgantes & diſſecantes conficiunt ex iis quiddam draconum ſquamis ſimile. aut ſiquis draconem non viderit, vidit autem nucis pineæ fructum viridem, iis è nuce ſegmentis aut lacunatis torulis ſi opus aſſimularit, haud errarit. Has igitur ſqua-* C *mulas perforantes, & neruis equinis aut bubulis conſuentes, loricas ad vſum habent, neque decore Græcanicis inferiores, neque infirmiores. Nam & cominus percuſſæ, & iactu petitæ, reſiſtunt & ſuſtinent.* Graphicè ibi loricas iſtas deſcriptas habes: ad quarum exemplum Domitiani Principis illa fuit, Martiali laudata:

> *Quam vel ad Ætola ſecuram cuſpidis ictum* Lib. VII.
> *Texuit innumeri lubricus vnguis apri.*

Nec enim hîc optimo noſtro Turnebo aſſentior, Martialis explicatus. *ſquamas æneas* explicanti, *quæ aprinarum vngularum ſpeciem referrent.* Imò ex ipſis vngulis. & imitati hoc ideò Domitianus ambitioſè voluit, quia expeditionem in Sarmatas ipſe ſuſcepiſſet (in Tranquillo leges) & lauream de iis Ioui conſecraſſet. Sed ſatis de Lib. IIII. loricis hamatis. ad quas referendi Statiani verſus iſti: D

> ———*latus omne ſub armis*
> *Ferrea ſuta tegunt.*

Iterùm: Lib. III.

> ———*magnorumq́ ærea ſuta*
> *Thoracum.* Et tertiùm: Lib. VII.
> ———*ter inſuto ſeruant ingentia ferro*
> *Pectora, nam tergi numquam metus.*

Trilices loricæ. Vbi *ſuta* hæc appellat, ſiue catenas iunctas; ſiue laminas nexas, vtrum voles. Ait & in extremis verſibus *ter inſutum ferrum*: vt oſtendat *trilicem* loricam eam fuiſſe. id eſt, catenas aut laminas ſic geminatas. Sic in Virgilio: *Loricam conſertam hamis auroq́ trilicem.*
In Valerio: *Per clypei cedentis opus, partemq́ trilicem.* Lib. II.
In Silio: ———*textam nodis auroq́ trilicem.* Lib. II.
E Etſi hæc poſtrema ad lineam loricam fas ſit & transferri. At de ſquamis etiam geminis Virgilius:

> *Nec duplici ſquama lorica fidelis & auro* Lib. 9.
> *Suſtinuit.*

Atque hic talis textus an non *Crates* in Statio? Lib. IIII.

> *Omnibus ærata propugnant pectora crates.*

Item Silio: Lib. V.

> ———*clypeo ſtetis aris in orâ*
> *Cuſpis, & oppoſitas vetita eſt tranſmittere crates.*

An clypeorum * crates intelligunt, quibus coria in- *Suprà de iis, Dia. II. ducta, & vmbo ex ære aut ferro? An potiùs, vt dixi,

has

has loricas, in quibus anulorum ordines & textus velut crates referunt? An denique aliud genus, quod Statij & Silij æuo crebrum? cùm ſegméta ferrea, tamquam faſciæ aliæ alijs ſuperpoſitæ, corpus ambiunt. Nuſquam légi, fateor: ſed in columna Traiani aſſiduum & pænè vnicum in Romano milite hoc genus. Sunt & linei thoraces: ſed quid ad Polybium? omitto. AVD. Imò te quæſo, exſequere. ſi non ad Polybium, nónne ad hiſtoriam? LIPS. & Græcam quidem ac Romanam. In vtraque enim crebra mentio, ac varij populi vſi. Ipſi Græci primùm, & quidem vetuſtiſſimi, etiam apud Homerum: cui Aiax dicitur λινοθώρηξ, *lineo thorace indutus*, itemque Adraſtus. Quos locos Plinius adſpicit cùm ſcribit: *Honos lino etiam Troiano bello. cur enim non & prælijs interſit, vt naufragijs? Thoracibus lineis, paucos tamen, pugnaſſe teſtis eſt Homerus.* In Alcæo etiam poëtâ apud Athenæum θώρηκες νεόλινοι recéſentur, *thoraces e nouo lino.* Imò communiter Græci induerunt poſt Iphicratem ducem. de quo ita Æmilius Probus, an Cornelius Nepos? ſed quicumque is auctor: *Genus loricarum mutauit, & pro ferreis atque aeneis lineas dedit.* Geſtarunt & Macedones, quorum arma olim erant, Dione auctore, θώραξ λινοῦς τρίμιτος, ἀσπὶς χαλκῆ: *thorax lineus trilix, clypeus æreus.* Sed & Alexander ipſe apud Plutarchum induit θώρακα λινοῦν: *thoracem linteum bilicem.* Iam etiam Thracibus Xenophon adſcribit χιτωνίσκους ὑπὲρ γονάτων, πάχος ὡς λίνου στρωματοδέσμου: *tuniculas ſuper genua, craſſitie vt linum quo ſtragula vinciuntur.* Cuiuſmodi Hiſpanorum credo fuiſſe, quos pugnâ Cannenſi Polybius deſtituit ἐν λινοῖς περιπορφύροις χιτωνίσκοις: *in lineis purpurâ prætextis tunicis.* Quod ipſum ex eo Liuius. Nam tunicæ illæ profectò vicem thoracum fuerunt. atque ita de iiſdem Hiſpanis Strabo: Λινοθώρακες οἱ πλείους, ὀλίγοι δὲ ἁλυσιδωτοῖς χρῶνται: *In lineo thorace plerique, pauci hamatis vtuntur.* Quin etiam Chalybes apud Xenophontem (atqui ferri ibi copia) in hoc thorace. Εἶχον, inquit, θώρακας λινοῦς μέχρι τοῦ ἤτρου: *Habebant loricas lineas ad imum ventrem vſque.* In Italiâ quoque vſurparunt. & Liuius Auguſtum legiſſe aſſerit *in thorace linteo ſcriptum*, de Coſſi opimis ſpolijs. Qui vetus fuerit oportet, & ab illo æuo. Silius etiam populariter Faliſcos ita armat:

Indutóſque ſimul gentilia lina Faliſcos.

Meminit & alibi:

——laneum quâ tegmine thorax
Multiplicis lini claudit latus.

Sed & Suetonius de Imp. Galbâ: *Thoracem induit linteum.* In vſu ergo pluriſariàm: etſi Pauſanias tamen deprimit, & venantibus magis, quàm pugnantibus commendat. Οἱ θώρακες, inquit, οἱ λινοῖ μαχομένοις μὲν οὐχ ὁμοίως εἰσὶ χρήσιμοι. διιᾶσι γὰρ καὶ βιαζόμενοι τὸν σίδηρον· θηρευταῖς δὲ ὠφελοῦσιν. ἐναποκλῶνται γὰρ οἱ ὀδόντες λεόντων ἐς αὐτοὺς καὶ παρδάλεων: *Lorica lintea pugnantibus non æquè vtiles. Tranſmittunt enim vel coacta & fracta ferrum: venantibus autem proſunt. Franguntur enim aut retunduntur in ijs leonum dentes & pantherarum.* Ita Pauſanias iudicat. haud vanè de priſcâ quidem conficiendi ratione, quæ erat vt è filis pluribus funiculos ſtruerent, eóſque deinde necterent & inter ſe aptarent. A multitudine filorum, an funiculorum? bilices, trilices, dixêre. Plinius auctor, Amaſim Ægypti regem thoracem habuiſſe, *cuius ſingula fila trecena ſexagintaquinque filis conſtabant.* Idem de eodem Herodotus, niſi quod *trecenta ſexaginta* modò ſcribit. Diuerſum paullò genus videtur, de quo in Nicetâ Choniate lego. Is in Iſaacij rebus, Conradum quemdam Montisferratéſem mirificè laudat, & robur eius extollit. addit deinde: Αὐτὸς μὲν τοτηνικαῦτα ἄοπλος ἠγωνίζετο, τὸ δ' ἐκ λίνου πεποιημένον ὕφασμα, οἴνῳ στρυ-φνῷ ἱκανῶς ἁλσὶ ἀλουμένῳ διάβροχον, πολλάκις περιπτυχθὲν, ἀντὶ θώρακος ἐνεδύετο. ἐς τοσοῦτον δὲ ἦν ἀντίτυπος ἁλὶ καὶ οἴνῳ συμπιληθὲν, ὡς καὶ βέλους παντὸς καρτερώτερον: *Ipſe tunc quidem ſine ſcuto pugnabat, ſed ex lino factum textum quoddam, vino auſtero affatim ſalito madidatum, ſæpius replicatum, loco thoracis induerat. Adeò autem telibus reſiſtebat vino & ſale coactum & perfuſum, vt omni telo eſſet robuſtius.* Mirus ille thorax, & conficiendi ratio: cur penitus exquiri deberet, & fortaſſe poſſet ex iis quæ Nicetas ſcribit. Dixit autem πολλάκις περιπτυχθὲν, *ſæpius replicatum fuiſſe*: & paullo pòſt, συμπιληθὲν οἴνῳ καὶ ἁλὶ, quaſi *fullonîa arte confectum* indicans, vt coactilia ſolent. Et verò è lanâ etiam eiuſmodi coactiles thoraces reperio. vt in Suidâ, è ſcriptore veteri: Φοροῦσι δὲ ἐπὶ τῶν κεφαλῶν θώρακας πιλητοὺς, ὧν τὰ κύτη ὑπάρχουσι στερρὰ διὰ τὴν χρηστότητα τῶν πιλημάτων: *Ferunt in capitibus thoraces coactiles, quorum ſinuatio firma & ſtabilis manet ob bonitatem coactilium.* Significat à calonibus aut ipſis militibus per viam geſtatos, vt onera alia, in capite, ſic tamen ductos vt nihil inflecterentur, & ſeruarent cauitatem ſuam & habitum corpori aptum. Video & Cæſaris æuo in vſu fuiſſe, etſi fortaſſe non iam probos. Scribit de ſuis io metu hoſtilium ſagittarum: *Omnes ferè milites aut ex ſubcoactis, aut ex centonibus tunicas aut tegmenta fecerant, quibus tela vitarent.* Subcoacta dicit, quæ Vlpianus *Coactilia*, Plinius *lanas coactas*: & ſunt noſtra hodie *Feltra.* Plinij verba: *Lanæ per ſe coactæ veſtem faciunt. & ſi addatur acetum, etiam ferro reſiſtunt.* Aceto ipſe vim tribuit, quam Nicetas vino auſtero, niſi ſi & acetû ipſe intellexit. Lanei igitur etiam Thoraces: & an non tale aliquid *Spongia* Samnitum in Liuio? *Spongia*, inquit, *pectori tegumentum.* Ego opinor, & *Spongias* item *retiariorum* Tertulliano. Labente æuo video tunicas integras ex his coactis factas, quas vulgò milites geſtabāt, & *Thoracomachos* dicebāt. Suſpicor ab Antonino Caracallâ repertas, ex Dionis Fragmēto LXXXII. in Fuluianis: Καὶ ἀδύνατος ἦν, inquit, ὥστε γὰρ τῷ σώματι μήτε ὅπλα φέρειν δύνασθαι, καὶ τοὺς χειριδωτοὺς χιτῶνας ἐς θώρακος τρόπον τινὰ πεποιημένους ἐνδιδύσκεσθαι, ὥστε τὴν τοῦ ὅπλου δόξαν χωρὶς τοῦ βάρους αὐτῶν ἔχειν, μήτε ἐπιβουλεύεσθαι, καὶ θαυμάζεσθαι, καὶ αὐτοῖς καὶ ἄνευ μάχης πολλάκις ἐχρῆτο. *Imbecillus ad laborem erat, neque æſtum neque arma ferre poterat. adeo vt & tunicas manicatas, in Loricæ modum factas indueret, ſpeciem vſúmque armorum ſine grauitate eorum habeas, minus inſidiis aut ſpectaculo expoſitus. quibus etiam extra pugnam ſæpe eſt vſus.* Eſt omnino *Tunicata hæc lorica*, cuius deſcriptio plena in libello qui Notitiæ imperij ſubiungitur, & ne quærere habeas, cape verba. *Inter omnia quæ aduerſum bellum prouida poſteritatis cogitauit antiquitas, Thoracomachum quoque ad leuamen corporis armorum ponderi & aſperitati ſubiecit. Hoc enim veſtimenti genus, quod de coactili ad menſuram & tutelam humani corporis conficitur, de mollibus lanis timoris ſolicitudo ſollertiâ magiſtrâ compoſuit. vt hoc induſto primùm lorica vel clibanus aut his ſimilia fragilitatem corporis ponderis aſperitate non læderent. membra quoque veſtientis inter armorum lacuniſq; diſcrimen tali ſolatio adiuta laboris ſufficerent. Sane ne idem Thoracomachus pluuiis verberatus, ingraueſcente pondere adficiat veſtitiem, ac Lybicis bene confectis pellibus ad inſtar eiuſdem Thoracomachi faciem conuenit ſuperinducere.* Plenè dicit omnia. Cauſſam inuenti, quæ leuitas & mollities; Materiem, quæ lana coactilis; Vſum, qui ad muniendum & veſtiendum. Dico ad veſtiendum, & forma quoque talis fuit, demiſſa infra genua. Figura oſtendit. & de iſtis Agathiā cenſeo loqui cùm in Narſetis acie inſtruendâ contra Francos, collocantur; οἱ τοῦ μέλλοντι οἱ στρα-

Lorica ſegmentata.
Linea lorica.
Iliad.
Lib. XIX. cap. I.
Græcis vſurpata.
In Iphicr.
Macedonibus vſurpata.
In Carac.
In Alex.
Et Thracibus.
Lib. v. Anabaſ.
Hiſpanis.
Lib. III.
Lib. XXII.
V. Anabaſ.
Et Italis, ut Etruſcis.
Lib. IIII.
Lib. IIII.
Lib. III.
Cap. XIX.
Pauſanias. Vſu his inde cœpta.
Lib. I.
Lib. XIX. cap. I.
Noua conficiendi ratio.
In Ihal.
Lorica lanea.
III. Ciuil.
Subcoacta in Caſare. Lib. VIII. ca. XLVIII.
Spongia in Liuio.
* Etiam Figura vide Analecta.
Thoracomachum.
Per veſte fuit.
Lib. II.

Agathias explicatus. τοιαύτας θώρακας ποδήρεις ἐνημμένοι: *in fronte Principes, loricas ad pedes vſque demiſſas induti.* In alias profectò loricas hoc non conuenit. Itaque Penulæ ſpeciem & vſum contra frigus habuit, & ſic etiam dixerunt Gloſſæ veteres: *Thoracomachus, penula militaris.* *Ij genus penulæ dicta.* Suidam hoc explicabis: Μανδύας, εἶδος ἱματίου ὅπερ καλεῖται λωρίκιον: *Penula, genus veſtis quod lorica dicitur.* Hæc, hæc lorica: & in ipſâ deſcriptione veſtimentum appellatur. Addit in fine, tectam contra pluuias fuiſſe, & ne lana paullatim eas combiberet. *Tegmen Thoracomachi.* Idem Iſidorus voluit: *De ciliciis autem & poliuntur & teguntur loricæ.* Suidas Zabarium hoc tegmen dicit: Ζαβαρεῖον, *Zaba.* ἐν ᾧ αἱ ζάβαι ἀπόκεινται. ζάβα γὰρ λωρίκιον: *Zabarium, in quo Zaba reponuntur. nam Zaba, lorica eſt.* Ita illa ætas nominabat, & reperis in Leonis libello militari *Zabas centuclis tegi*: id eſt centunculis. In Iuſtiniani Nouellâ quapiam, τὰς λεγομένας ζάβας ἤτοι λωρίκια, *eas quæ Zabæ ſiue loricæ dicuntur.* *Nouell. lxxxv. cap. iii.* Hem quò abeo? ad quàm diuerſum à tuo Polybi æuum? cùm omnia lapſa, & militiæ Romanæ vix vmbra. Iuuat tamen & illa noſſe ob ſcriptores infimos, quibus in occaſione non inuidemus lucem. Abſolui. AVD. Curioſè aliquid quæro. LIPS. Nego. AVD. Quid ita? LIPS. Hoc ipſum, quia curioſè. Non amo hoc genus, atque vtinam ad fructum & vſum magis referamus noſtra! AVD. Imò tale erit. Rogo in veteribus illis loricis ecquæ grauitas? Nam ſcriptor ille de Thoracomacho, hoc nomine maximè commendat illam nouitiam, quòd pondus præ eâ haberent veteres. LIPS. Quippe vt omnia metalla. Redeo tamen in memoriam loci in Plutarcho, qui non præit ad maximum pondus. *Pondus loricarum.* Scribit in Demetrio: Θώρακας αὐτῷ δύο σιδηροῦς ἐκ Κύπρου στιδηρεῖ, ὁλκῆς ἑκάτερον τεσσαράκοντα. δυσαπόδεικτον δὲ αὐτῶν τὸ ῥώμην ἐπιδεικνύμενος ὁ τεχνίτης Ζωίλος, ἐκέλευσεν ἐξ εἴκοσι βημάτων ἀφεῖναι καταπελτικὸν βέλος. ὁ δ' ἐμπεσὸν ἀῤῥαγὴς ἀνέμεινεν ὁ σίδηρος, ἀμυχὴν δὲ μόλις ἔσχεν ὅμοιαν ἀπὸ γραφείου: *Loricæ illi allatæ fuerunt ex Cypro ferreæ, librarum vtraque (an vtralibet) quadraginta. Earum impatientiam & robur cùm oſtendere artifex Zoilus vellet, iuſſit immittere à ſex & viginti paſſibus telum catapultarium. quod cùm violenter incuſſiſſet, ferrum loricæ ſine fracturâ manſit, ſtricturam verò vix leuem & cæcam habuit, quaſi à ſcriptorio ſtilo.* Non negabis & pondus hoc exiguum fuiſſe, & robur eximium, quod tamen & noſtri hodie æmulantur. Sunt enim ſolidæ Loricæ, quæ reſpuunt aut ſubſiſtunt Sclopetorum glandes, valido haud dubiè & penetrabili ictu venientes. Sequitur in Polybio:

» *Par ratio ac ſimilis armorum in Principibus eſt.*] Tria igitur hæc genera pariter armata, & diſcrimen modò aliquod à cenſu, vti dictum. Vnum excipit, quòd

» *Pro pilis Triarij ferunt haſtas.*] Pila enim iſti non habent, cauſsâ apertâ: quoniam in extremo depoſiti, longiùs ab hoſte erant, quàm vt pila eorum pertingerent, aut vim perferrent miſſa. *Triarij ſine Pila.* Altera enim cauſſa, quòd fortaſſe contra equitum irruptionem & coram ordinum confuſionem muniuerunt iſtos haſtis: quibus acies, vt Liuius loquitur, *velut vallo ſepta inhorrebat.* *Lib. VIII. Haſta eorū.* Iſtas igitur haſtas ad ſtatariam & manuariam pugnam habebant, & vt idem Liuius, *ad ora fodienda.* *Ibid. Lib. II.* Ipſi Polybio narratur, pugnâ cum Gallis, *Tribunos militum iuſſiſſe haſtas Triariorum tradi primis manipulis, atque iis iis pugnari in ora Gallorum.* Ne tamen erres, haſtæ iſtæ non nimis longæ, nec vt Macedonum ſariſſæ. Quî potuiſſent? ſcutum maius ſiniſtrâ Triarij gerebant; nec videntur niſi vnâ manu commodè tractaſſe iſtas haſtas.



DIALOG. VII.

De Ocreis obiter. tum ex profeſſo & plenè de Equitum armis.

DE Armis, quod ad Pedites, plenè abſolui. AVD. Interrumpo, & nego. Nam vbi Ocreæ? verbo tetigerat Polybius: exſpectabam vberiorem à te explicationem. LIPS. Profectò iure me reuocas: nam exciderat: ſed breuiter cape. *Ocream* ſingulari numero tribuit & nominat Polybius: an ergo vnam tantùm? Haud de nihilo hæc dubitatio eſt. & in Vegetio palàm ſcriptum: *Pedites ſcutati etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogebantur accipere.* Dat vnis modò cruribus, & ſignanter *dextris*. Cur iſtis? cauſſam ibi ex eodem elicias, quòd in pugnâ cominus, *dextros pedes inante milites habere debeant: at cùm miſſilibus certatur, ſiniſtros.* Itaque iam olim legas quoſdam populos contrà, ſiniſtrum modò crus texiſſe, qui ſcilicet iaculis pugnabant. vt Liuius de Samnitibus: *Siniſtrum crus ocreâ tectum.* Silius de Sabinis:

Vna ocrea an duæ militi? Lib. 2. cap. xv. In dextro crure.

Alia in ſiniſtro. Lib. IX.

Lib. VIII.

Cunctis haſta decus, clypeúſque refertur in orbem,
Vertice & implumes, & læui tegmine cruris
Ibant.

Deſcribit eos leues cum haſtâ, cum parmâ, ſine criſtis, & quales Velites Romani erant. Igitur & ſiniſtrum modò crus armat ab hac, an ab aliâ cauſſâ, aut more? Hæc ita ex Vegetio: tamen de priſcis, magis eſt vt crus vtrumque fuerint tecti. Monumenta lapidea clamant & ſic ingerunt: Liuius etiam & Dionyſius in cenſu Seruiano, qui *Scutum & haſtam* ſingulariè, at *Ocreas* plurium numero eloquuntur. Niſi quis de monumentis dixerit. Ocreas quidem conſpici, ſed non inſerri ferreas eas vtraſque fuiſſe. Vt voles iudica. ego ad Equites tranſeo, an deſino, & ſatias te habet eiuſmodi ſermonum? AVD. Scin quomodo? Vt arena cùm multum bibit, tamen aret, ſic ego ſitieos aſſiduè tuorum ſermonum. Perge & infunde. LIPS. Quin tu perge, & hæc lege:

ὁ δὲ καθοπλισμὸς τῶν ἱππέων νῦν μέν ἐστι παραπλήσιος τῷ τῶν Ἑλλήνων. τὸ δὲ παλαιὸν πρῶτον μὲν θώρακας οὐκ εἶχον, ἀλλ' ἐν περιζώμασιν ἐκινδύνευον. ἐξ οὗ πρὸς μὲν τὸ καταβαίνειν, καὶ ταχέως ἀναπηδᾶν ἐπὶ τοὺς ἵππους, ἑτοίμως διέκειντο καὶ πρακτικῶς, πρὸς δὲ τὰς συμπλοκὰς ἐπισφαλῶς εἶχον, διὰ τὸ γυμνοὶ κινδυνεύειν. τὰ δὲ δόρατα κατὰ δύο τρόπους, ἄπρακτα ἦν αὐτοῖς. καθ' ὃ μὲν γὰρ λεπτὰ καὶ κλαδαρὰ ποιοῦντες, οὔτε τοῦ προτεθέντος ἠδύναντο σκοποῦ στοχάζεσθαι, πρό τε τοῦ τὴν ἐπιδορατίδα πρός τι προσερεῖσαι, κραδαινόμενα δι' αὐτῆς τῆς τῶν ἵππων κινήσεως, τὰ πλεῖστα συνετρίβετο. πρὸς δὲ τούτοις ἀσαυ- A ρωτήρων κατασκευάζοντες, μιᾷ τῇ πρώτῃ διὰ τῆς ἐπιδορατίδος ἐχρῶντο πληγῇ. μετὰ δὲ ταῦτα κλασθέντων, λοιπὸν ἦν ἄπρακτα αὐτοῖς καὶ μάταια. τόν γε μὴν θυρεὸν εἶχον ἐκ βοείου δέρματος, τοῖς ὀμφαλωτοῖς ποπάνοις παραπλήσιον, τοῖς ἐπὶ τὰς θυσίας ἐπιτιθεμένοις. οἷς οὔτε πρὸς τὰς B ἐπιβολὰς ἦν χρῆσθαι, διὰ τὸ μὴ στάσιν ἔχειν, ὑπό τε τῶν ὄμβρων ἀποδερματούμενοι καὶ μυδῶντες, δύσχρηστοι καὶ πρότερον ἦσαν, καὶ νῦν ἔτι γίνονται παντελῶς. διόπερ ἀδοκίμου τῆς χρείας οὔσης, ταχέως μετέλαβον τὴν Ἑλληνικὴν κατασκευὴν τῶν ὅπλων. ἐν ᾗ τὴν μὲν πρώτην εὐθέως τῆς ἐπιδορατίδος πληγὴν C εὔστοχον ἅμα καὶ πρακτικὴν γίνεσθαι συμβαίνει, διὰ τὴν κατασκευήν, ἀτρεμοῦς καὶ στασίμου τοῦ δόρατος ὑπάρχοντος. ὁμοίως δὲ καὶ τὴν ἐκ μεταλήψεως τοῦ σαυρωτῆρος χρείαν, μόνιμον καὶ βίαιον. ὁ δ' αὐτὸς λόγος καὶ περὶ τῶν θυρεῶν. καὶ γὰρ πρὸς τὰς ἐπιβολάς, καὶ πρὸς τὰς ἐπιθέσεις, ἑ- D στηκυῖαν καὶ τεταγμένην ἔχουσι τὴν χρείαν. ἃ συνιδόντες ἐμιμήσαντο ταχέως. ἀγαθοὶ γάρ, εἰ καί τινες ἕτεροι, μεταλαβεῖν ἔθη, καὶ ζηλῶσαι τὸ βέλτιον Ῥωμαῖοι.

Armatura equitum nunc quidem conſimilis eſt illi Græcorum. At antiquitus loricas non habebant, ſed in veſte ſuccincti pugnabant. Ex quo quidem ad deſcenſum aſcenſumq́ facilè in equos magis expediti erant, ſed ad congreſſus minùs tuti & ſecuri, cùm inermes pugnarent. Haſta etiam dupliciter inutiles iis erant. quòd & graciles faciebãt ac tremulas, eóque nec collimeare rectè poterant & ſcopum tãgere; & priuſquam cuſpidem in aliquo defigerent, concuſſa ipſo motu equorum pleraq́ frangebãtur. Addo quod ſine imâ cuſpide facta, ſolam plaga ictumq́ primore pa[r] dabant: eáque defrac[ta] reliquum inutile & i[n]efficax iis erat. At ve[rò] ſcutum habebant ex b[u]uillo corio, vmbilicat[is] placentis ſimillimum, quas in ſacrificiis ſolen[t] apponere. quibus nequ[e] in pugna commodè era[t] vti, quia firmitatem n[on] haberent; & ab imbr[e] corio ſoluto aut vitiato inutilia & olim & nũ[c] fiant prorſus. Iccircò improba eorum vſio cùm eſſet, ſtatim aſſumpsêr[unt] Græcanicam paraturam armorum, in qua haſtarum quidem primæ cuſpidis plagam directam & validam eſſe contingit, quoniã ſtabile & immobile haſtile eſt; itémque ex tranſſumptione, ima cuſpidis vſum firmum ac violentum. Eadem ratio in ſcutis. Nã & in aggreſſione & oppoſitione ſtabilia & firmiter tenſa manẽt. quod cùm vidiſſent, imitati ſunt ſtatim. Boni enim promptíque ſunt Romani, ſiqua gens alia, aſſumere mores & æmulari ſiquid alibi bonum.

Habes hîc duplicem armaturam equitum, & quæ olim fuerat, & quæ tunc erat. De eâ quæ olim, ait:
» *Loricas non habebant, ſed in veſte ſuccincti pugnabãt.*]
Ego ſic verto & exaudio, quod in Græco eſt ἐν περιζώμασι. At Laſcaris fecit *in ſubligaculis pugnaſſe.* Neq; nego id quoque περίζωμα Græcis eſſe: ſed quis credet nudos eos & campeſtri ſolo tectos pugnaſſe? Indecorum & inutile fuerit, tum etiam (niſi fortè in Germanis aut barbaris) ſine exemplo. Mea mens eſt, veſte ſaltem fuiſſe tectos, & quò magis expediti eſſent, ſu- E per eam cinctos. Iuuat Feſtus: *Endo procinctu, in procinctu. nam apud antiquos togis incincti pugnaſſe dicuntur.* Item Plutarchus de teſtamentis in procinctu: μέλλοντες τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν καὶ περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον: *Iam ſcuta capturis & togam accincturis.* Propriè autem ad equites, quod Dionyſius in Tranſuectione ſcribit: *eos in togis quas Trabeas dicunt tranſuectos, tamquam è pugnâ venirent.* E quo colligas pugnaſſe eo habitu, & ſuper trabeas fuiſſe cinctos. quod nec Virgilius abnuat:

—paruáque ſedebat Succinctus trabeâ. Aliquid etiam huc Scholiaſtes vetus Horatij cõferat, in illud,

——*cinctutis non exaudita Cethegis.*

Cinctutis, inquit, *antiquè militaribus viris, & ad militiam paratis.*

» *Ad deſcenſum aſcenſúmque facilem in equos.*] Quod vtrumque meritò ſpectabant, cùm auxilio nullo aut fulcro vterentur ad alleuandum. Lego interdum haſtâ innixos fuiſſe. vt in Liuio, de Cornelio Coſſo: *Quem cùm equo ictum deieciſſet, confeſtim & ipſe haſtâ innixus ſe in pedes excepit.* Videntur & equos quidam inſueuiſſe ad flectenda crura, & ſeſe demittendum. vt Silius de equo miræ fidei & ingenij:

Veteres quo modo in equum. *Lib. IIII.*

Inde inclinatus collum, ſubmiſſus & armos,
De more inflexis præbebat ſcandere terga
Cruribus.

Lib. X.

Nempe herum ſuum grauiter læſum in pugnâ Cannenſi ſuſcipere voluit in dorſum, vt ſolet. Aliis dignioribus aut mollioribus (nec enim vulgò) fuit qui manu tolleret, & adiutaret. *Stratores* ij Latinis dicti, quia & ſternerent equum, & in eum ſubleuarent. Spartianus: *Cùm illum in equum ſtrator eius leuaret.* Ammianus de Iuliano: *Lapſo milite, qui ſe inſeſſurum equo dextrâ manu erexit.* Idem de Valentiniano: *Cùm eum elatus non ſuſciperet equus, anterioresque pedes præter morem erigens in ſublime, dextram ſtratoris militis iuſſit abſcindi.* Sunt iſti Græcis ἀναβολεῖς, ab attollendo. Plutarchus: ἅμα δὲ ἵππος τῷ Κράσσῳ προσήχθη χρυσοχάλινος, καὶ οἱ ἀναβολεῖς αὐτὸν ἀράμενοι περιεβίβασαν, καὶ παρείποντο πληγαῖς τὸν ἵππον ἐπιταχύνοντες: *Simul Craſſo admotus eſt equus auratis frænis, & Stratores eũ ſuſtollentes impoſuerunt, & ſecuti ſunt equum verberibus incitantes.* Hoc ſenſu in Suidâ ſcriptor aliquis: Ὁ δὲ βασιλεὺς τὸν ἀναβολέα προσκαλεσάμενος καὶ τυχέως ἀναβὰς ἐπὶ τὸν ἵππον, ᾔτησε πιεῖν: *Rex ſtratorem vocans, & ſtatim equum conſcendens, petiit bibere.* Ac rectè ibi Suidas interpretatur Ἀναβολεὺς, τὸν ἐπὶ τὸν ἵππον ἀνάγοντα: *eum qui in equum tollit.* Sed quod idẽ addit: Ἀναβολεὺς, καὶ ἡ παρὰ Ῥωμαίοις λεγομένη σκάλα: *Anaboleus, etiã ea quæ Romanis Scala dicitur:* quaſi velit eſſe ſcanſorium aliquod inſtrumentum: id verò mihi dubium eſt, nec exemplum quod affert euincit. Nam ſubiicit in fidem: Ὁ δὲ Μασσανάσσης γηράσας ἄνευ χειρὸς ἀναβολέως ἐπέβαινε: *Maſſinißa cùm ſenuiſſet, in equum ſine ſcanſorio inſtrumento conſcendit.* Non, inquam, euincit. Et moneo ex Appiani Lybico eſſe ſumptum, atque ex eo corrigendum: ὁ δὲ μέχρι ἐσχάτου. De Maſaniſſâ enim rege hoc narrat, eum inter cetera ſenectæ ætatis commoda, hoc quoque habuiſſe, vt agilitas non deſereret, & vltrò ac ſine ſtratoris operâ (cur non ſic interpreter?) iret in equum. Tamen pro Suidæ ſententiâ etiam Euſtathius, vber ſed vtilis Scholiaſtes, in Homerum: Ἀναβολεὺς οὐ μόνον τὸ σιδήρεον ᾧ τοὺς πόδας ἐντιθέντες εὔιπποι γίνονταί τινες, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος ὃς εἰς τοιοῦτο ἔργον καθυπουργεῖ: *Anaboleus non ſolùm ferrum illud minutum dicitur, cui pedes imponunt quidam vt inſcendant commodiùs; ſed etiam vir ipſe qui ad tale opus adiutat.* Ex quibus doctiſſimus Budæus efficit veteribus notos etiam fuiſſe ſubiices illos pedaneos ex ephippio vtrimque dependentes, quibus hodie vtimur ad ſcandendum & innitendum. Quod tamen verba Euſtathij mihi clarè non dicunt: ſed potuit inſtrumentum deſignare non penſile, ſed portatile, quod apponerent iuxta equum, & eo velut gradu attollerentur. Fit hodie interdum in curribus, & eſſent verè ex Suidæ interpretatione *Scala.* Poſſet Plutarchus huc trahi, dum notat *Gracchum vias reparaſſe, & lapides haud longè diſtantes in marginibus defixiſſe,* ὡς εἶναι ῥᾳδίως τοῖς ἵππους ἔχουσιν ἐπιβαίνειν ἀπ' αὐτῶν, ἀναβολέως μὴ δεομένους: *vt eſſet facile iis qui equos haberent eos inſcendere, inſtrumento ſcanſili non egentes.* Etſi nihil video cur non hic quoque vertere fas ſit *Stratorem.* Sed quidquid huius ſit, illud tamen tene, Euſtathium dicere *quoſdam* vſurpaſſe, non ergo vulgò omnes: & eius æuo ſi pedanei illi ſubiices fuerunt, non certè priſco magis. quod ſtatuæ & imagines omnes euincunt. Nuſquam enim in iis forma aut veſtigium, & pedes ſemper penduli ſine alio fulcro. Atque adeò res noua, vt nec ſit ei Latinum nomen: niſi quod patrum ætate Franc. Philelphus ne res cottidiana careret vocabulo, *Stapedam* appellauit, quòd pes in eo ſtaret. Budæus meliùs priuſque putauit circumſcribi, & *Subiicem pedaneum* dici. Avo. Vt video non omnia laudabilium veteres inuenêre, quædam relicta & nobis. Nam certè hoc ferrum vtile & firmiori ſeſſioni eſt, vtile & ſcanſioni. quæ meo animo difficilis fuit, vtique armatis. Lips. Nobis ita ſit, nempe inexercitatis: at illi continuo vſu diſcebant, idque inter militiæ rudimenta. Quid tamen tantopere mirandum? nónne & ruſticuli noſtri cottidie vſurpant, & nullo niſu ſubiiciunt ſe in equos? Ita veteres, atque id ſaltu quodam factum Virgilius tangit:

Anaboleus pro Stratore. *In Craſſo.* *Stratores.* *In Carac.* *Li. XXII.* *Lib. XXX.* *Etiam pro ſcanſili inſtrumento forte ſit.* *Odyſſ. Θ. verſ. 155.* *Pedanei ſubiices an veteribus.* *In Gracchis.*

——*corpora ſaltu*
Subiiciunt in equos.

Inſiliebant equos priſci.

Et Claudianus: *Inq; frementis equi dorſum, cum pondere conti,*
Indutas chalybũ ſaltu trãsferre catenas.

Lib. I. cap. XVIII.

Sed de Romanis propriè, Vegetium audi. *Non tantùm à tironibus, ſed etiam à ſtipendioſis militibus ſalitio equorum diſtrictè ſemper eſt exacta. Quem vſum vſque ad hanc ætatem, licet iam cum diſſimulatione, perueniſſe manifeſtum eſt. Equi lignei hieme ſub tecto, æſtate ponebantur in campo. ſuper hos iuniores primò inermes, dum conſuetudine proficerent, demum armati cogebantur aſcendere. Tantaq; cura erat, vt non ſolùm à dextris, ſed etiam à ſiniſtris & inſilire & deſilire condiſcerent, euaginatos etiam gladios vel contos tenentes. Hoc enim aſſiduâ meditatione faciebant, ſcilicet vt in tumultu prælij ſine morâ aſcenderent, qui tam ſtudioſè exercebantur in pace.* Vides ſalitionem hanc inter aſſidua exercitia vel ad Vegetij tempora, cùm bona pleraque iam perierant, retentam: haud æquè neceſſariam, ſi vel tunc equeſtria iſta fulcra. Avn. At in Vegetij verbis non diſſimulo mirari me *gladio euaginato* quod ait, & ſic quoque inſiluiſſe. Lips. Nihil eſt. Vſus hæc & plura potuit: & nónne de Pompeio Plutarchus tradidit, *iam ſenem exercuiſſe ſe inter milites, & in equo viſum,* ſiue (vt verba eius ſunt) ἱππότην, ἑλκόμενόν τε τὸ ξίφος ἀπραγμόνως ἐν τῷ ἵππῳ θέοντι καὶ κατακλείοντα ῥᾳδίως: *extrahentem atque educentem gladium ſine difficultate, equo incitato & currente, iterumq; facillimè repoſuiſſe?* Quod factitatum, & quædam talia, Viennæ memoria Turcici generis equite, ſpectante D. MAXIMILIANO Imperatorum optimo, & magnâ nobilium ac popularium turbâ. Quid ille idem Plutarchus de Iulio Cæſare? Τὸ μὲν ἱππεύειν ἐκ παιδὸς ἦν αὐτῷ ῥᾴδιον. εἰθίσθη γὰρ εἰς τοὐπίσω τὰς χεῖρας ἀπάγων, καὶ τῷ νώτῳ περιπλέκων, ἀνὰ κράτος ἐλαύνειν τὸν ἵππον: *Equitare à puero illi facile erat. Aſſueuerat enim manus retrò inuertens & dorſo ſuo implicans totis viribus equum admittere & concitare.* Ecce. hæc & talia, facilia reddebant iis quæ nobis ſunt ardua, & diſcendo exercendoque verè militaris Ars fiebat. Sed alterum etiam moneo, cur facilior hæc ſalitio. nempe quòd Sellas iſtas equeſtres altinſculas, & è ferro lignoque compaginatas, non habebant. Quid ergo earũ vicem? ſtragula quædam è panno, corio, pelle, quibus equos inſternebant, eoque & *Strata* dicebant: ferè vt hodie noſtri agalones. Seneca: *Stultus eſt, qui equum empturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum eius & frænos.* Iterũ *Equũ empturus, ſolui iubes ſtratũ.*

Pompeij dexteritas. *In Pompeio.* *In Cæſ. Iulij Cæſaris in equitando peritia.* *Veteribus non Sella in equis.* *Epiſt. LXXX.*

Græci

Quidam v ſine ſtrato.

Græci ἐφίππια pariter dixêre, itemque ἐφίππιον: qua voce vulgo & Latini vſi. Varro: *Mihi puero modica vna fuit tunica & toga, ſine faſceis calceamentum, equus ſine ephippio.* Et oſtendit quoſdam duriùs aut fortiùs habitos, ephippiis etiam caruiſſe. Quod tamen non ita perpetuum fuiſſe arbitror, vt Neronis denique æuo Equites in tranſuehendo ea vſurparint: quod ex Dionis compendio * ſuprà monui, & me aliorſum traxi. Profectò iamdiu in promiſcuo vſu ephippia, & omnis lectio docet. Quin Cæſar cùm Germanos oſtendit iis caruiſſe, hoc quoque addocet, Romanos habuiſſe, quos eo nomine vt molles illi contemnebant. *Nihil,* inquit, *eorum moribus turpius aut inertius habetur, quàm ephippiis vti. Itaque ad quemuis numerum ephippiatorum equitum quamuis pauci adire audent.* Ac vide quàm mutauerint. tales Germani olim, & in dorſis equorum nudis: nunc ſellæ illæ altiores & fabrè factæ, eorum quaſi peculiares. Qua in re, vt multis aliis, conuenit iis cum Perſis, de quibus Xenophon: Νῦν δὲ στρώματα πλείω ἔχουσιν ἐπὶ τῶν ἵππων, ἢ ἐπὶ τῶν εὐνῶν· οὐ γὰρ τῆς ἱππείας οὕτως ὥσπερ τοῦ μαλακῶς καθῆσθαι ἐπιμελοῦνται: *Nunc autem ſtragula plura in equis habent, quàm in lectis. non enim tam equitationis curam habent, quàm mollioris ſeſsionis.* Notat & ipſe duriores olim fuiſſe Perſas, ſuo æuo degeneraſſe & has ad delicias veniſſe. Sed Germanis fortaſſe cauſſa alia eiuſmodi ſellarum, nimirum firmitas, & quia ſecuriùs ſic concurrunt & confligunt. Certè in ſola & paſſa illa ſtragula vt faciliùs aſcendere, ita & deiici aut delabi. Sed de Romanis igitur, dixi inſtrauiſſe corium aut pellem. eoque in Gloſſis priſcis ſcriptum: Ἐφίππιον *ſcordiſcale*. Nam & in aliis Gloſſis explicatum reperio: *Sordiſcum* (an *Scordiſcum?*) *corium crudum.* E corio igitur aut pelle animalis cuiuſpiam: & poëtæ huc aſpiciunt, cùm nobilibus viris rariores quaſdam pelles ſubſternunt. Vt Statius Parthenopæo, è lynce:

* Lib. v. Dial. v. — iv. Gallic. — Lib. viii. Pæd. — Pelles pro ſtrato. — Lib. iv.

Cornipedem trepidos ſuetum prævertere ceruos,
Velatum gemina deiectu lyncis.

Silius Flaminio Conſuli, è tigride:

Lib. v.

Stat ſonipes vexátque ferox humentia frena,
Caucaſeam inſtratus virgato corpore tigrim.

Non tamen ſine notâ, quòd iam tunc Italiæ eam feram communicat, viſam primùm ſub Auguſto, vt Plinius tradit. Sed vel poëticum ius excuſet; vel quòd de pelle tantùm, quæ aduehi potuit etiam ignotâ ferâ. Alij centunculos inſternebant aut viliores pannos. Ex Frontino, in Stratagemate quopiam narrando: *Agaſones lixáſque armatos ſimul ire iuſſit, iumentorúmq; magnam partẽ inſtratorum centunculis, vt per hoc equitatus ſpecies obiiceretur.* Ex Liuio, in re ſimili: *Mulis ſtrata detrahi iubet, biníſq; tantũ centunculis relictis, agaſones armatos imponit.* Sed honeſtiores veſtem ſcilicet pretioſam magis inſtrauiſſe, aut tapetem. Silius:

Centunculi pro ſtratis. Lib. iv. cap. iiii. — Lib. vii. — Et tapetes.

Illum Sidonio fulgentem ardore tapeta:

De equo dicit, qui ſic inſtratus. Lego & apud Liuium: *Et cùm tibi viro liceat purpurâ in veſte ſtragula vti, matremfamilias tuam purpureum amiculum habere non ſines? & equus tuus pretioſiùs inſtratus erit, quàm vxor veſtita?* In diſſuaſione legis Oppiæ hæc dicuntur, & temerè à quibuſdam reponi video, *lectus tuus.* De equo verum eſt, & ius fuit purpurâ aut cocco inſternere magiſtratibus & qui cum imperio erant. Atque hi ſunt, quos ſuprà dixi, *Conſulares* aut *Imperatorij equi.* AVD. Satis noua me doces. ſed amplius, Sellæ ergo iſtæ noſtræ nuper natæ? LIPS. Nequaquam, nec dixi. Negaui peruetetes, non tamen facio nouitias; & fortaſſe Sidonij Apollinaris æuo iam in vſu. Inducunt hæc verba: *Alij ſanguine ac ſpumis pinguia lupata ſuſcipiunt, alij ſellarum equeſtrium madefacta ſudoribus fulcra reſupinant.* Nam & *Sellas* nominat, & *reſupinata fulcra*, verumque pro hodiernis. Etiam ante Panegyriſtes, Conſtantino: *Tunc ire præcipites* (equites hoſtium) *labi reclines, aut moribundi ſedilibus attineri, permixtâ equorum clade iacêre.* Quid, quod in columnâ Traiani (ſæpe mihi aduocatâ aut aduocandâ. multa ibi imago rerum veterum) forma quædam noſtræ huic conſimilis? Imperatorios equos ex eâ ſuprà dedi, & reſpice. Sed fortaſſe verius, ſtroctum farctúmque aliquid è pannis ibi eſſe, ad molliùs inſidendũ, ſine ligno tamẽ aut ferro. An & Dionis ea mens, vt ſub Nerone primũ hæc talia ephippia equites receperint: vix opinor, nec eò produxerim.

Lib. xxxiiii. — Sella noſtra quando nata. — Lib. i. epiſt. ii.

» *Haſtas graciles faciebant ac tremulas.*] Duplici ergo cauſâ inutiles, cùm nec figerent fortiter, nec collinearent rectè. Sed de fixione tamen, aliter apparuit in concurſu Aruntis & Bruti, cùm *vterque* (Liuij verbis) *contrario ictu per parmam tranſfixus, duabus hærentes haſtis ex equis moribundi lapſi ſunt.* Dixeris fortes robuſtaſque fuiſſe: aut potiùs illud pro Polybio, parmas tũc penetrabiles & infirmas. Atq; id ſequitur.

Lib. ii. — Parma equitum.

» *Scutum ex bouillo corio.*] Accipio, corio mero, & nullâ materie ſubiectâ aut ligno. Si enim & iſta, cur reiiciat? cur non pedeſtre ſcutum bonitate æquiparet? Sed credo è corio ſolo fuiſſe, arte leuiter durato, quod tamen perpluuiam (vt addit) reſolueret. Fuit igitur eiuſmodi Afrorum olim ſcuta, de quibus Suidas: Πάρμαι, δερμάτινα θυρεοὶ παρὰ Καρχηδονίοις: *Parmæ, coriacea ſcuta apud Carthaginienſes.* Salluſtius & Numidis tribuit: *Super terga gladij & ſcuta, verùm ea Numidica ex coriis, ponderis gratiâ ſimul & offenſæ, quò leuius ſtreperent.* Item Afris Silius:

E corio mero. — In Iug. — Lib. ii.

——rudis his tunc parma, breuíque
Bellabant enſe.

Nec aliam quàm hanc rudem è corio intelligit, *Citram* vel *Cetram* propriè iis dictam. Iſidorus: *Cetra, ſcutum loreum ſine ligno, quo vtuntur Afri & Mauri.* Scholiaſtes Iuuenalis: *Oryx animal minus quàm bubalus, quem Mauri Vucem vocant, cuius pellis ad citurias* (hoc Pythœus *cetras*) *proficit, ſcuta Maurorum indorum.* Citra quidem & in Gloſſis ſcribitur. Λαισὸς λησρικὴ, *citra.* An quia latrocinantes vtebantur? an reſcribimus, Λιβυστική? ſed vix auſim. Addo, Hiſpanorum etiã Cetras fuiſſe, eorum maximè qui proximi Mauris & Afris: atque inde in Cæſare *Hiſpanorum cetratæ cohortes.* & in Liuio. *Hiſpani cetris ſuppoſitis incubantes flumen tranſnatauere* Sed videodum an non paullò aliæ, atque alibi quæſitero.

Cetra propriè. — i. Ciuil. Lib. xxi.

» *Sine imâ cuſpide.*] Græci hoc vno verbo σαυρωτῆρα dicunt ſiue etiam οὐρίαχα & ἐγχέσπαλον Sed priore voce Polybius hìc vſus, itemque Homerus:

Saurοter in haſtis. — Iliad ii.

——ἔγχεα δέ σφιν
Ὀρθ' ἐπὶ σαυρωτῆρος ἐλήλατο.

Vbi ſic Euſtathius: Σαυρωτὴρ, σιδήριον κωνοειδὲς ἐξ ἄκρου ὀξὺ, ᾧ ἐντιθέμενον τὸ ὄπισθεν ἄκρον τοῦ δόρατος ὀρθὸν αὐτὸ ἑστάναι ποιεῖ πηγνύμενον ἐν τῇ γῇ: *Saurοter ferrũ paruum conicum, in acutum deſinens, cui inſerta infima pars haſtæ efficit vt rectæ ſtatuantur defixæ terra.* Ac vides nobis alterum etiã vſum eius ferri, nempè ad haſtam rectam defigendam, cùm ea feriata. Sed ad vſum Polybianum, exẽplum incerti ſcriptoris apud Suidam ecce iſtud: Καὶ ταχὺ ἀναστρέψας τὸν ἵππον εἰς πεπτωκότα παίει τῷ σαυρωτῆρι διὰ τοῦ τραχήλου: *Et celeriter equo conuerſo ad iam lapſum, percutit eum cuſpide imâ in gulâ.*

» *Vmbilicatis placentis ſimillimum.*] In Græco eſt vox *Popana.* de quo genere Suidas: Πόπανα, πλακούντια πλατέα καὶ λεπτὰ καὶ στρογγύλα: *Popana, placenta lata, & tenues, & rotunda.* Ex iis & formam equeſtris ſcuti vides, ſiue potiùs *Parmæ.* Ita enim olim vocabant. Liuius: *Deſiliunt ex equis, & pro antesignanis parmas obiiciunt.* Iterùm: *Vexilla ſe ſuorum parmáſq; cernere*

Popana. — Lib. ii.

equitum.

equitum. Et lerè ita Liuius. ſicut & Gloſſæ explicant: *Parma*, ἀσπὶς ἱππική.

Equitum omnia arma. ordine. Lib. iii. Excid.

» *Aſſumpſêre Græcanicam armaturam.*] Quæ ea fuerit, nemo meliùs Ioſepho dixerit: ſi tamen tã plena & inſtructa ea iã tuoc Polybij æuo. Sed Ioſephus audiatur. Τοῖς ἱππεῦσιν μάχαιρα μὲν ἐκ δεξιῶν μακρὰ καὶ κοντὸς ἐπιμήκης ἐν χειρί, θυρεὸς δὲ παρὰ πλευρὸν ἵππου πλάγιος. καὶ κατὰ γωρυτοῦ παρήρτηνται τρεῖς ἢ πλείους ἄκοντες, πλατεῖς μὲν αἰχμὰς, οὐκ ἀποδέοντες δὲ δοράτων μέγεθος. κράνη δὲ καὶ θώρακες, ὁμοίως τοῖς πεζοῖς ἅπασι: *Equitibus gladius eſt ad dextrum oblongus, & contus item longus in manu, ſcutum ad latus equo transuerſum, & in pharetrâ portantur tria aut plura iacula, cuſpide latâ, & haſtis magnitudine non cedentia. Galeas & loricas omnes habent, vti pedites.* Fida & multiplex hæc armatura, ac lubet per partes inſpicere. Ait primò *gladium fuiſſe ad dextrum*. Nota igitur, more Polybiano & veteri, equites tunc geſtaſſe dextros gladios, etſi pedites eos iam haberent ſiniſtros: Sed addit, *oblongum* fuiſſe: aliter quàm in noſtris equitibus, qui breuiorem pedeſtri gerunt. Olim contrà, & valdè olim. Nam & in Dionyſio eſt de equitibus Romanis, ſub annum vrbis CCLXVII. Ἔπειτα οἱ μὲν ἐσακοντίζον τὰς λόγχας. οἱ δὲ τοὺς ὁμόσε χωροῦντας τοῖς ἱππικοῖς ξίφεσι μακροτέροις οὖσι παίοντες, πολλοὺς ἔρριπτον ἡμιθανεῖς: *Deinde alij eiaculati ſunt lanceas, alij eos qui propiùs accedebant, equeſtribus longioribus gladiis ferientes, multos proſternebant ſemineces.* Ad duo notabilis locus. quòd & lanceas eiaculati equites ſint: & quòd gladij eorum tales. Ac de iſtis, poſteriore etiam æuo in Dione Chryſoſtomo teſtimonium obſeruo, cùm ille de Charidemo quodam viro nobili: Παρέζωστο δὲ μάχαιραν μεγάλην τῶν ἱππικῶν: *Accinctus erat longiorem gladium ex illis equeſtribus.* Pergit porrò addere Ioſephus, *contum in manu longum*. & intellegit grandiorem concurſoriam haſtam, ad hoſtem cominus feriẽdum aut deiiciendum. Non eſt dubium quin & olim haſtæ huic vſui, non tamen femore aut genu obnixæ, ob ferrũ in imo quod dixi. Alij tamen ſic ferebant, cùm σαυρωτὴρ ſcilicet aberat: vt Afer ille, de quo Silius:

Gladius ei dexter.

Iſq; oblongus.

Lib. viii.

In Boryſth.

Contus vel haſta non femore obnixa.

Lib. xv.

Suſtentata genu per campum pondera conti
Sarmaticos prona aduerſos vrgebat in hoſtes.

Vt Sarmata quiſpiam in Valerio:

Lib. vi.

——campis hoſtilibus vmbram
Fert abies obnixa genu.

Sed Romani an ſub brachium inclinatiorem & ad latus applicauerint, haud aſſero: ratio illa & aſpectus acutioris ferri ſic poſcit. At illud ſatis nouum, quod Ioſephus ſubiũgit, *in pharetrâ tria aut quattuor iacula*. Nihil tale in Polybio, aut vllo veterũ: niſi quòd in Dionyſij ſuprà verbis vidimus, *eiaculatos fuiſſe haſtas*. Sed licet, imò oportet fortaſſe, intellegere concurſorias illas haſtas, quę tune minores & tremulæ habere potuerũt duplicem hunc vſum. Aliter in Ioſepho, & palàm diſtinguit, & velitares iſtas haſtas plures donat. Æuo igitur hoc acceſſit, ac cominus atque eminus pugnare eques ille potuit. Poſtrema ſunt, *galea, ac lorica iuxta ac peditibus*. Dat igitur omnia arma, & pari, vt apparet, modo. Si ita eſt, quid igitur Appianum induxit ſcribere de Scipione, in pugnâ Africanâ cum Annibale: *Cùm pedites proculcarẽtur ab elephantis in acie mediâ, qui ob grauitatem armorum parùm agiles erant ad inſequendum aut refugiendum, Scipio iuſſit Italicos equites ab equis deſilire leuiùs armatos, & tela conijcere in elephantos?* Ecce, res tota, & verba dicunt clarè leuia arma equitum præ pedeſtribus fuiſſe. Atqui nõnne omnia eadem peditibus habebãt? Ioſephus aſſerit, & ex Polybio idem dicas. Niſi fortè tunc & illis bellis, nondum mutauerant: & poſteà bellis denique Græcanicis id factum. In rebus leuibus, mi Auditor, nõnne interdum hæremus, & fortaſſe ſatagimus? ac vereor ne me dicas * τὰς κεγχρὰς διαπρίειν. A v d. Egóne? cui fructuoſa hæc cura, & iuuat atque opus in talibus recidere, ac ſtirpes tollere dubitationum.

Haſtæ etiã iaculatoria.

Galea & lorica. Super Appiani loco.

* grana demere.

DIALOG. VIII.

Numidæ equites deſcripti, & Tarentini.

SED enimuerò Lipſi, cùm *Graues* equites deſcripſiſti, nullos etiam *Leues*? L i p s. Nullos. nõ enim fuerunt alij in Romanis. A v d. Sed in eos tamen, aut & cum iis poſteà pugnarunt, niſi fallor, & nominatim Numidæ: de quibus ſæpe lego, & præſertim in Annibalis rebus. Lubet ſcire quale hoc genus, cui & pretium fuiſſe video & virtutem. L i p s. Nihil minus in ſpecie: ſed re tamen & efficaciâ haud rarò ſe probarunt. Deſcribit Liuius graphicum in morem: *Nihil primo aſpectu contemptius, equi hominéſque paulluli & graciles: diſtinctus & inermis eques, præterquam quòd iacula ſecum portat: equi ſine frenis: deformis ipſe curſus rigidâ ceruice & extento capite currentium.* Cui paria Claudianus, in bello Gildonico:

Numidæ deſcripti. Lib. xxxv.

Non contra clypeis tectos galeíſque micantes
Ibitis, in ſolis longè fiducia telis:
Exarmatus erit, cùm miſſile torſerit hoſtis.
Dextra mouet iaculum, prætentat pallia læua,
Cetera nudus eques.

Vides ipſos nudos, inermes, præter iacula: & læuâ, pro clypeo, veſtem prætendiſſe. Artẽ autem iaculatoriam paſſim iis tribui videbis, vt Salluſtius de Iugurthâ: *Vti mos gentis illius eſt, equitare, iaculari.* Herodianus: Οἱ δὲ νομάδες ἀκοντισταὶ εὔστοχοι: *Numidæ iaculatores certiſſimi.* Addidit Liuius, *equos ſine frenis*: & ſic in Virgilio: *Et Numidæ infrænes cingunt.* Claudianus: *—ſonipes ignarus habenæ, virga regit.* Vbi Virgam loco Fræni adnotes, aliis etiam expreſſum. vt Silio:

Nudi ab armis.

Lib. vii. Sine fræno.

——Numidæ, gens inſcia fræni,
Queîs inter geminas, per ludum mobilis, aures
Quadrupedem flectit, non cedens virga lupatis.

Io Strabone: Μικροῖς ἵπποις χρῶνται, ὀξέσι δὲ καὶ εὐπειθέσιν, ὥστε ἀπὸ ῥαβδίου οἰακίζεσθαι: *Paruis equis vtuntur, ſed velocibus, itáque obſequentibus vt exiguâ virgulâ regantur.* Herodianus: Νομάδες, ἱππεῖς ἄριστοι, ὡς καὶ χαλινῶν ἄνευ, ῥάβδῳ μόνῃ τὸν δρόμον τῶν ἵππων κυβερνᾶν: *Numidæ, equites optimi, vt vel ſine frænis, ſolâ virgâ curſum equorũ moderentur.* Auſonius, ad Gratianum: *Mirabamur poetã, qui dixerat, infrænos Numidas: & alterum, qui ita collegerat, vt diceret, in equitãdo, verbera, & præcepta eſſe fugæ, & præcepta ſiſtẽdi. Obſcurũ hoc nobis legẽtibus erat, intelleximus te videntes, cùm idem arcum intenderes, & habenas remitteres; aut equum ſegniùs euntem verbere concitares, vel eodem verbere intemperantiam coerceres.* Nec fræna tantùm adimunt, ſed & Strata. Lucanus:

Et gens quæ nudo reſidens Maſſylia dorſo,
Ora leui flectit frænorum neſcia virgâ.

Dorſo nudo imponit. vt & Appianus ipſum Maſaniſſam: γυμνὸν τὸν ἵππον ἀναβαίνων, ὡς ἔθος ἐστὶ νομάσι: *Nudum equum conſcendens, vt mos Numidis.* Satis ex horum collatione liquet qui Numidæ illi, viles aut ridiculi in ſpeciem: re ſæpe validi & feroces. Sciunt Annibal & Romani: quorum ille victorias ſuas in parte, iſti clades huic generi adſignant. Et Romani poſteà, victâ Africâ, æſtimarunt, & ſæpe inter auxilia habuerunt, vt Scipio minor, vt Marius, vt in Galliâ ipſe Cæſar. A v d. Benè hæc & firmiter docuiſti: tamen Liuij locus eſt, qui addit iis arma, contra tuum

Sine ſtrat.

ſenſum.

ſenſum. Scribit in pugnâ Cannenſi, inter dolos Annibalis, *Quingentos fermè Numidas, præter conſueta arma telaque gladios occultos ſub loricis habentes, ſpecie transfugarum adequitaſſe, parmáſque & iacula ante pedes hoſtium proieciſſe.* Nónne palàm *arma* dat, imò diſtinctè *loricas* & *parmas*? LIPS. Vidi olim locum, & me tenuit: eò magis, quòd in Appiano non *Numidas*, ſed *Celtiberos* in hac ipsâ re legebam. Et ſanè magis conueniat. niſi hoc Liuium ſubleuat, quòd aliud etiam genus Numidarum equitum, qui grauiores, & frænati: de quibus ipſe libro XXIII. *Nec omnes Numidæ in dextro cornu locati, ſed quibus, deſultorum in morem binos trahentibus equos, inter acerrimam ſæpe pugnam, in recentem ex feſſo* ARMATIS *tranſſultare moris erat.* Palàm armatos eos facit: & de tali genere priores illos dicam fuiſſe? haud aliud reperio. Et ſanè Deſultores iſti equites mixti, & alibi tamen lecti. vt in Æliano: *Ἀμφιπποι, οἱ ἐπὶ δυοῖν ἀστρώτοιν ἵπποιν συνδεδεμένοιν ὀχούμενοι. οἳ καὶ μεταπηδῶσιν ἀπ' ἄλλου ἐπ' ἄλλον, ὅταν ἡ χρεία καλῇ: Amphippi, qui duobus equis non ſtratis, & colligatis inter ſe, vehuntur. qui etiam de alio in alium tranſiliunt, cùm vſus poſcit.* In ludum & circum hi traducti, & ab ipsâ re dicti Deſultores. Manilius:

Numidæ armati.

Deſultores.

Lib. v.

Nec non alterno deſultor ſidere dorſo
Quadrupedum, & ſtabiles poterit defigere plantas
Per quos vadit equos.

Hyginus: *Caſtor dicitur alternâ morte redemptus. Vnde etiam Romani ſeruant inſtitutum, cùm deſultorem mittunt. vnus duos equos habet, pilleum in capite, equo in equum tranſilit, quòd ille ſuâ, & fratris vice fungatur.* Propertius:

Eſt etiam auriga ſpecies Vertumnus, & eius
Traiicit alterno qui leue pondus equo.

Vult Vertumnum varias ſpecies induere, modò aurigam videri, modò deſultorem. Homerus iſtos agnouit, & fusè deſcripſit, ſed in quattuor etiam equis, alternantes.

——ὁ δ' ἔμπεδον ἀσφαλὲς αἰεὶ
Θρώσκων ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον ἀμείβεται, οἱ δὲ πέτονται
——*hic ſemper firmiter inſtat*
Ex alio inſiliens alium, idque in perpete curſu. *Iliad o. verſ 677*

Vbi Euſtathius notat: Ἐν δὲ παλαιοῖς σχολίοις γέγραπται, ὅτι Δημήτριος φησὶ τεθεαμένος τινὰ μεταβαίνοντα, ὡς ὁ ποιητὴς λέγει, κατέχοντα τοὺς χαλινοὺς, καὶ ἀνεμποδίστως περῶντα τὸν δρόμον τῶν ἵππων. καὶ ὅτι καὶ νῦν ἐν Ῥώμῃ τοῦτο γίνεται: *In priſcis Scholiis ſcriptum eſt, quod Demetrius dicat ſe vidiſſe quemdam tranſilientem, vt poeta dicit, retinentem frena, & ſine vllo impedimento regentem equorum curſum. Et quòd etiamnunc* Romæ id fiat.* Nec mirum tibi nimis aut fabuloſum de quaternis Homeri equis videatur: ecce Florus; de *ſenis* etiam in hiſtoriâ dicit, libro III. cap. III. *Rex ipſe* (Theutonum) *Theutobocchus quaternos ſenóſque equos trãſilire ſolitus. vix vnum cùm fugeret, aſcendit.* Hi ſunt igitur Nomidæ Tarentini, qui & ipſi in Liuio, & alibi Polybio nominantur, haud diſſimiles, & duplex quoque eorum genus. Sunt illi leues, de quibus Ælianus, *τῶν ἱππέων οἱ μὲν μόνον ἀκοντίζουσιν, εἰς δὲ χεῖρας τοῖς πολεμίοις οὐκ ἔρχονται, οἳ καλοῦνται ἱππακοντισταὶ καὶ ταραντῖνοι Equitum alij iaculantur tantũ, ad manus hoſtibus non veniunt, & vocantur Hippacontiſtæ & Tarentini.* Sunt alij, de quibus Liuius: *Cretenſes auxiliares, & quos Tarentinos vocabant, equites binos ſecum trahentes equos.* Nec plura de iſtis lubet, aut opus, dicere: finis in Polybio *Armorum.* AVD. Atqui multa reſtant: tela alia vbi ſunt? LIPS.* Alibi proméda: fruſtrà me reſpicis, haud aliter nunc hoc fiet. AVD. Quod vis igitur fiat. Nam *Lib. xxxv.* *In Galbam.* *In Poleremon.*

Adloquendũ atque ad pacẽdũ tuæ habes portiſculum:

vt illa in Plauto. Sed tamen Apophoretum in abitu ecquod das? LIPS. Quod illud? AVD. Hoc ſolenne dico, de collectione & ſummulâ. LIPS. Vix hîc opus, tamen cape.

COLLECTIO ARMORVM,

ARMA ſecundùm genera. Primò

- **VELITVM**
  - Gladius Hiſpanienſis.
  - Haſtulæ, trium pedum longitudine, digitali craſſitie, ferro molli duodecim digitorum.
  - Parma, tripedalis.
  - Galea, è pelle, aut corio.
- **HASTATORVM, & PRINCIPVM & TRIARIORVM**
  - Scutum, latum duos pedes & ſemis, longum quattuor, & interdum palmum.
  - Gladius Hiſpanienſis, firmus mucrone, & vtrimque ictu.
  - Galea ærea, cum criſtis.
  - Oereæ.
  - Pila duo. Vnnm maius, idque
    - Rotundum, *vel*
    - Quadrangulum.
  - Minus, ſimile venatoriis haſtis.
  - Omninm iſtornm longitudo in ligno, tres cubitis; in ferro, totidem. ſed pars media fibulis nexa ligno. Mucro hamatus. Triarij ferunt haſtas.
  - Lorica duplex: vel è laminâ æreâ, ſeu ferreâ, digitorum vndiqne duodecim, Pectorale dicta:
  - Vel ex catenis, & ſquamulis confecta, quæ Hamata. Hæc ditiorum.
- **EQVITVM**
  - Scutum.
  - Haſta.
  - Gladius.
  - Lorica.
  - Galea.

IVSTI LIPSI
DE MILITIA ROMANA
LIBER IIII.
DIALOGISMVS I.

Diſpoſitio Aciei & communis ordo, tum viæ & interualla: pérquæ iſta acceſſio & receſſio.

DIe quarto veoit meus ad coóſtitutum; Ecce me, inquit, ſi vnquam, auidum nunc audiendi. Aciei enim & pugnæ res erit. Subriſi, & cum hac ſpe, inquam, licet abeas. Vbi in Polybio verbulum? quæte, veſtiga, noo teperias: atque ita cùm dux ooſter & magiſter deficit, ego ſubſiſto & ſileo. A v d. Túne? & ſic me ludom faciaa? Dicat noo dicat Polybius; ſi viuo ego, dices. L i p s. Flocci & pappi mihi tuæ mioæ. — * ἐλάθειρας αἶγας ἀρότρων. A v o. Imò, tu hîc mihi obnoxius, ex ptomiſſo. Diuiſio & definitio tua volunt, & cum primis ipſa tes: quę nulla eſt, ſi A c i e m omittis. Nónne eius cauſâ omnia? nec priota tantû, *Dilectus, Ordo, Arma:* ſed ipſa *Diſciplina* huc reſpicit, & nihil eâ opos, oiſi ad fortiter & feliciter pugnandum. Ergo vno verbo mi Doctor, doce: aut. L i p s. Quid facies? A v o. Io vincla te dabo, ſed hæc brachiorum, nec dimittam, niſi impetrato. L i p s. Omine, impetraſti: etſi teuera hæreo vnde ordiar: quà progrediar: quia orbita oulla preſſa, qoam inſiſtam. Còm omnia circumſpicio, nihil melius quàm ad Liuiom me vertam, qui Latinos & Romaoos ordioes, tum & Aciem, inſtruxit. Hæc tu mihi lege, & Polybium dimitte: oon ſine caſtigatiunculâ, qoòd rem ipſam præcipuam libarit nec verbo. Cauſſam tamen fortaſſis habuit, quòd ex hiſtoriis eius & variis pugnis diſpoſitio hæc potuit eſſe oota. Sed legito:

** Remouemus capras ab aratro.*

Liuius. lib. viii.

Vbi his ordinibus exercitus inſtructus eſſet, Haſtati omnium primi pugnam inibant. Si Haſtati profligare hoſtem non poſſent, pede preſſo eos retrocedentes in interualla ordinum Principes recipiebant. Tum Principum pugna erat, Haſtati ſequebantur. Triarij ſub vexillis conſidebant ſiniſtro crure porrecto, ſcuta innixa humeris, haſtas ſub erectâ cuſpide in terrâ fixas, haud ſecus quàm vallo ſepta inhorreret acies, tenentes. Si apud Principes quoque haud ſatis proſperè pugnatum eſſet, à primâ acie ad Triarios ſenſim referebantur. Inde rem ad Triarios rediſſe, cùm laboratur, prouerbio increbuit. Triarij conſurgentes, vbi in interuallo ordinum ſuorum Principes & Haſtatos recepiſſent, extemplò compreſſis ordinibus velut claudebant vias, vnóque continenti agmine, iam nullâ ſpe pòſt relicta, in hoſtem incedebant. Id erat formidoloſiſſimum hoſti, cùm velut victos inſecuti, nouam repentè aciem exſurgentem, auctam numero cernebant.

Ecce tibi A c i e s, quæ definitioni noſtræ bis verbis ioſita, A o i m p v g n a n o v m a v t r e p v g n a n d v m. Nam duplici hac cauſâ omnis acies inſtructa, idque victoriæ ſpe & fioe. Pleraque autem ea omnis vno & ſimplici ordine diſpoſita, quem hîc habes: ordine dico per Genera militum ſiue claſſes. Nam

» *Haſtati omnium primi pugnam inibant.*] Noo planè aut vniuersè verum eſt, ſed *primi omnium* dumtaxat ex ſtatariâ & grauiacie. Nam Velites certè ante eos, aut leues milites, pugnare ſoliti: & ſic per gradus virium pugna procedebat. Ab infirmioribus, paulatim ad magis firmos firmoſque veotum. Perpetuus & inoiolabilis ferè hic ordo, veteri & bonâ quidem re Romaoâ. Aliter alibi io Liuio, ſed ſuſpectè aut falsò. Falsò hîc, io pugnâ Scipionis cum Syphace & Aſdrubale: *Romanus poſt Principes Haſtatorum prima ſigna, in ſubſidiis Triarios conſtituit.* Non eſt ita. aliter Appianus & Polybius io eapſe pugnâ, & disertè ſtatuont (Polybij verba) Πρῶτον μὲν τὰς τῶν ἀστάτων σημαίας, ἐπὶ δὲ ταύταις τὰς τῶν πριγκίπων, τελευταίας δὲ τὰς τῶν τριαρίων: *Primùm quidem Haſtatorum ſigna, poſt iſta Principum, extrema verò Triariorum*: atque inſert, factum id à Scipione κατὰ τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος: *iuxta morem Romanorum.* Simile Appianus, & nihil certius. Corrigatur ergo Liuius: *Romanus Principes poſt Haſtatorum prima ſigna:* à Carolo Sigonio quoque aote nos obſeruatum. Soſpectè autem in loco Liuij altero: *Pugna exorta eſt, non illa ordinata per Principes, Haſtatóſque, & Triarios.* Enimuerò hæc pugna talis inordinata & prætet motes, nec eſt vt Liuius ita ſcripſerit. Vereor vt hos tales locos non imperitia, ſed imptooida peritia corruperit cuiuſpiam, qui aut vocem *Principum* attenderit, eóque primos fecerit, aut

Ordo in pugna omnis.

Lib. xxx.

Liuij corrupta ſcriptura.

Correcta.

Lib. xxii.

Suſpecta altero.

Vegetius aliter ac priſci ordinat.

Lib. I. cap. XX. Lib. II. cap. XV.

A qui Vegetij ſcripta & monita ſic locantis: *In primâ acie*, inquit, *pugnantes Principes, in ſecundâ Haſtati, in tertiâ Triarij vocabantur.* Alibi iterat: *Prima acies Principum, ſecunda Haſtatorum.* Moneo te, nequid hæc turbent aut offuſcent, alto ritu ſcripta, & alio ſenſu. Ritu quidem, qui ſub Hadriano aut Traiano cœpit (habet hæc pro veteribus, vt obſeruabis, Vegetius) qui in militiâ multa immutarunt. Senſu autem, vt *Principes* fuerint (ipſemet ſic definit) *in primo ordine exercitati & veteres milites: Haſtati in ſecundo, circumdati cataphractis ſagittarij, nec non optimi milites cum ſpiculis vel lanceis, quos priùs Haſtatos vocabant.* Vides diuerſa omnia à priſcis. & ſcribit etiam, *quos anteà Principes vocabant.* Non ergo tunc & tuo æuo? non communiter, ſed magis *Antepilanos.* Ex Ammiano: *Antepilanis Haſtatiſque & ordinum primis, velut inſolubili muro, fundatis.* Alluſit in Simplicio quodam, qui anteire deceſſorem ſuum omni prauitate ſtudebat: *Hic in cruento certamine cum Maximino, velut antepilano ſuo contendens, ſuperare eum in ſuccidendis familiarum nobilium neruis ſtudebat.* Is ergo tunc ordo. & firmat alius Ammiani locus, ſi emendetur, iſte. *Imperator cæteris peditum firmis medium inter acies ſpatium, ſecundùm Homericam diſpoſitionem, præſtruit.* Quid tu ais? *firmis?* & Homerum aduocas? planiſſimè aduerſus ille eſt, & * infirmos in medio locat. Nota res eſt. eóque hîc reſcribendum, *infirmis*, ad hunc Vegetianum morem. In fronte enim veteres & exercitati illi Principes, in medio Sagittarij & Haſtati, in tergo Triarij. Ergo inter firmiſſimos interiecti infirmi. Non aliter tunc fuit: olim aliter, vt dixi, & pluribus exemplis (quid opus in re notâ?) poſſim firmare.

Lib. XII. cap. XIIII.

Antepilani tunc Principes.

Lib. XVI.

B

Li. XVIII.

Li. XXIIII.

**Vide inf. Dial. VIII. Ammianus correctus.*

C

" *Eos retrocedentes in interualla ordinum Principes recipiebant.*] Diſpoſitio fuit, quam poſuit: ſed tamen pugnæ, inquit, diuiſa & per partes. Haſtati quidem primi è graui armaturâ pugnabant; quid ſi pellerentur, aut non pellerent hoſtem? retrocedebant in interualla ordinum, & Principes excipiebant. In hac re ars omnis & arcanum, vt ſic dicam, militiæ Romanæ: habere vias inter manipulos, claudere & aperire eas, prout viſum. Huic inuento, nî fallor, omnes eorum victorias liceat penè adſcribere. Appellat hîc *interualla ordinum*; aliâs, *Vias.* Vt: *Vias patentes inter manipulos anteſignanorum.* Iterùm: *Pandatur inter ordines via.* Et in hoc ipſo textu quem libamus, *Velites claudebant vias.* Nec aliud eſt, quod ſuprà dixit: *Manipuli diſtantes inter ſe modicum ſpatium.* Quod item de Camillo: *Obuerſus in aciem, ordines interequitans:* nempe per hæc ſpatia. Græci διαχώρους vocant. Suidas: Διαχώρους, τὰ διαστήματα τῶν λόχων. Quæ autem, & quot, & quanta illa? dabo pro viribus. nec te tam vtibilem patiar hærere in finibus Noctis. Duplicia primùm hæc interualla, *inter Genera*, & *inter Manipulos.* Inter Genera, tranſuerſa erant, poſt ſingulum quodque militum corpus. Vt poſt Haſtatos, ſpatio relicto, Principes ſequebãtur; iterum ſpatio poſt iſtos, Triarij. Ergo tranſuerſa illa interualla, dumtaxat bina. Alia inter Manipulos, directa ſpatia aut viæ, & quæ in vno ipſo Genere Manipulum à Manipulo diſcernebant. Hæc in denis manipulis neceſſariò nouem erant, vt facilè per te vides. Sed quanta ſingula? firmiter & ſolidè neſcio, imò credo pro locis, pro copiis, pro ducis arbitrio variaſſe. Tamen illa tranſuerſa grandiuſcula fuiſſe dixeris, ex Polybio notante, Annibalem in pugnâ Africanâ *tertiam aciem* (ita diuiſerat, Romano exemplo) *plus ſtadio à ſecundâ remouiſſe.* Etſi de Romanis hoc nõ dixerim; ſed probabiliter, quod in poſitione & ſectione caſtrorum, id hîc fuiſſe. Quid enim aliud ea, quàm velut diſpoſita acies? Ibi ergo prima via tranſuerſa *Quintana; quinquaginta pedum* eſt: altera *Principalis* ſiue *Principiorum, pedum centum.* Vix ambigo quin tale in acie communiter. & Principes ab Haſtatis *quinquaginta* circiter pedes remoti, Triarij ab illis *centum.* Nam hîc Prætor erat, & ſigna, & Principiorũ ipſa forma. Opus etiam profectò tali aliquo interuallo ad procedendum aut recedendum, & ne agmina miſcerẽtur. Iã in directis Viis aliter atque aliter fuit pro vſu. Si velites (vt ſæpè) interiecti, latiuſculas fuiſſe oportuit, *pedũ* XX. aut XXX. Si non, fuerint ſatè pedum X. Id quoque pro numero legionum aliter: & vbi hæ multæ; ac quod ſequitur, manipuli, ſpatia non potuêre eſſe magna: imò fortaſſe Cæſaris & inferiorum æuo, cùm iam non binæ, ſed quaternæ, octonæ, denæ pugnarent legiones, diuiſio & interualla facta non per manipulos, ſed per cohortes. Cogitetur. Sed vſus enimuerò iſtarum Viarum magnus, & quem Liuius hîc proponit. In pugnâ, etſi diuiſi ordinibus, tamẽ vnum omnes corpus ſtatim fiebant, cùm opus: & per vias iſtas iungebant ſe, diſiungebant. Hoc ita exempli cauſâ, factum. Haſtati premuntur, volo Principes ſuccedere, & iſtos recipere: ſtatim id fiebat beneficio Viarum. Recedebant enim Manipuli Haſtatorum ſinguli, & auerſi leniter vias Principum ingrediebantur, quas ij laxabant, & ipſi quoque leniter procedebant. Tunc aut retinebant apud ſe Haſtatos, duplicato agmine; aut planè feſſos retrò ſe locabant in grãdiore interuallo, ordinibus ſemper (longus vſus id faciebat) ſeruatis. Idem in Triariis: ſi Principes improſperè pugnantes receptarent. tũ me hoc capis? AVO. Propemodum. in vnâ re hæſito, quomodo manipuli manipulos non impulerint in hoc receſſu? niſi ſi in latus flexi & obliqui retroceſſerint. LIPS. Nihil horum. video te in vnâ & ſommâ re falli, quam mea culpa eſt quòd non prædixi. Cenſes Manipulos tectos oppoſitos fuiſſe, Vias item per tria genera iuiſſe tectas: eſt error. Singula Genera Vias ſuas dimenſas habuere, ſed non per alia Genera penetrantes. Manipuli Principum claudebant à tergo Viam Haſtatorum, & liberum per eam aſpectum aut excurſum habebant: idemque Triarij, per iſtorum. In quincuncem igitur diſpoſitio illa manipulorum fuit, vt ſemel dicam. Vide formam:

Receſſus & receptio in interualla.

Via ordinũ. Lib. XXX.

Lib. X.

Lib. VIII.

Lib. VI.

D

Diſtincta via interualla.

Prima trãſuerſa, & Generum.


Secunda directa, & Manipulorum.

Modus eorum & quantitas.

Lib. XV.

Vſus & fructus Viarum.

Ratio recedendi, & ſitus manipulorum.



E Iam, aut tardâ manu & mente es, aut certè capis. AVO. Capio, ſed auctorem das qui firmet? LIPS. Non ego ſufficio? AVO. Mihi. ſed quid ſi apud alium ediſſero, & refragetur? LIPS. Fundum auctorémque Polybium dabis, in pugnâ Africanâ. Attende, vnicus locus eſt, ſed firmus. Ὁ γὰρ Πόπλιος, inquit, ἔθηκε τὰς τάξεις τῶν ἰδίων δυνάμεων τρόπον τοῦτον. πρώτους μὲν τοὺς ἁστάτους καὶ τὰς τούτων σημαίας ἐν διαστήμασιν. ἐπὶ δὲ τούτοις τοὺς πρίγκιπας, τιθεὶς τὰς σπείρας οὐ κατὰ τὸ τῶν πρώτων σημαιῶν διάστημα, καθάπερ ἔθος ἐστὶ τοῖς Ῥωμαίοις, ἀλλὰ κατ' ἀλλήλας ἐν ἀποστάσει, διὰ τὸ πλῆθος τῶν παρὰ τοῖς ἐναντίοις ἐλεφάντων: *Publius ordines copiarum*

ſuarum ſic inſtruxit. Primùm Haſtatos eorumque Manipulos per interualla poſt iſtos. Principes. ſtatuens manipulos non ad priorum manipulorum interuallum (vti mos eſt Romanis) ſed alios poſt alios recto abſceſſu, idque ob multitudinem hoſtilium elephantum. Vide. Scipio, inquit, in hac pugnâ non ſeruauit communem receptumq; Romanorum morem in manipulis colloca ndis. Neque enim manipulos ad interualla & vias oppoſuit, ſed ipſos ſibi & à tergo nexuit, vt viæ directæ per omnia genera ſine obſtaculo penetrarent. Cur ita? quia elephanti hoſtium timebantur, viſumque pro bono locum iis dari per medias acies, & ſine confuſione manipulorum agi ad extrema. Et res & cauſſa clara eſt. Si enim manipuli ſolenni more diſpoſiti, incurriſſent neceſſariò in Principes obiectos. Appianus in hac narratione conuenit cũ Polybio: λόχους δ' ὀρθοὺς ἐποίησε πάντας, ἵνα δι' αὐτῶν οἱ ἱππεῖς διεκθεῖν δύναιντο: *Ordines omnes rectos inſtituit, vt per eos equites faciliùs diſcurrerent.* In facto conſentit; in cauſſâ aliam dat & ad equites tranſmittendos. Sed parum eſt. noſter Liuius mirificè obſcurat: *Non confertas autem cohortes, ante ſua quamque ſigna inſtruxit, ſed manipulos aliquantũ inter ſe diſtantes, vt eſſet ſpatiũ quo elephanti hoſtiũ accepti nihil ordines turbarent.* Si auſim dicere, non videtur animum habuiſſe in Polybij animo, aut parùm intellexiſſe. Certè implicatè ſcribit. Tamen ea mens, non inſtruxit confertas cohortes, ſed quamque in recto ordine ante ſua ſigna. Nam in vulgari diſpoſitione cohortes non ſunt rectæ, nec ſigna ſignis reſpondent: quod facilè vides, ſi tres quoſque manipulos iungis: ᵘ₀ ◻ : & ex iis cohortem efficis. Ita enim debes. At erant rectæ in hac Scipionis: ◻ ◻ ⊓ . Vereor moleſtus aut putidus eſſe in iſtâ minutatim deductione: ſed quid faciam? volo intelligi. Virgilij verſus commodè ſuccurrunt, qui ſunt pro communi hac locatione. Vult arbores aptè poni & ſeri, idque ad militiæ exemplum:

Scipionis diuerſa lo catio.

Obſcuritas in Liuio. Lib. xxx.

Fortaſſe depulſa.

Virgilio lux — II. Georg.

Vt ſæpè ingenti bello cùm longa cohortes
Explicuit legio, & campo ſtetit agmen aperto.
Omnia ſint paribus numeris dimenſa viarum.

Comparat cum manipulis aut cohortibus explicitis in legione. Quis ergo dubitat, quin certiſſimo rei ruſticæ præcepto, arbores ſeri velit in quincuncem? Atqui is ordo & ſitus eſt alternans ille, quem dixi. Habes de interuallis, in quibus momentum bonæ militiæ Romanæ poſui: ego? imò Polybius ipſe, cùm Flaminium culpat, qui imperitè aciem inſtruxerat in Gallos. παρ' αὐτὴν γὰρ, inquit, τὴν ὀφρὺν τοῦ ποταμοῦ ποιησάμενος τὴν ἔκταξιν, διέφθειρε τὸ τῆς ῥωμαϊκῆς μάχης ἴδιον, οὐχ ὑπολειπόμενος τόπον πρὸς τὴν ἐπὶ πόδα ταῖς σπείραις ἀναχώρησιν: *Ad ipſam enim ripam & ſupercilium fluuij aciem diſponens, abſtulit, quod proprium eſt Romanæ pugnæ, locum manipulis ad lenem retrorſum receſſum.* Proprium hoc eſſe Romanorum ait: & ita fuit. Quæ gens alia habuit, ſic per minutas partes? Atque hoc Liuius in eâ attollit, & Macedonicæ anteponit: *Romana acies diſtinctior, ex pluribus partibus conſtans, facilis partienti quacumque opus eſſet, facilis iungenti.* Nec aliam ſententiam Polybianis iſtis tribuo: Οὔσης γὰρ εὐδιαστάτου τῆς ῥωμαίων τάξεως καὶ δυσμάχου, τὸν ἄνδρα συμβαίνει καὶ καθόλου καὶ κατὰ μέρη μάχεσθαι πρὸς πάσας τὰς ἐπιφανείας, διὰ τῆς μιᾶς ἐντάξεως, ἀεὶ ἐγγιστα τῶν δύο σημαιῶν συνεπιστρεφουσῶν πρὸς τὸ δεόμενον. *Cùm enim eſſet diuidua & ſeiungi facilis Romana acies, eueniebat ſingulos & vniuersè & per partes pugnare in omnes aſpectus & latera, idque vnius inſtructionis beneficio, ſemper in propinquo duobus ſignis ſe obuertentibus, quâ res vocaret.* Nam primùm εὐδιάστατον ſcribit diuidi facilem Romanam aciem. & verißimum eſt, ex re & Liuij verbis. Quid enim faciliùs quàm manipulos iungere, diſiungere, abducere quò libêret? Non vidit vir eruditus, qui reſcribi hîc cenſuit, δυσδιάστατον. quaſi hoc magis in laudem, quòd ægre ſolueretur & firma ſtaret. Quod verum quoque, ſed alio aſpectu, nec hic habet locum. Addit, *pugnaſſe quoſque in quaſque facies.* Id quoque verè, ſi irrupiſſet & inſinuaſſet per interualla hoſtis, aut ſi ipſi ſeorſim abiuncti. Denique exiguo illo manipuli corpuſculo, omnes vtiles, cùm ita vſus. In fine *duobus ſignis ſe obuertentibus.* Ita feci & verti, quod etiam ante nos interpres. Sed quæ hæc duo ſigna? vnius nempe manipuli. nec aliud dicit, quàm duos Ordines ſiue Centurias in vno Manipulo ſub duobus ſignis iunctos. Sed hoc tamen ambiguũ, & melius fortaſſe ſcribi: ἐγγιστάτων δὲ σημαιῶν: *proximis quibuſque ſignis.* Volgò quidem vnâ voce editur δυοσημαιῶν, corruptè.

„ *Haſtati ſequebantur.*] Dixeris igitur à tergo poſitos Haſtatos, ſolis Principibus iam pugnantibus. Nec abnuo: ſed ſæpè aliter factum, & iunctim quoque pugnaſſe ſine fraude opinor.

„ *Triarij ſub vexillis conſidebant.*] A quâ ſeſſione ἐφεδροι *Tertiarij* explicantur in Gloſſis: & Varro, *quòd Triarij ſubſideant, ab eo ſubſidium* vult *dictum.* Plautus reſpicit: *Agite, ſubſidite omnes, quaſi ſolent Triarij.* Cauſſa huic ſubſeſſioni in Vegetio: Triarij, inquit, *genibus poſitis ſolebant intra ſcuta ſubſidere, ne ſtantes venientibus telis vulnerarentur.*

Subſeſſio Triariorũ.

Lib. I. cap. xx.

„ *Scuta innixa humeris.*] In mentem aliquando venit legi poſſe, *innexa humeris.* quaſi vellet loris quibuſdam (τελαμῶνας Græci dicunt) ab humeris reuincta fuiſſe. Macedones ita ſolent, & commodius ſic fuiſſet tractare vtraque manu haſtas. Sed nihil muto, & capiamus à ſitu ipſo ſic ſubſidentium ſcuta in humerum inclinaſſe. Porrigebant enim & attollebant leniter ſiniſtrum genu, eóque attollebatur & ſcutum.

„ *Sub erectâ cuſpide.*] Vnicâ voce verius, *ſubrectâ cuſpide*, à ſubrigendo. In Virgilio: ——*tot ſurrigit aures.* In Lucillio: *Nunquid mutuo ſubrectoque huic opus ſigno?* malè editur, *ſubiecto.* Intellegit turpiculas illas res & phallos erectos. In ipſo Liuio: *ſubrecto mucrone.*

Surrecti vox.

Lib. vii.

„ *Compreſſis ordinibus velut claudebant vias.* Claudi ergo ordines ſolent in ipſâ pugnâ, ad vim atque impetum maiorem: iidem aperiri ad receptum ſuorum. Tacitus & ſuo æuo manſiſſe oſtendit: *Sed vbi fortuna contrà fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos.* Sed enim hîc quæſtiuncula. Triarij, de more veteri, in cuſtodiâ ferè caſtrorum: quomodo nunc in acie? Dionyſius illud firmat: Οἱ τριάριοι, inquit, εἰσὶν οἱ πρεσβύτατοι τῶν στρατευομένων, οἷς τὰ στρατόπεδα ἐπιτρέπουσι φυλάττειν, ὅταν ἐξίωσιν εἰς τὴν μάχην, καὶ ἐφ' οὓς τελευταίους καταφεύγουσι διὰ τὴν ἀνάγκην: *Triarij ſunt vetuſtißimi militum, quibus caſtra ſolent commendare cuſtodienda, cùm in aciem exeunt, & ad quos poſtremos confugiunt vrgente neceſſitate.* Iterùm: ἦσαν δὲ τοῦ χάρακος φύλακες οἱ τριάριοι λεγόμενοι, παλαιοί τε καὶ πολλῶν ἔμπειροι πολέμων, εἰς οὓς ἐσχάτους ὅταν ἀπογνωσθῇ πᾶσα ἐλπὶς, εἰς τοὺς περὶ τοῦ μεγίστου ἀγῶνας καταχωροῦσι: *Erant caſtrorum cuſtodes Triarij, veteres milites & multorum bellorum vſu docti, quos vltimos adhibere ſolent rebus deſperatis, & cùm nulla ſpes reliqua.* Cuſtodiæ eius & in Liuio notabis exẽpla. Quid ergo? non de more pugnabant? vix apparet, olim quidem. Nam quòd aliquis ſuſpicetur partem ad caſtra, partem in acie relictam, ægrè potuit. Exigua enim manus, & in duabus legionibus nõ niſi *mille ducenti.* Niſi tamẽ dimidia illa pars relicta, expleta & adaucta fuit Sociorum Extraordinariorum adiectione, itémque Euocatorũ aliquot:

III. Hiſt.

Triarij caſtra ſeruãt. Lib. viii

Lib. v.

quod haud temerè opinêre. Sed tamen ex Dionyſiu ſenſeris, ſeruatos in caſtris ad res vltimas, nec niſi in magnâ neceſſitate ad aciem ductos.

DIALOG. II.

Velites vbi olim & poſteà Locati. item Equites, & Socij.

HABES totam Aciem, & qualis vulgò, imò ſemper in communi iſto ordine fuit. AVD. Egóne totam? imò manca & mutila eſt, & pleræque partes deſunt. Vbi Velites? vbi Equites? vbi Socij? in Liuij aut tuis verbis nihil vidi. LIPS. De Sociis, ocmittare. nam pugna hæc in ipſos Socios fuit. Itaque oppoſitos, non appoſitos cogitabis: & Liuius dicere nihil potuit. De Velitibus, cum diſtinctione res explicanda. Fuit Vetus leuis armatuta, vt munui, fuit Noua. Hîc de Veteri cogitandum, quæ conſtitit Rorariis & Accenſis. Eorum diſpoſitio paullò alia, quàm poſteà fuit. nempe non in primâ acie aut viarum interuallis, ſed poſt Triarios in extremâ acie ipſâ. Liuius clarè dicit in pugnâ iſtâ cum Latinis. Qui ergo orſi pugnam? Haſtati. qui deinde? Principes. Sed cum *Rorarij procurrebant inter antepilanos* (ita Liuius) *addebántque vires Haſtatis & Principibus.* Procurrebant inquam, per vias illas & interualla. De Accenſis, addit, defeſſis iam aliis, *ab nouiſſimâ acie procedere ante ſigna miſſos.* Itaque hoc ritu, profectò non committebant pugnam Leues iſti: quod poſteà factum, & ratio ſic volebat. Pugnabant enim fundis, iaculis, & telis quæ eminus mitterentur. Quod autem aliquis dixerit, non ſemper ita factum, ſed in eâ modò pugnâ, Conſule ob cauſſas ſic diſponente: non apparet id ſanè è Liuio. & Dionyſium alibi cùm examino, reperio ordinem hunc à Seruio ſic fuiſſe. Nam ille duobus locis, vbi claſſes recenſet & ordinat, oſtendit in militiâ & acie quoque ſic ſtetiſſe. Nam de *Primâ*, cùm cenſum & arma edidiſſet, ſubiunxit: χώραν δὲ κατεῖχον ἐν τοῖς πολέμοις τὴν πρωταγωνιζομένην τῆς φάλαγγος ὅλης: *locum verò in bellis habuit primum, & ante reliquam totam copiam*: Iterùm de *Secundâ* ἐκοσμεῖτο ἐν τοῖς ἀγῶσι μετὰ τοὺς προμάχους: *Ordinabatur in acie poſt primos pugnatores.* De *Tertiâ* pariter, χώρα δὲ καὶ ςάσις τούτων ἐν ταῖς μάχαις μετὰ τοὺς ἐφεςῶτας τοῖς προμάχοις: *locus horum & ſtatio in pugnis iuxta eos qui poſt Principes.* De *Quartâ* denique: τάξιν εἶχεν ἐν τοῖς ἀγῶσι τὴν ὑςάτην: *locum in certaminibus vltimum habet.* Quid ergo *Quinta* Dionyſij? τούτους, inquit, ἔξω τάξεως ἐστράτευσε: *hos extra ordinem iuſſit militare.* Eadem, & totidem ferè verbis, poſteà iterat in iudicio Coriolani. Quæ ego adduxi fuſiùs, vt ſemel de origine & ordine militiæ priſcæ conſtet, & quomodo is paullatim mutarit. Ergo Seruij inſtituto, diteſſimi quique in primâ acie, & hoc eſt quòd Varro *Principes* deducebat, & * *olim à principio gladiis pugnaſſe* adſeuerabat. Sequebantur ordine opum alij, & in extremo denique ij viliores & pauperes, & qui leuibus telis pugnabant. Sed qui iſti extra ordinem *Quintam*? Accenſi, ex Liuio & qui ioſtus etiam miles non erat. Olim hæc ita. ſed cùm multa in eo ordine damnanda vſus & ratio docuiſſent, tempore mutarunt. Quæ enim ratio, optimos ditiſſimóſque omnes exponere periculis, in primâ acie obiectos? noluerunt, & Principes ſecundo loco ſtatuerunt. Poſteà etiam ætatum diſcrimina magis ſpectarunt, & reduxerunt ad morem, quem in Liuio vides. Sed nec ibi ſteterunt. res docuit Leues propugnare debere, atque eo exemplo Velites à Triariis remouerunt, & ad

Diſcrimen leuis armaturæ. Veteris eius diſpoſitio.

Lib. IV.

Lib. VII.

*Lib. VIII. De L.L. * Vide ſupra lib. II. Dial. 1.*

Varia loca iis Velitum.

A principia locarunt. Vbi aut quomodo? diſtinctè hoc dicam, quia variarunt. Triplex ferè eorum locatio. Interdū ante omnia ſigna & in frŏte. vt pugnâ Manlij in Gallogræcos, apud Liuium: *Ante ſigna modico interuallo Velites erant.* Iterúmque: *Conſul primâ in acie locatâ Leui armaturâ.* Interdum mixta primis manipulis, aut potiùs inſita in iam dictis Viis. Liuius pugnâ Africanâ: *Vias patentes inter manipulos anteſignanorum Velitibus compleſt.* Salluſtius pugnâ Metelli cum Iugurthâ: *Inter manipulos funditores & ſagittarios diſpoſuit.* Appianus pugnâ cum Antiocho: ἀναμεμιχάατό τε ἅπασι ψιλοί τε καὶ τοξόται πολλοί: *Intermixti erant omnibus Velites & ſagittarij multi.* Denique interdum, non in Viis ſparſi, ſed in cornibus poſiti iunctim. Vt pugnâ Cannenſi Appianus: μέρος ἕκαστον αὐτῶν εἶχε τοὺς πεζοὺς ἐν μέσῳ, τοὺς δὲ ψιλοὺς καὶ ἱππέας ἐκατέρωθεν: *Quæque pars habebat pedites* (grauiores) *in medio, B Leues & Equites vtrimque in cornibus.* Crebra ea diſpoſitio, vt obſeruabis: & Vegetius vt ſollennem recipit: *Funditores*, inquit, *& Sagittarij præcipuè in cornibus locabantur, a quibus pugnandi ſumebatur exordium.* Sed vbicumque poſiti, prodire ante alios ſoliti & pugnā cõmittere, cùm datum ſignum. Polybius: ἅμα τῷ τοὺς ἀκοντιστὰς προελθόντας ἐκ τῶν ῥωμαϊκῶν στρατοπέδων, κατὰ τὸ ἔθος, ἐξακοντίζειν: *Vna cum eo, quòd Iaculatores prodeuntes è Romanis legionibus, iuxta morem, eiacularentur.* Oſtendit morem hunc fuiſſe, etiam priuſquam Velites propriè dicti inſtituerentur. Itaque ſiue manipulis inſiti, ſiue cornibus aſſiti, procurrebant, & vnà cum Equite ferè pugnabant: cedentes autem inter legiones recipi ſolent, & à tergo poni, aut iterum aliâ procurrere. Ipſe Eques, quid? C duplicter ferè locatus. Primò in cornibus, ita vt legiones ſociósque medios haberet. Quæ ordinaria ferè poſitio, & in ſuperuacuum adduxerim exempla. Altera, vt à tergo interdum ponerent, ſpatiis relictis inter manipulos, aut & legiones, quâ poſſent cum impetu emitti. Id fiebat fallendo hoſti, & vt improuiſa res eſſet. Liuius: *Dictator reliquerat interualla inter ordines peditum, quà ſatis laxo ſpatio equi permitti poſſent.* Idem: *Hiſpani inter cornua & mediam aciem interualla patentia ſatis latè fecerunt, quà equitatum, vbi tēpus eſſet, emitterent. Et Romani more ſuo exercitum cum inſtruxiſſent, id modo hoſtium imitati ſunt, vt inter legiones & ipſi patentes equitis relinquerent vias.* Ad hanc diſpoſitionem Velitum Equitumque, imò & legionum, Panegyricus ſcriptor facit, ad Theodoſium: D *Ecce lux tandem, & iam omnis campus horrebat. dimiſſi in cornua equites, leue, ante ſigna Velites, diſpoſita manipulatim cohortes, & gradu pleno ferentes agmina quadrata legiones.* Item Apuleius: *Cum tuba bellicum cecinit protinus vnuſquiſq; cõpetens capeſſit officium. Velites executione adornat ordines, principes curăt, equites ordinibus præſunt.* Quæ in mendo, & fortè purganda: *Velites excurſionem* (vel *excurſionem*) *adornant, ordines principes curant, equites ordinibus præeunt.* * Præire inquam equites ordinibus malo, quàm præeſſe, quia res magis ſic fuit. Sed fortaſſe in verbis iis alcior aliqua plaga, mihi nunc non ſananda. Ad interrogata tua perêgi, niſi de Sociis: quod vno verbo poteſt. Stetere enim plerumque in Cornibus & ad latera E legionum. Liuius: *Romani mediam aciem, Latini cornua tenuerunt.* Quid tamen, cùm nulla media acies, & duo cornua tantùm? Sæpè id, imò plurimùm olim, cùm duæ Romanæ tantùm legiones. Tum ſcilicet, exteriores cuiuſque cornu partes Socij tenebant. Atque hæc, vt dixi, plurimùm. nam & in fronte aut aliter ſocios poſitos leges, pro loco aut vſu. Liuius: *Dextra Ala in primâ acie locata eſt, in ſubſidiis duæ legiones.* Idem de Equitibus. Quid te mouet?

Ante ſigna. Lib. XXX. VIII. Ibid.

Lib. XXX. Inter ſigna.

In Syriac.

In cornibus.

Lib. II.

Equitum locatio. In cornibus.

A tergo.

Lib. X.

Lib. XXXIII.

De mũdo.

*Tentata emendatio Apuleij. * Nã procurrere cũ Velitibus ſolent.*

Sociorum poſitura.

Lib. XXVIII.

Lib. XXI.

numquam mihi res facta, ſi diductè omnia proſequar. Contraho, & tuæ obſeruationi aut induſtriæ, cùm viam feci, quædam relinquo.

DIALOGVS III.

Signa quot, & vbi fuerint. Anteſignani & Poſtſignani.

AVo. Magna mihi, fateor, lux affulſit per hos ſermones; nondum plena. Sed vt ſolem ſæpè cùm ſe explicuit, alia nubes excipit & intercipit: ſic fit huic menti. Priora perrupi, & iam video; obnubilat de *Signis* & *Anteſignanis*. Dic ſodes, vbi illa locata, & qui iſti? Lips. Addam & hanc operam, & per me nihil deerit (pro copiâ quidem) quo minùs rem totam & ex haſce cognoſcas. De ſignis ita habuit. Cuique Manipulo ſua fuiſſe, tum & Legioni communem Aquilam, non ignoras. Et Manipulorum ſigna in ſuo quæque Manipulo fuiſſe, ratio & exempla dicunt. Liuius: *Haſtatorum prima Signa, deinde Principum erant; Triarij poſtremos claudebant.* Idem alibi: *Principes poſt Haſtatorum prima ſigna, in ſubſidio Triarios conſtituit.* Itaque vt ab timore profectum Cæſar notat, quòd *Collatis in vnum locum ſignis, conferti, neque ordines neque ſigna ſeruarent.* Sparſa igitur & diſpoſita: ſed vbi? in fronte manipuli, an eius medio? De fronte dicere videtur, quòd in Liuio eſt: *Dictator ſigna efferri, ac ſequi armatos iubet.* Si ſequuntur, præeunt ſigna. Cæſar in ipsâ acie: *Signa inferre, & manipulos laxare iuſſit.* Signa igitur prima illata in hoſtem. Et Liuius in pugnâ cum Latinis: *Omnis terror pauórque cum illo latus, ſigna primò Latinorum turbauit, deinde in totam penitus aciem peruaſit.* Sed & Tacitus alibi, de ardore militum: *Nolle requiem, non exſpectare ducem, anteire ſigna, vrgere ſigniferos.* Quod ſcilicet feſtinatione factum, vt anteirent: ſicut & in Statio:

Signa manipulorum. Li. XXXVII. *Diſpoſita per manipulos.* Lib. X. Lib. II. Lib. VIII. I. Hiſt.

> ——*retrò vexilla, tubæq;*
> *Poſt tergum, & litui bellum inuenêre ſecuti.*

Vnde & de tubis lituiſque elicias, ſolere inter primos eſſe. Atque hoc in agmine, & viâ ſic fuiſſe, nihil ambigam: non nihil in acie: & an non vallum aliquod virorum obiectum, ne ſic nuda oſtenſa & oblata hoſti? Atque ij ſint, quos *Anteſignanos* appellarunt. Quæ vox tamen communiter de toto primo agmine inualuit, & ipſi Haſtati videntur ſic dicti: non quia ante omnia ſigna (ſua enim habebant) ſed quia ante præcipua eſſent, Aquilam & Triariorum, quæ legionis & cohortium prima erant. Hos Græci προμάχους τῶν σημείων vertunt, *Propugnatores ſignorum*: ſiue & προτάκτους, *Præpoſitos*, à loco. Liuius de iis: *Pugna orta eſt, non illa ordinata per Haſtatos, Principeſque, & Triarios, nec vt pro ſignis Anteſignani, poſt ſigna alia pugnaret acies.* Iterùm: *Cadunt Anteſignani, & ne nudentur propugnatoribus ſigna, fit ex ſecunda prima acies.* Ex quibus locis dixeris, ſigna præcipua & plurima in ſecundâ acie ſtetiſſe: ac fuiſſe *Anteſignanos, Subſignanos, Poſtſignanos*. Idem Liuius: *Cæſos Haſtatos Principeſq;, ſtragem & ante ſigna & poſt ſigna factam: Triarios poſtremò rem reſtituiſſe*: Sanè oſtendit, quoſdam Principum poſt ſigna fuiſſe: nam Triarij integri, nec cæſi. Simile in Ammiano, cui *Poſtſignani* in extremâ acie: *Cùm ad alios poſtſignanos in acie locatos extremâ veniſſet.* Hoc igitur ſenſu *Anteſignani* ſint ipſi Haſtati: quod Liuius palàm firmat, pugnâ Scipionis cum Annibale: *Vias patentes, inter manipulos Anteſignanorũ, Velitibus compleſt.* Qui palàm ſunt Haſtati, ex Polybio, quê Liuius vertit, nam ille hoc ſic dixerat: τὰ διαστήματα τῶν πρώτων σημαιῶν ἀνεπλήρωσε ταῖς τῶν γροσφομάχων σπείραις: *Interualla primorum Manipulorum compleuit Velitibus.* At primi Manipuli, ſunt Haſtati. Facit eodem Liuius: *Legionum Anteſignani pila coniecerunt.* Cæſar: *Vnius legionis Anteſignanos præcurrere, atque occupare eum locum iubet.* Idem iterum: *Adoleſcẽtes atque expeditos ex Anteſignanis electos milites.* Ergo iſti Haſtati; & Principes ſuccedebant, ac pleraque ſigna habuiſſe ij & cuſtodiſſe videntur. Iterum ex Liuio, ſic aciem diuidente: *Triplex ſtetit Romana acies. peditum pars ante ſigna locata, pars poſt ſigna accepta, equites cornua cinxêre.* Sed quid? inquies. ergo Triarij ſine ſignis? ex Liuij octauo, vbi de Ordinibus, aliter videtur: atque ipſa ratio ſigna ſua manipulis iſtis donat. Et ſanè habuiſſe fateor, ſed in acie an non in vnam Principum partem tranſlata, ex dictis ambigendum. Non exſoluit nodum Tacitus, qui de pugnâ Othonis cum Vitellio: *Primani, ſtratis Vnaetuicesimanorum principiis, Aquilam abſtulêre.* Nam & prima acies alibi *Principia* dicta; & ſunt qui ipſos Principes, id eſt mediam, ſic appellent. Ligat etiam non explicat Frontinus, in Sullæ quodã Strategemate: *Sulla triplicem peditum aciem ordinauit, relictis interuallis propter leuem armaturam & equitem. Tum Poſtſignanis, qui in ſecundâ acie erãt, imperauit, vt denſos numeroſóſque palos in terram defigerent. intráque eos, appropinquantibus quadrigis, ante ſigna noſtram aciem recepit*: Poſtſignanos ab Anteſignanis diſcernit: & an totam ſecundam Aciem ſic appellat, quia ſtatim pro ipſis aut ſub ipſis ſignis? an eius primorẽ partem? Fateor me ambiguum nutantemque in totâ re, nec pudet: pro veteri tamen ordine, Manipulis triariorum quoque ſua ſigna fuiſſe, auſim dicere: & Liuius in octauo videatur. Quod ſi eſt, dixeris & Aquilam penes illos fuiſſe: quoniam ei Præpoſitus certè Primopilus. An tamen mutata poſteà res, imò an olim in ipsâ pugnâ, tranſlata præcipua hæc ſigna in Aciem mediam, haud affirmem: illud magis, Imperatorem & Tribunos circa ea fuiſſe.

Poſtſignani. Lib. XVI. Lib. XXX. Lib. XXII. Lib. IX. Lib. VIII. *Anteſignani.* I. XXXVII. Li. XXIII. *De loco Signorum.* II. Hiſt. Lib. II. cap. III.

DIALOGVS IIII.

Ducum, militúmque locatio diſtinctè: & pœna qui ordinem liquiſſet.

AVn. Ergóne Imperator mediâ eâ parte? Lips. Probabile eſt, & exempla oſtendunt. Virgilius:

> ——*medio dux agmine Turnus*
> *Vertitur arma tenens.*

Ratio etiam vult, vt ibi ſit vnde proſpiciat, & mandet facillimè in omnes partes. qui locus medius eſt, ſed paullum tamen ad finem magis admotus. Nam inter Principes & Triarios, ante aquilas, ſtetiſſe cenſeo Imperatorem. Argumento, quòd is eius ſitus in in caſtris, ante Principia dico & aquilas. Itaque & Salluſtius de Catilinâ: *Ipſe cum libertis propter aquilam adſiſtit.* Cum libertis, quos fidos habebat & ad ſui cuſtodiam: ſicut Imperator Ablectos apud ſe & quoſdam Euocatos. Etſi pro arbitrio tamen mutaſſe & ſumpſiſſe eum locum ſæpe, non eſt negandum: & exempla alia docebunt. Sed vbi legati & Tribuni? item iuxta Imperatorem: niſi tamen Legati curarent & præpoſiti eſſent certæ alicui legioni aut cornu, quod ſæpe. Tunc enim in medio eius, loco Imperatoris agebant. Quod idem aliquando in Tribunis, vt huic aut illi parti præficerentur. Sed vulgò credo retrò Principes ſtetiſſe, quo ordine in caſtris: & iuxta eos, ſociorum Præfectos. Tacitus indicat: *Ante aquilam Præfecti caſtrorum Tribunique, & primi centurionum, ceteri iuxta ſuam quiſque centuriam.* De in-

Imp. medius. *Iuxta aquilas.* *Legatorum locus.* *Tribunorũ.* III. Hiſt.

greſſu Vitellij eiuſque exercitus in vrbem ſcribit: qui compoſitus & ſub ſignis. Notes ibi primopilos(ij ſunt *primi centurionum*) ad aquilas ſuas ſtetiſſe: ceteros in manipulis & centuriis ſuis. Liuius quoque pro hac mente: *Duces legatique, & quod circa ſigna roboris de exercitu fuit, Tuſculum petiere.* Intellegit Tribunos, Primopilos, & Triariorum Centuriones, & fortaſſe Triarios ipſos, quorum cuſtodiæ aquila erat & præcipua ſigna. At Centuriones ipſi vbi? Tacitus dixit, *iuxta ſuam quiſque centuriam.* id eſt, opinor, in capite ipſo. Nam credo à fronte Centuriones præiuiſſe & curaſſe, vt Optiones eorum à tergo. Argumentum à caſtris. vbi item in manipulis primum locum, & ſedem habent. Et ſanè ſi *ordinum ductores* propriè, anteëunt & ducunt. Seneca alluſit: *Quo quiſque genere honeſtior famâ, patrimonio eſt, hoc ſe fortius gerat, memor in primâ acie altos ordines ſtare.* Idem alibi: *Quid ſi militare nolis niſi Imperator aut Tribunus? etiam ſi alij primam aciem tenebunt, te ſors inter gregarios poſuit:* Vbi aliâs etiam ſcriptum, *inter triarios:* haud improbè. etſi prior lectio magis pro mente Senecæ videtur. & Non es, inquit, inter primos in republicâ, nec vt Imp. Tribuni, aut Centuriones: tamen inter gregarios & vulgus milites: milita igitur. Nec ea ibi ſententia, tamquam Imp. aut Tribuni ſint in primâ totâ acie: non: ſed primi in ſuo extremo ordine ſcilicet Triariorum. Etſi fateor interdum honeſtiſſimos, gloriæ aut exempli cauſſâ, in primam ipſam aciem iuiſſe, ac pugnaſſe. Idem Seneca: *Prima acies Pompeianarum partium Senatus.* Multi enim Senatorij in illis caſtris, non legitimi milites ſed voluntarij, & quaſi Euocati: atque ij, ait Seneca, inter primos Centuriones & fronte aciei ſteterunt. Fecit hoc & Catilina, ſed cauſſâ aliâ: *Centuriones omnes lectos & Euocatos, præterea ex gregariis optimè quemque armatum in primam aciem ſubducit.* Ecce Centuriones *omnes lectis, & Euocati* in fronte ſtatuuntur, ſed præter morem ſanè. niſi eſſet, cur Salluſtius ſignanter narraret? Sed fecit ipſe, vt robur omne illîc haberet, & vi perrumperet ac laceraret. Nõ ergo omnes ibi de more Centuriones, imò tantùm Haſtatorum: ſed nec Euocati omnes, dumtaxat qui aut ſponte vellent, aut qui manipulo pro Centurione eſſent. Talis Craſtinus in exercitu Cæſaris, qui prœlium commiſit, & *manipulares ſuos ſe ſequi iuſſit.* Atqui ille euocatus: & pugnauit tamen in legione Decimâ, in quâ primum pilum duxerat, inter primos. Aliâs, ipſe Cæſar Euocatos Pompeij *totâ acie diſpergit.* AVD. Video locatos iam Duces ſingillatim: ſed hoc adde, in equis an pedibus pugnarunt? nam videor legiſſe de equis. LIPS. Diſtinctè hoc dicendum eſt. Imperator ipſe plurimùm in equo. & ſic Liuius de Camillo: *In equum inſilit, & ante ſigna obuerſus in aciem ordines interequitat.* Hirtius de Cæſare: *Equo circumuectus, legioneſque cohortatus, ſigno dato acceſſum hoſtium aucupabatur.* Et hoc fine Imperatorij illi equi, de quibus dictum. Ipſi Tribuni ſæpe in equis. Cæſar: *A Tribunis militum reliquiſque equitibus Romanis atque Euocatis equos ſumit.* Vides equos habuiſſe: imò interdum inter equites pugnaſſe. Liuius: *Equites ducibus Tribunis haud multo plus hoſtibus quàm ſuis præbuerunt tumultus.* Quod an in omnibus tribunis verum fuerit, neſcio: fortaſſe in iis tantùm, qui ordinis & loci equeſtris: plebeij, ſteterint pedites inter ſuos. Sed de his Cæſar quoque capiendus: *Cæſar primum ſuo, deinde omnium e conſpectu remotis equis, vt æquato periculo ſpem fugæ tolleret.* Intellegit de Ducibus aliis & Tribunis. Fecit idem Catilina apud Salluſtium: *Remotis omnium equis, quò militibus, ex æquato periculo, animus amplior eſſet, ipſe pedes exercitum inſtruxit.* Sed & Spartacus fugitiuorum Imp. apud Plutarchum, pugnâ in Craſſum, *admotum equũ gladio confodit,* eadem cauſſâ. Legi & in Ammiano: *Alemanorum peditum fremitus indignationi mixtus auditus eſt, vociferantium relictis equis ſecum debere verſari regales, ne ſiquid contigiſſet aduerſum, desertâ miſerabili plebe, facilem diſcedendi copiam reperirent.* AVD. Teneo iã de Ducibus: ipſi gregarij milites quo ordine? & an quiſque ſe locabat in ſuo manipulo vbi vellet? LIPS. Minimè. nec dubito quin hoc quoque compoſitè, vt alia fuerunt. In Vegetio lego: *tirones ſecundum matriculæ ordinem in aciem dirigi.* An ſecundùm ordinem quo lecti & adſcripti? an potius matricula hæc fuit ordinis à Centurione inſtituti? Nam ipſum credo ſuos iuxta vires, & pro iudicio, locaſſe, certis quemque locis, quos in acie & agmine tenerent. Ni hoc eſſet, quomodo Liuianum illud verum? *Sed ſigna vndique coibant, & noti ordinibus in veteri diſciplinâ militiæ, iam ſine præcepto vllius ſuâſpõte ſtruebant aciem.* Nouiſſe quemque ordinem & locum dicit: nec potuit, niſi certũ & vnum. Eo fine hoc exercitium, quod in eodem Liuio, cùm *crebrò decurrere milites cogebant, vt tirones aſſueſcerent ſigna ſequi, & in acie agnoſcere ordines ſuos.* Quos quidem ordines pertinaciter ſeruabant. eòque Cæſar, cùm de Hiſpanienſi milite ſcripſiſſet: *Genus erat pugnæ militum illorum, vt magno impetu procurrerent, audacter locum caperent, ordines ſuos non magnopere ſeruarent:* tum denique de ſuis & Romanis ſubiunxit, *perturbatos eos fuiſſe inſuetos huius generis pugnæ. Circumueniri enim ſeſe ab aperto latere procurrentibus ſingulis arbitrabantur, ipſi autem ſuos ordines ſeruare, neque ab ſignis diſcedere, neque ſine graui cauſſâ eum locum quem ceperant, dimitti cenſuerant oportere.* Itaque in ſimili genere pugnæ, idẽ Cæſar (apud Hirtium) *edicit per ordines, ne quis miles à ſignis, quattuor pedes longiùs, procederet.* Id eſt, ne quis vel paſſum vnum progrederetur extra lineam vbi ſigna. Tanta cautio erat. imò & mors pœna, ſi qui reliquiſſent. Ioſephus: Οἱ νόμοι δ᾽ ἀεὶ καὶ τοὺς βραχύ τι τῆς τάξεως παραλιπόντας θανάτῳ κολάζουσι: *Leges Romanæ ſemper eum qui vel leuiter ordine exceſſerit, morte puniunt.* Hegeſippus hoc vertit: *Legibus egredienti ordinem præſcripta mors eſt.* Tacitus: *Qui ſigna reliquerat, ſtatim capite pœnas luebat.* Quod idem in agmine ſeruabant. Tacitus de Corbulone: *Legiones veterem ad morem reduxit, ne quis agmine decederet, nec pugnam niſi iuſſus iniret.* Idem: *Vexillum ad ripam vertit, pro deſertore fore clamitans ſiquis agmine deceſſiſſet.* Etſi non mors hîc ſemper, ſed minor pœna. Liuius de Scipione Numantino: *Quem militem extra ordinem deprehendiſſet, ſi Romanus erat, vitibus; ſi extraneus, fuſtibus cecidit.* Quod intelligendum, vbi minor exceſſus & aberratio. quòd ſi maior, profectò deſertionis pœna mors erat. Quis autem in eâ, diſtinctè Appianus: τοῦ νόμου λειποστρατίαν ἐν τοῖς πολέμοις ἡγουμένου τὸν ἀποχωροῦντα πορρωτέρω σάλπιγγος ἀκοῆς: *Lege deſertorem habente, qui longiùs quàm vnde tuba audiri poſſet, exceſſiſſet.* O priſci, ô noſtri mores, quàm diſſidetis? Hodie nihil tam impunè quàm vagari, prædari, rapere: olim mors leuiter abeunti. Nec Romani ſolùm hîc ſeueri, ſed etiam Græci, qui hos tales ignominiâ notabant. Demoſthenes: τοὺς μὲν τὴν τάξιν λιπόντας ἣν ὑπὸ τοῦ στρατηγοῦ τάξιν ταχθῶσιν, ἀτίμους οἴεσθε προσήκειν εἶναι καὶ μηδενὸς τῶν κοινῶν μετέχειν: *Vos eum qui adſignatum à duce ordinem deſeruerit, infamem iudicatum eſſe debere, nec vllam reip. partem attingere.* Atque id, opinor, quia periuri. Athenienſibus enim ſolenne hoc iuramentũ ante militiam: μήτε ἱερὰ ὅπλα καταισχυνεῖν, μήτε τὴν τάξιν λείψειν: *nec ſacra arma dedecore affecturos, nec ordinem deſerturos:* quod ita in Lycurgo Rhetore aduerſus Leocratem ſcriptum. Sed & Lacedæmoniis legem

Dem a

Margin notes, left column: Lib. xxix. — Centurionum. — De Conſtant. ſap. cap. vlt. — De Tranq. cap. iii. — Seneca explicatus. — In Epiſt. — Imperator in equo. Lib. vi. — Sæpe & Tribuni. vii. Galli. Lib. x. — Lib. i.

Margin notes, right column: In Craſſo. Lib. xvi. — Militũ ordinatio. — Lib. i. c. cap. xxvi. — Lib. ix. — Eum quiſque nouerat. — Lib. ix. — Seduli ſeruabant. — i. Ciuil. — Pœna deſertionis. — Lib. v. Excid. — xiii. Ann. Pœna in agmine. xi. Annal. — i. Annal. — Epit. lvi. — In Punic. Quatenus aliquis deſeruit. — Græci ſimile. Orat. de Rhodior. libert. — Et Spartani.

Section letters printed between the columns: A, B, C, D, E.

Lib. vii. Demaratus apud Herodotum recenſet: οὐδὲν φεύγειν ἐῶν πλῆθος ἀνθρώπων ἐκ μάχης, ἀλλὰ μένοντας ἐν τῇ τάξει ἐπικρατέειν ἢ ἀπόλλυσθαι: *non fugere vllam virorum multitudinem in acie, ſed ſtantes in ordine vincere aut mori.* Duræ leges, inquies. duræ, ſed vtiles: & iſtæ ſunt quæ viros, quæ milites pepererunt, gentium hominumque victores. Nec miror de priſco illo æuo. ecce & Iulianus Imp. ſuo iam prauo & laxo, *decem milites ex his qui fugerant, exauctoratos capitali addixit ſupplicio, ſecutus veteres leges.* Narrat in rebus eius Ammianus. Lib. xxiv AVD. Quàm vellem ſub talibus legibus noſtri milites? LIPS. Quid ita? AVD. Vt aut alij eſſent, aut non eſſent.

DIALOG. V.

In occaſione de Signis dictum, de formâ eorum ſingillatim, de cultu & religione.

AT enim alia etiam hîc mihi cupiditas. LIPS. Non amo cupidos. AVD. Imò, vt Lucilius ait,

——cupiditas
Ex homine, cupido ex ſtulto nunquam tollitur.

Honeſta hæc noſtra cupiditas, & diſcendi amor. De Signis deferendis agis, antè de locandis: dic ſemel & explica quæ ipſa Signa. Diſtuliſti: ſed res poſcit, & ego. LIPS. Atqui ad Pugnam ego iam ibam. & vereor ne vt oculi, qui huc illuc flectuntur, parum intendunt: ſic ego minus aliquid in præcipuâ te videam, tuâ auocatione. AVD. Culpa hæc mea fuerit, recipio: * τὸ δ᾽ ἐν ποσὶ ἴτω τρέχειν, vt ait Pindarus. LIPS. Tu quidem ſi me iubeas ſidera exhibere, credo debeam: ita quod cœpiſti vrges. Obtempero igitur Euryſtheo meo, & ſcito, Duplicia in militiâ noſtrâ Signa eſſe, *Peditum equitúmque.* Peditum item duplicia, *Legionis* totius & *Manipulorum.* Signum legionis, Aquila, vt ſuprà tetigi. nec niſi vnius vna. Imò nec ſociorum quidem. & quia hæc præcipui imperij ſignum; ſubiungi ſub eam ſocios voluerunt & auxilia, non ſeorſum habere. Huius origo variè petitur. A Ioue alij, qui hanc inſigne militiæ habuerit; quidam à Troianis; ego fortaſſe nihil errem, ſi aut ipſos à ſe Romanos repeperiſſe dixerim, aut vicinorum exemplo. Sanè rapacium aliquot animalium effigies adſumi & præferri, bello conuenit: & video variè olim feciſſe Romanos. Nec enim ſolam Aquilam priſci illi, ſed plura eiuſmodi animalia prætulerunt, nata in pugnas aut raptus. Plinius hoc docet: *Romanis Legionibus aquilam C. Marius in ſecundo conſulatu ſuo propriè dicauit. Erat & antea prima, cum quattuor alijs Lupi, Minotauri, Equi, Apri, quæ ſingulos ordines anteibant. Paucis antè annis ſola portari in aciem cœperat, reliqua in caſtris relinquebantur, Marius in totum ea abdicauit.* Notanda nobis monitio hæc Plinij, & miranda. An non mirer rem tam nouam eſſe, & diu poſt Polybij æuum, de eximiâ & ſolitariâ hac dignitate aquilæ: & tamen non ipſum, non Liuium aut Dionyſium, aliorum illorum ſignorum meminiſſe? Atqui fortaſſis cohortium illa fuerunt. Non poteſt: cùm quattuor ea tantùm nominet Plinius, cohortes autem decem ſint: ſed & addat, *ſingulos ea ordines anteiſſe.* An cenſemus ad veteres illos ordines & Genera militum Plinium reſpexiſſe, cùm inſtruebantur (anteà monui ex Dionyſio) per quinque ſuas claſſes? Etſi poſteà etiam quinque ordines, in ipſo Liuio explicati; nempe *Haſtati, Principes, Triarij. Rorarij, Accenſi.* An ergo fortaſſe ſinguli iſti diſcretum tale ſignum habebant? ſed Triarij ipſam Aquilam? qui volet, examinet: in Feſto quidem legu: *Porci effigies inter militaria ſigna quintum locum obtinebat, quia confecto bello inter quos pax fieret cæſâ porcâ fœdus firmari ſolebat.* Ecce & ille *quintum locum* tribuit: ergo inter Accenſos eſto. Nam in manipulis aut cohortibus, vbi denarij ſunt numeri, non habeo aptare hoc diſcrimen. Nominat & Feſtus *Porcum*, qui Plinio eſt *Aper.* Idem & de * Minotauro commemorat: *Minotaurus*, inquit, *inter militaria ſigna, quòd non minùs occulta eſſe debeant conſilia ducum, quàm fuit domicilium eius Labyrinthus.* Bellè hæc dicuntur. ſed vnde ruſticulis illis Romanis Minotaurus & fabella innotuit? Vide ne verè, non Minotaurus, ſed taurus fuerit: vti alia animalia illa nota Italiæ; & capta ob cauſſam quam dixi. Certè & Taurus robuſtum ac ferox animal, atque aptum pugnæ: nec aliter etiam Germani priſci *imagines ferarum* habuiſſe à Tacito ſcribuntur inter ſigna. Sed Aquilæ hæc dignitas etiam apud alias gentes fuit. Perſis regale hoc ſignum: atque ita Xenophon de Cyro: ἦν δὲ αὐτῷ τὸ σημεῖον ἀετὸς χρυσοῦς ἐπὶ δόρατος μακροῦ ἀνατεταμένος. καὶ νῦν δ᾽ ἔτι τοῦτο τὸ σημεῖον τῷ Περσῶν βασιλεῖ διαμένει: *Erat ei ſignum aquila aurea in haſtâ longâ extenſa. & nunc quoque ipſum hoc inſigne Perſarum regi manet.* Iterùm Xenophon in rebus Cyri minoris: καὶ τὸ βασίλειον σημεῖον ὁρᾶν ἔφασαν, ἀετόν τινα χρυσοῦν ἐπὶ ξύλου ἀνατεταμένον: *Regium inſigne videre ſe dicebant, aquilam auream in peltâ ſuper haſtam extenſam.* Sed quomodo hæc *in peltâ*? depicta in eâ aut ſculpta: an ſuper peltam impoſita, & velut pedibus ei inſiſtens? quod voles arbitrare. Meminit Curtius de Dario: *Inter hæc aquilam auream pennas extendenti ſimilem ſacrauerunt.* Talis omnino Romana, vt ad eam redeam, quæ ſummæ haſtæ inſiſtebat ex auro vel argento, & fulmen ſæpe vnguibus tenebat, quaſi iaculatura.



In Nummis M. Antonij & Auguſti ſic apparet: ſed & in Dione alibi légi inter prodigia triſtiora, *aquilas fulmina è pedibus abiecisse & remiſiſſe.* Sed nec corpus ipſum aquilæ magnum, cùm Florus ſcribat, clade Varianâ, *ſigniferum aquilam intra balthei ſui latebras gerentem in cruentâ palude delituiſſe*: ne ſcilicet potirentur eâ hoſtes. Tale in Silio, pugnâ ad Thraſymenum:

Occulere interdum & terra mandare parabat,
Sed ſubitis victus telis labentia membra
Proſtrauit ſuper, atque illatâ morte tegebat.

Hæc forma Aquilæ: niſi quòd in Dione tamen intricatum aliquid de ſacello vel ædiculâ, in quâ eam locat. Ὁ γὰρ ἀετός, inquit, ὀνομαζόμενος, ἔστι δὲ νεὼς μικρός, καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς ἐνίδρυται, καθίσταται τε ἐν πᾶσι τοῖς ἐκ καταλόγου στρατοπέδοις, καὶ οὐδαμόσε ἐκ τῶν χειμαδίων, πλὴν εἴ που σύμπας ὁ στρατὸς ἐξίοι, κινεῖται, καὶ αὐτὸν εἷς ἀνὴρ ἐπὶ δόρατος μακροῦ ἐς ὀξὺ τὸν στύρακα ἀπηγμένου, ὥστε καὶ ἐς τὸ ἔδαφος καταπήγνυσθαι, φέρει: *Aquila quæ dicitur, eſt ſacellum exiguum, & in eo aquila aurea locatur, ſtatuiturq; in omnibus ordinariis legionibus: nec quoquam ex hibernis effertur, niſi cùm omnis legio exit, quam vir vnus in haſtâ paruâ* (malim μακροῦ in Græco, id eſſet *longâ*) *cuius inferior cuſpis in acutum deſinit vt in terram defigi poſſit, portat.* Dico intricatum

hoc

Margin notes (left): Lib. vii. — Lib. xxiv — * Quod in pedibus eſt, eat & curra. — Aquila legionum. — Origo eius. — Alia quoque animalia olim. — Lib. x. cap. iiii. — Incertum, vbi ſit.

Margin notes (right): * Etiam Vegetius. Lib. iii. cap. vi. — Aquila Perſarum. — vii Pæd. — I. Anabaſ. — Lib. iv. Forma Romanæ Aquilæ. — Li. xliii. — Lib. iv. — Lib. vi. — Lib. xl. — Obſcura in Dione.

hoc de ſacello. vbi enim in Numis vſquam talis effigies? quinoodæ ex conſpicioorur (& centenæ aliqoot extant) ſine tegmine vllo ſacelli. Nónne etiam prægraoe hoc pondus ferenti fuiſſet? In columnâ tãtùm Traiani, neſcio qoid in alis aqoilarum imponitur, qnod ſacelli figuram refert; ſed fortaſſe ſigno illo & ſenſu, aqoilam cùm in hibernis eſſet, in ſacello repoſitam, atque inde motam cùm educeoda. Id mihi Herodiaous approbat, qui de Prætoriaoorum caſtris loquens, Antonioum venire facit εἰς τὸν νεὼν, ἔνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τοῦ στρατοπέδου προσκυνεῖται: in ſacellũ, vbi ſigna & imagines exercitus adorantur. Sed & figulina opera noſtrâ ætate ibi erota, cũ inſcriptione: Ex ÆDICVLA AVGVSTORVM: quã hanc eſſe nihil abſurdũ. Eoim verò & olim Romæ ſigna in tẽplo. Dionyſius: Ἐκέλευσεν ἐκ τῶν ἱερῶν τὰ σημεῖα ἐκφέρειν: Iuſſit è tẽplis ſigna efferre. Et ſanè repoſita ea in ærario, templo Saturni. Liuius: *Signa Quæſtores ex ærario deferre iubet:* Et alibi: *Signa ærari oprẽpta feruntur ad Dictatorẽ.* Illîc igitur, & religionis cauſsâ; & cuſtodiæ, quia pecunia ibi poblica & argentum. Nec aliter Galli olim τὰς χρυσᾶς σημαίας τὰς ἀκινήτους λεγομένας ἐκ τοῦ τῆς Ἀθηνᾶς ἱεροῦ εἶχον: *aurea ſigna, quæ Immota vocitabant, in Mineruæ templo habebant:* quod Polybius ſcripũt. Eſt aotem in Diooɩs etiam deſcriptione, *defigi in terram ſolere:* quod in exemplis moltis legas. Claudianus:

—nec vt rubris aquilas figamus arenis. Tacitus: *Plurimus circa aquilas labor, quæ neque figi limoſâ humo, neque aduerſum ferri ingruentia tela poterant.* Figebantur igitur & in ipsâ pugnâ, cùm ea in loco ſtaret, nec impelleretur hoſtis. Sed & in caſtris defixæ ſtabant. ac legis inter prodigia cùm in hoſtem eundum eſſet, non potuiſſe euelli. Huius ſententiæ poto quod in Thebaide Tragœdiâ, Senecæ inſcriptâ, legitur.

———æra iam bellum cient,

Aquiláque pugnam ſignifer motâ vocat.

Noo eoim ibi ventilatio aliqua aot in aëre motus aquilæ capiendus, ſed quòd refixa ae loco mota ab Sigoifero fuerit præeunte ad pugnam. Etſi tota res vana, nec credimos Thebanos olim aut Græcos (de iis ſermo) aquilam vſurpaſſe. Sed Romanos ſcilicet ritus poëtæ trahunt ad alios. quod ipſum Statius in iſtâ re, cùm de Adraſto loquitur, militare conſilium habente:

Ventum ad conſilij penetrale, domúmque verendam

Signorum, magnis vbi dudum cladibus æger

Rerum extrema mouens fruſtrà conſultat Adraſtus.

Nam facit ſigna adſeruari in tabernaculo Adraſti, ſiue in Prætorio. quod ipſum indicare Tacitus videtur de ſeditioſo milite, *Vexillum in domo Germanici ſitum flagitare occipiunt.* Etſi aliud fortaſſe illud vexillum (in Tacito dixi) & certum ante Prætorium potiùs, quàm in ipſo Signa olim fuiſſe. Videndum etiam in Statio, an non verius diſtingui *Signorum cladibus:* enallage quadam poëticâ, vt dicat, Adraſtum ægrum animi fuiſſe ob multa ſigna cladium quæ animo iam reuoluebat. Sed ego ab aqùilâ noſtrâ abeo: de quâ tamen Ioſephi egregius locus: Αὐτὸς παντὸς ἄρχει ῥωμαίοις τάγματος ὁ ἀετὸς, βασιλεύς τε οἰωνῶν ἁπάντων καὶ ἀλκιμώτατος ὤν. ὃ δὴ καὶ τῆς ἡγεμονίας τεκμήριον αὐτοῖς, καὶ κληδὼν ἐφ' οὓς ἂν ἴωσι τοῦ κρατήσειν δοκεῖ: *Aquila omni legioni apud Romanos præeſt, rex ipſa omnium auium, & eadem valentiſſima. Vnde etiam imperij ſignum ipſis eſt, & velut omen victoriæ in quoſcumque eunt.* Vnica autem tantùm hæc Aquila in legione vnâ: nec Socij, cùm in aliis pares, eam habuerunt. Itaque per ipſas Aquilas, numerant legiones. vt Hirtius: *Erat Pompeij acies tredecim aquilis conſtituta.* Et improuidè omnino Lucanus, qui de Arimino à Cæſare capto,

Vt nota fulsêre aquilæ, Romanáque ſigna:

Non enim niſi vna tunc apud Cæſarem legio (ipſe & alij tradunt:) ergo nec niſi vna Aquila. Sed poëta à calore excuſetur, aut enallage & ſchemate. ego tranſeo ad manipulorum ſigna: quæ olim quid fuerint ipſa vox illa indicio eſt. Nam cùm perticis fœni manipulos ſeu ſtraminis ſuſpenſos ferrent, illa ipſa manus quæ ea ſequeretur, dicti Manipuli. Poëta:

Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos,

Vnde maniplaris nomina miles habet.

Sed hæc ruſtica non manſêre. poſterior forma fuit, haſta in cuius ſummo tranſuerſum ligoeolum, módom crucis. Nummi & monumenta paſſim ingerunt, &, ſæpe cum mano ſuprà emineote: obone alluſione ad Manipuli vocem? Sed & orbiculos quoſdam vel clypeolos, qui infra crucem haſtę adnexi, idem oummi & lapides oſtendunt. Quid fuerunt? ex argento vel auro imagines eorum primò, deinde & Imperatorum. Tertullianus: *Omnes illi imaginum ſuggeſtus in ſignis* (ita legimus) *monilia crucium ſunt.* Trahit ad noſtræ & ſanctæ crucis gloriam: & omnes illi adtextus & ſtructura imaginum, inquit, in manipularibus ſignis, quid niſi ornamenta crucis? Dixi deorum primò fuiſſe, nec ambigo quin Martis, Romuli, & talium innexa olim: qui ſcilicet militares dij, & conſpiciuotur in nummis, ante Principum æuum: ſed ab hoc exemplo ipſorum deinde Imperatorum. Sic Druſi imago inter ſigna, apud Tacitum: *Tua Diue Auguſte cælo recepta mens, tua pater Druſe imago.* Sed & Seiani per adulationem, in Suetonio: *Munera Syriacis legionibus dedit, quòd ſolæ nullam Seiani imaginem inter ſigna coluiſſent.* At de Cæſarum, ſcriptores vulgò. Suetonius: *Artabanus tranſgreſſus Eufratem, aquilas & ſigna Romana, Cæſarúmque imagines adorauit.* Etſi diſtinguere ibi à Signis videri poſſit, & ſeorſim quoque effigies illorum adoratas. Sed in Arriano certius, Diſſertationibus Epicteti: τὰ σημεῖα τοῦ ἐπιλέκτου στρατοῦ, ἀετοί, εἰκόνες βασιλέων, σήμματα, πάντα χρυσᾶ, ἀνατεταμένα ἐπὶ ξυστῶν ἠργυρωμένων: *Signa ſelecti exercitus* (id eſt legionum) *aquilæ, imagines Principum, vexilla, omnia aurea, extenſa in haſtis argentatis.* Nota, quòd aurea ipſa fuiſſe dicit, etſi haſtas argentatas. Olim tamen & ſigna ex argento, & cauſſa in Plinio: *color argenti clarior eſt, magiſque diei ſimilis: & ideo militaribus ſignis familiarior, quoniam is longiùs fulget.* Non abdicat aurea, ſed magis vulgò fuiſſe ait ex argento. De his imaginibus Tacitus: *Vexillarius direptam Galbæ imaginem ſolo adflixit.* Panegyriſtes ad Maximianum: *Demens qui neſciebat, quocumque fugeret, vbique numina veſtræ diuinitatis eſſe, vbi vultus veſtri, vbi ſigna coluntur.* Nec ſuſtulit ea prorſus Conſtantinus Imperator. etſi in Euſebio ſcriptum, quòd *crucem ſignis inſeri iuſſerit,* καὶ τῶν χρυσῶν ἀγαλμάτων ὁποῖα πρότερον αὐτοῖς ἔθος ἦν τὸ μηδέν: *& aurearum imaginum, cuiuſmodi antea ſolent, nullam.* Aut enim de mortuis tantùm Imperatoribus hoc ſentit; aut non diuturnum fuit. Ipſius certè Conſtantini & filiorum imagines ſunt in Signis, quæ nummi ab illo æuo repræſentant. Sed & Vegetius diu poſt illum: *Primæ cohors imagines Imperatorum, id eſt diuina & præſentia ſigna veneratur.* Apud eumdem, *Imaginarij vel Imaginiferi, qui imagines Imperatoris portant.* Sed nota, *Imperatoris,* vnius numero: ergo non iam defunctorum. Hæc talia Tacitus intellexit, in aduentu Teridatis: *Agmina legionum ſtetêre fulgentibus aquilis ſigniſque, & ſimulacris deûm, in modum templi.* An & Iſidorus, cùm ſcribit: *Pilam in ſigna conſtituiſſe fertur Auguſtus, propter nationes ſibi in cuncto orbe ſubiectas, vt * magis figuram orbis oſtenderet.* Ego olim ſic accepi, & ad

clypeolos

Margin notes, left column: Signa in ædicula. Lib. IIII. — Fixa in terram. — 1. Annal. — Lib x. — 1. Annal. — Lib. III.

Margin notes, right column: Manipuli ſignum. — Imagines inſignes. — 1. Annal. Tib. cap. XLVIII. — Cal. cap. XIIII. — Signa ex auro vel argento. Li. XXXIII. — 1. Hiſt. — Lib. III. de vit. Conſt. — Lib II. cap. VI. — XIIII. An. — Lib XVIII. * E ſcriptis libris lego mala. id eſt pomu.

Signum Piſæ.

A clypeolos illos retuli: valdè nunc reſilio, & ſcio ſigna hæc imaginum, fuiſſe diu ante Auguſtum. Quid ergo Iſidorus vult? nouum imò vetus, ſed paucis notum, ſignum tangere: quod fuit pila vel globus in ſummâ haſtâ. Turcæ hodie retinent, & equinos aliquot pilos ab eo globo pendulos demittunt. Fallor, aut hoc eſt quod Beda ſic tangit de Eduino rege: *Nec non & incedente illo vbilibet per plateas, illud genus vexilli quod Romani Tufam, Angli appellant Tunf, ante eum ferri ſolebat.* De ſplendore & pompâ regis eius ſcribit, & vel pacis tempore ſemper inceſſiſſe cũ hoc vexillo. Gratia tibi eſto Beda qui nominaſti, & per te Vegetio iam ſuppetiamur perpetuùm aliàs laboranti. Scribit iſte in ſignorum recenſu: *Aquila, dracones, vexilla, flamula rufæ, pinnæ.* Malè *rufæ.* quia etſi puniceas

Lib. II. Hiſt. c. XVI.

Lib. III. cap. V. Vegetius correctus.

B fuiſſe fateor, non tamen ſolas. Libri ſcripti (Stevvechius teſtatur) *tubæ*, imò duo ex iis *tufæ*. Amplector, teneo, & in ordine iſto ſignorum deinceps colloco: *flamulas, tufas.* Ipſa vox an non Gallis hodie *Pilum* ſonat, qui E addito *Etufam*? Sed hanc tamen inter equeſtria magis fuiſſe arbitror, quia poſt Flamulas Vegetius recenſet. Satis de Manipulorum ſignis: ad Equitum imus. AVD. Cohortium ergo omittis? LIPS. Non enim propria opinor fuiſſe, nec Polybius quidquam. Tacitus quidem ingerere videtur: *Concionem diſcedere in manipulos iubet, vexilla præferri vt id ſaltem diſcerneret cohortes.* Et iterùm: *vexillarios comitantes Galbam cohortis.* Tertiùm: *Vna tres aquilas, & ſigna cohortium locant.* Imò & ipſe Liuius: *Cohortibus, quæ ſigna amiſerant, hordeum dari iuſ*

An cohortibus ſigna?

I. Annal. I. Hiſt.

C *ſit.* Cæſar: *Quartæ cohortis omnibus fere Centurionibus occiſis, ſigniferóque interfecto, ſigno amiſſo.* Iterùm Liuius: *An ſi eoſdem animos habuiſſetis, ſigna alicuius manipulo aut cohorti hoſtes abſtuliſſet?* Diſcernere etiam videtur. Sed tamen ſine calumniâ accipi hæc fortaſſe de Signis ipſis manipulorum poſſunt, qui faciunt ſcilicet Cohortem. Niſi placet Signum cohortis dici, ipſum illud Triariorum, quod digniſſimum ſcilicet erat. Sanè diuerſâ formâ fuiſſe (olim quidem) vix dixerim: & conſule omnes nummos aut lapides, præter manipulorum & legionis non puto repertum iri. Rideo qui Lucanum eò traxit: —— *per ſigna decem felicia caſtra. Signa decem,* inquit, *totidem cohortium ſunt.* O bone, quàm facis quod ego ſæpe, & erras! Illa verò *caſtra decem* ſunt, non ſigna: & per caſtra, to-

D tidem intellegit annos. Nuſquam ergo expreſsè cohortium ſigna? imò, ſed inferiore æuo, quo multa iam nouata: & è Vegetio colligas ſingulis cohortibus fuiſſe ſuos Dracones. Sed quid ad Polybium aut priſcos? Magis appoſitè addubites, an Sociorum manipuli ſigna habuerint, an tantùm cohortes. Equidem in Liuio lego: *Quattuor millia militum amiſſa, & legionis ſecundæ ſigna tria, vndecim vexilla ſociûm nominis Latini.* Videtur *Signa* tribuere ciuibus, *vexilla* ſociis: vti & hoc loco: *Proxima porta cohors Pelignæ erat, cuius præfectus Vibius ereptum vexillum trans vallum hoſtium iecit.* Tribuit Vexillum cohorti: ſed an toti, an eius parti? Nam de voce, haud valdè moueor, & ſcio Liuium ac Tacitum cum ſigno miſcuiſſe. Equidem temerè nihil hîc adfirmem, qui nec de totâ diſtributione cohortis Socialis firmiter ſcio. In-

Sociorum ſigna. Lib. XXX. 18.

Lib. XXV.

E feriore tamen æuo, nihil abnegem, Vexilla cohortium propriè dici. Sic in Auſonio: *Clara cohortis vexilla regens:* id eſt, cohorti præfectus. In Capitolino de Pertinace: *Vexillis regendis adſcitus eſt.* Omitto iſta, & ad vetera ac propria *Vexilla* venio, quæ Equitum fuerunt. De iis Liuius: *Vexilla ſe ſuorum parmáſque cernere equitum:* de Romanis equitibus dicit. Idem de ſociis: *Inferre vexillarios iuſſit ſigna.* Propriè *vexillarios*: & erant hæc vela quædam quadra

Equitum vexilla Lib. VIII.

expanſa ad haſtam: ſed vela modica, vt in monumẽtis comparent. Noſtra ætas retinet in equitum bandis, etſi formâ paulum diuerſâ. Propiùs accedunt templorum vexilla, quæ in luſtratione & proceſſibus anteferuntur. Hinc *Vexillatio*, de ipſis equitibus aut eorum Alâ, crebrũ poſteris verbum. Vegetius: *Equitum Alæ, quòd protegant acies, quæ nunc Vexillationes vocantur, quia velis, hoc eſt flamulis, vtuntur.* In Galbâ Suetonij, *Germanicorum Vexillatio:* quæ Tacitus ambiguo magis ſenſu dixit *Germanica vexilla.* Sed in Vegetij verbis, ſunt qui *Flamulas* in *Flameola* mutẽt. ô male! abſtineant. Georgius Cedrenus: Βεξιλατίωνες, οἱ ῥωμαίων ἱππεῖς. καὶ βέξιλα, παραπετάσματα ἐκ πορφύρας καὶ χρυσοῦ, εἰς τετράγωνον σχῆμα πεποιημένα. ταῦτα ἐξαρτῶντες ἐπὶ μακρῶν δοράτων, κύκλῳ συμπορευόμενοι τῷ βασιλεῖ, κατασκέπουσιν αὐτούς. Εἰσὶ δ᾽ ἂν τὰ λεγόμενα φλάμουλα: *Vexillationes, Romanorum equites. Vexilla paſſim panni ſeu vela è purpurâ & auro, in quadratam formam effecta. Hæc adaptantes longis haſtis, circum Principes in orbem euntes, contegunt. Sunt autem illa quæ nunc Flamula dicuntur.* Ille idem de Arabibus: τὸ τῆς εἰρήνης ἔγγραφον χάρτην ἐπὶ φλαμούλου κρεμάσαντες: *Chartam conſcriptam, pacis teſtem, ſuper flamulâ ſuſpendentes.* Sic verè cudum id fuit: & ducendus huc etiam Suidas: Σαυρίον, εἶδος σημαίας ἢ φλαμούλου: *Saurion, genus ſigni vel flamulæ.* Quid tamen *Saurion*, ignoro. Noto vltrà in Cedreni verbis, *è purpurâ fuiſſe.* Poteſt aptari Capitolini illud in Gordianis: *Sublatâ de vexillis purpurâ, Imperatores eos dicemus:* etſi Dracones tamen tunc etiam purpurei. Iſidorus, de coloribus Circi: *Ruſſeos currere Marti ſacrauerunt, à quo Romani exorti noſcuntur, & quia vexilla Romanorum cocco decorantur.* Ille idem Cedrenus aurum miſcet, & circum Principem ea locat. Hoc ipſum Ammianus de Conſtantio Cæſare Romam videre geſtiente: *ut pompam nimis extentam, rigentiáque auro vexilla, & pulchritudinem ſtipatorum oſtenderet tranquillius agenti populo.* Atque his vexillis, ſed & ſignis aliis, nomen Principis inſcriptum. Dio de Verginio Rufo: *Ipſum Cæſarem & Auguſtum appellabant. cúmque non acquieſceret,* τῶν στρατιωτῶν τις ἐν τῶν σημείων τοῦτα διὰ ταχέων ἐπέγραψε: *militum quiſpiam vni è ſignis celeriter hæc inſcripſit.* Suetonius in Veſpaſiano: *Aſſenſêre cuncti, nomenque eius vexillis omnibus ſine mora inſcripſerunt.* Alludit auctor Thebaidos:

—— *aureâ clarum notâ*
Nomen Ducum vexilla præſcriptum ferunt.

Oſtendit aureo textu fuiſſe iſtas literas. Hoc quoque à nimis magis priſco videtur, cùm vnum aliquod & Imperatorium vexillum grande præfereretur, nomen eius habens, non tamen aureis ſed puniceis literis inſcriptum. eoque vexilla ipſa tunc non punicea, ſed candidi potiùs coloris. Dio de iſto in rebus Craſſi contra Parthos: σημεῖον γάρ τι τῶν μεγάλων τῶν ἱστίοις ἐοικότων, καὶ φοινικᾶ γράμματα ἐν αὐτοῖς, πρὸς διάγνωσιν τοῦ τε στρατοῦ καὶ τοῦ στρατηγοῦ αὐτῶν τοῦ αὐτοκράτορος ἐχόντων, εἰς τὸν ποταμὸν ἀπὸ τῆς γεφύρας περιτραπὲν ἐνέπεσε: *Vexillum quoddam ex illis magnis, quæ velorum ſunt ſimilia, & quæ puniceas literas inſcriptas habent, ad notitiam exercitus & ſummi eius Imperatoris, id tale in flumen è ponte inuerſum decidit.* Hoc ad equeſtres Flamulas commodè non referas, ſed fuit potiùs Imperatorium quoddam ſignum: quod poſterior ætas *Labarum* dixit. De quo vberiùs non nunc dico, non item de Draconibus, quia hæc inferioris æui. AVD. De Labaro remitto, de Draconibus vrgeo: &, Muſarum fidem, dicito. LIPS. Non rogas, ſed iubes cùm ſic rogas. accipe vbertim. Draconum origo vnde ſit, inuenio magis, quàm credo. Iſidorus ab alio petit & à noſtro Phœbo: *Draconis ſigna*, inquit, *ai*

A *ipſo Apolline morte Draconis incheata, dehinc à Græcis & Romanis in bello geſtari cœperunt.* De Apolline, haud illepidè. de Græcis, falsò. Nam quis iis vnquam ſcriptor tribuit? Aliis aliquot gentibus magis repetiti. vt Aſſyriis, Ioannes Curopalates: *Cyrus*, inquit, *vt Medorum principatum adeptus eſt*, Aſſyriis quoque bellum intulit, & ab iis cepit τὸ καββάδιον, καὶ τὸ δρακόντειον φλάμουλον: *tunicæ genus, & Draconis vexillum.* Indis tribuit ſcriptor incertus apud Suidam, cuius ipſa verba dabo, quia graphicè depingit: Ἰνδοί, ἔθνος βάρβαρον. κατὰ δὲ τὸν πόλεμον ἦσαν αὐτοῖς σημαῖαι τῶν ἱππέων καθ' ἕκαστον χιλιοστὺν δράκων ἐπὶ κάμακος ἀνατεταμένος. ἀργυρᾶ μὲν ἡ κεφαλὴ πεποίηται, συμπέπτων ὀδόντων, καὶ τοῦ χάσματος ἀπειλὴν ἔχοντος. τὸ δὲ ἄλλο σῶμα σηρικὸν ὑφαντὸν ἦν, ἔς τε μῆκος καὶ βάθος καὶ τὸ ποικίλον τῆς χρόας ἐς ἀληθινὸν δράκοντα: *Indi, gens barbara quibus in bello erant ſigna, in quoſque mille equites Draco, extenſus in pertica. Eius caput ex argento factum erat, dentibus roſtrictis & nudis, minace rictu: reliquum corpus ſericeo textu, longitudine & craſſitie & varietate coloris in verum draconem.* Sed qui apud eum iſti *Indi*? an Orientales illi, magnus nobiliſque pupulus? minimè: *barbari*, vt ipſemet ille ſcriptor ait, & niſi fallor (imò non fallor) illi ipſi quos alij dicunt & ſcribunt *Sindos*. Sed illa prior ſcriptura alibi quoque reperitur, & ſunt populi Scytharum. Certè Scythas Draconibus vſos, ex eodē Suidâ haurio, apud quem innominatus item ſcriptor: Σημεῖα σκυθικὰ ἃ φέρουσιν ἐν τῷ πολέμῳ, ὑφάσματά εἰσι βαφῇ πεποικιλμένα, ἅτινα εἰς ἰδέαν μάλιστα ὄφεων εἴκασται, καὶ ἀπήρτηται κοντῶν συμμέτρων: *Signa Scythica, quæ ferunt in bello, ſunt vela vel textilia colore variegata, quæ in ſpeciem maximè ſerpentium aſſimilata ſunt, & ſuſpenſa è mediocribus haſtis.* Vides ergo Scytharum eſſe, quorum pars aut confines cùm ſint Daci; quid mirer eos quoque vulgò vſurpaſſe? Imò non alia ſigna habent in columnâ Traiani, bello illo Dacico, & ſæpe ibi videas expreſſa. Atque ego cenſeo ab illis ipſis Romanos ſumpſiſſe, vt fit, imitatione. Placuit enim ille terror quem motu in aëre faciunt, & viſum bello aptius quàm Romana illa ſigna. Ab iis, inquam, argo vel hoc argumento, quòd ante Traiani æuum non eos in rebus Romanis legas. Niſi quis tamen à Perſis magis petat, cùm in Vopiſci Aureliano legam, inter ſpolia à Zenobiâ capta & traducta, etiam *Perſicos Dracones.* Atque hoc faciat pro ſententiâ Curopalatæ ſuprà dictâ. Deinceps quidē crebri in Romanâ hiſtoriâ: & Vegetius notat, *Dracones per ſingulas cohortes à Draconariis ferri in prælium.* Si per ſingulas cohortes, ſanè multi. Vt addam, proprios quoſdam & peculiares Principis fuiſſe, qui toti è purpurâ, in eius comitatu. Significat Ammianus, de Iuliano veniente in prœlium: *Quo agnito per purpureum ſignum Draconis ſummitati haſtæ longioris aptatum.* Diſertè *purpureum* ibi dicit, qui color imperij: & niſi fuiſſet, cùm tā multi Dracones in acie, vnde ex vno illo Cæſar* agnitus? Sed color eminebat, vt dixi: & de iis capiendus idem Ammianus, ingreſſu Conſtantij Auguſti in vrbem: *Alternúmque poteſtatis greſſus multiplices alios purpureis ſubtegminibus texti circumdedêre Dracones, haſtarum aureis gemmatiſque ſummitatibus illigati, hiatu vaſto perflatiles, & ideò velut irâ perciti ſibilantes, caudarúmque volumina relinquentes in ventum.* Quorum ſententia eſt (nam vulgò malè diſtinguntur:) alias varias poteſtates ſiue Præſides & duces circa Imperatorem inceſſiſſe, atque eos circumdediſſe deinde Dracones. Poëta Claudianus Honorij Principis ingreſſum Draconibus quoque ornat:

—— quid fixa Draconum
Ora velint, fluitent ventis, an ver à innexitur
Sibila, ſuſpenſum rapturi dentibus hoſtem.

Vbi *fixa ora* licet accipere (antea, *fiſſa*, legerem, id eſſet aperta) in ipſa haſtâ per guttur ſic infixa, vt in columnâ Traiani alibi comparent. Nam vt te moneam, etſi ὑφάσματα ſuprà dicuntur; etſi *textu ſericeo*, etſi *flamulæ*; denique *ſubtegminibus texti* Ammiano: tamē profectò ambigas, an in velo ſic depicti fuerint aut acu texti; an potiùs corpus totum ſolidum è pannis & ſubtegmine factum. Moueor ita cenſere è Traiani columnâ ſæpe dictâ, in quâ palàm ſic extant corpora dico, non imagines: moueor & à verbis ſuprà Græcis, vbi *longitudo & profunditas* iis datur. Quid, quòd ſibilaſſe eos volunt, concepto vento? Sed hoc ad ſonitum, quem velum motum facit, referri etiam poſſit: etſi Ammiani verba magis nos inclinēt illuc. *Hiatu*, inquit, *vaſto perflatiles, & ideo velut irâ perciti ſibilantes.* Vaſtum hiatum vult perflari, & illinc ſibilum naſci. Scriptor quiſpiam in Suidâ de hoc ſibilo: καὶ τι καὶ ἠχεῖ πρὸς τὴν συγκίνησιν ὑπὸ τοῦ πνεύ διηρχημένη βίᾳ. *Atque etiam ſibilant & ſonant aliquid ad motum, à vento aut ſpiritu violenter penetrante.* Videtur & eò Sidonius ſpectare, verſibus hiſce, pugnā inter Vandalos & Romanos:

—— iam textilis anguis
Diſcurrit per vtramque aciem, cui guttur adactis
Turgeſcit Zephyris, patulo mentitur hiatu
Iratam pictura famem; pannoque furorem
Aura facit, quoties craſſatur vectile tergum
Flatibus, & nimiam iam non capit aluus inane.

Adhibe mentem tuam & ſenſus, vix aliud poſſis dicere quàm deſingi ab eo rotundum & inanem Draconem, ita textum vt vento turgeſcat quem per guttur admittit. At in ſententiam tamen aliam ducat Prudentius:

Próque ventoſis draconum, quos gerebant, palliis,
Præferant inſigne lignum quod draconem ſubdidit,

De Draconariis duobus loquitur, qui è militibus aggregati ad cœtum Chriſti. Et vocat ecce *Pallia draconum*, quod ſit pro mente & ritu vulgi: cùm hodie in velis militaribus vana ſic pingamus. Habes quos voluiſti Dracones: ego in gradu me compono vnde deieceras, imò ad lineam ipſam venio quam iuſſiſti, de Signis non deſerendis. Hæc enim illa Romana ſigna quæ ſacra habuerunt, per quæ iurarunt, & quos vnicos bellorum deos. Bono conſilio, vt religionem animis ingignerent, & ſignorum non amorem tantùm, ſed venerationem. Ergo firmiùs aſſeruabant, fortiùs amiſſa recuperabant. Quoties legis integras acies iam fluctuantes, iam recedentes, reſtitutas & impulſas ſignis in hoſtem iactis? Suadebat enim repetere non pœna tantùm, quæ manebat iis amiſſis, ſed etiam pudor & religio, & quaſi deus ac ſacra ſua prodidiſſent. pœnæ exempla, in Dionyſio. *Quidam*, inquit, *è ducibus ſigna ſuis erepta in hoſtes iecerunt, vt languidioribus aut timidioribus ex neceſſitate robur imprimerent, ſcientibus quòd iis qui ſigna non retuliſſent, cū ignominia eſſet moriendum.* In Liuio: *Inermes milites, ſigno amiſſo ſigniferos, duplicariósque qui reliquerant ordines, virgis cæſos ſecuri percuſſit.* Religionis exempla in Tertulliano: *Religio tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna iurat, diis omnibus præponit.* In rebus ipſis; quòd perfugium illic, vt in ſacris. Tacitus: *Signa & aquilam amplexus, religione ſeſe tutabatur.* Ammianus: *Qui fraudum conſcius & noxarum, ad militaria ſigna confugit.* Quòd ea ornabant, vngebant, colebant, vt ipſos deos. Claudianus:

—— Mauortia ſigna rubeſcunt
Floribus & ſubitis animantur frondibus haſtæ.

Suetonius eo ſenſu: *Neque aquilæ ornari, neque ſigna*

connecti

Claud. cap. XIII. Neron. cap. XLVI. Lib. XIII. cap. XIII.

conuelli potuerunt. Nec aliter in eodem, de Ianibus: *Kalendis Ianuarijs exornat lares.* Etiam vngebant. Plinius: *Aquilæ certè ac ſigna illa puluerulenta & cuſtodiis horrida, inunguntur etiam feſtis diebus, vtinámque dicere poſſemus quis primus inſtituiſſet.* Scilicet deos quoque ſolent vngere, & lauare & cibos apponere, & omnia quæ in rebus lætis more humano. In marmore antiquo: CORONÆ. INLATÆ. SIGNAQVE. VNCTA. Seneca in hanc ſuperſtitionem: *Alius lictor eſt, alius vnctor, qui vano brachiorum motu imitatur vngentem.* Minutius Felix: *Lapides vncti & coronati.* Ab hoc ergo ritu Signa vncta, ſed non ſeuero & Polybiano illo æuo; ipſe Plinius oſtendit rem nouitiam eſſe. Habes religionem in Signis, & verè de iis Dionyſius:

Lib. VI.

τιμιώτατα ῥωμαίοις ταῦτα ἐπὶ ϛρατείας, καὶ ὥσπερ ἱδρύματα θεῶν ἱερὰ νομίζονται: *Venerabilia maximè ea Romanis, & tanquam deorum ſtatuas, ſacra arbitrantur.* A Item Tacitus: *Conuerſus ad ſigna & bellorum deos.* Iterùm: *Sequerentur Romanas aues, propria legionum numina*: de aquilis. AVD. Cetera capio, Plinij locum tamen non de *cuſtodiis ſignorum.* Appellat enim ea in verbis à te dictis, *cuſtodiis horrida.* Quæ illæ? LIPS. Subitò rogas, ſubitò reſpondeo, videri ad aquilas & ſigna carcerem militarem fuiſſe: quia is locus maximè conſpicuus, & nocte diéque cuſtoditus. Carcerem quidem in caſtris Tacitus agnoſcit, in ſeditione militum Pannonicâ: *Blæſus paucos adfici verberibus, claudi carcere iubet.* Et ſtatim inibi, *carcere effracto ſoluunt vincula, deſertoreſque & rerum capitalium damnatos ſibi miſcent.* Iuuenalis: *Lauáque ſi longo caſtrorum in carcere manſit.* An ſimplicius, cuſtodias militares & excubias accipi? Finis eſto, figuras è columnâ Traiani vide, cuiuſmodi & in Nummis atque aliis lapidibus conſpiciuntur.

3



AVD. Auidè inſpicio: ſed dubium me magis quàm doctum figura hæc reddit. De aquilis ſolis dixiſti: quid iſta ſibi vult ouis, an aries in perticarum vnâ? quid ſphynx in alterâ? LIPS. Mehercules mihi quoque Sphynge opus ſit, quæ doceat ſoluere quidquid ponis aut ligas. De oue, es fruſtrà, nam lupus eſt: & ſcis originem Romani parentis. Equidem in Appiano etiam lego, elephantem inter ſigna legionis cuiuſdam fuiſſe, & aſſignat cauſſam:

Lupus in ſignis. Elephas.

ἡ δὲ ϛρατιὰ τοῦ καίσαρος ἐς τοσοῦτον ἀνεθάῤῥησεν, ὡς τὸ πέμπτον τέλος, ἀντιτάξαι αὐτὸ ἀξιῶσαν τοῖς ἐλέφασι, κρατῆσαι πάνυ καρτερῶς, καὶ νῦν ἀπ' ἐκείνου τῷ δὲ τῷ τέλει ἐλέφαντες ἐς τὰ σημεῖα ἐπίκεινται:

II. Ciuil.

Exercitus Cæſaris ita animo confirmatus eſt, vt Quinta legio popoſcerit opponi elephantis, eóſque egregiè vicerit, ac nunc etiam eâ de cauſſâ elephantes in ſigna huic legioni conſtituuntur. Quod tamen ita intellego, vt amotam aquilam non opiner, ſed in clypeis ſigniſque B manipulorum elephantem fuiſſe. Tale in Hirtio videtur bello Africo: *Non ſum, inquit, tiro, Labiene, ſed de legione decimâ veteranus. Tum Labienus, Non agnoſco, inquit, ſigna Decumanorum.* Et fortaſſe diſcrimina quædam ſua habuerunt, vt in Notitiâ imperij comparent.

DIALOG. VI.

Duplex, triplexque acies, & aliquot eius formæ.

SED nobis euenire videtur, quod pueris qui ad aquas ludunt. ij cùm lapillum in ſtagnum iecerint, paullatim

paullatim magis magiſque maiores orbes faciunt: & tu ſcrupo vno iniecto, varios circulos conſequi facis rogationum, reſponſionum. Semel tibi dico, deſine. multa huic rei annexa, aut addita: & ſi maximè conet,

Homer.

Ἀλλ' ὅπως ἅμα πάντα δυνήσομαι αὐτὸς ἑλέσθαι:
At minimè potero complecti omnia ſolus.

Redeamus, vnde abiuimus, ad Ordinem aciei, qui tamen explicatus. Sequebatur *Forma*, id eſt quâ poſiturâ & velut facie acies instructa. Hæc non varia admodum apud Romanos: & fuit ferè aut *Duplex*, aut *Triplex*.

Acies duplex.

Duplex, cùm tota acies in cornua duo ſecta, Dextrum ac Læuum. Ea ſæpiſſimè obtinuit in exercitu Conſulari: cùm duæ legiones, & ſingulis ſua auxilia adiuncta. Hanc ſectionem certum eſt veterem eſſe, & aliis quoque gentibus vſurpatam. Poliænus quidem eam refert ad Pana auctorem. *Διονύσου*, inquit, *στρατηγὸς ἦν ὁ Πάν. οὗτος πρῶτος τάξιν εὗρε, φάλαγγα ὀνομάσας, κέρας ἔταξε δεξιὸν καὶ λαιόν. Ταύτῃ τοι ἄρα κερασφόρον τὸν Πᾶνα δημιουργοῦσι: Dionyſij ſiue Bacchi Dux fuit in militiâ Pan. Is primùm repperit ordinem, nominauit phalangem, cornu inſtituit dextrum & læuum. Ex quo cornutum etiam Pana vulgò deſingunt.*

Lib. 1. Stratag. *Cornua Pan repperit.*

Exempla aliquot eius locationis apud Romanos quærere, & ponere, ſit ſtillicidium de ſitulâ ſumere: ſexcenta ſunt.

Triplex acies.

Triplex eſt, cùm præter cornua, alia etiam media exſurgit. Id quoque crebrum: non ſolùm vbi plures legiones, ſed & cùm duæ: iſtis ſcilicet in medio poſitis, ſociis ad vtrumque cornu. Res per ſe clara, & obuia exempla.

Aliter duplex acies.

Sed eſt & alia ratio Duplicis Tripliciſque aciei; cùm præter ſimplicem illam diuiſionem, à tergo etiam ſectio fit & diſcrimen. Vt ſi quatuor legiones habeam, duas in fronte cum Sociis ſuis pono; totidem à tergo, velut in ſubſidiis ſuppono. Idem in duabus quoque factum, & aut Ala vtraque ſociorum (ſiue Cornu mauis) præpoſita, ſubiunctis legionibus, aut contrà.

Li. xxvii.

In Liuio tem vide, pugnâ in Annibalem Marcelli: *Pugnatum amplius duabus horis eſt. cedere inde ab Romanis dextra Ala & Extraordinarij cœpêre. quod vbi Marcellus vidit, duodeuiceſimam legionem in primam aciem inducit. Dum alij trepidè cedunt, alij ſegniter ſubeunt, turbata tota acies eſt.* Iterùm alio prœlio idem Marcellus: *Diu pugna neutrò inclinata ſtetit prima legione tertia, dextra Ala ſiniſtra ſubijt.*

Ibid. antè

Sed & de legionibus ipſis ſic diſpoſitis, exempla. In Liuio: *Prætoris legiones in primâ acie fuerunt, Cornelius ſuas in ſubſidiis tenuit.* Alibi: *In primam aciem ſuas legiones Sempronius induxit, in ſubſidiis locata P. Licinij legiones.* Et plura.

Lib. xxx.

Subſidia.

Has autem ſecundanas aut tertianas legiones ſiue copias, *ſubſidia* aut *ſubſidiarias* etiam vocabant. Idem Liuius: *Cedente duodecima legione quæ in læuo cornu erat, tertiamdecimam legionem ex ſubſidiis in primam aciem firmamentum ducit.*

Lib xxiii.

Salluſtius: *Ibi commutatis ordinibus, in dextro latere, quod proximum hoſtibus erat, triplicibus ſubſidijs aciem inſtruxit.*

In Iug.

Nec totæ ſemper legiones, ſed cohortes aliquot ſic ſubſtitutę. Liuius. *Subſidiarias cohortes, quæ integræ ad longioris pugnæ caſus reſeruabantur, in primam aciem extemplo emiſit.*

Lib ix.

Salluſtius: *Octo cohortes in fronte conſtituit, reliqua ſigna in ſubſidiis locat.* Ad has poſituras Tibulli illi verſus faciunt, ad Meſſallam:

Seu ſit opus quadratum acies conſiſtat in agmen,
Rectus vt æquatis decurrat frontibus ordo:
Seu libeat duplicem, ſeu iunctum cernere Martem,
Dextráque vt læuum teneat, dextrúmque ſiniſtrâ
Miles, ſitq́; duplex gemini victoria caſus.

Tibullus explicatus.

Facit variam *pugnæ faciem*, vt ipſe appellat. Primò, *Quadratam* ſimplicem, fronte recto: ſecundò, *Duplicem*, vtroque cornu: tertiò *Iunctam*, quam capiebam *Triplicem*, aliâ ſcilicet ad duas iunctâ. nam ſic ſiebat, quod hîc dicitur, vt dexterâ ſuâ miles qui in læuo eſt, ſiniſtram medij aſpiciat; ſiniſtrâ ſuâ, qui in dextro eiuſdem medij dextram. Inſpice, intelleges. Sed remoratur aut potiùs reuocat, quod ſequitur,

—ſitq́; duplex gemini victoria caſus.

Ita enim non duplex, ſed triplex è triplici acie victoria ſit & caſus. An *Iunctam* igitur intellegit ſubiunctâ & duplicatam, de quâ diximus? vt acies aciei ſit ſuppoſita? Huc opinor. & vtrobique ſanè dexterâ ſuâ ſiniſtram appoſiti contra cornu aſpicit, & contrà. Nec mihi diſpliceat etiam ſcribi —— *duplicem ſeiunctû cernere Martẽ.* vt duas modò poſituras nominet, Quadratam ſimplicẽ, indiuiſam: & hanc abiunctam, in duo cornua: facili ita ſententiâ. Hæ præcipuæ ſunt & receptæ Romanis inſtructiones: quas tamen leuiter variabant promouendo, aut retrahendo. Quid velim, exempla docebunt.

Frons recta.

Plerumque enim æqualiter vtroque cornu & ſimul concurrebant: quod Cato apud Feſtum dixit, *Recta fronte*. Tibullus in citatis verſibus, *æquatis frontibus*. Et de eâ re Vegetius: *Una depugnatio eſt fronte longâ, quadrato exercitu, ſicut etiam nunc & propè ſemper ſolet prœlium fieri.*

Lib xii. cap. xx. *Ea vulgatiſſima.* *Frons obliqua.*

Altera depugnatio *Obliqua*, cùm cornu ante cornu promouetur. Græci Tactici: *λοξὴ φάλαγξ, ἡ τὸ μὲν κέρας ἕτερον, ὁπότερον ἂν προαιρῶμεν, πλησίον τῶν πολεμίων ἔχουσα, καὶ ἐν αὐτῷ τὸν ἀγῶνα ποιουμένη. τὸ δὲ ἕτερον ἐν ἀποστάσει δι' ὑποστολῆς ἔχουσα: Obliqua phalanx, quæ alterum cornu, vtrumcumque prædictum fuerit, iuxta hoſtes magis admouet & eo prœlium facit, alterum autem abiungit.* Vegetius de hoc genere: *Secunda depugnatio eſt Obliqua, plurimùm melior. Huius talis eſt modus, cùm inſtructæ acies ad congreſſum veniunt, tunc tu ſiniſtram alam tuam* (Cornu intelligit, & mox ita vocat) *à dextrâ aduerſarij longiùs ſeparabis, ne vel miſſilia ad eam vel ſagittæ perueniant: dextram autem alam tuam ſiniſtræ illius alæ iunge, & ibi primùm inchoa prœlium.*

Ibid.

Sed ipſe à Dextrâ modò committi vult prœlium, non æquè à Siniſtrâ. & damnat ideò, *quòd tunc*, inquit, *quaſi mancus eſt impetus, & apertè cum difficultate aggrediuntur hoſtes.* Benè monet, pro armaturâ veteri.

Vegetio clarum.

Nam ſi cornu ſiniſtrum tuum promoues aduerſus hoſtile dextrum, profectò latus nudum obijcis hoſti, qui miſſilibus aut ſagittis à ſiniſtro ſuo tutò petet. Hoc eſt quod ait, *apertos aggredi tunc hoſtem*: quia ſcuta nempe in ſiniſtris. Qui aliam cauſſam quæſiuit, & ad infirmitatem ſiniſtrarum partium retulit, næ ille Vegetium aut rem non cepit. Pro hac ratione Cæſar in Arioviſtum pugnauit, & cùm triplicem aciem inſtruxiſſet, tamen *à dextro cornu* (eius verba ſunt) *quòd eam partem hoſtium minimè firmam eſſe animaduerterat, prœlium commiſit.*

1. Gallic.

Sinuata acies.

Tertium genus, cùm in triplici acie, tertiam & mediam amoues ab hoſte, & cornua modò immittis. Seneca tangit: *Quemadmodum idem exercitus modò latiùs panditur, modò in anguſtum coarctatur, & aut in cornua ſinuatâ mediâ parte curuatur, aut rectâ fronte explicatur.*

De vitâ beat. cap viii.

Scipio vſurpauit in Hiſpaniâ. qui cùm aliquot diebus obſeruaſſet ſic ſtructam hoſtium aciem, vt optimi in medio eſſent, infirmiores in alis: ipſe contrà inſtruxit, & auxilia in medio poſuit; ciues & quod roboris erat, in alis. *Vbi igitur* (ait Liuius) *iam incipiendæ pugnæ tempus erat, Hiſpanos (ea media acies erat) preſſo gradu incedere iubet. ipſe è dextro cornu nuncium ad Silanum & Marcium mittit vt cornu extenderent in ſiniſtrâ parte, quemadmodum ſe tendentem à dextrâ vidiſſent, & cum expeditis peditum equitúmque priùs pugnam conſererent, quàm coire inter ſe mediæ acies poſſent. Ita deductis cornibus ſinus in medio erat, quia ſegniùs Hiſpanorum ſigna incedebant.*

Lib. xxviii.

Hæc prouiſio & inſtructio certam victoriam dedit, cùm firmiſſimi cum

infirmis concacrerent, & alij dum ſuum hoſtem exſpectant in medio manent otioſi, denique alienâ fugâ & clade conſternati. Quartum genus, huic aduerſum. cùm ſcilicet, ipſa media acies prominet, & incurrit prima in hoſtem. Græci ἐπικαμπὴς, *flexum* dicunt, ſiue etiam κυρτὴν *gibberam*. Aelianus: Ἐπικαμπὴς ϖαράταξις, ὅταν τὰ μέσα τοῖς πολεμίοις προσπίπτῃ, τὰ δὲ κέρατα ἐν τῷ ὄπισθεν μέρει ὀρθὰ ὑφ' ἑαυτῶν ἔχῃ τεταγμένα: *Flexa instructio dicitur, cùm media hoſtibus incidunt, cornua autem retrò recta habet collocata.* Hoc Annibal in pugnâ Cannenſi ſcitiſſimè eſt vſus: ſed eum eâ quoque arte, vt cornua robuſtiſſima haberet & integra ſeruaret; & mediis denique pulſis, ſinu facto, immitteret ea vtrimque legionibus, victoriæ ſoæ certam cauſſam. Quàm vtiliter talia noſtri Duces meditentur & vſurpent? & paulatim credo facturos, vt ingenia & inſtitutionem quorumdam video, qui ſuccreſcunt.

Gibbera acies.

B

DIALOGVS VII.

Aliæ quædam acierum formæ. Cuneus, Globus, Forfex, Turris, Serra.

AVO. Non aliæ igitur aut plures Aciei formæ? nam reſiſtis & ſiles. LIPS. Cogito, ſi quid vtiliter etiam addam. Nam omnia congerere, & figuras aliquot ſubtiliter ex Tacticis delineare aut explicare, non eſt viſum: quo fine? Romani rarò vſurparunt, & ſunt magis inuentiunculæ & ſchematiſmi ingeniorum. Quædam tamen apud Romanos etiam vſurpata interdum, quæ ſtrictim & per indicem dat Cato. Feſtus ex eo citat: *Sine fortè opus ſit cuneo, aut globo, aut forcipe, aut turribus, aut ſerrâ vt adoriare.* Cato ſenior eſt, quem ſcripſiſſe ſcimus De re militari. Hæc & pauca alia Agellius itē prodit Capite proprio: *Vocabula ſunt militaria, quibus inſtructa certo modo acies ſolet appellari, Frons, Subſidia, Cuneus, Orbis, Globus, Forfices, Serra, Alæ, Turres.* Sed Catonis verba atque ordinem inſiſtamus: quia quæ præterea Agellius, iam per me aut ipſum re noris. Nominat *Cuneum*, primò. qui eſt cùm anguſta in fronte acies, trigoni formâ, paulatim ſe retrorſum pandit. Igitur & *Trigonum* vocant. Vegetius: *In Trigonum, quem Cuneum vocant, acies mutanda eſt.* Item Ἔμβολον ſiue roſtrum Græci. Illorum Scholia: Ἔμβολον παρατάξεως ὄνομα. ἔστι δὲ τὸ ἥμισυ τοῦ ῥόμβου: *Roſtrum inſtructionis nomen. eſt autem dimidia pars rhombi.* Dixêre & *Caput porcinum*, quia aſſimilatur, & quia velut fodit & ruit inuadendo. Ammianus: *Deſinente in anguſtam fronte, quem habitum Caput porcinum ſimplicitas militaris appellat.* Vegetius: *Cuneus multitudo peditum, quæ primò anguſtior, deinde latior procedit, & aduerſariorum ordines rumpit. Quam rem* (lego, *Quare*) *milites Caput porcinū appellant.* Sed vberrimè & optimè hæc omnia Agathias hiſtoricus, quem locum & Suidas exſcripſit, cuius verba fideliter vertam: *Erat iis forma aciei velut in roſtrum. Littera enim Δ aſſimilabatur. Et anterior pars quâ in acutum deſinebat, tecta & denſa erat, quia ſcutis vndique muniebatur. Dixeris caput eos porci ſtructurâ eū efformaſſe. Crura autem vtrimque ſecundùm ordines & cohortes in profundum compoſita, & pleraque partem obliquum extenſa, dehiſcebant paullatim & diſiungebantur, donec in maximam latitudinem progreſſa deſinerent: ita vt medius locus vacuus relinqueretur, & terga militum nuda per ordinem conſpicerentur.* Hoc ille de Francis, qui pugnâ in Narſetem ſic vſi. Sed & Hiſpani olim crebertimè. ac de iis Liuius: *Celtiberi vbi ordinatâ acie & ſignis collatis ſe non eſſe pares legionibus ſenſerunt, cuneo impreſſionem fecerant. quo tantum valent genere pugnæ, vt quacumque parte percùlere, impetū ſuo ſuſtinere nequeant.* Romani etiam non raró. vt apud Liuium: *Cuneo quidem hoc laxum atque ſolutum agmen, ac ſi nihil obſtet, tranſibimus.* Apud Cæſarem: *Milites caſtris excluſi, cuneo facto, & duce Trebonio equite Rom. per medios hoſtes perrumpunt.* Etſi vox ea notione etiam aliâ, ne erres: ſignificatque hiſtoricis multitudinem confertam. Ita Liuius. *Cuneum Macedonum, phalangem ipſi vocant.* Idem de manipulis vel cohortibus Latinorum: *Tantâ cæde perrupêre cuneos.* Tacitus; *Cæteras & cuneis concurrebant.* Cæſar: *Hoſtes in foro ac locis patentioribus cuneatim conſtiterunt.* Sed ſecunda forma in Catone, *Globus.* quem Vegetius explicat, & dici ait, *qui à ſuâ acie ſeparatus, vago ſuperuentu incurſat inimicos.* Sed credo & figurâ globoſâ & in rotundum fuiſſe. Tertia *Forceps*: quæ in Agellio *Forfex*: ſed in figurâ idem eſt. Dicitur, cùm contraria Cuneo acies inſtruitur, latioribus primis & apertis, ac paullatim deſinentibus in anguſtum. Vegetius de eâ: *Ex lectiſſimis militibus conſertis in V litteram hic ordo componitur, & illum Cuneum excipit, atque ex vtraque parte concludit.* Vbi & vſum eius vides, ad cuneum ſoluendum & atterendum. Fecit Narſes apud Agathiam contra Francos: τότε, inquit, ὁ Ναρσῆς ἐπικάμψας ἠρέμα καὶ ὑπομηκύνας τὰ κέρατα, ἐς ὅπερ ἐκεῖνοι ἐμβολὴν (ὡς αὐτοὶ τακτικοῖς ὀνομάσαιεν) τὴν φάλαγγα κατέστησε, ἀπεκλείσατο, & alia: *Tum Narſes incuruans paullatim & cornua producens, & Inflexam anteriorem, vt ſiue verbo Militares ſcriptores dixerint, aciem conſtituens iuſſit, &c.* Spectauit & hoc Ammianus: *Cogitatum eſt enim ſolicitéque præſtructum, vt ſauientes vltra ſolitam Alemanni vagantéſque effuſi, multitudine geminatâ noſtrorum, forcipis ſpecie, truſi in anguſtum cæderentur.* Quartum in Catone, *Turres.* Ea forma Græcis πύργος, & Heſychius explicat τάξιν ὁπλιτῶν ἐν τετραγώνῳ: *ordinem militum in quadro.* Euſtathius in hoc Homeri:

Οἱ δ' ἐπεὶ πυργηδὸν σφέας αὐτοὺς ἀρτύναντες:

Aſt hi turritim ſeſe ipſos deinde locantes:

is, inquam notat: πύργος δὲ νῦν ἐρρέθη διάταξις στρατιωτικὴ τετραγωνοειδὴς, κατὰ πλινθίον συντεταγμένη: *Turris nunc à poeta dicta eſt inſtructio militaris, quadriformis, iuxta laterculum diſpoſita.* Vultne idem cum laterculo eſſe? an conſtare è laterculis, & Turrim eſſe in altum profundúmque quadram inſtructionem? laterculum autem potiùs, iacentem, & in latum? Voces & imagines ſubindicant. Quintum *Serra*, de quâ in Feſto: *Serra prœliari dicitur, cùm aſſiduè acceditur receditúrque, neque vllo conſiſtitur tempore.* Id fiebat cùm manipuli primæ aciei modò inuadebant, modò reſiliebant, & reddebatur dentata quædā forma. Potuit & aliter, cùm Velites ex interuallis manipulorum inſiliebant & reſiliebant. Ita Paulus Æmilius, pugnâ in Perſem: *Triplicem aciem cuneis* (id eſt manipulis) *inſtruxit. inter quos ſubinde Velites emiſit. Quo genere cùm profligari nihil videret, cedere inſtituit, vt duceret hoſtes in confragoſa.* Non alia equidem de figuris habeo digna aut vtilia dictu.

Turris.



Laterculum.



Lib. x. cap. ix. — Cuneus. — Lib. I. cap. xxvi. — Lib. xvii. — Lib. iii. cap. xix. — Lib. ii. — Hiſpani vſi cuneo. Lib. xl. — Lib. xxii. — vi. Gallic. — Lib. xxxii. — Lib. viii. vii. Galli. — Globus. Lib. iii. cap. ix. — Forceps. — Lib. ii. — Turres. — Iliad μ. — Serra. — Frontin. lib. ii. cap. iii.

DIALOG. VIII.

Exempla aliquot pugnarum: Craſſi, Manlij, Cæſaris cum Afranio, Cæſaris cum Pompeio.

AV. n. Commodum & commente mihi exhibes, Arteſtari debeo, ita me Deus amet. Sed ecquid etiam

etiã magis? & per exẽpla te diffundis, atque illuſtras aut approbas præcipuas iſtas formas? Inſignes multæ pugnæ pugnatæ ſunt. velim quaſi * αὐτόπτης paulliſper eſſe, & luſtrare te deſignante. LIPS. Poſſim eum Socrate dicere, * οὐ γὰρ μανίας λέγω τινὰ εἶναι θύλακον. Et vnde hæc mihi prompta? AVD. Nempe cottidie iis inuerſaris, & Hiſtoriæ, tuum pabulum. Denique an vnquam * ἑρμῆς ἄμυθος? LIPS. Pertendis, & ideò ſequor. Molli fronte ſum ad negandum. atque vt aqua in ligno aut læui lapide facilè ducentis digitos ſequitur, ſic ego preces. Videbo an memoria fauebit audi. Eſto prima forma *Quadrata* ſimplex, ſine vllâ diuiſione. Haud ſæpe repperi: eſt tamen in Plutarchi Craſſo his à me redditis verbis. Nam ille ita ſtruxit in Parthos.

* ocularis ſpectator.
* Ta merẽ iſ ſermonũ aliquem eſſe accum.
* Mercurium infans.

Quadrata ſuſtà acie.

PLVT. *At Craſſus attonitus fuit prorſus, & præ trepidatione non planè conſiſtens ſtruxit aciem. Primùm quidem, de Caſſij ſententiâ, raram & tenuem per plurimum campi producens, ne circumueniretur: & equitatum ad cornua diffudit. Poſteà immutauit, ac contractis copiis ancipitem aciem fecit, & profundum laterculum, ſic vt duodecim cohortes quodque latus teneret. Ad quamque cohortem equitum Turmam appoſuit, vt nulla pars indiga auxilij equeſtris eſſet.*

Mira hæc fuit diſpoſitio, ſingillatim examinanda. Ait:

» *Raram & tenuem.*] Caſſiana hæc ſententia bona erat contra equitatum, quo hoſtis valebat. Alioqui contra grauem & ſtatarium militem non item, quia facilis perruptu: quod ſic in Liuio, XXV. *Porrecta in longitudinem acies, clamantibus Tribunis, nihil introrſus roboris ac virium eſſe, & quacumque impetum feciſſent hoſtes perrupturos.*

» *Profundum laterculum.*] Vides ergo plurimùm eſſe laterculum non profundum, id eſt, vt dixi, ſuprà, expaſſum & iacentem. Sed iſte Craſſi æquilaterus fuit.

» *Vt duodecim cohortes vnumquodque latus teneret.* Iſtæ ſint cohortes nõ niſi quadragintaquattuor, ſimplici ordine ſic diſpoſitæ: ſi tamen repeti placet, & in numerum bis venire cohortes aut turmas angulares. Si non, age ponamus reipſâ vndique duodecim: atque erunt quadragintaocto. etſi neutrum ſine ſcrupulo fiet. Nam Craſſus legiones ibi habuit, ipſo Plutarcho auctore, *ſeptenas*, at ille cohortium numerus non explenit omnino *quintas*. Cogitandum igitur & adſumendum, reliquas *vigintiduas* cohortes in mediâ quadraturâ ad ſubſidium ſitas. Idem de leui armaturâ ſupplendum. quam habuit ad *octo millia*, ex eodem Plutarcho. Vbi igitur hæc? vel inter equitatũ & cohortes interiecta, vt ſolet, vel ſparſa in fronte.

Penſitata Plutarchi verba.

» *Ad quamque cohortem equitum turmam.*] Nec hîc res ſine nodo. In Græco eſt ἱππέων ἴλην. *Alam* igitur vertimus, vt alij? Oportet tum fuiſſe tot alas quot cohortes, & eſſent *ſeptuaginta*: inmanis numerus, etiamſi minuas & infrequentes ponas. An magis ergo *Turmam*, vt ego? omnino verius eſt. etſi nec ſic numerus vndique iuſtus: quia Turmæ *ſeptuaginta* efficiant non niſi equites largiſſimè *bis mille octingentos*. At enimuerò *quattuor millia* equitum noſter iſte tribuit Craſſo. Tamen hic maneo & perſeuero: ſed cum indicatione, aliquot turmas equitum præſidij cauſsâ aut ſubſidij in medio ſteriſſe, iuxta ipſos Duces. Paullò pòſt quidem lego in Plutarcho, Craſſum filium erupiſſe cum *mille trecentis equitibus*: atque ita facilè ad numerum dictum, aut ſuprà, pertingas. Hæc ſcrutari interdum vtile: nec cum vulgo, ſcripto es tenui lectione & velut ſummis labiis libare. Eſto

Ἴλη pro Turma.

forma altera. *Quadrata* duplex. Exempla centena: ſed ſume acrem illam pugnam pro imperio, inter Latinos & Romanos, ad quam Liuij verba pertinent quæ ſuprà adduximus, & hæc quæ addit:

Quadrata gemina.

LIVIVS Lib. VIII. *Inſtructis ſicut antè dictum eſt ordinibus, proceſſere in aciem. Manlius dextro, Decius læuo cornu præerant. Primò vtrimque æquis viribus res gerebatur, deinde ab læuo cornu Haſtati Romani non ferentes impreſſionem Latinorum ſe ad Principes recepère.*

Ecce quattuor hîc legiones fuère, in quoque cornu igitur duæ. Quomodo inſtructæ? *ordinibus*, inquit, *quibus antè dictum eſt*: id fuit, vt diuiſio corporum eſſet in Haſtatos, Principes, Triarios. Quæ diuiſio in quacumque diſpoſitione olim firma: & in ſimplici formâ aperta. Fiebat enim tum retrorſum quaſi triplex acies, porrecta & in laterculum iacens. Homerica illa vetus non longè abſiſtit:

Ordo triplex.

Iliad. δ.

Ἱππῆας μὲν πρῶτα σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφι,
πεζοὺς δ' ἐξόπιθεν στῆσεν πολέας τε καὶ ἐσθλοὺς
ἕρκος ἔμεν πολέμοιο· κακοὺς δ' ἐς μέσσον ἔλασσεν:
Atque equites poſuit cum curribus ordine primo,
A tergo pedites præſtanti robore, belli
Munimen ſeptùmque, ſed in medio agmine viles.

Ecce, triplex in profundum eſt acies, cum viis & interuallis: ſed differt à Romanâ, quòd in medio viles ſint & imbecilli, quos ipſi in fronte magis ponebant. Cetera vix abeũt, & fortiſſimi certè in tergo, vt Triarij noſtri. Euſtathius in hunc locum: *Herodorus & Apion*, inquit, *dicunt ad laterculum aciem hanc ſtructam: hoc eſt, ad ordines oblongos, pari numero conſtantes, vt inter duos ordines via aliqua ſit media, per quam progredi ac regredi liceat: quas vias poeta appellat Pontes.* Tales igitur Ordines, ſiue Genera, vt ego appellani: ſed hæc ipſa deinde diuiſa in manipulos, cũ ſuis interuallis. Sed ipſi manipuli quomodo, & quàm densè ordinati? In quadrum fuiſſe hoc primùm moneo: & ex cuneis illis quadris, quadratum deinde corpus totius legionis. Icciredò Ennio *Quadrata legio* dicta, non à numero quater millium, vt vult Feſtus. Et hoc ſenſu Panegyricus de acie iam diſpoſitâ: *Gradu pleno ferentes agmina quadrata legiones.* Ergo ſi iuſtè propemodum quadratos manipulos volumus; fuerint in quaque lineâ deni milites in latum, duodeni in longum. Ita legio Polybiana in frõte habuerit *centum* viros: in profundum *trigintaquattuor*, ſic vt Triarios (ij dimidiati ſunt) diuidas in ſenos & denos. Senos in latum, denos in profundũ. Haud lõgè à meo calculo acies & phalanx Antiochi regis abiit: *quæ à fronte introrſus in duos & triginta armatorum ordines patebat.* Ita Liuius deſcribit: qui non alibi (quod ſciam) tenuiter ita de ipſis Romanis. Niſi quis tamen huc ducit, quod eſt in pugnâ cum Latinis: *Aciem in plures ordines inſtructam, ordinẽ ſexagintaduos milites habuiſſe* ita inquam, vt quiſque manipulus diuiſus in duas partes, in fronte *duos* viros habuerit, introrſus *ſexaginta duos*. Ita legio vna Polybiana in profundum habuiſſet viros *centum quinquaginta*: in latum, non niſi *viginti*. Quod fortaſſe ſub initia haud abſurdum ſic fuiſſe: & inde *Ordines* dictos, quia duplex ita ſeries eſſet in Manipulo vno. Cogitetur. At poſteà, non mihi dubium manipulos ratos, denſos, factos pro tempore & arbitrio ducum, & legionem tamen in latum magis extenſam. Id eò, quò plures in fronte pugnatores eſſent, nec tot otioſæ manus; tum etiam, vt Principes pila ſua poſſent permittere ad hoſtem. Quod identidem factitatum legimus, haud commodè ſi prior acies tam profunda. Huic rei etiam in-

Quadrata legio.

Li. XXXV. Examinata Liuij ſcripta.

Ordo in manipulis.

Ratio miſſ. ad pila.

uentum

uentum reperio, vt in genua primi ſubſiderent, donec poſteri emiſiſſent. Appianus notat de Sulpicio Dictatore in Gallos: Ἐκέλευσε τοὺς ἐπὶ τοῦ μετώπου τεταγμένους ἐξακοντίσαντας ὁμοῦ συγκαθίσαι τάχιστα, μέχρι βάλωσιν οἱ δεύτεροι, καὶ τρίτοι, καὶ τέταρτοι. τοὺς δ' ἀφιέντας ἀεὶ συνίζειν, ἵνα μὴ κατ' αὐτῶν ἐνεχθείη τὰ δόρατα. *Iuſſit eos qui in fronte erant cùm iecißent, ſimul inclinare & ſubſidere, donec ſecundi & tertij & quarti iecißent. Vt autem quiſque emiſiſſet, ſubſidere, ne in ipſos tela inferrentur.* Hoc etſi ibi factum Appianus velut ſingulariter notat; tamen credo & aliàs, atque hunc fuiſſe communem morem. Quomodo efficaciter aliòqui tot tela emiſſa? De ordinibus hoc poſſum dicere. quos tamen valdè interdum auctos, & * εἰς βάθος ductos non nego, cùm locus arctus ita vellet. Liuius appellat *Multiplicare ordines. Quæres*, inquit, *& paucitatem eorum inſignem, & multitudinem Etruſcorum, multiplicatis in arcto ordinibus faciebat.* Ad quem locum Glareanus ſubſiſtere & caligare ſe fatetur, Sigonius & Robertellus digladiantur: ſententia autem planiſſima videtur & facilis tranſitu, cùm pauci in arcto loco ſunt, è propinquo numerari & conſpici, quod in Romanis ibi: cùm multi, magis etiam apparêre, tergo retrorſum diffuſo & vaſto, quod in Etruſcis. Multiplicantur igitur ordines ſiue in profundum, ſiue etiam in latum. vt in Curtio: *Triginta & duo armatorum ordines ibant: neque enim latius extendi aciem patiebantur anguſtiæ. paullatim deinde laxare ſe ſinus montium & maius aperire ſpatium cœperant, ita vt non pedes ſolum pluribus ordinibus incedere, ſed etiam lateribus circumfundi poſſet equitatus.* Ordines enim ſinguli viri, quos alij vel ponè ſequuntur, vel ad latus adhærent: pro duplici aſpectu. Vegetium video & *Acies* hoc ſenſu dixiſſe, libro II. cap. XV. Sed enim, vt quãto loco quanti milites ordinari poſſint & ſoleant, videamus, opus prænoſcere ſpatium, quod inter eos fuit. Id Polybius noſter expreſſit, cùm Romana arma & militiam componit cum Macedonicis: ἵστανται μὲν οὖν ἐν τρισὶ ποσὶ μετὰ τῶν ὅπλων καὶ Ῥωμαῖοι: *Conſiſtunt igitur in tribus pedibus vnà cum armis etiam Romani.* Significat, tam Romanos quàm Macedonas, *tres pedes* ſpatij habuiſſe: idque vtrimque, à latere & à tergo. Ita enim addit: *ob gladij ſcutique vſum commodum, debere eos habere ſpatium, vt minimum, tres pedes*, κατ' ἐπιστάτην καὶ κατὰ παραστάτην, vt loquitur: *inter ſubſiſtẽ, & inter adſtitẽ*: quod eſt, à tergo & ad latus. Vegetius paullũ diuersè. *Singuli armati*, inquit, *in directum ternos pedes inter ſe occupare conſueuerũt, hoc eſt in mille paſſibus, mille ſexcenti ſexaginta ſex pedites ordinantur in longũ, vt nec acies interluceat, & ſpatium ſit arma tractãdi. Inter ordinem autem & ordinem à tergo in latum, ſex pedes diſtare voluerunt, vt haberent pugnantes ſpatiũ accedendi & recedendi. Vehementius enim cum ſaltu curſuq; tela mittuntur.* Ecce in directum, vt ipſe ait, ſiue κατὰ παραστάτην cum Polybio, *pedes* dat *ternos*, & in hoc conſentiant: inter ordines, id eſt inter præſtites & ſubſtites, duplicat & facit *ſex pedes*. Atqui Polybius & hîc non niſi *ternos*. Concilies, quòd Polybius de pugnâ propinquâ & in manibus loquitur; Vegetius aſpicit magis longinquam, & cùm iacula emittuntur. Hîc autem pluſculo ſpacio opus: ſed poſteà coëunt & ſe denſant. Semel hæc dicta ad vniuerſam inſtructionem ſunto: & Imaginem tibi communis huius pugnæ pingo, ſed ad numeros Polybianos:

In Gallic.

* in Profundum.


Lib. 13. Multiplicatio ordinum.

Lib. III.

Inſeratur Iconiſmus Aciei vulgatæ.

4.

ICONISMVS ACIEI VVLGATAE.



A. *Equites ſociorum, vtriuſque cornu viginti Turmae.*
B. *Haſtati ſociorum Alae ſiniſtrae.*
C. *Haſtati legionis ſecundae.*
D. *Haſtati legionis primae.*
E. *Haſtati ſociorum Alae dextrae.*
F. *Equites Romani Turmae viginti vtriuſq. legionis.*
G. *Equites Extraordinarij, vtriuſque cornu Turmae octo.*
H. *Principes ſociorum ſiniſtri.*
I. *Principes legionis ſecundae.*
K. *Principes legionis primae.*
L. *Principes ſociorum dextri.*
M. *Triarij ſociorum.*
N. *Extraordinarij pedites cohortes duae.*
O. *Triarij legionis ſecundae.*
P. *Imperator, circa eum Tribb. & cuſtodia equitum peditumque. Stat ante aquilas.*
Q. *Triarij legionis primae.*
R. *Extraordi... ante, alt...*
S. *Triarij ſo...*
T. *Velites ſe... interi...*
V. *Legatus*

DECLARATIO ICONISMI.

ACIES media *legiones duas habet, quarum honestior ad dexteram. Sic Hirtius, bello Hiſpanienſi:* Hîc Decumani ſuum locum cornu dextrum tenebant; ſiniſtrum tertia & quarta legio. *Ipſe Cæſar, acie Pharſalicâ:* Cæſar ſuperius inſtitutum ſeruans, decimam legionem in dextro cornu collocauerat. *Inſtitutum, id eſt morem in diſponendo. Atque hoc eximia virtus eius legionis faciebat: alioqui vel dilectuum ordine poſita, vt* Prima, Secunda, Tertia: *vel forte, ad vitandam æmulationem. Tacitus.* Dum legiones de ordine agminis ſortiuntur, equites prorupêre.

SOCII, *ſunt in cornibus: ſiue per Manipulos, ſiue magis per Cohortes diſpone. Ij numerum legionum (ob detractiones) non æquant. ſed ſubuentio ab Extraordinariis, quos à tergo iis iungam. Et ſanè iunctim ita pugnaſſe lego, vt in Liuij* XXVII. Cedere inde ab Romanis dextera Ala & Extraordinarij cœpêre. *Iterum* XXXV. Siniſtra Sociorum Ala & Extraordinarij in primâ acie pugnabant. *Iſta enim Ala de peditibus capienda.*

EQVITES *ad latera paullū prominentes, vt ſolent. Deniſi in turmas ſuas intellegi debent: & ſæpe ſeorſim Romani, ſeorſim Sociales.* Extraordinarij *equites tamen Romanis iungi potuerūt, quia hi pauciores, & Socij excedebant. Facile hæc ἀναλόγως deducere & parteri, ſiquis intendet.*


INTERVALLA agminum *aliqua, & alias alia, pro locis copiisq́. In Cæſare obſerua, vbi ipſe atque Afranius aciem ſub caſtris inſtruunt, hæc verba:* Non amplius pedum millibus duobus ab caſtris caſtra diſtabant. Hinc duas partes Acies occupabant duæ, tertia vacabat ad incurſum. *Conſidera, videbis in quaque trium partium paullo plus quàm ſtadium, ſiue* DC *pedes, eſſe. ergo tota vna Acies, cum ſuis interuallis, interdum non plus occupauit. Simile ex altero eius loco eruo,* I. *Ciuil.* Pompeius, *inquit*, exercitum pro caſtris conſtituebat, ſic vt tertia Acies vallum côtingeret, omniſque eius exercitus telis ex vallo adiectis poſſet protegi. *Atque multa ibi legiones: nec tamen profunditas maior, quàm vt intra teli iactum eſſent. Is autem iactus, nec in ſagittis quidē, Stadium excedit, imò ſæpe non pertingit. Ergo verè diximus, atque hic oſtendimus, in longum magis quàm denſum veterum Acies inſtitutas.*

AQVILAS *in Triariis poſui, & iuxta Imperatorem, Tribunorum quoſdam, & Euocatos Ablectoſque. Si non omnia tam expreſſè; è verbis noſtris hic aut alibi expleantur. Nam ſculptores (vt ſemel moneam) non ſemper pro noſtrâ mentem ſuam & manum aptant. Quòd ſi Aquila etiam in Principibus ponendæ, fiat, & mutāda mutentur. Omnia minuta, & quidquid tricarum occurrit, in ſcriptoediſſerere difficile eſt.*

AT nos pergamus porrò, & exemplū etiam pugnæ vnius aut alterius ex inferiore æuo habe. Prius Cæſarianæ cum Afranio: etſi non pugnæ propriè (nec enim ad manus ventum) ſed inſtructionis ad pugnam, quæ ſperabatur. Cæſar ipſe ſic deſcribit:

Acies erat Afraniana duplex, legio V. *&* III. *in ſubſidiis locum alariæ cohortis obtinebat. Cæſaris triplex, ſed primam aciem quaternæ cohortes ex* V. *legione tenebant, has ſubſidiariæ ternæ, & rurſus aliæ totidem ſuæ cuiuſque legionis ſubſequebantur. Sagittarij funditoréſque mediâ continebantur acie, equitatus latera cingebat.*

Res perobſcura videtur, & eò magis quia parū pura verba Scribitur, *acies Afraniana duplex legio* V. *&* III. *in ſubſidiis.* Quid? eóne ſenſu, vt vna legio quinta in fronte fuerit, altera in ſubſidiis, vt ſolēt alariæ cohortes? An magis placet cū Fabro (viro & Critico bono, quod ſcripta mihi probant) reſcribere, *duplex ex legione primâ & tertia, in ſubſidiis locū alariæ cohortes obtinebant.* In parte melius veruſq́; fateor: ſed vtroois modo, duæ tātùm legiones Afranio tribuūtur, falsò. Ille verò quinq; habuit, quod ex Cæſaris priore ſcriptione certiſsim eſt; imò vel ſeptem, ſi emendata eſt epitoma Liuiana. Sed ſunto quinque: & legamus igitur, *Acies erat Afraniana duplex, legionum quinque, & in ſubſidiis l. a. cohortes obtinebant:* Iſte eſt ſenſus. Afranius duplicem aciem ſtruxit. prior fuit è quinque legionibus diſtincta, altera ſubſidiaria è cohortibus alaribus ſiue ſociis, nempe Hiſpanis. Hos enim grandi numero Afranius conſcripſerat, habebatque ad cohortes circiter *octoginta*, quod è prioribus item Cæſarianis conſtat. Ergo quia numero æquabat ferè octo legiones, pro legionibus iis eſt vſus in acie ſecundâ. Quid autem Cæſar? ipſe triplicem ita ſtruxit. „ *Primam aciem quaternæ cohortes ex quintâ legione tenebant.*] Si hæc ſequeris, non niſi pauculæ cohortes in totâ acie erunt, impar valdè numerus pro Afranij: & falſus etiam pro copiis, quas Cæſar tunc habebat. Nam & ipſi legiones quinque fuerunt, nec eâ parte vincebatur: ſed auxilia exigua aut nulla habebat, eóq́, artificiosâ diuiſione ſe muniuit, & copias locauit. Lege igitur: *quaternæ cohortes ex quinque legionibus,* & ſcito numerorum errorem eſſe. Diſpoſitio talis. In primâ acie quinquies quaternæ cohortes, in ſecundâ quinquies ternæ, in tertiâ tondem: atque addit, *ſuæ cuiuſque legionis.* id eſt, quamque vnam legionem ſic in tres partes diuiſam, vt primâ acie habuerit quattuor cohortes, ſecundâ & tertiâ ternas. Nihil verius aut clarius: & nónne bis ternæ, & ſemel quaternæ cohortes, legio vna fuit? Diſpoſitio autem haud dubiè cohortium fuit obliqua, cum interuallis ſuis, & ad inſtar manipulorum. Addit de Sagittariis, qui in mediâ acie: hoc eſt vel in medio totius, vel in Partium interuallis. Equites ad latera, de more. Ecce delineabo craſsè hanc Aciem, nequid erres.



A. ſignat legionem primam, cuius ſunt ſubſitæ cohortes: B. ſecundam, & ſic deinceps.

Margin notes: I. Ciuil. (beside "Hîc Decumani"); I. Hiſt. (beside "æmulationem. Tacitus"); I. Ciuil. (beside "Pompeius"); CAES. I. Ciuil. (beside Cæſar quotation); Deprauatus Cæſar.; Si correctus.; Recta vulgata lectio.; Vera repoſita.

Altera explicanda mihi pugna & inſtructio eiuſdem Cæſaris in Pompeium campis Pharſalicis. Ea pugna magna, inter magnos duces, vltima in libertate & pro libertate. Cæſaris verba plura ſunt, excerpam quæ meæ rei.

[Caes. 3. Ciuil.]

Cæſar cùm Pompeij caſtris appropinquaſſet, ad hunc modum aciem eius inſtructam animaduertit. Erant in ſiniſtro cornu legiones duæ, traditæ à Cæſare ex Sc^to^ initio diſſenſionis. quarũ vna prima, altera tertia appellabatur. in eo loco ipſe erat Pompeius. Mediam aciem Scipio cum legionibus Syriacis tenebat. Cilicienſis legio coniuncta cum cohortibus Hiſpanis, quas traductas ab Afranio docuimus, in dextro cornu erant collocatæ. Has firmiſſimas ſe habere Pompeius exiſtimabat. reliquas inter aciem mediã cornuáque interiecerat, numeróq; cohortes centũ decẽ expleuerat. hæ erant millia quinquagintaquinque. Euocatorum circiter duo millia, quæ totâ acie diſperſerat.

Ipſa verba priùs luſtrãda breuiter ſunt, verè inquam luſtranda alibi & purganda. Ait:

» *Altera tertia appellabatur.*] Ineptè hoc, *appellabatur*: nec vnquam ita ipſe Cæſar. Qui hoc fecit, quaſi de æuo veteri locutus eſt, & cùm iam non iſtæ appellationes. Sed hoc & alia vitia aut interpolationes crebrò nos in Cæſare deprehendimus, & protrahemus vnà cum ipſo, ſi Deus volet. Nunc de re. *Tertia*, inquit. Imò *Quarta* eſt Lucano:

[De cognomine legionum dubitatum.]

——*cornus tibi cura ſiniſtri*
Lentule cum primâ, quæ tum fuit optima bello,
Et quarta legione datur.

Poëtam hoc ignoraſſe, aut neglexiſſe? non ſolet in his talibus, & hiſtoricâ fide agi. Ego verò numerum eius in Cæſarem admiſerim: hoc magis, quòd Commentarij iſti alibi in eodem numero vacillant. Nam quæ hîc eſt *tertia*, ea ſcribitur in octauo Gallicorum, *decimaquinta*. *Ex ſuo numero*, inquit Hirtius, *decimamquintam ex Sc. tradi iubet.*

» *In eo loco ipſe erat Pompeius.*] Diſſentiunt Plutarchus, Appianus, Lucanus: quos vide. Cæſari in hac re cur non eſt creditum? an ipſe mente totus in pugnam, parũ certò hęc animaduertit? & vidit ibi fortaſſe Pompeium, ſed non ſubſtitit & aliò mox iuit? an hæc etiam corrupta?

» *Cum legionibus Syriacis.*] Quæ duæ. Initio huius libri: *Expectabat cum Scipione ex Syriâ legiones duas.*

» *Cum cohortibus Hiſpanis.*] Caue imponat tibi, & putes Hiſpanos gente fuiſſe. Non. nec is honos vel fortiſſimis exteris, vt inter legiones locentur & pugnent. Intelligit Romanas cohortes, ſed quæ in Hiſpaniâ fuerant cum Afranio, & ab eo traductæ ad Pompeium erant: aptiuſque dixiſſet *Hiſpanienſes*. veteranos haud dubiè miles, & reliquiæ illarũ legionum, quæ partim Cæſari adhęſerant, partim domum iuerant relictis ſignis.

[Cohortes Hiſpanæ.]

» *Traductas ab Afranio docuimus.*] Nuſquam in his libris doctum, qui & aliàs mutili.

» *Has firmiſſimas ſe habere.*] Non ad cohortes tantùm refert, ſed ad legiones omnes dictas: quæ veteranæ ſcilicet fuerunt.

» *Reliquas.*] Nempe quinque legiones tironum. Ex ipſo Cæſare, qui Pompeio cohortes cx. tribuit: ergo legiones vndecim. De hac locaturâ Frontinus: *Legiones ſecundum virtutem cuiuſque firmiſſimas in cornibus & in medio collocauit, ſpatia his interpoſita tironibus ſuppleuit.* Sed quo ſenſu *ſpatia interpoſita ſuppleta* dicit Frontinus; aut Cæſar, *legiones reliquas interiectas?* An vt in fronte ſimplici vndecim iſtæ legiones fuerint? an vt, more manipulari illo, iſtæ quinque introrſum paullò reductæ & ad ſpatia appoſitæ fuerint? Mihi hoc aptius videatur, & vt triplex illa acies maneat diſtincta, fortaſſe alioqui confundenda: etſi verba tamen in priorem etiam mentem eunt.

[Lib. II. cap. III.]

» *Hæ erant millia quinquaginta quinque.*] Negant Plutarchus & Appianus, qui de *quadragintaquinque* millibus magis dicunt. Nam Plutarchus Cæſarem habuiſſe XXII. *millia* ſcribit, Pompeium paullo *plus altero tanto*. Eſt etiam in optimo Torrentij (Antiſtitis noſtri in religione & doctrinâ) libro, XLV. *millia* palàm ſcriptum. Atqui vndecim legiones fuiſſe diximus. Quid tum? ſex veteranæ fuerunt, eóque parum plenæ: ſed nec tironum illo æuo tam grandes. Argumentum è pluribus Cæſaris locis, ſed & ex iſto: cum ſuas copias ſcribit nõ niſi XXII. *millium* fuiſſe. Atquin habuit *octoginta cohortes*, id eſt legiones octo. Ergo nec *termillenæ* ſingulæ fuerunt, ſcilicet quia prœliis acciſæ, & veteranæ.

» *Totâ acie diſperſerat.*] Hoc verò notandum eſt. & colligas Euocatos in acie certum locum non habuiſſe, ſed aut circa Imperatorem ſtetiſſe quoſdam, aut maiorem partem per manipulos variè ſparſos: idque in fronte iuxta Centuriones, reliquis regimen & exemplum. Nunc Cæſaris aciem videamus, & lege hæc verba:

Cæſar ſuperius inſtitutum ſeruans, decimam legionem in dextro cornu, nonam in ſiniſtro collocauerat, tametſi erat Dyrrhachinis prœliis vehementer attenuata. huic ſic iunxit octauam, vt penè vnam è duabus efficeret, atque alteram alteri præſidio eſſe iuſſerat. cohortes in acie habebat octoginta, quæ ſumma erat XXII.ꝏ. Siniſtro cornu Antonium, dextro P. Sullam, mediâ acie Cn. Domitium præfecerat, ipſe contra Pompeium conſtitit. ſimul his rebus animaduerſis quas demonſtrauimus, timẽs ne à multitudine equitum dextrum cornu circumueniretur, celeriter ex terna acie ſingulas cohortes detraxit, atque ex his quartam inſtituit.

» *Huic ſic iunxit octauam.*] Cæſar numero legionum non tam potens quàm Pompeius, robore præpollebat. Itaque ad eius exemplum aciem triplicem quidem inſtruxit, ſed non legionibus ſic dèſauit. Dumtaxat ſiniſtro cornu duæ fuerunt, eæq; ſemiplenæ: medio, & dextro, vtrobiq, vna. Superſunt ergo quattuor etiam legiones, vbi locandæ? nihil ipſe dixit, quod miror. ſed cogitandum, ab eodem Pompeij exemplo, fuiſſe interiectas, aut ſubiectas. Sed addit:

» *Ex ternâ acie ſingulas cohortes detraxit, & ex his quartam inſtituit.*] Legendum, *ex ternâ acie ſenas cohortes*. Senas dico, & ita palam Plutarchus, ἀπὸ τῆς ἐσχάτης τάξεως ἓξ σπείρας: *ab extremo agmine ſex cohortes*. Et in Pompeio: σπείρας ἓξ ἀπὸ τῶν ἐπιταγμάτων: *cohortes ſex ex vltimis aut ſubſidiariis*. in Frontino quoque is numerus: *Sex cohortes*, inquit, *in ſubſidio tenuit, ſed dextro latere conuerſas in obliquum*. De quo ſitu etiam Lucanus:

——*tenet obliquas poſt ſigna cohortes.*

Atque hæc eſt quarta illa acies, victoriæ eius cauſſa. Detraxit autem eas binas è quaque acie vltimâ: atq; ita rectè ſcriptum, *ex ternâ acie* (aut *tertiâ*) Si tamen *extremâ* etiam ſcribas, haud malè. Miramur Florum

has *Germanorum cohortes* appellare: quas Cæſar quidem oſtendit ex ipſis legionibus detractas. Lubet Frontini verba addere ſuper vtraque hac acie: *Cn. Pompeius aduerſus C. Cæſarem Palæpharſali triplicem instruxit aciem, quarum ſingula denos ordines haberent in latitudinem. Legiones ſecundum virtutem cuiuſque, in cornibus & in medio collocauit, ſpatia his interpoſita tironibus ſuppleuit. Aduerſus hanc ordinationem Iulius Cæſar & ipſe triplici acie diſpoſitus in fronte legionibus, ſiniſtrū latus ne circuiri poſſet, admouit paludibus.* Noto quod ait, *denos ordines habuiſſe ſingulas Pompey acies in latitudinē*, quo id ſenſu? opinor, hoc vult: cùm quæque acies duas legiones haberet, in fronte quinas, & quinas cohortes ſtetiſſe, aliis quinis & quinis ſubiunctis: atque ita factos decem ordines, vt appellat, ſiue ſeries & velut ſtrigas. Non enim tam diſtinctè in manipulos hîc diuiſi, vbi tantus legionum numerus: ſed nec fortaſſe in Haſtatos, Principes, Triarios, nimis accuratè. Imò vereor, vt poſt Sullam & ſocios receptos, nomina quidem iſta in Ordinibus manſerint & Centurionibus: vix vſum habuerint in acie ipſâ. Appello ad Cæſarem, Tacitum & illos ſcriptores, nuſquam locatam aciem ſignatè ſic reperies, ſed per cohortes aut legiones diuiſam. AVD. Magiſter, hoc de Ordinibus in Frontino ſub obſcurè à te dictum, recipe & edisſere. LIPS. Dico, in quaque legione quinque cohortes ſtetiſſe in fronte, & quinque alteras in ſubſidiis: cùm autem duæ legiones in quaque acie, ſurgūt deni illi Ordines Frontini, id eſt cohortes. Nam lineas ipſas virorū ſingulas, Ordines ſi hîc pro vulgato more appellem; valdè hæream, & omnes iſtæ legiones, non niſi triginta viros habuerint in fronte. Omnino moleſtus Frontini locus, an & ſuſpectus? & fortaſſe, *in altitudinem* melius apud eum ſcribi. Etſi nec ea profunditas magna, pro numero quidem copiarum. An nota numeralis praua eſt, & pro x. *denaria* notâ, hæc finitima ∞ *millenaria* ſubſtituenda eſt? Ita eſſent tria millia virorum in fronte. Heu tenebras meas, aut rerum veterum! quas reuera per leues coniecturas, & fallacia veſtigia, venamur.

Margin: Lib. II. cap. III. — Frontinus explicatus.

DIALOGVS IX.

Allocutio exercitus ante pugnam, de ſuffragio & refragio militari.

AC iam abſoluimus totū hoc de Acie: ipſa ſtructa eſt, Signa diſpoſita, Forma expoſita: quid ſupereſt niſi pugna? quæ iam manuum eſt, non verborum. Ergo mittamus. AVD. Enimuerò frigida hæc tua pugna, & non in magnâ ſpe victoriæ. LIPS. Quid iam? AVD. Non enim vides? languēt tui milites, non *Alloquio* non *Claſſico* à te excitati. Et cur ſollemnia omiſiſti militiæ Romanæ? LIPS. Homo audacule, & cur edictum à te ſpretum Dictatoris? quod pro numine ſemper obſeruatum non ignoras. Nónne paullò antè vetui ſubiicere, aut interpellare? Age lictor, ſtringe ſecurim. AVD. Interritus exſpecto, nec à Papirio hoc ego Fabius Romam fugero. Quid fugero? imò vt Diogenes olim Cynicus, cùm aſſectaretur aſſiduè Antiſthenem & vel inuito adhæreret, atque ille tandem baculum etiam tolleret & minaretur, *Percute* inquit, *vel ſic maneo*: idem ego mi doctor, *Cæde, non cedam*. LIPS. Tu quidem Canius mihi videris, & ludens ac cauillans ire ad mortem. AVD. Modò ne canis. LIPS. Imò & canis: vſque eò enim gannis aut latras, donec auferas. AVD. Ergo vnum hoc etiam ſermonis fruſtulum, & das me in ſoporem. Spōdeo, in hunc diem quieſcam. LIPS. Facundum

A eſt, vt video: ſed eum tuâ lege. Attamen conſidera, an non ordine & orbitâ nos remoues crebrâ hac interpellatione? AVD. Imò in ipſam adeò repono. Nam profectò poſt ſtructā aciem, aut ſub id tempus, duo illa ferè ſecuta. LIPS. Ergo accipe ô auide Cerbere & has offas: priorem de *Allocutione*. Sic appello, cùm Imperator affatur publicè ſuos milites, & retinet aut impellit. Retinet, aliquando nimis aut properè geſtientes; impellit, tardantes aut timentes. Ad ſummam, format in quacunque re & docet. Vtile haud dubiè vetus hoc inſtitutum, hodie vt alia omiſſum, & cùm licet illud Spartani cuiuſpiam vſurpare,* Ἔῤῥει τὰ καλά. Vtile inquam, cùm Imperator conſilio & ſæpe eloquio validus, & ſemper auctoritate, ſuos cōpoſitâ oratione excitaret, & vel timidis robur ac vires daret. B Ab illo autem ardore ad pugnam rectà ibant, cùm præſentia Imperatoris adhuc in oculis, & verba in auribus verſarentur. Mihi certum eſt, acies aliquot erectas, & ad victoriā firmatas, ſolâ hac concione. Sed quâ ea formâ? videamus. Sæpe interequitans ordines, ita affatus eos eſt, ſub ipſam pugnam: ſæpe in caſtris & ante egreſſum. Aliquando etiam extra ſuſpicionem omnem pugnæ, ſi qua ſeditio aut querela, aut alius animorum morbus, cui ſermone mederetur. Sed cùm in caſtris, aut etiam in ipſo campo interdum, fiebat in Tribunali, quod è ceſpite ſubitò erigebant. Altior enim eſſe Imperator debebat, & ad auditum faciliorē, ac latiorē, tum ad auctoritatē. E ceſpite dixi Tribunal fuiſſe, etſi in Hibernis fortaſſe etiā è lapide nihil vetat: ſed illud ferè ſollē- C ne, & è militiæ ritu reperio. Tacitus de ſeditioſis: *Cōgerunt ceſpites, exſtruūt Tribunal.* Lucanus de Cæſare:

> ——— *ſtetit aggere fulti*
> *Ceſpitis intrepidus vultu.*

Statius, de Bolano:

> *Hic ſuetus dare iura pater, hoc ceſpite turmas*
> *Affari.*

Dio, de Boundicâ reginâ Britanniæ: καὶ ἀνέβη ἐπὶ τὸ βῆμα ἐκ γῆς ἑλώδους ἐς τὸν ῥωμαϊκὸν τρόπον πεποιημένον: Et conſcendit tribunal è terrâ paluſtri, Romanum in morem factum. Mulier ſcilicet illa plus cordis habuit, quàm multi viri: & militem ſuum non duxit ſolùm, ſed publicè affata eſt & inſtruxit: idq; Romano ritu, in ceſpite, vt Dio notat. Circa autē hunc ceſpitem ſiue tribunal, milites diſpoſiti non confusè, nec D vtquiſque accurrerat, ſed per manipulos & turmas. Germanicus Cæſar apud Tacitum, *Concionem, quæ permiſta videbatur, diſcedere in manipulos iubet, vexilla præferri, vt id ſaltem diſcerneret cohortes.* Vbi & vexilla prælata notes, id eſt Signa manipulorum turmarumq;, & ipſarum legionum. Plinius in laudatione Traiani. *Multa poſt ſæcula tribunal viridi ceſpite exſtructum, nec faſcium tantùm ſed pilorum ſignorumq;* *honore circūdatum.* Laudat in Traiano, quòd is quoque ritu priſco militē affatus ſit: ritu, qui exoleuerat ſub Domitiano, & eiuſmodi ignauis. Affatus autem, inquit, *in ceſpite*: quem non cum faſcibus lictores ſolùm adſtarent, ſed circumſtarent milites cum Pilis & Signis. Ergo armati: & ſic Claudianus: E

> *Dictis antè tamen Princeps confirmat ituros,*
> *Aggere conſpicuus. ſtat circumfuſa iuuentus*
> *Nixa haſtis, pronaſq; ferox accommodat aures.*

Signa autem anteſtabant, & iuxta ea Centuriones & Duces: etſi Legati & Tribuni fortaſſe à lateribus illi aut tergo. In figurâ mox videbis. Ammianus de Conſtantio: *Tribunal inſiſtens, ſigniſque ambitus & aquilis, & agmine multiplicium poteſtatum, his exercitum allocutus eſt.* Idem de Iuliano: *Ipſe aggere glebali aſſiſtens, coronâque celſarum circumdatus poteſtatum,*

Margin: * Perierunt honeſta. Fruſtra alloqui. — Allocutio in Tribunali. — I. Annal. — Lib. I. — In Nerone. — Milites ordinati in audiendo. — I. Annal. — * Nec malè uerrum. — De bell. Gildon. — Lib. XVII. — Lib. XXIII.

talia ſereno ore diſſerun. Vides *Aggerem*, vides Signa, vides poteſtates ſiue Duces. Etſi legas etiam vocatos milites in concionem ad ipſa ſigna: id eſt ad Principia: cùm nempe in caſtris actaon eſſet. Ibi quippe ante Prætorium, vt dicam in re caſtrenſi, ipſum Tribunal. Hoc ſenſu Lucanus de Cæſare: Lib.1.

Conuocat armatos extemplò ad ſigna maniplos.

Sed nota & inibi, cum armis conueniſſe. Iſta in Nummis & lapidibus ſic expreſſa.

A





5



Tale igitur alloquium: quid in eo amplius? approbatio aut improbatio, & vtrumque per ſua ſigna. Veteri quidem ritu reperio clamorem in aſſenſu, & dextras ſublatas: contrà, fremitum aut mœſtam taciturnitatem. In Liuio: *Omniáque ea ingenti alacritate per clamorem militarem indicem omnium aſſenſus agebantur*. Idem ſcriptor in ipsâ Ducis oratione: *Si iam ſatis animi eſt decernique placet, agitedum, clamorem qualem in acie ſublaturi eſtis, hic tollite, indicem voluntatis viriumque veſtra.* Atque adeò appellat hunc commoniter *aſſenſum militarem* alibi: *Hoc ſilentium milites, omiſſo militari aſſenſu, in me audiendo ſeruandum eſt. Vbi ſententiam meam peregero, tum quibus eadem placebunt, in dextram partem taciti tranſibitis.* Noluit enim Dux ibi clamorem, quia hoſtes fallendi erant, & pro militari Senatorium aſſenſum vſurpauit. Valerius Flaccus ad hunc ritum:

Clamor in aſſenſu.
Lib. VII.
Lib. II.
Lib. VIII.

B

——oritur clamor dextraq; ſequentum
Verba ducis.

Vbi & Dextras elatas habes, vt in Lucano:

——hic cuncta ſimul adſenſere cohortes,
Elataſq; altè, quæcunque ad bella vocares,
Promiſere manus.

Item Dextræ elatæ. Lib.1.

Appoſito ſanè ſigno: ſiquidem manibus peragendum plerumque erat quod incitabantur. Sed & tertium aſſenſus genus exſtat, Concuſſio armorum: ſic, vt haſtis ferirent ſcuta. Ammianus: *Hac fiduciâ miles, haſtis feriendo clypeos, ſonitu adſurgens ingenti, vno propemodum ore dictis fauebat & cœptis.* Idem aliâs: *Nec finire perpeſſi quæ dicebantur, ſtridore dentium infrendentes, ardoremq; pugnandi haſtis illidendo ſcuta monſtrantes, in hoſtem duci exorabant.* Diſſentire tamen idem & abire à ſe videtur, cùm ſcribit: *Militares omnes horrendo fragore ſcuta genibus illidentes,*

Vel arma concuſſa. Lib.XX.
Lib.XVI.
Lib.XX.

A *quod eſt proſperitatis indicium plenum (nam contrà cùm haſtis clypei feriuntur, ira documentum eſt & doloris) immane quo quantoq; gaudio Auguſti probanère indicium.* Satis palàm quidem dicit, *haſtis ſcuta ferire*, in diſſenſu & irâ eſſe, in aſſenſu & fauore, *ſcuta genibus illidi*. Sed credo conciliari ſi dixeris, aſſenſum eum per iracundiam, bonum optabilemq; in hoſtem eſſe: itaq; accipi, cùm Imperator de pugnâ aut acie affatur. At contrà infauſtum hoc idem, cùm aliâ de re allocutio, & in quâ animis iriſq; nihil opus. Inuenias & paullò aliter aſſenſum hunc indicatum in eodē ſcriptore, videlicet ſublatis ſcutis. Vt libro XXIII. *Concluſâ oratione præliator miles exſultans, ſublatis altiùs ſcutis, nihil periculoſum fore vel arduum clamitabat ſub Imperatore.* Quod ſimile eſt illi de ſublatis Dextris. B

Vel eadem ſublato.

Vel cū crepitu mota. L. XXIIII.

Iterùm etiam aliter, in crepitu armorum. *Hac modeſtâ Imperatoris oratione delenitus pro tempore miles, auctoritatem eius ſublimitatemq; cordis conſenſu extollebat in cælum. quod cùm vere atque ex animo dicitur, ſolet amor ex crepitu leuis monſtrari.* Sed hæc talia profectò nō priſci nimis nec merè Romani ritus: ab exteris & barbaris cenſeo manaſſe. Germani quidem & Galli ſic factitarunt ab antiquo, Tacitus de illis: *Si diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur, ſi placuit, frameas concutiunt. Honoratiſſimum genus aſſenſus eſt, armis laudare.* Iterùm de iiſdem: *Vbi ſono armorum tripudiiſq; (ita illis mos) approbata ſunt dicta.* At de Gallis Cæſar: *Conclamat omnis multitudo, & ſuo more armis concrepat, quod facere in eo conſueuerunt, cuius orationem approbant.* C

Germanorum hi ritus propriè.

De moribus German. & Hiſt. VII. Galli.

DIALOG. X.

De Claſſico, de Tubâ, Lituo, Cornibus, Buccinâ, ſeorſim: item de Tympanis.

ALLOCVTIO finiit, *Claſſicum* excipit, Id eſt, cùm ſigna omnia pariter canunt, & militem vocant incitantque ad pugnam. Ducta vox à Claſſe, quòd ſono tali claſſes olim ad concionem vocabātur: ſiue etiam, ipſa primitùs *à calando* (quæ Iſidori ſententia eſt) *calaſſica*. Sanè vocari claſſico ſolere, verum eſt. & ita Liuius: *Conſul claſſico ad concionē vocat.* Simile in ipſâ vrbe olim. & in Lucilio lego: D

Claſſico concio ad. uocata. Lib. VII.

Rauco conuentionem ſonitu & curuis cogāt cornibus.

Velit fortaſſe aliquis, *Rauco concionem*, cauſſâ verſus: etſi *cōuentio* in hac quoque re bona. Ritus valdè antiquus: & Propertio ſi fides,

Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites,

Lib. II.

iam tum Romulæo illo æuo. Idem Dionyſius: τοὺς δημοτικοὺς ὑπηρέται τινὲς κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον: *Plebem miniſtri quidā cornibus bouillis, id eſt buccinis, inſonantes ad concionem cogebāt.* Vterque de Buccinâ, cui *Claſſici* nomen propriè etiā aptare Vegetius videtur. *Claſſicum*, inquit, *appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt.* Sed & Seneca in Oedipo: *Sonuit reflexo claſſicum cornu.*

Lib. II. cap. XXII. In Iul. cap. XXXI.

Tamen contrà, ſoli etiā Tubæ Suetonius adſcribit: *Raptâ ab vno tubâ, ingenti ſpiritu claſſicum exorſus eſt.* Sed in his talibus non aliud eſt, quàm τὸ πολεμικὸν ſiue τὸ παρακελευστικὸν σημαίνειν, *bellicum & incitatorium canere*, certis videlicet modis. Quod in pugnâ quidē legitimâ fiebat omni illo inſtrumento, & Cornuum & Tubarum, Fabius: *Quid autem aliud in noſtris legionibus cornua ac tuba faciunt? quorum concentus quanto eſt vehementior, tanto Romana in bellis gloria ceteris præſtat?* Vegetius *Quoties pugnatur, & Tubicines & Cornicines pariter canunt.* Video & *Lituum* miſceri ab Horatio: E

Claſſicum, e pluribus ſimul. Lib. II. ca. XVIII.

Lib. II. cap. XXII.

A *Iamiam minaci murmure cornuum*
Præſtringis aures, iam litui ſonant.

Ode I. Lib. II.

Quid igitur iſti? diſtincti à cornu? Horatius facit. à tubâ? Seneca:

Litui, quid? Diuerſi à tubâ. In Oedipo.

Sonuit reflexo claſſicum cornu,
Lituuſq; adunco ſtridulos cantus
Eliſit ære.

Nam facit *aduncâ* eſſe formâ, quæ non in Tubâ. Et Lucanus apertè ſeiungit:

——*ſtridor lituum clangorq; tubarum.*

Lib. I.

Dixeris à ſimilitudine Auguralis litui appellatos, qui in extremo incuruus. Feſtus ita de noſtro, etſi alio etymo: *Lituus, quòd litis ſit teſtis. eſt enim genus buccinæ incurua, quo qui cecinerit, dicitur Liticen. Ennius: Inde loci Litui ſonitus effudit acutos.* Dat acutum ſonum, vti & Statius: B

Sunt inter cornua.

Et Lituis aures circumpulſantur acutis.

Lib. VI.

Stridulum Seneca, in verſibus datis. & alibi idem:

Iam tacet murmur graue claſſicorum,
Iam ſilet ſtridor Litui ſtrepentis.

E quibus colligimus grandem aut patulum canalem hunc non fuiſſe. Nec malè fortaſſe Chariſius: *Liticen à Lituo, quod eſt genus tubæ minoris.* Fuit igitur medium aliquid inter Tubam & Cornu: non rectum prorſus vt illa, nec totum incuruum, vt iſtud. Quin tamen confundant interim ſcriptores, haud abnuo. vt Ammianus: *Vocum Lituorumq; intonante fragore cohortis:* de claſſico ipſo, & laxè ac diffusè eâ voce eſt vſus. vt idem alibi: *Litui itinerarium ſonant*, de tubis cornibuſque, ſed & ſæpius. In Scholiaſte Horatij eſt, *Lituum equitum fuiſſe, vt peditum Tubam*: notabiliter, ſi verè. AVD. Sed ipſa igitur Tuba quæ, & cuiuſcemodi? LIPS. Huiuſce, cuius hodie apud Europæos ferè vides. Ære directo ducta eſt, canali ad exitum latiore. Itaque Ouidius diſcriminat à Cornibus: C

Lib. I.

Tubæ forma.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Et Iuuenalis.

Cornicini, ſiue hic recto cantauerat ære.

Neſcio, inquit, Cornicinem hunc an Tubicinem fuiſſe dicam. Ex ære igitur, & talis. Hac cauſsâ in Propertij verſu vidi qui mutarent,

Tuba ærea.

Et ſtruxit querulas rauca per oſſa tubas.

Mutant, inquam, in *æra*: quod nolim nunc ego. poteſt enim laxè & καταχρηστικῶς per Tubam Cornu intellegere: poteſt dicere, primas Tubas ab exēplo cornuum ſtructas: poteſt denique ſimpliciter capi, & aſſeri in ipſa tubâ oſſeum aliquid fuiſſe, quod inſitum aut impactum ad ſonorem. Artemidorus dicet, qui de iis *qui in ſomnio tubâ canere viſi, id tale ſomnium*, inquit, *ægrotantes tollit.* ſύγκειται γὰρ (ἡ σάλπιγξ) ἐξ ὀστέου καὶ χαλκοῦ: *compoſita eſt enim tuba ex oſſe & ære.* Subtilis interpretatio. Mortem tuba præſignificat. quianam? quòd ex oſſibus facta, notat in cineres & oſſa te iturum. Potuiſſet & alia addi, quòd funera quædam elata ad tubam, vt iam nunc dicam. Iſta militaris tuba, eſt & alia ſacrorum diſpare vſu, neſcio an formâ. Varro de eâ: *Tubæ à tubis, quod etiam nunc ita appellant tubicines ſacrorum.* Deducit à tubo ſiue canali, quem referebat. D

Lib. IIII. Fortaſſe ex oſſe inſito.

Lib. I. cap. LVIII.

Tuba in ſacris.

De eâ Feſtus: *Armiluſtrum, feſtum quo res diuinas armati faciebant, ac dum ſacrificant tubis canebant.* Ipſe iterùm Varro: *Tubiluſtrum appellatum, quod eo die ſacrorum tubæ luſtrantur.* Calpurnius in Eclogis. E

Inter ſacra tubas, non inter bella ſonare.

Suidas: Σάλπιγξ, ἱερατικὸν τοῦτο ὄργανον. ἱερεῖς γὰρ ἐχρῶντο τῇ σάλπιγγι: *Tuba, ſacrum hoc inſtrumentum. ſacerdotes nam vtebantur tubâ.* Artemidorus, Σαλπίζειν δοκεῖν σάλπιγγι τῇ ἱερᾷ, δούλους καὶ πάντας ἐν ὑπηρεσίᾳ ὄντας τῆς δουλείας ἐλευθεροῖ. ἴδιον γὰρ ἐλευθέρων τὸ ὄργανον: *Videri ſacrâ tubâ canere, ſeruos & omnes qui in miniſterio aliquo, liberat & abſoluit. proprium enim libero-*

Vbi ſuprà.

Tubâ dignorem viſâ vtebantur. Lib. LVII.

rum hoc inſtrumentum Diſcis hinc & viſe nihil in hac re fuiſſe,imò ſummates viros exercuiſſe. vt in Dione *Norbanus conſul tubâ canere ſolitus, & in eâ remniſus: prodigium tamen fecit,quòd ipſis Kalendis anni cecinit, quaſi belli ſignum dediſſet.* De Tubâ ſatis dictum , niſi vis me addere curioſa quædam de genere Tobarum & diſcrimine,ex Euſtathio petita. Ille adnotat , *Homerum quidem Tubam noviſſe,nuſquam tamen heroibus tribuiſſe,quia nondum tunc in vſu Græcorum.* Facit autem ſex eius genera.primam quam *Minerua inuênit, quæ etiam Argiuis colitur hoc cognomento,* Σάλπιγξ ἀθηνᾶ. *Alteram apud Ægyptios,quam Oſiris repperit , quæ * Chnoue dicitur ipſis,vtunturque ad ſacrificia.Tertiam, * Gallicam,conflatilem haud nimis magnam,quæ os habeat deformatum in beſtias,& canalem ipſum plumbeũ, in quem inſpirãt Tubicines atque eſſe eam acuti ſoni.Vocatur autem ab ipſis Gallis Carnyx. Quartam, Paphlagonicam,cuius os effigie bouis grauis mugitus, ſurſum *inflatam. Quintam, Medicam, è calamo tubum habentẽ, grauis ſono. Sextam, Tyrrhenicam,cuius inuentores Tyrrheni, quæ ſimilis * tibiæ Phrygiæ, habens orificium ſciſſum aut fractum. Ea valdè acuta eſt.* Hæc ille Scholiaſtes.& notabis de Tyrrhenicâ,quam volunt eſſe hanc noſtram & Romanam,atque ab iis traductam. Volunt inquã Græci Latinique conſenſu. Diodorus Siculus de Tyrrhenis; τήν τε σάλπιγγα λεγομένην ἐξεῦρον, εὐχρηστοτάτην μὲν εἰς τοὺς πολέμους, ἀπ' ἐκείνων δὲ ὀνομασθεῖσαν τυρρηνήν. *Et tubam dictam inuenerunt , vtiliſsimam ad bella, quæ ab iis Tyrrhena appellatur.* Athenæus *Cornua* etiam adiungit : τυῤῥηνῶν δ' ὁ ὕμνος ... κέρατά τε καὶ σάλπιγγες: *Tyrrhenorum inuentum ſunt , Cornua & tuba.* Statius:

In Iliad. Σ.

Tuba priſcis Græcis ignota.

Eius ſpecies plures.

* Χνούη.

* Nota hoc de Gallicâ.

* Obſerua

A Tyrrhenis Tuba.

Lib. v.

Lib. IV.

Lib. VII.

> *Horrent Tyrrhenos Heliconia plectra tumultus.*

quod valet, Muſas abhorrere(ô quàm verum!) à bellico tumultu & ſono. Hyginus aliquid addit ſingulare: *Tyrrhenus Herculis filius tubam inuênit. qui conchâ pertuſâ buccinauit, & pagum conuocauit , teſtatuſq; ſunt ſe mortuum ſepultura dare. Vnde tuba Tyrrhenum melos dicitur. Quod exemplum hodie Romani ſeruant, & cùm aliquis decidit,tubicines cantant, & amici conuocantur,teſtandi gratiâ eũ neq; veneno neq; ferro periſſe.* Notabis de tubâ ad mortuos : ſed mortuos nobiliores.neque enim vulgò ea, ſed in funeribus , opinor, Indictiuis : ſcilicet ad populum claſſico conuocandum. Propertius amoliens illam pompam:

Fabul â CCLXXIV. Vel à Tyrrheno Herculis.

Tuba ad funera.

> *Nec mihi tunc fulcro ſternatur lectus eburno,*
> *Nec tuba ſit fati vana querela mei.*

Perſius de beatulo, qui calces porrexerat : *Hinc tuba, candelæ.* Quod ipſum in militibus decorè ſeruatum, vt ij ſepelirentur , ad bellicum hoc inſtrumentum. Tertullianus de Coronâ militis : *Et mortuus tubâ inquietabitur æneatoris?* Sed ne exager , de Tyrrhenicâ tubâ Suidæ locum addo: κώδων καλεῖται τὸ πλατὺ τῆς σάλπιγγος. Σοφοκλῆς· χαλκοστόμου κώδωνος ὡς τυρσηνικῆς. πολλὰ δέ εἰσι εἴδη σαλπίγγων, αἰγύπτιαι, λιβυστικαί, τυῤῥηνικαί. πρῶτος δὲ ἀρχώνδας συμμαχῶν τοῖς ἡρακλείδαις ἤγαγεν εἰς ἕλληνας τὴν τυῤῥηνικὴν σάλπιγγα. διὰ τοῦτο φησὶ τυρσηνικῆς: *Codon dicitur latior pars & os tubæ. Sophocles: Tanquam æreæ codonis è Tyrrhenâ. Sunt enim multa genera tubarum, Ægyptia, Libyca, Tyrrhenica. Primus porrò Archondas * Heraclidis commilitans , adduxit in Græciam Tyrrhenicam tubam. Ideò Sophocles dicit Tyrrhenicam.* Totidẽ iſta in Scholiaſte Sophoclis: & obſerues tempus ſignatum, quo ad Græcos demique hæc tuba. An ergo eadem Græcanica cũ Romanâ ? ſiquidem ab eâdem vterque populus gẽte deſumpſit. Nõ vult Liuius, qui de captâ per inſidias Tarento: *Terrorẽ* (potiùs *errorem*) *& tuba audita ex theatro faciebat.nam & Romana erat à proditoribus ad hoc ipſum præparata, & inſcienter à Græculo inflata , quis aut quibus ſignum daret,incertum faciebat.* Et ſanè grandiorem fortioriſque ſoni Romanam fuiſſe , è Fabij ſuprà verbis diſcas. Dimitto Tubam, *Cornua* venite. De iis Varro: *Cornua , quòd ea quæ nunc ſunt ex ære , tunc fiebant ex bubulo cornu.* Nihil verius. & prima origo à boum cornibus,& paſtorum inſtituto. Nam illi ſic calabant pecus aut boues. Propertius.

* Anno circiter octogeſimo poſt Troiam captam

Græca an diuerſa à Romanâ? Lib. XXV.

> *Nunc intra muros paſtoris buccina lenti*
> *Cantat.*

Columella: *Ad ſonum buccinæ pecus ſepta repetere conſueſcat.* Et in Dionyſio ſuprà fuêre κέρατα βόεια , *cornua bubula*, de conuocando populo per Buccinam. Ergo olim nihil diſcriminis inter Buccinam & Cornu. poſteà fuit , & Cornua iſta ex ære facta grandiora , & magis reflexa. In lapidibus apparent. Diſtinguit & Vegetius apertè , *Tubicines, Cornicines, Buccinatores: qui vel tubâ , vel ære recuruo , vel buccinâ committere prælium ſolent.* Artemidorus de Cornibus : στρογγύλῃ δὲ σάλπιγγι σαλπίζειν, πονηρόν. οὐ γὰρ ἱερὸν τὸ ὄργανον, ἀλλὰ πολεμικόν: *Inflexâ tubâ (id eſt recuruo ære) canere, malum. non enim ſacrum hoc organum , ſed bellicum.* At olim,vt dixi,confundebant. nec aliter Dionyſij hæc exaudio in claſſium deſcriptione σαλπιγκτὰς καὶ βυκανιστὰς recenſentis , qui Liuio ſunt *Tubicines & Cornicines* : ipſi inquam Dionyſio , *Tubicines & Buccinatores.* Confundere etiam poſteà Vegetius videtur : *Buccina*, inquit, *quæ in ſemet æreo circulo reflectitur.* Sed vt rem dicam , implexa illa in Vegetio. vòcùm *Cornu* etiam facit, *quod ex vris agreſtibus argento nexum,temperato arte ſpiritu, auditur.* Inconſtans eſt, & antè ex *ære recuruo* id conflauit. Vnde autem Romanis vrorum ea copia ? ſed hæc inferioris æui ſunt, & à barbaris fortaſſe deſumpta. Ad *Buccinam* ſcorſim eo,quam ſeiunctam à prioribus fuiſſe,etiam Vigiliæ oſtendunt. Nemo illîc Cornu aut Tubam ſonuiſſe dixerit , ſed Buccinam ſignanter plerique omnes. Exempla hodies in ipſis * Vigiliis : nunc quid fuit? Cornu bouillum initio, vt dixi: nec à boue malè deriues, vt inſtrumentum quod bubus canit , aut quod boues canit & vocat. Varro tamen *Buccinatorem a vocis ſimilitudine & cantu* dictũ mauult, quia *Bou Bou* canit. Quod Iſidorus ineptè flexit, & *Buccinam à voce.quaſi vocinam* dictuat, *quòd Pagani eâ vocabantur.* Vtut de * verbo eſt , rem in re Romanâ teneo : an illud ipſum cornu ? vix puto , ſed & hanc ex ære factam,ſimilitudine tamen retentâ, & ſono. Ouidius deformat:

> *—— caua buccina ſumitur illi,*
> *Tortilis in latum quæ turbine creſcit ab imo.*

Suidam ride & reiice, qui in litterâ Iotâ initiali, ἰβύκανον appellat, & ab Ibyco deducit. Ride dico, & quæ citat ex Polybij libro ſecundo eſſe ſcito, vbi βυκάνων, non ἰβυκάνων, hodieq; ſcriptum. AVD. Plura talia & Suidas ille & Grammaticorum gens peccat, ter inepti ſæpè aut ſtulti. LIPS. Fateor. ſed admoneo, vtcumque pecus Suidas eſt, auream tamen eſſe, & è meliore metallo vellus ferre. Carpſit & ſumpſit ex optimis qui fuerunt , & plerique non ſunt; vtinam iudicio & curâ, addo & fide, meliori! Nam & nomina ferè ſupprimit, & intendere oportet quid eius ſit , quid alienum. Ceterùm etſi ille, vt dixi, Arcadicum & Midinũ ſapit, alios tamen lectores ſuos facit, qui curioſi quidem ſint & intenti. Hoc in occaſione volui : & peregi, opinor, de toto hoc genere quod in Claſſica venit. Vniuersè appellabant *Æneatores*, quia omnia ex ære. In Gloſſis: *Æneator*, σαλπιστής. In Ammiano: *Æneatorum occentu ſigno dato progrediendi ad pugnã.* Idẽ iterũ: *Dato æneatorum occentu ſolẽniter ſigno ad pugnandũ.* Et in Suetonio aliiſq. ea vox. AVD. Equidem diſcrimina hæc habeo, numerũ, ſi id poteſt, velim ſcire.

Quot in exercitu?

LIPS. Ægrè equidem diuino: ſuſpicor tamen multos fuiſſe, & cuique manipulo aut turmæ ſuos. Inducit Salluſtius, de Mario: *Cohortium, turmarum, legionum tubicines ſimul omnes canere iubet.* Laxè Tubicines, & intellegit eâ voce etiam qui cornu. Sed vides cohortibus, id eſt manipulis, niſi fallor, & turmis, & legionibus ipſis diſtinctè aſſignari. Quomodo? vt ſingularum partium ſui fuerint, & tot fortaſſe quot Signa: tum etiam communes legionis. Illi tempore pugnæ, in ſuâ quiſque parte ſteterunt; iſti iuxta aquilas & Imperatorem. Dionis locum conſidero, & huc apto, pugnâ Philippēſi inter Brutum & Octauianū: *Deinde Tubicen vnus vtrimque inſonuit, & mox alij pariter reſponderunt. Priores quidem ij qui rotundo quodam loco conſtitit, tubis certum aliquid modulabantur; quo vt conſiſterent & prælio ſe pararent milites, admonebantur: tum deinde omnes reliqui, qui animos iráſque militum acuebant, & ad pugnam excitabant.* Obſerua triplicem tubæ ſonum. Primum, vnius & ſingularis, qui primopili fortaſſe, haud longè ab Imperatore, eiuſque nutu incinuit: ſecundum, aliquot aliorum qui in loco quodam orbiculato & fortaſſis editiore ſtabant, ad ſigna & aquilas, vt exiſtimo: tertium, omnium aliorum per cohortes, per turmas, qui pariter iam claſſicum canebant. Nam duo priores ſoni non niſi expediendo militi videbantur, paullatimque eius animi & iræ motæ. Facit enim profectò hoc ſonus & magnam vim habet ad ſpiritus & ſanguinem euocandū. Ideò placet mihi hîc quoque Romani, qui non in equitibus ſolùm Tubas, vt nos, ſed & peditibus habebant. Tubæ autem illius primæ exemplum fortaſſe in Apuleio, in quo multi mores reconditi, paucis verbis adumbrati: *Cùm tuba bellicum cecinit, milites clangore incenſi, alius accingitur gladio, alius clypeum capit, alius equum frenis temperat.* Eſt enim adhuc non verum claſſicum, ſed præparatorium illud ad pugnam. Tangitur & totus iſte mos ab Hirtio, bello Africano; Cùm, inquit, Cæſar deliberaret etiam de pugnâ, *ſubitò dextro cornu tubicina iniuſſu Cæſaris canere cœpit.* Ecce in cornibus etiam tubicines, & omnino ſparſi per manipulos: ſed ij ſignum à Primopili Tubicine, aut Imperatoris, exſpectare debebant, tum ſuccinere. Lego & in Græcorum militiâ: ἑκάστην ἑκατονταρχίαν ὑπεραρίθμους ἔχειν ε΄. σημειοφόρον, οὐραγὸν, σαλπιγκτὴν, ὑπηρέτην, στρατοκήρυκα: *Centuriam quamque habere ſupernumerarios, (aut extraordinarios) quinque, vnum Signiferum, Vragum, Tubicinem, Miniſtrum, Præconem.* Itaque & hîc per centurias: ſi idem in Romanis, numerum tenes. AVD. In peditibus etiam Tubas locaſti aut Cornua: nihilne tympanorum, & cuiuſmodi hodie vaſa pulſamus? LIPS. In Romanis nihil: apud alias tamen gentes obſeruitans. AVD. Imò in Romanis, niſi aliud doces: & redeo in memoriam legere apud Dionyſium, in claſſibus deſcribendis ſub Ser. Tullio, *duas centurias* * *Tubicinum & Tympaniſtarum, & qui aliis quibuſdam organis ad bella vocabant.* Habes & alia etiam genera, nempe Cornua, præter Tympana & Tubas. LIPS. Loci commemini, ſed ſemper mihi in ſuſpicione. Quis enim vmquam Tympana præterea Romanis aſſignauit? Imò in conuicio apud illos. * *Tympanotriba* (in Plauto) & Galli matriſdeûm, id eſt effæminati pulſabant. Quid etiam, ipſe Dionyſius non refellit? cùm dicta ſua ibidem recolligens σαλπιστὰς καὶ βυκανιστὰς nominat, tympanorum nullâ mentione. Idem libro ſeptimo facit, vbi de claſſibus hæc repetuntur: ibi quoque, inquam, βυκανισταὶ leguntur, nec dubito quin verbis illis tuis reponendæ. Maximè cùm Liuius in eâdem re, *Tubicines & Cornicines* vſurpet. Verera tamen Tympana, & ab ipſo Baccho, ſed in eo ferè choro relicta, & apud molles. Polyænus de Baccho, eiuſque rebus: καὶ κυμβάλοις καὶ τυμπάνοις ἐσήμαινεν ἀντὶ σάλπιγγος. *Et cymbalis & tympanis ſignum dedit, loco tubæ.* Et ab eo fortaſſis eſt, quòd in bello vſi etiam Indi. Curtius. *Indi tympana ſuo more pulſantes.* Iterùm: *Poſt elephantes Porus peditem poſuerat ac ſagittarios tympana pulſare ſolitos, id pro cantu tubarum Indis erat.* Scriptor quiſpiam apud Suidam: Σάλπιγξιν Ἰνδοὶ οὐ χρῶνται, ἀλλ' ἀντὶ σαλπίγγων αὐτοῖς εἰσὶν αἱ μάστιγες, ἃς ἀνακινοῦσιν εἰς τὸν ἀέρα, καὶ τύμπανα φρικώδη τινὰ βόμβον ἐξ αὐτῶν ἀφιέντα: *Tubis Indi non vtuntur, ſed pro iis ſunt Flagella, quæ excutiunt in aerem; & tympana item, horribilem quendam bombum emittentia.* Inuenio Abaros quoque, gentem barbaram (Hunos alij vocant) habuiſſe. Menander hiſtoricus: Οἱ δὲ Ἄβαροι ἐν τῷ τοῦ πολέμου καιρῷ ἐβούλοντο ἦχον ἐγεῖραι ξυμμιγῆ τε καὶ ἄγριον, ὅτι τε σὺν ξυνῷ τῷ ἀλαλαγμῷ ἐπιδουποῦσι τοῖς τυμπάνοις: *Abares initio prælij ſtatuerant excitare mixtum quemdā & ferum ſonum, ſimulq; cum barritu perſonare tympanis.* Cuiuſmodi tamen hæc tympana, haud probè ſcio: & à noſtris certè diuerſa illa Indorum. Nam in Suidâ deſcribuntur: *ex palma arboris cauato ſtipite, cui tintinnabula ex orichalco introrſus adaptabant, & os deinde vaſi taurino corio occludebant, atque id in altum ferebant, concutiebántque in acie. Tintinnabula igitur, quæ multa & magna intus, inconditum quendam ſonum edebant.* Plutarchus Parthos quoque facit *non cornibus, aut tubis incitare ſe ad pugnam:* ἀλλὰ, inquit, ῥόπτρα βυρσοπαγῆ καὶ κοῖλα περιτείναντες ἠχείοις χαλκοῖς ἅμα πολλαχόθεν ἐπιδουποῦσι. τὰ δὲ φθέγγεται βύθιόν τι καὶ δεινόν, ὠρυγῇ θηριώδει καὶ τραχύτητι βροντῆς μεμιγμένον: *ſed ſtipites quoſdam corio tectos & concauos tintinnabulis æreis circumpoſitis plurifariam ſimul pulſant. Illi verò obſcurum aliquid & terribile reſonant, ex vlulatu ferme & tonitru commixtum.* Hæc illi de Tympanis. etſi in marmoribus tamen Galli matriſdeûm conſpiciuntur tympanum manu tenentes, rotundum infrà, ſuprà planum: atque ibi corium inductum, quod bacillis pulſant. cuiuſmodi hodie equeſtria Germanorum vel Afrorum tympana. Plinius ab eâ formâ margaritarum quoddam genus *Tympanum* vocat: *quibus*, inquit, * *vna tantùm eſt facies, & ab eà rotunditas, auerſis planities. ob id Tympania nominantur.* Deſcribit Apollodorus hæc talia, & vult Salmoneum iis tonitru imitatum: καὶ βύρσας μὲν ἐξηραμμένας ἐξ ἅρματος μετὰ λεβήτων χαλκῶν σύρων, ἔλεγε βροντᾶν: *Et pelles detractas, in curru, cum aneis lebetibus agitans, dicebat ſe tonare.* Imò tales etiam pelles non in ære tantùm, in ligno ſic cauato & aptato, apud Iſidorum: *Tympanum*, inquit, *eſt pellis vel corium ligno ex vnâ parte extentum.* Dimidiatum noſtras tympanum: iam plenum in eodem, ſed alio nomine. nam *Symphoniam* vocat. *Symphonia*, inquit, *vulgò appellatur lignum cauum, ex vtraque parte pelle extenſâ, quam virgulis hinc & inde Muſici feriunt,*

Margin notes (left): Non aſſidè Signorum ſed in monumentum. — Li. xlvii. Modus in canendi claſſic. — De Mundo. Apuleius explicatus. — Et Hirtius. — In Centuriis Græcorum Tubicen. — Tympana an Romanis? Lib. iiii. — * σαλπικτῶν καὶ τυμπανιστῶν. — * Simile in Seneca & Quintil.

Margin notes (right): Dionys. ſic corrigendus. — Lib. 1. Strat. — Habuerunt Indi; Lib. viii. Ibidem. — Et Abari. — Tympana Indorum qualia. — Et Parthi. In Craſſo. — Diuerſa in Lapidibus. — Lib. ix. * Lege ima. — Lib. 1. Biblioth. — Tympanum noſtro ſimile.

6



DIALOGVS XI.

Clamor militum ſub pugnam, & Baritus: concuſſio item armorum.

SED iam remos inhibeo, & demitto vela, portum attigi propoſitum in hodierno curſu. AVD. O ſi auſim! LIPS. Nouus hic pudor, eloquere. AVD. Imò vetus mi præceptor, nec ille ſolùm in animo iſto habitat, ſed in vultu ſæpe rubor. Quòd apud te excuſſerim, alia virtus fecit (ſic interpretor) cupiditas diſcendi. Sed ſi vis, hanc omitto: illa ſeruo. LIPS. Serua, ſerua fili, gemmas pulcherrimas in iuuentute. Quid ad me, cum Plauto,

Ego illum periiſſe duco, cui quidem periit pudor.

Sed & rubor ille non improbus, quem ſcitè aliquis dixit *Colorem virtutis*. Quid tamen vis? nam vel ſilentio & modeſtiâ iſtâ à me impetres, quod non verbis. AVD. Si vacat & commodum eſt, aliquid etiam de *Incitamentis* in Acie aut *Signis*: quæ videntur his abeſſe. Nam de *Allocutione* dixiſti, item de *Claſſico*: ſed ego & *Clamorem* legiſſe recordor, & *Signa* quædam pugnæ. Si inquam vacat, doce. LIPS. Ego verò faciam. & vt vinitor in vindemiando minutos etiam racemos repetit & colligit: ſic ego vel hæc tenuia, ſiquid omiſi. Subiicis de *Clamore*: benè atque ordine. nam ille Claſſicum excepit. Itaque edebatur in ipſâ immi-

Clamor poſt claſſicũ.

A nente iam coniunctione & cõflictu, incitatio pari
animi & virium, atque hoſti terror. Nã hos habeb
fines. Itaque antè, & cùm eminus, ſilentium vaſtu
erat: idq; Homerico verſu Agellius approbat, apu
quem *Græci taciti eunt, ſpirantes robur*. at Troiani co
trà *cum clamore, vt grues*. Subiicit deinde, quod hi
valdè facit, & ad litteram dabo: *Quid ergo ille vult a
dentiſſimus clamor militum Romanorum, quem in co
greſſibus præliorum fieri ſolitum ſcriptores Annaliũ m
morauerunt?* Et reſpondet, ac prudenter diſtingui
*An tum etiam gradu clementi & ſilentio eſt opus, cùm a
hoſtem itur, in conſpectu lõginquo procul diſtantem? Cũ
verò prope ad manus ventum eſt, tum iam è propinqu
hoſtis & impetu propulſandus eſt, & clamore terrendu*
Oſtendit incurſum & impetum duntaxat cum cla
more factum. Atque ita etiam Vegetius: *Clamor aut
B quem Barritum vocant, non antè debet attolli, quam v
traque acies ſe iunxerit.* Vetus herculè hoc inſtitutum
& Cæſar ita memorat, cum cauſſis, vbi Pompeij con
ſilium damnat, qui id omiſerat: *Neque fruſtra an
quitus inſtitutum eſt, vt ſigna vndique concinerent, cl
morémque vniuerſi tollerent, quibus rebus & hoſtes te
reri, & ſuos incitari exiſtimauerunt.* Duplicem d
cauſſam, à me tactam, Hoſtium terrorem, Sui incit
mentum. Iam tum in Romuli rebus Liuius clamo
rem hunc agnoſcit: *Fuſi primo impetu & clamore h
ſtes.* Et ſtatim poſt reges: *Conſul nec promouit acie
nec clamorem reddi paſſus.* Et ſparſa in omni hiſto
riâ exempla omniũ, etiam Barbarorum. Velut com
naturâ duce hic clamor vſurpatus: & facere hod
ſolenniter lẽgi noui orbis gentes. Quis autem cl
mor ille, aut in quæ verba, Græcorum ſiue Rom

norum

notum? nam probabile eſt certa & perpetua quædam fuiſſe. Equidem velim ſcire, & indago, ſed vereor vt certò adipiſcar. Arbitror vocem aliquam confuſam, repetitam fuiſſe, nec quidem ſignificantem: cuiuſmodi ſubitæ & primi impetus eſſe ſolent, ſillabæ potiùs quàm verba. Facit apud Græcos quidem ipſa vox, ἀλαλάζειν & ἀλαλαγμός, aſſidua in iſtâ re: & quid aliud quàm formatæ à ſillabâ iſtâ repetitâ, *Al al?* (Alalagmus Græcorum.) quâ vtebantur ſcilicet in prouocando. In Suidæ collectaneis hoc apertè ſatis dicitur: Οἱ πρὸς τὸν πόλεμον τὸ Ἐλελεῦ ἐβόων μετ' ᾠδῆς τινος καὶ ῥυθμοῦ κινήσεως: *Euntes ad prælium illud Eleleu acclamabant, cum modulato quodam motu.* Ibi tenuius, & malo litteram tamen grandiorem. Apud Romanos quid fuerit, planiſſimè ignoto: niſi quod *Barritum* vel *Barritum* (Bardus.) poſteriore æuo reperio, ſed Germanorum verbum. Vſi tamen Romani. an quia ſillaba illa repetita prior, vt hodie Germanis quibuſdam, *Har har!* an à clamore ductum? quoniam * *Baeren* vel *Bêren* (* Vnde & fluctibus marinis apud nos nomen.) hodieque ſublatè & ferociter clamare nobis ſignat. An denique ab vrſis formatum? qui *Bêren* item nobis: & haud abſurdè ab iis petitum, quòd quaſi vocem illam imitantur. Vox quidem noſtras, Tacito teſte: *Sunt illis* (Germanis) (De morib. Germ.) *hæc quoque carmina, quorum relatu, quem Baritum vocant, accendunt animos, futuræq́ue pugnæ fortunam ipſo cantu augurantur. Affectatur præcipuè* * *aſperitas ſoni,* (* Quæ eſt in littera R.) *& fractum murmur obiectis ad os ſcutis quo plenior & grauior vox repercuſſu intumeſcat.* Nec abſonum quod de vrſis dixi, cùm & λυκηθμὸν legam, (Lupinum vlulatum.) quaſi dicas *Lupinum ſonum*, in re eâdem, & qui lupos vlulantes imitabantur. Scriptor apud Suidam: καὶ νῦν οἱ Ἄβαρες ἐσέβαλλον ἀθρόως χρησάμενοι τῷ συνήθει λυκηθμῷ. φίλη δὲ αὐτοῖς ἡ τοιαύτη ὠρυγή: *Igitur Abares ingruunt confertis, vtentes conſueto ſuo lupino ſono. gratus autem & ſolens iis talis vlulatus.* Credo & Gallos vſos, ex Liuio: (Lib. xx.) *Galli occurſant in ripam, cum variis vlulatibus cantuq́ue moris ſui.* Sed Germanorum igitur Baritus, quem & Romani (Baritus & Romanorū. Lib. xxi.) inferiores aſſumpsêre, nec vno loco iis tribuit, & deſcribit Ammianus. Vt in concione Conſtantij Imp. ad milites: *Vt nec oculorum veſtrorum vibrata lucis ardorem, nec baritus ſonum perferant primum.* Alibi: (Lib. xxxi.) *Et Romani quidem voce vndique Martiâ concinentes, à minore ſolitâ ad maiorem protolli, quam gentilitate appellant Baritum.* (Lib. xvi.) Vbi deſcribitur in parte etiam Baritus: clariuſque eidem, de Germanis ipſis: *Geſturientes Baritum ciêre vel maximum, qui clamor ipſo feruore certaminum à tenui ſuſurro exoriens, paullatimq́ue adoleſcens, ritu extollitur fluctuum cautibus illiſorum.* Hic Baritus igitur, qui in Feſto etiam *Barbaricum* dictus: *Barbaricum appellatur clamor exercitus, quòd eo genere barbari vtantur.* At Romani non clamore ſolùm vſi, ſed ſtrepitu etiam & concuſſione armorum. (Arma inter ſe concuſſa. Lib. i.) Polybius in pugnâ Reguli cum Xantippo: κατὰ τὰ πρὸς αὐτοῖς ἔθη συμψοφήσαντες τοῖς ὅπλοις καὶ συναλαλάξαντες ὥρμησαν ἐπὶ τοὺς πολεμίους: *Ex more iis conſueto armis concrepuerunt, & vnà clamantes inuaſerunt hoſtem.* (Lib. xii.) Idem in pugnâ Scipionis cum Annibale: Οἱ Ῥωμαῖοι κατὰ τὰ πάτρια συναλαλάξαντες καὶ συμψοφήσαντες τοῖς ξίφεσι τοὺς θυρεούς, προσέβαλλον τοῖς ἐναντίοις: *Romani, iuxta morem patrium, clamore ſublato, & gladiis ad ſcuta concrepantes, inuaſerunt oppoſitos.* (Li. xxxvi.) Dio Caſſius in pugnâ Pompeij nocturnâ cum Mithridate: πρῶτον μὲν οἱ σαλπιγκταὶ πάντες ἅμα τὸ πολεμικὸν ἀπὸ συνθήματος ἐσήμηναν. ἔπειτα δὲ οἵ τε στρατιῶται καὶ ὁ λοιπὸς ὄχλος πᾶς ἐπηλάλαξε. καὶ οἱ μὲν τὰ δόρατα πρὸς τὰς ἀσπίδας, οἱ δὲ καὶ λίθους πρὸς τὰ χαλκᾶ σκεύη προσέκρουσαν: *Primùm tubicines omnes ex compoſito* * (* Quod nō ſic ſolet vt antè monui.) *ſimul bellicum cecinerunt: tum milites & reliqua turba omnis* (id eſt, calones & lixæ) *conclamarunt. Et illi quidem haſtas aut pila ad ſcuta concutiebant,* * (* Calones nempe.) *iſti lapides etiam ad ærea vaſa:* Quâ tamen narratione hoc de calonibus nouum, & temporis illius modò fuit, nec trahendum ad morem: tunc ſcilicet vſurpatum, quo maior ſonus ſtrepitúſque eſſet terrendo hoſti. At de militibus ipſis, iterùm Dio in pugnâ Philippenſi: (Li. xlvii.) ἐκ δὲ τούτου ἀλαλάξαντες οἱ ὁπλῖται, τάς τε ἀσπίδας τοῖς δόρασιν ἔκρουσαν, καὶ ἐκείνοις ἐπ' ἀλλήλους ἐξηκόντιζον: *Deinde* (poſt claſſicum) *clamantes milites, ſcuta ſua pilis percuſſerunt, & ea ipſa in ſeſe mutuò iecerunt.* Manſit mos Ammiani etiam æuo, atque ipſe cum cauſsâ additâ prodit: (Lib. xiv.) *Quibus occurrere bene pertinax miles explicatis ordinibus parans, haſtiſq́ue feriens ſcuta* (*qui habitus iram pugnantium concitat & dolorem*) *proximo iam geſtu terrebat.* Quod ipſum vſurpabant etiam nondum vicino hoſte, & cùm duci in eum vellent. Idem ſcriptor: (Lib. xvi.) *Nec finiri perpeſſi quæ dicebantur, ſtridore dentium infrendentes, ardoremq́ue pugnandi, haſtis illidendo ſcuta, monſtrantes.* Et meminiſſe huius rei oportet, quæ dixi in Aſſenſu militari, ſuprà. Habes de clamore, qui tanti apud illos æſtimatus, vt ex eo (Clamor momentū habebat. Lib. iv.) diiudicarent de euentu pugnæ. Liuius: *Clamor indicium primum fuit, quò res inclinatura eſſet. excitatior crebriórque ab hoſte* (Volſco) *ſublatus; ab Romanis diſſonus, impar, ſegnis, ſæpe iteratus, prodidit pauorem animorum.* Simile Plutarchus in futurâ clade Craſſianâ. *Cùm iis, inquit, ſuos clamorem tollere iuſſiſſet; mœſtitiam eorum accuſauit, quòd imbecillum & inæqualem edidiſſent.* A v d. Hoc mihi mirum: & tantine ea res? an homines, vt aues, olim clamore abigebantur? L i p s. Ne illude. momentum habet ea res etiam à naturalibus cauſſis. Quippe duo ſenſus in nobis per quos Timor maximè in animum penetrat, Oculi & Aures. Alterutrum igitur illorum qui turbat, næ ille victoriæ ſuæ multum confert. Quid autem magis aures, quàm validus & magnus ſonus? Itaque non iniuriâ Catoni priſco hoc adſcribitur: (Catonis dictum.) *Verbis plus quàm gladium, & voces quàm manum, hoſtes territare & in fugam vertere.* Sciuit Ioſephus ille, & bonus dux, & ſcriptor, qui bello in Romanos, cùm morem eorum noſſet occlamandi, metuens ne ſui terrerentur: (Lib. iii. cap. xvii.) ἐκέλευσε πρὸς τὸν ἀλαλαγμὸν τῶν ταγμάτων ἐπιφράξαι τὰς ἀκοάς, ὡς μὴ καταπλαγεῖεν: *iuſſit ad clamorem legionum aures obſtruere, ne percellerentur.* Idq́ue illi vtiliter & ſuo bono fecerunt: quid opus, ſi non violenta aliqua vis in iſtâ re? Itaq́ue iā olim & aliæ vſæ gentes: idque Pane inuentore, vt vult Polyænus. Is ſcribit, (Lib. i. Strat.) *cùm Bacchus expeditione Indicâ in valle aliquâ cauâ cum copiis eſſet, ex aduerſo antè infinitam hoſtiū multitudo; nonnihil in animo pertimuiſſe. Tum Pana ſuaſiſſe, vt noctu Dionyſij exercitus maximum clamorem tolleret, quem cùm & petræ & valles exceptum referrent & augerent, hoſtes territos in fugam ſe dediſſe. Inde natum vt terrores eiuſmodi Panici appellentur.* Imò verò Macedones & Perſæ etiam vſi. de quibus ita Curtius: (Lib. iii.) *Iam in conſpectu, ſed extra teli iactum, vtraque acies erat, cùm priores Perſæ inconditum & trucem ſuſtulêre clamorem. Redditur & à Macedonibus maior, exercitus impar numero, ſed iugis montium vaſtiſq́ue ſaltibus repercuſſus.* Etiam Græci; quibus aut τὸ ἀλαλάζειν paſſim tribuitur, aut τὸ παιανίζειν. (Pæan Græcorum. Lib. i.) Thucydides: Ἐπαιάνιζον αὐλοῖς ἀσπίσιν: *Pæanis clamatus ad inualem congreſſum.* Ibi Scholiaſtes: Δύο παιᾶνας ᾔδον οἱ Ἕλληνες, πρὸ μὲν τοῦ πολέμου, τῷ Ἄρει· μετὰ δὲ τὸν πόλεμον, τῷ Ἀπόλλωνι: *Duos Pæanas norunt Græci. vnum ante prælium, Marti; alterum poſt prælium, Apollini.* Illum priorem, ἐμβατήριον παιᾶνα, *congreſſiuum Pæana*, Plutarchus in Lycurgo dixit: hunc alterum, ἐπινίκιον παιᾶνα, *victorialem*, in Romuli rebus. Videntur cum cantu aut rythmo quodam fuiſſe, atque ideò Pæanes dicti. Manſit apud imos etiam Græcos, qui tamen, vt Chriſtiani, *Victa crux*, pro pæane habebant. (Chriſtianorum.) Cedrenus hoc tradit in Baſilio Imperatore pugnâ cum Manichæis: Βοῇ σύνθημα τῷ παιανίσαντι, καὶ τὸ (Σταυρὸς νενίκηκε) συμβοήσαντες, ἐπ-

τίθενται τοῖς ἐχθροῖς: *Voce magnâ Pæanem canentes, & illud, Crux vicit, conclamantes, aggrediuntur hoſtes.*

DIALOG. XII.

Signum pugnæ, Tunica punicea: ſignum pugnæ, vox & teſſera.

DE *Clamore* habes: qui ratus apud nos, aut nullus, niſi quòd Aſiaticos & Turcas audio ſeruare. Etiam Hiberni in Europâ ſuum *Pharro* ingeminant, & Hiberi interdum acclamant. Sed mos non in magno hodie, nec ſollennis. Supereſt de *Signo* pugnæ, quod diuerſum à Claſſico: quia iſtud mutum. Illud auribus, hoc oculis ſeruit, & tempore Claſſicum præiuit. Nam Romani, cùm decretum iam pugnare, tunicam ruſſam in Prætorij faſtigio extendebant in haſtâ, vt eo ſigno miles moneretur parare ſe, & arma; tum etiam, vt ſiqui diſperſi, conuenirent. Vtile fuit in re ſubitâ, & vt momento omnes monerentur. De hoc ſigno aut palàm, aut occultiùs, plures ſcriptores. Palàm, vt Plutarchus: τὸ τῆς μάχης σημεῖον ἐξέθηκεν. ἔστι δὲ χιτὼν κόκκινος ὑπὲρ τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς διατεινόμενος: *Pugnæ ſignũ propoſuit. Eſt autem tunica coccinea ſuper tabernaculum Imperatoris extenſa.* Idem iterum: Ἅμα δὲ ἡμέρᾳ προὔκειτο μὲν ἐν τῷ Βρούτου καὶ Κασσίου χάρακι σύμβολον ἀγῶνος, φοινικοῦς χιτών: *Vnà cum luce propoſitum fuit Bruti & Caſſij caſtris pugnæ ſignum, punicea tunica.* Iſidorus: *Ruſſata, quam Græci phœniceam vocant, nos coccineam. Hac ſub Conſulibus Romani vſi ſunt milites, vnde etiam Ruſſati vocabãtur. Solebat enim pridie quàm dimicãdum eſſet, ante Principia poni, admonitio & indicium futuræ pugnæ.* At ante Principia, quod Plutarchus ſuper tabernaculum Ducis: & benè, quia Prætoriũ ante ipſa Principia ſitũ. Sed quod iſti Tunicam, alij Vexillũ appellant. vt Cæſar: *Cæſari omnia vno tempore erant agenda. Vexillũ proponendũ, quod erat inſigne cùm ad arma concurri oporteret.* Hirtius: *Cùm iter facere Cæſar vellet, renanciatam eſt a ſpeculatoribus Pompeium de tertia vigiliâ in acie ſteiſſe. Hoc nuncio allato, vexillum propoſuit.* Ammianus: *Signis illicò fixis ex more, cùm vndique ad arma conclamaretur, ſtetit regibilis miles, vexillum operiens extollendũ, quod erat opportunè ſubeunda indiciũ pugnæ.* Et de hoc ſanè Vexillo Gloſſas capio: Ῥούσσιον φλάμμουλον, *vexillum.* Fortaſſe & Tacitum: *Vexillum in domo Germanici ſitam flagitare occipiunt:* quaſi ius & arbitrium pugnæ. Niſi magis ibi ſenſus, petiſſe Vexillum quaſi vt emeriti eſſent, & ſub vexillo Veterani. Notus enim & ille mos: ſed ab hoc ritu fuit, quòd Scipio ad Numantiam, cùm caſtella circa vrbem plura ſtruxiſſet, inſtituit, εἴ τι ἐνοχλοῖεν οἱ πολέμιοι, σημεῖον ἐξαίρειν, ἡμέρας μὲν, φοινικίδα ἐπὶ δόρατος ὑψηλοῦ, νυκτὸς δὲ πῦρ: *ſi quid hoſtes incurrerent aut moleſtarent, ſignum tollere, de die quidem puniceam veſtem in haſtâ altâ, de nocte ignem.* Ita Appianus in Ibericis. In nauali etiam pugnâ vſurpabant. vt in Hirtij, de bello Alexandrino, priore: *Vexillo ſublato quo pugnandi dabat ſignum.* è ſuâ prætoriâ. Et hæc ſatis aperta ſunt: tectè aut obſcuriùs alij etiam tangunt. Vt Liuius: *Poſcunt pugnam, poſtulant vt ſignum detur.* Quod tamē aliquis vel ad Claſſicum, vel ad vocale ſignum etiam trahat. Firmiùs alibi: *Lætus ad milites, iam arma ad propoſitum pugnæ ſignum capientes, proceſſit.* Nam ait *propoſitum:* quod non conuenit niſi in iſtud. Iterùm: *Varro nihil conſulto collega, ſignum pugnæ propoſuit.* Nec minùs apertè etiam Dionyſius: Ἐπειδὴ δὲ τὰ σημεῖα ἤρθη παρ' ἑκατέροις τῆς μάχης: *Poſtquam vtrimque ſigna ſublata ſunt pugnæ.* Iterùm: Ἐπειδὴ τὰ σημεῖα ἐκέλευσεν ἀρθῆναι τῆς μάχης: *Poſtquam ſigna tolli iuſſit pugnæ.* Mihi, inquam, apertè etiſt

Signũ mutum pugnæ.
Tunica ruſſa.
In Fabio.
In Bruto.
Aut vexillũ ruſſum.
II. Gallic.
Bell. Hiſp.
lib. xxvii.
I. Annal.
Sigonius.
Lib. II.
Lib. vi.
Lib. xxii.
Lib. vi.
Et Dionyſi. Lib. x.

alij de Signis militaribus capiunt & vertunt. Ea quidem ipſa Græcanica phraſis in Thucydide eſt, & in ſimilem huic meo ſenſum. Ἐπειδὴ τὰ σημεῖα ἑκατέροις ἤρθη, ἐναυμάχουν: *Poſtquam vtriſque ſigna ſublata ſunt, nauale prœlium inierunt.* Et pòſt: ὡς ἡ μάχη ἐγένετο καὶ τὰ σημεῖα ἤρθη, βραχὺ μέν τι προῆλθον ὡς βοηθήσοντες. ἐπεὶ δὲ διὰ τάχους ἡ νίκη τῶν Ἀθηναίων ἐγίγνετο, καὶ τὰ σημεῖα κατεσπάσθη, πάλιν ἐπανεχώρουν ἐς τὸ τεῖχος: *Vt pugna facta eſt, & ſigna ſublata, paullum quid progreſſi ſunt vt auxilium laturi: poſtquam verè victoria Athenienſium celeriter fuit, & ſigna detracta ſunt, iterùm ad præſidium ſuum rediêre.* Ea Suidas & Scholiaſtes ſic interpretantur: Σύμβολά τινα εἶχον ἃ κατὰ τὸν καιρὸν τῆς μάχης ἐδείκνυτο. καὶ ὅτε μὲν ἐπῄροντο τὰ σύμβολα, ἤρχοντο τῆς μάχης. ὅτε δὲ κατεσπῶντο, ἐπαύοντο: *Signa quædã habebant, quæ ſub tempus pugnæ oſtendebãtur. & cùm ea erigebantur, pugnam incipiebant; cùm demittebãtur, deſinebant.* Aliquid ad hunc morem, quod Dio Chryſoſtomus ſuo etiam æuo vſurpatum oſtendit, vt in muris Signum poneretur, inſtante hoſte. Nam ita in Boriſthenetico: Καὶ αἵ τε πύλαι συγκέκλειντο, καὶ τὸ σημεῖον ἦρτο ἐπὶ τοῦ τείχους τὸ πολεμικόν: *Et portæ clauſæ erant, & in muro ſignum ſublatum bellicũ.* Imò de iſtâ ipsâ ruſsâ tunicâ, apud Græcos reperio exempla. Plutarchus de pugnâ Antigoni cum Cleomene, *quieſcere*, inquit, *quoſdam iuſſit*, ἄχρις ἂν ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἀρθῇ φοινικὶς ὑπὲρ σαρίσης διατεταμένη: *donec à rege ſublata eſſet punicea veſtis, ſuper ſariſſam extenſa.* Quod ipſum & in Polybio ita leges: Simile, quod Polyænus de Conone: ἀνῆρε τὴν φοινικίδα. τοῦτο δὲ ἦν μάχης σύνθημα τοῖς κυβερνήταις: *Suſtulit puniceam veſtem. erat ea autem ſignum pugnæ gubernatoribus nauium.* Eſt quidem in Homero etiam, de Agamemnone ſuos ad pugnam vocante:

Πορφύρεον μέγα φᾶρος ἔχων ἐν χειρὶ παχείῃ.
Purpuream endo manu validâ tollens ſibi veſtem.

Sed non niſi de propriâ & regali eius veſte Euſtathius accipit, quam ſuſpicari licet manu alleuatam ab eo, in feſtinatione & curſu. Sanè de tali aut alio ſigno vix mentio in Homero. Nec huic rei aliud lēgi, niſi ſi fortè in Curtio, de Alexandro, qui cùm tubę ſonus haud pariter ab omnibus exaudiretur cùm caſtra mouenda eſſent, *Perticã quæ vndique conſpici poſſet ſupra Prætoriũ ſtatuit, ex quâ ſignũ eminebat pariter omnibus conſpicuũ.* Sed id quale fuerit, non dicit. Etiã Perſas (in Ammiano) video ad oppugnationē vocari, *ſigno per flammeum erecti vexilli.* Etiam habes omnia Signa: an mentior? & vnum etiam ſupereſt, leue, facile, quod *pugnæ ſignum* item dicunt, aut ſimpliciter *Signum.* Illud idem, *Teſſera*: & Græcis σύνθημα. quod datur in vno alteroq; verbo ſub ipſam pugnã ab Imperatore, vt eo ſymbolo commilitones inter ſe nōrint, & item hoſtem. Cuius vſus perit, eùm iſte quoque tenet. Tacitus in bello ciuili: *Crebris interrogationibus notum pugnæ ſignum.* In Thucydide ſimile, pugnâ inter Syracuſios & Athenienſes: Καὶ τοῖς ἐρωτήμασι τοῦ ξυνθήματος πυκνοῖς χρώμενοι, σφίσι τε αὐτοῖς θόρυβον πολὺν παρεῖχον ἅμα πάντες ἐρωτῶντες, καὶ τοῖς πολεμίοις σαφὲς αὐτὸ κατέστησαν: *Crebris interrogationibus ſigni vtentes, ſibi ipſis tumultum crearunt, omnes ſimul interrogantes, & hoſtibus notum id fecerunt.* Remedium huic rei non abſurdum in Polyæno, qui inter ſtratagemata recenſet quòd *Acnes quidam dux Arcadum* τοῖς ἰδίοις ἐνδείξας ἴδιον σύνθημα, κτείνειν τοὺς τὸ σύνθημα ἐρωτῶντας: *ſuis militibus ſignum dedit, interficere eos qui ſignum interrogaſſent.* Ita Arcades cùm non rogarent tacitique eſſent, interrogantes Lacedæmonios (noctu autem hæc geſta) interimebant. De hoc ſigno Cæſar capiendus, pugnâ ſubitaria in Neruios: *Cæſari omnia vno tempore erant agenda vexillum proponendum, quod erat inſigne cùm ad arma*

Lib. 4. Græci & aliquid.
Suid. in σημεῖα.
In Philopœm.
Lib. II.
II. β. verſ. 221.
Signum à tuba. Lib. v.
Lib. xx.
De Teſſerâ.
II. Hiſt.
Lib. vii.
Autem. Lib. I.
II. Gallic.

concurri oporteret: ſignum tubâ dandũ, acies inſtruenda, milites cohortandi, ſignũ dãdum. Tria hîc habes noſtra ſigna: *Vexillũ, Claſsicum, Teſſeram.* de quâ poſtremâ, niſi verba poſtrema capis, ſuperflua videantur aut inculcata. De eodem Hirtius, bello Africo: *Cæſar ſigno Felicitatis dato, equo admiſſo in hoſtem ire cõtendit.* Fuit igitur ibi ſignũ, *Felicitas*: vt Bruto *Libertas* & pleriũq; tale aliquid, breue, & ominis boni. Vegetius: *Vocalia ſigna dicuntur, quæ voce humanâ pronuntiantur, ſicut in vigiliis, vel in prælio, pro ſigno dicitur; vt puta, Victoria, Palma, Virtus, Deus nobiſcum, Triumphus Imperatoris, & alia quæcunque voluerit dare is qui in exercitu habet maximã poteſtatẽ.* Veteres magis, nomina ferè deorũ dabant, quos aut patria, aut ipſi Duces colebant. Ita A Cyro ſignũ erat Ζεὺς σύμμαχος, ἡγεμὼν, σωτήρ: *Iupiter ſocius, Dux, Seruator*, vt Xenophõ tradit: Cæſari, *Venus genitrix*, vt Appianus: Auguſto, *Apollo*, vt Valerius. Et ſi alia quoque, imò & dicta & verſus: quæ longum ſit perſequi, & ſpontè occurrunt. Ego verò peregi iam plenè, tu abi, cura corporis me vocat. A v o. Nõne in craſtinum reuocas? L i p s. Sub lege, ſi illud nobis erit. Ego, in tam tenui valetudine, quid mihi pollicear? nec *multa* aut longè *sæcula*, vt poëta loquitur, tam imbecillus. A v o. O vtinam aliter ſit, vtinam de meis viribus, imò & annis, tibi addam! L i p s. Amanter hæc potiùs, quàm ſapienter: nec è medio ſpatio reuocari ad carceres velim, vtique in tam exercito curſu. Tu B r e v i a r i v m cape, & ſalue.

Cæſar illuſtrem. — Lib. III. cap. V. — VIII. Pæd. II Ciuil. I cap. V.

BREVIARIVM LIBRI QVARTI.

- **In acie quattuor dicta.**
  - **Ordo & diviſio in Genera.**
    - Haſtatos, qui per manipulos diſpoſiti primi, cum interuallis.
    - Principes ſecundi, pariter.
    - Triarij tertij, pariter.
    - Velites ſparſi in manipulos, in lateribus, in fronte.
    - Equites, ad latera, aut interdum in viis & à tergo.
  - **Signorum locatio & Ducum.**
    - Hæc circa frontem, in quoque Genere. Vnde Anteſignani & Poſtſignani.
    - Ex his Tribuni, Primopili & Imperator, circa medium, circáque Aquilas: Centuriones in fronte, ad ſuos quiſque manipulos.
    - De ipſis Signis & formâ, in occaſione additum.
  - **Forma inſtructionis.**
    - Quadrata plurimùm: eaq; duplex, aut triplex.
    - Aliter etiam duplex aut multiplex, cum Subſidiis.
    - Variatur Schematiſmis, Cuneo, Globo, Forcipe, Turribus, Serrâ.
  - **Adiuncta Aciei. vt**
    - Allocutio.
    - Claſſicum.
    - Clamor.
    - Signum pugnæ.

IVSTI LIPSI
DE MILITIA ROMANA
LIBER V.
DIALOGISMVS I.

Ad Diſciplinam tranſitum, ac primùm de ſede eius, Caſtris. Ea laudata, diuiſa, partes recenſitæ.

AVDITOR ad me ſolito maturior venit, & inſit, Amœnior hic, Lipſi, dies eſt,

Diffuſumque nitet pacato lumine cælum:

vt ait Lucretius: viſne ambulemus? Aura prouocat, tum etiam liberior ſermo atque animus erit, in ſpatiis his camporum. LIPS. Non nolo: & ſcis me, cum Cicerone olim, tueri valetudinem crebrâ iſtâ domeſticâ ambulatione: quidni magis amem & vſurpem, cum licet, illam ſubdiualem? Fiat: heus puer, cedo calceos & pallium. Habeo. imus? quò? AVD. Ad mœnia hæc ſi voles, verè amœna. Aquam hinc vides, illinc viridia, paulo lõgiùs agros & camporum ſpatia olim culta, nunc, heu, deſerta. LIPS. Deſerta? imò excisa pleraque aut deiecta En ſtirpes, en arbores, quæ fuerunt! en domus & ædificia, quæ fuerunt! Ferum Martem, nec qui animata ſolùm vità deuoluit, ſed euertit quidquid ſtetit. O enã ferum animi, qui cladibus his auctores! qui delectamini, qui gaudetis, & per malam ambitionem fouetis. Meo voto, in vos & capita veſtra experant primæ glandes emiſſæ aut prima tela. AVD. Tu ille mitis ſic loquens? LIPS. Loquor. iſti malorum fons & cauſſa, iſti per prauam cupidinem aut metum bella nobis ſuſcitant, poſt ipſos manſura. Iterùm voueo, cadant, & his victimis Bellona placata abeat, & candida Pax ſuccedat. AVD. Pacem laudare tecum poſſumus, atque etiam amare: ſed te doctore didici, vt in aëre, ſic in terrâ, ſuas eſſe bellorum tempeſtates, & deneri iſtâ grãdine atque atteri hominum aliquot ſtirpes. Nónne ferre noſtrum eſt? nónne iurare, vt ſic dicam, in communem iſtam legem?

Euripid.

Μοχθεῖν ἀνάγκη. τὰς δὲ δαιμόνων τύχας
Ὅστις φέρει κάλλιστ', ἀνὴρ οὗτος σοφός.
Dolere & affligi neceſſe, at qui Deûm
Sortem optime fert, ille vir verè ſapit.

LIPS. Scio, & à me fict. qui noui non caſus ſolùm, ſed ludibria rerum humanarum. In eo tamen maneamus,* τὸν σοφὸν μετριοπαθῆ μὲν εἶναι, ἀπαθῆ δὲ μὴ εἶναι. AVD. In iſtâc te maneo, in aliâ moneor & affectum vehementem habeo. LIPS. Quem, aut in quâ? AVD. Deſiderij vel cupidinis potius peraudiendi de re inſtitutâ. AD DISCIPLINAM ventum, quâ opus hodie maximè, & quæ non vſu ſolùm, ſed notitia videtur mihi ceſſiſſe. Tu renouas? LIPS. Non mearũ vitium. Suggerere aliquid poſſum ex illâ veteri, cap. at ex eâ aut hauriat ſi quis volet. Ambulemus, fabulemur, Polybium habes? AVD. Ecce meâ præuiſione puer habet. LIPS. Benè eſt, audi. Diſciplinam comprehendi in definitionis meæ verbis, SVB CERTA LEGE. Nec enim aliud ea eſt, quàm *Præſcriptio & lex quædam militandi, & in militia eſſe gerendi.* Itaque ea continet, *Modum, Munia, Opera, Tempus* militiæ: & quæ pleraque Polybius exſequitur, etſi nec diſpoſitè ſatis, nec plenè. Sed ſiquid ille omittit, aut alibi aut hîc dicam. Politicis enim noſtris Monitis ſiue Notis quædam reſeruamus, autè etiam à nobis factum. Tu librorum cape, & lege:

Aristot.
* *Sapientē moderate affici debere, nullis non habere.*

Dio, l. 1. de Bello.

POLYB.

Τούτων δ' ἀπερπων γινομένων, παραλαβόντες οἱ χιλίαρχοι τοὺς Ῥωμαίους, ὁμοῦ καὶ τοὺς συμμάχους κατεστρατοπέδευσαν, ἑνὸς ὑπάρχοντος παρ' αὐτοῖς θεωρήματος ἁπλοῦ περὶ τὰς παρεμβολάς, ᾧ χρῶνται πρὸς πάντα καιρὸν καὶ τόπον. διὸ καὶ δοκεῖ μοι πρέπειν τῷ καιρῷ, τὸ πειραθῆναι καθόσον οἷόν τε τῷ λόγῳ τοὺς ἀκούοντας εἰς ἔννοιαν ἀγαγεῖν τοὺς κατὰ τὰς πορείας καὶ στρατοπεδείας καὶ παρατάξεις χειρισμοὺς τῶν δυνάμεων. τίς γὰρ οὕτως ἐστὶν ἀπειθὴς πρὸς τὰ καλὰ καὶ σπουδαῖα τῶν ἔργων, ὃς οὐκ ἂν βουληθείη μικρὸν ἐπιμελέστερον ἐπιστῆσαι περὶ τῶν τοιούτων, ὑπὲρ ὧν ἅπαξ ἀκούσας, ἐπιστήμων ἔσται πράγματος ἑνὸς τῶν ἀξίων λόγου καὶ γνώσεως;

His ita paratis, accipiunt Tribuni Romanos vnà & Socios, & caſtrametãtur: vnâ quidẽ apud eos & pariformi metatione, quâ vtũtur in omni tẽpore & loco. Ideóque & viſum mihi nũc decorũ, conari quantum id verbis poteſt, audientes inducere in notitiam modi & ordinationis, circa itinera, circa metationes, circa inſtructiones copiarũ. Quis autem adeo abhorret abiunctuſq. eſt à pulchris & honeſtis rebus, vt nolit paullo attentiùs hæc inquirere, quæ cùm ſemel audierit, gnarus erit vnius rei inter alias digniſſimæ notitiâ, & conſideratione?

Ad caſtra, vt vides, nos ducit: & Diſciplinam ego iſthinc ordior, non quia ſola ea pars, aut non ea alibi.

ſed quia hîc præcipuè. Nam Caſtra re ipsâ gymnaſium, palæſtra, ſedes, imò & domicilium Diſciplinæ. *Munia, Opera, Exercitia, Præmia, Pœna* ſunt in caſtris: & vno verbo, hîc regitur miles & formatur. Ipſa caſtra non ſine Diſciplinâ fiunt, aut cõſtant: quæ accuratiſſima ſanè apud Romanos. Audi hoc à me. ſi in toga aut ſago pars alibi aut ſpecimen Romanæ prudentiæ: hîc reperies, imò ſapientiæ, & iudicio eo verbo vtor. Non vanè aut leuiter Polybius hîc attollit, & *rem vnam omnium cognitione digniſſimam* ait. Quis Polybius? quo vix alius ſcriptor iudicio firmior, & nemo certè vſu atque experientiâ doctior. Ergo verba cogitatè examinemus & penſiculemus.

Laudatio Rom. caſtrorum.

» *Caſtra metantur.*] Nam quamprimùm iuncti ciues & ſocij, non conſident ſine caſtris. Sed ea iunctio plerumque in locis hoſti vicinis, aut certè extra Romanum ſolum. Nullam illi noctem (vide curam & prouidentiam) ſine caſtris agebant, & ſemper ligneis terreisque iſtis mœnibus, vt in vrbe, cincti. Quando id inſtitutum? ab antiquo, ſi Liuium & Dionyſium interrogas, qui ſub regibus & ſtatim poſt eos, caſtra ponunt, vallo & foſſâ cingunt. Pluries meminerunt. Eò mirer à Frontino hanc rem ad Pyrrhi tempora relatam, & aſſeri ab eius exemplo, inſtitutam. Nam ait: *Caſtra antiquitus Romani paſſim per corpora cohortium, veluti mapalia, conſtituere ſoliti erant: Pyrrhus Epirotarum rex primus totum exercitum ſub eodem vallo continere inſtituit. Romani deinde, victo eo in campis Aruſinis, caſtris eius potiti & ordinatione notatâ, paullatim ad ad hanc vſque metationem quæ nunc eſt, peruenerunt.* Tutâ in re dubito, & controuerto. Romani, inquit, anteâ *per cohortes*? atqui Manipulos fuiſſe docuimus, & eam olim diuiſionem. Pyrrhus *primus exercitum ſub eodem vallo*? nec apud Græcos quidem verum, & in Homero ipſo exempla ſunt quæ refellunt. Illud fortaſſe potuit, Pyrrhum (vt fuit diligens ordinis & inſtructionis) primum curioſiùs meliuſque caſtra digeſſiſſe: & fortaſſe ad illud inſtar Romani. Fortaſſe inquio. nam cur adfirmem? video in reliquo, ordine omnia compoſita iam antè apud Romanos: potuit & debuit ἀναλόγως etiam in caſtris. Si aliter: cur Polybius, qui ſic libens abit & trahit in laudem ſuæ gentis, imitationem hanc ſiluit? Imò cur diuerſa tota & alia apud Græcos ratio? quod ipſe infrà dicet. Sed ſiue à ſe, ſiue ab alijs Romani: pulchra & admirabilis hæc facies ipſis etiam Græcis. Philippus Macedonum, narrante Liuio, *ſubiecta cernens Romana caſtra, admiratus eſſe dicitur & vniuerſam ſpeciem caſtrorum, & deſcripta ſuis quæque partibus, tum tendentium ordine tum interuallis: & negaſſe Barbarorum ea caſtra vlli videri poſſe.* Idem hoc Pyrrho Plutarchus adſcribit: illi, dico, Pyrrho Epirotæ: ſi verè, quomodo Frontinus verè? Sed Plutarchi verba hæc: τάξιν τινὰ φυλακῆς καὶ κόσμον ῥωμαίων & τὸ σχῆμα τῆς στρατοπεδείας ἰδὼν ἐθαύμασε, καὶ τῶν φίλων προσαγορεύσας τὸν ἐγγυτάτω, τάξις μὲν, εἶπεν, ὦ μεγάκλεις, αὕτη τῶν βαρβάρων οὐ βάρβαρος: *Ordinem, & ſtationes, & diſpoſitionem Romanorum, & figuram ipſam caſtrorum admiratus eſt: & proximum amicorum affatus: O Megacles, inquit, hic ordo barbarorum, non eſt barbarus.* Si ipſe Pyrrhus metationi huic adſtupuit: non ab eo profectò exemplum.

Vetera caſtra.

Frontinus tamen vult à Pyrrho. Lib. IIII. cap. I.

Non meo aſſenſu.

Lib. XXXI.

In Pyrrho.

» *Vnâ quidem apud eos & pariformi metatione.*] Aliter quàm apud Græcos aliosque, qui pro locis & temporibus mutabant. Non ſic Romani, ſimplex ſemper & eadem: excipio, quòd minor vel auctior ſpatio, pro numero legionum. Sed quadrata ſemper, ſed portæ & ſectiones eædem, ſed tabernacula ducum & militum eodem ſitu. Hinc vtiliſſima illa notitia caſtrorum, & præuiſa & inuenienda militibus omnia, ſicut ciuibus in aliquâ vrbe. Vniuſmodi igitur ſemper caſtra, ſi formam conſideres: paullùm alia, ſi apparatum totum & inſtructum. Nam moneo, duplicia Romanis caſtra fuiſſe, *Aeſtiua & Hiberna*. Illa, quæ mobilia, & æſtatis ſiue expeditionis tempore, in vnam ſæpe noctem ſtructa. Quæ iterùm duplicia, à moræ manſioniſque differentiâ. Si enim vna alteraq; aut omnino paucæ noctes in iis agendæ: ſine aliâ additione *Caſtra* dicebantur, aut *Manſiones* etiam poſteriore æuo. Si diutius ſubſiſtendum; ab ipsâ re *Statiua*, aut *Statiuas*. In Suetonio Æſtiua habes: *Obijt in caſtris Aeſtiuis, quæ ex eo Scelerata ſunt appellata.* Statiua in Liuio, ſub Rege Tarquinio: *In its Statiuis, vt fit, longo magis quam acri bello.* Cæſar: *Eodem die vterque eorum ex caſtris Statiuis, à flumine Apſo, exercitum educunt.* Dixi & *Statiuas* appellari, voce in poſtremis ſcriptoribus reperiendâ, & intellegunt *Sedes*. Verba edicti Alexandri Imp. apud Lampridium. *Illâ die, illâ horâ, ab vrbe ſum exiturus, & ſi dij voluerint, in primâ manſione manſurus. Deinde per ordinem manſiones, deinde Statiuæ.* Sedes dixi intellegi: & ipſa ea vox pro caſtris. Vegetius; *Erudiri in ſedibus milites.* Ammianus: *Militares numeri deſtinatas remearunt ſedes.* Et pluſcula exempla. At *Hiberna* ſunt, quæ per hiemẽ & in diuturnâ manſione militibus receptaculũ: ab ipſo item ſic tẽpore dicta. *Hiemalia* Vopiſcus appellauit: *Tuum eſt illic Hiemalia & Aeſtiua diſponere, vbi tuis nihil deerit.* Iſtorũ origo in Liuio, bello Veienti: *Hibernacula etiã, res noua Romano militi, ædificari cœpta.* Annæus Florus: *Tũc primum hiematum ſub pellibus, taxata ſtipendio hiberna.* Id fuit ſub annum Vrbis CCCLVIII. Etſi Liuius & Cæſar, *Pelles* remouere & ſeiungere ab *Hibernis* videntur. vt ille lib. XXXVIII. *Inſtare hiemem. aut ſub pellibus milites habendos fore: aut ſi concedere in Hiberna vellent, differendum in æſtatem bellum.* Cæſar lib. III. *Huiuſmodi tempeſtates conſecutæ ſunt, vt continuatione imbrium, diutiùs ſub pellibus milites contineri non poſſent. Itaque exercitum Cæſar in Hibernis collocauit.* Itaque, pro iſtorum mente, *Statiua* illa ſint ſub Pellibus: *Hiberna*, in opidis, aut caſtris, quæ tabernaculis & alio opere accuratiùs inſtructa. & meritò, tum contra cæli iniurias, tum quia vſui plura neceſſaria in diuturnâ morâ. Itaque hæc talia partes ſiue membra habebant magis diſtincta, vt *Armamentarium, Fabricam, Valetudinarium*, & ſiquid reperis tale. Imò ea vera inſtar opidorum ſæpe ſtruebantur, præſertim in finibus imperij, & vbi perpetuæ ſtationes & prætenturæ contra hoſtem. Tale in Euphratis, Danubij, Rheni noſtri ripâ: & hæc ea origo & genitura nobilium aliquot hodie opidorum. Ad hæc etiam, ea quæ *Proceſtria* dicebant, niſi fallor. Feſtus enim in eâ voce explicandâ nutat: *Proceſtria, quò proceditur in muro. Ælius Proceſtria ædificia eſſe dixit extra portam. Artorius, quæ ſunt ante caſtra, etiam qui non habent caſtra, propugnacula quibus pro caſtris vtuntur, ædificant.* Sententiæ tamen haud nimis diuerſæ, ſi attendis. Prima eſt, locum ſpatiumque ſic dici proceſſus in muro. quid vult? ambulacra illic, à procedendo? vix opinor, & malim ſcribi, *quò proceditur à muro.* vt ſint Proceſtria, quidquid ante muros eſt. quomodo Ælius, *ædificia extra portam*: quaſi ſuburbia aut προάστεια. At Artorius, vult ædificia eſſe ante caſtra: & ſi non ſint caſtra, illa ipſa quæ loco caſtrorum ſunt, *propugnacula ædificiave*. Ita enim poſtremam vocem ſcripſerim, & me capis. Duplex eſt ſententia ſcilicet Artorij: aut ædificia ante caſtra eſſe, aut ipſa illa quæ vice caſtrorum vſurpantur. Sicut *Pro caſtris*, duo notat, & ante ea, & pro ipſis. Sed quid iuuat hæc * ἐξακανθίζειν? tenuis fructus: magis noto, pro Artorij priore ſententiâ Gloſſas eſſe, dum

Vniformia Romanis caſtra.

Duorum generum.

Aeſtiua.

Statiua. Claud. cap. I. Lib. I.

Sedes, pro caſtris.

Hiberna.

In Aurel.

Lib. V.

Lib. I. cap. XII.

Membra caſtrorum.

Proceſtria.

Diuerſum in Feſto.

Ex interim.

** ſubtiliter vellere, ſpinas eligere*

explicant

explicant. Procaſtria, οἰκήματα πρὸ τῆς παρεμβολῆς. itémque morem vulgò caſtrenſem, quem Tacitus notat. *Subuerſa longa pacis opera, haud procul caſtris in modum municipij exſtructa.* Sunt profectò hæc *Procaſtria*: quæ adnexa ferè Hibernis aut Statiuis, vt eò reciperentur lixæ, aduenæ, & qui alij paganorum caſtra ſequerentur. Miſceri enim eos militibus, non Romanus vſus. Cæſar pro hac conſuetudine, cùm Germanos equites ſubitò ſcribit ad caſtra aduolaſſe: *Nec priùs ſunt viſi quàm caſtris appropinquarent, vſque eò, vt qui ſub vallo tenderent mercatores, recipiendi ſui non haberent facultatem.* Manifeſtò dat intellegi, lixas, id eſt mercatores & id genus, ſub caſtris tetendiſſe, non in caſtris; & receptum denique in ea habuiſſe, hoſte inſtante.

» *Circa itinera, circa metationes, circa inſtructiones copiarum.*] Tria polliceri videtur iam dicturus, *Agmen, Caſtra, Acies.* Priora duo exſecutus eſt, etſi ordine alio: tertium deſidero, ſi tamen id ſenſit. Vox Græca ſanè eò ferè ducitur: & ſi ita eſt, abſoluo culpæ Polybium, cuius antè reum feci, quaſi neglegenter de Acie omiſiſſet. Fortaſſe nunc non ipſe, ſed exſcriptorum aut temporum culpa hæc ſubduxit.

Tacit. lib. IIII. Hiſt.

Lib. VI.

DIALOG. II.

Prætorij poſitura, eius magnitudo, & partes.

POLYB.

Ἔστι δὲ τὸ γένος αὐτῶν τῆς στρατοπεδείας τοιόνδε. ἐκλεχθέντος ἀεὶ τόπου πρὸς στρατοπεδείαν, τούτου τὸν ἐπιτηδειότατον εἰς σύνοψιν ἅμα καὶ παραγγελίαν, ἡ τοῦ στρατηγοῦ σκηνὴ καταλαμβάνει. τεθείσης δὲ τῆς σημαίας, οὗ μέλλουσι πηγνύναι ταύτην, ἀπομετρεῖται πέριξ τῆς σημαίας τετράγωνος τόπος. ὥστε πάσας τὰς πλευρὰς ἑκατὸν ἀπέχειν πόδας τῆς σημαίας, τὸ δ' ἐμβαδὸν γίνεσθαι τετράπλεθρον.

Eſt autē metatio caſtrorum eiuſmodi. loci ſemper quem caſtris delegerint, aptiſſimam & commodiſſimā partem aſpectui ſimul & iuſſioni, eā ſibi vindicat Prætorium. Signo autē poſito, vbi id defixuri ſunt, menſura definitur circùm id ſignum quadratum ſpatium, ſic vt omnia latera à ſigno centum pedes abſint, fiátque tota ipſa area ſiue pedatura iugerum quaternûm.

CVM laudauit Polybius caſtra, ponit & deſignat: ſed Prætorium primò. Quidni illud? honoris & decentiæ cauſſâ, primo Duci primus locus. Tamen Vegetius ipſa Signa militaria præmittit, atque iis locum præmetatur. *Prima*, inquit, *ſigna ſuis locis intra caſtra ponuntur, quia nihil eſt venerabilius eorum maieſtate militibus. Deinde Duci Prætorium eiuſq; comitibus præparatur, ac Tribunis tabernacula collocantur.* Et Polybius hîc quoque (& magis poſteà) *Signi* aut *Vexilli* meminit primò poſiti: ſed in alium ſenſum, nec illius militaris. Sanè Vegetij æuo dixeris Signa in vno loco circa Principia conſtitiſſe: quod & ex Taciti ſcriptis liceat opinari. At Polybius Signorum mentionem haud aliter facit, videturque locare in Manipulis ſuis quodque, aut Turmis. Iſta quidem Signa, quæ ad locum notificandum, metatorum ſunt, vt poſteà dicam, non legionum aut manipulorum.

Signa primo loco Vegetius.

Lib. II. cap. VIII.

» *Aptiſſimam & commodiſſimam partem, aſpectui ſimul & iuſſioni.*] Nempe eam partem quæ editior, aut cui aliunde nihil obſtabat: quæ aſpici vndique & aſpicere poterat, è quâ dari mandata & audiri. Nam ecce Allocutio, Signi ad pugnam propoſitio, circa Prætorium aut ſuper ipſum facta: quæ locum volebant liberum & conſpectum. Ea ipſa res ad maieſtatem aliquam & vim imperij faciebat, etiamne e loco qui dignitate eminebat. Ipſum etiam Tabernaculum non latius ſolùm ceteris, ſed altius, & quaſi in vrbe aliquâ templum.

Prætorium in edito aut conſpectu.

Ipſum arduum.

» *Prætorium.*] Vna iſta vox Latinis, quam duplici Polybius interpretatus eſt, τὴν στρατηγοῦ σκηνήν, *Tabernaculum Prætoris.* Etſi Græci quoque ſimpliciter στρατήγιον, quaſi *Imperatorium*, aut *Prætorium*, dicunt. Corrigi Suidam ita cenſeo: στρατήγιον, ὁ τόπος τοῦ στρατοῦ: *Strategium, locus exercitus*: imò verò τοῦ στρατηγοῦ, vel ex iis quæ Suidas adtexit. Sed cùm Latinis *Prætorium*? Feſtum audi: *Initio Prætores erant, qui nunc Conſules, & ij bella adminiſtrabant, quorū tabernaculum quoque dicebatur Prætorium.* Auguſtæa ætas videtur & hoc *Auguſtale* dixiſſe: vt quidē in Fabio lego, ſed ſolo: *Carmē funebre, propriè Næniā; & tabernaculū ducis, Auguſtale.* Poteſt ab Auguſtis ita dictū eſſe, qui in eo tendebant: ſed exemplum tamen eius verbi aut vſurpationem, mirum nuſquam reperiri. Aliter autem etiam Latinis vox *Prætorij*: nec pro loco ſolùm, ſed pro conuentu & hominibus qui in eo loco. Hoc ſenſu *Prætorium dimittere* dicunt: quod eſt proinde, quaſi *Curiam mittere*, aut *Senatum.* Liuius: *Tribunis edicit, vt vbi Prætorio dimiſſo ſigna concinuiſſent.* Idem iterùm: *Priuſquam Prætorium dimitteret, denunciante.* Iterumque: *Fuluius dimittens Prætorium Tribunis militum imperat.* Quæ miſſio ſemper ad horam & ſtatutum tempus facta, ſcilicet veſpere & luce abeunte, cùm Vigiliæ mox conſtituendæ eſſent, & quiſque ad corpora aut munia ſua curanda abiret. Ideò mandata, ſiqua in noctem aut primam lucem Imperator vellet, tunc dabat: ne quies turbaretur caſtrorum. Dictio hæc reſtituenda Liuio, in rebus Annibalis. vbi acer ille Imperator & in dolos intentus ſub pugnam ad Trebiam, fratri ſuo Magoni in tabernaculo infit: *Delige centenos viros ex omni pedite atque equite, cū quibus ad me vigiliâ primâ venias: nunc corpora curare tempus eſt. Ita prætorium miſſum.* Sic ſcribunt vſque adhuc, & explicant Præcones circummiſſos, qui edicerent corpora curare. Ego verò non admitto in Romanâ aut Punicâ militiâ *Præcones*: etſi Græcos, habuiſſe probè ſcio: magiſque accedo veteribus libris, in quibus conſtanter repperi, *Prætorium miſſum*: & quis non probet? Simile eſt alterum illud è militiâ, *Mittere Principia.* In Frontino leges: *Perſtare in principiis, donec ea mitterentur, præcepit.* Quod ille de militibus dixit ignominiâ notatis, & oculis omnium in fœdo habitu ibi expoſitis. Tentanda non eſt aut immutanda ea ſcriptio (conati quidam:) firmaturque iterùm à Frontino: *Tempus elegit quo miſſa principia quietem omnibus caſtrenſibus dabant.* Quid igitur hoc eſt? pænè idem quod alterum prius: & dicuntur mitti aut dimitti Principia, cùm Tribuni non vltrà ibi præſident, ius aut mandata diſpertiunt, ſed ſub noctem ad Prætorium eunt, mox ad ſe itum. Id verò eſt *mittere principia*, & conuentum militum ſoluere, qui ibi frequentes. Cùm de Vigiliis agemus, capies hoc magis.

Strategiū.

Prætorium vnde dictū.

Auguſtale.

Lib. XVIII. cap. III. Sed ſine exemplo.

Alio ſenſu Prætorium.

Lib. XXX.

Lib. XXXVI.

Lib. XXI.


Correctus Liuius.

Principia mittere. Lib. IIII. cap. I.

Lib. II. cap. V.

Quo ſenſu dictum.

» *Vt omnia latera à ſigno centum pedes abſint.*] Si-



gnum hoc fuit vexillum album, vt infrà dicam. Ab eo remouet quaquauerſus latera pedes centenos. Eſt igitur quadratum hoc iuſtum, cuius latera ſingula *pedum ducentenûm*. Nam vide in figurâ. Grandis igitur & capax hæc metatio, ac par (vt mox videbis) illi quattuor manipulorum, ſiue hominum *quadringentorum octoginta*. Ergóne opus tantâ? opus, Primùm, quia ipſe Prætor, pro ſe, laxiùs paullo agere & tendere debuit, quàm caput aliquod è vulgo. Deinde, quia miniſtri aut comites illi plures, quos iuxta ſe habebat. Inter miniſtros, lictores erant primò, & peculiares deinde ſerui ad varios eius vſus. Inter comites, honeſtiores multi, qui amicitiæ cauſsâ aut militiæ, ſponte eum ſecuti. Hi *è contubernio Prætoris*, aut *Contubernales* eius dicebantur, quoniam eâdem iſtâ pedaturâ tendebant. Imò Senatorum filij, & tale nobiliorum genus, comitari ita magiſtratus ſolebant. Atque ipſe Iulius Cæſar, cùm ſuâ quadam cauſsâ peregrinari nobiles nollet, tamen hoc vtiliter à maioribus inſtitutum nòn abrogauit, & cum exceptione edixit: *Neu quis Senatoris filius, niſi contubernalis aut comes magiſtratus, peregrè proficiſceretur.* Ita Suetonius in eius rebus. Et ſanè vtilitas hîc clara, quòd iuuentus caſtè modeſtéque agebat, ſub oculis & in latere ducis: quòd ſermonibus ſæpe militaribus, & interdum conſilijs, intererat: denique *duces agere*, vt Plinius admonet, *parendo diſcebat.* Sed & laxitate Prætori opus, ad mulos & iumenta quæ plura habebat, itémque ad ſupellectilem & vaſa. Pecunia è publico ad *Mulos & tabernacula* dabantur: & altera ad *Vaſa*, *Vaſarium* appellata. In his quidem, adeò non vſum, ſed delicias & luxum quidam ſpectabant, vt de Cæſare ſcripſerit Suetonius: *In expeditionibus teſſellata & ſectilia pauimenta circumtuliſſe.* ſcilicet quibus Prætorij ſui ſolum parte aliquâ tegeret, & ſterneret, in breuem vſum. Nec de Prætorio plus hauſeris è Polybio: de meo aliquid addam? quoniam toto capite adnuis, fiat. Forma eius ſuperior fuiſſe videtur rotunda, ex Varrone: *In cauædio ſi locus nullus relictus, ſub diuo qui eſſet, teſtudo dicebatur, à teſtudinis ſimilitudine: vt eſt in Prætorio in caſtris.* Significat teſtudineâ formâ id fuiſſe, curuatum in cameram rotundiorem. Hac cauſsâ fortaſſe Ioſephus cum templo componit: τὸ στρατήγιον, inquit, ναῷ παραπλήσιον: *Prætorium templo ſimile*, quòd templa pleraque talia: aut etiam, quòd eminebat in medijs caſtris, vt in vrbe aliquâ templum. An & quia religio ibi, & pars ſacrorum? certè *Augurale* fuit vbi ſacrificare & auſpicari Imperator ſolet. Tacitus de Germanico: *Nocte cœptâ egreſſus Augurali, per occulta & vigilibus ignara.* Meminit iterùm: *Structam ante Augurale aram ſubditâ face accendit.* Ita enim legerim magis, quàm vt vulgatur: *Structam ante Auguralem aram.* Quaſi Ara aliqua cognomento *Auguralis* fuerit: quod non probo, nec etiam ante aram aliquid ſtruimos, ſed in ipsâ, aut ſuper ipſam. Itaque crediderim ante ipſum Augurale aram hanc fuiſſe, in quâ ſollenniter libamenta aliqua illata & cremata, cottidianæ religionis ergo. An non Dionyſius hanc intelligit, cùm inter prodigia ſcribit: Τῷ ἑτέρῳ τῶν ὑπάτων γαΐῳ μαλλίῳ σκηπτὸς εἰς τὸ στρατήγιον ἐμπεσὼν, τήν τε σκηνὴν διέσεισε, καὶ τὴν ἑστίαν ἀνέτρεψεν: *In alterius Conſulum, C. Manlij Prætorium fulmen incidens, & tabernaculum disiecit, & focum ſiue Aram euertit.* Niſi ſi de Larum magis foco intelligit: quod in medio pono. At ipſum noſtrum hoc eſt, quod *Auguratorium*, Iulio Hygino dicitur (vir ille de Caſtris ſcripſit, & vidi in codice veteri ac libaui) *Auguratorium*, inquam, ipſi: qui & ſitum docet: *Auguratorium parte dextrâ Prætorij, Tribunal leuâ, vt accepto augurio inſuper aſcendat.* Ecce duo membra Prætorij, Augurale & Tribunal, & vtrique ſuum locum. Quod autem *dextrâ* ait, aut *ſiniſtrâ*: puto capiendum pro intrantium ratione, & aſpectu venientium à Decumanâ. Sed & Stabula, Culinam, & eiuſmodi partes ſeorſim in Prætorio fuiſſe, tu tibi ſubieceris me ſilente, nec longè à Prætorio *Armamentarium*, cùm id fuit.

» *Tota ipſa area ſiue pedatura iugerum quaternûm.*] In Græco *Plethra quaterna* ſunt: nos fecimus *iugera*, etſi plurium opinione Iugerum eſt paullò maius. Poſſis verius firmiuſque, *Verſus*. Varro: *Verſum dicunt centum pedes quoquouerſus quadratum.* Quod ipſum dimenſum quaret eſt in areâ Polybianâ. Sed Varro addit, *in Campaniâ* vulgò ſic appellare & metiri: contrà Hyginus *in Dalmatiâ*. *Iugerum*, inquit, *in Dalmatiâ Verſus appellant, in prouincia Narbonenſi alij Librum, alij Parallelum.* Sed in verbis quid inſiſtam, cùm rei adfatim? A V D. Etiamnum inſiſtes, & te rogo. L I P S. Quid illud? A V D. *Pedaturam* hîc quam appellas, ea firmat mihi pedem. Libera & expedi. L I P S. In facili eſt: quia tamen voce eâ ſæpe & neceſſariò vtar, audi. Quod Græcis ποδισμὸς, id Latinis *Pedatura*: etſi *Podiſmus* ipsâ Græcanicâ voce crebrò in hac tali re Vegetius vſus. Podiſmus autem, dimenſio, aut & dimenſum ipſum per pedes: ſicut σταδιασμὸς per ſtadia. Ad verbum eſt, *Pedatura*. Gloſſæ illæ fidæ: ποδισμὸς, *pedatura*. Vegetius: *Singulæ centuriæ accipiunt pedaturas.* Caſſiodorus: *Pedaturas murorum omnes ſubeatis.* Hyginus in iſtâ re caſtrorum: *Si ſtrictior fuerit pedatura.* Et accipiunt, vt vides, non pro ipsâ menſurâ tantùm, ſed pro ſpatio areâque quam ſic dimenſi. Neſcio an Frontinus magis nouè hoc ipſum non *pedem* dixerit: *Pomiferam arborem*, inquit, *quam in pede caſtrorum fuerat amplexu metatio.* Interpreter equidem, pedaturâ & areâ: niſi quis extremum & finem caſtrorum malit. Sed pro priore tamen ſenſu ſciat & Senecam eſſe: *Exiguum ſæpe area in multos vſus deſcribentis arte patuerunt, & pedem quamuis anguſtum diſpoſitio fecit habitabilem.*

DIALOGVS III.

Tribunorum metatura, Quæſtoris, Euocatorum, Ablectorum, Extraordinariorum.

I A M perge ſodes, & lege.

Τούτου δὲ τοῦ σχήματος ἀεὶ παρὰ μίαν ἐπιφάνειαν καὶ πλευρὰν, ἥτις ἂν ἐπιτηδειοτάτη	*Ad huius figuræ ſemper vnum adſpectum & latus, quod optimum videatur*

Margin notes (left): *Area Prætorij.* — *Cur tam ampla.* — *Miniſtri & apparatus Prætoris.* — *Comites & Contubernales.* — Cap. XLII. — *Muli & vaſa mulſa.* — *Iuliqua de luxu.* Cap. XLVI. — *Forma Prætorij.* IIII. de L. L. — Lib. III. Excid. — *Cum templo comparatur.* — *Augurale ibi.* — II. Annal. XV. Annal.

Margin notes (right): *In Tacito inſtrauratio.* — *Ara ad Augurale.* — Lib. II. — *Vbi id fuit.* — *Verſus, quid.* I. de R. R. cap. 10. — *Pedatura.* — *Podiſmus.* — Lib. III. cap. VIII. V. Var. III. — *Pes pro modo.* Lib. III. cap. III. — De Tranq. cap. 2. — POLYB.

φανῇ πρὸς τὰς ὑδρείας καὶ προνομάς, παρεμβάλλουσι τὰ ῥωμαϊκὰ στρατόπεδα τὸν τρόπον τοῦτον. ἓξ ὑπαρχόντων χιλιάρχων ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ κατὰ τὸν ἄρτι λόγον, δυεῖν δὲ στρατοπέδων ὄντων τῶν ῥωμαϊκῶν ἀεὶ μεθ' ἑκατέρου τῶν ὑπάτων, φανερὸν ὅτι δώδεκα χιλιάρχους ἀνάγκη συστρατεύειν ἑκατέρῳ τῶν ὑπάτων. τιθέασι δὴ τὰς τούτων σκηνὰς ἐπὶ μίαν εὐθεῖαν ἁπάσας, ἥ τις ἐστὶ παράλληλος τῇ τοῦ τετραγώνου προκριθείσῃ πλευρᾷ, πεντήκοντα δ' ἀπέχει πόδας ἀπ' αὐτῆς, ἵπποις ἅμα δ' ὑποζυγίοις καὶ τῇ λοιπῇ τῶν χιλιάρχων ἀποσκευῇ τόπος. αἱ δὲ σκηναὶ τοῦ προειρημένου σχήματος εἰς τοὔμπαλιν ἀπεστραμμέναι, πήγνυνται πρὸς τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν, ἣ θέσω καὶ καλείσθω δὲ καθάπαξ ἡμῖν ἀεὶ τοῦ παντὸς σχήματος κατὰ πρόσωπον. ἀφεστᾶσι δ' ἀλλήλων μὲν ἴσον αἱ τῶν χιλιάρχων σκηναί, τοσοῦτον δὲ τόπον, ὥστε παρ' ὅλον τὸ πλάτος ἀεὶ τῶν ῥωμαϊκῶν στρατοπέδων παρήκειν.

aquationi & pabulationi locantur Romanæ legiones hunc in modum. Cùm ſex Tribuni ſint in legione, vt diximus, & duæ ſint vtique legiones ipſius Conſulis; liquet duodecim Tribunos alteri Conſulum in militiâ adeſſe. Collocant horum tabernacula ad vnam rectam lineam omnia, quæ parallela ſit & paridiſtant lateri Quadrati in hanc rem capto. Diſtet autẽ ab eo quinquaginta pedes: equis ſcilicet, & iumentis, & reliquis Tribunorum impedimentis locandis. Tabernacula autem prædicta Figura auerſa ponuntur, vt extrorſum ſpectent. quod ſit, & appelletur ſemel à nobis, totius figura caſtrenſis frons & facies. Diſtant inter ſe Tribunorum tẽtoria æqualiter, & eò producuntur, vt omne ſpatium attingant Romanarum Legionum.

Statuto Prętorio & ſede Conſulis, proximum eſt locare ab eo proximos, ij ſunt Tribuni. Ponit: & indicat quâ parte ſemper. Ait:

Prætorij aſpectus Decumanæ verſus.

" *Ad huius figuræ ſemper vnum aſpectum & latus.*] Seriò hoc monet & præmittit, nunquam variatum in hac poſiturâ. Semper ad vnum latus, idemque huius Quadrati, Tribuni collocati; & infra eos, legiones. Quod autem latus? id, inquit, quod aquando aptiſſimum ſit & pabulando. Igitur aptabant ita caſtra, vt Prætoria ferè porta hoſtem ſpectaret, Decumana auerſiſſima ab illo. Et per hanc plurimùm aquabantur & pabulabantur: ergo & facies caſtrorum tota verſa in illam.

" *Quinquaginta verò pedes ab eo diſtat.*] Rimâti aut inquirenti omnia hîc ſatis clara. Linea iſta, inquit, parallela diſtat à lineâ Quadrati quinquaginta pedes. Quo fine hoc ſpatium? vt tabernacula illic Tribunorum poſſint ſtatui, atque ea ipſa laxiora, calonibus, equis, mulis. Quis neſcit honeſtiùs paullò comitatos inſtructoſque fuiſſe hos militum duces, & ſæpe Senatores?

Prætoria frons, duplici conſideratione.

" *Totius figura caſtrenſis frons & facies.*] Id eâ cauſsâ, quòd omnia illuc ſpectent & intendant. Hac igitur conſideratione Prætoria porta, & quæ iuxta eam, tergum & poſteriora caſtrorum ſunt: Decumana & introrſum alia, facies & pectus. Diuerſa inſpectio eſt, cùm Tacitus *aduerſa caſtrorum*, Decumanam appellat: & Liuius *abs tergo caſtrorum* eam ponit: quod fit intuitu & relatione ad hoſtem. Nam hæc ferè ſemper illi auerſa, atque ita frons cenſetur pars ei proxima & oppoſita.

" *Diſtant inter ſe Tribunorum tentoria æqualiter.*] Nota non continua igitur fuiſſe, nec connexa. Cur autem ſeparata? credo ad vſum militarem, & vt cõmeatus ac tranſitus vndique ad Forum vtrumque eſſet, per minutas illas vias & ſpatia interiecta. Sed & dignitas locationis maior, ſic diuiſæ & abiunctæ. Quanta autẽ illa interualla? in Tabulâ videbis. Nunc ſi placet, lege, non quæ ſequuntur, ſed paullò inferiùs, quæ huc ſpectant. Etſi enim Polybius ipſe Principia & legiones hîc adtexit: tamen ordini meo & intellectui tuo aptius, totam *Superiorem* partem ſimul deſcribi, & tum ad *Imam* iri. Ergo iſta nũc lege:

POLYB.

Ὁ δ' ὑπὸ τὰς τῶν χιλιάρχων σκηνὰς ὄπισθεν τόπος ὑπολειπόμενος, ἐξ ἑκατέρου δὲ τοῦ μέρους τῆς τοῦ στρατηγοῦ περιστάσεως ὁ παρακείμενος, ὁ μὲν εἰς ἀγορὰν γίνεται τόπος, ὁ δ' ἕτερος τῷ τε ταμιείῳ, καὶ ταῖς ἅμα τούτῳ χορηγίαις. ἀπὸ δὲ τῆς ἐφ' ἑκάτερα τελευταίας τῶν χιλιάρχων σκηνῆς, κατόπιν οἷον ἐπικάμπιον ἔχοντες τάξιν πρὸς τὰς σκηνάς, οἱ τῶν ἐπιλέκτων ἱππέων ἀπόλεκτοι, καί τινες τῶν ἐθελοντὴν στρατευομένων τῇ τῶν ὑπάτων χάριτι. πάντες οὗτοι στρατοπεδεύουσι παρὰ τὰς ἐκ τῶν πλαγίων τοῦ χάρακος ἐπιφανείας βλέποντες, οἱ μὲν ἐπὶ τὰς τοῦ ταμιείου παρασκευάς, οἱ δ' ἑκατέρου μέρους εἰς τὴν ἀγοράν. ὡς δ' ἐπὶ τὸ πολὺ συμβαίνει τούτοις, οὐ μόνον στρατοπεδεύειν σύνεγγυς τῶν ὑπάτων, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰς πορείας, καὶ κατὰ τὰς ἄλλας χρείας περὶ τὸν ὕπατον καὶ τὸν ταμίαν ποιεῖσθαι τὴν ἐπιμέλειαν, καὶ τὴν ὅλην διατριβήν. ἀντίκεινται δὲ τούτοις ἐπὶ τὸν χάρακα βλέποντες οἱ τὴν παραπλησίαν χρείαν παρεχόμενοι πεζοὶ τοῖς προειρημένοις ἱππεῦσιν. ἑξῆς δὲ τούτοις ὁδὸς ἀπολείπεται πλάτος ποδῶν ἑκατόν, παράλληλος μὲν ταῖς τῶν χιλιάρχων σκηναῖς, ἐπὶ θάτερα δὲ τῆς ἀγορᾶς, καὶ τῆς στρατηγίας, καὶ τοῦ ταμιείου παρατείνουσα, παρὰ πάντα τὰ προειρημένα μέρη τοῦ χάρακος. παρὰ δὲ τὴν ἀνωτέραν πλευρὰν ταύτης, οἱ τῶν συμμάχων ἱππεῖς ἐπίλεκτοι στρατοπεδεύουσι, βλέποντες ἐπί τε τὴν ἀγορὰν ἅμα καὶ τὸ στρατήγιον, καὶ τὸ ταμιεῖον. κατὰ μέσον δὲ τὴν τούτων τῶν ἱππέων παρεμβολήν, καὶ κατ' αὐτὴν τὴν τῆς στρατηγίας περίστασιν, δίοδος ἀπολείπεται πεντήκοντα ποδῶν, φέρουσα μὲν ἐπὶ τὴν ὄπισθεν πλευρὰν τῆς στρατοπεδείας, τῇ δὲ τάξει πρὸς ὀρθὰς κειμένη τῇ προειρημένῃ πλατείᾳ. τοῖς δ' ἱππεῦσι τούτοις ἀντίστροφοι τίθενται πάλιν οἱ τῶν συμμάχων ἐπίλεκτοι πεζοί, βλέποντες πρὸς τὸν χάρακα, καὶ τὴν ὄπισθεν ἐπιφάνειαν τῆς ὅλης στρατοπεδείας. τὸ δ' ἀπολειπόμενον ἐξ ἑκατέρου τοῦ μέρους τούτων κένωμα παρὰ τὰς ἐκ τῶν πλαγίων πλευρὰς δίδοται τοῖς ἀλλοφύλοις, καὶ τοῖς ἐκ τοῦ καιροῦ προσγινομένοις συμμάχοις.

At quis penè Tribunorum tentoria locus iacet, & ex vtraque parte Prætorio adiacet, eius vna pars Foro deſtinatur, altera Quæſtori eiúſque apparatibus. Ab vtroque verò extremo Tribunorum tabernaculo, retrò quaſi inflexam metationem habent Extraordinariorum equitum Ablecti, & quidam ex iis qui vltrò ac ſponte in gratiam Conſulum militant. Hi omnes locantur & ſpectant tranſuerſa latera, alij Quæſtorium intuentes, alij Forum. Plerumque autem euenit, iſtos non modò metari circa Conſules, sed & in agmine & vſu faciendâ, aliiſque adminiſtrationibus, curare atque agere apud Conſulem & Quæſtorem: Opponuntur iſtis in vallum ſpectantes, conſimilem prædictis vſum præbentes pedites. Supra deinde vtroſque via relinquitur lata pedes centum, parallela Tribunorum tentoriis, ad vtrumque autem Fori latus & Prætorij & Quæſtorij pertingens & ad omnes dicti valli partes. Ad ſuperum huius viæ latus ſociorum equites Extraordinarij metantur, Forum verſus aſpicientes, & Prætorium, & Quæſtorium. Circa mediam horum metaturam, & è regione ipſius Prætorij, via relinquitur quinquaginta pedum, quæ fert ad poſtica caſtrorum, ordine autem & ſitu rectangula eſt prædicta via lata. His demum equitibus auerſi locãtur ſociorum Extraordinarij pedites, aſpicientes vallum & tergum caſtrorum. Quod autem ſuperat vacuum ex vtraque harum partium ad latera tranſuerſa, id datur extraneis & ſiquis ſubitò & ex tempore ſocius aduenerit.

Tribunos

Tribunos cùm locauimus, videamus ecquis alius è dignioribus in iſto tractu? Ita, inquit, etiam Quæſtor. Vbi deſignat:

» *Qui ponè Tribunorum tentoria locus iacet.*] Ille, qui ab vtraque parte Prætorij, vtriſque Tribunorum tentoriis reſpondet. Atque is duplici vſui. Nam

» *Eius vna pars Foro deſtinatur.*] Quod & rebus venalibus, opinor, ſeruiit, & conuentibus, & Legationibus etiam audiendis. In Suidâ reperio fragmentum: Ὀλίγον ἐξωτέρω τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς, χωρίον τι ὥσπερ ἀγορὰ ἀπεδέδεικτο. ὃ δὴ γνῶμα προσηγόρευτο. ἐνταῦθα αἱ πρεσβεῖαι & αἱ ἀγγελίαι καὶ * ἄλλα ἐγίνοντο: *Paullum vltra tabernaculum Prætorium, locus oſtenſus fuit velut Forum, qui Gnoma appellabatur. Illic autem legationes & nuncij, & alia adminiſtrabantur.* Sed neſcio tamen an non de loco & Foro Quæſtorio hoc accipi verius ſit, quoniam ad eum veniebant & deducebantur primò legati. Ita ſanè in Hygino ſcriptum: *In Quæſtorio maximè legati hoſtium & obſides, & ſiqua præda facta fuerit in quæſtionè ponitur.* Quod autem Suidas ait *Gnomam* appellari, mihi inauditum eſt: doceat qui nouit.

* Lego ἄλλα.

» *Alteru Quæſtori, eiuſq; apparitibus.*] Vtrumque hoc ſpatium grande fuit, & in omni latere circiter *pedum trecentorum.* Vnum igitur, atque id dextrum (reſpectu Prætorij in caſtra verſi) Foro ſeruiit: alterum, de quo nunc, Quæſtori. Sed itáne Polybi ponis palàm, & mox reponis. At nobis tamen dubitatio aut remota, ex Liuianis aliquot locis, qui in re pugnant. Narrat alibi, Samnites in caſtra Romana improuiſos irrupiſſe: *& ab tergo,* inquit, *caſtrorum, portâ Decumanâ, impetus factus, itaq; captum Quæſtorium, Quæſtorq; ibi L. Opimius Panſa occiſus.* Quid clarius, quàm haud longè à Decumanâ Quæſtorium fuiſſe? Sed & *Quæſtoriam portam* idem nominat, & ponit à Prætoriâ longè. vt cùm de L. Æmilio, qui ſuos inſtruit in caſtris aduerſus Ligures. Is *M. Valerium erumpere extraordinariâ portâ iuſſit: ad dexteram principalem haſtatos legionis primæ inſtruxit: tertia legio aduerſus ſiniſtram principalem, Q. Fuluius Flaccus cum dexterâ aliâ ad Quæſtoriam portam poſitus.* Preſſiùs hæc conſidera. Ad quattuor portas exercitum inſtruxit, & orſus ab *Extraordinariâ* (ea eſt *Prætoria*) ad vtramque *Principalem*, & tum *Quæſtoriam* deſcendit. Quæ hæc eſſe poteſt, niſi *Decumana* ipſa? ſic dicta ſcilicet, quia Quæſtorio vicina. Indicat iterùm Liuius, cùm Galli Boij Sempronium in caſtris aggrediuntur. ac dum ille, inquit, ſuos diſponit & *duabus Principalibus portis ſigna efferre iubet: alius tumultus ab aduersâ parte caſtrorum eſt exortus. In portam Quæſtoriam irrupere Galli.* Et mox addit: *tria prælia circa caſtra locis diſtantibus fuiſſe.* Ecce duas *principales* portas abiungit à *Quæſtoria*, & hanc ait in *aduersâ* (ſiue magis placet *auersâ*, aut *diuersâ*) *parte* fuiſſe: item, prœlia illa *diſtantibus locis facta.* Atqui profectò ſi Quæſtorium, vbi Polybius ponit; nihil clarius, quàm ad alteram Principalem id fuiſſe. Hæc talia ſunt mi Auditor, vt ego quidem ſine calumniâ nihil iis obtendam. Deſcendo illuc, vt olim & veteri æuo Quæſtorium fuerit è regione Decumanæ, viâ mediâ Quintanâ. Rationem ille ſitus habuit. Quòd in vtraque caſtrorum parte voluerunt imperium aliquod & magiſtratum eſſe. Si ita eſt, tum & viam illam latiorem fecerim, & centum haud minus pedum. Argumentum aliquod pro hac re, quòd etiam poſteà (Quæſtorio iam tranſlato) forum illud Quæſtoris *Quintana* appellata: quid niſi priſco nomine, vt ſolet, retento? Nam quod Iſidorus ait: *Quintana, pars plateæ quinta eſt, quâ carpentum progredi poteſt:* aut nec verum eſt, aut nihil ad noſtram facit. De quâ Feſtus: *Quintana appellabatur in caſtris poſt prætorium, vbi rerum vtenſilium forum fuit.* Etſi in eo legitur: *Quintana appellabatur porta in caſtris.* Sed portæ profectò vox delenda (palàm enim falſa) aut in *partem* commutanda eſt. Vnde enim in portâ forum? Sed etiam alibi ſic appellabant, exemplo caſtrenſi. Suetonius de Nerone: *Quintanis domus conſtitutis, vbi parta præda & ad licitationem diuendenda pretium aſſumeretur.* Hæc olim dico ſic fuiſſe: ante Polybij tamen æuum mutaſſe, & viſum transferri Quæſtorium in Prætorij latus, vt vicinius eſſet. Neſcio an non huc Hygini nota faciat: *Quæſtorium,* inquit, *dicitur quòd aliquandò ibi Quæſtores pedaturam acceperint, quod eſt ſupra Prætorium in rigore portæ, quæ à cohortibus decimis ibi tendentibus Decimana eſt appellata.* Videtur agnoſcere veterem illum ſitum, & retentam etiam appellationem: etſi aliter oſtendit nunc eſſe. *Aliquando,* inquit, *ibi acceperunt pedaturam:* nempe priſcis temporibus. An magis eſt intelligi, quòd iam æuo Principum Quæſtores non ampliùs in militiam irent: atque ita nomen loci ſine re eſſet? Sed tamen ſitus quem tangit, non eſt profectò iſte Polybij & nouus: ſed planè vetus ille, è regione Decumanæ. Niſi quis alius in verbis iis ſenſus, quem ſcrutari magis penſiculatè haud poſſum: quoniam ſcriptus ille codex non vltrà mihi ad manum, & paucula ſunt excerpta. Siquis habet, & tanti eſt, videro, imò edito & videndum etiam aliis præbeto. Qualiacumque illa vetera, præ iſtis certè nouitiis ponenda, quæ ſic affatim Typographia, atque etiam * ἀκρίτως ſæpe, nobis protrudit. Vis dicam tibi verum verbum? Ars ea quæ inſtaurandis litteris fuit, eadem ipſa perdendis profligandiſque erit, vt facilitatem hanc video impetitum quidquid aut ineptum diuulgandi. Sed ad meum Quæſtorium. cenſeo igitur variaſſe, quod ad locum: & occurrit Liuij teſtimonium, è quo colligas, ſatis longulè antè Polybij ætatem pro eius ſitu fuiſſe. Ita enim libro XLI: *Prætorio deiecto, direptis quæ ibi fuerant, ad Quæſtorium forum Quintanámque hoſtes peruenerunt.* Appâret ad Prætorium & Forum aditum tunc fuiſſe, vt verba hæc præferunt. Sed quid tam curioſè hæc perſequor? & an non in ventorum brachia iacto, aut cum Ariſtotele, * τὰ πετόμενα διώκω? vereor: de modo Quæſtorij magis addo: etſi nec id liquidò poſſum. Polybius ſiluit: credam dimidiatum ad Prætorij fuiſſe, id eſt *ducentos pedes* in longum, *centenos* in latum. Amplitudo quidem opus fuit, ad commeatus, veſtes, pecuniam, prædam, aliaque reponenda. Sed in verborum textu pergamus.

» *Ab vtroque extremo Tribunorum tabernaculo.*] Impleuit de præcipuis imperiis, tranſit ad milites qui vſui aut tutelæ eorum adiuncti. Nam Supera iſta caſtrorum pars nihil habet præter duces, & eorum comites, aut adminiſtros. Valdè hoc notandum, atque omne corpus legionum & ſociorum infrà metationem habuit: eáque causâ ibi denique *Principiorum* nomen, & quaſi hæc Supera, eſſet extrà caſtra. Sed iam ad verba. A v o. Imò ad mea rogata. Nam dicebas, *Impleſſe eum de imperiis:* itáne? Vbi ergo *Legati*, quos nuſquam video locatos? L i p s. Benè hoc iniicis, dabo. Polybius quidem etſi Legatos in caſtris ſtatim agnoſcit, & excubias iis aſſignat; tamen omiſit & oblitus eſt Pedaturam. Quam aptè videor iis dare ad latus alterum Prætorij, & vbi Forum. Ita parte vnâ Quæſtor ſit, parte alterâ ipſi. Omnino ratio vult haud longè Prætorem eos tetendiſſe; quia & dignitate proximi, & ad eum ſermonis conſiliique causâ ſæpe aduocati. Quid ſi plures iam Legati, & tot quot legiones, vt inferiore æuo factum? Credo, cùm tunc

Quæſtorij vbi Liuium à ſ. ſentire videtur. Lib. x.

Quæſtoria porta. Lib. xl.

Li. xxxiv.

Coniectatio tentata.

Quintana.

cap. xxvi.

* ſine iudicio.

* Volantia ſector.

Supera pars tota Ducum.

Legatorum metatio.

A Quæſtor non ita vulgò comitaretur, eos vtrimque ad latus Prætorij fuiſſe, & ſic medium habuiſſe ſuum Ducem. Ioſephus hæc talia vult: Μέσας δὲ τὰς τῶν ἡγεμόνων σκηνὰς τιθέασι, μεσαίτατον δὲ τούτων τὸ στρατήγιον: *Media tabernacula ducum ſuorum ponunt, maximè autem medium, & inter iſta, Prætorium.* Quod veteri nouoque more vetum eſt, & ſemper in medio Tribunorum, aliorumque Ducum, Prætoris locus. Profectò vt in ipsâ acie. Prætor ſiue Conſul (confundimus iſta, vt ſcis) poſt Haſtatos & Principes, ante Triarios ſtabat, mediâ ferè acie; & ad latera Tribuni: ita hîc, niſi quòd pro Triariis, Ablecti & Extraordinarij, & Euocati ſubſtituti. Quia igitur medium ita Prætorium, in Ammiano ſcriptum: *Alemannos adusque Primanorum legionem locatam in medio perueniſſe, quæ confirmatio Caſtra Prætoria dictitatur.* Nempe à ſimilitudine iſtâ poſituræ in caſtris. Sed o he, iam ad verba.

Lib. III. Excid. Dux ſummus medius Duũ.

Lib. XVI.

Caſtra Prætoria.

B » *Ab vtroque extremo Tribunorum tabernaculo.*] Intellegit extremum, verſus portas Principales, & vbi deſinunt legiones, ſocij excipiunt. Nec tamen ita accipio, quaſi ab ipſo tabernaculo metatio iſta rigidè cœperit: imò interuallum decorè medium aliquod fuerit, ſeparandis Tribunis à Præfectis, vt mox dicam.

» *Quaſi inflexam metationem habent.*] Non incuruam aut lunatam, ſed quæ in cubitum aut anconem. Figura caſtrenſis, quam dabo, hæc & alia aperiet.

» *Extraordinariorum equitum Ablecti, & quidam ex iis qui vltrò ac ſponte militant.*] Duo genera hîc collocat, *Ablectos* equites & *Euocatos.* Vbi? & quo ordine? C Vtroſque forum aut Quæſtorium intuentes: quod ex Tabulâ quoque clarum erit: ſed ſuprà, niſi fallor, Ablectos, infrà Euocatos. Iſtos enim digniores habeo, & ideò iuxta Præfectos Tribunoſque ſtatim eos loco. De modo pedaturæ, nihil ipſe dicit: & in Euocatis incertus fuit: nec in Ablectis quidem nimis certus. *Suprà diſputaui de eâ re, ſed ratiunculas nondum diſpunxi: nec ſcio an vna in totum cohors, an duæ, id eſt è quoque cornu vna fuerit in hoc genus. Sed obſerua etiam, quòd ait *quoſdam* ex Euocatis. non enim ſemper *omnes.* & numerus ſi grandior, extra exiguam hanc areolam iis locus, quem poſteà dicet. Nam tibi lectione & mente hæc coniungenda ſunt, aut mihi ſuperuacuè multa iteranda, quod fugio, fugi, fugiam.

**Dial. vij. lib. IV. Incertum quo Ablecti.*

» *Euenit iſtos non modò metari circa Conſulem, ſed & in agmine & viâ aliiſq; adminiſtrationibus curare atque* D *agere apud Conſulem & Quæſtorem.*] Clarè hîc habes munia & vſum Ablectorum & Euocatorum, tam equitum quàm peditum: qui fuit, à cuſtodiâ & velut ſatellitio Conſulis eſſe. Plurimùm ij iuxta eum in caſtris, in agmine, puto & in acie ipsâ.

» *Via relinquitur lata pedes centum.*] Pari igitur magnitudine, quâ via principiorum. Cur tanta? vt foro latitudo ſua maior & Quæſtorij areæ eſſet, ad res vænales, ad prædam, ad circulos etiam & ſermones. E Quid ſi & illa cauſſa, vt in neceſſitate commodè in iſto vacuo copiæ inſtrui & educi in hoſtem poſſent? puta, cùm eruptione pugnandum, aut tempore tali. Hæc eſt quam *Quintanam*, vt opinor, Hyginus appellat: *Lateribus Quæſtorij tendere debet ad viam Quintanam centuria Statorum, vt poſticum Prætorij tueantur.* Cùm enim de *Poſtico Prætorij* exprimat, non eſt intellegere aliam illam & inferiorem Quintanam. A quâ tamen & hanc ego cenſeo dictam, & quia Quæſtor olim in verâ Quintanâ (à quintis cohortibus ibi tendentibus dicta) nunc eo tranſlato, hæc quoque proxima via, & quæ vſui vænalium, vt prior illa, ſeruiebat, venit in idem nomen. Pars ſuperior explicata eſt, quâ fini quidem opus. Nam verba Polybij ſingula rimari, non eſt otium aut penum: & quãuis obſcura quædam aſpicienti videantur, inſpicienti minimè. & ſiquid erit in lucem dabit Tabula ſubiicienda.

Quintana duplex.

DIALOG. IIII.

Inferior caſtrorum pars explicata, & deinde cum Declaratione & Podiſmis ſuis propoſita.

AD inferiorem partem eamus, & tu (quod ille de vito magno olim) *Cedo magiſtrum.* Polybij inquam hæc lege.

POLYB.

Ἀπομετρηθέντων δὲ πάλιν ἑκατὸν ποδῶν εἰς τὸ πρόσθεν κατὰ πάσας τὰς σκηνὰς, λοιπὸν ἀπὸ τῆς τούτου τοῦ πλάτους ὁριζούσης εὐθείας, ἥτις γίνεται παράλληλος ταῖς τῶν χιλιάρχων σκηναῖς, ἀπὸ ταύτης ἄρχονται ποιεῖσθαι τὰς τῶν στρατοπέδων παρεμβολὰς, χειρίζοντες τὸν τρόπον τοῦτον. διχοτομήσαντες τὴν προειρημένην εὐθεῖαν, ἀπὸ τούτου τοῦ σημείου πρὸς ὀρθὰς τῇ γραμμῇ, τοὺς ἱππεῖς ἀντίους αὐτοῖς ἑκατέρου τοῦ στρατοπέδου παρεμβάλλουσι, πεντήκοντα διέχοντας πόδας ἀλλήλων, μέσην ποιοῦντες τὴν τομὴν τοῦ διαστήματος. ἔστι δ' ἥ τε τῶν ἱππέων καὶ τῶν πεζῶν σκηνοποιΐα παραπλήσιος. γίνεται γὰρ τὸ ὅλον σχῆμα καὶ τῆς σημαίας καὶ τῶν ἰλαμῶν τετράγωνον. τοῦτο δὲ βλέπει μὲν εἰς τὰς διόδους, ἔχει δὲ τὸ μὲν μῆκος ὡρισμένον τὸ παρὰ τὴν δίοδον. ἔστι γὰρ ἑκατὸν ποδῶν. ὡς δ' ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ τὸ βάθος ἴσον πειρῶνται ποιεῖν, πλὴν τῶν συμμάχων. ὅταν δὲ τοῖς μείζοσι στρατοπέδοις χρῶνται, τὸ κατὰ λόγον καὶ τῷ μήκει καὶ τῷ βάθει προστιθέασι. γενομένης δὲ τῆς τῶν ἱππέων παρεμβολῆς κατὰ μέσας τὰς τῶν χιλιάρχων σκηνὰς, οἱονεὶ ῥύμης τινὸς ἐπικαρσίου πρὸς τὴν ἄρτι ῥηθεῖσαν εὐθεῖαν, καὶ τὸν πρὸ τῶν χιλιάρχων τόπον. τῷ γὰρ ὄντι ῥύμαις παραπλήσιον ἀποτελεῖται τὸ τῶν

Iterùm cùm dimenſi fuerint centum pedes antrorſus legiones verſus, tum à lineâ rectâ ſpatium hoc finiête (quæ linea reſpondeat & parallela ſit Tribunorum tentoriis) à lineâ illâ, dico, ordiuntur facere caſtra & domicilia legionum, hoc modo adminiſtrantes. Cùm diuiſerũt prædictam lineam rectam in duas partes, ab hac ſectione & ſigno rectis ad lineam angulis equites vtrinſque legionis aduerſos inter ſe locãt, quinquaginta pedum interuallo: ſic vt mediam faciant ſectionem ipſam eius interualli. Eſt autem metatio tentoriorum tam equitum quàm peditum ſimilis. Fit enim vniuerſa figura & Manipuli & Turmæ quadrata. Aſpicit verò in vias ſiue exitus, & habet lõgitudinem definitam, & certam illam quæ ad viam. Eſt enim centum pedum. Plurimùm verò & latitudinẽ adæquare conãtur, præterquàm in Sociis. Quòd ſi legionibus magis plenis & numeroſis vtantur, pro rata ad longitudinem & latitudinem adiiciunt. Facta igitur hac locatione Equitum ad media tabernacula Tribunorum, quaſi Striga aut Vico tranſuerſario ad dictam rectam lineam (re enim ipſa viciis aſſimilatur hæc Fi-

διόδων

διόδων σχῆμα πασῶν, αἷς ἂν ἐξ ἑκατέρου μέρους, αἷς μὲν ταγμάτων, αἷς δ' ἰλαρχιῶν. ἐπὶ τὸ μῆκος δὲ παραβεβληκότων, πλὴν τοῖς προειρημένοις ἱππεῦσιν κατόπιν τοὺς ἐξ ἀμφοτέρων τῶν στρατοπέδων τριαρίους κατ' οὐλαμὸν ἑκάστην σημαίαν ἐν ὁμοίῳ σχήματι τιθέασι. συμψαυόντων μὲν τῶν σχημάτων ἀλλήλοις, βλεπόντων δ' ἔμπαλιν πρὸς τὰς ἐναντίας τοῖς ἱππεῦσιν ἐπιφανείας, ἥμισυ ποιοῦντες τὸ βάθος τοῦ μήκους ἑκάστης σημαίας, πρὸς καὶ κατὰ τὸ πλῆθος ἡμίσεις ὡς ἐπίπαν εἰσὶ τούτους τῶν ἄλλων μερῶν. διόπερ ἀνίσων ὄντων πολλάκις τῶν ἀνδρῶν, ἰσάζειν αἰεὶ συμβαίνει ταῦτα τὰ μέρη κατὰ τὸ μῆκος, διὰ τὴν τοῦ βάθους διαφοράν. αὖθις δὲ πεντήκοντα πόδας ἀφ' ἑκατέρων τούτων ἀποστήσαντες, ἀντίους παρεμβάλλουσι τοῖς τριαρίοις τοὺς πρίγκιπας. νευόντων δὲ καὶ τούτων εἰς τὰ προειρημένα διαστήματα, δύο αὗται πάλιν ἀποτελοῦνται ῥῦμαι, τὰς μὲν ἀρχὰς ἀπὸ τῆς αὐτῆς εὐθείας λαμβάνουσαι, καὶ τὰς εἰσβολὰς ὁμοίως τοῖς ἱππεῦσιν, ἐκ τῆς πρὸ τῶν χιλιάρχων ἑκατομπέδου διαστήματος, λήγουσαι δὲ πρὸς τὴν καταντικρὺ τῶν χιλιάρχων πλευρὰν τοῦ χάρακος, ἣν ἐξ ἀρχῆς ὑπεθέμεθα κατὰ πρόσωπον εἶναι τοῦ παντὸς σχήματος. μετὰ δὲ τοὺς πρίγκιπας ὄπισθεν τούτων ὁμοίως ἔμπαλιν βλέποντας. συμψαύοντα δὲ τὰ σχήματα τιθέντες, τοὺς ἁστάτους παρεμβάλλουσι. δέκα δὲ σημαίας ἐχόντων ἁπάντων τῶν μερῶν κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς διαίρεσιν, πάσας ἴσας συμβαίνει γίνεσθαι τὰς ῥύμας κατὰ τὸ μῆ-

A κος, καὶ τὰς ἀποτομὰς ἰσάζειν αὐτῶν τὰ πρὸς τῇ κατὰ τὸ πρόσωπον πλευρᾷ τοῦ χάρακος, πρὸς ἣν καὶ τὰς τελευταίας σημαίας ἐπιστρέφοντες στρατοπεδεύουσιν. ἀπὸ τῶν ἁστάτων πεντήκοντα πάλιν διαλιπόντες πόδας, τοὺς τῶν συμμάχων ἱππεῖς ἀντίους πα-

B ρεμβάλλουσι τούτοις, ποιούμενοι τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῆς αὐτῆς εὐθείας, καὶ λήγοντες ἐπὶ τὴν αὐτήν. ἔστι δὲ τὸ πλῆθος τῶν συμμάχων, ὡς ἐπάνω προεῖπα, τὸ μὲν τῶν πεζῶν παρισοῦν τοῖς Ῥωμαϊκοῖς στρατοπέδοις, λειπὸν τοῖς ἐπιλέκτοις. τὸ δὲ τῶν ἱππέων διπλάσιον, ἀφαιρουμένου καὶ τούτων τοῦ τρίτου

C μέρους εἰς τοὺς ἐπιλέκτους. διὸ καὶ τὸ βάθος αὔξοντες τούτοις πρὸς λόγον ἐν τοῖς στρατοπεδευτικοῖς σχήμασι, πειρῶνται κατὰ τὸ μῆκος ἐξισοῦν τοῖς τῶν Ῥωμαίων στρατοπέδοις. ἀποτελεσθεισῶν δὲ τῶν ἁπασῶν πέντε διόδων, αὖθις εἰς τοὔμπαλιν ἀπεστραμμέ-

D νας, ὁμοίως τοῖς ἱππεῦσι τιθέασι τὰς τῶν συμμαχικῶν πεζῶν σημαίας, αὔξοντες τὸ βάθος πρὸς λόγον, βλεπούσας δὲ πρὸς τὸν χάρακα καὶ πρὸς τὰς ἐκ τῶν πλαγίων ἐπιφανείας ἑκατέρας. καθ' ἑκάστην δὲ σημαίαν τὰς πρώτας ἀφ' ἑκατέρου τοῦ μέρους σκηνὰς οἱ ταξίαρχοι λαμβάνουσιν. ἅμα δὲ τὸν προειρημένον τρόπον παρεμβάλ-

E λοντες καθ' ἕκαστον μέρος τὸν ἕκτον οὐλαμόν, ἀπὸ τοῦ πέμπτου πεντήκοντα πόδας ἀφιστᾶσι. παραπλησίως δὲ καὶ τὰς τῶν πεζῶν τάξεις, ὥστε γίνεσθαι καὶ ταύτην ἄλλην διὰ μέσου τῶν στρατοπέδων δίοδον, ἐπικάρσιον μὲν πρὸς τὰς ῥύμας, παράλληλον δὲ ταῖς τῶν χιλιάρχων σκηναῖς, ἣν καλοῦσι πεμπτήν. ... τὸ ... τὰ ...

gura viarum, ab vtraque parte & Manipulorum & Turmarum, in longum ſe extendentium, tum dictis equitibus à tergo Triarios vtriuſque legionis adponunt, quemque Manipulum cuique Turmæ, figura pari. Sic quidem vt figuræ ſe mutuò tangant, ſed Triarij in alteram partem aſpiciant Equitibus obuerſi. Faciunt etiam dimidium latitudinis pro longitudine in quoque Manipulo, quia Triarij numero dimidiati ſunt ad Manipulos alios. Itaque cùm numero ſæpe impari ſint ipſi viri, tamen longitudinem æqualem eſſe contingit, quoniam latitudinem variant. Atque iterùm quinquaginta pedes ab iis vtriſque abſcedentes, oppoſitos & aduerſos Triariis locant Principes. His ipſis ſpectantibus & vergentibus in ſpatia atque interualla iam dicta, duo iſti iterùm vici fiunt, initium quidem capientes ab eadem recta linea, & ingreſſus eoſdem cum equitibus, ex ſpatio illo centumpede quod ante Tribunos eſt, deſinentes porrò finientéſque in partem latúſque caſtrorum Tribunis oppoſitum, quod ab initio diximus velut frontem eſſe figuræ totius. Secundùm Principes verò, iterùm auerſos locant Haſtatos, figuris tamen & areis contingentibus ſe & iunctis. Cùm autem decem Manipulos ſingulæ partes ac Strigæ habeant, ex dicta diuiſione: efficitur vt omnes vici æquales ſint longitudine, itémque fines & deſinentiæ pares in latere caſtrorum ad frontem, in quam verſos etiam extremos Manipulos locant. Ab Haſtatis rurſus quinquaginta pedum interuallo Sociorum equites ponunt, aduerſos illis, initium facientes ab eadem recta linea, & deſinentes in rectâ. Eſt autem multitudo Sociorum, vt prædixi, peditum quidem par Romanis legionibus, exceptis tamen detractíſque Extraordinariis; equitum verò dupla, his quoque tamen vt detrahas tertiam partem in Electos. Ideóq; & latitudinem iſtis augentes in figuris caſtrenſibus, conantur longitudine exæquare legionibus Romanis. Abſolutis igitur omnibus quinque viis, iterùm auerſos ab Equitibus locant peditum ſocialium Manipulos, augentes latitudinem proportione, aſpectum habentes vallum verſus, & vtrãque faciem aut latus tranſuerſum. In omni autem Manipulo, prima ab vtraque parte tentoria Centuriones habent. Ad prædictam verò medum locantes ad quodque latus Sextã Turmam, à Quinta pedibus quinquaginta eã abducunt. ſimiliter & peditum Manipulos, vt fiat alia via per medias legiones, tranſuerſa quidem quòd ad Strigas, ſed parallela tentoriis Tribunorum: quam appellant Quintanam, quòd quinque illos ordines ſecat & peruadit.

Iam

lam ſiſte. Diutiùs paſſus ſum te legere, vt ſemel liberarem. Nunc denique abſoluiſti totam Inferiorem partem, diuiſam & ipſam in duas partes, ſed conformes. Via enim media tranſuerſa ſecat diſparatque quinos Manipulos à quinis: ſed in locatione aliâ, nullum inter eos diſcrimen. Percurramus igitur Polybiana verba, quia hoc ſolum & fundamentum eſt cui inædificamus: ſed verè percurramus. Faciam breue, & ſcio te velle. Ait;

» *Iterum cum dimenſi fuerint centum pedes antrorſus.*] Vides hîc ſpatium centenarium à Tribunis ad legiones: quid id fuit? *Principia* Romanis dicta. Etſi enim propriè ſic appelles initium ipſum caſtrorum vbi legiones (inde enim vox) tamen totum hoc ſpatium medium conſtat ſic eſſe dictum. Plutarchus in Galbâ verbatim conuertens, ἀρχεῖα dixit, cum additione, ἃ πριγκίπια ῥωμαῖοι καλοῦσι; *Archea, ſiue Initia, quæ Romani Principia appellant.* Cicero ad Brutum: *Spes libertatis nuſquam niſi in caſtrorum veſtrorum principiis eſt.* Cur non tota caſtra nominat? cur hæc eximiè? quia in Principiis, aut iuxta illa, Tribuni, Præfecti, honeſtiſſimi Decurionum & Centurionum: quibus ſcilicet cura maior & amor reip. ac libertatis, quàm militari vulgo. Capita ergo intellegit & vertices caſtrorum, qui ibi metabantur. Liuius: *Tribunos iura reddere in principiis ſinebant.* Credo ſediſſe eos, iuri dicundo, ante tentoria ſua; non ad Signa aut Aquilas ipſas. Idem ibidem: *In Principiis Prætorioq́, vbi ſermones inter ſe ſerentium circulos vidiſſent.* Profectò viam & ſpatium ipſum intellegit, inter legiones medium & Tribunos. Etſi legas propriè & ſtrictè magis, ipſa initia caſtrorum militarium, & vbi Signa præcipua defixa, ſic appellata. Suetonius: *Capite puniuit, & quidem ante principia caſtrorum.* Id valet, in viâ iſtâ & ſpatio ante ſigna. Simile in Quinctiliani Declamatione pro Milite: *Sed neque hoc Mars parens, neque ſigna militaria aquilæq́, victrices ſinant, vt tuâ quoque ſententiâ quiſquam vir, & Romanus & miles, nimium pudicus ſit, apud quem ante principia agendum eſt.* Sed hoc pro priore fortaſſe ſententiâ, quia probabile cauſſam hanc ad Tribunal dictam, & ante Prætorium ipſum. E Quinctiliani autem verbis colligas, ſacra & caſta hæc Principia habita, & fuiſſe in religione. Tacitus ipſum indicat, cùm de laſciuiente feminâ narrat: *In ipſis principiis ſtuprum auſam.* Exaggerat flagitium, à ſanctimoniâ loci. Et ita fuit, ob præcipua ſigna quæ ordine illîc adfixa. Tacitus de Seiano: *Tiberius coli effigies eius inter principia legionum ſineret.* Nam primæ omnes Decuriæ, & Manipuli metabantur illîc, vt intelleges è Polybio: ergo & ſigna quæque prima, id eſt primi Haſtati, primi Principis, & Primipili etiam, id eſt Aquilæ ipſæ. An & hoc verum, omnium cohortium ſigna ibi defixa, ante Prætorem ſcilicet, & non mouenda niſi eo ſciente, iubente? nonnulla ſuadent, maximè quæ lego in hiſtoriis ſequentis æui. Sed vt nunc hoc definiam, conſtat ſanctiorem hunc locum habitum: vbi legionum ſcilicet numina, & vbi aræ item atque altaria exſtructa. Quod verum eſſe volo tamen, non niſi in Statiuis aut Hibernis. Tacitus de Planco: *Ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuiſſet, rarum etiam inter hoſtes, legatus populi Romani, Romanis in caſtris, ſanguine ſuo altaria deûm commaculauiſſet.* Præmiſit autem, Plancum in caſtris primæ legionis *ſigna & aquilam amplexum, religione ſeſe tutatum fuiſſe.* De iiſdem aris in Dione Caſſio, qui inter ſigna Varianæ cladis refert, quòd δόρατα ἀπ' ἄρκτου φερόμενα πρὸς τὰ τῶν ῥωμαίων στρατόπεδα προσπίπτειν ἐδόκει, μέλισσαί τε περὶ τοὺς βωμοὺς αὐτῶν κηρία ἀνέπλασσον: *Haſta à Septentrione delata incidere in Romana caſtra videbantur, & apes circa altaria eorum cerificauerant.* Caſtrenſia altaria, iſta ſunt: fortaſſis & Ara ante Auguralē obuerſa, de quâ ſuprà. Equidem in Græcorum etiam rebus hunc morem & religionem recognoſco. vt cùm Homerus de Achæis ſuis ſcribit.

——— ἵνα σφ' ἀγορή τε θέμις τε
Ἤην, τῇ δὴ καὶ σφι θεῶν ἐτετεύχατο βωμοί:
——— *vbi iis Fora, iudiciumque,*
Atque ibi conſtructa deorum altaria ſancta.

In Foro ille ponit, & vbi iudicia: Romani in Principiis, vbi item iudicia, præmia & pœnæ.

» *Quinquaginta pedum internallo.*] Ordinaria iſta dimenſio, & viæ ſic grandes, non decoræ ſolùm, ſed vtiles ad equos & iumenta educenda, inducenda. Interdum tamen contractas reperio, ob aliquam cauſſam. vt in Cæſare: *Caſtra etſi erant exigua per ſe vix hominum millium ſeptem, præſertim nullis cum impedimentis; tamen anguſtiis viarum, quantum poteſt contrahit.* Quin nomina ſua Viis iſtis fuerint, vix ambigo: nondum tamen mihi fuit reperire.

» *Latitudinem adæquaret conantur, præterquam in Sociis.*] Longitudo, inquit, areolarum ſemper pariat: non æquè latitudo. & cauſſa eſt, quòd Turmæ quædam aut manus militares grandiores. Vt in Sociis ecce, equites quadraginta ſunt in Turmam: at in ciuibus duntaxat triginta. Ergo meritò iis ſpatium & pedatura amplior: ſed id accedat in latum. Et Socios quidem excipit ipſe tantùm ſupra pedites & Triarios, qui anguſtiùs quàm alij (dimidiatus enim numerus) metantur. Obſerua hîc autem, longitudinem caſtrorum Polybio dici & cenſeri, à Prætoriâ ad Decumanam: latitudinem, à Principali Dextrâ ad Siniſtram.

» *Quaſi Strigâ aut vico tranſuerſario.*] Ῥύμη eſt in Græco, quod ſulcum & tractum notat, ἀπὸ τὸ ῥύεσθαι. Ioſephus in caſtrorum re adhibet hoc quoque verbū: Ῥυμοτομοῦσι δὲ ἔνδοθεν εἰς τὸ στρατόπεδον: *Diuidunt in ſtrigas & ordines introrſus compoſitè admodum ſua caſtra.* Latinam vocem *Striga* Hyginus præit: *Poterunt Singulares in Strigâ Prætorianorum tendere.* In Feſto, *Striges* ſunt (fortaſſe *Strigæ*) *ordines rerum inter ſe coniunctè collocatarum à Stringendo.* In arando quoque ſulcum vno ductu peractum, Strigam vocabant. Sed verti & *Vicum*, nec malè: cùm in Gloſſis ſit, ῥύμη, *vicus*: in Apoſtolorum Actis, πορεύθητι ἐπὶ τὴν ῥύμην τὴν καλουμένην εὐθεῖαν: vbi benè interpres, *Vade in vicum, qui vocatur rectus.* Vt igitur Vici in vrbibus *id quod ex domibus conſtat*, ait Varro, id eſt medium illud inter vias. ita in caſtris manipulorum ordo cum tentoriis. quæ caſtra ipſe Polybius cum vrbe confert.

» *Figurâ pari.*] In longum, non in latum.

» *Duo iterum vici ſiunt.*] Scilicet in quaque legione vnus: an duo, quia Quintanâ mediâ ſecantur?

» *Ingreſſus eoſdem cum Equitibus.*] Siue & Triariis. Equites tamen nominat, quia illorum ἐξόχως hæc area, & Triarij additi ac ſubiuncti.

» *In partem latusq́, Tribunis oppoſitum.*] Nempe in decimo ſuo ordine deſinunt, ad vallū & Decumanā.

» *Figuris tamen & areis contingentibus ſe & iunctis.*] Vt lucri locus fiat, nec via interſeratur non neceſſaria. Auerſi enim ſic poſiti & tergis contingentes, vtrimque exitus ſuos habent, nec alteri alteris moleſti.

» *Ideoq́, & latitudinem iſtis augentes.*] Scilicet Equitibus ſociorum, qui Romanis plures.

» *Omnibus quinque viis.*] Haud plures agnoſcit, directas quidem & in longum. Nam tranſuerſariæ tres ſunt, vt in Figurâ vides.

» *Iterùm auerſa locant ab equitibus peditum ſocialium ſigna.*] Hîc dubitatio mihi iuſta de ſociorum locatione. Vtrùmne vt Romani, per manipulos ſuos & vias diſtinctè locati? an coniunctim magis per

cohortes? Illud prius ſimilitudo ſuadere & ratio etiam videatur: quia ſic cum equitibus omnes iuncti iiſque appoſiti, conſerti ſint, nec commodè poſiti ad ingreſſus aut egreſſus. Hoc tamen alterum magis pro Polybij mente videtur, certè verbis, cùm dicit: *Omnes quinque vias abſolutas*: omnes inquam: non ergo aliæ reſtant. Item cùm addit, *auerſa equitibus locari peditum ſocialium ſigna*: non diſtinguit Triarios tantùm, ſed vniuersè profatur. Ampliùs, cùm ſcribit *auctam latitudinem pro portione*. Itáne *auctam*? minutam oportuit, ſi manipulatim locati: quoniam minores & infrequentiores ij in ſociis, quàm in Romanis. His inducor, cohortatim locatos ſocios, ſed ſuá quadam manipulorum fortaſſe diuiſione. Dicam ad Tabulam.


Cohortes ſocia minores.

» *Aſpectum habentes vallum verſus, & vtramque faciem aut latus tranſuerſum.*] Triplex ergo iis egreſſus: in vallum primò, deinde ad Principia, & ad Quintanam. Hoc appellat vtrumque latus tranſuerſum. Etſi duplex etiam vallum eſt, quod ſpectant, in latum, & in lõgum. Vt paullum diducam, vide quin- A que ſuperiores cohortes, ex iis prima in Principia, ſi volet, exit: tres mediæ in vallum oppoſitum: quinta, vel iſtuc, vel in Quintanam. Simile de quinque aliis: & iam iſta intellegis? nam contractiore fronte te eſſe video. Avd. Mentiri non eſt meum. quod igitur apud te mi Magiſter liceat, totidem hæc iſta, quot effatus es, perdidiſti verba. In ſitu hoc toto nihilo ſum tibi doctior. Lips. Hem! te ſic eſſe, quod non es? Nam acumen & ſagacitatem tuam ſæpe in experimento didici. Sed quod euênit tamen, præuidi: & ſuſpicabar auditum vnum fugitiuum, non eſſe combibendæ huic doctrinæ. Ad B oculos me vertam, & Tabulam tibi habe, quam conſultò attuli, depictam & deſcriptam. Intuêre. Avd. O meum Solem! ſic te appellem, imò & publicum: & proprium hoc tuum, quæ vis & concepiſti, ſermone aut ſtilo efferre atque illuſtrare ſuper multos. Lips. Ne blandire. haud magna laus eſt: & fortaſſe quia ego minùs acutus, diffuſiùs alios doceo, quæ ægrè fuerit cepiſſe mihi. Sed tu hoc age, & vide.

7

TABVLA ET FORMA CASTRORVM.

A. *Prætorium.*
B. *Quæſtorium.*
C. *Legati duo.*
D. *Tribuni.*
E. *Præfecti ſociorum.*
F. *Euocati equites.*
G. *Ablecti equites.*
H. *Euocati pedites*
I. *Ablecti pedites.*
K. *Extraordinarij equites.*
L. *Extraordinarij pedites.*
M. *Principia.*
N. *Equites Romani.*
O. *Triarij legg.*
P. *Principes legg.*
Q. *Haſtati legg.*
R. *Equites ſocij.*
S. *Pedites ſocij.*
T. *Quintana.*
V *Spatium ad vallum.*
X a. *Porta Prætor.*
X b. *Porta Decum.*
X c. *Porta Princip. dextra.*
X d. *Porta Princip. ſiniſtra.*



DECLA

DECLARATIO ET DISQVISITIO TABVLÆ.

INTENTE aſpicis. dic ſodes, Tabula hæc te iuuat? AVD. Vel maximè, & ex veteri verbo, non ſolùm oculis quàm auribus plus credo, ſed etiam plus diſco. Vtinam tu porrò admoues, & velut diſſignator per ſingula loca me circumducas & illuſtres! LIPS. Comiter fiet: & tanquam ramulos omnes huius arboris excutiam ad tuum fructum. Prima eſto.

PARS SVPERA, ET

Prætorium cur medio.

PRÆTORIVM *in eâ, quod in medio ſitum vides, non quidem caſtrorum, ſed aliorum ducum. Magna rationis hic ſitus. Primùm, non longè ab hoſte, & ad Prætoriam portam, quæ illum ſemper ferè ſpectabat: nimirum vt obſeruet ſiquid ille moliatur aut moueat, & nuncios quoque aut exploratores ſtatim admittat. Cauſſa altera, vt duces omnes circum ſe habeat, quorum conſilio, cùm opus, ſtatim vtatur: item iubeat aliquid aut mãdet. Tertia, vt in conſpectu habeat ſubiecta caſtra & militem totum, videátque ſiquid peccent aut turbent. Ipſe ille aſpectus coercebat milites, qui ſciebant ſemper ſub oculis ſui Ducis ſe verſari, eoq; in omnibus magis compoſitè ſe gerebant. Nec Ducis tãtum, ſed Ducum, quoniam Quæſtor, Legati, Tribuni omnes ferè huc ſpectabant. Denique cauſſa etiam hic, honor & dignitas. quòd media omnia honeſtiora, imò & tutiora. Atque ita in corpore etiam iſto cor circa medium, & ſubiectas habet inferas illas partes. Ad Prætorium ſitum eſt*

Quæſtor, dextra.

QVAESTORIVM, *ad latus, dextrum dicam an ſiniſtrum? Si Imperatorem aſpicio in caſtra verſum, ſiniſtrum fuerit: ſi Aquilas & ipſa caſtra, magis dextrum. Eadẽ dubitatio in Dextrâ & Siniſtrâ portâ Principali. Sed quod ad rem, pilum non intereſt vtrum latus ſic appelles: teneas tamen Quæſtoriũ ad dextram fuiſſe. cur? & an ſupra Legatos? ita, quia iſte magiſtratus populi Romani, alij nõ niſi in dignitate. Itaque ſupra Legatos Quæſtor.*


LEGATI, *meritò iuxta Prætorium à nobis ſiti, etſi Polybius non fecit verbum. In latum tabernacula illorum produxi, vt ne Prætorium eiúſque conſpectum Ablectis & Euocatis prorſus eriperẽt. quod idem in Quæſtorio ſum ſecutus. Alioqui ſi quis malit in longum obtendere, haud repugnem, niſi quòd meum illud magis fortaſſe decorum. Alter eorum facie in Ablectos ſpectauerit, alter in ſubiectos Tribunos. Viam inter ipſos & Prætorem mediam feci, ſed exiguam, quâ vel ad ipſum irent, & item qui in contubernio Prætoris, illac exirent. Adiungi cum prorſus & adnecti, haud placet.*

Situs Tribunorum diſpoſitus.

TRIBVNI, *ſub ipſum Prætorium ordine ſiti. Diuiſi in duas partes viâ mediâ, quæ, à legionibus ad Prætorium ducit: & ita collocati ſiti, & ſeni, vt quiſque ordo ſuam legionem habeat in conſpectu. Exempli cauſſâ, ſex Tribuni primæ legionis, huic ſunt oppoſiti: ſex ſecundæ, illi. Ordo etiam inter ipſos, vt primus Tribunus (nam ſcis dignitatem & ambitionem in eo fuiſſe) ad Prætorium primus eſſet, oppoſitus equitibus; ſecundus deinceps, & ſic ad ſextum. Tabernacula illorum ſecreta & diſparata ſiue quia dignitas in eo aliqua eſt, ſeorſim tendere: ſiue quia ratio voluit vias quaſdam medias eſſe, per quas ad Forum vtrumque ſiue ambulum iretur. Eæ viæ vtiles quattuor ſunt in vtraque parte: quinta enim perit Prætorij obiectu. Caput tu moues? quid diſplicet?* AVD. *Diſplicet, quòd Prætorium totum non eſt liberum; & amplius, quòd viæ illæ duæ inutiles, & cum loci iacturâ.* LIPS. *Me quoque aliquid monuit initiò. ſed cùm Polybij verba penſitaui, aliter non potui. Ait enim diſertè,* Tribunorum tentoria æqualiter inter ſe diſtetiſſe: *ergo viæ & internalla fuerũt. Ait ampliùs cùm equites locat,* initium iis eſſe à medijs Tribunorum tentoriis. *Igitur palam locanda duo prima, id eſt media, ad viæ illius vtrumque marginem, iuxta quam equites metantur. Niſi hæc in Polybio eſſent: ego verò libens totum Prætorij ſpatium vacuum liberúmque reliquiſſem, pulchrè & vtiliter etiam ad commeatum. Idem ad alloquia aut iudicia. & profectò cùm hæc conſidero, inducor vt credam ſic fuiſſe. Nam Tribunal ecce ad latus vnum fuit: quomodo alloqui milites commodè illinc potuit, tentoriis obiectis? Iam iudicia ſi exercenda, cũ conſilio militari: videantur ea commodè in aditu & veſtibulo Prætorij exercita, ſed ſpatio vaſtiore. Quod ſi placeat, remoueantur vndique Tribuni à Prætorio, imò via etiam inter ipſos & illud media ſit pedum* viginti quinque: *(ij pedes reſultant ex quinquaginta pedum viâ Prætorio oppoſitâ: numera, & reperies) quæ via ſeruiat pulchrè ad tranſitus in Forum vtrumque: tum Tribuni excipiant, & degant in ſpatio iuſto pedum trecẽtorum. Ita ſingulis pedatura ſua manebit pedum* quinquaginta: *& decore incipient à pedibus ipſis, id eſt Triariis: habebúntque equites (honeſtiſſimi ciuium) liberum in Prætorium aſpectum & acceſſum. Iſta placent: quid tamen Polybij verbis fiet de internallis? Vide an non ſeruare ea poſſis, imò debeas, legionibus magis plenis. Nam cùm eæ eſſent* quinque millium & ducentorum: *palàm eſt auctum modum in Principum & Haſtatorũ pedaturâ: ergo & in ſpatio oppoſito, vbi Tribuni. Commodè igitur tunc & loces ita, & exigua des internalla. Etiã vt id non ſit, verba tamen Polybij & præcepta ſerues, ſi in latum tẽtoria Tribunicia facias pedum modo* quadraginta. *Nihil impedit, & viæ tunc fuerint mediæ pedum* duodenûm. *Alterũ de equitibus, quod obſtat: benignè intelligendum ſit, oppeni eos medijs Tribunorum tentoriis in parte. quod verum eſſe ex ſitu vides: & accipe, ſi vis, tabellam.*

Via inter Tribunos.

Addubitatio tentoria.



Præfecti æquantur Tribunis.

PRÆFECTI *ſociorũ. quos Polybius (ô incuriã! nec aliter poſſum dicere, ſi ſcriptum hoc integrum) nuſquã locat. Nos ad latera Tribunorũ ponimus, ſitu & modulo paribus: quidni?, cùm pari munere & dignitate. Vbiq; eos Polybius æquiparat: niſi quòd illi tamẽ honeſtiores, quatenus ciues. Ratio etiã vult opponi eos ſuis Alis ſiue Cornibus: ſicuti legionib. Tribuni. Diuidãtur ergo, & ſint in quaq; parte ſeni, eâdẽ metaturâ Tribuni, niſi quòd viæ aut internalla hic magis exigua (vt nos in tabellâ dedimus) an potiùs nulla? Cui enim vſui? nec trãſitus hic aut cõmeatus vlli,*

Examinata eorum pedatura.

A cum à tergo excipiant Euocati & Ablecti. Quid ergo fiet ſpatio grandiori, quod eſt ped. trecentorum ſexagintatrium & ſemis? Nam triginta pedes ex ipsâ illâ viâ capimus quinquaginta pedum, quæ ſocios à legionibus abiungit. Hoc ideò, quia Polybius ſcribit Ablectorum & Euocatorum tabernacula incipere obliquo flexu ſtatim ab extremis Tribunorum. Igitur non tam grandi interuallo abiungenda videntur: aliquo tamen, vt & ipſi, & Præfecti etiam, diſtincti ſint à Tribunis. Meâ iſtâ menſione ſint interiecti pedes viginti. Illinc ergo ſi ordiare Præfectorum tabernacula, poſſis in longum minuere de menſurâ Tribuniciâ, nec dare iis quinquaginta, ſed quadraginta pedes tantùm. Ita paria habis, & reliquum ſuperne Euocatis addes.

Hoc notanda.

Evocati equites. quos hic colloco proximos à Præfectis, quia dignitate ſupra Ablectos ſunt. Polybius tamen Ablectos priores nominat, & parum refert ſupernè an infernè ponas.

B Evocati pedites. Horum omnium numerus incertus eſt, & ſæpe plures quàm vt iſta area capiat. Sed Polybius quoſdam Euocatorum modò hic ponit: vbi reliquos? Si plures fuerint, vel ad latera Præfectorum locandi, vel Extraordinariorum, ſuprà in Vacuo: vel etiam noua area iis in foro tranſuerſo. Nam hoc quoque interdum impleri, & tum Forum in Quæſtorium transferri Polybius infrà docet.

Ablecti equites. Turma vna.

Ablecti pedites. Cohors vna nunc eſto.

Extraordinarii equites. Sunt turmæ in vniuerſum octo: vtrimque locantur quaternæ. Eos infrà ponimus, Prætorium & Fora ſpectantes (etſi quidam aliter:) quia Polybii verba volunt. Eſt quoque pro ceterâ locaturâ, vt pedites à tergo equitum ſint (vt Triarii in legionibus) equis obſeruandis.

C Extraordinariæ Cohortes. quas tres an quatuor faciam, neſcio: ſed tres ponamus nunc eſſe: & quomodo locamus, vt par vtrimque numerus? non poteſt ſine diuiſione. Eſto igitur vtrimlibet vna cum dimidiâ: ſed dimidia dua viam aſpiciant, atque ita iuncta quodammodo ſint, niſi pedum aliquot interuallo. Si plures hic locas, & pauciores in Ablectis: facile è dictis partiare. Habes partem totam Superam, quæ intricatior eſt, quia à Polybio minùs ſignate deſcripta. Itaque variant poſitione alii & numeris: ego me ſpero, ſi non vera, veriſimilia dixiſſe. Nunc conſidera, quod ad prudentiam Romanam, in omni hac parte vix ciues vllos eſſe. En cuſtodiam primarii Ducis & Ducum, committere ſocii voluerunt: quid niſi vt fide ſic habitâ, magis adſtringerent eorum fidem? Sed & cauſſa occultior altera, quod præcipuos ſociorum circa ſe & in ore atque oculis habebant, nequid clam conſulerent aut innouarent. Etſi autem iſti vndique cingunt Imperatorem & in cuſtodiâ habent; non tamen ita, vt non ſit præſidium aliquod ciuile, ſi opus. Nam & Euocati vtrimque ſunt, veterani milites: ſunt in contubernio eius centum aliquot homines: adſident cum ſuis Quæſtor & Legati: præſident Tribuni, ad quos is ſemper receptus, & per eos in medias legiones. Conſideratio altera, quòd loca hic magna & vacua. quare? vel quia decorè ibi, vel quia vtiliter. Decorè, vt Forum vtrumque: vbi ſi quid litis aut iniuriæ, in propinquo qui ſoluant aut vlciſcantur. Vtiliter, vt Quintana illa magna; quia ſi opus inſtruere exercitum in caſtris, ibi & in Foro vtroque faciliimè fiat. Item ſi educendum, ſublatis Extraordinariis & in latus ſepoſitis, grande ſpatium ad ordinandum. Sequitur nunc

Conſideratio poſitio ſuperior.

Tota è Socijs ferè.

Cur ibi ſpatia vacua?

PARS INFERA.

Eqvites Romani. Hi, vt digniſſimi, in medio locati, & liberrimos habent egreſſus. Tuti hic: & quamquam in acie alia diſpoſitio; tamen recepti nunc inter pedites, quia in caſtris nullus eorum vſus.

Triarii, honore & loco ab iſtis proximi, & conueniunt in vnam aream tum vt via compendiſiat, tum vt equos obſeruent, ne in caſtris ſoluti aut vagi dent turbas. Hoc Polybius infrà dicet.

Principes & Hastati in vnâ item areâ, & vides non manipulatim ſolùm, ſed cohortatim pulchrè locatos. Triarii enim, Principes, Haſtati, ſic in vnâ lineâ faciunt quique ſuam cohortem. Sed vbi Velites igitur? inquies. hic verò dubitatio aut velitatio: & ô Polybi cur ſiluiſti? Per te ſumus in errore aut tenebris, & verbo vno alteróque poteras illucere. Non feciſti. & ideo ecce qui intentiùs hæc ſcrutamur, ſententiis diſſidemus. Volunt quidam Velites mixtos manipulis fuiſſe, & areas ſatis eſſe capaces. Monet eos, quòd Polybius de ordine antè dixerat: Velites per manipulos æqualiter eſſe diſtributos. Hic igitur, inquiunt, item ſunto. Sed quid dicitis? æqualiter? Iniuria Triariorum fit: quorum dimidiata pedatura habere & recipere tantos debeat, quantos in plenâ ſuâ Principes & Haſtati. Subueniunt, & aliter diuidunt, ac Principibus & Haſtatis duplum aſſignant, nempe quadragintaocto: Triariis non niſi vigintiquattuor, in manipulum quemque. Proportio eſt, fateor: ſed quomodo Polybio igitur maneatur, qui de æquali diuiſione aſſerit? Ruit hoc fundamentum: ſed nec aliàs firmum. Enimuerò ſi Velites mixti Triariis: cur non iis obſeruationem equorum potiùs Polybius iniungit? certè miniſterio illi propiores. Amplius, cur tam diſtinctè Triarios, Principes, Haſtatos collocat: nec verbum de iſtis adiungendis adiungit? At enim alibi non eſt eos collocare. Imò verò eſt, & fortaſſis Polybio præeunte. Certè cùm verba eius examino, quæ infra ſunt de Excubiis, ſedem videor Velitarem reperiſſe. Ait: Τὴν δὲ ἐκτὸς ἐπιφάνειαν οἱ γροσφομάχοι πληροῦσι, παρ' ὅλον καθημέραν τὸν χάρακα παρεμβάλλοντες: Exteriorem ambitum Velites noctu complent, de die ad totum vallum accubantes: ſiue vt alia lectio, παροικοῦντες, adhabitantes: quod magis etiam ſit pro meâ mente. Ait Polybius noctu excubare Velites pro caſtris, & extra vallum: de die iuxta vallum (interius profectò) tendere & adiacere. Haud aliter * acceperim, & ſunt quæ adducant. Illud maximè, quòd ſicut in acie, in agmine, & paſſim extra ordines Velites ſunt: ita hic quoque, & ad latera ſunt proiecti. Tota etiam caſtrenſis ratio ſic vult, in quâ optimiquique medii, & paullatim venitur ad extremos. Vt igitur infimi omnium ſunt Velites, ita extimo ordine meritò locandi. Quis is eſt? ad vallum & ſpatium illud, quod caſtra interiora ambit. Amplius, notat infrà Polybius Velites ab excubiis & miniſteriis diurnis eſſe immunes: ergo, ne planè feriati, hic ad vallum ſint, & obſeruent; & vt in acie quoque, proximi ſint hoſti. Sanè incuſtoditum hoc totum vallare ſpatium eſſe non cenſeas, aut leuiter cuſtoditum. Quid multa? conſidera, nihil aptius inuenies ad hos locandos. Partitio autem, cùm duplices ſint velites, legionum & ſociorum, vt illi ſiat ad ſuperam inferámque partem; iſti, ad latus vtrumque: Eadem enim partitio Polybii ſtatim in opere caſtrorum, vt ſocii latera ſua muniant: legiones quæque vnum, prima ſuperum, & inferum ſecunda. Itaque mille ducenti Velites ſupra Prætorium tendent, totidem ad Decumanam: mille, ad quamque Principalem. Tendent autem ſimplici ordine, nec multum ſpatii ſumeant introrſum: quia ſcilicet grande vnumquodque latus eſt, & pedum bis mille ac ſuprà. Sed nec impedimenta multa Velites habent aut arma, & minore podiſmo iis opus. Opponat aliquis. At enim ſic laxè nimis Principes & Haſtati tendent. Non eſt ita. nam ἀνάλογως ſi equites triginta, & totidem equi, par ſpatium manipulo habent: cur non homines centum viginti? maximè cùm centuriones, optiones, ſignifers & honeſtiores illi militum, calones ſuos habuerint, & ſarcinas, & iumenta.

De Velitum locatione.

Aliorum ſententia.

Ea refutata.

Noſtra locatio.

** Vide tamen infra Dial. 9. Confirmatio.*

Quomodo locati Velites.

(Section letters in the margin: A, B, C, D, E.)

A ❧ *& iumenta. Nam cuique manipulo ego mulos fuiſſe arbitror ad tentoria, molas, & hæc alia ferenda: quæ non reperio geſtaſſe milites ipſos. Cogitetur etiam aliquid loci periiſſe in tabernaculis figendis, & ſingulorum internallis. quoniam omnia ſic iuncta fuiſſe, vt exitus aut tranſitus non eſſet, haud opiner, nec fuerit decorum. Iſta in eâ re mihi videntur, ſed non affirmatè, & hîc illud locum habeat, imò in pleroque hoc antiquario ſtudio:*

Σοὶ μὲν τάδ' εἰ δοκοῦντ' ἐστίν, ἀλλ' ἐμοὶ τάδε.

Tibi illa ſic videntur, at iſthæc mihi.

Pergamus: *ſequuntur*

EQVITES *ſocij. vniuerſum autem corpus ſociale extrorſum ſitum eſt, vt ferè in acie ipſâ. Nec imprudentia fuit eos diuidere, & vires ſeiungere: vt contrà Romani medij iuncti, & numero firmi.*

B PEDITES *ſocij. quibus vias nullas dat aut internalla, ſed ſic per cohortes locat. Cohortes autem iſtæ, detractis Velitibus, modicæ ſunt, nec niſi hominum* ducentorum trigintaſex. *An autem confuſè locati? an per genera ſua diuiſi? ponamus iſtud fuiſſe (etſi ſuprà diſputaui) & Triarios ſeorſim, Principes, ac Haſtatos fuiſſe. Ita dico ſeorſim, vt iuncti tamē lateribus eſſent, ſicut Haſtati & Principes tergis. Ideo autē lateribus hîc iungo: quia ſi Triarios iuxta equites in longum pono, profectò incōmodiſſimo illi loco ſint, & ad exitus inepto. Malim ergo aliter: & ſic locare, vt omnes Centuriones Vallum ſpectent, aut Principia & Quintanam. Hoc ex dignitate eorum, & commodo: & facit, quod Polybius* in capite vtroque cuiuſque manipuli ordinum ductores *ponit. Hoc notare te volo in totâ metatione: & Decuriones aut Centuriones ſcire eſſe in capitibus ad Vias, & iuxta eos Signiferos, vt opinor. Præcipua hæc ſunt monenda: niſi quid tu ſuggeris.* AVD. *Suggero. Prætoria cohors aut cohortes vbi ſunt? nuſquam*

Socij quomodo locati.

C *locaſti.* LIPS. *Non enim Polybius, nec tunc adhuc vulgò erat. Cùm fuit autem, omnino oportet iuxta Prætorium tetendiſſe, iuxta Legatos aut Quæſtorem. Sed aliud mihi occurrit. Superior tota pars Socios ferè habet: quid ergo cùm Socij non fuerūt? cùm omnes ciuitate donati & in legiones tranſſcripti? quod haud longè nimis à Polybij æuo fuit. Cenſeo partem eam tunc occupaſſe Prætorias cohortes, quæ magis cœperunt inualeſcere, itemq́ue equitum aliquos ſelectos: Puta idem de Euocatis, qui tunc quoque plures. In Hygino ad hanc rem reperio,* Prætorianos *&* *Equites* Singulares *iuxta Prætorium tetendiſſe, Principum ſcilicet æuo. Nec ambigere oportet, quin tunc multa mutata, præſertim in ſupernis. Si quis volet Vexillarios*

Prætoria cohors, vbi.

Mutatio in caſtris.

D *quoque legionum, id eſt Veteranos, ibi metaturam habuiſſe: meo animo haud aberret. Sed iam quoque dentur & declarentur Tabulæ noſtræ numeri &*

PODISMI.

PODISMOS *appello: vt dixi,* Pedaturas *ſiue menſiones pedales. Sed cùm Pes duplex ſit,* Simplex *&* Magnus: *vtriuſque nobis vſus erit. illius, in menſuris longitudinis aut latitudinis; huius, in vtriuſque. Nam pes magnus Varronis eſt, qui alijs* Planus *aut* Conſtratus, *& vulgo noſtro* Quadratus *aut* Superficialis. *Huius vſus in areis metiendis, & vt planities ac capacitas tota innoteſcat. Videamus.*

E PRAETORIVM *quadratum iuſtum eſt,* ducentorum *vndique pedum. Latere in latus ducto efficitur area ped. 40000. paſſuum 1600.*

QVAESTORIVM *dimidiatum feci ad Prætorium, haud abſurdâ cauſâ. Proximus ille dignitate eſt: dimidium ergo pedaturæ eſto. & magis ideò, quia ampla ei vaſa, & inſtrumenta. Habet 200. ped. in latum, 100. in longum Planities ped. 20000.*

LEGATI *iterùm dimidiati ad Quæſtorem. Ergo habento in longum ſinguli 50. ped. in latum 100. Ne aberres in lato aut longo: ex Polybij mente longum appello,*

A *ſpatium à Prætoriâ ad Decumanam; latum à Principali ad Principalem. Eſt area 5000.*

TRIBVNI *iterùm dimidiati, & habent æqualiter in quadro 50. ped. Sunt in areâ 2500.*

PRÆFECTI *pares Tribunis, cum exceptiunculis quas dixi, aut in Tabulâ poſui: etſi in numeris pes vnus fortaſſe deſit aut ſuperſit in vniuerſum. quid ad rem? difficile exactè pariare: nec eſt Archimedis hîc abacus.*

EVOCATI, *quorum numerus incertus, & ideò pedatura. Sunto tamen triginta, id eſt Turma vna Romana: habebunt 80. ped in longum, 125. in latum. Area 10000. Superſunt mihi 238 $\frac{1}{}$. Ea area eſſet pedum circiter 20000. Caperes igitur [2] manipulos duos ciuiles peditum, id eſt homines 240.*

B ABLECTI, *ſint turma vna ſocialis. ergo 40. equites: ergo area 13333 $\frac{1}{}$. Efficiunt eam numeri à me notati, in lōgum 120. [2] in latum 111 $\frac{1}{}$. A tergo (item opinatione meâ) cohors vna eiuſdem [4] nominis, 336. hominum. Area illi eſſe debet 28000. ergo eſſent in latum 233 $\frac{1}{}$ circiter, in longum 120. Superſunt ped. 19. Ego eos [2] inſuper habui notare in meâ Tabulâ, & plenos adnumeraui.*

EXTRAORDINARII *equites, Turmæ quattuor ſociales. areola diuiſa ad modum dictum. Idem in Cohortibus supernè tribus, vtrimque vna cum dimidiâ. Vacuum supereſt, palàm ita Polybio ſcriptum, ſocus aduentantibus relinquendum.* *In*

C PARTE INFERA, *primi* EQVITES. *Pediſmus è Polybio notus, eſt area ped. 10000. Ad paſſus ſi redigas, ſunt 400. Hoc in omnibus manipulis æqualiter & turmis. An non grande ſpatium triginta equitibus, triginta equis? nec enim vnus plus vno militari equo, opinor, habuit. Dico non prægrande. nam cogitanti calones totidem, fortaſſe & Decurionibus ipſis aliquis honeſtiores comites aut miniſtri: item iumenta aut muli ad ſarcinas, hordeum, frumentum. Nec enim ipſi equites onuſti, aut eorum inſeſſorij equi.*

TRIARII. *Dimidiati ad equites, liquet. Cetera paria, & ratio eadem podiſmorum etiam in legionibus auctis.*

VIÆ *definita à Polybio ſuntq́ue, omnes aut* quinquaginta, *aut* centum *pedum. Excipio minuſculas inter Tribunos aut Præfectos: excipio & ſemitas inter tabernacula, ſi quæ fuerunt.*

D PORTÆ *ſingulæ 50. ped. meâ menſione. latiore enim ingreſſu opus vehiculis & iumentis.*

VALLI *modus parte vnâ 2017. ped. alterâ pluſculo maior 1050. Metatio ſuperior viſa mihi exigere: etſi potes aliquid recidere, ſi voles. Nam Polybius ſanè* æquilatera caſtra *mox dicet. ſed an capiendus ſic rigidè? Ego verò ſcio Martiam hanc eſſe, non Mathematicam arenam. Illi ipſi qui æquare voluerunt, cùm ad rem ventum, non fecerunt. Vides in toto ambitu eſſe* milliare vnum & ſemis, & aliquot paſſus. *In eo ſpatio pedum 16800. locarunt bellè & commode, equitum 1800 præter comites Prætoris, Legatorum, Quæſtoris, Tribunorum, præter omne genus calonum, iumentorum, & impedimentorum.*

E

DIALOG. V.

De Tentoriis, Foſsâ, Vallo, Portis.

AVO. Tenet me & oculos hæc ſpecies, tota pulchra, prudens, imò ſapiens, quod initio dixiſti. Vnde ruſticulis iſta menſurâ tales putātur priſci Romani: etſi multa ſub regibus, quæ & cor & elegātiam

oſtendunt. Lips. Nobis ſic videntur, fateor: ſed velim examinari à peritis & Martialibus; quia, vt Fabius ait, *tum dignum operæpretium venit, cùm inter ſe congruunt præcepta & experimenta.* Sed examinari dico ab iis, qui non omnium litterarum aut artium rudes: in quos profectò conuenit ——— * τοῦς ἐκ ὄϊς κυντεύονσι. At nos, ſi lubet, pergamus: enucleanda etiam quædam in his caſtris. Polybij iſta lege:

* Mens non vsq. Contaura.

Polyb.

Τούτων δ' οὕτως ἐχόντων, τὸ μὲν σύμπαν σχῆμα γίνεται τῆς στρατοπεδείας τετράγωνον ἰσόπλευρον. τὰ δὲ κατὰ μέρος ἤδη τῆς τε ῥυμοτομίας ἐν αὐτῇ, καὶ τῆς ἄλλης οἰκονομίας, πόλει παραπλησίαν ἔχει τὴν διάθεσιν. τὸν δὲ χάρακα τῶν σκηνῶν ἀφιστᾶσι κατὰ πάσας τὰς ἐπιφανείας διακοσίους πόδας. τοῦτο δὲ τὸ κένωμα, πολλὰς καὶ δοκίμους αὐτοῖς παρέχεται χρείας. πρός τε γὰρ τὰς εἰσαγωγὰς, καὶ τὰς ἐξαγωγὰς τῶν στρατοπέδων εὐφυῶς ἔχει καὶ δεόντως. ἕκαστοι γὰρ κατὰ τὰς ἑαυτῶν ῥύμας εἰς τοῦτο τὸ κένωμα ποιοῦνται τὴν ἔξοδον, ἀλλ' οὐκ εἰς μίαν συμπίπτοντες ἀνατρέπουσι καὶ συμπατοῦσιν ἀλλήλους, τάς τε τῶν παρεισαγομένων θρεμμάτων, καὶ τὰς ἐκ τῶν πολεμίων λείας εἰς τοῦτο παράγοντες ἀσφαλῶς τηροῦσι τὰς νύκτας. τὸ δὲ μέγιστον ἐν ταῖς ἐπιθέσεσι ταῖς νυκτεριναῖς, οὔτε πῦρ, οὔτε βέλος, ἐξικνεῖται πρὸς αὐτοὺς, πλὴν τελείως ὀλίγων. γίνεται δὲ καὶ ταῦτα σχεδὸν ἀβλαβῆ, διά τε τὸ μέγεθος τῆς ἀποστάσεως, καὶ διὰ τὴν τῶν σκηνῶν περίστασιν.

His ita conſtitutis, tota figura caſtrorum fit quadrata, æquilatera. Partes autem eius & in ſtrigorum ſectione, & in alio ordine, vrbi ſimilem locationem habent. Vallum verò ipſum abiungunt à tentoriis quaquauerſus pedes ducentos. Id vacuum multas & ſpectabiles vtilitates iis præbet. quoniã & ad egreſſus ingreſſúſque copiarum conuenit (ſinguli enim iuxta Strigas ſuas in hoc vacuum exeunt, nec confuſi proterunt ſe & conculcant:) & pecudes adductas aut prædas ex hoſtico captas huc agunt ferúntque & noctibus ſeruant. Præcipuum verò, quod in nocturnis aſſultibus, neque ignis, neque telum ad eos peruenit, præter pauca: eáque ipſa innoxia ferè fiunt, tum ob interualli ſpatium, tum ob tentoria circumpoſita.

Paullo pòſt:

Τῆς δὲ ταφρείας καὶ χαρακοποιίας, δύο μὲν ἐπιβάλλουσι πλευραὶ τοῖς συμμάχοις, παρ' ἃς καὶ στρατοπεδεύει τὸ κέρας αὐτῶν ἑκάτερον. δύο δὲ τοῖς Ῥωμαίοις, ἑκατέρῳ τῷ στρατοπέδῳ μία. διαιρεθείσης δὲ τῆς πλευρᾶς ἑκάστης κατὰ σημαίαν, τὴν μὲν κατὰ μέρος ἐπιμέλειαν οἱ ταξίαρχοι ποιοῦνται παρεστῶτες. τὴν δὲ καθόλου δοκιμασίαν τῆς πλευρᾶς δύο τῶν χιλιάρχων.

Foſſæ verò ac valli ſtruendi duo latera incumbunt ſociis, ad quæ vtrumque eorum cornu metatur: duo alia Romanis, cuique legioni vnum. Diuiſo autem latere vnoquoque per manipulos, curam partium Centuriones gerunt, iíque aſſiſtunt: vniuerſi autem operis probationem duo Tribunorum.

Hæc ſola noſter doctor de totâ facie Externâ: leuiter profectò, imò neglegenter, ſi fas hoc mihi dictu. Nam cùm tres ſint Externæ huius partis partes: *Foſſa, Vallum, Porta*: duas priores libat, tertiam nec verbo tangit. Ait:

» *Figura caſtrorum fit quadrangula.*] Hanc formam Romani amauerunt, & elegerunt præ Græcanicâ, quæ ſæpe rotunda. Ita de Spartanis quidem Xenophon: Ἐρῶ δὲ καὶ ἣν στρατοπεδεύεσθαι ἐνόμισε χρῆναι Λυκοῦργος. διὰ μὲν γὰρ τὸ τὰς γωνίας τοῦ τετραγώνου ἀχρήστους εἶναι, εἰς κύκλον ἐστρατοπεδεύετο, εἰ μὴ ὄρος ἀσφαλὲς εἴη, ἢ τεῖχος, ἢ ποταμὸν ὄπισθεν ἔχοιεν: *Dicam & quomodo caſtra poni oportere cenſuerit Lycurgus. Quia enim angulos diſpoſitis locis inutiles arbitrabatur, in orbem magis caſtra ponebat, niſi aut mons aliquis tutamen daret, aut murus, aut fluuium à tergo haberent.* Nec cauſſa nulla illa Lycurgi, quam in oppidis ferè condendis ſecuti ſunt: tamen Romanis placuit aliter, & ex iuſtâ item causâ. Interior enim illorum tota diſpoſitio hanc talem formam cupit, aut potiùs poſcit. Itaque Ioſephus etiam ſic deſcribit: Διαμετρεῖται, inquit, παρεμβολὴ τετράγωνος αὐτοῖς: *Ad menſuram conſtituuntur iis caſtra quadrangula.* Vegetius tamen & alias formas ſuo æuo in vſu oſtendit, & exemplo Græcorum ad locum ferè aptatas. *Pro neceſſitate loci,* inquit, *vel Quadrata, vel Rotunda, vel Oblonga caſtra conſtitues.* Vbi quæ ſint *Oblonga*, ne addubites: non ouatâ ſanè forma, ſed *quibus*, vt mox ait, *vltra latitudinis ſpatium tertia pars longitudinis additur.* Itaque ea quoque *Quadra*, ſed non *Quadrata*, id eſt æquilatera, pro Vegetij ſenſu. Leo Imperator, cuius vtilem bonúmque libellum De militiâ habemus, is quoque duas haſce quadrangulas agnoſcit: *Diuerſos ſitus & formas Foſſatorum antiqui tradiderunt in caſtris ponendis. Laudabilis autem Quadrata atque Oblonga eſt, tum quia ordinata, tum quia neceſſaria.* Sed in Vegetio etiam Rotunda ponitur, tunc recepta: & exemplum eius in Ammiano: *In valle gramineâ properiorum, multiplicato ſcutorum ordine, in orbiculatam figuram metatis tutius caſtris, quieuimus.*

Græcorum rotunda caſtra. De Repu. Laced.

Lib. III. cap. VIII.

Lib. XXIV.

» *Æquilatera.*] Exiguo quidem diſcrimine, vt ego ſuprà depinxi.

» *Vrbi ſimilẽ locationẽ habẽt.*] Iterat hoc infrà vberiùs.

» *Vallum verò ipſum abiungunt à tentoriis.*] Quod vacuum, ſi manere in imagine iſtâ vrbis lubet, haud abſurdè *Pomarium* dicam, quia introrſum poſt muros eſt. Eius vſum triplicẽ Polybius promit. Primùm,

» *Ad egreſſus ingreſſúſque copiarum.*] Nẽpe vt compoſiti ineant, atque in vacuo eo per Genera & Manipulos ſe disiungant: iterúmque in egreſſu, ſic iungant. Quod vtibile maximè, ſi eruptione pugnandum, & inſtat hoſtis. Secundum,

» *Ad pecudes adductas aut prædas.*] Mira prouidentia, & ne hoc quoque nomine confuſio minima in caſtris. Nec tamen in longum ibi præda ſeruata: ſed ab ipſis, aut Quæſtore, mox vendenda. Pecodes etiã intellego, tam eas quæ ex hoſte captæ, quàm has quę in militarem cibum, etſi paucæ, ſequebantur. Nec enim tales multæ deliciæ. Tertium,

» *In nocturnis aſſultibus.*] Si hoſtis, inquit, noctu aſſiliat, aut per inſidias & clàm tela immittat, innoxia ferè ſunt ob illud ſpatium interiectum, & cùm perueniunt, viribus defecta.

» *Neque ignis, neque telum.*] Ignis voce, tela igni-

ta ſine

ta ſiue faces intellegit, in crebro vſu veteribus ad pugnas, vt * alibi ſcribo.

* In Poliorcet.

» *Tum ob tentoria circumpoſita.*] Nihil nobis vſquam de tentoriis dixit, cuiuſmodi ea fuerint: firma tamen fuiſſe hinc diſcas. An igitur ex aſſeribus aut tabulis, & ideò Tabernacula dicta? In hibernis forraſſe & perpetuis illis caſtris nihil abſonum: tamen vulgò minimè. & conſtat fuiſſe tentoria hæc è corio & pelle. Inde & nomen, quia funibus tendebant & detendebant. Cæſar: *Signo profectionis dato, tabernaculiſq́ detenſis.* Tacitus: *Inciſis tabernaculorum funibus, ſuiſmet tentoriis coopertos erucidabant.* Iſidorus: *Dicta Tabernacula, quòd cortina funibus diſtenta tabulis interſtantibus, appenderentur, quæ tentoria ſuſtinerent.* Etſi ipſe *Cortinas* dicit, & è lino fortaſſe intellegit, de quibus ſtatim. Nec *Tabernaculorum* vox imponet, cùm Feſtus monuerit, *à tabernis tecta caſtrenſia, quamquam pellibus contegantur, Tabernacula dicta.* A formâ igitur aut vſu ſimili, non à materie, & iſtæc è pellibus corioque fuerunt. Ioſephus de Romanis: Τὰς διφθέρας αἷς ὑπεσκήνουν: *pelles ſub quibus tendebant.* In epiſtolâ Valeriani apud Trebellium: *Tribuno Claudio pellium tentoriarum decurias triginta dabis.* Adnota obiter, è publico etiam datas: ſed Ducibus. Nam Tacitus contrà, Tiberij æuo, *veſtem & tentoria redimi* à militibus dicit. Sed de pellibus his & Tacitus, vbi de Fiſiis: *Tributum iis Druſus modicum iuſſerat pro anguſtiâ rerum, vt in vſus caſtrenſes coria boum penderent.* In tentoriorum ſcilicet vſum, atque etiam ſcutorum. In eiuſdem Taciti ſuprà loco: *ſuiſmet coriis coopertos* (non autem *tentoriis*) ſcripta lectio probè ad hunc ſenſum refert. Ita igitur de more: interdum, vbi inopia, etiam ſtramentis, centunculis, aut veſtibus vſi. Sic Cæſar cùm milites in Africam expeditos & nihil præter arma ferentes tranſuexiſſet: *Attenuati illi, oppido perquàm pauci ſub pellibus acquieſcebant; reliqui ex veſtimentis tentoriolis factis, atque arundinibus coriiſq́ contectis permanebant.* In Hirtio ita ſcriptum, nec ſine vitio. Quomodo enim *arundinibus coriiſq́ contectis*, ſi negat pelles habuiſſe? Corij ſanè vox falſa: & puto *ſtoreiſque* verum eſſe. In vetuſtiore tamen libro, *arundinum copiis* lego: ex quo haud malè, *arundinum copulis*. Ergo pellibus ſic vſi, & inde vulgata hiſtoricorum ſcriptio, *Sub pellibus eſſe*. Fecerunt & Græci, quibus Xenophon σκηνώματα διφθέρας adtribuit: *tentoria & tegmina, pelles.* Q. Curtius de Alexandro Macedone: *Pellibus ſæpe tabernaculi allevatis, vt conſpiceret hoſtium ignes.* Quod autem in Polyæno ſcriptum de Ageſilao, eum *iuſſiſſe milites caſtra bis terue die mutare, atq; ita neceſſariò ligna multa incidiſſe, cùm tentoria erigerent* (τὰς καλύβας ἐγείροντας) *eâque arte Bœotiam callidè vaſtam reddidiſſe & ſine arboribus*: id non eo facit, quaſi tentoria tota è lignis, ſed dumtaxat fulcra & tigilla lignea fuiſſe, quibus erigerentur & ſuſtinerentur. Quod ipſa eius verba ſignificãt. Etſi tamen è ligno etiam reperio. vt in Procopio (verſionem modò vidi) de Beliſario: *Ipſe ſubitò tugurio ex craſſis aſſeribus compacto, quod Papilionem vocant.* Vocem & hanc notabis, quæ item in Trebellij triginta tyrannis, de Herode: *Homo Orientalis & Græcæ luxuriæ, cui erant ſigillata tentoria, & aurati papiliones.* In Lampridij Alexandro: *Apertis papilionibus prandit atque cænauit.* Iſidorus: *Papiliones, à ſimilitudine paruæ animalis volantis.* Hæc ita priſcis: etſi è lino etiam, noſtrate ipſo ritu, adnoto fuiſſe. Iſidorus ſuprà indicat: & clarè Suidas: Τένδα παρ' ἡμῖν οἶκος ἐκ λίνου: *Tenda apud nos domus ex lino.* Res & vox eſt hodierna. Talia igitur tentoria, ſed quàm multa in Manipulum? Iubet loquitere: & credam duodecim fuiſſe. Vegetius quidem auctor vndecim homines vnà tetendiſſe, & id *Contubernium* appellatum. *Singula*, inquit, *contubernia, hoc eſt vndecim homines deputantur.* Idem præſidem iis dat Decanum, qui ipſe ſcilicet vndecimus: *Decani decem militibus præſunt, qui nunc caput contubernij vocantur.* An ab iſto capite Italis hodie *Caporaletti Corporales* alij efferunt, & ad Ammiani *Cõcorporales* nos remittunt. Hyginus porrò numerũ hunc minuit, & *octo* in contubernio ponit. *Centuria habet milites octoginta, papiliones tendit decem, papilio tegit homines octo.* Sed hoc in Centuriâ tantùm: & Vegetij numerus magis pro Polybiano æuo, nec pro ipſâ areâ ineptus, vt terna & terna ſteterint tabernacula, ordine quaterno. Atque iſtæ ſunt velut domus militares, cuique notæ, & ſciebant quoto, & apud quem manerent. Itaque familiaritas quædam erat & nexus, *Contubernalem* eſſe: ſicut *Adtubernales* Feſto dicti, quorum tabernacula iuncta. Ipſi autem Centuriones in capite cuiuſque Manipuli ad exitum ſiti, vt Polybius palàm ſcripſit: reliquos adſitos probabile eſt, vt ætas aut dignitas cuiuſque erat.

Tentoria cuiuſmodi?

E corio aut pelle.

VII. Galli. IIII. Hiſt.

In Claud.

De Bello Afric.

Correctus Hirtius.

I. Anabaſ. Lib. III.

Lib. II. Stratag.

Lib. II Bell. Perſ.

Quot tentoria in Manipulum? Contubernium

Lib. II. cap. XIII.

Decani. Lib. II. cap. vlt.

A V O. Sed enim hoc quoque aueo ſcire. nihil membrorum aut diſcriminum in his tentoriis? non culinæ, non cubicula & lecti? LIPS. Rideo. & tu verò parùm cogitas ſtrictam & duram militiam Romanam. Quid culinâ opus? cùm panis cibus eſſet, & obſonia nulla aut rara? de quibus poſteà tamen dicam. De cubiculis aut lectis, apage. Illi verò aut humi iacebant, aut ſuper gramen aliquod aut ſtramen. Liuius de Annibale: *Multi ſæpe militari ſagulo opertum humi iacentem inter cuſtodias ſtationeſq́ militum conſpexerant.* Et lego Scipionem Æmilianum (cui comes noſter Polybius) cùm ſolutam diſciplinam corrigeret ad Numantiam, *lectos vetuiſſe habere, atque ipſum primum in ſtramento dormiuiſſe.* Appiani verba: Κλίνας τε ἀπεῖπεν ἔχειν, καὶ πρῶτος ἐπὶ στιβάδων ἀνεπαύετο. Facit huc illud Plinij lib. VIII. *Antiquis torus è ſtramento erat, qualiter nunc etiam in caſtris gauſape.* ſiue vt libri aliquot ſcripti, *gauſapinis*. Sed ſatis de Tentoriis, ad Polybij verba redeamus.

Militum ſtibadia. Lib. XXV.

In Iberic.

» *Foſſæ autem ac valli ſtruendi duo latera incumbũt ſociis.*] Vbique prouidentiam videas & mireris. Ecce & in muniendis caſtris perpetuus & certus ordo: & vt quiſque in iis locum & tentorium ſuum nouerat, ſic partem quoque operis, quæ obueniret. Nam Socij ſemper duo latera habebant, vbi tendebant: & eo ordine etiam, niſi fallor, quo tendebant: Romani duo reliqua, per manipulos ſic diuiſi. Quid autem, cùm deſierunt iam eſſe Socii? tum per legiones diuiſio facta, & ſi plures, ſingulis ſuum latus. In Cæſare: *Singula latera caſtrorum ſingulis adtribuit legionibus munienda.*

Ordo in muniendo.

III. Ciuil.

» *Curã partium Centuriones gerunt.*] Quiſque in ſuo manipulo. Vegetius: *Opus Centuriones decẽpedis metiũtur, ne minus foderit aut errauerit alicuius ignauia.* Vbi velim legi, *erraverit*: ſicut & *Ruera* in hac re legas.

Lib. III. cap. VIII.

» *Operis probationem duo Tribunorum.*] Centuriones quidem per partes intendunt: ſed toti operi præſunt & curãt duo Tribuni. vt ſcilicet vniuersè omnia aptè & cohærenter, & nequid ipſi Centuriones remittant. Vegetius idem: *Tribuni circumeunt, nec antè diſcedunt, quàm fuerint vniuerſa perfecta.* Qui ſunt autem iſti *duo* Tribuni? è quaque legione vnus, qui per menſes ſuos imperium habeat, vt mox diſces. Nec plura nobis de Foſſâ aut vallo Polybius: ego neceſſariò aliquid ad lucem tuam addam. Foſſa igitur exteriùs vallo præducta: præducta, inquam, & ſic ab ipſâ re dicebant. Tibullus:

Quã deceat tutam caſtris præducere foſſam.

Vegetius: *Tunc opere tumultuario foſſa præducitur.*

Tribuni intendũt muniendo. Lib. III. cap. VIII.

Foſſam præducere.

Digitized by Google

Cæſar: *Foſſas tranſuerſis viis perducit.* etſi vulgò ibi *perducit.* In Silio:

——*foſſas inſtant producere muris.*

Dicebant & *Deprimere foſſam*, itemq; *Percutere*: ac notabis per te exempla. Ea foſſa lata plurimùm octo pedes, & totidem alta. Ioſephum ſic interpretor, vbi de caſtris: Τάφρος ἔξωθεν περιβέβληται βάθος τετράπηχυς, καὶ εὖρος ἴσος: *Foſſa exteriùs circumiicitur profunda quattuor cubitis, lata æqualiter.* Definit quattuor cubitis: ſed cubitum illic maiorem accipio & duorum pedum: etſi nec ſic modus Foſſæ nimis amplus. Nec abs re forte ſit in Ioſepho legi: δεκάπηχυς. qui eſſent *quindecim pedes*: vt in Cæſare plus ſemel lego. Imò etiam alij adaugent, & Vegetius, etſi rebus labentibus, ac poſt Ioſephum: *Milites*, inquit, *gladiis cincti foſſam aperiunt, latam aut nouem aut vndecim aut tredecim pedibus: vel ſi maior aduerſariorum vis metuitur, pedibus decem & ſeptem vel nouem. Imparem enim numerum ſeruari moris eſt.* Ait autem primò *accinctos fodiſſe.* quod facit hoc Taciti, inter Corbulonis ſeuera recenſentis, *Militem quia vallum non accinctus, atque alium quia pugione tantùm accinctus foderet, morte punitos.* Ponit deinde modum, ſed varium, vti reuera fuit, pro temporibus, pro arbitrio Ducis. Sed quod notat *imparem de more ſeruatum*: ipſe contrahit, dum alibi ſcribit: *Vbi vis acrior imminet hoſtium, tunc legitimâ foſsâ ambitum conuenit munire caſtrorum, ita vt duodecim pedes lata ſit, & alta ſub lineâ, ſicut appellant, nouem.* En, facit legitimam foſſam duodenum pedum: quem parem numerum eſſe liquet. Sed quod dicitur hîc *ſub lineâ*: idipſum Hirtio, niſi fallor, *directis lateribus. Foſſam duplicem*, inquit, *pedum quindenûm lateribus directis deprimi iubet.* Ita altitudo vndique maior, quàm ſi iacentia latera facias & metiare. Atque hæc de Foſſâ: *Vallum* ipſum nunc deſcribo, quod appello aggeſtum è terrâ & ſudibus, ad labrum interius foſſæ, velut murum. Duæ igitur eius partes (vt diſtinctè explicem) *Agger*, & *Sudes*. Agger eſt ipſa terra, de quâ Virgilius:

Caſtrorum in morem pinnis atque aggere cingunt.

Deſcribit eum Vegetius: *Si nimia neceſſitas non premit, ceſpites circumciduntur è terra, & ex illis velut murus inſtruitur, altus tribus pedibus ſupra terram: ſed vbi vis acrior imminet hoſtium, tunc creſcit in altum quattuor pedes.* Ponit ceſpites ad hanc ſtructuram: vti & Plinius. *Ceſpitum*, inquit, *natura caſtrorum vallis accommodata.* Huius & modulum præſcribit Vegetius: *Ceſpes ſit altus ſemiſſem, latus pedem, longus pedem ſemis.* Nam nec temerè aut pro arbitrio hunc exſcindere licuit, ſed omnia ad normam. Quid autē ſi *terra ſolutior fuerit* (vt Vegetius loquitur) *vt ad ſimilitudinem lateris ceſpes non poſſit abſcindi?* Tū ſanè, vt ibi addit, aut *foſſa producitur, cuius intrinſecus agger excreſcit*: aut vt poſteà, *ſepibus ductis, vel interpoſitis ſtipitibus ramiſq; arborum, ne terra facile dilabatur, Agger erigitur.* Hoc ipſum Hygino monitum: *Ceruoli, trunci ramoſi, ad hos decurritur, ſi ſoli naturâ, nimiâ teneritudine, ceſpes frangeretur.* Iſte Agger eſt, qui ſæpe tamen vltra Vegetianum modum: in Cæſare quidem lego: *Erat eo loco foſſa pedum quindecim, & vallus contra hoſtem in altitudinem pedum decem, tātundemque eius valli Agger in latitudinem patebat.* In Hirtio etiam: *Caſtra imperat vallo pedum duodecim muniri.* Pars altera, vt dixi, *Sudes*, qui propriè *valli*, & inde compoſitum ex vtroque, dixêre *Vallum*. Virgilius priore & propriâ notione:

Quadrifidaſq; ſudes, & acuto robore vallos.

Ibi Seruius: *Bis idem dixit. nam & Valli & Sudes idem ſunt.* Magis priſci dixêre & *Suros*. *Suri, fuſtes*, ait Feſtus, *vnde* ὑποκοριστικῶς *Surculi.* Idem Ennij *Crebriſuro* notat: eáq; voce notari *vallum crebris ſuris, id eſt palis munitum.* Sed Sudium vox creberrima. vt in Valerio: *Tragulis & pilis, quia roboreæ ſudes deerant, vallaui.* E robore eas ſumi, ex acere Propertius:

Hunc Tarium fontem vallo præcinge æterno.

Sed non eſt dubium quin è quocunque & obuio ligno, robuſto tamen, cùm daretur. Iterùm de Sudibus Ammianus: *Vallo ſudibus foſsâque firmato.* Idem: *Vallum ſudibus denſis, & foſſarum altitudine, cautiùs adſtruebatur.* ſæpiuſq;. In Vegetio igitur cùm legitur: *Quibus protecti bellatores, ſi lutum obfuerit, cinnatis foſſatum etiam comportatis lapidibus complent:* longè aliam lectionem ſcripti libri præeūt: in quibus ferè eſt, *bellatores ſudatum auferunt.* ex quo illud natum; *ſi lutum obfuerit.* Atqui (vide & conſidera) *luto* non ibi locus. Equidem lego: *Sudetum auferunt.* Sub muſculis, inquit, protecti bellatores detrahunt ſudes mœniorum, & foſſas complent. Nam & in oppidis erant iſtæ ſudes. Sidonius ad Narbonem Martium:

Non te foſſa patens, nec hiſpidarum
Obiectu ſudium coronat agger.

Igitur quâ formâ *Vepres Vepretum* faciūt, *Salices Salicetum*, tali *Sudes Sudetum.* In Suidâ eſt: Σίδετον, τὸ φοσσᾶτον: *Sudetum, foſſatum.* Vide ne Σούδετον vera lectio ſit, *Sudetum*: niſi quis exiſtimat à *Sedibus* dictum hoc *Sedetum.* Forma Sudium ſiue Vallorū quæ fuerit; diffusè in Polybio ipſo noſtro habes, de rebus Quinctij Flaminini in Græciâ. Ipſum vide. Inter alia oſtēdit, nō *æquabili & ſimplici ligno fuiſſe, ſed habuiſſe*, vt ipſe appellat, δύο κεραίας ἢ τρεῖς ἢ τέτταρας: *duas eminentias & velut cornua, aut tres aut quattuor.* Significat ramos in maiore ſtipite, qui recti vt cornua eminebāt. Tales præſertim in ſummo erāt, eóque Varro, me iudice, aſpexit cùm ſcripſit: *Vallū, vel quod ea varicare nemo poſſit, vel quòd ſingula ibi extrema bacilla furcillata figuram habeant litteræ V.* Duplex etymon dat. ſiue quòd nemo ea varicādo tranſcendat; ſiue quòd in capite & extremo bacillorū V. littera ſit expreſſa. Oſtendit amplius idem Polybius, διὰ σπουδῆς ὀξυνομένας τὰς κεραίας: *ſtudiosè acutas fuiſſe eminentias illas vallorum*: & cauſſam addit, ne quis facilè poſſet apprehendendo euellere, lubrico ſcilicet ligno. Cauſſa etiam altera in promptu, contra tranſgreſſum aut tranſcenſum. Hæc acumina Ammianus ita exprimit: *Caſtra ponuntur, vndique, in modum mucronum, præacutis ſudibus fixis.* Iſti ſunt Valli aut Sudes: quas in Aggere illo terreo defixas ſatis liquet. Vegetius: *Super aggerem valli, hoc eſt ſudes vel tribuli lignei, per ordinem digeruntur.* Itaque longiuſculos fuiſſe oportuit hos vallos, cùm pars in terram defigeretur, firmamenti cauſsâ, & pars emineret. Etſi implexos & deuinctos inter ſe etiam fuiſſe, ex Polybio diſcas. Hæc ratio tota vallandi nec antiquis Græcorum ignota, imò vſurpata fuit, ex Homero. Nam ille Agamemnonē ſic facit caſtra ædificare ad Troiam:

Καὶ δὴ τεῖχος ἔδειμε, καὶ ἤλασε τάφρον ἐπ' αὐτῷ
Εὐρεῖαν, μεγάλην, ἐν δὲ σκόλοπας κατέπηξεν:
Et murum conſtruxit, & hunc fodit prope foſſam,
Latam atque ingentem, & vallos poſuit quoq; in ipsâ.

Satis de Vallo: pars tertia, *Porta.* Quot eas fuiſſe dicimus? quattuor. Ex Liuio: *Ad quatuor portas exercitum inſtruxit.* Vbi autem ad vnumquodque latus vnam, ex Ioſepho: Πύλαι δὲ ἐνοικοδομοῦνται τέσσαρες, καθ' ἕκαστον τοῦ περιβόλου κλίμα: *Portæ inædificantur quattuor, ad vnamquāque ambitus partem.* Atque inter eas prima *Prætoria*, quæ ſcilicet vicina & à tergo Prætoris. Ammianus: *Auſi inter hæc equitum cunei, portâ perruptâ Prætoriâ prope ipſum tabernaculum Principis aduenire.* Feſtus: *Prætoria porta appellatur in caſtris, quâ*

exercitus

exercitus in prœliũ educitur. Et ſanè ſolet ea pleriũque obuerti hoſti, vt Decumana auerti. Vegetius: *Porta Prætoria aut Orientem ſpectat, aut illum locum qui ad hoſtes pertinet, aut illam partem ad quam exercitus eſt iturus.* Vbi igitur hoſtis in vicino, illum ſpectat: vbi minimè, alterutrum ex iis quæ dicit. Hæc ipſa *Extraordinaria* Liuio dicta: *M. Valerium erumpere Extraordinariâ portâ iuſſit:* ab iis ipſis Turmis & Cohortibus, quæ illic tendunt. Duæ laterales & proximæ, *Principales:* è quibus *Læua* altera ad diſcrimen, altera *Dextra.* Vnde nomen? Feſtus dicet: *Principalis caſtrorum porta nominatur, quòd in eo loco eſt, in quo Principes ordines tendunt.* Id eſt, primi ordines, capita & apices caſtrorum; vt Tribuni, Præfecti, primique Centurionum. Bona deriuatio: alioqui nec mala à *Principiis* ipſis: ſed tum *Principalis* magis eſſet. mentio in Liuio ſatis crebra: & loca alibi dedi, aut tu excerpes. Quarta, *Decumana,* à cohortibus Decimis ibi tendentibus ſic dicta. Ea eſt oppoſita Prætoriæ, & remota ab hoſte. Tacitus: *Cuncti ruebant ad portas, quarum Decumana maximè petebatur, auerſa hoſti & fugientibus tutior.* Vegetius oſtendit ſupplicia extra hanc ſumpta: *Decumana quæ appellatur poſt Prætorium eſt, per quam delinquentes milites educuntur ad pœnam.* Hæc eadem *Quæſtoria* olim dicta, vt ſuprà diſſerui. Iſta olim: nec inferior ætas valdè mutauit, niſi quòd minores quaſdam portulas interſtruxit. Leo Imp. *Ambitus foſſatis Portas quattuor maiores & publicas habere debet, portulas autem paruas præterea complures.* Sed illas maiores quantas fuiſſe arbitramur? Ioſephus grandes fuiſſe oſtendit, Πρός τε εἰσόδους τῶν ὑποζυγίων εὐμαρεῖς, καὶ πρὸς ἐκδρομάς, εἰ κατεπείγοι, πλατείας: *ad introitus iumentorum faciles, & ad excurſus, ſi opus ſit, latas.* Ergo ſuprà, non minùs patuiſſe quàm Vias centum, id eſt pedes quinquaginta. Fores & ianuæ etiam iis impoſitæ, ad ſerandum ac reſerandum. Virgilius indicauit, in caſtris Troianorum:

> *Portam, vi multâ, conuerſo cardine torquet,*
> *Obnixus latus humeris.*

Hirtius item expreſsè: *Portis fores altioresq́; turres impoſuit.* Vbi & turres in portis ad defenſionem notes; quod item ſæpe in toto ambitu caſtrorum Ioſephus: Καὶ τὸ μὲν ἔνδον, εἰς σκηνὰς διαλαμβάνουσιν, ἔξωθεν δὲ ὁ κύκλος τείχους ὄψιν ἐπέχει, πύργοις ἐξ ἴσου διαστήματος κεκοσμημένος. ἐπὶ δὲ τῶν μεταπυργίων, τούς τε ὀξυβελεῖς, καὶ καταπέλτας, καὶ λιθοβόλα, καὶ πᾶν ἀφετήριον ὄργανον τιθέασιν ἅπαντα πρὸς τὰς βολὰς ἕτοιμα: *Et introrſũ quidẽ tabernaculis locum capiũt, extrorſum verò ambitus muri præbet ſpeciẽ, turribus ex æquo ſpatio inſtructus. & per interualla balliſtas, & catapultas, & aliud omne inſtrumentum miſſile diſponunt, cuncta ad iactum parata.* Quæ talia tamen nonniſi in Statiuis, & diuturnioribus ſedibus, credendum eſt habuiſſe. In vnam noctem, ne foribus quidem valdè opus.

Extraordinaria eadẽ. Lib. XL. — *Principales, duæ.* — *Decumana* — B — *Poſteà plures portulæ.* — C — *Fores in portis.* — *Lib. IX.* — *III. Gallic.* — *Turres in portis. Et Vallo. Lib. III.* — D

DIALOG. VI.

De operibus. qui Immunes in iis, qui Munifices. Secordia poſteriorũ æui.

HABES exteriorem quoque caſtrorum faciem: in quâ tamen ſcito variatum interim aliquid maioris firmitatis aut tutelæ cauſſâ. Legas enim non rarò duplicem foſſam, & duplex vallum: ſed quæ ſcilicet eadem iam dictis. AVD. Linguam mihi ſoluis, quam ægrè coërcui: & rogare libido, an hæc talia & tot opera ipſi milites? LIPS. Ipſi. nec pro noſtro more aut ſecordiâ, minutiores quoſdam ſeorſim cogita circumductos. AVD. Non cogito. ſed alo-nes, lixas, & id genus in mente habeo: & an non ii potiùs ad ſeruilia hæc munera admoti? LIPS. Seruilia appellas? ad quæ ego reperio ipſos Imperatores manum interdum admouiſſe, in calcar & exemplum. Excute hæc noſtri æui iudicia, & ſcito Romanos ſociosque communiter & ſollenniter in his operibus fuiſſe. Cotidiana erant; & ſiqua alia res, hæc militem firmabat & indurabat. Vt tamen ſemel tibi explicem, Polybio paullùm ſepoſito, diſce: duo genera militum fuiſſe *Munifices & Immunes.* Illos, qui omnia facerent: id eſt, foſſas, vallum ſtruerent, excubias ſtationeſque obirent. Iſtos, qui his omnibus vacarent. De prioribus ita Feſtus: *Munifices, qui non vacabant, ſed munus reip. faciebant.* Vbi illud, *reipublicæ,* ſuſpectum leuiter habeo, nec ſcio an non magis *publice* legendum, abiecto *rei.* Vegetius: *Munifices appellantur, qui munus facere coguntur.* In hoc genere omnes gregarii, & quibus honos aut gradus vacationem non dabat. Quidam enim, vt poſui, *Immunes* erant, quos Feſtus, *Beneficiarios* vocat. *Beneficiarii,* inquit, *dicebantur qui vacabant muneris beneficio.* Et hic diſplicet *beneficium muneris:* illud verò onus eſt. Lego: *muneribus beneficio.* Senſus, ſic dictos qui beneficio Imperatorum, muneribus vacarent. Duo enim genera eiuſmodi Immunium: alii, qui ex lege & more vacabant, alii, qui ex beneficio. Ex lege, omnes Tribuni, Centurioneſque, qui arbitri & exactores munerum erant, non actores. Item equites, ob dignitatem. Valerius me docuit in exemplo: *Equeſtris,* inquit, *ordinis bona magnáque pars, quadringenti iuuenes, cenſoriam notam patienter animo ſuſtinuerunt, quia in Siciliâ ad munitionum opus explicandum ire iuſſi, facere id neglexerant.* Clariùs ex Frontino, in eâdem re: *Aurelius Cotta Conſul, cùm ad opus equites neceſſitate cogente iuſſiſſet accedere, eorúmque pars detrectaſſet imperium, queſtus apud Cenſores effecit vt notarentur.* Ex quo liquet immunes eos vulgò fuiſſe, nec niſi in neceſſitate admotos: quod tunc quoque recuſarunt, ne ius ſcilicet ſuum remittere aut proiicere viderentur. In eodem numero pono etiam Veteranos & Euocatos, quos omnino probabile eſt, cùm ſponte militiam ſubirent, munerum hac neceſſitate non adſtrictos, niſi item in neceſſitate. A quo exemplo exauctorati & qui ſub vexillo habebantur temporibus Principum, *cæterorum immunes erant* (ait Tacitus) *niſi propulſandi hoſtis.* Atque iſti tales lege vacabant: beneficio autem, quibus id indultum per gratiam, ſiue quia virtute meruiſſent. Tale cùm Annibal Imperator Campanis concedit, apud Liuium, *Ne ciuis Campanus inuitus militaret, munúſve faceret:* quod valet, nec ad militiam adigi debere; nec ſi in eâ ſponte eſſet, ad munus. In eodem Liuio, octo cohortes Hernicorum ſcribuntur, *quæ duplex ſtipendium acciperent, immunes quoque operum militarium eſſent, in vnum pugnæ laborem reſeruati.* Sed & apud eundem, Senatus inter cetera, quæ ignominioſè de Cannenſibus reliquiis, cenſet: *Nequis eorum munere vacaret, neu dono militari, virtutis ergo, donaretur.* Nec Imperatores ſolùm ipſi dabant: ſed indulgebant aut conniuebant etiam pro tempore Tribuni. In Quinctiliani Declamatione, pro Milite: *Tranſeo oblatam volenti munerum vacationem, & blandiùs adulatum militi Tribunum.* Talia olim: at remiſſiore iam & minùs intentâ militiâ, inualuit, Vacationes pretio etiam, idque à Centurionibus, emi. Inter alia, quæ militiam & rem Romanam euerterunt, hanc ſcito eſſe inter occultas cauſſas. Redimebant igitur, & iam per bella ciuilia cœptum manſit ſub Auguſto. Tacitus in ſeditione, quæ ſtatim ab eius morte, loqui milites facit: *Hinc* (è decem aſſium ſtipendio) *arma, veſtem, tentoria*

E

Ipſi milites muniebant. — *Munifices.* — *Immunes.* — *Tribuni, Centuriones, Equites vacant.* — *Lib. II. cap. IX.* — *Lib. III. cap. I.* — *Euocati vacant.* — *Item Vexillarii.* — *I. Annal.* — *Et quidam beneficiarii Imperator indulgebat. Lib. XXIII.* — *Lib. VII.* — *Lib. XXVI.* — *Et Tribuni.* — *Et Centuriones.* — *Vacationes emptæ. I Annal.*

hinc ſæuitiam Centurionum & vacationem munerum redimi. Quomodo hîc ſæuitia, & Centurionum etiã auaritia aut fraus; declarat idem ampliter in rebus Othonis. *Flagitatum*, inquit, *vt vacationes præſtari Centurionibus ſolitæ remitterentur. Namque gregarius miles* (nota *gregarium* tantùm exprimi) *vt tributum annuum pendebat, pars manipuli, pars per commeatus aut in ipſis caſtris vaga, dum mercedem Cẽturioni exſolueret, neque modum oneris quiſquam, neque genus quæſtus, penſi habebat. Per latrocinia aut raptus, aut ſeruilibus miniſteriis, militare otium redimebant. Tum locupletiſſimus quiſque miles labore ac ſæuitiâ fatigari, donec vacationem emeret. Vbi ſumptibus exhauſtus ſocordiâ miſer elanguerat, inops pro locuplete, & iners pro ſtrenuo in manipulum redibat. ac rurſus alius atque alius eadem egeſtate ac licentiâ corrupti, ad ſeditionem ac diſcordias, & ad extremum, bella ciuilia ruebant. Sed Otho, ne vulgi largitione Centurionum animos auerteret, ex fiſco ſuo vacationes annuas exſoluturum promiſit: rem haud dubiè vtilem, & à bonis poſtea Principibus perpetuitate diſciplinæ firmatam.* Tota res explicata, & ſeueriter etiam damnata, niſi quòd poſteà remittit aliquid, & probat vacationes ſolui è fiſco. Si te noui Tacite & rectum tuum ſenſum; non pro iudicio, ſed pro tempore, & quia eò ventum vt foueri hæc vulnera poſſent non ſanari. Quod autem ait, *rem eam à Principibus poſteà perpetuitate diſciplinæ firmatam*: quid hoc eſt? an vt nemo poſteà munifex? omnes pretio è fiſco ſoluto vacarent? Profectò non potuit, aut omnis iam munitio, & vigiliæ, & munia, ceſſarunt. Non ea mens. ſed certo aliquo numero vacationes Centurioni ſolutas; ceterùm, militi nullam ſæuitiam vltrà adhibitam, aut immodicè exagitatum; ſed cùm opus, feciſſe opus. Spes enim cùm reciſa extorquẽdi, ceſſauit & tormẽtum. Sanè quin poſteriore etiã æuo munierint opuſq; fecerint, dubitari nõ poteſt vel ex Vegetio, qui diſtinguit duo genera militum: *Principales, qui priuilegiis muniuntur, Munifices, qui munus facere coguntur.* Ipſe *Principales* appellat, illos eximios & in gradu: *Munifices*, viliores & gregales. Ita Ammianus: *Munificis militis vili & fortuito cibo contentus*: quod ita ſcribit in laudem & continentiam Iuliani Imperatoris. Iterumque: *Perſto pultis parabatur exigua, etiam munifici faſtidienda gregario.* In Codice Theodoſij: *Qui contra hanc ſanctionem fecerit, promotus regradationis humilitate plectetur, munifex pœnam deportationis excipiet.* Quibus locis *Munifices* palàm diſtinguntur à Principalibus ſiue Promotis. Vides quid motis fuerit, quomodo minuerit, & facit eò Dionis ſcriptio, qui Mæcenatem Auguſto ſuadentẽ inducit, *vt allegat in Senatum quoſdam etiam ex Centurionibus*, πλὴν τῶν ἐν τῷ τελογυμένῳ ἐστρατευμένων. τούτων μὲν γὰρ τῶν φορμοφορησάντων καὶ λαρκοφορησάντων καὶ αἰσχρὸν καὶ ἐπονείδιστόν ἐστιν ἐν τῷ βουλευτικῷ τινας ἐξετάζεσθαι: *præter eos, qui aliquãdo inter gregarios militaſſent. Nã ex iis qui corbes aut ſportulas tuliſſent, turpe & ignominioſum ſit, quoſdam in Senatu cenſeri.* Ita Dio, qui cenſet Centuriones quoque Senatores fieri, ſed nempe qui ab initio tales, aut in gradu aliquo: nec qui vnquam vilia iſta obiiſſent. Vilia, vt ipſe iudicat, pro ſuo iam æuo: an pro veteri: abſit, aliter oſtendimus. Et quid C. ille Marius, nónne à caligâ ad Conſulatũ peruenit? nõnne munifex, & qui vitẽ capite ſæpe excepit & fregit,

Si lentus pigrâ muniret caſtra dolabrâ?

vt ait Satyricus. Sed molliore illo æuo, fracta & mollia etiam iudicia: puluerulenta virtus ſordũt, & iam pænè dedecus, eſſe verè virum. Audi Tacitum de Syriacis legionibus, quas Corbulo deſides & ignauas repperit: *Satis conſtitit*, inquit, *fuiſſe in eo exercitu veteranos, qui non ſtationem, non vigilias iniſſent, vallum foſſámque quaſi noua & mira viſerent, ſine galeis, ſine loricis, nitidi & quæſtuoſi, militiâ per oppida expletâ.* O milites, ſed Nerone nõ Corbulone dignos! Et tale, quod de Prætorianis Spartianus ſcribit: quos cùm Iulianus, is qui imperium ab iis emerat, in campum produceret, & exercere militariter vellet: *illi vicarios operis, quod cuique præſcribebatur, mercede conduxerũt.* Planè, vt de Ægyptiis Valerius: *qui ductu Archelai aduerſus A. Gabinium mœnibus egreſſi, cùm caſtra vallo atque foſſâ cingere iuberentur, vniuerſi ſucclamarunt, vt id opus publicâ pecuniâ faciendum locaretur.* Rides? qui magis quàm in noſtris hominibus & moribus, per quos certum eſt idem futurum ſi rogarentur? imò ſeditionem futuram, ſi iuberentur? Iſta ſunt quæ militiam perdiderunt, & perdunt: vilia habere & ſeruilia, quæ domini vſurparũt orbis terræ. Romani enim certè tales: atque etiam Macedones, de quibus apud Curtium, obſidione Tyri: *Macedonas inclytos armis, dorſo, ſicut iumenta, onera portare.* Quod iis obiiciunt obſeſſi, dum terram fodiunt & ſportis egerunt: obiiciunt, inquam, ſed mox ſubiiciendi. Nec Flori ſanè illud æquis oculis lego: qui de Scipione ad Numantiã, priſcam diſciplinã reuocãte: *Aſſiduus & inuiſtus, & ſeruilibus maximè operibus attriuiſſe* milites ſuos ſcribit. Apage, *ſeruilibus*: numquã id in Romanis caſtris ſerui: quos ſemel aut iterũ dũtaxat lego manũ his operibus admouiſſe. In Hirtio & bello Alexandrino: *Cũ more operis cotidiani, magnã illã ſeruorũ multitudinem quæ aggerem portabat, militum eſſe credidiſſet.* Nam Cæſar ibi ſeruos huic rei adſtrinxit, quia militem paratum habere volebat in pugnam: atque id Pharnacem feſellit. Ratò aut perrarò igitur, dico legiſſe me id expreſſim, & quòd ſerui ſoli: etſi quin milites interdum iuuerint, cùm opus ſubitum, haud negem. In Cæſare etiam, obſidione Maſſilienſi, cum magnæ munitiones inſtituerentur, lego *C. Trebonium ad efficienda opera magnum iumentorum atque hominum multitudinem ex omni prouinciâ euocaſſe.* Sed rata hæc exempla olim: poſteà tota res abiit, & deſierunt muniri etiam caſtra. Vegetius de ſuo æuo: *Huius rei* (metationis caſtrorum) *ſcientia prorſus intercidit, nemo enim iamdiu ductis foſſis fixiſq; ſudibus caſtra conſtituit.* Obſerues inde Valentiniani iunioris igitur tempore Vegetium vixiſſe: nam ſenioris, caſtra adhuc in vſu. Ammianus ſanè aliquoties munit, in Iuliani & Valentiniani rebus: & de huius fratre Valẽte in Alanos ducente. *Vallo*, inquit, *ſudibus foſsíque firmato.* Non ergo tunc ſcientia prorſus interciderat, aut vſus. Etſi iam aliud muniendi genus & leuius cœperat, vt non vallo, ſed ſcutis, idque multiplicatâ ſerie, cingerentur. Idem Ammianus in rebus Iuliani: *Quibus terminatis, reuocatus inuictiſſimus miles, prope ſupercilia Rheni tendebat, ſcutorumq; ordine multiplicato vallatus, victu fruebatur & ſomno.* Iterùm, in eodem Principe: *In valle graminea prope riuum, multiplicato ſcutorum ordine in orbiculatam figuram metatis tutiùs caſtris quieuimus.* Quod ipſum in obſidionibus opidorum aliquoties in eo ſcriptore factum aduertas. vt libro XXI. *Ordine itaque ſcutorum gemino Aquileia circumſepta.* Alibi de *triplici ordine*, imo & *quintuplici* legas. *Quinquies ordine multiplicato ſcutorum cingitur ciuitas*: quod de Perſis Ammianus ſcripſit. Sed hæc ſcuta ſola & ſine viris depoſita non eſt arbitrandum: tecta quidem ſic & iuncta ſtetiſſe arbitror ad pila aut haſtas acclinata, ſed milites item appoſitos ad tuendum. Sed ad Vegetium quod facit, periiſſe hunc vſum: idem in fragmento Græcanici ſcriptoris apud Suidam mihi obſeruatum: qui Mauricium quendam diu deſitam ſepultámque hanc rem ait reſtituiſſe &

eduxiſſe

Margin notes (left): I. Hiſt. — In Tacit. ſcriptoribus. — Iſſabatur. — Lib. II. cap. XVII. Principales milites. Munifices pro gregariis. Lib. XVI. Lib. XXV. Lib. VIII. tit. v. l. II. — Lib. LII. — Dio explicatur. — XIII. An. Militia ſub Principibus.

Margin notes (right): In Iuliano. — Lib. IX. cap. I. — Macedones operarij. Lib. IIII. — Lib. II. cap. XVIII. Calones aut ſerui raro munientibus. — II. Ciuil. Interdum & Prouinciales. Munitio deſita. Lib. I. cap. XXI. — Lib. XXXI. — Scutorum munitio. — Lib. XVII. — XXIIII. — Lib. XIX.

Inſtaurata caſtrorum munitio.

edoxiſſe. Οἱ Ῥωμαῖοι γὰρ, inquit, τὸ πρότερον οὐκ ἀπετάφρευον, οὔτε μὴν ἐν ἐπιστήμῃ πάμπαν τὸ τοιόνδε εἶχον πρότερον ἢ Μαυρίκιον τὸν Παύλου ἡγήσασθαι τοῦ ἑῴου πολέμου. ἐπειδὴ δὲ ἔτι τὴν στρατηγίαν εἶχε, τὸ τοιόνδε ῥᾳθυμίας πάρωθεν ἐς τὸ δέον ἐπανήγαγε. Ῥωμαίοις γὰρ μὴ βουλομένοις ἦν τὸ χρῆμα, καὶ ἐς λήθην κατώλισθε. πόνος γὰρ ὄκνῳ πολέμιος: *Romani anteà caſtra non muniebant, atque adeò ſcientiam eius rei prorſus non habebant, priuſquam Mauricius Pauli filius dux Orientali bello eſſet. Is poſtquam ducatum ſuſcepit, hoc totum ignauiæ prioris correxit, & ad decorum atque vtile redegit. Romanis tamen ea res volentibus minimè erat, atque in obliuionem iam lapſa erat. Labor ſiquidem ignauiæ aduerſarius.* Habes adfirmatum hoc ipſum quod in Vegetio, ſed auctorem etiam reſuſcitatæ artis, dignum quem notimus. Vir enim profectò fuit, quicunque iſte Mauricius. Et ſanè ſub Græcis iterùm vixiſſe ea videtur, ſi Leonis Imperatoris præcepta vſum habuerunt, quæ de Caſtris exſtant. Ea ipſe, voce eius ſæculi, Ἄπληκτα vocat: & interpretatur Ἄπληκτον, τὸ φοσσάτον. Suidas haud aliter: Ἄπληκτον, τόπος ἔνθα καταλύουσι τῆς ὁδοιπορίας τὰ στρατόπεδα: *Aplectum, locus vbi à viâ quieſcunt legiones.* Quis alius ille locus, quàm caſtra? Eſt & in Conſtantino Porphyrogenetâ id verbi: οὗτοι, inquit, τὰ τῶν βασιλέων ἄπληκτα διατιθέασι, καὶ τὰς ὁδοὺς ἐκκαθαίρουσι: *Iſti & caſtra Imperatorum diſponunt atq; aptant, & vias mundant*: de officij certo genere.

Aplecta pro caſtris.

DIALOGVS VII.

De caſtris auctis, aut geminatis.

SEd excessimus, in viam redimus & ad Polybium noſtrum: cum quo etiam ratiunculæ aliquid ſubducendum de caſtris. Nam quia mutari in iis ſolet pro numero militum maiore, imò ſub duobus Ducibus geminari: hæc quoque addit, non aliâ in re, fateor, quàm in hac caſtrenſi, ſerius magis & accuratus. Nec omnino de nihilo, qui hunc libellum *De metatione caſtrorum* inſcripſerunt: quia plurima certè pars de iſtis. Verba hæc lege:

POLYB.

Ἐὰν δέ ποτε πλεονάζῃ τὸ τῶν συμμάχων πλῆθος, ἢ τῶν ἐξ ἀρχῆς συστρατευομένων, ἢ τῶν ἐκ τοῦ καιροῦ προσγινομένων. τοῖς μὲν ἐκ τοῦ καιροῦ πρὸς τοῖς προειρημένοις, καὶ τοὺς παρὰ τὸ στρατήγιον ἀναπληροῦσι τόπους, τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ ταμιεῖον συναγαγόντες εἰς αὐτὸν τὸν κατεπείγοντα πρὸς τὴν χρείαν τόπον. τοῖς δ' ἐξ ἀρχῆς συνεκπορευομένοις, ἐὰν ᾖ πλῆθος ἱκανώτερον, ῥύμην μίαν ἐξ ἑκατέρου τοῦ μέρους τῶν Ῥωμαϊκῶν στρατοπέδων πρὸς ταῖς ὑπαρχούσαις παρὰ τὰς ἐκ τῶν πλαγίων ἐπιφανείας προστιθέασι. πάντων δὲ τῶν τεττάρων στρατοπέδων καὶ τῶν ὑπάτων ἀμφοτέρων εἰς ἕνα χάρακα συναθροισθέντων, οὐδὲν ἕτερον δεῖ νοεῖν, πλὴν δύο στρατείας κατ' ἄρτι λόγον παρεμβεβληκυίας ἀντεστραμμένας αὑταῖς συνηρμοσμένας, συναπτούσας κατὰ τὰς τῶν ἐπιλέκτων ἑκατέρου στρατοπέδου παρεμβολάς. οὓς ἐποίουν μὲν εἰς τὴν ὀπίσω βλέποντας ἐπιφάνειαν τῆς ὅλης παρεμβολῆς. ὅτε δὴ συμβαίνει γίνεσθαι τὸ μὲν σχῆμα παραμῆκες, τὸ δὲ χωρίον διπλάσιον τοῦ πρόσθεν, τὴν δὲ περίμετρον ἡμιόλιον. ὅταν μὲν οὖν συμβαίνῃ τοὺς ὑπάτους ἀμφοτέρους ὁμοῦ στρατοπεδεύειν, οὕτως ἀεὶ χρῶνται ταῖς στρατοπεδείαις. ὅταν δὲ χωρὶς τἄλλα μὲν ὡσαύτως, τὴν δ' ἀγορὰν, καὶ τὸ ταμιεῖον, καὶ τὸ στρατήγιον, μέσον τιθέασι τῶν δυεῖν στρατοπέδων.

Quòd ſi aliquando maior ſit Sociorũ multitudo vel ab initio comitantium, vel poſteà fortè ſuperuenientium: his quidem qui poſteà, præter loca dicta, etiam eum qui ad Prætorium eſt complent, Forum ipſum & Quæſtorium, ſi res exigat, in vnum conferẽtes. Iis verò, qui ab initio ſimul egreſſi fuerunt, ſi iuſta multitudo ſit, Strigam vnã parte alterâ legionum addunt verſus vallum. Omnibus autem quattuor legionibus, ab vtroque Conſule, in vna caſtra conductis, non aliud mente concipere oportet, quàm duos exercitus, modo quem ſuprà dixi, pariter metatos, atque inuicem ſibi obuerſos eſſe: iunctos & ſeſe contingentes, qua parte Extraordinarij vtriuſque exercitus locantur. quos feci ſcilicet metari ad caſtrorum tergum. Ita fiet, vt Figura quidem ſit oblõga, locus priori duplo maior, ambitus ſeſquialter. Cùm igitur Conſules vnà metantur, eiuſmodi ſemper vtuntur metatura: cùm ſeorſim, alia quidem ſunt ſimilia, Forum verò, Quæſtorium, & Prætorium in medio vtriuſque exercitus ponunt.

Duo proponit & exponit, quæ morari lectorem poſſint. Prius, de Sociis. Nam ij aliquando plures aut ſuperueniunt (puta à regibus aut ſociis gentibus miſſi:) aut ſimul lecti & egreſſi ſunt. quod crebrum, cùm è Latio aliquando duplicem numerum aut ſeſquialterum, vt docui, capere ſolerent. Quid tum igitur factum? ordine explicat. & pro aduentoribus quidem, inquit,

» *Præter loca dicta.*] Quæ iſta? Vacua, vt opinor, poſt Extraordinarios relicta. Nam hoc diſertè dixit, ſpatij ibi aliquid redundare, aduenientibus implendum. Sed ſi ea non ſufficiant; addit,

» *Etiam qui ad Prætorium eſt, complent.*] Nimirum ſpatium illud centum pedum & viarum latum, anteà relictam. Quòd ſi opus etiam ſit, totum Forum ad Prætorium vſque complent. Dixeris. vbi tunc igitur Forum? reſpondet, in vnum locũ ſolere cum Quæſtorio conferri: id eſt, vt locus ille vacuus anteà vſibus Quæſtoris deſtinatus tantùm, nunc etiam foro rerum vænalium ſeruiat. At verò ſi ab initio maior fuerit multitudo, & caſtris nondum poſitis aut vallatis: tum aliter & magis compoſitè rem expediunt. quomodo?

Forum & Quæſtoriũ iuncta.

» *Strigam vnam parte alterâ legionum addunt.*] Caſtra ſcilicet in latitudine augent, & ad ſocios alios ſocios ponunt, prorſus formâ & modo dicto. Ita fit tunc via media, & alter Vicus. Sed hoc tantùm, ſi iuſta multitudo, inquit, ad locum implendũ. Si non, ſupernè ſcilicet locantur. Credo idem factum, ſi tres (quod tamen rarò) ſub vno Conſule legiones: in latum, inquam, caſtra producta. Quid tamen ſi quattuor, & vterque ibi Conſul? facilis ratio: & ait,

Caſtra in latum ſemper aucta.

» *Non aliud mente concipere oportere, quàm duos exercitus.*] Sententia tota. Binas eſſe copias, & bina velut caſtra, vno ſaltem vallo clauſa. Itaque diſpoſitio tota eadem manet; dumtaxat notandum binos iſtos exercitus à tergo ſibi iungi, & Extraordinarius limitem caſtrorum eſſe. Atque iſtud facile: aliud monet, obſcurius aut implexius nobis. Quid enim ſi

vnâ quidem, ſed non miſceri volunt caſtris? vterque Conſul ſeiunctos habere ſuos? Tum, inquit,

Partitio caſtr. cum ubi duo Impp.

" *Alia quidem ſunt ſimilia, Forum verò, Quæſtoriũ & Prætorium in medio.*] Videtur dicere (videtur. nam ſatis hæc ambigua.) quod ad legiones, omnia tunc fuiſſe eadem: duntaxat Prætorium, Quæſtoriũ & Forum admota vtrimque ad vallum, & ſic communionem inter Conſules fuiſſe: ſingulis tamen caſtris vallo ſuo diſcretis. Nam hoc niſi fuiſſet, iam non eſſet metatio, & caſtra diuerſa. Hoc autem fieri potuit, vel in Oblongâ illâ figurâ iam dictâ: ſaltem vt Extraordinarij amouerentur, & ad latus locarentur: vel in figurâ aliâ, vt caſtra velut geminarentur, ſed duplici vallo ſecreta: Prætorium autem & adiuncta, ad latus vtrumque circa portas Principales. Iſta ex Polybio. etſi rarò aut non leges (in libris qui hodie) Conſules ſic iunctis caſtris, vallo tamen diuiſos. Et quid opus? niſi ſi auctoritatis ſeruandæ gratiâ: etſi aliter etiam ea ſalua. Scipio Imp. ad Põpeium venit:

III. Ciuil. & vt Cæſar narrat, *receptis omnibus in vna caſtra legionibus, ille ſuum cum Scipione honorem partitur, claſſicúmque apud eum cani, & alterum iubet Prætoriũ tendi.*

Lib. LIII. Simile Auguſtus in Agrippâ. & vt Dio ait, *ſi quando ſimul ad bellum irent, tabernaculum ſui ſimile dabat, & ſignum ab vtroque peti iubebat.* Diuiſa quidem caſtra etiam lego, ſed loco etiam diuiſa & abiuncta: idque vel ob numerum militum maiorem, vt apud Cannas maiora & minora fuerunt: vel ob alium vſum, vt Cæſar in Ariouiſtum. Illud rari exempli, vtrumque Conſulem conueniſſe, & in caſtris nil mutaſſe: ſed Haſtatos ab Haſtatis, Principes à Principibus, & ſic ordine; itemque Centurionem à Centurione, Tribunũ à Tribuno receptos. Quod Claudius Nero & C. Liuius vſurparunt, contra Aſdrubalem: ſed duntaxat in vnam noctem, & ad fallendum hoſtem. Diſcas tamen ex eo, ſatis laxè metari ſolere, cùm tot millia in iiſdem locis poſſent recipere & inſerere: expulſis, niſi fallor, & in vacuum ad valla redactis calonibus & iumentis pleriſque.

DIALOG. VIII.

De miniſteriis, quæ Tribunis & Equitibus & alibi præſtantur, item de Excubiis & Stationibus.

SED de Caſtris ipſis denique iam peregimus, ſermone & re haud illepidâ, ſed longâ: & ſubinde cum Pindaro vereor,* μὴ κόρος ἔλθων κνίσῃ. AVD. Harum quidem dapium haud ſatiei, te condiente: & vetus illud verum didici.

** ne ſacietas tamen offendat.*

> Οὐ παντὸς γε παντὸς ἐστιν ἀρτῦσαι καλῶς:
> *Condire ſcitè non cuilibet datum eſt.*

LIPS. Fortaſſe nec mihi, niſi quia amor tuus ita vult, cui bella etiam non bella. Sed ſedent igitur Diſciplinæ quia vidimus, nunc ipſam. Tria ad eam ſpectant, *Munia. Exercitia, Leges.* Quædam ex his prompta nobis in Polybio, quædam non erunt. Ipſum primò excutiamus: ſi quid deerit, & tempus & hic animus ferent, pòſt dabo. *Munia* appellamus excubias, miniſteria, & hæc talia: quæ in his Polybij verbis habes. Lege:

Ἑξῆς δὲ τούτοις διέταξαν τὰς σημαίας ἐξ ἑκάστῳ στρατοπέδῳ τῶν πριγκίπων, καὶ τῶν ἀστα- A των, δύο μὲν εἰς τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ τόπου τοῦ πρὸ τῶν χιλιάρχων. τὴν γὰρ διατριβὴν ἐν ταῖς καθημερίαις οἱ πλεῖστοι τῶν ῥωμαίων ἐν ταύτῃ ποιοῦνται τῇ πλατείᾳ. διόπερ ἀεὶ σπουδάζουσι περὶ ταύτης, ὡς ῥαίνηται καὶ καλλύνηται) σφίσιν ἐπιμελῶς. τῶν δὲ λοιπῶν ὀκτωκαίδεκα, τρεῖς ἕκαστος τῶν χιλιάρχων δια- B λαγχάνει. τοσαῦται γάρ εἰσι τῶν ἀστάτων καὶ πριγκίπων ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ σημαῖαι, κατὰ τὴν ἄρτι ῥηθεῖσαν διαίρεσιν. χιλίαρχοι δὲ ἕξ. τῶν δὲ τριῶν σημαιῶν ἀναμέρος ἑκάστῳ τῶν χιλιάρχων λειτουργεῖ λειτουργίαν τοιαύτην. ἐπειδὰν καταστρατοπεδεύσωσι, τὴν σκηνὴν C ἱστᾶσιν οὗτοι, καὶ τὸν περὶ τὴν σκηνὴν τόπον ἠδάφισαν. κἂν τι περιφράξαι δέῃ τῶν σκευῶν ἀσφαλείας χάριν, οὗτοι φροντίζουσι. διδόασι δὲ καὶ φυλακεῖα δύο. τὸ δὲ φυλακεῖόν ἐστιν ἐκ τεττάρων ἀνδρῶν, ὧν μὲν πρὸς τῆς σκηνῆς, οἱ δὲ κατόπιν παρὰ τοὺς ἵππους ποιοῦνται) τὴν φυλακήν. οὐσῶν δὲ σημαιῶν ἑκάστῳ χιλιάρχῳ τριῶν, D ἐν ἑκάστῃ δὲ τούτων ἀνδρῶν ὑπαρχόντων ὑπὲρ τοὺς ἑκατὸν, χωρὶς τῶν τριαρίων καὶ γροσφομάχων (οὗτοι γὰρ οὐ λειτουργοῦσι) τὸ μὲν ἔργον γίνεται κοῦφον, διὰ τὸ παρὰ τετάρτην ἡμέραν ἑκάστῃ σημαίᾳ καθήκειν τὴν λειτουργίαν. τοῖς δὲ χιλιάρχοις ἅμα μὲν τὸ τῆς εὐχρηστίας ἀναγκαῖον, ἅμα τὸ E τῆς τιμῆς διὰ τῶν προειρημένων ἀποτελεῖται σεμνὸν καὶ προστατικόν. αἱ δὲ τῶν τριαρίων σημαῖαι, τῆς μὲν τῶν χιλιάρχων παραλύονται λειτουργίας. εἰς δὲ τοὺς τῶν ἱππέων ἰλαμοὺς ἑκάστη σημαία, καθ' ἡμέραν δίδωσι φυλακεῖον ἀεὶ τῷ γειτνιώσῃ κατόπιν τῇ ἴλῃ, οἵ τινες τηροῦσι μὲν καὶ

Deinde verò ordinant manipulos ex vtraque legione, Principum & Haſtatorum, duos ad curam loci qui ante Tribunos eſt. In hac enim latiore via plerumque diem plerique militum terunt: ideóq; cura iis eſt, vt aſpergatur verraturq; diligenter. Reliquorum autem manipulorum octodecim quiſque Tribunus tres ſortitur. tot enim ſunt Haſtatorum & Principum in quaque legione manipuli, Tribuni autem ipſi ſex. atque è tribus iſtis manipulis ſinguli & per vices Tribuno hoc miniſterium miniſtrant. Cùm caſtra metantur, tentoriũ eius ſtatuunt, & locum circà complanant: & ſiquid ſepiendum aut claudendum ſit ad vaſorum vtenſiliúmque cuſtodiam, id præſtant. Dant & duas excubias: excubia autem eſt è viris quattuor, quorum pars ante tentorium, pars poſt illud iuxta equos agunt. Cùm autem ſint cuique Tribuno tres manipuli, & in quoque iſtorum viri ſupra centum (Triariis exceptis & Velitibus. nam hi non miniſtrant:) leue munus ſit, nec niſi in quartum quemque diem ad manipulum redit & incumbit. Tribunis verò ſimul & commoditas ex hiſce miniſteriis, ſimul & dignitas atque honos imperio accedit. Triariorum porrò manipuli liberi quidem ſunt à miniſterio Tribunitio, ſed Turmis equitum excubiam cottidie præbent, vt quiſque manipulus à tergo Turmæ aſſidet. Atque hi curant cùm

τἆλλα

τἆλλα, μάλιστα δὲ τοῖς ἵπποις, ἵνα μήτ' ἐμπλεκόμενοι τοῖς δέμασι, βλάπτωνται πρὸς τὴν χρείαν, μὴ λυόμενοι καὶ προσπίπτοντες ἀλλήλοις ταραχὰς καὶ θορύβους ἐμποιῶσι τῷ στρατοπέδῳ. μία δ' ἐξ ἁπασῶν καθ' ἡμέραν σημαία ἀναμέρος τῷ στρατηγῷ παρακοιτεῖ, ἥτις ἅμα μὲν ἀσφάλειαν παρασκευάζει τῷ στρατηγῷ πρὸς τὰς ἐπιβουλάς, ἅμα δὲ κοσμεῖ τὸ πρόσχημα τῆς ἀρχῆς.

alia, tum equos maximè, ne aut vinculis impediti ínque ligati lædantur, inutiles futuri ad militiam; aut ſoluti & ruentes turbas ac conſternationem excitent in caſtris. Vnus verò ex omnibus manipulis in diem Imperatori excubat, quæ res & tutum eum præſtat ab inſidiis, & ornatum ſpeciémque magiſtratui addit.

Poſitis caſtris, primùm poſt iuramentum (de quo dicetur in Legibus) præſtitum, quod curant Tribuni, eſt partitio manipulorum ad miniſteria, & munia diurna. Attende. pulchra videbis & compoſita, haud aliter quàm in familiâ boni Patris.

» *Ordinant manipulos*, inquit, *ex vtraque legione Principum & Haſtatorum*] Qui verò ordinant? Tribuni: quomodo? ſorte. Quos? non omnes, ſed Principum & Haſtatorum ex vtraque legione. Triarios & Velites omittunt, quorum nullus hîc vſus. Et ex vtraque legione ita, vt tamen ſex & ſex Tribuni, quíque nominis ex ſuâ legione manipulos capiant: nec miles extra ſuam legionem miniſterium Tribuno præſtet. Summatim hæc iſtis verbis primis dicuntur: quæ velim te libare oculis interdum, & eos tum ad me referre. Vix enim ſermonem meum capias, niſi & Polybiana iſta adiungas.

Qui manipuli ad primam curam.

» *Duo ad curam loci.*] Iſti duo manipuli in totum ſunt? an duo ex quaque legione? nempe vnus Principum, vnus Haſtatorum ex quaque? Sunt verò ex quaque, atque ita quattuor ſimul, argumento claro ex verbis infrà, cùm *octodecim manipulos* reliquos in legione dicit. Sunt autem in quaque ex vtroque hoc Genere viginti, decem Principum, decem Haſtatorum.

Frequentia Principiorum.

» *Loci qui ante Tribunos eſt.*] Ea ſunt Principia, celeberrimus & ſacerrimus locus, vt ſuprà dictum, & hîc quoque clarè vides. Sermones enim ibi & conuentus in totum diem, atque etiam iudicia, & ſiquid aliud publicè agendum.

Principia verſa, terſa.

» *Vt aſpergatur verratúrque diligenter.*] Heus tu Batauæ, Qui munditiâ & politiâ prouocatis aut vincitis omnes gentes, quid Romani tibi noſtri videntur? non & ipſi politi, munduli, idq; in ipſis caſtris? Noluerunt ſordium hîc aliquid: & quia frequenti itu & attritu neceſſum erat puluerem aut lutum fieri, iuſſerunt in dies viam hanc adſpergi & mundari. Illud, cùm puluis; hoc, cùm lutum. Sed fortaſſe etiam non fallar, ſi ceſpitem hîc diſpoſitum teſſellatim dicam, inſtar pauimenti. Sit pro reliquâ diligentiâ Romanâ: & Tribunicijs tabernaculis ita factum, mox dicet. Hoc magis adfirmem in Statiuis aut Hibernis; ſi iſta quidem lapide aut glareâ etiam ſtrata non fuerunt. AVD. O gratam mihi curam! & quæ alterum iniicit à te celatum. LIPS. Quid illud? profer. AVO. Verecundor. LIPS. Quid tandem? impurum aut infandum aliquid in caſtis his caſtris? AVO. Non tale. à naturâ eſt, ſed & naturâ duce ſilemus. LIPS. Dic clarius. AVO. Ea inquam quæ natura requirit, cùm tam mundi Romani tui, vbi depoſuerunt? LIPS. Profectò in riſum me das inopinato hoc & ioco quæſito. Tamen certè neceſſaria res, videamus. Qui autem definiam? veteres ſilent, quod tu quoque nunc ægrè proferebas. Conicio, extra caſtra & vallum hæc feciſſe, cùm liceret: id eſt, de die. Quòd ſi noctu vrgerentur, in tentoriis & vaſis, ac calones aut ipſos aſportaſſe. Diſcurriſſe enim in tenebris per caſtra & excubias, non opinor: & fraudi fuerit locis.

Vbi ſordes humanæ.

Quid ſi etiam, vt Turcas hodie audio, in foſſis quibuſdam hæc excreuerint, iiſque terrâ repletis, alias ſubinde nouas foderint? Id potuit, & Turcæ maioribus tabernaculis tentoriola quædam coniuncta habent, cum his ſcrobibus: quæ tentoriola ſcilicet crebrò mutant. Faciunt ſimile in extis aliiſque reiectamentis carnium, & ea defodiunt atque humo operiunt ſtudioſè, contra fœtores. Salubria haud dubiè caſtra, per minutas has obſeruationes.

Turcarum munditiæ.

At enim Spartani liberiùs aut inuerecundiùs ſe hîc gerebant. de quorum militiâ caſtriſque Xenophon hoc quoque narrat: Καὶ τοὺς ἐπὶ τὰ ἀναγκαῖα ἀπιόντας οὐ δεῖ θαυμάζειν, ὅτι οὔτε ἀλλήλων, οὔτε τῶν ὅπλων πλεῖον, ἢ ὅσον μὴ λυπεῖν ἀλλήλους, ἀπέρχονται. καὶ γὰρ ταῦτα ἀσφαλείας ἕνεκα ποιοῦσι: *Atque eos qui ad neceſſaria ſecedunt, non oportet mirari quòd haud longiùs ab aliis aut ab armis ſuis recedunt, quam quod ſatis ſit ne nares offendant. hoc enim ſecuritatis cauſſâ faciunt, & ne excipiantur.* Sed in miniſteriis noſtris pergamus.

Spartanorum mos.

» *Quiſque Tribunus tres ſortitur.*] Hîc de ſorte, antè non dixit: ſed antè quoque admiſi à ſolenni militiæ, in quâ ſors aſſidua aut certè crebra. Ait, *quemque Tribunum tres habere*: quid clarius? Sunt reliqui octodecim manipuli, ſeni Tribuni: tres igitur in ſingulos. Quid autem iſti faciunt? ſequitur,

» *Tentorium eius ſtatuunt.*] Non ergo lautioribus hiſce Tribunis proprij miniſtri & ſerui? Fuerunt, ſed vſum tamen hæc omnia, quæ militiam tangunt, per milites fieri; tum contra ignauiam & otium, tum cauſſâ obſequij, & vt opportuni magis imperiis atque obnoxij eſſent. Hodie abouant, per malum faſtum. qui in milite bonus, ſed in hoſtem: apud Duces obſequioſi & flexi animi conueniunt.

» *Locum circà complanant.*] In Græco, ἐδάφιζον: *pauimentabant.* Nec tamen de vero lapideoque pauimento ceperim: vnde cottidiani & ſubiti iſti lapides? ſed de ceſpiticio, & credo virides ſic eos comportatos à milite & teſſellatim diſpoſitos. Si locus tamen vicinus præberet, aut diuturnior mora poſceret (vt in Statiuis aut Hibernis) non abnuam etiam de glareâ aut lapide, quia iſtos homines video omnia de facili præſtitiſſe, quæ ardua nobis & oneroſa. Iulius quidem Cæſar *ſectilia ſua & teſſellata* in hunc vſum circumtulit, vt ſuprà monui: ſed Iulius ille, qui omnia ſupra vulgus, & ipſe reuera non è vulgo.

Tentoria ceſpite ſtrata.

Cæſaris ſplendor.

Hæc miniſteria Vegetius quoque tetigit: *Duci Prætorium preparatur, ac Tribunis tabernacula collocantur, quibus per contubernales deputatos aqua, lignum, & pabulum miniſtrantur.* Quæ poſtrema etſi Polybius non expreſſit: tamen fuiſſe olim cenſeo, & aquatum, lignatum, pabulatum milites iſtos iſſe, in vſum Tribunorum.

Lib. III. cap. VIII. Miniſteria alia Tribunorum.

» *Dant & excubias duas.*] Præter dicta, è ternis iſtis manipulis ordine Tribunis ſunt excubitores. Quid iſti agunt? velut cuſtodes quidam ibi ſunt aut apparitores. Imò fallor, aut cum ipſis Tribunis, ſi exibant, pars eorum exibat: vt honeſtè ſcilicet per caſtra & alibi incederent, militibus ſic comitati. Hunc morem collapſum reſtituit Alexander Seuerus, Imperator inter optimos, ſiquis facta & dicta eius iuſtâ trutinâ librat: *Apparitores nullos eſſe paſſus eſt*: (ita in vitâ eius Lampridius) *Tribunis aut Ducibus niſi milites anteire noluit. iuſſitq; vt ante Tribunum quattuor milites*

Excubiæ Tribunorum.

Comitantur eos.

ambu

ambularent, ante Ducem ſex, ante Legatum decem Ecce *quattuor* milites attribuit, quid niſi ipſam vnam Excubiam noſtram? *Duci ſex.* quis iſte Dux? qui olim Legatus dictus, legioni nempe præpoſitus: ex quo colligas tres excubias eum habuiſſe: parte media ſcilicet manente, & tentorium adſeruante. At ipſi *Legato decem*: id eſt Legato Conſulari, aut exercitus primario Duci. Ex hiſce Lampridij arbitror Trebellium Pollionem caſtigandum in triginta Tyrannis, Baliſtâ decimoſeptimo: *Eſt Valeriani epiſtola, in quâ docet ſibi præcepta gubernandæ reip. ab eodem* (Baliſtâ) *data, gaudens quòd eius conſilio nullum adſcriptitium, id eſt Vacantem, haberet, & Tribunum nullum ſtipatorem, qui non verè pugnaret.* Scribo, *& Tribunus.* Eſt hoc ipſum quod Alexander ſuſtulerat, ſed poſteà iterum irrupèrat, ne Tribuni apparitores aut ſtipatores proprios haberent, qui annonas ſcilicet acciperent, & militum ſalaria abſumerent: ſed dumtaxat verè milites ante eos irent.

Trebellius leuiter reſcriptus.

» *Excubia eſt è viris quattuor.*] Notetur ſeriò excubiarum hic numerus. qui ipſe fuit etiã Vegetij æuo: *De ſingulis*, inquit, *Centuriis quaterni equites, & quaterni pedites, excubitum noctibus faciunt.* In Actis Apoſtolicis hoc ſenſu ſcribitur, cap. XII. de Petro: *Miſit in carcerem, tradens quattuor quaternionibus militum cuſtodiendum*: id eſt, adiungens ei excubias quattuor.

Quot homines excubiæ?

» *Leue munus, quoniam in quartum quemque diem ad manipulum redit, & incumbit.*] Ita eſt. Sunt tres manipuli, ergo ad primum quarto die munus redit. Sed in ipſo Manipulo quoque, quindecim duplices tales Excubiæ: ergo quadraginta quinque in tribus: atque ita non niſi tali die ad ſingulos venit.

» *Triariorum Manipuli liberi ſunt à miniſterio Tribunicio.*] Atque etiam Velitum, vt præmiſit: ſed Triariorum, ob dignitatem, iſtorum ob vtilitatem: & quia vtrique aliò vocantur. Quò Triarij? addit,

» *Turmis equitum excubiam cottidie præbent.*] Obſerua & equitibus honorem habitum, qui primores ciuium, & proximi à Tribunis. Sed nónne in vili, quòd iſtis miniſtrãt Triarij? nónne dignius, ſi digniori? Non hîc quidam aſpectus ad locum metationémque fuit: & quia Triarij poſt ipſos equites, percommodum viſum vt iis miniſtrarent, ſine moleſtiâ vllâ ſuâ, & in ſuis tabernaculis manentes. Nam & hoc adiungit, quemque Manipulum Excubiam dediſſe turmæ præpoſitæ, & cui ipſe ſubiunctus. Hoc leue, & amplius dedêre tantùm excubiam vnam. Nam φυλακεῖον hîc ſingulari numero Polybius: conuenienter id ipſum. quoniam nec equitum tanta dignitas; & quia ipſi Triarij etiam non niſi dimidiati ad alios manipulos. Vide vbique, in minimis, maximis, analogiam & circunſpectionem.

Equitibus excubia vna.

» *Turbas & conſternationẽ excitent in caſtris*] Cuius rei exemplum in Tacito: *Fortè equus abruptis vinculis vagus & clamore territus, quoſdã occurrentium obturbauit. Tanta inde conſternatio in caſtris irrupiſſe Germanos credentium, vt cuncti ruerẽt ad portas.* Et addit, ſiſti nõ potuiſſe, niſi quòd ipſe Legatus ſe proiecit in limine portæ, & pudore calcandi fugã repreſſit. Inſigne exẽplum etiam hæc talia minima cauenda, vicino maximè hoſte: & vides Romanos veteres feciſſe.

I. Annal.

» *Vnus verò ex omnibus manipulus in diem Imperatoris excubat.*] Dubitare aliquis poſſit, vnúſne ex omnibus omnino manipulus, an tantùm ex triginta vnius legionis? Nihil enim definit, etſi hactenus ſermo de vnâ legione fuit. Sed poſteà tamen etiã in Vigiliis vnius Manipuli accubãtis Prætorio mentio tangũ fit. Ergo hoc nõ decido: magis quæro, Sociis quid factũ? Quæro? imò queror etiam de re Polybi, qui ſiluiſti. Certè immunes & vacuos eos fuiſſe non ego opinor, nec ratio vlla ſuadet. Puto igitur tribuendos ad exemplum Legionis, vt quidam etiam Manipuli Principia munda habuerint in ſuâ parte: aliæ excubiæ itẽ fuerint Præfectis, exemplo Tribunicio: denique & Imperatori manipulus fortaſſis vnus. Fortaſſis, nã hîc hæreo: ſumam ex Cornibus, an ex iis qui adiacent Prætorio, Extraordinariis ipſis? Poſſit non incommodè, aut indecorè ſic fieri, vt Manipulus vnus ciuium excubuerit à fronte & à tergo diuiſus: vnus Sociorum, ad vtrumque latus. Deinde ipſos etiam qui proximi Equitibus, ſiue in Cornibus ſiue in extraordinariis, probabile eſt Excubiam vnam iis dediſſe, exemplo Triariorum. Quæro amplius, Cùm hæc ita in caſtris, quid ad portas & vallũ, quis ſeruauit? nam aliquam ibi tutelam & cuſtodiam fuiſſe ratio & teſtimonia euincunt. Paſſim lego de excubitu in portâ, atque etiam ante portam. In Salluſtio: *Neque ſecus atque ſi hoſtes adeſſent, iter facere, caſtra munire, excubitum in portâ* (lego cum priſcis libris, * *portas*) *cohortes ex legionibus, pro caſtris equites auxiliarios mittere.* Virgilius alluſit de animalculo etiam:

Excubiæ Imperatoris.

Ceterarum excubiæ.

Excubiæ ad portas. In Iug.

* plures enim in caſtris

IIII. Georg.

Sunt quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti.

Atque adeò Romanus mos fuit totas Cohortes & Turmas habere & ponere quietas ante ipſas portas: non vnum aut alterum militem, vt hodie ſolet, quos à ſentiendo *Sentinellas* vocamus. Illi plures, atque etiam cùm periculum eſſet, alios ſuper alios, & longiùs abiunctos: Id vocabant ab ipsâ re, *Stationes.* Stabant enim. Cæſar. *Quæ in ſtatione pro caſtris erant Afranij cohortes* Palàm hîc pedites habes: at equites in Salluſtio ſuprà, & nunc in Liuio: *Manlius ſuper caſtra hoſtium cum turmalibus ſuis euaſit. vt vix teli iactu ab ſtatione proximâ abeſſet. Ibi Tuſculani erãt equites.* Hirtius: *Turma interim equitum, quæ pro vallo in ſtationibus eſſe ſolent.* Communiter & indiſtinctè Cæſar: *Ij qui pro portis in ſtatione erant, Cæſari renunciarunt.* Iterùm: *Qui erant in ſtatione pro caſtris collocati, acriter pugnauerunt.* Virgilius:

Stationes. II Ciuil. E pedit. Ex equit. Lib. VIII.

IIII. Gall.

V. Gallic.

Tunc quoque communi portam ſtatione tenebant.

Et diſtinguunt paſſim à Vigiliis, quòd hæ diurnæ eſſent. Liuius: *In ſtationes ac vigilias ordine ibãt.* Tacitus: *Vigilias, ſtationes, ac ſiqua alia præſens vſus indixerat.* Iterùm Liuius: *Muros aliáque loca, in quibus ſtationes vigiliáſque eſſe placuerat.* Et ſunt omnino iſtæ, quas Græci προφυλακάς benè & aptè vocant, quaſi dicas *Procuſtodias.* Dio Caſſius: Ἀντώνιος ἱππομαχίᾳ τινὶ πρὸς ταῖς τοῦ Καίσαρος προφυλακαῖς ἡττήθη: *Antonius equeſtri quodam prælio à Cæſaris ſtationibus eſt ſuperatus.* Dionyſius: οἱ πρὸ τῆς στρατοπέδου τὰς φυλακὰς φυλάττοντες, ſuo more explicat & dilatat: *ij qui ante caſtra cuſtodias agunt.* Ammianus *Stationes agrarias* aliquoties dixit, quòd in agris ſcilicet & ſub diuo: Vegetius compendio, *Agrarias*, quæ vox ſæpe apud eum in *Angarias* mutauit, malè. Hadr. Turnebum vide. Atque hæ Stationes olim quidem totum diem habitę: ſed mutauit Æmilius, ob cauſſas. Liuius: *Stationum quoque morem mutauit armatis omnes, & frenatis equis equites, diem totum perſtabant. Id cùm æſtiuis diebus, vrente aſſiduo ſole fieret, tot horarum æſtu ac languore ipſos equóſque feſſos, hoſtes integri ſæpe adorti, vel pauci plures vexabant. Itaque ex matutinâ ſtatione ad meridiem decedi, & in poſtmeridiem ſuccedere alios iuſſit.* Manſit in æuum Vegetij: *Caſtris*, inquit, *poſitis alij manè, alij poſt meridiem, propter fatigationem hominum equorúmque agrarias faciunt.* Iſtæ igitur Stationes: &, meo iudicio, vtiles, quòd numquam hoſtis imparatos aut paucos deprehendebat, imò qui eſſent reſiſtendo donec ſuccurreretur. Anxiè autem ſeruatæ: & omninu capitale (niſi magnâ vi abriperentur potiùs, quàm pellerentur) deſeruiſſe. Polybius: Πρόστιμοι παρὰ

Lib. IX. Stationes alia à Vigiliis. Li. XXVIII I. Annal.

Lib. L.

Lib. XI.

Agraria.

IV. Aduerſ. cap. VII.

Liuius. Bus. in dium.

Lib. III. cap. VIII.

Stationem noſſe deſeri. Lib. I.

φυλακὴν θάνατος ἐστὶ τοῖς ἀπολιποῦσι τὸν τόπον, καὶ φυγοῦσι τὸ πρόσωπον ἐκ τῆς φυλακῆς. *Pœnam mortis apud Romanos illi qui locum deſeruiſſet aut omnino fugiſſet ex ſtatione.* Suidas ex hoc ſiue alio eius loco: Παρὰ Ῥωμαίοις θάνατος ἦν ὥρισμένος τοῖς φρουρὰς λιποῦσι τὴν τάξιν: *Apud Romanos mors pœna, ſiquis liquiſſet locum ſtationis.* Liuius: *Apud Romanos, præſidio decedere, capitale eſſe, & nece liberorum etiam ſuorum parentes eam legem ſanxiſſe.* Suetonius de Auguſto: *Centuriones ſtatione deſerta, itidem vt manipulares, capitali animaduerſione puniit.* Mitior poſteà militia facta, & Modeſtinus de hoc delicto: *Qui ſtationis munus relinquit, pluſquam emanſor eſt. Itaq. pro ratione delicti caſtigatur, aut gradu militiæ deiicitur.* Sed qui igitur iſtas, quo numero, quo ordine ſubierunt? Adſeueranter non dixero: ſed ex omni genere militũ (exceptis Velitibus) ſuſpicor obiiſſe. Quare? ad ſingulas portas nõ minus Cohorte, & Turma vna: interdũ & plures, cùm iuxta hoſtis. Quattuor autẽ portæ, in vniuerſum quadraginta cohortes, & totidẽ turmæ (exceptis iis qui ad Prætorium Extraordinarij aut Selecti) ergo munus redit decimo quoque die, nimirũ quinto die, ſi illum medium diuidis (quod ab Æmilio inſtitutum) & ſecas. Ab hac re Extraordinarij immunes? fortaſſe, quia Imperatorem excũtem comitabantur, eique præſidio erãt. Si non; tũ Prætoria porta cuſtodiæ illorum eſto: ſed non ſine ciuibus. Dixi plures interdum aut geminatas cohortes fuiſſe: & verum eſt. In Hirtio, de bello Africo: *Opera interim ipſe contidie* (de Cæſare) *circumire, & alternas cohortes in ſtatione habere, propter hoſtium multitudinem:* Vbi vetus editio *alteras cohortes*: vt ſignificet duas fuiſſe. Nam *alternas* profectò non conuenit, & fuerit hoc releuandis militibus, at non pellẽdis magis hoſtibus. In libro autem ſcripto Torrentij, *ad ternas* compẽdio quodam ſcriptũ: è quo libeos fecerim, *ad ternas*. Sed de *duabus*, oſtẽdit Cæſar ſolleone fuiſſe, vicino præſertim hoſte. *Cohortes, quæ in ſtationibus erant, ſecum in eam partem proficiſci, ac duas ex reliquis in ſtationẽ ſuccedere iuſſit.* Abduxit ab vnâ portâ duas, & duas iuſſit ſuccedere. Atque ita in ſtationibus Romani: paullò aliter Spartani, bonę & cõpoſitæ itẽ militiæ homines: de quibus Xeoophon: Φυλακὰς γε μὴν ἐποίησε μεθημερινὰς, τὰς μὲν παρὰ τὰ ὅπλα εἴσω βλεπούσας. οὐ γὰρ πολεμίων ἕνεκα, ἀλλὰ φίλων αὗται καθίστανται. τούς γε μὴν πολεμίους, ἱππεῖς φυλάττουσιν ἀπὸ χωρίων ὧν ἂν ἐκ πλείστου προορῷεν: *Diurnas cuſtodias inſtituit* (Lycurgus) *illas quidẽ quæ in caſtra & ſuorũ arma verſæ eſſent. nõ enim hoſtium cauſſâ, ſed ſociorum & amicorum eæ conſtituuntur. alteras, quæ hoſtes obſeruent, equitum, idq. in locis, è quibus lõgiſſime ſit proſpectus.* Spartani igitur aſſeruabant fœderatos ſuos & armorum ſocios, vnâ illâ cuſtodiâ; alterâ hoſtes. Cuſtodia in ſocios, peditum fuit; in hoſtes equitum, atque ea in locis ferè montanis, aut excelſis.

Li. xxiii. cap. xxiv.

Lib. iii. De re mil.

Modus Stationum.

Hirtius correctus.

DIALOG. IX.

De Vigiliis. Teſſera in iis, Teſſerulæ, & diuiſio, & Circuitio, omnia diſtinctè.

MINISTERIA dicta ſunt & diurnæ Excubiæ, ad Vigilias tranſi, quæ propriè ſunt noctis. Sed quia tria in his ordine dixit, de *Teſſera* primò, tũm de *Vigiliis* earumque numero, denique de *Circuitione*: hæc, inquam, omnia, quia ipſe diſtinctè, ego quoque partiar & diſtinguam, & ſingillatim de his dicam. Date mihi, quæſo: vereor enim ne tenebrarum aliquid in his Vigiliis, & ab ipsâ Nocte. Verba Polybij cedo;

Polyb.

τὴν δὲ τοῦ νυκτερινοῦ συνθήματος παράδοσιν ἀσφαλίζονται τὸν τρόπον τοῦτον. Καθ᾽ ἕκαστον γένος καὶ τῶν ἱππέων καὶ τῶν πεζῶν ἐκ τῆς δεκάτης σημαίας τοῖς τελευταίοις μέρεσι στρατοπεδευούσης κατὰ τὰς ῥύμας, ἐκ τούτων εἷς ἑκάστης αὐτὸς λαμβάνεται καὶ ἐκλέγεται, ὃς τῶν μὲν κατὰ τὰς φυλακὰς λειτουργιῶν ἀπολύεται. παραγίνεται δὲ καθ᾽ ἡμέραν δύνοντος ἡλίου πρὸς τὴν τοῦ χιλιάρχου σκηνὴν, καὶ λαβὼν τὸ σύνθημα (τοῦτο δ᾽ ἐστὶ πλατεῖον ἐπιγεγραμμένον) ἀπαλλάττεται πάλιν. ἀναχωρήσας δ᾽ ἐπὶ τὴν αὑτοῦ σημαίαν τότε ξύλον φέρων ... δίδωσι, καὶ τὸ σύνθημα μετὰ μαρτύρων τῷ τῆς ἐχομένης σημαίας ἡγεμόνι. ὁ δὲ πάλιν τῷ παρ᾽ αὑτόν. τὸ δ᾽ ὅμοιον ἑξῆς ποιοῦσι πάντες, ἕως ἂν ἐπὶ τὰς πρώτας, καὶ συνεγγὺς τοῖς χιλιάρχοις στρατοπεδευούσας σημαίας ἐξίκωνται. τούτους δ᾽ ἔτι τὸ πλατεῖον ἔτι φωτὸς ὄντος ἀναφέρειν πρὸς τοὺς χιλιάρχους. κἂν μὲν ἀνενεχθῇ πάντα τὰ δοθέντα, γινώσκει, διότι τὸ σύνθημα πᾶσι, καὶ διὰ πάντων εἰς αὐτὸν ἥκει. ἐὰν δ᾽ ἐλλείπῃ τι, παραχρῆμα ζητεῖ τὸ γεγονὸς, εἰδὼς ἐκ τῆς ἐπιγραφῆς ἐκ ποίου μέρους οὐχ ἥκει τὸ πλατεῖον. οὗ δ᾽ ἂν εὑρεθῇ τὸ κώλυμα, τυγχάνει τῆς καθηκούσης ζημίας.

Nocturni ſigni traditionem tutam ſecurámque hoc modo reddunt. In quoque genere equitũ & peditum, ex decimo ſigno, quod vltimum eſt & in ſtrigarum parte extremâ, vir vnus quiſpiã eligitur, qui à reliquo munere excubiarum immunis ſit. Is cottidie, ſole iam inclinante, ad Tribuni tentorium venit, & ſignum accipiens (id verò eſt tabella latiuſcula, inſcripta) iterùm abit. Rediens autem ad ſuũ ſignum, taleolam iſtam, ſiue ſigillum, tradit, adhibitis teſtibus, proximi ſigni duci, atque ille ſimiliter conſequẽti: deinique alij ſic ordine, donec ad prima & prope Tribunos metata ſigna perueniat. Quorum cẽturiones oportet, tabellam, cùm lux nondum occidit, referre ad Tribunos. Quòd ſi omnes relatæ ſunt quæ datæ erant, cognoſcit ſignum ad omnes, & per omnes ad ſe veniſſe. At ſi quod deſit, confeſtim inquirit in factum, noſcens ex inſcriptione, cuius partis ſignum non ſit perlatum: & cuius culpâ aut morâ id factum, is ſubit conuenientem pœnam.

Et in quoque genere equitum & peditum, ex Decimo ſigno.] Dicturus de Vigiliis, quia tot illarum ratio Teſſeris conſtat, de his præmittit, & qui eas acceperint dederintque. Ait igitur ex decimo quoque Signo (Manipulum, Cohortem, Turmam intellegis) virum aliquem eligi quidà Tribuno puto, auferat diuiditque. Quare ex decimo & vltimo ſignorum? commodum diuiſionem illinc fieri, vt ita ordine adeant ad Tribunos. Iam reliqua verborum habes.

Vir vnus quiſpiam eligitur.] Et cui vnum hoc ſpectatur: vtque ei vacet, eſt à reliquo munere immunis. Dictus ab ipſis τῷ *Teſſerarius*; quod nomen uſitat-

Teſſerarij.

moribus, inter militares titulos, ſæpiùs legitur: etiam in Tacito, *Teſſerarius optio:* & in Vegetio, *Teſſerarij, qui teſſeram per contubernia militum nunciant.*

1 Hiſt. Lib. II. cap. VI.

" *Ad Tribunum tentorium venit.*] Ergo à Tribuno ſignum petitur? ita, ſed non primo. Ille ab alio accipit, & acceptum tráſfundit. Nam ſummi Ducis hoc eſt, & conſeoſu refertur inter imperij notas. Scipio cùm ſeditioſos increpat, hoc iis obiicit: *In Prætorio tetenderunt Albius & Atrius, ſignum ab iis petitum eſt.* Tacitus de Tiberio verbis abnuente, re Principatum arripiente: *Signum tamen Imperatoriis cohortibus, vt Imperator dederat.* Dio cùm notat honorẽ Agrippæ habitum, & communicatum ab Auguſto, vt Imperatori: Τότε σύνθημα παρ᾽ ἀμφοτέρων αὐτῶν ἐδίδοτο: *Et ſignum ab vtroque eorum dabatur.* Sed dabatur, nempe ipſis Tribunis: atque ita Suetonius Claudio: *Excubitori Tribuno ſignum, de more, petenti.* Idem Nerone: *Signum excubanti Tribuno dedit, Optimam matrẽ.* Appianus de L. Antonio, qui ſe Octauiano ſubmiſit, & *Tribunos,* inquit, *miſit teſſeram militarem accepturos à Cæſare. Illi autem & numerum copiarum ei attulerunt: vti & nunc in more eſt, Tribunum petentem ſignum, dare Imperatori pugillares, qui numerum contineant militum præſentium.* Attende quod inibi eſt, de numero militũ cottidie relato. Quis præter Appianum tradidit? niſi quod Seneca tamen tetigit, De Tranquillitate cap. VIII. De Pompeij liberto Demetrio agit, eiuſque opibus. *Numerus illi quotidie ſeruorum, vt Imperatori exercitus referebatur, cui iamdudum diuitiæ eſſe debuerant duo vicarij & cella laxior.* Stomachatur in ſeruum, ita ſeruorum diuitem, vt ei, exemplo caſtrenſi cottidie referretur numerus ſuperſtitum. Vtile ſanè hoc in militiâ, & omnino cauto Duci imitandũ: vt quoniam multi per cõmeatus aut quâ aliâ cauſſâ, diffluunt; multi caſu aut ferro pereunt, ſciat cottidie ſuas vires, & quid militum ad manum. Ruunt multi in pericula, fiduciâ virium quas habere putant, nec habent: & fraudes quæ hîc hodie, non eſt ignotum, cùm nomina magis Cẽturiarum quàm numeri conſtant. Ergo petebant & capiebant Tribuni ab ipſo primo duce: at à Tribunis deinde milites. Liuius de ſeditione in Scipionem, quam tetigi: *Conſtabat tamen forma caſtrorũ, quòd Tribunos iura dare in Principiis ſinebant, & ſignũ ab iis petebãt.* Nec pugnat cũ eo quod Scipio dixit, *Albiũ & Atriũ* dediſſe: quia id quoque, vt dixi, factum. Hęc ita olim: Vegetij tempore dabat Pręfectus legionis. Scribit inter eius munia: *Vigiliarum vel profectionis teſſera ab eodẽ petebatur.*

v. Ciuil.

Mos de annumerando milite.

Valde laudabilis.

Li. XXVIII. 1. Annal. Lib. LIII. Cap. XLII. Cap. IX. Li. XXVIII. Lib. II. cap. IX.

Signum aut teſſera militaris.

" *Id verò eſt tabella latuſcula, inſcripta.*] Quia Synthema nominauit, & ſæpius iterandum eſt, quid & quale ſit, meritò dicit, Eſt inquit, *tabella paullo latior.* Græcè vno verbo, πλατεῖον. *Tabellam* quidem & è ligno eſſe, ipſe ſtatim dicit, cùm ξυλήφιον ſiue ligellum appellat. Sed & Plinius: *Liguſtrum teſſeris aptiſſimum.* In ambiguo tamen, an non luſorias intellegat. Sicut & in eodẽ, cùm ſcribit, *Signi dationem, teſſeras, vigilias, Palamedẽ inueniſſe bello Troiano.* Dixeris quidem ex adiunctis, eum has noſtras militares intellegere; ſed ſuſpendũt aſſertionem noſtram Græci, qui Palamedi non niſi illas ad luſum aſſignant. Sophocles:

Lib. XVI. ca. XVIII. *Quis reperit.* Lib. VII. cap. LVI.

Palamedes luſorias.

——χρόνου τε διατριβὰς σοφωτάτας,
Πεσσοὺς, κύβους τε, τερπνὸν ἀργίας ἄκος.
Εὐφόρι.

——*catóſque temporis furunculos,*
Scrupóſque teſſeráſque, fallendo otio,
Inuenit.

Gorgias in Oratione pro Palamede, inter alia quæ reperit, enumerat πεσσοὺς σχολῆς ἄλυπον διατριβήν: *calculos, otij ſine faſtidio tranſactionem.* Alcidamus contrà Palamedem, πεσσοὺς καὶ κύβους inueniſſe inueniſſe item

A tradit. Hoc Pauſanias, & alij: ſed de militari iſto ſynthemate, quod ſciam, nemo. Nam φρυκτοὶ ſiue *ignes excubiales,* quos ad eum quoque referunt, alij ſunt ab iſto ſignis. Quiſquis tamen inuẽtor, res vetus, & hiſtoricis ac poëtis nominata. Virgilius:

Claſſica iamq́ue ſonant, it bello teſſera ſignum. Lib. VII.

Statius: ——*dat teſſera ſignum* Lib. X.
Excubiis, poſitaq́ue vices.

Nec ad ipſas Vigilias ſolùm, ſed ad mandata adhibuerunt, quæ Teſſeris ſic inſcripta. Liuius: *Scipio teſſeram veſperi per caſtra dedit, vt ante lucẽ viri equiq́ue curati & pranſi eſſẽt, armatus eques frænatos teneret equos.* Hirtius bello Hiſpan. eoſi: *Teſſerâ datâ* (à Cæſare) *extra vallum omnes cõceſſiſſent Mũdenſes duces.* Suetonius de Galbâ: *Sollenni ſpectaculo plaudẽtes milites inhibuit,*

Mandata per teſſeras. Li. XXVIII.

Cap. VI.

B *teſſerâ data, vt manus penulis cohiberent.* Atque ex his vides, Teſſeras grandiuſculas ſæpe fuiſſe, & quibus inſcribi plura poſſent. Imò *libellos* Suetonius appellat in Tiberio: *Præcepta ſequentis diei omnia, & ſiquid ſubiti muneris iniungendũ eſſet, per libellos dabat, additâ monitione, vt de quo quiſque dubitaret, ſe neque alio interprete, quacumque vel noctis horâ, vteretur.* Hoc ille in bello Germanico fecit, etſi reuera hæc talia Teſſeræ non ſemper erant, nõ propriè quidẽ illæ noſtrę. Mãdata potiùs, & ſecuritatis cauſſâ, ne quis quid excuſaret, data in ſcripto: quæ tamen cùm omnes tãgerent, ſic veſpere data & tranſmiſſa, iſto Teſſerarum exemplo, quid impediat? quia nempe tutò ſic data ſub noctem, & ſine periculo reuelationis, vigiliis iam ponendis. Denique & celeriter ſic tranſmiſſa, ordine

Ca. XVIII.

C noto. Statius hac mente:

——*longo fugit ordine velox*
Teſſera. Velocẽ appellat, & Polybius mox oſtẽdit.

Teſſera ad iter.

Sed mãdata igitur: atque adeò ſæpiſſimè quæ ad Iter. Ammianus: *Per teſſeram edicto itinere.* Idem. *Teſſerâ datâ ſollenni, armatos omnes celeri eduxère procurſu.* Et idem: *Miſſâ per Prouinciales numeros expeditionali teſſerâ, cunctos tranſire iuſſit Eufratem.* Vides ad abſentes etiam miſſam: nec aliud, quàm mandatorium hunc libellum. Idem ſcriptor: *Miſſam ad ſe teſſerã finxit, redeundi cum milite Gallicano.* Iterumq́ue: *Militem diffuſum per prouinciales leui teſſerâ colligere.* Sed de his vialibus teſſeris Sidonius etiam:

Lib. XXI. Li. XXIII.

Abſentibus etiã miſſa.

——*nec teſſera caſtris* Lib. XV.
In Cteſiphonta datur.

Dolet & tangit imminutas imperij vires, nec iam, inquit, teſſera expectanda, *Pete Cteſiphontem.* Silius de

D Aſdrubale:

——*tacitum dat teſſera ſignum,*
Dimiſſâ, in colles, pugnâ, ſiluaſq́ue, ferantur,
Diſperſi.

Quod ille Dux induſtriè fecit, & occultè pręcepit ordinum ductoribus, vt ſi vincerentur, diſperſi quiſque ſuos ducerent ad Pyrenæum: Alluſit & Hegeſippus: *Miles teſſeram expectat, ſeruus imperium, ſiquis horũ ſine præcepto exierit, alter deſertor, alter fugitiuus eſt.* Atque addo, aſtutiæ vel cautioni potiùs, locum etiam hîc fuiſſe. Dabant enim interdum ſignatas, nec niſi tempore & loco reſerãdas. Cæſar in more habuit, vt magis celaret ſuũ iter, auctore Hirtio: *Neque certũ locum*

Lib. III. cap. XVII. *Stratagema in Teſſera.*

De bello Afric.

E *gubernatoribus quẽ peterent, neque vt mos ipſius cõſuetudoq́ue ſuperioribus tẽporibus fuerat, tabellas ſignatas dederat, vt in tẽpore iis perlectis locum certum peterẽt vniuerſi.* Simile olim Hamilcar Pœnorũ dux: qui *vt in Siciliam inopinatus appelleret, nõ pronunciauit quò proficiſceretur, ſed tabellas, in quibus ſcriptum erat quam partem peti vellet, ſignatas gubernatoribus tradidit, præcepitque ne quis legeret, niſi vi tempeſtatis à curſu Prætoria nauis abductus eſſet.* Sed redeo ad verba Polybij, qui addit, πλατεῖον hoc *inſcriptum fuiſſe.* Nempe ipſo

Lib. I. cap. I.

Digitized by Google

Inſcriptio teſſeræ.

A nocturno ſigno aut dicto, quod eſſe vellet Imperator. Sæpe vnum, alterum, verbum erat, interdum mandatum, aut ſententiam habebat, aut verſum vt in * pugnâ. Claudius quidem à Suetonio, in continuatione dediſſe ſcribitur *excubitori Tribuno haud temerè ſignū aliud, quàm* Ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ. Qui integer Homeri verſus eſt. Et Imperator quidem ipſe ore dabat & pronunciabat (in hoc, aliiſque exemplis:) ſed Tribuni tum inſcribebant, & diuidebant. Modus diuidendi iam ſequitur:

** Vide ſuprà, Dial. III. li. IIII.*

Teſſera ab vltimis diuiſa.

» *Rediens ad ſuum Manipulum, ligellum iſtud ſiue taleam tradit proximi Manipuli duci.*] Teſſerarius acceptâ teſſerâ à Tribuno, non loci aut dignitatis ordine dabat, incipiens à primis manipulis: ſed contrà, tedibat ad ſuum & vltimum Manipulum, & Centurioni B dabat: ille acceptam proximi Manipuli Centurioni, iſte iterùm proximi: donec ad primos manipulos peruentum eſſet. Bonus hic ordo dupliciter. tum, vt Vigiliæ in vltimis caſtris & hoſti propinquis ſtatim conſtituerentur; tum vt teſſera ſic viâ rectâ, & ſine flexu, ad Tribunos rediret.

» *Hos oportet tabellam, cùm lux nondum occidit, referre ad Tribunos.*] Vides celeritatem. Luce ambiguâ, & ſole occiduo, Teſſeræ à Tribuno datæ; ante eundē occaſum oportuit relatas. Quid ſi mora aut culpa? inquiritur, punitur. Et culpa quidem ſic cognoſcitur:

» *Siquid deſit, confeſtim inquirit in factum, noſcens ex inſcriptione, cuius partis teſſera nō ſit perlata.*] Ecce, C pono teſſeram vnam ad Tribunum non reduxiſſe: inter plures, vnde ſciet ipſe cuius partis aut claſſis deſit? Ait Polybius, ἐκ τῆς ἐπιγραφῆς, *ex inſcriptione.* Quid? nónne inſcriptio eadem in omnibus? ita, quod ad ſymbolum aut ſignum nocturnum attinet vnum & idem omnibus, in vnam noctem: ſed præter hoc, alia etiam inſcriptio quæ notaret partem aut genus. Exempli cauſsâ, teſſerarius Haſtatorū, Principum, Triariorum, Equitū, quiſque ſuam Teſſeram accipiebat, cū notulâ H.P.T.E. aut tali, quæ initialibus aut pluribus litteris notaret genus. Quo fine? ne lōgè quęrēdū eſſet, ſi fraus aut delictum: ſed ſtatim conſtaret in tali parte peccatum. De ipſâ peculiari notâ, nihil certum habeo: ſed probabile talem aliquā fuiſſe. Quæro amplius. in ipſâ illâ claſſe, vbi peccatum, quid ſi neget aliquis ſibi datam? ſi Thuſco quodam, vt dicitur, D iurgio, alter alterum culpet? Non potuit. nam teſtibus adhibitis conſignatam, Polybius palàm ſcripſit: nec mirum, in re cuiuſque capitali, ſic cautè cauiſſe. Facile id autem: quia Centurionibus in tabernaculo, præſentibus militibus data. Hæc ratio Teſſerarum, mihi proba & firma, præ noſtrâ & hodiernâ. In aures ſaltem inſuſurramus, quàm facili lapſu aut veniâ, ſi neges intellectam? Diſcurſu datur: nihil hîc opus, & diſtribuitur in ſummâ quiete. Et ipſi quidem Centuriones legunt, & porrò tradunt: ſed lectam iis enunciant, quorum ſunt vigilandi vices. Ita omnia ordine. à ſummo Imperatore Tribunus; ab iſto Centurio; ab hoc miles in manipulo ſuo quiſque accipit. E Denique ratio ſic imperitandi aliud etiam aliquid proba, & quæ ad omnes it ſine tumultu. Sequitur de ipſis Vigiliis. Lege:

Inſcriptio generum in Teſſera.

Laudata Teſſera.

POLYB. Τὰ δὲ περὶ τὰς νυκτερινὰς φυλακὰς οὕτως οἰκονομεῖται παρ' αὐτοῖς. τὸν μὲν στρατηγὸν καὶ τὴν τούτου σκηνὴν παρακοιτοῦσα σημαία φυλάττει. τοὺς δὲ τῶν χιλιάρχων καὶ τοὺς τῶν ἱππέων οὐλαμούς, οἱ διατεταγμένοι κατὰ τὸν ἄρτι λόγον, ἐξ ἑκάστης σημαίας. ὁμοίως δὲ καὶ παρ' ἕκαστον τάγμα πάντες ἐξ ἑαυτῶν τιθέασι φυλακεῖον, τὰς δὲ λοιπὰς ὁ στρατηγὸς ἀποτάττει. γίνονται δὲ ὡς ἐπίπαν τρεῖς φυλακαὶ παρὰ τὸν ταμίαν, καὶ B παρ' ἕκαστον τῶν πρεσβευτῶν καὶ συμβούλων δύο. τὴν δ' ἐκτὸς ἐπιφάνειαν οἱ γροσφομάχοι πληροῦσι, παρ' ὅλον καθ' ἡμέραν τὸν χάρακα παρακοιτοῦντες. αὕτη γὰρ ἐπιτέτακται τούτοις ἡ λειτουργία. ἐπὶ τῶν εἰσόδων ἀνὰ δέκα ποιοῦνται τούτων αὐτῶν τὰς προκοιτείας. τῶν δ' C εἰς τὰς φυλακὰς ἀποδεχθέντων ἀφ' ἑκάστου φυλακείου, τὸν τὴν πρώτην μέλλοντα τηρεῖν, εἷς ἐξ ἑκάστης σημαίας οὐραγὸς ἄγει πρὸς τὸν χιλίαρχον ἑσπέρας. ὁ δὲ δίδωσι τούτοις πᾶσι ξυλήφια κατὰ φυλακήν, βραχέα τελέως, ἔχοντα χαρακτῆρα.

Ea verò quæ ad vigilias nocturnas ſpectant, ſic ab iis adminiſtrantur. Imperatorem & Prætorium accubans manipulus cuſtodit. Tribunos & Equitum turmas, ii qui è quoque manipulo conſtituti ſunt, vt diximus. Similiter etiam per ſingulos manipulos omnes ex ſeipſis Vigiliam diſponunt, reliquas ipſe Imperator ordinat. Fiunt autem plerumque tres Vigiliæ apud Quæſtorem, & apud quemque Legatorum duæ. Exteriorem verò aſpectum caſtrorum Velites complent, per totum vallum de die accubantes. Hoc enim munus iis incumbit. In portis ſingulæ eorum decuriæ excubant. Qui verò ad Vigilias deſtinati ſunt, ex ſingulis eorum excubiis, vnus cuiuſque manipuli Tergiductor, ducit veſpere ad Tribunum qui primas ſunt acturi. Is verò dat omnibus iſtis Teſſerulas planè exiguas pro quaque vigilia, habentes characterem.

Iam ipſas Vigilias enumerat atq; ordinat, quas νυκτερινὰς φυλακάς, *nocturnas cuſtodias* dicit. Latini vno verbo *Vigilias*, & diſtinguunt ab *Excubiis*, quæ diurD næ etiam ſunt. Iſidorus non malè: *Excubiæ autem diurnæ ſunt, Vigiliæ nocturnæ*: etſi illæ quoque pro iſtis vſurpatæ, & eſt generale nomen; at non contrà. Ait:

Excubiæ à Vigiliis diſcretæ.

Lib. IX.

» *Prætorium accubans manipulus.*] Vti & in diurnis excubiis: & in numero nihil, ſed homines mutantur.

» *Per ſingulos manipulos.*] Græcè eſt, παρ' ἕκαστον τάγμα. quod *per quaque legionem* ſonare etiam poteſt: ſed Polybius *Ordinem* & *Manipulum* ferè ſic appellat, & res vult de iſtis capi. Quantulum enim eſſet, vnam Vigiliam in quaque legione excubare? at illud bonum & ad ſecuritatem diſpoſitum, eſſe ordine per ſingulos manipulos, in longum latumque caE ſtrorum: atque ita nihil vſquam incuſtoditum. Sunt autem in quaque legione manipuli triginta: ergo excubabant homines *centum viginti.* Quid in Turmis equitum? non pooit, nec credimus fuiſſe. Iuncti enim iis Triarij dabant, & ipſi equites diſtricti in circuitione. De Sociis, paria dicenda.

Vigiliæ per manipulos.

» *Reliquas ipſe Imperator ordinat.*] Quas reliquas? An omnes, præter eas quas ex ſe ipſi manipuli? vix apparet. nam de more & ſorte, vt in diurnis, probabile eſt in orbem iuiſſe. An iſtas reliquas quæ ſequuntur, Quæſtori & Legatis? Haud abſurdum ſit, di-

gnioribus illis Vigiles ab ipſo Imperatore adſignatos; & fortaſſe è ſuperiori illo corpore Extraordinariorum, qui Vicini. An *reliquas* etiam intellegẽre eſt, vt iſtæ quidem manipulares tali numero manſerint: aliæ variauerint pro libitu Imperatoris, & pro diſcrimine temporum? Conſidera. non iuuat me opinionum hanc * χύτραν ποικίλλειν.

** ollam depingere.*

Ambigua Polybij ſententia.

» *Tres vigiliæ apud Quæſtorem.*] Verſio & ſententia noſtra valdè abeunt à Ioh. Laſcari, qui ſic reddidit: *Fiunt plerumque tres excubiæ, apud Quæſtorem vna, binæ apud Legatos.* Quaſi hoc vellet Polybius, reliquas excubias ab Imperatore diſponi, atque eas ferè tres eſſe: vnam Quæſtori, duas duobus Legatis. Ego malim capi (& verba mecum Polybij) de numero excubiarum. vt tres ipſi Quæſtori fuerint, id eſt homines duodecim: cuique Legato binæ. Etſi ſuprà tamen ſuſpicatus ſum huic quoque tres fuiſſe. Sed reuera ſuſpicionibus hæc conſtant: & cur tam curioſè rimamor nullâ induſtriâ fortaſſis indaganda?

Velites vbi?

» *Exteriorem aſpectum Velites complent.*] Ambigas quid velit. vtrum fuiſſe eos intra caſtra, medios inter vallum & milites, vacuo illo ſpatio: an extra ipſa caſtra, & ad foſſas. Illud ſecuritas eorum magis ſuaſerit; iſtud Feſtus, qui ita ſcribit: *Procubitores dicuntur ferè Velites, qui noctu cuſtodiæ cauſsâ ante caſtra excubant, cùm caſtra hoſtium in propinquo ſunt. vt M. Cato in eo quem De re militari ſcripſit.* Notandus locus, & omnino huc facit. nam ait *noctu* excubaſſe, & *ante caſtra*. Sed fortaſſe hoc intellegit, quòd in portis, aut ante eas. Certè ſi ad ipſum vallum extrorſus, non abſque periculo eorum fuerit: etſi video ſemper iſtos in leui habitos & inuili. Seneca: *Bona aduentitia eo nobis loco ſint, quo in caſtris auxilia & armatura leuis. Seruiant iſta, non imperent.* Etiam de die Polybius eos ad vallum locat, & videntur illic ſedes & tentoriola ſua habuiſſe. Sed ait idem, *compleuiſſe exteriorem aſpectum.* Ergo multos vigilaſſe oportet, in tantâ latitudine valli, quod fuit pedum ſupra *bis mille* in quoque latere, vt diximus. Sed intellego non conſertim impleſſe & iunctos: ſed ſparſim, & per excubias diuiſos. Pone (vt in manipulis) ſingulis centenis pedibus excubiam vnam: tutelæ ſatis erit nempe viginti excubiæ in latere, ſiue viri *octoginta*. Adde eos qui in portis.

Velites pro[illegible]. De Vit. beat. cap. VIII.

Portarum Vigiliæ.

» *In portis ſingula eorum decuriæ excubant.*] An ſoli Velites? an nulli è ciuibus aut ſocijs adiuncti? Equidem vereor, vt parùm firma ſit hæc cuſtodia, & Vegetio libenter acceſſerim qui & equites apponit. *Equites*, inquit, *extra vallum nocturnas excubias facere debent.* Id eſſet ab exẽplo diuerſo, quo Stationes poſuimus ante portas. Certè firmiorem aliquam manum ad ipſos aditus vt locemus, ratio inducit: & puto etiam manipulos, an cohortes potiùs excubaſſe. Toties illud *Puto*? Quid enim faciam? vacillandum eſt, cùm ſcipio noſter Polybius deſerit, ille qui olim ipſius Scipionis.

Equites vbi. Lib. III. cap. VIII.

Diuiſio Vigiliarum.

» *Ducit veſpere ad Tribunum qui primam ſunt acturi.*] Ex his aliiſque certum eſt, Vigiles quaternos ſe diuiſiſſe in quartuor partes, ita vt ſinguli vigiliam vnam noctis obirent, ſorte diuidente. Ad quam ſortem Virgilius aſpexit:

Omnis per muros legio ſortita periclum
Excubat, exercetq́ue vices, quod cuique tuendum eſt.

Lib. III. cap. VIII.

Ad vices autem & mutationem Vegetius: *Quia impoſſibile videbatur in ſpeculis per totam noctem vigilantes ſingulos permanere, ideò in quatuor partes ad clepſydram ſunt diuiſæ vigiliæ, vt non amplius quàm tribus horis nocturnis neceſſe ſit vigilare.* Bona & commoda ratio. Erant quatuor vigiles, atque ij vnà. ſeu vnus ex iis ſuâ vigiliâ quiſque perſtabat intentus & verè vigil, alij adiacebant aut accubbabant. Itaque his quies aliqua, & ille ſtans ſi auxiliũ poſceret, ad manum habebat. Multo melior hæc ratio quàm noſtrorum Sentinellarum, qui prorſus ſolitarij, & certè à ſuis abiuncti. Itaque facilè intercipiuntur, imò & occiduntur, ſine aliorum ſenſu. Sed iam ad Polybium: ait: *Tergiductorem ſiue Optionem, ducere primos quoſque Vigiles ad Tribunum*, quis ergo ſecundos, tertios, quartos? Nemo, nec vllus vltrà diſcurſus in caſtris: ſed probabile eſt, ipſos iſtos primos Teſſerulas quoque eorum vicem accepiſſe. Caſtra quidem noctu omnino quieta: ideóque ſtatuendum, Vigiles primos, etſi depenſo ſuo penſo, tamen non abiuiſſe ad tentoria, ſed illîc reliquum noctis manſiſſe. Idem in ſecundis & tertiis, non pòſt veniſſe ſub ſuam horam: ſed illîc eam otio expectaſſe. Quærere lubet de Velitibus. an non iis Teſſerulæ? ſi fuerint, quis deduxit? Non enim iis Optio aut Centurio. Fuiſſe Teſſeras tamen, neceſſarium videtur pro fide Vigiliarum: & arbitrari liceat Optionem deduxiſſe manipuli eius, cui pars quæq; Velitũ adtributa. In ordine ſuprà declaratum.

Per ternas quaſque horas.

» *Dat omnibus teſſerulas planè exiguas, iuxta Vigiliam.*] Vide ne te confundant aut turbent iteratæ iſtæ Teſſeræ. Nunquid enim antea habuimus, & Teſſerarius ipſe eam à Tribuno accepit? Ita planiſſimè. ſed nempe diuerſam ab iſtis. Illa vniuſmodi fuit, & ſignũ aut dictum nocturnum, quo ſeſe ab hoſte internoſcerẽt: iſtæ diuerſiformes, & propriæ cuique Vigiliæ. Etiam in modulo diſcrimen. Illa *tabella latiuſcula*, vt dixit: iſtæ *planè exiguæ*, & vt appellat, κάρφη aut velut *taleola*. Omnino non aliud fuiſſe videntur quàm ligella, cum notâ duplici impreſſa: alterâ manipuli, alterâ Vigiliæ ipſius. Id hoc fine, vt Tribunus eâ redditâ, ſtatim conſpiceret quis in quoque manipulo, & quotâ Vigiliâ, munus feciſſet aut non feciſſet. Puta igitur fuiſſe inſculptum. H. P. T. cum numeris *primi, ſecundi, tertij, quarti* manipuli: itémque V. I. V. II. aut talia, id eſt, *Haſtati, Principis, Triarij* ille & ille manipulus: & *Vigilia prima, Vigilia ſecunda*; ſic deinceps adiunctũ. Sed iã de ipſâ *Circuitione* Polybiũ nobis lege:

Teſſerulæ à prioribus.

Ἡ δὲ τῆς ἐφοδείας πίστις, εἰς τοὺς ἱππεῖς ἀνατίθεται. δεῖ γὰρ τὸν πρῶτον ἰλάρχην καθ' ἕκαστον στρατόπεδον ἑνὶ τῶν οὐραγῶν τῶν αὐτοῦ παραγγεῖλαι πρωῒ παράγγελμα τοιοῦτον, ἵνα τέτταρσιν οὗτος ἐμφανίσῃ νεανίσκοις τῶν ἐκ τῆς ἰδίας ἴλης πρὸ ἀρίστου τοῖς μέλλουσιν ἐφοδεύειν. μετὰ δὲ ταῦτα τῷ τῆς ἐχομένης ἴλης ἡγεμόνι δεῖ τὸν αὐτὸν ἀφ' ἑσπέρας παραγγεῖλαι, διότι τούτῳ καθήκει τὰ περὶ τῆς ἐφοδείας φροντίζειν εἰς τὴν αὔριον. τοῦτον δ' ἀκούσαντα παραπλησίως ταυτὰ δεῖ ποιεῖν τοῖς προειρημένοις εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν· ὁμοίως

Fides circuitionis equitibus committitur. Oportet enim primum Turmæ Præfectum, aut Decurionem in quaque legione, vni Tergiductorum ſuorum præcipere manè præceptum huiuſmodi. vt quattuor iuuenibus Turmæ ſua indicet atque edicat ante prandium, iis qui debebunt circuire. Deinde ſequentis Turmæ Præfecto oportet eundem veſperè indicare, quòd ad eum ſequentis diei circuitionis cura pertineat. Qui cùm audierit, oportet conſimiliter iam dictis eũ facere in ſequentem diem: pariter &

eos

A δὲ καὶ τοῖς ἑξῆς. οἱ δὲ προκεχειρισμένοι ὑπὸ τῶν οὐραγῶν, ἐκ τῆς πρώτης ἴλης τέτταρες, ἐπειδὰν διαλάχωσι τὰς φυλακάς, πορεύονται πρὸς τὸν χιλίαρχον, καὶ γραφὴν λαμβάνουσι, πόσην καὶ πόσας ἐφοδεῦσαι δεῖ φυλακάς. μετὰ δὲ ταῦτα παρακοιτοῦσιν οἱ τέτταρες, παρὰ τὴν πρώτην σημαίαν τῶν τριαρίων. ὁ γὰρ ταύτης ταξίαρχος τὴν B ἐπιμέλειαν ποιεῖται τοῦ κατὰ φυλακὴν βουκανᾶν. συνάψαντος δὲ τοῦ καιροῦ τὴν πρώτην ἐφοδεύει φυλακὴν ὁ ταύτην λαχὼν, ἔχων μετ' αὐτοῦ μάρτυρας τῶν φίλων. ἐπιπορεύεται δὲ τοὺς ῥηθέντας τόπους, οὐ μόνον τοὺς περὶ τὸν χάρακα καὶ τὰς εἰσόδους, ἀλλὰ καὶ τοὺς κατὰ C σημαίας ἅπαντας, καὶ τοὺς κατ' οὐλαμόν. κἂν μὲν εὕρῃ τοὺς φυλάττοντας τὴν πρώτην ἐγρηγορότας, λαμβάνει παρὰ τούτων τὸ κάρφος. ἐὰν δ' εὕρῃ κοιμώμενον, ἢ λελοιπότα τινὰ τὸν τόπον, ἐπιμαρτυράμενος τοὺς συνόντας, ἀπαλλάττεται. τὸ δὲ παραπλήσιον γίνεται καὶ ὑπὸ τῶν τὰς D ἑξῆς φυλακὰς ἐφοδευόντων. τὴν δ' ἐπιμέλειαν τοῦ κατὰ φυλακὴν βουκανίζειν, ὡς ἐπάνω εἶπον, ἵνα σύμφωνον ᾖ τοῖς ἐφοδεύουσι πρὸς τοὺς φυλάττοντας, οἱ τῆς πρώτης σημαίας τῶν τριαρίων ἐξ ἑκατέρου τοῦ στρατοπέδου ταξίαρχοι, καθ' ἡμέραν ποιοῦνται. τῶν δ' ἐφόδων ἕκαστος ἅμα τῷ φωτὶ πρὸς τὸν χιλίαρχον E ἀναφέρει τὸ σύνθημα, κἂν μὲν ᾖ πάντα δεδομένα, χωρὶς ἐγκλήματος ἀπαλλάττονται πάλιν. ἂν δέ τις ἐλάττω φέρῃ τοῦ πλήθους τῶν φυλακείων, ζητοῦσιν ἐκ τοῦ χαρακτῆρος, ποῖον ἐκ τῶν φυλακείων λείπεται. τούτου δὲ γνωσθέντος, καλεῖ τὸν ταξίαρχον. οὗτος δ' A ἄγει τοὺς ἀποταχθέντας εἰς τὴν φυλακήν, οὗτοι δὲ συγκρίνονται πρὸς τὴν ἔφοδον. ἐὰν μὲν οὖν ἐν τοῖς φύλαξιν ᾖ τὸ κακὸν, εὐθέως δῆλός ἐστιν ὁ τὴν ἐφοδείαν ἔχων, ἐπιμαρτυράμενος τοὺς συνόντας. ὀφείλει γὰρ τοῦτο ποιεῖν. ἐὰν δὲ μηδὲν ᾖ τοιοῦτο γεγονός, εἰς τὴν B ἔφοδον ἀναχωρεῖ τοὔγκλημα. καθίσταται δὲ παραχρῆμα συνεδρίου, ὑπὸ τοῦ χιλιάρχου κρίνεται. κἂν καταδικασθῇ, ξυλοκοπεῖται.

eos qui ſequuntur. Qui verò ordinati ab Tergiductoribus fuerint, ex primâ Turmâ quattuor, poſtquam ſortiti fuerint vigilias, eunt ad Tribunum, & ſcriptum accipiunt, quotam & quot debeant obire. Poſt quæ illi quattuor accubant ad primum Manipulum Triariorum, ſiue Primum pilum. Eius enim Centurio curam habet ad quamque Vigiliam buccinâ ſignum dandi. Cùm verò tempus appetierit, primam Vigiliam circuit is qui eam ſortitus eſt, habens apud ſe teſtes aliquos ex amicis. Perluſtrat verò dictos locos, non ſolùm circa vallum & portas, ſed etiam circa manipulos & turmas. Quòd ſi reperit qui Primam agũt vigilantes, capit ab iis teſſerulam. ſin aliquem dormientem, aut loci deſertorem, teſtificatus proximos abit. Idem fit & ab iis qui ſequentes vigilias luſtrant. Curam verò buccinandi ad quamque Vigiliam, vt circuitoribus conueniat cum vigilibus, Centuriones primi manipuli Triariorum in quaque legione per dies curant. Quiſque autem circuitorum vnà cum luce ad Tribunum defert Teſſeram. & ſi omnes reddita ſint, ſine culpa abeunt. Quòd ſi quis pauciores fert quàm pro numero Vigiliarum, inquirunt ex charactere quænam Vigilia defecerit. Quo cognito, vocat Centurionem, qui ducit eos quorum Vigilia fuerat: ij diſceptant cum circuitore. Et ſi Vigilum delictum eſt, ſtatim oſtendit circuitor adhibitis teſtibus è proximis. id enim facere tenetur. Si nihil horum; in ipſum cadit culpa. Statímque conſilio aduocato, Tribunus iudicat, & ſi damnatus fuerit, fuſte percutitur.

Poſuit Vigilias, non eſt ſatis: firmandæ ſunt, alioqui in noxam iuræ, adeò non in bonum. Dum infidis aut incautis vigilibus fido; parùm ipſe caueo, & obiicior hoſti. Abſit, abſit à Romanâ prudentiâ: benè & tutò muniemus. Ait ergo:

» *Fides circuitionis.*] Græcè ἐφοδείας, paſſim in re iſtâ: quod eſt, *obitus aut luſtrationes.* Placet vox *Circuitionis* deſtinata in hanc rem olim, vt euincunt exempla. Magis tamen priſci aliter, dixeruntque (auctor Feſtus) *Fraxare, vigiliam circuire.* *Circuitio.*

C » *Equitibus committitur.*] Optimâ ratione: quieſcant paullùm Triboni & Centuriones, feſſi diurnis curis: ſuccedant iſti, dignitate & fide proximi, aut pares. Hoc ante Polybium obtinuiſſe, etiam Liuius docet, qui inter prodigia memorat bello primo Annibalico: *Circumeuntis vigilias equitis ſcipionem, quem manu tenebat, arſiſſe.* Quem ſcipionem? fortuitum, opinor, & per tenebras ad fulcrum: niſi quis ſignum aliquod imperij fuiſſe vult, ritu Centurionum. Alluſit ad hanc equeſtrem circuitionem & Statius: *Equites cir cumeunt.* *Lib xxi. Liuius.*

——monitu ducis acer agebat
Amphion equites, noctem vigilataq́; caſtra
Explorare datus. *Lib. x.*

D Hæc de more. nec tamen neſcias ipſos interim tribunos circumiuiſſe, ſi propius diſcrimen. Liuius: *A cuſtodibus probra in circumeuntes Vigilias Tribunos iacta.* Quin & ipſe Imperator interdum. quod de Tito in obſidione Hieroſolymorum, Ioſephus prodit: & de Mario Salluſtius: *Vigilias ipſe circuire.* Idem & Legatos inſigit, de Metello: *Vigilias crebras ponere, & eas ipſe cum Legatis circuire.* Poſteriore æuo dixeris hac in re aliquid etiam Centurionibus fuiſſe, ex Tacito: *Deflagrante paullatim ſeditione addit conſilium, vetitus obire vigilias Centurionibus, omiſſo tuba ſono, quo miles ad belli munia cietur.* Sed hoc magis ſit intellegi de initiis vigiliarum, quæ centuriones procurant: itemque de Tubâ, quâ ſolent E Primipili ſingulas ordiri. Eſt etiam in eodem Tacito: *Initia vigiliarum per Centurionem nuntiari.* Quod ille inter ſollemnia Romanæ militiæ refert, & ea quæ Teridates mirabatur. Credo autem fuiſſe, vt Centurio (an non illeipſe Primipili?) nunciaret Imperatori Vigilias iam poſitas, & caſtra in quiete eſſe. At ſub Vegetij æuum *Circitores* proprium munus fuit, & vt ipſe loquitur, *militiæ gradus.*

Tribuni et Imperator aliquando circuiunt. *Li. xxviii.* *Et imperator aut Legati.* *An & Centuriones?* *ii. Hiſt.* *xv Annal.* *Circitores. Lib. iii. cap. viii.*

» *Primũ Turmæ Præfectũ.*] Turmæ, non *Alæ*, vt La-

ſcaris vertit, In quaq; Turmâ tres Præfecti ſiue Decuriones: nunc ait, hanc curam fuiſſe primi è tribus: idque per vices fuiſſe in urbem: ergo vndecimo die redibat ad Turmam circumeundi munus. ſi tamen è quaque legione Circuitores capti, quod Polybij verba hîc oſtendunt. Ergo octo fuerunt in vnam noctê & partiti ſunt luſtrationem, quod nunc dicet.

» *Scriptum accipiunt, quotam, & quot debeant obire.*] Si quattuor modò Circuitores fuiſſent, atque ij tota caſtra luſtraſſent: quid opus ſcripto, aut deſignatione? nullâ. Sed quia octo, & bipertitò obibant: ecce cuique parti adſignant Tribuni Vigilias, quas luſtrent. Sed an per legiones? id eſt, vt cuiuſque legionis equites, ſuos luſtrauerint? hoc neſcio. Sed ſiue illud, ſiue aliter, vtile tamen ſcriptum. Si enim quique in ſuâ legione obibant, ſciebant quidem Vigilias in manipulis: ſed quis, cuius partis, ad Prætorium, Quæſtorium, Legatos, portas excubarent, id haud certò ſciebant. Optimè Tribunus, qui ideò ſcribebat. Sin autem Tribunus ipſe caſtra diuidebat, & partes luſtrandas, ne certum eſſet vnde inciperent, aut quos obirent: multo magis ſanè hoc opus. Incertò enim aduenientibus, ſemper alij debebant in omni parte eſſe intenti. Sed dices, cur *quotam* etiam ſcribit? Nam id iam conſtabat, & inter ipſos, vt Polybius dixit, ſortiti erant Maioris firmitatis cauſsâ, & vt quiſque cum nutâ ſuæ Vigiliæ omnes eas haberet. In re, vnde ſalus caſtrorum pendebat, nolebant quæſtioni aut excuſationi locum vllum eſſe. Poſſes etiam in Græcis interpretari & legere *πόσην καὶ πόσας: quantam & quàm multas.* Quod eſſet, vt non ſolum numerum Vigiliarum, ſed modum & magnitudinem ſcirent. Nam hæc variabant: & alibi vna erat, alibi duplices, triplices, alibi manipulus totus. Hæc autem ſcienda, vt non de certitudine tantùm, ſed de numero quoque referrent.

Inquiſitio ratio inſtranda.

» *Accubant ad Primumpilum.*] Bonâ cauſsâ, vt proximi ſint ad audiendum Signum, atque eiipſi attendendum vt in tempore detur. Sed & honeſtum decorumque id Aquilis; ante ipſas, velut equeſtres excubias illas eſſe. Vno enim abeunte, reliqui tres accubabant.

Circuitores ad Aquilâ accubant.

» *Cuius euenrio curam habet.*] Cur ille? quia magna hæc res: & ideò commiſſa capiti Centurionum.

» *Ad quamque Vigiliam.*] Quæ quattuor erant, & ſingulæ diuiſæ in horas ternas. Lucanus clarè:

Vigiliæ quaternæ. Lib. v.

——iam caſtra ſilebant,
Tertia iam vigiles commouerat hora ſecundos;

Quies, inquit, in caſtris erat, & tertiâ horâ parabant ſe Vigiles ſecundi. In Auſonio hic Griphus:

In Auſonio ſâlebra In Gripho Ternario.

——noctisq; per vmbram
Tergeminis vigiles.

Mihi quidem griphus, & ipſe carmen ſic inſcribit. Vir doctiſſimus explicat: *Cùm ſint quattuor Vigiliæ, in ſingulis ternos vigiles fuiſſe, quemque pro ſuâ horâ excubaſſe.* Id verò numquam factum, vigiliis quas Polybius & nos hactenus explicamus. Sed nec Vegetij temporibus aliter, qui Vigilias diſertè *quattuor virorum* facit; & ſingulos *tribus horis* excubâſſe. Confuſio fuiſſet illa* toties mutandi: & quo ſigno? quis de horâ indicaſſet? Nam buccina dumtaxat tertia quaque horâ ſonabat. Aliud eſt in Auſonij verſu, & niſi quis explicat, muto: *noctiſque per vmbram Tergeminam.* Vmbra inquam *tergemina*, non ipſi vigiles: id eſt, horæ ternæ in vigiliis: quod clarum. Poëtica quidem illa phraſis, eóque audacior, cur offendat? Niſi quis cenſet tres propriè Noctis vigilias hîc dici, & quartam relinqui adſcribíque dici. Siue quis etiam ad priſcos Græcos referet, qui ſecuiſſe Noctem videntur non niſi in tres partes. In Homero & Theocrito ſunt loca. Sed Romanis, & Auſonij æuo, tot, quot dixi, Vigiliæ: & Primipilus Clepſydris eas diſcernebat. Habebat vaſcula aquaria, ſiue *menſuras ex aquâ*, vt Cæſar appellat, quibus quattuor illa tempora æqualiter diſtinguebant.

Lib. III. Vigiles per ternas horas.

** præſertim breuioribus horis æſtiuis.*

Clepſydra ad Vigilias.

Vegetius: *In quattuor partes ad clepſydram ſunt diuiſæ vigiliæ.* Cæſar de Britanniâ: *Certis ex aqua menſuris breuiores eſſe noctes, quàm in continente videbamus.* Agnitum id & obſeruatum è vigiliariis hiſce clepſydris ſignificat, quæ caſtra comitabantur.

Lib. v.

» *Signum buccina dandi.*] *Tubâ* dixit Laſcaris: ſed eſt in Græco clarè *βυκάνῃ*: nec aliter factum. Buccina hui erei ſeruiit. Liuius: *Vbi ſecundæ Vigiliæ buccinâ ſignum datum eſſet.* Idem: *Vt ad tertiam buccinam præſto eſſent.* Propertius:

Buccina ad Vigilias. Lib. vii. Lib. xxvi.

Et iam quarta canit venturam buccina lucem.

Lib. iiii.

Silius: *——mediam ſomni cùm buccina noctem*
Diuideret, iamq; excubias ſortitus iniquas
Tertius abrupta vigil iret ad arma quiete.

Lib. vii.

Vbi attende item de ſorte ad vigilias, & mediam noctem, id eſt tertiam iniquiſſimam habitam, quia turbaret totam quietem. Nam reliquis, bonam partem primæ aut ſequentis noctis licebat dormire. Hauris etiam, dormiſſe Vigiles cùm eorum ſors & vices non eſſent. Sed de buccina, item Frontinus. *Sulla bello ſociali nocte profectus, relicto buccinatore, qui vigilias ad fidem remanentium diuideret, & quartâ vigilia commiſſâ eum ſequeretur, incolumes ſuos perduxit.* Idem altus in Cæſare, quem Varus inſtituit contra Curionem, II. Ciuil. *Buccinatore in caſtris, & paucis ad ſpeciem tabernaculis relictis, de tertia vigiliâ exercitum ſilentio in oppidum reduxit.* Ad hunc morem Cicero aſpexit: *Te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat.* Salluſtius communi verbo, & multitudinis numero, eſt vſus: *Marius quàm maximum ſilentium haberi iuſſit, ne ſigna quidem vti ſolent per vigilias, canere.* An quia ter vera plura, an quia pluries. Iſtud Auſonius ſignificat:

Lib. 4 cap. 7.

Orat. pro Mur.

In Iug.

——ter clara inſtantis Eoi
Signa canit ſerus, depenſo Marte, ſatelles.

At illud è Vegetio firmes: *A tubicine*, inquit, *omnes vigiliæ committuntur, & finitis horis a cornicine reuocantur.* Itaque tubam adhibet ad initia, Cornu ſiue buccinam ad finem. Tacitus quoque in verbis ſuprà datis tangit, *Omiſſo tubæ ſono, quo miles ad belli munia cietur.* Tubâ, diſertè. Sed & Ioſephus: *Τὰς φυλακὰς καὶ τὰς ἐξεγέρσεις*, σάλπιγγες προσημαίνουσι: Vigilias & excitationes, Tubæ præſignificant.* Et certum eſt iam olim ſigna omnia cecinîſſe initio Vigiliarum, aut potiùs paullò ante ipſas, cùm ſcilicet Prætorium dimitteretur. Polybius, de Scipionis ſtratagemate, quo caſtra Syphacis incendit: Ἔστι γὰρ ἔθος Ῥωμαίοις κατὰ τὸν τοῦ δείπνου καιρὸν τοὺς βυκανητὰς καὶ σαλπιγκτὰς πάντας σημαίνειν παρὰ τὴν τοῦ στρατηγοῦ σκηνὴν, χάριν τοῦ τὰς νυκτερινὰς φυλακὰς κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἵστασθαι: *Eſt enim mos Romanis, ſub tempus cœnæ buccinatores & tubicines omnes canere ad Prætoris tabernaculum, vt tunc vigiliæ nocturnæ conſtituantur.* Liuius ipſum illud narrans: *Vbi Prætorio dimiſſo ſigna concinuiſſent.* An ideò Propertius?

Lib. III. cap. viii.

Ante Tubâ admonebat

II. Hiſt.

** Sed Græca ea vox corrupta eſt. Signa omnia ſortiantur*

Lib. xv.

Nil tibi ſit rauco Prætoria claſſica cornu
Flare, nec Aonium cingere Marte nemus:

Lib. III.

Nam *Prætoria* claſſica ſignatè appellat. Atque hoc eſt illud ſignum imperij, quod Cæſar tangit: *Pompeius receptis omnibus in vna caſtra legionibus, ſuum cũ Scipione honorẽ partitur, claſſicumq; apud eũ cani, & alterum illi iubet Prætorium tendi.* Haud dubiè hoc ipſum eſt: ſed ambigo an Liuius item eò aſpexerit, ſiue Aſdrubal apud Liuium: qui ſuſpicione iniectâ de aduentu alterius Conſulis in caſtra Liuij, *attendi iubet, ſemel biſve ſignum canat in caſtris.* Et ſtatim addit: *Il-*

III. Ciuil.

De Liuij ſcriptura. L. xxvii.

lud

lud veterem ducem, & aſſuetum Romano hoſti mouit, quòd ſemel in Prætorus caſtris ſignum, bis in Conſularibus referebant cecinıſſe. Duos profectò Conſules eſſe. Putarem de ipſo illo claſſico intelligendum: ſed Liuius ſingulariè *ſignum* dicit: & Silius in eâ re *Buccinam* nominat:

Lib.xv.

———bis clarum buccina ſignum
Præterea gemino prodebat iuncta magiſtro
Caſtra regi.

Vt fortaſſe ad Vigilias ipſas hæc ſint referenda: & in vnis caſtris Buccinam vnam ſonuiſſe: niſi cùm duo Prætoria,& duo duces. In Tacito autem quod legitur,inter ſollennia militiæ: *Initia vigiliarum à Centurione nunciari,conuiuium buccinâ dimitti*: referebam olim ad hoc Claſſicum: nunc teliſto. quia illud ante cænam cecinit,hæc finiit ipſam. Itaque magis eſt, vel vt ſtatim à claſſico cænauerit Prætor, nunciaritque Centurio Vigilias incipere: denique ad primam Vigiliæ Buccinam dimiſſum conuiuium, vt quiſque ad ſe iret,& ne caſtra inquieta. Vel etiam peculiari hac Buccinâ ſignum finiti conuiuij datum opinemur.

Lib. xv. Annal.

» *Teſtes aliquot ex amicis.*] Primùm fidei cauſâ, vt ſi culpam alicui ingerat,nun ille regerat aut abnuat: deinde decori etiam cauſâ & periculi,quia nec honeſtum,nec tutum fortaſſe, ſolos ita circuire. Ergo aliquem aut aliquos ex amicis aſſumebant: ſæpe eiuſdem illius ordinis,& quibus operam hanc in ſimili reddebant.

» *Atteſtatus proximos abit.*] Tam illos, quos apud ſe amicos habet,quàm Vigiles proximos.

» *In quaque legione per dies curant.*] Hoc ille de Primopilo iterùm qui ſignum dat Vigilus. Atque ait,*ex vtraque legione Centuriones per dies feciſſe.* Ita vertere malo illud Græcum καθ' ἡμέραν, quàm cum Laſcari *cottidie.* Non enim opinor, bis ſignum datum,& ab vtroque Centurione, ſed per vices id factitatum: & cùm quattuor eſſent (duo in quoque Manipulo) munus haud graue fuiſſe in quintum quemque diem. Si vt Laſcaris, profectò graue, & ſingulis,aut alternis noctibus peruigilandum ad curam,in quâ nihil remiſsè aut otioſè agendum.

» *Vocat Centurionem.*] Eius manipuli, in quo culpa. Cetera clara,vtique ſi vnà cum meis iungas: quod ſemel te hortor. Finem Vigiliarum habes: nihil omiſſum? quædam. Primùm de *Armis* nihil dixit: ſed ſciri etiam eo ſilente poteſt,armatos vigilaſſe. Tacitus de inſtauratâ diſciplinâ à Corbulone: *Stationes, Vigiliæ, diurna nocturnaque munia in armis agitabantur.* Quod tunc omiſſum,ſcilicet per longam pacem. Æmilius Paullus tamen olim ſine ſcuto ire eos cenſuit: *& nouo more*, ait Liuius, *ſcutum in vigiliam ferre vetuit.* Cauſſam dedit: *Stare enim galeatos,deinde vbi feſſi ſint innixos pilo,capite ſuper marginem ſcuti poſito,ſopitos ſtare.* Seneca hoc ipſum euenıſſe teſtatur: *Vt ſi neceſſe fuerit,ſtans etiam aliquando ſaucius pro vallo peruigilet, & ne pilo quidem incumbat, quia ſolet obrepere interim ſomnus in aliquod adminiculum reclinatis.* Etſi hoc de ſcuto non manſiſſe arbitramur: & in monumentis lapideis Vigiles cum ſcuto ante ſe depoſito ſtare cerno. Sed de pilo aut lanceâ,cum eo ſteuiſſe etiam Tertullianus approbat, qui ſic de milite Chriſtiano, libro de Coronâ: *Et excubabit pro templis, quibus renunciauit, incumbens & requieſcens ſuper lunceâ, quo perfoſſum eſt latus Chriſti?* In eodem etiam Senecâ lectum moneo,qui illo die in expeditione fuiſſent, ne vicibus quidem ſuis vigilaſſe. *Miles,*inquit, *vigilias diuidit: at nox immunis eſt ab expeditione redeuntium.* Cauſſa ab humanitate, & quia tales egent quiete. Secundùm. Nihil de *Vigilum vocibus* in Polybio: at Tacitus iniecit. *Inualidi ignes, interrupta voces*: de nocte quam Romani egerunt in angore, obſidentibus Germanis. Iterùm clarius: *Vigiles flagitium ſuum ducis dedecore excuſabant, tamquam iuſſi ſilere, ne quietem eius turbarent. Ita intermiſſo ſigno & vocibus, ſe quoque in ſomnum lapſos.* Duo adhibita oſtendit ad excitandum, *Signum* ſiue buccinam,& *Voces.* Et de his Dionyſius iam olim. cùm Sabini caſtra Romana tentarent noctu, & illi de compoſito negligentiam & ſomnum præferrent: οἱ πρῶτοι προελθόντες, inquit, οὔτε φλόγα λαμπτήρων ἑώρων, οὔτε φωνὰς φυλάκων κατήκουον: *Qui primi*(Sabinorum)*progreſſi ſunt,neque ſplendores facium videbant,neque voces vigilum audiebant.* Nota ibi & Faces,de quibus ſtatim. Lego & in Polyæno, Clearchum cùm timeret incurſuros noctu hoſtes, iuſſiſſe ſuis ἐν τοῖς ὅπλοις διατελεῖν, καὶ τὰς ἐγέρσεις ποιεῖσθαι πυκνάς: *in armis permanere, & excitationes crebras facere.* Ad voces has referendum videtur,quibus Vigiles cum clamore proximos & inceſſuros excitabant: etſi ad ipſas Vigilias crebras poſſis. Ambroſius & eò reſpicit de gruibus: *Poſt vbi vigiliarum munus fuerit completum, perfuncta munere in ſomnum ſe, præuio clangore componit, vt excitet dormientem, cui vices muneris traditura eſt.* Et quæ autem voces? opinor, ex ipſâ re: *Vigila, vigila.* Tale aliquid in Seruio, qui ſacerdotes ad templum Martis iuiſſe, inſtante bello, & *motis ancilibus dixiſſe, Mars vigila*, ſcriptum reliquit: quaſi illum, more militiæ, ad excubandum prouocantes. An & Homerus huc adſpexit? apud quem Agamemnon, ſtatis per caſtra iturо, vigilus iam politis,mandat:

Vigiles cum armis.

xi Annal.

Scuta olim adempta.

Lib. xliv.

Epiſtol. lxxvi.

Poſteà redditum.

Cap. xi.

De Tranq. cap vlt.

Voces Vigilum.

i Annal. v. Hiſt.

Lib. v.

Lib. ii. Strateg.

Lib. v. Hexaëmer. cap xv. Quæ ea fuerint.

Φθέγγεο ᾗ κεν ἴῃσθα, καὶ ἐγρήγορθαι ἄνωχθι:

Qua venies clamato,atque admoneas VIGILARE.

Il. x ver 67.

Sed hoc videtur à Circuitore illo magis, quàm Vigile vſurpatum. Facit magis, quòd hodie apud Turcas ille mos, & in arcibus òpidiſque excubias ita agunt, vt aliâ voce inuicem appellent ſe & reſpondent. Petrus Bellonius diligens vtiliſque obſeruator monuit: itemque amicus noſter Carolus Cluſius, Pannones idem factitare, qui clarè & mutuò ſibi accinunt *Szolay Szolay virraszto, Szolaj,* id eſt, *Vigila vigila vigil, vigila.* Et cùm ſub auroram ſe recipiunt, cauunt: *Haynal vagyon ſzeppyros, haynal haynal-vagyon,* hoc eſt, *Erumpit iam elegans rubens* (ſcilicet aurora aut dies) *erumpit iam.* Sed & Perſæ cantitare ſolıti in Vigilus laudes ſui regis *. Ammianus: *Noſtri obtruncarunt vigiles omnes, ex vſu moris gentici iuſtitiam felicitatemq; regis ſui canoris vocibus extollentes.* Quæ omnia bona & vtilia contra ſomnum nemo neget. Atque iſtæ olim voces: Græcis etiam Tintinnabula ſiue Campanulæ, ad excitandum. In Thucydide: τοῦ γὰρ κώδωνος παρενεχθέντος οὕτως ἐς τὸ διάκενον, πρὶν ἐπανελθεῖν τὸν παραδιδόντα αὐτόν, ἡ πρόσθεσις ἐγένετο: *Tintinnabulo enim prolato, priuſquam rediret is qui tradiderat, ita in vacuum locum ſcalarum admotio facta.* De Braſidâ loquitur, qui Potidæam conatus capere noctu, dum is qui circuit, tintinnabulum porrigit, atque ita locum paulliſper deſerit. Ibi Scholiaſtes: ἕως γὰρ ὁ περιὼν μετὰ τοῦ κώδωνος ἄλλῳ παρεδίδου τὸν κώδωνα, χρόνου ἐγγινομένου, ἔλαθε προσθεὶς τὴν κλίμακα: *Intereà dum is, qui circuibat cum tintinnabulo, alteri illud traderet, tempore aliquo medio, fefellit ſcalas admouens.* Hoc ipſum tempus (apud Plutarchum) Aratus inſidiis legit cùm Sicyonem caperet: Ἀναβαινόντων δὲ τῶν πρώτων, ὁ τὴν ἑωθινὴν φυλακὴν παραδιδοὺς ἐφώδευε κώδωνι, καὶ φῶτα πολλὰ καὶ θόρυβος ἦν τῶν ἐπιπορευομένων: *Aſcendentibus primis, is qui matutinam vigiliam tradebat, tranſibat cũ tintinnabulo, erantq; lumina multa & ſtrepitus ingredientiũ.* Synesius: τὸ μέχρι μοῦ μέρος εἰς ὕπνον ἀφαιρεῖ πολλάκις ὁ κώδων ὁ φυλακτήριος: *Somni partem, quæ mihi forte obuenit, ſæpe turbat tintinnabu-*

Tuгcæ his verbis vtantur.

Et Pannones.

Et Perſæ.

* Idè hoc in Zoſimo

L. iiii.

Tintinnabula Græcis.

Lib iv.

lum vigilum. Dio Caſſius Romanis Vigilibus in vrbe videtur ea dare, cùm ſcribit Auguſtum ſomnio monitum, *Iouem Tonantem quaſi* προφύλακα, *procubitorem Iouis Capitolini feciſſe, eoq́; tintinnabulum ei appendiſſe.* οἱ γδ, addit, τὰς κώμας νύκτωρ φυλάσσοντες, κώδωνι χρῶνται, ὅπως σημαίνειν σφίσιν, ὁπόταν βούλωνται, δύνωνται: *qui enim vicos noctu cuſtodiunt, campanulâ vtuntur, vt ſignificare inter ſe, cùm voluerint, poſſint.* Etſi haud prorſus eadem ibi cauſſa. Sed Suidas de illo ritu: Οἱ περίπολοι οἱ τὰς φυλακὰς περιπολοῦντες καὶ περισκοποῦντες ἐρχόμενοι ἐπὶ τοὺς φύλακας, κώδωνας εἶχον, καὶ τούτους ἐψόφουν πειράζοντες τὸν καθεύδοντα, καὶ ἵνα οἱ φυλάσσοντες ἀντιφθέγγωνται: *Circuitores, qui vigilias circuibant & explorabant, euntes ad Vigiles, tintinnabula habebant, atque ea concutiebant explorantes ſiquis dormiret, & vt vigilantes voce reſponderent.* Quod nec hodie prorſus exoleuit, & in arcibus pleriſque ad campanulam Vigiliæ excitantur. Satis de iſtis: addo aliquid & de *Ignibus*, quos reperio crebrò. In Propertio:

Ignes caſtrorum, & Tatiæ prætoria turmæ.

In Statio: ———*noctiſq́; per vmbras*
Nunciat excubiis vigiles arſiſſe plateas.

In Tacito. *Apud Romanos inualidi ignes.* In Liuio: *Pluribus ignibus, quàm pro numero manentium, in ſpeciem factis.* Ac poſſis ad ignes referre, quibus cœnæ & corporum curandorum cauſsâ vtebantur. quò Diodorus ducit, de Eumene: *Iuſſiſſe ſuos luculentam flammam facere, per interualla circiter viginti cubitorum, tanquam ad cœnam curamq́; corporis ſecundâ vigiliâ minorem, tertiâ minimam; vt procul ſpectantibus vera caſtra viderentur.* Quos ſcilicet ignes ita ſtructos, in noctem & Vigilias producebant, donec paullatim exſtinguerentur. Etſi tamen de Facibus propriè ad Vigilias, aliquid ex Dionyſio ſuſpicêre, qui ſuprà φέγγη λαμπάδων ſignanter dixit, id eſt *Facium lumina.* Item Statio, qui & ipſe verbo Facium vſus:

Incertæq́; faces, & iam malè peruigil ignis.

de languidis excubiis & remiſſis, vti Tacitus *inualidos ignes.* Atque idem Statius, vbi crebras excubias & denſas notat,

Contractæq́; vices, & crebrior excubat ignis.

Quin & in Columnâ Traiani, vbi Vigiles ponuntur, video ſuper eos in turris feneſtrâ exſertam facem: quid? ad illucendum, & vt accedentes noſcerent? opinor. Neque abnuam, ipſos Vigiles etiam Faces manu tenuiſſe, aut apud ſe fixiſſe.

Lib. xiv.
In κωδωνοφορῶν.
Ignes Vigilum. Lib. iv.
Lib. iv.
v. Annal. Lib. xxi.
Ij ſub cœna ſtructi. Lib. xix.
Tamen & Faces alia.
Lib. viii.
Lib. xii.

8



Sed de Turri, alio etiam fine ignes in turribus aut ſpeculis fuiſſe, probè ſcio: nempe ad indicandum aliquid aut ſignificandum. Cæſar: *Ignibus ſignificatione factâ, ex proximis caſtellis eò concurſum eſt.* Tale hoc genus Græci dicunt φρυκτόν. Suidas inter alios: *Phrycti, faces quædam è ligno factæ; quas ſuper muros ferentes ſignificant vicinis aut ſociis cùm vident hoſtes aduentantes. Atque etiam cùm ſocios vel auxilium vident: ſed cùm iſtos, geſtant faces quietas, cùm hoſtes, quatiunt & mouent.* Talia Scholiaſtes Thucydidis: & res ab ipſo Thucydide aliquoties memorata, & crebrò alibi in Græcorum actis. Conuenit quod Polybius διὰ τῶν πυρσῶν σημαίνειν, *per faces ſignificare* dicit: & varium vſum eius rei explicat, & poſſe pro litteris etiam eſſe. Cur hodie ignorant aut negligunt? & alia vſurpant magis moleſta, & minùs certa. Sed ille ſcriptor diffusè exſequitur Decimi libri fine, quem vide. Inuentum hoc Sinoni attribuit Plinius: *Specularem ſignificationem Troiano bello Sinon inuenit.* An vetius de Palamede? cui plerique Græci. vt Sophocles:

———ὃς στρατῷ φρυκτωρίαν,
Ἔτευξε φυλάξεις, τὰ θεῶν σημαντήρια
Ἔδειξε.

Vt Alcidamas Oratione in Palamedem: Πυρσοὺς αὖ ἐπενόησεν, ἀλλ' ἐφ' ἡμετέρῳ κακῷ: *Faces inuenit, ſed in noſtrum malum.* Ipſe Palamedes apud Gorgiam ait, ἐξευρηκέναι πυρσούς, κρατίστους & ταχίστους ἀγγέλους: *inueniſſe faces, optimos & celerrimos nuncios.* Et quod tamen Plinius de Sinone, cauſſam habet, quòd illum volunt ſuſtuliſſe facem quâ Græcos aduocabat. Q. Calaber:

Δὴ τότ' ἄρ' αἰθαλόεντα Σίνων ἀνὰ πυρσὸν ἄειρε
Δεικνὺς Ἀργείοισι πυρὸς σέλας:
Tunc Sino flagrantem faculam ſublime leuauit,
Oſtendens Græcis ignis decus.

Romani etiam vſurparunt. vt Scipio apud Numantiam, quem Appianus ſcribit *diuiſiſſe caſtra & per partes aſſignaſſe Tribunis, cũ præcepto, vt ſi impeterentur ab hoſte, de die panno rubro in haſtâ ſublato ſignificarent, de nocte, igne.* Vt Cæſar: *Celeriter, vt antè imperauerat, ignibus ſignificatione factâ, ex proximis caſtellis eò concurſum eſt.* Vegetius inter vſitata refert: *Si diuiſa ſint copiæ, per noctem flammis, per diem fumo ſignificare ſociis.*

Φρυκτοὶ Græcorum.
Eorũ vſus pro litteris.
Quis inuenerit? Lib. vii.
Romani. inuenta eſt. In Iberic. ii. Gallic.

DIALOGVS X.

De imperiis caſtrorum, & adminiſtratione in his talibus. Tribuni per vices faciunt. Et Salutationes ducum.

TANDEM, tandem, de Vigiliis abſoluimus, & ad *Exercitia* imus. AVD. Nec nunc quidem plenè. LIPS. Quid autem abeſt? AVD. De Tribuno ſiue Tribunis, quos crebrò Polybius & tu nominaſtis, & ferè duos, aut vnum. Quis igitur iſte? certus, an quem caſus dabat? LIPS. Ille verò certus, & nihil hîc à caſu. Commodè autem petis: & dabo. quia facit non ad dicta ſolùm, ſed dicenda. Ordo in hac adminiſtratione certus fuit, nec omnes Tribuni ſimul imperitarunt, ne qua confuſio aut diſſenſio etiam, eſſet. Scis illud vetus, * Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Quâ ſerie & diſcretione, iſta Polybij verba dicent: recita.

** Multorū imperium non utile.*

Polyb.

Τὴν δὲ καθόλου δοκιμασίαν τῆς παρεμβολῆς δύο τῶν χιλιάρχων· ὁμοίως δὲ καὶ τὴν λοιπὴν τὴν κατὰ τὸ στρατόπεδον ἐπιμέλειαν οὗτοι ποιοῦνται. κατὰ δύο γὰρ σφᾶς αὐτοὺς διελόντες ἀνὰ μέρος τῆς ἑξαμήνου τὴν δίμηνον ἄρχουσι, καὶ πάσης οἱ λαχόντες τῆς ἐν τοῖς ὑπαίθροις προΐστανται χρείας. ὁ δ' αὐτὸς τρόπος τῆς ἀρχῆς μὲν καὶ τῶν πραιφέκτων περὶ τοὺς συμμάχους. οἱ δ' ἱππεῖς καὶ ταξίαρχοι, πάντες ἅμα τῷ φωτὶ παραγίνονται πρὸς τὰς τῶν χιλιάρχων σκηνάς. οἱ δὲ χιλίαρχοι πρὸς τὸν ὕπατον, κἀκεῖνος μὲν τὸ κατεπεῖγον ἀεὶ παραγγέλλει τοῖς χιλιάρχοις, οἱ δὲ χιλίαρχοι τοῖς ἱππεῦσι καὶ ταξιάρχοις. οὗτοι δὲ τοῖς πολλοῖς, ὅταν ἑκάστων ὁ καιρὸς ᾖ.

Vniuerſam lateris probationem duo Tribuni faciunt. Similiter aliam etiam caſtrenſem curam hi ſunt qui gerunt. Nam in binos & binos ſe diuidentes, ſemeſtris ſpatij duos menſes imperant, & quos ea ſors tangit, vniuerſa adminiſtrationi caſtrenſi tunc præſunt. Idem imperitandi modus præfectorum in ſocios. Equites verò & Centuriones cum primâ luce veniunt ad tentoria Tribunorum, Tribuni ad Conſulis: atque ille quidquid agendum Tribunis edicit: Tribuni equitibus Centurionibuſq́; iſti vulgo militum, cùm tempus cuique rei venit.

" *Vniuerſam lateris probationem.*] Hoc ad caſtrorum munitionem ſpectat, de quâ dictum.

" *Duo Tribuni.*] E quaque legione vnus, vt iam audies.

Munera Tribunorū.

" *Aliam etiam caſtrenſem curam.*] Nempe vigilias diſponere, circuire; teſſeras & ſignum dare, denique, quidquid ad vſum, imperare. Sed imprimis etiam ius dicebant, & cauſſas ſiue lites militares cognoſcebant. Liuius: *Tribunos & iura reddere in principiis ſinebant, & ſignum ab eis petebant.* Imò puniebant etiam, & de capite cognoſcebant. in Polybio infrà.

Li. xxviii.

" *In binos & binos ſe diuidentes.*] Totum hoc ita exaudio, vt velit vnius legionis ſex Tribunos in tres ſe partes diuiſiſſe, & binos imperaſſe per binos menſes. Ita, cùm duæ legiones in caſtris, quattuor erant qui imperabant: ſed nec ij continuò, diebuſque, niſi fallor, alternis. Id à Conſulibus quoque factum, cùm vterque in vnis caſtris, vt imperia in dies demutarent. Cauſſa ſic cenſendi non vno loco Polybius (in totâ hac re caſtrenſi;) qui ferè ad vnum Tribunum omnia refert. Ad vnum dico, cùm de vnâ legione; ad duos, cùm de duabus. Niſi obſeruas, hærebis ſæpè in eius verbis. Iſta diuiſio commoda fuit & prudens: commoda ad alternam requiem; prudens ad concordiam. Quiſque enim ſuis diebus & menſibus, in ſuâ legione, imperium inhibebat. Ad hanc diuiſionem ſpectauit Liuius: *Secundæ legionis Fuluius Tribunus militum erat, is ſuis menſibus dimiſit legionem.* Diſertè ait *menſes*, multitudinis numero: & Polybius hîc *duos menſes*. Alioqui potuiſſet diuiſio inſtitui, vt è quaque legione vnus in menſem. Sed non eſt ita. & quæ ratio in Centurionibus duobus valuit, ea hîc: vt altero ægro aut impedito, alter nihilominus munia obiret. Libet etiam quærere, cur in *ſemeſtre* tantùm? cur non diſcreti ſic in totum annum? Ratio fuit, quòd annus actionibus & negotiis inæqualis. Æſtas tota in expeditione & opere; hiems pigra & otioſa. Ne quis ergo queri poſſet, aut honoratum ſe parùm, aut nimis oneratum; omnes ad res aut otium admittebant, prout tempora erant. Cogitandum etiam, an non hæc ſemeſtris diuiſio occaſionem dederit *Tribunis Semeſtribus*, de quîs * dixi.

Diuiſio Tribunorū. *A Conſulū exemplo.* *Vnus in diē imperabat.* *Li. xxxiv.* *Alia diuiſio reiecta.* *Cur ſemeſtris tantùm.* ** Lib. ii. Dial. ix.*

" *Idem imperitandi modus Præfectorum in ſocios.*] Qui Præfecti Tribunis vbique adæquantur.

" *Equites verò & Centuriones.*] Omnéſne equites? indefinitè dicit: ſed Decuriones intellegi tantùm, ratio & exemplum dictare videntur: vt fuerint modò ij, qui in imperio. Certè alius ille numerus prægrandis.

Equitum nomine Decuriones.

" *Cum primâ luce veniunt ad tentoria Tribunorum.*] Ita me Deus, hoc pulchrum. Ecce ſexaginta Centuriones, triginta decuriones (in vnâ legione ſupputo.) veniunt agmine, & compoſitè, ad Tribunos: (omnéſne Tribunos? an eos modò, quorum illis menſibus imperium? hoc verius.) veniunt, inquam, ad Tribunos, per ſpeciem officij, vt ſalutent & vt deducant. Quid tum? ipſi Tribuni cum hoc comitatu ad Imperatorem ſummum. Nónne decorè omnia & vtiliter, ad dignitatem imperantium augendam? ad imprimendam ſubditis venerationem? Ioſephus de totâ iſtâ re: Ὑπὸ δὲ τὴν ἕω, τὸ στρατιωτικὸν μὲν ἐπὶ τοὺς ἑκατοντάρχας ἕκαστοι, πρὸς δὲ τοὺς χιλιάρχους οὗτοι συνίασιν ἀσπασόμενοι, μεθ' ὧν πρὸς τὸν ἡγεμόνα τῶν ὅλων οἱ ταξίαρχοι πάντες: *Manè & ſub auroram, milites quidem ſinguli ad Centuriones, ad Tribunos porrò iſti conueniunt ſalutaturi: cum quibus ad Ducem primarium omnes deinde ordinum ductores.* Eadem dicit quæ Polybius: ſed hoc amplius de militibus, quòd ij quoque venerint è ſuâ quiſque centuriâ ſalutatum Centuriones. Iam addit noſter.

Centuriones & Decuriones ad Tribunos. *Tribuni ad Imperatorē.* *Lib. iii. excid.*

" *Ille quidquid agendum, Tribunis edicit.*] Non otioſa hæc aut honoraria tantùm ſalutatio, ſed viſio, *Numquid vellent?* Itaque Imperator tunc iis *Signum dabat*, atque alia pro tempore edicebat agenda. De Signo, clarè ita Ioſephus: Ὁ δὲ αὐτοῖς τό τε ἐξ ἔθους σημεῖον, καὶ τὰ ἄλλα παραγγέλματα δίδωσι ἐκφέρειν εἰς τοὺς ὑποτεταγμένους: *Ipſe verò* (Imp.) *tunc illis ex more Signum dat & alia mandata perferenda ad ſubiectos.* Cur tamen tam manè ſignum? nam illud * nocturnum opinor intellegi, & vigiliarum. Ideò, quia & Tribuni plerumque diem occupari; & ipſe Imperator huc illinc diſtrahi poterat, & abire. Prouidè igitur & matutè: atque ipſi tamen apud ſe habebant, donec promendi tempus, & veſpere peterent Centuriones. Sed vide mihi etiam pulcherrimum imperandi modum. Imperator Tribunis edicit; iſti Centurionibus; Centuriones ſuis. Qui ipſe apud Spartanos, vt ſcribit Thucydides: Βασιλέως ἄγοντος ὑπ' ἐκείνου πάντα ἄρχεται. καὶ τοῖς μὲν πολεμάρχοις αὐτὸς φράζει τὸ

Signū manè datum Tribunis. Lib. iii. ** Niſi & in diurnis excubiis velimus fuiſſe.* *Ordo in imperio.* *Lib. v.*

δεκν, οἱ δὲ τοῖς λοχαγοῖς, ἐκεῖνοι δὲ τοῖς πεντηκοντατῆρσι, αὖθις δὲ οὗτοι τοῖς ἐνωμοτάρχαις, ἐ οὗτοι τῇ ἐνωμοτίᾳ: *Rex cùm ducit, ab eo omne imperium. Et ipſe quidem Polemarchis* (velut Tribuni ſunt) *quod opus eſt edicit; iſti Centurionibus; hi Quinquagenariis; hi Decanis; hi Decuriæ.* Prorſus idem ordo, niſi quòd pluſculum etiam ſectus. At in illo Romano leuiter innouaſſe Paulus Æmilius videtur, de quo ita Liuius: *Vt ordine ac ſine tumultu omnia in agmine, ad nutum imperiúmque Ducis fierent, prouidit. Vbi omnibus ſimul pronunciaretur quid fieret, neque omnes exaudirent, incerto imperio accepto, alios ab ſe adiicientes plus eo quod imperatum ſit, alios minus facere. clamores deinde diſſonos oriri omnibus locis, & priùs hoſtes quàm ipſos quid pararetur ſcire. Placere igitur Tribunum militum Primopilo legionis ſecretum edere imperium, illum & dein ſingulos proximo cuique in ordine Centurioni dicere quid opus facto ſit ſiue à primis ſignis ad nouiſſimum agmen, ſiue ab extremis ad primos perferendum ſit.* Seneca huc ſpectauit, Epiſt. LX. *Quod in exercitibus his, quos magni Imperatores ordinant, fieri videmus, vt imperium ducis ſimul omnes copiæ ſentiant, ſic diſpoſitæ vt ſignum ab vno datum peditem ſimul equitemq́; percurrat: hoc aliquanto magis neceſſarium eſſe nobis.* Othonis etiam illud apud Tacitum huc refero: *Ita ſe Ducum auctoritas, & ſic rigor diſciplinæ habet, vt multa Centuriones Tribunóſque tantùm iubere expediat.* Sic enim rectè ſcripſimus, cùm anteà vulgatum eſſet; *multa per Centuriones.* Quis neſcit autem per Centuriones omnia iuberi? ſed hoc Otho ait, quædam ſecreta imperia eſſe, & ipſis tantùm Tribunis Centurionibúſque edita: qui cùm opus, promant.

Lib. XLIV.

1 Hiſt. Tacitus explicatus.

DIALOG. XI.

Ad Exercitia tranſitum. Ea diuiſa, & primò dictum de Oneris exercitiis. Tuliſſe cibos, vallos, ſarcinas, præter arma.

SE o heus, vel nunc denique Labyrinthum hunc euaſimus, & ventum ad *Exercitia*, alteram Diſciplinæ partem. Pergimus, an profeſtamus? longiuſcula enim eſt, & licebit Augurum verbo, *Alio die.* Hoc magis, quòd dum caſtra & Vigilias ambiuimus, vrbem ambiuimus, & ad locum venimus vnde digreſſi. Ergóne domum? quid rides? AVD. Nam tu mihi facere, quod fœminæ in amantes, videris. LIPS. Quâ cauſsâ? AVD. Subducere te paullùm, vt magis incites. Quid autem opus? famem meam vides, quæ ipsâ auditione creſcit. Res enim magis magiſque allicit. & vt in puteis quò plus ſumitur, melior dulciórque aqua euadit: ſic in hac militari re, ad meum quidem guſtum. Perge, & ſuggere. LIPS. Sed enim ipſe puteus noſter deficit, Polybius inquam: nec ille de Exercitiis verbum. AVD. Tu Polybius eſto, & è pectore iſto prome. Ibi quoque Muſarum fontes ſaliunt. LIPS. Theatrum hoc, vt video, iterùm reſerandum eſt, & fabella tota peragenda. Ergo porrò ambulemus paullùm, vel extra hanc vrbem. De exercitiis autem vt ordine dicam, triplicia ea facio: *Oneris, Operis, Armorum.* De primis, ſuccurrit M. Tullium aliquid ſcripſiſſe, quod vſui erit, & pro Polybio vicarium hunc dabo. Verba ſunt è Tuſculanâ ſecundâ, cum laborem dilaudat & commendat ab exemplo militari.

CICERO. *Noſtri exercitus primùm, vnde nomen habeant, vides. deinde quis labor & quantus Agminis? Ferre plus dimidiati menſis cibaria, ferre ſi quid ad vſum velint, ferre vallum. Nam ſcutum, gladium, galeam noſtri milites in onere non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. Arma enim membra eſſe militis dicunt, quæ quidem ita geruntur aptè, vt ſi vſus foret, abiectis oneribus, expeditis armis vt membris pugnare poſſint.*

Romani laborioſiſſimi.

Pleraque hîc omnia, quæ ad *Oneris* exercitia ſpectãt; vſurpata Romanis præter & ſupra pleraſque gentes. Quid ſimile vſquam, quale hîc legis, & audies? Atque eius rei fructus, indureſcere, & corpus habere cuique labori ferendo. Plutarchus quidem de Romanis noſtris tradidit, *eos ſic fuiſſe laboribus ſuetos ſiccóſque* (ἰσχνοὺς [illegible] vno verbo) *vt nec ſudantem, nec ſuſpirantem quemquam cerneres: idq́; in diuturnâ illâ pugnâ cum Cimbris magno æſtu & acri concurſu, Q. Catulum notaſſe & ad Senatum ſic ſcripſiſſe.*

Falli tolerare. In Mario.

Noſtri exercitus vnde nomen.] Clarum, quòd ab exercendo. Vegetius: *Exercitus ex re ipſâ atque opere exercitij nomen accepit.* Varro. *Exercitus, quod exercitando fit melior.* Planè melior, fortiórque. Hippocrates: οἱ γὰρ ἀγύμναστοι τῶν ἀνθρώπων [illegible] πόνου: *Inexercitati homines ab omni labore fatigantur.* Et idem generatim prolocutus: Ῥαθυμίη ὑγραίνει, καὶ ἀσθενὲς τὸ σῶμα ποιέει. πόνος δὲ ξηραίνει καὶ τὸ σῶμα ἰσχυρὸν ποιέει: *Deſidia humectat, & imbecillum corpus fluidúmque reddit; labor ſiccat, & robuſtum ſtrictúmq́; corpus facit.*

Lib. II. cap. 1. Fruitur exercitij. Lib. II. de Diæta. Ibid.

Quis labor & quantus agminis.] Alia enim exercitia omittit, illa ſola agminis id eſt Oneris diducit. Quæ profectò magna, & Virgilij verbo, pænè iniuſta. Ille ſic de iſtâ re.

Non ſecus ac patriis acer Romanus in armis
Iniuſto ſub faſce viam dum carpit, & ante
Hoſti expectatum poſitis ſtat in ordine caſtris.

III. Geor.

Eius exemplo Fabius: *Aſſueta gymnaſiis & oleo corpora, quamlibet ſint in ſuis certaminibus ſpecioſa atque robuſta ſi militare iter faſceſque & vigilias imperes, deficiant & quærant vnctores ſuos.* Faſces & ipſe dixit, quia ſic alligatas ferebant velut in faſcem ſarcinas: & malè atque imperitè, qui hîc *Falces.*

Lib. XI cap. 12. Onera in Faſce.

Ferre plus dimidiati menſis cibaria.] Quattuor Oneris genera militibus imponit, *Cibum, Vtenſilia, Vallum, Arma.* De cibo, ait, *Ferre plus dimidiati menſis.* Omnino *plus*: & ſæpe etiam totius menſis. Liuius: *Prætore dimiſſo Conſul meſtruum iuſſo milite ſecum ferre, profectus eſt.* Idem in Epitoma, de Scipione Numãtino: *Militem triginta dierum frumentum ferre cogebat.* Paullò minus in Cæſare de Afranianis: *Frumenti copiam legionarij nonnullam habebant, quòd dierum viginti duorum ab Ilerdâ frumentum iuſſi erant efferre: cetrati auxiliaréſq́; nullam, quorum erant & facultates ad parandum exiguæ, & corpora inſueta ad onera portanda.* Tot dierum portaſſe legionarios vides, ſed ſolos: auxiliares, inquit, inſoliti erant & rudes ferendi. Manſit hæc durities etiam molliore æuo, & in Principum inferiorum rebus onera iſta legis. In Alexandro Lampridij: *Milites expeditionis tempore ſic diſpoſuit, vt in manſionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem & ſeptem, vt ſolent, dierum, niſi in barbarico: quamuis & illic mulis eos & camelis adiuuerit.* En illo quoque æuo ſeptemdecim dierum (id eſt, *plus dimidiati menſis*, vt in Cicerone) cibaria ferebant: idque etiam inter ſocios & amicos. niſi quòd remiſit & laxauit paullùm Alexander. Remiſit, ſed non diſſoluit. nam & poſteà dierum hunc numerum reperio in Ammiano: *Tu-*

Cibos ferunt. Lib. XLIV. Lib. LVII. I. Ciuil. Auxiliares non ferunt. Lib. XVII.

tum ex

tum ex annonâ decem & ſeptem dierum, quam in expeditionem pergens vehebat ceruicibus miles. Sed an iſto æuo frumentum ipſum datum & latum, an verò panis excoctus, quem Buccellatum (quia ſectus in bucceas) vocabant, ambigo: imò potiùs iſte. Spartianus in Piſcennio: *Piſtores ſequi expeditionem prohibuit, buccellato iubens milites, & omnes, contentos eſſe.* Dat intellegi, Buccellatum communem cibum fuiſſe: ſed delicatiores quoſdam aſperitatem illam aut ſiccitatem refugiſſe, & habuiſſe in exercitu piſtores ad panem recentem. Ille vetuit, & iuſſit milites, imò & omnes (Legatos, Duces, honeſtiores) eo cum aliis vti. Ammianus in Iuliani rebus: *Viginti dierum frumentum ad vſus diuturnitatem excoctum, Buccellatum, vt vulgò appellant, humeris impoſuit libentium militum.* Atque vt verum fatear, poſterior iſta ratio veteri vtilior & prior: quia ponderis minus, in menſurâ & modo eodem frumenti. Procopius de Iohanne quodam Præfecto Prætorij ſub Iuſtiniano: *Panem qui in exercitu fertur, bis eſt conſuetudo in clibanum ponere, vt diligenter coctus diu duret, neu citò corrumpi poſſet: verùm eumdem pondere à primo deficere, pro quartâ minimùm parte, neceſſum eſt.* Addit deinde, vafrum & vafrum illum Iohannem, *vt pondus hoc lucri ſibi faceret, nec ſumptus tamen ad ignem adderet, panem hunc in balneis iuſſiſſe ſiccari, vt in ſpeciem coctus videretur: ſed eumdem in naues illatum (maritima tunc fortè expeditio erat) ſtatim in farinam ſolutum, eámque olidam & rancidam, cuius eſu milites inciderunt in morbos.* Sed panis igitur talis, *bis* inquam *coctus*: quod nomen hodie retinet, atque ita olim Græcis. Δίπυρον enim dicebant, *bis ignitum*. Suidas: Δίπυρος ἄρτος. ὁ παρὰ Ῥωμαίοις λεγόμενος παξαμᾶς: *Biſcoctus panis, qui Romanis dicitur Paxamas.* Intellegit Græculos illos Romanos in imperio Byzantino, qui ſic dixêre: ſiue *Paxamadium*, vt in Leone Imp. lego: *Commeatus paxamadij ſiue biſcocti habeat viginti aut triginta libras.* Fragmentum ſuper hoc pane in eodem Suidâ eſt incerti ſcriptoris: Σακκοφόρας ἐπὶ τῶν ὤμων φέροντες, ἐν οἷς δὴ ἄλλο οὐδὲν, ὅτι μὴ διπύρους ἄρτους οἴκοθεν ἐμβεβλημένοι ἀφίκοντο: *Saccos pelliceos in humeris ferentes, in quibus nihil aliud quàm panes biſcoctos domi impoſuerant, abibant.* Simile olim, quod ad ſaccos, quas πήρας, *peras* Polybius appellat. Eius quoque hoc fragmentum: Μήδ᾽ ἐπὶ ὑποζυγίων, ἀλλ᾽ ἐν πήραις δεχ᾽ ἡμερῶν ἔχειν τὴν τροφήν: *Neque in iumentis, ſed in ſaccis decem dierum habere cibaria.* Atque habes de onere frumenti. AVD. Quæro, ipſius olim frumenti an farinæ? LIPS. De frumento memini legere tantùm. AVD. Vnde igitur panis, cùm opus, & qui commouebant? LIPS. Aut tundebant pinſebantque, aut molis manuariis frangebant. Certè iſtas quoque inter inſtrumenta militaria fuiſſe, & comitatas caſtra, dicas ex Liuio, apud quem varij Italiæ populi Scipioni ituro in Africam conferunt *ſcuta, galeas, haſtas, ſecures, rutra, falces, alueolos, molas.* Sed & Plutarchus auctor, Antonij exercitum è Parthiâ reducem, fame tentatum, *quòd ægrè frumentari liceret, & deficerentur molis: quæ relicta omiſſáq; fuerant, iumentis partim mortuis, partim ad ægros ferendos tranſlatis.* Ergo & in Iomentis hæc ferebantur.

» *Ferre ſiquid ad vſum velint.*] Hæc ſunt, quæ Vtenſilia dixi. quæ illa? Partem eorum Ioſephus dat: *Ferunt*, inquit, *Romani pedites haſtam & ſcutum*: Πρὸς δὲ τούτοις, πρίονα καὶ κόφινον, ἄμην τε καὶ πέλεκυν. πρὸς δὲ, ἱμάντα καὶ δρέπανον καὶ ἅλυσιν: *Præter iſta, ſerram, & corbem, rutrum, & ſecurim; amplius, lorum, falcem, & catenam.* Multa ſanè hæc onera, & pertinent pleraque ad lignandum, pabulandum, muniendum: poſtremum, id eſt *Catena*, ad captiuos vinciendos. Sed tu me reſpicis, & vultu rogas an hæc tulerint omnia? Iſta, & plura etiam. nam vbi olla, veru, & talia ad victum? Atqui tuliſſe iſta cùm Appianus in Ibericis dicit, tum ipſa res vult, & monumenta antiqua oſtendunt. In columnâ Traiani militem ſic videas:

9



» *Ferre vallum.*] Tertium id onus. Sed vallos, an vallos tulere? Sæpè & plurimùm vallos. In Liuio de ſeptenis, vbi Scipio diſciplinam reformat ad Numãtiam: *Triginta dierum frumentum ac ſeptenos vallos ferre cogebat.* In eodẽ de duodenis. *Armati cum cibariis in quinque dies, vallíſque duodenis Martio in campo adeſſent.* Sed hæc rariora: ex vſu & more fuit, ferre ternos aut quaternos. Ipſe Polybius, vbi ex profeſſo de Vallis, libro XVI. Εἷς ἀνὴρ φέρει τρεῖς καὶ τέτταρας συνθεὶς ἐπ᾽ ἀλλήλους. *Vnus vir fert tres aut quattuor, ſimul eos componens.* Iſti autem ferebantur, vt ſtatim liceret vallare ſe & munire, ſi caſtra ſubitò locanda, aut alia

Buccellatũ ferunt.

Li. 1. Bel. VVandal.

Bis coctus panis.

Cap. 8.

Cibi in peris aut ſaccis.

Molæ in caſtris.

Lib. XXIX.

Vtenſilia Romanorũ.

Vallorum numerus.

Epit. XVII. Lib. III.

Eorum vſus.

DIALOG. XII.

De agmine toto. tum de metatione caſtrorum, & metatoribus.

SEd illud etiam opportunè hic monebo (non enim ad lancem aut dimenſum verba damus) compoſitos & ordinatos ſub his ordinibus iuſſe, nec viæ tantùm ſed pugnæ aptos. Mira eorum hic prouidentia & diſpoſitio, quam licet è Polybio cognoſcas. Puer librum reddito, & tu legito: ego paullùm hic conſido.

Τὰς δ' ἐκ τῆς παρεμβολῆς ἀναστρατοπεδείας ποιοῦνται τὸν τρόπον τοῦτον. ὅταν τὸ πρῶτον σημήνῃ, καταλύουσι τὰς σκηνάς, καὶ συντιθέασι τὰ φορτία πάντες. οὔτε δὲ καθελεῖν ἔξεστιν, οὔτ' ἀναστῆσαι πρότερον οὐδένα τῆς τῶν χιλιάρχων καὶ τοῦ στρατηγοῦ σκηνῆς. ὅταν δὲ τὸ δεύτερον, ἀνατιθέασι τὰ σκευοφόρα τοῖς ὑποζυγίοις. ἐπὰν δὲ τὸ τρίτον σημήνῃ, προάγειν δεῖ τοὺς πρώτους, καὶ κινεῖν τὴν ὅλην παρεμβολήν. εἰς μὲν οὖν τὴν πρωτοπορείαν, ὡς ἐπίπαν, τάττουσι τοὺς ἐπιλέκτους. τούτοις δὲ τὸ τῶν συμμάχων δεξιὸν ἐπιβάλλει κέρας. ἑξῆς δὲ τούτοις ἕπεται τὰ τῶν προειρημένων ὑποζύγια. τῇ δὲ τούτων πορείᾳ τὸ πρῶτον τῶν ῥωμαϊκῶν ἀκολουθεῖ στρατόπεδον, ἔχον ὄπισθεν τὴν ἰδίαν ἀποσκευήν. ἔπειτα κατακολουθεῖ τὸ δεύτερον στρατόπεδον, ἑπομένων αὐτῷ τῶν ἰδίων ὑποζυγίων, καὶ τῆς τῶν συμμάχων ἀποσκευῆς, τῶν ἐπὶ τῆς οὐραγίας τεταγμένων. τελευταῖον γὰρ ἐν τῇ πορείᾳ τάττεται τὸ τῶν συμμάχων εὐώνυμον κέρας. οἱ δ' ἱππεῖς ποτὲ μὲν ἐπουραγοῦσι τοῖς αὐτῶν ἕκαστοι μέρεσι, ποτὲ δὲ παρὰ τὰ ὑποζύγια πλάγιοι παραπορεύονται, συνέχοντες ταῦτα, καὶ τὴν ἀσφάλειαν τούτοις παρασκευάζοντες. προσδοκίας δ' οὔσης κατὰ τὴν οὐραγίαν, τὰ μὲν ἄλλα παρ' αὐ-

E caſtris ſuis diſcedunt hunc in modum. Cùm primum ſignum datum eſt, tabernacula ſua detēdunt, & ſarcinas componunt omnes. Sed nec detrahere, nec conſtituere cuiquā tabernaculum fas, priuſquam Tribunorum & Imperatoris erigatur deponaturve. Cùm verò ſecundum ſignū ſonuit, imponunt ſarcinas iumentis. Cùm tertium, procedere oportet primos & mouere tota caſtra. ad primum autem agmen plerumque ponunt Extraordinarios. His ſuccedit ſociorum cornu Dextrum. Poſt iſtos ſequuntur iumenta prædictorum. Horum agmini ſuccedit & conſequitur Romana prima legio, à tergo habens vaſa ſua & impedimenta: tum ſecunda legio, cui ſubſequuntur iumenta ſua, & ſociorum item impedimenta, quæ ad tergum locata ſunt. Vltimum enim in agmine eſt ſociorum cornu Siniſtrum. Equites porrò interdum à tergo ſunt quiſque ſua partis, interdum ad latera iumentis adequitant, continentes & coercentes ea, & ſecuritatem item præſtantes. Cùm autem ſuſpicio à tergo eſt, reliqua quidem eodem modo atque ordine

A τοῖς τὸν αὐτὸν ἔχει τρόπον. αὐτοὶ δ' οἱ τῶν συμμάχων ἐπίλεκτοι, τὴν οὐραγίαν ἀντὶ τῆς πρωτοπορείας μεταλαμβάνουσι. παρὰ δὲ μίαν ἡμέραν τὰ μὲν ἡγεῖται τῶν στρατοπέδων καὶ τῶν κεράτων, τὰ δ' αὐτὰ πάλιν ἕπεται ταῦτα κατόπιν, ἵνα τῆς περὶ τὰς ὑδρείας καὶ σιτολογίας ἀκεραιότητος πάντες B ἐπίσον κοινωνῶσι, μεταλαμβάνοντες ἀεὶ τὴν ἐπὶ τῆς πρωτοπορείας ἐναλλὰξ τάξιν. χρῶνται δὲ καὶ ἑτέρᾳ γένει πορείας ἐν τοῖς ἐπισφαλέσι τῶν καιρῶν, ἐὰν ἀναπεπταμένους ἔχωσι τόπους. ἄγουσι γὰρ τριφαλαγγίαν παράλληλον τῶν ἀστάτων καὶ πριγκίπων καὶ τριαρίων, τιθέντες τὰ τῶν C ἡγουμένων σημαιῶν ὑποζύγια πρὸ πάντων. ἐπὶ δὲ ταῖς πρώταις σημαίαις τὰ τῶν δευτέρων· ἐπὶ δὲ ταῖς δευτέραις τὰ τῶν τρίτων. καὶ κατὰ λόγον οὕτως ἐναλλὰξ ἀεὶ τιθέντες τὰ ὑποζύγια ταῖς σημαίαις. οὕτω δὲ συντάξαντες τὴν πορείαν, ἐπειδὰν προσπίπτῃ τι τῶν δεινῶν, D ποτὲ μὲν παρ' ἀσπίδα κλίναντες, ποτὲ δ' ἐπὶ δόρυ προάγουσι τὰς σημαίας ἐκ τῶν ὑποζυγίων πρὸς τὴν τῶν πολεμίων ἐπιφάνειαν. λοιπὸν ἐν βραχεῖ χρόνῳ καὶ μιᾷ κινήσει τὸ μὲν τῶν ὁπλιτῶν σύστημα λαμβάνει παράταξιν διάθεσιν, ἐὰν μήποτε προσεξελίξαι δέῃ τοὺς ἀστάτους, τότε τῶν ὑποζυγίων καὶ τῶν παρεπομένων τούτοις πλῆθος ὑπὸ τοὺς παρατεταγμένους ὑποσταλὲν ἔχει τὴν καθήκουσαν χώραν πρὸς τὸν κίνδυνον. E ὅταν δὲ κατὰ τὰς πορείας ἐγγίζωσι στρατοπεδεύειν, προπορεύονται χιλίαρχος καὶ τῶν ταξιάρχων οἱ πρὸς τοῦτο τὸ μέρος ἀεὶ προκεχειρισμένοι. οἵτινες ἐπειδὰν συνθεάσωνται τὸν ὅλον τόπον, ἐν ᾧ δεῖ στρατοπεδεύειν, ἐν αὐτῷ τούτῳ, πρῶτον μὲν διέλαβον τὴν τοῦ στρατηγοῦ σκηνήν, ᾗ δεῖ-

manent; ipſi tantùm Extraordinarij pro fronte tergum curant, eòque traducuntur: alternis autem diebus altera legio & alterum cornu præcedunt, eademque rurſus ſequuntur. vt commodi ſcilicet, quod ex aquatione aut pabulatione integrâ & illibatâ euenit, æqualiter omnes participes fiant, mutantes ſemper ordinem, vt alternatim primi incedant. Vtuntur & alio genere agminis temporibus intutis, cùm patentes habent locos. Ducunt enim triplicem phalangem ſiue aciem æquidiſtantem, Haſtatorum, Principum, Triariorum, iumenta primorum manipulorum omnibus præponentes; poſt autem primos manipulos, iumenta ſecundorum, poſt ſecundos, tertiorum: atque hoc modo ſemper alternatim iumenta collocantes. Ita agmine conſtituto, ſiquid hoſtile incidit, aliàs ad ſcutum inclinantes, aliàs ad haſtam, producunt manipulos ex iumentis & impedimentis in hoſtium aſpectum. Ceterùm breui tempore armatorū corpus accipit pugnæ ordinem, niſi quòd euoluere Haſtatos oporteat, & iumenta ac ſubſequentem iis multitudinem habere conuenientem locum ad diſcrimen. Cùm verò appropinquauerint vbi caſtra ponenda, præeunt Tribunus & Centurionum illi, qui ad hoc munus ſemper electi ſunt. Hi cùm totum locum conſpexerint vbi metari oporteat, in eo primum capiunt & deſignant Prætorium, vbi id ponere oporte-*

*In Græco lego, ἔχειν.

σειθῆναι κατὰ τὸν ἄρτι λόγον, καὶ περὶ ποίαν ἐπιφάνειαν καὶ πλευρὰν τῆς περὶ τὴν σκηνὴν περιστάσεως παρεμβαλεῖν τὰ στρατόπεδα. τούτων δὲ προκριθέντων, διαμετροῦνται τὴν περίστασιν τῆς σκηνῆς. μετὰ δὲ ταῦτα τὴν εὐθεῖαν, ἐφ' ἧς αἱ σκηναὶ τίθενται τῶν χιλιάρχων. ἑξῆς δὲ τὴν ταύτης παράλληλον, ἀφ' ἧς ἄρχεται τὰ στρατόπεδα παρεμβάλλειν. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ἐπὶ θάτερα μέρη τῆς σκηνῆς καταμετρήσαντο γραμμαῖς, περὶ ὧν ὑπεδείξαμεν ἄρτι διὰ πλειόνων κατὰ μέρος. γινομένων δὲ τούτων ἐν βραχεῖ χρόνῳ, διὰ τὸ ῥᾳδίαν εἶναι τὴν καταμέτρησιν, ὡς ἁπάντων ὡρισμένων καὶ συνήθων ὄντων διαστημάτων, μετὰ δὲ ταῦτα σημαίαν ἔπηξαν μίαν μὲν καὶ πρώτην, ἐν ᾧ δεῖ τόπῳ πῆξαι τὴν τοῦ στρατηγοῦ σκηνήν, δευτέραν δὲ τὴν ἐπὶ τῆς προκριθείσης πλευρᾶς, τρίτην ἐπὶ μέσης τῆς γραμμῆς, ἐφ' ἧς οἱ χιλίαρχοι σκηνοῦσι, τετάρτην παρ' ἣν τίθενται τὰ στρατόπεδα. καὶ ταύτας μὲν ποιοῦσι φοινικᾶς, τὴν δὲ τοῦ στρατηγοῦ λευκήν, τὰ δ' ἐπὶ θάτερα ποτὲ μὲν ψιλὰ δόρατα πηγνύουσι, ποτὲ δὲ σημαίας ἐκ τῶν ἄλλων χρωμάτων. γενομένων δὲ τούτων, ἑξῆς τὰς ῥύμας διεμέτρησαν, καὶ δόρατα κατέπηξαν ἐφ' ἑκάστης ῥύμης, ἐξ ὧν εἰκότως ὅταν ἐγγίσῃ τὰ στρατόπεδα κατὰ τὰς πορείας, καὶ γένηται σύνοπτος ὁ τόπος τῆς παρεμβολῆς, εὐθέως ἅπαντα γίνεται πᾶσι γνώριμα, τεκμαιρομένοις καὶ συλλογιζομένοις ἀπὸ τῆς τοῦ στρατηγοῦ σημαίας. λοιπὸν ἑκάστου σαφῶς γινώσκοντος ἐν ποίᾳ ῥύμῃ, καὶ ποίῳ τόπῳ τῆς ῥύμης σκηνοῖ, διὰ τὸ πάντας ἀεὶ τὸν αὐτὸν τόπον ἐπέχειν τῆς στρατοπεδείας· γίνεταί τι παραπλήσιον οἷον ὅταν εἰς πόλιν εἰσίῃ στρατόπεδον ἐγχώριον. καὶ γὰρ ἐκεῖ διακλίναντες ἀπὸ τῶν πυλῶν, εὐθέως ἕκαστοι προάγουσι καὶ παραγίνονται πρὸς τὰς ἰδίας οἰκήσεις ἀδιαπτώτως, διὰ τὸ καθόλου καὶ κατὰ μέρος γινώσκειν, ποῦ τῆς πόλεως ἐστὶν αὐτοῖς ἡ κατάλυσις. τὸ δὲ παραπλήσιον τούτοις καὶ περὶ τὰς ῥωμαϊκὰς συμβαίνει στρατοπεδείας, ἢ καὶ δοκοῦσι ῥωμαῖοι καταδιώκοντες τὴν ἐν τούτοις εὐχέρειαν, τὴν ἐναντίαν ὁδὸν πορεύεσθαι τοῖς ἕλλησι κατὰ τοῦτο τὸ μέρος. οἱ μὲν γὰρ ἕλληνες ἐν τῷ στρατοπεδεύειν ἡγοῦνται κυριώτατον τὸ κατακολουθεῖν ταῖς ἐξ αὐτῶν τῶν τόπων ὀχυρότησιν, ἅμα μὲν ἐκκλίνοντες τὴν περὶ τὰς ταφρείας ταλαιπωρίαν, ἅμα δὲ νομίζοντες οὐχ ὁμοίας εἶναι τὰς χειροποιήτους ἀσφαλείας, ταῖς ἐξ αὐτῆς τῆς φύσεως ἐπὶ τῶν τόπων ὑπαρχούσαις ὀχυρότησιν. διὸ καὶ κατά τε τὴν τῆς ὅλης παρεμβολῆς θέσιν, πᾶν ἀναγκάζονται σχῆμα μεταλαμβάνειν, ἑπόμενοι τοῖς τόποις, τά τε μέρη μεταλλάττειν, ἄλλο τι πρὸς ἀλλήλοις καὶ καταλλήλους τόπους. ἐξ ὧν ἀνάστατον ὑπάρχειν συμβαίνει καὶ τὸν κατ' ἰδίαν, καὶ τὸν κατὰ μέρος ἑκάστῳ τόπον τῆς στρατοπεδείας. ῥωμαῖοι δὲ τὴν περὶ τὰς τάφρους ταλαιπωρίαν, καὶ τἄλλα τὰ παρεπόμενα τούτοις ὑπομένειν αἱροῦνται χάριν τῆς εὐχερείας, καὶ τοῦ γνώριμον καὶ μίαν ἔχειν καὶ τὴν αὐτὴν ἀεὶ παρεμβολήν.

bit iuxta ea quæ diximus: & ad quod latus aspectúq; loci Prætorio adiacentis ponere legiones. His electis & captis, dimetiuntur Prætorij ambitum: deinde lineam rectam, ad quam tabernacula Tribunorum locantur: tum aliam lineam æquidistantem, à quâ incipiunt metari legiones. Consimiliter & latera vtrimque ad Prætorium dimetiuntur & describunt lineis, de quibus diximus vbertim & distinctè. His in breui absolutis, quoniã facilis dimensio, omnibus internallis definitis iamantè & consuetis: tum Vexillum defigunt, vnum quidem & primum in loco vbi Prætorium ponendum; secundum in latere electo; tertium in media linea vbi Tribuni tendunt; quartum, vbi legiones. Et hæc quidem faciunt punicea, illud autem Imperatoris album: ad latera porrò interdum tenues hastas defigunt, interdum vexilla coloris alterius. His factis, Strigas dimetiuntur, & hastas in quaque eâ defigunt: è quibus, cùm appropinquarunt copiæ, & in conspectu habent castra, statim omnia omnibus innotescũt, indicio & ratiocinio vsis à Prætorij signo. Et cùm quisque sciat in qua Striga, & qua parte tendat, (semper enim in eadem:) fit quiddam simile, vt si exercitus in notam & suam vrbem ingrediatur. Illic enim statim à portis declinantes procedunt, & quisq; veniunt ad suas ædes sine ambage aut errore: quoniam & vniuersè & in parte cognoscunt, qua regione vrbis iis diuertendum. Simile igitur & in Romanis metationibus euenit: eoq; videntur Romani, facilitatem hanc spectantes, contrariam Græcis hac in parte viam instituisse. Græci enim in metatione præcipuum censent sequi & captare ex ipsis locis firmitatem: simul & laborem muniendi detrectantes, tum & censentes haud pares esse naturalibus manufactas munitiones. Itaque & in vniuersâ castrorum posturâ, quamlibet formam assumunt necessariò, locis obsequentes, & partes ipsas commutant aliter atque aliter pro situ. E quibus incertum accidit locũ esse & priuatim cuique & in partibus assignandum. Romani verò illam quæ circa fossas est ærumnã & laborem, quæque alia adhærent, subire eligũt, caussâ facilitatis & aptitudinis & vt notam atque vnicã eandémque sẽper habeãt metationẽ.

Pluſcula hæc verba ſunt, & ideò in pleriſque clara. Summa eorum eſt (vtiliter enim cõtraham:) duplex genus agminis eſſe. Prius commune, & cùm ſine motu incedunt: quod eſt tale. Præeunt & exeunt *Extraordinarij*, & agmen ducunt. Cur illi? quia portæ Prætoriæ vicini, per quam ferè egreſſus: atque etiam quia ordine pæne illo exeunt, quo metati. Secundi, *Cornu Dextrum* Sociorum: tertij, *prima legio*; quarti *ſecunda*; vltimi, *leuum cornu*. Ad latera *equites*, aut quiſque poſt ſuorum agmen: id eſt, Sociorum poſt ſocios, Romani poſt legiones. Habet enim quæque legio ſuam Alam, & item Cornu. Media his ſingulis ordinibus ſunt impedimenta. Si conſideras, pulcher eſt, & pænè idem qui caſtrorum ordo: præſertim cùm equites medij incedunt. Alterum ge- *Duplex agmen.*

nus non ita commune, & cùm in hoſtico & vicino periculo incedunt. Id tale. Præeunt impedimenta Haſtatorum, ipſi ſequũtur: tum iterùm impedimenta Principum, & mox ipſi: ideo in Triariis. Eſt igitur tum quaſi compoſita ad pugnam acies, niſi quòd euoluere ſe oportet ab impedimentis: quod fit, ad latus alterum declinando, & in hoſtem eundo, illis (impedimenta dico) ſubſiſtentibus aut retrò ſubductis. Summatim hæc ſententia: niſi quòd adtexit de ratione metandi & delineandi caſtra. Nunc verba luſtremus. Ait:

Claſſicum ad iter. Lib. XXIII.

» *Cùm primum ſignum datum eſt.*] Id *Itinerarium ſonare* Ammianus dixit: *Extractâ quiete nocturnâ, itinerarium ſonare lituos iubet.* Ad primum autem hoc ſignum vaſa colligũtur, & ad ſecundum mulis imponuntur, vt mox in Ioſepho. Inde ſerui apud Plautum dictio: *Cor colligatis vaſis exſpectat meum.*

Ter ſignum ſonuit.

» *Cùm tertium.*] Nota ergo ter ſonuiſſe ſignum, vt nihil trepidé aut confusè: & cuique ſigno actionem ſuam adnexam. Ioſephus ita prorſus: Ἐξιέναι δὲ τῆς στρατοπέδου δέον, ὑποσημαίνει μὲν ἡ σάλπιγξ, ἠρεμεῖ δ' οὐδείς, ἀλλ' ἅμα νεύματι τὰς μὲν σκηνὰς ἀναιροῦσιν, πάντα δ' ἐξαρτύονται πρὸς τὴν ἔξοδον. πάλιν δ' αἱ σάλπιγγες ὑποσημαίνουσι παρασκευάζεσθαι, οἱ δ' ἐν τάχει τοῖς τε ὀρεῦσι καὶ τοῖς ὑποζυγίοις ἐπιθέντες τὴν ἀποσκευήν, ἑστᾶσιν ὥσπερ ἐφ' ὕσπληγος ἐξορμᾶν ἕτοιμοι, ὑποπιμπρᾶσι τε ἤδη τὴν παρεμβολήν, ὡς αὐτοῖς μὲν ῥᾴδιον ὂν ἐκεῖ πάλιν τειχίσασθαι, μὴ γένοιτο δ' ἐκεῖνό ποτε τοῖς πολεμίοις χρήσιμον. καὶ τρίτον δ' ὁμοίως αἱ σάλπιγγες προσημαίνουσι τὴν ἔξοδον, ἐπισπέρχουσαι τοὺς κατ' αἰτίαν τινὰ βραδύνοντας, ὡς μή τις ἀπολειφθείη τάξεως. ὅ τε κῆρυξ δεξιὸς τῷ πολεμάρχῳ παραστάς, εἰ πρὸς πόλεμον εἰσὶν ἕτοιμοι, τῇ πατρίῳ γλώσσῃ τρὶς ἀναπυνθάνεται, κἀκεῖνοι τοσαυτάκις ἀντιβοῶσι μέγα τι καὶ πρόθυμον, ἕτοιμοι λέγοντες. φθάνουσί τε τὸν ἐπερωτῶντα, καί τινος ἀρηίου πνεύματος ὑποπιμπλάμενοι, τῇ βοῇ συνεξαίρουσι τὰς δεξιάς. ἔπειτα προϊόντες ὁδεύουσιν ἡσυχῇ, καὶ μετὰ κόσμου πάντες, ὥσπερ ἐν πολέμῳ τὴν ἰδίαν τάξιν ἕκαστος φυλάσσων: *Cùm caſtris egrediendum eſt, ſignificat quidem id Tuba: nemo autem quieſcit, ſed vel ſolo nutu moniti* (fortaſſe in Græco meliùs, ἅμα πνεύματι, quod eſſet, *vnà cum tubæ flatu & ſpiritu*) *tabernacula tollunt, atque omnia ad exitum aptãtur. Iterùm verò tubæ ſignificant paratos eſſe atque illi mulis & vehiculis imponentes impedimenta, ſtant velut in carceribus exire parati & auidi: incendunt verò tunc ſua caſtra, vt quibus facile eſt iterùm ea conſtruere, & ne hoſtibus quandoque ea vſui ſint. Et ſimul tertiò tubæ dãt ſignum, quæ vrgent & excitant ob cauſſam aliquam tardantes, nequis ordinem deſerat. At præco dexter Imperatori adſiſtens, an ad bellum parati ſint, patrio ſermone ter percunctatur: atque illi toties contrà acclamant altâ & alacri voce, paratos ſe eſſe. Occupant autem & præueniũt interrogantem, & Martiali quodam ſpiritu repleti vnà cum voce dextras attollunt. Tum progredientes viam faciunt ſilentio & quietè, decenter omnes, tamquam in bello, proprium ordinem aſſeruantes.* Pulchrè iſta narrat & explicatè; vt pleraque ille ſcriptor, mente & iudicio bonus. Sed ait in primo ſigno σάλπιγγα ſiue *Tubam* ſingulariter ſonuiſſe: in altero tertióque, σάλπιγγας *Tubas*. Et credo ſic fuiſſe: ac ſecundò tertióq; claſſicum ceciniſſe. Nam etſi in Ioſepho σάλπιγγες dicuntur ſiue tubæ, totũ genus tamen intellegit: vt & Ammianus in verbis datis *Lituorũ* voce. Liuius II. *Claſſico ſignum profectionis dedit.* Singulare autẽ hoc, quod adnotat *Præconẽ ter interrogaſſe, An parati ad bellum?*

Mos ſingularis.

mos quem non alibi ego légi: ſed nec temere de Præcone in Romanis caſtris. Sed etſi κῆρυξ illi eſt, tamen licet intellegere & vertere, *Accenſum*, aut *Apparitorem*: & de ipſo ritu, cenſeo rogaſſe, *An in procinctu eſſent?* Et fortaſſis hic ille clamor eſt reſpondentium, quem Cæſar aliique tangunt, cùm *Vaſa* aiunt *clamari*: & id inter ſollemnia ponunt. Signum nempe alacritatis ac fiduciæ erat, nec clám ſe ſubducentiũ. Cæſar III. Ciuil. *Scipio, ne cõclamatis quidẽ vaſis flumen tranſiit.* Idem: *Cæſar legiones præmiſit, paruóque intermiſſo ſpatio, vt & militare inſtitutum ſeruaretur, & ne citiſſimè eius profectio cognoſceretur, cõclamari iuſſit.* Porrò quod ad tria ſigna, ſimile à Clearcho factum iuſſumque Græcis, cùm iret in Perſas, de quo Xenophon: Ἐπειδὰν δὲ σημήνῃ τῷ κέρατι ὡς ἀναπαύεσθαι, συσκευάζεσθε· ἐπειδὰν δὲ τὸ δεύτερον, ἀνατίθεσθε ἐπὶ τὰ ὑποζύγια· ἐπὶ δὲ τῷ τρίτῳ, ἕπεσθε τῷ ἡγουμένῳ: *Cùm ſignum cornu datũ fuerit, vt ſolet ad quietem, tum vaſa colligite; cùm ſecundò, imponite iumentis; cùm tertiò, ſequimini veſtrum Ducem.*

II. Anab.

Ad ſcutum inclinare.

» *Aliàs ad ſcutum inclinantes.*] Id verò non aliud eſt, militari Græcanicâ phraſi, quàm *ad ſiniſtram deflectere* & ſeſe obuertere: ſicut contrà, *ad haſtam* valet *ad dextram*. Ratio ſermonis, quia in alterutrâ eâ manu Scutum vel Haſta. Phraſis, quâ creberrimè Polybius, Diodorus, Xenophon vſi, qui etiam dicunt ἐπιστρέφειν ἐπὶ δόρυ, περισπᾶν ἐπὶ δόρυ: item ἐκ δόρατος παρεμβάλλειν, & talia quæ nihil opus ſubtiliùs hîc explicare.

» *Romana prima legio, à tergo habens vaſa ſua & impedimenta*.] Hæc eſt conſuetudo, de quâ Cæſar II. Gallic. *Quidam ex Belgis, eorum dierum conſuetudine itineris noſtri exercitus perſpectâ, nocte ad Neruios peruenerunt atque his demonſtrarunt, inter ſingulas legiones impedimentorum magnum numerum intercedere: neque eſſe quidquam negotij, cùm prima legio in caſtra veniſſet, reliquæq; legiones magnum ſpatium abeſſent, hanc ſub ſarcinis adoriri.* Hæc ita Belgæ haud vanè obſeruarant, & retulerant: ſed fefellerat, quòd Cæſar mox mutauit, vicinus hoſti: & Agmen inſtituit alterum, de quo Polybius addit.

Euoluere quid?

» *Euoluere Haſtatos oporteat.*] Ita accipio (etſi obſcura vel ambigua) vt velit nihil rei aut operæ eſſe; niſi vt conſpecto hoſte, ſubſiſtant impedimenta, & ad latus explicent ſe, & libero loco ſtatuant Haſtati; quod idem Principes deinde ac Triarij: & ſic pugna legitima inſtructa. Sed vbi, inquies, Velites? ego verò miror Polybium in neutro genere Agminis meminiſſe: Credibile eſt locum iis fuiſſe qui in Acie, id eſt in fronte aut lateribus iuxta equites ipſos. Malim tamen nunc in fronte, & præmiſſos ad explorandum hoſtem: quod factitatum aliàs legi. Ad hæc porrò duplicia Agmina pertinet, quod Seruius ex Varrone notat: *Duo ſunt genera agminũ: Quadratum, quod immiſtis etiam iumentis incedit, vt vbiuis poſſit conſidere: Pilatum alterum, quod ſine iumentis incedit, ſed inter ſe denſum eſt, quò faciliùs per iniqua loca tramittatur. Scaurus de vitâ ſuâ: In agrũ hoſtium veni, pilatim exercitum duxi, id eſt, ſtrictim & densè.* Ita quidem Seruius. & videtur in altero genere nulla prorſus interponere iumenta: quod haud video quî verum eſſe poſſit. Nã vt Polybius quidem deſcribit, non immixta iumenta fuerunt, ſed tamen interſita: ſic vt ordines non turbarent, & triplex modò agmẽ omnium copiarum eſſet: haud aliter quàm in acie ſtructâ ſuprà á me eſt oſtenſum. Nã cùm dixit Haſtatos præiuiſſe, capere nõ Legionarios tantùm, ſed & Socios debes: idemque in Principibus & Triariis: Imperatorẽ deinde & Extraordinarios cum Ablectis agmẽ clauſiſſe, aut loco ſuo (ſi mauis) ante Triarios inceſſiſſe. Vera igitur hęc acies, niſi quòd interpoſita iumẽta, in fronte & grandioribus illis tranſuerſis interuallis. Amoueantur: ad manus imus. Habet me & hoc dubium, quòd idem Seruius prius agmen *Quadratum* appellat: nõ magis alterum? imò hoc verius. Certè de iſto in hoſtili agro Salluſtius ſenſit, cùm de Mario ſcripſit: *Neque*

Velites à Polybio neglecti.

Seruij locus ad Agmina.

Dubitatio ſuper eo.

Quadratũ agmen.

A *tamen victoriâ ſecors aut inſolens factus, ſed pariter atque in conſpectu hoſtium, quadrato agmine incedere.* Item Seneca epiſt. LX. *Ire quadrato agmine exercitum, vbi hoſtis ab omni parte ſuſpectus eſt, pugnæ paratum.* Prius quidem illud quadrum eſt, ſed in lôgum magis magiſque extenſum. Itaque Appianus cum latericulo comparat, in Iberico: Lucullus, inquit, *metu hoſtium*, τετράγωνον ἐν πλινθίῳ τὸν στρατὸν ἄγων: *quadratum, in formam laterculi, agmen ducens.* Moneo etiam, etſi hæc ſola duo Seruius cum Polybio commemurat: tamen aliter atque aliter agmina ſæpè inceſſiſſe. A lectione & obſeruatione res pendet, ad quam te remitto. Vnde omnia mihi prompta ſic ambulanti & fabulanti? Occurrit tamen Ammiani de Iuliano Imperatore, qui in Perſide, haud malo conſilio, *ſarcinas & calones & apparitionem imbellem, impedimentorúmque genus omne, inter vtrumque latus inſtituit procedentium ordinum, nequà viſubitâ raperentur, vt ſæpe cōtigit, improtecta.* Quæ diſpoſitio fuit, vt vtrimque à lateribus miles eſſet, in mediâ ſerie atque ordine iumenta.

Variatū in Agmine.

Iuliani agmen L. XXIIII.

B At verò in Ioſepho ordo totus alius, quem ille bis, vt ſollennem, pariformiter deſcribit. Breuiùs de Tito, qui Hieroſolyma ibat: *Progredientem in hoſtilem terram Titum præibant regia auxilia & omnes ſociales copiæ: poſt quos Munitores viarum, & metatores caſtrorum: deinde Ducum iumenta: ac poſt eorum armatos ipſe Titus, cùm alios ſelectos tum lâcearios* (ſiue Speculatores) *habens. Poſt ipſum equites legionum, qui machinas antеibant: & poſt has, vnà cum ſelectis Tribuni & cohortium Præfecti. Secundùm iſtos, circa Aquilam ſigna, & ante eam Æneatores. Poſt iſtos ipſa phalanx* (ſiue legionum agmen) *ſenûm virorum ordinibus dilatata. Seruitia autem & calones cuiuſque legionis retro eam, & ante ipſa iumenta. Vltimi verò omnium, Mercenarÿ, eorúmque cuſtodes* * *Vragi, ſiue agminis coactores.* Diffuſiùs de Veſpaſiano: ſed quid verba adnumerem? quin tu è libro tertio eius pete. Ego pergo in reliquis quæ Polybius addit. Nam in occaſione redit ad figenda caſtra, quod ſolet ſcilicet poſt iter: atque ita dicit vtiliter quædam, anteà non dicta.

Ioſephi ordo diuerſus à dictis. Lib. VI. Excid.

C **Hic enim Vragi eâ notione.*

» *Præeunt Tribunus & Centuriones*] Vnúſne Tribunus, an duo? ex quaque ſcilicet legione vnus, vt antè dictum in adminiſtratione totâ caſtrenſi? iſtud opinor. Hoc etiam, Legatum aliquando aut tales adiunctos, cùm periculum maius eſſet & diligentiùs ponenda caſtra. Ita Statius in Bolani laudibus ponit, qui Legatus, quòd eum Corbulo ſæpe delegerit ad hanc curam:

Tribuni ad caſtra metanda; Vel Legati.

——Bolanus iter prænoſſe timendum,
Bolanus tutis iuga commoda quærere caſtris;
Metari Bolanus agros.

v. Silu.

D » *Cēturionū illi, qui ad hoc munus electi ſunt*] Oſtendit munus fuiſſe in hominibus certis, quod & Vegetius oſtendit: qui appellat eos *Metatores.* Sed credo eius æuo diſtinctos à Centurionibus fuiſſe. Ipſe deſcribit *Metatores, qui præcedētes locum caſtris idoneum eligunt.* Metari ſanè non aliud, quàm diuidere, ſecare ſuis finibus & metis, *Vineas metari*, in Columellâ: *agros metaris* in Virgilio leges, ad ſationē: *Metata porticus* in Horatio, *menſurata*, *diſpoſita* explicatur à Scholiaſte. Tertullianus ita vocat *Tempus, arbitrum & metatorem initÿ & finis.* Separat enim & abiungit. Ipſe *metator agrorum*, Ciceroni in Agrariâ eſt *Finitor.* Huic rei *Groma* & *Decempeda* ſeruiebat. Vnde in Luciliano verſu veteri:

Metatores. Metari.

——viamq́ue degrumari, vt caſtris menſor facit olim. Iit

Groma quid.

E Gloſſis: *Gruma* (nam & ſic ſcribitur) γνώμων, διόπτρα. Eædem: *Grumat*, μετρεῖ, ἐξισοῖ: *metitur, exæquat.* Feſtus: *Groma, genus machinulæ quâ regiones agri cuiuſque cognoſci poſſunt, quod Græci dicunt* γνώμονα. Eſt ſcilicet σταυρὸς τετραγωνικός, quadratum duobus rectis ſe interſecantibus factum: cuius forma ſupra, in Prætoriâ ſede. At Decempedam Cicero etiam huc aduocat: *Peritus metator & callidus decempedâ ſuâ ſaxa diuiſerat.* Inde pro Metatore *Decempedator*, in eodem: *Æquiſſimus agri priuati & publici decempedator.* Porrò Metandi vox, vt ſolet, fuſa latiùs, & à caſtris in vrbem iit. Hoſpitia, manſiones, & quidquid tale adſignatum, *Metari* dicuntur, & *Metata.* Primò quidem ipſorum militum, aut Palatinorū: ſed mox & aliorum. In libris legum hæc exſtant, & iam olim tibi innotuêre. In Cedreno eſt, *Theodoſÿ milites turbaſſe Theſſalonicæ* διὰ μητάτα, *ob * metata.* Latinam ipſam vocem Græculus non inſolens vſurpat. Sic in Suidâ, μητάτωρ, ὁ προαποστελλόμενος ἄγγελος παρὰ τοῦ ἄρχοντος: *Metator, præmiſſus nuncius à Principe*, nempe ad loca deſignanda: *Forerius* noſtro verbo. Cyprianus honeſtè tranſtulit, ad Martyres: *Hoſpitium vobis in carcere præparauit, & metator quodāmodo veſter nunc quoque vos antecedit.* Et Sidonius: *Metatoriā paginam, quaſi cum Muſâ præuiâ miſi.* In Iſidoro eſt vniuerſè: *Hoſpitium, vbi quis ad tempus inhabitat, vnde & Metatum, quia mutatur.* In re nihil peccat, in etymo pueriliter, vt ſæpe. Tertullianus: *Noſtra metatio, totum verſiforme eſt.* Ideſt, mūdus in quo hoſpitamur, aſſiduè mutat. Sic *Metatura* Nouatiano: *Eius metaturæ regio ad meridianam reſpicit plagam.* *Metatorium* in Eccleſiæ hiſtoriis, pro domo aduenientibus paratâ. *Metacula deorum*, Marciano Capellæ, domicilia & ſedes ab Aſtrologis datæ. Simili ſenſu, idem, *Apollinem Zodiaca hoſpitia præmetari*, id eſt Solem. In eâdem cæleſti re Ouidius:

Et Decempeda. Phili. XIV. Phil. XIII.

Metari, de hoſpitiis.

**ob hoſpitia.*

Lib. III. Epiſt. I.

Lib. VIII. epiſt. XI. Iſidori vngementum. De Trinit. cap. II.

Nos quoque ſub ducibus cælum metabimur illis.

Diuidemus, & domos ſuas diis attribuemus. Obſcurius in Ammiano, qui de mollibus & ad oſtentationem diuitibus, cùm anulis depoſitis in balneo, eoſdem abituri reſumunt, ſcribit: *digitis vt metatis abire.* Quáne loca ſua & ſedes cuique anulo in digitis certæ: Sed ad rem meam redeo. Metator in militiâ, qui vel caſtra vel hoſpitia deſignat. Ille apud Lucanum ferox ad Cæſarem:

De Trinit. cap. XI.

Ammianus forte explicatus.

Signa ſuper Thuſci ſi ponere Tibridos vndas,
Audax Heſperios veniam metator in agros.

Si in ipsâ Italiâ, imò ad vrbem matrem ponere me, inquit, ſigna iubeas & caſtra: en ego metator. Optatus Mileuitanus: *Cùm ante venturos milites, metatores, vt fieri ſolet, mitterentur.*

Lib. III.

» *Vexillū vnū ſtatuūt.*] Græcè eſt σημαῖον: ſed ita verti, quia vela quædam & pānulos paruos fuiſſe diuerſicolores ad indiciū, ex Polybio ipſo didicis. In militum tamē metaturis, nudæ Haſtæ. Suntne hæc quæ *Metas* vocat Feſtus? *Metari dicūtur caſtra, quia metis derigūtur.* Etſi ad lineas aliaſque partitiones potes ducere.

» *Quartum in eà ad quam ponunt legiones.*] Hoc obſcurè, imò prauè in Græco, nec Laſcaris expediuit. Emendo: παρ' ἣν τίθενται τὰ στρατόπεδα: ſenſu quem Latinè expreſſi, & res ipſa præfert.

» *Vt ſi exercitus in notam & patriam vrbem ingrediatur.*] Pulchra imago & apta, quæ ſic etiam in Vegetio: *Si rectè conſtituta ſunt caſtra, quaſi ciuitatem muratam videntur ſecum portare.* Et res ipſa eſt. Adeſte omnes non periti ſolùm, ſed ſapientes: nego aliquid aptius, & per omnes partes effectius, cogitari à vobis poſſe. Xenophon vt magnum in Cyri caſtris laudat, quòd εἶχον δὲ σημεῖα πάντες οἱ ἄρχοντες ἐπὶ ταῖς σκηναῖς *habebant ſigna quædam omnes Duces in ſuis tabernaculis.* Ex quo efficiebatur, inquit, *vt quemadmodum in oppidis induſtrioſi magis ſerui variorum domicilia norunt, & eorum maximè quorum opera*

Lib. I. cap. XXI. Caſtra inſtar vrbis.

Lib. VIII. Pæd.

crebra

A *crebra aut opportuna: ita in Cyri caſtris miniſtri eius & ſigna Ducum noſſent, & ſiquo eorum conſenſo opus eſſet, nihil quærerent, ſed rectà ſtatim ad eum irent.* At enim hîc non Duces ſolùm noti aut nobiles, & perpetuæ eorum ſedes: ſed ſinguli pæriè milites, in quâ claſſe aut manipulo quiſque eſſet. Polybij igitur comparatio veriſſima. Sunt hîc portæ, ſunt directæ viæ, ſunt fora, ſunt omnia dimenſa & diſpoſita, vt in ordinatiſſimâ ciuitate ſolent.

DIALOG. XIII.

De Exercitio Operis. Exempla aliquot eiuſmodi illuſtria.

ET de Agmine quidē iſta in occaſione, vtiliter an B neceſſariò dicta ſunto: ad *Opera* vocamur, ſecundā Exercitij partem. Quis ea quoque ſuggeret? quis Theſeus filum ſermonis huius diriget? non reperio, niſi quòd ſparſim tangunt & vniuersè. Vniuersè quidē ita Liuius. *Iam in Opere quis par Romano miles? quis ad tolerandum laborē melior?* Atque hoc ille, vbi Romanos cum Macedonibus cōparat, & hac parte lōgè anteiuiſſe adfirmat. Tamē & illi profectò hîc laudabiles. & Polybius eos deſcribit λειτουργοὺς, περὶ τὰς ταφρείας καὶ χαρακοποιΐας, ἢ πᾶσαν τὴν τοιαύτην ταλαιπωρίαν φιλοπονωτάτους: *operarios, & circa foſſiones & caſtrorū munitiones, & omnē eiuſmodi ærumnam laborioſiſſimos.* Sed haud dubiè ſuperarunt Romani: nec fuerūt, aut erunt, iſtâ re iis milites cōparādi. Horreſcit mihi animus (vero verbo vtor) cùm opera illorū video, nec à magnâ manu, nec in magno tempore fa- C cta. Gigantes fabulata eſt vetuſtas, & Perſicos quoſdā reges, qui montes ſtruxerunt, aut complanarunt? hîc veros eos habes. Iſti patrarunt, quidquid fidem ſuperat, & fieri humanâ manu vix poſſe videatur. Longus aut ſuperfluens ſim, ſi omnia colligam: rem aſſeram in paucis & illuſtribus exemplis. Cæſar dum in Galliâ eſt, præter alia Atuaticorum opidum obſidens, *vallo pedum duodecim, in circuitu quindecim millium paſſuum, crebriſque caſtellis circūmuniuit.* Vide & ſpatium, quod eſt *quindecim milliarium*, & valli continui altitudinem *pedum* XII. & pro tatâ latitudinem: amplius tot turres ligneas in ambitu exſtructas: admiratio te tanget in paucis diebus, ſolâ militari manu hæc confecta. Quid idem Cæſar, ingreſſu D Heluetiorum in Prouinciam excitatus? is verò *cum vnâ legione quam ſecum habebat, militibúſque qui ex prouinciâ conuenerant, à lacu Lemano ad montem Iuram, millia paſſuum nouemdecim, murum in altitudinem pedum ſedecim, foſſámque perduxit. Eo opere perfecto, præſidia diſponit, caſtella communit, quò faciliùs, ſi ſe inuito tranſire conarentur, prohibere poſſet.* Id quoque opus non multis diebus confecit, & Heluetios conſilio & aditu deiecit. Grāde mehercules ſpatium *nouemdecim milliarium*: non tam grandis munitio quæ ad Aleſiam eiuſdem Cæſaris, ſed operoſa magis & multiplex. Ipſa enim *in circuitu vndecim millia paſſuum tenebat*: ſed (poſteà addit) *foſſa fuit pedum viginti directis lateribus ducta.* Iterùm *ab eâ foſſa pedes quadringentos recedens*, reliquas munitiones inſtru- E xit. *En erant, duæ foſſæ quindecim pedes latæ, eâdem altitudine: quarum interiorem aquâ ex flumine deriuatâ implenit. Poſt iſtas, aggerem & vallum pedum duodecim exſtruxit: huic loricam pinnaſq́; adiecit, grandibus ceruis eminentibus, qui adſcenſum hoſtium tardarent. Et turres toto opere circumdedit, quæ pedes octoginta inter ſe diſtarent.* Adde iam alias minores foſſas, *Cippis* conſitas; & ſcrobes *Stimulis* repletas. Quid amplius? certè amplius. Nam iterùm, *his rebus perfectis, pro loci* A *naturâ, quattuordecim millia paſſuum complexus, pares eiuſdem generis munitiones, diuerſas ab his contra exteriorem hoſtē fecit.* Vides duplicatū totū opus, & poſt tot illas moles contra opidanos, alteras tantas adiectas contra externum hoſtem ſi adueniret. Ita incluſus vtrimque Cæſar opidum clauſit, & vim ſuſtinuit *ducentorum quadraginta millium* peditum, equitum *octo millium*, qui ſubſidio veniebant: & erant in ipſo opido hominum *millia ad octoginta.* Addo eiuſdem Cæſaris munitionem, quâ Pompeium ad Dyrrhachium clauſit, omnia omnium opera ſuperantē: *quâ millia paſſuum octodecim in circuitu erat complexus.* Ita enim in Cæſare ipſo ſcribitur; etſi in Floro paullo minus, & *ſedecim millia* reperies. Sed fas mihi dubi- B tare in his numeris, & ex Appiano valdè etiam augere. Nam ille de hac re: *Cæſar*, inquit, *aggreſſus eſt difficile & inopinatum opus, vt vno muro omnes Pompeij copias circumplexus, à mari ad mare eum duceret: etiam ſi cœptis excideret, magnā apud poſteros ſuper hac audaciâ gloriam laturus. Erant enim ſtadia ducenta & mille.* Hæc ita verbatim ex Appiano. Quæ ſi vera, abeſſe non poteſt quin ambitus operis fuerit, non *octodecim* aut *ſedecim*, ſed *centum quinquaginta* circiter milliarium. O rem incredibilem! ſed vix mihi, præſertim cùm verba Appiani attendo, τόλμημα, *magnum facinus*: itemque δυσχερὲς καὶ παράλογον, *arduum & ſupra fidem atque opinionem*: denique *tantæ gloriæ* apud poſteros appellantis & aſſerentis. Quorum nihil eſt, ſi nō niſi inuulgata illa magnitudo: quæ in eodem Cæſare, & ab eodem, alibi maior. Lucanum etiam qui inſpicit, (poëtam in his talibus non poëtam. fideliter C agit.) iudicabit pro numero illo maiore. Nam ipſe grandiore hoc opus attollit:

Franguntur montes, planumq́; per ardua Cæſar
Ducit opus, pandit foſſas, turritaq́; ſummis
Diſponit caſtella iugis, magnóq́; receſſu
Amplexus fines, ſaltus nemoroſaq́; teſqua,
Et ſiluas, vaſtaq́; feras indagine claudit.
Non deſunt campi, non deſunt pabula Magno,
Caſtraq́; Cæſareo circumdatus aggere mutat.
Flumina tot curſus illic exorta fatigant,
Illic merſa ſuos: operumq́; vt ſumma reuiſat,
Defeſſus Cæſar, medius intermanet agris.
Nunc vetus Iliacos attollat fabula muros,
Adſcribatq́; Deis: fragili circumdata teſtâ
Mœnia mirentur refugi Babylonia Parthi:
D *En, quantum Tigris, quantum celer ambit Orontes,*
Aſſyriis quantum populis telluris Eoæ
Sufficit in regnum, ſubitum bellíq́; tumultu
Raptum clauſit opus. quanti periere labores!

Et alia etiam præmiſit & ſubſerit, eiuſdem admirationis & magnificentiæ; fruſtrà, ſi non niſi vulgare aliquod in obſidiis opidorum opus. Conſidera verò quod ait, *magno receſſu ſaltus, teſqua, ſiluas*, incluſiſſe: & Magnum ſic clauſum *caſtra* tamen *mutaſſe*, pabuli copiā habuiſſe. Quî potuerunt hæc à tot legionibus, in vulgari illo ſpatio? Amplius, *Flumina* in eo ſpatio *oriri & deſinere* dicit: ridiculè, in eo minuto. Etiam Cæſar vno die extrema & *ſumma operis* ſui non videt: manſio nocturna interponi debet: nec id poteſt, niſi E numeris Appiani. Denique extra controuerſiam, comparat hoc ſpatium cum terris quas Orontes aut Tigris ambit quā non dicam fide, ſed fronte, ſi tam exiguum? Imò tota regna, inquit, in Oriente vix ſunt maiora. Hæc niſi ad vaſtum illud ſpatium refers, non ineptè ſolùm dicta, ſed ſtultè. A V D. Heu, res miras & nouas! alia iudicia induere cogor & ſenſus. L I P S. Quidni in rebus veteribus? quas ab ignauia aut impotentiâ noſtrâ metiri, deſipere eſt. Sed tu iam Appiano accedis? A V D. Pede timido. & Orotius

Lib. IX.

Macedonum, opera. Lib. V.

Cæſaris opus in Atuaticos.

Eiuſdem in Heluetios. I. Gallic.

Item ad Aleſiam. VII. Gall.

Item contra Pompeium. III. Ciuil.

Ambigui numeri. II. Ciuil.

Auctius ex Appiano.

Item ex Lucano.

A etiam retinet, in quo (ſi commemini) *quindecim milliaria* legi. LIPS. Vt voles, non te* vlteriùs impello: ſed hoc ſuperaddo, nihil magni mihi in iſtis vulgatis octodecim fore, cùm Licinius Craſſus opus ſtruxerit altero tanto maius. Leges in Plutarcho, bello Spartacio, *Cùm fugitiui peninſulam Bruttiorum inſediſſent, quæ circa Regium, Craſſum inſecutum aſſediſſe, & eum in breui tempore* (verba & hæc nota) *foſſam à mari ad mare duxiſſe, per ceruicem peninſulæ, ſtadiorum trecentorum, latitudine & altitudine quindecim pedũ. Super foſſam verò vallum ſtruxiſſe altitudine & firmitate mirandum.* Sunt totidem in Græco penè Plutarcho verba. Atque ecce, ſi hæc foſſa *trecentorum ſtadiorum*: ergo milliarium *trigintaſeptem cum dimidio*: duplo maius Cæſariano illo opus, præſertim cũ vallo tam firmo & alto. AVD. Eia, iam credo, manum tollo. Sed addoce, poſteà etiam in vſu hæc Opera? B LIPS. Poſteà. Auguſtus certè aut eius Legati vſurparunt: vt bello in Cantabros Florus auctor, *Medullium montem perpetuâ quindecim milliarium foſſâ obſidione cinctum.* Magis magna Appianus de eodẽ iſto Octauiano, ciuili bello ad Peruſiam. Facit eam vrbem circumuallatã ab eo primùm *quinquaginta ſex ſtadiorum ſpatio*, nec longiore, ob tumulos qui impediebant: ſed brachia inde ducta ad Tiberim, quæ vſum fluminis eriperent: poſteà alias foſſas vallúmque ſtructum, *additis mille quingentis ligneis turribus quæ ſexaginta pedes inter ſe diſtarent.* Ex hac turriũ diſtantiâ, valli vtriuſque (duplex enim fuit) magnitudinem dimetiare. Quid Hadrianus Imp. & Seuerus, qui vallo & foſsâ Britannos, per multa milliaria, à C barbaris ſeiunxerunt? Plura etiam exempla: atque ea operæ & ſtructuræ melioris: vt pontium, baſilicarum, theatrorum, aquæductuum: & quæ talia peritè & adfabrè facta. Non quia olim in ipſis legionibus ſeorſum fabri: ſed quia ipſi milites, aut aliqui inter eos, longo vſu ſic docti, & mixti fortaſſis aliqui ex profeſſo tales, denique præerat & dirigebat Præfectus fabrûm. At tẽpore Vegetij & ſuprà, quæque iam legio *habebat fabros lignarios, ſtructores carpentarios, ferrarios, reliquoſq; artifices* ad hos vſus. Itaque etiã in pace & otio, ſed contra otium; militari manu nõ ſutura multa ſtruebant. Flaminius Conſul apud Liuium, *ne in otio militem haberet, viã à Bononiâ perduxit Aretium.* D Apud Frontinum: *P. Naſica in hibernis, quamuis claſſis vſus neceſſarius non eſſet, ne tamen deſidiâ miles corrumperetur, naues ædificare inſtituit.* Auguſtus in Suetonio, *Foſſas Nili manu militari deterſit.* Domitius Corbulo apud Tacitum, *ne ſegnem militem attineret, inchoatum à Druſo aggerem, Rheno coercendo, abſoluit.* Vopiſcus de Probo Imp. *Milites otioſos eſſe numquam eſt paſſus. Exſtant apud Ægyptum eius opera, quæ per milites ſtruxit in plurimis ciuitatibus. Põtes, templa, porticus, baſilicas, labore militum ſtruxit, ora fluminũ multa patefecit, paludes multas ſiccauit, atque in his ſegetes agróſque conſtituit.* Varia, imò omnis generis, opera vides à manu militum: quid ſi oppida etiam tota? Dio Caſſius Lugdunum illud, hodie nobile, à militibus ſtructum in otio teſtatur: & quid ſi pleræque colo- E niæ ab iis, qui in eas deductæ? ego nihil ambigo. O pulchras, ô ſalutares has curas! & quibus haud vanè adſcripſerim cultum & politum noſtrum hunc orbem. Maiores noſtri imitati in bello cœperant. & de Neruiis, Cæſar: *Vallo pedum vndecim, & foſſâ pedum quindecim, hiberna cingunt. hæc ſuperiorum annorum conſuetudine à noſtris didicerant.* Sed mox deſierunt, & noſtro æuo quod ſpecimen? Guicciardinus, prudens ille ab Italiâ hiſtoricus, pro magno & mirando refert, *Proſperum Columnam obſidione arcis Mediolanenſis, foſſas duas duxiſſe, ad intercludendum hoſtem, ſpatio milliaris vnius.* Rideo. & quid hîc noui? certum eſt, Romana caſtra cottidie latiùs & operoſiùs munita.

* Vide Analecta.

Craſſi opus in Spartacum.

Lib. IIII. cap. vlt.

Octauiani opera.

Et varia poſtea.

Fabri in legionibus. Lib II. cap. XI.

Li. XXXIX.

Lib. IIII. cap. I.

XIII. Ann.

V. Gallic.

DIALOG. XIV.

Armorum exercitia, quàm crebra, & quàm paſſim? Tum ordine quædam data.

AT de Operibus ſatis eſto: ego exſurgo, & porrò ambulo, & ſimul ad Exercitia venio *Armorũ*. Diligenter hæc quoque pars ab iis habita: & eſt ſanè proprium militis, arma peritè tractare & habere, ad defendendum aut offendendum. Quid in hac re Romani, memoriâ teneo Ioſephum, & narrare & laudare. Eius ſenſus, & fortaſſe verba:

Lib. III. Ex. id.

Quòd ſiquis alium Romanorum ordinem in militiâ inſpexerit, videbit hoc grande imperium eos habere virtutis meritum, non fortunæ beneficium. Non enim initium illis armorum ipſum bellum eſt, nec ſolùm cùm vſus aut neceſſitas eſt manus mouent, in pace feriati: ſed tamquam congeniti armis, numquam pauſam Exercitij faciũt, nec exſpectant occaſiones. Meditationes autem illis ſiue exercitia nihil à vero vſu fortitudinis & audaciæ abeunt, ſed quiſque cottidie miles omni alacritate tamquam à bello exercetur. Quo fit vt facillimè & penè ſine laboris ſenſu pugnas tolerent. Neque enim vel confuſio eos à conſueto ordine amouet & diſſipat, vel metus reddit attonitos, vel labor fatigatos. Sequitur verò victoria ſemper eos, cùm in hos pugnent qui non pariter confirmati. Nec ſanè errauerit qui dixerit, Exercitia eorum pugnas ſine ſanguine, Pugnas exercitia cum ſanguine eſſe.

IOSEPH.

Primùm magnificat Romanos, & iudicat eos Orbem terræ habere non Fortunæ beneficium, ſed Virtutis meritum. idque maximè docet ab exercitiis, quæ tam aſſidua, vt neceſſariò robur & peritia, ideóque & Victoriæ, iis adſint. Dicit:

» *Non enim illis initium armorum, bellum eſt.*] Non hercules, ſed ante bellum cogitant & præparantur ad bellum. Pulchrè Seneca: *In ipſâ ſecuritate animus ad difficilia ſe præparet, & contra iniurias fortunæ inter beneficia firmetur. Miles in mediâ pace ſine vllo hoſte decurrit, vallum iacit, & ſuperuacuo labore laſſatur, vt ſufficere neceſſario poſſit. Quem in ipſâ re trepidare nolueris, ante rem exerceas.* Ita ſapiens noſter ſcriptor, quem ſupra omnes Socratas veneror & miror. AVD. Indignantibus multis, & Agellios aut Diones tibi opponentibus. LIPS. Nunc iſta & iſtos mitte. ego ex animo ita cenſeo, qui eum ſcriptorem nõ amat, non ipſam Virtutem. De noſtrâ re, Theodericus rex apud Caſſiodorum: *Diſcat miles in otio, quod proficere poſſit in bello. Animos ſubitò ad arma non erigunt, niſi qui ſe ad ipſa idoneos, præmiſſâ exercitatione confidunt.* Hæc mera oracula ſunt. & miror acutum illum doctorem ab Etruriâ noluiſſe artem eſſe militiam, idque ob cauſſas quaſdam: ſed leues aut nullas, præut eſt vtilitas ab vſu, & per eum arte.

In pace exercitia. Epiſt. XVIII.

» *Numquam pauſam exercitij faciunt.*] Omni die exercentur, omni ætate exercentur. Vegetius: *Iuniores & noui manè & poſt meridiem, ad omne genus*

Iuniores bisque exercentur.

exercebantur armorum: veteres autem & eruditi, ſemel in die exercebantur. En diſcrimen. Tirones bis die, Veterani ſemel. Quid de militibus dicam? Ipſi duces faciebant, vt ſcientiam oſtentarent, & in exemplum. Talis Scipio, qui pòſt Africanus, deſcribitur à Silio:

Ipſi Imperatores.

Lib. VIII. Vt Scipio.

Ipſe inter medios ventura ingentia laudis
Signa dabat, vibrare ſudem, tranſmittere ſaltu
Murales foſſas, vndoſum frangere nando
Indutus thoraca vadum, ſpectacula tanta
Ante acies virtutis erant. ſæpe alite plantâ
Ilia perfoſſum & campi per aperta volantem
Ipſe pedes prævertit equum: ſæpe arduus idem
Caſtrorum ſpatium & ſaxo tranſmiſit, & haſtâ.

Vt Valerius. Lib. VII.

Laudat & P. Valerium Conſulem Liuius: *Non alius militi familiarior dux fuit, omnia inter infimos militum munia haud grauatè obeundo. In ludo præterea militari, cùm velocitatis viriumque inter ſe æquales certamina ineunt, comiter facilis, vincere ac vinci vultu eodem, nec quemquam aſpernari parem, qui ſe offerret.* Et de Pompeio Salluſtius: *Cum alacribus ſaltu, cum velocibus curſu, cum validis vecte certabat.* De eodem Plutarchus: *in bello ciuili iam ſenem & duodeſexaginta annos natum, peditem atque equitem, ſe inter ſuos aſſiduè exercuiſſe.* Ipſi Imperatores poſteà fecerunt. & de Traiano Plinius: *Quid apud milites? quam admirationem, quemadmodum comparaſti? cùm tecum inediam, tecum ferrens ſitim, cùm in illâ meditatione campeſtri militaribus turmis Imperatorum puluerem ſudoremque miſceres, nihil à ceteris niſi robore ac præſtantiâ differens. cùm libero Marte nunc comminus tela vibrares, nunc vibrata ſuſciperes; alacer virtute militum, & lætus quoties aut caſſidi tuæ aut clypeo grauior ictus incideret. Laudabas quippe ferientes, hortabariſque vt auderent: & iam audebant. Cùm ſpectator moderatórque ineuntium certamina virorum, arma componeres, tela tentares, ac ſi quod durius accipienti videretur, ipſe vibrares.* Ergo omnes exercebantur, atque etiam in dies. Quo ſenſu addit,

Vt Pompeius. In Pompeio. Et Traianus. In Panegyr.

» *Quiſque cottidie miles.*] Iam diximus, quòd in dies. ſed addo, quòd id maximè in Statiuis aut Hibernis, cùm quies ſcilicet à vero certamine & ab hoſte. Ideò in Plinio ad Traianum: *Cùm die Statiuorum proximum campum alacritate, diſcurſu, puluere attolleres.* Vegetius notat, nec pluuiis & hiemantibus diebus ceſſaſſe: ſed extitiſſe porticus quaſdam & baſilicas leuiter cannâ aut ſtramine tectas habuiſſe, in queis equites peditéſque exercerentur. Aliàs in campo. Inde *Campeſtres exercitationes* in Suetonio: *Meditatio campeſtris* ſuprà in Plinio: *Campidoctor* ipſe [illegible] (ita Gloſſæ reddunt) ſiue *Doctor armorum*, vt Vegetius. Certum hoc officium inferiore æuo: non certum veteri. ſed tunc Centurio aliquis aut miles annorum armorumque vetus docebat. Plinius Panegyrico: *Poſtquam exercitationibus noſtris non veteranorum aliquis, cui decus murale aut ciuica, ſed Græculus magiſter adſiſtit.* Ego verò talem elegiſſem, præ omnibus iis qui officio doctores. Vniuersè de Exercitio dictum: licuiſſet & decuiſſet fortitan partitè adiungere eius ſpecies & genera. ſed quæ ſermonum finis? & vt ij qui opido aut metæ accedunt quam deſtinant, magis properè properant: ſic ego, mi Auditor, præceptâ iam quiete feſtino. AVD. At ne nimis. Ego ex meo & militari vſu cenſeo, paullum te illa ſaltem libare. LIPS. Libare igitur. cape. Exercitia pleraque omnia Vegetius ſuppeditat, etſi haud vno loco. Ex ipſo aliiſque colligam, & diſpoſita (ita amo) ſubiecta oculis tuis ſunto. Primum ad Ordinem facit & gradum ſub ſignis: dicebatur

In quarte exercitia maximè.

Lib. II. Cap. XXIII.

Sub tecto, hieme. Sereno, in campo. Campidoctor.

Lib. I. cap. XI.

AMBVLATIO. Vegetius: *Nihil magis in itinere vel in acie cuſtodiendum eſt, quàm vt omnes milites incedendi ordinem ſeruent. Quod aliter non poteſt, niſi vt aſſiduo exercitio Ambulare celeriter & æqualiter diſcant.* Ecce, duo in hoc Exercitio ſpectantur, *Celeritas* in ordinato inceſſu, ſub ſignis & ſub armis; tum etiam *Æqualitas*, vt ſuis iuſtiſque interuallis. Idem alibi oſtendit curæ hanc rem fuiſſe bonis Imperatoribus: & *Vetus*, inquit, *conſuetudo permanſit, & D. Auguſti atque Hadriani conſtitutionibus præcauetur, vt ter in menſe, tam equites quam pedites educantur Ambulatum. hoc enim verbo hoc exercitij genus nominant. Decē millia paſſuum armati inſtructique omnibus telis pedites, militari gradu ire, ac redire in caſtra iubebantur. ita vt aliquam itineris partem curſu alacriore conficerent.* Inſigne & vtile factum. & in quo notes *decem millia paſſuum*: quæ tamen vereor vt accipienda ſint *viginti*. AVD. Corrigas igitur? LIPS. Minimè. non dixi: ſed accipienda, nec inuitis Vegetij verbis, vt ego diſtinxi. Sic enim ſonare ea volo, vt iuerint decem millia, eademque redierint: fiunt viginti. AVD. Nam quo argumento? valdè ad laborem addis. LIPS. Ex ipſo Vegetio, qui libro primo, capite illo ipſo de Ambulatione: *Militari gradu viginti millia paſſuum horis quinque, dumtaxat æſtiuis, conficienda ſunt. Pleno autem gradu, qui citatior eſt, totidem horis vigintiquattuor.* Hæc ſeriò notanda, vt ſcias quid in Cæſare aliiſque ſit, *Eo die iuſtum iter confectum*: quod eſt, quantum militari gradu vulgò ſolet, aut certè circa: ſic tamen, vt horas ſemper aliquot ſumas ad quietem. Ad Ambulationem hanc pertinet Spartiani locus in Hadriano: *Exemplo virtutis ſua ceteros adhortatus, cùm etiam vicena millia pedibus armatus Ambularet.* Vtitur enim & Ambulandi verbo, & tondē illa millia vicena exprimit. In Tertulliano nē obſcuro: *In pace, labore & incommodis bellum pati iam ediſcunt, in armis Deambulando, campum Decurrendo, foſſam Moliendo, teſtudinem Deſudando.* Legerim hoc vltimum, *deſidendo.* quia is habitus multorum in teſtudine, inclinantium ſe & ſubſidentium, vt fiat imbricatum illud decliue tectum. Alibi explicandum. Nunc ſecundum inter exercitia,

Lib. I. cap. XXVII.

Vegetius illuſtratus.

Iuſtum iter diurnum.

Ad mart. cap. III. In Tertulliano nota.

DECVRSIO. Haud longè ab Ambulatione eſt, & fit in armis, & ſub ſignis. Finem & fructum Vegetius pandit: *Ad curſum præcipue aſſuefaciendi ſunt milites, vt maiore impetu in hoſtem procurrant; vt loca opportuna celeriter occupent; vt ad explorandum alacriter pergant; vt fugientium terga faciliùs comprehendant.* Nominauit Tertullianus ſuprà: & Seneca: *Miles in mediâ pace decurrit ſine vllo hoſte, & vallum iacit & ſuperuacuo labore laſſatur, vt ſufficere neceſſario poſſit.* Item Liuius inter militaria exercitia ludoſque quos Scipio inſtituit: *Primo die Legiones in armis quattuor millium ſpatio decurrerunt.* Spatium & illic habes, grande profectò ſi attendis curſum non itum fuiſſe. Capitolinus de hac ipſâ, in Maximinis: *Quintâ quaque die iubebat milites decurrere.* Suetonius Nerone: *Indictâ decurſione Prætorianis, ſcutum ſuâ manu prætulit.* Idem in Galbâ: *Ipſe maxime inſignis, quòd campeſtrem decurſionem ſcuto moderatus, etiam ad eſſedum Imperatoris per viginti millia paſſuum cucurrit.* Notanda hæc exempla, & timanda vt admiremur. Cucurrit, inquit, viginti milliaria ad eſſedum, nempe incitatiùs: idque cùm iam prælato ſcuto etiam decurriſſet. Magnum robur, & ſpiritus Galbæ, fateri oportet: ſed quid de ſcuto ibi laudatur? Puto tale eſſe, quòd viri Principes & Duces, armigeros haberent, qui ſcuta ferrent: & quamquam in exemplum decurrerent, tamen plerumque ſine onere ſcuti. At Nero & Galba contrà: & vterque ſcutum ſuâ manu prætulit, ſic exerciſum. Hæc Decurſio ad Tubam facta, & ad eandem reuocata. quod Vegetio ſcriptum libro II. cap. XXII. Tertium

Lib. I. cap. IX.

Epiſtol. XVIII.

Lib. XXVI.

Cap. VII.

Scuta prælata aut prælatum.

Lib. i. cap. ix.

SALTVS. Eius vtilitas in Vegetio: *Ad ſaltum etiam exercendus eſt miles, quo vel foſſa tranſiliuntur, vel impediens aliqua altitudo ſuperatur. vt cùm eiuſmodi difficultates venerint, poſſit ſine labore tranſire.* Silius ſuprà de Scipione: —— *tranſcendere ſaltu Muralis foſſas.* Et Salluſtius de Pompeio: *Cum alacribus ſaltu certare.* Quartum

Lib. iii. cap. iv. * Ipſis caſtris In Tiberi natabant.

NATATIO. Aperta vtilitas. Vegetius de ipsâ re: *Seu mare ſeu fluuius vicinus eſt * ſedibus, aſtiuo tempore ad natandum cogendi ſunt omnes.* In ipsâ vrbe, aut ad vrbem, hoc olim factum. & *Romani veteres* (ait alio loco idem Vegetius) *Campum Martium vicinum Tiberi ideò delegerunt, in quo iuuentus poſt exercitium armorum, ſudorem puluerémque dilueret, ac curſus laſſitudinem natandi labore deponeret.* An non *lauore deponeret*? nec labor ſanè laſſitudinem ſedet. Fuit & Piſcina huic rei, in Feſto: *Piſcinæ publicæ hodieque nomen manet, ipſa non exſtat, ad quam & natatum & exercitationis alioqui cauſâ veniebat populus.* Cum curâ res habita, imò parentes quidam ipſi liberos ſuos docebant. vt Cato Priſcus apud Plutarchum, *Filium ſuum præiuit & docuit ipſe, non ſolùm iaculari, aut armis depugnare, & equitare, ſed & pugillatum exercere, & æſtum ac frigus ferre, ac fluminum verticoſa aut rapida, natando ſuperare ac tranſmittere.* Ergo iam ſero in Suetonio legi, de Auguſto: *Nepotes & litteras, & natare, & alia rudimenta per ſe pleraque docuit.* Etſi *notare* ibi aliquando arriſit: nec nunc ſanè aſpernor. Cogito enim Auguſtum ſplendore & æſtimatione ſui ſupra Catonem fuiſſe, & vix illum iam ſenem ad hęc externa ſe demiſiſſe. Tamen eſto, errauerim: quid noui aut mali in his talibus? Pertinacia aut aſſertio odio eſto; aberratio riſui, aut veniæ. Vetus eſt:

In Piſcinâ. — In Caton. — Cap. lxiv.

Αἰ πολλὰ βάλλῃς, ἄλλοτ' ἀλλοῖον βαλεῖς.
Si multa iacias, aliter aliâs ieceris.

Quintum in exercitiis,

PALARIA. Ampliter de his Vegetius lib. i. cap. xi. quem lege. Quid fuêre? non aliud quàm armorum exercitium & pugnæ, quæ in manibus eſſet. Statuebatur palus in terram rectus & fixus, qui ſex pedes emineret ad modum hominis: eumque hinc illinc tyro aſſiliebat, & variis ictibus, aſtante magiſtro, petebat. *in qua exercitatione,* ait Vegetius, *ſeruabatur illa cautela, vt ita tiro ad inferendum vulnus inſurgeret, ne quâ ex parte ipſe patêret ad plagam.* Meminit huius exercitij Seneca: *Exerceamur ad palum, & ne fortuna imparatos deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris.* In Spartiani Hadriano legitur: *Equitauit ambulauitque* (nota de Ambulatione) *plurimùm, armiſque & pilo ſe ſemper exercuit.* At ego verò *palo* mauelim: & duplex genus exercitij intellegi, *Armaturam,* & *Palaria.* Eſt tamen iterùm in Vopiſci Aureliano: *Nullum prætermiſit diem, quamuis feſtum, quamuis vacantem, quo non ſe pilo & ſagittis ceteriſque armorum exerceret officiis.* Sed nec ibi religio mihi ſit in vicinam vocem *Pali* demutare. Sanè Pilum & Iacula aliorſum pertinuêre, nempe ad id quod ſubiungam. Nunc de Palo, etiam in Iuuenali (ô Vetus ſpecta & ride) cùm de fœminis:

Epiſtol. xviii. — Spartianus em. ſtatuitur.

Quis neſcit aut quis non vidit vulnera pali?
Quem cauat aſſiduis ſudibus ſcutoq; laceſſit.

Pro *Sudibus, Rudes* ibi mallem, & mecum vetus interpres, qui *Ferulis* interpretatur. Quæ in Saturnalibus ſcripſi, huc adtexe. Sextum,

Lib. i. cap. xiii.

ARMATVRA. quod leuium fuit, vti Palaria grauium. De eo Vegetius: *Illo exercitij genere quod Armaturam vocant, & a Campidoctoribus traditur, imbuendus eſt tiro.* Adde ſequentia capita: diſces, non aliud quàm haſtilium, iaculorum, pilorum, ſagittarum miſſionem ſub hoc nomen veniſſe. Cauſſa, quòd ipſi leues milites dicti tunc *Armatura.* Olim quidem, iuncto nomine altero *Leues armatura,* Liuio atque aliis: ſed compendio poſteà, ſic vt poſui. Vegetius: *Poſt hos erant ferentarij & leues armatura, quos nunc Exculcatores & Armaturas dicimus.* Aliæ ſunt ab iſtis, de quibus Græcorũ ſcholia: Ὁπλομαχέσαι, ὑπὸ Λατίνων Ἀρματοῦρας, οἷοί περ εἰσὶν οἱ μεθ' ὅπλων ὀρχούμενοι: *Armiſalij, quos dicunt Armaturas, quales ſunt qui cum armis ſaltant.* Credo hoc intellegi ab Artemidoro, & ὅπλον ſimpliciter dici: τὸ ἢ ὅπλον τὸ λεγόμενον, παρολκὰς σημαίνει. τελευταῖον γὰρ καὶ ἐπὶ πᾶσι τὸ ἆθλον: *Quod Arma dicunt, dilationes & moras ſignificat, eſt enim vltimum & poſt alia premium.* Inter Agones ponit, ſiue ludos Gymnicos; & Plato recenſet lib. viii. De Legibus. Non id ad nos, & eſt Pyrrhica quædam, aliena à ſeriâ militiâ: ad noſtram Seneca: *Iuuentutem maiores noſtri rectam exercuerunt, haſtilia iacere, ſudem torquere, equum agitare, arma tractare.* In Silio ſuprà: —— *vibrare ſudem.* Fortaſſe & hoc Feſti: *Sub vineam iacere dicuntur milites, cùm adſtantibus Centurionibus iacere coguntur ſudes.* Item iſtud priori explicando: *Sub vitem haſtas iacere dicitur veles, cùm eas ſub manu ſurſum mittit.* Nota autem & hîc adſtitiſſe Centuriones (in Feſti verbis) quaſi arbitros & doctores. An non huc propriè faciunt Iuuenalis verſus illi?

Armatura de Leuibus. Lib. iii. cap. xv. — De ſaltantibus armatis.

Tu ſcabie frueris mali, quod in aggere rodit
Qui tegitur parmâ & galeâ, metuensq; flagelli
Diſcit ab hirſutâ iaculum torquere capellâ.

De Iuuenalis verſibus diſceptatio.

Quidam, imò plerique volunt, etſi iam diu litigatur ſuper germanâ ſententiâ in Senatu noſtro litteratorum. Nuper conſularis vnus cenſuit, legendum in poſtremo verſu, *hirſuto Capellâ*: vt viri nomen ſit, nempe Centurionis alicuius aut armorum doctoris. Ille hirſutus & piloſus, vt ſolent fortes & minimè molles. Fundus & auctor huic ſententiæ Scholiaſtes vetus, in quo eſt: *Capellâ ſene magiſtro, campi doctore.* Sed nulla inuidia ſit cenſere aut ſapere aliquid etiam præter veteres: ego hîc facio, & aliorſum totam rem traho. Primùm, ſi de tirone ij verſus: cur illum maximè in exemplum aduocat vilium ciborum? cur parmâ tegit, quæ iam deſierat? cur poma in caſtra transfert, quæ ibi rariſſima? Sed reſpondent de pomis è Plinio, & ſtabiliunt ſententiam eo fulcro. Nam ille ſic de Ziziphis & Tuberibus: *Sex. Papinius, quem Conſulem vidimus, primus vtraque attulit* (in Italiam) *Diui Auguſti temporibus, in caſtrorum aggeribus ſata, baccis ſimiliora quàm malis, ſed aggeribus præcipue decora, quoniam & in tecta iam ſiluæ ſcandunt.* Vbi nihil equidem pro hac re video, imò contrà. Plinius ait ſeri iam & arbores in aggeribus caſtrorum: ſed quas? peregrinas, & quę in deliciis: atque ipſe in eâ re indignatur. Quid cenſes igitur vilia illa poma hîc intellegi à poëta? Imò in pretio fuerunt: etſi reuera vix poma, & ſimilia baccis, vt ait Plinius: ſed exotica erant, & vmbræ ac decori magis cauſâ in caſtris hibernis ſata. Quin iſtæ aut ſimiles erant *Trichila* & vmbracula caſtrorum, de quibus * poſtea monebo. Tamen demus etiam de vilibus ibi pomis: an quod ſequitur, cadere in Tironem poteſt? Ait, *metuentem flagelli.* Nemo liber ei ſubiectus, aut eius metuens, nedum miles. Vitis aut fuſtis eos puniit, non flagrum. Quid ergo eſt? pro meo ſenſu, Venator hîc deſcribitur & beſtiarius, qui feras iaculari condiſcit in capellâ. Quòd talis, omnia addocent. Tegitur parmâ & galea; vt ſolent iaculatores iſti & leues. metuit flagellum, ſub eo enim arenarij & totum hoc genus erat, intimæ conditionis ſerui. Docui in Saturnalibus noſtris: & addes ſis propriè de Venatoribus locum Tertulliani: *Alij inter venatorum taureas patientiſſimis ſcapulis inambulauerunt.* De Chriſtianis loquitur, qui

Lib. xv. cap. xiv. — * Dial. xvi. — Ad Mart.

damnati ad beſtias, fortes & alacres ſuſtinuerant verberari taurinis illis tergis, id eſt flagellis. Claudianus etiam de hiſce ludis:

——— inſomnis cum verbere ſigna magiſter.

& noti ſunt Maſtigophori, Græcis in hac re dicti. Iam de vtilitate cibi, in tenues iſtos & inopes conuenit, famelicos ſemper, nec in gladiatoriâ ſaginâ. Leue enim hoc genus & ſtrictum eſſe debebat. Denique *in Aggere* conuenit. quo? non illo caſtrenſi, ne errent: ſed vrbano, & qui Romæ. Nam fuit à Tarquinio rege ſtructus agger, *opere imprimis mirabilis*, ait Plinius. quem magis explicat Dionyſius: *Vrbs*, inquit, *ab Eſquilinâ portâ Collinam vſque opere munita eſt. nam foſſâ cingitur latâ centum pedes, & ſupra foſſam muro ſiue aggere alto & lato.* Strabo item libro v. in deſcriptione Romæ: vbi Aggerem hunc in *ſex ſtadia* producit. Scholiaſtes Iuuenalis nominat: *Iuxta Aggerem primus caſtra poſuit Seianus, id eſt iuxta Diocletianas.* Ipſe Iouenalis alibi:

Agger Romæ. — Lib. ix.

Plebeium in Circo poſitum eſt & in Aggere fatum. (Sat. vi.)

Iterùmq;: *Aut quæ ventoſe conducta ſub Aggere texit.* (Sat. x)

Vtrobique oſtendit viliores & paupertinos illic egiſſe. Nominat & Victor, ac ponit, *Campum Viminalem ſub Aggere.** Plures alij, ſed ſignanter Horatius:

Nunc licet Eſquiliis habitare ſalubribus, atque
Aggere in aprico ſpatiari.

* Suet. in Calig. Lamprid in Elagab. Lib. i. Sat. viii.

Et oſtendit ambulationes illîc & circulos fuiſſe. Idem Fabius de Voce: *Adducit animos naturali voluptate vox omnis, neque aliunde illi per fora atque Aggerem circuli.* Scito igitur & iuniores nouitióſque Beſtiarios illîc exercitos & à magiſtris doctos. AVD. Mihi verò in fronte ſententia tua ridet: à tergo eſt quod diſplicet. Quomodo enim didicit *à Capellâ iaculari*? niſi tu explicas. LIPS. Iam explicaui, ſed breuiter, & te fugit. Ecce, diſcere debebat rectà ferire feram aut beſtiam currentem, emiſſo iaculo. itaque diſcebat & experiebatur in capellâ. Nam in leone aut vrſo periculum facere; id verò periculum. nec aut ſoluere feras iſtas expediebat, aut lædere, imò nec laceſſere: denique integræ ſeruabantur ad ipſos ludos. Ne vltrà de iſtis; tepidi iecoris es, ſi hæc non capis. AVD. Capio. ſed de Capellâ argutum eſt, fateor: etiámne omnibus probandum? LIPS. Vt volet quiſque. & ſi *hirſutum Capellam* aliquis mauolt, facito: ſed cum ſenſu illo tamen à me dicto. Supereſt inter Exercitia

SALITIO. Ea ad equites ſpectat: diſcebantque celeriter & expeditè, ab vtrauis parte, gladiis etiam ſtrictis, aut contum tenentes ſaltare in ligneum equum. Res tota deſcripta Vegetio lib. i. cap. XVIII. quem vide. Neceſſarium hoc illi æuo, quod adiumenta ad ſcandendum in equis nulla habuit. AVD. Non aliud in exercitio equitum? LIPS. Imò verò, curſus, flexus, orbes, aliáque didicêre: etſi ſeorſim Vegetius non dixit. Noſtri equites reuocâre côcurſus quoſdam ludicros, quos * *Torneamenta* & *Gioſtra* vocant: ſed ij ad delicias ferè verſi & oblectamenta aulæ. Si vis de iis iam ante ſæcula aliquot videre quid fuerit; lege Nicephorum Gregoram, & Nicetam Choniatem in Græcorum rebus, ſed hunc maximè, qui floridè & vberrim deſcripſit, an depinxit?

* Otho Fruſing. Torneamenta vocat.

DIALOG. XV.

Ad leges itum, ac primò de eâ quæ Furta tangit, tum quæ prædam.

ME ſeria noſtra vocant, & veni ad vltimam Diſciplinæ partem LEGES. Euge, recte ot, aora à terrâ adflat. Dico Leges, *inſtituta militia ſcripta aut non ſcripta*. Ea multa & varia fuiſſe ſcio, ſed pauca Polybius ſuppeditat, quæ perſequamur. Primum eſt, quod *Furta* tangit. Eorum quia magna occaſio & materies in caſtris, vbi pleraque aperta & incuſtodita; placuit ſeuerè cohibere & punire. Verba in hanc rem Polybij habes:

POLYB.

Μετὰ δὲ τὴν στρατοπεδείαν συναθροισθέντες οἱ χιλίαρχοι, τοὺς ἐν τῷ στρατοπέδῳ πάντας ἐλευθέρους ὁμοῦ καὶ δούλους ὁρκίζουσι καθ' ἕνα ποιούμενοι τὸν ὁρκισμόν. ὁ δ' ὅρκος ἐστὶν, μηδὲν ἐκ τῆς παρεμβολῆς κλέψειν, ἀλλὰ κἂν εὕρῃ τις τοῦτ' ἀνοίσειν ἐπὶ τοὺς χιλιάρχους.	*Poſt metationem caſtrorum, Tribuni conuocantes omnem copiam, tam liberos quàm ſeruos, iuramento adigunt viritim, quod tale eſt: Nihil è caſtris furto tollere, imò ſiquis inuenerit quidpiam, id ad Tribunum relaturos.*

» *Poſt metationem caſtrorum.*] Intellege, primam & ſtatim vt Dilectus habitus eſt, & educti ſunt in campos.

» *Tam liberos quàm ſeruos.*] Valde notandum, hoc iuramentum calones & ſeruitia etiam aſtrinxiſſe, & quidquid humanorum capitum in caſtris.

» *Adigunt viritim.*] Quò maior religio & firmior, nec per centurias aut manipulos hic iuratur.

» *Quod tale eſt.*] An ipſa igitur illa verba quæ ponit? Sed Cincius apud Agellium plenius & diſtinctiùs repoſuit, quæ antiquæ prouidentiæ cauſsâ opus eſt recitari, *Cùm dilectus*, inquit, *antiquitus fieret, & milites ſcriberentur, in iuſiurandũ eos Tribunus militaris adigebat in verba hæc:* IN MAGISTRATV *C. Lælij C.F. Conſulis, L. Cornelij P.F. Conſulis, in exercitu decémque millia paſſuum prope, furtum non facies dolo malo, ſolus neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies ſingulos, extráq; haſtam, haſtile, ligna, pomum, pabulum, vtrem, follem, faculam, ſiquid ibi inueneris ſuſtuleriſve quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, vti tu ad C. Lælium C.F. Conſulem L.ve Cornelium P.F. Conſulem, ſiue quem ad vtrum eorum ius erit, proferes aut profitebere in triduo proximo, quidquid inueneris ſuſtuleriſve, ſine dolo malo; aut domino ſuo, cuium id eſſe cenſebis, reddes, vti quod rectum factum eſſe voles.* Accurata & pulchra formula, digna examinari, ſi otium nunc eſſet. Sed ab Polybium me recipio. & quæ autem pœna, ſiquis in hac culpâ? neuter hîc expreſſit: ſed Polybius infrà clarè dicit, *Fuſte percuſſum qui furto aliquid abſtuliſſet è caſtris.* Hem! non hîc quadrupli, aut alia mitior pœna? nulla, ſed abſciſſa omnia, vt in cetero delicto militari. Exempla hercules etiam poſteriore æuo reperio. vt in Suetonij Tiberio: *Is*, inquit, *militem Prætorianum ob ſurreptum è viridario pauonem, capite puniuit.* Eſto de Pauone, quid in vili vno gallinaceo? Spartianus auctor, *Peſcennium Nigrum ob vnius gallinacei direptionem, * decem commanipulones, qui raptum ab vno comederant, ſecuri percuti iuſſiſſe.* Iſta noſtris moribus miracula & mera monſtra ſunt, ſed, Deus bone, pulchra: & laudare liceat, ſi non lubet imitari. AVD. Iſta profectò ſunt * παλαιοῦ κόμματος, vt Græci dicunt: eiuſmodi nummos non cudit noſtra Moneta. Sed aueo quærere. furta ſi ſic vetita, an etiam in hoſtico? non licuit prædari, rapere, res hoſtiles? LIPS. Dubito, an ſic paſſim, & ſparſim. In Salluſtio lego inter flagitia militiæ relatum, quòd Albiniani milites *ab ſignis aberant, hiæ permiſſi cum militibus diu noctúque vagabantur, & palantes agros vaſtarent, villas expugnarent, pecoris & mancipiorum prædas certantes agerent.* Hæc,

Lib. xvi. cap. iv. — Furta fuſte morè puniti. — Cap. lx. — In Peſcennio. — * Non tot in Contubernio fuiſſe, vt dixi. — * antiqua moneta. — Prædatio non libera. In Iug.

inquam,

inquam, inter turpia & dedecora, quæque aduenïens Metellus recidit. Non ergo libetum ius ſic prædari: ſed credo per manipulos, cohortes, legiones ſæpe miſſos milites, vt agerent ex hoſtili terrâ & ferrent: ſed cum lege, quam ex Polybio iam dicam, vt communis nempe ea præda eſſet. Sæpè dico, non ſemper: nec iſtud ſtudium bonos vmquam milites aut fecerit, aut ſeruarit. Romani igitur auaritiæ huic, & quæ aſſita eſt, iniuſtitiæ coërcendæ, Prædam omnem in publicum ferè vindicabant, & ad Quæſtorem iubebant deferri. Plautus alludens. *Nunc hanc prædam omnem iam ad Quæſtorem deferam.* Atque is diuendebat. & ex pecuniâ militi perſoluebat. Decius quidam in accuſatione M. Coriolani, apud Dionyſium hoc ſic exprimit: *Scitis omnes, quòd ſpolia & præda ex hoſtibus, quamcumque noſtrâ virtute adipiſcimur, eam lex iubet publicam omnem eſſe. Nec ſolùm gregarius miles aut priuatus aliquis ius in hanc non habet, imò nec ipſe Imperator. Sed Quæſtor eam accipiens diuendit, & pecuniam in ærarium publicum refert. Quā legem, ex quo vrbem hanc incolimus, nemo non dicam ſoluit, ſed nec culpauit.* Pulchrè & clarè Dionyſius: & in eius verba paſſim in hiſtoriis ſunt exēpla. Præda igitur plurimùm relata in publicum: & ſiquando militi conceſſa, ad excitandum eum in re aliquâ arduâ, id quoque ſub lege & diuiſionis normâ. Siqua res, prudenter & hæc à Romanis aduerſa, prudentiſſimè cauta. Quot victores exercitus prædæ ſectatio hæc afflixit? illâ & victoriâ ſimul exuit? nota & aſſidua exempla ſunt. Cauerunt Romani hac lege vel inſtituto, quod ipſis Polybij verbis dicam. Ille in libro Hiſtoriæ ſuæ decimo, cùm Carthago Noua capta à Scipione eſſet, & in eâ magna præda.

Præda publicata.

Lib vii.

Præda æqualiter diuiſa.

Eſt Romanis eiuſmodi mos & adminiſtratio in expugnationibus opidorum. Aliâs enim ſingulis diebus diuidunt copias iuxta vrbis magnitudinem; aliâs per manipulos diſtribuunt. ſed ſic, vt nunquam plus dimidiâ parte ad hanc rem adſumant. Reliqui in ordinibus ſuis manentes ſunt in ſubſidiis, interdum extra vrbem, interdum in ipsâ, ita vt ſemper tamen ſe oſtendāt. Copiis verò plurimū diuiſis in duas legiones Romanas, in duas alas Sociales (rarò enim omnes quattuor legiones ſimul conueniunt) omnes qui ad prædam & raptus deſtinati ſunt, ferunt quiſque ea quæ ceperint ad ſuas Legiones vel Alas. Quo facto, Tribuni æqualiter omnibus diuidunt, non ſolùm iis qui in præſidiis aut ſubſidiis fuerunt, ſed & qui caſtra ſeruauerunt: itemq́ue ægris, ſauciis, aut ad munus aliquod aliò miſſis. Quòd verò nihil fraudaturi ſint aut ſubducturi è prædâ, id omnes iurant cumprimùm in caſtra veniunt ituri ad bellum. quâ de re pluribus dictum eſt nobis in iis que De republicâ ſcripſimus. Ceterùm, cùm ſic dimidia militum pars ad prædam diſcurrit, dimidia, ſeruatis ordinibus, iis curat & ſubſidiatur; numquam euenit periclitari Romanos de ſummâ rerum. Spe enim lucri certâ inter omnes, ſiue maneant ſiue prædas agant, nemo locum ordinemq́ue deſerit. quæ res ſæpe noxæ aliis ſolet eſſe.

Vides Romanum laudabile inſtitutum, perpetuum in omni prædâ. Imò verba paullùm ſcrutemur. Ait:

» *Aliâs ſingulis diebus diuidunt copias.*] Id eſt, interdum cottidie permutari milites qui maneant, qui rapiant: interdum minimè, ſed ſemel per manipulos ſeponi & ſecerni. Puta, ex quaque legione vel alâ, quinque cohortes mitti, quinque ad ſigna retineri.

» *Numquam plus dimidiâ parte.*] Prouidè & ex tuto. in hoſtem profligatum quidni dimidia pars victorum ſufficiat? abundè.

» *Copiis plurimùm diuiſis in duas legiones Romanas.*] Sententia eſt. cùm duæ ſint partes totius exercitus, Ciues & Socij: horum iterùm duæ, Legio duplex: Ala duplex: ſeruari, vt qui ad raptus miſſi, quiſque ſua ad ſuos ferat, ciues ad ciues, ſocij ad ſocios. nec id tantùm, ſed ad talem legionem ſuam, ad talem alam: omnia confuſioni vitandæ, & vt noti veniant ad notos. Cur verò Socij æqualiter ſic mixti? quia pars eorum æqualis. Dimidium prædæ in omni diuiſione habebant, idq́ue ex vetere inter ipſos pacto. Dionyſius promit in fœdere icto anno Vrbis CCLXI. *Auxilia inuicem ſibi ferunto* (Romani & Latini) *ſiquis bello petantur, totis viribus. Spoliorum & prædæ ex bello æquam partem ſorte vtrique accipiunto.* Nota etiam de *ſorte*, quam interueniſſe vbi res diuidebant, intellegimus, non vbi manubias ſiue pecuniam ipſam. Hæc res vna eſt inter præcipuas, quæ ſocios tot ſæculis tenuit in fide, lucellum, & gloria, ex aſſiduis & felicibus bellis.

Socij æquas partes capiunt.

Lib xi.

» *Quòd verò nihil fraudaturi ſint.*] Memorat iuramentum nunc contra ſubtractiones aut fraudes: iuramentum illud ipſum, quod iam explicatum. Et nota, quòd hoc ſcriptum ſuum (quod nunc commentamur) aduocat, & germanum ſuum oſtendit. De Furtis ſatis eſto. à quibus quàm caſti Romani, & quàm manus eorum continentes, exemplo illuſtri docuerit Frontinus; *Vniuerſi quoque exercitus notabilis ſæpe fuit continentia: ſicuti eius qui ſub M. Scauro meruit. Nam memoriæ tradidit Scaurus pomiferam arborem, quam in pede caſtrorum amplexa fuerat metatio, poſtero die abeunte exercitu, intactis fructibus relictam.* Iuſtitia vbi es? redi è cælo, & ſi terras iterùm inhabites, non aliter fiat.

Lib iv. cap. iii. Mira abſtinentia Romanorū.

DIALOGVS XVI.

De ſtipendio militum, eius origine & auctu. De Frumenti modo, & hordei. de iis quæ ad victum.

AVo. Stipes ſit, qui non ſtupeat, fateor: ſed tamen, ſi hîc ita continentes, an igitur aliunde lucra magna quæ implerent? an non ſtipendium pingue & largum? LIPS. Ducis me quò iter affectabam. Nam id quoque mirabile, quàm exiguo ære meruerint; etiam tunc cùm publicè diuites, priuatim in re anguſtâ. Et ego Philoſophis ſeriò hoc aſſentior, opes eſſe quæ vitiant, quæ effæminant, de quarum capite ſemina malorum orta. Vide igitur de Stipendiis, quod doctor noſter ita dicit:

Ὀψώνιον δ' οἱ μὲν πεζοὶ λαμβάνουσι τῆς ἡμέρας δύο ὀβολούς, οἱ δὲ ταξίαρχοι διπλοῦν, οἱ δ' ἱππεῖς δραχμήν. σιτομετροῦνται δ' οἱ μὲν πεζοὶ πυρῶν ἀττικοῦ μεδίμνου δύο μέρη,	*Stipendium pedites accipiunt in diem duos obulos, ductores Ordinum duplum, equites drachmam, id eſt triplum. Frumēti modum accipiunt pedites Attici medimni duas partes*

Polyb.

μάλιστά πως. οἱ δ᾽ ἱππεῖς κριθῶν μὲν ἑπτὰ μεδίμνους εἰς τὸν μῆνα, πυρῶν δὲ δύο. τῶν δὲ συμμάχων οἱ μὲν πεζοὶ τὸ ἴσον, οἱ δὲ ἱππεῖς πυρῶν μὲν μέδιμνον ἕνα καὶ τρίτον μέρος, κριθῶν δὲ πέντε. δίδοται δὲ τοῖς μὲν συμμάχοις τοῦτ᾽ ἐν δωρεᾷ, τοῖς δὲ ῥωμαίοις τοῦτε σίτου καὶ τῆς ἐσθῆτος, κἄν τινος ὅπλου προσδεηθῶσι, πάντων τούτων ὁ ταμίας τὴν τεταγμένην τιμὴν ἐκ τῶν ὀψωνίων ὑπολογίζεται.

admodum; equites hordei ſeptem medimnos in menſem, frumenti duos. Socij, pedites capiunt par Romanis, equites verò frumenti medimnum vnum & trientem, hordei quinque. Datur hoc autem ſociis muneri, Romanis verò & frumenti & veſtium, & ſi quibus armis egeant, omnium horum nomine Quæſtor certam definitamq́; pecuniam de Stipendio deducit.

Stipendium triplex, in *Pecuniâ, Frumento, Veſte*: quæ omnia aut tractat, aut tangit. Primùm de Pecuniâ, *Accipiunt*, inquit,

„ *Stipendium pedites in diem duos obulos.*] Quod nos *Stipendium*, ipſe ὀψώνιον dixit. Sed certum eſt pecuniam tamen hîc ſignari, ſicut à Thucydide aliquoties & Dionyſio Halicarnaſſæo, qui & ὀψωνιασμὸν appellat: credo ideò, quòd velut in obſonium pecunia ea primò data. Eſt etiam in laudatiſſimis illis Gloſſis: *Stipendium*, ὀψώνιον στρατιωτικόν. Simile quod Latini inferiores dixêre *Annonam*. nec enim ipſum quod eſui modò, ſed mercedem militarem & pecuniam intellexerunt. Video Græcos infimos ῥόγας, *rogas* appellare: an ab *erogando*? Nam & ipſam rem ῥογεύεσθαι etiam dicunt. Leges in Cedreno plus ſemel, atque etiam Suidâ: qui tamen pro Donatiuo Principis capit & interpretatur.

ὀψώνιον pro mercede Græc.

Roga.

„ *In diem duos obolos.*] Modum habes diurni ſtipendij antiqui, de cuius origine & progreſſu in Electis ſcripſi. Scis me non amare ταυτολογίαν: addam aliquid non ibi ſcriptum, aut non ſic ſcriptum. Olim certũ eſt Romanos nullo publico ære militaſſe, idq́; annis plus trecentis. Feſtus ita adnotat: *Priuato ſumtu ſe alebant milites Romani, penè ad id tempus quo Roma capta eſt à Gallis.* Ait *penè*, & iure addit, quia Stipendium inſtitutum *ſeptemdecim* circiter annis ante vrbẽ captam. Liuius hoc docet libro quarto, ſtatim poſt Anxur captum: *Additum*, inquit, *vt ſtipendium miles de publico acciperet, cùm ante id tempus de ſuo quiſque functus eo munere eſſet.* Liuius dicit *de ſuo* militaſſe, Feſtus, *priuato ſumptu*: quid clarius? Et tamen hîc quæro & iniicio, an igitur nihil è publico? non arma, non frumentum? Ambigo, & ſunt quæ inducunt accepiſſe. Dionyſij iſta in bello cum Sabinis: Τούτων δὲ πραθέντων δημοσίᾳ, τὰς κατ᾽ ἄνδρα γενομένας εἰσφορὰς ἃς εἰσενεγκεῖν τοὺς στρατιώτας, ἅπαντες ἐκομίσαντο: *Iis diuenditis* (prædâ ſcilicet) *publicè, collationes quæ viritim factæ erant in milites, eas omnes receperant.* Nonne clarè ſatis collatum aliquid in milites dicit? & quo fine aliàs tributa, quæ Romani ex cenſu dabant? Amplius in eodem Dionyſio, cùm Veientes pacem peterent, ſcribitur *frumentum eos obtuliſſe exercitui in duos menſes, pecuniam in ſtipendium ſex menſium, vti victor imperarat.* Hic verò & frumentum in menſes datum habes, ſed & pecuniam in ſtipendium (Græcè χρήματα εἰς ὀψωνιασμὸν) definitam. Etſi de pecuniâ, non opinor ſed ſcio, oblatam eam non ad modum ſtipendij viritim capiti (nullum enim fuit) ſed in belli ſumptus & militum ſingulorum, pro æſtimatione victoris.

Sine ſtipendio olim Romani.

Quando cœptum.

An non annonâ frumentum? Lib.v.

Lib.ix.

A Atque hæc talia aliquoties in Dionyſio leges, ſed benignè ſemper & æquitet capienda, ſtipendio nondum conſtituto. Idipſum cùm fuit, ſanè exiguum, & *duo oboli* etiam Polybiano æuo: id eſt* *tres aſſes*. Haud aliter Latinè extuleris: cùm duo oboli ſint tertia pars Drachmæ. At Drachma vincitur leuiter à Denario Romano: etſi alternant hæc & confundunt ſcriptores. Quantulum iſtud eſt? in menſem *decem denarij*, id eſt Philippæus noſter. En lucrum, quo obiecto tanto opere gauiſi milites (in Liuio habes) & viſi rem ſuam ſtabiliuiſſe. Sed ita tunc ſcilicet parcimonia & mores, quibus magis quàm opibus res Romana ſtetit. Lubet Liuianum elogium opportunè addere: *Nulla vnquam reſpublica nec maior* B (quàm Romana) *nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tam ſera auaritia luxuriáque immigrauerint, nec vbi tantus ac tam diu paupertati ac parcimoniæ honos fuerit.* Benè & verè Liuius: iſta res docet, & in tot victoriis ac triumphis, imperio tam latè propagato, nihil additum ad ſtipendij modum reperio, ante Iulianum æuum. Quis non miretur? vbi tot Tribuni populares, & per publica damna ad priuatam gratiam aut commoda graſſantes, nullum ex iis auxiſſe, aut (quod proditum exſtet) conatum augere? Iulius ille fuit, qui per milites magnus, hîc quoque leges fregit, & *legionibus ſtipendium*, ait Suetonius, *in perpetuum duplicauit.* Res ſemel mota non hîc ſtetit, ſed magis Auguſtus auxit, qui *omnes* C *vbique milites ad certam ſtipendiorum præmiorúmque formulam adſtrinxit*, vt in vitâ eius Tranquillus. Eum modum fuiſſe, *decem diurnos aſſes*, ex Tacito liquet. Hæc ita ſcripta: etſi ſuſpicio mihi eſt, per bella illa diuturna ciuilia, magis etiam auxiſſe ſtipendia: ſed reciſa, rebus iam tranquillis, ab Auguſto, & in ſummam eam firmiter redacta. Manſit tamen non diu. ſed ſiue Nero ſiue Claudius, ſiue potiùs Otho aut Vitellius, aliquid imò multum addidêre: & iam Domitiani æuo, ſtipendium menſtruum erant *aurei terni*. Ij eſſent in diem *vigintiquinque aſſes*: quibus ipſe Domitianus iterùm addidit menſtruum *aureum vnum*, id eſt denarios *viginti quinque*. Tanti enim Romanus aureus, & res hæc tota è Iohanne Zonarâ ad liquidum à nobis reducta. Ille ſic de Domitiano: Καὶ τοῖς στρατιώταις τὴν μισθοφορὰν ἐπηύξησε τάχα D διὰ τὴν νίκην. πέντε γὰρ καὶ ἑβδομήκοντα δραχμὰς ἑκάστου λαμβάνοντος, ἑκατὸν ἐκέλευσε δίδοσθαι. μεταμεληθεὶς δὲ, τὴν μὲν ποσότητα οὐκ ἐμείωσε, τὸ δὲ πλῆθος τῶν στρατευομένων συνέστειλε: *Militibus ſtipendiũ auxit, ſcilicet ob victoriam nam cùm ſeptuaginta quinque drachmas ſinguli acciperẽt, ipſe iuſſit centenas dari. Pœnitens verò poſtea ſummam non imminuit, ſed multitudinem militantium recidit.* Ex quibus certum, in Suetonio rectè nos olim emendaſſe: *Addidit & quartum ſtipendium militi*, * *aureis ternis*. Inferiore æuo quid fuerit, non vltrà repperi, nec dicam. A v o. Iſta quidem Domitiani ſumma pinguiuſcula, ſed & Auguſti tolerabilis; illa Polybiana quid habuit? *Cur quiſquam caput vaſtum referret?* vt iocer cum cum poëta. Nam certè exigua: & cur tam multi ta- E men ad militiam prompti? L i p s. Ipſa illa ſumma exigua, non nego: ſed frumentum additum exiguo pretio cogita, tum crebras etiam in triumphis donationes. Liuius hoc te docuerit, quoties & in quo modo, donati. Amplius, cogita promotiones, & quòd per virtutem ad altiores ordines venirent; ergo & ad ſtipendia meliora. Multi enim duplicarij, vt audiemus: & addit,

„ *Ductores ordinum duplum.*] Ταξίαρχοι ſunt in Græco, quos licet Centuriones etiam reddere: ſed hic conſpectè *Ductores* magis feci. Non enim ſolos Centuriones opinor intellegi, ſed & Succenturiones

Ad illum primum ſtipendij. * Aut vt Iulius, cõtrunce.

Veteris reſtrictio & frugalitas.

Lib.i. initio.

Cæſar ſtipendium auxit. Cap.xxvi

Item Auguſtus. cap.xlix.

Vel potius formam.

Domitianus auxit.

Domit. cap vii. * Aut ſi velis, inſertâ voculâ *ad aureos ternos*

Alia commoda militiæ.

Duplicarij.

ſiue

ſiue optiones, fortaſſe & Signiferos ipſos. In Liuio quidem lego, cùm Appius in fugacem ſuum exercitum animaduertit: *Ad hoc Centuriones duplicariòſque, qui reliquerant ordines, virgis caſos ſecuri percuſſit.* Ergo duplicarij aliqui præter ipſos Centuriones, vt palàm vides. Sed vnde, inquies, iam tum illo æuo, haud longè à regibus exactis? cùm ſtipendium nondum inſtitutum eſſet. Ergo memento quorum diximus, frumentum videri è publico militibus iam olim datum. Varronem aduoco: *Duplicary, quibus ob virtutem duplicia cibaria vt darentur inſtitutum.* Oſtendit quoſdã etiam è grege milites fuiſſe, ſic honeſtatos ob egregia facta. Et tale in Liuio: *Milites qui in præſidio ſimul fuerant, duplici frumento in perpetuum, in præſentiâ ſingulis bobus donati.* Quod factum etiam diu poſt ſtipendium pecuniæ inſtitutum. Manſit hic vſus, & in Cæſare legas: *Cohortem poſteà duplici ſtipendio frumentoq́ue, ſpeciariis, militaribus donis, ampliſſimè donauit.* In Vegetio: *Armatura duplares, quæ binas conſequuntur annonas.* Sed & *Seſquiplares* in eodem, *qui vnam ſemis.*

Lib. II.
Modus in Liuio ano... v de L.L.
Lib. VII.
III. Ciuil.
Lib. II. cap. VII.

" *Equites drachmam.*] Id eſt, ſtipendium triplex. Itaque ſuper Centuriones erant; tum quia genere digniores, tum quia onerum plus ferebant. Ipſe hic modus in Liuio: *Aequè impudens poſtulatum fuit, vt de ſtipendio equitum (merebant autem eâ tempeſtate triplex) æra demerentur.* Hoc ille aliquot annis poſt ſtipendia inſtituta: & vides vulgò inuidioſam hanc ſummam fuiſſe. Poſtularunt igitur minui, ſed non impetrarunt: an non factum poſteà? ſed diu, inquam, poſteà? Ex Liuij commatio ſuſpicor, quod hîc inſerit, *eâ tempeſtate meruiſſe*: non ergo tuo æuo? Appâret: fruſtrà alioqui ſubmonuiſſet. Et hercules cùm recogito, ſtipendia à Iulio & ab aliis aucta; ingens hæc ſumma & prægrandis in equitum fuiſſet, ſi pariter creuiſſent. Accedit, quòd dignitas equitum non iam tanta, poſt Socios ciuitate donatos. Illi enim cùm equitatu abundarent, fere ad bellum ibant, paucioribus paullatim è digniori & ciuili illâ ſtirpe. Sed ſuſpiciuncula eſt, quam ſperni tam facilè à te volo, quàm à me prodi. Iſta Polybius de diſcrimine ſtipendiorum. Sed heus in Tribunis quid fuit? cur ij omiſſi? Magna eorum ſalaria, vt video, & ſic celebrantur à Iuuenali:

Equites triplex in ſtipendio. Lib. VII.
Penſitata Liuij verba

——— *alter enim quantum in legione Tribuni*
Accipiunt, donat Caluina vel Catiena.

Tribunis ſtipendia.

A Plinio: *Nec pudet Tribunorum militarium ſalariis emere.* Vterque de productiore ſummâ, & velut per adagionem vſurpat. Quanta igitur? Appiani locus eſt, niſi erro, qui ſcitiores nos eius faciat, iſte. De Cæſare ſcribit, eiúſque triumpho quadruplici. Καὶ διένειμε, inquit, στρατιώτῃ μὲν ἀνὰ πεντακισχιλίας δραχμὰς ἀττικάς, λοχαγῷ δ' αὐτοῦ διπλάσιον, καὶ χιλιάρχῳ καὶ ἱππάρχῳ τὸ ἔτι διπλάσιον: *Diuiſit deditq́ue, militi ſuper quinque mille drachmas, Ductori ordinum eius duplum; Tribuno militum & Præfecto equitum, iterùm eius duplum.* Ex analogiâ hac donorum, iuſtè & probabiliter inferas de Stipendiorum tali modo. Ergo Tribunus & Præfectus alæ quadruplum ſalarij vulgaris habuit, & alia vberiora in veſte, frumento, ſpeciebus. Hæc talia in Lampridio, Capitolino, Vopiſco videre tibi fas: vbi epiſtolæ aliquot Principum ad litteram poſitæ, cum Tribuniciis iſtis commodis aut donis. Haud diſſimile apud Græcos. & ſcribit Xenophon, *Seuthen regem Thraciæ, cùm Græcos mercede iungere ſibi vellet, obtuliſſe & pollicitum*, τῷ μὲν στρατιώτῃ κυζικηνόν, τῷ δὲ λοχαγῷ διμοιρίαν, τῷ δὲ στρατηγῷ τετραμοιρίαν: *militi Cyzicenum, Centurioni duplum, Prætori quadruplum.* Hi Prætores, velut Tribuni Romanorum erant, aut noſtri Colonelli. Fecerunt idem Lacedæmonij in iiſdem copiis (quarũ laus inclyta, & propagata per inclytum ſcriptorem) alliciendis, & inter promiſſa, hæc ſunt: Δαρεικὸν ἕκαστος οἴσει τοῦ μηνὸς ὑμῶν, λοχαγὸς δὲ τὸ διπλοῦν, στρατηγὸς δὲ τὸ τετραπλοῦν: *Daricum feret quiſque veſtrûm in menſem, Cẽturio duplum, Prætor quadruplum.* Vbi pariter obſerues, in ipſo ſtipendio haud longè à Romanis abire, præſertim ſub Auguſti æuum. Nam etſi Darîcus non niſi viginti drachmis æſtimabatur; tamen alibi lego pluſculum etiã accepiſſe, & Drachmam habuiſſe diurnam. Thucydides de Athenienſibus: Δραχμὴν γὰρ τῆς ἡμέρας ἕκαστος ἐλάμβανεν: *Drachmam in diem quiſque accipiebat.* Iterùm idem: διδράχμους ὁπλίτας nominat in cuſtodia Potidææ: *qui binas drachmas ferrent*, ſed (ne diſſimulem) extra ordinem & ſolitum morem. Idem cenſeo ſuprà. Paullùm igitur infra drachmam meruerunt vulgò. AVD. Contrà te cenſere Demoſthenes me hîc iubet. Ille in Philippicarum primâ definit quæ opus ſunt militi: στρατιώταις δισχιλίοις τετταράκοντα τάλαντα, ἵνα δέκα ἑκάστου μηνὸς ὁ στρατιώτης δραχμὰς σιτηρέσιον λαμβάνῃ. τοῖς δὲ ἱππεῦσι διακοσίοις οὖσιν, ἐὰν τριάκοντα δραχμὰς ἕκαστος λαμβάνῃ τοῦ μηνὸς δώδεκα τάλαντα: *Bis mille militibus talenta ſunto quadraginta, ita vt quiſque decem drachmas in menſem accipiat: equitibus verò ducentis talenta duodecim, ſi quiſque triginta accipiat in menſem.* Alia hic definitio, minor tuo dicto. LIPS. Particulam verborum affers, plura inſpexiſſe oportuit. Redeo autem in memoriam, Oratorem illic ſuadere & dicere vt dumtaxat in annonam (Græcè σιτηρέσιον) tot talenta & menſtruas drachmas dent: at reliquam pecuniam in ſtipendium, bellum ipſum ſuppeditaturũ. Hæc ibi poſteà, atque ita nihil diſſcont. Imo, quod valdè notes, in triplici equitũ Annonâ cũ Romanis conſentit.

Græcorum ſtipendia. VII. Anabaſ.
Ibid. infrà
A Romanis non diuerſa.
Lib. VII.
Lib. III.
Demoſthenes explicatus.

" *Frumenti modum accipiunt.*] Cuius diſtributi ſæpè mentio. vt in Cæſare: *Diem inſtare, quo die militibus frumentum metiri oporteret.* Iterùm: *Poſt diem ſeptimum ſe reuerſurum confirmat, quam ad diem legioni, quam in præſidio relinquebat, deberi frumentum ſciebat.* Ac vides etiam certo die datum, & cum curâ ne is laberetur. Bonum & vtile inſtitutum, militi ſemper victum eſſe, nec inopiâ cogi ad rapiendum, aut deſerendum. Si pecunia in hunc vſum, potuiſſet ire in alium vſum: igitur maluerunt rem dare ipſam. Atque ita, vt nefas etiam haberetur vendere. Salluſtius inter militaria probra recenſet: *Frumentum publicè datum vendere, panem in dies mercari.* Itáne culpa mercari, aut vendere? hodie nec rapere, & Vis aut Iniuria ferè eſt quæ militem alat. Sed quis finis, ſi noſtra incompoſita cum illo ordine componam? & verbo fortaſſe lædam, qui ferro poſſunt. At in ipsâ re, exemplum ſeueritatis quâ Galba vſus, apud Suetonium: *Militi*, inquit, *qui per expeditionem annonâ arctiſſimâ, reſiduum cibariorum tritici modium centum denariis vendidiſſe arguebatur, vetuit ſimulatque indigere cibo cœpiſſet, à quoquam opem ferri. atque is fame extabuit.*

Frumenti datio. I. Gallic. VII. Gall.
Ea laudata
Non vendebant.
Cap. VII.

" *Attici medimni duas partes.*] Suidas, & Nepos vitâ Attici, ſex modios in Medimno ponunt: & ita eſt: ergo nunc militi, Romano modo & ſermone, damus Modios quaternos. Quid mirantum, cùm ipſi ſerui eos acceperint in Dimenſu? Donatus in Terentium: *Serui quaternos modios accipiebant frumenti in menſem, & id Dimenſum dicebatur.* Liceret & de quinis ſuſpicari ex Senecâ: *Seruus eſt, quinque modios accipit, & quinque denarios.* Sed arbitror hoc ita ibi in vtiliore & honeſtiore ſeruo fuiſſe, nempe actore ſcænico: cui & peculiola præter morem acceſſit. Aut ſi modij etiam quini dari? Salluſtius tangere videtur Oratione Marcj Tribuni plebis: *Niſi forte Frumentariâ iſtâ lege munia veſtra penſantur, cùm tamen quinis*

Militũ dimenſum vt ſeruorũ.
Epiſtol. LXXX.

modiis

modus libertatem omnium æſtimauêre. Dicas alludere ad ſeruile dimenſum, & ideò indignari libertatem ſic taxatam. Sed hoc incertum: de militibus noſtris, è Polybio firmum. Magno & multo igitur frumento opus ad plures legiones: & vnde hæc copia? Nam eguiſſe Romanos, aut per hanc inopiam ab incœpto aliquo deſtitiſſe, rarò aut non leges. Cenſeo è prouincialibus frumenta hæc coacta, & è Decimis quas hoc fine aratoribus imponebant. Quid ſi ergo in hoſtili? etiam tum è vicinis prouinciis, aut ex ipſo hoſtico: ſed ſic, vt non in priuatum & ſibi miles raperet, ſed deſecta aut inuenta frumenta deferret ad Quæſtorem. In publicum omnia ſepoſita, & tum cum modo & ordine diſtributa. Magnæ conſiderationis res, & ſummi ad bellum vſus, de quo Politici vidento.

Vnde Frumenta Romanis.

» *Equites hordei ſeptem medimnos, frumenti duos.*] De hordeo, peculiare hoc equiti ad iumenta: pro quo & æs aliquando accepêre, quod *Hordearium* appellat Feſtus. Sed in frumento, inquies, cur tanto plus? Nam duo medimni ſunt modij duodeni. Triplo igitur peditem excedit: quid miraris? fit idem quod in pecuniâ, quod in donatiuis, & triplum vbique capit. Neque ambigo in Ordinum ductoribus ſimile fuiſſe, & ſemel dictâ analogiâ duplum quoque frumenti eos cepiſſe. Cui tamen vſui equites tantum? vt ne venderent: negauimus. vt abſumerent? qui potuêre ſoli? Ne cenſeas: non enim ſoli. Seruum aut ſeruos potiùs habuêre, & iuſtum eſt hoc dimenſum in capita terna. De hordeo, ſatis etiã largiter: ſed certum eſt, præter equum militarem, iumenta alia habuiſſe. Eſt in Plutarchi Catone Cenſorio, quod huc faciat, illuſtretur aut illuſtret. Narrat in ceterâ abſtinentiâ eius, ὅτι στρατηγῶν ἐλάμβανεν ἑαυτῷ καὶ τοῖς περὶ αὐτὸν, οὐ πλέον εἰς τὸν μῆνα πυρῶν ἢ τρεῖς Ἀττικοὺς μεδίμνους, εἰς δὲ τὴν ἡμέραν κριθῶν τοῖς ὑποζυγίοις ἔλαττον τριῶν ἡμιμεδίμνων: *quod etiam in imperiis & Præturis accipiebat ſibi, & iis qui apud ſe, frumẽti in menſem non plus tribus medimnis Atticis, in diẽ verò hordei iumẽtis ſuis minus ſeſquimedimno.* Si conſtaret de numero familiæ Catonianæ, facile eſſet aptare modũ. etſi pænè etiã conſtat, & in eodem Plutarcho lego *quinque* eũ ſeruos in Hiſpaniam duxiſſe. Ipſe ergo ſextus: & habuere ſinguli modios non niſi ternos. Hoc ad aſtruendam frugalitatem Catonis recenſet: & ideò certum, accepiſſe eum intra legitimum modum. Sed inquies, lictoribus ſuis & apparitoribus nihil accepit? Diſcas hinc eos ſibi, & in capita ſeorſim, è publico accepiſſe. Addo, quoſdam Imperatores laxius hîc ſe geſſiſſe. quod de Cæſare quidem lego: qui (ait Suetonius) *frumentum quoties copia eſſet, etiam ſine modo menſuráque præbuit militibus, & ſingula interdum mancipia & prædia viritim dedit.* O virum magni benignique animi, ſed non nati ad priſcam & ſtrictam Diſciplinam! quæ ab illo profectò magis magíſque eſt lapſa.

Frumentũ triplex equitis.

Catonis abſtinentia.

Cæſar contra diſciplinam.

» *Sory pedites capiunt par Romanis.*] Meritiſſimò. nam & tantum capiebat eorum venter. At non tamen equites, de quibus ſubdit:

» *Equites verò frumenti medimnum vnum & trientem.*] Iſti enimuerò minus quàm Romani, ab hac cauſâ, quòd minus digni aut opulenti: eóque nec à familiâ ſic inſtructi. Singulis ergo famulus vnus ſuffecerit: & eſt menſura hæc in duo capita, modiorum ſcilicet octo. Simile in hordeo, & habuêre pauciora impedimenta. A v d. Delectantia verò iſta, & mihi non niſi confusè adhuc audita aut nota. Sed voluo tamen in animo, an frumento tantùm ad cibos vſi? Nihil adiũgis obſoniorum, aut alius alimenti? L i p s. Adiungam, etſi Polybius non fecit. Primùm dico, ſalẽ & leguminũ aliquid militibus etiã datum. in Plutarchi Craſſo huic rei ſcriptũ, inter omnia triſtia: Συνέπεσε μετὰ τὴν διάβασιν μετρουμένοις τὰ ἐπιτήδεια τοῖς στρατιώταις, πρῶτα πάντων δοθῆναι φακοὺς καὶ ἅλας, ἃ νομίζουσι πένθιμα Ῥωμαῖοι: *Simul euenit, vt poſt trãſitum fluminis, cùm emetirentur neceſſaria exercitui, primum omnium darent lentem & ſalem, quæ Romani habent funebria.* De ſale quidem vix ambigi poteſt, ſine quo vita non eſt. Sed & legumina aut piſa reperio. vt in Cæſare: *Non illi hordeum cùm daretur, non legumina recuſabant:* quæ tunc ſcilicet pro frumento, in illa neceſſitate. Aliàs, pro obſonio. vt in Syneſio, de Caro Imp. militariter cœnante: Τὸ δὲ δεῖπνον ἦν πίσινον ἔτνος ἕωλον, καὶ ἐν αὐτῷ τεμάχια ἄττα ταρίχηρα κρεῶν ὑείων: *Cœna autem erat, è piſis pulmentum pridianũ, & in ipſo fruſta aliquot ſalitæ ſuillæ carnis.* Atque amplius, in eodem habes & Suillam: an ex vſu caſtrenſi? prorſus, illius quidem, & ſuperioris etiam, æui. Nam Spartianus de Hadriano ita ſcribit: *Cibis etiam caſtrenſibus in propatulo libenter vtens, hoc eſt larido, caſeo, & poſcâ.* Nominat & Vulcatius in Auidio, inter legitimos cibos: *Præter laridum, ac buccellatum, atque acetum, militem in expeditione quodquam portare prohibuit.* Vbi acetum ſcilicet ad potum militarem conficiendum, & iam dictam poſcam. At de lardo, mirum ni Polybij etiam tẽpore fuerit in hos vſus. Scribit certè inter Galliæ Ciſalpinæ laudes, *glandes & porcos in eâ abundare,* & dat argumentum: *quod cùm plurimi in Italiâ cædantur, tum ad vſus vitámque priuatam, tum ad ea quæ in exercitus legioneſque præbentur, his tamen omnibus ſufficere Galliæ illam regionẽ.* Quid aliud intelligas, τὰς εἰς τὰ στρατόπεδα (ita verba eius ſunt) παραθέσεις: quàm repoſita & ſalita in militares vſus? Atque hi tales ſunt, quos *Militares cibos* ſcriptores appellitant. Vt Spartianus in Peſcennio: *In omni expeditione militarem cibum ſumpſit ante papilionem.* Lampridius de Alexandro: *Apertis papilionibus prandit atque cœnauit, cùm militarem cibum cunctis videntibus atque gaudentibus ſumeret.* En virum, dignum titulo & loco Principali! Et obſerua indidem, bis eos die cibum ſumpſiſſe, ſuâ horâ quemque, & addo etiam ſuo cibo. Prandium enim tenuius, & ſine vllo apparatu. Didici è Polyæno, qui partitè deſcribit reſtitutam diſciplinam militarem à Scipione ad Numantiam, atque inter alia: ἐκέλευσεν ἀριστᾶν ὀρθοὺς ἄπυρον ὄψον, δειπνοῦντας δὲ προσφέρεσθαι καὶ κρέας ὀπτὸν καὶ ἑφθόν: *Iuſſit prandere ſtantes ſine igne cibum* (id eſt, incoctum;) *in cœnam verò proferre & addere carnem aſſam vel elixam.* Avd. Heus tu, mira hæc correctio, & ſatis equidem benigna, cùm delicias etiam præſcribit carnis aſſæ aut elixæ. Atquin ego longè ſecius opinabar, & in Salluſtio legeram Metellum edixiſſe, *Ne quiſquam caſtris panem, aut quem alium cibum coctum venderet.* Ecce, alius iſte Cenſor, qui arcet & ab omni cibo cocto. L i p s. Adoleſcens, cum Theocrito: *μὴ σπεῦδ᾽ οὐ γάρ τοι πυρὶ θάλπομαι. Aliorsũ & mea & Salluſtiana illa trahis. Intellege. Iuſſit Scipio in prandio leuiter ſtantes cibum capere: at in cœnâ indulſit (non ſanè iuſſit, ne ſic accipe) ſi copia eſſet, carnem aſſam addere aut elixam. Metellus non in hæc, ſed pro his, pugnat. Nam ipſe lixas, coquos, & totum id genus caſtris eiecit: vetuítque, non *ſumere* cibum coctum (verba notabis) ſed *vendere*. Hoc nẽpe fuit, noluit proſtare cibos tales, & facilitate parandi gulam irritari: ſed ſi quis haberet, è prædâ, aut pecuniâ, ipſe pararet & veſceretur. Germana ea ſententia. eóque intentiùs Frontini hæc conſideranda ſuper eâdem re & viro: *Q. Metellus bello Iugurthino ſimiliter, lapſam diſciplinam pari ſeueritate reſtituit, cùm inſuper prohibuiſſet aliâ carne, quàm aſſâ elixáve, milites vti.* O riſu rem dignam! & ô cumulum ſeueritatis, ſi

Orat. de Regno.

Suilla militibus.

Lib. II.

Militares cibi, qui.

Lib. VIII.

Stantes prandent, conſiderata Polyæno ſcriptio.

* Ne propera, neque enim igne tangeris.

Cibos coctos vendi non fas.

Lib. IV cap. I.

Legumina militibus.

inſuper prohibuit aliâ quàm aſſâ aut elixâ carne vti! Quid, malùm, igitur crudis anteà vti? Conſiderare te iuſſi, imò nunc emendare (nec aliter euoluo:) *aliâ carne quàm à ſe aſſa elixáve.* Vox aut voculæ duæ inſerendæ, quas eduxi è conſimili verbo. Id planè iam conſonat vero, & Salluſtianis item illis: *Nequis cibum coctum venderet.* Itaque coctis vti licuit, vendere aut emere non licuit. Hoc fine, inter inſtrumenta militis *Veru & ollas* inuenio. vt in Polyæno, de eodem Scipione: Προσέταξε δὲ ἀποπέμψασθαι καινὰς τραπέζας, ἐκπώματα καὶ πάντα, πλὴν χύτρας καὶ ὀβελίσκου καὶ ποτηρίου: *Iuſſit amplius amoueri nouas menſas, ſcyphos & vaſa omnia, præter ollam, & veru, & poculum.* Atque ipſum eſt, quod Appianus de hoc Scipione: Καὶ σκεῦος οὐκ ἐξῆν ἐς δίαιταν ἔχειν οὐδενὶ, πλὴν ὀβελοῦ καὶ χύτρας χαλκῆς, καὶ ἐκπώματος ἑνός: *Et vaſum non licuit miles vllum habere ad victum, præter veru, & ollam aneam, & poculum vnum.* Et iam credo tenes. AVD. Non elabentur. adde, ſodes, de Pane etiam quem vetuit Metellus vendi coctum. Quid ergo? ſinguli ipſi piſtores, & è proſapiâ atque artificio Plauti? LIPS. Ita verò, & hîc ſua ratio. Nolebant curioſè & ab profeſſo opifice panem coctum ſumi, ſed ſubitarium & quem ſuâ manu miles paraſſet. Scio me omnia mira loqui: ſed quid faciam, ſi in tantum mores noſtri & priſci diuertunt? Suâ manu, dico, coquebant illi ingenui, illi ciues. quid? imò ipſe aliquis Imperator, nec ex Curiis aut Fabriciis, ſed nouitiis Antoninis. Herodianus nobis auctor, Antoninum Caracallam, cùm duritiem & robur præferret, omnia militariter egiſſe. atque etiá, inquit, ἄρτον προσεφέρετο αὐτοσχέδιον. σῖτον γὰρ ἀλέσας τῇ ἑαυτοῦ χειρὶ, ὅ ἤρκει μόνῳ, μᾶζάν τε ποιήσας καὶ ἐπ' ἀνθράκων ὀπτήσας, ἤσθιε τοῦτο: *Panem addebat ſubitarium & neglegenter factum. Triticum enim ſuâ manu molens, quod ipſi ſatis eſſet, maſſámque ex eo conficiens & in carbonibus coquens, eo veſcebatur.* Singularem hoic rei locum, & ad molendum & ad coquendum, ſæpe apud me quæſitum. Ergo manuarias quaſdam molas circumferebant, vt tetigi anteà, aut in lapide tundebant: denique ſine furni aut clibani operâ, ſubitò ſic in carbonibus aut ſub cinere coquebant. Panis igitur ille grauis, madidus, ideóque Plinio ſcriptum: *Legem certam naturæ eſſe, vt in quocumque genere, pani militari tertia portio ad grani pondus accedat.* Militarem, talem ſubitum & ſubcinericium appellat, nec bene aut diu excoctum. Sed & ſine pane, frumento ſuo ſæpe vſi in pulte. Notum à Plauto *pultiphagos* Romanos appellari: & in Ammiano eſt, de Iuliano Imperatore, iam in caſtris: *Et Imperatori non cupediæ ciborum ex regio more, ſed ſub columellis tabernaculi cænaturo pultis portio parabatur exigua, etiam munifici faſtidienda gregario.* Ita ille Imperator militariter cænatus, inter bonos aut potiùs optimos, ſi non abiiſſet à pietate. Et dic tu meus, iam expleui te tam lautis epulis? AVD. Propemodum, ſed iubet interbibere. Sine potu hoc conuiuium: quis is fuit? LIPS. Tetigi verò anteà. & quid cenſes, vinum aliquod Chium aut Falernum edetulum fuiſſe? Imò is pro cibo reliquo fuit, Aqua. Spartianus de Peſcennio: *Cùm apud Ægyptum ab eo limitanei milites vinum peterent, reſpondit, Nilum habetis, & vinum quæritis?* Plutarchus de Catone Cenſorio: Ὕδωρ δὲ ἔπινεν ἐπὶ τῆς στρατείας, πλὴν εἴποτε διψήσας περιφλεγῶς, ὄξος ᾔτησεν, ἢ τῆς ἰσχύος ἐνδιδούσης ἐπιλάβοι μικρὸν οἰνάριον: *Aquam bibit in militiâ, niſi ſi in acri ſiti & calore acetum poſceret, aut viribus defectus exiguum aliquod vinum ſumeret.* Hæc Cato, inter equites, inter nobiles, inter duces. Benè, quod ſignatis tabulis ago; vt vultus tuus eſt, vix nunc mihi habes fidem. Sed Cato igitur aquâ merâ vulgò vſus; interdum aceto, non ſolo, ſed cum aquâ ſcilicet mixto, quod ſuprà diximus *Poſcam*, vel vt quidam ſcribunt *Puſcam*. Eâ ſententiâ Spartianus iterùm, in Peſcennio: *Iuſſit vinum in expeditione neminem bibere, ſed aceto vniuerſos eſſe contentos.* Vniuerſos, inquit, etiam igitur ipſos Duces. Seruorum hic potus olim, vt id quoque commune cum iis habeant, ſicut Dimenſum. Plautus:

Sed hic rex cum aceto pranſurus eſt & ſale.

Iocosè, vt aſſolet. cùm rex diceretur ſeruus; ò bone, inquit, hic rex poſcam bibet, & ſalem pro obſonio delinget. In eodem Plauto reponendum hoc verbi, olim mihi viſum:

Alij ebrij ſunt, alij poſcam potant.

Conſtat ita verſus & ſententia. Alij ſeruorum, ait, vino ebrij, alij miſelli poſcam bibunt. AVD. Fateri volo, non ad meum guſtum hîc Romani: & ſi ego Imperator, vinum non exularet è meis caſtris. Nónne viribus & animo addit? LIPS. Nouitium ſapis. alia mens iis à quibus cottidie diſcimus ſapere. Ariſtoteles te reformet: Καὶ ἐπειδὴ ἡ τοῦ οἴνου πόσις καὶ τοὺς ἐλευθέρους ὑβριστὰς ποιεῖ, καὶ πολλὰ ἔθνη ἀπέχεται καὶ τῶν ἐλευθέρων, οἷον Καρχηδόνιοι ἐπὶ στρατιᾶς, φανερὸν ὅτι τούτου ἢ μηδὲν, ἢ ὀλιγάκις μεταδοτέον: *Ac quoniam vini potio etiam liberos homines ad ferociam & iniuriam propellit, & multæ gentes etiam liberæ eo abſtinent (vt belli tempore Carthaginienſes) palam eſt, quòd eius nihil aut parùm ſeruis dandum.* Vini militiam vniuerſe arcet, & propriè ad rem noſtram, Carthaginéſes, bonam & compoſitam olim rempublicam, eo per militiam abſtinuiſſe. Habes cibos, habes potus: vis inſtrumentum fortaſſe & apparatum menſalem? condigna omnia epulis. Menſæ an fuerint, vix ſcio. imò in Polyæni verbis ſuprà, vbi eſt Scipionem remouiſſe καινὰς τραπέζας, *nouas menſas* aliter ac veriùs ſcribitur, καὶ τὰς τραπέζας, vt menſas dicat prorſus remotas è caſtris. Nam noua illæ quæ eſſent? & pro menſis plerumque iis elatior ceſpes. Lucanus, cùm Afranij & Cæſaris milites colloqui & concænare facit:

Pax erat, & caſtris miles permiſtus vtriſque
Errabat, duro concordes ceſpite menſas
Inſtituunt.

Suetonius de Tiberio, exercitus ductore: *Trans Rhenum eum ordinem vitæ tenuit, vt ſedens, in ceſpite nudo cibum caperet.* Ad has menſas Varro reſpicit: *Menſam eſcariam Cibillam appellabant. ea erat quadrata, vt etiā nunc in caſtris.* Ceſpes enim iſte aut ceſpites, quadri. Sed eſt etiam in Suetonio, *ſedētem eum* cibum cepiſſe. Non ſcilicet iacentem delicatè aut recubantem, ciuili illo promiſcuo ritu. Imò ſtetiſſe, præſertim in prandio, ſuprà adnotaui. & ita de Iuliano Principe Ammianus: *Stans interdum, more militiæ, cibum breuem vilémque ſumere viſebatur.* Mamertinus in Panegyrico, quem Iuliano dixit: *Qui ſapius ſtatariū prandium ad neceſſitatem humani corporis capiat, gaudens caſtrenſi cibo, miniſtro obuio, & poculo fortuito.* Nullæ igitur hîc menſæ meliores, aut triclinia, atque ita Hadrianus Imp. cùm iam irrupiſſent (narrante Spartiano:) *Triclinia de caſtris, & porticus cryptas, & topia dirvit.* Quæ ſcilicet ille ferre nec in Hiberois caſtris voluit: de quibus hîc ſermo. Eſt & in Cæſare, cum exprobratione Pompeianæ luxuriæ, ſcriptum: *In caſtris Pompeij videre licuit triclinia ſtrata, magnum argenti pondus expoſitum, recentibus ceſpitibus tabernacula conſtrata.* Etſi veteres ibi libri (inter hos Torrentij) *trichilas ſtratas* habent. Ac ſunt Latinis Trichilæ, vmbroſæ iſtæ pergulæ, Græcis σκιάδες, in Virgilianâ Copâ:

Et trichila vmbriferis frigida arundinibus.

Vſus & Columella ſic eâ voce:

Frumentum ſe ſibi an terebant. — Miliſi veru & olla Lib. VIII. — In Iberic. — Miles ipſe piſtor ſibi. — Panis militaris. Li. XVIII. cap. IX. — Lib. XXV. — Aqua militum.

Aut poſca. — Exempla ſeruorum. — Rudente. — Milite. — I. Oecon. cap. V. — Ceſpes pro menſis. — Lib IV. — Ca. XVIII. — VII. de L. L. — Lib. XXV. — III. Ciuil. — Trichilæ.

A *At quis ſub trichilâ manantem repit in vndam.*
Significabit ergo tunc Cæſar paſſim vmbracula iſta (æſtiuo tempore) ad cœnationem inſtrata fuiſſe, lectos diſpoſitos, argentum expoſitum: omnia eâ certâ victoriæ fiduciâ, & quaſi in reditum dominorum. Eſt ibidem, *tabernacula ceſpitibus conſtrata*: quod refer ad dicta ſuprà, de pauimentando. Nec id damnat Cæſar (in vſu fuit) ſed quòd *recentibus ceſpitibus*, quaſi in lætum & feſtum apparatum. Carpit etiam *argentum expoſitum*. id meritiſſimò, nec ulim admittebat frugalitas caſtrenſis. certè non copioſum. In Liuio pro hac re, de Annibale ſpolia & prædam Cannenſem colligente: *Præter equos viróſque, & ſiquid argenti, quod plurimum in phaleris equorũ erat (nam ad veſtiẽdũ facto perexiguo, vtique militantes, vtebantur) omnis cetera præda diripienda militi data eſt.* Legito cũ libris, B *ad veſcendum facto.* & notat Liuius, iis tẽporibus & moribus rarum fuiſſe menſariũ argentũ, præſertim in caſtris. Scipionẽ ſanè edixiſſe ad Numantiã video, ἀργυροῦν ἔκπωμα (Polyæni verba) μὴ ἔχειν πλεῖον δυοκοτύλου, καὶ λούεσθαι μηδένα: *argenteum vas manu duabus cotylis neminem habere, itémque neminem lauare*, ſiue balneis vti. Peſcẽnius ſimile, apud Spartianum: *Cùm milites quoſdam in caueo argenteo, expeditionis tempore, bibere vidiſſet, iuſſit omne argentum ſubmoueri de caſtris, addito eo vt ligneis vaſis vterentur.* Sed & Plinius de Spartaco, *interdixiſſe caſtris ſuis ne quis aurum haberet vel argentum.* additque: *Tanto plus animi fuit fugitiuis noſtris* ſignificans iam irrupiſſe, & à diuitibus ac mollibus illis haberi. Quæ igitur vulgò pocula? C lignea, quod ex Spartiano iam obſeruaueris. & ex Herodiano, qui de Caracallâ Antonino, militem imitante: Τράπεζάν τε εὐτελῆ παρετίθετο, ἔσθ' ὅτε καὶ ξυλίνοις ἐς πότον καὶ ἐδέσματα χρώμενος σκεύεσιν: *Menſam vilem apponebat. atque etiam interdum ligneis vaſis ad potum cibúmque vtebatur.* Omnia ad victum dedi: pro clauſulâ, etiam de Horâ. Nemini fas prandium aut cœnam ſumere, niſi ad ſignũ. Ioſephus: Οὔτε δεῖπνον ἢ ἄριστον ὁπότε ἐθέλοιεν, αὐτεξούσιον ἑκάστῳ· πᾶσι δ' ὁμοῦ: *Nec cœna aut prandium, cùm viſum, cuique libera; ſed omnibus ea ſimul.* Sed nos libero pede vagati per ſtipendia ſumus, & per hæc frumenta: in quibus tamen pars etiam luſtranda in agro Polybiano. Addebat:

» *Datur autem hoc ſociis muneri*] Benè & ratione factum. Cùm enim pecuniæ ſtipendium à ſuis acciperent, quid minus à Romanis debuere quàm victum? illorum certè vſui & gloriæ militabant.

D » *Romanis verò & frumenti & veſtium, & ſiquibus armis egeant.*] Contrà ait fuiſſe in Romanis, & iis nec muneri frumentum quidem datum: minùs arma aut veſtem. Sed pro his omnibus, inquit, certa aliqua pecunia de ſtipendio detracta. In quo ego reſiſto leuiter, & miror. Miror, an & vicem militum indignor? Nam age, ſtipendij exiguum aliquid in diem mihi porrigis, pretium ſanguinis & fortitan vitæ: de eo ipſo in victum, veſtitum, arma, detrahis: dic ſodes, quid apud me reliquum? Ludis, & ianuâ datum, quod dicitur, poſtico ad te redit. Non ita eſt. & placat nos Polybius conſideratè lectus. nam ſcribit *certum definitúmque pretium deductum.* Certus igitur eſto, pauxillum aliquid, nec pro arbitrio Quæſtorum, aut grauitate annonæ, ſed ſemper idem & ſemel definitum deceſſiſſe. In exemplum. Ecce vel Romæ & apud E otioſos, plebs frumentum habuit aliâs *in modios aſſibus* æſtimatum; aliâs (vt Gracchi lege) *ſemiſſe & triente*: cur non magis ſimile in laborioſo milite? Omnino hoc fuit: nec aliter in veſte aut armis, quæ ipſa clementi pretio addicta. Ego arbitror, militem vix diei vnius ſtipendium, in menſtruum frumentum impendiſſe. At de veſte, fortaſſe iam nec impendiſſe: & mi-

A ror à Polybio ſic ſcriptum. Nónne tu, ô noſter, Gracchorum æuo vixiſti? imò ſub illud ipſum tempus & annos ſcripſiſti: certum eſt. Atqui C. Gracchus legem tulit, quâ iuſſit ἐσθῆτά τε δημοσίᾳ χορηγεῖσθαι, καὶ μηδὲν εἰς τοῦτο τῆς μισθοφορᾶς ὑφαιρεῖσθαι τῶν στρατευομένων: *veſtem è publico ſuppeditari, & nihil hoc nomine de ſtipendio militantium deduci.* Ita Plutarchus in Gracchis: palàm contra hîc à te ſcripta. Quid ergo eſt? an nondum tulerat legem hanc Gracchus? an iam lata, ſublata iterùm fuit? Alterum dicendum eſt, & fortaſſe poſterius, præſertim cùm in Tacito milites querantur, de ſtipendio ſuo & *decem aſſibus, veſtem, arma, tentoria redimenda eſſe.* Quæ conſentanea ſunt tam dictis. De Frumento tamen ibi non queruntur. & dixeris publicè datum poſteà, ac verè datum: vtique B poſt inſtitutas etiam in vrbe Frumentationes, de quibus nos in Electis. A v o. Multa hercules & varia à te dicta, atque etiam recondita: Plutarchi locum tamen cur omiſiſti, qui eximiè huc facit. L i p s. Quis is eſt? prome. nec ego profectò omnia habeo in numerato. A v o. Eſt in eius Pompeio, hac ſententia & pænè verbis: *Pompeius duas prouincias habebat, Hiſpaniam & Africam, quas abſens gubernabat, mittens eò Legatos, & Legiones ibi alens. quibus accipiebat è publico ærario mille talenta quotannis.* L i p s. Quid efficis? obſcurus is locus eſt huic rei, & inualidus. A v o. Clariſſimus. Numerum dumtaxat legionum quas Pompeius habuit ſi inuenio & addo; nónne palàm impenſa annua in quamque vnam legionem? L i p s. Eiâ, rectè hoc inſiſtis: perge. A v d. Atquin decretæ tunc Pompeio (eodem Plutarcho auctore) legiones C *quattuor*: abſumpta igitur in ſingulas talenta *ducenta quinquaginta.* L i p s. Iuſtiſſimè. & ij eſſent noſtrates Philippici *centum quinquaginta millia.* Cùm examino, magna ſit hæc ſumma in militaria nuda ſtipendia: ſed frumenti & veſtis nomine aliquid detrahatur, & armorum: tum in Tribunos, Legatos, ipſum Imperatorẽ ſatis largiter: denique in mulos, vaſa, & talia quæ exercitui adhærebant. Benè profectò monuiſti, opportunus locus eſt: & ô noſtri Reges, quãto plus impenditis in legiunculas incompoſitas veſtras? Sed veſtra hæc cura, mea nec monitio: & in re pergo.

DIALOG. XVII.

D *Præmia militaria, Haſtæ, Armillæ, Torques, Phaleræ, Spolia.*

DE Stipendiis peregimus, conſequenter de Præmiis ſubtexam. Nam hæc pars quæ omnem vitam & ſocietatem continet, vinculum & coagulum rerum publicarum, inprimis ſtudioſè à Romanis habita fuit: *Præmia* dico & *Pœna.* Sed de illis lætioribus præmitto, & adhærent, vt lacinia, Stipendiis: quia & hæc militiæ aliqua commoda aut honos. Polybius ſic exſequitur:

Καλῶς δὲ καὶ τοὺς νέους ἐκκαλοῦνται πρὸς τὸ κινδυνεύειν. ἐπειδὰν γὰρ γένηταί τις E χρεία, καί τινες αὐτῶν ἀνδραγαθήσωσιν, συναγαγὼν ὁ στρατηγὸς ἐκκλησίαν τοῦ στρατοπέδου, καὶ παραστησάμενος τοὺς δόξαντάς τι πε-	*Pulchrè autem iuuenes excitant ac prouocant ad pericula ſubeũda. Cùm enim occaſio ſe dat, & aliqui eorum fortiter aut ſtrenuè fecerunt, conuocans Imperator in concionem omnes copias, & circumponens ſibi eos qui*

Argentum rarum in caſtris. — *Lib. xxii.* — *Liuius emend.* — *Lib. viii.* — *Li. xxxiii. cap. iii.* — *Pocula lignea. Lib. iiii.* — *Cœna temporaria. Lib. iii.* — *Dubitatio in Polybio.* — *Enſolutio.* — *Pretium dubitatio.* — *Reſponſio.* — *Annal. I.* — *Plutarchi locus ad ſtipendia* — POLYB.

παρεσκευάσθαι διαφέρον, πρῶτον μὲν ἐγκώμιον ὑπὲρ ἑκάστου λέγει, περί τε τῆς ἀνδραγαθίας, κἄν τι κατὰ τὸν βίον αὐτοῖς ἄλλο συνυπάρχῃ τῆς ἐπ' ἀγαθῷ μνήμης ἄξιον. μετὰ δὲ ταῦτα, τῷ μὲν τρώσαντι πολέμιον γαῖσον δωρεῖται· τῷ δὲ καταβαλόντι, καὶ σκυλεύσαντι, τῷ μὲν πεζῷ φιάλην, τῷ δ' ἱππεῖ φάλαρα· ἐξ ἀρχῆς δὲ γαῖσον μόνον. τυγχάνει δὲ τούτων οὐκ ἐὰν ἐν παρατάξει τις ἢ πόλεως καταλήψει τρώσῃ τινάς, ἢ σκυλεύσῃ τῶν πολεμίων, ἀλλ' ἐὰν ἐν ἀκροβολισμοῖς, ἤ τισιν ἄλλοις τοιούτοις καιροῖς, ἐν οἷς μηδεμιᾶς ἀνάγκης οὔσης κατ' ἄνδρα κινδυνεύειν, αὐτοί τινες ἑκουσίως καὶ κατὰ προαίρεσιν αὑτοὺς εἰς τοῦτο διδόασιν. τῆς δὲ πόλεως καταλαμβανομένης, πρώτοις ἐπὶ τὸ τεῖχος ἀναβᾶσι, χρυσοῦν διδόασι στέφανον. ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς ὑπερασπίσαντας καὶ σώσαντάς τινας τῶν πολιτῶν, ἢ συμμάχων, ὅ τε στρατηγὸς ἐπισημαίνεται δώροις· οἵ τε χιλίαρχοι τοὺς σωθέντας, ἐὰν μὲν ἑκόντες ποιῶσιν, εἰ δὲ μή, κρίναντες συναναγκάζουσι τὸν σώσαντα στεφανοῦν. σέβεται δὲ τοῦτον καὶ παρ' ὅλον τὸν βίον ὁ σωθείς, ὡς πατέρα, καὶ πάντα δεῖ τούτῳ ποιεῖν αὐτὸν, ὡς τῷ γονεῖ. ἐκ δὲ τῆς τοιαύτης παρορμήσεως, οὐ μόνον τοὺς ἀκούοντας καὶ παρόντας ἐκκαλοῦνται πρὸς τὴν ἐν τοῖς κινδύνοις ἅμιλλαν καὶ ζῆλον, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐν οἴκῳ μένοντας. οἱ γὰρ τυχόντες τῶν τοιούτων δωρεῶν, χωρὶς τῆς ἐν τοῖς στρατοπέδοις εὐκλείας, καὶ τῆς ἐν οἴκῳ παραχρῆμα φήμης, καὶ μετὰ τὴν ἐπάνοδον τὴν εἰς τὴν πατρίδα, τάς τε πομπὰς ἐπισήμως πομπεύουσι, διὰ τὸ μόνοις ἐξεῖναι περιτίθεσθαι κόσμον τοῖς ὑπὸ τῶν στρατηγῶν ἐπ' ἀνδραγαθίᾳ τετιμημένοις. ἔν τε ταῖς οἰκίαις κατὰ τοὺς ἐπιφανεστάτους τόπους τιθέασι τὰ σκῦλα, σημεῖα ποιούμενοι καὶ μαρτύρια τῆς ἑαυτῶν ἀρετῆς. τοιαύτης δ' ἐπιμελείας οὔσης καὶ σπουδῆς, περί τε τὰς τιμὰς καὶ τιμωρίας τὰς ἐν τοῖς στρατοπέδοις, εἰκότως καὶ τὰ τέλη τῶν πολεμικῶν πράξεων ἐπιτυχῆ καὶ λαμπρὰ γίνεται δι' αὐτῶν.

auctores egregij facinoris, primùm quidem laudes eorum ediſſerit, & ſuper hoc facto, & ſiquid aliud in omni vitâ geſſerint, laude & memoriâ dignum. Poſthac ei quidem qui hoſtem percuſſerit, haſtam donat; qui verò deiecerit & ſpoliauerit, pediti quidem phialam, equiti phaleras, olim autem haſtam tantùm. Iſta verò conſequitur, non qui iuſtâ acie, aut vrbis expugnatione percuſſerit aut ſpoliauerit hoſtē, ſed qui in excurſione aut velitatione, aut tali tēpore in quo nulla neceſſitas fuerit viritim periclitādi, qui tunc, inquā, ſe ſponte & vltrò eò dederint. Vrbe autē capta, primis qui murū conſcēderint, donant aureā coronā. Similiter & qui ciuem aut ſociū defenderit ac ſeruauerit, eum & Imperator donis honeſtat, & Tribuni cogūt ſeruatos (niſi id quidem vltrò faciāt) ſeruatorem ſuū coronare. Colit autem hūc qui ſeruatus eſt per omnē vitam, vt parentem, & omnia ei conferre ac deferre debet vt ſi genuiſſet. Hac tali incitatione porrò non ſolùm præſentes & coràm audientes prouocant ad certamen & æmulationem in periculis, ſed & eos qui domi hærent. Nam qui adepti eiuſmodi dona, præter gloriam in exercitu & domi etiam famam, cùm redierint in patriam, ludos pompáſque conſpicui ineunt quoniam ſolis iis licet ornamenta hæc geſtare & imponere, qui ab Imperatore, virtutis cauſſâ, donati ſunt. In ædibus verò, conſpectiſſimâ eorū parte, ponunt Spolia, indicia & teſtimonia ſuæ virtutis. Itaque tali curâ & diligētiâ cùm circa præmia, tū circa pœnas in caſtris, meritò etiā ſucceſſus militiæ apud eos felices & illuſtres exſiſtunt.

Iſta Polybius. & diuidit, ſi attendiſti, Præmia in duo genera, *Minora & maiora. Minora* ſunt, quæ præmittit, ob læſum aut deiectum hoſtem, Haſtæ, Phaleræ, & talia: *Maiora*, ob ſeruatum ciuem, vt Coronæ, & quæ in ſermone dilatabo. Noſter enim, vt ſolet, carpit, & res velut per tranſennam oſtendit. Ait:

Præmium & Pœna opus.

» *Pulchrè iuuenes excitant.*] Nulla res magis quàm iſthæc. & vis bonum, fortem, ex voto militem? præmiate: ſed & eundem, cùm opus, punite. Vt in equo regendo calcaribus vtendum, ſed & fræno: ſic in milite, imò omni ciue, præmiis ad virtutem incitandi, pœnis à vitiis reuocandi. Lycurgus hoc pulchrè, Oratione in Leocratem: δύο γάρ ἐστι τὰ παιδεύοντα τοὺς νέους, ἥ τε τῶν ἀδικούντων τιμωρία, καὶ ἡ τοῖς ἀνδράσι τοῖς ἀγαθοῖς διδομένη δωρεά. πρὸς ἑκάτερον δὲ τούτων βλέποντες, τὴν μὲν διὰ τὸν φόβον φεύγουσι, τῆς δὲ διὰ τὴν δόξαν ἐπιθυμοῦσιν: *Duo ſunt quæ iuuentutem inſtruunt ac formant, delinquentium caſtigatio & bonorum præmiatio. Ad vtrumque enim horum aſpicientes, illam quidem ob metum fugiunt: hanc ob gloriæ ſtudium concupiſcunt.*

» *Conuocans Imperator in concionem omnes copias.*] Et quidem re diuinâ prius factâ. Hirtius bello Africo: *Poſtero die, diuinâ re factâ, cōcione aduocatâ, milites collaudat, totúmque exercitum veteranorum donauit præmiis, ac fortiſſimo cuique & bene merenti pro ſuggeſtu tribuit.* Ea conuocatio claſſica fiebat. Liuius: *Luce ortâ, vocatis claſſico ad concilium militibus, Manlius primum ob virtutem laudatus donatúſque.* Iam cogita cum animo tuo ipſam hanc ſcenam rerum. ſtare Imperatorem in tribunali, loco edito, te iuxta illum; à tergo, à latere, duces; antè & circà immenſam multitudinem, notos ignotóſque. vnum te illîc conſpicuum voce Imperatoriâ laudari, mox donari: cuius animus non creſcat? cuius pectus ad virtutem non incaleſcat, cui modò ſcintilla ſit à meliori igne? Hæc igitur ita fiebant, & in hiſtoriis exempla leges.

Forma & pompa donandi. Lib. v.

» *Ei quidem qui hoſtem percuſſerit, haſtam donat.*] Quid? omnibus, qui hoſtem? infinitum ſit. Sed ſtatim reſtringit, & addit, hæc talia non dari ob facinus in legitimâ & communi pugnâ (cuius manus ibi torpeat?) ſed ſiquis extra ordinē, aut in ſingulari pugnâ eiuſmodi facinus ediderit, eū donari haſtâ. *Haſtâ* dico, & verto: etſi in Græco eſt γαῖσον. quod iaculi genus eſſe ſcimus: ſed hîc cōmuniter ſumit pro Haſtâ. Latini quidē præmiū hoc non aliter efferunt. vt Feſtus: *Romani viros fortes ſæpè haſtâ donarūt.* Cato apud eumdē: *Haſtas donaticas, alióſque honores.* Iſtæ ſine ferro erant, eóque *Pura* Latinis dictæ: ſicut *Argentum purū*, cui nihil inſculptum; *Veſtis pura*, cui nihil è purpurâ adtextū. Suetonius Claudio: *Quem Britānico triumpho inter militares viros haſtâ purâ donauit.* Propertius:

Haſta in præmio.

In Haſtâ.

Pura & ſine ferro.

Lib. III.

Sed tua ſic, domitis Parthæ telluris alumnis,
Pura triumphantes haſta ſequatur equos.

A

Virgilius: *Ille, vides, purâ iuuenis qui nititur haſtâ.* Ibi Seruius: *ſine ferro*. Zonaras: ὁ ὀρυξ ἀσίδηρα. rectè conuertit.

» *Qui verò deiecerit & ſpoliauerit.*] Obſerua gradus in rebus, & præmiis. Qui læſerit, Haſtâ donatur: qui hoc amplius, deiecerit & ſpolia legerit, duplex iam hîc præmiū, diuerſum pro genere militiæ. Nam pediti, inquit, *Phiala* datur, equiti *Phalera*. Sed de phialâ ſiue paterâ, etſi palàm ita ſcriptum, dubium animi & aſſenſus me eſſe non nego. Conſulo te & tuam memoriam, ſicubi inter omnia dona militaria de *Pateris* legiſti? Exſtat eorum longus & multiplex index in Valerio & Plinio, de his quæ Sicinio Dentato olim data. Omnia ille vir meruit, verus non fabuloſus Hercules, & pleraque iteratò & ſæpè. At in eâ omni congerie non eſt patella vna. Duntaxat inferiore æuo in Probo Vopiſci lego, donatum eum poſt alia dona, *paterâ ſacrificali quinquelibri vnâ*. Sed hoc & ſemel legas, & inter grandiora atque Imperatoria illa dona, non hæc tralaticia & minora. Quid igitur adfero? audaciam, & telum quo multa concutimus aut euertimus, Correctionem. Vide num legendum, * ψάλια. quod eſſet *Armillam*. Valdè mihi placet (ſic ſolent nouitiæ inuentiunculæ) & eſt ſanè pro re ipsâ, & creberrima hæc inter dona. Feſtus: *Armillas ex auro, quas viri militares ab Imperatoribus donato gerunt, dictas eſſe exiſtimant, quòd antiqui humeros cum brachiis Armos vocabant*. Tertullianus: *Armillas ex virorum fortium donis*. Plinius: *Armillas ciuibus dedêre, quas non habent externi*: & nota ciuibus proprium fuiſſe hoc donum. Denique aureas & argenteas armillas reperies paſſim. Siſtit tamen leuiter & coërcet, quod in Polybio hîc eſt, *peditis* proprium fuiſſe: at ego etiam equiti reperio. vt in Liuio *Equites omnes, ob inſignem pluribus locis operam, corniculis armilliſque argēteis donat*. Sed ſiſtit, vt dixi, leuiter. quia Polybius quod plurimùm factum, id inſpexit: negatum non voluit, quin aliter liceret aut ſoleret. Ipſum quod de Phaleris ſubiungit, equiti tantùm: falſum igitur ita ſit. cùm *L. Sicinius*, vel *Sicius* in Dionyſio. ſimul vtraſque acceperit, & *phaleras & armillas*. Et ſæpe miſceri deprehēdes, vt in lapide priſco: C. GAVIO. L. F. DONATO. A. DIVO. CLAVDIO. BELLO. BRITANNICO. TORQVIBVS. ARMILLIS. PHALERIS. CORONA. AVREA. Nec puto militiam tamen mutaſſe, aut à pedite ad equitem tranſiſſe, aut contrà. Sed pergo:

Phiala in præmio.

Diminatio in noſtro.

* *Scribebant & ψέλλιον. Armilla in præmium.*

Obiter aliquot.

Lib. 10. Sed in numeris.

» *Equiti phaleras.*] Silius inter dona Scipionis:

> ——*Phaleris hic pectora fulget,*
> *Hic torque aurato circumdat bellica colla.*

Iuuenalis:

> *Vt leti phaleris omnes, & torquibus omnes.*

Phalera in ſonis. Lib. xv.

Sat. vlt. Diſtincta à torquibus. Lib. 40.

Et diſtinguit vtrumq; à Torquibus: ſicut & Dionyſius in Siccij donis diſcretè poſuit, στρεπτοὺς καὶ τὰ φάλαρα: *torques & phaleræ*. Quod ergo diſcrimen? nam Polybius miſcuiſſe videtur, & de Torque certè non fecit verbum. Sed diſcrimen aliquod, è Silij ſuprà verſibus hauriendum: quòd phaleræ demiſſæ ad pectus pendebant, Torques ſtringebant magis & ambibant ipſum collū. Diuerſitas etiam in formâ, quòd illæ * planiores & magis iacentes; iſtæ contortæ (vox Latina & Græca indicat) & ex anulis aut catellis plexæ. An non ipſæ, *Catellæ* dictæ? In Liuio eſt: *C. Calpurnium donaſſe equites ſuos phaleris; Quinctium alterum Prætorem, ſuos catellis ac fibulis*. Poſtponit Catellas Phaleris, & minoris habet: quia, quod ex narratione videas, minùs laudabilis opera Quinctianorū. Idem iudicium de Torque, ſi tamen eſt idem. Frequens eius mentio. vt in Tacito, Flauius Arminij frater iactat *aucta ſtipendia, torquem, & coronam, aliáque mi-*

* *Vt ſcutulæ: vide Suidā in Φάλαρα. Catella. L. xxxix.*

Torques.

2. Annal.

litaria dona. In Hirtio: *Cæſar ob virtutem turmæ Caſſianæ donauit millia tredecim, & Præfecto torques aureos duos*. Credo hunc inter ciues fuiſſe. etſi tamen Plinius prodidit, *Auxiliares & externos torquibus aureis donatos, at ciues non niſi argenteis*. Aliter Auguſtus, qui *C. Aſprenatem* (in Suetonio) *lapſu equi debilitatum aureo torque donauit*. Ille verò ciuis. In Vegetio etiam: *Torquati ſimplares, quibus torquis aureus ſolidus virtutis præmium fuit*. Manſit ad infimum æuum hoc præmium, & in Suidâ ſcriptor, de Beliſario, ſub Iuſtiniano: Ἐς μὲν τοὺς στρατιώτας φιλοδωρότατος ἐγεγόνει ἀνθρώπων ἁπάντων. τήν τε γὰρ ἐν ξυμβολῇ ἠτυχηκότων χρήμασι μεγάλοις παρεμυθεῖτο τὰ τραύματα, καὶ τοῖς εὐδοκιμήσασι ψέλλιά τε καὶ στρεπτοὺς ἆθλα παρείχετο: *In milites omnium mortalium beneficentiſſimus fuit. nam & eorum, qui infeliciter pugnauerant, vulnera multis pecuniis ſolabatur; & qui proſpere, armillas & torques præmia donabat*. Et quanquam non neſciam, Torques Gallorum iam olim geſtamina propria & patria fuiſſe; tamen ab hoc militiæ ritu manaſſe magis arbitror, quòd hodie nobilitas Europæa tam paſſim ſibi vindicat torques. Nec aliud de *Minoribus* donis Polybius: qui ſiluit etiam de *Vexillis*. Quid? an veteri illo æuo non fuerunt? in Siccij profectò donis non recenſentur, qui vir tamen omnia adeptus quæ mereri virtus potuit. At ipſius Polybij æuo fuiſſe, vincam ex ipſo. qui apud Suidam ſcribit: τοὺς δὲ ἱππέας χρυσοῖς ἐφάσμασι καὶ λόγχαις, βουλόμενος ἀκόλουθον εἶναι τοῖς ἔργοις τὴν διὰ τῶν λόγων ἐπαγγελίαν: *Iſtos verò donauit aureis Vexillis & Haſtis, cùm vellet facta reſpondere promiſſioni verbis conceptæ*. Sed & Marius apud Salluſtiū inter viſitata recenſet: *Haſtas, vexillum, phaleras*; & ſe ea accepiſſe. Marmor antiquum: DONATO. HASTIS. PVRIS. V. VEXILLIS. VIII. In Vopiſco datur Aureliano: *Haſtæ puræ decem, vexilla bicolora quattuor*. In eodem, Probus bello Sarmatico, donatur *vexillis puris quattuor, armillis aureis duabus*. Pura appellat, quæ vniuſmodi coloris, nec tincta. At illa Aureliani *bicolora* fuerunt: vtra honeſtiora? Auguſtus verò, Agrippæ *poſt naualem victoriam, cæruleum vexillum donauit*, ait Suetonius: qui color maris. Fuiſſe autem vulgò argenteis vel aureis filis & textu dixerim, ex Polybio, qui ἐφάσματα χρυσᾶ expreſſit: *vexilla aurea*. Item ex Asconio. *Quædam*, inquit, *præmia & honoro & lucro ſunt, vt haſtæ, vexilla, phaleræ, corona ciuica; at anuli aurei ingenuitatis ſigna*. Niſi & hoc pro lucro deputat, quòd ſic donati, ſtipendiis etiam fuerint aucti. quod ſæpe eueniſſe ſcio, nec puto tamen ſemper.

B

C

D

Bell. Hiſp.

Li. xxxiii. cap. 11.

Lib. 11. cap. vii.

Beliſarij laudatio.

Vexillum inter dona.

In voce ἀκόλουθον.

In Iug.

In Aurel.

In Probo.

» *Similiter ei qui ciuem aut ſocium defenderit*] Tangit *Maiora* dona, ſed verè tangit. Ea ſunt coronæ, atque hæ plures, ob plures cauſſas. Ipſe duas modò nominat *Muralem* & *Ciuicam*. ego & has, & alias, breuiter recenſebo & illuſtrabo. Sit prima *Ciuica*: quæ data illi, *qui ciuem ſeruauerat, & eodem tempore etiam hoſtē occiderat*. Quod ita ex Maſſurij ſententiâ Agellius putat addendum. E quercu ſiue ilice fuiſſe idem notat, & Feſtus: *Ciuicam coronam ciuis, ſalute ſua cauſsâ ſeruatus in prœlio dabat, quæ erat iliguea, frondem habens perennem*. Claudianus:

> *Mos erat in veterum caſtris, vt tempora quercu*
> *Velaret, validis fuſo qui viribus hoſte,*
> *Caſurum potuit morti ſubducere ciuem.*

E

Corona ciuica.

Lib. v. cap. vi.

De Laud. Stilic. 2.

Inde Auguſti iocus apud Fabium: *Cùm ei Galli torquem aureum centum pondo dediſſent, & Dolabella per iocum, tentans tamen ioci ſui euentum dixiſſet, Imperator torque me dona, Malo te, inquit, ciuicâ donare*. Cetera quæ ad coronam hanc pertinent, in Polybio habes. Cauſſas cur è quercu, apud Plutarchum etiam, ſi lubet, vide. Plinius cetera quæ ad hanc coronam,

Lib. vi.

Quæſt. Rom. xcii.

Lib. xvi. cap. iiii.

ſuppeditabit, qui exequitur curioſè. Sed ait: *Auxilia, quamuis rege ſeruato, decus hoc non dant.* Quippini? ciuica eſt, & dicitur, ab ciue non ab extero ſeruato. Tamen Polybius comprehendit πολίτας καὶ συμμάχους, *ciues & ſocios*: ſed nempe priſcos illos Latini nominis, qui cum ciuibus tunc æquati. Plinius autem non de hiſce *Sociis*, ſed de *Auxiliaribus* externiſque definit. Iam altera vel potiùs prima eſt (ſuperat enim dignitate Ciuicam) *Obſidionalis. quam iis qui liberati ſunt*, ait Agellius, *dant ei duci qui liberauit.* Nulla eſt hac nobilior, vt inquit Plinius, & meritò, cùm non vnus, ſed plures ciuium morte erepti. E gramine hæc fuit, decerpto è loco intra quem obſidebantur. *quia ſummum victoriæ indicium erat, herbam porrigere victos.* Cauſſam eam dat Plinius: & Feſtus etymõ Gradiui quoſdam ait petere, *quia gramine ſit ortus. quod interpretantur, quia corona graminea in re militari maxima eſt honerationis.* Hanc ipſi quoque dant qui ſeruati ſunt, vt in Ciuicâ factum: Liuius de P. Decio Tribuno militum: *Legiones gramineam coronam obſidionalem, clamore donum approbantes, Decio imponunt.* Eadem Q. Fabio Maximo à Senatu populóque data, & aliis paucis quos in Plinio vide. Non omitto, abuſum, aut nouiter vſum, hoc nomine Ammianum. qui cùm oppidum quoddam Perſicum captum à Romanis ſcribit, addit deinde, *eos qui fecére fortiſſimè, obſidionalibus coronis donatos, & pro concione laudatos veterum more.* Nouiter hoc profectò, nec iſta *Obſidionalis* ſed *Muralis* fuit, de quâ in Polybio hic, nec eſt ignota. Agellius: *Muralis eſt quâ donatur ab Imperatore, qui primus murum ſubiit, inq; oppidum hoſtium per vim aſcendit.* In Silio Miluoi cuidam datur, lib. XIII.

Corona obſidionalis.

Lib. XXII. cap. IV.

Lib. VII

Obſidionalis, aliter in Ammiano. Lib. XXIIII.

Muralis corona.

> ———*cape victor honorem,*
> *Tempora murali cinctus turrita coronâ.*

Vicina eſt *Caſtrenſis*, quæ eius, qui primus hoſtium caſtra pugnans introiuit. Vtraque hæc aurea fuit. & de illa Polybius, cùm Scipio ſuos adhortatur ad oppugnandam Carthaginem Hiſpanicam: Αὐτοῖς χρυσοῦς στεφάνους ἐπηγγείλατο τοῖς πρώτοις ἐπὶ τὸ τεῖχος ἀναβᾶσι: *Deinde coronas aureas pollicitus eſt iis, qui primùm murum conſcendiſſent.* Feſtus de alterâ: *Caſtrenſi coronâ donabatur, qui primus hoſtium caſtra pugnando introiſſet. cui inſigne erat ex auro vallum.* Vallis igitur diſtincta iſta fuit, & ideò *Vallaris* quoque dicta: ſicut illa prior habuit & prætulit murorũ pinnas aut turres. Adfirmat de auro etiam Agellius: *Et Muralis autem, & Caſtrenſis, & Naualis fieri ex auro ſolent.* Eò mirũ, quid Suetonius ſibi velit in his verbis, de Auguſto: *Dona militaria aliquanto faciliùs, phaleras & torques, quidquid auro argentóque conſtaret, quàm vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat.* Nam omnia hæc profectò auro conſtabãt: quid ergo mirum minus indulſiſſe, quod & pretio & honore anteibat? Haud facilè expedio, niſi ſic: *quidquid auro argentóque conſtaret, vallares ac murales coronas, quàm quæ honore præcellerent, dabat.* Retrahenda particula illa videtur, & antitheſis facienda vbi poſui. Libentiùs dabat, inquit, inter minora præmia phaleras & torques & quidquid è metallo; itémque inter maiora coronas vallares ac murales, quàm ciuicas, aut ſi fortè obſidionales. Sed, inquies, ergo Imperator, etiam iſtas? * antreà dictum, ſeruatum ſeruatori impoſuiſſe. Impoſuiſſe, an obtuliſſe? nec id ſine cognitione & decreto Imperatoris. Atque adeò in Tacito lego, ne Proconſulem quidem ius ſibi vindicaſſe donandi, ſed Principi (vt vnico & ſummo tunc Imperatori) ſeruaſſe. *Rufius Helmius gregarius miles ſeruati ciuis decus rettulit, donatúſque eſt ab Apronio torquibus & haſtâ. Cæſar addidit ciuicam coronam, quod non eam quoque Apronius iure Proconſulis tribuiſſet, queſtus magis quam offenſus.* Spectat huc illud Suetonij in Tiberio: *Corripuit Conſulares exercitibus præpoſitos, quòd de tribuendis quibuſdam militaribus donis ad ſe referrent, quaſi non omnium tribuendorum ius ipſi haberent.* Fortaſſis autem inter eas, *quæ honore præcellerent*, Suetonius etiam *oleagineas* intellexit: quas, inter magna præmia, comperiut illo æuo datas. Nam etſi Agellius ſcripſerit: *Poſtremam coronam eſſe Oleagineam, quâ vti ſolent, qui in prælio non fuerunt, ſed triumphum procurant:* etſi inquam ille (quos auctores aut quod æuum aſpiciens, neſcio) tamen contrà, virtutis cauſa inuenio militibus donatam. Dio Caſſius de Auguſto præmia tribuente in Siciliâ, Sex. Pompeio victo: Καὶ πᾶσι μὲν πεντακοσίας δραχμάς, τοῖς δὲ ναυμαχήσασι καὶ στέφανον ἐλάινον ἔδωκε: *Et omnibus quidem (militibus) quingentas drachmas, iis vero qui nauali certamine viciſſent, etiam coronam oleagineam dedit.* Et antè à Senatu ipſo id factum tradit, bello & victoria Mutinenſi: qui cùm nollet omnes milites Octauiani præmiis afficere, ne efferrentur ſuperbia, nec omnes prætermittere poſſet, auderétve: [illegible], inquit, [illegible]: *hos medios vti ingreſſi ſunt, hos laudantes, illos minime, hos coronis olea donantes vti per ludos ferrent, illos nequaquam.* Hæc de Oleagineâ: cui tamen quis locus aut pretium fuerit, non aſſigno: & ſuſpicor in locum *Aurearum communium* veniſſe, de quibus mox addam. Sed eſt & *Naualis* corona ex auro, vt tetigi, eius, *qui primus in hoſtium nauem armatus vi tranſiliuit.* Re igitur & materie non abit à Murali aut Caſtrenſi. Nominatur in Vopiſci Aureliano, quem fatur accepiſſe *duas coronas nauales.* Roſtris nauium hanc diſtinctam non equidem opinor, aut aliquâ nota certè diuerſam facio à *Roſtratâ.* Nam ecce hæc in ſummo pretio, & non iis data qui in nauim aliquã tranſcendiſſent (ſæpe id factum) ſed qui nauale aliquod magnum decus aut victoriam, magnâ induſtriâ pepeiſſent. Data dico Ducibus ipſis, & aſſimilanda aliquatenus obſidionali. Plinius cedere eam ſoli Ciuicæ facit: *Cedunt huic & Roſtratæ, quamuis in duabus maximè ad hoc æui celebres, M. Varrone, piraticis bellis, dante Magno Pompeio: itémque M. Agrippâ, tribuente Cæſare, Siculis.* Hinc clarus Dionis lapſus & improuida affirmatio: Τὸν Ἀγρίππαν στεφάνῳ χρυσῷ ἐμβολωτῷ ἐκόσμησε, τὸ μήτε πρότερον μήτε ὕστερον ἄλλῳ τινὶ γενόμενον: *Agrippa coronam auream roſtris diſtinctam dedit, quod nec antè nec poſteà alij cuiquam contigit.* Ita de Coronis, dictu quidem digna, habeo. niſi quòd addo, communiter ſæpe donatam *Coronam auream* ſine alio agnomine, virtutis ergô. De Siccij donis Valerius, & alij: *Præferebantur aureæ coronæ octo, ciuicæ quatuordecim, murales tres, obſidionalis vna.* De Manlio, poſteà Torquato, cùm Gallum occidiſſet, Liuius: *Dictator coronam auream addidit donum, miriſque eam pugnã laudibus tulit.* De Lælio, idem: *Ante omnes Scipio C. Lælium, Præfectum claſſis, & omni genere laudis ſibimetipſe æquauit, & coronâ aureâ ac triginta bubus donauit.* Idemque à Marcello factum Soſidi & Merico, etſi exteris, quorum opera Syracuſæ maximè captæ. De triumpho eius Liuius: *Non minimum fuere ſpectaculum, cum coronis aureis præcedentes, Soſis Syracuſanus & Mericus Hiſpanus.* Sed & exercitus obſidione à L. Quinctio ereptus, *coronam ei auream libra pondo decreuit*: in eodem Liuio ſcriptum. Vt *communis* ea fuiſſe fuiſſe videatur, in quocunque egregio facto. A Græcis hoc manaſſe videatur & maximè Athenienſibus, qui viritim & populariter ſic donabant. Ita Demoſthenes coronâ aureâ inſignitus: ita

Caſtrenſis.

Lib. X.

Vallaris eadem.

Cap. XXV.

In Suetonio conieƈtura.

** In ipſo Polybij textu. Imperator coronas imponebat. III. Annal.*

Cap. XXXII.

Oleagina corona.

Lib. XLIX.

Lib. XLVI.

Naualis corona. Agell.

Diſtincta a Roſtratâ.

Lib. XVI. cap. III.

Lib. XLIX.

Corona aurea. Lib. III. cap. II.

Lib. VII.

Lib. XXVI.

Lib. XXXIII.

Lib. xxxi.

Rhodiorum populus(in Liuio)*coronâ aureâ virtutis ergò donatus*: & quæ plura talia legas. Illud non omittendum, Pœnos quoque videri hoc de Coronis vſurpaſſe. Liuius quidem, vbi Annibal Caſilinum oppugnat, ita ſuggerit:

Lib. xxiii.

Poſtero die omnium animi ad oppugnandum accenduntur, vtique poſteaquam corona aurea muralis propoſita eſt. Etſi factum id eſſe potuit exẽplo & imitatione Romanâ. Quæ ſingulatim de Donis dixi, pleraque ea iunctim Zonaras alicunde transſcripſit, & operæ eſt audire. De triumpho narrat, & qui in eo ritus: atque inter plura, ait:

Zonaræ locus de donis pleriſque omnibus. Tom. II. Annal.

Καὶ ἐπαινέσας τοὺς συστρατευσαμένους αὐτῷ, καὶ κοινῇ, καὶ ἰδίᾳ τινάς, εἰς χρήματα ἐδωρεῖτο. ἐτίμα δὲ καὶ κόσμοις, ψελλιοβραχιονίοις τισί, καὶ δόρασιν ἀσιδήροις παρέχων, καὶ στεφάνους τοῖς μὲν χρυσοῦς, τοῖς δὲ ἀργυροῦς ἐπεδίδου, ὄνομά τε ἑκάστου καὶ τῆς ἀριστείας φέροντας τὸ ἐκτύπωμα. εἰ γὰρ τείχους τις πρῶτος ἐπέβη, καὶ τείχους ὁ στέφανος εἶδος ἐφέρετο. εἰ καὶ ἐξεπολιόρκησέ τι, καὶ τοῦτο κατ' αὐτὸν εἰκόνιστο. εἰ ναυμαχίᾳ τις, ναυσὶν ὁ στέφανος ἐκεκόσμητο. εἰ ἱππομάχησέ τις, ἱππικόν τι ἐξετετύπωτο. ὁ δὲ πολίτην τινὰ ἐκ μάχης, ἢ ἑτέρου κινδύνου, ἢ ἐκ πολιορκίας σώσας, μέγιστόν τε εἶχε τὸν ἔπαινον, καὶ ἐλάμβανε στέφανον γεγονότα ἐκ δρυός, ὃς πολὺ πάντων καὶ τῶν ἀργυρῶν καὶ τῶν χρυσῶν ὡς ἐντιμότερος προετετίμητο. καὶ οὐ κατ' ἄνδρα μόνον ἀριστεύσαντα ταῦτ' ἐδίδετο, ἀλλὰ καὶ λόχοις καὶ στρατοπέδοις ὅλοις παρείχετο:

Et is qui triumphaturus erat, cùm laudaſſet communiter, & virìtim quoſdam, dabat iis pecunias. Honeſtabat etiam ornamentis & donis; & Armillas quibuſdam, & Haſtas puras dabat; & Coronas aliis aureas, aliis argenteas, nomen cuiuſque & ſtrenuè facti ſpecimen atque imaginem referentes. Si enim murum aliquis primus aſcendit, & muri ſpeciem corona ferebat. Siquid expugnaſſet, (puta caſtrum aut vallum) id quoque corona aſſimilabatur. Si mari viciſſet, aut nauim ſcandiſſet, nauibus ornabatur. Si equo viciſſet, equeſtre aliquid inſculpebatur. Qui vero ciuem in prœlio aut alio periculo, ſiue & obſidione liberaſſet, maxima in laude erat, donabatúrque coronâ è quercu facta, quæ longè & aureis & argenteis honoratior digniórque habebatur. Atque hæc non ſingillatim modo & viritim conferebant, ſed in manipulos aut legiones totas. Hæc iſta Zonaras. qui tamen Ciuicam largè ſatis donat, & qui ciuem non ſolùm in prœlio, ſed & *alio periculo aut obſidione* ſeruaſſet: præter alios, qui de ſolo prælio adfirmant, & leges addunt ſatis arctas, *Ciuem ſeruare, hoſtem occidere: vtq; eum locum, in quo ſit actum, hoſtis obtineat eo die: vtque ſeruatus fateatur, aliàs teſtes nihil proſunt.* Quæ ſic in Plinio ſcripta, & conſimilia in Agellio quædam.

Lib. xvi. cap. iv.

Oſtendit amplius Zonaras, imaginẽ facti inſculptam fuiſſe, aut expreſſã coronis. Expreſſam interdũ ipsâ formâ, vt in Vallari, Murali, Roſtratâ: interdũ in auro ipſo inſculptũ aliquid & depictũ, ſicuti ſiquis in equo ſtrenuũ aliquid feciſſet (quod hic ait) equeſtre aliquid exſignatum. Sed & addit Zonaras, hæc præmia totis manipulis aut legionibus etiam data. Præter alia, vetus in Liuio exemplum de Papirio Curſore. qui

Lib. x.

quattuor Centuriones, manipulumq; haſtatorum, armillis aureiſq; coronis donat. Armillas ad totum manipulum, coronas ad Centuriones putem referendas. Atque hîc mihi nota Armillas diſertè peditibus datas, ad ſuperiorem noſtram emendationem, an coniecturam?

Ludos pompáſque cum coronis. Lib. ii.

» *Ludos pompáſque conſpicui ineunt.*] Cõmoda ſunt adiuncta his donis, ſed quæ honore ferè conſtant. Vt primum iſtud, quòd ludos ita ineunt. quo exemplo, Pompeio etiam lege conceſſum, *vt is ludis Circenſibus* (Velleius tradidit) *coronâ laureâ & omni cultu triumphantium vteretur.* Et ſuprà in Dionis verbis, aliquid in hanc rem dictũ. Secundum, (quod tempore tamen primum) vt in triumpho ornati ſic incedant.

In triumpho verſ- antur.

Liuius de Papirij triumpho: *Pedites equiteſque inſignes donis tranſiêre, ac tranſuecti ſunt: multæ ciuicæ coronæ, vallareſque, ac murales conſpecta.* Idem de triumpho Manlij: *Multi omnium ordinum, donati militaribus donis, currum ſecuti ſunt.* Quòd ſi plures etiam aliquis coronas aut dona meruiſſet, tuliſſetque: eaipſa præferri moris fuiſſe videtur. Valerius de Siccio, vel Sicinio (variè ſcribunt:)

Lib. iii. cap. ii.

Nouem triumphales Imperatorum currus ſecutus, totius ciuitatis oculos in ſe numeroſâ donorum pompâ conuertit. Præferebantur enim aureæ coronæ octo, ciuicæ quattuordecim, murales tres, obſidionalis vna, torques centum octoginta tres, armillæ centum ſexaginta, haſtæ octodecim, phaleræ viginti quinque. ornamenta etiam legioni, nedum militi ſatis multa. Tertiò equites equo publico in Tranſuectione annuâ donis iſtis vſi: in verbis Dionyſij, ſuo loco datis.

In iudicium.

Quartò, ſolent in iudicium quoque aut diſcrimen hæc introducere interdum, virtuti oſtentandæ. Liuius de Manlio Capitolino:

Lib. vi.

Decora quoque belli non commemoraſſe tantùm, ſed protuliſſe etiam conſpicienda, ſpolia hoſtium cæſorum ad triginta, dona Imperatorum ad quadraginta, in quibus inſignes duas murales coronas, ciuicas octo. Opportunè ibi de ſpoliis, de quibus iam Polybius:

Spolia in foribus.

» *In ædibus verò, conſpectiſſimâ earum parte, ponunt Spolia.*] Appellant Spolia, arma & exuuias detractas cæſo hoſti. Nam ita iam olim, apud Græcos etiam ſolent, & oſtendere monumentum virtutis. Honori ea res apud Romanos: & apud Valerium legas, de militibus ignominiâ notatis:

Lib. ii cap. vii.

Recurſum autem iis ad priſtinum militiæ ordinem propoſuerunt, ſiquis bina ſpolia ex hoſtibus tuliſſet. Apud Liuium, cùm Senatum legeret & ſuppleret M. Fabius Dictator:

Lib. xxiv

legit qui Ædiles, Tribuni, Quæſtoréſve fuerant, tum ex iis qui ſpolia ex hoſte fixa domi haberent, aut ciuicam coronam accepiſſent. Aduerte, pænè pro magiſtratu hæc decora fuiſſe, & lectos è priuatis, quique honorem nullum cepiſſent, eos eximiè quibus ſpolia, aut corona. Ait autem *domi fixa.*

Suſpenſa in ædibus.

Rectè. nam ſolent poſtibus ipſis & foribus ſuſpendi, in tranſeuntium aſpectum. Id eſt, quod Polybius dicit, *in conſpectiſſimo ædium loco poſita:* etſi poëta Silius in atriis etiam locat:

Lib. i.

——vos atria raptim
Nudate, & clypeos in bella refigite captos.

Sed in poſtibus magis, & exempla euincunt. Feſtus: *Antipagmenta, valuarum ornamenta, quæ antis adpanguntur, id eſt adfiguntur.* *Antas* autem idem explicat *latera oſtiorum.* Liuius:

Lib. xxxviii.

Spolia eius vrbis ante currum laturus, & fixurus in poſtibus ſuis. Vides triũphales quoque vſurpaſſe, atque eos in primis.

Etiam à triumphantibus.

Silius de Regulo:

Lib. vi.

Affixi clypei, currúſq;, & ſpicula nota
Ædibus in paruis, magni monumenta triumphi.

Tibullus ita ad Meſſallam:

Lib. i.

Te bellare decet terrâ Meſſalla maríq;,
Vt domus hoſtiles præferat exuuias.

Propertius ad Mæcenatem:

Lib. iii.

Cùm tibi Romano dominas in honore ſecures,
Et liceat medio ponere iura foro,
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hoſtes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum.

Virgilius aſpexit:
Barbarico poſtes auro ſpoliſque ſuperbi.

Iterùm:
Multáque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captiui pendent currus, curuæq; ſecures,
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra,
Spiculáque, clypeiq;, ereptáque roſtra carinis.

Nec aliter Senecam interpretabere:

Epiſtol. lxxxv.

Præteri iſtos gradus diuitum, & magno aggeſtu ſuſpenſa veſtibula. Vides etiam in Virgilij poſtremis verſibus Roſtra ſuſpenſa

Digitized by Google

Roſtra in ædibus.

fuiſſe, id eſt ſpolia marina. Quò facit hoc Tullij in Antonium: *An tu illa in veſtibulo roſtra & hoſtium ſpolia cùm aſpexiſti, domum tuam introire te putas?* Pompeij enim domum ille poſſidebat, in quâ hæc inſignia purgati maris. Ipſa illa eſt, quam Capitolinus in Gordianis intellegit: *Exſtat ſilua eius memorabilis, quæ picta eſt in domo roſtrata Cn. Pompeij, quæ ipſius, & patris eius, & proaui fuit.* Nam Gordiani ex Antoniis, & habuêre à M. illo Antonio. Nacta autem nomen à Roſtris, quæ etiam tunc extitiſſe ſi dicam, quid mirum? Certè ex ære fuerunt, quod fert ætatem: & illa lex in Spoliis, quam Plinius memorat, *vt nec ædibus abalienatis, liceret emptoribus refigere ea, aut tollere.* Tempore labi debebant. iterúmque alia lex, ſiue obſeruatio, vt nefas cenſerent ſic collapſa reficere, aut inſtaurare. Plutarchus hoc docebit in Cauſſis. Hic Spoliorum honos. & quia magnus, multi ambitiosè, nec meriti affectabant. Cautum Caro Priſcus olim iuit, & Orationem ſcripſit cui titulus, *De ſpoliis ne figerentur niſi quæ de hoſte capta eſſent.* In Feſto reperies, verbo *Reſignare.*

Spolia non fas reuellere. Lib. xxxv. cap. ii.

Quæſt. xxxvii.

DIALOG. XVIII.

De Pœnis, quis inflixerit, & quas: tum etiam de variis Ignominiis.

A PRÆMIIS ad *Pœnas* ordo ducit, & quia hæ vna ſemper in bona rep. etſi in diuerſos. De iis Polybij iſta leguntor:

POLYB.

Δεῖ δὲ προσέχειν τοὺς μὲν στρατιώτας τοῖς χιλιάρχοις, τούτους δ' ἐπὶ τοῖς ὑπάτοις. κύριος δὲ καὶ ζημιῶν ὁ χιλίαρχος, καὶ ἐνεχυράζων καὶ μαστιγῶν. τοὺς δὲ συμμάχους οἱ πραίφεκτοι. ξυλοκοπεῖται δὲ καὶ ὁ κλέψας τι τῶν ἐκ τῆς στρατοπέδου. καὶ μὴν ὁ μαρτυρήσας ψευδῆ, παραπλησίως. καὶ ἐάν τις τῶν ἐν ἀκμῇ παρακεχρημένος εὑρεθῇ τῷ σώματι. πρὸς δὲ τούτοις, ὁ τρὶς περὶ τῆς αὐτῆς αἰτίας ζημιωθείς. ταῦτα μὲν οὖν ὡς ἀδικήματα κολάζουσιν. εἰς δ' ἀνανδρίαν τιθέασι καὶ στρατιωτικὴν αἰσχύνην τὰ τοιαῦτα τῶν ἐγκλημάτων. ἐάν τινες ψευδῆ περὶ αὐτῶν ἀνδραγαθίαν ἀπαγγείλωσι τοῖς χιλιάρχοις ἕνεκεν τοῦ τιμὰς λαβεῖν. ὁμοίως ἄν τινες, εἰς ἐφεδρείαν ταχθέντες, φόβου χάριν λίπωσι τὸν δοθέντα τόπον. παραπλησίως ἐάν τις ἀπορρίψῃ τι τῶν ὅπλων κατ' αὐτὸν τὸν κίνδυνον διὰ φόβον. διὸ καί τινες μὲν ταῖς ἐφεδρείαις προδήλως ἀπόλλυνται, πολλαπλασίων αὐτοῖς ἐπιγινομένων, οὐ θέλοντες λιπεῖν τὴν τάξιν, δεδιότες τὴν οἰκείαν τιμωρίαν. ἔνιοι δὲ κατ' αὐτὸν τὸν κίνδυνον, ἐκβαλόντες θυρεὸν, ἢ μάχαιραν, ἢ τι τῶν ἄλλων ὅπλων παραλόγως, ῥίπτουσιν ἑαυτοὺς εἰς τοὺς πολεμίους, ἢ κυριεύειν ἐλπίζοντες ὧν ἀπέβαλον, ἢ παθόντες τι, τὴν πρόδηλον αἰσχύνην διαφεύξεσθαι, καὶ τὴν τῶν οἰκείων ὕβριν.

Oportet attendere & auſcultare milites Tribunis, Tribunos Conſulibus. Tamen & Tribunus ius habet potenſq́; eſt mulctandi, pignoris capiendi, & verberandi. Idem in ſocios Præfecti. Fuſte autem percutitur, & is qui furto aliquid abſtulit è caſtris, & qui falſum teſtimonium dixit, & qui in flore ætatis, corpore ſuo deprehenditur abuſus, itémque qui ter ob eamdem culpam mulctatus fuerit. Hæc talia vt crimina puniunt: at ignauiæ & militari probro adſcribunt iſta. Siqui falsò ſtrenuum aliquod factum ſuum referunt ad Tribunos, honoris præmiique cauſſâ. Siqui in præſidio aut ſtatione poſiti, per metum deſeruerunt locum. Siquis abiecerit armorum aliquid in ipſo diſcrimine per metum. Eoq́; fit, vt quidam in præſidiis certò pereant, pluribus ingruentibus, dum locum verentur deſerere metu huiuſce pœnæ. Quidam etiam in ipſo conflictu, excuſſo ſcuto aut gladio, alióve ex armis, caſu fortuito, iaciunt ſe ipſi in hoſtes certi, aut recuperare quod amiſerint, aut occumbentes effugere manifeſtam ignominiam & opprobria ſuorum.

Pœnas dicturus præmittit de iis qui irrogant, & oſtendit Tribunorum id fuiſſe.

„ *Tribunus ius habet, potênſque eſt mulctandi.*] Tria recenſet quæ imperij eorum & iuris. quòd mulctam dicunt, quòd pignus capiunt, quòd verberibus caſtigant. An & capite puniunt? non hîc addit. Suprà tamen vbi de Vigiliis ſcribit: *Si nihil tale factum, redit in circitorem culpa, ſtatímque aduocato conſilio à Tribuno cauſſa cognoſcitur, & ſi damnatus fuerit, fuſtuarium ſubit.* Ex quo dixeris, etiam capitis cauſſas Tribunum cognouiſſe, atque adeò in equites Romanos (tales Circitores) animaduertiſſe, ſi ij in culpa. Neque nimis id negauerim, cum lege, ſi Conſilium adiunctum, & vnà cognoſcant. At ea quæ hîc recenſet, videntur fuiſſe in arbitrio Tribuni vnius. Tamen cùm res capitis ſæpiùs legas ipſum Ducem cognouiſſe, damnaſſe. Salluſtius ita de Turpilio, qui oppidi Præfectus turpiter amiſerat: *Iuſſus à Metello cauſſam dicere, poſtquam ſeſe parùm expurgat, condemnatus, verberatus, atque capite pœnas ſoluit.* Metellus ibi Conſul, & primus Dux, cui etiam ſine cauſſæ dictione (nempe vbi res liquida) fas condemnare. Dionyſius me docuit, & exempla. Ille ſic: ὁ γὰρ νόμος ἔδωκε ἀποκτείνειν τοῖς ἡγεμόσιν ἐξουσίαν τοὺς ἀπειθοῦντας, ἢ τὰ σημεῖα καταλιπόντας, ἀκρίτως: *Lex dedit Ducibus facultatem interficiendi eos qui non obediunt, aut ſigna deſerunt, idque cauſſâ indictâ.* Exempla etiam, vt in Floro de Atilio Regulo: *Nec deerant qui ipſo Punici maris nomine deficerent, augente inſuper metum Tribuno Nannio. in quem, niſi paruiſſet, ſecuri diſtrictâ Imperator, metu mortis, nauigandi fecit audaciam.* In Liuio de Papirio Curſore, qui in Prætorem Prænestinum: *Lictorem expedire ſecurim iuſſit, ſed metu vltimi ſupplicij perfuſum mulctâ dictâ, dimiſit.* Sed & Torquatus Imp. apud eumdem, filium ſuum, qui inter equites merebat, ſtatim & ſine conſilij aduocatione vllâ, capite puniit. Plura exempla. atque adeò rigidum hîc ius, vt prouocatio etiam nulla eſſet. Cicero: *Militiæ, ab eo qui imperabit, prouocatio ne eſto; quódque is qui bellum geret, imperaſſit, ius ratúmque eſto.* E more veteri lex, vt eius pleræque. quem morem & Liuius tangit: *Neque enim prouocationem eſſe longiùs ab vrbe mille paſſuum.* Significat in vrbe, etiam militem lectum, prouocare potuiſſe, & Tribunos auxilio fuiſſe: at tanto illo ſpatio extra vrbem, minimè, & fuiſſe omnia in manu imperantis. Hoc tam liberū ius valdè ſubmiſit militem, & ad omnia promptum volentémque fecit. Sed tamē ambigi poteſt, an poſt legem Porciam non aliquâ id imminutum, nec capite ſed exilio in ciuem animaduerſum. Conſtat legem ſic

Tribunis ius in caſtigando.

Quatenus capite puniant.

Dux ſummus capite animaduertit. In Iug.

Etiam ſine lite. Lib. xx.

Lib. ii. cap. ii.

Lib. viii.

Et ſine prouocatione. iii. de legibus.

Lib. iii.

fuiſſe:

An idem poſt legem Porciam?

A fuiſſe : ſed an militiæ etiam valuerit, quæro. Valuiſſe, argumentum aliquod è Salluſtio. qui poſt damnationem illam Turpilij, & cùm *verberatum & capite pœnas dediſſe* ſcripſiſſet, ſtatim addidit: *Nam is ciuis ex Latio erat.* quaſi in veteres vetóſque ciues non idem ius. Sed Polybij tamen tempore aliter fuiſſe videmus, & de morte hîc paſſim, atque alij etiam ſcriptores. Illud fateor, à Principibus hîc nouatum, quibus non ex vſu aut dignitate ſuâ viſa tam libera hæc poteſtas, & circumciderunt. Gregales puniri à Ducibus permiſerunt, Centuriones alióſque primores ſibi adſeruarunt. Dio Caſſius Mæcenatem ita ſuadere facit Auguſto: *Legatum Prætorium militibus præficito, exceptis iis quæ mortem aut ignominiam ſpectant. Hæc enim ad ſolum Conſularem* B *Legatum pertinebunt, exceptis etiam Centurionibus & primariis militibus aliis. Hos enim vtroſque nulli permittere debes puniendos, ne quemquam iſtorum ſic metuant, vt & contra te aliquid auſint.* Rem, & vnà cauſſam, habes. Duplices Legati exercituum illo æuo, Prætorij & Conſulares. Illi ius in vitam non habent, iſti habent, ſed cum exceptione, vt ne digniores. Iterat hoc ipſum in fine Suaſionis: *De his cauſſis, & equitum, Centurionúmque è legionibus & primatorum primariorũ, tu ipſe cognoſces, vbi caput aut infamia agetur. nam hæc ad te ſolum debent referri, ne nemo alius de iis iudicare.* Quin idem ſcriptor poſteà tradit, *Legatis* C *Cæſareis conceſſum, vt plus quàm annum in imperio eſſent, & militarem habitum* (Paludamentum) *geſtarent, gladiumq́; & ius capitaliter animaduertendi militis haberent. Neque enim aliter vlli Proconſuli aut Præſidi gladio ſe accingere licebat, quo ipſo ius necandi militis negabatur.* Atque hæc haud dubiè valuerunt. eóque exemplo ad Tiberium miſſus fuit *Præfectus alæ, de vi & rapinis reus*: quem tamen ille, vt quaſi maieſtatem Curiæ attolleret, *cauſſam in Senatu dicere coegit.* Sic Centurio adulterij reus apud Plinium memoratur, in vxore Tribuni. qui *Legato Conſulari, ille Cæſari ſcripſerat. Cæſar excuſſis probationibus centurionem exauctorauit, atque etiam relegauit. Cæſar & nomen Centurionis, & commemorationem diſciplinæ militaris ſententiæ adiecit, ne omnes eiuſmodi cauſſas reuocare ad ſe videretur.* Conſidera. Adulterij cauſſa D erat, apud ordinarium tribunal meritò diſceptanda: ſed reus Centurio erat. accuſatus ergo apud Legatum Conſularem, ſed ille gnarus ſuæ poteſtatis, Cæſaris ſententiam expoſcit. Hîc damnat, & adiicit in ſententiâ diſertè, *Centurionem*, & memorat inſtitutum militiæ: nec de gregariis aut talibus velle cognoſcere. Sed vt ad Polybium redeamus, dat igitur ille Tribunis ipſis poteſtatem *Mulctandi*, &

Principes nouarunt.

Lib. LII.

Lib. IIII.

Suet. cap. XXX.

Lib. VI. Epiſtol. XXXI.

» *Pignoris capiendi.*] Niſi mulctam ſcilicet ſoluerent. An facit eò hoc Feſti? *Cenſio haſtaria dicebatur, cùm militi mulctæ nomine, ob delictum militare, indicebatur, quòd haſtas daret.* Priuabatur igitur parte armorum, eáque pecuniâ debebat luere.

» *Verberandi.*] Ad caſtigationem, vitibus aut virgis. Sed & ad mortem, fuſte; de conſilij tamen E ſententiâ.

» *Fuſte autem percutitur.*] Intellegit *Fuſtuarium*, Latinis ita dictum, quod ipſe Polybios paullò antè deſcripſit. Nam vigiliis aut circuitioni neglectæ pœnam fuiſſe tradidit ξυλοκοπίαν, *fuſtuarium*: & addit, *Ea pœna eſt talis. Fuſtem capiens Tribunus condemnatum leuiter tangit & delibat. quo facto, omnes qui in caſtris ſunt, ferientes alius fuſtibus, alius lapidibus, pleroſque in ipſis caſtris* (nota ibi ſupplicium ſumptum, & opinor in ipſis Principiis) *occidunt. Quòd ſi quis euaſerit, nec ſic ſaluus erit, quomodo enim? cui nec in patriam redire, nec quiſquam è neceſſariis tecto eum receperit. Itaque planiſſime pereunt, quos ea calamitas attigit.* Vides modum ſumptieius ſupplicij, & effectum. Neque hîc lictores vlli adminiſtri, aut carnifex, ſed Tribunus ſignum modò dat, & obiicit multitudini militari. An quia honeſtior illa mors? an quia triſtior, & magis in animos penetrabat id exemplum? Profectò enim triſte, commilitonum & commanipularium manibus interfici. Seruatum poſteà, & bello Hiſpanienſi (Hirtius tradit) *miles qui fratrem ſuum in caſtris iugulaſſet, interceptus eſt à noſtris, & fuſte percuſſus.* Apud Tacitum, Dolabella ſub Tiberio, *Decimum quemque ignominioſæ cohortis fuſte percuſſit.* Etſi alia etiam tunc ratio, nec abſimilis, puniendi. Obiiciebant enim & militum gladiis. In Tacito: *Stabant legiones pro concione diſtrictis gladiis, reus in ſuggeſtu per Tribunum oſtendebatur. ſi nocentem adclamauerant, præceps datus trucidabatur. & gaudebat cædibus miles tamquam ſemet abſolueret.* Ammianus: *Quid de iſtis nefariis proditoribus fieri oporteret contubernales deuoti cenſetis? ſecutúſque adclamationem rogantium ſanguine vindicari, eos qui inter Conſtantianos merebant, priſco more, militibus dedit occidendos.* Simile apud Macedonas. Curtius: *Omnes à Nicomacho nominati, more patrio, dato ſigno ſaxis obruti ſunt.* Arrianus in aliâ coniuratione: τοῦτον μὲν δὴ αὐτὸν καὶ τοὺς ξὺν αὐτῷ ξυλληφθέντας καταλευσθῆναι πρὸς τῶν παρόντων: *Hunc* (Hermolaum) *& reliquos cum eo comprehenſos lapidibus obrutos ab iis qui aderant.* Vt videatur lapidatio Macedonum hac in re fuiſſe, quam & Romani adhibuerunt, Polybio hîc indicante. Sed quæres, ſolum fuſtuarium tunc inter pœnas quæ ad mortem? Polybius non aliam recenſet: ſed alibi inuenio. Tu quoque notaſti, non dubito. nam quid promptius, quàm etiam ſecuri percuſſos, aut gladio? De ſecuri, Liuius, ſtatim liberâ republicâ: *Appius Conſul Centuriones duplicarióſque, qui reliquerant ordines, virgis cæſos ſecuri percuſſit.* Apud eumdem, ſeditione ad Sucronem, auctores eius *deligati ad palum, virgiſq́; cæſi, & ſecuri percuſſi ſunt.* Quin etiam *legio vniuerſa* (in Epitomâ Liuij) *quæ Rhegium occupauerat, obſeſſa, deditione factâ, ſecuri percuſſa eſt.* At Securi Gladium ſub Principum tempora ſucceſſiſſe, ad Tacitum memini me notare. Quæ cauſſa tamen diſcriminis? an arbitrarium fuit? an de more Conſul & ſupremus Dux ſecuri puniebat, cùm ipſe iudicabat, quia lictores ſcilicet habebat & ſecurim & faſces? Tribuni autem aliter, quibus nulli tales adminiſtri nec inſtrumenta: eóque fuſte puniebant, peculiari caſtrenſi pœnâ? De Tribunis autem, eorumque ordinariis iudiciis, Polybius hîc agit. Adiungo, *Fuſtuarium* hoc nominari Ciceroni. *Nam ſi ille Conſul, Fuſtuarium meruerunt legiones, quæ Conſulem reliquerunt.* Liuio: *Fuſtuarium meretur, qui ſigna relinquit, aut præſidio decedit.* Eſt alia Fuſtium pœna, caſtigando, non occidendo, (caue miſceas) de quâ ſtatim.

Fuſtuariũ.

Sine carnificis operâ.

III. Ann. Gladium obiici.

I. Annal.

Lib. XXIX.

Lib. VI.

Saxis obruti. Lib. IV.

Securi percuſſi. Lib. II.

Li. XXVIII.

Lib. XV.

Gladio percuſſi.

Phil. III.

Lib. V.

» *Et is qui furtè aliquid abſtulit.*] Vigiliæ aut excubiæ neglectæ aut perperam habitæ Fuſtem merentur: ſed præter ea, inquit, etiam iſta dicenda. Sunt autem quattuor: primò *Furtum*, quod Polybius palàm dicit: at Catoni non ea, ſed manuum refectio eſt pœna. Ita enim in Frontino: *M. Cato memoriæ prodidit in furto comprehenſis, inter commilitones dextras eſſe præciſas, aut ſi leniùs animaduertere voluiſſent in principes, ſanguinem miſſum.* Emenda, *in principiis ſanguinem miſſum.* Nam ibi exactæ pleræque pœnæ, vt dixi. Quod autem ait de ſanguine miſſo, id ita in Agellio legitur: *Fuit hæc quoque antiquitus militaris animaduerſio, iubere ignominiæ cauſsâ militi venã ſolui & ſanguinem dimitti. cuius rei ratio in*

Catoni, vt videtur à Polybio diſſenſus.

Lib. X. cap. VIII.

literis

litteris veteribus, quas quidem inuenire potui, non exſtat. ſed opinor factum hoc primitus in militibus ſtupentis animi, & à naturali habitu declinatis, vt non tam pœna quam medicina videretur. Poſtea tamen ob pleraque alia delicta idem factitatum eſſe credo per conſuetudinem, quaſi minus ſani viderentur omnes qui delinquerent. Ita Agellius, cum cauſsâ ſubtiliùs quæſitâ, & quæ M. Antonio Mureto non proba. Ipſe magis cenſet factum, vt ſanguinem quem cum gloriâ fundere pro patriâ noluerant, eum cum ignominiâ amitterent. Sed rogo te Marce, in furto inccaſtigato (Cato dixit) quis ſanguis pro patriâ fundendus fuit? Quin ego etiam ſeorſum cenſeo, id fuiſſe notam meritæ ſummæ & vltimæ animaduerſionis; quam cùm clementia remiſiſſet, ſpeciem tamen eius vſurpabat in pauculo ſanguine fundendo.

Lib. xiii. Var. cap. vis.

» *Qui falſum teſtimonium dixit.*] Amo vos Romani ob cultam etiam inter arma pietatem. Cur hoc capitale? quia religio mixta, & læſum aut ſpretum potiùs (lædere quis poteſt?) periurio ſupremum numen. Supremâ igitur pœnâ luant.

Falſum teſtimonium fuiſſe punitum.

» *Qui in flore ætatis corpore ſuo abuſus.*] Nec id crimen olim capitale in togâ ante Scantinium: fuit tamen in caſtris. Quid ita? quia peccatum eius magna, nullo fœmineo ſexu, & multis iuuenibus in ipſo vigore formæ, ſub annum decimumſeptimum. Cauent igitur, puniunt: ſed in liberis maximè, vix arbitror in ſeruis. Notum illud ſub Mario factum. cùm Tribunus militum blanditiâ & mixto imperio iuniorem militem tentaſſet, ille generoſi ſanguinis, Tribunum ſtricto gladio interfecit, *Virum*, inquiens, *me ſcito*. Cauſsâ dictâ & probatâ, Marius iuuenem collaudatum abſoluit. AVD. Moram tibi inieciſti vno alteróque verbo, quod non demitto. Pero? annuis. Dixi *nullum fœmineum ſexum* in caſtris fuiſſe: poſſum credere? LIPS. Debes. poëtam Vmbrum non meminiſti ſcribere?

Corruptela iuuenum capitalis.

Romanis vtinam patuiſſent caſtra puellis.

Atqui non patebant. nec de amicis aut ſcortis loquor: apage has turpitudines: nego ius fuiſſe habendi ibi vel vxores, idque etiam primariis viris. Tacito noſtro volo te hoc accredere, apud quem Seuerus Cæcina cenſuit, *Ne quem magiſtratum, cui prouincia obueniſſet, vxor comitaretur.* Veteres mores aduocat, & ait, *Haud fruſtrà placitum olim ne fœminæ in ſocios aut gentes externas traherentur.* Dat & rationem mihi probiſſimam: *ineſſe enim mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad ſimilitudinem barbari inceſſus conuertant.* Oracula ille vir loquitur, nec vltrà opus firmari. AVD. Non de vxoribus, id fateor: ſed de ſcortis etiãnum hæreo, & en Liuium in Epitomâ, qui admiſcet. Nam ſcribit Scipionem ad Numantiam, *duo millia ſcortorum è caſtris reieciſſe*. Similem in Floro hac in re & viro: *Scorta, calones, ſarcina niſi ad vſum neceſſaria amputantur.* Vt ergo dixeris in ſtrictâ Diſciplinâ non fuiſſe; tamen vides in laxiore, nec tam nouum id crimen. LIPS. Nouum, nouum, inauditum. nec patior vltrà te errare (etſi pudor prohibet:) illa ſcorta, non mulieres ſed mulieroſi fuerunt. Nec vltrà ſeuelo. Enimuerò non Romani ſolùm hîc ita caſti, ſed Macedones & Græci: ac de Philippo rege proditũ, *quòd is bello in Thebanos, cùm duo iuuenes pſaltriam mercede conductam in caſtra induxiſſent, re cognitâ, ambos extra fines regni ſui relegarit.* Totidẽ hæc penè verbis reperire eſt in Polyæno. Iterũ ad noſtra iudicia & mores prouocabis: quis vetat? nõ imitari hoc licet, nõ licet negare. Etſi qui hîc mores? nuperi, & non ante multa ſæcula ipſa Germanorum natio, quæ maximè nunc iſtîc peccat, morem aut legem hanc habuit in caſtris.

Fœmina exſules à caſtris.

xv. Ann.

Etiam ſcorta.

Epit. LVII. Lib. II. cap. XVIII.

Simile in Græcis.

A Extat in Ligurino Guntheri poëtæ, qui tum vixit, inter res Friderici primi Imperatoris in Italiâ geſtas, exſtat inquam iſta lex:

Non erit in noſtris nobiſcum fœmina caſtris,
Quis reus extiterit ſpoliis nudatus abibit
Turpiter, & naſo mutilabitur illa reſecto.

Eadem in Radeuico, lib. I. ipſis verbis: *Nemo aliquam mulierem habeat in hoſpitio. qui verò habere præſumpſerit, auferetur ei omne ſuum harnaſca, & excommunicatus habebitur, & mulieri naſus abſcindetur.* Abi nunc, & mores prætende. AVD. Sileo. nec vltrà iam Iſidorum ſubſanno aut rideo, qui *Caſtra dicta* vult *quaſi caſta, quòd caſtraretur in iis libido.* Olim verum, nunc externo cachinno rideamus. LIPS. Sequitur in Polybio:

Friderici Imp. in bellis lex.

B » *Qui ter ob eamdem culpam mulctatus.*] Videſis & nota. Etiam leuiores & pecuniariæ culpæ, capitales fiunt, ſi ter repetitæ. Cauſſa, quòd talem prauo ingenio cenſebant, & factum ad peccandum. Fortaſſe & contumacia iis viſa punienda, & quòd quaſi per contemptum ludibriumque legis peccaret. Hæc & talia ſunt illa leuia, de quibus Ioſephus: Προδιδάσκονται καὶ τῷ φόβῳ· εἰσὶ γὰρ νόμοι παρ' αὐτοῖς οὐ μόνον λειποταξίου, ἀλλὰ καὶ ῥᾳστώνης ὀλίγης θανατικοί: *Prædocentur & metu. nam leges apud eos non ſolùm deſertionis, ſed etiam leuicula negligentia capitales ſunt.* Benè factum. nihil ſatis adſtricti aut ſeueri inter armatos, & terrent niſi timent.

Ter commiſſa pœna capitalis.

C » *Hæc talia vt crimina puniunt.*] Videatur alicui hæc à ſequentibus pœnâ diſtinguere. quod non ita eſt, ſed genere & colore. Quæ nunc dixi, inquit, crimina apud omnes ſunt, etſi non ſic punita: quæ addã, propria militiæ, atque illi adhærent. Omnia tamen pariter capite ſancita. Eſt ipſa diſtinctio, quæ in Arrio Menandro I.C^to; *Militum delicta ſiue admiſſa, aut propria ſunt aut cum ceteris communia. Proprium militare delictum eſt, quod quis vti miles admittit.* Hæc igitur poſteriora nunc adiungit, & enumerat quattuor. Primò,

Culpæ militares propriæ.

l. II. De re milit.

» *Si qui falsò ſtrenuum aliquod factum referunt.*] Cur hoc iterat, & an non ante in Falſo teſtimonio dictum? Non diſcrimen aliquod: quia illîc periurium D & impietas eſt; hîc non niſi mendacium & praua ambitio, quam tamen morte caſtigant. Ratio fuit. quòd in militiâ eorum varia & multa præmia virtuti poſita (audiuiſti:) ad quæ ne indigni aſpirarent & decus hoc polluerent, rigidè fraus punita. Eò magis hoc factum, quòd nuda profeſſio præmium capiebat. Exemplum illuſtre in Liuio, cuius hic ſenſus, ſi non verba. Scipio Carthaginem nouam ceperat, ſuâ fortunâ pariter, & militum virtute. Sedit pro tribunali, vt mos, præmia cuiuſque operæ daturus. Coronam muralem propoſuit ei, qui primus murum aſcẽdiſſet: *Duo profeſſi ſunt, Q. Trebellius Centurio, & Sex. Digitius ſocius naualis.* Magno certamine res gerebatur, cùm ſui cuique corporis fautores & ſuffragatores adgregarentur. Scipio vt litem decideret, E tres recuperatores dedit qui teſtibus auditis cognoſcerent ſtatuerentque. Id verò non remedium, ſed augmentum motus fuit. Stabant vtrimque *per omnes deos parati iurare, magis quæ mallent, quam quæ ſcirent vera eſſe*; per ſigna, per aquilas, & per quidquid eſſet religionis. Lælius ille Sapiens, mali exempli rem cenſens, & non longè à ſeditione: ad Scipionem venit, proſpicere monuit & temperare. Ille igitur pro tribunali ſic pronunciat, *Se ſatis compertum habere, Q. Trebellium & Sex. Digitium pariter in murum aſcendiſſe, ſeq; eos ambos, virtutis cauſsâ, coronis muralibus donare.* Ita finẽ ea res habuit, & diſſimulata alterius fraus ſiue error (nam & is potuit) pacis cauſsâ.

Præmij falſa petitio.

Lib. xxvi.

» *Si quis in præſidio aut ſtatione poſiti.*]* Suprà huic rei aliquid dictum, & quàm nefas deſerere ſtationem, ordinem, locum. Licet addere hoc Suidæ: Φρουρά, τάξις ἐστὶν ἐν διαδοχῇ ἱσταμένη πρὸ τοῦ στρατοπέδου μετὰ τῶν ὅπλων. καὶ δεινὸς ἐπ' αὐτῇ Ῥωμαίων νόμος τὸν ὑποχωρήσαντα καθ' ἡντιναοῦν αἰτίαν θνῄσκειν. οἱ δὲ μετὰ κολάσεως τὸν μετ' ἀρετῆς θάνατον προαιρούμενοι ἵστανται: *Statio, ordo eſt per vices ante caſtra ſtantium in armis. Et ſeuera in eo lex eſt Romanorum, vt moriatur qui cauſſâ quacumque exceſſerit. At illi præoptantes per virtutem, quàm per ſupplicium mori, perſiſtunt.* In quo tamen eſt, *quacumque cauſſâ* deſerentes puniri: in Polybio arctiùs, qui *ob metum.* Arctiùs, & niſi fallor, veriùs. Quid enim ſi impetus hoſtilis pepulit, & vis violenta? omnis ratio eſt ignoſci.

* Dial. viri. hiuius libri. Præſidium deſerere, capitale.

» *Si quis abiecerit armorum aliquid in ipſo diſcrimine, per metum.*] Miles vitam amittit, ſi ſua arma: cum duplici reſtrictione, ſi in acie, ſi per metum. Idem in Signiferis, qui ſigna. Liuius de Appio: *Vbi arma, vbi ſigna eſſent? ſingulos rogitans, inermes milites, ſigno amiſſo ſigniferos, virgis caſos ſecuri percuſſit.* Modeſtinus: *Miles qui in bello arma amiſit vel alienauit, capite punitur. humanè, militiam mutat.* Huc ſpectat factum Scæuæ, qui contra Britannos in ſcopulo ſolus relictus, diu vniuerſis reſiſtens, ad extremum impar, galeâ diſcuſsâ, ſcuto abſumpto, *profundo ſe credidit,* & (verba Valerij) *viſo Imperatore,* * *armis non amiſſis, ſed bene impenſis, cùm laudem mereretur, veniam petiuit.* legem ſcilicet hanc in oculis habens militarem. Quæ ipſa, aut ſimilis, apud quaſdam gentes. Græcis ῥιψάσπιδες prouerbio infames ſunt: & apud Germanos, ait Tacitus, *ſcutum reliquiſſe præcipuum flagitium, nec aut ſacris adeſſe aut concilium inire ignominioſo fas.*

Arma amittere, capitale. Lib. II. Lib. III. Lib. III. cap. 2. * omiſſis. De mor. Germ.

» *Quidam in ipſo conflictu.*] Credo inter hos intellegi Catonis Cenſorij filium, qui in prælio cum Perſe Macedonum, equo delapſus, dum ſe recolligit, gladium amiſit: ad quem recipiendum inter medios mucrones hoſtium ſe immiſit, & multis vulneribus acceptis ad ſuos retulit. Hoc Plutarchus, Valerius, Iuſtinus, Frontinus inter inſignia facta prodiderunt. Hactenus de ſingulorum pœnis Polybius, & quæ ad eas culpæ nunc adiungit, de plurium peccatis, & quæ ratio puniendi, ſi exercitus aut pars eius deliquiſſet. Vide verba:

Catonis filii virtus.

POLYB.

Ἐὰν δέ ποτε τὰ αὐτὰ ταῦτα περὶ πλείους συμβῇ γενέσθαι, καὶ σημαίας τινὰς ὁλοσχερῶς πιεσθείσας λιπεῖν τοὺς τόπους, τὸ μὲν ἅπαντας ξυλοκοπεῖν ἢ φονεύειν ἀποδοκιμάζουσι. λύσιν δὲ τοῦ πράγματος εὑρίσκουσι, συμφέρουσαν ἅμα καὶ καταπληκτικήν. συναθροίσας γὰρ τὸ στρατόπεδον ὁ χιλίαρχος, καὶ παραγαγὼν εἰς τοὺς λελοιπότας, κατηγορεῖ πικρῶς. καὶ τὸ τέλος, ποτὲ μὲν πέντε, ποτὲ δ' ὀκτώ, ποτὲ δ' εἴκοσι, τὸ δ' ὅλον, πρὸς τὸ πλῆθος ἀεὶ στοχαζόμενος, ὥστε δέκατον μάλιστα γίνεσθαι τῶν ἡμαρτηκότων. τούτους ἐκ πάντων κληροῖ τῶν ἀποδεδειλιακότων, καὶ τοὺς μὲν λαχόντας ξυλοκοπεῖ κατὰ τὸν ἄρτι ῥηθέντα λόγον ἀπαραιτήτως. τοῖς δὲ λοιποῖς τὸ μέτρημα κριθὰς δοὺς ἀντὶ πυρῶν, ἔξω κελεύει τοῦ χάρακος καὶ τῆς ἀσφαλείας ποιεῖσθαι τὴν παρεμβολήν. λοιπὸν τοῦ μὲν κινδύνου καὶ φόβου, τοῦ κατὰ τὸν κλῆρον, ἐπ' ἴσον ἐπικρεμαμένου πᾶσιν, ὡς ἂν ἀδήλου τοῦ συμπτώματος ὑπάρχοντος, τοῦ δὲ παραδειγματισμοῦ κατὰ τὴν κριθοφαγίαν ὁμοίως συμβαίνοντος περὶ πάντας, τὸ δυνατὸν ἐκ τῶν ἐθισμῶν εἴληπται, καὶ πρὸς κατάπληξιν, καὶ διόρθωσιν τῶν συμπτωμάτων.

Quòd ſi plures peccaſſe contingat, & manipulos aliquot ſimul locum deſerere: omnes quidem fuſte percutere aut occidere nolunt, modum autem rationémque repperere & commodam pariter, & terribilem. Exercitū enim aduocans Tribunus, & in medium noxiis productis, acriter eos incuſat, & interdum quinque, aliàs octo aut viginti, & vt ſemel dicam, ad multitudinem ſemper reſpiciens, vt decima ferè pars delinquentium ſit, hos ex omnibus ignauis ſortitur: & in quos ea ſors cecidit, ſine vllâ deprecatione, fuſte percutit ad modum iam dictum. Reliquis hordeum pro tritico admetiens, iubet extra vallum tendere & tutelam caſtrorum. Ita periculo & metu à ſorte æqualiter omnibus impendente, & exemplo item dati hordei ad omnes perueniente, plurimum ex eo more capitur & terroris & correctionis.

» *Rationem repperere & commodam pariter & terribilem.*] Pulcherrimum non dubiè inuentum, quicumque eius auctor. Vetuſtum ego video, & an non ab regibus ipſis? enimuerò ſtatim poſt exactos eos in Liuio lego, (nec anteà) de Appio Cõſule, cuius exercitus cùm fugiſſet, capita capite punit, ſed *cetera,* inquit, *multitudo ſorte decimus quiſque ad ſupplicium lecti.* Propria Romanis iſta lex, & *Patria* à Dionyſio dicta. ἐκ δὲ τοῦ ἄλλου πλήθους ἀπὸ δεκάδος ἑκάστης εἷς ἀνὴρ ὁ λαχὼν κλήρῳ πρὸ τῶν ἄλλων ἀπέθνησκεν. αὕτη Ῥωμαίοις πάτριός ἐστι κατὰ τῶν λιπόντων τὰς τάξεις ἢ προεμένων τὰς σημαίας ἡ κόλασις. *Ex aliâ multitudine, cuiuſque decuriæ vir vnus quem ſors deſignaſſet, ante ceteros periit. Ea Romanis patria quædam punitio eſt in eos qui ordines reliquerunt aut ſigna deſeruerunt.* Etiam ab Appiano, vt ego velim ſcribi, cùm Cæſarem alloquentem turbidos milites facit: χρήσομαι τῷ πατρίῳ νόμῳ, καὶ τοῦ ἐνάτου τέλους, ἐπειδὴ μάλιστα τῆς στάσεως κατῆρξε, τὸν δέκατον διακληρώσειν θανεῖν: *Vtar lege patriâ, & Nonæ legionis, quoniam ea ſeditionem maximè cœpit, decimum quemque ſorte ad mortem ducam.* Vulgò tamen ibi, τῷ πετρείῳ νόμῳ: quaſi *Petreius* aliquis eius auctor, veteri illo æuo nuſquam notus. Sed & Plutarchus in Craſſo: πάτριον κόλασιν, *patriam punitionem* hoc ipſum appellat. Vides rationem totam, & decimum quemque ſorte captum. decimum dico: nec fallent Polybij mox verba, qui ait *interdum quinque, alias octo aut viginti* periiſſe. non quaſi quintùs aut octauus interfecti: ſed pro numero delinquentium, vult ex iis interdum tot & tot occiſos. Pone quinque decurias peccaſſe: quinque punientur; pone octo, octo; viginti, viginti: atque hic eſt ſenſus. Non tamen nego etiam Viceſimationem interdum adhibitam, imò & Centeſimationem: cuius vtriuſque rei in poſteriore hiſtoriâ exemplum. Capitolinus in Opilio Macrino: *Cùm ſeditiones militares pateretur, multo ſæpius decimauit, aliquando etiam centeſimauit, quod verbum proprium ipſius eſt, cùm ſe clementem diceret, quando eos centeſimaret, qui digni eſſent decimatione atque viceſimatione.* Diſcis & ex Macrini, & ſuprà ex Cæſaris facto, ſic quoque de more punitos qui tumidi aut ſeditioſi in ducem eſſent. Quid ſi hodie? an hæc fierent, quæ videmus? Sed profectò perijt ducum auctoritas, quia ſeueritas: nec alia res militem in tur-

Decimatio vetus. Lib. II. Patrium inſtitutum. Lib. IX. Correctus Appianus. Viceſimatio. Centeſimatio. Seditioſi ſic puniti.

bas &

bas & ſcelera ſoluit, quàm ſolutæ leges. In ſanguine & cæde qui verſantur, ferociam & contemptum induunt; nec niſi ſanguine & cæde coërcentur.

» *Ita periculo & metu à ſorte æqualiter omnibus impendente.*] Vtilitatem huius ſupplicij, & quæ eò duxit rationem, exponit. Periculum, inquit, omnibus ſuper caput eſt, atque imminet ob incertam ſortem: atque inde metus. qui ferè inhærere ſolet iis, qui ſemel ſeriò admoti ad extremam illam metam. Cicero cauſſam hanc ipſam expreſſit: *Statuerunt maiores noſtri, vt ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animaduerteretur, vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret.* Plutarchus, præter hoc, conſiderat & ſcænam ipſam faciémque terribilem, cum ignominiâ adiunctâ. καὶ γὰρ, inquit, αἰσχύνη τοῦ θανάτου τρόπῳ πρόσεστι, καὶ δρᾶται πολλὰ φρικώδη καὶ σκυθρωπὰ περὶ τὴν κόλασιν ἁπάντων θεωμένων: *Nam & dedecus tali morti ineſt, & fiunt multa, quæ terrorem & triſtitiam gignant, circa ipſam punitionem, in omnium aſpectu.* Indubiè ita eſt. Stant ſub ictu mortis omnes, ſuſpenſi & anxij, quæ tamen paucos tangit & excipit: atque ij mox ipſi manibus ſuorum perituri. Adde increpationem ducis, & publicam mæſtitiam, & nihil ſolatij, vix miſeratiunis. imò occulti aliquid gaudij, dum quæ ſibi quiſque timuit, conuerſa vident in capita paucorum. Nec plura de pœnis Polybius. AVD. Non te etiam? LIPS. Non ego. AVD. Sed certum & obuium eſt plura eſſe, & Vites, Fuſtes, Ignominias paſſim legi. LIPS. Si obuia & paſſim, quid me poſcis aut aſpicis? à te & induſtriâ tuâ pete. AVD. Imò dum in ſermone es, exſequere. Mihi colligenda, tibi collecta: & valet in te illud vetus:

* Ὁ γὰρ φρονῶν εὖ πάντα συλλαβὼν ἔχει.

LIPS. In fine haud difficilem aut tenacem me præſtabo, ne priorum etiam beneficiorum (ita homines ſumus) gratia pereat. Accipe, & aperi ſinum. Duo ſunt hîc etiam conſideranda, *Caſtigatio* & *Ignominia.* Illa verberibus facta, & Polybio quoque tacta, cum ſcripſit Tribunum ius habuiſſe *verberandi.* Ipſe μαστιγοῦν dixit, quod etiam *flagellare* reddas: ſed caue nunc feceris, nec ſeruilia Flagella admoueris ad corpus ingenuum & militare. Fuerunt in hac re *Fuſtes* aut *Virgæ*: illi honeſtiores, iſtæ acerbiores. Sed Fuſtes iterùm duplices, è Vite aut aliâ materie. E vite, ciuibus reſeruati. & hac mente Plinius: *Vitis in delictis pœnam ipſam honorat.* Liuius diſcrimen apertius ingerit, aut eius epitoma de Scipione ad Numantiam: *Quem militem extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet, vitibus; ſi extraneus, fuſtibus cecidit.* Sic Catilina apud Q. Tullium militariter: *M. Marium inſpectante populo Romano, per totam vrbem vitibus cecidit.* Ita enim libri vetuſtiores, non vt editi, *virgis.* Ex hoc ritu Tacitus: *Centurio Lucillius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, Cedò alteram, indiderant, quia fractâ vite in tergo militis, alteram & alteram poſcebat.* Et Iuuenalis de Mario:

Nodoſam poſthac frangebat vertice vitem.

Significat gregalem fuiſſe, & vite Centurionis inter operandum ſæpè percuſſum. Appellat inibi *nodoſam*: quia talem eligebant ad validiorem ictum. Apuleius: *Miles è legione obuius, iniuriâ vite, de naſtiore nodulo cerebrum diffindere conatus.* Militem appellat, ſed oportuit aut Centurionem fuiſſe, aut Euocatum, quorum hoc geſtamen & inſigne. Euſebius in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ: Τιμὴ τίς ἐστιν παρὰ Ῥωμαίοις τὸ κλῆμα, καὶ τοὺς τυχόντας φασὶν ἑκατοντάρχους: *Honos quidam Romanis eſt geſtare vitem; & qui adepti, dicunt Centuriones.* A Libero patre Scholiaſtes vetus Iuuenalis hoc petit, in verſum ——— *aut vitem poſce libello. Vt Centurio fias,* inquit. *Vitis nam inſigne Centurionum eſt, à Libero patre inuentum, qui primus triumphauit, & inuentor vitis eſt.* Plura de hac vite exempla: atque adeò in lapidibus paſſim Centurionum dignitas notatur bifurcatâ aut incuruâ vite. Addo, Græcorum quoque ducibus baculum in manu (ſed de vite non arbitror geſtamẽ & inſigne fuiſſe.) Clearchus à Xenophonte ita deſcribitur, ἐν μὲν τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ δόρυ ἔχων, ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ βακτηρίαν: *in manu ſiniſtrâ haſtam tenens, in dextrâ ſcipionem.* Aſtyochus etiam dux apud Thucydidem, dum Hermocrati minatur, ἐπανήρατο τὴν βακτηρίαν: *ſuſtulerat ſcipionem.* De Vite tantùm. de communibus Fuſtibus, Iſidorus: *Fuſtes quibus iuuenes pro criminibus feriũtur, dicti ab eo quod præfixi in foſſis ſtent, quos palos ruſtici vocant.* Iuuenes ſæculi illius more, appellat milites ipſos. Lampridius in Alexandro: *Si quis militum de viâ in alicuius poſſeſſionem deflexiſſet, pro qualitate loci, aut fuſtibus ſubiiciebatur, aut virgis, aut condemnationi.* Vbi Fuſtium pœna (per gradus enim ſcādit) leuior illâ Virgarũ. Valerius quidem appellat, *Virgarum contumelioſa verbera*: & rarò etiam in militiâ legas: rarò inquam, niſi vbi mors à ſecuri conſecuta, & hæ ſollenniter tunc præiuerunt. Tamen in eodem Valerio eſt, de P. Aurelio: quem *C. Cotta virgis cæſum, gregalis militiæ munere inter pedites fungi coëgit*: ſed hoc ob atrocem & capitalem pænè culpam, atque inibi vide. Fuſtes crebriores, & inferiore æuo vbique leges. Retinuerunt & nunc Turcæ ac pleríque Orientales, in publicâ quotidianâ caſtigatione. Tranſeo ad *Ignominias*, quibus boni honeſtique animi haud minus coërciti, quàm pœnis. Eæ multiplices Romanis fuêre, & ordine dabo. Primùm, quod in Polybio hîc eſt, pono, *Hordeum pro tritico datum.* In Liuio exemplum: *Cohortibus quæ ſigna amiſerant, hordeum* Marcellus *dari iuſſit.* In Dione: *Antonius legionibus ſuis, cum Partho ceſſiſſent,* κριθὰς ἀντὶ τοῦ σίτου ἔδωκε, καὶ ἐδεκάτευσέ τινας. *hordeum pro frumento dedit, & quoſdam decimauit.* Suetonius de Auguſto: *Cohortes ſi quæ ceſſiſſent, loco, decimatas hordeo pauit.* Quod vſurpaſſe eum bello Dalmatico, in Dione leges. Sed & Vegetius notat, *tirones ſi parum in proluſione & exercitio profeciſſent, pro frumento hordeum coactos accipere.* Cauſſa huic rei, vt indigni viderentur communi militum cibo, ſed reiicerentur potiùs iungerentúrque cum iumentis. Alterum, cùm *ære priuantur,* & ſtipendium non procedit. Valerius: *Age, quàm grauiter Senatus tulit, quòd Q. Petillium Conſulem fortiſſimè aduerſus Ligures pugnantem occidere milites paſſi eſſent! Legioni enim neque ſtipendium anni procedere, neque æra dari voluit.* Duplex hîc ignominia, quòd annum eum militiæ nolunt in numerum venire, ad emeritum; & quòd æs dari vetant. Feſtus: *Reſignatum æs dicitur militi, cùm ob delictum aliquod iuſſu Trib militum, ne ſtipendium ei detur, in tabulas refertur. Reſignare enim antiqui pro reſcribere interdum dicebant.* Varro in Fragmentis: *Stipendium appellatur, quod æs militi ſemeſtre aut annuum dabatur. cui datum non ſit propter ignominiam, Ære dirutus eſt.* Ad Varronis mentem Auſonius *Procedere mihi inter frequentes ſtipendium iubebis; ſin aliter, Ære dirutum facies.* Benè, *inter frequentes,* nam qui Infrequens notabatur, patiebatur hanc pœnam. Frontinus: *Decreuit Senatus vt ea legio tota infrequens referretur, ſtipendium ei annuum non daretur, æráque reſcinderentur.* Latinus Pacatus in Panegyrico ad Theodoſium: *Gothus ille & Hunnus, & Alanus, reſpondebat ad nomen, & alternabat excubias, &*

notari

Side notes (left margin): Vtilitas decimationis. — Pro Cluët. — In Craſſo. — * Nam qui bene ſapit, omnia in robuſto habet. — Vitis in caſtigatione, Lib. XIV. cap. I. — Lib. XVII. — Libello de petit. conſ. — I. Annal. — Lib. IX. — Centurionum Vitis. — Lib. VII.

Side notes (right margin): Græci baculus. — Lib. VII. — Fuſtes ad caſtigandũ. — Lib. II. cap. VII. — Ignominiæ militares. Hordeum in cibum. Lib. XXVII. — Lib. XLIX. — Cap. XXIV. — Lib. XLIX. Lib. I. cap. XIII. — Ære diruti. Lib. II. cap. VII. — In Centonis Præfa. — Lib. IV. cap. I.

notari infrequẽs ferebat. Seu potiùs, vt Cuſpianus edidit, *notari infrequens verebatur.* Quam ſententiam ipſam verſibus ita Sidonius expreſſit:

Panegyr. ad Socer.

Ibant pellita per claſſica Romula Turma,
Ad nomen currente Geta, timet Aere vocari
Dirutus, opprobrium non damnum barbarus horrent.

Infrequens miles. Lib. IIII.

Infrequens autem, ait Feſtus, *appellabatur miles, qui abeſt abfuitue à ſignis.* Coruificius ad Herennium, *Præterea quòd militia te infrequentem tradidiſti.* Plautus alibi: *Hunc pro infrequente mittas militia domum.* Tertium, cùm *extra vallum & caſtra iubentur tendere.*

Extra caſtra tendere.

Cauſſam habuit, quaſi indigni eſſent qui inter verè milites agerent, proiecti & obiecti hoſti: idque interdum ſine tentoriis. Liuius: *Cohortes, quæ ſigna amiſerant, extra vallum ſine tentoriis deſtitutas inuenit.*

Lib. X.

Valerius de iis qui capti, remiſſi à Pyrrho fuerant: *Decreuerunt ne quis eorum intra caſtra tẽderet, néve locum extra aſſignatum vallo aut foſſâ cingeret, néve tentorium ex * pellibus haberet: Recurſum autem iis ad priſtinum militiæ ordinem propoſuerunt, ſiquis bina ſpolia ex hoſtibus tuliſſet.* Fecit & Corbulo apud Tacitum, XIII. Annal. qui *Pactium & Præfectos, militeſque tendere omnes extra vallum iuſſit*: quia fugerãt hoſtem. Quartum, *Diſcinctos & turpi habitu proſtitui*, nempe vt parum viros. Liuius de Marcello: *Centuriones manipulorum, quorum ſigna amiſſa fuerant, diſtrictis gladiis, diſcinctos deſtituit.* Suetonius de Auguſto: *Pro cetero delictorum genere variis ignominiis affecit, vt ſtare per totum diem iuberet ante Prætorium, interdum tunicatos, diſcinctóſque.* Valerius de Calpurnio Piſone, qui *iuſſit Titium togâ laciniis abſciſſis amictum, decinctáque tunicâ indutum, à manè in noctem vſque ad Principia adeſſe.* Plutarchus de Lucullo: *quoſdam notauit, vt diſcincti foſſam foderent, reliquo exercitu ſpectante.* Zoſimus denique de Iuliano Cæſare: *Amictos veſte muliebri per caſtra duxit, ratus, militibus, qui viri eſſent, eam pœnam grauiorem morte futuram.* Quinctum, *Mutare militiam.* quod eſt ab honeſtiore genere in humilius transſcribi. Valerius de captiuis à Pyrrho redditis: *Decreuerunt vt ex iis qui equo meruerant, peditum numero militarent; qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transſcriberentur.* Ad hoc ipſum factum fugitiui Cannenſes reſpexerunt, oratione ad Marcellum (in Liuio:) *Nunc deteriore conditione ſumus quam apud patres noſtros fuerant capti. quippe illis arma tantum, atque ordo militandi, locusq; in quo tenderent in caſtris eſt mutatus.* Iterùm Valerius de Piſone, *qui turmas equitum ademptis equis, in funditorum alas transſcripſit.* longiùs etiam eos abiiciens, quàm ad ordinem ſecundum. Tale in Ammiano. *Reliquos ex eâ coborte ad pedeſtrem compegit militiam, quæ onerofior eſt dignitatibus immunibus.* Iterúmque: *Equites quarta Sagittariorum cohortis, omnes contruſit ad infimum militiæ gradum.* Imò aliquando extra omnem proiecti. vt Iulianus (in Ammiano) *Tertiacerum equeſtrem numerum, ademptis ſignis haſtiſque diffractis, inter impedimenta & ſarcinas & captiuos agere iter impoſuit.* Sunt & alia quædam minora, vt *Stantes cibum potúmque capere*: quod de cœnâ intelleges. nam in prandio (vt ſuprà monui) vſitatum. Exemplum in Liuio, de Volonibus: & hæc aut ſimilia per te notabis. Iſta de pœnis in Romano ritu, ſimilia quædam in Græco. Charondæ lex, de iis qui arma pro patriâ non cepiſſent, aut in bello ordines deſeruiſſent: προσέταξε τοὺς τοιούτους ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐφ' ἡμέρας τρεῖς καθῆσθαι ἐν ἐσθῆσι γυναικείαις: *ſtatuit hos tales in foro per tres dies ſedere in veſtibus muliebribus.* Diodorus Siculus hoc tradidit, & ſubiunxit: *humaniorem eam legem aliis, quæ mortem inferunt; ſed occultâ vi penè validiorem eſſe, cùm metu tanta infamia viros abſterret, quibus mors optatior.* Et qui ſcimus an

Lib. XII. cap. VII.

* Licuit igitur è cãnis aut ſtramine. Puto hoc ipſum in Velitibus fuiſſe.

Diſcingi.

Li. XXVII.

Ca. XXIV.

Lib. II. cap. VII.

Lib. III.

Militiam mutare.

Lib. II.

Lib. XXV.

Li. XXIIII.

Lib. XXIX.

Lib. XXV.

Li. XXIIII.

Græcorum ignominia.

A non à * vicino populo mutuati hoc Romani? Iam Spartani eos qui ignauiæ in bellis comperti eſſent, variè notabant. οὐ γὰρ μόνον (ait Plutarchus in Ageſilao) ἀρχῆς ἁπάσης ἀπείργονται, ἀλλὰ καὶ δοῦναί τινι τούτων γυναῖκα καὶ λαβεῖν ἀπ' αὐτοῦ αἰσχρόν. παίει δὲ ὁ βουλόμενος αὐτοὺς τῷ ἐντυγχάνοντι. οἱ δὲ περιΐασιν αὐχμηροὶ καὶ ταπεινοί, τριβώνια τε προσερραμμένοι χρώματος βαπτοῦ φοροῦσι, καὶ ξυρῶνται μέρος τῆς ὑπήνης, μέρος δὲ τρέφουσι: *Non enim ſolùm arcẽtur omni magiſtratu & imperio, ſed & dare alicui horum vxorem, aut ab eo accipere, infame eſt. Percutit autem & cædit eos ſiquis vult, obuiorum: at illi ferunt, ſqualidi & humiles, palliaque geſtant colore aliquo tincta & inſcripta. Partem etiam barbæ, quæ eſt ad labrum ſuperius, ſiue muſtaca, radunt; partem verò alunt.* Ecce hi & tales ſtimuli, apud varias gentes, excitandæ Virtuti, Secordiæ comprimendæ. AVD. Multi, & duri quidem apud Romanos: & quæ B patientia ferre potuit? LIPS. Semper tu mirator; & plures, credo, tecum, quia reuera multa in totâ hac militiâ, de quibus cum Mercurio Termaximo dixerim: ταῦτα μὲν τοῖς ἐπισταμένοις ἀληθῆ δόξειεν, τοῖς δ' ἀγνοοῦσιν ἄπιστα. *Hæc ſcienti quidem vera videantur, ignoranti incredibilia.* Sed tu iam ſcis, & paullatim ad fidem te ipſe forma.

* Locreſium, quibus illi dedit leges Spartanorum nota.

DIALOG. XIX.

De Miſſione quadruplici, Honeſtâ, Cauſſariâ, Gratioſâ, Ignominioſâ: & de Commodis miſſorum.

C NAM ego quidem te dimitto, & vnà meos milites. *Quirites*, quò lubet, abite. AVD. Quid autem facis? LIPS. Quod res iam poſcit, finem ſermoni toti impono, & ad *Miſſionem* venio; quæ labore militem & me ſoluet, ad quietem ducet humanarum actionum finem. Nam poſt confecta ſtipendia, mittebatur miles, liber deinceps & immunis. Dixi *confecta ſtipendia*, quia lege certus annorum numerus definitus, nec ſumere aut ponere militiam volentibus erat. *Ea legitima ſtipendia* vocat Liuius, de milite ex Cannenſi fugâ: *Nullo præſtituto militiæ tempore, niſi quod legitimorum ſtipendiorum eſſet.* Ea viginti anno- D rum in pedite fuiſſe, decem in equite, ſuprà in Delectu verè definiui. Perpetuum id manſit: etſi ſub bellum Cimbricũ aliquid immutatum (credo per Tribunos) ſed mox antiquatũ. Cicero tengit in eâ pro Cornelio: *Vt Q. Cæcilio, M. Iunio Conſulibus, quæ leges rem militarem impedirent, vt abrogarentur.* Ad ea verba Aſconius: *Ipſe quoque hic Iunius aduerſus Cimbros malè rem geſſit, ac plures leges quæ per eos annos, quibus hæc ſic gerebantur, populo laxauerant, quibus militiæ ſtipendia minuebantur, abrogauit.* Sanè viginti iſti anni ad Imperatores vſque venerunt, & ſub iis quoque (excipio Prætorianos, quibus ſedecim) manſerunt. Nauticos etiam milites deteriore conditione fuiſſe, & annos viginti quinque militaſſe, è lapidibus Domitiani æuo dicas. Atque his confectis mittebantur: E ſiquis aliter ſe ſubduxiſſet, mors aut ſeruitus pœna. In Liuij epitomâ: *C. Matienus, quòd exercitum in Hiſpania deſeruiſſet, damnatus, ſub furca diu virgis cæſus eſt, & ſeſtertio nummo venit.* Ad hoc ipſum factum, fragmentum refero (Polybij, niſi fallor) in Suidâ: Ῥαβδισθεὶς ὑπὸ τοῦ ῥαβδούχου, εἶτα ἐπὶ ἐξαγωγῇ ἐπιπραθείς, διὰ δειλίας καὶ ἀποδράσεως τίμημα φερόμενος, δοῦλος εἶναι: *Virgis cæſus eſt, deinde ſub edictionis lege (id eſt, vt foris ſeruiret) venit, timoris & fugæ pœnam hanc ferens, vt ſeruus eſſet.* Nec dubium quin pro Deſertore puniretur, ſiquis ſine iuſtâ miſſione receſſiſſet.

Legitima ſtipendia. Li. XXII.

Pœna temere de[illegible].

LV.

De miſſione cliſtorum nota. Li. xliii. — A

De quâ ipſâ Cenſores etiam Romæ cognoſcebant, ex Liuio: *In cenſu accipiendo populi, milites ex Macedonico exercitu, qui quàm multi abeſſent ab ſignis cenſus docuit, in prouinciam cogebant, cauſſas ſtipendiis miſſorum cognoſcebant, & cuius nondum iuſta miſſio viſa eſſet, ita iuſiurandum adigebant: Ex tui animi ſententiâ, ex edicto C. Claudij, Ti. Sempronij Cenſorum, in prouinciam Macedoniam redibis, quod ſine dolo malo facere poteris?* Iuſta autem Miſſio duplex: *Honeſta, Cauſſaria.* (*Honeſta, miſſio Cauſſaria.*) Honeſta, quæ emeritis ſtipendiis datur: Cauſſaria, quæ ob vitium, defectum, morbum. Puta aliquem manu truncatum, oculis capeum, valetudine aut aliter inutilem militiæ factum, mittebatur. Suprà tetigi. & Apuleius (Lib. iii.) ad hanc aſpexit: *Rebar enim me iam prorſus exanimatum ac debilem mereri cauſſariam miſſionem.* Hæc quia iuſtam cauſſam habebat, — B — etiam præmiis interdum *Honeſtæ* æquata. Vt in lege Valentiniani & Valentis (Lib. vii. cod. Th. tit. xx.): *Alij vero qui honeſtas miſſiones ſiue cauſſarias conſequuntur, ſingula paria boum & quinquaginta modios vtriuſque frugis accipiant.* In aliâ Conſtantini: *Intra viginti etiam ſtipendia dimiſſus, quoniam imbecillis & debiles cenſibus non dedicantur, eodem beneficio vtantur.* Iniuſta item miſſio duplex: *Gratioſa, & Ignominioſa.* (*Gratioſa.*) Gratioſa, quam Liuius ita nominat, per gratiam aut ambitum ab Imperatoribus impetrata; ſed ſæpe inualida, & Cenſores reſcindebant. Liuius (Li. xliii.): *Miſſorum quoque cauſſas ſeſe cogniturus eſſe, & quorum ante emerita ſtipendia gratioſa miſſio ſibi viſa eſſet, eos milites fieri iuſſuros.* At *Ignominioſa* (*Ignominioſa.*) eſt qua ob delictum aut crimen militiâ quis ſolutus. Et ideò ſic dicta, quia nominis notam & infamiam adferebat. Iuriſconſulti quoque hoc teſtati: — C — & exemplum huius elegans, atque ipſa formula, in Hirtij, de bello Africano: *Cæſar poſtero die de ſuggeſtu, conuocatis omnium legionum Tribunis, Centurionibuſque, C. Auiene, inquit, quòd in Italiâ milites populi R. contra remp. inſtigaſti, rapinaſque per municipia feciſti, quódque mihi reique publicæ inutilis fuiſti: ob eas res, ignominiæ cauſſâ, ab exercitu meo te remoueo, hodieque ex Africâ abeſſe, & quantum poteſt, proficiſci iubeo. itémque te A. Fonteï, quòd Tribunus militum ſeditioſus, maluſque ciuis fuiſti, ab exercitu dimitto.* Ipſa verba ſic cum dignitate in aſpectu omnium de Tribunali prolata, æterno vulnere eos ſauciabant. Atque hæc ita olim: ſub Auguſto duplex Miſſionis genus factum, *Exauctoratio & Miſſio.* (*Exauctoratio.*) Illa fuit, cùm expletis — D — ſtipendiis ſoluebantur onere omni militiæ, niſi pugnæ in hoſtem. Nec iam ſub ſignis aut aquilis erant vt alij milites, ſed ſub vno Vexillo habebantur ſeorſim; dicebantúrque Veterani. Id repertum, quia plena Miſſio commoda & præmia ſua habebat, inſtituta ab Auguſto, quæ non ſtatim ſolui & repræſentari à rep. poterant: atque ideò exſpectabant ea ſub Vexillis, vnde & *Vexillarij* dicti. Sed fraus ſæpè in hac re, & de induſtriâ protrahebantur. Ita Suetonius de Tiberio (cap. xlviii.): *Miſſiones veteranorum rariſſimas fecit, ex ſenio mortem, ex morte compendium captans.* Bono enim fiſci id fiebat. & inde querelæ ſub eodẽ Tiberio ipſorum militum, apud Tacitum (1. Annal.): *Quòd tricena aut quadragena ſtipendia ſenes tolerent.* Item: *Ne dimiſſis quidem finem eſſe militiæ, ſed alio vocabulo eoſdem labores perferre.* Ideóque petunt à Principe: *Ne vltrà ſub ve-* — E — *xillis tenerentur, ſed iiſdem in caſtris præmium pecuniâ ſolueretur.* Volunt in pecunia præmium, quia ſpecie agrorum, & vt ij adſignarentur, eludebantur. Tota hæc ratio, vt dixi, ab Auguſto. & docet Suetonius (cap. xlix.): *Quidquid vbique militum eſſet, ad certam ſtipendiorum præmiorúmque formulam adſtrinxit: definitis, pro gradu cuiuſque, & temporibus militiæ & commodis miſſionum: ne aut ætate aut inopia, poſt miſſionem ſollicitari ad* — A — *res nouas poſſent.* Ecce duo inſtituit, & Stipendia, & Præmia: atque hoc de præmiis, oſtendit miſſioni adhæſiſſe, alioque verbo *commoda miſſionum* dicit. (*Commoda miſſionum. Lib. i. de arte.*) Ita Ouidius:

Romule militibus ſciſti dare commoda ſolus,
Hæc mihi ſi dederis commoda, miles ero.

Suetonius Nerone (Ca. xxxii.). *Ita exhauſtus & egens, vt ſtipendia quoque militum, & commoda veteranorum protrahi ac differri neceſſe eſſet.* In libris legum, *Commoda principi-li.* & alibi pluries. Miror quid ita in Suidâ: Κόμμοδα, δόσις ἐπὶ τῷ σεισμῷ χαριζομένη: *Commoda, donatio in terræmotu facta.* Equidem ſcio, & memini, liberalitate Principum opida quaſſa interdum ſuſtentata: ſed id *Commoda* dictum peculiariter, haud legi. Vide an nõ aptius: ἐπὶ τῷ σιτισμῷ, in annonâ: & vt huc trahamus. — B — Iſta Commoda quanta fuerint, expreſſum à Dione (Lib. lv. *Quanta ea fuerint.*): *Quoniam, inquit, milites ægrè tunc ob præmiorum paruitatem ad bella irent, exacta tempus definitum: factum decretum à Senatu, vt Prætoriani poſt ſedecim annos quinque millia drachmarum caperent, alij poſt viginti annos, tria millia.* Id ſub Auguſto inſtitutum. & conatus minuere Caligula: qui, vt Suetonius ait (Ca. xliv.), *Commoda emeritæ militiæ ad ſexcentorum millium ſummam recidit.* (*Correctus Suetonius.*) Sed immanis & falſa illa *ſexcentorum millium* ſumma recidatur, fiátque *ſenûm millium*: quę ſcriptio fortaſſis errori fuit. Id veriſſimum, & conueniẽter ad Dionem, qui vult Commoda ſub Auguſto *trium millium* drachmarum fuiſſe, ſiue *duodecim mille ſeſtertiûm*. at à Caligulâ acciſa & ad medium reducta. Medietas autem quam dixi, *ſena millia.* Nec plura de omni Militiâ, in eius fine eſto finis.

— C —

DIALOG. XX.

Concluſio ſermonum quinque & militiæ veteris cum noſtrâ breuis comparatio.

AVO. O quæ gratia condigna tibi à me erit? niſi vt olim Socrati Æſchines, me tibi donẽ. LIPS. Accipio, & æternùm meus eſto. Nunc in vrbem rectà & domum. Sol deſerit. AVO. Inter eundum hoc vnum, niſi graue eſt, ſermonis totius faſtigiũ & culmen. LIPS. Quid amplius? AVO. Sũmatim vt conferas, veterem illam cum hac noſtrâ, & vtra atque vbi præponderet, dicas. LIPS. * Ἀρκαδίαν μ᾽ αἰτεῖς. (* *Arcadiã me poſcis. id eſt, difficilia.*) Egóne? ab vmbrâ & togæ?

— D —

Οὐκ ἔς᾽ ἐμὸν τὸ πρᾶγμα, πολλὰ χαιρέτω:
Non eſt meum negotium, faceſſat hinc.

Sagati noſtri non ferant, & vocibus aut manibus me tangant. AVO. Melius. non ſic periit pudor. Atque ego commemini, quòd Michael Mõtanus ille, quem æſtimas, de Hadriano Turnebo ſcripſit: virum fuiſſe rerum ciuilium aut militarium, tractatione & vſu rudem, tamen bonitate quadam & rectitudine iudicij de his quoque optimè & peritiſſimè cenſuiſſe. Cur non idem de te ſperem, qui inſtituto & profeſſione iuxta Turnebum es? LIPS. O bone, ſed alius impar. In illum conuenit:

——— * ἀνὴρ περιώσια εἰδώς,
Ὃς δὴ μήκιςον πραπίδων ἐκτήσατο πλοῦτον:

(* *— vir qui complurima nouit. Et qui diuitias mentis congeſſerat amplas. Empedocles de Pythag.*)

in nos, quid niſi optimarum rerum amor & ſtudium? AVO. Imò. LIPS. Sile. tu, quod dicitur, claudus pi- — E — lam retines: & mos tibi iterum gerendus, nec aliter eludã. Ergo audi à capite, ſed calculus albus aut niger penes milites aut duces potiùs eſto. Quinque in Militia Romana, totidem diebus, conſideraui: *Dilectum, Ordinem, Arma, Aciem, Diſciplinam.* De Dilectu (*De Dilectu ordinando. Vix renouari poſſit.*), non videtur ambigendum quin optimus ille ex optimis honeſtiſſimiſque apud eos fuerit: hodie tamen, vt mores & inſtituta ſunt, ægrè imitandus.

Digitized by Google

Niſi ſi fortè in aliquâ republicâ. Sed apud nos eæ paucæ, aut impotentes: & vna Venetorum quæ poteſt pollétque ob cauſſas quaſdam ſuas, à militiâ ferè ſuos arcet. excipio naualem. Principes aut reges ad hanc Romanam formulam ægrè adſtringantur: ij quoque ob cauſſas. Difficile ſit, non aliâ deſcriptione aut cenſu: vix etiam tutum, promiſcua ſic eſſe arma. Sed hæc talia in Politicis. Nunc illud tamen teneo, vtiliter à quocunque Principe rationem aliquam Dilectuum inſtituendam, aliam à vulgarâ. Quid Turca in Ianizaris ſuis faciat, non eſt ignorum: ego velim legiones plures aut paucas; (vt opes cuiuſque ſunt aut regna) conſcribi ex idoneis, & ab adoleſcentiâ in certum tempus Militiæ obſtringi & formari. Ars quædam eſt tractandorum armorum, nec profeſſio nominis, & vultus aut cultus immutata, militem ſtatim reddunt. Sed iterùm remitto te ad Politica noſtra, & quas dabo Notas. Alterum eſt *Ordo*: ô ille bonus in re Romanâ, quacunque conſideres! Sectio partium apta, corpus legionum grandius, membra cohortes, artus manipuli ipſi. Vide Duces & Centuriones diſpoſitos, Signiferos, Optiones: nihil abeſt, nihil ſuperat: ſic vt vſui omnia, non vt oneri ſint aut pompæ. Conſiderentur quæ dixi: multa cum bono totius militiæ, cum * bono etiam ærarij vſurpanda. Tertium *Arma*: & hîc, inquiunt, iacemus. Irrident cùm ventum eſt ad hos ſermones, & Fundas, Iacula, Sagittas pedibus calcant & trahunt, præ vnis noſtris Bombardis. Hoc fulmen & tonitru nullam Romanam aciem ſuſtinere potuiſſe: vtique ſi grandiora illa accederent, & quaſſatoria tormenta. Hæc & plura ita diſſerunt: quid rerum veterum aliquis benè gnarus? Habeat fortaſſe quod reponat, & quo refellat. Primùm, quòd miſſilia illa omnia eleuant; vereor vt vim eorum benè norint. Fundæ, quantulum à noſtris bombardis vi & effectu (nam forma diuerſiſſima) abierunt? Ridiculum hoc in primo auditu: ſed mecum examina. E plumbo vtrumque telum eſt, nec magnitudine aut modo glandes valde diſpares: nec impetu aut violentiâ valdè vincantur Fundæ. Credere me iis oportet, qui viderunt, qui interfuerunt militiæ priſcæ, & cùm hæc arte & vſu valebant: ij ergo ſcribunt, quæ componant cum bombardis eas, aut anteponant. De impetu, is tantus in amiſsâ peritè fundâ, vt glans ſæpe liqueſceret in medio curſu, concepto igne. Lucretius:

Niſi in ſelectâ aliquâ & perpetuâ manu.

De Ordine iudicium.

Poſſe in multis vtiliter aſſumi.

* *Ne Duces & multiplicati ſic redundēt.*

De armis iudicium. Vulgi ſenſu contrà vetera.

Noſtra, aſſerta & defenſa Fundarum vſu. Impetu ad ſimilis bombardis.

Lib. vi.

——plumbea verò
Glans etiam longo curſu voluenda liqueſcit.

Ouid. *Non ſecus exarſit, quàm cùm Balearica plūbum*
Funda iacit. volat illud, & incandeſcit eundo,
Et quos non habuit, ſub nubibus inuenit ignes.

Lucan. *Inde faces & ſaxa volant, ſpatioq; ſoluta*
Aëris, & calidæ liquefactæ pondere glandes.

Statius: *——arſuras cæli per inania glandes.*

Imò idem cum fulmine comparat:

——volucres imitantur fulgura glandes.

Nat. quæſt. II. ca. LVI.

Poëtis fortaſſe fidem non habes? Philoſophus accedat, noſter Seneca: *Aëra motus extenuat, & extenuatio accendit. Sic liqueſcit excuſſa glans fundâ, & attritu aëris velut igne diſtillat.* Et tale in Ariſtotele alibi ſcriptum. Nec id tamen perdit vim teli, ſed ſic igneum veniebat in corpus. Virgilius:

Vis Fundæ.

Et media aduerſi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multâ porrectum extendit arenâ.

Vno ictu ecce, interficit. nec miror de Dauide, qui iuuenis & inter funditores, hoc telo immanem Goliathum deiecit. Atque vt ſemel & plenè vim eius noris, accipe Diodori Siculi iſta, de Balearibus: Βάλλουσι λίθους πολὺ μείζους τῶν ἄλλων, οὕτως εὐτόνως, ὥστε δοκεῖν τὸ βληθὲν ἀπό τινος καταπέλτου φέρεσθαι: *Iaciunt lapides* (ſcis enim & hos, nec ſolū plumbū fundâ miſsū) *multo maiores quàm alij, ita intentè & robuſtè, vt videatur ictus à catapultâ quapiam deferri.* Cum tormento, vt vides, comparat. atque addit: Τούς τε θυρεοὺς καὶ τὰ κράνη καὶ πᾶν σκεπαστήριον ὅπλον συντρίβουσι: *Et ſcuta, & galeas, & omne armorum tegumentum perfringunt.* Nego, nego bombardis his noſtris maiorem vim eſſe poſſe. fortaſſe nec tantam: excipio *Muſquetta* quæ vocant. Iam parte vnâ certò vincunt Fundæ, quòd multò longinquiùs ferantur & lædant. Quæ noſtra bombarda vltra *ducentos aut trecentos* pedes tenorem & vim ſeruat? langueſcit aut aberrat, ſi protendis. At fundæ telum ad *ſexcentos* pedes vim pertulit & permiſit. quod ita in Vegetio clarè ſcriptum. *Sagittarij vel funditores,* inquit, *ſcopas, hoc eſt fruticum vel graminum faſces pro ſigno ponebant, ita vt ſexcentos pedes remouerentur à ſigno, vt ſagittis vel certè lapidibus ex fuſtibalo deſtinatis ſignum ſæpiùs tangerent.* Iungit hîc cum ſagittis, & ſpatium vtriuſque dat, quod dixi: at alij ante ſagittas etiam ponunt, & longiùs volunt permeare. In Strabone leges, μακροβολωτέραν τὴν σφενδόνην τοῦ τόξου: *Longinquiùs iacere fundam, quàm arcum.* In Dione: οἱ σφενδονῆται μακρότερον τῶν τοξοτῶν ἱέντες, πάντας καὶ τοὺς καταφράκτους ἰσχυρῶς ἐλυμαίνοντο: *Funditores lōgiùs quàm ſagittarij iaculantes, omnes etiam cataphractos lædebant.* Hoc ille in rebus M. Antonij contra Parthos: quos tamen benè armatos fuiſſe conſtat, & eoſdem ſagittis ſcientiſſimè vſos. Sed præualebāt tamen iis fundæ. quod & Xenophon diſertè ſcribit in Græcorum ſuorum rebus: μακρότερον γὰρ οἱ τε Ῥόδιοι τῶν Περσῶν ἐσφενδόνων, καὶ τῶν πλείστων τοξοτῶν: *Longiùs enim Rhodij quàm Perſæ funditores eiaculabātur, atque adeò quàm plerique ſagittariorum.* Longè igitur iaculantur: an & certò? Omnes adfirmant, præſertim de Balearibus, & ab infantiâ didiciſſe deſtinatos iſtos ictus. Quinetiam in Biblijs ſacris lectum: *Habitatores Gabaa ad ſeptingentos, ſic fundis lapides ad certū iaciſſe, vt capillum quoque poſſent percutere.* De fundis ſatis, & tu nobis credis? Avd. Debeo. quæ frons cōtra tot taléſque teſtes? tamen præter fidem opinionémque meam hactenus id eſſe non nego. At terrore nihilominus & ſonitu Bombardæ vincūnt. Lips. Hoc damus. quid? vt aues terreant? Nā veros milites aut ſono aut aſpectu illo igneo motum iri, non opinamur: niſi fortè in nouitate. Et ſanè exiſtimo, ſi Romani primò cum noſtris conflixiſſent, terrendos ſub initia ſpecie & ſtrepitu fuiſſe: ſed ſub initia dūtaxat, re perſpectâ, futuros qui fuiſſent. Præſertim qui ſic armati, ſcuto proiecto, leues aut vanos reddidiſſent iſtos ictus. Avd. Quid tamen de maioribus tormētis? totas legiones omne proſternimus? Lips. Scilicet vt hodie. & periti narrant, nullam aciem vidiſſe hoc telo ſolutam. Lenis colliculus, agger aut margo foſſæ interiacens, vim elidit aut directionem terribilis machinamenti. Nota hæc militaribus: & excipio oppugnationes oppidorum; plus in ſpecie quàm in ſummam belli confert hoc tormentum. Incommoda autem quæ adiuncta, omitto: nec machinas Romanorum parte alterâ oppono aut libro: longior ſit ille ſermo, & aliò reſeruatur. Tranſeo ad Iacula, quæ item eludunt. Atqui bonitas in iis hæc, quòd facilè & citò mitterentur, quòd in omni tempore & loco. Non ita in Bombardis, quæ & moram aliquam habent vt impleantur; trepidationem vt emittantur; impedimentum, à pluuia aut quo non caſu. An non & iacula longiùs permeant? Obſeruo ſagittarum curſui æquari ab Homero; apud quem de ſe Vlyſſes:

Soſtar tormētis vaiis.

Arma omnia rumpit.

Curſus eius longinquus.

Lib. II. ca. XXIII.

Vel ſagittā ſuperat.

Lib. VIII.

Lib. XLIX.

Lib. V. Anabaſ.

Reliquis auctis.

Lib. Iudi. cap. 20.

Tormenta noſtra ſæpè inutilia.

In Iaculis & ſagittis quod bonū.

Δουρὶ δ' ἀκοντίζω, ὅσον οὐκ ἄλλος τις ὀϊστῷ:

Odyſſ. 8.

Haſtâ autem iaculor, quantum vel nemo ſagittâ.

Etſi hoc in Vlyſſe dictum, non cõmuniter tamen verùm, & præuolabat Sagitta. Quanto? ipſe modus expreſſus in Statio:

Quàm longè. Lib. vi.

Quale quater iaculo ſpatium, ter arundine vincas.

Circum metitur ad ludos & deſcribit. & is fuit tantus, inquit, quantum vel quater iaculo tranſmittas, vel ter ſagittâ. Ergo parte curſus quartâ Sagitta vincebat. & ſi illa *ſexcentos* pedes ibat, vt vidimus: iſta ſuprà *quadringentos*. Vt ridere meritò debeam in affirmatione ſcriptoris Itali, harum rerum tamen periti, qui conſtanter negat, lacertum vllum tam validum, vt ſaxum aut telum aliud iaciat, ad *quadraginta* paſſus. Deſine homo, & in vulgatâ tunc te veteribus crede. Atqui iacula iſta vim enã habuerunt? vidiſti in Pilo, de quo * diximus: vis & in alio? Tragula in vſu fuit Hiſpanis & Gallis, & aliquando Romanis. De eâ ſic in Suidâ ſcriptor aliquis: Κότλας ἐχρήσατο τῷ ὅπλῳ ὃ τραγούλας λέγουσι, μεθ' οὗ οὕτω βιαίαν ἀφίει πληγὴν, ὥστε τὸν βληθέντα διά τε τοῦ θώρακος καὶ τῶν πλευρῶν διαπείρας καὶ τῇ γῇ προσηλῶσαι: *Cotta vtebatur telo quod Tragula dicitur. quo ille tam validam plagam infligebat, vt eo percuſſum per loricam, per latera, terra velut clauo affigeret.* Sed & in Plutarcho ſcriptum, *Philopœmenem per vtrumque femur ſimul, iaculo amentato transfixum.* Per Deum, quæ iſtæ manus? aut viribus aut peritiâ validæ, quam aſſiduum exercitium dabat. Aliquid de Sagittis dicam? & patrum æuo in pretio fuerunt, & fortaſſe non bono conſilio prorſus ſic omiſſæ. Reperio Parthorum ſagittas *arma omnia penetraſſe*, in Plutarchi Craſſo. In Agathiâ Hiſtorico, *Aligerni Gothi manu ſagittas emiſſas, ſtatim totum hominem per ſcutum & loricam traieciſſe.* & quod mirêris, *ſi in ſaxum aut aliud quiddam durum fractúque difficile incidiſſent, totum illud impetus violentiâ diffregiſſe.* Quæ Procopius de ſui æui Sagittariis diffusè ſcribat, apud ipſum, ſi vis, vide. hoc tantùm excerpo, *tanta vi emiſſam ſagittam, vt ei neque thorax vllus neque ſcutum poſſet reſiſtere.* Satis de leuibus armis: quæ tamen præcipua in noſtra militia ſunt: & quàm ratò aliter pugnatur? Illa pugnam omnem decernunt, capiunt victoriam ſtatim, aut cedunt: veræ & ſtatariæ pugnæ, tantùm nunc leguntur. A V D. Sed tuo iudicio igitur, vetera illa tela meliora, aut vſurpanda? L I P S. Meo, non ſpernenda prorſus: imò & quædam aſſumenda, ac cum noſtris iſtis miſcenda. Pulchrè & vtiliter fieret, ſed à præexercitatis. Alioqui tela futilia. Iam grauis armatura Romanorum, quid dici poteſt quin optima? Homo à capite ad calcem in armis, ipſa crura non intecta: & præcipuum momentum, pediti atque equiti prægrande ſcutum. Aio vtilius non eſſe inter arma: ſed noſtra ignauia, an audacia, è militia omni eiecit. Vicini aliquot retinent, vt Pannonij equites, & Turcæ: nos, vt dixi, ignauè remiſimus, vel etiã confidenter, quaſi vel ſic tuti. Nec hîc inſiſto: video qui noſtro æuo de Militia ſcripsêre, culpam agnoſcere, & hortari ad emendandũ. Certè noſtri iſti plerique omnes inermes: & quid niſi cum Velitari manu cõponendi? expoſiti ad ictus, & ideò trepidi, quod natura ſui anxia cogit. A V D. Mi doctor, bonæ fidei eſto, vt ſoles. Noſtri omnes Velites? quid ergo Haſtati aut Sariſſophori, quos laudabili Macedonum ritu habemus? L I P S. Paucos habemus, nos quidẽ Belgæ aut Galli. Plures Hiſpani, fateor, qui *Haſtam* etiam prouerbio appellant, *reginam armorum*. plurimos Heluetij, qui olim hac pugna clari, & veri phalangitæ. Sed & nunc cœperunt rareſcere, & alia arma leuia miſcere. Quæ autem noſtra hîc ſententia? omiſi, quia Polybius pro me adfatim dixerat, vbi Romana arma cum

Macedonicis ex profeſſo confert. Quid prudentius aut firmius illo poſſim? Tamen ſententia mea hæc eſt. Romanos, etſi bonos & faciles bona imitari, non vſurpaſſe Haſtas, imò quas Triarij olim habuerint, ſub Marij & Cæſaris æuum omiſiſſe. Cauſſæ. quòd non conueniens hoc telum diſtinctæ & diuiſæ per manipulos aciei. Grande & cohærens debet eſſe corpus, vbi vim haſtæ habeãt: ſparſæ ſunt inutiles. Item. pauci in magno corpore qui habent vtiles: cùm primi modò ordines eas poſſint exſerère, reliqui non niſi nixu & corporibus iuuare. Amplius. immobilis ferè & vniformis eſt talis acies, in frontem valida: ſubitò vertere ſe & ſtabilire, ægrè poteſt. Poſtremò, qui habet eam, vnum modò id telum efficax ferè habet (etſi Macedones tamen iaculatoriam etiam haſtam:) & in primis ſcutum grandius geſtare aut vti aptè non poteſt. Hæc, & forſan plura, Romani conſiderauere. & quamquam ſæpe phalangis periculum feciſſent, atque etiam cum ſuo interdum periculo (vti Paullus Æmilius ſcribitur *exhorruiſſe ad confertam & haſtis protentis irruentem phalangem*:) tamen ſua pluris fecêre, & putarunt in totam rationem belli meliora. Ipſi enim quocumque loco pugnare vtiles, quacumque formâ, à fronte, à lateribus, à tergo: & omnes vtiles, cùm res ferret. Vt in corpore hoc optimum, omnia membra agilia eſſe & implere ſuum munus: ſic in acie. Enimuerò, ait Liuius, *Illa phalanx immobilis, & vnius generis; Romana acies diſtinctior, ex pluribus partibus conſtans, facilis partienti quacumque opus eſſet, facilis iungenti.* Adde, quòd in locis ſalebroſis aut inæqualibus, inſtruere ſe Romanus poteſt: phalanx cum fructu vix poteſt. quæ denſitate & connexione conſtat: eóque ſi foſſa, cliuus, ſepes, aut aliud medium ſit, facilè diducitur, & manipularis illa acies inſinuat ſe per abrupta. Tum actum. Nec tamen negem, noſtris moribus & pugnis perutiles eſſe haſtas, præſertim contra equitem, cuius vim & impetum ſiſtunt egregiè aut repellunt. At in Romanâ armaturâ quid opus? cùm Velites in fronte ferè procurrerent, & telis ſuis equitem arcerent: ac ſi non ipſi, legionarius facilè tardaret aut fugaret coniectis pilis. Graue & efficax hoc telum, & quod ſinguli duplex geſtabant; vt vel incurrentem etiam equitem obiectu ſcuti maioris, itémque protenſione pili alterius facilè (vt meus eſt ſenſus) refutarent: præſertim firmi ſic & denſati. Illud quidem certè ſcio, ratò ab incurſu * equitis ſolius Romanam aciem diſſipatam, quod hodie eſt crebrum. An non, inquies, à Parthis? Ita, ſed obſerua quod *incurſu* dixi: Parthi autem ſagittis eminus ferè obruebant Romanos, in manus aut propiùs non ſuccedebant. Itaque non proterebant eos, ſed lentè conficiebant & vulnerabant, more ſuo ſcilicet refugientes & accedentes. Idem Sariſſophoris noſtris accideret per Bõbardarios, ſi à ſimili auxilio aut equite deſtituerentur. De Haſtis igitur ſic ſentio. Romanis non neceſſarias; nobis haud inutiles eſſe, nec fore etiam ſi Romana in parte arma aſſumantur. Vidi qui * miſceri vellet, & manipulos partim gladiis ſcutiſq; inſtrui, partim Haſtis. Ipſi Duces, & vſu callidi, talia viderint. Quartum in Militia *Acies*. quam ſi vndique tutã & compoſitã in Romana inſtructione dixero, ratio mihi addicet. In fronte Haſtati, imbecilliores: pòſt Principes, robuſtiores; tum Triarij, robuſtiſſimi. vt per gradus fatigaretur hoſtis. Iam ad latera equites, qui circumueniri vetent aut cingi: & ſi à fronte hoſtium equites inuadãt, ipſi ab aperto latere eos incurrant. Multa, quæ ex prioribus meis haurire liceat, nec opus repetere: ſed illud pulcherrimũ, & victoriæ parãdæ;

quòd

Margin notes (left): Odyſſ. 8. — Quàm longè. Lib. vi. — * Lib. III. Cap. proprio. Vis iaculorum. — Vis ſagittarum. Lib. I. — Lib. I. Bell. Perſ. — Leuis pleraq; noſtra pugna. — Panoplia Romanorũ. — Scutum optimũ armorum. — Contrà hodie. — De Sariſſa iudicium. — Lib. XVIII. vide.

Margin notes (right): Romani ſpreuerunt. — Ob cauſſas. — à Plutarcho in Aemilio. — Lib. IX. — Bona tamẽ in equitem. — Romanis haec inutilia. — * Imò ſoli ipſi equitem pellebant. vt Cæſaris pugnâ cũ Pompeio, ſex illæ cohortes. — Conclusio à ſententia. — * Is eſt Machiauellus. De Arte in ſcriptum. — Romana adprona.

Internalla laudatiſſima.

A quòd diuiſi per internalla, & in iis aut ante ea Veles. ita vt ſtatarius miles receptuiiis ſit, & ipſi ſecurè aut deſinăt pugnă, aut reſumăt. Age, profligata aut iouiilis iă omnis Velitũ manus: quid mali? Cõſtant ordines: & callido conſilio, cùm mixti aut inſerti iis oon ſunt, nihil iſti putant ſibi periiſſe. Itaque quaſi integri pugnă ineunt, animis & corporibus nihil imminuti: deniq; cũ tuto & certo ſemper receptu in ſua interoalla. Conſiderate Duces, magnum boc arcanum eſt, fidere militem, pugnăre cum ſpe victoriæ, cedere ſioe metu ignominiæ aut periculi, ſi res cogat. In Romanis ita factum, triplici iſtâ acie per Haſtatos, Principes & Triarios: qui vltimi, molem totam excipiebant, & ſuſtinebant validis præſidiis fulti. Ibi Duces, ibi Signa præcipua, ibi veteranus miles: & io ſummâ, ibi Victoria quia Virtus. Abite Turcæ, cum Ianizatis

Acceſſus & receſſus per ea.

B veſtris: qui imaginem aliquam vſurpatis militiæ priſcæ, ſed falſam. vera illa ſi ſit, nos iam non ſimus. Nam illud pro certo habeo, ſi cum noſtris iſtis nouitiis armis vetera iungantur, & ſimul Ordo & Acies: orbis vetus & nouus eat breui ſub vnius leges. Sed diuina illa diſpoſitio ſupra noſtram eſt, & aut non dici hæc vult aut non credi, cùm intempeſtiuum. O arcanum verè cæleſte! quod ſuſpicamur magis bomines, quàm intellegimus, & quod mirâ temperie mundum hunc gubernas! Frænas impios, aut prouehis: & bonos attollis, deiicis, vt ad te, aut à te iuerunt. Non pando pennas propiùs ad hunc Solem, ne liqueſcam aut ambutar: ſed libero ore clamo, qui gloriam aut imperium vult flectendũ ad antiqua. Enimuero ſi noſtri iſti Leues (Bombardarios ſic appello) mixti per manipulos & ante manipulos grauium ſint, cum in-

Temperanda militia vtraque. Prouidẽtia hæc dirigit.

Miſtio vtriuſque armaturæ.

C teruallis & receptu: idque contra equitem, contra grauiorem peditem: quæ acies inuadat, imò quæ reſiſtat? Nam noſtri aptiſſimi ſic imperere, & reſilire ad iterùm impetendum: quæ omnia tamen conſuetudine & longo exercitio facienda ſunt, ne in re turbent. Vos, vos appello Duces, me vera dicere: per Fidem imitamini, ſed contra eos, qui oppugnant Fidem. Iam in particulari inſtructione multa ſunt, ſed guſtum dare potuimus, præcepta non potuimus, & pendent ab ingenio verè Martiali, id eſt igneo & excelſo. Qui capit, capiat; qui non, ſuccumbat & vapulet. Illud mooeo, Strategematum hîc latum campum eſſe: & non aliâ re plures victorias aut trophæa parta. Quidquid inopinatum eſt, hoſtem turbat: modò tale ſit, vt non tuos turbet. Ea ſit cautio: nec quæ-

Strategemata præcipua ad victoriam.

D libet inuentiuncula fructuoſa ſtatim aut efficax eſt, ſed cui circumſpectio & luſtratio adiuncta. Argum eſſe oportet, qui Dux eſt, in tergo, in fronte, in capite, in pedibus oculos habere: & tamen omnia facilia diſpoſitu, vbi ſemel proba communis illa diſpoſitio præceſſit. Da cohortes, da manipulos, ſic ſubitos, ſic diſſitos, ſic ſolitos iungi aut diſiungi: præſtabo tibi in omni occaſiooe velut corpus Aciei, quale tu aut res volet. Vltimum, *Diſciplina*. Me miſerum, quid componam! vtinam color aut ſpecies ſit, qua poſſim! Sed qualiſqualis illa veterum; hodie nulla eſt, & fatebuntur ipſi qui militiæ ſe dederunt. O pudor, ô dedecus! Barbari & Scythæ hac parte oos ſuperant, & leges ij aliquas habent, nos nullas. Quid ergo comparem? Diſciplinam Romanam laudem, aut ſuadeam? illa

De Diſciplina ſolicitum.

Id doleam.

Diſciplina neceſſaria.

E verò non bona, ſed optima eſt, quot fuerunt, quot erunt: data diuinitus in exemplum. Conueniant & conſideant aliquot ſapientes, mente & ſcripto oon concipient pleniorem, meliorem. Hanc igitur ſuadeo? vt noſtri mores & homines ſunt, vix auſim. Satis ſi vniuerſè Diſciplinam aliquam, ſine qua Militiæ non dicam bonitas aut felicitas non conſtat, ſed vix oomen. Latrocinia iſta ſunt, quæ ſine lege, iure, mo-

A do exerceotur: oec velim appellare eqoidem talia hæc noſtra (nec deboo, cauſſa cum bona eſt:) ſed bona fide, lineam eorum tangunt. Medêre, medêre tu aliquis Princeps, tu qui in animo mihi es, qoem magnũ & ad magna genuit Deus. Exẽplo aliis præi, qui opibos præes. Nec plura de Diſciplina, in qua perdidiſſe me cenſeo hæc pauca ipſa verba. AVD. Siccine deſperas? an ars hæc tua eſt, vt ſermonem facias compendi? Quin tu exſequere, de effectu in aliorum manu eſto. LIPS. Quid ſi offendam, aut vapulem? tu ſuccidaneum tuom tergum dabis? AVD. * Δέδιας δέ[illegible] ἀδ[illegible], vt cum Græcis hoc dicam. Noui modeſtiam & prouidentiam tuam. Denique eſto, aliquid quod improbetur, dixeris: quis mali conſilij pœnas vnquam luit, ſi ipſe non

**Timet manum timentem.*

B malus? Fides vbi conſtat, caligo & imbecillitas ingenij excuſanda ſunt. LIPS. Impellis, permittam me vel cum metu lapſus. Tres igitur partes fecimus Diſciplinæ veteris, *Munia, Exercitia, Leges.* Singulæ videndæ ſunt, & ſiquid in iis nobis boni. *Munia* ſunt, *Excubiæ*, *Miniſteria*, *Opera.* & hæc quæ diffuſè ſum exſecutus. Et de *Excubiis* quidem, aliqua nec improba apud nos ſpecies: credo tamen quædam meliora aut tutiora olim fuiſſe. Vt de Stationibus ante portas, vt de Teſſeris, de Circuitione aſſiduâ, de interpolatis Vigiliis & diſcrimine horarum: & talia, quæ induſtrius Dux animaduertat & * excerpat. *Miniſteria* aut ceſſant apud nos, aut voluntaria ſuot, & ſine lege. Tamen decorè (quis neget?) Tribunis & Ducibus talia quædam præſtentur, ſine incommodo aut vexatione militum,

Reſumptũ hoc ſudatum.

Imitanda quædam in excubiis vtriuſque.

** Ex iis quæ prædicta. Miniſteria commendata. Opera maxime.*

C cùm res it in orbem. At *Opera* præcipua & vtiliſſima, imò neceſſaria pars, nec ad victoriam ſolùm, ſed ad ſalutem. Caſtrorum tamen munitio cur tota omiſſa eſt? aperti cõſidemus, & ſine certo ordine: ac ſiquando cautioribus eſſe viſom eſt, *Carrago* vſurpatur re & voce Barbarorum. At vide mihi illa Romana caſtra ſic digeſta, ſic compoſita: quàm pulchra aſpectui, apta vſui, tuta ab incurſu omoi & vi hoſtili? Quot exercitus noſtri aut alieni per hanc incuriam cæſi aut fugati ſunt! & iamnunc pulcherrimus ille ad Danubium, cùm inopinato tranſitu ſuperueniſſet immanis ille hoſtis. Dic ſodes; ſi Romana ibi caſtra & cuſtodiæ, hæc eueniſſent? Atqui non lubet, imò pudet, operanis eſſe. Miles manum ad ligonem? igno-

Caſtra munienda.

Obieſtiuncula noſtrorum.

D minia ſit, apage, mercede conducantur qui id præſtent. Hæ voces: & quorum? credas regali ſtemmate & opibus eſſe: tamen inſpice, mendicabula ferè hominum ſunt, quos inopia & deſperatio ad militiam redegit. Homuncio, te pudeat facere, quod tot inclyti olim viri, imò Senatores? Opiniuncula eſt quâ ignauiam ſuam tegunt, depellenda vnâ admonitiunculâ Principis aut edicto. Nemo turpe habebit, quod in commune fiet, quod à melioribus fiet, & interdum à Ducibus ipſis in exemplum. Polybius mihi in meote eſt, qui alibi ſcripſit, *Hominem cenſeri prudentiſſimum animalium, at ſibi ſtultiſſimum videri*, quid ita? Nam ceteræ animantes vbi ſemel offenderint, caueot; non vulpes ad laqueum, lupus ad fooeam, canis ad fuſtem temerè redibunt: ſolus homo ab æuo in æuum peccat ferè in iiſdem.

Opera vileſcit deteſtanda.

Nemo pertinax aut ſaluum.

E Ad nos & noſtra hæc nunc accommodem. quæ clarior quàm operum hæc vtilitas? quid magis expoſitum in ſcriptis & libris? Neglegimus, & ſalutem abiicere malumus, quàm opinionẽ. Atqui ea ipſa Opera, quàm extra caſtra vtilia etiam ſuot? ad oppugnandum è muro, contra noſtra hæc Tormenta vnicum remedium & certum. Ad opida ipſa claudenda, ad hoſtem à nobis, ab illis arcendum, Opera eximia ſuot, & quibus præſtes quod nec magnâ

Vtilitas operum.

manu militari. Iam in ipſâ Acie is locus. vel vt parte aliquâ ſubitò munias te contra hoſtem, vel vt ipſum * inducas, aut te ſubducas. Foſſas à Sullâ contra Mithridatis copias & ampliſſimum equitatum ſubitò ductas leges, ne circumueniri poſſet: & ſimile à Cæſare io aliâ occaſione aut te factum. Quid verbis opus? Domitij Corbulonis dictum res probabit: *Dolabrâ* (id eſt operibus) *vincendum hoſtem eſſe.* Vtinam animus ſit experiundi, & militem leuiter huc ducendi, nec alij alienæ ignauiæ exemplo peccemus! Sed alterum in Diſciplinâ, *Exercitium*: id quoque neglectum nobis. Vbi campidoctores noſtri ſunt? vbi cottidianæ meditationes armorum? Quin cùm nemo artem profiteatur quam non didicerit; ſola hæc militaris eſt, quam vnâ ſumere & ſcire ſe arbitrantur. Tympanum ſonuit, concurrunt: nomen apud ſcribam profeſſi ſunt, in veſte aliquid mutant, ferociùs incedunt, bacchantur, potant: ecce iam miles. Hæc ridenda, an miſeranda ſunt? ſed fiunt. Ito, ito, qui ſapis, ad illos veteres, & eorum exemplo milites tuos in omni genere armorum forma. & aſſiduò forma. *Neque enim*, vt ait Vegetius, *ſeguendo ætatis, aut annorum numerus, artem bellicam tradit, ſed continua exercitationis meditatio. Poſt quanta volueris ſtipendia, inexercitatus miles ſemper eſt tiro.* Vltimum, *Leges.* Adeſte mei Duces, date veſtras: examinem paullum cuiuſmodi ſint, & componam cum Romanis. Quid muſſatis? an nullæ, an paucæ ſunt? illæ ipſæ quæ ſunt, irritæ & pro nullis? Profectò ita viuitur: libido pro lege eſt,

——*ius*q*ue locum ſibi vindicat enſis.*

Furta quis hodie punit? imò quis raptus? cædes? Nam ſtupra & adulteria, iam inter facinora militaria cenſentur, & quæ poſcant aliquam coronam. Scilicet de abſtinentiâ aut frugalitate in victu agam: exertis linguis irridebor. de iuramento aut periurio: manibus propellar. O pudor, ô honos, quò iiſtis! quàm exules facti eſtis militiæ pleræque in Europâ! Iterùm teſtor, querela aut accuſatio mea in bonos non conuenit: gaudeant hæc dici, qui non ſunt tales. Vos flagitia hominum inſequor, vos maculæ & vibices generoſi Martis: qui ſcelerum confugium & aſylum bella habetis. Quàm aliter apud Romanos noſtros, ſatis dixi. vbi Iuſtitia, Caſtitas, Innocentia habitabat in caſtris: & nuſquam violenti aut feroces, niſi in hoſtem, erant. Non deduco quæ in recenti memoriâ habes: ſed profectò ſunt talia, quæ in animo ſuo tacitus laudet, qui linguâ etiam culpet. Quis tamen ille furioſus, qui vel hoc auſit? Non dicunt. ſed abiiſſe illa tempora, alios mores aliud hoc æuum velle. O boni & ſuaues! quaſi alij nunc homines, aut alia quæ gubernet ratio: & non omni æuo iuſtum, iuſtum ſit; tale iniuſtum. Nempe ad difficilia vocantur. abſtinere à vi & vitiis; manus in hoſtes, non in ciues vertere; vires non Veneri ſed Marti reſeruare: denique ſtipendia ſua non prodigere, alea, pene, ventre. De quibus ſanè ſtipendiis incidit opportunè hic monendum. veteribus cautionem fuiſſe, ne tota iacerent in manu militari. ſed, vt ait Vegetius, *diuinitus hoc inſtitutum, vt dimidia pars ſequeſtraretur apud Signa, & ibidem ipſis militibus ſeruaretur, ne per luxum aut inanium rerum comparationem à contubernalibus poſſet abſumi.* O verè præclarum, & vt ipſe vult, diuinum inſtitutum! cum duplici eòque aperto fructu. vt & continentior aſtrictiórque miles eſſet, minùs in laſciuiam, epulas, & denique in has pronus: & vt maiore animo pro Signis ſuis dimicet, *more humani ingenij*, ait idem ſcriptor. *vt pro illis habeat maximam curam, in quibus ſuam videt poſitam eſſe ſubſtantiam.* Quod equidem à Græco etiam Imperatore vſurpatum video.

Decipulis, palis, vallo cæco, tribulis, lilijs.

Nota.

Exercitij hodie neglectus.

At cottidie vſurpandū.

De legibus militum. Nobis paucæ & vanæ. Sic et eæ non punita.

Temporis meo ſcripto.

Romani boni & modeſti.

Vox vulgo reiecta.

Vetus veterum factum. Ratio adſeruandi ſtipendia. Lib. II. cap. XX.

Dupliciter vtile.

A Iphicrate. De illo Polyænus: Ἐν τῇ δόσει τοῦ μισθοῦ καθ' ἕκαστον μῆνα ἀφαιρῶν τὸ τέταρτον μέρος, ὥσπερ ἐνέχυρον ἑκάστου κατέχων, ἵνα μὴ λίποιεν τὸ στρατόπεδον, οὕτως ἄρα καὶ πολλοὺς εἶχεν ἀεὶ τοὺς στρατευομένους καὶ εὐπόρους: *In mercedis ac ſtipendij ſolutione, quoque menſe ſubducens quartam partem, velut pignus militum retinebat, ne facilè deſererent exercitum. atque ita & multos ſemper frequentéſque habuit milites, & eoſdem diuites.* Quis non videt hoc etiá in ſolutis iſtis moribus poſſe, aut potiùs debere fieri? cùm alioqui miles, velut per gloriam prodigus, poſt quantauis ſtipendia pauper & egenus ſemper eſt? imò, niſi rapto viuatur, victus diurni expers? Talia atque alia quàm facile, quàm laudabile imitari, ſi mens altior nobis ſit, & vt poëta loquitur, *incoctum generoſo pectus honeſto*: Iam *Præmia* & *Pœna* B notum eſt quàm exciteat, aut reprimant: per malam ſecordiam & indulgentiam omnia nunc omiſſa. Præmia Promotionum ſi repetantur, bonum mirificè ſit, & ſine ærarij vllo ſumptu. Eadicu, cùm miles gradatim per virtutem aſcendit, & in ipſis ordinibus Centurionum (id enim quoque debet) eſt diſcrimen. Exiguum aliquod lucellum ad hos locos adiunctum, quàm inferiores milites inflammet? iſta perueniendi ſpes, quàm multos trahat ad militiam, & in ea libentes teneat? Denique ipſæ coronæ, aut torques, & à me ſingillatim dicta, cum laudationibus publicis, ingenuos animos non ad diſcrimina ſolùm impellant, ſed ad ipſas mortes. Pœnas tamen etiam adiungo. Virtus aſſurgere non poteſt, vbi vitium libero paſſu comitatur: & abſciſo ac ſeuero caſtigationis genere turba militaris coercenda. Vnde tot rebelliones hodie ac tumultus? minæ aut arma in ſuos duces? ab C impunitate & licentiâ: & quamquam aliæ cauſſæ prætexantur, iſtæ veræ & intimæ ſunt. Coërceantur, & vno verbo; plus ducem ſuum miles timeat quàm hoſtem. Satis compoſui, præſertim tam inæqualia? iterùm horror, vt adſumantur? quem? vtinam adſit & audiat, cuius intereſt, quem animi iſtis oculis iamdiu deſigno. Sed in cæleſti Prouidentiâ hoc eſt: audiat non audiat, Ius Faſque hæc audiet, & comprobabit in iis qui facient, vindicabit qui contemnent. At ecce mea domus, intro, & iam ſpatium omne de Militiâ decurri. Nō quin aliquid ſuperſit dicēdum alibi, ſed, in FACE HISTORICA, ſi Deus volet, huc fiet. Omnia ſimul, nec potuit, nec oportuit, vitandæ cōfuſioni. AVD. O illa Fax quando lucebis! * ἐξέχ' ὦ φίλ' ἅλιε. LIPS. Breui. & ſi non toto vultu D & corpore, at per partes & velut radios emicabit. Sed quod dicebam *De militiâ ad Polybium* iam decurri: in quo ſalebras aut clivos complures fuiſſe, vt cum Platone loquar, * οὐκ οἴομαι, ἀλλ' εὖ οἶδα. Si peruaſi aut complanaui pleraque, grana mihi eſto: ſi quædam minimè, venia. & illud vetus cogitetur,

* Καλῶς Θεάγελλος οὐ μόνος ἀνθρώπων ὁρᾷ:

Sed nec omnia videt. & ideò ſiquis poſt me aliquid (nec dubito) moneat, vel ipſe diuulget. Nihil æmulor aut inuideo, imò vltrò excito & adhortor. Quid ſibi volunt ij, qui velut locum in balneis, ſic ſcriptorem aliquem occupant? iniuriam ſuam putant, ab alio tangi? Abite mihi alia mens: & quicumque es, doce, dirige, corrige, auidis auribus & ſupinis manibus accipiam facientem. Liuor tantùm aut conuicia abſint, ad quæ ferri video hodie ſcribentium mentes. Pudet, pudet, & Senecam noſtrum ſæpè rumi- E nor, qui dictum hoc protulit, *Poſtquam docti prodierunt, boni eſſe deſierunt*: hactenus dictum, vereor vt mox oraculum. vti ſunt mores. At ipſi viderint. ego de me teſtor, pacis mihi ingenium eſſe, & cum Heſiodo,

* Μηδὲ κακῶν ἕταρον, μηδ' ἐσθλῶν νεικεστῆρα.

[illegible] ſalſum. Lib. III.

De Præmiis & Pœnis. Promotio renouanda.

Inſignia virtutis vſurpanda. Pœna ſuprema.

Licentia militiæ corruptrix.

Finis comparationis, etiam ſermonis.

** Exoriare ô care Sol.*

** Non puto, ſed ſcio.*

** Pulcher Theagellus haud ſolus hominum videt.*

** Nec prauis ſocium, obtrectatorem bonorum.*

& in hoc ipſo ſermone bellico, nihil tamen ſpirare bellicum. Tu Deus, qui Pax & amores, da conſentire & conſpirare in commune bonum; da te, virtutes, honeſta ſtudia amare; & hæc iuuare pro viribus & copiâ, quam dediſti: aut dabis. Nos quid ſumus? humiles, imò humus: tu ſuper omnes, tu omnia; & à te, quidquid boni eſt, Summo bono. Hoc ama, me dilige, mi AVDITOR, & vale. AVD. O tu quoque longùm mi doctor, mi parens, nec aliter te appellem.

A

BREVIARIVM
LIBRI VLTIMI.

DISCIPLINÆ *ſedes ſunt*
- CASTRA. Ea diſpoſita, & dimenſa:
- *Prætorij, Quæſtorij, Legatorum, Tribunorum, & Militum metatura.*
- *Valli & Portarum deſcriptio, & enumeratio.*

Partes ſunt
- MVNIA. *quæ continent Miniſteria, Excubias, Circuitiones, & alia in caſtris.*
- EXERCITIA. *quæ ſunt Oneris, vt in Agmine (& per occaſionem Agmen deſcriptum:) aut Operis, aut denique Armorum.*
- LEGES. *quæ variæ ſunt. nos è Polybio explicanimus eas quæ tangunt Furta, Stipendia, Præmia, Pœnas, Miſſionem.*
- *In Clauſulâ, Comparata militia noſtra cum priſcâ.*

FINIS.

IVSTI LIPSI
ANALECTA,
ſiue,
OBSERVATIONES
RELIQVÆ
AD MILITIAM
ET HOSCE LIBROS.

IN NOVAM EDITIONEM LIBB.

DE MILITIA ROMANA

IVSTI LIPSI V. C.

QVid tibi cum Sophiâ (quærit vulgaria turba)
Qui veterem calles tam benè Militiam?
Antiquam Sophiam qui calles tam benè, LIPSI,
Quid tibi cum veteri (quæro ego) Militiâ?
Cur, meditabaris qui dogmata priſca Sophorum,
Miſces Socraticam, Militis arte, domum?
Olim Demochares fieri quod poſſe negabat,
Nempe Duces SOPHIAM MILITIAMQVE *doces.*
Eſſe putant fruſtrà te quidam: munera (dicunt)
Non benè conueniunt, Militis, atque Sophi.
Lancea Thymbra foret citiùs, quàm è Socrate quiſquam,
Iudicio vulgi, Dux bonus eſſe queat.
Nónne modum ſcribis, fieri quî poſſit, vt vnus,
Sit Rex egregius, de grege Socratico?
I nunc Demochares, túque ô vulgaria turba.
Sitis vos fruſtrà, LIPSIVS *efficiet.*

Antonius Vacquerius.

AD LECTOREM.

ADIVNXIMVS etiam, Lector, reliqua Obſeruationum quædam, & vt verè appellamus, ANALECTA. Cur autem recolligo? cur non in Opere ipſo dedi? Cauſſæ ſunt, quas boni æquíque conſules, quiſquis es talis. Primùm, verebar ne nimis à re interdum abirem, aut certè diutiùs in eâ ſiſterem; ſi quidquid eò facit, concinnarem. Polybius quæ non tetigit, aut quibus anſam non dedit vt apprehenderem, paſſus ſum abire paullulum, mox reprehendenda. Ordo etiam ita viſus melior; nec in omni occaſione mens abducenda lectoris. Fit cum noxâ eius, adeò non cum fructu. & vt oculus qui variè ſe inflectit, intentè nihil videt: ſic mens, quæ auocatur. Denique & tertiò, curioſa quibuſdam quædam ex his viſum iri cenſebam, & velut πάρεργα. qui igitur ſic affecti, prioribus illis contenti, ad hæc ne veniant: & qui aliter, quibúſque cupido eſt ſcitè aliquid ſcire, leui diuerticulo huc deflectant. An & quartam cauſſam addam à meâ fortaſsis incuriâ? prodam, nec diſsimulabo. quædam mihi ex dictis illuſtranda magis viſa, quædam firmanda, fortaſſe & alibi adducenda & reſtringenda. Ea omnia decorè mihi facturus videbar in hoc adtextu. Siquid etiamnunc neglexi, aut non correxi: veniam da, quiſquis memor es tuæ & meæ conditionis. Quid ambo ſumus? homines, id eſt labi faciles. quid ego ſeorſim? æger, & in decennali amplius languore. Ah, quoties per eum in caligine eſſe me ſentio, & velut nube? quàm quæ volo, non volo; quæ poſſum non poſſum? Sed prorſus, vt ij qui vincti & impediti ſunt, membra habent ad vſum, nec vtuntur: ſic mens, lingua, ſtilus, adſtricta ad morbi hanc catenam. Solue me eâ Deus, cùm tibi viſum: aut potiùs his totis vinculis ſolue, ſi viſum; vt liber & ſolutus te, apud te, fruar, in æternâ illâ luce deſpector aut irriſor eorum quæ nunc miramur. Intereà dum hoc fit, in ſtatione maneo, & nec ſaucius eam deſero: vt ſi manu & operâ haud multum, animo tamen iuuem & exemplo. Interpretare ſic Lector, & hæc accipe, quædam etiam eius generis opportunè in FACE noſtrâ habiturus.

IVSTI LIPSI ANALECTA SIVE OBSERVATIONES LIBRI I.

DIALOG. II.

Pagina 114.b

DE Delectu.] *Delectus Græcis eſt, ϛρατολογία, itemq́; κατάλογος & καταλογισμός. Dicunt paſſim κατάλογον ποιεῖσθαι, καταχωρίζειν ποιεῖσθαι*: legere militem, ſcribere militem: *ſicut & Romani. De ſcriptura ideò quia ſic lecti in tabulas & codices referebantur, vt memoria nominum & ſtipendiorum publicè exſtaret. Itaque κατάλογος etiam pro ipſo tali indice. vt in Suida*: Κατάλογος, ὁ πίναξ ἐν ᾧ εἰσὶ γεγραμμένα τῶν ϛρατευομένων τὰ ὀνόματα: Catalogus, liber aut breuis, in quo militantium nomina ſcribebant. *Dio Caſſius peculiari quodam ſenſu vſurpat, pro ciuilibus tantùm & legionariis copiis. vt libro* LII. ἑκατοντάρχης ἐκ τοῦ καταλόγου: Centurio è catalogo, *ſiue è legione. Iterùm libro* LV. τὰ τείχη τῶν ἐκ τοῦ καταλόγου ϛρατευομένων: legiones eorum qui ex catalogo & delectu militant. *Opponit auxiliis, & copiis non perpetuis ac firmis. Tertiò idem, libro* XL. *de Craſſo Diuite. quem ſcribit* vt pauperes miſerari ſolitum, τοὺς μὴ δυναμένους ϛρατόπεδον ἐκ καταλόγου οἴκοθεν θρέψειν: eos qui non poſſent legionem catalogiâ ſe & domeſticis copiis alere. *Quod dictum Plinio effertur, libro* XXXIII. *cap.* X. M. Craſſus negabat locupletem eſſe, niſi qui redditu annuo legionem tueri poſſet. *Haud diſſimiliter in Baſilio, de quadraginta martyribus*: Εἰς τοὺς ϛρατιωτικοὺς ἐτάχθησαν καταλόγους: In militares legiones relati ſunt. *Eoq́; ſenſu reperies in Iuſtiniani Nouellis. Vox etiam alia huic rei, eaq́ illo ſequenti*, Adoumium, *vel* Adnumius. *In Suidâ*: Ἀννούμιος, ἀπογραφὴ ὀνομάτων παρὰ Ῥωμαίοις· οἱ δὲ ἀδνούμιον φασι: Annumius deſcriptio nominum apud Romanos; alij autem Adnumium dicunt. *Eſt in Cedreno ea vox, rebus Iohannis Comneni: & interpres vir induſtrius & doctus fatetur ignorare quid vocis eſſet. Eſt & in Leone, Cap.* VI. Tempore rogæ & adnomij, id eſt deſcriptionis nominum. *Sed ne diſſimulem, non tam in Delectu fortaſſe locum habet, quàm in recenſu & adnumeratione militum ſub tempus ſtipendij aut largitionis. Ad hanc ipſam rem reperies*, Pittacia, Breues, Laterculum, Matriculam. *Sicut autem ſcribebantur tam milites, ita delebantur non milites & reiecti. Plautus aſpexit*:

Pulchrè miles centuriatus ibit expuncto in manipulo.

Et explicabit Scholiaſtes vetus in hoc Perſij: Proximus expungam.] Tractum à militibus, qui expuncti dicuntur, dum foras à militiâ emittuntur. *Solent & mortuos ibi notare, & Theta ſuum adfigere: Ruffinus in Hieronymum*: Quod tale eſſet, quale ſiquis accepto breuiculo in quo militum nomina continentur, nitatur inſpicere quanti ex militibus ſuperſint, quanti in bello ceciderint: & requirens, qui inſpicere miſſus eſt, propriam notā, verbi cauſā, vt dici ſolet, θ. ad vniuſcuiuſque defuncti nomen adſcribat, & propriâ rurſus notâ ſuperſtitem ſignet.

» Tenuiores ad militiam non vocari.] *De bonâ illâ & compoſitâ rep. verum eſt. etſi poſteà remiſſum. Adeò, vt non libertini ſolùm, ſed ſerui etiam adſcripti; ſed ferè per ciuilia bella, cùm Virtus & Honos iam ſuum ægrè ſeruant. Exemplum tamen ab æuo Annibalis, cùm neceſſitas id expreſſit. Tunc enim non ſolùm* octo millia ſeruorum *in militiam empta, quod Liuius aliiq́ produnt: ſed etiam paſtores aliquot ferociores in equites adſumpti. Docet Valerius (quod alij ſilent) libro* VII. Ex Apuliâ quoque & Fidiculis ſeptuaginta atque duceoti ad ſupplementum equitatus ſunt empti. *Atque hos ipſos ſtatim appellat* à paſtoralibus caſis collecta mancipia. *Sanè maxime in Apuliâ & feroces paſtores. ac Pompeius etiam bello in Cæſarem, eodem illo tractu*, ſeruos paſtores armat, atque his equos adtribuit: *quod ita in Cæſare ſcriptum Ciuilium primo. Repetit & occulte obiicit idem Commentario tertio: cùm in equitibus Pompeij recenſet* octingentos, quos ex ſeruis ſuis paſtorumque ſuorum coëgerat. *Qui tamen locus vitij ſuſpectius: nec* paſtorum ſerui *conſcripti videntur (id verò vile & ridiculum, ſeruorum ſeruos) ſed ipſi paſtores. Itaque vide nam ſcribendum*: quos ex ſeruitiis paſtoribuſqoe ſuorum coëgerat. *Ita in eodem Cæſare, libro eodem*, M. Cælius Milonem in Thurinum, ad ſolicitandos paſtores, miſit. *Ita & Domitius* colonis paſtoribuſque, quos ſecum adduxerat, naues Maſſilienſium complet, *Commentario primo.*

Pagina 116.c,1

A B C D

DIALOG. III.

» L. Attius Tribunus primus.] *Per honorem ita dicitur, qui creſcit, ſi* Primus in Legione primâ. *Eſt in Feſto.* Primanus Tribunus, qui primæ legioni tributum ſcribebat. *Sed non de iſtis legionum, ne erres. de Tribunis ærariis id capiendum.*

Pagina 118 d,h.

DIALOG. VII.

» Eorum vicem Auxilia fuiſſe, quæ variis gentibus ſolent imperare.] *Plena huius rei Principum hiſtoria, & Socias cohortes* Hiſpanorum, Germanorum,

Pagina 143.c

Tungrorum,

Tungrorum, Batauorum, *aliarum gentium, vbique leges. Creberrimè item*, Auxiliares, & Auxilia. *Iſti verò omnes è prouincialibus, & certis quibuſdam bellicoſiſque gentibus, non aliud loco tributi, quàm militiam & viros imperabant: quod de Batauis ſcriptum Tacitus reliquit. Sed alij diffuſiores populi & ditiores, vtrumque ſæpè dabant, & Pecuniam & Militem: adeóque robur in his & numerus, vt idem Tacitus audeat dicere:* Nihil validum in exercitibus, niſi quod externum. *Sed & alibi idem ſcribit:* Prouinciarum ſanguine prouincias vinci. *Etſi autem miles è ſubditis, non tamen dilectu eorum aut arbitrio capiendus. Romani, Centuriones aut tales aliquos peritos legendi, mittebant: qui ſæpè vſui ſuo, & compēdio, magis quam publico ſeruiebant. Tacitus fraudes & quæſtum hac in re indicat, & inter cauſſas ponit rebellionis Batauicæ:* Iuſſu Vitellij Batauorum iuuentus ad dilectum vocabatur. quem ſuapte naturâ grauem, onerabant miniſtri auaritiâ ac luxu: ſenes aut inualidos conquirendo, quos pretio dimitterent; rurſus impuberes, ſed formâ conſpicui (& eſt pleriſque procera pueritia) ad ſtuprum trahebantur. *Sed & cùm hæc aberant, dilectus ille per ſe grauis, quod idem Batauis ibi apud Tacitum effantur:* Inſtare dilectum, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus, velut ſupremùm diuidãnt. *Trahebantur enim in diuerſas terras, vt magnitudo Imperij erat; atque illic longâ militiâ fere conſumebantur. Galgacus Britannorum Dux apud Tacitum, inter grauiſſima Romani dominij ponit.* Liberos cuique ac propinquos ſuos natura cariſſimos eſſe voluit, hi per dilectus alibi ſeruituri auferuntur.

Pagina 325.b,2 „ Habuiſſe eos proprios ſuos Tribunos ærarios.] *Tangit hoc Cicero, cùm Verri obiicit quæſtum eum feciſſe in claſſe contra prædones comparandâ. & ait, cùm antiquitus inſtitutū eſſet, vt ipſi ſocij pecuniam hanc tractarent; eum ad ſe tranſtuliſſe, & prædatum eſſe. Verba ſunt quinto in Verrem:* Cognoſcite nunc nouam prædandi rationem, ab hoc primùm excogitatam. Sumptum omnem in claſſem, frumento, ſtipendio, ceteriſque rebus, nauarcho ſuo quæque ciuitas dare ſolebat: is neque vt accuſaretur à nautis committere audebat, & ciuibus ſuis rationem referre debebat. Erat hoc, vt dico, factitatum ſemper, nec ſolùm in Sicilia, ſed in omnibus prouinciis, etiam in Sociorum & Latinorum ſtipendio ac ſumptu, tum cum illorum auxiliis vti ſolebamus. *Poſtrema hæc propriè faciunt, & notabis tibi Socios iam ante Ciceronem deſiiſſe.*

DIALOG. VIII.

Pagina 330.d „ Ex beneficiariis ſuperiorum exercituum.] *Cæſaris verba ſunt; & das intellegi pleroſque Euocatorum è* Beneficiariis *ſolere eſſe. Quod hoc genus? eorum qui beneficio Imperatoris ad gradus aut commoda promoti. Cæſar apud Hirtium in bello Africo:* Ordines in meo exercitu, beneficio non virtute conſecuti. *Suetonius Tiberij cap.* XII Venit in ſuſpicionem per quoſdam beneficij ſui Centuriones. *Vegetius lib.* II. *cap.* VII. Beneficiarij ab eo appellati, quòd promouētur beneficio Tribunorum. *In lapidibus priſcis:* BENEF. TRIBVN. *Meminit Cicero libro* v. *epiſt.* XX. *& oſtendit etiam in pecuniâ Beneficia hæc fuiſſe. de quibus & in Synodo Nicenâ, can.* XVIII. damnantur ij, qui militiam & zonas deponentes, poſteà ad vomitum redeunt, ὡς βενεφικίοις κατορθώσωσι τὸ ἀναστρατεύεσθαι: vt beneficiis feliciùs militiam reſumant & inſtaurent. *Feſtus ad eos quoque refert, qui* munere in militiâ vacabant, beneficio Imperatoris. *In prouinciis etiam* Beneficia, *in eos qui agris aut immunitate donati. Ita Cæſar* Pompeij magna beneficia & clientelas in citeriore prouinciâ *commemorat: Hirtius*, maiores Numidarum vſos beneficio C. Marij.

DIALOG. IX.

Pagina 337 b,2 „ Suſpicor tamen nomen Imperatoris.] *Imò iam pane ſcio. Is qui orationem funebrē ſcripſit (D. Ambroſiū auctorem faciunt) Valentiniano Imperatori:* Charactere domini inſcribūtur & ſeruuli, & nomine Imperatoris ſignantur milites. *Duplex ritus. & de ſeruis, qui compungi ſolent dominico nomine, vt agnoſcerentur; & de militibus, qui præferre Imperatorē. Locus hic in ſcidis meis delitеſcens commodum ſe nunc obtulit.*

ANALECTA

LIB. II. DIAL. II.

Pagina 311.d „ Etſi rarò tamen in agmine aut acie ſic inceſsêre.] *Id verbum eſt, & in agmine ferè præmitti ſolent ad incerta aut occulta viarum exploranda. In acie quoque aliter locari, & abiungi à grauioribus, in loco dictum. Sed addo, diſtributionem hãc, de quâ Polybius, videri ad Cohortes maximè pertinere: in quas certum eſt Velites fuiſſe relatos* centum viginti: *id eſt ter quadraginta, quot in ſingulis manipulis colligimus fuiſſe. Cohors igitur ſi alibi in præſidio, aut diuiſa; habuit ſuos Velites, & huic rei adtributio illa ſeruit.*

Pagina eâd. b,2 „ Ab eo quòd iunctis manibus pariter dimicabant.] *Hinc aliquis colligat, in acie ſtetiſſe ferè per Decurias in quâque centuriâ: & quia iidem in vno contubernio etiam erant, Vegetius voluit* Manipulum *ab eâ ratione ſimul pugnandi dictum. Etſi de etymo tamen aliter eſt, ſed res notetur.*

DIALOG. III.

Pagina 18. c „ Etſi habuit ſuas cauſſas.] *Suſpicionem, quæ dominantibus ferè innata: & ne turbare Latini poſſent, putauit Tarquinius melius miſceri eos ac confundi cum Romanis. Poſteri aliter.*

Pagina eâd. c,c „ Vt in vno Ordine duo ſint Centuriones.] *Id nego factum; & rectè, ſi pro more & vero loquaris. Cùm tamen in omnia me verſo, ne quid fruſtrà aut temerè mutem; ſuccurrit poſſe excuſari fortaſſis. ſi Optiones etiam & Succenturiones venire velimus in hoc principale nomen. Feciſſe videtur Liuius lib.* x. Quatuor Centuriones manipulúmque haſtatorum armillis aureíſque coronis donauit, quia primi portam murúmque Aquiloniæ ceperant. *Vnius enim manipuli facinus hoc facit, nec credo admixtos Centuriones ex aliis fuiſſe. Etſi nec argumentum, nec numerus fortaſſe, ſatis certa.*

Pagina 333.b. „ Earum vnamquamque primam, pilū vocabant.] *Eſt noſtra ita correctio, & multa ſuadere videntur. tamen Turnebus, aliique,* Earum vnam, quam Primumpilum vocabant: *voluntque totum illum ordinem* Primumpilum *dici. Sed, abnuit, quòd* Pilani *dicantur. quòd ante eos poſiti,* Antepilani. *Tamen iudicia in re dubiâ libera ſunto.*

DIALOG. V.

Pagina 3.4.4 „ Legio.] *Quæ variis nominibus Græcis Latiníſque etiam poſtmodum dicta. Græci veteres,* στρατόπεδον, στράτευμα, *& creberrimè* τάγμα *dixerunt: nouelli etiam* θέμα, *ſcilicet quòd in loco & limite certo ſolent poni. In Gloſſis illis bonis:* Legio, τάξις, θέμα. *In Cedreno* θεματικοί, *ipſi Legionarij: & Conſtantini Porphyrogenetæ libellus eſt titulo,* περὶ θεμάτων, de Legionibus, *vt illo æuo erant. Produxit Cedrenus etiam ad equites, &* θέματα καβαλλαρικὰ *in eo ſunt* Equitum alæ. *Iidem Græci dixère &* τέλος: *vti Plutarchus & Appianus. quo ſenſu fortaſſe Dio (verba dedi in*

A *Tranſuectione equitum, libro primo)* ἱππεῖς ἐν τῷ τέλει: legionarij aut ordinarij equites: *etſi paullo aliter id fuit. Reperio & τεῖχος, pro legione: nec audiam viros doctos qui vertũt in τέλος. Ita enim Dio lib.* LIIII. *poſt recenſum legionum:* Τοσαῦτα τείχη τῶν ἐν καταλόγῳ στρατευομένων: Tot legiones ſunt, quæ ex ordinario catalogo & dilectu militant. *Iterùm idem in Eclogis, quas vulgauit vtiliter Fuluius Vrſinus, Eclogâ vltimâ:* τῷ τετάρτῳ τῷ σκυθικῷ τείχει: legionis quartæ, cognomento Schyticæ. *Et infra:* πολεμικώτατον τεῖχος: bellicoſiſſima legio: *Cur verò abhorream? nam & Latini poſteriores* Murum *ſic vſurparunt. Vegetius:* Antiquos murum dixiſſe pedeſtrem exercitum: *& alibi in eodem.* B *Notabis & Numeros pro legionibus, quod exemplis ad Tacitum firmaui. Item* Ordines: *imitatione ſcilicet Græcorum, quibus ſunt τάγματα. Hegeſippus ita.* Cõnexis ordinibus Quinto & Decimo: *& pluries idem, ne cumulem e ſupernacuo verba.* Virtutes *etiã in Paullo Diacono legi: ſed cõmunius, pro copiis & robore militari.*

Pag. 335 c » Variatum in occaſionibus oſtendit.] *Inſtabilis omnino hic numerus, cùm Patres ſub initium anni prouincias & exercitus ornarent: id eſt, legiones deſcriberent, quot quantiſq́ue bellum geri ex vſu videretur. Sæpè ad eos magiſtratus hoc referunt, apud Liuium. vt lib.* XXII. De bello déque rep. Dictator retulit, quibus quótve legionibus victori hoſti obuiam eundum eſſe cenſerent patres. *Idem libro* XXVI. Conſul Senatu in Capitolium vocato, de adminiſtratione belli, C de prouinciis exercitibúſque Patres conſuluerunt. *Inibi obiter nota locum, in quem vocati: nempe Capitolium, vbi de bello ferè actum monuimus libro I. ex Appiano. Nunc pro noſtrâ re etiam Claudianus, qui Stiliconem docet imaginem priſci & deſiti ritus retuliſſe.*

Neglectum Stilico tot iam per ſæcula morem
Rettulit, vt ducibus mandarent prœlia Patres,
Decretóque togæ felix legionibus iret
Teſſera.

Pag. ead. d Teſſera, *nimirum ad iter, & quò copia dirigenda.*

» Quadratam dictam.] *Infra, in Acie, de cauſa huius cognominis. Sed lubet alia quoque agnomenta legionum exſequi, quæ in ſcriptoribus prompta. Si curioſitas videbitur; tranſi cuis ſic videtur in lege, eis aliter &* D *vt peſſimè, quid niſi iactura atri liquoris alicuius & chartæ? Vtinam meum illum omnem hîc effundam. Communis igitur & receptiſſima agnominatio legionum a numeris fuit, ídque diſcretionis cauſâ. Si enim* Legio *tantum; de quâ intellegam? & intereſt ſæpe ob facinus aliquod egregium, aut aliam notitiam, ſciri. Ergo à numeris,* Prima, Secunda, Tertia, *vſque ad* Vigeſimam, Trigeſimam, *& quot fuêre. Id ab ordine temporis & dilectus, quo conſcripta. Dio Caſſius libro* XXXVIII. Τὰ πολιτικὰ στρατόπεδα πρὸς τὴν τῶν καταλόγων τάξιν ὠνομάζετο, ὅθεν περ καὶ νῦν ὅσα λοιπὰ τὰ μὲν ὄντα ἐπικλήσεις ἔχει: Ciuiles legiones iuxta ordinem dilectuum appellabantur, ſicut & nunc eæ quæ exſtant agnominationes habent. E *Quòd autem æuo eius, itémque Auguſti exstiterint, & quibus cognominibus (nam & alia, præter numeralia illa, ex occaſione dabant) ipſe fuse ita ſcribit libro* LV.

» Tres tunc (*Auguſti æuo*) & viginti legiones, aut vt
» alij volunt, quinque & viginti alebantur. Nunc ve-
» rò noſtro æuo, nouemdecim modò ex iis ſuperſunt.
» Legio Secunda Auguſta, quæ in Britanniâ ſuperio-
» re hibernat: & tres Tertiæ. quarum vna in Phœnice,
» Gallica cognomento; altera in Arabiâ, Cyrenaica;
» tertia in Numidiâ, Auguſta. Iam Quarta Scythica
» in Syriâ agit, Quinta Macedonica in Daciâ. Sunt &
» Sextæ duæ. quarum vna in Britanniâ inferiore, co-
» gnomento Victrix; altera in Iudæâ, Ferrata. Eſt &
» Septima in Myſiâ ſuperiore, quæ plurimùm Clau-

A dia dicitur. Octaua Auguſta, in Germaniâ ſuperiore. »
Decima in Pannoniâ ſuperiore, dicta Gemina, atque »
altera Decima in Iudæâ. Vndecima in Myſiâ infe- »
riore, Claudia dicta. Ita enim hæ duæ legiones à »
Claudio cognominatæ, quoniam in rebellione Ca- »
milli contra eũ non ſteterũt. Duodecima in Cappa- »
dociâ, Fulminatrix. Tertiadecima Gemina, in Daciâ. »
Decimaquarta Gemina in Pannonia. Decimaquinta »
Apollinaris, in Cappadocia. Et Vigeſima, Valens & »
Victrix dicta, in Britãniâ ſuperiore. quã ipſam, vt mi- »
hi videtur, cũ eâ quæ & ipſa Vigeſimæ nomen habet »
& in Germaniâ ſuperiore hiemat (etſi etiã, nec tamen »
ab omnibus, Valens appelletur: neque nunc eo co- »
B gnomine vtitur) accipere oportet. Hæ ex Auguſti le- »
gionibus ſaluæ ſunt. Reliquarum aliæ prorſus extin- »
ctæ, aliæ aliis quibuſdam vel ab ipſo Auguſto vel à »
ſecutis Imperatoribus ſunt permixtæ: vnde & Ge- »
minæ cognomen ſollemne habent. Quoniam verò »
ſemel in hunc ſermonem de legionibus veni, etiam »
alias quæ deinceps à Principibus conſcriptæ ſunt, »
ediſſeram, vt promptum ſit volenti in vno loco hæc »
videre & diſcere. Nero igitur primam Italicam di- »
ctam ſcripſit, quæ in Myſiâ inferiore hibernat. Gal- »
ba Primam Adiutricem, quæ in Pannoniâ inferiore; »
& Septimam, quæ in Hiſpaniâ. Veſpaſianus Secun- »
dam Adiutricem, quæ in Pannonia inferiore; & »
Quartam Flauiam, in Syriâ. Domitianus Primam »
C Mineruiam, quæ in Germaniâ inferiore. Traianus »
Secundam Ægyptiacam, & Trigeſimam Germa- »
nicam, quas & à ſeipſo agnominauit. M. Antonius »
Secundam, in Norico. »

Ecce hic habes & numerum legionum, quæ ſub Principibus ordinaria, & cognomina, & loca earum ſiue caſtra. Percurram ipſa verba, & inferam (quia opus) alibi noſtram facem. Ait: Vt alij volunt, quinque & viginti.] *Diſſenſum inter ſcriptores tangit, quorum alij vigintitres Auguſti æuo legiones faciunt; alij vigintiquinque. Inter hos poſteriores Tacitus eſt, inquiſitionis & fidei notæ ſcriptor. In rebus enim Tiberij, cùm ex occaſione vires & copias imperij recenſet, ita inſit;* Italiam vtroque mari duæ claſſes, Miſenum apud & Rauennam, D proximúmque Galliæ littus roſtratæ naues præſidebant, quas Actiacâ victoriâ captas Auguſtus in oppidum Foroiulienſe miſerat, valido cum remige. Sed præcipuum robur, Rhenum iuxta, commune in Germanos Gallóſque ſubſidium, octo legiones erant. Hiſpaniæ recens perdomitæ tribus habebantur. Mauros Iuba rex acceperat, donum populi Romani: cetera Africæ per duas legiones, paríque numero Ægyptus. Dehinc, initio ab Syriâ vſque ad flumen Eufratem, quantum ingenti terrarum ſinu ambitur, quattuor legionibus coercitum: accolis Hybero, Albanóque, & aliis regibus, qui magnitudine noſtrâ proteguntur aduerſum externa imperia. At Thraciam Rhœmetalces & liberi Cotyis; ripámque Danubij legionum duæ in Pannoniâ, duæ in E Mœſiâ attinebant, totidem apud Dalmatiam locatis, quæ poſitu regionis à tergo illis, & ſi repens auxilium Italia poſceret, haud procul accirẽtur. Quamquam inſideret vrbem proprius miles tres vrbanæ, nouẽ prætoriæ cohortes. At apud idonea prouinciarũ ſociæ triremes, alæque & auxilia cohortiũ. neque multo ſecus in iis virium, ſed perſequi incertum fuit, cùm ex vſu temporis huc illuc mearent, glíſcerẽt numero, & aliquãdo minuerẽtur. *Inſignis & delectabilis locus, iis quidem qui animo intueri & concipere nõ ſolùm magnitudinem viréſque Romani imperij, ſed & ordinem diſpoſitionémque volũt. Habet igitur vigintiquinq; legiones hic in prouinciis (adnumera:) præter cohortes alaſq; ſociales, & claſſes. Habes in ipſâ Italiâ legiones duas cla-*

A ſtu as Ravennatem & Miſenatem, præter copias Forojulienſes: & in ipsâ vrbe duodecim cohortes, ferè millenarias, id eſt legionum item inſtar duarum. Sed de Sociis, excuſat quod non numeret, quia aliquando, inquit, hic illicque erant; & numero maiores aut minores. Tamen certum eſt, haud infra ciuiles copias fuiſſe, ex priſco illo & perpetuo ritu quo Socij æquabant; & ex Taciti hic aſſertione, haud multo ſecus in vsu virium fuiſſe: quod eſt, haud minus. Fuerunt igitur tunc ciuiles copiæ, legionum circiter triginta, quæ eſſent (in legionem quinque millia ſumendo) centum quinquaginta millia hominum: Adde Socios tantundem. Is modus tunc virium, nec aliter ferè Dionis æuo, & hic verbis. Nam numerat ſuperfuiſſe nouemdecim ex Auguſteis, & alias deinde nouem B acceſſet. At, quod mireris, Agathias Scholaſticus copias iſtas immenſum auget. Nam cùm Hunnorum irruptiones Iuſtiniani æuo, in Thraciam Græciámque denarrat & deplorat: culpam conijcit in copiarum paucitatem, quas Principes tunc alebant. Τὰ γὰρ (inquit libro quinto Hiſtoriæ) τῶν ῥωμαίων στρατεύματα οὐ τοσαῦτα διαμεμενηκότα ἐς ὅσα τὴν ἀρχὴν ὑπὸ τῶν πάλαι βασιλέων ἐξεύρηντο, ἐς ἐλαχίστην δέ τινα μοῖραν περιελθόντα, οὐκ ἔτι τῷ μεγέθει τῆς πολιτείας ἐξήρκουν. δέον γὰρ εἰς πέντε καὶ τεσσαράκοντα καὶ ἑξακοσίας χιλιάδας μαχίμων ἀνδρῶν τὴν ὅλην ἀγείρεσθαι δύναμιν, μόλις ἐν τῷ τότε εἰς πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν περιεστήκει. καὶ τούτων αἱ μὲν ἐν ἰταλίᾳ ἐτετάχατο, αἱ δὲ κατὰ τὴν λιβύην, ἕτεραι δὲ ἐν σπανίᾳ καὶ ἄλλαι περὶ τοὺς κόλχους, καὶ ἄλλαι κατὰ τὴν ἀλεξάνδρου καὶ θήβην τὴν αἰγυπτίαν. ἐνῴκηντο δὲ ὀλίγοι καὶ πρὸς τὰ ἑῷα τῶν περσῶν ὅρια, οὐ γὰρ δήπου ἔδει ἐκεῖσε πλειόνων, διὰ τὰς σπονδάς: Romanorum enim copiæ non tantæ iam permanſerant, C quantæ ſub prioribus olim Principibus fuerant, ſed ad minimam quandam partem redactæ, non iam vltrà magnitudini imperij ſufficiebant. Cùm enim ad ſexcenta & quadraginta quinque millia virorum militarium, vniuerſas copias colligere oporteret; vix tùc in centum quinquaginta millibus conſtabant. Atque harum aliæ in Italiâ locatæ erant, quædam in Libyâ, item in Hiſpaniâ; aliæque circa Colchos, & aliæ circa Alexandriam & Theben Ægyptiacam. Conſidebant & paucæ ad Orientales Perſarum limites: quia pluribus nondum opus ibi erat, ob fœdera & pacem. En tibi & hic breuiter ſtatum imperij, cuiuſmodi ſub Iuſtiniano, & circà fuit. Sed quod ait de tam immenſis olim copiis: quando id fuit? non Auguſti, D aut Dionis etiam æuo, id eſt ſub Alexandro Seuero: imò nec Traiani, cùm florentiſſima (quod ad militiā) videtur fuiſſe res Romana. Nā columella in Italiâ Romæ exſtat in ipſo Capitolio, vbi nomina & numerus tunc legionum. Sunt in vniuerſum viginti nouem, ſic deſculpta.

NOMINA LEG.

II. AVG.	II. ADIVT	IIII. SCYTH
VI. VICTR	IIII. FLAV	XVI. FLAV
XX. VICTR	VII. CLAVD	VI. FERR
VIII. AVG	I. ITALIC	X. FRETE
XXII. PRIM	V. MACED	III. CYREN
I. MINER	XI. CLAVD	II. TRAI
XXX. VLP	XIIII. GEM	III. AVG
I. ADIVT	XII. FVLM	VII. GEM
XIII. GEM	III. GALLIC	III. ITALIC
I. PARTH	II. PARTH	III. PARTH

E Sic Capitolinus cippus: cui adſimilis alter apud Maffæos, niſi quod verſu antepenultimo tres iſtas etiam inſerit:

X. GEM	XV. APOL	II. ITALIC

Sed nec ſic lōgè ſupra triginta. quem numerum velut ſollemnem etiam Fauorinus ioco vſurpat apud Spartianum in Hadriano: arguentibus amicis, malè eum cedere Hadriano de verbo quod idonei auctores vſurpaſſent. Non rectè, inquit, ſuadetis amici, qui non patimini illum me doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones. Nec aliter reperio, niſi quod in lapide quodam priſco: L. SERGIVS. L. F. LEPIDVS. AED. TR. MIL. LEG. XXXX. Vbi quadrageſima legio exprimitur, non ſine mendi ſuſpicione niſi ſi per bella ciuilia ſic fuit. Sed in Dione iā pergamus. Ait amplius:

„ Legio ſecunda Auguſta.] Sic dicta quòd ipſe eam legiſſet; ſiue etiam per honorem, quaſi eo digna. Lego in Dione eodem, Legionem tertiam Auguſtam vetitam hoc cognomine amplius vti, quòd ignauiter ſe geſſiſſet. Ita in rebus Auguſti, lib. LIIII. Sed cùm tres fuerint hoc cognomine: de quā, ignoro. Amplius:

B „ Gallica cognomento.] Dio hic γαλατικὸν dixit: at ipſa Latina voce τὸ τρίτον στράτευμα τὸ γαλλικόν, in Eclogis Fuluianis. Hæ tales autem agnominatæ videntur à locis Hibernorum.

„ Quinta Macedonica.] Ita & in marmoribus aliquoties reperio. tametſi in Tacito eſt Quarta. Libro III. Hiſt. acie Vitellianâ, Quartam Macedonicā dextro cornu locat: ſed reſcribendum fortè Quintam.

„ Cognomento Victrix.] in Græco eſt, Victorium, τῶν νικητόρων: & eſt in Ammiano Legio Victorū, ſed nouella magis: atque illa vetus cognomen Victricis habuit, quod lapides docent. „ Ferrata.] Dicta, vt videtur, ab armorum præſtantiā, & quæ tota è ferro. Fuit & FRETENSIS, freto aſſita, in lapidibus. „ Ita enim hæ duæ legiones à Claudio.] Nec Claudiæ ſolùm dictæ, ſed Piæ, Felices. quod ipſe Dio in Claudio ita C ſcribit: Iuſſit duas legiones, Septimā & Vndecimam, Claudias, & Fideles, & Pias, etiam à Senatu agnominari. Sed poſtremis his cognominibus video & alias gaudere. vt in lapide. SCHOLA. SPECVLATORVM. LEGIONVM. I. ET II. ADIVTRICVM. PIARVM. FIDELIVM. SEVERIANARVM. In alio: PRIMIP. LEG. X. GEM. PIÆ. FIDELIS. Ratio collaudandi priſca, & in Liuij XXV. Viginti millia armatorum fortia, fidelia. „ Duodecima Fulminatrix.] Itaque vetus hoc cognomen, & ab inſigni fortaſſe ſcutorum ſumptum. Valerius Flaccus de Biſaltis, lib. VI.

Cuncta phalanx inſigne Iouis, cælatáque geſtat
Tegmina, diſperſos trifidis ardoribus ignes.
D Nec primus radios miles Romane coruſci
Fulminis, & rutilas ſcutis diffuderis alas.

Fortaſſe dixi. quia vulgo videntur fulmen ſic per ſcuta diffudiſſe, quod monumenta priſca oſtendunt. Magis igitur ab impetu, & quòd fulminis in morem rueret, proſterneret. Nam Chriſtiani ſcriptores, etſi conſenſu tradūt, dictam legionem Fulminatricem vel Fulmineam, quæ precibus ſuis fulmen & nimbos ſub Marco Imp impetrauerit: tamen conſtat diu antè cognomen hoc fuiſſe, ſed in legione ſcilicet aliā, & ob aliā cauſſam. Solent autem & alia quædā inſignia ſcutis inſcribere, vt elephantes in Appiano: vt leones, in Claudiano, de Bello Getico:

Neruius inſequitur, meritúſque vocabula Felix,
Dictáque ab Auguſto legio, nomenq; probantes
Inuicti, clypeóque animoſi teſte leones.

E Atque ibi quod eſt de Felice; in Aureliano Vopiſci Tertia ſic cognominatur: Tecum habebis legionem tertiam Felicem. Amplius:

„ Valens & Victrix dicta.] Sic verti: etſi in Græco eſt, οὐαλέριοι καὶ νικήτορες: Valerij & Victores. Sed certum eſt ita Latinis appellatam, vel ex lapidibus. vt illo, qui Parmæ viſitur: PRÆF. LEG. XX. VALEN. VICTR. Item in Faliſcis: LEG. XX. V. V. interpretari ſic poſtrema hæc oportet.

„ Quā ipsā, vt mihi videtur. Hæc confuſa valdè in Græco, imò & corrupta ſunt. Verba nunc ſonant eandem

illā Vigeſimam eſſe cum ſuperiori. quod falſum eſt. nec ſic nouemdecim *legiones Auguſtaas fecerit, Dioni antea aſſertum, ſed* octodecim *tantùm. Adde, quòd hibernis diuerſa cum fuerint, ipſas oportuit diuerſiſſe. Græcis igitur negatio immittenda eſt, ſignis id curat.* A

» Primam Mineruiam.] *Græce* τὸ ἀθηναΐων στρατιῶτον. *Erraverat Xylāder, qui* Athenienſem *fecerat: & columellæ ſuprà docent. Dicta eſt ab ipsā illā Deā, quam Domitianus eximie coluit, & nomine eius legionem honeſtauit. Simile ante de* Apollineā: *quam ab Auguſto, cui peculiaris ille Deus poſt pugnam Actiacam, probabile ſic dictam. Satis de iſtis: quæ paſſim in Tacito, Spartiano, Capitoline occurrent, pleraque his conſona; interdum cum diſſenſu. Vt in Vopiſci Aureliano,* Tribunus *ille ſcribitur* legionis ſextæ Gallicanæ, apud Maguntiacum: *quæ aut diuerſa eſt à* Tertiā *hic* Gallicana, *aut in hanc reformanda. Talia per te, cui ſtudium, indagaueris ego modum ſerno.* B

DIALOG. VII.

Pagi. 137. c.2 » Ea eſt, Ala] *Dico cornu Sociorum* Alam *appellatam & quamquam ſatis docui, tamen accedat Vegetij imitatio, qui non ſemel* Alam *pro* Cornu *dixit. vt lib.* III. Dextram alam tuam ſiniſtræ illius alæ iunge: *& ibidem iterat.*

Pagin. 144. d » Nam Vegetius longè in aliam mentem.] *Cuius verba & ſenſum ſuper Centurionum numero atque ordine opera eſt ponere: quia & diuerſa valde a priſcis, & in ipſo intricata. Verba ſunt hæc, lib.* II. *cap.* VIII. C

» Centurio Principis non ſolùm Aquilæ præerat, ſed etiam quattuor centurias, hoc eſt quadringentos milites in prima acie gubernabat. Item primus Haſtatus duas centurias ducebat in acie ſecundā, quem nunc Ducenarium vocant. Princeps autem primæ cohortis centuriam ſemis gubernabat. Item ſecundus Haſtatus centuriam ſemis, id eſt, centum quinquaginta homines. Triarius prior centum homines gubernabat. Sic decem centuriæ cohortis primæ à quinque Ordinariis regebātur, quibus magnæ vtilitates & magnus honor eſt à veteribus cōſtitutus. Erant & centuriones, qui ſingulas centurias curabāt, qui nunc Centenarij vocantur. Secunda cohors habebat Centuriones quinque, ſimiliter tertia, & quarta vſque ad Decimam cohortem. In totā autem legione erant Centuriones quinquagintaquinque. D

Iſta Vegetius. & ponit in ſingulis cohortibus Centuriones quinque: ergo quinquaginta *in vniuerſum. At enim* quinquagintaquinque *in fine numerantur. Falsò, & induxit Modeſtus qui* decem *in prima coborte recenſuit, ſed præter verum & Vegetij claram mentem. Sunt igitur pauciores denis, quàm olim. hoc ideò quia non iam manipuli, vt olim: & in quoque bini: ſed centuriæ, & cohortes: & in quaque cohortium, quini centuriones. Prima autem cohors plenior: ſed tamen idem numerus, ſed plures centuria vni. Ipſa verba iam perluſtro. Ait:*

» Quattuor Centurias in primâ acie gubernabat.] *Planè præter morem veterem, idq; dupliciter. Quod & quattuor, cùm olim non niſi vnam; & quòd in primâ acie, cùm ille in extremâ.* E

» Primus Haſtatus duas centurias.] *Iſte Primo pilo ſubiungitur, & dignior habetur Principe primo. Non aliter ex Vegetio dixeris; vel claro indicio, quòd duas centurias etiam habeat, cùm alter non niſi vnam ſemis. Itaque comparatur cum Haſtato ſecundo. Omnia hæc noutia, & ab ordine atque armis immutatis nata. Nam Haſtati iam inter firmos, & qui contis pugnabant.*

» Triarius prior.] *Ecce hic inter vltimos ſuæ cohortis, re & nomine dignitatis nouo.*

» A quinque ordinariis regebantur.] *Hoc mihi nota, ſic vocatos communiter quinque illos primæ cohortis centuriones. Vegetius Capite anteriore:* Ordinarij dicuntur, qui in prœlio primos ordines ducunt. *Vopiſcum an non ſic intelligam in Bonoſo?* Militauit primùm inter ordinarios, deinde inter equites. *Et magis certe Capitolinum in Clodio Albino:* Sæpè & ordinarios Centuriones in crucem tulit. *Alio ſenſu iſta vox in Feſto, & Catonis ibi verbis:* In eā oratione quam ſcribit de ſuis virtutibus, contra Thermum. Quid mihi fieret, ſi non ego ſtipendia in ordine omnia, ordinarius meruiſſem ſemper? Sunt quidam qui manipularem, eum qui infimi ordinis ſit, appellatum credant Ordinarium. *Non ego Feſte, & puto mentem Catonis, ſeſe nullā ambitione aut gratiā in contuberniis Imperatorum, extra ordinem & immunem, militaſſe: ſed ſemper inter alios. Frontinus ita.* Q. Metellus Conſul, quamuis nulla lege impediretur, quia filium contubernalem haberet, maluit eum in ordine merere.

DIALOG. XII.

» Color in Imperatorio eximius, è cocco.] *Huc traho Cæſarianum illud, Commētario ſeptimo.* Accelerat Cæſar, vt prœlio interſit. eius aduentu ex colore veſtitus cognito, quo inſigni in prœliis vti conſueuerat, hoſtes committunt prœlium. *Etſi an germana illa Cæſaris, quis cui naſus eſt non dubitet? Quid enim opus monere* inſigni colore vſum in prœliis, *cùm id fuerit vulgatiſſimi moris? Sed hoc & alia pro Celſi ingenio diffuſa aut mixta ſunt, & parùm in totis illis Commentariis meri.* Pagin. 148 b,a

ANALECTA
LIB. III. DIAL. I.

» Rorarij, Accenſi.] *Lubet hoc ſemel aperire, quia poſtea etiam iteramus. Eſt igitur commune nomen leuis armaturæ,* Ferentarij. *Salluſtius vſurpauit in Iugurthino.* Poſtquam eò ventum eſt, vnde à ferentariis prælium committi poſſet. *Explicat Feſtus:* Ferentarij in bello auxiliares, à ferendo auxilio dicti, vel quia fundis & lapidibus pugnabant, quæ tela feruntur, non tenentur. *Poſterius etymon verius videtur, & eſt Varronis:* Ferentarij, *inquit,* equites dicti qui ea modò habebant arma quæ ferrentur, vt iaculum. Huiuſcemodi equites pictos vidi in Æſculapij æde vetere, & Ferentanos adſcriptos. *Sunt igitur Varroni leuiores equites & iaculatores, etiam Ferentarij: etſi alij ad pedites ferè adſtringunt. Id genus olim in Romanā militiā duplex,* Rorarij *&* Accenſi. *Liuius vtroſque ſic recenſet, & locis etiam ordinibúſque diſiungit in pugnā cum Latinis. Feſtus de prioribus:* Rorarij qui è leui armatura primi prælium committebant, quòd vt ante imbrem ferè rorare ſolet, ſic illi ante grauem armaturam prodibant. *Et ait diſertim,* produſſe ante graues: *quod etiam Liuius indicat, dum ait* inter Antepilanos procurriſſe, & vires addidiſſe Haſtatis Principibúſque. *Moneo ſedulò, quia idem Liuius (loco dicto, id eſt libro octano) in fine & tergo agminis vtrumque genus collocauerat, ſed cum hoc ſenſu, vt ibi ſtarent, donec pugna cœpta, tum procurrerent, & eminus inter ordines pugnarent. Ad eum ipſum ſitum Lucilium ſpectaſſe videtur,*

Ponè paludatus ſtabat rorarius velox.

Malè veles reponunt. & eſt diſtinctum hoc genus. Ponè igitur ſtabāt, id eſt poſt Triarios. Hæc vox corrupta leniter

in Sym

A *in Symmacho, qui amat Plautina & veteri inſpergere, epiſtola* XLVII. *lib.* VIII. Soles in ſcribendo eſſe præfixus, pro ingenij tui viribus. Poſtquam te honor aulicus in procinctum vocauit, tu quoque verba ſuccingis. Tanquàm leuis armaturæ miles rorarius æmulans. *Scribo,* rorarios, *& explico. facis quod Rorarij olim, pauca quaſi verborum tela iacis & laceſſis, mox te ſubducis, & poſt Triarios ſiſtis. De ijsdem Gloſſa:* Rorarij ἀκροβολισταί. *Genus alterum,* Accenſi: *quos Plautus quoque à Rorarus diſcernit, in fragmento apud Varronem:*

Vbi rorarij eſtis? en ſunt. vbi accenſi? ecce.

Feſtus diffuſe ſatis explicat, & nonnihil confuſè: Adſcriptitij velut quidam ſcripti dicebantur, qui ſupplendis legionibus adijciebantur. hos & Adcenſos dicebant, quòd ad legionum cenſum eſſent adſcripti. quidam Velatos, quòd veſtiti inermes ſequerentur exercitum. nonnulli Ferentarios, quòd fundis B lapidibúſque prœliaturi, ea modò ferrent quæ in hoſtes iacerentur. alij Rotanos, quòd id genus hominum, priuſquam acies coirent, in modum rorantis tempeſtatis dimicarent. *Varia promit, vera aut iuxta verum. Vera, de Adſcriptiuis & Accenſis, qui iidem videntur, aut ſimiles: de Velatis & Ferentariis, conuenit etiam in alios: de Rorarus, fallit, nec ſunt iidem. Sanè de Adſcriptiuis etiam Varro:* Adſcriptiui dicti, quòd olim adſcribebantur inermes, qui ſuccederent armatis militibus ſiqui deperiſſent. *Simile Feſtus loco alio:* Adcenſi, qui in locum mortuorum militum ſubitò ſubrogabantur, dicti ita quia ad cenſum adijciebãtur. *Et Plautus:* — extra numerũ es mihi, PEN. Idẽ hoc aliis adſcriptiuis ad legionẽ fieri ſolet. *Itaque* C *omni ſententia ſupernumerarij & extraordinarij, quod tamẽ è Liuio minime dixeris, qui & Ordines dat, & numero certo legionibus miſcet. Vidi qui vellent eos armatos pariter vt Graues fuiſſe, hoc argumento: quòd in Liuio ſcribitur,* Manlium accenſos ab nouiſſimâ acie ante ſigna procedere iuſſiſſe. Qui vbi ſubiẽte, extemplo Latini, tanquam idem aduerſarij feciſſent, Triarios ſuos excitauerunt. *Qui enim, inquiunt, impoſitum ita Latinis, niſi armorum & aſpectus paritas fuiſſet? At negamus ita eſſe, & Vegetius mecum libro* III. Quibus ſcuta deerant, ſiue lapidibus manu iactis, ſiue miſſilibus, in

A hoc ordine dimicabant: quos Accenſus, tanquam iuniores & poſteà additos vocabant. *Videsne Scuta quidem habuiſſe, & fundis aut iaculis modò pugnaſſe. Sed & Feſtus ſuprà inermes poſuit, & veſte ſolà velatos Quid ipſe Liuius?* minimæ fiduciæ *hanc* manum *appellat, & infra ipſos Rorarios ponit. Apage igitur de Armis. Nec ea conſpecta Latinis impoſuerunt à ſimilitudine aliqua; ſed ipſe motus & progreſſus nouæ manus, vt oculi & ſenſus facilè falluntur in puluere illo campeſtri. Adde, quod iacula fortaſſe primi prætenderint, velut Triariorum haſtas. Iſta de vtroque genere: quod deſiiſſe natis iam Velitibus dixi ſed poſteà tamen iterum in Funditoribus & Sagittariis quaſi reſurrexiſſe. Nam Romani, promoto iam imperio, ſocijs in ciuitatem acceptis, prouinciis variis ſubiectis, Velites è ſuis ſcribere omiſerunt: eorum loco vſi funditoribus, ſagittariis, iaculatoribus,* B *quos Baleares, Cretenſes, Numidæ, & id genus nationes ſubminiſtrarent. Itaque poſtea crebra horum iterum mentio: qui tamen inermes fuère plurimùm, vt illi priſci. Suidas hoc adſpectu verè ſcripſit:* Οἱ ῥωμαίων ψιλοὶ ἐφαπτίδας εἶχον, καὶ ζώματα πρὸ τῶν μηρῶν: Romanorum leues milites ſagula habebãt, & cingula ſuper femora. *Talem ego deſcriptum aut deſculptum potiùs Funditorem agnoto, in monumento vetere: qui ſagulo aut chlamydula reducta, lapides ſinu præfert. Tamen & alium etiam diligentiùs paullo ornatum, cui Galea, Scutũ lunatum, & Ocrea. Raros fuiſſe tales credo etſi tamen in Suida etiam ſcriptor aliquis:* Οἱ ῥωμαίων ψιλοί, ἕκαστος αὐτῶν εἶχον ἐφαπτίδας, καὶ κνημῖδα τε καὶ λογχάριον, καὶ ἀκόντιον διόλου σιδήρῳ πεποιημένον: Romanorũ leues ſagula habe-C bant quiſque, & ocreã (*nota ſingulariè * vnã*) & lanceam, & iaculũ totum è ferro. *Sed id aut inferiore alio æuo fuiſſe debuit aut in facinore aliquo & expeditione ſemel ſic vſurpatũ. De Sagulo quidem, etiã Lucillius ſuprà docuerit, vbi* paludatus rorarius *dicitur, ſic ornatus.*

* Sic & in alterâ figuratum hic obſerues Adde quę de Ocreis. Pag. 112. d.

» An & Cæſaris, atque illo æuo.] *Noto Cæſarem diſcrimen ponere inter* Leues, *itémque* Sagittarios & Funditores. *vt* III. *Ciuil.* Primùm ſagittariis funditoribúſque circumiectis, poſteà leuis armaturæ magnâ multitudine miſsâ. *Iterum alibi:* Magnum numerum leuis armaturæ & ſagittariorum. *Sunt ergo* Leues *ii, niſi fallor, Iaculatores:*

10



Pag. 111.b „ Afrorum pleraque ſcuta ſic fuiſſe.] *Quæ dicebant* Cetras, *aut* Citras: *vtramque enim ſcripturam inuenio. Virgilius:*

Læuas cetra tegit, falcati cominus enſes.

A *Et in Appian Lybico, Maſaniſſa rex geſtat* ἐλεφαντίνην, *id eſt* ſcutū è corio elephanti: *quod haud dubie firmū, nec facile penetrari. Quid hodie Mauri? nónne vſum ſeruāt, & habent lorea iſta ſcuta, ſed mauuſcula & formata fere in cor humanū? Atque ea calare aut pingere variè ſolent. quod etiam olim factitatum Silius indicat, libro* III.

Verſicolor contrà cetra, & falcatus ab arte
Enſis Adyrmachidæ.

Verſicolorem enim appellat, à variante hac picturâ. Britannis etiam Tacitus hæc ſcuta tribuit, & pugnare eos facit ingentibus gladiis, breuibus cetris. *Oſtendit paruas fuiſſe: cuiuſmodi & Hiſpanorum, qui vel maxime iis vſi. Strabo de Luſitanis*: Ἀσπίδιον δ' αὐτοὺς δίπουν ἔχειν τὴν διάμετρον φασὶ, κοῖλον εἰς τὸ πρόσθεν, τελαμῶσιν ἐξηρτημένον: Clypeolum eos habere dicunt bipedali diametro, cauum antrorſus, loris ſuſpenſum. *Sed & in*

B *Diodoro Siculo etiam paruitas expreſſe valdè ingeritur, de iis ipſis*: Φοροῦσι δὲ ἐν τοῖς πολέμοις πέλτας μικρὰς παντελῶς, διαπεπλεγμένας νεύροις: Ferunt peltas in bellis omnino paruas, neruis intertextas. *Atque hæc addit ſcite eos, contra ictus aut tela incidentia, circumferre: quod idem in Velite noſtro eſt ſuſpicandum. Itaque leuitatem iiſdem Curtius iure tribuit, libro* III. Armati bipennibus leuibúſque ſcutis, cetræ maximè ſpeciem reddentibus. *Et in Suidâ legas*: Ὁ δὲ θυρεὸς τῶν Ἰβήρων εὔφορος: At ſcutum Hiſpanorum geſtatu facile. *Sed erat etiam in Diodori verbis*, è neruis eas textas: *quod hodiéque fieri didici in Hiſpaniâ, minimine ſatis firmo.*

C *Simile, quod Strabo quoſdam Luſitanorum*, νευρίνοις κράνεσι, Neruinis galeis *vti ſcribit. Capimus Tacitum igitur, qui de Germanis, eorúmque arma abiiciens*: Ne ſcuta quidem ferro neruóve firmata: *& oſtendit neruos ſolere intexi aut attexi, ſortes & durantes in ictū. Hiſpani itaque cetris vſi, nec tamen omnes. Cæſar quidem diſtinguit Commentario* I. *Ciuil.* Præterea ſcutati citerioris prouinciæ, & cetratæ vlterioris Hiſpaniæ cohortes. *Pro iam dictis diſtinguit, & Luſitanis finitimiſque dat cetras; aliis, qui Gallis viciniores, ſcuta. Eaipſa, facit etiam Gallicana, ex Liuio, libro* XXII. Gallis Hiſpaniſque ſcuta eiuſdem formæ fermè erant, diſpares gladij. *Idem Polybius, libro* III. Τῶν δὲ Ἰβήρων καὶ Κελτῶν

D ὁ μὲν θυρεὸς παραπλήσιος: Hiſpanorum & Gallorum ſcutum quidem adſimile. *Sed hoc vniuersè haud verum (qui poteſt? Gallorum ſcuta longa, Luſitanorum cetra breues:) ſed dumtaxat de Celtiberis, & confinibus eorum. Vlteriores, inquam, cetris; citeriores magis vſi ſcutis. Dixerat clarè Cæſar, poſteà reuocat. & eodem libro ſequitur*: Hos leuis armaturæ Luſitani, peritique earum regionum cetrati citerioris Hiſpaniæ conſectabantur. *Quid definiam? mutare, ſi auſim, & ſcribere* cetrati vlterioris. *Niſi ſi alio adſpectu* citeriore *mihi dicis, quod poteſt. Addo, Hiſpanos qui cetris vſi, pulſaſſe eas rythmicè, & cum cantu ſaltúque hoſtem ſic inuaſiſſe. Mira & laudanda alacritas in periculo, viribúſque attollendis. Silius* III.

E ——miſit diues Gallæcia pubem,
Barbara nunc patrii, vlulātē carmina linguis,
Nunc pedis alterno percuſſâ verbere terrâ,
Ad numerū reſonas gaudētē plaudere cetras.

Idem X.

——ac ritu moris Iberi
Carmina pulſatâ fundentem barbara cetrâ
Inuadit.

Diodorus pariter: Ἐν δὲ τοῖς πολέμοις πρὸς ῥυθμοὺς ἐμβαίνουσι, καὶ παιᾶνας ᾄδουσιν, ὅταν ἐπίωσι τοῖς ἀντιτεταγμένοις: In prœliis ad rythmos incedunt, & pæanas cantāt. cùm inuaſuri ſunt oppoſitos. *Nónne penè Laconū ritus reſpondet, qui ad tibia & numeros ingreſſi & congreſſi? Et de cantu ac ſaltatione, etiā Gallos Germanóſque ſcio adhibuiſſe. Hæc de Cetrâ, quæ paullo aliter in Gloſſis optimis explicatur*: Κάτρις λῃστρική, citra. *Ita enim ſcribitur, quaſi velint* Latronū *fuiſſe id ſcutū. Pro* Peltâ *paſſim etiam ſumunt, & pro eâ Latini reddunt. vt Liuius, libro* XXXI. Nocte cetratos, quos peltaſtas vocant, in inſidiis abdiderat. *Vt contra Plutarchus, qui* cetratos *Luſitanorum*, πέλτας *ἐς Græce conuertit. Nā vt ait idem Liuius, libro* XXVIII. Pelta cetræ haud diſſimilis eſt. *Et de communi quidem Græcorum Peltâ hoc accipio, de quâ in occaſione iſtâ dicam. Inuentum eius ab Iphicrate. vt Æmilius Probus in eius vita.* Cùm ante illum Imperatorem maximis clypeis, breuibúſque haſtis, minutis gladiis vterentur; ille è contrario Peltam pro Parmâ fecit, à quo poſteà Peltaſtæ pedites appellati, vt

B eſſent ad motus concurſúſque leuiores. *In quibus verbis notes*, Parmam, *eum reddere* τὴν ἀσπίδα, *aſpicientem ſcilicet non ad modum, ſed ad rotundam formam. Alioqui (mox dicam) ipſa* Pelta *Latinis, creberrimè* Parma. *Sed de inuentore illo etiam Diodorus libro* XV. Τῶν Ἑλλήνων μεγάλαις ἀσπίσι χρωμένων, καὶ διὰ τοῦτο δυσκινήτων ὄντων, συνεῖλε τὰς ἀσπίδας, καὶ κατεσκεύασε πέλτας συμμέτρους: Græcis anteà magnis clypeis vtentibus, & ob id ad motus parùm aptis, ipſe contraxit eos, & effecit modicas Peltas. *Hoc ita Iphicrates, & ob cauſſam dictam: contrà Philopœmenes poſteà, qui grandiores clypeos reduxit, & ſpreuit Peltas. In vita eius apud Plutarchum leges: & hoc quoque feciſſe eum* μόνιμον καὶ βεβηκυῖαν μᾶλλον ἀντὶ δρομικῆς καὶ πελταστικῆς: ſtabi-

C lem & gradu progredientem, pro curſoriâ illâ & peltaſticâ. *Hæc Græcorum Pelta, formâ, niſi fallor, haud longè à Romanâ & velitari parmâ: etſi fortaſſe haud vſquequaque ſic rotunda. Profero dubiè. quia iam dicta hoc euincere videntur, alia abnuere & contrà ire. vt apud Suidam*: πέλται, ἀσπίδια τετράγωνα: Peltæ, clypei quadranguli. *Apud Thucydidis Scholiaſtem*: Πέλτη, ἀσπὶς τετράγωνος: *Itaque hæreo: etſi Plutarchus etiam rotundam facere videtur in Numâ, vbi de Ancilibus.* Κύκλος γὰρ οὐκ ἔστιν, *inquit*, οὐδὲ ἀποδίδωσιν, ὡς πέλτη, τὴν περιφέρειαν, ἀλλ' ἐκτομὴν ἔχει γραμμῆς ἑλικοειδοῦς: Non enim circuli formâ ſunt, nec reddunt, vt pelta, circumferentiam, ſed inciſionem habent lineæ flexuoſæ.

D *Omnino parum claret mihi de communi Græcanicâ Peltâ: magis de* Thraciâ, *quam reperire eſt crebrò. Imò propriè velut iſtis adtribuiam. vt in Heſychio*: πέλτη, Θρᾳκικὸν ὅπλον: Pelta, Thracia armatura. *Latini* Parmam *ferè reddunt. & eſt in Gloſſis*: Parma, Θρᾳκικὸν ὅπλον. *In Feſto*: Thraces gladiatores, à ſimilitudine Thraciarum parmularum. *Iis enim gladiatores certi Romæ armabantur. Martialis:*

Hæc quæ ſæpè ſolet vinci, quæ vincere rarò
Parma, tibi ſcutum pumilionis erit.

Non ipſe parmularius, nec Thracū fautor; eóque illudit obiter iis, & ſimul oſtendit paruam fuiſſe, & velut ſcutum pumilionis. De eâ paruitate in omni Peltâ, opinor, ſenſit Statius, libro VII. *cùm dixit,*

Sæuáque difficiles excludere vulnera peltas.

E *Sed quæ forma huius? an quæ communis illius? minimè, nec opus fuiſſet agnominatione diſcernere. Ad ancilia acceſſit, etſi lateribus minus, niſi fallor, incuruis aut reductis. Acceſſiſſe quidem Dionyſius ſatis indicat, cùm Saliis adſignat* πέλτην Θρᾳκίαν, peltam Thraciam: *quos pro comperto eſt ancilia geſtaſſe. Pergit etiam deſcribere*: ἡ δ' ἐστὶ ῥαβδωτῷ θυρεῷ, στενωτέρας ἔχοντι τὰς λαγόνας, ἐμφερής: Ea verò eſt virgato ſcuto, quod latera arctiora habeat, adſimilis. *Atqui Ancilia à Pelta abiunxit ſuprà Plutarchus. Scimus, ſed à communi: nec eam vult omnino repræſentaſſe. Porrò Ancilia cuiuſmodi, ab Fe-*

ſtum



ſtum qui doceat: tum etiam vide hunc ab antiquitate Nummum. Sed amplius etiam aliquid in Thraciâ Peltâ noto. non fuiſſe videlicet ſic inciſas tantùm, ſed etiam leuiter ſinuatas & introrſum curuantes. Planas, inquit, non fuerunt. Id colligas è Plinianis iſtis, libro XXXIII. *de Speculis:* Multúmque refert, vtrùm concaua ſint, & poculi modo, an parmæ Threcidicæ. *Faciunt differentiam in aſpectu, inquit, ſpecula, plana & concaua utrumq́; concaua, ſiue vt poculum protuberantia extrorſum, ſiue vt parma Thracia, introrſum. Eſtne illa mens, an de cauitate aliâ poculi aut ſcyphi ſentit: ſed tamen diſſimili à cauitate parmæ. Hæc iti poſita, ſed timidiùs: magis certò adfirmare habeo de Amazonicâ Peltâ. Ea enim & à prioribus diſtincta. Virgilius nominat:*

Ducit Amazooidum lunatis agmina peltis.

Et Seneca Tragicus: ——lunatâ latus Protecta peltâ. *Iſidorus:* Pelta, ſcutum breuiſſimum in modum lunæ mediæ. *Nota in eo pariuntem obiter: & ſpeciem, quæ eſt dimidiata luna. Satin' certò? nec aliud diſcrimen? Imò eſt, nec leuiter debebat ſic defungi. Poeta, qui lunatas dicunt, excuſandi ſunt ſi non magis exprimunt, nec commodè poſſunt. Ego faciam, & didici ex lapidibus aut monumentis priſcis, bilunem fuiſſe hanc Peltam id eſt, duplici ſemilunâ inſignem. Hoc cùm marmor quoddam in Pontificis hortis docet, vbi Amazonum pugna expreſſa, & cum eiuſmodi ſcutis: tum clarè Marcianus Capella, libro* VI. *qui partem Italiæ extremam, quæ Brutios habet,* læuorſum ſe flectere *ſcribit;* & duobus promontoriis peltæ Amazonicæ formam reddere: dextro autem cornu Leucopetram tendere, læuo Lacinium. *Adi, ſodes, vel Ptolomæi vel alias tabulas, videbis duplicem ibi ſinum reddi, cum medio diſcrimine & eminentiâ, vti in formis ſubiectis reddo. Dicit quidẽ ibidem paullo antè Capella,* Italiam lunatam & quodã hemicyclo in promontorium memoratum (*Brutiorum*) circumferri. *Sed ne imponat, ſemicirculi igitur ſimplicis formâ Peltam eſſe: alius enim ibi adſpectus, & ſinum totum reſpicit qui Brutios à Salentinis ſeiungit, ſiue etiam extremum Brutiorum litus. Vtrumque eſt tale: ac noſtra hæc Pelta, ſic in dicto marmore expreſſa.*





Item altera ſuprà pariformis, ſed paullò magis diffuſa, in Funditore quem dedimus: denique & pluſcula in Notitiâ imperij, inter inſignia quibus numeri aut cohortes vſa. vt VESONTES, MENAPII, *aliiq́. Nec plura nunc de Peltis, niſi quòd moneo è collo pependiſſe loris: quod etiam Strabo in Cetris dixerat ſupra. Plutarchus in Æmilio:* Τῶν μακεδόνων τὰς πέλτας ἐξ ὤμων περισπασάντων: Macedonibus peltas ex humero detrahentibos, & demittentibus. *quod fiebat, cùm aptarent ſe pugnæ. Talia & Xenophon de Thracibus fugientibus, lib.* VII. reteciſſe Peltas io dorſum.

DIALOG. II.

» Anſa remanſerat ſola.] *Vnam Anſam nominat; atqui duæ plerumque fuêre in ſcuto grandiore. Græci* ὄχανον *dicunt, à tenendo. Euſtathius:* Ὄχανον, τὸ τῆς ἀσπίδος κράτημα. *Herodotus id inuentum Caribus aſſignat lib.* I. Καὶ ὄχανα ἀσπίσι οὗτοί εἰσι οἱ ποιησάμενοι πρῶτοι. τέως δὲ ἄνευ ὀχάνων ἐφόρεον τὰς ἀσπίδας, τελαμῶσι σκυτίνοισι οἰηκίζοντες περὶ τοῖσι αὐχέσι τε, καὶ τοῖσι ἀριστεροῖσι ὤμοισι περικείμενοι: Anſas ſcutorum hi ſunt qui primi fecerunt. Eouſque enim ſine anſis ferebant clypeos, vinculis è loro ſuſpendentes circa collum, & humeris ſiniſtris circumponentes. *E ferro iſtas facit Suidas:* Πόρπαξ, ὁ δεσμὸς τῆς ἀσπίδος. οἱ δέ φασι, τὸ σιδήριον μέσον τῆς ἀσπίδος ἐνδύεσθαι, ὃ κρατεῖ τὴν ἀσπίδα ὁ στρατιώτης: Porpax, lorum quo ſcutum ſuſtollitur. vt alij dicunt, ferrum paruum quod ſcutum medium tranſit, & quo tenet ipſum miles. Pagina 335.c

» Germani habuêre.] *Quorum ſcuta grandia, vti & Gallorum. Tacitus:* Immenſa ſcuta, enormes haſtæ. *Sed de longitudine id maximè capiendum. vt de Gallis Diodorus:* Θυρεοῖς χρῶνται ἀνδρομήκεσι, πεποικιλμένοις ἰδιοτρόπως: Scutis vtuntur ad hominis longitudinem, pro cuiuſque ingenio pictis. *Virgilius de iiſdem:* Pagina ead. o.a

——ſcutis protecti corpora longis.

Et Ouidius VI. *Faſtorum:*

Iacta ſuper galeas ſcutáque longa ſonant.

» *Strabo:* Θυρεὸς μακρὸς, καὶ λόγχαι κατὰ λόγον: Scuta longa, & lanceæ ad proportionem: *Sed longa tamen magis quam lata ex Liuio clare, lib.* XXXVIII. Scuta longa, ceterùm ad amplitudinem corporum parùm lata, & ea ipſa plana, malè tegebant Gallos. *Polybius hoc ipſum libro* III. Τὸν γαλατικὸν θυρεὸν μὴ δύνασθαι τὸν ἄνδρα σκεπάζειν: Scutum Gallicanum, parùm aptum, hominem totum tegere. *Tacitus & alterum illud de planitie indicat, dum ſcribit Germanis fuiſſe pro Scutis,* tenues & fucatas colore tabulas. *Ita iſti: Plutarchus tamen Cimbris Theutoniſq́; dat* θυρεοὺς πλατεῖς, ſcuta lata. *Sunt nummi ad illam formam:* Pagina 350 c.



» Ferreus vmbo] *Cùm de Vmbone aliiſque accuratè ita Polybius, cur ſilet de ornatu Scuti & picturis? Solent enim Græci, Romani, Barbari varias formas aut colores ſcutis addere; ſiue ad inſigne vt cognobiles eſſent, ſiue ad decorem. Vetus ritus. & quem heroicis quoque temporibus video obtinuiſſe. Plutarchus Vlyſſem ait* Delphina in ſcuto habuiſſe, *libello De ſollertia animalium. Lycurgus* rrideotem *adſignat Palamedi. Herodotus originem rei ad Cares refert libro.* I. Κᾶρες εἰσὶ, inquit, οἱ καταδέξαντες ἐπὶ τὰς ἀσπίδας σημεῖα ποιέεσθαι: Cares ſunt qui oſtenderunt ſigna ſcutis imponere. *Strabo idem libro* XIIII. *&* Ἐπίσημα *ipſe appellat,* Inſignia *ſeu* Notas. *Sequentis aeui multa exempla. vt in Græcis, Plutarchus ſcribit,* eum qui Lyſandrum interfecit, inſigne clypei draconem habuiſſe: eóque oraculum monuiſſe, vt Dracooem vitaret. *Idem de Spartano quodam, qui clypei inſigne Muſcam haberet, vivũ nihilo maiorẽ: cùmque irrideretur ab aliis, quaſi ab ignauia & metu ita faceret, ne hoſti conſpicuus eſſet.* Imò, ioquit, vt agnoſcat. Vique eò enim accedo, vt cernere cominus poſſint ſigni mei modum. *Athenæus de Alcibiade,* ſcutum ex ebore & auro conſe-

Lib. XII. ctum habuiſſe, & in eo Cupidinem pro inſigni, qui brachiis fulmen complecteretur. *Ad poetas ſi abeam, quis ſinis? Ij deos, homines, animantes, alia intexunt, & penè quicquid in rerum naturâ. Sed Romanos videamus. quos vetuſtos Propertius negat ita cultos fuiſſe, libro IIII. eleg. XI.*

Picta nec inducto fulgebat parma pyropo,
Præbebant cæſi baltea lenta boues.

Non vult pro temporis ſui luxu, pyropo ſcuta ornata; ſiue lapide ipſo, ſiue potiùs colore rutilo & flammante. Talis enim in fulmine, quod crebrum valde, & quaſi de more, in Romanis ſcutis. Sed tamen antè de Tatio rege Sabino, idem poeta ſcripſerat:

Pictáque per flauas arma leuare iubas.

Et ſcutum intellegit, in quo iam olim imagines etiam Iuuenalis agnoſcit:

Pendentéſque deos perituro oſtenderet hoſti;

Romulum & Remum de lupâ pendentes: *&* oſtenderet, *nempe admoto ſcuto. Sed & maiorum facta expreſſa. vt de Scæuolâ quodam Silius libro* VIII.

Scæuola, cui duræ cælatur laudis honorâ
Effigie clypeus. flagrant altaribus ignes,
Tyrrhenûm valli medio ſtat Mucius, irâ
In ſemet versâ.

Aut imagines eorum. vt de Scipione Africano idem libro XVII.

Terribilem oſtentans clypeum, quo patris, & vnà
Cælarat patrui ſpirantes prœlia dira
Effigies.

C 

Sed & proprias fortaſſe laudes & facta cælabant: quod liber de bello Hiſpanienſi, etſi parùm integer, ſubiicit, de ſingulari congreſſu inſignium duorum militum: Cùm ad dimicandum in planitiem ſe contuliſſent, ſcutorúmque laudis inſignibus præfulgens opus cælatum. *Quin etiam oculis intueri eſt, & in columnâ Traiani, ſcuta quædam coronis variis ornata. quas equidem donaticas fuiſſe arbitror, & eo indicio latas. Adnotaui & alibi (puto columnâ Antonini) duplicem aquilam, concorporatam ſic vt in imperij inſignibus hodie ſolet. Quà cauſſà? nec enim tunc*

D *duplex illud imperium Orientis & Occidentis: & ſi fuiſſet, non militi priuatim congruebat. Puto indicari, è legione gemellâ fuiſſe. quoniam duæ velut aquilæ in vnam ſic mixtæ. Hæc inſignia aliis etiam gentibus nota. Silius de Saguntino quodam, libro primo:*

Centum angues idem cælatum inſigne gerebat
In clypeo.

Idem libro IIII. de Chryxo quodam, Gallo:

——in titulos Capitolia capta trahebat,

E Tarpeióque iugo, demens, & vertice ſacro
Penſantes aurum Celtas vmbone ferebat.

De iiſdem quidem Gallis etiam Diodorus ſuprà ſcribebat, ſcuta habuiſſe πεποικιλμένα ἰδιοτρόπως: variegata inſigni aliquo proprio. *Bene, de proprio. nam & communia quædam gentibus, legionibus, cohortibus erant: quod in Notitiâ imperij diſces. Item è Vegetio, libro II. cap. XVIII.* Ne milites in tumultu prœlij [illegible] ſuis contubernalibus aberrarent, diuerſis cohorti[illegible] diuerſa in ſcutis ſigna pingebant, vt ipſi vocant [illegible], ſicut etiamnunc moris eſt fieri. *Porrò ab [illegible] alia-ribus nata inſignia & argumenta hæc famil[illegible] quæ in vſu eſſe dicam, an abuſu? Ignauiſſimi vſurpant. & quos meliore iure increpes, quàm ſuum illum Africanus Sci-*

A *pio. qui* cùm ornatum ſcutum (*verba Frontini*) elegantiùs cuiuſdam vidiſſet; dixit non ſe mirari, quòd tantâ curâ ornaſſet, in quo plus præſidij, quàm in gladio haberet. *Iſta de Inſignibus: adde de Inſcriptionibus. Nam & ea Romanis fuit, & ſolitis ferè nomina quædam in iis ſcribere. Primò Imperatorũ, ſub quibus merebãt. Hirtius de bello Alexandrino.* Cn. Pompeio ſe prouinciam recuperare velle præ ſe ferebat. Id quâ mente fecerit, coniecturâ ſciri non poteſt. Certè hoc præ ſe Thorius ferebat: milites adeò fatebantur, vt Cn. Pompeij nomen in ſcutis inſcriptum haberent. *Atque ita Dio Caſſius vt rem nouam ſcribit, Antonium adeò addictum nexúmque Cleopatræ fuiſſe,* vt milites Romanos in ſatellitio haberet, omnéſque in ſuis ſcutis nomen eius inſcripſerint. *Hoc libro L. ſcribit, & alibi (libro* XLVIII.)

B *eundem ritum tangit, de M. Titio. Secundò, Centurionum etiam nomina inſcribebant, atque adeò & ſua. Vegetius loco dicto:* Præterea in aduerſo ſcuto, vniuſcuiuſque militis, literis nomen erat adſcriptum, addito ex quâ eſſet cohorte, quáue centuriâ. *Dio in Domitiano:* Ἰουλιανὸς τά τε ἄλλα τὰ πρὸς τὸν πόλεμον εὖ [illegible], καὶ τοὺς στρατιώτας [illegible] τὰ τῶν ἑκατοντάρχων ἐπὶ τὰς ἀσπίδας ἐπιγράφειν ἐκέλευσεν, ἵνα ἐκφανέστεροι οἱ τι ἀγαθὸν αὐτῶν ἢ κακὸν ποιοῦντες γίνωνται: Iulianus cùm alia benè inſtituit, tum & milites iuſſit ſua & Centurionum nomina ſcutis inſcribere, vt nobiliores eſſent qui ſtrenuum aut ignauum aliquid feciſſent. *Talia igitur & inſignia, & indicia, cùm in Scutis; non mirum ea curiosè cautéque habita, & contra nimbos, puluerem, ſaléſque iniurias tecta. Id Cæſar nos docet, Commentario* II.

C Hoſtiúmque tam paratus ad dimicandum animus, vt non modò ad inſignia accommodanda, ſed etiam ad galeas induendas, ſcutiſque tegmenta detrahenda tempus defuerit. *Vbi* Inſignia *acceperim quibus miles à Centurione, aut inter ſe, diſtinguuntur, & maximè* Criſtas. *Ita enim idem Cæſar Comment.* VII. Cæſar tectis inſignibus ſuorum, occultatiſque ſignis militaribus. *Inſignia à Signis diſparat, & commodè acceperis illa eminentia & conſpecta. Sed ad* tegmenta (*Cæſar palliis ſic appellat*) *vt redeam: idem Plutarchus clariſſimè, in Lucullo. qui cum exiguis copiis in Tigranem iret, cùm rex ille faſtu cæcus fugere eum putaret & iter ingredi;*

D *Taxiles quidam, gnarus Romanæ militiæ,* Ἀλλ' ὦ βασιλεῦ, ἔφη, οὔτ' ἐσθῆτα λαμπρὰν οἱ ἄνδρες λαμβάνουσιν ὁδοιποροῦντες, οὔτε θυρεοῖς ἐκκεκαθαρμένοις χρῶνται, καὶ κράνεσι γυμνοῖς, ὥσπερ νῦν, τὰ σκύτινα τῶν ὅπλων σκεπάσματα περιελόντες. ἀλλὰ μαχομένων ἐστὶν ἡ λαμπρότης αὕτη, καὶ βαδιζόντων ἤδη πρὸς τοὺς πολεμίους: At ô rex, inquit, neque veſtem nitidam viri iſti capiunt iter ingredientes, neque ſcutis ſplendentibus, & nudis galeis vtuntur, vti nunc, cùm coriacea detraxerint armorum tegimenta, ſed reuera pugnaturi eorum hic ſplendor eſt, & in hoſtes iam euntium. *En clarè tibi totum ritum, & cuiuſmodi etiam quáque materie illa tegmenta. Tangit Frontinus* IIII. *Stratag. cap.* I. *de Manio Curio:* Quattuor legiones eduxit armatas, & conſiſtere, omnibus

E detectis armis, velut in acie, iuſſit. *Ante aciem igitur, ſiue in viâ, ſiue in caſtris tegebant. Ioſephus libro* V. *Excidij, cùm Romani, iuſſu Titi Veſpaſiani, luſtrarentur, vt pecuniã acciperent:* Οἱ δὲ, *inquit,* ὥσπερ ἔθος, ἀποκαλύψαντες τὰ ὅπλα θήκαις ἐσκεπασμένα τέως, κατάφρακτοι προσῄεσαν: Illi verò, vt mos eſt, arma ſua detegentes, thecis hactenus incluſa & tecta, vndique armati prodibant. *Sed neſcias, an illic non tam viatoria hæc inuolucra, quàm Armamentarium aut ſimilia repoſiteria intelligat in caſtris: quia nominat* θήκας. *In Cæſare* II. *Ciuilium ſimilis ambiguitas.* Cùm, *inquit*, alius diſceſſiſſet, alius ex diutino labore quieti ſe dediſſet; arma verò omnia repoſita contectáque eſſent: portis ſe foras hoſtes erumpunt. *Et ſanè in Tacito etiam lego, in*

caſtro

caſtro Pretorio recondita arma,nec niſi iuſſu capta. De Othone,1. Hiſtoriarum : Apetire deinde armamentatium iuſſit, capta ſtatim arma, ſine more & otdioe militiæ,vt prætorianus aut legionarius inſignibus ſuis diſtingueretur. *Nota hic quoq; de* inſignibus, *quod prædixi. Cum antè ſic repoſita in vno loco arma,etſi per centurias manipulóſque, opinor, digeſta, non tamen fruſtrà militum nomina inſcripta ſcutis,ne qua fraus vel error in recipiendis. Nam potuit & hic ritus eius eſſe cauſſa. Sed de tegminibus iſtis,breuiter etiam Cicero lib* II. *De naturâ deorum.* Scitè autem Chryſippus. vt clypei cauſſâ inuolucrum, vaginam autem gladij; ſic, præter mundum, cetera omnia aliorum eſſe cauſſâ generata. *Quod cùm è Chryſippo ſumpſerit,liquet Græcis fuiſſe quoque talem morem. In Curtio quidem lego,cum in viâ milites eſſent,* Patronem Græcorum ducem, præcepiſſe ſuis, vt arma quæ in ſarcinis anteà ferebantur, induerent, ad omne imperium ſuum parati.

II



DIALOG. III.

» Minorem alium,quem Pugionem Latinâ voce Tacitus] *Taciti verba* XI. *Annalium.* Ferunt militem,quia vallum non accinctus, atque alium quia pugione tantū accinctus foderet,morte punitos. *Hunc minorem gladium ad ſiniſtram latum video in imaginibus quibuſdam, aliter ac Ioſepho dictum: more ſcilicet toto eo, vt monui, variante. Sed en militem e columna Antonini,vtrumque ſic cinctum. Hunc gladiolum Græci παραμήριον vocant, quia pendulus ſic ad femur. Leo Imperator:* Habeant ſpathas Romano more ab humeris pendentes,& parameria. *In Gloſſis:* μάχαιρα, παραμήριον, ſica. *Iunctum hoc malim, &* *reſcribo:* μάχαιρα παραμήριος. *Nam de omni macherâ,falſum ſit. Ita in iiſdem reſtrictè,* παραζώνιος μάχαιρα, ſica. *Sozomenus in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ,de Gerontio quodam Romano:* σπασάμενος τὸ παρὰ μηρὸν ξιφίδιον: diſtringens gladiolum,qui ad femur. *Et noſtri aliquot hodie pugiunculos ita ferunt. Iidem Græci* παραζώνιον *dicunt,quia ad zonam, & ab eâ pendet. In Martiali Lemma eſt,* Parazonium,*& ſubſcriptum:*

Militiæ decus hoc,& grati nomē honoris,
Arma Tribunitiū cingere digna latus.

Cui non is ſenſus, quaſi ſoli Tribuni geſtaſſent (errant qui arbitrati ſunt) ſed laudat illud ſuum parazonium,& ita fabrum cultúmque vult, vt vel Tribuno ſit dignum: Ornare enim auro & argento ſolent, quiſque pro fortunâ. Herodianus de Seueri militibus: Τά τε ξιφίδια περιαιροῦσιν αὐτοῖς, ἃ παρηώρηντο τοῦ ἀργυρίου καὶ χρυσοῦ κεκοσμημένα: Et gladiolos iis (*Iulianis militibus, Prætorianis*) abſtulerunt, quos ſuſpenſos geſtabant auro & argento cultos. *Abſtulerunt, inquam, tamquam militiâ iam exauctōrârent, diſcingerentq́. Idem* παραζωστρὶς *Heſychio:* παραζωστρίς, μικρὰ μάχαιρα: Parazoſtris,parua machæra. *Vegetio hoc ipſum eſt* Semiſpatha. Habebant (*inquit lib.*I.*cap.*XV.)gladios maiores,quos Spathas vocabant, & alios minores quos Semiſpathas. *Nec verò Romani ſic tantùm, ſed veteres etiam Græci. In Homero eſt,de Agamemnone,Iliad.γ.*

———ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν,
ἥ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο:
———manibus ſtrinxitque machæram,
Quæ iuxta gladij vaginam dependebat.

Euſtathius pro noſtrâ re explicat,& vult intelligi Παραξιφίδα *ſiue* ἐγχειρίδιον: *Herodotū aduocat:* καὶ ἐγχειρίδια παρὰ τὸν δεξιὸν μηρόν: Et pugiones ad dextrum femur. *Nam & Perſæ vſi, eſtq́ eorum Acinaces. Iulius Pollux ita docet:* Ἀκινάκης, περσικόν ξιφίδιον τι τῷ μηρῷ παρηρτημένον: Acinaces, Perſicus gladiulus quidam, femori adaptatus. *Moſchopulus itē in vocibus Atticis.* Ἀκινάκης, ἐγχειρίδιον βαρβαρικόν, ὅ φασιν οἱ ἕλληνες παραμαχαίριδιον: Acinaces, pugio barbaricus, quem Græci dicunt Paramachætidium. *Denique in Suidâ exponitur* μαχαίριον παραμηρίδιον: *etſi malè. Non ergo magnus ille gladius, quo Turcæ atque Orientales hodie vtuntur, ex iſtorum quidem mente. Hiſpani iiſdem etiam vſi, vt monet Diodorus lib.* VI. ξίφη ἀμφίστομα, καὶ σιδήρῳ διαφόρῳ κεχαλκευμένα φοροῦσιν, ἔχοντες σπιθαμιαίας παραξιφίδας, αἷς χρῶνται κατὰ τὰς ἐν ταῖς μάχαις συμπλοκάς: Gladios ferunt ancipites & vtrimque incidentes, ferro præſtantiſſimo factos; habentes & gladiolos duodecim digitorum adiunctos, quibus vtuntur iunctâ pugnâ & in complexu. *Et an non Romani, vt maiorem gladium, ſic minorem ab Hiſpanis? maximè cùm & modus ille Spithamæ vtrobique ſit, quem Ioſephus dixit. Ab illis, an a Gallis? cùm & hi vſi. Claudium Quadrigarium ſic exaudio, apud Agellium libro* IX. Gallus quidam nudus, præter ſcutum & gladios duos. *Nam duos tribuit, & puto alterum minorem. De Germanis quidem (& mores plerique tunc iidem) Dio clariùs hoc aſſerit pugnâ Cæſaris in Arioniſtum:* Adeò autem cum impetu Romani eos inuaſerunt, vt nec contis, nec gladiis illis longioribus vti poſſent, imò multi etiam vſu breuiorum gladiorum (τῶν βραχυτέρων ξιφῶν) priuari, manibus & dentibus depugnarent.

» Ab humero, non à medio cingulo pendebant] *Veteri & heroico ritu. Homerus:* Pagina 117.d

Ἀμφὶ δ᾽ ἄρ᾽ ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον:
Circum humeros iecit clauis gladium argentatis.

Virgilius: Tum lateri atque humeris Tegeæum accommodat enſem.

Ideò Feſtus Arma *dicit* appellata, quòd ex armis, id eſt humeris pendêrent, vt gladius. *Sed & vetera monumenta paſſim oſtendunt, & procaciores militum hodie vſurpant. Loris autem latioribus dependebant, & id* Baltei, *vel* Baltea. *Virgilius:*

——humero cùm apparuit alto
Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis.

Sidonius libro III. *epiſt.* XX. Penduli ex humero baltei. *Silius libro* X.

——tergo quà balteus imo
Sinuatur, coxáque ſedet numinen vtraque.

Qui verſus tamen indicat cingulum etiam commune, & quo in orbem ambimur, Balteum *item appellari. quod verum eſt: & de vtroque Iſidorus:* Balteus dicitur non tantùm quo cingimur, ſed etiam à quo arma dependent. *Ab hac ſimilitudine zona illa cæleſtis,* Balteus *Manilio:*

Sed nitet ingenti ſtellatus balteus orbe.

Hunc autem ſingulariè milites ornabant, eóque velut militiæ præcipuo inſigni ſuperbiebant. Bullis honeſtari plerumque ſolet, ex argento, auro, interdum & gemmis. Inde Varro Balteum *formas*, quòd cingulum è corio habebant bullatum. *Virgilius de illo Pallantis:* —notis fulſerunt cingula bullis. *Calpurnius in Bucolicis:*

Alternat vitreas lateralis cingula bullas.

Cingulam *dicit, nouo genere. vt & Gloſſæ.* ζωστὴρ, cingula, balteum, cingulum. *Bullæ autem iſtæ quid, ex Iſidoro*

A *diſcas:* Bullæ, *inquit*, quòd ſimiles ſint rotunditate bullis, quæ in aquâ vento inflantur. *Et tales Plauto ſunt:* Iuſſin' bullas has foribus dari in ſplendorem? *Item Ciceroni in Verrem. Sed illæ forsum ex ære, & vt capita clauorum: hæ meliore, vt dixi, metallo. Liuius de Samnitibus:* Auratæ vaginæ, aurata baltea illis erant. *Plinius:* Capuli militum; ebore faſtidito, cælantur argento, vaginæ batillis, baltei laminis crepitant: *Virgilius:*

——Phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula.

Auſonius in Cupidine ſuo: ——aurarâ fulgentia cingula bullâ.

B *Trebellius Pollio in Salonino:* Cùm cingula ſua plerique militantium ponerent horâ conuiuij, Saloninus puer his auratos conſtellatóſque balteos rapuiſſe perhibetur: atque hinc tractum, vt deinceps cum Imperatore cincti diſcumberent. *Conſtellatos ibi accipio, ſtellulis, aut ſtellarum in modum lineis decuſſatis ſparſos. Simile autem furtum in Taciti Hiſtoriarum* II. Incurioſos milites, vernaculâ vrbanitate, quidam ſpoliauere, abſciſſis furtim balteis. An accincti forent? rogitantes. *De hiſdem Bullis & Flori hoc poteſt accipi, lib.* II. *cap.* VI. Opes ſuas Senatus libens in medium contulit, nec præter quod in bullis, ſingu-

C liſque anulis erat, quidquam ſibi auri reliquêre. *Etſi non abnuo ad puerileſ quoque poſſe duci. Dixi & gemmis ornari. En Trebellius de Gallieno:* Gemmato balteo eſt vſus. *Tertullianum ſic accipe, De habitu virginum:* Latent in cingulis ſmaragdi, & cylindros vaginæ ſuæ ſolus gladius ſub ſinu nouit. *Parthi maximè ſic luxuriati. Claudianus, libro* II. *de raptu.*

Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis,
Regales vinctura ſinus?

Tertullianus, De cultu fœminarum: Vt ex auribus grana neſcio quæ penderent, quæ Parthi planè per omnia quæque ſua, bullarum vice inſerunt. *Atque tales ornatiores baltei, ornatiorum militum. Ideò in Suida:* Μονόζωνοι, οἱ τίμιοι τῶν στρατιωτῶν, οἱ μὴ τὸν αὐτὸν τοῖς ἄλλοις ζωστῆρα φοροῦντες: Monuzoni (ſingulariter cincti,) digniores militum dicuntur, qui non eundem aliis balteum geſtant.

12



» Ad Orientalem aut Turcicam formam.] *Conſpiciuntur ita in columnâ Antonini, atque alibi, ſed omnino rariùs. Vide militem, qui indidem effictus. An non Græci hoc genus Copidas vocarunt? Dubius ſum, & hæreo an non potiùs alio & inuerſo fuerint flexu. Ita enim Curtius deſcribere videtur, & cum falcibus componit, libro* VIII. Copida vocabant gladios leuiter curuatos, falcibus ſimiles, quîs appetebant belluarum manus. *Claudianus eos intellexit, de laudibus Stiliconis lib.* I.

——non falce Gelonus,
Non arcu pepulêre Getæ.

Iſ enim populi, & finitimi, talibus de more vſi. Statius poeta II. *Achilleidos:*

——quo turbine ceſtum
Sauromates, falcémque Getes.

Ecce Getis tribuit, id eſt Dacis. & in columnâ Traiani non alio gladio iſti pugnant. Vide & hunc typum.



Quod autem in Statij verſu ceſtum *legitur, fateor mihi incertum eſſe. & aliàs* contum *ſupponere volui, aliàs* reſtim. *Caſtuum profectò in acie rem eſſe, nondum mihi lectum. at contis eos pugnaſſe, indubium: & in Silio,* pondera conti Sarmatici: *etiam apud hiſtoricos, in eorum rebus. Sed de* reſti, *id eſt laqueo, magis placeat: & peculiare hoc iis & finitimis videtur. Pauſanias de Sarmatis, libro* I. Καὶ σειραῖς περιβαλόντες τῶν πολεμίων ὁπόσοις καὶ τύχοιεν, τοὺς ἵππους ἀποστρέψαντες ἀνατρέπουσι τοὺς ἐγκαταληφθέντας ταῖς σειραῖς: Et laqueos inicientes in quemcumque hoſtium poſſunt, equos deinde auertentes deiiciunt dettahuntque implicitos ſic & illaqueatos. *Sozomenus de Scythâ quodam, libro* VII. *Eccleſ. Hiſt. cap.* XXV. Parato in hoc laqueo, ad ſcutum alligato, ſicuti ſolet in hoſtes, alteri cuidam dum loquitur, ſublatâ manu dextrâ funem immiſſurus erat, vt ad ſe traheret. *De Schytis Alanis, hoc ipſum Ioſephus, libro* VII. *Excidij. narratq. Alanos iſtos in Mediam irrupiſſe. quibus obuius factus rex Teridates, pæne viuus in eorum venit poteſtatem.* Βρόχον γὰρ, *inquit*, αὐτῷ τις πόρρωθεν περιβαλὼν ἐπισπάσεσθαι, εἰ μὴ τῷ ξίφει θᾶττον αὐτὸς τὸν τόνον κόψας, ἔφθη διαφυγεῖν: Laqueum enim aliquis procul cùm ei inieciſſet, tracturus ad ſe erat, niſi ille gladio celeriter abſcidiſſet funem, & occupaſſet fugere. *Hegeſippus de iiſdem libro* V. *cap.* L. Laqueos iacere, atque hoſtem innectere, ars Alanis bellandique mos eſt. *Valerius Flaccus aliam eius oræ gentem, Anchates, facit ſic bellare, libro* VI.

Doctus & Anchates patulo vagi vincula gyro
Spargere, & extremas laqueis adducere turmas.

Denique & Perſarum quibuſdam ſimile adſcribit Herodotus, quos Sagartios *appellat.* Iij, *inquit libro* VII. reſte vtuntur è lotis confectâ, & cum hoſte congredientes iniciunt eas in ſummo laqueum habentes, quibus aut equum aut ipſum implicantes, ad ſe trahunt. *Notus Statiano illo æuo mos fuit, & in multo ſermone, ob pugnas tunc cum iis gentibus. eóq. & in Amphitheatra deductus, & gladiatores dati hoc exemplo. Iſidorus.* Laquearij quorum pugna erat fugientes in ludo homines, iniecto laqueo impeditos conſecutóſque proſternere. *Adde Suidam in voce* Σειραῖς.

DIALOGVS IIII.

» Et credo reuera æuo hæc talia mutaſſe.] *Adeò vt in monumentis priſcis vix putem conſpici priſcum hoc & Polybianum Pilum. Fortaſſe leuiora illa Vegetiana, ſed & perraro: nec miror. nam ipſe Vegetius deſiiſſe iam pænè ſuo æuo oſtendit; & poſt deſcriptionem illam Pili (libro* I. *cap* XX.) *addit*: Cuius generis rara apud nos iam ſunt tela. *Nominant ſcriptores inferioris æui, fateor: ſed videndum, ne in alium ſenſum. Vt in ipſo Vegetio, cùm ſcribitur lib.* II. *cap.* XV. Quod pilum vocabant, nunc ſpiculum dicitur; *ſatis indicat Pili vocem abiiſſe. Item libro* I. *cap.* XX. Sciendum cùm miſſilibus agitur, ſiniſtros pedes in antè milites habere debere: ſed cùm ad pila, vt appellant, venitur, & manu ad manum gladiis pugnatur, tùc dextros. *Pila miſſilibus oppones, & in pugnâ ſtatariâ vſurpat. Quid te traho? credo haſtas tunc ſic dictas. Vide quæ noto infrà libro* III. *Dial.* I. *pag.* xxvj. *& adde Panegyricum Iuliano dictum:* Iuuenes cum gladiis atque pilis, non cuſtodiæ corporis ſunt, ſed quidam Imperatoriis ornatus. *Illi verò cuſtodes Cæſares, non pila ſed haſtas ferebant, ex Suetonio aliisq. Moneo hodie tamen perſeuerare apud nos Belgas vocem* Pils, *qui ſagittam ſic vocamus.*

Pagina 160.c

DIALOG. V.

» Argenti aliquid mixti in criſtis, vel auri.] *Ita Silius de Chryxo Celtâ, lib.* IIII. Pagina 161.a.

Auro virgatæ veſtes, manicæque rigebant
Ex auro, & ſimili rutilabat criſta metallo.

» Maiores noſtri ſtudioſè.] *Ita eſt. & galeæ iſtæ quæ ſcutis imponuntur, familiarum antiqua digmata, originem habent à multifariis iſtis criſtis.* Mira enim laſciuia & aliis cornua *ſumebat, quaſi ad imperendum & terrendum: vt de Pyrrho rege in textu retuli. Adde & de Philippo Macedone: de quo Liuius lib.* XXVII. In arborem illatus impetu equi, alterum cornu galeæ ad eminentem ramum perfregit. *De cornu iſto pro inſigni, capiti ſicut Afri cuiuſdam, in honorem Ammonis, ornatus deſcribitur à Silio libro* XV. Pagina 162.c

Caſſide cornigerâ dependens infula.

Sed & in Virgilio eſt, libro XII.

Enſémque, clypeúmque, & rubræ cornua criſtæ.

aliâ tamen fortaſſis mente, & criſtæ ipſæ plumeæ ſectæ & diuiſæ intelliguntur velut in cornua. Suidas tale: Κέρας οἱ παλαιοὶ τὴν τρίχωσιν ἐκάλουν: Cornu, veteres capillos aut iubas vocabant. *At in noſtris hodie Galeis quàm crebra cornua? aliæ animalium partes? ſæpè capita? Quæ omnia olim in Gallorum & Germanorum cottidiano ritu. Diodorus de Gallis:* Κράνη χαλκᾶ περιτίθενται, μεγάλας ἐξοχὰς ἐξ αὑτῶν ἔχοντα, παμμεγέθη φαντασίαν ἐπιφέροντα τοῖς θεωμένοις. τοῖς μὲν γὰρ πρόσκειται συμφυῆ κέρατα, τοῖς δὲ ὀρνέων ἢ τετραπόδων ζῴων ἐκτετυπωμέναι προτομαί: Galeas æreas capiti circumponunt, quæ magnas eminentias verticéſque habent, & magnificam opinionem ſpectantibus obiiciunt. Aliis enim naturalia cornua appoſita ſunt, aliis auium aut quadrupedum animalium expreſſæ effigies. *Plutarchus de Germanis, in Mario:* Κράνη μὲν εἰκασμένα θηρίων φοβερῶν χάσμασι καὶ προτομαῖς ἰδιομόρφοις ἔχοντες, ἃ ἐπαιρόμενα λόφοις πτερωτοῖς εἰς ὕψος, ἐφαίνοντο μείζους: Galeas habentes quæ aſſimilarent terribilium ferarum rictus, aut alias peculiares facies, eáſque criſtis pennatis extruentes, maiores, quàm erant, apparebant. *Etſi hoc paullò diuerſum eſt à Diodoro. & vult iſte, vt verba ſunt, galeas ipſas fuiſſe aut è feris, aut in eas formatas. Idem tamen quoque ſolent, detractas ita exuuias ferinas, ipſóſque hiantes rictus capitis imponere. Apud Suidam ſcriptor:* Οἱ δὲ Πάρθοι τὰς κεφαλὰς τῶν θηρίων ἁρμόσαντες τοῖς κράνεσιν, ἐχρῶντο τοῖς τῶν θηρίων χάσμασι. Parthi capita ipſa ferarum galeis adaptantes, vtebantur earum rictibus. *Statius libro* III.

——ore ferarum
Et rictu horrificant galeas.

» Criſtas aliquot è monumentis vide.] *Non tamen hic Polybianæ illæ expreſſæ, nec triplices. Polybij verba ſiquis attendit, dixerit magis pennas erectas fuiſſe, altas ſeſquipedem: cuiuſmodi & Turcæ hodie geſtant.* Pagina ead.

DIALOG. VI.

» A Douſâ noſtro emendatus, ærato.] *Nec* aurato *tamen ſperno: quoniam & loricas auratas lego, & Parthia metalli eius dites.* Pagina 164.c

» Deſcriptio plena in libello qui Notitiæ.] *Ne petere graue ſit, en repræſento,* Pagina 161.d,a

» Libra

13



» Librarum vtraque, an vtralibet?] Pagina 166.
Ambiguum enim Plutarchi verbum, ἰκάτερ☉. *Sed magis eſt, de vtraque accipi, vt ſingulæ penderent libras vicenas. Scribitur ibidẽ, ſolum* Alcimum quemdam, valentiſſimumvirum, centum viginti pondo armorum tuliſſe, cùm alij non niſi ſexaginta. *Hæc ita interpres, cùm in Græco ſit : διταλάντῳ πανοπλίᾳ ἰχρῆτο, τῶ̂ν ἄλλων χρωμένων ταλαντιαίᾳ*: duorum talentorum armaturâ vtebatur, cùm alij non niſi vnius talenti. *Et ſanè minus talentum* ſexaginta *minarum aut librarum eſt: ſed Heſychius, Vitruuius, alij, in re ponderali* talentum *ferè accipiunt, pondo* centum viginti. *de quo cogitetur. Etſi enim grande hoc pondus : tamen exemplum ſingularis roboris eſt iam & Romani militis cottidiana onera haud longè infra iſtæc.*

DIALOG. VII.

» Dextris cruribus.] *Non vana ſunt hæc Vegetij, nec mea quæſtio. Sanè pro eius mente funditor, quem expreſſi ſupra (in Dial.I.lib.III.) ſiniſtrum crus tectum palam habet : contrà Legionarius, quem item expreſſi (Dialog. III. lib. III.) dextrum modò crus ferro tegit.* Pagina 167.a

» Stellarum equeſtrium fulcra.] *Tale in Panegyrico Nazarij quem Conſtantino dixit, vbi de Cataphractis equitibus ab eo caſis:* Tunc ire præcipites, labi reclines, ſemineces vacillare, aut moribundi ſedilibus attineri. Pagina 169.æ

» Velitares iſtas haſtas plures donat.] *Lapis quoque antiquus eſt, quem exſcriptum miſit ad me Ioannes Viuianus, vir elegantiſſimi ingenij & doctrinæ, qui poſitus eſt* ALBANO VITALI. EQ. ALÆ INDIANÆ: *& in eo ipſe miles expreſſus; dextrâ equum freno retinens, in lævâ colligata haſtilia, adiacente ſcuto. Raræ alioqui, quod ſciam, ſpectiones eiuſmodi aut exempla.* Pagina 70.d

ANALECTA
LIB. IIII.

DIALOG. I.

Pagina 171.d,2. » Extrema verò Triariorum.] *Nihil hoc more notius aut certius. immò ſeruabant & in nauali certamine, quod ex eodem Polybio dicas. Ille enim libro I. cùm pugnam Romanorum claſſicam in Pœnos deſcribit, ait* exercitum diuiſiſſe in quattuor partes. Τὸ δ', inquit, μέρ☉ ἑκάστον διττὰς εἶχε προσηγορίας. πρῶτον μὲν γὰρ ἐκαλεῖτο στρατόπεδον, καὶ πρῶτ☉ στόλ☉, καὶ τὰ λοιπὰ κατὰ λόγον. τὸ δὲ τέταρτον καὶ τρίτον, ὁμωνυμίαν ἔτι, ὡς προσειλήφει. τριάριοι γὰρ ὠνομάζοντο, κατὰ τὴν ἐν τοῖς πεζικοῖς στρατοπέδοις συνήθειαν: Quæque autem pars duplicem agnominationem habebat. Dicebatur enim Prima legio, & Prima claſſis, & ſic deinceps. Quarta autem & tertia pars, agnominationes non habebant: ſed Triarij dicebantur, iuxta conſuetudinem in pedeſtribus copiis. *Sciendum igitur, copias ita diuiſas locataſq́; fuiſſe, vt duæ poſtremæ partes ad latera ſibi iuncta fuerint, eoq́; Triarij dicti. non autem Tertia illa in medio ponenda. Hic Polybij locus tenebras alioqui habeat.*

Pagina 174.b » Eoque hic reſcribendum, infirmis.] *Niſi quis Ammiani mentem tamen hanc elicit:* Præſtitutos, *id eſt præpoſitos firmos pedites ante mediam aciem: quod eſſet in principio ipſo. Sed quid tamen hoc ad Homerum?*

A *qui equites umbi ponit.*

» Liuius mirificè obſcurat.] *Vide an & ſic intelligas. Cohortis ſignum in extremo manipulo Triariorum fuiſſe: atque ita dici inſtructam quamque ante ſuum ſignum.* Pagina 178.b

DIALOG. II.

» Rorarij procurrebant inter Antepilanos.] Pagina 176.b
Simile Vegetius in ſua diſpoſitione notat, libro III. cap. XIIII. Sciendum ergo eſt, ſtantibus duobus B primis ordinibus, tertium & quartum ordinem, ad prouocandum, cum miſſilibus & ſagittis, primo loco ſemper exire. Qui ſi hoſtes in fugam vertere potuerint, ipſi cum equitibus perſequuntur: ſin verò ab hoſtibus pulſi fuerint, redeunt ad primam & ſecundam aciem, & inter ipſas recipiunt ſe ad loca ſua. *Ita illo æuo vides reditum penè fuiſſe ad priſcum & diu deſitum morem.*

DIALOG. V.

C » Defigi in terra ſolere.] *Ita olim factum. & ipſa haſta ſic ſolo infixa. At poſteà (ad cuſtodiam, an ad delicias?) non ipſa haſta, ne macularetur aut abſumeretur, ſed loculi aut theca ferrea in terram defixa. & in eas immiſſa ima haſtæ cuſpis. Conſpicitur ita clarè & deſculpi-* Pagina 180.b

tur in

tur in lapide marmoreo, adibus qua Caſtrorum ſunt Roma: vbi quadrati iſti loculi ferrei, in acutum deſinentes, introrſum vacui, efformantur, & aquila ac cohortium Pretoriarum ſigna imponuntur. Lapis inſcriptus eſt M. POMPEIO. PRIMOP. LEG. III. *& pluribus titulis.*

Pagina 381.b,a „ E purpura fuiſſe.] *Trahunt huc & Ciceronis locum quendam è* II. *de Legib.* Color albus præcipuè decorus deo eſt, maximè in textili. Tincta verò abſint, niſi à bellicis inſignibus. *Sed Ciceronis ſermo de templorum cultu deorúmque eſt: ideò verius, hoc ad Martem & eiuſmodi Deos, eorúmque inſignia referre.*

DIALOG. VI.

Pagina 385 d „ Dextráque vt læuum teneat.] *Alij legunt,* Dextérque vt l. teneas, dextrumque ſiniſter Miles: *ſed conſimilis eſt mihi ſenſus.*

DIALOG. VIII.

Pagina 387.a „ Vt in genua primi ſubſiderent.] *Simile in Silio, effectu non modo, lib.* IX.

Queis aſtare loco dederat fortuna ſecundo,
Contorum longo & proceræ cuſpidis ictu,
Ceu primas agitent acies, certamina miſcent,
At quos deinde tenet retrorſum inglorius ordo,
Miſſilibus certant pugnas æquare ſuorum.

Quod plane eſt pro locatione Vegetij, de quâ dixi, cùm Haſtati & Sagittarij ſecundo tertióque ordine conſiſtunt. Itaque à ſuo æuo hoc Silius (vt ſolent poetæ) ad priſcum traxit.

Pagina 388.d „ Acies erat Afraniana duplex.] *Correctionem noſtram vides, facilem nec longinquam, ſi per notas (vt ſolet, & editur vulgo) numeros iſtos ſcribas. Sibi tamen nunc propius veriuſque fortaſſe legere:* legionum II. & III. *id eſt*, duarum & trium. *Ita velit aciem duplicem fuiſſe, id eſt in duo cornua diuiſam: vno, ſtetiſſe duas legiones Petreij, cum ipſo; altero, tres Afranij, item cũ ipſo. Tot enim quiſque eorum legiones proprias habebat, vt ex Cæſare ſupra clarum. Tum poſt eas, ſubſidia cohortium.*

Pagina 394.d,a „ Ex tertiâ acie ſingulas cohortes.] *Monui legendum* ſenas cohortes: *ſed hoc amplius alij* ex tertiâ acie *volunt. nec malè, ſi duas ſubſidiarias etiam acies facis. Sane Cæſar ipſe* Tertiam aciem & Quartam *nominare videtur pro hoc ſitu.*

DIALOG. XI.

Pagina 395.e,a „ Quis autem clamor ille, aut in quæ verba.] *Addo, repertre me etiam gentis aut Patriæ nomen acclamatum, vt nũc à quibuſdam ſolet. Nam Hiſpani, Hiſpaniam ingeminant in concertatione aut rixâ, & cùm auxilium cient. Plutarchus in Mario, hoc ſcribit:* Ambrones, cùm pugnam cum Romanis incœptarent, ſiue quò ſeſe cohortarentur, ſiue vt hoſtes terrerent, nomen ſuum identidem intonaſſe AMBRONES. *In eodem lego, Romanos etiam vſurpaſſe crebrò illud,* Feri, *in acie, & cùm ſeſe mutuò adhortarentur.* vnde etiam, *inquit, (in Marcello)* quidam Feretrij Iouis nomen deriuant. *Sed hoc in ipſa acie, non ante eam.*

Pagina 396.e,a „ Videntur cum cantu aut rythmo quodam fuiſſe.] *Idem ex Paullo Diacono dicat libro* XVIII. *de Heraclio Imp. qui tirones exercebat opere & arte militari:* Clamorem bellicum, & carmina & iubilum, & impetum in alterutrum ſurgendi habere hos docebat: vt reperti in bellis nil mirarentur, ſed fidenter proficiſcerentur in hoſtem.

ANALECTA

LIB. V. DIAL. I.

Pagina 414.a „ Locus qui Gnoma appellabatur.] *Hoc de foro ipſo Suidas. Et* Gnoma *ac* Groma, *ſane idem, quod vel ex Gloſſis liquet: dixeriſque totum illud ſpatium vti Gromà primum ſecuerunt (id in Prætorio)* Gromam *dictum, κατ' ἐξοχὴν. Imò & locum adſitum, vt Forum.*

DIALOG. V.

Pagina 415.b „ In tentoriorum ſcilicet vſum, & ſi fortè ſcutorum.] *Vtrumque ſuit. atque ita Cicero L. Piſoni obiicit, Proconſuli Macedoniæ:* Quid? illam armorum officinam ecquid recordaris, cùm omni totius prouinciæ pecore compulſo pellium nomine, omnem quæſtum illum domeſticum paternúmque renouaſti? Videras enim grandis iam puer bello Italico, repleri quæſtu veſtram domum, cùm pater armis faciendis tuus præfuiſſet.

DIALOG. VII.

Pagina 417.d,a „ Si tres ſub vno Conſule legiones. *Quod Polybij quidem æuo haud crebrum; increbuit ſub Principibus, atque etiam ante, cùm ſocij iam remoti. Tum igitur metatio latior, & Principia per vias ſuas magis diuiſa. Tacitum ſic interpreter* II. *Annalium, de Germanico, qui cum copiis ad infelicem locum venit vbi Varus caſus:* Prima Vari caſtra, lato ambitu, & dimenſis principiis, trium legionum manus oſtentabant. *Id eſt, cùm principia dimenſi eſſent, reppererunt tribus legionibus locum.*

DIALOG. IX.

Pagina 425 c,a „ Fraxare, vigiliam circuire.] *Dubitabat Claudius Dauſquius, vir vtriuſque linguæ benè ſciens, an non à Græco ductum eſſet, παρὰ τὸ φράξαι: quia ſic muniuntur Vigiliæ. Prudentius eâ formâ ἐκ τοῦ χαράξαι, fecit* Charaxare. *Idem Claudius ſuprà, vbi in Græco eſt πλῃρῶσαι τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν, de Velitibus, ſuſpicabatur* tuperent: *vt Polybius in hac ipſâ re loquitur.*

Pagina 426.d „ Aliud eſt in Auſonij verſu, & niſi quis explicat, muto.] *Atque iam reppers, ecce, qui explicaret, & vellet referri ad triplicem noctis ſectionem, quæ apud Græcos fuiſſe videtur, ex Homero & Theocrito. Notauit, & me quoque in ſermone monuit, vir pietate, doctrinâ, & amore in me ſingulari M. Antonius Delrius, ad Senecam.*

Pagina 418.b „ De Ignibus, quos reperio crebrò.] *Et palàm ac certò in Cæſare,* III. *Ciuilium:* Cùm animaduertiſſent ex ignibus, nocte cohortes noſtras ad munitiones excubare, vniuerſi in multitudinem ſagittas coniiciebant, & ſe confeſtim ad ſuos recipiebant. Quibus rebus noſtri hæc repetiebant remedia, vt alio loco ignes facerent, alio excubarent. *Nota obiter, & incommodum quod oriri ex ignibus iis poteſt, & in facili remedium.*

DIALOG. XII.

Pagina 433.a „ An parati ad bellum?] *Verè dixi rarum in ſcriptis morem, & in re tamen aſſiduum. An non tamen odoror in Paulo Diacono, libro* XVII? Philippicus, *inquit*, egreſſus è regiâ vrbe, hoſtili ſumpto apparatu, ad ciuitatem Amidam properat. Et collectis armatis percontabatur, Si in promptu haberent propetan-

di ad bellum? *Simile profectò eſt, an tamen tunc ſollenniter ita factum ignoro. Suſpicetur etiam aliquis laſciuos vernulas eò reſpexiſſe in Tacito (III. Hiſt.) cùm milites abſciſsis furtim balt heis ſpoliatos, interrogarent*, Ao accincti forent? *quaſi Imperatorium illud imitantes.*

Pagina 416,a

„ Aliter atque aliter agmina ſæpe inceſſiſſe.] *Vt in Cæſare ſectio & diuiſio Agminum ferè fit per legiones ipſas, non per Haſtatos, Principes, Triarios: quod obſerues. Hirtius in* VIII. *Gallicor.* Agminis ordinem ita coostituit, vt legio VII. VIII. IX. ante omnia irent impedimeota: deinde omoium impedimentorum agmen cogeret XI. Hac ratione pæne QVADRATO Agmine inſtructo, in conſpectum eorum venit. *Simile ipſe Cæſar* II. *Gallic.* Sed ratio ordóque Agminis aliter ſe habebat, ac Belgæ ad Neruios detulerant. oam quòd hoſti appropioquabat, CONSVETVDINE SVA Cæſar, ſex legiooes expeditas ducebat: poſt eas totius exercitus impedimeota collocabat: inde duæ legiooes totum agmen claudebant, impedimentiſque præſidio erant. *Itaque conſuetudo hæc Cæſaris erat, vt ipſe ait, impedimenta in medium recipi, tutò aſſeruanda: & legionum maximam partem expeditam præire, aliam ſequi. Idem factum à ſe in re ſubitâ oſtendit*, VII. *Gallic.* Pugnatur vnà omnibus in partibus, coosiſtit agmeo, impedimeota ioter legiones recipiuntur.

DIALOG. XIII.

Pagina 437.c

„ Denique extra controuerſiam.] *Hæc ita è Lucano, & Appiano: ſed finem controuerſiæ, quid ſi ita ipſe Cæſar dicit & præit? Mihi apertè, cùm notat: Pompeium territum hoc cœpto Cæſaris, cùm tamen neque prohibere poſſet, niſi prælio vellet decertare; nec à Dyrrhachio aut mari diſcedere, vbi apparatum omnem belli habebat*: relinquebatur, *inquit*, vt extremam rationem belli ſeqoens, quamplurimos colles occuparet, Cæſariſque copias quàm maximè diſtineret. Idque accidit. Caſtellis enim * XXIIII. effectis, quindecim millia paſſuum in circuitu amplexus, hoc ſpatio pabulabatur. *Obſerua verò, ipſum Pompeium* XV. M. *paſſuum in ſpatio interiore amplexum, quanto igitur amplius, & longè amplius oportuit eſſe ſpatium atque ambitum Iulianum, quo is cingebatur? Analogia clamat, & aperta eſt. Hoc autem de Pompeio, Lucanus ita ex fide narrat, vt ſolet:*

* *Credo plura fuiſſe in tanto ſpatio.*

> Ac tantum ſepti vallo ſibi viodicat agri,
> Parua Miceoæ quantum ſacrata Dianæ,
> Diſtat ab excelsâ oemoralis Aricia Româ.

Sunt ipſa quindecim milliaria, *quæ poſuit Cæſar. At virum doctum, & alia cautum, (iam nunc legi) hæc referre ad ipſum Cæſaris vallum, ſupinitas eſt & aberratio larga in legendo Lucanus videatur. Quod etiam idem Strabonem aduocat, & vult Ariciam diſtare Româ* viginti milliaria: *non ita eſt, & Strabonis ſcriptura falſa impoſuit, nec ibi* ſtadia centum ſexaginta *legenda, ſed* centum viginti. *Nota altera immutetur in Græcis. Vult Cæſar hîc, cum Lucano compoſitus: vult palàm Dionyſius libro ſexto, qui* centum viginti ſtadiis, *ſine vllâ notâ numerali, diſtare Ariciam à Româ ſcripſit. Idem cum eo Philoſtratus in vitâ Apollonij libro* IIII. *Idem denique in Antonini Itinerario: niſi tamen quod illic vnitas additur*, & XVI. M. P. *leguntur.*

DIALOG. XIIII.

„ Palus in terram rectus & fixus.] *Quem palum more & Latinitate ſui æui Diaconus* lanceam *dixit, in his verbis libri* XVII. Focas Macrobium Scribonium iuſſit ſagittari apud Septimium, peo deotem in laoceâ, in quâ orones exercebantur. Pagina 440.c

„ A Tarquinio rege ſtructus Agger.] *Adde ad dictos auctores Strabonem libro* V. *in deſcriptione vrbis, vbi Aggerem hunc in* ſex ſtadia *protendit.* Pagina 441.a

DIALOG. XVI.

„ Pro donatiuo Principis.] *Ita Diaconus*: Aoaſtaſius timens togam multam iecit io populũ. *Idem etiam pro Stipendio:* Mauricius Imperator iuſſit Petro Prætori, vt terdam portionem rogæ in auro Romanus acciperet, & tertiam in armis, & aliam tertiam io veſtimeotis diuerſis. Pagina 441.c

„ Tribunus & Præfectus alæ quadruplum.] *Hoc probabilius puto, quàm quod Hermolaus Barbarus, vir ſummus, cenſuit talentum eſſe. Induxit eum Strabonis locus, ſcribentis libro* XI. Tigranem regem Pompeio & militibus varia dona largitum, & Tribunis talentum. *Atqui non pro Stipendiorum modo id fuit, ſed ex regiâ & liberâ benignitate. Si ad ſtipendia trahis: quid ergo Centurioni ſtipendium erit* decem minæ, *ſiue mille drachmæ? militi* dimidiata mina, *ſiue quinquaginta drachmæ? Ita enim diuiſit eadem illa donatione Tigranes, ex Plutarcho & Appiano. Fallax aut nullum hoc argumentum eſt.* Pagina 444.d

„ Ariſtoteles te reformet.] *Ante eum Plato, qui & hoc de Carthaginenſibus notauit, & lege complexus eſt*, Nequis in militiâ vinum guſtet, ſed aquam omni eo tempore bibat. *Vide librum* II. *De Legib.* Pagina 445.b,2

APPROBATIO.

J. Lipſij, clariſſimi Louanienſis Academiæ Profeſſoris, de Romanâ militiâ libros quinque, *quos ad priſcam illuſtrandam hiſtoriam eruditè conſcripſit, probo, & prælo dignos cenſeo. Louanij, Idibus Martiis* 1594.

Henricus Cuyckius D. Petri Louanij Decanus, & Pontificius ac Regius librorum Cenſor.

INDEX DIALOGISMORVM

LIBRI PRIMI.

PRÆFATIVNCVLA & occaſio dicendi, tum laus aliqua Militię Romanę, Dial. I. folio 11
Modus & ordo dicendorum, tum de Dilectu, de Tribunis, de Stipendiis. Dial. II. fol. 13
Ratio & modus legẽdi. Signa propoſita. dies edictus. Tribuni per legiones diſtributi. Sortitio tribuum, & alia. Dial. III. fol. 20
Quædam Polybio non dicta. Subitarij milites. pœna & coërcitio non parentium. Item de Vacationibus. Dial. IV. 320.c
Equitum dilectus, genera & diſcrimen. de equo publico accuratè diſſertum, & tranſuectione. Dial. V. 321.c,2
Sacramentum militiæ. Qui exegerint: quomodo datum aut dictum: quibus verbis. Dial. VI. 323.c,2
Sociorum electio. Diſcrimen inter auxilia. Præfectus eorum, & quæſtor. Dial. VII. 324.c,2
Additum de Euocatis. Cur ita dicti, & quid, & quàm multi fuerint. Dignitas eorum, & paritas cum centurionibus. Dial. VIII. 325.d,2
Conquiſitores ad Dilectum. Tirones poſſeſſoribus indicti. In cute puncti. Dial. IX. 327.a

LIBRI SECVNDI.

De Ordine, & is quotuplex. tum de quattuor generibus militũ, Velitibus, Haſtatis, Principibus, Triariis Dial. I. 329.a
De manipulis militum: Eorum numerus, & Græca nomina. Dial. II. 330.c,1
Inuoluta quædam Liuij ſuper Ordine euoluta, partim emendata. Dial. III. 331.c,2
Cohors, Numeri, Spira. Cohors prima, Cohors prætoria. Dial. IIII. 333.d,a
Legio & paullatim eius augmenta. Dial. V. 334.d
Equitum diuiſio, Turma, & eorum in legione numerus. Dial. VI. 335.a,2
Sociorum diuiſio, & numerus. Extraordinarij, Ablecti, Alares, & Alæ. Dial. VII. 336.a,2
De Centurionum numero, ordine, prærogatiuà, de Optionibus, Primopilis, omnia accuratè. Dial. VIII. 339.a
De Tribunis militum. eorum electio. item diſcrimina, munia, inſignia. Dial. IX. 344.d
Sociorum Duces & Præfecti. Dial. X. 346.b
De Legatis, qui Imperatoribus attributi. Dialog. XI. 347.b
De Imperatore ipſo: Ductu & Auſpiciis. Lictores, Paludamenta, Equi eius. Dialog. XII. 348.d,2

LIBRI TERTII.

Ad Arma ventum. de Velitibus prædictum, eorumq; origine. tum Haſtis eorum Parmâ, Galeâ. Dial. I. 351.a
De Scuto accuratè. Diſcrimen à Clypeo. Magnitudo eius, Circulus, Vmbo, Origo, & exemplũ. Dial. II. 354.c
Gladius Hiſpanienſis, Origo, Vſus, Bonitas. Dial. III. 357.d
Pilũ totum deſcriptum. magnitudo, forma, violentia: & quid mutatum. Dial. IIII. 358.b,2
De Galeâ, & multiplici criſtâ. Dial. V. fol. 122
De Loricâ, & variâ eius ſpecie. Dial. VI. 362.d,2
De Ocreis obiter. tum ex profeſſo & plenè de Equitum armis. Dial. VII. 367.a
Numidæ equites, & Tarentini. Dial. VIII. 370.a,2

LIBRI QVARTI.

Diſpoſitio Aciei & communis ordo, tum viæ & interualla: pérque iſta acceſſio, & receſſio. Dial. I. 373.a
Velites vbi olim, & poſteà locati. Item Equites & Socij Dial. II. 376.a
Signa quot, & vbi fuerint, Anteſignani & Poſt ſignani, Dial. III. 377.a
Ducum militumq́ue locatio diſtinctè: & pœna qui ordinem liquiſſet, Dial. IIII. ibid c,2
In occaſione de Signis dictum, de formâ eorum ſingillatim, de cultu & religione. Dial. V. 379.b
Duplex, triplexq́ue acies, & aliquot eius formæ. Dial. VI. 384.c,2
Aliæ quædam acierum formæ. Cuneos, Globus, Forfex, Turris, Serra, Dial. VII. 385.b
Exempla aliquot pugnarum: Craſſi, Manlij, Cæſaris cum Afranio, Cæſaris cum Pompeio. Dial. VIII. ibid c,2
Allocutio exercitus ante pugnam, de ſuffragio & refragio militari. Dialog. IX. 390.d
De Claſſico. de Tubâ, Lituo, Cornibus, Buccinâ, ſeorſim: item de Tympanis. Dialog. X. 391.b
Clamor militum ſub pugnam & Barritus: concuſſio item armorum. Dialog. XI. 392.a
Signum pugnæ, Tunica puniceæ: ſignum pugnæ, vox & teſſera, Dial. XII. 397.a

LIBRI QVINTI.

Ad Diſciplinam tranſitum, ac primò de ſede eius, Caſtris. Ea laudata, diuiſa, partes recenſitæ. Dial. I. 399.a
Prætorij poſitura, eius magnitudo & partes. Dial. II. 401.b
Tribunorum metatura, Quæſtoris, Euocatorum, Ablectorũ, Extraordinariorum. Dial. III. 402.c,2
Inferior caſtrorum pars explicata, & deinde cum Declaratione & Podiſmis fuit propoſita. Dial. IIII. 405.a,2

De Tentoriis,Foſſâ,Vallo,Portis.Dial.v. 411.d,2.
De operibus. qui Immunes in iis,qui Munifices.Socordia poſterioris æui.Dial.vi. 415.d
De caſtris auctis aot geminatis.Dialog.vii. 417.b
De Miniſteriis, quæ Tribunis & Equitibus & alibi preſtātur.itē de Excubiis & Stationibus.Dial.viii. 418.e
De Vigiliis.Teſſera in iis,Teſſerulæ,& diuiſio,& Circuitio,omnia diſtiōctè.Dial. ix. 421.d
De imperiis caſtrorum,& adminiſtratione in his talibus.Tribuni per vices faciunt.& Salutationes ducum.Dial.x.
Ad Exercitia tranſitum. Ea diuiſa, & primò dictum de Oneris exercitiis. Tuliſſe cibos, vallos, ſarcinas,præter arma.Dial.xi. 430.e
De Agmine toto. tum de metatione caſtrorum, & metatoribus.Dial.xii. 433.a
De exercitio Operis.Exempla aliquot eiuſmodi illuſtria.Dialog.xiii. 437.a
Armorum exercitia,quàm crebra, & quàm paſſim? Tum ordine quædam data.Dialog.xiiii. 438.a,2
Ad Leges itum,ac primò de eâ quæ Furta tangit,nunc quæ Prædam.Dial.xv. 441.e
De Stipēdio militum,eius origine & auctu. De Frumenti modo, & hordei. de iis quæ ad victum. Dial.xvi. 442.c,2
Præmia militaria,Haſtæ,Armillæ,Torques,Phaletæ, Spolia.Dial.xvii. 447.c,2
De Pœnis,qui inflixerit,& quas: tum etiam de variis ignominiis.Dial.xviii. 452.b
De miſſione quadruplici, Honeſtâ, Cauſſariâ,Gratioſâ,Ignominioſâ: & de Commodis miſſorum. Dial.xix. 457.b,2
Concluſio ſermonum quinqoe, & militiæ veteris cum noſtrâ breuis comparatio. Dialog. xx. 438.c

IVSTI LIPSI

POLIORCETICΩN,

ſiue,

DE MACHINIS,

TORMENTIS, TELIS,

LIBRI QVINQVE.

Ad Hiſtoriarum lucem.

SERENISSIMO PRINCIPI

ERNESTO

ARCHIEPISCOPO ET ELECTORI COLONIENSI, EPISCOPO ET PRINCIPI LEODICENSI, MONASTERIENSI, HILDESHEIMENSI, FRISINGENSI:

COMITI PALATINO VTRIVSQ. RHENI, DVCI VTRIVSQ. BAVARIÆ, VVESTFALIÆ, ANGARIÆ, BVLLONII:

MARCHIONI FRANCIMONTANO: COMITI LOSSENSI, LONGIENSI, HORNENSI: SED ET ALIBI PRINCIPI AVT DYNASTÆ:

IVSTVS LIPSIVS

LIBENS MERITO DEDICAT CONSECRATQ.

LIBENS, inquam, meritò, hoc quidquid eſt operis, tibi SERENISSIME PRINCEPS conſecro, & frontem eius ſplendore nominis tui illuſtro. Multa me impellunt: Beneficia tua, Dignitas & amplitudo, ipſum operis Argumentum. Sanè beneficia tua, imò & tuorum, expertus ſum, ex quo pedem primùm intuli & poſui in Eburonum veſtro ſolo. Quidquid benignè dici fieríque poteſt, à pleriſque mihi dictum aut factum eſt: à te imprimis tali Principe, qui vltrò vocare, noſcere, ſed & adſciſcere & proprium habere tibi, honeſtiſſimo congiario, voluiſti. Neque ego nolui, fateor: ſed patriæ meæ amor aut miſeratio, tum & noua cum eâ adſtrictio, velut tribuniciâ quadam vi interceſſerunt, & abeſſe me à vobis adegerunt, etſi corpore, vix animo ſeiunctum. Quoties illò ad vos redeo? quoties ſermones & adfectus veſtros ruminor? tuam autem maximè incredibilem in illâ altitudine comitatem: quam nuper etiam reguſtaui, cùm à fontibus veſtris (ad quos parùm fauſto pede ieram) reduci, Bona Fortuna mihi copiam fecit vultus ſermoniſque tui videndi obiter & fruendi. Quòd ſi hæc priuata non eſſent; Dignitas tamen tua & gentis ſplendor, hunc talem cultum cur non ſibi vindicent? cùm & tu inter ſacri ordinis primos emineas, atque adeò à ſummo illo capite, ſi potentiam & latitudinem imperandi ſpectem, proximum te dixerim aut ſecundum. Tua eſt Archiepiſcopalis Vbiorum dignitas; tua Epiſcopalis Leodicenſis, Hildesheimenſis, Friſingenſis, Monaſterienſis: & annexi iſtis tituli, Septemuiralis imperij, Principatus, Ducatus, Comitatus, aut Dynaſtiæ. Atque hæc pro virtute aut meritis in te congeſta: tum etiam pro ſplendore inclytæ & vetu-

ſtiſſimæ tuæ gentis.Quæ eſt in orbe Chriſtiano,imò & extero, quæ vobis vetuſtate & continuatis imperiis ſe præferat?Nam illa, ſi aſſenſum famæ & traditionibus præbemus, ante Chriſti ortum otta eſt:aut ſi antiqua nimis & quæ fidem tempori debent,ſeponimus,certis iam Annalium monumentis, ante Attilæ tempora opibus & potentiâ floruiſſe comperiemus. ADALGERIO Bojorum rex tunc legitur,qui cum Alemannis ſuis in Francos profectus,prœlio inſigni ad Tolbiacum vicum interfuit, atque adeò interiit.Ab hoc THEODO, qui magno Clodoueo belli in Burgondiones,itémque in Alaricum, auxiliator & conſors: iterúmque THEODO alter,cui à rebus geſtis cognomen MAGNI fuit, qui vindex propagatórque imperij,aquilis & gente Romanorum pulſis,fines ſuos Alpium iugis terminauit.Mox THEODOVALDA, vel hoc nomine memorandus,quòd primus ſalutari aquâ & fide noſtrâ tinctus, religionem in fines veſtros intulit: atque arma deinde mouens in impios, Hunnos dico atque Abares, primùm victus,eos vicit:tum & à Narſete vocatus in Italiam, partem eius ſubegit, atque adeò Rex etiam audiit Italorum. Quid alios commemorare opus TASSILONES, VTILONES, GARIBALDOS, & tot illuſtria nomina? A re meâ,& decoro etiam abeam,ſi ſtemma tuum totum replicem:cui vel hoc ad gloriam ſatis ſit, originis riuos communes habere cum fonte Carolino: id eſt cum PIPINIS & MARTELLIS, atque illis heroibus,qui leges,reges, & Imperatores dederunt in plerumque Chriſtianum orbem.Ipſis adeò vobis Imperatorem propriè,& in ſcaturigine veſtrâ,video LVDOVICVM BAVARVM, virum vndique ſummum,fatente inuidiâ:ſi tamen Principem illum ſacrorum, in animum induxiſſet,paullò magis aut vereri,aut certè reuereri. Sed cùm ſolâ eâ exceptione laudetur:& iam ſine vllâ,eius pater LVDOVICVS SEVERVS, Septemuir Imperij:cui duo peculiaria & rara ad laudem ſunt:prius, quòd in eâ dignitate probitas & ſapientia eius pariter ſic enituit,vt in caligine ſummâ temporum,& deſperatione Germaniæ,ſolus à collegis,ſolus,inquam,ius acceperit legendi Imperatoris, & per eum res labentes aut lapſas reſtituendi.Fecit,prudentiùs neſcio, an feliciùs: cùm eius voce ac renunciatione RVDOLPHVS primus ex Habſpurgenſi Comite ſceptra imperij ſuſcepit & fataliter deinde ad poſteros tranſmiſit. Alterum, quòd eâdem prouidentiâ rebus ſuis & genti priuatim decus intulit,ductâ in vxorem MACHTHILDE eiuſdem Rudolphi filiâ,è quâ mixtione & velut inſitione vos iſtæ ſtirpes fruticatis.Ecce antiquitatem,ecce potentiam:quid prudentiam & virtutes?vtraq; eximia.Vt in paucis exemplis doceam:LVDOVICVM cognomine DIVITEM, quàm verè diuitem atque vberem earum eſſe oportuit, cuius Aula velut Ara fuit,ad quam è Germaniâ vndique confluerent,& lites,imò bella, voce ab oraculo illo editâ,ſedarent?Res ita eſt,ſolo interuentu ſuo(mira,nec niſi à magnis meritis auctoritas) Principum ac Dynaſtarum iurgia compoſuit, & ſtrictos iam gladios inhibuit ac repreſſit. GEORGIVM item DIVITEM, ſtudiis ac ſacris operatum addo: qui vtrorumque amore & honore, Muſæum illud publicum exſtruxit,quod hodiéque Ingolſtadij floret,& vectigali ac pecuniâ annuâ inſtruxit.ALBERTVM TERTIVM non commemorem?Res iubet & vetat:quæ ſic rara,ſic magna, vt fidem inuenire vix poſſit, etſi narranda ex fide.Ille virtutibus domi & foris ita claruit,vt Bohæmi Rege deſtituti ad eum miſerint, ipſúmque vocauerint:vocauerint,ſed non impetrauerint(quis mihi credet?)cùm regno & ſceptro omni præponeret Modeſtiam & Quietem. O titulum nouum pulchrúmque in veſtrâ imagine! & mihi certè ſuper omnes Regum aut Imperatorum.Adeſte ambitioſi,videte.en hic,qui regnum oblatum altâ ſapientiâ ſpernit & reijcit,quod vos per preces,fraudes,enſes,impetratum itis aut ereptum. Nec verò

ALBERTVM

ALBERTVM QVINTVM patrem tuum ſileam:heroëm,qui niſi in turbida hæc tempora diuinitus datus fuiſſet;teligio aut imperium in Germaniâ vix eſſet. Ille furentibus ſe oppoſuit,frena licentiæ dedit:linguâ,mente, gladio, cùm opus fuit, pugnauit.Et vocauit in ſubſidium aut excitauit præſtantiſſimos vndique viros:in his Patres SOCIETATIS IHESV, quos ille velut Prætorias quaſdam cohortes,contra hæreſes,in finibus ſuis diſpoſuit & collocauit. Dignus patre, & æmulus ſupereſt, DVX GVILIELMVS tuus frater: ipſe tu. qui primum hoc ſemper in imperiis habuiſti,fulcrum imperiorum ſeruare,religionem & pietatem. Iſta ſunt in Dignitate tuâ & gentis ſplendore,quæ me incitarunt:ſed & operis,vt dixi, Argumentum. Quale id eſt? MECHANICA ſunt & POLIORCETICA quæ damus:id eſt,ingenia,aut inuenta veterum,ad oppugnandum aut repugnandum. Dupliciter tibi conueniunt:ſiue quia delectaris,ductu ætherij tui ingenij, actioribus iſtis & ſubtilioribus:ſiue quia tali Principi & tam latè imperanti, opus ſcire hæc quoque arma aut tela,vel ad tuendum vel ad vindicandum.Vtrumque enim in duplici hac purpurâ vſu tibi venit,fortaſſe & veniet:vt conditio temporum, & ſitus regionum tuarum eſt:quæ iunctæ aut adſitæ ad noſtram Belgicam, ex grãdi & diuturno eius incendio alibi igneſcũt, aut ſcintillant.Et quamquam fateor pleraque ex iſtis abolita iam aut deſita,vnico inuento fulmineæ noſtræ Bombardæ (Lombardam Annales ſuperiores dicunt) tamen & quædam vſum etiam nunc habent,aut habere certè poſſunt,ſi quis rimabitur:& illum ſine controuerſiâ fructum donant,intellegere res antiquas. Qui mihi maximè in oculis, profeſſione, inſtituto,ſed & recenti à Regiâ benignitate titulo facto ad Hiſtorias veteres nouáſque illuſtrandas aut ſcribendas.Cauſſas,SERENISSIME, habes, conſecrati operis. quod ipſum & me vnà nunc dono: felix illud,ſi in manum; & me,ſi in animum parte aliquâ admittis.Louanij, XVI. Kalend. Mart. ∞. IↃ. XCVI.

LECTORI.

LECTORI.

QVOD *deerat* MILITIÆ *plenæ, Lector, habes*, MACHINAS, TORMENTA, TELA. *Rem illepidam, ſubtilem, aut tricoſam: & ideò ſtilus & ſcriptio fortaſſe noſtra alibi horreſcit aut areſcit. Sanè vberem ſegetem dare in macie hac agri, difficile eſt: Nec iſtud ſit ebur, è quo ſtatuam Iouis Olympij Phidias aliquis effingat. Sciuntur tamen vtiliter ad hiſtoriam Græcam Latinámque: in quibus quæ pagina propemodum eſt, in quâ non incurrant? Sed de ſtilo, parum eſt, rem modò ſi tetigi: quam ipſam vereor vt parcè aliquis à me dixerit, aut non datam. Id quoque conſilio, non negabo: cùm animus aut ratio me non impelleret, illa fabrorum aut tectonum propria examuſsim proponere, aut omnibus membris deformare. Vidiſſe, & digitum intendiſſe, ſatis ſit: alibi etiam non vidiſse aut alucinatum eſſe, in rebus quas ademit fugitiua obliuio, veniam habeat. cùm illud Varronis appoſitè hîc præſcribam*: Non mediocres tenebræ in ſiluâ, vbi hæc captanda; neque eò, quò peruenire voluimus, ſemitæ tritæ; neque non in tramitibus quædam obiecta, quæ euntem retinere poſsint. *Sed lineas tamen aut rudes formas rerum operúmque duximus: & ſiquid eò facit, ex antiquis mediiſque ſcriptoribus conduximus: nec arduum, ſi quis tanti putabit, colores plures addere & in facie iſtæc proponere germanâ & plenâ. Principum hoc opus & cura ſit, fateor: tua* SERENISSIME ELECTOR (*iterùm te compello*) *qui libris nondum vulgatis, aut formis quoque antiquis (in Armamentariis latère arbitror) conquiſitis, in claram iſta des & ſine nube aliquâ lucem. Hortor te vt facias: & me quoque, ſi voles, impendam, vt iſta iterùm certiora, auctiora, picturis politiora, te auſpice diuulgentur.*

IVSTI LIPSI POLIORCETICΩN,

SIVE DE MACHINIS, TORMENTIS, TELIS, LIBRI PRIMI

DIALOGVS I.

Miſcellanei ſermones, & præcipui ſemen atque occaſio.

IN Eburonibus cùm eſſem, valetudini recreandæ, domus & hoſpitium mihi fuit IOHANNIS FVRII, primarij inter ſactos ibi myſtas viri, & mei ac litterarum peramantis. Multa mihi ab eo humanitas, ſermones cum eo iucundi & crebri, & fors fuit, vt die quodam menſis Iunij iſte. In horto eramus, atque infit: Amicos hîc, Lipſi, multos habes: quod audio cottidie, & gaudeo. LIPS. Fateri debeo. & omnes enumerate ambitio ſit, paucos iniuria. FVR. Tamen inter eos vicini mei duo eminent, IACOBVS CARONDELETVS vir oobilis, collega noſter & Cancellarius: tum PETRVS ORANVS Iuriſconſultus, & Principi à conſiliis. Horum vterque quàm ardenter te amat? LIPS. Et redamantem quidem. ſed ARNOLDVM WACHTENDONCKIVM cur omittis? cur LAMPSONIVM, imò LAMPSONIOS? cur pleroſque, vno verbo, procerum veſtrorum? Amare hanc vrbem debeo, in quâ ſic amor. FVR. Fac igitur, & ſenò noſter eſto. LIPS. Nónne ſum? clamo & teſtor. FVR. Manſione dico noſter, nec hinc aliò te ducas. LIPS. Enimuerò amice iucundum ſit, ſi poſſim. Præter vos, Fontes etiam veſtri me teneant, quos ſeoſi equidem ſalutares. Sed patriæ quid debeam, non ignoras: & hoſpitium mihi hanc vrbem eſſe non domum. FVR. O ſi aliter! & ſi herum illum atque heroem noſtrum audias, qui inuitat! ſed is nunc abeſt, & Germania ſua eum habet, doliturum cùm audierit migraſſe. Et bonâ fide Lipſi, in patriâ quid nunc eſt quod allectet? Iacet & deformis eſt, aliarum quàm tuarum artium, tota domicilium horridi belli. LIPS. Agnoſco, & tecum (nam & tua hæc patria) doleo: ſed vel miſeratio me inducit, vt pro parte virili ſubleuem, aut certè ſoler. Periclitabor? eſto. vt Curtius ille in apertum hiatum terræ præcipitauit, amore quodam patriæ: ſic ego vel in medium diſcrimen, eâ inuitante. FVR. Heu, non mihi,

A non amicis hoc placeat: ſuſtine. Vides enim atque audis cottidie res aduerſas: & iam de Zutphaniâ, de Dauentriâ captis, recens & certum eſt. LIPS. Audiui, ſed vt Hectorem illum ſui fruſtrà ad portam retinent: ſic tu me. Meminiſtin' verbi quod Plinius in epiſtolâ quâdam ponderat, & in morituro miratur? * [illegible]. FVR. Parce, vel omnis cauſâ. LIPS. Quin tu parce, & omitte. at de Dauentriâ, dic ſodes, quomodo ſic ſubitò capta? nam munita habebatur. FVR. Vi, vt aiunt, tormentorum: quibus non muri, non viri vlli reſtiterunt. Et profectò Lipſi, iam hac parte ſuperamus veteres, quos tu atque ego aliâs miramur. LIPS. Fatendum eſt. etſi nec iis defuêre Machinæ, ingenioſæ, variæ, quibus hæc talia patrabant. ſed

B vnum hoc inuentum ſcilicet igneorum tormentorum, diſiicit aut diſſlat omnia valida veterum, aut acuta. FVR. Ingenium haud fruſtrà iis tribuis, ſed nec varietatem. Pluſcula enim talia in Hiſtoriarum libris lego: & cùm lego, ſubſiſtere me fateor, nec formam aut modum ſatis videre. Nominum tenus ea noſco. Docéſne me ſemel Lipſi, quoniam caſus aut Deus in hunc ſermonem tulit? LIPS. Arduum petis. ſeſſionis, non ambulationis; bibliothecæ, non horti hoc opus. FVR. Ergo ecce & bibliotheca ad manum, ineamus. LIPS. Quin ecce alij præ manu, maneamus. Nam fallor? an illi ipſi ad nos veniunt, quos antè nominauimus? FVR. Ij ſunt, Carondeletus, Oranus, Lampſonius: miror quid tam manè velint. Sal-

C uete ô Treſuiri, ſed non, vt opinor, Capitales. CARON. Imò venimus vos abductum. FVR. Quò, aut quid? CAR. Non in carcerem, ſed in liberum locum, vbi benè vobis ſit & iucundè. Imus Lipſi? LIPS. Dic clariùs: quò? CAR. Ad delicias tuas, hortos. Nam ita inter nos conuênit, viſere hodie SERENISSIMI Principis (Suburbanum eius ſic vocant) fabulari illic ſuauiter, & conuiuari. LIPS. O quàm per tempus aduenistis! eamus. Nam Furius hîc me ad machinas pænè alligarat: iam ſoluor. FVR. Laxatis, ne erra: cathena etiam mea te reducet. LIPS. Sed vbi ADAMVS noſter LEEMPVTTIVS eſt? nónne

* [illegible]

is vnà?

is vnà? ORAN. Ille verò vel maximè, fidus tuus comes. LIPS. Cuius officia & obſequia in toto hoc itinere, numquam plenè dilaudem. In eo didici, verum illud vetus: *Nihil homini amico eſt opportuno amicius.* Sed eamus: vbi Furius? ORAN. Heus Furi iámne moratis? FVR. Iámne vt ſoles, & cales? ORAN. Non negamus, Calor & Candor duæ notæ Eburonum. Sed quid tecum efſers? FVR. Viaticum, hos libellos. nam aliquid meditor. LIPS. Méne aſpicis? benè eueniat, ſi quid boni.

DIALOGVS II.

De nomine & ſcripturâ Leodici vrbis: tum initium ſermonis Machinalis.

IAM in viâ eramus, per vrbem ad portam venimus, vbi flumen & paratæ cymbæ. Ad nos Carondeletus, An conſcendimus, an in matutinâ iſtâ aurâ magis ambulamus? ORAN. Imò ambulemus. nam paullula via eſt, nec plus paſſuum mille. FVR. Quid tamen Lipſio videtur? ORAN. Ambulare. quò nos Licinij Craſſi peruenerimus, facilè hic Licinius Macer. CARON. Poteris Lipſi? LIPS. Admodum. nam à capite & pedibus ſatis valeo, media modò ſunt in cauſſâ. Tum & loca hæc magis videbimus, mihi hercules aſpectu amœna, qui inæqualitate illâ delector. En colles, en valles; en alternatim prata, pomaria, ſegetes, ſiluas. Quid dicam, amici, niſi tres Deos vos amare, Pomonam, Cererem, Bacchum? Imò & quartum licet * Vulcanum addam, qui ſub his montibus, relictâ Liparâ, officinam ſuam habet. O apertæ opes, ô reconditæ! & quid deeſt vobis, præter bonorum veſtrorum ſenſum? Nam, vt ille ait,

Non eſt beatus, eſſe qui ſe non putat.

ORAN. Hæc ita erant, Lipſi, ante infauſta veſtra bella, quorum ignis nos quoque ambuſſit. O mali ſemper vicini! & veterum non ſumus obliti. LIPS. Quid tibi vis? pungere Belgicos hos leones? vide ne iterùm aliquis *Audax.* ORAN. O te audacem, qui nobis in ſolo noſtro ſic minaris! Gaude Leodium, quòd non hic imperet. LIPS. *Leodicum* debebas dicere. ORAN. Quid? cùm vrbem non potes, nomen eius euertis? LIPS. Reſtituo euerſum, ne criminare. ORAN. Nihil audio, apage has nouitates. LAMPS. Ego verò audio, & ſeriò Lipſi nos hoc doce. Nec enim metuo ne montes noſtri ſubſidant, aut Moſa curſum auertat, in litterulâ additâ aut ademptâ. Et ſuaue eſt, in minimis etiam vera ſcire. Dic, quid ſubſiſtis aut metuis? LIPS. Hunc, ne me incurrat. LAMPS. Amore facit, quod facit: & ſcin tu litigia inter amicos, aut cauillos?

* Ἀεὶ τοιοῦτοί μοι πόλεμοι διώκουσιν.

LIPS. Pax igitur paullìſper Orane eſto: audite. A nouitatibus abhorrere me fateor, ſi mortalium quemquam: præſertim in re ſeriâ, quæ mores aut vitam ſpectet. At in iſtis litteratis aut Muſicis, ſicubi error, vt ſolet, inoleuit; quæ culpa aut inuidia eſt detexiſſe, & remouiſſe? Tale in celeberrimæ vrbis veſtræ nomine, quod nupera neglegentia aut imperitia corrupit. Dico nupera. & nego ſcriptum vllum paullò vetuſtius extare ante hos trecentos fortaſſe, & minùs, annos, in quo *Leodicenſes* non disertè exprimantur. Sigeberti Gemblacêſis Chronica manuſcripta (puto ab ipſius æuo) apud me ſunt: ſemper ita lego. Tabula apud vos plumbea, non dudum eruta, A ſic præfert: NITHARDVS LEODICENSIS EPS qui fuit anno Chriſtiano M. XLII. Alia etiam vetuſtior: EGO REGINALDVS LEODICENSI EPIS SEPVLTVS SVM IN HAC BASILICA D. LAVRENTII QVAM ADIVVANTE DEO CONSTRVXI. Vetuſta Caroli Magni vita: *Celebrauit Paſcha in Leodico, vico publico.* Denique breuiter & fideliter, veſtri ſic Annales paullùm modò vetuſtiores conſenſu habent. Ipſa etiam noſtra lingua Germanica, an non fidem huic ſcripturæ facit? nam dicimus & ſcribimus palàm *Luydyck.* Germani ſuperi paullò fortiùs, vt ſolent, *Luitich.* Quid etymon ipſum & deriuatio? aſſerit. Nam in communi illâ ſcriptione obſcurum aut nullum eſt, in hac meâ clarum inquirenti. Vox enim compoſita B profectò & noſtrâs eſt, *Leode dyck:* & compendio, *Leodyck,* & magis vulgatè *Luy-dyck.* Quid ſignificat? * *populi aggerem,* aut *limitem:* quæ primogenia ſcilicet appellatio fuit vici aut opidi veſtri, ſuper Moſæ ripam aggerémve ſiti. Nam *Leodes* populi ſunt priſcâ noſtrâ dialecto: è quo fecimus deinde *Luyden* & *Lieden.* Credi hoc dicenti poterat: ſed, contra pertinaciam dabo & teſtes. Gregorius Turonenſis: *Ille à * Leodibus ſuis defenſatus eſt.* Et leuiter mutatâ litterâ, *Leudi.* Ammonius: *Omnes Leudi bonitatem eius cernentes, vehementer amauerunt.* Idem: *Chriſti ſacerdotibus humilem ſe præbens, Leudis ſuis beneuolum, gentibus externis pacatum.* Et ab hac ſtirpe illa C ſunt crebra nomina, *Leodeuicus:* quaſi dicas * *refugium & aſylum populi,* quem facimus & ſcribimus hodie *Lodouicum,* vel *Ludouicum.* Reperio eumdem in Annalibus *Leudeuicum,* & in Cæſaris Commentariis *Liutuicum.* Item *Leodolfus* * *auxilium populi* ominatur & notat: aliâs *Leudulfus, Lodolfus, Liudulfus, Ludolfus:* quas varietates in libris eſt obſeruare. Sed & * *Leonardum,* aut *Lienardum,* magis hinc & à *populari indole,* quàm à *Leonibus* petam. Prona hæc ad fidem ſunt, & ſatis eſt ſignari: illud difficilius aut rarius, * *Theoden,* pro *Leoden,* eoſdem maiores noſtros vulgò dixiſſe. Inde *Theodericus gentium diues,* de cuius notione & ſcriptione fruſtrà litigatur. Idem eſt *Theudericus,* & *Thiedericus,* denique molliùs, *Diedericus,* & abſciſè *Diericus* noſter. Sed & *Liedericum* D in Chronicis, pro eodem lego. Quàm rideo qui θεοδώριον hunc vertunt, & ſe ita inſcribunt! Eſt ab eâdem ſtirpe *Theodulfus,* * *Theodemarus;* qui ſunt aliter *Leudulfus, Leodemerus, Ludomerus,* & Liuianus ille *Liutomarus.* Quid hodie noſter *Volcmarus?* Inde & * *Thieto,* ſiue molliùs *Diedo:* & noſtra *Thiedonis villa.* Eſt in vrbe veſtrâ liber olim ſcriptus, haud longè infrà Carolum Magnum: qui *Pſalterium Dauidis* Latinum habet, & ſuprà cuique verbo appoſitam interpretationem noſtrate linguâ. Seruat eum ARNOLDVS WACHTENDONCKIVS Decanus collegij D. Martini, vir & bonus pariter, & doctus: atque vtinam adeſſet! CARON. Vellem, ſed æger à pedibus eſt, non poteſt. LIPS. In eo libro igitur E vox hæc crebra (nam nunc exoleuit:) *Thiado, gentium; Thiadon, nationes; Thiade, gente; Thiat, gens; Thiede, gentes.* LAMPS. Itáne variè? LIPS. Ita. nam caſibus & numeris ſuis (obſeruaui) magis ac nunc variabant ac diſcernebant: pænè ad Latinum ritum. Sed ad vrbis veſtræ etymon vt redeam, faciunt & firmant, *Leodegarius,* collector populi: *Leodepoldus,* & breuiùs *Leopoldus,* tutor aſſertórque populi, qui aliter etiam eſt *Thieboldus,* vel *Thiebaudus.* Nónne & hîc illud *Thiede* agnoſcis, ſed, quod amat noſtra lingua, curtatum? *Theodahadus* etiam ille Gothorum, ſiue *Theodatus* (populi benefactor) nomen habet iſthinc. Hæc magis vera Lampſoni, quàm Becani

* *Ob foſſiles carbones, quorum illic copia.*

* *Ne bella ſemper conſequantur talia.*

* Id eſt, populi aggerem.

* *Leudes, populi; ſed propriè homines ſui & ſubditi.*

* *Leodevvyck.*

* *Luydhulf.*

* Qui idē eſt. Volkar dus.

* Sicut T. & L. ſolēt alternare.

* In famâ populi.

* Id eſt, popularis.

noſtri commentum, *Leodienſes* à *Leiode* Homerico deducentis. Et iocos etiam miſcet: illum ſacerdotem, eundemque vini non alienum fuiſſe: & addit (ignoſcite aliena recitanti) verumque in mores eſſe & conuenire huius vrbis. ORAN. Ah, omitte illum, pænè dixerim, παντοπωλοῦ φλήδωνα: dic de altero magis etymo, quòd *Legiam* à legione petit. Scis enim quà re gloriemur Eburones, & nobis cecidit Titurius Sabinus, & Cotta. LIPS. Hem quàm rideo! te quoque iudicij tam plebeij eſſe! non tamen ſoles in aliis mi Orane. At enim hoc tale, non niſi pullario circulo dignũ. Vnde igitur *Legia* vox? rogas? Neſcio, & libros paullò vetuſtiores *Lhegiam* ſcribere audio. Ergo vide ne *Liegia* vel potiùs *Liegas* olim fuerit: cùm in * *Diuiſione* vetuſta *Caroli & Ludouici regum* (ita inſcriptio eſt) legam: *In Hasbanio comitatus quattuor, Maſau, ſuperior, quod de iſtâ parte eſt; Liugas, quod de iſtâ parte Moſa eſt, & pertinet ad Velſatum.* An nõ illinc veſtrum *Lieges*? quaſi dicas *Liu-gas*, compoſitâ voce, id eſt *Platea*, ſiue *tranſitus publicus, aut popularis.* Sanè *Gaſſat* etiam hodie credo appellari Vias, Coloniæ Agrippinæ. Ita alludat ad *Leodices* nomen, & hoc viam, illud aggerem publicum notet. Sed hæc per viam & luſum ſic dicta ſunto. Quid autem tu Carondelete ſubſtitiſti? CAR. Nam ecce hîc flumen, & è regione horti: tranſmittendum eſt. Intra in hunc pontonem: vos item alij. Iam tranſiuimus: en Prætorium, en hortus. LIPS. Prætoriũ, vulgare negotium, & vix pro noſtro hoc Principe; horti in aſpectu primo arrident. FVR. Magis hoc dices, ſi aſcendas & ab aggere iſto luſtres. LIPS. Quis hic agger? FVR. Vide, ſequere, horto circumiicitur; ſepes in eo vt lorica aut murulus; infernè ad pedem foſſa: quid niſi munitio aliqua militaris aut caſtrenſis. Et hercules Lipſi, ac vos amici, cùm otium eſt, cur nõ peragimus ſermonem militarem de *Oppugnatione & Machinis* à Lipſio affectum? LIPS. A me? nego. FVR. Tu negas? LIPS. Pernego. FVR. Quémne hodie in horto meo orſi, cùm hi interuenerũt? LIPS. Nullâ memoriâ ſũ in hoc morbo: neſcio. CAR. Hem Lipſi, caue fallere. LIPS. Nam Carondelete quid eâ cauſsâ huc venerim? ego verò ad remiſſiones & iocos, & nolo quod intendat. CAR. Negare non poſſum, me quoq, auidum huius ſermonis eſſe. ORAN. Et faciet. LIPS. Quæ hæc factio eſt? ORAN. Factioſi nõ ſumus. LIPS. Si auſim. ORAN. Quid? LIPS. Solent ſic audire tui ciues. ORAN. Furi, hæc ferimus? vel ob hanc culpam Lipſi dicere damnas eſto, aut in vincula ire. Iudicem me ſcis? LIPS. Et quidem perpetuum. quid ad me? à culpâ cùm ſum innoxius, non ſum vlli obnoxius. CAR. Extra cauillos aut iocos Lipſi, valdè velim te huc velle. Dies enim adhuc multus ad cibum: quid vtilius aut iucundius agamus? Pendebimus & paſcemur à tuo ore. LIPS. Mella non loquar: ad machinas & bellica me vocatis, quid hæc ad delicias aut hortum? niſi quia nouus hic architectus munitionẽ & caſtra ſubitò ex ea fecit. Sed quis iſte qui huc intrat? & quidem rectà ad nos. an Salus aliqua mea eſt, quę ſeruabit? CAR. Profectò CAROLVS BILLEHEVS hic eſt, vir genere & virtutibus nobilis, cura & tutela apud nos rerum. Obuiam eamus: Billéhee ſalue. gaudeo adueniſſe. BILL. Ego vos tales inueniſſe. O cõmodum ſodalitium! ſed vultíſne vnà mecum? CAR. Quò? BILL. In vrbem, mox ad cõuiuium, ſi videtur. Nam ne diſſimulem, Lipſiũ hoc fine quærebã. Sed & vos grati, quos Deus iunxit. LIPS. Deus à machinâ Machinis me eripit: eamus Billéhee, non moror. BILL. Quò libẽtiùs facias, aderit cognatus meus MARTINVS DELRIVS, quem ſcio quàm ames, & quàm te ille. LIPS. Eamus, moram tibi cras. CAR. Billéhee, non mo modo hoc fiet, edico, & ius hîc habeo. BILL. Quod? CAR. In Lipſium & iſtos, qui addicti mihi in hunc diem congerrones & conuiuæ. BILL. Seriò? CAR. Admodum. quin tu potiùs, ne quid turbes, noſter eſto. Quod te alliciat, hic Lipſius de *Oppugnatione & Machinis* ſermonem habebit: & iam habebat, niſi interueniſſes. BILL. Eo quidem pretio maneo. heus pueri, capite hoc pallium: da manum Lipſi, ſedeamus. Commodum hîc vmbraculum, & ſcamna ſeſſui ſunt. LIPS. Heu Spes & Fortuna, quàm luditis. Qui adiutor ſperabatur, adiutor erit; & hoc quoque ad moleſtiam accedet, quòd coram te tali dicam. Quod de Phocione olim Demoſthenes, de te vſurpem: *Securis adueniſti meorum ſermonum.* Nam apud iſtos peccato meo alibi latebra eſſe poterat; apud te tantùm venia. qui veterem & noſtrã militiam non lectione tantùm, ſed vſu & peritiâ calles. Sed venia tamen hoc faciliùs impetranda, quòd non voluntate peccabo, ſed imperio: & iſti me adegerunt dicere nihil minus nunc agentẽ aut cogitantem. Hoc quoque excuſabit, ſpero. CAR. Faciemus, ordire: mites nos tibi non iudices, ſed amici.

*P. Pythœus edid.

DIALOG. III.

Nomen Machinæ, Machiones, Mangana. Origo rei tota inquiſita.

ORDIOR igitur, & quidem ab ipſo nomine: quod Græcis eſt μηχανὴ, παρὰ τὸ μῆχος, μήκω, vt vult auctor Etymologici, ab *inueniendo aut ſapiendo*: ſiue παρὰ τὸ μὴ χαίνειν, vt Euſtathius: ἡ μὴ ἐῶσα χαίνειν τὸν ψεκτικῶς, ἀλλὰ τὸ ἐπιτυχὲς καὶ ἔντεχνον αὐτῆς: *quæ hiſcere ſcilicet aliquem non ſinit, neque reprehendendi cauſsâ os ſoluere, ob efficaciam in eâ & artem.* Sanè ab ingenio conſenſu deriuant, quod interuenit: & poſteriores ſcriptores Latini hæc ideò *Ingenia*, & eorum architectos *Ingenarios* dixerunt. Aſconius: *Machina eſt, vbi non tam materia, quàm ratio artis atque* INGENII *ducitur.* Itaque fraudes, doli, inſidiæ, in hoc nomen apud Comicos, alióſque, paſſim venerunt. Sed & molitiones altiuſculæ, *Machina*. vnde Iſidorus: *Machiones, qui machinis inſiſtunt, propter altitudinem parietum.* Intellegit noſtros hodie & Gallorum *Maſſones* (Originem vocis diſcite) ſiue fabros cæmẽtarios, qui olim à machinâ *Machinones*, poſteà *Machiones*, pronũciatu illo Hiſpanico & Gallico, quo*(ch) pingue (s) valet. Veteres Gręci μάγγανα etiam hęc dixerunt. & ita Heſychius: Μάγγανα, μηχανήματα: atque alij Scholiaſtæ Græci videntur. Hegeſippus vſurpauit libro III. cap. xx. de Nerone: *Manganum ſibi quoddam de ligno parauit, quo ſe necaret.* Sed & Cõſtãtinopoli *Mangana*, locus à Cõſtantino exſtructus: *vbi* (ait Glycas) *omnia bellica inſtrumẽta repoſita, & libri de Mechanicis.* Nam manſit vox ad infimũ æuum, etſi corrupta aut flexa variè: de quo * infrà videndum. Priuſquàm autẽ de Machinis dicã diſtinctiùs, Origo earũ & progreſſus videtur indagandus. Res enim incertior, vt ſolent hæc talia, & alij aliis adſcribunt. Vetuſtiſſima mẽtio, quam reperio, eſt in libris ſacris, & ipſe Moyſes in Deuteronomio nominat cap. xx. *Si qua antẽ ligna nõ ſunt pomifera, ſed agreſtia & in ceteros apta vſus, ſuccide, & inſtrue* MACHINAS, *donec capias ciuitatẽ quæ cõtra te dimicat.* Etſi alij recentiores hîc *Propugnaculũ* aut *Munitionẽ*, non *Machinas* vertunt. At enim certò poſteà de machinis in eâdem gente, II. Paralip. cap. XXVI. de Oziâ rege: *Fecit in Hieruſalem diuerſi generis machinas, quas in turribus collocauit, & in angulis murorum, vt mitterent ſagittas & ſaxa grãdia.* Sed & in Ezechiele, atque alibi, mentio: vt nihil ambigam cum Eu-

*vel China, Sina, & ita lia.

* Lib. III. de Balliſt.

polemo apud Euſebium aſſerere, à Moyſe pleraque armorum reperta, & machinarum. Sanè illud ſagax & curioſa mens deprehendet, ſacra, imperia, artes, ab Oriente ferè in reliquum orbem & in Occaſum paullatim defluxiſſe. Hæc ita nobis viſa: aliis aliter, & Græci, vana ſæpè gens, tribuunt ſibi. Homerum tamen & id æuum machinas ignoraſſe, ipſi ſcholiaſtæ Græci tradunt: & res in eo clamat. Quod enim earum veſtigium? niſi quòd diſputant, an κρόσσαι in eo ſcalarum quoddam genus ſit: quod negant alij, & malunt pinnas murorum eſſe. Non igitur illi priſci habuêre. nec Statio abſque alio auctore, temerè acceſſerim, qui in Achilleide ſuâ, cùm facit Græcorum varios populos Achilli ad bellum contribuere & conferre: addit,

Iliad. μ.

Murorum tormenta Pylos Meſſenaq; tradunt:

ſiue vt alij libri, * *tendunt*. Sed an tunc igitur muralia tormenta? nemo alius dixerit, eorum quos hodie legimus; niſi fortè Plinius, qui * *Equum* ſiue *Arietem* (vt ipſe interpretatur) inuentum vult Troiano bello. Sed communiter ita nemo, nec ratio aut exempla vlla ſuadent. Athenæus quidem vetuſtam ſatis rem facere in Græcis videtur, ſed non æuum tamen definit: tantùm, Romanos hauſiſſe & ſumpſiſſe ab illis, fine libri VI. *παρ' ἡμῶν γὰρ τῶν ἑλλήνων μηχανὰς καὶ ὄργανα πολιορκητικὰ μαθόντες, τούτοις αὐτοὺς κατεπολέμησαν: A Græcis machinas & inſtrumenta bellica cùm didiciſſent, ipſis eos aggreſſi ſunt.* Hæc ita ille, me valdè aſſenſionis dubio & ſuſpenſo. Nam Romanos quidem iam olim machinis vſos reperio, imò ſub regibus ipſis. vt in Liuio, de cenſu Seruij: *Centurias etiam fabrûm duas ordinauit, quæ machinas in bello ferrent.* Et ſtatim poſt reges exactos Dionyſius, anno vrbis CCLII. agnoſcit: apud quem Conſul Romanus Camerinos oppugnaturus, *κριοὺς προσέφερε καὶ κλίμακας, καὶ πάσαις πολιορκίαις ἐχρῆτο ἰδέαις: arietes & ſcalas protulit, & omni genere oppugnandi eſt vſus.* Iterùm, decennio infrà, Conſul in Corialânos, *κριούς τε, καὶ γέῤῥα, καὶ κλίμακας εὐτρεπίζετο: arietes, & crates, & ſcalas apparabat.* Quò magis miror eumdem Dionyſium vacillare, & poſteà anno CCXCIII. ſcribere: *οὔτε χελώνας τὰς χωστρίδας κατασκευάζειν εἰδότων τῶν τότε ἀνθρώπων, οὔτε τὰς καλουμένας ἑλεπόλεις: cùm nec teſtudines eius æui homines parare noſſent, nec eas quæ Helepoles dicuntur.* Niſi eâ mente id ſcribit (& opinor) quòd quædam machinarum olim quidem repertæ, magiſque neceſſariæ; non tamen illæ ſubtiliores & exactæ, *Teſtudines* & *Helepoles* nominatæ. Quis autem de Helepoli miratur, quam Demetrius denique, aliquot pòſt ſæculis inuenit? At de Teſtudine magis; cùm Liuius eam palàm celebret in obſidione Veiorum: *Quid turres, quid vineas, teſtudineſque, & alium apparatum oppugnandarum vrbium loquar?* Quæ omnia illîc adhibet, imò & *Aggerem* mox adiungit. Sed & Propertius iamantè agnoſcit Vineas, ſicut ipſe Dionyſius γέῤῥα, in Coſſi opimis, libro IIII.

* Quod ſpectaret ad tormentorum funes.
* Vide infrà lib. II. de Aſte.

Dúmque aries cornu murum pulſabat aëno,
Vineáque inductum longa tegebat opus.

Sed quidquid huius ſit, veteres, vt videmus, Romanis machinæ: atque adeò ante Græcos, ſi fas ab Athenæo (ſed fas) diſſentire. Nam alij ferè conſenſu, ad Periclem auctorem, in eâ gente, Machinas referunt. vt Diodorus libro XII. *Κατεσκεύασε μηχανὰς πρῶτος τῶν πρὸ αὐτοῦ: τούς τε ὀνομαζομένους κριούς, καὶ χελώνας, Ἀρτέμωνος τοῦ Κλαζομενίου κατασκευάζοντος: Struxit machinas PRIMVS omnium ante ſe, & eos qui Arietes dicuntur, & Teſtudines, Artemone Clazomenio fabricante.* Ipſum hoc in Plutarchi Pericle leges: *captum nouitate rei, vſum machinis, & habuiſſe apud ſe fabrum inuentorémq; Artemonem Clazomenium.* Sed addit tamen, de Artemone diſſentire quoſdam, & vetuſtiorem eum facere. Enimuerò ſub ea tempora Machinæ certò iam repertæ, & Thucydides Peloponneſiaco bello palàm miſcet. Quod Ariſtoteles quoq; dat intelligi, cùm ſuadet magis oppida muris claudi, additque: *ἄλλως τε καὶ νῦν εὑρημένων τῶν περὶ τὰ βέλη καὶ τὰς μηχανὰς εἰς ἀκρίβειαν πρὸς τὰς πολιορκίας: maximè cùm nũc reperta ſint exactè, quæ ad tormẽta aut machinas faciũt, vrbibus oppugnandis.* Ait, *nunc*, id eſt, illo proximè æuo. Fuit autem Pericles circa annum vrbis CCCXX. cùm Seruius Tullius vixerit anno eiuſdem CCX. id eſt, ſæculo toto antè. Non ergo Romani à Græcis: niſi quis cenſet à finitimis Græcis in Italiâ habuiſſe. Quid ſi ab Etruſcis, aut à ſe? quis abnuat, vel adfirmet? in nocte hæc talia, niſi tuba aut lux aliqua prodat litterarum.

Vide Notas.

Lib. VII. Polit. cap. X.

BILL. Tu tamen curioſè indagaſti: ſed, quod miror, Diodori locum omiſiſti, de Sardanapalo: quem ait, libro II. Niniuen fruſtrà obſediſſe, inopiâ machinarum. *οὐ γὰρ*, inquit, *οἱ πετροβόλοι, οὔτε χελῶναι χωστρίδες, οὔτε κριοὶ πρὸς διατροπὴν μεμηχανημένοι τειχῶν, ὕπω κατ' ἐκείνους τοὺς καιροὺς ἐξεύρηντο: Non enim Balliſtæ aut Teſtudines, aut Arietes murorum euerſores, illis temporibus adhuc reperta erant.* Si autem Moyſes habuit, & deinceps Iudæi: nónne probabile perſuaſiſſe in propinquum Orientẽ? LIPS. Probabile, & ſunt tamen quæ contrà dicam.

Vide Notas.

DIALOG. IV.

Diuiſio operis, tum de Oppugnatione Subitâ & per Coronam.


SED de Inuentione, tantùm eſt: diſtinctè ad ipſas imus. quod vt ordine magis poſſit, triplices eas facio, *Machinas* preſsè magis & ſtrictè, *Tormenta*, *Tela*. Liuius mihi præit ad diſtinguendum, lib. XXVII. *Naues partim* MACHINATIONIBVS *onerat, apparatuq; mœnium oppugnandorum, partim* TORMENTIS *& ſaxis, atque miſſilium* TELORVM *omni genere inſtruit.* Tria iſtæc habetis, de quibus dicam: ſed iterùm cum diſcrimine, quia duplex *Oppugnatio* eſt, *Subita* & *Diuturna*. illam præmittã, & quæ vſui eſſe ſolent adiungam. Eſt *Subita Oppugnatio, cùm impetu, nec circumuallatione adhibitâ, incurrunt.* Ad hãc rem *Coronâ* primùm vſi, tum *Teſtudine*, ſæpè & *Scalis*, *Cratibus*, *Muſculis*, & quæ leuiores ſunt Machinarum. Si placet, iſtoc ordine videamus. *Coronam* primùm adhibeo: & ita ſolent, ad terrendum aut claudendum, ſed & ad diſtinendum. Sæpè occurrit, *coronâ cingere vrbem*; *coronâ capere, expugnare*. & valet in hunc ſenſum. Silius:

Mœnia flexa ſinu, ſpiſſâ vallata coronâ
Alligat, & telis in morem indaginis ambit.

Facit *ſpiſſam coronam*; id eſt duplicem, triplicem, aut ſuprà, vt numerus militum, aut magnitudo loci oppugnandi erat. In Ammiano: *Armatorum triplici coronâ muris circumdatis.* In Ioſepho: *Διπλῇ τῇ φάλαγγι κυκλοῦνται τὴν πόλιν, καὶ τρίτην ἔξωθεν περιΐστασι τὴν ἵππον: Duplici peditum coronâ vrbem* (Iotapatã) *cingũt, & tertiã ſeriem equitũ exteriùs ponunt.* Bonus ordo, notate. introrſum pedites, quorum inuadere; extrorſum equites, quorum inſpectare & tueri. Eteminus quidem ſeries ita duplex aut triplex; ſed cùm appropinquabãt, ratio vult magis arctatos multiplicatóſq; itẽ fuiſſe, in gyro ſcilicet aſſiduè anguſtio-

re. An non & corpora alibi militũ & cohortes relictæ, ad ſubita belli, & ſubſidiũ aut præſidiũm? opinor. Hoc etiã amplius, primò: ordines peditũ ſcutatorum grauiorũmq, fuiſſe, qui cominus aſſultarent, inuaderéntq;: retrorſum leues aut velites, vt funditores, ſagittarios, qui eminus pellerent telis, & de- A turbarent propugnatores. Obſeruate etiam in Silij verbis de *Indagine*, cum quâ comparat, à venatione: Græcit eum *Sagenâ*, dicuntq; rem ipſam Σαγηνεύειν. Id enim eſt apud Herodotum, Platonem, Herodianum, alios, *Coronâ cingere*, & includere velut piſces. Nec in hac re aliud monendum.

14



DIALOG. V.

De Teſtudine militari, quid & quotuplex ea? eius vis & robur.

SED *Teſtudo* ſequebatur, quâ ſtatim ſub muris vſi, vt tecti & conferti ſuccederent, aſcenderéntque. Cæſar libro II. *Gallorum atque Belgarum eadẽ eſt oppugnatio. hi vbi* * *circumiecta multitudine hominum totis mœnibus, vndique in murum lapides iaci cœpti ſunt, murúſque defenſoribus nudatus eſt, teſtudine factâ portis ſuccedunt.* Et quamquam Gallis hoc tribuit, Romani etiã vſi ſunt, & vulgò quidem vſi: ſed facit ideò, quia illi haud aliâ machinatione, operum ferè expertes: Romani autem & iſta adhibebant, cùm opus. Quid autem *Teſtudo*, ſiue φάλαγξ Græcis, aut * *συνασπισμός*? Iunctio corporum armorúmque, & ſcuta partim lateribus applicata, partim capitibus ſuperlata. Ab Homero exemplũ eſſe volunt:

Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

Scutum ſcuto hæret, galea galea, atque viro vir.

Sed tamen Homerus, nil niſi denſationem & confertam aciem notat: ſcuta elata ſuper caput (proprium Teſtudinis) non notat. Sed vndeunde, paſſim Romani vſi: & in triplici quidem diſcrimine, vt accuratè euoluam, *Oppugnando, Pugnando, Repugnando.* In oppugnando fuit, cùm ſcutis ſuper capita elatis muro ſuccedebant, primis altioribus, & ordine paullatim, tecti ſimplicis in morẽ, decreſcente. Cauſa, vt tela iniecta per procliue laberẽtur, & minùs inſidere poſſent aut infigi. Optimè Liuius deſcribit li- D

B bro XLIIII. *Iuuenes quidam Romani, ludicro Circenſi ad vſum belli verſo, partem humillima muri ceperunt. Mos erat tum, nõdum hac effuſione inductâ beſtiis omnium gentium Circum complendi, varia ſpectaculorum conquirere genera: nec ſemel quadrigis, ſemel deſultore miſſo, vix vnius horæ tempus vtrumq; * circulũ complebat. Inter cetera ſexageni fermè iuuenes, interdũ plures, ab apparatoribus ludi, armati inducebantur. Horũ inductio in parte ſimulacrum decurrentis exercitus erat: ex parte elegãtioris exercitij quàm militaris artis, propiorq; gladiatorium armorũ vſum. Cùm alios decurſu edidiſſẽt motus, quadrato agmine facto, ſcutis ſuper capita denſatis, ſtantibus primis, ſecundis ſubmiſſioribus, tertiis magis & quartis, poſtremis etiã genu nixis, faſtigiatam, ſicut tecta ædificiorum ſunt, teſtudinem faciebat. Hinc quinquaginta fermè pedum ſpatio diſtantes armati duo procurrebãt, cõminatiq; inter ſe, ab imâ in ſummã teſtudinẽ per dẽſata* C *ſcuta cùm euaſiſſẽt, nunc velut propugnantes per oras extremæ teſtudinis, nunc in media inter ſe concurrentes, haud ſecus quam ſtabili ſolo perſultabãt. Huic teſtudini ſimillimâ parte muri admotâ, cùm armati ſuperſtates ſubiſſent, propugnatoribus muri faſtigio altitudinis æquabantur. Id tantum diſſimile fuit, quod & in fronte extremâ, & ex lateribus, ſoli non habebant elata ſuper capita ſcuta, ne nudarent corpora, ſed* * *prætecta pugnantium more. Ita nec ipſos tela ex muro miſſa ſubeuntes laſerunt, & teſtudini iniecta, imbris in modum lubrico faſtigio innoxia ad imum labebantur.* Pulcher locus, & quid poteſt addi? In quo extremo, * *imbricis in modum*, legi aliquando volui: ſed nihil opus: & Am- D mianus quoque ab iſtâ ſcripturâ ſtat, qui velut

Coronam hic no-
Conſtuta-
* Curriculum ſortè.
* Fortè pratenta.

imbrem è tecto, delabi facit tela. Veſba eius huic rei, libro XXVI. *Coniunctis tribus nauigus, Teſtudinem hac ſpecie ſuperſtruxerunt. Denſatis cohærentes ſuper capita ſcutis, primi tranſtris inſtabant armati, alij poſt hos ſemet curuantes humiliùs, tertius gradatim inclinatis ſubmiſſè: ita vt nouiſſimi ſuffraginibus inſidentes, formam ædificij fornicati monſtrarent. quod machinæ genus contramurales pugnas ideò figuratur hac ſpecie, vt miſſilium ictus atque ſaxorum, per decurſus cadentes labiles, inſtar* IMBRIVM, *euaneſcant.* Tamen nec de *imbrice*, ineptè. & cum tegulari tecto comparat quicumque ſcriptor apud Suidam: Κεραμωτὸν, τακτικὴ διάταξις, ὅπερ ἐποίουν Ῥωμαῖοι ἐν παιδιᾶς τόπῳ: *Tegulare, ordinis quædam inſtructio, quod Romani faciebant in loco ludicri.* Quis auctor, neſcio: ſuſpicio eſt, Polybium ipſum ſcripſiſſe in hac re, quam Liuius denarrat. Ait autem Patauinus, *ſexagenos fermè iuuenes fuiſſe.* Cur illo numero? Palàm eſt, ad Ordines Romanorum aſpectum, qui tanti erant. Itaque manipulanm aut centuriaum in Teſtudines ſe conglobabant, nequis confuſionem putet, aut ordinem vel hîc neglectum. In Ammiano: *Alacris miles, & legionibus in teſtudines varias conglobatis, paullatim tuto progrediens, ſubruere mœnia conabatur.* Is autem vnus è ſſoibus, ſuccedere & ſubruere. vt in Cæſare, de Belgis: *Teſtudine factâ, portis ſuccedunt, murúmque ſubruunt.* Alter, ſuccedere & aſcendere, qui in Liuio hîc expreſſus. nam *teſtudine parti muri admotâ, cùm armati ſuperſtantes ſubiiſſent, propugnatoribus muri faſtigio altitudinis æquabantur.* Itaque ex æquo pugnabant; aut tranſcendebant, ſi amouiſſent. Tacitus III. Hiſtoriar. *iteratam* id *Teſtudinem* appellat, & quaſi duplicatam: *Non iam ſanguis neque vulnera morabantur, quin ſubruerent vallum quatercúmque portas, innixi humeris, & ſuper iteratam teſtudinem ſcandentes.* Imo indicat & tertios ſuper duplicem illam ſeriem aſcendiſſe, ſi quis verba ruminatur. De tali aſcenſu iterùm Tacitus IIII. Hiſtor. *Appoſitæ plerìque ſcalæ, alij per Teſtudinem ſuorum, ſcandebant iam quidam, cùm gladiis & armorum incuſſu præcipitati ſunt.* Hæc prima illa teſtudo, Lucani verſibus, aut pigmentis potiùs, claudenda libro III.

Vt tamen hoſtiles denſâ Teſtudine muros
Tecta ſubit virtus, armis innexa priores
Arma ferunt, galeámque extenſus protegit umbos;
Quæ priùs ex longo nocuerunt miſſa receſſu,
Iam poſt terga cadunt. nec Graiis flectere iactum,
Aut facilis labor eſt longinqua ad tela parati
Tormenti mutare modum.

Oſtendit nec Catapultas aut Balliſtas nocuiſſe, quia iam viciniores erant, nec facilè attempetare tormenta ad hos ictus. Cæſar in eadem Maſſiliæ obſidione (nam de eâ Lucanus) ita capiendus: *Cùm penè inædificata in muris ab exercitu noſtro mœnia viderent, ac tela manu coniicerentur, ſuorúmque tormentorum vſum, quibus ipſi magna ſperauiſſent, ſpatio propinquitatis interire.* At *Teſtudo* altera in *pugnâ* eſt, cùm globo facto, & tecti ſcutis, ſic inuadebant ac perrumpebant. Variè gentes vſurparunt. vt Germani, de quibus Florus libro III. *Elatis ſuper capita ſcutis, cùm ſe velut teſtudine Barbarus tegeret, ſuper ipſa Romani ſcuta ſaluerunt.* Cæſar de eâdem re, libro I. *Reperti ſunt complures noſtri milites, qui in phalanga inſilirent, & ſcuta manibus reuellerent, ac deſuper vulnerarent.* Idem: *Germani celeriter, ex conſuetudine ſuâ, phalange factâ, impetum gladiorum exceperunt.* Idem de Heluetiis: *Ipſi confertiſſimâ acie, reiecto noſtro equitatu, phalange factâ, ſub primam noſtram aciem ſucceſſerunt.* Et notetur denſatio ea firma vtiliſque eſſe, in equitatum repellendum. Sed & Romani vſi, etſi haud nimis ſæpè, quia ordines non diuellebant. Tamen vſi. & Ammianus: *Alemanni textam ſcutorum compagem, quæ noſtros in modum Teſtudinis tuebatur, ſcindebant gladiorum ictibus crebris.* Atque hæc ſecunda illa Teſtudo, in quâ nec latera ſemper tecta, nec item ſubſeſſio illa & inclinatio per gradus. Tertia in *Repugnando*, cùm ab equitatu aut leui armaturâ cincti, huc decurrunt vt in orbem ſe muniant, mediis altioribus, extremis vndique deſidentibus: & fit ea verè tunc teſtudo. Accuratiſſimè Dio Caſſius deſcripſit, in M. Antonij rebus, libro XLIX. Parthi eum premebant in receſſu, & iam inſtabant Romanis legionibus, aliquoties victores. Illi hoc commenti, vt vniuerſi teſtudinem facerent, contra impetum ſcilicet ſagittarum, equitumque ipſorum. At Parthi, quibus hoc inſolitum & aſpectu nouum, arbitrati eos defatigatione & vulneribus concidiſſe, omiſſis arcubus, & ab equis deſilientes, gladiis nudatis inuaſerunt, quaſi ad certam victoriam & cædem. Tum Romani, ſigno dato, omnes inſurrexerunt: & hoſtem nihil tale exſpectantem alacriter adorti, fuderunt fugarúntque, non vltrà moleſtum. Addit Dio: *Porrò teſtudo talis eſt, & fit hoc modo. Impedimentis, & leui armaturâ, & equite omni, in medium acceptis; grauis armaturæ pedites, illi qui oblongis & in tubi dimidiati modum factis ſcutis vtuntur, in extremis partibus, tamquam in latericio opere, pro muro ponuntur, & reliquos omnes ipſi extra ſpectantes ambiunt. Ceteri, qui latiora ſcuta gerũt, in medio denſi locantur, & ſcuta cùm ſuper ſe, tum ſuper alios attollunt; vt in totâ phalage non aliud ſit quam ſcuta cernere, & à telorum iactu omnes tutos eſſe, ob denſitatem inſtructionis. Adeò enim valide firmant, vt & ſuper eam* * *homines aliquot ingredi poſſint, imò etiam equi & currus agi, quoties in cauo & anguſto aliquo loco conſtipantur. Hæc eſt forma eius inſtructionis, & nomen à Teſtudine cepit, ob firmitatem, & quia optimè tegit. Vſus autem* * *duplex eſt. Nã in oppugnandâ munitione aliquâ ſubeunt, & ſæpè in ipſum murum quoſdam attollunt: aut circumuenti fortè à ſagittariis, inclinant ſe omnes ſimul (nam &* * *equi docti ſunt in genua ſubmittere ſe & inflectere;) & ſic opinionẽ hoſtibus defatigationis ſuæ prabẽtes, iis appropinquantibus, ſtatim terrore iniecto, conſurgunt, atq; incurrũt.* Dio iſta; & Plutarchus in Antonio haud diſſimilia: Οἱ θυρεαφόροι συνέκλεισαν ἐντὸς τῶν ὅπλων τοὺς ψιλούς, αὐτοὶ δὲ καθέντες εἰς γόνυ, προυβάλοντο τοὺς θυρεούς· οἱ δ' ὄπισθεν, ὑπερέσχον αὐτῶν τὰ ὅπλα, κἀκείνων ὁμοίως ἕτεροι. τὸ δὲ σχῆμα ἐμφερέστατον ὀροφῇ γενόμενον ὄψιν τε θεατρικὴν παρέχει, καὶ τῶν προβλημάτων στεγανώτατόν ἐστι πρὸς οἰστοὺς ἀπολισθαίνοντας: *Qui ſcuta ferebant, intra ſeſe leuem armaturam concluſerunt. Ipſi autem in genu ſe ſubmittẽtes proiiciebant ante ſe ſcuta: & qui poſt eos, ſcuta ſuper eos tenebant; atque ſuper iſtos alij ſimiliter. Quæ forma tecto ædificiorum ſimillima, & ſpeciem theatro aut ſpectaculo dignam prabet, & munimen firmiſſimum eſt contra iacula, quæ ſcilicet delabuntur.* Habetis de triplici Teſtudine, in quâ plurimùm ſubſeſſus aliquis aut inclinatio: ideoque Tertullianus ſcitè dixit, *Teſtudinem deſidere*, vt nos quidem legimus, non deſudare. Facit eò Iſidorus: *Teſtudo, ſcutorum connexio* CVRATA *in teſtudinis morem.* CAROND. Hæc habemus: ſed de Dionis aſſertione, quatit animum. Et an tanta firmitas, vt iumenta, vt currus tulerit? vereor vt * bonis humeris ſit, qui hoc ſuſcipit & portat. LIPS. Imò firmũ verumq; equidẽ puto. Quod pretiũ Dio

* Vel in ſurata teſtudine, ſuprà.
* Illum Pagna omittit: quia ratio Romani.
* Notetur.

oi me ottendi? quæ latebra etiã, in re cottidianâ & omnium tunc oculis prõpta? Sed nempe reſtrinxit, *ſi in cano & anguſto loco ſtipari*. Scilicet ibi lateribus arctatis ne diffluerent, vis maior & ſubſiſtentia: non nimis miranda, ſi ſcuta lata & longa, ſi perpetuam ſeriem cogitabis. Iuncta enim hic valida & præſertim à lacertoſis illis viris ſuſtentata, vt à columnis. Sic cenſeo, alius pro ſuo animo demat aut addat fidem. LAMPS. Imò & Oppianus his addat fidem, qui vbi equum militarem deſcribit & laudat, in Cynegetico primo:

Πολλάκι καὶ δηίων ἀνδρῶν ἐπελάσσατο πύργοις
Ἤρεμος, ἀσπιδόεντα, ὑπόπτερον, εὖτε βροτοῖσιν
Ἀσπὶς ὑπὲρ κεφαλῆς ἐπικάρσιον ἀσπίδ' ἐρείδει,
Ὁππότ' ἐέλδονται δηίων πόλιν ἐξαλαπάξαι,
Καὶ πεδίον τεύχωσι μετήορον ἐυλαβέεσσιν,
Δαιδάλεον, πυκινόν, πολυόμφαλον.


Quæ ad verbum ita licet reddere:

Sæpè & hoſtilium virorum fertur in munitiones,
Quietus, ſcutatum, pinnatum, quando hominibus
Clypeus ſuper caput elatus tranſuerſum (nam ἐπικάρσιον ibi legerim) *ſuſtentat.*
Quando cupiunt tentantq; hoſtilem vrbem exſcindere.
Et campum exſtruunt ſublimem clypeorum,
Varium, confertum, vmbonibus multis conſtantem.

Teſtudo hæc manifeſtò deſcribitur: & facit equum ſuper eam ſcandere, & ferri in muros. LIPS. Opportunus locus. qui tamen eò fortaſſe duci poteſt, vt equi equitéſque in media teſtudine habeantur, à pedite vndique tecti & clauſi. Clarior itaque iſte Ariſtidis, in Romanæ militiæ laudatione: *Viris in luminibus conſtitutis ad tutelam imperij: quorum ſcuta in caput ſublata vel currus ſuſtineant, atque etiam equitibus ſint vehendis*. Certa & liquida ea affirmatio: & quæ me quidem Dioni iungit. Sed quidquid eſt, magnum tamen robur Teſtudinis: ad quod alluſit Ammianus, de rege Perſarum: *Ipſe rex ſublimior ceteris, petitus baliſtarum ictibus certis & ſagittarum denſitate, opertura armorum in modum teſtudinis contextorum abſceſſit innoxius*. Significat ſquammeo thorace munitum regem, cuius laminæ ſiue plumæ ſic textu perpetuo ſuperpoſitæ inuicem, vt in Teſtudine ſcuta. Niſi quis malit, milites conglobatos circa eum, teſtudinem feciſſe. Sanè magnum robur hoc Thoracis, qui *Catapulticum telum* potuit ſuſtinuiſſe: etſi & tales fuêre vt è Plutarchi Demetrio liquet.

15





DIALOG. VI.

De Scalis, & earum aliquot generibus. de Sambucis.

IAM verò, præter Teſtudinem, *Scala*, etiam communiter admotæ: atque earum varia genera fuiſſe, non credo vos neſcire. Harum inuentio ad Capanea refertur, qui Thebas ſic inuadere conatus: ſed à Ioue & fulmine repulſus. In iſtis parandis, Polybij dogma & præceptum commune eſt, lib. IX. *vt ſi* (exẽpli gratiâ) *murus decẽ pedum fuerit, altitudo ſcalarum largiter ſit duodecim*. Tum etiam, vt *abſiſtentia ſcalarum infra à muro, ſit quaſi dimidia, ad ipſas ſcalas reſpiciendo*: id eſt, in dicto iam numero, pedes


circiter ſex remotę ſint à pede muri. Hoc mihi videtur dicere, etſi verbis ſatis implicitis: quæ equidē dabo & meditationi veſtræ relinquam: τὴν δὲ ἀπόβασιν τῆς κλίμακος πρὸς τὴν τῶν ἀναβαινόντων συμμετρίαν, ἡμίσειαν δεῖ εἶναι τῆς κλίμακος, ἵνα μήτε πλεῖον ἀφιστάμεναι, διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐπιβαινόντων εὐθραυστότεραι γίγνωνται, μήτε πάλιν ὀρθότεραι προστεθεῖσαι, λίαν ἀκροσφαλεῖς ὦσι τοῖς προσβαίνουσι: *Deſcenſum & inclinationem ſcalarum, ad conſcendentium menſurationem, oportet dimidium ſcalarum eſſe. vt nec longiùs abſiſtentes, in multitudine aſcendentium frangi faciles ſint; nec item rectà magis appoſitæ, lapſiles ſint aſcendentibus.* Varia autem ſcalarum genera, & quædam ex his *compactiles*, id eſt, quæ aut pluribus partibus conſtant, & plicari rurſumque explicari poſſint; aut ipſi gradus remoueri & recondi quaſi in vaginam, ſtipite coëunte. Appianus in Ibericis κλίμακας πτυκτὰς appellat ſiue *plicatiles*, has tales: & Plutarchus in Arato, διαλυτὰς, *ſolutiles*. quas Aratum apparaſſe ait, cùm de Sicyonis arce inuadendâ cogitaret, & recondidiſſe in arcis quibuſdam theciſque ruſticis, quas *Achanas* dicebant. Nempe transferri huiuſmodi iſtæ ſine ſuſpicione poterant, & minore etiam moleſtiâ: atque is finis. Sed fuêre præterea *Coriaceæ*, itémque *Reticulatæ*, aut *Stuppeæ*: de quibus in Herone, cap. XI. ſcriptum. Et illas ait *Eſſe inſtar vtrium, conſutas è corio, & inunctas ſeuo aut adipe circa ſuturas ne euaporent: eaſq; erigi ad murum ſpiritu inflatas, & dare aſcenſum. Reticulatas* autem format, *è ſtuppeis funibus, inſtar retis contextas: ad quarum ſummitates hamos adijcit, vt murorum pinnas apprehendant.* Sed & in eodem *Scalas nauticas* quas aliquoties lego, an non has eſſe dicam? quia id genus ſcalis nautæ ferè nituntur. Palàm ita appellat, vbi de Ariete, cap. XI. & iterùm de Turribus, cap. XIII. *Diadem turres mobiles, & terebram, & ſcalas nauticas* reperiſſe. Vitruuius, in eâpsâ re, incerti & laxi ſermonis eſt: & *Machinam aſcendentem* vertit, quam Athenæus dixerat τὴν ἐπιβάθραν. In fine etiam capitis: *De acceſſu, qui* ἐπιβάθραι *dicuntur*: an non melius, *aſcenſu*? nam *machinam aſcendentem* prædixit. Quòd autem eæ *Scalæ nauticæ* Heroni, ſtuppeæ ſint: liquet vel ex imaginibus eius, quas deformat, & velim vos videre. Vide Notas.
CARON. Quî poſſimus? mihi quidem Heron iſte ignotus & inuiſus eſt. ORAN. Mihi pariter, librorum & bibliothecæ aliàs curioſo. Quis autem fuit? LIPS. Sub imperatoribus Græcanicis, & in Chriſtianâ religione, quod ex ſcriptis innoteſcit, vixit: alius ab Herone illo Alexādrino, vetuſtiore, qui *Mechanica* item ſcripſit. Iſte autem Latinè editus & verſus eſt, à Franciſco Barocio Patricio Veneto, anno CIↃ.IↃ.LXXII. Titulus eſt *De machinis bellicis, & de Geodeſiâ*. Græcè nāciſci (exſtat tamen in bibliothecis) nō potui: Latina haud optima ſunt, ſed nec ſcriptio tota nimis ad veteris hiſtoriæ lucem. Iuuat tamen, & vbi videbitur, excerpam. Sunt & aliæ ſcalæ, quas ipſe *Spectatores* vocat, baſi accuratiori inſtructæ: ita, vt erigi poſſint & attolli: & in ſupremis is aliquis conſtitui, qui ſpectet quid in vrbe agatur. Is enim earum finis, & inde *Spectatorum* nomen. Agit de iis toto cap. XII. Denique in eodem, & *Scalæ* ſunt rotis impoſitæ, iiſq; procedentes, quibus ſupremis pons adhæret: qui è propinquo inicitur in muros. Tractat cap. XIX. Nec grande fortaſſe in iis quoque momentum, aut fructus eſt, niſi ſcire. Sunt autem & alia, quę etſi non formam, tamen vſum Scalarum habent: vt *Tollenones*, & *Sambuca*. *Tolleno eſt*, ait Vegetius, *quoties vna trabs in terram prealto defigitur, cui in ſummo vertice alia tranſuerſa trabs longior, dimenſa medietate, connectitur: ea libramento, vt ſi vnum caput depreſſeris, aliud erigatur. In vno ergo capite, cratibus ſiue tabulis cōtexitur machina, in qua pauci collocantur armati. tunc per funes vno depreſſo attractóq; capite, alio eleuati ponuntur in murum.* Res facilis: & traxit originem ab inſtrumentis, quibus aquam haurimus, pondera nauibus educimus: quæ *Grues* aut *Ciconias* dicunt. * Græcè γεράνους καὶ χελώνια.
Agnoſcit & has voces Heron in iſtâ re, cap. XXV. & paullò aliter deformat. Nam & canalem facit ſiue tubum clauſum, antrorſus oſtiolis aperiendum, qui in defixo ſtipite innixus, attollatur, vertatur; & vir aut viri in eo delitentes, tranſcant in muros. Facit & Torculari ſimilem machinam, quæ ergatis voluta, deprimi aut exprimi & attolli poſſit, cum ſimili tubo aut inſtrumento. Hęc in imaginibus videnda. Sed dixi è Vegetio *Sambucam* quoque huc adhiberi: quid ea eſt? nam nominatur in hiſtoriis ſæpiùs. Variè defingi video, ſed vſum tamen eius eſſe maximè in aquis. Ita enim veteres conſenſu vſurpant, atque ipſe Heron: nec alias intellegit *marinas machinationes* Vitruuius, *quæ per nauim aditus habere poſſint*, cap. XIX. lib. IIII. Tamen Vegetius in terrâ etiam adhibet, ſed, puto, ſolus. Deſcribit ipſe: *Sambuca dicitur à ſimilitudine citharæ. nam quemadmodum in citharâ chordæ ſunt, ita in trabe quæ iuxta turrim ponitur, funes ſunt, qui pontem de ſuperiore parte trochleis laxant, vt aſcendat ad murum, ſtatimq; de turri exeunt bellatores, & per eum tranſeuntes mœnia vrbis inuadunt.* Hæc bonus Vegetius, hîc & alibi ſolutus & negligens, & parùm ad genium antiquum. Longè autem aliter, vt dixi, de Sambucâ Heron, qui *ad maritimas ciuitates* admouet, & *nauibus imponit*, cap. XXV. In pluribus autem verbis ſummatim ita format, vt *duabus nauibus, iunctis firmiter, tigna imponantur: & ſuper ea, aut inter ea, pons ſtruatur: aliàs firmus & ſtabilis, ſi ſuper; aliàs, qui attolli & deprimi per funes poſſit, ſi inter tigna.* Compendio hoc dicit, & depingit: ſed minùs tamen totum hoc genus probat, vt labi aut euerti facile, vtique ſi ventus aliquis accedat aut tempeſtas. Et veriſſimè dicit: tamen quia pro magno veteres habuêre, pleniùs etiam illuſtrabo. Liuius hanc in oppugnatione Syracuſarum admotam à Marcello ſignificat, & deſcribit, etſi non nominat: *Iuncta aliæ binæ ad quinqueremes, demptis interioribus remis, vt latus lateri applicaretur, cùm exteriore ordine remorum velut naues agerentur, turres contabulatas machinamentaq; alia quatiendis muris portabant.* Obſcurè Hercules, & niſi Polybius hîc ſubueniret, Liuium vix eſſet explicare. Sed ille in totâ re, vt & in lectione iuuat: ſcribēdúmque in Liuio monet, *binæ ad octo quinqueremes.* Senſus, fuiſſe binas & binas quinqueremes iunctas, vſque ad octo. Ita enim fuit. corpus erat nauium octo, quæ vtrimque quattuor diſpoſitæ, & binæ in ſeriem ita iunctæ. Plutarchus in Marcello: ὑπὲρ δὲ μεγάλου ζεύγματος ὀκτὼ νεῶν, πρὸς ἀλλήλας συνδεδεμένων, μηχανὴν ἄρας ἐπέπλει πρὸς τὸ τεῖχος. *In magno ponte octo nauium, ſimul iunctarum, machinam* (Sambucam) *tollens, nauigabat ad murum.* Sed Polybius clariſſimè & vberrimè: *octo naues iunctas fuiſſe, quibus interiores remi ablati eſſent, relictis exterioribus tantùm: atque ita inciuatas ad murum.* Fuit ergo velut vnum corpus, pariter motum & directū: ideóque in Liuio legendum, *velut nauis*, ſingulari numero; nec ille multitudinis, mentem eius tangit. Tot igitur hîc naues; etſi Heron *duas* modò poſuit, itemq; Appianus in Mithridatico, de machinis eius regis ad Cyzicum: σαμβύκην δέ τινα, μηχάνημα μέγιστον, ἐπὶ δύο νεῶν φερόμενον, ἐποίει. *Sambucam quamdam, maximam machinam, duabus nauibus latam & inuectam, fecit.* Sed ideò illa Marcelli tanta, quia, vt Liuius addit, *turres contabulatas, machinamentaq; alia quatiendis* Vide Notas. Lib. XXIV.

muris portabat. Quod in ſuâ nihilominus Appianus agnoſcit: ἡ σαμβύκη δὲ ἐπαχθεῖσα τῷ τείχους ἐφοβει μάλιστα, βέλη τε πολλὰ ὁμοῦ, καὶ κριοὺς καὶ ἀκόντια ἀφιεῖσα. στρατιῶται δὲ σκάφεσι πολλοῖς μετὰ κλιμάκων περιθέοντες, ὡς ἀναβησόμενοι δι' αὐτῆς ἐπὶ τὰ τείχη: *Sambuca admota muris maximè exterruit. vt quæ tela ſimul multa, & arietes, & iacula funderet. Milites autem in ſcaphis circumcurſabant cum ſcalis, tamquam per eam in muros aſcenſuri.* Ita iſti Sambucam ſuam ornant: ſed quod præcipuum in eâ omittunt, de Scalis aut Gradibus in prorâ depoſitis, & in tempore alleuandis. Polybius verò nihil eorum quæ illi, tangit, ſed Scalas modò has accuratè & diffuſè deſcribit. Quæ quia interpres, vt ſolet (& quis tandem Polybio manum & ſtilum commodat?) interpres, dico, perperam & imperitè pleraque vertit: ſummam ego verborum & ſententiæ dabo, imò pænè ipſa. *Scalæ fiunt, latitudine quatuor pedum, altitudine quanta muris ſufficit & pariare poteſt. Earum * duo latera pluteis muniunt, ſuperne loriculis tegentes. Has deponunt in latus & reclinant ſuper nauium prorâ, longè ſuper roſtra eminentes. In malis antè nauium aptata trochlea, & in iis funes: quibus funibus, cùm opus eſt, ad caput ſcalarum religatis, ij qui in puppe, attrahunt eas & attollunt. Sed & in proris quidam adiuuant ſublationem fulcris aut tignis ſubrigentes. In ſupremis porrò ſcalis eſt tabula, cuius * tria latera cratibus muniuntur: in quam veluti turriculam, viri quatuor conſcendunt per dictas ſcalas, & in muros inſiliunt, cratibus remotis. Alij deinde conſequuntur. Dicta autem hæc Sambuca, quia cùm ſublatæ ſunt Scalæ, fit cum nauibus vnum quoddam corpus, & adſimile Sambucæ.* Hæc ferè Polybius. nec minutè diduco quæ malè interpres, ego aliter: quid enim opus aut inſultare, aut exſultare, in rebus haud maximis? vobis ſufficiet ipſas didiciſſe. In fine autem de cauſſâ nominis eſt. quod ita etiam in Athenæo, ex Andreâ Panormitano, refertur: ὡς ἀπὸ δύο οἷον προσάγοιτο τοῖς ἐναντίων τείχεσι, καλεῖσθαί τε σαμβύκην, ἐπειδὴ ὅταν ἐξαρθῇ, γίνεται σχῆμα νεὼς καὶ κλίμακος ἐν ποιούμενον: *quòd duabus ſuculis ad muros hoſtiles admoueatur, & dici Sambucam, quia cùm ſublata eſt, fit vnum quiddam in figurâ nauis & Scalarum.* Ipſe *Suculas* (ita ὄνους vel ἐργάτας reddimus) ponit ad attrahendum: nec negauerim commodum ita eſſe: ſed cùm Polybius nihil tale, videndum an non * ἀπὸ δύο νεῶν, *à duabus nauibus*, veriùs legatur. De ipſo illo muſico inſtrumento, formâ trigoni, videatur Feſtus in Sambucâ, tum Suidas, Athenæus, Vitruuius libro VI. cap. I. Atque hæ Sambucæ functo: in quas auxilium ferè à balliſtis, & lapidum incuſſu. Archimedes ita fecit, narrante Plutarcho: atque illas Marcelli perfregit, & à compage diuulſas in mare abiecit. Vnde Marcelli iocus, τὰς σαμβύκας αὐτοῦ ῥαπιζομένας ἐκ πότου μετ' αἰσχύνης ἐκπεπτωκέναι: *Sambucas ſuas, colaphis malè acceptas, è conuiuio & compotatione eiectas eſſe.* Ita vertimus, & adſpexit, niſi fallor, ad conuiuantium morem, qui citharœdos, ſambuciſtrias, & id genus, malè canentes aut non placentes, colaphizabant & eiiciebant. Ita igitur ſambucis ſuis factum, quæ lapidibus, vt colaphis, percuſſæ, in mare è naui eiectæ eſſent. Aliud in eas commentum legere eſt, in Vitruuij lib. IIII. cap. vltimo, & in Heronis XXV. ſed pergamus. L A M P S. Bonâ veniâ tuâ Lipſi, nihil aut parùm agimus, ſi auribus tantùm hæc machinalia ſubminiſtras. L I P S. Quid ergo ampliùs? L A M P S. Etiam oculis: & ij vno aſpectu celeriùs capiunt & diiudicant, quàm illæ multâ auditione. L I P S. Credo te verum dicere: ſed quid fiet? manus mihi ad hæc non facta, nec ingenium aut curam vmquam eò flexi. Tu vicarius eſſe vis? potes, & formaſti vel ipſos pictores; inter hos *Othonem Venium* noſtrum, ad Muſas & Gratias iuuenem factum. L A M P S. O ſi ille adſit! ſed Principis in comitatu eſt, & illi vacat: ego delineare potero, ὡς παχύτερον, ſi tu dirigis & præis. L I P S. Fiat, pinge.


*Ergo trigonâ aut roſtratâ formâ fuere. aliqui tēta munienda. Et id excutiendis telis melius.

* Nā quæ rū nauium ſpectans, non opus.

* Vt antè in Appiano.



17



D. Tollenones E. Sambuca Polybij, quarum alia et leuior forma in Heron

DIALOG. VII.

Crates, Vineæ, Plutei, Spaliones, Leſæ, Catti, & totum hoc genus explicatum.

QVARTVM, quod in ſubita oppugnatione poſui, ſunt *Crates*. Hirtius mihi auctor, priore de bello Alexandrino: *Neque noſtri aut ſcalis, aut cratibus, aut reliquis rebus parati venerant ad oppugnandum.* Duo iungit, noſtro ordine, Scalas & Crates: ſed & Ammianus. xx. *Pars ſcalas vehentes, alij anteponentes vimineas crates, velut ſcaci pergebant antrorſus.* Idem xxi. *Pluteos igitur præferentes oppugnatores, cratéſque denſiùs textas.* Hæ autem Crates in duplici tunc vſu. ſiue vt tegerent, ſic antelatæ; ſiue vt foſſas iis explerent, & mixto aggere, quaſi per pontes irent. Sic profectò Cæſar VII. Gallicorum, facit ipſos Gallos, oppugnantos Romana caſtra, *magno cratium, ſcalarum, harpagonum numero effecto,*

A *ad campeſtres munitiones accedere: ac tum clamore ſublato, crates proiicere, fundis, ſagittis, lapidibus noſtros de vallo deturbare.* Item paullò pòſt, iidem Galli, pari tentamento, *multitudine telorum propugnantes deturbant, aggere & cratibus aditus expediunt, falcibus vallum ac loricam ſcindunt.* Vbi vetus etiam Fuluij liber, *aggere & cratibus foſſas explent*, clariùs pro ſententia dicta. Tales autem *Crates*, quibus foſſas explebant, non cenſemus fuiſſe elaboratas, ad modum illarum ſtabilium, quas in obſidione defigebant: ſed leuiores, fortaſſe nec tecto aut lateribus, ſed ſimplici textu vimineo, qoem ante ſe ferebant. Sanè aliæ accuratiores *Vineæ*: quibus in *Obſidione diutina* maximè vtebantur. Cur autem has differam? opportuna res eſt, vt ſimul confinia hæc explicentur. *Vinea* igi-
B tur à ſimilitudine veræ illius dicta, quæ iugata, & in tectum alleuata. Sub illâ quia conſidere fas, & latera ſic clauſa: hæc quoque Militaris nomen ſumpſit. Nugatores quidam apud Chariſium pronunciatu diſcernunt: *Vinea*, inquit, *vuarum, & machinæ, diſtinguenda quidam exiſtimant, vt aliud per ĕ breue, aliud*

per

per ē longum proferatur. Ineptè, & ipſe reuicit: nec magis hoc diſtinguimus, quàm *Scorpium, Arietem, Muſculum, Canem,* & talia quæ πολυώνυμα ſunt. Quid autem ea, Heron ſic oſtendit cap. 1. Appellat cum additamento *Teſtudinem vineam,* quod & Appollodorus in Turnebo facit: cuius verba videre licet Aduerſ. xi. cap. xxiiii. Ad eorum, & rei totius lucem, hæc Heronis ſunto, excerpta à me pro ſenſu magis, quàm interpretis verbis, quæ ſæpè ſordent. *Ligna Teſtudinis* (Vineæ) *quæ milites ferunt, ſunt, euiuſmodi erecta in altitudinem, inæqualia, ſingula duodecim digitos circiter craſſa, quinque pedum interuallo diſiuncta. Conne ctuntur inter ſe, ſic vt quinarium illud interuallum ſemper ſeruetur. Horum quæ altiora ſunt, viri ſtaturam & dimidiatam æquant; quæ humiliora, vnam tantùm. Habent infernè cuſpides, quibus terræ infixa ſubleuant portantes. Coria appenduntur craſſa, vel cilicia; ſuperiùs autem rugoſa, non extēſa, vt in hoc tumidum aut molle tela incidentia frangantur & lenteſcant.* Ita iſte. quid Vegetius? verba eius recitari digna, ſed & explicari, nequid omniæ huic deſit. Libro iiii. cap. xv. *Vineas dixerunt veteres, quas nunc barbaro militarique vocabulo Cauſias vocant. E lignis leuioribus machina colligatur, alta pedibus octo, lata ſeptem, longa ſedecim. Huius tectum duplici munitione, tabulatis cratibuſq́; contexitur. Latera quoque vimine ſepiuntur, ne ſaxorum telorumq́; impetu penetrentur. Extrinſecus autem, ne immiſſo concrementur incendio, crudis ac recentibus coriis vel centonibus operitur. Cùm plures factæ fuerint, iunguntur in ordinem, ſub quibus ſubſidentes tuti ad ſubruenda murorum penetrant fundamēta.* Ait primò, *è leuioribus lignis* fuiſſe: craſſitie, quæ in Heroне. Sed cur leuiora? nempe quia transferri opus, & à militibus moueri. Qui hoc negant, quid oris aut mentis habent? Turnebus benè dixerat, malè illuſit ei Iuriſconſultus, qui ad Cæſarē ſcripſit. *Agebantur, proferebantur, procedebant:* & hæc talia verba in iſtâ re vſurpata: quid niſi ad indicandum eum motum? Cæſar: *Caſtris munitis, vineas agere, quæque ad oppugnandum vſui, comparare.* Salluſtius: *Vineæ cum ingenti periculo fruſtra agebantur. nam cùm hæ paullùm proceſſerant, igni aut lapidibus corrumpebantur.* Vides in tuto & eminus paratas, mox paullatim admotas. Lucanus:

Tunc adoperta leui procedit Vinea terrâ.

Malim, *procedit,* vt in Salluſtio. Hirtius viii. Gallic. *Non deterrentur tamen milites noſtri Vineas proferre.* Atque ita paullatim ad opidum ipſum admouebantur: quod Liuius clarè indicat lib. v. *Vineas tātùm non iniunctas mœnibus eſſe.* Et libro xxxvii. *Vineas & aggerem muro iniunctum.* Quod optabile ſcilicet, & finis pænè laborū: ſiue vt ſub iis Arietem tunc admouerent, ſiue (quod hîc Vegetius) ſubruerent muros. Pergit Vegetius: *Alta pedibus octo*] Eſt ferè modus, qui in Herone, viri & dimidiati. Totam magnitudinem ſi conſideras; dixeris duplicem virorum ſeriem ſub eâ ſteniſſe, quinos & quinos. Ea fuerit Decuria vna, & crediderim ſic diuiſos. Ampliùs. *Tectū munitione duplici.*] Ipſe ita muniit, nec crates ſolùm ſed & tabulas imponit: quod tamen tabulatum, magis propriè Pluteorum fuit. Ac Silij ea mens hoc verſu? lib. xiii.

Tum grauida armato ſurgebat Vinea dorſo.

An *dorſum Armatum,* rectū permutatū eſt? an Vineā *grauidam* capimus *armato dorſo,* id eſt milite? an denique, quia à tergo & dorſo armatum militem reuelat, & oſtendit? Sed & Lucani verſus neſcio an huc faciat, qui prædictus:

———*adoperta leui procedit vineaterrâ.*

An *terrâ adoperta vinea:* contra incendium ſcilicet, vt in aliis machinis aliquot audiemus. an ſenſus, proceſſiſſe in leui & æquabili terrâ? Sequitur: *Latera quoque*

A *vimine ſepiuntur.*] Atque hæc præcipua eius materies & tegmen. Ideò Cæſar ii. Ciuil. *Contexta viminibus vineæ* ideò Græci γέῤῥα dicunt. Ioſephus iii. Excidij: Οἱ μὲν πρὸς ἀλεωρὰν τῶν ὑπερθεν ἀφιεμένων βελῶν, γέῤῥα διατείναντες ὑπὲρ χαρακωμάτων, ἦγον ὑπ' αὐτοῖς: *Illi quidem ad depulſionē incidentiū supernè iaculorum, crates extendentes in ſtipitibus ſub iis fodiebant.* In Feſto: *Gerræ, crates vimineæ. Athenienſes cùm obſiderēt Syracuſas, & crebrò Gerras poſcerent, irridentes Siculi Gerras clamitabant. inde factum, vt pro nugis & contēptu dicātur.* Interdum tamen, ſi plura aut grauiora in opida tormenta, nec vim ſufferrent hæ craticeæ; faciebant è craſſiore ligno. Cæſar ii. Ciuil. præmiſsâ cauſsâ iam dictâ, *Pedalibus lignis coniunctis porticus integebantur,*
B *atque hac agger inter manus proferebatur.* Notare autem *porticus* dici. erat enim longior ſpecies, & ipſæ quoque Vineæ in ſeriem ſolent iūgi. Vegetius addit: *Cùm plures factæ fuerint, iunguntur in ordinem.*] Non ergo ſparſim & ſingulæ ita poſitæ, ſed (niſi fallor) per manipulos, cohortes, & legiones, ordinatim diuiſæ. Imò & duplicata aut triplicata, & pluries, iſta ſeries: præſertim vbi opus faciendum, vt iuxta Aggerem, Turrim, Arietem, aut tale. Cæſar clarè indicat ii. Ciuil. *Aſſeres maximis balliſtis miſſi, per* QVATTVOR ORDINES CRATIVM *in terrā defigebantur.* Niſi quis malit, quadruplices illas crates in vnius vineæ fronte fuiſſe. Vt volet: tamen quod dixi, probabile eſt, & ex re ſumptum. Pergit Vegetius: *ſub quibus ſubſidentes.*] Alij malunt, *obſidētes.* Sed de ſub-
C ſeſſione nec abſurdum, quia latentium cauentiumq́; is ferè habitus: & ſub eas ſubibant, vnde & ὑποδύσεις obſeruo à Ioſepho dictas. Denique, *Ad ſubruēda murorū penetrāt fundamēta.*] Varij vſus vinearum. Tegere, primus. qui & aliter paullo in Cæſare expreſſus, iii. Ciuil. *Pompeius noctu additis magnis munitionibus, reliquis diebus turres exſtruxit, & in altitudinē pedum xv effectis operibus, Vineis eam partem caſtrorum obtexit.* Puto eſſe, vt Vineæ in ſupremo vallo fuerint locatæ, vbi tutò miles excubias egerit: & cautum item à iactu telorum interioribus caſtris. An aliquis extra caſtra poſitas arbitrabitur, & ſic iis obiecta? Tale
D quid eodem libro: cùm *Cæſar receptui ſuorum timens, crates ad extremum tumulum cōtra hoſtem proferri, & aduerſas locari, intrà has, mediocri latitudine foſſam, tectis militibus obduci iuſſit, locumq́; in omnes partes quàm maximè impediri.* Statimque addit: *Pompeianis à recipiēdis crates directæ, longuriiq́; obiecti, & inſtituta foſſa, magno impedimento fuerūt.* Iſta in Vegetio, de Vineis: *Plutei* addideris, quos & dictione coniungo. Fuere olim è tabulis & aſſeribus, quod ipſa vox dicit: nam id *Plutei* Latinis. Diſtinguit palàm à *Cratibus* Cæſar
E ii. Ciuil. *Scaphas magnarū nauiū cratibus ac pluteis contexit.* Sicut à Vineis Plautus: *Ad eum vineas pluteoſq́; agā.* Et Liuius: *Segeſticam ciuitatē vineis pluteiſq́; cepit.* Iterùm à Cratibus Q. Curtius: *Cæsâ materiâ cratibus ac pluteis faciendis, vt qui Turres admonerent, extra teli iactum eſſent.* Nec olim, opinor, aliter: poſteà, planiſſimè aliter, & ex cratibus pluteos faciunt, corio intentos. Multa exēpla ſunt, & confuſionē fuiſſe video in materie, formâ tamen leuiter diuerſâ. Dixi olim aliter. eoque miror Verrium Flaccum ſcribere: *Plutei, crates corio crudo intenta, quæ ſolebāt opponi militibus opus facientibus, & appellabantur militares. Nunc etiam tabulæ, quibus quid præſepitur, eodē nomine dicuntur.* Facit nouitium de Tabulis, vetus de Cratibus: quod putabamus eſſe contrà. Certè nouitij ſemper pro craticio opere, vt Ammianus xix. *Inqu.... Perſa vimineis ciuitatē pluteis circumdabat.* Iſidorus: *Plutei, ſunt crates corio crudo intentæ, quæ in opere faciēdo hoſti obiiciuntur.* Abbo quidam obſidione Lutetiæ:

Mille ſtruunt etiam celſis tentoria rebus,
Tergoribus collo demptis tergóve iuuencum,
Bis binos * *treſiſve viros clypeare valebant,*
Quæ Pluteos calamus vocitat Crateſve Latinus.

Fortè ...

Miſcet apertè cum *Cratibus*, & vſum ſermonis adſert. Quid Vegetius? *Plutei dicuntur, qui ad ſimilitudinem abſidis contexuntur è vimine, & ciliciis vel coriis proteguntur, ternisq́; rotulis, quarũ vna in medio, duæ in capitibus apponuntur, in quacumque partem admouentur, more carpenti.* Formã videtis, diuerſam à Vineæ; quia hæc in abſidẽ curuata: tum etiam quia rotis innixa, quod nõ in illâ. Hi sũt quos *Leſas* appellat Georgius Cedrenus, bello Sultani in Romanos, & ſic ſonat: Διελὼν δὲ δίχα τὴν δύναμιν, καὶ τὴν μὲν στήσας ἐπὶ τοῦ ἀναστήματος, ὡπλισμένην χερσὶ μόναις τοξεύειν. αὐτὸς δὲ σκηνὰς ἐκ λύγων ἔχων πεπλεγμένας, βοείαις βύρσαις ἄνωθεν ἐσκεπασμένας, καὶ τρόχους ἐχούσας ὑπὸ τὰς τῶν βασταζόντων κιόνων βάσεις (λέσας τὰς τοιαύτας κατονομάζουσι μηχανάς), λαοῦ πλήσας, δικέλλας φέροντος καὶ σκαπάνας, καὶ ἄλλα γεωργικὰ ὄργανα, ὥστε κατὰ μικρὸν ὑποθεῖν τὰς λέσας καὶ τοῖς τείχεσι προσαρμόσαι, καὶ οὕτως ὑπορύττειν ἀνέτως καὶ ἀδεῶς τὰ θεμέλια: *Sultanus diuiſis bifariam copiis, alteram partẽ ſtare in editiore loco iuſſit, nec aliud quam ſagittare. cum altera ipſe,* * *tabernacula quædã habẽs ex viminibus texta, & ſupernè bouillis coriis operta, quibus & rotæ erãt ſubiectæ baſibus columnarum (vocant autem id genus machinas, Leſas.) has inquam machinas habens, impleuit eas copiâ militum; quos iuſſit bidentes, dolabras, aliaq́; agreſtia inſtrumenta ferre. exiſtimans ſcilicet paullatim admouere muris Leſas atque ita ſuffodere aſſiduè & ſecure ipſa fundamenta.* Video & *Spalionas* appellari ſub id æuum, ſed magis Vineas ipſas. in Suidâ: *Spaliones, ſunt machinæ apud* * *Menandrum. tentoria quædam, bouillis coriis extenſis facta, quæ lignis ad hominis longitudinem ſuſtinentur. Ea armati milites ſubeunt, atque ipſis muris appropinquantes, & ſecum fabrorum ac lapicidarum inſtrumenta ſuffodiendis muris ferentes, ita ſub terrâ ſpecus faciunt, terram ipſam egerunt, & muri partem proſternũt.* Illa ipſa, ſed paullũ vberiùs, in Agathiâ III. Hiſtor. quem licet videatis: atque is quoque *Spalionas* appellat: an quaſi *Papiliones*, quia tentoriis aſſidentia eſſent Italorum aut Gallorum, *Pauillones*. An ab eorumdem *Spallis* ſiue humeris? quia nempe ſubibant, & protrudebant iis, aut & portabant. Niſi Orientalis aliqua vox ſit: quod earum linguarum periti nos docebunt. Sed hæc igitur inferioris æui nomina: res & finis haud nimis diuerſa. Omnes enim de *ſuffodiendis muris* dicunt: quod & Vegetius ſuprà. Idem Lucanus:

Mox adoperta leni procedit vinea terrâ,
Sub cuius pluteis, & tectâ fronte latentes,
Moliri nunc ima parant, & vertere ferro
Mœnia.

Tacitus III. Hiſt. *Vitelliani pluteos crateſq́; ſuffodiendis muris, & protegendis oppugnatoribus expediunt.* Idem infrà: *Legionarius pluteis & cratibus tectus, ſubruit muros.* Nec plura opus huic rei dici. LAMPS. Vnum etiam opus, de nomine. An de induſtriâ *Cauſias* Vegetij omiſiſti, an diſtuliſti? LIPS. Diuinas, de induſtriâ. Nam in voce eâ hærebam. Cur enim *Cauſia barbarum ac militare vocabulum*, vt ait? atqui Græcum probumque eſt, & Macedonicum capitis tegmen. Quæ etiam ſimilitudo Cauſiæ cum Vineâ? non magis quàm *Galeri*, aut *Pilleri*: nec video cur ſic vocarint. Sed & libri ſcripti valdè variant: ſcribuntque, *Cauſas, Cautus, Cattos.* An à cauendo *cautia*? an potiùs *Cattos* veram vocem habemus? Ego arbitror. primùm quia barbarica ea vox, & nempe Germanica noſtrâs, qui *Fellem* ſic vocamus. Vt autẽ id animal in ſubſeſſis aut inſidiis eſt, ad capiendum: ita ſub Vineâ milites, & hinc nomen. Facit, quòd ipſa vox ita in ſcriptoribus poſteris. vt in Appendice ad Othonem Friſingenſem, de rebus Friderici Imp. cap. XXIII. *Cæſar omnem reliquum apparatum, quem ad oppugnationem ciuitatis fecerat, Talpas, Vulpeculas, Ericios, Cattos (talibus enim conſentiur nominibus) iuſſit exuri.* Vides pluſcula ab eiuſmodi animalibus nomina: & inter ea *Cattos*. Idem in Radeuico lib. II. cap. LIX. *Cremenſes magnâ audaciâ ſuper muros cum ſuis machinis, quas Gattas appellant, operiuntur.* LAMPS. At enim Lipſi, vide ne *Catti* iſti noſtri ſint, quos hodieque vocamus, montes & aggeſta quædam è terrâ. Nam collocat in mœnibus, quod aliter in Vineis ſolet. LIPS. Scio de noſtris Cattis: ſed te quoque ſcientem facio aliter ibi fuiſſe. Idem Radeuicus quippe ſubdit: *Tum Cremenſes callidè ſe intra ſuas machinas occultantes, primos quidem & de ſubtus & ſuprà callide excipiunt.* Vides latibula quædam & tegmina fuiſſe: quo ſenſu & Annales Germanici, in rebus Rodulfi primi Auſtriaci: *Quapropter rex Boemiæ copiis contractis, nouis quibuſdam inſtrumentis, quæ Catti vocantur, omnes munitiones expugnauit.* Vis clariùs? dabo & qui deſcribat pro meâ mente: ſed riſum tu atque iſti tenete, in Latinitate horridioris illius æui. Chronicum quoddam Culmatienſe exſtat, in quo ſub annum Chriſti MCCXCIII. narratur: *Dominus de Berckheim duas machinas* * *magnas, lapides proiicientes; & Cattum, videlicet inſtrumentum quo turres deſtruuntur, accepit.* Idem Chronicum, quinquennio inferiùs, deſcribit hoc modo: *Expugnauit rex hanc ciuitatem per duo* * *vaſa concaua, quæ faciebant artifices ſapientes. Vnum vas Cattus vocabatur, aliud Cancer. Erant hæc vaſa longa, quadrata, demiſſa, ex omni parte laterum clauſa. Verſus terram nullum munimen habebant, ſed verſus cœlum de tabulis fortibus ac ſpiſſis tectum, machinarum lapides minimè metuebat. Cattus leue vas erat, & faciliter trahebatur. Cùm hoc vas ad ciuitatem fuiſſet perductum, ligna quædam pro pedibus ſibi fecerunt, vt ad murum per foſſatum faciliùs poſſent peruenire. Cùm ad murum perueniſſent, iuuenes de ciuitate egreſſi ſuccideruut Catto pedes, & in foſſatum cadere coëgerunt.* O Muſam, ô leporem! & nares nonne mo veſtrûm ducit. Ah quantum intereſt puriter aliquid & ſcitè dici, aut ſic ſpurcè & ignauè! Et ſunt tamen, qui ſermonis omnem curam ſpernũt, & ſurſq; deq́; habent quid ſcribamus, quid dicamus. Ipſis hæc inertia: nos bono æui melioris fruamur, & Latinè loquamur, aut nec loquamur. Sed vt abeam à meo Catto, addo etiam in Vincentio Beluacenſi Vineas has dici *Cantibulus* vel *Chartos.* Sed pariter fortaſſe emendandum *Cattos*. Nec tamen negauerim, alibi paullò aliter *Cattos* dici, & pro *Teſtudine* aut machinâ aliâ; ſed noſtræ ferè viciniâ. Tu Lampſoni, pinge.

*Ita & Abbo, ...


*Hiſtori cum dicit.

*Fortè *Manga.* Vide infrà de Balliſtis.

*Id eſt inſtrumenta

DIALOG.

18



A. Vineæ B. Pluteus

DIALOG. VII.

Teſtudines triplices, Aggeſtitiæ, Foſſoriæ, Arietariæ.


HIs dictis *Teſtudines* vicinæ ſunt: imò en nomine inferiores ſcriptores etiā Vineas & hæc talia comprehendunt. Faciunt generale *Teſtudinum* nomen in machinas omnes has tegentes. Fortaſſe & Plinius, cùm de Inuentoribus ſcripſit: *Artemonem Clazomenium primùm Teſtudines repperiſſe.* Simile in Græcis: & probabile eſt, primò exiguas quaſdam leueſque repertas, paullatim ornatas & auctas, donec genera plura facta ſint & formæ. Quæ recenſet aliquot Heron, in Præfatione ſuâ: ſed præcipua ſunt tria, in iis quę propriè *Teſtudines* dicuntur. Prima, quę Græcis χελώνη χωςρὶς dicitur: Vitruuio reddita, *Teſtudo ad congeſtionem foſſarum.* Crebra huius mentio, præſertim apud Græcos: Latini vulgò non ſic agnominant, etſi haud dubiè eâ vſi. Cæſarem puto hanc intellexiſſe II. Ciuil. *Antecedebat Teſtudo, pedum ſexaginta, æquandi loci cauſsâ facta, ex fortiſſimis lignis, inuoluta omnibus rebus quibus ignis iactus & lapides defendi poſſunt.* Dat ei pedes LX. ſed an in toto ambitu, an ad latera? Vitruuius quidem *quadratam* eam facit, *habentem quoquouerſus latera ſingula pedum* XXV. & reliquam ſtructuram addit, non hîc, non alibi, curioſè nimis mihi ſcrutandam. Quid enim opus? alia aliis, & nobis finis, hactenus machinas tangere, non vt fabricemus, ſed vt hiſtorias illuſtremus. Ipſum igitur, ſi vultis, videte libro X. cap. XX. De hac Teſtudine, ita Polybius libro X. cùm Antiochus rex obſideret *Syringem*, validam Hyrcaniæ vrbem: Ἦν δὲ τὸ πλεῖστον μέρος τῆς ἐπιβολῆς ἐν ταῖς χωςρίσι χελώναις. τάφροι γὰρ ἦσαν τριτταὶ, πλάτος μὲν οὐκ ἔλαττον ἔχουσαι τριάκοντα πηχῶν, βάθος δὲ πεντεκαίδεκα. ἐπὶ δὲ τοῖς χείλεσιν ἑκάστοις χαρακώματα διπλᾶ ἐπέκειτο καὶ πάντων προτείχισμα δυνατόν: *Erat certamen ferè omne & conatus in Teſtudinibus aggeſtitiis. Foſſæ enim erant triplices, latitudine quidem haud minore triginta cubitorum, pro-*

fundıtate verò quindecim. In labris autem earum ſingulis vallum ſiue Sudetum erat, & in vltimo validus murus. Ita hæc reddo equidem, & capio. vt fuerint in foſſarum margine quoque, defixi valli robuſti & ſudes, iique ligati: non tamen terrâ aut ceſpite adſtructi, quia ſic viſum omnem adimere opidanis, & tueri poterant ipſos oppugnantes. Eſt planè hoc, quod * alibi doceo, Vegetij *Sudetum*. Sed notate & obiter validam munitionem, foſſę triplicis, prælargæ & profundæ: tum & muri in vltimæ eius orâ. Hæc ipſa Teſtudo eſt, *quæ* (vt Vitruuius ait) *acceſſus etiā ad murum poteſt habere*: & ſub eâ igitur murum ſubruebant.

* Lib v. de Milit.

A Liuius XXXIIII. *Iam teſtudinibus admotis murus ſubruebatur, iam arietibus quatiebatur.* Altera Teſtudo eſt, quam ὀρυγα Græci agnominant: & Vitruuius vertit, *Teſtudinem ad fodiendum comparatam.* Leuiter à priore abit: tamen abit, & *frontem eius ſtruit, quemadmodum angulos trigonorum, vt a muro tela cùm in eas mittantur, non planis frontibus excipiant plagas, ſed ab lateribus labentes, ſine periculoq; fodientes, qui intus ſunt, tueantur.* Tertia denique *Arietaria* agnominata, in quâ Aries ſuſpenditur: quam mihi commodius videtur tormentis reſeruare. Lampſoni, fac quod ſoles: me vide, pinge,

19



A. *Teſtudo ſimplex.* B. *Roſtrata.* C. *Arietaria.*

DIALOG. IX.

De Muſculo, & Cæſaris locus in eo examinatus.

AT enim ego ad *Muſculum* eo, quem dixi inter Subitæ oppugnationis inſtrumenta fuiſſe. Cæſar me docuit in III. Ciuil. cùm Gomphos oppugnare ex itinere tentaret: *Cæſar caſtris munitis ſcalas muſculoſq; ad repentinam oppugnationem, & crates parari iuſſit.* Idem de Gallis, qui Aleſiæ incluſi, cum ſubitò perrumpere Iuliana caſtra vellent: *Vercingentorix opido egreditur, è caſtris longurios, muſculos, falces, reliquaq;, quæ eruptionis cauſſâ parauerat, profert.* Vbi tranſiens moneo, malè *è caſtris* ſcribi. Quomodo enim & opido egreditur, & profert inſtrumenta *è caſtris*? Nulla iam verò ipſe caſtra habebat, & in opidum copias reduxerat: ſed nec petere à ſocijs potuit, Romanis interiectis. Vocula (*e*) abeſt libro ſcripto optimo: atque ita reformādam ſequentem cen-

A ſeo, in *Crates*. Veriſſimum eſt: & mox in re narrandâ Cæſar: *aggere & cratibus aditus expediunt.* Solent enim aggerem, id eſt virgultorum faſces, in foſſam conicere, longurios protendere à labro ad labrum, & ſuper eos cratibus iniectis, velut ponte tranſire. Sed de Muſculo, video & in Alexandrinâ vrbe cùm Cæſar rem gereret, & ſubitò deprehenſus, conaretur varia vrbis loca ſua facere, ſic Hirtium ſcribere. *Interim munitiones cottidie operibus augentur, atque omnes opidi partes, quæ minùs firmæ eſſe viderētur, teſtudinibus atque muſculis aptantur.* E ſequentibus liquet, Cæſarem hæc feciſſe, vt munitiones ſuas proferret, &

B plus loci occuparet. Itaque ſententia, Teſtudines & Muſculos admotos ad opidi minùs firmas partes, eaſque detectas. At enim vox *aptantur* ſatiſne hîc apta? non videtur: *quatiūtur, captantur*, aut tale mallem. Quid autem Muſculus? In Iſidoro lego: *Muſculus cuniculo ſimilis fit, quo murus perfoditur, ex quo & appellatur quaſi Muruſculus.* Quid dicam de ijs verbis. neſcio. An cuniculo ſimilis? cui animali, an foſſorio? Sed & murus, inquit, *eo perfoditur*: quæ verba induxère vulgò noſtros Mechanicos aut militares ſcri-

ſcriptores, vt putent & forment Muſculum acuto roſtro, & eoipſo muros perfodientem. Nihil tale olim. & eſſet hæc *Terebra* potiùs. ſed tamen Iſidoro quid faciã, ignoro. An *Muſculus Cuniculo ſimilis, ſub quo?* id verum eſſet: & eſt velut ſpecus ligneum, in quo milites cõſtituti deruunt murum & demoliuntur. Differt à Vineis, Pluteis, cùm formâ, tum modulo & firmitate. Exiguus enim eſt, & muris quaſi facie oblongior: ſed lignis validis ſtructus, & ne perfringi deſuper poſſit. Credo equidem Muſculum dictum, quia inſtar eius animalculi foderent ſub eo terram: aut quia milites, vt mures, cauum id ſubirent. Græci hoc tale nomen non habent, & ſub communi illa *Teſtudinum* comprehendunt. Atque ità etiam Vegetius planiſſimè: *Muſculos dicunt minores Machinas, quibus protecti bellatores, ſi lutum obſuerit, ciuitatis foſſatum etiam apportatis lapidibus, lignis ac terrâ non ſolùm complent, ſed etiam ſolidant, vt turres ambulatoria ſine impedimento iungantur ad murum. Vocantur autem a marinis belluis Muſculi. nam quemadmodum illi, cùm minores ſint, tamen balænis auxilium adminiculúmque iugiter exhibent. ita iſta machina breuiores, deputata turribus magnis, aduentus illarum viam faciunt.* Iſta Vegetius: qui, vt verba & deſcriptio ſunt, cum Teſtudinibus miſcet, quarum finis, æquare. Quod in eo eſt *ſi lutum obſuerit*, legendum *Sudetum auferunt*, alibi docemus. Sed de Muſculo, aliû à Vegetiano Cæſar pinxit, & ſub eo muros dirutus, vt diximus, oſtendit. Deſcribit accuratè Ciuilium ſecundo, in obſidione Maſſiliæ: atq; vtinam liber ad manum! Verba enim intricata, & plura ſunt, nec cõmemini. FVR. Quin liber ecce hic ad manum: cape. LIPS. Túne iſtum vnde in hoc rure? FVR. Nempe hoc viaticum erat, quod inſtruxi: & præſagiebam eo opus fore. LIPS. O te argutum, an malum! & hoc iam tunc agitabas? ſed cedò librum. Ait;

*Vbi ex eâ turri, quæ circũ eſſent opera, tueri ſe poſſe cõfiſi ſunt, Muſculũ ſexaginta pedes lõgũ, ex materia bipedali, quẽ à turri latericia ad turrim hoſtiũ murũq; perducerẽt, facere inſtituunt. cuius Muſculi hæc erat forma. Duæ primùm trabes in ſolo æque longæ, diſtãtes inter ſe pedes quattuor collocãtur: inq; eis columellæ pedũ in altitudinẽ quinq; defiguntur. Has inter ſe capreolis molli faſtigio cõiungunt, vbi tigna quæ muſculi tegendi cauſâ ponant, collocentur. Eò ſuper tigna bipedalia iniiciunt, eaq; laminis clauiſq; religant: ad extremum muſculi tectum trabeſq; extremas, quadratas regulas, quattuor patentes digitos defigunt: quæ lateres, qui ſuper muſculo ſtruantur, contineant. Ita faſtigato atque ordinatim ſtructo, vt trabes erãt in capreolis collocatæ, lateribus lutoq; muſculus, vt ab igne qui ex muro iaceretur, tutus eſſet, contegitur. Supra lateres coria inducuntur, ne canalibus aqua immiſſa lateres diluere poſſit. Coria autem, ne rurſus igni ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur. Hoc opus omne * tectum vineis, ad ipſam turrim perficiunt, ſubitoq; inopinantibus hoſtibus, machinatione nauali, phalangis ſubiectis, ad turrim hoſtium admouent, vt ædificio iungatur. Quo malo perterriti ſubitò oppidani, ſaxa quammaxima poſſunt vectibus promouent, præcipitataq; muro in muſculum deuoluunt. Ictum firmitas materiæ ſuſtinet, & quidquid incidit faſtigio muſculi delabitur. Id vbi vident, mutant conſilium. cupas tædâ ac pice refertas incendunt, eaſq; de muro in muſculum deuoluunt. Inuolutæ labuntur, delapſæ, ab lateribus longuriis furciſque ab opere remouentur. Interim ſub muſculo milites vectibus infima ſaxa turris hoſtium conuellunt. Compluribus iam lapidibus ex eâ quâ ſuberat turri ſubductis, repẽtinâ ruinâ pars eius turris concidit.*

*Poteſt & teſtu.

Hactenus Cæſar, ſed an Cæſar? ORAN. Ambigere te, verùm clarâ luce lux ſit? LIPS. Non eſt ſimile. Cæſaris nomen præſcribi, hoc ſcio: ſed & veterem famã & fidem eſſe, de Cæſare auctore. cùm tamen curioſè ſcriptum ipſum examino & intueor, cogor dubitare, aut diſſentire. LAMPS. Ah Lipſi, hæc illa ſunt, ob quæ ſtudia iſta & vos alibi malè auditis, quia ambitioſè ſic innouatis. In re tam receptâ, tam teſtatâ, ambigemus, ob tenuẽ aut leuẽ cauſſam? deſiſte, & antiqua. LIPS. Si vis, facio. ſed liceat tamẽ obiter dicere, multa in Cęſare iſto legi, Cęſare veteri parùm digna. Pluſcula notaui: ſed vniuersè, quàm frigida aut hians & ſupina ſæpè tota ſcriptio eſt? quàm conatur potiùs aliquid dicere, quàm dicit? Itaque obſcuritas & intricatio: denique nomen Cæſaris niſi eſſet, in tanto preno fortaſſe liber non eſſet. Quod ad verba, dico: nam res certè bona eſt, & Cæſaris ipſius, nec ſugillo. Vt in aliis quoq; libris, manus aliqua pruriẽs, colorem ſuum pulcherrimæ huic tabulæ illeuit: corpus tamen & ſtatum nõ mutauit. CARON. At enim, Lipſi, diſertiſſimi etiam viri hunc librum pro exemplari eloquentiæ habent, & ſtudioſè imitantur. LIPS. Hoc ideò, quia præſumptio de Cæſare acceſſit. Quis illum virum non æſtimet, quem conſtat alterum à Cicerone fuiſſe, imò ambiguã ei palmam feciſſe? & alia quædam fragmenta eius hoc clamant. Sed tale in iſtis libris conſpici; nos qui aures & animum (ne ſuperbum ſit) ſubactum lectione & Latinitate veteri habemus, non fatemur. ORAN. O quàm hoc iudicium offendet multus! LIPS. Sed multos, non tã benè cum humano genere agitur, vt bona & vera pluribus placeant: ſed eos mittamus. Dixi hæc in occaſione, quòd iſta Muſculi deſcriptio longa & cupioſa eſt, ſed parùm lucida: proprium in eo ſcriptore vitiũ, dicere multis nec multa. Verba videamus, & appendamus. Ait: *Muſculum LX. pedes longum.*] Liceat dubitare ſuper numero: *Sexaginta* pedes multi mihi videantur, vt Muſculus ſit, & dicatur. Deinde quæ analogia latitudinis ad hũc numerũ? nã ponit *quattuor* modò pedes latum. Enorme hoc opus ſit, & informe pro meo quidem ſenſu. Amplius, materia vniuerſa Cæſari *bipedalis* eſt (in quadrum, opinor) idq́ue ob firmitatem, quæ præcipuè hîc quæſita. Sit igitur talis; age, quis mihi dabit trabem ſexagenũm pedum, & eâ vbique diametro? rara aut nulla ſilua. Quartò, quis vſus huius machinæ, ſic longæ, ſic anguſtæ? Muro admouenda eſt. à fronte igitur, an à latere? Si à fronte; palam eſt, inutilem totum illum tractum à tergo, & porrectum corpus. Si à latere; plures tũ viri vtiles, fateor: ſed qui ſtabit, quod Cæſar mox dicit, *Quidquid ſupernè incidiſſet, faſtigio muſculi delapſum?* Nam tectum duplex, ſiue diſpluuiatum in muſculo iſto fuit, ex * Cæſare ergo ei pars in murũ dependet, quidquid inciditur, inter murum & ipſam hæret. Poſtremò, tanta & tam grauis moles (ita ſit, ſi omnia examinaris) quomodo vectibus tã facilè & citò propelli ad murum potuerit, id quoq; videndum. Ergo inclinatious numerũ arguere, & inuertere in nouenarium, *Muſculum IX. pedes longum* Omnia ſic conſentiant, & conſiſtant. Verè Muſculus, & exiguus: interuallum in longo & lato analogum, & ſuâ ſymmetriâ: columellæ nonniſi quattuor, quarum etiam numerus ideò non expreſſus: atque eæ in ſingulis capitibus ſingulæ. Denique facilè ad mouẽdum opus, & impellendum. Atquin exiguus tunc eius fructus & efficacia, inquies, quia pauci ſubibunt. Reſpondeo, pro hac magnitudine viros denos aut duodenos potuiſſe latère: ſed opus facere, ex ſucceſſione, binos & binos. Nec moueat, ſi exigua pars muri ita diruta: trãsferre enim machinam ſuam eidem illi ſubtelloies leuiter poterant, & ad infracta admouere. Sanè hoc videndum, & caput eſt: non in magnitudine Muſculi milites innouaſſe aut accuraſſe, ſed in robore & firmitate: vtq; aduerſus quoſcumq; ictus validè ſtaret. Hæc ita dubitantes dicimus: alibi nobis factum

*Columellas enim facit pari altitudine pedum quinque & eas capreolis iungit. Diſpatautem altitudo opus in ſimplici tecto. Sed nec Capreoli conueniãt.


in ſcriptis: & tamen vel ſic carpimur: quæ ratio eſt? Ab Ariſtotele didiceram: εἶναι τοῖς ἐ.. πορεῖν.. βουλομένοις προὔργου τὸ διαπορῆσαι καλῶς: *Eſſe vtile volentibus doctrinâ abundare, apte dubitare.* Per bona quædam, ſed calida ingenia, nec hoc licebit? At vident aliquid, quod nos minimè: ſcilicet nihil nos, in quo eorum oculi Homerici: & tamē exemplū numquid præbeo illuſionis? Oro vos per cōmunes Muſas, rem communem agamus, bono more, bonâ modeſtiâ: & ſiquis alibi cautior vel acutior, ſciat & ille vbi neutrū ei adeſt: In iuuentute primâ aliquis nobis fortaſſe feruor fuit, ſed quod omnes fateātur, ſine liuore: & ætas, valetudo, ſapientia mox temperarunt. Spero & in aliis, qui Palladis veræ proles ſunt: ſiqui Saturni aut Martis; abeant, & clari magis, quā boni, eſſe pergant. Quò autem ego pergo? à Muſculis ad Mures iſtos viuos, qui rodunt: ſed ad illos iam reuertor. Eſt & in Cæſare: *Quadratis regulis, quattuor patentes digitos.*] Regulæ, directa ſunt tenuiora * ligna, quibus lateres ſuos cohibet & firmat. *Patuere*, inquit, *quattuor digitos*: id eſt tot illos lati fuere in latere quoque, niſi fallor. An aliquis retulerit magis ad interuallum, quod inter regulas ſingulas? non nunc ego. Mox: *Lateribus lutoq; muſculus, vt ab igne tutus eſſet, contegitur*] Hoc quidem aliquoties legas. Vt in Vitruuio, de Teſtudine: *Inſuper verò argilla cū capilla ſubacta, ad eam craſſitudinem inducatur, vt ignis non poſſit nocere.* In Ammiano, de eâdem: *Limo adſperguntur eius ſuprema.* Inferiore quoque æuo factum. & in Nicetâ Choniate ſcriptum. *Cum Iohannes Comnenus Imp. Anazarbam vrbem obſideret, atque Armenij defenſores ſæpius machinas exuſſiſſent tandem Imperatorē iis ſuperduxiſſe* περιτειχίσματα καὶ ἱματιώματα ἐκ πλίνθων πηλίνων: *tegmina & velamenta ex laterculis luteis*: planè, vt in Muſculo hîc Iuliano. Mox: *Interim ſub Muſculo milites vectibus infima ſaxa turris hoſtium cōuellunt.*] Hic Vectibus id faciunt, è ferro ſcilicet: nec ignotum, quæ eorum vis aut forma. Græci μοχλία vel μοχλοὺς vocant, & ſunt pali è ligno, aut ferro, ad onera ſubleuanda aut promouenda. Vitruuius & torculari vertendo adhibet, eumque qui vecte immiſſo torquet, *Vectiarium* dicit. Si è ligno eſſent, lingula è ferro in altero capite addi ſolet, atque hos tales *Lingulatos* dixêre, ſiue *Roſtratos*. Vtebantur & ad muros ſubruendos, vt hîc, ſed ferreis haud dubiè. atque ita in Feſto: *Vecticularia vita dicitur eorū, qui vectibus parietes perfodiunt, furandi gratia.* Et in Gloſſis: μοχλὸς λιθουργῶν, *Vectis*. In iiſdem *Vectis*, μοχλὸς σιδηροῦς. Quia autem vſui ſæpè in militiâ, vtroq; hoc fine. ecce inter militaria exercitia erat, in vecte robur oſtentare. Salluſtius de Pompeio: *Cum velocibus curſu, cum validis vecte certabat.* Et vtiles ſanè iſti ad lapides prægrandes emouendos emoliendúſque, vti ſæpè in veterum muris: vbi minores aut infirmiores Dolabris magis hoc peragebant. Liuius XXI. *Cum muros defenſoribus nudaſſet, tum Annibal occaſionem ratus, quingentos fermè Afros cum dolabris ad ſubruendum ab imo murum mittit.* Diſtinguit à *Securibus* idē Liuius, XXVIII. *Et aliis partibus ſecuribus dolabriſq; cædebantur & refringebantur portæ.* Tacitus III. Hiſtor. *Mox cōuerſus ad ſingulos, nū ſecures, dolabras, & cetera expugnandis vrbibus, ſecū attuliſſent, rogitabat.* Forma Dolabræ in columnâ Traiani crebra eſt, quâ milites ligna cædunt, ad muniendū. Eo ſenſu Corbulo apud Frontinum: *Hoſtem dolabrâ vincendum eſſe*: id eſt, opere & munitionibus. Iuuenalis item, de Mario:

Si lentus pigrâ muniſſet caſtra dolabrâ.

Forma eſt ſecuris, ſed vnicâ & ſimplici acie, parte alterâ in mucronē acuminatâ, quæ ſeruiebat maximè muris deruēdis, vt prior illa vallo & lignis cædendis.

*Lateres hodie dicimus.

20



A. *Muſculus Cæſaris* B. *Muſculus vulgi falſus.*

IVSTI LIPSI POLIORCETICΩN

SIVE DE MACHINIS, TORMENTIS, TELIS, LIBRI II.

DIALOGISMVS I.

De Circumuallatione. Eius multiplicis & operoſa exempla.

ABSOLVISSE me cenſeo quidquid ad *Subitam* oppugnationẽ: ordo me vocat ad *Diuturnam*. Etſi quædam è iam dictis, vt *Teſtudines*, vt *Vineæ*, etiã ad hanc adhibita, memini in loco monere. Diuturna igitur oppugnatio adhibita ſcilicet, vbi prior non ſucceſſiſſet: & aut artibus ingeniiſque vincendi hoſtes, aut longa fame domandi erant. Sed hanc exſpectare anceps, arduum: & ideò ad maiora Opera aut Tormenta cõuerſi. Inter Opera primum, *Circumuallatio*. Ea ſollenniter olim adhibita Græcis Latiniſque, cùm premere obſidio munitionem aut locum vellent. Cauſſa iuſtiſſima. claudere enim prius erat, ne nuncij, cibi, auxilia intrarent, tum & nequis exiret: ſed etiam vt ſeſe obſidentes munirent, contra ſubitas eruptiones. An & cauſſa etiam aliqua, Terror? Certè enim metum, aut & deſperationem, concipiant neceſſum eſt, qui vident ſic arctè ſe claudi: & quamquam cetera adſunt, cogitatio tamen illius carceris nocet, tum & fiducia aut pertinacia hoſtilis. Ergo plerique olim circumuallabant, ij quidem quibus cura aliqua bonæ militiæ, aut ars. Græcis ſæpè nominatur περιτειχισμὸς καὶ περιτείχισμα, hoc ſenſu: & ij quoque accuratè vſi. Veteres eorum hiſtorici πλίνθους ἢ πλινθία ad hos muros ſtruendos adhibent: id eſt *lateres aut laterculos*, ſed crudos ſcilicet, nec ratio aut otium fuiſſe videtur ad exequendum. Et ſi Figulos tamen * alibi plurimos in eorum exercitu lego: ſed non hoc fine, exiſtimo; potiùs ad militandum. Fuêre igitur, vt Romanorum ceſpes: etſi de modo aut magnitudine neſcio, niſi æquabilem tamen & vniformem fuiſſe. Docet Thucydides, lib. II. qui Platæẽſes obſeſſos à Peloponẽſiis & muro clauſos, *dimenſos eminus dicit altitudinẽ iuſtã muri, ex numero & modulo laterculorum: atq; ita ſcalas apparaſſe ad tranſcendendum*. Poſteriores, etiam vallis & ſtipitibus interpoſitis vſi videntur, ex Polybij XVII. vbi Græcam Romanámque militiam hac parte compoṅit. In Romanorum porrò vallo quid fuerit, * alibi diximus: nunc addo, non ſimplicem ſæpè hunc murum fuiſſe, ſed duplicem, contra exteriorem etiam hoſtem. Si enim auxilia metuebantur, & vis aliqua maior: ipſi ſeſe includebãt, ne ſubito aduẽtu aut impetu poſſent ſuperfundi. Hoc in obſidione illa Platæenſium factum, Thucydides ſic deſcribit: *Circumuallatio tota Peloponneſiorum habebat duos ambitu ſiue* A *muros. Vnum in Platæenſes ipſos; alterum exteriùs ſpectantem, & ſi quis Athenis vellet adoriri. Diſtabãt inter ſe pedes ſedecim interuallum medium inædificabatur tabernaculis vigilum & cuſtodum, per ſua diſcrimina. Ea tamen ita crebra & perpetua erant, vt totum opus vnus murus videretur craſſior, & qui pinnas vtrimque haberet. Inter denas autem quaſque pinnas, Turres erant magnæ, & æquali craſſitie, quæ tangerent interiorem & exteriorem frontem. ſic, dico, vt ambire eas non liceret, ſed per medias ipſas tranſeundum eſſet.* Nec obſcura tota ea res, aut aliter illuſtranda. Atque opus, fateor, per ſe nec vile, nec improbum: ſed quid ad Romana, ſi contẽdis? Multa exempla ſunt: ſed quia eligere mos noſter, nõ colligere; pauca dabo illuſtriora. Primùm, P. Scipio minor, Carthaginem cùm obſideret, ita eã & ſe cinxit, in Appiani Libyco: B *Iſthmo potitus in quo vrbs ſita, foſſam inibi duxit a mari ad mare: ipſe ab hoſte ſemotus, quantum teli iactus eſſet. Atque illi quidẽ inſtabant & impedire conabantur, ſed Romani operantes ſimul & pugnãtes opus perfecêre, quod ſtadia viginti quinque in fronte habebat. Ea foſſa abſolutâ, alterum haud procul inde duxit, pari magnitudine, quæ ad mediterranea ſpectabat: iterúmque duas ſimiles iis circumponens, totum opus * quadrangulum fecit. Omnia deinde vallis acutis muniit, & poſt vallos, alias foſſas duxit. Parte autem ea, qua Carthaginem ſpectabat, murum vallúmque ſtruxit, in viginti quinque ſtadia: altum, abſque loricâ aut pinnis, pedes duodecim, itemq; abſque turribus, quæ per ſpatia interponebantur. Craſſities autem muri quaſi dimidiata. id eſt pedum ſenûm. In medio autem eius propugnaculum excelſum erat, & in eo turris lignea, quatuor tabulatorum, vnde proſpicere erat, quid in vrbe agerent.* C *Hæc omnia ſpatio viginti dierum & noctiũ* (breuitas temporis notetur) *abſoluit, toto exercitu per vices pugnante & operante, ne vix cibum aut ſomnum capiente, quem deinde vniuerſum intra ſeptum iſtud induxit, & locauit. Atque hæc ei ſimul & caſtra erant, & munimentum: vnde egreſſus & impetum faciens, commeatum auferebat, qui terrâ inuehebatur. Nam hac ceruice exceptâ, reliquâ parte, mari Carthago alluebatur.* Hoc Scipionis opus, facile intellectu, ſi quis ſitum Carthaginis veteris, pictum in tabulis, cum lectione iſtâ conferat. Nec contentus terrâ ſic clauſiſſe, mare iis adimit, portu per aggerem clauſo & interſepto. quem ille duxit & ſtruit a tenui illâ *veluti terræ faſcia, quæ inter lacum & mare interiecta Lingua dicebatur. Progrediens autem illinc in mare, &* D *rectà in os portus tendens, firmauit opus magnis ſtipatis*

* In Plutarchi Ageſilao.

* Lib. v. de Mil. Rom. Dialog. II.

* Vt ſolent Romani ſua caſtra.

que lapidibus, ne à ſinlibus auferrentur. Erat autem ſuperne latitudo Aggeris, pedum vigintiquatuor; infra autem & in aquis vel quadrupla. Id opus initio Pœni irridebant, vt tardum & longum, aut potiùs numquã abſoluendum. Sed cùm tantus ille exercitus operas conferret, nec diu aut nocte intermitteret, terrus, parte aliâ portum ſibi fodere, ad medium mare cœperunt. Grãde profectò & admirabile hoc quoque opus conſideranti, & in quo pertinax labor naturã pænè vicit. At enim idem Scipio, cùm Numantiam, in Hiſpaniâ vrbẽ nobilem, obſideret; grande quoq; opus, & tale (Appiano in Ibericis narrante) ſtruxit. Erat ambitus Numãtia ſtadiorum vigintiquatuor: circumuallationis quam parabat, ſupra eius duplum. Atq; id ſpatium diuiſum totum per partes operantibus fuit, & cuiq; parti præfecit quidã, operis exactores & probatores. Prædixit autem, vt ſi quid hoſtes impedirẽt aut turbarent, ſignũ in eâ parte tollerent, de die quidẽ veſtem purpuream in longâ perticâ; de nocte ignẽ: vt ipſe Scipio & Fabius Maximus eius frater, in neceſſarius alibi incẽſi, poſſent ſuccurrere. Vt igitur hæc perfecit, alterã foſſã iterũ duxit, haud longè ab illâ, & vallos in ea defixit, & murũ inædificauit. cuius latitudo erat, pedes octo; altitudo, decem abſq; propugnaculis. Turres autẽ vbiq; interpoſita, per ſingula iugera, ſiue centenos pedes. Lacum autem contiguũ cùm non liceret muro permadere aut inſtruere, * Aggerem ei iniecit, parem muro & altitudine, & craſſitie, vt is eſſet loco muri. Cùm autẽ & fluuius Durias, præter opidũ fluens, vtile obſeſſis eſſet, tum ad emiſſionẽ & receptionem hominũ, tum ad victũ (nã & vrinatores tranſibãt, & ſcaphis iterãt, vẽto grandiore, aut & remis, adiuta.) nec iungere id põte facile eſſet latũ & violentũ propugnacula duo in vtraq; ripa conſtituit, loco pontis, & ex propugnaculis iis, funibus ſuſpẽndit trabes longas, & per totũ flumen pertinentes. quibus infixi velut gladij & tela acuta erant, quæ trabes impulſa à flumine, aſſidueq; rotantes, neque natantes, neque nauigantes, ſed nec vrinatores patiebantur latere aut tranſire. Quod maximè Scipio volebat, vt nemine ingrediente aut tranſeunte, ignari eſſent omnium, quæ extra gererentur. Vt autem parata ſic ſunt omnia, & curribus catapultæ impoſita, & balliſtæ, & ad pinnas ac propugnacula appoſiti lapides, tela, & iacula; caſtella autẽ ſagittarij & funditores habuerunt: cum nuncios diſpoſuit per totum opus, qui die ac nocte, alij ab aliis dicta excipiẽtes ſignificarent ei quidquid ageretur. In turribus autem iuſſit, ſi quod eueniſſet, ſignum tolli in primã, dico, earum, vbi periculum eſſet. Et ſequi deinde atque attollere conſequenter alias, cùm illud in primâ vidiſſent: vt per ſignum quidem celerrimè cognoſceretur motus aut hoſtium molitio, ſed certitudo rei per nuncios. Exercitũ porrò vniuerſum, cum ad LX. millia pertingeret, vnà cum incolis auxiliarium dimidium eius diſpoſuit ad muri vallíq; cuſtodiã, viginti autem millia oppugnationi reſeruauit, ſi quando ea eſſet, & ſubſidium eius reliqua decem millia. Locus autem & ſitus omnibus aſſignatus: nec mutare, niſi iuberentur, licebat. Ad mandata autem ſubitò ibant, & parati erant ſicubi ſignum ſublatum eſſet. Ipſe etiam Scipio, vniuerſum hoc opus * quinquaginta ſtadiorum, quaque die ac nocte circuibat. Scipionis hæc opera, & circumuallatio, induſtriæ & curæ plena: atque omnia, tanto Imperatore digna. Sed Octauiani etiam Cæſaris, poſteà Auguſti, circumuallationem adnoto, in Appian. v. Ciuil. paullò maiorem, & breuiter recenſendam. L. Antonius in diſſenſu illo ciuili, Peruſiam ſe contulerat. quem inſecutus Cæſar, cum omni diligentiâ, copijs opus facere iuſſis, vallo & foſſâ, quinquaginta ſex ſtadia amplexus, clauſit. ſed & * brachia longa ad Tiberim vſq; protendit, ne quid in vrbem poſſet inferri. Cõtrà Lucius, ipſe quoq; ſimili vallo & foſſã, pedes collis muniebat. Cæſar deinde, cùm copias adueniẽtes Aſinio & Ventidio oppoſuiſſet, celeriter Peruſiam rediens, foſſas ſudibus valliſq; muniuit, & latitudinem atque altitudinem earum auxit, vt hæc vtraq; triginta pedũ eſſent. Sed & murũ auxit & eleuauit, & turres in eo ligneas ad mille quingẽtas ſtatuit, ſexagenos pedes inter ſe diſtantes. Sed & pinnæ crebræ erat, & alius apparatus: eaq; omnia duplicata, & velut bifrons circumuallatio; tum contra obſeſſos, tum etiam ſiquid externi auxilij adueniret. Ita Auguſtus: in quo opere turres maximè miremur, tot & tam crebras. Sed quid hæc colligo? Cæſar ille Iulius, qui in omni re militari ſuper omnes, etiam in iſtâ fuit. Cõmentarij eius variè oſtendunt: ſed adſumatur vna nunc Aleſiæ obſidio, in quâ res geſtæ quantas audere (Velleij verba & iudicium) vix hominis, perficere, pæne nullius, niſi Dei, eſſet. Age verò, verba ipſa & narratio Cæſaris audiantur: quis legit? FVR. Ego libens, & tu paullùm interquieſce. Ait:

Ipſum erat opidum (Aleſia) in colle ſummo, admodũ edito loco, vt niſi obſidione oppugnari nõ poſſe videretur. cuius collis radices, duo, duabus ex partibus, flumina ſubluebant. Ante id oppidum planities circiter millia paſſuũ tria in longitudinẽ patebat, reliquis ex omnibus partibus colles, mediocri interiecto ſpatio, pari altitudinis faſtigio, opidũ cingebant. Sub muro, quæ pars collis ad Orientem ſpectabat, hunc omnem locum Gallorũ copiæ compleuerant, foſſámq; & maceriam ſex in altitudinem pedũ * produxerant. Eius munitionis, quæ ab Romanis inſtituebatur, circuitus vndecim millia paſſuum tenebat. caſtra opportunis locis erãt poſita, ibiq; caſtella vigintitria facta. Cæſar deinde, animaduerſo Gallos in vrbem copias reduxiſſe, bellum velle ducere, auxilia totius Galliæ exſpectare, auget munimenta, & ſic ait poſt pauca:

Quibus rebus cognitis ex perfugis, Cæſar hæc genera munitionis inſtituit. Foſſam pedum XX. latam, directis lateribus duxit vt eius ſolum tantũdem pateret, quantum * ſũma labra diſtarẽt. Reliquas omnes munitiones ab eâ foſſâ pedibus quadringẽtis reduxit: ad hoc cõſilio, quoniã tanta eſſet neceſſariò ſpatiũ amplexus, * ne facile totũ opus coronâ militum cingeretur, ac de improuiſo aut noctu ad munitiones hoſtiũ multitudo aduolaret, aut interdiu tela in noſtros operi deſtinatos conijcere poſſent. Hoc intermiſſo ſpatio, duas foſſas quindecim pedes latas, eâdem altitudine perduxit: quarum interiorẽ cãpeſtribus ac demiſſis locis aquâ ex flumine deriuatâ cõpleuit. poſt eas aggerem ac vallum duodecim pedum ſtruxit, huic loricã pinnaſq; adiecit, grãdibus ceruis eminentibus ad cõmiſſuras pluteorũ atq; aggeris, qui adſcenſum hoſtium tardarent. & turres toto opere circumdedit, quæ pedes octogenos inter ſe diſtarent. Ad hæc rurſus opera addendũ Cæſar putauit, quo minore numero militum defendi munitiones poſſent. Itaq; truncis arborũ, haud admodũ firmis ramis abſciſis, atq; horũ delibratis ac præacutis cacuminibus, perpetua foſſa quinos pedes alta ducebatur. huc illi ſtipites demiſſi, & ab infimo reuincti, ne reuelli poſſent, ab ramis eminebãt. quini erãt ordines coniuncti inter ſe atq; implicati, quo qui intrauerant, ſe ſe ipſi acutiſſimis vallis induebãt. Hos Cippos appellabant. Ante hos obliquis ordinibus in quincuncẽ diſpoſitis, ſcrobes triũ in altitudinẽ pedum fodiebantur, paullatim anguſtiore ad ſummum faſtigio. huc teretes ſtipites, feminis craſſitudine ab ſummo præacuti & præuſti, demittebantur ita vt nõ amplius quatuor digitis ex terrâ eminerent. Simul confirmãdi & ſtabiliẽdi cauſſã, ſinguli ab infimo ſolo pedes terra exculcabantur: reliqua pars ſcrobis, ad occultãdas inſidias, viminibus ac virgultis integebatur. Huius generis octoni ordines ducti, ternos inter ſe pedes diſtabãt. id ex ſimilitudine floris Lilium appellabant. Ante hæc, taleæ pedẽ longæ, ferreis hamis infixæ, totæ in terram infodiebantur, mediocribuſq; intermiſſis ſpatiis, omnibus locis diſſerebantur. quos Stimulos nominabant.

* E lapidibus & ligno fabricat.

*Sunt millia · ſex & duo ſtadia.


* σκέλη μακρὰ

* Leg. prod.

* Libri quidem ſumma.

* Lego, nec.

21



22



23



CARTHAGINIS OBSIDIO.

DIALOG. II.

Cæſar totus explicatus in verbis quæ ſuprà. Brachia, Lorica, Cerui, Stilicaci, & alia vicina.

A

LIPS. Satis mi Furi, deſine. audiſtis quid in totâ eâ munitione fuerit; &, ſi mens ibi & attentio, nitari haud dubiè multiplex & pænè infinitum hoc opus fuiſtis. CAR. Audiimus, ſed hoc tãtùm. Confuſa alibi aut obſcura narratio, & plenè capere ſi nos vis, per partes diſpone, & illuſtra. LIPS. Age, fiat. Cæſari hoc detur; ſed & Operi, quod, me iudice, meretur memoriam & vitam. Sunt in eo toto tres partes, *Interior munitio*, & *Exterior*, tum *Circumuallatio* his interiecta. Ego de *Circumuallatione* primum dicam & excerpam: quia reipsâ prima fuit (Foſſis B dumtaxat exceptis) & reliquæ munitiones mox adiectæ. Ea habuit has partes, *Vallum*, *Loricam*, *Ceruos*, *Turres*. Videamus ſingillatim: & primò

VALLVM. Id fuit *pedum* XII. vt ait: nec definit de latitudine aut altitudine: an quia idem fuit? Solet aliquoties: & in Hirtio leges, *Vallum decem pedes altum, cuius agger tot pedes in latitudinem patebat.* Et opus omnino latitudine fuit, ad inſiſtendum & defendendum. Quid in reliquâ ſtructurâ eius fuerit, curioſè diximus in iis quæ de MILITIA. Nunc addo, nomen aliquando variare, & *Brachium* appellari. Hirtius in bello Hiſpanienſi: *Cæſar munitionibus Ateguam oppugnare, & brachia circumdare cœpit.* Idem in bello Alexandrino: *Caſtellum C quod rex muniverat, brachiiſque cum opere caſtrorum muniverat.* Liuius XXXVIII. *Nicodemus intempeſtâ nocte, ſuperato brachio, in vrbem penetrat.* Lucanus.

——*fonteſque & pabula campi*

Amplexus foſſâ, denſas tollentia pinnas,
Ceſpitibus crudaq́ue extruxit brachia terrâ.

Apertè vallum ita nominat, & Ceſpitibus ſtruit, & Pinnas etiam addit. Cauſſa nominis, quòd eiuſmodi valla in brachium & cubitum ferè curuantur: vnde & à Græcis ἀγκῶνες dicuntur, ſiue & σκέλη, *Crura*, vt in Appiani ſuprà verbis. Alioqui flexus illi etiam & ſinus terræ, *Brachia* ſimili cauſsâ, appellantur. vt in Curtio, libro VI. *Duo terræ eius velut brachia excurrunt, media flexu modico ſinum faciunt, Lunæ ſimilem.* Ouidius:

——*nec brachia longo*
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Pars ſecunda Valli, *Lorica*. Ea vox varia ſignificatione innotuit. pro tegimine pectoris militari: vt frequentiſſimè pro tegmine aliarum etiam rerum, aut B inductione: vt in Vitruuio, *Lorica ex calce & arenâ inducantur.* In Varrone: *Parietes opere tectorio loricandi.* in Plinio: *Ichneumon limo ſe mergit & loricat.* Imago eſt & traductio ab illa militari, quæ corpus amplectitur & tegit. Paullatim longiùs etiam itum, & obiectio aliqua aut tegimen nobis antepoſitum, ſiue munitiuncula, *Lorica* dicta. Ita muruli in ambitu, minores valli minuſque lati: ſed & è cratibus, aut tabulis pluteiſque ſepimenta, in hoc nomen venêre. De murulis, in Curtio libro IX. *Anguſta muri corona erat, non pinnæ, ſicut alibi, faſtigium eius diſtinxerant, ſed perpetua Lorica tranſitum ſepſerat.* Significat muri eius, quem Alexander animosè conſcendebat, Loricam non fuiſſe vt aliàs C vulgò, Pinnis diſtinctam: ſed ſine apprehenſione aut tranſitu, continuò ſtructam. Eò ægrius fuiſſe, ſtare illic aut hærere. Ammianus: *Muros altius extollebat, hac loricâ celeri diligentiâ conſummatâ, in*

Digitized by Google

into locandam ſecuritatem ſuam exiſtimans. Idem iterùm, libro XXV. *Erat in hac regione extentum ſpatium & rotundum, loricæ ambitu circumclauſum, deſtinatas regijs voluptatibus feras continens.* Viuarium fuit, & muro ſimplici circumductum. Sed & alia ambitio aut ἀμφίβολος ſic dicta. vt Apuleio libro VI. *Dum ſic mecum vocatur comes, iam domus eorum extremam loricam perueneramus.* Itaque in Deuteronomij cap. XXII. vbi στεφάνην Græci verterunt, quidam è Latinis *Loriculam*: ſtructuram ſcilicet illam ſupernam ædium qua Solaria ſua ambiebant & cingebant, contra caſum aut delapſum. Nam plana tecta eorum eſſe ſolebant, ad apricandum aut inambulandum: atque in orbem iſti murule, quibus innitentes fas erat deſpicere. Dauidi hoc factum, quem ſacræ litteræ aiunt *deambulaſſe in ſolario domus regiæ*, & vidiſſe lauantem illam, quam in omni vità pœnituit vidiſſe. Pro vallo autem aut terreo murulo, Tacitus III Hiſt. *Loricam vallumq; per fines ſuos Treuiri ſtruxere.* Iterum IIII. Annal. *Sabinus foſſam loricamq; contexens, quattuor millia paſſuum ambitu amplexus eſt.* Florus de Scipione, ad Numantiam, libro II. cap. XVIII. *Foſſa atque loricà, quattuorq; caſtris circumdedit.* Idem de Cæſare, ad Gergouiam, lib. III. cap. X. *Octodecim caſtellis, ingentiq; [quaſi] loricà circumdatam, fame domuit.* Dele incluſam à me voculam, auctoribus libris. Sed & ligneum ipſum vallum, ſudibus turribuſque inſtructum, Vegetius vult ſic dictum. lib. IIII. cap. XX. *Obſidentes vltrà teli iactum foſſam faciunt, eamq; non ſolùm vallo & ſudibus, ſed etiam turriculis inſtruunt, vt erumpentibus è ciuitate poſſint obſiſtere. quod opus Loriculam vocant, & ſæpè cùm obſidio deſcribitur, inuenitur in hiſtorijs,* LORICA VRBEM ESSE CIRCVMDATAM. Ita Vegetius quidem: ſed vetuſtiores tamen ſic locutos, haud temerè dixerim, imo cum diſcrimine ferè, quod monui, & vt pars modò Valli *Lorica* ſit. Illud tamen æuum ſolet, & paulò ſuperiùs, vt ex Flori locis liquet. Iam de *Cratibus* & vimineà ſæpe: ecce in Cæſare ipſo V. Gallic. *Turres contabulantur, pinnæ, loricaq; ex cratibus attexuntur.* In Hirtio, VIII. Gallic. *Pontes conſtrati, quorum frontes vimineâ loriculâ muniuntur.* De *Pluteis* autem, in hoc loco Iuliano, quem legimus: *Ad commiſſuras pluteorum, atque aggeris.* putamus enim loricam intellegi putealem, locumque ſignari, quà aggeri & vallo iungitur. Clariùs hoc in VII. Gallic. *Duabus retentis portis, ceteris obſtruxis, pluteos vallo addit.* BILL. Satis noua & inopinata me doces: nec ego de hoc ligneo genere loricarum ſuſpicatus vmquam fui. Cæſaris illa, ſic capiebam: quaſi Pluteos additos, id eſt antepoſitos præfixoſque vallo vellet, contra reſciſſionem eius & demolitionem; quem falcibus aliiq; apparatu ſolent moliri. Obſtitiſſe igitur tunc Pluteos. LIPS. Nec abſonum hoc, aut nimis futile: ſed firmius tamen noſtrum videtur. vt ſepes ſic craticeas, aut & & ligneas, ſtruxerint, poſt quas tuti eſſent. Ita enim & Vineas, & Pluteos, ex hac materie ſtruebant, & eodem fine: vnde, vt puto, exemplum. Tela ſanè illa veterum, his aut inhærebant, aut frangebantur: denique facile, & non in arduo, hoc opus. Pro eo autem & Hirtius mihi videtur, VIII. Gallic. *Caſtra imperat vallo pedum XII. muniri, coroniſq; pro hac ratione eius altitudinis inædificari.* Ita vulgò, nec peſſimè: & poſſit *Corona* eſſe, quod στεφάνη iam dicta in libris ſacris. Sed libri tamen ſcripti conſentiunt legere, *Loriculamq; pro hac ratione.* Ergo teneamus, & quia INÆDIFICANDI verbo vtitur, ligneam fuiſſe ſuſpicemur. Hîc ſuſpicio, at in Suidà aſſertio: Δρύφρακτοι, inquit, ξύλινοι θώρακες, ἢ περιφράγματα τὰ νῦν σανιδωτὰ καλούμενα: *Dryfracti, lignea Loricæ, quæ nunc tabulata vocantur.* Nihil clarius: & nomen ipſum factum, παρὰ τὸ ταῖς δρυσὶ φράσσεσθαι: ab

A
B
C
D
E

eo, *quòd lignis munitio hæc fiat.* In eodem ſcriptore: θωράκιον, τὸ τεῖχος. θωρακίοις, προμαχῶσι, δρυφράκτοις ξυλίνοις: *Thoracium ipſe murus. thoracijs, propugnaculis, Loricis ligneis.* Atque hæ Loricæ murorum vallorumq; ſunt, pinnis diſtinctæ; ἐπάλξεις Græcis, προμαχῶνες, & creberrimè Latino ritu θώρακες ſiue θωράκια, *Loricæ aut loricula* dictæ. BILL. Maiores tenuerunt, & paullùm modò vetuſtiores muri noſtri Europæi habent: idq; cum diſtinctione iſtâ Pinnarum. Hodie omitti placuit Pinnas, ob infirmitatem: etſi *Loricas* tenemus, & noſtro verbo *Parapettos*. Sed altitudo, ſodes, Lipſi horum talium quæ fuit? LIPS. Haud ſtabilis ſemper aut exactè eadem: & in Hirtio audiſti; *Loriculam pro ratione altitudinis inædificari.* In humili ergo vallo, humiliorem paullò; grandiuſculam, in altiore. In Ioſepho lego, velut de more, ſed in amplâ Hieroſolymorum munitione, *Loricas trium pedum altitudine fuiſſe; Pinnas, duorum.* Et ſanè ea menſura ad viri modum ſit, atque abundè ei tuendo. Sint & quattuor pedes, in vniuerſum: ſuffecerint in caſtrenſi vallo. Sed ad partem Valli tertiam venio, qui ſunt CERVI. Non ij quidem in omni vallo, non: ſed hîc à Cæſare adtexti, maiori tutelæ & ſecuritati. Quid ergo ij ſunt? *Ceruus* inquit Varro, *à ſimilitudine cornuum ceruus.* Sunt igitur ramoſi trunci arborum, in eam faciem: atque ij firmiores aliâs, aliâs infirmi. Iſti teneriores & infirmi, *Ceruoli* dicebantur, verbo diminuente. In Hygino: *Ceruoli, trunci rameſi. ad hos decurritur, ſi ſoli naturâ, nimiâ teneritate, ceſpes frangeretur.* Vtebantur his igitur in vallo ſtruendo, ad terram coërcendam adſtringendamq;, identidem interiectis. Nos hodiéque facimus & ſic idem Hyginus: *Nec vallum exſtrui, nec foſſa fieri poteſt, vt non ripæ decidant, quoties Ceruoli deſunt.* Quod tamen vbi legitimus denſuſque ceſpes, vix opus. De his Ceruolis, Frontinus etiam, lib. I. cap. V. *Pelopidas vallum, ceruolis & alio materiæ genere conſtructum, incendit.* Virgulta hæc fuiſſe mixta copioſè indicat, tum & ſudes, ac ligna. Et minorum hic vſus: quis maiorum? diuerſus, & ferè duplex. Receptiſſimus iſte, vt truncos illos firmiores in terram depangerent, & variè ſererent, itineri impediendo aut obſtruendo. Vt in Liuio, XLIIII. *Romanus ad Clitas quas vocant, munimenta Ceruis etiam obiectis, vt viam intercluderet, à Macedonico ad Toronaicum mare perducit.* Fuere foſſæ & valli, & ante ea cerui iſti: conſimiliter vt in Cæſare *Cippi*, de quibus audiemus. Silius & hoc factitatum vult à timidis Cannarum reliquijs, quæ Canuſium ſe receperant, & Annibalem in horas expectabant. Muniunt ſe igitur,

Quáque patet campus planis ingreſſibus hoſti,
Ceruorum ambuſtis imitantur cornua ramis.

Obſerues amburi ſolere, ad robur & duritiem, & ſimul acumen: vt in Sudibus præuſtis. Tibullus quoque ſic adhibet, ad Meſſallam:

Nam te non alius belli tenet aptiùs artes,
Quà deceat tutam caſtris præducere foſſam,
Qualiter aduerſos hoſti defigere ceruos.

Nam ſic viri docti rectè emendarunt: etſi quis *Neruos*, qui anteà legebantur, ad Tormentorum diſpoſitionem aptam retulerit. ſed renuit *Defigendi* tamen verbum. Atque is prior vſus, & creber: alter qui hîc in Cæſare, rarior, *Grandes ceruos eminuiſſe ad commiſſuras pluteorum atque aggeris, qui adſcenſum hoſtium tardarent.* Puto igitur in exteriore vallo eminuiſſe, incertos inter Loricam ligneam, & Aggerem ipſum, ſimplicis coronæ in modum: & vidi agreſtes noſtros, ſpineas eiuſmodi proiecturas, in Loricis terreis, eidem fini, vſurpare. In Virgilio Cerui etiam leguntur:

Atque humiles habitare caſas, & figere ceruos:

ſed pro arborum truncis longioribus, ijſq; furcatis, opinor: quibus tranſuerſa tigna iniici poſſent, ad

ſuſtinendũ. Fit in Tugurijs, & rudi opere ruſticorum. An hoc ſenſu Appianus v. Ciuilium *κλιμάκας* dixit? Facit enim Bruti milites, cùm Xanthiorum vrbem oppugnarent, *alios ſcalas ſubitarias feciſſe; alios κεραίας admouiſſe, iiſq. pro ſcalis vſos.* Et interpres quidem vertit *Ceruos* profectò haud ineptè, ſi * tale aliquid fuit: ego voluiſſem *Antemnas*, quas ex nauibus ſcilicet ſumpſerunt, & per eas connixi in muros. Pars deinde quarta, TVRRES. quas *toto opere circumdatas* ſcribit, interuallo inter ſe pedum LXXX. Atque hæ diuerſæ turres erant ab ijs, quas poſteà dicam, *Mobilibus*: fixæ enim iſtæ, & minùs operoſæ, minuſq. etiam altæ. Iulianæ hæ ſanè crebræ fuerũt, & calculus euincet, fuiſſe in *vndecim milliarium* ambitu, *ad ſexcentas octoginta ſeptem*. Quid in ambitu Exteriore *quattuordecim milliarium*? palàm eſt, acceſſiſſe ad dictum numerum, CLXXXVII. Ergo in vtroque ambitu in ſimul, ꝏ. Ↄ. LXI. Haud longè ab hoc numero & Octauianus Cæſar ad Peruſiam, cuius ligneas ibi turres Appianus numerat, *mille quingentas*. Quidquid diſſimulemus, ſunt hæc miranda; ſed alia etiam reſtant, & ſequitur

INTERIOR MVNITIO, quã dixi. Ea comprehenſa eſt in latitudine pedum CCCC. ab opido caſtra verſus, & habuit has partes: *Foſſas, Cippos, Lilia, Stimulos.* FOSSÆ fuerunt, tres. Prima, ſub ipſum opidũ ad radices collis, *pedũ* XX. *directis lateribus.* Ab hac pedum CCCC. ſpatio, duas iterùm foſſas duxit, ſub ipſis caſtris, XV. *pedes latas, eãdem altitudine.* Cùm autem hîc par altitudo, credibile & in primâ illâ fuiſſe, etſi non dixit: imò libri priſci eãdem latitudinem illic exprimunt, ſed ſcribunt, vt iam recitaui. Ex duabus autẽ illis vltimis alterã *interiorẽ, cãpeſtribus ac demiſſis locis, aquâ ex flumine deriuatâ, cõpleuit.* Fuere enim palàm duæ: nõ vna, vt prauo acumine, interpres quidam dixit. Nam duas vult nominatas, adſpectu ſectionis quæ à flumine medio facta: atque ideò nec *interiorem* quidẽ legit, ſed *inferiorẽ*. Quæ hæc mala libido innouandi eſt? certè pro tutelâ & reliquâ dignitate operis, magis facit, fuiſſe duplices: quod palàm hîc ſcribitur, & alibi ſimile obſeruetur. Vna autẽ ex his foſſis, eáq. aquâ repleta, vallo adhæſit: altera quo interuallo ab eâ, non dixit. Haud magno tamen, id credam. Hæc cùm ita feciſſet Cæſar, in ſpatio illo campóque medio pedum CCCC. opera hæc inſtituit, & totum locum variê impediuit. Primò, quos CIPPOS *appellabant*, defixit. Eorum quinque ordines puniit, in totidem perpetuis foſſis, & infernè reuincit: res tota in eo ſatis clarâ, niſi quòd verba aliquid tenent. Nam ait, *truncis arborum, haud admodũ firmis ramis, acciſis*, foſſas conſitas. An ergo rami quæſiti *infirmi*? ego cõtrà cenſebã, & operis ratio ac finis vellet. Io veteribus conſenſu ferè, *aut admodum*, aiente ſiue alternante particulâ, itéq; *abſciſis*. Retineo, hoc ſenſu. vt aut truncos ipſos rotarum arborum captos velit, ſed iuniorum; aut & maiorũ ramos firmiores, qui cum ſuâ ſobole idẽ præſtabãt. Hos enim ſparſos & ad latera exſtantes ramos, dolabrâ aptabant & exacuebant: quod in quibuſdã veterũ benè *dolabratis* legitur, non *Delibratis*. Quod autẽ eſt, *Cippos* dictos, nihil equidem muto: ſine fraude tamen vacillationem optimi codicis indico, qui Torrentij antiſtitis fuit, in quo correctũ *Cappos*. Incidebat, *Scapos*. & ſanè miliũ laſciuia hunc velut Martialẽ hortũ habuit & conſeuit, & nomina etiã fortaſſis (vt mox *Lilia*) à re hortẽſi ſumpſit. Alioqui *Ceruos* licuiſſet, recepto verbo. Sed hoc in ventum dixerim: pergo ad ipſa LILIA. quibus fodit *ſcrobes triũ in altitudinẽ pedum, paullatim anguſtiore ad ſummũ faſtigio.* Nego, ad ſummum: nec qui conſiderat, admittet. Quid libri? meliores omnes, *ad infimũ*: & defendendum eſt. Scrobes nẽpe ita facta, vt patulâ rotunditate, paullatim anguſtarentur coĩténique ad imum. Ni ſic fuiſſet; quomodo terra exculcata cõmodè, quod addit? *Singuli ab infimo ſolo pedes terra exculcabantur.* Sententia eſt. è tribus illis pedibus altitudinis, tertium ab imo depleuiſſe; terrâ aggeſtâ ad ſtabiliendum ſtipitẽ, & circa eum ſtipatâ & exculcatâ. Nam Hotomannum bona Mens non impulit duas voces inducere & auferre, *pedes terrâ*. Quid ergo reliqui duo pedes? ij vacui. & addit: *reliqua pars ſcrobis, ad occultandas inſidias, viminibus ac virgultis integebatur.* Id, inquã, eo ſenſu. vt vimina ac virgulta ſummã oram foueæ texerint, ei ſuperſtrata: imò & herbidus ceſpes ſuper ea, vt opinor, ad magis occultandum ſtilum. qui etſi quattuor digitos eminebat, vt dixi; tamen facilè hac tali materie celabatur. Feſtus id dixit, *Vallum cæcũ*. Verba: *Cæcum vallum in quo præacuti pali terra adfixi, herbis & frondibus occuluntur.* Hirtius in Africano bello: *Valli foſſarúmque altitudo, & extrà vallum ſtili cæci mirabilem in modum conſiti, vel ſine defenſoribus, aditum aduerſarijs prohibebant.* Vocat *Stilos*, ſicut & Silius:

Et ſtilus occulitur, cæcum in veſtigia telum.

Cæcum, non quod non videt, ſed non videtur: vt *cæca vada, cæci ſcopuli, morbi*, & plura. Pompeius hoc tale vallũ ſtruxit, in ipſum Cæſarem, tunc cùm Brundiſio excederet: *Foſſas transuerſis vijs præducit, atq; ibi ſudes ſtipiteſq. præacutos defigit. hæc leuibus cratibus terrâque inæquat.* Vides herbam, terram, crates inſtratas: & dolus ita poſcit. Quo ſcitiſſimè vſi in Romanos poſteriores Lazi, barbarus populus quod ita lego in Suidâ, neſcio an ex Menandro: Οἱ δὲ Λάζοι βόθρους ὀρύξαντες, καὶ σκόλοπας τοῖς βόθροις ἐγκαταπήξαντες, ταρσοῖς καλάμων καὶ ὕλῃ μὴ βεβαίως ἰσχούσῃ βάσιν, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἐπιφερόμενον ἄχθος ὀλισθαινούσῃ τὰ στόματα τῶν ὀρυγμάτων ἐκάλυψαν, καὶ χοῦν ἐμβαλόντες, τά τε παρ' ἑκάτερα χωρία γεωργήσαντες καὶ πυροὺς σπείραντες, ἐτροπώσαντο τοὺς Ῥωμαίους: *Lazi ſcrobibus effoſſis, & ſtilos in ijs defigentes, cratibus arundineis & tali materie, quæ firmitudinem non haberet, ſed ad onus illatum cederet ſtatim ac laberetur, ora ſcrobium texerunt. Tum & terram ſuperiecêre, & circa arauerunt, & frumenta inſeminarũt: atque ita vicerunt fuderuntq. Romanos.* Tales igitur ſtipites hi Iuliani defoſſi, & quidem octonis ordinibus diſpoſiti, in quincuncem. Sed claudit & dicit, *id ex ſimilitudine floris Lilium appellatum.* Hîc ſubſiſtunt, aut variè ſe mouent. Quæ enim in toto opere ſimilitudo Lilij? inquiunt. Nec de nihilo dubitatio: & eò decurritur. vt dicant calycem ipſum Lilij deſignari, cùm id clauſum adhuc, nec ſe expãdit. Is capite leuiter protuberante, & quadrato eſt: & talem fuiſſe volunt immiſſum ſtipitẽ, eóque aſpectũ. Hæreo, imò non hæreo. nónne enim Cæſar diſertè ſcribit *ſtipites teretes* fuiſſe? nec forma hæc quadrata, aut lilij clauſi cõuenit. Meo nunc ſenſu, adſpicit ſimilitudo totam foueam ſupernè expanſam iacentémque in orbem; cui medius deinde ſtipes inſeritur. atque id eſt velut Lilium patens, cum ſtamine ſuo aut ſtilo. Tu, aut tu, aliquid aptiùs? docete. In ſilentio veſtro, pergo ad STIMVLOS, quartum in hac areâ opus. Non contentus Cæſar dupliciter impediſſe iter, hos quoque addit: & *Taleas, pedem longas, ferreis hamis infixas, totas in terram infodiebat*, & per interualla modica ſpargebat. Numerum aut ordinem non dicit: obtinuere totum ſpatium, quod reliquũ ad primã foſſam. Iſtæ autem Taleæ breues, nec niſi pedales: atque ita noteris, totum opus per gradus creuiſſe. primò minoribus *Taleis*, mox maioribus *Lilijs*, maximis denique *Cippis*: creuiſſe, adſpectu dico eorum qui inuaſiſſent. Dicit autẽ hos *Stimulos* nominatos: & approbo. quid tamẽ

* Nempe trunci arborum, cũ lateralibus ramis leuiter accisis: qui poſſint eſſe Scalarũ loco.

A ita longè abit & diuertit optimus Torrentij codex, qui *Famulos?* An *Hamulos?* nam hamis infixas dixit. An *Flammulas?* quod genus Violæ Latinis eſt, vt non abeamus ab horto. An nugas ago? cùm Cæſar ipſe mox, cùm adſultaſſe caſtris Gallos facit, ita ſcribat: *Galli dum longiùs ab munitione aberant, plus multitudine telorũ proficiebãt. poſteaquàm propiùs ſucceſſerũt, aut ſe ipſi Stimulis inopinantes induebant, aut in Scrobes delapſi transfodiebantur.* Stimuli ecce repetuntur, nec vacillat ibi liber: ſed & ordo exponitur harum depoſitionum, quem dixi. *Interioris munitionis* omnia habetis: quid in

B EXTERIORE? eadem. Facies enim modò diuerſa fuit, & hæc hoſtem ſpectauit, vt illa opidanos. Cæſar id ita dicit: *His rebus perfectis, regiones ſecutus æquiſſimas pro loci naturâ, XIIII. millia paſſuum complexus, pares eiuſdẽ generis munitiones, diuerſas ab his, contra exteriorem hoſtem perfecit: vt ne magnâ quidem multitudine ſi ita accideret, eius diſceſſu munitionũ præſidia circumfundi poſſent.* Oratorem ſi lubeat agere, diffundam & oſtendam per partes, tot iterùm *Foſſas, Vallum alterum, Turres,* denique *Cippos, Lilia, Stimulos*: omnia hîc, in aucto ambitu, auctiora. Ego non faciam: & magna admiratio ſilentium magis imponit. BILL. Certè admiramur. CARON. Stupemus. ſed

C quàm magnâ manu, quo ſpatio, Cæſar hæc opera? LIPS. Nonniſi *decem legionibus*: ſed nempe illis veteranis, & quibus ipſe elogium in Hirtio tribuit, Hiſpanos alloquens: *An me deleto, non animaduertebatis, decẽ habere legiones populum Romanum, quæ non ſolùm vobis obſiſtere, ſed etiã cælum diruere poſſent?* Superba mihi ſæpè & improba viſa dictio (& eſt:) ſed ſi quis hæc opera talia conſiderat, nónne has veras molitiones gygantum dicat, nec noſtræ ſortis? Quæris & de tempore. non expreſſit quidem Cæſar: ta-

A men ex eo colligas, haud longè ſuprà *triginta dies* impenſos. Nec abnue credere. Scipionis illud ad Carthaginem, *viginti dies* tenuit: & eiuſmodi alia, nobis ſemper mira, quia deſiimus facere miranda. LAMPS.

Hæ potuêre manus adiungere Seſton Abido,
Ingeſtòque ſolo Phryxæum elidere pontum.

Sed tamen eſt quod quæram Lipſi, in totâ hac munitione. Clauſiſti introrſum, extrorſum egregiè: quid autem? nullæ viæ igitur relictæ ad exeundum, aut ineundum? perpetui illi *Cippi, Lilia, Stimuli?* LIPS. Minimè, vel me tacente res id dicebat, exitus quoſdam ad frumentationes, pabulationes, aquationes,

B alioſq́; vſus, relictos. Sed vbi? Quod oblitus eram dicere, *viginti tria caſtella*, id eſt parua quædam caſtra, in Circumuallatione eâ fuerunt: in quibus cohortes aliquot militum, & velut corpora eſſent, contra vim & incurſum. Quòd ſi tot illa, quot dixi, ponimus: fuerunt quaſi medio milliari quoque interiuncta: etſi libri quidam ſcripti, *triginta tria* ea faciunt. Ad hæc igitur caſtella mi Lampſoni, opportunè vias & exitus nunc collocamus. FVR. Vnum etiam ego. Interuallum inter Exterius Interiuſque vallum, quantum fuiſſe cenſes? LIPS. Si interius in ambitu habuit XI. milliaria, Exterius XIIII. vt hîc ſcribitur:

C ratio colligit, fuiſſe inter vtrumque, paſſus circiter *nongentos quinquagintaquattuor*. Magna latitudo, & propemodum milliari vno vallum à vallo abfuit: ſed cauſſa, credo, vt equi laxiùs haberentur, & pabulum etiam iis eſſet: tum denique ob calones, lixas, & id genus, quos probabile multos fuiſſe. Ratio quidem circularis hoc interuallum poſtulat: etſi iuſtum tamen exactè ambitum circularem fuiſſe, haud opinamur: ſed pro locis procurriſſe, aut ſe flexiſſe, quod & Cæſar indicauit.

24



1. *Aleſia opidum in colle.* 2. *Foſſa infra collem à Caeſare ducta.* 3. *Stimuli.* 4. *Lilia.* 5. *Cippi.* 6. *Foſſæ duæ ad vallum, interior aqua plena.* 7. *Vallum ipsum è terra, è ligno.* 8. *Cerui, ſiue rami grandes et denſi ſtipati, eminentes, contra adſcenſum.* 9. *Caſtella in orbem.* 10. *Turres lig...*

DIALOG. III.

Agger totus ſtructus, & Cæſaris de eo locus.

SED enim *Vallum* & adiuncta ſatis explicauimus: & clauſum quidem hoſtem habemus, nondum oppugnatum. Vt id fiat, opera alia ſtruenda ſunt: inprimis AGGER. Is fuit, terreus quidam, & aliâ materie mixtâ, mons & eleuatio: quem paullatim verſus vrbem producebant & attollebant: vt ex alto pugnarent, & *Turres* ibi conſtituerent, ſed & *Tormenta*. *Agger* vocabatur, ab ipsâ re: quia aggerebant & cumulabant: poſterior ætas *Aggeſtum* dixit, ſed & alio genere *Aggeſtus* in Ammiano lectus. Ordinem hunc operis fuiſſe, Cicero indicat, ad Atticum: *Opidum cinximus Vallo, & Foſsâ, & Aggere.* Vſum etiam, idem in Philippicâ v. *Græcia vel receptaculum eſſet pulſo Antonio, vel Agger oppugnandæ Italiæ.* Quare Græcia, *Agger*? quia finitima & mari velut foſsâ diuiſa; quia alta ad oras, eoque velut Agger, imminens ad oppugnãdum. Hoc igitur Agger, & eo fine: ſtruamus, ſi lubet. E terrâ, lapide, ligno congeriem ſtruebant: & hæc tria, cùm in aliis, tum in Suidâ iunctim ſic legetis: Ἔγεστα, πολεμικὸν μηχάνημα ἐκ λίθων, καὶ ξύλων, καὶ χοὸς ἐγειρόμενον, οἱ δὲ διὰ τοῦ α ἄγεστά φασι: *Egeſta, bellica machinatio, ex lapidibus, lignis, & terrâ conſtructa. alij autẽ per A. ſcribunt Ageſta.* Thucydides, de Peloponneſijs, libro II. oppugnatione Platæarum: ἔπειτα χῶμα ἔχουν πρὸς τὴν πόλιν. ἐσφόρουν δὲ ὕλην ἐς αὐτό, καὶ λίθους καὶ γῆν καὶ εἴ τι ἄλλο ἀνύτειν μέλλοι ἐπιβαλλόμενον: *Deinde Aggerem ad vrbem ſtruxerunt. inferebant in eum materiem ſiue ligna, tum lapides, terram, & quidquid aliud iniectũ videbatur facere ad attollendũ.* Item Ioſephus, in obſidione Hieroſolymorum: *Excisis vicinis montibus, & ingenti copiâ lignorum ſaxorumq́ue collectâ, cratibus etiam oppanſis contra venientia tela, Aggerem ſtruebant: quibus alij, colles deruentes, terram ſine intermiſſione ſuggerebant.* Hæc ita tria igitur miſcebant. etſi Cæſar de terrâ alibi ſeorſim, *Ceſpitibus ad aggerem comportandis.* Et de ſaxis Suidas: Καὶ χώματα δύο ἑκατέρωθεν ἤγειρον πρὸς τὸ τεῖχος. συνδεσμοὶ δὲ τοῦ χώματος αἱ πλίνθοι ἐγίνοντο, αἱ ἐκ τῶν οἰκιῶν: *Aggeres duos excitabant vtrimque ad murum. Vinclũ autẽ aggeris lateres erant, qui ex ædibus ſumpti.* Sed neſcio, an lateres eos velit iniectos ſtipãdo aggeri. an ad latera poſitos, pro muris, ad coërcendum. Sed materiem vidiſtis, & præcipuè materiem, id eſt ligna. Virgulta enim & faſces maximè hîc viui: ſiue ad implendum & attollendum, ſiue ad ligandum. Itaque & *Aggeris* voce, hæc ſæpè intellegebant. vt Cæſar VII. Gallic. *Agger ab vniuerſis in munitionem coniectus eſt.* Faſces & virgulta fuêre, quod hodiéque ſolet ad explendum. Idem: *Cratibus atque aggere paludem expleri iubet.* Iterùm: *Proximam foſſam cratibus integunt, atque aggere explent.* Hirtius de bello Alexandrino: *Arboribus excisis, quæ longitudine vtramque ripam contingerent, proiectis, repentinoq́ue aggere iniecto, flumen tranſierunt.* Cæſar II. Ciuil. *Vimina materiamq́ue comportari iubet, quibus comportatis rebus, aggerem exſtruit.* Imò videbatur vix ſtrui, ſine iſtis. Idem ibidem, cùm iam incenſus agger & opera fuiſſent: *Vnde agger comportari poſſet, nihil erat reliquum, omnibus arboribus longè lateq́ue in finibus Maſſilienſium exciſis.* Incenſus, inquam, ibi, vt ſæpè: ergo ligneus. & arbores requirit ad reparandum. Itaque Pompeius Filius in Hiſpaniâ, ad Vrſaonem, *vt eius opidi oppugnationem tutiorem efficeret* (loquitur ita Hirtius: id eſt difficiliorem oppugnari.) *omnẽ materiem circùm opidũ ſucciſam, intro congeſſit.* Atq; ita cùm Cæſar aduenisset, *Agger, materieſq́ue, vnde ſoliti ſunt Turres agi, propiùs millia ſex non reperiebatur.* Similis inopia, ad Hieroſolyma, in Ioſepho: *Romani plurimùm in aggerendâ materie laborantes, tamen intra XXI. dies aggeres erexerunt, attonſis omnibus aut exciſis circa arboribus, ad ſtadia nonaginta.* Ea verò vaſtitas fuit, ad milliaria circiter vndena. Et quidem viui arbores, nõ ob virgulta ſolùm, & tenuia ramorum, ſed ob ipſos truncos: quia illa in molem mediam ſtipabant, hos & ad latera applicabant, firmando & coërcendo. Lucanus clarè, libro III.

——tunc omnia latè
Procumbunt nemora & ſpoliantur robore ſiluæ.
Vt cùm terra leuis mediam virgultáque molem
Suſpẽdit, STRVCTA LATERVM COMPAGE *ligatã*
Arctet humum preſſus ne cedat Turribus Agger.

Struebant, inquam, latera, & cancellatim tignis directis tranſuerſiſque, variè ligabant. quòd iterùm poëta idem tangit, ibidem:

——ſtellatis axibus Agger
Erigitur.

Qui enim * *ſtellati axes*, niſi hi laterales tranſuerſi, & decuſſati radiorum aut ſtellarum aliquâ facie? Et ita Silius quoque, imitatione ſi fortè Lucani, lib. XIII.

Hic latera inſextus ſtellatis axibus Agger,
Hic granida armato ſurgebat Vinea dorſo.

* Quo ſenſu & Gal. ther ſtellas in Capitolian.

Thucydidem huc appono, libro II. de Peloponneſijs ad Platæas: ξύλα μὲν οὖν τέμνοντες ἐκ τοῦ Κιθαιρῶνος, παρῳκοδόμουν ἑκατέρωθεν φορμηδόν, ἀντὶ τοίχων τιθέντες, ὅπως μὴ διαχέοιτο ἐπὶ πολὺ τὸ χῶμα: *Lignis ex Cithærone monte exciſis, ſtruebant vtrimque implexim, vt caniſtra ac ſtorea ſolent, loco murorum ea apponẽtes, idq́ue ne terra longiùs funderet & laberetur.* Id enim vocat φορμηδόν: & Scholiaſtes ibi: φορμός, ψίαθος, ὅτι ἐναλλὰξ ἔχει τὸ πλέγμα ἐστιν: *Phormus, corbis vel ſtorea, quæ alterno textu plexa eſt.* Notetur autem in Thucydide, *loco murorum* id fuiſſe. nam iamâtè & muros notauimus latericios è Suidâ, in hunc finem. ADAM. Venia ſermonis mihi erit? LIPS. Imò gratia. diutilè ſiluiſti. ADAM. Nam ſcis me ex iis eſſe, de quibus Theognides:

Οἷσιν ἐπὶ γλώσσῃ τε καὶ ὀφθαλμοῖσιν ἔπεστιν Αἰδώς:
Quis tener in linguâ atque oculis Pudor incolit vnà.

Fronte aut linguâ parùm ego audax. LIPS. Tanto mihi probior. & *pauci boni Quæſtores*, vt idem poëta ait, *Lingua ſimul & Mẽtis.* Sed ſi quid vis, age. ADAM. Structio hæc lateralis parùm mihi firma, ſi Agger vtique adſurgat altiùs: quid enim fulcra illapſa fulciat? LIPS. Vinclum aliquod internum ſcilicet: & cogitandum ad trabes alias, exteras illas, nexas. Sed & * eriſmæ, vt Vitruuius appellat, extrorſum admoueri potuerunt, & acclinando, vt in ruinoſis videmus, ſuſtentare. Tamen facilè aſſentiar, inferiùs tigna hæc vſum habuiſſe; vix in altitudine, & tunc arctatam leuiter molem. & ad oras coercitam virgultis. Imò, quid ſi Thucydides de ſepe, & craticeo modò opere capiendus ſit? nec id improbũ, per ſepimenta quædã opus clauſum, & ſic φορμηδὸν ſtructum. Sed ego pergo: & claudo igitur, præcipuam materiem, ligneam fuiſſe. Itaque non mirum, etiam in aquis aut mari Aggerem iactum: permitũ, ſi è terrâ. Quod in aquis autem, Appianus ſuprà docuit, in Scipionis operibus ad Carthaginem: *Vbi aggerem duxit in ore portus, ſtipatis proiectiſque grãdibus ſaxis, latum in ſummo XXIIII. pedes, in imo eius duplum.* Sed & Cæſar ad Brundiſiũ, vt Pompeium includeret (ipſe ſcribit) *quà fauces erãt anguſtiſſimæ portus, molem atque aggerem ab vtraque parte litoris iaciebat.* Titus pariter, ad Hieroſolyma, in Hegeſippo, lib. V. cap. XX. *Vnus Agger è regione munitionis, cui nomen Antonia, per mediam ductus erat Piſcinam, quam Struthiam vocabat. Hunc Aggerẽ Quintus numerus triginta cubitorum in altitudinem fecerat.* Vbi equidẽ de numero ambigo & controuerto. quia

* ἐρείσματα

humiles

A humilis mihi bis Agger videtur, maximè Antoniæ turri oppoſitus, cuius rupes & baſis, cui impoſita, alta erat *cubitos quinquaginta*, ait Ioſephus; & ipſa deinde Turris, *quadraginta*. Cui viui ergo tantulus Agger in tantam altitudinem? quam æquare aut ſuperare debebat, mox docendum. Sed nec in Ioſepho is numerus, à quo haud dubiè Hegeſippus ſumpſit. Ille ergo non aliud dicit, quàm *Aggeres iſtos triginta cubitorum ſpatio inter ſe abiunctos*: quod ſuſpicari licet oculo parùm firmo aut hærente Hegeſippum legiſſe, & ad altitudinem tranſtuliſſe. Sanè aggeres vulgò alti, & id ferè pro muris, in quos ſtruebãtur. Seneca communiter, de Conſtantiâ ſapient. cap. VI. *Æquaturum editiſſimas arces aggerem creſcere*. Silius:

B *——ſubit arduus agger,*
Impoſitiq́; globos pugnantum deſuper vrbi.

Cæſar II. Gallic. *Armorum magnâ multitudine de muro in foſſam iactâ, ſic vt propè ſummam muri Aggeriſq́; altitudinem aceruis armorum adæquarent*. Mẽs eſt, Aggerem pari admodum altitudine cum oppoſito muro fuiſſe, & iacta inter vtrumque arma, vtrumq; æquaſſe. Ioſephus III. Excid. Ἐγειρομένου δ' ἤδη τοῦ χώματος, καὶ ταῖς ἐπάλξεσιν ὅσον οὔπω πλησιάζοντος: *Erecto iam aggere, & ipſis murorum pinnis tantum non appropinquante*. Ammianus XIX. *Pugna per Aggeres excelſos, muris proximos, tẽtatur*. Vbi notetur, & admotos planè muris fuiſſe, vt è propinquo pugnarent. Tacitus III. Annal. *Struebatur Agger, vnde ſaxa, haſtæ, ignes,* PROPINQVVM *in hoſtem iacerentur*. Liuius libro V.

C *Cùm agger promotus ad vrbem, Vineæq́; tantum non iam iunctæ mœnibus eſſent*. Zoſimus lib. II. obſidione Byzantij: Ἐγκείμενος δὲ τῇ πολιορκίᾳ Κωνσταντῖνος, καὶ χῶμα ἴσον ἐγείρας ὕψος τῷ τείχει, κατασκευάσας πύργους τε αὐτὰς ἐπὶ τοῦ χώματος ξυλίνους ὑψηλοτέρους τοῦ τείχους, δι' ὧν τοὺς τὸ τεῖχος φυλάττοντας κατετόξευον, ὡς ἂν ἐπ' ἀδείας κριοὺς καὶ ἄλλας μηχανὰς τῷ τείχει προσάγοι, διενοεῖτο τὴν πόλιν ἑλεῖν: *Incũbens oppugnationi vrbis Conſtãtinus, & Aggerem equali altitudine cum muris excitans, Turres in eo conſtituit ligneas, altiores ipſis muris; ex iis, qui opidũ defendebant, telis ſagittiſq́; petebantur, vt Arietes aliáſque machinas tutò admouere liceret, atque ita vrbem capere.*

D Vbi & vſum fructumque varium Aggerum, licet obſeruare. Sed de altitudine, expreſſam etiã alibi lego, vt in Cæſare ad Maſſiliam, *Agger altus pedes* LXXX. legitur. In eodem, lib. VII. ad Auaricum, *Latus pedes trecentos triginta, altus pedes octoginta, qui murum hoſtium penè contingeret*. BILL. Profectò mira hæc magnitudo, & hodie quoque ſi ſtruant, quæ non vrbs infeſtetur aut capiatur? LIPS. Atquin altiorem Billichee reperio, in Ioſepho & Hegeſippo. Nam *Maſſada* caſtellum fuit in Iudæâ, ſitu & opere mirificè munitum. Totum in rupibus & inacceſſis locis erat, eminebatque ſuper reliquam terrã, *cubitis trecentis*.

E Quid faceret in oppugnatione *Sylua* (Hegeſippo *Silla*) Romanus dux? Aggerem communem primò iecit, aliũ *cubitos ducentos*: latitudo nõ eſt expreſſa, ſed parẽ aut maiorẽ, ratio eſt fuiſſe. Sed addit Ioſephus: οὐ μὴν οὔτε βέβαιον οὔτε αὔταρκες ἐδόκει τοῦτο τὸ μέγεθος εἶναι τοῖς μηχανήμασιν εἰς ἐπίβασιν, ἀλλ' ἐπ' αὐτοῦ βῆμα λίθων μεγάλων συνηρμοσμένων ἐποιήθη, πεντήκοντα πηχῶν εὖρος τε καὶ ὕψος. καὶ πύργος ἑξήκοντα πηχῶν συνετέθη, σιδήρῳ καταπεφραγμένος ἅπας: *At enim cùm nec is modus efficax aut ſufficiẽs videretur, machinis admonẽdis ad aſcẽſum; aliud in eo Suggeſtũ & tanquã tribunal exſtructũ eſt, è lapidibus magnis aptè iũctis, latum pariter & altũ quinquaginta cubitos, & in eo Turris impoſita ſexaginta cubitorũ, quæ ferro vndique eſſet tecta.* Eximiũ hoc opus, ſed triplex: & tota altitudo, *cubitorũ trecentorũ decẽ*. Nempe denos illos cubitos, exſuperabat ipſum

A Maſſadæ faſtigium: atque ita denique ceperunt. CAR. Iuuat audire & diſcere ingenia, ſiue & opera veterum: ſed de admotione tamẽ aggeris ad ipſos muros, velim ampliùs, & quomodo ea facta? LIPS. Paullatim, & progrediendo. Nam latera quidem, vt dixi, vinciebant claudebantque lignis, ſed antrorſus & vrbem verſus, pars ea manebat aperta. Aggerebant igitur paullatim & promouebant, in foſſas ipſas, denique ad muros. Dum id fieret, nihilominus Turres in Aggere impoſitæ, quæ adminiſtrantes aut operantes tuebantur. Sed eæ quoque cum Aggere paullatim procedebant. Adſtruo ex Cæſare, VII. Gallic. *Noſtrarum Turrium altitudinem, quantum has cottidianus agger expreſſerat, commiſſis ſuarum turriũ* malis adæquabant*. Dicit, cottidiano aggere Turres *exprimi*:

B in altum nempe, & id fiebat augmento illo & prolatione Aggeris, qui opidum verſus creſcebat. Scite enim, tergum aut caudam Aggeris humiliorem fuiſſe; & in cliuum, frontem verſus, aſſiduè iuiſſe. Quâ in re interdum factum, vt Agger, ſi parùm firmatus aut denſatus, prolaberetur in foſſas. Narrat Liuius lib. X. *Forte quodam loco male denſatus Agger, pondere ſuperſtantium in foſſam procubuit*. Sed cauebant ſcilicet, & virgultis aut lapidibus identidem adfirmabant. Iſti Aggeres: ſatin' vt copioſè explicaui? ORAN. Haud culpamus, tamen cùm opus ſic grande, tardè nónne oportuit ſtrui? LIPS. Non oportuit, pro Romanâ diligentiâ & more. Nam & plures in paucis diebus inuenio excitatos, opere per legiones diuiſo:

* Ita legend. infrà docemus, lib. V Dial. VII

C idque ad diligentiam, & æmulationem. Tacitus IIII. Hiſtor. obſidione Hieroſolymorum: *Titus, quando impetum & ſubita belli locus abnueret, Aggeribus Vineiſque certare ſtatuit. Diuiduntur legionibus munia, & quies prœliorum fuit*. Hegeſippus in eâdem re: *Exſtruebantur Aggeres, per numeros opere diuiſo. Præcipui quattuor inſurrexerant*. Numeri hîc, ſunt legiones: quod in eo ſcriptore ſæpe. Dicit autem *quattuor Aggeres* exſtructos: quod ipſum ſcilicet Ioſephus, qui & addit, *ſpatio ſeptemdecim dierum omnes perfectos*. Celeritatem igitur Orane vides: nec plura huic rei opus. FVR. Vnum etiam opus. Nam

D noui generis aggerem in Cæſare lẽgi, quẽ lateribus: atque eum velim explicari. LIPS. Opus tu & Cæſar aſſiduè ſuggeritis: pænè vellem vterque domi hodie manſiſſetis. Sed age, lege. FVR. Verba ſunt II. Ciuil.

Cùm iam nihil eſſet reliquum, vnde Agger comportari poſſet, omnibus arboribus lõge lateq; in finibus Maſſilienſium exciſis, Aggerem noui generis atque inauditum, ex latericiis duobus muris, ſenûm pedum craſſitudine, equâ fere latitudine atq; ille e materiâ fuerat Agger. Vbi autem ſpatium inter muros, aut imbecillitas materia poſtulare videbatur, pilæ interponuntur, tranſuerſaria tigna iniiciuntur, quæ firmamento eſſe poſſint; &

E *quidquid eſt contignatum, cratibus conſternitur, crateſq; luto integuntur. Sub tecto miles, dextrâ ac ſiniſtrâ muro tectus; aduerſus, pluteo obiectu; operi quæcumque vſui ſunt, ſine periculo ſupportat. Portæ, quibus locus videtur, eruptionis cauſſâ in medio relinquuntur.*


Legi, tu illuſtra. LIPS. Planè nouus, vt Cæſar ipſe dicit, Agger. Infernè enim vacuus eſt, & eâ parte caſtelli aut receptaculi vicẽ habet. Supernè contignatio eſt: ſed quod miremur, altitudinẽ non definiuit; tantùm latitudinem. & ait: *æquâ fuiſſe, atque ille è terrâ Agger*. Atqui nec ea reperitur: & eſt modò initio libri, *altitudinem fuiſſe pedum* LXXX. Sed ibi variant ſcripti libri, & quidam *latitudinem* habent. Dicit autem fultum pilis in medio, *vbi ſpatiũ inter muros, aut imbecillitas materiæ poſtulare videbatur*. Cur hoc ambiguè? vbique verò, in tantâ latitudine, opus deſtinis

fulcriſque

fulcriſque fuit: nec vlla vna arbor à latere ad latus potuit pertinere. Variè ergo interpoſita: idque *inter duos muros*. Nec enim plures fecit, & partē anteriorem reliquit apertam, de more. Pluteus dumtaxat, vt ſubdit, eam texit. Iſte Agger pingēdo magis ſe oſtendet: qui ſtructus materiæ inopiâ, & alioqui vtiliter etiam contrà ignes. Nec enim hic periclitetur exuri: ſicut nec ille magis obnoxius, quem è terrâ merâ legi maiores noſtros inſtituiſſe. Philippus Raueſteinius,

A vir nobilis, noſtrâs, & militiæ clarus, ſcribit ſub id ſuum æuum repertum* *Aggerem* quemdam *Volubilem* (ita appellat:) qui ſcilicet, collecto monte terreo eminus, paullatim voluendo & ligonibus ſuperiacienda, magnâ manu hominum vrbi admoueretur. Hanc peſtem certam & inexplicabilem ipſe habet: & Gallos, ſi memini, auctores inuentoréſque facit. Res intellectu facilis: tamen, vt cœpimus, iſta pingimus: & ad *Turres* imus.

25



DIALOG. IIII.

De Turribus. Ignoratæ olim. quando repertæ? Altitudo, Tabulata, Ferrea tegmenta. De eis Cæſar explicatus.

TVRRES ego, & ipſa res, addimus: quia eæ in Aggere, & ſtatim ab eo ſtructæ. Imò & tunc, vt tetigi, cum is nondum perſectus, & tutelæ operis miniſtrorumque cauſâ, imponebantur. Salluſtius in Iugurthino: *Vineas agere, ſuperq́, Aggerem iacere, & impoſitis ſuper Aggerem Turribus, opus & adminiſtros tutari.* Vineæ primùm, vt ſub iis commeare miles & aggerere poſſet; ſuper eas (id eſt altiùs quàm eæ) ipſe Agger; & in eo denique Turres. Ridiculus mihi viſus ille, qui hoc (*ſuperq́,*) delendum cenſet: quis enim Vineis Aggerem iniiciat? inquit. Nemo hercule, nemo, ſcimus: ſed nec verbi eam mentem hîc eſſe, pariter ſcimus. Quod dixi, id dicit, aut *ſuper* etiam, *ampliùs, præterea*, liceat interpretari. Siquid mutandum, *ſubtérque* aptiſſimè legatur: quia ſub Vineis Aggerem comportabant, & iaciebant. Sed ad Turres. eæ igitur ſtatim ſtructæ, ſed paullò ab vrbe longiùs, & ne tela

A vitiarent aut impedirent. Cæſar II. Gallic. *Vbi vineis actis, Aggere exſtructo, Turrim conſtitui procul viderūt, primum irridere ex muro atque increpitare verbis, Quò tanta machinatio, ab tanto ſpatio exſtrueretur? Quibuſnam manibus, aut quibus viribus, homines tantulæ ſtaturæ (nam pleriſque omnibus Gallis, præ magnitudine corporum ſuorum, noſtra breuitas contemptui eſt) tanti oneris turrim in muros ſeſe collocare confiderent?* Quibus poſtremis verbis Faërnus & Fuluius emendant, *in muro*: nec aſſentior. qui ſcio nō in ipſo muro Turrim locari potuiſſe, ſed iuxta eos, & in eos. Seneca autem hunc ſtuporem & inſcitiam Barbarorū venuſtè exagitat, De vitâ beata, cap. XXVI. *Otioſi diuitijs luditis, nec prouidetis earū periculum. ſicut Barbari plerumque incluſi, & ignari machinarum, ſegnes laborem*

B *obſidentium ſpectant, nec quò illa pertineant, quæ ex longinquo inſtruuntur, intellegūt.* Imò verò Galli illi, apud Cæſarem, cùm moueri eas viderūt & occultè accedere; diuinum aliquid rati, ad eum miſerunt legatos de pace, his verbis: *Non ſe exiſtimare Romanos, ſine deorū ope bellum gerere, qui tanta altitudinis machinationes, tantá celeritate promouere, & ex propinquitate pugnare poſſent.* Eadem ſimplicitas (ne quis Gallis noſtris inſultet) Indorum: quorum oppidum Mazacas cùm Alexander obſideret (auctor Curtius lib. VIII.) *præcipuè*

rudes

rudes taliũ operũ terrebant mobiles Turres, tãtáſq; moles, nullâ ope quæ cerneretur aditas, deûm numine agi credebãt. Et quid tu rides tecũ Billehee? BILL. Indorũ illorum mentio, nouellos iſtos & ad Occaſũ repertos, auſpiciis Caroli V. mihi ſubiicit: quos equi noſtri equiteſq; cõſpecti, & tormẽta audita, in eũdẽ deduxêre ſenſum, vt putarẽt cæleſtes viros & copias eſſe: volare hic & currere noua & ætherea animalia, deniq; fulgurare illos homines, & tonare. Itaq; ſimile prorſus olim in Machinis illis terribilibus, & non viſis. LIPS. Simile. ſic aliud fortaſſe pòſt exorietur, quod pretiũ iſtis demet, & ignaros itẽ dabit in ſtuporẽ. Sed pergamus in noſtris. Adſtupebãt igitur ea Barbari. & ſic Cæſar iterũ de Sueſſionibus, li. II. *Celeriter vineis ad opidũ actis, Aggere iacto, turribúſq; conſtitutis, magnitudine operũ, quæ neq; viderũt ante Galli neq; audierãt, legatos ad Cæſarẽ de deditione mittunt.* Hæc Barbari, & credimus: an etiam de Maſſilienſibus, quod Lucanus? *——æquantes mœnia Turres*

**Accipit, ha nullo fixerunt robore terram,*
Sed per iter longum cauſa repſêre latenti.
Cùm tantum nutaret onus, telluris inanes
Concuſſiſſe ſinus quærentem erumpere ventum
Credidit, & muros mirata eſt ſtare iuuentus.

Non credimus, & laſciuiæ aut incogitantiæ poëtam notamus, qui Græculos & peritiſſimos machinarũ, id facit mirari. Imò Cæſar omne tale genus, & tormenta, vbertim & præter ceteros, habuiſſe antiquitus Maſſilienſes oſtendit: vt alibi cantare Lucanus debeat, de credulitate eorum & errore, ac quaſi terram tremere cenſerent in Turrium motu. Hæc ſunt μωρολόγα, vt vno verbo dicam. Enimuerò apud Græcos, aut certè Siculos, reperta primùm res. Ex Athenæo Mechanico, apud Turnebum; vbi de his atq; aliis: Ἐπίδοσιν δ' ἔλαβεν ἡ τοιαύτη μηχανοποιία ἅπασα, κατὰ τὴν Διονυσίου τοῦ Σικελιώτου τυραννίδα, κατά τε τὴν Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου βασιλείαν, ὅτε ἐπολιόρκει τοὺς Βυζαντίους: *Initium aut incrementum accepit omnis hæc machinalis fabrica, circa Dionyſii Siculi tyrannidem, & Philippi Amyntæ filii regnum, cùm is Byzantios oppugnaret.* Iungatur ad ea etiam, quæ ſuprà de inuentione ſunt dicta. Et cautiùs ita Athenæus: quàm ex eo deinde Vitruuius lib. x. cap. XIX. *Cùm Philippus Amyntæ filius Byzantium oppugnaret, Polyidus Theſſalus, pluribus generibus & facilioribus Teſtudinem arietariam explicauit. à quo receperunt doctrinam Diades & Chereas, qui cum Alexãdro militauerunt. Itaque Diades ſcriptis ſuis oſtendit ſe inueniſſe Turres ambulatorias, quas etiã diſſolutas in exercitu circumferre ſolebat.* Talia & Heron, cap. XIII. *Diades & Chæreas Polyidi Theſſali diſcipuli, qui vna cum Alexandro Macedone in militiam profecti ſunt, mechanici primi cùm Terebras, tũ Scalas nauticas, tum etiam eas quæ rotis feruntur Turres ligneas inuenerunt.* Hæc cautiùs, dico, & circumſpectiùs Athenæus. nec enim dicit *Diadem primum repperiſſe turres ambulatorias,* ſimpliciter: ſed τοὺς φορητοὺς πύργους, id eſt, *eas quæ circumferri poterant, ſolutiles:* vt equidẽ interpretor: atque ita Vitruuium opus eſt capi. Nam ſimplices *Ambulatoria* aut *Subrotata,* ſanè iamãtè inuentæ in Sicilia, & in Dionyſii ſenioris rebus ponit memoratq; Diodorus. Quas autẽ dicit *portatiles Turres* ſiue φορητούς: puto eaſdẽ Appiano eſſe in v. Ciuil. de rebus Caſſii ad Rhodũ, πτυσσομένους, *plicatiles:* quia per partes ſcilicet tollebantur, ponebãtur, reponebãtur. Verba eius: Ἐκόμιζον γὰρ τι τοιοῦτον (ὁ Κάσσιος) ἐν ταῖς ναυσὶ πύργους πτυσσομένους, οἳ τότε ἀνέστησαν: *Tale aliquid ſpectans Caſſius, tulerat ſecum* (in nauibus) *Turres ſolutiles, quæ tunc repoſitæ & erectæ ſunt.* Nec enim ad illas, quæ Pegmarum modo, deprimebantur attollebanturve per cochleas, Appianũ puto reſpexiſſe. Sed hęc

A igitur inuentio, nõ ipſarum Turrium (fixæ enim illæ, iamdiu innotuerãt in opidis, in caſtris) ſed *Mobilium* & quæ rotis agerẽtur. De his Vegetius: *Turribus plures rotæ mechanica arte ſubduntur, quarũ lapſu mobili magnitudo tã alta moueatur.* Plures, inquit, & neceſsũ eſt *quattuor,* vt minimùm: ſed & *ſex aut octo* etiã ſubditas, prout Turriũ modus eſſet, in Herone lego. De hiſce Rotis in Liuio, li. XXXII. *Cùm Turris per Aggerẽ parũ denſati ſoli ageretur, Rota vna in altiorẽ orbitam depreſſa, ita Turrim inclinauit, vt ſpeciem ruentis hoſtibus, trepidationemq; inſanã ſuperſtantibus armatis præberet.* Et oportebat ſanè humũ æquabilẽ denſamque huic rei eſſe: eoque & Curtius notauit, obſidione Gazæ: *Humus mouẽdis inutilis Turribus, deſidẽte ſabulo, agilitatem Rotarũ morabatur, & tabulata Turriũ perfringebat.* ita & Ioſephus prodidit, *è tribus turribus quinquaginta cubitorum, vnam vitio Aggeris concidiſſe:* idq; ad B Hieroſolyma. Actæ igitur Rotis, ſed latentibus & internis, aut certè interiùs mouendis. Hoc ideò, ne telis hoſtium, qui agerent, exponerentur, & turris tuere tur ſuos motores. At ergo tamen quoſdam applicitos, qui propellerent, nõ ambigo: & licuit, quia non illinc metus. Peccauit in hac re Vitiges Gothorum rex, & Romam obſidens (in Procopii I. Gothicorum) *Turres etiam molitus eſt, quæ hoſtium muros adæquarent, ex lapidum interuallis vera dimenſione ſumptâ. Turribus autem ad angulos ſuppoſuit rotas, quarum volutione huc illuc, ſubiunctis bobus, traherentur.* Acceſsêre igitur ad muros, atque adeò Beliſarius (vir alio Principe, quàm Iuſtiniano, dignus) de induſtriâ & conſilio paſſus eſt ſuccedere: donec ſigno dato, boues telis certis peti iuſſit, & occidi: iiſque labentibus, ſtetere immotæ turres, & hoſtes abiêre irriſi. An non C ſimile tamen, quod ingenioſi illi Alexãdrini fecêre, cùm bellũ in vrbe eſſet, cum magno illo bellatore? Cæſarẽ dico. Ita enim Hirtius: *Prætereà Ambulatorias turres decẽ tabulatorum confixerãt, ſubiectiſq; eas Rotis, funibus iumentiſq; obiectis, directis plateis, in quãcumq; erat viſum partem mouebant.* Funes & iumẽta admouet, quæ facilè huc illuc agerent: maximè quia directę & ſine multiplici flexu plateæ. An is ſenſus & lectio? nã alii libri aliter, & *pluteis* nõ *plateis* habent. Tũ dixerit, Pluteos obiectos, qui tegerẽt homines & iumẽta: nec malè pro hac mẽte, *obiectis.* Hic igitur motus actioq; turriũ: quæ magnitudo? Vitruuius ex Diade breuiter: *Turrẽ minimã ait fieri oportere, ne minus altã cubitorum LX. latitudinẽ XVII. Contracturã autem ſummã, imæ partis quintã. Arrectaria in turris imo dodrãtalia, in ſummo* D *ſemipedalia. Fieri autẽ ait oportere eam turrim tabulatorum decem, ſingulis partibus in eã feneſtratis. Maiorẽ verò turrim altã cubitorum CXX latã cubitorũ XXIII. S. contracturã item ſummã, quintã parte. arrectaria pedalia in imo, in ſummo ſemipedalia. Hanc magnitudinẽ turris faciebat tabulatorũ XX. cùm haberent ſingula tabulata circuitionem cubitorũ ternum, tegebat autẽ coriis crudis vt ab omni plagâ eſſẽt tutæ.* Hæc ita Vitruuius, & duplices modò Turres agnoſcit, *Minores Maioreſq;* ſed Herõ ex eodem Diade, *Medias* etiã addit ca. XIII. *Minores quidẽ turriũ LX. cubitorum in altitudine faciebat: baſim quadrabat, vnũquodq; latus XVII. cubitorũ. Decẽ tectorum faciebat: ſupremum tectum, quintã partem baſis habebat. Maiores autem & harũ ſeſquialteras, quindecim tectorum faciebat, in altitudine cubitos XC. Iterumque duplas, quæ viginti tectis conſtarent, altas cubitos CXX. latas quaquauerſum fere* XXIIII. Ex his * Vitruuio ſatis lucis accedit: & quod ille obſcuriùs, *contracturam ſummam, imæ partis quintam* dixit: clarum eſt, tabulatum faſtigiúmque ſummum intellegi, quod decreſcit in imi quintam. Ea ſubtiliùs & diſtinctiùs, tum in Heronis iſto & ſequenti capite, tum in

* Nempe Agger.

Vide meas.

* Et ma[gis], ſi ad[...] ditur A[...] thenæi [...] fragmen[...] tum [...] Turneb[...] XXIII c[...] XXX. Vid[...]

Barocij Nouis explicantur. Non faciunt ad noſtrum & Hiſtoricum inſtitutum: notemus tantùm, Turres in tot tabulata non æquabiliter ſurrexiſſe, ſed inſtar Phari Ægyptiaci, paullatim & per ea ſingula decreuiſſe. Qui modus ſanè aptior in ſpeciem, in ſtabilitatem, in motionem. Sed quod etiam ſpatium inter ipſa tabulata fuerit, curioſus aliquis quæra? Id quoque inæquale. & *Diades ac Chereas* (ait Heron) *infimum tectum cubitos ſeptem attollunt, & digitos* XII. *ſuperiora quinque, ſingula cubitos quinque; reliqua, cubitos quatuor & trientem.* Hæc ita commenſuratio & præcepta ea arte: an ſeruata ſemper in re & opere? Nemo opinetur, nec ad hæc præcepta aſtringebant ſe milites aut Duces. Itaque nec tabulata, vt illi volunt, minimæ turris, decem: imò ſex & infrà ſæpe. vt in Diodoro libro XIIII. vbi Dionyſius Siciliæ tyrannus, προσήγαγε καὶ τοὺς ὑπὸ τὴν τροχῶν πύργους τοῖς τείχεσιν, ἐξωρόφους ὄντας, οὓς κατεσκεύασε πρὸς τὸ τῶν οἰκιῶν ὕψος: *admouit & muris turres eas quæ rotis agebantur, ſex tabulatorũ, quas cõſtruxit ad altitudinẽ ædium.* Et in Latinis exẽpla. Sed nec temerè vigintì tabulatorum, vt illi, in hiſtoriis inuenio: niſi tamẽ quòd Mithridates ad Cyzicum, inter alia multa magnaq; opera, *turrim centum cubitorum* ſtruxit, narrante Plutarcho in Lucullo: quæ altitudine pænè æquat illas Diadis duplices, nec tamen plenè. At decem, ſæpiùs. vt in Cæſare: *Exſtruitur Agger in altitudinem* 12. *pedum, collocatur in eo Turris decem tabulatorum.* Moneo obiter, pedes illos nouenos corruptos videri: & næ ille puſillus Agger, circa Vxelodunum, cui adſtruitur, in excelſo poſitum & prærupto. Fuit, vt minimum *pedum* LX. ac ſic auſim reſcribere. In Silio autem, tanta item Turris, libro XIIII.

Turris multiplici ſurgens ad ſidera tecto
Exuit tabulata decem cui creſcere Graium
Fecerat, & multas nemorum conſumpſerat vmbras.

In Vegetio, nihil definiti, ſed vniuersè ita ſcribit: *Turribus pro modo altitudinis additur latitudo nam interdum tricenos pedes per quadrũ, interdũ quadragenos vel quinquagenos latæ ſunt. Proceritas autẽ ipſarũ tanta fit, vt nõ ſolùm muros, ſed etiã turres lapideas altitudine ſuperent.* Notatis latitudinem maiorem, quàm in vllâ Diadis aut Apollodori eſt: videlicet quia hæc nõ ad normã artis adſtricta, ſed pro tẽporibus, & voluntate ſtruẽtium mutata. Tabulata tamen plerumq; plura: quonam? vt defenſores plures imponerent, tum & *Tormenta, Scalas, Pontes*, & talia ad inuadẽdum. De *Tormentis* in Ammiano eſt: *Erigi Aggeres cœpti, turreſq; fabricantur frontibus ferratis excelſæ, quarum faſtigiis balliſtæ locatæ ſunt ſingulis, vt à propugnaculis depellerẽt defenſores.* Singula faſtigia, ſingula tabulata capienda videntur: quos & *Vertices* idem appellat alibi: *Operũ variæ ſpecies cum turribus admouebãtur ferratis, quarũ in verticibus celſis aptatæ balliſtæ, propugnatores agitãtes numilibus diſiectabant.* An nonnulli ſuprema Turrium aliquis acceperit? et ſi Liuius clarè aliter, XXI. *Ipſe Annibal qua turris mobilis, omnia munimẽta vrbis altitudine ſuperans, agebatur, hortator aderat. quæ cùm admota, catapultis balliſtiſque per omnia tabulata diſpoſitis, muros defenſoribus nudaſſet: tum Annibal quingentos ferme Afros cum dolabris, ad ſubruendum ab imo murum miſit.* Ergo tormenta in turribus, ſed non maxima: & diſertim Ioſephus aliquoties *ſagittarios & iaculatores* in iis collocat, καὶ τῶν ἀφετηρίων ὀργάνων τὸ κουφότερον, *& leuiſſima* (notate) *tormentorum.* Sed & *Scalas* in iis condidi, opportunè proferendas. Ita enim Vegetius: *Præſens periculum ciuitatis eſt, ſi ad murum fuerit turris admota plures enim accipit ſcalas, & diuerſo genere conatur irrumpere.* Videndum an non Sidonij verſus huc faciant, in Burgo Leontij:

A *Sed nec teſtudo, nec vinea, nec rota currens*
Iam poſitis ſcalis, vnquam quaſſare valebunt.

Currentem enim *rotam*, liceat turrim mobilem accipere, & prolatas ex eâ Scalas. Etſi Scalarum etiã genus eſt rotis ſuſtentatum, pontẽmque ſuprà ferentium: quas Heron deſcripſit in cap. XIX. Tertium in eâ, *Pontes*. de quibus Vegetius: *In ſuperioribus turris partibus contati & ſagittarij collocantur, qui defenſores vrbis contis, miſſilibus, ſaxiſq; proſternant: in inferioribus habet Arietem, cuius impetu deſtruit muros: circa medium verò pontem accipit, factũ de duabus trabibus, ſepemq; de vimine, quem ſubitò prolatum inter turrim murumq; conſtituunt, & per eum egredientes bellatores in ciuitatem tranſeunt.* Fateor iunctam cum Teſtudine Arietariâ hanc talem Turrim eſſe: ſed tamen B Pontem in eâ collocat, ex veteri vſu & more. Ammianus XXI. *Conſtructas veloci ſtudio ligneas turres, propugnaculis hoſtium celſiores, impoſuêre trigeminis nauibus valide inter ſe connexis. quibus inſiſtẽtes armati, vno pariq; ardore propugnatores diſpellere, collatis ex propinquo viribus, nitebantur. ſubiẽrque expediti velites, è turrium cauernis egreſſi, põticulis erectis, quos ante compaginarant, tranſgredi feſtinant.* Hoc ille in oppugnatione Aquileiæ narrat, & Ponticulos iſtos turribus manifeſtè imponit. In ſuis quoque caſtrorum turribus, locat eos Hirtius: & quidem Vegetij ritu munitos de vimine. Octauo Gallic. *Turres crebras excitatas in altitudinem trium tabulatorum, pontibus traiectis conſtratiſque coniunctas, quorum frontes viminea loricula munirentur.* C Factum & inferiori æuo ſcitote. & in Radeuico De geſtis Friderici Imp. ſcriptum, libro II. capit. LIX. *Electis ergo de ſingulis agminibus viris fortiſſimis, intra machinas turrium eos collocat, variis quidem in locis, alios ſuperiores, alios inferiores: vt dum inferiores ciuitatem per murum ingreſſuri Pontes applicarent, ſuperiores eos iaculis & ſagittis, quò minùs ab hoſtibus læderentur, defenderent. Erant turres ipſæ nimiâ proceritate mirabiles, ſupra centum pedes in altum erectæ, multorum hominum per ſingula diuerſoria capaces.* Ipſas eadem Guntherus poëta, ſpiritus & ingenij haud ſpernendus, imò, vt in illo æuo, mirãdus:

Protinus ad muros, munitas vndiq; turres
Iunctáſq; rotis, & magno pondere firmas
Ducit, & hoſtili celſas ſuper aggere ſiſtit.
D *Harum ſumma tenent, quos vel balliſta vel arcus*
Morte procul miſſâ facit hoſtibus eſſe timendos,
Qui iaculum valido longè torquere lacerto,
Longiùs excuſſâ didicêre potenter * *habenâ.* * ammento.
Inferiora viri fortes ex agmine toto
Electi, promptique manu, tabulata tuentur.
Qui dum trans foſſas, porrecto ponte, patentes
Mœnibus aſſiliunt, & muros rumpere tentant,
Qui loca ſumma tenent, iaculis leuibúſque ſagittis
Infeſtant miſeros per propugnacula ciues.


Satis, ac cenſeo me turres vbertim deſcripſiſſe. CARON. Fatemur. vnum tamen deſidero, de *frontibus turrium ferratis*, quas in Ammiani verbis paullò antè notaui. Quid eſt, aut quare? LIPS. Munimen turribus contra ignes. Cum enim præcipuum in eas remediũ E & repugnatio eſſet, per iacula ignita, faces, malleolos, murices: repertum, vt totæ ferro tegerentur. Totæ, inquam, aut certè à triplici latere: etſi frontium modò Ammianus meminit expreſsè. Ioſephus III. Excidij: Πύργους δὲ τρεῖς πεντήκοντα ποδῶν ἕκαστον τὸ ὕψος κατασκευάσας, πάντοθεν σιδήρῳ κεκαλυμμένους, ἵν᾽ ἑδραῖοί τε εἶεν ὑπὸ βρίθους, καὶ δυσάλωτοι πυρὶ, τοῖς χώμασιν ἐπέστησεν: *Turres tres, ſingulas pedum quinquaginta altas, cũ ſtruxiſſet, ferro vndiq; eas texit: tũ vt ſtabiliores eſſẽt ob põdus, tùm vt igni incorruptibiles: atq; ita aggeribus conſtituit.* Addit ipſe & alteram cauſſam,

de pondere: quod miror, & ſati. ed dediſſe cùm homines impoſiti videntur, tum tormenta. Sed iterat tamen idem, lib. VI. Καὶ τὰς πυργουμένας ἀμήχανον ἰδεῖν, μήτε ἀναγκασθῆναι ῥαδίως διὰ τὸ βάρος, μήτ' ἐμπρησθῆναι διὰ τὸν σίδηρον ὑφαιρεῖν, ᾧ καλυμμένα ἦσαν: *Turres expugnare aut capere difficile erat, ſed nec euertere ob pondus, nec comburere ob ferrum quo tegebantur.* Sed & vtrumque hoc in Radeuico, libro II. cap. LVIII. *Turres in excelſum erectas, ferro variaq́ materia vndique tectas, vt & pondere ſtabiles eſſent, neque ignibus expugnarentur, ſuper aggeres collocat.* Qui & aliam *variam materiam*, vt appellat, circumdat: ſcilicet centunes, coria, & hæc de more. Ammianus XX. *Machinas Romanorum Perſæ exurere vi magnâ nitebantur, & aſſidue malleolos & incendiarïa tela torquentes, laborabant incuſſum: eâ re, quòd humectis ſcortis & centonibus erant operta materiæ plures, aliæ vnctæ alumine diligenter, vt ignis per eas laberetur.* FVR. Etiámne Romanis in hac re vſus aluminis? Atqui, vt nouum, narratum à Claudio Quadrigario memini, in turri aliquâ Archelai Athenis: *Tum Sulla conatus eſt, &* * *tempore magno eduxit copias, vt Archelai turrim vnum, quam ille interpoſuit lignium, incenderet. Venit, acceſſit, ligna ſubdidit, ſubmouit Græcos, ignem admouit. ſatis diu ſunt conati, numquam quiuerunt incendere. Ita Archelaus omnem materiam obleuerat alumine: quod Sulla atque milites mirabantur.* LIPS. O ſtili puritatem, & in cumpendio lucem! atq; vtinã ſcriptor ille exſtet, vel in ſcribentium hodie exemplũ! Sed de alumine tũc quidem nouum, poſteà, vt hæc talia, inuereraũit. Atqui cõtra ignes noui generis Turrim Cæſar, aut eius miles, ad Maſſiliam ſtruxit. Cedo librum Furi, legantur. FVR. A me fiet, audi: II. Ciuil.

Eſt animaduerſum ab legionarijs, qui dexteram partem operis adminiſtrabant, ex crebris hoſtium eruptionibus, magno ſibi eſſe præſidio poſſe, ſi pro caſtello ac receptaculo, turrim ex latere ſub muro feciſſent quam primo ad repentinos incurſus humilem paruamq́ fecerant. huc ſe referebant: hinc, ſi qua maior oppreſſerat vis, propugnabant: hinc ad repellendum & proſequẽdum hoſtem procurrebant. patebat hæc quoquouerſus pedes XXX ſed parietum craſſitudo pedum V. poſtea verò, vt eſt rerum omnium magiſter vſus, hominũ adhibitâ ſolertiâ, inuentum eſt, magno eſſe vſui poſſe, ſi hæc eſſet in altitudinem turris elata. id hac ratione perfectum eſt. vbi turris altitudo perducta eſt ad contabulationem; eamq́ in parietes inſtruxerunt, ita vt capita tignorũ extremâ parietũ ſtructurâ tegerentur; ne quid emineret, vbi ignis hoſtiũ adhæreſceret. hanc inſuper contignationem, quantum tectum plutei & vinearum paſſum eſt, latercuIo inſtruxerunt: ſupraq́ eum locum duo tigna tranſuerſa iniecerunt, non longe ab extremis parietibus, quibus ſuſpenderent eam contignationem, quæ turri tegumẽto eſſet futura: ſupraq́ ea tigna directò tranſuerſas trabes iniecerunt, eaſq́ aſſeribus religauerunt: has trabes paullo longiores atque eminentiores, quàm extremi parietes erant, effecerunt; vt eſſet, vbi tegumẽta perpendere poſſent, ad defendẽdos ictus ac repellendos, dum inter eam cõtignationem parietes exſtruerentur: eámq́ contabulationem ſummam lateribus lutóq; conſtrauerunt, nequid ignis hoſtium nocere poſſet, centoneſq́ inſuper iniecerunt; ne aut tela tormentis miſſa tabulationem perfringerent, aut ſaxa ex catapultis latericium diſcuterent. ſtorias autem ex funibus anchorarijs tres in longitudinem parietum turris, latas IV. pedes fecerunt: eáſq; ex III. partibus, quæ ad hoſtes vergebant, eminentibus trabibus circum turrem præpendentes religauerunt, quod vnum genus tegumenti alijs locis erant experti, nullo telo neque tormẽto tranſiici poſſe. vbi verò ea pars turris, quæ erat perfecta, tecta atque munita eſt ab omni ictu hoſtiũ, pluteos ad alia opera abduxerunt: turris tectũ per ſeipſum prehenſionibus ex contignatione primâ ſuſpẽdere ac tollere cœperunt; vbi, quantum ſtoriarum demiſſio patiebatur, tantum eleuabant. Intra hæc tegumenta abditi atq; muniti, parietes lateribus exſtruebãt: rurſuſque alia prehenſione ad ædificandum ſibi locum expediebant: vbi tempus alterius contabulationis videbatur, tigna item vt primò tecta, extremis lateribus inſtruebãt, éxque eâ contignatione rurſus ſummam contabulationem, ſtoriáſque eleuabant. ita tutò, ac ſine vllo vulnere VI. tabulata exſtruxerunt: feneſtraſque, quibus in locis viſum eſt, ad tormenta mittenda in ſtruendo reliquerunt.

Pluſcula verba ſunt, & in ſpeciẽ intricata: ſed vix quod moretur intendentem. De *Storeis* tamen moneo, vbi ſcribitur, *tres factas in lõgitudinem parietum, latas pedes quatuor*, perperam adhuc acceptum: ſed & vidi qui reſcribere vellet, & in numero mutare. Atqui res ſic habet. Storeæ iſtæ è funibus anchorarïis implexæ, fortes, ſolidæ, denſæ; tres fuêre, tot quot latera ſcilicet intuta ab hoſte. Nam tergo, nihil iis opus. Eæ longæ fuerunt, vti ipſi parietes, ſingulæ pedes XXX: latę autem, non niſi *quaternos*. Optimâ ratione. cùm enim non niſi operariis ipſis opponerentur, & Turris latericia inferius ſuo robore ſe tegeret; profectò ſufficiebant *quatuor* illi pedes, ad homines tegendos, in opere neceſſariò ſe leuiter curuantes. Addo & de *Prehenſionibus*, quas *Cochleas* aut *Prala* vulgò explicant, & eorum operâ ſubleuatum volunt hoc tectum: nec abnuo commodè potuiſſe fieri, & hodie vſurpant. Sed an *Prehenſionum* vox apta? liber Torrentij *prenſionum* præfert: nec ſcio an faciã, *Preſſionum*. Preſſiones haud ineptè ad Præla & elationem referantur: & adſimiliter Cæſar idem ſcripſit, *Turres ii cottidiano aggere expreſſus.* Sunt tamen propriè *Preſſiones* Vitruuio, ὑπομόχλια: ſiue id quod Vectibus ſubiicitur, ad eleuandum. Videatur, an nõ & hic ſimilis preſſio; & tum fulcra & deſtinæ quæ ſuſtentarent, tabulato inferiori nixæ. Iſta de Turribus. niſi etiam ex Nicetâ addo, Turres quaſdam cõplendis foſſis, & ad ſcanſionem fuiſſe. Narrat de Iohanne quodam, *eum Vrunum oppidum obſediſſe, & Machinam quadrilateram ſtruxiſſe, quæ latitudine æquaret foſſæ ſpatium, & altitudine ipſa mœnia. Eam deinde ſubiectis rotis ad foſſæ labrum admouiſſe, & deinde ſubuertiſſe, atque in ipſam foſſam impuliſſe. Hanc autem vtrumque labrum ſub finem tetigiſſe; atque ita eâdem illâ vſos milites, & ad foſſam complendam, & ad mœnia ſcandenda, vice ſcalarum.*

* Fortè opera.



A. Turris mobilis, cum gradibus ſuis ad tabulata ſingula, et oſtenſione velamentorum et tabularum ad latera, ex Herone. B. Turris Vegetij, cum ponte et Ariete. C. Turris latericia Caeſaris, cum funibus anchorarijs praependentibus, dum ſit opus. Tectum ſuperne, mobile.

DIALOG. V.

Pontium pleraque ratio. Primùm Naualis, tum in Vtribus, in Cuppis: & Cæſaris in Rhenô illuſtratus.

GRANDIORES iam Machinas dixi, Tormẽta me vocant & ſpectant. CAR. Ego reuoco, ſi pateris: & de *Pontibus* velim addi. Mentio eorum in Turribus, & Aggeribus: ſed & in re militari, quã ſæpe intercurrunt? LIPS. Nego has eſſe *Machinas*. CAR. Aio, & ingenium certè ſæpe habent, & Tacitus hoc nomine ipſo appellat, IIII. Hiſtor. *Machinas etiam, inſolitum ſibi, auſi* (de Germanis.) *nec vlla ipſis ſolertia, perfugæ captiuique docebant ſtruere materias in modum pontis, mox ſubiectis rotis propellere.* LIPS. Rideo tuũ acumen. Machinas iſtas in modum Pontium fuiſſe dicit, ſiue in vſum, vt per eas tranſirent in muros: non tamen ſimpliciter Pontes. Atque iſtæ non aliud, quàm velut Turres vno tabulato fuerunt. Sed tamen quod dicis, tota res Pontium digna inſpici, & pro copiâ à me fiet. Vulgatas notáſq; nunc eorũ formas, quid opus adſcribi? ſcimus omnes: eligam rariores aliquot aut magis ſepoſitas: inter eas hanc, quâ Romani ſæpiſſimè vſi in fluminibus tranſmittendis, ponte è nauibus facto. Bella iouenno: & Eunapius ſciſſimè hic depingit, in Suida: Ζεύγνυται δὲ ῥᾳδίως ἂν ποταμῶν τὰ ῥεύματα, ὥστε καὶ τοῦτο ὥσπερ μελέτημα τοῖς στρατιώταις ὄν, καὶ ὥσπερ ἄλλο τι τῶν πολεμικῶν ἐκμεμαθηκότων, ἐπὶ τῷ Ἴστρῳ καὶ Ῥήνῳ, καὶ Εὐφράτῃ. Ἔστι δὲ ὁ τρόπος, οὐ γὰρ δὴ πάντας εἰδέναι οἶμαι, τοιόσδε. Πλατεῖαι μέν εἰσιν αἱ νῆες δι' ὧν ὁ ποταμὸς ζεύγνυται. Ἀνορμίζονται δὲ ὀλίγον ἄνω τοῦ ῥεύματος, ὑπὲρ τὸν μέλλοντα ζευγνύσθαι τόπον. Ἐπειδὰν δὲ τὸ σημεῖον δοθῇ, ἀφιᾶσι μίαν

A πρώτην ναῦν φέρεσθαι κατὰ ῥοῦν πλησίον τῆς οἰκείας ὄχθης. Ἐπὰν δὲ κατὰ τὸν ζευγνύμενον ἔλθῃ τόπον, ἐμβάλλουσιν εἰς ῥεῦμα φορμὸν λίθων ἐμπεπλησμένον καλωδίῳ δήσαντες ὥσπερ ἄγκυραν. Ἀφ' ἧς δεθεῖσα ἡ ναῦς πρὸς τῇ ὄχθῃ ἵσταται, σανίσι καὶ ζεύγμασιν, ἅπερ ἄφθονα αὐτοῖς ἡ ναῦς φέρει. Καὶ εὐθὺς ἐγχῶμα μέχρι τῆς ἀποβάσεως κατεστόρνυται. Εἶτα ἄλλην ἀφιᾶσιν ὀλίγον ἀπ' ἐκείνης, καὶ ἄλλην ἀπ' ἐκείνης ἐς τ' ἐπὶ τὴν ἀντιπέραν ὄχθην ἐλάσωσι τὸ ζεῦγμα. Ἡ δὲ πρὸς τῇ πολεμίᾳ ναῦς καὶ πύργους ἐπ' αὐτῇ καὶ πυλίδα καὶ τοξότας καὶ καταπέλτας φέρει: *Romanis flumina pontibus facillimè iunguntur, & ſine labore, vt in quo milites aſſiduè exercentur, & tanquam aliud militarium operum diſcunt, in Iſtro, Rheno, Euphrate. Eſt autẽ modus, quem nõ omnes* B *ſcire opinor iſte. Lata iacenteſq; ſunt naues, quibus flumina iunguntur. Surſum autem paullùm in ſtatione ſunt, ſupra locum eum vbi pontem facturi ſunt. Atque vbi ſignum datũ eſt, vnam ſolam e nauibus demittunt prono flumine ferri, iuxta ſuam & amicam ripam. Ea vbi ad locum iungendum & Ponti deſtinatum venerit, corbim plenum lapidibus in flumen iaciunt, alligatũ fune quodã, velut anchoram. quo nauis deuincta, iuxta ripam conſiſtit, & ſternitur tabulis tignisque, quæ adſatim ipſa nauis vehit. Et ſtatim ita ad finem deſcenſúmque in terrã vſque, conſtrata eſt. Deinde verò aliam demittunt, paullo ab ea remotam, aliamq; ab iſtâ, donec in aduerſam ri-* C *pam produxerint pontem. Qua autem hoſtilis ripa nauis obiacet, ea & turres habet, & portulã, & ſagittarios, & catapultas.* Hæc ita Eunapius: & prorſus eadem Arrianus in rebus Alexandri, cùm ex occaſione diſſerit de pontiũ hac iuncturâ. Ambigit quomodo Alexander Indum fluuium tranſmiſerit, & quo genere pontis: nec prodiium id ait: tamen *arbitrari ſe, vſum eo quo Romani Danubiũ aut Rhenum Celticum iunxerũt, ac Tigrim & Euphratẽ, quoties vſus fuit.* atq; addit, me vertente, libro quinto: *Celerrima & expeditiſſima*

A *Romanis eſt pontium conſtructio in nauibus: quam ego pretium ſcriptionis cenſeo referre. Naues iis demittuntur, lapſu fluminis, dato ſignoidq; non rectæ, ſed vt ſolet in iis quæ inhibent, & à puppi remigant. Iſtas autem deorſum ducit, vt par eſt, fluminis curſus: retinet verò & ſiſtit remigium obnixum, donec aduerſa facta ſit loco deſignato. Atq; ibi demittūt crates vimineas, formâ pyramidis plexas, idoneis lectiſq; ad id lapidibus oppletas: demittūt autē à prorâ cuiuſq; nauis, vt ſic obfirmēt & teneant cōtra curſum. Simul autē vna nauium ita firmata fuerit, & alia iuxta illā, cum interuallo quantum opus videtur ad firmitatē eorū quæ inſternuntur, pariter prorâ obuersâ in fluuij curſum ſtatuitur. & in vtriſq; tigna ſtatim in directum iniiciuntur, & tabulæ aſſeréſq; tranſuerſarij ad connectendum. Iit mox per ceteras naues opus procedit, quanta opus ſunt ad totū pontē. Vtrimq; autem ad caput pontis gradus in terrā depactis adiunguntur, quo facilior equis iumentiſque ſit ingreſſus, & ſimul vt quaſi vinculum ſint totius pontis. Breui porro ſpatio totum opus abſoluitur, & cum magno ardore ac tumultu, nec tamen decorum & ordo abeſt. Adhortationes etiam per quamque nauim, & increpationes eorum qui ſegniùs munus obeūt, nihil impediunt, aut tollunt, vel dictorum auditionem, vel operandi celeritatem. Atq; hæc ſunt, quæ Romanis iā ab antiquo vſitata.* Pulchra & vulgatiſſima olim ratio, & quam miror ab iis qui harum rerum fuerūt, nondum hodie vulgatā. Verba altera cum alteris ſi confertis, quid opus luce meâ? quin clara ſunt, & tota res pariter deſcripta. CAR. Haud negauerim. ſed in rebus ipſis, aliquid eſt quod ſiſtat. E nauibus pontes iſtos faciunt: vnde igitur eæ ſic ſubitò, & ad magnum: præſertim in hoſtili aliquo fluuio, vbi probabile eſt amotas. LIPS. Reſpōdeo, dupliciter tunc paratas: ſiue ab ipſis, in ipſo ibi loco, ſiue curribus prouidè iam aduectas. Quid ibi & ſubitario opere; mirari non conuenit, imò pro Romanis moribus id fuit. Núnne fabri in legionibus, & Præfectus fabrûm? nónne vulgò ipſi milites in tirocinio hæc diſcebant? nihil ambigimus. Et Eunapius hoc ſignificat, cùm ait *milites aſſiduè in tali ſtructurâ exercitos, & vt militare aliquod opus didiciſſe.* Struebant igitur ipſi rudes illas naues, ſiue alueos: quid quòd & alias, quarum in mari vſus, operoſiores? Certè Iulianæ naues, quibus Britanniam petiit, narrantur ab ipſo (Commentario V.) *circiter ſexcentæ, ſingulari militum ſtudio inſtructæ.* Iterùm, idem *Labieno ſcribit, vt quamplurimas poſſet, iis legionibus, quæ ſunt apud ipſum, naues inſtituat.* Itaq; tot manibus, incredibili celeritate hæc parabantur. Apud Cæſarem, I. Commentario. *reliquas copias Heluetiorum vt conſequi poſſet, pontem in Arari faciendū curat:* additq;, mirantibus Heluetiis, *vno die* eum factum. Similiter in VII. Commentario, cùm Gallos palus media ſeiungeret à ſuis caſtris: ipſe *pontibus palude conſtratâ, legiones traducit celeriter*, & inopinatò ſe iis ſiſtens. Atque ea Romanorum diligentia fuit, ſed veterum: poſteriores fatiſcere cœperunt & labare. Itaque curribus iam legas, vt dixi, hæc talia circumuecta. quòd in noſtra re apud Ammianum, lib. XXIIII. Iulianus Imperator *naues iuſſit exuri, præter minores duodecim; quas profuturas pangendis pontibus, diſpoſuit vehi carpētis.* In Vegetio autem, hoc de more iam ſcribitur, lib. III. cap. VII. *Commodius repertum eſt, vt monoxylos, hoc eſt paullo latiores ſcaphulas, ex ſingulis trabibus excauatas carpentis ſecum portet exercitus, tabulatis pariter, & clauis ferreis præparatis. Ita abſque mora conſtructus pons, & funibus vinctus, lapidei arcus ſoliditatē præſtat in tempore.* Benè & ſollicitè omnia præparātur, naues, tabulę, claui, funes: pro nouâ ſcilicet ignauiâ, quæ iam valebat. Nunc Carodelete, ſatisfeci? CAR. Satis, hac parte: aliud. Cur cor-bibus naues has firmant & ligant, non anchoris, vt ſolet? nam mihi de corbibus hoc nouum eſt. LIPS. Ab eâdem, opinor, cauſsâ, & iam dictâ. Omnia celeriter, ipſis paranda: & tale in corbibus, quos facile è viminibus ſtruere, & ad vſum hunc aptare. Nō ita in anchoris: circūferendæ fuiſſent, & vehēdæ. Quid, quòd ſolo aliquo iſtæ non mordent, aut adhærent; corbes in omni, boni vilêſque ſunt? Potuit & hæc cauſſa eſſe. ac ſanè firmiter hæ tenebant ac ligabant, pyramidali eâ formâ ſic demiſſæ. Ideò enim tali, vt aquæ impetus minùs pelleretur, & ab acumine illo ſenſim & facilè laberetur. Cui rei puto & moneo, minnentem tenuémq; partem illam, contra aquam ſurſum iniectam; craſſam & grandiorem, deorſum, fune inibi alligato. CAR. Sed & tertiùm rogo. Si tam vul-

B gatus, & *ab antiquo*, vt aiunt, ille pons; cur rara aut nulla eius mentio? LIPS. Rara fortaſſis, non tamen nulla. Pompeium lego, (in Flori lib. III. cap. V.) *ſtatim ponte nauibus facto primum omnium Romanorū tranſiſſe Euphratem.* Habes clarè naualem hunc pontem: ſed & ſæpè tectè & celatim, vt cùm pontium in flumine mentio eſt, niſi aliter formantur, putamus accipiendos hos iſtos. An tamen origo non tam alta, nec longè vltra Pōpeium? vix enim occaſio fuit Euphratem, Rhenum, Danubium, & maiora illa fluminum tranſmittendi. Ita ſi eſt; tum in Arriano antiquitas illa, aptè reſtringatur ad hoc æuum. Exemplum tamen, quod memini, & velut imaginē aut initium huiuſce pontis, in Hirtij de bello Hiſpanienſi habes. vbi

C *Cæſar, cùm ad flumen Bætim veniſſet, neque propter altitudinem fluminis tranſire poſſet, lapidibus corbes plenos demiſit. ita inſuper ponte facto, copias tripartitò traduxit.* Egregium inuentum: & corbes illi cùm lapides in ſtrue coërceant, ne diffluant; ipſi lapides pōdere hæreant & ſiſtant: in facili eſt, ſtatim pontem ſtruere, tignis tabuliſque ſuperiectis. Sed hoc locum non habeat in altiore flumine, puta Rheno, Danubio: ideóque corbes iſti ingenioſè aliò aptari & verti, ad naues ſcilicet firmandas atſtringendaſq;. Naualem autē pontem in Traiani columna oculis vſurpare eſt, ſuper Danubium: ſuper ipſum Rhenum, ſtruxit Alexander Seuerus Imp. Herodiano breuiter (vt in te notâ) narrante: τόν τε ποταμὸν ναυσὶ διαλαμβάνων, ὡς πρὸς ἀλλήλας συνδεθεισῶν, γεφυρώσας, [illegible]

D τοῖς στρατιώταις παρέξειν ὤετο: *Flumen ipſum nauibus amplectens, & inter ſe eas vinciens, ponte ita facto, putabat facilem tranſitum militibus præbiturum.* Hæc ferè & in pontibus tranſitio: aliàs, & nauibus ſingulis tranabant, iiſque ſæpè leuioribus, & verè naucellis. Cæſar Sicorim flumen in Hiſpaniâ ſic tranſmiſit (ipſe narrat I. Ciuil.) nauéſq; huius generis à militibus fieri iuſſit: *Carinæ primùm ac ſtatumina ex leuiore materiâ fiebant, reliquum corpus nauiū viminibus contextum, coriis integebatur: has perfectas, carris iunctis deuehit noctu, militeſq; his nauibus flumen tranſportat:* Sed nec tuta, nec ex dignitate ſatis ea trāſuectio eſt: ideò & nocte patrata. De ea ſic Lucanus:

Primùm cana ſalix madefacto vimine paruam
Texitur in puppim, cæſo induta iuuenco,
Vectoris patiens, tumidum ſuperemicat amnem.

E Imitatus id Saluidienus, bello Siculo, in Pompeium (notat Dio Caſſius:) ſed parùm feliciter, turbido illo freto. At Hiſpani, more gentis eo, leuiori etiam opera; & inflatis viribus incumbentes, ſolent tranare. Paſſim exempla. quod & Romani interim fecêre. certè Cæſar, de quo Suetonius: *Si flumina morarentur, nando traiiciēs, vel innixus inflatis utribus, perſæpe nuncios de ſe præuenit.* Cui rei exēplum vel ab Hiſpanis, vel à Græcis: nam & hi vſi. Arrianus de Alexandro, Iſtrū traiciēte, libro I. Τὰς δὲ διφθέρας, ἃς

Vide Notas.

que lapidibus, ne à fluctibus auferrentur. Erat autem ſuperne latitudo Aggeris, pedum vigintiquatuor; infra autem & in aquis vel quadrupla. Id opus initio Pœni irridebant, vt tardum & longum, aut potiùs numquā abſoluendum. Sed cùm tantus ille exercitus operas conferret, nec diu aut noctu intermitteret, territi, parte aliâ portum ſibi fodere, ad medium mare cœperunt. Grāde profectò & admirabile hoc quoque opus conſideratori, & in quo pertinax labor naturā pænè vicit. At enim idem Scipio, cum Numantiam, in Hiſpaniâ vrbē nobilem, obſideret; grande quoq; opus, & tale (Appiano in Ibericis narrante) ſtruxit. *Erat ambitus Numātia ſtadiorum vigintiquatuor: circumuallationis quam parabat, ſupra eius duplum. Atq; id ſpatium diuiſum totum per partes operātibus fuit, & cuiq; parti præfecti quidā, operis exactores & probatores. Prædictū autem, vt ſiquid hoſtes impedirēt aut turbarent, ſignū in eâ parte tollerent, de die quidē veſtem purpuream in longâ perticâ; de nocte ignē, vt ipſe Scipio & Fabius Maximus eius frater, in neceſſariis alibi inſtēs, poſſent ſuccurrere. Vt igitur hæc perfecit, alterā foſſa iterùm duxit, haud longè ab illâ, & vallos in ea defixit, & murū inædificauit. cuius latitudo erat, pedes octo; altitudo, decem abſq; propugnaculis. Turres autē vbiq; interpoſita, per ſingula iugera, ſiue cētenos pedes. Lacum autem contiguū cùm non liceret muro peruadere aut inſtruere,* * *Aggerem ei iniecit, parem muro & altitudine, & craſſitie, vt is eſſet loco muri. Cùm autē & flumen Durias, præter opidū fluens, vtile obſeſſis eſſet, tum ad emiſſionē & receptionem hominū, tum ad victū (nā & vrinatores tranſibat, & ſcaphæ interdū, vēto grandiore, aut & remis, adiuta.) nec iungere id pōte facile eſſet latū & violentū: propugnacula duo in vtraq; ripâ conſtituit, loco pontis, & ex propugnaculis iis, funibus ſuſpēndit trabes longas, & per totū flumen pertinentes, quibus infixi velut gladij & tela acuta erant, quæ trabes impulſa à flumine, aſſiduéq; rotantes, neque natantes, neque nauigantes, ſed nec vrinantes patiebantur latere aut tranſire. Quod maximè Scipio volebat, vt nemine ingrediente aut tranſeunte, ignari eſſent omnium, quæ extrà gererentur. Vt autem parata ſic ſunt omnia, & turribus catapultæ impoſitæ, & balliſtæ; & ad pinnas ac propugnacula appoſiti lapides, tela, & iacula; caſtella autē ſagittarij & funditores habuerunt. tum nuncios diſpoſuit per totum opus, qui die ac nocte, alij ab aliis dicta excipiētes ſignificarent ei quidquid ageretur. In turribus autem iuſſit, ſi quod eueniſſet, ſignum tolli in primâ, dico earum, vbi periculum eſſet. Et ſequi deinde atque attollere conſequenter alias. cùm illud in primâ vidiſſent: vt per ſignum quidem celerrimè cognoſceretur motus aut hoſtium molitio, ſed certitudo rei per nuncios. Exercitus porrò vniuerſus, cum ad LX. millia pertingeret, vnà cum incolis auxiliariis, dimidium eius diſpoſuit ad muri valliq; cuſtodiā, viginti autem millia oppugnationi reſeruauit, ſi quando ea eſſet, & ſubſidium illis reliqua decem millia. Locus autem & ſtatio omnibus aſſignatus: nec mutare, niſi iuberentur, licebat. Ad mandata autem ſubitò ibant. & parati erat ſicubi ſignum ſublatum eſſet. Ipſe etiam Scipio, vniuerſum hoc opus* * *quinquaginta ſtadiorum, quaque die ac nocte circuibat.* Scipionis hæc opera, & circumuallatio, induſtriæ & curæ plena: atque omnia, tanto Imperatore digna. Sed Octauiani etiam Cæſaris, poſteà Auguſti, circumuallationem adnoto, in Appian. v. Ciuil. paullò maiorem, & breuiter recenſendam. *L. Antonius in diſſenſu illo ciuili, Peruſiam ſe contulerat. quem inſecutus Cæſar, cum omni diligentiâ, copiis opus facere iuſſis, vallo & foſſâ, quinquaginta ſex ſtadia amplexus, clauſit ſed &* * *brachia longa ad Tiberim vſq; protendit, ne quid in vrbem poſſet inferri. Cōtra Lucius, ipſe quoq; ſimili vallo & foſſâ, pedes collis muniebat. Cæſar deinde, cùm copias aduentante Aſinio & Ventidio oppoſuiſſet celeriter Peruſiam rediens, foſſas ſudibus valliſq; muniuit, & latitudinem atque altitudinem earum auxit, vt hæc vtraq; triginta pedū eſſent. Sed & muri auxit & eleuauit, & turres in eo ligneas ad mille quingētas ſtatuit, ſexagenos pedes inter ſe diſtantes. Sed & pinnæ cr[illegible]e erāt, & alius apparatus: eaq; omnia duplicata, & velut bifrons circumuallatio; tum contra obſeſſos, tum etiam ſiquid externi auxilij aduentaret.* Ita Auguſtus: in quo opere turres maximè miremur, tot & tam crebras. Sed quid hæc colligo? Cæſar ille Iulius, qui in omni re militari ſuper omnes, etiam in iſtâ fuit. Cōmentarij eius variè oſtendunt: ſed adſumatur vna nunc Aleſiæ obſidio, in quâ res geſtæ *quantas audere* (Velleij verba & iudicium) *vix hominis; perficere, pæne nullius, niſi Dei, eſſet.* Age verò, verba ipſa & narratio Cæſaris audiantur: quis legit? FVR. Ego libens, & tu paullùm interquieſce. AV:


Ipſum erat opidum (Aleſia) *in colle ſummo, admodū edito loco, vt niſi obſidione oppugnari nō poſſe videretur. cuius collis radices, duo, duabus ex partibus, flumina ſubluebant. Ante id oppidum planicies circiter millia paſſuū tria in longitudinē patebat, reliquis ex omnibus partibus colles, mediocri interiecto ſpatio, pari altitudinis faſtigio, opidū cingebant. Sub muro, quæ pars collis ad Orientem ſpectabat, hunc omnem locum Gallorū copiæ compleuerant, foſſāmq; & maceriam ſex in altitudinem pedū* * *produxerat. Eius munitionis, quæ ab Romanis inſtituebatur, circuitus* *millia paſſuum tenebat. caſtra opportunis locis erāt poſita, ibiq; caſtella vigintitria facta.* Cæſar deinde, animaduerſo Gallos in vrbem copias reduxiſſe, bellum velle ducere, auxilia totius Galliæ exſpectare, auget munimenta, & ſic ait poſt pauca:

Quibus rebus cognitis ex perfugis, Cæſar hæc genera munitionis inſtituit, Foſſam pedum XX. latam, directis lateribus duxit: vt eius ſolū tantūdem pateret, quantum * *sūma labra diſtarēt. Reliquas omnes munitiones ab eâ foſſâ pedibus quadringētis reduxit ad hoc cōſilio, quoniā tantū eſſet neceſſario ſpatiū amplexus,* * *ne facile totū opus corona militum cingeretur, ne de improuiſo aut noctu ad munitiones hoſtiū multitudo aduolaret, aut interdiu tela in noſtros operi deſtinatos conijcere poſſent. Hoc intermiſſo ſpatio, duas foſſas quindecim pedes latas, eadem altitudine perduxit: quarum interiorē cāpeſtribus ac demiſſis locis aquâ ex flumine deriuatâ cōplenit. poſt eas aggerem ac vallum duodecim pedum ſtruxit, huic loricā pinnaſq; adiecit, grādibus ceruis eminentibus ad commiſſuras pluteorū atq; aggeris, qui adſcenſum hoſtis tardarent. & turres toto opere circumdedit, quæ pedes octoginta inter ſe diſtarent. Ad hæc rurſus opera addendū Cæſar putauit, quo minore numero militum defendi munitiones poſſent. Itaq; truncis arborū, haud admodū firmis ramis abſciſis, atq; horū delibratis ac præacutis cacuminibus, perpetua foſſa quinos pedes alta ducebātur. huc illi ſtipites demiſſi, & ab infimo reuincti, ne reuelli poſſent, ab ramis eminebāt. quini erat ordines coniuncti inter ſe atq; implicati, quo qui intrauerant, ſeſe ipſi acutiſſimis vallis induebāt. Hos Cippos appellabant. Ante hos obliquis ordinibus in quincuncē diſpoſitis, ſcrobes trium in altitudinē pedum fodiebatur, paullatim anguſtiore ad ſummum faſtigio. huc teretes ſtipites, feminis craſſitudine ab ſummo præacuti & præuſti, dimittebantur ita vt nō amplius quatuor digitis ex terra eminerent. Simul confirmādi & ſtabiliēdi cauſſâ, ſinguli ab infimo ſolo pedes terra exculcabantur: reliqua pars ſcrobis, ad occultādas inſidias, viminibus ac virgultis integebatur. Huius generis octoni ordines iuncti, ternos inter ſe pedes diſtabat. id ex ſimilitudine floris Lilium appellabant. Ante hæc, taleæ pedē longæ, ferreis hamis infixæ, totæ in terram infodiebantur, mediocribuſq; intermiſſis ſpatiis, omnibus locis differebantur. quos Stimulos nominabant.*


* E lapidibus & lignis factum.
*Sunt millia ſex & duo ſtadia.
* cui eo campo
* Leg. prod.
* Libri quidem ſumma.
* Lego, nec.

DIALOG,

21



22



23



CARTHAGINIS OBSIDIO.

DIALOG. II.

Cæſar totus explicatus in verbis quæ ſuprà. Brachia, Lorica, Cerui, Stiliſcaci, & alia vicina.

LIPS. Satis mi Furi, deſine. audiſtis quid in totâ eâ munitione fuerit, &, ſi mens ibi & attentio, mirari haud dubiè multiplex & pænè infinitum hoc opus fuiſtis. CAR. Audiimus, ſed hoc tãtùm. Confuſa alibi aut obſcura narratio, & plenè capere ſi nos vis, per partes diſpone, & illuſtra. LIPS. Age, fiat. Cæſari hoc detur; ſed & Operi, quod, me iudice, meretur memoriam & vitam. Sunt in eo toto tres partes, *Interior munitio*, & *Exterior*, tum *Circumuallatio* his interiecta. Ego de *Circumuallatione* primùm dicam & excerpam: quia reipsâ prima fuit; (Foſſis dumtaxat exceptis) & reliquæ munitiones mox adiectæ. Ea habuit has partes, *Vallum*, *Loricam*, *Ceruos*, *Turres*. Videamus ſingillatim: & primò

VALLVM. Id fuit *pedum* XII. vt ait: nec definit de latitudine aut altitudine: an quia idem fuit? Solet aliquoties: & en Hirtiu leges, *Vallum decem pedes altum, cuius agger tot pedes in latitudinem patebat.* Et opus omnino latitudine fuit, ad inſiſtendum & defendendum. Quid in reliquâ ſtructurâ eius fuerit, curioſè dicimus in iis quæ de MILITIA. Nunc addo, nomen aliquando variare, & *Brachium* appellari. Hirtius in bello Hiſpanienſi: *Cæſar munitionibus Ategnam oppugnare, & brachia circumducere cœpit.* Idem in bello Alexandrino: *Caſtellum quod rex munierat, brachiiſque cum opere caſtrorum muniuerat.* Liuius XXXVIII. *Nicodemus intempeſtâ nocte, ſuperato brachio, in vrbem penetrat.* Lucanus.

——*fontéſque & pabula campi*
Amplexus foſſâ, denſas tollentea pinnas,
Ceſpitibus crudaq; extruxit brachia terrâ.

Apertè vallum ita nominat, & Ceſpitibus ſtruit, & Pinnas etiam addit. Cauſſa nominis, quòd eiuſmodi valla in brachium & cubitum ferè curuantur: vnde & à Græcis ἀγκῶνες dicuntur, ſiue & σκέλη, *Crura*, vt in Appiani ſuprà verbis. Alioqui flexus illi etiam & ſinus terræ, *Brachia* ſimili cauſsâ, appellantur. vt in Curtio, libro VI. *Duo terræ eius velut brachia excurrunt, media flexu modico ſinum faciunt, Lunæ ſimilem.* Ouidius:

——*nec brachia longo*
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Pars ſecunda Valli, *Lorica*. Ea vox varia ſignificatione innotuit. pro tegmine pectoris militari: vt frequentiſſimè. pro tegmine aliarum etiam rerum, aut inductione: vt in Vitruuio, *Lorica ex calce & arenâ inducantur*. In Varrone: *Parietes opere tectorio loricandi*. in Plinio: *Ichneumon limo ſe mergit & loricat*. Imago eſt & traductio ab illa militari, quæ corpus amplectitur & tegit. Paullatim longiùs etiam itum, & obiectio aliqua aut tegmen nobis antepoſitum, ſiue munitiuncula, *Lorica* dicta. Ita muruli in ambitu, minores valli minuſque lati: ſed & è cratibus, aut tabulis pluteiſque ſepimenta, in hoc nomen venêre. De murulis, in Curtio libro IX. *Anguſta muri corona erat, non pinnæ, ſicut alibi, faſtigium eius diſtinxerant, ſed perpetua Lorica tranſitum ſepſerat.* Significat muri eius, quem Alexander animosè conſcendebat, Loricam non fuiſſe vt aliàs vulgò, Pinnis diſtinctam: ſed ſine apprehenſione aut tranſitu, continuò ſtructam. Eò ægrius fuiſſe, ſtare illic aut hærere. Ammianus: *Muros altius extollebat, hac loricâ celeri diligentiâ conſummatâ, in*

A *tuto locandam ſecuritatem ſuam exiſtimans.* Idem iterùm, libro XXV.. *Erat in hac regione extentum ſpatium & rotundum, loricæ ambitu circumclauſum, deſtinatas regijs voluptatibus feras continens.* Viuarium fuit, & muro ſimplici circumductum. Sed & alia ambitio aut ἀμφίβολος ſic dicta. vt Apuleio libro VI. *Dum ſic mecum ſocatur comes, iam domus eorum extremam loricam perueneramus.* Itaque in Deuteronomij cap. XXII. vbi στεφάνην Græci verterunt, quidam è Latinis *Loriculam:* ſtructurā ſcilicet illā ſuperā ędium, qua Solaria ſua ambiebant & cingebant, contra caſum aut delapſum. Nam plana tecta eorum eſſe ſolebant, ad apricandum aut inambulādum: atque in orbem iſti mutuli, quibus innitentes fas erat deſpicere. Dauidi hoc factum, quem ſacræ litteræ aiunt *deambulaſſe in ſolario domus regia*, B & vidiſſe lauantem illam, quam in omni vitâ pœnituit vidiſſe. Pro vallo autem aut terreo mutulo, Tacitus IIII Hiſt. *Loricam vallumq́ per fines ſuos Treuiri ſtruxere.* Iterùm IIII. Annal. *Sabinus foſſam loricamq́ contexens, quattuor millia paſſuum ambitu amplexus eſt* Florus de Scipione, ad Numantiam, libro II. cap. XVIII. *Foſſa atque loricâ, quatuorq́ caſtris circumdedit.* Idem de Cæſare, ad Gergouiam, lib. III. cap. X. *Octodecim caſtellis, ingentiq́ [quaſi] loricâ circumdatam, fame domuit.* Dele incluſam à me voculam, auctoribus libris. Sed & legitimum ipſum vallum, ſudibus turribuſque inſtructum, Vegetius vult ſic dictum, lib. IIII. cap. XX. *Obſidentes vltrà teli iactum foſſam faciunt, eamq́ non ſolùm vallo & ſudibus, ſed etiam turriculis inſtruunt, vt erumpentibus è ciuitate* C *poſſint obſiſtere. quod opus Loriculam vocant, & ſæpè cum obſidio deſcribitur, inuenitur in hiſtorijs,* LORICA VRBEM ESSE CIRCVMDATAM. Ita Vegetius quidem: ſed vetuſtiores tamen ſic locutos, haud temerè dixerim, imo cum diſcrimine ferè, quod monui, & vt pars modò Valli *Lorica* ſit. Illud tamen æuū ſolet, & paulò ſuperiùs, vt ex Flori locis liquet. Iā de *Cratibus* & vimineâ ſepe: ecce in Cæſare ipſo V. Gallic. *Turres contabulantur, pinnæ, loricæq́ ex cratibus attexuntur.* In Hirtio, VIII. Gallic. *Pontes conſtrati, quorum frontes vimineâ loriculâ muniuntur* De *Pluteis* autem, D in hoc loco Iuliano, quem legimus: *Ad commiſſuras pluteorum, atque aggeris.* putamus enim loricam intellegi puteale, locumq́ue ſignari, quà aggeri & vallo iungitur. Clariùs hoc in VII. Gallic. *Duabus retentis portis, ceteras obſtruit, pluteos vallo addit.* BILL. Satis nouitia & inopinata me doces: nec ego de hoc ligneo genere loricarum ſuſpicatus vmquam fui. Cæſaris illa, ſic capiebam: quaſi Pluteos additos, id eſt antepoſitos præfixoſque vallo vellet, cōtra reſciſſionem eius & demolitionem; quem falcibus aliiſq; apparatu ſolent moliri. Obſtitiſſe igitur tunc Pluteos. LIPS. Nec abſonum hoc, aut nimis futile: ſed firmius E tamen noſtrum videtur. vt ſepes ſic craticeas, aut & & ligneas, ſtruxerint, poſt quas tuti eſſent. Ita enim & Vineas, & Pluteos, ex hac materie ſtruebant, & eodē fine: vnde, vt puto, exemplū. Tela ſanè illa veterum, his aut inhærebant, aut frangebātur: denique facile, & non in arduo, hoc opus. Pro eo autem & Hirtius mihi videtur, VIII. Gallic. *Caſtra imperat vallo pedum* XII. *muniri, coroniſq́ pro hac ratione eius altitudinis inædificari.* Ita vulgò, nec peſſimè: & poſſit *Corona* eſſe, quod στεφάνη iam dicta in libris ſacris. Sed libri tamē ſcripti cōſentiunt legere, *Loriculamq́ pro hac ratione.* Ergo teneamus, & quia INÆDIFICANDI verbo vtitur, ligneam fuiſſe ſuſpicemur. Hîc ſuſpicio, at in Suidâ aſſertio: Δρύφρακτοι, inquit, ξύλινοι θώρακες, φράγματα τὰ νῦν σανιδωτὰ καλούμενα: *Dryfracti, lignea Lorica, qua nunc tabulata vocantur.* Nihil clarius: & nomen ipſum factum, παρὰ τὸ ταῖς δρυσὶ φράσσεσθαι: ab

A *eo, quòd lignis munitio hæc fiat.* In eodē ſcriptore: Θωράκιον, τὸ τεῖχος. Θωρακίοις, προμαχῶσι, δρυφράκτοις λωρικίοις: *Thoracium, ipſe murus. thoracijs, propugnaculis, Loricis ligneis.* Atque hæ Loricæ murorum vallorumq; ſunt, pinnis diſtinctæ; ἐπάλξεις Græcis, προμαχῶνες, & creberrimè Latino ritu θώρακες ſiue θωράκια, *Loricæ aut loricula* dictæ. BILL. Maiores tenuerunt, & paullùm modò vetuſtiores muri noſtri Europæi habent: idq; cum diſtinctione iſtâ Pinnarum. Hodie omitti placuit Pinnas, ob infirmitatem: etſi *Loricas* tenemus, & noſtro verbo *Parapetto*. Sed altitudo, ſodes, Lipſi horum talium quæ fuit? LIPS. Haud ſtabilis ſemper aut exactè eadem: & in Hirtio audiſti; *Loriculam pro ratione altitudinis inædificari.* In humili ergo vallo, humiliorē paullò; grandiuſculam, in altiore. B In Ioſepho lego, velut de more, ſed in amplâ Hieroſolymorum munitione, *Loricas trium pedum altitudine fuiſſe; Pinnas, duorum.* Et ſanè ea menſura ad viri modum fit, atque abundè ei tuendo. Sint & quattuor pedes, in vniuerſum: ſuffecerint in caſtrenſi vallo. Sed ad partem Valli tertiā venio, qui ſunt CERVI. Non ij quidem in omni vallo, non: ſed hîc à Cæſare adtexti, maiori tutelæ & ſecuritati. Quid ergo ij ſunt? *Cerui* inquit Varro, *à ſimilitudine cornuū ceruī.* Sunt igitur ramoſi trunci arborum, in eam faciem: atque ij firmiores aliâs, aliâs infirmi. Iſti teneriores & infirmi, *Ceruoli* dicebantur, verbo diminuente. In Hygino: *Ceruoli, trunci ramoſi. ad hos decurritur, ſi ſoli naturâ, nimiâ teneritate, ceſpes frangeretur.* Vtebantur his igitur C in vallo ſtruēdo, ad terrā coërcendā adſtringendāq;, identidem interiectis. Nos hodiéque facimus & ſic idem Hyginus: *Nec vallum extrui, nec foſſa fieri poteſt, vt non ripa decidant, quoties Ceruoli deſunt.* Quod tamen vbi legitimus denſuſque ceſpes, vix opus. De his Ceruolis, Frontinus etiam, lib. I. cap. V. *Pelopidas vallum, ceruolis & alio materia genere conſtructum, incēdit.* Virgulta hæc fuiſſe mixta copioſè indicat, tum & ſudes, ac ligna Et minorū hic vſus: quis maiorum? diuerſus, & ferè duplex. Receptiſſimus iſte, vt truncos illos firmiores in terrā depangerent, & variè ſererent, itineri impediendo aut obſtruēdo. Vt in Liuio, D XLIIII. *Romanus ad Clitas quas vocant, munimēta Ceruis etiā obiectis, vt viam intercluderet, à Macedonico ad Toronaicum mare perducit.* Fuere foſſæ & valli, & antea cerui iſti: conſimiliter vt in Cæſare *Cippi*, de quibus audiemus. Silius & hoc factitatum vult à timidis Cannarum reliquijs, quæ Canuſium ſe receperāt, & Annibalē in horas expectabant. Muniunt ſe igitur,

Quàque patet campus planis ingreſſibus hoſti,
Ceruorum ambuſtis imitantur cornua ramis,

Obſerues amburi ſolere, ad robur & duritiem, & ſimul acumen: vt in Sudibus præuſtis. Tibullus quoque ſic adhibet, ad Meſſallam:

E
Nam te non alius belli tenet aptiùs artes,
Quà deceat tutam caſtris producere foſſam,
Qualiter aduerſos hoſti defigere ceruos.

Nam ſic viri docti rectè emēdarunt: etſi quis *Neruos*, qui anteà legebātur, ad Tormentorum diſpoſitionē aptam retulerit. ſed renuit *Defigendi* tamē verbum. Atque is prior vſus, & creber: alter qui hîc in Cæſare, rarior, *Grandes ceruos eminuiſſe ad commiſſuras pluteorum atque aggeris, qui adſcenſum hoſtium tardarent.* Puto igitur in exteriore vallo eminuiſſe, incertos inter Loricam ligneam, & Aggerem ipſum, ſimplicis coronæ in modum: & vidi agreſtes noſtros, ſpineas eiuſmodi proiecturas, in Loricis terreis, eidem fini, vſurpare. In Virgilio Cerui etiam leguntur:

Atque humiles habitare caſas, & figere ceruos:

ſed pro arborum truncis longioribus, iiſq; furcatis, opinor: quibus tranſuerſa tigna inici poſſent, ad

ſuſtinendũ. Fit in Tugurijs, & rudi opere ruſticorum. A An hoc ſenſu Appianus v. Ciuilium κεραίας dixit: Facit enim Bruti milites, cùm Xanthiorum vrbem oppugnarent, *alios ſcalas ſubitarias feciſſe; alios κεραίας admouiſſe, ijſq; pro ſcalis vſos.* Et interpres quidem vertit *Cernos* profectò haud ineptè, ſi * tale aliquid fuit: ego voluiſſem *Antemnas*, quas ex nauibus ſcilicet ſumpſerunt, & per eas conniſi in muros. Pars deinde quarta, TVRRES. quas *toto opere circumdatas* ſcribit, interuallo inter ſe pedum LXXX. Atque hæ diuerſæ turres erant ab ijs, quas poſteà dicam, *Mobilibus*: fixæ enim iſtæ; & minùs operoſæ, minuſq; etiam altæ. Iulianæ hæ ſanè crebræ fuerũt; & calculus euincet, fuiſſe in *vndecim milliarium* ambitu, *ad ſexcentas octoginta ſeptem.* Quid in ambitu Exteriore *quattuordecim milliarium*? palàm eſt, acceſſiſſe ad dictum numerum, CLXXXVII. Ergo in vtroque ambitu, in- B ſimul, ∞. IↃ. LXI. Haud longè ab hoc numero & Octauianus Cæſar ad Peruſiam, cuius ligneas ibi turres Appianus numerat, *mille quingentas.* Quidquid diſſimulemus, ſunt hæc miranda; ſed alia etiam reſtant, & ſequitur

* Nempe trunci arborum, cũ lateralibus ramis leuiter accisis: qui poſſint eſſe Scalarũ loco.

INTERIOR MVNITIO, quã dixi. Ea comprehenſa eſt in latitudine pedum CCCC. ab opido caſtra verſus, & habuit has partes: *Foſſas, Cippos, Lilia, Stimulos.* FOSSÆ fuerunt, tres. Prima, ſub ipſum opidũ ad radices collis, *pedũ* XX. *directis lateribus.* Ab hac pedum CCCC. ſpatio, duas iterùm foſſas duxit, ſub ipſis caſtris, XV. *pedes latas, eâdem altitudine.* Cùm autem hîc par altitudo, credibile & in primâ illâ fuiſſe, C etſi non dixit: imò libri priſci nec latitudinem illîc exprimunt, ſed ſcribunt, vt ſiam recitaui. Ex duabus autẽ iſtis vltimis alterã *interiorẽ, cãpeſtribus ac demiſſis locis, aquâ ex flumine deriuatâ, cõpleuit.* Fuere enim palàm duæ: nõ vna, vt prauo acumine, interpres quidam dixit. Nam duas vult nominatas, adſpectu ſectionis quæ à flumine mediâ facta: atque ideò nec *interiorem* quidẽ legit, ſed *inferiorẽ.* Quæ hæc mala libido innouandi eſt: certè pro tutelâ & reliquâ dignitate operis, magis facit, fuiſſe duplices: quod palàm hîc ſcribitur, & alibi ſimile obſeruetur. Vna autẽ ex his foſſis, eáq; aquâ repleta, vallo adhæſit: altera quo D interuallo ab eâ, non dixit. Haud magno tamen, id credam. Hæc cùm ita feciſſet Cæſar, in ſpatio illo campóque medio pedum CCCC. opera hæc inſtituit, & totum locum variè impediuit. Primò, quos CIPPOS *appellabant*, defixit. Eorum quinque ordines ponit, in totidem perpetuis foſſis, & infernè reuincit: re totâ in eo ſatis elatâ, niſi quòd verba aliquid tenent. Nam ait, *truncis arborum, haud admodũ firmis ramis accifis*, foſſas conſitas. An ergo rami quæſiti infirmi? ego cõtrà cenſebã, & operis ratio ac finis vellet. Io veteribus conſenſu ferè, *aut admodum*, aiente ſiue alternante particulâ, itẽq; *abſciſis.* Retineo, hoc ſenſu. vt aut truncos ipſos rotarum arborum captos vellit, ſed iuniorum; aut & maiorũ ramos firmiores, qui cum ſuâ ſobole idẽ præſtabãt. Hos enim ſparſos & ad latera exſtantes ramos, dolabrâ aptabant & exa- E cuebant: quod in quibuſdã veterũ benè *dolabratis* legitur, non *Delibratis.* Quod autẽ eſt, *Cippos* dictos, nihil equidem muto: ſine fraude tamen vacillationem optimi codicis indico, qui Torrentij antiſtitis fuit, in quo correctũ *Cappos.* Incidebat, *Scapos.* & ſanè militõ laſciuia hunc velut Martialẽ hortũ habuit & conſeuit, & nomina etiã fortaſſis (vt mox *Lilia*) à re hortẽſi ſumpſit. Alioqui *Cernos* licuiſſet, recepto verbo. Sed hoc in ventum dixerim: pergo ad ipſa LILIA. quibus fodit *ſcrobes, triũ in altitudinẽ pedum, paullatim anguſtiore ad ſummũ faſtigio.* Nego, ad ſummum: nec qui conſiderat, admittet. Quid libri? meliores omnes, *ad*

infimũ: & defendendum eſt. Scrobes nẽpe ita factæ, A vt patulâ rotunditate, paullatim anguſtarentur coïréntque ad imum. Ni ſic fuiſſet; quonodo terra exculcata cõmodè, quod additur? *Singulis ab infimo ſolo pedes terrâ exculcabantur.* Sententia eſt. è tribus illis pedibus altitudinis, tertium ab imo depleuiſſe; terrâ aggeſtâ ad ſtabiliendum ſtipitẽ, & circa eum ſtipatâ & exculcatâ. Nam Hotomannum bona Mens non impulit duas voces inducere & auferre, *pedes terrâ.* Quid ergo reliqui duo pedes? ij vacui. & addit: *reliqua pars ſcrobis, ad occultandas inſidias, viminibus ac virgultis integebatur.* Id, inquã, eo ſenſu. vt vimina ac virgulta ſummã oram foueæ texerint, ei ſuperſtrata: imò & herbidus ceſpes ſuper ea, vt opinor, ad magis occultandum ſtilum. qui etſi quattuor digitos eminebat, vt dixit; tamen facilè hac tali materie celaba- B tur. Feſtus id dixit, *Vallum cæcũ.* Verba: *Cæcum vallum in quo præacuti pali terra adfixi, herbis & frondibus occuluntur.* Hirtius in Africano bello: *Valli foſſæ úmque altitudo, & extrà vallum ſtili cæci mirabilem in modum conſiti, vel ſine defenſoribus aditum aduerſarijs prohibebant.* Vocat *Stilos*, ſicut & Silius:

Et ſtilus occulitur, cæcum in veſtigia telum.

Cæcum, non quod non videt, ſed non videtur: vt *cæca vada, cæci ſcopuli, morbi*, & plura. Pompeius huic tale vallũ ſtruxit, in ipſum Cæſarem, tunc cùm Brundiſio excederet: *Foſſas tranſuerſas vijs perducit, atq; ibi ſudes ſtipitéſq; præacutos defigit. hæc leuibus cratibus terráque inæquat.* Vides herbam, terram, crates inſtratas: & dolus ita poſcit. Quo ſeitiſſimè vſi in Ro- C manos poſteriores Lazi, barbarus populus quod ita lego in Suidâ, neſcio an ex Menandro: Οἱ δὲ Λαζοὶ βόθρους ὀρύξαντες, καὶ δόρατα τοῖς βόθροις ἐγκαταπήξαντες, ταρσοῖς καλάμων καὶ ὕλῃ μὴ βεβαίαν ἰσχὺν ἐχούσῃ, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἐπιφερόμενον ἄχθος ὀλισθαίνειν τε, τὰ στόματα τῶν ὀρυγμάτων ἐκάλυψαν, καὶ χοῦν ἐμβαλόντες, τά τε παρ' ἑκάτερα χωρία γεωργήσαντες καὶ πυροὺς σπείραντες, ἐτροπώσαντο τοὺς Ῥωμαίους: *Lazi ſcrobibus effoſſis, & ſtiloſſum ijs defigentes, cratibus arundineis & tali materie quæ firmitudinem non haberet, ſed ad onus illatum cederet ſtatim ac laberetur, ora ſcrobium texerunt. Tum & terram ſuperiecêre, & circa arauerunt, & frumenta inſeminarũt:* D *atque ita vicerunt fuderúntq; Romanos.* Tales igitur ſtipites hi Iuliani defoſſi, & quidem octonis ordinibus diſpoſiti, in quincuncem. Sed claudit & dicit, *id ex ſimilitudine floris Lilium appellatum.* Hîc ſubſiſtunt, aut variè ſe mouent. Quæ enim in toto opere ſimilitudo Lilij? inquiunt. Nec de nihilo dubitatio. & eò decurritur. vt dicant calycem ipſum Lilij deſignari, cùm id clauſum adhuc, nec ſe expãdit. is capite leuiter protuberante, & quadrato eſt: & talem fuiſſe volunt immiſſum ſtipitẽ, eóque aſpectũ. Hæreo, imò non hæreo. nónne enim Cæſar diſertè ſcribit, *ſtipites teretes* fuiſſe? nec forma hæc quadrata, aut lilij clauſi cõuenit. Meo nunc ſenſu, adſpicit ſimilitudo totam foueam ſupernè expanſam iacentémque in orbem: cui medius deinde ſtipes inſeritur. atque id eſt velut E Lilium patens, cum ſtamine ſuo aut ſtilo. Tu, aut tu, aliquid aptiùs? docete. In ſilentio veſtro, pergo ad STIMVLOS, quarum in hac areâ opus. Non contentus Cæſar dupliciter impediſſe iter, hoſquoque addit: & *Taleas, pedem longas, ferreis hamis infixis, totas in terram infodiebat*, & per interualla modica ſpargebat. Numerum aut ordinem non dicit: obtinuere totum ſpatium, quod reliquũ ad primã foſſam. Iſtæ autem Taleæ breues, nec niſi pedales: atque ita noteris, totum opus per gradus creuiſſe. primò minoribus *Taleis*, mox maioribus *Lilijs*, maximis denique *Cippis*: creuiſſe, adſpectu dico eunti in qui inuaſiſſent. Dicit autẽ hos *Stimulos* nominatos: & approbo. quid tamẽ

ita longè

A ita longè abit & diuertit optimus Torrentij codex, qui *Famulos?* An *Hamulos?* nam hamis infixas dixit. An *Flamulas?* quod genus Violæ Latinis eſt, vt non abeamus ab horto. An nugas ago? cùm Cæſar ipſe mox, cùm adſultaſſe caſtris Gallos facit, ita ſcribat: *Galli dum longiùs ab munitione aberant, plus multitudine telorũ proficiebãt. poſteaquàm propiùs ſucceſſerũt, aut ſe ipſi Stimulis inopinantes induebant, aut in Scrobes delapſi transfodiebantur.* Stimuli ecce repetuntur, nec vacillat ibi liber: ſed & ordo exponitur harum depoſitionum, quem dixi. *Interioris munitionis* omnia habetis: quid in

B EXTERIORE? eadem. Facies enim modò diuerſa fuit, & hæc hoſtem ſpectauit, vt illa opidanos. Cæſar id ita dicit: *His rebus perfectis, regiones ſecutus æquiſſimas pro loci naturà, XIIII. millia paſſuum complexus, pares eiuſdẽ generis munitiones, diuerſas ab his, contra exteriorem hoſtem perfecit: vt ne magnà quidem multitudine ſi ita accideret, eius diſceſſu munitionũ præſidia circumfundi poſſent.* Oratorem ſi lubeat agere, diffundam & oſtendam per partes, tot iterùm *Foſſas, Vallum alterum, Turres,* denique *Cippos, Lilia, Stimulos:* omnia hîc, in aucto ambitu, auctiora. Ego non faciam: & magna admiratio ſilentium magis imponit. BILL. Certè admiramur. CARON. Stupemus. ſed quàm magnâ manu, quo ſpatio, Cæſar hæc opera?

C LIPS. Nonniſi *decem legionibus:* ſed nempe illis veteranis, & quibus ipſe elogium in Hirtio tribuit, Hiſpanos alloquens: *An me deleto, non animaduertebatis, decẽ habere legiones populum Romanum, quæ non ſolùm vobis obſiſtere, ſed etiã cælum diruere poſſent?* Superba mihi ſæpè & improba viſa dictio (& eſt:) ſed ſi quis hæc opera talia conſiderat, nónne has veras moliriones gygantum dicat, nec noſtræ ſortis? Quæris & de tempore. non expreſſit quidem Cæſar: ta-

A men ex eo colligas, haud longè ſuprà *triginta dies* impenſos. Nec abnue credere. Scipionis illud ad Carthaginem, *viginti dies* tenuit: & eiuſmodi alia, nobis ſemper mira, quia deſiimus facere miranda. LAMPS.

Hæ potuêre manus adiungere Seſton Abido,
Ingeſtóque ſolo Phryxaum elidere pontum.

Sed tamen eſt quod quæram Lipſi, in totâ hac munitione. Clauſiſti introrſum, extrorſum egregiè: quid autem? nullæ viæ igitur relictæ ad exeundum, aut ineundum? perpetui illi *Cippi, Lilia, Stimuli?* LIPS. Minimè. vel me tacente res id dicebat, exitus quoſdam ad frumentationes, pabulationes, aquationes,

B aliosq́; vſus, relictos. Sed vbi? Quod oblitus eram dicere, *viginti tria caſtella,* id eſt parua quædam caſtra, in Circumuallatione eâ fuerunt: in quibus cohortes aliquot militum, & velut corpora eſſent, contra vim & incurſum. Quòd ſi tot illa, quot dixi, ponimus: fuerunt quaſi medio milliari quoque interiuncta: etſi libri quidam ſcripti, *triginta tria* ea faciunt. Ad hæc igitur caſtella mi Lampſoni, opportunè vias & exitus nunc collocamus. FVR. Vnum etiam ego. Interuallum inter Exterius Interiuſque vallum, quantum fuiſſe cenſes? LIPS. Si interius in ambitu habuit XI. milliaria, Exterius XIIII. vt hîc ſcribitur:

C ratio colligit, fuiſſe inter vtrumque, paſſus circiter *nongentos quinquagintaquattuor.* Magna latitudo, & propemodum milliari vno vallum à vallo abſuit: ſed cauſſa, credo, vt equi laxiùs haberentur, & pabulum etiam iis eſſet: tum denique ob calones, lixas, & id genus, quos probabile multos fuiſſe. Ratio quidem circularis hoc interuallum poſtulat: etſi iuſtum tamen exactè ambitum circularem fuiſſe, haud opinamur; ſed pro locis procurriſſe, aut ſe flexiſſe, quod & Cæſar indicauit.

24



1. Aleſia oppidum in colle. 2. Foſſa infra collem à Cæſare ducta. 3. Stimuli. 4. Lilia. 5. Cippi. 6. Foſſæ duæ ad vallum, interior aqua plena. 7. Vallum ipſum è terra, è ligno. 8. Cerui, ſiue rami grandes et denſi ſtipatique eminentes, contra adſcenſum. 9. Caſtella in orbem. 10. Turres lign[illegible]

DIALOG. III.

Agger totus ſtructus, & Cæſaris de eo locus.

SED enim *Vallum* & adiuncta ſatis explicauimus: & clauſum quidem hoſtem habemus, nondum oppugnatum. Vt id fiat, opera alia ſtruenda ſunt: inprimis AGGER. Is fuit, terreus quidam, & aliâ materie mixtâ, mons & eleuatio: quem paullatim verſus vrbem producebant & attollebant: vt ex alto pugnarent, & *Turres* ibi conſtituerent, ſed & *Tormenta*. *Agger* vocabatur, ab ipsâ re: quia aggerebant & cumulabant: poſterior ætas *Aggeſtum* dixit, ſed & alio genere *Aggeſtus* in Ammiano lectus. Ordinem hunc operis fuiſſe, Cicero indicat, ad Atticum: *Opidum cinximus Vallo, & Foſſa, & Aggere.* Vſum etiam, idem in Philippicâ v. *Græcia vel receptaculum eſſet pulſo Antonio, vel Agger oppugnandæ Italiæ.* Quare Græcia, *Agger*? quia finitima & mari velut foſſâ diuiſa, quia alta ad oras, eoque velut Agger, imminens ad oppugnandum. Hoc igitur Agger, & eo fine, ſtruamus, ſi lubet. E terrâ, lapide, ligno congeriem ſtruebant: & hæc tria, cùm in aliis, tum in Suidâ iunctim ſic leges: Ἔγεστα, πολεμικὸν μηχάνημα ἐκ λίθων, καὶ ξύλων, καὶ χοῦ ἐγειρόμενον, οἱ δὲ διὰ τοῦ α ἄγεστά φασι: *Egeſta, bellica machinatio, ex lapidibus, lignis, & terrâ conſtructa. alij autem per A. ſcribunt Ageſta.* Thucydides, de Peloponneſijs, libro II. oppugnatione Platæarum: Ἔπειτα χῶμα ἔχουν πρὸς τὴν πόλιν. ἐφόρουν δὲ ἐς αὐτὸ, καὶ λίθους καὶ γῆν καὶ εἴ τι ἄλλο ἀνύτειν μέλλοι ἐπιβαλλόμενον: *Deinde Aggerem ad vrbem ſtruxerunt. inferebant in eum materiem ſiue ligna, tum lapides, terram, & quidquid aliud iniectum videbatur facere ad attollendum.* Item Ioſephus, in obſidione Hieroſolymorum: *Excîſis vicinis montibus, & ingenti copiâ lignorum ſaxorumq; collectâ, cratibus etiam oppanſis contra venientia tela, Aggerem ſtruebant: quibus alij, colles deruentes, terram ſine intermiſſione ſuggerebant.* Hæc ita tria igitur miſcebant. etſi Cæſar de terrâ alibi ſeorſim, *Ceſpitibus ad aggerem comportandis.* Et de ſaxis Suidas: Καὶ χώματα δύο ἑκατέρωθεν ἦγον εἰς πρὸς τὸ τεῖχος. συνδεσμοὶ δὲ τοῦ χώματος αἱ πλίνθοι ἐγένοντο, αἱ ἐκ τῶν οἰκιῶν: *Aggeres duos excitabant vtrimque ad murum. Vinclum autem aggeris lateres erant, qui ex ædibus ſumpti.* Sed neſcio, an lateres eos velit iniectos ſtipando aggeri, an ad latera poſitos, pro muris, ad coërcendum. Sed materiem vidiſtis, & præcipuè materiem, id eſt ligna. Virgulta enim & faſces maximè hîc vſui: ſiue ad implendum & attollendum, ſiue ad ligandum. Itaque & *Aggeris* voce, hæc ſæpè intellegebant. vt Cæſar VII. Gallic. *Agger ab vniuerſis in munitionem coniectus eſt.* Faſces & virgulta fuêre, quod hodiéque ſolet ad explendum. Idem: *Cratibus atque aggere paludem expleri iubet.* Iterùm: *Proximam foſſam cratibus integunt, atque aggere explent.* Hirtius de bello Alexandrino: *Arboribus excîſis, quæ longitudine vtramque ripam contingerent, proiectis, repentinoq; aggere iniecto, flumen tranſierunt.* Cæſar II. Ciuil. *Vimina materiamq; comportari iubet, quibus comportatis rebus, aggerem exſtruit.* Imò videbatur vix ſtrui, ſine iſtis. Idem ibidem, cùm iam incenſus agger & opera fuiſſent: *Vnde agger comportari poſſet, nihil erat reliquum, omnibus arboribus longè lateq; in finibus Maſſilienſium excîſis.* Incenſus, inquam, ibi, vt ſæpè: ergo ligneus. & arbores requirit ad reparandum. Itaque Pompeius Filius in Hiſpaniâ, ad Vrſaonem, *vt eius opidi oppugnationem tutiorem efficeret* (loquitur ita Hirtius: id eſt difficiliorem oppugnari.) *omnem materiem circùm opidum ſucciſam, intro congeſsit.* Atq; ita cùm Cæſar adueniſſet, *Agger, materieſq; vnde ſolitæ ſunt Turres agi, propiùs millia ſex non reperiebatur.* Similis inopia, ad Hieroſolyma, in Ioſepho: *Romani plurimum in aggerendâ materie laborantes, tamen intra XXI. dies aggeres erexerunt, attonſis omnibus aut excîſis circa arboribus, ad ſtadia nonaginta.* Ea verò vaſtitas fuit, ad milliaria circiter vndena. Et quidem vſui arbores, nô ob virgulta ſolùm, & tenuia ramorum, ſed ob ipſos truncos: quia illa in molem mediam ſtipabant, hos & ad latera applicabant, firmando & coërcendo. Lucanus clarè, libro III.

——tunc omnia latè
Procumbunt nemora & ſpoliantur robore ſiluæ.
Vt cùm terra leuis mediam virgultaque molem
Suſpẽdit, STRVCTA LATERVM COMPAGE *ligatâ*
Arctet humum preſſus ne cedat Turribus Agger.

Struebant, inquam, latera, & cancellatim tignis directis tranſuerſiſque, variè ligabant. quòd iterùm poëta idem tangit, ibidem:

——ſtellatis axibus Agger
Erigitur.

Qui enim* *ſtellati axes*, niſi hi laterales tranſuerſi, & decuſſati radiorum aut ſtellarum aliquâ facie? Et ita Silius quoque, imitatione ſi fortè Lucani, lib. XIII.

* Quo ſenſu & Gallus ſtellas in Capitolino.

Hic latera intextus ſtellatis axibus Agger,
Hic grauida armato ſurgebat Vinea dorſo.

Thucydidem huc appono, libro II. de Peloponneſijs ad Platæas: ξύλα μὲν οὖν τέμνοντες ἐκ τοῦ Κιθαιρῶνος, παρῳκοδόμουν ἑκατέρωθεν φορμηδὸν, ἀντὶ τοίχων τιθέντες, ὅπως μὴ διαχέοιτο ἐπὶ πολὺ τὸ χῶμα: *Lignis ex Cithærone monte excîſis, ſtruebant vtrimque implexim, vt caniſtra ac ſtoreæ ſolent, loco murorum ea apponẽtes, idq; ne terra longius funderet & laberetur.* Id enim vocat φορμηδόν: & Scholiaſtes inibi: φορμὸς, ψίαθος ὅς ἐστιν ἐναλλὰξ ἔχων τὸ πλέγμα αὐτοῦ: *Phormus, corbis vel ſtorea, quæ alterno textu plexa eſt.* Notetur autem in Thucydide, *loco murorum* id fuiſſe. nam iamantè & muros notauimus latericios è Suidâ, in hunc finem. ADAM. Venia ſermonis mihi erit? LIPS. Imò gratia. diutilè ſiluiſti. ADAM. Nam ſcis me ex ijs eſſe, de quibus Theognides:

Οἷσιν ἐπὶ γλώσσῃ τε καὶ ὀφθαλμοῖσιν ἔπεστι Αἰδώς:
Quis tener in linguâ atque oculis Pudor incolit vnà.

Fronte aut linguâ parùm ego audax. LIPS. Tanto mihi probior. & *pauci boni Quæſtores*, vt idem poëta ait, *Lingua ſimul & Mens.* Sed ſiquid vis, age. ADAM. Structio hæc lateralis parùm mihi firma, ſi Agger vſque adſurgat altiùs: quid enim fulcra illapſa fulciat? LIPS. Vinclum aliquod internum ſcilicet: & cogitandum ad trabes alias, exteras illas, nexas. Sed & * eriſmæ, vt Vitruuius appellat, extrorſum admoueri potuerunt, & acclinando, vt in ruinoſis videmus, ſuſtentare. Tamen facilè aſſentiar, inferiùs tigna hæc vſum habuiſſe; vix in altitudine, & tunc arctatam leuiter molem, & ad oras coercitam virgultis. Imò, quid ſi Thucydides de ſepe, & crate eo modò opere capiendus ſit? nec id improbũ, per ſepimenta quædã opus clauſum, & ſic φορμηδὸν ſtructum. Sed ego pergo: & claudo igitur, præcipuam materiem, ligneam fuiſſe. Itaque non mirum, etiam in aquis aut mari Aggerem iactum: permirũ, ſi è terrâ. Quod in aquis autem, Appianus ſuprà docuit, in Scipionis operibus ad Carthaginem: *Vbi aggerem duxit in ore portus, ſtipatis proiectiſque grãdibus ſaxis, latum in ſummo XXIIII. pedes, in imo eius duplum.* Sed & Cæſar ad Brundiſiũ, vt Pompeium includeret (ipſe ſcribit) *quà fauces erãt anguſtiſſimæ portus, molem atque aggerem ab vtraque parte litoris iaciebat.* Titus pariter, ad Hieroſolyma, in Hegeſippo, lib. V. cap. XX. *Vnus Agger è regione munitionis, cui nomen Antonia, per mediam ductus erat Piſcinam, quam Struthiam vocabãt. Hunc Aggerẽ Quintus numerus triginta cubitorum in altitudinem fecerat.* Vbi equidẽ de numero ambigo & controuerto. quia

* ἐρείσματα

A humilis mihi his Agger videtur, maximè Antoniæ turri oppoſitus, cuius rupes & baſis, cui impoſita, alia erat *cubitos quinquaginta*, ait Ioſephus; & ipſa deinde Turris, *quadraginta*. Cui viui ergo tantulus Agger in tantam altitudinem? nam æquare aut ſuperare debebat, mox docendum. Sed nec in Ioſepho is numerus, à quo haud dubiè Hegeſippus ſumpſit. Ille ergo non aliud dicit, quàm *Aggeres iſtos triginta cubitorum ſpatio inter ſe abiunctos*: quod ſuſpicari licet oculo parùm firmo aut hærente Hegeſippum legiſſe, & ad altitudinem tranſtuliſſe. Sanè aggeres vulgò alti, & id ferè pro muris, in quos ſtruebãtur. Seneca communiter, de Conſtantiâ ſapient. cap. VI. *Æquaturum editiſſimas arces aggerem creſcere.* Silius:

——*ſubis arduus agger,*
B *Imponitq́ globos pugnantum deſuper vrbi.*

Cæſar II. Gallic. *Armorum magnâ multitudine de muro in foſſam iactâ, ſic vt propè ſummam muri Aggeriſq́ altitudinem acerui armorum adæquarent.* Mẽs eſt, Aggerem pari admodum altitudine cum oppoſito muro fuiſſe, & iacta inter vtrumque arma, vtrumq; æquaſſe. Ioſephus III. Excid. Ἐγηγερμένου δὲ ἤδη τοῦ χώματος, καὶ ταῖς ἐπάλξεσιν ὅσον οὔπω πλησιάζοντος: *Erecto iam aggere, & ipſis murorum pinnis tantum non appropinquante.* Ammianus XIX. *Pugna per Aggeres excelſos, muris proximos, ſerìtur.* Vbi notetur, & admotos planè muris fuiſſe, vt è propinquo pugnarent. Tacitus IIII. Annal. *Struebatur Agger, vnde ſaxa, haſtæ, ignes,* C PROPINQVVM *in hoſtem iacerentur.* Liuius libro V. *Cùm agger promotus ad vrbem, Vineæq́ tantum non iniunctæ mœnibus eſſent.* Zoſimus lib. II. obſidione Byzantij: Ἐγκείμενος δὲ τῇ πολιορκίᾳ Κωνσταντῖνος, καὶ χῶμα ἴσον ἔχον ὕψος τῷ τείχει ἀνεγείρας, πύργους τε στήσας ἐπὶ τοῦ χώματος ξυλίνους ὑψηλοτέρους τοῦ τείχους, δι' ὧν τοὺς τὸ τεῖχος φυλάττοντας κατετόξευον, ὡς ἂν ἐπ' ἀδείας κριοὺς καὶ ἄλλας μηχανὰς τῷ τείχει προσάγοι, διανοοῦντο τὴν πόλιν ἑλεῖν: *Incũbens oppugnationi vrbis Conſtãtinus, & Aggerem æquali altitudine cum muris excitans, Turres in eo conſtituit ligneas, altiores ipſis muris; ex ijs, qui oppidũ defendebant, telis ſagittiſq́ petebantur, vt Arietes aliáſque* D *machinas tutò admouere liceret, atque ita vrbem capere.* Vbi & vſum fructumque varium Aggerum, licet obſeruare. Sed de altitudine, expreſſam etiã alibi lego, vt in Cæſare ad Maſſiliam, *Agger altus pedes* LXXX. legitur. In eodem, lib. VII. ad Auaricum, *Latus pedes trecentos triginta, altus pedes octoginta, qui murum hoſtium penè contingeret.* BILL. Profectò mira hæc magnitudo, & hodie quoque ſi ſtruant, quæ non vrbs infeſtetur aut capiatur? LIPS. Atquin altiorem Billé hec reperio, in Ioſepho, & Hegeſippo. Nam *Maſſada* caſtellum fuit in Iudæâ, ſitu & opere mirificè munitum. Totum in rupibus & inacceſſis locis erat, E eminabatq́ue ſuper reliquam terrã, *cubitis trecentis.* Quid faceret in oppugnatione *Sylua* (Hegeſippo *Silla*) Romanus dux? Aggerem communem primò iecit, altũ *cubitos ducentos*: latitudo nõ eſt expreſſa, ſed parẽ aut maiorẽ, ratio eſt fuiſſe. Sed addit Ioſephus: οὐ μὴν οὔτε βέβαιον οὔτε αὔταρκες ἐδόκει τοῦτο τὸ μέτρον εἶναι τοῖς μηχανήμασιν εἰς ἐπιβάθραν, ἀλλ' ἐπ' αὐτοῦ βῆμα λίθων μεγάλων συνηρμοσμένων ἐποιήθη, πεντήκοντα πηχῶν εὖρός τε καὶ ὕψος. καὶ πύργος ἑξήκοντα πηχῶν συνετέθη, σιδήρῳ καταπεφραγμένος ἅπας: *At enim cùm nec is modus efficax aut ſufficiẽs videretur, machinis admouẽdis ad aſcẽſum; aliud in eo Suggeſtũ & tanquã tribunal exſtructũ eſt, è lapidibus magnis apte iũctis, latum pariter & altũ quinquaginta cubitos; & in eo Turris impoſita ſexaginta cubitorũ, quæ ferro vndique eſſet tecta.* Eximiũ hoc opus, ſed triplex: & tota altitudo, *cubitorũ trecentorũ decẽ.* Nempe denos illos cubitos, exſuperabat ipſum

A Maſſadæ faſtigium: atque ita denique ceperunt. CAR. Iuuat audire & diſcere ingenia, ſiue & opera veterum: ſed de admotione tamẽ aggeris ad ipſos muros, velim ampliùs, & quomodo ea facta? LIPS. Paullatim, & progrediendo. Nam latera quidem, vt dixi, vinciebant claudebantq́ue lignis, ſed antrorſus & vrbem verſus, pars ea manebat aperta. Aggerebant igitur paullatim & promouebant, in foſſas ipſas, denique ad muros. Dum id fieret, nihilominus Turres in Aggere impoſitæ, quæ adminiſtrantes aut operantes tuebantur. Sed eæ quoque cum Aggere paullatim procedebant. Adſtruo ex Cæſare, VII. Gallic. *Noſtrarum Turrium altitudinem, quantum has cottidianus agger expreſſerat, commiſſis ſuarum turriũ* * *altis* B *adæquabant.* Dicit, cottidiano aggere Turres *exprimi*: in altum nempe, & id fiebat augmento illo & prolatione Aggeris, qui oppidum verſus creſcebat. Scite enim, tergum aut caudam Aggeris humiliorem fuiſſe; & in cliuum, frontem verſus, aſſiduè iuiſſe. Quâ in re interdum factum, vt Agger, ſi parùm firmatus aut denſatus, prolaberetur in foſſas. Narrat Liuius lib. X. *Forte quodam loco malè denſatus Agger, pondere ſuperſtantium in foſſam procubuit.* Sed cauebant ſcilicet, & virgultis aut lapidibus identidem adfirmabant. Iſti Aggeres: ſatin' vt copioſè explicaui? ORAN. Haud culpamus, tamen cùm opus ſic grande, tardè nónne oportuit iri? LIPS. Non oportuit, pro Romanâ diligentiâ & more. Nam & plures in paucis diebus inuenio excitatos, opere per legiones diuiſo: C idq́ue ad diligentiam, & æmulationem. Tacitus IIII. Hiſtor. obſidione Hieroſolymorum: *Titus, quando impetum & ſubita belli locus abnueret, Aggeribus Vineiſque certare ſtatuit. Diuiduntur legionibus munia, & quies prœliorum fuit.* Hegeſippus in eâdem re: *Exſtruebantur Aggeres, per numeros opere diuiſo. Præcipui quattuor inſurrexerant.* Numeri hîc, ſunt legiones: quod in eo ſcriptore ſæpe. Dicit autem *quattuor Aggeres* exſtructos: quod ipſum ſcilicet Ioſephus, qui & addit, *ſpatio ſeptemdecim dierum omnes perfectos.* Celeritatem igitur Orane vides: nec plura huic rei opus. FVR. Vnum etiam opus. Nam D noui generis aggerem in Cæſare lẽgi, qui è lateribus: atque eum velim explicari. LIPS. Opus tu & Cæſar aſſiduè ſuggeritis: pænè vellem vterque domi hodie manſiſſetis. Sed age, lege. FVR. Verba ſunt II. Ciuil.

Cùm iam nihil eſſet reliquum, vnde Agger comportari poſſet, omnibus arboribus lõge lateq́ in finibus Maſſilienſium excìſis, Aggerem noui generis atque inauditum, ex latericijs duobus muris, ſenûm pedum craſſitudine, æquâ ferè latitudine atq; ille è materia fuerat Agger. Vbi autem ſpatium inter muros, aut imbecillitas materiæ poſtulare videbatur, pilæ interponuntur, tranſuer- E *ſaria tigna iniiciuntur, quæ firmamento eſſe poſſint; & quidquid eſt contignatum, cratibus conſternitur, crateſq́ luto integuntur. Sub tecto miles, dextrâ ac ſiniſtrâ muro tectus; aduerſus, plutei obiectu; operi quæcumque vſui ſunt, ſine periculo ſupportat. Portæ, quibus locus videtur, eruptionis cauſſâ in medio relinquuntur.*

Legi, tu illuſtra. LIPS. Planè nouus, vt Cæſar ipſe dicit, Agger. Infernè enim vacuus eſt, & eâ parte caſtelli aut receptaculi vicẽ habet. Supernè contignatio eſt: ſed quod miremur, altitudinẽ non definiuit; tantùm latitudinem. & ait: *æquâ fuiſſe, atque ille è terrâ Agger.* Atqui nec ea reperitur: & eſt modò initio libri, *altitudinem fuiſſe pedum* LXXX. Sed ibi variant ſcripti libri, & quidam *latitudinem* habent. Dicit autem fultum pilis in medio, *vbi ſpatiũ inter muros, aut imbecillitas materiæ poſtulare videbatur.* Cur hoc ambiguè? vbique verò, in tantâ latitudine, opus deſtinis


* Ita legend. infrà docemus, lib. V Dial. VII

fulcriſque

fulcriſque fuit: nec vlla vna arbor à latere ad latus potuit pertinere. Variè ergo interpoſita: idque *inter duos muros*. Nec enim plures fecit, & partē anteriorem reliquit apertam, de more. Pluteus dumtaxat, vt ſubdit, eam texit. Iſte Agger pingēdo magis ſe oſtendet: qui ſtructus materiæ inopiâ, & alioqui vtiliter etiam contrà ignes. Nec enim hic periclitetor exuri: ſicut nec ille magis nouitius, qoem è terrâ merâ legi maiores ooſtros inſtituiſſe. Philippus Raueſteinius,

A vir nobilis, noſtrâs, & militiæ clarus, ſcribit ſub id ſuum æuum repertum* *Aggerem* quemdam *Volubilem* (ita appellat:) qoi ſcilicet, collecto monte terreo eminus, paullatim voluendo & ligonibus ſuperiaciendo, magnâ mano hominom vrbi admoueretur. Hanc peſtem certam & inexplicabilem ipſe habet: & Gallos, ſi memini, auctores inuentoréſque facit. Res intellectu facilis: tamen, vt cœpimus, iſta pingimus: & ad *Turres* imus.

25



DIALOG. IIII.

De Turribus. Ignorata olim. quando repertæ? Altitudo, Tabulata, Ferrea tegmenta. De eis Cæſar explicatus.

TVRRES ego, & ipſa res, addimus: quia ex eo Aggere, & ſtatim ab eo ſtructæ. Imò & tunc, vt tetigi, cum is nondum perfectus, & tutelæ operis miniſtrorumque cauſâ, imponebantur. Salluſtius in Iugurthino: *Vineas agere, ſuperq; Aggerem iacere, & impoſitis ſuper Aggerem Turribus, opus & adminiſtros tutari*. Vineæ primùm, vt ſub iis commeare miles & aggerere poſſet; ſuper eas (id eſt altiùs quàm eæ) ipſe Agger; & in eo denique Turres. Ridiculus mihi viſus ille, qui huc (*ſuperq;*) delendum cenſet: quis enim Vineis Aggerem inniciat? inquit. Nemo hercule, nemo, ſcimus: ſed nec verbi eam mentem hîc eſſe, pariter ſcimus. Quod dixi, id dicit, aot *ſuper* etiam, *amplius*, *praeterea*, liceat interpretari. Siquid mutandum, *ſubtérque* aptiſſimè legatur: quia ſub Vineis Aggerem comportabant, & iaciebant. Sed ad Turres. eæ igitur ſtatim ſtructæ, ſed paullò ab vrbe longiùs, & ne tela

A vitiarent aut impedirent. Cæſar II. Gallic. *Vbi vineis actis, Aggere exſtructo, Turrim conſtitui procul viderũt, primùm irridere ex muro atque increpitare verbis, Quò tanta machinatio, ab tanto ſpatio exſtrueretur? Quibuſnam manibus, aut quibus viribus, homines tantulæ ſtaturæ (nam pleriſque omnibus Gallis, præ magnitudine corporum ſuorum, noſtra breuitas contemptui eſt) tanti oneris turrim in muros ſeſe collocare confiderent?* Quibus poſtremis verbis Faërnos & Fuluius emendant, *in muro*: oec aſſentior. qui ſcio nō in ipſo muro Turrim locari potuiſſe, ſed iuxta eos, & in eos. Seneca autem hunc ſtuporem & inſcitiam Barbarorũ vniuerſè exagitat, De vitâ beata, cap. XXVI. *Otioſi diutijs luditis, nec prouidetis earũ periculum. ſicut Barbari*

B *plerumque incluſi, & ignari machinarum, ſegnes laborem obſidentium ſpectant, nec quò illa pertineant, quæ ex longinquo inſtruuntur, intellegũt.* Imò verò Galli illi, apud Cæſarem, cùm moueri eas viderũt & occultè accedere; diuinum aliquid rati, ad eum miſerunt legatos de pace, his verbis: *Non ſe exiſtimare Romanos, ſine deorũ ope bellum gerere, qui tantæ altitudinis machinationes, tantâ celeritate promouere, & ex propinquitate pugnare poſſent.* Eadem ſimplicitas (ne quis Gallis noſtris inſultet) Indorum: quorom opidum Mazacas cùm Alexander obſideret (auctor Curtius lib. VIII.) *præcipuè*

rudes

rudes talium operũ terrebant mobiles Turres, tãtáſq; moles, nullâ ope quæ cerneretur adiutas, diuinum numine agi credebãt. Et quid tu tides tecũ Billéhee? B i l l. Indorũ illorum mentio, nouellos iſtos & ad Occaſũ repertos, auſpiciis Caroli V. mihi ſubiicit: quos equi noſtri equitéſq; cõſpecti, & tormẽta audita, in eũdẽ deduxêre ſenſum, vt putarẽt cæleſtes viros & copias eſſe: volare ſic & currere noua & æthetea animalia, deniq; fulgurare illos homines, & tonare. Itaq; ſimile prorſus olim in Machinis illis terribilibus, & non viſis. L i p s. Simile, ſic aliud fortaſſe pòſt exorietur, quod pretiũ iſtis demet, & ignaros itẽ dabit in ſtuporẽ. Sed pergamus in noſtris. Adſtupebãt igitur ea Barbari, & ſic Cæſar iterũ de Sueſſionibus, li. ii. *Celeriter vineis ad oppidũ actis, Aggere iacto, turribúſq; conſtitutis, magnitudine operũ, quæ neq; viderũt antea Galli, neq; audierãt, legatos ad Cæſarẽ, de deditione mittunt.* Hæc Barbari, & credimus: an etiam de Maſſilienſibus, quod Lucanus? —*æquantes mœnia Turres*

* Nempe Agger.

**Accipit hæc nullo fixurus robore terram,*
Sed per iter longum cauſſa repêre latenti.
Cùm tantum nutaret onus, telluris inanes
Concuſſiſſe ſinus quærentem erumpere ventum
Credidit, & muros mirata eſt ſtare iuuentus.

Non credimus, & laſciuiæ aut incogitantiæ poëtam notamus, qui Græculos & peritiſſimos machinarũ, id facit mirari. Imò Cæſar omne tale genus, & tormenta, vbertim & præter ceteros, habuiſſe antiquitus Maſſilienſes oſtendit: vt alibi cauiſſare Lucanus debeat, de credulitate eorum & errore, ac quaſi terram tremere cenſerent in Turrium motu. Hæc ſunt μωρολόγα, vt vno verbo dicam. Enimuerò apud Græcos, aut certè Siculos, reperta primùm res. Ex Athenæo Mechanico, apud Turnebum; vbi de his atq; aliis: Ἐπίδοσιν δὲ ἔλαβεν ἡ τοιαύτη μηχανοποιΐα ἅπασα, κατὰ τὴν Διονυσίου τοῦ Σικελιώτου τυραννίδα, κατά τε τὴν Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου βασιλείαν, ὅτε ἐπολιόρκει τοὺς Βυζαντίους: *Initium aut incrementum accepit omnis hæc machinalis fabrica, circa Dionyſij Siculi tyrannidem, & Philippi Amyntæ filij regnum, cùm is Byzantios oppugnaret.* Iungatur ad ea etiam, quæ ſuprà de inuentione ſunt dicta. Et cautiùs ita Athenæus: quàm ex eo deinde Vitruuius lib. x. cap. xix. *Cùm Philippus Amyntæ filius Byzantium oppugnaret, Polyidus Theſſalus, pluribus generibus & facilioribus, Teſtudinem arietariam explicauit. à quo receperunt doctrinam Diades & Chæreas, qui cum Alexãdro militauerunt. Itaque Diades ſcriptis ſuis oſtendit ſe inueniſſe Turres ambulatorias, quas etiã diſſolutas in exercitu circumferre ſolebat.* Talia & Heron, cap. xiii. *Diades & Chæreas Polyidis Theſſali diſcipuli, qui vna cum Alexandro Macedone in militiam profecti ſunt, mechanici primi cùm Terebras, tũ Scalas nauticas, tum etiam eas quæ rotis feruntur Turres ligneas inuenerunt.* Hæc cautiùs, dico, & circumſpectius Athenæus. nec enim dicit *Diadem primum repperiſſe turres ambulatorias,* ſimpliciter: ſed τοὺς φορητοὺς πύργους, id eſt, *eas quæ circumferri poterant, ſolutiles:* vt equidẽ interpretor: atque ita Vitruuium opus eſt capi. Nam ſimplices *Ambulatoria* aut *Subrotata,* ſanè iamãtè inuentæ in Sicilia, & in Dionyſij ſenioris rebus ponit memoratq; Diodorus. Quas autẽ dicit *portatiles Turres* ſine φορητοὺς: puto eaſdẽ Appiano eſſe in v. Ciuil. de rebus Caſſij ad Rhodũ, ἐπτυγμένους, *plicatiles:* quia per partes ſcilicet tollebantur, ponebãtur, reponebãtur. Verba eius: Ἐκόμιζον γὰρ τι τοιοῦτοι (ὁ Κάσσιος) ἐπτυγμένους πύργους ἀνελομένους, οἳ τότε ἀνίσταντο: *Tale aliquid ſpectans Caſſius, tulerat ſecum* (in nauibus) *Turres ſolutiles, quæ tunc repoſitæ & erectæ ſunt.* Nec enim ad illas, quæ Pegmatum modo, deprimebantur attollebanturve per cochleas, Appianũ puto reſpexiſſe. Sed hæc

Vide mox.

A igitur inuentio, nõ ipſarum Turrium (fixæ enim illæ, iamdiu innotuerãt in oppidis, in caſtris) ſed *Mobilium* & quæ rotis agerẽtur. De his Vegetius: *Turribus plures rotæ mechanica arte ſubduntur, quarũ lapſu mobilis magnitudo tã alta moueatur.* Plures, inquit, & neceſſũ eſt *quattuor,* vt minimùm: ſed & *ſex, aut octo* etiã ſubditas, prout Turriũ modus eſſet, in Herone lego. De hiſce Rotis in Liuio, li. xxxii. *Cùm Turris per Aggerẽ parũ denſati ſoli ageretur, Rota vna in altiorẽ orbitam depreſſa, ita Turrim inclinauit, vt ſpeciem ruentis hoſtibus, trepidationémq; inſanã ſuperſtantibus armatis præberet.* Et oportebat ſanè humũ æquabilẽ denſamque huic rei eſſe: eoque & Curtius notauit, obſidione Gazæ: *Humus mouẽdis inutilis Turribus, deſidẽte ſabulo, agilitatem Rotarũ morabatur, & tabulata Turriũ perfringebat.* ita & Ioſephus prodidit, *è tribus turribus quinquaginta cubitorum, vnam vitio Aggeris concidiſſe:* idq; ad

B Hieroſolyma. Actæ igitur Rotis, ſed latentibus & internis, aut certè interiùs mouendis. Hoc ideò, ne telis hoſtium, qui agerent, exponerentur, & turris tueretur ſuos motores. Aliergo tamen quoſdam applicitos, qui propellerent, nõ ambigo: & licuit, quia non illinc metus. Peccauit in hac re Vitiges Gothorum rex, & Romam obſidens (in Procopij i. Gothicorum) *Turres etiam molitus eſt, quæ hoſtium muros adæquarent, ex lapidum interuallis vera dimenſione ſumptâ. Turribus autem ad angulos ſuppoſuit rotas, quarum volutione huc illuc, ſubiunctis bobus, traherentur.* Acceſſêre igitur ad muros, atque adeò Beliſarius (vir alio Principe, quàm Iuſtiniano, dignus) de induſtriâ & conſilio paſſus eſt ſuccedere: donec ſigno dato, boues telis certis peti iuſſit, & occidi: iiſque labentibus, ſtetêre immotæ turres, & hoſtes abiêre irriſi. An non

C ſimile tamen, quod ingenioſi illi Alexãdrini fecêre, cùm bellũ in vrbe eſſet, cum magno illo bellatore? Cæſarẽ dico. Ita enim Hirtius: *Præterea Ambulatorias turres decẽ tabulatorum confixerãt, ſubiectiſq; eas Rotis, funibus iumentiſq; obiectis, directis plateis, in quãcumq; erat viſum partẽ mouebant.* Funes & iumẽta admouet, quæ facilè huc illuc agerent: maximè quia directę & ſine multiplici flexo plateæ. An is ſenſus & lectio? nã alij libri aliter, & *pluteis* nõ *plateis* habent. Tũ dixerit, Pluteos obiectos, qui tegerẽt homines & iumẽta: nec malè pro hac mẽte, *obiectis.* Hic igitur motus actioq; turriũ: quæ magnitudo? Vitruuius ex Diade breuiter: *Turrẽ minimã ait fieri oportere, ne minus altã cubitorum lx. latitudinẽ xvii. Contracturã autem ſummã, imæ partis quinta. Arrectaria in turri ex imo dodrãtalia, in ſummo ſemipedalia. Fieri autẽ ait oportere eam turrim tabulatorum decem, ſingulis partibus in eã feneſtratis. Maiorẽ verò turrim altã cubitorum cxx latã cubitorũ xxiii. s. contracturã item ſummã, quintã parte. arrectaria pedalia in imo, in ſummo ſemipedalia. Hanc magnitudinẽ turris faciebat tabulatorũ xx. cùm haberent ſingula tabulata circuitionem cubitorũ ternũm, tegebat autẽ coriis crudis vt ab omni plagâ eſſẽt tutæ.* Hæc ita Vitruuius, & duplices modò Turres agnoſcit, *Minores Maioreſq;* ſed Herõ ex eodem Diade, *Medias* etiã addit ca. xiii. *Minores quidẽ turriũ lx. cubitorum in altitudine faciebat: baſim quadrabat, vnũquodq; latus xvii. cubitorũ. Decẽ tectorum faciebat: ſupremum tectum, quintã partem baſis habebat. Maiores autem & harũ ſeſquialteras, quindecim tectorum faciebat, in altitudine cubitos xc. Iterũmque duplas, quæ viginti tectis conſtarent, altas cubitos cxx. latas quaquauerſum ferè xxiiii.* Ex his * Vitruuio ſatis lucis accedit: & quod ille obſcuriùs, *contracturam ſummam, imæ partis quintam* dixit: clarum eſt, tabulatum faſtigiúmque ſummum intellegi, quod decreſcit in imi quintam. Ea ſubtiliùs & diſtinctiùs, tum in Heronis iſto & ſequenti capite, tum in

* Et magis, ſi additur Athenæi fragmentum in Turnebo, xxiii. cap. xxx. Vide.

Barocij Notis explicantur. Non faciunt ad noſtrum & Hiſtoricum inſtitutum: notemus tantùm, Turres in tot tabulata non æquabiliter ſurrexiſſe, ſed inſtar Phari Ægyptiaci, paullatim & per ea ſingula decreuiſſe. Qui modus ſanè aptior in ſpeciem, in ſtabilitatem, in motionem. Sed quod etiam ſpatium inter ipſa tabulata fuerit, curioſus aliquis quærat? Id quoque inæquale. & *Diades ac Chereas* (ait Heron) *infimum tectum cubitos ſeptem attollunt, & digitos* XII. *ſuperiora quinque, ſingula cubitos quinque; reliqua, cubitos quattuor & triciem.* Hæc ita commenſuratio & præcepta ex arte: an ſeruata ſemper in re & opere? Nemo opinetur, nec ad hæc præcepta aſtringebant ſe milites aut Duces. Itaque nec tabulata, vt illi volunt, minimæ turris, decem: imò ſex & infrà ſæpe. vt in Diodoro libro XIIII. vbi Dionyſius Siciliæ tyrānus, προσήγαγε καὶ τοὺς ἐπὶ τῶν τροχῶν πύργους τοῖς τείχεσιν, ἐξορόφους ὄντας, οὓς κατεσκεύασε πρὸς τὸ τῶν οἰκιῶν ὕψος: *admouit & muris turres eas quæ rotis aguntur, ſex tabulatorū, quas cōſtruxit ad altitudinē ædium.* Et in Latinis exēpla. Sed nec temerè viginti tabulatorum, vt illi, in hiſtoriis inuenio: niſi tamē quòd Mithridates ad Cyzicum, inter alia multa magnaq; opera, *turrim centum cubitorum* ſtruxit, narrante Plutarcho in Lucullo: quæ altitudine pænè æquat illas Diadis duplices, nec tamen plenè. At decem, ſæpiùs. vt in Cæſare: *Exſtruitur Agger in altitudinem* LX. *pedum, collocatur in eo Turris decem tabulatorum.* Moneo obiter, pedes illos nouenos corruptos videri: & næ ille puſillus Agger, cùm Vxelodunum, cui adſtruitur, in excelſo poſitum & prærupto. Fuit, vt minimum *pedum* LX. ac ſic auſim reſcribere. In Silio autem, tanta item Turris, libro XIIII.

Turris multiplici ſurgens ad ſidera tecto
Exibat, tabulata decem cui creſcere Graius
Fecerat, & multas nemorum conſumpſerat vmbras.

In Vegetio, nihil definiti, ſed vniuerſè ita ſcribit: *Turribus pro modo altitudinis additur latitudo nam interdū trigenos pedes per quadrū, interdū quadragenos vel quinquagenos latæ ſunt. Proceritas autē ipſarū tanta fit, vt nō ſolùm muros, ſed etiā turres lapideas altitudine ſuperent.* Notatis latitudinem maiorem, quàm in vllâ Diadis aut Apollodori eſt: videlicet quia hæc nō ad normā artis adſtricta, ſed pro tēporibus, & voluntate ſtruētium mutata. Tabulata tamen plerumq; plura: quo fine? vt defenſores plures imponerent, tum & *Tormenta, Scalas, Pontes*, & talia ad inuadēdum. De *Tormentis* in Ammiano eſt: *Erigi Aggeres cœpti, turreſq; fabricantur frontibus ferratis excelſæ, quarum faſtigiis balliſtæ locatæ ſunt ſingulis, vt à propugnaculis depellerēt defenſores.* Singula faſtigia, ſingula tabulata capienda videntur: quos & *Vertices* idem appellat alibi: *Operū variæ ſpecies cum turribus admouebātur ferratis, quarū in verticibus celſis aptatæ balliſtæ, propugnatores agitātes numilius deiiciebant.* An nonnihil ſupprema Turrium aliquis acceperit? ſi Liuius clarè aliter, XXI. *Ipſe Annibal, quà turris mobilis, omnia munimēta vrbis altitudine ſuperans, agebatur, hortator aderat. quæ cùm admota, catapultis balliſtiſque per omnia tabulata diſpoſitis, muros defenſoribus nudaſſet: tum Annibal quingentos ferme Afros cum dolabris, ad ſubruendum ab imo murum miſit.* Ergo tormenta in turribus, ſed non maxima: & diſertim Ioſephus aliquoties *ſagittarios & iaculatores* in iis collocat, καὶ τῶν ἀφετηρίων ὀργάνων τὰ κουφότερα, *& leuiſſima* (notate) *tormentorum.* Sed & *Scalas* in iis condidi, opportunè proferendas. Ita enim Vegetius: *Præſens periculum ciuitatis eſt, ſi ad murum fuerit turris admota. plures enim accipit ſcalas, & diuerſo genere conatur irrumpere.* Videndum an non Sidonij verſus huc faciant, in Burgo Leontij:

A *Sed nec teſtudo, nec vinea, nec rota currens*
Iam poſitis ſcalis, vmquam quaſſare valebunt.

Currentem enim *rotam*, liceat turrim mobilem accipere, & prolatas ex eâ Scalas. Etſi Scalarum etiā genus eſt rotis ſurrepentium, pontémque ſuprà ferentium: quas Heron deſcripſit in cap. XIX. Tertium in eâ, *Pontes*. de quibus Vegetius: *In ſuperioribus turris partibus contati & ſagittarij collocantur, qui defenſores vrbis contis, miſſilibus, ſaxiſq; proſternant: in inferioribus habet Arietem, cuius impetu deſtruit muros: circa medium verò pontem accipit, factū de duabus trabibus, ſeptumq; de vimine, quem ſubitò prolatum inter turrim murumq; conſtituunt, & per eum egredientes bellatores in ciuitatem tranſeunt.* Fateor mixtam cum Teſtudine Arietariâ hanc talem Turrim eſſe: ſed ta-
B men Pontem in eâ collocat, ex veteri vſu & more. Ammianus XXI. *Conſtructas veloci ſtudio ligneas turres, propugnaculis hoſtium celſiores, impoſuêre trigeminis nauibus validè inter ſe connexis. quibus inſiſtētes armati, vno pariq; ardore propugnatores diſpellere, collatis ex propinquo viribus, nitebantur. ſubtérque expediti velites, è turrium cauernis egreſſi, ponticulis erectis, quos arte compaginarant, tranſgredi feſtinant.* Hoc ille in oppugnatione Aquileiæ narrat, & Ponticulos iſtos turribus manifeſtè imponit. In fixis quoque caſtrorum turribus, locat eos Hirtius: & quidem Vegetij ritu munitos de vimine. Octauo Gallic. *Turres crebras excitatas in altitudinem trium tabulatorum, pontibus traiectis conſtratiſque coniunctas, quorum frontes vimi-*
C *neâ loricula munirentur.* Factum & inferiori æuo ſcitote. & in Radeuico De geſtis Friderici Imp. ſcriptum, libro II. capit. LIX. *Electis ergo de ſingulis agminibus viris fortiſſimis, intra machinas turrium eos collocat, varijs quidem locis, alios ſuperiores, alios inferiores: vt dum inferiores ciuitatem per murum ingreſſuri Pontes applicarent, ſuperiores eos iaculis & ſagittis, quo minùs ab hoſtibus læderentur, defenderent. Erant turres ipſæ nimia proceritate mirabiles, ſupra centum pedes in altum erectæ, multorum hominum per ſingula diuerſoria capaces.* Ipſa eadem Guntherus poëta, ſpiritus & ingenij haud ſpernendus, imò, vt in illo æuo, mirādus:

Protinus ad muros munitas vndiq; turres
Inuectáſq; rotis, & magno pondere firmas
Ducit, & hoſtili celſas ſuper aggere ſiſtit.
D *Harum ſumma tenent, quos vel balliſta vel arcus*
Morte procul miſſâ facit hoſtibus eſſe timendos,
Qui iaculum valido longè torquere lacerto,
Longiùs excuſſâ deducere potenter * *habenâ.* * amento.
Inferiora viri fortes ex agmine toto
Electi, prompti que manu, tabulata tuentur.
Qui dum trans foſſas, porrecto ponte, patentes
Mœnibus aſſiliunt, & muros rumpere tentant,
Qui loca ſumma tenent, iaculis leuibúſque ſagittis
Infeſtant miſeros per propugnacula ciues.

Satis, ac cenſeo me turres vbertim deſcripſiſſe. CARON. Fatemur. vnum tamen deſidero, de *frontibus turrium ferratis*, quas in Ammiani verbis paullò antè notaui. Quid eę, aut quare? LIPS. Munimen turribus contra ignes. Cùm enim præcipuum in eas remediū
E & repugnatio eſſet, per iacula ignita, faces, malleolos, muices: repertum, vt totæ ferro tegerentur. Totæ, inquam, aut certè à triplici latere: etſi frontium modò Ammianus meminit expreſsè. Ioſephus III. Excidij: Πύργους δὲ τρεῖς πεντηκοντά ποδῶν ἕκαστον τὸ ὕψος κατασκευάσας, πάντοθεν σιδήρῳ κεκαλυμμένους, ὡς ἑδραῖοί τε εἶεν ὑπὸ βρίθους, καὶ δυσάλωτοι πυρὶ τῶν χωμάτων ἐπέστησεν: *Turres tres, ſingulas pedum quinquaginta altas, cū ſtruxiſſet, ferro vndiq; eas texit: tū vt ſtabiliores eſſēt ob pōdus, tùm vt ignis incorruptibiles: atq; ita in aggeribus conſtituit.* Addit ipſe & alteram cauſſam,

de pondere: quod miror, & fateri id dedit, cum homines impoſiti videntur, tum tormenta. Sed iterat tamen idem, lib. VI. Καὶ τοὺς πυργοῦν ἀμήχανοι ἦσαν, μήτε ἀνατρέψαι ῥᾳδίως διὰ τὸ βάρος, μήτ᾽ ἐμπρησθῆναι διὰ τὸν σίδηρον δυναμένους, ᾧ καθωπλίζοντο: *Turres expugnare aut capere difficile erat, ſed nec euertere ob pondus, nec comburere ob ferrum quo tegebantur.* Sed & vtrumque hoc in Radeuico, libro II. cap. LVIII. *Turres in excelſum erectas, ferro variaq; materiâ vndique tectas, vt & pondere ſtabiles eſſent, neque ignibus expugnarentur, ſuper aggeres collocat.* Qui & aliam *variam materiam*, vt appellat, circumdat: ſcilicet centones, coria, & hæc de more. Ammianus XX. *Machinas Romanorum Perſæ exurere vi magnâ nitebantur, & aſſiduè malleolos & incendiaria tela torquentes, laborabant incaſſum: eâ re, quòd humectis ſcortis & centonibus erant operta materiæ plures, aliæ vnctæ alumine diligenter, vt ignis per eas laberetur.* FVR. Etiámne Romanis in hac re vſus aluminis? Atqui, vt nouum, narratum à Claudio Quadrigario memini, in turri aliquâ Archelai Athenis: *Tum Sulla conatus eſt, &* *tempore magno eduxit copias, vt Archelai turrim vnam, quam ille interpoſuit ligneam, incenderet. Venit, acceßit, ligna ſubdidit, ſubmouit Græcos, ignem admouit. ſatis diu ſunt conati, numquam quiuerunt incendere. Ita Archelaus omnem materiam obleuerat alumine: quod Sulla atque milites mirabantur.* LIPS. O ſtili puritatem, & in compendio lucem! atq; vtinã ſcriptor ille exſtet, vel in ſcribentium hodie exemplũ! Sed de alumine tũc quidem nouum, poſteà, vt hæc talia, inueterauit. Atqui cõtra ignes noui generis Turrim Cæſar, aut eius miles, ad Maſſiliam ſtruxit. Cedo librum Furi, legantur. FVR. A me fiet, audi: II. Ciuil.

* Fortè opere.

Eſt animaduerſum ab legionarijs, qui dexteram partem operis adminiſtrabant, ex crebris hoſtium eruptionibus, magno ſibi eſſe præſidio poſſe, ſi pro caſtello ac receptaculo, turrim ex latere ſub muro feciſſent. quam primò ad repentinos incurſus humilem paruamq; fecerant. huc ſe referebant: hinc, ſi qua maior oppreſſerat vis, propugnabant: hinc ad repellendum & proſequẽdum hoſtem procurrebant. patebat hæc quoquouerſus pedes XXX. ſed parietum craſſitudo pedum V. poſtea verò, vt eſt rerum omnium magiſter vſus, hominũ adhibitâ ſolertiâ, inuentum eſt, magno eſſe vſui poſſe, ſi hæc eſſet in altitudinem turris elata. id hac ratione perfectum eſt. vbi turris altitudo perducta eſt ad contabulationem; eamq; in parietes inſtruxerunt, ita vt capita tignorũ extremâ parietũ ſtructurâ tegerentur; ne quid emineret, vbi ignis hoſtiũ adhæreſceret. hanc inſuper contignationem, quantum tectum plutei & vinearum paſſum eſt, laterculo aſtruxerunt: ſupraq; eum locum duo tigna tranſuerſa iniecerunt, non longè ab extremis parietibus, quibus ſuſpenderent eam contignationem, quæ turri tegumẽto eſſet futura: ſupraq; ea tigna directò tranſuerſas trabes iniecerunt, eaſq; aſſeribus religauerunt: has trabes paulò longiores atque eminentiores, quàm extremi parietes erant, effecerunt; vt eſſet, vbi tegumẽta perpendere poſſent, ad defendẽdos ictus ac repellendos, dum inter eam cõtignationem parietes extruerentur: eámq; contabulationem ſummam lateribus lutóq; conſtrauerunt, ne quid ignis hoſtium nocere poſſet, centoneſq; inſuper iniecerunt; ne aut tela tormentis miſſa tabulationem perfringerent, aut ſaxa ex catapultis latericium diſcuterent. ſtoreas autem ex funibus anchorarijs tres in longitudinem parietum turris, latas IV. pedes fecerunt: eáſq; ex III. partibus, quæ ad hoſtes vergebant, eminentibus trabibus circum turrem præpendentes religauerunt, quod vnum genus tegumenti alijs locis erant experti, nullo telo neque tormẽto tranſijci poſſe. vbi verò ea pars turris, quæ erat perfecta, tecta atque munita eſt ab omni ictu hoſtiũ; pluteos ad alia opera abduxerunt: turris tectũ per ſeipſum prehenſionibus ex contignatione primâ ſuſpẽdere ac tollere cœperunt; vbi, quantum ſtoriarum dimiſſio patiebatur, tantum eleuabant. Intra hæc tegumenta abditi atq; muniti, parietes lateribus exſtruebãt: rurſuſque aliâ prehenſione ad ædificandum ſibi locum expediebant: vbi tempus alterius contabulationis videbatur, tigna item vt primò tecta, extremis lateribus inſtruebãt, éxque eâ contignatione rurſus ſummam contabulationem, ſtoriáſque eleuabant. ita tutò ac ſine vllo vulnere VI. tabulata exſtruxerunt: feneſtráſque, quibus in locis viſum eſt, ad tormenta mittenda in ſtruendo reliquerunt.

Pluſcula verba ſunt, & in ſpecie intricata: ſed vix quod moretur intendentem. De *Storeis* tamen moneo, vbi ſcribitur, *tres factas in lõgitudinem parietum, latas pedes quattuor*, perperam adhuc acceptum: ſed & vidi qui reſcribere vellet, & in numero mutare. Atqui res ſic habet. Storeæ illæ è funibus anchorariis implexæ, fortes, ſolidæ, denſæ; tres fuêre, tot quot latera ſcilicet intuta ab hoſte. Nam tergo, nihil iis opus. Eæ longæ fuerunt, vti ipſi parietes, ſingulæ pedes XXX: latę autem, non niſi *quaternos*. Optimâ ratione. cùm enim non niſi operariis ipſis opponerentur, & Turris latericia inferius ſuo robore ſe tegeret; profectò ſufficiebant *quattuor* illi pedes, ad homines tegendos, in opere neceſſariò ſe leuiter curuantes. Addo & de *Prehenſionibus*, quas *Cochleas* aut *Præla* vulgò explicant, & eorum operâ ſubleuatum volunt hoc tectum: nec abnuo commodè potuiſſe fieri, & hodie vſurpant. Sed an *Prehenſionum* vox apta? liber Torrentij *prenſionum* præfert: nec ſcio an faciã, *Preſſionum*. Preſſiones haud ineptè ad Præla & elationem referantur: & adſimiliter Cæſar idem ſcripſit, *Turres à cottidiano aggere expreſſas*. Sunt tamen propriè *Preſſiones* Vitruuio, ὑπομόχλια: ſiue id quod Vectibus ſubijcitur, ad eleuandum. Videatur, an nõ & hîc ſimilis preſſio; & tum fulcra & deſtinæ quæ ſuſtentarent, tabulato inferiori nixæ. Iſta de Turribus. niſi etiam ex Nicetâ addo, Turres quaſdam cõplendis foſſis, & ad ſcanſionem fuiſſe. Narrat de Iohanne quodam, *eum Varnam oppidum obſediſſe, & Machinam quadrilateram ſtruxiſſe, quæ latitudine æquaret foſſæ ſpatium, & altitudine ipſa mœnia. Eam deinde ſubiectis rotis ad foſſæ labrum admouiſſe, & deinde ſubuertiſſe, atque in ipſam foſſam impuliſſe. Hanc autem vtrumque labrum ſub finem tetigiſſe; atque ita eâdem illâ vſos milites, & ad foſſam complendam, & ad mœnia ſcandenda, vice ſcalarum.*

Romanis eſt pontium conſtructio in nauibus: quam ego pro eorum ſcriptionis cenſeo referre. Naues iis demittuntur, lapſu fluminis, dato ſignoq́ue, non rectæ, ſed vt ſolet in iis quæ inhibent, & à puppi remigant. Iſtas autem deorſum ducit, vt par eſt, fluminis curſus: retinet verò & ſiſtit remigium obnixum, donec aduerſa facta ſit loco deſignato. Atq; ibi demittunt crates vimineas, formâ pyramidis plexas, idoneis lectiſq; ad id lapidibus oppletas: demittunt autē à prorâ cuiuſq; nauis, vt ſic obfirmēt & teneant cōtra curſum. Simul autē vna nauium ita firmata fuerit, & alia iuxta illā, cum interuallo quantum opus videtur ad firmitatē eorū quæ inſternuntur, pariter prorâ obuerſâ in fluuij curſum ſtatuitur. & in vtraſq; tigna ſtatim in directum ingeruntur, & tabulæ aſſereſq; tranſuerſarij ad connectendum. Ita mox per ceteras naues opus procedit, quanta opus ſunt ad totū pontē. Vtrimq; autem ad caput pontis gradus in terrā depacti adiiciuntur, quò facilior equis iumentiſque ſit ingreſſus, & ſimul vt quaſi vinculum ſint totius pontis. Breui porro ſpatio totum opus abſoluitur, & cum magno ardore ac tumultu, nec tamen decorum & ordo abeſt. Adhortationes etiam per quamque nauium, & increpationes eorum qui ſegnius munus obeūt, nihil impediunt, aut tollunt, vel dictorum auditionem, vel operādi celeritatem. Atq; hæc ſunt, quæ Romanis iā ab antiquo vſitata. Pulchra & vulgatiſſima olim ratio, & quam miror ab iis qui harum rerum fuerūt, nondum hodie vulgatā. Verba altera cum alteris ſi conferetis, quid opus luce meâ? quin clara ſunt, & tota res partitè deſcripta. CAR. Haud negauerim. ſed in rebus ipſis aliquid eſt quod ſiſtat. E nauibus pontes iſtos faciunt: vnde igitur eæ ſic ſubitò, & ad magnum? præſertim in hoſtili aliquo fluuio, vbi probabile eſt amotas. LIPS. Reſpōdeo, dupliciter tunc paratas: ſiue ab ipſis, in ipſo ibi loco, ſiue curribus prouidè iam aduectas. Quid ibi & ſubitario opere; mirari non conuenit, imò pro Romanis moribus id fuit. Nōnne fabri in legionibus, & Præfectus fabrûm? nōnne vulgò ipſi milites in tirocinio hæc diſcebant? nihil ambigimus. Et Eunapius hoc ſignificat, cùm ait *milites aſſiduè in tali ſtructurâ exercitos, & vt militare aliquod opus didiciſſe*. Struebant igitur ipſi rudes illas naues, ſiue alueos: quid quòd & alias, quarum in mari vſus, operoſiores? Certè Iulianæ naues, quibus Britanniam petiit, narrantur ab ipſo (Commentario v.) *circiter ſexcenta, ſingulari militum ſtudio inſtructa*. Iterùm, idem *Labieno ſcribit, vt quamplurimas poſſet, iis legionibus, quæ ſunt apud ipſum, naues inſtituat*. itaq; tot manibus, incredibili celeritate hæ parabantur. Apud Cæſarem, I. Commentario *reliquas copias Heluetiorum vt conſequi poſſet, pontem in Arari faciendū curat*: additq; mirantibus Heluetiis, *vno die* eum factum. Similiter in VIII. Commentario, cùm Gallos palus media ſeiungeret à ſuis caſtris: ipſe *pontibus palude conſtratâ, legiones traducit celeriter*, & inopinatò ſe iis ſiſtens. Atque ea Romanorum diligentia fuit, ſed veterum: poſteriores faſtidire cœperunt & labare. Itaque curribus iam legas, vt dixi, hæc talia circumuecta. quòd in noſtrâ re apud Ammianum, lib. XXIIII. Iulianus Imperator *naues iuſſit exuri, præter minores duodecim; quas profuturas pangendis pontibus, diſpoſuit vehi carpētis*. In Vegetio autem, hoc de more iam ſcribitur, lib. III. cap. VII. *Commodius repertum eſt, vt monoxylos, hoc eſt paullo latiores ſcaphulas, ex ſingulis trabibus excauatas carpentis ſecum portet exercitus, tabulatis pariter, & clauis ferreis præparatis. Ita abſque mora conſtructus pons, & funibus vinctus, lapidei arcus ſoliditatē præſtat in tempore.* Benè & ſollicitè omnia præparārut, naues, tabulæ, claui, funes: pro nouâ ſcilicet ignauiâ, quæ iam valebat. Nunc Carò-delere, ſatisfeci? CAR. Satis, hac parte: aliud. Cur cor-

A bibus naues has firmant & ligant, non anchoris, vt
ſolet? nam mihi de corbibus hoc nouum eſt. LIPS.
Ab eâdem, opinor, cauſâ, & iam dictâ. Omnia ſecum
gerunt, ipſis paranda: & tale in corbibus, quos facile
è viminibus ſtruere, & ad vſum hunc aptare. Nō ita
in anchoris: circūferendæ fuiſſent, & vehēdæ. Quid,
quòd ſolo aliquo iſtæ non mordent, aut adhærent;
corbes in omni boni vtileſque ſunt? Potuit & hæc
cauſſa eſſe. ac ſanè firmiter hæ tenebant ac ligabant,
pyramidali eâ formâ ſic demiſſæ. Ideò enim tali, vt
aquæ impetus minùs pelleret, & ab acumine illo ſēſim
& facilè laberetur. Cui rei puto & moneo, minuentem
tenuémq; partem illam, contra aquam ſurſum
iniectam; craſſam & grandiorem, deorſum, fune
inibi alligato. CAR. Sed & tertiùm rogo. Si tam vul- Vide Notas.
B gatus, & *ab antiquo*, vt aiunt, ille pons; cui rara aut
nulla eius mentio? LIPS. Rara fortaſſis, non tamen
nulla. Pompeium lego, (in Flori lib. III. cap. V.) *ſtatim
ponte nauibus facto, primum omnium Romanorū tranſiſſe
Euphratem*. Habes clarè naualem hunc pontem:
ſed & ſæpè tectè & celatim, vt cùm pontium in flumine
mentio eſt, niſi aliter formantur, paratus accipiendos
hos iſtos. An tamen origo non tam alta, nec
longè vltra Pōpeium? vix enim occaſio fuit Euphratem,
Rhenum, Danubium, & maiora illa fluminum
tranſmittendi. Ita ſi eſt; tum in Arriano antiquitas
illa, aptè reſtringatur ad hoc æui. Exemplum tamen,
quod memini, & velut imaginē aut initium huiuſce
pontis, in Hirtij de bello Hiſpanienſi habes. vbi
C *Cæſar, cùm ad flumen Bætim veniſſet, neque propter altitudinem
fluminis tranſire poſſet, lapidibus corbes plenos
demiſit. ita inſuper ponte facto, copias tripartitò traduxit.*
Egregium inuentum: & corbes illi cùm lapides in
ſtrue coërceant, ne diffluant; ipſi lapides pōdere hæreant
& ſiſtant: in facili eſt, ſtatim pontem ſtruere, tignis
tabuliſque ſuperiectis. Sed hoc locum non habeat
in altiore flumine, puta Rheno, Danubio: ideóque
corbes iſti ingenioſè aliò aptati & verſi, ad naues
ſcilicet firmandas aſtringendaſq;. Naualem autē
pontem in Traiani columna oculis vſurpare eſt, ſuper
Danubium: ſuper ipſum Rhenum, ſtruxit Alexander
Seuerus Imp. Herodiano breuiter (vt in re
notâ) narrante: *τόν τε ποταμὸν ναυσὶ διαλαμβάνων, ὡς
πρὸς ἀλλήλας συνδεθεισῶν, γεφυρωθέντα, ῥᾳδίαν τὴν διάβασιν
D τοῖς στρατιώταις παρέξειν ᾤετο: Flumium ipſum nauibus
amplectens, & inter ſe eas vinciens, ponte ita facto,
putabat facilem tranſitum militibus præbiturum.* Hæc
ſeria & in pontibus tranſitio: aliâs, & nauibus ſingulis
tranſibant, iiſque ſæpè leuioribus, & verè nauicellis.
Cæſar Sicorim flumen in Hiſpaniâ ſic tranſmiſit
(ipſe narrat I. Ciuil.) nauéſq; huius generis à militibus
fieri iuſſit: *Carinæ primùm ac ſtatumina ex leuiore
materiâ fiebant, reliquum corpus nauiū viminibus contextum,
corijs integebatur: has perfectas, carris iunctis
deuehit noctu, militeſq; his nauibus flumen trāſportat*: Sed
nec tuta, nec ex dignitate ſatis ea trāſuectio eſt: ideò
& nocte parata. De ea ſic Lucanus:

Primùm cana ſalix madefacto vimine paruam
Texitur in puppim, cæſo induta iuuenco,
Vectoris patiens, tumidum ſuperemicat amnem.

E Imitatus id Saluidienus, bello Siculo, in Pompeium
(notat Dio Caſſius:) ſed parùm feliciter,
turbido illo freto. At Hiſpani, ritu gentico, leuiori
etiam opera; & inflatis vtribus incumbentes, ſolent
tranare. Paſſim exempla. quod & Romani interim
fecêre. certè Cæſar, de quo Suetonius: *Si flumina
morarentur, nando trāijciēs, vel innixus inflatis vtribus,
perſæpè nuncios de ſe præuenit.* Cui rei exēplum vel ab
Hiſpanis, vel à Græcis: nam & hi vſi. Arrianus de Alexandro,
Iſtrū traijciēte, libro I. *Τὰς δὲ διφθέρας, ὑφ᾽*

ἃς ἐσκήνουν, τῆς κάρφης πληρώσας, καὶ ὅσα μονόξυλα πλοῖα συναγαγὼν, διεβίβαζεν ἐπ' αὐτῶν τῆς στρατιᾶς ὅσους ἐμάντευεν ἐν τῷ τοιῷδε τρόπῳ: *Pelles accipiẽs* (Alexander) *ſub quibus tetenderant, eaſq; ſtramento farciens, ſed & lintres quotquot ibi erant colligens, in quis quantas copias potuit traiecit, in tali apparatu.* Idem iterùm lib. III. de Oxo amne ab eodem traiecto: ξυναγαγὼν τὰς διφθέρας, ὑφ' αἷς ἐσκήνουν οἱ στρατιῶται, φορυτοῦ ἐμπλῆσαι ἐκέλευσεν ὡς ξηροτάτου, καὶ καταδῆσαί τε καὶ ξυρράψαι ἀκριβῶς, τοῦ μὴ ἐσδύεσθαι ἐς αὐτὰς τοῦ ὕδατος: *Colligens pelles, ſub quibus milites egerant, ſtramentis aut & ſarmentis quã maximè aridis eas impleri iuſſit, & cum curâ ligari & conſui, ne aquam poſſeat admittere.* In eâdem re Curtius: *Vtres quàm plurimos, ſtramentis refertos dividit. his incubantes tranauêre amnem.* Vtrumuis huic rei, & ſtrameota, & arida ſarmenta: quod item io Nicetâ de Scytbarum morihus: Σχεδιάζει δὲ τοῖς Σκύθαις τοῦ ποταμοῦ τὴν διάβασιν κάρφης πλήρης διφθέρα, λίαν ὡς τὸ ἀκριβὲς συρραφεῖσα, ὡς μηδὲ βραχὺ λιβάδιον ἐπεισρέον ἔσωθεν: *Facilem tranſitum fluminis Scythis prabet, pellis ſtramentis repleta: eaq; ita curioſè compacta, vt nec guttala aqua penetrer.* Tuio addit, *Solitos inſcendere hunc vtrem, & equo ante ſe acto. eiuſq; caudâ pro velo vſos, Iſtrum aliaque flumina tranſmittere.* Quin & pontem ex iunctis his vtribus fieri poſſe, docuit apud Xeoophontem Rhodius quiſpiam, cùm victrix illa manus Græcorum, inſequentibus Perſis, ad Pigretem amnem conſtitiſſet. Locus eſt in III. Anabaſeos: *Vtribus, aiebat, ad hu mille opus habebo, quas facile adipiſcis è capris, ouibus, bobus, aſinis qui caſtra hac ſequuntur. Funibus etiam, ad vinciendum; ſed & hoc iumenta veſtra ſagmaria ſatis dederint. Vtribus autem iunctis, lapides iis appendam, quos velut anchoras demittam. Denique toti operi ſarmenta craticque iniciam, & terram ſuperſternam. Vtris autẽ quiſque duos viros facilè feret, ne mergi vos arbitremini, contra lapſum autem, terra & ſarmenta valebunt.* Hæc ille vir ingenioſè, ipſo Xenophonte laudante, etſi Græci tunc non vſi, metu hoſtium io aduerſâ ripâ. Sed vſi poſteà ſimili iuncturâ Romani, & *Aſcogefrum* dixerunt voce Græcâ, quaſi *pontem vtrinum*: quem libellus poſt Notitiam imperij aperit, & deformat; cuius verba, quia pluſcula, abſtineo nunc dare. Sed traiecerunt tali ponte tamantè Romani, ſub Iouiano Principe, Tigrim fluuium, ſi Zoſimo credam lib. III. conati ſunt magis, quàm perfecerunt, ſi Ammiano. Sic enim iſte libro XXV. *Vtribus è caſorum animalium coriis coagmentare pontem architecti promittebant.* ſed addit, *vanis conatibus id agitatum.* etſi quidam ſeorſim vtribus inſidentes poſteà tranſiuere. Commentum ſimile in eodem ſcriptore, ſed paullò diuerſum, lib. XXX. de Armeniorũ rege fugitiuo: qui *lectulos in villis repertos, binis vtribus ſuffulciens, quibus ſinguli proceres inſidentes, & regalis ipſe, iumenta trahentes,* Euphratem tranſmisêre. Sed vſi ad hanc rem & cuppis interdum, ſiue maioribus vaſis. In Lucano, lib. IIII.

Namque ratem vacua ſuſtentant vndiq; cuppa,
Quarum porrectis ſeries conſtricta catenis,
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.

Quod ipſum Maximino Imp. factum ad Aquileiam Herodianus vos docebit libro octauo. Satis de Pontibus. ORAN. Ludis. LIPS. Tu me. ORAN. Ludis, inquam: & nobilem illum ſcilicet Iulianum põtem, in Rheno ſtructum, nec oominate tibi animus, aut memoria eſt? LIPS. Memoria, ſed non animus. quid etiam opus? ſummates viri ante me in hac curâ fuerunt: Turnebus, Hotomanus, Buteo, ipſe Cæſar Scaliger: quid in ſcænâ hac poſt eos ſpectet? LAMPS. At nobis placet, & clariùs aut firmiùs fortaſſe aliquid quàm ſinguli illi, dices. FVR. Quid, quod promiſiſti LIPS. Numquam factum. FVR. Imò iam nunc, cùm pontes in *Nauibus* ſtruebas, *Vtribus, Cuppis, Sublicis.* Vbi ergo aliter ſubliceus? LIPS. Vincitis, habete.

——* χαλεπὸν γὰρ ἐρωτᾶσιν ἕνα πολλοῖς. Ait Cæſar: *Cæſar his de cauſſis Rhenum tranſire decreuerat: ſed nauibus tranſire, neq; ſatis tutum eſſe arbitrabatur, neque ſua neque populi Romani dignitatis eſſe ſtatuebat. Itaque etſi ſumma difficultas faciundi pontis proponebatur, propter latitudinem, rapiditatẽ, altitudinemq; fluminis: tamen id ſibi contendendum exiſtimabat. Rationem igitur pontis hanc inſtituit. Tigna bina ſeſquipedalia, paullùm ab imo praacuta, dimenſa ad altitudinem fluminis, interuallo pedum duorum inter ſe iungebat. Hac cum machinationibus * immiſſa in flumen defixerat, fiſtucisq; adegerat, non ſublica modo directa ad perpẽdiculum, ſed * prona ac faſtigiata, vt ſecũdùm naturã fluminis procumberent. His item contraria duo ad eumdẽ modum * iuncta, interuallo pedum quadragenum, ab inferiore parte, contra vim atq; impetũ fluminis conuerſa ſtatuebat. Hac vtraq; bipedalibus trabibus immiſſis, quantum eorum tignorũ iunctura diſtabat, binis vtrimque fibulis ab extremâ parte diſtinebantur. quibus diſcluſis, atq; in cõtrariam partem reuinctis, tãta erat operis firmitudo atq; ea rerum natura, vt quò maior vis aquæ ſeſe incitauiſſet, hoc arctiùs illigata tenerentur. Hac directâ materiâ iniectâ contexebantur, ac longuriis cratibúſq; conſternebantur. ac nihilo ſecius ſublica ad inferiorem partem fluminis obliqua adigebantur, qua pro ariete ſubiecta & cum omni opere coniuncta vim fluminis exciperent. & alia item ſupra pontem mediocri ſpatio; vt ſi arborum trunci ſiue naues deiiciendi operis cauſſâ eſſent à barbaris miſſa, his defenſoribus earũ rerum vis minueretur, neu ponti nocerent. Diebus decẽ, quibus materia cœpta erat cõportari, omni opere effecto, exercitus traducitur.* Cæſaris verba habetis: luſtremus. ait: *Nauibus tranſire non arbitrabatur ſatis tutũ, neque ſua, aut populi Romani, dignitatis.*] Cauſſa duplex facti pontis, Securitas & Dignitas. Et ſanè ſingillatim nauibus cùm tranſitur, & hoſtis facilè impediat, aut partem excipiat. nec dignitatem etiam habet, quia furtim & clàm ferè tranſitur. Tale Tacitus, de Germanico, II. Annal. *Cæſar, niſi pontibus præſidiiſq; impoſitis, dare in diſcrimen legiones, haud Imperatorium ratus.* Ait: *Etſi ſumma difficultas faciendi pontis proponebatur.*] Ob altitudinem fluuij, latitudinem, violentiam. Et hercules hodie ſi faciendum; valdè, credò, cũctemur. Sed Cæſar, hîc Cæſar, & quæ per naturam fieri non poſſe videbãtur, induſtriâ aut conſtantiâ perfecit. Struere cœpit: ſed an non flumine priùs auerſo aliquantum, & ſic minuto? Non dicit ipſe: ſolent tamen Romani, & valdè è re fuiſſet. Ita idem Cæſar, cùm Pompeium ad Dyrrachium obſideret; aquæ inopia eum preſſurus, *omnia flumina atq; omnes riuos qui ad mare pertinebãt, aut auerterat, aut magnis operibus obſtruxerat.* Idem in Hiſpania. *Cõtinuato diem noctémq; opere in flumine auertẽdo, eò tamen rem deduxerat, vt equites poſſent atque auderẽt flumen tranſire.* Itaque tale aliquid mitigando & maturãdo operi hîc factum, vt non aſſero; ita leuiter ſubiicio, & pono. Ait: *Tigna bina ſeſquipedalia.*] Craſſa hæc tigna, & capiendum æqualiter, & in omni latere, ſic fuiſſe. Ambitus igitur *ſex pedum* Sanè opus robore, quia hæc & flumen excipiebant, & ferre totum põtem debebãt Ait: *Paullùm ab imo praacuta.*] An ferro præfixo? quidam ſic imaginantur & pingunt; ſed imaginantur & ſimplicius è * ligno mucronem ſic fuiſſe. Ait: *Dimenſa ad altitudinem fluminis.*] Menſura quidem varia; vti flumen in medio aut circa ripas variabat. Nec ea mens, quam Cardanus effingit, quaſi non altiora fecerit, quàm ipſum ſum-

* Difficile eſt vnũ contendere multis.

* Quidam libri, demiſſa

* Fuluij cod. prone ac faſtigatè.

* Idem diuincta.


* Si quis volet præfixo

mum

A mum flumen, æquâ cum aquis ſuperficie: non: ſed vt dixi, dimenſio ad fundum ſpectat. Quis etiam ambigit, quin ſuſtexerint paullùm extra flumen, ad reliquam fabricam capiendam: tum etiam in caſum, ſi flumen fortè creuiſſet? Ego verò quinos aut quaternos pedes eminuiſſe, nihil dubito. *Fiſtucisq; adegerat.*] Quid Fiſtucæ & Fiſtucatio, vel ex Vitruuio diu notum, & paluſtres aut admaritimi populi, hodieq; in ædificando & fundando, aſſiduè vtuntur. Ait: *Prona & faſtigiata.*] Hoc caput & arx inuentiunculæ eſt, & fabricæ Iulianæ. In iſtâ ſibi placet, & ſatis explicat, iis quidem qui non ſunt nubilâ aut varâ mente. Tigna, inquit, non recta demiſſa, vt in ſublicis pontium vulgò ſolet: ſed duo prona & decumbentia ſecundùm flumen: duorum altera oppoſita, B item iacentia & inclinantia, ſed ſitu contrario, in aduerſum flumen. Interuallum autem inter oppoſita hæc tigna, facit *quadragenûm pedũ, ab inferiore parte*: quod eſt in fundo, & vbi defigebantur. Certum autem, cùm ſic infernè diuaricabant, capita minùs paullò inter ſe abſtiniſſe. Quantum igitur hoc ſpatij? Cæſar ſiluit, ſed putet aliquis ἀναλόγως *triginta pedũ*, aut paullùm infrà: atque eadem iſta latitudo iniecti pontis. Pergit: *Hæc vtraque bipedalibus trabibus immiſſis.*] Tigna illa bina ibant per ſpatium fluminis, quantum à ripâ ad ripam erat: ſed quid in tranſuerſo deinde, & latitudine pontis? *Trabes*, inquit, *bipedales immiſſæ*, inter ipſa bina tigna: bipedales, inquã, quantum ſcilicet interuallum inter tigna. Erant igitur hæ tranſuerſariæ trabes, fundamentum meo & velut ſolum ſupremi pontis, cui leuiùt materia iniecta. C Pergit, *binis vtrimque fibulis ea tigna diſtenta.*] Quod ſententiam habet, tigna illa inclinata, diſtenta fuiſſe & obfirmata binis fibulis, in capite vtroque immiſſæ trabis. Sed quid *Fibulæ?* quod Scaligero rectè viſum, taleæ, & velut ligneç (ſic appellem) anchoræ, immiſſæ ad ligandum. Vitruuius: *Vtraque muri frontes inter ſe, quemadmodum fibulis, his taleis colligata.* Idem alibi: *Tigna tria a capite fibulâ coniuncta, & in imo diuaricata*: etſi & alia ea fibula eſſe potuit, nõ nego. Ergo in Cæſare, *vtrimq; bina fibulæ*, ſunto taleæ duæ duræ, firmæ, in caput quodque trabis immiſſæ. Duæ, inquã: interior vna, & altera exterior, ob cauſſam mox dicendam. Quid autem *Diſtineri?* validè teneri, vt *diſtringi*: aut etiam ſeorſim teneri & abiungi, ne coirent; ſed & ne abirent, duplici illo nexu. Ordo ver- D borum Iulij: *Vtraque tigna, immiſſis trabibus diſtinebantur*: quomodo? *binis vtrimque fibulis ab extremâ parte*. Pergit iam porrò: *Quibus diſcluſis, atque in contrariam partem reuinctis.*] Tignis nempe extrorſum & introrſum clauſis: tum & parte alterâ pariter reuinctis. Et ſtatim: *Ea erat rerum natura, vt quò maior aqua vis.*] Planè rerum natura. & vult ex nexu illo & renexu fibularum conſequi, vt trabs immiſſa contineat tigna, nec ſinat ſurſum aut deorſum inclinare, Vt athletæ brachiis capitibuſq; iunguntur, pedibus abſiſtunt, & ita ſe firmant contra lapſum: ſimile in hac pronitate tignorum, & mox reuinctione. Cogitandum autem, quod Cæſar de duobus tignis dixit, idem fuiſſe in aliis, & totum opus per iuga quædam, E cum interuallo medio (vt in fornicibus arcubúſque pontium) iuiſſe. Hoc miror, interuallum id non expreſſum, cùm cetera curioſè & minutè exſequatur. Fuit, cùm incideret bina tigna in ordinem ſic iuiſſe

A nullo interuallo: quod firmum ſanè opus ſit, ſed laboris & materiæ multæ; tum etiam fluuius fortaſſe nimis ſic coërcitus & clauſus. Additur: *Hæc directâ materie iniectâ contexebantur.*] Directâ nempe, in longitudinem pontis; & quia tranſuerſariis illis trabibus tigna hæc iniecta. quæ ipſa, capita trabium in iuſto interuallo ſuo retinebant & ſiſtebant. Super hæc tigna autem iterùm leuiores longurij aut perticæ, atque ij viminibus integati, an & terra ac ceſpes ſuper vimina? nihil abſonũm ſit, imò pro Romano more. Amplius: *Sublicæ ad inferiorẽ partem fluminis obliquæ adigebantur.*] Duplex poteſt eſſe ſententia. vel vt in ſuperiore pontis parte ſiue & fluminis, ſublicæ iſtæ fuerint; ſed eæ obliquę & verſæ ad *partem fluminis in-* B *feriorem*, vt loquitur, ſiue quà flumen ibat & deuergebat. Eo ſenſu, iungendum illud *obliquæ* cum *parte inferiore*: non autem, vt ipſæ Sublicæ *adactæ ad inferiorem partem*. Hotomannus in eo turbat, & reſcribendũ ideò, *ad ſuperiorem partem* cenſet. Nihil opus. Sed ſententia altera eſſe poſſit, Sublicas illas reuerà poſitas inferiori parte, & obliquas adactas contra flumen. quo fine? vt velut ſiſterent & fulcirent pontem ab impetu fortaſſe laborantem. Atque eò facere videatur, quòd cum reliquo opere eas iungit, vt ſolet in fulcimentis. Tamen quia dicit *vim fluminis excepiſſe*; videndum, an non prior ſententia verior, magiſque ex operis vſu. Addit: *Quæ pro ariete ſubiectæ.*] Hoc verùm magis pro alterâ ſententiâ, quia *ſubiectas* dicit, & pro *Ariete*. Sed vocem tamen *Arietis*, hoc ſenſu non ego, non alius fortaſſe lêgit: etſi haud inep- C ta ſit pro imagine arietis ſubſilientis & ſe attollentis. Nónne in ſimili ſenſu & *Capreoli?* Libri ſcripti ferè, *pro pariete*: nec capio. Addit: *Aliæ item ſupra pontem.*] An non hoc quoque inclinet, illas igitur fuiſſe infra pontem? ſed inclinet; non cogat. Atque has remouet à ponte *mediocri ſpatio*: vt non probem, qui nobis depingunt vallum ſeptúmque contiguum, in V litteræ formam, ſiue in trigonum, antepactum: Fit ſanè hodie, & vtiliter, ſcio: ſed an ideò neceſſariò ita Cæſar? Imò verba contrà eunt. Eſto igitur potiùs ordo ſimplex aut duplex tignorum, quæ depacta in flumẽ, eo fine quem hîc dicit, nempe ad ligna, truncos, naues, & ſiquid aliud turbando operi immitteretur, ſiſtendum & retinendum: vt ſpatium deinde eſſet ad deducendum & amoliendum. Iccircò *De-* D *fenſores* appoſitè Cæſar dixit: & Plutarchus hoc exprimens, προβόλους. E quo item notandum, mirabile hoc opus fuiſſe, & vt ait, *fide omni maius*, præſertim ſic celeriter *in decem diebus effectum*. CAROND. In decem diebus? certè mirum laudandumque. At ego in fidis Chronicis lego: *Carolum Magnum, pontem item ligneum ad Moguntiacum ſtruxiſſe: longum paſſus quingentos: ſed ingenti labore, & DECEM ANNORVM ſpatio.* LIPS. Vide æuum æuo, homo homini quid interſit. Sanè noſtra hæc ætas rara eiuſmodi exempla vidit, cùm carpere aut deprimere, imò & non credere hæc talia maluimus, quàm imitari. Eò tu laudabilior ALEXANDER FARNESI, magne Dux, qui Scaldim noſtrum ſuperbo ponte iunxiſti: & eo ope- E re pulcherrimam vrbium Regi & corpori ſuo reddidiſti, à quo vtroque per turbas malè erat diuulſa. Macte animi. poſteritas te dicet & mirabitur, tunc cùm inuidiâ remorâ, gloriæ tuæ ſol per nebulas iſtas emicabit & perrumpet.


27



28



29



E. Pons Cæſaris. eius partes 1. Tigna ſesquipedalia in flumen. 2. Bipedales trabes immiſſæ 3. Fibulæ binæ. 4. Sublicæ obliquæ, et cum opere iunctæ: 5. Defenſores 6. Directa materia ad conſternendum.

IVSTI LIPSI POLIORCETICΩN

SIVE DE MACHINIS, TORMENTIS, TELIS, LIBRI III.

DIALOGISMVS I.

De Ariete diſſertio. quotuplex ille, & qualis in quoque genere. De Helepoli, & Terebrâ, breuiter.

DIV nos Machinæ tenuerût, neque nego me fatigari. Vicarium ſermonis huius ſpecto. CAR. Quis poſſit? aut quem illum? LIPS. Deſignabo, ſi admittis, & omnium calculis aptum. CAR. Facito, ego quidem voto meo ſubſigno. BILL. Nos alij. fiat: Lipſius interiungat & quieſcat. LIPS. Debeo benignitati huic gratiam. age ergo, tu Orane exurge. ORAN. Quid facturus? LIPS. De *Ariete* dicturus. Tormenta enim nunc ſequuntur: & interea præeat iſte, tum *Catapultæ* excipiant, & *Balliſtæ*. ORAN. Cur autem ego electus, aut idoneus? LIPS. Nemo magis. Totum diem in me arietaſti: noſti vſum & artem. ORAN. O te pæne dixerim, * *ἀναιδῆ πάντα*: ita iram recondis? LIPS.

A

Et vindictam quoque: Domitianum vides. Extra incum, ſublena, & meam vicê de *Ariete* dicas. ORAN. Veruex ego, ſi fecero. LIPS. Imò niſi feceris. vos omnes appello, côpellite. BILL. Oranus faciat. OMNES, OMNES. ORAN. Certè compellor. ſed extemporaneus hic erit ſermo, nec pro tuâ, Lipſi, diligentiâ aut curâ. Tu tamen atque iſti, date manum alibi hærenti, atque attollite labantem. Arietis origo vetus, ſed parum certa: cum pars ad Græcos & Epeum referant, inter quos Plinius: *Equum, qui nunc Aries dicitur, in muralibus machinis, Epeum inueniſſe ad Troiam*: pars ad Tyrios ſiue Carthaginienſes, inter quos Vitruuius: *Primùm ad oppugnationes Aries ſic inuentus eſſe memoratur. Carthaginienſes ad Gades oppugnandas caſtra poſuerunt. cùm autem caſtellum antè cepiſſent, id demoliri ſunt conati. poſteaquam non habuerunt ad demolitionê ferramenta: ſumpſerunt tignum,*

* Id eſt, in [illegible] malis

idque

idque manibus ſuſtinẽtes, capiteque eius ſummũ murum continenter pulſantes, ſummos lapidum ordines deyciebant, & ita gradatim ex ordine totam munitionem diſſipauerunt. Ego, ſi quis arbitrum capiat, Vitruuio magis, quàm Plinio accedam. Si enim Græcorum res, & iam inde à Troiano bello: cur Homerus non meminit, ille fons & theſaurus rerum artiumq́; ? cur multis ſæculis nemo poſteà? nec probabile eſt, rem tam præſentanei vſus, ſemel repertam, ſubitò deperiſſe. BILL. Imò rem dicito. quid opus vel à Pœnis petere, quod ipſa vbique ratio, & pænè natura cõmonſtrat? Certè qui impetum facere in fores aut obiectum aliquod vult, cubito id facit, aut pedis impulſu. Ab eo exemplo, tignum in auxilium aſſumptum: & noſtri proterui aut ebrioli, in foribus perfringẽdis, cottidie vſurpant. ORAN. Haud abnuerim à naturæ ductu eſſe: ſed alibi tamen initium. Vbicumque autem, ſic dixere, à ſimilitudine & reciprocatione ictus arietini. Dixit deterior ætas *Carcamuſas*, opinor à ſono. In obſidione Pariſienſi Abbo:

Arrietes, Carcamuſas vulgò reſonatos.

Eadem autem ſequens, etiam *Cancrum*, neſcio an à ſimilitudine aliqua fabricæ, aut quia identidem retrò iret. Sed Aries iſte non vniformis aut ſimplex, triplicem reperio. Eſt *Rudis*, & à primâ inuentione: quem manibus lacertiſque validi homines ſuſtinent, & agũt. Talis in columnâ Traiani ſic pictus extat, & Daci eo vtuntur. Poſſit huc duci Lucani illud, apud quem miles iactat libro I.

Tu quoſcumque voles in planum effundere muros,
His Aries actus diſperget ſaxa lacertis.

Et hoc Sidonij:

Nec Phary nunc regna precor, nec vt hiſce lacertis
Frangat Hydaſpeas Aries impactus Erithras.

Lacertorum vtrobiq; mentio: etſi ij quoque in *Compoſito* Ariete adhibiti, de quo addo. *Compoſitus* enim mihi eſt, qui trabem quoque alteram iungit & ſtatuit, à qua pendulus vi maiore, conatu leuiore, libratur. Huc quoque Pœnis ſuis Tertullianus primitùs repertum aſſerit. & *Arietem* (inquit libro de Pallio) *neminis adhuc libratum, illa dicitur Carthago, ſtudijs aſperrima belli, prima omnium armaſſe in oſcillum penduli impetus, commenta vim tormenti de bile pecoris capite vindicantis.* Cùm enim oſcillationem ei tribuit, manifeſtè Compoſitum hunc demonſtrat. Sed & Vitruuius idem cum eo. qui vult ſtatim à rudi illâ inuentione, *Fabrum quemdam Tyrium, nomine Pephaſmenon, hac ratione inductum, malo ſtatuto alterum ex eo vti trutinam ſuſpendiſſe, & reducendo & impellendo vehementibus plagis Gaditanorum murum deieciſſe.* Hic in plurimo vſu, & inter Romanorum opera ex profeſſo Ioſephus Flauius deſcripſit, tertio excidij: *Eſt,* inquit, *Aries trabs prægrandis, quæ malum nauis adſimilat. Is ſolidatur in capite graui ferro, in arietis formam, vnde & nomen adſumpſit. Dependet medius, funibus ſuſpenſus ex aliâ trabe, velut trutina; quæ trabs tignis vtrimque firmis munita eſt & fulta. Repulſus porrò magnâ virorum manu retrorſum, ijſdemq; antrorſum ſtatim & cum impetu reflectentibus, quatit muros prominulo ferro. Neq; eſt vlla turris tam valida, aut mœnia tam lata, quæ, vt primas maximè plagas tulerint, ſuſtinere & ſubſiſtere aſſiduas eas poſſint.* Hæc Ioſephus. nec pigebit per verba eius ambulare, & lucem aut fidem ijs dare, Lipſij mei exemplo. Ait: *Trabs prægrandis, quem mali naui adſimilat.*] Imò ex ipſis malis nauium interdum lecta & adſumpta. In Agellio, lib I. cap. XIII. *P. Craſſus, cùm opus eſſet firma ac procerâ trabe quâ Arietem faceret, ſcripſit ad magiſtrũ architectona Mylatenſium, vti ex duobus malis, quos apud eos vidiſſet, vter maior eſſet, eum mittendum curaret.* Ammianus materiem

A genuſq; arboris etiam diſtinguit, libro XXIII. *Eligitur abies vel ornus excelſa.* Sanè excelſa, & Plutarchus inter Antonij machinas, bello Parthico, memorat *Arietem longitudine pedum* LXXX. At Vitruuius ac Græci, formant & *pedum* CVI. imò & CXX. quos ex vno ligno fuiſſe vix putem. Porrò hæc prima Ioſephi, Hegeſippus laxè ita reddit: *Magnitudo arboris, in modum mali naualis, quem non ventorum procella, non velorum ſinus flectãt.* Pergit Ioſephus: *Grauis ferro, in arietis formam.*] Ita & Ammianus: *Cuius ſummitas duro ferro concluditur & prolixo, arietis efficiens prominulam ſpeciem, quæ forma huic machinamẽto vocabulũ indidit.* Hegeſippus diffuſiùs: *Nomen hoc ſpecies dedit. eò quòd valida ac nodoſæ arboris caput ferro veſtitur, &* B *quòd vt frons arietis prætenditur, quæ obductis laminis turgeſcit & prominet: è cuius medio, quaſi cornu procedit ferri ſoliditas.* Notare primùm, caput arboris ferro tegitur, & adfigitur laminis paullò longius: antrorſus in acumen producitur, quod *Cornu* Hegeſippus dixit. Nec enim aliter verba eius capienda cenſeo, neq; tes ſunt. Ammianus alibi, hoc *Acumen* vocat: *Vicit* (inquit libro XX.) *omne prohibẽdi commentum acumen Arietis, coagmenta fodiens lapidum.* Atque is finis & opus præcipuum Arietis fuit, cùm grandiores firmioreſque lapides, more priſco, muris inderentur; iuncturas penetrare ac findere, & lapides emoliri. Lucanus:

——nunc Aries ſuſpenſo fortior ictu
Incuſſus, denſi compagem ſoluere muri
C *Tentat, & impoſitis vnum ſubducere ſaxis.*

Hoc acumen & ferrum, ἔμβολον ſiue *Roſtrum* etiam Græci dixere, notante Suida: & fuit interdũ trifidum, quadrifidum in mucrone, vti ſolent nauium roſtra. Iidem communiùs & κεφαλὴν ſiue *caput*, ſicut Latini. In Ioſepho lib. III. hiſtoriola huic rei eſt: *Quidam,* inquit, *Iudæus Eleazarus nomine, periculum imminens ab Ariete iam admoto muris videns, lapidem prægrãdem ita violentè iecit, vt caput machinæ diffringeret* (ὥστε ἀπορρῆξαι τὴν κεφαλὴν τοῦ μηχανήματος) *quod cùm vidiſſet, deſcendit etiã de muris, & magno ſtupore hoſtium, id ſecum in mœnia tulerat; niſi quod quinque ſagittis confixus, vnà cum ipſo capite iterùm decidit.* Quod ita legendum exaudiendúmque eſt, non vt totum caput (graue id fuit) ſed decuſſam anteriorem eius partem, tulerit ſic raptim in vrbem. Addit Ioſephus: D *Dependet medius, funibus ſuſpenſus ex aliâ trabe.*] Quæ ſic Hegeſippus: *Ea arbor ſuſpenſa funibus ad ſuperiora atq; robuſta arborum nexis, multorũ manu validè in murum impellebatur.* Sed mutat à Ioſepho, quòd ab *arboribus* nectit, ille ab vnâ arbore: ſenſus tamẽ eſt, vel ab vnâ mediâ tranſuerſâque arbore pependiſſe, quam duæ aliæ ſuſtinerẽt, vt in Iugo aut Patibulo: ſiue & à duabus reclinatis, & vtroque capite coniunctis. Quod dicere Ammianus ita videatur: *Suſpenſa vtrimque tranſuerſis aſſeribus, & ferratis quaſi ex lance vinculis trabis alterius continetur.* Vbi *ferratis* etiam vinculis, ſiue catenis eum nectit: at *funes* tamen Ioſephus & Hegeſippus dixêre: ſed quid vetat ad firmitudinem catenas etiam fuiſſe? Has trabes & ligaturam Luca- E nus intellexit:

——nunc coniunctas adſtringere nodis
Inſtabat ferroq; trabes, quo frangeret altos
Portarum poſtes, quateretq; morantia clauſtra.

An non eamdem Ammianus, libro XX. dum ſcribit, *Arietem vetuſtum, diſſolutum fuiſſe, vt facilius veheretur, iterùmque inſtructũ?* Magis hoc eſt, quàm vt ipſam trabem ſolutilẽ intellegamus. Pergit Flauius: *Repulſus magnâ virorum manu.*] Quantam manum ſcilicet admittebat longitudo. Nec enim niſi ordo virorum vnus vtrimque admoueri potuit, & ſingulis ad ingreſſum

A greſſum & motum, minimùm dandi duo pedes. Sed recens ſcilicet manus manui ſuccedebat, eratq; perpetuus is ictus. Ideò Arietes non ita multi inſtructi, etiam in magnâ obſidione: & plures tamen adhibiti ad miniſteria aut tutelam. Appianus in Punico, *oppugnandæ Carthagini duos vaſtos Arietes admouet, quorũ alter a ſex millibus peditibus impelleretur; alter à ſociorum naualium multitudine.* Titus ad Hieroſolyma, tres Arietes habuit, ex Ioſepho: tot quot legiones. Non quia tota legio in dirigendo aut impellendo occupata; ſed in tuendo, curando, per vices adminiſtrando: Denique claudit Ioſephus: *Neque eſt vlla turris tam valida, aut mœnia tam lata*]Obſeruate vim machinæ. quæ magis eluceſcat, ſi cogitentur veterum muri, validi hercules ſupra noſtram fidem. **B** Atqui Aries tamen tractu & tempore diſcuſſit. Ideò *Exterminatorium inſtrumentũ* Paullus Diaconus dixit, libro XVII. *Exterminatorio inſtrumento facto, quod Arietem vocãt, ciuitatem adeptus eſt.* Sed & alio latere Exterminatorium, quia is admotus ſignum perdendæ vrbis. Vti hodie mos aut lex eſt, duriùs in eos conſuli qui Tormenta expectarint; ſic olim, qui Arietem. Cicero in Officijs: *Et cùm ijs quos deuiceris conſulendum eſt; tum ij, qui armis poſitis, ad Imperatoris fidẽ cõfugiunt, quamuis murum Aries percuſſerit, recipiendi ſunt.* Cæſar. II. Gallicorũ: *Reſpondit, ſe magis conſuetudine ſuâ, quàm merito eorum ciuitatem conſeruaturum, ſi, priuſquàm Aries murum attigiſſet, ſe dedidiſſent. ſed deditionis nullam eſſe conditionem niſi armis traditis.* Atque hic eſt **C** *Compoſitus* Aries, circa quem tamen alius etiam labor aut cura. Nam & cratibus tegebant, & corijs, cõtra iactus aut ignes. quod ſic in Ioſepho libro III. Προσῆγον κριὸν γέῤῥοις τε διηνεκέσι, καὶ καθύπερθε πεφραγμένον δέῤῥεσι πρός τε αὐτῶν καὶ τοῦ μηχανήματος ἀσφάλειαν: *Produxere Arietẽ Vineis tectum, & supernè corio munitum, ad ſuam & machinæ tutelam.* De Vineis, in Propertio etiam eſt, libro IV.

Dumq; Aries cornu murum pulſabat aeno,
Vineaque inductum longa tegebat opus.

Longa, inquit, *vinea*: & in Ioſepho: διηνεκῆ γέῤῥα, *perpetuæ crates.* Et ſi pro his tegumentis, receptum etiam, vt ſolidâ *Teſtudine* totus Aries tegeretur: **D** atq; ea forma noſtra tertia eſt, *Teſtudo Arietaria*, vel *Teſtudo Aries* dictus. Hunc quoque Carthago repperit. Et Vitruuius ita libro X. *Cetras Charcedonius* (malè *Chalcedonius*) *de materiâ primum baſim ſubiectis rotis fecit, ſupraq; compegit arrectarijs & iugis varas, & in his ſuſpendit Arietem, corijsq; bubulis texit. vti tutiores eſſent, qui in eâ machinatione ad pulſandũ murũ eſſent collocati. Id autẽ, quia tardos conatus habuerat, Teſtudinẽ arietariam cœpit appellare.* Totam ipſe eam deformat, & minutè ac menſuratè, vt architecti; videatur. De eâdem Vegetius: *De materiâ ac tabulatis Teſtudo contexitur, quæ ne exuratur incendio, corijs, vel cilicijs centonibuſq; veſtitur. Hæc intrinſecus accipit trabẽ, quæ aut adunco præfigitur ferro, & falx vocatur; aut* **E** *certè ipſius caput veſtitur ferro, & appellatur Aries. Teſtudo autẽ a ſimilitudine veræ teſtudinis nomen ſumpſit: quia ſicut illa modò reducit, modò profert caput, ita machinamentũ trabem.* Intelligi à Claudiano aliquis dixerit:

Tum tua murali libretur machina pulſu,
Saxa rotet præceps Aries, protectaq; portas
Teſtudo feriat, ruat emerſura iuuentus.

Nam portas feriri à Teſtudine facit, quod non niſi ab iſtâ poteſt: niſi συνεκδοχικῶς hi * capiendi, qui ſub

* Sed & ſecundum alia Teſtudo oppugnat.

eâ latent. At certo eam adhibet ac deſcribit Procopius I. Gothicorum, in rebus Vitigis: & poſteriore æuo Colmarienſe Chronicum, in quo *Cancer* appellatur. *Poſthac Cancrum ad ciuitatem perduxerunt. Fuit Cancer inſtrumentum magnum, forte pariter, & ponderoſum. In eo erat* TRABS *magna, pariter longa, in vnâ parte groſſa, in alterâ parte parua. In groſſiori parte, ſiue in capite, fuit ferro forti circumdata, & in frõte ipſius Cãcri fortiſſime colligata. Trabs hæc ſuper quadam inſtrumenta iacuit, quò faciliter moueretur.* Poſtrema verba de Cylindris intelligenda videntur: de quibus & in Vitruuio legetis. Addit autem ſubinde, *quingentos homines in Cancro illo fuiſſe occupatos*: vbi magnitudinem vides. LIPS. Etiam in Herone, cap. XI. illum eumdem videte cap. XV. XVI. XVII. vbi plures item Arietes ſimul ſuſpendit. ORAN. Credo, ſed quid iſtis inſiſtimus? ſubtilia, & hodie inania ſunt, nec alio fine ſciantur, quàm vt ſciantur. LAMPS. Non hîc te moror, in nomine *Cancri* quæro, vnde id habuit? ORAN. Nempe à regreſſione & reciprocatiooe in ictu: an & quia in obliquũ moueretur & peteret? An quia Teſtudo ignota Germaniæ, ipſi finitimum & teſtaceum animal ſuppoſuêre? LIPS. Ego verò & de *Helepoli* à te exſpecto, quæ vicina aut eadem eſt, ex Ammiani quidẽ deſcriptiooe. Ille enim ſic, libro XXIII. *Pro his Arietum machinamentis, crebritate iam deſpectis, conditur machina ſcriptoribus hiſtoricis nota, quam Helepolim Græci cognominamus: cuius opera diuturna Demetrius Antigoni filius, Rhodo alijſque vrbibus oppugnatis, Poliorcetes eſt appellatus. Ædificatur autem hoc modo: Teſtudo compaginatur immanis, axibus roborata longiſſimis, ferreiſq; clauis aptata. & contegitur corijs bubulis virgarúmque recentis texturâ, atque limo aſperguntur eius ſuprema, vt flammeos detractet & miſſiles caſus. Conſeruntur autem eius frontalibus triſulcæ cuſpides præacutæ, ponderibus ferreis graues, qualia nobis pictores oſtendunt fulmina, vel fictores: vt quidquid petierit, aculeis exſertis abrumpat. Hanc ita validam molem, rotis & funibus regens numeroſus intrinſecus miles languidiori murorum parti viribus admouet concitis: & niſi deſuper propugnantiũ valuerint vires, colliſis parietibus aditus patefacit ingẽtes.* Et ſanè, quid hæc aliud quã *Teſtudo arietaria*? ORAN. Ipſe ita dicit, vix alius: & magis ad Turris genera *Helepolis* hæc celebris referenda. Ipſam Demetrij deſcribit Vitruuius in X. Plutarchus in Demetrio; Diodorus copioſiſſimè in XX. obſidione illâ Rhodiorum. Et variant quidem inter ſe ac diſſident, ſed conſenſus tamen eſt, Turrim fuiſſe, ſed multipliciter & magno opere inſtructam. Quinimò diſertè ab *Teſtudine Arietaria* ſeparat Appianus in Mithridatico: Χώματά τε πολλὰ ἤγειρε, καὶ μηχανὰς ἐπήγνυτο, πύργους καὶ χελώνας κριοφόρους, ἑλέπολιν ἑκατὸν πηχῶν, ἐξ ἧς ἕτερος πύργος ἐπῄρετο, καταπέλτας, καὶ λίθους καὶ βέλη ποικίλα ἀφιείς: *Aggeres multos ſtruxit* (rex Mithridates ad Cyzicũ) *& machinas confixit. Turres, & Teſtudines arietarias, & Helepolim cẽtũ cubitorum. è quâ & alia Turris ſurgebat, catapultas, lapides, & varia tela emittens.* Nec de hac ego plura: an aliquid magis de *Terebrâ*? quam Vitruuius nominat, & ex Athenæo ſumpſit, qui deſcripſit. Græcis eſt τρύπανον. LIPS. Clariſſimè Heron, qui & Figuras donat. Eſt autem gladij aut mucronis quædam ſimilitudo, quo muros perfodiebant. Romanos vſitaſſe haud legi: an poſteri, & inter eos veſtri Leodicenſes? Nam in Annalibus infimis ita ſcriptum: *Epiſcopum paraſſe* * *Arietem, & duos gladios, ad muros diruendos.* ORAN. Ego neſcio, nec quæro: defino, abſolui.

* Vn mouton, & deux glaiues.


AD-

ADTEXTVS.

VERBA Heronis, quibus Arietem in Teſtudine deſcribit & ſuſpendit, obiterque alia genera adiungit & tangit, libuit hîc addere è cap. xi. & rum venire ad figuras. Suadeam etiam legere & conferre vnà Vitruuij in hac re caput, & Athenæi apud Turnebum excerpta, ſiquis in architecturâ inquirēdâ ſtudebit. Haud difficile erit è trium iſtorum collatione perrumpere. nos Heronis verba, à Barocio ita verſa, nunc damus. Ait: *Verùm Principes Byzantij familiares Arietem cubitorum centum & viginti iuxta longitudinem faciebant: ab ipſius autem calce iuxta craſſitiem quidem, pedalem: in latitudinem verò palmorum quinque: in anteriori autem parte coarctabant ipſum in pedalem latitudinem, & trium palmorum craſſitiem: Helicas ferreas quatuor, quæ ſeſe in longitudinem vſque ad decem cubitos extendant, in interiori parte clauis affigentes: totúmque Arietem tribus funibus, octo iuxta craſſitudinem circumquaque digitorum exiſtentibus, ſuccingentes: ac loris eum circulariter ligantes, iuxta medium tribus quidem interuallis, quatuor verò ſuſtentaculis conſtringebant. funes verò, qui ab alijs conabinis funibus ab Arietariâ Machinâ pendentibus Arietem ipſum ſuſtinent, atque inferunt: à ferreis contextis catenis initia ſumebant. At ſcalam etiam nauticam faciebant aſſere in Arietis elatione anteriùs clauis affixo, habentéq; rete contextum iuxta craſſitiem ſufficiens, & iuxta diſtantiam*


A *quatuor, vel etiam plurium digitorum foramina habēt, vt facile ſupra murum aſcendatur. appendebant autem ipſum & mouebāt in Teſtudine rotis octo præditâ. quippe quæ iuxta quidem infernam pauimenti longitudinem, quadragintaduo: iuxta verò latitudinem, vigintiocto cubitos habeat. ipſa præterea quatuor erara, quæ in pauimento ad altitudinem iuxta angulos affiguntur, ex duobus ſimul iunctis lignis ſingula faciebant, longitudinem habentia ſingula cubitorum vigintiquatuor, & craſſitiem palmorum quinque: iuxta verò latitudinem vnius cubiti exiſtentia. In ſuperiori autem Arietaria machina parte Thoracium tamquam ſepimentum ſtruebant, vt in eo tute ſtare poſſent, ſpectantes ea, quæ aduerſus Arietem ab aduerſarijs mittuntur. Huiuſcemodi autem Arietem ſexies mouebant deſtruentes à ſeptuaginta cubitis altitu-*
B *dinis, rurſúſque ad latera ad ſeptuaginta cubitos peragentes. à centum autem viris allatus mouebatur. totum verò, quod mouebatur pondus talentorum ferè quadringentorum erat. Sciendum autem eſt quòd Arietum alij quidem à virorum multitudine regantur, iuxta quorumdam antiquorum mechanicorum opinionem: alij verò à contranitentibus lignis diſtendantur: aliique demum ſuper cylindros propellantur: poſſunt autem quandoque etiam funibus circumuolutis adductionem, & reuerſionem facientes, percuſſionem efficere. verùm ad artificem ſpectat iuxta magnitudines Arietum decentem quoque operationis vſum ac motionem excogitare.*

30



A. Aries Simplex. B. Aries Compoſitus

31



B. *Aries Compoſitus* C. *Aries Teſtudinatus, aut in Turri, ex Herone ſumptus.*



D. *Terebra, item ex Herone.*

DIALOG. II.

De Catapultâ : & primùm de nomine. Maiores, & Minores: tela earum, vis, & forma.

A CATAPVLTA nunc excipit: quis de eâ ſermonem? Tu Furi, ſi mea electio ſit, & votum. FVR. Homo incaute & calide, quid tibi vis? ORAN. Eſſe te, quod fui, & venire in has partes. FVR. Quin totum aſſem tibi habe, cohæres eſſe nihil moror. B ORAN. Vetus verbum noſti? *Attio quod Titio idem ius eſto.* Denique aduoco te conſortem, non ſolùm admitto. LIPS. Heus Furi, nobis quoque ſic videtur. Tu ille tubicen & productor noſter, non pugnes? CARON. Pugna, ego te in hunc ludum damno. FVR. Perillus fiam, vt video, & includat in meum

A bouem. ORAN. Non vt ardeas tamen, ſed vt ſudes: puta te ire in balneum aliquod Herculanum. FVR. Facile in me iſtoc: corpuſculum videtis. Sed verba perdam, ſi repugnem; & ad rem magis ea ſeruo. De *Catapultâ* igitur dicam: ſed vtrâ? quæ lapides mittit, an quæ haſtas? nam video confundi. LIPS. De vtrâque: non errabis, nec natabis in abiungendo & diſparando. FVR. Hoc quoque ad moleſtiam? ſed mox videro: nunc de nomine aliquid neceſſariò, quia vt ſcitè Tertullianus: *Fides nominum, ſalus eſt proprietatum.* Duplex inſtrumentum priſcis quo in hoſtes emitterent & iacularentur: altero, tela vel grandiores ſagittas; altero, lapides & ſaxa. Id priùs *Cata-* B *pultam* dixêre, veteres quidē, & quibus cantus & electus ſermo fuit. Nam alij poſteà, vt dicam, confudêre. Sed *Catapulta* igitur talis machina, Græcum nomen καταπέλτης. Formatum ἀπὸ τῆς πέλτης, quæ auctore Heſychio δόρυ καὶ ἀκόντιον etiam notat: id eſt, *haſtam & iaculum.* Machina igitur quæ talia mitteret, compoſitione quadam ſic formata: &, vt dixi,

veteribus non niſi iſthæc facit. Polybius non ſemel diſiungit à machinâ, quæ lapides mittit, ſiue Latinorum *Balliſtâ*, vt de Philippi Macedonis apparatu: Συναχθέντων δὲ καταπελτῶν μὲν ἑκατὸν πεντήκοντα, πετροβολικῶν δὲ ὀργάνων πέντε καὶ εἴκοσι: *Conductis in vnum catapultis quidem centum quinquaginta, petrarijs machinis ſiue Balliſtis viginti quinque.* Eodem ſenſu Liuius XXVI. *Captæ & apparatus ingens belli, Catapultæ maximæ fermè CXX. minores CCLXXXI. Balliſtæ maiores, XXIII. minores LII:* Et videre eſt in vtroque ſcriptore *Catapultas* crebriores & magis vulgatas fuiſſe, quàm *Balliſtas*. Quid ita? quia hæ operæ maioris, ſed & molis. In Ioſepho hoc ipſum ſuggeritur, de Romanis, libro v. Excidij: Εἶχον δὲ ὀξυβελεῖς μὲν τριακοσίους, τεσσαράκοντα δὲ τῶν λιθοβόλων: *Habebant catapultas trecentas, Balliſtas verò quadraginta.* Valdè vincere has videtis in numero: quas ille, & alij item, ὀξυβελεῖς vocant, quia acutum ferrum telumque emittunt aliter quàm Balliſtæ, quæ lapidem obtuſum. Plautus hoc ipſum diſcrimen palàm ingerit, Capnuis: (Vide Notas.)

Meus eſt balliſta pugnus, cubitus catapulta eſt mihi.

Ita enim ibi Parafitus minitabundus in obuios. & *Pugnum* ſuum, qui rotundus, cum lapide Balliſtario comparat, *Cubitum*, qui longior, cum telo Catapultæ. Ita dico, *telo*. nec aliter in ijs verſibus vtraque vox capienda, quàm pro eo quod Catapultâ emittitur aut Balliſtâ. Ita idem alibi:

Cui iam infortunij intenta balliſta eſt probè,
Quam ego haud multò pòſt emittam e balliſterio.

Ita hæc interpretet, & *Balliſterium*, non locum, ſed machinam ipſam. Mens poëtæ & ſermo euincunt: ſed & conformia exempla. Athenæus de Alexandro: Ὅτε Ἀθήνας ἐπολιόρκει μυρίοις πανοπλίαις, καὶ ἴσοις καταπέλταις καὶ ἄλλοις βέλεσιν εἰς τὸν πόλεμον ἱκανοῖς: *Cum Athenas obſedit decies mille armaturis, & totidem catapultis aliisque telis ad bellum idoneis.* Niſi quis ibi καταπέλτας accipiat Peltaſtarum leuia arma, aut homines ipſos. In Appiani Libyco: ξύλα παχέα δίπηχυ ἔμελλον, ὡς καταπέλτας, ἐκ χειρὸς ἀφήσειν: *Ligna craſſa, bicubitalia, tamquam catapultas, è manu emiſſuri erant.* Sed hæc fortaſſe aliquis interpretando mollire maluit: faciat: illud manſerit, antiquis *Catapultam*, ligni-iaculam machinam eſſe, nec aliter ferè ad Auguſti æuum locutos. Ibi aut circà, confuſio: & ſunt qui pro ſaxi-iaculâ etiam ponunt. vt Cæſar ipſe in II. Ciuilium: *Ne ſaxa ex catapultis latericium diſcuterent.* Palàm ſaxa mittit: ſed & Sidonius,

Non quæ ſtridentes torques catapulta molares.

Nec de illo miramur: de Cæſare magis, quoniam & Vitruuius poſt eum diſertè *Catapultam* deſcribit, quæ ſpicula & haſtas mittit; *Balliſtam* quæ ſaxa. Nec memini in illo æuo quemquam aliter: vt hîc quoque verear, ne quid pro ſuo Celſus. Nam etſi vox Catapultæ tunc penè deſierat, certè obſoleuerat (nec in Ammiani aut Vegetij temerè inuenias:) tamen video promiſcuè vſos, qui ſunt vſi. vt Appianus in Iberico: καταπέλται μὲν ἐπέκειντο τοῖς πύργοις ὀξυβελεῖς τε καὶ λιθοβόλοι: *Catapultæ turribus impoſitæ, & quæ ſpicula mitterent, & quæ ſaxa.* Videtur commune hoc nomen vtrique ſpeciei facere. vt & in Libyco: παρελάμβανον καταπέλτας ὀξυβελεῖς τε καὶ λιθοβόλους: *Acceperunt catapultas haſti- & ſaxi-iaculas.* Sed & in Diodoro ſic memini obſeruare. Ariſtophanis Scholiaſtes pro hac communione: Καταπέλτης εἶδος μηχανῆς, ἀφ' ἧς ἀκόντια καὶ ἄλλα τινὰ πέμπουσι: *Catapulta, genus machinæ è quâ iacula & alia quædam mittunt.* Quæ alia? ſaxa aut & globos è plumbo, vt ſermo vlterior dicet. Ac & hæc cauſſa confuſionis, quòd eadem machina vtrumque telum ſæpè mitteret? In Silio libro I.

Phocais effundit vaſtos Balliſta molares,
Atque eadem ingentis mutato pondere teli
Ferratam excutiens ornum media agmina rumpit.

In Iſidoro: *Balliſtam verbere neruorum torqueri, & magnâ vi iacere aut haſtas aut ſaxa.* In Athenæo, libro v. λιθοβόλος deſcribitur, τριτάλαντον λίθον ἀφιείς, καὶ δωδεκάπηχυ βέλος: *Petraria machina, lapidem iaciens trium talentorum, & haſtam duodecim cubitorum.* Hæc igitur ita facta: etſi vulgò & commodè magis, cuique telo ſua machina ſeorſim aptata. Nec ante Cæſarem ſanè (imò nec ſtatim poſt) nominum hæc confuſio: niſi quòd paullatim, vt dixi,

B

Catapulta vox abiit, & rarò lecta in imis ſcriptis. Quid ergo eius loco? nam res manſit: *Balliſta* vox venit. Valdè hoc notandum, niſi natare ſemper aut falli volumus: & ea quæ antiquis non niſi ſaxa iecit, poſteà plurimùm haſtas. Ita in Gloſſis ſub Iuſtiniani æuum explicatur, καταπέλτης, *Balliſta*: & in Ammiano ac Vegetio, haud alio ſenſu legetur. Exempla id mox dicent. Sed adnoto, βελοστάσεις etiam dictas Græcis, has Catapultas. vt quidem Hieronymus reddidit, quod in Machabæorum I. libro, cap. VI. ſcriptum: Καὶ παρενέβαλεν ἐπὶ τὸ ἁγίασμα ἡμέρας πολλάς, καὶ ἔστησεν ἐκεῖ βελοστάσεις, καὶ μηχανάς, καὶ πυροβόλα καὶ λιθοβόλα: *Et conuertit caſtra ad locum ſanctificationis dies multos, & ſtatuit illic Balliſtas, & machinas, & ignis iacula, & tormenta ad lapides mittendos.* Eadem Græca vox in Ezechielis

C

Cap. IIII. ſed ibi* *Arietes* (quod miror) conuerſa. Reperio & in Diodori XX. de Rhodiorum apparatu contra Demetrium: Ἐπέστησαν δὲ καὶ τοῖς ὑψώμασι τῶν φορτηγῶν πλοίων ἐν τῷ λιμένι βελοστάσεις οἰκείας τοῖς ἐπιτιθεῖσθαι μέλλουσι καταπέλταις: ſed alio, vt mihi videtur, ſenſu. & interpreter, ſic fabrefactas ſupernè & adaptatas naues, vt in iis Catapultæ diſponi poſſent. Hæc talia loca & ſedes iis idoneas, βελοστάσεις appellat: quaſi *ſtationes telorum aut tormentorum.* Fortaſſe nec aliter in prioribus illis capiendum. Sed de nomine ſatis: ad rem venio, quæ reperta eſt, Plinio auctore, *à Syris*: cui facilè aſſentior, certos pleraſque artium ortas ab Oriente. Græci tamen haud tam longinquè petunt, & Siciliæ adſcribunt. vt Diodorus in XIIII. Καὶ τὸ καταπελτικὸν εὑρέθη κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν ἐν Συρακούσαις: *Catapultaria ars & machinatio, reperta circa ea tempora Syracuſis*: tempora ſcilicet * Dionyſij ſenioris, cùm is bellum in Carthaginienſes pararet. Sed & Plutarchus refert, *Archidamum, cùm telum catapultarum vidiſſet, tunc primùm è Siciliâ allatum, dixiſſe,* Ὤλετο ἀρετά: *Perijt virtus.* Magnam enim conſternationem hoc telum in nouitate habebat, & nulla ei virtus viſa reſiſtendo. Quid autem dixiſſent, ſi noſtra hæc fulminantia vidiſſent, & verè Cyclopum tela? Sed tunc igitur Siculis aut reperta, aut agnita: & non non etiam modo ſtructa. Fue-

E

runt enim, vt in Liuio obſeruare ſuprà potuiſtis, *Maiores Minoreſque catapultæ*: illæ, quæ telum ferè *trium cubitorum* emitterent; iſtæ, quæ dimidiatum. Ita enim obſeruo. & in Appiani Libyco ſcriptum, cùm Scipio Vticam oppugnaret, *tormentis emiſiſſe* τριπήχη βέλη, καὶ λίθους μεγάλους, *tricubitalia tela, & lapides magnos.* Polybius item libro v. narrat, *Hieronem & Gelonem reges miſiſſe Rhodijs* πεντήκοντα καταπέλτας τριπήχεις, *quinquaginta catapultas tricubitales.* Non quòd totius machinæ modus talis, ſed quòd eius tela. In Feſto ſanè ita lego: *Triſax, telum longitudinis trium cubitorum,*

* Dicit μετωπικῶν, pro frontibus ipſis, & quæ præeunt.

* Quod idem Aelianus Var. Hiſt. VI. XII.

quod Catapultâ mittitur. Reſpondet planè huic modulo, quod *Minores* Catapultas feci dimidiatas. Quid enim hoc aliud ſit, quod Diodorus aliquoties nominat & diſtinguit τοὺς τρισπιθάμους ὀξυβελεῖς, *triſpithamas catapultas*: Sicut libro xx. in apparatu Demetrij: [illegible] μὲν ἐποίησε τὰς μακρὰς ναῦς ἐχούσας ἐπὶ ταῖς πρῴραις τοὺς τρισπιθάμους τῶν ὀξυβελῶν: *Praeire iuſſit longas naues, quæ in proris haberent catapultas trium ſpithamarum.* Iterùm, de eodem Demetrio: Ἀθροίσας τοὺς ἀδροτάτους τῶν λέμβων, καὶ τούτους καταφράξας σανίσι, καὶ θυρίδας κλειστὰς κατασκευάσας, ἐνέθετο μὲν τῶν τρισπιθάμων ὀξυβελῶν τοὺς πορρωτάτω βάλλοντας, καὶ τοὺς τούτοις κατὰ τρόπον χρησομένους: *Collectis firmiſſimis lemborum, eóſque muniens tabulis, & feneſtellas quæ claudi poſſent inædificans, impoſuit è catapultis triſpithamiis eas quæ longiſſimè iacerent, & ſimul viros, qui iis uti opportunè poſſent.* Ponit expreſsè *trium ſpithamarum* fuiſſe, id eſt triginta ſex digitorum: qui ipſe modus eſt medius, ad *cubitos ternos*. Sed & ex poſtremis verbis diſcas, has tales leuiores ſagittas longiùs permeaſſe. quod iterùm idem indicat, cùm paullò pòſt nominat τοὺς ἐλαφροὺς ὀξυβελεῖς, καὶ μακρὰν ἀφιέντας: *minores catapultas, & longè iacientes.* Atque hæc ita plurimùm & vulgò vſurpata: interdum tamen & machinæ & tela grandiora, imò non tela ſed tigna. Ita appellat Abbo in Lutetiæ obſidio:


—— magno cum pondere noſtri
Tigna parant, quorum chalybis dens ſumma peragrat.

Et ſunt in Cæſare, *Maximæ balliſtæ*, 1. Ciuil. iiſque *miſſi aſſeres pedum duodecim, cuſpidibus præfixi.* Imò in Athenæo lib. v. *cubitorum duodecim, atque ad ſtadij ſpatium iacti.* Nihil ergo miror, ſi per plures homines ſimul penetrarint: vt in Lucano:

—— neque enim ſolis excuſſa lacertis
Lancea, ſed tenſe Balliſta turbine rapta,
Haud vnum contenta latus tranſire quieſcit.


Ac tale Catapultæ telum eſt: ſed ipſa qualis? E ligno, ferro, neruis, formatur Ammiano lib. xxiii. *Balliſtæ figura*, inquit (hæc ei Catapulta eſt, vt dixi) *docebitur primâ. Ferrum inter axiculos duos firmum compaginatur & vaſtum, in modum regulæ maioris extentum, cuius ex volumine teretis, quod in medio ars polita componit, quadratus eminet ſtilus extenſiùs recto canalis anguſti meatu cauatus, & hac multiplici chordâ neruorum tortilium illigatus, eique cochleæ duæ ligneæ coniunguntur aptiſſimè, quarum propè vnam adſiſtit artifex contemplabilis, & ſubtiliter apponit in temonis cauamine ſagittam ligneam, ſpiculo maiore conglutinatam. hòcque facto, hinc inde validi iuuenes verſant agiliter rotabilem flexum. cùm ad extremitatem neruorum acumen venerit ſummum, percita interno pulſu à balliſtâ ex oculis auolat, interdum nimio ardore ſcintillans.* Pænè paria Ammiano dixerit Notitiæ imperij libellus ſubiectus, qui ſic de Balliſtæ fabricâ: *Arcu ferreo ſupra canalem, quo ſagitta exprimitur, erecto, validus nerui funis vnco tractus, eamdem ſagittam magnis viribus directus in hoſtem impellit. Hunc tamen funem non manibus neque viribus militum trahi fabricæ ipſius magnitudo permittit, ſed retrò duabus rotis viri ſinguli radiorum niſibus adnitentes, funem retrorſum tendunt, pro difficultate rei viribus machinis adquiſitis. Balliſtam tamen ipſam ad dirigendā ſeu altius, ſeu humiliùs tela, cochlea machina, prout voces vtilitas, nunc erigit, nunc deponit. Hoc tamen miræ virtutis argumentum, tot rerum diuerſitate connexum, vnius tantùm, otioſi, vt ita dicam, hominis, ad offerendam tantummodo impulſioni ſagittam, opere gubernat. Videlicet, ne ſi hominum turba huius miniſterio ſeruaret, minueretur artis inuentio. Ex hac igitur balliſtâ expreſſum telum in tantum longiùs vadit, vt etiam Danubij famoſi præ magnitudine fluminis latitudinem valeat penetrare. Fulminalis etiam nuncupata, appellatione ſuâ virium teſtatur effectum.* Breuiùs & magis neglectè Vegetius: *Balliſta funibus & neruis tenditur, quæ quanto prolixiora brachiola habuerit; hoc eſt quanto maior fuerit, tanto ſpicula longiùs contorquet, quæ ſi iuxta artem mechanicam temperetur, & ab exercitatis hominibus, qui menſuram eius antè collegerint, dirigatur, penetrat quodcumque percuſſerit.* Vitruuius autem omnium pleniſſimè, in Capite proprio aut Capitibus. ſed quid eſt? non intellegi hæc plenè à viris magnis video, & quitot fuerunt in hac curâ: quid de me pudeat fateri? Formæ extant in Notitiâ imperij, & ab aliis delineatæ: ſed illæ obſcuræ, hæ parùm firmæ. quid tu Lipſi? Ltps. In architectis nomen non profiteor: ſuſpicor hîc aliquid, non ſcio: & magis fortaſſe aperient libri Græcanici *De Machinis*, qui in bibliothecis latent. Sed & ipſas veteres Catapultas latère alibi in Armamentariis, non dubito: & vidi ipſe Bruxellæ, in alterâ meâ patriâ, eius formam, ingenioſam & pulchellam, nec longè à priſcâ. Sed pergendum eſt.

33



B. B. Vtraque haec in Notitiâ imperij exſtat.

34



C. Hanc Bruxellæ in armamentario repperi, affabrè factam: & in eâ brachiola ſeorſim (non continuo ligno) intenta et retrorſum flexa ſuis neruis. quod valdè in tota hac re notandum. Nulla enim curuatio in ligno, ſed vis omnis in neruorum reniſu.

DIALOG. III.

De Balliſtâ, & Manganicis. Varia item nomina: Lapidum moles & effectus: de Neruis, & Crinibus.

FVR. Nempe aliom vis ſuccedere, & ad alia nos ire? LIPS. In his morari etiam, & te pergere. Te dico, qui cœpiſti: & de *Balliſtâ*, qood debes, plenè dare. Stipolati ita ſomus. FVR. Non ego reſtipolatus: ſed age, ero Tigellius ille, & cùm cœpi canere, non deſiſtam. Priſcis, vt mea quidem obſeruatio eſt, *Balliſta* ſemper lapidem iacit: nec aliter aote Cæſarem legas: imò & poſt Cæſarem, Tacitus, Seneca, alij, priſco illo more vſi. Etſi tamen poſteriores variant: ſed de priſcis, Cicero II. Tuſculanâ: *Vt balliſta lapidum, & reliqua tormenta eò grauiores emiſſiones habent, quò ſunt contenta atque adducta vehementiùs.* Valerius de ſerpente monſtroſo in Africâ, ſub Regulo: *telorum ictu perforari nequiſſe, ſed ad vltimum balliſtarum tormentis petitum, ſilicum crebris & ponderoſis verberibus procubuiſſe.* Et plura, qoæ in ipsâ re mox dabo. At poſt Cæſarem, ambifariam vox ſumpta, & ſæpè (vt ſuprà dictum) pro *Catapultâ*. Græcanicâ autem ſtirpe videtur ἀπὸ τοῦ βάλλειν, *à iaciendo*: & ideò *Balliſtam* geminâ conſonante, vel potiùs *Balliſtram*, vt Gloſſæ, meliùs ſcribi. Sed quamquam ab ijs vox; ipſi vix eâ vſi, & quiduis potiùs io eorum ſcriptis, quàm *Balliſtam* in hac re lego. Dicunt λιθοβόλους, πετροβόλους, πετροβολικὰ ὄργανα: communiter magis ἀφετήρια ὄργανα: itémque, μάγγανα: aut μαγγανικὰ: in quâ poſtremâ voce aliquid inſiſto. Valdè enim obtinuit, & Græci Latinique imi, ſed & barbari eâ vſi. *Manganum* ſanè communiter *Machina*, vt initio * Lipſius dixit: ſed huc tranſtulerunt, ad violentiſſimam machinarum. Abbo in obſidione Pariſieoſi:

Conficiunt longis æquè lignis geminatis
Mangana quæ proprio vulgi libitu vocitantur,
Saxa quibus iaciunt ingentia.

Liquet Petrarias intelligi, & in parte deſcribi. Leo Imperator, cap. XV. de Apparatu bellico: *Manganica alacacia, quæ ſaxa emittunt.* LIPS. Debeo interpellare. tu hæc à *Mangano* deriuas? FVR. Facio. LIPS. Atquin ex Herone liceat adſtruere *Monangonem*. Nam ita ille, cap. XVII. *Lignum longum interpoſitum, in figurâ reflexi angonis, quales ſunt ij qui lapides iaciunt Monangones, quos nonnulli Fundas vocant.* Noſtros liquet intelligi, eò magis quòd de fundis addit. In ſequenti etiam capite: *Ipſa Monangonis conſtructio, ad catapulticam etiam contemplationem volentes inſtituet.* Firmiùs hac de re dicerem, ſi aut Græca vidiſſem (nam Latina interpretatio vacillat alibi, aut lapſat:) aut ſi Athenæum, qoem Barocius auctorem citat conſtructi Monangonis. Sed aliàs ego, aut pro me alius hæc peruidebit: tu proſequere. FVR. Dixi ego *Mangana*, & ab eo *Manganica*: quo modo Cedrenus: βάλλεται δὲ ἐκ τοῦ μαγγανικοῦ λίθῳ, ὃς συνέτριψεν αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν καὶ τὸ πρόσωπον. quod ita Paulus Diaconus libro XXI. *Deijcitur lapide emiſſo ex Mangone, & contritum eſt caput eius & facies.* Sanè ibi *Manganicum*, ſed io Diacono *Mangon* eſt, vt tuus ferè *Monangon*. Nam hæc talia, vt fit,

* Vide, & adde ſuprà, lib. I. Dial. I.

truncabant: atque ita *Mangas* poſterior ætas appellauit. Otho Friſingenſis, de geſtis Friderici lib. II. cap. XVI. *Ferunt, quod in die, lapidem vi tormenti ex balliſtâ, quam modo Margam vulgò dicere ſolent, propulſum ad ſuperiora loca conſcendiſſe.* Aio verò legendum, *Mangam*: & benè illic notatur *Balliſtam* olim dictam. Radeuicus de geſtis eiuſdem Principis, libr. II. cap. XLVII. *Tormenta quæ vulgò Mangas vocant.* Manſit hîc ſincera vox, non item in Othone alio, qui Appendicem Friſingenſi ſubiunxit, cap. XVI. *Mediolanum denuò obſidione cingitur, ac diuerſis magnis totâ induſtriâ oppugnatur.* Puto veriùs, *mangis* fore. Sed & *Mangonelia, Mangonalia, Mangatella*, in auorum aut proauorum hiſtoriis legimus: quarum ſtudioſum virum vicinum, Lipſi, habemus *Ægydium Ruytium*, qui talia quædam exempla in Leodicenſium Chronicis adnotauit. Turpinus etiam Caroli Magni æuo, in cap. IX. *Aptatis iuxta murum petrariis, & mangatellis, & troiis*: nec quiſquam putauerit, nomine inductus, *Mantelleros* ſeu *Mantellos* noſtros (Vinearum

Anno 1213.

genus eſt) intellegi: errabit. In Chronico quodam Leodicenſi exſtat: *Epiſcopus miſit Leodium mangonalia, ſeu fuſtibula, ſiue tribuceta, vel arietes aut ſues, vineas, biblias petrarias, ſiue cattos verſatiles, neſcio quæ ex his ingeniis, in ſignum quod intendebat, caſtra ſolo æquare.*

Anno 1238.

In alio: *Bibliam petrariam, & cetera bellica inſtrumenta.* Ex quibus dixeris *Biblias* quoque, hoc genus appellatum. BILL. Pluſcula in prioribus iis verbis nomina, ſatis mihi noua: & quæ *Tribuceta*? FVR. Ingenuè neſcio: at Lipſi doces? LIPS. Ego quoque ingenuè, neſcio. An ad illud accedit, quod *Trybock* (voce haud nimis diuertente) Germani dicunt? Ita enim in Fragmento quodam Germanicæ hiſtoriæ: *Anno Domini* MCCXII. *Otto Imperator ab Apuliâ & Italiâ reuerſus, obſedit opidum VVizenſe, quod ſimiliter expugnauit vſque ad arcem. Ibi tunc primum cœpit haberi vſus inſtrumenti bellici, quod vulgò Trybock appellari ſolet.* Neque ſcio an Gallorum non etiam vox ſit, quibus inſtrumenta aut machinulæ ſuſpenſæ & lapſiles, *Trebuchetz* appellantur. Lego & in aliis Chronicis * *ſpringalles*, tali aliquo ſenſu. Sed quid iſta ad veterem hiſtoriam? nec diuertamus. BILL. Imò iuuat interdum hæc quoque diſcere: & ampliùs peto. Quid *Troiæ* in Turpini ſuprà verbis? LIPS. Dicam quod rideas. an non *Sues*, quæ in Chronico dicuntur, quando Gallica ea vox ſic reſpondet? Fuerit inſtrumentum, quo muros fodiebant & deruebant, vt terram ſus roſtro. LAMPS. Imò *Sues* in Britannicis alibi Chronicis, pro *Vineis* videor legiſſe. LIPS. Et ego, ſed obſcurè memini. Itaque ſerò tibi dicam, ſeriò hæc neſcio, nec nimis inquiſiui, non item quid *Clitæ*, in * vitâ vetuſtâ Caroli Magni: *Præparauerunt Clitas, ad debellandum præ virtute caſtrum.* Ne hæreamus: tu Furi perge. FVR. Talia igitur & plura nomina, in nouellis hiſtoriis: atque in eiſdem *Petrariæ*, haud abſurdâ voce, & quæ exprimat Græcorum πετροβόλους. In vitâ Caroli Magni iam citatâ: *Petrarias, quas parauerunt, in ſuo plus damno ſenſerunt, quàm illi de caſtro.* In Paulo Diacono, de geſtis Longobard. libr. V. *Iuſſu Imperatoris caput eius abſciſum eſt, atque cum belli machinâ, quam Petrariam vocant, in vrbem proiectum eſt.* Ex quo videre eſt, his talibus machinis alia etiam quædam in vrbem proiecta, quàm lapides & ſaxa. Exemplum haud dubiè à Fundis eſt: & vt illis minores lapides, ita iſtis grandiores repertum proiectare. Iaciebant autem vulgò, & Minoribus balliſtis, lapides ferè *centenûm pondo*: atque eo ſenſu Lucillio, ipſa *Balliſta centenaria* dicitur, in Nonio: Quid fit: *balliſtas iactas centenarias.* Eſt enim idem ille ſermo, qui antè

* In Leodicenſi, L'Eveſque fit faire des engins & mangoneals & eſpringalles.

* Pythœus edidit.

A notatus, *catapultas tricubitales* eſſe. Sic Siſenna, in eodem Nonio: *Balliſtas quattuor, talentarias.* Græcè ille maluit dicere, quàm *centenarias*: quia talentum, etiam paullò * plus in pondere habet. At maioribus, ampliùs iaciebant, & vel talenta tria. Sic in Diodori XX. *Demetrius in Helepolim ſuam εἰσήνεγκε πετροβόλους παντοίους, ὧν οἱ μέγιστοι ἦσαν τριτάλαντοι: intulit varias Petrarias, quarum maxima trium talentorum erant.* In Athenæi V. de Heronis regis naue, cui faber Archimedes: Τεῖχος δ' ἐπάλξεις ἔχον, καὶ καταστρώματα διὰ ταῖς ἐπὶ κιλλιβάντων κατεσκεύαστο, ἐφ' οὗ λιθοβόλος ἐφεστήκει τριτάλαντον λίθον ἀπ' αὐτοῦ ἀφιείς, καὶ δωδεκάπηχυ βέλος. ἑκάτερον δὲ τῶν βελῶν ἐβάλλετο ἐπὶ στάδιον: *Murulus ſiue lorica, & tabulata ſuper fulcris & ſuſtentaculis, ædi-*

B *ficata erant. In iis Petraria, quæ lapidem trium talentorum emitteret, & haſtam duodecim cubitorum. vtrumque autem iſtud, ad ſtadij longitudinem.* Ac Vitruuius quoque hunc videtur habere, quaſi ſummum ponderis modum, lib. X. cap. VLT. vbi de Helepoli ſcribit: *ita eam ciliciis & coriis crudis confirmatam, vt poſſet pati plagam lapidis balliſtâ immiſſi pondo* CCCLX. Sunt enim ea tria Talenta; quæ ſingula Vitruuio pendunt pondo CXX. Noſtra iſta fulminea hodie, non capiunt aut peruehunt hoc pondus. Ex his facile diſcere, & vim igitur magnam Tormento huic fuiſſe: quam Lucanus ſic expreſſit, lib. III.

* Nempe CXX. pôdo.

C

At ſaxum quoties ingenti verberis ictu
Excutitur, qualis rupes quam vertice montis
Abſcidit impulſu ventorum adiuta vetuſtas,
Frangit cuncta ruens: nec tantùm corpora preſſa
Exanimat, totos cum ſanguine diſſipat artus.

Ita profectò eſt. grande hoc pondus non contundebat ſolum, ſed diſtringebat omnia & diſiiciebat. Hegeſippus libro III. cap. XII. *Alij telis, alij balliſtis hoſtem vrgebant. Tanta autem erat huius tormenti vis quo ſaxa in hoſtem iaciebantur, vt percuſſus vnus ex ſociis Ioſephi, qui propter adſtaret, comminuto capite rueret, & occipitium eius vſque ad tertium ſtadium excuteretur. Mulier quoque aluo grauis, percuſſa vterum ſupra dimidium ſtadij de intimâ ſede genitalis ſecreti excuteret infantem.*

D Hæc ita Latinus ille, è Ioſepho, vt ſolet, tranſſcripſit: qui ipſe & alibi auctor violentiæ huius teli. In libro VI. Excidij ſcribit: Ταλαντιαῖοι μὲν ἦσαν οἱ βαλλόμενοι πέτροι, δύο δὲ καὶ πλεῖον ἀπῄεσαν σταδίους, ἡ πληγὴ δὲ, οὐ τοῖς προεντυγχάνουσι μόνον, ἀλλὰ καὶ πολὺ δὲ καὶ τοῖς μετ' ἐκείνους, ἦν ἄνυτος ἀνατος. *Talenti pondere erant lapides qui mittebantur, duo autem & amplius ſtadia peruadebant. Ipſe ictus, non iis modò quibus primis incidebat ſed & longè retrorſum ſtantibus, erat intolerabilis.* Quæ certa & vera ſunt: nec ſciu cur interpres hoc loco, velut diffidens & corrigens verterit de *vno ſtadio*, non duobus. At prior ille locus nónne de *tertio* etiam adfirmat? LIPS. Credimus. nam & noſtra hodie Tormenta ad *mille*

E *paſſus* permeant, imò vltrà. Iouius adſerit *Colubrinam* (ſic appellat) *inuentam in arce Tolona à Ferdinando Danalo; quæ in Iſchianâ arce poſteà collocata, nauigia ab acceſſu, vel in triginta ſtadiorum diſtantia deterreret.* FVR. Multum eſt, ipſe video: ſed ad noſtra. Non rotundos ſolùm lapides iſtis iaciebant: ſed enormes & *Sepulchrales*: quibus ſcilicet domos & ædificia confringerent, & quidquid incidiſſent. Reperio & equorum hominumque cadauera iacta, ſtercora fœtoreſque alios, item plura, quorum partim in Chronico noſtræ vrbis ſic ſcripta: *Leodicenſes caſtrum de Argenteal fortiter impugnare cœperunt, iactis lapidibus magnis cum mangonalibus, & fuſo metallo in veſiculis terreis, ferroque candenti profectò, tandem*

Vide Notas.

ſtercoribus etiam intectis. Nec verò iſta ſolum, ſed & plumbeos globos emiſſos lego: qoid niſi nouello iſto pænè ritu, quo ferrei? Appianus in Mithridatico id clarè dicit: ὅτι ὁ Σύλλας ἐκ καταπελτῶν ἀνὰ εἴκοσιν ὁμοῦ μολιβδίνας βαρυτάτας ἀφίετο, ἔκτεινε πολλούς, καὶ τὸν πύργον Ἀρχελάου κατέσειε καὶ δυσάρμοστον ἐποίησε: *quòd Sulla ex Catapultis ad viginti ſimul, plumbeos graues globos emiſit, multosq́ interemit, & turrim Archelai concuſſit & planè vitiauit.* Quæ verba non ſic capienda, meo iudicio (etſi fecit interpres) quaſi viginti globi ex vnâ machinâ ſimul emiſſi; id non facilè potuit: ſed quod aſſiduè viginti Balliſtæ (ipſe *Catapultas* appellat, & notetur) ſimul iacerent & oppugnarent. Sanè ingeminaſſe vel vnam crebros ictus, non ambigimus. & Hiſpaniæ Chronicis notatur: *Balliſtam magnitudine eximiam Oſcā allatam, ad arcis cuiuſdam expugnationem, qua noctu ingentia ſaxa quingenta iaceret; de die ad mille.* Diſcimus autem ex iſtis, & muros ſiue turres concuti iis ſolere: quod plura etiam firmant exempla Ouidij:

Quam graue balliſta mœnia pulſat onus.

Senecæ in Thyeſte:

Admotis nihil eſt opus
Vrbes ſternere machinis,
Longè ſaxa rotantibus.

Eiuſdem in Hippolyto:

Nec torta clauſas fregerat ſaxo graui
Balliſta portas.

Statij, in v. ——— *quo turbine bellica quondam*
Librati ſaliunt portarum in clauſtra molares.

Diodori XX. τοῖς δὲ πετροβόλοις τάς τε μηχανὰς τῶν πολεμίων, καὶ τὸ διὰ τοῦ χώματος τεῖχος, τὸ μὲν διέσειε, τὸ δὲ κατέβαλεν, ἀσθενὲς ὑπάρχον καὶ ταπεινὸν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις: *Petrariis & machinas hoſtium, & murum qui in aggere, partim concuſſit, partim deiecit, vt qui murus illis temporibus debilis & humilis adhuc eſſet.* Quâ extremâ additione oſtendit, in validum aliquem fortemque murum parum Balliſtas potuiſſe. quod ratio etiam vult: & idem Diodorus adhibet alibi *eas quidem ad pinnas & propugnacula detergenda, arietes verò ad ipſos muros deruendos.* In eodem XX. τὰς ἐπάλξεις μὲν ἀπεσύρει τοῖς πετροβόλοις, τὰ τείχη δὲ διέσειε τοῖς κριοῖς. Video autem & in pugnâ interdum iis vſos. vt Tacitus in III. Hiſt. ſuggerit: *Magnitudine eximiâ quintadecimæ legionis balliſta, ingentibus ſaxis hoſtilem aciem proruebat: lateque cladem intuliſſet, niſi duo milites præclarum facinus auſi, vincula ac libramenta* * *tormentorum abſcidiſſent.* Ibidem quoque, *Vitelliani tormenta in aggerem viæ contulerant, vt tela vacuo atque aperto excuterentur.* Atque hæc ſuper vi aut vſu Balliſtæ dixerim. BILL. Nobis quidem miranda. Quæ tormenta noſtra pondus hoc iaciant tot librarum? nam tumnot quæ dixiſti. Sed an ex fide? FVR. Si fides in vllâ memoriâ priſcâ, in hac eſt: & confirmant Annales paullò antiquiores. quia nuper denique & auorum æuo deſiimus iis vti. Sed enim de *Forma* etiam videamus, quæ intricatior eſt, etſi vbertim ſatis Ammiano ſic deſcripta, lib. XXIII. *Scorpionis, quem appellant nunc Onagrum, huiuſmodi forma eſt. Dolantur axes duo quernei vel ilicei, curuanturque mediocriter, vt prominere videantur in gibbas: hique in modum ſerratoriæ machinæ connectuntur, ex vtroque latere patentius perforati: quos inter, per cauernas funes colligantur robuſti, compagem ne diſſiliat continentes. Ab hac medietate reſtium ſtilus exſurgens obliquus, & in modum temonis iugalis erectus, ita neruorum nodulis implicatur, vt altiùs tolli poſſit & inclinari: ſummitatiq́ eius vnci ferrei copulantur, è quibus pendet ſtuppea vel ferrea funda. cui ligno fulcimentum proſternitur ingens cilicium, paleis confertum minutis, validis nexibus illigatum, & locatum ſuper congeſtos ceſpites, vel latericios aggeres. Nam muro ſaxeo huiuſmodi moles impoſita, diſiectat quidquid inuenerit ſubter, concuſſione violentâ, non pondere. Cùm igitur ad concertationem ventum fuerit, lapide rotundo fundæ impoſito, quaterni altrinſecus iuuenes, repagula, quibus incorporati ſunt funes, explicantes, retrorſus ſtilum penes vncinum inclinant. itaque demum ſublimis adſtans magiſter, clauſtrum, quod totius operis continet vincula, reſerat malleo forti percuſſum. Vnde abſolutus ictu volucri ſtilus, & mollitudine offenſus cilicij, ſaxum contorquet, quidquid incurrerit colliſurum. Et Tormentum quidem appellatur, quod ex eo omnis explicatio torquetur: Scorpio autem, quoniam aculeum deſuper habet erectum. cui etiam Onagri vocabulum indidit ætas nouella, eâ re quod aſini feri cum venatibus agitantur, ita eminus lapides calcitrando poſt terga emittunt, vt perforent pectora ſequentium, aut diffractis oſſibus capita ipſa diſplodant.* Iſtæc Ammianus. è quibus formam aliquam & fabricam effingere, haud planè difficile, ſiquis erit in eâ curâ. In Vitruuio pariter deſcriptio, ſed profectò non conformis (pro meo captu:) nec ambigo, quin cum æuo alia & alia reperta. Sed mihi duo adnotanda in totâ hac paraturâ, de *Neruis* & *Fundâ.* Et *Neruos* quidem ad omnia hæc tormenta maximè requirebant, ſecundò, *Capillos*, ſi copia eorum non eſſet. In Vegetio gradus & bonitas ſic expreſſa, lib. IV. cap. IX. *Neruorum quoque copiam ſummo ſtudio expedit colligi, quia onagri vel balliſtæ, ceteráque tormenta nihil proſunt, niſi funibus neruinis intenta. Equorum tamen ſeta de caudis ac iubis ad balliſtas vtiles aſſeruntur. Indubitanter verò, & crines fœminarum in eiuſmodi tormentis non minorem habere virtutem, Romana ſcilicet neceſſitatis experimento cognoſcitur. Nam in obſidione Capitolij, cùm neruorum copia defeciſſet, matronæ abſciſſos crines ſuos viris obtulere.* Et neruos ſanè primo loco approbat. vt & Vitruuius: *E neruo capilloque tortis rudentibus.* Vt Polybius, inter apparatus bellicos, libro IV. Τριχὸς εἰργασμένης τάλαντα τριακόσια, νεύρων εἰργασμένων ἑκατὸν τάλαντα. *Capilli elaborati aut facti talenta trecenta, neruorum factorum talenta centum.* Quia plus pretij in neruis, quàm capillis; ideò pauciora eorum pondo. LIPS. Rectè dicis, & ſuggero ab Herone cap. XVIII. expreſſum, qui nerui eligendi. *Ex animalibus,* inquit, *robuſtioribus & quamplurimùm exercitatis. vt ceruis quidem, ex iis qui in cruribus pedibúſque, tauri, qui in humero ſunt.* Hoc volui, nunc perge. FVR. Proximi igitur à Neruis *Capilli*, iique ex equis, vt Vegetius notat: ſed maximè muliebribus, vt cum illo plerique. Vitruuius: *Contenduntur capillo maximè muliebri.* Cteſibius, ex quo video citatum: ὁ δὲ τόνος καὶ ἐκ τριχῶν γίνεται γυναικείων. αὗται γὰρ λεπταί τε οὖσαι καὶ μακραί, καὶ πολλῷ ἐλαίῳ τραφεῖσαι, ὅταν πλακῶσι, δύναμιν πολλὴν λαμβάνουσιν, ὥστε μὴ ἀπᾴδειν τὴν ἀπὸ τῶν νεύρων ἰσχύος: *Funis etiam ex capillo conſit muliebri. Ille enim cùm tenuis ſit, longus, multo oleo perfuſus; cùm plectant, vires & intenſionem validam accipit vt nec diſſonet multum à robore neruorum.* LIPS. Ipſa totidem pænè verba in Herone, qui ex Cteſibio deſcripſerit, memini obſeruare. FVR. Hiſtoriæ etiā paſſim de hoc capillo. vt Appiani de Carthaginienſibus obſeſſis: ἐς δὲ τὰς ἐντάσεις καταπελτῶν ἀπεκείραντο τὰς γυναῖκας, τριχῶν ἑτέρων ἀπορίᾳ: *Ad catapultarum intentiones raſerunt fœminas, aliorum crinium inopiâ.* Strabo de hoc ipſo facto, lib. XVII. τρίχας δὲ τοῖς καταπέλταις αἱ θεράπαιναι παρεῖχον: *Capillum tormentis ancillæ præbuerunt:* ſed ad ancillas tamen is reſtringit. Salonenſes, apud Cæſarem III. Ciuil. *profectis omnium mulierum crinibus, tormenta effecerunt.* Aquileienſes, apud Capitolinum in Maximinis,

Vide Notas.

Vide Notas.

* An tormentorū, de neruo res.

Funes de capillis mulierum fecerũt, cùm nerui ad emittendas ſagittas deeſſent. Et de Romanis, ſuprà Vegetius, quod ipſum Capitolinus rettulit, & *Veneri caluæ*, ob hanc memoriam, templum vult ſtructum. Sed alterum, quod dicturiebam, de *Fundâ* eſt. quæ in Balliſtâ ſiue Scorpione ponitur ab Ammiano *ſtupea aut ferrea* fuiſſe. Cui fini? receptaculum ſcilicet lapidis, & in quâ firmaretur. Ammianus XIX. *Per ſcorpionum ferreas fundas, rotundi lapides ſubinde iacti.* Iterùm XXIV. *Poſt machinã ſcorpionis architectus forte adſiſtẽs, reuerberato lapide quem artifex incubrater aptauerat fundæ, obliſo pectore ſauciatus profudit animã.* Cui ſimillimus euentus in Suidâ narratur, ab incerto ſcriptore: Ὀλοστρογγυλος λίθος ὁ ἀπὸ μηχανῆς εἰς τὸν ἀρχιτέκτονα τοῦ τεχνήματος ἐξήραξε, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐξέωσεν ἄμφω: *Rotundus lapis à machinâ in eius architectum exſiluit, eiq; ambos oculos excuſſit.* Funda itaque ibi: & ideò


B ipſas Balliſtas ſiue *Monangones* ſcripſit Heron *à nonnullis Fundas vocari.* Sed & Græci commodè hic vtuntur verbo σφενδονᾶν, vt Zonaras in Conſtantino: λίθων γὰρ ἐκ μηχανῶν ταλαντιαίων σφενδονουμένων: *Cùm lapides centenary fundis iacerentur machinarum.* Quin & ipſum inſtrumentum totum, σφενδόνη dicta. vt in Gloſſis: *Balliſtra*, σφενδόνη, μάγγανον πολεμικόν. In Machabæorum I. cap. VI. inter machinas

A varias, σφενδόναι nominantur: quas rectiſſimè Hieronymus *Fundibala* vertit. Ita enim illo æuo dixerunt. Iſidorus: *Balliſta magnâ vi iacit aut haſtas, aut ſaxa. inde & Fundibalus, quaſi fundens & emittens.* Hegeſippus V. cap. XLIV. *Fundibalo ictus, in eâdem voce amiſit ſpiritum.* Hanc machinam intellegit: quia Ioſephus in ipſa illâ re, λίθον ἐκ τοῦ πετροβόλου dixit, *lapidem è petrariâ.* Repetiuit hoc ipſum in Anacephalæoſi ſua Hegeſippus: *Fundibulari ictu amiſit ſpiritum.* Roſuintha virgo Saxonica, itémque Chronica Hiſpanica. *Pelagium, caſtiſſimum iuuenem, Abderamini tyranni iuſſu, fundâ machinali trans Batim fluuium emiſſum, & ſcopuloſis rupibus illiſum tradunt*: quia ſcilicet impuro tentamini illius ſuffragium non præbuiſſet. In Gloſſis etiam, *Balliſtrary* explicantur σφενδονῆται, ſed, credo, minores illos funditores intellegi, ab exemplo. Am-

B mianus XVI. *Cæſar, nequa interueniret mora, adhibitis cataphractis ſolis & balliſtariis, ad Tricaſſinos tendebat.* Funditores, inquam, puto eſſe, aut *Fuſtibalatores.* In Guntheri Ligurino, lib. IX. hæc ipſa machina *Balearica* dicitur, à cauſsâ iam dictâ, & quia Balearium Fundæ.

——lapides agitata minores
—Funda rotat, magnos Balearica machina muris
Incutit, & duro munimina verberat ictu.


35



A. *Figura, quam in Vitruuio Iocundus expreſſit*


B. *E Chronicis Baſilæenſibus ſumpta et alibi reperta.*

36






37




38


38



39



40



DIALOG. IV.

Scorpiones quid, & quo telo?

PERLEGI, & te editorem, Lipſi, adſpicio: ecquid mittis? LIPS. Ego editor? bellè. qui ipſe depugnaui, & exercitus ſum plus ſatis. Sed tamen ſi ſim; nec mittam quidem, numeris nondum impletis. FVR. Omnibus, & largiter, aut fallor. LIPS. *Scorpiones* vbi ſunt, vicini & adſimiles iſtis, adeò vt Ammianus miſceat, & *Balliſtam* (à te dictum) ſic appellet? FVR. Si miſcet, benè eſt: per me ſic ſunto, non diſiungo. LIPS. Atqui debent Furi, debent: hoc age. A Catapultis primùm Hirtius abiungit, in bello Africo: *Cæſar in caſtris Scorpionum, Catapultarum, magnam vim habebat.* Ille idem à Balliſtis: *Balliſtis, Scorpionibusq́, crebris, ante frontem caſtrorum collocatis.* Seneca Quæſt. Nat. II. cap. XVI. *Nam Balliſtæ quoque, & Scorpiones, tela cum ſono expellunt.* Denique Liuius ab vtriſque XXVI. *Catapultas* & *Balliſtas* Carthagine Nouâ inuentas numerat, & tum addit: *Scorpionum maiorum minorumq́, & armorum telorumq́, ingens numerus.* Idem paullò pòſt: *Scorpiones maiores minoreſque, ad LX. captos ſcripſerim, ſi auctorem Græcum ſequar Silenum: ſi Valerium Antiatem, maiorum ſcorpionum ſex millia, minorum tredecim millia.* Sed prior numerus LX. falſus videtur, & nimis ab illo abire Antiatis. Etſi enim hic & alibi auctorem iſtum elationis & vanitatis arguit: quis tamen credat ſic inſanè mentitum? & è *ſexaginta* tantùm, *tot illa millia* feciſſe? Fuerit, V. ∞. id eſt, *quinque millia*: aut etiam IX. ∞.

A numeris non inſolenter corruptis. Sed tu, Furi, palàm diſcrimen vides, ediſſere. FVR. Te loqui decebat, ac vides iſtos magis erectos: quid me ſpendeo à tuo ore. LIPS. Dic, dic: apud nouercam verba fundis. FVR. Paucis, quia pauca hîc ſcio. Deſcribit Tertullianus initio libri, quem de hoc nomine inſcripſit: *Bellicam machinam, & retractu tela vegetantem, de Scorpio nominant. Id ſpiculum & fiſtula eſt, patulâ venenatum in vulnus, & virus, quâ figit, effundit.* Significat clarè, & mucronem, & ad eum canaliculum fuiſſe, qui infunderet venenum. Alij non dicunt. ſed Vegetius ita de eo: *Scorpiones dicebant, quas nunc Manuballiſtas. ideò ſic vocati, quòd paruis ſubtilibusq́, ſpiculis*
B *mortem inferant.* Parua tamē adeò fuiſſe ſpicula, præſertim in Maioribus, haud dicam: cùm in Cæſare legam, *Quidam ante oppidi portam Gallus, ſcorpione ab latere dextro traiectus exanimatúſque concidit.* In Hirtio: *Scorpione accuratiùs miſſo, Decurio percutitur, & ad portam Decumanam defigitur.* Cùm *traiici* iis homines, cùm *Defigi* dicant: certè non nimis ij puſilli. Ex Vitruuio tamen certum haud ſic immanes fuiſſe: & cùm *Machinam* ab *Organo* diſtinguit (lib. X. cap. I.)
C *Machinas pluribus* operibus aut effectus habere, vt Balliſtas aut torculariorum prela. Organa autem vnius* opere, prudenti tactu perficere quod propoſitum eſt, vti Scorpionis & aniſocyclorum verſationes.* Ergo vir vnus dirigebat, & vtebatur. Polybius in obſidione Syracuſarum à Marcello, facit Archimedem *cauos palmares in muris diſpoſuiſſe, iiſque ſagittarios & ſcorpiunculos* (τὰ σκορπίδια) *appoſuiſſe.* Liuius in eâdem re, & ex eo ſumens, *cauos cubitales* fecit: ô neglegentiam aut ἁμάρτημα! cùm ille παλαιστιαίους clarè ſcripſiſſet. Plutarchus in Marcello, de iiſipſis dixit, σκορπίους βραχυτόνους:

* Fortè opus.
* Fortè opera.

brevi

breui tenſione ſcorpios. Vt illi ergo parui; ſic proportione & foramina illa ac caui. in Siſennæ fragmento apud Nonium eſt: *Longius ſcorpios catapultas concitat.* Legendum: *Longius ſcorpio catapulta ſe concitat.* Et plura dicere prohibeor, non ignauiâ, ſed imperitiâ; iterùm miſſionem peto, aut ipſe mihi dono.

DIALOG. V.

Muri veterum cuiuſmodi? ſeorſim & Gallorum.

LIPS. Videtis hunc Arenarium, planè ad legem ipſe Rudem ſibi donat. O ſi meum hîc merum imperium! aut ſi plura etiam dicenda! ſed video finem, & de *Tormentis* ad aſſem credo expunctum. BILL. Haud negito, tamen aliquid etiam reliqui video, ſi plenè & firmiter vis Tormentorum eſt noſcenda. FVR. Et tu quoque telum mihi inicies? BILL. Imò munimentum in omnia tela: *Muros* opidorum ſuggero, & velim deſcribi. Hos enim quatiebant aut diruebant *Arietes* illi & *Balliſtæ*: hos ſub *Muſculis* aut *Vineis* deruebant: & neſciemus quo robore ij aut viribus? Caligat omnis *Machinalis & Oppugnatoria* iſta res: niſi hæc illuſtratur. LIPS. Tecum cenſeo ſciſcóque: ſed hoc ampliùs, Furium iſtum meritò dicere, qui dictorum omnium cauſſa. Caput ſermoni ſtruxit, adſtruat & hunc pedem. FVR. Quod Oranus nec Græcè auſus, ego Latinè & Romanè dico, Lipſi es malus. Sed nihili tamen tua argutia: nec enim adhuc finis, *Tela* reſtant. LIPS. Fortaſſe te & illa velle adderet? Si ſapis, hoc depropera, ne & alterum onus accedat. FVR. Fiat. nam iſti, vt video, peramici ſunt, quod tu vis volunt. *Muri* igitur veterum (de Vallo à Lipſio dictum) validi & operoſi fuerunt: & vt diſtinctè ac propriè dicam, *Firmi, Magni, Alti.* De Firmitate primùm, Vegetius lib. IV. *Murus vt numquam poſſit elidi, hac ratione perficitur. Interuallo pedum vicenûm interpoſito, duo introrſecus parietes ædificantur. deinde terra, quæ de foſſis fuerit egeſta, inter illos mittitur, vectibúſque denſatur. ita vt a muro primus pariete parùm inferior, ſecundus longè minor ducatur. vt de plano ciuitatis, ad ſimilitudinem graduum, quaſi cliuo, molliúſque ad propugnacula poſſit aſcendi. Quia nec murus vllis poteſt Arietibus concuti, quem terra confirmat; & quouis caſu deſtructis lapidibus, ea quæ inter parietes denſata fuerit, ad muri vicem ingruentibus moles obſiſtit.* Vegetij munitio ſatis firma, negari non poteſt, etiam in hodierna iſta fulmina: ſed magis paullò illa Vitruuij, lib. I. cap. V. *Interiore parte ſubſtructionis, fundamentum; diſtans ab exteriore introrſus amplo ſpatio, conſtituendum eſt, ita vti cohortes poſſint, quemadmodum in acie inſtructæ ad defendendum ſupra latitudinem aggeris conſiſtere. Cùm autem fundamenta ita diſtantia inter ſe fuerint conſtituta, tunc inter ſe alia tranſuerſa, coniuncta exteriori & interiori fundamento, pectinatim diſpoſita, quemadmodum ſerræ dentes ſolent eſſe, collocentur.* Hæc dico, ſtructura firmior, & validæ vi tormentorum repellendæ, pro meo quidem ſenſu. Iam quòd *Magni* & *Alti*, ab exemplis aliquot videamus. Appianus ſcribit, in Mithridatico: *Pyræi muros Athenis* (*Periclis opus*) *altitudine fuiſſe quadraginta circiter cubitorum ſiue pedum ſexaginta, ſaxo quadrato exſtructos.* Thucydides in I. de iiſdem: *Latitudine fuiſſe tantâ, vt duo currus iuncti inter ſe, vel obuij, per murum tranſirent. introrſus autem, neque cæmentum neque lutum interpoſitum, ſed iunctos & coagmentatos grandes lapides, qui ſecti quadratique eſſent, eorumque exteriora ferro & plumbo reuincta.* In quibus vltimis notare eſt, grandes lapides, pro more illo, in opera hæc iniunctos; & contra Arietes, ne extrahi poſſent, ferro aut ære nexos. Dio Caſſius in Seuero, *Byzantij veteres muros fuiſſe firmiſſimos, quorum frons exterior grandibus lapidibus conſtructa, qui craſſi quattuor pedes erant, lato ferro aut ære inter ſe vincti.* Nota craſſitiem lapidum, quos quadratos fuiſſe certum eſt, & vndique pares. Herodianus lib. III. de eodem iſto oppido: *Murus Mileſio quadrato lapide exſtructus, adeò tenui & inconſpicuâ iuncturâ, vt nemini compoſitum opus, ſed ex vno perpetuóque lapide videretur.* B Et addit, *nunc quoque reliquias eius miraculo conſpici, vel artis eorum ingeniíque, qui primi ſtruxerint, vel roboris eorum, qui deiecerint.* Nota hîc & alibi *coagmenta ſubtilia,* ad excludendum ſcilicet Arietis acumen. Sed de ferro, eſt & in Ioſepho, atque Hegeſippo (lib. V. cap. XI.) *pleraque murorum Hieroſolymis, ferro aut ære operta fuiſſe*: pro mente ſcilicet iam dictâ. Atqui *Altos* etiam cur ſic volebant? nam nos hodie deſpicimus. Cauſſa ipſis proba, & contra turres, machináſque ligneas ad adſcenſum. Nam muri quamdiu ſuper eas, tuti erant ab hac peruaſione. *Firmi* igitur, contra Arietes, *alti*, contra Turres. Tangit ſcriptor Panegyrici, ad Maximianum: *Quænam vmquam mirabimur valla caſtrorum, poſt hoc nouum* C *in mari vallum? quid erit mirum, ſi qua murorum aut Arieti non ceſſerit* FIRMITAS, *aut machinas deſpexerit* ALTITVDO? Quam altitudinem & Seneca inter laudes murales habet, in Epiſtulis: *Multi inuenientur, qui ignem inferant vrbibus, qui inexpugnabilia ſæculis & per aliquot ætates tuta proſternant, qui æquum arcibus Aggerem attollant, & muros in miram altitudinem adductos, Arietibus ac machinis quaſſent.* Ideò & maiores noſtri Galli ſic ſtruxerunt, aut certè in Galliâ ipsâ Romani. Omitto alia. ſed Aimoinus refert, *murum Diuionenſis caſtri ædificatum lapidibus quadratis, deſuper minores ſuperpoſitos habentem, in altitudinem pedum triginta, in latitudinem pedum quindecim*: idque ab Aureliano Imperatore, nec tamen opidi appellatione dignatum. D Vbi autem hodie tales muri? quia nos, vt dixi, contemnimus: & meritò fortaſſe ob nouitium hoc fulmen, quod edita magis quaſſat. Sed non illud etiam deſpicimus (quod inter artes munitionum habemus) flexus & ſinus in muris facere, vt pateat ad ictus accedens hoſtis. Id enim à veteribus. & Vegetius prodit: *Ambitum muri directum veteres duci noluerunt, ne ad ictus Arietum eſſet diſpoſitus, ſed ſinuoſis anfractibus clauſere vrbes. propterea, quia ſiquis ad murum tali ordinatione conſtructum vel ſcalas, vel machinas, voluerit admouere; non ſolùm à fronte, ſed etiam a lateribus & propè à tergo, veluti in ſinum circumcluſus, opprimitur.* E Obſeruéſque, non ſolùm Turres prominuiſſe ad hunc finem & propugnacula, ſed ipſos murus ſic ſinuoſè factos. Tacitus de Hieroſolymis: *Duos colles immenſùm editos, clauſerant muri per artem obliqui, aut introrſus ſinuati, vt latera oppugnantium ad ictus paterent.* Eâ mente & Ammianus, XX. *Virtha, munimentum in extremo Meſopotamia ſitum, ſed muris velut ſinuoſis circumdatum & cornutis, inſtructioneque variâ inacceſſum.* Nec verò hæc tantùm, ſed & προτειχίσματα quædam habuêre, ſiue *Antemuralia.* vt in Iſidoro: *Promurale, eò quòd ſit pro munitione muri: eſt enim murus proximus ante murum.* Ammianus XXI. *Erumpentibus recurſus ad mœnia intior, vallúmque antemuranum ceſpitibus fultum, inſidiantes ab omni*

A *diſcrimine defendebat.* Quod credo fuiſſe quaſi *Loriculam*, ante præcipuum murum ductam. Sed conſuetò, non ſolùm loriculæ iſtæ, ſed veri magnique muri plures ducti, vt vno diruto aut capto, alter & alter ſupereſſent. Lubet exempla duo dare ſplendoris atque operis priſci: ad quæ neſcio an alia ætas adſpirauit, aut & dicam, adſpirabit. Prius ex Appiano, de Carthagine, quæ à Romanis capta & diruta. *Murum* ait *fuiſſe triplicem. quorum quiſque altus triginta cubitos eſſet, abſque loricis & turribus. Quæ turres ducenteni pedum ſpatio inter ſe diſtabant, & quattuor contignationes ſingulæ habebant. Ipſi muri fornicati, & capaces: & duplici quaſi contignatione facti. in quorum parte imâ* B *elephanti trecenti ſtabulari poterant, & adiuncta iis cellæ ac repoſitoria ad cibos: ſuper eos, quater mille equi, item cum receptaculis pabuli hordeiq́. Viris ipſis ibidem diuerſoria & habitacula, peditibus viginti mille, equitibus quattuor mille. Atque hic bellicus apparatus & inſtructus, in ſolis mœnibus erat.* Hæc ille. nec negari poteſt, hoc de equitibus & peditibus, ipſiſque equis, magnificum & commodum pariter fuiſſe. Alterum ex Ioſepho, de Hieroſolymis, ſuperbâ & validâ vrbium, quas hiſtoriæ celebrarint. Nam vana aut ignota, haud motamur. De eâ Tacitus breuiter: *Vrbem arduam ſitu opera moléſque firmauerant, quîs vel plana ſatis munirentur. Nam duos colles immenſùm editos, claudebant muri per artem obliqui, &* C *turres, vbi mons iuuiſſet, in ſexaginta pedes; inter deuexa, in centenos viceneſq́; attollebantur, mirâ ſpecie & procul intuentibus pares.* Quorum ſententia eſt, Turres vbi mons eſſet, in *ſexaginta* pedes elatas; vbi vallis, in *centenos* aut & *vicenos*: ſic vt altitudo inter ſe omnium reſponderet, & æqua videretur. Sed munimenta hæc diffuſè & pulchrè Ioſephus exſequitur lib. VI. è quo libabo & decerpam. *Murus triplex erat: exterior altus viginti cubitos, lorica eius ternos, pinnæ binos. Interni viginti quinque. Lapides in eo plerique* * *viginti cubitos longi, & decem lati. In muris Turres erant, quæ ſuper ipſos eminebant cubitis viginti: atque eadē erat latitudo. Hæc omnia ſolida, & iiſdem lapidibus, quibus muri, ſtructa. At ſuper hanc turrium altitudinem, cubicula & cœnacula erant, & ciſternæ, & lati ad hæc omnia* D *gradus. Eiuſmodi turres erant in eo muro nonaginta: interualla autem,* * *cubiti ducenti inter ſingulas. Sed admirabiles in primis erāt turres quattuor, quas Herodes ædificauerat. Pſephina vna dicta, quæ ſeptuaginta cubitis eminebat & ex quâ, ſole orto, Arabia proſpici poterat, & ipſum mare. Octangula ſtructa erat. Huic ex aduerſo Hippicos, dicta de nomine cuiuſdam amici regis; & iuxtà Phaſelos, & Mariamne; illa in fratris, hæc in coniugis memoriam & nomen dedicata. Hæ magnitudine, pulchritudine, firmitate, omnibus quæ* * *toto orbe ſunt, præſtabant. Hippicos quidem quadrangula erat, & quiſque angulus viginti quinque cubitorum, altitudo triginta ſed hæc omnia ex ſolido, & nihil inane Supra ſoliditatem, & ſaxis illam adunatam compagem, imbribus excipiendis puteus erat altus cubitos viginti. Super iſtum, duplici te-* E *cto domus, viginti quinque cubitos alta, & in varia membra diuiſa. Iterùm ſuper eam propugnacula & pinnæ, ad quinque cubitos. Atque ita tota altitudo, cubiti octoginta. Tertia, Phaſelos: lata ac longa fuit æqualiter, cubitos quadraginta. Totidem cubitorum, denſa & ſolida eius altitudo. Super eam porticus ambibat, alta decem cubitos, loricis & propugnaculis inſtructa. inq; eâ mediâ, turris alia aſſurgebat, in membra magnifica & balneum diuiſa: vt nihil a Regiâ penè differret. Suprema eius loricis & pinnis, ſicut ipſa porticus, ornata. Tota altitudo, cubiti nonaginta. & referebat ſpecie turrim, quæ Pharius dicitur, & apparet Alexandriâ nauigantibus. Quarta, Mariamne,*

A *viginti cubitis ſolida fuit, totidem lata & longa. Superiorem autem ædificationem longè magnificentiorem & diſtinctiorem aliis habebat; decorum cenſente* * *rege, vt ea quæ ab vxore & fœmina diceretur, ornatior comptiorq́; virilibus illis eſſet. Huius altitudo omnis, quinquaginta quinque cubiti. Sed altiores etiam multo videbantur omnes hæ turres, ob loci ſitum. Nam murus ipſe in quo erant, in colle fuerat conditus atque is collis eminebat ad cubitos triginta. Mirabilis & lapidum moles. Non enim ex latere vulgari, aut ſaxis quæ homines ferrent, ſtructa erant, ſed è candido marmore: quodq; ſaxum viginti cubitis longum, decem latum, quinque altum. Ita autem iuncta erant, vt vnum ſaxum omnia viderentur, ſed manu artificum in angulos & figuras diuiſa.* Hæc ita B Ioſephus, & plura de reliquo opere: quæ talia ſunt, vt mirer hæc publicitus non proponi & pingi, in omnium (quibus cor & ſenſus) admirationem aut voluptatem. At nos vana quædam malumus, & prauâ viliique libidine, animum paſcere iuuat falſis. At enim dicent, Hodie hæc non vſui: diſſilient iſti lapides, iſtæ moles, vno ictu. Eſto. ſed dabo ab antiquo etiam rude, ſed robuſtum opus, pro ſuffragio iſtorum. Muri Gallorum veterum videantur, qui in Cæſare ſic deſcripti, Comment. VII. Gallic.

Muri autem omnes Gallici hac ſunt ferè formâ: Trabes directæ perpetuæ in longitudinem, paribus interuallis diſtantes inter ſe binos pedes in ſolo collocantur. Eæ reuinciuntur extrorſus, & multo aggere veſtiuntur. Ea C *autem quæ diximus interualla, grandibus in fronte ſaxis effarciuntur. Iis collocatis & coagmentatis, alius inſuper ordo adiicitur, vt idem illud interuallum ſeruetur, neque inter ſe contingant trabes, ſed paribus intermiſſa ſpatiis, ſingulæ ſingulis ſaxis interiectis arte contineantur. Sic deinceps omne opus contexitur, dum iuſta muri altitudo expleatur. Hoc cùm in ſpeciem deforme non eſt, alternis trabibus aut ſaxis, quæ rectis lineis ſuos ordines ſeruant: tum ad vtilitatem & defenſionem vrbium ſuam habet opportunitatem. quod & ab incendio lapis, & ab Ariete materia defendit: quæ perpetuis trabibus, pedes quadragenos plerumque, introrſus reuincta, neque perrumpi neque diſtrahi poteſt.* Hæc Cæſar, quem per partes luſtro. Ait: *Trabes directæ, perpetuæ in longitudinem.*] Hoc dicit, trabes directas in ſolo poſi- D tas, in longum non in altum: id eſt, planas iacentesque, & quidem *perpetuas* ſolidáſque, non è partibus factas, tot pedum. Quòd autem ſic accipere oporteat, non de ordine trabium recto & alto: verba ſequentia mox euincunt, qui opus aggeratum ait, & creuiſſe, *dum iuſta muri altitudo expleretur.* Atqui ſi trabes rectæ poſitæ, iam à principio altitudo iuſta fuiſſet. Hoc firmiter tenendum eſt, aut à Cæſare abeundum. Ait: *Diſtantes inter ſe binos pedes, in ſolo collocantur.*] Hoc interuallum inter ſingulas trabes, porrectas ſic in ſolo: iterùmque tale in altis & ſuperiectis. Quod ait, *collocari in ſolo*, eſt deponi, non defigi: & ſic in deſcriptione Muſculi. *Eæ reuinciuntur extrorſus.*] Libris melioribus adhæremus & ſcribi- E mus, *introrſus.* Reuinctio illa ſub candam facta: id eſt tranſuerſis trabibus ſeries quæque ligata, contra motum, & ne ab Ariete percuſſæ emouerentur. In quibuſdam etiam libris eſt: *Ære reuinciuntur*: ſed falſum putamus, nec hîc admittimus. *Multo aggere veſtiuntur.*] Iniecto inter trabes medias, & ſtipato. *Interualla grandibus in fronte ſaxis effarciuntur.*] Interualla nempe binorum pedum inter trabes ſingulas. Tanti igitur & ipſi lapides. *vt idem illud interuallum ſeruetur, neque inter ſe contingant trabes.*] Credo ſententiam eſſe, trabes non directè ſuperinſimas, ſed ad latera earum ſuper ſaxa poſitas fuiſſe: vt alternatim trabs, aut ſaxum eſſet.

* Penè fidem ſuperat. Quæ manus aut machina conſtruxit? Infrà iterat.

* Aldo Turres, & Portas: ſed ambiens circuitus ſic videtur.


* Notetur.

* Herodes.

Hoc


Hoc ideò, quia & elegātius firmiúſque opus: & quia negat *inter ſe trabes contigiſſe*. Pergit porrò: *Pluribus intermiſſa ſpatiis ſingula ſingulis ſaxis intercluſa.*] Sententiæ eiuſdem eſt, & docet teſſellatum quaſi opus fuiſſe. *Ab ariete materia defendit, quæ perpetuis trabibus pedes quadragenos.*] Eſt quod ſuprà dixit & repetit, *introrſus revinctas* trabes fuiſſe, ne reuelli aut repercuti de facili ex poſſent. Sed ait *pedes quadragenos plerumq, perpetuas trabes* fuiſſe. Perpetuas, meo dicto ſenſu ſuprà, integras ſolidáſque: & quidē ſelectā hac lōgitudine, vt murus latior eſſet firmiórque. At quidam hoc de *quadragenis pedibus*, ad ipſas reuincientes trabes ſiue fibulas referunt: quod mihi aliter viſum. Adnoto autē & inferiori æuo, muros videri ligneos in Galliā fuiſſe: cùm Sidonius, de vaſtatione Galliarū ſcribat, lib. VII. epiſt. I. *Vidiſſe ſe ambuſtam murorum faciem.* Alibi: *Fuiſſe inter ſemiuſtas muri fragilis anguſtias clauſum.* Vnde enim hæc *uſtio*, niſi ab igne, & in ligno? Niſi tamen *Sudium* & *Vallorum* coronas illas intelligit: quod in medio pono. L I P S. Cùm de Sudibus, memini legere in Suidâ de *Aceſſa*: nec ſatis ſcire, quò id traham. Verba: Ἄκεσσα, ῥωμαϊκόν τι μηχάνημα ἐκ δενδροτομίας πρὸς ἐρρωμενέστατα μεμηχανημένον· οἱ δὲ ῥωμαῖοι ξυνέθεσαν τὴν λεγομένην ἄκεσσαν τῇ ῥωμαίων φωνῇ. δενδροτομήσαντες γὰρ ἀλλεπάλληλα στοιχηδόν, τῇ ξυνθήκῃ κατασφηνώσαντες, ἀπετείχισαν, ὡς ἐκεῖ, τὴν ἔσοδον πορείας τῆς πόλεως: *Aceſſa, Romana machina, è lignis ſectis ad firmitatem exſtructum. Romani* (verba ſcriptoris alterius) *eam quæ Aceſſa ipſorum linguâ dicitur, fabricarūt. Sectis enim lignis, alternatim ea locantes & adæquantes, clauſerunt obſepſerúntque eâ parte aditum vrbis.* Sanè Romaniſſat vox, & videtur *Aceſſa* dicta, quia acceſſum aditumq; munit aut claudit. Quid tamē propriè? non Hercule *Aggeſtum*, vt deſcriptio hæc eſt: an *Sudetum*? an magis ad portas talia apponi mos? In Cæſaris I. Ciu. lego: *Aditus atque itinera duo, quæ extra vrbem ad portum ferebant, maximis defixis trabibus, atq; iis præacutis, deſigit* Pompeius. Frōtinus in eadem re: *Quoſdam aditus, qui ad portum ferebant, trabibus tranſmiſſis, & in denſum ordinem ſtructis, ingenti mole tutatus eſt.* Simile munimentum ad portum Xanthiorum fuiſſe, Appianus docet in Ciuilium quinto. Sed vltrà non te teneo. F V R. Nec volo: res & vox mea habent finem.

41



A. *Muri Vegetiani.* B. *Vitruvij.*

42



... ri Carthaginenſes, ex Appiano. D. Gallicani, ex Cæſare.

DIALOG. VI.

Qui, & vbi machinas fecerint, tulerintque.

LIPS. Billéhee, & tu noſter hodie rex Caronde-lete, ſermonibus iſtis ſit modus: pauſa interpo-nenda eſt, & vt ſic dicam, ſtrigandum. BILL. Non equidem teneo. & Sol ad meridiem abit: ſed vnum breue quæſitum lubido erat iniecisſe. Auſim Lipſi? LIPS. Lege dictâ, breue, & vnum. BILL. Non mutabo. De *Machinis & Tormentis* pleraque omnia dicta: nondum *à quo quibúſve, & vbi* ea ſunt facta. An in loco ſic ſubitò ſtruebant? an domo potiùs ſecum, & ex præparato adferebant? LIPS. Duo quæris, præter legem datam: ſed tu mihi eſto vel ſuper legem: dicam. Ad prius, aio, Milites ipſos pleraque fabricaſſe: ſic tamẽ, vt certi iis mixti, qui fabrilem omnem artem ſcirent. In Liuio, huic rei, lego: lib. I. Seruium Tullium regem, qui cenſum inſtituit, eundem *inſtituiſſe duas fabrûm centurias, quæ ſine armis ſtipendia*

A *facerent. datúmque munus, vt machinas in bello ferrent.* Quæ leuiter tamen ſuſpecta lectio. quid enim *ferrent*? ipſine ſuis humeris? haud potuit: dixiſſet, *veherent, curarent*, aut ad ſimile verbum, fertem. Sed profectò legendum ibi potiùs *facerent*: & hoc eorum munus, vt fabricarentur machinas, cùm iis opus. Aduoco Dionyſium, qui in ipsâ hac re *centurias duas* ὁπλοποιῶν καὶ τεκτόνων facit: id eſt qui *armorum fabri, itemque architecti* eſſent. Hi tales, & poſteà in exercitu: atque ij ſcilicet præformabant dirigebántque opera, etſi milites quoque vulgò adiutarent. Cæſar v. Gallicorum, cùm naues ſubitò reficiendæ eſſent: *ex legionibus fabros deligit, & ex continenti alios arceſſit.*

B Erant igitur per legiones ſparſi, atque aliter etiam militabant. His caput vnum, & operibus curator exactórque, qui *Præfectus fabrûm* in hiſtoriis crebrò nominatur. Eũ Plutarchus alibi ἔπαρχον τῶν τεχνιτῶν appellat. Hi igitur, cum validâ illâ manu militari, ſubitò opera pleraque deſtinabãt, & in loco faciebant. Vſi interdum & prouincialium auxilio, eorumque, ad materiem ſubuehendam, iumentis. Cæſar II. Ciuil. *C. Trebonius magnam iumentorũ atque hominum*

multitudinem ex omni prouinciâ vocat, vimina materiámque comportari iubet. Sed ferè, vt dixi, ad ſubuehendum: vix fuit vt inter opera militibus miſcerentur. quod autem ad *Iumenta*, in Plutarchi Sullâ etiam ſcriptum, cùm Athenas obſideret, & mirifica opera moliretur ad Pyræum: *decem millia iugorum mularium habuiſſe,* quæ ſupportarent ad hunc vſum. Sed & in agmine ac viâ horum opera, cùm machinas aliquas ſecum ferrent. Idem Plutarchus in Antonio notat, euntem ad bellum Parthicum, *ſecutas in * trecentis plauſtris machinas, idoneas ad vrbium oppugnationes.* Eodem illo tempore & *Arietem deuexit* L X X X. *pedes longum, quòd illa regio* (addit idem ſcriptor) *ſterilis talium eſſet, & materiem puſillam ferret.* Quâ ipsâ cauſsâ Cæſar iam in Africâ, *litteras in Siciliam nunciósque miſit, vt crates materiéſque congeri poſſet ad Arietes, cuius inopia in Africâ eſſet.* Ita Hirtius, in illo bello. qui oſtendit & antè tormenta, & talia quædam, conſulto aduecta: *Tormenta machináſque & aduexerat ſecum, & ex Siciliâ cum commeatu miſſa erant, & noua in armamentario, multis talium operum artificibus incluſis, fiebant.* Bello etiam Alexandrino, Cæſar *tormenta vndique conquiri, & frumentum mitti iubet.* Et ex eo mandato, paullò pòſt, *Legio* XXXVII. *ex dediticiis Pompeianis militibus, cum frumento, armis, telis, tormentis impoſita in naues* appulit. Quin & Ioſephus diſertè ſcribit, Veſpaſianum in Iudæam venientem, *habuiſſe in agmine ſuo machinas & tormenta, ciuitatibus expugnandis.* Conquiri igitur hæc talia & præparari interdum iamantè ſolent, alias non ſolent, & in loco, pro copiâ, parari. At ego, ô boni, ooo diutiùs ſedeo; & ſurgere decretum, etiamſi omnes teneatis. ORAN. Decretum? LIPS. Et quidem στωϊκῶς: ſcis quàm amem virilem eam ſectam. ORAN. Atqui de *Telis* totum reſtat. LIPS. Reſtet, poſteà videro: tu valetudinem hanc noſti? ORAN. Non tam commodam hercules, ac vellem. LIPS. Incommodiſſimam autem, cùm fatigatio aut fames acceſſit: nunc vtrumque. LAMPS. Latum tibi hoc ſcutum valetudinis: ſæpè & variè vteris. LIPS. Niſi facerem, non viuerem: ita multi, vt lacum, me & exhauriunt, & turbant. Sed heus tu ſile, & ſurge: & Theocritæum illud accipe,

——* πάνταντί γε μηδέποτ' ἀντῆς.

LAMPS. Sileo, & ne mentiar,

*Ο νοῦς μὲν ἐστὶ τῆς τραπέζης πλησίον.

* Numerum aduerte: ergo mulæ fuerunt.

* Eſurienti haud obuium eſſe.

* Hic animus in menſam magis nunc intentus.

IVSTI LIPSI POLIORCETICΩN SIVE DE MACHINIS, TORMENTIS, TELIS, LIBRI IIII.

DIALOGISMVS I.

Conuiuium, & in eo Apri, olim ſolidi: pluſcula in hanc rem dicta.

A ADHVC loquebamur, & ecce pueri qui nunciant menſam & cibos nos exſpectare. Surreximus, in cœnaculum iuimus, ducente Carondeleto, qui inquit: Amici, ego hic parari iuſſi ad illud Comicum,

Non ampliter, ſed munditer conuiuium.

Rure ſumus, & ſuaues etiam diuitibus interdum *Timoneæ* illæ *cenæ*. BILL. Non Timoneæ, ne dixeris: ſermones & lepôres condient: atque ego hanc malo, quàm omnem illam noſtram auitcam & purpuream vitam. Lauimus, ſedimus. Billehei puer adiitur, & ferinam obtulit incluſam, more noſtræ gentis, in pane. Suſpeximus, & Carondeletus: Tuus etiam B ſplendor & munificentia, Billehee, hîc nos deprehendit: fruemur, opportunum eſt donum. BILL. Exiguum, nec pro ſplendore illo priſco. CAR. Quo priſco? BILL. Romano, dico. qui non particulas has apri, ſed ipſos totos, ſollenniter apponebant. Nónne ita légi Lipſi? vos qui in libris eſtis, melius hæc ſcitis. LIPS. Tu quoque, etſi diſſimulas, cui nullum tantum negotium eſt (ò laudabilem morem!) quod planè abſtrahat à lectione. Reficis eâ exhauſtum actionibus animum, & pabulum hoc ſcientiæ & prudentiæ ei præbes. Sed de Apro, quod dicis, ita eſt: totos ſoli- C dóſque apponebant in vnam cænam. Suetonius in parcimoniâ & ſordibus Tiberij Imp. habet, quòd *dimidiatum aprum apponeret, affirmans eadem habere quæ totum.* Sed *totum* ex more oportuit: & ita Iuuenalis,

——quanta eſt gula, quæ ſibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum?

Plinius apertiùs, qui & originem rei ponit: *Solidum aprum primus Romanorum in epulis appoſuit P. Seruilius Rullus, qui Ciceronis conſulatu agrariam legem promulgauit. Tam propinqua origo nunc cottidianæ rei eſt.* Et addit, *rem cottidianam* ſuo æuo iam fuiſſe, & in communibus etiam epulis vſurpatam. Sed hoc ma- D gis mirum, quod ſequitur: *Et hoc Annales notarunt, horum ſcilicet ad emendationem morum, quibus notata quidem cenâ, ſed in principio bini pariter ternique mandantur apri.* Plures oſtendit ſimul appoſitos, binos ternóſque, & quamquam notata ea cæna & reprehenſa ſit, tamen factum. Is elici ſenſus è vulgatâ iſtâ poteſt: ſed videte ne verior lectio, *quibus ne totâ quidem cenâ.* Auxerit factum & indignationem, quòd tot apri nec in totam quidem cænam, ſed in partem eius, nec niſi principio apponerentur. Ita rem fuiſſe, vel ex Senecâ diſcamus. qui in epiſtolâ LXXIX. luxum ſui ſæculi caſtigans, & diſparitatem vitæ ſuæ ingerens: *Non iacebit in conſpectu aper, vt vilis caro, à menſâ relegatus.* Oſtendit, oſtenſum modò fuiſſe, & quaſi in pompâ illâ menſali traductum, ſtatim ſepoſitum & faſtiditum. BILL. Capiat me emendatio, & Plinij cetera verba inclinant: ſed res nónne arcet? B Eſtne credibile, tot apros ſimul, eóſque ſolidos? & vnde autem in tot cænas parandos? LIPS. Tecum ego hæc miror: ſed cùm boni fidique auctores aſſerunt, quid diffidam? In Athenæo lego, conuiuio Carani cuiuſdam celebri, *illatos apros Erymanthæos, eóſque argenteis venabulis transfixos, & in quadratis quibuſdam lancibus* SINGVLOS SINGVLIS CONVIVIS *appoſitos.* Primùm *Erymanthæos* facit, ne exiguos quoſdam aut porculos ſuſpicêre. tum, *venabulis transfixos*, quaſi non domeſticos, ſed in ſiluâ & venatu captos. Poſtremò, quod ad rem, *ſingulos ſingulis.* Nónne hoc paullò amplius, quàm in Plinio C *binos* dumtaxat *aut ternos*? Certè enim grandis ibi numerus conuiuarum. Iam, ne de Plinij æuo miremur, cùm luxuria in pleno ſuo regno: veteri magis, & ſub ciuilia bella, M. Antonius Triumuir, ſeptem aut octo apros in cænam vnam parat. Plutarchus huius rei teſtem dat & citat, auum ſuum Lampriam: quem ait ex Philotâ medico ſic audiſſe, qui *adoleſcens Veni*, aiebat Philotas, *Alexandriam, cùm Antonius illic cum Cleopatrâ ſuâ delectaretur. Audiebam de menſâ, de epulis: cupido me ſubiit coràm arbitrandi & videndi. Cùm ergo innotuiſſem vni ex Antonianis coquis, is me in culinam & in* D *vaſtam illam effrenam ciborum induxit. Vidi cùm alia multa, tum* APROS FEROS ASSARI OCTO. *Mira iis fui, & ad coquum, Ergóne hodie*

tam

* Qui ſolſtitiis ſere numerus in pleno triclinio.

A *tam frequentes conuiuæ apud Antonium? Ille riſit, &*
ò bone, inquit, conuiuæ non niſi * *duodecim erunt: ſed*
quia incertum, qua ipſâ horâ cœ-turus Antonius (cele-
riùs enim alias, aut tardiùs) id refert, vt apri calidi &
in vigore adferantur: atque ideo plures ſic aſſantur.
Ecce ingenium gulæ, & iactantiam! & tamen ex illis
octo, duos tresve in cœnam illatos, facilè perſuade-
mur. Atquin vnde habuerint, quæris. BILL. Meritiſ-
ſimò quæro. nec vllæ ſiluæ Europæ totius ſuerint ad
cotidianos hos apros. LIPS. Si feros ſemper & verè
ſilueſtres, tecum ſentio: ſed aliud etiam ingenium
gulæ vide. Commenti ſunt huic rei apros quoſdam
rure & in villis habere, quos fœturâ propagabant, &
ſaginabant deinde ad culinam. De talibus Iu-
uenalis:

Altilis, & flans dignus ferro Meleagri,
Fumat aper.

B Nota *Altilem*: atque ibi Scholiaſtes vetus, *Paſta, vel*
aprugna. Benè à paſcendo enim, hoc genus *Paſtos* vo-
cabant, & carnem ipſam *Paſtam*: voce quæ * hodie
in terrâ hac, pane clauſâ obtinet, nec peccem for-
taſſe, ſi hinc petam, Martialis:

* Belgis aliiſque Gallis Paſtea dicitur.

E cauea fugiat ne male PASTVS *aper.*

De hiſdè Seneca epiſtola CXI. *Animalia diu* PASTA
& coacta pingueſcere, & quæ vix ſaginam continent ſuã.
Oſtendit præpingues fuiſſe (vt ſolet id animal, in
ſomni & cibi copiâ) & magnitatique ponderis: imò
& *Milliarios*, vt appellabant. Idem Seneca, eâdem
epiſtolâ: *Non magnam rem facis, quòd viuere ſine regio*
apparatu potes, quòd non deſideras milliarios apros. Var-
ro de re ruſt. lib. III. *Num pluris nunc tu è villa natos*
illic verres lanio vendis, quàm hic apros milliarios Seius?
Nihil muto, etſi alij *macellarios* volunt: & tamen au-
C xeſin aliquam productionémque agnoſco, nec iuſte
fuiſſe mille librarum. Simile, quod in Plinio *Millia-*
riæ oleæ in Africâ appellantur, *a pondere* (vt ait) *olei,*
quod ferunt annuo prouentu. Hos in Palæſtra cibum
cepiſſe, Varro idem addocet: *Vidiſtis ad buccinam*
inflatam, certo tempore, apros & capreas conuenire ad
pabulum: cùm è loco ſuperiore in PALÆSTRAM *apris*
effunderetur glans, capreis vicia. Inde aper *palæſtrita*
Martiali:

——& concubinis
Partitur apri glandulas palæſtritæ.

Atque hi non in ſiluâ, ſed in culinâ cæſi. eóque fa-
cetè Seneca, de Breuitate vitæ: *Conuiuia mehercules*
iſtorum non inter vacantia tempora poſuerim, cùm vi-
deam quàm ſolicitè argentum ordinent, quam ſuſpenſi
D *ſint, quomodo aper à coquo caſus exeat.* quomodo exe-
at, è culinâ ſcilicet, & ſatiſne aſſus & calidus, & in
ſuâ *ἀκμῇ*. Et feri haud dubiè meliores. eóque Mar-
tialis in laudibus vitæ Ruſticanæ ponit:

Ibi illigatas mollibus damas plagis
Mactabis, & vernos apros.

ſi tamen mecum legitis: *& veros apros.* Illi enim do-
meſtici, vix legitimi: iſti è ſilua, germani & veri. Niſi
cui magis placet quod in Iunij vetuſto codice: *ver-*
nas apros, quaſi peculiares & in fundis ſiluiſque eius
natos. CAR. Gratia Billicheo, qui huc te traxit:
placent hi ſermones, & decent quoque in menſa.
Sed ſcire aueo, ſimpliciter ne aſſi hi apri, quod è di-
ctis obſeruaſſe videor; an aliter: & ritu hoc noſtro,
conditi? LIPS. Nil niſi de aſſis lègi, nec aliter opi-
nor. LAMPS. Mirum autem totos ſic, & tam pingues,
grandes, potuiſſe. LIPS Potuêre, ſed in longo fir-
móque veru aut *cuſpide*, vt Martialis appellat:

Parua tibi curua craticula fundet oſella,
Spumeus in longâ cuſpide fumet aper.

Fumare cum dicit, & in cuſpide: ergo aſſati. idque
de more. Hac mente & Iuuenalis ſuprà, *Fumat aper*:

A & Plutarchus clarè, vt audiſtis. Ponebantur au-
tem in grandibus quadratiſque lancibus (ex Athe-
næo) & pomis, glandibus, aut ſtrue tali fructuum,
cingebantur. Quid vt indicaret? captos in ſiluis eſſe?
an ſtragem hanc talem dediſſe? Verba quidem Se-
necæ, De Prouidentia cap. IV. *Ingentis pomorum*
ſtrue cingeret primæ formæ feras, captas multâ ſtrage ve-
nantium. Sed verba ambigua. cùm quibuſdam li-
bris, *augeret* legatur, non *cingeret*, quod alio torſum
tunc traxerim, & infarctos apros capiam, ad augen-
dam ſpeciem ac molem. Talis in Athenæo *ſus aſſus,*
cuius venter ficedulis, turdis, ouorum vitellis, & id ge-
nus edulus, plenus eſſet. Sed & nunc in porculis aſſis
(qui vicem aprorum manſêre) farcto hoc pomo-
rum, aut caſtanearum gaudemus. Sed & crudo
pomo in os inſerto, inſignimus. Pro vulgata ſcriptura
tamen, exemplum de Squilla, in Iuuenale:

B *Quæ fertur domino ſquilla, & quibus vndique cincta*
Aſparagis?

Secundum hos ſermones, alij pluſculi fuerunt, &
varij; ioculi, ſerii, plerique oblectantes. Et noſter
Furius, Heus Lipſi, inquit, viuamus, imò & bi-
bamus.

--recepto Dulce mihi furere eſt amico. Horat.

LIPS. Pro nomine hoc tuo ſit, an etiam decoro?
Sed tu, quod dicis & audis, minimè omnium mor-
talium facis. ORAN. Imò pro decoro. quidni in
conuiuio? & inter tales? quorum mens niue candi-
dior, & cryſtallo purior, nec ſuſpicatur, nec luiet.
Denique quo fine huc venimus? iocandi. Curæ &
ſeria domi eſſe, cras vos recipiam. ADAM. Amo te
Orane, quis ſcit, quàm diu licebit? Imò non diu lice-
bit, & alius aliò diuellemur. Ego ad meos, alius ad
C manes: fortaſſe & ego. ò ancipitem & anxiam ſem-
per noſtram ſortem!

Quapropter edulcare conuenit vitam,
Curaſq́ acerbas ſenſibus gubernare.

vt poëta ille ait. Age, bibe hoc Lipſi: en exemplum.
LIPS. Sed cum affuſa aqua. FVR. Minimè. non
amamus nymphas, & lege vetamur. LIPS. Mihi fas
& ius, vel ob vnas Spadanas. O illa ſalutifera! quòd
ſpiro, quòd ambulo, quòd ſcriptito, huic acceptum
refero.

Quas tibi grates	*Ego te verſo*
Nympha reponam?	*Ego te prorſo*
Quas mea Muſa	*Carmine dicam:*
Et Genius dabunt.	*Et te numeris,*
D *Donec ſpiritus*	*Et non numeris,*
Hos reget artus,	*Collaudabo.*

DIALOG. II.

Ad Tela ventum, & de Fundis primò dictum. Inuentio, forma, excuſſio.

SVAVITER hæc & talia fabulati ſurreximus,
& viſum conſenſu prodeambulare. Iuimus extra
hortum ac Pratorium, & proceſſimus in ripa ſecun-
dùm flumen. Lipſi, inquit Furius, ego & Oranus
vos ſiſtimus: curiuſius ſectæ potius, quàm peripa-
teticæ ſumus. Sedendum eſt, ſudare incipio. LIPS.
Imò & vobis exercitium magis conueniat, eamus.
FVR. Non imus, ſedemus. ecce hîc ſub hac querc-
cu, vmbroſum eſt. BILL. Placet Lipſi, aſſideamus.
FVR. Auris tuæ operam poſco Billichee, inclina.
BILL. Habes, hem: iam teneo, nemini ein mones.

Enimuerò Lipſi,cùm ſic ſedimus, & ventrem habemus farctum,tamen aures vacant,& appetunt guſtatam illam dapem. LIPS. Quam? etſi propemodum ſcio quid agatis. O Furi,Furi. BILL. Reliquum illud matutinæ epulæ, *de Telis*. Nónne res & fides tua exigunt? illa manca eſt, niſi adiicis; tu infidelis, niſi promiſſum præſtas. LIPS. Amici, non vos fallam, dirigere poſſum, dicere non poſſum: vtique nunc à cibo. An non medici & valetudo vetant? CAR. Vetant, & ego tuus ductor, etiam hîc eto tutor: Affatim ſatis, ſi præis alicui dicturo. LIPS. Liberaliter hoc fiet:& ius ergo mihi partes adſignandi? CAR. Per me ius,& Billeheus adnuit. FVR. Etiam ego: cum lege, vt eximii ſint, qui operam iam nauarunt. LIPS. Neſcio, videbo: hoc agite. *Tela*, quorum in oppugnando aut repugnando vſus, duplicia ferè: *Lapides*, aut *Ligna*. Illos dupliciter iterùm mittebant, aut *Manu*, aut, *Funda*. De manuario iactu, parùm eſt,& natura ac mos docent: nec moneri aliud opus, quàm pleroſque veterum vſurpaſſe. Sed de *Funda*, is accuratior,& explicandus eſt. à quo? nam circumſpicio: à te Lampſoni. LAMPS. Quid in me tibi placuit? LIPS. Corpus ſtrictum, agile, manus mobilis (in ſtilo ſumus:) & planè bonus es pugnare funda. LAMPS. Etſi parùm honeſtum hoc telum bonis; tamen quò me tranſcripſeris Imperator, eo & pareo ac dabo operâ, vt vel imum ordinem honeſtem. LIPS. Placet obſequium, perge. LAMPS. Vt à nomine ordiar, *Funda* Latinis dicta, *quòd ex ea fundantur lapides*, ait rectè Iſidorus. De inuentione variant. & Plinius Phœnicibus tribuit, Strabo Ætolis. Pro Strabone Pollux videatur, qui Acarnanibus aſſignat:& Thucydides etiam de iſtis, libro II. σφενδονᾶν δὲ ἀκαρνᾶνες κράτιστοι σφενδονῆται εἶναι: *videntur Acarnanes optimi funditores*. Et ſanè Acarnanes finitimi Ætolis. At pro Plinio, communis opinio. & Vegetius: *Fundarum vſum primi Balearium inſularum habitatores & inueniſſe, & peritè exercuiſſe dicuntur.* Quin Diodorus Βαλιαρεῖς ἀπὸ τοῦ βάλλειν τοῖς σφενδόναις: dictos putat: *Baliares, quòd fundis iaciant.* Hæc, dico, pro Plinio. quid ita? quia ipſi Phœnices olim ibi coluerunt,& artem intulerunt. Ipſe Strabo tranſire huc videtur, libro III. Σφενδονῆται, inquit, ἄριστοι λέγονται. καὶ τοῦτ' ἤσκησαν, ὥς φασι, διαφερόντως, ἐξ ὅτου Φοίνικες κατέσχον τὰς νήσους. *Baleares optimi funditores habentur, & hoc maximè exercuerunt, vt fama eſt, ex quo Phœnices inſulas eas obtinuerunt.* Sanè, quod ad præſtantiam, plurimi iis teſtes. Florus, libro III. cap. VIII. *Tribus quiſque fundis præliantur. Certos eſſe quis miretur ictus? cùm hæc ſola genti arma ſint, & vnum ab infantiâ ſtudium. Cibum puer à matre non accipit, niſi quem ipſa monſtrante percuſſit.* Ait primùm de tribus fundis. Vbi cæ? in capite omnes, ſi Straboni credis. Σφενδόνας, inquit, τρεῖς περὶ τῇ κεφαλῇ ἔχειν. τὴν μὲν μακρόκωλον, πρὸς τὰς μακροβολίας. τὴν δὲ βραχύκωλον, πρὸς τὰς ἐν βραχεῖ βολάς. τὴν δὲ μέσην, πρὸς τὰς μέσας. *Tres fundas circum caput habent. vnam longioribus habenis, ad longiores ictus; alteram breuibus, ad breuiores; tertiam mediis, ad medios.* De diſcrimine & cauſſâ, benè & verè: ambigo an de poſitu. & an non meliùs Diodorus, qui diſponit *vnam circa caput, alteram ventrem, tertiam in ipſa manu?* Commodius hoc videatur, aptiuſque. Et de capite, non nouum: cùm etiam Mardis, genti Perſicæ, ſimile Curtius ſcribat factitatum. *Funda vinciunt frontem. hoc & ornamentum capitis, & telum eſt.* Sed fundâ, non fundis. & vidi imaginem in columnâ veteri Antonini, in qua Balearis capite, & ventre, & humeris eam geſtat. Sed addit Florus de petitâ, & de cibo. Ipſa illa Diodorus, & Strabo, & Lycophron pluſculis verſibus, atque ad eos Tzetzes. Quid opus apponere, cùm de re

Lib. III.

conſtat? Magis materiem & formam fundæ quæramus: etſi materiê Strabo propè ſuggerit, & fuiſſe ait μελαγκρανίας, ἢ τριχίνας, ἢ νευρίνας: *aut è melachranâ, aut è pilis, aut neruis.* Triplex igitur materies. prima Melanchræna, quid fuit? ſpartum, opinor, & hoc ſic nominat: cuius copiam in Hiſpania fuiſſe, omnes ſcimus. Plinio quidem *Melancranis* eſt ſpecies *iunci acuti*, & Heſychio μελάγκρανις, ὀξύσχοινος: quid aliud ſpartum? atque eo nomine linum aut cannabin etiã cõprehendo. De lino, in Vegetio mox audies: de cãnabi eſt in Suidâ: ἡ γὰρ σφενδόνη ἀπὸ καννάβεως γίνεται: *Funda enim e canabi fit.* Totum hoc genus Virgilius tangit:

Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ.

Altera materies, pili. & hanc priori, de quorumdam ſenteotiâ, Vegetius antefert: *Funda ex lino, vel ſetis facta. has enim dicunt eſſe meliores.* Tertia materies in Strabone, nerui. nec exempla reppeti alibi, etſi ratio non abdicit. Accipite nunc formam, quæ in monumẽtis obuia, nec aliud eſt, quàm funiculus in medio latior, ouali formâ & paullatim in ſtrictius abit. An non cauitas & foramen in medio? non opinor. Etſi in Ciceronis tamen * verſiculo eſt.

* Apud Quintil. lib. IX.

Fundum Varro vocat, quem poſſis mittere fundâ,
Ni lapis exciderit, quà caua funda patet.

Sed intellegit cauam fundam, ſic manu ſtrictam; & quod patet in eâ, eſt ipſum latus. Sententia etiam Varronis, poſſe meritò fundum vocari (totum illud, quod agro & ædificio conſtat) qui tam grandis, vt fundæ iactum æquet. Is autem modus eſt ferè *ſexcentorum pedum*, quod in Vegetio clarè ſcriptum. Sed de formâ, Dionyſius Alexandrinus hanc terram noſtram comparat cum fundâ, hiſce verſibus:

Οὐ μὴν πᾶσα διαπρὸ περίδρομος, ἀλλὰ διαμπὰς
Ἐύτομος βεβαυῖα πρὸς ἠελίοιο κελεύθους,
Σφενδόνῃ εἰοικυῖα.

Quos Rhemmius Fannius benè & ſcitè olim vertit:

Non tamen aſſiduo teres vndique margine circum
Clauditur hæc, biſido ſed brachia litore pandens
Arctatur rapidos curſus ad Solis vtrimque,
Aſſimilis fundæ.

Nec alia mens, quàm τὴν γῆν (Euſtathij interpretis verba) ἐφ' ἑκάτερα ἀρμόζειν, ἐπὶ θάτερα δὲ καθ' ὁμοιότητα τῆς περιβολῆς σφενδόνης συνάγεσθαι εἰς ὀξύτερον: *terram ad latera latiorem eſſe; in partes ſuperas & imas, ad ſimilitudinem fundæ quæ lapides iacit, arctari & conſtringi.* Talis enim illa antiquis nota, etſi hodie nauigatio aliter oſtendit. At medium & fundus, vt ſic dicam, fundæ, circinat: eóque Statius reſpexit:

———*teretes pars vertere fundas*
Aſſueti, vacuóq; diem præcingere gyro.

Ideò enim *teretes*: ſiue etiam ratione rotationis in iactu. Nam rotabant circùm caput, & vices ita dabant: ter, vt videtur, ex arte aut more. Virgilius de Mezentio:

Ipſe ter adducta circùm caput egit habena.

Statius, libro I.

Terq; leui ducta circùm caput altius habena
Permiſſum ventis abſcondit in aere telum.

Vegetius tamen abnuit de ternario, & ſimplicem numerum præfert. *Semper adſueſcendum eſt*, inquit, *vt ſemel tantùm funda circùm caput rotetur, cùm ex eâ emittitur ſaxum.* Sed de ſaxo diſertè addit, numquid aliter in glande? non eſt ratio. Certè & Achilles apud Statium, vbi gloriatur hæc & illa ſe didiciſſe, II. Achill.

--& flexa

——— *& flexa Balearicus actor habena,*
Quo ſuſpenſa trahens librares vulnera tortu,
Incluſum quoties diſtringeret aera gyro.

dat intellegi, ſæpiùs intortam fundam, & variè pro deſtinatione iactus. Sed iamnunc tetigi, duo fundis miſſa, *Lapides & Glandes*: id quoque docendum eſt, nequid de his fundis ſine auctore & fundo. Quod ad *Lapides*, eſt in Diudoro libro v. τὰς βαλιαρεῖς βάλλειν ταῖς σφενδόναις λίθους μεγάλους κάλλιστα τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων: *Baleares fundis lapides magnos iacere, optimè omnium mortalium*. Sed quàm magnos? in Suidâ ſcriptor aliquis exprimit: οἱ τῶν βαλιαρίδων νήσων σφενδονῆται μναιαίους λίθους ἔβαλλον: *Balearii inſularũ funditores lapides minæ pondere iaciebant*. Intellegit Minam Atticam, quæ eſt drachmarum centum. Huc quadret, quod in Cæſare habes, *Fundas librales*: ſi tamen ita legis. Ad hos igitur lapides, & vt frequentare ictum poſſent, ſacculos pelliceos ferebant iis impleudos. Xenophon libro v. Anabaſ. παρήγγειλε τοὺς γυμνῆτας λίθων ἔχειν μεστὰς τὰς διφθέρας: *Inſſit funditores lapidum plenos habere ſacculos*: inſtante ſcilicet iam pugnâ. Sed & Strabo ſcribit, in ſingulare certamen Pyræchmam Ætolum, cùm recens funda tunc inuenta eſſet, veniſſe μετὰ σφενδόνης, καὶ πήρας λίθων: *cum fundâ, & perâ lapidum*. Ita igitur ferebant, & magis expeditè, quàm (quod in lapidibus tamen video) vt ſinu etiam præ ſe ferant. Telum alterum, *Glandes*: atque eæ è plumbo, ideò μολυβδίδες Græcis, & *Plumbea* ſimpliciter Spartiano. Iungit vtrumque Salluſtius: *Pars eminus glande, aut lapidibus pugnare*. Vti & Liuius, libro XXXVIII. *Conſul ingentem vim ſagittarum, glandiſque, & modicorum qui fundâ mitti poſſent lapidum, parauerat*: parauerat nempe contra Gallos. quia reuera leuia hæc omnia tela, bona in pugnatores cominus validos, præſertim non ex tuto armatos. *Sphærulas*, iſtas appellat ſcriptor incertus apud Suidam: Οἱ καρδοῦχοι σφενδονῆται ἄριστοι λίθοις τε καὶ μολυβδίναις σφαίραις, ἃς ἐξακοντίζουσιν ἐπίσκοπα: *Carduchi optimi funditores lapidibus & plumbeis ſphæris, quas eiaculantur certò & deſtinatò*. His inſcribi aliquando ſolere, & occultè ſic ad hoſtem mitti, memini legere. In Hirtio, de bello Hiſpanienſi: *Per idem temporis glans miſſa eſt inſcripta, quo die ad opidum capiendum accederent, ſeſe ſcutum eſſe poſituros*. Appianus ad iſtam rem, teſſeras quaſdam plumbeas adhibet. cùm narrat in Mithridatico, ſeruos duos, Athenis à Sullâ obſeſſis, omnia quæ gererentur, hoc dolo ei perſcripſiſſe (ποιεῖν, inquit, ἐν μολύβδοις πεπομένοις ἐγγράφοντας) *& in teſſeris plumbeis, fundarum iactu deinde miſiſſe*. Tangit hoc iterum Hirtius dicto libello; *Indicium glande ſcriptum miſit, per quod certior fieret Cæſar, quæ in opido ad defendendum compararentur*. Reuera autem non iſtæ communes Glandes fuerunt, ſed tabellæ magis productæ, & huic rei aptatæ. Atque hæc Funda, eiuſque tela: quæ non temerè variis gentibus in vſu, quia prompta, iteratu facilis, tum etiam quia longè & fortiter feriret. * Exempla ſiue teſtimonia plura ſunt: recenſeo nunc hoc Vegetij, lib. I. cap. XVI. *Sæpe aduerſum bellatores caſſidibus, cataphractis, loricisque munitos, teretes lapides de funda vel fuſtibalo deſtinati, ſagittis ſunt omnibus grauiores: cùm membris integris lethale tamen vulnus importent, & ſine inuidia ſanguinis, hoſtis lapidis ictu intereat*. Oſtendit per ipſa arma interfeciſſe, etſi, vt ait, ſine ſanguine: quia contuſio plerumque & confractio ex ictu lapidis. Sed ipſe de *lapide*: *glans* profectò penetrabat. & Liuius indicat libro XXXVIII. cùm Gallogræcos maximè his telis victos à Manlio oſtendit: Præmittit, eos *patentibus plagis non tam moueri, ſed ubi cum aculeus ſagitta, aut glandis abdita introrſus, tenui vulnere in ſpeciem, vrit, & ſcrutantes qua vellant, telum non ſequitur, tum in rabiem & pudorem tam parua perimentis peſtis verſi, proſternunt humi corpora*. Quod cùm ita ſit, telum tamen hoc, vt initio tetigi, parum honeſtum habitum, & iunioribus aut vilioribus aſſignatum. Quin Xenophon refert, VII. Pædias, *Cyrum, cùm Lydos deuiciſſet, iuſſiſſe fundis exerceri*: νομίζων, inquit, τοῦτο τὸ ὅπλον δουλικώτερον εἶναι: *exiſtimans hoc telum ſeruile quiddam eſſe*. Itaque ipſi Romani rarò vſi, niſi per Auxilia habebant.

*Vide lib. v. de Milit. Dial. vii.

DIALOG. III.

Triplex aliud genus Fundæ explicatum.

ATQVE hæc eſt communis illa funda, & vulgò in vſu: etſi diſtinctas quaſdam ſpecies etiam lego, vt *Achaicam, Ceſtroſphendonem, Fuſtibalum*. Rei tot clarandæ, & hæc addam. De Achaicâ igitur fundâ, in Liuio ita eſt, lib. XXXVIII. *Sumei in Græciâ à M. Fuluio oppugnabantur. cùm ſæpe erumperent, vna ad coercendos inuenta haud magna memoratu res eſt. Centum funditores ab Ægio, Patris & Dymis acciti. à pueris ij more quodam gentis, ſaxis globoſis quibus fermè arena immiſtis ſtrata litora ſunt, fundâ mare apertum inceſſentes exercebantur. Itaque longiùs certiùsque, & validiore ictu quàm Balearis funditor, eo telo ſunt vſi. & eſt nõ ſimplicis habenæ, vt Balearica & aliarum gentium funda, ſed triplex ſcutale crebris ſuturis duratum, ne fluxâ habenâ volutetur in iactu glans, ſed librata cùm ſederit, velut neruo miſſa excutiatur*. Et monet primùm, laudatus iſtos funditores, *Ægio, Patris, Dymis accitos*: id eſt ex Achaiâ, quæ gens hac laude clara. Suidas hoc illuſtret, & illuſtretur: Ἀχαϊκὸν βέλος, ἐπὶ τῶν εὐστόχως βαλλόντων. κράτιστον πάντων ἐπιτηδειότατόν ἐστι τὸ τοιοῦτον βέλος: πρὸς πολιορκίαν, τὸ τῶν ἐξ Ἀχαΐας τῶν σφενδονητῶν βέλος. *Achaicum telũ. de iis qui peritè & feliciter iaculantur. quoniam optimũ inter omnia aptiſſimumque ad obſidiones eſt tale hoc telum: dico telum funditorum ex Achaiâ*. Addit Liuius, *longiùs certiùs, validiùs* iaculatos, quàm Baleares: quod notetur ad vim teli. Deſcribit deinde, & ait, *non fuiſſe ſimplicis habenæ*: id eſt, non ex vno ſimplicique fune. Nam id *Habena* eſt, vt in exemplis ſparſim licet videre: Græcis κῶλον. Suidas: κῶλα, τὰ τῆς σφενδόνης ἑκάτερα μέρη: *Cola fundæ vtrimque membra ſiue partes*. Ammianus id *Amentum* dixit, lib. XXXI. *Res Romana ſtetit ſuperior, nullo fermè alio telo, vel funda amento, incaſſum excuſſo*. Pergit Liuius, *triplex ſcutale*.] Quid ſit, diſputant. Glareanus de *Scytale* ſuſpicatur, & ſic reſcribit: fruſtrà, cùm iam olim Priſcianus locum hunc ita laudet. Alij fundum, vt ſic dicam, fundæ, & reticulatum illud, quaſi ſcutulis (inquiunt) diſtinctum. Mihi cùm preſſiùs examino, non aliud *ſcutale*, quàm habena fundæ videtur. Quid enim ea verba volunt, *non ſimplicis habenæ* eſſe, ſed *ſcutali triplici*? Fallor, aut pro habena, habet, ac miſcet. an ideò, quia pars ea fundæ, cui lapis imponitur, quaſi ſcuti formam palàm refert? Ergo *Scutale*, quod ab ea dependet: fortaſſe, quòd ipſa Scuta loris reuincire ſolent, quæ ὄχανα Græci vocant. Dixerit ergo Liuius, iſtam Achaicam triplici habena aut colo fuiſſe: ſiue diſtinctè triplici; ſiue iunctim & conſertè ad robur. Ita & *Scutale* pro Scutulo aliquis retineat: & ex conſequenti,

tripli-

A triplicem habenam addat. At eum mimis & Balearica, ſimplicem modò habuit. Sed dicatur: Lycophron ttóone de Balearibus ſeribit,

Τριπλαῖς δικώλοις σφενδόναις ὡπλισμένοι;
Fundis tribus reuinctis ſunt bimembribus:

Bimembres ecce, ſiue duplici habena eas vocat; non ergo ſimplici. Reſpondeo. alio id ibi ſenſu eſſe, & funem quidem vnum, ſed videri & nunc capi vt duplicem à poëta, quia geminatur ſtricta & adducta ad iactum. Expande, ſimplex rurſum erit. De Achaica hæc noui: *de Ceſtroſphendone*, eſt in eodem Liuio, lib. XLII. *Maximè Ceſtroſphendonis vulnerabantur Romani. hoc illo bello* (cum rege Perſeo) *nouum genus teli repertum eſt. Bipalme ſpiculum haſtili ſemicubitali inſixum erat, craſſitudine digiti: huic ad libramen pinnæ tres, velut ſagittis ſolent, circumdabantur. Funda media duo funalia imparia habebat: cùm maiore ſinu libratum funditor habena rotaret, excuſſum velut glans emicabat.* Tenebroſa deſcriptio, & niſi aliunde lucem accipit, diu talis. Sed iuuat, aut potiùs diſſipat nubem, quod in Suida ſuper hac re legi. Nam apud eum aliquis (an non Polybius? puto, ipſe) aliquis dico ſcripſit ita: Κεστρός. ξένον ἦν τοῦτο τὸ εὕρημα κατὰ τὸν Περσικὸν πόλεμον. τὸ δὲ βέλος τοιοῦτον διπάλαιστον ἦν, ἴσον ἔχον τὸν αὐλίσκον τῇ προβολῇ. τούτῳ ξύλον ἐνήρμοστο, τῷ μὲν μήκει σπιθαμιαῖον, τῷ δὲ πάχει δακτυλιαίαν ἔχον διάμετρον. εἰς δὲ τοῦτο τὸ μέσον ἐσφήνωτο πτερύγια τρία ξύλινα βραχέα παντελῶς. τούτου δυεῖν κάλων ἀνίσων ὑπαρχόντων τῆς σφενδόνης, εἰς τὸ μέσον ἐναγκυλίζετο τῶν *κάλων εὐλύτως. λοιπὸν ἐν μὲν τῇ περιαγωγῇ τεταμένων τούτων ἔμενεν. ὅτε δὲ παραλυθείη θάτερον τῶν κάλων κατὰ τὴν ἄφεσιν, ἐκπεσὸν ἐκ τῆς ἀγκύλης καθαπερεὶ μολυβδὶς ἐκ τῆς σφενδόνης φέρεται, καὶ προσπεσὸν μετὰ βιαίας C πληγῆς, κακῶς διετίθει τοὺς συγκυρήσαντας: *Ceſtrus. nouum hoc inuentum bello Perſico. Ipſum ſpiculum bipalme fuit, tubulum habens æqualem mucroni. Huic haſtile ligneum inſertum erat longitudine ſpithamæ menſuram æquans, craſſitie digiti. In huius medium tres pinnulæ ligneæ infigebantur, planè breues. Hoc in fundâ, quæ duo funalia imparia habebat, in medio vtrorumque, amento leuiter & vt ſolui poſſet ligatum, impenebatur. Tum igitur in circumactione fundæ, intentis funalibus manebat; cùm verò alterum ſolueretur in emiſſione, excidens amento ſuo, velut glans è fundâ, ferebatur, & cum impetu incidens, quidquid incurriſſet, validè lædebat.* Ita Polybius deſcribit, & ex eo non dubiè Liuius noſter, de ſuo more. Con- D feramus inter ſe paullùm & componamus, ad rei lucem. Ait Liuius, *Ceſtroſphendonem* hoc telum dictum: rectè. etſi in Suidâ, pars vna vocis modò eſt, *Ceſtrus*. Atqui ſolitaria ea, non niſi *veruculum* & breue telum notat: compoſitio Liuiana mixtum hoc complectitur, & ceſtrum è fundâ miſſum. In Plutarchi Sullâ lêgi βαλλοσφενδόνας: neque ſcio an idem hoc genus ſit. Videatur. niſi ſi eâ voce *tela* intellegit *amentis religata, eáque velut fundis emiſſa.* Ait ampliùs Liuius, bello cum Perſeo rege Macedonum, id repertum: ergo is eſt Polybij πόλεμος Περσικὸς, *bellum Perſicum*, ne quis aliò ducat. Iterùm Liuius, *bipalme ſpiculum*: quod in Polybio διπάλαιστον. ergo palmus minor (id παλαιστὴ) intellegendus, qui eſt digitorum quattuor. Sed in Græco hoc diſtinctiùs additur, ipſum mucronem palmi fuiſſe, auliſcum ſiue tubum item palmi. Mox in Liuio, *Haſtile ſemicubitale*: in Polybio, σπιθαμιαῖον, qui ſunt digiti duudeni. Cùm igitur cubitus communiter dictus ſit ſeſquipes, ſiue digiti vigintiquattuor: rectè Liuius *ſemicubitum* vertit. Atque hic eſt *Palmus maior*, ſiue *Dodrans*: ita in toto telo digiti *viginti*, id

A eſt, pes & quadrans. Adduntur deinde *pinnæ tres*: ſed ex ligno, quod Græcus monet, ne aut pluuiâ ſcilicet, aut in valido circumactu violarentur. Illæ ipſæ ligneæ, iuuabant tamen faciebántque ad volatum & directionem. Mox etiam: *Funda media, duo funalia imparia* habet. Quæ eſt funda hæc media? ipſum fundæ medium: id eſt latus illud, cui telum ſedet. Imparia autem funalia habuit, (ſiue habenas, vt diximus, aut κάλων) vtrimque duo: cur imparia, & quo ſitu? Credo, ob teli mutati modum ita factum. quod, ne excideret in circum actu, ſedem paullò maiorem voluit, eámque aptam excuſſioni. Eſto igitur fundus latior, duo funes vtrimque contineant: ſed prior, & vbi ferrum eſt, paullò longior latiórque, ſtrictior & breuior poſterior ille, vbi pinnæ. An hoc modo vult, vtrimque vnum fuiſſe, ſed alterum breuiorem? Neque nego natare me in his B talibus, quæ vſu abierunt, & vſu ac periculo tamen conſtant. Extremum in Liuio, *Cum maiore ſinu libratum*. quod eò obſcuriùs, quia nihil tale in Græco. Hadr. Turnebus vir laudatiſſimus, libro XXX. cap. XXXII. vult fuiſſe duas fundas & duplicem ſinum, ſed inter ſe eas nexas: & in maiore libratum telum. Ipſum videte. Ego vix aſſentior, nec video cui vſui duplex hic ſinus, vtique ſi in altero modò telum. Quin ſententia ſimpliciſſima ſit, *maiore ſinu libratum*, quàm vulgatæ fundæ habere ſolent: ex comparatione maiorem dico, non quia ibi duplex. Nec plura Liuius. qui neglegenter (vt aliis etiam ſolet) totum hoc de Amento omiſit, quo telum vtiliter alligatum: tum ne caderet in rotatu, tum vt violentiùs emitteretur. At Polybius diſertè, & bis, hîc expreſſit; monuitque amentationem illam in medio duo- C rum funium factam. Hæc mihi viſa ſuper *Ceſtroſphendone*, vobis intentiùs videnda. Ternum erat, *Fuſtibalus*. Vox eſt noui in æui, neſcio an res ipſa. Appellant ita, fundam fuſti alligatam, quo incuſſo lapidem ſcitè & robuſtè emittunt. Vegetius deſcribit, lib. III. cap. XIV. *Fuſtibalus*, inquit, *fuſtis eſt longus pedibus quattuor, cui per medium ligatur funda de corio, & vtraque manu impulſus, propè ad inſtar onagri dirigit ſaxa.* Et qui eo vtuntur, ſunt eidem Vegetio in melioribus libris *Fuſtibalatores*: non ſanè *Fundibulatores*: & *Fundibalus* diuerſus eſt, vt Furius * ſuprà dixit. Hoc genus an veteribus in vſu, quæri poteſt: puto equidem fuiſſe. Ex Feſto: Librilia appellantur, *inſtrumenta bellica, ſaxa ſcilicet ad brachij craſſitudinem, in modum flagellorum loris reuincta.* Videtur hoc eſſe, quod Vege- D tius expoſuit, aliâ voce. *Librilia* enim tunc dicebant. & ſic libri ſcripti in Cæſare, vtr. Gallicorum: *Fundis, librilibus, ſudibúſque*. vbi alij iunctim legunt, *Fundis libralibus*, quaſi eas dicat, quæ lapides libræ pondo emittant. At malo *Librilia* diſcretè: & fortaſſe inde *Libratores*, qui vtuntur. Tacitus II. Annal. *Senſit dux imparem cominus pugnam, remotiſque paullùm legionibus, funditores libratoréſque excutere tela, & proturbare hoſtem iubet.* Nam ait eos *excuſſiſſe tela*, quod profectò in lapides manu ſulâ iactos non quadrat. Iungit iterum idem cum Funditoribus, XIII. Annal. *Libratoribus funditoribúſque attributus locus, vnde eminus lapides ac glandes torquerent.* LIPS. Cetera haud damno, Lampſoni, in Feſti *Librilibus* hæreo. Nam ecce *loris reuincta, in modum flagellorum*: videturque emiſſum telum fuiſſe, & reductum. Tale aliquid in monumento Antonini obſeruo, & lapidem aut ferrum catenæ illigatum, quæ ſtipiti deinde nexa. In Cæſaris tamen verbis (ſi vetus recta lectio) longinquum, non propinquum id eſt telum. Multa ſanè hîc coniecturalia, vt verbo vno dicam. Ad manuarios etiam lapides cur non aliquis aptet, qui in vſu

*Poſſis & κώλων.

*Dial. de Balliſtâ.


vulgò? Vegetius, libro II.cap.XXIII. *Sed & manu ſolâ milites meditabantur libralia ſaxa iactare, qui vſus paratior creditur, quia non deſiderat fundam.* Atque vides, ſaxa etiam *libralia* agnoſcit; vnde nonnemo ſcripturam vulgatam Hirtij tueatur. Vetus autem hoc de manualibus lapidibus, & quid niſi naturâ duce? Imò ſimpliciſſimum eſt inter arma. Liuius claſſi quartæ cùm *haſtam & verutum* aſſignaſſet; quintæ & infimæ dat *lapides miſſiles fundáſque*. Manu nempe miſſiles, & ideò ſic diſcernit. Apud Thucydidem ſimilis diſtinctio, libro VI. καὶ πρῶτον μὲν αὐτῶν ἑκατέρων οἵτε λιθοβόλοι καὶ σφενδονῆται καὶ τοξόται προὐμάχοντο: *Et primùm quidem vtrimque & qui ſaxa manu, & qui fundis iaciebant, itémque ſagittarij, propugnabant.* Xenophon V. Anabaſ. λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ ἐκ τῶν χειρῶν λίθοι: *Lancea, ſagitta, funda, plurimi manuales lapides.* Ipſi equites etiam alibi, in Cæſare, Lapides manu mittunt. Itaque tu atque iſti, Lampſoni, cogitate. LAMPS. Nihil vltrà ego. leuia hæc arma leuiter tracto atque habeo, & vt ſolent iuſſi.

Vide Notas.

43



Lubet his addere, Lector, formam faciemque Glandium, quæ aliquot nuper repertæ ſunt prope Aſculum, in flumine Triunto. Ferè trilateræ ſunt, & gibboſæ, & ad veram magnitudinem hîc expreſſæ: quædam rotundæ magis, & oblongæ, vt vides. Vides & inſcriptiones, vnam Imprecationis; alias neſcio an Legionum, an belli *Italici* vel Gallici indices, vt illa *Fugitiuorum*, aut *Seruilis*.



DIALOG. IV.

Iaculorum diuiſio, & genera. Sudes, Faces, Præpilata, Lanceæ, & adiuncta.

SEO iam an non munus meum impleui Imperator? LIPS. Impleſti, abi, in hunc diem immunis eſto. Succede tu Adame noſter, & de *Iaculorum ligneorum* genere (nam ea ſequuntur) nobis edisſerta. Audis? ADAM. Verecundia me cunctari facit, & imperitia. LIPS. Iterum de verecundia? heus tu,

* ἄξειας μοὶ θυρίων ὅτι ςήθεσσι φίλοισιν:

pare ſubitò, aut mox ſerò. Diſciplinam ignoras? ego reuocabo, ſi vnum etiam verbum. ADAM. Heu *Manliana imperia*! at vos ſaltem ſuggerite & iuuate. *Iacula* igitur (vt in re confuſà ordine aliquo incedam) duorum generum ſunt, *Rudia*, & *Ferrata*. Rudia appello, quæ ſimplici ligno conſtabant, non alià materie ad lædendum. In eo genere *Sudes* ſunt & *Faces*. Sudes, lignum in capite acutum leuiter, & igni duratum. Vetus id telum, & pleriſque gentibus ſic vſitatum. Propertius, de priſcis agreſtibuſque Romanis:

Miſcebant vſtà prælia nuda ſude.

Virgilius quoque inter agreſtia numerat, lib. VII.

——non iam certamine agreſti,
Stipitibus duris agitur, ſudibùſve praeuſtis.

Sed tamen meliore etiam æuo, & in legitimis bellis, vſurpatum. Apud Curtium, lib. III. inter Darij milites ſunt *Derbices, ij quadraginta millia*, inquit, *peditum armauerant, pluribus * herebat ferro præfixa haſta, quidam lignum igni durauerant*. Apud Arrianum: δόρατα δὲ εἶχον ἐξαπήχεις, ἀκωκὴ δὲ οὐχ ὑπῆν σιδηρᾶ, ἀλλὰ τὸ ὀξὺ αὐταῖς πεπυρακτωμένον ταὐτὸ ἐποίει: *Haſtas habebant ſenûm cubitorum. mucro autem illis è ferro non erat, ſed caput igne duratum eundem vſum dabat*. Apud Silium lib. III. inter Annibalis copias quidam recenſentur,

Contenti parcà duraſſe haſtilia flammâ.

Quin & in Catilinæ exercitu (Salluſtius) *pauci militaribus armis inſtructi; ceteri, vt quemque caſus armauerat, ſparos, aut lanceas, alij præacutas ſudes portare*. Et quamquam ex his non certò liqueat, inter miſſilia has fuiſſe, imò quaſdam cõtra ad ſtatariam pugnam: tamen etiam eminus vſurpaſſe, omnino probabile eſt, & Cæſar dixerit, vbi cum leuibus armis iunxit: *Fundis, libralibus, ſudibus*. Iſtæ Sudes: at *Faces* etiam reperio, id eſt non aduſtas, ſed vrentes quaſdam haſtulas, è piceâ, tædâ, larice, & ſi quod tale genus. Statius lib. V.

—— vaſtaq; ſudes, fractique molares,*
Spiculáque, & multâ crinitum miſſile flammâ.

Silius in pugna Cannenſi:

Vllum nec deſit teli genus. hi ſude pugnant,
Hi pinu flagrante cient, hi pondere pili.

Lucanus in Pharſalica:

——inde ſagittæ,
Inde faces & ſaxa volant.

Xenophon de ſuis Græcis: τοξεύματα, σφενδόναι, λίθοι. ἦσαν δὲ οἳ καὶ πῦρ προσέφερον: *Sagittæ, fundæ, lapides. erant autem qui & ignem præferrent*. Iam in Virgilio vobis hoc notum:

Iamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Vt appareat obuium & populare fuiſſe telum. quod item ex Heliodori Æthiopicôn primo, de Ægyptiis: ὁ μὲν ξύλῳ κατεαγώς, ὁ δὲ δαλῷ κατεφλεγμένος: *Alius ligno percuſſus, iſte face aduſtus erat*. Tranſeo ad *Ferrata*. LIPS. Imò nequid nimis properes, paullùm te ſufflamino: *Præpilata miſſilia* aliquoties lego: quæ ea ſunt? an non *Rudia*, & ſine ferro? ADAM. Profectò occupas. nam ego ad *Ferrata* reducere volebam, etſi ambiguè, ſed video alios ſic feciſſe. Tua quæ ſententia? LIPS. Tua quæ exempla? prome, & tum videtimus. ADAM. Quòd è ferro, videatur vox aſtruere, quaſi pilo ſiue ferro præfixa. Sed & Ammiani hic locus è lib. XXXI. *Romani tenuius procedebant, & præpilatis miſſilibus per procurſatores principia pugnæ temptata*. Hoc ille in pugnà cum Perſis: & nónne credam vera ea & ferrata tela fuiſſe? Idem ſcriptor, in pugnâ cũ Germanis, lib. XVI. *Præpilabantur miſſilia, & Germanis agmen noſtrorum equitum inuaſère*. Liuij etiam locus eſt, lib. XXVI. de ludis funebribus Scipionis Africani: *Tertio die rudibus inter ſe, in modum iuſtæ pugnæ, concurrerunt, præpilatiſque miſſilibus iaculati ſunt*. Nam etſi ludicra ibi res, & ipſi gladij lignei, hebetes; tamen miſſilia è ferro fuiſſe. Polybius

* Commodo ... nunc ...

* Fortè, intrabant

* vaſtaq; fortaſſe.

induxerit

induxerit, qui hoc dixit *χείροσι ἀκοντίζειν*: *haſtis veliṫaribus iaculari.* Ita enim ipſe ferè appellat *χείροφους*, & haſtas eas cum ferro fuiſſe, quis neſcit? Hæc pro iſtâ ſententiâ: tu Lipſi contrà? LIPS. Habeo, & magis robuſta. Dico *præpilata* ſine ferro eſſe, nec aliud quàm pilæ inſtar, obtuſo acumine, rotunda. Vocem ſic explico: & firmo ex Plinio, libro IX. cap. XXX. vbi de Locuſtarum marinarum cornibus, dicit ea *propriâ rotunditate præpilata*. De re, ex Quinctiliano ſatis liqueat lib. V. Inſtitut. *Declamationes, quibus ad pugnam, velut præpilatis, exerceri ſolebamus.* Opponit veris micantibúſque telis, præpilata: ſicut Declamationes, quæ ſcholæ & exercitij ſunt, forenſibus orationibus & pugnæ. Sed & in Hirtii, de bello Africo, cùm Cæſar elephantos ſuos exercet, ipſóſque milites & equos adſuefacit ad eorum aſpectum: *Equites in eos pila præpilata coniiciebant, atque in conſuetudinem equos * patientiâ beſtiarum adducebant.* quis ibi cenſebit veris ferratiſque pilis petitos? Sed etiam cùm à *Pilis* ſeiungit, & reſtrictè *præpilata pila* dicit; oſtendit, non vt vulgata, cum ferro fuiſſe. Simile in Plinio lib. VIII. cap. VI. item de elephantis: *L. Piſo introductos dumtaxat in Circum, atque vt contemptus eorum creſceret, ab operis haſtas præpilatas habentibus, per Circum totum actos.* Profectò ibi quoque obtuſas accipere eſt, in ludicra modò inſectatione & exactione. Ipſa quæ tu adduxiſti, non pro te videntur poſita. Nam Liuij locus, planiſſimè contrà eſt. & in ludicro illo concurſu commilitonum, quis tribuet haſtas ferratas? imò ad exemplum gladiorum (quod fateris) obtuſas. Ad Polybij, dico, nihil obſtare verbum ibi *γρόσφον* accipi pro telo aut haſtula communiter, etiam ſine ferro. Iam ad Ammianum, ille verò aliter, hoc fateor, ſed non pro tuo ſenſu. Quin *Præpilare* ei ſcriptori non aliud videtur, quàm *præiaculari*: etſi *Pilare* idē vſurpat, pro prædari, vacuare. Scribit lib. XXXI. *Caſtra inimica pilare*: & paullò pòſt, *Pilare villas & incendere.* Aliter quàm Seruius, cui *Pilare* eſt *cogere, premere*: & ita interpretatur *Pilatum* agmen, denſum: & *Pilatas ætheris oras*: ac plura quæ ad Feſtum eximius Scaliger notauit. Sed tu mi Adame perge: hæc ita dixerim, acriùs examinanda. ADAM. Ad *Ferrata* igitur iacula dixti me venire: quæ pluria & multigenera ſunt, nec alia in re fœcundiùs Martialia ingenia luſerunt. Ego quædam crebriora tangam, & quà opus, explicabo aut diſcernam. Primum ſit,

HASTA, Græcorum *δόρυ*. Etſi commune ferè id nomen eſt, & in plura valet: dicitúrque tam de grandi illa, qua cominus vtuntur, quàm de leuiore quam eminus iaculantur. Simile in Lancea & Conto: ac Strabo ſemel audiatur, lib. X. *Διττὴ γὰρ ἡ τῶν δοράτων χρῆσις, ἡ μὲν ἐκ χειρὸς, ἡ δὲ ὡς παλτοῖς. καθάπερ καὶ ὁ κοντὸς ἀμφοτέρας τὰς χρείας ἀποδίδωσι. καὶ γὰρ συστάδην χρώμεθα, καὶ κοντοβολοῦντες ὅπερ καὶ ἡ σάρισα δύναται, καὶ ὁ ὑσσός.* *Duplex enim Haſtarum vſio, alia cominus, alia eminus, & tamquam iaculorum ſicut & Contus vtrumque vſum præbet. nam & ſtatim vtimur, & iaculantes: quod & Sariſſa poteſt & Pilum.* Notabilis locus ad hunc ritum veterem, & pleriſque gentibus communem; hodie deſitum ferè, nobis quidem Europæis. Sed de Haſtâ miſſili, multa teſtimonia paſſim: & inde *Haſtati*, iaculatores olim in legionibus, ac plura paſſim legenda. Alterum communius nomen,

LANCEA, Græcorum *λόγχη*: atque adeò ab hac deriuat Feſtus. *Lancea dicta*, inquiens, *a Græco, quam illi λόγχην vocant.* Argutè, haud verè & eſt Hiſpanica ipſa vox, vt Varro & Agellius teſtificantur; Gallica, vt Diodorus. De Gallis enim ſcribit libro VI. *προβάλλονται λόγχας, ἃς ἐκεῖνοι λαγκίας καλοῦσι*: *Iaciunt haſtas, quas ipſi Lanceas appellant.* Sed poſſunt eſſe Hiſpanicâ ſtirpe, in Galliam tamen poſt traductæ, vti & in Latium ipſum. Vox quidem *Lanceare*. quod eſt *iacere, mittere*, ipſis Hiſpanis Gallíſque & hodie eſt in vſu. Tertullianus vſurpauit, aduerſus Marcionem lib. III. cap. XIII. *Aliud eſt, ſi penes Ponticos infantes in prælium erumpunt, qui antè norint lanceare, quàm lancinare.* Pulchrè ludit. & mirum, inquit, ni veſtri pueri à natiuitate robuſti & militares, qui poſſint priùs lanceam iacere, quàm mammam trahere. De hac autem iaculatrici, paſſim ſcriptores. vt Curtius de Horatâ Macedone, libro IX. *Igitur Macedo haud dubius eminus interfici poſſe, lanceam emiſit.* Lucanus de Craſtino Centurione:

Cuius torta manu commiſit lancea bellum.

Vbi pueta pro Pilo vſurpat, vt eſt profectò nomen iaculis commune. Itaque in Actis Apoſtolicis *λογχοφόροι*, benè redduntur *Iaculatores*: & ſunt iſta, quæ *Menaula* poſterior & deterior ætas dixit. In Leone Imp. cap. VI. *Alij quidem habebant contaria, id eſt haſtas, quas nunc Menaula, olim antiqui Lonchas nominabant.* Reperio in Cedreno vocem, ſed paullò aliter ſcriptam. nam dicit *μεναύλια*. Vbi de Beliſario in Perſas miſſo, qui coram legato Perſico diſſimulabat conſilium, & quaſi venandi modò gratiâ veniſſet, miſit ſuos, inquit, in ſiluas, *πελέκεις τε καὶ μεναύλια βαστάζοντας*: *ſecures & lanceas ferentes.* Neque enim *calamos* cum interprete viro docto reddiderim, magiſque etiā ſcriptum *μηναύλους*. Nam ſic & in *Tacticis Leonis Imp.* (Excerpta Vulcatij habent) *μέναυλον, εἶδος ἐστὶν ἀκοντίου*: *Menaulum, iaculi genus eſt.* Litteram muta, Latinam vocem feceris *Venabulum*: & credo ipſam eſſe. Nam variè tunc deprauabant: & ſic *ταυλίον*. *Tablata*, & *μαρζομάρβουλον*, quod eſt *Martſobarbulum*, ipſa noſtra litteta item mutante. Sunt quidem Lanceæ venatorum: & ſic in Ammiano XXIV. *Feras noſtri lanceis venatoriis & miſſilium multitudine confecerunt.* In Valerij I. cap. VII. *Lanceam petendæ feræ gratiâ miſſam.* Herodianus de Afris, lib. VII. *παρ' οἷς οὐδὲν πλέον δοράτιον, οἷς πρὸς θηρία μονομαχοῦσι*: *Apud quos nihil admodum præter exiguas lanceas, quibus aduerſum feras præliantur.* Tertium, ſed magis ſtrictum

VERVTVM. cui nomen & formatio ab ipſo Veru, quid refert. Feſtus: *Veruta, pila dicuntur, quòd velut verua habeant præfixa.* Itaque alij *Verninam* dixerunt, quæ vox in Plauto: & Iſidorus explicat, *Verutina iaculi genus longum, quod aliqui Verutum nominant.* Non nemo etiam *Veru* dixit, vt Sidonius:

——ruit acride foſſus
Ille, verúque alius.

Ait *foſſus* benè: eſt enim ſpiculum tenue & longum, aptum forare. Silius, III.

——*tenuis pugnax inſtare veruto.* Virgilius VII.
Et teretes pugnant mucrone, verúque Sabello.

Qui velut proprium Samnitium facit, imò Grammatici nomen eorum hinc petunt. Feſtus: * *Samnites ab haſtis appellati ſunt, quas Græci σαυνία appellant, has enim ferre aſſueti erant.* Propiùs Græcanicam dialectum raogit etymon, qui *Σαυνίτας* dicunt & ſcribunt. Et Saunia rectè *Veruta* reddi, diſcamus è Dionyſio: qui vbi Liuius in claſſibus armandis *Verutum* ſcribit, ipſe *σαυνίον*. Alibi etiam *σαυνίῳ διαπεπαρμένος*, *ſaunio transfoſſus*, quod huius eſt teli. Etſi Samnites igitur (ij cum Sabellis iidem) primò & propriè vſi, tamen & alij Itali: tribuitque Volſcis poëta idem, II. Georgicôn:


Aſſuetúmq; malo Ligurem, Volſcóſque verutos
Extulit.

Miror hactenus ſic legi, cùm *veruto* veriſſimum ſit: dicátque, Ligures malo ſiue labori ſuetos, Volſcos iaculationi & bello. Hoc equidē malo, quàm *Verutos*

* Lego, patientia.

* Trāſcripſit P. Diaconus, ... Oe ge... Lógobar. c. xx.

40



DIALOG. IV.

Scorpiones quid, & quo telo?

PERGI, & te editorem, Lipſi, adſpicin: ecquid mittis? LIPS. Ego editor? bellè. qui ipſe depugnaui, & exercitus ſum plus ſatis. Sed tamen ſi ſim; nec mittam quidem, numeris nondum impleris. FVR. Omnibus, & largiter, aut fallor. LIPS. *Scorpiones* vbi ſunt, vicini & adſimiles iſtis, adeò vt Ammianus miſceat, & *Balliſtam* (à te dictum) ſic appellet? FVR. Si miſcet, benè eſt: per me ſic ſunto, non diſiungo. LIPS. Atqui debent Furi, debent: hoc age. A Catapultis primùm Hirtius abiungit, in bello Africo: *Cæſar in caſtris Scorpionum, Catapultarum, magnam vim habebat.* Ille idem à Balliſtis: *Balliſtis, Scorpionibuſq́, crebris, ante frontem caſtrorum collocatis.* Seneca Quæſt. Nat. II. cap. XVI. *Nam Balliſta quoque, & Scorpiones, tela cum ſono expellunt.* Denique Liuius ab vtrique XXVI. *Catapultas & Balliſtas* Carthagine Nouâ inuentas numerat, & tum addit: *Scorpionum maiorum minorumq́, & armorum telorumq́, ingens numerus.* Idem paullò pòſt: *Scorpiones maiores minoreſque, ad LX. captos ſcripſerim, ſi auctorem Græcum ſequar Silenum: ſi Valerium Antiatem, maiorum ſcorpionum ſex millia, minorum tredecim millia.* Sed prior numerus LX. falſus videtur, & nimis ab illo abire Antiatis. Etſi enim hîc & alibi auctorem iſtum elationis & vanitatis arguit: quis tamen credat ſic inſanè mêtitum? & è *ſexaginta* tantùm, *tot illa millia* feciſſe? Fuerit, V. ∞. id eſt, *quinque millia*: aut etiam IX. ∞.

A numeris non inſolenter corruptis. Sed tu, Furi, palàm diſcrimen vides, ediſſere. FVR. Te loqui decebat, ac vides iſtos magis erectos: quid me pendeo à tuo ore. LIPS. Dic, dic: apud nouercam verba fundis. FVR. Paucis, quia pauca hîc ſcio. Deſcribit Tertullianus initio libri, quem de hoc nomine inſcripſit: *Bellicam machinam, & retractu tela vegetantem, de Scorpio nominant. Id ſpiculum & fiſtula eſt, paulà tenuitate in vulnus, & virus quà figit, effundit.* Significat clarè, & mucronem, & ad eum canaliculum fuiſſe, qui infunderet venenum. Alij non dicunt. ſed Vegetius ita de eo: *Scorpiones dicebant, quas nunc Manuballiſtas. ideò ſic vocati, quòd paruis ſubtilibuſq́, ſpiculis*

B *mortem inferant.* Parua tamē adeò fuiſſe ſpicula, præſertim in Maioribus, haud dicam: cùm in Cæſare legam, *Quidam ante opidi portam Gallus, ſcorpione ab latere dextro traiectus exanimatúſque concidit.* In Hirtio: *Scorpione accuratiùs miſſo, Decurio percutitur, & ad portam Decumanam defigitur.* Cùm *traiici* iis homines, cùm *Defigi* dicant: certè non nimis ij puſilli. Ex Vitruuio tamen certum haud ſic immanes fuiſſe: & cùm *Machinam* ab *Organo* diſtinguit (lib. X. cap. I.)

C *Machinas pluribus* operibus aut effectus habere, vt Balliſtas aut torcularium prela. Organa autem vnius* opere, prudenti tactu perficere quod propoſitum eſt, vti Scorpionis & aniſocyclorum verſationes.* Ergo vir vnus dirigebat, & vtebatur. Polybius in obſidione Syracuſarum à Marcello, facit Archimedem *cauos palmares in muris diſpoſuiſſe, iiſque ſagittarios & ſcorpiunculos* (τὰ σκορπίδια) *appoſuiſſe.* Liuius in eâdem re, & ex eo ſumens, *cauos cubitales* fecit: ô neglegentiam aut παρόραμα! cùm ille παλαιστιαίους clarè ſcripſiſſet. Plutarchus in Marcello, de iiſipſis dixit, σκορπίους βραχυτόνους:

* Fortè opera.
* Fortè opera.

bi cui tenſione ſcorpios. Vt illi ergo parui; ſic proportione & foramina illa ac caui. in Siſenæ fragmento apud Nonium eſt: *Longius ſcorpios catapultas concitat.* Legendum: *Longiùs ſcorpio catapultu ſe concitat.* Et plura dicere prohibeor, non ignauiâ, ſed imperitiâ; iterùm miſſionem peto, aut ipſe mihi duou.

DIALOG. V.

Muri veterum cuiuſmodi? ſcorſim & Gallorum.

LIPS. Videtis hunc Arenarium, planè ad legem ipſe Rudem ſibi donat. O ſi meum hîc merum imperium! aut ſi plura etiam dicenda! ſed video finem, & de *Tormentis* ad aſſem credo expunctum. BILL. Haud negito. tamen aliquid etiam reliqui video, ſi plenè & firmiter vis Tormentorum eſt noſcenda. FVR. Et tu quoqoe telum mihi inicies? BILL. Imò munimentum in omnia tela: *Muros* opidorum ſuggero, & velim deſcribi. Hos enim quatiebant aut diruebant *Arietes* illi & *Balliſtæ*: hos ſub *Muſculis* aut *Vineis* deruebant: & neſciemus quo robore ij aut viribus? Caligat omnis *Machinalis & Oppugnatoria* iſta res: niſi hæc illuſtratur. LIPS. Tecum cenſeo ſciſcóque: ſed hoc amplius, Furium iſtum meritò dicere, qui dictorum omnium cauſſa. Caput ſermoni ſtruxit, adſtruat & hunc pedem. FVR. Quod Oranus nec Græcè auſus, ego Latinè & Romanè dico, Lipſi es malus. Sed mihi tamen tua argutia: nec enim adhuc finis, *Tela* reſtant. LIPS. Fortaſſe te & illa velle addere? Si ſapis, hoc deproperа, ne & alterum onus accedat. FVR. Fiat. nam iſti, vt video, peramici ſunt, quod tu vis volunt. *Muri* igitur veterum (de Vallo à Lipſio dictum) validi & operoſi fuerunt: & vt diſtinctè ac propriè dicam, *Firmi, Magni, Alti*. De Firmitate primùm, Vegetius lib. IV. *Murus vt numquam poſſit elidi, hac ratione perficitur. Interuallo pedum vicenum interpoſito, duo intrinſecus parietes ædificantur: deinde terra, quæ de foſſis fuerit egeſta, inter illos mittitur, vectibuſque denſatur. ita vt à muro primus paries pariùm inferior, ſecundus longè minor ducatur. vt de plano ciuitatis, ad ſimilitudinem graduum, quaſi cliuo, molliſque ad propugnacula poſſit aſcendi. Quia nec murus vllis poteſt Arietibus concuti, quem terra confirmat; & quouis caſu deſtructis lapidibus, ea quæ inter parietes denſata fuerit, ad muri vicem ingruentibus moles obſiſtit.* Vegetij munitio ſatis firma, negari non poteſt, etiam in hodierna iſta fulmina: ſed magis paullò illa Vitruuij, lib. I. cap. V. *Interiore parte ſubſtructionis, fundamentum; diſtans ab exteriore introrſus amplo ſpatio, conſtituendum eſt: vti cohortes poſſint, quemadmodum in acie inſtructæ ad defendendum ſupra latitudinem aggeris conſiſtere. Cum autem fundamenta ita diſtantia inter ſe fuerint conſtituta, tunc inter ſe alia transuerſa, coniuncta exteriori & interiori fundamento, pectinatim diſpoſita, quemadmodum ſerræ dentes ſolent eſſe, collocentur.* Hæc dico, ſtructura firmior, & validæ vi tormentorum repellendæ, pro meo quidem ſenſu. Iam quòd *Magni & Alti*, ab exemplis aliquot videamus. Appianus ſcribit, in Mithridatico: *Pyræi muros Athenis (Periclis opus) altitudine fuiſſe quadraginta circiter cubitorum ſiue pedum ſexaginta, ſaxo quadrato exſtructos.* Thucydides in I. de iiſdem: *Latitudine fuiſſe tantâ, vt duo currus iuncti inter ſe, vel obuij, per murum tranſirent; introrſus autem, neque cæmentum neque lutum in-*

A *terpoſitum, ſed iunctos & coagmentatos grandes lapides, qui ſecti quadratique eſſent, eorúmque exteriora ferro & plumbo reuincta.* In quibus vltimis notare eſt, grandes lapides, pro more illo, in opera hæc iniunctos; & contra Arietes, ne extrahi poſſent, ferro aut ære nexos. Dio Caſſius in Seuero, *Byzantij veteris muros fuiſſe firmiſſimos, quorum frons exterior grandibus lapidibus conſtructa, qui craſſi quattuor pedes erant, lato ferro aut ære inter ſe vincti.* Nota craſſitiem lapidum, quos quadratos fuiſſe certum eſt, & vndique pares. Herodianus lib. III. de eodem iſto oppido: *Murus Mileſio quadrato lapide exſtructus, adeò tenui & inconſpicuâ iuncturâ, vt nemini compoſitum opus, ſed ex vno perpetuóque lapide videretur.*
B Et addit, *nunc quoque reliquias cum miraculo conſpici, vel artis eorum ingeniique, qui primi ſtruxerint, vel roboris eorum, qui deiecerint.* Nota hîc & alibi *coagmenta ſubtilia*, ad excludendum ſcilicet Arietis acumen. Sed de ferro, eſt & in Ioſepho, atque Hegeſippo (lib. V. cap. XI.) *pleraque murorum Hieroſolymis, ferro aut ære operta fuiſſe*: pro mente ſcilicet iam dicta. Atqui *Altos* etiam cur ſic volebant? nam nos hodie deſpicimus. Cauſſa ipſis proba, & contra turres, machináſque ligneas ad adſcenſum. Nam muri quamdiu ſuper eas, tuti erant ab hac peruaſione. *Firmi* igitur, contra Arietes, *alti*, contra Turres. Tangit ſcriptor Panegyrici, ad Maximianum: *Quenam vmquam mirabimur valla caſtrorum, poſt hoc nouum*
C *in mari vallum? quid erit mirum, ſi qua murorum aut Arieti non ceſſerit* FIRMITAS, *aut machinas deſpexerit* ALTITVDO? Quam altitudinem & Seneca inter laudes murales habet, in Epiſtolis: *Multi inueniuntur, qui ignem inferant vrbibus, qui inexpugnabilia ſæculis & per aliquot ætates tuta proſternant, qui æquum arcibus Aggerem attollant, & muros in miram altitudinem adductos, Arietibus ac machinis quaſſent.* Imò & maiores noſtri Galli ſic ſtruxerunt, aut certè in Galliâ ipsâ Romani. Omitto alia. ſed Armonius refert, *murum Diuionenſis caſtri ædificatum lapidibus quadratis, deſuper minores ſuperpoſitos habentem, in altitudinem pedum triginta, in latitu-*
D *dinem pedum quindecim*: idque ab Aureliano Imperatore, nec tamen opidi appellatione dignatum. Vbi autem hodie tales muri? quia nos, vt dixi, contemnimus: & meritò fortaſſe ob nouitium hoc fulmen, quod edita magis quaſſat. Sed non illud etiam deſpicimus (quod inter artes munitionum habemus) flexus & ſinus in muris facere, vt pateat ad ictus accedens hoſtis. Id enim à veteribus. & Vegetius prodit: *Ambitum muri directum veteres duci noluerunt, ne ad ictus Arietum eſſet diſpoſitus, ſed ſinuoſis anfractibus clauſere vrbes. propterea, quia ſiquis ad murum tali ordinatione conſtructum vel ſcalas, vel machinas, voluerit admouere; non ſolum à fronte, ſed etiam à lateribus & propè à tergo, velut in*
E *ſinum circumcluſus, opprimitur.* Obſeruéſque, non ſolùm Turres prominuiſſe ad hunc finem & propugnacula, ſed ipſos muros ſic ſinuosè factos. Tacitus de Hieroſolymis: *Duos colles immensùm editos, clauſerant muri per artem obliqui, aut introrſus ſinuati, vt latera oppugnantium ad ictus paterent.* Eâ mente & Ammianus, XX. *Virtha, munimentum in extremo Meſopotamiæ ſitum, ſed muris velut ſinuoſis circumdatum & cornutis, inſtructioneque variâ inacceſſum.* Nec verò hæc tâtùm, ſed & προτειχίσματα quædam habuêre, ſiue *Antemuralia.* vt in Iſidoro: *Promurale, eò quòd ſit pro munitione muri: eſt enim murus proximus ante murum.* Ammianus XXI. *Erumpentibus recurſus ad mœnia tutior, vallúmque antemuranum ceſpitibus fultum, inſidiantes ab omni*

diſcrimine defendebat. Quod credo fuiſſe quaſi *Loriculam*, ante præcipuum murum ductam. Sed enimuerò, non ſolùm loriculæ iſtæ, ſed veri magniq́ue muri plures ducti, vt vno diruto aut capto, alter & alter ſupereſſent. Lubet exempla duo dare ſplendoris atque operis priſci: ad quæ neſcio an alia ætas adſpirarit, aut & dicam, adſpirabit. Prius ex Appiano, de Carthagine, quæ à Romanis capta & diruta. *Murum ait fuiſſe triplicem. quorum quiſque altus triginta cubitos eſſet, abſque loricis & turribus. Quæ turres ducentorum pedum ſpatio inter ſe diſtabant, & quattuor contignationes ſingulæ habebant. Ipſi muri fornicati, & capaces: & duplici quaſi contignatione facti. in quorum parte imâ elephanti trecenti ſtabulari poterant, & adiuncta iis cellæ ac repoſitoria ad cibos: ſuper eos, quater mille equi, item cum receptaculis pabuli hordeiq́. Viris ipſis ibidem diuerſoria & habitationes, peditibus viginti mille, equitibus quattuor mille. Atque hic bellicus apparatus & inſtructus, in ſolis mœnibus erat.* Hæc ille. nec negari poteſt, hoc de equitibus & peditibus, ipſiſque equis, magnificum & commodum pariter fuiſſe. Alterum ex Ioſepho, de Hieroſolymis, ſuperbâ & validâ vrbium, quas hiſtoriæ celebrarint. Nam vana aut ignota, haud moramur. De eâ Tacitus breuiter: *Vrbem arduam ſitu opera moleſque firmauerant, queis vel plana ſatis munirentur. Nam duos colles immenſùm editos, claudebant muri per artem obliqui, & turres, vbi mons iuuiſſet, in ſexaginta pedes; inter deuexa, in centenos vicenosq́ attollebantur, mirâ ſpecie & procul intuentibus pares.* Quorum ſententia eſt, Turres vbi mons eſſet, in *ſexaginta* pedes elatas; vbi vallis, in *centenos* aut & *vicenos*: ſic vt altitudo inter ſe omnium reſponderet, & æqua videretur. Sed munimenta hæc diffusè & pulchrè Ioſephus exſequitur lib. VI. è quo libabo, & decerpam. *Murus triplex erat: exterior altus viginti cubitos, loricæ eius ternos, pinnæ binos. Inſuper viginti quinque. Lapides in eo plerique* viginti cubitos longi, & decem lati. In muris Turres erant, quæ ſuper ipſos eminebant cubitis viginti: atque eadẽ erat latitudo. Hæc omnia ſolida, & iiſdem lapidibus, quibus muri, ſtructa. At ſuper hanc turrium altitudinem, cubicula & cœnacula erant, & ciſternæ, & lati ad hæc omnia gradus. Eiuſmodi turres erant in eo muro nonaginta: interualla autem,* cubiti ducenti inter ſingulas. Sed admirabiles in primis erãt turres quattuor, quas Herodes ædificauerat. Pſephina vna dicta, quæ ſeptuaginta cubitis eminebat & ex quâ, ſole orto, Arabia proſpici poterat, & ipſum mare. Octangula ſtructa erat. Huic ex aduerſo Hippicos, dicta de nomine cuiuſdam amici regis, & iuxtà Phaſelos, & Mariamne; illa in fratris, hæc in coniugis memoriam & nomen dedicata. Hæ magnitudine, pulchritudine, firmitate, omnibus quæ* toto orbe ſunt, præſtabant. Hippicos quidem quadrangula erat, & quiſque angulus viginti quinque cubitorum, altitudo triginta: ſed hæc omnia ex ſolido. & nihil inane Supra ſoliditatem. & ſaxis illam adunatam compagem, imbribus excipiendis puteus erat altus cubitos viginti. Super iſtum, duplici tecto domus, vigintiquinque cubitos alta, & in varia membra diuiſa. Iterùm ſuper eam, propugnacula & pinnæ, ad quinque cubitos. Atque ita tota altitudo, cubiti octoginta. Tertia, Phaſelos: lata ac longa fuit æqualiter, cubitos quadraginta. Totidem cubitorum, denſa & ſolida eius altitudo. Super eam porticus ambibat, alta decem cubitos, loricis & propugnaculis inſtructa, inq́, eâ mediâ, turris alia aſſurgebat, in membra magnifica & balneum diuiſa: vt nihil a Regiâ penè differret. Suprema eius loricis & pinnis, ſicut ipſa porticus, ornata. Tota altitudo, cubiti nonaginta. & referebat ſpecie turrim, quæ Pharus dicitur, & apparet Alexandriâ nauigantibus. Quarta, Mariamne. viginti cubitis ſolida fuit, totidem lata & longa. Supernam autem ædificationem longè magnificentiorem & diſtinctiorem aliis habebat, decorum cenſente* rege, vt ea quæ ab vxore & fœmina diceretur, ornatior comptiorq́ virilibus illis eſſet. Huius altitudo omnis, quinquaginta quinque cubiti. Sed altiores etiam multo videbantur omnes hæ turres, ob loci ſitum. Nam murus ipſe in quo erant, in colle fuerat conditus: atque is collis eminebat ad cubitos triginta. Mirabilis & lapidum moles. Non enim ex latere vulgari, aut ſaxis quæ homines ferrent, ſtructa erant, ſed è candido marmore: quodq; ſaxum viginti cubitis longum, decem latum, quinque altum. Ita autem iuncta erant, vt vnum ſaxum omnia viderentur, ſed manu artificum in angulos & figuras diuiſa.* Hæc ita Ioſephus, & plura de reliquo opere: quæ talia ſunt, vt miror hæc publicitus non proponi & pingi, in omnium (quibus cor & ſenſus) admirationem aut voluptatem. At nos vana quædam malumus, & prauâ viliq́ue libidine, animum paſcere iuuat falſis. At enim dicent, Hodie hæc non vſui: diſſiliant iſti lapides, iſtæ moles, vno ictu. Eſto. ſed dabo ab antiquo etiam rude, ſed robuſtum opus, pro ſuffragio iſtorum. Muri Gallorum veterum videantur, qui in Cæſare ſic deſcripti, Comment. VII. Gallic.

Muri autem omnes Gallici hac ſunt ferè formâ: Trabes directæ perpetuæ in longitudinem, paribus interuallis diſtantes inter ſe binos pedes in ſolo collocantur. Eæ reuinciuntur extrorſus, & multo aggere veſtiuntur. Ea autem quæ diximus interualla, grandibus in fronte ſaxis effarciuntur. Iis collocatis & coagmentatis, alius inſuper ordo adiicitur, vt idem illud interuallum ſeruetur, neque inter ſe contingant trabes, ſed paribus intermiſſa ſpatiis, ſingulæ ſingulis ſaxis interiectis arte contineantur. Sic deinceps omne opus contexitur, dum iuſta muri altitudo expleatur. Hoc cùm in ſpeciem deforme non eſt, alternis trabibus aut ſaxis, quæ rectis lineis ſuos ordines ſeruant: tum ad vtilitatem & defenſionem vrbium ſuam habet opportunitatem. quòd & ab incendio lapis, & ab Ariete materia defendit: quæ perpetuis trabibus, pedes quadragenos plerumque, introrſus reuincta, neque perrumpi neque diſtrahi poteſt. Hæc Cæſar, quem per partes luſtro. Ait: *Trabes directæ, perpetuæ in longitudinem.*] Hoc dicit, trabes directas in ſolo poſitas, in longum non in altum: id eſt, planas iacenteſque, & quidem *perpetuas* ſolidáſque, non è partibus factas, tot pedum. Quòd autem ſic accipere oporteat, non de ordine trabium recto & alto: verba ſequentia mox euincunt, qui opus aggeratum ait, & creuiſſe, *dum iuſta muri altitudo expleretur.* Atqui ſi trabes rectæ poſitæ, iam à principio altitudo iuſta fuiſſet. Hoc firmiter tenendum eſt, aut à Cæſare abeundum. Ait: *Diſtantes inter ſe binos pedes, in ſolo collocantur.*] Hoc interuallum inter ſingulas trabes, porrectas ſic in ſolo: iterúmque tale in aliis & ſuperiectis. Quod ait, *collocari in ſolo*, eſt deponi, non defigi: & ſic in deſcriptione Muſculi. *Eæ reuinciuntur extrorſus.*] Libris melioribus adhæremus & ſcribimus, *introrſus.* Reuinctio illa ſub caudam facta: id eſt tranſuerſis trabibus ſeries quæque ligata, contra motum, & ne ab Ariete percuſſæ emouerentur. In quibuſdam etiam libris eſt: *Ære reuinciuntur*: ſed falſum putamus, nec hîc admittimus. *Multo aggere veſtiuntur.*] Iniecto inter trabes medias, & ſtipato. *Interualla grandibus in fronte ſaxis effarciuntur.*] Interualla nempe binorum pedum inter trabes ſingulas. Tanti igitur & ipſi lapides. *vt idem illud interuallum ſeruetur, neque inter ſe contingant trabes.*] Credo ſententiam eſſe, trabes non directè ſuperinſimas, ſed ad latera earum ſuper ſaxa poſitas fuiſſe: vt alternatim trabs, aut ſaxum eſſet.

* Panè ſi dem ſuperat. Qua manu aut machina conſtructi? Infrà vetat.

* Adde Turres, & Portas: ſed ambitus circiter ſex miliarium.


* Rotetur

* Herode.


Hoc

Hoc ideò, quia & elegãtius firmiúſque opus:& quia negat *inter ſe trabes contigiſſe*. Pergit porrò: *Pluribus intermiſſa ſpatiis,ſingula ſingulis ſaxis intercluſa.*] Sententiæ eiuſdem eſt, & docet teſſellatum quaſi opus fuiſſe. *Ab ariete materia defendit, quæ perpetuis trabibus pedes quadragenos.*] Eſt quod ſuprà dixit & repetit, *introrſus revinctas* trabes fuiſſe, ne reuelli aut repercuti de facili ex poſſent. Sed ait *pedes quadragenos plerumq; perpetuas trabes* fuiſſe. Perpetuas, meo dicto ſenſu ſuprà, integras ſolidáſque:& quidẽ ſelectã hac lõgitudine, vt murus latior eſſet firmiórque. At quidam hoc de *quadragenis pedibus*, ad ipſas reuincientes trabes ſiue fibulas referunt: quod mihi aliter viſum. Adnoto autẽ & inferiori æuo, muros videri ligneos in Galliâ fuiſſe: cùm Sidonius, de vaſtatione Galliarũ ſcribat, lib. VII. epiſt. I. *Vidiſſe ſe ambuſtam murorum faciem*. Alibi: *Fuiſſe inter ſemiuſtas muri fragilis anguſtias clauſum*. Vnde enim hæc *vſtio*, niſi ab igne, & in ligno? Niſi tamen *Sudium* & *Vallorum* coronas illas intelligit: quod in medio pono. LIPS. Cùm de Sudibus, memini legere in Suidâ de *Aceſſa*: nec ſatis ſcire, quò id traham. Verba: Ἄκεσσα, ῥωμαϊκόν τι μηχάνημα ἐκ δενδροτομίας πρὸς ἐρυμνότητα μεμηχανημένον. οἱ δὲ ῥωμαῖοι ξυνέθεσαν τὴν λεγομένην Ἄκεσσαν τῇ ῥωμαίων φωνῇ. δενδροτομήσαντες γὰρ ἀλληπάλληλα στοίχῳ, τῇ ξυνθήκῃ καταστορέσαντες, ἀπετείχισαν, ὡς ᾤοντο, τὴν ἐσβολὴν ταύτῃ τῆς πόλεως: *Aceſſa, Romana machina, è lignis ſectis ad firmitatem exſtructum. Romani* (verba ſcriptoris alterius) *eam quæ Aceſſa ipſorum linguâ dicitur, fabricarũt. Sectis enim lignis, alternatim ea locantes & adæquantes, clauſerunt obſepſerúntque eâ parte aditum vrbis.* Sanè Romaniſſat vox, & videtur *Aceſſa* dicta, quia acceſſum aditumq; munit aut claudit. Quid tamẽ propriè? non Hercule *Aggeſtum*, vt deſcriptio hæc eſt: an *Sudetum*? an magis ad portas talia apponi mos? In Cæſaris I. Ciu. lego: *Aditus atque itinera duo, quæ extra vrbem ad portum ferebant, maximis defixis trabibus, atq; iis præacutis, deſigit* Pompeius. Frõtinus in eadem re: *Quoſdam aditus, qui ad portum ferebant, trabibus tranſmiſſis, & in denſum ordinem ſtructis, ingenti mole tutatus eſt.* Simile munimentum ad portum Xanthiorum fuiſſe, Appianus docet in Ciuilium quinto. Sed vltrà non te teneo. FVR. Nec volo: res & vox mea habent finem.

41



A. *Muri Vegetiani.* B. *Vitruvij.*



C. Muri Carthaginenſes, ex Appiano. D. Gallicani, ex Cæſare.

DIALOG. VI.

Qui, & vbi machinas fecerint, tulerintque.

LIPS. Billéhee, & tu noſter hodie rex Carondelete, ſermonibus iſtis ſit modus: pauſa interponenda eſt, & vt ſic dicam, ſtrigandum. BILL. Non equidem teneo. & Sol ad meridiem abit: ſed vnum breue quæſitum lubido erat iniecisse. Auſim Lipſi? LIPS. Lege dictâ, breue, & vnum. BILL. Non mutabo. De *Machinis & Tormentis* pleraque omnia dicta: nondum *à quo quibúſve, & vbi* ea ſunt facta. An in loco ſic ſubitò ſtruebant? an domo potiùs ſecum, & ex præparato adferebant? LIPS. Duo quæris, præter legem datam: ſed ro mihi eſto vel ſuper legem: dicam. Ad prius, aio, Milites ipſos pleraque fabricaſſe: ſic tamē, vt certi iis mixti, qui fabrilem omnem artem ſcirent. In Liuio, huic rei, lego: lib. I. Seruium Tullium regem, qui cenſum inſtituit, eundem *inſtituiſſe duas fabrûm centurias, quæ ſine armis ſtipendia*

A *facerent. datúmque munus, vt machinas in bello ferrent.* Quæ leuiter tamen ſuſpecta lectio. quid enim *ferrent?* ipſine ſuis humeris? haud potuit: dixiſſet, *veherent, curarent*, aut ad ſimile verbum, ferrem. Sed profectò legendum ibi potiùs *facerent*: & hoc eorum munus, vt fabricarentur machinas, cùm iis opus. Aduoco Dionyſium, qui in ipsâ hac re *centurias duas* ὁπλοποιῶν καὶ τεκτόνων facit: id eſt qui *armorum fabri, itemque architecti* eſſent. Hi tales, & poſteà in exercitu: atque ij ſcilicet præformabant dirigebántque opera, etſi milites quoque vulgò adiorarent. Cæſar v. Gallicorum, cùm naues ſubitò reficiendæ eſſent: *ex legionibus fabros deligit, & ex continenti alios arceſſit.*
B Erant igitur per legiones ſparſi, atque aliter etiam militabant. His caput vnum, & operibus curator exactórque, qui *Præfectus fabrûm* in hiſtoriis crebrò nominatur. Eū Plutarchus alibi ἔπαρχον τῶν τεχνιτῶν appellat. Hi igitur, cum validâ illâ manu militari, ſubitò opera pleraque deſtruabāt, & in loco faciebant. Vſi interdum & prouincialium auxilio, eorumque, ad materiem ſubuehendam, iumentis. Cæſar II. Ciuil. *C. Trebonius magnam iumentorū atque hominum*

multitudinem ex omni prouinciâ vocat, vimina materiámque comportari iubet. Sed ferè, vt dixi, ad ſubuehendum: vix fuit vt inter opera militibus miſcerentur. quod autem ad *Iumenta*, in Plutarchi Sullâ etiam ſcriptum, cùm Athenas obſideret; & mirifica opera moliretur ad Pyræum: *decem millia iugorum mulorum habuiſſe*, quæ ſupportarent ad hunc vſum. Sed & in agmine ac viâ horum opera, cùm machinas aliquas ſecum ferrent. Idem Plutarchus in Antonio notat, euntem ad bellum Parthicum, *ſecutas in * trecentis plauſtris machinas, idoneas ad vrbium oppugnationes.* Eodem illo tempore & *Arietem deuexit* LXXX. *pedes longum, quòd illa regio* (addit idem ſcriptor) *ſterilis talium eſſet, & materiem puſillam ferret.* Quâ ipsâ cauſsâ Cæſar iam in Africâ, *litteras in Siciliam nunciósque miſit, vt crates materiéſque congeri poſſet ad Arietes, cuius inopia in Africâ eſſet.* Ita Hirtius, in illo bello. qui oſtendit & antè tormenta, & talia quædam, conſulto aduecta: *Tormenta machináſque & aduexerat ſecum, & ex Siciliâ cum commeatu miſſa erant; & noua in armamentario, multis talium operum artificibus incluſis, fiebant.* Bello etiam Alexandrino, Cæſar *tormenta vndique conquiri, & frumentum mitti iubet.* Et ex eo mandato, paullò pòſt, *Legio* XXXVII. *ex deditiis Pompeianis militibus, cum frumento, armis, telis, tormentis impoſita in naues* appulit. Quin & Ioſephus diſertè ſcribit, Veſpaſianum in Iudæam venientem, *habuiſſe in agmine ſuo machinas & tormenta, ciuitatibus expugnandis.* Conquiri igitur hæc talia & præparari interdum iamantè ſolent, aliás non ſolent, & in loco, pro copiâ, parari. At ego, ô boni, non diutiùs ſedeo; & ſurgere decretum, etiamſi omnes teneatis. ORAN. Decretum? LIPS. Et quidem στωϊκῶς: ſcis quàm amem virilem eam ſectam. ORAN. Atqui de *Telis* totum reſtat. LIPS. Reſtet, poſteà videro: tu valetudinem hanc noſti? ORAN. Non tam commodam hercules, ac vellem. LIPS. Incommodiſſimam autem, cùm fatigatio aut fames acceſſit: nunc vtrumque. LAMPS. Latum tibi hoc ſcutum valetudinis: ſæpè & variè vteris. LIPS. Niſi facerem, non viuerem: ita multi, vt lacum, me & exhauriunt, & turbant. Sed heus tu ſile, & ſurge: & Theocritæum illud accipe,

——* πείναντι γὰ μηδ' ἔπος ἀντῇς.

LAMPS. Sileo, & ne mentiar,

*Ὁ νοῦς μέν ἐστι τῇ τραπέζῃ πλησίον.

* Numerum adnecte ergo multæ fuerunt.

* Eſurienti haud obuium eſſe.

* Hic animus in menſam magis nunc intentus.

IVSTI LIPSI POLIORCETICΩN

SIVE

DE MACHINIS, TORMENTIS, TELIS, LIBRI IIII.

DIALOGISMVS I.

Conuiuium, & in eo Apri, olim ſolidi: pluſcula in hanc rem dicta.

ADhuc loquebamur, & ecce pueri qui nunciant menſam & cibos nos exſpectare. **A** Surreximus, in cœnaculum imimus, ducente Carondeleto, qui inquit: Amici, ego hîc parari iuſſi ad illud Comicum,

Non ampliter, ſed munditer conuiuium.

Rure ſumus, & ſuaues etiam diuitibus interdum *Timoneæ* illæ *cenæ*. BILL. Non Timoneæ, ne dixeris: ſermones & lepôres condient: atque ego hanc malo, quàm omnem illam noſtram aulicam & purpuream vitam Lauimus, ſedimus: Billehei puer adſtitit, & ſerinam obtulit incluſam, more noſtræ gentis, in panem. Suſpeximus, & Carondeletus: Tuus etiam **B** ſplendor & munificentia, Billehee, hîc nos deprehendit? fruemur, opportunum eſt donum. BILL. Exiguum, nec pro ſplendore illo priſco. CAR. Quo priſco? BILL. Romano, dico. qui non particulas has apri, ſed ipſos totos, ſollenniter apponebant. Nónne ita lêgi Lipſi? vos qui in libris eſtis, melius hæc ſcitis. LIPS. Tu quoque, etſi diſſimulas, cui nullum tantum negotium eſt (ô laudabilem morem!) quod planè abſtrahat à lectione. Reficis eâ exhauſtum actionibus animum, & pabulum hoc ſcientiæ & prudentiæ ei præbes. Sed de Apro, quod dicis, ita eſt: totos ſolidóſque apponebant in vnam cænam. Suetonius in **C** parcimoniâ & ſordibus Tiberij Imp. habet, quòd *dimidiatum aprum apponeret, affirmans eadem habere quæ totum.* Sed *totum* ex more oportuit: & ita Iuuenalis,

———quanta eſt gula, quæ ſibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum?

Plinius apertiùs, qui & originem rei ponit: *Solidum aprum primus Romanorum in epulis appoſuit P. Seruilius Rullus, qui Ciceronis conſulatu agrariam legem promulgauit. Tam propinqua origo nunc cottidianæ rei eſt.* Et addit, *rem cottidianam* ſuo æuo iam fuiſſe, & in communibus etiam epulis vſurpatam. Sed hoc ma- **D** gis mirum, quod ſequitur: *Et hoc Annales notarunt, horum ſcilicet ad emendationem morum, quibus notata* **A** *quidem cænâ, ſed in principio bini pariter terniq́ue mandantur apri.* Plures oſtendit ſimul appoſitos, binos ternóſque, & quamquam notata ea cæna & reprehenſa ſit, tamen factum. Is elici ſenſus è vulgatâ iſtâ poteſt: ſed videte ne verior lectio, *quibus ne totâ quidem cænâ.* Auxerit factum & indignationem, quòd tot apri nec in totam quidem cænam, ſed in partem eius, nec niſi principio apponerentur. Ita rem fuiſſe, vel ex Senecâ diſcamus. qui in epiſtolâ LXXIX. luxum ſui ſæculi caſtigans, & diſparitatem vitæ ſuæ ingerens: *Non iacebit in conſpectu aper, vt vilis caro, à menſâ relegatus.* Oſtendit, oſtenſum modò fuiſſe, & quaſi in pompâ illâ menſali traductum, ſtatim ſepoſitum & faſtiditum. BILL. Capiat me emendatio, & Plinij cetera verba inclinant: ſed res nónne arcet? **B** Eſtne credibile, tot apros ſimul, eóſque ſolidos? & vnde autem in tot cænas parandos? LIPS. Tecum ego hæc miror: ſed cùm boni fidique auctores aſſerunt, quid diffidam? In Athenæo lego, conuiuio Carani cuiuſdam celebri, *illatos apros Erymanthæos, eóſque argenteis venabulis transfixos, & in quadratis quibuſdam lancibus* SINGVLOS SINGVLIS CONVIVIS *appoſitos.* Primùm *Erymanthæos* facit, ne exiguos quoſdam aut porculos ſuſpicere. tum, *venabulis transfixos;* quaſi non domeſticos, ſed in ſiluâ & venatu captos. Poſtremò, quod ad rem, *ſingulos ſin-* **C** *gulis.* Nónne hoc paullò amplius, quàm in Plinio *binos* dumtaxat *aut ternos?* Certè enim grandis ibi numerus conuiuarum. Iam, ne de Plinij æuo miremur, cùm luxuria in pleno ſuo regno: veteri magis, & ſub ciuilia bella, M. Antonius Triumuir, ſeptem aut octo apros in cænam vnam parat. Plutarchus huius rei teſtem dat & citat, auum ſuum Lampriam: quem ait ex Philotâ medico ſic audiſſe, qui *viſerat: Veni*, aiebat Philotas, *Alexandriam, cum Antonius illic cum Cleopatrâ ſuâ delectaretur. Audiebam de menſâ, de epulis: cupido me ſubiit coràm arbitrandi & videndi. Cùm ergo innotuiſſem vni cuipiam ex Antonianis coquis, is me in culinam & in* **D** *ipſam illam officinam ciborum induxit. Vidi cùm alia multa, tum* APROS FEROS ASSARI OCTO. *Mira iis fui, & ad coquum, Ergóne hodie*

tam

* Qui ſolitus fere numerus in pleno triclinio.

A *tam frequentes conuiua apud Antonium? Ille riſit, & ò bone, inquit, conuiuæ non niſi * duodecim erunt: ſed quia incertum, qua ipſi horâ cœnaturus Antonius (celerius enim alias, aut tardius:) id refert, vt apri calidi & in vigore adferantur: atque ideo plures ſic aſſantur.* Ecce ingenium gulæ, & iactantiam! & tamen ex illis octo, duos treſve in cœnam illatos, facilè perſuademur. Atquin vnde habuerint, quæris. BILL. Mentiſſimò quæro. nec vllæ ſiluæ Europæ totius fuerunt ad cottidianos hos apros. LIPS. Siluēſtros ſemper & verè ſiluestres, tecum ſentio: ſed aliud etiam ingenium gulæ vide. Commenti ſunt huic rei apros quoſdam rure & in villis habere, quos fœturâ propagabant, & ſaginabant deinde ad culinam. De talibus Iuuenalis:

Altilis, & ſiaus dignus ferro Meleagri,
Fumat aper.

B Nota *Altilem*: atque ibi Scholiaſtes vetus, *Paſta, vel aprugna.* Benè. à paſcendo enim, hoc genus *Paſtos* vocabant, & carnem ipſam *Paſtam*: voce quæ * hodie in ferinâ hac, pane clausâ obtinet, nec peccem fortaſſe, ſi hinc petam. Martialis:

* Belgis aliiſque Gallis Paſtea dicitur.

E cauea fugiat ne male PASTVS *aper.*

De hiſdē Seneca epiſtolâ CXI. *Animalia diu* PASTA *& coacta pingueſcere, & quæ vix ſaginam continent ſuā.* Oſtendit præpingues fuiſſe (vt ſolet id animal, in ſomni & cibi copiâ) & magni rarique ponderis: imò & *Milliarios*, vt appellabant. Idem Seneca, eâdem epiſtolâ: *Non magnam rem facis, quòd viuere ſine regio apparatu potes, quòd non deſideras milliarios apros.* Varro de re ruſt. lib. III. *Num pluris nunc in e villa natos illic verres lanio vendis, quàm hic apros milliarios Seius?* Nihil muto, etſi alij *macellarios* volunt: & tamen auxeſim aliquam C productionemque agnoſco, nec iuſte fuiſſe mille librarum. Simile, quod in Plinio *Milliariæ oleæ* in Africâ appellantur, *à pondere* (vt ait) *olei, quod ferunt annuo prouentu.* Hos in Palæſtra cibum cepiſſe, Varro idem addocet: *Vidiſti ad buccinam inflatam, certo tempore, apros & capreas conuenire ad pabulum: cùm è loco ſuperiore in* PALÆSTRAM *apris effunderetur glans, capreis vicia.* Inde aper *palæſtrita* Martiali:

——& concubinus
Paritur apri glandulis palæſtritæ.

Atque hi non in ſiluâ, ſed in culinâ cæſi. eóque facetè Seneca, de Breuitate vitæ: *Conuiuia mehercules iſtorum non inter vacantia tempora poſuerim, cùm videam quàm ſolicitè argentum ordinent, quàm ſuſpenſi ſint, quomodo aper à coquo caſus exeat.* quomodo exeD at, è culinâ ſcilicet, & ſatiſne aſſus & calidus, & in ſuâ ἀκμῇ. Et ferì haud dubiè meliores. eóque Martialis in laudibus vitæ Rusticanæ ponit:

Ibi illigatas mollibus damas plagis
Mactabis, & vernos apros.

ſi tamen mecum legitis: *& veros apros.* Illi enim domeſtici, vix legitimi: iſti è ſiluâ, germani & veri. Niſi cui magis placet quod in Iunij vetuſto codice: *vernas apros,* quaſi peculiares & in fundis ſiluiſque eius natos. CAR. Gratia Billicheo, qui huc te traxit: placent hi ſermones, & decent quoque in menſa. Sed ſcire aueo, ſimpliciterne aſſi hi apri, quod è dictis obſeruaſſe videor; an aliter: & ritu hoc noſtro, conditi? LIPS. Nil niſi de aſſis lēgi, nec aliter opinor. LAMPS. Mirum autem totos ſic, & tam pingues, grandes, potuiſſe. LIPS. Potuēre, ſed in longo firmóque veru aut *cuſpide*, vt Martialis appellat:

Parua tibi curnæ craticula fundet ofellâ,
Spumens in longâ cuſpide fumet aper.

Fumare cum dicit, & in cuſpide: ergo aſſari. idque de more. Hac mente & Iuuenalis ſuprà, *Fumat aper:*

A & Plutarchus clarè, vt audiſtis. Ponebantur autem in grandibus quadratiſque lancibus (ex Athenæo) & pomis, glandibus, aut ſtrue tali fructuum, cingebantur. Quid vt indicarēt? captos in ſiluis eſſe? an ſtragem hanc talem dediſſe? Verba quidem Senecæ, De Prouidentia cap. IV. *Ingenti pomorum ſtrue cingeret primæ formæ feras, captas multâ ſtrage venantium.* Sed verba ambigua. cùm quibuſdam libris, *augeret* legatur, non *cingeret*, quod aliorſum tunc traxerim, & infarctos apros capiam, ad augendam ſpeciem ac molem. Talis in Athenæo *ſus aſſus, cuius venter ficedulis, turdis, ouorum vitellis, & id genus edulis, plenus eſſet.* Sed & nunc io porculis aſſis (qui vicem aprorum manſēre) farcto hoc pomorum, aut caſtaneatum gaudemus. Sed & crudo pomo in os inſerto, inſignimus. Pro vulgata ſcriptura tamen, exemplum de Squillâ, in Iuuenale:

B *Quæ fertur domino ſquilla, & quibus vndique cincta Aſparagis?*

Secundum hos ſermones, alij pluſculi fuerunt, & varij; ioculi, ſerij, plerique oblectantes. Et noſter Furius, Heus Lipſi, inquit, viuamus, imò & bibamus.

--recepto Dulce mihi furere eſt amico. Horat.

LIPS. Pro nomine hoc tuo ſit, an etiam decoro? Sed tu, quod dicis & audis, minimè omnium mortalium facis. ORAN. Imò pro decoro. quidni in conuiuio? & inter tales? quorum mens niue candidior, & cryſtallo purior, nec ſuſpicatur, nec luet. Denique quo fine huc venimus? iocandi. Curæ & ſeria domi eſte, cras vos recipiam. ADAM. Amo te Orane, quis ſcit, quàm diu licebit? Imò non diu licebit, & alius aliò diuellemur. Ego ad meos, alius ad C manes: fortaſſe & ego. ò ancipitem & anxiam ſemper noſtram ſortem!

Quapropter edulcare conuenit vitam,
Curaſq; acerbas ſenſibus gubernare.

vt poëta ille ait. Age, bibe hoc Lipſi: en exemplum. LIPS. Sed cum affuſâ aqua. FVR. Minimè. non amamus nymphas, & lege vetamur. LIPS. Mihi fas & ius, vel ob vnas Spadanas. O illa ſalutifera! quòd ſpiro, quòd ambulo, quòd ſcriptito, huic acceptum refero.

Quas tibi grates	*Ego te verſo*
Nympha reponam?	*Ego te proſo*
Quas mea Muſa	*Carmine dicam:*
Et Genius dabunt.	*Et te numeris,*
D *Donec ſpiritus*	*Et non numeris,*
Hos reget artus,	*Collaudabo.*

DIALOG. II.

Ad Tela ventum, & de Fundis primò dictum. Inuentio, forma, excuſſio.

SVAVITER hæc & talia fabulati ſurreximus, & viſum conſenſu prodeambulare. Iuimus extra hortum ac Prætorium, & proceſſimus in ripa ſecundùm flumen. Lipſi, inquit Furius, ego & Oranus vos ſiſtimus: cumſtus ſectæ potius, quàm peripateticæ ſumus. Sedendum eſt, ſudare incipio. LIPS. Imò & vobis exercitium magis conuenit, eamus. FVR. Non imus, ſedemus. ecce hîc ſub hac quercu, vmbroſum eſt. BILL. Placet Lipſi, aſſideamus. FVR. Auris tuæ operam poſco Billichee, inclina. BILL. Habes. hem: iam teneo, memorem moneo.

Enimuerò Lipſi, cùm ſic ſedimus, & ventrem habemus farctum, tamen aures vacant, & appetunt guſtatam illam dapem. LIPS. Quam? etſi propemodum ſcio quid agatis. O Furi, Furi. BILL. Reliquum illud matutinæ epulæ, *de Telis*. Nónne res & fides tua exigunt? illa manca eſt, niſi adiicis; tu infidelis, niſi promiſſum præſtas. LIPS. Amici, non vos fallam, dirigere poſſum, dicere non poſſum: vtique nunc à cibo. An non medici & valetudo vetant? CAR. Vetant, & ego tuus ductor, etiam hîc ero tutor: Affatim ſatis, ſi præis alicui dicturo. LIPS. Liberaliter hoc fiet: & ius ergo mihi partes adſignandi? CAR. Per me ius, & Billeheus adnuit. FVR. Etiam ego: cum lege, vt eximii ſint, qui operam iam nauarunt. LIPS. Neſcio, videbo: hoc agite. *Tela*, quorum in oppugnando aut repugnando vſus, duplicia ferè: *Lapides*, aut *Ligna*. Illos dupliciter iterùm mittebant, aut *Manu*, aut *Funda*. De manuario iactu, parùm eſt, & natura ac mos docent: nec moneri aliud opus, quàm pleroſque veterum vſurpaſſe. Sed de *Funda*, is accuratior, & explicandus eſt. à quo? nam circumſpicio: à te Lampſoni. LAMPS. Quid? an me tibi placuit? LIPS. Corpus ſtrictum, agile, manus mobilis (in ſtilo ſcimus) & planè bonus es pugnare funda. LAMPS. Etſi parùm honeſtum hoc telum bonis; tamen quò me tranſcripſeris Imperator, eo & pareo. ac dabo operá, vt vel imum ordinem honeſtem. LIPS. Placet obſequium, perge. LAMPS. Vt à nomine ordiar, *Funda* Latinis dicta, *quòd ex ea fundantur lapides*, ait rectè Iſidorus. De inuentione variant. & Plinius Phœnicibus tribuit, Strabo Ætolis. Pro Strabone Pollux videatur, qui Acarnanibus aſſignat: & Thucydides etiam de iſtis, libro II. δοκοῦσι δὲ ἀκαρνᾶνες κράτιστοι σφενδονᾶν εἶναι: *Videntur Acarnanes optimi funditores*. Et ſanè Acarnanes finitimi Ætolis. At pro Plinio, communis opinio. & Vegetius: *Fundarum vſum primi Balearium inſularum habitatores & inueniſſe, & peritè exercuiſſe dicuntur*. Quin Diodorus βαλιαρεῖς ἀπὸ τοῦ βάλλειν τοῖς σφενδόναις dictos putat: *Baliares, quòd fundis iaciant*. Hæc, dico, pro Plinio. quid ita? quia ipſi Phœnices olim ibi coluerunt, & artem intulerunt. Ipſe Strabo tranſire huc videtur, libro III. Σφενδονῆται, inquit, ἄριστοι λέγονται. καὶ τοῦτ' ἤσκησαν, ὥς φασι, διαφερόντως, ἐξ ὅτου Φοίνικες κατέσχον τὰς νήσους. *Baleares optimi funditores habentur, & hoc maximè exercuerint, vt fama eſt, ex quo Phœnices inſulas eas obtinuerunt*. Sanè, quod ad præſtantiam, plurimi iis teſtes. Florus, libro III. cap. VIII. *Tribus quiſque fundis prœliantur. Certos eſſe quis miretur ictus? cùm hæc ſola gentis arma ſint, & vnum ab infantiâ ſtudium. Cibum puer à matre non accipit, niſi quem ipſa monſtrante percuſſit*. Ait primùm de tribus fundis. Vbi eæ? in capite omnes, ſi Straboni credis. Σφενδόνας, inquit, περὶ τῇ κεφαλῇ τρεῖς ἔχουσι. τὴν μὲν μακρόκωλον, πρὸς τὰς μακροβολίας. τὴν δὲ βραχύκωλον, πρὸς τὰς ἐν βραχεῖ βολάς. τὴν δὲ μέσην, πρὸς τὰς μέσας. *Tres fundas circum caput habent. vnam longioribus habenis, ad longiores ictus; alteram breuibus, ad breuiores; tertiam mediis, ad medios*. De diſcrimine & cauſsâ, benè & verè: ambigo an de poſitu. & an non meliùs Diodorus, qui diſponit *vnam circa caput, alteram ventrem, tertiam in ipſa manu*? Commodius hoc videatur, aptiúſque. Et de capite, non nouum: cùm etiam Mardis, genti Perſicæ, ſimile Curtius ſcribat factitatum. *Funda vinciunt frontem. hoc & ornamentum capitis, & telum eſt*. Sed fundâ, non fundis, & vidi imaginem in columnâ veteri Antonini, in qua Balearis capite, & ventre, & humeris eam geſtat. Sed addit Florus de petitu, & de cibo. Ipſa illa Diodorus, & Strabo, & Lycophron pluſculis verſibus, atque ad eos Tzetzes. Quid opus apponere, cùm de re

Lib. III.

A conſtat? Magis materiem & formam fundæ quæramus: etſi materiè Strabo propriè ſuggerit, & fuiſſe ait μελαγκραΐνας, ἢ τριχίνας, ἢ νευρίνας: *aut e melanchranâ, aut è pilis, aut neruis*. Triplex igitur materies. prima Melanchræna. quid fuit? ſpartum, opinor, & hoc ſic nominat: cuius copiam in Hiſpania fuiſſe, omnes ſcimus. Plinio quidem *Melancranis* eſt ſpecies *iunci acuti*, & Heſychio μελαγκρανίς, ὀξύσχοινος: quid aliud ſpartum? atque eo nomine linum aut cannabin etiã cõprehendo. De lino, in Vegetio mox audies: de cãnabi eſt in Suidâ: ἡ γὰρ σφενδόνη ἀπὸ κανάβεως γίνεται: *Funda enim è canabi fit*. Totum hoc genus Virgilius tangit:

Stuppea torquentem Balearis verbera funda.

B Altera materies, pili. & hanc priori, de quorumdam ſententiâ, Vegetius antefert: *Funda ex lino, vel ſetis facta. has enim dicunt eſſe meliores*. Tertia materies in Strabone, nerui. nec exempla reperi alibi, etſi ratio non abdicit. Accipite nunc formam. quæ in monumẽtis obuia, nec aliud eſt, quàm funiculus in medio latior, ouali formâ & paullatim in ſtrictius abit. An non cauitas & foramen in medio? non opinor. Etſi in Ciceronis tamen * verſiculo eſt.

Fundum Varro vocat, quem poſsis mittere fundâ,
Ni lapis exciderit, quà caua funda patet.

* Apud Quinctil. lib. IX.

Sed intellegit cauam fundam, ſic manu ſtrictam; &

C quod patet in eâ, eſt ipſum latus. Sententia etiam Varronis, poſſe meritò fundum vocari (totum illud, quod agro & ædificio conſtat) qui iam grandis, vt fundæ iactum æquet. Is autem modus eſt ferè *ſexcentorum pedum*, quod in Vegetio clarè ſcriptum. Sed de formâ, Dionyſius Alexandrinus hanc terram noſtram comparat cum fundâ, hiſce verſibus:

Οὐ μὴν πᾶσα διαπρὸ περίδρομος, ἀλλὰ διαμφὶς
Εὐτροχος ἀμφοτέρωθεν πρὸς ἠελίοιο κελεύθους,
Σφενδόνῃ εἰοικυῖα.

Quos Rhemmius Fannius benè & ſcitè olim vertit:

Non tamen aſſiduo teres vndique margine circum-
Clauditur hæc, bifido ſed brachia litore pandens
Arctatur rapidos curſus ad Solis vtrimque,
D *Aſſimilis fundæ.*

Nec alia mens, quàm τὴν γῆν (Euſtathij interpretis verba) ἐπ' ἑκάτερα ἀρμόζειν, ἐπὶ θάτερα δὲ καθ' ὁμοιότητα τῆς περιβολῆς σφενδόνης συνάγεσθαι εἰς ὀξύτερον: *terram ad latera latiorem eſſe; in partes ſuperas & imas, ad ſimilitudinem fundæ quâ lapides iacit, arctari & conſtringi*. Talis enim illa antiquis nota, etſi hodie nauigatio aliter oſtendit. At medium & fundus, vt ſic dicam, fundæ, circinat: eóque Statius reſpexit:

———*teretes pars vertere fundas*
Aſſueti, vacuoq́; diem præcingere gyro.

Ideò enim *teretes*. ſiue etiam ratione rotationis in ia-

E ctu. Nam rotabant circùm caput, & vires ita dabant: ter, vt videtur, ex arte aut more. Virgilius de Mezentio:

Ipſe ter adducta circùm caput egit habena.

Statius, libro I.

Terq́; leui ducta circùm caput acta habena
Permiſſum ventis abſcondit in aere telum.

Vegetius tamen abnuit de ternario, & ſimplicem numerum præfert. *Semper adſueſcendum eſt*, inquit, *vt ſemel tantùm funda circùm caput rotetur, cùm ex eà emittitur ſaxum*. Sed de ſaxo diſertè addit, numquid aliter in glande? non eſt ratio. Certè & Achilles apud Statium, vbi gloriatur hæc & illa ſe didiciſſe, II. Achill.

——& flexe

—— & flexa Balearicus actor habena,
Quo ſuſpenſa trahens libraret vulnera tortis,
Incluſum quoties diſtringeret aera giro.

dat intellegi, ſæpiùs intortam fundam, & variè pro deſtinatione iactus. Sed iamnunc tetigi, duo fundis miſſa, *Lapides & Glandes*: id quoque docendum eſt, ne quid de his fundis ſine auctore & fundo. Quod ad *lapides*, eſt in Diodoro libro VI. τὺς βαλιαρεῖς βάλλειν ταῖς σφενδόναις λίθους μεγάλους κάλλιστα τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων: *Baleares fundis lapides magnos iacere, optimè omnium mortalium*. Sed quàm magnos? in Suidâ ſcriptor aliquis exprimit: οἱ τῶν βαλιαρίδων νήσων σφενδονῆται μναιαίους λίθους ἔβαλλον: *Balearium inſularũ funditores lapides minæ pondere iaciebant*. Intellegit Minam Atticam, quæ eſt drachmatum centum. Huc quadret, quod in Cæſare habes, *Fundas librales*: ſi tamen ita legis. Ad hos igitur lapides, & vt frequentare ictum poſſent, ſacculos pelliceos ferebant iis implendos. Xenophon libro V. Anabaſ. παρήγγειλε τοὺς σφενδονήτας λίθων ἔχειν μεστὰς τὰς διφθέρας: *Iuſſit funditores lapidum plenos habere ſacculos*: inſtante ſcilicet iam pugnâ. Sed & Strabo ſcribit, in ſingulare certamen Pyræchmam Ætolum, cùm recens funda tunc inuenta eſſet, veniſſe μετὰ σφενδόνης, καὶ πήρας λίθων: *cum fundâ, & perâ lapidum*. Ita igitur ferebant, & magis expeditè, quàm (quod in lapidibus tamen video) vt ſinu etiam præ ſe ferant. Telum alterum, *Glandes*: atque eæ è plumbo, ideò μολυβδίδες Græcis, & *Plumbea* ſimpliciter Spartiano. Iungit vtrumque Salluſtius: *Pars eminus glande, aut lapidibus pugnare*. Vt & Liuius, libro XXXVIII. *Conſul ingentem vim ſagittarum, glandiſque, & modicorum qui fundâ mitti poſſent lapidum, parauerat*: parauerat nempe contra Gallos. quia reuera leuia hæc omnia tela, bona in pugnatores comminus validos, præſertim non ex tuto armatos. *Sphærulas*, iſtas appellat ſcriptor incertus apud Suidam: Οἱ καρδοῦχοι σφενδονῆται ἄριστοι λίθοις τε καὶ μολυβδίναις σφαίραις, ἃς ἐξακοντίζουσιν ἐπίσκοπα: *Carduchi optimi funditores lapidibus & plumbeis ſphæris, quas iaculantur certò & deſtinatò.* His inſcribi aliquando ſolere, & occultè ſic ad hoſtem mitti, memini legere. In Hirtio, de bello Hiſpanienſi: *Per idem temporis glans miſſa eſt inſcripta, quo die ad oppidum capiendum accederent, ſeſe ſcutum eſſe poſituros.* Appianus ad iſtam rem, teſſeras quaſdam plumbeas adhibet. cùm narrat in Mithridatico, ſeruos duos, Athenis à Sullâ obſeſſis, omnia quæ gererentur, hoc dolo ei perſcripſiſſe (φησὶν, inquit, ἐν μολύβδῳ γεγραμμένους ἐξηκόντιζον) *& in teſſeris plumbeis, fundarum iactu deinde miſiſſe*. Tangit hoc iterum Hirtius dicto libello; *Indicium glande ſcriptum miſit, per quod certior fieret Cæſar, quæ in oppido ad defendendum compararentur.* Reuera autem non iſtæ communes Glandes fuerunt, ſed tabellæ magis productæ, & huic rei aptatæ. Atque hæc Funda, eiuſque tela: quæ non temerè variis gentibus in vſu, quia prompta, iteratu facilis, tum etiam quia longè & fortiter ferit. * Exempla ſiue teſtimonia plura ſunt: recenſeo unc hoc Vegetij, lib. I. cap. XVI. *Sæpe aduerſum bellatores caſſidibus, cataphractis, loricisque munitos, teretes lapides de funda vel fuſtibalo deſtinati, ſagittis ſunt omnibus grauiores: cùm membris integris lethale tamen vulnus importent, & ſine inuidia ſanguinis hoſtis lapidis ictu intereat.* Oſtendit per ipſa arma interfeciſſe, etſi, vt ait, ſine ſanguine: quia contuſio plerumque & confractio ex ictu lapidis Sed ipſe de *lapide*: *glans* profectò penetrabat. & Liuius indicat libro XXXVIII. cùm Gallogræcos maximè his telis victos à Manlio oſtendit: Præmittit, eos *patentibus plagis non tam moueri*; *ſed idem*, inquit, *cùm aculeus ſagitta, aut glandis abdita introrſus, tenui vulnere in ſpeciem, vrit, & ſcrutantes qua vellant, telum non ſequitur, tum in rabiem & pudorem tam paruæ perimentis peſtis verſi, proſternunt humi corpora.* Quod cùm ita ſit, telum tamen hoc, vt initio tetigi, parum honeſtum habitum, & iunioribus aut vilioribus aſſignatum. Quin Xenophon refert, VII. Pædias, *Cyrum, cùm Lydos deuiciſſet, iuſſiſſe fundis exerceri*: νομίζων, inquit, τοῦτο τὸ ὅπλον δουλικώτερον εἶναι: *exiſtimans hoc telum ſeruile quiddam eſſe.* Itaque ipſi Romani rarò vſi, inter Auxilia habebant.

*Vide lib. V. de Milit. Dial. vlt.

DIALOG. III.

Triplex aliud genus Fundæ explicatum.

ATQVE hæc eſt communis illa funda, & vulgò in vſu: etſi diſtinctas quaſdam ſpecies etiam lego, vt *Achaicam, Ceſtroſphendonem, Fuſtibalum*. Rei tota clarandæ, & hæc addam. De Achaicâ igitur fundâ, in Liuio ita eſt, lib. XXXVIII. *Samæi in Græcia à M. Fuluio oppugnabantur. cùm ſæpe erumperent, vna ad coercendos inuenta haud magna memoratu res eſt. Centum funditores ab Ægio, Patris & Dymis acciti. à pueris ij more quodam gentis, ſaxis globoſis quibus fermè arena immiſtis ſtrata litora ſunt, fundâ mare apertum inceſſentes exercebantur. Itaque longiùs certiuſq́, & validiore ictu quàm Balearis funditor, eo telo ſunt vſi. & eſt nõ ſimplicis habenæ, vt Balearica & aliarum gentium funda, ſed triplex ſcutale crebris ſuturis duratum, ne fluxâ habenâ volutetur in iactu glans, ſed librata cùm ſederit, velut neruo miſſa excutiatur.* Et monet primùm, laudatos iſtos funditores, *Ægio, Patris, Dymis accitos*: id eſt ex Achaiâ, quæ gens hac laude clara. Suidas hoc illuſtret, & illuſtretur: Ἀχαϊκὸν βέλος, ἐπὶ τῶν ἐπιτυχῶς βαλλόντων. κράτιστον πάντων ἐπιτηδειότατον ἐστὶ τὸ τοιοῦτον βέλος: πρὸς πολιορκίαν, τὸ τῶν ἐξ Ἀχαΐας τῶν σφενδονητῶν βέλος. *Achaicum telũ. de iis qui pertitè & feliciter iaculãtur. quoniam optimũ inter omnia aptiſſimumq́, ad obſidiones eſt tale hoc telum: dico telum funditorum ex Achaiâ.* Addit Liuius, *longiùs certiùs, validius* iaculatos, quàm Baleares: quod notetur ad vim teli. Deſcribit deinde, & ait, *non fuiſſe ſimplicis habenæ*: id eſt, non ex vno ſimplicique fune. Nam id *Habena* eſt, vt in exemplis ſparſim licet videre: Græcis κῶλον. Suidas: κῶλα, τὰ τῆς σφενδόνης ἑκάτερα μέρη: *Cola fundæ vtrimque membra ſiue partes.* Ammianus id *Amentum* dixit, lib. XXXI. *Res Romana ſtetit ſuperior, nullo fermè alio telo, vel fundæ amento, incaſſum excuſſo.* Pergit Liuius, *triplex ſcutale.*] Quid ſit, diſputant. Glareanus de *Scytale* ſuſpicatur, & ſic reſcribit: fruſtrà, cùm iam olim Priſcianus locum hunc ita laudet. Alij fundum, vt ſic dicam, fundæ, & reticulatum illud, quaſi ſcutulis (inquiunt) diſtinctum. Mihi cùm preſſiùs examino, non aliud *ſcutale*, quàm habena fundæ videtur. Quid enim ea verba volunt, *non ſimplicis habenæ* eſſe, ſed *ſcutalis triplicis*: Fallor, aut pro habena, habet, ac miſcet. an ideò, quia pars ea fundæ, cui lapis imponitur, quaſi ſcuti formam palàm refert? Ergo *Scutale*, quod ab ea dependet: fortaſſe, quòd ipſa Scuta loris reuincire ſolent, quæ ἀγκύλας Græci vocant. Dixerit ergo Liuius, iſtam Achaicam triplici habena aut colo fuiſſe: ſiue diſtinctè triplici, ſiue iunctim & conſertè ad robur. Ita & *Scutale* pro Scutulo aliquis retineat: & ex conſequenti,

tripli-

triplicem habenam addat. At communis & Balearica, ſimplicem modò habuit. Sed dicatur: Lycophron nónne de Balearibus ſcribit,

> Τριπλαῖς δικώλοις σφενδόναις ὡπλισμένοι;
> *Fundis tribus reuincti ſunt bimembribus?*

Bimembres ecce, ſiue duplici habena eas vocat; non ergo ſimplici. Reſpondeo, alio id ibi ſenſu eſſe, & funem quidem vnum, ſed videri & nunc capi vt duplicem à poëta, quia geminatur ſtricta & adducta ad iactum. Expande, ſimplex rurſum erit. De Achaica hæc noui: *de Ceſtroſphendone*, eſt in eodem Liuio, lib. XLII. *Maximè Ceſtroſphendonis vulnerabantur Romani. hoc illo bello* (cum rege Perſeo) *nouum genus teli repertum eſt. Bipalme ſpiculum haſtili ſemicubitali infixum erat, craſſitudine digiti: huic ad libramen pinnæ tres, velut ſagittis ſolent, circumdabantur. Funda media duo funalia imparia habebat: cùm maiore ſinu libratum funditor habena rotaret, excuſſum velut glans emicabat.* Tenebroſa deſcriptio, & niſi aliunde lucem accipit, diu talis. Sed iuuat, aut potiùs diſſipat nubem, quod in Suida ſuper hac re legi. Nam apud eum aliquis (an non Polybius? puto, ipſe) aliquis dico ſcriptor ita: Κεστρός. ξένον ἦν τοῦτο τὸ εὕρημα κατὰ τὸν Περσικὸν πόλεμον. τὸ δὲ βέλος τοιοῦτον διπάλαιστον ἦν, ἴσον ἔχον τὸν αὐλίσκον τῇ προβολῇ. τούτῳ ξύλον ἐνήρμοστο, τῷ μὲν μήκει σπιθαμιαῖον, τῷ δὲ πάχει δακτυλιαῖον ἔχον διάμετρον. εἰς δὲ τοῦτο τὸ μέσον ἐσφήνωτο πτερύγια τρία ξύλινα βραχέα παντελῶς. τούτου δυεῖν κάλων ἀνίσων ὑπαρχόντων τῆς σφενδόνης, εἰς τὸ μέσον ἐνηγκυλίζετο τῶν * κάλων εὐλύτως. λοιπὸν ἐν μὲν τῇ περιαγωγῇ τεταμένων τούτων ἔμενεν. ὅτε δὲ παραλυθείη θάτερον τῶν κάλων κατὰ τὴν ἄφεσιν, ἐκπεσὸν ἐκ τῆς ἀγκύλης καθαπερεὶ μολυβδὶς ἐκ τῆς σφενδόνης φέρεται, καὶ προσπεσὸν μετὰ βιαίας πληγῆς, κακῶς διετίθει τοὺς συγκυρήσαντας: *Ceſtrus. nouum hoc inuentum bello Perſico. Ipſum ſpiculum bipalme fuit, tubulum habens æqualem mucroni. Huic haſtile ligneum inſertum erat longitudine ſpithamæ menſuram æquans, craſſitie digiti. In huius medium tres pinnulæ ligno infigebantur, planè breues. Hoc in fundâ, quæ duo funalia imparia habebat, in medio vtrorumque, amento leniter & vt ſolui poſſet ligatum, imponebatur. Tum igitur in circumactione funda, intentis funalibus manebat; cùm verò alterum ſolueretur in emiſſione, excidens amento ſuo, velut glans è fundâ, ferebatur, & cum impetu incidens, quidquid incurriſſet, validè lædebat.* Ita Polybius deſcribit, & ex eo non dubiè Liuius noſter de ſuo more. Conferamus inter ſe paullùm & componamus, ad rei lucem. Ait Liuius, *Ceſtroſphendonem* hoc telum dictum: rectè. etſi in Suidâ, pars vna vocis modò eſt, *Ceſtrus*. Atqui ſolitaria ea, non niſi *veruculum* & breue telum notat: compoſitio Liuiana mixtum hoc complectitur, & ceſtrum è fundâ miſſum. In Plutarchi Sullâ legi βελοσφενδόνας: neque ſcio an idem hoc genus ſit. Videatur. niſi ſi eâ voce *tela* intellegit *amentis religata, eáque velut fundis emiſſa*. Ait ampliùs Liuius, bello cum Perſeo rege Macedonum, id repertum: ergo is eſt Polybij πολέμου περσικοῦ, *bellum Perſicum*, ne quis aliò ducat. Iterùm Liuius, *bipalme ſpiculum*: quod in Polybio διπάλαιστον. ergo palmus minor (id παλαιστή) intellegendus, qui eſt digitorum quattuor. Sed in Græco hoc diſtinctiùs additur, ipſum mucronem palmi fuiſſe, auliſcum ſiue tubum item palmi. Mox in Liuio, *Haſtile ſemicubitale*: in Polybio, σπιθαμιαῖον, qui ſunt digiti duodeni. Cùm igitur cubitus communiter dictus ſit ſeſquipes, ſiue digiti vigintiquattuor: rectè Liuius *ſemicubitum* vertit. Atque hic eſt *Palmus maior*, ſiue *Dodrans*: ita in toto telo digiti *viginti*, id

*Poſſis & κώλων.

A eſt, pes & quadrans. Adduntur deinde *pinnæ tres*: ſed ex ligno, quod Græcus monet. ne aut plumâ ſcilicet, aut in valido circumactu violarentur. Illæ ipſæ ligneæ, iuuabant tamen faciebántque ad volatum & directionem. Mox enim: *Funda media. duo funalia imparia* habet. Quæ eſt funda hæc media? ipſum fundæ medium: id eſt latius illud, cui telum ſedet. Imparia autem funalia habuit, (ſiue habenas, vt diximus, aut κῶλα) vtrimque duo: cur imparia, & quo ſitu? Credo, ob teli mutati modum ita factum. quod, ne excideret in circum actu, ſedem paullò maiorem voluit, eámque aptam excuſſioni. Eſto igitur fundus latior, duo funes vtrimque contineant: ſed prior, & vbi ferrum eſt, paullò longior latiórque, ſtrictior & breuior poſterior ille, vbi pinnæ. An hoc modo vult, vtrimque vnum fuiſſe, ſed alterum breuiorem? Neque nego natare me in his
B talibus, quæ vſu abierunt, & vſu ac periculo tamen conſtant. Extremum in Liuio, *Cum maiore ſinu libratum*. quod eò obſcuriùs, quia nihil tale in Græco. Hadr. Turnebus vir laudatiſſimus, libro XXX. cap. XXXII. vult fuiſſe duas fundas & duplicem ſinum, ſed inter ſe eas nexas: & in maiore libratum telum. Ipſum videte. Ego vix aſſentior, nec video cui vſui duplex hic ſinus, vtique ſi in altero modò telum. Quin ſententia ſimpliciſſima ſit, *maiore ſinu libratum*, quàm vulgatæ fundæ habere ſolent: ex comparatione maiorem dico, non quia ibi duplex. Nec plura Liuius. qui neglegenter (in aliis etiam ſolet) totum hoc de Amento omiſit, quo telum vtiliter illigatum: tum ne caderet in rotatu, tum vt violentiùs emitteretur. At Polybius diſertè, & bis, hîc expreſſit; monuitque amentationem illam in medio duo-
C rum funium factam. Hæc mihi viſa ſuper *Ceſtroſphendone*, vobis intentiùs videnda. Tertium erat, *Fuſtibalus*. Vox eſt nouitiæ, neſcio an res ipſa. Appellant ita, fundam fuſti alligatam, quo incuſſo lapidem ſcitè & robuſtè emittunt. Vegetius deſcribit, lib. III. cap. XIV. *Fuſtibalus*, inquit, *fuſtis eſt longus pedibus quattuor, cui per medium ligatur funda de corio, & vtraque manu impulſus, propè ad inſtar onagri dirigit ſaxa*. Et qui eo vtuntur, ſunt eidem Vegetio in melioribus libris *Fuſtibalatores*: non ſanè *Fundibulatores*: & *Fũdibalus* diuerſus eſt, vt Furius * ſuprà dixit. Hoc genus an veteribus in vſu, quæri poteſt: puto equidẽ fuiſſe. Ex Feſto: Librilia appellantur, *inſtrumẽta bellica, ſaxa ſcilicet ad brachij craſſitudinẽ, in modũ flagellorũ loris reuincta*. Videtur hoc eſſe, quod Vege-
D tius expoſuit, aliâ voce. *Librilia* enim tunc dicebãt. & ſic libri ſcripti in Cæſare, VII. Gallicorũ: *Fundis, librilibus, ſudibúſque*. vbi alij iunctim legunt, *Fundis librilibus*, quaſi eas dicat, quæ lapides libræ pondo emittant. At malo *Librilia* diſcretè: & fortaſſe inde *Libratores*, qui vtuntur. Tacitus II. Annal. *Senſit dux imparem cominus pugnam, remotiſque paullùm legionibus, funditores libratoréſque excutere tela, & proturbare hoſtem iubet*. Nam ait eos *excuſſiſſe tela*, quod profectò in lapides manu ſolâ iactos non quadrat. Iungit iterum idem cum Funditoribus, XIII. Annal. *Libratoribus funditoribúſque attributus locus, vnde eminus lapides ac glandes torquerent*. LIPS. Cetera haud damno, Lampſoni, in Feſti *Librilibus* hæreo. Nam ecce *loris reuincta, in modum flagellorum*: videturque emiſſum telum fuiſſe, & reductum. Tale aliquid in monumento Antonini obſeruo, & lapidem aut ferrum catenæ illigatum, quæ ſtipiti deinde nexa. In Cæſaris tamen verbis (ſi vetus recta lectio) longinquum, non propinquum id eſt telum. Multa ſanè hîc coniecturalia, vt verbo vno dicam. Ad manuarios etiam lapides cur non aliquis aptet, qui in vſu

*Dial. de Baliſtis.

vulgò?

vulgò? Vegetius, libro II. cap. XXIII. *Sed & manu ſolâ milites meditabantur libralia ſaxa iactare, qui vſus paratior creditur, quia non deſiderat fundam.* Atque vides, ſaxa etiam *libralia* agnoſcit; vnde nonnemo ſcripturam vulgatam Hirtij tueatur. Vetus autem hoc de manualibus lapidibus, & quid niſi naturâ duce? Imò ſimpliciſſimum eſt inter arma. Liuius claſſi quartæ cùm *haſtam & verutum* aſſignaſſet; quintæ & infimæ dat *lapides miſſiles fundáſque.* Manu nempe miſſiles, & ideò ſic diſcernit. Apud Thucydidem ſimilis diſtinctio, libro VI. καὶ πρῶτον μὲν αἱ τῶν ἑκατέρων οἵ τε λιθοβόλοι καὶ σφενδονῆται καὶ τοξόται προὐμάχοντο: *Et primùm quidem vtrimque & qui ſaxa manu, & qui fundis iaciebant, itémque ſagittarij, propugnabant.* Xenophon v. Anabaſ. λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ ἐκ τῶν χειρῶν λίθοι: *Lancea, ſagitta, funda, plurimi manuales lapides.* Ipſi equites etiam alibi, in Cæſare, Lapides manu mittunt. Itaque tu atque iſti, Lampſoni, cognate. LAMPS. Nihil vltrà ego. leuia hæc arma leniter tracto atque habeo, & vt ſolent iuſſi.

Vide Notas.

43



Lubet his addere, Lector, formam faciemque Glandium, quæ aliquot nuper repertæ ſunt prope Aſculum, in flumine Triunto. Ferè trilateræ ſunt, & gibboſæ, & ad veram magnitudinem hîc expreſſæ: quædam rotundæ magis, & oblongæ, vt vides. Vides & inſcriptiones, vnam Imprecationis; alias neſcio an Legionum, an belli *Italici* vel Gallici indices, vt illa *Fugitiuorum*, aut *Seruilis.*

induxerit, qui hoc dixit χρόφοις ἀκοντίζειν: *haſtis veli-tatibus iaculari.* Ita enim ipſe ferè appellat χροφους, & haſtas eas cum ferro fuiſſe, quis neſcit? Hæc pro iſtâ ſententiâ: tu Lipſi contrà? LIPS. Habeo, & magis robuſta. Dico *præpilata* ſine ferro eſſe, nec aliud quàm pilæ inſtar, obtuſo acumine, rotunda. Vocem ſic explico: & firmo ex Plinio, libro IX. cap. XXX. vbi de Locuſtarum marinarum cornibus, dicit ea *propriâ rotunditate præpilata.* De re, ex Quinctiliano ſatis liqueat lib. V. Inſtitut. *Declamationes, quibus ad pugnam, velut præpilatis, exerceri ſolebamus.* Opponit veris micantibúſque telis, præpilata: ſicut Declamationes, quæ ſcholæ & exercitij ſunt, forenſibus orationibus & pugnæ. Sed & in Hirtii, de bello Africo, cùm Cæſar elephantos ſuos exercet, ipſóſque milites & equos adſuefacit ad eorum aſpectum: *Equites in eos pila præpilata coniiciebant, atque in conſuetudinem equos * patientiâ beſtiarum adducebant.* quis ibi cenſebit veris ferratíſque pilis petitos? Sed etiam cùm à *Pilis* ſeiungit, & reſtrictè *præpilata pila* dicit; oſtendit, non vt vulgara, cum ferro fuiſſe. Simile in Plinio lib. VIII. cap. VI. item de elephantis: *L. Piſo introductos dumtaxat in Circum, atque vt contemptus eorum creſceret, ab operis haſtas præpilatas habentibus, per Circum totum actos.* Profectò ibi quoque obtuſas accipere eſt, in ludicra modò inſectatione & exactione. Ipſa quæ tu adduxiſti, non pro te videntur penſitata. Nam Liuij locus, planiſſimè contrà eſt. & in ludicro illo concurſu commilitonum, quis tribuet haſtas ferratas? imò ad exemplum gladiorum (quod fateris) obtuſas. Ad Polybij, dico, nihil obſtare verbum ibi γρόσφων accipi pro telo aut haſtula communiter, etiam ſine ferro. Iam ad Ammianum, ille verò aliter, hoc fateor, ſed non pro tuo ſenſu. Quin *Præpilare* ei ſcriptori non aliud videtur, quàm *præiaculari*: etſi *Pilare* idē vſurpat, pro prædari, vacuare. Scribit lib. XXXI. *Caſtra inimica pilare*: & paullò pòſt, *Pilare villas & incendere.* Aliter quàm Seruius, cui *Pilare* eſt *cogere, premere*: & ita interpretatur *Pilatum* agmen, denſum: & *Pilatas ætheris oras*: ac plura quæ ad Feſtum eximius Scaliger notauit. Sed tu mi Adame perge: hæc ita dixerim, acriùs examinanda. ADAM. Ad *Ferrata* igitur iacula dixi me venire: quæ pluria & multi genera ſunt, nec alia in re fœcundiùs Martialia ingenia luſerunt. Ego quædam crebriora tangam, & quà opus, explicabo aut diſcernam. Primum ſit,

HASTA, Græcorum δόρυ. Etſi commune ferè id nomen eſt, & in plura valet: dicitúrque tam de grandi illa, qua cominus vtuntur, quàm de leuiore quam eminus iaculantur. Simile in Lancea & Conto: ac Strabo ſemel audiatur, lib. X. Διττὴ γὰρ ἡ τῶν δοράτων χρῆσις, ἡ μὲν ἐκ χειρὸς, ἡ δὲ ὡς παλτοῖς. καθάπερ καὶ ὁ κοντὸς ἀμφοτέρας τὰς χρείας ἀποδίδωσι. καὶ γὰρ συστάδην χρώμεθα, καὶ κοντοβολοῦντες ὅπερ καὶ ἡ λόγχη δύναται, καὶ ὁ ὑσσός. *Duplex enim Haſtarum vſus, alia cominus, alia eminus, & tamquam iaculorum, ſicut & Contus vtrumque vſum præbet. nam & ſtatim vtimur, & iaculantes: quod & Sariſſa poteſt & Pilum.* Notabilis locus ad hunc ritum veterem, & pleriſque gentibus communem; hodie deſitum ferè, nobis quidem Europæis. Sed de Haſtâ miſſili, multa teſtimonia paſſim: & inde *Haſtati*, iaculatores olim in legionibus, ac plura paſſim legenda. Alterum communius nomen,

LANCEA, Græcorum λόγχη: atque adeò ab hac deriuat Feſtus. *Lancea dicta*, inquiens, *a Græco, quam illi λόγχην vocant.* Argutè, haud verè & eſt Hiſpanica ipſa vox, vt Varro & Agellius teſtificantur; Gallica, vt Diodorus. De Gallis enim ſcribit libro VI. προβάλλονται λόγχας, ἃς ἐκεῖνοι λαγκίας καλοῦσι: *Iaciunt haſtas, quas ipſi Lanceas appellant.* Sed poſſunt eſſe Hiſpanicâ

A ſtirpe, in Galliam tamen poſt traductæ, vti & in Latium ipſum. Vox quidem *Lanceare*. quod eſt *iacere, mittere*, ipſis Hiſpanis Galliſque & hodie eſt in vſu. Tertullianus vſurpauit, aduerſus Marcionem lib. III. cap. XIII. *Aliud eſt, ſi penes Ponticos infantes in prælium erumpunt, qui antè norint lanceare, quàm lancinare.* Pulchrè ludit. & mirum, inquit, ni veſtri pueri à natiuitate robuſti & militares, qui poſſint priùs lanceam iacere, quàm mammam trahere. De hac autem iaculatrici, paſſim ſcriptores. vt Curtius de Horatâ Macedone, libro IX. *Igitur Macedo haud dubius eminus interfici poſſe, lanceam emiſit.* Lucanus de Craſtino Centurione:

Cuius terra manu commiſit lancea bellum.

Vbi poëta pro Pilo vſurpat, vt eſt profectò nomen
B iaculis commune. Itaque in Actu Apoſtolicis λογχοφόροι, benè redduntur *Iaculatores*: & ſunt iſta, quæ *Menaula* poſterior & deterior ætas dixit. In Leone Imp. cap. VI. *Alij quidem habebant cōtaria, id eſt haſtas, quas nunc Menaula, olim antiqui Lonchas nominabant.* Reperio in Cedreno vocem, ſed paullò aliter ſcriptam. nam dicit μεναύλους. Vbi de Beliſario in Perſas miſſo, qui coram legato Perſico diſſimulabat conſilium. & quaſi venandi modò gratiâ veniſſet, miſit ſuos, inquit, in ſiluas, πελέκεις τε καὶ μεναύλους βαστάζοντας: *ſecures & lanceas ferentes.* Neque enim *calamos* cum interprete viro docto reddiderim, magiſque etiā ſcripſerim μεναύλους. Nam ſic & in *Tacticis Leonis Imp.* (Excerpta Vulcanij habent) μέναυλον, εἶδός ἐστιν ἀκοντίου: *Menaulum, iaculi genus eſt.* Litteram muta, Latinam vocem feceris *Venablum*: & credo ipſam eſſe.
C Nam variè tunc deprauabant: & ſic ταυλαῖος, *Tablata*, & ματζοβάρβουλον, quod eſt *Martſobarbulum*, ipſa noſtra litterâ item mutante. Sunt quidem Lanceæ venatorum: & ſic in Ammiano XXIV. *Feras noſtri lanceis venatoriis & miſſilium multitudine confecerunt.* In Valerij I. cap. VII. *Lanceam petendæ feræ gratiâ miſſam.* Herodianus de Afris, lib. VII. παρ' οἷς οὐδὲν πλέον δοράτιων, οἷς πρὸς θηρία μονομαχοῦσι: *Apud quos nihil admodum præter exiguas lanceas, quibus aduerſum feras præliantur.* Tertium, ſed magis ſtrictum

VERVTVM. cui nomen & formatio ab ipſo Veru, quod refert. Feſtus: *Veruta, pila dicuntur, quòd velut verua habeant præfixa.* Itaque alij *Verutinam* dixerunt, quæ vox in Plauto: & Iſidorus explicat, *Verutina iaculi genus longum, quod aliqui Verutum nominant.* Non
D nemo etiam *Veru* dixit, vt Sidonius:

——*ruit aclide foſſus*
Ille, verúque alius.

Ait *foſſus*. benè: eſt enim ſpiculum tenue & longum, aptum forare. Silius, II.

——*tenui pugnax inſtare veruto.* Virgilius VII.
Et tenui pugnant mucrone, verúque Sabello.

Qui velut proprium Samnitium facit, imò Grammatici nomen eorum hinc petunt. Feſtus: * *Samnites ab haſtis appellati ſunt, quas Græci σαυνία appellant, has enim ferre aſſueti erant.* Propiùs Græcanicam dialectum tangit etymon, qui Σαυνῖτας dicunt & ſcribunt. Et Saunia rectè *Veruta* reddi, diſcimus è Dionyſio: qui vbi Liuius in claſſibus armandis *Verutum*
E ſcribit, ipſe σαυνίον. Alibi etiam σαυνίῳ διαπερονηθεὶς, *ſaunio transfoſſus*, quod huius eſt teli. Etſi Samnites igitur (ij cum Sabellis iidem) primò & propriè vſi, tamen & alij Itali: tribuitque Volſcis poëta idem, II. Georgicôn:

Aſſuetúmq; malo Ligurem, Volſcóſque verutos
Extulit.

Miror hactenus ſic legi, cùm *veruto* veriſſimum ſit: dicátque, Ligures malu ſiue labori ſuctos, Volſcos iaculatione & bello Hoc equidē malo, quàm *Verutos*

* Lego, patientia.

* Triſſe... pſit. P. Diaconus, ... Oe ... lis Lōge bar. c. xx.

dicere, veru armatos. Liuius leui armaturæ tribuit, ſed veteri. vt initio belli Punici ſecundi: *Romani pedites verutis coniectis auertere elephantos.* Etſi *Haſtæ velitares* haud longè iuerunt ab iſtis, ſi non eædem. Meminerunt Verutorum alij, inferiore etiam æuo. vt Plinius, lib. XXXIII. c. III. *Feráq; argenteis verutis inceſſere tunc primùm viſum.* Ita enim libri aliquot ſcripti: haud dubiè venùs, quàm *vaſis*, quod vulgò editur. etſi alij etiam ſcripti, *haſtis*: pariter rectè. Significat autem Plinius, tantam abundantiam & profuſionem Cæſaris in venatoriis ludis fuiſſe, vt in cetero apparatu argenteo, feras etiam peti interficique iuſſerit lanceis ex argento. Vtitur & Ammianus li. XXVII. *Verutis hoſtilibus forabantur, & pilis*: tribuitque Romanis. Seruat ipſe diſcrimen, vt videtur, quod Vegetius ſuggeſſit lib. II. cap. XV. Duplex Romanis eſſe Pilum, Maius & Minus: quorum illud *Pilum* vulgò, iſtud (inquit) *tunc Verriculum, nunc Verutum* dicitur. Ambigimus. & itáne olim *Verriculum*? non conuenit ea vox in telum: magis *Veruculum*, quâ voce Plinius vſus. Sed nec id verum puto, & nónne clarum eſt priſcos *Verutum* dixiſſe? & valdè quidem priſcos, quod exempla euincant. Dubito an non ſcripſerit Vegetius: *quod tunc Verutum nunc Veruta dicitur.* Genus enim ætas immutauit. atque ita in Gloſſis: Βηρῦτα, εἶδ☉ ἀκοντίυ: *Veruta, genus iaculi.* In Leone Imp. Βηρύτλαι, τὰ ῥιπτάρια λέγονται: *Viruta, Riptaria dicuntur.* Seruile hoc telum putet aliquis à Silio dici, in libro XVII.

Ita lege: vulgo, ire. *Qui nobis, memini, ad Cannas lætiſſimus * ira,*
Seruili ferrera ducis ſuffixa veruto.

Quod non ita eſt, ſed illic *Seruili*, longâ & duplici extrema litterâ ſcribendum, capiendumque de Seruilio Proconſule ad Cannas occiſo, cuius caput haſtæ præfixum. Quartum nunc

GESVM, quod alij GÆSVM ſcribunt, & ſæpiùs ſic Græci. Liuius lib. VIII. in Haſtatorum manipulo leues vicenos milites locat. & addit: *Leues autem, qui haſtam tantum geſáq; gererent, vocabantur.* Geſa nempe bina. ex Varrone apud Nonium: *Qui gladiis cincti, ſine ſcuto, cum binis geſis eſſent.* In claſſibus Seruianis *Geſa* non nominantur, & vox ac telum peregrina videntur. Athenæus quidem Romanos petiiſſe ab Hiſpanis vult, lib. VI. [illegible] χρῆσιν, παρὰ δὲ Ἰβήρων γαίσων: *à Samnitibus ſcuti vſum, ab Hiſpanis geſorum.* At alij magis dixerint à Gallis. Nonius: *Geſa, tela Galliarum.* Et Virgilius de iis:

———duo quiſque Alpina coruſcat
Geſa manu.

Propertius etiam de Virdumaro, eorum rege:

* Ante male edebit, eſſedo. *Nobilis è * rectis fundere geſa rotis.*

Claudianus etiam quaſi propriis inſignibus Galliam ornans, lib. II. de laud. Stilic.

Gallia crine ferox, euinctáque torque decoro,
Bináque geſa tenens.

Comatam facit, Torquatam, Geſatam. Et in Polybij libro II. videndum, an non verius ſit Gallos illos, quos *Geſatas* dictus oſtendit, ita à telo potiùs quàm à mercede (quod ipſe vult) agnominatos. Statius & Macedonibus tribuit, II. Achilleidos:

———didici quo Pæones arma rotatu,
Quo Macetæ ſua geſa citant.

Sed ibi quidam ſcripti libri, *tela*. Parum eſt, poëtæ hæc confundunt. Quale autem fuit? Suidas ita: Γαῖσος, ὅπλον ἢ ἀκόντιον μακρόθεν [illegible] *Geſi, telum vel contus longè feriens, vt Q. Criſo in Geticis ſcripſit.* Vertit & ſic interpres Bibliorũ li. Iudith ca. IX. [illegible] ξυ: vertit inquam, *contos, ſcuta, ſagittas.* Et grandius fuiſſe iaculum, etiam Feſtus indicat: *Geſum grande ia-*

A *culum.* & Diodorus, de armaturâ Gallorum: [illegible] *Gladij eorum non ſunt minores aliorum haſtis, haſtæ ferrum habent maius aliorum gladiis.* ſi tamen de Geſis hiſce, vt videtur, ſentit. Paſtoricium telum Liuius id facit, lib. IX. *Inere paſtorali habitu, agreſtibus telis, falcibus biniſque geſis armati.* Silius ita ornat Paſtorem Afrum, lib. II.

———omnia Pœnum
Armenti vigilem, patrio de more, ſequuntur,
Geſáque, latratórque canis.

Quintum, TRAGVLA. dicta, ait Feſtus, *quòd ſcuto infixa trahatur.*

Silius de Choaſpe quodam Aſio:

———cui tragula ſemper
Fulmineam armabat, celebratum miſſile, dextram.

Plautus: *Iam iſtam aliquo verſus tragulam decidero.*
B Idem: *Tragulam in te inicere parat.* Hiſpani vſi, & Annibal obſidione Sagunti, apud Liuium, *aduerſum femur tragulâ icitur.* Apud Salluſtium Metellus in Hiſpaniâ, *ictu tragulæ ſauciatur.* Sed & Galli, apud Cæſarem: *Monet vt tragulam, cum epiſtolâ ad amentum deligatâ, intra munitiones caſtrorum abiciat.* Ab iiſdem (quinto Gallic.) *T. Baluentio vtrumque femur tragulâ traiicitur.* Vſi & Romani, in Suidâ: Κόττας ἐχρῆτο τῷ ὅπλῳ, ὃ τραγούλας ἐλέγετο, [illegible] *Cotta vtebatur telo quod Tragula dicebatur, quo tam validam plagam inferebat, vt percuſſum per loricam, per latera, tráſfigeret, & velut clauo terræ affigeret.* Validum igitur telum: ſed quale, haud
C aliter ſcio, niſi quòd hamatum fuiſſe ſuſpicor, ob etymon illud à trahẽdo Sui. & Vegetio, lib. II. cap. XV. *Tragularij, qui ad manuballiſtas vel arcuballiſtas ſagittas dirigebant,* ſignificatione paulò diuerſâ. At ſextò,

SECVRIS etiam in hunc numero, quam & miſſilem reperio; etſi cominus pugnaſſe eâ non nego. Sidonius de illâ Panegyr. ad Maiorianum.

Excuſſiſſe citas vaſtum per inane bipennis,
Et plagæ præſciſſe locum clypeóſque rotare,
Ludus erat.

Hoc ille de Scythis. & idem de Sigimore iuuene regio, eiúſque comitibus libro IIII. epiſt. XX. *Lanceis vncatis, ſecuribúſque miſſilibus, dextra referta.* Horatius
D Rhætis etiam donat, nec exprimit tamen miſſiles:

———quibus
Mos vnde deductus per omne
Tempus Amazonia ſecuri
Dextras obarmet quærere diſtuli.

Atque etiamnunc habent & ſic vtuntur Boiemi, & vicini. Veteres item Galli, ex Ammiani XIX. *Galli morarum impatientes, ſecuribus gladiiſque ſuccincti, patefactâ ſunt egreſſi portâ.* Procopius de Francis: *Geſtant enſem, clypeum, & ſecurim, cuius ferrum craſſum eſt, & vtrimque acutum. Hanc Franci ſecurim in primo ipſo congreſſu iacere in hoſtem conſueuerunt eo impetu, vt ſcuta perfringant, & ipſos ſimul inermẽt.* Vim teli aduertite. quod ipſum an nõ eſt, quod * *Haggones* patriâ linguâ dixerũt? In Suidâ: Ἄγγωνες, ἐπιχώρια δόρατα παρὰ Φράγκοις: *Angones patria iacula apud Francos.* In * Hauken noſtra lingua.
E Euſtathio deſcribitur: Ἄγγ☉, εἶδ☉ δόρατ☉ Φραγκικῦ, [illegible] *Angos, genus haſta Francica, neque longa admodum, neque magna, quæ plurima ferro tegitur.* In Agathia etiam clariùs: *Breuia tela, quæ ipſi Ancones vocant, enim pars maior ferro obducta eſt, ita vt ex ligno aliquid, præter manubrium, vix exſtet. In ſuperiori ferro, tamquam hami vtrimque ſunt, & deorſum vergunt.* Non eſt planè *Hallebarda* noſtra: etſi hæc poteſt inde nata eſſe. Súntne Græcorum [illegible]? Plu-

tarchus

ἀκόντια ἦν ἑκάστῳ διβόλια: *Iaculum cuique erant, ſecures, ſiue bipennes.* Ita equidem verterim, nec aptius video, vel ad morem gentis, vel ad vocem Græcam. Quæ item in Herodiano, ſed corrupta, lib. II. Seuerus Imp. inquit, iuſſit militibus ſuis (ex Illyrico venerant) cogere & claudere Prætorianos, τάς τε διβολίας καὶ τὰ δόρατα ἐπανατείνειν. *& ſecures, & haſtas intentare.* Nam διβολίας ſcribendum: ſicut & in Euripide eſt, δίβολος ἄκων. Politianus tamen doctiſſimus, illîc *Pila* maluit vertere: in oculis habens, credo, morem telúmque Romanum. Et fateor milites iſtos legionarios eſſe: ſed nempe ex Illyrico reduces, vbi talia tela in vſu. Imò cur non ipſis tunc Romanis in vſo? Tacitus dicet II. Hiſto. *Omiſſo pilorum iactu, gladijs ſecuribúſque galeas & loricas perrumpere.* Hoc ille ciuili inter ſe Romanorum pugnâ: Ammianus, inter Romanos & Gothos, lib. XXXI. *Mutuis ſecurium ictibus galea perfringebantur atque lorica.* Martiobarbuli fortaſſe originem habent iſtinc. de quibus in Vegetio libro I. cap. XVII. *In Illyrico dudum dua legiones fuerunt, qua ſena millia militum habuerunt: qua quòd his telis ſcienter & fortiter vtebantur, Martiobarbuli vocabantur.* Nota, quòd in Illyrico: fortaſſis iſtæ Seuerianæ, & ſecurigeræ. Iuuat quod in Leone Imp. eſt: *Martzobarbulum, quod nunc Saliba vel Tzicurim dicunt.* Retinuit enim ecce & appellationem *Securis* (id enim *Tzicurim* puto;) etſi facies leuiter mutata. Deſcribuntur & depinguntur iſti in Notitiâ Imperii, atque inde aliquis petat. Addo finitos, Cantabros quoque ſecuribus vſos, more patrio. de quo Silius libro XVI.

> ——*ſic fera gentis*
> *More, ſecurigerâ miſcebat prælia dextrâ:*

Sed & Campanis idem adſignat, libro VIII.

> *Aclidas vſus erat, factaq́ ad rura bipennes.*

Sunt plura nomina & formæ, ſed rariora: omnia perſequi cur iubeat, exiguo fructu? CARON. At de *Aclide*, quam nominaſti è Silio, adde. ADAM. Vix aliud ſcio quàm exiguum & teres quoddam miſſile fuiſſe: vt in Virgilij VII.

> ——*teretes ſunt aclides illis*
> *Tela, ſed hac lento mos eſt aptare flagello.*

Plures ferebant. vt in Valerio Flacco, lib. VI.

> *Nec procul albentes gemina fert aclide parmas.*

Sed quid ita Virgilius *Flagello aptat*? quo ſenſu? Seruius ait, *eſſe clauas, cubito ſemis factas, eminentibus hinc & hinc acuminibus quibuſdam: qua ita in hoſtem iaciuntur, religata lino vel loro vt peractis vulneribus poſſint redire.* Neque certius dixerim: niſi quòd teli eius mentio etiam inferiore æuo in Claudio Vopiſci: *Lancea Herculiana dua, aclides dua.* LIPS. Ego quoque in Virgiliano ſenſu hæreo. De receptione teli, ſimile antè dictum, & apud Iſidorum legi, in *Cateiâ* deſcribendâ: *Cateia*, inquit, *quam Horatius Caiam dicit. Eſt enim genus Gallici teli, ex materiâ quammaximè lenta, qua iactu quidem non longè propter grauitatem euolat, ſed quò peruenit vi nimia perfringit. Quòd ſi ab artifice mittatur, rurſus ad eum redit, qui miſit. Huius Virgilius meminit,*

> *Teutonico ritu ſoliti torquere cateias.*
> *Vnde & eas Hiſpani & Galli Teutonos vocant.*

Ait ab Horatio *Caiam* dictam: vbi ab illo? nuſquam herculés, ſcribendúmque reor, *Dorcatio*, quem & alibi Iſidorus citat. Sed & pro *Caiam*, liber ſcriptus (à te Carondelete habui) *Cauam* benè refert, à formâ nimirum ſic agnominatam. vnde & Silius libro III. *pandam* dixit:

> ——*pandâ manus eſt armata cateiâ.*

Nam Panda & Caua eadē, diuerſo ſitu aut aſpectu. Quod etiam eſt *Teutonos* dictas eas eſſe: idem liber *Teutanos* habet, nec memini vltrà legere; niſi quod Valerius Flaccus libro VI. nominat:

> *Et puer è primo torquens temone cateias.*

45



DIALOG. V.

Amenta quid fuerint, & quo fine.

ADAM. Magiſter, te aſpicio, & tacitus poſco. LIPS. Quid? ADAM. Miſſionem. LIPS. Iuſtam quî poſſum, vix expletis primis ſtipendijs? ADAM. Da gratioſam. LIPS. Indulgebo, ſi addideris de *Amentis*, quę nexa eſſe huic Iaculatorię rei, non ignoras. ADAM. Nec auſim, nec ius eſt refragari. Pars enim mei ſermonis ſunt: & Iacula aliâs manu ſolâ miſſa; aliâs loro reuincta, & eo excuſſo adiuta. Id dicebant *Amentũ*. Gloſſæ: *Amentum*, ἅμμα ἀκοντίων: *vinclum iaculorum*. Eædem: Amentum, ὅθεν κατέχεται ἡ λόγχη: *ad quo tenetur haſta*. Feſtus: *Amenta, quibus vt emitti poſſint vinciuntur iacula. ex Græco, quod eſt ἅμματα, vel quia aptantes ea ad mentum trahunt.* Latini & *Nodum* vocant. vt Silius, I.

Huic impulſa leui torquetur lancea nodo.

Statius in III.

Fræna tenens, dupléxque inſerto miſſile nodo.

Item *Anſam*. vt Latinæ gloſſæ: *Amentũ, corrigia Lanceæ, quæ etiam Anſula eſt, ad iactũ.* Inde *Anſata* Enny:

Anſatas mittunt è turribus —— Iterùm:

Poſtquam defeſſi ſunt ſtantes, ſpargere ſeſe

Haſtis anſatis:

Habenam etiam alij. vt Guntherus poëta lib. X.

Qui iaculum valido longè torquere lacerto,

Longiùs excuſſâ didicere potenter habenâ.

Græcorum id inuentum eſt Plinio, qui *Aetolũ Martis filium, iaculũ cũ amento reperiſſe*, li. VII. tradidit. Fuit autem non aliud quàm lorũ reuinctum in haſtâ mediâ circiter, quod manui deinde & primoribus digitis illigabant leuiter, in emiſſu cum impetu ſoluen-

A dum. Quòd in mediâ, Seruius: *Amentum, lorum quo haſta media religatur*. Imò Iſidorus *Lanceã* hinc format, *quia æquâ lance, id eſt æquabili amento ponderata vibratur*. Habet enim, vt præmiſit, *amentum in medio*. Et profectò hæc Græcorum μεσάγκυλα, niſi fallor: etſi quaſi teli certum genus Grammatici proponunt. Heſychius, μεσάγκυλα ἀκόντια. Feſtus, *Meſancylum, teli miſſilis genus*. Poterant & debebant explicatiùs, *telum amentatum*. Certè Græcis ἀγκύλη *amentum* eſt, & ἀγκυλίζειν, *amentare* propriè; etſi interdum pro Iaculo & Iaculari vſurpant. Strabo lib. IIII. Ἔστι δὲ τι καὶ

B χόρηγον ὅμοιον ξύλον, ἐκ χειρὸς οὐκ ἐξ ἀγκύλης ἀφιέμενον, τηλεβολώτερον ἢ βέλους: *Eſt etiã* (Gallis) *ligneum telum, haſtæ velitari ſimile, è manu non ex amẽto miſſum, quod lõgiùs peruadit ſagittâ*. Neſcio an Geſum intelligat, an aliud leuius telum. Xenophon lib. V. Anabaſeos: τοὺς πελταστὰς παρήγγειλε διηγκυλωμένους ἰέναι, ὡς ὁπόταν σημήνῃ, ἀκοντίζειν δέοι: *Peltaſtas iuſſit amentis aptis tenſiſq́, incedere, vt cùm ſignum daret, iacularentur*. Itaque etiam ante pugnam, prompti ſcilicet & parati ſic incedebant, ſtrictis illigatiſque amentis ad digitos primores. Seneca in Hippolyto:

C *Amentum digitis tende prioribus,*

Et totis iaculum dirige viribus.

Contrà, vbi ignauia aut metus, laxè ea habebant & ſolutè. Statius lib. XII. —*ſtat debilis altera pubes,*

Summiſſos enſes nequidquam amentaq́, dextris

Laxa tenent.

In alacritate & promptitudine bellandi, ſurrecti enſes ſunt, & amenta intenta: vtrumque hîc contrà. Quod etiam in pluuiâ fiebat, & humor reſoluebat. Liuius libro XXXVII. notat, Antiochi copias minùs vtiles factas, *quòd humor arcus, fundáſque, & amenta iaculorum emollierat*. Quia amentum igitur roborat

& incitat

& incitat haſtam, inde metaphora Tertulliano, aduerſus Marc. lib. IIII. *Chriſtus amentauit hanc ſententiam, Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ.* quod eſt fortiter & ſenò edixit, & velut amento intorſit. Ita Ambroſius VII. epiſtolar. *Intorquenda eſt illa amentata, non manipularis ſententia.* Nec Manipularis ibi gregarium militem ſignat, aut eum reſpicit; ſed ipſam comprehenſionem, quæ fit manu. Inde *Haſta amentata* Tullio & Fabio, fortes & ſic ligatæ: denique in Lucano id verbi:

Cum iaculum paruâ Libys amentauit habenâ.

DIALOG. VI.

Arcus & Sagittarij deſcripti.

DIXI; nunc alius. CAR. Quin tu idem: decerte, & placuiſti. ADAM. Nónne miſſus ſum? CAR. A Tribuno, non à Conſule: meum hîc autem primarium imperium, quod nec Lipſius negat. ADAM. O fraudem! CAR. Imò ſine fraude, tu perage inceptū. *Sagitta* tibi reſtant. LIPS. Nam hercules Adame hoc exciderat: non miſiſſem, ſi in mentem fuiſſet. nunc reuoco iterùm ſub ſigna. ADAM. Vos traditis operas mutuas. denique verbo veteri, *Magni paruos.* Atqui parendum, aut flendum eſt. *Sagitta* igitur neſcio an ab antiquo Romanis. ego quidem vix legere memini in hiſtoriâ veteri. & Liuius aut Dionyſius vbi claſſes armant, Sagittas nuſquam dedêre. Quid Polybius? minimè: nec Graues eius aut Leues his vtuntur. CAR. Vide quò vadas Adame: ego memini. Non crebra, fateor, mentio: tamen eſt. & ecce in Dionyſio lib. IX. ſub prima tempora libertatis, Æquos narratur *caſtra Romana oppugnaſſe, neque abſterritos* οὔτε παλτῶν, οὔτε * τοξοτῶν, οὔτε χερμάδων ἀπὸ σφενδόνης ἀφιεμένων βολαῖς: *vel haſtarū, vel ſagittarū, vel lapidum è fundâ emiſſarum ictibus.* Iterùm alibi idem: Οἱ ψιλοὶ ῥωμαίων τισ βολαῖς, καὶ τοξεύμασι, καὶ λίθοις ἀπὸ σφενδόνης μαχόμενοι: *Leues milites* (Romani) *haſtarum ictibus & ſagittis: & lapidibus e fundâ miſſis pugnantes.* Deniq; clariſſimè Vegetius: *Quantū vtilitatis boni ſagittarij in prœliis habeât, & Cato in libris de diſciplinâ militari euidenter oſtēdit; & Claudius pluribus iaculatoribus inſtitutis atque perdoctis, hoſtem, cui prius impar fuerat, ſuperauit.* Si Cato dilaudat ille Priſcus, quid certius quàm apud priſcos fuiſſe? ADAM. Tamen etiamnunc ambigo: nec valdè mouent, quæ adduxti. Dionyſius ſemel aut iterùm nominauit: quid ſi incogitantiâ aut eâ ſutat idem, vbi opus maximè fuit, non fecit. Vegetius ingerit: ſed nempe veterum rerum parùm firmiter ſciens, nec peccem, ſi teſtem hunc abijciam aut ſpernam. In iſto ipſo loco Sagittarios cùm laudatum it, Claudium adducit qui *Iaculatores* inſtituit. Deus te amet Vegeti! ſcitus & bellus argumentator es, à Sagittis ad iacula tranſis. Atqui Claudius ille, ſiue collega eius, ad Capuam non niſi Velites inſtituerunt, quos tu (& id benè) Iaculatores appellas. Grande autem diſcrimen: ac ſubuereor ne, idem in Catone ſit, & ille omniſi tales aliquos, qui eminus mittunt & iaculantur, laudauerit; tu trahas etiam ad Sagittas. Quidquid ſit, monere hoc volui: ſi exempla alia refellunt, deſino libens opinionis huius, & tuæ do manum. Illud quidem haud abnuo, fuiſſe poſt Punicum bellum ſecundum creberrimè in Romanis caſtris, ſed Auxiliares nempe, non ciues. In hoc numero maximè Cretenſes, quos & excelluiſſe hac peritiâ certum eſt: & quidam originem primam ad eos trahunt. Diodorus ita ſentit, *Apollinem repperiſſe arcum, & indigenas Cretenſes docuiſſe ſagittariam.* Iſidorus accedit: *Sagittis primùm Cretenſes vſi ſunt.* Plinius tamen aliter. &, *Arcum ac ſagittam*

A (inquit) *Scythen Iouis filium, alij Perſeu Perſei filium inueniſſe dicunt.* Ibi omnes oculos retulêre ad populos qui arte eâ clari: atque ita alij ad Scythen, quia Scythæ eminent; alij ad Perſen, quia Perſæ, hoc traxerunt. Becanus noſter libens ſuffragium ſuum Scythis donet: quòd noſtrate linguâ *Sagittare*, etiamnunc eſt *Schieten.* Inde ergo Scythæ dicti, & pro veteri pronuntiatione Y Græcanici, ipſi Sagittarij hodie *Schutters.* Quid ais Lampſoni? aures arrigis? hæc valdè pro tuo Becano. LAMPS. Fateor, ego & plures virum hîc amauimus (ſæpè nobis aderat) virum in ſermonibus & ſubitis diſſertationibus ad miraculum promptum, & facundum. ADAM. Scythæ igitur inter inuentores cenſentur, & celebratur *Arcus Scythicus*: cuius forma expreſſa in Athenæo, lib. X. Nā ibi B paſtor, cùm nomen ΘΗΣΕΥΣ vellet exprimere, & ſingulas literas rebus aut imagini cuipiā aſſimilare: ait

Σκυθικῷ ἦ τόξῳ τὸ τρίτον ἦν παρεμφερές.

Sed tertia arcui Scythico ſimilis erat.

Et eſt ſanè vetus Græcorum Sigma, tali omnino formâ. Valerius Flaccus idem oſtendit, cùm Tanaim quâ in Mæotim erumpit, cum arcu Scythico componit, libro IIII.

Atque hac Europam curuis anfractibus vrget,
Hac Aſiam. Scythicum ſpecte ſinuatus in arcum.

Sed & Parthi hoc tali arcu vſi: & exſtant Nummi M. Antonij, in quibus ſic expreſſus. Ab *arcu* Feſtus notat *Arquites* dictos, *arcu prœliantes, qui nunc,* inquit, *Sagittarij.* Sagittæ ipſæ dictæ etiam *Virga*, vt in Claudiano. lib. I. de laud. Stilic.

Quis Stilicone prior ferro penetrare leones
Cominus, aut longè virgâ transfigere tigres?

C Etſi tētaui ibi aliquādo, *virgatas figere tigres*: quoniam & in Silio legerā. *virgato corpore tigrim.* Sed deſino, & illud teneo, interpretorq; vel iaculū, vel Sagittam. Sic & Græci vſi voce ῥάβδων. vt Cedrenus de Nicephoro Imp. eduxiſſe eū ſcribit in Bulgaros, πολλοὺς πένητας σφενδόναις καὶ ῥάβδοις ὡπλισμένους: *multos pauperes, fundis tantùm & virgis armatos.* Iterùm, de omnibus Baſilio ad Imperium: Ὁ βασιλεὺς πρὸς θήραν ἐξῄει, καὶ κατάσχῶν λαγωὸν τῇ ῥάβδῳ, τοῦ ἵππου καθήλλετο πρὸς τὸ σφάξαι τὸν λαγωόν: *Imperator ad venationem exierat; & certo ictu cùm leporem virgâ tetigiſſet; deſcendit ex equo vt interficeret.* Sunt & in Manilio verſus, de iis qui in Sagittarij ortu orti:

——*dabit & iaculum torquere lacertis,*
Et calamum neruis, & glebas mittere virgis,
Pendentémque ſuo volucrem deprendere cœlo.

D Velim & hîc Virgas pro Sagittis, niſi diceret *glebas iis miſſas.* Atqui glandes plumbeæ, fundis profectò miſſæ; nuſquam (meâ ſcientiâ) ſagittis. An ad *Fuſtibalum* hoc refero, qui lapides glebáſque mittebat? an ad tubos illos & canales oblongos, teretes, foratos, quibus etiamnunc Aucupes aues feriunt, emiſsâ per eos argillaceâ glebâ ſpiritu collecto & fortiter expreſſo? Magis adfirmarem, ſi veteres ſcirem vſitaſſe. Sagittas tamen hîc non intellegi, illud etiam vincit, quòd de ijs præiuit: *Et calamum neruis.* Nam calami, ſagittæ. quia ſæpè ex leuiore illâ materiâ: etſi quædam firmiores atque etiam grandiores. Curtius de Indis, libro VIII. *Binûm cubitorum ſagittæ ſunt, quas emittunt maiore niſu quàm effectu. quippe telum, cuius in leuitate vis omnis eſt, inhabili pondere oneratur.* Sed & Arabes maioribus vſi. de E quibus in Suidâ ſcriptor incertus: Οἱ δὲ ἄραβες ἀρετῇ πολὺ τῶν ἄλλων διαφέροντες, οἱ βέλεσιν ἀνδρομήκεσι χρώμενοι, ἀντὶ τῶν χειρῶν τῷ ποδὶ ἐμβαίνοντες εἰς τὴν νευρὰν, συνέλκουσι τὸ τόξον. *Arabes virtute multum alijs præſtant, qui ſagittis hominis longitudine vtentes, pro manibus pedem in neruum ponunt, ac ſic arcum intendunt.* Ple-

*Legend. τοξευμάτων.

tæque autem Sagittarum hamatæ, & ne facilè euelli poſſent. Propertius de Amore.

Et manus hamatis vtraque eſt armata ſagittis.

Quædam triplici hamo. Statius lib. IX.

Aſpera tergeminis acies ſe condidit vncis.

Quædam quadruplici, quæ ſunt Hippocrati τετράγωνα βέλη, *quadrangulæ ſagittæ.* At illæ Parthorum mirificæ, quæ videntur aciem ſuper aciem habuiſſe: ſi Dionem ſatis intellego, in rebus Luculli contra Tigranem, libro XXXV. Καὶ ἦν τὰ τραύματα χαλεπὰ καὶ δυσίατα. ταῖς τε γὰρ ἀκίσι διπλαῖς ἐχρῶντο, καὶ προσέτι καὶ ἐφήρμοζον αὐτὰς, ὥστε τὰ βέλη εἴτε ἐμμένοι που τοῖς σώμασιν, εἴτε καὶ ἐξέλκοιτο, τάχιστα αὐτὰ διολλύναι. τὸ γὰρ ἕτερον τὸ δεύτερον σίδηρον ἔνδον, ἅτε μηδεμίαν ἀνθολκὴν ἔχον, ἐγκατελείπετο: *Vulnera autem erant grauia & ægrè curanda. Nam duplici acie vtebantur, & ſic adaptabant, vt ſiue ſagitta manerent in corporibus ſiue extraherentur, celerrimum interitum adferrent. Alterum enim illud ſecundum ferrum & cuſpis, vt quod nihil haberet quo retraheretur, intus relinquebatur.* Significare videtur, velut cuſpidem ſuper cuſpidem fuiſſe, quæ tenui ferro* nexa, in corpore ferè maneret & rumperetur, ſiquis tentaret educere. *Secundum* igitur *ferrum* intellegit, illud primum in ictu: ordine quidem à ligno, ſecundum. Plutarchus qui & ipſe has ſagittas, toties in metu & noxâ Romanis, deſcribit, nihil tale: dumtaxat dicit habuiſſe ἠγκιστρωμένας ἀκίδας: *hamatas & vncinatas acies.* Idem vires earum mirificè attollit, & terrori fuiſſe Craſſi militibus τὸν τόνον τῶν ὀϊστῶν καὶ τὴν ῥώμην, ὅπλα τε ῥηγνύντων, καὶ διὰ παντὸς φερομένων ὁμοίως ἀντιτύπου καὶ μαλακοῦ τοῦ τάγματος: *intentionē tenorémque & robur ſagittarum, Arma perfringentium, & per omne quod obſtaret durum aut molle penetrantium.* Atque has ſagittas emiſſas ἀπὸ τόξων κραταιῶν καὶ μεγάλων, καὶ τῇ σκολιότητι τῆς καμπῆς ἐκβιαζομένων τὸ βέλος ἀποστελλόντων: *ex arcubus validis & magnis, qui & ipſo obliquo illo flexu adactum telum violentè emittebant.* Vbi notabis etiam incuruos & Scythicos arcus (quid mirum? Parthi Scytharum Progenies) de quibus prædixi. De ſimili violentiâ, adfirmat etiam Procopius, qui Romanorum Sagittarios valde laudat ſub Iuſtiniano, ac ſic deſcribit libro I Bell. Perſic. *In bellum thoracati prodeunt, tibialia ſiue ocreas etiam induti. Ab vno laterum pharetra, ab altero enſis dependet. Sunt & qui haſtam ferant, & paruum ſupra humerum ſcutum, vt ora ceruicémque tueantur. Equitant præterea peritiſſimè, vt vel equo currente obiter hoſtem & perſequendo poſſint & fugiendo, ferire. Arcum ipſum longè validiorem vſque in dextram tendunt aurem. Tali igitur niſu emiſſam ſagittam, mirum non eſt fruſtrà non mitti, cui neque Thorax vllus neque Scutum poſſit reſiſtere.* Aduerte hæc poſtrema, contra vulgi ἀπιστίας: & ſimul totam armaturam Sagittarij, qui æuo Iuſtinianæo & circiter fuit. Nec enim tunc profectò nudi aut leues, quin & Vegetius *cataphractas & galeas* ijs adſignat. Ideoq; & in acie ſtruendâ, idem cum grauiori milite miſcet. Imò verò iam ab Auguſti, & paullò antè, æuo duplices Sagittarij in exercitu, Equites Pediteſq; quos & in Tacito & alibi leges. Addo, thecas ſagittis fuiſſe, quas *Pharetras* aut *Corytos* priſci dixerunt: etſi Leo Imp. hac poſteriore voce ferè vtatur, pro tegmine ipſo & receptaculo arcus. Idem pharetras, * *Cocura* ſiue *Cocurra* identidem appellat: & agnoſcitis noſtratem vocem, qui hodiéque ſic vocamus. Idem *Scorteum*, Feſto.

* *Aut vt inuolutrum inſeria.*

* Κούκουρα.

IVSTI LIPSI POLIORCETICΩN

SIVE

DE MACHINIS, TORMENTIS, TELIS, LIBRI V.

DIALOGISMVS I.

De Repugnatione additum: & primò quid in Teſtudinem, aut Scalas.

A DESIERAT Adamus, atque ego abituris commonefaciebam noſtros & ſurrectionis. Sed Billeheus, Surgere quidem haud diſplicet, nec veto: abire haud placet, & planiſſimè veto. Itáne parte vel præcipuâ ſermonis neglectâ, aut omiſſâ? LIPS. Mihi non videtur, & cenſeo fideliter, quod promiſi, dediſſe. *De Machinis, Tormentis, Telis.* dediſſe dico, aut dari curaſſe. Nam & ab his æs ſolutioni in parte ſũ mutuatus. Sed quid tu vltrà poſcas? BILL. Quod res, quod natura, & iſti omnes. *Oppugnatio,* dicta adfatim & docta eſt: Quid *Repugnatio,* nulla erit? & miſeros illos ſic perire patimur multos & indefenſos? Mihi non videtur, & vel ipſe potiùs

B propugnem. LIPS. Tu facito, ſi videtur: ego me non adſtrinxi, nec dabo. CAR. Certum eſt? LIPS. Certum. CAR. Atquin cum Billeheo ſentio, faſtigium huic operi imponendum, nec id quoque relinquendum ſine tecto. Age inuicem iuuemus Billehee, tu ordire, excipiam: nec Lipſius hic ſuppetias venire negabit. LIPS. Commilitare, hoc poſſum: ſub veſtris præſertim ſignis, qui ſic amici: at ducere agmen, & præeſſe, id recuſo. BILL. Incipimus igitur, tu memento ſuccenturiatus eſſe. In *Repugnatione*, amici, ordinem haud diu quærendum ſermonis cenſeo: vtar eo quem Lipſius præiuit & quæ ſeries in oppugnando fuit, hæc ſit in tutelâ. Ad ſingula nocumenta aut plagas, pro meâ copiâ & peritiâ, medelas dabo: ſed eas dico, quas legendo didici, & vetus illa ætas

C ſuppeditauit. Primum igitur, quod Lipſius noſter in obſeſſos mouit, idque in *ſubitâ oppugnatione, Teſtudo* fuit, & globus militum denſus; qui incurrit, & niſi amolimur, ſcandit. Reſiſtebant, & *Saxis aut ponderibus* aduentantem obruebant, aut certè diſſipabant.


A Tacitus III. Hiſt. *Tum elatis ſuper capita ſcutis, denſâ teſtudine ſuccedunt, Romanæ vtrimque artes. pondera ſaxorum Vitelliani prouoluunt, diſiectam fluitantemque Teſtudinem lanceis contiſque ſcrutantur: donec ſolutâ compage ſcutorum, exſangues aut laceros proſternerent.* Primum igitur erat (ex his verbis) ſaxis obruere: ſi pars aliqua leuiter ceſſiſſet aut ſe abiunxiſſet, tum *Contos* aut *Lanceas* inſerere, & iam intutos, lapidibus, pilis, aliiſque miſſilium proſternere. Lucanus hæc eadem, de Maſſilienſibus in Iulianos:

——ſed pondere ſolo
Contenti, nudis euoluunt ſaxa lacertis.
Dum fuit armorum ſeries, vt grandine tecta
Innocuâ percuſſa ſonant: ſic omnia tela
B *Reſpuit. at poſtquàm virtus incenſa virorum*
Perpetuam rupit, defeſſo milite, cratem,
Singula continuis ceſſerunt ictibus arma.

Quòd ſiqui per ipſam Teſtudinem tamen ſcanderent; ij verò (ex Tacito eodem) *gladiis & armorum incuſſu præcipitati, ſudibus & pilis obruebantur.* Hæc propriè in Teſtudinem: quid in *Scalas*, quas noſter ſubiunxit? *Furcas* video vſurpatas. Liuius XXVIII. *Et iam qui erexerant ad murum Scalas, Furcis ad id ipſum factis detrudebantur.* Certum fuiſſe Furcæ genus oſtendit, oblongioris, credo, aut in perticâ longiore. Scriptor in Suidâ: παρεσκεύαστο δὲ καὶ δίκρανα, ὥστε ἀπωθεῖσθαι τὴν τῶν λεγομένων σκαλῶν προσαγωγήν: *Præparatæ & Furcæ erant, ad impediendam Scalarum (ita appellant) admotionem.* Dupliciter igitur Furcæ

C vtiles, ad Scalas ipſas reijciendas & reſupinandas, ſed & homines ipſos. Vidi & Furcæ genus in armamentario Bruxellenſi, quod brachia, collum, pedes apprehenderet, ac ſcitè tum coiret. Ita vinctum hominem trahebant & adducebant.

46



DIALOG. II.

Plura alia in Aſcendentes. Oleum; vaſa picis, ſulphuris, bituminis, & in fundis iacta. Plumbum, Ferrum, Arena, Retia.

HÆc igitur in iſta: an non alia communiter in Aſcendentes? ita, tum in eos dico qui Teſtudine nixi, tum & qui ſparſi aut ſine eâ. Primum inter hæc, *Liquida* quædam reperio, aut *Liqueſacta* vt *Oleum feruens, Picem, Bitumen, Plumbum*, & ſiquid tale. De Oleo, in Ioſepho: *Cum Romani iam inuicem ſe adhortati, latera iunxiſſent, ac deſuper protectis longioribus ſcutis inexpugnabilem globum feciſſent, muroque ſuccederent: tum ille* (Ioſephus ipſe qui ſcripſit) *feruenti Oleo perfundi eos iubet. Quod Iudæi promptè & cupidè fecerunt, ipſis etiam ahenis bullientibus in eos miſſis. Quæ res Romanorum connexionem ſoluit, & cum magno dolore à muro abibant præcipites. Celerrimè enim oleum à capite ad pedes, per omnia ſeſe arma inſinuabat, & carnem inſtar ignis depaſcebatur. quippe quod naturâ facilè accenditur, & tardè refrigeratur, ob pinguedinem & lentorem. Loricis itaque & galeis illigati cùm eſſent, fuga non erat huius peſtis: ſed nunc ſubſilientes, nunc dolore ſe incuruantes, decidebant de Pontibus.* Pulchrè omnia deſcripta, & graphicè: atque ego in totâ hiſtoriâ, ſiquid mei iudicij eſt, Ioſephum habeo prudentem probúmque ſcriptorem. Alterum quod inijci ſolitum, *Pix, Sulphur, Bitumen.* Salluſtius, Iugurthino *Oppidani in proximos ſaxa voluere, præterea*

A *picem ſulphure & tædâ mixtam ardentia mittere.* Cæſar VII. *Picem reliquáſque res, quibus ignis excitari poteſt, fundebant.* Quæ talia vaſis plurimùm inferebant, ſiue fictilibus. Vt in Herodiano, de Aquileienſibus, cùm Maximinus oppugnaret: Οἱ δὲ λίθους ἔβαλλον ἄνωθεν, καὶ κιρνῶντες θείῳ τε καὶ ἀσφάλτῳ πίσσαν, κοίλοις σκεύεσιν ἐμβαλόντες, λαβὰς ἐπιμήκεις ἔχουσι, καὶ πυρώσαντες ἄνω τῷ προσπελάζειν ἐπὶ τὸ τεῖχος τὸν στρατόν, κατεσκεδάννυον καταχέοντες ὄμβρου δίκην ὁμοθυμαδόν: *Illi verò ſaxa deſuper iaciebant, & miſcentes picem ſulphuri ac bitumini, in cauis vaſis longa manubria habentibus,*
B *cùm ea feruefeciſſent, appropinquanti exercitui inijciebant, & imbris in modum denſè & confertim inſpergebant.* Ammianus, *Corbes Suelláſque* è ferro huic rei adhibet. vt libro XX. *Corbes in materias ferreos, plenos flammarum, & ſarmenta aliáque ad ignes concipiendos apta iaciebant.* Ibidem: *Faces, ſuelláſque ferreas onuſtas ignibus in Arietem magnis viribus iacientes.* Alibi & *Qualos* appellat, ſed ipſos vimineos & vnà cum materie ardentes: *Qualis ſimul ardentes, pice & bitumine obliti.* Quæ ita iunctim pono, quia adſident & vicina ſunt; etſi haud ignorem, non in viros
C tantùm, ſed in machinas ipſas ligneas vſurpata. Nec omitto verò, hæc talia Vaſa eminus etiam proiecta in hoſtem, idque auxilio Fundarum. In Appiani Libyco: Ῥωμαῖοι δὲ χώματα ἤγειρον ἀντιμέτωπα τοῖς πύργοις, δᾷδάς τε συγκεκομμένας, καὶ θεῖον ἐν κάδοις καὶ πίσσαν, ἐπ' αὐτοὺς ἐσφενδόνουν: *Romani aggeres excitarunt oppoſitos & aduerſos Turribus, & Faces apparentes, itémque Sulphur & Picem in vaſis, fundis emittebant in ipſas.* Poteram aliter & *Iaculandi* communiore verbo interpretari, ſcio: ſed præit ad illud & ducit Dionyſius, qui de priſcis illis Romanis, Capitolio à ſeruis capto & inſeſſo,

apertè

apertè ita ſcribit, libro x. Καὶ οἱ μὲν ἀπὸ τῶν πλησίων οἰκιῶν, ἀσφάλτου καὶ πίσσης πεπυρωμένης ἀγγεῖα σφενδόναις ἐναρμόζοντες ἐπέβαλλον ὑπὲρ τὸν λόφον: *Atque alij à vicinis ædibus, bitumine & pice feruida vaſa repleta * fundis inſerentes & adaptantes, iaculabantur ſuper ipſum collem.* Et ad hæc ego Vaſa, ſiue Ollas, Heſychij Ἀστίοχον referendum puto, ſic deſcriptum: Ἀστίοχος, ἀγγεῖος στρογγύλος, εἰς ὃ ἐγχέοντες πίσσαν καὶ θεῖον, καὶ στυππεῖον, ἐπίμπρων. καὶ ὃ ἐφέρετο, ἐκαίετο τὰ προστυγχάνοντα: *Aſtiochus, vas rotundum, in quod infundentes picem, & ſulphur, & ſtupam, incendebant, & quò deferebatur, adurebat obuia.* Magis dico, huc quàm ad Malleolos facit: & eodem Cæſaris hoc duxerim, è Comment. v. *Galli, maximo coorto vento, feruentes fuſili ex argillâ glandes, fundis, & feruefacta iacula, in caſas quæ more Gallico ſtramentis erant tecta, iacere cœperunt.* Vaſa, dico, argillacea acceperim, repleta feruenti materie: & mecum Oroſius, qui in hac re ſcribit: *Teſtas, fundis, feruentes intorſiſſe*: quas Cæſar *Glandes* à ſimili vſu dixit. Iam & *Plumbum* liquefactum adeoto infuſum ſcandentibus, in Polyæno, vi. Stratag. Πάλιν οἱ μὲν πολέμιοι χελώνας προσάγοντες, τὰ τείχη συνέσειον. οἱ δὲ ἀπὸ τῶν τειχῶν μόλυβδον τακέντα ἐν χαλκείοις προτείνοντες κατέχεον, ὑφ' οὗ συνέβαινε τὴν χελώνην διαλύεσθαι. *Iterùm cùm hoſtes Teſtudinem admouiſſent, muróſque ſubruerent, illi à muris plumbum liqueſactum, in vaſis æreis protendentes, effundebant, eóque facto teſtudo ſoluta eſt.* Nota & hîc, *protendiſſe*, nempe in perticis contiſque: quod & in Herodiani ſuprà verbis expreſſum. Atqui non plumbo ſolùm vſi, ſed & *Ferro*. quod cùm fundi non poſſet per naturam, raſerunt in puluerem: eumque ignitum ſic iniecerunt. Scriptor in Suidâ: πάντα τε ὅσα ὑγρὰ καὶ χυτὰ ἐς πολεμίους σὺν πυρὶ ἐξ ὑπερδεξίου ἐβάλλετο. τά τε ἄλλα, καὶ σιδηρείτην ψῆγμα, ὃ ἐν πυρὶ πολλῷ διάπυρον εἰργασμένοι, κατὰ τῶν ὑπιόντων τὸ τεῖχος * ἔχεον ἐμέλλον: *Liquida omnia & fuſilia in hoſtes, ex ſuperiore loco, feruentia mittebantur. Inter alia verò & ferri puluerem, quem multo igne candentem reddiderant, in murum ſubeuntes parabant effundere.* Cui adſimile eſt, ſed patabilius, quod Curtius Tyrius factum in Macedonas narrat, libro iiii. *Iſ clypeos æreos multo igne torrebant, quos repletos feruidâ arenâ cœnóque decocto, è muris ſubitò deuoluebant. nec vlla peſtis magis timebatur, quippe vbi loricam corpúſque feruens arena penetrauerat, nec vlla vi excuti poterat, & quidquid attigerat, perurebat. iacientéſque arma, laceratis omnibus quis protegi poterant, vulneribus nudi patebant.* Hæc ipſa io câ te Diodorus, libro xvii. niſi quòd *Arenam* ſolam nominat, nec *Cœnum* vllum miſcet: & *machinâ quadam ſiue extrorſus eminente inſtrumento* infuſa hæc prodit. Deinque & aliud in Aſcendentes eſt, diuerſum formâ à dictis, ſed hîc iungendum. Diodorus ſcribit, eoſdem Tyrios, *retibus piſcatoriis, Macedonas ſcalis aſcendentes, inuoluiſſe, & inutiles ita factos ſcalis facile detruſiſſe.* Placuit inuentum ob nouitatem: & cur non gratuler faueamque humano ingenio tuenti magis, quàm inuadenti?

DIALOG. III.

Fœnum Græcum ſparſum, Rumices, & Tribuli.

IAM aliud mihi callidum & nouitium in mente, quod Ioſephus reppetit in Romanos. Ille enim, cum Iotapata, cui præerat, acriter oppugnaretur, & Pontibus per Aggerem admotis, in eo eſſent vt tranſcenderent: *Fœno Græco elixo* (Græcè dixit, τῆλιν ἑφθὴν) *iuſſit tabulas pontium inſpergi & ſuperfundi. quâ re illi lapſantes & caſabundi, incerto veſtigio vacillabant, adeò vt nec progredi nec regredi voltus iis eſſet, aliique ſuper ipſos pontes reſupini caderent, alij in Aggeres delaberentur.* Hoc idem an in alio legumine eſſet, neſcio, & periculi res egeret. LIPS. Mihi quidem hoc nouum, & alibi non lectum. De *Rumicibus Tribuliſque* ſparſis, id magis légi: nec rarum fuit. BILL. Ita eſt, & appoſitè ſuggeris: nam & hi in Defenſionem valent. Valerius iii. cap. vii. *Scipio Æmilianus, cùm vrbem prævalidam obſideret, * ſuadentibus quibuſdam, vt circa mœnia eius ferreos Murices ſpargeret, omniáque vada tabulis plumbatis ſpargeret, habentibus clauorum cacumina, ne ſubitâ eruptione hoſtes impetum facere poſſent. reſpondit; non eſſe eiuſdem & capere aliquos velle, & timere.* Hoc in obſidione Carthaginis euenisse, Plutarchus auctor in Apopthegmatis: Vbi *Rumices* iſtos, τριβόλους dicit: & *Tabulas* ſic factas, σανίδας πεπηγμένας: *aſſeres ſtimulis confixos.* De plumbo nihil addit. quod tamen in Valerio, & vtile fuit ad tabulas firmandas & ſtabiliendas. Reperio & *Sudes Plumbatas* in flumine defixas, à Caſſibelauno Britanno rege, contra Cæſarem, vt narrat quidem Beda, libro i. cap. ii. *Ripam fluminis ac totum ſub aquâ vadum, acutiſſimis ſudibus præſtruxerat: quarum veſtigia ſudium ibidem vſque hodie viſuntur, & videtur inſpectantibus, quod ſingulæ earum ad modum humani femoris groſſæ, & circumfuſæ plumbo, immobiliter hæreant in profundum fluminis infixæ.* Plumbum ille circumfundit, grauitati, vt videtur, & ponderi: minimè Dio, Cæſar, aut alij qui hoc exſecuti. Cæſar tantùm: *Ripa erat acutis ſudibus præfixis munita. eiuſdemque generis ſub aquâ defixæ ſudes flumine tegebantur.* LIPS. Memini vtriuſque loci: & leuis mihi ſuſpicio, ſed verè leuis, an non in Cæſare, *plumbo tegebantur.* Flumine enim tectas quis neſcit, ſi *ſub aquâ*, quod præiuit? Deinde, vnde hoc hauſerit Beda, ſi non à Cæſare? ſed temerarium ſit aſſerere, & vſu atque ætate magis in iſtis cunctor. Tu perge. BILL. Rumices igitur ſparſi, contra ingreſſum; & in oppidorum tuitione item vtiliter poſſint: ſed & caſtrorum. Nam ita in Tacticis Leonis Imp. ὅτι τὰς τριβόλους ἐν σχοινίσμασι, καθ᾽ ὁρμαθούς ἔχοντες οἱ τοῦ στρατοῦ ἐρρίπτουν ταύτας κύκλῳ τοῦ στρατοπέδου: καὶ ὅτε μεθίστασθαι ἔμελλον, εὐκόλως αὐτὰς διὰ τῶν σχοινισμάτων ἀνελέγοντο: *Quòd Tribulos in aculeis religatos haberent milites, eóſque iacerent in ambitu caſtrorum: ac cùm moturi illinc eſſent, eoſdem ita facile colligebant.* Vtile inuentum hoc ligandi, & ſic retrahendi. Sed &, quod in Herodiano atque alibi legas, contra equos & camelos quoque (quorum molles vngulæ) iis vſi, ſæpè cum ſucceſſu. Remedium in eos, calcei è ferro aut duriore ligno. quod in Polyæni Stratag. i. obſeruaui: cùm *Nicias dux Athenienſium in Siciliâ, tribulos contra equitatum Syracuſium ſparſiſſet, fugam & confuſionem eorum factam; ſed & cædem, quia ipſe Peltaſtas ſiue leuiter armatos ſubmiſit qui interficerent hærentes aut lapſos: Peltaſtæ autem ſolida & dura calceamenta hoc fine habebant.* In Vegetio autem *Tribuli* etiam è ligno ſunt, ſed exſtantes grandéſque ſcilicet, nec ij potuerunt latêre. *Tribulus*, inquit, *eſt quatuor palis confixum propugnaculum, quod quoquomodo abieceris, tribus radiis ſtat, & erecto quarto infeſtum eſt.* Mihi diſplicent, nec in magnâ re habeantur. Quid autem ampliùs? fraus ſuccurrit, quâ Cremenſes vſi in Fridericum Imp. cùm obſiderentur. Radeuicus ita narrat ii. cap. lvii. *Quædam inſtrumenta fabricarunt, Muſcipulis quidem ſimilia, ſed pro quantitate humani corporis fortiora, eáque per vias circa vallum diſpergunt: quibus ignari multi hærentes, aut capi facile poterant aut occidi. Item foſſas quamplurimas hinc inde, de-*

ſuper

Marginal notes:

* Manganis ſed & leuis in fundis balliſtarum maiora pocula.

* lacient.

V. de Nonio.

* In Polybius fuit, ex Plutarcho.

ſuper leuis operimento contegunt, quas illapſi ſimiliter capiebantur aut occidebantur.

DIALOGVS IIII.


Dolia, Cylindri, Molares, Columnæ, Metellæ, & talia iacta.

SEd quædam ex dictis rara aut nouitia: lubet addere inter vetera, de *Doliis, Cylindris*, aliíſque talibus, quæ & in Homines & in Machinas vſurpabãt. In Dione Caſſio ſcribitur, libro LVI. cùm Tiberius, pòſt Imperator, iuſſu Auguſti in Dalmatiâ res gereret, atque opidũ aliquod in rupe aſſideret: οἱ, inquit, Δαλμάται δὲ λίθους πολλοὺς, τοὺς μὲν σφενδόναις ἐπ' αὐτοὺς ἵεσαν, τοὺς δὲ καὶ κυλινδοῦντες, ἄλλοι τρόχους, ἄλλοι ἁμάξας ὅλας πλήρεις πετρῶν, ἄλλοι κιβωτοὺς περιφερεῖς ἐπιχωρίως πως πεποιημένας, καὶ λίθων γεμούσας ἠφίεσαν: *Dalmatarum alij lapides multos aut fundis emittebant, aut manu deuoluebant, alij Rotas, alij Currus totos petris plenos, alij arcas ſiue Dolia rotunda,* facta more gentis, & lapidibus referta dimittebant.* Vetuſtior mentio horum talium mihi non lecta: nominatim de Doliis: quæ ſic lignea, oſtendit aliena à Romano vſu fuiſſe: & Plinius, *Galliarum inuentum* dicit. Hæc igitur ſaxis farcire ſolent, & ſic cum pondere & impetu immittere, præſertim per decliue. LIPS. Vt confirmem, Heron ille Mechanicus pleraque iſtorum commemorat pariter, cap. 1. ſed ita verſus, vt pigeat recenſere. Tamen, vt in ſubluſtri nocte, aliquid videre videor, & hæc notare: *Columnas, Rotas, Currus quadrirotos ponderibus onuſtos, Vaſa te vtilia lapidibus aut terrâ madefactâ repleta, eiuſmodi ſunt ea quæ ex tabulis figurâ circuli compoſita, vinum, oleum, & tales liquores ſuſcipiunt.* BILL. Benè iuuas: ſed in Volaterris propugnandis, contra Cæſarianum exercitum, Ferrucius Florentinus hæc Dolia oppoſuit: *quæ ſaxis plena* (verba Iouij) *per decliuis ſtratæ viæ, magno ſtrepitu deuoluebantur: ita vt facile appareret vniuerſos hoſtes, anguſto in loco, vel ſi omnes intraſſent, eâ doliorum & lapidum mole obrui potuiſſe.* Porrò nominantur & Ammiano hæc Dolia, libro XX. ſed in Machinas: *Et viminea crates cùm procederent confidenter, eſſéntque parietibus contigua; Dolia deſuper cadebant, Molæ, & Columnarũ fragmenta: quorum nimiis ponderibus obruebantur pugnatores.* Vides & in Machinas, & in viros ipſos valuiſſe. An huc referam illud Taciti, IIII. Annalium? *Moles contrà deturbare telis, pellere vmbonibus, muralia pila, congeſtas lapidum moles voluere.* Et an iſtæ lapidum moles clauſæ arctatæque in vaſis ſunt? An potiùs, paratæ illîc in vallo aut mœnibus, & ſingillatim ipſi manu deuoluentur? Aliud aliquid vicinum, in Vegetij hiſce verbis eſt: *Inuentum quoque remedium, vt de ligno Crates facerent, quas Metellas vocauerunt, lapidibuſque complerent: eâ arte inter bina propugnacula conſtituta, vt ſi per ſcalas aſcendiſſet hoſtis, & partem aliquam ipſius contigiſſet, ſupra caput ſuum vergerent ſaxa.* Quod video reipsâ diuerſum à Doliis eſſe, effectu non diſſimile: & corbes quidam, aut ſportæ lapidum refertæ, in mœnibus inter duas pinnas (*propugnacula* id dicit) poſitæ, lapſiles, & ad tactum in tangentem euertendæ. Apertæ illæ igitur. Sed *Rotæ* etiam in Dione nominabantur, & tuo Lipſi Herone: quę item in Vegetio, cum aliis adiunctis: *Maxima ſaxa pondere formâque volubilia, in propugnaculis* digeruntur, vt demiſſa per preceps, non ſolùm obruant ſubeuntes, ſed etiam machinamenta confringant. Rotæ quoque de lignis viridibus ingentiſſimæ fabricantur, vel intercisi ex validiſſimis arboribus Cylindri (quas Taleas vocant) vt ſint volubiles, læuigantur: quæ per pronum labentia bellatores proſternunt, equóſque ſolent deterrêre.* De equis in poſtremâ clauſulâ ſcribit, haud concoquo: nec eos oppugnationi adhibitos puto. Hoc puto, ſcribendum, *eóſque*. Aut proſternunt milites hæc talia, aut abſterrent. De *Cylindris* porrò quod ibi, etiam in Ammiano eſt, libro XXXI. *Nonnullis ſcalas vehendo, aſcenſúſque innumeros ex omni latere parantes, ſub oneribus ipſis obruebantur, contruſis per pronum ſaxis, & Columnarum fragmentis, & Cylindris.* Imò & hodie propugnandi noſter mos iſtos ſeruat, & in mœnibus ſummis diſponit. Magis noui & operoſi illi *Cylindri*, quos Salluſtij fragmentum habet: *Saxáque ingentia, & axe vincta trabes per pronum incitabantur, axibúſque eminebant, in modum ericij militaris, veruta binûm pedum.* Videtis autem & hinc, quid *Ericius militaris*, qui in Cæſaris III. Ciuilium, *Foris obiectus* ſcribitur: & mox, *Exciſo Ericio in caſtra irrupiſſe.* Nec aliud, quàm tranſuerſariæ ad portas trabes, aculeis confixæ, eæque verſatiles: quarum & hodie vſus manet. FVR. Cetera capio, de *Molis* in prioribus Ammiani verbis ſuſtinet me & tardat. Ipſæ molæ proiectæ, an lapides? & hi quoque ponderoſi & prægraues, ac ſuffecerint vel fragmenta. BILL. Promotibus hoc noſtris ſapis & ſentis. Molares illi veterum non tam grandes vtique, vt nec ipſæ molæ: quæ manuariæ tantùm, & à ſeruis voluendæ. Itaque crebræ eæ, & ferè domeſticatim erant: atque inde toties in hac tali hiſtoriâ, *Molares* immiſſos aut iactos. Illos, dico, modicos: nec ad noſtros, Furi, aptabis. Quę brachia, imò qui vectes ſubitò mouiſſent?

* Intellegit vt plerique hodie Europei habent, lignea illa ad vinum aut liquores.

* Ex ſunt Taciti congeſtæ lapidum moles.

47



DIALOGVS V.

Saxa in Machinas, tum Jgnes. quid Malleoli, Vnci, Falarica.

ISTA ferè in Aſcendentes: imò & quædam mixti vſus in Machinas, vt dixi. At propriè in iſtas, videor debere ediſſertare: & in gratiam optimi cætus conabor. In omnes igitur è ligno Machinas duo tela valuerunt, *Saxa* & *Ignes*: in *Vineas* dico, *Pluteos*, *Muſculos*, *Turres*, & ſiquid tale. Salluſtius Iugurthino: *Vineæ cùm paullùm proceſſerant, lapidibus aut igni corrumpebantur.* Lucanus:

Sed ſuper & FLAMMIS, & magna fragmine MOLIS,
Et ſudibus crebris, & aduſti roboris ictu,
Percuſſæ cedunt CRATES, fruſtráque labore
Exhauſto, feſſus repetit tentoria miles.

B

Et *Saxa* quidem aut *Pondera* iamnunc ſatis dicta ſunt: *Ignes*, præcipuum telum, reſtant. Ij varij. Fuêre *Faces*, communes illæ è piceâ, larice, abiete, & quibus in vſum luminis domi etiam vſi: etſi hæ, credo, paullò robuſtiores aut grandiores. Has manu iaciebant & deſtinabant in machinas propinquas: ſed & ijs pugnabant, vt dixit Adamus noſter. Aliæ magis ſepoſitæ & militares, quas *Malleolos* dicebant. Id quoque duplex genus: Simplices & rudes, de quibus ita Nonius Marcellus: *Malleoli ſunt Manipuli ſparthei, pice contecti, qui incenſi, aut in muros, aut in teſtudines iaciuntur.* Et Feſtus: *Malleoli vocantur, non ſolùm parui mallei, ſed etiam ij qui ad incendium faciendum aptantur, videlicet ad ſimilitudinem priorum.* Atqui hi

πυρσό-βολα, ſiue Igni-iacula.

C

A

non aliud videntur, quàm manipulus aut collectio ſparthea, ligata in medio formâ quadam mallei, & pice aut ſulphure illita, ſic proiecta. Ligni, aut ferri hîc nulla mentio. At alterum genus, magis efficax & militare, quod teli in morem formatur, & aptatur. Id Ammianus ex profeſſo deſcribit, lib. XXIII. *Malleoli, teli genus, figurantur hac ſpecie. Sagitta eſt cannea, inter ſpiculum & arundinem multifido ferro coagmentata, quæ* (fortaſſe *quod*, ad ipſum ferrum) *in muliebris coli formam, quo nentur lintea ſtamina, concauatur, ventre ſubtiliter & pluriſariam patens, atque in alueo ipſo ignem cum aliquo ſuſcipit alimento. Et ſic emiſſa lentius inualido arcu (ictu enim rapidiore extinguitur) ſi hæſerit vſquam, tenaciter cremat aquiſque conſperſa, acriores excitat æſtus incendiorum, nec remedio vllo quam ſuperiacto puluere conſopitur.* Lubet examinare & verba: Ait, *Sagittam eſſe canneam.*] Ita & Vegetius: *Malleoli, velut ſagittæ ſunt, & vbi adhæſerint* (*quia ardentes veniunt*) *omnia conflagrant.* Clariùs Herodianus & vberiùs, libro VIII, in obſidio Aquileiæ: ἀλλὰ μὴν καὶ ταῖς μηχαναῖς προσαγομέναις δᾷδας ἐπέβαλλον ὁμοίως πίσσῃ καὶ ῥητίνῃ δεδευμένας, ἔχοντες τῷ ἄκρῳ βελῶν ἀκίδας ἐχούσας. αἳ ἀναφθεῖσαι καὶ ῥιφθεῖσαι, ἐμπαγεῖσαι ταῖς μηχαναῖς καὶ προσπεφυκυῖαι, ῥᾳδίως αὐτὰς κατέφλεγον. *Sed & machinis admotis faces iniiciebant, pariter pice & reſina oblitas, & in extremo ſagittæ mucronem habentes. quæ cùm accenſæ deferrentur, infixæ & inhærentes machinis, facile eas comburebant.* Vbi à in Ammiano: *Ignem cum aliquo ſuſcipit alimento.*] Vult enim illud medium è ferro ſic aptatum, ſuſcepiſſe alimenta ignis: quæ ab Herodiano iam dicta, & ſiquid ſimile. in Heſychio, vbi Ἀστὴρ deſcribitur, in fine additur: ἔστι δὲ καὶ γένος λίθου καὶ ξηρῶν ξύλων ἐκ πίσσης μετὰ: *Eſt genus etiam lapidis & ligni aridi ac pice obliti.* Hinc ſatis: ed magis ſi

emendes.

emendes, γένος λίνου: *genus lini.* Profectò enim lapis hic nuſquam lectus, nec res exigit: ſed liuū aut ſtuppa, continendis alimentis illis ignis, & ipſum alimentum. In Liuio: *Alij ſtupam piceſque & malleolos ferentes, tota collucente flammis acie, aduenere.* Ex ſtupis de ſtupâ. Eſt in extremo: *Aquiſque conſperſa acriores excitat æſtus.*] An quia natura ea picis & ſimilium, quæ pinguia ſunt? An ſi fortè ignem Græcum intellegis, quem paullò antè, Conſtantini Pogonati temporibus inuentum eſſe, Iohannes Zonaras in vitâ eius ſcribit? Eum πῦρ ὑγρὸν Græci vocitant, *ignem humidum*, quia & in aquis viuit. De eo eiuſque vi Nicetas Choniates in Iſaacio: Ἐβλήθη τοῖς οἰκήμασι τῶν δυστήνων σφενδονῆται τὸ ὑγρὸν πῦρ ὃ τοῖς σκεύεσιν ἐγκεκλεισμένον, καὶ τὰς ἀστραπὰς ἐξαίφνης σφοδρῶς τὰ ἐξάλειπτα, καταφλέγει καθ' ὧν ἐμπέσοι καὶ ἀφίησι: *Iniicitur ædificijs miſerorum, qui ad mare ſiti, ignis Græcus, quem tegentibus quibuſdam vaſis ſopitum habuerant, is ſtatim more fulminis erupit & exſiluit, & incendit quacumque nactus eſt & incidit.* Sed Ammiani ætas profectò ante ignem illum Græcum eſt: itaque aliud verius puto. Ecce de Malleolis ſatis copioſè: ſed ſunt, quæ aſſideant, etſi non ipſi. Sicuti in Nicetâ Choniate lego, Armenios machinis Græcanici Imperatoris immiſiſſe σιδήρια ἀπανθρακίζοντα: *ferramenta minuta ſcintillantia*: item: φλογερὰ σιδήρια: *ignita ferramenta*: quæ non exiſtimo propriè Malleolos fuiſſe, ſed hamos quoſdam aut vncos ferreos ſiue & Murices, qui toti igniti ad incendium adfigerentur. Docet me Radeuicus in cap. LVIII. *Quoties autem ignito ferri pondere &* ADVNCO, *quò leuius* (fortè *melius*) *hæreret, machinas attentabant, qui deſuper erant, aquis ignem reſtinguendo,* VNCOS *autem &* HAMOS *ferri, contis proceris & ſudibus diſſoluendo, conatus eorum in irritum reuocabant.* LIPS. Optimè adnotaſti, & in Herone memini hoc ſenſu & ſine legere, *Murices ignem ferentes.* BILL. Ego verò & in Diodoro, Tyrios immiſiſſe in Alexandri machinam: ὄγκους μύδρους μεγάλους διαπύρους: *maſſas magnas ferreas, candentes.* Iuuat notare & excerpere, vt conſtet pauca æuo iſto inuenta (etſi aliter opinio eſt) pauca, dico, quæ non ſint ab æuo illo meliore & ſapientiore. Ecce quàm nouitia res habita, quòd Stephanus Poloniæ nuper rex (planè inter magnos laudatosque) Moſcouiæ aut Liuoniæ munimenta aliquot lignea, globis ſic candentibus immiſſis accendit, & cepit. Cùm Barbarus ille quereretur & fremeret, ius belli violari, & armorum decus pollui nouâ fraude: ridentibus noſtris & gaudentibus in ſucceſſu. At hæc tormentis immiſſa, dicet aliquis. Simile veteres, nam ego *Maſſas* illas Diodori haud aliter iaci potuiſſe cenſeam: & ſunt exempla in aliis, palàm ita factum. Tacitus IIII. Hiſtor. *Crates vineáſque parantibus, adacta Tormentis ardentes haſta.* Falaricas propriè dictas intellegit, quas Liuium audire, ſi lubet, libro XXI. deſcribentem: *Falarica erat Saguntinis miſſile telum, haſtili oblongo, & cetera tereti, præterquàm ad extremum, vnde ferrum exſtabat: id ſicut in pilo, quadratum ſtupâ circumligabant, linebántque pice. Ferrum autem tres in longum pedes habebat, vt cum armis tranſfigere corpus poſſet.* Terribile telum ſi examinatis, viſu & ictu: & hæc talia, quid niſi præludia noſtrorum fulminum? Scribitur autem, *haſtili oblongo*, quod dici in melioribus libris eſſe, *haſtili abiegno*. & haſtile tamen quid oblongum, haud abnuo; cùm Tacitus *Haſtam* idcò appellet, & ipſe Liuius *ferrum trium pedum* formet. Minor ergo illa, & valdè minor, quæ in Iſidoro Falarica deſcribitur, & tantùm *cubitalis*. Sed nec in Appiani Illyricis iuſta magnitudo: *Figulus bicubitales ſudes, pice ac ſulphure ſtupáque componens, ex Catapultis in Delminium iacit: quæ ab impetu ſuccenſa, & lampadarum ritu per inane volitantes, quæcumque attigiſſent, igne corripiebant.* Ita hæc interpres, nec Græcorum eſt copia, qui eâ parte publicè non exſtant. Sanè Silius, ex Liuio, in eâdem Saguntinâ hiſtoriâ pulchrè & floridè depingit, ſed grandem, & quaſi *Trabem*.

Armanit clauſos ac portis arcuit hoſtem
Librari multâ conſueta Falarica dextrâ,
Horrendum viſu robur, celſiſq; ninoſa
Pyrenes trabs lecta iugis cui plurima cuſpis,
Vix muris toleranda lues: ſed cetera pingui
Vncta pice, atque atro circumlita ſulfure, fumat.
Fulminis hæc ritu ſummis è mœnibus arcis
Incita, ſulcatum tremulâ ſecat aera flammâ.

Ex arce miſſam eam facit: quia ita ſolet è locis editis turribúſque mitti, quas priſci *Falas* dicebant: atque inde *Falarica* nomen vt Grammatici volunt. Atque hæc * *multâ dextrâ miſſa*, vt idem poëta: id eſt Catapultâ, ad quam plures operæ. Lucanus, de Scæuâ:

**Aut quia pluribus miſſa, & à diuerſis.*


Hunc aut tortilibus vibrata Falarica neruis
Obruat, aut vaſti muralia pondera ſaxi.

Sed & Vegetius: *Quod ſi oppidani exire non audeant, maiore Balliſtâ Malleolos vel phalaricas cum incendio deſtinant.* Iterúmque ſeoſit de hac Lucanus:

Tortáque per tenebras validis Balliſta lacertis,
Multifidas iaculata faces.

Denique in epiſtolâ Aureliani, apud Vopiſcum eſt: *Nulla pars muri eſt, quæ non binis ternîſque Balliſtis occupata ſit. ignes etiam Tormentis iaciuntur.* Simile omnino genus teli, quod Herodianus Aquileienſes adhibuiſſe in Maximinum obſidentem ſcribit: Ἀλλὰ μὴν καὶ ταῖς μηχαναῖς προσαγομέναις δᾷδας ἐπέβαλλον ὁμοίως πίσσῃ τε καὶ ῥητίνῃ δεδευμένας, ἐπί τε τῷ ἄκρῳ βελῶν ἀκίδας ἐχούσας, αἳ ἀναφθεῖσαι φερόμεναι, ἐμπηγνύμεναι ταῖς μηχαναῖς καὶ προσπεφυκυῖαι, ῥᾳδίως αὐτὰς κατέφλεγον: *Sed & machinis, quæ muro admouebantur, deſuper faces iniiciebant, pice ac reſinâ oblitas, & in extremo mucronem habentes, quæ cùm accenſa ferrentur, infixæ inhærenteſque machinis, facilè eas concremabant.*

48



DIALOG. VI.

Contra Aggeres, Cuniculi, Ignes, & alius Agger, aut eleuatio.

QVIO iam tu Carondelete, tu Lipſi, ſatin' vt promptum me præbui, atque etiam largum? LIPS. Affatim. dilaudo: atque etiam id quod non addis, addo, vices manere hunc Carondeletum. CAR. Sic tu finibus regundis arbiter? LIPS. Sed cum arbitrio veſtro: ego dixi, videte. CAR. Haud tergiuerſor: omnes mihi operati hodie cùm fuiſtis, opellam meam iniuriâ ſubducam. Videris autem tu mihi, Billéhee, pleraque dixiſſe *Subitæ oppugnationis*, & quædam etiam *Diuturnæ*: ego in hac ſiſtã tantùm, & pro Lipſij item ordine, videbo quid dea *Moneta* in mentem mittet. *Aggeres* ioca conſidero primùm, qui euerſi aut conſumpti dupliciter, *Cuniculo*, aut *Igne*. de illo iam olim Thucydides, in obſidione Platæenſi: Υπόνομον ἐκ τῆς πόλεως ὀρύξαντες, καὶ συντεκμηράμενοι ὑπὸ τὸ χῶμα, ὑφεῖλκον αὖθις παρὰ σφᾶς τὸν χοῦν, καὶ ἐλάνθανον ἐπὶ πολὺ τοὺς ἔξω, ὥστ' ἐπιβάλλοντας ἧσσον ἀνύτειν, ὑπαγομένου αὐτοῖς κάτωθεν τοῦ χώματος, καὶ ἱζάνοντος ἀεὶ ἐπὶ τὸ κενούμενον: *Cuniculum ex vrbe cùm duxiſſent, & ſignis deſtinaſſent ſub Aggerem ipſum; terrã ad ſe introrſus identidem ſubtrahebant, & diu latuêre eos qui erant foris: cùm ij aſſiduè ingicientes, minus tamen attollerent, ſubducto ſcilicet inferiùs aggere, & in locũ vacuefactum aſſiduè ſubſidente.* Cæſar idem tangit, Commentario VII. *Bituriges aggerem Cuniculis ſubtrahebant, eò ſcien-*

A *tiùs quòd apud eos magna ſunt ferraria, atq; omne genus cuniculorum notum eſt.* Tribuit & Aquitanis hanc peritiam, Commentario III. *Cuniculis ad aggerem vineasq; actis, cuius rei longè ſunt peritiſſimi Aquitani.* Nec ſubtrahebãt ſolùm Cuniculo, ſed incendebãt. Cæſar idem Commẽtario V. *Eſt animaduerſum fumare aggerem, quem Cuniculo hoſtes incenderant.* Id quomodo factum, diſtinctè Ioſephus tradidit: & ex eo ita Hegeſippus, vt pateam dare Græca: *Iohannes princeps ſeditionum Cuniculum ſuffodit, & Romanorum opera ſuſpendit, ignorantibus his, quòd latenti Cuniculo Iudæi moliti forent. quia fultura tabularum, materiã æquè ſubsectã, ſuperiora cuniculorum ſuſpenderat, fraus omnis latebat.*
B *Itaque vbi opportunitas viſa, ignem appoſuêre. qui adiutus ſulphure & pice, quibus illita erat materies quæ fulturam cuniculo dabat, ligna omnia facilè conſumpſit, incendium ſubiectorum ruina ſecuta eſt. Itaque Romanorum opera ſubito lapſa, ſonitum ingentem dedêre: puluere & fumo repleta omnia plurimum tenebrarum obduxerant, maioremque terrorẽ induxerat latens cauſſa. Deinde vbi conſumptis alimentis ceteris, quibus primò opertus erat, liber ignis erupit, dolum prodidit.* Sed alia item, vt dixi, ratio & magis expoſita, deſtruẽdi per *Ignes*. cùm
C ſcilicet Faces, Malleolos, aliaque ad inflammandum, aut iacerent eminus, aut ipſi in Aggerem inferrent. Cæſar VII. Cõmentario: *Alij faces atque aridam materiam de muro in aggerẽ eminus iaciebant.* Idemq; de illatione ignis, II. Ciuil. *Maſſilienſes portis ſe foras erũpunt, ſecundo magnoq; vento ignem operibus inferunt. Hunc ſic diſtulit ventus, vti vno tempore, agger, plutei, teſtudo, turris, tormentáque flammam conciperent, & priùs hæc omnia conſumerentur, quam quemadmodum accidiſſet, animaduerti poſſet.* Eãdem de re graphicè & diſertè, vt ſolet, Lucanus:

Telum flamma fuit rapienſque incendia ventus
Per Romana ſuis celeri munimina curſu.
Nec quamuis viridi luctetur robore lentas
Ignis agit vires: tadâ ſed raptus ab omni
Conſequitur nigri ſpatioſa volumina fumi.
Nec ſolùm ſiluas, ſed ſaxa ingentia ſoluit,
Et cruda putri fluxerunt puluere cautes.
Procubuit, maiorque iacens apparuit Agger.

Similiter Ammianus: Perſas erupiſſe oppido ait, *partim ſtrictis gladijs validam manum, partim ponè ſequentes qui flammas occultè portarent. Dumq́; Romani nunc inſtant cedentibus, nunc vltrò laceſſentes excipiunt; qui vehebant* F O C V L O S, *repentes incurui, prunas vnius aggeſtis inſeruere iuncturis, ramis arborum diuerſarum, & iunce, manipuliſque conſtructis cannarum, qui concepto incendiorum aridis nutrimentis iam cremabatur, militibus cum intactis tormentis exinde periculosè digreſſis.* Vbi notare eſt, etiam è fragili ac leui materie, vt cannis, iunco, talibus, Aggerem ſtructum, ſed nempe vbi lignorum arborumq́ue inopia eſſet. Sed heus, an nun aliud remedium in Aggeres? pone tutos ab iſtis & induſtriè defenſos. tamen tertium etiam ſubſidium, molem & velut Aggerem alium opponere in ipſis muris. Noſtri mechanici æmulantur, & eſt res cottidiana hodie in defenſione. Ammianus XIX. *Duo Aggeres celſi, Perſarum manu erecti, & expugnatio ciuitatis ſtruebatur operibus lentis. contra quod, noſtrorum quoque impenſiore cura, moles excitabantur altiſſima, faſtigio aduerſa altitudini æquata, propugnatorum vel nimia pondera duratura.* Simile in Curtio, Gazenſes fecêre: Alexander *Aggerem, quo mœnium altitudinem æquaret, exſtruxit. Opidani, ad priſtinum murorum faſtigium, nouum exſtruxêre munimentum.* Tale in Thucydide, & Ioſepho, item legeris. Sed & *Corbes* terrâ aut arenâ repletos, & in faſtigium ſic exſtructos lego: quod haud longè abit à *Sportis* aut *Gabionibus* noſtris, imò iis dedit exemplum. Polyænus III. Stratag. *Timotheus oppugnabat Toronam. atque hi quidem altas moles contra erexerant corbium, quos arenâ repleuerant.* Quid tamen in hoc Timotheus? *ille*, inquit, *falces mali nauium impoſuit, iiſq́; corbes diſſecuit, vt arena diffluerct.*

DIALOG. VII.

In Turres, ignes iacti. Trabes incuſſæ: aliæ Turres ſtructæ.

TVRRES ſequuntur. In eas præcipuum telum *Ignes*, ſed & *ſaxa è Catapultis*, quibus perfringebant. Vtrumque hoc ſatis innotuit è prædictis. Sed & tertia repugnatio, *Aſſeres aut Trabes* aduenientibus incuſſa, atque ita impetu euertebant aut frangebant. Tacitus IIII. Hiſtor. *Eduxerant Batauí Turrim duplici tabulato, quam Prætoria porta (is æquiſſimus locus erat) propinquantem, promoti contrà validi Aſſeres, & incuſſa Trabes perfregêre.* Simile in Vegetio: *Interdum longiſſimas ferratáſque Trabes opponunt machina* (Turri) *venienti, eamq́; à muri vicinitate propellunt.* Sed eſt & quarta oppoſitio, ſimilis iam dictæ in Aggere: vt muros attollerent eâ parte & augerent. Vegetius: *Partem muri, ad quam machina* (Turris) *conatur accedere, cæmento atque lapidibus poſtremò tabulatis exſtruendo faciunt altiorem. Conſtat autem inefficax machinamentum reddi, ſi inueniatur inferius.* Dicit & de Tabulatis: cui congruat hoc quod Cæſar de Auari-

Vide notas.

A ceoſibus ſcribit, à ſe oppugnatis: *Noſtrarum Turrium altitudinem, quantum has cottidianus Agger expreſſerat, commiſſis ſuarum turrium alis adæquabant.* Ita enim legendum videtur, hoc ſenſu. vt iunxerint & continuarint Turres cum Turribus, ligneo aliquo muro: atque ita ipſum murum æquarint turribus ſuis, & hoſtilibus. L I P S. Intellego. vis dicere *Interturria* expleta, & à latere ad latus Turris (id Alam dixerit) ſtructum. Tamen leuiter ambigo, & malim: *ſuarum turrium alijs.* quod ſit, Commiſſis & oppoſitis nouis aliiſque ſuis turribus, æquabant noſtras. Vſitatam quidem hanc defendendi viam, Nicetas oſtendit, vbi de Oreſtiade ab Errico, Balduini fratre, oppugnatâ: *Repperit*, inquit, *vrbem duabus latis foſſis circumdatam.*
B *Præterea turres mœnium auctas ſublatáſque pegmatis ligneis, quæ longè in aerem ibant, & centonibus ac pellibus contra ignem tegebantur. Sed & ſuper ipſas ligneas turres, mali defixi eminebant, qui habebant omnia, quibus aut accendi aut ſpargi latiſſimè ignes poſſent. In quibuſdam verò & ſpeculæ quædam lignea fabrefacta apparebant, bellatorum virorum habitacula, cuiuſmodi ſolent eorum eſſe, qui ex turriculis ligneis maris profunda explorant, & piſcium populos capiunt. In alijs, & lapides catenis ſuſpenſos aptoſq́; habebant: qui & demitti per inſtrumenta poſſent, & attolli, & conuerti pro vſu præſenti.* C A R. De iſtis, vt videbitur: ego.

C

DIALOG. VIII.

Varia in Arietem: & Vegetius explicatus.

TRANSEO ad *Arietem*, violentiſſimum machinarum, & maximè terribilem: eoque plura in eum adinuenta. Quę vt in vno adſpectu ſerè dem, commodum mihi viſum per verba Vegetij ire, quæ ſic habent libro IIII. cap. XXIII. *Aduerſum Arie-*
D *tes etiam vel Falces, ſunt plura remedia. Aliquanti centones & culcitas funibus calant, & illis opponunt locis, quà cedit Aries, vt impetus machinæ materiâ molliore fractus, non deſtruat murum. Alij laqueis captos Arietes, per multitudinem hominum de muro in obliquum trahunt, & cum ipſis Teſtudinibus euertunt. Plures in modum forficis dentatum funibus illigant ferrum, quem Lupum vocant, apprehenſumq́; Arietem aut euertunt, aut ita ſuſpendunt, vt impetum non habeat feriendi. Interdum baſes, columnæ marmoreæ, vibrato impetu iaciuntur è muris, Arieteſque confringunt. Quòd ſi tanta vis fuerit, vt murus Arietibus perforetur, & decidat, vna ſalutis ſpes ſupereſt, vt deſtructis domibus alius intrinſecus murus addatur, hoſteſque inter binos parietes, ſi*
E *penetrare tentauerint, perimantur.* Primùm ſcribitur, *Aduerſum Arietes vel Falces.*] Nequis erret, *Falces* hîc Vegetianæ capiendæ ſunt, nouitiæ, quæ lapides è muris extrahunt, & vicem ac vim pænè Arietis habent. Ipſe eas in Ariete deſcripſit. Aliæ ſanè ſunt veterum illæ *Falces murales*: quibus pinnas detergebant: quibus nauium funes abſcindebant: atque talia patrabant. Deſcribuntur à Cæſare III. belli Gallici, nec ſunt ignotæ. Primum remedium: *Centones & culcitas funibus calant.*] Benè qui emendarunt, *funibus chalant*: primus, puto, Turnebus. Talia enim mollia contra vim & duritiem Arietis opponi moris fuit, & funibus ſuſpendi. Ita

in Ioſe

in Ioſepho (ipſius machinatione & iuſſu) contra Romanorum arietes, ſacci, paleâ referti ſunt demiſſi. *Saccos*, inquit, *paleis plenos iuſſit eos funibus demittere, in eam partem quà viderent ſemper impetum Arietis ferri: vt hoc modo & aberrare faceret ictum; aut ſi excepiſſet, vanus redderetur mollitie & laxitate. Quæ quidem res valdè Romanos exercuit: nam quocumque is conuertiſſent machinam, illi traducentes ſaccos ſubijciebant roſtro eius, vt nihil murus reſiſtendo & renitẽdo incommodi caperet. donec & ipſi contrà machinantes, longis contis falces affigentes, ſaccos abſciderunt.* Quæ ſimilia, & diffuſiùs in Hegeſippo, libro III. cap. XI. Conuenit huc æquè, quod Appianus in Mithridatico ſcribit, feciſſe Cyzicenos: τοὺς μὲν οὖν κριοὺς, inquit, λίθοις ἀπεκαύλιζον, ἢ βρόχοις ἀνεῖλκον, ἢ φορμοῖς ἐρίων τὰς ἐμβολὰς ἐξέλυον: *Arietes lapidibus decutiebant, aut laqueis deflectebant, aut ſportis ſaccisq́; lanarum plenis vim infringebant.* Vbi & de laqueis habes, quod iam ſequitur: *Alij laqueis captos Arietes.*] Ita in Dionis fragmẽto, ex Theodoſio: Καὶ τοὺς κριοὺς τοὺς μὲν βρόχοις ἀνεῖλκον, τοὺς δὲ ἁρπάγαις ἀνέσπων: *Arietum, alios laqueis ſurſum attrahebant, alios harpagonibus reuellebant, locóque mouebant.* Liuius in XXXVI. id inter receptiſſima fuiſſe oſtẽdit: *Ætoli contra armis ſe tuebantur. nam cùm Ariete quaterẽtur muri, nõ laqueis, vt ſolet, exceptos declinabãt ictus, ſed armati frequẽtes, quidã ignes etiã quos aggeribus inijcerẽt, ferebãt.* Ammianus XX. *Prominentẽ Arietis ferreã frontẽ, arte ſubtili illaqueatã, altrinſecus laciniis retinuere lõgis, ne retrogradiẽs reſumeret vires, neque muros ferire poſſet.* Idẽ in Thucydide lib. II. oppugnatione Plateenſiũ. Sed & laqueis Falces murales ſoliti auertere. Appianus in Punico: *Hoſtis ſubruebat aggerem, falces iniectis laqueis deflectebat.* Cæſar VII. Gallicorũ: *Laqueis falcẽs auertebant, quas cùm deſtinauerant, tormẽtis introrſus reducebant.* Ita legendus locus, hoc ſenſu. cùm falces eas illaqueaſſẽt captaſq́. tenerent, tũ machinis quibuſdã, quibus funes illigati vertebantur torquebanturq́;, in vrbem vi trahebant. At ecce remedium in Vegetio tertium: *In medium Forſicis dentatum ferrum, quem Lupum vocant.*] Quod ille pluries factitatum clarè dicit, nos vix legimus, & quærimus propriè hîc exempla. Nam communiter de *Lupo* non deſunt. Vt apud Liuium, XXVIII. *Quiiam erexerant ad murum ſcalas, in alios lupi ſupernè ferrei iniecti, vt in periculo eſſent, ne ſuſpenſi in murum extraherentur.* Diodorus hoc idem κόρακα ſiue *Coruum* dicit in XVII. Τοῖς δὲ κόραξι καὶ ταῖς σιδηραῖς χερσὶν ἀνήρπαζον τοὺς τοῖς θωρακίοις ἐφεστῶτας: *Coruis & ferreis manibus abripiebant eos, qui iam in loricis & propugnaculis mœnium conſtitiſſent.* Vocat & Curtius libr. IIII. *Cornos*, ſed operoſiùs & alio fine ſtructos: *Namque ad implicanda nauigia, quæ muros ſubibant, validis aſſeribus coruos & ferreas manus illigauerant, vt cùm tormento aſſeres promouiſſent, ſubito laxatis funibus inijcerent.* Quod vicinum eſt Polybiano coruo, libro I. niſi quòd ille in proris nauium eum ponit. Magis pro Curtio, & nunc etiam Vegetio, quod Dio Caſſius in Seuero ſcribit: *Byzantinos habuiſſe in machinis quibuſdam harpagones, quos emittebant & reducebant celeriter, vti viſum.* Non nominat, ſed intellegit Tacitus IIII. Hiſtor. *Præcipuum pauorem intulit ſuſpenſum & nutans machinamentum, quo repentè demiſſo, præter ſuorũ ora, ſinguli pluresue hoſtiũ ſublimè rapti, verſo pondere intra caſtra effundebãtur.* Itaq; iſti lupi: & ab hoc exẽplo Vegetianus, quem deſtinatò in Arietes, validiorem haud dubiè & grandiorẽ, ſtruxerũt. Sed, vt dixi, in hiſtoriis vix memoria; niſi in Dione obiter, quem mox dabo. Pergit ipſe: *Interdum baſes columnæ marmoreæ iaciuntur.*] Parùm planè narrat. & quod *interdum* factum ait, ego reperio crebrò, & de

A more, factitatum. Ponderibus, inquam, grãdibus supernè incuſſis aut iniectis, Arietem deprimebãt, aut frangebant. Liuius libro XXXVIII. *In arietes tollenonibus libramenta plumbi aut ſaxorum, ſtipiteſue robuſtos incutiebant.* Tollenonibus id hîc facit Liuius: & Thucydides libro II. totum aperit, vt lux fiat Glareano, in Liuij loco caliganti & hæſitanti. Dicit, *Arietum alios laqueis auertebant, tum & hoc modo Magnas trabes adaptantes longis catenis, à capitibus vtrimq́. ſuſpenderant ad duas antemnas, ſuper muros inclinatas & extenſas. Has trabes ſurſum trahebant attollebántq́, obliquas, & quoties innaſura machina (Aries) erat, ictúmq́; datura, trabem decutiebant, laxatis catenis, manuq́; remiſſâ. Atque ii impetus decutiebat caput Arietis.* De his


B ipſis Appianus capiendus in Libyco: καὶ τοὺς κριοὺς τὰς ὁρμὰς ἐξέλυον, ἐπιβάλλοντες ἐγκαρσίας δοκούς: *Et Arietum vim ſoluebant, inijcientes trabes tranſuerſas.* Quòd autẽ iſti *Trabes* ita dicunt, id Liuius *Stipites robuſtos* qui tamen & de *Plumbo* addit. vti & lib. XLII. *Arietem admotum libramento plumbi grauatum, ad terram vrgebant.* quod eſt, iactu & libratione in eum plumbi supernè. Id verò ipſum plumbum, in trabium formam factum, & in maſſam longiuſculam productum, vt certiùs feriret, Polyænus indicat libro VI. Ἀθηνοκλῆς πολιορκούμενος, πρὸς τοὺς κριοὺς καὶ τὰ τρύπανα, δοκοὺς μολιβδίνους ἐποίησε, πλαγίας παρετείνε ἐπὶ τὰς ἐπάλξεις,

C αἷς ἐμπεσόντων τῶν πολεμίων, τὰ μηχανήματα συνετρίβετο: *Athenocles oppugnatus, aduerſus Arietes ac Terebras, trabes plumbeas fecit, eaſq́; tranſuerſas in propugnaculis oppoſuit, quibus, cùm hoſtiles machinæ irruiſſent, eæ confringebantur.* Vegetius horum nihil dixit, ſed lapides & marmora eorum vicem iniecit. Quod etiam Ammianus XX. *Agitantes arietes, denſo ſaxorum pondere molarium, fomentiſq́; ignium variis irruptionibus vetabantur.* Etſi illi molares non in admotã machinam immiſſi; ſed in aduentantem excuſſi tormentis videantur. Poſtremum in Vegetio: *vt deſtructis domibus, alius intrinſecus murus addatur.*] Hoc remedium, quod hodie quoque receptum contra demolitores noſtra tormenta. Imò vt nos lunari ferè formã tum ducimus, ſic illi. In Arriano de Halicarnaſſæis, oppugnatis ab Alexandro, lib. I. Ἐφθάκεσαν γὰρ

D ἀντὶ τοῦ πεπτωκότος τείχους ἔνδοθεν, πλίνθινον μηνοειδὲς ἀντῳκοδομηκότες, οὐ χαλεπῶς, ὑπὸ πολυχειρίας: *Occuparunt enim, pro muro exteriore deiecto, introrſus latericium ſtruere lunatã formã; idq́; facilè, ob multas operas.* Appianus quoque, cùm Sulla Athenas quæreret (in Mithridatico) & muri cecidiſſent, ait, *Archelaum introrſũ ædificaſſe lunatos alios. quos cùm Sulla ſtatim deruere tentaret, vt qui nouelli & molles eſſent, contrà cecidit, & ſuprà & à lateribus telis vndique petitus, vt inter lunatos flexus, ab oppugnatione Pyraei omnino deſtitit.* Hactenus ad Vegetium: ſed & addam quædam hîc omiſſa. vt quod in Diodoro, libro XVII. καὶ ταῖς μὲν δρεπανηφόροις κεραίαις τὰς τῶν κριῶν ὁρμητηρίας ἀποτέμνοντες, ἄχρηστον τὴν τῶν ὀργάνων βίαν ἐποίουν: *Et antemnis, quibus falces præfixæ erãt, funes quibus incitabãtur*

E *Arietes, abſcindentes, mutilos eos reddebant, & vim eludebant.* Itẽ quod in Dionis Veſpaſiano, in rebus Iudaicis (inter Fragmenta nuper editũ:) καὶ τοὺς κριοὺς τοὺς μὲν βρόχοις ἀνεῖλκον, τοὺς δὲ ἁρπάγαις ἀνέσπων, ἑτέρων τὰς προσβολὰς σανίσι παχείαις συμπεπηγμέναις τε καὶ σεσιδηρωμέναις, ἃς πρὸ τοῦ τείχους καθίεσαν, ἀπέστρεφον: *Arietes alios laqueis attrahebant; alios harpagonibus (Lupis Vegetij) reuellebant; aliorum incuſſum & inflictum, tabulis craſſis inter ſe compactis & ferratis, quas ante murum demittebant, auertebant.* Hoc enim poſtremum, videtur non coniectus aliquis in Arietem ſed oppoſitus & obtentio fuiſſe: vt in his vim frangeret, nec integram in muros ferret.

49



DIALOG. IX.

In tela alia, vſus coriorum, ciliciorum, rotarum.

SVPERESSE mihi video *Balliſtas*, *Catapultas*, & totum genus *leuium telorum*: quibus omnibus vnicum ferè obſtaculum & oppoſitio, *Coria*, *Cilicia*, *Vela*. His enim vim excipiebant & frangebant, molliter ita ſuſpenſis: imò & ignita iacula repellebant. In vrbe, extra vrbem vtebantur: quia vtrimque ſcilicet periculum & metus ab iſtis. In Suidâ, de Aggere: Τοῦτο δὲ μηχάνημα (χῶμα) οἱ ἐργαζόμενοι, προκάλυμμα τιθέασιν ἐξ αἰγείων τριχῶν, τῶν λεγομένων κιλικίων. ἃ δὴ πάχους τε καὶ μήκους ἀρκοῦντως ἔχοντα ἀναρτήσαντες ἐκ ξύλων μακρῶν, ἐπίπροσθεν ἐτίθεντο. ἐνταῦθα γὰρ οὔτε πυρφόροι οἰστοὶ, οὔτε ἄλλα βέλη ἐξικνεῖσθαι εἶχεν, ἀλλ' αὐτοῦ ἐπὶ τῶν προκαλυμμάτων ἐμένον: *Qui machinam eam* (id eſt Aggerem) *excitabant, ij tegumentum & velum habebant è caprillis pilis factum, quæ Cilicia vocant. Ea iuſta & ſufficientis craſſitie ac longitudine ſuſpendebant è proceris lignis, & ante ſe prætendebant. Ita nec ignita iacula, nec alia tela attingere eos poterant, ſed in ipſis ibi tegumentis ſiſtebant & hærebant.* Sed & in alio opere vſurpabant: tum ne conſpici ab hoſte poſſent, tum vt & tela ſic eludi. Commodum inuentum, & à noſtrâ hodie militiâ non alienum. Thucydides, in opere aliquo Platæenſium: Προκαλύμματα εἶχε δέῤῥεις καὶ διφθέρας, ὥστε τοὺς ἐργαζομένους καὶ τὰ ξύλα μήτε πυρφόροις οἰστοῖς βάλλεσθαι, ἐν ἀσφαλείᾳ τε εἶναι: *Tegmina habuit pelles & centones, vt nec operãtes, nec ligna operis, igneis iaculis peterentur, & in tuto eſſent.* Ammianus: *Defenſores obtentis cilicijs latebant intrinſecus, ne conſpicerentur ab hoſtibus.* Curtius: *Igitur munimentibus coria velaq́ue iuſſit obtendi, vt extra teli ictum eſſent.* Arrianus pariter:

A Προκαλύμματα δὲ δέῤῥεις καὶ διφθέρας αὐτοῖς ἦσαν, ὡς μήτε πυρφόροις βέλεσιν ἀπὸ τοῦ τείχους βάλλεσθαι, τοῖς τε ἐργαζομένοις προβολὴν ἐν τῷ αὐτῷ πρὸς τὰ τοξεύματα: *Tegmina ijs erant coria & pelles, vt nec à muro igneis telis peterentur, & vt operariis munimen hoc eſſet in ſagittas.* Vegetius IIII. cap. VI. *Saga, ciliciáque tenduntur, quæ impetum excipiant ſagittarum. Nec enim facile tranſeunt ſpicula, quod cedit & fluctuat.* Imò verò & lapides ſiſtunt Balliſtarum. Diodorus in XVII. πρὸς δὲ τούτοις βύρσας καὶ διπλᾶς διφθέρας πεφυκωμένας καταῤῥάπτοντες, ὡς ταύτας ἀπεδέχοντο τὰς ἀπὸ τῶν πετροβόλων πληγάς· καὶ μαλακῆς τῆς ἐνδόσεως γινομένης, ἐξελύετο τῶν φερομένων πετρῶν ἡ βία: *Præterea coria ac pelles duplices,*
B *madefactas, conſuentes, in his excipiebant ictus Balliſtarum, quia molliter ijs cedentibus vis lapidis reſoluebatur.* ORAN. Madefactionis hîc mentio: quo ea fine? CAR. Contra ignes, aut ignita. Aquâ enim centones, aut cilicia, & coria humectabant, quò minùs corrũperẽt, aut corrũperentur. In Ammiano: *Aries humectis taurinis opertus exuuijs.* Et propriè huic rei Acetum habebant. Siſenna hiſtoricus, in fragmento: *Aceto madefactis centonibus integit.* Appianus in Mithridatico, reſiſtere ita Cyzicenos facit: Τῶν δὲ βελῶν τοῖς μὲν πυρφόροις ὑπήντων ὄξει καὶ ὕδατι. τὰ δὲ ἄλλα προβολαῖς ἱματίων, ἢ ὀθόναις χαλαραῖς τὴν φορὰν ἔλυον: *Tela*
C *ignita refutabant aceto & aquâ. alia autẽ oppanſione veſtium, aut linteis laxis ſuſpenſis reſoluebãt, & vim frangebant.* Sed & Vitruuius in tegendâ Teſtudine, *Paleas aceto macerat.* LIPS. Occurrit Heronis locus, qui cap. XIIII. de Turribus, vbi varia remedia in Ignes, hoc quoque habet: *Velliſſima inuolucra oppanſa, paleis aceto madefactis plena; ſiue & retia repleta humido muſco vel algæ ſpecie, quæ Thalaſſopraſſon dicitur.* Ille velut Culcitas paleis eiuſmodi humectis farcit, & in ignes opponit: quod è lanâ noſtros hodieque facere

accepi, in tormenta. CAR. Polyænus commodè ita de Aceto pronunciat: σβεστήριον πυρὸς μάλιστα ὄξος εἶναι δοκεῖ. ἄριστον δὲ κάλυμμα πυρὸς ἐπαλειφόμενον ὄξος. ἥκιστα γὰρ τούτῳ πῦρ ἅπτεσθαι: *Ignem reſtinguere & comprimere maximè Acetum videtur. ſed magis, Acetum vnctum aut pinguefactum: quia minimè ignis id apprehendit, aut adhæret.* Poſtremum hoc de *Vncto*, mihi nouum eſt, & ad periculum appello. Iſthæc igitur in Tela: ſed in *Catapultas* propriè, inuenio & *Rotas marmoreas* quaſdam oppoſitas, de quibus in Diodoro, lib. XVII. De Tyrijs agit: Πρὸς μὲν τὰ καταπελτικὰ βέλη τροχοὺς κατεσκεύασαν, διειλημμένους πυκνοῖς διαφράγμασι. τούτους δὲ διά τινος μηχανῆς δινεύοντες, τὰ μὲν συνέτριβον, τὰ δὲ παρέτρεπον τῶν βελῶν, πάντων δὲ τὴν ἐκ τῆς βίας φορὰν ἐξέλυον: *Contra Catapultica tela Rotas apparârunt, crebris internallis aut ſeptis diſtinctas. Has per machinam quandam in orbem voluebant, & alia telorum frangebant, alia auertebant, omnia reſoluebant.* Hîc *Rotas* impliciter dicit, poſteà & *Marmoreas* addit. οἱ Τύριοι πρὸ τῶν τειχῶν μαρμαρίνους τροχοὺς ἔστησαν, καὶ διά τινων ὀργάνων τούτους δινεύοντες, τὰ φερόμενα βέλη καταπελτικὰ συνέτριβον, καὶ εἰς τὰ πλάγια περιάγοντες, ἀπράκτους ἐποίουν τὰς πληγάς: *Tyrij ante muros Rotas marmoreas conſtituerunt, quas organis quibuſdam girantes, incidentia catapultica tela frangebant, aut ad latus auertentes, inefficaces reddebant ictus.*

DIALOG. X.

Libatio in menſâ, honoris index: quibus exhibita?

OMNIA, niſi fallor, iam dicta: & ſermonum meritò finis. Vos amici eamus. LIPS. Quò? CAR. Iterùm in Prætorium, tum in vrbem. Ingredimini etiam. LIPS. Quid autem facturi? ad cymbas potiùs. dies incliuauit. CAR. Imò pro operâ nouatâ, ex more veteri, *mulſo ſunt accipiendi milites*, vt apud tuum Comicum. Bellaria Lipſi guſtanda ſunt. BILL. At enim breuiter Carondelete hoc fiat: ſeria mea me vocant. CAR. Salus Principis te hîc tenet. ecce hanc pateram, quam illi eo libatum. BILL. Diu nobis, huic patriæ, toti reip. ſit ſuperſtes. Tibi porrò Lipſi, in hanc legem & exemplum. LIPS. Hem, quàm ſtrenuè tu bibis! ſic hauſtu vno totam? vereor vt imiter, etſi cupio. Vnde autem vobis iſtæ leges aut mores? nam vulgò in conuiuiis video vſurpari, non inuitationem, ſed adactionem ab bibendum. CAR. Mirum te quærere. à priſcis hoc inſtitutum, & fideliter nos tenemus. Ex ſcito autem tuo Lipſi,

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſque.

LIPS. De fide video, de inſtituto ambigo. CAR. Diſce igitur, qui nos doces. Græcis & Romanis in more inter pocula & menſas, maximè ſecundas, dijs primùm libare, eorúmque honori bibere; tum etiam beneficis in ſe, aut amicis. In iſto numero qui magis quàm viri Principes, quorum beneficio & curâ nos & noſtra ſalui? Quod igitur Græci patronis aut amicis (nam de Diis omitto, rem notiſſimam) ex Ouidij loco clarum, de Theſeo. vbi Athenienſes, conuiuia agitantes, ob eum reducem, poſt facta eius enumerata, addunt:

——— *pro te fortiſſime, vota*
Publica ſuſcipimus, Bacchi tibi ſumimus hauſtus.

A In Aſconio, III. in Verrem: cùm declarat, quid ſit Græco more bibere, *Eſt*, inquit, *Græcus mos, vt Græci dicunt, συμπίνειν κυαθιζομένους, cùm merum cyathis libant, ſalutantes primò deos, deinde amicos ſuos nominatim. nam toties merum bibunt, quoties & deos & caros ſuos nominatim vocant.* Horatius ad hunc morem:

Da Lunæ properè nouæ,
Da noctis mediæ, da puer auguris
Murenæ.

Et exempla verò plura: ſed vide magis in Romanis. Silius de Q. Fabio Cunctatore, qui rem Romanam ſeruauit, libro VIII.

Nec priùs aut epulas aut munera grata Lyæi
Fas cuiquam tetigiſſe fuit, quàm multa precatus
B *In menſam Fabio ſacrum libauit honorem.*

Apud eundem libro VI. Marus quidam Regulum defunctum ſeruatorem & patronum habet. itaque ait:

——— *cur me libare Lyæi*
Quod cernis latices, dignum eſt cognoſcere cauſſam.

Valerius lib. VIII. cap. XV. de C. Mario: *Poſtquam Cimbros, ab eo deletos, initio noctis nuncius peruênit; nemo fuit, qui non illi tamquam dijs immortalibus, apud ſacra menſa ſua libauerit.* Hoc ipſum Plutarchus: Εὐθυμούμενοι τε μετὰ παίδων καὶ γυναικῶν ἕκαστοι κατ' οἶκον ἅμα τοῖς θεοῖς καὶ Μαρίῳ δείπνου καὶ λοιβῆς ἀπήρχοντο: *Hilares lætique vnà cum liberis & vxoribus, quiſque domi ſuæ, Dijs ſimul & Mario libauerunt.* Quibus exemplis, Senatus decreuit in Auguſti honorem
C ſemper liban. quod ita in Dione expreſſum, lib. L. Καὶ ἐν τοῖς συσσιτίοις οὐχ ὅτι τοῖς κοινοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἰδίοις πάντας αὐτῷ σπένδειν ἐκέλευσαν: *Et in conuiuijs non ſolùm publicis, ſed & priuatis, omnes ei libare & vinum defundere iuſſerant.* Quò Horatius reſpexit, IIII. Carm. od. V. ad Auguſtum.

Hinc ad vina redit lætus, & alteris
Te menſis adhibet Deum.
Te multâ prece, te proſequitur mero
Defuſo pateris, & laribus tuum
Miſcet numen, vti Græcia Caſtoris
Et magni memor Herculis.

Quinetiam eò, apud Græcos quidem, ventum, *vt*
D *diſcipuli præceptoribus ſuis bene precati libarent*: quod in Athenæo libro decimo legetis. Satin' hæc probant ritum antiquum, & ex eo noſtrum? LIPS. Nondum mihi. exemplum aliquod eſſe fateor, ſed diſſimile. Simplex ibi libatio, & guſtatio: vbi hæc infuſio? Abutimur, & apud quoſdam profectò, quod Alexis dixit,

——— λουτρὸν ἐστιν, οὐ πότος:
——— *lotio eſt, non potio.*

Ita ſe perfundunt & humeſcunt; ita dum alienæ Saluti libant, ſuam lædunt. ORAN. Lipſi tu non euades, nec ſi Vlyſſem aſtu præſtes. LIPS. Apud Cyclopes igitur ſum? ORAN. Puta eſſe. nos Vulcani officinam habemus, quod hodie dixiſti: æſtuamus igitur, & ſitimus. LIPS. Vobis ſitire. Nam Sophoclæum illud iure occinam:

——— ἴσ' ἄρα τὸ πρὸς βίαν πιεῖν
Ἴσον κακὸν πέφυκε τῷ διψῆν βίᾳ.
——— *bibere per violentiam,*
Par eſt malum huic, ſitire per violentiam.

DIALOG. XI.

An, & quæ machinarum, poſſint habere nunc vſum.

SED nónne imus? tu Caroudelete, tu Billéhee: & abiens iam Sol vocat. BILL. Me & negotia. conſcendamus cymbam, & prono ſic flumine feramur. Fecimus. Ego ad Billéheum, Omnia, aut pleraque diximus, quæ ad Oppugnationem veterem: an & alio aliquo, quàm ad hiſtoriam fructu, & vt FACES tantùm hæc loco ſint? An publicè reuocari aut renouari quædã expediat? dic ſodes, Billéhee, qui hoc iudicium lectione & periculo potes tibi vindicare. BILL. Arduum ſit, & inter noſtros quoque Martis & Bellonæ filios, videbis in his talibus diſſenſum. Qui vſum ſolum habent, & ab eo peritiam, hæc omnia naſo ſolent agere, & adſpernari: qui lectione imbuti ſunt, & curâ aliquâ ſcrutati, pluſculum ea æſtimare. Qui imitari tamen auſi ſint aut reducere, paucos dixerim; etſi in quibuſdam, quoſdam. Vt breuiter, ſed diſtinctè aliquid pro meo ſenſu promam, *Scalas*, & hæc ſcanſoria, vſum habere nemo abneget, in nocturnis occultiſq; aggreſſionibus; ſed & apertis, vt omnes ſciunt. Quædam veteribus formę aut inuentiunculæ circa hanc rem, haud aſpernandæ terrâ aut mari, ſiquis tua ruminetur. Iam de *Vallo* & *Foſſis* in obſidione vt te munias, illos includas: quid cogitari vtilius poteſt? Piget & pudet, quàm neglecta & in vili hodie ea pars: cùm ferè incauti aſſidemus, nec cuſtodientes ſatis, nec cuſtodiri. Illabitur aliquis, erumpit: facile eſt, nocturno præſertim tempore. ſed & ſuppetias ſi qui venit, eò minùs repugnamus. Olim aliter: & Iuliano aliquo opere ſi cingamur: quis obſeſſus non timeat, & quem timeant obſidentes? Sed & ſingillatim *Cerwoli, Cippi, Tribuli, Stili*, valde impediendo hoſti ſint, aut remorando: quin & in acie victoriam alibi donent, ſi aptè & occultè adhibeantur. De *Vineis* verò, *Pluteis, Muſculis, Teſtudinibus*, & toto hoc genere, vſum ex longinquo magnum habere haud dixerim: tormenta noſtra diſſipent: propiùs ſi ſuccedatur, quod ſæpè, & parietes ſuffodiendi aut detuendi ſint, habeant clarum & certum. At *Agger* palàm hodie vtilis, & ſpeciem interdum vſurpamus.

A Regula quæ antiquis certa, vt altiores vincerent, & telis tormentiſque præualerent; ea & hodie, atque aggerum hæc ſtructura dederit omnia ſub ictum. Vnus labor aut moles potiùs, pugnare cum ignauiâ militum, qui faſtidiunt aut ſpernunt totum hoc operari. *Turres* olim optimæ, nunc vix ſubſiſtant in illâ altitudine expoſitæ tormentis: nec ſatis muniant quæ olim, coria & vela. Memini tamen & ſcio factitatum recenter in Friſiâ: & poteſt vtiliſſimè, cũ conſtat obſeſſos non abundare puluere illo fulminali. An & ratio aliqua turrium mobilium non iniri poſſet, quarum frontes terrâ, lanâ madidâ, aut tali ſtipatione munirentur? architecti cogitanto. In *Tormentis* iacemus, fatendum eſt, vnico illo & eminente Gentorum (non enim hominum) inuento. Tamen *Catapultas, Scorpiones, Balliſtas* haud in totum abdicem: variè poſſunt eſſe vtiles: & maximè tollenones ſiue *Fundibala* illa, quæ grandiores molareſque lapides, cadauera, & talia in opida iactant. B Impenſâ minore hæc conſtant, ſed & hominum aut iumentorum haud æquâ fatigatione: quid quòd & vbique & ſemper (cùm ligni funiúmq; copia eſt) paſſim? Denique de *Telorum* vario genere, ſum in eâ ſententiâ, vt putem quædam poſſe excerpi; & maximè illa ignita, quæ diuerſa iam dicta. Terrent enim hæc talia, & in acie equos maximè: ſed & nocent eximiè; iacta in opida aut ædes. Plura aliquis dixerit: ſed & ego fortaſſe, niſi quia leuiter & neglectè, non nego, (quâ enim ſpe?) hoc ago: & iam vrbs in oculis, & nauta flectit ad ripam. O vos amici, ſaluete, & *Fortunæ huiuſce diei* gratia, quæ me ſociauit. CAR. Tibi, Billéhee, atque iſtis omnibus gratia, qui *relictis rebus, Mihi, frequentem operam dediſtis*, vt ait Comicus. ORAN. Sed &, vt idem Comicus,

C *Iſtoc quidem pretio nos fuit facile*
Frequentare tibi, verbiſque habere:
Ita in prandio lepidè atque nitidè
Accepiſti apud te, vt ſemper meminerimus.

Pro omnibus hoc reſpondeo: ſed nos porrò cum Lipſio. BILL. Ego ad decanum GRIMBERGIVM, virum probiorem neſcio, an nobiliorem. Noſti eum Lipſi? debes. ornamentum noſtræ vrbis eſt. At nunc ſalue, & ſaluete.

FINIS.

ADDITIVNCVLÆ.

QVAEDAM hæc, Lector, viſum adnectere, quæ locis ſuis inſerere aut opportunitas aut memoria non fuit. Nec ſic quidem omnia: abſit, nolo: & alijs quoque ſit, quod pro induſtriâ aut ingenio ſuo notent. Nos cùm hæc direximus, in ordinem aliquem & lucem dedimus, ſatis animo iſti fecimus; ſi non ſemper alieno (nec id ſperem) veniat in partem laboris aut gloriæ ſi quis volet, ſed & noſtra modeſtiæ, qui nemini inſultauimus, palàm aut per figuras percuſſimus, & ſi occaſio alibi eſſet. Id verò mihi defuiſſe fateor, quod alteri melior Deus dabit, libros ſcriptoréſque aliquot in bibliothecis reconditos: quos Mechanica Græcis litteris conſignaſſe comperi, Athenæum, Apollodorum, Heronem, alios: è quibus ſolum Heronem videre mihi fuit, atque eum in nube aut ſordibus parùm eruditæ interpretationis. Sed hæc tu, qualiacumque, cape Lector, fruere; & laudare ſi non potes, ama.

LIB. I. DIAL. III.

Pag.494.e *Alij ferè cõſenſu ad Periclem auctorem referunt.*] Docent quæ adduxi, & tamen Corn. Nepos, ſeu quis alius in vitâ Miltiadis; facit eum in oppugnatione Pari, *Vineis ac Teſtudinibus conſtitutis, propius muros acceſſiſſe.* At is ſanè Pericle antiquior: ſi tamen hæc penitatè, & non de more ſic ſcripta.

Ibidem *Nonne probabile perſuaſiſſe in propinquũ Orientem?*] Ratio inducit, ſed & auctores. Nam Perſas ecce machinas habuiſſe atque vſurpaſſe, Xenophon docet VII. Pæd. de Cyro agens: ὡς δ' ἦλθεν πρὸς τῷ τείχει τῷ ἐν σάρδεσι, τάς τε μηχανὰς ἀνίστη ὡς προσβαλῶν πρὸς τὸ τεῖχος, καὶ κλίμακας παρεσκευάζετο: *Vt venit ad Sardium muros, machinas erexit muris admouendas & ſcalas præparabat.* Iterùm diſtinctiùs: ὁ δὲ κῦρος μένων αὐτὸς ἐν σάρδεσι, μηχανὰς ἐποιεῖτο καὶ κριοὺς, ὡς τῶν μὴ πειθομένων ἐρείψων τὰ τείχη: *Cyrus Sardibus ſubſiſtens, machinas & arietes apparabat, quibus non obtemperantium muros euerteret.* Sed & Ammianus lib. XX. atque alibi (locos vanè in ipſo textu adduxi) Balliſtas, Scorpiones, Malleolos, Aggeres, Vineas, aliaque adhibuiſſe ſuo æuo oſtendit. Quæ eò magis noto, quòd ſint auctores item qui adimant, & palàm machinas ſcientiamque oppugnandi ab ijs ſpernant. Vt Tacitus noſter, XV. Annal. *Sed Partho ad exſequendas obſidiones nulla comminus audacia: raris ſagittis neque clauſos exterret, & ſemet fruſtratur.* Iuſtinus pariter, XLI. *Parthi cominus prœliari, aut obſeſſas expugnare vrbes neſciũt.* Sed & Tacitus vniuersè de illo tractu, lib. XII. *Nihil tam ignarum barbaris, quàm Machinamenta & aſtus oppugnationum: at nobis ea pars militiæ maximè gnara eſt.* Sed & Lucanus apertè, qui ita loqui Lentulum facit, diſſuadentem Pompeio ire in Parthos:

Non artes illis, non vlla eſt machina belli,
Haud foſſas implere valent: Parthóque ſequente,
Murus erit, quodcumque poteſt obſtare ſagittæ.

Quid dicemus? an olim habuiſſe, pòſt deſijſſe, iterumque adſumpſiſſe? An de Perſis modò id verum eſt, de Parthis aliter, quos Tacitus & Lucanus priuant?

DIALOG. VI.

Pag. 498. *Scalas Nauticas,* & mox *Machinam aſcendentem.*] De Sambucis etiam ſiquis accipiat, fortaſſis nec erret.

Ibidem. *Tamen Vegetius in terrâ etiam adhibet.*] Atque ita tunc & poſteà factitatum etiam, non nego. Exemplum huiuſmodi Sambucæ egregium, in rebus Ferdinandi regis Aragoniæ, obſidione Antichetæ, quam Mauris ibat ereptum. Vide inter alios Laur. Vallam lib. I. de eius rebus.

A

LIB. II. DIALOG. IIII.

In Dionyſij ſenioris rebus ponit memoratq́; Diodorus.] Ille verò & antè memorat, ſed non expreſſè *Ambulatorias.* Vt cùm Hannibal Carthaginienſium dux Selinuntios oppugnat, lib. XIII. πρὸς δὲ τὴν πόλιν παραγενηθεὶς, περιεστρατοπέδευσε αὐτὴν, καὶ τὰς μηχανὰς ἐπιστήσας κατὰ πᾶσαν σπουδὴν τὰς προσβολὰς ἐποιεῖτο. ἓξ μὲν γὰρ πύργους ὑπερβάλλοντας τοῖς μεγέθεσιν ἐπέστησε, τοὺς ἰδίως δὲ κριοὺς κατασκευασμένους προσήρεισε τοῖς τείχεσι: *Ad vrbẽ cùm veniſſet, caſtra circũpoſuit, & machinas extruẽs, omni ſtudio conabatur admouere. Sex quidẽ Turres eximiâ magnitudine ſtruxit, proprios etiã Arietes ferratos incuſſit muris.* Pag. 117. Vbi Arietes *Proprios* accepetim, quia inuentũ id peculiare Pœnorũ. Sed Turres iſtas iterùm idem admouet Acragantinis: ſed nec ibi expreſſum *Mobi[illegible]*, etſi opinor fuiſſe. Ceterùm, quòd mox addo *Plicatiles* quaſdam Turres: earum verò mentio in obſidione etiam ſacræ vrbis, quam noſtri heroës animosè inuaſerant duce Godefrido. Ibi, inquam, traditum *Genuenſes peritos omnis generis tormentorum machinarúmque, ingentis molis turrim, procul à conſpectu hoſtium, fabricatos eſſe: quæ plicatilis, ac ſoluta per partes, noctu comportari in caſtra poſſet, vt cùm dilucereτ, ſuis coagmentata compagibus vrbi admoueretur.* Sed & plura talium rerum exempla, vt & Pontium mox in Turribus, in mediâ nouellaque hiſtoriâ reperies: quid opus aggerare?

B

DIALOG. V.

C

Cur rara, aut nulla eius mentio?] Intellego, apud antiquiores Romanos. nam poſtea ſæpè. Sed & Græci aut Perſæ videntur ſimilem vſurpaſſe: & Darij põs naualis in Boſphoro & Danubio Græcis celebratur. nec abijt ille portentoſus Xerxis, ſuper Helleſpontũ. Pag. 121.

LIB. III. DIALOG. II.

Catapulta pro telo ipſo.] Disertè alibi Plautus: *Ita eſt amor, balliſta vt iacitur, nihil ſic celere eſt, neque volat.* Pag. 150.

DIALOG. IIII.

D

Enormes lapides ac ſepulchrales.] Adde & molares. Æmilius Paulus, in obſidione Ptolemaidis à regibus Philippo Galliæ, Henrico Angliæ: *Saxorum molarium ictu, quæ Tollenonibus mittebantur, tecta domorum in vrbe supernè perfringebantur, magnâ incolentium peſte.* Appellat ſcitè doctiſſimus vir *Tollenones*, noſtras iſtas Balliſtas, quia talis quædam earum forma. Pag. 151.

Quæ verba non ſic capienda, quaſi vigintı.] Nũ tameo minores totidẽ globos fuiſſe placet, vanè mox ſpargendos. Nec id abnuam. Pag. 156.

Iſtac Ammianus.] Licet addere deſcriptionem Ibidem.

Græcam Balliſtræ, quam ex Procopio manuſcripto ad me miſit vir eruditus & induſtrius Dauid Hoeſchelius Ea ab Ammiano non abit, & ſic habet: Βελισάριος δὲ μηχανὰς ἐς τοὺς πύργους ἐτίθετο, ἃς καλοῦσι βαλλίστρας. τόξου δὲ σχῆμα ἔχουσιν αὗται, ἔνερθέν τε αὐτοῦ κοίλη τις κεραία προὔχει. αὐτὴ μὲν χαλαρὰ ἠρτημένη, σιδηρᾷ δὲ εὐθείᾳ τινὶ ἐπικειμένη. ἐπειδὰν οὖν τοὺς πολεμίους ἐνθένδε βάλλειν ἐθέλωσιν ἄνθρωποι, βρόχου βραχέος *ἐν ὅρσει τὰ ξύλα ἐς ἄλληλα νεύειν ποιοῦσιν, ἃ δὴ τοῦ τόξου ἄκρα ξυμβαίνει εἶναι. τόν τε ἄτρακτον ἐν τῇ κοίλῃ κεραίᾳ τίθενται, τῶν ἄλλων βελῶν ἅπερ ἐκ τῶν τόξων ἀφιᾶσι, μῆκος μὲν ἔχοντα ἥμισυ μάλιστα, εὖρος δὲ κατὰ τὸ τετραπλάσιον. πτεροῖς μέντοι οὐ τοῖς εἰωθόσιν ἐνείρονται, ἀλλὰ ξύλα λεπτὰ ἐς τῶν πτερῶν τὴν χώραν ἐνείροντες, ὅλον ἀπομιμοῦνται τοῦ βέλους τὸ σχῆμα. μεγάλην δὲ αὐτῷ λίαν καὶ τοῦ πάχους κατὰ λόγον τὴν ἀκίδα ἐμβάλλοντες, στρέφουσί τε πολλῷ οἱ ἀμφοτέρωθεν μηχαναῖς τισί. καί ποτε ἡ κοίλη κεραία προϊοῦσα ἐκπίπτει μὲν, ξὺν ῥύμῃ δὲ τοσαύτῃ ἐκπίπτει τὸ βέλος, ὥστε ἐξικνεῖται μὲν οὐχ ἧσσον ἢ κατὰ δύο τῆς τοξείας βολὰς, δένδρου δὲ ἢ λίθου ἐπιτυχὸν, τέμνει ῥᾳδίως. τοιαύτη μὲν ἡ μηχανή ἐστιν ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τούτου, ὅτι δὴ βάλλει ὡς μάλιστα, ἐπικληθεῖσα. ἑτέρας δὲ μηχανὰς ἐπήξαντο ἐν ταῖς τοῦ περιβόλου ἐπάλξεσιν, ἐς λίθων βολὰς ἐπιτηδείας. σφενδόναις δὲ αὗται οὖσιν ἐμφερεῖς καὶ ὄναγροι ἐπικαλοῦνται.

*ἐνέρσει.

LIB. IIII. DIALOG. III.

Pag.171. *Vetus autem hoc de manuarijs lapidibus, & quid niſi naturâ duce?*] Itaque Barbari & rudes aliorũ armorum his etiam nunc vtuntur. Et quidam ita ſcitè & fortiter (quod de Canarienſibus Antonius Nebriſſenſis αὐτόπτης ipſe tradidit) *quaſi ex balliſtâ aut tormento aliquo ſulfurario torquerentur.* Sed & ita certè, vt *nullum oculis ſignum deſignarent, quod non telo contingerent.*

LIB. V. DIALOG. III.

Pag 581. *De rumicibus tribuliſq́ ſparſis.*] Etiam Perſas factitaſſe, è Curtio diſcas. Qui ita libro IIII. ſub pugnam Alexandri cum Dario: *Nondum ad teli iactum peruenerant, cùm Dion quidam transfuga ad regem peruenit, nuncians Murices ferreos in terra defodiſſe Darium, quâ hoſtem equites emiſſurum eſſe credebat: notatumq́ certo ſigno locum, vt fraus euitari à ſuis poſſet.*

DIALOG. V.

Aquiſq́ conſperſa acriores excitat ignes.] Cuiuſmodi oleum aliquod Perſas habuiſſe, quo vrbes & earum portas exurebãt, in Æliano leges lib. v. Hiſtor. Anim. cap. III. item Ammiano lib. XXIII. Id autem è Napthâ compoſitum, de quâ varij. Pag.184.

DIALOG. VII.

Aſſeres aut trabes aduenientibus incuſſa.] Trabe aliâ ita diſcuti perſtringiq́ue Turres ſolere, in Paulo Æmilio eſt exemplum, bello Sacro: *Aduerſus Genuenſium Turrim, malum in muro erexerant, trabemq́ transuerſam ſuſpenderant, vt eius interiore capite reducto, ac mox magnâ vi remiſſo, exterius in appropinquantẽ machinam velut aries incuteretur.* Quod etiam mox additur, *Turres alias* ſolere in eam ſtrui: id verò ex ipſo Cæſare doceatur, libro VII. de Auaticẽſibus obſeſſis: *Totum autem murum ex omni parte turribus contabulauerant, atque has corijs intexerant.* Pag.186.

DIALOG. VIII.

Quem Lupum vocant.] Lupi muralis deſcriptio in Procopio manuſcripto: & ecce habes, miſſu Dauidis Hoeſchelij: Ἐν δὲ ταῖς πύλαις λύκους ἔξω ἐπετίθετο, οὓς δὴ ποιοῦσι τρόπῳ τοιῷδε. Δοκοὺς δύο ἱστᾶσιν ἐκ γῆς, ἄχρι καὶ αὐτὰς ἐπάλξεις ἐξικνουμένας. ξύλα τε εἰργασμένα ἐπάλληλα θέμενοι, τὰ μὲν ὀρθὰ, τὰ δὲ ἐγκάρσια ἐναρμόζουσιν, ὡς τῶν ἐνέρσεων τὰ ἐν μέσῳ εἰς ἀλλήλους τρυπήματα φαίνεσθαι. ἑκάστης δὲ ἁρμονίας ἐμβολή τις προὔχει, κέντρῳ παχεῖ ἐς τὰ μάλιστα ἐμφερὴς οὖσα. καὶ τῶν ξύλων τὰ ἐγκάρσια ἐς δοκὸν ἑτέραν πηξάμενοι ἄνωθεν ἄχρι ἐς μοῖραν διήκοντα τὴν ἡμίσειαν, ὑπτίας τὰς δοκοὺς ἐπὶ τῶν πυλῶν ἀνακλίνουσι. καὶ ἐπειδὰν αὐταῖς ἐγγυτέρω οἱ πολέμιοι ἵκωνται, οἱ δὲ ἄνωθεν ἄκρων δοκῶν ἁψάμενοι, ὠθοῦσιν. αὗται δὲ ἐς τοὺς ἐπιόντας ἐκ τοῦ αἰφνιδίου ἐμπίπτουσαι, ταῖς προὐχούσαις τῶν ἐμβολῶν ὅσους ἂν λάβοιεν εὐπετῶς κτείνουσι. Βελισάριος μὲν ταῦτα ἐποίει. Pag.187.

Iſta nunc ſatis. in Imaginibus, quædam monenda aut & addenda erant, ſed fiet cum Deo, aliâs, alijs etiam ſuggerentibus aut iuuantibus, quod velim.

INDEX
DIALOGISMORVM

LIBRI PRIMI.

MISCELLANEI ſermones, & præcipui ſemen atque occaſio. Dial.I.pag.491 a
De nomine & ſcriptura Leodici vrbis:tum initium ſermonis Machinalis. Dialog.II. 492.b
Nomen Machinæ, Machiones, Mangana. Origo rei tota inquiſita. Dial.III. 493.b,2
Diuiſio operis, tum de Oppugnatione ſubitâ & per Coronam. Dialog.IV. 494.b,2
De Teſtudine militari, quid & quotuplex ea? eius vis & robur. Dial.V. 26
De Scalis, & earum aliquot generibus. de Sambucis. Dialog VI. 495.a
Crates, Vineæ, Plutei, Spaliones, Leſæ, Catti, & totum hoc genus explicatum. Dialog.VII. 500.a
Teſtudines triplices, Aggeſtitiæ, Foſſoriæ, Arietariæ. Dialog. VIII. 503.a
De Muſculo, & Cæſaris locus in eo examinatus. Dialog.IX. 504.b

LIBRI SECVNDI.

De Circumuallatione. eius multiplicis & operoſæ exempla. Dialog.I. 507.a
Cæſar totus explicatus in verbis quæ ſuprà. Brachia, Lorica, Cerui, Stili cæci, & alia vicina. Dialog.II. 510.a
Agger totus ſtructus, & Cæſaris de eo locus. Dialog.III. 514.a
De Turribus. Ignoratæ olim. quando repertæ? Altitudo, Tabulata, Ferrea tegmenta. De ijs Cæſar explicatus. Dialog.IIII. 516.b
Pontium pleraque ratio. Primùm Naualis, tum in Vtribus, in Cuppis: & Cæſaris in Rheno illuſtratus. Dialog.V. 520.a

LIBRI TERTII.

De Ariete diſſertio. quotuplex ille, & qualis in quoque genere. De Helepoli, & Terebrâ breuiter. Dialog.I. 525.a
De Catapultâ: & primùm de nomine. Maiores, & Minores: tela earum, vis, & forma. Dial.II.549.a
De Balliſtâ, & Manganicis. Varia item nomina Lapidum moles & effectus: de Neruis, & Crinibus. Dialog.III. 554.a
Scorpiones quid, & quo telo? Dialog.IV. 560.a
Muri veterum cuiuſmodi? ſeorſim & Gallorum. Dialog.V. 561.a
Qui & vbi Machinas fecerint, tulerintque. Dial.VI. 564.a

LIBRI QVARTI.

Conuiuium, & in eo Apri olim ſolidi, pluſcula in hanc rem dicta. Dialog.I. 566.a
Ad Tela ventum, & de Fundis primò dictum. inuentio, forma, excuſſio. Dialog.II. 567.c,2
Triplex aliud genus Fundæ explicatum. Dialog III. 569.b.2
Iaculorum diuiſio, & genera. Sudes, Faces, Præpilata, Lanceæ, & adiuncta. Dialog.IV. 572.a
Amenta quid fuerint, & quo fine. Dialog.V. 576.a
Arcus & Sagittarij deſcripti. Dialog.VI. 577.b

LIBRI QVINTI.

De Repugnatione additum: & primò quid in Teſtudinem, aut Scalas. Dialog.I. 579
Plura alia in Aſcendentes. Oleum; Vaſa picis, ſulphuris, bituminis, & in fundis iacta. Plumbum, Ferrum, Arena, Retia. Dialog.II. 580.a
Fœnum Græcum ſparſum, Rumices & Tribuli. Dialog.III. 581.e
Dolia, Cylindri, Molares, Columnæ, Metellæ. & talia iacta. Dialog.IV. 582.a
Saxa in Machinas, tum Ignes. quid Malleoli, Vnci, Falarica. Dialog V. 583.a
Contra Aggeres, Cuniculi, Ignes, & alius Agger, aut eleuatio. Dialog.VI. 585 a
In Turres, Ignes iacti: Trabes incuſſæ. aliæ Turres ſtructæ. Dialog.VII. 586.d
Varia in Arietem, & Vegetius explicatus. Dial.VIII. ibid.c,2
In tela alia, vſus coriorum, ciliciorum, rotarum. Dialog.IX. 588.a
Libatio in menſâ, honoris index: quibus exhibita. Dialog.X. 589.d
An & quæ machinarum poſſint habere nunc vſum. Dialog.XI. 590.b

APPROBATIO.

Hos Poliorceticωn Iuſti Lipſij libros ad claram Hiſtoriæ cognitionem, magno ſtudiorum fructu edendos cenſeo.

Henricus CuycKius D. Petri Louanij Decanus, & Pontificius ac Regius librorum Cenſor.

Digitized by Google

IVSTI LIPSI ADMIRANDA,

ſiue,

DE MAGNITVDINE ROMANA

LIBRI QVATTVOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

SER^MO^ PRINCIPI

ALBERTO AVSTRIO

IMPERATORIS FILIO, NEPOTI, FRATRI, S.R.E. CARDINALI,

BELGICÆ SVPREMO GVBERNATORI,

I. LIPSIVS *dedicat conſecrátque.*

INTER Hiſtoriarum fructus, SER^ME^ PRINCEPS, ego illum eximium ſemper habui, qui ad Sapientiam & rerum in orbe ADMIRANDARVM cognitionem ducit. Quis enim paullò altior & attentior eas legit, qui non diuina illa opera obſeruet, magna imperia ſtabilita, aut diruta: & in iis imaginem quamdam Prouidentiæ ſimul & Potentiæ diuinæ? Ita profectò ſe res habet. ſicut vnus in ſuperis Deus eſt, qui machinam hanc totam moderatur & temperat: ſic in terris velut Curatores & Vicarios quoſdam ſuos conſtituit, qui in partibus eam tueantur & adminiſtrent. Atque horum quoſdá creſcere voluit in magnas opes, copias, opera: quid niſi in imagine oſtendens, cæleſtem illam & ſine fine ac modo potentiam, quam ipſe habet, & per riuulos ac canales illos deducit? Vt igitur cælum & micantia illa aſtra cùm intuemur, ab iis ad puram, primam, & inacceſſam quamdam lucem ducimur: ſic ab humanâ iſtâ MAGNITVDINE, ad auctorem illius & fontem Deum. Quis ille fuit, qui Aſſyrios terris & gentibus impoſuit? qui Perſas, Macedonas, Romanos? quis, qui iterùm loco mouit & deiecit? magnus ille auriga & rector vniuerſi, qui habenas in hoc mundano curru temperat; qui impellit, qui ſiſtit, & poëtæ verbo,

Diuóſque mortaleſque turmas
Imperio regit vnus æquo.

Quod magis ſentio, & in animum demitto, cùm in ipsâ potētiâ & magnitudine, infirmitatem iſtorum video, aut breuitatem. Quid enim illa omnia nunc, aut vbi ſunt? abierunt. vbi ſupra fidem cumulatæ opes? defluxerunt. vbi cælo certātia opera? non appârent. Heu res mortalium vel maximorum paruæ! heu validiſſimorum inſtabiles! imò omnia illa ſomnium, vmbra, nihil, ſi cum Æterno & Æternitate comparentur. Sicut Solem iſtum aſſiduè vel nubes aliqua ſubducit, vel nox condit: talis omnis hic ſplendor & felicitas, rapitur aut euaneſcit. Hæc & ſimilis cogitatio SER^ME^ PRINCEPS, iamdiu me impulit Imperiorum magna & ADMIRANDA colligere: atque vt decuit, orſum à ROMANO. Nam fallor, aut non alia maior magíſque fundata, addo & laudata MAGNITVDO fuit; quam quattuor his libellis in parte expreſſi, & ad te multis de cauſſis miſi. Omitto beneficia in pa-

ttiam publica, in me priuata: ipſe titulus & argumentum palàm ad te ducebant. ROMANI imperij deſcriptio cui potiùs aut iuſtiùs debebatur, quàm Principi è tot ROMANIS Imperatoribus nato? Res certa & inter ADMIRANDAS eſt, ex vnâ AVSTRIA, verè aureâ, ſtirpe veſtrâ, decem Imperatores, intra hos trecentos citciter annos, orbi Chriſtiano affulſiſſe: atque id ſanguinis & natalium ſerie, ſine vllo fulcro adoptionis. Quid in omni retrò Principum claſſe ſimile? duo, tres, in vnâ domo, & vix fuerunt: in primâ ipſâ Iulij, nec vltra ſextum etiam adoptio prorogauit. Iterùm dico, mirabile. & quid niſi à Deo tacita vox & teſtimonium, daram hanc familiam & demiſſam è cælo in terras eſſe, ad imperia terrarum? Iam & ADMIRANDORVM ille titulus, an non ad te traheret, in variâ virtute ſic ADMIRANDVM? Priuatam tuâ vitâ ſi video: Pietas & Religio occurrit, quæ vel ſacerdotem deceat; Caſtitas, quæ Veſtalem; probitas, & vitæ totius Ordo ac compoſitio, quæ ipſum cælum. Nec enim ſidera illa profectò magis ordinato & certo curſu incedunt, quàm tuæ actiones. Quid prudentia, in ciuili aut militari adminiſtratione? quid altitudo conſiliorum incredibilis? quid tranquillitas animi & vultus (proprium bonũ Auſtriacæ gentis) in omni euentu aut fortunâ? ADMIRANDA ſunt: & quæ Regi noſtro, ſapientiſſimo rerum hominúmque arbitro, cauſſam dederunt tui inter alios eligendi, quem ad maxima imperia & Præfecturas admoueret. Ecce Luſitania adiecta Hiſpaniæ ſuæ fuit, & multa in concuſſo eo corpore adhuc ægra: te elegit qui lapſa erigeres, dilapſa colligeres, exanimata recreares. Et ſanè ita feciſti, & præfuiſti, vt pænè optandum fuerit illi regno tam validè concuti, vt te pacatorem fundatorémque æterni deinceps otij haberet. Quis in diſceſſu tuo non ingemuit? nobilitas patronum, plebs parentem, leges cuſtodem, pietas vindicem viſa eſt ſibi amiſiſſe. At noſter Rex recepiſſe: & expertus quàm benè humeris tuis imperium ſederet, porrò te miſit in Belgieam noſtram, id eſt in ipſum mare & Oceanum (ignoſce patria ſic loquenti) diſſenſionum & turbarum. Heu qui hîc fluctus? adeò vt alibi ciuilia atque externa bella fuiſſe & tranſiſſe dixerim, hîc ſediſſe & habitaſſe. Opportunitas ſcilicet locorum fecit, & ſimul conſpiratio eorum qui magnitudini Regiæ ſunt infenſi, vt conſilia & arma verterentur in has partes; & in noſtrâ iſtâ patriâ certamen certaretur, pænè dicam, de Europâ. Ergo miſſus es & veniſti in medium diſcrimen: quid autem feciſti? quod nec hoſtes ſuſpicari, nec nos ſperare, imò vix nunc credere poſſumus cùm eſt factum. Aggreſſus es vrbem naturâ, opere, milite munitam, & opportunitate inter Galliæ primas. Vrbem dico, quam * Eduardus ille felix & animoſus Anglorum Rex, vndecim menſium ſpatio vix expugnauit; quam * Philippus Bonus tuus proauus, cum quadraginta millium exercitu, nec expugnauit: tu, inquam, aggreſſus cum modicis copiis, in paucis diebus claudis, oppugnas, capis. Quæ hæc vis animi, vel benignitas fortunæ? vtraque enim adfuit: & illa vt auderes dedit, hæc vt poſſes. Scipio Africanus olim (nec alium iuſtiùs tecum confetam) cùm in Hiſpaniam miſſus eſſet, vel ferociâ Pœnorum ereptam, vel infortunio Romanorum alienatam, vidit rem longi & infiniti operis, bellum circumferre per ſingulas & minutas partes. Quid facit diuinus iuuenis? Carthaginem Nouã, vbi, arma, commeatus, opes hoſtiles erant, ſitu & mœnibus (ita putabatur) inexpugnabilem, ſubitò & ignaris omnibus exercitum rapit. Venit, aggreditur, ingreditur: & in vnâ vrbe captâ, animos ſuis ſociiſque reddidit, hoſtibus ademit. O factum Scipione dignum! & quid niſi proludium frangendæ magnæ illius Carthaginis, & ſtabiliendi mox imperij pariter ac pacis? A te ſimilia exſpectamus, ô noſter Princeps: & ab hoc initio vince aut paca hoſtes, iunge diuulſos aut rebelles. Hos ipſos quàm terres ſtatim facto nouo pariter, & inopinato? Abducis ab iis locis copias, & alia

* Anno 1347.
* Anno 1416.

agens

agens ac præferens, Hulſtum adducis. Quod iſtud Hulſtum? non opidum, ſed inſulam; nec inſulam modò, ſed propugnaculis variis magníſque, id eſt verâ æſtimatione, totidem opidis inſeſſam. Quid facis ô conſideratiſſime Princeps! quis ardor te abducit? non Mars ſolùm ea loca, ſed Neptunus tuetur & vindicat: & magnus ille Oceanus, ruptis aggerum clauſtris immiſſus, vnà cum ſuis filiis latè dominatur & regnat. Vbi naues, quibus peruadas? vbi alæ quibus tranſuoles? deſunt: at non tentandi tibi animus, & patrandi item fortuna. O quàm nunc denique didici, anguſtè vires veſtras expendi, ſi quis ea tantùm quæ fieri poſſunt à vobis exſpectat! Audetis non audenda, facitis non facienda, humano quidem iudicio: ſed Deum adhibetis in conſilio, & vos magni cum magno illo Numine participantes, legitis (ſi fas dicere) in tabulis Fatorum. Itaque inuitis aut diſſuadentibus omnibus, inuadis, peruadis, vincis. Hæc tua ſunt ſub initium opera, cùm alij vix operum ſolent ponere fundamenta. Et quæ non maiora magíſque ADMIRANDA à te, vel in te, exſpectemus? Memini legere ALBERTVM II. inter maiores tuos Auſtrios, vno tempore atque adeò vno anno, factum Regem Bohemiæ, & Vngariæ, & ROMANORVM. O quæ iſta felicitas! ſed quàm breuis felicitas! biennio enim non toto imperauit, & optimum Principem Deus cælo inuexit, quia terra virtutum illarum parùm capax erat aut digna. Tibi pariter ALBERTO ominamur & vouemus ſimilia, ſed firmiora: & an non iamnunc clara ſigna Deus & Rex dederunt? ſed parco dicere, etſi non optare. O dies ille exorere, non lætus ſolùm ſed ſalutaris Belgis; nec Belgis tantùm, ſed vicinis; nec vicinis, ſed diſſitis, & quicunque ſunt in religione aut orbe Chriſtiano. Plura vellem: ſed vt ij qui apud Deum verba faciunt, corpore, geſtu, ſermone modici ſunt ac reuerentes: ſic nos decet apud vos Principes, & colere atque ADMIRARI magis, quàm laudare. Facio in animo, & illo dico atque impleo, ſiquid ore aut ſtilo omiſi. Louanij, Kalend. Mart. ∞ I Ɔ. XCVIII.

AD LECTOREM.

ADMIRANDA *in Imperiis, Lector, quæ olim colligere cœpimus, nunc diſponere, vt vides, & vulgare. Orſi ſumus à* ROMANO, *quod quattuor his libellis damus: an totum? negabit aliquis, & ſcio eſſe quæ poſſint addi. Sed an debeant, neſcio: non certè pro meâ mente, cui propoſitum fuit eminentia tantùm & verè* MAGNA *colligere, atque eaipſa dumtaxat oſtendere in primo vultu, & deſignare. Omnia ſi penetraſſem, aut delineaſſem, præſertim quæ ad* Opera, *quis finis fuiſſet? Sed architectonica etiam hæc cura ſit, non noſtra; nec libuit ſupra plantam, quod dicitur, euagari.*

——* οὐδ' ἄρα πως ἦν
Ἐν πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι.

Et verè fateor, nimiâ iam etiam curâ an curioſitate peccari à pleriſque noſtrûm, qui omnia hæc antiqua auidè ſcrutamur, & in maris illo fundo pænè dicam arenas. Ah, quis fructus eſt? vita & mores præeant, tum prudentia, ſed & elegantia quædam accedat: tamen vltima hæc cum modo. Peccauimus & nos fortaſſe olim: ſed nunc cum aliis annis mens eſt alia, & clamo liberè, Quædam eſſe quæ malo ignorare, quàm diſcere. *Timonis illud ſæpe mihi in mente:*

——* πολυμαθημοσύνης ἧς οὐ κενεώτερον ἄλλο.

Sed ſiquid tamen ſcitu dignũ omiſi, alius explebit me volẽte & addet, vt fiat illud Homericum,

——* πλεόνων δέ τοι ἔργον ἄμεινον.

Etſi quædam tamen ſepoſita mihi, non omiſſa, & in alterâ ADMIRANDORVM *parte opportunè reddenda. Atqui & alia mihi culpa, aut certè nota, deprecanda eſt, in attollendo nimiùm fortaſſe alibi fuiſſe. Si ita eſt, excuſetur: & quis neſcit, vbi animus & ſtilus incaluit, trahere hoc ſecum has* * πανηγύρεις? *Et tamen* arcem è cloacâ feci, *vt ait ille,* nec lapidem è ſepulchro veneratus ſum pro Deo; *ſed res laudatiſſimas laudaui & extuli: ſi nimis, tu moderare & deprime, quiſquis frigore & ſedatiore affectu hæc legis: Denique in clauſulâ, magnũ etiam imperium miratus ſum, & approbaui: cur contra hodiernum morem (dicet aliquis) fortaſſe & vſum? Nam diuiſiones iſtæ factæ iamdudum, & inueterauerunt, & moueri ſine motu Chriſtiani orbis vix poſſunt: Non temerè igitur ſuadeo; nec ſanè innouo: ſi tamen Fatis & Deo viſum, hodiernam aliquam & nouam* MAGNITVDINEM *dare, cur culpa ſit laudare & approbare? Multiplex ratio eam commendet: & firmiſſimè iſta. quòd etiamnunc, quidquid tranquilli & pacati eſt in re Chriſtianâ, id manat ab vnico illo capite, quod auctoritate ſacrâ nobis præeſt. Romanus ille Dictator, vt ſic appellem, & Pontifex, fulcrum aut vinculum eſt, quod ſuſtinet, quod ligat, labentes aut diſſidentes in malè compacto hoc ædificio partes. Abite non impij ſolùm, ſed imperiti, qui aliter. nobis conſtat hanc ipſam Romam, & ſacrum in eâ imperiũ,* fuiſſe & eſſe velut anchoram fluctuanti diu Europæ. *Mira Dei benignitas in hãc vrbem! cùm legionum vim eripuit, legum attribuit; cùm armis imperare noluit, ſacris indulſit: & ſic quoque fecit eam decus, tutelam, columen rerum. Atqui Senatus ille vetus non eſt, inquiunt. Non ille, ſed alius: & vide mihi in iſtâ purpurâ ex omni noſtro orbe ſelectos proceres, moribus, prudentiâ, annis ſpectandos. Si vetus ille Cyneas redeat, & hunc conſeſſum videat, nihil ambigat vel cum Regibus iterùm, vel cum Heroibus comparare. Quid Tributa? nõ tam multa, ſed magis innoxia & vltronea ſunt. Quid Legationes gentium? nec eæ deſunt, & ex noto ignotóque orbe (tanta diffuſio maieſtatis huius eſt) concurritur, & iura ac leges ſacrorum hinc petunt. Ipſi Reges & Principes adeunt & inclinantur, & obnoxia capita vni huic capiti ſubmittunt. Quid Principes aut homines loquor? aërei, terreni, inferi ſpiritus ſiue Genij verentur ac trepidant: & cæleſtem illam in terris poteſtatem vel inuiti ac reluctantes agnoſcunt. Gaude igitur non maior, ſed melior iam* ROMA; *non cultior, ſed ſanctior; & diu ſedes & habitaculum ſacri huius imperij (ex animo vouemus) eſto.*

* nec fuit vnquam Omnibus in rebus gnarum vnũ eſſe atque ſcientem.

* Multiſcientiâ, vt haud quidquã vel vanius extat.

* melius multorũ opus.

* laudationes.

IVSTI LIPSI ADMIRANDA, SIVE, DE MAGNITVDINE ROMANA.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Occaſio & ingreſſio ſermonis.

A DIES æſtuoſus erat, & quales Iulio menſe per Caniculam ſolent. Venit ad me AVDITOR, & Numquid turbo? inquit, non opinor. Otiari tecùm tempus, tùm & mos iubet, qui publicas Ferias nunc indixit. LIPS. Otiamur, non ob cauſſas à te dictas ſolùm, ſed ob quam minimè vellem. Ea valetudo eſt, ſemper moleſta, nunc magis in iſto æſtu. O ſi Spada me habeat! quàm me recreem & refrigerem ambulando, bibẽdo! AVD. Omitte Spadam, illã curſus tui palęſtram. Satis nobis, ſemel ſic pro te timuiſſe. Nam quid propiùs factũ, quàm vt nobis eriperereris, ad alios tranſlatus? LIPS. Factum. nec vnquam ego propior periculo fui, nec manifeſtiore Dei manu ereptus. Ille me tuitus eſt, & reddidit vobis. Vtinam & eos red- B detet iungerétque per bonã pacem, qui ſic abiuncti! O quàm ſuauis vita ſit! quàm iuuet communione illâ terrarum hominúmque frui! AVD. Ne deſpera.

* Οὔπω μῆνας ἄγων ἔλιπ' οὐρανὸν, οὐδ' ἐνιαυτούς.

* Nondum alter menſis, nec volutus deſiit annus. Theocr.

Dies, inquam, iſta componet & dabit; aut denique Deus. LIPS. Certè Dei hoc opus: quem toto pectore inuoco venerórque, vti velit, Reſpiciat afflictã Belgicam tot iam luſtris, & ſatis ſit accîſam eam, non excîſam. Sed quid tu volebas? AVD. Fabulari. LIPS. Publica habes? AVD. Curioſè ea non curo: ſed tamen & publica tangit, quod volebam. LIPS. Dic autem. AVD. Sponde autem. LIPS. Quid iſtud eſt? captas me? AVD. Non nego vtinam ceperim! Iam diu eſt quod DE MAGNITVDINE ROMANA pollicreris aliquid dicere, ſiue ſcribere. Si hoc nondum potes, illud fac quod potes. LIPS. Hóccine age- C bas, & eò ibas? & hoc illud otium, quod ſuadebas? AVD. Agebam, ibam, ſuadebam. Et quid tibi hîc magni negotij? ſcio iamdiu talia & obſeruata tibi, & prompta. LIPS. Prorſus. ecce, os aperiam? ſponte ſe effundent. O te bellum! ſcilicet memoriâ, diſpoſitione, ad eas res non opus, etiam quas notas iam habeas & paratas. AVD. Non nego. ſed priorem Deus tibi dedit, alteram iudicio ſemper aſſumpſiſti. In ſcriptis tuis hoc me delectat, ordinem & ſeriem rerum videre: interdum eatum, quarum nec ordo videbatur. LIPS. Malus es. AVD. Quid ita? LIPS. Quia verè captatorem agis, & blandiris, ſed vt in retia tua compellas. —*γέρων δ' ἁλώπηξ (aiunt verbum) οὐχ ἁλίσκεται. AVD. Imò pattare te capi vel meã hac cupidine, quam amare & laudare in adoleſcentiâ noſtrâ ſoles. LIPS. Non nego, adamo: ſed & argumentum inuitet, quod valdè item amo. Quomodo non veterem illam Romam? tot ingeniorum, artium, virtutum, vel matrem vel ſedem? Nam Potentia quidem & Militia ADMIRANDA ſunt, & magni illius imperij Opes: Virtutes amandæ. AVD. Neque aliud à te volo, quàm in vmbrâ quaſi & imagine repræſentari Formam faciemque illam veterem: & qualis, & quanta Roma fuit. LIPS. Ego verò ſic ſubitò nec vmbram tibi auſim polliceri: fortaſſe vmbellam, & imaginem aliquam imaginis, vt ſic loquar. AVD. Quidlibet, iuuabit & docebit. LIPS. Sic volendo, volentem & me facis. Sub hac trichilâ vmbroſâ igitur ſedeamus, & ducamus MAGNITVDINIS ROMANÆ vmbras.

* Vulpecula [illegible] capitur ſune.

CAP. II.

Communiter Roma & eius potentia laudata, per elogia pauca veterum.

EGO inter Imperia & MAGNITVDINES, quas Deus à conditu orbe eſſe voluit, eminere cenſeo & primas ferre hanc ROMANAM. Hoc è *Finibus, Copijs, Opibus, Operibus*, denique *Viris & Virtutibus*, liquere poſſe arbitror: quibus rebus ſingulis, aut & iunctis quibuſdam, aliæ fortaſſe gentes ſe oſtenderunt; nulla ſic omnibus, vt nunc oſtendam. Tu Deus lux temporum, rerum, hominum, ſcintillam aliquam tui, ſi non radiũ, in mentem hanc immitte: vt eã videre, adire, ſed & reſerare poſſim theſauros Antiquitatis & Memoriæ; quos in Æui diffuſo implexoq; ſinu, reponis & ſeruas. Priuſquàm igitur diſtinctè de quinque illis Magnitudinis partibus dicam, lubet vniuerſè aliquid de tota eã præfari,

& quam iſtam, vnà mecum, illuſtres magniq; omnes viri admirati ſint. Atque illa vulgata omitto. *Romanos rerum dominos: Romam mundi caput: Mundi miraculum: Mundi compendium: Arcem nationum ac regum, lumen gẽtium*: magna ſunt, & à magnis: ſed compendio laudaſſe eam magnificè Martialis videtur,

Terrarum Dea Gentiumque Roma,
CVI PAR *eſt nihil, & nihil* SECVNDVM.

Subtiliter nec falsò vult, nihil accedere ad eam, nihil vel ſequi. Quod an ab illo mutuatus Frontinus eſt? in cuius libro de Aquæductibus legimus: *Regina & domina orbis, quæ terrarum dea gentiumque conſiſtit, cui par nihil & nihil ſecundum.* Sed vereor vt alliũ adſcriptũm ve aliena manu ſit, & grauis atque eruditus reliquus Frontini ſtilus non probat aut amat laſciuiam poëtarum. Compendio igitur Martialis: ſed pulchrè item & vbertim Claodianus.

Quâ nihil in terris complectitur ALTIVS *æther*
Cuius nec SPATIVM *viſus, nec corda* DECOREM,
Nec LAVDEM *vox vlla capit. quæ luce metalli*
Æmula vicinis faſtigia conſerit aſtris.
ARMORVM LEGVMQVE PARENS, *quæ fundit in omnes*
Imperium, primique dedit cunabula iuris.
Hæc eſt exiguis quæ finibus orta, tetendit
In GEMINOS AXES, *paruaq; à ſede profecta*
Diſperſit CVM SOLE *manus. hæc obuia fatis,*
Innumeras vno gereret cùm tempore pugnas,
Et Gallum terris proſterneret, æquore Pœnum,
Numquam SVCCVBVIT DAMNIS, *& territa nullo*
Vulnere, poſt Cannas MAIOR *Trebiámque fremebat.*

Habes pleraque verſibus iis ab alto & animoſo poëta (talis fuit) inſerta, quæ ordine meo imus laudatum. Sed Erinna etiam poëtria audienda eſt: quam vixiſſe oportuit, vt hoc carmen eſt, ſub Pompeij, aut circiter, æuum. Nam alioqui plures eo nomine fuiſſe, non debes neſcire. Ea igitur, ad ipſam Romam:

Χαῖρέ μοι Ῥώμα θυγάτηρ ἄρηος,
Χρυσεόμιτρα, δαΐφρων ἄνασσα,
Σεμνὸν ἃ ναίεις ἐπὶ γᾶς ὄλυμπον
Αἰὲν ἄθραυστον.
Σοὶ μόνᾳ πρέσβειστα δέδωκε μοῖρα
Κῦδος ἀρρήκτω βασιλῆϊον ἀρχᾶς,
Ὄφρα κοιρανῆϊον ἔχοισα κάρτος
Ἁγεμονεύῃς.
Σᾷ δ' ὑπὸ ζεύγλᾳ κρατερῶν λεπάδνων
Στέρνα γαίας καὶ πολιᾶς θαλάσσας
Σφίγγεται. σὺ δ' ἀσφαλέως κυβερνᾷς
Ἄστεα λαῶν.
Πάντα δὲ σφάλλων ὁ μέγιστος αἰὼν,
Καὶ μεταπλάσσων βίον ἄλλοτ' ἄλλως,
Σοὶ μόνᾳ πλησίστιον οὖρον ἀρχᾶς
Οὐ μεταβάλλει.
Ἦ γὰρ ἐκ πάντων σὺ μόνα κρατίστους
Ἄνδρας αἰχματὰς μεγάλους λοχεύεις,
Εὔσταχυν Δάματρος ὅπως ἀνεῖσα
Καρπὸν ἀπ' ἀνδρῶν.

Filia ô Martis, mihi Roma ſalue,
Aureo Regina decora cultu,
Quæ vel in terrâ ſtabiles Olympi
Incolis arces.
Nam dedit ſoli tibi cana Parca
Regium ſceptrum, minimè atterendum,
Vt potens rerum domineris vna,
Imperitesque.
Ad tuum currum, retinente freno,
Colla telluris tumidique ponti
Illigas, & tu populos gubernas
Firma per æuum.
Ipſa, quæ gaudes variare cuncta,

A *Reſque transformare hominum, Vetuſtas,*
Spirat hæc vnitibi ſemper auram à
Puppe ſecundam.
Denique, in cunctis populis valentem
Procreas bellis ſobolem. vtq; læta
Surgit è terrâ ſeges. ipſa abundas
Prugè virorum.

Atque heus tu, virile & plenũ ſpiritus muliebre hoc carmen eſt; & cur talia tam multa peterint? Sed Poëtarum hæc laudatio eſt: audi Hiſtoricum. *Nulla vmquam Reſpublica nec* MAIOR *nec* SANCTIOR, *nec bonis exemplis ditior fuit.* Laudat à duplici illo capite quod nos attigimus, & in ſermone perſequemur, Potentiæ & Virtutis. Quod ipſum vtrumque Ammianus: cùm *Romam* IMPERII VIRTVTVMQVE *omnium* Liu. 1.
B *Larem* appellat. Et plura ſe offerunt, quæ differo, in ſuis locis opportuniùs reddenda. Hieronymi elogia audiamus, æuo iam inclinante: *Vrbs* POTENS, *vrbs Domina, vrbs Apoſtoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. Roma aut* FORTITVDINIS *nomen apud Græcos eſt, aut* SVBLIMITATIS *apud Hebræos.* Duplicẽ interpretationem nominis rei aptam reddit: ego & tertiam, quam dederit lingua noſtra: quia * Roma, *Gloriæ & famæ* nomen eſt Germaois: Quid, quòd apud Orientales Indos *Rumes* appellantur (Oſorio ita traditum) milites boni & fortes: an quaſi Romani, & admiratio vetus apud eos manſit? an vox indigena id quoque notat? Diuus Auguſtinus, prò ſummus, tria olim videre deſiderat: *Chriſtum in carne, Paulum in cathedrâ, Romam in flore.* Hoc vltimum Lib. 11. adu. Ioui. * Rom.
C paramus, & ad rem partéſque noſtras iam imus. aliquid tamẽ à te præſtipulati. AVD. Quid illud eſt? LIPS. Aſſenſum & fidem. AVD. Tibi non dem, aut habeam? vel nutu me ducas, quò velis. LIPS. Memento, nam erunt quædam inopinata, & verè ADMIRANDA. Poëta iure cecinit: Propert.

Omnia Romanæ cedant MIRACVLA *terræ,*
Natura hic poſuit, quidquid VBIQVE *fuit.*

CAPVT III.

Fines imperij Romani; quando maximi; & Prouinciæ breuiter adnumeratæ.

D INITIA nos tenent: nec temerè iam olim dictum, *Portam itineris longiſſimum eſſe.* At ſeriò viam ingredior, & quidem per eos limites ſiue terminos, quos antè obiter poſui, *Potentiæ ac Virtutis.* In potentiâ conſidero, *Fines, Copias, Opes, Opera*: & in hanc quadrigam, niſi fallor, ſubiungam & veham, quidquid ea ſecum trahit. Ergo de *Finibus* primò: ij verò quàm ampliſſimi fuerunt, & ſpatia terrarum ac maris, vno velut ſinu & iunctim incluſa, quanta in vllo priorum aut poſteriorum imperiorum nego fuiſſe. Itaque attollunt haud vanè hæc veteres, & magnificè loquuntur, vt Cicero: *Nulla gens eſt, quæ non aut ita ſubacta ſit, vt vix exſtet; aut ita domita, vt quieſcat;*
E *aut ita pacata, vt victoriâ noſtrâ imperioq; lætetur.* Et paſſim illi ſermones, *Romanos orbis dominos: Solem vtrumque in eorum imperio currere*: & talia, animosè magis, quàm ſuperbè dicta. Petronius:

Orbem iam totum victor Romanus habebat,
Quà mare, quà terra, quà ſidus currit vtrumque.

Dionyſius Halicarnaſſæus planè cum ipſo, etſi ante ipſum: ἡ δὲ ῥωμαίων πόλις ἁπάσης μὲν ἄρχει γῆς ὅση μὴ ἀνέμβατός ἐστιν, ἀλλ' ὑπ' ἀνθρώπων κατοικεῖται. πάσης δὲ κρατεῖ θαλάσσης, οὐ μόνον τῆς ἐντὸς ἡρακλείων στηλῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς ὠκεανίτιδος, ὅση πλεῖσθαι μὴ ἀδύνατός ἐστι, πρώτη καὶ μόνη

A *τῇ ἐν τῷ πασῶν ἀεὶ προφερόμενον ... ὅλης κρατούσης τῆς δυναστείας*: *Romana vrbs imperat toti terra, quâ quidē inacceſſa non ſit, habitatúrque ab hominibus. ſed & toti mari imperat, non ſolùm huic intra columnas Herculeas ſed ipſi Oceano, quacumque eſt nauigabilis;* PRIMAQVE ET SOLA *ab omni aut memoriâ terminos ſibi potentiæ fecit, Orientem & Occaſum.* Vbi terras omnes & maria tribuit, ſed vt decuit hiſtoricū bonæ fidei, cum aliquâ reſtrictione aut exceptione: ſeiungitque inacceſſa aut inhabitata loca, itémque maria ignota. Enimuerò, ſi propiùs roſpicias, nec habitata quidem omnia loca ſub imperio habuit: non hercules: & multa ſub Parthorum iure ad Orientem fuere, multa libera, aut ſub regibus, ad Septentrionem ac Meridiem: B ſed vt ego quoque pro vero magis coërceam, quidquid opportunum aut dignum vinci videbatur, vicit. Cetera non tam non potuit, quàm contempſit, & iudicio reliquit. Sed illud nemo negauerit, florem Aſiæ, Africæ, Europæ in hoc imperio fuiſſe: ipſa gentium robora, ingenia, opes. Quod vt clariùs tibi liqueat; in triplici hac mundi plagâ quid habuerint, ſtrictim & per indicem dicam: atque id, cùm imperium maximum & in culmine ſuo fuit, vt ab Auguſto ad Traianum. Termini igitur finéſque imperij ſub Auguſto erant, ab Oriente *Euphrates*; à Meridie *Nili catarractæ*, & *Deſerta Africæ*, & *mons Atlas*, ab Occidente, *Oceanus*; à Septentrione, *Danubius & Rhenus*. Ita enim ipſe, bono conſilio, inſtituit, C claudere imperium naturæ aliquibus limitibus, & cuſtodes ac milites ad eos habere. Hoc Tacitus in eo
1. Ann. laudat: *Clauſum mari, aut amnibus longinquis imperium.* Atque idem ſcribit, Auguſtum libello, quo Rationes imperij conſcripſerat, *conſilium addidiſſe, coercendi intra terminos imperij, incertum metu, an per inuidiam.* Nolebat, inquam, poſteros Auguſtus proferre terminos: ſiue quia ſatis iam partum videbatur, & metuendæ bellorum ac fortunæ vices; ſiue per inuidiam, & ne gloriam ſuam vincerent, vt Tacitus ſuſpicatur. Sanè poſteri conſilium hoc neglexerunt, nec ſolùm regna aliquot, defunctis aut euerſis ſociis Regibus, imperio adiecerunt; ſed etiam, vltra terminos, noua quæſiuerunt. vt Claudius, qui *Britannias* in D ipſo Oceano deuicit; vt Traianus maximè, qui ab Oriente, *Arabiam, Armeniam, Meſopotamiam*; à Septentrione, *Daciam* ſubegit. Ita moti prolatíque tunc termini trans Euphratem, ad *Tigrim*: iterúmque parte aliâ, ad *Mare rubrum*; & trans *Danubium* ipſum, tota *Dacia* addita fuit. Hoc eſt, quod Tacitus noſter in ſuo illo Principe laudat: *Ventum inde Elephantinen*
11. Ann. *ac Sienen, clauſtra* OLIM *Romani imperij, quod* NVNC *Rubrum ad mare pateſcit.* Sed, inquies, quæ hæc dictio eſt, quaſi pro magno ad *mare Rubrum* ventum nunc eſſe: nónne & anteà fuit? Ipſa illa *Siene* & *Elephantine* ad Nili catarractas, oſtendunt quidquid Ægypti interiacet Nilum & Sinum Arabicum, iam olim Romanorum fuiſſe. Atqui Sinus ille, *Rubrum mare.* ReE ſpondeo, latiùs olim Rubrum mare patuiſſe, & paullò aliter, quàm vt vulgò hodie, appellatum. Nam in Taciti, & aliorum veterum verbis, in hoc nomen venit *mare Indicum*, vaſtum illud & magnum, quod ab extremo Sinu Arabico, ſiue ab Africâ eâ, in *Auream* Ptolomæi *Cherſoneſum* ſe protendit. Itaque Pomponius Mela, duos Sinus in mari Rubro agnoſcit, *Arabicum* & *Perſicum*. Et Seneca Tragicus, *Tigrim in mare Rubrum* exonerat atque immittit: Curtius *Indum* & *Gangem*: quos certum eſt in magnum illud mare, longè à Sinu Arabico, euolui. Hæc vera & clara ſunt: promoti igitur termini ad mare Rubrum ſiue *Indicum*, per Arabas adiectos. Eadem mens Græci ſcriptoris in Suidâ: *qui terminos imperij ad Orientem facit:* *Indos & mare Rubrum*; & *Nili Catarractas*, & *lacum Mæotin.* Sicut & Appianus ita capiendus, cùm in Præfatione operis ſui, diſtinctè Romanum imperium limitat: *Tendit*, inquit, *ab Occaſu & illo Oceano occiduo, ad Caucaſum montem, & flumen Euphratem, & ad Æthiopas ſuperiores, per Ægyptios & Arabas, ad Orientalem Oceanum.* Hic Oceanus *Orientalis*, non aliud quàm *Mare Indicum* ſiue *Rubrum*, iam dictum. Sed obicies, Si iſta de Traiani terminis Appianus; quid ita *Euphratem* ponit, *Tigrim* omittit? Hoc ideò, quia Hadrianus Imp. (ſub eo Appianus ſcripſit) ſtatim à morte Traiani, hoc mutauerat. de quo Feſtus Rufus: *Inuident*, inquit, *Traiani gloriæ, ſponte Armeniam ac Meſopotamiam, & Aſſyriam reddidit, ac medium inter Perſas & Romanos Euphratem eſſe voluit.* Tamen de Tigri etiam Claudianus:

Subdidit Oceanum ſceptris, & margine cæli
Clauſit opes. quantum diſtant à Tigride Gades,
Inter ſe Tanais quantum Niluſque relinquunt.

AVD. Sed & alia dubitatiuncula, de *Meſopotamiâ*. quam tu & Rufus ab Traiano adiectam imperio ſignificans; at Aurelius Victor iamdiu à Claudio. LIPS. A Claudio? nemo hoc dixit, nec poteſt. AVD. Imò verba Victoris ſunt: *Retenti fines, ſeu dati, imperio Romano, per Orientem Meſopotamia; Rhenus Danubiúſque ad Septentrionem; & à Meridie Mauri acceſſore prouinciis.* LIPS. Hoc eo ſenſu, vt ipſa Meſopotamia finis eſſet, non vt in finibus contineretur. Eouſque, inquam, productum imperium, non & vltra ipſam. Ea mens Victoris; aut ſi alia, eſt error. Et habes ecce in iſtis finibus, quid: per Indicem, ſi placet, videamus, & per ſingulas orbis partes.

IN ASIA.

Colchidem,	*Armeniam,*
Iberiam,	*Syriam,*
Albaniam,	*Arabiam,*
Pontum,	*Palæſtinam,*
Boſphorum,	*Ciliciam,*
Cappadociam,	*Pamphiliam,*
Galatiam,	*Lydiam, &*
Bithiniam,	*Aſiam totam minorem.*

IN AFRICA.

Ægyptum,
Cyrenaicam,
Marmaricam,
Gætuliam,
Africam propriam,
Numidiam,
Mauretaniam,
Aliáſque minores aut ignotiores.

IN EVROPA.

Italiam,	*Macedoniam,*
Hiſpanias,	*Epirum,*
Gallias,	*Græciam,*
Inalpinos,	*Thraciam,*
Rhætiam,	*Mæſiam,*
Noricum,	*Daciam,*
Illyricum,	*Pannoniam.*

Habes hîc, dico, optima terrarum, latiſſima terrarum: & magnam tamen partem conſultò omiſi, quidquid *Inſularum* mari ambitur. Ex quàm multæ, & magnæ quædam, in toto illo mari mediterraneo fuerunt, à Columnis Herculis, ad Pontum vſque? profectò, quæ vel decimam partem pænè prouinciarum terreſtrium æquent, ſi *Britannias* in exteriore mari (vt debes) adiungas. Pulchra autem iſta facies, & non niſi à Prouidentiâ ſic ordinata & ornata: quam mecum vide. Vtrimque ad hoc mare mediterraneum Prouinciæ ſe porrigunt & extendunt; ipſum in medio, tot portubus & inſulis diſtinctum, quaſi via & limes eſt, per quem commercia iunguntur. Nec aliud mihi pulchrius commodiuſque videtur in hoc imperio, quàm iſte velut in medio corpore baltheus, bullis inſularum interſtinctus: qui & diuidit ſimul, & conſtringit. Dabis mihi aliud tale, & tantum? non dabis. AVD. Imò Lipſi, *Turcicum*, & Regis quoque noſtri *Hiſpanicum* imperium, haud longè abſunt. LIPS. De Turcico, fateor dum eſt, in Aſiâ & Africâ latè ſe extendiſſe: ſed in validiſſimâ Europâ noſtrâ quid habet, aut potiùs non habet? Certè vel ſola Italia, Hiſpania, Gallia iunctæ, opibus viribúſque pares ſint, aut ſuperent illum hoſtem. O ſi Deus daret! adeò nec potiores illæ Orientales pro opibus & frequentiâ priſcâ ſunt; & noſtræ iſtæ florem nunc habent & vigorem. Quid de Germaniâ dicam? illa olim horrida & rerum inops, quàm artibus, opidis, copiiſque exculta eſt, & abundat? AVD. Mirificè & hæc tamen Imperio tuo etiam deeſt. LIPS. Non ſic, vt opinare. Nam ſi terminos meos cogitas, videbis ad Danubium vſque, *Retias, Noricum, Carnos, Pannones* incluſos. & parte alterâ ad Rhenum, *Heluetios, Rauracos, Argentoratenſes, Nemetes, Vangiones, Treuiros, Vbios, Menapios, Batauos*, ad Oceanum ipſum. Quæ pleraque omnia Germaniæ hodiernæ nomen, & linguam, & leges etiam habent: at detracta, vides quàm eam arctent, & pulcherrimis membris ſpoliatam relinquant. Certum autem, hæc poſtrêma omnia, cis Rhenum, Galliæ fuiſſe olim accenſa. Itaque ſub iugo Romano. Sed de *Hiſpanico* imperio quod aiebas; id tamè, ſpatia terrarum ſi conſideras, præſertim in Nouo illo orbe & inſulis, Romanum longè vel ſuperat: ſed iunctio & deuinctio prouinciarum, viri & copiæ, quàm deficiunt & delinquunt? Nunc quidem. nam poſteà quid futurum ſit, neſcio: florebunt, creſcent fortaſſe. & ſenſum meum tibi dicam? Neſcio quo Prouidentiæ decreto, res & vigor ab Oriente (conſidera, ſi voles) in Occaſum eunt.

CAP. IIII.

De copiis & præſidiis ſparſim circa limites, itemque in ipſâ vrbe.

ISTI Fines igitur Romani & quidem mari, amnibus, montibus clauſi ac muniti, ſed Milite & *Copiis* multo magis. Nam Romanus mos & inſtitutio, duplici viâ prouincias muniit, *Copiis* & *Coloniis*: de quibus vtriſque breuiter dicendum. *Copias* intelligo, perpetuum militem, qui ad tutelam imperij, ex inſtituto Auguſti, fuit. Triplices eas reperio, *Prouinciales, Vrbanas, Claſſicas*. illas maximas, alteras ſatis validas, & tertias vtiles atque opportunas. Omnia hæc ab Auguſto, qui ſapienter pleraque in nouo imperio aut inſtituit, aut reſtituit, vt res viſæ poſtulare. Hoc autem inter noua & in laudibus Auguſti iam mortui Tacitus ponit, *Legiones, prouincias, claſſes, cuncta inter ſe*

1. Ann. *connexa*. Narrat & Suetonius: *Ex militaribus copiis, le-*

A *giones & auxilia prouinciatim diſtributa*. Sed benè Tacitus, *cuncta connexa*: nam ita ordo & diſpoſitio fuit, vt limitanea loca militem haberent, interiora vix haberent: & eſſent, vt in magnâ vrbe, circa mœnia diſpoſiti & vallum. Cohærebant autem prouinciæ, ideóque & legiones, per cohortes ſuas & alas ſparſæ, & inter ſe vicinæ. AVD. Sed non igitur Arces in locis interioribus ſaltem erant, ſi non legiones? LIPS. Apage à Romano hoc more. nuſquam in iis præſidium aut ſpes poſita Martiali huic populo, ſed in milite tantùm & armis. Et ſanè de Arcibus variè diſputari poteſt: ſed non tempeſtiuè in hoc loco. pergamus. Miles igitur ad Limites, vbi minimo oneri ſubditis, maximo vſui in hoſtes eſſet. Quantus? ſub Auguſto & Tiberio *viginti quinque* legiones fuerunt, ex Dione & Tacito: quin poſteà tamen au-

B xerint, vix dubito, & ſub Traiano atque Hadriano certum fuiſſe *triginta*, aut & ſuprà. Columella, in quâ legionum nomina, tum & alia quædam hoc eminent: diximúſque aliquid in *Analectis Militiæ Romanæ*, illîc, ſi libet, videndum. Hæ legiones, Auguſti & Tiberij æuo, ſic diſpoſitæ:

In Hiſpaniâ, legiones III.
In Galliâ ad Rhenum, VIII.
In Africâ, II.
In Ægypto, II.
In Syria ad Euphratem, IIII.
In Mæſiâ ad Danubium, II.
In Pannoniâ ad Danubium, II.
In Dalmatia, II.

C Sed mutabant interdum, quod Tacitus in IIII. Annalium notat, & ob cauſſas huc atque illuc ibant, aut ſedebant. Quædam autem legiones & in opidis erant, etſi pleræque in caſtris: ſed in opidis dico, quæ valida aut magna, & ideò motui aut rebellioni opportuna. Talis *Alexandria* in Ægypto: de quâ Strabo, *Sunt tres in Ægypto legiones, quarum vna in vrbe collocata eſt, aliæ per regionem. Præter has, ſunt & nouem cohortes Romanorum, tres in vrbe, item tres in Æthiopiæ finibus ad Syenen, præſidium locis, tres in aliis partibus. Sunt & alæ equitum tres.* Sed & idem ſcribit, *in Babylone caſtello ſupra Delta, legionem vnam conſiſtere e tri-*

D *bus, quæ Ægyptum cuſtodiunt.* AVD. Hanc bis *ternas* hîc legiones collocat: at tuus Index *binas*. LIPS. E Tacito meus index, & ſub res Tiberij iam vergentes. Recenter id tunc mutauerat, & abducta legionum vna, vt ſæpe. Antè, & à Iulio iam Cæſare legiones ibi ternæ, vt in Suetonio leges: tenuitque Auguſtus, & Tiberius ad id æui, quo Strabo ſcripſit. Sed de noſtrâ iam re, legiones dico ſæpe in opidis. atque ita de Beryto Syriæ idem Strabo: *Hæc euerſa fuit à Tryphone, inſtaurata & ſuſcitata à Romanis, duas legiones ſuſcipiens, quas Agrippa ibi collocauit.* Cauſſa fuit, ſedes item vrbis ad ipſum mare, & locorum eorum clauſtrum. Ita à tergo aliæ legiones Syriam de-

E fendebant aut premebant, hæc ſita in fronte. In Hiſpaniâ, vt idem Strabo, Bætica quæ populi erat, milite vacabat: reliqua Hiſpania habebat. Similia adnotare plura poſſim, & cauſſas dare aut tangere: ſed diffuſione non gaudeo, vbi res non poſcit. Hoc magis è primis illis Strabonis obſeruo, *ſocias etiam cohortes aliaſque* fuiſſe, præter ipſas Legiones: & vt illic vides, numero ſatis grandi. Enimuerò *nouem illæ cohortes* (ſociales fuiſſe dico, etſi ipſe *Romanas* appellat: ſed hoc ideò, quia militabãt ſub Romanis ſignis) pænè legiones tres æquarunt, nec minores eas *millenarias* fuiſſe opinamur. Tacitus id quoque dixit: *apud idonea prouinciarum, ſocias triremes, alaſque, auxiliaque cohortium, nec multo ſecus in iis virium fuiſſe ſed perſequi*, inquit, *incertum fuit, cùm ex vſu temporis, huc illuc mearent,*

A *gliſcerent numero, & aliquando minuerentur.* Ecce diſertim, *haud ſecus*, id eſt, non minus in iis virium fuiſſe, quàm in legionibus ipſis: imò plus interdum, idem oſtendit. vbi legionis *Decimaquartæ auxilia, octo cohortes Batauorum* facit. [III. Hiſt.] Atque alibi, in minoribus prouinciis, ſolæ cohortes aut alæ fuerunt, vt in Rætiâ, Iudæâ, talibus, & quæ Procuratoribus regebantur. Interdum & in opidis interioribus, ad coërcendum: vt Lugduni in Galliâ, Tacitus *cohortem* XVIII^am^ locat, idem Foroiulij *Ligurum cohortem, vetus loci auxilium.* Et tale alibi. Huc equidem Ioſephi verba referam, alioqui paraloga, non ſolùm paradoxa: apud quem Agrippa ad Iudæos loquens adſerit, Galliam illam tam validam, tam latam, *mille ducentis militibus in officio contineri.* B Profectò octo legiones totæ fuerũt, ſed quia iſtæ in extremâ Galliâ, ipſe copias modò numerat, quæ introrſus in eâ eſſent: ſi tamen numeri illi in Ioſepho ſani, quos ſæpe in eo obſeruamus vitiatos. Sed hæc ita ſub Auguſto: vt tamen tergi, creuerunt, & primùm Claudius Imp. Britanniâ domitâ, legiones in eâ *tres* locauit, manſeruntque. Tum Veſpaſianus *duas* etiam in Cappadociâ: & Traianus deinde in Daciâ *duas.* Iſtæ *Prouinciales* copiæ: *Vrbanæ* fuerunt, quæ ſedem Romæ & in ipsâ dominâ vrbe habuerunt. Quo fine? duplici, vt Principem in eâ tuerentur, & vt ipſam vrbem. Principis cuſtodiæ triplex miles fuit, *Prætoriani, Euocati, Batavi.* Primi in *nouem* cohortes diuiſi ab Auguſto, flos militum, fide, robore, & gẽte. C Exemplum inſtituti huius fuit, à Prætoriis cohortibus in exercitu, quæ circa ipſum Imperatorem, & ad eius tutelam erant: ſed plerumque vna: Auguſtus autem in bellis ciuilibus plures habuit, & victor quoque retinuit in pace, contra motus ſubitos, & ad plebem Romamque coërcendam. Nam fuêre *nouem millia* militum, non robore ſolùm, vt dixi, ſed ſtirpe & domo eximij: nec capti niſi ex *Etruriâ, Vmbriâ, Latio, & Coloniis antiquitus Romanis,* quod Tacitus ita etiam notauit. [Lib. IV. Annal.] Gloriabantur igitur hoc ſanguine: & ideò Otho iis blandiens, & in concione alloquens, *Italiæ,* inquit, *alumni, & Romana verè iuuentus.* Nam legionibus aliis, exteri iam & ciuitate donati, crebrò miſcebantur. [Tac. I. Hiſt.] D *Nouem* dixi fuiſſe: idque apertè Tacitus: at Dio *decem* ſcribit. Nam ita in rebus Auguſti: οἱ σωματοφύλακες μύριοι ὄντες, καὶ δεκαχῇ τεταγμένοι: [Lib. LV.] *Cuſtodes corporis Auguſti* (Prætoriani) *decem mille erant, atque ij in decem partes,* ſiue cohortes *diuiſi.* Hæc diſſonant: & fallitur Dio? an pro ſuo æuo dicit? Illud poteſt, hoc vix poteſt: quia eius æuo (vixit, ſub Alexandro Seuero, & prioribus) iam plures denis illis erant. Exemplum à Vitellio, qui primus, opinor, auxit. Tacitus de eo, Romam ingreſſo: [II. Hiſt.] *Confuſus prauitate, vel ambitu, ordo militiæ. Sedecim Prætoriæ, quattuor Vrbanæ cohortes ſcribebantur, queis* SINGVLA MILLIA *ineſſent.* Sed an ille tamen primus? an non Claudius Imp. anteà fecerat? Lapis verus (quid contra eum dixerim?) affirmat: C. GAVIO. L. F. STEL. SILVANO TRIB. COH. II. VIGILVM. TRIB. COH. XIII. VRB. TRIB. COH. XII. PRÆTOR. DONIS. DONATO. A. DIVO. CLAVDIO. BELLO. BRITANNICO. E En, ille verò ſub Claudio vixit, & *donis ab eo donatus* in Britanniâ: & tamen *Tribunus* ſcribitur *Duodecimæ Prætoriæ cohortis.* Sculptor errat? ſed idem eſt in *Vrbanis,* vbi *Decimatertia* nominatur. Quid? an hic Gauius potiùs, iuuenis Britannico bello interfuit, & tum ſenior ſub Vitellio militauit? Omnino dixerim: nec tempora refragantur, potuitque vel ſub illo, aut ſtatim ab illo, Tribunatus hos geſſiſſe. Nam eam auctionem dixerit aliquis manſiſſe argumento eorumdem lapidum, in quibus crebrò, grandiore numero ſic legas. Iſtis *Caſtra Prætoria* fuêre, ad Por-

A tam Viminalem: vt arctiùs & in diſciplinâ haberentur, ſecreti à ciuibus & vrbe. Sed *Euocatos* iam addo: de quibus Tacitus atque alij ſilent (quod equidem obſeruauerim) at non Dio Caſſius, qui adiungit apertè. [Lib. LV.] *Euocatis,* inquit, *Auguſtus vti iam cœperat in Antonium olim, eóſque & poſteà ſeruauit. Sunt autem hodieque propria quædam & ſeparata manus, & vites ferunt, inſtar Centurionum.* Hoc ille, vbi ex profeſſo de cuſtodiâ Principis ſcribit. Facere huc videtur, quod Suetonius in Galbâ notat, *delegiſſe eum equeſtris ordinis iuuenes, qui manente aureorum anulorũ vſu,* EVOCATI *appellarẽtur, excubiáſque circa cubiculũ ſuum, vice militum, agerent.* Inſtituiſſe hoc eum planè dixeris, exemplo cuſtodiæ Principalis, quia Principem ſcilicet nunc agebat: etſi non veteranos quoſdam milites, ſed Equites ipſe elegit. B An non ibidem & munus iſtorum Euocatorum expreſſum? nempe vt *circa cubiculum Principis excubias agerent?* ego omnino opinor: etſi valdè miror, nuſquam (nec occaſio defuit in vrbanis illis motibus, aut Principum cædibus) nuſquam, inquam, à Tacito vel Suetonio, vel ipſo Dione alibi, nominatos. Tamẽ quod in lapidibus crebrò legitur, EVOKATVS AVGVSTI, me iudice haud aliò eſt referendũ. Tertij ſunt *Batavi,* equites peditéſque. Dio Caſſius: *Sunt & exteri Equites ſelecti, quibus Batauorum nomen eſt, ijque equitandi peritiſſimi.* AVD. Da veniam, interpello te: Batavi equites? hoc eſt ſimile, ac ſi dicam Venetos equites eſſe. C Et Batavi ſanè noſtri, aliis illis equis veliuolis & ligneis, per Neptuni æquor optimè diſcurrunt: hos terreſtres, parcè aut parùm dextrè tractant. LIPS. Vetera loquimur: gens ea tunc Martem potiùs, quàm Mercurium colebat. Et quæ gloria * vicinis illorum in equite noſtrâ etiam memoriâ fuit: ea ipſis olim. [* Menapiis & Geldris.] Credo autem intellegi tunc quoque ſuperiores illos Batauos maximè, qui Geldriæ nunc accenſentur: nã inferi & ad mare, nec ipſi, nec regio eorum equis ſatis facti, aut apti. Sed Batavi igitur boni Equites: fuêre & Pedites, etſi Dio ſilet. Tacitus aliíque dicent, qui tamẽ hos modò Batauos, modò Germanos appellant: ſed dixeris Dionis æuo Pedites non fuiſſe. Cauſſa, quia Galba *Germanorum co-* D *hortem, inſtitutam iam olim à Cæſaribus, ad cuſtodiam corporis, & multis experimentis fideliſſimã diſſoluit, ac ſine vllis commodis remiſit in patriam:* quod Suetonius in eo ſcribit. Dicit *Cohortem:* ergo pedites fuêre: & addit ab ipſo ſolutam militiâ ac dimiſſam, nec poſteà fortaſſe reſtitutam. Non reperio quidem vltrà nominari: & in Notitiâ imperij, dumtaxat *Batavi equites Seniores Iunioréſque.* Vtraque autem hæc manus quanta fuerit, & Dio ignorare ſe fatetur: *Batauorum,* inquit, *numerum, ſicut nec Euocatorum, ſatis certò poſſum dicere:* quid ergo nos conemur? Puto tamen Batauos haud minùs duabus alis plenioribus fuiſſe, & vt minimùm *mille Equites:* Pedites etiã olim ad *mille.* Euocati autẽ, ij quoque cohors vna millenaria ſunto. E Alter nunc miles in vrbe, & pro vrbe, duplex eſt: *Vrbanæ, & Vigilum cohortes.* De prioribus Tacitus: [IV. Ann.] *Quamquã inſideret vrbem proprius miles, tres vrbanæ cohortes:* & mox oſtendit eam quoque lectã, & non niſi Italam manũ fuiſſe. Sed *tres* ipſe dicit, Dio in Auguſti diſpoſitione, *quattuor.* οἱ τῆς πόλεως φρουροὶ, inquit, ἑξακισχίλιοι, καὶ τετραχῇ νενεμημένοι: *Vrbis cuſtodes ſex millia, & in quattuor partes diuiſi.* Miror & hîc diſſenſum, nec concilio. Si tamen numerus tantus, vides grandes iſtas Cohortes fuiſſe, atque etiam ſupra Prætorianas. Nam ſingulæ fuerunt *mille quingentorum* militum. In Taciti autem antè verbis, de Vitellio, notare potuiſti, ab eo deniq; factas *quattuor vrbanas cohortes,* ſed quæ nõ niſi *ſingula millia* haberẽt: vnde igitur tantas ſub Auguſto? Intricata hæc fateri oportet, & mihi pænè libido in

Tacito ibi legendi, *quatuordecim vrbanæ cohortes.* A Cùm enim tam largiter Prætorij militem auxerit, cur non pariter & Vrbis? Vnde iſta cohors adiecta, in paruo ſit: & facit valide, quòd lapides ab illo æuo grandiorem hunc numerum ſuadent. In illo ſuperiùs recitato erat, TRIB. COH. XIII. VRB. & in alio ſub Antonino Imp. C. CESTIO. C. F. STEL. SABINO. TRIB. COH. XIII. VRB. DONAT. AB. IMP. ANTONINO. AVG. HASTA. PVRA. Pluribus etiam lapidibus hi tales numeri in vtriſque cohortibus, ſed nomina Imperatorum aut æui certa indicia non ſemper adiecta Hic ipſe Antoninus quis fuit: fortaſſe *Caracalla* Seueri filius; atque ita minus miror, quoniam in Herodiano Seuerus gloriatur & loquitur, B vbi filios ad concordiam hortatur: *Poſſe eos ſecure agere, ſi velint, pecuniâ multâ a ſe paratâ,* τῆς τε ἐν Ῥώμῃ δυνάμεως αὐτῆς τετραπλασιασθείσης, καὶ στρατοπέδου πρὸ τῆς πόλεως ἱδρυθέντος, ὡς μηδὲ ἐκεῖνον εἶναι δύναμιν ἐξωθεν ἰσχύουσαν μηδ᾽ ἀντίπαλον, πλήθει στρατοῦ, μήτε μεγέθει σωμάτων, μήτε χρημάτων περιουσίᾳ: *& copiis iis quæ Romæ ſunt* IN QVADRVPLVM *auctis, tantéque exercitu ad Vrbem ſedente, vt nulla externa vis par eſſe ei poſſit, ſiue* MVLTITVDINEM *ſpectes, ſiue corporum magnitudinem, ſiue cultum & abundantiam.* Hanc mutationem & augmentum facta à Seuero, cùm Iuliani Prætorianos circumuenit & armis exuit, probabile eſt; & in eorum locum Illyricanos grandi numero factos. Verba quidem Herodiani clara ſunt, & ſic manſiſſe ad Conſtantinum videntur: qui fauentes C Maxentio ſuſtulit, nec alios ordinauit. AVG. At enim ſi in quadruplum ita auxit Seuerus, & Vitellius iam tot Cohortes fecerat: quid dicemus? oportuit vel ſupra LX. cohortes fuiſſe. LIPS. Neque abſurdum ſit, ſi verba penſites Herodiani. Dubitet tamen aliquis an illa Vitelliana auctio tota manſerit: ſed quidquid eius, illud tenendum haud dubiè auxiſſe valdè Seuerum, cùm Herodianus diſertè ſcribat, *circumque* VI EXTERNÆ *parem aut ſuperiorem hanc internam & vrbanam fuiſſe.* Sed redeo ad *Vrbanas* meas cohortes: quarum officium præcipuum, tueri vrbem. id eſt, motus aut turbas plebis coërcere; noctu circum templa, fora, baſilicas, excubare, ſtationes agere contra D graſſatores aut ſicarios; itemque Præfecto vrbis (qui caput iis erat) apparêre. Itaque & extra vrbem interdum puto diſpoſitos, cùm eius iuriſdictio ad centeſimum lapidem porrigeretur. Quod autem Præfectus caput, in Tacito clarè ſcriptum, de Flauio Sabino, qui tunc in eo munere: *Eſſe illi* PROPRIVM *militem cohortium vrbanarum. nec defuturas Vigilum cohortes.* Quas nunc adiungo (*Vigilum* dico:) & moneo eas quoque ab Auguſto eſſe. Nam is cùm crebra incendia in magnâ illâ & frequenti vrbe videret; remedium quæſiuit firmum & perpetuum, militémque ex libertinis collegit, & in ſeptem cohortes digeſſit. Id factum anno vrbis DCCLIX. Et quamquam præcipuus hic finis & inſtituendi cauſſa fuit, tamen ſeruiſſe etiam tutelæ vrbis, & contra nocturnos fu- E res aut graſſatores, non eſt ambigendum. Minùs lecta hæc manus fuit, & miniſterio potiùs quàm militiæ facta: tamen vt regi meliùs iuberique poſſent, digeſti in Cohortes, & Centuriones Tribunóſque ſuos accepêre.

Lib. III.

III. Hiſt.

CAP. V.

De copiis in mari, aut fluminibus; de Claſſibus variis, earúmque ſedibus.

TERRESTRI milite ſatis limites, itémque vitalia imperij, id eſt Romam ipſam, muniui- A mus: nunc & maritimo, ſiue fluuiatili etiam, muniamus. Nam cùm mare medium per totum illud imperium iret, vt diximus; cùm etiam flumina magna clauderent vel ambirent; vtile cenſuerunt, *Claſſes* perpetuas in vtraque parte eſſe. quæ & piratas cohiberent, & hoſtes excluderent; & ſuis etiam tranſitum aut tranſuectionem, cùm opus eſſet, ſtatim darent. Prudens & pulchra inuentio: fueruntque *Claſſes in ipſo mari* quattuor; in *Fluminibus* tres, niſi fallor. Videbimus ordine, & quod occurret, dicemus. Primæ duæ maiores ſe offerunt, & *Prætoriæ* dictæ, *Miſenenſis* & *Rauennas.* Quare Prætoriæ? (ſæpe enim ita in lapidibus:) opinor dignitatis cauſsâ, & quia inter B minores alias, vt Prætoria aliqua nauis, eminerent. Nam Præfectus ſanè earum non fuit Prætor. Poſſunt & exemplo Prætoriarum cohortium eſſe dictæ, quia ad Italiæ & Principis tutelam. Sed eæ quoque ab Auguſto inſtitutæ, notante Suetonio: *Claſſem Miſeni, & alteram Rauennæ, ad tutelam ſuperi & inferi maris collocauit.* Et Tacitus de iiſdem: *Italiam vtroque mari duæ claſſes, Miſenum apud & Rauennam, præſidebant.* Sed diſtinctiſſimè Vegetius, qui numerum & plura aperit, his verbis: *Apud Miſenum & Rauennam,* SINGVLÆ LEGIONES *cum claſſibus ſtabant, ne longiùs à tutela vrbis abſcederent, & cùm ratio poſtulaſſet, ſine mora, ſiue circuitu, ad omnes mundi partes peruenirent. Nam Miſenatium claſſis Galliam, Hiſpaniam,* C *Mauretaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam, atque Siciliam, habebat in proximo: claſſis autem Rauennatium, Epirum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum, petere directa nauigatione conſueuerat.* Ait *ſingulas legiones* in ſingulis fuiſſe: pro more ſui æui, aut parùm conſpectè, locutus. Non enim Legiones propriè erant, ſed duntaxat *Cohortes,* eæque *decem,* & Tribunos ſuos ſiue *Chiliarchos* (à numero cui præerant) habebant, itémque Centuriones. Enimuerò Tacitus non ſemel oſtendit, Claſſiarios militiam legionariam, vt honeſtiorem petiiſſe: & aliquando impetraſſe: non ergo habebant. Quomodo autem? exteri plerique, & nec ciues erant. Tacitus de claſſe Rauennate: *Ambiguos* D *militum animos, quòd magna pars Dalmatæ Pannoniique erant.* Et in Tabulâ, quæ Venetiis adſeruatur: HADRIANVS. IMP. IIS. QVI. MILITAVERANT. IN. CLASSE. PRÆTORIA. MISENENSI. SEX. ET. VIGINTI. STIPENDIIS. EMERITIS. DIMISSIS. HONESTA. MISSIONE. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE. EORVM. CIVITATEM. DEDIT. Si dedit, non antè habebant. Clara & vera hæc ſunt, ac naualis militia, vilis ſemper & vilium, apud Romanos. De Miſeni igitur claſſe, liquet apud Miſenum, pulcherrimo ſinu, eam ſtetiſſe. Virgilius doctè indicauit, cùm Miſenum illic ſepelit Æneas,

Imponit ſuáque arma viro, remúmque tubámque.

Nam & *Remum* & *Tubam* dat, præſignificans locum hunc futurum vbi & Remiges & Milites in claſſe E eſſent: Milites inquam, quos Tuba notat. Etſi autem naues ibi & claſſis, tamen Caſtra etiam in terrâ & ad portum ipſum fuiſſe, commoditas eorum exigit, & lapides qui ſæpe effodiuntur, dicunt. Inter eos iſti:

IV. Ann.

Lib. IIII.

D. M.
C. IVLIO. QVARTO
VET. EX PR. M. GALEO.

D. M.
TI. PETRONI. CELERIS
NAT. ALEX. EX. III. ISIDE.

D. M.
C. SENIO. SEVERO. MANIPLARIO
EX. III. FIDE. NATIONE. BESSVS.

Notæ

Notæ breuiores io iis,hoc volunt: *Veterano ex Prætoriâ naue Gallo.* item: *Natione Alexandrino, ex tertiâ Iſide.* iterúmque: *Ex tertiâ Fide, Gallus* autem, *Iſis, Fides,* nomina nauium ſunt,ab imagine aut tutelâ. In his item portibus, præter Caſtra, *Pharos* ſiue Turres quaſdam ad prælucendum noctu fuiſſe, Plinius mihi ſuggerit:ille Plinius,qui ipſe fuit claſſis Miſenatium Præfectus. *Vſus Phari, nocturno nauium curſui ignes oſtendere, ad prænuncianda vada, portúſve introitum: ſicuti compluribus iam locis flagrant, vt Puteolis, & Rauennæ.* [Li. xxxvi. cap xii.] Pharus Puteolana,ad hanc Miſenenſem fuit. At verò altera, ſicut & ipſa Claſſis, *Rauennæ.* Notum & nobile etiam oppidum, ob ſedem ibi poſteà regni Gothorũ. Et ipſam, & Claſſem autem, Iornandes optimè notificat, ex Dione: *A meridie,* inquit, *Padus, quē & Eridanum, ab Auguſto Imp. altiſſimâ foſſâ demiſſum: qui ſeptimâ ſui alueì parte mediũ influit ciuitatem: ad oſtia ſua amœniſſimum* PORTVM *habens, qui* CLASSEM *ducentarum quinquaginta nauium, Dione referente, tutiſſimũ dudum credebatur recipere ſtatione. Qui nũc, vt Fabius ait, quod aliquando portus fuerat, ſpatioſiſſimos hortos oſtendat, arboribus plenos, verũ de quibus pendeant non vela, ſed poma.* In fronte verborum vides, Auguſtum aptaſſe locum & portum foſſâ percuſſâ: in medio, Dionem auctorem, de nauibus CCL. quæ illic caperent. Sed vbi hoc Dio? nuſquam in libris, qui nunc ſunt, ſed dixit (opinor) in Vitellij rebus, vbi multa mentio claſſis Rauennatis, ob transfugium eius & turbas, quas & in Tacito habes. Ingens autem numerus: neque minor in claſſe Miſenatium, vt ratio poſcit. In vltimo autem oſtendit, eſſe deſijſſe & portum & claſſem. Atque hæ duæ ſunt *Maiores* illæ claſſes *maritimæ*: ſequuntur duę *Minores*. prior in Galliâ, coloniâ & portu *Foroiulienſi*: tum ad ipſam Galliam, tum ad Hiſpaniæ illam oram tuendam. Tacitus de eâ, eiuſque auctore: [iv Ann.] *Galliæ proximum Littus* ROSTRATÆ *naues præſidebant, quas Actiacâ victoriâ captas Auguſtus in oppidum* FOROIVLIENSE *miſerat,* VALIDO *cum remige.* Habes Auguſtum auctorem, habes *Roſtratas* & bellicas, itémque *Validum remigium*. Satis ergo & grandis, & inſtructa ea claſſis: cuius idem Tacitus in rebus belloque Othonis cum Vitellio meminit. Eſt autem hoc *Forum Iulij* in Galliâ Narbonenſi, loco quem Strabo deſignat: *Nauale,* inquit, *Cæſaris Auguſti, quod Forum Iulium vocant. Situm eſt inter Olbiam & Antipolim, abeſtque Maſſiliâ ſtadijs circiter ſexcentis.* Notat *nauale* ſiue receptaculum claſſis eſſe: ideóque & à Plinio ipſa vrbs *Claſſica* dicta, itémque *Colonia Octauanorum*, quòd octaua legio eò deducta. Altera minor in ipſo *Ponto*: id eſt, in capite & fonte mediterrei maris. De eâ Tacitus capiẽdus: [iii. Hiſt.] *Mucianus claſſem è Ponto Byzantium adigi iuſſit.* Ergo ſtatio ei ſupra Byzantium fuit: ſed * vbi, ignoro. [* Vide Notam] Numerum eius è Ioſepho poſſum dare: *Pontica,* inquit, *omnes gentes tribus millibus militum ſubduntur, &* QVADRAGINTA *naues longæ* (roſtratæ) *illud aſperum & innauigabile pelagus tutum pacatúmque præſtant.* An non & tertia etiam Oſtiæ? Suetonius ſuggerere videatur in Veſpaſiano: *Claſſiarios qui ab Oſtia & Puteolis Romam per vices pedibus commeant.* Nam Claſſiarios Oſtiæ ponit: & fortaſſe Claudius inſtituit, portu eò inſtructo. Sed certum non habeo: & potuit eſſe ibi pars è claſſe Miſenenſi. Tranſeo ad *Claſſes fluminum*: & prima eſt in Rheno. de quâ Panegyricus: *Cùm totus* ARMATIS NAVIBVS *Rhenus inſtructus ſit.* Ait *totum Rhenum*: ergo diuiſam per partes cenſeo, vt & militem ipſum terreſtrem. Florus oſtendit, Bonnæ & Geldubæ (ſi proba modò lectio) fuiſſe, ex inſtituto Druſi: *Bonnam & Geldubam pontibus iunxit,* CLASSIBVSQVE FIRMAVIT. Ergo ibi pars, pars & certò ad exitum fluuij, vbi *Pharus* olim, quam nunc *Arcem Britannicam* vocant. Hanc opinor eſſe, quam *Claſſem Britannicam* Tacitus in bello cum Ciuili appellat: quia & in Britanniam ea commeabat. Sed tota claſſis communiter *Germanica* dicta: & ſic in eodem Tacito leges, *Iulium Burdonem, Germanicæ claſſis præfectum.* Hæc partitio claſſium Taciti loca aperiet, aut conciliabit, quæ pugnature inter ſe videntur. vt cùm ſcripſit, [v. Hiſt.] *Vniuerſam quatuor & viginti nauium claſſem transfugiſſe* (ad Ciuilem) *aut captam eſſe.* An igitur *vniuerſa* ea, non niſi tot nauium? Imò poſteà iterum facit Cerialem nauibus pugnaſſe, etſi *numero imparem, ſed magnitudine earum potiorem.* Atqui ſtruere tam citò non potuit: ſed nempe ex aliâ parte, atque adeò grandiores triremium, quæ ad Oceanum & Pharum, ſumpſit. De his nauibus Hegeſippus ex Ioſepho ita ſcribit: *Rhenus itaque iam non Germanorum copulis repletur ſed Romanorum liburnis, qui per errantes* TOT VSQVE AD MARE *bicornis amnis fluenta, quondam liberas gentes ſeruitio premunt.* Legendum autem illîc, *Copulis Germanorum*: eſtque nauium minorum genus, quod ipſi Germani ſic à * vinciendo & ligando dicebant. [* Kyppen] Dicit earum loco *Liburnas* iam roſtratáſque Romanorum eſſe: credo, biremes. quas & *pererraſſe* totum amnem identidem ſcribit: & an ideò *Luſorias* dictas? Vox crebra in Ammiano, Vegetio, alijſque. Altera claſſis Fluuiatilis, in *Danubio*. de quâ Tacitus: [xii. Ann.] *Vannius funditur prœlio, & ad claſſem in Danubio opperientem perfugit.* Nominantur & Vegetio *Luſoriæ, queîs in Danubio* COTTIDIANIS *vtuntur* EXCVBIIS. In Codice Theodoſiano titulus, *De Luſoriis Danubij.* In Nouellâ quadam: *Caſtrorum quinetiam ipſis luxuriarúmque curam mandamus*: legẽdum, *Luſoriarúmque.* Credo & tertiam fluuiatilem in *Euphrate* fuiſſe: quidni in magno flumine, & cõtra Parthos? Ammiani aliquot loca ſuadent, etſi non cogunt: nec alibi certò legi. Habes totam munitionem imperij, terrâ marique: an non validam, vtilem, opportunam? ſed & aſpectu aut cogitatu pulchram, cùm imaginem proponis (Ariſtide delineante) *magnæ vrbis, cuius foſſa, flumina eſſent; turres & propugnacula, militaria in finibus caſtra aut caſtella, ipſa mœnia, non è latere vllo aut lapide, ſed ære ac ferro tot prætendentium legionum.* AVD. Mehercules delector, & cogitatione peragro ac iungo, quæ locis ſitúque diuiſa. Sed ipſam ſummam totius præſidij cur non expreſſiſti? LIPS. Facile eſt, & per te poſſis: quarum quidem certus partium dictarum eſt numerus. Vbi non, diuinetur. Aio igitur in prouinciis copias non minùs fuiſſe, *Legionum, Cohortium, Alarum, ducentis quinquaginta millibus,* aut circà: & ſic, vt legiones nec pleniſſimas, ſed IIII. millium accipiamus. In Vrbe, ponere liceat in vniuerſum ad XXVI. millia militum: & poſt Seuerum, vel ad *ſexagena.* In claſſibus omnibus, haud minùs *centum millibus* militum remigúmque. Ita fiant in vniuerſum, ſupra *quadringenta millia* ordinariorum: etſi Agathias Hiſtoricus plures etiam, & largiter, fuiſſe aſſeueret. Nam de Iuſtiniani æuo loquens, *negat copias Romanorum tantas, quantas* OLIM *eſſe: nec iam ſufficere tutelæ imperij, contra hoſtes. Cùm enim,* inquit, *ad* SEXCENTA QVADRAGINTA QVINQVE MILLIA *militum vniuerſas eas colligere oporteret, vix tunc in centum quinquaginta millibus conſiſtebant.* Hæc ille ſcriptor, & credo vera atque explorata (cùm tam curioſè numeret) attuliſſe. Oportuit igitur Auxiliares copias grandes fuiſſe: & tu conſidera vim copiámque Romanam. AVD. Imò an non legiones fortaſſe plures faciendæ ſiunt, & vel ad XLIIII. ordinariæ ſub Auguſto ac

deinceps locandæ? Hoc enim & Oroſius & Appianus dicere videntur: & vir doctiſſimus ita affirmat. L I P S. Errat ille vir doctiſſimus: nec aliter ſub Auguſto fuit, ac dixi. De Oroſio & Appiano, hoc ſaltem dicunt, Sexto *Pompeio in Siciliâ victo* XLIIII. *legiones, multis omnibus copiis* (& Lepidi nempe, & Sexti, & ipſius) *in vniuerſum, Auguſtum habuiſſe*: ſed hoc non addunt, & *ſeruaſſe*. Ille verò non ſeruauit, ſed ſparſit, & in *Colonias* miſit, de quibus ordo & hæc admonitio ſuadent iam dici.

CAP. VI.

De Coloniis, & modus fructúſque deducendi.

PRÆMISI verò, Præſidia militum in longinquis limitaneiſque locis fuiſſe, pauca aut nulla in prouinciis mediis: imò pleræque earum ſine milite aut armis vllis. Quid ergo tuebatur interiora, & quieta præſtabat? *Coloniarum* deductio, optimo & ſapientiſſimo Romuli inuento. Nam ad illum conſenſu referunt. qui victis finitimis opidis aut gentibus, partem earum ſolitus in vrbem & ad ſe traducere, partem illîc relinquere, ſed ſic vt Romanos ſuos miſceret, cuſtodiam & regimen, nequid mouerent. Eos ita miſſos, *Colonos* appellauerunt, *& ab agrorum nouæ dedicatione cultura* (ait Hyginus) *ipſas Colonias appellauerunt*. Ratio & modus erat, vt agri diuiderentur viritim: idque à *Triumuiris*, quos graues & prudentes viros huic rei legere ſolebant: qui & ſedes, agróſque, & ipſum opidum (ſi condendum eſſet) diſponebant, & iura ac formam nouæ quaſi reip. dabant. Sic tamen, vt omnia Romam & vrbem matrem referrent. ipſis quoque locis, Fora, Capitolia, Templa, Curiæ pro illâ imagine eſſent, & in gubernatione, *Duumuiri* pleriſque coloniis, quaſi duo Conſules, & *Decuriones* pro Senatu. Varia in hoc inſtituto vtilitas, quam licet percurramus. Prima, quòd alleuabatur vrbs ipſa princeps, & ſuperfluam nimiamque multitudinem, vt ſanguinem emittebat. Ita victus facilior, ita turba minor, & turbæ quoque, faciles orti inter tam confertos. Sed & ſoboli magis vacabant libentiúſque, ſic vacui: non aliter quàm arbores aut plantaria magis ſe diffundunt & propagant, vbi in arcto non ſtipantur. Altera vtilitas, ipſos hoſtes aut ſubditos tangit. Vbi enim Coloniæ ſic collocatæ, loca frequentabantur, colebantur, poliebantur etiam, nouorum hoſpitum aduentu, & artium inuectu. Diuina Prouidentia hoc fine Græcos olim in Aſiam, Europam hanc noſtram, vſque in Hiſpaniam, per maritima loca miſit & diſpoſuit: vt rudes feroceſque humanitate & elegantiâ percolerent, atque ad mitiora ſtudia & mores transferrent. Quod idem Romani mox fecêre: & iis cultum hunc omnem debet pulcherrimus noſter Europæ tractus. Tertia vtilitas, quæ præcipuè in oculis Romulo & Romanis, Præſidium in ſubiectos. Sparſa hæc tot opida, locis opportunis, & in iis Romanus ſanguis: quid niſi tot arces & propugnacula erant imperij Romani? Dicamus quidlibet: nihil tam validum, quàm talis aliqua deductio: & vbi ij qui agros in alieno accepêre, ſemper obligantur aut tueri iura imperiúmque donantium; aut pelli, ſi & ij pellantur. Atque hic primus, vt dixi, præcipuúſque aſpectus: acceſsêre mox, valdè auctâ re Romanâ, duo alteri. Prior, vt plebem inopem & grauem ſic exhaurirent: alter, vt militibus emeritis præmia largirentur. Nam ecce in tantâ vrbe, & creſcente ciuium tenuio-

A rum numero, per tot manomiſſiones: quæ ratio alendi aut ſubſiſtendi fuit, niſi vt emitterent? non aliter, quàm vbi aluearia plena, noua examina in alia & noua transfunduntur. Sic &, occulto Politico conſilio, ſentina & fex vrbis educebatur: purior melióſque pars aſſeruabatur. Iam verò in militibus pulchrum. & quis non libens in eam Militiam ſe impenderet, vbi & poſt eam tam magna & certa præmia eſſent? Agri & ſedes dabantur, regimen illîc & honores, pecunia etiam (nam ſic Auguſtus inſtituit) ad inſtrumenta, iumenta, & ſiquid opus, comendum. Ego verò auſim dicere, nec iſto æuo Militiam ſatis bonam, fidam, faciléinque futuram, niſi tali præmiorum B ratione: nec difficile fortaſſe, cum magno bono publico, excogitare. Iſta igitur deductio Coloniarum, & cauſſæ: in quibus tamen tyranni aut violenti aliquot ciues fraudem & iniuriam miſcuerunt. vt Corn. Sulla, qui non, vt olim, agros ex hoſte captos diſtribuit; ſed in ipſâ Italiâ, quod ſciebat milites appetere, ſedes iis dedit. Quod fieri non potuit, niſi pacatis fidiſque populis, per ſummam iniuriam & ſcelus, expulſis. Appianus auctor eſt *viginti tres* legiones ab eo ſic deductas, quæ facerent (ſi probè commemini) *centum viginti millia*, cum iis qui adiuncti. Simile & Cæſar Iulius in pace & Conſulatu fecit, qui agrum Campanum & Stellatem *viginti millibus* ciuium, coloniâ Capuam deductâ, diuiſit. Idem iam C Dictator, *in transmarinas colonias octoginta millia ciuium diſtribuit*. Suetonio auctore: id eſt, in Carthaginem maximè & Corinthum. Quod noto, vt numerus videatur deductorum: qui ſanè grandis fuit, ſiue è ciuibus togatis, ſiue è militibus veteranis. Auguſtum *centum viginti millia* deduxiſſe ſub *quintum Conſulatum* ſuum (bellis Ciuilibus iam finitis) lapis Ancyranus oſtendit: & poſteà multa millia adiunxit. Caue enim cenſeas, illa tantū deduxiſſe. Imò in ſolâ Italiâ *duodetriginta colonias collocauit*, vt Suetonius notat: quid apud tot exteras gentes, & imperio tam diuturno? Itaque huius Principis plurimæ, & in toto orbe terrarum fuerunt: quod ipſa agnomina earum oſtendunt. Denique paullatim tanta frequentia, vt D negem regionem, imò vix regiunculam fuiſſe, in quâ Coloniæ aut Colonia non eſſet. Tot illis vinclis miramur orbem compeditum & aſtrictum, in Romanâ ditione & imperio manſiſſe? Non ego: ſed nec Velleij iudicium valdè probo, *inter pernicioſiſſima Gracchi habentur, quod extra Italiam colonias poſuerit*. Equidem planiſſimè contrà ſentio: & ad hunc coërcendi finem, aliter oportuit; aut nec imperium extra Italiam proferre. Timorem quē timet, ne qua Colonia potentior matre ſuâ fiat, ſic longinqua: nullus eſt, & certè locum in Romano aliquo imperio non habet. Sed nec Hiſpano: & prudentiſſimè eos cenſeo Nouum orbem coloniis impleſſe. Quarum alia atque alia genera tamen erant, & quædam *Romani*, aliæ E *Latini*, quædam & *Italici* iuris. Reperio & *Patritias*, & *Equeſtres* agnominatas; haud dubiè in quam digniores ciuium militúmve deducti. A V O. Sed de numero igitur, nihil certi aut definiti habes? L I P S. In Italiâ ſolâ *centum quinquaginta* fuiſſe reperio; in Africâ, circiter *ſexaginta*; in Hiſpaniis, ad *triginta*; paullo minùs in Galliis: & idem iudica de reliquo orbe. Difficile enim hæc adnumerare firmiter: cùm & aliqua legentem fallant, & non omnia hodie in libris legenda. Hoc Senecæ tibi ſuffecerit: *Populus Romanus quot Colonias in* OMNES *prouincias miſit?* VBICVMQVE. VICIT *Romanus*, HABITAT. (Ad Helu. Conſolat.) A V O. Quæro etiam ecquid ſeriò probes hoc ius ſine morem colonicum? L I P S. Dixi, & probo: atque adeò magnis Regibus adſuadeam imitari. A V O. Tune? in

tam apertâ iniuria? nam certè aliena eripiebant, poſſidebant, poſteris tradebant. L i p s. Quid tum? vtilitas publica magna, vt in aliis, exiguum hoc iniquum diluit, vel abſorbet. Etſi cur iniquum? qui iniuriam intulit, iuſtè malum & pœnam habet. Coërcendi hoc modo ſunt, & ne in poſterum noxam noceant, reſtrænandi.

C a p. VII.

Multitudo Romanorum, & ratio adſciſcendi gentes, aut transferendi.

A v d. Sed mihi hîc admiratio & quæſtio, Vnde Romanis ea copia, & ſic aſſidua, vel Militum vel Colonorum? Nam cùm intueor & examino; examina habuiſſe hominum debuerunt, quæ ſic conſcriberent, aut transferrent. L i p s. Haud de nihilo petis, & ſatisfaciam: ſcito, Romanos primùm pauculos fuiſſe, & cùm Romulus militiam & remp. ordinauit, vix ad *millia terna* peditum (alij *bina millia* volunt) cenſa, & equitum *trecentos*. At idem ille, cùm è viuis abijt, peditum reliquit XLVI. *millia*, & equitum *mille*. Tantum viri opéſque creuerant in annis circiter, quibus Romulus regnauit, *triginta ſeptem*. Res mira eſt & quibus artibus aut induſtriâ ille hoc aſſecutus? Apertione Aſyli; quæ haud dubiè aliquid adiuuit, & è vicinis, etſi non optimos, elicuit. Lege de liberis latâ, quâ iuſſit quidquid natum eſſet tolli, modò ne mutilum aut monſtroſum. Receptione in ciuitatem, quam non exteris ſolùm confluentibus, ſed victis & hoſtibus dedit. Laudant cùm alij hoc inſtitutum eius, tum Claudius Imp. apud Tacitum: *Quid aliud exitio Lacedæmoniis & Athenienſibus fuit, quamquam armis pollerent, niſi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noſter Romulus tantum ſapientiâ valuit, vt pleroſque populos eodem die hoſtes, dein ciues haberet.* Atque id ſanè diu retentum Romæ, vt è prouincialibus honeſtiſſimos, hoc beneficio ciuitatis obligarent; & ita ſimul ſe augerent, ſimul diſcrimen, & tacitum pænè* diſſidium, inter illos conciliarent. Claudianus in Romæ laudibus:

xi. Ann.

* Ob æmulationem inter receptos & non receptos.

Hæc eſt, in gremium victos quæ ſola recepit,
Humanúmque genus communi nomine fouit,
Matris, non dominæ, ritu. ciuéſque vocauit
Quos domuit, nexúque pio longinqua reuinxit.

Ita, quod ex illo apparet, diffuſum latè aut vndique iam hoc beneficium: & ciues Romani facti, quicumque in orbe Romano eſſent, ex conſtitutione Imp. Antonini. Excluduntur iam ergo ſoli ſerui & barbari. quo ſenſu Sidonius ſcripſit, & appellauit *Romam verticem mundi, patriam libertatis, in quâ vnicâ totius mundi ciuitate ſoli* BARBARI *&* SERVI *peregrinantur.* Itémque paſſim alij *Communem patriam*: & ad eam his verſibus Rutilius:

Lib. 1.

Feciſti patriam diuerſis Gentibus vnam,
Profuit iniuſtis te dominante capi.
Dúmque offers victis proprij conſortia iuris,
V R B E M feciſti, quod prius O R B I S erat.

Hæc ita poſteriori æuo, nec optimo ſcilicet, nec optimè: præſtabat electio illa & ſecretio, ob varias cauſſas. Sed tertia etiam ratio augendi ciues, ex inſtituto non quidem Romuli, ſed Seruij Tullij. Ille cùm videret pleroſque tunc ſeruorum, aut bello captos, aut è prædâ emptos eſſe; atque eos ferè è liberis & ingenuis, & antè etiam liberos: humanum bonúmque putauit in ciuitatem recipere, ſiqui à dominis manumiſſi eſſent. Nam & Romanis moribus ingeniíque aſſuefacti iam erant; & ſic fore prouidebant,

A vt ſemper, tamquam ex fonte domeſtico, proles ſcaturiret ad belli alióſque vſus. Difficile id perſuaſum primò ciuibus, & inquinari eo conſortio videbantur: ſed nempe oſtendit, & origine bonos eos eſſe, & iamdiu ipſos etiam hoſtes in hoc ius admiſſos: ita cur non idem domeſticis & fidis ſeruis indulgerent; cauſſam nullam eſſe. Maximè, cùm in eorum manu totum hoc beneficium. & videre poſſe, vt nec temerè manumittendo darent, & illos adniſuros, vt omni ſedulitate ac fide emererentur. Ampliùs, futuros eos nihilominus velut in curâ & clientelâ Patronorum: & ſic nobiliores ciues, in comitiis aut ſuffragiis, ſemper manum aliquam fautricem & obnoxiam habituros. Ita illis perſuaſum. ſed Regi in oculis præci-

B puè, frequentia & multitudo ciuium, fundamentum omnis potentiæ & diuturni ſtatus. Nec tamen ij æquiparati ſtatim dignioribus & veteribus ciuibus: reiecti in quattuor vrbanas tribus fuêre, & inuenta ratio, vt minimum in ſuffragiis, aut aliâ publicâ re, pollerent. Quin & à militiâ legionariâ & honeſtiore excluſi ſunt: donec paullatim nepotes ac pronepotes eorum, verè iam Romanus ſanguis, peruenirent. Liberti ipſi & Libertini (veteri quidem republicâ) arcebantur. Hoc inſtitutum, incredibile eſt, quantum ciuitatem auxerit: cum quia aliquot ſeruorum millia pauculis annis manumiſſa. Neque negandum eſt, vtile initio & præclarum fuiſſe: ſed lapſu temporis, vt fit in humanis rebus, hîc quoque lapſus: cùm

C iam Syri, Cappadoces, Aſiatici, Græci, Barbari in ſeruos recepti; & multi ex iis facinoroſi & perditi, qui pretio, blanditiis, aut & fœdis obſequiis libertatem meriti, quam colluuiem in ciuitatem non inuexerunt? Imò per eos effectum, vt egregia illa animi ad morum, Romana olim plebs, viliſſima facta hominum ſit, & vno verbo, cloaca ac ſentina viſorum. Sed iſta ſæculis aliquot poſt Tullium. interea profuit largiter inſtitutum, & effecit, vt cùm primo cenſu ac luſtro Ser. Tullij, LXXIIII. ∞ cenſa eſſent, illo qui ſub primis Conſulibus fuit (nam Tarquinius Superbus intermiſerat) CXXX. ∞. cenſerentur: idque eorum qui puberes, & in virili togâ eſſent. Largus tibi hic numerus videtur: nihil eſt: cum poſt aliquot ætates, id eſt, anno Vrbis CCCCXIIII. cenſa ſint ciuium

D CCLX. ∞: & paullò ante bellum Marſicum, anno Vrbis DCXXXIX. circiter *quadringenta* millia, paullò minùs. At poſt id bellum, ſociis iam in ciuitatem paullatim receptis, creuit valdè numerus, & ad *nongenta* millia cenſa * alibi nobis doctum. Cui ipſi numero firmando, velim addi hæc Phlegontis in Chronicis, qui notat Olympiade, quâ Lucullus Amiſum cepit, & Mithridatem ad Cabeira vicit (id fuit circa annum Vrbis DCLXXXII.) *cenſitos Romæ nonaginta myriadas ciuium, & vnam*, id eſt, *nongenta & decem millia.* Quid iam ſub Auguſto? ipſe de ſe in lapide Ancyrano clarè hoc dicit, IN. CONSVLATV. SVO. SEXTO *Luſtrum condidiſſe*, QVO. LVSTRO. CENSITA. SVNT. CIVIVM. ROMANORVM. CAPITA.

*In 1. Elector. cap. xxvii.

E QVADRAGIENS. CENTVM. MILLIA. ET. SEXAGINTA. TRIA. Immanis herclè numerus: & quis iam de copiis miretur coloniiſque? At etiam creuit aſſiduè, & ſub Claudio Imperatore, Tacitus ac fidi auctores accenſent, *ſexagies nonies centena ſexaginta quattuor millia.* Vltrà quærere, ſuperuacuum ſit, cùm iam paſſim in ciuitatem totæ vrbes regionéſque, vt dixi, receptæ. A v d. Neque hercules quæro, affatim habeo quod mirer. Sed illud lubet ſcire, an ex ſolis igitur illis ciuibus copiæ ſcriptæ? L i p s. Non è ſolis. olim quidem & è Latino nomine, vt ſcis: at poſtquam ij ciuitate donati, Principum temporibus maximè, cœperunt & è prouinciis auxilia

SER^MO PRINCIPI

ALBERTO AVSTRIO

IMPERATORIS FILIO, NEPOTI, FRATRI, S.R.E. CARDINALI,

BELGICÆ SVPREMO GVBERNATORI,

I. LIPSIVS *dedicat conſecrátque.*

INTER Hiſtoriarum fructus, SER^MÆ PRINCEPS, ego illum eximium ſemper habui, qui ad Sapientiam & rerum in orbe ADMIRANDARVM cognitionem ducit. Quis enim paullò altior & attentior eas legit, qui non diuina illa opera obſeruet, magna imperia ſtabilita, aut diruta: & in iis imaginem quamdam Prouidentiæ ſimul & Potentiæ diuinæ? Ita profectò ſe res habet. ſicut vnus in ſuperis Deus eſt, qui machinam hanc totam moderatur & temperat: ſic in terris velut Curatores & Vicarios quoſdam ſuos conſtituit, qui in partibus eam tueantur & adminiſtrent. Atque horum quoſdã creſcere voluit in magnas opes, copias, opera: quid niſi in imagine oſtendens, cæleſtem illam & ſine fine ac modo potentiam, quam ipſe habet, & per riuulos ac canales illos deducit? Vt igitur cælum & micantia illa aſtra cùm intuemur, ab iis ad puram, primam, & inacceſſam quamdam lucem ducimur: ſic ab humanâ iſtâ MAGNITVDINE, ad auctorem illius & fontem Deum. Quis ille fuit, qui Aſſyrios terris & gentibus impoſuit? qui Perſas, Macedonas, Romanos? quis, qui iterùm loco mouit & deiecit? magnus ille auriga & rector vniuerſi, qui habenas in hoc mundano curru temperat; qui impellit, qui ſiſtit, & poëtæ verbo,

Diuóſque mortaléſque turmas
Imperio regit vnus æquo.

Quod magis ſentio, & in animum demitto, cùm in ipsâ potẽtiâ & magnitudine, infirmitatem iſtorum video, aut breuitatem. Quid enim illa omnia nunc, aut vbi ſunt? abierunt. vbi ſupra fidem cumulatæ opes? defluxerunt. vbi cælo certãtia opera? non apparent. Heu res mortalium vel maximorum paruæ! heu validiſſimorum inſtabiles! imò omnia illa ſomnium, vmbra, nihil, ſi cum Æterno & Æternitate comparentur. Sicut Solem iſtum aſſiduè vel nubes aliqua ſubducit, vel nox condit: talis omnis hic ſplendor & felicitas, rapitur aut euaneſcit. Hæc & ſimilis cogitatio SER^MÆ PRINCEPS, iamdiu me impulit Imperiorum magna & ADMIRANDA colligere: atque vt decuit, orſum à ROMANO. Nam fallor, aut non alia maior magíſque fundata, addo & laudata MAGNITVDO fuit; quam quattuor his libellis in parte expreſſi, & ad te multis de cauſſis miſi. Omitto beneficia in pa-

triam publica, in me priuata: ipſe titulus & argumentum palàm ad te ducebant. ROMANI imperij deſcriptio cui potiùs aut iuſtiùs debebatur, quàm Principi è tot ROMANIS Imperatoribus nato? Res certa & inter ADMIRANDAS eſt, ex vnâ AVSTRIA, verè aureâ, ſtirpe veſtrâ, decem Imperatores, intra hos trecentos circiter annos, orbi Chriſtiano affulſiſſe: atque id ſanguinis & natalium ſerie, ſine vllo fulcro adoptionis. Quid in omni retrò Principum claſſe ſimile? duo, tres, in vnâ domo, & vix fuerunt: in primâ ipsâ Iulij, nec vltra ſextum etiam adoptio prorogauit. Iterùm dico, mirabile. & quid niſi à Deo tacita vox & teſtimonium, datam hanc familiam & demiſſam è cælo in terras eſſe, ad imperia terrarum? Iam & ADMIRANDORVM ille titulus, an non ad te traheret, in variâ virtute ſic ADMIRANDVM? Priuatam tuá vitá ſi video: Pietas & Religio occurrit, quæ vel ſacerdotem deceat; Caſtitas, quæ Veſtalem; probitas, & vitæ totius Ordo ac compoſitio, quæ ipſum cælum. Nec enim ſidera illa profectò magis ordinato & certo curſu incedunt, quàm tuæ actiones. Quid prudentia, in ciuili aut militari adminiſtratione? quid altitudo conſiliorum incredibilis? quid tranquillitas animi & vultus (proprium bonũ Auſtriacæ gentis) in omni euentu aut fortunâ? ADMIRANDA ſunt: & quæ Regi noſtro, ſapientiſſimo rerum hominúmque arbitro, cauſſam dederunt tui inter alios eligendi, quem ad maxima imperia & Præfecturas admoueret. Ecce Luſitania adiecta Hiſpaniæ ſuæ fuit, & multa in concuſſo eo corpore adhuc ægra: te elegit qui lapſa erigeres, dilapſa colligeres, exanimata recreares. Et ſanè ita feciſti, & præfuiſti, vt pænè optandum fuerit illi regno tam validè concuti, vt te pacatorem fundatorémque æterni deinceps otij haberet. Quis in diſceſſu tuo non ingemuit? nobilitas patronum, plebs parentem, leges cuſtodem, pietas vindicem viſa eſt ſibi amiſiſſe. At noſter Rex recepiſſe: & expertus quàm benè humeris tuis imperium ſederet, porrò te miſit in Belgicam noſtram, id eſt in ipſum mare & Oceanum (ignoſce patria ſic loquenti) diſſenſionum & turbarum. Heu qui hîc fluctus? adeò vt alibi ciuilia atque externa bella fuiſſe & tranſiſſe dixerim, hîc ſediſſe & habitaſſe. Opportunitas ſcilicet locorum fecit, & ſimul conſpiratio eorum qui magnitudini Regiæ ſunt infenſi, vt conſilia & arma verterentur in has partes; & in noſtrâ iſtâ patriâ certamen certaretur, pænè dicam, de Europâ. Ergo miſſus es & veniſti in medium diſcrimen: quid autem feciſti? quod nec hoſtes ſuſpicari, nec nos ſperare, imò vix nunc credere poſſumus cùm eſt factum. Aggreſſus es vrbem naturâ, opere, milite munitam, & opportunitate inter Galliæ primas. Vrbem dico, quam * Eduardus ille felix & animoſus Anglorum Rex, vndecim menſium ſpatio vix expugnauit; quam * Philippus Bonus tuus proauus, cum quadraginta millium exercitu, nec expugnauit: tu, inquam, aggreſſus cum modicis copiis, in paucis diebus claudis, oppugnas, capis. Quæ hæc vis animi, vel benignitas fortunæ? vtraque enim adfuit: & illa vt auderes dedit, hæc vt poſſes. Scipio Africanus olim (nec alium iuſtiùs tecum conferam) cùm in Hiſpaniam miſſus eſſet, vel ferociâ Pœnorum ereptam, vel infortunio Romanorum alienatam, vidit rem longi & infiniti operis, bellum circumferre per ſingulas & minutas partes. Quid facit diuinus iuuenis? Carthaginem Nouá, vbi, arma, commeatus, opes hoſtiles erant, ſitu & mœnibus (ita putabatur) inexpugnabilem, ſubitò & ignaris omnibus exercitum rapit. Venit, aggreditur, ingreditur: & in vnâ vrbe captâ, animos ſuis ſociiſque reddidit, hoſtibus ademit. O factum Scipione dignum! & quid niſi proludium frangendæ magnæ illius Carthaginis, & ſtabiliendi mox imperij pariter ac pacis? A te ſimilia exſpectamus, ô noſter Princeps: & ab hoc initio vince aut paca hoſtes, iunge diuulſos aut rebelles. Hos ipſos quàm terres ſtatim facto nouo pariter, & inopinato? Abducis ab iis locis copias, & alia

*Anno 1147. *Anno 1436.

agens

agens ac præferens, Huſtum adducis. Quod iſtud Huſtum? non opidum, ſed inſulam; nec inſulam modò, ſed propugnaculis variis magniſque, id eſt verâ æſtimatione, totidem opidis inſeſſam. Quid facis ô conſideratiſſime Princeps! quis ardor te abducit? non Mars ſolùm ea loca, ſed Neptunus tuetur & vindicat: & magnus ille Oceanus, ruptis aggerum clauſtris immiſſus, vnà cum ſuis filiis latè dominatur & regnat. Vbi naues, quibus peruadas? vbi alæ quibus tranſuoles? deſunt: at non tentandi tibi animus, & patrandi item fortuna. O quàm nunc denique didici, anguſtè vires veſtras expendi, ſi quis ea tantùm quæ fieri poſſunt à vobis exſpectat! Audetis non audenda, facitis non facienda, humano quidem iudicio: ſed Deum adhibetis in conſilio, & vos magni cum magno illo Numine participantes, legitis (ſi fas dicere) in tabulis Fatorum. Itaque inuitis aut diſſuadentibus omnibus, inuadis, peruadis, vincis. Hæc tua ſunt ſub initium opera, cùm alij vix operum ſolent ponere fundamenta. Et quæ non maiora magiſque ADMIRANDA à te, vel in te, exſpectemus? Memini legere ALBERTVM II. inter maiores tuos Auſtrios, vno tempore atque adeò vno anno, factum Regem Bohemiæ, & Vngariæ, & ROMANORVM. O quæ iſta felicitas! ſed quàm breuis felicitas! biennio enim non toto imperauit, & optimum Principem Deus cælo inuexit, quia terra virtutum illarum parùm capax erat aut digna. Tibi pariter ALBERTO ominamur & vouemus ſimilia, ſed firmiora: & an non iamnunc clara ſigna Deus & Rex dederunt? ſed parco dicere, etſi non optare. O dies ille exorere, non lætus ſolùm ſed ſalutaris Belgis; nec Belgis tantùm, ſed vicinis; nec vicinis, ſed diſſitis, & quicunque ſunt in religione aut orbe Chriſtiano. Plura vellem: ſed vt ij qui apud Deum verba faciunt, corpore, geſtu, ſermone modici ſunt ac reuerentes: ſic nos decet apud vos Principes, & colere atque ADMIRARI magis, quàm laudare. Facio in animo, & illo dico atque impleo, ſiquid ore aut ſtilo omiſi. Louanij, Kalend. Mart. ∞ IↃ. XCVIII.

AD LECTOREM.

ADMIRANDA *in Imperiis, Lector, quæ olim colligere cœpimus, nunc diſponere, vt vides, & vulgare. Orſi ſumus à* ROMANO, *quod quattuor his libellis damus: an totum? negabit aliquis, & ſcio eſſe quæ poſſint addi. Sed an debeant, neſcio: non certe pro meâ mente, cui propoſitum fuit eminentia tantùm & verè* MAGNA *colligere, atque eaipſa dumtaxat oſtendere in primo vultu, & deſignare. Omnia ſi penetraſſem, aut delineaſſem, præſertim quæ ad* Opera, *quis finis fuiſſet? Sed architectonica etiam hæc cura ſit, non noſtra; nec libuit ſupra plantam, quod dicitur, euagari.*

——* οὐδ' ἄρα πως ἦν
Ἐν πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι.

[* nec fuit vnquam Omnibus in rebus gnarum vnū eſſe atque ſciētem.]

Et verè fateor, nimiâ iam etiam curâ an curioſitate peccari à pleriſque noſtrûm, qui omnia hæc antiqua auidè ſcrutamur, & in maris illo fundo pænè dicam arenas. Ah, quis fructus eſt? vita & mores praeant, tum prudentia, ſed & elegantia quædam accedat: tamen vltima hæc cum modo. Peccauimus & nos fortaſſe olim: ſed nunc cum aliis annis mens eſt alia, & clamo liberè, Quædam eſſe quæ malo ignorare, quàm diſcere. *Timonis illud ſæpe mihi in mente:*

——* πολυμαθημοσύνης ὡς οὐ κενεώτερον ἄλλο.

[* Multiſciētiâ, vt haud quidquā vel vanius extat.]

Sed ſiquid tamen ſcitu dignū omiſi, alius explebit me volēte & addet, vt fiat illud Homericum,

——* πλεόνων δέ τοι ἔργον ἄμεινον.

[* melius multorū opus.]

Etſi quædam tamen ſepoſita mihi, non omiſſa, & in alterâ ADMIRANDORVM *parte opportunè reddenda. Atqui & alia mihi culpa, aut certè nota, deprecanda eſt, in attollendo nimiùm fortaſſe alibi fuiſſe. Si ita eſt, excuſetur: & quis neſcit, vbi animus & ſtilus incaluit, trahere hoc ſecum has* * πανηγύρεις? *Et tamen* arcem è cloacâ feci, *vt ait ille*, nec lapidem è ſepulchro veneratus ſum pro Deo; *ſed res laudatiſſimas laudaui & extuli: ſi nimis, tu moderare & deprime, quiſquis frigore & ſedatiore affectu hæc legis: Denique in clauſulâ, magnū etiam imperium miratus ſum, & approbaui: cur contra hodiernum morem (dicet aliquis) fortaſſe & vſum? Nam diuiſiones iſtæ factæ iamdudum, & inueterauerunt, & moueri ſine motu Chriſtiani orbis vix poſſunt: Non temerè igitur ſuadeo; nec ſanè innouo: ſi tamen Fatis & Deo viſum, hodiernam aliquam & nouam* MAGNITVDINEM *dare, cur culpa ſit laudare & approbare? Multiplex ratio eam commendet: & firmiſſimè iſta. quòd etiamnunc, quidquid tranquilli & pacati eſt in re Chriſtianâ, id manat ab vnico illo capite, quod auctoritate ſacrâ nobis præeſt. Romanus ille Dictator, vt ſic appellem, & Pontifex, fulcrum aut vinculum eſt, quod ſuſtinet, quod ligat, labentes aut diſſidentes in malè compacto hoc ædificio partes. Abite non impij ſolùm, ſed imperiti, qui aliter. nobis conſtat hanc ipſam Romam, & ſacrum in eâ imperiū,* fuiſſe & eſſe velut anchoram fluctuanti diu Europæ. *Mira Dei benignitas in hāc vrbem! cum legionum vim eripuit, legum attribuit; cùm armis imperare noluit, ſacris indulſit: & ſic quoque fecit eam decus, tutelam, columen rerum. Atqui Senatus ille vetus non eſt, inquiunt. Non ille, ſed alius: & vide mihi in iſtâ purpurâ ex omni noſtro orbe ſelectos proceres, moribus, prudentiâ, annis ſpectandos. Si vetus ille Cyneas redeat, & hunc conſeſſum videat, nihil ambigat vel cum Regibus iterùm, vel cum Herolbus comparare. Quid Tributa? nō tam multa, ſed magis innoxia & vltronea ſunt. Quid Legationes gentium? nec eæ deſunt, & ex noto ignotóque orbe (tanta diffuſio maieſtatis huius eſt) concurritur, & iura ac leges ſacrorum hinc petunt. Ipſi Reges & Principes adeunt & inclinantur, & obnoxia capita vni huic capiti ſubmittunt. Quid Principes aut homines loquor? aërei, terreni, inferi ſpiritus ſiue Genij verentur ac trepidant; & cæleſtem illam in terris poteſtatem vel inuiti ac reluctantes agnoſcunt. Gaude igitur non maior, ſed melior iam* ROMA; *non cultior, ſed ſanctior; & diu ſedes & habitaculum ſacri huius imperij (ex animo vouemus) eſto.*

[* laudationes.]

IVSTI LIPSI ADMIRANDA, SIVE, DE MAGNITVDINE ROMANA.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Occaſio & ingreſſio ſermonis.

DIES æſtuoſus erat, & quales Iulio menſe per Caniculam ſolent. Venit ad me AVDITOR, & Numquid turbo? inquit, non opinor. Otiari te cùm tempus, tùm & mos iubet, qui publicas Ferias nunc indixit. LIPS. Otiamur, non ob cauſſas à te dictas ſolùm, ſed ob quam minimè vellem. Ea valetudo eſt, ſemper moleſta, nunc magis in iſto æſtu. O ſi Spada me habeat! quàm me recreem & refrigerem ambulando, bibẽdo! AVD. Omitte Spadam, illã curſus tui palæſtram. Satis nobis, ſemel ſic pro te timuiſſe. Nam quid propiùs factũ, quàm vt nobis eriperêris, ad alios tranſlatus? LIPS. Factum. nec vnquam ego propior periculo fui, nec manifeſtiore Dei manu ereptus. Ille me tuitus eſt, & reddidit vobis. Vtinam & eos redderet iungerétque per bonã pacem, qui ſic abiuncti! O quàm ſuauis vita ſit! quàm iuuet communione illâ terrarum hominúmque frui! AVD. Ne deſpera.

* Οὔπω μῆνας ἔχων ὅκκα μ' ἠρατὸς, οὐδ' ἐνιαυτούς.

* *Nondum æther manſit, nec voluere deſijt annos.* Theocr.

Dies, inquam, iſta componet & dabit; aut denique Deus. LIPS. Certè Dei hoc opus: quem toto pectore inuoco veneróque, vti velit. Reſpiciat afflictã Belgicam tot iam luſtris, & ſatis ſit acciſam eam, non exciſam. Sed quid tu volebas? AVD. Fabulari. LIPS. Publica habes? AVD. Curioſè ea non curo: ſed tamen & publica tangit, quod volebam. LIPS. Dic autem. AVD. Sponde autem. LIPS. Quid iſtud eſt? captas me? AVD. Non nego. vtinam ceperim! Iam diu eſt quod DE MAGNITVDINE ROMANA polliceris aliquid dicere, ſiue ſcribere. Si hoc nondum potes, illud fac quod potes. LIPS. Hóccine agebas, & eò ibas? & hoc illud otium, quod ſuadebas? AVD. Agebam, ibam, ſuadebam. Et quid tibi hîc magni negotij? ſcio iamdiu talia & obſeruata tibi, & prompta. LIPS. Prorſus. ecce, os aperiam? ſponte ſe effundent. O te bellum! ſcilicet memoriâ, diſpoſitione, ad eas res non opus, etiam quas notas tam habeas & paratas. AVD. Non nego. ſed priorem Deus tibi dedit, alteram iudicio ſemper aſſumpſiſti. In ſcriptis tuis hoc me delectat, ordinem
A & ſeriem rerum videre: interdum etiam, quarum nec ordo videbatur. LIPS. Malus es. AVD. Quid ita? LIPS. Quia verè captatorem agis, & blanditiis, ſed vt in retia tua compellas. —* γέρων δ' ἀλώπηξ (ait verbum) οὐχ ἁλίσκεται. AVD. Imò patiare te capi vel meã hac cupidine, quam amare & laudare in adoleſcentiâ noſtrâ ſoles. LIPS. Non nego, adamo: ſed & argumentum inuitet, quod valdè item amo. Quomodo non veterem illam Romam tot ingeniorum, artium, virtutum, vel matrem vel ſedem? Nam Potentia quidem & Militia ADMIRANDA ſunt, & magni illius imperij Opes: Virtutes amandæ. AVD. Neque aliud à te volo, quàm in vmbrâ quaſi & imagine repræſentari Formam faciemque illam veterem: & qualis, & quanta Roma fuit. LIPS. Ego verò ſic ſubitò nec vmbram tibi auſim polliceri: fortaſſe
B vmbellam, & imaginem aliquam imaginis, vt ſic loquar. AVD. Quidlibet, iuuabit & docebit. LIPS. Sic volendo, volentem & me facis. Sub hac trichilâ vmbroſâ igitur ſedeamus, & ducamus MAGNITVDINIS ROMANÆ vmbras.

* *Vulpecula haud capitur ſenex.*

CAP. II.

Communiter Roma & eius potentia laudata, per elogia pauca veterum.

EGO inter Imperia & MAGNITVDINES, quas Deus à condito orbe eſſe voluit, eminere cenſeo & primas ferre hanc ROMANAM. Hoc è *Finibus, Copijs, Opibus, Operibus*, denique *Viris & Virtutibus*, liquere poſſe arbitror: quibus rebus ſin-
C gulis, aut & iunctis quibuſdam, aliæ fortaſſe gentes ſe oſtenderunt; nulla ſic omnibus, vt nunc oſtendam. Tu Deus lux temporum, rerum, hominum, ſcintillam aliquam tui, ſi non radiũ, in mentem hanc immitte: vt eâ videre, adire, ſed & reſerare poſſim theſauros Antiquitatis & Memoriæ; quos in Æui diffuſo implexóq; ſinu, reponis & ſeruas. Priuſquàm igitur diſtinctè de quinque illis Magnitudinis partibus dicam, iubet vniuerſè aliquid de tota eâ præfari,

A & quam iſtam, vnà mecum, illuſtres magniq; omnes viri admirati ſint. Atque illa vulgata omitto, *Romanos rerum dominos: Romam mundi caput: Mundi miraculum: Mundi compendium: Arcem nationum ac regum, lumen gẽtium*: magna ſunt, & à magnis: ſed compendio laudaſſe eam magnificè Martialis videtur,

Terrarum Dea Gentiúmque Roma,
CVI PAR *eſt nihil, & nihil* SECVNDVM.

Subtiliter nec falsò vult, nihil accedere ad eam, nihil vel ſequi. Quod an ab illo mutuatus Frontinus eſt? in cuius libro de Aquæductibus legimus: *Regina & domina orbis, quæ terrarum dea gentiúmque conſiſtit, cui par nihil & nihil ſecundum.* Sed vereor vt alliũ adſcriptũmve aliena manu ſit, & grauis atque eruditus reliquus Frontini ſtilus non probat aut amat laſciuiam poëtarum. Compendio igitur Martialis: ſed pulchrè B item & vbertim Claudianus.

Quâ nihil in terris complectitur ALTIVS *æther*
Cuius nec SPATIVM *viſus, nec corda* DECOREM,
Nec LAVDEM *vox vlla capit. quæ luce metalli*
Æmula vicinis faſtigia conſerit aſtris.
ARMORVM LEGVMQVE PARENS, *quæ fundit in omnes*
Imperium, primique dedit cunabula iuris.
Hæc eſt exiguis quæ finibus orta, tetendit
In GEMINOS AXES, *paruaq; à ſede profecta*
Diſperſit CVM SOLE *manus. hæc obuia fatis,*
Innumeras vno gereret cùm tempore pugnas,
Et Gallum terris proſterneret, æquore Pœnum,
Nunquam SVCCVBVIT OMNIS, *& territa nullo*
Vulnere, poſt Cannas MAIOR *Trebiámque fremebat.* C

Habes pleraque verſibus iis ab alto & animoſo poëta (talis fuit) inſerta, quæ ordine meo imus laudatum. Sed Erinna etiam poëtria audienda eſt: quam vixiſſe oportuit, vt hoc carmen eſt, ſub Pompeij, aut circiter, æuum. Nam alioqui plures eo nomine fuiſſe, non debes neſcire. Ea igitur, ad ipſam Romam:

Χαῖρέ μοι Ῥώμα θυγάτηρ ἄρηος,
Χρυσεομίτρα, δαΐφρων ἄνασσα,
Σεμνὸν ἃ ναίεις ἐπὶ γᾶς ὄλυμπον
Αἰὲν ἄθραυστον.
Σοὶ μόνᾳ πρέσβιστα δίδωκε μοῖρα
Κῦδος ἀρρήκτω βασιλῆον ἀρχᾶς,
Ὄφρα κοιρανῆον ἔχοισα κάρτος
Ἀγεμονεύῃς.
Σᾷ δ' ὑπὸ ζεύγλᾳ κρατερῶν λεπάδνων
Στέρνα γαίας καὶ πολιᾶς θαλάσσας
Σφίγγεται. σὺ δ' ἀσφαλέως κυβερνᾷς
Ἄστεα λαῶν.
Πάντα δὲ σφάλλων ὁ μέγιστος αἰών,
Καὶ μεταπλάσσων βίον ἄλλοτ' ἄλλως,
Σοὶ μόνᾳ πλησίστιον οὖρον ἀρχᾶς
Οὐ μεταβάλλει.
Ἦ γὰρ ἐκ πάντων σὺ μόνα κρατίστους
Ἄνδρας αἰχματὰς μεγάλους λοχεύεις,
Εὔσταχυν Δάματρος ὅπως ἀνεῖσα
Καρπὸν ἀπ' ἀνδρῶν.

Filia ô Martis, mihi Roma ſalue,
Aureo Regina decora cultu,
Quæ vel in terrâ ſtabiles Olympi
Incolis arces.
Nam dedit ſoli tibi cana Parca
Regium ſceptrum, minimè atterendum,
Vt potens rerum domineris vna,
Imperiteſque.
Ad tuum currum, retinente freno,
Colla telluris tumidique ponti
Illigas, & tu populos gubernas
Firma per æuum.
Ipſa, quæ gaudet variare cuncta,

A *Reſque transformare hominum, Vetuſtas,*
Spirat hæc vni tibi ſemper auram à
Puppe ſecundam.
Denique, in cunctis populis valentem
Procreas bellis ſobolem, vtq; læta
Surgit e terrâ ſeges, ipſa abundas
Fruge virorum.

Atque heus tu, virile & plenũ ſpiritus muliebre hoc carmen eſt; & cur talia tam multa perierunt? Sed Poëtarum hæc laudatio eſt: audi Hiſtoricum. *Nulla vmquam Reſpublica nec* MAIOR *nec* SANCTIOR, *nec bonis exemplis ditior fuit.* Liu.1. Laudat à duplici illo capite quod nos attigimus, & in ſermone perſequemur, Potentiæ & Virtutis. Quod ipſum vtrumque Ammianus: cùm *Romam* IMPERII VIRTVTVMQVE *omnium* B *Larem* appellat. Et plura ſe offerunt, quæ differo, in ſuis locis opportuniùs reddenda. Hieronymi elogia audiamus, æuo iam inclinante: *Vrbs* POTENS, *vrbs* Lib 11. adu. Ioui. *Domina, vrbs Apoſtoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. Roma aut* FORTITVDINIS *nomen apud Græcos eſt, aut* SVBLIMITATIS *apud Hebræos.* Duplicẽ interpretationem nominis rei aptam reddit: ego & tertiam, quam dederit lingua noſtra: quia * Roma, * Rum. *Gloriæ & famæ* nomen eſt Germanis: Quid, quòd apud Orientales Indos *Rumes* appellantur (Oſorio ita traditum) milites boni & fortes: an quaſi Romani, & admiratio vetus apud eos manſit? an vox indigena id quoque notat? Diuus Auguſtinus, pro ſummis, tria olim videre deſiderat: *Chriſtum in carne, Paulum in cathedrâ, Romam in flore.* Hoc vltimum C paramus, & ad rem parteſque noſtras iam nous: aliquid tamẽ à te præſtipulari. AVO. Quid illud eſt? LIPS. Aſſenſum & fidem. AVO. Tibi non dem, aut habeam? vel nutu me ducas, quò velis. LIPS. Memento. nam erunt quædam inopinata, & verè ADMIRANDA. Poëta iure cecinit: Propert.

Omnia Romanæ cedant MIRACVLA *terræ,*
Natura hic poſuit, quidquid VBIQVE *fuit.*

CAPVT III.

Fines imperij Romani; quando maximi; & Prouinciæ breuiter adnumeratæ.

D INITIA nos tenent: nec temerè iam olim dictum, *Portam itineris longiſſimum eſſe.* At ſeriò viam ingredior, & quidem per eos limites ſiue terminos, quos antè obiter poſui, *Potentiæ* ac *Virtutis*. In potentiâ conſidero, *Fines, Copias, Opes, Opera*: & in hanc quadrigam, niſi fallor, ſubiungam & veham, quidquid ea ſecum trahit. Ergo de *Finibus* primò. ij verò quàm ampliſſimi fuerunt, & ſpatia terrarum ac maris, vno velut ſinu & iunctim incluſa, quanta in vllo priorum aut poſteriorum imperiorum nego fuiſſe. Itaque attollunt haud vanè hæc veteres, & magnificè loquuntur, vt Cicero: *Nulla gens eſt, quæ non aut ita ſubacta ſit, vt vix extet; aut ita domita, vt quieſcat;* E *aut ita pacata, vt victoriâ noſtrâ imperioq; lætetur.* Et paſſim illi ſermones, *Romanos orbis dominos: Solem vtrumque in eorum imperio currere:* & talia, animosè magis, quàm ſuperbè dicta. Petronius:

Orbem iam totum victor Romanus habebat,
Quà mare, quà terra, quà ſidus currit vtrumque.

Dionyſius Halicarnaſſæus planè cum ipſo, etſi ante ipſum: ἡ δὲ Ῥωμαίων πόλις ἁπάσης μὲν ἄρχει γῆς ὅση μὴ ἀνέμβατός ἐστιν, ἀλλ' ὑπ' ἀνθρώπων κατοικεῖται. πάσης δὲ κρατεῖ θαλάσσης, οὐ μόνον τῆς ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς ὠκεανίτιδος, ὅση πλεῖσθαι μὴ ἀδύνατός ἐστι, πρώτη καὶ μόνη

τῆς ἐν τῷ παντὸς αἰῶνος μνημονευομένων ... ἔτι ... ἀνεπίβατος ... : *Romana vrbs imperat toti terra, quæ quidē inacceſſa non ſit, habitatúrque ab hominibus. ſed & toti mari imperat, non ſolum huic intra columnas Herculeas ſed ipſi Oceano, quacumque eſt nauigabilis;* PRIMAQVE ET SOLA *ab omni aut memoriâ terminos ſibi potentiæ fecit, Orientem & Occaſum.* Vbi terras omnes & maria tribuit, ſed vt decuit hiſtoricū bonæ fidei, cum aliquâ reſtrictione aut exceptione: ſeiungitque inacceſſa aut inhabitata loca, itémque maria ignota. Enimuerò, ſi propiùs inſpicias, nec habitata quidem omnia loca ſub imperio habuit: non hercules: & multa ſub Parthorum iure ad Orientem fuere, multa libera, aut ſub regibus, ad Septentrionem ac Meridiem: ſed vt ego quoque pro vero magis coërceam, quidquid opportunum aut dignum vinci videbatur, vicit. Cetera non tam non potuit, quàm contempſit, & iudicio reliquit. Sed illud nemo negauerit, florem Aſiæ, Africæ, Europæ in hoc imperio fuiſſe: ipſa gentium robora, ingenia, opes. Quod vt clariùs tibi liqueat; in triplici hac mundi plagâ quid habuerint, ſtrictim & per indicem dicam: atque id, cùm imperium maximum & in culmine ſuo fuit, vt ab Auguſto ad Traianum. Termini igitur finéſque imperij ſub Auguſto erant, ab Oriente *Euphrates*; à Meridie *Nili catarractæ*, & *Deſerta Africæ*, & *mons Atlas*, ab Occidente, *Oceanus*; à Septentrione, *Danubius & Rhenus*. Ita enim ipſe, bono conſilio, inſtituit, claudere imperium naturæ aliquibus limitibus, & cuſtodes ac milites ad eos habere. Hoc Tacitus in eo laudat: *Clauſum mari, aut amnibus longinquis imperium.* (1. Ann.) Atque idem ſcribit, Auguſtum libello, quo Rationes imperij conſcripſerat, *conſilium addidiſſe, coercendi intra terminos imperij, incertum metu, an per inuidiam.* Nolebat, inquam, poſteros Auguſtus proferre terminos: ſiue quia ſatis iam partum videbatur, & metuendæ bellorum ac fortunæ vices; ſiue per inuidiam, & ne gloriam ſuam vincerent, vt Tacitus ſuſpicatur. Sanè poſteri conſilium hoc neglexerunt, nec ſolùm regna aliquot, defunctis aut euerſis ſociis Regibus, imperio adiecerunt; ſed etiam, vltra terminos, noua quæſiuerunt. vt Claudius, qui *Britannias* in ipſo Oceano deuicit; vt Traianus maximè, qui ab Oriente, *Arabiam, Armeniam, Meſopotamiam*; à Septentrione, *Daciam* ſubegit. Ita moti prolatique tunc termini trans Euphratem, ad *Tigrim*: iterúmque parte aliâ, ad *Mare rubrum*; & trans *Danubium* ipſum, tota *Dacia* addita fuit. Hoc eſt, quod Tacitus noſter in ſuo illo Principe laudat: *Ventum inde Elephantinen ac Sienen, clauſtra* OLIM *Romani imperij, quod* NVNC *Rubrum ad mare pateſcit.* (II. Ann.) Sed, inquies, quæ hæc dictio eſt, quaſi pro magno ad *mare Rubrum* ventum nunc eſſe: nónne & anteà fuit? Ipſa illa *Siene & Elephantine* ad Nili catarractas, oſtendunt quidquid Ægypti interiacet Nilum & Sinum Arabicum, iam olim Romanorum fuiſſe. Atqui Sinus ille, *Rubrum mare.* Reſpondeo, latiùs olim Rubrum mare patuiſſe, & paullò aliter, quàm vt vulgò hodie, appellatum. Nam in Taciti, & aliorum veterum verbis, in hoc nomen venit *mare Indicum*, vaſtum illud & magnum, quod ab extremo Sinu Arabico, ſiue ab Africa eâ, in *Auream* Ptolomæi *Cherſoneſum* ſe protendit. Itaque Pomponius Mela, duos Sinus in mari Rubro agnoſcit, *Arabicum & Perſicum*. Et Seneca Tragicus, *Tigrim in mare Rubrum* exonerat atque immittit: Curtius *Indum & Gangem*: quos certum eſt in magnum illud mare, longè à Sinu Arabico, euolui. Hæc vera & clara ſunt: promoti igitur termini ad mare Rubrum ſiue *Indicum*, per Arabas adiectos. Eadem mens Græci ſcriptoris in Suidâ: *qui terminos imperij ad Orientem facit* *Indos & mare Rubrum; & Nili Catarractas, & lacum Mæotin.* Sicut & Appianus ita capiendus, cùm in Præfatione operis ſui, diſtinctè Romanum imperium limitat: *Tendit*, inquit, *ab Occaſu & illo Oceano occiduo, ad Caucaſum montem, & flumen Euphratem, & ad Æthiopas ſuperiores, per Ægyptios & Arabas, ad Orientalem Oceanum.* Hic Oceanus *Orientalis*, non aliud quàm *Mare Indicum* ſiue *Rubrum*, iam dictum. Sed obiicies, Si iſta de Traiani terminis Appianus; quid ita *Euphratem* ponit, *Tigrim* omittit? Hoc ideò, quia Hadrianus Imp. (ſub eo Appianus ſcripſit) ſtatim à morte Traiani, hoc mutauerat. de quo Feſtus Rufus: *Inuidens*, inquit, *Traiani gloriæ, ſponte Armeniam ac Meſopotamiam, & Aſſyriam reddidit, ac medium inter Perſas & Romanos Euphratem eſſe voluit.* Tamen de Tigri etiam Claudianus:

Subdidit Oceanum ſceptris, & margine cæli
Clauſit opes. quantum diſtant à Tigride Gades,
Inter ſe Tanais quantum Niluſque relinquunt.

AVD. Sed & alia dubitatiuncula, de *Meſopotamiâ*. quam tu & Rufus ab Traiano adiectam imperio ſignificatis; at Aurelius Victor iamdiu à Claudio. LIPS. A Claudio? nemo hoc dixit, nec poteſt. AVD. Imò verba Victoris ſunt: *Recentes fines, ſeu dati imperio Romano, per Orientem Meſopotamia; Rhenus Danubiúſque ad Septentrionem; & a Meridie Mauri acceſſere prouinciis.* LIPS. Hoc eo ſenſu, vt ipſa Meſopotamia finis eſſet, non vt in finibus contineretur. Eouſque, inquam, productum imperium, non & vltra ipſam. Ea mens Victoris; aut ſi alia, eſt error. Et habes ecce in iſtis finibus, quid per Indicem, ſi placet, videamus, & per ſingulas orbis partes.

IN ASIA.

Colchidem,	*Armeniam,*
Iberiam,	*Syriam,*
Albaniam,	*Arabiam,*
Pontum,	*Palæſtinam,*
Boſphorum,	*Ciliciam,*
Cappadociam,	*Pamphiliam,*
Galatiam,	*Lydiam, &*
Bithyniam,	*Aſiam totam minorem.*

IN AFRICA.

Ægyptum,
Cyrenaicam,
Marmaricam,
Getuliam,
Africam propriam,
Numidiam,
Mauretaniam,
Aliáſque minores aut ignotiores.

IN EVROPA.

Italiam,	*Macedoniam,*
Hiſpanias,	*Epirum,*
Gallias,	*Græciam,*
Inalpinos,	*Thraciam,*
Rhætiam,	*Mæſiam,*
Noricum,	*Daciam,*
Illyricum,	*Pannoniam.*

Habes hîc, dico, optima terrarum, latiſſima terrarum: & magnam tamen partem conſultò omiſi, quidquid *Inſularum* mari ambitur. Ex quàm multæ, & magnæ quædam, in toto illo mari mediterraneo fuerunt, à Columnis Herculis, ad Pontum vſque? profectò, quæ vel decimam partem pænè prouinciarum terreſtrium æquent, ſi *Britannias* in exteriore mari (vt debes) adiungas. Pulchra autem iſta facies, & non niſi à Prouidentiâ ſic ordinata & ornata: quam mecum vide. Vtrimque ad hoc mare mediterraneum Prouinciæ ſe porriguot & extendunt; ipſum in medio, tot portubus & inſulis diſtinctum, quaſi via & limes eſt, per quem commerciis iungantur. Nec aliud mihi pulchrius commodiuſque videtur in hoc imperio, quàm iſte velut in medio corpore baltheus, bullis inſularum interſtinctus: qui & diuidit ſimul, & conſtringit. Dabis mihi aliud tale, & tantum? non dabis. AVD. Imò Lipſi, *Turcicum* & Regis quoque noſtri *Hiſpanicum* imperium, haud longè abſunt. LIPS. De Turcico, fatendum eſt, in Aſiâ & Africâ latè ſe extendiſſe: ſed in validiſſimâ Europâ noſtrâ quid habet, aut potiùs non habet? Certè vel ſola Italia, Hiſpania, Gallia iunctæ, opibus viribúſque pares ſint, aut ſuperent illum hoſtem. O ſi Deus daret! adeò nec prouinciæ illę Orientales pro opibus & frequentiâ priſcâ ſunt; & noſtræ iſtæ florem nunc habent & vigorem. Quid de Germaniâ dicam? illa olim horrida & rerum inops, quàm artibus, opidis, copiiſque exculta eſt, & abundat? AVD. Mirificè & hæc tamen Imperio tuo etiam deeſt. LIPS. Non ſic, vt opinare. Nam ſi terminos meos cogitas, videbis ad Danubium vſque, *Retias, Noricum, Carnos, Pannones* incluſos: & parte alterâ ad Rhenum, *Helnetios, Rauracos, Argentoratenſes, Nemetes, Vangionas, Treuiros, Vbios, Menapios, Batanos*, ad Oceanum ipſum. Quæ pleraque omnia Germaniæ hodiernę nomen, & linguam, & leges etiam habent: at detracta, vides quàm eam arctent, & pulcherrimis membris ſpoliatam relinquant. Certum autem, hæc poſtrema omnia, cis Rhenum, Galliæ fuiſſe olim accenſa. Itaque ſub togo Romano. Sed de *Hiſpanico* imperio quod aiebas; id tanè, ſpatia terrarum ſi conſideras, præſertim in Nouo illo orbe & inſulis, Romanum longè vel ſuperat: ſed iunctio & deuinctio prouinciarum, viri & copiæ, quàm deficiunt & delinquunt? Nunc quidem. nam poſteà quid futurum ſit, neſcio: florebunt, creſcent fortaſſe. & ſenſum meum tibi dicam? Neſcio quo Prouidentię decreto, res & vigor ab Oriente (conſidera, ſi voles) in Occaſum eunt.

CAP. IIII.

De copiis & præſidiis ſparſim circa limites, itemque in ipſâ vrbe.

ISTI Fines igitur Romani & quidem mari, amnibus, montibus clauſi ac muniti, ſed Milite & *Copiis* multo magis. Nam Romanus mos & inſtitutio, duplici viâ prouincias munire, *Copiis* & *Coloniis*: de quibus vtriſque breuiter dicendum. *Copias* intelligo, perpetuum militem, qui ad tutelam imperij, ex inſtituto Auguſti, fuit. Triplices eas reperio, *Prouinciales, Vrbanas, Claſſicas*: illas maximas, alteras ſatis validas, & tertias vtiles æque opportunas. Omnia hæc ab Auguſto; qui ſapienter pleraque in nouo imperio aut inſtituit, aut reſtituit, vt res vilæ poſtulare. Hoc autem inter noua: & in laudibus Auguſti iam mortui Tacitus ponit, *Legiones, prouincias, claſſes, cuncta inter ſe*

1. Ann. *connexa*. Narrat & Suetonius: *Ex militaribus copiis, legiones & auxilia prouinciatim diſtributa.* Sed benè Tacitus, *cuncta connexa*: nam ita ordo & diſpoſitio fuit, vt limitanea loca militem haberent, interiora vix haberent: & eſſent, vt in magnâ vrbe, circa mœnia diſpoſiti & vallum. Cohærebant autem prouinciæ, ideóque & legiones, per cohortes ſuas & alas ſparſæ, & inter ſe vicinæ. AVD. Sed non igitur Arces in locis interioribus ſaltem erant, ſi non legiones? LIPS. Apage à Romano hoc more. nuſquam in iis præſidium aut ſpes poſita Martiali huic populo, ſed in milite tantum & armis. Et ſanè de Arcibus variè diſputari poteſt: ſed non tempeſtiuè in hoc loco. pergamus. Miles igitur ad Limites, vbi minimo oneri ſubditis, maximo vſui in hoſtes eſſet. Quantus? ſub Auguſto & Tiberio *viginti quinque* legiones fuerunt, ex Dione & Tacito: quin poſteà tamen auxerint, vix dubito, & ſub Traiano atque Hadriano certum fuiſſe *triginta*, aut & ſuprà. Columella, in quâ legionum nomina, tum & alia quædam hoc euincunt: diximúſque aliquid in *Analectis Militiæ Romanæ*, illîc, ſi lubet, videndum. Hæ legiones, Auguſti & Tiberij æuo, ſic diſpoſitæ:

In Hiſpaniâ, legiones III.
In Galliâ ad Rhenum, VIII.
In Africâ, II.
In Ægypto, II.
In Syria ad Euphratem, IIII.
In Mæſiâ ad Danubium, II.
In Pannoniâ ad Danubium, II.
In Dalmatia, II.

Sed mutabant interdum, quod Tacitus in IIII. Annalium notat, & ob cauſſas huc atque illuc ibant, aut ſedebant. Quædam autem legiones & in opidis erant, etſi pleræque in caſtris: ſed in opidis dico, quæ valida aut magna, & ideò motui aut rebellioni opportuna. Talis *Alexandria* in Ægypto: de quâ Strabo, *Sunt tres in Ægypto legiones, quarum vna in vrbe collocata eſt, aliæ per regionem. Præter has, ſunt & nouem cohortes Romanorum, tres in vrbe, item tres in Æthiopiæ finibus ad Syenen, præſidium locis; tres in aliis partibus. Sunt & alæ equitum tres.* Sed & idem ſcribit, *in Babylone caſtello ſupra Delta, legionem vnam conſiſtere è tribus, quæ Ægyptum cuſtodiunt.* AVD. Hanc bis, *ternas* hîc legiones collocat? at tuus Index *binas*. LIPS. E Tacito meus index, & ſub res Tiberij iam vergentes. Recenter id tunc immutauerat, & abducta legionum vna, vt ſæpe. Antè, & à Iulio iam Cæſare legiones ibi ternæ, vt in Suetonio leges: tenuitque Auguſtus, & Tiberius ad id æui, quo Strabo ſcripſit. Sed de noſtrâ iam re, legiones dico ſæpe in opidis. atque ita de Beryto Syriæ idem Strabo: *Hæc euerſa fuit a Tryphone, inſtaurata & ſuſcitata à Romanis, duas legiones ſuſcipiens, quas Agrippa ibi collocauit.* Cauſſa fuit, ſedes item vrbis ad ipſum mare, & locorum eorum clauſtrum. Ita à tergo aliæ legiones Syriam defendebant aut premebant, hæc ſita in fronte. In Hiſpaniâ, vt idem Strabo, Bætica quæ populi erat, milite vacabat: reliquâ Hiſpania habebat. Similia adnotare plura poſſim, & cauſſas dare aut tangere: ſed diffuſione non gaudeo, vbi res non poſcit. Hoc magis è primis illis Strabonis obſeruo, *ſocias etiam cohortes aliáſque* fuiſſe, præter ipſas Legiones: & vt illîc vides, numero ſatis grandi. Enimuerò *nouem illas cohortes* ſociales fuiſſe dico, etſi ipſe *Romanas* appellat: ſed hoc ideò, quia militabant ſub Romanis ſignis) pænè legiones tres æquarunt, nec minores eas *millenariis* fuiſſe opinamur. Tacitus id quoque dixit: *apud idonea prouinciarum, ſocias triremes, & alas, auxiliáq; cohortium, nec multo ſecus in iis virium fuiſſe ſed perſequi*, inquit, *incertum fuit, cùm ex vſu temporis, huc illuc mearent,*

gliſcerent

gliſcerent numera, & aliquando minuerentur. Ecce dixerim, *haud ſecus*, id eſt, non minus in iis virium fuiſſe, quàm in legionibus ipſis: imò plus interdum, idem [III. Hiſt.] oſtendit. vbi legionis *Decimæquartæ auxilia, octo cohortes Batauorum* facit. Atque alibi, in minoribus prouinciis, ſolæ cohortes aut alæ fuerunt, vt in Rætiâ, Iudæâ, talibus, & quæ Procuratoribus regebantur. Interdum & in opidis interioribus, ad coërcendum: vt Lugduni in Galliâ, Tacitus *cohortem* XVIII.^am locat; idem Foroiulij *Ligurum cohortem, vetus loci auxilium*. Et tale alibi. Huc equidem Ioſephi verba referam, alioqui paraloga, non ſolùm paradoxa: apud quem Agrippa ad Iudæos loquens adſert, Galliam illam tam validam, tam latam, *mille ducentis militibus in officio contineri*. Profectò octo legiones totæ fuerût, ſed quia iſtæ in extremâ Galliâ, ipſe copias modò numerat, quæ introrſus in eâ eſſent: ſi tamen numeri illi in Ioſepho ſani, quos ſæpe in eo obſeruamus vitiatos. Sed hæc ita ſub Auguſto: vt tamen tetigi, creuerunt, & primùm Claudius Imp. Britanniâ domitâ, legiones in eâ *tres* locauit, manſeruntque. Tum Veſpaſianus *duas* etiam in Cappadociâ: & Traianus deinde in Daciâ *duas*. Iſtæ *Prouinciales* copiæ: *Vrbanæ* fuerunt, quæ ſedem Romæ & in ipsâ dominâ vrbe habuerunt. Quo fine? duplici, vt Principem in eâ tuerentur, & vt ipſam vrbem. Principis cuſtodiæ triplex miles fuit, *Prætoriani, Euocati, Bataui*. Primi in *nouem* cohortes diuiſi ab Auguſto, flos militum, fide, robore, & gête. Exemplum inſtituti huius fuit, à Prætoriis cohortibus in exercitu, quæ circa ipſum Imperatorem, & ad eius tutelam erant: ſed plerumque vna: Auguſtus autem in bellis ciuilibus plures habuit, & victor quoque retinuit in pace, contra motus ſubitos, & ad plebem Romámque coërcendam. Nam fuêre *nouem millia* militum, non robore ſolùm, vt dixi, ſed ſtirpe & domo eximij: nec capti niſi ex *Etruriâ, Vmbriâ, Latio, & Coloniis antiquitus Romanis*, quod Tacitus ita etiam notauit. [Lib. IV. Annal.] Gloriabantur igitur hoc ſanguine: & ideò Otho iis blandiens, & in concione alloquens, *Italiæ*, inquit, *alumni, & Romana verè iuuentus*. Nam legionibus aliis, exteri iam & ciuitate donati, crebri miſcebantur. [Tac. I. Hiſt.] *Nouem* dixi fuiſſe: idque apertè Tacitus: at Dio *decem* ſcribit. [Lib. LV.] Nam ita in rebus Auguſti: *οἱ σωματοφύλακες μύριοι ὄντες, καὶ δεκαχῇ τεταγμένοι*: *Cuſtodes corporis Auguſti* (Prætoriani) *decem mille erant, atque in decem partes*, ſiue cohortes *diuiſi*. Hæc diſſonant: & fallitur Dio? an pro ſuo æuo dicit? Illud poteſt, hoc vix poteſt: quia eius æuo (vixit, ſub Alexandro Seuero, & prioribus) iam plures denis illis erant. Exemplum à Vitellio, qui primus, opinor, auxit. [II. Hiſt.] Tacitus de eo, Romam ingreſſo: *Confuſus prauitate, vel ambitu, ordo militiæ. Sedecim Prætoriæ, quattuor Vrbanæ cohortes ſcribebantur, quîs* SINGVLA MILLIA *ineſſent*. Sed an ille tamen primus? an non Claudius Imp. anteà fecerat? Lapis vetus (quid contra eum dixerim?) affirmat: C. GAVIO. L. F. STEL. SILVANO TRIB. COH. II. VIGILVM. TRIB. COH. XIII. VRB. TRIB. COH. XII. PRÆTOR. DONIS. DONATO. A. DIVO. CLAVDIO. BELLO. BRITANNICO. En, ille verò ſub Claudio vixit, & *donis ab eo donatus* in Britanniâ: & tamen *Tribunus* ſcribitur *Duodecimæ Prætoriæ cohortis*. Sculptor errat? ſed idem eſt in *Vrbanis*, vbi *Decimatertia* nominatur. Quid? an hic Gauius potiùs, iuuenis Britannico bello interfuit, & tum ſenior ſub Vitellio militauit? Omnino dixerim: nec tempora refragantur, potuitque vel ſub illo, aut ſtatim ab illo, Tribunatus hos geſſiſſe. Nam eam auctionem dixerit aliquis manſiſſe argumento eorumdem lapidum, in quibus crebrò, grandiore numero ſic legas. Iſtis *Caſtra Prætoria* fuêre, ad Portam Viminalem: vt arctiùs & in diſciplinâ haberentur, ſecreti à ciuibus & vrbe. Sed *Euocatos* iam addo: de quibus Tacitus atque alij ſilent (quod equidem obſeruauerim) at non Dio Caſſius, qui adiungit apertè. [Lib. LV.] *Euocatis*, inquit, *Auguſtus vti iam cœperat in Antonium olim, eóſque & poſteà ſeruauit. Sunt autem hodieque propria quadam & ſeparata manus, & vites ferunt, inſtar Centurionum*. Hoc ille, vbi ex profeſſo de cuſtodiâ Principis ſcribit. Facere huc videtur, quod Suetonius in Galbâ notat, *delegiſſe eum equeſtris ordinis iuuenes, qui manente aureorum anulorũ vſu*, EVOCATI *appellarẽtur, excubiáſq; circa cubiculũ ſuum, vice militum, agerent*. Inſtituiſſe hoc eum planè dixeris, exemplo cuſtodiæ Principalis, quia Principem ſcilicet nunc agebat: etſi non veteranos quoſdam milites, ſed Equites ipſe elegit. An non ibidem & munus iſtorum Euocatorum expreſſum? nempe vt *circa cubiculum Principis excubias agerent*? ego omnino opinor: etſi valdè miror, nuſquam (nec occaſio defuit in vrbanis illis motibus, aut Principum cædibus) nuſquam, inquam, à Tacito vel Suetonio, vel ipſo Dione abhi, nominatos. Tamẽ quod in lapidibus crebrò legitur, EVOKATVS AVGVSTI, me iudice haud aliò eſt referendũ. Tertij ſunt *Bataui*, equites peditéſq;. Dio Caſſius: *Sunt & exteri Equites ſelecti, quibus Batauorum nomen eſt, ij q; equitandi peritiſſimi*. AVD. Da veniam, interpello te: Batàui equites? hoc eſt ſimile, ac ſi dicam Venetos equites eſſe. Et Bataui ſanè noſtri, aliis illis equis veliuolis & ligneis, per Neptuni æquor optimè diſcurrunt: hos terreſtres, parcè aut parùm dextrè tractant. LIPS. Vetera loquimur: gens ea tunc Martem potiùs, quàm Mercurium colebat. Et quæ gloria * vicinis illorum in equite noſtrâ etiam memoriâ fuit: ea ipſis olim. [* Menapiis & Geldris.] Credo autem intellegi tunc quoq; ſuperiores illos Batauos maximè, qui Geldriæ nunc accenſentur: nã inferi & ad mare, nec ipſi, nec regio eorum equis ſatis facti, aut apti. Sed Bataui igitur boni Equites: fuêre & Pedites, etſi Dio ſilet. Tacitus aliįque dicent, qui tamẽ hos modò Batauos, modò Germanos appellant: ſed dixeris Dionis æuo Pedites non fuiſſe. Cauſſa, quia Galba *Germanorum cohortem, inſtitutam iam olim à Cæſaribus, ad cuſtodiam corporis, & multis experimentis fidiſſimã diſſoluit, ac ſine vllo commodo remiſit in patriam*: quod Suetonius in eo ſcribit. Dicit *Cohortem*: ergo pedites fuêre: & addit ab ipſo ſolutam militiâ ac dimiſſam, nec poſteà fortaſſe reſtitutam. Non reperio quidem vltrà nominari: & in Notitiâ imperij, dumtaxat *Bataui equites Seniores Iunioréſq;*. Vtraque autem hæc manus quanta fuerit, & Dio ignorare ſe fatetur: *Batauorum*, inquit, *numerum, ſicut nec Euocatorum, ſatis certò poſſim dicere*: quid ergo nos conemur? Puto tamen Batauos haud minùs duabus aliis plenioribus fuiſſe, & vt minimùm *mille Equites*: Pedites etiã olim ad *mille*. Euocati autẽ, ij quoq; cohors vna millenaria ſunto. Alter nunc miles in vrbe, & pro vrbe, duplex eſt: *Vrbanæ, & Vigilum cohortes*. De prioribus Tacitus: [IV. Ann.] *Quamquã inſideret vrbem proprius miles, tres vrbanæ cohortes*: & mox oſtendit eam quoque lectã, & non niſi Italam manũ fuiſſe. Sed *tres* ipſe dicit, Dio in Auguſti diſpoſitione, *quattuor*. *οἱ τῆς πόλεως φρουροὶ*, inquit, *ἑξακισχίλιοι, καὶ τετραχῆ νενεμημένοι*: *Vrbis cuſtodes ſex millia, & in quattuor partes diuiſi*. Miror & hîc diſſenſum, nec concilio. Si tamen numerus tantus, vides grandes iſtas Cohortes fuiſſe, atque etiam ſupra Prætorianas. Nam ſingulæ fuerunt *mille quingentorum* militum. In Taciti autem antè verbis, de Vitellio, notare potuiſti, ab eo deniq; factas *quattuor vrbanas cohortes*, ſed quæ nõ niſi *ſingula millia* haberẽt: vnde igitur tantas ſub Auguſto? Intricata hæc fateri oportet, & mihi pæne libido in

Tacito ibi legendi, *quatuordecim vrbanæ cohortes.* Cùm enim tam largiter Prætorij militem auxerit, cur non pariter & Vrbis? Vnica iſta cohors adiecta, in paruo ſit: & facit valide, quòd lapides ab illo æuo grandiorem hunc numerum ſuadent. In illo ſuperiùs recitato erat, TRIB. COH. XIII. VRB. & in alio ſub Antonino Imp. C. CESTIO. C. F. STEL. SABINO. TRIB. COH. XIII. VRB. DONAT. AB. IMP. ANTONINO. AVG. HASTA. PVRA. Pluribus etiam lapidibus hi tales numeri in vtriſque cohortibus, ſed nomina Imperatorum aut æui certa indicia non ſemper adiecta. Hic ipſe Antoninus quis fuit: fortaſſe *Caracalla* Seueri filius; atque ita minus miror, quoniam in Herodiano Seuerus gloriatur & loquitur, vbi filios ad concordiam hortatur: *Poſſe eos ſecure agere, ſi velint, pecuniâ multâ à ſe paratâ,* τήν τε ἐν Ῥώμῃ δύναμιν αὐτὴν τετραπλασιασθεῖσαν, καὶ στράτευμα τοσοῦτον πρὸ τῆς πόλεως ἱδρυθέν, ὡς μηδεμίαν τῶν ἔξωθεν δυνάμεων ἰσχύειν μηδ' ἀντίπαλον, πλήθει στρατοῦ, μήτε μεγέθει σωμάτων, μήτε χρημάτων περιουσίᾳ: *& copiis iis quæ Romæ ſunt* IN QVADRVPLVM *auctis, tantoque exercitu ad Vrbem ſedente, vt nulla externa vis par eſſe ei poſſit, ſiue* MVLTITVDINEM *ſpectes, ſiue corporum magnitudinem, ſiue cultum & abundantiam.* Hanc mutationem & augmentum facta à Seuero, cùm Iuliani Prætorianos circumuênit & armis exuit, probabile eſt; & in eorum locum Illyricanos grandi numero factos. Verba quidem Herodiani clara ſunt, & ſic manſiſſe ad Conſtantinum videntur: qui fauentes Maxentio ſuſtulit, nec alios ordinauit. AVD. At enim ſi in quadruplum ita auxit Seuerus, & Vitellius iam ibi Cohortes fecerat, quid dicemus: oportuit vel ſupra LX. cohortes fuiſſe. LIPS. Neque abſurdum ſit, ſi verba penſites Herodiani. Dubitet tamen aliquis an illa Vitelliana auctio tota manſerit: ſed quidquid eius, illud tenendum haud dubiè auxiſſe valdè Seuerum, cùm Herodianus diſertè ſcribat, *cuicumque* VI EXTERNÆ *parem aut ſuperiorem hanc internam & vrbanam fuiſſe.* Sed redeo ad *Vrbanas* meas cohortes: quarum officium præcipuum, tueri vrbem. id eſt, motus aut turbas plebis coërcere; noctu circum templa, fora, baſilicas, excubare, ſtationes agere contra graſſatores aut ſicarios; itemque Præfecto vrbis (qui caput iis erat) apparêre. Itaque & extra vrbem interdum puto diſpoſitos, cùm eius Iuriſdictio ad centeſimum lapidem porrigeretur. Quod autem Præfectus caput, in Tacito clarè ſcriptum, de Flauio Sabino, qui tunc in eo munere: *Eſſe illi* PROPRIVM *militem cohortium vrbanarum: nec defuturas Vigilum cohortes.* Quas nunc adiungo (*Vigilum* dico:) & moneo eas quoque ab Auguſto eſſe. Nam is cùm crebra incendia in magnâ illa & frequenti vrbe videret; remedium quæſiuit firmum & perpetuum, militémque ex libertinis collegit, & in ſeptem cohortes digeſſit. Id factum anno vrbis DCCLIX. Et quamquam præcipuus hic finis & inſtituendi cauſſa fuit, tamen ſeruiiſſe etiam tutelæ vrbis, & contra nocturnos fures aut graſſatores, non eſt ambigendum. Minùs lecta hæc manus fuit, & miniſterio potiùs quàm militiæ facta: tamen vt regi meliùs tutiùsque poſſent, digeſti in Cohortes, & Centuriones Tribunóſque ſuos accepêre.

Marginal notes: Lib. III. (beside "vbi filios ad concordiam hortatur"); III. Hiſt. (beside "ctus caput, in Tacito")

CAP. V.

De copiis in mari, aut fluminibus; de Claſſibus variis, earumque ſedibus.

TERRESTRI milite ſatis limites, itémque vitalia imperij, id eſt Romam ipſam, muniuimus: nunc & maritimo, ſiue fluuiatili etiam, muniamus. Nam cùm mare medium per totum illud imperium iret, vt diximus; cùm etiam flumina magna clauderent vel ambirent; vtile cenſuerunt, *Claſſes* perpetuas in vtrauis parte eſſe, quæ & piratas cohiberent, & hoſtes excluderent; & ſuis etiam tranſitum aut tranſuectionem, cùm opus eſſet, ſtatim darent. Prudens & pulchra inuentio: fueruntque *Claſſes in ipſo mari* quatuor; in *Fluminibus* tres, niſi fallor. Videbimus ordine, & quod occurret, dicemus. Primæ duæ maiores ſe offerunt, & *Prætoriæ* dictæ, *Miſenenſis* & *Rauennas.* Quare Prætoriæ? (ſæpe enim ita in lapidibus:) opinor dignitatis cauſsâ, & quia inter minores alias, vt Prætoria aliqua nauis, eminerent. Nam Præfectus ſanè earum non fuit Prætor. Poſſunt & exemplo Prætoriarum cohortium eſſe dictæ, quia ad Italiæ & Principis tutelam. Sed eæ quoque ab Auguſto inſtitutæ, notante Suetonio: *Claſſem Miſeni, & alteram Rauennæ, ad tutelam ſuperi & inferi maris collocauit.* Et Tacitus de iiſdem: *Italiam vtroque mari duæ claſſes, Miſenum apud & Rauennam, præſidebant.* Sed diſtinctiſſimè Vegetius, qui numerum & plura aperit, his verbis: *Apud Miſenum & Rauennam,* SINGVLÆ LEGIONES *cum claſſibus ſtabant, ne longiùs a tutela vrbis abſcederent, & cùm ratio poſtulaſſet, ſine mora, ſine circuitu, ad omnes mundi partes peruenirent. Nam Miſenatium claſſis Galliam, Hiſpanias, Mauretaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam, atque Siciliam, habebat in proximo: claſſis autem Rauennatium, Epirum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum, petere directa nauigatione conſueuerat.* At *ſingulas legiones* in ſingulis fuiſſe: pro more ſui æui, aut parùm conſpectè, locutus. Non enim Legiones propriè erant, ſed dumtaxat *Cohortes,* eæque *decem,* & Tribunos ſuos ſiue *Chiliarchos* (à numero cui præerant) habebant, itémque Centuriones. Enimuerò Tacitus non ſemel oſtendit, Claſſiarios militiam legionariam, vt honeſtiorem petiiſſe: & aliquando impetraſſe: non ergo habebant. Quomodo autem? exteri pleríque, & nec ciues erant. Tacitus de claſſe Rauennate: *Ambiguos militum animos, quòd magna pars Dalmatæ Pannoniíque erant.* Et in Tabulâ, quæ Venetiis adſeruatur: HADRIANVS. IMP. IIS. QVI. MILITAVERANT. IN. CLASSE. PRÆTORIA. MISENENSI. SEX. ET. VIGINTI. STIPENDIIS. EMERITIS. DIMISSIS. HONESTA. MISSIONE. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE. EORVM. CIVITATEM. DEDIT. Si dedit, non antè habebant. Clara & vera hæc ſunt, ac naualis militia, vilis ſemper & vilium, apud Romanos. De Miſeni igitur claſſe, liquet apud Miſenum, pulcherrimo ſinu, eam ſtetiſſe. Virgilius doctè indicauit, cùm Miſenum illîc ſepelit Æneas,

Imponit ſuáque arma viro, remúmque tubámque.

Nam & *Remum* & *Tubam* dat, præſignificans locum hunc futurum vbi & Remiges & Milites in claſſe eſſent: Milites inquam, quos Tuba notat. Etſi autem naues ibi & claſſis, tamen Caſtra etiam in terrâ & ad portum ipſum fuiſſe, commoditas eorum exigit, & lapides qui ſæpe effodiuntur, dicunt. Inter eos iſti:

D. M.
C. IVLIO. QVARTO
VET. EX PR. N. GALLO.

D. M.
TI. PETRONI. CELERIS
NAT. ALEX. EX. III. ISIDE.

D. M.
C. SENIO. SEVERO. MANIPLARIO
EX. III. FIDE. NATIONE. BESSVS.

Marginal notes: IV. Ann. (beside "maris collocauit"); Lib. IIII. (beside "plura aperit")

Notæ

A Notæ breuiores in iis, hoc volunt: *Veterano ex Prætoriâ naue Gallo.* item: *Natione Alexandrino, ex tertiâ Iſide.* vtrúmque: *Ex tertiâ Fide. Gallus* autem, *Iſis, Fides*, nomina nauium ſunt, ab imagine aut tutelâ. In his item portibus, præter Caſtra, *Pharos* ſiue Turres quaſdam ad prælucendum noctu fuiſſe, Plinius mihi ſuggerit: ille Plinius, qui ipſe fuit claſſis Miſenatium Præfectus. [Li. xxxvi. cap. xii.] *Vſus Phari, nocturno nauium curſus ignes oſtendere, ad prænunciandavada, portúſve introitum: ſicuti compluribus iam locis flagrant, vt Puteolis, & Rauenna.* Pharus Puteolana, ad hanc Miſenenſem fuit. At verò altera, ſicut & ipſa Claſſis, *Rauenna.* Notum & nobile etiam opidum, ob ſedem ibi poſteà regni Gothorũ. Et ipſam, & Claſſem autem, Iornandes optimè notificat, ex Dione: B *A meridie*, inquit, *Padus, qui & Eridanus, ab Auguſto Imp. altiſſimâ foſſâ demiſſus: qui ſeptimâ ſui aluei parte mediã influit ciuitatem ad oſtia ſua amœniſſimum* PORTVM *habens, qui* CLASSEM *ducentarum quinquaginta nauium, Dione referente, tutiſſimâ dudum credebatur recipere ſtatione. Qui nũc, vt Fabius ait, quod aliquando portus fuerat, ſpatioſiſſimos hortos oſtendit, arboribus plenos, verũ de quibus pendeant non vela, ſed poma.* In fronte verborum vides, Auguſtum aptaſſe locum & portum foſſâ percuſſâ in medio, Dionem auctorem, de nauibus CCL. quæ illic caperent. Sed vbi hoc Dio? nuſquam in libris, qui nunc ſunt, ſed dixit (opinor) in Vitellij rebus, vbi multa mentio claſſis Rauennatis, ob transfugium eius & turbas, quas & C in Tacito habes. Ingens autem numerus: neque minor in claſſe Miſenatium, vt ratio poſcit. In vltimo autem oſtendit, eſſe deſijſſe & portum & claſſem. Atque hæ duæ ſunt *Maiores* illæ claſſes *maritimæ*: ſequuntur duæ *Minores*. prior in Galliâ, coloniâ & portu *Foroiulienſi*: tum ad ipſam Galliam, tum ad Hiſpaniæ illam oram tuendam. Tacitus de eâ, eiuſque auctore: [iv Ann.] *Galliæ proximum Litus* ROSTRATÆ *naues præſidebant, quas Actiacâ victoriâ captas Auguſtus in opidum* FOROIVLIENSE *miſerat*, VALIDO *cum remige.* Habes Auguſtum auctorem, habes *Roſtratas* & bellicas, itémque *Validum remigium.* Satis ergo & grandis, & inſtructa ea claſſis: cuius idem Tacitus in rebus belloque Othonis cum Vitellio meminit. Eſt D autem hoc *Forum Iulij* in Galliâ Narbonenſi, loco quem Strabo deſignat: *Nauale*, inquit, *Cæſaris Auguſti, quod Forum Iulium vocant. Situm eſt inter Olbiam & Antipolim, abeſtque Maſſiliâ ſtadiis circiter ſexcentis.* Notat *nauale* ſiue receptaculum claſſis eſſe: ideóque & à Plinio ipſa vrbs *Claſſica* dicta, itémque *Colonia Octauanorum*, quòd octaua legio eò deducta. Altera minor in ipſo *Ponto*: id eſt, in capite & fonte mediterrei maris. [iii. Hiſt.] De eâ Tacitus capiẽdus: *Mucianus claſſem è Ponto Byzantium adigi iuſſit.* Ergo ſtatio ei ſupra Byzantium fuit: ſed * vbi, ignoro. [* Vide Me...] Numerum eius è Ioſepho poſſum dare: *Pontica*, inquit, *omnes gentes tribus millibus militum ſubduntur*, & QVADRAGINTA *naues longæ* (roſtratæ) *illud aſperum & innauigabile pelagus tutum pacatúmque præſtant.* An non & tertia etiam Oſtiæ? Suetonius ſuggerere videatur in Veſpaſiano: *Claſſiarios qui ab Oſtiâ & Puteolis Romam per vices pedibus commeant.* Nam Claſſiarios Oſtiæ ponit: & forraſſe Claudius inſtituit, portu eò inſtructo. Sed certum non habeo: & potuit eſſe ibi pars è claſſe Miſenenſi. Transeo ad *Claſſes fluminum*: & prima eſt in Rheno. de quâ Panegyricus: *Cùm totus* ARMATIS NAVIBVS *Rhenus inſtructus ſit.* Ait *totum Rhenum*: ergo diuiſam per partes cenſeo, vt & militem ipſum terreſtrem. Florus oſtendit, Bonnæ & Geldubæ (ſi proba modò lectio) fuiſſe, ex inſtituto Druſi: *Bonnam & Geldubam pontibus iunxit*, CLASSIBVSQVE FIRMAVIT.

A Ergo ibi pars, pars & certò ad exitum fluuij, vbi *Pharus* olim, quam nunc *Arcem Britannicam* vocant. Hanc opinor eſſe, quam *Claſſem Britannicam* Tacitus in bello cum Ciuili appellat: quia & in Britanniam ea commeabat. Sed tota claſſis communiter *Germanica* dicta: & ſic in eodem Tacito leges, *Iulium Burdonem, Germanicæ claſſis præfectum.* Hæc partitio claſſium Taciti loca aperiet, aut conciliabit, quæ pugnature inter ſe videntur. vt cùm ſcripſit, [v. Hiſt.] *Vniuerſam quattuor & viginti nauium claſſem transfugiſſe* (ad Ciuilem) *aut captam eſſe.* An igitur *vniuerſa* ea, non niſi tot nauium? imò poſteà iterum facit Cerialem nauibus pugnaſſe, etſi *numero imparem, ſed magnitudine earum potiorem.* Atqui ſtruere tam citò non potuit: B ſed nempe ex aliâ parte, atque adeò grandiores triremium, quæ ad Oceanum & Pharum, ſumpſit. De his nauibus Hegeſippus ex Ioſepho ita ſcribit: *Rhenus itaque iam non Germanorum copiis repletur, ſed Romanorum liburnis, quæ per errantes* TOT VSQVE AD MARE *bicornis amnis fluenta, quondam liberas gentes ſeruitio premunt.* Legendum autem illic, *Copulis Germanorum*: eſtque nauium minorum genus, quod ipſi Germani ſic à * vinciendo & ligando dicebant. [* Koppeln] Dicit earum loco *Liburnas* iam roſtratáſque Romanorum eſſe: credo, biremes, quas & *pererraſſe* totum amnem identidem ſcribit: & an ideò *Luſoriæ* dictas? Vox crebra in Ammiano, Vegetio, aliiſque. Altera claſſis Fluuiatilis, in *Danubio*. de quâ Tacitus: [xii. Ann.] C *Vannius funditur prælio, & ad claſſem in Danubio opperientem perfugit.* Nominantur & Vegetio *Luſoriæ*, *queis in Danubio* COTTIDIANIS *vtuntur* EXCVBATIIS. In Codice Theodoſiano titulus, *De Luſoriis Danubij.* In Nouellâ quadam: *Caſtrorum quinetiam ipſis luxuriarúmque curam mandamus*: legẽdum, *Luſoriarúmque.* Credo & tertiam fluuiatilem in *Euphrate* fuiſſe: quidni in magno flumine, & cõtra Parthos? Ammiani aliquot loca ſuadent, etſi non cogunt: nec alibi certò legi. Habes totam munitionem imperij, terrâ maríque: an non validam, vtilem, opportunãm? ſed & aſpectu aut cogitatu pulchram, cum imaginem proponis (Ariſtide delineante) *magnæ vrbis, cuius foſſa, flumina eſſent; turres & propugnacula, militaria* D *in finibus caſtra aut caſtella, ipſa mœnia, non è latere vllo aut lapide, ſed ære ac ferro tot prætendentium legionum.* AVD. Mehercules delector, & cogitatione peragro ac iungo, quæ locis ſitúque diuiſa. Sed ipſam ſummam totius præſidij cur non expreſſiſti? LIPS. Facile eſt, & per te poſſis: quantum quidem certus partium dictarum eſt numerus. Vbi non, diuinetur. Aio igitur in prouinciis copias non minùs fuiſſe, *Legionum, Cohortium, Alarum, ducentis quinquaginta millibus*, aut circà: & ſic, vt legiones nec pleniſſimas, ſed IIII. millium accipiamus. In Vrbe, ponere liceat in vniuerſum ad XXVI. millia militum: & poſt Seuerum, vel ad *ſexagena.* In claſſibus omnibus, haud E minùs *centum millibus* militum remigúmque. Ita fiant in vniuerſum, ſupra *quadringenta millia* ordinariorum: etſi Agathias Hiſtoricus plures etiam, & largiter, fuiſſe aſſeueret. Nam de Iuſtiniani æuo loquens, *negat copias Romanorum tantas, quantas* OLIM *eſſe: nec iam ſufficere tutelæ imperij, contra hoſtes. Cùm enim*, inquit, *ad* SEXCENTA QVADRAGINTAQVINQVE MILLIA *militum vniuerſas eas colligere oporteret, vix tunc in centum quinquaginta millibus conſiſtebant.* Hæc ille ſcriptor, & credo vera atque explorata (cùm tam curioſè numeret) attuliſſe. Oportuit igitur Auxiliares copias grandes fuiſſe: & tu conſidera vim copiámque Romanam. AVD. Imò an non legiones fortaſſe plures faciendæ ſint, & vel ad XLIIII. ordinariæ ſub Auguſto ac

deinceps

A tam apertâ iniuria? nam certè aliena eripiebant, poſſidebant, poſteris tradebant. LIPS. Quid tum? vtilitas publica magna, vt in aliis, exiguum hoc iniquum diluit, vel abſorbet. Etſi cur iniquum? qui iniuriam intulit, iuſtè malum & pœnam habet. Coërcendi hoc modo ſunt, & ne in poſterum noxam noceant, refrænandi.

CAP. VII.

Multitudo Romanorum, & ratio adſciſcendi gentes, aut transferendi.

AVO. Sed mihi hîc admiratio & quæſtio, Vnde Romanis ea copia, & ſic aſſidua, vel Militum vel Colonorum? Nam cùm intueor & examino; examina habuiſſe hominum debuerunt, quæ ſic conſcriberent, aut transferrent. LIPS. Haud de nihilo petis, & ſatisfaciam: ſcito, Romanos primùm pauculos fuiſſe, & cùm Romulus militiam & remp. ordinauit, vix ad *millia terna* peditum (alij *bina millia* volunt) cenſa, & equitum *trecentos*. At idem ille, cùm è viuis abijt, peditum reliquit XLVI. *millia*, & equitum *mille*. Tantum viri opéſque creuerant in annis circiter, quibus Romulus regnauit, *triginta ſeptem*. Res mira eſt & quibus artibus aut induſtriâ ille hoc aſſecutus: Apertione Aſyli; quæ haud dubiè aliquid adiuuit, & è vicinis, etſi non optimos, elicuit. Lege de liberis latâ, quâ iuſſit quidquid natum eſſet tolli, modò ne mutilum aut monſtroſum. Receptione in ciuitatem, quam non exteris ſolùm confluentibus, ſed victis & hoſtibus dedit. Laudant cùm alij hoc inſtitutum eius, tum Claudius Imp. apud Tacitum: *Quid aliud exitio Lacedæmoniis & Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, niſi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noſter Romulus tantum ſapientiâ valuit, vt pleroſque populos eodem die hoſtes, dein ciues haberet.* Atque id ſanè diu retentum Romæ, vt è prouincialibus honeſtiſſimos, hoc beneficio ciuitatis obligarent; & ita ſimul ſe augerent, ſimul diſcrimen, & tacitum pænè * diſſidium, inter illos conciliarent. Claudianus in Romæ laudibus:

[Margin: XI. Ann.]

[Margin: * Ob æmulationem inter receptos & non receptos.]

Hæc eſt, in gremium victos quæ ſola recepit,
Humanúmque genus communi nomine fouit,
Matris, non dominæ, ritu: ciuéſque vocauit
Quos domuit, nexúque pio longinqua reuinxit.

Ita, quod ex illo apparet, diffuſum latè aut vndique iam hoc beneficium: & ciues Romani facti, quicumque in orbe Romano eſſent, ex conſtitutione Imp. Antonini. Excluduntur iam ergo ſoli ſerui & barbari, quo ſenſu Sidonius ſcripſit, & appellauit *Romam verticem mundi, patriam libertatis, in quâ vnicâ totius mundi ciuitate ſoli* BARBARI & SERVI *peregrinantur.* Itémque paſſim alij *Communem patriam*: & ad eam his verſibus Rutilius:

[Margin: Lib. 1.]

Feciſti patriam diuerſis Gentibus vnam,
Profuit iniuſtis te dominante capi.
Dúmque offers victis proprij conſortia iuris,
VRBEM *feciſti, quod prius* ORBIS *erat.*

Hæc ita poſteriori æuo, nec optimo ſcilicet, nec optimè: præſtabat electio illa & ſecretio, ob varias cauſſas. Sed tertia etiam ratio augendi ciues, ex inſtituto non quidem Romuli, ſed Seruij Tullij. Ille cùm videret pleroſque tunc ſeruorum, aut bello captos, aut è prædâ emptos eſſe; atque eos ferè è liberis & ingenuis, & antè etiam liberos: humanum bonúmque putauit in ciuitatem recipere, ſiqui à dominis manumiſſi eſſent. Nam & Romanis moribus ingenuiſque aſſuefacti iam erant, & ſic fore prouidebant, vt ſemper, tamquam ex fonte domeſtico, proles ſcaturiret ad belli alióſque vſus. Difficile id perſuaſum primò ciuibus, & inquinari eo conſortio videbantur: ſed nempe oſtendit, & origine bonos eos eſſe, & iamdiu ipſos etiam hoſtes in hoc ius admiſſos: ita cur non idem domeſticis & fidis ſeruis indulgerent, cauſſam nullam eſſe. Maximè, cùm in eorum manu totum hoc beneficium. & videre poſſe, vt nec temerè manumittendo darent, & illos adniſuros, vt omni ſedulitate ac fide emererentur. Ampliùs, futuros eos nihilominus velut in curâ & clientelâ Patronorum: & ſic nobiliores ciues, in comitiis aut ſuffragiis, ſemper manum aliquam fauentem & obnoxiam habituros. Ita illis perſuaſum. ſed Regi in oculis præcipuè, B frequentia & multitudo ciuium, fundamentum omnis potentiæ & diuturni ſtatus. Nec tamen ij æquiparati ſtatum dignioribus & veteribus ciuibus: reiecti in quattuor vrbanas tribus ſuêre, & inuenta ratio, vt minimum in ſuffragiis, aut aliâ publicâ re, pollerent. Quin & à militiâ legionariâ & honeſtiore excluſi tunc: donec paullatim nepotes ac pronepotes eorum, verè iam Romanus ſanguis, peruenirent. Liberti ipſi & Libertini (veteri quidem republicâ) arcebantur. Hoc inſtitutum, incredibile eſt, quantum ciuitatem auxerit: in qua aliquot ſeruorum millia pauculis annis manumiſſa. Neque negandum eſt, vtile initio & præclarum fuiſſe: ſed lapſu temporis, vt fit in humanis rebus, hîc quoque lapſus: cùm C iam Syri, Cappadoces, Afiatici, Græci, Barbari in ſeruos recepti; & multi ex iis facinoroſi & perditi, qui pretio, blanditiis, aut & fœdis obſequiis libertatem meriti, quam colluuiem in ciuitatem non inuexerunt? imò per eos effectum, vt egregia illa animi ac motum, Romana olim plebs, viliſſima facta hominum ſit, &, vno verbo, cloaca ac ſentina vitiorum. Sed iſta ſæculis aliquot poſt Tullium. interea profuit largiter inſtitutum, & effecit, vt cùm primo cenſu ac luſtro Ser. Tullij, LXXIIII. ∞ cenſa eſſent, illo qui ſub primis Conſulibus fuit (nam Tarquinius Superbus intermiſerat) CXXX. ∞. cenſerentur: idque eorum qui puberes, & in virili togâ eſſent. Largus tibi hîc numerus videtur: nihil eſt: cum poſt aliquot ætates, id eſt, anno Vrbis CCCCXIII. cenſa ſint ciuium D CCLX. ∞: & paullò ante bellum Marſicum, anno Vrbis DCXXXIX. circiter *quadringenta* millia, paullò minùs. At poſt id bellum, ſociis iam in ciuitatem paullatim receptis, creuit valdè numerus, & ad *nongenta* millia cenſa * alibi nobis doctum. Cui ipſi numero firmando, velim addi hæc Phlegontis in Chronicis, qui notat Olympiade, quâ Lucullus Amiſum cepit, & Mithridatem ad Cabeira vicit (id fuit circa annum Vrbis DCLXXXII.) *cenſitus Romæ nonaginta myriadas ciuium, & vnam*, id eſt, *nongenta & decem millia.* Quid iam ſub Auguſto? ipſe de ſe in lapide Ancyrano clarè hoc dicit: IN. CONSVLATV. SVO. SEXTO *Luſtrum condidiſſe*, QVO. LVSTRO. CENSITA. SVNT. CIVIVM. ROMANORVM. CAPITA. QVADRAGIENS. CENTVM. MILLIA. ET. SEXAGINTA. TRIA. Immanis herclè numerus: & quis iam de copiis miretur coloniiſque? At etiam creuit aſſiduè, & ſub Claudio Imperatore, Tacitus ac fidi auctores accenſent, *ſexagies nouies centena ſexaginta quattuor millia.* Vltrà quærere, ſuperuacuum ſit, cùm iam paſſim in ciuitatem totæ vrbes regionéſque, vt dixi, receptæ. AVO. Neque hercules quæro, affatim habeo quod mirer. Sed illud lubet ſcire, an ex ſolis igitur illis ciuibus copiæ ſcriptæ? LIPS. Non è ſolis. olim quidem & è Latino nomine, vt ſcis: at poſtquam ij ciuitate donati, Principum temporibus maximè, cœperunt & è prouinciis auxilia

[Margin: * In 1. Elector. cap. XXVII.]

IVSTI LIPSI
DE MAGNITVDINE ROMANA
LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De Priſcis populi Romani vectigalibus, Decumis, Quintis, Scripturâ, Portoriis.

LIPS. Maturè ſanè ades. AVD. Si pro meo voto, maturiùs, & vel coniuua in prandio tibi fuiſſem. LIPS. Licuit. & delectaret ſanè vel aſſiduo hoc ſodalitio, ſi Romanæ aliquæ mihi OPES. Ad quas ſermo nos nunc duxit, & de iis videamus. Eas *Publicas* & *Priuatas* conſiderabo: & in Publicis, *Vectigalia* ſiue *Tributa*, tum & *Triumphales manubias*, denique *Liberalitates* aut *Erogationes*. Ioliſtamus ordine, & primùm in *Vectigalibus*: quæ olim triplicia ferè, è *Decumis*, è *Paſtione*, è *Portoriis*. Quod 1. Ciuil. ad priores duas, ita de iis & origine earum Appianus: *Romani nunc hos, nunc illos Italiæ populos ſuperando ac ſubiciendo, partem agri iis auferebant, atque oppida & colonos condebant; aut ſi oppida opportune iam condita, his inducebant. Agri igitur quod cultum erat, colonis ferè adſignabant; quod incultum (vt multa per bellum) id aliis cupientibus elocabant,* PARTE DECIMA *fructuum ſibi retentâ in agris ſatiuis, in plantariis aut arboretis,* QVINTA, *in paſtionibus autem, certum pretium definiebant in capita minoris pecoris maiorisque.* Pulcher & diſtinctus in eam rem locus: & quamquam de Italiâ dicit, tamen & producere ad prouincias licet, quas multas ita habitas, ex aliis ſcriptorum locis liquet. Etſi quædam arctiùs preſſiuſque habitæ; & præter hæc, Tributa etiam ſua capitis pendebant. Sed quod ad hæc tria, etiam in Aſiâ ea ſic & in Siciliâ fuiſſe, Cicero alibi oſtendit, & in his vectigalium ſummam ponit. Nutabiliter in laudatione Pompeij: *Publicani familias maximas, quas in Salinis habent, quas in Agris, quas in Portibus.* Nam quod ad *Salinas*, viri docti iamdiu emendarunt *Saltus*, vt ad Paſtiones referatur: etſi *Saltibus* ego mallem, viciniore litterarũ lapſu. In eâdem oratione enim aliquoties hæc tria repetit, & iungit: etſi vectigal è Salinis quoque fuiſſe, ſed non inter prima & magna, ſcimus. Et quod ad frumenti omnis *Decumas*, idem Cicero in Verrinis ſatis dixerit, quid in eâ refuerit: nec obſcurum eſt vel ex moribus hodiernis. De fructuum *Quintâ* in Appiano, id obſcurius, imò incertius: quoniam idem Cicero in Verrem diſertè nominat, *Vini & Olei decumas*, niſtendique Siculos ita dediſſe. Quomodo igitur *Quintas*? nam ego ex vite, oleâ, ficu, pomo, nuce. intelligi & redigi Appiani vectigal velim, nec aliud de video poſſe. Niſi tamen de ſilua cæduâ intellegit: quod in medio relinquo. Sed in priore ſententiâ ſi perſeuerare lubet; dicẽdum eſt, mitiùs leniùſque habitos Siculos, & peculiare id ibi fuiſſe. E *Paſtionibus* genus alterum eſt, quod propriè & vulgò *Scripturam* appellabant. Exempla obuia, & iam aliis notata: cauſſam vocis Feſtus explicat: *Scripturarius ager*, inquit, *publicus appellatur, in quo vt pecora paſcantur, certum æs eſt. quia publicanus* SCRIBENDO *conficit rationem cum paſtore.* Cicero igitur de hoc vectigali capiendus: *Ita neque ex Portu, neque ex Decumis, neque ex Scripturâ vectigal conſeruari poteſt.* Tertium eſt *Portorium*: quod ſcilicet in euehendo aut inuehendo (ἐξαγωγικὸν καὶ εἰσαγωγικὸν) pendebant. Res nota eſt: an & illa, quòd *Portariũ* etiam fuerit antiquis? In Gloſſis lego, cum diſcrimine: *Portorium*, τέλος ἐν λιμένι, id eſt, VECTIGAL IN PORTV: *Portarium*, τέλος πύλης, id eſt, VECTIGAL IN PORTA. Et verò hoc quoque fuiſſe videtur, æuo præſertim inferiore, & ſub Principatu: vt & in pontibus, & in viis, & portis adeò oppidorũ dederint, pro tranſgreſſu aut ingreſſu. Italia hodie, ſed & Belgica, hæc non ignorat. & apud Senecã lego: *Nec indignabitur ſapiens aliquid impendere, vt limen tranſeat, cogitans & in pontibus quibuſdam pro tranſitu dari.* Herodianus quoque oſtendit exactiones fuiſſe ἐπὶ ταῖς ὄχθαις ποταμῶν, καὶ λιμέσι πόλεων, ἔν τε ὁδῶν πορείαις, *in ripis fluminum, portibus oppidorum, & viarum tranſgreſſibus*: ſed inter tyrannica habet, quia noua aut grandia, opinor; & ideò à Pertinace ſalubriter ſublata.

CAP. II.

De Tributis & Capitatione tum inquiſitum in Modum vectigalium, & quid videantur reddidiſſe.

HÆc illa vetera ſunt, & *Vectigalia* propriè dicta: quibus dies, & ſagacitas, addo & neceſſitas, aliquid ſemper addiderunt. AVD. Hæcne propriè *Vectigalia*? atqui plura in id nomen video includi. LIPS. Plura, ſed hæc primò: aut ne mentiar, ſolum ipſum *Portorium* primò, quia id ſcilicet è *vecturis* vnde Vectigal. Græcis etiam hic diſcrimen aliquod, quibus *Vectigal* propriè eſt τέλος, *Tributum* φόρος. Sed & in re ipsâ differunt, quòd illud res & fundos

magis ſpectat & ligat; hoc capita ac mobiles opes. Sed quorſum ego illa? ſemel & ſerio tibi dico, verba nunc non luſtro, nec obſita aut tricoſa antiquitatum quæro; ſatis, in luce aliquâ tibi ponere Romanam œconomiam, circa publicas has exactiones. Ergo Tributa, vt dixi, caput ferè tangebant: atque ita peſſima conditio eorum, qui *Stipendiarij, ipſi atque agri*, vt Cicero alibi loquitur, eſſent. Tales Pœni, Hiſpani, & plures, qui per vim vltimam & bello pertinace victi eſſent. Appianus hoc ita expreſſit, vbi Scipio cum decem Legatis leges dant Carthagini victæ: *Hos*, inquit, *præmiis afficiunt, ſocios nempe populos aut reges;* τοῖς δὲ ἄλλοις φόρον ὥρισαν ἐπὶ τῇ γῇ καὶ ἐπὶ τοῖς σώμασιν: *aliis* (hoſtibus ſcilicet) *tributum definierunt in agros, & in corpora eorum*. Duo manifeſtò dicit, & Corpora ſiue *Capita* (vt Latini magis loquuntur) iuncta, & terram ipſam. Tertullianus quoque ea iungit: *Agri tributo onuſti, viliores, & hominum capita ſtipendio cenſa, ignobiliora. nam haſunt* NOTÆ CAPTIVITATIS. Adiungit eruditiſſimus ſcriptor, hoc non niſi in verè victos, & vi ſubditos, vſurpatum: olim quidem, ſed Imperatores, & ipſe Auguſtus produxerunt, & valdè hæc Tributa dilatarunt. Ac *Capitum* vel *Capitationis* ſatis frequens mentio in poſteriorum ſcriptorum, ſed & Iuris libris: vbi non *Hominum* ſolùm *capita*, ſed & *Animalium* leges: & quædam, quæ fateor in ſubnubilo mihi eſſe. At tu vniuersè hæc nūc noueris: videamus, quod nos quærimus, ecquid *Opes* ex his annuas liceat veſtigiis odorari. Quæ veſtigia tenuiter impreſſa fateor, tamen perſequar & indagabo. Ac primùm de antiquis, & liberæ reip. opibus, locum eſſe volunt in Plutarcho iſtum. De Pompeij triumpho è Syriâ & Aſiâ agit: dicitque, *Prælatum titulum, qui litteris indicaret antea quidem Vectigalia reddidiſſe ad bis millies HS. ex iis autem quæ ipſe acquiſiuſſet, redire ad ter millies quadringenties.* Prior ſumma, nobis efficiat *quinque milliones* (iuuat his compendiis, vulgariter magis quàm eleganter vti) altera, *octo milliones cum ſemiſſe.* Viri docti iam, & inter hos verè primus Budæus, exiſtimant ſcripto hoc indicaſſe Pompeium: quòd ante id tempus, vniuerſi reditus è vectigalibus non pluris eſſent; ab ipſo autem iidem aucti plus triete, & facti vt in extremo ſcriptum. Enimuerò libido, an ratio, mihi eſt diſſentiendi? ſed diſſentio, & nego Plutarchum vel Pompeium de *vniuerſis* ſenſiſſe. Nullum tale in Græco Plutarcho verbum eſt: quod moneo, ne temerè interpretibus, qui addunt, hoc acredas. Quæ ergo noſtrâ mente ſcripti illius mens? nempe pro re ſubiectâ, & cùm de tranſmarinis illis triumpharet Pompeius, nec alibi ibi tunc res geſſiſſet; verba eòdem referenda, & de Aſiâ ſaltem finitimiſque capienda. Quomodo? aliter enim, quàm viri docti, in clauſulâ. Duo enim dicit, & Aſiam illam minorē quæ ſola ibi ante Pompeium prouincia, aut præcipua; illam, inquam, è vectigalibus *bis millies* dediſſe: at verò eas prouincias, quas ipſe ſuper eam quæſiſſet, ſolas reddere *ter millies & quadringenties.* Puto me rem tangere, ſi quis iudicio inſpicit: & do rationes. Primò, credétne quiſquā è tot, tāmque ditibus populi Romani tunc prouinciis, non plus *quinque millionibus* rediſſe? Quod vna Hiſpania hodie, vna Gallia, vel duplum donet. Ampliùs, *Decumas* vnius Siciliæ Cicero, *atque eas tenuiter æſtimatas*, fuiſſe dicit *nonagies* HS: quod nobis eſt, CCXXV. *millium* Philippicūm. Decumas dico frumenti: & *hordei* non computat, & *leguminū*: quid iam *Vini, Olei*? quid *Portoria*, & *Paſtiones*? Valdè tenui ore atque animo eſt, qui non auſit concipere hæc vniuerſa ex proportione, ſuprà *quadringenties*, ſiue vnū millionem. Atqui Sicilia, quanta pars fuit Romani illius orbis? profectò nec cēteſima

In Lybicis.

In Pompeio.

A quidem: & valdè hoc valet ad ingentes illas Romanas opes. Ampliùs de ipsâ Aſiâ noſtrâ, Appianus ſcribit, Corn. Sullam, per bella Mithridatica, *imperaſſe illi quinque annorū vectigalia, ſed ſtatim danda* Quantum igitur imperauit? ecce in Plutarcho hoc expreſſum, *viginti millia talentūm*. ij ſunt *duodecim milliones* noſtri. Age iam, diuide in quinque partes, nónne paullò minus *millies* HS. annuo habemus? Atqui duplum oportuit, inquies. Ita, pro me & Plutarcho: ſed hoc ipſo tamen firmiter illos refuto, qui ex toto orbe *bis millies* colligunt, cùm ego dimidium ex Aſiâ iam ſolâ. Res clara eſt. Sed quomodo igitur plus Pompeij æuo? nec id difficile dictu: ſiue quia ratio colligendi iam melior firmiórque, ſiue quia bella reſederant, & ipſa Aſia cultior feraciórque facta. Pro-
B duci hæc talia ſemper ſolere, præſertim in pace, nec hodie eſt nouum. Docebo hoc clariùs ex ipſo iterum Appiano. apud quem M. Antonius triumuir, poſt pugnam Philippenſem, in Aſiam miſſus ad pecunias colligendas, in concione ſic eos affatur: *Ne vrbibus agriſque pellamini pecunia danda eſt in v, um militum: nec ea maxima, ſed qua audita libenter acquieſcatis. Dediſtis hoſtibus noſtris, Caſſio & Bruto, in duobus annis tributa decem annorum. ea ſuffecerint & nobis, niſi quod danda ſunt in vno anno.* Quid hinc efficimus? nectimus iterùm Plutarchi verba, qui *ducenta millia talentūm* ab Aſiâ tūc data ſcripſit. Atqui diuide in decem annos: quid trepidas? *viginti millia* annua ſurgunt, id
C eſt *duodecim milliones*. Et profectò, noli ambigere, præpotens & diues illa Aſia dedit. In quâ tamen obiter moneo, res ſæpe mutatas & primò, cum teſtamento Attali Romanis relicta eſſet, Vectigalia impoſita, id eſt *Decumas, Portoria, Scripturam*, ſollenni more. Sed cùm publicani iniurij pro more ſuo eſſent, & ſine publico bono ſibi attererent ac tonderent, *C. Iulius Cæſar, & iniurias, & iniurios ipſos ſuſtulit, ac permiſit ipſis Aſiaticis fructus colligere ab agricolis, ac Tributa induxit.* Hæc ita ferè (etſi ipſa verba, quia pluſcula, omiſi) in eâdem oratione Antonius apud Appianum dixit. Quando autem à Iulio id factum, & de re ipsâ, apertius ſic Dio Caſſius: *A victo Pom-*
D *peio, cùm Aſiam obiter luſtraret*, τοὺς τελώνας πικρότατά σφισι χρωμένους ἀπαλλάξας ἐς φόρου συντέλειαν τὸ συμβαῖνον ἐκ τῶν τελῶν κατεστήσατο: *Publicanos, qui acerbiſſimum Aſiaticos fuerant, remouit, & in Tributi collationem, id quod ex Vectigalibus redibat, mutauit.* Pulchra nota: & re ipsâ quidem melius leuiúſque erat Decumas & talia dare: quare? quia pro anni prouentibus dabant, plus aut minus, vt ipſi accepiſſent, nec vltra grauabantur: at eò tamen rem redegerat Publicanorum iniquitas (quos nulli Præſides aut leges ſatis domabant) vt omnes præoptarent magnum & certum aliquid dare in Tributo. Similis mens, vt addam, in Taciti loco: *Achaiam ac Macedoniam onera deprecantes, leuari Proconſulari imperio tradique Cæſari placuit.*
E Videntur enim Publicani tunc, pro veteri more, in populi prouinciis fuiſſe, & cum iis rapinæ; in Cæſaris non fuiſſe. Etiam in Plutarchi loco ſatis tibi factum, aut dictum? AVO. In priore membro ſatis, in altero quid adfers? Firmamentum ab ipſo Pompeio, qui eodem illo tempore in Senatu gloriatus, *Aſiam ſe, quam vltimam Prouinciarum accepiſſet, mediam redidiſſe* Ergo plurimum adiecit: & nominatim *Syriam* totam, illam diuitem; item *Phœnicen, Paleſtinam, Ciliciam, Pamphyliam, Phrygiæ partem, Bithyniam, Pontum, Propontidem.* Hæc tanta, mirabimur tanto plus quàm Aſiam dediſſe? Hæc de Plutarchi loco. ſed ex Portoriis etiam liquere in parte poteſt magnitudo iſtorum Vectigalium. Cicero in Verrē ſcribit, *Socios* (id eſt Publicanos) *ex Verris exportationibus perdidiſſe*

v. Ciuil.

Lib xlii.

1. Ann

ſexaginta

ſexagınta H S. *idque ex Viceſimæ portus tantùm Syracuſani, & in pauculis menſibus.* Sunt valdè notanda. Si vnus ille portus, & in vno homine, & in ſolâ euectione, & in paucis menſibus, tãtum adferre potuit: quid reliqui portus, in omni euectione, inuectione, & in totum annum? Sunt autẽ illa *ſexaginta*, more noſtro, circiter *mille quingenti* Philippæi. Et Cicero quidem non niſi *Viceſimam* diſertè ibi in Portorio agnoſcit: tamen *Octauam*, & qui eam accipiunt *Octauarij*, in Codice Iuſtinianæo memorantur. At in Quinctiliano & Symmacho, *Quadrageſima*. Sed opinandum eſt, pro locis, aut mercibus, ſed & temporibus variaſſe: maximè tamen pro mercibus, & vt grauius vectigal peregrinæ ſoluerent, ad delicias magis aut pompas, quàm vſum iouectæ. C. Cæſar eius rei auctor, ex Suetonio: *Portoria peregrinarum mercium inſtituit.* Quæ haud dubiè ipſa Italia etiam pependit; etſi reliqua portoria, lege Metelli, in eâ ſublata eſſent: quod Cicero malo publico factum notat, & recitat item Dio. Hæc ſane magna fuiſſe, quis poteſt ambigere, ex pretio & copiâ rerum? Nam gemmæ, lapides, veſtes, ebur, mancipia, aromata, vnguẽta, & plura eiuſmodi exotica inferebantur: quibus ſi *Octauam* imponis, quanti ea ſint? Argumento aliquo è Plinij hiſce verbis: *Arabia felicius mare eſt. margaritas enim mittit:* MINIMAQVE COMPVTATIONE *millies* H S. *annis omnibus India, & Seres, Peninſulaq; illa, imperio noſtro adimunt.* Si * *millies* H S. emptæ eæ merces; pluris mox æſtimatæ & vẽditæ, ergo & Portorium ex iis grande. AVD. Sed commemini alterius Pliniani loci, qui minuit, & à ſummâ illa abit. Nam vbi de India ſermo, *Indignum res, nullo anno imperij noſtri minus quingẽties* HS. *exhauriente India & merces remittente, quæ* CENTVPLICATO *veneant.* Ecce hîc *Quingenties* modò, id eſt dimidium habes. LIPS. Sed nempe ex Indiâ ſolâ: at alter ille locus Arabiam & Seres item iungit, & ex iis quidni alterum dimidium accedat? Nota autem mihi quòd ait, *cẽtuplicato veniſſe*: quod rei noſtræ facit. Cur enim tanti? cur mercatorum tam improbum lucrum eſſet? non fuit: ſed duo ſunt, quæ Pretium ſic accenderunt, Itinerum difficultas, & Portoria. Quod ad illa, Plinius eodem illo loco deſcribit, & addit *quotannis nauigari, ſagittariorum cohortibus impoſitis.* Ea res & tutela, mercatoribus ad impendia accedebat. Iam Portoria iis grandia. quod Strabo impreſſè notat in rebus Ægypti: ſcribitque, *olim quidem pauculas naues auſas extra Sinum Arabicum ire, at nunc maximas claſſes nauigare in ipſam vſque Indiam; & ad vltima Æthiopiæ: vnde pretij maximi merces aduehant, & rurſus alio exportent. Ita fieri, vt* DVPLEX PORTORIVM *pendant, Inuectionis & Euectionis: atque ipſum portorium æſtimatarum iſtarum mercium* GRANDE *item eſſe.* Hæc ita Strabo. & mirum igitur non ſit, à duplici illo aſpectu Itineris & Portorij, pretia ſic creuiſſe: maximè cùm & in Italiam aut aliò inuehenda, credam iterum ſoluiſſe.

Lib. xii.

* Duo milliones, & ſemis.

Lib. vi. c. xxiii.

Lib. xvii.

CAP. III.

Inquiſitum item in Capitationis modum, & penſum vniuerſorum Tributorum.

DE Vectigalibus priſcis hoc nunc ſatis: ad *Tributa* venio, ſiqua ea poſſim extricare. Metuo, & hæreo ſtatim in eo *Capitationis*, quod vel maximum certiſſimúmque fuiſſe arbitror: ſed in modo, tenebras & nubes ſuas habet, nunc à me non pellendas. Fuitne indiſcretim vniformem in omnia capita? an potiùs ex cenſu? Nam ſi illud; iniuſtitia manifeſta adhæret. vt ſiquis pauper, liberos & familiam multam habeat; contrà diues, & cælebs ſit & orbus. In Appiano ſtrictura aliqua lucis affulgere videbatur, ſed fortaſſe fallax. nam ait, *Iudæos ſæpius rebellaſſe, eóque tributum capitis grauius iis impoſitum, quàm reliquarum facultatum. Eſſe autem & Syris & Cilicibus annuã Centeſimam, pro modo cenſus vnicuique.* Verba Græca ſunt, ſi fortè examinare tecum velis: Καὶ διὰ ταῦτ' ἐστὶν Ἰουδαίοις ἅπασιν ὁ φόρος τῶν σωμάτων βαρύτερος τῆς ἄλλης περιουσίας· ἔστι καὶ Σύροις καὶ Κίλιξιν, ἐτήσιος ἑκατοστὴ τοῦ τιμήματος ἑκάστῳ. Ego ad verbum tibi penè reddidi: & efficiatur ex ſermonis nexu, Iudæos *Centeſimam* dare, ſicut & Syros ac Cilices, pro Capitis tributo. Quo ſenſu? inquies. vt magis capias: ſoluere quidem illos & pro Agris, & pro Opibus; ſed æſtimatione omnium factâ, etiã *Centeſimam* pro ipſo capite dare. Hoc tale eſt, vt, ſi decem millia aureorum in cenſu habeam, ſoluã ex iis annua centena. Hoc placeat ob æqualitatẽ, & quia pauperes aut tenues ſic non preſſi: ſed alia ſunt quæ refellunt, aut certè morantur. Quid enim tũ ſeruis fiet? quid filijs familiâs grandioribus? dico grãdioribus nam vt & hoc addam, Vlpianus notauit, *In Syria à Quattuordecim annis maſculos, à Duodecim fœminas, vſque ad Sexageſimumquintũ tributo Capitis obligari.* Atqui Serui & Filij tales, peculiũ ſuum nullũ habent. Sed de ſeruis reſponderi poteſt, Dominum dependiſſe in ſuo capite, dum eorũ æſtimatio Cenſibus eius accedit. Et ſerui alioqui in iure, *caput non habere*, ſcribuntur. Quod ad filios, certũ eſt parentes pro iis exſoluiſſe: ſed quâ taxatione, an non & eâ aliquâ pro parẽtum cenſu, hoc ignoro. Vellem, & res facta eſſet. Sed ſoluiſſe, in Panegyrico ita ſcribitur: *Tunc certe parentes* ADVLTORVM *non pœnitet filiorum, quorum onera remiſſa ſibi lætantur.* Vides filios, parentes ſuos onerare, ſed *adultos* iam & grandiores, ex Vlpiano ſuprà ſinò aliàs, non ante *Viceſimum* annum capite obligatos, lego. Cauſſam autem opinor huius remiſſionis in ætate vel Puerili vel Senili. quòd etiam Romani olim Impuberes non cenſebãt, & immunes à Tributo habebant. Addi poteſt, quòd hæc Capitatio, non aliud quàm quaſi redemptio munerum & operarum ſeruilium fuit, quas populi ſcilicet victi, & ſerui facti, Romanis iam debebãt. At pueri ad eas operas, aut ſenes, non idonei: ergo nec pro iis ſoluant. Hæc ſunt, ſi pro Cenſu Tributũ hoc datum. Sed aliquis mallet, vniforme aliquid, & in omnia capita æquale. Nam ſic Iudæi leguntur *Didrachmum* pependiſſe: & Chriſtus ipſe in Euangelio ſoluit. Quod Hieronymus quidem & Beda illuc retuliſſe videntur: ſed alij tamen veriùs (inter hos Hilarius) ad Tributum, quod templo Iudæi debebant, in eo modo à lege diuinâ definitum. Exodum vide. Et Ioſephus ſane ac Zonaras, ſed & Xiphilinus, diſertè ſcribunt, *Veſpaſianum demum hoc inſtituiſſe, vt omnes vbique Iudæi duas drachmas Ioui Capitolino Romæ penderent, quas antea* TEMPLO *Hieroſolymitano ſolebant.* Nihil clarius. & Chriſti ipſa reſponſio (ſiquis examinat) à Tributo Cæſariano nos abducit. Sed aliquis etiam opponat Lampridij hæc in Alexandro: *Vectigalia publica ita contraxit, vt qui decem aureos ſub Heliogabalo præſtiterant, tertiam partem aurei præſtarent. túncque primum Semiſſes aureorum formati ſunt, & Tremiſſes, dicente Alexandro, etiam Quartarios futuros, quod minus non poſſet. quos etiam formatos in moneta detinuit, exſpectans, vt ſi vectigal contrahere potuiſſet, eos ederet.* Hæc euincere videtur, certum genus nummi cuſum ad Tributa: & niſi fallor, Capitis, quæ ſola certitudinem & vnitatem poterant habere. Nam in agris, animalibus, aut opibus, id planè variabat. Faciat aliquid Heſychius, qui ſcribit:

In Syriac.

Ad Conſtantinum.

Matth. cap. xvii.

Cap. xxx.

Κῆνσος, εἶδος νομίσματος, ἐπικεφάλαιον: *Cenſus, genus numiſmatis, capitatio*. Sed & in Sacris legitur, *Numiſma cenſus*. Tamen ob multa hæreo, nec temerè in hanc partem eo. Quid? *decem* igitur *aurei* in Lampridio, Capitatio fuiſſet? & poſteà *Triens?* In ipſo Euangelio, vbi *numiſma cenſus* quæritur: mox ſubijcitur, *Denarium obtuliſſe*. An ergo ille tantùm æqualiter in capita? ridiculum, etſi Denarius aureus fuit. Quid firmiter definiam, neſcio: res tenebras, vt dixi, habet, nec noſtrâ nunc curâ illuſtrandas. Pluſcula cogitaui aut collegi, fateor: ſed intricatis, aut merè litterariis, non nunc locus. Dico igitur breuiter, Lampridi, locum hoc tantùm efficere, *Contracta omnia vectigalia: adeò vt qui* (pro exemplo) *decem anteà daret, nunc Semiſſem aut Tremiſſem* & quia imminuta illatio erat, in eius rei memoriam voluiſſe & nummos minores Alexandrum cudi. Sententia autem tota & vera, *contraxiſſe eum Tributa pleraque ad Trientem, conatum & ad Quadrantem: nec infra potuiſſe*. Quod ſi quis pertendit, nummos pro modo Tributi ita cuſos: vbi igitur illi ſunt? cur prægrandes aliqui non exſtant? Denique ſtatim infinitos cuſos oportuit, ad penſiones totius orbis. Nihil eſt: & Heſychij aut Chriſti verba hoc modò volunt, ipſum illud quod ex cenſu in Tributum darent, *Cenſum* appellatum, atque adeò pecuniam, ſiue grandis ea ſiue pauca eſſet. Quo hoc totum pro priore ſententia magis ſit, quòd Capitatio fuerit ex cenſu. Cur enim *Numiſma cenſus* dicatur, ſi ipſius cenſus nulla habita ratio? Plura ſunt: ſed differo, & nunc inquiro, quod cœperam, in Capitationis fructum. Multum reditûs ex eâ, multitudo capitum dicet, quæ in Romano orbe. Ioſephus de ſola Ægypto ſcripſit, *habere eam* * *ſeptingentas & quinquaginta myriadas hominum, Alexandria exceptâ: idq; liquere ex tributo, quod in capita ſinguli pendunt*. Poſtrema hæc ita palam Græcè habent: etſi interpres leuiter aliò deflexit. Sed argumentatur & colligit de Capitum numero, ex ipſâ Capitatione, & tabulis ſcilicet Cenſualibus, quas inſpexit, aut ab iis qui inſpexêre, hauſit. Nam etſi non Pueri aut Senes conferrent, vt prædixi: tamen & eorum nomina ſcripta probabile eſt, contra fraudes, & pro ceterâ diligentiâ aut curioſitate Romanorum. Si igitur talis ille Ægyptiorum numerus (& *Alexandria incolas* etiam excipit, qui ipſi ad *centena* aliquot *millia*:) facile intellectu eſt, in quantum creuerit capitatum hoc vectigal. Adde enim alias prouincias in partem: quarum omnium in populis numerum ſub Auguſto voluit Suidas exprimere, atque vtinam is locus rectè haberet! *Auguſtus*, inquit, *omnes ſubditos virum adnumerare voluit, vt ſciret quanta multitudo eſſet*. Καὶ εὑρέθησαν οἱ τὴν ῥωμαίων οἰκοῦντες μυριάδες ͵ιε καὶ χίλιοι ιζ, ἄνδρες: *& reperti ſunt Romanam ditionem incolentes quadringenta & decem myriades, mille & ſeptemdecim viri*. Fallit planè numeri, & perexigui: cùm ſola Ægyptus vltra dunet. Emendare tamen, non cuiuſuis eſt, qui diuinandi artem certò tenet. At Tertulliani locum non inſuper habeo, qui egregiè aſſerit copiam hominum, cultúmque vrbis, in ſuo, id eſt Seueri Imp. æuo. De Animâ, cap. XXX. *Certè quidem ipſe orbis in promptu eſt*, CVLTIOR DE DIE, *& inſtructior priſtino. Omnia iam peruia, omnia nota, omnia negotioſa. Solitudines famoſas retrò fundi amœniſſimi obliterauerunt, ſiluas arua domuerunt, feras pecora fugauerunt, arenæ ſeruntur, ſaxa panguntur, paludes eliquantur*. TANTÆ VRBES, QVANTÆ NON CASÆ QVONDAM. *Iam nec inſulæ horrent, nec ſcopuli terrent;* VBIQVE DOMVS, VBIQVE POPVLVS, *vbique Reſpublica, vbique vita. Summum teſtimonium frequentiæ humanæ*, ONEROSI SVMVS MVNDO. *vix nobis elementa ſufficiunt. & neceſſitates arctiores, & querela apud omnes, dum iam nos Natura non ſuſtinet*. Nihil nobiliùs dici poteſt de pleno frequentique orbe: quod item ad felicitatem, quæ ſub Romanis, licet ducas. Sed vt diſtinctè de Capitatione nil dicam, tamen de vniuerſis Tributis aliquid, dum ſiluas & luſtra excutio, videor indagaſſe: & ponam. Velleius, vbi de auctis finibus imperij, & prouinciis adiectis, ita ait: *Diuus Auguſtus, præter Hiſpanias aliáſque gentes: quarum titulis Forum eius prænitet*, PÆNE IDEM, *facta Ægypto ſtipendiaria, quod pater eius Galliâ, in ærarium reditus contulit*. Verba ea tollo & appendo, *penè idem* ſoluiſſe Ægyptũ, quod Galliam: ergo iſta plus etiam dedit. Quid ſi inueniam Tributi igitur Ægyptiaci modum? propemodum in Strabone, qui ſic tradit: *Ciceronem in oratione quapiam ſcriptum reliquiſſe, tributa ex Aegypto rediſſe Ptolomæo illi qui Cleopatræ pater fuit, talenta annua duodecim millia & quingenta*. Vbi hoc Cicero, neſcio: hodie non exſtat, & puto tamen fuiſſe in eâ pro Rabirio Poſtumo, quia argumentum eius tale aliquid vel admittit, vel petit. Sed parùm hoc ad rem: illud maximè, quod Strabo adnectit, his verbis: *Si igitur ille rex neglegenter & ignauè imperans, tantum redigit: quid* NVNC *cenſendum eſt, cum omnia* TANTA DILIGENTIA ATQVE ORDINE *adminiſtrantur, itemque Troglodytica & Indica negotiatione ſic aucta?* Satis præit nobis & adferit, multò plus in Tributis Ægypti ſuo, id eſt Auguſti vel Tiberij, æuo fuiſſe: quàm olim ſuo Ptolomæis. Atqui ſi tunc tot illa dicta talenta (ea faciunt *ſeptem milliones & ſemiſſem*.) quidni ad *decem aut duodecim milliones* producamus in ſequenti æuo? nec nimium cenſeo me dixiſſe. AVD. Cenſeo te dixiſſe Lipſi, cenſeo. Nam primùm Strabonis illud Diodorus refellit, qui luſtraſſe ſub id tempus Ægyptum ſcribit, & *accepiſſe ab iis qui res rationéſque Regias tractabant, illum accipere ſupra ſex millia talentûm annua*. Iam de Galliâ etiam habeo quod dicam: ſed tu de iſto priùs. LIPS. Semper mihi res cum Diodoro iſtanio ſcilicet hoc nomẽ, ob vnum illum vitium. Sed tu ſcito breuiter, Diodorum ſi ab Ægyptiis hoc accepit, Ægyptiaca igitur talenta etiam intellexiſſe, quæ maiora Atticis, & habẽt minas ſiue libras *octoginta*: quod Plinius ex Varrone ſcripſit. Ita igitur ſi conſideras, haud nimis ea *ſex millium* ſumma à *duodecim* abit, etſi tamen abit. Sed addit Diodorus, *plus* etiam accepiſſe: quod ipſum nos iuuet: & denique Ciceroni ac Straboni liber meritò, præ Diodoro, credere atque adhærere. Enimuerò opes Ægypti magnæ, reditúſque: & Ioſephi verba tu hæc audi. *Tribuerunt*, inquit, *multo amplius Romanis per ſingulos menſes pendit, quam vos, ô Iudæi, toto anno: & præter pecuniam, annonam frumentúmque quatuor menſium vrbi Romæ*. Ita Agrippa rex in concione Iudæos alloquitur: & duo ex iis diſcas, grande aliquid Ægyptios tuliſſe; & Iudæos vix duodecimam eorum partem. Sed vt cœperam dicere, ſi tantum iſtud Ægyptus: quid iam Gallia, quæ plus, ex Velleio, & ratione (nam multo grandior laxiórque eſt) plus, inquam, longè dedit? An minus igitur, quàm XV. *aut* XX. *milliones?* AVD. Et hîc erat Lipſi, in quo volebam te non reprehenſum fortaſſe, ſed repreſſum. Quid clamas de Gallia? os tibi claudit Suetonius, vel te teſtituente: *C. Cæſar Galliæ* CCCC. HS. *in annos ſingulos, Tributi nomine, impoſuit*. Hoc tu ita ex libris veteribus: hoc & Eutropius idem dicit. Atqui *quadringenties* illud, quid niſi *vnus millio* eſt? vt videas corruere tot illos à te ſuperſtructos. LIPS. Ego tamen firmiter ſatis ſtabam: nec machina hæc tua deiicit, aut quatit. Nam reſtitui ita, fateor, libros ſecutus: ſed quid ſi in numeris aberrante, non inſolens eſt: & hîc, cùm in-

Matth. c. xxij.

* Septem milliones cum dimidio.

In verbo Αἴγυπτος.

Lib. xvii.

Lib. xvii.

ii. Excid.

quiro & penetro, planè eſt tactum. Dic ſodes tu aut alius, illa ampla, illa diues Gallia (ſic enim ſemper habita & laudata) non niſi *millionem* annuum in tributo dederit? O clementiam imperij! ô illos benè meritos de vrbe, quam ceperant; de populo, quem ad extremum armis prouocarant! Non ſunt iſta profectò: & audeo adfirmare Suetonium atque Eutropium ſcripſiſſe ∞∞ ∞∞. id eſt, *quater millies.* Ea ſumma *decem milliones* reddit: minus inquies, quàm Ægyptus: ita eſt, ſed addo, & ratio comprobat, aucta hæc Tributa largiter, & vel in duplum, ab Auguſto eſſe. Nam ille cenſum per Gallias *inſtituit, opus nouũ & inadſuetum Gallis* (vt Claudius in Oratione apud Senatum loquitur) & eâ ratione immenſum auxit. Quod fecit idẽ in alijs prouinciis, & in Syriâ etiam, vt ex Euangeliſtâ notum: itemque in Hiſpaniâ, ſed temporibus diuerſis. At iam, mi Auditor, ſi ſolæ Ægyptus & Gallia ad XXX. *aut circiter milliones* pependerunt: quid totus orbis reliquus? Annon Syria & Aſia tãtum? Africa & Hiſpania? Græcia & Illyricum? Inſulæ omnes ſimul? & multa omitto: & concipere ſummas vereor, ſed ſuprà * *centum quinquaginta milliones* fuiſſe, animo hoc ſentio, & ore etiã promo.

* Vide Not.

CAPVT IIII.

De Aerario militari, & Vigeſimâ, Vigeſimaquintâ, Centeſimâ ad id explendum.

O IGITVR opes immenſas cùm conſidero! & maximè in *diligentiâ* ea quam Strabo commemorat, cuius exemplum etiam iocoſum, lubet dare. Scribit idem alibi, *Gyarum ſe veniſſe* (non inſulam, ſed ſcopulum) *à pauculis piſcatoribus habitatam. atque eos ipſo illo tempore quo adfuit, Legatum ad Cæſarem miſiſſe, deprecatum grauitatem tributi. Nam impoſitos ſibi centum quinquaginta denarios, cùm ægre centum poſſent pendere.* Tu rides: licet: ſed vides quàm nihil eos fugerit, & ſaxa & rupes etiam habuerint ſub tributo. Nec de magnis ſanè prouinciis hoc Senecæ acceperim: *Caium Caligulam* * *centies H S. abſumpſiſſe, vt prouinciarũ tributum vna cœna fieret.* Mediocrium dico aut tenuium prouinciarum: nam ampliores, quanto amplius? Et finem ego hic putabam: ſed tamen alia etiam ſe obiiciunt & occurrunt, ſine fraude magna Ærarij non omittenda. Nam Auguſtus ille, qui valdè rem Romanam auxit; etiam onera, & hîc quoque pro nomine ſuo fuit. Nam is *Ærarium militare* ſeorſim inſtituit, & ad id explendum reditus nouos & certos. Suetonius ita: *Quidquid vbique militum eſſet, ad certam* STIPENDIORVM PRÆMIORVMQVE *formulam adſtrinxit: definitis, pro gradu cuiuſque, & temporibus militiæ, & commodis miſſionum; ne aut ætate, aut inopiâ, ſolicitari ad res nouas poſſent. Vtque perpetuo, ac ſine difficultate, ſumptus ad* TVENDOS *eos* PROSEQVENDOSQVE *ſuppeteret, Ærarium militare cum* VECTIGALIBVS NOVIS *inſtituit.* Notandum eſt, duplici pecuniâ opus fuiſſe, ad *Stipendia* & ad *Præmia*: quod ſeorſim Suetonius dixit, ad *Tuendos* in militia ſcilicet; & ad *Proſequendos*, nempe poſt militiam, & à miſſione. Quid autem? inquies, an tot igitur illa tributa non ſufficiebant alendo & ornando militi? Suffeciſſent omnino, niſi & alia publica onera, eaque immenſa fuiſſent, in populo paſcendo, in ludis dandis, in operibus, in magiſtratibus & officiis. & quæ diſtinctè aut accuratè dicere, non ſit huius loci. Vtinam Appiani liber extaret, qui hæc o-

* CCL. M. Philipp.

Ca. XCIX.

A mnia fuit cõplexus! Ita enim ipſe, initio operis, vbi id diuidit & diſponit: *Vltimus liber*, inquit, *habebit* COPIAM MILITAREM, *quam & quantam Romani habeant; tum &* PROVENTVS PECVNIASQVE, *quas per ſingulas gentes capiunt; item quid in* CLASSES *impendant, & ſi quid erit huiuſmodi.* O pulchrum ô deſiderabilem illum librum! ſed periit: ſcire tamen Appianus illa potuit, tum quia & ipſe in Republica fuit, tum quia moris rationes illas imperij in publico edi. Suetonius de Caligula: *Rationes imperij ab Auguſto proponi ſolitas, ſed à Tiberio intermiſſas,* PVBLICAVIT. Rationarium, ſiue & Breuiarium imperij, hoc idem Suetonius alibi appellat: & Tacitus explicat deſcribitque, cùm *prolatum* à Tiberio *libellum* ſcribit, *quo* OPES PVBLICÆ *continebantur. quantum ciuium ſociorúmque in armis, quot claſſes, regna, prouinciæ, tributa aut vectigalia, & largitiones ac neceſſitates.* O hunc

B quoque laudabilem morem. cùm Princeps rationes quaſi cum Republica ponit, & oſtendit nihil ſibi quæri propriè, aut inſumi. Sed abeo à mente, admiratione raptus: & ſemel dicenda fuerunt. Nos igitur iterùm ſuſpenſo gradu quæramus quæ perierunt, aut in obliuionis aquis latent. Dixi *Ærarium militare* inſtitutum nouiter ab Auguſto, & ad id implendum quæſitos fontes. Tres reperit, *Viceſimam, Viceſimamquintam, Centeſimam.* *Viceſima* fuit *hereditatum*: de quâ in hunc finem inſtitutâ apertè ita Dio, in actis anni DCCLIX. *Poſtquam multa pecuniariæ rationes propoſita, & ſpreta fuiſſent ad Ærarium militare: placuit tandẽ ſeduiq; vt Viceſima eſſet hereditatum & legatorum, quæcunque obueniſſent teſtamento: exceptis tamen aut ſanguine valdè iunctis, aut admodũ pauperibus, quos hoc onere liberarunt.* Dum veniſſe in hanc

Lib. LV.

C vicesimam vides, *Hereditates* & *Legata*: Deus bone, quãta & quàm crebra ea, vel in Româ tantum? Quot illîc diuitiæ, & quoties, per captaturas & aucupia, ad externos tranſlatæ? Soluebãt igitur ſæpè Viceſimam: & nemo ambigat fuiſſe incredibile Vectigal. Excipiuntur tamen hîc *Proximi*, vel *Pauperes*: & Nerua ac Traianus etiam poſteà mitigarũt, quod in Plinij Panegyrico diffusè eſt videre. Atque vt verum fatear, hoc Tributi genus imitabile videatur, nec graue etiã pendentibus: cùm lætitia magni & inopinati ſæpe prouentus obruat vel minuat ſenſum inferendi. Sed fons alter, *Viceſimaquinta mancipiorum.* de quâ Tacitus: *Vectigal Quintæ & viceſimæ venalium mancipiorum* (à Nerone) *remiſſum: ſpecie magis, quàm vi; quia cùm venditor pendere cogeretur, in pretiũ emptoribus accreſcebat.* Id autem Ærario militari acceſſiſſe, Dio

Lib. XIII. Annal.

D item ſcribit, anno poſt *Viceſimã* inſtitutã. *Cùm etiam pecuniâ, inquit, opus eſſet, & maximè ad Vigiles cohortes iam inſtitutas, Auguſtus vectigal Quinquageſimæ in venditione mancipiorũ, induxit.* Dico, *Quinquageſimæ* & ſic in Græco eſt, τὸ τέλος πεντηκοστῆς: an non tamen πεντεικοστῆς reſcribendum, leui mutatione, id eſt *Vigeſimæquintæ*, pro verbis claris Taciti, ſit conſiderandum. Magis eſt, vt putem ſic fuiſſe, & Romano ſcriptori accredam. Quanti hoc vectigal fuerit, is agnoſcet, qui crebra mãcipia in Romano orbe, crebram mutationem, & maxima deinde eorum pretia cogitabit. De crebritate, alibi dicemus: de pretiis, quis neſcit Daphnidem væniſſe (in Plinio) *trecentis millibus & ſeptingentis ſeſtertijs*? id eſt, *ſeptem millibus quingentis ſeptemdecim* Philippæis cum dimidio: grande

E pretium in vno fluxo & mortali homine, & quem ſolus *Grammatici* titulus commendabat. Ab eadem claſſe & arte Lælius Præconinus (in Suetonio) emptus *ducentis millibus nummûm*: quæ ſunt *quinque Philippæorum millia.* Iam Caluiſius ille Sabinus (in Senecâ) *plures anagnoſtas habuit, & ſingulos centum mil-*

Lib. VII.

Digitized by Google

libus emptos. Quot aurei igitur prodeunt è talibus ſingulis? quot ex millenis aliquot, qui, cottidie pænè dixerim, vænibant? Et Iuriſconſulti quidem pretia ſeruorum definiunt: *in communi aliquo viginti aureos, in artifice, medico, notario, eunucho, triginta, quinquaginta, ſexaginta*: & quamquam Romani aurei ſunt (id eſt duplices noſtri) tamen modica illa æſtimatio, nec in venditione locum habet, quæ nimis ſæpe exceſſit. Alio fine à Iuriſconſultis ea ſunt ſcripta: æſtimationis cõmunis cauſsâ, & fortaſſe ad Portoria aliquis etiam trahet. Sed tertius fons, *Centeſima*, quæ *rerum venalium* fuit: de quâ Tacitus, in Tiberij rebus. *Cẽteſimam rerum venalium deprecante populo, edixit Ærarium militare eo ſubſidio niti.* Si omnium autem vænalium, quæ & quàm infinita ſumma fuit? Si in auctione tantùm; minor, ſed & ſic grandis. Suetonius quidem ſic reſtringere videtur, qui in Caligulâ *Centeſimam auctionum* appellat, *& remiſſam Italiæ* ab eo Principe notat. Finiui de Ærario militari: quod propriè quidem ad ipſum facit. Aliàs non neſcio, & pœnas ſiue mulctas legum, item damnatorum confiſcationes ſæpe in hoc ærarium relatas. de quibus Plinius in Panegyrico: *Locupletabant & fiſcum & ærarium, non tam Voconia & Iulia leges* (Papias intellegit, de maritando) *quàm Maieſtatis, ſingulare & vnicum crimen eorum, qui crimine vacarent.* Et magna quidem hæc ratio fuit: ſed illa Maieſtatis rarò, niſi à deterioribus, vſurpata. Tetigiſſe hæc ſatis ſit: nos nunc ad alia imus.

CAPVT V.

De Metallis, & argenti, auri, aliarúmque rerum fodinis.

AVD. An & aliud igitur reſtat? LIPS. Aliud, aliáque potiùs, vt dixi. AVD. Hem, quouſque accumulabimus? & vide ne patientiam omnem illis excutias tot onera ferendi: imò & mihi pænè fidem. LIPS. Confide, benè & firmiter imponam, & teſtimoniorum ſuis vinculis ligabo. In iſtâ re pecuniariâ, an ipſam eius materiem, id eſt *Metalla*, omittam? nefas. magni ex iis reditus, & in varijs locis: & reditus quidem innoxij, iuſti, & ſine onere ſubditorum. Terra, benigna illa mater, hæc quoque nobis donat. Caſſiodorus pulchrè: *Metallarij ſine furto diuitias rapiũt, optatis theſauris ſine inuidiâ perfruuntur, & ſoli ſunt hominum, qui abſque vllâ nundinatione, pretia videantur acquirere.* Iterumque mox addit: *Aurũ per bella quærere, nefas eſt, per maria, periculum, per falſitates, opprobrium; in ſuâ vero naturâ, iuſtitia.* Neſcio tamen, ô bone Caſſiodore, neſcio de *Iuſtitiâ*: & annon Sæuitia aliqua admixta? certè, vt illi tunc quærebant. Nam multa millia hominum huc adigebant, quoſdam mercede conductos, pleroſque damnatos ad metalla: quos in ſubterraneo illo carcere, fames, labor, vapor, & ruina ſæpe etiã necabat. Ipſe Caſſiodorus non diſſimulat: *Intrant homines caligines profundas, viuunt ſine ſuperis, exſulant à ſolo: & dum ſub terris compendia quærunt, nonnunquam lucis gaudia derelinquunt.* Ægyptiorum hoc inuentum fuit. *quorum reges* (ait Diodorus) *omnes criminis damnatos, item ex hoſtibus captos, ſiue quis regem offendiſſet, ipſum & totam cognationem interdum, auro effodiendo deputabant: ſimul & facinorum pœnam ſumentes, ſimul & quæſtum vberem ex eorum labore capientes.* Atque hi tali interdum numero apud Romanos, vt Polybius ad Carthaginem Nouã fodinis in Hiſpaniâ, *non minus XL. millia hominum* ſcribat *aſſiduè in opere verſari.* Plinius etiã notat, *Cenſoriam legem fuiſſe Ictimulorum aurifodinæ in agro Vercellenſi, qua cauebatur, ne plus quinque millia hominum in opere Publicani haberent.* Nec id credito miſeratione aut cura pereuntium factum: ſed cautione, & diſpenſatione operis, vt ne in vna conductione Publicani totum aurum exhaurirent. Itaque lex in elocatione dicta fuit, de numero operarum. Strabonis locus eſt, qui abdicare à Rep. aut Principe Argenti omnes fodinas videtur, relinquere tãtùm Auri. Verba: Εἰσὶ δὲ καὶ νῦν τὰ ἀργυρεῖα, οὐ μέντοι δημόσια, οὔτε δὲ ἐνταῦθα, οὔτε ἐν τοῖς ἄλλοις τόποις, ἀλλ' εἰς ἰδιωτικὰς μετέστησαν κτήσεις. τὰ δὲ χρυσεῖα δημοσιεύεται τὰ πλείω: *Sunt autem & nunc Argentariæ in Hiſpanijs, non tamen publicæ, neque* ILLIC *neque in* ALIIS LOCIS, *ſed ad priuatas redemptiones ſunt redactæ. Aurariæ autem pleræque publicè exercentur.* Ambigua mihi hîc ſententia eſt, velitne venditas Argentarias priuatis, certa penſione aut illatione; an dumtaxat elocatas, vt olim ſolet. At in Aurarijs aliter, quas ob lucri magnitudinem ipſi Principes exercent. Ex hac quoque metallaria parte igitur, magnum vberémque factum quæſtum, & noſtra ætas doceat: maximè cùm pulcherrimas fœcundiſſimáſque Fodinas variè haberent, vt in *Hiſpanijs, Gallijs, Norico, Salaſſis, Illyrico, Pannoniâ, Thraciâ, Macedoniâ, Proconneſo*: quarum ſingulatim teſtimonia dare poſſim, ſed fidei meæ nunc hoc credes. Habuit & Italia, putátque Plinius *aliam nullam fœcundiorem metallorum quoque tellurem eſſe*: ſed interdicto Patrum, cautum, vt ei, velut parenti, parceretur. Præter hæc, fuerunt & *Cretariæ*, & *Picariæ*, & *Salinariæ, Æraria, Ferraria*: & nullum genus quæſtus è terrâ omiſſum.

Li. xxx 11 cap iiii.

Lib. iii.

CAPVT VI.

De Vrinario vectigali & Chryſargyro, item de Meretricio.

IAM & alia video. AVD. Bona venia Lipſi, etſi auidè audio, tamen tædere incipit tot illationum. Quid faciemus his opibus, & quin potiùs erogamus? LIPS. Alia, alia: & ab Auguſto & priſcis ad nouiores, atque adeò auidiores, veniamus. Exordium à Veſpaſiano (nam Caligulam conſultò omitto, qui multa & inſana inſtituit, ſed mortua cum ipſo) à Veſpaſiano, dico: qui, vt communiter de illo Suetonius, AVXIT *tributa prouinciis, nonnullis &* DVPLICAVIT. In paucis verbis quanta acceſſio rerum, attritio ſubditorum? Et quidni ille ſolita augeret, vel duplicaret, qui inſtituit & excogitauit etiam pudenda? Nam *Vrinæ vectigal commentus* eſt, quod idem ſcriptor tradidit: & notus, cùm filio pecuniam ad nares admouiſſet, in ea re eius iocus. Origo huic Vectigali & cauſſa, quòd in publico amphoræ aut dolia ſtabant ad Vrinam reddendam: quam Fullones, opinor, vertebant deinde in ſuum vſum. Tune rides? AVD. Largiter, & vah Veſpaſiane, non alia tua ſagacitas in excogitando? LIPS. Sed Principes etiam ſecuti renouerunt, ſiue auxerunt: & videtur hoc fuiſſe triſte illud *Chryſargyrum*, hiſtorijs decantatum. Georgius Cedrenus quidem eò trahit apertè. *Chryſargyri penſio fuit*, inquit, *talis, vt quiſque mendicus aut pauper, meretrix ſiue iam emerita, omnis ſeruus itémque libertus, inferrent in ærarium pro* VRINA *&* STERCORE, *iumentorum etiam & canum, ſiue in agris, ſiue*

Lib. i.

in opidis

in opidis habitarent. Et homines quidem vtriuſque ſexus, Nomiſma argenteum, equus, mulus, bos tantumdem, aſinus & canis, folles ſex. Cum Cedreno Conſtantinus Manaſſes facit: *Chryſargyrum ſuſtulit Anaſtaſius Imperator. quod erat, vt omnes viri, feminæ pueri, ſerui, liberi, nummum argenteum, nomine* STERCORIS ET VRINÆ *fiſco darent. Idem muli, equi, boues.* Proh ſancta fides! quanta hæc pecunia fuiſſe debuit, ex omni genere penè viuentium? & quæ vmquam Capitatio acceſſit? Miror, & ſimul indignor, hæc tam fœda & triſtia à Conſtantino noſtro Magno inſtituta: ſi tamen ille. Nam Zoſimus aſſerit, & eum culpat: *Euagrius ex profeſſo negat, & hunc vt hoſtem opum Principis inuadit. Sanè videtur à Veſpaſiano exemplum, quicumque auxit & produxit. AVD. Phui, phui hæc talia! & odor mihi nares ſpurcat. LIPS. Quid tu auertiſti? viri proceres & reip. primi hoc munus colligendi ambibant, *non aliter* (Euagrij verba) *quàm militarem aliquam Præfecturam, aut Ciuilem magiſtratũ.* O indignitas! ſed Princeps dignitatẽ addebat, qui & *in Sacrum ærarium hanc pecuniam recipiebat*: vt idem ille Euagrius notat. Ne miremur Iuuenalem iam olim ſcripſiſſe, de ijs quos fortuna amaret:

Conducunt foricas. & cur non omnia: cùm ſint
Quales ex humili magna ad faſtigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna iocari.

*Vide lib. iii Eccl. Hiſt. cap. xxxix.

Atque iſti pudendarum ſordium lucrique exercitores aut conductores ſunt, quos *Foricarios* Iuriſconſulti appellant. AVD. Mihi ridere hîc lubet res humanas. LIPS. Quid ita? AVD. Nam quî ſulcbriores ludi ſunt, quàm vel inſtitui tributum in hæc talia: vel collectores eis honeſtiſſimos admouere? An C iſtud non eſt illudere & inſultare, non dicam dignitati, ſed libertati? LIPS. Tibi ſic videtur. & nobis hodie: & tamen, vt nunc quoque mores aut cupidines, aliquis ſeueriorum fortaſſe fuiſſet inter illos Foricæ candidatos. Sed aliquid occurrit. quid? turpe & pudendum item, & dignum ſuo auctore. Caligula *ex capturis Proſtitutarum vectigal inſtituit, quantum quaque vno concubitu mereret.* Ita Suetonius: ſed quod credo cum illo periiſſe: etſi poſteà quoque ſub Heliogabalo *Lenonum vectigal, & meretricum, & exoletorum fuit.* Iſta fœda, & Romano nomine indigna. nec ſuſtulit tamen optimus Imp. Alexander Seuerus, ſed dumtaxat in *Sacrum ærarium vetuit inferri, & ad inſtaurationem Theatri, Amphitheatri, Circi deputari.* D Ex quo verè dixeris, magnum & hoc Vectigal fuiſſe, cùm ad tantorum operum reſtitutionem cõferret. Sed mittamus, & finiamus. Nam ad poſteros Imperatores & Græcanicos, non lubet ire: etſi multa & ij inuenerunt aut collegerunt, & quidam eorum diuitias mirandas.

Lamprid.

CAPVT VII.

De opibus Byzantini imperij: & clauſula ac finis Tributorum.

AVD. Etiámne Græcanici? quî verò id poteſt, E imperio iam tenui, diuiſo, & ſic minuto? LIPS. Poteſt: nec in rationes aut vias omnes pecuniæ lubet inquirere, ipſam tibi dabo. Baſilius Imp. (vixit ſub annum Chriſtianum *octingenteſimum*) à Zonarâ ſcribitur, *impleſſe totũ Ærarium, & ipſos aditus viaſq́, pecuniis conſertim ſtipatis. Habuit*, inquit, *in theſauris* A DVCENTA MILLIA *talentûm auri. Nam alterius pecuniæ* NEC NVMERVS *iniri poterat, adeò vt terræ eam infoderet, ærariis aut repoſitoriis vbique repletis. Quin &* ARCVLAS *habuit lapillis gemmiſque pretioſis plenas, cùm aliis, tum illis qui candent, & quas Margaritas propriè appellamus.* In quibus verbis *ducenta illa millia talentum auri*, quid reddunt? ipſos *mille & ducentos milliones.* Vbi nunc argentum illud infinitum & innumerum? ego non arbitror infra, imò ſupra, aurum fuiſſe. Vbi gemmæ & lapilli in arculis? itidem æquaſſe. O mira, ô reticenda, niſi è dictis & dicẽdis fidem caperent, & mutuò ſibi atteſtarẽtur! Enimuerò hoc grande in Græcanicis, Iudæus etiam ſcriptor longè pòſt, affirmat: cuius *Itinerarium*, *Beniamin* nomine, Arias Montanus edidit, vir plurifariàm doctus, & nobis peramicus. Is ante annos circiter CCCC Europam, atque alia, peragrauit, & ſcribit ſe Conſtantino- B polim quoque veniſſe. *In eâ vrbe*, inquit, *vidi res atq;* OPES INENARRABILES. *Deferuntur enim in Principis palatium quotannis Tributa, quibus* TVRRES *implentur coccineâ purpureáque veſte, & auro: ita vt* NVLLVBI TERRARVM *par congeſtæ pecuniæ exemplum reperiri poſſit. Affirmatur etiam ipſius* SOLIVS VRBIS *vectigal, ex Foris venalium, & Portu ac mercatorum penſionibus collectum, ad* VIGINTI MILLIA AVREORVM IN SINGVLOS DIES *accedere.* Quid tu facis? quò abis? AVD. Fugio. LIPS. Sanè bellus comiſque es: poſtquam benè te ſermone ſaturaui & excepi, abis, nec vel ſalutas. AVD. Salus te amet Lipſi, ſed magis Veritas. Ego vt hæc tam vana, tam monſtruſa, ſtans patienſq; audiam? Fugio. nam in os tibi reſiſtere aut refellere, pudor me arcet. LIPS. Exſoluo te hoc vinculo, fac ſi potes. AVD. Nam ſatis attendi- C ſti Lipſi (vt *Turres auri, & Gemmarum arculas* omittam:) vnam vrbem, in vnumquemque diem, dare *vicena millia*? LIPS. Attendi. AVD. *Aureorum* etiam? LIPS. Aureorum, & fortaſſe veterum, qui duplices fuêre ad hos noſtros. AVD. Proh Deus, vbi terrarum ſum? & tu etiam auges? LIPS. Es hîc in meo ſolo. Sed age, gratiam augmenti fecero: ſint menſtrua *ſexcenta millia* aureorum noſtrorũ, ſint annui *ſeptem milliones*, & penè quadrans. Quid hoc te percutit? maiora diximus. AVD. Sed non in vnâ vrbe. Prouinciatum, & quidem grandium, hoc tributum ſit: atq; hodie, ignotum. LIPS. Non abnuo. ſed nempe Byzantium, id eſt *Noua Roma* hôc dedit: & nunc quidẽ in ſuo flore. quid autem cenſes (vt obiter addam) illam veterem olim dediſſe? Sed ego ſanè hoc non D nimis miror. illud magis, quæ opes eſſe potuerint in tam exiguis tunc finibus, ad pompam & apparatum illum Principalem. Lege Curopalatem, ſi vis, *De officiis aulæ Conſtãtinopolitanæ*, & adiunge Græcos alios: videbis Perſas, & Medos omnes, vinci ab his Byzantinis. At ego tamen aſſenſum tibi non impero: auctores meos dedi: tu aut alius, huc aut aliò ite. AVD. Sed vnum etiam, Lipſi, quærere liceat. Cùm ſic vrbes tanta eos olim dediſſe. quî potuerunt miſeri, & fuerunt oneri ferundo? Nam nos ſanè hodie non poſſimus. LIPS. Non poſſimus? dico ego nos facere. AVD. Nugaris, vt liberè loquar. nam vbi hodie Principum etiam magnorum iſtæ opes, aut ærarij vbertas? LIPS. Non eſt, fateor: & cauſtæ aliæ etiam ſunt, ſed & illa quam, pro meâ nunc mente, dicam. Non vni Regi E aut Principi, quiſque in ſuâ prouinciâ, damus, vt olim: ſed variè magis & diuiſim, ita vt ſumma magna ad vnum non redeat. magna tamen contribuantur. Quomodo? in exemplo noſtro vide. Conferimus hodie Principi quædam; poſt eum, Ordinibus; poſt hos, Magiſtratibus opidanis; poſt iſtos, Toparchis municipiorum aut pagorum. Denique Eccleſiæ

etiam & Eccleſiaſtici, quàm multa à nobis habent? & iuſtiſſimè quidem, atque ex lege diuinâ, ſed tamen habent. Hæc igitur omnia ſi conferas, & in aceruum iungas: aſſirmo tibi nos paria, aut plura date. Quid, quòd concuſſiones & rapius militares omitto? quæ maxima ratio eſt & miſera noſtra Belgica ſatis ſentit. Negabis in vnam cænam militarem, ruſticũ aliquem plus imputaſſe, quàm in annuum tributum? Atque hæc non ſemel eueniunt, ô quando tollenda? quando ſecuritas & pax erit, aut ſaltem diſciplina militibus? quando œconomia & ordo in acceptis expenſiſque? Iſta ſint, fortiter & audacter dicam, tondeant accidantque noſtri Principes, renaſcemur.

B

CAPVT VIII.

Pecunia è Triumphis, & aliquot eorum inſpecti, æſtimatique.

AT ſatis in tutâ re *Tributariâ* iam dixi: alia via ſe oſtendit & aperit (quoniam de militibus te tigi) *Militaris*. Quæ ea eſt? lata, trita, & per quam en multi atque acerui pecuniarum inuecti. Pecuniarum? imò vaſorum, coronarum, veſtium, gemmarum, & quidquid dici appetendum aut æſtimandum poteſt. C Ne teneam te, intellego *Opes* quæ è Prædâ & manubiis, per *Triumphos* inferebantur. Quot autem illi fuerunt? quàm multi, ſupra modum & fidem, vberes diuiteſque? Liuius diſtinctè pleroſque eorum recenſet, & deſcribit: mihi quid opus eſt? ſatis ſit, opinor, tãgere, & ſpecimen eorum aliquod, per ætates, dare. Fuêre igitur Triumphi à Romulo, vſque ad extrema Auguſti, circiter *treceati duodecim*: & ex his primi nõ nimis vberes, tamen modici, & magis magiſque creuerunt. Vt ecce ſub Regibus L. Tarquinij Superbi triumphum reperio, qui victâ *Sueſſa Pometiâ* & captâ, *tantum prædæ rettulit*, (notante Dionyſio) *vt ſacrataedis decima explerent quadringentorum talentorum numerum.* Ergo fuit in cumulo, *quater mille talentûm* id eſt, *vicies quater centena millia* Philippicorũ. D Magnæ ſanè ab vno bello & victoriâ, ſi conſideras, opes. Poſt eiectos deinde Reges, inſignis L. Papirij Curſoris, de Samnitibus, habetur ab ipſo Liuio: qui ſic deſcribit. *Triumphauit in magiſtratu.* INSIONI, *vt* ILLORVM TEMPORVM *habitus erat, triumpho. Nobiles aliquot captiui, clari ſuis patrúmque factis ducti. Æris grauis magna vis tranſuecta, vicies centum millia, & quingenta triginta tria millia. Id æs redactum ex* CAPTIVIS *dicebatur. Argenti quod captum ex* VRBIBVS *erat, pondo mille trecenta triginta. Omne æs argentúmque in ærarium conditum, militibus nihil datum ex prædâ eſt.* Verba pluſcula dedi, vt videas vnde E etiam ea præda manubiæque parari ſolent: & ferè è Captiuis, quos ingenti numero ſub coronâ vænumdabant; aut è Spolijs oppidorum publicis priuatiſque. Summa autem illa Æris efficit, *viginti quinque millia trecentos triginta* Philippæos: Argẽti, *tredecim mille trecentos.* Ac tales ferè, aut minores, omnes illi vſq; ad Tarentinum triumphi: qui incidit in annum Vrbis CCCCLXXIX. De quo ita Florus: *Nec enim* VLLVS PVLCHRIOR *aut ſpecioſior in vrbem triumphus intrauit. cùm* ANTE HVNC DIEM *nihil niſi pecora Vulſcorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitium arma vidiſſet. Tum, ſi pompam aſpiceres, aurum, purpura, ſigna, tabulæ, Tarentinæq; deliciæ.* Et valdè ipſe quidem aut nimis (vt eſt ille ſcriptor affectuum aut exceſſuum) nimis, inquam, veteres illos

Lib. x.

Lib. I. cap. XVIII.

A abiecit: & hunc tamen non immerito attollit. In eâ vrbe & parte Italiæ, guſtauit Romanus Græcanicas delicias & diuitias, quas affatim poſteà hauſit. Sed nota mihi idem Flori, *purpuram, ſigna, tabulas* illata: quod verum fuit, & deinceps etiam ſollenne. Atque adeò (digna obſeruatu res) quidquid notabile aut optabile orbis, aut in eo vrbs aliqua haberet; per hanc viam portámque Triumphalem id Romam ferè inuectum: etſi quædam etiam extra bellum, vi aut perſuaſione magiſtratuum. Iam verò, poſtquam copiæ & arma extra Italiam miſſa, in grandes illas, & priſcis opibus, aut victoriis quoque, inclytas regiones: quid auri, argenti, ſpoliorum non relatum? P. Scipio ecce ex Hiſpaniâ (in Liuio) *argenti prædæ in ærarium tulit* XIIII. *millia pondo, trecenta, quadraginta duo: & ſignati argenti magnum numerum.* Ea pondo B faciunt, *centum quadraginta tria millia, quadringentos, viginti* Philippæos. Et is ille tamen Triumphus non fuit (nam ſine magiſtratu eas res geſſerat Scipio) ſed pecunia duntaxat Triumphalis. Idem iterum, victâ Carthagine (pariter in Liuio) *intulit in ærarium argenti pondo centum millia triginta tria.* Si ita accipis, vt ſint *triginta tria millia* etiam, voce *à vò κοινõ* repetitâ (vt equidem opinor) tum erunt nobis *ter & decies centena triginta millia* Philippicûm. At alter Scipio, victâ & dirutâ eadem Carthagine, rettulit (vt Plinius adnotauit) *quater millies* CCCC. LXX. M. *pondo.* & addit: *Hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum imperij æmula, quod* NVNC IN MENSARVM *eſt apparatu.* C Qui numeri tamen parùm fortaſſe probi ſunt: & ſi tot illa millia legas, qui poteſt verum eſſe, menſæ alicuius priuatæ miniſterium tanti fuiſſe? Quin exiguas opes Plinius indicare voluit, ſcripſitque mea ſententia: *quattuor millia, quadringenta, ſeptuaginta pondo.* Ea efficiunt *quadraginta quattuor millia* Philippicûm, & *ſeptingentos.* Neque miremur minùs quàm anteà relatum, quia pleraque vrbs, dum capitur, incenſa & diruta fuit. Ita opes perditæ, aut ruinis oppreſſæ. Quod autem mihi etiã ſequitur, in pari menda videtur: *poſtea victâ Numantiâ, idem Africanus in triumpho militibus* XVII. *millia pondo dedit. O viros illo Imperatore dignos, quibus hoc ſatis fuit!* Nam quomodo D laudet vel parſimoniã Scipionis, vel modeſtiam militum, ſi maior ſumma diuiſa, quàm tota Carthago habuit? Et eſſent ea pondo, *centum ſeptuaginta millia* Philippæorum: quæ redderent in *viginti millia* militum (vt ponamus tot fuiſſe) circiter *octo Philippicos cum dimidio* viritim. Nimis magna hæc largitio in illo æuo teſtricto ſit: nec ſanè pro Plinij mente. Sint *ſeptem millia pondo:* & plus ſatis erit. Sed quid facio? per Triumphos omnes ibo? finis non ſit: & Liuius diſtinctè ac deſcriptè in pleriſque temporum horum fecit. Luſtra ſi voles: iuuabit videre, & magis, ſiquis in ſummam & aceruum colligat triumphales omnes opes. Fac vel in Aſiâ ſolâ, vel magis Hiſpaniâ: non E admiratio ſolùm in animo tuo gignetur, ſed ſtupor. Fortaſſe ego * alibi: nunc, vt inſtitui, per ætates aut ſæcula quoſdam tangam. Vt hunc L. Æmilij de Macedonibus: *qui* (vt Velleij verba dem) *tantum* PRIORES EXCESSIT, *vel magnitudine regis Perſei, vel ſpecie ſimulacrorum, vel modi pecuniæ, vt bis millies* HS. *ærario contulerit, &* OMNIVM ANTEACTORVM *comparationem amplitudine vicerit.* Simulacra ibi fuiſſe ſuper ceteros vult: & quid mirũ? cùm priſci illi Macedones, quidquid hoc elegãtiarum eſſet, ex Græcia tota & Aſia tamdiu collegiſſent? Pecuniæ etiam modum produxit ad *bis millies:* id eſt, *quinquagies centena millia* Philippûm. Avo. Magna ſomma eſt, & ex vno triompho: ſed quod fugere te non puto Lipſi; ſi fugit, ſuggero) Liuius eam atterit, & ad *millies* reducit

Lib. xxviij.

Lib. xxx.

Lib. xxxiij cap. xi.

* In altera parte ADMIRANDORVM.

Ita enim

Lib. xlv.

A Ita enim legitur: *Summam omnem captiuis auri argentique tranſlati, HS. millies ducenties fuiſſe Valerius Antias tradit.* Magis etiam Plinio minuitur, in quo iſta: *Intulit & Æmilius Paullus, Perſeo rege deuicto, prædam pondo trium milliũm, à quo tempore populus Romanus tributum pendere deſiit.* LIPS. Hæc reijcimus, & Critico naſo damnamus. Merito ſſimò: tu putas Valerium illum Antiatem, qui omnia augere ſolet, & ſupra verum ſæpe euehere (in Liuio non ſemel notatur) hîc ita parcum & oris modicum fuiſſe? Non arbitror, & minimum *bis millies ducenties* ſcripſiſſe: etſi ipſe Liuius addat, *maiorem etiam ſummam, ex numero plauſtrorum, ponderibúſque auri & argenti generatim ab ipſo ſcriptis, effici.* Quod ad Plinium: is verò numerus rideri magis, quàm carpi meretur. Et itáne

Lib. xxxiij cap. iij.

B *tria millia pondo auri* (vt ponamus vel id ſolùm fuiſſe) nec ampliùs, Macedonia dederit? Hoc erat cur populus Romanus Tributo liberaretur? cur iſte, ſuper *omnes priores triumphos,* cenſeretur? Atqui *tria millia pondo auri,* faciunt *trecenta millia* ſola aureorum. Quin tu, me arbitro, cum libris quibuſdam priſcis lege, *è Macedonica præda ſeſtertiũm ter millies.* Eſt veritas, nec monet, quòd minus in Velleio ſit: fortaſſe & ille augendus: in Suidâ quidem lego, *reperta in theſauris Regis Perſei, in auro argentóque, ſex millia talentũm*: id eſt, *triciesſexies centena millia* Philippûm. Quòd ſi in ſolis theſauris & ærario peculiari Regis, quid in reliquâ prædâ publicâ opidorum, aut priuatâ hominum fuit? At verò Cornelius Sulla, etſi ſplendido triumpho, minus intulit: ſcriptumque in Pli-

Lib. xxxiij. * 1500000 aureor. * 1150000 Phil.

C nio, *tranſtuliſſe auri pondo* * *XV. millia, argenti pondo* * *centum quindecim millia*: ſi tamen & hic numeri non corrupti. Exceſſit omnes deinde Cn. Pompeius, in illo quem de rege Mithridate & Oriente duxit. Velleius: *Magnificentiſſimum de tot regibus, per biduum egit triumphum longeque* MAIOREM OMNI ante *ſe illatâ pecuniâ, præterquam à Paullo, ex manubiis intulit.* Quid tamen iſtud, viciſſe omnes, præter Paullum, in modo pecuniæ? Ille verò & Paullum vicit:

* Vide Notas. In Pompeio.

ſi * verè Plutarchus, *viginti millia talentũm in ærarium intuliſſe.* Nam ea ſint, *centies vicies centena millia* Philippûm. Et verè Plutarchus: & in Velleio emendandum, *præterquam Capitolio*: vt mox dicam. Vicit ergo Paullum: non tamen iterùm ſine modo, quem ipſe Plutarchus ligit & nobis inijcit, dum in Catone minore ſcribit: *Gloriatum eum, quòd tantum argenti*

D *ex Cypro, cùm nec vnum militem haberet, reip. contuliſſet, quantum nec Pompeius è tot bellis, & concuſſo orbe terrarum, retuliſſet.* At enim Cato retulit, nonniſi *ſeptem talentorum millia,* in eodem Plutarcho: quid ergo dicemus? Illud in Catonis illatione, minutum & corruptum eſſe, ad *vigintiſeptem millia* aut circiter reformandum. Enimuerò deprædicatæ illæ Cypriæ gazæ haud maximæ ſint, nec ſic per inuidiam quærendæ, ſi non vltra *ſeptem talentorum millia* productæ. Sed de Pompeij quidem grandibus manubiis quis dubitet, cùm & in ſolos milites largitum, do-

9600000. Phil.

natiui triumphalis nomine, * *XVI. millia talentũm* Appianus ſcribat? Magna hæc omnia ſunt, & verè illo *Magno* digna: ſed hunc hîc quoque C. Cæſar, vti acie, vicit & ſuperauit. Appianus ait *quater eum*

E *triumphaſſe* (nam quintum differt:) *& intuliſſe ſexagintaquinque millia talentorum.* Scis tu quid hoc efficiat? *trigintanonem* nobis *milliones*: plus triplo eius, quod Pompeius intuliſſet. Tu me reſpicis, & vultu arguis: quid eſt? AVD. Ex fide Latini ſcriptoris, hæc non ſic eſſe: tu Græco magis accedis? Nam Velleius de omnibus Cæſaris triumphis, id eſt quinto illo Hiſpanienſi etiam addito: *Pecuniam ex manubijs latam, paullò ampliùs ſexies millies HS.* disertè ſcribit:

A qui ſunt dumtaxat *milliones quindecim.* Et ſanè, meo animo ſufficiunt. LIPS. Credo equidem tuo animo, & arcæ etiam tuæ, ſi quis inferat: ſed non ſufficiunt, pro magnitudine tunc vel Romanâ, vel Iulianâ. Imò tu reſcribe meo animo, *decies ſexies millies*: conuenientiſſimè ad Appianum. Nam iſta ſiunt *quadraginta milliones*: atque aliquid ſcilicet acceſſerit ex prædâ Hiſpanienſi. Ex paucis his vides, immenſas opes in Ærario cumulatas è Triumphis: quos non omnes, imò nec decimam partem dedi. Ergóne Plinij libris fides aut puritas ſit, dum ſcribitur C. Cæſar iſte, initio ciuilis belli, Ærarium compilaſſe, *& protuliſſe ex eo laterum aureorum XVI. millia, & in numerato pondo trecenta*? Profectò non ſit: & perexigua iſta, & quaſi

B furfures aut folia, pro totâ illâ maſsâ, & tam vetoſtâ, auri argentique. In veteribus legitur: *Laterum aureorum XV. argenteorum XXXV. millia, & in numerato HS. quadringenties.* Sed nec ea ſumma pro tot triumphis: etiam ſi in laterculo quoque *decem pondo* imputes, quod Budæus fecit. Sed diuinare tamen omitto, cùm fulcrum non eſt cui innitar. Lucanum, ſi vis, lege furtum hoc Iulianum valdè exaggerantem.

CAPVT IX.

De Auro Coronario, & Coronis dictum.

TRIVMPHALIA habes: meritior. largitet etiam reſtat. Quid illud? *Aurum Coronarium,*

C quod ſpecie triumphorum vel oblatum fuit, vel exactum. Origo eius, vt ſocij & amici, victori Imperatori *Coronas aureas* offerrent, quaſi gratulantes, & meritũ ei caput cingentes. Itaque primò quidem *Coronæ* ipſæ datæ, aut miſſæ: poſteà inualuit, vt pro iis Pecunia offerretur. Hæc accepta à Sociis, aut Subditis: & ſicut manubias ab hoſtibus legebant, ſic ſpolia iſta occulta ab amicis. Mos planè vetus, & à Græcis, niſi erro, ad Romanos imitatione tráſlatus. Apud Athe-

Lib. xii.

næum quidem Chares, in rebus Alexandri magni, ait, *poſt victum Darium, miſſas* CORONAS *partim à Legatis gentium, aliiſq́; æſtimatas decẽ millibus ac quingentis talentis.* Atque alibi talia legas. Iam apud Ro-

Lib. xxxviii.

manos, crebrum, vt in Liuio, cùm Cn. Manlius Gallogræcos viciſſet, eóque terrore Aſiam liberaſſet; *miſ-*

D *ſæ vndique legationes non gratulatum modò venerunt, ſed* CORONAS *etiam* AVREAS, *pro ſuis quaque facultatibus, attulerunt.* Itaque idem Manlius in trium-

Lib. xxxix

pho tulit (apud eumdem Liuium) *coronas aureas ducentas duodecim, pondo*: id eſt, vt ſingulæ fuerint librales. In triumpho, inquam: & ita obtinuerat, vt eæ coronæ ante ipſum victorem latæ, populo oſtenderentur. De eo Feſtus: *Triumphales coronæ ſunt, quæ Imperatori victori aureæ* PRÆFERVNTVR, *quæ antiquis temporibus propter paupertatem laureæ fuerunt.* Iamantè etiam in Quinctij Flaminini triumpho Liuius:

Lib. xxxiv

Coronæ aureæ, DONA *ciuitatum, tranſlatæ cẽtum quatuordecim.* Itémque in Scipionis Aſiatici, numerat *aureas coronas ducentas triginta quattuor.* At verò Ap-

E pianus in Cæſaris, *bis mille octingẽtas vigintiduas, eaſq́; pódo viginti millium quadringentorum quattuordecim*: ita vt *decem pondo*, aut circiter, pleraſque neceſſum ſit fuiſſe. Neque equidem pro magno aut vero habeo, quod Plinius quaſi inter raræ magnificentiæ exem-

Lib. xxxiii cap. iii.

pla ſcripſit: *Claudius cùm de Britanniâ triumpharet, inter Coronas aureas: vnam VII. pondo habuit, quam contuliſſet Hiſpania citerior, alteram IX. quam Gallia comata, ſicut titulus indicabat.* Minuta, minuta hæc ſunt, nec vel Claudio, vel tã ditibus prouincijs, ad oſtentandum, digna. Vt minimum, fuit DCC. pondo, ite-

rúmque

rumque DCCCC. vel potius ∞. Etſi non ad vſum tales, ſed pompam modò fuiſſe ſcimus. Ideóque & de his Tertullianus capiendus, libello de Coronâ: *Sunt & prouinciales aureæ, imaginum iam, non virorũ, capita* MAIORA *quærentes*. Benè *Prouinciales*, quia ab ijs datæ. Nec coronæ ſolùm ipſæ, ſed aurum ac pecunia ad coronas: atque id propriè. *Aurum coronarium*, de quo & titulus eſt in Codice Iuſtinianæo. Seruius ad hoc Virgilij: *Dona recognoſcit populorum*, notat: *Aurum coronarium dicit, quod hodie à victis gentibus datur. Imponebant autem hoc Imperatores propter conceſſam vitam.* Non rectè omnino, nec ab ipſis iam victis ob vitam datum, ſed à ſocijs amicisque, vt dixi. datum tamen in pecuniâ, titulo coronario. Vt apud Polybium (in Fragmentis) οἱ Γεραῖοι ἐστεφάνωσαν τὸν Ἀντίοχον τὸν βασιλέα πεντακοσίοις ἀργυρίου ταλάντοις, *Geræi coronarunt Antiochum regem quingentis argenti talentis.* Vt apud Liuium populus quidam Aſiæ, *Manlio ingredienti fines vt cohiberet à populatione militem, in coronam auream XV. talenta offerunt.* Et hoc prætextu rapinas extorſionéſque vſurpatas, quis non colliget? Cicero Piſoni objicit: *Mitto aurum coronarium, quod lex & decerni & accipi vetat, niſi Imperatoribus ex prouinciâ decedentibus, ad decorandum triumphum.* Sed iſtas leges ſpernebãt. & Dio Caſſius quoſdam notat, *cùm res leuiculas geſſiſſent triumphum ſibi, vel à Cæſare vel ab Antonio, impetraſſe:* καὶ ἐπὶ τῇ προφάσει ταύτῃ, inquit, χρυσίον πολὺ παρὰ τῶν δήμων ἐς τοὺς στεφάνους ἐπράττετο: *& iſto hoc prætextu, multum auri à populis, quaſi ad coronas, colligebant.* Imò verò & ab ipſis Italis, qui tamen immunes talium videbantur eſſe. Cæſar quidem ita fecit. de quo idem Dio, cùm ex Aſia, victo Pharnace, rediſſet: *Ibi quoque* (Romæ) *magna pecunia coacta, quã partim titulo* DONI, *vt erãt* CORONÆ, *ſtatuæ, & talia, collegit, partim mutui nomine accepit.* Decretis enim coronis ſtatuiſque, pecuniam ipſam dari ſibi curabant. Ideò miretur fortaſſe aliquis, ipſum illum Græcum poſteà ſcribere, de L. Antonio M. fratre: *quòd is, cùm triumphaſſet Kalendis Ianuarijs, in quibuſdam Mario ſe comparabat, aut & præponebat. in eo maximè, quòd is Marius aut nullam, aut vnicam omnino coronam accepiſſet; ſibi verò cùm alij, tum populus tributim* (*quod ante ipſum nemini*) *coronas dediſſent.* Ait nemini id contigiſſe: atqui, nónne ipſo narrante, iamantè Cæſari? Sed obſeruetur, *tributim*: in eo nouitas, & eſt hoc quod Cicero irridet, *Patronũ quinque & triginta tribuum fuiſſe.* Ideò igitur & *tributim* dederunt, nouo more. Sanè Italos dediſſe, vel ex eo liqueat, quod Auguſtus de ſe in lapide Ancyrano dicit: MVNICIPIIS. ET. COLONIIS. ITALIÆ. CONFERENTIBVS. AD. TRIVMPHOS. MEOS. QVINTVM. CONSVL. REMISI. ET. POSTEA. QVOTIESCVMQVE. IMPERATOR ſum appellatus, AVRI. CORONARIVM. NON. ACCEPI. Gloriatur verè. & conſonat in illo ipſo quinto conſulatu Dio Caſſius, qui notat, *eum tunc benè audiſſe vulgò*, ὅτι παρὰ τῶν πόλεων τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, τὸ χρυσίον τὸ ἐς τοὺς στεφάνους φέρειν οὐκ ἐδέξατο: *quòd ab oppidis Italiæ, aurum, ad coronas cõferri ſolitũ, nõ accepiſſet.* Cuius exẽplo Hadrianus (in Spartiano) *aurum coronarium Italiæ remiſit, in prouincijs minuit.* Sed & Ammianus, inter teſtimonia liberalitatis Iuliani ponit, *tributorum indicta admodum leuia, & coronarium remiſſum.* Eò enim paullatim iam ventum erat, vt hoc *Coronarium* non minus Tributis ferè attereret; nec in triumphis modò, ſed in lætitiâ quacumque & primordijs imperij, daretur. In Ammiano ſcriptum, *Tripolitanos miſiſſe legatos, Victoriarũ aurea ſimulacra Valentiniano, ob imperij primitias. oblaturos.* De ipſis coronis Syneſius, qui ſe quoque Legatum à Cyrenenſibus ad Arcadium miſſum ait, στεφανοῦντά σε χρυσῷ παρὰ τῶν πόλεων, ... δὲ τῶν ψυχῶν: *coronaturum auro quidem caput Imperatoris, philoſophiâ verò eius mentem.* Apertiſſimè item Capitolinus in Antonino Pio: *Aurũ coronariũ, quod adoptionis ſuæ cauſſâ oblatũ fuerat, Italicis totũ, medium prouincialibus reddidit.* Atque ex hoc licet intelligere, quæ ſit & quanti *Oblatio*: cùm inter Tributi genera recenſent, *Canonem, Oblationem Indictionem*: etſi, alio quoque titulo & ſpecie, Oblationes. Sed de hoc noſtro, Suidas: στεφανικὸν τέλεσμα παρὰ Ῥοδίοις οὕτως ἐκαλεῖτο. ἐπειδὴ αὐτόνομοι ἦσαν οἱ Ῥόδιοι, βραχὺ δέ τι μέρος Ῥωμαίοις ἐπὶ τιμῇ πέμποντες ἐτέλουν, οὐχ ὡς φόρον ἡγεμόσι μᾶλλον, ἢ στέφανον φίλοις διδόντες: *Coronarium vectigal apud Rhodios ita dicitur, quoniam liberi ſunt Rhodij, exiguum autem aliquid Romam quotannis mittunt, non vt tributum dominis, ſed quaſi coronam amicis dantes.* Notetur illud *quotannis*: nam & hoc ita factum, ac velut honorarium tributi genus exactum. Procopius de Theodato notat, rege Gothorum: *pactum eum cum Petro, Iuſtiniani Imperatoris Duce, decedere Siciliâ totâ, & quotannis coronam auream mittere Iuſtiniano trecentarum librarum.* Quid, quòd lego ciuitates in aliâ occaſione, atque etiam miſſi, coronas has miſiſſe? Appianus in Sullæ funere *ſuprà bis mille coronas aureas, magna celeritate confectas, prælatas* ſcribit, atque addit expreſsè; *dona ciuitatum, aut legionum quibus præfuerat.* Habes & intellegis, opinor, de Coronis & Coronario. AVD. Satis. ſed quid iis poſt prælationem factum, aueo equidem ſcire. LIPS. In tẽplis, & Capitolio maximè, videntur dicatæ. Plinium eò traxerim, de Coronis: *Inde natum, vt etiam triumphaturis conferrentur, in tẽplis dicanda.* Nam etſi de alijs ibi coronis, tamen in occaſione tangit hunc morem. Liuius, de legatis Saguntinorum: *Non grates tantùm agere iuſſi ſumus, ſed donum hoc etiam, ſi vos permitteretis, coronam auream, in Capitolium, victoriæ ignum, ferre.* Quod itaque ſuprà, in Velleio erat: *Præterquã Capitolio intulit*: huc referri poteſt, vt non venerint in rationes illas *Coronæ*, & alia dona ſiue aurum, quæ Iouis Capitolino Pompeius intulit aut dedit. Mos enim ita fuiſſe videtur: vel ex Suetonij de Auguſto notâ. quẽ ait ſedecim *millia pondo auri, vnâ donatione, in cellam Iouis Capitolini contuliſſe*: quod fecit ſtatim ab Ægyptiaco triumpho. Imò & Triumphale ipſum aurum interdũ, aut pars eius, ibi cõdita. ex Plinio, qui *duo millia põdo auri periſſe, Põpeij tertio Conſulatu, è Capitolini Iouis ſolio, à Camillo ibi cõdita*, ſcribit: fortaſſe vt religio magis ſeruaret. Atque ad hoc etiam tale aurũ referendum videatur, quod Suetonius in Cæſare notat: *Eũ primo conſulatu tria millia pondo auri furatum è* CAPITOLIO, *& tantumdem inaurati æris repoſuiſſe.* Planè hoc eſt. nam de Ærario compilato, ad alterũ Conſulatum facit, nec id quoque in Capitolio. Solẽt tamen & alia tẽpla Auro coronario exornare. vt Auguſtus de ſe, in lapide Ancyrano: *In Capitolio; & in æde Diui Iulij, & in æde Apollinis, & in æde Veſtæ, & in templo Martis Vltoris conſecraui, quæ mihi conſtiterunt circiter* (*millenis*) AVRI CORONARI *pondo triginta quinque millibus.* At prior Cæſar, Coronas ſuas in triumpho ductas vendidit, & ex earum pretio militibus promiſſa perſoluit. quod ita Appianus.

Lib. xlix. — Lib. xlii. — Lib. xlviii. — Orat. de Regno. — Lib. de Goth. — Libro xxxiii. — Lib. xxxiii. cap. I.

CAPVT X.

Impenſæ publicæ in Militem, Magiſtratus, Populum: & de Frumentatione.

PERAGRAVI & emenſus ſum *Triumphalem* viam. tempus deſinere, nec addere vltrà, ſed erogare

A Nónne videtur Auditor? Avd. Certè videtur. nam ego cenſeo, niſi expendimus largiter, omnem Romam iam illationibus tot aui implendam. Lips. Ego verò exhauriam, & expendam non loculis, ſed totis ſaccis: vt ipſum iterùm miraturus ſis, vnde ad tot Expenſas vllæ Opes. Oceanus ſi Ærarium fuiſſet, dixiſſes deſiccandum. Impendia igitur ſub Principibus (vltenora omittam) Duplicia fuere, *Neceſſaria*, & *Arbitraria*, ex quibus ſanè colligas immenſas & verè ADMIRANDAS quaſdam opes. Nam Neceſſaria illa impendia, ferè trium generum: in *Militem*, in *Magiſtratus*, in *Populum*. De militibus res clara eſt, Stipendiis alendos, Emeritis proſequendos: & id perpetuò, in legionibus & præſidiis perpetuis iam factis. Hæc parntè non exſequor, ſatis à me in *Romanâ Militia*, & * alibi, factum. De Magiſtratibus, intelligo duplices fuiſſe, in quos largiter & ſtatim expendendum: *Vrbanos* & *Prouinciales*. Vrbanis quidem Auguſtus inſtituit, ad onera ſubleuanda, ad ludos præbendos, & talia, aliquid dare: præſertim Prætoribus, quaſi ex lege. *Prouinciales* autem, vel plurimum auferebant, vt ipſi plures, & per prouincias diſpetſi. Nam ita Suetonius: *Auctor & aliarum rerum Senatui fuit, in quis, vt* PROCONSVLIBVS *ad mulos & tabernacula, quæ publicè locari ſolebant*, CERTA PECVNIA *conſtitueretur*. Et quamquam *Proconſules* modò nominat, tamen * longiùs ſpectauit, & *Præſidibus* communiter, aut & *Procuratoribus* aliiſque *Officiis* datum. Quanta ea expenſio fuit & immenſa, vel hoc argumento: quòd Cicero L. Piſoni obiicit, eunti in Macedoniam, vt Proconſuli, *ſeſtertium centies octogies, quaſi Vaſarij nomine, datum*. Ad ſola Vaſa, inquam, id eſt ornatum & inſtructum tot illa ſeſtertia data ſcribit; & obiicit, non quia contra morem fuerit, ſed quia ſupra modum. Nimium adſignificat, colluſione quadam, ad tributum. Quid igitur? eſto vel * *Centies* tantùm ſumma ordinaria: eſto vel *Quinquagies*: in tot illis talibus, nónne immenſum accreſcet? Et plura accedunt huic generi, vt *Curatores* variorum munerum alendi, vel ornandi; vt *Legati* exterarum gentium admittendi, & munerandi: & quæ ſcimus in omni Republicâ eſſe. Iam de *Populo*, perpetui etiam & certi in eum ſumptus: & præſertim ad Alimenta. Nam iamante inſtitutum, Principes tenuerunt, vt plebem egenam aut tenuem perpetuâ frumentatione paſcerent; atque eâ magno labore & ſumptu parandâ, aduehendâ, & tum gratis diſtribuendâ. Mira hæc res ſit, ſiquis conſideret: & planè inter omnis æui, omniúmque gentium, ADMIRANDA. Sed tractaui olim in Electis: quid nunc retractem? Avd. Imò obſecro Lipſi, hîc ei ſuus locus eſt: & quid ſi aliquid firmius aut plenius tibi obſeruatum? Lips. Obſeruatum, non nego: vt in talibus dies diei eſt doctor. Breuiter dicam, quæ pro noſtro argumento. Frumentano igitur vetus Romæ, & ab ipſo etiam Senatu. Ille in rebus & annonâ arctâ, quaſi benignus pater, miſeritus plebis, frumentum aliquando diuiſit, non tamen nullo, ſed modico ære. Acceſſere Tribuni ſtatim, & hoc tam populare ſibi vindicarunt, variis Frumentariis legibus latis. Vltimus in hac re Clodius, *Annonariam legem tulit, vt frumentum, quod antea populo ſemiſſe æris ac trientibus in ſingulos modios dabatur*, GRATIS *daretur*. Ita Aſconius: atque hæc origo deinde & continuatio gratuiti frumenti fuit. Senatus quidem, ſtatim à coniuratione Catilinæ, largitione hac tali vſus erat, auctore ipſo Catone: ſed neſcio, an ſine vllo pretio. In Plutarcho hoc ſic narratum, ſed verbis quæ penſitanda ſunt. Ait, *C. Cæſarem in Præturâ res nouas tentaſſe, populo ſuſpenſo & mobili, ob Catilinarias illas* *turbas. Cato igitur, vt præueniret*, ἔπεισε τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν τὸν ἄπορον καὶ ἀνέμητον ὄχλον εἰς τὸ σιτηρέσιον. ἀναλώματος μὲν ὄντος ἐνιαυσίου χιλίων καὶ διακοσίων καὶ πεντήκοντα ταλάντων: *ſuaſit Senatui aſſumere egenum & non diſtributum populum ad frumentationem, etſi ſumptus eſſet mille ducentorum quinquaginta talentorum*. Id ſit *trecenties* HS. more Romano; noſtro *ſeptingenta quinquaginta millia* Philippicorum. Vides igitur impendium in hanc rem, quod illo æuo fuit: etſi alter Plutarchi locus (in Cæſare) minuit nonnihil, & vbi de hac ipsâ re agit, numerat ſumptus non niſi *ſeptingentas quinquaginta myriadas drachmarum* quod ſit Latinis, *ducenties vicies* HS: nobis, *quingenta quinquaginta millia* Philipporum. Sed verius eſt, B hunc locum reſcribendum, augendúmque ad illum priorem. Opinor autem & creuiſſe poſteà impendium, latâ lege Clodij, quæ totum frumentum gratificaretur, de quâ dixi. Quin & ſub Imppp. largiter creuiſſe, cùm plures adſcriptis, & claſſes etiã inſtructæ (haud dubiè magno impendio) ad tranſuehendum. Quis tamen numerus accipientium fuit? reperio aliquando ad *trecenta viginti millia* copiſſe: ſed Iulius Cæſar minuit. de quo ita Suetonius: *Ex viginti trecentiſque millibus accipientium frumentum è publico, ad centum quinquaginta retraxit*: aut ſi Dionem audis, *ad centum ſexaginta*: quia dicit ad *mediam partem redactos*. Paruum diſcrimen: ſed Auguſtus deinde auxit, & *ducenta millia* fecit, an & Tiberius? etſi ille C minimè popularis, tamen recenſet in Senatu (apud Tacitum) *quibus è prouinciis, & quanto* MAIOREM *quàm Auguſtus, rei frumentariæ copiam aduectaret*. Ergo in plures, niſi fallor, diſtribuendam. Avd. Mehercules Lipſi, grandis hic numerus: & tot illi Romæ pauperes? Lips. Pauperes, aut ſaltem qui ſubleuari gauderent: inter quos liberti, & id genus; maximè fuêre. Dionyſij locus notabilis, admonentis multos ideò manumitti. ἵνα τὸν δημόσιον διδόμενον σῖτον λαμβάνοντες κατὰ μῆνα, καὶ εἴ τις ἄλλη παρὰ τῶν ἡγουμένων γίγνοιτο τοῖς ἀπόροις τῶν πολιτῶν φιλανθρωπία, φέρωσι τοῖς δεδωκόσι τὴν ἐλευθερίαν: *vt frumentum, quod publicè datur, accipientes in menſes ſingulos, & ſiqua alia liberalitas Principum in pauperes fiat, id totum Dominis ferant à quibus facti ſunt liberi*. Vides fraudes, quæ D etiam factæ: aut ſaltem, quomodo, quos puderet ipſos è publico paſci, id fecerint ſuccidaneâ libertorum perſonâ. Avd. Aliquoties iam audio de *menſtruo frumento*: ergóne ea diſtribuno? Lips. Illa ipſa, & in cuiuſque menſis initio (ſiue *Nonis*, vt Suidæ viſum, vnde & *Annonas* ridiculè deriuat) accipiebant. Quomodo? per *Teſſeras*: quique eas habebat, ad *Curatores frumenti diuidendi* ibat, munus inſtitutum ab Auguſto. Quatuoruiri enim erant, iique ex honeſtioribus, & qui ante quinquennium Præturâ functi eſſent: quod Dio notauit. Etſi *Præfectus* etiam *annonæ* proprius, illuſtri honore: ſed qui de aduehendo & adſeruando in horreis ſatageret, non propriè de diuidendo. Multa circa hanc rem: ſed minuta quid E opus exſequi? de numero iterùm aliquid videamus: in quem videtur Seneca tenuiores omnes ciues incluſiſſe. *Frumentum*, inquit, *publicum tam fur, quàm periurus, & adulter accipiunt, & ſine diſcrimine morum* QVISQVIS CIVIS *eſt*. Sed ita tamen accipio, vt admitti debuerint & inſcribi: atque ideò meliores libri referunt: *quiſquis inciſus eſt*. In tabulas nempe, huic rei factas. Sed de numero tamen capientium iterùm ſub Principibus fluctuo. Dixi de Auguſti *ducentis millibus*: ſed P. Victoris, quem Schottus noſter vulgauit, ſcriptio videatur augere. Nam ait diſertè: *Huius* (Auguſti) *tempore, ex Ægypto vrbi annua ducenties centenûm millia frumenti inferebantur*. Modios

Marginal notes: * Cōm. I. ad Ann. Tac. — Cap. xxxvii. — * et ſolet Suetonius largiter ea … — * 150000. 25000. — Vide Nonium. — Lib. IIII. — Lib. LIIII.

ſanè intelligit : ſed quanta ea ſumma ſit ex ſolâ Ægypto? Atqui Africa iam addenda eſt, quæ duplum ad Ægyptum dedit. Hoc enim ita palàm & adfirmatè Ioſephus ſcripſit, in oratione Agrippæ regis ad Iudæos: *Africam octo menſibus populum Romanum paſcere, Ægyptum autem quaternis.* Valdè notabilis locus: & idem eſt in Hegeſippo, qui tráſcripſit. Ex hac igitur ratiocinatione, frumentum vrbi illatum annuum fuerit *ſexcenties centena millia modiorum.* Sunt in dies circiter, *centum ſexagintaquattuor millia octogintatria.* Heu, ingentem copiam! & quæ ſufficiat, ſi inſpicis, vel *vicies centenis* hominum *millibus* alendis. Nam Modius paullò plus minúſve Romanis pendit xxv. libras: ſed Romanas tamen libras, id eſt duodecim vnciarum. Avo. Hem Lipſi, & tu credis hæc vera eſſe? qui poſſunt? nam antè duntaxat de *ducentis millibus*, aut largiſſimè, *trecentis viginti* frumentantium eſt dictum. Lips. Dictum. ſed nempe etſi non plures caperent, plures tamen fruebantur & alebantur. Nam cenſendum eſt, pleroſque iſtorum qui caperent, Patresfamilias fuiſſe, vxorem, liberos, ſeruulos habuiſſe. Itaque largius valdè quàm in vnum caput capiebant: & videtur teſſera ſiue donatio ordinaria fuiſſe in ſingulos, *decem modiorum*, quod in Electis notaui. Iam & hoc cogitandum, plures etiam in conſortium huius frumenti veniſſe. An non probabiliter Vrbanos illos omnes milites? ſanè in Herodiano lego, *Seuerum, præter alia quæ indulſit, militibus etiam τὸ σιτηρέσιον ſiue frumenti modum auxiſſe.* Quid ipſam deinde Aulam & Palatinos? nónne item probabile annonas ſuas hinc accepiſſe? An non & Claſſiarios ipſos in Italia milites? Hæc conſiderari & colligi pro Victoris ſcriptione poſſunt: quæ mihi tamen, vt rem dicam, *parùm eſt certa. Ingens frumenti copia ſit, & ex duabus prouinciis tantùm. An igitur placeat in eo corrigi, *ducenties centena millia?* Ita vniuerſa illatio fuerit, cum illo Africano, *trecenties centena millia*: larga profectò ſatis & laxa, cùm hæc in diem tolleret ad *millia hominum circiter ſeptingenta.* Facit pro emendatione, quod Spartianus de Seuero ſcribit: curioſè proſpexiſſe rei frumentariæ, *& cùm moreretur, reliquiſſe ſeptem annorum Canonem, ita vt* COTTIDIANA LXXV. *millia modiorum expendi poſſent.* Magna prouidentia eius Principis, ſoliciti in ſeptem annos: ſed & Canon ille diurnus opportunè expreſſus, qui proximè ad noſtra *trecenties centena millia* (tecum computa, ſi voles) proximè, inquam, accedit. Minuiſſe tamen paullatim hic Canon videtur: ſiue quia Principes in alia diſtribuerent; an & quia minus, prouinciis iam effœtis, inferretur? Sanè Conſtantinus egregiè minuit. qui ſedem & affectum ſuum Byzantium transferens, vt in aliis Nouam hanc Romam cum illâ Veteri, ſic & Frumentatione voluit in parte æquare. Nam claſſem Ægyptiacam Byzantio deſtinauit, relictâ Romæ duntaxat illâ Africanâ. Hæc diuiſio deinceps manſit: niſi quòd Byzantini frumenti modum tamen minuit filius eius Conſtantius, offenſus plebi ob ſeditionem temerè & aſperè motam. De eâ re Eccleſiaſtici noſtri ſcriptores: qui & numerum exprimunt frumenti. In Nicephoro Calliſtu eſt: *Octo myriades medimnorum frumenti quotannis à Conſtantino data plebi fuerant, cuius dimidiam partem Conſtantius diminuit.* Atque iſte totum Frumenti modum annuum facit, non niſi *octoginta millium medimnorum*: quæ ſint Romanis circiter *quadringenta octoginta modiorum.* Haud magna, nec pro priſcis opibus, largitio: quam tamen & Socrates ita firmat. Ἐζημίωσε δὲ τὴν πόλιν ἀφελὼν τὸ σιτηρέσιον τὸ σιτοδοτούμενον παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἡμερήσιον, ὑπὲρ τέσσαρας μυριάδας. Ὀκτὼ γὰρ ἐγγὺς μυριάδες ἐχορηγοῦντο πρότερον τοῦ

*vide Nouæ.

Lib. ix. cap. vii.

A σίτου, ἐκ τῆς ἀλεξανδρέων κομιζομένου πόλεως: *Mulctauit vrbem, auferens frumenti quod pater eius in dies adſignauerat, ſuper quattuor myriadas. Octo enim myriades circiter anteà dabantur, inuehebanturq; ex vrbe Alexandria.* Dicit quidē ille σιτηρέσιον ἡμερήσιον, *diurnum frumentum*: ſed exuberat ille modus in dies ſingulos, nec aliter ſentit quàm de diuiſione dūtaxat diurnâ. At annua ipſa illatio, tanta: id eſt, *mille trecenti* in diem circiter modij, vix quattuordecim aut quindecim millibus hominum paſcendis. Heu, quātum minuimus? atque idem in ipsâ Româ veteri factum, Olympiodori locus (apud Photium, in Bibliothecâ) attendenti oſtendit. Excerptum ibi legitur: Ὅτι μετὰ τὴν κατὰ γότθων ἅλωσιν τῆς ῥώμης, Ἀλβῖνος ὁ τῆς ῥώμης ἔπαρχος, ἀνα-
B ζώσης πάλιν ἐπανάγεσθαι [illegible], ἔγραψε, μὴ ἐξαρκεῖν τὸ χορηγούμενον μέρος τῷ δήμῳ, ἤδη πλῆθος αὔξειν τῆς πόλεως ἐπιδιδούσης. ἔγραψε δὲ καὶ ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ τὸν ἀριθμὸν χιλιάδων ιδ. [illegible]: *Poſt Gothorum inuaſionem & direptionem Romanam, Albinus Præfectus vrbis, rerum nunc eâ inſtauratâ ſcripſit, Non ſufficere populo modum qui inferretur, cum vrbs iam in multitudinem largiter excreuiſſet. Scripſit autem, & in vnam diem ſtatutum numerum quattuordecim* millium.* Verba, quæ expreſſim de Frumento non habent; ſed eò referenda eſſe, mecum cenſebit, qui examinabit. Ergo diurnus tunc modus (ſub Honorio) *quattuordecim mille* modij. qui & ipſe minuit aut periit cum imperio ipſo Romano. Theodoricus tamen rex Gothorum (ſanè,
C vt in illâ gente, laudandus) ſpecimen aliquod veteris moris reſtituit: & in Ricobaldo quodam ſcriptum: *A Romanis cum gaudio ſuſceptus eſt, quibus ille ad ſubſidium tritici ſingulis annis* CXX. *millia modiorum conceſſit.* Sed quid ad iſta eo? ADMIRANDA mea non horum temporum: quin priorum etiam Principum æuo (circa Flauiorum imperiū) panis diſtribui, non ipſum frumentum, cœpit: credo, quia lucrum aliquod ex eo fiſcus captaret; & quo minore modo in plures largitio ſpargeretur. Is *Panis gradilis* dictus; quia in gradibus diuideretur, idem *Fiſcalis*, quia è publico & fiſco. Commentarius Perſij vetus, ad illud — *populi cribro decuſſa farina. Panem non delicioſiùs cribro diſcuſſum,
D ſed plebeium de populi annonâ, id eſt, Fiſcalem dicit.* Eos panes *bilibres* fuiſſē, ex Vopiſci Aureliano dicā. *Nam Aurelianus*, inquit, *eo tempore quo proficiſcebatur ad Orientem, bilibres coronas populo promiſit, ſi victor rediret. Et cùm aureas populus ſperaret, neque Aurelianus aut poſſet, aut vellet, coronas eum feciſſe de Panibus qui* NVNC *Siligines appellātur, & ſingulis quibuſque donaſſe, ita vt Siligineum ſuum* COTTIDIE *toto æuo ſuo vnuſquiſque reciperet, &* POSTERIS SVIS *dimitteret.* E quibus inſpectis planè affirmaueris, *Bilibres*, & in *Capita* ſic datos fuiſſe. Avo. Quomodocunque Lipſi, tamen magna illa, & in magno modo (Seueri canon dicit) largitio, & mihi ſemper ſtupenda. Lips. Quid ſi accumulo, & obſonium etiam addo? *Nam idem Aurelia-
E nus* (Vopiſci item verba) *& porcinam carnem populo Romano diſtribuit quæ* HODIEQVE *diuiditur.* Quando *hodieque?* ad tempora vſque Conſtantini. Simile in *Oleo* ſuit. quod perpetuum populo dedit & inſtituit Imp. Seuerus. *Vinum* etiam, vt nequid deeſſet, Aurelianus ſtatuerat, ſed morte præreptus non fecit. Satis hæc mi Auditor, cetera in Electis meis vide.

*Modiῶ ὀργτοι.

Cap. XI.

Impenſa in Ludos carptim oſtenſa.

TRANSIMVS ad *Arbitraria* impendia: quæ trium item generum maximè fuerunt. In *Ludos, Opera, Dona*: in *Ludos* ſingulatim ſi perſequar, aut exempla accumulem; ſeorſim Theatrum mihi ſtruendum ſit,

& non

& noui aliquot ſermones. Capita impendiorum dicam. de quibus vniuersè ſic Lactátius: *Quid dicendum eſt de iis, qui populari leuitate ducti, vel* MAGNIS VRBIBVS *ſuſſecturas opes exhibendis* MVNERIBVS *impendunt?* Item Ambroſius: *Magiſtratus in theatris, mimis, & athletis, gladiatoribus, aliiſque huiuſmodi generibus hominum* TOTVM PATRIMONIVM *ſuum largitur & prodigit vt vnius horæ fauorem vulgi acquirat.* Meritò damnant noſtri Patres damnoſam hanc inſaniam, & quæ priuatos homines bonis per ludum exuit; Principes ipſos attenuat & delibat. Atque id diſcere cùm ex frequentiâ eorum potes, tum ex apparatu. Vnus Auguſtus *feciſſe ludos ſe dicit, ſuo nomine quater & vicies, pro aliis magiſtratibus, qui aut abeſſent, aut non ſufficerent, ter & vicies.* Ego vix arbitror, vllos ex iſtis Principalibus ludis minoris *quingenties,* aut & *millies ſeſtertio* ſtetiſſe: quod Apparatus & Pompa facile perſuadebunt. Nam ecce in ipſo Theatro, Amphitheatro, aut Circo adornandu qui ſæpe ſumptus? cùm ſemper gratia aliqua & illicium nouitatis in ipsa formâ quæreretur: & Nero (pro exemplo) *Theatrum totum, non Scænam eius tantum, auro illeuit & obtexit. Sed & quidquid illatum fuit, & omne inſtrumentum ac choragium, aureum: itemque vela quæ ſuperne contra ſolem obumbrabant, purpurea tota & aureis ſtellis interſtincta. Ex quo & dies ille Aureus appellatus.* Dio Caſſius hoc in Nerone. & Plinius id ipſum adſignificauit. *Nero Pompeij theatrum operuit auro, in vnum diem, quo Tiridati regi Armeniæ oſtenderet.* Quid Iulius Cæſar, ante Neronē, & nondum Princeps? *Is primus in Ædilitate, munere patris funebri,* OMNI APPARATV *arenæ* ARGENTEO *vſus eſt. feráſque argenteis haſtilibus laceſſere, tum primum viſum. Mox quod etiam in* MVNICIPIIS *æmulantur, C. Antonius ludos ſcænâ argenteâ fecit.* Cæſar igitur hoc *primus:* ſed non vltimus. & quod Plinius addidit, paſſim & in Coloniis ac Municipiis Argenteæ iam ſcænæ. Ideò non poſſum, vt rarioris operæ aut magnificentiæ admirari, quod Plinius, vt tale, ſcripſit eodem illo loco: *Item L. Murena, & Caius Princeps, in Circo pegma duxit, in quo fuêre argenti pondo* CXXIIII. Tu hoc Plini notabile duxiſti? *centum viginti quatuor* pondo argenti? quis ex equite, & pænè dixerim plebe, tunc non inſumpſerit? Lege * CXXIIII ∞: id eſt, *centum viginti quatuor millia.* nec id pro Caio aliquo ſit magnum, imò nec pro priuato nimium, quia argentum recipiebant, nec totum peribat ſi tamen vellent. Plura eiuſmodi ornamenta aut inſtructus erant, & quædam in libello noſtro Amphitheatrali diximus: & vis nunc vnum & extremum furorem? Heliogabalus Imp. (ait Lampridius) *fertur in Euripis vino plenis natales Circenſes exhibuiſſe.* Tu cogita quantum vini profuſum, foſſis illis & Euripis in Circo ita completis, vt naues inter ſe concurrere, ac certare de velocitate poſſent. Quid iam dicam tot *Gladiatorum* millia, tot *Ferarum* ex toto orbe quæſitarū? tot equorum nobilium? in vitâ actiſque Principum aſſidua hæc legis. Addo huc *Miſſilia* & *Sparſiones* in populum, id eſt Teſſeras ligneas cum notis rerum, aut interdum res ipſas, magno certamine diripiendas. Quæ item velut legitima iam erant in omnibus ludis, ad populum illiciendum. Horum pretia & ſumptus, ex Neronianis iſtis colligantur, apud Suetonium: *Sparſa & populo miſſilia omnium rerum per* OMNES DIES, *ſingula cottidie millia auium, cuiuſque generis multiplex penus, teſſeræ frumētariæ, veſtis, aurū, argentū, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, iumenta atque etiā manſuetæ feræ: nouiſſime,* NAVES, INSVLAE, AGRI. Notetur hæc iactatio. quanta ea, & quantarum rerū? Præter aurum, gemmas, margaretas, *Inſulas* & totos *Agros* dedit: *Inſulas* nempe vrbanas, & habitabiles domos. O res vix Suetonio fidiſſimo teſti credendas! Sed accedit & Dio ſimilia aſſerere: *Omnia,* inquit, *delicatiſſima quæ homines comedūt* (ad *Penum* Suetonij pertinet:) *omnia pretioſiſſima, equos, mancipia, eſſeda, aurum, argentum, variam veſtem, hæc dabat per ſymbola quædam & teſſeras. Globulos enim paruos inſcriptos, vt quæque eorum erant, hos iaciebat in populum, & reipſa mox dabatur, quod quiſque eorum in teſſerà haberet.* Neque Nero hæc ſolus: de more fiebat, etſi alius largius parciuſque, pro opibus, præberet. Titus ſanè Veſpaſianus filius, item profuſiſſimè, in ludis quos per *centum dies,* dedicatione Amphitheatri ſui, fecit. Dio Caſſius de eo: παρέσχε δέ τινα καὶ ἐς ὠφέλειαν φέροντα αὐτοῖς. σφαιρία γὰρ ξύλινα μικρὰ ἄνωθεν ἐς τὸ θέατρον ἐρρίπτει σύμβολον ἔχοντα, τὸ μὲν ἐδωδίμου τινός, τὸ δὲ ἐσθῆτος, τὸ δὲ ἀργυροῦ σκεύους, ἄλλο χρυσοῦ, ἵππων, ὑποζυγίων, βοσκημάτων, ἀνδραπόδων, ἃ ἁρπάσαντάς τινας ἔδει πρὸς τοὺς δοτῆρας αὐτῶν ἀπενεγκεῖν, καὶ λαβεῖν τὸ ἐπιγεγραμμένον: *Dedit & quadam, vtilitatem, non ſolùm voluptatem, ſpectantibus præbentia. Nam globulos ligneos quoſdam de loco ſuperiore in theatrum iaciebat, qui ſymbolum haberent, hic alicuius eſculenti, ille veſtis, alius argentei vaſi, alius auri, equorum, iumentorum, mancipiorum; quæ oportebat eos, qui rapuiſſent, ferre ad Curatores ludorum, & ab iis accipere quamque rem inſcriptam.* Credis tu hæc per tot illos centenos dies fieri potuiſſe ſine impenſa *bis terque millies* HS.? ego non opinor. & vbi ſumptus ludorū reliqui? Neque miror iam profectò Hadrianum, cum in adoptione Ceionij Commodi multa in populum profudiſſet per ſingulos ludos, & in militem: atque is Ceionius ægro corpore, vitalis non videretur: ſæpe dixiſſe, *Perdidimus quater millies* HS. *quod populo & militibus dedimus.* Qui ſunt ipſi noſtri *decem milliones.* Sed dices. Principum virorum modò hæc fuiſſe. Erras. de Milone, hoc iam olim Cicero, *tria patrimonia in has res effudiſſe:* de Meſſallâ quodam Vopiſcus, cum ſtomacho iſta narrat: *Legat hunc locum Iunius Meſſalla, quem ego liberè culpare audeo. Ille enim patrimonium ſuum ſcenicis dedit, heredibus abnegauit. matris tunicam dedit mimæ, lacernam patris mimo. & rectè, ſi auia pallio aurato atque purpurato pro ſyrmate tragœdus vteretur. Iam quid Lineas petitas ex Ægypto loquar? quid Tyro & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpurâ, plumandi difficultate pernobiles? Donatſ ſuntab Atrebaticis birri petiti, donati birri Canuſini, Africanæ opes, in ſcæna non prius viſæ. Et hæc quidem idcirco ego in litteras miſi, vt futuros editores pudor tangeret, ne* PATRIMONIA SVA, *proſcriptis legitimis heredibus, mimis & balatronibus deputarent.* Sed diſtinctiſſimè verò, & expreſſis ſummis, aliquid Olympiodorus: Ὅτι Πρόβος ὁ παῖς Ἀλυπίου, τὴν πραιτοῦραν ἐπιτελῶν, διὰ δώδεκα κεντηναρίων χρυσοῦ ἀνάλωσεν. Σύμμαχος δὲ ὁ λογογράφος, συγκλητικὸς ὢν τῶν μετρίων, τοῦ παιδὸς Συμμάχου τὴν πραιτοῦραν τελοῦντος, εἴκοσι κεντηνάρια ἐδαπάνησε. Μάξιμος δέ, εἷς τῶν εὐπόρων, εἰς τὴν τοῦ υἱοῦ πραιτοῦραν, τεσσαράκοντα κατεβάλετο κεντηνάρια. ἑπτὰ δὲ ἡμέρας οἱ πραίτωρες τὰς πανηγύρεις ἐτέλουν: *Quòd Probus, filius Alypij, cum ipſe Præturam gereret,* * *duodecim centena pondo auri abſumpſit. Symmachus verò, ille orātor* (eſt noſter, qui in parte extat) *Senator* VNVS E MEDIOCRIBVS, *in filij Symmachi Præturam* * *viginti centenarios effudit. At Maximus, ſcilicet e ditioribus, item in filij Præturam,* * *quadraginta. Edebant antè ludos Prætores, non niſi* SEPTEM DIEBVS. Vide dies, vide ſūptus, quanto immaniter plus olim aliquanto ſcilicet tunc reſp. florentior, & maiores priuatim opes. Sed & inſtitutione illo æuo ipſi Conſules (nam hæc de Prætoribus) opinor, largius. de quibus in * Codice Iuſtinianæo lex eſt, quæ *ſpargendi vilitate* (ita loquitur) *ſublata, tunc*

Lib. vi. Inſtit.

Serm. xxxi.

Sueton.

Lib. xxxiii.

* Faciunt 240000. Philipp.

In Carino

* 120000. aureos

* 200000 aur. or.

* 400000 aureos.

* Lib. xii. Tit. De Cō ſulibus.

loco ad reparationem Aquæductuum, centena pondo auri præſtari per ſingulos conſulatus decernit. Atque id in imminutionem, & pro beneficio. ſi igitur ſola Sparſio (id eſt, miſſilia in populum) tanti; quid reliqui omnes ludi, & eorum apparatus? Et de Ludis hæc quoque ſufficiant in ſpecimen: de * *Operibus*, in proximum ſermonem differo & protollo.

Lib. de Oper.

CAP. XII.

Dona Principum effuſa, & primò Iulij Cæſaris.

DONA ſequuntur, magnitudine ſuâ & frequentiâ non iã inter ADMIRANDA, ſed STVPENDA. Siquis Midas fuiſſe fingatur, qui omnia tactu faciat aurea; defecerit inaurare, quantum iſti ſunt largiti. Per Principes aliquot lubet ire, & hoc oſtendere: ordiárque à capite ipſo, CAESARE IVLIO. De illo vniuerſè ita Suetonius: *Nullum* LARGITIONIS *aut officiorum genus in* QVEMQVAM, PVBLICE PRIVATIMQVE *omiſit*. Vis magis partitè? Idem ſcriptor: *Militibus ſingula interdum* MANCIPIA *vel* PRAEDIA *viritim dedit*. Ecce. vbi vos Curij aut Fabricij, qui ipſi Imperatores vix *ſeptena iugera* habebatis? nunc miles aliquis capit ab iſto donatore *Prædia* tota. Hæc & plura (mox dicenda) in militem: quid in Senatum & digniores? Idem iterùm Suetonius: *Parte magnâ Senatus gratuito, aut leui fænore, obſtrictâ, ex* RELIQVO *quoque ordinum genere vel inuitatos, vel ſponte ad ſe commeantes,* VBERRIMO CONGIARIO *proſequebatur*. Nec hic finis: extra vrbem quoque & Italiam ea largitas ſe diffudit. & *non minore ſtudio* (idem Suetonius) *Reges atque Prouincias per* ORBEM TERRARVM *illiciebat: alijs captiuorum* MILLIA *dono offerens, alijs quò vellent, & quoties vellent, Auxilia ſubmittens. ſupérque Italiæ Galliarúmque & Hiſpaniæ, Aſiæ quoque & Græciæ potentiſſimas* (ſiue placet, *potiſſimas*) *vrbes præcipuis* OPERIBVS *exornans*. Quid tibi iſte vir videtur? mihi, nil niſi nouus quidam Triptolemus; qui ſublimi vectus curru, ſemina non frugum, ſed liberalitatis ſuæ, per terrarum orbem ſpargit. Atque hæc, quò magis mirêre, priuatus Cæſar fecit, & nondum in faſtigio illo Principali. AVD. Affatim miror: & vnde Cæſari, nondum Cæſari, opum iſta vis? LIPS. Magis mireris, ſi accogites, iam ab adoleſcentiâ profuſum hunc fuiſſe, & grandi alieno ære oppreſſum. Plutarchus apertè; *debuiſſe eum*, PRIVSQVAM VLLVM MAGISTRATVM CAPERET, (nota, de valdè igitur iuuene) *mille trecenta talenta*. Ea ſunt nobis *ſeptingenta octoginta millia* Philippicûm. Quid verò iam in ipſis magiſtratibus? materies & cauſſa amplior largiendi. Itaque Appianus ſcribit, *euntem ex Præturâ in Hiſpaniam, creditoribus retinentibus, dixiſſe ioco: Millies ſibi opus eſſe,* VT NIHIL HABERET: id eſt, vt ſolùm æs alienum ſolueret, in ſuo nihil haberet. Ea reddunt *viciesquinquies centena millia*: nec ambige, neque doctiſſimum Budæum audi (neſcio quâ cauſſâ) minuentem. Græca palàm ſic voluit: ὅτι δέοιτο διχιλίων καὶ πεντακοσίων μυριάδων: & Drachmæ intelligendæ, ex Græcorum more. Ego verò ampliùs credo, auxiſſe etiam in conſulatu & deinceps ad Principatum; vt hominis huius ingenium erat, tantùm vt daret quærentis. Sed vnde, aiebas, habuit & repoſuit? Non longè te duxero. Gallias noſtras vide: iſte fons, è quo hauſit. Diuites tunc herclè Prouincias, ſed quas fulmen iſtud afflauit & amboſſit. Nam quomodo ſe in iis geſſerit, breuiter Suetonius: *In Galliâ, fana templáque Deûm, donis referta, expilauit; vrbes diruit ſæpius ob prædam quàm ob delictum*. Denique è tot prœliis, acceſſit ingens captiuorum multitudo, è quâ diuenditâ pecuniam redegit. In ſolâ Galliâ *decies centena millia virorum in acie cepit*: quod Appianus ita tradidit, & *totidem occidit*: dico *virorum* & in acie: quid iam mulierum & puerorum? Nam nec his parcebant, imò vel vberrima ex eâ venditione præda. Has ſolas manubias ſi æſtimas; accedes vel ad *triginta milliones*, & contractâ ac parcâ capitum æſtimatione. Iam in ipſis oppidis, & agris, quanta prædarum ſeges? omitto, tu cogitabis. Sed lubétne ſingulatim inſpicere viri dona? Ecce, inſtante ciuili motu, in Galliâ cùm eſſet, *L. Paullum Conſulem deſignatum, mille quingentis talentis flexit, ne contra ſe ſtaret: Curionem, qui ære alieno obrutus, maiore etiam ſummâ, vt pro ſe ſtaret*. Illa tot talenta reddunt *nongenta millia* Philippicûm: id eſt pœnè millionem, in virum vnum. Quid iam in Curionem? ampliùs longè dedit, vt Appianus dixit (nam eius ea verba ſcito:) & niſi fallor, ipſum æs alienum eius totum exſoluit. Nec fallor, & Dionem clarè hoc ita meminì ſcripſiſſe. Atqui æs illud fuit *ſexcenties* HS. quod Valerius Maximus prodidit: quî minus ergo dedit? Itaque Velleio numerale mendum inhæſit, cùm de iſtâ re, *Curionem centies* HS. ſcribit *accepiſſe*. Ille verò *ſexcenties*: & ita hîc reſcribe. Ea faciunt *quindecies centena millia* Philippicûm, quid niſi plurium Senatorum cenſus? Nec largitiones eius aliæ in primum ordinem ſcriptæ exſtant: etſi fuerunt, quod in Suetonio audiſti: & in magnos illos ſemper magnæ. Sequuntur Milites, quibus vnicè ſe dedit: atque idipſum priuatus. Certè adhuc in Galliâ, cùm Pompeius duas legiones, colore belli Parthici reuocaret; ipſe vt animos ſibi pigneraret, ſingulis abeuntibus *ducentas quinquaginta drachmas* diuiſit; quod Plutarchus, aliíque prodiderunt: id eſt, *viginti quinque* Philippicos noſtros. Cogita iam duplum in Centuriones, triplum quadruplúmque in Præfectus, & Tribunos: valdè ea largitio creſcit. Sed quid in ipſo iam bello ciuili? priuatim haud dubiè multa: communiter hæc largitio fuit, Suetonio expreſſa. *Veteranis legionibus, prædæ nomine, in pedites ſingulos, ſuper bina ſeſtertia, quæ initio ciuilis tumultus numerauerat, vicena millia nummûm dedit*. Rectè ita locus habet, & in optimis libris: quid opus eſt argutari, aut interpolare? Examinemus. *Veteranis legionibus*, inquit: non enim nouellis aliis: etſi & hæ, credo, aliquid habuerunt. Veteranæ autem illæ, *decem*. In *pedites ſingulos*, inquit: cur igitur equites omittit? quia non opus: ſicut nec Centuriones adiecit, quos notum ſcilicet erat duplum accepiſſe, de more. Etſi de equitibus hoc æuo, dubito: & olim quidem triplum etiam ſoliti accipere, ſed poſt Socios ciuitate donatos, palàm video nec honorem nec præmia tanta equitibus fuiſſe, qui plerique iam è Latinis. Pergit, *Super bina ſeſtertia*: ea ſunt *quinquaginta nobis* Philippæi: dedit, inquit, *vicena millia nummûm*. Ea ſunt ipſi Philippici *quingenti*: atque ij viritim, & in gregarios milites diuiſi, cùm duplum Centurionibus eſſet, Tribunis Præfectiſque alarum quadruplum. Proh fidem! (nam ſæpè exclamo, & cogor) quæ hæc præter ſtipendia, & alia lucella aut raptus, largitio eſt? quanta in tam multos? Ne milites noſtri audite, & exempla hæc aut cupite aut ſperate. Vnde enim Iulius, vnde Romanæ opes? AVD. Vnde & tibi animus ſic iſta credendi, & affirmandi? Nam alij viri docti trepidant, & in lectione commutant. LIPS. Nihil eſt. incogitantia hoc facit (imperitiam nolo dicere) veterum & largitionum,

& diui

& diuitiarum: quibus alia exempla mox atteſtabuntur. Etſi in hac re ſatis Græci ſcriptores, qui cum Tranquillo planiſſimè in ſummâ concordant. Nam Dio breuiter, ſed clarè, *militibus quinque millenas ſolidas Drachmas* datas ſcribit: Appianus fuſiùs & diſtinctiſſimè: *Militibus à triumpho, ſuperans etiam ea quæ promiſerat, legionariis drachmas Atticas quinque mille, Ordinum ductoribus duplum, Tribunis & Alarum præfectis iterum duplum dedit.* Viſne aliquid apertiùs? & cur huic conſenſui repugnemus? Nota autem nec Appianum aliquid ſeorſum de Equitibus, vt nec Tranquillum, dixiſſe. Sed quæ hæc *Promiſſa* ſunt, quæ Appianus ſignanter ſcribit *eum ſuperaſſe?* Opinor eſſe, quòd in pugnâ ad Pharſalum, *ſingulis millenas Drachmas* promiſerat: iterúmque, vt volentes in Africam ſequerentur, *alteras millenas.* quod vtrumque in Appiano leges. Largiter igitur exceſſit, niſi quid in ipsâ Africâ aut alibi etiam promiſit. A v d. Audéine in falce dare has ſummas omnes, vt magis attendam? L i p s. Licet. Fuerunt legiones decem, ſed veteranæ, & ideò parùm plenæ. Sunto igitur *triginta millia militum*: & ſingulis *quingentos* Philippici: faciunt, *quindecim noſtros milliones.* Vbi nunc Centuriones, Tribuni, Præfecti, atque ipſi Equites? Regum opes expenſas dices in donatione hac vnâ. Atqui an finis eſt? imò ſub ipſum idem tempus, largitionem ad Populum extendit. & vt Suetonij verbis hoc quoque dicam. *Populo, præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim diuiſit, ac centenos pro morâ.* A v o. Hic mihi vocem opus tollere, nec comprimo. Viritim toti populo tantum frumenti, olei, pecuniæ? L i p s. Moderor, ne clama: toti populo frumentario, nec vltra. Dio Caſſius ita reſtrinxit: [illegible] id eſt, *Populo, qui frumentum acciperet.* Ergo tenuiorem populum intelligit: & ſemel nota, Suetonium hic atque aliàs *populi* voce (præter morem antiquum) plebeculam iſtam ieiunam, & hirudinem ærarij deſignare. Qui tamen ipſe numerus grandis, & ſub hoc tempus *trecenta viginti millia* erant, qui è publico paſcerentur: quod antè dixi. Totus ergo ille populus accepit *quadringentos* nummos viritim: id eſt, *Minam*, vt Appianus expreſſit. Sunt Philippici *decem*: ergo in ſummam, *tres milliones ducenta millia* Vbi olei deinde modus, vbi frumenti? Mi Auditor, ad Ouidium eundum nobis eſt vt transformemur, & animos veteres, pro veteri æuo, capiamus. Noſtri homulli hodie, dicant mera mendacia me flare.

CAPVT XIII.

Auguſti Principis dona.

SEd vnum etiam Iulium vidimus; quid tot Cæſares qui ſecuti? & vt aliis minimè, tamen in liberalitate conſecuti, aut prægreſſi. A v o. Difficile creditu eſt. nam hic homo mihi videtur de ſe, quod olim Liuius Druſus, poſſe dicere: *Nihil ſe cuiquam ad largiendum, præter cælum & cœnum, reliquiſſe.* L i p s. Non ita eſt: opes iſtæ Vectigalium, & quas diximus, inexhauſtæ erant, & vt perennes quidam fontes fluebant. Itaque ad A v g v s t v m veniamus, qui non diuturnitate ſolùm imperij, ſed vereor vt liberalitate patrem ſuperarit. Dona eius quædam ante imperium, alia in ipſo ſunt, & illa magis miranda. Primùm *militibus & Euocatis, quos contraxit metu Antonij, aditâ hereditate Iulianâ, dedit ſingulis quingenas Drachmas.* Ita ipſe Appianus: interpres eius parùm prouidè *ſeſtertios* vertit. Is numerus Euocatorum, ad *dena millia* fuit: ergo *quingenta* hîc Philippæorum *millia*. Ampliùs. eodem penè tempore, cùm legiones Quarta & Martia ad ſe tranſiſſent ab Antonio, dedit ſingulis *totidem illas Drachmas*: iterúmque cùm in armis decurriſſent, & ſpeciem prœlij peritè aſſimulaſſent, *alteras totidem*: quæ certè fuerunt ad dictam facilè ſummam; & longè ſuprà, ſi Equites & Centuriones (quod nec antè feci) ſuo more computentur. Iam verò in ipſo primo Conſulatu, cum ſignis à Mutinâ motis vrbem intrauit; dedit qui ſe deduxerant, ſingulis *bis mille quingentas drachmas*, ſiue *ducentos quinquaginta* Philippæos: atque eæ *octo legiones* fuerunt. Minimâ legionum frequentiâ, ſurgent *ſex milliones*: & Equites ac Ductores omittentur. Vbi autem prædæ quas egit, aut ſpolia quæ cepit? adhuc nulla. Quò magis in A O M I R A N O I S hæ donationes tres, à priuato Octauiano, & ſolâ ſpe futuræ magnitudinis, ſuſceptæ & perfectæ. Atque hîc notandum in vltimâ, tranſiiſſe eam velut in legem; & ſolenne donatiuum hoc habitum, quoties legiones poſteà Principem in vrbem deduxiſſent. Certè Spartianus in Seuero tradit, *Milites per ſeditionem dena millia popoſciſſe a Senatu, exemplo eorum, qui Auguſtum Octauianum Romam deduxerant, tantúmque acceperant.* O peritos hiſtoricos vel antiquarios, & in rem ſuam lecta aptantes! Sed quarta etiam donatio à priuato, in qua lingua mihi hæret. A v d. Quiàne obſcœna aut turpis? L i p s. Non, ſed quia immenſa, aut certè immodica, & vereor refragatorem. A v o. Non merito: qui de cælo tacti ſunt, ſilent & ſtupent: ſic iam penè ego. perge. L i p s. In Philippenſi igitur prœlio, vbi de Principatu actum vel Libertate, hic ipſe Octauianus cum Antonio promiſerunt viritim *quinque mille Drachmas.* A v o. Hoc illud erat? at Cæſar iam antè totidem, & docuiſti. L i p s. Sed Cæſar *decem* legionibus tantùm: iſti *nouemdecim*, quæ in pugnâ erant. & aliis *quadraginta*, quæ in præſidiis aut Italiâ ſparſæ. Appianus quidem ita narrat, vel apud eum Antonius (oratione ad Aſiaticos) ſed addit: *attritas eas iam & minutas ad* X X V I I I. *rediiſſe, quæ* (inquit) *cum ſuis additamentis efficiunt virorum ſupra centum ſeptuaginta millia: præter* E Q V I T E S, & *item* A L I V M *militem.* Quis iſte *alius miles*? opinor Auxilia, quæ haud longè infra legiones. Itaque qualis & quanta hæc ſumma conficiatur, ingenuè fateor, vix ego animo promere: & ſcito eſſe ſupra *centum quinquaginta milliones.* Vbi eſtis qui Nouum orbem, & nouas in eo diuitias reppeciſtis? Huc ite, oſtendent & effundent eas Duumuiri iſti vnicâ largitione. Atque hæc ille fecit ante Principatum: in ipſo tenuit & cucurrit eundem liberalitatis curſum. A v o. At hîc mihi votum & cogitatio. L i p s. Prome. A v o. Si eo ſæclo ego viuam, quid niſi miles ſim? ita omnes ad eos opes adfluunt & concurrunt. L i p s. Vera narras. & ſcito ab hoc militum tunc ſeminario, Senatorias & diuites pleraſque familias ortas. Hæc præmia in ciuili bello iis ſunt: cùm homines vt ad imperium veniant, imperium penè ipſum donant. Quid donant? perdunt volui dicere: & quomodo tot iſti pecuniarum cumuli, ſine apertâ pernicie prouincialium ciuiúmque, colligi potuêre? Sanè id factum eſt: ſed Pax poſteà, cum copiæ ſuo cornu, repoſuit omnia & reparauit. Enimuerò Auguſtus, vt cœperam dicere, in Principatu quoque perliberalis. Lapidem Ancyranum iubet proponere, in quo aliquot donationes eius ordine exſculptæ.

I. LIBRI. ROMANI. VIRITIM. ..... CENOS. NVMERAVI. EX. TESTAMENTO. PATRIS. MEI.

II. ET. NOMINE. MEO ...... ORINGENOS. EX. BELLORVM. MANVBIIS. CONSVL. QVINTVM. DEDI.

III. ITERVM. AVTEM. IN. CONSVLATV. DECIMO. EX. PATRIMONIO. MEO. AIS. QVADRINGENOS. CONGIARI. VIRITIM.

IV. ITERVM. AERE., MERVI. ET. CONSVL. VNDECIMVM. DVODECIM. FRVMENTATIONES. FRVMENTO. PRIVATIM. COLVMETO. EMENSVS. SVM.

V. ET. TRIBVNITIA. POTESTATE. DVODECIMVM. QVADRINGENOS. NVMMOS. TERTIVM. VIRITIM. DEDI. QVALI. MEA. CONGIARIA. FRVMENTI ... NVM. NVMQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET DVCENTA .... SIA.

VI. DVODEVIGINTESIMVM. CONSVL. TRECENTIS. ET. VIGINTI. MILLIBVS. PLEBIS. VRBANAE. SEXAGENOS. DENARIOS. VIRITIM. DEDI.

VII. ET. QVINIS. MILITVM. MEORVM. CONSVL. QVINTVM. EX. MANVBIIS. VIRITIM. MILLIA. NVMMVM. SINGVLA. DEDI. ACCEPERVNT. IO TRIVMPHALE. CONGIARIVM. IN. COLONIAS. HOMINVM. CIRCITER. CENTVM. ET. VIGINTI. MILLIA.

VIII. CONSVL. TERTIVM DECIMVM. SEXAGENOS. DENARIOS. PLEBI. QVAE. TVM. FRVMENTVM. PVBLICVM. ACCE .... DEDI. EA. MILLIA. HOMINVM. PAVLLO. PLVRA. QVAM. DVCENTA. FVERVNT.

Vides,ſiue audis lapidem,vtinam peritè ſatis aut fideliter deſcriptum! Inſigne monumentum antiquitatis eſt,& hiſtoriæ Auguſtææ quaſi ſummarium. Sed multa in eo corrupta, & quædam lacera: percurram lucis,& alibi medicinæ,cauſâ.

In primâ donatione eſt: LIBRI ROMANI. An id fuit, TRIB. P. ROMANI? id eſt, *Tribubus populi.* Res quidem eas tangit,& legauit Cæſar teſtamento viritim Romano populo, *trecenos ſeſtertios*, vt Suetonius ſcripſit; vt autem Dio, *centenos vicenos*, & adducit ipſum Auguſtum eius rei teſtem. Et ſcripſerat hoc Auguſtus fortaſſe in Commentariis rerum ſuarum: ſed & hîc ita in Breuiario iſto fuit. Explendum igitur, CENTENOS. VICENOS. Ij ſunt *tres Philippici* in ſingulos: ſi in totum populum, immenſum eſt; ſi in frumentantes, magnum.

In II. *Quadringeni nummi* viritim dati, item in populum: qui ſunt Philippici *decem*. Id factum in *quinto Conſulatu* eius, vt hîc ſcribitur: id eſt, ſtatim poſt Actiacam & Alexandrinam victoriam, ſub triumphum. Dio Caſſius ipſum notat in hoc anno, & in ſummâ conſentit: ſed auget acceptores,& non *viros puberéſque tantùm, ſed etiam pueros, in gratiam Marcelli ſororis filij*, ſcribit *adiectos*. Hoc ſi fuit, vt fuit, quis non videt ſupra duplum ferè donationem creſcere, & vt minimum fuiſſe ad *ſexcenta millia* capientium? Fiunt in pecuniâ impensâ *ſex milliones*.

In III. Conſulatu decimo, ſcribit ſe item populo dediſſe, congiarium *bis quadringenos*. An ſimul, vt *octingenos* dederit? an magis ſignificat, bis ſe dediſſe? ſicut & paullò pòſt, *tertiùm quadringenos*. Quæ iterationes valdè ſunt liberalitati augēdæ: & tu attendes.

In IV. Quid ſit illud AERE. MERVI. quæro. An fuit, AERE. MEO. VT. pependitque à pnutibus? opinor. Illud autem iam certò aſſequor, in Vndecimo conſulatu datas *duodecim Frumentationes*: quas ita appellat, quæ ſingulis menſibus dari ſolebant. In caritate igitur annonæ, has extra ordinem,& de ſuo, vt ſcribit, addidit. Nam legendum mihi PRIVATIM. COEMPTO. vt dudum monui, cùm lapidem hunc vulgaui.

In V. Tribunicia poteſtas duodecima, incidit in annum vrbis DCCXLI. cùm peregrè & è Galliâ rediit. Tunc igitur plebi reſfouendæ & conciliandæ, diſtribuit ter vno anno *quadringenos*: id eſt, Philippicos *ter denos*, ſiue in vniuerſum *triginta*. Verba aliquot in vitio, an ſic emendanda? QVALI. MEO. CONGIARIO. FRVMENTI. MODIVM. NVMQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA. MILLIA. vt adſignificet, tantum frumenti ſe quoque dediſſe. An verius, FRVMENTANTIVM. NVM. NVMQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA. MILLIA? vt dicat *numerum* (id valet NVM.) qui frumentum acciperent, & ex conſequenti congiarium, tantum tunc fuiſſe. Sed poſteà alius numerus, dices: haud moueor, quia ſæpe id per recenſum mutauit. Cogitetur tamen. Vir doctiſſimus & acutiſſimus legebat, QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA. SESTERTIA. & referebat ad Suetonij hæc verba: *Congiaria populo frequenter dedit, ſed diuerſæ ferè ſummæ: modo quadringenos, modò trecenos, nonnumquam ducenos quinquagenóſque nummos.* Sed refellit hoc ipſe lapis ſtatim, qui dicit his datos *ſexagenos denarios*: quos non niſi in *ducenos quadragenos* nummos reſoluas. Quomodo ergo *numquam minus* dederit, vt hîc ſculptum? Sed & Dio in anno DCCXLVII. adnotat datos *Denarios ſexaginta*.

In VI. ſunt *ſexageni denarij in trecenta viginti millia capita* quæ ad duos milliones, * paullò minùs, ſe attollit.

*Sunt illa ſeſtertij octies millies.

In VII. tenebræ. videtur militaris donatio eſſe, ſed iis qui in colonias miſſi, aut mittendi.

In VIII. notetur numerus frumentantium, qui tunc fuit. Iſta de Auguſto ſufficiant: etſi liberalitates eius plures ex facili dederim, vt ipſe dare facilis, etiam per ludum & iocum. Cuiuſmodi iſta in Macrobio: *Omnibus qui ſecum pilâ luſiſſent, ſeſtertia centena dari Cæſar Auguſtus iuſſerat, ſoli Calio quinquagena. Hîc ille, Quid ergo, inquit, ego vnâ manu ludo?* locus lepidus: ſed donatio magna in ludicrâ iſtâ cauſâ, ſingulis *bis mille quingenti* Philippici. Iterùm totidem Græculo cuidam, pro carmine, & audaculo dicterio, factóque: ſed tu factum ipſum noſce, aut potiùs recognoſce. Græculus fuit, qui Cæſari carmen obtulerat, atque ille acceperat,& nihil vltrà. Græculo iterùm paranti dare, præuênit,& carmen à ſe dedit; vt oſtenderet talia & domi ſibi naſci. Hîc Græculus legere, mirari, & tandem manu in pauperem bulgam demiſſâ nummos, aut denarios aliquot, Auguſto offerre, cum dicto: *Si plus haberem Cæſar, plus darem.* Exemplo oſtendit & commonefecit, quid ille deberet: nec fruſtrà. Nàm ſtatim Auguſtus delectatus libero & acuto facto, *ſeſtertia centena* dari ei iuſſit: id eſt, *bis mille Philipp. & quingentos.*

CAP. XIIII.

Aliorum Principum dona.

NON ſit modus, ſi omnia Auguſti tollam: omitto, & aliorum carptim aut ſaltuatim quædam tango. In TIBERIO pauca ſunt, parcâ ille manu & reſtrictâ fuit: atque ita moriens in theſauris reli-

quit.

quit, * *viceſſepties millies* HS: *quod Caligula, non toto vertente anno abſumpſit.* Ita enim hoc Suetonius: ſed in Dione paullò aliter: & ait, *quoſdam dicere ter & vicies millies relictum; alios autem * ter & tricies.* Sanè pro meo ſenſu, poſteriori parti accedam, qui ſatis iam imbibi Romanas opes. Nec in tempore abſumptæ à Caligulâ pecuniæ Dio diſſentit à Suetonio, ſi ſic legas: οὐδὲ εἰς τὸ τρίτον ἔτος μέρος αὐτῶν τι διέσωσεν. *Nec vel in tertiam anni partem quidquam Caligula ex his ſeruauit.* Quod ſanè cum Tranquillo & veritate conuenientius, quàm vt ſit, εἰς τὸ τρίτον ἔτος, *in tertium annum.* Ille verò ſtatim exhauſtus & egens, atq; ad Rapinas ſe vertit. In CLAVDIO, notatur prima liberalitas in auſpiciis imperij, cùm militibus *quinadena* HS. promiſit. Ea ſunt *trecenti ſeptuagintaquinque* Philippæi: ſi tamen Suetoniana illa ſcriptio (ex eo ſumpſi) eſt certa. Nam Ioſepus adauget, & *vicena* promiſſa ait, ſiue vt ipſe numerat, *quina millia drachmarum*: qui ſunt *quingenti* Philippæi: & addit, *omnibus vbique militibus idem promiſſum.* Quomodo hæc quidem donatio, ſuperet omnes iam dictas, & fortaſſe dicendas. NERO ſequitur: quid de eo dicam? qui, vt Suetonius ait, *diuitiarum & pecuniæ non alium fructum putabat, quàm profuſionem.* Itaque nepotinos eius ſumptus fruſtrà colligam: in Suetonio atque aliis, patent: quædam addam quæ magni & laudabilis animi ſunt viſa. *Militi prætoriano* (in Dionis compendio) *ob cauſſam aliquam iuſſerat centies* HS. *numerari*: id eſt, *ducenta quinquaginta millia* Philippicùm. *Et cùm Agrippina mater, mirata improuidam fortaſſe liberalitatem, iuſſiſſet totam eam pecuniam, ipſo coram, in menſâ exponi & expandi, vt ſic vel aſpectu pœnitentiam eliceret: ille magno animo, iuſſit alterum tantum addi, & Neſciebam*, inquit, *tam exiguum me dediſſe.* Egregia vox: quam cur tu rides? AVD. Non ipſam, ſed meam cupidinem: & ô ſi quis *hoc exiguum* mihi? LIPS. Auidus ô homo es, nec accipies: hodie liberalitatis eius nec vmbra manet. Hoc Nero in militem: ſed quid in regij ſanguinis Tiridatem? *quod vix* ipſi Suetonio *credibile videatur, octingenta nummorum millia diurna in eum erogauit, abeuntique ſuper* HS. *millies contulit.* Vt hoc & capias, & ponderes; ſcito Tiridatem per *nouem menſes* cõtinuos Romæ, aut in finibus Romanis, fuiſſe: & toto eo tempore immunem habitum ab omni ſumptu. Decreta igitur ei in diem *octingenta millia*: quæ ſunt *viginti millia* Philippæorum. Numera in menſem: quid ea niſi *ſexcenta millia*? In nouem menſes: *quinque milliones quadringenta millia.* Iam abeunti datum, *millies.* HS. quaſi in viaticum: quod iterùm efficit *duos milliones & dimidium.* An potiùs in Suetonio, *bis millies* ſcribendum? augeatur altero tanto, & palàm Dionis cõpendium (numeri autem in Græcis magis veri) hoc ſuadet. Atque iſta conſpicua & ſignata liberalitas Neronis eſt: quid minores aliæ & ſparſæ, ſed coaleſcẽtes in grandem ſummam? De quibus Tacitus: *Bis & vicies millies* HS. *donationibus Nero effuderat*: & addit, Patres cenſuiſſe, vt repeterentur ab iis qui cepiſſent. Ea ſunt *quinquagintaquinque milliones*, niſi calculus me fallit, quod & alibi vereor, & ignoſcendũ eſt in ſermonis hoc curſu & calore. Adiungo NYMPHIDII, poſt Neronem, promiſſum: non Principis, ſed pro Principe tamen factum. Ipſe vt *Vrbanum omnẽ militem & Prætorianum Galbæ adiungeret, promiſit iis * ſeptem mille & quingentas drachmas viritim; reliquis extra vrbem, * mille ducentas quinquaginta.* In Plutarcho hoc ita leges, ingentem donationem, & qualis anteà in hoc genere nec fuit. Nam *priores illæ Drachmæ* in Vrbanos, faciũt nobis *ſeptingentos quinquaginta* Philippicos: alteræ in Legionarios, *centum viginti quinque.* Quò hoc aſcendat in plura quàm *viginti quinque millia* Vrbanorum? in amplius *ducẽtena* Exterorum? vt Claſſes, & talia, omittam. Iure igitur Plutarchus exclamat & queritur, *pluſquam Neronem hunc renatum, nec potuiſſe eam pecuniæ molem exſtrui, niſi vt omne Romanum imperium atteretur aut euerteretur*: præſertim poſt tot & tam recentes à Nerone ictus. Infinitæ deinde ſunt largitiones in militem, vel in populum: ſed niſi memoria imponit, infrà iam dictas. Ideò nec pono; vnam *Seueri* Imp. tantùm libo. Dionis compendium: *Celebrauit Decennalia imperij ſui, & dedit populo qui frumentum ſolet accipere* (nota ſemper ferè de Populo frumentario) *itémque Prætorianis decem aureos. Quâ in re ſe iactabat. reuera enim* NEMO *vmquam antea tantum* SIMVL *dederat, effuſúmque hac donatione * bis millies* HS. Decem iſtos Aureos, ſcito Romanos fuiſſe: id eſt noſtros *viginti*, aut paullò ampliùs. Ita magna vis aſſurgit, & expreſſa eſt à Dione ſumma: ſed hæreo an ſatis ex vero additum, *numquam antea tantum* datum. Nam & Commodi Imperatoris ſuperfluens donatio fuit, in Lampridio notata: *Congiarium dedit populo, ſingulis Denarios ſeptingenos vicenos quinos.* Qui ſunt Romani aurei *vigintinouem*: pænè triplum eius, quod Seuerus poſteà dedit. Nam quod vir doctus quidam hîc reſcribit *ſeptuagenos quinos*, valdè eſt præter rẽ & Lampridij mentem. Sed ſcilicet Dionem ſcribere, *Simul numquam* tantum datum: id eſt, & Populo & Militibus. Alioqui & ſuperiores aliquot donationes militares valdè excedunt. De Donis peregi, & ſimul de *Opibus publicis.*

* Id eſt, ſexaginta ſex milliones, & quinquaginta M. Phil.
* Sũt octoginta & v. milliones.
* Latinè eſſet, Triginta ſeſtertia.
* Latinè, Quina ſeſtertia.
* Quinque milliones.

CAPVT XV.

De priuatorum aliquot opibus, & materiæ huius finis.

TRANSEO ad *Priuatas opes*, quæ & ipſæ magnæ fuerunt, & per multos ſparſæ. Quis neſcit Senatores aut Senatorios plurimos fuiſſe, & plures longè Equites Romanos? Atqui primus illis, cenſus ſub Auguſto fuit *Decies* HS: ſiue *viginti quinque millia* Philippæorum. Iſtis, id eſt Equitibus, cenſus *Quadringentorum*, quæ faciunt *decẽ millia* Philippæorum. Hic cenſus, quem neceſſariò haberent: quàm multos autem, & pleroſque omnes, putas exceſſiſſe? Ac lubet paulliſper recenſere hos diuites: inter quos quem priùs, quàm Craſſum illum cognomẽto *Diuitem*? Cicero aliique de eo, atque etiam in eum Cicero iſta: *Multi audierunt ex te, cùm diceres, Neminem diuitem eſſe, niſi qui exercitum ſuis* FRVCTIBVS *alere poſſet. Ergo hoc propoſito, numquã eris diues, antequàm tibi ex tuis* POSSESSIONIBVS *tantum reficiatur, vt ex eo tueri ſex legiones, & magna equitum ac peditum auxilia poſſis.* Hæc vox Craſſi fuit, opinor, negantis ſe Diuitem, etſi vulgò ita audiret: quia nemo ſic dicendus, niſi cui tales opes. In Plinio hoc paullò contractius: *M. Craſſus negabat locupletem eſſe, niſi qui* REDITV *annuo tueri* LEGIONEM *poſſet. In agris ſuis* HS. *bis millies poſſedit, Quiritium poſt Sullam ditiſſimus.* Qui locus inſpectione, fortaſſe & correctione eget. Primùm de *Legione* vnâ ait: quod Cicero palàm de pluribus (imò & *ſex* nominat) & item Græci de *exercitu* tradunt. Itaque in Plinio quoque verius cenſeam, *Legiones.* Iam quod addit, *bis millies in agris poſſediſſe*: quid ergo in aliis? in ſeruis, in pecuniâ, in vaſis ac ſupellectile, denique in domibus, quantùm habuit? Sanè alterum tantum dixerit aliquis, ex communi

In Paradox.

Lib. xxxiij cap. x.

A ſuo ratione & proportione opum. Plutarchus ſcribit, ſolos *architectos & fabros eum in ſeruis habuiſſe, ad quingentos*, quorum operam elocabat in vrbe ruinis vel incendiis obnoxiâ: quid deinde ſeruorum ad reliquos vſus, domi vel in agris? Hæc eò deduco, vt ſollicitem & quaſi iam lectionem Plinij receptā: & quia non arbitror in ſolis agris ſic habuiſſe. Argumento ex Plutarcho, quòd totus cenſus eius, *poſt Decumas Herculi datas, & epulum frumentúmque plebi, non fuerit niſi * ſeptem millium & centum talentorum.* 4260000 Phil. Atqui longè hoc ab illo *bis millies* abeſt in ſolis agris. Facit & ipſe Plinius, qui paullò pòſt ſubiicit, *Multos poſteà ſe cognouiſſe, ſeruitute liberatos, opulentiores.* Libertos autē intellegit, qui ad *ter millies*, aut circà, peruenerint. Non inſiſto: dico, legendum mihi videri in B Plinio, *niſi qui legiones tueri poſſet ex agris ſuis. Seſtertium bis millies poſſedit.* Vt vniuerſæ opes eius fuerint *bis millies*, ſiue *quinque millionum.* Quod propemodum conſonat cum illis *talentorum millibus*, è Plutarcho recitatis: & Decimas Herculanas ſi addis, proximè accedit. Senecæ item locum huc ſubiungo: De vitâ beatâ cap. xxi. *M. Cato poſſidebat ipſe quadragies* HS. *minus ſine dubio quàm Craſſus, plus quàm Cenſorius Cato. Maiore ſpatio, ſi comparetur, proauum vicerat, quàm à Craſſo vinceretur.* Moneo primò legēdum, *quadringenties* HS. quod certum eſt: deinde addo, ex hac comparatione elucere, quòd haud multo vltrà *bis millies* Craſſus potuerit habere. Alioqui nimium interuallum ſit inter Catonem Vticenſem & ipſum, quod Seneca negat. AVO. At enim Lipſi, vis tu igitur Craſſum ad redi- C tum ex agris tantum reſpexiſſe? LIPS. Videtur. nam & Cicero ſcripſit, 1. Ciuil *niſi tibi ex* POSSESSIONIBVS *tuis tantum reficiatur:* & antè, *niſi qui exercitum* FRVCTIBVS *ſuis alere poſſet.* Ea verò ad agros ſpectant: & ipſa Plinij vox, *Neminē* LOCVPLETEM *eſſe.* Et ſi haud nego, multos Romanorum magna latifundia habuiſſe: ſed ſumma hæc exorbitet. Alioqui L. Domitius ille, ſucceſſor in Galliam Cæſari deſtinatus, agris ſanè abūdare debuit, qui (leges in ipſo Cæſare) Corfinij obſeſſus, ad animandos milites, *in concione agros* Li. xviii. De Tranq. cap. xi. *ex* SVIS POSSESSIONIBVS *pollicetur, quaterna in ſingulos iugera, & pro rata Centurionibus Euocatisq́.* At enim triginta cohortes ibi militum, id eſt *duodecim* circiter *millia.* Ea ſint igitur *quadragintaocto millia* iugerum: quid iam in Centurionibus & Euocatis, D quibus *duplum* debebatur? Lego & in Plinio: *Sex dominos ſemiſſem Africæ poſſediſſe ſub Nerone, quos ille interfecerit.* Quid Seneca, de *Pōpeio* (an *Poppæo*) quodam, ſub Caligulâ? Lib. x. nam qui *Ptolomæum* reſtituunt, ab ipſo mox refelluntur. Quid igitur de eo? *Panem & aquam defuiſſe, cùm* TOT FLVMINA *poſſideret, in ſuo orientia, in ſuo cadentia.* Si hæc vera; oportuit totas regiones poſſediſſe, vti C. Antonius ille, collega Ciceronis in Conſulatu, *totam Cephaleniam inſulam, velut proprium patrimonium habuit, atque ibi oppidū etiam nouum ſtruxit:* quod traditum ita Straboni. AVO. De Antonio, eſto: nec magna ea inſula. At de Poppæo, & TOT FLVMINIBVS, ex vero ſcriptum? LIPS. Ex vero. nec ſolus Poppæus talis, plures Seneca aggregat, epiſtolâ LXXXIX. vbi hos auaros communiter ita inſequitur: *Quouſque fines poſſeſſionum propagabitis?* E *Ager* VNI DOMINO *qui* POPVLVM *cepit anguſtus eſt. Quouſque arationes veſtras porrigetis, ne* PROVINCIARVM *quidem ſatione contenti circumſcribere prædiorum modum?* ILLVSTRIVM FLVMINVM *per priuatum decurſus, &* AMNES MAGNI, *magnarúmque gentium termini,* VSQVE AD OSTIVM A FONTE *veſtri ſunt. Hoc quoque parum eſt, niſi latifundiis veſtris maria cinxiſtis, niſi trans Hadrianum, & Ionium, & Ægæū veſter villicus regnet. Niſi* INSVLÆ, *ducum domicilia magnorum, inter* VILISSIMA *rerum numerentur.* Quid ais? non hæc ſatis clara, ſatis certa ſunt: nec illuſtrāt, ſed augent quæ dixi? Si enim vnus aut alter talis, quid attinet vt publicum morbum carpere? Sed plures omnino fuerunt: & quidā etiam dono hæc capiebant. AVO. Dono? id verò nullus crediderim. LIPS. Iterùm Seneca, De Beneficijs: *Beneficium eſt, donare regiones, per quas* MAGNA FLVMINA ET NAVIGABILIA *decurrant.* Donarit autem eas Princeps, vel aliquis ille diues teſtamento. Sed ecce hi verè locupletes: & quorum fundos nec milui obertauerint, vt ait poëta. Sed redeo ad vniuerſè Diuites, inter quos L. Cornelius Balbus meritò locandus, qui (vt Dio ſcripſit) *homines ſuæ ætatis Diuitijs & Magnitudine animi ſupergreſſus eſt, adeò vt moriens populo Romano viritim legauerit denarios vigintiquinque, ſiue Aureum Romanum vnum.* Lib. xlviii Quid putemus nunc heredes, & legatarios habuiſſe? Seneca etiam noſter, ille doctrinæ & ſapientiæ, id eſt internorum bonorum, ita diues, quàm rarâ ſorte & externorum fuit: Eum * *ter millies* HS. *poſſediſſe*, amicus illi Tacitus ſcripſit, & inimici cum multa inuidiâ obiecerunt. *7500000 Phil. AVO. Quidni Lipſi? & ille vir maximus, hoc vno titulo apud me minuit, quòd ſic in opibus abundet. Philoſophum hoc decuit? & quidem Romanum, qui facta ſibi vindicant, magis quàm verba? LIPS. Miſerū Senecam, vt video. quare? quòd non Virtus ſolùm ei, ſed Fortuna fauerit: & in alio tamen aliquo hoc laudemus. Sed quia rara hæc coniunctio, præſertim in modeſto & ſapiente; & *bona mentis*, vt ille inquit, *ſoror eſt paupertas*: homines indignantur, liuent, Senecam equis & quadrigis incurrunt. At meo iudicio, ô virum hoc ipſo magnum, quòd capere potuerit, quòd vti, quòd habere (vt vno verbo dicam) & non haberi! Quid, quòd nec eas ſuſpexerit? inter media cenſuit, inter fluxa, & quæ ſi abirent, nihil auferrent, niſi ſemetipſas. Audi illum, ô Liuor, & ſile. *Pone me*, inquit, *in opulentiſſimâ domo, vbi aurum argentumq́; in promiſcuo vſu ſit. Non ſuſpiciam me ob iſta, quæ etiamſi apud me, tamen extra me ſunt. In Sublicium rurſus pontem me transfer, & inter egentes abige: non ideò tamen me deſpiciam, quòd in illorum numero conſideam, qui manum ad ſtipem porrigunt. Quid ergo eſt? domum illam ſplendidam malo, quàm pontem.* Hæc vera philoſophia eſt; poſſe habere, poſſe carere; non cupere abſentes, capere & præſentes: iiſdem vti benè, & bonis ſubleuandis. Sed quid euagor? diues Seneca, & noſtro more *ſeptuagieſquinquies centena millia* poſſedit: plus meruit (audi & hoc Liuor:) Apud Tac. xiii. An. *& multi nequaquam eius artibus pares plus habuerunt*, vt Nero ad eum dixit. Ecce *Cn. Lentulus Augur* (ait ipſe Seneca) diuitiarum MAXIMVM EXEMPLVM, *antequam illum liberti pauperem facerent, quater millies* HS. *ſuum vidit. Propriè dixi* (inquit) *nihil enim amplius, quàm vidit.* Hic ſtupor igitur poſſedit ipſos *decem milliones*, Regum aut certè Regulorum opes. Sed indicat Seneca, libertos & plus habuiſſe. Ac xii. Ann. ſanè de Pallante Tacitus ſcribit, *ſeſtertij ter millies poſſeſſorem* fuiſſe: quod *quater millies*, me volente, Dionis Breuiarium in Nerone expreſſit. Et hoc ipſum de colliberto eius Ælio Narciſſo, idem Dio in Claudio narrauit. Sed aula hos beauit, inquies. Vis igitur & homines, non è Senatu vel aulâ? ecce è mediâ plebe vnum, è Plinio: *C. Aſinio Gallo, C. Marcio Cenſorino Coſſ.* Lib. xxxiij cap. x. (id fuit ſub Auguſto) *C. Cæcilius Claudius Iſidorus teſtamento ſuo edixit, Quamuis multa ciuili bello perdidiſſet, tamen relinquere ſeruorum quattuor millia centum ſedecim, iuga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia, in numerato* HS. * *ſexcenties. Funerari ſe iuſſit* HS. *vndecim mil-*

* Dein quingenti ſtrena miſſa Philip.

libus. Vide tu tot ſeruos, boues, pecudes, tantum numeratæ pecuniæ. & miror agros non expreſſos, quos tamen ſuſpicor habuiſſe, itémque villas, & ædes. Sed vt vt ſit, familiam illam ſolam ſeruorum vide: quis Principum habet? AVD. Valdè quidem iſti copioſi in ſeruis, quod & in Craſſo notaui. LIPS. Valdè. & Petronius ex more, ſi non ex vero, de Eumolpo ſuo facetiſſimâ narratiunculâ ſcripſit: *Familiã quidem tam magnam per agros Numidiæ ſparſam habere, vt vel Carthaginem poſſet capere.* Certè aliquot millia eſſe debuerunt eorum, qui armis apti: ſicut & hiſtoricâ fide Vopiſcus de Proculo tradit, *eo tempore quo ſumpſit imperium, duo millia ſeruorum ſuorum armaſſe.* Quid Beliſarius ille ſub Iuſtiniano magnus? *duodecim millia puerorum* (ita loquũtur) habuiſſe propria, Aimoinus, Regino, aliíque teſtantur. Nam illud quod in

Lib. VI.

Athenæo adfirmatè ſcribitur, quale eſt? *Quoſdam Romanorum ad* DECEM *aut* VIGINTI *millia ſeruorum habuiſſe, nec vt* QVÆSTVM *ex iis facerent, ſed vt aſſeclas aut ſubſequas eos modò haberent.* Hoc de ſeruis, mihi ipſi timidè tardéque credendum, & tamen credendum. De aliis armentis, ſimile aliquid (etſi minus eſt) in Vopiſco item lego, de villâ Valeriani priuatâ *in quâ quingenti ſerui, duo millia vaccarum, equæ mille, ouium decem millia, caprarum quindecim millia fuêre.* Quæ mea mens, cùm iſta cogito? vbi noſtræ paupertinæ villæ, nec milleſimis horum inſtructæ? Et communia hæc certè non noua, in opibus, illo æuo: auctore Senecâ, quem audi, ſuo more, increpantem: *O miſerum, ſiquem delectat ſui patrimonij liber magnus, &* VASTA SPATIA *terrarum colenda per vinctos, &* IMMENSI *greges pecorum per prouincias ac* REGNA *paſcendi; &* FAMILIA *bellicoſis nationibus* MAIOR; *&* ÆDIFICIA *priuata laxitatem vrbium magnarum vincentia.* Hæc Seneca. ideòque pauca exempla talia aut ſcripta ſunt; aut ſi ſcripta, ad nos peruenerunt. Caſu factum eſt, quòd Cæſar prodiderit (& mihi caſu incidit) T. Labienum Legatũ ſuum in Gallis, *opidum Cingulum conſtituiſſe in Piceno, & ſuâ pecuniâ exædificaſſe.* Vide in homine priuato opes & animum Principis, qui eas in tota opida ſtruenda conuertit: quod & medici quidam apud Plinium fe-

De Benef. lib. VII. cap. X.

I. Ciuil.

cêre. Quid autem, quod etiam inferiore æuo, rebus & imperio labentibus, magnæ iſtæ opes? Olympiodori hæc excerpta audi: Ὅτι πολλοὶ οἶκοι Ῥωμαίων προσόδους κατ' ἐνιαυτὸν ἐδέχοντο ἀπὸ τῶν κτημάτων αὐτῶν, ἀνὰ τεσσαράκοντα χρυσοῦ κεντηνάρια, χωρὶς τοῦ σίτου καὶ τοῦ οἴνου, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων εἰδῶν, ἃ εἰς * τρίτον συνέτεινεν, εἰ ἐπιπράσκετο, τοῦ εἰσφερομένου χρυσίου. τῶν δὲ μετὰ τοὺς πρώτους τῶν δευτέρων οἴκων τῆς Ῥώμης, πεντεκαίδεκα, καὶ δέκα κεντηνάρια ἡ πρόσοδος ἦν: *Multæ Romanorum domus* (id eſt, earum domini) *in* ANNVO REDITV *accipiebant è poſſeſſionibus ſuis, ad* * *quadraginta centenarios auri: idq́ absque frumento, vino, & aliis ſpeciebus, quæ ſi venderentur, facilè trientem æquarent illati auri. Secundariæ autem domus, quindecim centenarios aut decem recipiebant.* Hæc ille, ſub Honorij & Arcadij æuom: quàm defectâ iam Româ, & per illam Nouam imminutâ? Atqui tot illi *Centenarij* (centum libræ auri in ſingulis) reddunt *quadringenta* nobis *aureorum millia*: & vbi frumentum, & reliqua? Atque etiam reditus tantùm computat, non ſeruos & alia multa, quæ ſine fructu. Addam diſtinctè & vnum exemplum, in quo deſino. Capitolinus de Gordiano, adhuc priuato: *Ditiſſimus ac potentiſſimus, in prouinciis tantum terrarum habens, quantum nemo priuatus. Quæſturam magnificentiſſimè geſſit. Ædilitatis ſuæ tempore, duodecim populo Romano munera, id eſt per ſingulos menſes ſingula* DE SVO *exhibuit. ita vt gladiatorum nonnumquam quingena paria exhiberet, numquam minus centenis quinquagenis. Feras Lybicas vnâ die centum exhibuit, vrſos vnâ die mille.* & plura deinde animalium nominatim: *quæ omnia* POPVLO RAPIENDA *conceſſit.* Amplius de eo, auctore Cordo: *In* OMNIBVS *ciuitatibus Campaniæ, Etruriæ, Vmbriæ, Flaminiæ, Piceni,* DE PROPRIO *illum per* QVATRIDVVM *ludos ſcenicos & Iuuenalia edidiſſe.* Qui benè hæc tollit ſingula & penſitat, quique ſcit quid ſit ludos olim edere: neſcio quam trutinam reperiet ad tot illa ponderanda aut æſtimanda. Diducere mihi non placet, placet abiungere: & *Opes Romanas* publicè priuatímque ſatis videor oſtendiſſe. Tu abi, cœna, dormi.

* Vetus Tritum: an aliquis Triplum auſit

* 400000 aureor.

IVSTI LIPSI DE MAGNITVDINE ROMANA

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Ad Opera Romana tranſitum, & Primò de ligneis aut temporariis dictum.

AVD. Malè mihi hac nocte fuit. LIPS. Quid ita? AVD. Quia herè nimium benè Suaues illi ſermones animu inhæſerunt, & per cerebri huius ſpatium inerrantes, verè dico, ademerunt mihi ſomnũ. LIPS. Aliter ego dixeram, & meminiſtin, vltimi mei. *Dormi?* Atqui cautio erit ne ſic in poſterum: mittemus potiùs, aut ſuſpendemus, hos ſermones. AVD. Quintu verbum hoc ſuſpende: nam meruit. Itáne ſermones hos tollas in quibus vnica mihi ſpes ſolatij? nam ne neſcias, vt ij qui à ſcorpijs ſunt icti, ab iiſdem remedium habent: ſic ego nunc affectus. Ad te propero, qui pupugiſti. LIPS. Ad me? non ego Scorpius, ſed Aſpis: aurem claudo ad has cantilenas. AVD. Benè eſt, pungat me & hæc aſpis, vt dormiam: & ſuaui veneno infundat ſomnum. LIPS. Age, age, medebor: ſed non, vt cenſes, ſuauiter mi homo: ego verò vt faſtidientes quoſdam ægros medici, ad exercitia & OPERA te ducam. Ecce enim ea ordine ſequuntur. Duplicia autem Romana iſtæc Opera, *Temporaria* & *Diuturna*. illa, quæ ſubitò & in breue tẽpus aliquod excitabantur, è terrà aut ligno plerumque: iſta, quæ in longum, & manſura, è latere, lapide, & materie firmiore. *Temporaria*, duplicia iterùm video, *In Militiâ*, & *Extra eam*: atque vtraque mereri iuſtam admirationem. Nam ſiue militiam videas; quis *Foſſas*, *Vallos*, *Aggeres*, & talia terrea; iterùmque materialia, *Turres*, *Teſtudines*, *Muſculos*, *Vineas*, legit, tam multa, tam crebra; & aut induſtriam, aut vires hæc patrantium, non æſtimat & admiratur? Siue extra eam quædam, in voluptatem aut ſplendorem ſtructa; quomodo idem affectus non inſinuet animo vel irrumpat? Et Militaria quidem mitto,* aliàs mihi explicata: pauca ex ciuilibus tangam. Quo in genere ludicra præcipuè fuêre: vt *Theatra*, *Amphitheatra*, *Circi*, & magnæ eiuſmodi moles, ſtructę ſæpe in paucos dies, & pænè vt deijcerentur. Duo exempla in Plinio, etiam cum eius, qui tam multa ROMANA viderat aut legerat, nimiâ admiratione. *M. Scaurus*, inquit, *fecit in Ædilitate ſuâ opus omniũ* MA-

A XIMVM, QVÆ VMQVAM FVERE HVMANA MANV FACTA, *non temporariâ morâ, verumetiam æternitatis deſtinatione. Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex, in altitudinem* CCCLX. *columnarum. Ima pars ſcenæ è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam poſtea genere luxuriæ. Summa tabulis inauratis columnæ, vt diximus; imæ duodequadragenûm pedum. Signa ærea inter columnas, vt indicauimus, fuerunt tria millia numero. Cauea ipſa cepit hominum* LXXX. *millia, cùm Pompeiani theatri, toties multiplicatâ vrbe, tantóque maiore populo, ſufficiat largè* XL. *millibus. Sed & reliquus apparatus tantus, Attalicâ veſte, tabulis pictis, ceteróque choragio fuit, vt in Tuſculanam villam reportatis quæ ſuperfuerant cottidiani vſus deliciis, incenſâ villâ ab iratis*

B *ſeruis, concremaretur ad* HS. *millies.* Quid eſt? friges, nec excitaris? AVD. Nihil. ipſe Plinius me tepefecit, cùm ſcripſit; *non temporaria mora, ſed æternitatis deſtinatione factum.* Me tepefecit, te refellit, qui inter *Temporaria* hoc refers. LIPS. Téne tam læuè Plinium capere? præuidebã, & metuebam. Sed hoc ille dictum voluit, iſtud Temporarium eminuiſſe etiam inter firma illa, & quæ æternitatis ſpe facta. Nõ aliud ſanè dixit: & ecce alibi eius verba. *In M. Scauri ædilitate, tria millia ſignorum in ſcenâ tantùm fuere, temporario theatro.* Audin temporario? Iterùmque alibi: *Trecentas ſexaginta columnas M. Scauri ædilitate ad ſcenam theatri temporarij & vix vno menſe futuri in vſu, viderunt portari ſilentio legum.* Quos locos libentiùs adfero, quia Plinius eoſdem adſpexit, cùm hîc ſcripſit: *vt diximus*: & *vt indicauimus*:

C nempe his ipſis locis. Sed quòd hîc etiam eſt: *Ima pars ſcenæ è marmore.*) explicat idem ſuprà, eo cap. VI. *Marmoreos parietes habuit ſcena M. Scauri, non facilè dixerim ſectos, an ſolidis glebis politos, ſicuti eſt hodie Iouis Tonantis ædes in Capitolio. nondum enim ſecti marmoris veſtigium erat in Italia.* Vltimis item verbis, *concremaretur ad* HS. *millies:*] è manuſcriptis aliquis mallet, *ad* * *bis millies*: nec nimium ſit pro reliquo luxu. Alias operis partes tu per te, & otioſè, ſi voles, inſpice & adſtupeſce: ego alterum exemplum, ex eodem Plinio, qui dictis iam ſubnectit. *Aufert animũ, & à deſtinato itinere degredi cogit contemplatio tam prodigæ mentis, aliámque connectit inſaniam è ligno. C. Curio, qui bello ciuili in Cæſarianis partibus obijt, funebri patris munere, cùm opibus apparatúque non poſſet ſupe-*

* In ipſâ Militiâ & Machinis.

Lib. xxxiv. cap. vii.

Lib. xxxv. cap. ii.

* [illegible] Pal.

rare Scaurum (vnde enim illi vitricus Sulla, & Metella mater, proſcriptionum ſectrix?) cum iam ne ipſe quidem Scaurus ſibi comparari poſſet, quando hoc certe incendij illius præmium habuit, connectis ex orbe terrarum rebus, vt nemo poſtea par eſſet inſaniæ illi. Ingenio ergo vtendum fuit: operæ pretium eſt ſcire quid inuenerit, & gaudere moribus noſtris, ac noſtro modo nos vocare maiores. Theatra duo iuxta fecit ampliſſima è ligno, cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſa libramento: in quibus vtriſque antemeridiano ludorum ſpectaculo edito, inter ſeſe auerſis, ne inuicem obſtreperent ſcenæ, & repente circumactis, vt contrà ſtarent; poſtremo iam die, diſcedentibus tabulis, & cornibus inter ſe coeuntibus, faciebat Amphitheatrum, & gladiatorum ſpectacula edebat, ipſum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Quid enim miretur quiſque in hoc primùm? inuentorem, an inuentum? artificem, an auctorem? auſum aliquem hoc excogitare, an ſuſcipere? parere, an iubere? Super omnia erit populi furor, ſedere auſi tam infidâ ſtabilique ſede. Quæ vilitas animarum iſta? aut quæ querela de Cannis? quantum mali potuit accidere? Ecce populus Romanus vniuerſus, velut duobus nauigijs impoſitus, binis cardinibus ſuſtinetur, & ſeipſum depugnantem ſpectat, periturus momento aliquo, luxatis machinis. Diſertè iſta Plinius, & culpans ſimul ac laudans. Quid autem nos? Legimus, intelligimus, vix credimus (de meo ſenſu hîc fateor:) & qui quantique illi *cardines ſinguli*, qui tota theatra ſuſtinerent, verterent, iungerent, disiungerentque? De me, parum eſt: ſed cogant ipſi artifices noſtri & architectones, laborabunt in re non dicam conficiendâ, ſed exputandâ. Plura huius generis paſſim: ſed in circumfuſâ rerum copiâ, excerpimus pauca & eligimus cum iudicio, vt poſſum. AVD. Hîc non adhibes, quod cum pace tuâ dicam. LIPS. Quid iam? AVD. Nam ars & ordo ita præcipit, in dicendo narrandoque aſcendere, &, vt ille ait, *ex fumo flammam, non ex flammâ dare fumum*. At tu culmina operum dixiſti, & minora haud dubiè dabis. LIPS. Minora aliter dices, cùm illa *Perpetua* & firma audies: quid ſi & nunc aliter in his Temporarijs? Caij Caligulæ pons neſcio an ingenio, mole certè & magnitudine vincit, ſed & inſanâ illâ ambitione ſiue periculi, ſiue nouitatis. Struxit eum in ipſo mari, nauibus impoſitum, magnitudine *trium milliarium & quadrantis* id eſt, toto illo ſpatio, quantum eſt à Puteolis ad Baulos. Per hunc, triumphantis ritu, cum Senatu militibúſq; inceſſit, ſpectante toto populo: in eodem epulatus, noctem etiam peruigilem egit, inter laſciuias & ludos. Addo autem *in paucis diebus* (nam & ſic narrát) pontem hunc totum ſtructum: vnde tam ſubitò nauibus, armamẽtis, trabibus, omni aliâ materiâ cõuectâ? Immenſum opus perpendenti, ſed cui laudem vanitas detrahit. nam quo fine ſtructum, niſi vt deſtrueretur? Simile in *Caracalla*, quem alterum *Caligulam* licet dicere. Is autem non ſuis ſolùm, ſed alienis opibus proteruè abuſus, cùm, vt Dio ſcribit, *adigeret homines Senatorij ordinis*, QVOTIES *Româ egrederetur*, DOMOS & PRÆTORIA *varia ſtruere, item* DIVERSORIA *ſplendida: etſi in pleriſque non ſolum non acturus habitationem erat, ſed nec ea viſurus. Amplius, vbicumque hiematurus erat, aut etiam putabatur hiematurus, cogebantur* AMPHITHEATRA & CIRCOS *ſtruere, nec in ſumptum quicquam ab eo capientes: & eapſa mox diruenda.* Quis cùm hæc legit, ſiue audit, non admiratur opes & ſplendorem Senatorum, qui parare hæc poterant? non item deteſtatur illius inſaniam, qui iubebat? Olim in populi totius voluptates, Theatra & Circi ſtructi: nunc in vnius imaginarium vſum. Nam nec vidit hæc omnia ſæpe, vt Dio dixit.

CAPVT II.

Diuturna opera, & caput omnium Roma. De ſitu eius, & in primis de magnitudine indagatum.

SED à damnoſis iſtis & *Temporarijs* ad ſtabilia & vtilia veniamus, & quæ *Perpetua* dixi. In hoc genere multa ſunt Romanæ magnificentiæ, nec in vrbe ſolùm aut ipsâ Italiâ, ſed per terrarũ orbẽ ſparſa. Licet dicere, diuino munere Romanos datos ad quidquid rude, expoliendũ; ad quidquid infectum, faciẽdum, & loca homineſque, elegantia aut artibus, paſſim exornãdos. Quot *Oppida* noua ſtructa? veterа ampliata, aut reparata? in iis *Tẽpla, Baſilicæ, Fora, Porticus, Aquæductus, Viæ, Theatra, Circi*: & plura, quæ aut vſum haberẽt, aut amœnitatẽ. Quid iam *Priuatæ* ſtructuræ, vt *Domus* aut *Villæ*? omnia ſplẽdida, ab ingenio ſimul & pretio commendanda. Atque ego hîc hæreo. AVD. Quid tibi eſt? LIPS. Sine. AVD. Non pergis? LIPS. Mane inquam. AVD. In capite viæ ſiſtimus? LIPS. In capite. immenſa & vaga ſe aperit, nec ſatis ſcio quî limitem eam aut ſtringam. Poëtæ animi cauſſâ ſolent dicere,

Vnde tamen cœpti iam ſurgat carminis ordo?

ego ex vero: & incertus animi feror, vbi ordiar deſinámque. Nam ſi vel ſingularia tantùm oſtendenda ſunt; per omnes prouincias, vrbes, agros eundum eſt: vbique enim tale fuit. Infinita, inquam, iſta ſunt, & cum poëtâ principe,

* ——— ὅσσα τε φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ,
Ἠΰτε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλά.

* *quot folia aut flores in vere vereſcunt. Aut quot muſcarum denſarum examina bombiant.*

Sed cogitanti hoc ſedet, ſolam *Romam* tibi oſtendere, omnium operum opus, vt ſic appellem: & in quâ ſolâ fuit, quidquid vbique fuit. Ipſam ſi in parte noſti (totam ne ſperes:) etiam illa prouincialia noueris, quæ pleraque facta ad hoc exemplar. Nam & coloniæ Capitolia ſua, Fora, Baſilicas, Theatra, & talia habebant ad vrbis dominæ & parentis ſuæ ritum. Roma igitur faue, & te oſtende: & paulliſper è ruinis tuis, ſi fas eſt, veterem vultum attolle. Sitũ tuum primum video, & laudo: aut potiùs pro me Camillus ille apud Liuium, qui te bis condidit, & dum Gallis eripuit, & dum tibi ciues retinuit & firmauit. Nam abſque eo abibant, & Veij iam Roma erant. Ille igitur: *Non ſine cauſſâ Dij homineſque hunc Vrbi condendæ locum elegerunt. ſaluberrimos colles; flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges deueherentur, quo maritimi commeatus acciperentur; mare vicinum ad commoditates, nec expoſitum nimiâ propinquitate ad pericula claſſium externarum; regionum Italiæ medium.* Videamus, auditor, paulliſper horum ſingula: & iuuabit me recitatio, & quaſi in Româ iterùm ſiſtet. AVD. Bonâ veniâ, quot iam anni ex quo luſtraſti? LIPS. Ipſi viginti ſeptem. cùm diſceſſi: ſed animum non auelli, & antiquitas amabilis, ſed & religio venerabilis ſæpe eò vocant. Quod ergo dicebam, Camilli meminerimus. *Saluberrimos colles.*) Hodie vix ita ſunt: ſed cauſſa, ſolitudo & deſertio; tum & auræ è vicinis paludibus vel æſtuarijs, & quas alij indagent. *Flumen opportunũ.*) Tiberis ille patet, qui vrbem ſecat: *latus circa eam*, vt Dionyſius monuit, *quattuor iugera*, (ſiue pedes CCCC:) *profundus ſic, vt maximas naues ſuſcipiat, & portet.* Addit & *Mare vicinum.*) nam diſtat XVI. *millibus paſſuum*, vt Plinius & Antoninus metiuntur; ſiue, quod idem eſt, *centum viginti ſtadijs*, vt Dionyſius. Non ergo Strabonem audies, qui *cẽtum nonaginta* ea computat: ſed nume-

A totum & librarij ſui errore. In Appiano an error talis, qui non niſi *centum* ſtadia computat? Nam verba Cenſorini Conſulis ſunt, ſuadentis ſiue iubentis Carthaginiẽſes, dirutâ vrbe ſuâ, à mari abire: *A mari iubemus non niſi* LXXX. *ſtadia vos recedere, cùm nos ipſi ab eo diſtemus ſtadiis centum.* Ego tamen hoc non mutem, & verè dictum cenſeam: ſed aſpectu latæ & magnæ illius Romæ, quæ extra prima mœnia (mox dicam) in orbem ſe diffundebat. Ab eâ ille computat: etſi fortaſſe parùm adhuc verè aut decorè in Cenſorini perſonâ. Sed æuum ſuum, vt fit, aſpexit. Claudit Camillus, *Italiæ medium eſſe.*) Ita, in longitudine. nam latitudinem ſi ſpectas, finem tenet. Hoc verius, quàm quod Vitruuius etiam *mundi medium Romam* fecit: nec hoc nobis perſuadebit, niſi ſui fortaſſe & Romani mundi. Hæc Camillus: ſed Rutilius Gallicanus, cuius Itinerarium exſtat, ab infimo æuo non infimi carminis, hoc quoque in eâ miratur, quòd *munitiſſimo loco* ſita, nec Alpibus ſolùm ab omni vi ſubitâ, ſed Apennino defenſa.

Lib. vi. cap. 1.

B

Si factum certâ mundum ratione fatemur,
Conſiliúmque Dei machina tanta fuit;
Excubiis Latiis prætexuit Apenninum,
Clauſtráque montanis vix adeunda viis.
Inuidiam timuit Natura, parúmque putauit
Arctois Alpes oppoſuiſſe minis.
Sicut vallauit multis vitalia membra,
Nec ſemel incluſit quæ pretioſa tulit:
Iam tum multiplici meruit munimine cingi,
Sollicitóſque habuit Roma futura Deos.

C Iſta Rutilius pulchrè: ſed nos à Situ *Formam* videamus. Nec veterem illam renoco, *Quadratã*, & qualis ſub Romulo fuit: perfectam & plenam conſideraſſe ſit ſatis, quæ rotunda propemodum fuit (etſi haud iuſtè tamen) & ſeptem ſuos colles amplexa, grandem ambitum fecit. Quem vtinam firmiter metiri tibi poſſim! ah, ah. AVD. Quid ſuſpiras? etiam iterùm? LIPS. Iterúmque, & ab imo pectore. Ah, cur non Romæ nunc paucos dies ſum? cur non obambulo, video, metior? cur non cum viris doctis ibi confero? firmiùs fortaſſe certiúſque definirem. Sed vel ſic conabor. AVD. Ego in ſuſpirio tuo rideo. Nam cur voues, quod potes, imò quò impelleris, aut inuitaris? nónne Itali, & ipſa Roma, hoc faciunt? LIPS. Faciunt, & gratiam pro iudicio vel affectu debeo. ſed quid dicam? Fatum meũ primò me tenuit: mox & Rex: illud occulto decreto, hic apertâ benignitate. Ad ſummam, video Belgæ mihi in Belgis moriendum: etſi de reuiſendâ eâ obiter non deſpero.

D Sed de noſtro ambitu. ſcribunt veteres, Seruium Tullium regem, ad quinque colles iam incluſos vrbi, duos addidiſſe *Viminalem & Eſquilinum*, & talem tantámque deinceps fuiſſe Romam. Dionyſius in eâ re apertè: *Vlterius verò* NEQVE NVNC *proceſſit vrbis ambitus, fato aut numine, vt aiunt, non permittente.* Neque nunc, inquit: quando? Auguſti æuo, quo ipſe ſcripſit. Sed ille ipſe ambitus igitur quantus? idem ita docere voluit, dum ſubijcit: *Quòd ſiquis metiri ambitum eius voluerit, conferat cum Athenarum vrbe, nec multo maior apparebit.* Quod idem & alibi iterauit. Voluit, inquam, docere: vix nos docuit, ſed ſuos ſanè Græcos, qui Athenas norant. Nos quid? & de huius ambitu quæramus. Lego quidem in Dione Chryſoſtomo, *Circuitum Athenarum, cum Pyræo & Longis muris, fuiſſe ducentorum circiter ſtadiorum*: quæ nobis ſint, *vigintiquinque milliaria*: ſed an ea incluſa Athenis ſuis Dionyſius in hac collatione voluerit, hæremus. Tamen & ex Plutarcho ſimpliciùs colligas Athenarum ambitum, qui (in Niciâ) de *Syracuſarum* magnitudine differens, addit,

Lib. IIII.

Lib. VIII.

Orat. de tyrãnide

E

vrbem Athenis non anguſtiorem. Quantæ illæ igitur Syracuſæ? *Cẽtum octoginta ſtadiorum*, ſcripſit Strabo: atque ita haud longè à Dione Chryſoſtomo abimus; ſed nec à Plinio, de ipsâ Româ, cuius locus mox videndus. AVD. Quid per ambages colligis? res hodiéque liquet. & muri illi antiqui Romani ambitum habent non niſi XIII. *aut* XV. *milliarium*, vt notant qui dimenſi. Quid ergo ambigis? LIPS. Hos iſtos, veteres non fuiſſe. Multa ſunt, quæ arguunt: ſed ipſa maximè forma ſic enormis, & alibi ſinuans introrſus, alibi procurrens extrorſus: prorſus, vt non à priſcâ illâ accuratione & elegantiâ; ſed à nouitiâ aliqua neceſſitate imperitum & ſubitum opus videatur. Neque ambigendum eſt, vt mox dicam. Sed de veteri igitur ambitu; etiam Plinij locum, vt dixi, videamus, qui ex profeſſo deſcribit: MOENIA *eius collegêre* AMBITV, *Imperatoribus Cenſoribúſque Veſpaſianis, paſſuum* XIII. *millia ducenta. Complexa montes ſeptem, ipſa diuiditur in Regiones* XIIII. *compita earum* CCLXV. *Eiuſdem ſpacij menſurâ currente à Milliario, in capite fori Romani ſtatuto, ad ſingulas portas, efficit paſſuum per directum* XXX. *millia*, DCC. LXV. *Ad extrema verò tectorum cum caſtris Prætorijs, ab eodem Milliario, per vicos omnium viarum, menſura colligit paullò ampliùs* LXX. *millia paſſuum.* Rem totam hîc habeas, ſi verba hæc aut tenebras ſuas, aut & vitia, non haberent. Inſpiciamus. *Mœnia ambitu colligere* facit *paſſuum* XIII. *millia.* Sanè hoc ſit pro hodiernæ Romæ modo, ſi modò lectio firma: quam & priſci libri ſollicitant, XXX. *millia* ſcribentes; & Leander, atque alij ſuperioris ætatis, qui XX. *millia* legerunt, & defenderunt. Pergit, *Eiuſdem ſpatij menſurâ currente à Milliario.*) Intellego idem ſpatium, totum illum ambitum, & eo incluſum. Hoc, inquit, ſpatium ſi metiris: vnde? à *Milliario*: & intellegit * *Columnam* illam *Auream* in foro Romano ſtatutam, *in quam Italiæ omnes viæ finiunt*, vt ait Plutarchus. Auguſti hoc inſtitutum fuit, qui & poſuit *Colũnam*, & ab ea voluit currere mẽſuras. Pro hoc igitur more Plinius metitur, nõ à porta ad portã (vt video quoſdam ſuſpicari) ſed palàm à Milliario, quod quaſi in vrbe mediâ, ad ſingulas portas. Sed numeri eius manifeſtò falſi ſunt. Si XXX. millia ad quamque portam: ergo in totâ diametro LX. ſunt: ergo in ambitu *centum octoginta*. quo quid abſurdius? Et ſimile erit, etſi minus, ſi à porta ad portam XXX. ſint, vti volunt. nam tunc certè triplicata diametro, vt ſolet, exſurgent milliaria in ambitu *nonaginta*: an ipſis fatendum, aut nobis credendum? Iam in vltimâ menſione, *ad extrema tectorum*, inquit, *ab eodem Milliario,* LXX. *millia paſſuum.* Id quoque quî poteſt? creſcent ſupra modum hæc in ambitu, nec video excuſanda. Vt mihi nunc videtur (meliora auidè ſemper audiã, capiam, vel potiùs arripiã:) ſed vt mihi nunc, Plinij numeri iſti corrupti ſunt, & ſic reformandi. *Mœnia collegêre ambitu paſſuũ* XXIII. *millia.* Hoc primũ pono, tantam fuiſſe Romam: aut ſi placet, XXII, parùm in vno alteróque milliari eſt. Vnde doceo? ex Olympiodori quibuſdam Excerptis Græcis. in quibus ad verbum eſt, *Romanæ vrbis murus menſuratus ab Ammone geometrâ, quo tempore Gothi primam inuaſionem fecêre, habebat ſpatium vnius & viginti milliarium.* Iſte vno milliario minus, quod alius addit: & Martinus Polonus, qui Chronicon ſcripſit: *Incircuitu*, inquit, *Romæ ſunt milliaria viginti duo, præter Transtiberim & Leoninam ciuitatem, cum quibus dicitur habere quadraginta duo milliaria.* Vnde hæc habes Martine? ex aliquo veterũ: nam pro tuo æuo, vtrumque hoc planè eſt falſum. At pro veterum, & verbis Plinij, planiſſimè verum. Pro verbis, dico,

* De qua Dio, Tacitus, & in rſcõſului.

Digitized by Google

Plinij corrigendis, & porrò videamus. Nam altera menſura erat, à *Milliario ad portas* XXX. *millia*. Ego dico ſcribenda ꝏ ꝏ ꝏ: id eſt, *tria millia*. Et quis neſcit ex ignorantiâ harum notarum ſæpe, cùm in Plinio, tum Liuio, & alibi, peccatum? Nam putarunt *Denarias* notas eſſe: & inde nata illa *millia* XXX. Atqui aliter eſt; & ſic ſi emendas, quanta proportio & conſenſus? Romæ habet in ambitu XXIII. milliaria: à milliario ad portā, *tria milliaria & paſſus ſeptingentos ſexaginta quinque*: ergo in plenâ diametro, *ſeptē millia quingentos triginta*: hāc triplica, XXII. nónne XXII. *& ſemis* in ambitu redduntur? At Plinius neglexit aut inſuper habuit de dimidio, & rotundè XXII. aut XXIII. dixit. Simile in menſurâ vltimâ, quæ *ad extrema tectorum colligit* LXX. *millia*: Tu verò fac *ſeptem millia*: & rem factam habes. Dupliciter enim metitur. à milliario primùm ad ipſos muros portáſque: deinde ab eodem, ad extrema tecta. Quare hoc? liquet enim Romam, quaſi duplicem fuiſſe: & clauſam muris; & alteram non clauſam, quæ tamen in orbe circumiecta eſſet, & continentibus ædificiis inſtructa. Vtramque igitur dimenſus, dicit hanc vltimā in ſemidiametro *ſeptem milliaria* habere: duplica, ſunt *quatuordecim*. triplica, erit ambitus iuſtiſſimè, *quadraginta duorum*. Et nónne hoc ipſum eſt igitur quod Martinus dicebat? Addo probationem huic numero alteram, ex Vopiſco. Is de Aureliano Principe: *Muros vrbis Romæ ſic ampliauit, vt quinquaginta* PROPE *millia murorum eius ambitus teneant*. Quod tamen Zoſimus Probo Imperatori perfectum opus adſcribit. Si igitur tunc *quinquaginta propemodum* (nam id notat:) ergo tunc antè facilè ambitus ille ædium extremarum, *quadraginta duorum*: quia muri noui longiùs etiam paullù ab ædibus remoti. Ego in hac re nihil incerti vel infirmi video, niſi quòd libido quibuſdam eſt diſſentiēdi. Sed ô boni, an adeò tale nihil alibi? Ecce, in ipsâ Italiâ vrbs Locrorum (nec ea inter has maximas) *duodecim millia* in ambitu habuit, quod Liuius ſcripſit. Capuam ſuperaſſe, non mihi videtur ambigendum. Quid Carthaginem illam, Romæ æmulam? XXII. *millia paſſuum* circumdedit. vt manuſcripti Oroſiani codices præferunt, ſiue XXIIII. vt Epitoma Liuiana. Ipſa Conſtantinopolis olim XXII. vt hac quoque parte compar matri ſuæ eſſet. Denique ad Tataros & Sinenſes ſi abeunt, hodie reperient exēpla. Deſino. & ſatis ſit maſſe videor: niſi quòd opponi nobis poſſunt (nihil enim diſſimulabo, & ipſe ſubiiciam) duo. Prius, quòd *Milliarium* non videtur iuſtè fuiſſe in vrbe mediâ, atque ita mēſuratio fallet. Nā fuit in *capite*, vt Plinius ait, *fori Romani*: atqui ab eo ad Tiberim, non par reliquæ vrbi ſpatium videtur, & maximè quòd ibi *Campus Martius*, omnium conſenſu, extra vrbem. Reſpondeo. vt nunc quidem Roma eſt, non planè medium illîc eſſe fortaſſe (metiar, ſi illîc ſim: nunc tabulis credo:) ſed olim videtur fuiſſe. Sanè Victor, & Notitia Imperij, in foro ipſo Romano, nec longè à *Milliario*, *Vmbilicum vrbis* ponunt. Sed eſto tamen non exactè in medio: quid refert? non ſic γεωμετρικῶς omnia, & ad lineam regulámque veteres metiuntur. Nō mouet me de *Campo Martio*, quem fateor extra pomœrium habitum, & intra mœnia tamen fuiſſe. Nónne idem in *Auentino*? qui vſque ad Claudij tempora, in pomœrio habitus non fuit, & tamen à Regum tempore vrbi incluſus. Et campus quidem Martius etſi olim non erat, tamen Iulius Cæſar (quod Cicero ad Atticum ſcribit) deſtinabat eum includere: quî ſcio an non Auguſtus fecerit? nam & is pomœrium protulit: an denique non Nero? quem ego præcipuè puto in totâ Româ mutaſſe & innouaſſe. Et ab eo ſanè facies & forma eſt, quam Plinius deſcripſit. Alterum, quod obiici poteſt. Olympiodorum non niſi *viginti & vnum* milliaria attribuere ſub Honorio, cū Roma capta fuit: vbi ergo illa *quadraginta duo* noſtra, vel Aureliani *quinquaginta*? Reſpondeo, fuiſſe, & deſiiſſe. Nam ecce cùm Conſtantinus ſedem imperij tranſtulit, & vnà ſecum tot nobiles familias abduxit, frumenti etiam trientem abſtraxit, denique Sceptrum & Aulam: nónne probabile eſt, Romam iterum valdè minuiſſe? idque in extremis & lōginquis maximè, vt ſolet: atque ita reditum, collapſis aut diiectis Aureliani muris, ad veterem ambitum & modum. Alioqui & alterum mihi argumentum non inualidum pro tanto ambitu eſt, ex ipſo Victore & Ruſo, qui *Regiones vrbis* ſingillatim dimetiuntur. Sunt igitur quædam, vt illa *Auentini*, quæ *habent in ambitu* XXXIII. *millia*. CCCC. LXXXVIII S. pedes: nónne ea reddunt *ſex milliaria* ampliùs *& ſemiſſem*? Quid in reliquis illis XIII? in quibus vna item aliqua XXX *millia pedum* habet, aliæ ferè XVI. XV. XII: & minima omnium XI. Profectò ex his iunctis ingens ambitus exſurgit, & (computa ſi lubet) propemodum ille noſter. Sed tertiò aliquis dixerit, quod tu antea, muros hodiernos contra nos eſſe. Sunto. tu veteres eos potes credere? & ita neſcis toties dirutam, incenſam, vaſtatam: iterumque inſtauratam & refectam eſſe? Noli arbitrari quòd in iiſdem veſtigiis. nam quâ ſpe eiuſdem frequentiæ, aut felicitatis? Imò Honorius contraxit, pòſt Beliſarius, Narſes, denique & Pontifices Romani. è quibus *Hadrianus primus* (vt Blondus tradit) *muros eos, qui nunc exſtant, centenis aureorum millibus è Thuſciâ contractis, exſtruxit*. Sed hæc apud alios leges: ego ſententiam meam ſine fuco liberè, & item ſine pertinaciâ (quod profiteor) dixi. Hîc autem ſiſtit me & peruenit miſerans quædam cogitatio. Ego te Roma illa vetus, & ſpecioſa ſuper omnes vſquam aut vnquam vrbes, non ſolùm non video, ſed etiam quæ fueris, quæro? Quæ fueris? imò & vbi fueris: & quî ſcio, an non & aliquando, verùm fueris quæretur? Non magis hoc mirum, ſi ſæcula plura current, quàm nunc de Thebis Ægyptiis aut Troiâ dubitari. Nam habet hoc ætas, vt formam primò tollat, tum rem, tum famam & nomen. O ſpes & res humanæ, quid eſtis? quò itis? huc flectite. En potens & ſuperba illa Roma, quæ VRBS ÆTERNA audiebat; quæ VSCTVRA CVM SÆCVLIS; quæ DEORVM OPVS ET CVRA, tota perit, condita in ruinis ſuis iacet, & laboramus eruere, & adſtruere magnitudini eius fidem.

CAPVT III.

Magnitudo Suburbiorum Romæ, & hominum in totâ Româ multitudo.

SEd o philoſophandi alibi ſit locus: curramus nunc inſtitutum curſum. Romam igitur duplicem habemus, veteri ambitu, & nouo: eſt & tertia quædam ſine ambitu, & quæ in ſuburbiis procurrit. Ea quoque ingens, & Plinij imagine oſtendenda: qui ait, *exſpatiantia tecta multas addidiſſe vrbes*. Plures, inquam, ſunt vrbes, & tot quot ſuburbia ipſa. Quæ *Tybur*, *Ocriculum*, *Ariciam* atque alia excurrebant, ſed maximè *Oſtiam* & mare verſus. Illuc vel ad XV. aut circiter milliaria procedebant: & fidem huic aſſertioni Neronis conſilium ac deſtinatio faciat. cui ab hac cauſâ viſum, *Oſtiam tenus* (ait Suetonius)

Digitized by Google

mœnia promouere, atque inde foſsâ mare veteri vrbi inducere: etſi non effecit. A De hac magnitudine iam ſuo æuo Dionyſius: *Omnia loca circa vrbem habitata, ſine mœnibus eſſe. in qua ſiquis intuens* MAGNITVDINEM ROMÆ *exquirere velit, fruſtrà eum fore, & haſurum vbi deſinat vrbs, vbi incipiat. Adeò ſuburbana,* inquit, *ipſi vrbi adhærent & innexa ſunt, & ſpeciem* IMMENSÆ LONGITVDINIS *exhibent ſpectanti.* Atque eâ mente alibi ſcripſit, *nullam vrbium Græcarum ſiue Barbararum, vel ſpatij habitati amplitudine, vel imperij, tantam fuiſſe.* At maior etiam maiórque poſt illum. & Ariſtides Rhetor (ſub Hadriano vixit, cùm vrbs in ſummo flore) comparat eam non ineptè cum Homericâ niue: *quæ excelſorum montium iuga operit, & agros item ac pinguia virorum culta.* & addit: *Deſcendit etiam & porrigitur* AD MARE *ipſum, vbi cõmune eſt emporium, & omnium è terrâ gignentium diſtributio.* B Atque idem haud vanâ μεγαληγορίᾳ: *Tantâ Romam eſſe, vt in quacunque parte quis conſtiterit, nihil impediat & in mediâ eum eſſe.* Quem locum hæc talia habeãt, niſi in magnitudine iſtâ adſtructâ? At tu vultu renides, & fortaſſe animo diſſentis. AVD. Etiã verbis, ſi licet. LIPS. Licet verò, atque adeò inuito. AVD. Nã quæ tu ſic extollis & producis, Oſtiam, Tybur, aliò; hæc omnia ego atque alios dixerit, nõ habitata ædificia, aut vrbis partes, ſed Villas, Prætoria, & voluptarias eiuſmodi domos fuiſſe. LIPS. Sanè alius hoc iam dixit: memini: ſed quẽ reiicit, præter dicta, multitudo infinita hominum, quę in vrbe hac totâ fuit. Opportunè enim & hoc argumentum addam pro magnâ meâ Româ. Poſſumúſne igitur ſatis certò eam multitudinem colligere & æſtimare? poſſumus è veſti- C gijs ſcriptorum, quæ ſagaciter ibo indagatum. Ex lapide Auguſti, ſæpe iam nominato, itémque è Suetonio conſtat, *trecenta viginti millia* aliquando fuiſſe plebis vrbanæ: plebis dico tenuioris, & quæ è publico victitaret: imò ſuprà. Conſidera, & inſtitue ratiocinium: ſi tanta multitudo inopum iſtorum, quanta iam etiam diuitum? Quot illi Senatores aut Senatorij, quot equites, & ex ipſâ plebe honeſti? Viſne illos quoque *trecenta millia* fuiſſe? age, ſunto vel *ducenta* tantùm: quid conficitur? pueros feminãſque addendas: & quo numero? profectò duplo triplóque (ſi non vltrà) ſuperarunt: & ita vbique gentium aut vrbium obſeruamus. Si placet igitur, conſumma: habemus iamnunc in noſtrâ Româ (vix audeo dicere) *duos hominum milliones.* Quid tamen trepido? verum D fortiter dicendum eſt, & plura etiam addenda. AVD. Plura? at vereor ne iamnunc extra veri metas ieris, certè opinionis. LIPS. Plura inquam, & vide. Nónne probabile eſt totidem ſeruos Romæ, quot liberos fuiſſe? AVD. Socratis inſtituto mecum agis, & interrogando inducis. Sed ego circumueniri metuo. tu tibi reſponde. LIPS. Fiat. dico totidem, dico plures. Nam tenuium quotuſquiſque fuit (vt nunc mores) cui non vnus altérve ſeruulus? At diuites illi agmina eorum, * *agmina* dico (& ſic Ammianus loquitur) *poſt ſe trahebant.* Vnus Pedanius Coſta in Tacito, *quadringentos* ſeruos ſub tecto ſuo & domi habuit, cùm ab vno eorum eſt interfectus. Seneca Romanis ſuis obiicit *ſeruorum turbam, quæ quamuis magnam domum anguſtet.* Et crede mihi nemo diuitum E iſtorum aut lautorum fuit, cui minus centenis aut ducenis: qui in varia ſua officia aut munia diuiſi. Sed quid ambio, aut argumenta colligo? cape certum & fidei notum teſtem, iterùm Senecam, de ſuo æuo: *Dicta eſt aliquando ſententia in Senatu, vt ſeruos à liberis cultus diſtingueret. Deinde apparuit, quantum periculum immineret, ſi ſerui noſtri numerare nos cœpiſſent.* Quid clarius dici poteſt, ſeruos plures liberis fuiſſe?

* Vide ſuprà lib. II. cap. XV.

Nec ſic tamen omnes habemus: adde. AVD. Abeo. A LIPS. Quid tibi eſt? AVD. Nam tres aut quattuor milliones mihi iam ſtatuis, quantum nec in prouinciis quibuſdam aut regnis. Quis hæc ferat? LIPS. Si ferre non vis, deuce: per me licet. Tamen rem tuam iam ſum dicturus. AVD. Rem meam? LIPS. Tuam. peregrinos traduco Romam. AVD. Hem, hem maneo, ô ſiſte me illîc. LIPS. Ecce. dico Peregrinos ex toto orbe Romã olim veniſſe, alios negotij ſui cauſſâ, alios publici, multos & manſionis. Ita ſemper ea vrbs referta iis, cùm hi inirent, alij exirent: atque ipſa, vt mare, admitteret, emitteret, nec creſceret minuerétve. Itaque Ariſtides Romam dicit eſſe, *velut* COMMVNE TOTIVS TERRÆ OPPIDVM. Item, *omnes gentes, quaſi vicatim diuiſas, ad hanc ſuam arcem conuenire: quã nunquam vllo ſe negat, ſed vt terra ſolum fert omnes, ſic hæc* OMNES HOMINES *capit.* Athe- B næus quoque cum eo: apud quem ORBIS POPVLVS Romani dicuntur, ab hac cauſſâ: ipſa vrbs, ORBIS COMPENDIVM ET EPITOME: quæ Polemonis Sophiſtæ, apud Galenum, vox & elogium fuit. Eadem *vrbs vrbium*: quia *videre in eâ eſt omnes vrbes collocatas.* deinde addit: *Deficiat non vnus dies, ſed quotquot habet annus, ſiquis adnumerare conetur* OMNES VRBES IN CÆLESTI *iſtâ vrbe poſitas: idque ob nimiam copiam. Nam &* TOTÆ NATIONES *illic ſimul & confertim habitant: vt Cappadocum, Scytharum, Ponticorum, & aliarum complures.* At tu iterum renides. AVD. Et renitor quoque. an Græcis his credam, & ſic oratoriè loquentibus? *Dies deficiat & annus numerantem*: item, *Totæ nationes ha-* C *bitant*: & iſta, quæ tu ſcis dici in ſpeciem, in re non eſſe. LIPS. In re non eſſe? audi, audi: quoniam Græcis parùm apud te eſt fidei (etſi in hac re Romanâ & exterâ debebat) audi, inquam, Romanum igitur teſtem, & cum Romanâ fide ac candore. Is eſt Seneca noſter. qui ſic ad Heluiam matrem: *Aſpice hanc frequentiam, cui vix vrbis* IMMENSÆ TECTA *ſufficiunt*: MAXIMA PARS *illius turbæ patriâ caret, ex municipiis, ex coloniis ſuis, ex* TOTO *denique* ORBE TERRARVM *confluxerunt.* Quid ea verba tibi videntur? *vrbis immenſa tecta* vix capere incolas: item, *maximam illorum partem,* exteros eſſe: denique *ex toto orbe* eò concurri. Et iſta mox iterat: ac poſtquàm cauſſas recenſuit paſſim veniendi varias (lege; & iucunda ſunt:) addit: NVLLVM *non* HOMINVM *ge-* D *nus concurrit in Vrbem, & virtutibus & vitiis magna præmia ponentem. Iube hos omnes ad nomen citari, & Vnde domo quiſque ſit, quære: videbis* MAIOREM PARTEM *eſſe, quæ relictis ſedibus ſuis venerit in* MAXIMAM *quidem ac* PVLCHERRIMAM *vrbem, non tamen ſuam.* Quid Lucanus? nónne Romam aſſerit,

——populis, victíſque frequentem
Gentibus, & GENERIS, *coeat ſi turba,* CAPACEM
HVMANI?

Totum orbem hîc includi potuiſſe ait: & quid poteſt clarius pro multitudine, ſiue & magnitudine noſtrâ dici? Idem poëta *—mundi face repletam* Romam ſcribit: ad tot ſcilicet illas nationes aſpiciẽs (ex Athenæo audiſti) quæ incolebant: totæ in certis partibus aut regionibus etiam collocatæ. Ita Iudæi trans E Tiberim, alij alibi: atque etiam cœtus & concilia ſua habuerunt. Suetonius indicat in Iulij funere: *In ſummo publico luctu, exterarum gentium multitudo, ſuo quæque more, lamentata eſt.* Vt iam igitur hoc claudam & definiam, putáſne & Seruos & Peregrinos minus *duobus millionibus* feciſſe? Ita in vniuerſum ſint *quattuor* Romæ, & circa eam: nec mitius aut contractius, vt ſcripta veterum ſunt, ego poſſum.

Suſpenſum

A Suſpenſum te animi video: & ego ipſe pænè fluctuo: ſed validi illi venti Auctoritatū nauim noſtram huc impellunt, ſiſtamus & in anchoris firmemus. AVO. Non ſanè id poteſt. nondum in trāquillo es, ne puta. Mihi quoque adſpirant venti, & ecce ab Oriente. Alexandria illa ſic celebris, ſic maxima, ſic omnium confeſſione poſt Romam ſecunda, non niſi *trecenta millia* habuit *liberorum capitum*: quod Diodorus tamen quaſi pro re magnâ poſuit, & adfirmauit. Atquin ea nec multo Româ ipsâ minor. LIPS. Reſpondeo, Alexandriam longè Româ illâ triplici dictâ minorem eſſe: & cuius ambitus ex Plinij dimenſione, non niſi *quindecim milliarum* eſſet. Noſtra igitur maior: & ipſum hoc de Alexandriâ, contra vulgatam opinionē valeat, de Româ ſic paruâ. B At verò de incolis, quòd paucos eos facere Diodorus videtur: videſis, & inquire. *De liberis capitibus* dumtaxat definiuit: vbi ſerui igitur? vbi etiam exteri & aduentores, qui in tali negotioſâ vrbe ſanè multi? Hæc attendenda ſunt, ſed iſtud maximè, quod Diodorus de ſuo æuo ſcripſit, id eſt Ptolomæi penultimi, & Romanæ adhuc libertatis. Atqui tunc Alexandria nondum in flore illo & culmine, ad quod ſub Principibus demum peruenit. Quid autem de *trecentis millibus* magnum ſit, cùm Cæſarea Cappadociæ (nec ea inter vrbes principes) *quadringenta millia* incolarum habuerit? Zonaræ hoc ita proditum, vt teſtem etiam aduocem: & hunc ipſum numerum, aut circà, Pariſiorum noſtra Lutetia in cenſum deferebat, ante vltimas iſtas turbas. C Quid, quod Diogenes Laërtius in Empedocle prodidit, *Agrigentinam Siciliæ olim octingenta millia hominum inhabitaſſe?* Plura eiuſmodi exempla ſunt: ſed hodie, nonne *Cairum* in Ægypto ſcribitur ad *ſeptem milliones* hominum habere? & *Quinzai* illud famoſum, ad *ſedecies centena millia* (ſtupeſco) familiarum. Præ quibus noſtra illa frequens Roma decreſcat; & dum fidem adſtruo, perdam admirationem. AVO. Non apud me, ſtupeo. & ecce hodierna Roma, quàm relinquitur & abeſt? LIPS. Nulla comparatio: ſi tros eſt, omitte. Paullus Iouius pro magno ſcripſit, *Leonis Decimi temporibus, cùm omnia in felici vbertate & pace cenſa Roma octoginta quinque millia ciuium & inquilinorum: at verò poſt cladem ſub Clemente Septimo acceptam, iterum cenſu inito, vix ad triginta duo millia peruentum.* D Quid verbis hîc opus eſt? vnus pænè veteris Romæ vicus ſit tam frequens. Nec mirum eſt. nam iſta hodierna, præcipuos illos colles & valles etiam, vacua habet & deſerta. AVO. Optimè. is ſpōte, quò ducebam. Nam nónne & tua vetus *complura habet illa vacua?* Vbique obuia templa, porticus, baſilicæ, theatra, circi, fora, balneæ, thermæ, cetera publica: quæ vel magnam partem, ſi non maximam, vrbis occuparunt. Deflecte aut reſiſte, ſi potes, hunc etiam ventum. LIPS. Reſiſto, plenis velis, prorâ obuerſâ. Nam iſta quæ tu vacua perperam putas, ego aio pleniſſima fuiſſe. E Balneas & Thermas nominaſti: quid? an non in ijs multitudo curantium, miniſtrantium, ad obſeruandum, purgandum; aquam aggerendam; lauandum etiam, fricandum, vngendum, ſi quis ſeruum non habuiſſet? Templa autem, Baſilicæ, Fora, ſuos cuſtodes & æditŭos habebāt. ſatis grandi ſanè numero, ob ſacrificia, ornatum, & tutelam. Et paſſim curatores, & ſerui item publici, in publicis iſtis locis. Sed duo etiam ego omiſi, valdè ad frequentiam vrbis, Milites, & Palatinos. Milites tot illi, in præſidio Principis aut vrbis erant: iis ſui calones, & honeſtioribus ſerui plures: ſcito certò vel ad *centena millia* excreuiſſe. At Palatinos dico, totam Principis aulam: in quâ quot officia aut miniſteria fuiſſe dicemus? Lapides antiquos inſpice: dicent in parte, & ſuggerent materiem tibi cogitandi. Eſt & tertium, ſed verecundè vix dico. Meretrices & ſcorta vtriuſque ſexus (proh pudor! ſed res ita fuit) ingentem numerum reddiderunt, vt in vrbe quam multi cælibes, multi exteri ſine vxoribus inhabitarent, aut frequentarent. Quid iam gladiatores, venatores, ſcænici, quadrigarij, xyſtici? multa millia fuerunt. & ad ſummam, mi Auditor, deſine reſtare amplius & opponere; aut, vides, longius longiuſque res hæc ibit. AVO. Quieſco tuâ cauſſa, & credo (vt ſic dicam) nec credens. Tamen vnum etiam quæſierim: ſi tot illic millena millia, vnde iis cibus? LIPS. Hoc meritò & quæris, & ego decidā, ſed paucis Senecæ verbis. *Cogitate,* inquit, *hanc ciuitatem, in quâ turba per latiſſima itinera, ſine intermiſſione defluens, eliditur; in quâ conſumitur,* QVIDQVID TERRIS OMNIBVS *aratur.* Orbis, inquam, pænè totus hanc ſuam metropolim adibat, & alebat: quid ambigis alimenta ſuffeciſſe? Imò repete quæ ſuprà dixi, de Frumentatione: & nunc Ariſtidis hæc audi. *Mare per medium veſtrum imperium porrigitur, cui vndique amplæ regiones adiacent, neceſſaria pleraque vobis ſubminiſtrantes. Nam* EX OMNI TERRA MARIQVE, *quidquid vel anni tempora gignunt; vel regiones ſingulæ, flumi, lacus; arteſque item & ingenia tum Græcorum tum Barbarorum proferunt,* ID OMNE *ad vos defertur. Itaque ſiquis talia omnia videre deſiderat; ei vel per totum orbem peregrinetur neceſſe eſt, vel in veſtrâ iſtâ vrbe verſetur. Quidquid enim apud alios vel creſcit, vel conficitur, hic affluit & abundat. Tot autem & tanta oneraria naues ſingulis anni temporibus appelluntur, vt vrbs* * COMMVNIS QVÆDAM ORBIS OFFICINA *videatur.* * κοινόν τι τῆς γῆς ἐργαστήριον. Ecce, merces vndique habes, copias vndique, frumenta, fructus. Nec plura opus de alimentis: addámne duo argumenta etiam multitudinis, atque vnum ex iis iocoſum? Lampridius ſcribit, Heliogabalum *ſeruis imperaſſe vt omnes araneas colligerent in vrbe: atque eos collegiſſe ad decem millia pondo.* additque, Heliogabalum ſubieciſſe, *Vel hinc intelligendum* QVAM MAGNA ROMA *eſſet.* Verū eſt: & quot domorum angulos excuti oportuit, ad hoc pondus? & quidem domorum per omnes angulos ferè habitatarum? Alterum argumentū triſte, & à peſte. In Euſebij Chronico traditur ſub Veſpaſiano (etſi verius Titi) *Ingentem Romæ luem factam, ita vt* PER MVLTOS DIES *in ephemeridem decem millia mortuorum referrentur. Decem millia* nempe in dies ſingulos: nec nimium pro Româ: qua[illegible] in *Cairo* etiam lego, ad xx. ∞. hominum in di[illegible]ſumpta. Itaque & in Suetonij Nerone quod v[illegible] legitur: Ca. xxxix. *Acceſſerunt tantis ex Principe malis & fortuita quædam. peſtilentia vnius Autumni, quâ XXX. funerum millia in rationem Libitinæ venerunt.* id falſum prauūmque mihi eſt. Quid enim in magnâ illâ Româ magni, cùm in noſtris oppidis ea ſint exempla? Omnino reſcribendum, *trecenta millia*: & interpretes debebant aduertiſſe. Concludo, & moneo, per hanc frequentiam Romæ factum, vt paullatim Italia pænè deſerta eſſet; cùm pleraque eò confluerent, ob frumentationes, ludos, & alios vſus aut voluptates. Varro iam ſuo æuo conqueritur, pleroſque ex agris in vrbem correpſiſſe, *& maluiſſe manus in theatro mouere, quàm in aratro.* Quod maximè fuit, poſt Frumentationes ſic largiter & firmiter inſtitutas: etſi Lucanus cauſſam in ciuile bellum conijcit: quaſi ab eo ſtirps Italiæ ſic acciſa. Sed de ſolitudine quidem, eadem canit:

——videmus
Tot vacuas vrbes, generis quò turba redacta eſt
Humani? toto populi qui naſcimur orbe,

ſaoè intelligis: ſed quanta ea ſumma ſit ex ſolâ Ægypto? Atqui Africa iam addenda eſt, quæ duplum ad Ægyptum dedit. Hoc enim ita palàm & adſirmatè Ioſephus ſcripſit, in oratione Agrippæ regis ad Iudæos: *Africam octo menſibus populum Romanum paſcere, Ægyptum autem quaternis.* Valdè notabilis locus: & idem eſt in Hegeſippo, qui tráſcripſit. Ex hac igitur ratiocinatione, frumentum vrbi illatum annuum fuerit *ſexcenties centena millia modiorum.* Sunt in dies circiter, *centum ſexagintaquattuor millia octogintatres.* Heu, ingentem copiam! & quæ ſufficiat, ſi inſpicis, vel *viciescentenis* hominum *millibus* alendis. Nam Modius paullò plus minúſve Romanis pendit xxv. libras: ſed Romanas tamen libras, id eſt duodecim vnciarum. AVD. Hem Lipſi, & tu credis hæc vera eſſe? qui poſſunt? nam antè duntaxat de *ducentis millibus*, aut largiſſimè, *trecentis viginti* frumentantium eſt dictum. LIPS. Dictum. ſed nempe etſi non plures caperent, plures tamen fruebantur & alebantur: Nam cenſendum eſt, pleroſque iſtorum qui caperent; Patresfamilias fuiſſe, vxorem, liberos, ſeruulos habuiſſe. Itaque largius valdè quàm in vnum caput capiebant: & videtur teſſera ſiue donatio ordinaria fuiſſe in ſingulos, *decem modiorum*, quod in Electis notaui. Iam & hoc cogitandum, plures etiam in conſortium huius frumenti veniſſe. An non probabiliter Vrbanos illos omnes milites? ſanè in Herodiano lego, *Seuerum, præter alia quæ indulſit, militibus etiam τὸ σιτηρέσιον ſiue frumenti modum auxiſſe.* Quid ipſam deinde Aulam & Palatinos? nonne item probabile annonas ſuas hinc accepiſſe? An non & Claſſiarios ipſos in Italia iolites? Hæc conſiderari & colligi pro Victoris ſcriptione poſſunt: quæ mihi tamen, vt rem dicam, *parùm eſt certa. Ingens frumenti copia ſit, & ex duabus prouinciis tantùm. An igitur placeat in eo corrigi, *ad centies centena millia?* Ita vniuerſa illatio fuerit, cum illo Africano, *trecenties centena millia*: larga profectò ſatis & laxa, cùm hæc in diem tolleret ad *millia hominum circiter ſeptingenta.* Facit pro emendatione, quod Spartianus de Seuero ſcribit: curioſè proſpexiſſe rei frumentariæ, *& cùm moreretur, reliquiſſe ſeptem annorum Canonem, ita vt COTTIDIANA LXXV. millia modiorum expendi poſſent.* Magna prouidentia eius Principis, ſoliciti in ſeptem annos: ſed & Canon ille diurnus opportunè expreſſus, qui proximè ad noſtra *trecenties centena millia* (tecum computa, ſi voles) proximè, inquam, accedit. Minuiſſe tamen paullatim hic Canon videtur: ſiue quia Principes in alia diſtribuerent; an & quia minus, prouinciis iam effætis, inferretur? Sanè Conſtātinus egregiè minuit. qui ſedem & affectum ſuum Byzantium transferens, vt in aliis Nouam hanc Romam cum illâ Veteri, ſic & Frumentatione voluit in parte æquare. Nam claſſem Ægyptiacam Byzantio deſtinauit, relictâ Romæ duntaxat illâ Africanâ. Hæc diuiſio deinceps manſit: niſi quòd Byzantini frumenti modum tamen minuit filius eius Conſtantius, offenſus plebi ob ſeditionem temerè & aſperè motam. De eâ re Eccleſiaſtici noſtri ſcriptores: qui & numerum exprimunt frumenti. In Nicephoro Calliſto eſt: *Octo myriades medimnorum frumenti quotannis à Conſtantino datæ plebi fuerant, cuius dimidiam partem Conſtantius diminuit.* Atque iſte totum Frumenti modum annuum facit, non niſi *octoginta millium medimnorum*: quæ ſint Romanis circiter *quadringenta octoginta modiorum.* Haud magna, nec pro priſcis opibus, largitio: quam tamen & Socrates ita firmat. Ἐζημίωσε δὲ τὴν πόλιν ἀφελὼν τοῦ σιτηρεσίου τῆς χορηγηθείσης παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἡμερεσίου, ὑπὲρ τέσσαρας μυριάδας. ὀκτὼ γὰρ ἐγγὺς μυριάδες ἐχορηγοῦντο πρότερον τοῦ σίτου, ἐκ τῆς ἀλεξανδρέων κομιζομένου πόλεως: *Mulctauit vrbem, auferens frumenti quod pater eius in dies adſignauerat, ſuper quattuor myriadas. Octo enim myriades circiter anteà dabātur, inuehebanturq; ex vrbe Alexandriâ.* Dicit quidē ille σιτηρέσιον ἡμερέσιον, *diurnum frumentum*: ſed exuberat ille modus in dies ſingulos, nec aliter ſentit quàm de diuiſione dūtaxat diurnâ. At annua ipſa illatio, tanta: id eſt, *mille trecenti* in diem circiter modij, vix quattuordecim aut quindecim millibus hominum paſcendis. Heu, quātum minuimus? atque idem in ipsâ Româ veteri factum, Olympiodori locus (apud Photium, in Bibliothecâ) attendenti oſtendit. Exceptum ibi legitur: Ὅτι μετὰ τὴν τῶν Γότθων ἅλωσιν τῆς Ῥώμης, Ἀλβῖνος ὁ τῆς Ῥώμης ἔπαρχος, ἀποκαταστάσης πάλιν ἀποκατασταθείσης, ἔγραψεν μὴ ἐξαρκεῖν τὸ χορηγούμενον μέρος τῷ δήμῳ, τοῦ πλήθους αὔξαν τῆς πόλεως ἐπιδιδούσης, ἔγραψε δὲ ὡς ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ τετόχθαι ἀριθμὸν χιλιάδων δεκατεσσάρων: *Poſt Gothorū inuaſionem & direptionem Romanam, Albinus Præfectus vrbis, iterùm nunc eà inſtauratâ ſcripſit, Non ſufficere populo modum qui inferretur, cum vrbs iam in multitudinem largiter excreuiſſet. Scripſit autem, & in vnam diem ſtatutum numerum quattuordecim* millium.* Verba, quæ expreſſim de Frumento non habent; ſed eò referenda eſſe, mecum cenſebit, qui examinabit. Ergo diurnus tunc modus (ſub Honorio) *quattuordecim mille* modij. qui & ipſe minuit aut periit cum imperio ipſo Romano. Theodoricus tamen rex Gothorum (ſanè, vt in illa gente, laudandus) ſpecimen aliquod veteris moris reſtituit: & in Ricobaldo quodam ſcriptum: *A Romanis cum gaudio ſuſceptus eſt, quibus ille ad ſubſidium tritici ſingulis annis CXX. millia modiorum conceſſit.* Sed quid ad iſta eo? ADMIRANDA mea non horum temporum: quin priorum etiam Principum æuo (circa Flauiorum imperiū) panis diſtribui, non ipſum frumentum, cœpit: credo, quia lucrum aliquod ex eo fiſcus captaret; & quo minore modo in plures largitio ſpargeretur. Is *Panis gradilis* dictus; quia in gradibus diuideretur, idem *Fiſcalis*, quia è publico & fiſco. Commentarius Perſij vetus, ad illud — *populi cribro decuſſa farina. Panem non delicioſius cribro diſcuſſum, ſed plebeium de populi annonâ, id eſt, Fiſcalem dicit.* Eos panes *bilibres* fuiſſe, ex Vopiſci Aureliano dicā. *Nam Aurelianus*, inquit, *eo tempore quo proficiſcebatur ad Orientem, bilibres coronas populo promiſit, ſi victor rediret. Et cùm aureas populus ſperaret, neque Aurelianus aut poſſet, aut vellet, coronas eum feciſſe de Panibus qui NVNC Siligenei appellantur, & ſingulis quibuſque donaſſe. ita vt Siligineum ſuum COTTIDIE toto anno ſua vnuſquiſque reciperet, & POSTERIS SVIS dimitteret.* E quibus inſpectis planè affirmaueris, *Bilibres*, & in *Capita* ſic datos fuiſſe. AVD. Quomodocunque Lipſi, tamen magna illa, & in magno modo (Seueri canon dicit) largitio, & mihi ſemper ſtupenda. LIPS. Quid ſi accumulo, & obſonium etiam addo? *Nam idem Aurelianus* (Vopiſci item verba) *& porcinam carnem populo Romano diſtribuit, quæ HODIEQVE diuiditur.* Quando *hodieque?* ad tempora vſque Conſtantini. Simile in *Oleo* fuit, quod perpetuum populo dedit & inſtituit Imp. Seuerus. *Vinum* etiam, vt nequid deeſſet, Aurelianus ſtatuerat, ſed morte præreptus non fecit. Satis hæc mi Auditor, cetera in Electis meis vide.

* Hic No-u.

lib. IX. cap. VII.

* Malorū ognoi.

CAP. XI.

Impenſa in Ludos carptim oſtenſa.

TRANSIMVS ad *Arbitraria* impendia: quæ trium item generum maximè fuerunt. In *Ludos, Opera, Dona*: In *Ludos* ſingulatim ſi perſequar, aut excipia accumulem; ſeorſim Theatrum mihi ſtruendum ſit,

& ooui

& noni aliquot ſermones. Capita impendiorum dicam. de quibus vniuerſè ſic Lactātius: *Quid dicēdum eſt de iis, qui populari leuitate ducti, vel* MAGNIS VRBIBVS *ſuffecturas opes exhibendis* MVNERIBVS *impēdunt?* Item Ambroſius: *Magiſtratus in theatris, mimis, & athletis, gladiatoribus, aliiſque huiuſmodi generibus hominum* TOTVM PATRIMONIVM *ſuum largiunt & prodigit vt vnius horæ fauorem vulgi acquirat.* Meritò damnabant noſtri Patres damnoſam hanc inſaniam, & quæ priuatos homines bonis per ludum exuit, Principes ipſos attenuat & delibat. Atque id diſcere cùm ex frequentiâ eorum potes, tum ex apparatu. Vnus Auguſtus *feciſſe ludos ſe dicit, ſuo nomine quater & vicies; pro aliis magiſtratibus, qui aut abeſſent, aut non ſufficerēt, ter & vicies.* Ego vix arbitror, vllos ex iſtis Principalibus ludis minoris *quingentiis*, aut & *millies ſeſtertio* ſtetiſſe: quod Apparatus & Pompa facilè perſuadebunt. Nam ecce in ipſo Theatro, Amphitheatro, aut Circo adornando qui ſæpe ſumptus? cùm ſemper gratia aliqua & illicium nouitatis in ipsâ formâ quæreretur: & Nero (pro exemplo) *Theatrum totum, non Scænam eius tantùm, auro illeuit & obtexit. Sed & quidquid illatum fuit, & omne inſtrumentum ac choragium, aureum: itemque vela quæ ſuperne contra ſolem obumbrabant, purpurea tota & aureis ſtellis interſtincta. Ex quo & dies ille Aureus appellatus.* Dio Caſſius hoc in Nerone. & Plinius id ipſum adſignificauit: *vero Pompeij theatrum operuit auro, in vnum diem, quo Tiridati regi Armeniæ oſtenderet.* Quid Iulius Cæſar, ante Nerone, & nondum Princeps? *Is primus in Ædilitate, munere patris funebri,* OMNI APPARATV *arenæ* ARGENTEO *vſus eſt. feraſque argenteis haſtis laceſſere, tum primum viſum. Mox quod etiam in* MVNICIPIIS *æmulantur, C. Antonius ludos ſcanâ argentea fecit.* Cæſar igitur hoc *primus*: ſed nō vltimus. & quò Plinius addidit, paſſim & in Coloniis ac Municipiis Argenteæ iam ſcænæ. Ideò non poſſum, vt rarioris operæ aut magnificentiæ admirari, quod Plinius, vt tale, ſcripſit eodem iſto loco: *Item L. Murena, & Caius Princeps, in Circo pegma duxit, in quo fuêre argenti pondo* CXXIIII. Tu hoc Plini notabile duxiſti? *centum viginti quatuor* pondo argenti? quis ex equite, & pænè dixerim plebe, tunc non inſumpſerit? Lege * CXXIIII ∞: id eſt, *centum viginti quattuor millia*: nec id pro Caio aliquo ſit magnum, imò nec pro priuato nimium, quia argentum recipiebant, nec totum peribat: ſi tamen vellent. Plura eiuſmodi ornamenta aut inſtructus erant, & quædam in libello noſtro Amphitheatrali diximus: & vis nunc vnum & extremum furorem? Heliogabalus Imp. (ait Lampridius) *fertur in Euripis vino plenis, nauales Circenſes exhibuiſſe.* Tu cogita quantum vini profuſum, foſſis illis & Euripis in Circo ita eo plenis, vt naues inter ſe concurrere, ac certare de velocitate poſſent. Quid iam dicam tot *Gladiatorum* millia, tot *Ferarum* ex toto orbe quæſitarū? tot equorum nobilium? in vitâ actiſque Principum aſſiduâ hæc legis. Addo huc *Miſſilia & Sparſiones* in populum, id eſt Teſſeras ligneas cum notis rerum, aut interdum res ipſas, magno certamine diripiendas. Quæ item velut legitima iam erant in omnibus ludis, ad populum illiciendum. Horum pretia & ſumptus, ex Neronianis iſtis colligantur, apud Suetonium: *Sparſa & populo miſſilia omnium rerum per* OMNES DIES, *ſingula cottidie millia auium, cuiuſque generis multiplex penus, teſſeræ frumētariæ, veſtis, aurū, argentū, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, iumenta atque etiā manſuetæ feræ: nouiſſime,* NAVES, INSVLAE, AGRI. Notetur hæc iactatio. quāta ea, & quantarum rerū? Præter aurum, gemmas, margaritas, *Inſulas* & totos *Agros* dedit: *Inſulas* nempe vrbanas, & habitabiles domos. O res vix Suetonio fidiſſimo teſti credendas! Sed accedit & Dio ſimilia aſſerere: *Omnia,* inquit, *delicatiſſima quæ homines comedūt* (ad *Penum* Suetonij pertinet:) *omnia pretioſiſſima, equos, mancipia, eſſeda, aurum, argentum, variam veſtem, hæc dabat per ſymbola quædam & teſſeras. Globulos enim paruos inſcriptos, vt quæque eorum erant, hos iaciebat in populum, & reipſa mox dabatur, quod quiſque eorum in teſſerâ haberet.* Neque Nero hæc ſolus: de more fiebat, etſi alius largius parciuſque, pro opibus, præberet. Titus ſanè Veſpaſianus filius, item profuſiſſimè, in ludis quos per *centum dies*, dedicatione Amphitheatri ſui, fecit. Dio Caſſius de eo: παρέσχε δέ τινα καὶ ἐς ὠφέλειαν φέροντα αὐτοῖς. σφαιρία γὰρ ξύλινα μικρὰ ἄνωθεν ἐς τὸ θέατρον ἐρρίπτει σύμβολον ἔχοντα, τὸ μὲν ἐδωδίμου τινὸς, τὸ δὲ ἐσθῆτος, τὸ δὲ ἀργυροῦ σκεύους, ἄλλο χρυσοῦ, ἵππων, ὑποζυγίων, βοσκημάτων, ἀνδραπόδων, ἃ ἁρπάσαντάς τινας ἔδει πρὸς τοὺς δοτῆρας αὐτῶν ἀπενεγκεῖν, καὶ λαβεῖν τὸ ἐπιγεγραμμένον: *Dedit & quædam, vtilitatem, non ſolùm voluptatem, ſpectantibus præbentia. Nam globulos ligneos quoſdam de loco ſuperiore in theatrum iaciebat, qui ſymbolum haberent, hic alicuius eſculenti, ille veſtis, alius argentei vaſi, alius aurei, equorum, iumentorum, mancipiorum; quæ oportebat eos, qui rapuiſſent, ferre ad Curatores ludorum, & ab iis accipere quamque rem inſcriptam.* Credis tu hæc per tot illos centenos dies fieri potuiſſe ſine impenſa *bis terque millies* HS.? ego non opinor. & vbi ſumptus ludorū reliqui? Neque miror iam profectò Hadrianum, cum in adoptione Ceionij Commodi multa in populum profudiſſet per ſinales ludus, & in militeio: atque is Ceionius ægro corpore, vitalis non videretur: ſæpe dixiſſe, *Perdidimus quater millies* HS. *quod populo & militibus dedimus.* Qui ſunt ipſi noſtri *decem milliones.* Sed dices: Principum virorum modò hæc fuiſſe. Erras. de Milone, hoc iam olim Cicero, *tria patrimonia in has res effudiſſe*: de Meſſallâ quodam Vopiſcus, cum ſtomacho iſta narrat: *Legat hunc locum Iunius Meſſalla, quem ego liberè culpare audeo. Ille enim patrimonium ſuum ſcænicis dedit, heredibus abnegauit. matris tunicam dedit mimæ, lacernam patris mimo: & rectè, ſi auia pallio aurato atque purpurato pro ſyrmate tragœdus vteretur. Iam quid Lineas petitas Ægypto loquar? quid Tyro & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpurâ, plumandi difficultate pernobiles? Donati ſunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri Canuſini, Africanæ opes, in ſcænâ non priùs viſæ. Et hæc quidem idcirco ego in litteras miſi, vt futuros editores pudor tangeret, ne* PATRIMONIA SVA, *proſcriptis legitimis heredibus, mimis & balatronibus deputarent.* Sed diſtinctiſſimè verò, & expreſſis ſummis, aliquid Olympiodorus: Ὅτι Πρόβος ὁ παῖς Ἀλυπίου, τελέσας τὴν οἰκείαν πραιτοῦραν, διὰ δώδεκα κεντηνάρια χρυσοῦ ἀνάλωσε. Σύμμαχος δὲ ὁ λογογράφος, συγκλητικὸς ὢν τῶν μετρίων, τοῦ παιδὸς Συμμάχου τὴν πραιτοῦραν τελοῦντος, εἴκοσι κεντηνάρια ἐδαπάνησε. Μάξιμος δὲ, εἷς τῶν εὐπόρων, εἰς υἱὸν τοῦ υἱοῦ πραιτοῦραν, τεσσαράκοντα κατεβάλετο κεντηνάρια. ἑπτὰ δὲ ἡμέρας οἱ πραίτορες τὰς πανηγύρεις ἐτέλουν: *Quòd Probus, filius Alypij, cùm ipſe Præturam gereret,* * *duodecim centena pondo auri abſumpſit. Symmachus verò, ille orator* (eſt noſter, qui in parte exitat) *Senator* VNVS E MEDIOCRIBVS, *in filij Symmachi Præturam* * *viginti centenarios effudit. At Maximus, ſcilicet e ditioribus, item in filij Præturam,* * *quadraginta. Edebant autē ludos Prætores, non niſi* SEPTEM DIEBVS. Vide dies, vide ſūptus: quanto immaniter plus olim aliquanto ſcilicet tunc temp. florentior & maiores priuatorum opes. Sed & niſi fallor te illo æuo ipſi Conſules (nam hæc de Prætoribus) opinor, largius. de quibus in * Codice Iuſtinianæo lex eſt, quæ *ſpargendi vtilitate* (ita loquitur) *ſublata*, *tum*

Margin notes: Lib. vi. Inſtit. — Serm. lxxxi. — Sueton. — Lib. xxxiii. cap. iii. — Plin. ibid. — * Fariunt 124000. Philip. — In Carino — * 120000. aureor. — * 200000 aureor. — * 400000 aureor. — * Lib. xii. Tit. De Cōſulibus.

loco ad reparationem Aquaductuum, centena pondo auri præſtari per ſingulos conſulatus decernit. Atque id in imminutionem, & pro beneficio. ſi igitur ſola Sparſio (id eſt, miſſilia in populum) tanti; quid reliqui omnes ludi, & eorum apparatus? Et de Ludis hæc quoque ſufficiant in ſpecimen: de * *Operibus*, in proximum ſermonem differo & protollo.

* Lib. III. toto.

CAP. XII.

Dona Principum effuſa, & primò Julij Cæſaris.

DONA ſequuntur, magnitudine ſuâ & frequentiâ non iã iuret ADMIRANDA, ſed STVPENDA. Si quis Midas fuiſſe fingatur, qui omnia tactu faciat aurea; defecerit inaurare, quantum iſti ſunt largiti. Per Principes aliquot lubet ire, & hoc oſtendere: ordiárque à capite ipſo, CAESARE IVLIO. De illo vniuerſè ita Suetonius: *Nullum* LARGITIONIS *aut officiorum genus in* QVEMQVAM, PVBLICE PRIVATIMQVE *omiſit*. Vis magis partitè? Idem ſcriptor: *Militibus ſingula interdum* MANCIPIA *vel* PRAEDIA *viritim dedit*. Ecce. vbi vos Curij aut Fabricij, qui ipſi Imperatores vix *ſeptena iugera* habebatis? nunc miles aliquis capit ab iſto donatore *Prædia* tota. Hæc & plura (mox dicenda) in militem: quid in Senatum & digniores? Idem iterùm Suetonius: *Parte magnâ Senatus gratuito, aut leui fœnore, obſtrictâ, ex* RELIQVO *quoque ordinum genere vel inuitatos, vel ſponte ad ſe commeantes*, VBERRIMO CONGIARIO *proſequebatur*. Nec hic finis: extra vrbem quoque & Italiam ea largitas ſe diffudit. & *non minore ſtudio* (idem Suetonius) *Reges atque Prouincias per* ORBEM TERRARVM *illiciebat: aliis captiuorum* MILLIA *dono offerens, aliis quò vellent, & quoties vellent, Auxilia ſubmittens. ſupérque Italiæ Galliarúmque & Hiſpaniæ, Aſiæ quoque & Græciæ potentiſſimas* (ſiue placet, *potiſſimas*) *vrbes præcipuis* OPERIBVS *exornans*. Quid tibi iſte vir videtur? mihi, nil tuſi nouus quidam Triptolemus; qui ſublimi vectus curru, ſemina non frugum, ſed liberalitatis ſuæ, per terrarum orbem ſpargit. Atque hæc, quò magis mirêre, priuatus Cæſar fecit, & nondum in faſtigio illo Principali. AVD. Affatim miror: & vnde Cæſari, nondum Cæſari, opum iſta vis? LIPS. Magis mireris, ſi accogites, iam ab adoleſcentiâ profuſum hunc fuiſſe, & grandi alieno ære oppreſſum. Plutarchus apertè; *debuiſſe eum*, PRIVSQVAM VLLVM MAGISTRATVM CAPERET, (nota. de valdè igitur iuueoe) *mille trecenta talenta*. Ea ſunt nobis *ſeptingenta octoginta millia* Philippicûm. Quid verò iam in ipſis magiſtratibus? materies & cauſſa amplior largiendi. Itaque Appianus ſcribit, *euntem ex Præturâ in Hiſpaniam, creditoribus retinentibus, dixiſſe ioco: Millies ſibi opus eſſe*, VT NIHIL HABERET: id eſt, vt ſolùm æs alienum ſolueret, in ſuo nihil haberet. Ea reddunt *vicies quinquies centena millia*: nec ambige, neque doctiſſimum Budæum audi (neſcio quâ cauſsâ) minuentem. Græca palàm ſic volunt: *ὅτι δέοιτο διχιλίων καὶ πεντακοσίων μυριάδων*: & Drachmæ intelligendæ, ex Græcorum more. Ego verò ampliùs credo, auxiſſe etiam in conſulatu & deinceps ad Principatum; vt hominis huius ingenium erat, tantùm vt daret quærentis. Sed vnde, aiebas, habuit & repoſuit? Non longè te ducto. Gallias noſtras vide: iſte fons, è quo hauſit. Diuites tunc herclè Prouincias, ſed quas fulmen iſtud afflauit & amboſſit. Nam quomodo ſe in iis geſſerit, breuiter Suetonius: *In Galliâ, fana tem-*

A *pláque Deûm, donis referta, expilauit, vrbes diruit ſæpius ob prædam quàm ob delictum*. Denique è tot præliis, acceſſit ingens captiuorum multitudo, è quâ diuenditâ pecuniam redegit. In ſolâ Galliâ *decies centena millia virorum in acie cepit*: quod Appianus ita tradidit, & *totidem occidit*: dico *virorum* & in acie: quid iam mulierum & puerorum? Nam nec his parcebant, imò vel vberrima ex eâ venditione præda. Has ſolas manubias ſi æſtimas; accedes vel ad *triginta milliones*, & contractâ ac parcâ capitum æſtimatione. Iam in ipſis oppidis, & agris, quanta prædarum ſeges? omitto, tu cogitabis. Sed lubétne ſingulatim inſpicere viri dona? Ecce, iſtante ciuili motu, in Galliâ cùm eſſet, *L. Paullum Conſulem deſignatum,*

B *mille quingentis talentis flexit, ne contra ſe ſtaret: Curionem, qui ære alieno obrutus, maiore etiam ſummâ, vt pro ſe ſtaret*. Illa tot talenta reddunt *nongenta millia* Philippicûm: id eſt pœnè millionem, in virum vnum. Quid iam in Curionem? ampliùs longè dedit, vt Appianus dixit (nam eius ea verba ſcito:) & niſi fallor, ipſum æs alienum eius totum exſoluit. Nec fallor, & Dionem clarè hoc ita memini ſcripſiſſe. Atqui æs illud fuit *ſexcenties* HS. quod Valerius Maximus prodidit: quî minus ergo dedit? Itaque Velleio numerale mendum inhæſit, cùm de iſtâ re, *Curionem centies* HS. ſcribit *accepiſſe*. Ille verò *ſexcenties*: & ita hîc reſcribe. Ea faciunt *quindecies centena millia* Philippicûm, quid niſi plurium Senatorum cenſus?

C Nec largitiones eius aliæ in primum ordinem ſcriptæ extant: etſi fuerunt, quod in Suetonio audiſti: & in magnos illos ſemper magnæ. Sequuntur Milites, quibus vnicè ſe dedit: atque idipſum priuatus. Certè adhuc in Galliâ, cùm Pompeius duas legiones, colore belli Parthici reuocaret; ipſe vt animos ſibi pigneraret, ſingulis abeuntibus *ducentas quinquaginta drachmas* diuiſit; quod Plutarchus, aliíque prodiderunt: id eſt, *viginti quinque* Philippicos noſtros. Cogita iam duplum in Centuriones, triplum quadruplúmque in Præfectos, & Tribunos: valdè ea largitio creſcit. Sed quid in ipſo iam bello ciuili? priuatim haud dubiè multa: communiter hæc largitio fuit, Suetonio expreſſa. *Veteranis legionibus, prædæ nomine, in pedites ſingulos, ſuper bina ſeſtertia,*

D *quæ initio ciuilis tumultus numerauerat, vicena millia nummûm dedit*. Rectè ita locus habet, & in optimis libris: quid opus eſt argutari, aut interpolare? Examinemus. *Veteranis legionibus*, inquit: non enim nouellis aliis: etſi & hæ, credo, aliquid habuerunt. Veteranæ autem illæ, *decem*. In *pedites ſingulos*, inquit: cur igitur equites omittit? quia non opus: ſicut nec Centuriones adiecit, quos notum ſcilicet erat duplum accepiſſe, de more. Etſi de equitibus hoc æuo, dubito: & olim quidem triplum etiam ſoliti accipere, ſed poſt Socios ciuitate donatos, palàm video nec honorem nec præmia tanta equitibus fuiſſe, qui plerique iam è Latinis. Pergit, *Super bina ſeſtertia*: ea ſunt *quinquaginta nobis* Philip-

E pæi: dedit, inquit, *vicena millia nummûm*. Ea ſunt ipſi Philippiei *quingenti*: atque ij viritim, & in gregarios milites diuiſi, cùm duplum Centurionibus eſſet, Tribunis Præfectiſque alarum quadruplum. Proh fidem! (nam ſæpè exclamo, & cogor) quæ hæc præter ſtipendia, & alia lucella aut raptus, largitio eſt? quanta in tam multos? Ne milites noſtri audite, & exempla hæc aut cupite aut ſperate. Vnde enim Iulius, vnde Romanæ opes? AVD. Vnde & tibi animus ſic iſta credendi, & affirmandi? Nam alij viri docti trepidant, & in lectione commutant. LIPS. Nihil eſt. incogitantia hoc facit (imperitiam nolo dicere) veterum & largitionum,

& diui

& diuitiarum: quibus alia exempla mox atteſtabuntur. Etſi in hac re ſatis Græci ſcriptores, qui cum Tranquillo planiſſimè in ſummâ concordant. Nam Dio breuiter, ſed clarè, *militibus quinquemillenas ſolidas Drachmas* datas ſcribit: Appianus fuſiùs & diſtinctiſſimè: *Militibus à triumpho, ſuperans etiam ea quæ promiſerat, legionarius drachmas Atticas quinque mille, Ordinum ductoribus duplum, Tribunis & Alarum præfectis iterum duplum dedit.* Viſne aliquid apertiùs? & cur huic conſenſui repugnemus? Nota autem nec Appianum aliquid ſenſiſſe de Equitibus, vt nec Tranquillum, dixiſſe. Sed quæ hæc *Promiſſa* ſunt, quæ Appianus ſignanter ſcribit *eum ſuperaſſe?* Opinor eſſe, quòd in pugnâ ad Pharſalum, *ſingulis millenas Drachmas* promiſerat: iterúmque, vt volentes in Africam ſequerentur, *alteras millenas.* quod vtrumque in Appiano leges. Largiter igitur exceſſit, niſi quid in ipsâ Africâ aut alibi etiam promiſit. A v d. Audéſne in faſce dare has ſummas omnes, vt magis attendam? L i p s. Licet. Fuerunt legiones decem, ſed veteranæ, & ideò parùm plenæ. Sunto igitur *triginta millia militum*: & ſingulis *quingenti* Philippici: faciunt, *quindecim noſtros milliones.* Vbi nunc Centuriones, Tribuni, Præfecti, atque ipſi Equites? Regum opes expenſas dices in donatione hac vnâ. Atqui an finis eſt? imò ſub ipſum idem tempus, largitionem ad Populum extendit. & vt Suetonij verbis hoc quoque dicam, *Populo, præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim diuiſit, ac centenos pro morâ.* A v d. Hîc mihi vocem opus tollere, nec comprimo. Viritim toti populo tantum frumenti, olei, pecuniæ? L i p s. Moderor, ne clama: toti populo frumentario, nec vltra. Dio Caſſius ita reſtrinxit: [illegible] id eſt, *Populo, qui frumentum acciperet.* Ergo tenuiorem populum intelligit: & ſemel nota, Suetonium hîc atque aliâs *populi* voce (præter morem antiquum) plebeculam iſtam ieiunam, & hirudinem ærarij deſignare. Qui tamen ipſe numerus grandis, & ſub hoc tempus *trecenta viginti millia* erant, qui è publico paſcerentur: quod antè dixi. Totus ergo ille populus accepit *quadringentos* nummos viritim: id eſt, *Minam*, vt Appianus expreſſit. Sunt Philippici *decem*: ergo in ſummam, *tres milliones ducenta millia.* Vbi olei deinde modus, vbi frumenti? Mi Auditor, ad Ouidium eundum nobis eſt vt transformemur, & animos veteres, pro veteri æuo, capiamus. Noſtri homulli hodie, dicant mera mendacia me flare.

CAPVT XIII.

Auguſti Principis dona.

SEd vnum etiam Iulium vidimus; quid tot Cæſares qui ſecuti? & vt alijs minimè, tamen in liberalitate conſecuti, aut prægreſſi. A v d. Difficile creditu eſt. nam hic homo mihi videtur de ſe, quod olim Liuius Druſus, poſſe dicere: *Nihil ſe cuiquam ad largiendum, præter cælum & cœnum, reliquiſſe.* L i p s. Non ita eſt: opes iſtæ Vectigalium, & quas diximus, inexhauſtæ erant, & vt perennes quidam fontes fluebant. Itaque ad A v g v s t v m veniamus, qui non diuturnitate ſolùm imperij, ſed vereor vt liberalitate patrem ſuperarit. Dona eius quædam ante imperium, alia in ipſo ſunt, & illa magis miranda. Primùm *militibus & Euocatis, quos contraxit metu Antonij, adita hereditate Iulianâ, dedit ſingulis quingenas Drachmas.* Ita ipſe Appianus: interpres eius parùm prouidè *ſeſtertios* vertit. Is numerus Euocatorum, ad *dena millia* fuit: ergo *quingenta* hîc Philippæorum *millia.* Ampliùs. eodem penè tempore, cùm legiones Quarta & Martia ad ſe tranſiſſent ab Antonio, dedit ſingulis *totidem illas Drachmas*: iterúmque cùm in armis decurriſſent, & ſpeciem prœlij peritè aſſimilaſſent, *alteras totidem*: quæ certè fuerunt ad dictam facilè ſummam; & longè ſuprà, ſi Equites & Centuriones (quod nec antè feci) ſuo more computentur. Iam verò in ipſo primo Conſulatu, cum ſignis à Mutinâ motis vrbem intrauit; dedit qui ſe deduxerant, ſingulis *bis mille quingentas drachmas*, ſiue *ducentos quinquaginta* Philippæos: atque eæ *octo legiones* fuerunt. Minimâ legionum frequentiâ, ſurgent *ſex milliones*: & Equites ac Ductores omittentur. Vbi autem prædæ quas egit, aut ſpolia quæ cepit? adhuc nulla. Quò magis in A d m i r a n d i s hæ donationes tres, à priuato Octauiano, & ſolâ ſpe futuræ magnitudinis, ſuſceptæ & perfectæ. Atque hîc notandum in vltimâ, tranſiſſe eam velut in legem; & ſolenne donatiuum hoc habitum, quoties legiones poſteà Principem in vrbem deduxiſſent. Certè Spartianus in Seuero tradit, *Milites per ſeditionem dena millia popoſciſſe à Senatu, exemplo eorum, qui Auguſtum Octauianum Romam deduxerant, tantúmque acceperant.* O peritos hiſtoricos vel antiquarios, & in rem ſuam lecta aptantes! Sed quarta etiam donatio à priuato, in qua lingua mihi hæret. A v d. Quiáne obſcœna aut turpis? L i p s. Non, ſed quia immenſa, aut certè immodica, & vereor refragatorem. A v d. Non me. vt ij qui de cælo tacti ſunt, ſilent & ſtupent: ſic etiam pæne ego. perge. L i p s. In Philippenſi igitur prœlio, vbi de Principatu actum vel Libertate, hic ipſe Octauianus cum Antonio promiſerunt viritim *quinque mille Drachmas.* A v d. Huc illud erat? at Cæſar iam antè totidem, & docuiſti. L i p s. Sed Cæſar *decem* legionibus tantùm: iſti *nouemdecim*, quæ in pugnâ erant & alijs *quadraginta*, quæ in præſidijs aut Italiâ ſparſæ. Appianus quidem ita narrat, vel apud eum Antonius (oratione ad Aſiaticos) ſed addit: *attritas eas iam & imminutas ad* XXVIII. *rediſſe, quæ* (inquit) *cum ſuis additamentis efficiunt virorum ſupra centum ſeptuaginta millia: præter* E q v i t e s, *& item* A l i v m *militem.* Quis iſte *alius miles*? opinor Auxilia, quæ haud longè infra legiones. Itaque qualis & quanta hæc ſumma conficiatur, ingenuè fatear, vix ego auſim promere: & ſcito eſſe ſupra *centum quinquaginta milliones.* Vbi eſtis qui Nouum orbem, & nouas in eo diuitias repperiſtis? Huc ite, oſtendent & effundent eas Duumuiri iſti vnicâ largitione. Atque hæc ille fecit ante Principatum: in ipſo tenuit & cucurrit eundem liberalitatis curſum. A v d. At hîc mihi votum & cogitatio. L i p s. Prome. A v d. Si eo ſæclo ego viuam, quid niſi miles ſim? ita omnes ad eos opes affluunt & concurrunt. L i p s. Vera narras. & ſcito ab hoc militum tunc ſeminario, Senatorias & diuites pleraſque familias ortas. Hæc præmia in ciuili bello iis ſunt: cùm homines vt ad imperium veniant, imperium pænè ipſum donant. Quid donant! perdunt volui dicere: & quomodo tot iſti pecuniarum cumuli, ſine apertâ pernicie prouincialium ciuiúmque, colligi potuère? Sanè id factum eſt: ſed Pax poſteà, cum copiæ ſuo cornu, repoſuit omnia & reparauit. Enimuerò Auguſtus, vt cœperam dicere, in Principatu quoque perliberalis. Lapidem Ancyranum iubet proponere, in quo aliquot donationes eius ordine exſculptæ.

I. LIBRI. ROMANI. VIRITIM. ..... CENOS. NVMERAVI. EX. TESTAMENTO. PATRIS. MEI. A

II. ET. NOMINE. MEO ...... DRINGENOS. EX. BELLORVM. MANVBIIS. CONSVL. QVINTVM. DEDI.

III. ITERVM. AVTEM. IN. CONSVLATV. DECIMO. EX. PATRIMONIO. MEO. BIS. QVADRINGENOS. CONGIARI. VIRITIM.

IV. ITERVM. AERE. . MERVI. ET. CONSVL. VNDECIMVM. DVODECIM. FRVMENTATIONES. FRVMENTO. PRIVATIM. COLVMEIO. EMENSVS. SVM.

V. ET. TRIBVNITIA. POTESTATE. DVODECIMVM. QVADRINGENOS. NVMMOS. TERTIVM. VIRITIM. DEDI. QVALI. MEA. CONGIARIA. FRVMENTI ... NVM. NVMQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET DVCENTA .... SIA. B

VI. DVODEVIGINTESIMVM. CONSVL. TRECENTIS. ET. VIGINTI. MILLIBVS. PLEBIS. VRBANAE. SEXAGENOS. DENARIOS. VIRITIM. DEDI.

VII. ET. QVINIS. MILITVM. MEORVM. CONSVL. QVINTVM. EX. MANVBIIS. VIRITIM. MILLIA. NVMMVM. SINGVLA. DEDI. ACCEPERVNT. IO TRIVMPHALE. CONGIARIVM. IN. COLONIAS. HOMINVM. CIRCITER. CENTVM. ET. VIGINTI. MILLIA.

VIII. CONSVL. TERTIVM DECIMVM. SEXAGENOS. DENARIOS. PLEBI. QVAE. TVM. FRVMENTVM. PVBLICVM. ACCE ..... DEDI. EA. MILLIA. HOMINVM. PAVLLO. PLVRA. QVAM. DVCENTA. FVERVNT. C

Vides, ſiue audis lapidem, vtinam peritè ſatis aut fideliter deſcriptum! Inſigne monumentum antiquitatis eſt, & hiſtoriæ Auguſtææ quaſi ſummarium. Sed multa in eo corrupta, & quædam lacera: petcuriam lucis, & alibi medicinæ, cauſsâ.

In primâ donatione eſt: LIBRI ROMANI. An id fuit, TRIB. P. ROMANI? id eſt, *Tribubus populi*. Res quidem eas tangit, & legauit Cæſar teſtamento viritim Romano populo, *trecenos ſeſtertios*, vt Suetonius ſcripſit; vt autem Dio, *centenos vicenos*, & adducit ipſum Auguſtum eius rei teſtem. Et ſcripſerat hoc Auguſtus fortaſſe in Commentariis rerum ſuarum: ſed & hîc ita in Breuiario iſto fuit. Explendum igitur, CENTENOS. VICENOS. Ij ſunt *tres Philippici* in ſingulos: ſi in totum populum, immenſum eſt; ſi in frumentantes, magnum. D

In II. *Quadringeni nummi* viritim dati, item in populum: qui ſunt Philippici *decem*. Id factum in *quinto Conſulatu* eius, vt hîc ſcribitur: id eſt, ſtatim poſt Actiacam & Alexandrinam victoriam, ſub triumphum. Dio Caſſius ipſum notat in hoc anno, & in ſummâ conſentit: ſed auget acceptores, & non *viros puberéſque tantùm, ſed etiam pueros, in gratiam Marcelli ſororis filij*, ſcribit *adiectos*. Hoc ſi fuit, vt fuit, quis non videt ſupra duplum ferè donationem creſcere, & vt minimum fuiſſe ad *ſexcenta millia* capientium? Fiunt in pecuniâ impenſâ *ſex milliones*. E

In III. Conſulatu decimo, ſcribit ſe item populo dediſſe, congiarium *bis quadringenos*. An ſimul, vt *octingenos* dederit? an magis ſignificat, bis ſe dediſſe? ſicut & paullò pòſt, *tertiùm quadringenos*. Quæ iterationes valdè ſunt liberalitati augédæ: & tu attendes.

In IV. Quid ſit illud AERE. MERVI. quæro. An fuit, AERE. MEO. VT. pependitque à prioribus? opinor. Illud autem iam certò aſſequor, in Vndecimo conſulatu datas *duodecim Frumentationes*: quas ita appellat, quæ ſingulis menſibus dari ſolebant. In caritate igitur annonæ, has extraordinem, & de ſuo, vt ſcribit, addidit. Nam legendum mihi PRIVATIM. COEMPTO. vt dudum monui, cùm lapidem hunc vulgaui. A

In V. Tribunicia poteſtas duodecima, incidit in annum vrbis DCCXLI. cùm peregrè & è Galliâ redit. Tunc igitur plebi refouendæ & conciliandæ, diſtribuit ter vno anno *quadringenos*: id eſt, Philippicos *ter denos*, ſiue in vniuerſum *triginta*. Verba aliquot in vitio, an ſic emendanda? QVALI. MEO. CONGIARIO. FRVMENTI. MODIVM. NVMQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA. MILLIA. vt ad ſignificet, tantum frumenti ſe quoque dediſſe. An verius, FRVMENTANTIVM. NVM. NVMQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA. MILLIA? vt dicat *numerum* (id valet NVM.) qui frumentum acciperent, & ex conſequenti congiarium, tantum tunc fuiſſe. Sed poſteà alius numerus, dices: haud moueor, quia ſæpe id per recenſum mutauit. Cogiterur tamen. Vir doctiſſimus & acutiſſimus legebat, QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA. SESTERTIA. & referebat ad Suetonij hæc verba: *Congiaria populo frequenter dedit, ſed diuerſæ ferè ſummæ: modò quadringenos, modò trecenos, nonnumquam ducenos quinquagenóſque nummos*. Sed refellit hoc ipſe lapis ſtatim, qui dicit bis datos *ſexagenos denarios*: quos non niſi in *ducenos quadragenos* nummos reſoluas. Quomodo ergo *numquam minus* dederit, vt hîc ſculptum? Sed & Dio in anno DCCXLVII. adnotat datos *Denarios ſexaginta*. B C

In VI. ſunt *ſexageni denarij in trecenta viginti millia capita*: quæ ad duos milliones, * paullò minùs, ſe attollit. *Sunt illa Decies centena M.

In VII. tenebræ. videtur militaris donatio eſſe, ſed iis qui in colonias miſſi, aut mittendi.

In VIII. notetur numerus frumentantium, qui tunc fuit. Iſta de Auguſto ſufficiant: etſi liberalitates eius plures ex facili dederim, vt ipſe dare facilis, etiam per ludum & iocum. Cuiuſmodi iſta in Macrobio: *Omnibus qui ſecum pilâ luſiſſent, ſeſtertia centena dari Cæſar Auguſtus iuſſerat, ſoli Caio quinquagena. Hic ille, Quid ergo? inquit, ego vnâ manu ludo?* iocus lepidus; ſed donatio magna in ludicrâ iſtâ cauſsâ, ſingulis *bis mille quingenti* Philippici. Iterùm totidem Græculo cuidam, pro carmine, & audaculo dicterio, factóque: ſed tu factum ipſum noſce, aut potiùs recognoſce. Græculus fuit, qui Cæſari carmen obtulerat, atque ille acceperat, & nihil vltrà. Græculo iterùm paranti dare, præuênit, & carmen à ſe dedit; vt oſtenderet talia & domi ſibi naſci. Hîc Græculus legere, mirari, & tandem manu in pauperem bulgam demiſſâ nummos, an denarios aliquot, Auguſto offerre, cum dicto: *Si plus haberem Cæſar, plus darem*. Exemplo oſtendit & commonefecit, quid ille deberet: nec fruſtrà. Nàm ſtatim Auguſtus delectatus libero & acuto facto, *ſeſtertia centena* dari ei iuſſit: id eſt, *bis mille Philipp. & quingentos*. D E

C A P. XIIII.

Aliorum Principum dona.

NON ſit modus, ſi omnia Auguſti tollam: omitto, & aliorum carptim aut ſaltuatim quædam tango. In TIBERIO pauca ſunt, parcâ ille manu & reſtrictâ fuit: atque ita moriens in theſauris reli-

quit.

Digitized by Google

*Id eſt, ſexaginta ſeu milliones, & quinquaginta M Phil. * Sic oſtogeno & ... milliones.

quit, * *viceſſeptíes millies* HS: *quod Caligula, non toto vertente anno abſumpſit.* Ita enim hoc Suetonius: ſed in Dione paullò aliter: & ait, *quoſdam dicere ter & vicies millies relictum; alios autem * ter & tricies.* Sanè pro meo ſenſu, poſteriori parti accedam, qui ſatis iam imbibi Romanas opes. Nec in tempore abſumptæ à Caligulâ pecuniæ Dio diſſentit à Suetonio, ſi ſic legas: οὐδὲ εἰς τὸ τρίτον ἔτος μέρος αὐτῶν τι διήνεγκεν. *Nec vel in tertiam anni partem quidquam Caligula ex his ſeruauit.* Quod ſanè cum Tranquillo & veritate conuenientius, quàm vt ſit, εἰς τὸ τρίτον ἔτος, *in tertium annum.* Ille verò ſtatim exhauſtus & egens, atq; ad Rapinas ſe vertit. In CLAVDIO, notatur prima liberalitas in auſpiciis imperij, cùm militibus *quinadena* HS. promiſit. Ea ſunt *trecenti ſeptuagintaquinque* Philippæi: ſi tamen Suetoniana illa ſcriptio (ex eo ſumpſi) eſt certa. Nam Ioſepus adauget, & *vicena* promiſſa ait, ſiue vt ipſe numerat, *quina millia drachmarum*: qui ſunt *quingenti* Philippæi: & addit, *omnibus vbique militibus idem promiſſum.* Quomodo hæc quidem donatio, ſuperet omnes iam dictas, & fortaſſe dicendas. NERO ſequitur: quid de eo dicam? qui, vt Suetonius ait, *diuitiarum & pecuniæ non alium fructum putabat, quam profuſionem.* Itaque neporinos eius ſumptus fruſtrà colligam: In Suetonio atque aliis, patent: quædam addam quæ magni & laudabilis animi ſunt viſa. *Militi prætoriano* (in Dionis compendio) *ob cauſſam aliquam iuſſerat centies* HS. *numerari*: id eſt, *ducenta quinquaginta millia* Philippicûm. *Et cùm Agrippina mater, mirata improuidam fortaſſe liberalitatem, iuſſiſſet totam eam pecuniam, ipſo corâm, in menſâ exponi & expandi, vt ſic vel aſpectu pœnitentiam eliceret: ille magno animo, iuſſit alterum tantum addi, & Neſciebam*, inquit, *tam exiguum me dediſſe.* Egregia vox: quam cur tu rides? AVD. Non ipſam, ſed meam cupidinem: & ô ſi quis *hoc exiguum* mihi? LIPS. Auidus ô homo es, nec accipies: hodie liberalitatis eius nec vmbra manet. Hoc Nero in militem: ſed quid in regij ſanguinis Teridatem? *quod vix ipſi Suetonio credibile videatur, octingenta nummorum millia diurna in eum erogauit, abeuntique ſuper* HS. *millies contulit.* Vt hoc & capias, & ponderes; ſcito Teridatem per *nouem menſes* cõtinuos Romæ, aut in finibus Romanis, fuiſſe: & toto eo tempore immunem habitum ab omni ſumptu. Decreta igitur ei in diem *octingenta millia*: quæ ſunt *viginti millia* Philippæorum. Numera in menſem: quid ea niſi *ſexcenta millia?* In nouem menſes: *quinque milliones quadringenta millia.* Iam abeunti datum, *millia.* HS. quaſi in viaticum: quod iterùm efficit *duos milliones & dimidium.* An potiùs in Suetonio, *bis millies* ſcribendum? augeatur altero tanto, & palàm Dionis cõpendium (numeri autem in Græcis magis veri) hoc ſuadet. Atque iſta conſpicua & ſignata liberalitas Neronis eſt: quid minores aliæ & ſparſæ, ſed coaleſcẽtes in grandem ſummam? De quibus Tacitus: *Bis & vicies millies* HS. *donationibus Nero effuderat*: & addit, Patres cenſuiſſe, vt repeterentur ab iis qui cepiſſent. Ea ſunt *quinquagintaquinque milliones*, niſi calculus me fallit, quod & alibi vereor, & ignoſcendũ eſt in ſermonis hoc curſu & calore. Adiungo NYMPHIDII, poſt Neronem, promiſſum: non Principis; ſed pro Principe tamen factum. Ipſe vt *Vrbanum omnẽ militem & Prætorianum Galbæ adiungeret, promiſit iis * ſeptem mille & quingentas drachmas viritim; reliquis extra vrbem, * mille ducentas quinquaginta.* In Plutarcho hoc ita leges, ingentem donationem, & qualis anteà in hoc genere nec fuit. Nam *priores illæ Drachmæ* in Vrbanos, faciũt nobis *ſeptingentos quinquaginta* Philippicos: alteræ in Legionarios, *centum viginti quinque.* Quò hoc aſcendat in plura quàm *viginti quinque millia* Vrbanorum: in amplius *ducẽtena* Exterorum? vt Claſſes, & talia, omittam. Iure igitur Plutarchus exclamat & queritur, *pluſquam Neronem hunc renatum, nec potuiſſe eam pecuniæ molem exſtrui, niſi vt omne Romanum imperium attereretur aut euerterêtur*: præſertim poſt tot & tam recentes à Nerone ictus. Infinitæ deinde ſunt largitiones in militem, vel in populum: ſed niſi memoria imponit, infrà iam dictas. Ideò nec pono; vnam Seueri Imp. tantùm libo. Dionis compendium: *Celebrauit Decennalia imperij ſui, & dedit populo qui frumentum ſolet accipere* (nota ſemper ferè de Populo frumentario) *itemque Prætorianis decem aureos. Quâ in re ſe iactabat. renera enim* NEMO *vmquam antea tantum* SIMVL *dederat, effuſumque hac donatione * bis millies* HS. Decem iſtos Aureos, ſcito Romanos fuiſſe: id eſt noſtros *viginti*, aut paullò ampliùs. Ita magna vis aſſurgit, & expreſſa eſt à Dione ſumma: ſed hæreo an ſatis ex vero additum, *numquam anteà tantum* datum. Nam & Commodi Imperatoris ſuperfluens donatio fuit, in Lampridio notata: *Congiarium dedit populo, ſingulis Denarios ſeptingentos vicenos quinos.* Qui ſunt Romani aurei *vigintinouem*: pænè triplum eius, quod Seuerus poſteà dedit. Nam quod vir doctus quidam hîc reſcribit *ſeptuagenosquinos*, valdè eſt præter rẽ & Lampridij mentem. Sed ſcilicet Dionem ſcribere, *Simul numquam* tantum datum: id eſt, & Populo & Militibus. Alioqui & ſuperiores aliquot donationes militares valdè excedunt. De Donis peregi, & ſimul de *Opibus publicis.*

* Quinque milliones.

CAPVT XV.

De priuatorum aliquot opibus, & materiæ huius finis.

TRANSEO ad *Priuatas opes*, quæ & ipſæ magnæ fuerunt, & per multos ſparſæ. Quis neſcit Senatores aut Senatorios plurimos fuiſſe, & plures longè Equites Romanus? Atqui primis illis, cenſus ſub Auguſto fuit *Decies* HS: ſiue *viginti quinque millia* Philippæorum. Iſtis, id eſt Equitibus, cenſus *Quadringentorum*, quæ faciunt *decẽ millia* Philippæorum. Hic cenſus, quem neceſſariò haberent: quàm multos autem, & pleroſque omnes, putas exceſſiſſe? Ac lubet paullìſper recenſere hos diuites: inter quos quem priùs, quàm Craſſum illum cognomẽtu *Diuitem*? Cicero aliqua de eo, atque etiam in eum Cicero iſta: *Multi audierunt ex te, cùm diceres, Neminem diuitem eſſe, niſi qui exercitum ſuis* FRVCTIBVS *alere poſſet. Ergo hoc propoſito, numquã eris diues, antequàm tibi ex tuis* POSSESSIONIBVS *tantum reficiatur, vt ex eo tueri ſex legiones, & magna equitum ac peditum auxilia poſſis.* Hæc vox Craſſi fuit, opinor, negantis ſe Diuitem, etſi vulgò ita audiret: quia nemo ſic dicendus, niſi cui tales opes. In Plinio hoc paullò contractius: *M. Craſſus negabat locupletem eſſe, niſi qui* REDITV *annuo tueri* LEGIONEM *poſſet. In agris ſuis* HS. *bis millies poſſedit, Quiritium poſt Sullam ditiſſimus.* Qui locus inſpectione, fortaſſe & correctione eget. Primùm de *Legione* vnâ ait: quod Cicero palàm de pluribus (imò & *ſex* nominat) & item Græci de *exercitu* tradunt. Itaque in Plinio quoque verius cenſeam, *Legiones.* Iam quod addit, *bis millies in agris poſſediſſe*: quid ergo in aliis? in ſeruis, in pecuniâ, in vaſis ac ſupellectile, denique in domibus, quantum habuit? Sanè alterum tantũ dixerit aliquis, ex communi

In Parad.

Lib. xxxiij cap. x.

* Latinè eſſet, Triginta ſeſtertia.
* Latinè, Quina ſeſtertia.

A tunc ratione & proportione opum. Plutarchus ſcribit, ſolos *architectos & fabros eum in ſeruis habuiſſe, ad quingentos*, quorum operam elocabat in vrbe ruinis vel incendiis obnoxiâ: quid deinde ſeruorum ad reliquos vſus, domi vel in agris? Hæc eò deduco, vt ſollicitem & quatiam lectionem Plinij receptã: & quia non arbitror in ſolis agris ſic habuiſſe. Argumento ea Plutarcho, quòd totus cenſus eius, *poſt Decumas Herculi datas, & epulum frumentúmque plebi, non fuerit niſi * ſeptem millium & centum talentorum.* Atqui (margin: 60000 d.) longè hoc ab illo *bis millies* abeſt in ſolis agris. Facit & ipſe Plinius, qui paullò pòſt ſubiicit, *Multos poſteà ſe cognouiſſe, ſeruitute liberatos, opulentiores.* Libertos autẽ intellegit, qui ad *ter millies*, aut circà, peruenerunt. Non inſiſto: dico, legendum mihi videri in

B Plinio, *niſi qui legiones tueri poſſet ex agris ſuis. Seſtertiûm bis millies poſſedit.* Vt vniuerſæ opes eius fuerint *bis millies*, ſiue *quinque millionum.* Quod propemodum conſonat cum illis *talentorum millibus*, è Plutarcho recitatis: & Decimas Herculanas ſi addis, (margin: e vitâ ratâ cap. 11.) proximè accedit. Senecæ item locum huc ſubiungo: *M. Cato poſſidebat ipſe quadragies* HS. *minus ſine dubio quàm Craſſus, plus quàm Cenſorius Cato. Maiore ſpatio, ſi comparetur, proauum vicerat, quàm à Craſſo vinceretur.* Moneo primò legẽdum, *quadringenties* HS. quod certum eſt: deinde addo, ex hac comparatione elucere, quòd haud multo vltrà *bis millies* Craſſus potuerit habere. Alioqui nimium interuallum ſit inter Catonem Vticenſem & ipſum: quod Seneca negat.

C AVD. At enim Lipſi, vis tu igitur Craſſum ad reditum ex agris tantum reſpexiſſe? LIPS. Videtur, nam (margin: Ciuil) & Cicero ſcripſit, *niſi tibi ex* POSSESSIONIBVS *tuis tantum reficiatur:* & antè, *niſi qui exercitum* FRVCTIBVS *ſuis alere poſſet.* Ea verò ad agros ſpectant: & ipſa Plinij vox, *Neminẽ* LOCVPLETEM *eſſe.* Et ſi haud nego, multos Romanorum magna latifundia habuiſſe: ſed ſumma hæc exorbitet. Alioqui L. Domitius ille, ſucceſſor in Galliam Cæſari deſtinatus, agris ſanè abũdare debuit, qui (leges in ipſo Cæſare) Confinij obſeſſus, ad animandos milites, *in concione agros* (margin: l. xviii.) *ex* SVIS POSSESSIONIBVS *pollicetur, quaterna in ſingulos iugera, & pro rata Centurionibus Euocatiſq.* At (margin: io Tráq. ap. xi.) enim triginta cohortes ibi militum, id eſt *duodecim* circiter *millia.* Ea ſint igitur *quadragintaocto millia* iugerum: quid iam in Centurionibus & Euocatis, quibus *duplum* debebatur? Lego & in Plinio: *Sex*

D *dominos ſemiſſem Africæ poſſediſſe ſub Nerone, quos ille interfecerit.* Quid Seneca, de *Põpeio* (an *Poppæo*) quodam, ſub Caligulâ? nam qui *Ptolomæum* reſtituunt, (margin: Lib x.) ab ipſo mox refelluntur. Quid igitur de eo? *Panem & aquam defuiſſe, cùm* TOT FLVMINA *poſſideret, in ſuo orientia, in ſuo cadentia.* Si hæc vera; oportuit totas regiones poſſediſſe. vti C. Antonius ille, collega Ciceronis in Conſulatu, *totam Cephalenniam inſulam, velut proprium patrimonium habuit, atque ibi oppidũ etiam nouum ſtruxit:* quod traditum ita Straboni. AVD. De Antonio, eſto: nec magna ea inſula. At de Poppæo, & TOT FLVMINIBVS, ex vero ſcriptum? LIPS. Ea vero. nec ſolus Poppæus talis, plures Seneca aggregat, epiſtolâ LXXXIX. vbi hos auaros communiter ita

E inſequitur: *Quouſque fines poſſeſſionum propagabitis? Ager* VNI DOMINO *qui* POPVLVM *cepit anguſtus eſt. Quouſque arationes veſtras porrigetis, ne* PROVINCIARVM *quidem ſatione contenti circumſcribere prædiorum modum?* ILLVSTRIVM FLVMINVM *per priuatum decurſus, &* AMNES MAGNI, *magnarúmque gentium termini,* VSQVE AD OSTIVM A FONTE *veſtri ſunt. Hoc quoque parum eſt, niſi latifundiis veſtris maria cinxiſtis, niſi trans Hadrianum, & Ionium, & Ægeũ veſter villicus regnet. Niſi* INSVLÆ,

A *ducum domicilia magnorum, inter* VILISSIMA *rerum numerantur.* Quid ais? non hæc ſatis clara, ſatis certa ſunt: nec illuſtrãt, ſed augent quæ dixi? Si enim vnus aut alter talis, quid attinet vt publicum morbum carpere? Sed plures omnino fuerunt: & quidã etiam dono hæc capiebant. AVD. Dono? id verò nullus crediderim. LIPS. Iterùm Seneca, De Beneficijs: *Beneficium eſt, donare regiones, per quas* MAGNA FLVMINA ET NAVIGABILIA *decurrant.* Donarit autem eas Princeps, vel aliquis ille diues teſtamento. Sed ecce hi verè locupletes: & quorum fundos nec milui oberrauerint, vt ait poëta. Sed redeo ad vniuerſè Diuites, inter quos L. Cornelius Balbus meritò locandus, qui (vt Dio ſcripſit) *homines ſuæ ætatis Diuitiis* (margin: Lib xlvii)

B *& Magnitudine animi ſupergreſſus eſt, adeò vt moriens populo Romano viritim legauerit denarios vigintiquinque, ſiue Aureum Romanum vnum.* Quid putemus nunc heredes, & legatarios habuiſſe? Seneca etiam noſter, ille doctrinæ & ſapientiæ, id eſt internorum bonorum, ita diues, quàm rarâ ſorte & externorum fuit? Eum * *ter millies* HS. *poſſediſſe*, amicus illi Tacitus ſcripſit, & inimici cum multa inuidiâ obiecerunt. (margin: *7500000 Phil.) AVD. Quidni Lipſi? & ille vir maximus, hoc vno nutulo apud me minuit, quòd ſic in opibus abundet. Philoſophum hoc decuit? & quidem Romanum, qui facta ſibi vindicant, magis quàm verba? LIPS. Miſerũ Senecam, vt video. quare? quòd non Virtus ſolùm ei, ſed Fortuna fauerit: & in alio tamen aliquo hoc laudemus. Sed quia rara hæc coniunctio, præſertim

C in modeſto & ſapiente; & *bona mentis*, vt ille inquit, *ſoror eſt paupertas*: homines indignantur, liuent. Senecam equis & quadrigis incurrunt. At meo iudicio, ô virum hoc ipſo magnum, quòd capere potuerit, quòd vti, quòd habere (vt vno verbo dicam) & non haberi! Quid, quòd nec eas ſuſpexerit? inter media cenſuit, inter fluxa, & quæ ſi abirent, nihil auferrent, niſi ſemetipſas. Audi illum, ô Liuor, & ſile. *Pone me*, inquit, *in opulentiſſimâ domo, vbi aurum argentumq́ in promiſcuo vſu ſit. Non ſuſpiciam me ob iſta, quæ etiamſi apud me, tamen extra me ſunt. In Sublicium rurſus pontem me transfer, & inter egentes abige: non ideò tamen me deſpiciam, quòd in illorum numero conſideam, qui manum ad ſtipem porrigunt. Quid ergo eſt? domum illam ſplendidam malo, quàm pontem.* Hæc vera philoſophia eſt; poſſe habere, poſſe carere;

D non cupere abſentes, capere & præſentes: iiſdem vti benè, & bonis ſubleuandis. Sed quid euagor? diues Seneca, & noſtro more *ſeptuagieſquinquies centena millia* poſſedit: plus meruit (audi & hoc Liuor:) (margin: Apud Tac. xiii. An.) *& multi nequaquam eius artibus pares plus habuerunt*, vt Nero ad eum dixit. Ecce *Cn. Lentulus Augur* (ait ipſe Seneca) diuitiarum MAXIMVM EXEMPLVM, *antequam illum liberti pauperem facerent, quater millies* HS. *ſuum vidit. Propriè dixi* (inquit) *nihil enim amplius, quàm vidit.* Hic ſtupor igitur poſſedit ipſos *decem milliones*, Regum aut certè Regulorum opes. Sed indicat Seneca, libertos & plus habuiſſe. Ac (margin: xii. Ann.) ſanè de Pallante Tacitus ſcribit, *ſeſtertij ter millies poſſeſſorem* fuiſſe: quod *quater millies*, me volente, Dionis Breuiarium in Nerone expreſſit. Et hoc ipſum

E de colliberto eius Ælio Narciſſo, idem Dio in Claudio narrauit. Sed aula hos beauit, inquies. Vis igitur & homines, non è Senatu vel aulâ? ecce è mediâ plebe vnum, è Plinio: *C. Aſinio Gallo, C. Marcio Cenſorino Coſſ.* (id fuit ſub Auguſto) *C. Cæcilius Claudius* (margin: L. b xxxiij cap. x.) *Iſidorus teſtamento ſuo edixit, Quamuis multa ciuili bello perdidiſſet, tamen relinquere ſeruorum quattuor millia centum ſedecim, iuga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia, in numerato* HS. * *ſexcenties. Funerari ſe iuſſit* HS. *vndecim mil-*

libus

* Dniſ quinquies [illegible] Philip. *libus*. Vide tu tot ſeruos, boues, pecudes, tantum numeratæ pecuniæ. & miror agros non expreſſos, quos tamen ſuſpicor habuiſſe, itémque villas, & ædes. Sed vere ſit, familiam illam ſolato ſeruorum vide: quis Principum habet? AVD. Valdè quidem iſti copioſi in ſeruis, quod & in Craſſo notaui. LIPS. Valdè. & Petronius ex more, ſi non ex vero, de Eumolpo ſuo facetiſſimâ narratiunculâ ſcripſit: *Familiā quidem tam magnam per agros Numidiæ ſparſam habere, vt vel Carthaginem poſſet capere.* Certè aliquot millia eſſe debuerunt eorum, qui armis apti: ſicut & hiſtoricâ fide Vopiſcus de Proculo tradit, *eo tempore quo ſumpſit imperium, duo millia ſeruorum ſuorum armaſſe.* Quid Beliſarius ille ſub Iuſtiniano magnus? *duodecim millia puerorum* (ita loquūtur) habuiſſe propria, Aimoinus, Regino, aliȷ́que teſtantur. Nam illud quod in
Lib. VI. Athenæo adfirmatè ſcribitur, quale eſt? *Quoſdam Romanorum ad* DECEM *aut* VIGINTI *millia ſeruorum habuiſſe, nec vt* QVÆSTVM *ex iis facerent, ſed vt aſſeclas aut ſubſequas eos modò haberent.* Hoc de ſeruis, mihi ipſi timidè tardéque credendum, & tamen credendum. De aliis armentis, ſimile aliquid (etſi minus eſt) in Vopiſco item lego, de villâ Valeriani priuatâ *in quâ quingenti ſerui, duo millia vaccarum. equæ mille, ouium decem millia, caprarum quindecim millia fuêre.* Quæ mea mens, cùm iſta cogito? vbi noſtræ paupertiœ villæ, nec milleſimis horum inſtructæ? Et communia hæc certè non noua, in opibus, illo æuo: auctore Senecâ, quem audi, ſuo more,
De Benef. lib. VII. cap. 2. increpantem: *O miſerum, ſiquem delectat ſui patrimonij liber magnus, & VASTA SPATIA terrarum colenda per vinctos; & IMMENSI greges pecorum per prouincias ac REGNA paſcendi; & FAMILIA belliccoſis nationibus MAIOR; & ÆDIFICIA priuata laxitatem vrbium magnarum vincentia.* Hæc Seneca. ideòque pauca exempla talia aut ſcripta ſunt; aut ſi ſcripta, ad nos peruenerunt. Caſu factum eſt, quòd Cæſar prodide-
1. Ciuil. rit (& mihi caſu incidit) T. Labienum Legatū ſuum in Gallis, *opidum Cingulum conſtituiſſe in Piceno, & ſuâ pecuniâ exædificaſſe.* Vide in homine priuato opes & animum Principis, qui eas in tota opida ſtruenda conuertit: quod & medici quidam apud Plinium fecêre. Quid autem, quod etiam inferiore æuo, rebus & imperio labentibus, magnæ illæ opes? Olympiodori hæc excerpta audi: Ὅτι πολλοὶ οἶκοι Ῥωμαίων προσόδους κατ' ἐνιαυτὸν ἐδέχοντο ἀπὸ τῶν κτημάτων αὐτῶν, ἀνὰ τεσσαράκοντα χρυσοῦ κεντηνάρια, χωρὶς τοῦ σίτου καὶ τοῦ οἴνου, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων εἰδῶν, ἃ εἰς * τρίτον συνέτεινεν, εἰ ἐπιπράσκετο, τοῦ εἰσφερομένου χρυσίου. τῶν δὲ μετὰ τοὺς πρώτους τῶν δευτέρων οἴκων τῆς Ῥώμης, πεντεκαίδεκα, καὶ δέκα κεντηνάρια ἡ πρόσοδος ἦν: * Vetto Trientem, an aliquis Triplum mallet? *Multa Romanorum domus* (id eſt, earum domini) *in* ANNVO REDITV *accipiebant è poſſeſſionibus ſuis, ad * quadraginta centenarios auri: idq́; abſque frumento, vino, & aliis ſpeciebus, quæ ſi venderentur, facilè trientem æquarent illius auri. Secundariæ autem domus, quindecim centenarios aut decem recipiebant.* Hæc ille, ſub Honorij & Arcadij æuum: quám defectâ iam Româ, & per illam Nouam imminutâ? Atqui tot illi *Centenarij* (centum libræ auri in ſingulis) reddunt *quadringenta* nobis *aureorum millia*: & vbi frumentum, & reliqua? Atque etiam reditus tantùm computat, non ſeruos & alia multa, quæ ſine fructu. Addam diſtinctè & vnum exemplum, in quo deſino. Capitolinus de Gordiano, adhuc priuato: *Ditiſſimus ac potentiſſimus, in prouinciis tantum terrarum habens, quantum nemo priuatus. Quæſturam magnificentiſſimè geſſit. Ædilitatis ſuæ tempore, duodecim populo Romano munera, id eſt per ſingulos menſes ſingula* DE SVO *exhibuit ita vt gladiatorum nonnumquam quingena paria exhiberet, numquam minus centenis quinquagenis. Feras Lybicas vnâ die centum exhibuit, vrſos vnâ die mille*: & plura deinde animalium nominatim: *quæ omnia* POPVLO RAPIENDA *conceſſit.* Amplius de eo, auctore Cordo: *In* OMNIBVS *ciuitatibus Campaniæ, Etruriæ, Vmbriæ, Flaminiæ, Piceni,* DE PROPRIO *illum per* QVATRIDVVM *ludos ſcenicos & Iuuenalia edidiſſe.* Qui benè hæc tollit ſingula & penſitat, quique ſcit quid ſit ludos olim edere: neſcio quam trutinam reperiet ad tot illa ponderanda aut æſtimanda. Diducere mihi non placet, placet abiungere: & *Opes Romanas* publicè priuatimque ſatis videor oſtendiſſe. Tu abi, cæna, dormi.

* 400000 aureor.

Digitized by Google

IVSTI LIPSI DE MAGNITVDINE ROMANA LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Ad Opera Romana tranſitum, & Primò de ligneis aut temporarijs dictum.

AVD. Malè mihi hac nocte fuit. LIPS. Quid ita? AVD. Quia herè nimium bene. Suaues illi ſermones animo inhæſerunt, & per celebri huius ſpatium oberrantes, verè dico, ademerunt mihi ſomnū. LIPS. Aliter ego dixerim: & memiſiſti: vltimi mei. *Dormis?* Atqui cautio erit ne ſic in poſterum: mittemus potiùs, aut ſuſpendemus, hos ſermones. AVD. Quin tu verbum hoc ſuſpende: nam meruit. Itáne ſermones hos tollas in quibus vnica mihi ſpes ſolatij? nam ne neſcias, vt ij qui à ſcorpijs ſunt icti, ab iiſdem remedium habent: ſic ego nunc affectus. Ad te propero, qui pupugiſti. LIPS. Ad me? non ego Scorpius, ſed Aſpis: autem elaudo ad has cantilenas. AVD. Benè eſt, pungat me & hæc aſpis, vt dormiam: & ſuaui veneno infundat ſomnum. LIPS. Age, age, medebor: ſed non, vt cenſes, ſuauiter mi homo: ego verò vt faſtidientes quoſdam ægros medici, ad exercitia & OPERA te ducam. Ecce enim ea ordine ſequuntur. Duplicia autem Romana iſtæc Opera, *Temporaria* & *Diuturna*. Illa, quæ ſubitò & in breue tēpus aliquod excitabantur, è terrâ aut ligno plerumque: iſta, quæ in longum, & manſura, è latere, lapide, & materie firmiore. *Temporaria*, duplicia iterùm video, *In Militiâ*, & *Extra eam*: atque vtraque mereri iuſtam admirationem. Nam ſiue militiam videas; quis *Foſſas*, *Vallos*, *Aggeres*, & talia terrea; iterúmque materialia, *Turres*, *Teſtudines*, *Muſculos*, *Vineas*, legit, tam multa, tam crebra; & aut induſtriam, aut vires hæc patrantium, non æſtimat & admiratur? Siue extra, eam quædam, in voluptatem aut ſplendorem ſtructa; quomodo idem affectus non inſinuet animo vel irrumpat? Et Militaria quidem mitto,* aliàs mihi explicata: pauca ex ciuilibus tangam. Quo in genere ludicra præcipuè fuêre: vt *Theatra*, *Amphitheatra*, *Circi*, & magnæ eiuſmodi moles, ſtructę ſæpe in paucos dies, & pænè vt deijcerentur. Duo exempla in Plinio, etiam cum eius, qui tam multa ADMIRANDA videtat aut legerat, nimiâ admiratione. *M. Scaurus*, inquit, *fecit in Ædilitate ſuâ opus omniū* MAXIMVM, QVÆ VMQVAM FVERE HVMANA MANV FACTA, *non temporariâ morâ, verumetiam æternitatis deſtinatione. Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex, in altitudinem* CCCLX. *columnarum. Ima pars ſcenæ è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam poſtea genere luxuriæ. Summa tabulis inauratis columnæ, vt diximus, ſine duodequadrageniûm pedum. Signa ærea inter columnas, vt indicauimus, fuerunt tria millia numero. Cauea ipſa cepit hominum* LXXX. *millia, cùm Pompeiani theatri, toties multiplicatâ vrbe, tantóque maiore populo, ſufficiat largè* XL. *millibus. Sed & reliquus apparatus tantus, Attalicâ veſte, tabulis pictis, ceteróque choragio fuit, vt in Tuſculanam villam reportatis quæ ſuperfuerant cottidiani vſus delicijs, incenſâ villâ ab iratis ſeruis, concremaretur ad* HS. *millies.* Quid eſt? friges, nec excitaris? AVD. Nihil. ipſe Plinius me tepefecit, cùm ſcripſit; *non temporaria mora, ſed æternitatis deſtinatione factum.* Me tepefecit, te refellit, qui inter *Temporaria* hoc refers. LIPS. Téne tam læuè Plinium excipere? præuidebā, & metuebam. Sed hoc ille dictum voluit, iſtud Temporarium eminuiſſe etiam inter firma illa, & quæ æternitatis ſpe facta. Nō aliud ſanè dixit: & ecce alibi eius verba. *In M. Scauri ædilitate, tria millia ſignorum in ſcenâ tantùm fuere, temporario theatro.* Audin temporario? Iterúmque alibi: *Trecentas ſexaginta columnas M. Scauri ædilitate ad ſcenam theatri temporarij & vix vno menſe futuri in vſu, viderunt portari ſilentio legum.* Quos locos libentiùs adfero, quia Plinius eoſdem adſpexit, cùm hîc ſcripſit: *vt diximus*: & *vt indicauimus*: nempe his ipſis locis. Sed quòd hîc etiam eſt: *Ima pars ſcenæ e marmore.*) explicat idem ſuprà, in cap. VI. *Marmoreos parietes habuit ſcena M. Scauri, non facilè dixerim ſectos, an ſolidis glebis politos, ſicuti eſt hodie Iouis Tonantis ædes in Capitolio. nondum enim ſecti marmoris veſtigium erat in Italia.* Vltimis item verbis, *concremaretur ad* HS. *millies:*] è manuſcriptis aliquis mallet, * *bis millies*: nec nimium ſit pro reliquo luxu. Alias operis partes tu per te, & otioſè, ſi voles, inſpice & adſtupeſce: ego alterum exemplum, ex eodem Plinio, qui dictis iam ſubnectit. *Aufert animū, & à deſtinato itinere degredi cogit contemplatio tam prodigæ mentis, aliámque connecti inſaniam è ligno. C. Curio, qui bello ciuili in Cæſarianis partibus obijt, funebri patris munere, cùm opibus apparatúque non poſſet ſupe-*

rare

* In ipsâ Militiâ. & Machinarū.

Lib. xxxiv cap. vii.

Lib. xxxvi. cap. ii.

* [illegible] Pal.

rare Scaurum (vnde enim illi vitricus Sulla, & Metella mater, proſcriptionum ſectrix?) cum iam ne ipſe quidem Scaurus ſibi comparari poſſet, quando hoc certe incendij illius præmium habuit, connectis ex orbe terrarum rebus, vt nemo poſtea par eſſet inſaniæ illi. Ingenio ergo vtendũ fuit: operæ pretium eſt ſcire quid inuenerit, & gaudere moribus noſtris, ac noſtro modo nos vocare maiores. Theatra duo iuxtà fecit ampliſſima è ligno, cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſa libramento: in quibus vtrisque antemeridiano ludorum ſpectaculo edito, inter ſeſe aduerſis, ne inuicem obſtreperent ſcenæ; & repente circumactis, vt contrà ſtarent; poſtremo iam die, diſcedentibus tabulis, & cornibus inter ſe coeuntibus, faciebat Amphitheatrum, & gladiatorum ſpectacula edebat, ipſum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Quid enim miretur quiſque in hoc primùm? inuentorem, an inuentum? artificem, an auctorem? auſum aliquem hoc excogitare, an ſuſcipere? parêre, an iubere? Super omnia erit populi furor, ſedere auſi tam infidâ ſtabilique ſede. Quæ vilitas animarum iſta? aut quæ querela de Cannis? quantum mali potuit accidere? Ecce populus Romanus vniuerſus, velut duobus nauigijs impoſitus, binis cardinibus ſuſtinetur, & ſeipſum depugnantem ſpectat, periturus momento aliquo, luxatis machinis. Diſertè iſta Plinius, & culpans ſimul ac laudans. Quid autem nos? Legimus, intelligimus, vix credimus (de meo ſenſu hîc fateor:) & qui quantíque illi *cardines ſinguli*, qui tota theatra ſuſtinerent, verterent, iungerent, diſiungerentque? De me, parum eſt: ſed coëant ipſi artifices noſtri & architectones, laborabunt in re non dicam conficiendâ, ſed exputandâ. Plura huius generis paſſim: ſed in circumfuſâ rerum copiâ, excerpimus pauca & eligimus, cum iudicio, vt poſſum. AVD. Hîc non adhibes, quod cum pace tuâ dicam. LIPS. Quid iam? AVD. Nam ars & ordo ita præcipit, in dicendo narrandoque aſcendere, &, vt ille ait, *ex fumo flammam, non ex flammâ dare fumum.* At tu culmina operum dixiſti, & minora haud dubiè dabis. LIPS. Minora aliter dices, cùm illa *Perpetua* & firma audies: quid ſi & nunc aliter in his Temporarijs? Caij Caligulæ pons neſcio an ingenio, mole certè & magnitudine vincit, ſed & inſanâ illâ ambitione ſiue periculi, ſiue operæ. Struxit eum in ipſo mari, nauibus impoſitum, magnitudine *trium milliarium & quadrantis*: id eſt, toto illo ſpatio, quantum eſt à Puteolis ad Baulos. Per hunc, triumphantis ritu, cum Senatu militibúſq; inceſſit, ſpectante toto populo: in eodem epulatus, noctem etiam peruigilem egit, inter laſciuias & ludos. Addo autem *in paucis diebus* (nam & ſic narrãt) pontem hunc totum ſtructum: vnde tam ſubitò nauibus, armamẽtis, trabibus, omni aliâ materiâ cõuectâ? Immenſum opus perpendenti, ſed cui laudem vanitas detrahit. nam quo fine ſtructum, niſi vt deſtrueretur? Simile in *Caracalla*, quem alterum *Caligulam* licet dicere. Is autem non ſuis ſolùm, ſed alienis opibus proteruè abuſus, cùm, vt Dio ſcribit, *adigeret homines Senatorij ordinis, QVOTIES Româ egrederetur, DOMOS & PRÆTORIA varia ſtruere, item DIVERSORIA ſplendida: etſi in plerìſque non ſolùm non acturus habiturúſve erat, ſed nec ea viſurus. Ampliùs, vbicumque hiematurus erat, aut etiam putabatur hiematurus, cogebantur AMPHITHEATRA & CIRCOS ſtruere, nec in ſumptum quicquam ab eo capientes: & ea ipſa mox diruenda.* Quis cùm hæc legit, ſiue audit, non admiratur opes & ſplendorem Senatorum, qui patrare hæc poterant? non item deteſtatur illius inſaniam, qui iubebat? Olim in populi totius voluptates, Theatra & Circi ſtructi: nunc in vnius imaginarium vſum. Nam nec vidit hæc omnia ſæpe, vt Dio dixit.

CAPVT II.

Diuturna opera, & caput omnium Roma. De ſitu eius, & in primis de magnitudine indagatum.

SEd à damnoſis iſtis & *Temporarijs* ad ſtabilia & vtilia veniamus, & quæ *Perpetua* dixi. In hoc genere multa ſunt Romanæ magnificentiæ, nec in vrbe ſolùm aut ipsâ Italiâ, ſed per terrarũ orbẽ ſparſa. Licet dicere, diuino munere Romanos datos ad quidquid rude, expoliendũ; ad quidquid infectum, faciẽdum; & loca hominéſque, elegantiâ aut artibus, paſſim exornãdos. Quot *Opida* noua ſtructa? vetera ampliata, aut reparata? in iis *Tẽpla, Baſilicæ, Fora, Porticus, Aquaductus, Viæ, Theatra, Circi*: & plura, quæ aut vſum haberẽt, aut amœnitatẽ. Quid iam *Priuatæ* ſtructuræ, vt *Domus* aut *Villæ*? omnia ſplẽdida, ab ingenio ſimul & pretio commendanda. Atque ego hîc hæreo. AVD. Quid tibi eſt? LIPS. Siſte. AVD. Non pergis? LIPS. Mane inquam. AVD. In capite viæ ſiſtimus? LIPS. In capite. immenſa & vaga ſe aperit, nec ſatis ſcio quî limitem eam aut ſtringam. Poëtæ animi cauſſâ ſolent dicere,

Vnde tamen cœpti iam ſurgat carminis ordo?

ego ex vero: & incertus animi feror, vbi ordiar deſinámque. Nam ſi vel ſingularia tantùm oſtendenda ſunt; per omnes prouincias, vrbes, agros eundum eſt: vbique enim tale fuit. Infinita, inquam, iſta ſunt, & cum poëtâ principe,

*——ὅσσα τε φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ,
Ἠΰτε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλά.

** quot folia aut flores in vere viriſcunt. Aut quot muſcarum denſarum examina.*

Sed cogitanti hoc ſedet, ſolam *Romam* tibi oſtendere, omnium operum opus, vt ſic appellem: & in quâ ſolâ fuit, quidquid vbique fuit. Ipſam ſi in parte noſti (totam ne ſperes:) etiam illa prouincialia noueris, quæ pleraque facta ad hoc exemplar. Nam & coloniæ Capitolia ſua, Fora, Baſilicas, Theatra, & talia habebant ad vrbis dominæ & parentis ſuæ ritum. Roma igitur faue, & te oſtende: & paulliſper è ruinis tuis, ſi fas eſt, veterem vultum attolle. Sitũ tuum primum video, & laudo: aut potiùs pro me Camillus ille apud Liuium, qui te bis condidit, & dum Gallis eripuit, & dum tibi ciues retinuit & firmauit. Nam abſque eo abibant, & Veij iam Roma erant. Ille igitur: *Non ſine cauſſâ Dij hominéſque hunc Vrbi condendæ locum elegerunt. ſaluberrimos colles; flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges deuehantur, quo maritimi commeatus accipiantur; mare vicinum ad commoditates, nec expoſitum nimiâ propinquitate ad pericula claſſium externarum; regionum Italiæ medium.* Videamus, auditor, paulliſper horum ſingula: & iuuabit me recitatio, & quaſi in Româ iterùm ſiſtet. AVD. Bonâ veniâ, quot iam anni ex quo luſtraſti? LIPS. Ipſi viginti ſeptem. cùm diſceſſi. ſed animum non auelli, & antiquitas amabilis, ſed & religio venerabilis ſæpe eò vocant. Quod ergo dicebam, Camilli ruminemur. *Saluberrimos colles.*) Hodie vix ita ſunt: ſed cauſſa, ſolitudo & deſertio; tum & auræ è vicinis paludibus vel æſtuarijs, & quas alij indagent. *Flumen opportunũ.*) Tiberis ille patet, qui vrbem ſecat: *latus circa eam*, vt Dionyſius monuit, *quatuor iugera*, (ſiue pedes CCCC:) *profundus ſic, vt maximas naues ſuſcipiat, & portet.* Addit & *Mare vicinum.*) nam diſtat XVI. *millibus paſſuum*, vt Plinius & Antoninus metiuntur; ſiue, quod idem eſt, *centum viginti ſtadijs*, vt Dionyſius. Non ergo Strabonem audies, qui *cẽtum nonaginta* ea computat: ſed nume-

torum & librarij ſui errore. In Appiano an error talis, qui non niſi *centum* ſtadia computat? Nam verba Cenſorini Conſulis ſunt, ſuadentis ſiue iubentis Carthaginiẽſes, dirutâ vrbe ſuâ, à mari abire: *A mari iubemus non niſi* LXXX. *ſtadia vos recedere, cùm nos ipſi ab eo diſtemus ſtadiis centum.* Ego tamen hoc non murem, & verè dictum cenſeam: ſed aſpectu latæ & magnæ illius Romæ, quæ extra prima mœnia (mox dicam) in orbem ſe diffundebat. Ab eâ ille computat: etſi fortaſſe parùm adhuc verè aut decorè in Cenſorini perſonâ. Sed æuum ſuum, vt fit, aſpexit. Claudit Camillus, *Italiæ medium eſſe.*) Ita, in longitudine. nam latitudinem ſi ſpectas, finem tenet. Hoc verius, quàm quod Vitruuius etiam *mundi mediam Romam* fecit: nec hoc nobis perſuadebit, niſi ſui fortaſſe & Romani mundi. Hæc Camillus: ſed Rutilius Gallicanus, cuius Itinerarium exſtat, ab infimo æuo non infimi carminis, hoc quoque in eâ miratur, quòd *munitiſſimo loco* ſita, nec Alpibus ſolùm ab omni vi ſubitâ, ſed Apennino defenſa.

Lib. vi. cap. 1.

Si factum certâ mundum ratione fatemur,
Conſiliúmque Dei machina tanta fuit;
Excubiis Latiis prætexuit Apenninum,
Clauſtráque montanis vix adeunda viis.
Inuidiam timuit Natura, parúmque putauit
Arctois Alpes oppoſuiſſe minis.
Sicut vallauit multis vitalia membra,
Nec ſemel incluſit quæ pretioſa tulit:
Iam tum multiplici meruit munimine cingi,
Sollicitóſque habuit Roma futura Deos.

Iſta Rutilius pulchrè: ſed nos à Situ *Formam* videamus. Nec veterem illam renoco, *Quadratã*, & qualis ſub Romulo fuit: perfectam & plenam conſideraſſe ſit ſatis, quæ rotunda propemodum fuit (etſi haud iuſtè tamen) & ſeptem ſuos colles amplexa, grandem ambitum fecit. Quem vtinam firmiter metiri tibi poſſim! ah, ah. AVD. Quid ſuſpiras? etiam iterùm? LIPS. Iterúmque, & ab imo pectore. Ah, cur non Romæ nunc paucos dies ſum? cur non obambulo, video, metior? cur non cum viris doctis inibi confero? firmiùs fortaſſe certiúſque definirem. Sed vel ſic conabor. AVD. Ego in ſuſpitio tuo rideo. Nam cur voues, quod potes, imò quò impelleris, aut inuitaris? nónne Itali, & ipſa Roma, hoc faciunt? LIPS. Faciunt, & gratiam pro iudicio vel affectu debeo. ſed quid dicam? Fatum meũ primò me tenuit: mox & Rex: illud occulto decreto, hic apertâ benignitate. Ad ſummam, video Belgæ mihi in Belgis moriendum: etſi de reuiſendâ eâ obiter non deſpero. Sed de noſtro ambitu. ſcribunt veteres, Seruium Tullium regem, ad quinque colles iam incluſos vrbi, duos addidiſſe *Viminalem & Eſquilinum*, & talem tantámque deinceps fuiſſe Romam. Dionyſius in eâ re apertè: *Vlterius verò* NEQVE NVNC *proceſſit vrbis ambitus, fato aut numine, vt aiunt, non permittente.* Neque nunc, inquit: quando? Auguſti æuo, quo ipſe ſcripſit. Sed ille ipſe ambitus igitur quantus? idem ita docere voluit, dum ſubijcit: *Quòd ſiquis metiri ambitum eius voluerit, conferat cum Athenarum vrbe, nec multo maior apparebit.* Quod idem & alibi iterauit. Voluit, inquam, docere: vix nos docuit, ſed ſuos ſanè Græcos, qui Athenas norant. Nos quid? & de huius ambitu quæramus. Lego quidem in Dione Chryſoſtomo, *Circuitum Athenarum, cum Pyræo & Longis muris, fuiſſe ducentorum circiter ſtadiorum*: quæ nobis ſint, *vigintiquinque milliaria*: ſed an ea incluſa Athenis ſuis Dionyſius in hac collatione voluerit, hæremos. Tamen & ex Plutarcho ſimpliciùs colligas Athenarum ambitum, qui (in Niciâ) de *Syracuſarum* magnitudine diſſerens, addit,

Lib. iii.

Lib. viii.

Orat. de tyrãnide

vrbem Athenis non anguſtiorem. Quantæ illæ igitur Syracuſæ? *Cẽtum octoginta ſtadiorum*, ſcripſit Strabo: atque ita haud longè à Dione Chryſoſtomo abimus; ſed nec à Plinio, de ipſâ Rumâ, cuius locus mox videndus. AVD. Quid per ambages colligis? res hodiéque liquet. & muri illi antiqui Romani ambitum habent non niſi XIII. *aut* XV. *milliarium*, vt notant qui dimenſi. Quid ergo ambigis? LIPS. Hos iſtos, veteres non fuiſſe. Multa ſunt, quæ arguunt; ſed ipſa maximè forma ſic enormis, & alibi ſinuans introrſus, alibi procurrens extrorſus: prorſus, vt non à priſcâ illâ accuratione & elegantiâ; ſed à nouitiâ aliqua neceſſitate impetitum & ſubitum opus videatur. Neque ambigendum eſt, vt mox dicam. Sed de veteri igitur ambitu; etiam Plinij locum, vt dixi, videamus, qui ex profeſſo deſcribit: MOENIA *eius collegêre* AMBITV, *Imperatoribus Cenſoribúſque Veſpaſianis, paſſuum* XIII. *millia ducenta. Complexa montes ſeptem, ipſa diuiditur in Regiones* XIIII. *compita earum* CCLXV. *Eiuſdem ſpatij menſurâ currente à Milliario, in capite fori Romani ſtatuto, ad ſingulas portas, efficit paſſuum per directum* XXX. *millia*, DCC. LXV. *Ad extrema verò tectorum cum caſtris Prætorijs, ab eodem Milliario, per vicos omnium viarum, menſura colligit paulò ampliùs* LXX. *millia paſſuum.* Rem totam hîc habeas, ſi verba hæc aut tenebras ſuas, aut & vitia, non haberent. Inſpiciamus. *Mœnia ambitu collegere* facit *paſſuum* XIII. *millia.* Sanè hoc ſit pro hodiernæ Romæ modo, ſi modò lectio firma: quam & priſci libri ſollicitant, XXX. *millia* ſcribentes; & Leander, atque alij ſuperioris ætatis, qui XX. *millia* legerunt, & defenderunt. Pergit, *Eiuſdem ſpatij menſurâ currente à Milliario.*) Intellego idem ſpatium, totum illum ambitum, & eo incluſum. Hoc, inquit, ſpatium ſi metiris: vnde? à *Milliario*: & intellegit * *Columnam* illam *Auream* in foro Romano ſtatutam, *in quam Italiæ omnes viæ finiunt*, vt ait Plutarchus. Auguſti hoc inſtitutum fuit, qui & poſuit *Colũnam*, & ab ea voluit currere mẽſuras. Pro hoc igitur more Plinius metitur, nõ à porta ad portã (vt video quoſdam ſuſpicari) ſed palàm à Milliario, quod quaſi in vrbe mediâ, ad ſingulas portas. Sed numeri eius manifeſtò falſi ſunt. Si x x x. millia ad quamque portam: ergo in totâ diametro L X. ſunt: ergo in ambitu *centum octoginta*. quo quid abſurdius? Et ſimile erit, etſi minus, ſi à porta ad portam x x x. ſint, vti volunt. nam tunc certè triplicata diametro, vt ſolet, exſurgent milliaria in ambitu *nonaginta*: an ipſis fatendum, aut nobis credendum? Iam in vltimâ menſione, *ad extrema tectorum*, inquit, *ab eodem Milliario*, LXX. *millia paſſuum.* Id quoque quî poteſt? creſcent ſupra modum hæc in ambitu, nec video excuſanda. Vt mihi nunc videtur (meliora auidè ſemper audiã, capiam, vel potiùs arripiã:) ſed vt mihi nunc, Plinij numeri iſti corrupti ſunt, & ſic reformandi. *Mœnia collegêre ambitu paſſuũ* XXII. *millia.* Hoc primũ pono, tantam fuiſſe Romam: aut ſi placet, x x i i, parùm in vno alteróque milliari eſt. Vnde doceor? ex Olympiodori quibuſdam Excerptis Græcis. in quibus ad verbum eſt, *Romanæ vrbis murus menſuratus ab Ammone geometrâ, quo tempore Gothi primam inuaſionem fecêre, habebat ſpatium vnius & viginti milliarium.* Iſte vno milliario minus, quod alius addit: & Mattinus Polonus, qui Chronicon ſcripſit: *In circuitu*, inquit, *Romæ ſunt milliaria vigintiduo, præter Transtiberim & Leoninam ciuitatem, cum quibus dicitur habere quadraginta duo milliaria.* Vnde hæc habes Martine? ex aliquo veterũ: nam pro tuo æuo, vtrumque hoc planè eſt falſum. At pro veterum, & verbis Plinij, planiſſimè verum. Pro verbis, dico,

* De qua Dio, Tacitus, & in Faſtis cõſulum.

Plinij corrigendis, & porrò videamus. Nam altera menſura erat, à *Milliario ad portas* XXX. *millia.* Ego dico ſcribenda ∞ ∞ ∞: id eſt, *tria millia.* Et quis neſcit ex ignorantiâ harum notarum ſæpe, cùm in Plinio, tum Liuio, & alibi, peccatum? Nam putarunt *Denarias* notas eſſe: & inde nata illa *millia* XXX. Atqui aliter eſt; & ſic ſi emendas, quanta proportio & conſenſus? Roma habet in ambitu XXIII. milliaria: à milliario ad portã, *tria milliaria & paſſus ſeptingentos ſexagintaquinque.* ergo in plenâ diametro, *ſeptẽ millia quingentos triginta:* hãc triplica, XXII. nónne XXII. *& ſemis* in ambitu redduntur? At Plinius neglexit aut inſuper habuit de dimidio, & rotundè XXII. aut XXIII. dixit. Simile in menſurâ vltimâ, quæ *ad extrema tectorum colligit* LXX. *millia:* Tu verò fac *ſeptem millia:* & rem factam habes. Dupliciter enim metitur. à milliario primùm ad ipſos muros portáſque: deinde ab eodem, ad extrema tecta. Quare hoc? liquet enim Romam, quaſi duplicem fuiſſe: & clauſam muris; & alteram non clauſam, quæ tamen in orbe circumiecta eſſet, & continentibus ædificiis inſtructa. Vtramque igitur dimenſus, dicit hanc vltimã in ſemidiametro *ſeptem milliaria* habere: duplica, ſunt *quattuordecim* triplica, erit ambitus iuſtiſſimè, *quadragintaduorum.* Et nónne hoc ipſum eſt igitur quod Martinus dicebat? Addo probationem huic numero alteram, ex Vopiſco. Is de Aureliano Principe: *Muros vrbis Romæ ſic ampliauit, vt quinquaginta* PROPE *millia murorum eius ambitus teneant.* Quod tamen Zoſimus Probo Imperatori perfectum opus adſcribit. Si igitur tunc *quinquaginta propemodum* (nam id notat:) ergo tamantè facilè ambitus ille ædium extremarum, *quadragintaduorum:* quia muri noui longius etiam paulò ab ædibus remoti. Ego in hac re nihil incerti vel infirmi video, niſi quòd libido quibuſdam eſt diſſentiẽdi. Sed ô boni, an adeò tale nihil alibi? Ecce, in ipsâ Italiâ vrbs Locrorum (nec ea inter has maximas) *duodecim millia* in ambitu habuit, quod Liuius ſcripſit. Capuam ſuperaſſe, non mihi videtur ambigendum. Quid Carthaginem illam, Romæ æmulam? XXII. *millia paſſuum* circumdedit, vt manuſcripti Oroſiani codices præferunt, ſiue XXIIII. vt Epitoma Liuiana. Ipſa Conſtantinopolis olim XXII. vt hac quoque parte compar matri ſuæ eſſet. Denique ad Tataros & Sinenſes ſi abeunt, hodie reperient exẽpla. Deſino, & ſatis ſirmaſſe videor: niſi quòd opponi nobis poſſunt (nihil enim diſſimulabo, & ipſe ſubiiciam) duo. Prius, quòd *Milliarium* non videtur iuſtè fuiſſe in vrbe mediâ, atque ita menſuratio fallet. Nã fuit in *capite*, vt Plinius ait, *fori Romani:* atqui ab eo ad Tiberim, non par reliquæ vrbi ſpatium videtur, & maximè quòd ibi *Campus Martius*, omnium conſenſu, extra vrbem. Reſpondeo. vt nunc quidem Roma eſt, non planè medium illîc eſſe fortaſſe (metiar, ſi illîc ſim: nunc tabulis credo:) ſed olim videtur fuiſſe. Sanè Victor, & Notitia Imperij, in foro ipſo Romano, nec longè à *Milliario*, *Vmbilicum vrbis* ponunt. Sed eſto tamen non exactè in medio: quid refert? non ſic γεωμετρικῶς omnia, & ad lineam regulámque veteres metiuntur. Nõ mouet me de *Campo Martio*, quem fateor extra pomœrium habitum, & intra mœnia tamen fuiſſe. Nónne idem in *Auentino*? qui vſque ad Claudij tempora, in pomœrio habitus non fuit, & tamen à Regum tempore vrbi incluſus. Et campus quidem Martius etſi olim non erat, tamen Iulius Cæſar (quod Cicero ad Atticum ſcribit) deſtinabat eum includere: quî ſcio an non Auguſtus fecerit? nam & is pomœrium protulit: an denique non Nero? quem ego præcipuè puto in totâ Româ mutaſſe & innouaſſe. Et ab eo ſanè facies & forma eſt, quam Plinius deſcripſit. Alterum, quod obiici poteſt. Olympiodorum non niſi *viginti & vnum* milliaria attribuere ſub Honorio, cũ Roma capta fuit: vbi ergo illa *quadragintaduo* noſtra, vel Aureliani *quinquaginta*? Reſpondeo, fuiſſe, & deſiiſſe. Nam ecce cùm Conſtantinus ſedem imperij tranſtulit, & vnà ſecum tot nobiles familias abduxit, frumenti etiam trientem abſtraxit, denique ſeipſum & Aulam: nónne probabile eſt, Romam iterum valdè minuiſſe? idque in extremis & lõginquis maximè, vt ſolet: atque ita reditum, collapſis aut diiectis Aureliani muris, ad veterem ambitum & modum. Alioqui & alterum mihi argumentum non inualidum pro tanto ambitu eſt, ex ipſo Victore & Rufo, qui *Regiones vrbis* ſingillatim dimetiuntur. Sunt igitur quædam, vt illa *Auentini*, quæ *habent in ambitu* XXXIII. *millia.* CCCC. LXXXVIII. pedes: nónne ea reddunt *ſex milliaria* ampliùs *& ſemiſſem*? Quid in reliquis illis XIIII? in quibus vna item aliqua XXX *millia pedum* habet, aliæ ferè XVI. XV. XII: & minima omnium XI. Profectò ex his iunctis ingens ambitus exſurgit, & (computa ſi lubet) propemodum ille noſter. Sed tertiò aliquis dixerit, quod tu antea, muros hodiernos contra nos eſſe. Sunto. tu veteres eos potes credere? & ita neſcis toties dirutam, incenſam, vaſtatam: iterumque inſtauratam & refectam eſſe? Noli arbitrari quòd in iiſdem veſtigiis. nam quã ſpe eiuſdem frequentiæ, aut felicitatis? Imò Honorius contraxit, pòſt Beliſarius, Narſes, denique & Pontifices Romani. è quibus *Hadrianus primus* (vt Blondus tradit) *muros eos, qui nunc exſtant, centenis aureorum millibus è Thuſciâ contractis, exſtruxit.* Sed hæc apud alios leges: ego ſententiam meam ſine fuco liberè, & item ſine pertinaciâ (quod profiteor) dixi. Hîc autem ſiſtit me & percutit miſerans quædam cogitatio. Ego te Roma illa vetus, & ſpecioſa ſuper omnes vſquam aut vmquam vrbes, non ſolùm non video, ſed etiam quæ fueris, quæro: Quæ fueris? imò & vbi fueris: & quî ſcio, an non & aliquando, vtrùm fueris quæretur? Non magis hoc mirum, ſi ſæcla plura current, quàm nunc de Thebis Ægyptiis aut Troiâ dubitari. Nam habet hoc ætas, vt formam primò tollat, tum rem, tum famam & nomen. O ſpes & res humanæ, quid eſtis? quò itis? huc flectite. En potens & ſuperba illa Roma, quæ VRBS ÆTERNA audiebat; quæ VICTVRA CVM SÆCVLIS; quæ DEORVM OPVS ET CVRA, tota perit, condita in ruinis ſuis iacet, & laboramus eruere, & adſtruere magnitudini eius fidem.

CAPVT III.

Magnitudo Suburbiorum Romæ, & hominum in totâ Româ multitudo.

SEd o philoſophandi alibi ſit locus: curramus nunc inſtitutum curſum. Romam igitur duplicem habemus, veteri ambitu, & nouo: eſt & tertia quædam ſine ambitu, & quæ in ſuburbia procurrit. Ea quoque ingens, & Plinij imagine oſtendemus: qui ait, *exſpatiantia tecta multas addidiſſe vrbes.* Plures, inquam, ſunt vrbes, & tot quot ſuburbia ipſa. Quæ *Tybur*, *Ocriculum*, *Ariciam* atque aliò excurrebant, ſed maximè *Oſtiam* & mare verſus. Illùc vel ad XV. aut circiter milliaria procedebant: & fidem huic aſſertioni Neronis conſilium ac deſtinatio faciat. cui ab hac cauſa viſum, *Oſtiam tenus* (ait Suetonius)

A Suſpenſum te animi video:& ego ipſe pænè fluctuo: ſed validi illi venti Auctoritatũ nauim noſtram huc impellunt, ſiſtamus & in anchoris firmemus. AVO. Non ſanè id poteſt.nondum in trãquillo es,ne puta. Mihi quoque adſpirant venti, & ecce ab Oriente. Alexandria illa ſic celebris, ſic maxima, ſic omnium confeſſione poſt Romam ſecunda, non niſi *trecenta millia* habuit *liberorum capitum*: quod Diodorus tamen quaſi pro re magnâ poſuit, & adfirmauit. Atquin ea nec multo Româ ipsâ minor. LIPS. Reſpondeo, Alexandriam longè Româ illâ triplici dictâ minorem eſſe: & cuius ambitus ex Plinij dimenſione, non niſi *quindecim milliarium* eſſet. Noſtra igitur B maior:& ipſum hoc de Alexandriâ,contra vulgatam opinionẽ valeat,de Româ ſic partiâ. At verò de incolis,quòd paucos eos facere Diodorus videtur: videſis,& inquire. *De liberis capitibus* dumtaxat deſiniuit: vbi ſerui igitur?vbi etiam exteri & aduentores, qui in tali negotioſâ vrbe ſanè multi? Hæc attendenda ſunt,ſed illud maximè. quod Diodorus de ſuo æuo ſcripſit, id eſt Ptolomæi penultimi, & Romanæ adhuc libertatis. Atqui tunc Alexandria nondum in flore illo & culmine, ad quod ſub Principibus demum peruenit. Quid autem de *trecentis millibus* magnum ſit,cùm Cæſarea Cappadociæ(nec ea inter vrbes principes) *quadringenta millia* incolarum habuerit: Zonaræ huc ita proditum,vt teſtem etiam aduo- C cem:& hunc ipſum numerum,aut circà, Pariſiorum noſtra Lutetia in cenſum deferebat, ante vltimas iſtas turbas. Quid,quod Diogenes Laërtius in Empedocle prodidit, *Agrigentum Siciliæ olim octingenta millia hominum inhabitaſſe?* Plura eiuſmodi exempla ſunt: ſed hodie, nónne *Cairum* in Ægypto ſcribitur ad *ſeptem milliones* hominum habere? & *Quinzai* illud famoſum,ad *ſedecies centena millia* (ſtupeſco) familiarum: Præ quibus noſtra illa frequens Roma decreſcat; & dum fidem adſtruo, perdam admirationem. AVO. Nunc apud me,ſtupeo. & ecce hodierna Roma,quàm relinquitur & abeſt? LIPS. Nulla comparatio: ni fros eſt.omitte. Paullus Iouius pro magno ſcripſit, *Leonis Decimi temporibus,cùm omnia in felici* D *vbertate & pace cenſa Roma octoginta quinque millia ciuium & inquilinorum: at verò poſt cladem ſub Clemente Septimo acceptam,iterum cenſu inito,vix ad triginta duo millia peruentum.* Quid verbis hîc opus eſt? vnus pænè veteris Romæ vicus ſit tam frequens. Nec mirum eſt.nam iſta hodierna, præcipuos illos colles & valles etiam, vacua habet & deſerta. AVO. Optimè,ſponte,quò ducebam. Nam nónne & tua vetus *complura habet illa vacua?* Vbique obuia templa, porticus,baſilicæ, theatra, circi, fora,balneæ,thermæ,cetera publica: quæ vel magnam partem,ſi non maximam,vrbis occuparunt. Deflecte aut reſiſte,ſi potes, huic etiam vento. LIPS. Reſiſto,plenis velis,prorâ obuerſâ. Nam iſta quæ tu vacua perperam putas,ego aio pleniſſima fuiſſe. Balneas & Thermas nominaſti: E quid?an non in ijs multitudo curantium,miniſtrantium,ad obſeruandum, purgandum; aquam aggerendam; lauandum etiam,fricandum,vngendum,ſiquis ſeruum non habuiſſet? Templa autem,Baſilicæ, Fora, ſuos cuſtodes & æditnos habebãt. ſatis grandi ſanè numero,ob ſacrificia, ob ornatum, & tutelam. Et paſſim curatores,& ſerui item publici,in publicis iſtis locis. Sed duo etiam ego omiſi, valdè ad frequentiam vrbis,Milites,& Palatinos. Milites tot illi, in præſidio Principis aut vrbis erant: iis ſui calones,& honeſtioribus ſerui plures: ſcito certò vel ad *centena millia* excreuiſſe. At Palatinos dico, totam Principis aulam: in quâ quot officia aut miniſteria fuiſſe dicemus? Lapides antiquos inſpice: dicent in parte, &

A ſuggerent materiem tibi cogitandi. Eſt & tertium,ſed verecundè vix dico. Meretrices & ſcorta vtriuſque ſexus(proh pudor!ſed res ita fuit) ingentem numerum reddiderunt, vt in vrbe quam multi cælibes, multi exteri ſine vxoribus inhabitarent,aut frequentarent. Quid iam gladiatores,venatores,ſcænici,quadrigarij, xyſtici? multa millia fuerunt. & ad ſummam,mi Auditor,deſine teſſare ampliùs & opponere;aut,vides, longiùs longiuſque res hæc ibit. AVO. Quieſco tuâ cauſſa,& credo (vt ſic dicam) nec credens. Tamen vnum etiam quæſierim: ſi tot illîc millena millia,vnde iis cibus? LIPS. Hoc meritò & quæris,& ego decîdã, ſed paucis Senecæ verbis *Cogitate,* B inquit,*hanc ciuitatem, in quâ turba per latiſſima itinera,ſine intermiſſione defluens, eliditur; in quâ conſumitur,* QVICQVID TERRIS OMNIBVS *aratur.* Orbis,inquam, pænè totus hanc ſuam metropolim adibat, & alebat: quid ambigis alimenta ſuffeciſſe? Imò repete quæ ſuprà dixi, de Frumentatione: & nunc Ariſtidis hæc audi. *Mare per medium veſtrum imperium porrigitur, cui vndique ampla regiones adiacent, neceſſaria pleraque vobis ſubminiſtrantes. Nam* EX OMNI TERRA MARIQVE,*quidquid vel anni tempora gignunt,vel regiones ſingulæ,flumi,lacus; arteſque item & ingenia tum Græcorum tum Barbarorum proferunt,* ID OMNE *ad vos defertur. Itaque ſiquis talia omnia videre deſiderat; is vel per totum orbem pere-* C *grinetur neceſſe eſt,vel in veſtrâ iſtâ vrbe verſetur. Quidquid enim apud alios vel creſcit,vel conficitur,hîc affluit & abundat. Tot autem & tanta oneraria naues ſingulis anni temporibus appelluntur, vt vrbs* * COMMVNIS QVÆDAM ORBIS OFFICINA *videatur.* Ecce, merces vndique habes, copias vndique, frumenta, fructus. Nec plura opus de alimentis:addámne duo argumenta etiam multitudinis, atque vnum ex iis iocoſum? Lampridius ſcribit, Heliogabalum *ſeruis imperaſſe vt omnes araneas colligerent in vrbe: atque eos collegiſſe ad decem millia pondo.* addítque,Heliogabalum ſubieciſſe, *Vel hinc intelligendum* QVAM MAGNA ROMA *eſſet.* Verũeſt:& quot domorum angulos excuti oportuit,ad hoc pondus? & quidem D domorum per omnes angulos ferè habitatarum? Alterum argumentũ triſte,& à peſte. In Euſebij Chronico traditur ſub Veſpaſiano(etſi verius Tito) *Ingẽtem Romæ luem factam,ita vt* PER MVLTOS DIES *in ephemeridem decem millia mortuorum referrentur. Decem millia* nempe in dies ſingulos: nec nimium pro Româ: qua[illegible] in *Cairo* etiam lego, ad xx. ∞. hominum in di[illegible]ſumpta. Iraque & in Suetonij Nerone quod v[illegible] legitur: *Acceſſerunt tantis ex Principe malis & fortuita quadam.peſtilentia vnius Autumni, quâ* xxx. *funerum millia in rationem Libitinæ venerunt* id falſum prauũmque mihi eſt. Quid enim in magnâ illâ Româ magni,cùm in noſtris opidis ea ſint exempla? Omnino reſcribendum, *trecenta millia*: & interpretes debebant aduertiſſe. Concludo, E & moneo, per hanc frequentiam Romæ factum, vt paullatim Italia pænè deſerta eſſet;cùm pleraque eò confluerent,ob frumentationes,ludos, & alios vſus aut voluptates. Varro iam ſuo æuo conqueritur,pleroſque ex agris in vrbem correpſiſſe,*& maluiſſe manus in theatro mouere,quàm in aratro.* Quod maximè fuit, poſt Frumentationes ſic largiter & firmiter inſtitutas: etſi Lucanus cauſſam in ciuile bellum conicit: quaſi ab eo ſtirps Italiæ ſic acciſa. Sed de ſolitudine quidem,eadem canit:

——videmus
Tot vacuas vrbes,generis quò turba redacta eſt
Humani?toto populi qui naſcimur orbe,

* κοινόν τι τῆς γῆς ἐργαστήριον.

Ca.xxxii.

A *Nec muros implere viris, nec poſſumus agros:*
VRBS nos VNA capit.

Quod poſtremum epiphonema ſanè eximium, pro eximiâ noſtrâ Româ.

CAPVT IIII.

De ædificiis vrbis Romæ communiter, & eorum altitudo.

ET Roma quidem tanta & tam frequens fuit: inimus nunc ipſam, & perambulamus, & luſtramus? AVD. O ſi quis Deus olim hoc mihi dediſſet! ô ſiquis nunc quoque vel per ſomnium in ea ſiſtat! LIPS. Ego is ero, confide. ſomnia dicam, & vmbras, præut ipſa res & pulchritudo fuit. Periti viri eſt, mihi crede, non dicam deſcribere, ſed capere & credere qualis & quanta ea Roma fuit. Conabor, & minutula dicam: & vel ſic fidem fortaſſe non inueniam. quid refert? aëri & herbis meis hæc ſim locutus. Tria in vrbe miranda canit Claudianus:

B *Quâ nihil in terris complectitur ALTIVS aër,*
Cuius nec SPATIVM viſus, nec corda DECOREM,
Nec laudem vox vlla capit.

Altitudinem ecce laudat, *Spatium*, & *Decorem*. De *Spatio* dictum, duo alia exſequamur. Quæ eſt *altitudo*? ſiue in collibus ipſis ædificatio, pulchrâ ſpecie; ſiue ſingillatim in operibus ipſis. Quod ad colles, quomodo non bellum, videre eos publicis priuatiſq; ædibus inſeſſos, gradatim declinantes: & velut ſuperas quaſdam vrbes, vrbi inferæ imminentes? Omnino fuit ea facies: & pulchrè expreſſit Ariſtides. C *Nec verò, inquit, ſuperficiem ſolum ſoli occupat, ſed longè ſupra exemplum in aera altiſſimè aſcendit. Et ſicut vir aliquis, qui robore & magnitudine excellit, alios quoque in ſe ſublatos ferre gaudeat: ita & hæc non quieſcit, niſi & alias æquales ſibi ſuperimpoſitas vrbes, alteram ſuper alteram ferat: quod nominis eius fert ratio, totúmque hoc quod hic videmus, robur & * valentia eſt. Adeò vt ſi quis eam diligenter vellet euoluere & deducere, & quæ nunc in ſublimi ſunt vrbes, aliam iuxta aliam humi collocare; quidquid Italiæ reliquum eſt, id impletum mihi iri videtur: imò futura vna aliqua vrbs ad Ionium vſque ſinum.* Bellè & [illegible], non nego, attollit: ſed hæ figuræ originem à re habent, nec quiſquam putet elationes iſtas, niſi cum cauſſâ & baſi eſſe. D Itaque & Plinius, verus & ſeuerus [illegible]um, cùm de magnitudine dixiſſet: *quò, inquit, ſi* [illegible] *ALTITVDINEM tectorum addas, dignam* [illegible]*lo æſtimationem concipias, fateatúrque NVLLIVS VRBIS MAGNITVDINEM IN TOTO ORBE potuiſſe ei cõparari.* Quæ altitudo tamen in templis, aut publicis, fateor, maximè: vt in Rotilio, ad Romam:

Exaudi genetrix hominum, genetrixque deorum,
Non procul à cælo per tua templa ſumus.

Significat altiſſimè in aërem ea ſurrexiſſe: & quidni, cùm collibus etiam ſæpe impoſita? Ceteræ ædes, non communiter ſic altæ, nec humiles tamen fuerunt. Nam Auguſtus Princeps, cùm ambitionem in ædificando videret atque altè attollendo, eámque cum E diſcrimine & periculo ruinæ; ſiue etiam, quia aërem interciperent, & nimis inumbrarent; coërcuit, vt in Strabone ſcriptum eſt, & *ſeptuaginta pedes* definiuit in modo ædificiorum. Nero hoc ipſum poſteà ſecutus, cùm ab incendio Romam inſtauraret, *cohibuit* (vt Tacitus ait) *altitudinem ædificiorum*. Sed modum non expreſſit noſter: fueritque vel ille Auguſti, quem oblitteratum, vt ſolet, iam reuocauit; ſiue is qui Traiano poſteà adſcribitur à Victore, *pedum ſexaginta*.

* ſoiun

A Sed de priore ego malim. Dices. ergóne tam miranda hæc altitudo? & nónne hodie magis educimus? Interdum, non nego: ſed nec ſic communiter: & hoc quoque cogita, multas ædes, & inprimis omnes publicas, extra legem hanc fuiſſe. Quid ſi autem & diuites illi nobileſque neglexerint? ego arbitror, ſiue gratiâ impetratâ, ſiue & eâ neglectâ. Et titulus ſanè fuit quia lex in futuras nouas ædes cauebat, ſtructas non diruebat, & fas eaſdem ſic reparare. Quidquid tamen ſit, ſi vulgò ædes omnes *ſeptuagenûm pedum*, ſatis conſpicua ea altitudo: præſertim vbi tecta cõpluuiata, aut teſtudinata, quod ſæpe. Noſtra hæc pectinata, & in anguſtum ſurgentia, aliquid de dignitate minuunt, ſed & capacitatem tollunt. In tali autem illâ altitudine, quid nimis quàm quaterna aut quina cænacula? quorum frequentiæ ſtudebant. Vitruuius: B *In eâ autem maieſtate vrbis, & ciuium INFINITA FREQVENTIA, innumerabiles habitationes opus fuit explicare. Ergo cùm recipere non poſſet area plana tantam multitudinem ad habitandum in vrbe, ad auxilium ALTITVDINIS ædificiorum res ipſa coegit deuenire. Itaque pilis lapideis, ſtructuris teſtaceis, parietibus cæmentitiis, altitudines extructæ, contignationibus crebris coaxatæ, & cænaculorum ſummas vtilitates perficiunt, & deſpectationes.* Sed hæc de ædificiis nunc non exſequor: & ſatis de Altitudine libaſſe.

Lib. ii.

CAPVT V.

Decor & ornatus ædificiorum. Excerpta quædam, & primò de templo Capitolino exactiùs dictum.

C AD *Decorem* tranſeo, qui varius, in mole, in materiâ, in artificio, in ſymmetriâ; & ſiquid aliud elegantia aut peritia amat. In hac quoque parte, quin vrbs omnes orbis vrbes ſuperauerit, nemo dubitet. nã & fidi auctores dicũt, & opes atque ambitio Romana facilè perſuadẽt. Quidquid artificũ inſigniorũ Græcia aut Aſia habuit, Romã euocabantur, aut vltrò veniebant. quippe hîc præmia: & quidã ex iis, quibus (vt Taciti verba vſurpem) *ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegauiſſet, per artem tentare.* Sed primus aut præcipuus *Decoris* huius auctor Auguſtus, qui *vrbem*, vt Suetonius ait, *neque pro maieſtate imperij ornatam, & inundationibus incendiiſque obno-* D *xiam, excoluit adeò, vt iure ſit gloriatus, Marmoream ſe relinquere, quam latericiam accepiſſet.* Alter ab eo, Nero Imperator. qui ambitione impulſus vrbem incendit, vt nouam melioremque repararet. *Videbatur enim,* ait Tacitus, *condendæ vrbis nouæ, & cognomento ſuo appellandæ gloriam quærere.* Itaque eius iuſſu, *vrbis domus, non vt poſt Gallica incendia, nullâ diſtinctione, nec paſſim erecta, ſed DIMENSIS VICORVM ORDINIBVS ET LATIS VIARVM SPATIIS, cohibitâ ædificiorũ altitudine, ac patefactis areis, additiſque PORTICIBVS quæ frontem inſularum tegerent. Eáſque porticus Nero ſuâ pecuniâ exſtructurum pollicitus eſt.* Vides ibi quædam præclara & optanda in vrbe, Ordines vicorũ, Latitudines viarum, Porticus protegentes. Vt non temerè idem Tacitus TAN- E TAM *reſurgentis vrbis* PVLCHRITVDINEM miretur, & ſcripto conſignet. Quod tunc quidem publicè, ſed & priuatim in omni incendio factum Seneca adnotauit: *Timagenes, felicitati vrbis inimicus aiebat, Romæ ſibi incendia ob hoc vnum dolori eſſe, quòd ſciret meliora reſurrectura quàm arſiſſent.* Et ſanè ita fuit, præſertim ad Traianum vſque; cùm ab illo, & à Deo, culmen fuiſſe videtur pulchritudini vrbanæ. AVD. Ain, tu, à Traiano? Conſtantino hanc

A landem Nazarius tribuit, in Oratione ad ipſum: *Celeberrima quæque vrbes nouis operibus enitueſcũt, nec obſoleta modo per vetuſtatem redinuio cultu inſigniuntur, ſed illapſa quæ* ANTEHAC MAGNIFICENTISSIMA *putabantur,* NVNC AVRI LVCE *fulgentia,* INDECORAM MAIORVM PARCIMONIAM *prodiderunt.* Vides quanto anteferat hæc noua, aut nouata, omnibus antiquis. LIPS. Ita, ſed nempe apud Conſtantinum. Fidem autem laudationibus iſtis qui fideliter conſtare putat, ignarus eſt oratorij moris. Struxiſſe & inſtauraſſe quædam illum Principem, lubens credo; quod ad veterem artem aut ſplendorem, da veniam, hodie non credam. Sed
Li. xxxvi. nos *Decorem* noſtrum videamus, quem Plinius communiter ſic diſlaudat: *Ad vrbis noſtræ miracula tranſire conuenit, & ſic quoque* TERRARVM ORBEM B
VICTVM *oſtendere. quod accidiſſe toties penè, quot referentur miracula, apparebit. Vniuerſitate verò aceruatâ, & in quemdam vnum cumulum collectâ, non alia* MAGNITVDO *exſurget, quàm ſi* MVNDVS ALIVS QVIDAM *in vno loco narretur.* Notentur ea & ad Decorem, & ad Magnitudinem malè controuerſam.
Lib. vii. Sed & Caſſiodorus vero & magno ore, de iſtâc vrbe: *Ferunt priſci ſæculi narratores, fabricarum ſeptem tantùm terris attributa miracula. Epheſi Dianæ templum; regis Mauſoli pulcherrimum monumentum; Rhodi Solis æneum ſignum, quod Coloſſus vocatur; Iouis Olympici ſimulacrum, quod Phidias formauit; Cyri Medorum regis domum, quam Memnon fabricauit; Babyloniæ muros, quos Semiramis conſtruxit; Pyramides in Ægypto. Sed* C
quis illa vlteriùs præcipua putabit, cùm in vna vrbe tot ſtupenda conſpexerit? Habuerunt honores, quia præceſſerũt tẽpore: & in rudi ſæculo quidquid emerſiſſet nouum, per ora hominum iure ferebatur eximium. Nunc autem poteſt eſſe veridicum, ſi VNIVERSA ROMA *dicatur eſſe* MIRACVLVM. Ecce conſona vtriuſque iudicia, ſed & voces: & Romam totam, ac per partes, *Miraculum* eſſe, & inter prima mundi ſpectacula, iure cenſent. Vis autem paullò diſtinctiùs mẽbra pulcherrimi huius corporis videamus? AVD. Te hoc quærere? non volo, ſed aueo, ſed ardeo, vt vero verbo dicam. LIPS. Atqui ne nimis ardeſce. nam ego non flumine te perfundam, ſed leuiter aliquid aſpergam è ſummis aquis. Tu te ingurgitabis, ſi voles, poſteà: viam deſignabo & præibo. Ego autẽ? an ducem potiùs alium quæram ex ipſâ antiquitate, qui oſtendat? D
Eſto Ammianus. qui Conſtantij ingreſſum in vrbem Romam deſcribens, ipſum intuentem & mirantem
Lib. xvi. præcipua operum facit, atque ait: *Proinde Romam ingreſſus, imperij virtutúmque omnium larem, cùm veniſſet ad* ROSTRA, *perſpectiſſimum priſcæ potentiæ* FORVM *obſtupuit: perque omne latus, quò ſe oculi contuliſſent,* MIRACVLORVM DENSITATE *præſtrictus, allocutus nobilitatem in* CVRIA, *populúmque pro tribunali, in* PALATIVM *receptus fauore multiplici, lætitiâ fruebatur optatâ. Deinde intra ſeptem montium culmina, per accliuitates planiciémque poſita vrbis membra colluſtrans, & ſuburbana, quidquid erat primum, id eminere inter alia cuncta ſperabat.* IOVIS TARPEII *delubra, quantum terrena diuinis præcellunt;* LAVACRA *in modum prouinciarum exſtructa;* AMPHITHEATRI *molem ſolidatam Lapidis Tyburtini compage;* PANTHEON *velut regionem teretem ſpacioſâ celſitudine fornicatam; elatóſque vertice ſcanſili* SVGGESTVS *conſulum, & priorum Principum imitamẽta portantes, &* VRBIS *templum,* FORVMQVE PACIS, *&* POMPEII THEATRVM, *&* ODÆVM, *&* STADIVM, *aliáque inter hæc* DECORA *vrbis æternæ.* En E
habes, qui digitum intendat, & ducat: tu ſequere, & ardorem (ita loquebaris) reſtingue. AVD. Iam riſui

A & ioco me habes palàm. LIPS. Egóne? AVD. Tu, tu, & ſi noctua ſim, ſæpius canteni. Nam nomenclatorem mihi das locorum, & paucorum quidem: vbi deſignator, enarrator, interpres? LIPS. Adeſt: ego pro copiâ & ſcientiâ aliquid dicam, ſed nec ordine quidem Ammiani. Nam etſi præcipua ille tetigit; non placet tamẽ ordiri à *Foro* aut *Roſtris*, ſed potius à *Templis*. Diuina, à quibus rerum hominúmque ortus, præeant; & totum hoc pulchritudinis agmen ipſa ducant. Nominat ille quattuor tẽpla, *Iouis Tarpeij, Pantheon, Vrbis, Pacis.* Quàm pauca è multis? nã primùm hoc moneo, *quadringenta vigintiquattuor templa* Romæ fuiſſe, quod in Nonnâ imperij prodidit leges. Noli ambigere, quin pleraque ex his magnifica, & aliter atque aliter ſtructa, vel inſtructa: ſed Ammia- B
nus ſatis habuit, dignitate vel opere prima eorũ dare. Itaque à *Tarpeio* exorſus eſt, ſiue *Capitolino*: non quia pulcherrimum fortaſſè, ſed quia primarium, & Dei principis; itémque quia multâ ſubſtructionum mole, & opibus ac tempore pleraque præibat. Alioqui Plinius, vbi magnifica operũ recenſet, hoc omittit: imò idem quaſi irridet veteres, quòd *Aggeris vaſtum ſpatium, & Capitolij inſanas ſubſtructiones mirabantur.* Sed id non eâ mente dictum, quâ videri poſſit, non, inquam, deminuit aut abiicit Capitolij ipſum opus; ſed ſubſtructiones tangit, quas L. Tarquinius Priſcus magnas, & *inſanas*, vt ipſe loquitur, circùm collẽ fecit: dum prorupta eius adæquat, ab imo ſolo ingẽtibus lapidibus muro educto ſuffulcit, complanat denique in vertice, & fundamentis parat. Hæc Li. xxxvi.
C Plinius tangit, & Dionyſius claré exſequitur: quem vide. Alioqui ipſum opus & ædificium non miratur mirabile viſum: qui id poſſit? cùm ſemper inter eximia fuerit, & vrbis prima. Præter Ammianum in verbis dictis, etiam Caſſiodorus ſic attollit: *Capitolia celſa conſcendere, hoc eſt* INGENIA HVMANA SVPERATA *vidiſſe.* Et res ſanè dicit & facies, quam etſi tenuiter, lineis aliquot adumbrabo. Mons *Saturnius* primò dictus fuit, in quo hæc ædes, iũ *Tarpeius*, & mox *Capitolinus*, à capite hominis (cui viuo *Toli* nomen fuiſſe Arnobius tradidit) inuento, dum fundamenta moliuntur. Sed hæc nota, non vulgo nimis illud, duplex *Capitolium* fuiſſe, *Vetus & Nouum.* Illud in *Regione ſextâ Circi Flaminij* Victor & Notitia Imperij locant; iſtud in *Regione octauâ Fori Romani.* Va- D
lerius illud intellexit certò, cùm inter ſacerrima & vetuſtiſſima loca, adiurãs nominat: *Per Romuli caſam, pérque* VETERIS *Capitolij humilia tecta, & æternos Veſtæ ignes.* Ait *Vetus*, ait *humili tecto*: quod vltimum nullo modo in *Nouum* & ſublime illud conuenire poteſt. Puto & Martialem hæc diſtinguere, cùm in hominem ludit plurifariàm habitantem; Lib. iii. cap. iiii.

Eſquiliis domus eſt, domus eſt tibi colle Dianæ,
Et tua Patricius culmina vicus habet.
Hinc viduæ Cybeles, illinc ſacraria Veſtæ,
Inde NOVVM, VETEREM *proſpicis inde Iouem.*

Cerni ab eo vtrumque Capitolium vult: *Vetus* è colle Auentino ſiue Dianæ, *Nouum* ex Eſquiliis & Vico E
patricio. Etſi fortaſſe *Nouum Iouem* Domitianũ ſuum vocet, eiúſque Palatiũ intellegit. Sed Varro de vtroque apertiùs: *Capitolium Vetus, quòd ibi Sacellum Iouis, Iunonis, Mineruæ: & id antiquius, quàm ædis quæ in Capitolio facta.* Ecce, dicit illud Vetus, æuo prius eſſe quàm hoc Nouum, & oſtendit in alio item loco fuiſſe. Sed dices, ſi prius, ſi alibi: vnde *Capitolium*? nam vox ea non conuenit, cùm nec mons tunc nomen iſtud habuerit, nec ipſum illud templum in monte. Reſpondeo, Varronem hoc occupaſſe & ſoluiſſe lectori vigilanti. Nam ideò, inquit, *Capitolium*

non auctor aut conditor, ſed poſteritas dixit; quia vt in nouo & nobili illo Capitolio, tres illi dij Præſides item colebantur. A ſimilitudine igitur & hoc *Capitolium* eſt dictum, ſed cum diſcrimine, *Vetus*. Quæras ampliùs, quis autem condidit? & hoc dicam, ſuggerente Caſſiodoro. Nam ille in Chronico, Numæ rebus: *Capitolium quoque à fundamentis conſtruxit*. Ignaro lectori tenebræ ſint, & falſi Caſſiodorum arguat. quis enim vmquam prodidit Numam auctorem Capitolij? Et ſanè diſtinguere debebat, & addere, *Vetus*. Ita enim eſt: ille auctor illius, vndeunde hoc hauſerit Caſſiodorus; ſicut *Noui*, Tarquinius Priſcus. Is complanato, vt dixi, monte, ſtruere cœpit, ex voto quod vouerat bello Sabino: idque opido Apiolis capto, vt Plinius ex Antiate refert, è manubijs & prædâ. (Lib. III. cap. V.) Sed fato præuentus, abſoluendum nepoti L. Tarquinio Superbo reliquit, regum vltimo: etſi Seruium quoque Tullium aliquid addidiſſe, ſociorum ſtudio adiutum, Tacitus (ſed ſolus, opinor) dixit. Præcipuus tamen auctor operis Superbus. qui, vt Liuius inquit, *Sueſſâ Pometiâ è Volſcis captâ, diuenditâ prædâ, cùm quadraginta talenta argenti aurique recepiſſet, concepit animo eam* AMPLITVDINAM *Iouis templi, quæ digna deûm hominúmque rege, quæ Romano imperio, quæ ipſius etiam loci maieſtate eſſet*. Scribit *quadraginta* talenta: quæ nobis XXIIII. millia Philippæorum eſſent: ſed an nõ *quadringenta* reſcribendum, aliquis ex Dionyſio mihi controuertat? Nam ille, vt in re non dubiâ: *tantum prædæ*, inquit, *repperit, vt quinque minæ argenti obuenerint ſingulis militibus, decima autem dijs ſacrata fuerint non minus* * *quadringenta talenta*. (* In Plutarcho ſumma eadem.) Ea eſſent, *ducenta quadraginta millia* Philippæorũ. pecunia, haud nego, ſatis grandis, præſertim è ſolis decimis: ſed res Italiæ & Latij tunc vberes & florentes (quod & alibi videre eſt) hoc perſuadent; tum & ipſum opus eâ amplitudine inſtitutum, quam Liuius deprædicat, & quam exiguâ ſummâ nemo fabricetur. Nec tamen vel Tarquinius ſupremam manum impoſuit: & *gloria operis* (ait Tacitus) (III. Hiſt.) *libertati reſeruata. Pulſis regibus Horatius Puluillus Conſul dedicauit, eâ* MAGNIFICENTIA, *quam immenſæ poſteà populi Romani opes ornarent potiùs, quàm augerẽt*. Vides & à Tacito laudari, & conſummatum hoc opus Puluillo adſcribi. Quid igitur eſt, quod in Liuio, multis annis pòſt lego, in Tribunorum militarium imperio? (Lib. VI.) *Eodem anno, ne priuatorum tantùm operibus vrbs creſceret, Capitolium quoque ſaxo quadrato ſubſtructum eſt, opus* VEL IN HAC MAGNIFICENTIA VRBIS CONSPICIENDVM. Hoc narrat, poſt Romam à Gallis captam, & cùm ea inſtaurata à ciuibus fuit. Ergóne tũc denique Capitolium ſaxo quadrato ſtructum? nego de ipſo ædificio, fateor de mõte. Itaque attende, *ſubſtructum* dicit, non *exſtructum*. Eſt illud ipſum opus, de quo prædixi, L. Tarquinij: quod tamen rudi lapide factum, nunc mutarunt, & ſecto quadratóque ſplendidius confecerunt. Igitur Pliniana illa, de quibus item anteà, magis fuerit ad hoc poſterius opus referri, & iſtæ ſunt *inſanæ illæ ſubſtructiones*, è quarum ruinis vaſtos lapides erutos patrum etiam ætas vidit. Sed ipſum Tarquinij Capitolium quale fuit? Deſcribit his ferè verbis Dionyſius: *Situm eſt in altâ crepidine, habétque in ambitu octo iugera: ſic vt latera ſingula ducentorum ferè pedum ſint, exiguâ latitudinis & longitudinis differentiâ, niſi quòd iſta illam vincit vix pedibus quindenis. Quâ parte frons eius meridiem ſpectat, triplici columnarum ordine circumcingitur; ab alijs lateribus, duplici. In ipſo ſunt tres cellæ, ex ordine, à lateribus communione parietum clauſæ. Media eſt Iouis, vtrimque altera Iunonis, altera Mineruæ, ſub eodem laqueari eodémque tecto*. Ita Dionyſius: & verba, ſi placet, examinemus. *Octo iugerum* ambitu fuiſſe dicit: id eſt *pedum octingentorum*: ſed ſic vt quadrum eſſet, imò pænè quadratum, niſi quòd longitudo *quindecim pedibus* ſuperaret. Fuit egregia capacitas, ſi conſideras, & aptâ proportione. Ait, *frontem ad meridiem ſpectaſſe*: id eſt Forum Romanum & Palatium verſus, frequentiſſimam vrbis partem. Ergo ab eâ quoque parte *centum gradus*, quibus (vt Tacitus, atque alij) ſuperbè adibatur. Quos tamen continuos fuiſſe non arbitror, & retractiones ſuas habuiſſe, vt Vitruuius appellat: id eſt, areolas, vbi feſſi pedem figerent, & reſpirarent. quas poſt ſingulos ſeptem aut nouem graduum ordines ſolere interponi, architecti notarunt. Gradus autem iſti haud dubiè ad maieſtatem: eóque & in alijs templis, etſi pauciores, ſoliti vſurpari. Sed ibi ratio, hîc neceſſitas & locus editior voluerunt. Addit *columnarum triplicem ordinem*: quas L. Sullam Athenis aduexiſſe, è templo Iouis Olympij, Plinius nos docet. (Lib. XXXV. cap. VI.) Atque eas Dionyſij tempore ipſas exſtitiſſe, facilè arbitror: poſt incendium, à Veſpaſiano mutatas, verbum Plinij dat ſuſpicari. Quàm multæ eæ fuerint, haud dixerim: quia varia proportio in collocandis, de quâ Vitruuius videndus. An tamen eiuſdem locus non huc facit? Lib. III. cap. III. Format *Pycnoſtylos, Syſtylos, Diaſtylos, Aræoſtylos, Euſtylos* ædium ſpecies: iis enim Græcis vocibus vtuntur: & in *Aræoſtylis*, inquit, *nec marmoreis nec lapideis epiſtylis vti datur, ſed imponendæ ſunt trabes de materia perpetuæ. & ipſarum ædium ſpecies ſunt barycæ, barycephalæ, humiles, latæ, ornantq́; ſignis fictilibus, aut æreis inauratis faſtigia earum, Tuſcanico more. vti eſt ad Circum maximum Cereris, & Herculis, Pompeiani item Capitolij*. Sanè Pompeianum Capitoliũ nemo legit, opinor; nec ipſe Pompeius manum admouit, aut potuit: niſi quis accipit de Capitolio, quod Põpeiis fuerit Cãpaniæ opido. Nam & coloniæ, vti ſcimus, Capitolia ſua habebant. Sed tamen, quia vtitur hîc Romanis exemplis (vide alia:) non diſpliceat diſtingui, *Herculis Pompeiani, item Capitolij*. Itaque Capitolium fuerit inter *Aræoſtyla*, id eſt raris columnis diſtincta. Pergit Dionyſius. *tres in ipſo cellas eſſe*, ſiue vt ipſe appellat * *ναὸυ*. (* Heſych. Ναοὺς, ἐν οἷς ἱδρύοντο τὰ ἱερά.) Ea res nota eſt, & verſus Auſonij,

Trina in Tarpeio fulgent conſortia templo.

Quod imitabantur item in colonijs: eóque Arnobius ſcripſit: *Nónne vides in Capitolijs omnibus virginales eſſe ſpecies Mineruarum?* duos alios deos ibi omittit. An autem non alij dij in Capitolio? non quidem in iſto templo; excipio Iuuentutem, & Terminum: qui cedere ſcilicet noluerunt exaugurantibus. *Itaque eorum ara* (ait alibi Dionyſius) (Lib. III.) *continentur templis ambitu, atque vna in veſtibulo cellæ Mineruæ eſt, altera in ipſa cella iuxta puluinar*. Quod igitur in Tertulliano legitur: (De Spectac.) *Capitolium omnium dæmonum templum eſt*. itémque in P. Victore: *Capitolium, vbi omniũ Deorum ſimulacra celebrãtur*. in Cicerone: *Deorum domicilium*: ea inquam omnia, de ipſo monte capienda ſunt, qui paſſim & pænè totus deorum aris, ſtatuis, templis inſeſſus: quod facile tibi inter legendum obſeruare. Sed dixerat etiam Dionyſius, *cellas iſtas à lateribus communi pariete clauſas*. Quid hoc eſt? vt nullum diſcrimen aut interpoſitio parietum fuerit? imò opinor fuiſſe, aut certè columnarum, & ſacelli atque ædiculæ ſpeciem ſingulas habuiſſe. Nam ita ipſe Dionyſius, *πρόναον τοῦ ἀδύτου* (in verbis, quæ iam verti) *veſtibulum adis Mineruæ*, & vt ſic dicam *protemplum*. Ita & Liuius: *Quadriga inaurata poſita in Capitolio, in cella Iouis, ſupra faſtigium ædiculæ*. Plinius verò & *Delubrum* dixit: *Proſerpina tabula fuit in Capi-*

tolio,

tolio, in Minerua delubro, ſupra ædiculam Iuuentutis. Diſtinctio igitur: ſed mens Dionyſij, tres ipſas tamen cellas communi totius templi pariete clauſas. Niſi quis etiam cenſet, *Ædiculas* iſtas fuiſſe non niſi caua quædam in ipſo pariete, ad ſtatuas illocandas: quod in Panthéo videmus: quibus non accedam. Iſta ex Dionyſio: an & à me aliquid addo? faciam, ſi priùs diſtinxero inter Capitolia, quæ quattoor in hoc ipſo loco, ex ordine, fuêre. Nam primum illud Tarquiniorum, bello ciuili Sullano, incendio periit, neglegentiâ custodum. Alterum ipſe Sulla inſtruxit. ſed non dedicauit: *quod vnum Felicitati ſuæ defuiſſe*, ipſe apud Plinium fatetur, & Tacitus adnotauit. *Lutatij Catuli nomen*, ait Tacitus, *inter tanta Cæſarum opera, vſque ad Vitellium manſit.* Etſi Dio tamen ſcribit, Cæſari Iulio, inter alia honorum, decretum à Senatu: *vt nomen eius Capitolio inſcriberetur, deleto Catuli: idq; eum admiſiſſe.* Sed Taciti aſſertio firmior, mihi quidem, fideliórque. Tertium fuit à Veſpaſiano, nam illud Catuli arſit ciuili iterùm bello Vitelliano: atque iſte reparauit iiſdem veſtigiis, ſed & dedicauit. Dedicauit inquam, & Plutarcho ſcribenti hoc accredo: magis quàm Victori, qui Domitiano tribuit: *Multa*, inquit, *opera inchoata per patrem, vel fratris ſtudio, atque imprimis Capitolium, abſoluit.* Non vinces, hoc ô Victor. Veſpaſianus abſoluit, dedicauit: ſed à morte eius, ſub Tito, ſtatim arſit (Suetonius, & Dio in Tito:) atque ita quartùm Domitianus inſtaurauit. Habes igitur quaterna Capitolia, ſed in eodem loco repoſita ſemper, & innouata. Tacitus & Dionyſius quoque, id notarunt: ſed verba illius: *Iiſdem rurſus veſtigiis ſitum eſt, poſtquam interiecto* CCCCXXV. *annorum ſpatio, L. Scipione, C. Norbano Coſſ. flagrauerat.* III. Hiſt. Hoc de Sullano: de Veſpaſiani, idem: *Paſſim iniecta fundamentis argenti aurique ſtipes, & metallorum primitia nullis fornacibus victa. Prædixêre haruſpices, ne temeraretur opus ſaxo auróve in aliud deſtinato.* ALTITVDO *ædibus adiecta, id* SOLVM *religio annuere, & prioris templi magnificentiæ defuiſſe creditum, quo tanta vis hominum retinenda erat.* Noto obiter religionem Romanorum, qui liberaliter contulerunt ad opus faciendum, ſtipibus coniectis. Ille enim finis. ſicut & in Cicerone ſcriptum de illo Sullano: *ad Capitolium publicè coactis fabris, operiſque imperatis,* GRATIS *exædificatum atque effectum eſſe, ita vt ex ærario nihil darent.* Quod equidem miror ſatis, ſed quinto in Verrem ita ſcripſit. AVD. Religioſum ſæculum, præ noſtro. ſed quæ aut quanta illa multitudo hominum eſt, quam Tacitus retineri vult? LIPS. Haud difficilis collectu. Si enim latera pedum *ducentorum*, reddentur fientque in areâ pedes *quadraginta millia*. Da ſingulis inſiſtentibus pedes *quaternos* (ſufficiunt, cùm militi in acie locato & armato Polybius det non niſi *ſenos*) da inquam *quaternos*: nónne vides *decem millia* potuiſſe retineri? Sed tolle aliquid, ſi vis in columnas & alium apparatum: largiter tamen ſupererit pro *octo millibus*. AVD. Hem! magna capacitas, & rara talia noſtra templa. LIPS. Semel omitte de noſtris: vincimur, ſi comparamur. Et tamen de mole aut magnitudine, tale aliquid eſſe poteſt, aut & excedere: de arte, materie, ornatu qui poteſt? Sed Tacitus *Altitudinem* adiectam, ſuper priorem, diſertè ſcribit: quę fuit? haud diuino: pro ſymmetriâ latitudinis oportet ingentem fuiſſe. Et Silius ita indicat, apud quem Iupiter prædicit de illo Domitiani:

Aurea Tarpeiâ ponet Capitolia rupe,
Et iunget noſtro templorum CVLMINA CÆLO.

In cælum educit: ſicut & Tertullianus, Apologetico: *Nam etſi à Numâ concepta religio eſt, nondum tamen aut ſimulacris aut templis res diuina apud Romanos conſtabat: & nulla* CAPITOLIA CÆLO CERTANTIA, *ſed temeraria de ceſpite altaria, & vaſa adhuc Samia, & Deus ipſe nuſquam.* AVD. Et tu hæc recitas Lipſi? LIPS. Quidni recitem? AVD. Et attendis? LIPS. Quidni? AVD. Atqui euertunt paulloantè à te dicta, de Capitolio Numæ. Nam quomodo illud ſit, & cum tribus ſuis diis; ſi tunc nulla templa, ſi nullæ ſtatuæ? LIPS. Benè obſeruaſti, & de induſtriâ plura illa verba (vide quàm fallere voluerim) adduxi. Adduxi, vt expedirem: & ecce. Non negat vlla Capitolia fuiſſe, ſed illa alta & *cælo certantia*: noſtra humilia cur deſtruat? Nam vt dem ſtatuas nondum fuiſſe (quod alibi & Varro tradidit:) tamen de templis idem dicere anceps ſit, & Liuius, Dionyſius, Plutarchus refellant. qui deſertè *Termino, Fidei, Veſtæ* templa à Numâ poſita adfirmant. Et verò ſi priuatæ domus, ſi curiæ publicæ; cur non & ea diis eſſent? ratio videtur velle, præſertim apud homines cultui deorum ſic addictos. Sed de altitudine certiora non habeo: quæ minima eſſe potuit, fuit *pedum ducentorum*. ſicut in Panthéo Agrippæ, par item latitudo & altitudo. AVD. Heus tu, in loco Taciti etiam me tenuit, quòd ait *altitudinem adiectam*: & debuiſſe, quò *tanta vis hominum retineretur*. Quid ergo altitudo facit ad laxandum locum? non intellego, niſi ſi porticus aut inædificationes ſuperiores aliquæ, vt hodie in quibuſdam templis. LIPS. Apage, nihil difforme in vniformi iſto opere: ſed Taciti mens, iuuiſſe & decuiſſe altitudinem vbi multitudo, vt aër laxior ac liberior, ad reſpirandum, ad refrigerandum. Alioqui, vbi arctatio & compreſſio, ſcimus quàm ſubitò animo malè fiat. Quod tamen ad Porticus, non in ipſo templo, ſed circà fuiſſe, pro communi ſtructurâ, facilè credam: & Tacitus indicium facit. Sed ab ædificiis iam ad Ornatum pergo: qui tamen varius in vario iſto opere. Quis in Tarquiniji? aliquid è Liuio haurire eſt ſparſim. vt libro x. *Fæneratores aliquot mulctati, & ex eo quod in publicum redactum eſt,* ÆNEA *in Capitolio* LIMINA, *& trium* MENSARVM ARGENTEA VASA *in cellâ Iouis, Iouémque in* CVLMINE *cum* QVADRIGIS *Ædiles poſuerunt.* Iterum libro XXIX. *Quadrigæ* AVREÆ *eo anno in Capitolio poſitæ ab Ædilibus.* Et libro XXXV. *Ædiles multos pecuarios damnarunt. ex eâ pecuniâ clypea [illegible]aurata in faſtigio Iouis ædis poſuerunt.* Denique libro XXXVIII. *Seiuges in Capitolio* AVRATI *ab Cn. Cornelio poſiti: Conſulem dediſſe, inſcriptum eſt. Et duodecim clypea ærata* (lego aurata) *ab Ædilibus ſunt poſita ex pecuniâ quâ frumentarios damnarunt ob annonam compreſſam. Et duo item ſigna aurata.* Hæc ex Liuio: iſtud è Plinio, *poſt Carthaginem euerſam, laquearia in Capitolio inaurata eſſe*: id eſt, totum illud internum cælum & camerationem. Li. xxxiij. Nec plura, dici quidem digna, notaui. Quid verò in Catuli? omnia haud dubiè, in iſtis iam opibus, opulentiora: illud notabile reperio, *quòd ſua ætas* (Plinij verba) *variè de Catulo exiſtimauerit, quòd* TEGVLAS *Capitolij* ÆREAS INAVRASSET *primus.* De quibus & in Senecâ patre: *Faſtigiatum ſuprà tectis, auro puro fulgens, prælucet Capitolium.* Sanè hoc magnificum & verè ſplendidum fuit: & quis ille fulgor, Sole irradiante? Fuit & ad firmitatem aptum æs, & contra æruginē aut rubiginē valuit inductum aurum. Cetera donorū & ornamentorum varia, *Corona aurea, Victoriæ aureæ, Candelabra, vaſa*, & quæ tu tibi ſubiicias: ſed quod ex Dione omnino obſeruandum, *omnibus his detractis, ex Ægyptiacâ prædâ alia victor Auguſtus repoſuit: detractis ex Sc.*" *& vt tam multis his nouis & melioribus locus fieret.* Lib. LI. Etſi quædam veterum retenta, non ambigo: ſed ordine & iudicio Auguſti diſpoſita, vt

apta & eoocois tota facies eſſet. Id verò ipſum tempus fuit, quo *vnâ donatione in cellam Iouis Capitolini contulit* * XVI. *millia pondo auri, &* * *quingenties* HS. *in gemmis:* quod in Suetonio leges. In cellam dico Iouis, quid cenſes in duas alias? nam & eas dona ſua accepiſſe Dio diſertim dicit. Et vel ex eo diſce opes & ornatum Capitolinum: qui quàm ingens & ADMIRANDVS fuit, ſi vnius modò Principis & vno tempore, tot dona? Pleraque tamen horum periêre incendiis, vt opinor: & videamus vltimum Domitiani. In eo *columnas Pentelicas* fuiſſe, quæ Athenis aduectæ item eſſent (vt & illæ Sullanæ) Plutarchus in Poplicolâ ſcribit: eum hoc iudicio, *quòd pulchriores Athenis viſa ſibi eſſent, quoniam Romæ dum nimis ſecant & poliunt, nitorem addidiſſent, ſymmetriam detraxiſſent*. Cetera quæ & quanta, ex eiuſdem Plutarchi verbis ſuſpicemur: qui ait *in ſolam inaurationem, priuatum omnem modum excedentes opes impenſas, nempe ſupra duodecim millia talentorum.* Ea ſunt nobis *ſeptuagies bis centena millia* Philippeorum; ſiue *ſeptem milliones*, & quod excedit. AVD. Hui! verberas me. LIPS. Semper tiro? mirum te viuere. AVD. Quid iam? LIPS. Nam aſſiduè vulnera accipis, & oportebat iam confectum. AVD. Tua haſta *Pelias* eſt, & vulnerat & ſanat: perge. LIPS. Tanta igitur inauratio: quæ fuit non in Lacunaribus ſolùm, ſed in Tegulis æreis, vt illo Catuli. de quibus Epigramma Græcum in Anthologiâ, vbi *Æream domum in Palatio Byzantino* laudat:

> Εἶξον ἀρειοτέροισι χάριν, κατὰ Ταρπηΐδος αὐλῆς,
> Εἰ καὶ χαλκείων ὀρόφων ἀμαρύγματα πέμπεις.
> *Cede etiam melioribus ô Tarpeia rupes,*
> *Etſi ex æratis iacis aurea fulmina tectis.*

Et Procopius adnotauit, *Gizerichum regem Vandalorum, cùm alia decora Romana ſecum in Africam vexiſſe, tum & partem tegularum Iouis Capitolini inauratarum dimidiam.* Nec tecta modò inaurata, ſed ipſæ Fores auratæ, & craſſis laminis obductæ: quæ manſêre ad Honorij Imp. æuum. Tunc in pecuniæ inopiâ, *Stilicho mandaſſe perhibetur* (ſcribit Zoſimus) *vt fores in Capitolio Romano, quæ auro* MAGNI PONDERIS *erant obductæ, laminis iis ſpoliarentur. Cùm autem qui hoc facere iuſſi erant, id agerent; in parte forium ſcriptum repperêrunt,* INFELICI REGI SERVANTVR. *Quod euentus docuit. nam Stilicho paullò pòſt infeliciter periit.* Ita Zoſimus: nec velim nimis re, vt ſingularia, hæc mirari: puto in pluribus templis fuiſſe. Poëtæ ſanè *aurea templa* non ſemel appellant: & auctor libelli De cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Quid enim ſi infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi cæmento, & informibus tegulis exſtruuntur; ſed marmore nitent, & auro radiantur?* Marmore in parietibus, auro in lacunaribus & tectis. Ideò *Micantia* Rutilianus dixit:

> *Confundúntque vagos delubra micantia viſus,*
> *Ipſos crediderim ſic habitare deos.*

Et de Templis in eâ laudatiuculâ concludam.

CAP. VI.

Item de templo Panthei, Vrbis, & Pacis.

AVD. Ego aperiam, & laxabo. Nam quid me tam fluxâ memoriâ cenſes, vt oblita ſim Ammianum plura laudaſſe? & nominatim *Pantheon, Vrbis, Pacis.* Dic de ſingulis, nec excide tuâ lineâ, quam ipſe duxiſti. LIPS. Sed ex vno illo ſpecimine, facile de aliis iudicare. Tamen fidei meæ cauſſâ, cape. *Pantheon* ab Agrippa genero Auguſti ſtructum fuit, & opus notum eſt, hodiéque (etſi ornamentis omnibus ſpoliatum) ipſum corpus exſtat. Struxit in tertio Conſulatu ſuo, quod inſcriptio frontis indicat: ſed perfecit biennio pòſt & dedicauit, anno vrbis DCCXXXIX. vt eſt in Dione. Quæ cauſſa nominis, ipſe Dio dubitat, & ſcribit: *Pantheon ſic fortaſſe dicitur, quia plures deorum imagines in ſimulacris Veneris & Martis complecteretur, vel vt ego cenſeo, à formâ illâ deuexa rotunditatis, & quia cælum referret.* Prior explicatio pluribus placita, etſi non ipſi Dioni: & lego in Gloſſis illis priſcis, πάνθεον, *omnium deorum.* Sed & Athenis, atque alibi, τὸ κοινὸν τῶν θεῶν ἱερὸν fuiſſe, *commune Deorum templum*, ex Pauſaniâ diſco. Cui & origo eſſe apud Romanos potuit, ex communi deorum ſacro. de quo Feſtus. *Pandicularis*, inquit, *dies dicebatur, idem & Communicarius, in quo omnibus diis communiter ſacrificabatur.* Sed Dio tamen aliter: & mouit eum, credo, quòd paucæ & certæ in eo ſtatuæ eſſent, neque diis communiter poſitæ. Fuit enim *Martis*, * *Veneris*, & *Cæſaris Iulij* ipſius *Augusti* in veſtibulo cum ſuâ poſuit Agrippa. Ita Dio. quem miror *Iouis* omiſiſſe: cùm Plinius ſcribat, *Pantheon Ioui Vltori ab Agrippâ factum.* Itaque ille præcipuus, & præſes ibi Deus, fuiſſe videtur: ſed & plures alij, eóque nomine haud malè, Pantheon: etſi Dio à cæli formâ magis petit; quoniam id ſcilicet receptaculum & ſedes Deorum. Lego autem & *Pantheus* & *Panthea*, pro ipſis Dijs: ſed aliâ ſignificatione, itemque ſcripturâ; nec aliud eſt, quàm *omnino Deus*, aut *Dea*. Idem Dio ſcribit, ſororem Caligulæ *Druſillam conſecratam ab eo, & ab omnibus Pantheam dictam.* In lapide item veteri exſtat: DIVO PANTHEO. EX *. V. Sed de nomine ſatis: in re ipſâ etiã quid me diffundã? niſi ſi lingua poteſt in iſtis, quod non oculus: atque ecce Romæ exſtat, & imagines circumferuntur. AVD. Ita eſt. ſed de ornatu qui periit, ecquid habes? LIPS. Pauca. ſed tamen hoc inter *pulcherrima operum* Plinius recenſuit: quid mirum vel ab ipſo iſto corpore, ſed ſpoliato & nudo? Nam artificium & ſymmetria per omnes partes maximas, minimas, in eo mirabilis; decor, ordo, coniunctio ſingularis; vt Sebaſtianus Serlius, vir peritiſſimus taliũ, habendum cenſeat hoc velut vnicũ exemplar conſummatæ Architecturæ. Latitudo atque altitudo par eſt, pedum CXLIIII. Amiſit de ſpecie, quòd rudera locum ſuſtulerunt, & gradibus in templũ nunc deſcenditur: atqui anteà aſcendebatur. Tectum & ipſum æreis tegulis, quæ prægrandes aliquot in fornice repertæ: nec dubitandum & has auratas fuiſſe. Abſtulit eas tegulas Conſtantinus Heraclij filius, vt pleraque alia ornamenta Romæ reliqua: auexit in Siciliam, & Saraceni inuadentes omnia auferunt, in Ægyptum auehentes. Plura ſuper hoc templo haud dixerim; & omnia membra eius deſcripſit & menſus eſt Serlius, quem fas videre. Admoneo exuſtũ fuiſſe, magno illo incẽdio ſub Tito, cùm & Capitolium tertiò arſit. Id ita in Dionis compendio ſcriptum: & refecit Domitianus. de quo Caſſiodorus capiendus in Cõſulatu eius IX. *Inſigniſſima Romæ facta ſunt, Forum Traiani, Thermæ Traiani, Meta ſudans, & Pantheon.* Sed nec diu pòſt Traiani anno XIII. (quod in Euſebij Chronico eſt) fulmine ictum conflagrauit: & ab Hadriano reſtitutum, Spartianus dixit in eius vitâ. Itaque non ſoli ij reſtituerunt, qui in fronte operis hodiéque inſculpti leguntur, *L. Septimius Seuerus, & M. Aurelius Antoninus:* ſed iam dicti. Mutauit & tranſijt in melioris templi vſum, & à Venere ad noſtram Virginem, faciente Bonifacio quarto Pontifice, ſub annum Chriſti DCVII. Is *petiit Phocam*, ait Regino, *vt in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, & à Domitiano fuerat exſtructum, Eccle-*

ſiam ſibi

160000 hiſp. 1250000 hiſp.

* Ex eius auribus ſectus fama ſit illa vnio Cleopatræ. Plin. lib. XXV.

* Voto.

ſtam ſibi facere liceret; quod annuit Imperator. Iſta de
Romano Pantheo. ſed reperio & in prouinciis alibi,
ad hoc exemplum. Sozomenus in *pago Bethelia (vnde
ipſe oriundus) ditionis Gazenſium*, *Pantheon fuiſſe* ait,
*antiquum & apparatum templum, quod in cliuo manu-
facto, velut in arce ſitum, totum pagum deſpectabat*: at-
que addit arbitrari ſe Syrica voce *Bethelium* inde di-
ctam, quod Græcè τὸν θεῖον ſonat, ſiue θεῶν οἰκητήριον,
deorum domicilium. Ita ille ſcriptor Eccleſ. Hiſt. lib. v.
cap. XIIII. Sed transeo iam & luſtro obiter tem-
plum VRBIS. Quod iſtud eſt? inquies nempe
Dominæ vrbis, illius Æternæ, & Cæleſtis. O inſaniam!
ædificiis & inanimato corpori non vitam ſolùm
attribuere, ſed numen! Atqui fecerunt, & vrbs
hæc, in quâ ſedes tanti imperij, tamquam in eâ
potentia & diuinitas, ſic culta. Prudentius meri- B
tò irridet:

——colitur nam ſanguine & ipſa
More Deæ, NOMEN QVE *loci, ceu* NVMEN,
adorant.

Inuentio & adulatio à Græcis Aſiaticis eſt: apud
III. Hiſt. quos Smyrnæi (quod ipſi gloriantur, & Romanis
* Circa annum vrbis DLVIII. imputant, apud Tacitum) * *primi templum* VRBIS
ROMÆ *ſtatuerunt.* Nec defuerunt alij ſequi exem-
plum: ſtatimque Alabandenſes in ſuâ vrbe ſtruxêre.
Quo fine? vt propitiam ſibi non Vrbem, ſed Vrbis
incolas & rectores haberent. Itaque nolunt eos
hoc neſcire; & in Liuio, apud Senatum *Alabanden-
ſes templum* ROMÆ *ſe feciſſe commemorant, & lu-
dos anniuerſarios inſtituiſſe ei Diuæ.* Etiámne ludos? C
ita ſanè, & iſti ſunt pulcherrimi, quos vel nunc in Se-
natu edont. Quàm credis riſiſſe quoſdam Patrum,
in his ineptis & verè Græcanicis adulationibus? ego
haud minus cenſeo, quàm cùm Pruſias rex ab illâ
Aſiâ, veniret ad curiam raſo capite, & pilleatus, limen
curiæ oſcularetur, adoraret Senatum, & *Libertum* ſe
clamaret *populi Romani.* Ita igitur initium, ſed in pro-
uinciis. imò nec ſub Principibus ſtatim *Romæ*, in ipſâ
Româ, templum. Lego in Hadriani rebus: *Ædem
Bonæ deæ tranſtulit, & Coloſſum ſtantem atque ſuſpen-
ſum, per Demetrianum architectum, de eo loco in quo*
NVNC *templum* VRBIS *eſt, ingenti molimine, ita vt
operi* XXIIII. *elephantes exhiberet.* Ait, Coloſſum D
ſtetiſſe in loco vbi *nunc Vrbis* templum: non ergo
tunc adhuc erat. Sed illeipſe tamen Princeps fecit:
imò hanc cauſſam arbitramur tranſlati Coloſſi. In
Dionis compendio eſt: *Hadrianum ſtruxiſſe Veneris
& Romæ templum, atque eius deſignationem & dia-
gramma miſſum ab eo ad Apollodorum inſignem archi-
tectum (cui tunc offenſior erat) vt oſtenderet & abſque
eo* INSIGNE OPVS *poſſe perfici. quaſiuitque ecquid
placeret ſtructura? Ille verò liberè reſpondit, & de Tem-
plo, quod ſublimius & magis cauum capáxque fieri de-
buiſſet: vt & in viam Sacram conſpectum ex alto emine-
ret, & in cauum Machinas acciperet, quæ in occulto ibi
compacta, ſubitò & ex improuiſo in Theatrum induci
poſſent.* Hæc ita in Græco. nam interpres, quod mire-
re, ſolum *Veneris templum* poſuit, *Romæ* omiſit. Atqui E
inclytæ deæ fuêre: & ſic Notitia imperij, *Templum
Veneris & Romæ* nominat. Prudentius:

Atque Vrbis Venerisque pari ſe culmine tollunt
Templa, ſimul geminis adolentur thura deabus.

Nec ineptè Venus iuncta, Æneadum mater, cum ſuâ
prole. Vbi fuerit, ex Dione licet conijcere, qui *Viæ
Sacræ* adiungit: & Notitia in *Regione templi Pacis* po-
nit. Claudianus in *monte Palatino.* Nam de illo ca-
piendum eſt, cùm in laudibus Stiliconis facit Pro-
uincias veniſſe, & adiſſe ſupplices ipſam Romam:

Lib. II. *Conueniunt ad tecta Deæ, quæ candida lucent*
Monte Palatino.

A Crederem igitur ad radices montis fuiſſe, circà ant
in Comitio: & in diuiſione tamen vrbis accenſitum
Regioni Pacis. De *Machinis* autem, quod in Dione
eſt, ad *Pegmata* pertinet: de quibus in Amphitheatro
olim ſcripſimus: & videntur in templis opportunis
diſpoſita, compoſita occultè (quò admirabiliora ex
inopinato eſſent) & ſub tempus educta. Sed ſequitur
nunc *Templum* ipſum PACIS. AVD. Paulliſper ma-
ne. & nónne *Genij publici* templum etiam lego?
LIPS. Legis, ſed diſtinctum ab iſto vrbis: & hoc ve-
recundiùs paullò & minùs inſolenter excogitatum.
Nam Genium locis, regionibus, ciuitatibus tribui, ſa-
tis eſt frequens & notum. Itaque in Dione ναὸς τοῦ
γενίου τοῦ δήμου, *templum Genij populi*, aliquoties nomi-
natur: ſed diu antè *Vrbis*, & quidē ab anno DCCXLI.
B ante Principatum Auguſti. Sed & Antiochiæ, Ale-
xandriæ, atque alibi *Templum Genij* leges. AVD. Am-
pliùs etiam, ruminor Spartiani verba de Hadriano:
qui *Bonæ deæ ædem tranſtulit, & Coloſſum.* Sed quæ
iſta *ædis tranſlatio*? ſi communis, vt alibi dirutam po-
neret; quid miri aut narrandi eſt? ſiquid ab arte aut
nouum latet, me doce. LIPS. Neſcio. ſed ædes totas
transferri, mihi nouum non eſt, & in Batauis vidi fa-
ctum. Quid, quòd Tiberij æuo architectus fuit, qui
*maximam porticum iacentem & inclinatam, lanâ &
centonibus circumdatam* (credo, ne videri artificium
poſſet) *funibus & machinis, multorúmque hominum
manibus admotis, in priſtinū reſtituit, firmam & rectā.*
C Quod Tiberius aliíque nimis mirati ſunt: etſi ille in-
uidiâ motus, nec nomen quidem eius Actis inſeri ſit
paſſus. Quod ad *Coloſſum* autem, nónne Roma nuper
in Obeliſcis ſimile vidit? Sed hoc hîc notabile, quòd
iſte architectus, non inclinauit eum quidem, ſed *ſtan-
tem*, vt ait, tranſtulit & *ſuſpenſum*. At tu extra oleas me
ducis. *Pacem* autem ego iam afferebam, tu diſtuliſti.
AVD. Egóne illam? ô vbi es, non Dea quidem, ſed
ſummum à Deo bonum! Veni, veni, reuiſe miſeros
Belgas, tot iam luſtra ciuilibus exteriſque bellis ia-
ctatos. LIPS. Iam venit, confide: ſed Iuno aliqua eam
ducit aut præit. Hanc Veſpaſianus Romæ conſecra-
uit, magna ſpe & animo manſuram, poſt ciuilia tunc
quoque bella. Id opus à Claudio inchoatum aliqui
D tradunt: ſed abnuit Suetonius, & *Fecit* NOVA *opera
Veſpaſianus*, inquit, *templum Pacis foro proximum.* Ha-
bes & locum: ac nunc veſtigia exſtant, & ex iis operis
ipſius forma. Grande fuit, & longitudo *trecentos* pe-
des attigit, latitudo *ducentos*: igitur ſupra Capitolium
ipſum. Hac cauſſâ meritò Herodianus id appellat
μέγιστον καὶ κάλλιστον τῶν ἐν τῇ πόλει ἔργων: MAXIMVM
& pulcherrimum omnium in vrbe operum. Additque:
ditiſſimum item fuiſſe, *ornamentis auri & argenti ex-
cultum.* Feciſſe id ſub initia imperij, & poſt trium-
phum, ex Ioſepho diſcas: cuius verba lubet dare, ad
vniuerſam eius notificationem. Libro VII. Excidij
ait: *Poſt triumphos, & firmam imperij conſtitutionem,
ſtatuit templum facere Pacis: fecitque citò admodum, &
pulchrius meliúſque omni opinione perfecit. Magnis enim
E opibus in hanc rem vſus, & priſcorum etiam præclara
omnia adhibens, picturis & ſtatuis pulcherrimis adorna-
uit.* OMNIA *enim in hoc templum collata & diſpoſita
ſunt, ob quæ homines, videndi cupiditate, anteà per* TO-
TVM ORBEM *vagabantur. Poſuit & hîc è Iudæorum
templo vaſa aurea, in iis ſibi placens: etſi Legem ipſorum,
& vela tabernaculi aurea, in Regiâ ſuâ poſuerit, ibi cu-
ſtodienda.* Hæc Ioſephus; & Plinius conſonat, qui paſ-
ſim pulcherrima aut rariſſima operum adnotat fuiſſe
in templo Pacis. Vno etiam loco ſcribit: *Ex omnibus* Li. XXXVI. cap. VIII.
*quæ retuli, clariſſima quæque in Vrbe iam ſunt, dicata
Veſpaſiano Principe, in templo Pacis, aliiſque eius operibus,
violentiâ Neronis in vrbem conuecta, & in ſellariis do-*

mus aurea

mus aut ea diſpoſita. Quod magis impreſſiuſque refero, vt triſtius damnum cognoſcatur, quod factum eſt templi huius incendio ſub Commodo. Tunc enim, vt Herodianus refert, leui terræ motu præuio, ſiue ictu fulminis, ſiue igne è terrâ exſpirante, ſubitò & improuisò totum conflagrauit, itemque Porticus, & totus eius ambitus: malo ſanè augurio, vt tunc Romani haud vanè interpretabantur, periiſſe ſibi Pacem. Inter adiecta autem vel circumiecta, periit & Bibliotheca quæ in ambitu eius templi erat: cuius in A. Gellio memoria exſtat.

CAP. VII.

Fora Romana deſcripta; & diſtinctè Romanum, Iulium, Auguſtum, Tranſitorium, Vlpium.

DE Templis peregimus: ex eodem Ammiano *Fora* nunc excerpo. Quid opus eſt? inquies. aut quid magni operis in apertâ planitie? Hoc enim, pro noſtris moribus hodie, tu aut alius dixerit: quia hæc Fora parùm, aut nihil, ornati profectò habent. Area tantùm eſt, & ædificia cingunt, alta, humilia, ſplendida, vilia; denique vt priuatorum ſolent. Quàm aliud in Romanis Foris, ſed & Græcis: de

Lib. v. c. 1. quibus Vitruuium licet audire: *Græci in quadrato* AMPLISSIMIS *&* DVPLICIBVS PORTICIBVS *fora conſtituunt*, CREBRISQVE COLVMNIS, *& lapideis aut marmoreis epiſtyliis adornant, & ſupra* AMBVLATIONES *in contignationibus faciunt.* Atque hæc ipſa, vt addit, Romani, niſi quòd non quadrata æqualiter, ſed oblonga magis faciunt, nec niſi tertiâ latitudinis parte. Sed nec columnas tam crebras interponunt: & (vt ego hoc addam) Romæ etiam magnis circumpoſitis ædificiis, vt *Templis, Baſilicis, Chalcidicis*, magis ornabant. Vt tamen formam aliquam capias, ambitus ipſe Fori porticibus claudebatur, viis relictis & ſpatiis ad intrandum: exteriùs deinde, Templa, & quæ dixi circumponebantur, & latè ſuper Porticus illas eminebant. In paruo exemplo, nonne *Burſam*, vt vocant, Antuerpienſium vidiſti? ſat maiorem, & oblongam eſſe: habes (quod ad Porticus attinet) imaginem priſci alicuius Fori. Sed membra ſingula iam videamus. Ait Vitruuius, *duplices Porticus* fuiſſe: in altitudinem, aut latitudinem? vtrumque potuit: ſed credo magis in latitudinem fuiſſe, vt latiùs inambularetur. Tamen nec de illâ nego, cùm ſatis clarè addat, & præcipiat: *vt ſuperiores columnæ, quartâ parte minores, quàm inferiores conſtituantur: propterea, quod oneri ferundo, quæ ſunt inferiora, firmiora debent eſſe, quàm ſuperiora.* Ergo & duplex columnatio in altum ſolita vſurpari: ſed in latum ſæpiſſimè, atque adeò triplex, quadruplex, quintuplexque: quàm pulchrâ tot columnarum ſerie, & ſuperbâ facie? Capitolinus in Galieno ſcribit: *quòd is Porticum Flaminiam, vſque ad Pontem Maluium parauerat ducere, vt tetraſtiche fieret, aut etiam pentaſtiche.* Intellegit *quaternos aut quinos* iſtos ordines: qui tamen rari hauddubiè erant. Iam ſuper iſtas Porticus ambulationes erant: quod ipſum in Antuerpienſi Burſâ. At reliqua iam iam, quam imaginem hodiernam admittunt, *Baſilicæ & Templa?* nullam. Quid *ſtatuæ*, & interior ille ornatus? nullam. Talia igitur Fora, vt communiter hoc præmiſerim: veniamus ad ea magis ſingillatim. Fora duorum generum Romæ: & in vniuerſum XVII. numerant deſcriptores Vrbis. Erant *Ciuilia*, erant *Venalia*: illa, in quibus

A res & lites agebantur; hæc, in quibus merces aut ſpecies certæ venales. vt *Suarium Forum, Piſcatorium, Piſtorium, Boarium, Holitorium*, & talia. In vtriſque & cœtus, ac circuli, ac ſermones hominum erant, vt ſolet in vacuis: ſed magis in Ciuilibus illis. quæ ſcito olim fuiſſe tria, *Romanum, Iulium, Auguſtum.* Seneca ad hunc numerum: *Infitiationes, furta, fraudes, quibus trina non ſufficiunt fora.* Martialis:

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Etſi idem Martialis quartum etiam vidit. Nam Domitianus Imp. inchoauit *Forum*, quod *Tranſitorium* vocabant, & poſteà Nerua abſoluit, ab eo *Neruæ* etiam dictum. Quintum denique addidit *Traianus*,

B ab ipſo ſic appellatum. Lubet breuiter luſtrare ſingula, & quædam in iis, leui oculorum iniectu, præcipua obſeruare. ROMANVM igitur eſt, quod *Vetus* appellant, adſpectu ad hæc poſteriora; itémque *Magnum*, quia, vt videtur, ſpatio ſuperauit. Id à Romulo inſtitutum, inter Capitolinum & Palatinum montes, ad huius finem: ſic vt templa Capitolina ei imminerent, Palatij variæ ſtructuræ, & varia in ambitu templa. Sed hæc poſteà fuêre: Romuli æuo, ſimplex planicies; L. Tarquinius Priſcus poſteà exornauit, & *Tabernis ac Porticibus* cinxit. Alij deinde tam multa & varia (quia quiſque opus ſuum in conſpicuâ maximè & celebri parte exſtare cupiebat) addiderunt: vt multæ & curioſæ curæ ſit ſingillatim recenſere. & iam

C Antiquarij noſtri in parte maximâ fecêre. Strabonis hoc audi. qui vbi *Campum Martium* valde laudaſſet, addidit, *Quæ omnia ſi quis videret, dicat cenſeatque reliquam vrbem, non niſi additamentum campi huius eſſe. At idem ſi in* FORVM VETVS *deinde progreſſus, alia aliis hærentia & conſequentia videat, Baſilicas Porticus, Templa; tum Capitolium ipſum, & in eo templa, tum Palatium, & Liuiæ Ambulacra: is facilè priorum obliuiſcatur, & omnium quæ viderat extra vrbem.* Sed & Statius quædam recenſuit, in Equo Domitiani. Ille enim ex ære coloſſeum illum, & ſe inſeſſorem conſtituit in hoc Foro, narrátque & laudat poëta in primo ſuo carmine:

Quæ ſuper imp oſito moles geminata coloſſo
Stat Latium complexa forum?

D Nam *Latium Forum*, hoc noſtrum Romanum eſt. ſed quæ *moles gemmata?* nam gemmas & lapides in ære iſto fuiſſe, nugæ. An igitur, nitida & ſplendens? vt idem alibi, — *nitidis gemmantia ſaxis Balnea:* & alij, *gemmantes alas pauonis.* Etſi alia in his cauſſa & aſpectus, & quod olim diuinaui, in libro ſcripto etiam repperi, *geminata.* Omnino geminata & duplex illa moles, ipſa crepido ſiue baſis altior; tum vir cum equo impoſitus ſuper eam. Verba qui penſitatè examinat, aſſentietur. Sed reliqua etiam carmina poëtæ notanda antiquariis, ad ſedem certam aliquot hîc ædificiorum. Nam ait:

Par operi ſedes. hinc obuia limina pandit,
Qui feſſus bellis, adſcita munere prolis,
Primus iter noſtris oſtendit in æthera Diuis.
At laterum paſſus hinc Iulia templa tuentur,
Illinc belligeri ſublimis Regia Paulli,
Terga pater, blandóque videt Concordia vultu.

E A fronte facit fuiſſe *Limina Iulia*, nam de Iulio Cæſare hæc capienda quis ambiget, cùm à prole adoptiuâ conſecratum, primum Cæſarum, dicat? Et eſt ipſum templum Iulij, niſi fallor. A latere deinde *Baſilica Iulia*, quam Feſtus ad Seruilium lacum ponit. Nam quod vulgò legitur, & ego recitaui, *Iulia templa* in Statio: ex meo ſcripto codice, omninò verius, *Iulia tecta.* Enimuerò hæc *Ædes Iulij* in medio circiter Foro fuit: quod etiã factum in aliis Foris, & vt mediũ aliquod templũ decorè eſſet, mox diſces.

Adiungo

Adiungo IVLIVM FORVM, quod C. Cæſar, etiam priuatus, & Proconſul adhuc Galliæ concepit, atque adeò cœpit. Nam locum & aream emit, ac purgauit. magno ſanè, & Suetonius dignum notari putauit ipſum pretium: *Forum*, inquit, *de manubiis incohatum, cuius area ſuper* HS. *millies conſtitiſſet*. Ea ſumma eſt nobis (repeto, etſi meminiſſe te æſtimationes iam oportuit) *vicieſquinquies centenûm millium*. Tantúmne in ſolam aream? inquies. Tantum. nec mouet, quod viri docti, ſed trepidi in talibus, diffidunt & mutare aut minuere vellent: falluntur. Quid? Plinio non erit etiam fides, in eâdem re ſic numeranti? *Pyramides regum miramur opera, cùm ſolum tantùm foro exſtruendo* HS. *millies Cæſar Dictator emerit*. Nónne ipſâ narratione & comparatione oſtendit ingentem aliquam, nec in ſimili re tritam ſummam? oſtendit. nec mirum, cùm ædes plures in vrbe intimâ emerit, diſiecerit, ad aream purgandam. Ne diffidamus igitur, ſed faueamus magno huic Cæſari, qui & antequàm tantus, concepit hæc magna. Imò verò *Dictator* tunc erat, dices: ergo iam Princeps. Nego fuiſſe. nec Plinij ea mens eſt, qui addidit quidem illum titulum, ſed vt hominem deſignaret & diſcerneret, non vt emptionis tempus. Credamus Suetonio, palàm hoc inter Gallicanæ liberalitatis exempla referenti. Tunc igitur emit; ſed bellis impeditus aut tardatus, non niſi poſt bellum Africum perfecit. Appianus: *Cæſar poſt triumphos, Veneris Genetricis templum ſtruxit, quod vouerat in prælio Pharſalico: & aream circùm templum addidit, abiq; voluit Romanis Forum eſſe. non id quidem rerum venalium, ſed ad* LITES *aut negotia conuenientium, ſicut & Perſis forum erat quoddam velut is petenda iura vndique cauſſa, vel & diſcenda.* Dio Caſſius de eodem ſub idem tempus narrat: *Cæſar forum, quod ab ipſo dictum eſt, exſtruxit. quod* PVLCHRIVS ROMANO *eſt, etſi dignitas illius auxit ex iſto, factúmque vt* MAGNVM *diceretur. Atque hoc Forum, vna cum æde Veneris Genetricis, auctoris ſui generis, dedicauit.* Nota in eius verbis, *pulchrius Romano* fuiſſe: quod equidem credo, vel quia à Cæſare, vel quia poſteriora opera prioribus ferè antecellunt. Quod tamen ex Ammiano vix dixeris: qui *Iulium* hoc ſilet, *Romanum* extollit: & *priſcæ potentiæ forum* appellauit, & Conſtantij *oculos in eo, miraculorum denſitate, præſtrictos*. Fuit autem hoc *Iulium* haud longè nimis à Romano. poſt templa *Pacis & Fauſtinæ*. Tranſeo ad AVGVSTI FORVM: quod nominatim Plinius *inter maxima operum* collocauit. Profectò gradatim ſcandimus, & meliora ac maiora in his damus. De iſto Suetonius: *Forum cum æde Martis Vltoris ſtruxit. Cauſſa exſtruendi, hominum & iudiciorum multitudo, quæ videbatur, non ſufficientibus duobus, etiam tertio indigere.* Ergo *Mars* hîc *vltor* in medio, vt antè *Iulius*, aut *Venus*. Ouidius *Biſultorem* cognominat: quia & ob vindicatam patris necem hoc cognomen Auguſtus impoſuit; & ob Craſſianam cladem, ſignis à Partho receptis. Porticus in eo, de more, ad latera: ſed hoc in iis ſingulare, & ab Auguſti inuento. quòd in alterâ, ordine omnes Latini reges à capite & principe Æneâ eſſent; in alterâ, Romani Reges, aut Duces clari, à Romulo ipſo. Ouidius de Marte illo:

I Ciuit. — Aug. cap. XXIX. — v. Faſt.

Hinc videt ÆNEAN *oneratum pondere caro,*
Et tot IVLÆÆ *nobilitatis auos.*
Hinc videt ILIADEN, ** humero Ducis arma ferentē,*
Claráque diſpoſitis ACTA *ſubeſſe viris.*

* Tropæophoris. ſpolijs Armorum conſtit. Aug. cap. XXXI.

Ille ab vtroque igitur latere hæc videbat: & de hac re Suetonius. *Proximum à Dijs immortalibus honorem memoriæ Ducum præſtitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidiſſent: &* STATVAS OMNIVM, *triumphali effigie, in* VTRAQVE *fori ſui* PORTICV *dedicauit.* Nam etſi *Romanos Duces* modò nominat, ſanè & illos intellegi Latinos par eſt, & poëta iubet: inter eos & ipſe Auguſtus locum habuit, atque eius *Tituli* & *Acta*. Velleius: *Diuus Auguſtus præter Hiſpanias aliáſque gentes, quarum* TITVLIS FORVM EIVS *prænitet.* Ergo illîc ſub quoque viro aut ſtatuâ, ſuæ res geſtæ breuiter & *Index*; quod *Acta* poëta dixit. Atque iſtæ nouæ ſtatuæ: quot deinde veteres, & priſcæ rarǽque artis? Pauſanias prodidit, *Mineruæ Aleæ ſignum, ex ebore totum, in Aditu Fori Auguſti ſtetiſſe*: additq; in eâ occaſione, *& ipſum, & reliquos Principes, pleraque ornamentorum talium vndique auexiſſe, & ad opera ſua ornanda traduxiſſe.* Situm autem hoc forum, ſupra ipſum *Romanum*, ad latus Capitolij, poſt ædem hodie *Diuæ Martinæ*. Quartum iam eſt, *Neruæ*. quod Domitianus incohauit, iſte perfecit & agnominauit. Suetonius in Domitiano: *Nouam ædem in Capitolio excitauit Ioui cuſtodi; & Forum, quod nunc Neruæ vocatur.* Quomodo igitur nunc? *Tranſitorium*, vt opinor. Nam ſic Lampridius, in Alexandro: *Statuas coloſſas, vel pedeſtres nudas, vel equeſtres, Diuis Imperatoribus in Foro Diui Neruæ, quod* TRANSITORIVM *dicitur, locauit: omnibus cum Titulis & Columnis* ÆREIS, *quæ geſtorum ordinem continerent. exemplo Auguſti, qui ſummorum virorum ſtatuas in foro ſuo, e* MARMORE *collocauit, additis* GESTIS. Lucus & ad iſta, & priora, notabilis. vidéſque imitari Auguſtum in ornando hoc Foro Alexandrum voluiſſe: quid imitari? vincere volui dicere. & cùm ille ſtatuas non niſi è marmore feciſſet, iſte ex ære, cum titulis etiam & columnis. Quæ autem iſtæ columnæ? an quibus, loco baſium, inſiſterent, & Acta inſcripta eſſent? an & alias intellegit, quæ ſeorſum Porticus ſuſtinerent? Non de nihilo ambigo, quoniam in Pauſaniâ lego, de *quibuſdam ædificiis ex ære ſolido*, diſſerente: lego, inquam, fuiſſe talia, vt Mineruæ templum Spartæ, quod *Chalciœcon* ideò dicitur, atque item alibi. Sed tum addit in fidem, præſentaneum & ſui æui exemplum, καὶ Ῥωμαίοις, inquit, ἡ ἀγορὰ μεγέθους ἕνεκα, καὶ κατασκευῆς τῆς ἄλλης, θαῦμα οὖσα, παρέχεται τὸν ὄροφον χαλκοῦν: *Romanis Forum, quod & magnitudine & alio apparatu omni inſtar miraculi eſt, exhibet tectum & camerationem æream.* Quod iſtud Forum *tecto æreo*, vellem nominaſſet. nunc ſuſpicari tamen fas eſt, de iſto Neruæ capiendum: niſi de alio ædificio, quod *Chalcidicum* appellabant, quódque Foris ſolet adiungi. Nam de tecto ſuſpicari, æreis ſaltem tegulis, nihil eſt: nec hoc inter rara aut ſuſpicienda. Iſtud porrò fuit ſitum, inter Capitolinum & Quirinalem colles. dictumque ideò *Tranſitorium*, quòd per id in alia opportunè, velut tranſitus eſſet. An & quia Iani in eo templum? quod *quattuor portarum* ibi fuiſſe Seruius tradidit: & Martialis libro x. de eo capiendus:

In Area — Lib x.

PERVIVS *exiguos habitabas antè penates,*
Plurima quà medium Roma terebat iter:
Nunc tua Cæſareis cinguntur limina donis,
Et fora tot numeras Iane quot ora geris.

Dicit in anguſto olim, quadrifariam peruium, hunc Ianum fuiſſe; nunc in foro Neruæ, cingi porticibus, & quæ alia ipſe ſtruxit; ſed & ab eo iter & adſpectus ad alia fora eſſe. AVD. Vide Lipſi. non enim *Iani* in medio foro templum, ſed *Mineruæ* fuit. Nam ita Victor clarè: *Nerua imperio ſe abdicante, dedicato priùs Foro, quod appellatur Peruium: quo ædes Mineruæ eminentior conſurgit, & magnificentior.* LIPS. Siſtis, & penè retroagis me profectò. An igitur ad latus alibi *Iani* illud templum: an hoc *Mineruæ* potiùs non in ipſo medio? Nam & Statius in Siluis, de Domitiano ita ſcripſit:

Sed qui

Sed qui limina bellicoſa Iani
Iuſtis legibus & foro coronat.

Coronat, inquit: ergo cinxit. Tamen quia Minerua etiam ibi, familiare Principi numen, forum ipſum *Palladium* item dixêre. vt Martialis:

Limina poſt Pacis, Palladiúmque forum.

Sed nos pergamus ad Quintum Forum, VLPIVM hoc *Traiani*. Quis fecit? ipſe Traianus: nec dabo hoc Caſſiodoro, Domitianum vel cœpiſſe. Nam is quidem in Domitiani IX. conſulatu, facit eum *excitaſſe opera, Forum Traiani, & Thermas Traiani*, voluit *Neruam* dicere: & iam à nobis demonſtratum. Quale autem hoc fuit? Ammianus paucis verbis dixerit, clamitans SINGVLAREM *ſub omni cælo* STRVCTVRAM. Quid ampliùs? *etiam* NVMINVM ASSENSIONE MIRABILEM. Deus bone! an & cælites terreſtria hæc mirentur? etiam timeant fortaſſe. nam addit, GYGANTÆOS *contextus fuiſſe, nec relatu effabiles, nec rurſus mortalibus* * *appetendos*. Satis oſtendit victa hoc opere, omnia illa quæ inuicta anteà habebamus. Quid autem Caſſiodorus? conſentit. *Et Traiani forum*, inquit, *vel* SVB ASSIDVITATE *videre, miraculum eſt*. Nihil poteſt efficacius dici aut concipi ad elegantiam, & raritatem: quæ rara ſcilicet & elegans eſſet, etiam in aſſiduo aſpectu. Hæc communiter adferre poſſum: quid per partes? *Apollodorum* architectum fuiſſe, ſummum in arte virum, & quem Hadrianus poſteà, liuore quodam ductus, occidit. Porticus & columnas fuiſſe, ſatis ſcitum eſt: & puto in altum plures. vnde enim alioqui *gygantæos contextus* Ammianus diceret? Et ſanè altitudo *Columnæ*, quæ in medio ſita fuit, hodiéque apparet, eſt pedum CXXVIII: cum inſcriptione, TANTÆ. ALTITVDINIS. MONTEM. ET LOCVM. TANTIS. OPERIBVS. ESSE. EGESTVM. Credo aut tam altas igitur, aut non longè infrà, Porticus ipſas fuiſſe. In quarum faſtigiis ſimulacra equorum, & ſignorum militarium, de quibus Agellius: *In faſtigiis fori Traiani* SIMVLACRA *ſunt ſita* CIRCVM VNDIQVE, INAVRATA *equorum, ac ſignorum militarium: ſubſcriptúmque eſt, Ex manubiis*. Nota hæc omnia *inaurata* fuiſſe: & probabiliter etiam Statuas quæ ſubter Porticus collocatæ. Quas M. Antoninus numero auxit: *qui nobilibus viris* (in Capitolino) *bello Germanico defunctis, ſtatuas in Foro Vlpio collocauit*. Ibidem & *Templum*, & *Equum aneum* fuiſſe, Victor oſtendit; & circùm *Bibliothecam*, alij. Sed de *Equo* etiam Ammianus. cùm ſcribit *attonitum Conſtantium hæſiſſe, omni ſpe huiuſmodi quidquam conandi depulſâ: Traiani tamen* EQVVM *ſolum, in atrij medio locatum, qui ipſum Principem vehebat, imitari ſe velle dictabat. Cui propè aſtans regalis Hormiſdas, reſpondit geſtu gentili*, ANTE, *inquit*, IMPERATOR STABVLVM TALE CONDI IVBETO, SI VALES. Liberè hoc Hormiſdas, & verè. quid autem poſteri ruinibus tale aliquid conderent? vereor vt nos, & noſtri architecti, vix mente.

* Id eſt, imitandos, aut contendos.

Lib. xvi. cap. x. ii.

CAP. VIII.

De Balneis Thermiſque, & breuiter de Roſtris.

AVD. Profectò, Lipſi, oculos mihi aperis ad hæc ſuſpicienda: quæ ego non in magno anteà habebam. LIPS. Fortaſſe nec ea quæ de *Lauacris*, id eſt Balneis aut Thermis Ammianus adiunxit. AVD. Haud nego. magna fuiſſe, hoc ruinæ me docent; ornata valdè aut magnifica, nondum agnoſco. LIPS. Licet per me breuiter. Et de magnitudine quidem, nónne ea ipſa miranda in tot partium ædificio & membrorum? Ammianus ad eam, puto, reſpicit, cùm ſcribit *Lauacra in modum prouinciarum exſtructa*: & quaſi quæ, non vrbes, ſed regiones totas æmularentur. Satis audax elatúmque dictum, fateor: ſed cauſſam habuit. & Caſſiodorus item ſignatè laudat & ſuggerit MIRABILEM MAGNITVDINEM THERMARVM. Et vidiſti illas parietinas hodie *Antonini* Thermarum, aut magis Diocletiani? mira laxitas; & hæc Olympiodori dicent. Ἦσαν δὲ, inquit, λουτρὰ δημόσια παμμεγέθη. αἱ δὲ Ἀντωνιαναὶ οὕτω καλούμεναι, εἰς χρείαν τῶν λουομένων καθέδρας εἶχον παρακειμένας χιλίας ἑξακοσίας, ἐκ μαρμάρου κατεσκευασμένας ξεστοῦ, αἱ δὲ Διοκλητιαναὶ, ἐγγὺς διπλασίους: *Erant lauacra publica* INGENTIA, *ſicut Antoniniana Thermæ dicta, in vſum lauantium* SELLAS *habebant mille ſexcentas, e polito marmore factas. Diocletiani autem circiter* BIS TANTVM. Audin' tu? Diocletiani habuerint *Sellas* (alij * *Solia* maluerunt reddere) *ter mille ducentas*. quid niſi igitur tot perſonæ ibi ſimul lauari potuêre? Vbi iá reliquum Thermarum corpus? Cellæ, Solia, Piſcinæ? Vbi capaces & longæ illæ Porticus, Xyſti, Nemora, Sphæriſteria, & reliquæ partes? Certè Ammianum iam capio & admitto, in tot ædificiis & varietatibus, cum Prouinciis comparantem. Ipſum etiam Flauium Blondum, qui fortiter aſſeruit, *nec* QVATTVOR MAXIMA ITALIÆ PALATIA, *ſimul iuncta, poſſe illas vnas Diocletiani adæquare*. Ecce igitur magnitudinem: & diſtinctè in partibus quædam, * Sidonij epiſtola tibi dicet (lege, ſi lubido eſt) & Hieronymi Mercurialis, eruditi amici noſtri, ſcripta, *Gymnaſticæ artis*. De ſplendore porrò & paraturâ earum, audi hæc Senecæ: *Pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis ac pretioſis* ORBIBVS *refulſerint. niſi* ALEXANDRINA *marmora* NVMIDICIS *cruſtis diſtincta ſint: niſi illis vndique, & in* PICTVRÆ *modum variata* CIRCVMLITIO *prætexatur: niſi* VITRO *condatur camera: niſi* PARIVS & THASIVS *lapis, quondam rarum in aliquo templo ſpectaculum, Piſcinas noſtras circumdederit: niſi aquam* ARGENTEA *epiſtomia fuderint. Et adhuc plebeias fiſtulas loquor: quid cùm ad balnea libertinorum peruenero? quantum* STATVARVM, *quantum* COLVMNARVM *eſt, nihil ſuſtinentium ſed in ornamentum poſitarum, & impenſæ cauſſâ? quantum* AQVARVM *per gradus cum fragore labentium? Eò deliciarum venimus, vt niſi* GEMMAS *calcare nolimus*. Ea verò Senecæ increpatio aut delineatio, quàm clarè ſub oculos dat & ponit, non Balneas aliquas, ſed Principum dixeris Aulas? Et quædam ex iſtis Statius, in Balneo Etruſci:

Nil ibi plebeium, nuſquam Temeſæa notabis
Æra, ſed ARGENTO *felix propellitur vnda,*
ARGENTOQ. *cadit, Labríſque nitentibus inſtat*
Delitias mirata ſuas.

Significat fiſtulas & canales argenteos fuiſſe, ipſa etiam Labra. Idem de *Vitro*:

Effulgent cameræ, vario faſtigia vitro
In ſpecies animóſque nitent.

Quid autem Plinius? narrat & culpat cum Senecâ: *Iam verò pædagogia ad tranſitum virilitatis * cuſtodiantur argento, fœminæ lauentur, & niſi* ARGENTEA *ſolia faſtidiant, eadémque materia & probris ſeruiat, & cibis. Videret hæc Fabricius, &* STRATAS ARGENTO *mulierum balneas, ita vt veſtigio locus non ſit cum viris lauantium*. Sed de argento parùm eſt: nónne, & de gemmis ſubſtratis Seneca dixit? Quòd ſi igitur Priuata hæc ita culta: credo equidem & Principes in ſuis, quæ publicabant, parcos aut ſordidos non fuiſſe.

* Vide Notas.

* Lib. ii. Epiſt.

Li. xxxiij. cap. xii. * Fabulæ intellige.

Eiuſmodi

Huiuſmodi *Publica & Gratuita* balnea, *duodecim* P. Victor agnoſcit Romæ fuiſſe: omitto alia *Publica*, quæ *Meritoria* licet agnominare. Nam paruo ære, & *Quadrante*, ad ea lautum ibant. Quid, quod Plinius ſcribit *M. Agrippam in Ædilitate ſuâ gratuita præbuiſſe balnea centum ſeptuaginta*? atque addit Plinius: *quæ nunc Romæ ad* INFINITVM *auxêre numerum.* (Lib. xxxvi.) Avo. Hem! tot igitur & *Priuata & Publica* balnea? & quo fine? Lips. Quæris? ad equitandum ſcilicet. & quis neſcit, quid ad lauandum? Avo. Ne ſic increpa. ego hoc rogatum volebam, cur tam multa, & an tam aſſidua lauatio? Lips. Aſſidua. & cottidie, de more, lauabant omnes iam ad cœnã. Artemidorus ſcripſit, *Balneum nihil aliud ſuo æuo fuiſſe, quàm* TRANSITVM *ad cœnam.* Itaque qui ſæpius etiam cibum capiebant, ſæpius lauabant. Commodus Imp. notatur *ſepties aut octies in die lauiſſe.* Etiam inter Chriſtianos, Siſinnius quidam Epiſcopus *bis in die*: non ſine ſuſpicione intemperantiæ & voluptatum. Sed ille dicterio culpantes illuſit, rogatúſque *Cur Epiſcopus cùm eſſet, bis lauaret? Quia ter*, inquit, *non poſſum.* Significabat bis ſe comedere, bis igitur lauare; tertiò non ferre valetudinem. Avo. Noua hæc nobis. Lips. Noua, qui deſijmus hunc morem: nec ſcio an rectè, quòd totum. Credam valetudini & vitæ profuturum, ſi in parte ſeruaſſemus, & cum modo: quem ingeſtum vetus Epigramma voluit, alibi in lapide ſculptum.

** B. V. V. corrumpunt corpora noſtra,*
Conſeruant eadem B. V. V.

(* Balnea, Vina, Venus.)

Tria intellegit, quæ modicè habenda; aut cum damno habenda, vel non habenda. Sed Ammiano duce ſatis vidimus: abeamus. Avn. Maneamus. quid tu neſcis, aut diſſimulas, de *Theatro, Amphitheatro, Odéo, Stadio, Suggeſtu conſulari*? Lips. Scio, & memini: ſed hæc per te ſatis te opinor ſcire. De *Amphitheatro* quidem ſeorſim libellum ego olim ſcripſi: idem in *Theatro & Circo* ſit, ſi conet. Libri, inquam, res: quæſo nunc omitte. Nec in *Odéo* aut *Stadio* multa dicenda: atque illud Plutarchus in Pericle tibi deſcribet, ad *Muſica certamina ſpectanda ſtructum fuiſſe, interiore formâ ſedilibus inſtructâ, & multis columnis: tecto decliui, & ad imaginem atque inſtar tabernaculi regij Perſarum.* Avo. Non auſim vltrà te ducere. Lips. Nec debes, fatigor. Avd. Tamen de *Suggeſtu* tria verba. Lips. *Roſtra* intellegi arbitror; ſed ea quæ *Iulia* dicebant, ſiue *Noua*. Nam *Vetera* illa non in tanto nunc honore, vel vſu. Sed cur *Suggeſtum* ea dicit? à formâ, quam oſtendit per gradus ſurrexiſſe cùm dicit *vertice ſcanſili* fuiſſe. Dicit & *monumenta priorum Principum portaſſe*: id eſt vultus & ſtatuas eorum. quas equidem arbitror in gradibus, ad extrema latera, diſpoſitas in ordine fuiſſe. Eorum baſim, ſiue ima, *ornata roſtris nauium, ex Actiacâ victoriâ*, Dio Caſſius me docuit: & inde igitur *Roſtrorum* nomen. (Lib. vi.) Avd. Sed *Conſulum ſuggeſtum* cur appellat Ammianus? Lips. Quia initio magiſtratus eò conſcêdere ſolent, & populum ſalutare: eódem iterùm, cùm deponerent magiſtratum. Mos ab antiquo manſit: qui & adire, & orare illîc ac gratias agere populo ſolent, pro honore. Sed interiori & Principum æuo, nihil factum, niſi vt conſcenderent, ſalutarent; itémque iurarent, aut eiurarent. Plinius de Traiano: *Iam toties procedere in Roſtra, hic ſuſcipere, hic ponere magiſtratus, quàm dignum fuit?* Præiuit etiam: *In Roſtris, ſimili religione, legibus te ſubiecisti: iuraſti in legem, attendentibus Dijs.* Denique Claudianus de Stilicone Conſule, inter ſollennia ponit:

Circumfuſa tua conſcendant Roſtra curules.

Ergo & ſediſſe illîc in Sellâ curuli videntur, & ſic ſe oſtendiſſe, quaſi auſpicij cauſsâ.

Cap. ix.

De Statuis, & earum cuſtodelâ.

AVn. Ah, quàm iuuant me hi aſpectus! quàm doleo ab Ammiano ductore, aut te doctore, deſeri! Lips. Vide benignitatem, da manum, porrò vel ſolus ego ducam. Avo. O hominem & verba mellea! non voluptatem meam te dicam, ſed ſalutem. perge ſic iuuare. Lips. Vnum etiam in his omnibus operibus locíſque monendum, de *Statuis*: quarum incredibilis *multitudo, pretium, ſpecieſque*. Nullum publicum opus, quodcumque nomines; nullus adeò locus publicus aut vacuus, vbi non hæc ornamenta. Et credo equidem nihil magis in totâ vrbe ADMIRANDVM elegantioribus ingenijs fuiſſe. Earum originem & augmentum breuiter in Caſſiodoro habes: *Statuas primùm Thuſci in Italiâ inueniſſe referuntur, quas amplexa poſteritas, penè* PAREM POPVLVM *vrbi dedit, quam Natura procreauit.* (Lib. vii.) Ludit in verbo eleganter: nec minore copiâ factos ab arte illos homines in vrbe fuiſſe vult, quàm iſtos à naturâ. Ludit in verbo, in re ſeriò dicit. & P. Victor in fine Deſcriptionis ſuæ claudit, TABVLAE ET SIGNA SINE NVMERO. Planè ſine numero. atque ego tibi de *Tabulis* etiam oblitus eram dicere, ſed hic monitor ſuggeſſit: quas ſcito magnorum illorum artificum fuiſſe, & ob quarum vnam alteramque, vel Romam philocali & elegantes illi venirent. Iam de *Pretio* ſtatuarum, quod tetigi, quis non vel è materie cernat? Omitto marmoreas illas & æreas infinitas: dico *Argenteas, Aureas, Eburneas* fuiſſe. Et argenteæ quidem ſub Auguſto maximè increbuerunt, Plinio & Suetonio notatum: ſed ille moderatus eſt, & ſuas conflauit: non ita alij Principes, & nominatim Domitianus, qui ſuperbo arbitrio (Suetonius ſcripſit) *ſtatuas ſibi in Capitolio, non niſi aureas argenteáſque poni permiſit, ac ponderis certi.* (Cap. xiii.) Nota materiem, nota pondus: & ex ſolido vtroque igitur metallo fuiſſe. Fortaſſe autem pondus in his Statiani verſibus expreſſum:

Da CAPITOLINIS *æternum ſedibus aurum,*
Quo niteant ſacri CENTENO *pondere vultus.*

Statuam Domitiani conſecrari ponique vult *in Capitolio*, & eam non minus *centum pondo*. In Capitolio, inquam. nam & hunc locum ſacerrimum profanus Princeps ſtatuis ſuis ſedem eligebat. Plinius in Laudatione Traiani: *Itaque tuam ſtatuam in veſtibulo Iouis Opt. Max. vnam alterámve, & hãc æream, cernimus. at paullo antè* ADITVS *omnes, omnes* GRADVS, *totáque* AREA, *hinc* AVRO, *hinc* ARGENTO *relucebat, ſeu potius polluebatur, cùm inceſti Principis ſtatuis permixta Deorum ſimulacra ſorderent.* Quod autem ad illud pondus, aliæ etiam grauiores, ne dubita. atque adeò Commodus Imp. *ſtatuam mille librarum auream habuit, cum tauro & vaccâ, quaſi vrbis conditor*: quod in Dionis compendio eſt ſcriptum. Itaque nec pro magno aut vero ſatis habeam, quod eſt in Trebellij Claudio: *Populus Romanus, ſumptu ſuo, in Capitolio ante Iouis Opt. Max. templum, ſtatuam auream decem pondo collocauit.* Quid? Principi ſuo totus populus, & in tali loco, tantillam ſtatuam ponat? Scribe, ſcribe, ∞. *pondo*: id eſt mille, & hîc quoque nota, *millenariã* notam in *Denariam* mutaſſe. Eidem Principi (idẽ Trebellius notat) *in Roſtris poſita columna eſt, & palmata ſtatua ſuperfixa, librarum argenti mille quingentarũ.* Diſce & hinc pondus grande in vtroque

A meliote metallo : quod crebrum omnino fuit, & crebrius etiam miſceri, & æs vel argeutum inaurari. *Lib xvi.* Ammianns de vulgo Romanorum nobilium: *Ex his quidam æternitati ſe commendari poſſe per Statuas æſtimantes, eas ardenter adfectant, atque* AVRO *curans* IMBRACTEARI, *quod Acilio Glabrioni delatum eſt primò.* Inauratas intellegit, quod aliquoties in lapidum titulis expreſſum legi, SVE. AVRO. STATVAM. PONI. In eodem Ammiano, vides ſtudium in eâ re Romanorum, quod & ante illum Dio aperuit, & ſimul *Lib.vii.* repreſſum oſtendit. *Vrbs*, inquit, *ſtatuis implebatur. quia licebat cuique paſſim in Tabulâ, Ære, Marmore, ſe publicare, quod Claudius Imp. vetuit, & pleraſque iam poſitas loco mouit, & aliò tranſtulit; edixitque ne quis in poſterum* PRIVATVS *poneret, niſi Senatus* B *permiſſu: excepto, ſiquod* OPVS PVBLICVM *faceret, reficerétve.* Coërcere igitur Princeps ille voluit, quia nimia iam copia : & vrbem, vias, vicos, non ornabant, ſed ſtipabant & arctabant. Atqui exceptio quam ponit, & permiſſio item à Senatu, fræna iterùm laxant: & in vrbe qui non potuit, is ſe in villis aut agris publicabat. Ad ſummam, mi Auditor, hæc vna res ad Opes item eſt Romanas oſtendendas : & maximè ſi varias *ſpecies* Statuarum cogitas, *Coloſſeas* quaſdam, *Curules, Equeſtres, Pedeſtres,* & habitu variante & diuerſo. Quid quod equorum, leonum, ſphyngum, & variorum animalium? vt Obeliſcos, & hæc talia omittam. AVD. At enim mihi hic cogitatio, & pænè cupiditas. LIPS. Quæ? AVD. Improbula. nam C cur non fas è ſtatuis illis aureis argenteíſquè Deorum vel Principum, aliquid tranſeuntem abradere, vel reſecare? LIPS. Nefas homo, nefas. Tu è ſtatuis Principum? capite luiſſes violata illa ſacra. Sed nec Priuatorum licuit. AVD. Nam quis ſciuiſſet, aut dixiſſet? de nocte. LIPS. Diſce, imperitus es, cuſtodiam & cautelam antiquam. Miles in vrbe excubabat, *Vrbanus* ille & *Vigilum* ad templa, ad loca item publica : ſed prætereà certus etiam Præfectus huic Statuarum cuſtodiæ, & qui militem haberet. Vocarunt id officij, *Comitiuam Romanam.* & Formula eius hæc in Caſſiodoro legitur: *Lib.v?* *Si clauſis domibus inſidiari ſolet nequiſſimum votum, quanto magis in* D *Romanâ ciuitate videtur illici, qui in* PLATEIS *pretioſum reperit, quod poſſit auferri? Nam quidam* POPVLVS COPIOSISSIMVS STATVARVM, *greges etiam abundantiſſimi* EQVORVM, *tali ſunt cautelâ ſeruandi, quali & curâ videntur affixi.* Tum verò addit: *Quare per indictionem illam* COMITIVÆ ROMANÆ *tibi concedimus dignitatem Officium tuum, &* MILITES *conſuetos, noctibus potius inuigilare compelle : in die autem ciuitas ſeipſa cuſtodit.* Atque hic eſt qui *Comes Romanus* appellatus, quis Romam, & eius opera, ſeruabat.

CAPVT X.

De Viarum magnis operibus, & nominatim de Appiâ. E

AN & longiùs etiam eo? nec Romam ſolùm, ſed quædam circa eam, oſtendo? faciam, vt inter tantas Opes & animos, me quoque largum fieri videas & benignum. Tria occurrunt, præter Ammiano dicta, vel maximè ADMIRANDA, *Viæ, Aqueductus, Cloacæ.* AVD. Non ſuſtineo me, nec reprimo: tu *Cloacas* nobis inter magnifica, & ſordes has inter illos ſplendores? Hoc verè eſt, quod poëta dixit: *ſtellis nebulam ſpargere candidis.* LIPS. Non ſic dices, vide & audi : imò & ſub terrâ theſauros tibi oſtendam, & latentium quorumdam operum moles. Sed ordine videamus : & primò iudicium de his tri-

A bus Dionyſij. Scriptor ille ſub Auguſto Romæ fuit, & per viginti annos circiter vixit: ergo benè eam vidit, nouit, & (vt viri ingenium) diiudicauit. Profert & eloquitur: *Lib.iii.* *Ego ſane in tribus* MAGNIFICENTISSIMIS *operibus Romæ, & è quibus* MAXIME APPARENT *illius imperij* OPES, *pono* AQVÆDVCTVS, VIARVM *munitiones* CLOACARVM *structuras. Neque id ſolum ad* VTILITATEM *eiuſmodi operum reſpiciens, ſed etiam ad* IMPENDII *ſumptuúmque modum.* Ecce, hæc tria vult velvt ſpecimen & argumentum eſſe Romanæ opulentiæ & potentiæ : ſiue ab vſu conſideres, ſiue ab impendiis & ſumptu. Quod ille cenſuit, tu accenſebis, cùm ſingula diſpicies & intentè B luſtrabis. Primæ ſunt *Viæ*, quas illi non in Vrbe ſolùm, ſed extra eam, ad longiſſima ſpatia, plurimas, & plurimo opere, muniuerunt. Stupor me habet, cùm vel vnam *Appiam* conſidero : de quâ Procopium, non me, audi. *Libr.1.de bello Goth.* *Beliſarius, inquit, viâ Latinâ exercitum duxit, Appiâ ad læuam dimiſſâ. Hanc Appius Romanorum Cenſor ante annos nongentos ſtruxerat, & à ſe dederat nomen. Longitudinem eius quinque dierum ſpatio vir expeditus poſſit emetiri. Ab vrbe Româ Capuam pertinet, ea latitudine, vt duo currus ex aduerſo obuij, liberè queant peruadere & commeare. Et eſt ſane hæc via, præter ceteras, ſpectabilis. ſiquidem Appius ex aliâ & longinquâ tunc, vt reor, regione exciſos lapides, & hos quidem ſiliceos, ac ſuopte ingenio duriſſimos, in* C *hanc viam vehendos curauit. Quos planos deinde ac leues redditos, & quadratos inciſione factos, iunxit & in ordine locauit, metalli nihil vel alterius rei inferendo. Sunt tamen ita connexi, & validè inter ſe hærent, vt ſpeciem viſentibus præbeant, non coniunctos ita; ſed congenitos eſſe. Et quamuis tot iam ſæculis atterantur, aſſiduis plauſtris iumentiſque : tamen neque ſerie ſuâ vel minimum exeunt & dimouentur, neque franguntur, aut leuorem ſuum amittunt.* Hæc Græcus ille ſcriptor, & oculatus arbiter, extra argumentum hiſtoriæ ſuæ accuratè inſeruit, admiratione inductus, quæ ſtylum eò traxit. Examinemus, & libremus. Ait; *Appium ante annos nongentos ſtruxiſſe.*] Imò *octingentos quinquaginta* circiter, quod Faſti dicent. Si autem D ſtrauit lapidibus Appius : quid eſt, quod in Liuio *Lib xli.* legimus, *Q. Fuluium Flaccum & A. Poſtumium Albinum Cenſores, vias ſternendas ſilice in vrbe, & extra vrbem glareâ ſubſtruendas, marginandáſque,* PRIMOS OMNIVM *locaſſe*? Quomodo enim *primi omnium*, cùm hi fuerint Cenſores anno Vrbis DLXXX: at Appius aliquot ætatibus præceſſit? Quid, quòd *Flaminia* via diu antè ſtrata, & ſub bellum Punicum ſecundum? An hoc Liuius ſenſit, *glarea* tunc primùm ſtratas? an potiùs, primos ipſos *locaſſe*? an denique ad *Cenſores* iunctim referri peritium examinandum ſit. Obſerua autem in Liuij verbis, duplicem rationem ſternendi, vel *Glareâ*, vel E *Silice.* Quæ vtraq; & Tibullo notata, ad Meſſallam:

Namque opibus congeſta tuis hic GLAREA *dura*
Sternitur, hic apta iungitur arte SILEX.

Obſerua ampliùs, *marginari* ſolere: quod caput ſanè erat, & Agger ille viæ cùm altiuſculus, & inſtar puluilli eſſet (ita ſolet:) firmiter arctari & ſtringi lapidibus grandioribus ad oras debebat, ne diffluerer & ſpargeretur. Hoc *marginari* : & ibidem etiam alij lapides duplices, & ad vſum duplicem. Priores, Cippi quidam eminentes, in quibus inſidere feſſis, onera reclinare, aut & aſcendere ex iis in equum fas eſſet. Ij crebriores diſpoſiti per totam viam : alteri autem rariores, qui vt Columellæ exſtabant, & notis numerorum inciſi, milliaria notabant. Vtrumque hoc G. Gracchus inſtituit, Plutarcho

notantes & gratum in vulgus fuit. Cur non eſſet? experti nos peregrinantes ſumus, nihil magis ad tædium, & fatigationem eſſe, quàm ignaros ſpatiorum oberrare: & contrà, refici animum ac vires eâ ſignatione. Quinctilianus benè: *Partitio reficit audientem, non aliter, quàm facientibus iter, multum detrahunt fatigationis* NOTATA INSCRIPTIS LAPIDIBVS *ſpatia*. Rutilius eòdem pertinet:

Internalla viæ feſſis præſtare videtur,
Qui notat inſcriptus MILLIA *multa Lapis.*

Hinc ille mos per *Lapides* computandi: quos Græci ab hac notatione milliarium, Σημεῖα vocant: id eſt *Signa*, ſiue *Notas*. Sed pergit Procopius, *Longitudinem via Appia, quinque dierum eſſe.*) Quid? vniuerſæ eius Brundiſium vſque? non opinor, nec res eſt: ſed Capuam dumtaxat, quò & Appius produxit: & verba Procopij ita dicunt. Notauit & Frontinus: *Appia aqua inducta eſt ab Appio Claudio Cenſore, qui & viam Appiam, a portâ Capenâ vſque ad vrbem Capuam muniendam curauit.* Neque verò vlteriùs ille potuit, cùm nec vlteriores tunc Romani fines. Quis autem longiùs, & Brunduſium vſque muniuerit, in obſcuro eſt: munitam tamen id conſtat. Ecce Strabo, *Viam Appiam Tarracinæ facit mare primum attingere, & Brundiſium vſque ſtratam eſſe.* Tacitus Libonem conſultauiſſe: *vtrùm habiturus eſſet opes, quis viam Appiam Brunduſium vſque pecuniâ operiret.* Denique & Horatius:

Lib. v. Lib. II. Ann.

Brundiſium meliùs Numici via ducat, an Appi?

Producta igitur an à Iulio Cæſare, quem Plutarchus ſcripſit, *Appiæ Curatorem factum, plurimum pecuniæ in eam impendiſſe*: an ab Auguſto, qui pleraſque omnes vias per Italiam ipſe, aut per alios, muniuit? Nam Plinio accedere, ſiue is Nepos eſt, *de Viris illuſtribus*, non poſſum: qui *Appium viam Brundiſium vſque lapidibus ſtrauiſſe ſcribit, vnde illa Appia dicta.* Nam hoc ſanè certum, loca ea id æui, hoſtilia aut aliena Romanis fuiſſe. Tota autem hæc longitudo eſt, *milliarium circiter* CCCL: nequis de *quinque diebus* Procopio dictum, huc trahat. AVD. Atqui nec * Capuam vſque tanti ſunt, niſi ignauo & parùm accincto viatori. LIPS. Fateor, ſed flexus etiam ſuos & declinationes ſcito viam habuiſſe. Addit de latitudine, *vt duo currus peruaderent.*) Neſcio, neque dimenſus ſum (alibi tamen poteſt, & exſtat:) ſed opinor igitur haud minus *vigintiquinque pedes* patuiſſe. Ampliùs, de materie, *ex longinquâ regione lapides aduectos, eóſque ſiliceos.*) Silicem intellegit, durum aſperúmque lapidem, & è rupibus: non illum minutum & tenuem, quem vulgò vocamus, & qui in *Glaream* potiùs venit. Illo modo Plinius, Liuius, atque alij locuti. Sed è quâ regione petiti? in viciniâ tales non eſſe, hoc Procopius indicauit. Onufrius Panuinus hoc ampliùs, *montes oſtendi duos, ad Sinueſſam vnum, alterum inter Puteolos & Neapolim, è quibus ſaxa ea, colore & duritie* FERRVM *referentia, videantur exciſa.* At Leander ſpecus & fodinas in Bruttiis exſtare, ad *Seminariam*, è quibus lapides ad vias eruti, præſertim ad Appiam. Quidquid ſit, opus mirum & laborioſum fuit. Nos in Procopio pergamus, qui addit, *Lapides planos quadratóſque fuiſſe.*) Conſpiciuntur hodie tales, diuerſâ magnitudine, *trium, quattuor, quinque* etiam pedum quaquauerſus. Cætera de *iuncturâ & firmitate*, vtque *vnum corpus* appareant: ſunt miranda magis, quàm explicanda. AVD. Certè mirifica hæc Via: ſed tu nempe vnam & eximiam eligis, de quâ poëta,

* Sūt milliaria. CXXXIII

Appia LONGARVM *teritur* REGINA *viarum.*

aliæ non ad iſtam. LIPS. Mihi crede, ad iſtam. etſi hæc celebritate, & longitudine eminuit: quia à Româ in Græciam, Aſiam, & trans mare ducebat. Sed quid *Flaminia* via, an breuior? quæ Româ Ariminum vſque, & inde porrò Aquileiam ducebat? Nam quod ad munitionem, pleræq; ſimiles: nec in Italiâ ſolùm plurimæ, ſed in prouinciis ipſis. Iſidorus ſcripſit: *Pœnos primos lapidibus vias ſtrauiſſe, quas poſtea Romani penè per* TOTVM ORBEM *diſpoſuerunt.* Et quomodo? exciſis ſæpe mõtibus, complanatis vallibus, vt æquabiles, & faciliores ita viæ eſſent. Strabo: Ἐστόρεσαν δὲ καὶ τὰς ὁδοὺς, προσθέντες ἐκκοπάς τε λόφων, καὶ ἐγχώσεις κοιλάδων, ὥστε τὰς ἁρμαμάξας δέχεσθαι πορθμείων φορτία: *Strauerunt & Vias, exciſis montibus, vallibus repletis, vt currus vehere poſſint & ſuſcipere nauium onera.* Habes vias, & ornatum; mentior, & an ne præcipuum me fugiat? præcipuum dico, ſi non in vſu, at ſplendore & voluptate. Id fuit, quòd monumenta & ſepulchra paſſim ad viam aſſita, & latus vtrumque prætexebant. Quàm pulcher ille aſpectus viantibus? quanta & ſeriorum, & iocorum, materies? Illîc illuſtrium ingeniorum, aut clarorum virorum memoria & inſcriptio: alibi libertorum, ſeruorum, ſcortorum, ſuperba monumenta. Mirari, dolere, illudere, etiam deteſtari occaſio erat: & quid in tot titulis & inſcriptionibus paſci? Quædam enim à meliore ingenio, & ſcitæ; quædam aliquâ notâ aut inuentiunculâ ſpectabiles; & iſtæ quæ hodie exſtant, dicent. AVD. Ita me Deus, iucundum aſpectum! & ego ſi in tali viâ, remorer, ſubſiſtam, indormiam. LIPS. Sed & vtilem aſpectum. Varro: *Monumenta ſecundùm viam, quò prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales.* Quid ampliùs? omnium illorum qui diſparibus monumentis teguntur, parem in exitu ſortem fuiſſe. *Æquat omnes cinis. impares naſcimur, pares morimur.* Sen.

CAPVT XI.

Aquæductuum mira.

SED *Aquæductus* iam noſtros videamus, & puluerem ſordéſque, ſi quas è Viâ contraximus, abluamus. Quid in iis tamen hæream? Iulius Frontinus eſt in manibus, qui olim *Aquarum Curator*, pulcherrimos libellos duos de totâ re ſcripſit, & ad nos venerunt. Ex illo, aut aliis, quædam libabo. Diu igitur Roma ſine Aquæductibus, & Tiberis, ac ſiqui fontes natiui erant, ſufficiebant populo, ſed nondum ſic aucto. Vrbe dein magnâ, plenâ, & cùm in collibus, procul à flumine, degerent; *Optimum rerum aqua*, vt poëta canebat, quæſita, & per tubos ac canales, in fornicibus latericiis, Romam aduecta. Id factum primò, anno Vrbis CCCCXLI. cùm Ap. Claudius Cenſor, idem qui Vias ſternere inſtituit, hoc quoque bonum inuênit. Ab eo eſt *Aqua Appia*, per milliaria circiter *vndecim* deducta. Hoc initium: ſed Deus bone, quæ mox incrementa? Nam egebat ſanè ille populus aquis, non ſolùm ad potum, ſed ad balnea, ad fullonicas, ad Naumachias & Circos. Atque ita vbertim inducta fuit, vt quiſque domi, aut in vicino, haberet copiam: ſcribitque Strabo. FLVMINA *per vrbem & Cloacas videri fluere, atque* VNAMQVAMQVE DOMVM *propemodum habere fiſtulas & canales, quibus aquam inducat.* De eadem re Plinius: *Si quis diligentius æſtimauerit* AQVARVM ABVNDANTIAM *in publico, Balneis, Piſcinis, Domibus, Euripis, Hortis, Suburbanis villis, ſpatioq; aduenientium exſtructos* ARCVS, *montes perfoſſos, conualles æquatas, fatebitur* NIHIL MAGIS MIRANDVM *fuiſſe in* TOTO ORBE *terrarum.* Copiam habes, molem in adducendo habes, miraculum ſuper omnia mira orbis, Pind.

Plinio quidem iudice, habes. Quid Caſſiodorus de iſtis? *Formas* ipſe appellat hos Ductus, quod & Iuriſconſulti, atque inferior ætas fecit. De iis igitur: *In Formis Romanis vtrumque præcipuum eſt, vt & FABRICA ſit mirabilis, & aquarum SALVBRITAS ſingularis. Quot enim illic FLVMINA quaſi conſtructis MONTIBVS perducuntur? naturales credas alueos, ſoliditates ſaxorum: quando tantus impetus fluminis tot ſæculis potuit ſuſtineri.* Credamus hoc ergo iam Frontino, paucis fidiſque verbis effanti: MAGNITVDINIS *Romani imperij, id* PRÆCIPVVM *eſſe indicium.* Benè & verè. quia non Romæ tantùm, ſed in coloniis pleriſque, & maioribus oppidis, hæc fuêre. Sed norîmus Romanos, & alios, ab his exemplis. Ij fuêre in vrbem perducti *quattuordecim* (vt Procopius eos numerat) *coctilis latercule per priſcos illos ædificati, eâ* LATITVDINE *ac ſimul* ALTITVDINE, *vt vir eques commodè per eos poſſit incedere.* Vide an non verè alui quidam fluminum dicantur, cùm tam magnis ampliſque canalibus aquas vehant. Sed hæc altitudo, de ipſis modò eſt: quid Arcus & Fornices arbitraris? *quos in quibuſdam locis ſubleuatos centum nouem pedes,* Iulius Frontinus affirmat. O rem ſtupendam! & magis, quòd à tot milliaribus continuo opere (etſi non vbique ſic alto) perducebant. Reperies quoſdam à QVADRAGESIMO *milliari* perductos eſſe: & nempe per valles, per montes, per tot inæqualia, ſupra, infra terram: ô iterùm rem ſtupendam! & Rutilium audi:

Quid loquar AERIO *pendentes fornice riuos?*
Quâ vix IMBRIFERAS TOLLERET IRIS AQVAS.
Hos potiùs dicas creuiſſe in ſidera MONTES.
Tale GYGANTAEVM *Græcia laudat opus.*

Sunt certè, aut videantur, opera Gygantum, an Geniorum aliquis dicat? & mens obnubilat Architectis noſtris, cùm vel reliquias paucas & ruinas vident. Exſtant iuxta Sublaqueum *Aquæductus Claudiani* fornices, & ingentes pilæ ſuſtentantes, quas Albertus Leander ſedulò vidit & ſcrutatus eſt. erumpit deinde in hæc verba: *Fieri profectò non poſſe ſcio, quin omnino incredibilis ſit, niſi oculis vſurpetur, operis huius ratio* ADMIRANDA. *Nec enim* MAIVS QVIDQVAM *excogitari poſſe* HVMANO INGENIO *arbitror, quam quod hîc Romani, effoſſis tanto ſpatio* MONTIVM *intimis viſceribus, fecerunt. Ad quæ opera patranda* NVNC TOTVS ORBIS *infirmus futurus videatur.* Si quis veterum hæc dixiſſet, blanditus ſcilicet æuo ſuo aut ſuis fuiſſet: quid iſte vir nouitius? quid in talibus & curioſus vnicè, & peritus? Loquitur autem, vt dixi, de Claudij Aquæductu, de quo & Plinius: *Vicit antecedentes aquarum ductus nouiſſimum impendium operis, inchoati à Caio Cæſare* (Caligulam intelligit) *& peracti à Claudio. Quippe à quadrageſimo lapide, ad eam* EXCELSITATEM, *vt in* OMNES VRBIS MONTES *leuarentur, influxêre Curtius atque Ceruleus fontes. Erogatum in id opus HS. ter millies.* Notabile valdè, & vtile, quòd in ſummos Vrbis colles aqua inde & deriuari, & diſpenſari poſſet: adeò in altum educta erat. Hoc ipſum Caſſiodorus notat, *Claudiam, per tantam faſtigij molem, ſic ad Auentini caput eſſe perductam, vt cùm ibi ex alto lapſa ceciderit, cacumen illud excelſum, quaſi imam vallem, irrigare videatur.* De pecuniâ autem in id opus imputatâ (fuerunt, ex Plinio, *ſeptem noſtri milliones, & ſemis*) valdè miror Budæum notare, & pænè mutare. Per fidem, quæ cauſſa eſt? imò augendi cauſſa, ſi quis benè examinet: & planè, niſi aliqua miliaris, aut & ſeruilis manus ad opera damnatorum (vt Romanis mos) acceſſiſſet. Iure igitur, vt claudam, exclamat Frontinus: *Tot aquarum tam multis* NECESSARIIS *molibus, Pyramides videlicet otioſas comparem, aut cetera inertia, ſed famâ celebrata opera?* Non compares Frontine, minimè: hæc ſunt, vt Plinius appellat, *verâ æſtimatione* INVICTA MIRACVLA, & quibus alius orbis tam æquo animo victum ſe à Romanis, quàm armis, fateri debet. Dixi autem ex Procopio ſuprà, Aquæductus iſtos XIIII. fuiſſe: ſed auget P. Victor, & XX. numerauit. Plinius quædam de *Lacubus* aliiſque additamentis Aquæductuum ſcripſit, non ſine miraculo etiam audienda. *Agrippa in Ædilitate ſuâ, adiectâ Virgine aquâ, ceteris corriuatis atque emendatis,* LACVS *ſeptingentos fecit, præterea* SALIENTES *centum quinque,* CASTELLA *centum triginta: complura etiam* CVLTV *magnifica. Operibus iis* SIGNA *trecenta ærea aut marmorea impoſuit,* COLVMNAS *ex marmore quadringentas: eáque omnia* ANNVO SPATIO. Hæc vnus Agrippa, & vno anno. O virum Auguſto Principe dignum! ô virum vel Principatu dignum! & non credo benignius & publicè vtilius ingenium, non item modeſtius & Principi aptius, exſtitiſſe. Tales, tales ſint vobis ô magni Reges conſiliarij & miniſtri; qui opibus per vos aucti, eas in publicum refundant, & gratiam gloriámque ſimul, operibus ſuis, apud poſteros, imperij veſtri propagent. At ſcripſit Plinius *Lacus ſeptingentos* ab eo factos: rectè, *ab eo:* ſed plures longè fuêre in vniuerſum, & *mille trecentos quinquaginta duos* Notitia imperij collegit. Iſti non aliud, quàm aquarum in publico receptacula; è quibus petere omnibus fas eſſet. etſi gratior æſtimatiórque è *Salientibus* ipſis ſumpta. Nota autem in Plinio, tot *Signa,* tot *Columnas,* ad ornatum *Lacuum, Salientium, Caſtellorum:* atque ea ab vno Agrippâ: quid arbitraris ab aliis prioribus & ſecutis fuiſſe? Atque alia etiam aſſidua multa impendia circa has aquas: quarum *Curatores* ab Auguſto instituti, *cum lictoribus, ſeruis, ſcribis, librariis, accenſis, præconibus:* vt Frontinus ſcripſit, ipſe inter Curatores. Sed præcipuum, quòd familiæ & homines certi ad tuenda hæc opera, ſumptu publico tolerati. Quod idem Frontinus ita prodidit. & Agrippam primò, *per ſeruos priuatos ſuos hæc feciſſe, eámque familiam Auguſto morientem legaſſe. Auguſtum deinde publicaſſe, & deinceps manſiſſe: atque habuiſſe homines circiter* CCXL. *Erat autem & altera,* inquit, *Familia Cæſaris dicta, & numerus eius* CCCLX. *quam Claudius, cùm aquas in vrbem perduceret, inſtituit.* Addit, in vtrâque varia miniſteria fuiſſe, *Villicos, Caſtellarios, Curatores, Silicarios, Tectores,* alióſque opifices. Habes igitur perpetuos homines ſexcentos, ad Aquarum mitionem.

CAP. XII.

Cloacarum mira.

QVAS aquas nunc dimitto, & ad *Cloacas* te duco. Eas ſcito à Tarquinio Priſco rege ſtructas, quo nemo Regum plura aut meliora. Structæ autem ad munditiem, quod clarum eſt, ſordéſque omnes vel abluendas, vel euehendas: ſed & ad ſanitatem, quæ illam amat. De magnitudine huius operis, quia mirabaris nos mirari, Plinij & Caſſiodori verba danda ſunt: qui vterque ſatis firmiter dicet, quid magni ratique in opere iſto fuit. Ille igitur: *Cloaca,* inquit, OPERVM OMNIVM MAXIMVM, *ſuffoſſis montibus, atque vrbe penſili, ſubtérque* NAVIGATA. *Fecit id Agrippa in Ædilitate, per meatus corriuatis VII. amnibus, curſuque præcipiti,* TORRENTIVM *modo, rapere omnia atque auferre coactis. Qui inſuper mole imbrium concitati, vada ac latera quatiunt,* Lib. xxxvi cap. xv.

aliquando

A *aliquando Tiberis retro infuſi recipiunt fluctus, pugnántque diuerſi aquarum impetus intus: & tamen* OBNIXA FIRMITAS *reſiſtit. Trahuntur moles interne tanta, non ſuccumbentibus cauſſis operis; pulſant ruinæ ſponte præcipites, aut impacta incendiis; quatitur ſolum terræ motibus: durant tamen à Tarquinio Priſco annis propè octingentis* INEXPVGNABILES. Initio audis *operum omnium maximum* fuiſſe: atque ego ac tu fortaſſe ridemus. AVD. Non audeo, etſi geſtio: ſed vereor turbare. LIPS. At aliâ atque aliâ cauſâ etiam rideamus. Tu, quia res vilis attolli videtur: ego, quia toties iam audiui, *operum omnium maximum*, aut *maximè admirandum*. Quid? ſemper iſta maxima? & tamen res ſic habet: vt quidque in manus ſumis & examinas, ſuper omnia admiraris: & cauſſas iudicij eius dones.

B Vno verbo, omnia miraculum: noſtrum nunc videamus, & Plinij verba penſitemus. Ait, aut indicat, *nauigatas has Cloacas.*] Quid magni, ſi tam magnæ *vt vehem fœni onuſtam large tranſmitterent?* Id enim non Plinius ſolùm ita ſcripſit, ſed & Strabo. cùm Romanos ait *trium maximè operum curam geſſiſſe, quæ neglecta videbantur à Græcis: Viarum, Aquæductuum, Cloacarum.* Additque: *Cloacas iſtas,* LAPIDIBVS SECTIS ET AD NORMAM POSITIS *ſuffultas, ſpatium etiam curru fœno onuſto ad tranſitum præbuiſſe.* Enimuerò Marlianus, qui dimenſus eſt, prodidit, *pedum* XVI. *latitudinem* ſe repperiſſe: de altitudine vellem etiam addidiſſet. nec minor ſanè fuit. Dixit amplius Plinius, *Corriuatos* VII. *amnes.*) Intellegi opinor, ipſas ſeptem Cloacas præcipuas, tot quot ſunt montes. Nam ex iis defluebant & deriuabantur aquæ ac ſordes, & in magnam vnam confluebant.

C Quin enim plures minutæ fuerint, non ambigendum eſt, ſed iſtæ tot fuêre quaſi flumina, & alueo grandiore, atque eæ per plana vrbis ferebantur. Liuium ſic interpretor, de Tarquinio Priſco: INFIMA *vrbis loca circa Forum,* ALIASQVE *interiectas collibus* CONVALLES, *quia ex planis locis haud facile euehebant aquas, Cloacis è faſtigio in Tiberim ductis, ſiccat.*

Lib. 1.

Has olim *per publicum ductas* idem Liuius alibi ſcripſit: *ſed vrbe* inquit, *incensâ à Gallis feſtinatio curam exemit vicos dirigendi, atque ita* CLOACAE *paſſim priuata etiam ſubeunt tecta.*

Lib. v.

Pergit deinde Plinius firmitatem commendare. & cauſſas concutientes quattuor commemorat: quarum vel ſingulæ firmiſſima opera euertant, at non labefactant iſtud. Sunt, Pugna aquarum & copia intus; Moles & columnæ vaſtæ, quæ per vias, & ſuper illas, trahuntur; Ruinæ vanæ & pondera incidentium ædificiorum; denique validi aliquot Terræmotus.

D Quidni igitur firmum & rarâ duritie opus, quod omnibus reſiſtit? & id per tot ſæcula? Etſi tamen repararunt, aut fulſerunt interim, quod omnino neceſſe fuit. notátque Liuius, *Cenſores detergendas Cloacas, & in Auentino atque aliis partibus, quà nondum eſſent, faciendas locaſſe.*

Lib. xxxix.

Quàm ſumptuoſa illa, aut ſimilis reparatio, dicit apud Dionyſium C. Aquillius. qui ſcripſit, *neglectis aliquando cloacis, & non defluentibus, Cenſores in earum inſtaurationem mille talenta impendiſſe in redemptores.*

Lib. III.

Ea ſunt *ſexcenta millia* Philippæorum: quid igitur & quanti paratio vniuerſa, ſi tanti in partibus reparatio?

E Sed audiamus & Caſſiodorum de iſtis, ac finiamus. SPLENDIDAE *Romanæ ciuitatis* CLOACAE, *tantum viſentibus conferunt* STVPOREM, *vt aliarum* CIVITATVM *poſſint* MIRACVLA *ſuperare. Videas illic* FLVVIOS, *quaſi montibus concauis clauſos, per ingentia ſtagna decurrere. Videas ſtructis* NAVIBVS *per aquas rapidas, non minimâ ſollicitudine, nauigari, ne præcipitato torrenti, marina poſſint naufragia ſuſtinere. Hinc ô* ROMA SINGVLARIS, *quanta in te ſit poteſt colligi* MA-

A GNITVDO. *quæ enim vrbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec* IMA *tua poſſunt ſimilitudinem reperire?* Pulchra concluſio, & in ſcito eo dicto conquieſco.

CAPVT XIII.

Traiani Pons in Danubio.

AVD. Non patiar, & te excito. Quid enim? tu & ego deſtituamur in his Cloacis? quæ vt ſint, magnæ, operoſæ, mirabiles; tamen Cloacæ ſunt, & oletum ſuum habent. Exime nos, & mundiùs alibi pone. LIPS. Hem! bona monitio. ſequere me ad Danubium, & illîc in eius aquis lauemur. AVD. A Tiberi ad Danubium? bonus ſaltus, quis Pegaſus nos

B vehet? LIPS. Ille Mentis: quæ momento ſumma, ima, propinqua, diſſita, permeat & peruadit. Nec ad Barbaros tamen imus, ne metue. AVD. Ego verò metuo, & iam cor meum vaſa colligat atque abit. Neſcis tu pugnas illîc cùm maximè nunc pugnari? & in quibus vita, libertas, religio aguntur? LIPS. Scio, ſecurus eſto. Romanus imperator, atque is Traianus, nobis adeſit, cum legionibus ſuis copiíſque. Vtinam nunc tales ibi decem, tali diſciplinâ! ô quàm Victoria mox applaudat & circumuolet purpureis ſuis pennis? Sed ecce in Danubio *Pontem* libet memorare, quem dictus ille Imperator ſtruxit: operum omnium fortaſſe, arte & difficultate maximum, ſi non ſumptu. Deſcribit graphicè Dio Caſſius, & gratia ſectori eius Xiphilino eſto, quòd hanc partem non recîdit. O

C quàm pulchras valentéſque ille alias? nihil pænè nos fugeret in rebus Romanis (tanta diligentia & accuratio fuit) ſi ſcriptor ille totus exſtaret. Sed de Ponte, ſunt verba è Compendio Dionis: *Traianus Imperator pontem lapideum ſuper Iſtrum ſtatuit, quem* EGO NEC DIGNE QVIDEM HABEO ADMIRARI. *Nam etſi alia pulcherrima Principis eius opera exſtant, tamen hoc eſt* SVPER OMNIA. *Pilæ igitur eius ſunt viginti è lapide ſecto & quadrato, quæ altitudinem habent.* CL. *pedum, latitudinem* LX. *Diſtant inter ſe* CLXX. *pedes, fornicibus deuincta. Quomodo autem non aliquis* SVMPTVM *in iſtas admiretur? quomodo non & deſtruendi firmandique modum? idque in flumine* MAGNO ET VORTICOSO, *& fundo ipſo infido & limoſo.*

D *nam nec auertere quidem curſum fluminis licuit vllo modo. Nec verò de magnitudine fluminis ideò dixi, tamquam ibi maximum ſit (nàm verò alibi duplo maius eſt aut triplo, atque inſtar pelagi ſe diffundit:) ſed quia locus ille arctiſſimus ibi locorum, & aptiſſimus ponte iungi, eſt tamen. Quo autem magis in arctum illud ex lato contrahitur, & rurſum in latum ſe effundit; tanto nimirum & rapidiùs fluit, & profundius exſiſtit. Vt hoc quoque difficultatem atque arduum operis valde auxerit. Magnitudo igitur animi Traiani ex eo quidem conſtat, non tamen vſum nobis nunc præbet, ſed pilæ dumtaxat ſtant, quaſi in eum finem modò ſtructa, vt documento ſint* NIHIL ESSE QVOD INGENIO HVMANO NON POSSIT EFFICI. Additque deinde, Hadrianum Imp. metu ne Barbari eâ tranſirent, an æmula-

E tione in Optimum Principem, *iuſſiſſe ſuperiora* Pontis dirui: atque ita Pilas ſolas manſiſſe. Quid autem ego aut tu hîc dignè miremur? negat ab illo æuo Dio, ſe id poſſe. Atqui plura magna & magnifica viderat, quàm nos mente concipere aut deformare poſſimus. Putat tamen & cenſet, omnia ab hoc opere ſuperata, quod leuiter adſiſtamus, & ſuſpectemus. Ait, *Pilas viginti* fuiſſe: atqui Paulus Iouius, florentis ingenij & ſtili ſcriptor, dicit etiamnunc *triginta ſex* exſtare & conſpici, in confinio Valachiæ &

A Tranſiluaniæ, ad opidum *Seuerinum*. Viri credam? ſanè ſi oculi nunc conuincunt ita eſſe, manus & herbam do; videant modò & dicant, qui adſident & poſſunt arbitrari. Sin rationem & ſcriptionem Dionis ſequor; adſeram audacter de *viginti*: quia ſignanter notat, fluuium ibi arctiſſimum (vt in iis locis) eſſe. Atqui deſcriptio iſta viginti Pilarum, quæ *ſexaginta pedes* latæ ſint; quarum fornices, *centum ſeptuaginta*: quid efficit & colligit, niſi fluuij latitudinem *quattuor mille ſeptingentarum ſeptuaginta* fuiſſe? id eſt, paullò minus, *vnum milliare*. Si aliter, aut ſi grandius; videbunt ij qui accolunt & docebunt: tum nobis opus reſcribere & reformare ipſum Dionem. Nam quod aliquis dicat eum neſciſſe, aut de opinione

B iſta ſcripſiſſe, ipſe opinetur & erret. cùm vir ille inſignis peritiâ rerum & honoribus, in ipſis iis locis Præſes fuerit Dalmatiæ, Pannoniæque. Itaque ſcire omnino potuit; & debuit, in curâ iſta rerum ſcribendarum. Vereor vt Iouius ſit, quod etiam alibi, auditionum facilis, & parùm diligens examinis aut veri. Sed vt dixi, vicini aut inſpectores arbitrantor. Ait Dio ampliùs: *Pilarum interuallum fuiſſe centum ſeptuaginta pedum.*) Ita me Deus (nam exclamo) grande hoc concamerationis ſpatium, nec efficiendum, niſi altitudo illa Pilarum acceſſiſſet, & tardè ac lentâ inclinatione fornix ſurrexiſſet. Præterea, *miraris ſe quo modo in tali profundo flumine & verticibus Pilæ firmatæ.*) Ego tecum, ô Dio, miror: & maximè, cùm neges

C auerti flumen potuiſſe aut derjuatione exhauriri. Difficile omnino opus, & fundamentorum molitio talis è lapide: ſi ſublicarum & materiæ res eſſet, aliud eſſet. Sed heus tu Hadriane! ſi citare Imperatorem fas, dica & lis tibi apud me ſit, fortaſſe & punitio: quòd talem pontem vix benè ſtructum deſtruxiſti. Dicam tibi verum vel mortuo: Inuidiſti optimo maximóque Principi, & habere ſuper omnes gloriam voluiſti magis, quàm meruiſti. Valete *Opera publica*: quin tu etiã, mi Auditor, in craſtinum vale aut ſalue.

C A P. XIIII.

Priuatorum hominum Vrbanæ aut Ruſticæ ædes.

D AVO. Ego verè nec valeo nec ſalueo (da veniam immodeſtiæ:) nec amoliris me, niſi omnine plenè perſoluto. An non, poſt *Publica opera*, pollicebaris *Priuata*? & certè ita diſponebas; nec tam madidâ memoriâ ſum, vt hoc effluxerit. LIPS. Diſpoſui, haud nego: ſed fatigor, niſi quòd in extremâ tamen calce, vt curſores, ſpiritus & vires excitabo adſpectu ipſo metæ. *Priuatis* igitur *Operibus* duo nunc conſidero, *Domos* & *Villas*. Illæ fuerunt in tam

E ſplendidâ & nitenti vrbe, pro ipsâ vrbe, & vt pulchri corporis apta ac decora membra. Domus dico magnificæ, ornatæ, inſtructæ, columnis, marmore, auro, ſtatuis: & quidquid excogitare ambitio aut luxuria poterat. Sed eædem etiam laxæ, patentes: quod docuerint ſatis Valerij hæc verba, de Cincinnato, *cui quattuor ſola iugera aranti; non ſolùm* (vt inquit) *dignitas patris familiæ conſtitit, ſed etiam Dictatura delata eſt.* Et tum comparatione quadam & indignatione addit: *Anguſtè ſe habitare nunc putat, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.* Quid domus? imò earum aliquod membrum. Idem auctor: *Nimirum ſic habitarunt, qui hoc imperium fecêre. quorum* AGRI *quoque minorem modum obtinuêre, quàm* CELLARIA *iſtorum.* Iterúmque alibi: *Bina tunc*

Lib. xiii. cap. iiii.

Lib. xxxvi. cap. xv.
Lib. xviii. cap. ii.

A *iugera populo Romano ſatis erant, nullique maiorem modum adtribuit: quo ſeruos paullo antè Principis Neronis, contemptis huius ſpatij viridariis,* PISCINAS *iuuat habere maiores: gratúmque, ſi non aliquem &* CVLINAS. Nec eſt in ſermone ſupergreſſio: reuera amplæ domus, & præſertim magnatium virorum procerúmque. Quas & P. Victor ac Notitia imperij propriè *Domos* appellant, & ab *Inſulis* diſtinguunt. Itaque computant, *Inſulas totâ vrbe quadragintaſex millia ſexcentas duas, Domos mille ſeptingentas octoginta* fuiſſe. harum longè minore numero, vt quæ tanto grandiores, inſtructioréſque eſſent. Enimuero grandes inſtructæque: & Apuleij hæc artẽde. *Igitur illas ædificiorũ ſpecies, in quas* PATRIMONIA SVA *profuderunt,*

De Deo Socrat.

B *amœniſſimas & exſtructiſſimas deprehendas: aulas* AEMVLAS VRBIVM *conditas, domos* VICE TEMPLORVM *exornatas.* Itáne eum *Vrbibus* comparat? nec ſolus. nam & Seneca, epiſtolâ XCI. ſuum vetúſque æuum diſparans: *Non habebant*, inquit, *domos* INSTAR VRBIVM: quaſi dicat, at nos habemus. Alibi audaciùs (De Benefic. VII. cap. X.) agnoſcit & increpat *ædificia priuata laxitatem* MAGNARVM VRBIVM *vincentia.* Quæ iſta ſunt? quæ item, quæ Olympiodorus, in Bibliothecâ Photij? Ὅτι ἕκαστος τῶν μεγάλων οἴκων τῆς ῥώμης, ἅπαντα εἶχεν ἐν ἑαυτῷ, ὅσα πόλις σύμμετρος ἐδύνατο ἔχειν· ἱππόδρομον, καὶ φόρους, καὶ ναοὺς, καὶ πηγὰς, καὶ λουτρὰ διάφορα. διὸ καὶ ὁ συγγραφεὺς ἀπεφθέγξατο.

Εἷς δόμος ἄστυ πέλει· πόλις ἄστεα μυρία κεύθει.

C *Quæque magnarum domuum omnia in ſe ipſa habet, quæcumque* MEDIOCRIS VRBS *poſſit continere: nempe Circum, Fora, Templa, Fontes, Balnea diuerſa. Ideo & poeta dixit,*

Vna domus VRBS *eſt: vrbs* OPIDA PLVRIA *claudit.*

Examina & nota, mira ſunt: ſed Martiali etiam paucis verſibus comprehenſa, *In habentem amœnas ædes.*

Daphnonas, platanonas, & aerias cypariſſos,
Et non vnius Balnea ſolus habes.
Et tua centenis ſtat Porticus alta columnis,
Calcatúſque tuo ſub pede lucet onyx.
Puluereúmque fugax Hippodromon vngula plaudit,
Et pereunnis aquæ fluctus vbique ſonat.

Lib. xii.

D Sunt ipſa, quæ Olympiodorus dixit, exceptis *Foris*: quæ intellegas fuiſſe hypæthra quædam & ſubdiualia, inter illas Porticus, & ſtatuis alióque ornatu, in Fori faciem. Quid autem ſi reuera ibi iudicia & forenſes conuentus? Fuêre, & clientium, libertorum, ſeruorum ſuorum cauſſas domi cognoſcebant: Clientium autem magnus olim populus. Horatius:

——— *non aliter tamen*
Dimouit obſtantes propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quàm ſi CLIENTVM *longa negotia*
Diiudicatâ LITE *relinqueret*
Tendens Venafranos in agros
Aut Lacedæmonium Tarentum.

E Vitruuius etiam ſuadet *Nobilium, & qui magiſtratus gerunt, domos laxiores fieri; Bibliothecas ibi eſſe, Pinacothecas,* BASILICAS *(ad iudicia) non diſſimili modo, quàm* PVBLICORVM OPERVM *magnificentia comparat. quòd in Domibus eorum ſæpius & publica conſilia, &* PRIVATA IVDICIA *arbitriáque conficiantur.* Sed vt intra maneam, talis igitur laxitas: quid Apparatus & inſtructio? Communiter ita Seneca: *Quid inter pueros & nos intereſt? niſi quòd nos circa Tabulas & Statuas inſanimus, cariùs inepti. Illos reperti in litore calculi leues & aliquid habentes varietatis delectant; nos ingentium maculæ* COLVMNARVM, *ſiue ex Ægyptiis arenis, ſiue ex Africæ ſolitudinibus aduecta, porticum aliquam vel* CAPACEM POPVLI *cenationem ferunt. Miramur parietes tenui* MARMORE *inductos, cùm*

Lib. vi. cap. viii.

Epiſt. cxv.

ſciamus

ſciamus quale ſit quod abſconditur: oculis noſtris imponimus. Et cùm AVRO *ſecta perfundimus, quid aliud quàm mendacio gaudemus? ſcimus enim ſub illo auro fœda ligna latitare.* Primum in ipſa domo eſt, *Columnarum* diſpoſitio, & è longinquis petitarum: de
Lib. xxxv. quibus Plinij obiurgationes, ſiquis volet, legito; & de generibus pretiisque eatum totus liber eius exſiſtit. Et quidem notat in vna Cœnatione *Calliſti*, Claudiani liberti, *triginta* ſe vidiſſe, eáſque è Sudine lapide Germanico, cui ingens tunc pretium & nouitas. Idem, *in atrio Scauri collocatas maximas, atque adeò duodequadragenûm pedum, Luculleas marmoris.* Vide hanc altitudinem in vno atrio, quam multæ domus totæ vix æquant. Alterum in Senecâ, *Parietes marmore inducti*: quod genus *Incruſtationes* Latini, Græci Μαρμαρώσεις dicunt. *Primum autem Romæ parietes cruſtâ marmoris operuiſſe totius domus ſuæ, in Cælio monte, Mamurram equitem Rom. Præfectum fabrûm Cæſaris,* Plinius tradidit auctore Nepote. Id nō aliud fuit, quàm marmor in tenues cruſtas ſectum parieti imponere ſcirè, & pro tectorio ei dare. Lu-
Lib. xxxvi. caous:

> *Nec ſummis cruſtata domus ſectiſque nitebat*
> *Marmoribus.*

Declamator apud Senecam patrem: *In hos ergo exiens varius ille ſequatur lapis, vt tenui fronte parietem tegat.* Secandi autem ratio (in Plinio, & Iſidoro) arenâ, *& ferrâ, in præ tenui lineâ verſante arenas, tractuque ſecante.* Et nos in Italiâ hodie vidimus fieri. Tertium, *Auro tecta perfundi.* Significat laquearia inaurari tota ſolere, quod paſſim ſcriptores & tradunt & damnāt. Muſonius apud Stobæum: τί δ' αἱ ποικίλαι αὐλαί, τί δ' αἱ ποικίλαι χρόαι, τί δ' αἱ χρυσόροφοι στέγαι; *Quò pertinent hæc atria Colūnata? quò variæ iſtæ colorationes? quò aurata lacunaria?* In ſecūdo enim mēbro (vt mea verſio eſt) χρόαι legi cupiā, & ad marmora variegata parietibus impoſita referā, vel etiā ad Muſiuū opus. Nam ita & Mamertinus, ad Iulianum: *Neque ei comparandæ ſunt* PICTVRATÆ *marmorum cruſtæ, &* SOLIDO AVRO *tecta laquearia, qui maiorem anni partē in nudâ humo cubat.* Ibidē & *ſolidum aurū* in Lacunaribus notes: quod paſſim in poetis, vt in Statio:

> *Et nondum* CRASSO *laquearia fulua* METALLO,
> *Montibus aut altè Graijs effulta nitebant*
> *Atria.*

Qui *montes* etiam *Graios* poëticè nominat, grandes illas ſubliméſque columnas. Idem de vtroque:

> *Pendent innumeris faſtigia nixa columnis,*
> *Robora Dalmatico lucent * fociata metallo.*

* Vulgò ſixata.

Sed & Lucanus, de Cleopatræ regiâ:

> *Ipſe locus, templi (quod vix corruptior ætas*
> *Exſtruat) inſtar erat, laqueatáque tecta ferebant*
> *Diuitias, craſſúmque trabes abſconderat aurum.*

Quibus verſibus tamē pluſculū etiā latet, & trabes quidē auratas fuiſſe vult: ſed camerā gemmatā, eboratam. Vtrumq; enim & horū fiebat, ad ſplendorem & varietatē: præſertim in tēplis (cum tēplo autē Lucanus cōparat) vt quaſi cælum imitarentur. Arnobius de tēplis ipſis diſſerens: *Sint ergo hæc licet aut ex molibus marmoreis ſtructa, laquearibus aut renideāt aureis, ſplendeant hîc gemmæ, & ſidereos euomāt variatâ interſtitione fulgores: terra ſunt hæc omnia, & ex fæce viliori materia cōcreta.* Et tu mi Auditor, obiter & hoc adde ad tēplorū ſuprà ornatū. De ebore autē in Ciceronis Paradoxis: *Tecta ebore, & auro fulgentia.* In Propertio:

> *Quòd non Tænarijs domus eſt mihi fulta columnis,*
> *Nec camera auratas inter eburna trabes.*

Non leues porrò inductiones, aut vt poëta loquitur, ſputa fuiſſe, Panegyricus oſtendit: qui SOLIDO AVRO *tecta laquearia commemorat*, & poeta ſuprà, *Craſſum aurū* dixerūt. Hieronymus autē in Epiſtolâ quadam, longiùs etiam hoc producit, & ad parietes ac co-

Gau-dent.

lumnas. *Viuimus quaſi alterâ die morituri, & ædificamus quaſi ſemper in hoc ſæculo victuri. Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum.* Sed alia hîc etiam & ingenioſa luxuria. nam lacunaria iſta verſatilia faciebant, & alia atque alia ſubinde facie conuiuas delectabant. Seneca alibi: *Verſatilia cœnationum laquearia ita coagmentant, vt ſubinde alia atq; alia facies ſuccedat, & toties tecta, quoties fercula, mutentur.* En, priuata ingenia & luxuriam: quid exiſtimas Principes tentaſſe & feciſſe? Nero Cæſar in veſtibulo ædium ſuarum *Coloſſum cētum viginti pedum* poſuit. Hoc principium: deinde *porticus triplices* MILLIARIÆ; *item ſtagnum,* MARIS *inſtar, circumſeptum ædificijs ad* VRBIVM *ſpeciem. Rura inſuper, aruis, atq; vinetis, & paſcuis, ſiluiſq; varia; cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In ceteris partibus,* CVNCTA *auro lita, diſtincta gemmis, vnionúmque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, vt flores, & fiſtulatis, vt vnguenta deſuper ſpargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò, diebus ac noctibus, vice mundi circumageretur.* Ita verbatim iſta Suetonius: multa ADMIRANDA, ſi tu ſingillatim explicas & in rem ducis. Sed vnum in hac Principum inſaniâ (ita appellanda eſt) Plutarchi teſtimonium ſuffecerit, qui de Capitolij magnificâ & impendioſâ ſtructurâ cùm diſſeruiſſet; addidit: *Quòd ſiquis hunc Capitolij magnificum inſtructum miretur, idem ſi Domitiani in aulâ vnam Porticum, vel Baſilicam, vel Balneum, vel pellicum Diætam viderit; exclamet cum Epicharmo,*

* Ita iampridem publicè legēdum docuimus.

> *Non liberalis aut benignus tu cliues,*
> *Profuſione gaudes.*

Dicit ſatis clarè, omnia illa Capitolina (quæ & quanta, antè diximus) nugas & quiſquilias videri, præ vno membro aliquo Palatinæ domus. Quod mihi quidem ſtuporem incutit, non diſſimulo: & iam lingua hæret. AVD. Soluam eam quæſtiunculâ. Dixti auro diſtincta vel ebore laquearia, an non & ſiluis? id eſt, an non ibi tales ſpecies, & intermixtæ veræ aues? Nam Rutilius Gallicanus hoc dicere videatur, in Romæ laudibus.

> *Quid loquar* INCLVSAS *inter laquearia* SILVAS,
> *Vernula quā vario carmine ludit auis?*

LIPS. Poëtæ, aut poëtarum potiùs, vulgatam phraſim non attendis: nec *inter laquearia* propriè, ſed συνεκδοχικῶς: inter tecta & domos includi eas ſiluas. Luci enim & arbuſta in magnis iſtis ædibus erant: imò & ſuper ædes quod mireris, erant. Senecam auctorem do, qui, vt ſolet, caſtigans & increpans ſuum æuum: *Pomaria,* inquit, *in ſummis turribus ſerunt, quorum ſiluæ in tectis ac domorum faſtigiis nutāt, inde ortæ radicibus, quò improbè cacumina egiſſent.* Atque ego Bruxellæ meæ (quam vt alteram patriam colo) hoc vidiſſe memini, ſponſione ita factum; ſed in breue aliquod tempus, & cùm domus oneri illi non diu eſſet. Satis de *Domibus*: ad *Villas* eamus. vtinam, vtinam! ſed hæc pericula & latrocinia, domo & vrbe nos claudunt. O Iſcanum meum, cur non liberè te fruor & intertuſo? cur natali illo aëre & aquis non me recreo? Da Deus hoc ante obitum, & pedem atque animum vagum per rura & hortos illos ferre. Sed *Villas* tamen Romanas animo & memoria luſtremus, vt vel diſpoſui anteà, vel promiſi. De ijs hoc vniuersè Strabo pronunciat, vbi de Piſis & Ligoriâ ſcribit: *Eſſe ibi lapicidinas & materiem ad ædificia vberem, ſed quam Romani ad ædificia ferè ſua in vrbe aut & Villis conſumunt: Villis,* inquit, *in quibus velut more Perſarum* REGIAS QVASDAM *ſtruunt.* En, Prætoria aut Villæ totæ eorum, *Regias*, & quidem

Epiſt. cxxii.

Perſarum, referunt: quid maius ampliuſque in hanc rem dicam? Vis ſpecimen tamen aliquod in vna Villa? Capitolinum audi: *Exſtat Gordianorum villa via Præneſtinâ*, DVCENTAS COLVMNAS *vno periſtylo habens, quarũ quinquaginta Caryſteæ Claudianæ, quinquaginta Sienitides, quinquaginta Numidica pari menſura ſunt. In quâ* BASILICÆ CENTENARIÆ *tres: cetera* HVIC OPERI CONVENIENTIA: *&* THERMÆ *quales, præter vrbem, nuſquam in orbe terrarum*. Tu ſi lubet, per te ſingillatim luſtra: ductorem me vltrà non habes. Sed nec Hadriani Villam in Tiburtino ingero, cuius ſuperbæ reliquiæ exſtant: quid tot aliarum in ſolo Latij, & circa Romam? Vidimus ipſi apud Oſtiam & Ardeam rudera: & per ſiluas illas aut vepreta, quot Columnæ, aut earũ fragmina, cryptæ, porticus, & diſiecta ædium membra? O Deus, quæ mutatio? quàm hæc cogitatio me ad te trahit, infirma & incerta hæc omnia humana ſpectantem, & ſpernentẽ? Sed definimus de *Operibus* & *Româ*: quam decoramus Conſtantij Imp. elogio, apud Ammia-

A num. *Is enim viſis pleriſque cum* STVPORE HORRENDO, *de Famâ querebatur vt inualidâ vel malignâ, quod augens omnia ſemper in maius*, ERGA HÆC EXPLICANDA, QVÆ ROMÆ SVNT, OBSOLESCIT. Si fama non potuit adæquare, multipliet ſuo ore & linguâ: quid ego meo ſermone tenui, ſine ſenſuum ſubſidio, per tenues coniecturas eunte? Sed tu, aliiq;, nec dicta ſuſpicamini: & quidquid maximum conceperitis, fortaſſe nec id par erit. Philoſophemur autem breuiter, duce Hormiſdâ: qui regij Perſarum ſanguinis, à Conſtantio interrogatus in re præſenti. *Quid de Româ ſentiret? Id tantum ſibi placuiſſe dicebat, quod didiciſſet* IBI QVOQVE HOMINES MORI. Mori mi Auditor, mori: & vbi hæc omnia præclara, am-
B pla, ADMIRANDA? quæri vides; vbi qui fecerunt ea, aut moliti ſunt? periiſſe vides. Cogita, & tibi applica nos ipſi, qui hæc meditamur aut loquimur, poſt aliquot annos, dies, horas, puluis, vmbra, nihil. Nunc vale, & abi.

IVSTI LIPSI
DE MAGNITVDINE ROMANA
LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Tranſitum ad Virtutem Romanorum, & ea in genere prædicata.

AVD. Meridies abiit, ego me tibi ſiſto. LIPS. Video, ſed quid ita triſtiore vultu? AVD. Nec læta adfero. LIPS. Quæ? AVD. Tibi. LIPS. Quæ inquam? AVD. Vereor dicere. LIPS. Aude. nec ego ex his fatuis, qui ignorare mala, nec edere cenſent. AVD. Obiit tibi ex amicis tuis. LIPS. Hem! ex amicis? effare. AVD. In Galliâ. LIPS. Quis ibi? AVD. Vir doctus. LIPS. Ede nomen. AVD. Et probus quoque. LIPS. Enecas. Etſi ab his notis propemodum iam ſcio *Petrum Pythœum* eſſe. AVD. Diuinaſti. obiit. LIPS. At tu me vulneraſti. ſed quo fato? AVD. Suo, & illâ quam Auguſtus optabat, * *εὐθανασίᾳ*. LIPS. Virum magnum Gallia amiſit, & inter publicas clades aut iacturas hanc quoque licet ponas. Sed ab exemplo diſce, quàm non temerè heri clauſerim & monuerim de morte. AVD. Profectò præſagium fuit: ſed tu perge ad noſtra. LIPS. Inter hæc triſtia, ad illa amœna? durus es. AVD. Quid ergo? dum viuo, non vis me viuere? Et ego Pythœo noſtro benè eſſe ſpero, & gaudere ac ridere in beatis illis locis: cur doleam? Theodoſius Imperator, qui variè in imperio iactatus, cùm mors inſtaret, inſcribi ſepulchro ſuo hoc vnum verbum iuſſit, ΥΓΕΙΑ: id eſt, *Sanitas*. Profectò illa medicina morborum, refugium & aſylum malorum eſt: & in mundi his fluctibus portus, quem ſapiens numquam fugiat, imò (Deo vocante) totis velis in eum feratur. Tu autem hoc magis perge, quòd iam non amœna, vt aiebas, ſed potiùs vtilia aut ſapientia dices; &, vt partitio erat, de *Viris* ac *Virtutibus* Romanorum. LIPS. Ita eſt, quartus hic noſter limes: & libentiùs inſiſtam ac decurram, quia tali argumento. Cur apud te diſſimulem? finis & fructus præcipuus mihi ſtudiorum aut lectionum, hæc talia excerpere, & exempla aut dicta enotare ad ſapientiam ac virtutem. Fabulemur autem, ſi placet, ambulantes. Amat valetudo, & lingua hæc magis ſoluitur in motu. Communiter igitur primùm (nec ordo hoc abnuit) laudemus *Romanos*: tum & diſtinctiùs quædã addamus. Plinij enunciatio eſt: *Gentium in* TOTO ORBE *præſtãtiſſima vna,*

*Morte ſubita.

A *& in* OMNI VIRTVTE, *haud dubiè Romana extitit*. Appellas ab hoc iudice, & ſuſpectum de Romanis Romanum habes? Accipe Græcum, & Ammianus prodeat, qui breuibus & grauibus verbis, *Romam imperij* VIRTVTVMQVE OMNIVM *larem* dixit. Quid homo Gothici ſanguinis, Caſſiodorus? *Roma* VIRTVTVM OMNIVM *latiſſimum templum*. Profectò ſedes ſuas per aliquot ſæcula ibi habuêre, nec iniuriâ ipſi Romani templum ſtruxêre HONORI pariter ac VIRTVTI. Vtramque colebant: ſed & *Fortunam* etiam: id eſt (vt rectè interpretemur) Prouidentiam & Fata ab alto, quæ incredibile eſt, quàm preſſo nec tardanti pede ſecuta ſint Virtutem. His duobus incrementa ſua Roma debuit, his duobus ſtatũ ſuum & firmitatem. Nullum imperium mihi dabis, & tam B magnum ſimul, & tam diuturnum. Iute igitur Ammianus: *Roma vt augeretur ſublimibus incrementis, fœdere pacis æternæ* VIRTVS CONVENIT *atque* FORTVNA, *quarum ſi altera defuiſſet, ad perfectam non venerat ſummitatem*. Conuenerunt autem ita, vt vtraque ſuum opus facere niteretur, & pænè diſſidium eſſet in euehendo. Plutarchus alibi hoc vbertim ediſſeruit: & breuiter ac neruosè Annæus Florus extulit, *Ad conſtituendum Romanum imperium*, VIRTVTEM *ac* FORTVNAM *contendiſſe videri*. Sed amica contentio fuit: in quâ tamen vicit, ſi Rutilium iudicem capis, ipſa Virtus. Nam ille ſic Romam adfatur:

Quòd regnas, minus eſt, quàm quòd regnare mereris:
Excedis FACTIS *grandia* FATA *tuis*.

Pulchrè. & habuit igitur Fortunam, ſiue cælitum il-C lum fauorem; ſed habuit à cauſſis, quas iidem cælites, per virtutum gradus nexuſque, præſtruxerunt. Vt id liqueat, videamus primùm vniuersè qui *Viri* in imperio illo fuerint, & tum quæ *Virtutes*.

CAPVT II.

Triplex ordo in populo oſtenſus, & quiſque in ſuâ parte laudabilis.

VIros conſidero dupliciter, & eos qui in Magiſtratu, Imperiis, Conſiliis fuerunt, id eſt *Capita*

reſpublica:& parte alterâ *minora* etiam *membra*, id eſt Populum & eos qui paruerunt. Dico vtroſque egregios fuiſſe, nec quibus alia gens facilè aut ex vero (de Religione hîc non eſt ſermo aut quæſtio) compararetur. Primores igitur illi in duplici diſcrimine ſunt, *Senatores Equiteſque*. Illos ſi inſpicias, qui propriè ſedebant ad clauum: proh Deus, quanta grauitas, ſa- Lib. ix. pientia, maieſtas? Vt qui ordinem eum *Ex* REGIBVS *conſtare dixit, vnus veram eius ſpeciem cepiſſe*, Liuio videatur. Is fuit Cyneas legatus Pyrrhi regis: vir nec mentis nec oris egens, qui cùm vrbem luſtraſſet, atque etiam blandiloquentiâ & munificentiâ variè tentaſſet, vndique repulſus, ad Regem redit: & in- Flor lib. 1. terroganti *Quid de hoſtium ſede ſentiret? Vrbem* TEMPLVM *ſibi viſum, Senatum* REGVM *eſſe conſeſſum fatebatur*. Profectò talis fuit, & nec ſub Principum imperio nimis degenerauit. Caſſiodorus de ſuo æuo: *Vrbs ornata tot* EXIMIIS SENATORIBVS, *beata tam nobilibus populis*, etſi tunc quidem fateor diſceſſiſſe ab illâ præſtantiâ, & vt grande ædificium, paullatim mole ſuâ deſediſſe, & mox ruiſſe. Erant autem in illo Senatu, vt cum Lucretio hoc dicam,

Ductores Danaûm delecti, PRIMA VIRORVM:

eximij, inquam, ciuium, genere, cenſu, virtute. Nam hæc ſpectabant: nec temerè viles aut ſordidos (etſi plebeios interdum, quos magna virtus eueheret:) inopes numquam, & improbos raro admittebant; aut ſi tales, non retinebât. Cenſores enim (ô laudabile & diuinum inſtitutum!) legebant hunc Senatum: atque iidem per ſingula luſtra examinabant, ac relegebant: & ſiquis loco eo indignus, aut ſiquid in priuatâ etiam vitâ turpe aut maculoſum, notabant & emouebant. Quomodo id fiebat? ſilentio, & ſine accuſatione vllâ, aut cauſſæ apud iudices dictione. Dumtaxat in recitando Senatu, quod publicè & ſolenniter fiebat, nomen eius prætéribant, quem motum Senatu vellent. Ita cùm in albo illo non eſſet, nec in Senatu cēſebatur. Cauſſa quidem iis mouendi ſemper erat, & hanc ſubſignabant, & volentibus edebant: ſed certare de eâ lite, nihil opus erat. iudicium ſufficiebat: quod à tam grauibus viris (nam primores ferè Senatus erant) bonum meruiſſe, laus & approbatio habebatur; culpa & dânatio, triſte. AVD. Pulchrum, bis pulchrum: ſed cum eâ lege, ſi viri illi boni eſſent. quid ſi per affectum iudicaſſent? LIPS. Rarenter, aut vix eueniſſe legimus. Nam voces ſtatim omnium damnaſſent, & exagitaſſent: & fac tamen ſemel iterúmque eueniſſe; quid magni mali, præ magno illo bono erit? Non enim alia pœna, quàm Ignominia: facilè aut contemnenda, aut eluenda, qui publica iudicia aut teſtimonia pro ſe haberet. Denique alij Cenſores mox reponebant. Nam & hoc ſcire debes, non in grauibus & grandibus peccatis hanc Cenſuram interueniſſe: ea enim legibus & iudiciis ſeruabantur: ſed minoribus delictis, aut domeſticis flagitiis. à quibus vacare & caſtos eſſe primos illos Ordines maximè volebant, & quorum vita erat in exemplum. AVD. Iterùm exclamo, Pulchrum! Sed dic ſodes, multi igitur iſti tam electi in Senatu? LIPS. Initio à Romulo *centum* facti, & *Patres*, iidémque *Senatores*, vel à curâ, vel ab ætate dicti. Poſteà ad *trecentos* creuêre, & in liberâ Republicâ ſic manſêre, vſque ad Liuium Druſum. Is in Tribunatu, cùm opes Senatus vellet extollere, eoſdem iudiciis etiam præponere; numerum auxit, & ad *ſexcentos* fecit. Manſiſſe ita ad Cæſarem opinor, qui per bella ciuilia non opes ſolùm, ſed honores multis largiturus, amplificauit, & vel ad *mille* allegit. Diſplicuit Auguſto, & magnâ curâ, atque iteratâ aliquoties recenſione, purgauit: & denique ad modum veterem, id eſt

A *ſexcentos*, redegit. Qui ſanè ſatis amplus numerus, etſi in amplo illo imperio: atque ex his pleríque, non ſolùm cōſiliis publicis ſemper adhibebantur, ſed etiam in prouincias, ad imperia, aut exercitus mittebâtur. Itaque curia hæc velut promptuarium erat, è quo ſtatim Princeps caperet viros, ad omnia ciuilia aut militaria munia aptos, & ſuffecturos. Et hoc aſpectu tenuerunt Senatum, grande vel vnicum fulcrum illius Principatus. Otho Imperator ipſe, apud Tacitū: *Quid? vos pulcherrimam hanc vrbem, domibus & tectis, & congeſtu lapidum, ſtare creditis? Muta iſtac & inanima intercidere, ac reparari poſſunt:* 1. Hiſt. ÆTERNITAS RERVM, *&* PAX GENTIVM, *&* MEA CVM VESTRA SALVS, *incolumitate* SENATVS *firmatur*. Et elogia iſta B de Senatu, res & veritas multis dictauit. In Cicerone leges: *Senatum* PRINCIPEM SALVTIS, PVBLICÆQVE MENTIS. In Ammiano, ASYLVM *mundi totius*. In Caſſiodoro, *Glorioſum Senatum*, MORVMQVE LVMINA. In Petronio, RECTI BONIQVE PRÆCEPTOREM. Iam in Tacito etiam dicitur, CAPVT IMPERII, *&* DECORA *omnium* PROVINCIARVM. Cur nominatim de *Prouinciis*? quia iam ſub Principibus, ex omni regione capiebantur Senatores. Et vt ditiſſimi honeſtiſſimique Prouincialium ciuitate donabantur, Equites fiebant, ita & mox Senatores. Vtile inuentum, & ad populos ſub vnum imperium firmiter colligādos. Symmachus eâ cauſſâ ſcripſit: *Pars melior* HVMANI GENERIS *Senatus*. Caſſiodorus: *Quidquid* HVMANI GENERIS *floris eſt, habere Curiam*. Et Panegyricus ſcriptor: *Senſiſti* C *Roma te tandem arcem omnium gentium, & terrarum eſſe reginam, cùm ex* OMNIBVS PROVINCIIS, *Optimates viros Curiæ tuæ pigneraueris; vt Senatus dignitas, nō nomine quàm re eſſet illuſtrior, cùm ex* TOTIVS ORBIS *flore conſtaret*. Alter autem ab hoc ordo eſt *Equitum*: qui & ipſi ab illis notis tribus probati, aut probandi. Nam de Genere, multi erant è Senatoribus & Patribus orti: & certè liberti aut libertini, nec ſi Cenſum haberent (niſi beneficio Imperatorum) in hunc ordinem veniebât. Quod inferiore etiam æuo Alexander Imp. ſeruauit, de quo Lampridius: *Numquam libertinos in equeſtrem locum redegit, aſſerens* SENATORVM SEMINARIVM *equeſtrem locum eſſe*. Erant tamen ex ingenuis multi, & ferè omnes qui Cenſum equeſtrem haberent. Is fuit *Quadringentorum*: D id eſt, *decies mille* Philippicorum. Igitur latius hic ordo & amplus, vt tunc opes pleriſque amplæ erant; & ideò quod ad Vitam, coercendus aut recidendus. Apud veteres id quoque Cenſores fecêre, ſiue in *Tranſuectione* (quæ tamen eorum modò erat, qui *Equum publicum* habebant) ſiue per luſtra ſingula cùm ordines digerebant & recognoſcebant. Nam hîc quoque Album erat, ſiue tabulæ, & recitabant: quíque primus ex iis nominatus, *Princeps iuuentutis* dicebatur. planè, vt qui in Senatu primus recitatus, *Princeps* item *Senatus*, auguſto titulo, dicebatur. Sed cur *Iuuentutis*? an omnes iuuenes? immò viri plures & ſenes erant: ſed cauſſa & origo, quòd olim & primâ republicâ, pauci Equites, nec ferè niſi filij Senatorum. Creuit paullatim largiter numerus, & ma- E gnam ciuitatis aut ciuium partem comprehendit: ſed nomen tamen *Iuuenum* manſit. Sed & iuuenes antiquis dicti ad annum XLV. AVD. Iam ſemel iterúmque de Senatorum filiis: non ergo ij Senatorij, aut Senatores? LIPS. Caue erres: diſtinctione hoc dicam. Aliud *Senatus*, ſi Principum tempora adſpicias, aliud *Senatorius ordo*. Ille certo numero ſtetit, vt diximus, & intra *ſexcentos*, ſub Auguſto quidem: at iſte, latiùs patuit, & iuuenes quoque ac Senatorum filij, ſed & alij equites in eum cooptati. Cenſe-

bantur enim Senatorij, qui ius lati claui à Principe impetraſſent:id eſt, inſigne ipſum Senatorum. & in Senatum quidem ij veniebãt, ſed ſententiæ ius fuiſſe non putabis. Inſtitutum enim Auguſti fuit, quod ipſis Suetonij verbis dicam: *Liberis Senatorum, quò celeriùs reip. aſſueſcerent, protinus à virili togâ latum*
Cap. lix. *clauum induere, & Curiæ intereſſe permiſit.* Hoc ita Auguſtus, ſed reſtrictè, in *Senatorum liberis*: poſteà Caligula etiam aliis quibuſdam equitibus permiſit. Permiſit dico, aliíque Principes; ſed ſic vt ab ipſis peteretur. Talis eſt ille Iulius Montanus apud Tacitum, *Senatorij ordinis, ſed qui nondum honorem capeſſiſſet.* Hos ipſos *Senatores* interdum dici reperio. vt in
vi. Ann. Tacito: vbi Togonius Gallus cenſet, *Principem diligere Senatores viginti, ſorte ductos, ad cuſtodiam ſui*: & Tiberius cuſtodes oblatos hos amoliens, *Nam quos omitti poſſe, quos eligi? honoribus perfunctos, an iuuenes?* Intellegit hos noſtros *Iuuenes*, qui nondum propriè Senatores, ſed, vt ita dicam, Senaturiebant. Hi ſunt, qui *Illuſtres equites* à Tacito eodem, atque aliis, ad diſcrimen dicuntur: & palàm ipſe Tacitus cum Senatoribus iungit, aut coæquat. *Auguſtus*, inquit, *inter alia dominationis arcana, ſepoſuit Ægyptum, vetitis ingredi, niſi permiſſu, Senatoribus, aut illuſtribus equitibus Romanis.* Sed ne abducamur à noſtris Equitibus: genus igitur diffuſum, & in vario diſcrimine: erant qui *Equo publico*, erant qui *Iudices*, erant communi nomine *Equites* dicti. Illi qui Equo publico, tempore Dionyſij Halicarnaſſæi, id eſt Auguſti, ad *quinque millia* erant, aut ſupra, vt ipſe vidit ac numerauit. Qui in Iudicibus, haud pauciores: imò plures ex Plinio ſcribente, *Iudicum non niſi quattuor Decurias fuiſſe primò, vixq́ſ ſingula millia in Decuriis, nondum prouinciis ad hoc munus admiſſis.* Quâ adiectiuncula notat, largiter plures ſuo æuo fuiſſe: cùm & Caligula *Quintam Decuriam* addidiſſet. Quid iam dicemus in reliquâ claſſe eorum, qui immunes, fuiſſe? Atque iſti E-
Lib. xlii. quites. quos Perſeus rex apud Liuium ita laudat & inſignit: *Equites enim illis*, PRINCIPES *iuuentutis*, *equites* SEMINARIVM *Senatus; inde lectos in Patrum numerum, Conſules, inde Imperatores creant.* Quæ omnia ſatis clara tibi, ex iis quæ dixi. Supereſt tertius ordo *Plebis*. de quo quid ſingulariter dicam, niſi triplici diſcrimine fuiſſe, Ingenuos, Libertinos, Libertos? Et in militiâ diſcrime erat ab hoc Genere; itémque à Cenſu, ſicut & in aliis muniis, ſi qua publicè ſubirent. Vita etiam Cenſuræ permiſſa: quam tamen neglexiſſe poſteà (malo ſanè publico) Imperatores video, contentos duplicem illum priorem ordinem recognoſſe. AVO. Satis decora & vtilis tota hæc Ordinum diſtinctio: ſed vulgò & in occurſu poterántne agnoſci? LIPS. Poterant, & ſtatim quidem, ab habitu. Nam etſi toga communis omnium ciuium veſtis eſſet: tamen diſcrimina alia, ab aliis notis. Vt ſolis Senatoribus, aut iſtis quaſi Senatoribus, ius *Lati claui* geſtandi erat: quod non aliud, quàm velut bullæ è purpurâ, & capita clauorum intexta aut inſerta. Equitibus autem Aurei annuli, qui hunc ordinem, vt Plinius ait, à plebe diſtinguebant. Qui his duabus notis carebant, Plebs erant.

CAPVT III.

Iuſtitia & Clementia in bellis.

VIROS igitur communiter iam vidiſti, & in claſſes ſuas diſtinctos: ire per Magiſtratus & officia Ciuilia aut Militaria, longum ſit, nec noſtri nũc ſermonis. Etſi omnia ea optimè & prudentiſſimè inſtituta, ſiquà vnquam in Republicâ: ſed omittantur, & quod propoſitum, de *Virtutibus* addamus. Nam viros illos laudabiles, vel potiùs ADMIRABILES fuiſſe dico, idque à duplici virtute, *Militari* vel *Ciuili*. Illam in imperio & republicâ iure conſidero, vt tutelam eius, imò augmẽtum: ſine quâ fruſtrà aliquis ſtatus aut commune ſe iactet. Præmitto igitur, & duo hîc in Romanis, *Iuſtitiam ac Fortitudinem*, miror. Quod ad illam, neſcio an alia gens conſideratius, & cauſſis in Rationis trutinâ libratis, bellum ſuſceperit, quàm iſta. Nam plerique, aut Regum ſuorum arbitrio arma induerunt, aut primorum aliquot in Republicâ, qui decernebant. Hîc aliter, & nec Senatui, nec populo toti, plenum hoc ius; niſi cognitio & iudicatio ſacerdotum publicorum interueniſſet, quos *Feciales* dicebãt. Eorum arbitrio ſumpta arma, poſita arma: & religio, non ſolùm iuſtitia, ea temperabat. Laudat & probat hoc vnicè Dionyſius: & *Græcos ſuos caruiſſe* eo dicit: & *ſeſe ideò obiter expoſiturum, quid muneris & iuris habuerint, vt*, inquit, *quibus ignota hactenus fuit Romanorum* IN BELLIS RELIGIO, *mirari deſinant felices euentus plerumque habuiſſe. Nam omnium bellorum initia & cauſſas, apparebit iuſtas fuiſſe: atque ideò Deos meritò propitios ſenſiſſe & fauentes.* AVO. Prudens & pia ſcriptio Dionyſij, fateor: ſed an vera Lipſi? Itáne omnia bella iuſta, & à talibus cauſſis? Mirum ſanè. cùm video tot regna aut regiones bello petitas, & ſubiectas; atque adeò in paucis annis, cùm extra Italiam pugnare cœperunt, domitum pænè vniuerſum orbem. Singularis hæc occaſio vel opportunitas, ſi omnes ſic ordine læſerunt aut laceſſierunt: & planè ponenda inter tua ADMIRANDA. Quid, quod res eſt, dicimus? Bella quædam iuſta, nõ nego: plura à duobus malorum ſtirpibus nata, Ambitione & Auaritiâ. quod nec ipſi Romani ſcriptores negent. Vis Salluſtium audire? *Romanis arma in* OMNES *habent, in eos acerrima, quibus victis* SPOLIA *maxima ſunt.* Et iterùm: *Romanis, cum nationibus, populis, regibus cũctis,* VNA *&* VETVS *bellandi cauſſa eſt,* CVPIDO *profunda* IMPERII *&* DIVITIARVM. Quid Tacitus tuus, ille iudicij conſideratus ſimul & liber? RAPTORES ORBIS, *poſtquam cuncta vaſtantibus defuêre terræ, & mare ſcrutantur. Si locuples eſt hoſtis,* AVARI; *ſi pauper,* AMBITIOSI. *quos non* ORIENS, *non* OCCIDENS *ſatiauerit.* Audis, Lipſi, præclara hæc elogia? & ab ipſis quidem Romanis: nec tu veſte aut colore aliquo ſermonis facilè hæc teges. LIPS. Suauiter rideo. AVO. Ita video, cur autem in re ſeriâ? LIPS. Nam tuam hanc malitiam (imperitiam dicere non poſſum) quî non rideam? qui verba te dare mihi cenſes, in his quaſi Romanorum verbis, quæ reuera hoſtium eſſe non ignoro. Nónne priora illa Mithridatea apud Salluſtium profert, altera Galgacus apud Tacitum? Mirum autem, ſi ij benè honeſtéque de Romanis loquantur aut ſentiant, qui viris & equis expugnatum eos eunt & euerſum. O iuam diſſimulationem! quaſi neſcias decorè hæc hiſtoriis inſeri, non quia probè aut verè, ſed quia probabiliter ab iis dicta. Nam talia non deſunt, nec vnquam deerunt, magnis imperiis obiectari. Miſerabiles enim ferè victi ſunt, & fauemus imbecillis; & paſſi iniuriam videntur, quia non fecerunt. Atqui terras eorum inuaſerunt, & ceperunt. Quid ergo? liberè & impunè læſiſſe vis? incipere bella, in alienâ manu eſt: non ponere cùm lubet, & vt lúbet. Amittere ſua non iniuſtè incipit, qui aliena aut alios iniuſtè lædit. Sed enim ordo iſte mirificus, & inter mea ADMIRANDA referendus, vt aiebas. Ego tecum hoc ſentio, & arripio: & admi-

rabilem planè hîc habeo Prouidentiam diuinam. Itáne ſerie quadam bella ex bellis nata, prouinciæ ex prouinciis ſubactæ? Illa cauſſas dedit, aut permiſit: & ſemper duplici hoc titulo Romani vſi, vt aut pro *Salute* arma caperent, aut pro *Fide*. Pro illâ, vbi res eorum agеretur; pro iſtâ, vbi Sociorum. Et hoc de Sociis latè patuit, & eſt illa catena, quæ bella & terras coniunxit aut ſibiunxit. Cicero verè & liberè: *Noſter populus*, SOCIIS *defendendis*, TERRARVM OMNIVM *potitus eſt*. Verè inquã: & vis pauca exempla? Ecce Carthaginienſes validi ſunt, imò æmuli virium Romanarum. obſtant creſcentibus: quid fit? remouendus ille obex, & cauſſam ipſi præbebũt. Siciliam inuadunt, & Mamertinos: iſti ad Romanos appellãt, vt Socios. Veniunt, ſubueniunt, pellunt eos, & quæſita iam ipſis ad ſe trahunt. Fit pax, & Sardinia etiam Siciliæ adiicitur, conceſſu ipſorum. Vides augmentum? Sed enim iam ſiſtimus, & illi manent ac florẽt? non. in Hiſpaniâ malâ cupidine tranſſcendant, arma etiam Saguntinis inferant, & amicum ſociúmque Romanis opidum euertant. Bellum ergo iterùm iuſtum: quo fine, & fructu? Victi illi, & in Africam compulſi, Hiſpaniâ aucti Romani. At enim Græcia & Macedonia iam deſoot. Vis iuſtè dari? Philippus Macedo fœdus cum Annibale coibit, Romanos & Græcos ſimul laceſſet: atque iſti eos aduocabunt, & ſibi primùm, mox & Macedonibus, imponent. Talia in Antiocho, Iugurthâ, ipſo Mithridate, qui ſceleratiſſimus non regum, ſed mortalium, quid de fraude vel iniuſtitiâ Romanorum queritur: vt volet; ipſe ab illis & nobis audiet, *Væ victis*. Non dicã pereant, ſed tamen pareant, qui vincere aut quieſcere non potuerunt. AVD. Hem! acriter tu pro Romanis: ſed ex animi tui ſententiâ? LIPS. Ex ſententiâ: ſaltem de antiquis illis Romanis, & ante Sullam ciuili bello nondum infectis, & vt ſic loquar, decoloratis. Pleraque omnia tunc puta & iuſta: & liceat cum Rutilio, verè de Româ dicere,

> IVSTIS BELLORVM *cauſſis, nec* PACE *ſuperbâ,*
> *Nobilis ad* SVMMAS *gloria venit* OPES.

At poſteà degenerarunt, Auaritia & Ambitio quædam dictarunt, ad hoc Rationis examen non dirigenda. AVD. Iam remiſſiùs, & laudo. quid tamen in Rutilio audio, nec *Pacem ſuperbè* dediſſe? Imò ratò dedit, aut impotẽter & ſuperbè dedit. LIPS. Neque id tibi dabo. Quoſdam populos puniuit, fateor; ſed non niſi imperio ſuo, & ſtipendiario illo iugo. Quàm multis autem & pacem indulſit, ſi vti eâ potuiſſent, aut voluiſſent? Ipſis Carthaginienſibus bis: Philippo etiam, & Antiocho, & Tigrani: atque hos omnes cùm pellere terris in eorum manu eſſet; contenti fuerunt reſtringere, & vt imagine hac vtar, pennas incidere, ne temerè & laſcinè ſic euolarent. Sed ſatis ſuper Iuſtitiâ.

CAPVT IV.

Fortitudo Romanorum militaris.

F*Ortitudinem* in militiâ nunc cõſideremus. Quid tamen hîc diffundar? nónne ſatis in ROMANA MILITIA meâ feci? Opinor: ſed argumenti & contextus etiam cauſſâ, pauca dicantur. Aio igitur & *Milites* & *Duces* præſtantiſſimos huic genti fuiſſe, & in omni æuo ADMIRANDOS. Vide mihi legiones illas, quæ binæ iunctæ, & cum totidem Sociis, equitatu autem *mille octingentorum*, ad quæcumque bella & hoſtem ibant: ibant, ſed & victrices ferè redibant. Tota autem ea manus, quid amplius quàm *octo*-

A *decem millium* erat? Iam ſi decem legiones iungeres, quod item factum: quid niſi Hirtij verbis dicam, *vel cælum diruere* eas potuiſſe? Ecce gygantes nouos, & veros, nec è fabulis petitos. An non tales tibi videbuntur, ſi in *Opere*, *Agmine*, *Acie*, paulliſper eos conſideras? Quod ad Opus, fodiebant, vallum & foſſas ducebant; aggerem, teſtudines, turres ſtruebant: omnia celeriter & induſtriè, vt fidẽ ſuperet paucos homines tanta, in tantulo tempore, ſtruxiſſe. In * *Poliorceticis* meis dedi exempla. Iam de Agmine, quid iſtud eſt? arma omnia peditem ferre, cibus ſemeſtres aut menſtruos, vtenſilia, & ſeptenos aut plures interdum vallos. Iumentum ita oneres; negabis par futurum. Adde ordinem in toto inceſſu, à ſignis non

* Item in Mi.

B diſcedere, pari paſſu omnes ambulare, decurrere etiam, cùm opus eſſet, in plenis armis. Denique in acie quis par Romano miles erit? nam non fuiſſe quidem, id conſtat. Cum omnibus gentibus, omni genere armorum aut pugnarum, concurrerunt: ecquando victi ſunt ignauiâ ſuâ aut culpâ? nam hoc addendum eſt: & optimus ille miles ſemper ponor, niſi mens & directio impediret imperiti aut temerarij Ducis. Liuius gloriatur: *Abſit inuidia verbo, & ciuilia bella ſileant, numquam ab* EQVITE *hoſte*, *numquam à* PEDITE, *numquam* APERTA *acie, numquam æquis vtique locis laborauimus.* Vera dictio, & trophæa victarum gentium adſtipulantur. Græcos aut Macedonas aliquos mihi compones? Pyrrhus ipſe Macedo refutabit: & cùm Romanæ militiæ periculum,

Lib. ix.

C ſed cum ſuo periculo feciſſet, vocẽ è pectore emiſit: *O quàm facile erat orbis imperium occupare; aut mihi Romanis militibus, aut Romanis me rege!* Atqui ſi quiſquam Regum bono & veterano milite inſtructus fuit, is fuit. Quid autem mirandum tales fuiſſe, apud quos, à primâ adoleſcentiâ, vita omnis in armis, honos omnis ab armis erat? Nemo honeſtiorum ad remp. accedere, aut magiſtratus capere poterat, niſi decem annos militaſſet. Et pedeſtris ipſa militia, viginti annorum decurſu denique terminabatur. In ipſâ pace, an quietem egiſſe cenſes? exercitia aſſidua erant, vel in Campo illo Martio, vel in ipſis alibi caſtris. Ariſtidem operæ pretium eſt in hac re audire: *Quinetiam in militari diſciplinâ vos, ô Romani, omnium aliorum inſcitiam coarguiſtis. Nec enim contra hoſtes dumtaxat milites veſtros ac Duces, ſed inter ſe primùm*

D *cõmititis & exercetis. Ita fit vt* COTTIDIE STENT IN ACIE, *nec vmquam quiſquam* LOCO CEDAT, *ſed vt in æterno & cæleſti choro, quiſque ſtationem ſuam cognoſcat & ſeruet.* Reuera ita eſt: & de *ſtatione* quod ait, quis neſcit locum in acie, vel in præſidio, militi ſeruandum, vel moriendum fuiſſe? Leuiter ab eo diſcedere, à vitâ erat abire: vt ſeueritas quidem volebat ſaluberrimæ illius Diſciplinæ. Inde contẽptus periculorum & hoſtium: & in medios illos vel exiguam manum ſi Dux miſiſſet, quis non ſine cunctatione parebat? Exemplum illuſtre & notum, ſed ADMIRABILE eſt, in bello Punico primo. Conſul parum prouidè ſuos ductans, in locum humiliorem, & collibus vndique cinctum, inſinuarat. Hoſtes aditus inſederant, & ſine ferro confectum bellum vi-

E debatur. Ibi Tribunus conſilium ſuppeditat: *Conſul*, inquit, *vides tu collem illum, ab hoſtibus nondum occupatũ? illuc cenſeo mittendam cohortem aliquam militum, ſi te & alios vis ſaluos. Hoſtes enim in illos irruent; intereà tu, ſi vir es, te explicabis, & euades.* Placuit Conſuli ſententia, & vera erat: nec de militis obedientiâ dubitabat, ſed *Ducem*, inquit, *illum qui in certam mortem eat, quem habemus? Meipſum*, ait ille. Dictum, factum. quadringenti ad moriendum proficiſcuntur, & cadunt: ſolus Tribunus inter mortuos,

ſemimortuus ipſe, repertus, conualuit, & ſæpe vtilem operam reipublicæ poſteà nauauit. Viros iſtos tali robore, tali obedientiâ, alibi mihi dabis? Spartanos tamen excipio, ſolos dignos qui cum Romanis compararentur, ſi vires & copiæ maiores fuiſſent. nam alia non degenerant. Sed hæc infelix audacia: illa lætior. cùm Punico item bello, fugientem eorum claſſem, pedites in mare ſe conicientes & natantes, quaſi in camporum firmitate aggreſſi, manibus ſuis in litus retraxerunt. Paullò vetuſtiora iſta ſunt: ecce magis noua exempla. Bello Africano ciuili, Centurio Cæſaris cum aliquot veteranis in mari captus, ad Scipionem aduerſarium Ducem perductus fuit. Ibi Scipio clementer vitam ſtatim offerre & honorem, ſi deficere à Cæſare, & pro ſe ſtare vellet. Ille autem contrà, hortari vt ipſe deſiſteret, neu contra tam inuictum virum & copias pugnaret: *Quæ*, inquit, *cuiuſmodi ſint, ſi minùs anteà expertus es, licet nunc cognoſcas. Elige ex tuis cohortibus vnam, quam putas eſſe* FIRMISSIMAM, *& conſtitue contra me. ego autem ex meis commilitonibus, quos nunc in tua tenes poteſtate*, NON AMPLIVS DECEM *ſumam: tum ex virtute noſtrâ intelliges, quid ex tuis copiis ſperare debeas.* Ita Hirtius, ſiue Oppius, ſiue Balbus, caſtè & puriter hæc narrauit. AVD. Légi equidem, & memini: ſed quid niſi militaria & vana hæc verba ſunt? Nam vt *decem* contra *quadringentos* conſiſtant, nulla ratio aut exempla dicent. LIPS. Rationem nunc omitto, etſi ea quoque in veterano iſto robore eſt: ſed exemplis hoc firmari poteſt. Non tu in eodem Hirtio legiſti, *Numidarum copias, in coronæ modum, Cæſaris copias cinxiſſe: Cæſarianis interim*, inquit, NON AMPLIVS TRES *aut* QVATTVOR *milites veterani ſi ſe conuertiſſent*, *&* PILA VIRIBVS CONTORTA *in Numidas infeſtos coniecissent*, AMPLIVS DVORVM MILLIVM, AD VNVM *terga vertebant*. Hoc etſi mirum, tamen verum eſt: & niſi fallor, ipſo illo ſcriptore arbitro & inſpectore geſtum. Sicut quod idem eodem bello, de Gallis noſtris tradidit: *Accidit res incredibilis, vt equites* MINVS TRIGINTA *Galli, Maurorum equitum duo millia loco pellerent, vrgerèntque in oppidum.* Vis nominatim & L. Sicinium aliquem citem, qui *centies & vicies* in aciem deſcendit? *ſex & triginta* ſpolia ex hoſtibus retulit? *octo* ex prouocatione occidit? *quinque & quadraginta* vulnera pectore excepit, tergo nullum? Vis Caſſium Scæuam? qui in Britannico litore, cum quattuor commilitonibus in ſcopulo relictus, cùm mari abeunte hoſtibus adire fas eſſet, atque ij confertim irruerent; deſertus ab aliis, ſolus impetum ſuſtinuit, multos deiecit aut occidit, denique armis ſuis onuſtus, ſolo ſcuto abiecto, in mare ſe dedit, & ad Cæſarem natauit. Qui ſtupens ad viri virtutem, laudare parabat: at ille diſciplinæ memor, *Da veniam Imperator*, inquit, *quòd ſcutum reliqui.* O dictum, factis illis ipſis laudabilius! & quid à tali animo, non enim iam manibus ſolùm, non ſperes? Idem Pompeiano bello, ad Dyrrachium caſtello præpoſitus, ſolus in portâ conſiſtens, contra Romanas, Romanas dico legiones & copias, id ſeruauit. Quo tempore oculus ei effoſſus, humeri traiecti & femur, ſcutum *centum triginta* ictibus perforatum. Fabellas recitare hodiernis militibus videamur: ſed nos res dicimus, tam hercules quàm cùm *Onera aut Opera* narramus, adeò non imitanda, vt nec credenda. Sed inuictos tâ quid milites iſtos miror? magis penè in clade & morte. Miles in Cannenſi prœlio, cùm vulneribus confectus, manus etiam mutilatus eſſet, ſpoliare ſe conantis Numidæ ceruicem brachiis inuadens, ad ſe traxit, & naribus atque auribus corroſis (cùm alia tela non eſſent, aut tractare non poſſet) deformem cadauer aſpicientibus reliquit. De vno loquor: ſed *quinam illi viri fuerunt* (Flori verba dabo) *quos ab elephantis obrutos Pyrrhi prœlio accepimus? omnium vulnera in pectore, quidam hoſtibus ſuis immortui, omnium in manibus enſes, & relictæ in vultibus minæ, & in ipſa morte ira viuebat?* Vide mihi iſtos, non homines, ſed Martes, ſi fas dicere: & nec victos quidem, vincendos. Satis de Militibus, tranſeo ad Duces: etſi quomodo non iſti omnes Duces? Imò quod Thucydides de Lacedæmoniis ſcitè dixit, ὅτι ἄρα, πλὴν ὀλίγων, τὸ ςρατόπεδον αὐτῶν ἄρχοντες ἀρχόντων εἰσί: *quòd, paucis exceptis, exercitus eorũ* DVCES DVCVM *eſſent*: id profectò in Romanos conueniebat. Sed tamẽ Duces etiã aliqui eximij: vt parens ille *Romulus*. vt *M. Furius Camillus*; vt *L. Papirius Curſor*, quem vel Alexãdro parem (ſi veniſſet) Liuius opponit; vt *M. Claudius Marcellus* igneo impetu; vt *Q. Fabius Maximus*, ſalubri tarditate; vt *P. Scipio Africanus prior*, diuinâ felicitate; & *poſterior*, diuinâ virtute; vt denique (nam omnes quis numeret?) caput & culmen *C. Iulius Cæſar*: fortunâ, peritiâ, magnitudine & celeritate animi, ſuper omnes qui arma tractarunt, aut tractabunt. Sed concludimus: ſi poſt Cæſarem tamen vnum addidero, alterius Cæſaris ô fidum vtilémque miniſtrum! Is *M. Vipſanius Agrippa* fuit, vir bello prouidus & fortis, & vel cauſſa victoriarum Auguſti, vel inſtrumentum. Nec poſt eum, flacceſcente iam Romanâ indole, quos inter habeo, niſi fortè *Germanicum Cæſarem*, ſed properata mors eripuit; aut magis certè *Traianum*, ſuo & proprio elogio OPTIMVM MAXIMVMQVE.

CAPVT. V.

Pietas, Probitas, Conſtantia Romanorum.

SEd ad *Ciuilem* iam Virtutẽ venio, domi & in togâ ſpectãdam. Eam per omnes ordines diffuſam triplicẽ maximè repetio, *Pietatem, Probitatẽ, Conſtantiam. Pietas* eminet, vana illa quidem dixerit aliquis, ſed tamen in aſſiduo Numinis cultu (pro ipſorum captu) reuerenter occupata. Incredibile eſt, quàm omnia publicè & priuatim religioſè cœpta, adminiſtrata, patrata: vt totam ciuitatem ſacris operatam & addictam poſſis arbitrari. Atque id ſecundùm vetera inſtituta, nec nouitati aut mutationi dabant hîc locum. Miratur hoc Dionyſius: *quòd quamquam * ſexcentæ nationes penè in vrbem fluxerant, quibus ſingulis ſacra ſua ritúſque patrij eſſent, tamen ad ſuum æuum* (inquit) *nulla peregrina religio publicè ſuſcepta; aut ſiqua oraculorum monitu introducta, eaipſa Romano more culta, abdicatis fœdis vanitatibus, aut fabularum portentis.* Quò valdè faciebat, quòd Sacris præeſſent, & ipſi non interpretarentur ſolùm, ſed adminiſtrarent, viri in Republicâ primi, honoribus honeſti: qui & exemplo plebem eò trahebant; & prudentiâ ac maturitate, noua aut nocitura ſpernebant. Ab hoc deinde capite alia Virtutum membra: & in primis illa *Probitas*, quam nominaui, id eſt animi morúmque integritas quædam & candor. Sine fuco, ſine fallaciâ diu mores illi fuerunt: & in prouerbium abierat, *Homo Romani ingenij, Romana ſimplicitas*, & *Romana fides*. Incerti, ſed Romani ſcriptoris, verſus ſunt:

> CIVE ROMANO PER ORBEM *nemo viuit* IVSTIVS.
> *Quippe malo vnum Catonẽ, quam trecentos Socratas.*

Et ſanè diſſerere alibi de virtute crebrum, hîc vſurpare. Quâ in re alienum teſtimonium audiamus, & Polybij, id eſt hominis Græci. Deus bone, quàm ille dilaudat,

* Nota ad copiã exterorum.

dilaudat, & ſuæ genti præfert! *Apud nos,* inquit, *ſi cui talentum concreditum ſit, & exſtent decem ſyngrapha, decem ſigna, bis totidem teſtes, tamen fidem vix eſt ſeruare. apud Romanos autem, cùm in Imperiis aut Legationibus plurimum pecuniam manibus habeant & diſpenſent, tamen officium & fides conſtant, ſolâ iuriſiurandi religione inducta.* Vides Probitatem in hac parte? ſed & in bello candor is fuit, & rarò aſtu aut fraudibus victoria quæſita aut parta. Tangit grauiter M'. Aquillium Imperatorem noſter Annæus Florus, quòd is bello Aſiatico veneno fontes miſcuiſſet, ad deditionem quarumdam vrbium. *Qua res,* inquit, *vt maturam, ita infamem fecit victoriam. quippe cùm contra fas Deûm,* MORES QVE MAIORVM, *medicaminibus impuris, in id tempus* SACROSANCTA *Romana arma violaſſet.* Iam & huic Probitati *Abſtinentia,* ſiue etiam *Continentia,* adhærent: non fœdè aut iniuſtè appetere alienum, parcè & modicè ſuo vti. Et illius quidem (Abſtinentiæ, dico) quàm pulchrum, nec tractatum nimis, exemplum fuit ab vniuerſo populo editum, Marianâ & Cinnanâ proſcriptione? Quippe cùm ij hoſtium ſuorum penates, omnibus opibus aut elegantiis plenos, vulgi manibus diripiendos vltrò obiecissent: nemo inuentus eſt, nemo, qui iniuſtam hanc prædam è ciuibus peteret, caperétve: ſed, tamquam à ſacris ædibus, omnes manus & cupidinem abſtinuerunt. Et quid in toga miramur hæc exempla, cùm in ipſo bello, & inter hoſtes, prædæ abſtinentia fuerit? quæ non niſi permiſſu capta, & ſic quoque tota ad Duces relata. Iam in Continentiâ quàm laudabiles, ſi cibum, veſtem, aut externa alia ſpectes? Plinium & Plautum teſtes habemus, populum Romanum per aliquot ſæcula non niſi farre & pulte vulgò vſum. Quòd ſi nuptiæ feſtiuitas, aut lætius conuiuium eſſet; pro magno pauci piſciculi, & porcinæ aliquot pondo, in obſonium adiecta. Similis in veſtibus frugalitas: & omnium, ditium pauperúmque, è lanâ: atque eâ natiui & albidi coloris. niſi quòd ditiorum ſplendentes paullò magis & nitidæ à fulloniâ arte eſſent. Nam Sericum, Holoſericum, ipſa Lintea, ſerò innotuerunt, & timidè etiam in vſum paucorum venerunt. Adderem Modeſtiæ laudem, & reuerentem Senatus & procerum ſuorum populum: niſi Tribunitiæ interdum procellæ turbaſſent, quam ego peſtem vnicam & labem reperio in re Romanâ. Denique & tertiam virtutem *Conſtantiam* feci: ô verè ADMIRANDAM in hac gente! Nam in aliis pares alios habeant: in hac nec comparandos. Mucius ille olim oraculum protulit: *Et facere, &* PATI FORTIA, *Romanum eſt*: quaſi hæc in malis magnis Patientia (quæ ipſa eſt Conſtantia) peculiaris eorum virtus eſſet. Et tu diſpice. Vmquámne vnum aliquem hominem, plus inuicti, & obnixi in omnes caſus, roboris oſtendiſſe, quàm populum hunc vniuerſum? Exemplis docearis. Pyrrhus ille in Italiam venerat, cum noui generis gentíſque copiis, & inprimis inaudito terrore elephantum. Victor grandibus prœliis erat, Italiam percurrerat, & à tricesimo pænè lapide Romam proſpexerat. Quid Romani? trepidant ſcilicet, & pacem petunt? Imò oblatam vltrò reſpuunt, & legatos eius cum animoſo hoc reſponſo dimittunt: *Pyrrhus Italiâ cum copiis excedito. vbi exceſſerit, de pace ſi volet, agito. Ni exceſſerit, arma & vires, & aciem exſpectato. Neque deſtituros ab incepto ſe, etiamſi* SEXCENTOS LAEVINOS (ea verba Plutarchus poſuit) *pugna viciſſet.* Qui animi iſti, aut verba ſunt? non contra Pyrrhum, ſed contra fortunam, & pænè dixerim cælum, dimicantium. Etſi mos ille eorum ſemper in bellis (notandus & ADMIRANDVS) nihil largiri armato hoſti: ſed vbi ea poſita, & obſequioſi aut flexibiles illi viſi, tunc denique conditiones ferre & æquas, & ſæpe nec exſpectatas. Generoſum hoc eſt: ne in aduerſos, parcere aut abſiſtere iam abiectis. Fructus autem Conſtantiæ in Pyrrhum fuit, ſponte Italiâ illum fugere, ipſos eius dominos & potentes fieri. Vide & bellum Punicum primum. quot ibi clades, raræ aut nouæ? Rara in Africâ ipſâ, cùm Atilius Regulus Conſul, cum toto exercitu oppreſſus, & viuus veniſſet in hoſtium poteſtatem. Nouæ aliquot in mari: cuius anteà expertes & imperiti, claſſes plures vel naufragio vel pugnâ amiſerant. Polybius ſcribit, & ipſe miratur, *ſeptingentas quinqueremes eo bello amiſſas fuiſſe.* Satis autem iacturam eam æſtimas aut intelligis? in quaque earum (Polybio ſic ordinante) *trecenti* remiges fermè erant, milites* *centum viginti.* Hos tu ſi vnà computas & colligis, videbis paullò minus *trecentis hominum millibus* periiſſe. Et qui Romani tunc erant, nec totâ etiam Italiâ plenè adhuc potiti. O conſtantiam, ô robur, & ô fortunam! nam hæc ſe vertit, & puduit tam merentibus non ſe dare. Iam ad mortem plaga, Punicum bellum tertium. Annibal ſummus ducum in Italiam ipſam venit, ſiluam exſcindere parat, in quâ ſtabulabantur Martiales iſti lupi: & pænè fecit. Tribus prœliis magnis victor, & vltimo illo Cannenſi, quid niſi totum iſtum ſanguinem Romanum exhauſit? Heu cladem! *quinquaginta millia* ſelectorum militum, vnà cum altero Conſulum, cum tot Tribunis & Centurionibus, tot Senatoribus & Equitibus Romanis iacent: & tu Roma adhuc ſpiras? quibus freta? ſenibus, pueríſque, & feminis, quos ſolos pænè reliquos habes? Spiro, inquit, imò alta & vetera ſpiro. De pace nulla mentio: veniat vel Romam Annibal, arx & Capitolium nos defendet, & è cinere iſto ſuſcitabuntur *rerum domini Romani.* O inſanas, dixerit aliquis, cogitationes! ſed res & exitus docuit, conſtantes & felices. *Magna populi Romani fortuna* (ait Florus) *ſed* SEMPER IN MALIS MAIOR, *reſurrexit*: & pueros, ſenes, vinctos, ſeruos armauit: & imbecillo aut fœdo exercitu victrices illas copias profligauit. Plura poſſem. nam in omni Romanâ hiſtoriâ propriæ huius virtutis exempla ſunt: ſed quid maius iſtis poſſum? Claudianus concludat:

NVMQVAM SVCCVBVIT DAMNIS, *& territa nullo*
Vulnere, poſt CANNAS MAIOR *Trebiámque fremebat.*

Et Liuius: MAGNITVDINEM *populi Romani, aduerſis propè rebus* ADMIRABILIOREM, *quam ſecundis eſſe.* AVD. Atqui vnum miror, & pænè doleo, à te omitti. LIPS. Quod illud eſt? AVD. De Varrone: nam quid admirabilius, quàm cùm ille auctor & cauſſa tantæ cladis (nec falſò) diceretur: Romam redeunti obuiam itum ab omni ordine & populo, & *Gratias actas. quòd de Republicâ non deſperaſſet?* Si qua alia hæc plebs fuiſſet, itáne gratias funeſto & furiali capiti? ſputa, ſaxa, tela, nec vnam mortem. Illi fecerunt. quia hoc quoque Conſtantiæ proprium, mederi malis potiùs, quàm iraſci. LIPS. Eſt & mirum aliud. Nam cùm vrbem ipſam Annibal obſideret, & terreret: fundus, in quo caſtra eius poſita, publicè ſub haſtâ Romæ venit: nec minoris, quàm ſi liber, nec inſeſſus ipſe aut Italia ab hoſte eſſent. Item alterum, eodem illo tempore, cùm ad vnam portam Annibal pugnaret & inuaderet, alterâ militem & auxilia in Hiſpaniam emiſerunt. Fiducia hæc, vt verum dicam, humana non fuit: à Deo inſpirante venit.

Dio lib. ...

*Manipulus tum.

CAPVT VI.

Contra Probitatem & Abſtinentiam dicta & obducta quædam.

ET hæc ſufficiunt, mi Auditor, de Virtute Ciuili: cuius cuſtodes & ſacerdotes ſi viritim recenſeam, quando ſiuiam?te,& certè me,fatigem. AVD. Numquam me. nec ſi Iliadem ſermonis tui texas. Sed tamen ſi arbitrari me dicta tua vis, non ſolùm audire:habeo quæ ſpecioſè aut firmiter ubducam iis & opponam.Itàne Virtutem hanc attollis? Pietatem omitto: etſi ea externa tota, & miſeratione magis quàm refutatione digna.Sed de candore & fide adiunxiſti: an non ipſo animo tuo alibi retinente,aut refragante? Proh ſancta Fides, quæ igitur lego alibi aut video,contra tuum numen aut nomen admiſſa? *Cauca* populus Hiſpaniæ ſatis potens & notus fuit. qui cùm pares Romanorum armis & violentiæ non eſſent, legatos ſupplices in caſtra ad Lucullum Imperatorem miſerunt, pacem & fœdus quacumque lege facturos. Ille obſides imperat, & argenti ſtatim * talenta centum, equites auxiliares certo numero. Omnia fiunt ſedulò & obnoxiè. Imperat tum ampliùs, vt *duo millia* militum in vrbem ſuam accipiant, præſidij cauſsâ. Id quoque factum. Sed illis occultò mandatum, vt muros portáſque occuparent: atque ita Lucullus reliquum exercitum induxit, & tubâ ſignum datum,vt ſine diſcrimine, ſenes, pueri, viri, feminæ interficerentur. Ita opidum direptum, deletum:ipſa *viginti millia* hominum, per ſummum ſcelus,interempta. O candorem, ô ſimplicitatem!& ecce aliam,in eâdem Hiſpaniâ, ſimilem. Sulpicius Galba Luſitaniam hoſtiliter ingreſſus vaſtabat, mitantibus illis nec cauſſæ aut culpæ ſatis conſciis. Legatos mittunt,fœdera priora renouant:illo recipiente,& vltrò miſerante,quòd ſic affligerentur. *Sed*,inquit, *egeſtas fortaſſe vos impulit prædas agere, & belli ſpeciem præbere: medebor. Tripartitò vos diuidam, & in agro ac ſolo pingui collocabo, vbi reliquum beati ac tuti agatis. Venite cum vxoribus, cum liberis in talem vallem, talis illa pars adſignabo.* Veniunt miſeri, læti ac ſecuri, & in triplici regione diſtincti. ad quorum primos cùm acceſſiſſet, arma ponere quaſi amicos ſocióſque iuſſit: & iis poſitis, milites immiſit,& fidem ac deos implorantes,ad vnum omnes occîdit. Idem alteris tertiíſque celeriter factũ, & priuſquam fama prioris facinoris ad eos veniſſet. Aſpicio te Lipſi, & oculis vultum ac pectus verbero,ſi tale aliquid infidum & barbarum,in vllâ barbarie factum? Atqui nouitia hæc ſunt, dices, & reipublicæ inclinantis. Non nimis, nec longè à Bello Punico ſecundo,cùm Reſpublica moribus legibúſque vel maximè floruiſſe cenſetur. Sed vis igitur antiquiora? accipe. Auſonum gens in Italiâ fuit, vno tempore, nullo ſatis certo crimine, exciſa. Liuius ipſe narrat, ſuſpectos & delatos à paucis, quaſi deficere ad Samnites vellent: præuentos autem à Romanis: qui occultè ſubmiſſis militibus, quibuſdam & togatis, portas trium opidorum occuparunt: & eâdem horâ, cædibus promiſcuè factis, vrbes & gẽtem deleuerunt. Audis tu mi doctor? quid iſtis hominibus probius aut candidius? cedunt Gallicanæ noſtræ niues. Iam & *Abſtinentiam* ac *Continentiam* laudaſti: & vt leuiſſimè dicam, ſubriſi, aut & irriſi. Nam quæ, aut vbi, hæc Abſtinentia? Romæ & inter ciues fortaſſe? credo, & ex veteri dictu, *Cornix cornici oculum non eruit*. Sed an eadem in prouinciis, & vbi occaſio aut facultas peccandi? O dij deæque (ſi fas ſic exclamare) quæ illîc occulta aut aperta furta, libidines, nundinationes, raptus? Poëtæ Harpyas aliquas finxerunt, quæ contactu & vnguibus omnia diriperent, aut fœdarent. in re, illi Romanorum Præſides fuerunt. Optimus & belliſſimus quiſque ita ſe gerebat, vt bella omnia domum auferret. Demades olim dictitare ſolitus, cùm ad Tribunal aut Magiſtratum iret, *ad Auream meſſem ſe ire*: mihi crede, illi ibant, & Colchos quiſque Iaſon ſibi ſpondebat. Legiſti tu Ciceronis illa de vno Verre? Pleraque talia in aliis, & miſeri prouinciales non niſi præda & ſpolium Præſidibus ſuis erant. Quòd ſi in pace talia: per bellum & arma quid ſuſpicamur fuiſſe? & tu tamen illic quoque Abſtinentiam eorum laudas. O iuſtè, ô meritò! & tuâ veniâ, dabo exempla. Ecce L. Sulla in Aſiâ, cùm cõmuniter *viginti millia talentũm* exegiſſet, priuatim edixit, vt hoſpes militi apud ſe diuertenti *ſedecim drachmas* in diem daret; cœnam inſuper ipſi, & ſodalibus quot vocaſſet; Cẽturio autem acciperet in diem * *quingenas drachmas*, veſtẽ prætereà duplicem Domeſticam & Forenſem. Hæc Sulla, inquies, homo nequam, & natus ad Diſciplinam militarẽ diſſoluendam. Benè eſt, accipio excuſationem: quid ergo L. Paulus qui Macedoniã vicit, inter optimos ciuium? Deſtinatum ei Epirum totam diripere, & in prædam militibus dare, quia cum Perſeo rege ſenſiſſent. Quid facit? ipſis Liuij verbis, *Centuriones in ſingulas vrbes ſubmittit, qui ſe dicerent ad præſidia deducẽda veniſſe, vt liberi Epirotæ, ſicut Macedones eſſent. Denos principes e ſingulis euocant ciuitatibus. Quibus cùm denuntiaſſet, vt aurum & argentum in publicum proferretur, per omnes ciuitates cohortes dimiſit, ſic vt vno die in omnes peruenirent. Edicta Tribunis Centurionibúſque erant, quæ agerentur. mane omne aurum argentúmque collatum: horâ quartâ ſignum ad diripiendas vrbes datum eſt militibus, tantáque præda fuit, vt in equitem * quadringenti Denarij, peditibus duceni diuiderentur. Centum quinquaginta millia capitum humanorum abducta. Muri deinde direptarum vrbium diruti ſunt: ea fuêre opida circa* LXX. Quibus auribus tu candoris, tu abſtinentiæ mirator, hæc audis? Centuriones ſubmittit, per ſpeciem liberandi; decem primos euocat, vt conſilio & ducibus ſpoliet: ô candidum factum! Milites deinde immittit, diripit, cædit: ô clemens abſtinénſque factum. Sed pulcherrima clauſula, tot millia capitum abducta: nec finis, in inſetos muros & tecta ſæuitum, & diruí ea iuſſa. In vicinâ Græciâ, quid Hortenſius Prætor patrauit? Legati Abderitæ in ipsâ Româ audiantur, (Liuij item verbis) *Flentes ante Curiam, querentéſque, opidum ſuum ab Hortenſio expugnatum direptúmque eſſe. Cauſſam excidij fuiſſe, quòd cùm * centum millia denariũm, & tritici quinquaginta millia modiũm imperaret, ſpatium peterent, quo de eâ re ad Hoſtilium conſulem, & Romam, legatos mitterent. Vixdum ad Conſulem ſe perueniſſe. & audiſſe opidum expugnatum, principes ſecuri percuſſos, ſub coronâ ceteros venuiſſe.* In ipsâ Italiâ, Locrorum opido Q. Pleminius, Legatus Scipionis Africani, cum milite præfuit. Sed quomodo? Liuius iterùm dicet: *in* CORPORA, *in* LIBEROS, *in* CONIVGES, INFANDÆ *contumeliæ editæ*. Libidines, & non dicenda habes: *iam auaritia* (inquit) *ne ſacrorum quidem ſpoliatione abſtinuit. nec alia modo templa violata, ſed Proſerpinæ etiam intacti omni ætate theſauri.* En religionem & pietatem, quam laudabas. Et quid ego Conſules, Prætores, Legatos, nomino aut conqueror? ecce puſillus vnus Præfectus equitum, titulo tenus, Scaptius, cùm pecuniam deberi ſibi à Salaminiis diceret, illi ad Senatum appellarent, eiúſque conſultum: homo probus & iuſtus, *quinquaginta equites* ab Appio Proconſule impetrat, *incluſum in Curiâ Senatum habet in multos dies, adeò vt interierint nonnulli fame.* Hæc Cicero ita narrat, &

[Margin notes: * 6000. Phil. — * 50. Phil. — Lib. xlv. — * 40. Phil. — Lib. xliii. — * 10000. Phil.]

ſimul æquabile illud ius inter prouinciales & Romanos oſtendit. Quid plura addo? claudat mihi Polybius teſtium agmen. qui ſcribit, Scipionem, captâ Carthagine Nouâ, *omnes obuios occidi iuſſiſſe, nec vlli parcerent.* Tum addit, ſollennem hunc morem Romanis fuiſſe: *Videntur enim*, inquit, *terroris gratia hoc illi facere. Itaque frequenter videre eſt, quando Romani ciuitates capiunt, non homines modo occidi, ſed etiam canes diſſecari, & aliarum animantium membra truncari.* Heu, heu clementiam, candorem, probitatem, & omnia, quæ dixi, inter ADMIRANDA!

CAPVT VII.

Pariter contra Continentiam; & de luxu Romano.

IAM tu *Continentiam* etiam laudabas, in Victu & Veſte: voluntate tuâ, aliquid opponam? LIPS. Valde intereſt ſcilicet quid velim: tu mihi videris, vt Mithridates aliquis, non libero, ſed hoſtili ore, & animo, inuehi in Romanos. AVD. Non ita eſt: ſed falſa ſi dicam, vterque parati erimus, tu refellere, ego refelli. Hoc iam agis, video: ſed priùs & iſthæc audi. Continentiam igitur & frugalitatem veterum illorum, ſed planè veterum, ſi laudas: ego ſuccino, & Fabricios, Curios, Quinctios tecum miror. Sin longiùs trahis; vt non ego, lectio tua & obſeruatio tacitè te fellent. Quid? leges illæ Sumptuariæ ab antiquo latæ, & ſub bellum Punicum ſecundum, non oſtendunt morbos in eâ parte fuiſſe, cùm ad publica hæc remedia decurrendum? ipſæ cænæ, & lautitiæ quæ narrantur, non id clamant? Reminiſcere Pontificiæ illius cænæ apud Macrobium, vbi incognita & nobis quærenda ciborum genera: reminiſcere & Salluſtij verborum de Metello Proconſule, in Hiſpaniâ: *Cenæ, vltra Romanorum, ac mortalium etiam, morem curabantur, exornatis ædibus per aulæa & inſignia, ſcænisque ad oſtentationem hiſtrionum fabricatis. Simul croco ſparſa humus, & alia in modum celeberrimi templi. Præterea, ſedenti in tranſennâ demiſſum Victoriæ ſimulacrum, cum machinato ſtrepitu tonitruum, coronam ei imponebat: tum venienti thure, quaſi Deo, ſupplicabatur. Toga picta plerumque amiculo erat accumbenti: epulæ verò exquiſitiſſimæ, neque per omnem modo prouinciam, ſed trans maria, ex Mauretaniâ volucrum & ferarum incognita anteà, plura genera.* Conſidera cænaculi apparatum, cænantis habitum aut honores, cænæ ipſius exotica fercula, quis ganeonum & lurconum, poſſit vel auſit imitari? Quis noſtrûm hodie aues aut feras trans mare, cænæ cauſâ, conquirit? Atqui olim non Metellus ſolùm aliquis, ſed iam vulgus lautiorum Petronius Arbiter:

Ingenioſa gula eſt. Siculo ſcarus æquore merſus
Ad menſam viuus deducitur. inde Lucrinis
Eruta litoribus vendunt conchylia cenis,
Vt renouent per damna famem. iam Phaſidos vnda
Orbata eſt auibus, mutoque in litore tantum
Solæ deſertis adſpirant frondibus auræ.

Cõſol. ad Helu. Pulchrè & floridè, ſed an poëticè & elatè? non opinor, imò Seneca, acer ille talium quæſitor & cenſor, auget & attollit. *Non eſt neceſſe* (inquit, ad ſæculi ſui mores) OMNE *perſcrutari profundum, ac ſtrage animantium ventrem onerare, nec conchylia* VLTIMI MARIS *ex ignoto litore eruere. Dij deæque iſtos perdant, quorum luxuria tam inuidioſi* IMPERII FINES *tranſcendit. Vltra* PHASIM *capi volunt, quod ambitioſam popinam inſtruat: nec piget à* PARTHIS, *à quibus pœnas nondum repetimus, aues petere.* Vides affectum & ſtomachum viri, & ſine bile hæc nec in ſermone quidem vſurpantis. Quid Latinus Pacatus, in Panegyrico? Laudat Theodoſium Principem, quòd nihil tunc opus eſſet, *ad*

A *penum regiam flagitare remotorum litorum piſcem, peregrini aeris volucrem, alieni temporis florem.* & tum addit imaginem prioris ſæculi: *Nam delicati illi ac fluentes, & quales ſæpè tulit Reſpublica, parùm ſe lautos putabant, niſi luxuria vertiſſet annum, niſi hibernæ poculis roſæ innataſſent, niſi æſtiuâ in gemmis capacibus glacie Falerna fregiſſent. Horum gulæ anguſtus erat orbis noſter. namque appoſitas dapes, non ſapore, ſed ſumptu æſtimantes, illis demum cibis acquieſcebant, quos* EXTREMVS ORIENS, *aut poſitus extra Romanum* COLCHVS *imperium, aut famoſa naufragiis maria miſiſſent.* Ecce vitia & prodigioſum luxum, omnia faſtidientem, niſi remota & ſumptuoſa. Sed inferioris tantùm illa æui? imò verò, vt tengi, à bello Punico ſecundo, aut circà:
B cùm ecce Cato Cenſorius publicè queſtus, *Non poſſe ſaluam eſſe vrbem, in quâ piſcis pluris, quàm bos, veniret.* Atteode mi Lipſi. hócne noſtro æuo fit? & tamen in luxû inuehimur, nec immeritò: at ego tibi dico, pluris quàm decẽ boues venijſſe vnum piſcem: piſcem? piſciculum addo. Mulli in quo tunc pretio? putantur fuiſſe, quos *Barbos* hodie, aut *Regulos marinos* vocamus: ſed quidquid fuit, piſciculus, & vix quinque aut ſex librarum. O non delicias. ſed inſanias! vnum ex iis *quinque, ſex, octo, decem millibus* HS. reperio emptum. Seneca iocosè narrat de Tiberio, ſeuero Principe, & luxui nec duce nec fautore. *Mullum ingentis formæ (quare autem non pondus adijcio, & aliorum gulam irrito? quattuor pondo & ſelibras fuiſſe aiebant) Tiberius Cæſar miſſum ſibi, cùm in macellum deferri & venire iuſſiſſet: Amici, inquit, omnia me fallunt, niſi iſtum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octauius. Vltra ſpem illi coniectura proceſſit. Licitati ſunt: vicit Octauius, & ingentem conſecutus eſt inter ſuos gloriam, cùm* HS. * *quinque millibus emiſſet piſcem, quem Cæſar vendiderat, ne Apicius quidem emerat.* Notetur hîc, quæſo, non pretium ſolùm piſcis, ſed Tiberij mirabilis continentia, qui in tantis opibus nec edere piſcem voluit, nec donũ alteri tradere, ſed pretium ex eo fecit. quod ſordes hodie aliquis fortaſſe (neſcio an rectu iudicio) interpretetur. At in Plinio, *Aſinius Celer, è conſularibus, hoc piſce prodigus, vnum mercatus eſt* * *octo millibus.* Atque id quaſi ſummũ pretium Plinius habet, cùm tamen in Suetonij Tiberio ſit, Principem eum *grauiter queſtum, tres mullos triginta millibus nummûm veniſſe.* Si numeri recti, certum eſt exceſſiſſe, & ſingulos *ducentis quinquaginta* Philippicis ſtetiſſe. An falſus aut mendax ergo fui, de bobus vel decem? Iam alia ſi conquiram, vereor non longus ſolùm, ſed vanus eſſe. Dicam tamen, vel tui iudicij explorandi cauſâ; & corriges, ſicubi ego, aut teſtes mei, extra fines veri ibunt. De Apicio, quem iam nominaui, res nota eſt, hominem perditæ gulæ fuiſſe: de quo, vt alia ſileantur, mors ſola iudicabit, quam Senecæ verbis dicam. *Apicius*, inquit, *noſtrâ memoriâ* (ſub Tiberio) *vixit, qui ſcientiam popinæ profeſſus in eâ vrbe, è quâ quondam Philoſophi pelli fuerant, diſciplinâ ſuâ ſæculum infecit. cuius exitum noſ-*
E *ſe, operæ pretium eſt. Cum* * HS. *millies in culinam congeſſiſſet, ære alieno oppreſſus, rationes ſuas tunc primum coactus inſpexit. Superfuturum ſibi* HS. *centies computauit, & velut in vltimâ fame victurus veneno vitam finiuit.* Quam luxuriam, & quam effuſam vitam priuati hominis hanc fuiſſe putamus, cui *centies* HS. (id eſt, *ducenta quinquaginta millia* Philippæorum) paupertas & deſperatio fuit: O quàm multorum improba vota hodie tini, vel *quinquagies* habere? Sed hunc omitto, & duos eodem nomine alios, qui in exemplar & nomen tranſierunt huius vitij: Claudium Æſopũ addamos, hiſtrionẽ. De eo Plinius: *Maximè inſignis eſt in hac memoriâ, Clodij Æſopi, tragici hiſtrionis*

Epiſt. xcv.

* octo ſi grati quinque Phil.

* ducenta Philipp. ca xxxiij

* Dvo mil. liones & ſemis.

patina, ſexcentis HS *taxata, in qua poſitæ aues, cantu aliquo aut ſermone humano vocales, millibus ſex ſingulas coemtas, nulla alia inductus voluptate, niſi vt in his imitationem hominis manderet.* Benè hæc poſtrema fortaſſe: ſed an non acrius, *imitatione hominem manderet.* Anthropophagum facere hunc Æſopum vult, qui aues comederet, cùm hominem non poſſet, humanas. Æſtimatio autem ea vnius patinæ eſt, *quindecim millium* Philippæorum. Atque iſte etiam fuit (alij ad eius filium retulerunt) qui *margaritas ſorbere ſolitus* aceto ſolutas. O ſcelus, in mare deportandum! LIPS. Ne nimis, ne nimis: & an me eò vis? nam ne neſcias, & ego margaritas, vel potiùs margaritulas, arte liquefactas, valetudinis cauſſâ, ſoleo ſorbere. Nec res magna aut impendioſa eſt. AVD. At ego pretioſas aio, & mens eorum eſt, qui ſcripſere. Tu autem vel aurum & gemmas ſorbe, vt viuas. Sed quod ad illos gulones, de M. Antonij & Cleopatræ ſponſione non meminiſti, cùm hæc ſe *centies* HS. vnâ cænâ diceret abſumpturam? Ille negare, & rem * *ἀδύνατον* censere: ad ſummum, iudex & ſculna captus Munatius Plancus. Res non differtur, ſequenti die illa cænam apparat pollucibilem, ſiquis vnquam, & denique vt Cleopatra, & Ægypti regina. Nihil mirari Antonius, & calculos ad extremum poſcere: cùm illa arridens, Vnum, inquit, ferculum rem confecerit. & ſimul ex compoſito, illatâ phialâ acris aceti plenâ, vnionem quem aure dextrâ geſtabat, ſingulare naturæ opus, detractum in phialam demiſit, eúmque, vt natura eſt, ſtatim liquefactum abſorbuit: parata & in alterum, quem ſiniſtrâ gerebat, manum inicere, ni prouidè & properè Munatius, victum Antonium clarè pronuntiaſſet. Quidni victum: cùm ſola ea gemma vel *centies* HS. eſſet, ſiue, vt noſtra æſtimatio, *ducentis quinquaginta millibus* Philippæorum. Atque illa igitur arte hoc conſecuta eſt, vel aſtu: an re ipsâ & ſimpliciter Caligula, de quo Seneca? *C. Cæſar, quem mihi videtur Natura edidiſſe, vt oſtenderet quid ſumma vitia in ſummâ fortunâ poſſent, centies* HS. *cænauit vno die, & in hoc omnium adiutus ingenio, vix reperit, quo mediocrium prouinciarum tributum vna cæna fieret.* Nam ſi margaritæ vel lapilli abſumendi, quid ingeniis magnis aut inuentis opus? via ſtrata & nota iam erat, per veſtigia Cleopatræ. In Suetonio tamen ſic lego, de ipſo iſto Caligulâ: *Commentus eſt portentoſiſſima genera ciborum; vnguentis calidis frigidíſque lauabatur, pretioſiſſimas margaritas, aceto liquefactas ſorbebat; conuiuis ex auro panes & obſonia apponebat.* Quid iam Vitellius, ille helluonum omnium altiſſimus gurges? de quo Plinius: *Vitellius in principatu ſuo* * *decies* HS. (ita libri veteres) *condidit patinam, cui facienda fornax in campis exædificata erat.* Ego mallem (ſed tu iudica) *condijt patinam*: quia non de ipsâ lance, etſi grandi & pretioſâ, ſed de inſtructo eius & obſonio eſt ſermo. Scripſit autem Suetonius; *in hac ſcarorum iocinera, phaſianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopterûm, murenarum lactes, à Carpathio vſque fretoque Hiſpaniæ, per nauarchos ac triremes petitarum, eum commiſcuiſſe.* Vbi libri veteres plerique, *à Parthiâ vſque* (non *a Carpathio*) habent: & conſiderandum eſt, ex Senecæ & aliorum ſuprà verbis. Etſi tamen ſtructura videtur hæc ad *Murenarum lactes* referre. Idem verò Vitellius, non ipſe ſolùm prodigus, ſed alios impellens, *indicebat eadem die, ientacula, prandia, cænas, commiſſationes, ipſe omnibus ſufficiens, vomitandi conſuetudine.* Quod Suetonius cum retuliſſet, ita reddit: *nec cuiquam minus ſinguli apparatus, quadringenis millibus nummûm conſtiterunt.* Heu illuſum vel abuſum, in alienis opibus! nam ea ſunt *decem millia*

A Philippicorum, ſiue ipſe cenſus equeſter. Super hæc nihil reperio, niſi in Latini Panegyrico obſcurè quoſdam Principum perſtrictos: *Vt taceam*, inquit, *infami dilectu ſcriptos in prouinciis aucupes, ductáſque ſub ſignis venatorum cohortes, militaſſe conuiuiis: nónne cognouimus cuiuſdam retro Principis non prandia ſæpe, ſed fercula,* HS. *millies æſtimata, patrimoniorum equeſtrium pretia traxiſſe?* Nec ſatis firmiter ſcio, quem aut quos tangat: puto Vitellium tamen, ſi in verbis eius emendes, * HS. *mille æſtimata.* Nam de illo *millies*, quis credat in vno ferculo abſumptum? quod nec Cleopatræ aliquot, aut Caligulæ iuncti feciſſent. Immane hoc nimis eſt: at illud *mille* planiſſimè conuenit, cum Plinij ſuprà notâ de vna Vitellij patinâ
B *decies* HS. æſtimatâ. Nam millena HS. & *decies*, Romanis idem ſonant. Iam de Heligabalo quid dicam? de quo Lampridius: *Numquam minus* * *centum* HS. *cænaſſe, hoc eſt argenti libris* XXX. *Aliquando autem* * *tribus millibus* HS. *cænaſſe, omnibus ſupputatis quæ impendit. Cænas verò Vitellij & Apicij viciſſe.* Vbi tamen non *argenti libras* XXX. legi calculus vllus admittit, vt panes cum *centum* HS. ſed potiùs CCL. quæ pura veritas eſſet. Atque ego in illo ſuper omnes ſtupeo. LIPS. Quid ita? nam Cleopatra, imò Caligula ſuperauit. AVD. At enim hoc mihi magnum & ſtupendum, quòd ſumptus iſti in Heligabalo cottidiani, & *numquam minus* (verba Lampridij) *centum* HS. *cænauit.* Eſſent *ſeptuagintaquinque millia* Philippæorum in
C menſem: quid iam conuiuia, quæ eiuſdem totius ſummæ, in vnum diem interpoſuit? Ita enim & Lampridius addidit factum. Sed iam monſtra omittimus: aliquid ad communem morem quærimus, à quo non nimis Philippus, Hortenſius, Lucullus, & hi tales, lumina reipublicæ, abiuerunt. Piſcinæ & viuaria iſtorum nota ſunt: cænæ, ex vnâ hac Lucullianâ. In famâ homo erat lautitiarum, & quòd eſſet *non ganeo & profligator, vt plerique ſua haurientium, ſed erudito luxu.* Cepit cupido Ciceronem & Pompeium cognoſcendi, ſed inopinatò, & vt ſeriò diſcerent quomodo in dies viueret. Inueniunt in foro, ſalutant, cænam indicunt. Sed *bene tu*, aiunt, *ea lege
D nequid præmandes. nam ſumptum ſiuis in nos, non placet.* Ille tergiuerſari primò per ſimulationem, & *Cras potius*, inquit: cùm negarent, *Ergo nec hoc licet*, inquit, *famulo dicere in quo triclinio cænaturi* ſimus? Permittunt. Ille altâ voce, *Abi, dic in Apollinis cænaturum.* Mox ſequuntur: omnia lauta, ſplendida, regia, cum ſtupore duorum conuiuarum. Sed cauſſam neſciebant ſcilicet, & totam vim habuerat ad apparatum, vnum illud *Apollinis* verbum. Nam homo ita diſpoſuerat, vt cænacula ſuis nominibus diſtincta eſſent; & in quoque tales cibi, & impendia. Eminebat autem illud Apollinis: atque ita cùm Diſpenſator aut Coquus audiſſent id nomen, ſciebant ſtatim quid, & quantum opus eſ-
E ſet. Summa enim taxata huic cænaculo, ait Plutarchus, *quinquaginta millium drachmarum* erat: quæ ſunt *quinque millia* Philippæorum. Etſi alij tamen in Plutarcho *quinque millia*, non *quinquaginta* legunt: atque ita minuunt ſummam. Quid plura ego adferam? vnum hoc Senecæ, ad æui ſui mores aptum: *Quid eſt ſumptuosâ cænâ flagitioſius, &* EQVESTREM CENSVM *abſumente? & tricies tamen* HS. *adiiciales cænæ frugaliſſimis viris conſtiterunt.* Hic vous ictus, Lipſi, te conficit: vulgò *cenſus equeſtres* inſumpti & ab ipſis *frugaliſſimis* viris, *tricies* HS. Quantum hoc poſtremum eſt? colligit *ſeptuagintaquinque millia* Philippæorum. O frugalitas in vno conuiuio ADMIRANDA! & quis Principum hodie vel in nuptiali pænè epulo tantum prodigit? Silebam

Margin notes: * quæ fieri non poſſit. — Conſol. ad Helu. — Lib. xxxv. — * 25000. Phil. — * 25000 Phil. — * 2500 Phil. — * 75000 Phil. — Tacit. de Petronio — Epiſt xcv

Lipſi, & ſtupebam: niſi quòd de *Veſte* etiam aliquid ſit addendum. Sumam à Cenſore noſtro Senecâ: *Quidquid eſt boni moris, extinguimus leuitate & politurâ corporum. Muliebres munditias anteceſſimus, colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri ſumimus. Tenero & molli ingreſſu ſuſpendimus gradum: non ambulamus, ſed incedimus. Exornamus anulis digitos, in omni articulo gemma diſponitur.* Iſta de viris: quid de iuuenibus? Pater illius Senecæ: *Torpent ecce ingenia deſidioſa iuuentutis, nec in vllius rei honeſtæ labore vigilatur. Cantandi ſaltandique obſcœna ſtudia effeminatos tenent: & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum feminis, & immundiſſimis ſe excolere munditijs, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt. Quis æqualium veſtrorum, quid dicam ſatis ingenioſus, ſatis ſtudioſus, imò quis ſatis vir eſt? Emolliti eneruéſque, quod nati ſunt, inuiti manent, expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes ſuæ.* Dei fidem! luculenter vtramque ætatem, ab vtroque ſcriptore, laudatam! Fortaſſe de feminis addam, quas ſcimus cum veniâ peccare, vbi viri gradum ſtruunt? Tamen quid Propertius?

Matrona incedit cenſus induta nepotum.

Seneca iterùm: *Video vniones non ſingulos ſingulis auribus comparatos: iunguntur inter ſe, & inſuper alij bini ſuperponuntur. Non ſatis muliebris inſania viros ſubiecerat, niſi* BINA AC TERNA PATRIMONIA *auribus ſingulis pependiſſent.* Ille de auribus queritur: alius de toto corpore. vt Manilius:

Pérque caput ducti lapides, per colla, manúſque,
Et pedibus niueis fulſerunt aurea vincla.

Pedibus etiam aurum, vt ait, ſed & gemmæ: ac Plinius ſcribit, *non crepidarum tantùm obſtragulis, ſed & totis ſocculis addi. Neque enim* (inquit) *geſtare iam margaritas, niſi calcent, ac per vniones etiam ambulent, ſatis eſt.* Addit pro faſtigio inſaniæ, *Viſam à ſe Lolliam Paullinam, ne ſeriè quidem ac ſollenni cæremoniarum aliquo apparatu, ſed mediocrium etiam ſponſalium cœnâ, ſmaragdis margaritiſque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, ſpiris, auribus, collo, manibus, digitiſque. quæ ſummam quadringenties H-S. colligebant, ipſa confeſtim parata mancupationum tabulis probare.* O monſtra! ô auſpice, non te vindice Lipſi, digna! Vna mulier, in vno cultu *decies centena millia* Philippicûm habeat? habuit: & pauca hæc ſatis, ad Veſtem & cultum. Nam cingi te iam aut ſuſpicor, aut vereor: neque fortaſſe deceat nos iuuenes non dicam tam liberè, ſed tam liberaliter, nec in vos, ſed apud vos loqui. At tu ſi peccaui, puni: quomodo? contemptu & ſilentio, quæ pœna maxima mihi erit.

CAPVT VIII.

Excuſati Romani à prioribus: & primùm in Raptu vel Sæuitiâ, obiter.

NEVTRVM ego faciã, ô mi Auditor. Cõtemnam vel te, vel tuum hoc diſcendi ſtudium? nam ita oppoſitionem hanc interpretor. Vel ſileam etiam? quod non aliud ſit, quàm cauſſam non ſolùm perdere, ſed prodere: quod eſſe nõ poteſt, niſi aut improbi, aut diffidentis. Atqui non eſt magnum hoc opus, ne erra: quæ tu coaceruaſti, vnius alteriúſque manus impulſu deiuam, nec machinâ aut ariete alio adhibito cadent infirmi iſti muri. Triplex accuſatio à te ſtructa, in Probitatem, in Abſtinentiam, in Continentiam: & videamus. Fraudulenti quidam aut perfidi fuêre; rapaces quidam aut crudeles; luxurioſi in cibis aliqui aut veſte: ſed quidam, ſed aliqui: & hæc prima reſponſio ſit, & ſcutum pro me firmum. Quid pungis aut inuadis gentem totam, ob pauculos à te, tot ſæculis, alios vitioſóſque nominatos? Fuiſſe non miror: nec id prodigium aut monſtrum, vt tu aliquoties dixiſti, imò eſſet, ſi non fuiſſent. An tu in hac fæce noſtrâ hominum, puram meràmque virtutem aliquam vis? ſoles nobis imperiorum lucere, ſine nube, aut tonitru, aut procellâ? nec fuêre iſta, nec erunt: & Deus in ſuperis illis locis & liquido æthere, ſerenum hoc habet, & ſeruat; cetera omnia inferiora, miſcentur, & turbant. Galbam aut Lucullum aliquem in Hiſpaniâ nominas; Hortenſium, aut Pleminium alibi: quid iſta ſunt, in tot millenis Præſidibus, qui boni & innoxij fuerunt? Vt ſi guttas aliquot aceti in magnum vas aquæ mulſæ iaciam, non ipſum corrumpam, ſed gratiam fortaſſe magis ab acore aliquo addam: ſic in magnis iſtis imperijs, magis ſentitur bonorum bonitas, ſi pauci interueniant, acidi aut amari. Vis tibi Taciti mei verbis hoc dicam? Cerialis apud eum rebelles Gallos ſic mitigat & componit: *Quomodo ſterilitatem aut nimios imbres, & cetera naturæ mala; ſic luxum, vel auaritiam dominantium, tolerate.* VITIA ERVNT DONEC HOMINES: *ſed neque hæc continua, & meliorum interuentu penſantur.* Hæ ſunt non Cerialis, aut Taciti, ſed Sapientiæ voces: tu, & alij iſti queruli, audite. Atque hæc ſi locum in exiguo aliquo nec diu imperio habeant (cotidie enim occurrunt:) quidni magis in illo amplo, diffuſo, opulento? Magna peccandi materies & illecebra erat; & quòd procul ab vrbe dominâ & Senatu agerent, & vbi vix cerni vel noſci vitia ſua poſſe arbitrabantur. Et tamen (quæ altera reſponſio) aduerſa ſæpe fuêre, atque etiam animaduerſa. Hoc excuſet Senatum & imperij præſides, quòd legibus pœnas dederunt, quicunque conuicti ſunt leges alibi violaſſe. Nónne id in Galbâ, Hortenſio, Pleminio, Verre, & talibus? Nec Romanis igitur vniuerſis fraudi aut culpæ ſit, peccaſſe aliquos, ſed impunè & liberè peccaſſe. Paullum Æmilium mihi etiam attuliſti, magnum virum, fateor, & vno illo vel colore culpæ, non enim culpâ indignum. Cur tamen cùm inuidioſè rem totam narras, hoc callidè ſiles, Senatum ei iuſſiſſe? Ex præſcripto id fecit: & qualecumque eſt, non iam ipſe, ſed Senatus potiùs accuſetur. Cur tamen vel iſte? audi & diſce. Epirotæ illi omnes firmiter pro Perſe ſteterant, Romanos oppugnauerant: quæ iniuria eſt, ſi hoſtes hoſtium pœnas luant? At nimias, inquies. Nollem factum, ſi me conſulis, & clementia placeat: ſed ad coërcendas rebelliones aut defectiones, talia quædam à modeſtiſſimis Regibus aut Rebuſpublicis facta, poſſim docere. Addis ſollennem ſæuitiam Romanorum, vt putas, in expugnatione opidorum: homines occidi, canes diſſecari, animantes truncari. Miſeranda ſunt, non nego: nec tamen, vt tu cenſes, referenda inter mea ADMIRANDA. Quid diſſimulas? non herè & hodie hæc fiunt in puberes & viros omnes, vbi vis vltima expectata? Et cauſſa aliqua huic rei eſt, *Terror*, quod Polybius dixit: & non facile alioqui manum & finem bellis imponere, niſi hæc interdum, frangendæ pertinaciæ, vſurpentur. At canes etiam diſſecti. ô ridiculum te, ſi in canes nõ licet, quod in homines! & amo ego quoque hoc genus, ſed abiit vt ſupra noſtrum genus. Hæc dici & excuſari poſſunt, & verè poſſunt: non infitior tamen, ſub Sullâ aliquo, Mario, aut Cæſare, & præſertim per ciuilia bella, ius omne & fas neglectum aut calcatum: ſed mox attollendum ab Auguſto, aut ſi quem bonũ Principem Deus dedit. Illo medico opus fuiſſe fateor Rep. iam tam laxâ & opulentâ: & inter pares, ſeueritas aut terror eſſe non

poterat

Lib. vii. Na. Quæſt.

1. Côtrou.

poterat ad ſatis reprimendũ. Leges erant: ſed *inualidũ earum auxilium*, ait Tacitus: *quæ vi, ambitu, poſtremò pecuniâ turbabantur.* Itaque ſub Principe ſtatus iam melior, maximè quod ad Prouincias attinet: nec eæ auaritiam aut rapinas Præſidum ſic impunè ſentiebant.

CAPVT IX.

Factum idem in Luxu menſarum, aut veſtium.

SATIS, quod ad priora duo attinet, excuſaui: venio ad *Continentiam* aſſerendam, in quâ conuellendâ valdè te iactaſti. Argumenta in eam præcipua duo erant, Leges ſumptuariæ ab antiquo latæ; & Exempla aliquot luxus. Quod ad Leges, vide quàm ego à te abeam: aio & adfirmo, non firmius pro frugalitate argumentum eſſe. Nam quod eæ coërcent aut emendant, quale eſt? ex emendatione apparet, quam videamus. *Fannia* ecce lex, ſub bellum Punicum tertium lata fuit, in hanc ſententiam: *permiſit diebus feſtis centenos æris; ceteris, denos.* O verè ADMIRANDA æui continentia, cui ſatis eſſe potuit finitio iam dicta! Nam attendiſti hoc mi Auditur? *centeni* illi æris, decem drachmas nobis reddunt; *deni*, vnam. O nuptias, repotia, natales, apparatu celebri, quibus Philippæus vnus ſufficeret in potum, in cibum! Quis de viâ aut ponte mendicus pænè, non plus hodie abſumpſerit? Atqui Reſpublica tunc ſatis opulenta & florens erat: & maximè autem ſub Sullâ. Tunc & Græcanicæ, & Aſiaticæ deliciæ cognitæ: videamus igitur, & laxè lauteque iam epulemur. Ita opinor. nam ecce tulit Sulla, vt *ferijs ſollennibus triginta ſeſtertios liceret inſumere; ceteris diebus, ternos.* Hem, hem, hem quid iſtud eſt? itáne regredimur, & recidimus? ego autem iure progredi, & accedere aliquid debere cenſebam. *Triginta* HS. ſunt, meo calculo, *ſeptem* drachmæ & ſemis; id eſt, nondum Philippicus: *terni* autem, nec drachma. AVD. Ego hæc non credo Lipſi, nec ſero: ridenda & explodenda ſunt. Tales leges, tam arctas, ferat ille, qui ſic copioſè vixit? LIPS. Rem habes, & verba ipſa apud Agellium: tu vide. AVD. Corrigenda ſunt: & HS. *trecenos* legendum, non *tricenos.* LIPS. O bonum promptúmque Criticum! ſagacitas magna eſt, viceris vel Luceium. Sed deſine, deſine homo: & manum tuam coërceat lex Licinia quæ præiuit, in quâ non niſi *triginta aſſes* (tres denarij) *permiſſi diebus feſtis.* Laxauit igitur & auxit Sulla. Sed quid hîc ſiſtimus? Auguſtus ille, qui Romam opibus & gazâ Ægyptiâ repleuit, & ſub quo illa in ipſo flore, Cibariam legem hanc tulit: *quâ profeſtis diebus ducenti ſeſtertij; Kalendis, Idibus, & alijs quibuſdam feſtiuis, trecenti; nuptijs autem & repotijs, milleni finiuntur.* Sunt *quinque* Philippæi, profeſtis; feſtis, *ſeptem cum dimidio*; nuptijs, *viginti quinque.* Quid tu, cùm hæc legis, non cogitas, tot illos illuſtres Equites & Senatores, & cenſum eorum vel Principum opibus hodie comparãdum? Atqui quàm coërceantur, vides: & ego tibi hodie adfirmo, rarò ſolennius paullò conuiuium dari, quod nuptialem illam ſummam non excedat. En, abi nunc, & luxum obijce: quem totum ſatis reieci argumento ipſo tuo legum. quia (vt veterum aliquis ait) *indicium ſobrij ſæculi eſt, vbi tali præſcripto legum, coercetur expenſa cænarum.* Atquin Apicios, Lucullos, Caligulas, aut Vitellios adduxiſti. Quid ad me? cùm Rempublicam laudaui, plurimos in eâ laudaui; nec adſpicere debui, ſiquæ in tanto & tam vberi agro malæ alibi & nocentes herbæ. Non obſtant, quo minùs hæc ſeges bona & laudabilis ſit: nec tales certè nulli dabis ante labentem Remp. id eſt Sullanum æuum. AVD. Imò dedi Lipſi. nónne Cato de piſce exclamauit ſupra bouẽ? nónne *frugaliſſimis etiam viris*, vt Seneca dixit, cænæ *trientes* conſtiterunt? Hæc purganda ſunt, ſi potes: aut labitur tuum illud legibus ſolis nixum. LIPS. Vah, quomodo potero? quò me vertam? Bos ille Catonis occurſat: & planè, ex Græcorũ verbo veteri, *Bouem nunc habeo in linguâ.* Sed audi quod verum eſt, nec nimium in boue te iactes. Bos & alia, minimi tunc pretij, nec credo equidem vænijſſe vltra *quaternas aut quinas* drachmas. AVD. Totum bouem? LIPS. Totum. AVD. Quaternas? LIPS. Ipſas. AVD. Si hoc doces, tum ego dixerim vel me bouem eſſe. LIPS. Quid ſi amplius doceo, & ad Drachmam vnam te duco? AVD. Habebo hoc caput & culmen inter omnia hodie, heri, & nudius tertius, quartúſque, ADMIRANDA. LIPS. Da te mihi, diſces, & credes. Plinius ita ſcribit. nam ipſa verba recitanda ſunt: *M. Varro auctor eſt cùm L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephantes,* ASSIBVS SINGVLIS *farris modios fuiſſe, item vini congios, ficiq; ſicca pondo triginta, olei pondo decem,* CARNIS *põdo duodecim.* Hoc ille bono auctore, & omnis antiquitatis indagatore, Varrone protulit: & obſeruaſti? AVD. Nihil reſpondeo, ſtupeo; & tamen nihil etiam de boue. LIPS. Vel maximè, ſed non attendiſti. Nam ait, *Carnis pondo duodecim, ſingulis aſſibus vaniſſe:* & fac igitur bouem pependiſſe quadringentas aut quingentas libras: quid erunt niſi *quaterna* aut circiter drachmæ? Sed illa nimis vetera ſunt, inquies. Nec id quidem, ſed bello* Punico primo euenerunt: haud longè à Catonis æuo. Et demus poſteà aliquid mutaſſe, paullatim tamen nec enormiter: & hoc Polybius nobis dicet. Ille, ipſo Catonis æuo, ſcribit de fertilitate & copiâ Galliæ Ciſalpinæ: *ſuis etiam ſæpe temporibus, medimnum frumenti Siculũ, quattuor obolis veniſſe; hordei, duobus; metretam autem vini, tantidem quanti hordeum.* Iſta magis mira ADMIRANDA ſunt, medimnum Siculum (ſex modios cõtinet) non niſi duabus Drachmæ partibus vænisse; metretam vini (* duodecim congij ſunt, ſi Atticam, quod opinor, intellegit) tertiâ parte. Addit etiam facetum corollarium, *Viatorem in ijs locis, nihil cum diuerſitore aut hoſpite paciſci, ſed benè & lautè habitum, abeuntem ſoluere dimidiatum Aſſem.* O ſi nobis peregrinari ita fas! tota iuuentus dilabatur, & abeat in beatas illas oras. Sed ego tibi promiſſum meum plenè ſoluam, & bouem reducam ad Drachmam. Factum bello Mithridatico, cùm Lucullus prædas è Ponto egit, ſic abundanter, vt *mancipium quattuor drachmis venale eſſet; bos, vnâ; capra, oues, veſtes, alia, pari vilitate.* In Appiani Mithridatico hoc leges. Quid tu iam? AVD. Sileo, & bos à tuâ linguâ tranſiit in meã. LIPS. Imò tu, vt volebas, in bouem. Nec tamen, vt ſeriò loquamur, ſentio vel aſſero, tam grandem vilitatem hîc ſemper fuiſſe: ſed analogiâ talem, & quam leges illæ Sumptuariæ ſatis oſtendunt. Abſque eâ enim, quid niſi triſio & illuſio eæ ſint? facit huc, quod de Põponio Attico, inſigni viro & prædiuite, ac digno cui Agrippa gener eſſet, & progener Tiberius Princeps, Cornelius Nepos in vitâ eius ſcribit. *Cùm*, inquit, *imprimis lautus eſſet eques Romanus, & non parùm liberaliter in domum ſuam omnium ordinum homines inuitaret, ſcimus non amplius quàm terna millia æris, peræque in ſingulos mẽſes, ex ephemeride, eum expenſum ſumptibus ferre ſolitum: atque hoc non auditum, ſed cognitum prædicamus.* Hæc notanda profectò. Atticus inter planè diuites erat, inquit; idem inter liberales,

Lib. II. cap. XXIV.

Lib. XVIII cap. III.

* Anno Vrbis DII.

Lib. II.

* Libra menſuralis. 120.

tales, & domus eius ac menſa cottidie omnibus patebant, etiam è Senatu: & tamen non plus in menſem, quàm *tria millia æris* abſumpſit. Sunt *triginta Philippici*: ergo in diem; *Philippicus vnus.* Hæc in florentiſſimâ re Romanâ facta: & Martialis æuo non diſſimilis etiam vilitas, ſed, vt opinor, in anni aliquâ vbertate:

Amphora vigeſſit, modius datur ære quaterno:
Ebrius & crudus nil habet agricola.

Obſerua. amphora XLVIII. ſextarios continet, ſiue congios octo: itaque congius hac ratione ſit *duorum aſſium & ſemis*, non longè nimis à Varronianâ vilitate. Et ſimile in Modio. Sed iam ad tuum illud, ne ſubterfugere videar, de *Frugaliſſimis viris*, qui *Tricies* abſumpsêre. Sed heus tu, ſatin' plenè & ex fide Senecæ verba attuliſti? Ego faciam, & pluſcula recitanda ſunt, vt de ſententiâ conſtet. Ait, contra luxuriam diſſerens: *Non in facto laus eſt, ſed in eo, quemadmodum fiat. Quid eſt cænâ ſumptuoſâ flagitioſius, & equeſtrem cenſum conſumente? Quid tam dignum cenſoriâ notâ, ſiquis, vt iſti ganeones loquuntur, ſibi hæc & genio ſuo præſtet? & tricies tamen HS. aduciales cænæ frugaliſſimis viris conſtiterunt. Eadem res ſi gulæ datur, turpe eſt; ſi honori, reprehenſionem effugit.* Mens huius viri, non in re peccatum ſæpe eſſe, ſed in cauſſâ & fine. Tu epulum ſumptuoſum das, ſed gulæ aut vanitatis cauſsâ: alius dat, ſed legis & moris cauſsâ: ille peccat, hic minimè, quia non cupidini, ſed conſuetudini eſt obſecutus. Sicut, inquit, in *Aducialibus epulis*, viri etiam frugales multũ impenderunt, ſed quia debebant. Totum in eo, vt ſciamus ſetiò, quæ ſint iſtæ *Aduciales*: ego nullas arbitror (pace eorum, qui aliter) & *Aditiales* omnino ſcribo. Intellego eas, quæ in *aditu* honoris, & auſpiciis quaſi primis, etiamnũc dari ſolent: ſed olim maximè Sacerdotiorum. Inde *Pontificiæ, Saliares, Augurales, Diales cænæ* Prouerbiis celebratæ: & Seneca hîc apertè de *Aditialibus* ſcripſit, *honori eas dari.* Talis illa apud Macrobium, ex Indice Metelli Pontificis tranſſcriptæ: *Ante diem IX. Kal. Septembres, quo die Lentulus* FLAMEN INAVGVRATVS *eſt.* Datæ igitur in ipsâ inauguratione & aditu, vt dixi: & quidni ſic *Aditiales*, vt *Initiales*? Tranquilli noſtri ſimile, in Claudio: *Seſtertium * octogies* PRO INTROITV *noui ſacerdotij coactus impendere*: etſi Dio videtur hoc aliò ducere, & in ſummâ mutat. [* ... Plin.] Sed tu ne aliò igitur traxeris ea Senecæ, nec à ſollennibus ſacriſque epulis, ad communẽ ſæculi luxum. Sed addidiſti etiam in fine de Veſtibus, & viros feminâſque laſciuiſſe. De his, non nimis nego, nec excuſo: conceſſu omnium peccet in nugis ille ſexus, ad ſeria non aptus. Sed viri, parùm aut nihil in veteri Republicâ: ſub Principibus cœpere, nec Principibus ipſis inuitis. Frangi aut mitigari altos & generoſos animos, veſtium, conuiuiorum, ludorum, deliciis aut remiſſionibus, haud abs re eorum eſt: nec Auguſtus & ſagaciores illi ignorarunt. Itaque Tacitus ſcripſit, *Luxus menſæ, à fine Actiaci belli, vſque ad arma, quis Ser. Galba rem Romanam adeptus eſt, per annos centum, profuſis ſumptibus exercitos fuiſſe.* Sed anteà negamus: & cum Liuio totum hoc de Virtute claudimus, [III. Ann.] *Nulla vmquam Reſpublica nec maior, nec* SANCTIOR, *nec* BONIS EXEMPLIS *ditior fuit: nec in quam tam* SERÆ *Auaritia Luxuriáque immigrauerint; nec vbi tantus, ac* TAMDIV *Paupertati ac Parcimoniæ honos fuerit.*

CAPVT X.

Doctrinæ ſtudia Romæ, & Salaria in Doctores.

ABSOLVI igitur de Virtute, niſi placet ornamentum vel adiumentum eius me adtexere *Doctrinam.* Nam & ea Romæ viguit, atque adeò à conditâ ipſâ vrbe, vel potiùs ante eam, ſi Dionyſio & Plutarcho credam, *Romulum & Remum litteris & omni liberali doctrinâ inſtitutos Gabiis fuiſſe.* Cur verò non credam? opera & facta non abnegant expolitum Romulum fuiſſe, & ſequentes item Reges: & multa Græcanica inſtituta in moribus, verba ipſa in linguâ comparent. Atque adeò erat tranſfuſa ipſa Græcia in magnam Italiæ partem, cui & nomen reliquit. Exoleuiſſe tamen hæc paullatim, fateri debemus, & vſque ad bellum Punicum ſecundum, raras Romæ vel elegantias, vel litteras fuiſſe: Mars & horrida virtus omnia obtinebant. Poſteà intrata & capta ipſa Græcia, victores iterùm cepit, & feliciter artes ſuas intulit & diffudit. Magno gradu tunc itum ad variam doctrinam, ſed primò ad eloquentiam maximè: vt quæ coniuncta cum rebus gerendis, & aptiſſima gubernantibus eſſet. Mox & Hiſtoria acceſſit, & Philoſophia, & quidquid ad animos moréſque colendos, aut honeſtè oblectandos, facere videretur. O hanc quoque curam laudabilem! & maximè, quia cum modo & tempore fuit: quòd nec omnes paſſim ſe darent, nec nimis etiam darent. Non omnes, ſed primores ferè & ij qui vel erant in Republica, vel ad eam ſe præparabant. E triplici illo ordine, Plebs ad militiam adſpirabat, neque erat harum rerum; Senatus & Equites, præter illam, animi cultum adſumebant, & mente non manu ſolùm conſpici volebant. Modum etiam plerique ſeruabant, nec vt mancipia quædam literarum eſſent; ſed vt quatenus opus, haurirent, & ad rem atque vſum transferrent. Talis Scipio ille poſterior, talis Cornelius Sulla, Pompeius, Lucullus, Cæſar, alij vno verbo; quicumque in Rep. eminentes poſteà fuerunt. Quod Thucydides Athenienſes ſuos profiteri facit: φιλοκαλοῦμέν τε μετ' εὐτελείας, καὶ φιλοσοφοῦμεν ἄνευ μαλακίας: *Elegantes ſumus, ſed cum parcimonia; philoſophamur, ſed ſine mollitie*: id, inquam, conuenientiſſimè Romani veteres ſibi vindicarint. [Lib. II.] Itaque ſtudium hoc Doctrinæ publicè viguit, & doctores paullatim, in priuatis primò Principum ædibus, mox & in publico, ac ſtipendiis publicis, auditi, conducti, & præmiis variè affecti. Quis neſcit C. Cæſarem *omnes liberalium artium Doctores, qui Romæ eſſent, ciuitate donaſſe?* Qui ſummus extero honos, & nullâ pecuniâ æſtimãdus. Etſi nec hæc defuit, primò quaſi, è priuatis loculis data: mox è fiſco annuatim appenſa. [Sueton.] Primus id Veſpaſianus firmiter inſtituit; qui *Latinis Græciſq́; Rhetoribus annua centena conſtituit.* Ea reddunt *bis mille quingentos* Philippæos: vbi hodie vel eximus doctoribus largientur? Atqui & medicis *quingena* HS. mercedem annuam fuiſſe Plinius docuit: quæ ſunt *duodecim millia & quingenti* Philippei: [Sueton.] cur non igitur admittam vel *ſexcenta* excellenti alicui honorarium fuiſſe? Imò fuerunt *Eumenio Rhetori*, & doctori in ſcholis Auguſtoduni: quem Conſtantius princeps ſub Auguſtis Diocletiano ac Maximiano, *ſalarium in ſexcentis millibus nummûm accipere iuſſit.* Ita ipſe ſemel iterúmque profitetur in Oratione, quæ exſtat: nec *ſexagena* reſcribi mihi aliquis perſuadebit Scilicet alienum nimis à MAGNITVDINE ROMANA eſt, *quindecim millia* Philippæorum, ſingulari doctori, & qui Magiſter Palatij fuiſſet,

dari?

dari? nihil eſt: & credent mecum, qui veteres opes & annos ſatis ſciunt.

CAPVT XI.

Diuturnitas Romani imperij, & in occaſione de patriâ Conſtantini.

SEd o peregiſſe curſum meum ſermonis videor, & vela colligo, & nauigo in portum. Vidiſti quàm magnum hoc imperiũ à *Finibus, Copijs, Opibus, Operibus, Virtutibus Viriſq;* fuerit: & potuiſſem à *Tempore* addere, ac diuturno ſtatu. Nam quod alibi imperium, modicè magnum, tam diu perſeuerauit? Atque iſtud maximum, tot ſæcula ſtetit: & reliquiæ eius cum nomine, etiamnunc in Germaniâ & AVSTRIACA domo feliciter ecce viuont. Itaque Plutarchi verba liceat vſurpare: *Cum Fortuna alata ſit ac vaga, & modò Aſſyrios, Medos, Perſas, Macedonas, Carthaginienſes luſtrauerit, eoſdémque reliquerit: videtur ad Tiberim alas poſuiſſe, volubilem globum reliquiſſe, & vrbem quaſi perpetim inhabitatura intraſſe.* Quid Homeri tam olim vaticinium, quàm mirabile eſt?

> Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
> Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.
> *Nunc autem Troiana Æneas ſceptra tenebit,*
> *Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.* Iliad. γ.

Ille verò tenuit, & nati eius; inter quos Romulus primus Regum, ex eo ſanguine; & ô occultam decreti vim! primus Imperatorum, Cæſar. Etſi autem mutatio aliqua ſtatus interuenit, tamen imperium mãſit: primò ſub Regibus, tum Cõſulibus, tum Principibus: & ſub iſtis, ſciſſum diuulſúmque, & caput alterum in Thraciam aut Græciam tranſlatum. Conſtantinus id fecit, quod non ignoras: & cauſam dedit ruinæ aut inclinationi deinde rerum. AVD. Oro te mi doctor, benignè & honeſtè de hoc viro loquamur, & qui vt ſidus illoſtrauit vicinam noſtram terram. LIPS. Ego verò loquor in omni aliâ re: & præſertim quæ ſacra & pietatem tangit. Quis neſcit illum, Deo duce, depuliſſe tenebras, quæ orbem terræ denſâ ſuperſtitionũ nube obſidebãt? Ille diſſipauit, lucem intulit, templa nobis & Chriſto aperuit, vanis cultoribus & diis clauſit. Magnus igitur laudatúſque vit; ſed quid tamen ea lux propriè ad vicinam noſtram terram, vt dicebas? AVD. Nam quis neſcit in Britanniâ ortum hunc eſſe, & gloriam etiam redundare ad natalem terram? LIPS. Ego verò* neſcio, & ambigo, & propior ſum vt negem. AVD. Tune, contra eruditiſſimis viris nuper aſſerta? & clarum hunc etiam Panegyrici ſcriptoris locum? Nam ille apud ipſum Conſtantinum hæc profert: *Pater tuus liberauit Britannias ſeruitute, tu etiam nobiles* ILLIC ORIENDO *feciſti.* Quod os tuũ erit, contra verba tam expreſſa, euntis? Niſi hoc dices, æui eius oratorem neſciſſe Principis ſui patriam, & in re tam nobili, ignauè & fœdè apud ipſum erraſſe. LIPS. Hoc non dicam, & os non abdicabo, imò nec perfricabo quidem. Fides apud me eſto Panegyriſtæ: ſed quid dicit igitur? *Ortum illic* Conſtantinum: at non in tuã ſententiam fortaſſe, ſed meam dicit. Ea eſt, non ipſum ibi, ſed imperium eius ortum: non Conſtantinum, ſed Principem. Verè tibi dico, (ſiſte, nec reſilias) hæc eius mens eſt: *Tu nobiles feciſti Britannias, quòd illic ortus factúſque es Imperator.* Prima Imperij tui lux illic, & illinc, fulſit. Nec diſſimile nimis in verbo, quod paullo antè idem Orator dixit, *Conſtantine oriens Imperator.* AVD. Percuſſiſti me nouâ interpretatione: ſed quid tu tamen contra communem omnium aſſenſum? LIPS. Nego, communem: imò nemo veterum hoc ſcripſit. Mediæ aut nouellæ ætatis hæc aſſertio eſt, nec niſi ab illo imperij ortu orta. Quid? nónne Nicephorus, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptor, de Bithynia palàm affirmat? *Nam patrẽ eius Conſtantiũ, cùm ad Perſas legatus iret, Drepanũ Bithyniæ veniſſe, diuertiſſe, Helenam hoſpitis ſui filiã iniuiſſe, Conſtantinũ hunc genuiſſe.* Cur autem ille hoc tam conſtanter, tam nihil ambigens, aut de varietate inferens, ſi variatum tamen fuit? Atque ego arbitror, veriſſima Nicephorum tradidiſſe. Quo teſte? quem nemo reſpuat, veteri, & ab ipſo Conſtantini æuo. Is eſt Iulius Firmicus, qui Matheſeon libros ſcripſit: & in eorum primo, hæc verba. *Dominus & Auguſtus noſter ac* TOTIVS *orbis Imperator, Pius, Felix, ac Prouidus Princeps* CONSTANTINVS *ſcilicet* MAXIMVS, DIVI CONSTANTII *Filius, auguſtæ ac venerandæ memoriæ Principis, qui ad liberandum orbem à* TYRANNICIS *immoderationibus, & ad comprimenda domeſtica mala, fauore propitiæ maieſtatis electus eſt.* APVD THARSVM GENITVS, *à primo ætatis gradu gubernacula imperij retinẽs, quæ proſperis nactus fuerat auſpiciis,* ROMANVM ORBEM *ſalubri gubernationis moderamine ſuſtentat.* Ea de Conſtantino noſtro accipienda eſſe, primùm doceo, tum de re meâ addo. Aliquis enim dixerit *Conſtantinum eius filium* capiendum, quoniam in libris vulgatis legitur, *Diui Conſtantini filius*: ſed profectò id improbum eſt, & *Conſtantij*, vt recitaui, legendũ. Multa docent clarè. primùm quòd ait, *Totius orbis Imperatorem* fuiſſe: atqui Conſtantinus ille, inter tres Conſtantini Magni filios, ſorte dumtaxat Gallias, Hiſpanias, Britanniáſque habuit. Item, quòd *Maximum* agnominat: quòd, *Tyrannos* ab eo extinctos; & quòd *Romanum* orbem ſalubriter facit gubernantem. Atqui partem modò, vt dixi: nec eam ipſam diu tenuit, intra triennium occiſus. Quid, quòd diſertè mox idem Firmicus, *Conſtantinum Maximum Principem, & eius* INVICTISSIMOS LIBEROS, *Dominos &* CÆSARES appellat? Certè non habuit tales minor ille Conſtantinus, & palàm ad noſtrum hunc ſpectant. Iſta præmiſi, ſiquis (vt ſunt mores, aut ingenia) refragari vel calumniari vellet: nunc ad rem aptemus. Ait igitur, Conſtantinum illũ ſuum Principem *apud Tharſum* genitum. Quæ illa eſt? an nobilis in Ciliciâ? non eſt, ſed in Bithynia ego eam inueni. Nam Stephanus de Vrbibus, Nicetas, Porphyrogennêta, *Tarſum* hanc (ita ſcribunt, ſine adſpirante litterâ) in Bithyniâ ſignatè ponunt, iuxta Nicomediã ipſam. Ego verò aio & infero eandem cum *Drepano* eſſe, quod Nicephorus nominauit. Quo argumento? quòd apud Nicomediam ſinus & curuatura maris eſt; quæ loca talia communi nomine *Drepana* Græci, quaſi *Falces*, à ſimilitudine, vocabant. Inde paſſim *Drepani* hoc nomen in maritimis, & Ortelium noſtrum vide. At proprium eius loci oppidique nomen, & magis reſtrictum, *Tarſis* fuit. Mea hæc coniectatio eſt: nec moueor, ſi poſteri, aut Britanni ſcriptores, aliter de tota re tradiderunt. Multo minus Georgio Cedreno autem præbeo, ſcribenti natum Conſtantinũ περὶ τὴν τῆς Δακίας πόλιν, *circa vrbẽ Daciæ.* Corrupta, aut falſa ſunt: & quoties vanitatum manifeſtus ille auctor? Pro nobis etiam validè facit, quòd ipſum iſtud Drepanum, *Helenopolis* appellatum poſteà, in honorem matris, & Portus vicinus Polemoniacus, item *Helenopontus*: ſed & ſedes imperij in viciniam trãſlata, nónne affectum in patriam teſtatur? Ipſum denique æuum Conſtantini adiuuat, ſi conſideras natum eum circa annum ICL. XXIII. vrbis conditæ: quo tempore quieta adhuc Britannia, & turbæ pòſt motæ, & pater ad eas ſedandas miſſus.

*Vide ſar- gutur in Notis.

Lib. vii. Eccl. Hiſt. cap. xviii.

Ergo

Ergo verius antè, & alibi, natum eſſe. Sed tu, aut alius, vt volent: ego ſine fraude cenſui, & Sermonem meum totum finiui.

CAPVT XII.

Concluſio, & Laudatio magni Imperij.

AVD. O ſermonem æternùm mihi vtilem, & iucundum! & clara voce fateor, nunc denique admittere & concipere me cogitationes tanto illo imperio dignas. Inter quas tamen & iſtam: Fueritne vtile gentibus ſub tam magno illo eſſe? an non nimia & aſpera iſta ſeruitus, ſine vindice & domino quem appellares? LIPS. Haud inepta nec importuna quæſtio: & ſcio eſſe, quæ illud damnare aut certè accuſare poſſint; ſed plura ac grauiora, quæ abſoluere & alleuare. Inprimis quanti facias, ſub magno tali imperio pacem ac quietem gentium vbiq; fuiſſe? Nuſquam arma, hoſtis, prædo; arabant, ſerebant, metebant; conuiuia, coniugia inibant; liberos gignebant, educabant: omnia ſecurè, & nec auribus quidem læſis rumore belli. Nam ſi quod tale erat, cum barbaris nempe & longinquis, & quod velut ludicrum aut fabellam, tuti limitibus & præſidiis ſuis, audirent. Pulchrè Ariſtides: *Bella verò vix vmquam nunc creduntur exſtitiſſe, ac pro commentis habentur à pleriſque. Quòd ſi alicubi ad limites conflictus fuerit, (vt in magno & immenſo imperio facilè ſit, ob Getarum inſaniam, vel Afrorum miſeriam, vel rubri maris accolarum infelicitatem, qui commodis boniſq; ſuis neſcierunt vti) mox iſta tamquam fabulæ, cum omni memoriâ euanuerunt. Tanta pax apud vos viget, ô Romani, etſi militiam bellumque habetis inter patria inſtituta.* Atque iterùm idem (quomodo enim meliùs certiúſque vetera repræſentem, quàm veteris ſcriptoris verbis?) idem in eam laudem: *Vniuerſus orbis ſub vobis, tamquam feſtam diem agitans, quos olim gerere ſolebat gladios depoſuit, ad conuiuia autem & reliquam omnem lætitiam liberè ſe conuertit. Et aliæ quidem contentiones aut certamina vrbes reliquerunt; vnum omnes habet, vt earum quæque pulcherrima & iucundiſſimo aſpectu appareat. Itaque omnia plena gymnaſiis, fontibus ſiue aquæductibus, porticibus, templis, tabernis, ſcholis: vt aliquis verè dixerit inclinantem & labantem mundum, reſtitutum à vobis eſſe. Nec vrbes ſolùm ſplendore & decore collucent, ſed tota adeò terra, inſtar horti aut paradiſi, conſpicitur exculta. Vt miſeratione planè digni videantur, ſiqui imperio veſtro non ſubiacent (qui pauci tamē ſunt:) vt qui tantis bonis careant.* Hæc verè & floridè dicuntur, & capiunt me recitantem: etſi non minùs vno ictu penetrat Cornelij noſtri breuiloquium: *Quippe immota, aut modicè laceſſita pax*: quod ille de Principum æuo ſcripſit. Iam verò alterum bonum, quanti eſt, Communicatio inter ſe hominum & rerum, vijs vndique liberis commercijsque? In animo tuo cogita, ſi tutò nunc Byzantium, Perſarum aut Sinarum regionem videre liceret: quàm tu ipſe fortaſſe atque alij libenter & auidè iretis? per tot terras & maria oculos pedéſque ferretis? AVD. Affectum meum tangis. capior vnicè peregrinatiunculis, & animum innouat ac vires nouitatum ille aſpectus. LIPS. Optimus quiſque in hac cupidine: & alti æthereiq; animi, vt ipſe æther, gaudent motu. Sed ſub tali igitur imperio, quàm id licuit? tutiùs quàm Belgis nobis hodie, non dicam ab vrbe ad vrbem, ſed pænè per vrbem aut circa eam ire. Viſere illîc licebat magna aut nobilia illa oppida, clara & inclyta ingenia; Athenas, Alexādriam, Rhodum; diſertos aut ſapientes ibi viros; denique ad alia terrarū ſe conferre, di-

A ſciplinæ aut animi cauſſâ. At mercatores, & quibus altarum opum cupiditas, ij per maria omnia nauigabant, ij per terras circuibant: vnicos prædones aut piratas placantes, ſiue metuentes, Publicanos. Sed vno & certo pretio placantes, nec eo graui ſub Principe aliquo moderato & æquo. Itaque res longinquæ aduehebantur, ignoræ anteà oſtendebātur: & totus orbis eâ communione, quaſi vna ciuitas, fiebat. Quid dicam artes barbaris traditas aut inuectas? quid elegantiam, litteras, & cultum animorum? Cùm etiam omnes linguis diuiſi, vnâ Romanâ iungerentur, atque ea cum imperio quaquauerſum ſe propagaret. Plinius hæc grauiter & meritò attollit, in Italiâ dilaudandâ. *Numine Deûm electa, quæ cælum* Lib. 3. cap. 5.

B *ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, ritúſq; molliret, & tot populorum diſcordes feraſq; linguas ſermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret: breuiterque, vna cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.* Iterúmque alibi idem: Lib. 27. cap. 1.

Videmus, inquit, *alia aliunde, vltrò citróq;, humanæ ſaluti* (nam de herbis & re medicâ illîc loquitur) *in toto orbe portari*, IMMENSA ROMANÆ PACIS MAIESTATE, NON HOMINES MODO, DIVERSIS IN TERRIS GENTIBVSQVE, *verumetiam* MONTES & *excedentia in nubes iuga*, PARTVSQVE *eorum & herbas quoque inuicem oſtentante.* Nec minùs Strabo: *Romani multas gentes anteà feras, ob monteſaut locorum naturam aſperam, aut ob frigus aliámve cauſſam, ſub imperium aſſumentes, eaſipſas ex diſiunctis & inſociabilibus, vna commerciis iunxerunt, & pro agreſti vitâ,*

C *ciuilē agere docuerunt.* Sed & Claudianus magnificè:

Huius pacificis debemus moribus omnes,
Quòd veluti patriis regionibus vtitur hoſpes.
Quòd ſedem mutare licet; quòd cernere Thulen,
Rurſus & horrendos quondam penetrare receſſus.
Quod bibimus paſſim Rhodanum, potamus Orontem,
Quòd CVNCTI GENS VNA SVMVS.

O verba & res pulchræ! & poteſtne maior eſſe voluptas, aut commoditas? Omitto gubernationem & leges ferè eadem; pondera, & menſuras, & numos: & plura, quorum bonorum ſenſus etiam hodie aliquis in Turcarum imperio eſt; & eſſet maior, ſi leges & politia illîc meliores. At noſtra Europa miſera,

D quàm iam à multis ſæculis expers eorum eſt? iactatur aſſiduis bellis aut diſſidijs. quare? quia regna aut dynaſtiæ paruis aut modicis finibus incluſæ, ſemper in vicinos cauſſam habent timendi vel ſperandi, querendi vel vlciſcendi. Idem & ante Romanum imperium erat, quod Plutarchus aſſeruit: & pulchrâ imagine addidit, *Illud velut* ANCHORAM *fuiſſe fluctuanti mundo.* Quid propriè de noſtrâ Galliâ triplici Cerialis apud Tacitum? *Regna bellàque per Gallias ſemper fuère, donec in noſtrum ius concederetis.* Fuère mi Auditor, & nunc erunt, donec talis aliquis euentus. AVD. Per ignem ſermones tui eunt. & vide ne amburare. LIPS. Ego verò apud te liberè, & vt Philoſophi in ſcholis, de Republicâ diſſero: neque ſunt iſta, neque erunt fortaſſe, & (dicet aliquis) nec

E debent. Deo euentus permitto: ego arbitror & ad Religionis vnitatem, & ad ſubditorum omnium vſum, & denique contra communem Turcarum hoſtem fore, potens & validum caput vnum. Tu Deus SALVS ET TVTELA RERVM, da quod expedit; da, ſi non imperio, ſaltem fœdere coire ac iungi, da lætos & pacatos ad læta & pacata loca tua venire. In quo finio, & te mi Adoleſcens, dimitto.

NOTÆ IN LIBRVM I.

Capvt II.

Pag. 512. XPυσόμιτρα.] Pro verſu fortaſſe melius, χρυσίῃ μίτρα diuiſim. Sed hoc leue: illud momentum haber, quòd monitus à viro doctiſſimo ſum totum hoc Carmen videri ſcriptum non in ipſam vrbem Romam, ſed εἰς ῥώμην (nam Græca ambigua) id eſt, in *Valentiam ſiue Fortitudinem*, quaſi Deam. Acutum eſt: & argumentum habet, quòd Erinna illa celebris vixerit circa Sapphus tempora, id eſt Tarquinij Priſci, priuſquàm Roma noſtra ſic magna & admiranda. Sed mihi tamen ſerò inſpicienti, carmen in vrbem & imperium noſtrum ſcriptum videtur: & plures Erinnas fuiſſe, quod in textu indicatum volui, indicio eſt diſſenſus in eius patriâ, de quo Suidas. Adde, quòd apud Stobæum ambigitur de auctore.

Capvt V.

Pag. 517 *Sed vbi, ignoro.*] Ego firmiter non repperi. Duplex tamen ſuſpicio. prior de *Theodoſiâ* in Boſphoro, vbi Strabo portum collocat, *vel centum nauium capacem*. Altera fortaſſe firmior, ex Dionis Fragmento in rebus Eligabali: vbi notat, *Priuatum aliquem initio eius imperij, conatum turbare & ad res nouas pellicere* τὸν στόλον, τὸν ἐν τῇ κυζίκῳ ναυλοχοῦντα: *claſſem, quæ Cyzici in ſtatione erat.* Sanè videtur hanc Ponticam, & eius ordinariam ſedem deſignare: etſi Cyzicus tamen in Propontide.

Capvt VI.

Pag. 581 *Sed nec Velleij iudicium valdè probo.*] Cui tamen cauſam aliquam eſſe, etiam hodie Hiſpani experiuntur: ſed non illam propriè, quam Velleius ſuſpicatur aut timet. Hoc vſus docuerit, longinquas aut externas colonias, ſi coniugiis & ſtirpe cum indigenis miſceantur, paullatim ipſos aut poſteros tranſire in mores & affectus eius regionis. Cauere hoc malum vis? vnica ratio, à coniugus, & (ſi poteſt) à mixtione arcendi: quod Iudæi olim & nunc ſeruant. Nec alia magis intima cauſſa eſt, cur creſcat aſſiduè ea gens, & in veteri lege & inſtitutis, aliena à populis, perſeueret.

LIB. II.

Capvt II.

Pag. 592. *In agros & in corpora eorum.*] Illud ipſum conqueritur & exaggerat Büundica regina Britannorum, in Dionis Nerone: οὐ πρὸς τοῦ τ᾽ ἄλλα πάντα καὶ νέμειν καὶ γεωργεῖν ἐκείνοις, καὶ τῶν σωμάτων αὐτῶν δασμὸν ἐτήσιον φερόμενοι; *Nónne, præter cetera omnia, & paſcentis & arantis Romanis, corporum etiam* ANNVVM *tributum pendentes?*

Capvt III.

Pag. 594. *Pluſcula cogitaui aut collegi.*] Imò & quædam edidi, Commentario ad Taciti librum I. Eruditiſſimus etiam Briſſonius videatur, in voce *Capita*, De verborum ſignificatione. Veritas tamen, opinor, eſt, indictiones fuiſſe in capita pro modo opum: quod genus hodie Galli *Taillas*, nos *Impoſitiones* aut *Aeſtimationes* linguâ noſtrâ vocamus.

A *Qui diuinandi artem tenet.*] Nec ego inter iſtos. Ibidem. tamen peragrando gentes prouinciaſque ſubditas, & ratione colligendo, ſubduxi non infra *trecentos milliones* hominum fuiſſe in Romano orbe. Et cauſſas ſententiæ poſſim dare.

Supra centum quinquaginta milliones.] Percuſſerit Pag. 595. hoc quoſdam, qui noſtra aut noua cogitant tantùm: ſed ratiocinando facilè quiuis adſtruat ex iis quæ dixi, & non etiam dixi. Pro magnis quidem iſtis vectigalibus, nónne ſatis fecerit vel Suetonij locus, de Veſpaſiano? *qui initio ſtatim Principatus profeſſus eſt, quadringenties millies opus eſſe, vt Reſpublica ſtare poſſit.* Sunt ipſi (horreſco dicere) *mille milliones* noſtro ritu: vnde ſic ſubitò parandi, ſi non tales tantique reditus? Etſi ibi alij *quadragies millies* legunt, qui eſſent LX. nobis milliones. Sed & noſtro æuo, vt deſinant iſti
B obloqui, Rex Sinarum accipere in tributo annuo aſſeritur *centum viginti milliones*. Et Sinas aliquis ad totum Romanum orbem comparabit?

Capvt VIII.

Si verò Plutarchus, viginti millia talentûm intuliſſe.] Pag. 599. Verba Plutarchi non ambigua: Ἀνεφέρετο δὲ εἰς τὸ δημόσιον ταμεῖον ἐν νομίσματι, καὶ κατασκευαῖς ἀργυρέων καὶ χρυσῶν, δισμύρια τάλαντα, ἄτερ τῶν εἰς τοὺς στρατιώτας διδομένων. ὧν ὁ τοὐλάχιστον αἴρων, κατὰ λόγον δραχμὰς εἴληφε χιλίας πεντακοσίας. *Intulit in ærarium publicum in pecuniâ ſignatâ, itémque auro & argento facto, viginti millia talentorum, præter ea quæ in milites expendit. Quorum is qui minimum accepit, habuit drachmas mille quingentas.* Ergo gregarius quiſ-
C que miles accepit Philippicus *centum quinquaginta*. Magna ſanè donatio, in liberâ illâ republicâ: ſed quam minuit Plinius, vti & ſummam illati publicè argenti, ſi eum audimus. Valdè, inquam, minuit. nam ſcribit lib. XXXVII. cap. II. *Cetera triumphi euſdem* (Pompeij de Aſiâ & Mithridate) *quam viriſia? Reſpublica datum mille talentum, Legatis & Quæſtoribus, qui oras maris defendiſſent, HS. bina millia, cum militibus ſingulis quinquaginta.* Sanè hæc nullo modo conueniunt. neque ſana ſunt; quamuis audacter id dicam. Primùm, de *mille talentis* illatis in ærarium, nugæ, & *minuti gurguliunculi*, vt ille inquit: & in Textu docuimus. Quid iam de Legatis & Quæſtoribus? dumtaxat *bina millia* HS? ea eſſent, *quinquaginta Philippæi*: atqui gregariis plus datum, non Plutarchus ſolùm, ſed Appianus (qui ex eo ferè habuit) oſtendit. Et omnino pro magnis illis exiguum eſt. quid in mi-
D lites ſingulos? ait, *quinquaginta* HS. Ij eſſent, *duodecim denarij & ſemis.* Abiice hæc omnia, & indignũ eſt in Plinio tolerari aut legi. Primo numero legendũ ſit ex Plutarcho, id eſt ex vero, *Reſpublica datum vicies mille talentûm.* Hoc ex coniecturâ: in aliis libri adiuuant, & adaugent. Nam ſcripti habent: *Quæſtoribus, qui oras maris defendiſſent, datum mille talentûm: militibus ſingulis ſena millia ſeſtertiorum.* In quibus mirum eſt, & iuuat, ſic cõcorditer conſentire cum Græcanicâ ſummâ illud vltimũ, de *ſenis millibus* HS. Nam ij ſunt, ipſæ *centum quinquaginta drachmæ.* At prius illud de Quæſtoribus, non rectum, nec poteſt: exorbitat. Scribo, *data decem talenta*: quæ ſunt, *ſex millia* Philippûm: & error eſt ex notis ortus, denariâ millenariaque: quæ nimis ſæpè alternarunt. Examinanti

hæc

A hæc apud Plinium, & cum noſtris ac ratione conferenti, vera erunt: aut ſiquis aliunde firmiora, doceat, innitemur.

Capvt ix.

Pag. 600. *Etſi non ad vſum tales.*] Sicut & in torque aureo, quem *centum pondo Diuo Auguſto Galli dederunt*, vt eſt in Quintiliano. Hæc in ſpeciem tantùm; imò plerumque nudo nomine, Pecunia ipſa data.

Ibidem. *Hoc prætextu rapinas extorſioneſque vſurpatas.*] Ita & Plinius igitur in Traiani laudibus ponit, *non ſpoliis prouinciarum, & extorto ſociis auro, ſed hoſtilibus armis, captorúmque regum catenis triumphum grauem.* Nec aliud ab hoc coronario auro intellegit.

Ibidem. *Millenis auri.*] Vox ea *millenis* redundare hîc videtur: aut mox intelligendum *trigintaquinque millibus* HS. Sed ego prius eligam.

Capvt x.

B Pag. 601. *Eſto vel centies tantùm ſumma ordinaria.*] Neque enim puto ſolùm *Decies* fuiſſe, quod exprimit Dio Caſſius in Fragmento, de Macrino Imp. Scribit, eum, Aufidium Frontonem, cùm Africam Proconſul ſortitus eſſet, in vrbe retinuiſſe: τὸ γε μὴν ἐκπίπτον γέρας καὶ οἴκοι μένοντι αὐτῷ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας δοθῆναι ἐσηγήσατο: *nihilominus præmium adiunctum etſi domi manenti, viginti quinque myriadas drachmarum, dari iuſſit.* Id eſt Latinorum *Decies*, & nobis xxv. *millia* Philippicum. Sed in vniuerſum & annuum ſumptum Proconſulis, parum ſit, ſiquis conſiderat: fuit duntaxat γέρας, vt loquitur, ſiue *præmium operæ* ſuper ſumptus; & eſt quod Tacitus in Agricolâ, *Salarium Proconſuli dari ſolitum*, in ſimili narratione appellat.

C Pag. 602. *Parùm eſt certa.*] Aliquid ad quatiendam hanc lectionem fecerit, quod in Plutarcho eſt: *Cæſarem, poſt Africanam victoriam in concione ſe venditaſſe, quòd tam latam regionem ſubegiſſet, quæ penderet vectigal annuum ducenta millia medimnûm Atticorum frumenti, porrò olei tricies centena millia librarum.* Longè à noſtro modo ſumus, ſi non amplius: neque iſta fecerint, niſi Romano more *duodecies centena millia modiorum.* An Auguſtus adeò produxit? an non de totâ Africâ Cæſar hoc dixit? Iure ambigas, ob modum olei, qui ſequitur, quem talem tantúmque ſolis *Leptitanis* impoſitum Hirtius ſcribit in extremo De bello Africo: *Leptitanos, tricies centenis millibus ponderis olei in annos ſingulos mulctat.* Et verò iamdiu antè Africa vectigalis, nec niſi Numidiam Cæſar addidit. Cogitetur. & fortaſſe aliquis in Hirtio reſcribat, *ter centenis millibus.* Quidquid eſt de ſummâ Africæ vel Ægypti; tamen certò etiam aliæ prouinciæ ſubuenerunt, & maximam illas partem, non aſſem totum confeciſſe cenſendum eſt. Sed & Fiſcum emiſſe crebrò frumentum, Tacitus & Plinius, dicent.

LIB. III.

Capvt ii.

Pag. 612. *Alibi peccatum.*] In Q. Curtio notabiliter, hiſipſis numeris, lib. viii. *At tibi* xxx. *millia mulorum captiuum aurum vehunt*: quod Hermolaus in concione obiicit Alexandro. Sed immanis auri ſumma ſurgat: & omnino ∞ ∞ ∞. id eſt, *tria millia* ſcribendum. Demoſthenes quidem pro magno refert, quòd regi Perſarum *mille ducenti cameli* pecuniam veherent.

Capvt iii.

Pag. 613. *Paulatim Italia penè deſerta eſt.*] Vel Lucanum audi:

> *At nunc ſemirutis pendent quòd mœnia tectis,*
> *Rarus & antiquis habitator in vrbibus errat,*
> *Horrida quod dumis, multóſque inarata per annos*
> *Heſperia eſt, deſúntque manus poſcentibus aruis.*

Idem Liuius: *partem Italiæ ergaſtula à ſolitudine vindicare.* Sed & Dionyſius pleraque oppida olim frequentia, ſuo æuo lapſa aut vacua fatetur. Cauſſa profectò ipſa eſt, quam dixi, quòd Roma omnia ad ſe traxit & abduxit. Itaque (conſidera) vicina vrbi loca maximè in hac cauſsâ reperies, longinqua pleniora.

Capvt viii.

Alij ſolia maluerunt reddere.] In Græco eſt καθέδρας vt vides: quod magis eſt vt Sellas reddas. Sellæ autem in Frigidariis maximè, ex Sidonio: *Hinc frigidaria dilatantur, ita vt miniſteriorum ſeſe non impediente famulatu, tot poſſint recipere Sellas, quot Solij ſigma perſonas.* Quæ lectio mihi recta eſt, etſi alij mutant. Nam ita hîc *Sigma ſolij*, vt poſteà idem, *Solij capacis hemicyclum.* Quod planè dat intelligi formam Soliarem: & fallor, aut in ruinis Thermarum hodiéque veſtigia & ἰχνογραφίαι ſic apparent. Si tamen aliter, parùm eſt: hoc addo, *Solia*, à Græcis ſolere reddi ἐμβατὰς vel ἐμβάσεις: quòd in ea lauandi cauſsâ deſcenderent. Nec aliud initio fuêre, quàm lignea quædam vaſa ſiue aluei, noſtris quoque moribus noti: quod genus Auguſtus (in Suetonio) *Hiſpanico verbo Duretas* appellabat, atque ipſe vtebatur. Eiuſdem tamen æuo alia reperta, in ipſâ terrâ effoſſa, & magnificè ſtructa, in quibus fas eſſet, ſedere, ſtare, orare. Inuentio tributa, niſi fallor, Mæcenati à Dione Caſſio. πρῶτος, inquit, κολυμβήθραν θερμοῦ ὕδατος ἐν τῇ πόλει κατεσκεύασε: *Primus Solium* (ſiue *Natatorium*) *aqua calida in vrbe ſtruxit.* Planè huc pertinet, & notandum eſt. Solia autem hæc *capacia* fuêre, vt Sidonij verbum erat; & Martialis oſtendit, plures ſimul ſolitos lauari. Quid, quòd *Oceani ſolium* poſteà magni maris nomine & quaſi imagine dictum? Itaque nullo modo probabile, tot illa *millena Solia* in Thermis vnis fuiſſe.

Pag. 614.

LIB. IIII.

Capvt xi.

Ego verò neſcio.] Vides ambigere me, non aſſerere; nec temeritatis in talibus damnes. Prudens inquiſitio locum ſæpè aperit repulſæ vel obſcuræ veritati. Videbat tamen ſatis ſtabiliſſe, natum eum in Britanniâ non eſſe: ſed iamnunc vir impensè doctus, & gnarus rerum veterum, amicus noſter, argumentis ſubtiliſſimæ inquiſitionis me quoque, fatendum eſt, concuſſit. Tamen recollegi me, inſpexi, & videor antiquare poſſe, ſine pertinaciæ culpâ. Ipſe atque alij iudices ſunto. Ait primò, *Hiſtoricos omnes, qui de natali ſolo Conſtantini ſcripſerunt, vnâ voce natum in Britanniâ aſſerere, præter duos Græculos Nicephorum & Cedrenum.*] Hoc ego non dederim, vt alij omnes. Imò ecce obduco * Godefridum Viterbienſem, cuius Chronicon ita habet: *Hanc Helenam* (matrem Conſtantini) *quidam ex patriâ Treuirorum oriundam faciunt, alius de regno Perſarum, vbi Conſtantius ad tributa colligenda miſſus eam legitur contigiſſe.* Ecce dubitat de *Treuiris*: ſed magis ad *legationem Perſicam*, & ergo ad nos, inclinat. Vbi autem de *Britannia*? Quin & *Acta Syluestri Papæ*, quæ in Symeone Metaphraſte, iſtam Helenam apertè faciunt *Bithynam*: *Cum*, inquiunt, *in Bithynia verſaretur, vnde orta erat.* Nonne & hoc à nobis? Atqui Britannici ſcriptores aliter, & iis *magis fides habenda, qui loco ipſi propiores.*] Hoc vix dicâ. Quid ſi de Homeri patriâ lis certetur,

Pag. 615.

* Vixit ante annos quadringentos, & quod ſcitum.

& Ictæ.

& terræ ſuum aſſerant, idque indigenarum teſtimonio, idem Chij, aut Colophonij: eo ipſo nempe refellantur, quia à domo teſtes citant. Gloria patriæ quæri per hanc aſſertionem, & ideò illuc proniores cenſeantur. Et qui tamen hi teſtes ſunt? *Henricus Huntigdonienſis, Guilhelmus Malmesburienſis, Ioannes Sariſburienſis, Galfridus Monumetenſis*: quorum antiquiſſimus ante quingentos annos non vixit. Dicitur tamen & *vita Helenæ Anglo-ſaxonicè ſcripta, ante ſexcentos amplius annos ita adfirmare*:] quam non vidi equidem, & eſto: quis vulgarium librorum fabellas neſcit? Iiſdem igitur de *Bruto Troiano* credam, & *Pandraſo Græcorum rege*, & quæ alia inſcitè comminiſcuntur? Quòd ſi tam vetus & fida hæc opinio, quid ita Bedas ille, Britanniæ ſcriptorum egregius, hoc hiſtoriæ ſuæ inſertum non iuit? Atqui occaſio erat, vbi de Conſtantino ſic ſcribit: *Conſtantius Conſtantinum filium, ex concubinâ Helenâ creatum, Imperatorem Galliarum reliquit. Scribit autem Eutropius, quòd Conſtantinus in Britanniâ creatus Imperator, patri in regnum ſucceſſit.* Vbi hîc aliquid, natum in Britanniâ eſſe? *creatum Imp.* tantùm dicit. Et penſitandum hoc eſt de Bedâ. qui certè Britannus, & æui vetus, & patrij amoris honoriſque non item incurioſus aut expers. Quid, quòd nec in totâ Britanniâ monumentum aliquod aut veſtigium affectus ſui, vt in patriam, Conſtantinus edidit, aut reliquit? At fecit in Bithyniâ, vt in Textu meo ſcripſi. Et hoc penſitandum. Sed enim, ait vir doctiſſimus, Nicephoro eò minus fidei eſſe debet, *quia & in modo genituræ aliter ineptit, & temporis ratione aberrat.*] Videamus. ait patrem Conſtantium, *Claudij ex filio nepotem*. Falsò, fateor: & Pollio meliùs hæc exſequitur, qui è fratre Claudij deriuat. Quòd *nepos* igitur, non errat: at non ex filio, quod incurioſè addit. Item ait, *pallium regium Helenæ donaſſe, poſt concubitum*. Quid autem priuato cum pallio regio? inquit. Reſpondeo, *paludamentum* intelligi, vel & *prætextam veſtem*, quæ tunc in vſu honeſtiorum. Dicit &, *in Galliâ Conſtantinum Cæſarem à patre creatum*: atqui in Britannia fuit. Imò de Galliâ, etiam Bedas ſatis clarè dicit: & videtur inibi iam antè deſignatus à patre, ſed *Cæſar* dumtaxat fuiſſe. Aurelius ſanè Victor *eodem tempore deſignatum Cæſarem* ſcribit, *quo Seuerus & Maximinus*: quod menſibus aliquot fuit ante Conſtantij mortem, & priuſquam in Britanniam Conſtantinus veniret. Facit & Panegyricus ſcriptor: *Cùm tibi pater imperium reliquiſſet, Cæſaris appellatione contentus, exſpectare maluiſti*: illâ, quam iamante habebas. Etiam è Zonatâ adſtruas, in Galliâ Conſtantinum tunc fuiſſe, & Galerium ad ipſum veniſſe. Sed quorſum iſta? nihil ad natale ſolum faciunt: & ſiquid aberrat in talibus Nicephorus, alij in aliis, & varius circa illud æuum diſſenſus. At rurſum ſcribit etiam Nicephorus, *legatione Perſicâ genitum Conſtantinum, & patrem ex eâ reuerſum, mox Cæſarem creatum.*] Quæ ſi vera, *viginti* dumtaxat annorum fuerit Conſtantinus, cùm imperium cepit: quem tamen vel *triginta* conſtat fuiſſe. Non abnuo in eâ re errorem, niſi de aliâ legatione priori ſenſit: quod ſanè potuit. Et verò ſi hæc euertunt de patriâ, quid Britannicis ſcriptoribus fiet, quos nulla ratio aut ingenium defendat? Omnes in Britanniam veniſſe Conſtantium, & *Coeli* regis filiam Helenam ibi nouiſſe: diſtinctè etiam Galfridus, *vndecimo pòſt anno, mortem obiſſe, relicto imperio huic Conſtantino.* Iſta qui conſtant? Enimuerò omnes Annales mittunt Conſtantium in Britanniam, ad turbas ibi ortas ſedandas: eæ autem dumtaxat fuêre intra annos imperij eius: & quomodo tunc Conſtantinum genuerit? Fuerit igitur ex hoc calculo vndecennis Imperator. Vides ineptias, & quidem ἀνεξιτήτους. At verò eripitur nobis Iulius Firmicus, quem ego vt fundum ſententiæ adduxeram: & in hoc ingenioſiſſimè (ita res habet) vir ille inquiſiuit. Demus eripi: quid factius aut certius ſuper Conſtantino erit? non ego video: neque enim de Britanniâ aliquid dicit. Sed teneo tamen, & vindico, aut certè conabor, ſine litigio, & pudore meo atque amore ſaluis. Scripſit, inquit, Iulius Firmicus ſub Conſtantio Conſtantini F. non ſub iſto; ergo de illo ea ſunt, & non de Conſtantino. Argumenta. in Præfatione ipſe dicit *Mauortium Lollianum*, cui inſcribit, *Conſulem deſignatum eſſe*. Atqui Conſul ille fuit ſub Conſtantio, anno Vrbis ∞ CVII. id eſt, XVII°. circiter imperij eius anno. Item, meminit Solaris deliquij lib. 1. cap. 11. *Optati & Paullini Conſulatu*, & loquitur vt de annis tranſactis: qui tamen Conſules fuêre quadriennio circiter ante Conſtantini mortem. Iſtis reſpondeo. primùm de *Lolliano Cos. deſignato*: non nouum olim fuiſſe, in plures annos deſignari, & multi Principum ita fecêre. Item, Præfationes vltimas olim & nunc ſcribi: & librum ipſum vetuſtiorem eſſe, ac pluribus annis inter manus verſatum: quod ipſe Firmicus tibi dicet. Hæc poteram: ſed firmius illud, non cenſere me eumdem illum *Lollianum* eſſe, qui ſub Conſtantio Conſul fuit. Filius potiùs eius, aut gentilis alius: & iſte noſter, etſi deſignatus, non iniuit, vel morte præuentus, vel mutatione Principis (vt ſæpe) vel aliâ cauſſâ. Hoc ex ipſo altero argumentu aſſeram, vbi de *Optati & Paullini* conſulatu. Nam ecce verba ſunt: *Sol medio diei fulgida denegat lumina. quod Optati & Paullini Conſulatu (vt de recentioribus loquar) factum, Mathematicorum ſagax prædixit intentio.* Sanè loquitur, vt de re nouâ & *recenti*. præteritâ quidem, ſed non obſoletâ. Imò ipſis illis annis vltimis Conſtantini, hæc ſunt ſcripta: & verba Firmici clarè dicunt, quæ ſuper Conſtantino olim adduxi. Nam quæ ibi ſunt in eius laudes, de *tyrannis pulſis*, & plura, palàm de ipſo ſcripta: neque negat amicus noſter. Sed ille cenſet parentheſi quadam hæc includenda, & reliqua ſic legenda: *Conſtantius ſcilicet maximus Diui Conſtantini filius, auguſtæ & venerandæ memoriæ Princeps, qui ad liberandum orbem a tyrannicis immoderationibus*, &c. vſque ad illa verba, *numquam belli Fortuna decepit) apud Naiſum genitus.* Sic inquam, vt alia omnia de Conſtantio ſint, laudes illæ de Conſtantino. Sed quis mos aut ratio eſt, cùm de Principe præſenti & viuo ſcribas, ſic abire in laudes defuncti, & hunc præterire? Non ſolet hoc eius æui adulatio, & viuis magis blandiuntur. Sed quid opus argutiis? nullæ eæ, apud cordatum quidem, eminent, quin quæ ſequuntur de *filiis eius*, aſſerant hæc omnia Conſtantino. Verba aperta: *Tu Iupiter, tu Gradiue, tu Sol, Conſtantinum maximũ Principem, & eius* INVICTISSIMOS LIBEROS, DOMINOS ET CÆSARES NOSTROS, *conſenſu veſtræ moderationis, & Dei ſummi obſequente iudicio*, PERPETVAQVE EIS IMPERIA *decernente, facite etiã noſtris poſteris, & poſterorũ poſteris, in ſimea ſecula imperare.* Hoc decretorium eſt, quocumque nos vertimus: neque Conſtãtius ille liberos habuit, quibus hæc aptes. At (reponit vir doctiſſimus) poſſunt de *Gallo* aut *Iuliano* capi, quos Cæſares dixit. Non poſſunt: neq; enim liberi eius fuerũt; neque vno tempore habuit, vt conueniat illud, *Dominos & Cæſares*: quin Gallo defuncto, adſcitus Cæſar fuit Iulianus. Cæſar, inquam, non filius: nec mos iſte adoptandi (niſi fallor) tunc vſitatus. Imò Conſtantius, cùm iam Cæſarem deſignaſſet, in concione publicâ, apud Ammianum alloquitur, & *Fratrem* appellat. Igitur altera amici noſtri euaſio: votum & precationem ſaltem hæc eſſe, vt numina nempe dent

Lib. 1. cap. VIII.

tales liberos. Appello ad verba, ſi huc eunt, iterùm A iterúmque legenda. Vocat *inuictiſſimos*, vocat *Dominos ſuos.* & clarè iam eſſe, non optari oſtendit; perennare, non autem naſci rogat. Ad locum hunc talem, cur non alia aptantur potiùs, quæ volentia ſequentur: quàm vt hooc trahamus, non pertrahendum? Sed opponitur ampliùs, in maonuſcriptis duobus exſtare, non *apud Tharſum genitum*; ſed, *apud Naiſum*. Eſto. nec illi codicea fortaſſe optimi; & hoc ipſum quid pro Britanniâ euincat? Nam quòd ad Conſtantium applicari id cenſet, ibi genitum, mera coniectura eſt: oeque inquiro, oec ad rem meam facit. Addo magis illud, Iulium eumdem Firmicum, *Conſtantinum* iterùm nominare, vt viuum, in ipsâ Præfatione: B *Cùm tibi totius Orientis gubernacula, Domini atque Imperatoris noſtri Conſtantini Auguſti, ſerena iudicia tradediſſent.* Si iam diu obierat, cur non *Diuum* appellat, vt in aliis illis verbis *Diui Conſtantini filium*, pro amici quidem noſtri ſenſu? Nam nos ibi, *Diui Conſtantij*, verè putamus emendari. At verba tamen ſunt, quæ *Conſtantio*, quàm *Conſtantino* propiora, ſi verum ſpectes: iſta. *A primo ætatis gradu Imperij gubernacula retinens, qua proſperis nactus fuit auſpiciis.* Nam Conſtaotinus quomodo à primâ ætate, cùm non niſi anno *trigeſimo* cœperit imperare? at verò

A Conſtantius, *octennis* admodum, Cæſar deſignatus fuit. Reſpondeo, non hoc velle Firmicum: ſed natum Imperatoriâ ſtirpe, & imperio iamtunc fatis deſtinatum. Planè vt Panegyriſtes, ad ipſum Conſtantinum: *Quamuis feliciſſimus ille dies imperij tui natalis habeatur, iam tamen ab illo generis auctore* (Claudio) *in te Imperij fortuna deſcendit.* Iterúmque: *Non repentinus aliquis fauoris euentus te principem fecit: Imperium naſcendo meruiſti.* Et tertiò: *Sacrum iſtud Palatium non candidatus Imperij, ſed deſignatus intraſti.* Talia plura leges: & me auctore in Firmico hîc, *ad quæ proſperis natus fuerat auſpiciis.* Deſino, nec ſerram vltrà reciproco: & fateor ingenuè in illo æuo, paucitate B ſcriptorum aut incuriâ, aut etiam imperitiâ, tenebras & ambagines eſſe, nullâ vmquam curâ ſatis ad certum aut liquidum perducendas. Quid autem (philoſophari lubet) in talibus magnum facimus? quid meâ eſt inter, ibi an ibi natus ſit Conſtantinus? Virtutes eius, non patriam videamus: & ab illâ obſcurus, ab his lucem capiat, & eamdem imitatione aliis doœt. Hoc voueo, & cum modeſtâ ſcientiam, & magis ſapientiam, babere. Nam omnia cùm viderimus, *vnum ſtudium verè liberale eſt, quod liberum facit, hoc Sapientiæ ſublime, forte, magnanimum. cetera puſilla, & puerilia ſunt.* Didici, diſce. Sen.epi. LXXXVIII

INDEX CAPITVM

LIBRI PRIMI.

OCCASIO & ingreſſio ſermonis. Cap.I. 581

Communiter Roma & eius Potentia laudata, per elogia pauca veterum. Cap.II. ibid.b,2

Fines imperij Romani; quando maximi;& Prouinciæ breuiter adnumeratæ. Cap.III. 582.c,2

De Copiis & præſidiis ſparſim circa limites, itémque in ipsâ Vrbe.Cap.IV. 584.d

De Copiis in mari aut fluminibus; de Claſſibus variis earúmque ſedibos.Cap.V. 586.e

De Coloniis & modus fructuſque deducendi.Cap. VI. 588.b

Multitudo Romanorum, & ratio adſciſcendi gentes,aut transferendi.Cap.VII. 589.a

LIBRI SECVNDI.

De Priſcis populi Romani vectigalibus, Decumis, Quintis,Scripturâ,Portoriis.Cap.I. 591.a

De Tributis & Capitatione.tum inquiſitum io modum vectigalium, & quid videantur reddidiſſe. Cap.II. ibid.c,2

Inquiſitum item in Capitationis modum & penſum vniuerſorum Tributorum.Cap.III. 593.e

De Ærario militari, & Vigeſimâ, Vigeſimaquintâ, Centeſimâ,ad id explendum. Cap.IIII. 595.b

De Metallis, & argenti,auri, aliarúmque rerum fodinis.Cap.V. 596.c

De Vrinario vectigali & Chryſargyro, item de Meretricio.Cap.VI. ibid.c,2

De opibus Byzantini imperij: & clauſula ac finis Tributorum.Cap.VII. 597.d

Pecunia è Triumphis, & aliquot eorum inſpecti æſtimatique.Cap.VIII. 598.b

De Auro Coronario,& Coronis dictum. Cap.IX. 599.b,2

Impenſæ publicæ in Militem, Magiſtratus, Populum:& de Frumentatione.Cap.X. 600.e,2

Impenſæ in Ludos obiter oſtenſæ.Cap.XI. 602

Dona Principum effuſa, & primò Iulij Cæſaris. Cap.XII. 604.a

Augusti Principis dona.Cap.XIII. 605.d

Aliorum Principum dona.Cap.XIIII. 606.e,2

De priuatorum aliquot opibus, & materiæ huius finis.Cap.XV. 607.c,2

LIBRI TERTII.

Ad Opera Romana tranſitum, & primò de ligneis aut temporariis dictum.Cap.I. 610

Diuturna opera, & caput omnium Roma. De ſitu eius, & in primis de magnitudine indagatum. Cap.II. 611.a,2

Magnitudo Suburbiorum Romæ, & hominum in totâ Roma multitudo.Cap.III. 613.d,2

De ædificiis vrbis Romæ communiter, & eorum altitudo.Cap.IIII. 616.a

Decor & ornatus ædificiorum. Excerpta quædam, & primò de templo Capitolino exactiùs dictum. Cap.V. ibid.b,2

Item de tẽplo Panthei, Vrbis, & Pacis.Cap.VI. 620.e

Fora Romana deſcripta;& diſtinctè Romanum, Iulium, Auguſtum, Tranſitorium, Vlpium.Cap.VII. 622.b

De Balneis Thermíſque, & breuiter de Roſtris. Cap.VIII. 624.e

De Statuis,& earum cuſtodelâ. Cap.IX. 625.a,2

De viarum magnis operibus, & nominatim de Appiâ.Cap.X. 626.e

Aquæductuum mira.Cap.XI. 627.e,2

Cloacarum mira.Cap.XII. 628.d,2

Traiani pons in Danubio.Cap.XIII. 629.a,2

Priuatorum hominum Vrbanæ aut Rusticæ ædes, Cap.XIIII. 630.d

LIBRI QVARTI.

Tranſitum ad Virtutem Romanorum, & ea in genere prædicata.Cap.I. 633

Triplex ordo in populo oſtenſus, & quiſque in ſuâ parte laudabilis.Cap.II. ibid.c,2

Iuſtitia & Clementia in bellis.Cap.III. 635.e

Fortitudo Romanorum militaris.Cap.IIII. 636.d

Pietas, Probitas, Conſtantia Romanorum. Cap.V. 637.c,2

Contra Probitatem & Abſtinentiam dicta & obducta quædam.Cap.VI. 639.a

Pariter contra Continentiam;& de Luxo Romano. Cap.VII. 640.a

Excuſati Romani à prioribus: & primùm in Raptu vel Sæuitiâ,obiter.Cap.VIII. 642.d

Factum idem in Luxu menſarum, aut veſtium. Cap.IX. 643.a

Doctrinæ ſtudia Romæ, & Salaria in Doctores. Cap.X. 644.a,2

Diuturnitas Romani imperij,& in occaſione de patriâ Conſtantini.Cap.XI. 645.a

Concluſio, & Laudatio magni Imperij. Cap.XII. 646.a

APPROBATIO.

Quattuor hos J. Lipſij de Magnitudine Romanâ libros,prælo dignos cenſeo, quòd eruditi ſint, & pulchrâ varietate mirificè afficiant oblecténtque,nec non ad illuſtrationem antiquitatum plurimum conferant,nihil interim continentes quod Catholicæ fidei aduerſetur.

Guliel.Fabricius Nouiom.Apoſtolicus ac Regius librorum Cenſor.

IVSTI LIPSI
DE
AMPHITHEATRO
LIBER.

In quo forma ipſa Loci expreſſa, & ratio ſpectandi.

Cum figuris.

AD LECTOREM.

CVM vniuerſam rem Spectaculorum veterum illuſtrare ſtatuiſſem, Muneris inquam vtriuſque, tum Circi, & Scenæ; atque ad eam cogitationem parata mihi iam materia omnis & ſeges eſſet: valdè pro bono mihi viſum, imò neceſſario, de Locis ipſis eorúmque formâ quædam prædici. Nam cùm ratio tota ludorum innexa iis & apta ſit: fit omnino, vt qui illa non capiat, iſtos parùm firmiter teneat, & caligans hæſitánſque neſciat, etiam quæ ſcire ſe arbitratur. Itaque cùm libros meos de Gladiatoribus iam emiſiſſem, non ſine caueæ Senatoriæ & Equeſtris aliquo plauſu; illos De Venatione in manibus haberem & perpolirem: hoc quod vides, de Amphitheatro, priùs contexui: in quo imago, facies, habitus omnis Arenæ expreſſus, quà ſtilo meô, quà penicillo. Nam nec formas & imagines operum neglexi. etſi fateor, maiorem me rationem rituum duxiſſe, quàm Architecturæ. Illis enim hæc noſtra ſeruiunt & prælucent, vt illos cenſemus ſcriptoribus priſcis. Tamen nec Architectura ſpreta à me prorſus. quatenus ea quidem ad voluptatem aliquid conferre videretur, ſiue admirationem. Sed quidquid hoc eſt operæ, feriatum id mihi & verè ludicrum fuiſſe, non nego. Vix enim duodecim dierum tota iſta ſcriptio & meditatio eſt: quos lege ac more ſepoſitos à ſeriis publiciſque Lectionibus, transferre mihi viſum ad hanc curam. Nec adfirmatione aliá res eget. ipſum ſyntagma oſtendet, non eâ curâ ac cultu fortaſſe, quo quædam è meis. Sed quid opus, aut neruos in remiſſionibus intendere? aut ſeriò tractare ludos? Mihi (licet Inuidiá audiente & gemente hoc dicam) non iſta, non alia ex Antiquitate tractare nimis arduum: ad quæ explicanda otium fortaſſe aut voluntas deeſſe mihi poterit, vix facultas. Nec placeant ſibi nimis, qui neſcio quid tale adnotant & decerpunt per partes. Sed me amor alius ſtudij iam incendit, & acri quodam thyrſo pectus mihi percuſſit alta illa Diua. Sapientiam intellego: cuius meracos puróſque fontes nunquam erit vt nimis miſceam aut diluam mitioribus iſtis ſuccis. Adhibebo tamen: ſed vt luſum, non vt curam; vt acceſſionem, non vt opus. Quem eumdem animum in his talibus, mi Lector, ex animo tibi opto. Salue.

IVSTI LIPSI DE AMPHITHEATRO LIBRI

CAPVT PRIMVM.

Dialogi occaſio. Florentij laus. Vrbs diruta, non diruta. & ſplendidæ eius ruinæ.

N. Florentij laus.

CVm Romæ adoleſcens admodum agerem, luſtrandæ & noſcendæ inprimis antiquitatis: familiaritas mihi fuit ſanè vtilis cum Nicolao Florentio, populari noſtro: viro, à quo elogium hoc Veritas numquam ſpernet, veræ modeſtiæ & doctrinæ. Sed illa, in eo ſtatim & aſpectu ipſo elucebat; hæc, ſecreta magis & recōdita neceruenda niſi in conſuetudine aliquâ & vſu. Vt gemmarum lapidúmque arcanæ vires, non niſi attritu & experiendo apparent: ſic in pleriſque vera eruditio, quæ interiori animo inſita, foras non ſpectat aut pendet. Alienus enimuerò hic noſter ab omni ambitione ſiue typho, Batauâ quadam ſimplicitate agebat: quique ſcire ipſe, quàm ſciri; noſſe multa, quàm à multis noſci præoptabat. Sed cum primis illi ſtudium & ſcientia locorum, monumentorúmque veterum: quæ curioſè iam aliquot annos luſtrabat, indagabat: acri quodam & directo iudicio, noua cum priſcis, priſca cum illis componens. Haud temerè illum fugiebat, quid non dicam in quaque parte Vrbis, ſed Italiæ, eximium fuiſſet: & ex leuibus quibuſdam errantibúſque veſtigiis, mirum quàm ſagaciter perueniebat ad cubilia ipſa rerum. Cum hoc igitur viro & ſermo mihi tunc creber, nec infrequens ambulatio fuit: cùm ſtudio quodam Antiquitatis incenſus (cuius amor, vt, cum Pindaro dicam, pupugerat mihi mentem) ſæpe & pe[illegible]em, & promerem aliquid, ex hoc theſauro. Quod ip[illegible] accidit die quodam æſtiuo pomeridiano, cùm ego [illegible] ſtatim à prandio (vna enim fueramus) manu prendens, Imúſne? inquam. Quò iam? inquit ille. Solemni noſtro more, inquam, per colles iſtos ambulatum. Ille paullò adductior, At ſolem hunc non vides Lipſi? inquit. quem ſcire debes peregrino capiti Romæ non amicum. Ego cum riſu, De ſole ſecurus es, meâ quidem cauſâ, inquam. Vetus ego illi alumnus, nec quidquam metuo à meo Phœbo. Ita mox ſumptis pallijs exiuimus, & præter Vipſanij Pantheon tranſgreſſi, collem Capitolinum aſcendimus, deſcendimus: tandémque per Forum Rom. & Titi arcum ſiue fornicem euntes, haud procul ſtetimus à Principis eius * mole. Pedem enim hîc fixit Florentius, Et víſne Lipſi, inquit, diſperſa in hoc campo oſſa paullíſper legamus magnæ matris? Romam dico. cuius reliquias & velut cineres adhuc vides, etſi crematæ non vno buſto, euerſæ non vno fato. Tres ad pulcherrimum hoc mundi opus euertendum dij conſpirarunt, Cronus, Vulcanus, & * pater ipſe gentis.

Doctrina vera, non abſcondita.

Sol Romanus noxius vpſiarius.

* Amphitheatro Titi.

Roma ſæpius euerſa non periit.


* id eſt, Mars.

Non tamen annorum ſeries, non flamma, nec enſis
Æternum potuit hoc abolere decus,

vt antiquus quiſpiam poëta verè ait. Scilicet hæc ipſa ruta & cæſa ſpirant etiam Romam veterem, & velut ſcintillas emittunt priſci ſplendoris. Ex parietinis ecce iſtis, & ex lapidibus, imago ſtatim animo oboritur vrbis, quæ vna fuit ab omni æuo, vna erit. Sed iam diſtinctiùs luſtremus. Viden' tu collem illum ad læuam? Eſquiliæ ſunt. Radices eius? ibi Carinæ. paollò longiùs, Thermæ Titi. Hîc, Vicus ſceleratus. Et cùm diceret ille ſedulò atque indicaret; ego in aliâ cogitatione defixus, oculos & mentem omnem habebam in ædificio, quod exaduerſum erat. Itaque lams mihi tengit; & Itáne aliud agis? inquit. Ignoſce, inquam. Inuitos oculos meos traxit, & velut faſcinauit, eximia illa moles. Et dic ſodes, cuius opus? quando? quâ fini? quâ olim formâ? Florentius renidens, Næ tu multa ſimul & ſemel petis, inquit. ac vereor, cum Plautino illo Sycophantâ, ne face & viatico nobis opus ſit, ad tam longæ narrationis iter. Tamen docebo te in parte. tranſi hnc, & propins luſtra.

Tanta quondam maieſtas ruinarum.

Amphitheatri ſtupenda moles.



CAPVT II.

Ad Amphitheatri deſcriptionem aggreſſio. Primò de nominibus eius quæſitum. Cur Amphitheatrum dictum, & cur Cauea.

IAm intrauimus; & videmus ecce confuſam loci faciem, & formam verè informem. Lacera omnia & dirupta, nec aliud quàm egregij operis vmbra & cadauer. Itaque cum ſuſpirio ad Florentium, Heu quæ iſta res? inquam. Manu omnia diruta vt video, aut collapſa æuo: ſine articulis vllis priſcis corporis, ſine membris. & quis mihi eruet ex iſtis verum vultum? Periti, inquit Florentinus. inter quos non ego: tamen quoniam auidè aues, lineas tibi eius operis videor poſſe ducere, & deformare id in parte. Adiuua hoc, Florenti, inquam ego, per tuam fidem. Certè ſi vllum opus dignum memoriâ & notitiâ noſtrâ eſt; videtur iſtud. Nec erras, inquit. Itaque cum Ariſtophane,

* Ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλὴν σοι πάντ᾽ ἐρῶ·

quod ſciuero quidem ego, poteróque. Nam quædam etiam eſſe, in quibus hæreo & caligo, non nego.

Vaſtum igitur hoc omne quod vides, ſpectaculi locus fuit & ludicræ voluptatis.* Coliſſæum, vt ſcis, hodie dicunt: priſci Amphitheatrum, & ſæpe Caueam, ſæpe Arenam. Tria enim hæc nomina reppeiio. Amphitheatrum Græcâ voce ideò, quia gradus circùm vndique, & ſedalia contineuter diſpoſita ambibant in orbem. Dio * Caſſius: Θέατρον κυνηγετικόν, ὃ καὶ Ἀμφιθέατρον, ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἀνὰ κύκλον ἔχειν, προσερρήθη: *Theatrum venatorium, quod & Amphitheatrum dictum eſt, ex eo, quòd ſedes vndique in orbem habeat, ſine vllâ ſcanâ.* At Cauea Latinis; ab interiore hac parte quæ concaua, vt vides, & capaci quodam profundo. Quod nomen quidem apud antiquos (liberâ rep. dico) in * theatris ferè hæſit: ſed ſub Principibus, cùm gratia & vſus Amphitheatrorum increbuiſſet, bono iure migrauit ad iſta. Ammianus libro XXIX. *Alter in Amphitheatrali caueâ, cùm adfuturus ſpectaculis introiret.* Tertullianus contra Marcionem: *Quid? non in omnem libidinem ebullis? non frequentas ſolemnes voluptates Circi furentis, & Caueæ ſæuientis, & Scænæ laſciuientis?* Vbi cùm ſæuitiam Caueæ adtribuat, clarum eſt intellegi de Amphitheatro. Saluianus pariter: *Quidquid immoderationis in Circo, quidquid furoris in Caueis.* Iulius Firmicus: *Nati ſub ſidere Canicula, erunt venatores, arenarij, parabolarij, & qui ſub conſpectu populi, in Caueis, cum feris pugnent.* Prudentius:

*Quid pulsis Cauea ſemper * funebris, & illa*
Amphitheatralis ſpectacula triſtia pompæ?

Idem iterùm de Virgine Veſtæ quæ it ad Gladiatores ſpectandos:

Inde ad conſeſſum Caueæ pudor almus, & expers
Sanguinis it pietas.

Appuleius ita apertè: *Dies ecce muneri deſtinatus aderat, & ad conſeptum Caueæ, proſequente populo, pompatico fauore deducor.* Tertullianus (ſi recta lectio eſt) Caulam etiam in libello De Spectaculis dixit, ouè magis quàm impropriè: *Ceterùm qualia illa ſunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit? credo Circo, & vtrâque Caulâ, & omni Stadio gratiora.* Vbi eâ voce includit etiam Theatrum, niſi ſi legendum *Caueâ.*

* A capite ad vſque calcē [illegible] diſſeram.

* Quia Neronis cum capite Coloſſus in vicinià.

Trina nomina eius ludicri loci.

* Lib. LXVI.

Cauea à caua [illegible]

* Et vti alter apud Ciceronem ac veteres.

At [illegible] Amphitheatro.

* Funera autem ad Scæuam referri nō poſſunt.

Caula pro caueâ.

CAPVT III.

Arenæ nomine dictum eumdem locum. ideò quia ſterni arenâ ſolitus. Cuius generis ea ſtratura? quàm varia? Plinius & Ouidius explicati. Arenarij. Tertullianus emendatus, & declaratus.

SEn & Arenam dixêre vulgò, ſcilicet quia is locus deſabulari ſolet, & arenâ ſterni in vſum pugnæ. Nam ſi lapide aut ruderato: in tam crebrâ effuſione ſanguinis, lubrico ſtatim pauimento, quæ ratio ſtandi aut certandi? Arenam iniecere igitur, quæ bibula: & quam ipſam renouare & velut inarare etiam ſoliti per interualla ludorum. Martialis oſtendit, de Leone ſubitò efferato:

Nam duo de teterâ iuuenilia corpora turbâ,
Sanguineam raſtris quæ renouabat humum,
Sæuus & infelix furiali dente peremit.
Martia non vidit maius Arena nefas.

Et credo quidem vulgariam arenam inſterni ſolitam: niſi quòd quidam raſuram lapidis albi deſtinarunt etiam huic rei, quæſitâ gratiâ candoris. Plinius libro XXXVI. *Inuenere & alium vſum eius lapidis, in ramentis quoque, Circum maximum ſternendi, vt ſit in commendatione & candor.* Nec ſcio an ad hunc morem, mentem & calamum Ouidius flexerit, cùm de Gladiatorum ſpectaculo ſcribit:

Altera treſque ſuper raſâ celebrantur arenâ.

Raſam enim arenam ingerunt hîc conſenſu fidi & priſci libri, nec cauſſam adiectionis aliam facilè inuenio ab iſtâ. Niſi ſi Raſa ideò, quia ſuperficies illa æquabilis, terſa vento & velut raſa. At Principes interdum, arenæ loco, inſtrauere minium aut chryſocollam. Plinius: *Viſúmque eſt Neronis Principis ſpectaculis Arenam Circi chryſocolla ſpargi, cùm ipſe concolori panno aurigaturus eſſet.* Suetonius de Caio: *Edidit & Circenſes quoſdam præcipuos, minio & chryſocollâ conſtrato Circo.* Sed hæc monſtrorum aliquot dementia, quibus ſatis non fuit oſtentare opes ſuas in ſpectaculis: voluerunt & calcare. Ceterùm Editorum vulgus contenti, vt dixi, arenâ. Inde ea vox paſſim pro certamine Amphitheatrali, próque ipſo loco. Tacitus: *Spectacula gladiatorum idem ille annus habuit, pari magnificentiâ ac priora: ſed fœminarum Senatorúmque illuſtrium plures per Arenam fœdati ſunt.* Iuuenalis:

——— & municipalis Arena
Perpetua comites.

Suetonius: *Equeſtrem ordinem vt Scena Arenaq; deuotum adſiduè proſcidit.* Horatius:

Ne populum extremâ toties exoret Arenâ.

Capitolinus: *Multos qui ſecum in Arenâ pugnaſſent, ſe Prætores videre.* In edicto Ædilium: *Quive in Arenam, depugnandi cauſſâ, ad beſtias intromiſſus fuerit.* Sed nonne & Circus & Stadium, inquies, arenis ſtrata? non & illa igitur in communionem admiſſa huius vocis? Strata: ſed non admiſſa. caue credas. quotiénſque Damnari in Arenam, Arenâ mitti, taliáque in Iuriſconſultis ſiue Hiſtoricis legis; cautè accipias de ferro tantùm, aut cultro. id eſt, Gladiatoribus, aut Venatione. & magis pro iſtâ. Imperator quidem clarè diſcriminat ecce à Circo, lege VIII. C. De repudiis: *Nec vllo modo vxorem expellet, niſi adulteram, vel Circenſibus, vel Theatralibus, vel* * *Arenarum ſpectaculis ſe prohibente gaudentem.* In quo vſum quemdam ſermonis obtinuiſſe potiùs, quàm rationem nõ infitebor. Ab hac ſtirpe Arenarij, qui in arenâ depugnant. Symmachus: *Dies muneris noſtri temporis admonetur: cui largitas candidati ſola non ſufficit, ſi laudatoribus Arenarius deſeratur.* Arcadius Iuriſconſultus: *Si ea res conducta ſit, vbi Arenarium teſtem, vel ſimilem admittere cogimur.* id eſt, Arenâ alterutrâ pollutum: ideóque infamem. Tertullianus: *Scenicos, Xyſticos, Arenarios illos amentiſſimos, quibus* * *viri animas, fœminæ autem illis etiam corpora ſua ſubſternunt.* Ita ſcribendus indubiè is locus: & ſignificat pius & ſeuerus noſter Cenſor, inſaniiſſe in hoc genus hominum non vnam Fauſtinam. Nimirum, vt poëta ait, *— ferrum eſt quod amant*: Imò telum. Nec alia, quod ſciam, loci huius nomina. Nam eiuſdem Tertulliani illud inuolutum, libello de Spectaculis, cap. XII. emendatione vera euoluo. Legunt vulgò: *Quid ego de horrido loco dicam quem nec periuria ſuſtineat? Pluribus enim & aſperioribus nominibus Amphitheatrum conſecratur, quàm Capitolium omnium dæmonum templum eſt.* Fruſtrà quæras hæc nomina. Scribo igitur, & diſtinguo: *aſperioribus numinibus Amphitheatrum conſecratur, quàm Capitolium. Omnium dæmonum templum eſt.*

Cauſſa inſternenda arenæ.

Quam per ſpatia quoſdam, nõ ſimilius ſpa-tio, renouabant. [margin note, partly illegible]

Arena è lapide abraſa.

E minio rutum, aut chryſocolla.

Arena pro certamine & loco.

Arenâ non & Circus vocatus?

Nec videns.

* id eſt vtriuſque muneris.

Arenarij qui dicti.

* Vulgò ſcribunt, viris animas, fœminis aut illis.

Tertullianus declaratus.

Et correctus.

CAPVT IIII.

Ex occaſione, de diis quibus Amphitheatrum ſacratur. Dianæ inprimis. Ioui Latiari, ſiue Diti. item Saturno. Ara Iouis in Arenâ. Mactatio ad eam ſtata vnius è beſtiariis. Tertulliano ac Minutio lux.

QVOD vt tibi liqueat: non defugiam breuiter ea commemorare, quoniam id quoque ad lucem huius rei facit. Dedicabant inprimis locum & ludum hunc Dianæ. Tertullianus: *Martem & Dianam vtriuſque ludi* (Gladiatorum & Venatorum deſignat) *præſides nouimus.* Caſſiodorus, magis diſtinctè, ſacra Dianæ Tauricæ. *Spectaculum*, inquit, *tantùm fabricis clarum, ſed actione teterrimum, in honorem Scythicæ Dianæ repertum, quæ ſanguinis effuſione gaudebat.* Nec ab aliâ cauſâ, Dianam pro ipſâ Venatione amphitheatrali Martialis poſuit:

Inter Cæſareæ diſcrimina ſæua Dianæ.

Sed & Ioui ſacrabant, ſiue Latiari, ſiue Stygio. De illo, Tertullianus Apologetico: *Ecce in illâ religioſiſſimâ Æneadarum vrbe eſt Iupiter quidam, quem ludis ſuis humano ſanguine proluunt. Sed beſtiariorum, inquitis. Opinor hoc minus, quàm hominum.* Idem ſcriptor, aduerſus Gnoſticos: *Sed enim Scytharum Dianam, Gallorum Mercurium, Afrorum Saturnum, victimâ humanâ placari apud ſeculũ licuit. Et Latio ad hodiernũ Ioui mediâ in vrbe humanus ſanguis ingustatur.* Minutius Felix: *Iupiter cùm Hammon dicitur, habet cornua: & cùm Capitolinus, tunc gerit fulmina: & cùm Latiaris, cruore perfunditur.* Stygium ſiue infernalem interpretari eum videtur Prudentius:

Quid puluis Caueæ ſemper funebris? & illa
Amphitheatralis ſpectacula triſtia pompæ?
Hæ ſunt deliciæ IOVIS INFERNALIS, *in iſtis*
Arbiter obſcuri placidus requieſcit Auerni.

Et aram imò Ditis in Amphitheatro poſitam agnoſcere, quæ ſanguine hoc perfuſa.

Funditur humanus * *Latiari, in munere ſanguis;*
Conſeſſúſque ille ſpectantum ſoluit ad ARAM
PLVTONIS *fera vota ſui. quid ſanctius* ARA,
Quæ bibit egeſtum per myſtica tela cruorem?

Quinimò ex Minutio colligas, ſolemne quoddam ibi hominis ſacrificium fuiſſe, velut ad committendos ludos. Ait: *Hodiéque à Romanis Latiaris Iupiter homicidio colitur, & quod Saturni filio dignum eſt, mali & noxij hominis ſanguine ſaginatur.* Mali, inquit, & noxij hominis. id eſt, Beſtiarij. Itaque labor vt in Tertulliani loco; quem primitus adtuli, cum melioribus libris legam: *Sed beſtiarij, inquitis. Opinor hoc*

Diana pro ipſâ Venatione amphitheatrica. Iupiter Latiaris.

Siue Stygius.

* Ita diſtinguo & capio, non vt munus Latiare appellet: ſed et Ioui Latiari fuſum ſanguinem in munere vult. Mactatio horrenda, nec Romanorũ caſtu digna. Tertulliani correctio.

minus,

menus, quam hominis. Sed præter hos deos, Saturnus etiã in partem venit huius tutelæ. Lactantius ita adſerit ex ſententiâ Sinij Capitonis: *Venationes & quæ vocantur Munera, Saturno adſcribuntur ſunt: Indi Scænici, Libero: Circenſes, Neptuno.*

CAPVT V.

Quando prima Amphitheatra cœpêre. videri ſerò irrepſiſſe: idque ſtatim poſt Venationem. Sed lignea primò fuiſſe. mox è lapide, Statilij Tauri. Auguſtum deditum Venationibus. Dio correctus. Antiquariorum error in loco Tauriani Amphitheatri.

DE impiâ vanitate, ſatis. ad locum deſcribẽdum redeo: cuius primum ortum & quaſi natalem diu quæſiui fruſtrà. Non enim magis clarum, quando Amphitheatra hæc inſtituta, quàm quando Venatio ipſa. Quam poſteriorem Gladiatoribus eſſe, & in Circi ſede diu hæſiſſe: inducor non vanis coniecturis. Nata tamen Amphitheatra, niſi fallor, haud diu ante tempora reip. deſidentis: & quidem temporanea primùm, & è ligno. Ita Curionem, (illum Tribunicium dico, qui tuba belli ciuilis) ligneam molem extruxiſſe, quæ diducta, duo Theatra redderet; iterùmque Amphitheatrum vnum, conducta, Plinius refert libro XXXVI. Et in Dione lego, Theatrum quoddam è ligno exſtructum, corruiſſe cum multorum clade. Verba enim eius ſic reſcribam, libro XXXVII. Καί τι καὶ θέατρ.ν πρὸς πανήγυρίν τινα ἐκ ξύλων ᾠκοδομημένον ἀνετράπη, καὶ ἄνθρωποι παμπληθεῖς ἀπώλοντο, non vt vulgò, ἐκ Σύρων: ex quo interpres neſcio quid perplexi expedit ſiue impedit potiùs, *ad Indos de Syris.* Sanè valdè recepta & crebra, Spectacula hæc lignea. quod Vitruuius etiã ſuggerit, libro, V. *Dicet aliquis fortè multa theatra Romæ facta quotannis, nec vllam rationem harũ rerum in his fuiſſe. ſed errabit in eo, quòd omnia Publica* LIGNEA *theatra tabulationes habent complures, quas neceſſe eſt ſonare.* Et Cæſar ipſe Iulius, iam Dictator, Amphitheatrum ligneum extruxit in campo Martis: quod Dio Caſſius adſignificare videtur fuiſſe inuẽti noui. Libro XLIII. πολλοὺς, inquit, καὶ παντοδαποὺς ἀγῶνας ἔδωκε, θέατρόν τι Κυνηγετικὸν ἰκριώσας, ὃ καὶ ἀμφιθέατρον (ἐκ τ͂ περιξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν) προσεῤῥήθη: *Multa & varia ſpectacula edidit, venatorio quodã theatro è lignis ſtructo, quod & Amphitheatrũ (ex eo, quòd vndique ſedilia in orbem habeat, ſine ſcanâ) appellatum eſt.* Dixi ligneum, quia Dio verbo vtitur ἰκριώσας: & quia poſtea memoria eius nulla. At ſub Auguſto, & Venatio valdè iam increbuit, & increuit eius dignitas. Siue vnâ cum opibus augeſcente luxu: ſiue potiùs, quia ipſe ille Princeps valdè in hunc ludum pronus. Victor de eo: *Quòdque eſt leti vel amans animi oblectabatur omni genere ſpectaculorum,* PRÆCIPVE FERARVM *incognitâ ſpecie & infinito numero.* Et ipſe Auguſtus in lapide Ancyrano fatetur, Venationes ſe dediſſe, QVIBVS. CONFECTA. SVNT. BESTIARVM CIRCITER. TRIVM. MILIVM. ET. QVINGENTA. Itaque ſtatim Venationi tunc reperta propria & manſura domus. Amphitheatrum * exſtructum è lapide, Auguſti ſuaſu, Statilij Tauri opibus & ſumtu, in cãpo Martio. De quo Dio libro LI. ὁ Ταῦρ☉ Στατίλι☉ θέατρόν τι ἐν τῷ Αρείῳ πεδίῳ Κυνηγετικὸν λίθινον καὶ ἐξεποίησε τοῖς ἑαυτοῦ τέλεσι καὶ καθιέρωσε: *Statilius Taurus in campo Martio theatrũ quoddam Venatoriũ, lapideum, & ſtruxit ſuis impenſis, & dedicauit.* Ait Dio diſertè ἐν τῷ Αρείῳ πεδίῳ. Antiquarij igitur noſtri quomodo non errãt, qui locant id in monte Cælio? Præſertim cùm & Victor in deſcriptione ſummariâ vrbis, pariter ponat in regione IX. Circi Flaminij: ſub quâ Martius campus. Hoc ſolum primùmque lapideum Amphitheatrum Romæ fuit, ad tempora Veſpaſiani. Nam quod Caligula ſtruere cœperat apud Septa, Claudius omitti voluit, Suetonio narrante in Calig. cap. XXI. Et quod Nero poſteà magnificum in campo Martio erexit, fuit ſaltem è ligno. De quo Tacitus libro XIII. Annal. & Suetonius in Ner. cap. XII. Fateor & Caſtrenſe quoddam Amphitheatrum fuiſſe, Regione * Eſquiliis: quod P. Victor commemorat: ſed cuius ſtructor mihi irreptus. niſi ſi is Tiberius Imp. fuit, qui idem ſtruxit & Caſtra. Pompei Amphitheatrum nullum: nec Plinius tibi imponat libro XXXVI. cap. XV. vbi, *Pompeij Amphitheatri,* aperto librariorum errore leges, pro, *Pompeiani theatri.* Quod non monerem, niſi præteritũ etiã Hermolao.

Ortus Amphitheatrorum non liquidus.
P. Quæ promo lib. I. De Venat.
Curionis verſatilis moles.
Correctura in Dione.
Lignea theatra & amphitheatra antiqua. Iulius Cæſar exſtruxit.
Auguſtus fautor Venationum crucenus.
Quot feras dederit ſuis muneribus.
Anno Vrbis DCCXXV. Tauri lapideũ Amphitheatrum
Antiquarij noſtri hic errant.
Caligula imperfectũ ſpectaculũ.
Neronis id non durans.
Caſtrẽſe Amphitheatrum cuius ruinæ hodie Romæ. Correctus locus Plinius.

CAPVT VI.

Tauri Amphitheatrum exuſtum, & reparatum. Aliud maius à Veſpaſiano ſtructum. vrbe veteri mediâ. Suetonius correctus. Fortaſſe & Victor. Titus dedicauit id opus. poſteà collapſum, & ſæpe inſtauratum.

STATILII ergo illud in multâ fama, & vſu: donec ambuſtum fuit ſub Nerone. Xiphilinus admonuit, vbi de magno illo incendio: τό τε Παλάτιον τὸ ὄρ☉ σύμπαν, καὶ τὸ θέατρον τ͂ Ταύρου ἐκαύθη: *Palatinus mons vniuerſus, & Tauri amphitheatrum conflagrauit.* Et quamquam reſtitutum poſteà: (Victor id ſuadet, qui ponit inter opera, quæ æuum ferebant ſuo æuo:) tamen quia incendio illo informius redditum & infirmius, occaſio data Veſpaſiano & cupiditas ſtruẽdi noui. Struxit, & quidem vt Suetonius ait, in media vrbe: hoc ipſum, Lipſi, quod inſiſtimus, quod manu oculiſque tangimus: & quod iure mirentur iniuriis reſtitiſſe tot annorum, tot bellorum. Ego interrumpens, Sermonis mihi venia ſit, inquam. Hoc illud, ais, quod vrbe media? Valdè erras. Oculis hunc vrbis ambitum, ſiue pertica metire: à latere propius aberit, quàm ab vmbilico. Florentius. Pomœrium te decipit adoleſcens, inquit, nouæ vrbis: quod ab Aureliano, & poſt illum eſt. At veterem finitionem & limitem ſi inſpicis: prope verum eſt Suetonij nota. Cuius ipſa verba referre mihi pretium, vt emendem. In Veſp. cap. IX. *Fecit Amphitheatrum vrbe mediâ, vti deſtinaſſe compererat Auguſtum. Ampliſſimos ordines & exhauſtos cæde variâ & contaminatos veteri negligentiâ, purgauit ſuppleuitque.* Scribo & interpungo: *ampliſſimum. Ordines.* Amphitheatro enim data laus & titulus, Ampliſſimi: non Ordinibus. è quibus ſoli Senatui conuenire eum ſcio, nec tributum Equiti vnquam. Etſi de iuſta medietate tamen haud adfirmo: ſatis eſt circà fuiſſe. Struxit autem Veſpaſianus in conſulatu ſuo octauo id eſt, vix biennio, ante vitæ finem. Inducor à Nummo, cuius inſcriptio: IMP. CÆSAR. VESPASIAN. AVG. COS. VIII. P. P. & parte altera, expreſſa hæc Amphitheatri figura. Itaque cœpit opus ipſe, non abſoluit; ſtruxit, non exſtruxit. At Titus filius ſummam manum impoſuit, idémque dedicauit. Duorum ergo Principum opus: ideóque non malè Sex. Rufus qui ambiguè inſcripſit, *Flauij Amphitheatrum.* etſi. fama & vulgus Tito magis adiudicarit. ſiue fauore quodam in illum, ſiue potiùs ex Romano ritu, quo receptum opera cenſeri à dedicante. Non ſatis conſideratè igitur Eutropius, & Caſſiodorus, qui feciſſe Titum id autumant: magis Aurelius Victor, qui perfeciſſe. *Biennio poſt,*

Cauſſa noui Amphitheatri.
Quod vrbe media Veſpaſianus ſit.
Labes eluta in Suetonij verbis.
Solus Senatus, ordo ampliſſimus.
Quando Veſpaſianus cœperit.
Titus id abſoluit.

Victoris parum clara aut certa lectio.

A inquit, *ac menſes ferè nouẽ, Amphitheatri perfecto opere, lautiſque veneno interiit.* Vbi Lauti vox meis naribus parum elaota, quam enim habet ſententiã? ſcribámque libens, *Amphitheatri perfecto opere, Lauacriſque:* vel, *Lautiſque.* Cenſeo enim duo opera commemorari ab eo Titi, Amphitheatrum & Thermas. Quas infreqoentiori nomine Lautus adpellat: vti Feſtus *Lautulas, Loca vbi lauandi vſum exercebant.*

Durum ipſi, & ferrei ſtyli ſcriptor.

Durum hoc mihi ipſi videretur, oiſi Victorem cogitarem, & reliquam eius adſectatæ oouitatis phraſim. Atque hi duo ſoli Priocipes fecêre; alij refecêre, cùm caſu aliqoo læſum, aut igoe fuit. Inter eos M. Antoninus Pius, vt refert Capitolinus: *Opera eius,* inqoit, *Romæ hæc exſtant. Templum Hadriani, Græcoſtaſium poſt incendium reſtitutum, inſtauratum Amphitheatrum.*

Multi reſecerũt Amphitheatrũ.

B Item Heligabalus, Lampridij teſtimonio: *Amphitheatrum ab eo inſtauratum poſt exuſtionem.* Denique Senatus ipſe eam tuitionem ſuſcepit, ſub Gordianis. Capitolinus: *Quid enim opus eſt de reſtitutione templorum, de * thermis Titianis, de ædificatione Amphitheatri agere?* Ita multorum curâ, & Genio quodam Perennitatis, peruenire tanta máchina potuit ad hoc æui.

** Quę neſcio an in Agellio reſtituẽdæ ſint, lib. iii. c. 2. Apud balneas Titianas non autem Sitias, vel libri. Nec tamen ad ſitum.*

CAPVT VII.

Communis Amphitheatri Titiani forma. Altitudo, & capacitas eius. Laus & præconia. Denique vbi ſitum. Martialis explicatus.

Altitudo Amphitheatri.

VERE enim grandis. Altitudinem hanc vides? nunc quoque miranda eſt: etſi multum à vertice eius corruit, multùm à pedibus * ſubſedit. Nam mole & æuo, magna hæc pondera clarè deſident, terrà cedente. Adde aggeſtum ruinarum: quantum petiit? Alta igitur: & Ammianus de eâ: *Amphitheatri moles ſolidata lapidis Tyburtini compage, ad cuius* SVMMITATEM ÆGRE VISIO HVMANA CONSCENDIT. Vides hunc orbem? is quoqoe capax: & ſupra tuam fidem. P. Victor: *Amphitheatrum,* inquit, *quod capit loca* LXXXVII. ∞. Et de gradibus taorũm intellegit, credo: in qoorum pulullis ſediſſe commodè vult octoginta ſeptem millia hominum.

Capacitas eius ex gradibus.

C At in ambitu illo ſuperiore & circumiectis porticuum Aulis, non minus item ſpectarunt quàm dena aot vicena potiùs millia: ſiue ſtaotes, ſioe in allatis cathedris ſedentes.

Ambitioſa ſatis laus, à Caſſiodoro.

D Iure ergo molem hanc admiratus Caſſiodorus, in hoc eulogium erupit: *Hoc Titi potentia Principalis, diuitiarum profuſo flumine, cogitauit ædificium fieri, vnde* CAPVT VRBIVM *potuiſſet.* Et Martialis ante opera omnia orbis ponit, hiſtoricâ non poëticâ fide:

A Martiali item.

> *Omnis Cæſareo cedat labor Amphitheatro:*
> *Vnum præ cunctis fama loquatur opus.*

Intellegit enim hoc Titiaoum: nec ad Domitiaoum illa, aut de Domitiano, vt alucinatur ioterpretum vulgus. Doctorum Curia mecum ſcit, non iſta ſolùm, ſed totum Epigrammatum primum libellum in Titum maximè conuenire & eius ludos: quos in dedicatione huius Amphitheatri exhibuit per dies pænè

E * centũ. Idem poëta, venerabilem molem appellat.

** Xiphilinus auctor.*

> *Hic vbi conſpicui venerabilis Amphitheatri*
> *Erigitur moles, ſtagna Neronis erant.*

& ſimul locum prǽit, in quo hoc opus deſtitutum, qui pars fuit Neronianæ domus. Sub has laudes exclamaoi ego, Iam ardeo Florenti, ardeo, reſtingue hunc ignem: & ſigillatim mihi explica veterem germanámque faciem huius loci. Florentius, Non inuitus, inqoit, ſcio enim (præter ingenuam delectationem, quæ hîc adiuncta) nihil magis facere ad illuſtraodam rem omnem ſpectaculorum. Quorũ cùm tam crebra mentio in omni genere ſcriptorum: cur fugiam tenebras tuas pellere exigui ſermonis face? Audi igitur, deſcribam tibi omnem interiorem hanc molem, imò depingã: & quidem quomagis capias, per partes. Bene enim olim Corynna ad Pindarum: * *Manu ſerendum eſſe, non ſacco toto.*

** τῇ χειρὶ δεῖ σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ.*

CAPVT VIII.

Ingreſsio in particularem Amphitheatri deſcriptionem. Primùm de formâ eius: quæ Oualis oſtenſa. Calpurnius & Dio explicati. De ſolo Arenæ: in quo cloacæ ſiue ſpecus. & cui rei. Item de portulis.

SED viſne admoueamus nos paullùm ad inferiorem hunc parietem, vbi vmbra? Imò ſedeamus eoam, ſi ita viſum, ioquam, in gradoum his fragmẽtis. Simúlque ſedi ego. & ridens, ad Florentium, Quis ſcit, inquam, ſi locum hunc non premam magnæ alicuius vmbræ? Florentius ſe qooque iam collocans, Id qoidem facile, imò oeceſſum eſt, inquit. Nam ad podium ſedemus, & in Orcheſtrâ. heu quot hîc olim Senatores? Sed ſpecta.

Ratio fabricandi Amphitheatri, Theatri ipſius quæ forma. Duo Theatra iuncta, Amphitheatrum exhibent.

Arenæ huius, primùm, ſiue caueæ totius forma, non rotũda & orbicularis prorſum eſt, vt oculi tibi poſſint imponere: ſed porrecta magis paullùm & oblõga. Dimenſio id adprobat: ratio ipſa operis: quia Amphitheatrum iunctum factum ex duobus Theatris, reiectâ ſcenâ. At Theatrũ non iuſti hemicycli formâ, ſed amplius diametri quartâ parte fuit: vti etiamnunc oſtendit figura reliqua Theatri Marcellæi. Ad quam compoſitionem & figuram Caſſiodorus prælucet: *Cùm Theatrum,* inquit, *quod eſt hemiſphærium, Græcè dicatur: Amphitheatrum quaſi in vnum iuncta duo Viſoria, rectè conſtat eſſe nominatum.* Item Iſidorus: *Amphitheatrum dictum, quòd ex duobus theatris ſit factum. Nam Amphitheatrum rotundum eſt,* (non id quidem planè verum) *Theatrum verò ex medio Amphitheatro eſt, ſemicirculi figuram habens.* Ouidius clariſſimè:

**Ita veteri Theatro, nec impropriè aut durè.*

> ———*ſtructóque vtrimque theatro,*
> *Vt matutina ceruus periturus arenâ.*

Oua forma hæc loca.

Ouo aptiſſimè comparat idem Caſſiodorus: *Oui ſpeciem,* inquit, *eius arena concludens, vt concurrentibus aptum daretur ſpatium, & ſpectantes omnia faciliùs viderent: dum quadam* PROLIXA ROTVNDITAS *vniuerſa colligeret.* Itémque Calpurnius in Bucolico, de Venatione Carini:

Calpurnius illuſtratus.

> *Et geminis medium ſe molibus alligat ouum.*

Nam geminas moles, duo theatra intellegit: eáque alligari vult in ouum. Qui aliter explicant, circũludunt ſententiam poëtæ ouo tangunt. Idem cum valle comparat, quæ cincta vndique ſupino monte.

Amphitheatrum valli cinctæ montibus comparatum.

> *Qualiter hæc patulum vallis contendit in orbem,*
> *Et ſinuata latus, reſupinis vndique ſiluis,*
> *Inter continuos curuatur concaua montes:*
> *Sic tibi planiciem curua ſinus ambit Arenæ.*

Nec verſibus iis aliâ luce opus, niſi ſi apud elucum. Dio Caſſius idẽ voluit, cùm montẽ quendã cum Amphitheatro componit: ὄρος, inquit, Κιμινὸν ἐμφερὲς θεάτρῳ τὸ ὄρος σύμπαν, ὡς μικρὰ μεγάλοις εἰκάσαι, ἐστί. Habes vniuerſi huius caui formam; nunc aream vide. Ordiar cum architectis ab imo ſolo. Ea puta ſine ſubſtructionibus aut ædiculis, libera tota ad curſum ferarum & ad pugnam. Excipio quòd in eâ alibi (partem enim non deſigno) Ara fuit è lapi-

Arena area tota libera.

Niſi quod Ara in eâ lom.

de:illa

de: illa dico cruda Ara, quæ ſacra Ioui Latiari. Prudentius id te docuit: ii verſus eius audiſti non iacenti aute. Iam ſub ipſâ areâ, cloacæ. Ita credere me iubet* Andreas Fuluius: qui magnam etiam partem ædificij toleran ab iis vult & ſuſtineri. An ipſe, an alius viderit, neſcio: ſi vera traditio; ambigam, fuerintne reipſa cloacæ ad exſugendum educendúmque humorem illum *ſtagnorum, prouidè ſtructæ: an potiùs cameræ quædam & ſpecus ſubterranei, ad cuſtodiam & receptum ferarum. quas tamen illi indiligenter cloacas cenſuerunt. Siue etiam ad vſum aquarum, quas in Arenam occultè & ſubitò inducebant atque educebant, ad Naumachias. Certè cùm ferina magna vis cottidie in Amphitheatrum induceretur: quæri dignum eſt, quo loco eæ habitæ aut ſeruatæ. Non enim omnes ſimul emiſſæ. Si in ipſâ areâ vſpiam: arcarint locum. ſi extrà: quomodo eæ ſtatim perductæ, aut qui ad manum? Mea quidem opinio ſit, partim ſubterraneos cauos fuiſſe, in quîs reconderentur ſub ipſos ludos: partim depoſitas eas in caueis ſub interiore illâ porticu, è quâ portulæ & aditus plures pertinent in Arenam. Non tam clarè eas Portulas hîc vides (omnia enim hæc ruinis aggeſta & obruta) ſed Veronæ clariſſimè: vbi veniuque *octo, niſi fallor, ſub ipſo iſto Podij muro. At non eæ certè ad ſpectantium vſum: quia in Arenam tantùm conducunt, non ad ſubſellia aut gradus.

Cloacæ ſubterraneæ. Lib 1. de mirabilibus Vrbis.

ad quem ſum ea verrat. Nam in ſtagnis Neronis ſtructum Amphitheatrum.

Fera quomodo ſub ipſam pugnam adſeruata.

Portula in imo muro.

** Duæ enim aliæ diuerſæ inter ſe. ſed grandiores & veræ portæ.*

CAPVT IX.

De ſpecubus ſubterraneis, amplius. item de Caueis in Amphitheatris. Liuij defectus aut expletus, aut ſententia eruta. Portæ in caueis, & Plauto lux. Emiſſio ferarum, & immiſſio.

ET de Specubus quidem ſiue cryptis, valdè ſententiam meam iuuat Cyriacus Anconitanus, qui maiorum æuo Itinerarium ſcripſit. In quo de Amphitheatro Veronenſi, ſic tradit: *Et nunc conſpicitur locus rotundus Arena, per totum magnis ſaxis vndique ſtructus, & vt ita dicam perſilatus. cum intus* CVBATIS *&* ANTRIS *multiformiter redimitus ſit.* Sicut de Caueis, Liuius libro XLI. loco prorſus quidem fracto & mutilo, ſed ex quo tamen non obſcurè elicio quod facit iſtuc. Ait de Cenſoribus, locaſſe eos faciendos *carceres in Circo, & oua ad notas curriculis numerandas, &* dam, & metas erant* &* CAVEAS FERREAS *pe* intromitterentur.* In Circo, vt ſcimus, olim Venatio exhibita, ante Amphitheatra. itaque huic fini ait Liuius Caueas ferreas exſtructas, per quas beſtiæ (ita enim ſententiam fuiſſe ſuſpicor, ſi non verba) intromitterentur in Arenam. Nec de aliis Caueis Statius II. Silu. in Leone manſueto:

Cauea pri ma è ferris quando

Liuij fracta verba, ad ſanum.

Statius explicatus.

——ſtat cardine aperto
Infelix Cauea, & clauſis circum vndique portis
Hoc licuiſſe nefas pauidi timuere Leones.

Vbi nota mihi & Portas. quæ vel Cauearum ſunt: vel potiùs iſtæ Amphitheatrales, de quibus diſſero. Certè apud Plautum etiam Portæ in Circo ad beſtias emittendas, in Perſâ:

Porta incænen. Plautus explicatus.

Vbi quid credideris, citiùs extemplò à foro
Fugiunt, quàm ex portâ ludis cùm emiſſu'ſt lepus.

Quem locū totū ſilentio premit vber alioqui interpres: qui (fatendum eſt) non lucem ſed vmbram ſæpe facit noſtro Vmbro. Neſcio an Ammianus de iſtis, libro XXVII. *Maximinus effudit genuinam ferociam: ſicut ſæpe faciunt Amphitheatrales feræ, diffractis tandem ſoluta poſticis.* An *portulis* ibi aliquis legat? ſed audax ſit, non muto. Oſtia videtur Varro adpellaſſe, De Re ruſt. *Oſtium habere debet humile & anguſtum,*

A *& potiſſimùm eius generis quod cochleam appellant. vt ſolet eſſe in caueâ, in quâ* (verius fortaſſè, *e quâ*: non enim certè in ipſâ Caueâ pugnabant; niſi ſi Caueam capit, pro toto Amphitheatro) *tauri pugnare ſolent.* Atque ex his Caueis cum impetu quodam emittebantur in Arenam. Vopiſcus in Probo: *Neque erat beſtiarum impetus ille, qui eſſe Caueis egredientibus ſolet.* ita enim verè & acutè emendauit olim laudatiſſimus ille Faber. Capitolinus in Gallienis: *Cùm quidam gemmas vitreas pro veris vendidiſſet vxori eius, ſurripi quaſi ad leonem venditorem iuſſit. deinde Caueâ caponem emitti.* Emittebantur ergo Caueis, iterúmque in eas immittebantur poſt pugnam. Seneca de Irâ: *Curriculi rotarúmque verſata facies leonem redigit in Caueam.* Sed & Portulas eaſdem ad hunc vſum B accommodare Vopiſcus videtur, qui Aditus adpellat. In Probo: *Immiſit deinde per omnes Aditus ſtruthiones mille, mille ceruos, mille apros.* Hîc ego, Sed nónne etiam, mi Florenti, iſta de Caueis itinerariis accipi poſſint, in quibus feræ clauſæ & tranſuectæ? Claudianus eas, vt memini, pulchrè deſcribit, III. De laudib. Stilic.

Lenius Varro correctus.

Emittere ſeras.

Item immittere.

Hac laqueis innexa gemunt, hac clauſa feruntur
ILIGNIS DOMIBVS. *fabri nec tigna polire*
Sufficiunt: rudibus fagis texuntur & ornis
Frondentes CAVEAE. *ratibus pars ibat onuſtis*
Per freta vel fluuios. exſanguis dextera torpet
Remigis, & propriam metuebat nauita mercem.
Per terram pars ducta rates.

Itaque potuêre iis Specubus aut Fornicibus, deponi in hiſ ipſis Caueis. Haud abnuo, ait Florentius: C & addo eas Caueas ex argento & auro, per ſplendoris ſpeciem, ſæpe factas. Sed pergamus in ipſo loco noſtro deſcribendo.

CAPVT X.

Aliter atque aliter ſolere ornari hanc Arenam. in modum ſilua, in modum maris. Antra pro Caueis: interdum Naues. Vopiſcus, Apuleius, Calpurnius emendati.

ATQVE hæc ſolens & vulgata Arenæ facies: cui non nego comptum aliquem nouitium ſæpe additum, & colorum quoſdam fucos. Varia enim cottidie ab ambitioſis Editoribus excogitabantur, vt ſtudia ſpectantium allicerent lenocinio quodā nouitatis. Ita fuêre, qui arboribus hoc planum conſe- D rerent, & Arenam totam verterent in ſiluam. ſcilicet vt viuam imaginem exhiberent veræ germanæque Venationis. Audax inuentum. & quod non meliùs tibi expreſſerim, quàm ipſis Vopiſci verbis, in Probo: *Venationem ampliſſimam dedit, ita vt populus cuncta diriperet. Genus autem ſpectaculi fuit tale: Arbores valida per milites radicitus vulſa, connexis longè latéque trabibus adfixa ſunt. terra deinde ſuperiecta: totúſque Circus ad ſilua conſitus ſpeciem, gratiam nobis viroris obtulit.* In quâ extremâ clauſulâ cenſeo legas, *gratiam noui erroris.* Quomodo enim, *nobis?* nec Vopiſcus ipſe certè inter ſpectatores fuiſſe ſignificat: quod abnuit ætas. Neque tamen gratia aut laus huius inuenti penes Probum: reperio Gordianum iam antè factitaſſe idem etiam priuatum. Capitolinum non aliter E accipio, vbi de magnificis eius muneribus in Quæſturâ: *Feras Libycas vno die centum exhibuit, vrſos vno die mille. Exſtat ſilua eius memorabilis, quæ* picta eſt in domo roſtratâ Cn. Pompeij, quæ ipſius & patris eius & proaui fuit.* Sed & in Titi ſpectaculis tale aliquid indicat Martialis:

Ambitioſa Editorum potentia.

Arbores in arenam inlata.

Vopiſci correctio.

Capitolinus explicatus.

** Munera enim pingi ſolere, docui lib. II. Saturn.*

Quidquid in Orphæo Rhodope ſpectaſſe Theatro
Dicitur, exhibuit Cæſar arena tibi.

Repſerunt ſcopuli, mirandáque ſilua cucurrit
Quale fuiſſe nemus creditur Heſperidum.

Imò æmulabantur id iam in prouinciis: atque Apuleius in muneris Corinthiaci apparatu deſcribit. *Erat*, inquit, *mons ligneus ad inſtar inclyti montis illius quem vates Homerus Idæum cecinit, ſublimi inſtructus tabulâ* (libet ſcriptus quem à Giſelino meo ſum nactus, *inſtructus fabricâ*, rectiùs refert) *conſitus viretis &* VIVIS ARBORIBVS, *ſummo cacumine de manibus fabri fonte manãte fluuiales aquas eliquans.* Nec in ſolo ſolùm hæc variatio, ſed in Caueis ipſis. quarum loco inuenerunt antra quædã coëuntia, & deëuntia, quæ velut è terrâ emitterent ſubitò feras. Calpurnius hoc voluit, cùm in Carini Venatione timidè miratur.

Apuleius correctus.

Ah miſeri, quotiens nos deſcendentis arenæ
Vidimus in partes? ruptáque voragine terra
Emerſiſſe feras: & iiſdem ſæpe latebris
Aurea cum croceo creuerunt arbuta libro.

Calpurnij emendatio.

Etſi legi ibi malim, *diſcedentis arenæ.* vti & in Plinij deſcriptionis Amphitheatro, *diſcedentibus tabulis.* Intellegit enim, arte quadam & machinis, antra illa, velut hiatu terræ, & aperta celeriter & operta, iterùmque arboris & virgultis tamquam creſcentibus inducta. Quæ ipſa decora fuiſſe fatendum eſt, & blandientia ſenſibus imitatione quadam naturæ. At illud tam improbi acuminis, & neſcias an exemplo quodam à ſacrâ Noachi Arcâ, quòd Nauim ædificare grandem aliquam ſolent in ipſà Arenâ, quæ ſolutilis eſſet, & ſubitò luxata emitteret omne genus ferarum pro arbitrio magiſtri temperantis. Dio id ſcribit, & narrat vbertim in Nerone: vult etiam exemplum oblatum ſceleſtæ illius nauis quâ matrem necaret, ab hac Amphitheatrali. Verba eius commemini: ἐπειδὴ γὰρ ἐκ τοῦ προφανοῦς ἐφοβοῦντο τὸ ἔργον, καὶ κρύφα διὰ φαρμάκων οὐκ εἶχον αὐτὴν ἀνελεῖν, ναῦν ἰδόντες ἐν τῷ θεάτρῳ διαλυομένην τε αὐτὴν ἐφ᾽ ἑαυτῆς, καὶ θηρία ἀφιεῖσαν, καὶ συνισταμένην αὖ πάλιν, ὥστε καὶ ἐρρῶσθαι, τοιαύτην ἑτέραν ταχέως ἐναυπηγήσαντο: *Et quoniam eam cædem palam non audebant, nec veneno clam patrare facile id poſſent: nauem quampiam in Amphitheatro conſpicientes ita factam vt ſponte ſolueretur, & belluis quibuſdam emiſſis, rurſus compingeretur & rediret in priorem ſtatum, viſum iis huic ſimilem ædificare.* Nec minùs clarè in Seuero: ἡ δὲ δεξαμένη ἅπασα ἡ ἐν τῷ θεάτρῳ ἐς πλοίου σχῆμα κατεσκευάσθη, ὡς τετρακόσια θηρία καὶ δέξασθαι καὶ ἀφεῖναι ἀθρόως, ἔπειτα ἐξαίφνης διαλυθείσης ἀνέθορον ἄρκτοι, λέαιναι, πάνθηρες, λέοντες, στρουθοί, ὄναγροι, βίσωνες, ὥστε ἑπτακόσια τὰ πάντα καὶ θηρία καὶ βοτὰ ὁμοῦ καὶ διαθέοντα ὀφθῆναι καὶ σφαγῆναι: *Receptaculum autem omnium ferarũ in Amphitheatro extructum erat inſtar nauis: quæ capere ſimul & emittere poſſet ad feras quadringentas. Eâ autem de ſubito occultè ſolutâ, exſiliebant vrſi, leæ, panthere, leones, ſtruthiones, onagri, biſontes: ita vt ſeptingentas feras aut pecudes ſimul & currere liceret cernere, & occidi.* Nec naues ſolùm eiuſmodi induxêre in Theatra, ſed, quod magis admirêre, quodammodo mare ipſum. Reperti enim qui hoc omne rotũdum, per occultos quoſdam ductus & meatus, ſubitò aquâ replerent: & pro terreſtribus feris, monſtra maris oſtenderent, & claſſes, & naualem pugnam. Et aquarum inductioni, fortaſſe non aberret, qui ſubterraneos illos canales adtribuat, de quibus ſuprà. Carini Principis ludis id factum, viſúmque à ſe Calpurnius memorat:

Nauis ad vſum Caueæ.

Neronis parricidiũ, quo exemplo captũ.

Mare ſiue aqua in Amphitheatro.

Natantia in eo marina monſtra.

Nec ſolùm nobis ſilueſtria cernere monſtra
Contigit, æquoreos ego cum certantibus vrſis
*Spectaui vitulos; & * equorum nomine dignum*
Sed deforme pecus.

* Hippopotamos intelligit.

Et diu ante illum Nero id vſurparat, Dione ſic narrante: *Aliquando*, inquit, *belluis interfectis & Venatione exhibitâ, ſubitò aquam in Amphitheatrum induxit, & nauale certamen oſtendit. rurſúmque eâ eductâ, Gladiatores in loco præbuit. denique inductâ iterum, magni ſumptus publicum epulum.* Nec aliter Domitianus, qui, vt Suetonius ait, *Prælium equeſtre ac pedeſtre commiſit: & in Amphitheatro, nauale quoque.* Noſter Seneca ingenia iſtorum hominũ miratur magis quàm laudat in epiſtolâ XCI. *Qui euripos ſubito aquarum impetu implent aut ſiccant:* Et oſtendit inter nouas inuentiones eſſe.

CAPVT XI.

De muro qui Arenam cingit. de Podio quod ſuper eum. eius forma. Digniſſimum eum locum ad ſpectandum, Senatus adtributum, imò magiſtratibus. Aptum ad curules ſellas. Principis ibi ſuggeſtus, Tribunal prætoris: & Veſtalium ſedes.

SEd nónne extra limitem eo, quod dicitur, extráque oleas? Nam cùm propoſitum mihi ſaltem natiuam genuinamque Amphitheatri faciem oſtendere, addo etiam ecce colorum fucos & pigmenta. & vereor, Lipſi, vt cum faſtidio tuo. Meóne? inquam. Imò merum mel & nectar, Florenti, bibo in hoc ſermone. quem tu magis magiſque ſitienti mihi liberaliter infunde, &, vt ille ait, * αἴνῳ μέτρῳ. Florẽtius renidens, E genere Parthorum tu quidem es, inquit: de quibus increbuit, Quò plus biberint, plus ſitire. Sed educam te è ſiticuloſâ hac arenâ, & ad Podium tranſibo quod adſidemus. Nam poſt Arenam murus ecce iſte occurrit, qui Podium ſuſtinet, quíque claudit & ambit infimum hoc ſolum. Podium enim appello proiecturam hanc quæ in ſummo muro, quæ paullùm prouehitur & propendet inſtar pedis. Vnde & nomen. Mænianorum ea quædam ſpecies eſt: facta in Theatris, templis, ædibus, ad circumeundum, innitendum, ſpectandũ. Mediolani inſcriptio vetus eſt: DOMITIANVS. PODIVM. CVM. LORICA. ET. ADITVS. VIVVS. FECIT. Salerni, alia: T. TETTIENVS. FELIX. AVGVSTALIS. *H S. L. M. N. LEGAVIT AD EXORNANDAM. ÆDEM. POMONIS EX QVA. SVMMA. FACTVM. EST. FASTIGIVM. INAVRATVM. PODIVM. PAVIMENTA. MARMOREA. Et de his ipſis theatralibus, alia: THEATRVM. STRAVIT. PAVIMENTO. PODIO. *CIRCVMSCRIPSIT. Itaque vt clarè capias, non aliud Podium hoc noſtrum, quàm muri pars proiectior & prominentior, antè imum ſpectaculorum gradum: cui columnæ impoſitæ cum epiſtyliis ad ornatum, ſiue (cùm libêret) ad innixum. Vitruuius deſcribit non obſcurè, magnitudine etiam expreſſâ, ſi attẽdis, libro V. cap. VII. vbi de Theatris: *Podij*, inquit, *altitudo, ab libramento pulpiti cum coronâ & Lyſi, duodecima Orcheſtræ diametri. Supra Podiũ, columnæ cum capitulis & ſpiris, altæ quartâ parte eiuſdem diametri.* Cuius mens, vt ſi Orcheſtra tota, in quâ Senatores, (pone eam eſſe graduum quattuor aut quinque) alta pedes XII: tum ipſum Podium vnius ſit; columnæ eius, trium. Et addo, victoriolas etiam reponi ſolere in Podiis iſtis. Spartianus ſuadet in Seuero, vbi de Circei ludis: *Victoria*, inquit, *vento icta de Podio ſtans decidit.* Et Dio Caſſius agnoſcit in Theatri ſcænis, libro L. cùm refert inter prodigia, ventum tam grandem fuiſſe, ὥστε καὶ τινας ἄγαλμα Νίκης ἀπὸ τῆς τοῦ θεάτρου σκηνῆς πεσεῖν: *vt & Victoriæ ſimulacrum à ſcenâ Theatri caderet.* Ad hoc Podium, ſpectare ſoliti primi è Senatu. Nam cùm Orcheſtra plurium graduum eſſet, digniſſimus habitus ille imus qui Podio proximus & Are-

* Vberiore menſurâ.

Quid Podium.

* Id eſt. Seſtertiũ quinquaginta millia nummûm.

* Bene Circumſcripſit: quaſi orbe circuibat & in ambitum.

Magnitudo & ornatus Podij

Vitruuius explicatus.

Primi Senatorum ad Podium.

næ. quippe ex quo faciliima ſpectatio. Iuuenalis: A

——generoſior & Marcellis
Et Catulis, Paulique minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad Podium ſpectantibus.

Suetonius Aug. cap. XLIIII. *Factum decretum patrum, vt quoties quid vſquam publice ſpectandum proponeretur, primus ſubſelliorum ordo Senatoribus vacaret.* Primus, ſiue Imus. Ac neſcio an inter ipſum Podium & Gradus ſpatij aliquid vacuum fuit honoris, in quo ſpectare ſoliti honorati, idque propriè Ad podium ſpectare. Suadeor, quod ſellis curulibus ſpectaſſe quoſdam reperio, vt Suetonius narrat de Auguſto: *Commiſſione ludorum quibus Theatrum Marcelli dedicabat, euenit vt laxatis ſellæ curulis compagibus caderet ſupinus.* Item, quòd ſellas eaſdē honoris cauſsâ poſitas * abſentibus, ſine etiam mortuis. At ſellæ B eæ non eſt vt commodè poſitæ in Gradibus ipſis fuerint, commodiſſimè in hoc plano. Credámque Conſules, Prætores, aliósque quibus id ius in curulibus ſuis ad Podium ſic ſediſſe, cum lictoribus, viatoribus, & magiſtratus ſui pompâ. Tacitus hoc poſtremum ingerit libro XVI. Annal. cùm præmia deſcribit accuſatorum: *Liberto & accuſatori præmium operæ locus in Theatro inter viatores Tribunicios datur.* ex quo neceſſum, fuiſſe eos bono honeſtóque loco, & iuxta Tribunos ipſos. Nec immeritò, vt quiſque magiſtratibus ſuis appareret. Nec magiſtratus ſolùm ad hoc Podium diſſignator ego colloco, ſed & Principem ipſum, cui tamen eminentior quidam Suggeſtus extructus, & velut ſua domus. Origo rei à Iulio Cæſare, quem Suetonius, inter alios honores quos nimios C recepit, admiſiſſe ait *ſtatuam inter reges*, SVGGESTVM *in Orcheſtrâ*. Secutique Principes id tenuêre, vt clarum ex eiuſdē Suetonij Ner. cap. XII. *Icarus, ait, primo ſtatim conatu iuxta* CVBICVLVM *eius decidit, ipſumq; cruore reſperſit. Nam perrarò præſidere: ceterùm accubans primùm paruis foraminibus, deinde toto podio adaperto ſpectare conſueuerat.* Ex quo facilè colligis Suggeſtum illum tectum & inædificatum fuiſſe, ad modici cubiculi formam, cui proprium etiam ſuum Podium (de eo enim, non de grandi illo Amphitheatrali neceſſariò Tráquillum capis) quod oſtiis quibuſdam ſiue feneſtris, Arenam verſus aperiretur. Plinius hunc morē ſatis illuſtrat, laudatione ad Traianum: quem commendat, quia ciuiliter ſuſtulit. *Digna*, inquit, *victore populo ſedes* (de Circo ſermo eſt) *viſenda cùm ceterâ ſpecie, tum quod æquatus plebis ac Principis* D *locus. Siquidem per omne ſpatium vna facies, nec magis proprius ſpectandi Cæſaris* SVGGESTVS, *quam propria quæ ſpectet. Licebit ergo ciuibus tuis inuicem contueri, dabitur non* CVBICVLVM *principis, ſed ipſum cernere in publico, in populo ſedentem.* Sed præter hunc Suggeſtum, ad Podium etiā Tribunal Editoris. Cùm enim aliis honoribus, vt lictoribus & veſte prætextâ, inſignes voluerint eos eſſe qui ludos exhiberent; tum etiam altiori hac ſede, in quâ præſiderent. Suſpicor ex Suetonij Auguſto: qui *virginibus Veſtalibus*, inquit, *locum in Theatro ſeparatim, & contra Prætoris* TRIBVNAL *dedit*. Nam quod Prætorem nominat, eò eſt, quòd plerumque ludos ij exhibebāt. At quin aliis etiam Editoribus is honos & is locus, non ambigo. Ad hoc Tribunal refero, quòd Vitruuius in E *omni puſillo & magno Theatro* fieri vult *itinera, aſcenſus, pulpita*, TRIBVNALIA. lib. V. cap. VII. Quòd verò ad Podium ea ſedes, cùm ratio euincit, tū Suetonius qui ex aduerſùm collocat Veſtales. Eæ autem ad Podium. Prudentius:

An quoniam Podij meliore in parte ſedentes
Spectant, æratam faciem quàm crebra tridente
Impacto quatiant haſtilia.

Spatij aliquid inter Podium & Gradus. ſellis curulibus ſpectatum.

* Dionis abūde ad II lib Annal. Tac.

Apparitores apud magiſtratus ſuos.

Suggeſtus in Podio. Qui reppertus.

Cubiculi formâ, & ponitur.

Suetonius explicatur, alter atque vulgus.

Traianus Suggeſtum recuſauit.

Tribunal in Podio.

Veſtales ibidem.

CAPVT XII.

Quod tutamen infimo illo Podio fuerit à feris. Retia ſolere prætendi, benè nexa, benè firma. Verſatilia item quædam ligna: Cācellos ferreos & Euripos. Sudatum in Calpurnij verſibus.

ET de Podio quidem hactenus. Tranſeo, imò mane, inquam ego, mane. Magnus mihi hîc metus: Circumſpexit Florentius, velut quærens. Sed ego cum riſu. Non pro me, ne erres, inquam: ſed pro Conſulibus & hoc omni Senatu Romano, quos tu quidem in Podio collocas, id eſt, in ipſo oſtio orci. Quomodo enim hîc tuti à feris? quis leo, quæ panthera illos non inuadat, tantillo ab Arenâ interuallo? Iam ſi elephas aliquis. heu! Riſit hîc largiter Florentius: &, ô te hominem albo hepate! inquit. profectò ma- B ter tua numquam flebit. Quid tamen hîc periculi? Murus iſte quem vides, quique Arenam diuidit, ſcito altiorem fuiſſe non paullò quàm pro aſpectu. Ipſe corruit, & ſubſedit, & rudera aream alleuarunt. Non minus certè olim altitudinis habuit, cum hoc Podio, duodenos quindenóſve pedes. Quæ fera hunc tranſiliat? Et tamen contra inopinatos quoque caſus, ſcito à catis illis prouidè prouiſum. Nam primùm retia valida, nodoſa, in orbem vndique Podium hoc cingebant. Plinius ea intellegit libro XXXVII. de Neronis quodam munere: *Tanta*, inquit, *copia ſuccini inuecta, vt* RETIA ARCENDIS FERIS PODIVM PROTEGENTIA *ſuccino nodarentur.* Et Calpurnius, qui retia illa in Carini Venatione for- C mat & torquet ex auro:

——auro quoque torta refulgent
Retia, quæ totis in Arenam dentibus exſtant.

Nec retia ſolùm, ſed verſatiles quidam trunci adpoſiti muro & huic Podio, contra ſcanſionem omnem ferarum & inſultum. Quæ ligna quidem manifeſtò in ipſis Caueis Ammianus agnoſcit, lib. XIX. *Vt dentata in Caueis beſtia, ſetro padore efferata, euadendi ſpe*, REPAGVLIS VERSATILIBVS *illiduntur*. in Caueis inquam, ſed in ipſo etiam Podio aut circâ, videtur Calpurnius locare, etſi verbis parū claris aut certis:

——nec non vbi finis Arena
Proxima marmoreo peragit ſpectacula muro,
Sternitur adiunctis ebur (admirabile) truncis.
** Et coit in rutulum, tereti quà lubricus axem*
Impoſitos ſubitâ vertigine falleret vngues,
D *Excuteretque feras.*

Verſus enim dubiæ & intricatæ ſcriptionis. Legerem, *Et coit in rutulam*, ſiue *rotulam*. vt velut truncos eos eburatos vtrimque in rotulam coiiſſe, atque ita inſilientis feræ impetum fregiſſe, & vertendo excuſſiſſe. Neſcio etiam an, *in ruplum*. Nā Ruplus in Gloſſis, στρόφιγξ, γαλιάγκων, καὶ σπόνδυλος, *cardo & vertebra canea*. Sed mentem faciliùs verſuum horum adfirmarim, quàm verba. vult omnino tranſuerſa quædam ligna verſatilia obiecta muro, quæ feras fallerēt dum enituntur. Ego hîc iterum, Anceps hoc præſidium, Florenti: & quomodo me firment verſus tam infirmi? Sanè (rideas licet) ego etiam nunc in ſummâ caueâ ſpectare eligā, nec inuidieam Senatui Orcheſtram. Contra elephantes enim & immanes illas feras, quid? Parata arma, inquit Florentius. Nā aut cla- E thris ferreis Arenam totam circumdabant: aut, quod certius, Euripis. Valdè enim id genus metuens aquæ. Plinius lib. VIII. *vniuerſi* (de elephātis loquitur) *eruptionem tentauere, non ſine vexatione populi, circumdatis clathris ferreis. Quâ de cauſsâ C. Cæſar dictator poſtea ſimile ſpectaculum editurus,* * Euripis arenā circumdedit. quos Nero Cæſar ſuſtulit, equiti loca addens.* Etiamne ſecurus? Haud planè etiam, inquam ego: ſed perge.

Murus Podij olim ſatis altus.

Retia ante Podium quæ ... non ... ſuccino aſpectū. Retia illa per luxum aurata.

Ligna verſatilia.


*Fortaſſe leg. Et coit in rotulam ... quo labitur axis.

Clathri ferrei ... Euripi ... præſidij.

* Vide & Sueton in Cæſ. cap. XXXIX.

AMPHITHEATRI INTERIOR FACIES, QVALEM EAM FVISSE CVM OMNIBVS MEMBRIS SVSPICAMVR.

CAP. XIII.



1. *Ara*, quæ ſacra Ioui Latiari. de quâ dixi, cap. IIII.

2. *Portulæ*, per quas immiſſæ in Arenam beſtiæ. Eas clauſas ianuis fuiſſe credimus: non ſolùm ad belluas, ne egreſſus patêret iam ſolutis; ſed etiam ad aquas coërcendas, cùm iis Amphitheatrum impletum. etſi ianuæ tunc fortaſſe magis compactæ addi pro tempore potuêre. Vide ſuper his potius cap. VIII. & IX.

3. *Podium*, cum ſuis columellis: & in medio Suggeſtus Imperatoris. Dixi cap. XI.

4. *Præcinctio*, ſiue Diazoma. id eſt, gradus altior & latior: cuius generis tres fuiſſe in Theatris Vitruuius docet. Sed in eo numero videtur etiam prima præcinctio collocanda, quæ ad ipſum Podium. Itaque ſculptor noſter vnâ amplius expreſſit. Ambigo etiam, an non aliæ præcinctiones ornatæ columellis ſuis fuerint, vti Podium ipſum.

5. *Vomitoria*, ſiue aditus. id eſt, portulæ quædam quadratæ in ipſis gradibus, per quas in ſedilia diffundebantur. Ad eas, minuti illi gradus ſcalares, vt per eos quiſque ad deſtinata ſubſellia ſua iret. Spatium medium inter Scalares binos, Cuneum vocamus: quia quadamtenus ea forma eſt, vt in acie inſtruendâ Cuneum item vocant.

6. *Foramina*, ad tranſmittendos malos, quæ pauca hîc expreſſa; ſed tamen ibant in orbem: & externè à mutulis quibuſdam mali ſuſtinebantur. Cetera opinor ſatis clara eſſe ex deſcriptione noſtrâ, quæ eſt capite XIII.

CAPVT XIII.

Gradus, & eorum forma. Diuiſi accuratè in ſuas partes. Puluilli in iis. Præcinctiones. Aditus. Via. Cunei. Cathedra. Porticus. Vitruuius, Tertullianus, Martialis, Calpurnius, varij ſcriptores variè emendati aut illuſtrati.

FLORENTIVS: Gradum igitur iam promoueo ad Gradus, & ad hos Subſelliorum, vt ſic dicam, colles. Non malè, colles. quia reuera per decliue iacentium ea forma. Itaque Calpurnius aptè deſcripſit:

Clinoſi Gradus.

Immenſóſque gradus, & clinos lene iacentes.

Malè enim aliquot libri, *diuos*. nec quidquam hîc ſanè de puluinari. Sed vt totam hanc ſedendi ſpectandique rationem ſubtili quadam Mineruâ intelligas, non craſsâ: opus, vt hoc omne ſpatium diſtinguam tibi per partes. Quæ erunt iſtæ: Gradus: Præcinctiones: Aditus: Viæ: Cunei: Cathedræ: Porticus.

Diſtinctio Graduum.

Quid hîc Gradus.

GRADVS appellamus, vti ſcis, ea ipſa loca in quîs ſedebant. Sic dicti in Amphitheatris, quia ad formam ſcalarium graduum, alij alios conſequûtur. Eorum dimenſio Vitruuio expreſſa: *Gradus*, inquit, *vbi ſubſellia componantur, ne minus alti ſint palmopede, & digitis ſex. Latitudines eorum, ne plus pedes duo ſemis, ne minus pedes duo conſtituantur.* Palmopede, id eſt, pede & palmo: ſiue palmis quinque. Palmus enim quattuor digitos continet: Pes quatuor palmos. Sed hæc tamen Vitruuiana altitudo non conuenit gradibus Amphitheatri Veronenſis. qui, Torello dimetiête, alti dumtaxat pedem & duas vncias. id eſt, pedem & duos digitos ſemis, & paullum quod excurrit. Sed cur tam lati? parum enim ex ſymmetriâ & bono loci videntur, duos pedes & ſemis latos eos facere. Quod verum eſt; ſed latitudinem eam exigit, in contextu illo Graduum, ratio ſedendi. Pedes enim eorum qui in ſuperiore gradu ſpectant, innixi inferiori gradui proximo. qui ne læderent ſedentes alios, néve ipſi læderentur; opus habuere aliquâ laxitate. Fortaſſe etiam ad ponè tranſeundum, ſiqui ſurgerent, aut ſedentibus iam aliis intrarent. Gradus autem iſti è lapide. Vnde ſcitum illud Ariſtippi, *Cui bono eruditio? Huic ſaltem*, inquit, *ne in Theatro lapis ſedeat ſuper lapidem.* Quamquam & ſæpè è ligno. Serò repertum, vt puluilli inſternerentur Senatui: idq; primus Caligula inſtituit. Dio Caſſius: τά τε προσκεφάλαια τοῖς βουλευταῖς, ὅπως μὴ ἐπὶ γυμνῶν τῶν σανίδων καθίζωνται, πρῶτον τότε ὑπετέθη, καὶ πιλίδια Θετταλικὰ τρόπον ἐς τὰ θέατρα φορεῖν, ἵνα μὴ ἡλιῶνται ταλαιπωρῶνται, ἐπετράπη: *Puluilli tunc primùm Senatoribus, ne nudis aſſeribus inſiderent, ſubiecti, & pileos Theſſalicos in Theatra iis inferre conceſſum, ne inſolatione torquerentur.* Ait clarè, Senatui tantùm: poſteà tamen id etiam Equiti conceſſum, ex Iuuenali:

Cur latiores facti.

E lapide fuiſſe, plerumque.

Puluilli iis impoſiti.

——exeas, inquit,
Si pudor eſt, & de PVLVINO *ſurgat* EQVESTRI
Cuius res legi non ſufficit.

PRÆCINCTIONES ſequuntur. quas, ſi benè capio, non aliud cenſeam quàm Graduum interualla & diuiſiones quaſdam in orbem. Vitruuius aliquoties nominat: ſed, vt in re tunc clarâ, deſcribit nobis parum clarè. *Præcinctiones*, * inquit, *ad altitudines Theatrorum pro ratâ parte facienda videntur: neque* * *altiores quàm quanta Præcinctionis Itineris ſit latitudo.* Iterum: *Gradationes ſcalarum contra quadratorum angulos dirigantur ad primam Præcinctionem.* Videntur autem ſiue ad Vomitoria & ipſos Aditus, ſiue in diſcriminibus Orcheſtræ, Equeſtrium, Popularium, Gradus quoſdam latiores altioréſque ſtruxiſſe, qui reliquos minores velut præcingerêt & complecterentur. Vnde & nomen. Torellus certè ob-

Quid Præcinctiones.

* Cap. iii. lib. v.

* id eſt. Cinguli nô altius ſit, quàm latum eſt illud ipſû ſubcingulare iter. de quo mox.

A ſeruat in illo Veronenſi, * Gradum eſſe circa medium, qui duos pedes & vncias ſex altus: cùm reliqui tantùm, pedem & vncias duas. Atque ea profectò Præcinctio. etſi Vitruuius & res ipſa plures ſuadent vnâ. Baltheus id alio nomine vocatur, à pari cauſsâ, quia velut * cingulum quoddam latum fuit. Calpurnius in Amphitheatro Carini:

* Et apparens clariſſimè Præcinctiones in Theatris. *Balthei.*

* Eique te Zonam ei Zona, etiâ Baltheus à Manilio vocatus. *Diazomata.*

Baltheus en gemmis, en illita porticus auro.

Tertullianus de ſpectaculis: *Vias enim vocant cardines Baltheorum per ambitum.* Ex quo diſce, ad Cingula etiam iſta fuiſſe Vias. Diazomata item, Græcanicâ voce, commodè adpellat Vitruuius cap. vii *Gradus, diazomata, pluteos.*

ADITVS deinde. qui in ipſâ gradatione portæ quędã ſiue oſtia, per quæ ab exterioribus porticibus venitur & deſcêditur in ipſas ſedes. De his Architectus:

B *Aditus cõplures & ſpatioſos oportet diſponere, nec coniunctos ſuperiores inferioribus, ſed ex omnib. locis perpetuos & directos, ſine inuerſuris faciendos: vt cùm populus dimittitur de ſpectaculis, ne comprimatur, ſed habeat ex omnibus locis exitus ſeparatos ſine impeditione.* Vomitoria appellat Macrobius, voce vulgi: lib. vi. Saturnal. cap. iiii. Ad illud Virgilij —*totis vomit ædibus vndam. Pulchrè & antiquè. Vnde & nunc Vomitoria* (alij libri, *Vomitaria*) *in ſpectaculis dicimus, vnde homines glomeratim ingredientes in ſedilia ſe fundunt.* Atque hæc foramina perſpicua in hiſpilis Graduum reliquiis, itémque in illo Veronenſi.

Aditus quid appellemus.

Vomitoria dicta.

ADVIAS venio. quæ, auctore Tertulliano, hîc duplices. *Vias enim vocant, cardines Baltheorum per ambitum & diſcrimina Popularium per procliuum.* Opti-

C mè eruditus ſcriptor. Vult enim Vias alias eſſe, quæ ad * cardines ſiue limites Baltheorum, in circuitu alias, quæ à Vomitoriis illis, in deſcenſu. Itaque ait, per procliuum. Sed cur Popularium tantùm meminit? eaq; diſcriminari, & in cuneos ſuos tribui, Viis illis ſecantibus, vult? adhæreſco. Excludere enim apertè Equeſtria & Orcheſtram videtur: aliter quàm * Suetonius, qui cuneos in his agnoſcit: ergo & Vias. Sed Popularia largè fortaſſe acceperit ſcriptor Afer, pro omni populi conſeſſu. Vias has modò Itinera, modò Scalaria Vitruuius appellat. ſed Scalaria tamen proprìè, Vias quæ inter Cuneos ad aſcenſum aut deſcenſum. In his Viis qui locum non habebant, quique, vt ſuo verbo dicam, excuneati erãt, ſpectabant ſtantes. Tertullianus: *Nam apud ſpectacula & in Viâ ſtatur.*

Via vnde tractae, duæ genera.

* Has vias, vocat Itinera Præcinctionum Vitr. cap. iiii.

* Vide & nunc in Cuneis.

Diſcrimen aliquod inter Itinera & Scalaria.

In viis excuneati ſpectabant.

D Martialis facetè de falſo quodam equite, lib. v.

Sedere primo ſolitus in gradu ſemper,
Tunc cùm licebat occupare, Manneius,
Bis excitatus térque, tranſtulit caſtra,
Et inter ipſas pene tertius ſellas
Poſt Caiúmque Luciúmque conſedit,
Illinc cucullo proſpicit caput tectus,
Oculóque ludos ſpectat indecens vno.
Et hinc miſer deiectus in VIAM *tranſit,*
Subſelliόque ſemifultus extremo,
Et male receptus altero genu, iactat
Equiti ſedere, Lectióque ſe STARE.

Cuius Epigrammatis ſententia iſta. Manneium ſolitum ante Domitiani edictum ſedere inter equites, & quidê in Equeſtrium primo gradu, qui ad Orcheſtram, Sed agnitum & pulſum aliquoties à diſſigna-


E tore Lectio, tranſiſſe tandem ad ſummam caueam, & ſpectaſſe inter plebem & pullatos: tantum non inter cathedras muliebres. Sed illinc quoque deiectũ, ſpectaſſe in Viâ ſemi-ſtantem. Atque huius ſententiæ etiam illud Taciti eſt, lib. xvi. de militibus, qui à Nerone diſpoſiti *Per cuneos* STABANT, *ne quod temporis momentũ impari clamore, aut ſilentio ſegni præteriret.* Nam ſtetiſſe eos ſentio in his vtriſque Viis. Latitudo

Martiali lux data.

Dimenſio viarum.

Itineris ad Baltheum, mihi ignota. cenſeo non minus, trium quatuórve pedum. Si enim vulgarium Graduum, Vitruuio definiente, duo pedes & ſemis: quídni duplum iſtis? At Scalarium ſiue Aſcenſuum altitudo, in Veronenſi apparet ſemipedis & vnciæ: A latitudo, pedum binûm. Humiliores ergo aliis ſedentariis Gradibus, parte dimidiâ. Addo, Canaliculas quaſdam & deriuationes aquarum ad oram extremam Graduum fuiſſe, quà Scalaria incipiebant. Apparent in fragmentis lapidum. & vſum, credo, habue-

Canaliculæ in gradibus.



runt ſiue aquæ cæleſtis deriuandæ, ſiue potiùs humanæ. Nam cùm dies totos in ſpectaculis perſederent, quin vrina reddenda fuerit, non ambigimus: eique vſui tribuimus hos inciſos canales. Nam ad pluuiam, ſcire te volo pendulos leuiter & procliues omnes gradus fuiſſe.

At CVNEI iam (Alexis κερκίδας dixit) inter has Vias medij. Quidquid enim ſedilium diuiditur Præcinctionum Itineribus, & ſecatur lateralibus Viis, in hoc nomen id venit. Nomen datum à formâ. quia ipſâ Scalarum directio talis, vt ab imo ordiens magis diffunderetur in altum: redderétque conei formam. Hoc modo, vide. Digiti enim potiùs res eſt quàm linguæ. Sed hoc mihi nota, Vias iſtas Scalares non ab imo ad ſummũ rectà & ſine interciſione iſſe. Contrà eſt. dirigebantur ſaltem ab imâ Orcheſtrâ ad primam Præcinctionem. Ibi deſinebant. & * alternis aliæ incipiebant, cum Cuneorum nouâ variatione. Ita ſi triplex Præcinctio (& id ex Vitruuio ſuſpicamur:) triplex etiam ordo & diſcrimen Cuneorum. Nec abſurdè fortaſſe ſenſerim, ſi cuneos & Præcinctiones finiam ac diſcriminem liminibus Orcheſtræ, Equeſtrium, Popularium. Architectus noſter Anguſtalis, meo animo, deſcribit non obſcurè: *Cunei*, inquit *ſpectaculorum in Theatro ita diuidantur, vti anguli trigonorum, qui currunt circa curuaturam circinationis, dirigant aſcenſus ſcaláſque inter Cuneos, ad primam Præcinctionem. Suprà autem alternis Itineribus ſuperiores Cunei medij dirigantur.* Et adde quæ ſcribit cap. VIII. *Gradationes ſcalarum inter Cuneos & ſedes dirigantur ad primam Præcinctionem. ab eâ Præcinctione inter eas iterum mediæ dirigantur.* Et ſanè hæc præſcriptio in parte apparet in Theatro Veronenſi ad Atheſim: quod deformauit (etſi παχύτερον) Torellus. Atque hi Cunei Theatrorum; qui in ſcriptoribus occurrunt crebri.

Cunei ſpectaculorũ.

Directio ſcalarum alterna.

* Quod quidem clariſſimè in Veronenſi apparet.

Exempla & loca de Cuneis.

Iuuenalis:

——*Cuneis an habent ſpectacula totis*
Quod ſecurus ames?

Martialis:

Æra ſed à Cuneis vlteriora petis.

B Inde Theatrum Cuneatum Virgilio aut Seuero:

——*Cuneati lata Theatri*
Seditio.

Et Auſonio: *Cuneata creuit hæc Theatri immanitas.* Inde excuneandi verbum, id eſt eiiciendi & velut extra Cuneum excludendi, vſurpatum Apuleio. Hi Cunei, certi certis adſignati. Suetonius in Aug. cap. XLIIII. *Militem ſecreuit à populo. Maritis e plebe proprios ordines* (id interpretor, vel ordines aliquot ſubſelliorum, vel etiam Cuneos) *adſignauit. Prætextatis* CVNEVM *ſuum, & proximum, pædagogis.* Ad diſcrimina hæc Cuneorum quique in iis ſedebant, alluſiſſe mihi Tertullianus videtur, De Reſurrectione carnis: *Igitur quantum ad hæreticos, demonſtrauimus quo cuneo decurrendum ſit a nobis.* Sed clariùs, & ad Suetonij data verba, Martialis, lib. v.

Cunei certi certis adſignati.

Obſcura Tertulliani dictio explicata.

C *Sedere in equitum liceat an tibi ſcamnis,*
Videbo Didyme. Haud licet MARITORVM.

Cuneos autem etiam Equitum & Senatorum fuiſſe, clarè docet Suetonius Domit. cap. IIII. *Die proximo omne genus rerum miſſilia ſparſit. & quia maior pars intrà Popularia deciderat, quinquagenas teſſeras in ſingulos Cuneos Equeſtris ac Senatorij ordinis pronunciauit.* Et Virgilius, plebis item ac patrum agnoſcit:

Cunei etiã Senatorum & Equitũ.

——*hunc plauſus hiantem*
Per Cuneos (geminatus enim) plebiſque patrúmque
Corripuit.

AD CATHEDRAM iam perueni. quam ſolus Tertullianus mihi in Amphitheatris ſuggerit: *Cathedra*, inquit, *vocatur, ipſe in amfractu ad conſeſſum ſitus.* Et intelligitne amfractum in ſingulis gradibus? an D potiùs ſuperum locum, vbi cliui ſubſelliorum deſinunt, & murus incipit qui porticum facit, cliuóſque illos velut frangit? Nam plani aliquid ſpatij ibi fuiſſe videatur, vnde Cathedris poſitis ſpectarent. Poſſis Calpurnium ad hanc ſententiam flectere:

Quid Cathedra in cauea dictũ.

Venimus ad ſedes, vbi pullâ ſordida veſte
Inter fœmineas ſpectabat turba Cathedras.

Nam fœminæ & pullati *non niſi ex ſuperiore loco ſpectabant*, ex Auguſti decreto quod Suetonius memorat cap. XLIIII. Sellas etiam Martialis nominat,

Cathedra fœminea.

Retractatus Martialis verſus.

neſcio an pro cathedris, an pro ſubſelliis graduum A ipſorum. Nã tenebræ mihi adhuc in iſto eius verſu:

Et inter ipſas penè tertius ſellas
Poſt Caiumque Luciumque conſedit.

Retuli quidem ſuprà ad fœmineas ſellas: ſed repugnante, vt vereor, poëtâ, qui non vult Equeſtria eum egreſſum, ſed in aliquâ ſemper eorum lineâ hæſiſſe. An ſellæ etiam virorũ? eáſque in gradibus ipſis collocabant? Ita prona quidem faciliſque ſentẽtia ſit, vt dicat miſellũ hunc inepſiſſe inter Caij Luciique ſellas, & penè tertium ſediſſe cum duobus. ſed ex illis quoque latebris protractum. Et ſanè de ſellis allatis & illatis, quidam mihi ſuadent. Suetonius Nerone, cap. XXVI. *Interdiu quoque clàm geſtatoriâ ſellâ delatus in Theatrum, ſeditionibus Pantomimorum ex parte Proſcenij ſuperiore ſignifer ſimul ac ſpectator aderat.* Iuuenalis, in ſuo illo non inuidendo voto: B

De ſellis du- *bitatio no-* *ſtra.*

——— & duo fortes
De grege Mœſorum, qui me ceruice locatâ
Securum iubeant clamoſo inſiſtere Circo.

Nam vult & optat Sellâ ſe deferri in Circum. Vitruuij etiam ambigua verba: *Gradus, vbi ſubſellia componantur.* Tamen magis eſt vt aliter fuerit, ex iis quæ ſuprà dixi. Et Suetonij Iuuenaliſque loci, cuineunt non niſi de ſuperio loco. quod fatemur vltrò. An ergo in Martiali ſcribendum, *tertias ſellas*? capimúſque pulſum eum à primo ſubſellio ad tertium: Sed quam ſententiam aut acumen tum habebit, *τὸ pene*? Iterum dico, parum mihi in hoc verſu lucet aut liquet.

Tentatus Martialis, ſed verus ut manet parum ſatisfa-ctû.

At de PORTICIBVS ſuperioribus, è quîs tenuiores ſpectabant, ſatis certum. Calpurnius tangit.

Porticus quid.

——— en illita porticus auro C
Certatim radiat.

Hanc ſupremam partem Dio ἀψῖδα θεάτρου dixit in Nerone: Καὶ ἐλέφας ἀνήχθη, inquit, ἐς τὴν ἀνωτάτω τοῦ θεάτρου ἀψῖδα: *Elephas ſublatus eſt in ſummum fornicem ſiue arcũ Theatri.* Nec malè. quia porticus illæ, vt videtur, arcuato opere tectæ. Certè tectæ. Vitruuius: *Tectũ porticus,* inquit, *quod futurũ eſt in ſummâ gradatione.* Ideóque non vanè ſuſpicer à Tertulliano, Cameras, vocatas, De ſpectac. *Deus etiam extra cameras, & gradus, & apulias oculos habet.* Vbi de Apubis, digitum tollo, & fateor me non poſſe hiſcere probum de iis aut probabile verbum.

Eaſdem videri cum Cameris.

Hic inſerenda Amphitheatri interior facies.

CAPVT XIIII. D

De ordine & locis in ſedendo. Quando diſcrimen id factũ. De Orcheſtra, de Equeſtribus: & Tribunos quoſdam nouos fuiſſe inter Equites. De Popularibus. déque loco Pullatorum & Fœminarum.

LOCVM & eius membra ſatis deſcripſi. ad cuius tamen lucem nonnihil etiam faciet, ſi ordinem Ordinum in conſeſſu noris & diſcrimen. Populi enim Romani, vt ſcis, priſca diuiſio, in Senatũ, Equitem, Plebem. His diſcreta in Spectaculis ſua loca, & Gradus. In Theatris quidẽ iã olim lege Roſciâ: at nõ ita diu in Circo & Amphitheatris. Promiſcuè enim ibi ſpectabant & quouis loco liberè quãdiu libertas Romę. Plutarchus indicat in Sullâ; ἦν μὲν, inquiẽs, θέα μονομάχων. οὔπω δὲ τῶν τόπων διακεκριμένων, ἀλλ' ἔτι τοῦ θεάτρου συμμιγοῦς ἀνδράσι καὶ γυναιξὶν ὄντος, ἔτυχε πλησίον τοῦ Σύλλα καθεζομένη γυνὴ τὴν ὄψιν εὐπρεπὴς καὶ γένους λαμπροῦ: *Spectaculum quidem gladiatorum erat. Locis autem ad ſpectandum nondum tunc diſcretis, ſed mixtim ſedentibus viris fœminiſque: accidit, vt propter Sullã mulier quepiã ſederet, facie & genere honeſta.* At E

Populi Romani tres ordines.

Diu confuſio in Amphitheatralis ſpectaculis.

id mutatũ ſub Principibus: & diſcrimina dignitatum facta, bono iure. Nec ſubtiliter hîc tempora exſequar. * quid opus? Hoc ſcito, Senatui in Amphitheatris quoque ſuam ſedem fuiſſe, ſuam Equiti, ſuã Plebi. Illam, Orcheſtram dixêre: alteram, Equeſtria: tertiam, Popularia. De Orcheſtrâ vbique vbiuum. quæ vox nata in ſcænâ & pulpito, tranſit communi abuſu quodam ad alios etiam ludos. Sedes illi, vt Vitruuius ait, *inter gradus imos.* Is enim locus quia Scænæ & Arenæ proximus, ideóque oculis auribúſque expoſitus: optimus habitus ſpectioni, ſiue auditioni. Cicero de Senectute: *Vt Turpione Ambiuio magis delectatur, qui in primâ caueâ ſpectat, quàm qui in vltimâ.* Horatius.

** Feci enim accuratè, in Cõment. ad lib. XIV. Taciti.*
Orcheſtra vox Græca orta.
Vbi fuerit.
In imis gradibus, qui optimi ſpectatione.

Vt propriùs ſpectes lacrymoſa poemata Pupp I.

Magnitudo eius, vt coniicio, in gradibus quattuor aut quinque, aut fortaſſe pluribus, vt etiam Sacerdotibus ibi locum demus, & ſociatum gentium legatis. Equeſtria autem, Senecæ nominata vti. De Benef. *Equeſtria omnium equitum Romanorum ſunt: in illis tamen locus meus fit proprius, quem occupaui.* Item Suetonio, in Calig. *Decimas maturius dabat, vt Equeſtria ab infimo quoque occuparentur.* Et alluſit argutatrix illa apud Petronium: *Ego etiamſi ancilla ſum, numquam tamen niſi in Equeſtribus ſedeo.* Ea Equeſtria lege veteri Quattuordecim gradus tenuêre. itaque paſſim legas ſedere in Quattuordecim: & pro ipsâ Equeſtri dignitate in Senecâ: *At mehercule multis Quattuordecim Gradus ſunt clauſi: non omnes Curia admittit.* Lege dico veteri. nam vt idem numerus ſub Principibus fuerit, aucto immaniter numero equitum, non hercle inducor ad credendum. Et impellit me in alia omnia Calpurnius, qui oſtendit totam mediam ſuperioremque caueam occupatam ab equite, ludis illis celebribus Carini:

Equeſtria.
Quàm ampla fuerint.
Aucta videri, ſub Principibus.

Venimus ad ſedes vbi pullâ ſordida veſte
Inter fœmineas ſpectabat turba cathedras.
Nam quæcumque patent ſub aperto libera cælo,
Aut eques, aut niuei loca compleuêre Tribuni.

Oſtendit ſe in porticu ſummâ ſpectaſſe inter fœminas, quoniam Gradus omnes qui ſub diu, occupati ab Equite aut Tribunis. Nam hos quoque addit. nec intellegit illos nouos Plebeios (caue erres) ſed Militares imprimis: fortaſſe & alios, qui vario agnomine ſub Principibus ſunt nati. De quo copioſè dicendi non hic locus. Ouidius aptè ad hanc rem in Faſtis lib. IIII. vbi quemdam militiâ functum in Equeſtribus ſibi adſidentem loqui facit:

Tribuni inter Equites ſedebant.

Dux mihi Cæſar erat, ſub quo meruiſſe Tribunus
Glorior, officio præfuit ille meo.
Hanc ego militiâ ſedem, tu pace paraſti:
Inter bis quinos vſus honore viros.

Et eodem illo Tribunicio iure ſpectaſſe ſe in Equite Martialis ait:

——— vidit me Roma Tribunum:
Et ſedeo quà te ſuſcitat Oceanus.

Nam quod de ære magno huius poëtæ ſuſpicere, aut cenſu fuiſſe Equitem: erabis tenue ſemper & exſuccum hoc genus. Ipſe id tenuit, loco alio, & paupertatem clarè præfert:

Martialis quomodo eques.

Sum, fateor, ſempérque fui, Calliſtrate, pauper,
Sed non obſcurus nec malè notus eques.

Inter Equites igitur, quia adnexum hoc Tribuniciæ illi dignitati. Et quidem hi Tribuni in Gradibus primis ſpectabant, ex Horatiano vetere interprete: qui ad locum illum Epodôn, in Mænam: *Sedilibúſq; magnus imprimis Eques:* commodè notat, *Otho,* inquit, *quattuordecim Gradus in Theatro equitibus ſepararat, ex quibus primi Tribuniciis poteſtatibus vacarent.* Popularia ſunt loco tertio. & nomen eâ notione reperies in

Popularia.

Suetonij Claudio, cap. XXV. *Germanorum legatis in Orcheſtrâ ſedere permiſit, ſimplicitate & fiducia eorum motus, quòd in Popularia deducti, cùm animaduertiſſent Parthos & Armenios in Senatu ſedentes, ad eadem loca ſponte tranſierant.* Et in Domitiano, verbis quæ rettuli ſuprà. Vlpianus etiam *Milites ſtationarios* diſponi à Præfecto vrbis vult, *ad tuendam Popularium quietem.* Calliſtratus, in ſpectaculis *Iuuenes quoſdam accommodare ſe turbulentibus adclamationibus Popularium* ſcribit. Et ſcio vtrumque intellegere hunc plebis conſeſſum. Plebis. nam etſi populi voce vtuntur, quæ communis tribus ordinibus: tamen hîc pro vnâ eius & vberiori parte. Vti & apud Iuuenalem:

Vide Epiſtolis noſtris III. epiſt. XVIII.

Populi voc pro ſolâ plebe interdum.

Æquales illic habitus, ſimilémque videbis
Orcheſtram & populum.

Intellegit enim, in hac ipsâ Spectaculorum re, plebem. Popularibus autem adtributi reliqui omnes Gradus. id eſt Cauea media, & Summa: Nam Ima Senatui & Equiti vacabant. Itaque propter granditatem, diſcrimen aliquod in ipſis popularibus: & pro variâ cõditione plebis, varij adſeſſus. Quoſdam, imò pleroſque Suetonius expreſſit Auguſto: *Militem ſecreuit à populo. maritis è plebe proprios ordines adſignauit. prætextatis Cuneum ſuum. & proximum pædagogis. ſanxitq́; nequis pullatorum mediâ caueâ ſederet. Fæminis ne gladiatores quidem, quos* * *promiſcuè ſpectari ſolemne erat, niſi ex loco ſuperiore ſpectare conceſſit.* Vbi de Pullatis quod ait, illuſtrant Calpurnij verſus:

Popularia ipſa iterum diuiſa.

** Suprà ex Plutarch.*

Pullati ad ſuperos relegati.

O vtinam nobis non ruſtica veſtis adeſſet!
Vidiſſem propiùs mea numina. ſed mihi ſordes
PVLLAQVE *paupertas & adunco fibula morſu*
Obſtiterunt.

Oſtendit enim ſe ruſticum & pullatum ſpectaſſe in caueâ ſummâ, procul à Podio vbi Princeps. Ideò apud Senecam De Tranquillitate, *Verba ad ſummam Caueam ſpectantia*, ſunt vilia & ad guſtum minutæ plebis. At quòd Fæminæ in ſummo: etiam Propertius tuus oſtendit, vbi præcepta æmulantis Cynthiæ:

Item Fæmina.

Propertij alius diſtinctio & intellectus.

Tu neque Pompeiâ ſpatiabere cultus in vmbrâ,
Et cùm laſciuum ſternet arena forum,
Colla caue inflectas ad SVMMVM *obliqua theatrum.*

Ita legendi & iungendi ij verſus. & mens eſt, Cùm Gladiatores in foro: caue oculos adiicias, tu qui in equite ſpectas, ad loca ſumma, vbi mulieres.

CAPVT XV.

Confuſa aliquando locorum ſeries: eáque occupata. AEs pro Locis. Plautus explicatus, & Suetonius, & Martialis. Diſsignatores, eorum munus. Excitare. Tribuni Voluptatum.

ET hi quidem limites, hic ordo. quem tamen migtabat & miſcebat ſæpe Quiritiũ turbida plebs. Auidi enim multi ludorum, & excluſionis metuentes, loca de multâ nocte occupabant, & inhærebant vt ſuis. Lampridius in Eliogabalo: *Serpentes per Marſicæ gentis ſacerdotes collegiſſe fertur: eóſque ſubitò ante lucem, vt ſolet populus ad ludos celebres conuenire, effudiſſe.* Benè dixi, occupabant, eo enim verbo id vulgò notabant. Martialis:

Tunc cùm licebat occupare, Manneius.

Spartianus in Iuliano: *Ad Circenſe ſpectaculum itum eſt. ſed occupatis indifferenter omnium ſubſelliis, populus geminauit conuicia in Iulianum.* Tangit & Tertullianus eam confuſionem: *Libertinos in Equeſtribus, ſubuerbuſtos in Liberalibus ſedere.* Vbi Liberalia equidem non aliud, quàm liberi populi locum ceperim,

Occupare, propriè, quid.

quem turpe occupari à ſubuerbuſtis & ſeruis ſtigmatiis. Addatur Suetonius Calig. cap. XXVI. *Inquietatus fremitu gratuita in Circo loca de mediâ nocte occupantium, omnes fuſtibus abegit.* Ait autem Tranquillus, *gratuita loca.* Ergóne aliquid aliàs pendendum? Apparet: & quidem priſco etiam æuo. Certè Plautinus Prologus, (etſi non Plauti) id indicat receptum in ſeruis:

Loca pretio aliquo diſtributa. Plauti antelogio ium.

Serui ne obſideant, liberis vt ſit locus.
Vel æs pro capite dent: ſi id facere non queunt;
Domum abeant.

Græci hæc θεωρικὰ appellaſſe videntur: quæ explicant in Callimacho Scholiaſtæ, τὰ ὑπὲρ τοῦ ἰδεῖν δῶρα: *munera quæ ſpectandi cauſâ dantur.* Nec in ſeruis hoc tantùm, ſed receptum etiam in plus è plebe opinor, qui Locariis neſcio quid pro ſedibus pendebant. Ita enim appellat Martialis, qui loca diſſignabant. In Hermetis gladiatoris laudibus:

Hermes ſuppoſititius ſibi ipſi:
Hermes diuitiæ Locariorum:
Hermes cura labórque ludiorum.

Et Martialis.

Nam Locarij, meo animo, non aliud hîc quàm Diſſignatores. Quos Tertullianus in ludis agnoſcit, libello De Spectaculis. *A templis & aris, inter tribus & tibias, duobus inquinatiſſimis arbitris funerum & ſacrorum, Diſſignatore & Aruſpice.* Plautinus idem ille Prologus agnoſcit in ſcænâ:

Locarij, qui hominibus locant, diſponuntq;.

Neu diſſignator præter os obambulet.

Quin etiam lictores illis attribuit:

--neu lictor verbum aut virga muſſitet.

Diſſignatores cum lictoribus.

Qui enim hoc refert ad lictores magiſtratuum: errat. Nullæ in hac Hiſtricâ prouinciâ eorum partes. Sed vt Diſſignatores in funere publico lictores comitabantur, ſeuerioris imperij cauſsâ & ordinis ſeruandi: ſic in Theatris. De funebri Diſſignatore, Horatij illud noſti,

———dum ficus prima calórque
Diſſignatorem decorat lictoribus atris.

Non quia proprij Diſſignatorum vlli apparitores (viles enim ipſi olim & fortaſſe inter libertinos:) ſed accipiebant à * Domino funeris & Editore ludorum. Ex hoc genere, Lectius ille & Oceanus apud Epigrammatarium: nec magiſtri illi aut Præfecti ludorum (nugæ iſtæc interpretum) ſed meri Diſſignatores. Quorum tamen dignitas ſub Principibus aucta. Vlpianus bene monet l. IIII. de his qui not. infamiâ: *Diſſignatores, inquit, quos Græci βραβευτὰς appellant, artem ludicram non facere Celſus probat: quia miniſterium non artem exerceant. Et ſanè locus iſte hodie à Principe non pro modico beneficio datur.* Horum munus, ordinibus ſua loca adnotare, pellere occupatores ab alienis. Facetè ſæpe meminit acutus & capitalis ille Hiſpanus, per occaſionem edicti Domitiani, quo *licentiam in equite promiſcuè ſpectandi* (quæ contra leges eruperat) *cohibuit.* Et id dicebant theatrali verbo, Excitare aut Suſcitare.

** In Saturnalibus noſt. lib. I.*

Creuit eorũ dignitas.

Pellebant locis non dignos.

Excitare.

Bis excitatus érgo translulit caſtra.

Alibi: *Et ſedeo quà te ſuſcitat Oceanus.*

Suetonius Auguſto, cap. XIIII. *Cùm ſpectaculo ludorum gregarium militem in Quattuordecim ſedentem excitari per apparitorem iuſſiſſet.* De quâ eâdem re Appianus: καὶ ὁ Καῖσαρ τὸν στρατιώτην ἀνίστησι: *& Cæſar militem iuſſit ſurgere.* Pulchrius in eodem planè verbo Græcè luſit Diogenes Cynicus (in Diogene Laërtio:) τὸν κιθαρῳδὸν ἀεὶ καταλειπόμενον ὑπὸ τῶν ἀκροατῶν ἠσπάζετο, Χαῖρε ἀλέκτορ. τοῦ δὲ εἰπόντος, Διὰ τί; Ὅτι, ἔφη, ᾄδων πάντας ἐγείρεις: *Citharœdum quendam, quo cantante omnes diſcedebant, eumq́; relinquebant, ſalutauit, Salue galle. Illo quærente, Quid ita? Quia, inquit, cantans omnes* EXCITAS. Ipſo illo verbo argutiſſimè luſit. Sed addo

Digitized by Google

etiam.labente æuo,præter Diſſignatores,videri fuiſſe digniore quodam nomine Tribunos:qui electi ad moderandas & temperandas ludicras populi voluptates. Ij dicti, Tribuni voluptatum. Quorum formula & munus,apud Caſſiodorum libro VII.Variar. Epiſt.x.

Tribuni voluptatū.

C A P. XVI.

Tubi occulti in Amphitheatris ad Sparſiones.Eas è croco diluto fuiſſe.Appuleius emendatus. Videri eumdem liquorem è ſtatuis emiſſum. Plura ad hanc rem exempla.

VIDEOR de loco omnia dixiſſe: certè ea quæ conſpiciuntur in aperto. Nam quin lateant etiamnunc quædam,non nego:quæ tamen,lucis tuæ cauſsâ,protraham in claram lucem.In eo genere tubi ſunt ſiue fiſtulæ: quæ in imo & ſummo Amphitheatro diſpoſitæ,eâ arte & fine, vt odoratum quemdam humorem eiacularentur leuiter, & inſpergerent in ſedentes. Is humor, è croco plerumque. Seneca epiſt.XCI.*Vtrum tandem ſapientiorem putas, qui inuenit quemadmodum in* IMMENSAM ALTITVDINEM CROCVM LATENTIBVS FISTVLIS *exprimat?* Idem libro II. Quæſt. Natural. *Numquid dubitas quin* SPARSIO *illa,quæ ex fundamentis* MEDIÆ ARENÆ *creſcens,in* SVMMAM ALTITVDINEM AMPHITHEATRI *peruenit,cum intentione aquæ fiat?* Apuleius lib. x.*Tunc de ſummo montis cacumine per quandam latentem fiſtulam in excelſum prorūpit vino crocus*(ita emendo ex vet.codice noſtri Giſelini)*diluta, ſparſimq́; defluens paſcentes circà capellas odorato perpluit imbre.* Benè Apuleius,*odorato imbre.*quia è fiſtulis illis, per minuta quædam foramina ſtillabat is liqoor in modum imbris. Et ſigoatè locutus eſt Antonius Muſa apud Senecam patrem, qui *Sparſiones, odorates imbres* dixit. Vbi magnus ille Turnebus à ſe & à vero abit,dum tẽtat ſufficere *adorates imbres:*& perperàm ad miſſilia refert. Nam rorem illum ingenioſum, Sparſiones vocabant aptè.Gloſſæ priſcæ:*Sparſio*, Κρόκος ὁ ῥαινόμενος. Et Martialis ſpargendi verbo in eo vſus:

Fiſtulæ Amphitheatrales.

Spargebant crocum ex imâ Arenâ.

Apuleius correctus.

Sparſiones proprie.

Hec rogo non meliùs,quàm rubro pulpita nimbo
SPARGERE, *& effuſo permaduiſſe croco?*

Et nimbum item aliquoties appellat:vt libro I.

Et Cilices nimbis hîc maduere ſuis.

Libro IX.

Lubrica Corycio quamuis ſint pulpita nimbe.

Ea cū imbri aut nimbo comparantur.

Nec è fiſtulis ſolùm hic imber,ſed ſcito magis inuento è ſtatuis expreſſus,velut humanus quidam ſudor. Lucanus clarè indicat:

E ſtatuis etiam fuſa.

Vtq́; ſolet pariter TOTIS *ſe effundere* SIGNIS
Corycij PRESSVRA CROCI: *ſic omnia membra*
Emiſere ſimul rutilum pro ſanguine virus.

Et ex Theatri Marcelli configuratione conſpicuum, in mediâ & ſummâ Præcinctione ſtatuas plures fuiſſe;partim ad ornatum, partim ad hunc vſum.Eas autem ſcire licet concauas fuiſſe:& per immiſſas * fiſtulas ferreas ſiue æneas,minutis foraminibus, velut per poros & membra expreſſum hunc humorem: non ſine præſenti quidem auxilio & manu adminiſtrorum,qui in parte inferna ſtabant.Ego interrumpens, Hæc mihi mira,inquam:ſed dic tamen, oro te, clarius, quomodo crocus exprimi arida potuerit in hunc imbrem?Non enim capio.Ille concuſſo capite & ridens,Crocúſne mera aut arida? inquit. Mi iuuenis erras.Vino diluta fuit, vt Apuleius tibi præibat,ſi filum attentè ſublegiſſes eius ſermonis. Mixtum videlicet tritumq́ue florẽ eum herbæ fuiſſe cum vino. quod vinum colorẽ deinde adſumeret & odorem: Plinius aperit:*Crocum,inquit,vino mirè congruit,præcipuè dulci,tritum ad Theatra replenda.* Itaque liquidum crocum Ouidius dixit.

** Quas fiſtulas grādes fuiſſe ſuſpicamur, & alias minores,quæ ab illis diffuſæ per membra. Quoq; modo id fieri potuerit. Crocus non ipſe, ſed mixtum,cū vino ad ſparſiones.*

Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.

Et fluxiſſe eum per gradus, Spartianus in Hadriano: *In honorem Traiani balſama & crocum per Gradus Theatri fluere iuſſit.* Vbi de Balſamo item notabis,etſi minus id crebrum.At de Croco,in omnibus ſpectaculis protritum:etiam Scænicis. ideóque ſolemnes crocos Propertius agnominauit:

Per Gradus fluebat.

Etiam balſamum.

Pulpita ſolemnes non oluere crocos.

Adeò vt etiam ſupinorum hominum deliciis è Theatris in conuiuia ſparſiones migrarint,& eâdem illâ arte vnguentis perfuſi conuiuæ. Plutarchus de Othone narrat,diſpoſuiſſe eum in triclinio variis locis ἀργυροῦς καὶ χρυσοῦς σωλῆνας, ὥσπερ ὕδωρ τὸ μύρον ἐκχέοντας: *argenteos atque aureos canales, inſtar aquæ, vnguenta fundentes.* Quod item in Neronis nepotinis ſumptibus Tranquillus recenſuit,cap. XXXI. *Cœnationes eius laqueata tabulis verſatilibus eburneis, vt flores:& fiſtulis,vt vnguenta deſuper ſpargerentur.* Ita enim eum locum legamus: quoniam duo ibi verſatilia,& Tabulæ ad flores,& Fiſtulæ ad vnguenta.

Sparſiones vnguentorū in conuiuiis ab hoc tractu.

Suetonius correptus.

CAPVT. XVII.

Vela in Theatris & Amphitheatris. Quando eorum vſus cœperit.Colorata ea fuiſſe.aliquando ſerica,aliquando & purpurea, auro diſtincta. Teſtimonia plura.

TEGMEN etiam Amphitheatri latet: quod ſuperduci ſolet, arcendo æſtui ac ſoli. Tegmen hocè velis.Primus inuentor rei Q.Catulus:aut certè iam inuentæ,primus Romæ imitator. Valerius Maximus:*Religionem ludorum,creſcentibus opibus,mox ſecuta lautitia eſt.Eius inſtinctu Q. Catulus Campanam imitatus luxuriam,primus ſpectantium conſeſſum velorum vmbraculis texit.* Ammianus de eâdem re libro XIIII. *Ex turba verò minima ſortis & paupertina, in tabernis aliqui pernoctant atris, nonnulli velabris vmbraculorum Theatralium latent.quæ Campanam imitatus laſciuiā Catulus in Ædilitate ſuâ ſuſpendit omnium primus.* Plinius libro XIX.de velis: *Poſtea in Theatris tantùm vmbram fecêre. quod primus omnium inuenit Q. Catulus,cùm * Capitolium dedicaret.* Eius ritus veſtigia in ipſis Amphitheatris,vbi foramina in ſummis lapidibus ad funes velorum illigandos. vt in Nemauſenſi illo clarè:& in ſummo hoc Romano quædam grandiora, per quæ coniicimus traiici & in altum dirigi antennas ſolitas,velorum funes ſuſtinentes.At ipſæ deinde antennæ ſiue mali, per foramina ea immiſſæ & demiſſæ mutulis quibuſdam excipiebantur,firmitatis cauſsâ. Ad antennas autem ſubrectas, funes tranſuerſim ligati & extenſi; ſuper quos, ducta vela. Teſtimonia etiam ſparſa in veterum ſcriptis. Propertius:

Vela à Q. Catulo reperta.

** At Ædilitati eius id tribuit Ammianus.*

Et modò tam pleno fluitantia vela Theatro.

Suetonius in Caio:*Gladiatorio munere,reductis interdum flagrantiſſimo Sole velis, emitti quemquẽ vetabat.* Martialis:

Quamuis non modico caleant ſpectacula ſole,
Vela reducuntur cùm venit Hermogenes.

Ducti vela & reducti.

Vitruuius præfatione lib.x.*In muneribus quæ à magiſtratibus, Foro gladiatorum Scænisque ludorum, quæ-*

dam dan

dam dantur, quibus nec exſpectatio nec mora conceditur: vt ſunt ſedes ſpectaculorum, VELORVMQVE INDVCTIONES. Lampridius in Commodo: *Cum illi ſæpe pugnanti vt deo populus fauiſſet; irriſum ſe credens, populum Romanum, a militibus claſſiariis qui vela ducebant, in Amphitheatro interimi præcepit.* In quo mihi nota milites è claſſe præpoſitos huic muneri: ſcilicet quia maritimi illi, iure periti tractandorum velorum. petunt etiam quidam, apud Plutarchum in Romulo, Velabri etymon ab hoc ritu; acutè ſed non verè. ἔνιοι λέγουσιν, inquit, τὴν εἰς τὸ ἱππόδρομον φέρουσαν ἐξ ἀγορᾶς πάροδον, ἱστίοις καταπετάννυσθαι τοὺς τὴν θέαν παρέχοντας, ἐντεῦθεν ἀρχομένους· Ῥωμαϊστὶ δὲ τὸ ἱστίον βῆλον ὀνομάζουσι. *Quidam aiunt viam illam quæ à foro ad Circum fert, ab editoribus ludorum velis ſolere integi, initio à Velabro facto. Romani autem Velum appellant, quod nos Hiſtium.* Non verè dico: quia Velabri vocem diu notam & natam ante hunc ritum (qui Catuli æuo inductus) ſatis clarum. Colorata variè vela iſta fuiſſe, ad ornatum, Lucretius oſtendit verſibus ſanè ad hanc rem luculentis:

Velabri nomen etymo.

Variegata eo vela coloribus.

Et vulgò faciunt id lutea, ruſáque vela,
Et ferrugina. cùm magnis intenta Theatris
*Per * malos vulgata trabeſque trementia pendent.*
Namque ibi conſeſſum caueai ſubter, & omnem
Scenai ſpeciem patrum matrumque deorúmque
Inficiunt, coguntque ſuo fluitare colore.

* Nota firmati, quod ſuprà monui de Antennis.

Et Carbaſina vela Plinius libro XIX. nominat, cum auctore: * *Carbaſina deinde vela primus in Theatro duxiſſe traditur Lentulus Spinther Apollinaribus ludis. Mox Cæſar dictator totum forum Romanum intexit, viámque ſacram ab domo ſuâ vſque ad cliuum Capitolinum. quod munere ipſo gladiatorio mirabilius viſum tradunt.* Miratur & ſtupet in Cæſariano facto Plinius, vel quia tantum ſpatij inductum: vel quia velis tam pretioſis. Nam ſerica ea fuiſſe Dio tradidit, etſi parum adfirmatè, libro XLIII. καὶ ἵνα μηδένα τῶν θεωμένων ὁ ἥλιος λυπήσῃ, παραπετάσματα ὑπὲρ αὐτῶν σηρικά, ὥς γέ τινές φασιν, ὑπερπέτασε. *Neve quis ſpectantium à ſole infeſtaretur, vela ſuper eos Serica, vt quidam tradunt, extendit.* Nec ſcio ſanè an Plinij libris non exciderit ea Sericorum vox. Iam Nero purpurea etiam vela ſuſpendit, ſtellis aureis variè interſtincta. Xiphilinus: τά γε μὴν παραπετάσματα τὰ διὰ τοῦ ἀέρος διατεταμένα, ὅπως τὸν ἥλιον ἀπερύκοι, ἁλουργὰ ἦν, καὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν ἅρμα ἐλαύνων ὁ Νέρων ἐνέστικτο, πέριξ δὲ χρυσοῖ ἀστέρες ἐπέλαμπον: *Vela etiam quæ per aerem expanſa ad arcendum ſolem, purpurea erant; in quorum medio Nero acu pictus, currum agitans* (videlicet inſtar Phœbi) *circùm verò vndique aureæ ſtellæ.*

* Intellegit candicantia, & è tenuiſſimo lino. Ni Q. Catuli etiam è lino, ſed vulgari & rudi.

Dubitatio de integritate Pliniani loci. Purpurea vela à Nerone.

CAPVT XVIII.

Eadem Vela à Iuuenali Velaria dicta. Quid Velarij Auguſtei. Vmbellæ vſum & cauſſæ fuiſſe, velis non expaſſis. Martialis & Vopiſcus explicati. Vmbellati claui.

HÆC ipſa Vela, niſi fallor, Iuuenalis Velaria dixit illo verſu,

——pugnas Cilicis laudabat & ictus,
Et pegma, & pueros inde ad Velaria raptos.

Velaria.

Nec enim interpretes hîc audio, qui Velaria locum eſſe adſerunt vbi vela reconduntur. Imò aliam ego lucem Iuuenali do, & ita capio: quaſi laudarit & ſtupuerit adulator ille, quòd ludis gladiatoriis, pueri è pegmate ſubitò in altum occultâ quadam machinâ rapti ſint, & ad Vela ipſa. Sanè recepti in Amphitheatris tales luſus, taléſque raptus. Qualis etiam ille Martiali expreſſus, de Tauro cum Alcide in æthera rapto, populo ſpectante & adſtupente:

Iuuenalis explicatus. Raptus ex ſiſtoſi & ſublimiores ex pegmate.

Raptus abit MEDIA *quòd ad æthera Taurus* ARENA,
Non fuit hoc artis, ſed pietatis opus.

Lego etiam in veteri inſcriptione, PRÆPOSITVS. VELARIORVM. DOMVS. AVGVSTÆ. ſed alio ſenſu: quia Velarios ibi accipio, qui præpoſiti velis in aulâ ducendis. Ita in aliis lapidibus: VELARII. DE. DOMV. AVGVSTI. & alibi: VELARII. DOMVS. AVGVSTANÆ. Sed redeo ad Theatrica noſtra Vela, quæ moneo non ſemper extenſa: quia ſæpe id impediebat ventus. Nec mirum in tam laxo & capaci circo. Hiſpanus poëta:

Velarij, pro hominibus.

Vela ventus ſæpe negabat.

Aut Pompeiano vela negata, Noto.

Quid tum igitur? inquies. ſpectabántne indefenſi à Sole? Non prorſus. duplex iis etiam tegmen, ſiue Pillei, ſiue Vmbellæ. Pillei quidem Theſſalici, vt ſuprà ex Dione retuli. quem eumdem cum Petaſo aliquis fecerit. & notauit eruditus noſter Iunius in libro II. Animaduerſorum, cap. VI. Vti & *Gauſapis*, an *Cauſiâ*, loco illius Pillei? Nam varia hæc in Martiale lectio: atque alij libri aliud Lemma illud præſcribunt his verſibus Apophoretorum:

Tunc Vmbella ſuccedebat aut Pilleus.

Martialis illuſtratus & correctus.

In Pompeiano tectus ſpectabo Theatro:
Nam populo ventus vela negare ſolet.

Significat diſertè, vſurum ſe tegmine Cauſiæ contra ſolem, ſi ventus inuidiſſet vela. Ad eumdem vſum refero Pilleos in Theatris ab Editoribus interdum datos, ſiue birros. Vopiſcus in Carino, vbi Iunium Meſſallam eiuſque effuſionem in ludis acerbè taxat: *Donati ſunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri Canuſini.* At de Vmbellâ, Martialis idem:

Pillei quâ ſint dati.

Accipe quæ nimios vincant vmbracula ſoles.
Sit licet & ventus, te tua vela tegent.

Vmbella.

Quam à faciendâ vmbrâ dictam ſcito, nec aliud tegmen quàm quo hodie in Italiâ paſſim ſuprà caput ſuſpenſo vtuntur, per viâ & in æſtu. E linteo formant, inſtar obtuſæ & breuioris metæ, quod orbiculatâ virgâ extenſum, baculo ſuſtinent ſuprà caput erectû. Iuuenalis de eâdem:

Earum forma.

*En cui tu * viridem vmbellam, cui ſuccina mittas.*

* Colorabat eam, vt puto, pro lauto ſeculo, in hâc illamve Circi factionê Praſinam, Venetâ, &c.

Et Vmbellati claui apud priſcos Architectos, qui capite paulatim inſtar turbinis latiore: itémque Vmbellati flores Fœniculi, Anisi, Sambuci apud hortenſes ſcriptores. Denique vmbella. quod σκιάδιον Græcis.

CAPVT XIX.

Per occaſionem, de pilleo quæſitum. fuerintne eo vſi Romani? Non videri: imò nec Gallos aut Germanos. Certa tamen tempora fuiſſe, quibus permiſſum tegmen: certos item homines. Nodi plerique omnes in eâ re, & ſcriptores explicati.

DESIERAT Florentius, & iam ſurgebat. ſed ego iniectâ blandè manu, Viam mihi aperis eius ſermonis, inquam, in quem deferri diu mihi eſt votum. Itaque, per tuam fidem, qui tam multa hodie me docuiſti, hoc quoque velut ἐπίμετρον admetire, de Romanorum capite tecto ſiue intecto. Nam cauſiam iis tributis aut pilleum: ſed tantùm per ludos. quid ergo cenſeam? reliquo eos tempore fuiſſe intectos? ægrè id crediderim, in moribus noſtris tam aduerſis. Florentius renidens, A viâ in ſemitam me abducis, inquit. quam tamen, quoniam valdè velle te

Pleraque olim gentes aperto capite.

video, percuſſam pede leui. Caput apertum & ſine tegmine habere, non Romanis ſolùm olim; ſed quod magis mirère, etiam Græcis veteribus, & fortaſſe Germanis, Galliſque nobis commune. De Græcis: ecce apud Homerum non cauſiæ non pillei vſquàm mentio. nec celat nos eius interpres, quin ſilentium id cauſſam habeat ab hoc ritu. Quin Soranus in vitâ Hippocratis, anxius eſt cur imago eius pilleata cernatur. idque alij ad peregrinationes eius retulere, alij ad alias cauſſas, quas ibi vide. At de Germanis inducit me facilè Tacitus: qui cirros eorum nodóſque commemorat, tegmina nuſquam. imò de Sueuis, clarè ſatis oſtendit pugnaſſe eos etiam capite aperto, crinibus religatis in altitudinem quamdam & terrorem. Et comatos noſtros Gallos, quidni credam eâ parte intectos? Ni fuiſſent, & pleræque imò Europæ gentes: non pilleum apud Parthos demum Martialis, vt nouum, quæſiſſet:

Græci. *Germani.* *Galli.* *Parthi tamē pilleati: & quod alibi legiſſe fortè Daci.*

Fruſtra blanditia venis ad me:
Ad Parthos procul ite pilleatos.

Argumenta quædam pilleum ſpretum à Romanis.

Sed de Romanis ipſis, ſecurius pronuntiem: quia ſigna mihi in illis & argumenta plura. Primùm nummi omnes veteres ſtatuæque (in quibus cultus ſcilicet & habitus priſcus) ſine tegmine ſemper. Scriptores item priſci, pilleum aut petaſum abſtinere videntur à vulgo. Quò facit valdè Suetonij locus: qui Iulium Cæſarem ex omnibus decretis ſibi honoribus, non alium libentiùs aut crebriùs vſurpaſſe ait, quàm ius laureæ coronæ perpetuò geſtandæ. idque ad caluitium celandum. Obſecro vt quid, ſi pilleus aut petaſus illis? qui certè aptior & fidelior ad diſſimulandum caluitium, quàm corona. Quintiliani item Oratoris ſui deſcriptio. in quo cùm veſtium omnium ſingillatim meminerit, vſque ad calceos: in capite tamen formari & fingi ſolum capillum. Sed volſellis pugno: ecce telum. Euſtathius Homeri interpres diſertim ſcribit τὸ τὰς κεφαλὰς ἀκαλύπτους ἔχειν, *capita intecta habere*, ad Romanos tranſiſſe à priſcis Græcis. Cui auctoritati quid opponas? Tamen fateor Tempora quædam & Homines ſpectandos, quibus ius & vſus tegendi fuit. Tempora quinque: Sacra, Ludi, Saturnalia, Peregrinatio, Militia. Nam Romanos dum ſacrificabant, capite ſcimus fuiſſe velato; idque priſco quodam & obuio ritu. Idem in Ludis fuiſſe, docui iamantè. Etiam Saturnalibus, per quos libertinæ vitæ dies, pilleus admiſſus, ſignum ſcilicet libertatis. Martialis:

Excipiuntur tempora quædam Sacrorum. *Ludorum.* *Saturnaliū.*

Permiſſis puto pilleata Roma. Idem:
Dúmque decent noſtrum pillea ſumpta Iouem.

Peregrinationis.

Sed & Peregrinatio quoque petaſum bono iure ſibi ſumpſit, contra pluuias, æſtus, ventos. Plautus vbique addocet, qui peregrè euntibus aut venientibus * petaſum aptat. Cicero item alibi in Epiſtolis, deſcribens tabellarios redeuntes, *Petaſatos eos venire*, ait, *& comites exſpectare ad portam*. Nec alius meo iis illud Suetonij de Auguſto: *Solis ne hiberni quidem patiens, domi quoque non niſi petaſatus ſub diuo ſpatiabatur.* Ait, domi quoque, quaſi nouum illud & inſolens innueos, quod alibi quàm per viam. Denique Militiæ pilleos non adimo, inhibitus à Vegetio: *Vſque ad præſentem*, inquit, *ætatem conſuetudo permanſit, vt omnes milites pilleis quos Pannonicos vocant, ex pellibus vterentur*. Nam aliàs, exempla etiam in militibus pilleorum rara. Iam Homines etiam certi, vt dixi, quorum vertex immunis à communi more. Primùm Liberti. quos in pilleis fuiſſe, notâ libertate, notius & teſtatius eſt, quàm vt hîc dicam. Addo Ægros. quibus hoc quoque licuit, capiti firmando. Ouidius indicat, qui Amanti ſuo præit ad morbum & pallorem fingendum, & pilleolum tribuit inter ſigna:

** Qui diſtinctus tamē a pilleo quod ille ad vmbrā faciē dam marginatus, vt noſtri galeri (forma enim in Mercurij ſtatuis) hic non item, ſed qualis domeſticorum aut nautici pillei.* *Militiæ.* *Excipiuntur & homines. Liberti nominatim.* *Ægri.*

Arguat & macies animum. nec turpe putaris
Pilleolum nitidis impoſuiſſe comis.

Artemidorus etiam, qui De Somniis ſcripſit non ſomniculosè. Nam libro primo argutè obſeruat, ἔρια ἀντὶ τριχῶν ἔχειν, νόσους μακρὰς καὶ φθίσιν προαγορεύειν: *lanam pro capillis habere, longos morbos & tabem ſignificare*: nimirum quia pilleoli iſti è lanâ. Sed & Græcis πιλίδιον receptum in morbo. Plato III. De Repub. ἐὰν δέ τις αὐτῷ μακρὰν δίαιταν προστάττῃ, πιλίδιά τε περὶ τὴν κεφαλὴν περιτιθείς. Sed & Senibus pilleum tribuerunt, à pari cauſsâ. Varronis fragmentum adſignificat, è libro I. De Vitâ populi Romani: * *Minores natu*, inquit, *capite aperto erant, capillo pexo, vtrique innexis crinibus*. Et Nicephorus Gregoras oſtendit, eum morem eum Romano imperio Byzantium etiam tranſlatum, libro X. in extremo: *De capitis tegmine*, ait, *moris apud ſuperiores Principes erat, vt ætate prouectiores aulici pilleis turbinatis vterentur, ſerico tectis. iuniores autem omnes prorſus nudis eſſent capitibus. Andronico autem Imperatore, is mos adeò exoleuit, vt paſſim omnes & ſeniores & iuniores pilleis vterentur, non minus in palatio quàm in agris viſque variis & peregrinis.* Sed tamen permiſſum hoc potiùs ſenibus credo, quàm crebro vſurpatum. Romæ quidem. nam vbi exempla? Et contra Varronis verba, nonnihil etiam inuenire poſſim, quod probabiliter obducam. Quartum denique genus eum pilleis, ſed malè certis aut firmis. Conuiuæ enim fuiſſe videntur pilleati. Horatius ſuſpicionem clarè facit.

Etiā apud Græcos. *Senes.* **Aliud ergo in maioribus fuiſſe videtur.* *Conuiuæ.*

Vt vinoſa glomos furtiua Pyrrhia lanæ,
Vt cum pilleolo ſoleas conuiua tribulis.

Nam habitum conuiualem adtribuere ille neſcio cui videtur, Soleas & Pilleum. Itaque vetus ibi interpres: *Neve ſic ſuffarcinatus eas, vt vnus de tribu, qui ad cœnam vadens, ipſe ſibi ſoleas fert cum pilleolo.* Et paulo pòſt: *Hæc erat conſuetudo veteranorum, pilleum portare cum calceis.* Quibus verbis quid ſani ſubſit haud ſanè video. Et ambigo in toto hoc ritu. Primùm quia in tam crebrâ conuiuiorum mentione pilleos nō alibi inuenio. Secundò, quia inepti ijdem, me iudice, conuiuantibus, ob vnguenta, ob coronas. Illud credo magis, pilleorum vſum in balneis fuiſſe: à quibus cùm exirent, eoſdem aliquando retinuiſſe etiam in menſâ. Certè lapis antiquus Patauij eſt, vbi conuiuij aliqua forma, & qui accumbunt, partim capite nudo partim velut pilleolo aut faſciâ ſunt deuincti. Sed hem! quod me pænè fugerat, Athenæi locus eſt, qui neſcio an * ſtabilitor & ſtator ſit pilleo conuiuali. Nam loquitur apud eum libro VI. Larenſius dilaudans ſuos Romanos: ἐσθῆτας δ' εὐτελεῖς ἔχομεν καὶ ὑποδέσεις ἁπλᾶς, πίλους τε ταῖς κεφαλαῖς περιτιθέμεθα προβατίων δερμάτων δασεῖς, id eſt: *Veſtes etiam habemus & calceatus frugi ac ſimplices, & pilleos capitibus circumponimus ex ouium pellibus denſos ac villoſos.* Nec eſt ſanè vt pilleos illos aliter accipiamus, quàm aut de menſalibus (in conuiuionem hæc dicta) aut peregrinantibus. Quod poſtremum ipſe Larenſius firmare videtur, qui præmiſit, *Romanos nihil ſuperflui in veſtitu habere*, οὐδ' ἀποδημοῦντες: id eſt, vt ego interpretor, *nec peregrinantes quidem aut aliò abeuntes.*

Sed ambigo in re. ** Sed & Saturnaliorū pilleus monaſſe videri poſſit à conuiuali ſeu nominatè quā Syntheſis.*

CAPVT XX.

Obiectio pro pilleo: eáque remota. Quis mos Romanus in capite aperiendo & operiendo. Plutarchus explicatus. Palliolum ad caput tegendum: eáque in re Seneca, Petronius, Plautus, illuſtrati noviter.

A AT me, Lipſi, ſermonis iam ſeriò tædet, & ſeſſionis. Abeo. Imò ego te etiam teneo, inquam: & nodum inicio; quem priùs neceſſum eſt ſoluas. Romanos adfirmas capite intecto: & in parte mihi perſuades. Sed de honore tamen quomodo expedis? quomodo caput digniori alicui aperuerunt, ſi id ſemper apertum? Nam Salluſtius ecce ſcribit: *Sullam in victoria Dictatorem, equo deſcendere Pompeio viſo, adſurgere de ſellà,* CAPVT APERIRE *ſolitum.* Et nequid de militiâ hîc cauillere; audi Senecam, qui recenſet vt vulgatiſſimum morem: *Si Conſulem videro aut Prætorem, omnia quibus honor ſolet haberi faciam: equo deſiliam,* CAPVT APERIAM. Riſit ſecundùm ista Florentius, Et heu Gordium nodum! inquit. vbi Tenedia ſecuris? Non vides etiam in illis Senecæ B verbis effugium, de militiâ aut peregrinatione? Nam deſultum etiam ex equo addit. equi autem vſus infrequens aut nullus in vrbe. Sed tamen conſide. non vtar his effugiis: veram ſoluendi viam initam, ſine diuerticulo vllo aut flexu. Quam præit mihi clarè Plutarchus, in cauſſis. clarè quidem vt verba Græca ſunt: nam interpres rem totam inuoluit caliginosâ & delutâ verſione. Ait: οἱ Ῥωμαῖοι τῶν ἀνθρώπων τοῖς ἀξίοις τιμῆς ἀπαντῶντες, κἂν τύχωσιν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον ἔχοντες ἀποκαλύπτονται. Quæ vertenda erant: *Romani ſi cui obuiam facti ſunt, cui honor habendus, & ſi fortè caput veſte iniectâ tectum habeant, id reuelant.* En capitis omnis tectio: en apertio, quæ Romæ. Laciniam togæ inquam (ea enim Plutarchi vera mens) in caput ſæpe C reiiciebant, contra ventum aut æſtum: eámque detrahebant in honorati alicuius occurſu. Plutarchus idem eum habitum expreſſit in Gracchis, de Naſicâ: τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου [illegible] ἐπὶ τῆς κεφαλῆς: *Laciniam togæ reiiciens in caput.* Et paſſim nummi & marmora præferunt, quoties repræſentant ſacrificantes. Atque hæc vulgata tectio, & ſine notâ. aliam etiam etiuo quæ delicatorum aut imbecillium propria, quæque ſæpe cum ſuſpicione luxus. Ea erat, vt capite incederent palliolato. Seneca de ingenioſo noſtro, ſed eneruî Muſarum patre: Mæcenatem dico. *Hunc eſſe, qui in tribunali, in roſtris, in omni publico cœtu ſic apparuerit, vt pallio velaretur caput, excluſis vtrimque D auribus, non aliter quam in mimo * Diuites fugitiui ſolent.* Plutarchus ſuperbiam Pompeiani liberti, Demetrii, taxans: *Domino ſtante ipſius,* inquit *accumbebat,* ἔχων δὲ αὐτὸν κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον: *habens veſtem in capite, vſque ad aures.* Qui locus benè elucet illi Senecæ. ſicut & huic Petronii deſcribentis accubitum molliſſimi omnium Malchionum: *Pallio,* inquit, *coccino adraſum incluſerat caput.* Et Plauti verſum auſim illuc trahere, à paucis propriè intellectû:

Tum iſti Græci palliati, capite operto, qui ambulant.

Scænicè enim tangit delicatus & molles iſtos, quod etiam aliàs ſolet per occaſionem. Sed dixi quoque ægros eo vſos: haud dubiè cum iuſtiori iam excuſatione. Nec de * alio palliolo capies illa Suetonii, E Claudio cap. II. *Ob valetudinem, gladiatorio munere, nouo more, palliolatus præſedit.* Hoc Quinctiliani: *Palliolum, ſicut faſcias & focalia, ſola excuſare poteſt valetudo.* Item Senecæ: *Videbis quoſdam graciles, & palliolo focalique circumdatos, pallentes & ægros.*

Caput aperuiſſe, in honore habendo, Romanis. [illegible]

Quomodo id factum.

Plutarchus [illegible] conſideratius, quàm ab interprete, verſus.

Laciniâ togæ caput tectum.

Interdum palliolo [illegible] delicatis.

* Vide ſi lubet Epiſtol. Quæſt. li. III Epiſt. XXXVI. ſuper hoc loco. Petronius.

Et Plautus.

*Et ſi paullo aliter ego cepi, in I. Saturnal meorum cap. XIII.

CAPVT XXI.

Spoliarii vbi locus fuerit. Gladiatorum cadauera vnco tracta. Victor illuſtratus. De gradibus qui intra porticus.

A ET ſatin' vt exſolui hunc nodum? certè me. iámque abeo & ſurgo bona fide. Simul deſcendit. ego conſecutus ſum, & ad portam cùm veniſſemus quæ ducit ad Forum, Heus tu, inquam: Spoliarium nónne etiam in Amphitheatris? vbi illud? Florentius, Non ipſis, inquit, ſed iuxta ipſa. Et cenſeo è regione ad alteram illam portam fuiſſe; quæ, niſi fallor, Libitinenſis dicta. Nam Spoliatium, quod receptaculum mortuorum aut grauiter in Arenâ læſorum, iure conſtituam iuxta mortualem iſtam portam. Enimuerò ſolent gladiatores occiſi turpiter vnco per Arenam trahi in Spoliarium. Docent adclamationes illæ Senatus, quæ apud Lampridium in Commodo: *Gladiatoris cadauer vnco trahatur: gladiatoris cadauer in ſpoliario ponatur.* Et hoc idem cenſeo B Victorem ſignificare in Domitiano, cùm ſcribit: *At ſenatus gladiatoris more funus ferri, radendúmque nomen decreuit.* Iámque ad Porticus veneramus, ad quas ſubſtitit, Vidéſne hos Gradus? inquiens. Paullum etiam adſcende: videbis alios, ita flexos & diſpoſitos aptè, vt quantumuis conferta multitudo ſtatim egredi & ingredi ordinatè & ſine conflictu potuerit. Ordines hi graduum ſiue ſcalarum, vt vides, miro artificio pænè inuicem decuſſantur: & ad oſtiola ſua ſiue Vomitoria ſinguli ducunt. Iam columnæ iſtæ, iam coronæ, epiſtylia, zophori; &, vno verbo, omnia externa huius operis, admiranda noſtro ſæculo non imitanda. Sed hæc videlicet potentia Ro- C mana, hæ olim opes: quas etiam docti pleríque capiunt dumtaxat & vident per nubem.

Spoliarium [illegible] ad portam Libitinenſem [illegible]

Quid ſit funus gladiatorium. Gradus in interiore [illegible] ad [illegible]

Incredibilis [illegible] potentia Romana.

CAP. XXII.

De Pegmatis accuratè dictum. Latinis, Confixa. Apuleius explicatus nouè. Pegmata libraria in Cicerone. Theatrica quâ formâ, & cui vſui. Mira in iis & ſtupenda. Varii ad hanc rem ſcriptores aduocati & cum luce dimiſſi.

D EGRESSI iam eramus, & viam rectam inſtitimus ad Forum. Atque ego, Hoc vnum etiam Florenti, inquam: vbi Pegmata hîc? aut quid ſibi voluit poëta eo verbo? Nam memini Martialis eccillos verſus, quos adduxti:

Hic vbi ſidereus propiùs videt aſtra coloſſus,
Et creſcunt mediâ Pegmata celſa viâ.

Florentius, Properate tibi melius ſit, adoleſcens, inquit. Nam, vt diei tempus eſt, ad aulam tuam venies vacuis iam aulis. cæna inquam tibi comeſa erit. Sic ſiet, inquam: tu modò aures mihi farci, vt cum Varrone dicam, ſcholicâ iſtâ dape: quâ repleat, & expleat numquam. Age, inquit Florentius: ſed vt ſine iacturâ tuâ ſit, inter eundum. Pegmata antiqui appellarunt machinas quaſdam è ligno, quibus vſus in E Theatris aut Arenis. vox Græca origine eſt, ἀπὸ τοῦ πήγνυμι, quod eſt Figo, Gelo, Compingo. Itaque Gloſſæ priſcæ πῆγμα interpretantur * *Confixum.* & doctè Apuleius *confixilem machinam* dixit, adluſione ad vim ipſam verbi. De Pegmatis enim ego interpretor, quæ lib. IIII. ſcribit in apparatu muneris: *Confixilis machina ſublica: turres tabularum nexibus, inſtar circumforaneæ domus, * florida pictura: decora futura venationis receptacula.* Pegma paullo aliter, pro loculamentis pluteíſque librariis Cicero dixiſſe videtur lib. IIII. ad Att. Epiſtola VIII. *Nihil venuſtius quàm illa tua pegmata, poſtquam miſiſti libros, illuſtrarunt valdè.* At noſtrum illud, non aliud quàm grandis quædam & ingenioſa contabulatio, quæ

Pegma, vnde dictum.

* Dubitat an id Lucilii locus apud Ci. II. de Orat. huc ſpectauerit. Quid Decius & vela. An [illegible] [illegible] obſcenitas ſub [illegible] videtur

* Ficta enim Pegmata, ſumpta ex Claudiano.

ſponte

ſponte & occultè ſtatim creſceret, ſtatim ſubſideret. ideóque compacta erant quibuſdam tabulis & ſublicis. Prudentius:

Tabulis supernè ſtrata texunt pulpita
Rimoſa, rari pegmatis compagibus.

Quæ ornatus causâ, tecta ſæpè argento vel auro, ſed tenui. Martialis.

Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum.

Argento tecta.

Etſi Caius Princeps, vt Plinij verba ſunt, *in Circum* (ita lego) *pegma duxit, in quo fuere argenti pondo centũ viginti quatuor.* In his Pegmatis varia inuenta & ſtupendi luſus ingeniorum, de quibus Auguſtinum loqui ſcoptio libro XXIV. De ciuitat. cap. XXIV. *Ad quàm ſtupenda opera induſtria humana peruenit? quæ in Theatris mirabilia ſpectantibus, audientibus incredibilia, facienda & exhibenda molita eſt?* Nam ait, in Theatris. Seneca pleraque ea omnia conatus eſt exprimere, Epiſtolâ XCI. *His licet annumeres,* inquit, *machinatores, qui pegmata ex ſe ſurgentia excogitant, & tabulata tacitè in ſublime creſcentia, & alias ex inopinato varietates, aut dehiſcentibus, quæ cohærebant; aut quæ diſtabant, ſua ſponte cohærentibus, aut iis quæ eminebant, paulatim in ſe reſidentibus.* Creſcebant, ait, in ſublime. Ideò Martialis,

Auguſtini ad pegmata non dubia alluſio.

Graphica eorum deformatio in Senecâ.

Creſcebant ſubitò.

Et creſcunt mediâ pegmata celſa viâ.

Subſidebant eadem: & rectè Claudianus:

Deſidebant.

Mobile ponderibus deſcendit pegma reductis,

Siue quis legere mauult, *deſedit.* Quin interdum chaſmate & ruinâ ſubitâ dehiſcebant: ſiue tota pegmata, ſiue homines qui impoſiti. De machinâ ipsâ, Appuleius indicat lib. X. *Iámque totâ ſuaue fragrante caueâ, montem illum ligneum terra vorago decerpit.* ſiue, vt liber ſcriptus, * *decepit.* benè & propriè. De hominibus, Petronius: *Non taces,* inquit, *gladiator obſcene, quem de* RVINA *Arena dimiſit? Non taces nocturne percuſſor, qui ne tum quidem cum fortiter faceres, cum pura muliere pugnaſti?* Significat enim apertè, fugitiuum illum in Arenam damnatum & cum fœdâ muliere aliquâ (non diſſimili ſchemate, quo Aſinus Appuleius) commiſſum, ruina Pegmatis præter ſpem euaſiſſe. Et clarè iterum: *Ergo me non* RVINA *terra potuit haurire? non iratum etiam innocentibus mare? Aufugi iudicium, Arenæ impoſui, hoſpitem occidi, vt inter audaciæ nomina, mendicus exſul in diuerſorio Græcæ vrbis iacerem.* Et ſolent interdum ita componere pegma & hanc ruinam, vt ij qui impoſiti, præcipites ruerent in caueas ferarum: ibique diſcerperentur. Strabo eleganter de Siculo quodam latrone qui Ætnæ filius audiebat: τοῦτον, inquit, ἐν τῇ ἀγορᾷ μονομάχων ἀγῶνος συνεστῶτος, εἴδομεν διασπασθέντα ὑπὸ θηρίων. ἐπὶ πήγματος γάρ τινος ὑψηλοῦ τεθεὶς ὡς ἂν ἐπὶ τῆς Αἴτνης, διαλυθέντος αἰφνιδίως καὶ συμπεσόντος, κατηνέχθη καὶ αὐτὸς εἰς γαλεάγρας θηρίων εὐδιαλύτους ἐπίτηδες παρεσκευασμένας ὑπὸ τῷ πήγματι: *Eum nos in foro, per ludos gladiatorios, diſcerpi a feris vidimus. In ſublimi enim tabulato, tanquam in* * *Ætna, poſitus, eóque compagibus ſolutis ſubitò concidente, ipſe quoque cecidit in caueas ferarum quæ facilè exſoluerentur, infra tabulatum de induſtriâ diſpoſitas.* Sed & flammarum quidam luſus & imago in hoc Pegmate: ſine vllâ eius plerumque noxâ. Claudianus:

Apuleius correctus.

Niſi mauis, recepit.

Homines item, quo impoſiti Petronio locum damnis.

Homines in ſubuſtas feras præcipitati.

Forma ſcilicet montis ligneti, vt in Apuleio. Flammarũ luſus in pegmate.

Mobile ponderibus deſcendat pegma reductis.
Inque chori ſpeciem ſpargentes ardua flammas
Scena rotet. varios effingat Mulciber orbes
Per tabulas impunè vagus: * *pictaque citato*
Ludant igne trabes: & non permiſſa morari
Fida per innocuas errent incendia * *turres.*

Adde Apuleij locum ſupra Florida pictura. Pingi enim hæc pegmata ſolent.

Etiam Appuleius ſupra nominat.

Vopiſcus in Carino: *Pegma præterea, cuius flãmis ſcæna conflagrauit: quam Diocletianus poſtea magnificentiorem reddidit.* Duces etiã captiuos & oppida in Pegmatis ſolere oſtẽdi, Ioſephus adnotat libro VII. Iudaici excidij: ſed non hæc Theatrica intelligens, verùm Fercula quæ portari ſolita per triumphum. Verba eius: θαῦμα δὲ ἐν τοῖς μάλιστα παρεῖχεν ἡ τῶν φερομένων πηγμάτων κατασκευή. καὶ γὰρ διὰ μέγεθος ἦν δεῖσαι τῷ βεβαίῳ τῆς φορᾶς ἀπιστοῦντα. τριώροφα γὰρ αὐτῶν καὶ τετρώροφα πολλὰ πεποίητο: *Maximam autem admirationem præbuit apparatus Pegmatum, quæ ferebãtur. Nam ob magnitudinem eorum, iure metuere licebat, & diffidere omnino viribus portantium. quippe quædam triplici tabulato adſurgebant, quædam & quadruplici.* Statimque addit: τέτακτο δὲ ἐφ᾽ ἑκάστῳ τῶν πηγμάτων, ὁ τῆς ἁλισκομένης πόλεως στρατηγὸς, ὃν τρόπον ἐλήφθη: *Collocatus autem in quoque pegmate erat capta ciuitatis dux, eo modo quo captus.* Magis propriè ad hæc noſtra pertinent Suetonij * loci duo, alter in Caio, cap. XXVII. Claudio alter cap. XXXIIII. quos vide. Ambigo an & Ariſtoteles ad Alexandrũ, ad has machinas non adſpexerit: ὥσπερ δρῶσιν οἱ μηχανοτέχναι, διὰ μιᾶς ὀργάνου χαλάσεως πολλὰς καὶ ποικίλας ἐνεργείας ἀποτελοῦντες. Certè * Apuleius, dum verba ea vertit: *Machinatores fabricarum, aſtutiâ vnius conuerſionis, multa & varia pariter adminiſtrant.* Parapegmata etiã nominata Vitruuio inuẽniens, pro inſtrumentis Aſtrologorum: & in Laërtio ſcriptum, Democritum ſcripſiſſe Aſtronomica parapegmata. Inter hos ſermones, ventum iterum ad Pantheon. ille ad ſiniſtram, ego ad dextram, vale dicto, deflexímus.

Captiuos duces in pegmatis.

Quæ tamen diuerſa ſunt ab iſta.

De quibus non repeto nisi ſectima 11. Saturn. cap. XLV.

Quamuis tum illũ libellum verterit verbum pegmæ.

Parapegmata.

F I N I S.

INDEX CAPITVM.

CAPVT I.

Dialogi occaſio. Florentij Laus. Vrbs diruta, non diruta: & ſplendida eius ruina. pag. 655.a

CAPVT II.

Ad Amphitheatri deſcriptionem aggreſſio. Primò de nominibus eius quæſitum. Cur Amphitheatrum dictum, & cur Cauea. 656.a

CAPVT III.

Arena nomine dictum eundem locum. ideò quia ſterni arenâ ſolitus. Cuius generis ea ſtratura? quàm varia? Plinius & Ouidius explicati. Arenarij. Tertullianus emendatus & declaratus. 657.a

CAPVT IV.

Ex occaſione, de diis quibus Amphitheatrum ſacratur. Dianæ in primis. Ioui Latiari, ſiue Diti. item Saturno. Ara Iouis in Arenâ. Mactatio ad eam ſtata vnius è beſtiariis. Tertulliano ac Minutio lux. ibidem b,2

CAPVT V.

Quando prima Amphitheatra cœpêre. videri ſerò irrepſiſſe: idq́; ſtatim poſt Venationem. Sed lignea primò fuiſſe, mox è lapide, Statilij Tauri. Auguſtum deditum Venationibus. Dio correctus. Antiquariorum error in loco Tauriani Amphitheatri. 658.a

CAPVT VI.

Tauri Amphitheatrum exuſtum, & reparatum. Aliud maius à Veſpaſiano ſtructum. vrbe veteri mediâ. Suetonius correctus. Fortaſſe & Victor. Titus dedicauit id opus. poſteà collapſum & ſæpe inſtauratum. ibid.b,2

CAPVT VII.

Communis Amphitheatri Titiani forma. Altitudo, & capacitas eius. Laus & præconia. Denique vbi ſitum. Martialis explicatus. 659.b

CAPVT VIII.

Ingreſſio in particularem Amphitheatri deſcriptionem. Primùm de formâ eius: quæ Oualis oſtenſa. Calpurnius & Dio explicati. De ſolo Arenæ: in quo cloacæ ſiue ſpecus. & cui rei? Item de portulis. ibid.b,2

CAPVT IX.

De Specubus ſubterraneis, amplius. item de Caueis in Amphitheatris, Liuij defectus aut expletus, aut ſententia eruta. Porta in caueis, & Plauto lux. Emiſſio ferarum, & immiſſio. 660.b

CAPVT X.

Aliter atque aliter ſolere ornari hanc Arenam in modum ſiluæ, in modum maris. Antra pro caueis: interdum Naues. Vopiſcus, Apuleius, Calpurnius emendati. ibid.c,2

CAPVT XI.

De muro qui arenam cingit. de Podio quod ſuper eum. eius forma. Digniſſimum eum locum ad ſpectandum, Senatui attributum, imò magiſtratibus. Aptum ad curules ſellas. Principis ibi ſuggeſtus, Tribunal prætoris: & Veſtalium ſedes. 661.a,2

CAPVT XII.

Quod tutamen infimo illo Podio fuerit à feris. Retia ſolere prætendi benè nexa, benè firma. Verſatilia item quædam ligna. Cancellos ferreos & Euripos. Sudatum in Calpurnij verſibus. 662.a,2

CAP. XIII.

Gradus, & eorum forma. Diuiſi accuratè in ſuas partes. Puluilli in iis. Præcinctiones. Aditus. Viæ. Cunei. Cathedræ. Porticus. Vitruuius, Tertullianus, Martialis, Calpurnius, varij ſcriptores variè emendati aut illuſtrati. 664.a

CAP. XIV.

De ordine & locis in ſedendo. Quando diſcrimen id factum. De Orcheſtrâ. de Equeſtribus: & Tribunos quoſdam nouos fuiſſe inter Equites. De popularibus. déque loco Pullatorum & Fœminarum. 666.d

CAP. XV.

Confuſa aliquando locorum ſeries: eáque occupata. Aes pro locis. Plautus explicatus, & Suetonius, & Martialis. Deſignatores, eorum munus. Excitare. Tribuni voluptatum. 667.d

CAP. XVI.

Tubi occulti in Amphitheatris ad Sparſiones. Eas è croco diluto fuiſſe. Apuleius emendatus. Videri eumdem liquorem è ſtatuis emiſſum. Pluria ad hanc rem exempla. 668.a

CAP. XVII.

Vela in Theatris & Amphitheatris. Quando eorum vſus cœperit. Colorata ea fuiſſe aliquando & purpurea, auro diſtincta. Teſtimonia plura. ibid.c,2

CAP. XVIII.

Eadem Vela à Iuuenali Velaria dicta. Quid Velarij Auguſtei. Vmbellæ vſum & cauſſæ fuiſſe velis non expaſſis. Martialis & Vopiſcus explicati. Vmbellati claui. 669.d

CAP. XIX.

Per occaſionem, de Pilleo quæſitum. fuerintne eo vſi Romani? Non videri: imò nec Gallos aut

Germanos. Certa tamen tempora fuiſſe, quibus permiſſum tegmen, certos item homines. Nodi plerique omnes in eâ re, & ſcriptores explicati. ibid.d,2.

CAP. XX.

Obiectio pro Pilleo: eáque remota. Quis mos Romanus in capite aperiendo & operiendo. Plutarchus explicatus. Palliolum ad caput tegendum: eáque in re Seneca, Petronius, Plautus, illuſtrati nouiter. 670.e,2

CAP. XXI.

Spoliarij vbi locus fuerit. Gladiatorum cadauera vnco tracta. Victor illuſtratus. De gradibus qui intra porticus. 671.e

CAP. XXII.

De pegmatis accuratè dictum. Latinis, Confixa. Apuleius explicatus nouè. Pegmata libraria in Cicerone. Theatrica quâ formâ, & cui vſui. Mira in iis & ſtupenda. Varij ad hanc rem ſcriptores aduocati, & cum luce dimiſſi. ibid.c,2

IVSTI LIPSI

DE AMPHITHEATRIS QVÆ EXTRA ROMAM, LIBELLVS.

In quo Formæ eorum aliquot & typi.

Digitized by Google

IVSTVS LIPSIVS
ABRAHAMO
ORTELIO
SVO S. D.

NÆ tu beneficâ quâdam naturâ es, mi Orteli: qui rem omnem tuam librariam, tam promptè non offers mihi ſolùm, ſed vltrò adfers. Vix inieceram de libellis aliquot: tu mihi promis largiter ex vbere tuâ penu, & ambabus, quod Græci dicunt, manibus donas. Amo iure, vt antea virtutem modeſtiámque tuam, ſic prolixum hunc amorem. nec diffiteor vſui mihi apparatum iſtum fuiſſe, ad meam hăc Arenam. Illa præſertim Serlij. quæ etſi ad Architecturam externam inprimis ſpectant (quam anxiè hìc non quæſiui:) tamen inſuêre iis, quæ in forma facieq́; ipſa loci, greſſus meos vacillantes direxerint, aut firmarint. Imagines enim aliquot talium monumentorum cum iudicio & fide repræſentat: quorum adſpectus viam nobis in parte ſternit, ad intellectum veterum morum. Et quamquam ipſi coràm ea olim vidimus, & per biennium ferè ſolum preſſimus Dominæ vrbis: tamen, vt adoleſcentia noſtra tunc fuit, nec abdita illa & à fronte remota rerum penetrauimus; nec cum accuratione ſatis excerpſimus, quidquid ad meliorem vſum. Scilicet errauí eumdem errorem, quem plerique hodie mihi compares: & pueritiam adoleſcentiámque peregrinationibus dedi, quæ iudicium & dilectum profectò quærunt. id eſt, virum. Quot mihi in animo & oculis ex iſtis, qui varias terras & maria circulati ſunt? adeò cum nullo ſuo fructu, vt plerique vitia tantùm imbiberint, & animi corporiſque morbos. Partem eorum Scylla quædam libidinum abripuit: partem Charybdis aliarum voluptatum. Nos ipſi quòd ſalui fretum hoc enauimus, numquam alteri adſcripſerim, quàm Bono meo deo. Iam illi qui rem feciſſe ſibi atque aliis videntur, quid referunt ex hoc mercatu? externos geſtus, veſtitus, linguas: boni moris ac virtutis, pauci igniculum aliquem aut ſemen. Atque vt Appion ille, falsò Polyhiſtor, cùm Homerum ab inferis magno molimine euocaſſet, nihil eum interrogauit niſi, Vnde domo? ſic plerique iſtorum adoleſcentium, in occaſione præclara diſcendi, futilia tantùm conſectantur. Itaque vt veram peregrinationem laudo, ſuſceptam maturo iudicio, maturo æuo: (dux enim illa, non nego, ad prudentiam & rerum vſum:) ſic iuuenilem & vanam hanc iure nunc damno & abhorreo. quæ mihi

ſimilis longa nauigationi videtur, ſine meta , ſine portu. Iactantur in naui,circumaguntur variis ventis : & cùm ad terram & ad ſeipſos flectunt oculos,vident non multum ſe,ſed diu nauigaſſe.Sed aberro, & in hoc peregrinationis ſermone,à re mea ipſe peregrinor. Domum & ad me,imò ad te redeo : cui donum mittimus, Imaginum eiuſmodi aliquot Amphitheatralium delineationes. Ac pluria ſanè ſupereſſe ſcio in Italia,Hiſpania,Gallia:ſed cùm omnia ferè ad par exemplum , quid opus pluribus exemplis ? Illuſtria aut nouata ſumpſi : & dono per ſe tenui,ac vix dono,bracteam aliquam verborum circumdedi,& velvt lucem noſtræ interpretationis. Tu,mi Orteli,paruum hoc,ſed non fallax animi mei monumentum habe.monumentum,cui,ex vetere formula, DOLVS certè MALVS ABEST.

Vale.

IVSTI LIPSI
DE AMPHITHEATRIS QVÆ EXTRA ROMAM, LIBELLVS,

CAPVT PRIMVM.

Amphitheatra crebra admodum in prouinciis fuiſſe: eorúmque aliquot recenſio.

SI ædificij aut publici operis vllum genus crebrum in Italiâ & prouinciis fuit: reperies hoc fuiſſe, quod ad ludos ſpectat. Vt enim Romani victis gentibus linguam & mores intulêre: ſic vitia. hæc præſertim, quæ blandiebantur, & admiſſionem ſibi poſtulabant ſpecie quadam amœnæ voluptatis. Itaque Theatra, Circi, Stadia exſtructa paſſim: ſed imprimis Amphitheatra, quia omnis plebs dedita maximè in ſpectaculis illis crudis & cruentis erat. Hiſtoriæ paſſim docent, & Chriſtiana item Martyrologia, in quibus toties mentio puri illius ſacrique ſanguinis, in ferinâ hac ſede effuſi. Quod ſi tamen non ingerant libri: certè oculi. cùm etiamnunc ruinæ & reliquiæ vbique occurrant inſignium locorum. Et de aliis prouinciis dubitemus? Ecce Iudæa illa ipſa conſcia dei veri, dei magni, in hanc culpam veniſſe reperietur: quamquam ſine ſuâ pænè culpâ. Herodes enim, magnificus ſanè & ceterà illuſtris rex, non vno loco Iudææ Amphitheatra inædificauit: ſiue ipſe pronus in eos ludos, ſiue ſtudio quodam hac quoque parte placendi Romanis. Exſtruxit in ipsâ vrbe ſacrâ, ἐν τῷ πεδίῳ, vt Ioſephus ait, ἀμφιθέατρον μέγιστον: *in Campo, maximum Amphitheatrum.* Item Cæſareæ, ait idem ſcriptor, ἀμφιθέατρον κατεσκεύασε πολὺν ὄχλον ἀνθρώπων δέχεσθαι δυνάμενον: *Amphitheatrum conſtruxit quod multam hominum turbam caperet.* Nec de Græciâ mihi aliquis dubitet, Africâ, Aſiâ, Hiſpaniâ, Galliâ; nõ certè is, qui res & mores in parte norit ſæculi vetuſti. Audeo adfirmare, raram aliquam ſiue coloniam ſiue municipium fuiſſe, in queîs non & ludi iſti, & ludorum ſimul ſedes. Adeò velut tabes quædam animos omnium peruaſerat ludicrum iſtud ſtudiũ, an furor, dicam? Itaque vix aliqua prouincia etiam nũc eſt, in quâ non veſtigia Amphitheatrorum: quædam obſcura & fugientia longo æuo, quædam clariùs exſtantia & viua in parte. Quorum non equidẽ accuratum Indicem polliceor (multa me fugiunt, ſcio:) ſed pauca tantùm fidei cauſsâ ſubiiciam, viſa nobis aut firmiter audita.

Amphitheatra paſſim in prouinciis. Plebs addicta iam in dictis plerumque. Martyres obiecti beſtiis.

In ipsâ Iudæâ, Amphitheatra.

Herodis ſtructura.

In orbe etiam toto Romano.

Reliquiæ ad hæc...

Index Amphitheatrorum aliquot, quæ hodie.

Exſtat igitur hodieque in Italiâ, ad Lyrim Campaniæ fluuium (Garigliano nunc dicunt) iuxta * Minturnas, pars Amphitheatri latericij benè conſpicua.

** Hodiè Traietto.*

Exſtat ſecundò, Puteolis, pariter Amphitheatrum latericium.

Tertiò, Capuæ, ſed magnificum & è ſolido marmore.

Quartò, Albæ in Latio; è quâ materiâ (non enim vidi aut accepi) mihi incertum.

Quintò, Ocriculi, in Vmbriâ. materiem ignoro.

Sextò, Veronæ pulcherrimum: cuius pleniorem deſcriptionem, vnà cum deſignatione mox dabo. Hæc, quod ſciam, in Italiâ.

At in Græciâ etiam, Athenarum veterum ſolo conſpici aiunt magnificum & marmoreum.

In Iſtriâ, Polæ ad mare Hadriaticum: quod item mox ſubiiciam.

In Hiſpaniâ, Hiſpali extrà muros, niſi fallor: pulchrum, ſed cuius formam nanciſci mihi non fuit.

In Gallia, Petrogoriſij in Petrocoriis (vrbẽ eam, Veſunam Ptolomæi fuiſſe volunt) pulchrum & ſatis integrum, extrà mœnia cuius icunculam vidi, ſed parum exactam aut certam: ideoque mihi non ponendam. E lapide quadrato eſt, & Arenæ eius longitudo xxx. perticarum, latitudo, xx.

Arelate etiam eſſe aiunt, ſed parum integrum. Burdegalæ exſtat, quod vidêre multi: nec deſcriptionem tamen ſum nactus.

Nemauſi eſt celebre & notum, cuius inſtrà do formam.

Ad Ligerim mirum, & quod miror haud ſatis notum: cuius item do formam.

Hæc præcipua, quæ ſatis quidem certò acceperim, in noſtrâ Europâ. niſi quod etiam in Heluetiis exſtat, Auentici.

Dignum autem notâ, quod & hodie hæc omnia ferè loca, Arenas appellant: retentâ priſcâ ſcilicet & vulgatâ voce.

Amphitheatra, vulgo Arenæ.

CAPVT II.

De Veronenſi Amphitheatro: & primò, quando, vel à quo ſtructum.

POST illud Romanum, inter pulcherrima & integerrima Veronenſe Amphitheatrum eſſe fa-

Veronenſe, marmoreum.

De auctore quæſtum.

tenur. quod è marmore eſt totum. Quando, & quis ſtruxerit, multi & diu quærunt. Torellus Sarayna, qui Veronam ſuam deſcripſit affectu magis eximio, quàm ſucceſſu, ſuadet nobis valdè vetus eſſe & ſtructum ante tempora Auguſti, aut certè illiſipſis. Sed argumenta huic rei quæ adfert, nō ſunt profectò à dea Pitho. quæ recenſebo tamen & refellam breuiter; atque vt in re ludicrà, per luſum. Iam primum hoc ſibi ſumit, Amphitheatrum antiquius eſſe quàm Theatrum, quod ibidem cōſpicitur iuxtà Atheſim flumen. At Theatrum hoc extructum eſt, inquit, ab Auguſto. magis igitur Amphitheatrũ. Item lapides in eo aliquot tauri effigiem habent inſculptam. taurus autem, ſymbolum Auguſti: quoniam & in nummis expreſſus, & natus ipſe ad Capita bubula, vt Suetonius teſtatur. clarum igitur Auguſti hoc eſſe opus. Sed & lapis alius Veronæ, qui præfert, OCTAVIÆ C. F. ET. SORORI. CARISSIMÆ. conſtat verò Octauiam hanc ſororem fuiſſe Auguſti. Denique duodetriginta colonias per Italiam Auguſtus deduxit, eaſque variis operibus inſtruxit, narrante Tranquillo: inter eas Veronam fuiſſe, nihil ambigendum. En argumenta, è plumbo an è vitro? quæ leui & ludēte manu reiiciamus. Ait primò, Amphitheatrum antiquius Theatro eſſe. Non credo. & cauſſa hæc, quia vbique ferè locorũ, ludi ſcænici priores origine & vſu muneralibus iſtis: igitur & eorum ſedes. Quid opponis? tauros. & illi, inquis, inſculpti in hoc opere. Quid tum? nempe vt ornamentum operis non vt auctoris indicium. Quòd ſi omnia ad Auguſtum trahes, vbi tauri: quis finis? Etiam Nemauſenſe illud gloriabitur ſtructore Auguſto. Sed tamen hoc, inquit, eius Principis ſymbolum: quoniam nummi Auguſtæi, cum impreſſo tauro. Etiam aliorum, ô bone ſenex; quia taurus ſiue bos coloniæ deductæ nota, nō peculiare aliquod ſignum. At enim Auguſtus natus ad capita bubula. O tu quoque inter ea! & ignoſce. non enim vltra comptimo hunc lienem: non, ſi ego obiiciendus ſim vero tauro. Sed in Octauiâ etiam es ſuauior ais illam fuiſſe ſororem Auguſti. Quis tibi fecit indiciũ? ego imò illum lapidem ſepulcralem fuiſſe verius auguror, & municipalis alicuius Octauiæ: non illius Principalis, quæ mortua & ſepulta Romæ. Nam de coloniis, & per eas Auguſti operibus ſparſis communiret non negamus. ad Veronam tuam ſi adſtringis, opus ſit alio teſte. Sed ecce quoque eum, inquis. Nam Cyriacus Ancoitanus in Itinerario ſuo ſcribit his verbis: *Denique Veronam feraciſſimam & antiquam ciuitatem veni, vbi non exigua veterũ monimenta comperi, præſertim Labyrinthum quod Arena nunc dicitur. & habetur quod conſtructum fuerit anno imperij Octauiani Auguſti trigeſimonono. Cuius pars exterior terræmotibus corruit.* Tibicen hic aliquis, fateor: ſed parum firmus. Famæ enim innititur: quæ in his talibus, plurimùm inuenitur fallax. Et cur credam Auguſti æuo ſtructum in coloniâ hoc egregium opus: cùm ne Romæ quidem tunc fuerit, & in ipsâ vrbe matre? Nam Amphitheatra manſura & lapidea tardè ibi cœpêre, vt docui, & ſub Auguſto. Valdè autem veriſimile, exemplum illinc manaſſe ad vrbes ſubditas & minores: non autem cōtrà. Itaque Taurello noſtro ſiue Cyriaco, nihil adſentior de tam grandi æuo. Ægrè etiã Carolo Sigonio præluſtri viro; qui nimis nouitiũ facit, & refert ad Maximiani æuum: hoc ſolo argumento, quòd is in viciniâ pleraque condiderit ampla & magnifica, Mediolani, Aquileiæ, Brixiæ. Ego etſi certos ſum nihil in hac re nunc eſſe certi, tamen paullò antiquius quàm pro illo Principe ſuſpicer. Primùm, quia iam tum Plinij Secundi æuo, Gladiatorum & Ferarum ſpectacula Veronæ ſatis crebra. præit ipſe in * Epiſtolis, in quadam ad Maximum Africanum. Deinde, Othonis & Vitellij principatu, Placentiæ viciniſque opidis inſignia Amphitheatra fuiſſe ſcio: quî minus tunc Veronæ? Certè de Placentino, egregium teſtimonium Corn. Taciti ſecundo Hiſtoriarum: *in eo certamine* PVLCHERRIMVM AMPHITHEATRI OPVS *ſitum extra muros conflagrauit: ſiue ab oppugnatoribus incenſum, dum faces iaculantur: ſiue ab obſeſſis, dum regerunt. Municipale vulgus pronum ad ſuſpiciones, fraude illata ignis alimenta credidit à quibuſdam* VICINIS COLONIIS, *inuidia æmulatione, quòd* NVLLA IN ITALIA MOLES TAM CAPAX *eſſet.* Vbi & laudes eius ampli operis amplas vides: & ſimul (ſi attendis) crebra iam & vulgata per Italiã Amphitheatra fuiſſe. Sed quod combuſtum Placentinum illud ait: fortaſſe hæreas. & quid? fuitne igitur ligneum? De toto, non opinor; de parte, ſuſpicor: eâ ſcilicet, quæ ſubſellia & gradus internè complexa. At exteriora omnia, firma & è lapide fuiſſe cenſeo. ni fuiſſent: cur vt de magnâ iacturâ aliquâ hiſtoricus noſter queſtus? Fuerit igitur ad eam formã, ad quam Polanum illud, quo de infrà. Nec plura de ortu Veronenſis Amphitheatri dico, aut magis certa. En ipſam formam: non eam prorſus quidem vti nunc conſpicitur, ſed adiutam, vt ſolet, leuiter ab antiquariis & architectis. Ex iis enim quæ reſtant, facile conceptu totum opus & deſignatu.

Quidam ad Auguſtum referunt.

Lectoris hæc argumenta.

Quæ refutantur.

Amphitheatra poſteriùs nata, quàm Theatra.

Taurina capita, paſſim ornamento operum ſunt.

Bos in nummis Coloniã notat.

Cyriacus cũ Tyrell. facit.

Sed tamen quiſdam abrogata.

Sigonij opinio ſuper hac re lib. 2. Hiſt. Occid.


Denique, mea.

** Lib. vi.*

Placentiæ egregium olim Amphitheatrum.

Qui materiæ fuerit & quomodo ambuſtum ſit.

AMPHIT VERONENSE



CAPVT III.

Deſcriptio eius diſtincta magis, & dimenſio.

Marmoreũ Veronenſe Amphitheatrum. Triplici ordine arcuum. Statuæ ad columnas ſuperas.

ADDAM nonnulla, quæ ad formæ eius intellectum: & quod penicillus non poſuit, calamus hic mihi explebit. Paries totus exterior (Alam vulgò vocant) è marmore eſt, opere quod Ruſticum dicitur factus. Diuiditur in Arcunm tres ordines, qui alij ſnper alios ſcandunt. Quiſque ordo, Arcus continet ſiue fornices ſeptuaginta duo. In ſupremo ordine, ſtatuæ olim columnis adſitæ vel inſitæ potiùs, vti veſtigia docent. Supra eum ordinem, paries adſurrexit, in quo feneſtræ grandes, quadratæ, LXXII. Earum vſus, me quidem iudice, ad aërem & lucem hauriendam, cùm Amphitheatrum velis tectum: ſiue etiam ad ventum: quia refrigerio certè opus, in æſtu, & concurſu tot animarum. nec alius huiuſmodi fotaminum vſus cenſendus, in illo etiam Romano. Arcuum dimenſio, auctore Sebaſtiano Serlio eximio architecto, hæc. Primi arcus altitudo pedum XXIII. latitudo, XII.

Vſus feneſtrarũ quarundam.

Columnarum vtrimque altitudo, pedum XXVII. Epiſtylij deinde, Zophori, Coronicis, pedum circiter VIII. & s.

Altitudo ſecundi arcus, pedum XXIIII. latitudo XII. Columnarum eius altitudo ped. XXVII. s. Epiſtylij, Zophori, Coronicis pedum IX. s.

Tertij arcus altitudo, pedum XVII. s. latitudo IX. s. Columnarum, XX. s. Coronicis, V.

Porticus triplex ambitu. Earum menſuratio. Portæ plures in Amphitheatro.

In parte imâ (ad terram enim iterum deſcendo) triplex continuatur Porticuum ordo, quæ ambiunt & ſuſtinent totum opus. Ex iis, Porticus extima, lata pedes XII. Media, pedes IX. s. Intima, pedes VIII. s. Ex hac, portæ ſiue aditus decem & octo in Arenam. intérque eas duæ grandiores oppoſitæ, quà longiſſimum Amphitheatrum eſt. quarum latitudo, pedum XII. vnciarum VI. At Arenæ ipſius longitudo, perticas continet XXXVIII. latitudo, XXII. ita vt in perticâ pedes numeres VI. Gradus ſpectaculorum (* Torello definiente) non plus quadraginta duo: alti ſinguli pedem & vncias II. lati, pedes II. Excipto quòd in mediâ caueâ, gradus vnus eſt excelſior: (vnum dico, ex Torelli mente. nam qui Formam hanc noſtram concepit, tres adnotauit.) qui altus pedes II. vncias VI. Eum, Præcinctionem ſiue Diazoma cenſemus. At Scalares gradus, qui ad Vomitoria: minores ſcilicet, quàm illi ſeſſiles, nec alti plus quàm vncias VII. lati tamen adæquè ac ſeſſiles. Sedere in his Gradibus potuêre, Torelli calculo, hominum ad *viginti tria millia centum octogintaquattuor*: ita vt ſingulis pes & medius adſignetur ad ſeſſionem. Harum omnium menſuratum auctores mihi Torellus & Serlius: nec in re quæ manuum & lineæ eſt, fidem meam ego temerè obſtringam. Plura & magis minuta quiſquis voles, apud eos vide.

Eius dimẽſio interior.

** Aliter tamen plures voluit Graduum numerum & menſionem Pratucler.*

Scalaria.

Quàm capax cauea tota fuerit.

Auctores, quibus hic nitor.

CAPVT IIII.

De Ampitheatro, quod Polæ.

Pola ad Mare ſuperum.

POLAM vrbem Iſtriæ maritimam eſſe ſcimus, coloniam Romanorum priſcam, & quæ Iulia Pietas olim dicta. In hâc veſtigia & reliquiæ multæ antiquorum operum: duumque inprimis inſignium, Theatri & Amphitheatri. Vtrumque Seb. Serlio accuratè deſcriptum: cui viro præter proprias laudes, obnenticia illa accedit, quòd doctor & ductor fuit ad Archuectonicen, Gulielmo illi Philandro, viro verè perito & apud magnos magno. Sed hoc Am-


Seb. Serlij laus.

Item Philandri.

Noua forma Polani Amphitheatri. Semilapideum fuit, & semiligneum.

phitheatrum Polanum aliâ quadâm formâ & facie ſtructum, quàm ea quæ alibi videmus: ideóque iure me allicuit ad exprimendum. Non enim è lapide aut vno opere tota moles fuit: ſed exterior tantùm pars, quæ lapide quadto adſurgit cum columnis ſuis, opere item Ruſtico facta. At interiora omnia membra, ſubſellia, aditus, gradus, podia è ligno fuiſſe certum A eſt; & pro tempore conſtrui potuiſſe, deſtruíque. Itaque hodiè totum illud internum vacuum apparet, nudo tantùm muro: & quod in tabellâ noſtrâ expletum hîc vides, à manu eſt & mente Serlianâ. Situm eſt in vrbe mediâ, ad montem; totiúſque operis dimenſiones pete, ſi voles, ab eo quem dixi, accurato architecto.

Intus hodie vacuum [illegible]




CAPVT V.

De Amphitheatro Nemauſenſi.

Nemauſenſe nunc olim inter maxima.

** Vtrobique hic Amphitheatra nominat Euſebius in Eccl. Hiſtor. Orta eius genus.*

NOTI hoc nominis & celebris, non per Galliã ſolùm, ſed per Europam. Et credunt multi, eximium etiam olim opus fuiſſe: non ego, qui ſcio maiora multò & operoſa magis habuiſſe * Lugdunum, Viennam, & nobiles illas Galliæ vrbes. Præ quibus, B quid Nemauſus? Nomen tamen non iniuriâ retinet: quia & pulchrum eſt quod ſatis ſit, & integrum magnâ parte. Quando vel à quo ſtructum, neſcimus: nec nugari mihi aut rixari iterum eum aliis lubet. Hoc reperio notâ dignum, olim à Gothis loco arcis habitum, & contra vim firmatum. Rodericus Toletanus id notat in rebus Hiſpaniæ, lib. III. cap. VII. appellátque *Præſidium Arenarum*. Formam eius dimidiatam hîc adpono. cetera vide & quære apud Iohannem Poldum Albenatem, in libro quem inſcripſit Antiquitates Nemauſi.



CAPVT VI.

De Amphitheatro (incolæ ſiue accolæ potiùs, Arenas etiam hodie vocant) quod ad Ligerim, iuxta Doueonam. in quo deſcribendo fidem meam nihil tamen obligo. vetuſne an nouum, vera commenſuratio an falſa, pendeat à meo auctore.

AMPHITHEATRVM mihi ſupereſt mirum, nouum: & quod latêre tamdiu in illâ Galliæ luce potuiſſe vix ſit fides. Nullumne ex tot curioſis & auidis ingeniis vidiſſe, notaſſe, prodidiſſe? nullum. Itaque fateor, cùm delata primùm ad me res fuit (delata autem ab Cornelio Aquano, viro eiuſmodi monumentorum veterum diligente:) hæſi medius inter credendi temeritatem & pudorem reiiciendi. Valdè enim ille adſeuerabat. & ſimul Forma, quam offerebat, videbatur non eſſe nouitiæ aut calidæ inuentionis. Tamen etiam hærebam. donec perueni ecce ad caput ipſum famæ huius & formæ; qui non auribus ſuis, ſed oculis ſenſibúſque id credi volebat. Cur repugnarem? vidiſſe ſeriò adfirmabat, calcaſſe, deformaſſe. Is fuit Læuinus Kerſmakerus, vir grauitate & doctrinâ apud nos notus: qui in finitimis huic Amphitheatro locis, aliquot annos egit. Non ſemel ipſe luſtrarat, non ſemel cùm eo alij: quos etiam nunc viuos nec procul poſitos, teſtes aduocabat obſeruationis ſuæ & dimenſionis. Itaque auſus ſum hac fiduciâ Formam totius operis dare & deſcriptionem: quæ à mente quidem & linguâ aliena erit, à ſtilo tamen & ordine noſtra. In quo ſiquid peccabo, deſignando aut dimetiendo: quæ mea culpa eſſe poteſt, præter credulitatem? quam non nimis herclè deprecor; quoniam reuera, vt Comicus ille ait,

* Αὕτη γε χρηστῶν ἐστὶν ἀνδρῶν ἡ νόσος.

Eſt igitur hoc Amphitheatrum, quod dico, manu quidem & arte humanâ factum; ſed ita, vt videri poſſit à naturâ. totum enim exciſum & cauatum eſt in monte, ſine externâ vlla materiatione calcis, lapidis,

Diu incognitũ Amphitheatrũ, & tamen repertum.

Quis mihi auctor huius deſcriptionis fuerit.

* Hic morbus eſſe proprius bonis amat.

Sermi-natiuũ Amphitheatrum. Ѵiro id ſitũ.

A ligni. Mõs in quo & è quo id eſt, abeſt plus minus diei mediæ itinere à Ligeri fluuio, parte eâ quâ ab Andegauis in Pictunes itur: vbi põs priſcus, quem *Cæſaris aliqui appellãt. Pagus haud procul inde, qui dicitur* Doueus. Mõs eſt lapideus totus, cuius generis ibi plures: ſed lapide tali & nõ planè duro, quique cæſurã & ferrum facilè admittat. Color ei, qualis Tyburtino: è quo Titi Romę Amphitheatrũ eſt. Magnitudo mõtis paullò minus milliare Gallicũ in latitudine; in longitudine, duo circiter cõtinet. ſed ea tamen facies, vt in edito ſatis planus & iacẽs ſit, & ab lateribus vtrimq; clemẽter adſurgat. Cortex, vt ſic dicã, & tegumẽtum vniuerſi mõtis, è terrâ eſt: viſcera tãtùm è lapide. ideóque nõ gramine ſolùm, ſed ſegete ſępè veſtitur. In ſũmo, ſed paullò tamẽ ad latus, hoc Amphitheatrũ reperis; haud facillimè, quia etiã præſcios, niſi intẽdant animũ, fallat. B Cùm enim ſupernè deſpicis; aliquẽ cauum aut puteũ cenſebis, ex illis qui ob lapidũ excidia vulgati ibi & crebri. Atqui aliud profectò opus eſt; & à Dædalo quopiã acutè inuentũ, adfabrè factũ. Gradus ſubſelliorũ à ſũmo margine ſtatim incipiunt; minuũtur q;, vt ſolet, paullatim eũtes in decliue. A ſũmo, dico, incipiunt: vt nunc quidẽ ad ſpectus eſt. olim vix ambigo, quin cãcelli aut* murus aliquis circũpoſitus fuerit, ſiue ad ornãdũ ſiue magis ad ſeruandũ. Aliquid enim certè ſepimẽti fuiſſe debet, ad pecudes arcẽdas & petulcos. At nũc tamen deſcendentes, pedem ſtatim ponis in ipſis gradibus: quorum, primo initu, confuſus ſatis adſpectus. Terrâ enim & puluere cottidie cõplentur: quę vẽtus inuehit aut imber. Itaq; gramen etiã ibi paſſim: & formoſa olim nec ad hũc vſum loca C perãbulãt informes oues. Qui hæc nobis narrauit, addebat, cultris & ferramẽtis ea omnia à ſe & comitibus perpurgata, vt formã intuerẽtur exactè. Gradus aiebat eſſe numeru, LIV. quorum ſupremus, latus capáxque in orbem pedes DCCXLII. Linea dimetiens in ſummo, lõga pedes CCXXXVI. At ab imo gradu, ſtatim

** Vulgò, pĩt du Sey.*
** Gallis. Douue.*

Montis deſcriptio.

Quâ parte eius, hoc opus.

Gradus in margine & à margine ſummo.

*Iſq; cum ſuis portis & ianuis. Nõ enim hic Vomitoria vlla aut Aditus alij in gradibus.

Gradus gramine obſiti & terrâ. Eorum numerus. Ampl tudo ſummo. Eorũ poſtremus.

ſequitur

Podij murus. *Arena, & in ea tumulus.*

ſequitur murus, qui Podiũ attollit & Arenã claudit: eſtque altus pedes IX. Inde area: & in eâ media (præter morem quidem omnium eiuſmodi theatrorum, quod ſciam) tumulus quidam rotundus, eleuatus, ex eodem lapide: altus pedes VII. aut paullò amplius: longus in diametro, pedes XXX. Is planus in ſuperficie & æquus; excipio quod ad oras à medio paullùm vergit & declinat. In eo ipſo tumulo, æquis interuallis, ſex foramina quædam rotunda item, lata pedes V. quibus impoſita vel adiũcta putealia (omnia, ſemel dictum volo, ex vno eodémque lapide) paullò grandiora quàm ipſa foramina; vti neceſſum, contra illapſum. His putealibus inſerti annuli craſſi ferrei fuêre, (veſtigia & ærugo clarè docent:) vt baculo iis inſerto, admoueri poſſent vel amoueri. Nam aliàs, pondus iis ſatis grande, quódque duo homines ægrè commouerint. Hæc foramina velut oſtiola ſunt, quæ per ſcalas quaſdam cochlides ſiue incuruas, ad Viam infrà ducunt, de quâ mox dicam. Scalæ igitur totidem, quot foramina: quæ ſingulæ gradibus non magnis XIII. conſtabant. In orbem tumuli, in ipſo muro, foramina quadra exſecta, quæ Scalis illis lumen infundebant ad aſcenſum aut deſcenſum. Foramina hæc ſingula, ita collocata, vt vnum ſeruire Scalis duabus poſſit; velut ex icone vides. At in meditullio ipſo huius tumuli, cauus eſt rotundus ſiue puteus: quem ambigebat meus doctor antiquúmne diceret, an ab hiſtrionibus illis factum, de quibus mox referã. Certè iſ vſi ſunt ad malũ defigendũ: à quo funes dependèrent, & per eos fluitãtia vela. Formæ noſtræ ſculptor haud ſatis aptè id expreſſit: captu alioqui pronum.

Foramina in tumulo. *Putealia ad ea tegenda.* *Scalæ, ad oſtiola.* *Foramina alia ad lucem.* *Cauus in medio tumuli.* *Cui vſui.*

Circa hunc tumulum, vt dixi, depreſſior multo Area ambit: quæ lata vndique vſque ad murum podij, pedes XV. Ita diametrum totius Arenæ eſſe oportet, pedum LX.

Arena reliqua forma.

Hæc Amphitheatri ipſius imago. at iuxta ipſum, in eius latere bina grandia & rotunda, ſiue Cubicula, ſiue potiùs Cameræ occurrunt: in eodem illo lapideo monte ſeorſim excisa. Forma eorum velut pillei nautici, ſiue priſci Romani. Lata ſunt in imo, pedes circiter LXXX. ſed in altum paullatim arctantur. In faſtigio vtriuſque Foramen patet rotundum, grande pedes IX. quod ad lumen infundendum ſeruit: prorſus eo modo quo Romæ, in Agrippæ vidimus templo. Cubicula hæc, cetera paria ſunt: hoc differũt, quòd vnum aditus peregrè habet, alterum non habet. Ita enim ſita ſunt vt alterum Internum videatur, alterum Externum. Per hoc in illud ingreſſus patet, per breuem & fornicatam viam: aliàs vndique clauſum. At Externum aditus ſiue vias habet tres. Prima ducit ſubterraneo meatu ad Tumulum qui in Arenã, & per Scalas illas ad oſtiola tendit. ita vt infra gradus omnes ſubſelliorum totúmque Amphitheatrum abeat, vti cogitanti clarũ. Longitudo primę huius viæ pedes CXXV. latitudo, pedes VII. altitudo pedes VIII. Altera paullò breuior, pariter meatu infero tendit infra omnes gradus, & in * muro podij emergit: ita, in quã, vt in Arenã ipſam rectà ducat. Hęc priore minùs lata, minùs ampla. Tertia via, oppoſita iſtis, foras ſpectabat & vallem mõtis. Per eam ingreſſus in hoc Cubiculum: per eam item, vt apparet, omnis pluuia & conflugés aquarum deriuatæ è toto Theatro Cubiculiſque. Forma harum viarum ſimilis. factæ omnes in lapideo monte, & cauatæ in * arcum.

Cubicula ad latus Amphitheatri. *Situs & diſcrimen eorum.* *Viæ in alterutri.*

** Nec aliq in muro illo portulæ cernũtur, quã in Roma & aliiſque.*

** Sic tamẽ vt in acutum penè deſinerẽt, cameratione haud planè rotunda.*

Opus eiúſque membra (vt quidem conceptus & expreſſio mea ferunt) ſic habent: vſum, ſi placet, breuiter & leuiter delibemus. qui mihi etiam haud ſatis certus. Nam forma ipſa Amphitheatri videtur. clauſum enim in orbem vndique. & vix tamen eſt vt Amphitheatralis vſus. Primùm tumulus ille qui in medio ſurrectior; quid ad pugnam aut curſum? Æquitatem enim ea res & planiciem poſtulat, non tumorem aut colles. Deinde area ipſa circumiecta, nónne exigua & anguſta ad Venationes? certè apparet. Quomodo enim ſatis liber in illo quindenûm pedum ſpatio, curſus ferarum hominúmque, ac recurſus? An de Theatrali & ſcænico igitur vſu verius eſt? Non abhorret ille tumulus: qui inſtar ſcænæ retuliſſe videtur, in quâ ſpectari poſſent & audiri perſonæ. Foramina etiam illa ſena, non incommodum vſum habuiſſe videntur, ad actores pro tempore ſubmittendos aut recipiendos. Choragium enim omne inſtrui in cubiculis illis adiunctis occultè potuit: éxque iis ornati & parati hiſtriones, viâ ſubterraneâ, venire in hanc Scænam. Sed circumiectæ areæ tum quid fiet? cui rei ſeruiet? Denique rotunditas illa loci & graduum orbis, quomodo idonea Theatro? Vultus enim certè loquentium agentiúmque, obuerti in vnam partem tantùm poſſunt: nec audiri aut cerni commodè ab iis, qui à tergo. Ideo Theatra hemicycli ſemper imagine facta, bono iure. Niſi ſi fortaſſe velo aut diſcrimine aliquo pars tumuli diuiſa, & ſpectatores coacti in graduum * vnâ parte. Sanè fateor lippire hîc mihi oculos, nec capere viſionem omnem huius loci ſatis certò. De gladiatoribus tantum nihil impedire videtur, quin adfirmem. quibus locus in areâ illâ ſatis laxus, quoniam in gradu ferè inter pugnandum manebant & in ſtatu. Sed quid ſingillatim circumeo? credo reuera varium & miſcellum huius loci vſum fuiſſe: ideóque formam eius mixtam, nec aptam ad ludicrum vnum. Potuit venatio in eo dari, ſed ferarum paucarum: potuêre gladiatores: potuêre hiſtriones aut mimi: potuêre vel vt in ſtadio luctatores & pugiles. quod ipſum genus ludi, valdè crebrum & gratioſum in prouinciis fuiſſe, indicat & indignatur Tertullianus.

Quem vſum habuerit Amphitheatrũ, an Theatralem ſecum. *Sunt enim quæ repugnent Amphitheatro. Et Theatro potius adaptentur.* *Cui tamen alia incommoda obſtant.* ** Id eſt, inquam, vt dimidiata cauea tantum ſpectaculis inceſſit.* *Gladiatores potuiſſe commode hic dari. Mixtum fuiſſe huius loci uſum.*

Cubicula quæ ad latus, mihi noua & ignota fuis. potuêre tamen inſtar ſpoliarij eſſe, ſiue etiam Odæi. quod vtrumque genus adiungi Amphitheatris vel Theatris ſuis ſolere, ſcimus. Receptacula etiam non incommodè fuerint, ad omnem ſcænicum aut arenarium apparatum.

Cui vſui Cubicula.

Pagum autem hunc, qui Amphitheatro haud longinquus, olim aliquid amplius fuiſſe: ſatis conuincamus vel hoc non pagani operis argumento. Viæ etiam antiquæ & publicæ reliquiis; quæ ex hoc pago pertinuit ad pontem Cæſarianum. cuius viæ pars conſpicitur: pars maxima corrupta eſt, & lapides in ædificia vanè abſumpti aut auecti. Sed & incolæ ipſi antiquitatem aliquam iactant, & Druides ſedem habuiſſe apud ſe volunt. Ceterùm bella vetera fortaſſe, & (quod magis conſtat) Anglicana, incendiis quidquid & quo nomine id fuit deleuerunt. * Doueonam Ptolomæi fuiſſe, non vanè ego ſuſpicer; ex nominis quod pagus nunc præfert claro argumento. & collocatio ipſa Ptolomæi non diſſidet.


De pago ipſo, qui antiquus. ** Rectè enim et Doueona, Doué, cui tacita voce, vt ſolet.*


Narrant regem vel heroẽm potiùs, verè magnum Franciſcum, anno CIↃ.IↃ.XXXIX. circumforaneis quibuſdam hiſtrionibus, qui Apoſtolorum acta repræſentabant, permiſiſſe hunc Amphitheatri locum ad ſpectacula ea edenda. Illos purgaſſe, ornaſſe, & magnum populum contraxiſſe. ex quo conuentu, qui dies triginta perſeuerauit, multum atque vberem quæſtum ad paganos rediſſe. Eâ re motos, impetraſſe à rege. Ne quis in poſterum illic lapidem excidiſſe vellet, propius ab eo Amphitheatro perticas XXX. Crebris enim effoſſionibus, abſque eo interdicto fuiſſet, interitus iam imminebat huic loco. Tantum ſciui, tantum audiui. ſi quid aliter eſt: mendacium ego fortaſſe dixi, at non ſum mentitus.

Hiſtriones non ita ſuperiore ſeculo celebrarunt. *Ædificio vetere, pro Theatro.*

De vſu huius loci.

LES


MERIDIES
LES ARENES·A·DOVE·EN POICTOV.
OCCIDENS
ORIENS
SEPTENTRIO


AMPHIT · DOVEON·

AD LECTOREM.

MONITVM *te volo, Lector, incidiſſe me cùm hæc ſcripſiſſem, in Eliæ Vineti eruditiſſimi viri libellum, qui Burdigalenſium Antiquitates continebat vulgatâ Gallorum linguâ. In eo de Amphitheatro eius vrbis, hæc fere. Situm eſſe ab vrbe veteri* CCCC.*circiter paſſibus. Longitudinem arenæ eius eſſe pedum* CCCLXX.*latitudinem,* CCXXX.*Vulgò palatium Gallieni appellari, fortaſſe eò quòd is Princeps exſtruxerit. vocari etiam Arenam: idq; nomen exſtare in monumentis Eccleſiæ S. Seuerini. Formam eius etiam vidi & accepi ab amico: ſed in quâ pretium nullum expreſſionis.*

APPROBATIO.

Hos duos Iuſti Lipſij de Amphitheatris libros dignos cenſeo qui recudantur, tum ob genus dictionis priſcum aſtrictúmque, tum quòd eruditis eiuſdem de Gladiatoribus ac Venatione libris, qui veterum Monumentis plurimum lucis adferunt, veluti facem præferant, nihil interim admiſcentes quod ſanæ fidei quoquo modo repugnet. Hac 22. Iulij 1598.

Guliel. Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus ac Regius librorum Cenſor.

IVSTI LIPSI SATVRNALIVM SERMONVM LIBRI DVO,

QVI DE GLADIATORIBVS.

Cum Figuris.

AD NOBILISSIMVM

AMPLISSIMVMQVE VIRVM, AVGERIVM GISLENIVM BVSBEQVIVM.

LIBROS, quos de Gladiatorum priſco ritu diu conceptos nunc profero, lucem adſpicere volui, Vir nobiliſsime, in nomine tuo. Volui, imò debui. ſiue amoris tui cauſsâ, quem in præſentem abſentémque tenes & perſeueras: ſiue virtutis doctrinæque, quâ iure omniū bonorum oculos in te conuertiſti. certè meos. Nempe tu ille es, qui res & conſilia tractaſti Imperatoris non vnius. tu ille, qui ſummis de rebus ad ſummum Principem legatus, inter ipſos hoſtes cognomē reperiſti Boni. Scilicet vt radij ſolis in ſordes & caligantia loca coniecti, illuſtrant, non inquinantur: ſic tu, inter feros illos ſqualentéſque animos reſplenduiſti nihilominus verâ virtutis tuæ luce. Et prudentiam ſileo doctrinámque: votum hoc tantùm interpono, vt ſimiles tui conſiliarij contingant patriæ, quam Fata volent eſſe ſaluam. Vidimus nuper libellū duplicem Itineris & Conſilij tui. libellum: ſed qui, meo animo, ſcholas diſſertationéſque ſuperat multorum ſapientū. Breuia omnia, fateor: & eò placent magis, quia incluſa prudentia, non oſtenſa. Quin genus ipſum dictionis (etſi id minimè inter tuas curas) priſcum adſtrictúmque, ſententiis occultum: &, quod verè inuideo, ſubtilis breuitas innata tibi, aliis adfectata. Sed ne fræna ingenio meo laxem in hoc cāpo: munus à me cape, Vir maxime; non pretium, vt me deuinctū liberem, ſed pignus vt obſtringam. Nec enim exigua hęc, & de ludis verè ludum, referendæ gratiæ eſſe volumus, ſed teſtandę. Quamquam huic ipſi operæ aliquod pretiū fortaſſe erit apud eos, qui veteri germanâq; doctrinâ non perfuſi ſunt ſed tincti: qui hac velut face illuſtratū iri infinitos ſcriptorum locos non inuiti fatebuntur. Nam nouos iſtos, &, vt ſic dicam, muſteos homines, iure ſperno ab his libris: qui, tamquam in vænalibus, loqui adhuc Latinè tentant: quíque magni & beati ſibi videntur in præceptiunculis & concinnatis aliquot nugis, quas oculo recto non digner aſpicere. At mihi priſca placita; & vt ille apud Comicum,

Qui vtuntur vino vetere, ſapientes putat:

ſic nos, qui doctrinâ. Vale. & me ama, hæc tuêre.

IVSTVS LIPSIVS
CHRISTOPH. PLANTINO
S. DICO.

*AT tu fidem etiam meam appellas; & vbi Satyræ, inquis, vbi Funus? Quid tibi vis, mi Plantine? an vt ego ſim funus? Si neſcis, hoc agitur. Difficile enim dictu creditúque quas turbas mihi dederit Satyra illa prior, parũ herclè liquido auſpicio emiſſa. Clamores, conuicia, ſibili. Alius, Quis iſte eſt, qui ſine vllis ſuffragiis Cenſorem publicum agit? qui inuidiã ſibi non hominum, ſed gentium parat? Inſanit homo. irruit in ſe ipſe, & ſegetem incidit ſuæ famæ. Alius, Me apertè læſit: alius, Me ſchemate percuſſit. & ad ſummam ea dicta, imò ſcripta de miſellâ Satyrâ, quæ ſine rubore nemo ex ergaſtulo audiat cum iniuſtâ fronte. At ego ſatuus etiam gratiam exſpectabam ab nouitate ſcripti, ignarus ſcilicet deliciarum huius æui: qui eò iam venimus, vt nec vitia noſtra, nec remedia ferre poſſimus. At qui olim Seneca in Claudium ludere potuit, non cum ſale ſolùm ſed cum morſu; idque filio & coniuge ſuperſtite, imò regnante: mihi veniâ opus, leuiter & leniter ineptias tangenti Critici gregis. Quid enim caſtigatione illâ mollius? adeo vt lenitate nimiâ præuaricatus videri poſſim publicæ cauſſæ. Reuera enim luſi, non læſi: & oſtendi vulnera, non impreſſi. At enim tectè & colore quodã nos tangis, inquiunt. O non interpretes meæ mentis, ſed diuinos! qui non dictum mihi, non ſcriptum, fortaſſe nec cogitatum, tamen id ſciunt. Per colorem ego te? qui ne nuncquidem, cuius coloris ſis, ſcio. Vnus aut alter perſtricti mihi, fateor. ſed adeò non tectâ aut obliquâ petitione, vt nominauerim etiam, & percuſſerim, quod dicitur, manu rectâ. In te ſi culpa ſimilis: bene & ingenuè, quòd agnoſcis. tamen quid ego poſſum, ſi telo quod in alterum ieci, tu occurris, & induis te tuâ ſponte? At enim Principum ius imminutum iui. Cedò vbi? qui an poëſim manare negaui ab Auguſto fonte? Idẽ nunc nego. & honores, titulos, quæque alia fortunæ ſunt, tribui poſſe à Principibus fateor: ingenium doctrinámque non eripi, non dari. En crimen, quod dignum ſit tunicâ moleſtâ. Nec enim aliud vel fidiculis expreſſerint ex omni eo ſcripto. Itaque, vt illuc redeam, mi Plantine, fruſtrà me vocas in turbidam hanc arenam: diuerti in aliam, cum voluptate magis, & ſine noxâ. Ad ludos, inquam, me dedi & ſpectacula priſca. quæ deſita & ignota noſtro æuo retraxi, & propoſui non auribus ſolùm, ſed oculis; neque vt legi, ſed panè dicam ſpectari poſſint. Hoc ipſum erit fortaſſe qui ſpernet, vt leue, ſed ſpernet, non culpabit. Mihi autem ſatis, vt hanc inquietam manum & anceps acumen ſtili conſumam in re ſi non magnæ famæ, at non malæ. Nullius intererit quid de Secutore aut Myrmillone delirem: & ridebit aliquis in his nugis, non ringetur. Denique extra iudicium & proſcriptionem fuero. Ius ſcribendæ Satyræ Apollinari alicui relinquam, qui id à * Principe impetrabit. Tu, vir amice, pro Satura Saturnal hoc habe; pro Funere Munus: & tuam meámque cauſſam ages, ſi opus erit, apud eos qui & hæc & memorias omnes veteres non periſſe vellent, ſed intereſſe. Vale.*

* Sidonius lib. I. epiſtolarum XI. vide, quæ ſcripſi.

IVSTI LIPSI
SATVRNALIVM SERMONVM
LIBER I.
CAP. I.

Occaſio & origo horum ſermonum.

MENSIS December erat, & per febriculam valetudo mihi non bona. Itaque viſendi cauſsâ ad me venerunt Victor Giſelinus & Ianus Lernutius familiares mei. Et poſt ſalutem, Lernutius: iámne melius? ait. Huius quidem operâ, inquam ego.certè,Victor, hanc noctem clementem & cum quiete habui: & omnino commodior eſſe mihi viſus ſum poſt heſternam medicinam. Ita facilè cēſebam,ait Victor.ſed cedò venam,ſodes,vt tangā. Cùm tetigiſſet,hilariore vultu, Benè habet, inquit: reſpexit nos Hygeia. Sed duo etiam ſunt, à quibus procul habendus es, Lipſi,libri & curæ. quæ niſi vitas,ſeriò dico, teipſe euitas. Ego cum riſu, Ab alterâ quidem cauſsâ immortalis ſum,Victor. Nam libros, per hæc tædia temporum, ſummis digitis vix tango. Curarum,fateor,largiter eſt: & publica ſiue priuata reſpiciam,bona earum vbique ſeges. Atqui ſcito, ait Victor,non ab alio quàm curarum igne magis interfici vitalem illum in nobis fontem. At enim patria & nos periclitamur. Scio. ſed tu egóque habenas ſcilicet temperabimus publici fati? Curæ ſint hæ curæ illi,qui ſupra nos curat. Tu Anaxagoram cogita,qui increpanti cuidam * οὐδέν σοι μέλει τῆς πατρίδος; εὐφήμει, ἔφη. ἐμοὶ γὰρ καὶ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος, & ſimul cælum oſtendebat. Hæc enim reuera patria nobis.& vt radij ſolis per terram ſparſi, à cælo & in cælo tamen ſunt:ſic noſter animus quanquam in terris, humilia iſta ſperuat,verſetúrque apud originem ſui. Dicebat hæc Victor;& ecce puer nuntians duos de viâ, vti apparebat, aduenisse, quibus iam opus eſſet me conuento. Surrexi.& iam ad vos redeo, inquam; ne graue ſit tantiſper ſolos eſſe ad hunc ignem. Et ſimul innui puero ligna inijcere, & largiùs exſtruere focum. Ecce autem exiens video ad fores Duzam, Pighiúmque. Cùm trepidâ gratulatione collum iis inuaſi, Et vos eſtis? inquam. ô ſperati mihi optatíque ſaluete. Vnde autem,& quò per hanc anni hiemem? nec enim temerarium eſt, credo. Ego quidem è Batauis,ait Duza;& tuâ vnius cauſsâ. Pighius hic à Vetteribus ſuis:iunxitque nos in viâ bonus aliquis deus. Mihi certè bonus. inquam :& iam viuo valeóque,

* Nilne tibi cum patriâ? Bona verba, inquit. mihi ſummæ curæ illa patria.

A cùm vos teneo. Sed intremus,quæſo:& date duobus iſtis pariter quod gaudeant. Simul Victor & Lernutius ad limen facti obuij, atque inter ſe amiciſſimè complexi ſunt. Sed diuelli ego, Et heus, heus, inquam,ſedeamus: neu diutiùs ignem inuidere iſtis, qui ſtupent certè à curru. Nam herclè ſtrictum hodie frigus &,vt ille ait,

Iam prata canis albicant pruinis.

Imò iam calemus, ait Duza, apud te quidem noſtrum ignem. Sed quid morbi fuerat,ſodes? Nam de inualetudine tuâ Antuerpiæ accepimus à noſtro Plantino.& mehercules etiam palles. Non nunc quidem,inquam ego.nam vos me hoc gaudio dedi-

B ſtis in ruborem. Tamen febricula fuerat, in quâ oppugnandâ noſter hic verè Victor. Sed ſedete, agite, mei hoſpites.vetus verbum noſtis,Romanus ſedēdo vincit. Cùm ſediſſemus, Quàm ſaluè autem omnia in Batauiâ,inquam, mi Duza? Priuatim omnia, inquit.Nam de rep.quid dicam, niſi maria malorum? Melius ominare,inquam.& nónne per hanc pacem ſedauit illa tempeſtas? Caput mouens leuiter Duza, Vereor,inquit,vt paucorum modò dierum Alcedonia illa ſint, non firma tranquillitas. Facem exſtinctam ſi igni admoueas, vehementiùs accenditur: ſic poſitum hoc bellum metuo vt inſurgat & acriùs re-

C crudeſcat. Heu ſæculum! inquam ego.

Enimuerò dî quaſi pilas nos homines habent.

vt ait Comicus: ita pace & bello alternis iactamur, quaſi per luſum. Sed mittamus hæc ſcæua. Pighius noſter quid,& quò? Antuerpiæ,inquit, neſcio quid litium moleſtiarúmque mihi fuit cum nummario tricone:quas deterſum veni (me deſignabat) in hoc Sole. Ego verò detergebo, inquam: & lubentiorem te faciam,quàm ipſa Lubentia eſt. Conuerſúſque ad reliquos, Vos amici,aio,cænabitis apud me vnà cum iſthoc hodie. Vultu renuit ſolus Duza,&, Non poteſt Lipſi,inquit.nam vocata opera eſt. Quid voca-

D ta? inquam. nónne Adoenticia hodie debita vobis? Iure communi peregrinantium impetrabo hoc certè:ſi minùs,vel * ἐν χειρὸς νόμῳ,vt dicunt Græci. Et ſimul iniiciebam manum. Cum ſubriſu Duza, Hæc quidem vis eſt,inquit. Cæſar videor:ita iugulum mihi petit iſte Brutus. Tamen,amici, relictas omnes res habeo præ quod vos vultis. Puer modò adſit, qui ad Canterum renuntiet. En adeſt,inquam. abi puer, &

* manuariâ lege.

redi citiùs quàm Aſparagi coquantur. Nos intereà ambulemus.

CAPVT II.

Salini religio in menſâ. Arnobius explicatus: Liuy lectio vulgata defenſa. Saturnalia, ſeruorum dies. Seneca correctus explicatúſque. Saturnus deus. Feſtus & Cicero emendati. Mutatio veſtis. Cænatoria. Syntheſis. Plautus explicatus. Petronius & Dio correcti.

PVER redire mihi tardè viſus. Itaque ſpatiis aliquot confectis, Sedeamus, inquam: puer hic Duzæ intereà miniſtrauerit. Age tu, vaſum cum aquâ. Lauimus. & cùm trepidarent de loco, Etiam inter vos hæ deliciæ? inquam. Amicitia aut pares omnes accipit, aut facit. Sede tu Duza, tu Pighi, vos reliqui. Ego adſedi in imo. & cùm oculos circumtuliſſem, Heus puer, inquam, profana nobis hæc menſa eſt. ſalinum oblitus. Lernutius me adſpexit, velut cauſſam requirens eius dicti. Ita, inquam, Lernuti. Profanam ſine ſalino menſam eſſe veterum opinio fuit, ſed & noſtra. Arnobius: *Sacras facitis menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulacris deorum.* Quin & ſalinum ipſum inter vaſa ſacra. Benè notat interpres vetus ad illud Horatij,

Salinum ſacra menſam facit.

——— *ſplendet in menſâ tenui ſalinum.*

Salinum propriè eſt patella, in quâ dijs primitiæ cum ſale offerebantur. Et Statius ad hanc mentem:

——— *& exiguo placuerunt farra ſalino.*

Itaque in Liuio libro XXVI. ferre iam poſſum, *Vt ſalinum patellámque deorum cauſâ habeant.* etſi non peſſimè reſcripſi * olim, *culignam.* Sed affirmat vulgatam etiam Valerius, qui de paupertate Fabricij & Æmilij: *Vterque,* inquit, *patellam deorum & ſalinum habuit.* Et Plinius: *Fabricius bellicoſos Imperatores plus quam pateram & ſalinum ex argento habere vetabat.* At de ſimulacris deorum, quod addit Arnobius: verum eſt, collocaſſe eos in menſâ ſtatuam dei cuiuſpiam velut tutelam geniúmque menſæ. Ita Herculem Epitrapezium lego in Siluis Statij: qui Vindici fuit

** Vide epiſt. Quæſt. lib. I epiſt. VIII.*

In menſâ eorum deorũ imago aliqua.

——— *Caſta Genius tutelâque menſæ.*

Et ante Vindicem, eum

——— * *Pellæus habebat*
Regnator, lætum numen venerabile menſis.

** Martial. de eodem Hercule Vindicis. Hoc habuit numen Pellæi menſa tyranni.*

Quinetiam deos ipſos initio menſæ inuocabant. Quintilianus Declamat. CCCI. *Habuiſti honorem & illud humile limen intraſti, & adſiſti menſam: ad quam cùm venire cœpimus, deos inuocamus.* Inter hos ſermones puer regreſſus à Cantero. Ego inclamaui, Ades, inquam; teſtudo, non homo: & qui ignauiorem poſſis facere ipſam ignauiam. Dic, vbi moratus? Parabat reſpondere puer, ſed Duza occupauit. &, Vnam hanc noxiam amitte Lipſi, inquit. Seruorum hic dies eſt. Quid tu iam? inquam. Nempe, inquit, hodie Saturnalia. Cùm capite ego abnuiſſem, Ita verò, inquit, hodie legitima veterum Saturnalia, aut Faſti omnes me fallunt, qui ea coniiciunt in diem XVI. Kalendas. Atqui per id feſtum, velut vſurariam quandam libertatem ſeruos habuiſſe, non ignoras. Imò ius iis datum quodam genere ſupra ipſos dominos; cum quibus commutabant etiam veſtẽ. Dio lib. LVIII. ἐν τοῖς Κρονίοις οἱ δοῦλοι τὸ τῶν δεσποτῶν σχῆμα μεταλαμβάνοντες ἑορτάζουσι. id eſt, *Saturnalibus ſerui habitum herilem ſumentes feſtiuè agunt.* Atque adeò ſedebãt ad dominicam menſam, dominis præminiſtrantibus. Athe-

Saturnalia ſeruorum, quo die.

Serui tunc liberi.

Et iis domini fungebantur verò vice.

A næus lib. XIV. ταῖς τῶν Κρονίων ἡμέραις ἔθος ἐστὶ Ῥωμαίων παισὶν ἑστιᾶν τοὺς οἰκέτας, αὐτοὺς τὰς τῶν οἰκετῶν ἀναδεχομένους λειτουργίας. id eſt, *Saturnalium diebus, mos Romanis, præbere ſeruis conuiuium, ſic vt ipſi officia ſeruorum obirent.* Attij verſus huic rei:

Exercent epulas læti, famulóſque procurant
Quiſque ſuos.

Et Senecæ locum non inuitum huc traxerim, epiſtolâ XLVII. *Inſtituerunt diem feſtum, non quo ſolum* (ex veteri meo libro, *ſolo*, cum ſententiæ totius medicinâ) *cum ſeruis domini veſcerentur, ſed quo vtique honores illis in domo gerere, ius dicere permiſerunt, & domum puſillam remp. eſſe iudicauerunt.* Nam intellegit hoc Saturnalium feſtum. Ego poſt ea Duzæ verba B placatior, imò verò iam hilarior, Abi puer, inquam, viciſti hoc patrono. conuerſúſque ad conuiuas, Amici, aio, comburamus hunc diem. Bona Saturnalia hodie.

Seneca explicatus.

Correctúſque.

Quapropter edulcare conuenit vitam,
Curáſque acerbas ſenſibus gubernare.

vt ait Matius. Id quidem in procliui, ait Pighius. Certè, vt hic apparatus eſt, nos hodiè molliùs apud te curabimur, quàm regi Antiocho oculi ſolent. Non cibo, Pighi, inquam, (ſubita enim hæc cænula eſt, & velut condicta) ſed voluntate certè lubentiáque. Sed doce nos, antiquúmne hoc Saturni feſtum? Antiquiſſimum, ait Pighius. Nam Saturnus, vti ſcire te ſcio, inter vetertimos Italiæ deos. qui frugibus re- C pertor, quíque gentes eas primus docuiſſe creditur ſationes. Itaque non dubiè Latinis nomen inuẽtũ à ſatu. Vt enim à portu Portunnus, à nuptu Neptunnus; ſic diſertè à ſatu, Saturnus. Nam ita primitùs pronuntiabant. Feſtus: *Hic Deus in Saliaribus Saturnus nominatur, videlicet à ſationibus.* malè ibi vulgò, *Saturnus*, vel *Saturnus.* Nam Salij ſcilicet aliter indigetabant, quàm vulgus. Sic Tertullianus, *Exceptus à Iano, vel vt Salij volunt, Eano.* Crebra autem & vetus ea terminatio in nominibus deorum. Sic Pilunnus, Picunnus, Vertunnus, etiam hodie in antiquioribus libris: denique, vt dixi, Neptunnus. Victor hîc interfatus, De Neptuno Pighi, inquit, permitte ambigam: Cicero contra te, qui deriuat à nando. Eius verba II. De naturâ deor. *Vt à portu Portunus, ſic Ne-* D *ptunus à nando, prioribus litteris paullum immutatis.* Pighius excepit, Imò tu permitte de ſcriptura iſta ambigam. Neptunus ais à nando? quomodo poteſt? Rem ſpectem, ſiue verba: infelix originatio tua Cicero, imò falſa. Varro meliùs, *Neptunus*, inquit, *quòd mare terras obnubit.* Sed, meâ fide, numquam fugit id verbum ab ore Marci. Corruptum locum adfero, ſcribendúmque, *à nubendo*, vel, *à nuptu.* Res auctor eſt, & Cicero ipſe, qui comparat Neptuni etymon cum Portunni. ineptiſſimè, vulgata quidem illa lectio ſi vera ſit quam ego planiſſimè perſuaſus ſum ab ſtolido aliquo Hermâ eſſe, qui nubendi verbum non niſi in coniugiis nouerat. Vetus ergo in Italiâ ille deus: etiam feſtum, ſi Macrobij centonibus fides, quos vobis non inculco. Dionyſius Halicarnaſſeus originem Saturnalium ad regem Tullum clarè refert libro tertio. At Liuius poſt reges exactos de- E mum feſtum id conſtituit, lib. II. *A Sempronio*, inquit, *& M. Minutio Coſ. ædes Saturno dedicata: Saturnalia inſtitutus feſtus dies.* Imò centenis aliquot pòſt annis agnoſcere inſtitutionem eius videtur libro vigeſimo tertio: eâ mente tamen, credo, quòd aut paucis adhuc ſacer feſtúſque eſſet is dies; aut quòd tunc demum in Decembrem menſem reiectus, cùm anteà habitus alio menſe. Verba quidem Liuij clara hæc: *Poſtremò, ex libris Decembri iam menſe ad ædem Saturni immolatum eſt, lectiſterniúmque imperatum & con-*

Saturni etymon Latinum.

Feſtus correctus.

Harum terminand. in ſiſtendis nomina deorum priſca.

In Ciceronem emendatio.

Saturnalia quando inſtituta. Diſſenſio Liuij à Dionyſ.

uiuium

nitium publicum. ac per vrbem Saturnalia die ac nocte clamatum. populúſque eum diem feſtum habere ac ſeruare in perpetuum iuſſus. Nam hæc narrat Cn. Seruilio & C. Flaminio Coſs. bello Punico ſecundo. Ait Liuius, clamatum Saturnalia. Vellem voce additâ, Iò Saturnalia. Certè ia ſolemnis clamor. Dio de militibus in Claudij libertum iocantibus: συμβοήσαντες ἐξαίφνης τοῦτο δὴ τὸ θρυλλούμενον, ἰὼ Σατυρνάλια idest, *clamantes ſtatim illud tritum, Io Saturnalia.* Macrobius tamen, vt vulgata lectio Liuij: *quo ſolo die apud ædem Saturni, conuiuio ſoluto, Saturnalia clamabantur.* Clamabant &, Bona Saturnalia. Arrianus in Diſſertationibus Epicteti: τοῖς γὰρ παιδίοις ὅταν προσελθόντα κροτῇ καὶ λέγῃ, σήμερον Σατυρνάλια ἀγαθὰ, λέγομεν, οὐκ ἔστιν ἀγαθὰ ταῦτα: οὐδαμῶς· ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ ἐπικροτοῦμεν. id eſt, *Pueris enim cùm adueniunt plaudentes & dicentes, Hodie bona Saturnalia, dicimúſne Non ſunt hæc bona? nequaquam. ſed ipſi quoque applaudimus.* Martialis alluſit,

Iſte tibi faciet Bona Saturnalia porcus.

Fortaſſe & Catullus, *Saturnalibus optimo dierum.* Cauſſa huic clamori, præter religionem, etiam lætitia. quia certè non alium diem priuatim publicéque habuerunt hilariorem. Inde ſermo, Saturnum Pollucis filium eſſe, *vel à pollendo* (ait Fulgentius in Mythologicis) *vel à pollucibilitate, quam nos humanitatè dicimus. Vnde & Plautus in comœdia Epidico ait, Bibite, pergræcamini pollucibiliter.* Nec malè Fulgentius. Omnes enim illi dies erucra iocorū conuiuiorúmq;. Inde ortum, vt præter reliqui tēporis morem, Saturnalibus manè lauarēt, quaſi ſtatim tranſituri ad mēſam. Didici è ſolo Tertulliano: *Non lauor,* inquit, *diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam. attamen lauor honeſtâ horâ & ſalubri.* Et ab eâdem cauſſâ, vt ego quidem coniicio, inſtituta mutatio veſtis. Nam Imperatorum temporibus, Senatores Equitéſque, Saturnalibus, in ſynthesi conſpiciebantur. Refero ad Imperatorum tempora. quia vix eſt, vt id obtinuerit antè; vel ex Senecâ, epiſtolâ XVIII. *Si te hic haberem, libenter conferrem quid exiſtimares eſſe faciendum: vtrum nihil ex cottidianâ conſuetudine mutandum, an & hilariùs cœnandum & exuendum togam. Nam quod fieri niſi in tumultu & triſti tempore ciuitatis non ſolet, voluptatis cauſſâ & feſtorum dierum veſtem mutauimus.* Ita enim narrat, vt videatur eam culpam impingere ſuo æuo. Idque in parte verum. Nam olim quidem Togas ponebant domini, eáſque ſerui induebant: at ſyntheſim ſumpſiſſe eos non credo, non lego. Quæ tamen Senecæ & pòſt æuo, receptiſſima per eos dies. Martialis:

Syntheſibus dum gaudet Eques dominúſque Senatus,
Dumque decent noſtrum pillea ſumpta Iouem.

Nec alterius ſententiæ illud epigramma:

Nil laſciuius eſt Chariſiano.
Saturnalibus ambulat togatus.

Cauſſa recipiendi, quoniam cœnatoria, opinor, ea veſtis. At Saturnalia, non aliud quàm promiſcuæ epulæ & velut continentes comiſſationes. Iure ergo, tanquam in publico quodam ciuitatis conuiuio, ſumpta veſtis quæ ad conuiuia; eáque etiam in publico vſurpata lætitiæ teſtandæ. Finierat Pighius. ſed ad eum Victor, Velim Pighi, inquit, paullò iſta fuſiùs. Tibi hîc liquet, credo: ſed nobis in priſcis iſtis ritibus adhuc nubes. quam ſermoniatu luce remoue. Parebo, inquit. etſi vobis eruditis rerum veterum, ſatis cenſebam, vt pedem modò ponerem in viam. Romanis in duplici diſcrimine veſtis. Alia Domeſtica, alia Forenſis. Suetonius, Ammianus, Iuriſconſulti. Illa intra parietes ſcilicet vſui: hæc in negotiis inque foro. Commutare eas, & domi forenſem, aut foris domeſticam induiſſe; probrum. Inter domeſticas Cœnatoria. quam non fas videre publicam lucem. Martialis in lemmate, *Cœnatoria:*

Nec fora ſunt nobis, nec ſunt vadimonia nota:
Hoc opus eſt, pictis accubuiſſe thoris.

Itaque vt rē nouam narrat Dio in Hadriano, quòd Fronto nobilis orator Turbonis tribunal adierit ἐν τῇ στολῇ τῇ δειπνιτιδι, *in conuiuiali veſte.* Et ab hac mente idem Hadrianus Imp. *Senatores & Equites ſemper in publico togatos eſſe iuſſit, niſi à cœnâ reuerterentur,* ait Spartianus in eius vitâ. Et benè iuuat Spartianum. Fuit enim móſque, vt apparet, cum cœnatoriis conſpici in publico, ſub cœnæ tempus. Cur non igitur Saturnalibus diebus permiſſum, per quos continuæ, vt dixi, cœnæ? Hercules non aliam cauſſam video Syntheſis ſumptæ. Nam quod probandum ſupereſt, Syntheſim adſirmo dictam cœnatoriam veſtem: vtique hominū lautiorum. Martialis ſatis clarè:

Vndecies vnâ ſurrexti, Zoile, cœnâ:
Et mutata tibi eſt Syntheſis vndecies.

Tranquillus validè adiuuat, qui in Nerone obſeruat eum notâ, quòd *plerumque ſyntheſinam indutus, prodierit in publicum, ſine cinctu & diſcalceatus.* qui ſcilicet conuiuantium habitus. Iámne capitis? an etiam de Cœnatoriis latiùs dico? Annuiſtis: dicam. Mos ille vetus Romæ, vt domi haberent veſtes ad cœnam. & ſi foris cœnarent, acciperent ab amicis, aut ipſi adferrent. Capitolinus in vitâ Maximini: *Cùm ad cœnam ab Alexandro eſſet vocatus, in patris honorem, quod ei deeſſet veſtis cœnatoria, ipſius Alexandri accepit.* Plautus pallium malacum id appellauit, me interprete, Bacchidibus:

Pro galeâ ſcaphium, pro inſigni ſit corolla plectilis,
Pro haſtâ talus, pro loricâ malacum capiam pallium.

Nam deſcribit omnia, quæ ſolita conuiuio. Et benè, Pallium. credo enim fuiſſe ad eam formam. Martialis quidem ſic appellat, vbi de ſe cum vxore accumbente:

Ad menſam venies, ſed ſic diuiſa recumbes,
Vt non tangantur pallia noſtra tuis.

Et Petronius de Trimalcione cœnante: *Pallio coccino adraſum incluſerat caput, circáque oneratas veſte ceruices laticlauiam immiſerat mappam.* Rectè etiam, Malacum Plautus. Reuerà enim mollior pretioſiórque ea veſtis, & è purpurâ ſæpè. Apud Horatium vetula amatrix:

Muricibus Tyriis iterata vellera lanæ
Cui properabantur? tibi nempe.
Ne foret æquales inter conuiua, magis quem
Diligeret mulier ſua, quam te.

Nam ad conuiuia manifeſtè accommodat. Etiam Petronius: *Veſtimenta mea cubitoria* (legerim, *accubitoria,* litterulâ retractâ) *perdidit, quæ mihi natali meo donauerat cliens quidam, Tyria ſine dubio ſed iam* (malim negandi notâ, *ſed haud,* vt dibapha ſignificet) *ſemel lota.* Sed & Perſius:

——ecce inter pocula quærunt
Romulidæ ſaturi, quid dia poemata narrent.
Heic aliquis, cui circū humeros hyacinthina læna eſt,
Rancidulum quiddam, &c.

Nam lænam circum humeros & quidem hyacinthinam, veſtem hanc dixit conuiuialem. Lautiorum videlicet hominum cœnatoria ſemper purpurea coccináue: quæ fortaſſis propriè Syntheſia dicta, & ideò tantùm Equiti & Senatori adtributa à Martiale, excluſâ plebe. Dio, vbi Suetonius de Nerone, *ſyntheſinam* dixit, ſiue ſyntheſim: vertit in eâdem re, χιτώνιον ἀνθινὸν. id eſt, *tunicolam floridam.* Et ſcio floridam veſtem in Apuleio aliíſque legi; ſed videte tamen ne veriùs hîc ſit, ἰάνθινον. à colore videlicet, qui in ſyn-

Io Saturnalia. — *Bona Saturnalia.* — *Saturnus Pollucis proles.* — *Lætitia Saturnalium.* — *Manè tum lauabant.* — *Syntheſina etiam honeſtiores ciues. Quando id inſtitutum.* — *Quare inſtitutum.* — *Forenſis veſtis & Domeſtica.* — *Cœnatoria domeſticæ.* — *Aut foris etiam, ſed ſub tempus cœnæ.* — *Syntheſis, inter cœnatoria.* — *Semper Romani veſtes in cœnam mutabant.* — *Pallium, pro ea veſte.* — *Plautus lux.* — *Petronius locus emendatus. Accubitoria veſtimenta.* — *Læna, pro cœnatoria. Plerumque è purpura vel cocco.* — *Coniectura in Dione.*

** Plinius li. xxi. c. vi. Ianthina vi̇ola dicta.*

Quamdiu perſeuerarit is mos.

theſi violaceus, vel vt * Plinius etiam appellat, Ianthinus. Hæc de Cœnatoriis. quem morem manſiſſe ad Sidonij tempora diſco ex libro primo Epiſtolar. vbi de conuiuio Imperatorio, à quo iam ſurrexerat: *Paulum à proſpectu Imperatoris proceſſeramus, atque etiamnum chlamydibus induebamur, cùm mihi Conſul,* &c. Oſtendit clarè poſitam à ſe chlamydem, & reſumptam.

CAPVT III.

De Saturnalium diebus. Opalia. Suidæ lux. Auſonio medicina. Varroni lux & medicina. Aucti Saturnalium dies.

BEAS nos, Pighi; ſermonibus iſtis, inquam. ſed de numero dierum Saturnalium, nilne addis? Neque enim liquida vulgò ea res: & Macrobius, qui conatur, puluerem ob oculos nobis ſpargit. ita cooncinnat neſcio quid perplexi, & quod, peream, ſi vmquam cepit ipſe. Pighius, Ita ſolus ego qui conſulor? inquit. Melius eſt domum aperiam, & ſolium mihi ponam nouus * Brutus. Tamen, quâ de re quæris, ſic habuit. Antiquitus vnus Saturnalia dies: & idem communis cum Ope. Nam Opalia & Saturnalia vtraque incidebant in diem XIV. Kal. Iani. Macrobius teſtis & Kalendarium vetus repertum Romæ. Quid mirum? quorum lectus communis eſt, vt ſit dies? Nam Ops ſiue Rhea, vxor Saturni. Hoc niſi præſcimus, nunquam illud Suidæ è Lexico dextrâ manu capiemus: Κρόνια, ἑορτὴ ἀγομένη Κρόνῳ καὶ τῇ μητρὶ τῶν θεῶν: id eſt, *Saturnalia, feſtum celebratum Saturno & Matri deûm.* Quid enim in ſpeciem vanius, quàm Saturnalia adſcribere Matri deûm, ſiue Opi? At cauſſa confuſionis Græculo non iniuſta, communio illa dierum à me dicta. Hæc Ops opem feret Auſonio poëtæ, cuius deſperatæ ſanitatis verſum etiam Æſculapius noſter, Scaliger, depoſuit: ego de viâ medicus ſanabo. In carmine de Feriis Romanis:

*Viſne ope * ſancte ſacrum, vel Saturnalia dicam?*
Feſtáque ſeruorum, cùm famulantur heri?

** Qui celeber inter priſcos Iureconſultos.*

Quot dies Saturnalium. Opalia.

Suidas explicatus & excuſatus.

Auſonius correctus.

Varroni data lux.

Nam clarè lego, *Viſne Ops antè ſacrum.* Ambigit poëta Opalia priùs an Saturnalia dicat. quare? quia, vt iam iteraui, conueniebant ea feſta, & vtrique deo, deæ, ſacer idem dies. Interpellauit hîc Victor: &, Correctio, inquit, per-clara: non illa quam ponis dierum concurſio. Varro facit tenebras, qui lib. quinto de L. L. *Saturnalia,* inquit, *dicta ab Saturno, quòd eo die feriæ eius, vt poſt diem tertium Opalia, Opis.* Ecce, nónne diſertè poſt diem tertium à Saturnalibus Opalia celebrata vult? at tu aiebas die eodem. Reſpondit Pighius, His tenebris, Victor, dabo lucem. Quæ de communione dierum prædixi, ad Conſulum tempora pertinent & remp. priſcam: non idem de C. Cæſaris & deinceps ætate ſentias. Vt enim Cæſar faſtos correxit, & huic Decembri menſi duos addidit dies: * Saturnalia, vt ſic dicam, ſedem mutarunt, & à XVI. Kal. numerari cœpta, non vt antè à XIV. Migrarunt igitur Saturnalia: non tamen Ops, quæ in die veteri ſtabilis permanſit. Hanc correctionem Cæſarianam clarum Varronem ſpectaſſe. qui condidit eos De linguâ Latinâ libros (vti vel hoc diſcimus) Cæſare iam Dictatore: & feriarum dies ad Faſtos eius aptauit. Tamen in Varrone ſcribi erit verius, *vt pòſt, die tertio.* Hoc mihi iam lucet, inquit Victor: tu perge. Iterúmque Pighius: Vt ergo cœpi dicere, inquit, vnus Saturnalium dies manſit ad C. Cæſarem: ab illo, tres celebrari cœpti. idque Octauianus Auguſtus tenuit, qui in legibus iudiciariis triduum ferias ſeruari iuſſit. Hactenus certa poſſum: de die quarto dicam incerta. Nam illum quis addiderit, non lectum mihi, & credo, nunc non ſcriptum. Quintum ſaltem diem additum à Caligulâ reperio. Suetonius: *Vt lætitiam publicam in perpetuum augeret, diem adiecit Saturnalibus, appellauitque Iuuenalem.* Diem Beroaldus intellegit ſextum vel octauum. Errat. vos accipite quintum. Dio lib. LIX. de hac ipsâ re: τά τε Κρόνια ἐπὶ πέντε ἡμέρας ἑορτάζεσθαι ἐκέλευσεν: id eſt, *Saturnalia per dies quinque celebrari iuſſit.* Tamẽ ille ipſe quintus dies poſt Caij cædem abolitus, ſed reſtituit Claudius docente eodẽ Græco lib. LX. τοῖς τε Κρονίοις τὴν πέμπτην ἡμέραν τὴν καταδειχθεῖσαν τε ὑπὸ τοῦ Γαΐου, καὶ μετὰ τοῦτο καταλυθεῖσαν, ἀπέδωκε. id eſt: *Saturnalibus quintum diem, à Caio inſtitutum, poſteáque omiſſum, reſtituit.* In vniuerſum ergo Saturnalium dies legitimi, vti videtis, quinque. Ego dixi. Cùm deſiiſſet Pighius, Lernutius occupauit. Sed enim ſcrupus ille de die quarto. non tollis hanc moleſtiam pedibus? Vellem tu meo capiti, inquit. nam iuxtâ tecum id ſcio. Diuinemus, inquam ego. An Tiberius, ſi fortè, addidit: Certè ille ſolus interiectus Caligulam & Auguſtum. Huic vaticinio, ait Pighius, ex Tiberij moribus non eſt fides. Nec enim ille vnquam fautor rei ludicræ: &, vt eius ſeueritas fuit, diminutum potiùs publicas voluptates iſſet, quàm auctum. Ego quamquam cum Euripideâ nutrice poſſim dicere,

Quintus dies a Caligulâ eſt.

Quartum quis addiderit, incertum.

Οὐ μάντις εἰμὶ τἀφανῆ γνῶναι σαφῶς·
Vates ego haud ſum, incerta certò vt nouerim.

tamen diuinem diem quartum eſſe ab Auguſto. cuius extremis annis irrepſerit, creſcente luxu, & quia ea auctio plebi volenti.

Videri tamen ab Auguſto eſſe.

CAPVT IIII.

Etiam quæſitum de diebus. Obiectiones poſitæ, & in parte remotæ.

SVSCIPIT Lernutius. Anchoram iecisti, Pighi, ſed nondum adſpicis terram. Duo me turbant. Ais à Iulio Cæſare tres Saturnalium dies factos, anteà vnum. Ais nunquam plures fuiſſe quinque. Primùm oppugnat Cicero, qui libro V. ad Atticum diu ante Iulianam correctionem tertia Saturnalia nominat: *Mancipia venibant,* inquit, *Saturnalibus tertiis.* Sed & Mallius quidam apud Macrobium, cuius ibi verba. Alterum. Interrupit Pighius, Si, inquit, turbinem hunc priùs remoueam, ne naui noſtræ frangat ratem. Tertia Saturnalia nominat Cicero: Fateor. hilaritas ergo triduana, ſed non feriæ, non ſacrum. Feſtus pro me: *Quinquatrus appellari quidam putant à numero dierum. qui ſcilicet errant, tam hercules quàm qui triduo Saturnalia & totidem diebus Compitalia. Nam his omnibus ſingulis diebus fiunt ſacra.* Iam dic de altero. Septem dies Saturnalium comperior, ait Lernutius, non vt tu perſeueras quinque. Lucianus in Cronis plus vno loco. Martialis,

Tres dies etiam ante Cæſarem.

Saturni ſeptem venerat ante dies.

Quomodo ſeptem numerati.

& poëtæ alij. Subridens Pighius, Per hanc, inquit, tempeſtatem facilè ero in portu. Saturnalia legitima dixi quinque fuiſſe: tu, illique quos laudas, ſpurios adiicitis dies binos. Vt clarè dicam. Ipſa Saturnalia conſtabant diebus quinque: at Sigillaria, quæ ſubſequebantur, binis. Quæ feſtiuitas quia non abhorrens à lætitiâ priori, illique continens erat: factum vt confusè numerari Saturnales ſeptem. At in re aliud fuit. Itaque ille ipſe Martialis, vbi veritatis diligentior, nominat Saturnalia modò quinque:

Et iam Saturni quinque fuere dies.

Alibi: *Hæc ſignata mihi quinque diebus erunt.*

Tamen ſeptem dies etiam ante Cæſarem.

Et iámne hæc res in vado? Imò, inquit Duza, ecce alius imbricitor Auſter. Nam vt Martialis ætate dies ſeptem numerentur, cauſſam video: anteriori æuo quid fiet? cùm ſeptem recenſitos reperiam multis ante Cæſarem annis? Nouius Atellanarum ſcriptor:

Olim exſpectata ſeptem veniunt Saturnalia.

Sed & Mummius quidam:

——noſtri maiores veluti benè
Multa inſtituêre, ſic hoc optimè, frigore
Fecêre ſummo dies ſeptem Saturnalia.

Nec facile ſolutu nodus.

Et quid ais tu? Vnus ante Cæſarem Saturnalia dies: binos Sigillaritios adde: vbi ſeptem? Amplius largior. tres fuerint Saturnalium: vbi ſeptem? Exſpecto quid ad iſta noſter Brutus. Tacebat Pighius. Et mehercules obbrutui, inquit. Iuua in partem Lipſi. Egóne? inquam. oram reperire nullam quâ te expediam queo. & quin ad prius illud tectorium confugimus, lætitiæ fuiſſe dies plures, non feſti? Niſi id ſit, ſubmitto equidem arma.

CAPVT V.

Saturnalia Gladiatoribus ludíſque deſtinata. Ipſi Gladiatores Marti, vel potius Saturno ſacri. Saturnus inter inferos maleficus & cruento ſacro gaudens. Tibullo lux, & Tertulliano. Sacerdotes Saturni.

RISIT vehementer Duza; &, Hic Auſter, vt video, inquit, vos omnes perculit. Heus puer, da vinum huic naufrago Lipſio: ſed merum. Nam aquâ non vltrà illi opus. Etiam rides? inquam ego. vlciſcar. Da mihi puer eccillam pateram è cryſtallo: illam capaciorem dico, quæ eſt in Delficâ. Admiratus Duza, Hui I tam grandem? inquit. Non id è more tuo, non è ſanitate. Nimirum, inquam, non Cereri, ſed Saturno hoc factum ſit. Itaque, ait Duza, tu nos omnes hodie reddes ſaturos, mallem hilaros & lubentes. Sanè mos Romanus non magis conuiuiis hunc diem dicauit, quàm faceтiis & ludis. Itaque Gladiatores, Venatio, Circenſes, quanquam aliâs; tamen his diebus propriè dabantur. Gladiatores inprimis, quorum tutela Saturnus. Erras Duza, inquam: Mars potiùs. Apud Tertullianum certè lego (libello de Spectaculis) *Martem & Dianam vtriuſque ludi præſides nouimus*, ludi videlicet gladiatorij, venatoriique. Item Saluianum: *Colitur & honoratur Minerua in gymnaſiis, Venus in theatris, Neptunus in Circis, Mars in arenis, Mercurius in palæſtris.* Duza renidens & renitens, Non pugnem, inquit, tantis ſcriptoribus libens: tamen vereor vt verior Lactantius ſit: *Munera*, inquit, *& quæ vocantur Venationes, Saturno attribuerunt.* Ita eum locum insertâ copulâ lego. Nam & in Epitomâ Lactantij: *Munerum editiones Saturno ſacra* (lego *ſacra*) *ſunt: ſcena Liberi patris eſt.* Addicit Lactantio Auſonius,

Gladiatores Saturnalibus dati. Eorū præſes Mars.

Vel potius Saturnus.

Et gladiatores funebria prœlia notum
Decertaſſe foro: nunc ſibi harena ſuos
Vindicat, extremo cùm iam ſub menſe Decembri
Falcigerum placant ſanguine cælígenam.

Vbi duo notes, & pugnaſſe gladiatores Saturnalibus; & Saturno placando propitiandóque. Cauſſam quā putem eius tutelæ fuiſſe, hæc eſt. Saturnus non inter ſuperos, ſed inferos deos. Plutarchus in καθηγητῇ κεφαλαίων. Ῥωμαῖοι, inquit, τὸν Κρόνον ἡγοῦνται θεὸν ὑποχθόνιον καὶ χθόνιον: & alibi, Κρόνον δὲ τῶν κάτω θεῶν, οὐ τῶν ἄνω νομί-

Saturnus inter deos inferos habitus.

A ζουσι. Eadémque opinio apud Græcos ipſos. Itaque in Tartaro eum collocat Prometheus apud Æſchylum,

Ἐμαῖς δὲ βουλαῖς Ταρτάρου μελαμβαθὴς
Κευθμὼν καλύπτει τὸν παλαιγενῆ Κρόνον
Αὐτοῖσι συμμάχοισι.

Me conſulente, in Tartari receſſibus
Habet latebra antiquitus ſatum Cronum,
Eiúſque comites.

Et in Catalogo deorum duodecim maiorum omiſit Ennius,

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

non facturus, ſi inter cælites fuiſſet. Credo eam opinionem valuiſſe, quia triſte Saturni ſidus & maleficum: quale ingenium deorum inferorum. Inde eſt nænia Græcorum, Κρόνιον ὄμμα: id eſt, *Saturnius oculus.* inde ſuperſtitio, Saturni diem viæ non fauſtum. Tibullus,

Saturnus maleficus.

B

Tibullo lux.

Aut ego ſum cauſſatus aues, aut omina dira,
Saturni aut ſacram me tenuiſſe diem.

Ouidius ad amatorem, cui iter inuito ſuadet:

Nec pluuias opta, nec te peregrina morentur
Sabbata, nec damnis Allia nota ſuis.

Iure ergo Romani, quia gladiatorum ſanguine placari manes credebant, eaque prima ludicri cauſſa; hoc ſpectaculum dedicarunt crudo & ſanguineo deo. Quò traho etiam cultum ſacerdotum eius à reliquo vulgo ſecretum. Nam pallio coccineo myſtæ Saturni velabantur. Tertullianus de Teſtimonio animæ: *Atque id plerumque facit & vittâ Cereris redimita, & pallio Saturni coccinata, & deæ Iſidis linteata.*

Ideò ſanguine placandus.

Saturni ſacerdotes coccinati.

C Idem de Pallio: *Cùm lateris purpura ambitio & galatici ruboris ſuperciliio Saturnum commendat.* Coccineus enim color (quem Galaticum ruborem appellat, quia granum id Galatiæ frequens) ſanguinis & cædium eſt: ideóque & Imperatoris olim paludamentis, ait Plinius, dicatum coccum. Hæc ſatis certa. Abnuere tamen nobis Prudentius tuus videtur, Victor, in Hamartigeneiâ:

Paludamenta Imperatorum coccinea.

Reſpice terrifici ſcelerata ſacraria Ditis,
Cui cadit infeſtâ fuſus gladiator arenâ.

Sed * Ditem qui eundem cum Saturno hîc capiat, meâ ſententiâ, haud aberret.

Diti ſacros eſſe gladiatores ex Prudentio.
** Aut etiā Diti, hoc reſpiciens quod manibus placandis dati gladiatores.*

CAPVT VI.

D *Gladiatores olim in conuiuiis: Campanorum inſtituto. Romani id æmulati. Lampridius contra Turnebum explicatus, in Cubicularis gladiatoribus. Germanorum immanitas.*

INTER hos ſermones intulerant pueri miſſum ſecundum. in quo gallinæ, columbæ, turdi, & eiuſmodi altilium minuta. Et ego ad hoſpites, En, inquam, paraui ad illud Comicum,

Non ampliter, ſed munditer conuiuium.

Tempus non tulit. nec inter eos ganeones ego, quibus modulus eſt vitæ culina, vt ait Varro. Itaque ſumite quæſo contenti iſtis. Etiam excuſas? ait Pighius.

Sibi habeant ſua regna reges, ſibi diuitias diuites:

nobis dum ſic ſit. Et quæ cæna præ iſtâ, quam ſuauiſſimæ doctiſſimæque fabulæ condiunt? Vellem paullò magis, inquam: nec tu Pighi ſermonis eſſes tam parcus. Parcus ego? inquit. cui linguarium mehercle dandum fuit, ita inſolitè hac omni cænâ ſum loquax. Scis enim ingenium meum: quámque illud Homericum in me conueniat,

Ἀλλ' οὔ οἱ χάρις ἀμφιπεριστέφεται ἐπέεσσιν.
Sed non illius cingebat Gratia labra.

Tace,

Tace,inquam. Nam tu quidem

Αἴγειν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λαλεῖν.

Bonus loqui , ſed fabulari neſcius.


vt inueriam illud Eupolidis. Sed quoniam cœpimus, & bella iam occaſio eſt , de Gladiatoribus placétne largiùs fabulari ? Nam verum fateamur. non alius mos eſt , quem diſertè intellegi pluris interſit veterum ſcriptorum. Quæ hiſtoria ab hac commemoratione gladiatorum, quis orator, quis poëta abſtinuit? Et quidem pleræque metaphoræ,ſimilitudines,imagines, alij flores orationis ſunt ab iſtis.Occupa ergo hanc gratiam tu Pighi,& doce nos inuulgatum adhuc ritum. Egóne?ait. imò Duza hic potiùs —*παλαιά τε πολλά τε εἰδώς.* —*& priſca & plura noſcens.* Et ſolúſne Pighius hîc pro magiſtro ? Tum ego, Qui viam ad mare neſcit,amnem ſibi quærit ducem : ſic nos te Pighi, vti penetremus ad mare illud antiquitatum.Etiā vrgetis modeſtiam meā,inquit. ſed enim ne alienum ſit ab hac menſâ.Renidens Duza : Adeò hic ſermo,Pighi,menſæ non diſconuenit, vt Romani rem ipſam cottidie oculis vſurpauerint ſuper menſam.Nam in lautiori conuiuio ſolemne fuit in triclinio paria aliquot gladiatorum exhibere ad pugnam. Ortus,vt videtur,mos à Campanis:de quibus Silius libro XI.Punicor.

Quinetiam exhilarare viris conuiuia cæde
Mos olim,& miſcere epulis ſpectacula dira
Certantum ferro,ſæpe & ſuper ipſa cadentum
Pocula,reſperſis non parco ſanguine menſis.

Strabo de iiſdem lib.quinto:*ἐπὶ τοσοῦτον δὲ ἐξετρύφησαν, ὥστ' ἐπὶ δεῖπνον ἐκάλουν πρὸς ζεύγη μονομάχων, ὁρίζοντες ἀριθμὸν κατὰ τὴν τῶν δειπνων ἀξίαν.*id eſt:*Eo luxus prouecti ſunt , vt conuiuas vocarent ad paria gladiatorum; quorum numerum augebant minuebántve pro dignitate cuiuſque conuiuij.* Liuius libro nono : *Et Romani quidem ad honorem deûm inſignibus hoſtium armis vſi ſunt: Campani ab ſuperbiâ & odio Samnitium , gladiatores (quod ſpectaculum inter epulas erat)eo ornatu armarũt, Samnitiúmque nomine appellarunt.* Ab iis ergo auidè hauſerunt Romani. de quibus Nicolaus Damaſcenus:*τὰς τῶν μονομάχων θέας,* inquit,*οὐ μόνον ἐν πανηγύρεσι καὶ θεάτροις ἐποιοῦντο Ῥωμαῖοι, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς ἑστιάσεσιν. ἐκάλουν δ' οὖν τινες πολλάκις ἐπὶ δεῖπνον τοὺς φίλους ἐπί τε ἄλλοις, καὶ ὅπως ἂν δύο ἢ τρία ζεύγη ἴδοιεν μονομάχων, ὅτε καὶ κορεσθέντες δείπνου καὶ μέθης, εἰσεκάλουν τοὺς μονομάχους. καὶ ὁ μὲν ἅμα ἐσφάττετο, αὐτοὶ δ' ἐκρότουν ἐπὶ τούτῳ ἡδόμενοι.* id eſt:*Spectacula gladiatorum nō per ferias tantùm & in theatris Romani exhibuerunt, ſed priuatim in conuiuiis. Quin & ad cœnam ſæpe amicos vocare ſoliti, cùm ob alia,tum vt bina aut terna paria gladiatorum viderent:quos vino iam & cibo madidi intrò vocabant.atque ille quidem trucidabatur.iſti plauſum manibus dabant, tanquam in re lætâ.* Nec de alio ritu Horatiū exaudio:

Cædimur, & totidem plagis conſumimus hoſtem
Lento Samnites ad lumina prima duello.

Lumina accipio,cœnæ, præter opinionē florilegi interpretis.Perſeuerauit ille mos ad extrema imperij tempora. Capitolinus de Vero : *Gladiatorum etiam frequentis* (ita inibi lego) *pugnas in conuiuio habuit, trahens cœnam in noctem, & in thoro conuiuali condormiens.* Lampridius de Antonino : *Gladiatores ante conuiuium pugnantes, ſibi frequenter exhibuit.* Atque hi conuiuales gladiatores ſunt , quos Cubicularios Lampridius in Commodo dixit:*Inter hæc habitu victimarij victimas immolauit:in arenâ rudibus,inter cubicularios gladiatores pugnauit lucentibus aliquando mucronibus.*Ita paullò veriùs doceo , quàm Turnebus:qui Rudiarios pro Cubicularis ſubſtituit, deâ non fauente. Nam & Dio illum in publico ſine ferro;domi gladiis,& ad cædem vſque, dimicaſſe commemorat:*καὶ ἐμονομάχει,* inquit, *οἴκοι μὲν, ὡς καὶ φονεύειν τινὰς, ἐν δὲ τῷ κοινῷ ἄνευ σιδήρου καὶ ἄνευ αἵματος ἀνθρωπείου.* id eſt, *Et digladiabatur domi quidem etiam ad cædem quorumdam,in publico autem ſine ferro, & ſine ſanguine humano.*Deſierat Duza , & ad eum ego:Sed cenſen' hanc legitimam in conuiuio pugnam fuiſſe, an quaſi luſum? Hoſtibus quidem noſtris,inquit,ſit hic luſus. prorſus legitima pugna , & cum applauſu conuiuantium,occidebant,occidebantur.Ita Nicolaus:cuius verba,vt video,præteruolarunt tuas aures. Vultu auerſatus feritatem eam Victor,Di boni ! crudas & immanes epulas! inquit. & iam miror Lapitharum conuiuia in prouerbium iſſe, non iſſe Romanorum. Quid illos culpas? reſpondit Duza. nos ecce Galli nihilo meliores.Poſidonius:*Κελτοὶ,* inquit, *παρὰ τὸ δεῖπνον μονομαχοῦσιν. Galli ſuper cœnam digladiantur.*Imò hoc ampliùs ſcribit , eò dementiæ prouectos, vt paullulo argento vel vaſis aliquot fictilibus conducti(quæ pacto ſcilicet propinquis darentur) ſupini in ſcuto immobiléſque iacerent , atque ibi accedens alius iugulum iis incideret. At enim, inquit Victor, de Germanis id accipi commodius veriúſque eſt.Scis enim quomodo Græci vſitati voce *κελτῶν*.



LIB. I. CAP. 6.

CAPVT. VII.

In genere de Spectaculis primò. Tum de celebritate & frequentiã Gladiatorij ludicri. quámque id gratum. Quo nomine antiquis dictum Munus, Munerarius, Munerator. Editio, Editor. Tacitus correctus. Gladiatores ſignificatione duplici, pro re próque hominibus.

A AT tibi, Pighi, ſatin'* vt præciſa nunc omnis tergiuerſatio? Perge, cum Muſis beneuolentibus. Sed muſſante etiã Pighio, ego velut cũmotior, Quàm lenta hæc materies? inquã. corbita celeriùs moueatur in trãquillo mari. Fac, ſiquid facis. At Pighius renidens, Sine præmeditet ſaliẽ, inquit. Vnde enim tam numerò poſſim, de re obſitã & vetuſtã? Nos precabimur, ait Lernutius, Numeriã deam tibi vt adſit & Monetam. De poſtremã, inquit, accipio omen: ſauentior vt mihi quàm Antuerpiæ ſit. Vos audite, adiuuate, & aberrantem dirigite. Spectaculorum res nec antiquis quidem ſine curã fuit. ſcripſerúntque de iis ex profeſſo, quod ſciamus, Suetonius Tranquillus, &* Tertullianus. Alterius liber nunc eſt: alterius, fuit. Sed cauſſa ſcribendi iis finiſque, non vna. Ille vt explicaret, noſter vt damnaret, deſcenderunt in hanc arenam. Et ſanè plerique Theologi è priſcis, cùm viderent pietatis damno, addictum deuinctúmque populum his ludis; paſſim inuecti in eos, vt libidinis ſæuitiæque fontes. Et benè illi. nec malè nunc ego, qui per Suetonij veſtigia iens ritus illuſtrabo priſci & nobis ignoti æui. Quomodò enim vel illos ipſos viros ſanctos legemus capiemuſque, niſi cognitione aliquã imbuti rerum earum quas carpunt? Vt omittã ſcripta omnia profana; quibus immittenda lux ab hac narratione. Atque vt primas totius ſermonis lineas ducam; Spectaculorum apud Romanos quadrigas conſtituo Gladiatores, Venationem, Circenſes, Scenam. Tria ex iis ad oculos maximè, vnum pertinuit ad aures. Quæ ad oculos, propria ferè Romanorum. aut ſi in aliã gente, tenuia præ iſtis, & dictu parum digna. Scio & Agones Muſicos fuiſſe, & Gymnicos ludos: ſed nouè illa traducta Romam, nec mihi nunc curæ. Dicã de Gladiatoribus, vt petiſtis. quod inter omnia ſcire vos volo celeberrimum fuiſſe frequentiſſimumque Romæ. Cicero adfirmat ſeriò, in oratione pro Seſtio: *Equidem exiſtimo nullum tempus eſſe frequentioris populi, quàm illud gladiatorium neque concionis vllius,*
B *neque verò vllorum comitiorum.* Et in quo plebs maximè vel delectabatur, vel veriùs, inſaniebat. Idem Cicero, de gladiatoribus: *Id autem ſpectaculi genus erat, quod omni frequentiã atque omni genere hominum celebratur, quo multitudo maxime delectatur.* Idemque ſtudiũ appoſitè exprimit & tangit quicumque ſcriptor, De cauſſis corruptæ eloquentiæ. *Iam verò*, inquit, *propria & peculiaria huius vrbis vitia penè in vtero matris concipi mihi videntur, hiſtrionalis fauor, & gladiatorum equorumque ſtudia. quibus occupatus obſeſſúſque animus, quantulum loci bonis artibus relinquit? quotumquemque inueneris, qui domi quidquam aliud loquatur? quos alios * adoleſcentulorum ſermones excipimus, ſi*
C *quando auditoria intrauimus?* Nam illud fœdum, incredibile, quod addit: *Ne præceptores quidem vllas crebriores cum auditoribus ſuis fabulas habent. Colligunt enim diſcipulos non ſeueritate diſciplinæ, nec ingenij experimento, ſed ambitione ſalutantium, & illecebris adulationis.* Spectaculum hoc appellatum propriè, Munus. vel quia populo gratis daretur; vel, vt Tertullianus ait, *ab officio, quia officium ſe mortuis facere arbitrabantur.* Et benè ac peritè Tertullianus. nam Munus propriè officium antiquis; ſicut Munis, officioſus. Feſtus: *Munem ſignificare certum eſt officioſum ſicut è contrario immunis dicitur, qui nullo fungitur officio.* At

Scriptores etiam olim de iis ludicris.

** Præter hos, etiam Suetonius Capito.*

Theologi veteres inuecti in ſpectacula crebrò.

Diuiſio ſpectaculorum.

Gladiatorij ludi, inter omnes, celeberrimi.

Grauiſſima plebi.

Iuuentutis in delitiis.

** Exemplum habes in Suetonij Nerone, cap. xxij.*

Hi ludi propriè Muneris nomine veniunt: non Venatio etiam comprehenſa, vt dico lib. ij.

origo gladiatorum, vt mox dicam, à funebri re. Is qui præbebat, ab eâ voce Munerarius dictus. Gloſſæ, *Munerarius, ἀγωνοθέτης.* cuius vocis primum patrem Quinctilianus facit Auguſtum libro VIII. *Quædam in vſu,* inquit, *perquàm recentia, vt Meſſalla primus Reatum, Munerariũ Auguſtus primus dixerunt.* Nam anteà vel Domini ludorum dicebantur, vt Ciceroni de Legibus: vel Editores, & res ipſa Editiones. Capitolinus in Antonino: *Abſens populi Romani voluptates per ditiſſimos editores curari vehementer præcepit.* Lapis propter Neapolim: HIC. OBLITERATO. MVNERIS. SPECTACVLO. IMPETRATA. EDITIONE. AB INDVLGEN. MAX. PRINCIPIS. DIEM. GLADIATORVM. ET. OMNEM. APPARATVM. PECVNIA. SVA. EDIDIT. Alius Præneſte: OB. INSIGNEM. EIVS. EDITIONEM. MVNERIS. DIDIT. Et exempla plura obuia vulgò. Tacitum in hac voce bene emendaſti Lipſi, lib III. Annal. de vitiis Druſi: *Huc potiùs intenderet, diem ædificationibus, noctem conuiuiis traheret.* benè, inquam, tu, *editionibus*: quia ad ludos hos cruentos edendos frequentandóſque Druſus pronus. Nec ſine cauſsâ tamen ficta ab Auguſto illa vox noua. quia Editores Dominíve, communes ſunt omnibus ludis: Munerarius non niſi is qui munera edit, id eſt Gladiatores aut Venationes. Muneratorem dixit magis nouè Florus de Spartaco: *quaſi planè expiaturus omne præteritum dedecus, ſi de gladiatore munerator fuiſſet.* Hic Lernutius. Sed non res ipſa, etiam *Gladiatorium* dicta: quæ vox mihi alibi lecta. Ad illum Pighius, Lecta in Liuio, inquit: ſed pro * auctoramento pretióque gladiatorum, non pro ludis. At * Cicero aliique, plus ſemel *Gladiatores*, pro ſpectaculo & munere ipſo vſurpant homines pro re: vt contrà rem pro hominibus, cùm Seruitia, Coniugia dicimus, ſeruos & coniuges ipſos. De verbo quod ſatis eſt dixi, ſi addidero Gladiatorem à Quinctiliano definiri *qui in arenâ populo ſpectante pugnant.* Ita enim hîc appello: non eos, quos Iuriſconſultus, l. vlt. De iure immunitatis μαχαιροπαίκτας dixit; ſatis propriè, at parum vſitatè.

Munerarius.

Dominus.

Editor. Editionsl.

In Tacito conſtitutio.

Munerator.

* Vide lib. II. cap. * Gladiatores pro ipſis ludis.
* Lib. II ad Attic ep. 1. Philip. 2. & IX. aliáſque. Gladiator quis.

CAPVT VIII.

Diſpoſitio & ordo futuri ſermonis. Origo ludicri: & cauſſa. Ciceroni lux facta. Primi gladiatores. Auſonio præluximus, eúmque emendauimus. Recenſio veterum munerum. quæ olim comprehenſa Actis, inter res ſerias. In illuſtrium funere gladiatores. mox etiam plebeio. idque ex teſtamento. Poſtremò & fœminarum.

AD ipſam rem venio, de quâ dicenda mihi quattuor, Origo progreſſuſque, Locus, Homines, Modus. Hæc ſepta non tranſiliam: ſi fecero, lineam aduerſum me poſcite, vt olim vrbanè Afer. Origo gladiatorum à re funebri: exemplum, ab Etruſcis. Ita Damaſcenus Nicolaus tradit: οἱ Ῥωμαῖοι, inquit, παρὰ Θυῤῥηνῶν παρέλαβον τὸ ἔθος: *Romani à Tyrrhenis morem hunc accepêre.* At fortaſſe Etruſci ipſi à Græcis. Hermippus certè apud Athenæum τῶν * μονομαχούντων εὑρετὰς ἀποφαίνει τοὺς Μαντινεῖς, *inuentores gladiatoriæ pugnæ facit Mantinenſes.* Et Statius Papinius extremo libro VI. inter certamina ludóſque Argolicos, etiam Gladiatorios tentatos ponit: idque priſco illo (neſcio an ſatis cautè) æuo. Vndecumque exemplum; cauſſa tamen & origo, Funus. Tertullianus: *Olim quoniam animas defunctorum humano ſanguine propitiari creditum erat, captiuos vel malo ingenio ſeruos mercati in exſequiis immolabant. Poſteà placuit impietatem voluptate adumbrare. itaque quos parauerant ar-*

Termini gladiatorij huius ſermonis. Gladiatores ort. ab Etruſcis.

* Sed hoc ad duellum potiùs pertinere videtur. quàm ad hoc ludicrum.

Cauſſa prebendi Funus.

A *mis quibus tunc & qualiter poterant eruditos, mox edicto die inferiarum, apud tumulos erogabant. Hæc muneris origo.* Et cũ illo Seruius ad hoc Virgilij, *Viuentes rapit, inferias quos immolet vmbris. Mos erat,* inquit, *in ſepulchris virorum fortium captiuos necari. quod poſtquam crudele viſum eſt, placuit gladiatores ante ſepulchra dimicare, qui a buſtis cineribus Buſtuarij dicti.* Quod ſuggerit de Buſtuariis, Ciceroni præbit ad lucem, ſcribenti in Piſonem: *Neque ego ceſſiſſem, & me ipſa ſuo complexu patria tenuiſſet, ſi mihi cum illo Buſtuario gladiatore* (Clodium intellegit) *& tecum certandum fuiſſet.* Mos autem vetus, quem tanguot, immolandi captiuos, vel ex Homero notus, apud quem Achilles in Patrocli rogum conicit

B Δώδεκα μὲν Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλούς.
Bis ſenos iuuenes Troiano ſanguine cretos.

Itaque prætextu hoc religionis dati publicè Romæ primi gladiatores. Dico publicè. quia facilè ſuſpicor, iam anteà priuatim & per conuiuia innotuiſſe. At publicè primò in Foro boario, anno vrbis CCCCXC. Dederunt M. & D. Bruti cauſsâ mortis patris. Valerius Maximus adnotauit: *Gladiatorium munus primùm,* inquit, *Romæ datum eſt in Foro boario, Ap. Claudio & M. Fuluio Coſſ. Dederũt M. & D. Bruti, funebri memoriâ patris cineres honorando.* Et Epitome Liuiana XVI. *D. Iunius Brutus munus gladiatorium in defuncti patris memoriam edidit primus.* vbi malè tamen ſcriptoris an exſcriptoris culpâ, omiſſus Marcus. Auſonius.

C *Tres primas Threcum pugnas, tribus ordine bellis*
Iuniadæ patrio inferias miſêre ſepulchro.

Ita rectè & * Threces, pro quouis gladiatore. *Phœaces* non habent hîc locum, quidquid vetus liber eos ingerat, & vir doctus, qui in iis defendendis ſudat. Malè autem *tribus ordine ſellis*, pro *bellis*. Nam intelligi vult, primò data tantùm tria paria: quæ poëticè & μεγαλόνως appellat tria bella; non aliter quàm anteà *Tres Threcum pugnas.* Niſi quis tamen *tres ſellas* capiat, triplicem illum conſeſſum Senatus, Equitum, Plebis. Hæc origo. & fallor? an numquam rep. illâ priſcâ data munera, niſi in funere, &, vt Liuius appellat, *mortis cauſsâ*? Non fallor. Illum ipſum ſcriptorem videamus, qui, in libris qui exſtant, pleraque ea ſeriò recenſuit & cum curâ. Libro XVI. narrauerat (id enim ex Epitomâ liquet) tria paria data à Iuniis.

D Ecce annis quinquaginta pòſt, (non enim priùs in ipſo Liuio reperio) refert data paria duo & viginti, anno vrbis DXL. Verba eius è lib. XXIII. *M. Æmilio Lepido qui bis Conſul fuit, filij tres L. M. Q. ludos funebres per triduum, & gladiatorum paria duo & viginti per triduum in foro dederunt.* Iterum libro XXXI. interiectis quatuordecim fermè annis, P. Sulpicio C. Aurelio Coſs. paria vigintiquinque. *Ludi,* inquit, *funebres eo anno per quatriduum in foro mortis M. Valerij Læuini cauſsâ. paria quinque & viginti pugnarunt.* Et lib. XXIX. *P. Licinij funeris cauſsâ Viſceratio data, & gladiatores CXX. pugnarunt.* Qui numerus grandior,

E quàm vt conueniat in id æuum: ſcribámque *gladiatores* LXX. Denique etiam, anno vrbis DLXXX. paria data triginta ſeptem: quod velut primariæ magnificentiæ recenſuit lib. XLI. *Munera,* inquit, *gladiatorum eo anno parua aliquot alia data. vnum ante cetera inſigne fuit, vt per triduum quattuor & ſeptuaginta homines pugnarint.* Nec * plurien, quod mens mihi ſuppeditet, gladiatorum mentio in Liuio: niſi lib. XXVIII. de Scipionis munere, quod in prouinciâ præbitum, non Romæ. *Scipio,* inquit, *Carthaginem ad vota ſoluenda dis, munúſque quod mortis cauſsâ patris patruique parabat, edendum redit.* Victor hîc interpellans, Quæſo, inquit, quod conſilium aut quod otium Liuio, in graue illam hiſtoriam res ludicras intexere,

Buſtuarij gladiatores.

Cicero explicatus.

Captiui ad buſtum immolati.

Primi publicè gladiatores Romæ.

* Vide lib. II. cap. XI.

Auſonius correctus & explicatus.

Olim, nonniſi in funere gladiatores.

In Liuio ſæpius mentio gladiatorum.

* Et, quæ libri deperditi. Nam per eam vtique mentionem fuit.

& has

Gladiatorũ editiones Actis publicis perſcripta.

& has verè ougas? Pighius, Nugas nobis, inquit: non Romanis, qui hæc talia etiam referebant in Acta vrbis. atque inde ſeito Liuium hauſiſſe. Satis id liquet ex Epiſtolâ Ciceronis ad Cælium: à quo eùm petiſſet acta omnia vrbis ad ſe mitti; ille *gladiatorum compoſitiones* miſerat, Cicerone leuiter irridente & indignante. Sed ne excidam, quod dicitur, à lineâ, in funere tantùm olim noti gladiatores: nec eo omni, ſed virorum principum, illuſtriorúmque. Non enim dabantur, credo, niſi in funere Indictiuo. Cicero ſuadet II. de Legibus: *Reliqua ſunt in more*, inquit, *funus vt indicatur ſiquid ludorum*. Et Feſtus: *Indictiua funera ſunt, quibus adhibentur non ludi modò, ſed etiam deſultores.* Spectauit eò Spartaci immane factum, qui illudeos, & quaſi imitatione Romanâ, Crixo è ducibus ſuis cæſo, ccc. captiuorum morte parentauit, hoc gladiatorio ritu. Appianus narrat. & Florus eleganter: *Ille*, inquit, *de ſtipendiario Thrace miles, de milite deſertor, inde latro, deinde in honorem virium gladiator, defunctorum quoque prælio ducum funera imperatoriis celebrauit exſequiis, captiuóſque circa rogum iuſſit armis dimicare, quaſi planè expiaturus omne præteritum dedecus ſi de gladiatore munerator fuiſſet.* Sed & Hiſpani in Viriathi funere fecerunt apud eundem Appianũ: *Igni exſtincto & iuſtis factis decreuerunt vt in eius honorem multa gladiatorum paria ſuper ſepulchrum eius dimicarent.* Ergo hæc certamina primò in honorem Imperatorum procerúmque. Sed paullatim, vt ſolet, res increbuit: & à tenui canali in mare quoddam (fas ſit loqui) excreuit editionum. Dare enim cœperunt vulgò etiam priuati: & pleriſque ea cura in teſtamentis. Cauebant, inquam, poſt mortem ſuam tot & tot paria ſibi edi. Tertullianus: *Priuatorum memoriis legatariæ editiones parentant.* Seneca de breuitate vitæ: *Quidam diſponunt etiam illa quæ vltra*

Florus hiſtoria data ...

Munera etiam in priuatorum. Idq́ in teſtamento.

vitam ſunt, moles magnas ſepulchrorum & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera, & ambitioſas exſequias. Munera ad rogum, gladiatores ſunt video, qui *munia* ſubiiciunt. Apud Horatium, heredes,

Firmata & interpretata Seneca ſcriptura.

> *Ni ſic feciſſent, gladiatorum dare centum*
> *Damnati paria.*

Apud Perſium ſenex,


Perſius explicatus contra vulgum.

> ——*at tu meus heres*
> *Quiſquis es, à turbâ paullum ſeductior audi.*
> *Dis igitur geniòque ducis centum paria ob res*
> *Egregiè geſtas induco.*

Quę malè accipi ſcio de Hecatombâ. Cicero pro Sullâ: *Ita prorſus interpoſiti ſunt gladiatores, ſed quos teſtamẽto patris deberi videmus.* Imò vſque eò mos eualuit, vt ditiori aliquo mortuo, populus Munus efflagitaret, velut debitum, & ex præſcripto legis. Exemplum in Suetonio inſigne, cum Tiberij reprimentis laude. *Cùm Pollentina plebs*, inquit, *funus cuiuſdam primipilaris non priùs ex foro miſiſſet, quàm extortâ pecuniâ per vim heredibus ad gladiatorum munus: cohortem ab vrbe, & aliam à Cottij regno, diſſimulatâ itineris cauſâ, detectis repentè armis, per diuerſas portas in oppidum immiſit. ac partem maiorem plebis & decurionum in perpetua vincula coniecit.* Nec verò hac finis, aut in virorum ſaltem funeribus, ſtetit mos: tranſiit etiam (pudet pigétque) ad fœminarum. Dux & auctor rei ſtirps illa Veneris Cæſar Iulius: *qui munus populo epulúmque in filiæ memoriam pronunciauit, quod ante eum nemo*, ait Suetonius, cap. XXVI. Et conformat Dio: ἐπὶ τῇ θυγατρί, inquit, καὶ θηρίων σφαγὰς καὶ ἀνδρῶν ὁπλομαχίας ἐποίησεν. id eſt, *Filiæ ſuæ & ferarũ cædes, & virorũ pugnas exhibuit.* Nec dubitare quin Diui exemplũ cupidè imitatus ſit vulgus. In Spartiano certè lego, *Hadrianũ præcipuos honores ſocrui ſuæ ludis gladiatoriis impendiſſe.*

Licentia plebis in flagitandis muneribus.

In mulierum etiam funeribus dati.



LIB. I. CAP. 8.

CAPVT IX.

Præter funus & religionem, etiam voluptatis cauſſâ dati gladiatores. A pleriſque magiſtratibus, etiam Sacerdotibus. Arcarius, (in quâ voce Lampridius correctus.) Imperatoribus.

Voluptatis cauſſâ præbiti.

FONTEM crebræ editionis habetis ſed vnum. Alter ſupereſt, Voluptas. Poſtquam enim res placere populo viſa, & omne vulgus cupiens harum ſpectionum: ecce anſa præbendi reperta eſt etiam citra funus. Florus tangit & carpit: *Vnde, inquit, gladiatorij aduerſus dominos ſuos exercitus? niſi ad conciliandum plebis fauorem effuſa largitio, cùm ſpectaculis indulget, ſupplicia quondam hoſtium, artem facit.* Scilicet nimis raræ illuſtrium diuitúmque mortes: & inuentum, vt Magiſtratus darent, Sacerdotes, Principes, denique omnes qui gratiam à populo exambire vellent aut honorem. Benè Tertullianus ad hanc inſaniam, *Tranſiit, inquit, hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viuentiũ, Quæſturas dico & Magiſtratus & Flaminia & Sacerdotia.* Et Lactantius lib. VI. *Quid dicendum eſt de iis, qui popularis leuitate ducti, vel magnis vrbibus ſuffecturas opes* (notate de effuſo ſumptu) *exhibẽdis muneribus impẽdunt? Niſi eos dementes atque furioſos, qui præſtent populo quod & ipſi perdat, & nemo eorum quibus præſtatur, accipiat.* Diſtinctè & velut per indicẽ de omnibus dicã. ſed propitia mihi eſto dea Fides: quia vereor vt apud iſtos inueniam fidem. Primi è magiſtratibus dederunt, vt eruiscin,

Ab omnibus qui in honore.

ÆDILES. Quidni enim exemplum rei primum ab illo magiſtratu cenſeam, cui, velut peculiare munus, ludi? Adde quòd antiquiſſima mentio Æditiorum aliquot munerum Ciceroni de officiis ſecundo: quem eſt videre. Etiam Cæſar Ædilis munus præbuit, ex Suetonio cap. X. & Plutarcho in eius vitâ. Ediin tamen ea quando cœperit, non callidè ſcio: vix eſt vt ante ſexcenteſimum vrbis annum, ſi non imponit mihi Liuius. Cur enim funebria aliquot munera recenſet, nulla Ædilitia: quæ probabile fuiſſe ampla, & Senatorij apparatus? Quandocumque cœperint, manſêre tamen ad extrema imperij, recenſetque Capitolinus in Gordianis: *Ædilitatis ſuæ tempore, duodecim populo Romano munera, id eſt per ſingulos menſes ſingula de ſuo exhibuit.* Secundò dedêre

Conſtituere de exorta voluptarij munera.

PRAETORES, more item vetere. Plutarchus in Bruto, Caſſium facit eum alloqui: σοῦ μὲν ἢ τῶν ἄλλων στρατηγῶν, θέας δώσειν καὶ θηρία, καὶ μονομάχους· σοῦ δ' ὡς κατάλυσιν τῆς τυραννίδος ἀπαιτεῖν. id eſt: *Ab aliis quidem Prætoribus munera, & ſpectacula, & gladiatores: à te verò depulſionem tyrannidis populus exſpectat.* Auguſtus aliquid hac in re innouans & aſtringens, τοῖς μὲν στρατηγοῖς συνέταξε τὰς πανηγύρεις πάσας, ἔκ τε τοῦ δήμου δίδοσθαί τι αὐτοῖς κελεύσας, καὶ προσαπειπὼν μήτε ἐς ἐκείνας οἴκοθέν τινα πλεῖον τοῦ ἑτέρου ἀναλίσκειν, μήθ' ὁπλομαχίαν, μήτ' ἄλλως, εἰ μὴ ἡ βουλὴ ψηφίσαιτο· μήτ' αὖ πλεονάκις ἢ δὶς ἐν ἑκάστῳ ἔτει, μήτε πλειόνων εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν ποιεῖν: id eſt, *Prætoribus curam ludorum omnium impoſuit, è publico aliquid eis dari præcipiens: & interdicens, nequis à ſe aliquid amplius altero impẽderet, ſiue in Gladiatores, ſiue in alios, niſi Senatus id decreuiſſet. Néve ſæpius, quàm bis quoque anno, Gladiatores daret, non pluriũm quàm ſexaginta parium:* ait Dio libro LIIII. Poſteà tamen edictum illud, quâ de ſumptu eſt, laxauit Auguſtus idem: καὶ τοῖς βουλομένοις τῶν στρατηγῶν τριπλάσιον τοῦ ἐκ τοῦ δημοσίου σφίσιν ἐς τὰς πανηγύρεις διδομένου προσαναλίσκειν ἐφῆκεν. id eſt, *Et Prætoribus, ſiqui vellent, conceſſit, vt triplum in ludos impenderent, eius quod è publico accipiebant.* Imò è publico aliquid dari vltrà vetuit. narrante eodem Græco, lib. LV. τὸ ἀργύριον τὸ τοῖς στρατηγοῖς, τοῖς τὰς ὁπλομαχίας ποιοῦσιν, ἐκ τοῦ δημοσίου διδόμενον, ἐκώλυσε μηκέτ' ἀναλίσκεσθαι. id eſt, *Pecuniã Prætoribus, qui Gladiatores daret, è publico tribui ſolitã, vetuit vltrà in eam rem abſumi.* Caligula etiam aliquid conſtituit hac in re: καὶ δύο στρατηγοὺς ἐς τοὺς ὁπλομαχικοὺς ἀγῶνας, *ὥσπερ ποτὲ ἐγίγνετο, λαχεῖν ἐκέλευσε: id eſt, *& duos Prætores, Ludos Gladiatorios, vt anteà factum, ſortiri iuſſit.* notat Dio lib. LVIII. At Claudius prorſum vetuit, & à Prætoribus ea munera remouit. Idem Dio: τοῖς τε στρατηγοῖς τοὺς ἀγῶνας τοὺς ὁπλομαχικοὺς ἀπηγόρευσε μὴ ποιεῖν. id eſt, *Prætores vetuit vltrà edere Gladiatoria munera.* forſaſſe tunc, cùm Quæſtoribus impoſuit, vt dicam. Videntur tamen iterum irrupiſſe, & ſub Traiano ea Iuuenalis agnoſcit:

In Prætoribus munera ſæpe [illegible].

E publico dati ſumptus.

Sed mox ſublati.

* Credo id capiendum vt nemo publico ſumptu dederit, per iuſſu Caij. Claudius prætoria munera tollit. Quo mox iterum in vſu.

—— *quanti ſua funera vendant*
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone.
Nec dubitant celſi prætoris vendere ludis.

De arena enim ij verſus. Et Lampridius in Commodo: *Commodianum etiam Prætorẽ dixit, quo præſente ſæpiſſime gladiator pugnauit*, vbi legam, *præſidente*. Tertiò

Lampridius correctus.

QVÆSTORES, inſtituto Claudij, vt diſertè notat Tranquillus cap. XXIIII. *Collegio Quæſtorum pro ſtraturâ viarum gladiatorium munus iniunxit.* Quod tamen conatus Nero tollere, qui ſanxit, *vt ne deſignatis quidem Quæſtoribus gladiatores edendi neceſſitas eſſet.* Sed reduxit denuò Domitianus, & *Quæſtoria munera olim omiſſa reuocauit*, vt ſcribit Suetonius cap. IIII. Itaque crebra mẽtio deinceps. Capitolinus in M. Antonino: *Gladiatoriũ quaſi priuatus Quæſtor edidit munus.* Idem in Vero: *Medius inter Pium & Marcũ reſedit, cùm Quæſtor populo munus daret.* Spartianus in Caracallã: *Papinianus qui ante triduum Quæſtor opulentũ ediderat munus.* Non leuauit ſed auxit Quæſtorũ onus Alexãder: qui *Quæſtores cãdidatos iuſſit ex ſuâ pecuniâ munera populo dare. ſed vt poſt Quæſturam Præturas acciperent, & prouincias regerent*, ait Lampridius. Quartò dedêre

Quæſtorum munera Nero tollit. Fruſtra. reuocauit iterum Domitianus.

CONSVLES, *exemplis tamen haud ita crebris. Cicero ſecundo de Offic. *magnificentiſſima Pompeij munera ſecundo conſulatu* celebrat. Marcellus Iuriſconſultus l. XXXVI. De cond. & demonſtr. *Titius Mæuio Seius conſul deſignatus eſt, & munus edidit.* Et facit Suetonij locus, Nerone capite IIII. Hæc de magiſtratibus reperio. Iam verò dedêre etiam

* Vix crebro ſuperia conſularia munera. [illegible]

SACERDOTES, atque ita Pontificales ludos in Tranquillo obſerua Aug. c. XLIIII. & Sacerdotales ludos in Plinio lib. VII. Epiſtolarum. Addite & Tertulliani verba, quæ ſuprà. Item nouo nomine & re

ÆRARII. Ita enim ſanè in Lampridij Alexandro legitur: *Ærarios verò inſtituit qui de areâ* (ita vetus lectio) *fiſci ederent munera, eadémque parciora.* quamquam emendandum cenſeo, *Arcarios inſtituit*, & mox, *de arcâ fiſci*. Arcarij enim apud * Symmachum, Caſſiodorum, & in Codice Theodoſij lecti, qui præerant arcæ. Denique

Lampridius emendatus, Area & Arcarij.

IMPERATORES, ita quidem frequenter, vt hoc eximium cenſuiſſe videantur inter munia Principatus. Dabant enim Natali ſuo: dabant Quinquennalibus, Decennalibus, Viceſimalibus: dabant in Dedicatione publicorum operum: in Victoriâ & triumpho: & per variam occaſionem, vti ex hiſtoriâ inferioris æui promptum colligere, ne faſtidium vobis pariam tot exemplis.

* Iuris Notas ad Symmachi ... lib. X epiſt. LXXI. Principes quando dederint.

CAPVT X.

Nec Romæ ſolum, ſed in prouinciis. Vbi reges dabant, præſideſque. Paulatim in coloniis & municipiis increbuit mos vbi minores magiſtratus dabant. Poſteà promiſcuè priuati, vario prætextu. Dies etiam, quibus ex more dabant.

Dies etiam in Prouinciis, à regibus.

ROMÆ ita. Quid in Prouinciis? certè & eas peruaſit ſtudium huius ludicri, velut tabes. Primus

Quando in Macedoniâ, & fortaſſe Græciâ, primum.

Perſeus Macedonum rex tranſtulit in Græciam: quod docuit me Liuius libro XLI. *Spectaculorum quoque magnificentiâ,* inquit, *reges omnes vicit ſuperiores, reliquorum ſui moris & copiâ Græcorum artificum: gladiatorum munus Romanæ conſuetudinis, primò maiore cum* * *terrore hominum inſuetorum ad tale ſpectaculum, quàm cum voluptate dedit. deinde ſæpius dando, & modò vulneribus tenus, modò ſine miſſione etiam, & familiare oculis gratúmque id ſpectaculum fecit, & armorum ſtudium pleriſque iuuenum accendit.* Nec dubiè alij reges & dynaſtæ, in ſua regna. Et profanæ ſolùm genteſimò ipſi ecce Iudæi. apud quos * Herodes rex ſub Auguſto in ſingulis pænè opidis theatra & amphitheatra conſtituit. & Agrippa vnâ commiſſione dedit paria ſeptingenta, Romanos quodammodo ipſos exſuperans. Ioſephus lib. XIX. in hæc verba: ἐπεὶ δ' ἀφιλάδισατο αὐτῶν τὴν κατασκευὴν μεγαλοπρεπῶς, ἐν τῷ ἀμφιθεάτρῳ, πλῆθος μονομάχων, τὴν αὐτὴ θέαν μεγαλόνοιαν ἐνδειξάμενος καὶ τὴν κατὰ πλῆθος ἀντίταξιν, βουληθεὶς γενέσθαι τὴν θεωμένων τέρψιν, ἑπτακοσίους ἄνδρας ἑπτακοσίοις μαχησομένους ἐπέμψε, κακούργους ὅσους εἶχεν ἀποτάξας εἰς τὴν δε τὴν πρᾶξιν, ἵνα οἱ μὲν κολασθῶσι, τὸ πολέμου δ' ἔργον γένηται τέρψις εἰρήνης. id eſt: *Dedicationem eorum operum magnificè celebrauit in Amphitheatro, copiâ gladiatorum, oſtendens animi ſui magnitudinem. vbi etiam, vt multitudine inter ſe pugnantium augeretur voluptas ſpectantium, ſeptingentos viros cum ſeptingentis commiſit, noxios quoſquot habuit in hanc operam deſtinans: vt & illi pœnas dignas luerent; & belli imago, oblectatio pacis eſſet.* Nec reges ſolùm inſanierunt hanc inſaniam, ſed etiam in prouinciis paſſim Proconſules Præſideſque. Ab eâ mente eſt, quod Tacitus Iunio Blæſo qui Pannoniæ Præfectus, gladiatores adtribuit, lib. I. Annal. *Nocte proximâ,* inquit, *iugulauit per gladiatores ſuos, quos in exitium militum habet atque armat.* Et mox: *Pars militum gladiatores, qui è ſeruitio Blæſi erant, vinciunt.* Et multo clariùs lib. XIII. *Edixit Cæſar ne quis magiſtratus aut Procurator qui prouinciam obtineret, ſpectaculum gladiatorum aut ferarum, aut quod aliud ludicrum ederet. Nam antè non minùs tali largitione, quàm corripiendis pecuniis ſubiectos adfligebant: dum quæ libidine deliquerant, ambitu propugnant.* Vbi etiam vetitas eiuſmodi editiones videtis: ſed obedientiâ, vt metuo, non diuturnâ. Iam verò coloniæ & municipia pleraque æmulabantur: & paſſim inter reliquias vetuſtatis Amphitheatra etiamnunc, cædium iſtarum ſedes. De Græciâ quidem Philoſtratus ſatis teſtabitur, IIII. de vitâ Apollonij. Alios item error Athenis emendatus eſt. *Conueniens enim populus in theatrum, quod in arce eſt, Gladiatores ſeſe mutuo iugulantes ſpectabat, magiſque ibi tunc talia exempla edebantur, quàm nunc Corinthi. Nam magnis pecuniis empti homines nequam eò ducebantur, vt adulteri, perfoſſores parietum, ſectores marſupiorum, receptores fugitiuorum, aliique tales. Athenienſes autem eos armis inſtruentes, certare inter ſe iubebant. quam tam crudelem conſuetudinem Apollonius illic ſuſtulit.* Videtis in Græciâ paſſim edita, & parum fideliter, puto, ſuſtulit Apollonius. Idem alibi: atque vt Romæ magiſtratus præbebant: ſic in coloniis municipiiſque Duumuiri aut Ædiles. Apuleius indicat libro x. *Thyaſus,* inquit, *oriundus patriâ Corintho, gradatim permenſis honoribus, quinquennali magiſtratu fuerat deſtinatus: & vt ſplendori capeſſendorum reſponderet faſcium, munus gladiatorum triduani ſpectaculi pollicitus, latiùs munificentiam ſuam protendebat.* Nam quòd ſcribit quinquennalem magiſtratum, non alios intellegit quàm Ædiles quinquennales. Sed & moltri priuati dabant, nullâ lege, ad populi tantùm gratiam & pecuniæ ſuæ illudentes. Sic apud eundem Apuleium lib. IIII. in Platearum ciuitate Demochares quidam, *munus gladiatorum editurus, genere primarius vir, & opibus pluribus, & liberalitate præcipuus, digno fortunæ ſuæ ſplendore publicas voluptates inſtruebat.* Sic apud Martialem neſcio quis cerdo: quem poëta tangit iure,

Das gladiatores ſutorum regule cerdo:
Quódque tibi tribuit ſubula, ſica rapit.

Apud Tacitum, Fidenis, Atilius quidam generis libertini. Et ab hac cauſsâ in lapidibus frequenter decreti honores leguntur: vt Præneſte,

A. MVNIO. A. F.
MIN. EVARISTO
* SPL. EQ. R. PAT. COL.
OMNIB. HONOR.
NITIDE. FVNCTO
OB. INSIGNEM. EIVS. EDITIONEM
MVNERIS. BIDVI. POPVLO
POSTVLANTE. BIGAM
PLACVIT. EQVEST. STATVA
DECRETO. ORDINIS. EVM
ORNARI
L. D. D. D.

Item iuxta Neapolim:

L. EGNATIO. INVENTO
PATRI. L. EGNATI. POLLI
RVFI. HONORATI. EQVO. P.
AB. IMPERATORIBVS. ANTONINO
ET. VERO. AVG.
HIC. OBLITERATO. MVNERIS. SPECTACVLO
IMPETRATA. EDITIONE. AB. INDVLGEN.
MAX. PRINCIPIS. DIEM. GLADIATORVM
ET. OMNEM. APPARATVM. PECVNIA. SVA
EDIDIT
COLONI. ET. INCOLÆ
OB. MVNIFICENTIAM. EIVS
L. D. D. D.

Frequens etiam titulus præbendi, Salus Imperatoris. Sic Sueſſæ C. Titio cuidam honores decreti in marmore leguntur, QVOD. PRO. SALVTE. ET. INDVLGENTIA. IMP. ANTONINI. PII. FELICIS. AVG. MVNVS. FAMILIÆ. GLADIATORIÆ. EX. PECVNIA. SVA. EDIDISSET. Quanquam id Claudius, quod in ſe erat, vetuiſſet, narrante Dione libro LX. τοῖς τε στρατηγοῖς, inquit, τοὺς ἀγῶνας τοὺς ὁπλομαχικοὺς ἀπαγόρευσε μὴ ποιεῖν, καὶ εἰ δή τις ἄλλος αὐτοὺς ὁπουδήποτε ἐπιτελοίη, ἀλλὰ μὴ τοι ὡς καὶ ὑπὲρ ἑαυτοῦ σωτηρίας γεγενημένων σφῶν ἢ γράφεσθαι ἢ καὶ λέγεσθαι ἐκέλευσεν. id eſt: *Prætoribus edixit gladiatorios ludos non præbere: & ſiquis alius eos vbicumque locorum daret, ne ſuſceptos eos factóſque pro ſalute ſuâ aut ſcriberet aut diceret.* Atque hi fortaſſe Honorarij ludi Suetonio dicti, in Aug. cap. XXXII. quia in honorem Principis ſuſcepti. etſi aliam eius verbi ſententiâ haud ſperno. Poſtremò non homines ſolùm certi qui daret, ſed etiam tempora quædam quibus darentur: Saturnalia inprimis, vt prædixi. Deinde Quinquatruum feſti dies. Ouidius:

Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro;
Cauſſa, quòd eſt illa nata Minerua die.
Altera treſque ſuper raſâ celebrantur arenâ,
Enſibus exſertis bellica læta dea eſt.

Quod ait diem primam puram à ſanguine: ita capio, vt pugnauerint quidem, ſed rudibus non ferro. Dio ad hanc rem ſcribit lib. LIIII. Auguſtum dediſſe μονομαχίας ἀγῶνας, ἐν τοῖς Παναθηναίοις, τῷ τῶν παίδων ὀνόματι, *gladiatorum ludos, Quinquatribus, filiorum nomine.* Atque etiam per adulationem Senatus, dies vnus altérve gladiatoribus ſæpe additus, in honorem Cæſaris: vt in eo ipſo ſcriptore obuia exempla.

Quod ipſum hodie trahit. [margin, for * above]

Quando in Iudæa.

* *Vide Ioſeph lib. XIX. varia loca.*

Multitudo gladiatorum in Iudæa.

Dati etiam à Præſidibus.

Tacitus explicatus.

Dati in coloniis & municipiis vulgo.

Ab Ædilibus.

Apuleius luxatus, ſilente Beroaldo. Dati etiam à priuatis.

Imò à cerdonibus.

Statua ob præbitionē, & titulis paſſim.

* *id eſt, Splendido equiti Romano, patrono coloniæ.*

Dabant pro ſalute principis.

Vetuit Claudius fruſtrà.

Certis diebus dati. Saturnalibus. Quinquatribus.

Dies inſerti ad honorem principis.

CAPVT. XI.

Crebritas munerum, & multitudo pugnantium, ſupra noſtram fidem. Plinius ac Suetonius probabiliter emendati.

Crebritas gladiatorũ & munerum.

INterquieſcente paullùm Pighio, Victor, Non teneo me vltrà, inquit. & quis hic furor? quæ publica clades orbis terræ? Pighius illum intuens, Magis id dicas Victor, loquit: ſi numerum tibi dierum recenſuero, quibus dati: numerum hominum, qui dati. Cæſar Ædilis CCCXX. paria dedit, auctore Plutarcho. Adrianus Cæſar *Gladiatorum munus per ſex dies continuos exhibuit*, narrante Spartiano. Gordianus, *adilitatis ſuæ tempore duodecim populo Romano munera, id eſt, per ſingulos menſes ſingula exhibuit: ita vt* * *gladiatorum nonnunquam quingena paria exhiberet, nunquam minus centena quinquagena*, vt ſcribit Capitolinus. Et nugas adhuc loquor & vitreas fractas, præut Titi editio fuit; qui Gladiatores, Venatus, Naumachias per centum dies dedit, auctore Dione. Quid plura? ecce bonus & moderatus Princeps Traianus, ſpectacula eiuſmodi per dies centum vigintitres continuauit, & gladiatorum decem millia dedit. Tu Lipſi abnutas? dabo fidei meæ cauſſa Dionis ipſa verba. καὶ θέας, inquit, ἐν τρισὶ καὶ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἡμέραις ἐποίησεν, ἐν αἷς θηρία τε καὶ βοτὰ χίλιά που καὶ μύρια ἐσφάγη, καὶ μονομάχοι μύριοι ἠγωνίσαντο. id eſt, *Et ſpectacula centum & viginti dierum edidit in quibus feras cicureſque animantes, interdum mille, interdum ad decem millia, interfecta ſunt, gladiatorum autem decem millia pugnarunt.* Itaque magna copia Romæ & in prouinciis gladiatorum: nec diutiùs conniueo in mendâ quæ Plinij codices obſedit libro XI. cap. XXXVII. *Viginti*, inquit, *gladiatorum paria in Caij principis ludo fuerunt, in iis duo omnino qui contra comminationem aliquam non conniuerent.* Veſtram fidem! in magnifici illius & in has voluptates effuſi Principis ludo, dumtaxat viginti paria? At ego ſcio plures ſæpe habuiſſe vnum aliquem è Quiritium plebe. Gordianus ecce Romæ habuit *gladiatorum fiſcalium paria mille*, ait Capitolinus. nec tamen aut imperium tunc, aut ipſe, ad Caligulæ & illius æui opes. Otho Imperator duo millia gladiatorum contra Vitellium armauit, auctore Tacito. credo, ex iis tantùm, qui in Principis fiſco. Fidenter igitur reſcribo, *Mille gladiatorum paria.* & video erroris cauſſam. Notatus apud Plinium ſcilicet numerus fuit, non præſcriptus. Nota autem millenaria hæc olim, in lapidibus obuia, ∞: quæ ignorabilis obiecta exſcriptori. Itaque cenſuit, ſimilitudine aliquâ captus, geminatum X eſſe: fecitque viginti. Nunquam mihi fides apud vos, ſi hodie huius rei ſum mendax. Idem planè mendum in Suetonij Tiberio, cap. LXI. de Principis illius immani ſæuitiâ: *Viginti*, inquit, *vno die abiecti tractique, interque eos pueri & feminæ.* Corrigo vtiliter, *Mille vno die.* Quidni corrigam? Tacitus de eâdem re: *Iacuit immenſa ſtrages, omnis ſexus, omnis ætas, illuſtres, ignobiles, diſperſi aut aggregati.* Quæ hîc (vt cum Plauto loquar) paratragœdiat Tacitus, non eſt vt locum habeant in viginti homullis. Denique * hiſtoria ipſa refellit, quam cenſeo legatis in Dione. Quod autem ad rem, de quâ Plinius: certè magis mira eius adſeueratio, ſi inter, tam multos reperti dumtaxat in conniuis oculis duo, non mira, ſi inter viginti.

** Ergo vnus ille bonus minus tribus millibus dedit, vno Anno.*

Incredibilis editio Traiani.

In Plinio mendum oſtenſum.

Et ſublatum.

Millenaria nota ſæpe corrupta.

Etiam in Suetonio.

** Omnes a mors vocare, qui accuſationi ca... Senatũ.*

CAPVT. XII.

Deteſtatio huius verè ſceleris. quæq; leges ab antiquis latæ, ad coercendam effuſam præbitionem. Eæ duorum generum, quæ certos homines ab editione arcerent: quæq; numerum & modum editioni ipſi ponerent. Poſtremò tota res ſublata. Ammianus explicatus & Prudentius.

ORIGINEM videtis, progreſſumque: & quàm non temerè, à funere orta res, quæ reuerâ funus & peſtis orbi terræ. Credo, imò ſcio, nullum bellum tantam cladem vaſtitiémque generi humano intuliſſe, quàm hos ad voluptatem ludos. Numerum eum animis veſtris recenſete dierum quos dixi hominúmque: mentior, ſi non vnus aliquis menſis Europæ ſtetit vicenis capitum millibus aut tricenis. Heu mores! Neronem culpamus aut Caligulam, qui centum aliquot homines vitâ interfecerunt, ità ſiue metu: ecce vnus editor, homines ſupra mille ludens interfecit, & die non toto. Atque hæc delicias vocabant, & cibum oculorum: fiebantque non per vnius alteriúſue laſciuiam, ſed velut publicâ lege, & decreto. Itaque eò ventum eſt, vt aliis legibus effuſio iſta fuerit coërcẽda: quas ordine dabo. Primò ad ambitũ reprimendum, inuenio cautum, nequis daret candidatus. Legem eam tulit M. Tullius conſul: & vis eius ſententiaque expreſſa in interrogatione in Vatinium: *Cùm mea lex dilucide vetet, biennio quo quis petat, petiturusue ſit, gladiatores dare, niſi ex teſtamento præſtituta die: quæ tanta in te ſit amentia, vt in ipſâ petitione gladiatores audeas dare?* Et pro Seſtio: *Acta mea ait ſibi diſplicere. quis neſcit? qui legem eam contemnat, quæ dilucide vetat, gladiatores biennio quo quis petierit aut petiturus ſit dare?* Ex quibus poſtremis verbis facile viſu & ſublatu mendum in priore loco contra Vatinium, *biennio quo quis petat.* Potiùs enim, *quo quis petit.* Cautum etiam de numero gladiatorum aliquid, ſub idem tempus. Suetonius de Ædilitate Cæſaris, cap. X. *Cùm multiplici familiâ vndique comparatâ, inimicos exterruiſſet: cautum eſt de numero gladiatorum, quo ne maiorem cuiquam Romæ habere liceret* etſi id interdictum ad habitationem potius in vrbe pertinere videatur, quàm ad pugnãtium numerum. Sicut in Catilinariâ coniuratione, item remoti gladiatores ab vrbe: & *decreuere*, inquit Salluſtius, *vti gladiatoriæ familiæ Capuam & in cetera municipia diſtribuerentur.* Sed Auguſtus certè etiam de numero parium cauit, edixítque anno vrbis DCCXXXII. μήθ᾽ ὁπλομαχίας πλεονάκις ἢ δὶς ἐν ἑκάστῳ ἔτει, μήτε πλειόνων εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν ποιεῖν: *nec gladiatores ſæpiùs quàm bis anno dari, nec plurium quàm LX. parium.* quod ipſum tamen pertinuiſſe modò cenſeo ad editiones Prætorum, qui publico, in parte, ſumptu præbebant: vti ex prioribus Dionis verbis appâret. At Tiberius firmus contra iſta, certũ numerum in cõmune præſcripſit, narrante Tranquillo, cap. XXXIIII. *Ludorum ac munerum*, inquit, *impenſas corripuit, mercedibus ſcenicorũ recisis* (ita verius quàm, *reſciſſis*) *paribuſque gladiatorum ad certum numerum redactis.* Ad hoc edictum, ſiue S. c. fuit, reſpexit Tacitus lib. XIII. Annal. *Non referrem vulgatiſſimum Senatuſconſultum, quo ciuitati Syracuſanorum egredi numerum edendis gladiatoribus finitum concedebatur, niſi Pætus Thraſea contradixiſſet, præbuiſſétque materiam obtrectatoribus arguendæ ſententiæ.* Sed poſt Tiberium Caligula, conculcato hoc interdicto, ἐπέτρεψε τοῖς βουλομένοις καὶ ὑπὲρ τὸν νόμον τὸν ἀριθμὸν τῶν μονομαχούντων χρῆσθαι: *permiſit volentibus cunctis, etiam ſupra numerum definitum, gladiatores præbere.* Et Domitianus gratificatus contra eandem legẽ ingenio ſuo & ſæculo videtur, ducente nos Plinij loco, in Panegyrico. *De ampliando numero gladiatorum aut inſtituendo collegio fabrûm conſulebamur: & quaſi prolatis imperij finibus, nunc ingentes arcus, nunc menſes nomini Cæſarum dicabamus.* Nec de numero ſolùm

Leges reprimendo cũ... Vetita dat. Candidat.

Cauto correctus.

Numerus definitus, ſupra quem ne haberent in vrbe.

Ne darent etiam.

Tiberij vi de re ſublatum.

Tacitus explanatus.

Tiberius;

Cautum qui dare poſſet, qui nō poſſ. ſeu. Non libertis.

Tiberius; aliquid etiam ſtatuit de munerariis, cauítque Sc. *nequis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res*, ait Tacitus libro IIII. Fortaſſe & idem vetuit, nequis edidiſſe vellet libertus. Fuiſſe id ſcitum, colligo ex Suetonij Claudio cap. XXVIII. qui Harpocræ liberto, *lecticâ per vrbem vehendi ſpectaculáque publicè edendi ius tribuit*. Niſi enim id antè vetitum, indulgeat nunc fruſtrà. Quin & Nerone Principe ſtatutum, nequis Præſes aut Procurator qui prouinciam obtineret, gladiatores daret. Tacitus auctor lib. XIII. cuius verba memini referre antè.

Non Præſidi.

Reperio etiam Sumptum ad munera, coërcitum plus ſemel. Antoninus Pius *Sūptum muneribus gladiatorijs inſtituit*, ait Capitolinus: id eſt, profuſionem vetuit, certâ pecuniâ definitâ. Poſt illum Marcus Philoſophus *Gladiatoria ſpectacula omnifariam temperauit*, ſiue, vt idem Capitolinus poſteà ait, *Gladiatorij muneris ſumptus modum fecit*. Alexander verò, monente Lampridio, *Habuit in animo vt munera per totum annum diſpergeret, vt per XXX. dies munus populo daretur*: ſalubri conſilio, ſed ſine effectu. Perrupit enim omnia ſepta inueterata licentia: nec iam princeps aut lex, qui capere poſſet tam effuſis cupiditatibus modum.

De ſumptu etiā cautum.

Itaque tardè, imò ſerò, deſcenſum eò, vt gladiatoria ſpectacula prorſum tollerentur. Eam ſublationem Zonaras Neruæ Imperatori adſignat, qui, vt ait, *gladiatorum compoſitiones & certamina vetuit*. Parum cautè, veréque. quoniam reuerà ſub Neruâ & poſt Neruam manſère ij ludi: ſed ſumptus dumtaxat numerúmque imminuit. & circumſpectius Dio, πολλὰς, inquit, ἱπποδρομίας, ἄλλας τέ τινας θέας κατέλυσεν, συστέλλων ὡς οἷόν τε δαπανήματα: *Crebros Circenſes, & alia quædam ſpectacula ſuſtulit, imminuens & temperans, quà fieri poſſet, ſumptus*.

Tandē ſublati gladiatores. Zonara improbatur.

Verùs pulcherrimæ rei laudem ad Conſtantinum Imp. referemus: cuius vtinam cetera fuiſſent ad hoc exemplum! Is primus Romanorum Principum, gladiatoria ſpectacula è toto orbe Romano ſubmouit, anno ab vrbe condita ∞. LXVII. penè ſexcentis, poſt inſtituta ea, annis. Auctor Sozomenus lib. I. Παρὰ δὲ Ῥωμαίοις, inquit, τότε πρῶτον ἡ τῶν μονομάχων ἐλύθη θέα: *Apud Romanos tunc primùm ſublatum Gladiatorum ſpectaculum*. Et Euſebius lib. IIII. de vitâ Conſtantini: ἐκωλύετο, inquit, μὴ θύειν εἰδώλοις, μὴ μονομάχων μιαιφονίαις μολύνειν τὰς πόλεις: *vetuit idolis ſacrificare, vetuit gladiatorum cædibus polluí vrbes*. Meminit & Calliſtus libro VII.

Conſtantino laus.

Quin etiam nunc inſerta Iuſtinianæo * Codici Conſtantini ipſa lex: *Cruenta ſpectacula, in otio ciuili & domeſticâ quiete non placent. quapropter omnino gladiatores eſſe prohibemus*. Et hoc quidem rectè notatum à peritis duobus noſtri æui Iuriſconſultis, quibus ſuggero Ammiani Marcellini egregium locum libro XIIII. de ſæuitiâ Conſtantij: *Erat, inquit, diritatis eius hoc quoque indicium nec obſcurum, nec latens, quòd ludicris cruentis delectabatur, & in Circo ſex vel ſeptem aliquotiens vetitis certaminibus pugilum viciſſim ſe concidentium perfuſorúmque ſanguine ſpecie, vt lucratus ingentia lætabatur*.

** Lib. XI. tit. XLIII.*

Ammiano data lux.

Nam ludicra cruenta, ita, vt Conſtantini lex *cruenta ſpectacula*. & quòd ait Pugiles, vſurpat ſanè pro Gladiatoribus, ritu Græcanico, quibus πύκτης & * πυκτεύειν etiam de iſtis. Ipſe clarè indicat, cùm addit, *ſeſe concidentium & ſanguine perfuſorum*: multóque clariùs, cùm ait, *vetitis certaminibus*. reſpiciens ſcilicet ad Conſtantini interdictum. Et repreſſit quidem igitur Chriſtianus Princeps; eóque nec apud Saluianum, qui ludos exagitat ex profeſſo, memoria gladiatorum; nec apud Caſſiodorum quidem accurata: tamen & ſub Conſtantio, & poſteà ſub Theodoſio ac Valentiniano conati irrumpere: imò irrupère. Lex in Theodoſiano Codice eſt, quâ *Minterij prohibentur auctoratos militia, vel Palatinos praditos dignitate, in ludum producere*. Si in iſtu tantùm vetitum: iure argumentor, permiſſum in aliis. Adde & l. quanquam. Cod. Theod. De paganis.

** Artemidorus in tertia περὶ ὀνειροκρ.*

Etiam in vſu gladiatoria.

Etiam Auguſtinum lib. VI. Confeſſ. cap. VIII. qui *Alypium ſuum, gladiatorij ſpectaculi inhiatu incredibiliter abreptū* ſcribit. Etiam ſub Honorio, Prudentius locis aliquot deſcribit, & damnat: votum imò precéſque interponit ad Principem pro tollendo:

Lib. VII. contra Sym.

Quod genus vt ſceleris iam neſciat aurea Roma
Te precor Auſonij dux auguſtiſſime regni:
*Et tam triſte * ſacrum iubeas, vt cetera, tolli.*

** Benè, Sacrum, quia Diis ſera placandis.*

Et paucis interſitis:

Arripe dilatam tuā, Dux, in tempora famam,
Quódque patri ſupereſt, ſucceſſor, laudis habeto.
Ille vrbem vetuit taurorum ſanguine tingi:
Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litare.
Nullus in vrbe cadat, cuius ſit pœna voluptas.
Iam ſolis contenta feris infamis arena
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.

Et ſuſtulit ſanè Honorius, occaſione Telemachi cuiuſdam monachi, qui gladiatores Romæ pugnantes, pio quodam ardore diducere conatus, à populo lapidibus obrutus fuit. De quo facto Theodoretus lib. V. Hiſtor. Eccl. cap. XXVI. & Caſſiodorus in Tripertitæ lib. X. cap. II. Ita obuiam itum ludo non lado: & ſublata adeò res cum memoriâ gladiatorum, vt ægrè nunc ad intelligentiam retrahere poſſimus morem fugitiuum.

CAPVT XIII.

Additamenti loco ad primam ſermonis partem adiectum, de habitu Edentium: de habitu Spectantium. Suetonius illuſtratus.

DE origine, progreſſu, déque interdicto gladiatoriæ rei, quod ſatis eſt, dixi: non abſurdè adiunxero, quo habitu dederint, quóque modo. Duo genera collocaui inter Editores: Magiſtratus, & Priuatos. Qui enim munus mortis cauſâ dabant, plerique videlicet fuere priuati: tamen dabant non quaſi priuati. Per dies enim omnes muneris, prætextæ illis ius, lictorum, accenſi: omnimóque imaginem quandam gerebant magiſtratus.

Habitus veſtiſque Editorum.

De prætextâ, Feſtus: *Prætextâ pullâ nulli alij licebat vti, quam ei qui funus faciebat*. Cicero in Piſonem: *Sex. Clodium qui nunquam anteà prætextatus fuerat, ludos facere & prætextatū volitare paſſus es*. Ex hoc ritu Suetonium nouè interpretor Claudij cap. II. *Ob valetudinem gladiatorio munere, quod ſimul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus nouo more præſedit*. Benè, nouo more: debuiſſet enim prætextatus.

Prætextati funus.

Sed Palliolum, in morbo veſtis. Quinctilianus: *Palliolum, ſicut faſcias & focalia, ſola excuſare poteſt valetudo*. Seneca libro IIII. Natural. Quæſtionum. *Videbis quoſdam graciles & palliolo focalique circumdatos, pallentes & ægros*.

Suetonius nouè illuſtratur. Palliolati ægri.

De lictoribus & accenſo, Cicero de Legibus: *Reliqua ſunt in more, funus vt indicatur, ſiquid ludorum: dominúſque funeris vtatur accenſo atque lictoribus*. Nec illud in occaſione prætereo, propriam quandam veſtem fuiſſe in munere funebri ipſorum ſpectatorum. Spectabāt enim in penulâ pullâ. Dio LV. καὶ τότε καὶ ἐπιτάφιοι ἐπὶ τῷ Ἀγρίππᾳ ὁπλομαχίαι, φαιὰν ἐσθῆτα τῶν τε ἄλλων, πλὴν τοῦ Αὐγούστου, καὶ αὐτῶν τῶν υἱέων αὐτοῦ, λαβόντων, καὶ ἑνὸς πρὸς ἕνα καὶ πλειόνων πρὸς ἴσους δὴ ἐγένοντο: *Intereà & funebre munus gladiatorium editum, cùm ſingulis certantibus, tum pluribus contra pares, quod cùm alij omnes ſpectarunt in pullâ veſte, tum & filij Auguſti, ſolo ipſo excepto*. Lampridius in Commodo: *Contra conſuetudinem,*

Lictores & accenſus Editori. Spectatores in quâ veſte. Penulati ad funebre munus.

penulatos iuſſit ſpectatores, non togatos ad munus conuenire, quod funeribus ſolebat; ipſe in togâ pullâ præſidens. Quibus è verbis vtrumque diſcimus, in funebri munere penulatos; in alio, rogatos ſpectatores fuiſſe. Nec procudo vltrà ſermonem limitis.

Ad vinupariū, togatū.

CAPVT XIV.

Pars ſecunda, De loco qui cùm duplex, primò de Ludo dictum. Cui rei inuentus: quàm multi Romæ: qui præfecti & adminiſtri. De victu & ſaginâ gladiatorum in his ludis. qui fuêre etiam extra Romam. & aliquid de ludorum formâ.

AD locum tranſeo qui duplex, Ludus, & Arena. Illum appello, vbi habiti aliique gladiatores: hunc, vbi dati & producti. De priore, priùs. *Ludus gladiatorius*, inquit Iſidorus, *inde dictus quòd in eo iuuenes vſum armorum condiſcant.* Nam primò credo gladiatores domi & in reliquâ familiâ fuiſſe; imò nec eruditos valdè ad pugnam fuiſſe. Polybius hoc mihi dicit, nec ratio abnuit, quæ vult prima omnia rudia magis & impolita eſſe: ſed Polybius ita in fragmento apud Suidam: καὶ τὸ μὲν παλαιὸν ἀπὸ τῆς κρατίστης ἐγίνετο παρὰ ῥωμαίοις ἡ μονομαχία· ἐν δὲ τοῖς καθ' ἡμᾶς πολλαὶ ὁδοὶ εὕρηνται: *Olim & initio apud Romanos nudis viribus gladiatorum certamen conſtabat; nunc autem plures viæ & modi reperti.* Significat nec genera tam multa fuiſſe, quàm mox dicam: nec item ludos, in quibus accuratè docerentur. qui tamen, creſcente numero & crebritate editionum, publicè ſunt aperti, & in iis Magiſtri. Etſi quidam ſplendidiores, etiam poſt inſtitutos ludos, habuêre domi eos aut apud amicos. Ita C. Cæſar *Tirones neque in ludo neque per laniſtas, ſed in domibus per equites Rom. ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat*, ſcribit Sueton. cap. XXVI. Quod tamen perrarum, & vulgò ars pugnandi docta exercitáque in ipſis ludis. Prudentius:

De ludo gladiatorū. Antea in domibus.

Ludi ad artē deſtinati.

Nam quid veſani ſibi vult ars impia ludi?
*Quid mortes iuuenū, quid ſanguine * paſta voluptas?*

** Male parta.*

Seneca libro II. de Irâ: *Non alia quàm in ludo gladiatorio vita eſt, cum iiſdem viuentium, pugnantiúmque.* Luſorium appellaſſe Lampridius videtur in Eligabalo: *Strauit ſibi*, inquit, *triclinium in ſummo Luſorio, & dum pranderet, noxios* (ita appellat gladiatores) *& venationes ſibi exhibuit.* vel vt mauelim, *ibi exhibuit.* Et in Saluiano Maſſilienſi Epiſcopo idem verbum, lib. VI. *Longum eſt nunc dicere de omnibus Amphitheatris, Odeis, Luſoriis.* Græcè καταγώγιον μονομάχων appellat Herodianus, quaſi dicas diuerſorium domiciliúmque. De Commodo: εἰς τοῦτον, inquit, προεχώρησε μανίας, ὡς μηκέτι βούλεσθαι βασίλειον ἑστίαν οἰκεῖν, ἀλλὰ γὰρ μετοικισθῆναι ἐβούλετο μονομάχων καταγώγιον. id eſt, *Eò dementia venit, vt iam nec Aulam & Palatium inhabitare vellet. ſed migrare conſtituerat in ludum Gladiatorium.* Quam eandem monſtri illius inſaniam etiam Lampridius & Xiphilinus adnotarunt. Suidas μονομαχοτροφεῖον dicit, contentus tamen, ſine alio additamento, poſuiſſe nudam vocem. In vrbe autem plures eiuſmodi ludi, nominibus ſuis noti & diſcreti: quorum in P. Victore mentio, & paſſim in marmoribus priſcæ vrbis. Repperi iſtos. LVDVM GALLICVM. LVDVM DACICVM. LVDVM MAGNVM. LVDVM MAMERTINVM. LVDVM MATVTINVM. & in Horatio in eâ ad Piſones, *Ludum Æmilium.* E quibus tamen non abnuerim, quin aliqui etiam beſtiariorum fuerint: vti certè * Matutinus. Hiſce ludis non Laniſtæ ſolùm præerant, vt dicam iam nunc, ſed etiam digniori nomine Procuratores. nec ij de plebe, ſed

Plures ludi in vrbe Româ.

Eorum catalogus.

*Diſtincti ludi beſtiariorum & gladiatorū. * Nam matutina ſpectacula, ferarum. procuratores ludorū.*

A ex ciuium primis: fuitque velut inter dignitates & inſulas id munus. Lapis priſcus: CVRATOR. MVNERIS. PVBL. GLADIATOR. Tacitus Annali XI. *Decius quoque Calpurnianus & Sulpicius Rufus Procurator ludi, eâdem pœnâ adfecti.* Inſcriptio alia vetus:

T. FLAVIO. T. F. GERMANO
CVRATORI. TRIVMPHI. FELICISSIMI
GERMANICI. SECVNDI. IMP. CÆS. FL.
DOMITIANI. AVGVSTI. EXORNATO
SACERDOTI. SPLENDIDISSIMO
PONTIF. MINOR. PROC. * XX. HER
PROC. PATRIMONI. PROC. LVDI. MAGNI
PROC. LVDI. MATVTINI

** Vigeſimæ Hereditatū.*

B Nec longè diuerſi ab iſtis Curatores munerum ac venationum: quorum mentio Suetonio in Caligulâ, cap. XXVII. Et vis addam quod vos medici rideatis, Victor? Medici etiam ſiti ſingulis his ludis: nec id noui ſæculi inuento, ſed diu ante Imperatores. Lapidem legi hunc:

Curatores munerum.

Medici ludorum. Lapis vetus.

SILVANO. SANCTO
C. AVSTRVNIVS. MEDI
CVS. LVD. GALLIC
PORTIC. ET. EXEDR
ET. SIGN. ÆN.
VOTO. SVSCEP.
L. M.
DEDIC. KAL. MAI.
L. MARCIO. ET
SEX. IVLIO. COS.

C In quo ſculpti Conſules incidunt annum Vrbis DCLXIII. Adeò antiqua cura illa in valetudine gladiatorum. Legi & in alio lapide, EVTYCHVS AVG. L. MEDICVS. LVDI. MATVTINI. Cenſeo exemplum tranſlatum è Græciâ, apud quos medici athletis. Arrianus lib. III. Diſſertationum. Athletam compellans: δεῖ σε, inquit, εὐτακτεῖν, ἀναγκοτροφεῖν, ἀπέχεσθαι πεμμάτων, μὴ ψυχρὸν πίνειν, μὴ οἶνον ὅτ' ἔτυχεν ἁπλῶς. ἰατρῷ γὰρ παραδεδωκέναι σεαυτὸν, τῷ ἐπιστάτῃ: *Oportet te iam in ordinem redigi, ad præſcriptum veſci, abſtinere bellarijs, frigidam non bibere, nec ſi quid fortuitò incidit aut offertur. Medico enimuerò obtemperare, ſed & præfecto aut doctori.* At quæres, cui bono medici mox morituris? Dicam. Primò medicos haud tam artè acceperim, vt hodie; ſed incluſerim

Qui exemplo Græcorum.

Quo fine medici.

Medicorū pro chirurgis.

D etiam chirurgos, vſurpatione priſcâ. Ij autem opus certè gladiatoribus læſis, luxatiſve. Deinde & ratio victus gladiatorij ea, vt ſalui eſſe ſine medico non poſſent. Largè enim edebant, bibebant: & dabantur velut in ſaginam. eâ fini, vt Domini valentes eos producerent, &, vt Cicero ait, cum *gladiatoriâ totius corporis firmitate.* Cyprianus eleganti epiſtolâ ad Donatum, libro II. *Paratur gladiatoribus ludus, vt libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet. Impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus, & aruina aſſiduis nidoris moles membrorum robuſta pingueſcit, vt ſaginatus in pœnam carius pereat.* Quinctilianus: *Alebat deuotum corpus prauior omni fame ſagina.* Inde gladiatoria ſagina Tacito: *Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, tanquam gladiatoriam ſaginam diuidebat.* Inde Saginæ nomine ludum ipſum Propertius intellexit hoc

Victus gladiatorij vidus.

Sagina gladiatoria.

E verſu,

Qui dabit immundæ venalia fata ſaginæ.

id eſt, ad gladium ſe auctorabit, & ad ludum. Plinius videtur adtribuere hordeum iis in cibum: *Antiquiſſimum, ait, in cibis hordeum ſicut Athenienſium ritu, Menandro auctore, apparet: & gladiatorum cognomine, qui Hordearij vocabantur.* Sed mihi anceps adhuc ſententia eius loci: dicam & lectio. Cedò enim: ideon' euincas hordeum antiquiſſimum in

De Plinij loco ad dubitatum.

cibo Romano, quia gladiatores ab eo dicti: atqui tota gladiatura non veteris Romæ, vt vidimus, inuenti. Sed nec credo eo vſos, malè alibilis is panis, flatus genitor malique coloris, vt rui, Victor, medici volunt. ideóque ignominiæ cauſsâ, militibus datus qui deliquiſſent. Seneca etiam eum inter viliſſima genera habet: *Voluptas eſt*, inquiens, *poſſe capere voluptatem vel ex hordeaceo pane.* Quæ omnia contraria gladiatoriæ huic ſaginæ. Nec tamen Plinij verbis quid faciam habeo ſine libris: & fortaſſe priſci tenuiùs eos alebant. Sed redeo ad ludos, quos comperior non Romæ ſolùm fuiſſe, ſed in coloniis item municipiíſque. Capuæ inprimis & Rauennæ. De Capuâ Cæſar lib. I. belli ciuilis: *Capua primùm ſeſe confirmant, gladiatoréſque quos ibi Cæſar in ludo habebat, in forum productos Lentulus * libertatis confirmat, atque iis equos attribuit.* Cicero lib. VII. ad Atticum: *Gladiatores Cæſaris qui Capuæ ſunt, ſanè commodè Pompeius diſtribuit binos ſingulis patribus familiarum.* Spartianus in Iuliano: *Sed poſteà ſponte ſuâ gladiatores Capuæ iuſſit armari per Lollianum Titianum.* De Rauennâ, Strabo dilucidè: οὕτως γ' οὖν ὑγιεινὸν ἐξήτασται τὸ χωρίον, ὥστε ἐνταῦθα τοὺς μονομάχους τρέφειν καὶ γυμνάζειν ἀπέδειξαν οἱ ἡγεμόνες. *Adeò*, inquit, *ſaluber locus, vt illic gladiatores ali atque exerceri Principes voluerint.* Rauennæ autem ludum exſtruxit, aut certè voluit, Cæſar. Suetonius cap. XXXI. *Ne qua ſuſpicio moueretur, & ſpectaculo publico per diſſimulationem interfuit, & formam quâ gladiatorum ludum erat ædificaturus, conſiderauit.* Formam, ait. de quâ nihil dixerim, præter multiplices in iis ludis minutáſque cellas fuiſſe, in queîs ſeorſim haberentur ſinguli gladiatores. Quinctilianus: *Commorabor inter homicidas, incluſus turpiore cuſtodiâ & ſordido cellarum ſitu.* Idem: *An ille animus rediret in cellulam, ferret ſaginam, magiſtrum, perſonam denique ſceleris?* Exemplo ſcilicet ſeruorum, quibus cellæ. Seneca pater: *Ex cellâ ſua domina migrabit in cubiculum: vel Domina ex cubiculo ſuo migrabit in cellam?* Seneca filius, de ſeruo Pompeij Demetrio: *Cui iamdudum diuitiæ eſſe debuerant, duo vicarij & cella laxior.* Suetonius Nerone cap. XLVIII. *Receptus in proximam cellam, decubuit ſuper lectum.* Sed & meretricum cellæ (ex Iuuenali & Petronio) & capitum omnium viliorum. Concludam de ludo cum Quinctiliani dicto: *In ludo fui. quâ pœnâ nullam grauiorem ſcelera nouerunt, cuius ad comparationem ergaſtulum leue eſt.*

Hordeacei panis non bonus.

Ludi illi etiam in coloniis Capuæ præſertim.

** Legerem, libertate, id eſt firmat conciliatque ſibi datâ libertate, pilei impoſitione.*

Et Rauennæ.

Cellæ in iis ludis.

Cellæ ſeruiles.

Cellæ meretriciæ.

Pœna ludi.

CAPVT XV.

Ludorum præfecti, Laniſtæ: qui Familiæ præeſſe dicti, eámque Ducere. Iidem Doctores, magiſtri, commentabantur, Dictata dabant. Tirones apud eos inſtituti: quorum exercitium, Batuere rudibus. Rudem videri gladium è ligno. etiámque Laniſtis fuiſſe, ac tironibus.

HIs ludis præfuiſſe Laniſtas monui: de quibus opportunè nunc adtexo. A laniandis corporibus vulgò eam vocem formant: nec perſuadent. Iſidorum potiùs audio, qui Thuſcum verbum eſſe vult, & illis carnificem ſignare. & audio eò libentior, quia res gladiatoria petita à Thuſcis. Laniſtarum multa vbique mentio. Lapis Romæ:

Laniſta vox.

P. POETILIVS. P. L.
SYRVS
LANISTA. AD. AR. FORIN

Gloſſarius liber, *Laniſta*, λυδοτρόφος, μονομαχοτρόφος, ἐπιστάτης μονομάχων. Laniſtæ auium, etiam apud Columellam, qui aues condocefaciunt ad pugnam. Pro ipſis gladiatoribus Prudentius vſurpat: parum propriè, imò imperitè:

Laniſta pro gladiatoribus.

——*ſedet illa verendis*
Vittarum inſignis faleris, fruitúrque laniſtis.

Nam de Veſtali ſcribit, quæ ſpectabat gladiatores. Emebant autem laniſtæ futuros gladiatores, aut expoſiticios pueros huic rei tollebant. Quinctilianus Declamat. CCCXXVIII. *Quantum ad eo pertinet, non habet reſpublica virum fortem. aut illum feræ lacerauerunt, aut aliquis (quod multo ſit indignius) ſuſtulit leno aut laniſta.* Martialis:

Inſpexit velut emptor aut laniſta.

Tota autem manus quæ ſub vno Laniſtâ, Familia appellabatur: & eum dicebant Familiæ præeſſe. Cicero pro Sullâ: *At præfuit familiæ Cornelius. Iam ſi in parandâ familiâ ſuſpicio eſt nulla; quod præfuit, nihil ad rem pertinet.* Nam hunc Cornelium ſcilicet fuiſſe pro laniſtâ. In lapide priſco MVNVS. FAMILIÆ. GLADIATORIÆ. Suetonius Auguſti cap. XLII. *Cùm venalicios & Laniſtarum familias vrbe expuliſſet.* Seneca de Beneficiis: *Laniſta, qui familiam ſuam ſummâ curâ exercet atque ornat.* Hinc natum prouerbium Ciceroni familiare, Ducere familiam: quod idem cenſeo ac familiæ præeſſe, ſumptúmque ab hac ipsâ laniſtarum præfecturâ. Cicero in Antonium: *Lucius quidem frater, vt qui peregrè depugnauit, familiam ducit.* Idem alibi: *Sententia, quæ familiam ducit.* Et: *Accedit, quòd familiam ducit, in iure ſcientiæ.* Nam qui caput in aliquâ re princépſque, bene Ducere eum dixeris & Ducem. Sic in Hiſtoriis paſſim Ducere ordines; in Quinctiliano, Ducere claſſem. Nec vis verbi huius adhuc ſatis intellecta: non certè ab iis qui Adagia nobis concinnarunt. Hi iidem Laniſtæ, honeſtiori & inuidendo verbo Doctores dicti. Valerius lib. II. *Ex ludo C. Valerij Scauri doctoribus gladiatorum accerſitis.* Quinctilianus Declamat. CCCII. *In ludo fuit. Fuerunt & doctores, & medici, & miniſtri: neque tamen illo gladiatorum nomine tenentur.* Et Magiſtri. Cicero III. de Oratore: *Magiſter hic Samnitium ſummâ ſenectute eſt.* Videlicet quia gladiatores nouitios & tirones docebant. Quin iidem Commentari dicuntur, & dare Dictata: verbis omnibus à meliore ludo ſumptis. Cicero de Magiſtro Samnitium: *cottidie commentatur.* Cæſar apud Suetonium, à pleriſque Senatorum & equitum precibus eniſus eſt, *vt ipſi diſciplinam tironum ſuſciperent, & exercentibus Dictata darent.* Tertullianus ad Martyres: *Nec tantus ego ſum, vt vos alloquar. ſed tamen & gladiatores perfectiſſimos non tantùm magiſtri & præpoſiti ſui, ſed etiam idiotæ & ſupernacui quique adhortantur de longinquo: vt ſæpe de ipſo populo Dictata ſuggeſta profuerint.* Nec ineptè, Dictata: quia tenerâ præcepta ſua armorum, commiſêre etiam ſcripto. Iuuenalis de futuro gladiatore,

Familia gladiatorum.

Familiam ducere.

Doctores pro Laniſtis.

Et magiſtri.

Commentantur.

Dictata dant.

Scripturus leges & regia verba laniſtæ.

Etiam in ſcripto.

Hirtius gladiatoriam hanc rationem docendi, bene cum militari compoſuit lib. I. de bello Africo: *Cæſar*, inquit, *contra einſmodi hoſtium genera, non vt imperator exercitum veteranum, ſed vt laniſta tirones gladiatores condocefacere. quo pede ſe reciperent ab hoſte, & quemadmodum obuerſi aduerſariis, & in quantulo ſpatio reſiſterent, &c.* Ait, tirones gladiatores. quia in ludo genera duo, Tirones ſiue nouitij, & Veterani nobiliores, & vſu longo edocti. ad Tirones cura & inſtitutio præcipuè pertinebat. Symmachus lib. II. Epiſtolar. *Nam gladiatura idoneos communis cura proſpiciet, quæ pars in apparatu Quæſtorio prior eſt, vt auctoramento lectos longus vſus inſtituat.* Quinctilianus: *Et inter dedita noxæ mancipia contemptiſſimus*

Tirones dicti in ludo.

tiro gladiator, vt nouiſſimè perderem calamitatis meæ innocentiam, diſcebam cottidie ſcelus. Ratio modúſque inſtituendi, vt rudibus batuerent cum Laniſtâ. Suetonius Caligulâ: *Myrmillonem è ludo* (malim, *in ludo*) *rudibus ſecum * batuentem, & ſponte proſtratum confodit ferreâ ſicâ.* Siue etiam ad palum exercerentur, militum inſtar. Vegetius lib. I. cap. XI. *Palorum enim* (malo *palariorum*) *vſus non ſolùm militibus ſed etiam gladiatoribus plurimum prodeſt.* Sed prius illud de Rudibus, propriè, Batuere dicebant: & gymnaſium ipſum, Batualia. Gloſſæ priſcæ, *Batualia, γυμνάσια τῶν μονομάχων.* Adamantius Martyr: *Batualia, quæ vulgò Battalia dicuntur, exercitationes gladiatorum vel militum ſignificant.* Nec malè addit litterator ille de militibus. nam & ij interdum rudibus pugnabant, ludendi exercendiue cauſſâ. Liuius libro XXVI. Scipionis curam in milite formando deſcribens: *Tertio die rudibus inter ſe in modum iuſtæ pugnæ concurrerunt.* Ita vetus liber, qui apud Lipſium: non, ſudibus, vt præferunt vulgati. Firmat Polybius, qui eâpſe in re ξυλίνας μαχαίρας dixit: *gladios ligneos.* Id autem, ni fallor, Rudis: gladius, inquam, è * ligno. Suadeor Dionis etiam loco, in Commodo, qui poſt meridiem exercitia eius cum gladiatoribus denarrans: ἤσκει δὲ, inquit, καὶ ἐχρῆτο τῇ ὁπλίσει τῇ τοῦ Σεκούτορος καλουμένου, τὴν μὲν ἀσπίδα ἐν τῇ δεξιᾷ, τὸ δὲ ξίφος τὸ ξύλινον ἐν τῇ ἀριστερᾷ ἔχων; id eſt, *Exercebatur, & in vſu habebat armaturam Secutoris dictam: clypeum dextrâ, gladium ligneum ſiniſtrâ praeferens.* Ait enim clarè ξίφος ξύλινον: ad batuendum ſcilicet, non pugnandum. Itaque Baculos eos appellat Capitolinus in Gallienis: *Pugiles baculis, non veritate pugilantes.* Ita enim ego emendē, cùm vulgò ſit, *faculis*, ex quo alij, *facculis*, me indice, haud aptè. Tamen vulgò aliter iudicant, ſcio: & ſatis habent dixiſſe Rudem, baculum fuiſſe. At ego etiam aliud eos doceo in rude. Duplicem eam fuiſſe: Laniſtatum, & Tironum ſiue exercentium. Laniſtæ ſua rudis, quâ ſecerni cognoſcique potuit. eam dico è ferulâ fuiſſe, & ferulam etiam nominari à priſcis. Dio in Commodo: ἐπελήγωνίζετο δὲ αὐτῷ γυμναστής τις, ἢ καὶ μονομάχος, νάρθηκα ἔχων. id eſt: *Pugnabat cum eo Laniſta quiſpiam, vel etiam gladiator, ferulam habens.* Et nónne diſcriminat apertè? Commodo velut diſcipulo gladium ligneum tribuit: magiſtro ferulam. Seneca ab hoc more ludit in Satyra Menippæâ: *Eum proximo munere, inter nouos auctoratos, ferulis vapulare placet.* Nam noui auctorati, nouitij gladiatores: quos rude ferulâque ſuâ aberrantes laniſta cædebat, velut legitimus magiſter. Nam & hæc res à litterario ludo. Martialis illud tortuoſum & breue, credo, iam capitis, *Vide an te delectet contra retiarium ferula.* id eſt, rudis, contra tridentem. De hac ferulaceâ rude Chariſius: *Rudis, ſcipio quem Laniſta liberandis gladiatoribus gerit.* Gloſſæ: *Rudis, ῥάβδος ἡ τῶν ἐπιστάτου τῶν μονομάχων.* Varro tranſtulit decorè: *Ad te enim rudem agricultura eſſe nunc, olim ad Stolonem fuiſſe dicunt.* id eſt, magiſterium & velut præfecturam agriculturæ. At rudis ad gymnaſia, diuerſa ab hac, & gladij formâ, vt dixi; fortaſſe etiam ponderoſior, grauiorque. Suggerit apud Senecam Latro Portius: *Non eſt vtilis exercitatio, niſi quæ operi ſimillima eſt illi quod exerceat. itaque durior ſolet eſſe vero certamine. Gladiator et grauioribus armis diſcunt, quàm pugnant: diutius illos magiſter armatos, quàm aduerſarius ſuſtinet.* Idémque in militibus notat Vegetius factitatum: lib. I. cap. XI. *Duplicis ponderis illis cratis & claua ideo dabantur, vt cùm vera & leuiora tiro arma ſumpſiſſet, velut grauiore pondere liberatus, ſecurior alacriórque pugnaret.* Hæc exercitatio & velut meditatio nouis gladiatoribus ad cædem. quam Cyprianus, vt cum Lucretio lo-

A

quar, iure increpat inciláque: *Homo,* inquit, *in hominis voluptatem perimitur: & vt quis poſſit occidere, peritia eſt, vſus eſt, ars eſt. Scelus non tantùm geritur, ſed docetur. quid poteſt inhumanius, quid acerbius dici? Diſciplina eſt, vt perimere quis poſſit: & gloria eſt, quòd peremit.*

CAPVT XVI.

Menſa ſecunda. interruptus paullum ſermo de loco: dictúmque per occaſionem de Saturnalitiis muneribus: item de Apophoretis, quæ duplicia; & in menſis, & item in ludis ſpectaculíſque.

B

DICEBAT etiam Pighius: cùm ego ad puerum, Tolle ocius has menſas, & bellaria nobis infer. quæ bellaria? inquit Victor, non opus.

——* τράγημα δὲ
Ὁ εὐφρονιστὴς τοῖς φιλοινόοις λόγος.

Pighianus hic quidem ſermo ante omnia tragemata & mella nobis. Ecce autem dum loquimur, pueri adeſſe nuntiantur onuſti, pomis, pytis, oliuis, palmulis, caricis, aliáque copiâ partim domeſtici, partim exotici fructus. Miſſi erant ab Hieronymo Berchemio, familiari noſtro. Hem! inquam ego. ſemper ita munis noſter Berchemius? Tutores illi dabimus, ne

C

prodigat. At vos pueri grates illi dicite gratias, & rogate cras vt apud nos ſit. Verſúſque ad conuiuas, Amici, inquio, numquam vidi munera magis opportuna: non eò ſolùm quia allata in punctiſtitio, vt ſic dicam, menſæ poſtremæ, ſed quia hoc Saturni die. Morem enim Romanum ſcitis, per Saturnalia, munuſcula miſſitandi vltrò citrò. Spartianus in Hadriano: *Saturnalicia & Sigillaricia frequenter amicis inopinantibus miſit. & ipſe ab his libenter accepit.* Tertullianus de Idololatriâ: *Nobis, quibus Sabbatha extranea ſunt, & Neomenia & feria aliquando a deo dilecta, Saturnalia, & Ianuaria, & Bruma, & Matronales frequentantur. munera commeant, ſtrena conſonant, luſus, conuiuia conſtrepunt.* Martialis:

Saturnalia diuitem Sabellum
Fecerunt, meritò tumet Sabellus.

D

Meminit & Suetonius Auguſto, cap. LXXV. & plures alij. quid enim moror in re tritâ? Tu Pighi, dum interiungis, bibe. Licet, inquit, nam ſitiebam in hoc ſermonum æſtu. puer affunde largiùs. Dum ille bibit, ad me Lernutius, De muneribus mos mihi ſatis liquidus: non æquè de Apophoretis, quæ ipſa donata Saturnalibus lego. Suetonius Veſpaſ. cap. XIX. *Sicut Saturnalibus dabat viris Apophoreta, ita & Kalendis Martij feminis.* Sodes, illuſtra. Ne id quidem Lerouti, inquam ego, in aliâ nocte. Nam Græco eo nomine dicta propriè, quæ in conuiuiis dabantur auferenda. Ipſe Martialis, qui libellum eo indice ſcripſit, interpres,

Præmia conuiuæ det ſua quiſque ſuo.

Et Ambroſius: *Qui ad conuiuium magnum inuitantur, Apophoreta ſecum reportare conſuêuerunt.* Sueto-

E

nius in Caligulâ: *Agitatori Eutycho, * commiſſatione quadam, in Apophoretis vicies HS. contulit.* Nec ignota iſta, ſcio, vobis: illud nouè fortaſſe moneo, Lampridium corrigendum in hacce voce, vitâ Eligabali: *Eunuchos pro aphroditis dedit. dedit quadrigas, equos ſtratos, mulos, baſternas & rhedas.* reſcribendúmque, *pro apophoretis dedit.* Atque hæc, Lernuti, in menſâ Apophoreta. Poſteà tranſlata ea vox ad munera etiã editionũ. Ne enim lineam ſpectaculi huius trãſiliamus, ſcitote fuiſſe ritum vti Editores munuſcula aliqua

amicis

Rudibus batuebant.

** Idē Suet. in Cal. cap. XXXII.*

Batualia.

Etiam milites batuebant.

Correctus Liuius.

Quid Rudis?

** Et quidē pro modo cuiuſque armatura. Thraces in curnone Secutores velut Retiarios dona tus. Fortaſſe etiam è ferro, ſed tamen liber. Vide lib. II. cap. XXI.*

Vide rudem duplicem. Laniſtarum ferulaceā. qualis ſit pira palogerum

** Bellaria eſt, Sermo bonus denſior cupidis dicere.*

Saturnalibus munera miſſitata.

amicis fautoribúſque mitterent, ludis confectis. ea qnoque Apophoreta dicta. Symmachus lib. II. *Filius noſter Symmachus, peracto munere candidato, affert tibi dona Quæſtoria, & ceteras neceſſitudines noſtras pars honore participat. Quæſo igitur vt eius nomine Dyptycha & Apophoreta ſuſcipere dignemini, qui apparatus eius plura & præclara tribuiſtis.* Et ſæpius Apophoretica apud eundem. vt lib. IX. *Non aſpernabere, vt æſtimo, dyptichi & apophoretici oblationem. neque enim graue eſt verecundia tua ſollennia & votiua ſuſcipere.* Libro quinto: *Ad te dyptichum candidati, & apophoreticum librarum argenti duarum miſimus, approbare cupientes editioni te noſtræ non animo defuiſſe.* Nec omittu denique, Apophoretum vel Apophoretam potiùs inter genera vaſorum cenſeri Iſidoro, cuius verba De vaſis eſcarum: *Apophoreta. a Græcis, à ferendo poma vel tale quid nominata. eſt enim plana.* Deſieram ego: ſed excipiens Duza, Bene & benignè doces, de Apophoretis, inquit. ſed auden' tu ea dare nobis? Quænam illa? inquam. magnum ſit quod tibi negem, ô Batâua Syreo. Ex medio, inquit, Saturnalium ritu cereos accenſos. ſcin' cui rei? qui nobis domum prælucean. certè enim iam tempus. Heu, inquam, Morrno, non Syren. —— * ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων? Vix adſedimus etiam, & ſatis de diſceſſu? Caue, caue, ne per hoc Saturni feſtum Saturnum te faciam ego, & nouus Iupiter te dem in vincla.

Apophoreta lanx.

Cerei in Saturnalibus dati.

* quę vox clauſo tibi fugit ab ore?

CAPVT XVII.

Iterum ad gladiatores reditum: déque locis pugna dictum. Ea ſunt, Rogus, Forum, Amphitheatrum, Septa, Circus, Vici & regiones.

AT tu, Pighi, redis in eandem arenam pognatum? Ille ridens, Ego, inquit, iam miſſum me putabam. Scin' quomodò? inquam. vt mihi domino citiùs decretum ſit auctorari, quàm vt te ſoluam. Pergo igitur, inquit. De loco vbi habiti, dixi: locus ſupereſt pugnæ, qui non vnus. Ad rogum enim dati: in foro: in Circo: in Amphitheatro: in Septis: Vicatim & regionatim. Ad rogum olim, in exequiis: iſque antiquiſſimus locus. Poſteà non placuit circumducere populum, & omiſſo rogo ipſi gladiatores funebres in foro dati. Forum ergo locus vetus pariter & diuturnus. Vitruuius: *Italiæ non eadem ratio fuit. Nam à maioribus conſuetudo tradita eſt, gladiatorum munera in foro dari. Proinde ſpatioſiora diſtribuebant intercolumnia.* Idem alibi. *Muneribus quæ à magiſtratibus foro gladiatorum, ſcenique ludorum dantur.* Aſconius in Verrem: *Mœnius exceperat ſibi ius vnius columnæ, ſuper quam tectum proijceret, vnde ipſe & poſteri eius ſpectare munus gladiatorium poſſent: quod etiam tum in foro dabatur.* Ait, *etiam tum*: quia nimirum is mos non prorſus exoleuerat etiam Aſconij, id eſt, Claudij, ætate. Plinij verba cauete vobis imponant, lib. XV. cap. XVIII. *Ara inde ſublata gladiatorio munere Diui Iulij, quod nouiſſimè pugnauit in foro.* ancipitis dico & fallacis ſententiæ verba. Videntur enim adfirmare poſtremum id fuiſſe in foro munus. Falsò. Nam & ſub Auguſto fuit, ex Propertio,

Seu cùm laſciuum ſternet arena forum.

& Tiberius munus gladiatorium duplex dedit, alterum in Foro, alterum in Septis, auctore Tranquillo, cap. VII. At Plinius de ipſo Cæſare ſenſit, nouiſſimum id fuiſſe forenſe munus, illo editore. Tamen cœptum vileſcere & forum. opinor ideò, quia loca ſeſſui & ſpectationi parum apta. Itaque magno ambitu locum in foro Conſules magiſtratúſque clientibus tribulibúſue ſuis adſignabant, & in beneficij loco. Cicero oratione pro Murenâ ſatis multis verbis: ad Atticum lib. II. epiſt. I. *Quæris ex me, num conſueſſem Siculis locum gladiatoribus dare? Negaui. At ego, inquit, nouus patronus inſtituam, ſed ſoror, quæ tantum habeat conſularis loci, vnum mihi ſolùm pedem dat.* Et facit eò decretum Senatus in honorem Ser. Sulpicij: *Senatus placere Ser. Sulpicio ſtatuam pedeſtrem æneam in roſtris ſtatui: circumque eam ſtatuam locum ludis, gladiatoribúſque, liberos poſteroſq; eius quoquò verſus pedes quinque habere*, apud Ciceronem Phil. IX. Igitur ſtructa * Amphitheatra, deſtinata propriè huic ludicro & Venationi. Et plerumque exhinc in iis dati gladiatores: tamen non omiſſo prorſus foro. Etiam in Septis Agrippæ. Suetonius Calig. cap. XVIII. *Munera gladiatoria partim in Amphitheatro Tauri, partim in Septis aliquot edidit.* & idem ſcriptor notat aliàs. Sed & Circus interdum huic rei, vt reperietis in Dione. ſæpe Vici & XIIII. regiones vrbis: quod ſub Impp. factitatum obſeruo. Sed non mihi mens onerare vos copiâ vulgarium exemplorum. Explicui de loco.

Vbi dati gladiatores.

In foro olim.

Plinij ambigua verba enodata.

Forum non aptè extructũ ad ſpectacula.

Diſſiciles in eo loci & in beneficio dati.

* *Ad librũ noſtrum De Amphitheatro.*

Amphitheatra.

Septa.

Circus.

Vici & regiones vrbis.

CAPVT XVIII.

De Spoliario, quod item pars ludi. vnde id dictum, & cui rei vſuíque. Obiter etiam de obſcænâ ludi parte.

HIc Victor, Nimium properas. Quod olim de Haterio Auguſtus, de te Pighi dixerim, Sufflaminandus es. Nam Spoliario quid fiet, niſi locus ei eſt in loco? Caput percuſſit Pighius, & Hem! inquit, videte veſtrum Cyneam. Abſque hoc monitore, res tam illuſtris elapſa mihi erat. Sed retraham. Spoliarium non ipſe ludus, ſed ludi, vt appàret, pars. Ex lapide priſco, quem Tybure vidimus: CVRATORI. MVNERIS. PVBLICI. GLADIATORI. III. QVOT. IS. TEMPORE. HONORVM. CVRARVMQVE. SVARVM. PLENISSIMO. MVNIFICENTIÆ. STVDIO. VOLVPTATIB. ET. VTILITATIBVS. POPVLI. PLVRIMA. CONTVLERIT. LVDVM. ETIAM. GLADIATORIVM. ET. SPOLIAR. SOLO. EMPTO. SVA. PECVNIA. EXTRVCTVM. PVBLICE. OBTVLERIT. Etiam Tertullianus ab ipſis Amphitheatris ſeparat: *Ceterùm à ſæculo coronantur & lupanaria, & latrina, & piſtrina, & carcer, & ludus, & ipſa Amphitheatra, & ipſa Spoliaria, ipſæq; Libitina.* Ductum nomen à re balneariâ. Nam *exteriores cellulæ in balneis, Spoliaria*, dictæ, vt notant Gloſſæ Latinæ veteres: vel, vt Græcæ, Ἀποδυτήριον, *Spoliarium.* Vbi ergo in balneis exuebantur, ſéque veſte exſpoliabant, Spoliaria dicta. & à cauſsâ ſimili, in Ludis. Nam ibi, credo, gladiatorum veſtes, ornamenta. Plinius in Panegyrico de Ærario differens: *Nunc templum, nunc verè deus, non ſpoliarium ciuium cruentarumq; prædarum ſæuum receptaculum.* Imò amplius, locus ille receptor vulneratorum cæſorúmque. Caſſius Seuerus in Controuerſiâ, Debilitans expoſitos. *Produc agedum familiam ſemiuiuam, tremulam, debilem, cæcam, mancam, famelicam: oſtende nobis captiuos tuos. Volo mehercules noſſe illum ſpecum tuum, illam humanarum calamitatum officinam, illud infantium ſpoliarium*: Seneca de Prouidentiâ: *Videant largum in foro ſanguinem, & ſupra Seruilianũ lacum (id enim proſcriptionis Sullanæ ſpoliarium eſt) Senatorũ capita.* Itaq; crebrę illę acclamationes Senatus, mortuo Cõmodo, ſunt ab hoc ritu, apud Lampridium, *Gladiatorẽ in ſpoliario.* &, *Gladiatoris cadauer vnco trahatur: gladiatoris cadauer in ſpoliario ponatur*

Spoliarium quid.

A balneis ducta vox.

Cui rei ſpoliaria.

Quin

Quin & ij, qui ſine ſpe curationis læſi, illic interficiebantur. Seneca epiſt. XCIII. *Numquid aliquem eſſe tam cupidum vitæ putas, vt iugulari in Spoliario, quam in Arenâ malit?* Obſcænam partem ludi in eodem Senecâ lego libro VII. Quæſt. Nat. extremo: nec ſcio an ad Spoliarium; an ad ludi locum fœdum, vbi *Spongia, referam: an potiùs emendem, *artem ludi*, & capiam de iis qui ſponte ſeſe auctorant.

De Senecæ loco.
* De quâ Martial. Quod liceat, infelix damnatæ ſpongia virgæ. & Seneca epiſt. LXXI.

CAPVT XIX.

Finis conuiuij ſermoniſque. per occaſionem de Diludijs. item de ratione inuitandi ad hilaritatem inuſitatâ hodie. Ammianus expletus à coniecturâ. De Mutitatione, Agellius correctus, & Nonius.

DIxi. & ſit iam ſermonum pauſa quæſo. Nam & ſerum eſt, vt video: & in me quidem omnis vis loquendi iam vacuit. Itaque domuitionem paremus. Inclementi vultu ego, Tu Pighi ceſſes? nec pea limites illos eas, quos ipſe tibi poſuiſti? Non ego homo trioboli ſum, ſi id feram. Cras licebit, inquit. nunc te Lipſi, per hanc dexteram oro, mitte. Non, ſi per hanc ſororem læuam quoque, inquam. Et iámne mitto ad Prætorem, vt te nectam? Neca etiam, inquit, ſi voles. Nam mihi decretum in hoc Spoliatio mori potiùs, quàm amplius in hanc Arenam. Lernutius cum Victore interueniens: Hercules multa nox eſt, Lipſi, inquiunt: & tempus abeundi. Ego commotior, Etiam me latrant meæ canes? Sed ſurgebat iam & Duza. Itaque ego, Hæc quidem conſpiratio eſt, inquam. at ſedere ſaltem dum patera iſta circumfertur. Nam Pighio noſtro non alia lege diludia do. Sedit iterum & reſpexit me Duza, Diludia tu quid appellas? Appoſitè ad hanc rem, inquam. Nam, *tempora quæ gladiatoribus conceduntur inter dies munerum quibus pugnatur, Diludia dicuntur*, vti ſcribit ad illud Horatij,

Diludia, quid.

Diſſlicet iſte locus, clamo, & diludia poſco.

vetus ſcholiaſtes. Hic Victor, Verè fortaſſe Commentator, inquit. tamen mihi olim ſententia mea non diſplicet, Diludia eſſe cùm medij ludi alio genere ſpectaculi interrumpuntur, & quaſi diffinduntur. Ita enim mos, vt in mediâ ſæpe comœdiâ aut tragœdiâ, Venationem aut paria aliquot gladiatorum poſcerent, tædij leuandi. Horatius teſtis:

Si diſcordet eques, media inter carmina poſcant
Aut vrſum aut pugiles.

Et Dio: qui Circenſes diffiſos ait Venatione & Athletis interpoſitis, lib. IX. ἄρκτοι, inquit, μεταξὺ τῶ δρόμων τῶν ἵππων ἐσφάγησαν, καὶ ἀθληταὶ ἠγωνίσαντο, καὶ παῖδες Ἀσιανοὶ πυῤῥίχην ὠρχήσαντο: id eſt, *Vrſi Circenſibus interpoſiti & cæſi, & athletæ certarunt, & pueri Aſiatici Pyrrhicham ſaltarunt.* Approbo, ait Duza. Et ſimilis calamitas Terentianæ Hecyræ interuenit, interpoſito funambulo. Eius enim ſententiæ querela illa Prologi,

Ita populus ſtudio ſtupidus in funambulo
Animum occupârat.

Etiam gladiatoribus: vt ſtatim,

Primo acta, placeo. cùm intereà rumor venit
Datum iri gladiatores. populus conuolat.
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco.

Cùm dixiſſet, paterâ acceptâ ego Victorem intuitus, Hanc ita ſpumantem, inquam, Latio & Latiæ. Eduxi, & Victori tradens, Viuamus, inquam; moriendum eſt. Ille abominatus tam triſtè vocem, Quæſo. inquit, vitemus hanc δυσφημίαν in menſâ: & deſpue, ne omen habeat tua vox. Ego riſi, &, Homo religioſiſſime, inquam, ita neſcis morem antiquum? Numquam illi hilariùs ſe inuitabant, quin laceſſerent lætitiam hoc ſermone. Atque adeò ipſa verba, vt protuli, apud Vibium Gallum in Controuerſiâ Senecæ VII. lib. IX. *Conuiuæ certè tui dicunt, Viuamus, moriendum eſt.* Ita lego, non *Bibamus*, cum vulgo. Ritum non vulgatum obſeruo in hac ipsâ admonitione apud Ammianum, lib. XVI. Nam pueri miniſtri cùm lumina menſæ inferrent, ſoliti ſimilia dicere. Ita enim ſuppleam legámque defecta hæc verba: *Malignitate ſimili quidem Agens in rebus in Hiſpaniâ, ad cœnam itidem inuitatus, cùm inferentes veſpertina lumina pueros exclamaſſe audiſſet ex vſu, Vincamus* pe-run......lem ne......interpretatum, atrociter deleuit nobilem domum.* Lego, *Viuamus, pereundum eſt.* addiditque Ammianus calumniatorem aliquem ſic interpretatum eſſe, ſolemne verbum, tanquam machinaretur Dominus ille aliquid magnum, & eum exitij ſui metu coniunctum.ant, tanquam id detorſiſſet in ſæuitiam Imperatoris, ſub quo omnibus pereundum eſſet. Hoc ecphonema etiam in veteri inſcriptione ſepulchrali,

Inuitandi mora, priſca ...

Seneca locus correctus.

* At ... Ammiani ...

AMICI.
DVM. VIVIMVS.
VIVAMVS.

Et ſententia non ſemel obuia in poëtis. Quid autem dices, ſi ipſum cranium mortui inferre in menſam ſoliti, huic rei? Epigramma Græcum diſertè:

Cranium mortui.

Ἡ φιλοχρύσου χρεώνοντα πανοπλία, ἀρτολάγυνος
Αὐτή, καὶ δρεπτῆρες ἐκ φιδάλων σίφωνος,
Καὶ τοῦτο φλιχίνεω προάστεον ἱερὸν ὀστοῦν,
Ἐγκεφάλου ψυχῆς φρίκεον ἀκρόπολιον.
Πῖνε, λέγει τὸ γλύμμα, καὶ ἔσθιε, καὶ περίκειο
Ἄνθεα. τοιοῦτοι γινόμεθ' ἐξαπίνης.

Sed & in Trimalcionis conuiuio apud Petronium: *Potantibus & accuratiſſimè lautitias nobis mirantibus, laruam argenteam attulit nobis ſeruus, ſic aptam, Vt articuli eius vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cùm ſuper menſam ſemel iterúmque abiecîſſet, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adiecit,*

Heu heu nos miſeros: quàm totus homuncio nil eſt.
* * *
Sic erimus cuncti, poſtquam nos auferet Orcus.
Ergo viuamus, dum licet eſſe bene.

Quod ab Ægyptio quidem ritu videtur, qui e ... ipſum mortui inferre conuiuio ſoliti, cum monitione, Ita breui omnes futuros. Plutarchus auctor in Conuiuio. Hîc Lernutius: Morem aſperum, inquit, & non longè à Scythis; quibus etiam potus in cranio mortuorum. Quin & hodie, vt audio, apud quoſdam noui orbis Indos. Tamen inuitatio illa in ſpecie barbaræ, optima. Quid enim homulli ſumus? aut quamdiu hæc vita! Ite mortales, & magnis cogitationibus animum implete: cras morituri. Et in calore illo ſimul effudit hos Anapæſtos:

Vita fluxa.

Miſerum, miſerum, mortale genus,
Cui vix orto fatum aborti eſt:
Heu quàm fallaci iactaris
Turbine vita!
Ille ſuperbi limina regis
Ambit, & alter populi faſces:
Alter nullo fine parandi
Aurum congerit, & congeſto
Pauper in auro eſt.
Ah neſcitis viuere, nec mori.
Moneo, moneo, ponite curas:
Curſu præcipiti ruit ætas.
Ludite, viuite, dum breuia ſinunt
Penſa ſororum.

Cum

Cum fine verſuum omnes ſurgebant. Duzam ego laciniâ tenui, Atque audin? inqoam, iam opus viuere. Imò Bitere, ait, vt Comici noſtri loquebantur. Tempus nos admonet; certè ſomnus. Non etiam mitis? Polypus mihi vidêre: ita quidquid tetigeris, tenes. Mittam in hanc legem, inquam, vti cras iterum apud me ſis. Imò apud me, ait Lernutius. Sit enim hæc per dies hos feſtos quædam, vt antiqui dicebant, Mutitatio. Mirantibus nouitatem verbi, Ita dico, inquit, Mutitatio. Agellius: *Legitur in Atteij Capitonis Coniectaneis Senatus decretum vetus, in quo iubentur principes ciuitatis, qui ludis Megalenſibus mutitarent, id eſt mutua inter ſe conuiuia agitarent, iurare apud Cos.* &c. Vbi lego fide codicum, *mutua inter ſe dominia agitarent.* Dominus antiquis, Præbitor: & Dominia, præbitiones hilariores. Lucilius: *Primùm dominia*

Mutitatio priſcorum. Agellius correctus.

A *atque ſodalitia omnia tolluntur.* Cicero Frumētariâ in Verrem: *Huius argento dominia veſtra, huius ſignis forum comitiúmq; ornari.* Mutilus hic Tullij locus apud Nonium in Dominus: *Cicero Frumentaria: Adria argento dominos veſtra:* facilis ex Cicerone correctu. Ad hæc alternantia conuiuia Virgilius reſpexit,

Mutuáque inter ſe læti conuiuia curant.

Etiam Pindarus Ode I. de Tantalo, qui, *ἀμοιβαῖα θεοῖς δεῖπνα παρέχοι*: id eſt, *alternantia conuiuia diis præbet.* Occopauit reſpondere Duza. Ergo apud te Lernuti in prandio cras erimus. Nam hic Lipſius petit tanquam Cæſaris candidatos. Etiam irrides? inquam. At enim Berchemium vocaui. Igitur & is apud nos erit, ait Lernutius. Tu abi, & cùm nos bene curaſti, valetudinem tuam cura. Et cum dicto facta diſceſſio, vel vt ego appellabam, fuga.

Et Nonat.

IVSTI LIPSI SATVRNALIVM SERMONVM

LIBER II.

CAPVT I.

Quid ante diei ſecundi conuiuium. cum Victore diſſertatio ſuper Taciti loco, de inuentione genti apud Germanos. crebra manuum lautio antiquis.

A SECVNDVS dics erat, quo Lernutio conſtitueramus: venitque ad me ante conuiuij horam Victor. Iámne vales? inquit. Ab animo Victor, inquam: à corpore (vt Auguſtus loquebatur) betizo. Quid ergo mirum, inquit, a morbo tam propinquo? Sed animum, quod purgas; crede mihi, ab illo fonte hic languor. Studia animum, animus corpus fatigauit. Nec vultu aſpernêre. Eſt enim & animorũ laſſitudo quędam, non minor quàm corporum, ſed occultior: quæ fugienda nobis, & ſcintilla illa diuini ignis non obruenda eſt. Sed cui rei in menſâ libri? quos peius odiſſe te volo, quàm fullo vlulam. Ne erres Victor, inquam: libris nihil nunc facio pericli. Tacitum aluci-

B nans modò in manus ſumpſeram, atque aliud agens. Ecce autem verſabar & vexabar in loco iſto, De Germanorũ moribus. *Aurum & argentum propitij an irati dij negauerint, dubito. Nec tamen affirmauerim, nullam Germaniæ venam argẽtum aurúmue gignere. quis enim ſcrutatus eſt? poſſeſſione & vſu haut perinde afficiuntur.* Negat ecce clarè inuentã in Germaniâ argenti venã, quæſitámue. At contrà Annali xi. *Non multo pòſt Curtius Ruffus eundẽ honorem adipiſcitur, qui in agro Mattiaco recluſerat ſpecus quærendis venis argenti.* Quæ inuentio argenti, quinquaginta, ante hũc libellũ Taciti ſcriptum, annis. Non cõcilio prorſus. Libri veteres, *in agro Machiaco.* Igitur lego, *Maciaco*, vel, *Mazyaco.* Nõ enim apud Germaniæ Mattiacos hæc Curtij foſſio, vt arbitrãtur: ſed apud Macas vel Mazyas Africæ

C populos. cui ipſi prouinciæ hic Curtius præfectus. Plinius certè in Germaniâ venã argenti nullam, ambiguè æris cõmemorat: & multis ſæculis pòſt, inuentionem hanc adſignant medij tẽporis ſcriptores. Ditmarus li. 11. Chronicorum: *Temporibus Othonis aureum illuxit ſæculũ, apud nos inuentâ primùm venâ argenti.* Windichindus monachus (vixit ante annos DC.) lib. III. *Ergo qualiter Otho Romanos duobus prœliis vicerit, terra Saxonia venas argẽti aperuerit, imperiúmque eũ filio quàm magnificè dilatauerit, noſtra tenuitatis non eſt dicere.* Hæc taliáque, Victor, hiſtorica & oblectãtia muginabar. Ne iſta quidem fas, inquit. ſed eamus. Sol iã duodecimã lineam tangit. In viâ eramos; ecce obuius nobis Duza. Bona ſcæua eſt, inquam. ca-

Taciti non certa hiſtoria locus.

De argento apud Germanos reperto.

Tacitus forte emendatus.

A pio ex nomine tuo omen hodiernæ voluptatis. Sed quod herè oblitus, Hautenos noſter qui valet? ille flos poëtarum? Nam certè hoc elogiũ illi debemus, Vnũ eſſe inter Belgas, qui noſtrâ linguâ viam viderit ad carmen. Ille quidẽ rectè, inquit: & te amat. Sed carminũ eius famã ſcis quàm premant iudicia vulgi. Nempe vulgi, inquam: ſed dic illi à me, ſodes: peruincet hãc nouitatis inuidiã: & vt arbores quædam, ſic fama eius æternior erit, quò tardiùs creſcet. Pulchrũ eſt cũ Manilio gloriari, —*nec in turbã, nec turbæ carmina ſcribo.* In his ſermonib. peruentũ ad Lernutij ædes. Triſtior nobis viſus. Itaque Duza ad illum,

Quis iſtic voltus, quæ caligans triſtitas?

Parumne in tempore, aut parum grati aduenimus? Ille ſingulos amplexus, Vos quidem opportuni &

B gratiſſimi, inquit. Pighius dedit me in hunc rumorem, qui puerum iam nunc miſit, & renuntiari iuſſit: Negotium ſibi natum eſſe. Id tu triſtis? inquam ego. Ne veniat. an de illius veſpere victuri ſumus? & ſuccidaneum ecce tibi hunc Berchemium do, qui in portâ. Simul intrauit Berchemius, & ad eum Lernutius, Tu certè fidem amas, & te fides. Naſiternam huc puer: lauate. Non ego, ait Victor: iam antè laui. Hem! ait Lernutius, adeò remotus à more priſco? qui non ante menſam modò, ſed in conuiuio meliore per ſingula fercula & miſſus lauabant. Ita apud Athenæum lib. IIII. cap. I. in Carani Macedonis conuiuio iam medio leges: καὶ ὡς ἅδην εὐχόνδρ βρώσεως, ἀπονιψάμεθα: *& cùm ſatis cibi ſumpſiſſemus, manus lauimus.* Iterúmq; poſt aliud ferculum: καὶ ἀπονιψάμενοι τὰς χεῖρας ἐστεφανούμεθα: id eſt, *& manus loti

C coronas ſumpſimus.* Apud Lampridiũ in Eligabalo: *Exhibuit aliquando & tale conuiuiũ, vt haberet viginti duo fercula ingentiũ epularum, & per ſingula fercula lauarẽt.* Idem in eodẽ Principe: *Paraſitis in ſecundâ menſâ ſæpe ceream cœnam, ſæpe ligneã, ſæpe eburneam exhibuit: cùm tantùm biberẽt per ſingula fercula, & manus quaſi comediſſent, lauarẽt.* Hoc quidem moleſtum more Romano, inquit Victor. Quomodo enim in lecto? & ſurgebántne? Minimè, inquit. ſed auertebant à menſâ. Sidonius bene adſignificat, lib. I. cùm apud Cæſarem epularetur: *Retrorſúſque conuerſus, tanquam manibus aquam poſtularem, tantúmque remoratus quãtum ſtibadij circulum celeratia miniſteria percurrũt, cubitũ thoro reddidi.* Fateor Lernuti, inquit, hoc me hodie doces.

In vero conuiuio Romani manus ſæpius lauabant.

Crinſandi caloriu.

CAPVT

CAPVT II.

In ipſo conuiuio, de Carptorum munere & vario nomine. Item de Structoribus. Tranſlatus cœptus ſermo ſermo à Pighio ad Duzam.

IAM adſederamus, & illatæ ſunt epulæ ſanè lautæ, & quæ (vt Plauti iocus) cinerem non quærerent. Inter alia Capus, qui magnitudine ſua omniū oculos in ſe conuertit. Tamen ad nos Lernutius: Mi hoſpites, inquit, pauca præſtinaui. Nam per hos dies, vt ſcitis, promiſcuæ cænæ non ſolùm caode, ſed vacuefaciunt annonam macelli. Itaque hic Capus prandij noſtri fundus & fundamentum eſt. Tu Duza, diuide B hunc ſpadonem, quod ſine fraude legis *Scantiniæ* ſit. Carptor hic ego? inquit Duza. tibi hoc ius erat in domo tuâ. Mirantibus, vt videbatur, nobis inſolen- **Carptores qui.** tiam vocis: Duza, Carptores, inquit, antiquis dicti, qui cibum ſcindentes carpentéſque præminiſtrarent. Iuuenalis:

——carpteres, archimagiri.

Stabilita Iuuenalis lectio. Vbi tamen, *fartores*, &, *captores* ſubſtituunt non boni arbitri veterum conuiuiorum. Proprium enim huic muneri Carpendi verbum. Apud Petronium Trimalcio, quaſi per delicias, identidem imperat, Carpe: & explicat conuiua veteranus, *Vides illum qui obſonium carpit? Carpus vocatur. itaque quotieſcumque dicit, Carpe, eodem verbo & vocat & imperat.* Quod C proinde eſt, quaſi tu Lernuti hunc puerum pocillatorem voces Fundum. **Sciſſores.** Sciſſores iidem dicti. Petronius: *Proceſſit ſtatim ſciſſor; & ad ſymphoniam ita geſticulatus laceraut obſonium, vt putares Darium hydraule cantante pugnare.* Qui locus ſatis indicat, cur eoſ- **Cheironomontæ.** dem Cheironomontas Iuuenalis dixerit —— *& cheironomonta volanti Cultello* —— Itémque Sidonius lib. IIII. *Inter Apicios epulones, & Byzantinos chi-* **Diribitores.** *ronomontas.* Neſcio an eos ipſos, Diribitores dixerit Apuleius lib. II. *Diribitores pluſculi ſplendidè amicti, fercula copioſa ſcitulè ſubminiſtrata.* an potiùs, qui fercula puerorum manibus allata commodè diſponerent & collocarent (vt ille iocatur) velut ſub ſignis. Vtraque certè notio in verbo veteri Diribendi. Hos D **Structores.** tamen poſtremos, verbo magis trito Structores nu minabant. Iuuenalis:

Structorem intereà, ne qua indignatio deſit,
Saltantem ſpectes.

Petronius: *Proprium conuenientémque materiæ ſtructer impoſuerat cibum.* Athenæus lib. IIII. Ἰόβας ὁ βασιλεὺς τὸν αὐτὸν εἶναί φησι τραπεζοκόμον, τὸν ὑπὸ Ῥωμαίων καλούμενον στρούκτορα. id eſt: *Iuba rex eundem cenſet Græcorum* τραπεζοκόμον (quaſi dicas menſæ Curatorem) *cum eo quem Romani Structorem dicunt.* In hoc verbo **Seneca emendatus.** Senecam velim emendari libro De vitâ beatâ, cap. XVII. *Quare ars eſt apud te, miniſtrare? nec temerè & vt libet collocatur argentum, ſed peritè ſeruatur, & eſt aliquis ſcindendi obſonij magiſter?* reſcribíque, *peritè ſtruitur.* Tertullianus libello De cultu: *Structores capil-* E *latura*, paullò aliter dixit. Deſierat Duza, excepit Lernutius, De verbo optimè, ô magiſter: rem vide. Et ſimul admouit lancem. Duza capum etiam atque etiam adſpiciens, Heu gallum decumanum! inquit. & mirum ni iſtum ſubmiſerint Brugæ tuæ. Ita eſt, inquit: ſed tu Carpe carpe. Quàm pinguis autem! ait inter carpendum Duza. viden', Lipſi, quis fructus cælibis vitæ? Fateor, inquam: & cælibem quaſi cælitem agnoſco, nec in alio etymo Grammaticis credo magis. Sed vt epulæ tam lautæ condimentum aliquod habeant; placétne Lernuti in Arenam redeamus, ſpectatum Gladiatores? Placet maximè, inquit. Hæret enim adhuc animo meo heſternus Pighij ſer-

A mo: cum delectabili recordatione veterum morum. Atque vt ij qui ſymphoniam audierunt, ferūt ſecum in auribus modulationem illam & dulcedinem cantus: ſic ego in animo narrationem Pighianam. Sed quis abſente illo nunc Editor? Quis niſi tu dominus? inquam. Ita enim ius, mos, vt qui menſam, præbeat & ludos. Ain' tu? inquit. At per meam editionem, ætatem eſtote ſine ludis. Et pugnē ipſe potiùs, quàm vt edam. Cur non autem noſter Duza? —— ὥσπερ μοι πολλὸν ἀμείνων. Conuerſi taciti omnes ad Duzam ſumus, quaſi rogantes. At ille, Amici, inquit, vnde mihi ea vis? ab ingenio tantùm, an à memoriâ poſſim? Denique cœpit herè Pighius, & vniuerſum hoc ar- B gumentum diſpoſuit & intra ſeſe formauit. Eam partitionem ordinémque quâ diuinatione adſequar? Illud modò fiet, vt, ego ipſe qui ludos paro, vobis ſim ludus. Imò omnes nos in partem iuuabimus, ait Berchemius: ſpondeo. Et ego reſpondeo, inquam: aude modò. Æſtuo, ait Duza,

——velut minuta magno
Deprenſa nauis in mari, veſaniente vento.

Hinc preces veſtræ ſunt: illinc molimentum rei & difficultas. Tamen quoniam iubetis (nam mihi amicorum preces, iuſſa) aggrediar, & quod in hac re appoſitè dicitur, * Gladiator in arenâ conſilium capiam. *** Prouerbium apud Senecam epiſt. XXII.**

C

CAPVT III.

Propoſitio dicendorum. primóque de conditione gladiatorum, quoſdam ſeruos eſſe aut quaſi ſeruos: quoſdam initio liberos, imò nobiles. Equites Senatoréſque paſſim arenâ ſe polluiſſe. quod aliis Principibus permiſſum, aliis vetitum.

COMPOSVIT ſe Duza ad dicendum: nos ad audiēdum. Et meditatione aliquâ interpoſitâ, ſic infit: Quattuor, vt meminiſſe potui, limitibus terminatus à Pighio hic ſermo: Origine, Loco, Homini- **Quæ dicenda Duzæ.** bus, Modo. Priores duo benè & legitimè ab eo deſti- D tuti ſunt: tertium nunc collocabo, & de Hominibus duo dicam. Quæ conditio gladiatorū fuerit: & Quæ eorum genera, quódque diſcrimen. Ad conditionem quod attinet: è ſeruis plerumque cōperior fuiſſe, aut captiuis. Serui aut vendebantur in ludum, aut damnabantur. De venditione Tertullianus: *Olim* **E ſeruis.** *captiuos, vel malo ingenio ſeruos emercati.* Et Suetonius Vitellio: *Aſiaticum ob nimiam contumaciam & ferocitatem grauatus, circumforaneo laniſtæ vendidit, dilatúmque ad finem muneris repentè ſurripuit.* Adeóque id increbuit, & ob leuem ſæpe cauſſam: vt Hadrianus Imp. *Lenoni & laniſtæ ſeruum vel ancillam vendi vetuerit, cauſſâ non præſtitâ*, ait Spartianus. De damnatione, **E dānatis** E paſſim hiſtoriæ & legum libri, vbi damnati ad * gla- *** Diſcrimē tamen aliquod Vlpianus facit inter Damnari in ludum & ad gladium. Cuius verba infrà cap. XXI.** dium, leguntur, vel ad gladij ludum. Sic enim etiam loquebantur. Capitolinus in Macrino: *Seruos qui à dominis fugiſſent, repertos, ad gladij ludum deputabat.* Eos conquiri mons etiam in prouinciis fuit; ex Tacito, qui lib. III. Annal. in Galliâ nominat, *E ſeruitiis gladiaturæ deſtinatos.* De Captiuis etiam, non igno- **E Captiuis.** tum. Aut enim venditi illuſtri laniſtis, aut ab Impp. poſtquam in triumpho ducti, dati in ludum. In vitâ Probi: *Edita gladiatorum paria trecenta, Blemmis pleriſque pugnantibus qui per triumphum erant ducti, pleriſque Germanis & Sarmatis.* Vopiſcus de triumpho Aureliani: *Per ordinem ducta gladiatorum paria octingenta, præter captiuos gentium barbararum.* Sæpe & ſine triūpho. In vitâ Claudij: *Claudius omnes*

qui rebelles animos extuler int, caput, atque in vincla Romam etiam missi ludo publico deputatos. Ad captiuos pertinere Tertulliani querelam puto: *Certe quidem & innocentes gladiatores in ludum veniunt, vt voluptatis publicæ hoſtiæ fiant.* Serui ergo captiuique primò ad hoc munus. Sed paullatim etiam liberi & ingenui, nullâ quidem aliunde vi, ſed pretio inducti vel malâ libidine pugnandi. Vtrunque genus coniunxit Liuius lib. XXVIII. *Gladiatorum ſpectaculum fuit, non ex eo genere hominum ex quo laniſtis comparare mos eſt, ſeruorum delectu ac* * *liberorum qui venalem ſanguinem habent: gratuita omnis pugnantium opera fuit.* At de liberis, Labienus apud Senecam patrem lib. X. Controuerſ. *Curatis quis ex ſolitudine infantes auferat, perituros niſi auferantur: non curatis quod iuuenum miſerorum ſimplicitatem circumueniunt, & ſpecioſiſſimum quemque maximè idoneum caſtris, in ludum conſciunt.* Tertullianus ad martyres: *Quot otioſos adfectatio armorum ad gladium locat? Certò ad feras ipſas adfectatione deſcendunt, & de morſibus & cicatricibus formoſiores ſibi videntur.* Lactantius lib. V. cap. IX. *Et quod eſt ſceleratius, vt ſine religionis antiſtites, qui nec vita quidem ſua parcant, ſed extinguendas publico animas vendant.* Manilius lib. IIII.

Etiam è liberis Qui pretio ſe vendebant.

** Malè vulgò liberorum.*

Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ:
Atque hoſtem ſibi quiſque parat, cùm bella quieſcunt.

Sæpe & nobiles, re comeſâ.

Et verò paullatim, non deſidentibus ſed corruentibus moribus, eò ventum, vt primæ nobilitatis viri operas arenæ locarent: quidam deſperatione & bonis exuti, alij principibus gratificantes. Seneca epiſtolâ centeſimâ: *Aſpice illos iuuenes, quos ex nobiliſſimis domibus in arenam luxuria coniecit.* Idem epiſt. LXXXVII. eleganter: *O quàm vellem Catoni nunc occurrere aliquem ex his troſſulis in viâ diuitibus, curſores & Numidas, & multum ante ſe pulueris agentem. Hic ſine dubio cultior comitatiórque quam M. Cato videretur: hic, qui inter illos apparatus delicatus cùm maximè dubitat, vtrum ſe ad gladium locet an ad cultrum.* Ludit ſuauiter in homines inopes ſui æris, diuites alieni: qui re cum ſpe conſumptâ, ad extremum deliberant Gladiatores fiant an Venatores. Id enim valet, Ad cultrum. Putaui aliqoando; *ad pulpitum*, blandiente coniecturâ, ſed vanâ. Nam culter propriè venatorum. Suetonius Augusto: *Laxa quidam cultro venatorio cinctus.* Martialis ad lēma *Culter venatorius*:

Seuera explicatur.

Culter venatorum.

Si deſecta gemes grandi venabula roſtro,
Hic breuis in grandem cominus ibit aprum.

Sed ad dictum more Iuuenalis de nobilibus ſui æui:

——quanti ſua funera vendant
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone.
Nec dubitant Celſi prætoris vendere ludis.

Quin vulgò iam ſub Principibus equites polluti arenâ & Senatores. Origo prima terè à C. Cæſare, opinor: *cuius munere in foro, depugnauit Furius Leptinus ſtirpe prætoriâ, & A. Calenus Senator quondam actórque cauſſarum*, ait Suetonius in Iulio capite XXXIX. Dio hoc amplius, permiſiſſe eum equitibus Romanis vti pugnarēt, lib. XLIII. Eóque temeritas hæc, ſiue inſania fuit, euaſit, vt lege cauere Auguſtus debuerit μήτε βουλευτὴν μονομαχεῖν, μήτε δοῦλον ῥαβδουχεῖν, *nec Senatorem gladiatorem fieri, nec ſeruum lictorem.* Equitibus tamen palàm id permiſit, non ſine admiratione meâ & Dionis lib. LVI. τοῖς ἱππεῦσιν (ὃ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις) μονομαχεῖν ἐπέτρεψεν. *Neque enim*, vt Calpurnius ait, *conditione gladiatoriâ quidquam eſt humilius in vulgo.* Sed denuò id vetitum Senatuſconſulto. Suetonius Auguſti cap. XLIIII. *Ad ſcenicas & gladiatorias operas etiam equitibus Romanis aliquando eſt vſus: verum priuſquam Sc. interdiceretur.* Et fraudē quę huic legi fiebat, repreſſit Tiberius, apud eundem Suetonium cap. XXXV. *Ex iuuentute vtriuſque ordinis* (Senatorium cape & Equeſtrem) *profligatiſſimus quiſque, quò minus in operâ ſcenæ arenæq; edendâ Senatuſconſulto tenerentur, famoſi iudicij notam ſponte ſubibant. Eos omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquã eſſet, exſilio affecit.* Sed non ad Tiberij ſeueritatem Principes ſecuti: qui ſolutè adeò permiſerunt, vt Caligula vnâ commiſſione vigintiſex equites dederit: Nero *exhibuerit ad ferrum quadringentos Senatores, ſexcentóſque equites Romanos, & quoſdã fortunæ atque exiſtimationis integræ ex iiſdē ordinibus, confectoréſque ferarum & varia arenæ miniſteria.* Interpellauit hîc Berchemius, Ais quadringentos Senatores? ſexcentos equites? Extra fidem ea adſeueratio eſt, mi Duza. At fidus huic rei ſcriptor Tranquillus, inquit Duza, cap. XII. Fateor, ait Berchemius: neſcio an fidus exſcriptor. Numeri nimium faciles corruptu. & vereor vt Suetonius ſcripſerit, *quadragenos Senatores.* Vniuerſus ordo patrum lege Auguſti intra ſexcentos: & tam matula ego, vt credam pugnaſſe ex iis infamem hanc pugnam quadringentos? Sed & equites io parte liberò eius culpæ, ſcribóque, *ſexagenos* numero ſatis etiam liberali, quoniam Dio ſub eodem Nerone pugnaſſe duntaxat ſcribit, vnis ludis, triginta: ἱππεῖς, inquit, ἐν τῷ τέλους τριάκοντα ἐμονομάχησαν. Ego ad Berchemium, Faueo correctioni tuæ, inquam. nec magis è Suetonio maculam illam eluis, quàm è nomine Romano. Sed & reliqua Tranquilli ſic potiùs legerim: *Fortunæ atque exiſtimationis integræ. Ex iiſdem ordinibus confectores quoque ferarum.* fulta expleráque ſententia quæ pendens aliter & hiulca eſſet. Duza iterum: Iam viri eſtis, inquit, laudo. Anteà ſilentium veſtrum perpes, & non ex ſponſo: nunc cùm iuuatis, paſcor opere. Igitur pergo. Vitellius quamquam ipſe infamis, infamiam hanc genere quodam ſuſtulit, *cauitque ſeuerè ne equites Romani ludo aut arenâ pollherentur. Priores id Principes pecuniâ & ſæpius vi perpulerant: ac pleraque municipia & coloniæ æmulabantur corruptiſſimum quemque adoleſcentium pretio illicere*, ait Tacitus lib. II. Hiſtoriarum.

Permiſere iterum alij Principes.

Præter fidē in Tranquillo numerus.

Is mutatus.

Iterum correlli... aliàs.

CAPVT IIII.

Feminas imò ipſas deſcendiſſe in hunc ludum: in publico depugnaſſe. donec id vetitum à Senatu.

MIRABAMVR omnes proteruiam illam Romanæ iuuentutis, quæ tam prodiga ſanguinis ſui pariter & honoris. Sed Duza inſurgens, & geſtu ipſo nouum aliquid dicturus, Viros habetis, inquit; vultis etiam Amazonas? Ænigmata loqueris, ait Victor: vnde eæ Romæ? Dico feminas Romanas, inquit Duza. Victor caput mouens, Lamiæ turres dicis, inquit, & pectines Solis. Duza, Ego ſerò loquor, inquit: & iam producã. Hic ego, Apage Duza, inquam, ain' tu feminas pugnaſſe Romæ? Pugnaſſe, ait. Fortaſſe pygiacam pugnam, inquam ridens. Imò illam gladiatoriam veram, inquit. Vel Tacitū tuum audi, lib. XV. *Feminarum Senatorúmque illuſtrium plures per arenam fœdati ſunt.* cum quo in eadem narratione conſentit Dio, in rebus Neronis. Suetonius Domitiano: *Venationes gladiatoréſque & noctibus ad lychnuchos dedit: nec virorum modò pugnas, ſed & feminarum.* Déque hiſdem Domitiani ludis Statius in Siluis:

Feminæ etiam ad gladium.

Hos inter fremitus nouóſque * *luſus,*
Stat ſexus rudis inſciúſque ferri:
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanaim ferúmque Phaſim
Thermodontiacas calere turmas.

** Malè vulgò, luxus.*

Neu

Neu Principes modò cenſete hanc inſaniam inſaniſſe: ecce apud Athenæum priuatus quidam teſtamento cauet, *γυναῖκας δ' εὐπρεπεστάτας μονομαχῆσαι*, id eſt, *pulcherrimas mulieres gladiatoriam pugnam edere.* Hoc adeò verum eſt vt, Seuero Principe, vetandum Senatuſconſulto fuerit, *μηκέτι μηδεμίαν γυναῖκα μονομαχεῖν*, *non vltra feminam vllam ad gladium depugnare.* Et quid dicitis? iamne mihi fides? Fides, ait Victor. Sed ô Vates Euripides! mânibus tuis bene ſit, cum poëtâ Aquinate. Lernutius ridens, Quid culpas? ait. nónne hæc nuda & * Lacæna ſimplicitas? Oculis meis ſpectaculum tale ſit, & Dianis illis Actæon ego.

* Nam ea in gymnaſiis nuda

Duza ſuſcipiens, Ridemúſne etiam? inquit. Atqui non ſolùm feminas veniſſe in has pugnas, ſed pumi- A los & nanos, improbo quodam ſtudio nouitatis. Xiphilinus in Domitiano: *Πολλάκις δὲ τοὺς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει, καὶ ἐνίοτε καὶ νάννους καὶ γυναῖκας συνέβαλλε.* *Pugnas etiam noctu ſæpe exhibuit: & interdum nanos ac feminas inter ſe commiſit.* Ita enim rectè emendauit vir eruditus Theodorus Marcilius, cùm *νέους* legeretur. Papinius de iiſdem Domitiani ludis:

His audax ſubit ordo pumilorum,
Quos natura breui ſtatu peracto
Nodoſum ſemel in globum ligauit.
Edunt vulnera, conſeruntque dextras,
Et mortem ſibi quâ manu minentur
Ridet Mars pater & cruenta Virtus,
Caſſuraq́; vagis grues rapinis.

FEMINÆ.



NANI.



CAPVT V.

Liberos homines qui in Arenam veniebant, propriè Auctoratos dictos. pretium mercéſque eorum Auctoramentum. Vis & effectus Auctorationis. item ſolemne gladiatorum iuramentum.

Duo genera voluntarij gladiatoris.

SED vt veſtigia mea relegam, ex ijs quæ dixi videtis, duplex genus fuiſſe inter gladiatores, Coactos & Voluntarios. Coacti, ſerui, damnati, captiui: Voluntarij, liberi, quique pretio ſe addicebant. Hi poſtremi, propriè Auctorati dicti. Vetus Horatij interpres: *Auctorati vocantur, qui ſe vendunt ludo. Auctoratio enim dicitur venditio gladiatorum.* Gloſſæ priſcæ: *Auctoratus, αὐθαίρετος εἰς δοῦλον ἑαυτὸν βάλλων, καὶ μονόμαχος.* Inde Auctorandi verbum, notione pari. Quinctilianus: *Quidam vt patrem ſepeliret, auctorauit ſe.* Aſinius Pollio ad Ciceronem: *Fadium quendam, quia cùm depreſſus in ludum bis gratis depugnaſſet, auctorari nolebat, viuum combuſſit.* Plinius lib. XIIII. *Vinea in tantum ſublimet, vt vindemiator auctoratus rogum & tumulum excipiat.*

Auctorati. *Auctorare.* *Auctoramentum.*

Ab eodem & Auctoramentum pretium ipſum gladiatoris, & merces. Paterculus: *In eâ iugulati ciuis publicè conſtitueretur auctoramentum.* Seneca: *Quocumque ſe verterit, pretium aliquod præſens occupationis ſuæ inueniet. nullum ſine auctoramento malum eſt.* Cicero: *Merces ipſa in mercenariis, auctoramentum eſt ſeruitutis.* Seneca: *Hominem venalis anima crebris incitabat auctoramentis.* Gladiatorium Liuius appellauit lib. XLIIII. *Deinde in cuſtodiam C. Caſſio tribuno mil. traditus, vix gladiatorio accepto a rege, rex vt in eam fortunam recideret.* niſi mihi legendum, *vix gladiatorio auctoramento, ab rege rex vt in eam f. r.* Nam vulgata non mihi certa. Sed hæc Auctoratio non ſimplex. Quia enim liberi, iuramento ſolemni interpoſito fiebat, quod vinclum ſeruitutis. iurabátque nouitius gladiator, ſe omnia paſſurum auſurúmque, quæ legitimum gladiatorum ius mos eſſet. Formula adeò ipſa iuramenti in Petronij Arbitri fragmentis: *In verba Eumolpi*, inquit, *ſacramentum iurauimus, vri, vinciri, verberari, ferróque necari: & quidquid aliud Eumolpus iuſſiſſet, tanquam legitimi gladiatores domino, corpora animóſque religioſiſſimè addicimus.* Horat.

Iuramentū in auctoratione. *Eius forma.*

> *Quid refert, vri, virgis ferróque necari*
> *Auctoratus eas? an turpi clauſus in arcâ?*

Seneca epiſtola XXXVII. *Eadem honeſtiſſimi huius & illius turpiſſimi auctoramenti verba ſunt, vri, vinciri, ferróque necari. Ab illis qui manus arenæ locāt, & edunt ac bibunt quæ per ſanguinem reddant, cauetur vt iſta vel inuiti patiantur: a te vt volens libénſque.* Alluſit Tibullus:

> *Vre meum potiùs flammâ caput, & pete ferro*
> *Corpus, & intorto verbere terga ſeca.*

Ad tria periurant.

Sed in Senecæ loco *Vinciri* verbum ſuſpectum habeo: & fortaſſe, *Virgari*. In tria enim iurabant, Vſtionem, Verbera, Necem: quæ gladiatores patiebantur ex more. Necem, cùm cecidiſſent, & ferrum iubebentur recipere: flammam & verbera, ſiquando timidiùs pugnarent, aut fugerent à ferro. Acron in Horatium: *Gladiatores ita ſe vendunt, & cautiones faciunt, vri flammis, virgis ſecari, ferróque necari.* Seneca epiſt. VII. exprimens ſæuientis populi voces: *Occide, vre, verbera. Quare tam timidè incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parum libenter moritur? Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis & obuiis pectoribus excipiunt.* Vbi rideatis licet notam oræ appoſitam, *Plagis, id eſt retibus.* Imò verberibus, ô ſtupor; & tu iis dignus. Quinctiliani verba huic rei, in Gladiatore: *Fremebunt vbique omnia apparatu mortis. Hic ferrum acuebat, ille accendebat ignibus laminas: hinc virgæ, inde flagella adferebantur.* Item Tertulliani: *imò qui propter homicidæ pœnam ad ſpectaculum veniat, idem gladiatorem ad homicidium flagellis & virgis compellat inuitum.* Hac fini Loratij fuerunt, vt obſeruo, ſiue Maſtigophori in Arenâ & in Scenâ. Xiphilinus in Nerone: Καίτοι πῶς ἄν τις ἀκοῦσαι μὴ ὅτι ἰδεῖν ὑπομείνειεν, αὐτοκράτορα Αὔγουστον τοὺς ἀγωνοθέτας τούς τε μαστιγοφόρους φοβούμενον, καὶ χρήματα αὐτοῖς κρύφα ἀναλίσκοντα μὴ ἐλεγχθεὶς μαστιγωθῇ. *Quis verò audire nedum videre poſſet, Imp. Auguſtúmque præfectos ludorum & Lorarios timentem? iiſque clam pecuniam ſubminiſtrantem, ne reprehenſus vapularet?* Arcadius Iuriſc. l. XVIII. De muneribus: *Maſtigophori quoque qui agonothetas in certaminibus comitantur, & ſcriba magiſtratus, perſonali munere ſeruiunt.* Mentio eorum & Thucydidi libro quarto, & Polluci lib. III. Apud Euſebium lib. v. Eccleſ. hiſtoriæ in epiſt. Viennenſium & Lugdunenſium, de martyribus qui ad beſtias dati: ὑπέμενον πάλιν τὰς διεξόδους τῶν μαστίγων τὰς ἐκεῖσε εἰθισμένας: id eſt, *Suſtinuerunt iterum reciprocationes flagellorum, ibi vſitatas.*

Maſtigophori.

CAPVT VI.

Factâ fine dicendi de conditione gladiatorum, interlocutiones aliarum rerum inſertæ. De orientalium parcimoniâ, vel abſtinentiâ potiùs, in potu. De nuntiis litteriſque per columbas aut hirundines, etiam in Spectaculis.

MISSVS ſecundus inferebatur; & Duza, dum menſæ commutantur, cibi collocantur, paulliſper interquieuit. Lernutiumque adſpectans, Dic ſodes, domine, inquit: apud Orientis populos natus es tu? Quid iam? inquit Lernutius. Quia enim caninum hoc prandium eſt, ait Duza. mihi certè, qui vinum nō attigi. Neſcio quis autem ſcriptor apud Suidam notat, ita receptum fuiſſe populis ad Ortum, nemo vt vinum infunderet nec biberet quiſquā inter cibum. Verba eius: οἰνοχόει οὐδείς, οὐδὲ νομίζεται παρὰ τοῖς Ἑῴοις βαρβάροις ἐμπίνειν δειπνοῦντας: id eſt: *Nemo vinum infundebat, nec moris eſt apud Oriētales barbaros bibere cœnantes.* Colorem non tenuit Lernutius; & miniſtrum reſpiciens, Scelus pueri, inquit, caſſus oculis manibúſque es tu? Monitū hoc à me oportuit? Tamen Duza, ne neſcias, nouæ imò veteris Italiæ placitus mihi mos, Sitis? poſce. Ita hîc viuitur. Sed de colūbis iſtis guſtas? Pone Victor, ad Duzam. Duza toto vultu renuit. Non ego inquit, non ego. Quid ita? inquit Lernutius. fortaſſe te columbis non amicum? Amiciſſimus ſum ait Duza. Quia ne igitur Syrus es? inquit. Minimè, ait. tamen & nobis Batauis hæ columbæ ſacræ. Iure. vitam & hunc ſpiritum debemus illis. Eæ nobis obſeſſis arcanorum apud ſocios interpretes; eæ litterarum fidæ adminiſtræ; eæ rebus iam deploratis, & tantùm non funere noſtro conclamato, ſolæ indices auxilij ſalutaris. Audita nobis hæc miracula, ait Victor. & tuum tunc robur: ſed miracula apud vulgus. Nam nos exemplum eſſe ſcimus ab D. Bruto, obſidione Mutinenſi. Nam vt tu diſertè ſcripſiſti,

Orientales non bibere ſoliti ad menſam.

> *Quid vigil obſidio, quid arcet,*
> *Aut valla proſunt, per ſpatia inuia*
> *Eunte cæli nuntio?*

Imò Victor, inquit Berchemius, in re ludicrâ inque his ipſis Spectaculis, de quibus cùm maximè agimus, vſus olim ſimilis columbarum. Nam patres familias

Columbæ ad litteras ferendas, in Spectaculis.

qui

A qui in Theatrum aut circum, ibant, vnde non pro arbitrio reditus, columbas ſecum ſinu ferebant; eáſque emittebant cum tabellis, nuntias domum quid vellent. Varro de Re ruſticâ: *Columbas redire ſolere ad locum licet animaduertere, quòd multi in theatro è ſinu miſſas faciunt, atque ad locum redeunt. quæ niſi reuerterentur, non emitterentur.* Atque à theatro, credo, illud Brutinæ militiæ exemplum. Plinius factitatum idem in hirundinibus obſeruat lib. x. *Cæcina*, inquit, *Volaterranus equeſtris ordinis, quadrigarum dominus, comprehenſas hirundines in vrbem ſecum auferens, victoriæ nuntias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ* colore.* Dum fabulamur, Pighius ecce intrat. Gratulatione & ſalute à nobis excipitur; non à Lernutio, qui adductâ fronte, Homo infide, inquit, quid de te merui, vt diem tam feſtum abſentiâ tuâ B redderes nobis infeſtum? Hoc herè pollicitus? Per fidem Lernuti, inquit Pighius, ignoſce. Neſcio quod purgamentum hodie egrediens calcaui: ita notabiliter toto die infelix, & non mei iuris. Et ſimul neſcio quid in aurem Lernutio ſuſurrauit: iterúmque altiore voce, In Catonum poſthac malo, inquit: quàm denuò ad hos Catones. Duza ad illum, Non tu gratus Lernutio? mihi certè. Non ille columbarum liberatricium nuper iucundior aſpectus, quàm nūc tuus. Ecce enim ſuppoſiticium tibi me fecerant boni iſti Editores: at nunc ſcilicet per te ſoluor. Soluā ego te? ait Lernutius. Agite maſtigophori, flagella & ignem. Quid iis facturus? inquam ego. Vt hunc, ait, nouum auctoratum compellam ad cœptam pugnam. Hem! inquit Duza. ab igne mihi cautio eſt, Thetidis marinæ filio. Pateo, magiſter, potiùs. C

Varroni a ligna lux.

** Factionis ſcilicet cuius quæ vocarat puta Veneta, Praſina, &c.*

CAPVT VII.

Reditio ad gladiatores. De generibus eorum & diſcrimine. De Secutoribus primò; cauſsâ nominis: ratione pugnandi, & armis.

Varia genera gladiatorum.

PIGHIO locus ſedendi apud me fuit. At Duza iterum ſic orſus eſt. Quod primùm ergo in Hominibus propoſui, id dixi: Genera ſequuntur & diſcrimen. Nec enim gladiatorum vnum nomen aut vna claſſis: ſed ab armis, à locis, à tempore, aliiſque cauſſis diuerſi. Ea omnia operæ mihi eſt, vt accuratè perſequar: quia nec vulgo nota, & litteratorum noD ſtrorum in his ſæpe error. In primâ claſſe, qui armis & ratione pugnæ diuerſi, colloco iſtos,

SECVTORES
RETIARIOS
THRECES
MYRMILLONES
HOPLOMACHOS
SAMNITES
ESSEDARIOS
ANDABATAS
DIMACHAEROS
E LAQVEARIOS

Secutores qui?

Ordiar à Secutore. is ab inſequendo Retiarium, dictus, ait Iſidorus. Et verum eſt, nam ſecutor propriè adſecla, comes ἀκόλουθος. Iraque extra rem gladiatoriam lego Secutorem Tribuni, Secutorem Cæſaris, muneris operæque nomen. Neapoli in marmore:

Secutor in militiâ, vt videtur ex lapidibus.

TAVRO. SECVTO
RI. CÆSARIS

Romæ ad columnam Antonini:

M. ANTONI. M.F. FAB. PHOEBI
MIL. COH. XIV. VRB. Ↄ. PERENNI
STIPENDIOR. IIII. SECVTOR. TRIBVNI

Et alibi:

M. SIL. ROMVLIANVS
MIL. COH. VII. PR. Ↄ. VICTORIS
SECVTOR. TRIB.

Et fortean ſic dicti milites, qui ex inſtituto priſco Tribunos comitabantur, velut loco apparitorum: de quo Lampridius in Alexandro. Sic & Paulinus Nolanus in epiſtolâ ad militem: *In militiâ ſeculari ſocius & ſecutor contubernij tui fuit.* Ab hac eâdem notione Mars cognomento Secutor apud Mileſiarū ſcriptorem lib. VII. *Grandē hircum, annoſum, & horricomem Marti ſecutori comitique immolant.* quod cognomen ei aptum, cùm ſecundus obſequénſque. Ideò rectè Comitem adiecit Apuleius, velut interpretamentum. Nec abiit ab hac proprietate idem ſcriptor lib. IIII. *Non dū*, inquit, *crūciatus vitā euaſit. quē prioris exemplo ſepulturæ traditum, bonum ſecutorem Lamacho dedimus.* id eſt, qui Lamachum ſequeretur comitaretúrque ad Orci domum. In Petronio etiam lego Secutuleiam mulierem: *Et prò pudor*, inquit, *tanquam mulier ſecutuleia vnius noctis tactu omnia vendidit.* ſi recta lectio eſt, ab hoc eodem etymo, quæ virum appetat & ſectetur ipſa. Quamquam & reſpectus ibi fortè aliquis ad rem gladiatoriam: quia fugitiui illi, quos inducit Arbiter, olim in Arenâ. At Secutorum, inter certa gladiatorum nomina, mentio multa. Cicero ad Atticum lib. VII. *Gladiatores Cæſaris qui Capuæ ſunt ſanè commode Pompeius diſtribuit, binos ſingulis patribus familiarum. Secutorum in ludo ∞. ∞. fuerunt.* id eſt, duo millia. Ita ibi malo, quàm IↃↃ. cum Manutio & aliis, numerum exorbitantē. Quis enim crediderit quinque millia gladiatorum Capuæ fuiſſe, & quidē Secutorianæ, id eſt vnius armaturæ? Iuuenalis:

Mars ad cognomen.

Apuleius interpretatus.

Secutuleia.

Petronius interpretatus.

Numerus in Cicerone vitioſus.

———*cum Graccho iuſſus pugnare ſecutor.*

Lapis Veronæ: AEDONI. SECVTORI PVGN. VIII. Dio in Commodo, ἐχρῆτο τῇ ὁπλίσει τῇ τῶν Σεκούτορος καλουμένων: *vſus eſt armaturâ eorum qui Secutores dicuntur.* Lampridius in eius vitâ: *Appellatus eſt inter cetera triumphalia nomina etiam ſexcenties vicies, Paulus primus ſecutorum.* Vbi optem ſcribere, *Palus primus.* Certè enim nomen eſt vilis alicuius gladiatoris, non cognomen Æmiliæ gentis. Ille autem ſic dictus fuerit, quia immobilis inuictúſque aduerſum oppugnantes, velut palus, ad quem milites exercebantur. Suadet hanc ſcripturam etiam Dio: ἐπέγραφε πρὸς τοῖς ἄλλοις ἐπαινετοῖς αὐτοῦ ἐπωνύμιον καὶ τοῦτο, πρωτόπαλος Σεκουτόρων, ſi diductim tamen legas corrigáſque, πρῶτος πάλος. Nam nomen proprium fuiſſe non dubium, ex ritu quo ſolent victores appellari nomine alicuius celebris gladiatoris. Lampridius: *Nomina gladiatorum recepit eo gaudio, quaſi acciperet triumphalia.* Arma Secutoris deſcribit Iſidorus, neſcio an ex fide: *Secutor eſt ab inſequendo retiarium, dictus. Geſtabat enim cuſpidem & maſſam plumbeam, quæ aduerſarij iaculum impediret, vt antequam ille feriret rete, iſte ſuperaret. Hæc armatura ſacra erat Vulcano. Ignis enim ſēper inſequitur. ideóque cum Retiario componebatur, quia ignis & aqua ſemper inter ſe inimica ſunt.* De maſſa quidem plūbea nihil mihi lectum. & gladium illi tribuit Prudentius:

Corollaria in Lampridio.

Et altera in Dione.

Secutorum arma.

Gladius.

Alterius impreſſo dum palpitat enſe ſecutor.

Clypeum adiungit Dio, de Commodo: τὴν μὲν ἀσπίδα ἐν τῇ δεξιᾷ ἔχων. quē inſerit eius dextræ, non quia id alij Secutores, ſed quia Commodus gloriabatur iactabatúrque eſſe ſcæua. Idem & Galeam: quæ cōmunis gladiatoribus pleriſque. Artemidorus lib. II. aliquid iuuat in ratione Secutoriana pugnādi: *Si quis*, inquit, *cum Secutore compoſitus ſibi videbitur*, εὔμορφον μὲν λήψεται γυναῖκα πλουσίαν, μεγάλα δὲ φρονοῦσαν ἐπὶ τῷ ἰδίῳ, καὶ διὰ τοῦτο καταφρονοῦσαν τοῦ ἀνδρὸς, καὶ πολλῶν κακῶν αἰτίαν ἐσομένην ἀεὶ τῷ ἀνδρί: id eſt, *pulchram quidem fœminam ſibi iunget & diuitem, ſed magnum ſpirantem ob*

Clypeus.

Galea.

CAPVT. XI.

Crebritas munerum, & multitudo pugnantium, ſupra noſtram fidem. Plinius ac Suetonius probabiliter emendati.

INterquieſcente paullùm Pighio, Victor, Non teneo me vltrà, inquit. & quis hic furor? quæ publica clades orbis terræ? Pighius illum intuens, Magis id dicas Victor, loquit: ſi numerum tibi dierum recenſuero, quibus dati: numerum hominum, qui dati. Cæſar Ædilis CCCXX. paria dedit, auctore Plutarcho. Adrianus Cæſar *Gladiatorum munus per ſex dies continuos exhibuit*, narrante Spartiano. Gordianus, *ædilitatis ſuæ tempore duodecim populo Romano munera, id eſt, per ſingulos menſes ſingula exhibuit: ita vt * gladiatorum nonnunquam quingena paria exhiberet, numquam minus centenis quinquagenis*, vt ſcribit Capitolinus. Et nugas adhuc loquor & vitreas fractas, præut Titi editio fuit; qui Gladiatores, Venatus, Naumachias per centum dies dedit, auctore Dione. Quid plura? ecce bonus & moderatus Princeps Traianus, ſpectacula eiuſmodi per dies centum vigintitres continuauit, & gladiatorum decem millia dedit. Tu Lipſi abnutas? dabo fidei meæ cauſſa Dionis ipſa verba. καὶ θέας, inquit, ἐν τρισὶ καὶ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἡμέραις ἐποίησεν, ἐν αἷς θηρία τε καὶ βοτὰ χίλιά που καὶ μυριά που ἐσφάγη, καὶ μονομάχοι μύριοι ἠγωνίσαντο. id eſt, *Et ſpectacula centum & viginti dierum edidit: in quibus feras cicureſque animantes, interdum mille, interdum ad decem millia, interfecta ſunt. gladiatorum autem decem millia pugnarunt.* Itaque magna copia Romæ & in prouinciis gladiatorum: nec diutiùs conniueo in mendâ quæ Plinij codices obſedit libro XI. cap. XXXVII. *Viginti*, inquit, *gladiatorum paria in Caij principis ludo fuerunt, in iis duo omnino qui contra comminationem aliquam non conniuerent.* Veſtram fidem! in magnifici illius & in has voluptates effuſi Principis ludo, dumtaxat viginti paria? At ego ſcio plures ſæpe habuiſſe vnum aliquem è Quiritium plebe. Gordianus ecce Romæ habuit *gladiatorum fiſcalium paria mille*, ait Capitolinus. nec tamen aut imperium tunc, aut ipſe, ad Caligulæ & illius æui opes. Otho Imperator duo millia gladiatorum contra Vitellium armauit, auctore Tacito. credo, ex iis tantùm, qui in Principis fiſco. Fidenter igitur reſcribo, *Mille gladiatorum paria.* & video erroris cauſſam. Notatus apud Plinium ſcilicet numerus fuit, non præſcriptus. Nota autem millenaria hæc olim, in lapidibus obuia, ∞: quæ ignorabilis obiecta exſcriptori. Itaque cenſuit, ſimilitudine aliquâ captus, geminatum X eſſe: fecitque viginti. Nunquam mihi fides apud vos, ſi hodie huius rei ſum mendax. Idem planè mendum in Suetonij Tiberio, cap. LXI. de Principis illius immani ſæuitiâ: *Viginti*, inquit, *vno die abiecti tractique, interque eos pueri & feminæ.* Corrigo vtiliter, *Mille vno die.* Quidni corrigam? Tacitus de eâdem re: *Iacuit immenſa ſtrages, omnis ſexus, omnis ætas, illuſtres, ignobiles, diſperſi aut aggregati.* Quæ hic (vt cum Plauto loquar) paratragœdiat Tacitus, non eſt vt locum habeant in viginti homullis. Denique * hiſtoria ipſa refellit, quam cenſeo legatis in Dione. Quod autem ad rem, de quâ Plinius: certè magis mira eius adſuetatio, ſi inter, tam multos reperti dumtaxat in conniuis oculis duo; non mira, ſi inter viginti.

Crebritas gladiatorũ & munerum.

** Ergo vnius ille hoc minus tribus millibus dedit, vno Anno.*

Incredibilis editio Traiani.

In Plinio mendum oſtenſum.

Et ſublatum.

Millenaria nota ſæpe corrupta.

Etiam in Suetonio.

** Omnes e mim vocati, qui accuſabantur cum Eliano.*

CAPVT. XII.

Deteſtatio huius verè ſceleris. quæq; leges ab antiquis latæ, ad coercendam effuſam præbitionem. Eæ duorum generum, quæ certos homines ab
A *editione arcerent: quæq; numerum & modum editioni ipſi ponerent. Poſtremò tota res ſublata. Ammianus explicatus & Prudentius.*

ORIGINEM videtis, progreſſumque: & quàm non temerè, à funere orta res, quæ reuerâ funus & peſtis orbi terræ. Credo, imò ſcio, nullum bellum tantam cladem vaſtitiémque generi humano intuliſſe, quàm hos ad voluptatem ludos. Numerum cum animis veſtris recenſete dierum quos dixi hominúmque. mentior, ſi non vnus aliquis menſis Europæ ſtetit vicenis capitum millibus aut tricenis. Heu mores! Neronem culpamus aut Caligulam, qui centum aliquot homines vitâ interfecerunt, irâ ſiue me-
B tu: ecce vnus editor, homines ſupra mille ludens interfecit, & die non toto. Atque hæc delicias vocabant, & cibum oculorum: fiebantque non per vnius alteriúſve laſciuiam, ſed velut publicâ lege, & decreto. Itaque eò ventum eſt, vt aliis legibus effuſio iſta fuerit coërcẽda: quas ordine dabo. Primò ad ambitũ reprimendum, inuenio cautum, ne quis daret candidatus. Legem eam tulit M. Tullius conſul: & vis eius ſententiaque expreſſi in interrogatione in Vatinium: *Cùm mea lex dilucidè vetet biennio quo quis petat, petiturúſve ſit, gladiatores dare, niſi ex teſtamento præſtitutâ die: quæ tanta in te ſit amentia, vt in ipſâ petitione gladiatores audeas dare?* Et pro Seſtio: *Acta mea an ſibi diſplicere. quis neſcit? qui legem eam contemnat, quæ di-*
C *lucidè vetat, gladiatores biennio quo quis petierit aut petiturus ſit dare:* Ex quibus poſterioris verbis facile viſu & ſublatu mendum in priore loco contra Vatinium, *biennio quo quis petat.* Potiùs enim, *quo quis petit.* Cautum etiam de numero gladiatorum aliquid, ſub idem tempus. Suetonius de Ædilitate Cæſaris, cap. X. *Cùm multiplici familiâ vndique comparatâ, inimicos exterruiſſet: cautum eſt de numero gladiatorum, quo ne maiorem cuiquam Romæ habere liceret.* etſi id interdictum ad habitationem potius in vrbe pertinere videatur, quàm ad pugnãtium numerum. Sicut in Catilinariâ coniuratione, item remoti gladiatores ab vrbe: &, *decreuere*, inquit Salluſtius, *vti gladiatoriæ familiæ Capuam & in cetera municipia diſtribuerentur.* Sed Auguſtus certè etiam de numero parium cauit, edi-
D xitque anno vrbis DCCXXII. μήθ᾽ ὁπλομαχεῖν πλεονάκις ἢ δὶς ἐν ἑκάστῳ ἔτει, μήτε πλειόνων ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν ποιεῖν: *nec gladiatores ſæpius quàm bis anno dari, nec plurium quàm LX. parium.* quod ipſum tamen pertinuiſſe modò cenſeo ad editiones Prætorum, qui publico, in parte, ſumptu præbebant: vt ex prioribus Dionis verbis appâret. At Tiberius firmus contra iſta, certũ numerum in cõmune præſcripſit, narrante Tranquillo, cap. XXXIIII. *Ludorum ac munerum*, inquit, *impenſas corripuit, mercedibus ſcenicorũ reciſis* (ita verius quàm, *receſſit*) *paribúſque gladiatorum ad certum numerum redactis.* Ad hoc edictum, ſiue S. c. fuit, reſpexit Tacitus lib. XIII. Annal. *Non referrem vulgatiſſimum Senatuſconſultum, quo ciuitati Syracuſanorum egredi nume-*
E *rum edendis gladiatoribus finitum concedebatur, niſi Pætus Thraſea contradixiſſet, præbuiſſétque materiam obtrectatoribus arguendæ ſententiæ.* Sed poſt Tiberium Caligula, conculcato hoc interdicto, ἐπέτρεψε τοῖς βουλομένοις καὶ ὑπὲρ τὸν νόμον τὸν ὡρισμένον τῶν μονομαχούντων χρῆσθαι: *permiſit volentibus cunctis, etiam ſupra numerum definitum, gladiatores præbere.* Et Domitianus gratificatus contra eandem legẽ ingenio ſuo & ſæculo videtur, ducente nos Plinij loco, in Panegyrico. *De ampliando numero gladiatorum aut inſtituendo collegio fabrûm conſulebamur: & quaſi prolatis imperij finibus, nunc ingentes arcus, nunc menſes nomini Cæſarum dicabamus.* Nec de numero ſolùm

Domitiano ... numero interfectis.

Leges reprimendis editionum. Petiti dar. Candidato.

Cicero emendatus.

Numerus definitus, ſupra quem ne haberetur in vrbe.

Ne darent etiam.

Tiberij cũ de re edictum.

Tacitus explicatus.

Caligula nullum ſi ... Tiberij interdictũ.

Forti & Domitianus.

Tiberius;

Cautum ne qui alios edere poſſet, qui nō poſſint. Non liberti.

A Tiberius; aliquid etiam ſtatuit de muneratis, cautúmque Sc. *nequis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res*, ait Tacitus libro IIII. Fortaſſe & idem vetuit, nequis edidiſſe vellet libertus. Fuiſſe id ſcitum, colligo ex Suetonij Claudio cap. XXVIII. qui Harpocræ liberto, *lecticâ per vrbem vehendi ſpectaculáque publicè edendi ius tribuit.* Niſi enim id antè vetitum, indulgeat nunc fruſtrà.

Non Præſides.

Quin & Nerone Principe ſtatutum, nequis Præſes aut Procurator qui prouinciam obtineret, gladiatores daret. Tacitus auctor lib. XIII. cuius verba memini retulſe antè.

De ſumptu mō cautum.

Reperio etiam Sumptum ad munera, coërcitum plus ſemel. Antoninus Pius *Sūptum muneribus gladiatorijs inſtituit*, ait Capitolinus: id eſt, profuſionem vetuit, certâ pecuniâ definitâ. B Poſt illum Marcus Philoſophus *Gladiatoria ſpectacula omnifariam temperauit*, ſiue, vt idem Capitolinus poſteà ait, *Gladiatorij muneris ſumptus modum fecit.* Alexander verò, monente Lampridio, *Habuit in animo vt munera per totum annum diſpergeret, vt per XXX. dies munus populo daretur*: ſalubri conſilio, ſed ſine effectu. Perrupit enim omnia ſepta inueterata licentia: nec iam princeps aut lex, qui capere poſſet tam effuſis cupiditatibus modum.

Tandē ſublata gladiatoria. Zonaras lapſus.

Itaque tardè, imò ſerò, deſcenſum eò, vt gladiatoria ſpectacula prorſum tollerentur. Eam ſublationem Zonaras Neruæ Imperatori adſignat, qui, vt ait, *gladiatorum compoſitiones & certamina vetuit.* Parum cautè, veréque, quoniam reuerà ſub Neruâ & poſt Neruam manſére ij ludi: ſed ſumptus dumtaxat numerúmque imminuit. C & circumſpectiùs Dio, πολλὰς, inquit, ἱπποδρομίας, ἄλλας τέ τινας θέας κατέλυσε, συστέλλων ὡς οἷόν τε δαπανήματα: *Crebros Circenſes, & alia quædam ſpectacula ſuſtulit, imminuens & temperans, quà fieri poſſet, ſumptus.* Veriùs pulcherrimæ rei laudem ad Conſtantinum Imp. referemus: cuius vtinam cetera fuiſſent ad hoc exemplum!

Conſtantini lex.

Is primus Romanorum Principum, gladiatoria ſpectacula è toto orbe Romano ſubmouit, anno ab vrbe condita ∞. LXVII. penè ſexcentis, poſt inſtituta ea, annis. Auctor Sozomenus lib. I. Παρὰ δὲ Ῥωμαίοις, inquit, τότε πρῶτον ἡ τῶν μονομάχων ἐλύθη θέα: *Apud Romanos tunc primùm ſublatum Gladiatorum ſpectaculum.* Et Euſebius lib. IIII. de vitâ Conſtantini: διεκωλύετο, inquit, μὴ θύειν εἰδώλοις, μὴ μονομάχων μιαιφονίαις μολύνειν τὰς πόλεις: D *vetuit idolis ſacrificari, vetuit gladiatorum cædibus pollui vrbes.* Meminit & Calliſtus libro VII. Quin etiam nunc inſerta Iuſtinianæo * Codici Conſtantini ipſa lex: *Cruenta ſpectacula, in otio ciuili & domeſticâ quiete, non placent. quapropter omnino gladiatores eſſe prohibemus.*

** Lib. XI. tit. XLIII.*

Et hoc quidem rectè notatum à peritis duobus noſtri æui Iuriſconſultis, quibus ſuggero Ammiani Marcellini egregium locum libro XIIII. de ſæuitiâ Conſtantij: *Erat, inquit, diritatis eius hoc quoque indicium nec obſcurum, nec latens, quòd ludicris cruentis delectabatur, & in Circo ſex vel ſeptem aliquotiens vetitis certaminibus pugilum viciſſim ſe concidentium perfuſorúmque ſanguine ſpecie, vt lucratus ingentia lætabatur.*

Ammianus declaratus.

E Nam ludicra cruenta, ita, vt Conſtantini lex *cruenta ſpectacula.* & quòd ait Pugiles, vſurpat ſanè pro Gladiatoribus, ritu Græcanico, quibus πύκτης & * πυκτεύειν etiam de iſtis. Ipſe clarè indicat, cùm addit, *ſeſe concidentium & ſanguine perfuſorum*: multóque clariùs, cùm ait, *vetitis certaminibus.* reſpiciens ſcilicet ad Conſtantini interdictum.

** Artemidorus in capite περὶ μονομάχων.*

Et repreſſit quidem igitur Chriſtianus Princeps; eóque nec apud Saluianum, qui ludos exagitat ex profeſſo, memoria gladiatorum; nec apud Caſſiodorum quidem accurata: tamen & ſub Conſtantio, & poſtea ſub Theodoſio ac Valentiniano conati irrumpere: imò irrupêre.

Iterum in vſu gladiatoria.

A Lex in Theodoſiano Codice eſt, quâ *Muneraria prohibentur auctoratos militia, vel Palatini prædictos dignitate, in ludum producere.* Si in iſtis tantum vetitum: iure argumentor, permiſſum in alijs. Adde & l. quanquam. Cod. Theod. De paganis. Etiam Auguſtinum lib. VI. Confeſſ. cap. VIII. qui *Alypium ſuum, gladiatorij ſpectaculi inhiatu incredibiliter abreptū* ſcribit. Etiam ſub Honorio, Prudentius locis aliquot deſcribit, & damnat: votum imò precéſque interponit ad Principem pro tollendo:

Lib. vlt. tra Sym.

> *Quod genus vt ſceleris iam neſciat aurea Roma*
> *Te precor Auſonij dux anguſtiſſime regni:*
> *Et tam triſte * ſacrum iubeas, vt cetera, tolli.*

** Benè, ſacrum, q[uia] Dijs deſt[inata] placanda.*

Et paucis interſitis:

> B *Arripe dilatam tua, Dux, in tempora famam,*
> *Quódque patris ſupereſt, ſucceſſor, laudis habeto.*
> *Ille vrbem vetuit taurorum ſanguine tingi;*
> *Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litare.*
> *Nullus in vrbe cadat, cuius ſit pœna voluptas.*
> *Iam ſolis contenta feris infamis arena*
> *Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.*

Et ſuſtulit ſanè Honorius, occaſione Telemachi cuiuſdam monachi, qui gladiatores Romæ pugnantes, pio quodam ardore diducere conatus, à populo lapidibus obrutus fuit. De quo facto Theodoretus lib. V. Hiſtor. Eccl. cap. XXVI. & Caſſiodorus in Tripertitæ lib. X. cap. II. Ita obuiam itum ludo non ludo: & ſublata adeò res cum memoriâ gladiatorum, vt ægrè nunc ad intelligentiam retrahere poſſimus morem C fugitiuum.

CAPVT XIII.

Additamenti loco ad primam ſermonis partem adiectum, de habitu Edentium: de habitu Spectantium. Suetonius illuſtratus.

DE origine, progreſſu, déque interdicto gladiatoriæ rei, quod ſatis eſt, dixi: non abſurdè adiunxero, quo habitu dederint, quóque modo. Duo genera collocaui inter Editores: Magiſtratus, & Priuatos.

Habitus veſtiſque Editorum.

Qui enim munus mortis cauſâ dabant, plerique videlicet fuere priuati: tamen dabant non quaſi priuati. Per dies enim omnes muneris, prætextæ illis ius, lictorum, accenſi: omnimóque imaginem quandam gerebant magiſtratus. D De prætextâ, Feſtus: *Prætextâ pullâ nulli alij licebat vti, quam ei qui funus faciebat.*

Prætexti fuere.

Cicero in Piſonem: *Sex. Clodium qui nunquam anteà prætextatus fueras, ludos facere & prætextatū volitare paſſus es.* Ex hoc ritu Suetonium noue interpretor Claudij cap. II. *Ob valetudinem gladiatorio munere, quod ſimul cum fratre memoriæ patris edēbat, palliolatus nouo more præſedit.* Benè, nouo more: debuiſſet enim prætextatus. Sed Palliolum, in morbo veſtis.

Suetonius noue illuſtratus. Palliolati ægri.

Quinctilianus: *Palliolum, ſicut faſcias & focalia, ſola excuſare poteſt valetudo.* Seneca libro IIII. Natural. Queſtionum *Videbis quoſdam graciles, & palliolo focalíque circumdatos, pallentes & ægros.* De lictoribus & accenſo, Cicero de Legibus: *Reliqua ſunt in more, funus vt indicatur, ſi quid ludorum: dominúſque funeris vtatur accenſo atque lictoribus.*

Lictores & accenſus Editori. Spectatores in quâ veſte. Penulati, ſunebri munere.

E Nec illud in occaſione prætereo, propriam quandam veſtem fuiſſe in munere funebri ipſorum ſpectatorum. Spectabāt enim in penulâ pullâ. Dio L V. κἀν τούτῳ καὶ ἐπιτάφιος ἐπὶ τῷ Ἀγρίππᾳ ὁπλομαχία, φαιὰν ἐσθῆτα τῶν τε ἄλλων, πλὴν τοῦ Αὐγούστου καὶ αὐτῶν τῶν υἱέων αὐτοῦ, λαβόντων, καὶ ἑνὸς πρὸς ἕνα καὶ πλειόνων πρὸς ἴσους ἐγένοντο: *Intereà & funebre munus gladiatorium editum, cùm ſingulis certantibus, tum pluribus contra pares, quod cùm alij omnes ſpectarunt in pullâ veſte, tum & filij Auguſti, ſolo ipſo excepto.* Lampridius in Commodo: *Contra conſuetudinem,*

A *penulatos iuſſit ſpectatores, non togatos ad munus conuenire, quod funeribus ſolebat; ipſe in togâ pullâ præſidens.* Quibus è verbis vtrumque diſcimus, in funebri munere penulatos; in alio, togatos ſpectatores fuiſſe. Nec procudo vltrà ſermonem limitis.

Ad volupariū, Togais.

CAPVT XIV.

Pars ſecunda, De loco qui cùm duplex, primò de Ludo dictum. Cui rei inuentus: quàm multi Romæ: qui præfecti & adminiſtri. De victu & ſaginâ gladiatorum in his ludis. qui fuêre etiam extra Romam. & aliquid de ludorum formâ.

B AD locum tranſeo. qui duplex, Ludus, & Arena. Illum appello, vbi habiti altique gladiatores: hunc, vbi dati & producti. De priore, priùs. *Ludus gladiatorius,* inquit Iſidorus, *inde dictus quòd in eo iuuenes vſum armorum condiſcant.* Nam primò credo gladiatores domi & in reliquâ familiâ fuiſſe; imò nec eruditos valdè ad pugnam fuiſſe. Polybius hoc mihi dicit, nec ratio abnuit, quæ vult prima omnia rudia magis & impolita eſſe: ſed Polybius ita in fragmento apud Suidam: καὶ τὸ μὲν παλαιὸν ἀπὸ τῆς κρατίστης ἐγένετο παρὰ Ῥωμαίοις ἡ μονομαχία· ἐπὶ δὲ τῶν καθ' ἡμᾶς πολλαὶ ὁδοὶ ἀφηῦρηνται: *Olim & initio apud Romanos nudis viribus gladiatorum certamen conſtabat, nunc autem plures via & modi reperti.* Significat nec genera tam multa fuiſſe, quàm mox dicam: nec item ludos, in quibus accuratè docerentur. C qui tamen, creſcente numero & crebritate editionum, publicè ſunt aperti, & in iis Magiſtri. Etſi quidam ſplendidiores, etiam poſt inſtitutos ludos, habuêre domi eos aut apud amicos. Ita C. Cæſar *Tirones neque in ludo neque per laniſtas, ſed in domibus per equites Rom. ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat*, ſcribit Sueton. cap. XXVI. Quod tamen perrarum, & vulgò ars pugnandi docta exercitáque in ipſis ludis. Prudentius:

De ludis gladiatorū. Antea in domibus,

Ludi ad artē deſtinati,

> *Nam quid veſani ſibi vult ars impia ludi?*
> *Quid mortes iuuenū, quid ſanguine * paſta voluptas?*

** Malo parta.*

Seneca libro II. de Irâ: *Non alia quàm in ludo gladiatorio vita eſt, cum iiſdem viuentium, pugnantiúmque.* Luſorium appellaſſe Lampridius videtur in Eligabalo: *Strauit ſibi,* inquit, *triclinium in ſummo Luſorio, & dum pranderet, noxios* (ita appellat gladiatores) *& venationes ſibi exhibuit.* D vel vt mauelim, *ibi exhibuit.* Et in Saluiano Maſſilienſi Epiſcopo idem verbum, lib. VI. *Longum eſt nunc dicere de omnibus Amphitheatris, Odeis, Luſoriis.* Græcè, καταγώγιον μονομάχων appellat Herodianus, quaſi dicas diuerſorium domiciliúmque. De Commodo: εἰς τοσοῦτον, inquit, προεχώρησε μανίας, ὡς μηκέτι βούλεσθαι βασίλειον ἑστίαν οἰκεῖν, ἀλλὰ γὰρ μετοικισθῆναι ἐβούλετο μονομάχων καταγώγιον. id eſt, *Eò dementia venit, vt iam nec Aulam & Palatium inhabitare vellet, ſed migrare conſtituerat in ludum Gladiatorum.* Quam eandem monſtri illius inſaniam etiam Lampridius & Xiphilinus adnotarunt. Suidas μονομαχοτροφεῖν dicit, contentus tamen, ſine alio additamento, poſuiſſe nudam vocem. In vrbe autem plures eiuſmodi ludi, nominibus ſuis noti & diſcreti: quorum in P. Victore mentio, E & paſſim in marmoribus priſcæ vrbis. Reppeti iſtos. LVDVM GALLICVM. LVDVM DACICVM. LVDVM MAGNVM. LVDVM MAMERTINVM. LVDVM MATVTINVM. & in Horatio in eâ ad Piſones, *Ludum Æmilium.* E quibus tamen non abnuerim, quin aliqui etiam beſtiariorum fuerint: vti certè * Matutinus. Hiſce ludis non Laniſtæ ſolùm præerant, vt dicam iam nunc, ſed etiam digniori nomine Procuratores. nec ij de plebe, ſed

Plures ludi in vrbe Romā.

Eorum catalogus.

Diſtincti ludi beſtiariorum & gladiatorū.

** Nam matutina ſpectacula, ferarum.*

procuratores ludorū.

A ex ciuium primis: fuitque velut inter dignitates & inſulas id munus. Lapis priſcus: CVRATOR. MVNERIS. PVBL. GLADIATOR. Tacitus Annali XI. *Decius quoque Calpurnianus & Sulpicius Rufus Procurator ludi, eâdem pœnâ adfecti.* Inſcriptio alia vetus:

> T. FLAVIO. T. F. GERMANO
> CVRATORI. TRIVMPHI. FELICISSIMI
> GERMANICI. SECVNDI. IMP. CÆS. FL.
> DOMITIANI. AVGVSTI. EXORNATO
> SACERDOTI. SPLENDIDISSIMO
> PONTIF. MINOR. PROC. * XX. HER
> PROC. PATRIMONI. PROC. LVDI. MAGNI
> PROC. LVDI. MATVTINI

** Vigeſima Hereditatū.*

B Nec longè diuerſi ab iſtis Curatores munerum ac venationum: quorum mentio Suetonio in Caligulâ, cap. XXVII. Et vis addam quod vos medici rideatis, Victor? Medici etiam ſui ſingulis his ludis: nec id noui ſeculi inuento, ſed diu ante Imperatores. Lapidem legi hunc:

Curatores munerum.

Medici ludorum. Sepius veteres.

> SILVANO. SANCTO
> C. AVSTRVNIVS. MEDI
> CVS. LVD. GALLIC
> PORTIC. ET. EXEDR.
> ET. SIGN. ÆN.
> VOTO. SVSCEP.
> L. M.
> DEDIC. KAL. MAI.
> L. MARCIO. ET
> SEX. IVLIO. COS.

C In quo ſculpti Conſules incidunt annum Vrbis DCLXIII. Adeò antiqua cura illa in valetudine gladiatorum. Legi & in alio lapide, EVTYCHVS AVG. L. MEDICVS. LVDI. MATVTINI. Cenſeo exemplum tranſlatum è Græciâ, apud quos medici athletis. Arrianus lib. III. Diſſertationum, Athletam compellans: δεῖ σε, inquit, εὐτακτεῖν, ἀναγκοφαγεῖν, ἀπέχεσθαι πεμμάτων, μὴ ψυχρὸν πίνειν, μὴ οἶνον ὅτ' ἔτυχεν ἁπλῶς. ἰατρῷ γὰρ παραδεδωκέναι σεαυτὸν, τῷ ἐπιστάτῃ: *Oportet te iam in ordinem redigi, ad præſcriptum veſci, abſtinere bellariis, frigidam non bibere, nec ſi quid fortuitò incidit aut offertur. Medico enimuerò obtemperare, ſed & præfecto aut doctori.* At quæres, cui bono medici mox morituris? Dicam. Primò medicos haud tam arctè acceperim, vt hodie; ſed incluſerim D etiam chirurgos, vſurpatione priſcâ. Ij autem opus certè gladiatoribus læſis, luxatíſve. Deinde & ratio victus gladiatorij ea, vt ſalui eſſe ſine medico non poſſent. Largè enim edebant, bibebant: & dabantur velut in ſaginam. eâ fini, vt Domini valentes eos producerent, &, vt Cicero ait, cum *gladiatoriâ totius corporis firmitate.* Cyprianus eleganti epiſtolâ ad Donatum, libro II. *Paratur gladiatoribus ludus, vt libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet. Impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus, & arvina aſſiduis nidoris molet membrorum robuſta pingueſcit, vt ſaginatus in pœnam carius pereat.* Quinctilianus: *Alebat deuotum corpus prauitor omnis fame ſagina.* Inde gladiatoria ſagina Tacito: *Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, tanquam gladiatoriam ſaginam diuidebat.* Inde Saginæ E nomine ludum ipſum Propertius intellexit hoc verſu,

Qui ſunt inſtituti exemplo Græcorum.

Quo fine ij medici.

Medici etiā pro chirurgis.

Ratio gladiatorij victus.

Sagina gladiatoria.

> *Qui dabit immundæ venalia fata ſaginæ.*

id eſt, ad gladium ſe auctorabit, & ad ludum. Plinius videtur adtribuere hordeum iis in cibum: *Antiquiſſimum, ait, in cibis hordeum ſicut Athenienſium ritu, Menandro auctore, apparet: & gladiatorum cognomine, qui Hordearij vocabantur.* Sed mihi anceps adhuc ſententia eius loci: dicam & lectio. Cedò enim: ideon' eunicas hordeum antiquiſſimum in

De Plinij loco adductum.

cibo Romano, quia gladiatores ab eo dicti? atqui tota gladiatura non veteris Romæ, vt vidimus, inuenti. Sed nec credo eo vſos. malè alibilis is panis, flatus genitor malique coloris, vt tui, Victor, medici volunt. ideóque ignominiæ cauſsâ, militibus datus qui deliquiſſent. Seneca etiam eum inter viliſſima genera habet: *Voluptas eſt*, inquiens, *poſſe capere voluptatem vel ex hordeaceo pane.* Quæ omnia contraria gladiatoriæ huic ſaginæ. Nec tamen Plinij verbis quid faciam habeo ſine libris: & fortaſſe priſci tenuiùs eos alebant. Sed redeo ad ludos, quos comperior non Romæ ſolùm fuiſſe, ſed in coloniis item municipiiſque. Capuæ inprimis & Rauennæ. De Capuâ Cæſar lib. I. belli ciuilis: *Capuæ primùm ſeſe confirmant, gladiatoréſque quos ibi Cæſar in ludo habebat, in forum productos Lentulus * libertate confirmat, atque iis equos attribuit.* Cicero lib. VII. ad Atticum: *Gladiatores Cæſaris qui Capuæ ſunt, ſanè commodè Pompeius diſtribuit binos ſingulis patribus familiarum.* Spartianus in Iuliano: *Sed poſteà ſponte ſuâ gladiatores Capuæ iuſſit armari per Lollianum Titianum.* De Rauennâ, Strabo dilucidè: οὕτως γ᾽ ἦν ὑγιεινὸν ἐξήταστο τὸ χωρίον, ὥστε ἐνταῦθα τοὺς μονομάχους τρέφειν ϗ γυμνάζειν ἀπέδειξαν οἱ ἡγεμόνες. *Adeò*, inquit, *ſaluber locus, vt illic gladiatores ali atque exerceri Principes voluerint.* Rauennæ autem ludum exſtruxit, aut certè voluit, Cæſar. Suetonius cap. XXXI. *Ne qua ſuſpicio moueretur, & ſpectaculo publico per diſſimulationem interfuit, & formam quâ gladiatorium ludum erat ædificaturus, conſiderauit.* Formam, ait. de quâ nihil dixerim, præter multiplices in iis ludis minutáſque cellas fuiſſe, in queis ſeorſim haberentur ſinguli gladiatores. Quinctilianus: *Commorabor inter homicidas, incluſus turpiore cuſtodiâ & ſordido cellarum ſitu.* Idem: *An ille animus rediret in cellulam, ferret ſaginam, magiſtrum, perſonam denique ſceleris?* Exemplo ſcilicet ſeruorum, quibus cellæ. Seneca pater: *Ex cellâ ſuæ dominæ migrabit in cubiculum: vel Domina ex cubiculo ſuo migrabit in cellam?* Seneca filius, de ſeruo Pompeij Demetrio: *Cui iamdudum diuitiæ eſſe debuerant, duo vicarij & cella laxior.* Suetonius Nerone cap. XLVIII. *Receptus in proximam cellam, decubuit ſuper lectum.* Sed & meretricum cellæ (ex Iuuenali & Petronio) & capitum omnium viliorum. Concludam de ludo eum Quinctiliani dicto: *In ludo fui. quâ pœnâ nullam grauiorem ſcelera nouerunt, cuius ad comparationem ergaſtulum leue eſt.*

Hordeaceus panis non bonus.

Ludi etiam in coloniis.

Capuæ præſertim.

** Legerem, libertate. id eſt firmat conciliat que ſibi data libertate. pollicita impoſitione.*

Et Rauennæ.

Cellæ in iis ludis.

Cellæ ſeruiles.

Cellæ meretricea.

Pœna ludi.

CAPVT XV.

Ludorum præfecti, Laniſtæ: qui Familiæ præeſſe dicti, eámque Ducere. Iidem Doctores, magiſtri, commentabantur, Dictata dabant. Tirones apud eos inſtituti: quorum exercitium, Batuere rudibus. Rudem videri gladium è ligno. etiámque Laniſtis fuiſſe, ac tironibus.

His ludis præfuiſſe Laniſtas monui: de quibus opportunè nunc adtexo. A laniandis corporibus vulgò eam vocem formant: nec perſuadent. Iſidorum potiùs audio, qui Thuſcum verbum eſſe vult, & illis carnificem ſignare. & audio eò libentior, quia res gladiatoria petita à Thoſcis. Laniſtarum multa vbique mentio. Lapis Romæ:

P. POETILIVS. P. L.
SYRVS
LANISTA. AO. AR. FORIN

Gloſſarius liber, *Laniſta*, λῃδοτρόφος, μονομαχοτρόφος, ἐπιστάτης μονομάχων. Laniſtæ autem, etiam apud Columellam, qui aues condocefaciunt ad pugnam. Pro ipſis gladiatoribus Prudentius vſurpat: parum propriè, imò imperitè:

——ſedet illa verendis
Vittarum inſignis faleris, fruitúrque laniſtis.

Nam de Veſtali ſcribit, quæ ſpectabat gladiatores. Emebant autem laniſtæ futuros gladiatores, aut expoſiticios pueros huic rei tollebant. Quinctilianus Declamat. CCCXXVIII. *Quantum ad te pertinet, non habet reſpublica virum fortem aut illum feræ lacerauerunt, aut aliquis (quod multo ſit indignius) ſuſtulit leno aut laniſta.* Martialis:

Inſpexit molles empter aut laniſta.

Tota autem manus quæ ſub vno Laniſtâ, Familia appellabatur: & eum dicebant Familiæ præeſſe. Cicero pro Sullâ: *At præfuit familiæ Cornelius. Iam ſi in parandâ familiâ ſuſpicio eſt nulla; quod præfuit, nihil ad rem pertinet.* Nam hunc Cornelium ſcilicet fuiſſe pro laniſtâ. In lapide priſco MVNVS. FAMILIÆ. GLADIATORIÆ. Suetonius Auguſti cap. XLII. *Cùm venalicios & Laniſtarum familias vrbe expuliſſet.* Seneca de Beneficiis: *Laniſta, qui familiam ſuam ſummâ curâ exercet atque ornat.* Hinc natum prouerbium Ciceroni familiare, Ducere familiam: quod idem cenſeo ac familiæ præeſſe, ſumptúmque ab hac ipsâ laniſtarum præfecturâ. Cicero in Antonium: *Lucius quidem frater, vt qui peregrè depugnauit, familiam ducit.* Idem alibi: *Sententia, quæ familiam ducit.* Et: *Accedit, quòd familiam ducit, in iure ſcientia.* Nam qui caput in aliquâ re princépſque, bene Ducere eum dixeris & Ducem. Sic in Hiſtoriis paſſim Ducere ordines; in Quinctiliano, Ducere claſſem. Nec vis verbi huius adhuc ſatis intellecta: non certè ab iis qui Adagia nobis concinnarunt. Hi iidem Laniſtæ, honeſtiori & inuidendo verbo Doctores dicti. Valerius lib. II. *Ex ludo C. Valerij Scauri doctoribus gladiatorum accerſitis.* Quinctilianus Declamat. CCCII. *In ludo fuit. Fuerunt & doctores, & medici, & miniſtri: neque tamen illo gladiatorum nomine tenentur.* Et Magiſtri. Cicero III. de Oratore: *Magiſter hic Samnitium ſummâ ſenectute eſt.* Videlicet quia gladiatores nouitios & tirones docebant. Quin iidem Commentari dicuntur, & dare Dictata: verbis omnibus à meliore ludo ſumptis. Cicero de Magiſtro Samnitium: *cottidie commentatur.* Cæſar apud Suetonium, à pleriſque Senatorum & equitum precibus enixus eſt, *vt ipſi diſciplinam tironum ſuſciperent, & exercentibus Dictata darent.* Tertullianus ad Martyres: *Nec tantus ego ſum, vt vos alloquar. ſed tamen & gladiatores perfectiſſimos non tantùm magiſtri & præpoſiti ſui, ſed etiam idiotæ & ſuperuacui quique adhortantur de longinquo: vt ſæpe de ipſo populo Dictata ſuggeſta profuerint.* Nec ineptè, Dictata: quia tenerâ præcepta ſua armorum, commisêre etiam ſcripto. Iuuenalis de futuro gladiatore,

Scripturus leges & regia verba laniſtæ.

Hirtius gladiatoriam hanc rationem docendi, bene cum militari compoſuit lib. I. de bello Africo: *Cæſar*, inquit, *contra eiuſmodi hoſtium genera, non vt imperator exercitum veteranum, ſed vt laniſta tirones gladiatores condocefacere. quo pede ſe reciperent ab hoſte, & quemadmodum obuerſi aduerſarijs, & in quantulo ſpatio reſiſterent,* &c. Ait, tirones gladiatores. quia in ludo genera duo, Tirones ſiue nouitij, & Veterani nobiliores, & vſu longo edocti. ad Tirones cura & inſtitutio præcipuè pertinebat. Symmachus lib. II. Epiſtolar. *Nam gladiaturæ idoneos communis cura proſpicito, quæ pars in apparatu Quæſtorio prior eſt, vt auctoramento lectos longus vſus inſtituat.* Quinctilianus: *Et inter dedita noxæ mancipia contemptiſſimus*

Laniſtæ gladiatoribus.

Familia gladiatorum.

Familiam ducere.

Doctores pro Laniſtis.

Et magiſtri.

Commentantur.

Dictata dant.

Etiam in ſcripto.

Tirones & illi in ludo.

Laniſtæ vox.

tiro

tiro gladiator, vt nouiſſimè perderem calamitatis meæ innocentiam, diſcebam cottidie ſcelus. Ratio modúſque inſtituendi, vt rudibus batuerent cum Laniſtâ. Suetonius Caligulâ: *Myrmillonem è ludo* (malim, *in ludo*) *rudibus ſecum* * *batuentem, & ſponte proſtratum confodit ferreâ ſicâ.* Siue etiam ad palum exercerentur, militum inſtar. Vegetius lib. I. cap. XI. *Palorum enim* (malo, *palariorum*) *vſus non ſolùm militibus ſed etiam gladiatoribus plurimum prodeſt.* Sed prius illud de Rudibus, propriè, Batuere dicebant: & gymnaſium ipſum, Batualia. Gloſſæ priſcæ, *Batualia*, γυμνάσια τῶν μονομάχων. Adamantius Martyr: *Batualia, quæ vulgò Battalia dicuntur, exercitationes gladiatorum vel militum ſignificant.* Nec malè addit litterator ille de militibus. nam & ij interdum rudibus pugnabant, ludendi exercendiue cauſſâ. Liuius libro XXVI. Scipionis curam in milite formando deſcribens: *Tertio die rudibus inter ſe in modum iuſtæ pugnæ concurrerunt.* Ita vetus liber, qui apud Lipſium: non, ſudibus, vt præferunt vulgati. Firmat Polybius, qui eâpſe in re ξυλίνας μαχαίρας dixit: *gladios ligneos.* Id autem, ni fallor, Rudis: gladius, inquam, è * ligno. Suadeor Dionis etiam loco, in Commodo, qui poſt meridiem exercitia eius cum gladiatoribus denarrans: ὥπλει δὲ, inquit, καὶ ἐχρῆτο τῇ ὁπλίσει τῇ τοῦ Σεκούτωρος καλουμένῃ, τὴν μὲν ἀσπίδα ἐν τῇ δεξιᾷ, τὸ δὲ ξίφος τὸ ξύλινον ἐν τῇ ἀριστερᾷ ἔχων; id eſt, *Exercebatur, & in vſu habebat armaturam Secutoris dictam: clypeum dextrâ, gladium ligneum ſiniſtrâ præferens.* Ait enim clarè ξίφος ξύλινον: ad batuendum ſcilicet, non pugnandum. Itaque Baculos eos appellat Capitolinus in Gallienis: *Pugiles baculis, non veritate pugilantes.* Ita enim ego emendê, cùm vulgò ſit, *ſaculis.* ex quo alij, *ſacculis*, me iudice, haud aptè. Tamen vulgò aliter iudicant, ſcio: & ſatis habent dixiſſe Rudem, baculum fuiſſe. At ego etiam aliud eos doceo in rude. Duplicem eam fuiſſe: Laniſtarum, & Tironum ſiue exercentium. Laniſtæ ſua rudis, quâ ſecerni cognoſcique potuit. eam dico è ferulâ fuiſſe, & ferulam etiam nominari à priſcis. Dio in Commodo: ἐμονομάχει δὲ αὐτῷ γυμναστής τις, ἢ καὶ μονομάχος, νάρθηκα ἔχων. id eſt: *Pugnabat cum eo Laniſta quiſpiam, vel etiam gladiator, ferulam habens.* Et nónne diſcriminat apertè? Commodo velut diſcipulo gladium ligneum tribuit: magiſtro ferulam. Seneca ab hoc more ludit in Satyra Menippæâ: *Eum proximo munere, inter nouos auctoratos, ferulis vapulare placet.* Nam noui auctorati, nouitij gladiatores: quos rude ferulâque ſuâ aberrantes laniſta cædebat, velut legitimus magiſter. Nam & hæc res â litterario ludo. Martialis illud tortuoſum & breue, credo, iam capitis, *Vide an te delectet contra retiarium ferula.* id eſt, rudis, contra tridentem. De hac ferulaceâ rude Chariſius: *Rudis, ſcipio quem Laniſta liberandis gladiatoribus gerit.* Gloſſæ: *Rudis*, ῥάβδος ἡ τῶν ἐπιστατῶν τῶν μονομάχων. Varro tranſtulit decorè: *Ad te enim rudem agricultura eſſe nunc, olim ad Stolonem fuiſſe dicunt.* id eſt, magiſterium & velut præfecturam agriculturæ. At rudis ad gymnaſia, diuerſa ab hac, & gladij formâ, vt dixi; fortaſſe etiam ponderoſior, grauiorque. Suggerit apud Senecam Latro Porcius: *Non eſt vtilis exercitatio, niſi quæ operi ſimillima eſt illi quod exerceat. itaque durior ſolet eſſe vero certamine. Gladiatores grauioribus armis diſcunt, quàm pugnant: diutius illos magiſter armatos, quàm aduerſarius ſuſtinet.* Idémque in militibus notat Vegetius factitatum: lib. I. cap. XII. *Duplicis ponderis illa cratis & claua ideo dabantur, vt cùm vera & leuiora tiro arma ſumpſiſſet, velut grauiore pondere liberatus, ſecurior alacriórque pugnaret.* Hæc exercitatio & velut meditatio nouis gladiatoribus ad cædem. quam Cyprianus, vt cum Lucretio lo-

Rudibus batuebant.

* *ita Suet. in Calig. cap. LIIII.*

Batualia.

Etiam milites batuebant.

Correctus Liuius.

Quid Rudis?

* *Et quidem pro modo cuiuſque armaturæ. Thraces enim enſes Secutores rectos Retiarius dentatus. Fortaſſe etiam è ferro, ſed tamen hebes. Vide lib. II. cap. XXI.*

Videri eam duplicem. Laniſtarum ferulaceam: qualia ſit pro pala gegeram

Tirones vapulabant ferulis.

Martiali n.B.

Varroni lux.

Arma tironum grauia.

Deteſtatio eius diſciplina.

A quat, iure increpat indiſtque: *Homo, inquit, in hominis voluptatem perimitur: & vt quis poſſit occidere, peritia eſt, vſus eſt, ars eſt. Scelus non tantùm geritur, ſed docetur. quid poteſt inhumanius, quid acerbius dici? Diſciplina eſt, vt perimere quis poſſit: & gloria eſt, quòd peremit.*

CAPVT XVI.

Menſa ſecunda. interruptus paullum ſermo de loco: dictúmque per occaſionem de Saturnalicijs muneribus: item de Apophoretis, quæ duplicia; & in menſis, & item in ludis ſpectaculíſque.

B

DICEBAT etiam Pighius: cùm ego ad puerum, Tolle ocius has menſas, & bellaria nobis infer. quæ bellaria? inquit Victor, non opus.

——— * τράγημα δὲ
Ὁ σωφρονιστὴς τοῖς φιλοκαλοῖς λόγος.

Pighianus hic quidem ſermo ante omnia tragemata & mella nobis. Ecce autem dum loquimur, pueri adeſſe nuntiantur onuſti, pomis, pyris, oliuis, palmulis, caricis, aliáque copiâ partim domeſtici, partim exotici fructus. Miſſi erant ab Hieronymo Berchemio, familiari noſtro. Hem! inquam ego. ſemper ita munis noſter Berchemius? Tutores illi dabimus, ne C prodigat. At vos pueri grates illi dicite gratias, & rogate cras vt apud nos ſit. Verſúſque ad conuiuas, Amici, inquio, numquam vidi munera magis opportuna: non eò ſolùm quia allata in punctiſtitio, vt ſic dicam, menſæ poſtremæ, ſed quia hoc Saturni die. Morem enim Romanum ſcitis, per Saturnalia, munuſcula miſſitandi vltrò citrò. Spartianus in Hadriano: *Saturnalicia & Sigillaricia frequenter amicis inopinantibus miſit. & ipſe ab his libenter accepit.* Tertullianus de Idololatriâ: *Nobis, quibus Sabbatha extranea ſunt, & Neomeniæ, & feriæ aliquando à deo dilectæ, Saturnalia, & Ianuaria, & Brumæ, & Matronales frequentantur. munera commeant, ſtrenæ conſonant, luſus, conuiuia conſtrepunt.* Martialis:

Saturnalia diuitem Sabellum
Fecerunt, meritò tumet Sabellus.

D Meminit & Suetonius Auguſto, cap. LXXV. & plures alij. quid enim moror in re tritâ? Tu Pighi, dum interiungis, bibe. Licet, inquit; nam ſitiebam in hoc ſermonum æſtu. puer affunde largiùs. Dum ille bibit, ad me Lernutius, De muneribus mos mihi ſatis liquidus: non æquè de Apophoretis, quæ ipſa donata Saturnalibus lego. Suetonius Veſpaſ. cap. XIX. *Sicut Saturnalibus dabat viris Apophoreta, ita & Kalendis Martijs feminis.* Sodes, illuſtra. Ne id quidem Lernuti, inquam ego, in altâ nocte. Nam Græco eo nomine dicta propriè, quæ in conuiuijs dabantur auferenda. Ipſe Martialis, qui libellum eo indice ſcripſit, interpres,

Præmia conuiuæ det ſua quiſque ſuo.

Et Ambroſius: *Qui ad conuiuium magnum inuitantur, Apophoreta ſecum reportare conſueuerunt.* Sueto- E nius in Caligulâ: *Agitatori Eutycho, * commiſſatione quadam, in Apophoretis vicies HS. contulit.* Nec ignota iſta, ſcio, vobis: illud noué fortaſſe moneo, Lampridium corrigendum in hacce voce, vitâ Eligabali: *Eunuchos pro aphroditis dedit. dedit quadrigas, equos ſtratos, mulos, baſternas & rhedas.* reſcribendúmque, *pro apophoretis dedit.* At que hæc, Lernuti, in menſâ Apophoreta. Poſteà tranſlata ea vox ad munera etiã editionũ. Ne enim lineam ſpectaculi huius trãſiliamus, ſcitote fuiſſe ritum vti Editores munuſcula aliqua

* *Bellaria eſt, Sermo bonus prudenſque cupidis diſcere.*

Saturnalibus munera miſſitata.

Apophoreta dona Saturnalibus

Quid, cal

* *Dubito an, commiſsione ut per ludos in hoc munus. tamen & vulgata recta. Lampridius correctus. Apophoreta in ludis, vel Apophoretica.*

amicis

Google

amicis fautoribúſque mitterent, ludis confectis. ea quoque Apophoreta dicta. Symmachus lib. II. *Filius noſter Symmachus, peracto munere candidato, affert tibi dona Quæſtoria, & ceteras neceſſitudines noſtras pars honore participat. Quaſo igitur vt eius nomine Dypticha & Apophoreta ſuſcipere digneminis, qui apparatus eius plura & præclara tribuiſtis.* Et ſæpius Apophoretica apud eundem, vt lib. IX. *Non aſpernabere, vt æſtimo, dyptichi & apophoretici oblationem. neque enim graue eſt verecundia tua ſollennia & votiua ſuſcipere.* Libro quinto: *Ad te dyptichum candidati, & apophoreticum librarum argenti duarum miſimus, approbare cupientes additioni te noſtra non animo defuiſſe.* Nec omitto denique, Apophoretum vel Apophoretam potiùs inter genera vaſorum cenſeri Iſidoro, cuius verba De vaſis eſcarum: *Apophoreta, a Græcis, à ferendo poma vel tale quid nominata. eſt enim plana.* Deſieram ego: ſed excipiens Duza, Bene & benignè doces de Apophoretis, inquit. ſed auden' tu ea dare nobis? Quænam illa? inquam. magnum ſit quod tibi negem, ô Batâua Syren. Ex medio, inquit, Saturnalium ritu cereos accenſos. ſcin' cui rei? qui nobis domum præluceant. certè enim iam tempus. Heu, inquam, Mormo, non Syren. —— * ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων? Vix adſedimus etiam, & fatis de diſceſſu? Caue, caue, ne per hoc Saturni feſtum Saturnum te faciam ego, & nouus Iupiter te dem in vincla.

Apophoreta lanx.

Cerei in Saturnalibus dati.

** quæ vox clauſo tibi fugit ab ore?*

CAPVT XVII.

Iterum ad gladiatores reditum: déque locis pugnæ dictum. Ea ſunt, Rogus, Forum, Amphitheatrum, Septa, Circus, Vici & regiones.

AT tu, Pighi, redis in eandem arenam pugnarum? Ille ridens, Ego, inquit, iam miſſum me putabam. Scin' quomodò? inquam. vt mihi domino citiùs decretum ſit auctorari, quàm vt te ſoluam. Pergo igitur, inquit. De loco vbi habiti, dixi: locus ſupereſt pugnæ, qui non vnus. Ad rogum enim dati: in foro: in Circo: in Amphitheatro: in Septis: Vicatim & regionatim. Ad rogum olim, in exequiis: iſque antiquiſſimus locus. Poſteà non placuit circumducere populum, & omiſſo rogo ipſi gladiatores funebres in foro dati. Forum ergo locus vetus pariter & diuturnus. Vitruuius: *Italia non eadem ratio fuit. Nam à maioribus conſuetudo tradita eſt, gladiatorum munera in foro dari. Proinde ſpatioſiora diſtribuebant intercolumnia.* Idem alibi: *Muneribus quæ a magiſtratibus foro gladiatorum, ſcæniſque ludorum dantur.* Aſconius in Verrem: *Mænius exceperat ſibi ius vnius columnæ, ſuper quam tectum proijceret, vnde ipſe & poſteri eius ſpectare munus gladiatorium poſſent: quod etiam tum in foro dabatur.* Ait, *etiam tum*: quia nimirum is mos non prorſus exoleuerat etiam Aſconij, id eſt, Claudij, ætate. Plinij verba cauete vobis imponant, lib. XV. cap. XVIII. *Ara inde ſublata gladiatorio munere Diui Iulij, quod nouiſſimè pugnauit in foro.* ancipitis dico & fallacis ſententiæ verba. Videntur enim adfirmare poſtremum id fuiſſe in foro munus. Falsò. Nam & ſub Auguſto fuit, ex Propertio,

Seu cùm laſciuum ſternet arena forum.

& Tiberius munus gladiatorium duplex dedit, alterum in Foro, alterum in Septis, auctore Tranquillo, cap. VII. At Plinius de ipſo Cæſare ſenſit, nouiſſimum id fuiſſe forenſe munus, illo editore. Tamen cœptum vileſcere & forum. opinor ideò, quia loca ſeſſui & ſpectationi parum apta. Itaque magno ambitu locum in foro Conſules magiſtratúſque clientibus tribulibúſue ſuis adſignabant, & in beneficij loco. Cicero oratione pro Murenâ ſatis multis verbis: ad Atticum lib. II. epiſt. I. *Quæris ex me, num conſueſſem Siculis locum gladiatoribus dare? Negant. At ego, inquit, nouus patronus inſtituam, ſed ſoror, quæ tantum habeat conſularis loci, vnum mihi ſolùm pedem dat.* Et facit eò decretum Senatus in honorem Ser. Sulpicij: *Senatum placere Ser. Sulpicio ſtatuam pedeſtrem æneam in roſtris ſtatui: circumque eam ſtatuam locum ludis, gladiatoribúſque, liberos poſteróſq; eius quoquò verſus pedes quinque habere*, apud Ciceronem Phil. IX. Igitur ſtructa * Amphitheatra, deſtinata propriè huic ludicro & Venationi. Et plerumque exhinc in iis dati gladiatores: tamen non omiſſo prorſus foro. Etiam in Septis Agrippæ. Suetonius Calig. cap. XVIII. *Munera gladiatoria partim in Amphitheatro Tauri, partim in Septis aliquot edidit.* & idem ſcriptor notat aliàs. Sed & Circus interdum huic rei, vt reperietis in Dione. ſæpe Vici & XIIII. regiones vrbis; quod ſub Impp. factitatum obſeruo. Sed non mihi mens onerare vos copiâ vulgatium exemplorum. Explicui de loco.

Vbi dati gladiatores.

In foro olim.

Plinij ambigua verba quædam.

Forum non aptè extructum ad ſpectacula.

Officiosi in tribus & in beneficiendo.

** Adi libri noſtrum De Amphitheatro.*

Amphitheatra.

Septa.

Circus.

Vici & regiones vrbis.

CAPVT XVIII.

De Spoliario, quod item pars ludi. vnde id dictum, & cui rei vſuíque. Obiter etiam de obſcænâ ludi parte.

HIc Victor, Nimium properas. Quod olim de Haterio Auguſtus, de te Pighi dixerim, Sufflaminandus es. Nam Spoliario quid fiet, niſi locus ei eſt in loco? Caput percuſſit Pighius, & Hem! inquit, videte veſtrum Cyneam. Abſque hoc monitore, res tam illuſtris elapſa mihi erat. Sed retraham. Spoliarium non ipſe ludus, ſed ludi, vt apparet, pars. Ex lapide priſco, quem Tybure vidimus: CVRATORI. MVNERIS. PVBLICI. GLADIATORI. III. QVOT. IS. TEMPORE. HONORVM. CVRARVMQVE. SVARVM. PLENISSIMO. MVNIFICENTIÆ. STVDIO. VOLVPTATIB. ET. VTILITATIBVS. POPVLI. PLVRIMA. CONTVLERIT. LVDVM. ETIAM. GLADIATORIVM. ET. SPOLIAR. SOLO. EMPTO. SVA. PECVNIA. EXTRVCTVM. PVBLICE OBTVLERIT. Etiam Tertullianus ab ipſis Amphitheatris ſeparat: *Ceterùm à ſeculo coronantur & lupanaria, & latrina, & piſtrina, & carcer, & ludus, & ipſa Amphitheatra, & ipſa Spoliaria, ipſaq; Libitina.* Ductum nomen à re balneariâ. Nam *exteriores cellula in balneis, Spoliaria*, dictæ, vt notant Gloſſæ Latinæ veteres: vel, vt Græcæ, Ἀποδυτήριον, *Spoliarium.* Vbi ergo in balneis exuebantur, ſeque veſte exſpoliabant, Spoliaria dicta. & à cauſſâ ſimili, in Ludis. Nam ibi, credo, gladiatorum veſtes, ornamenta. Plinius in Panegyrico de Ærario differens: *Nunc templum nunc verè deus; non ſpoliarium ciuium cruentarumq; prædarum ſæuum receptaculum.* Imò amplius, locus ille receptor vulneratorum cæſorúmque. Caſſius Seuerus in Controuerſiâ, Debilitans expoſitos. *Produc agedum familiam ſemiuiuam, tremulam, debilem, cæcam, mancam, famelicam: oſtende nobis captiuos tuos. Volo mehercules noſſe illum ſpecum tuum, illam humanarum calamitatum officinam, illud infantium ſpoliarium*: Seneca de Prouidentiâ: *Videant largum in foro ſanguinem, & ſupra Seruilianū lacum (id enim proſcriptionis Sullanæ ſpoliarium eſt) Senatoris capita.* Itaq; crebræ illæ acclamationes Senatus, mortuo Cōmodo, ſunt ab hoc ritu, apud Lampridium, *Gladiatorē in ſpoliario.* &, *Gladiatoris cadauer vnco trahatur: gladiatoris cadauer in ſpoliario ponatur.*

Spoliarium quid.

A balneis ducta vox.

Cui rei ſpoliaria.

Quin

Quin & ij, qui ſine ſpe curationis læſi, illic interficiebantur. Seneca epiſt. XCIII. *Numquid aliquem eſſe tam cupidum vitæ putas, vt iugulari in Spoliario, quam in Arenâ malit?* Obſcænam parieni ludi in eodem Senecâ lego libro VII. Quæſt. Nat. extremo: nec ſcio an ad Spoliarium; an ad ludi locum fœdum, vbi *Spongia, referam: an potiùs emendem, *arcem ludi*, & capiam de iis qui ſponte ſeſe auctorant.

De Senecæ loco. * Os quâ Martialis. Quod ... * Senecæ epiſt. LXXI.

CAPVT XIX.

Finis conuiuij ſermoniſque. per occaſionem de Diludijs. item de ratione inuitandi ad hilaritatem inuſitatâ hodie. Ammianus expletus à coniecturâ. De Mutitatione, Agellius correctus, & Nonius.

DIAI. & ſit iam ſermonum pauſa quæſo. Nam & ſerum eſt, vt video: & in me quidem omnis vis loquendi iam vacuit. Itaque domuitionem paremus. Inclementi vultu ego, Tu Pighi ceſſes? nec pea limites illos eas, quos ipſe tibi poſuiſti? Non ego homo trioboli ſum, ſi id feram. Cras licebit, inquit. nunc te Lipſi, per hanc dexteram oro, mitte. Non, ſi per hanc ſororem læuam quoque, inquam. Et iamne mitto ad Prætorem, vt te nectam? Necta etiam, inquit, ſi voles. Nam mihi decretum in hoc Spoliario mori potiùs, quàm amplius in hanc Arenam. Lernutius cum Victore interueniens: Hercules multa nox eſt, Lipſi, inquiunt: & tempus abeundi. Ego commotior, Etiam me latrant meæ canes? Sed ſurgebat iam & Duza. Itaque ego, Hæc quidem conſpiratio eſt, inquam. at ſedete ſaltem dum patera iſta circumfertur. Nam Pighio noſtro non aliâ lege diludia do. Sedit iterum & reſpexit me Duza, Diludia tu quid appellas? Appoſitè ad hanc rem, inquam. Nam, *tempora quæ gladiatoribus conceduntur inter dies munerum quibus pugnatur, Diludia dicuntur*, vti ſcribit ad illud Horatij,

Diſplicet iſte locus, clamo, & diludia poſco.

Diludia, ludi

vetus ſcholiaſtes. Hic Victor, Verè fortaſſe Commentator, inquit. tamen mihi olim ſententia mea non diſplicet, Diludia eſſe cùm medij ludi alio genere ſpectaculi interrumpuntur, & quaſi diffinduntur. Ita enim mos, vt in mediâ ſæpe comœdiâ aut tragœdiâ, Venationem aut paria aliquot gladiatorum poſceret, tædij leuandi. Horatius teſtis:

Si diſcordet eques, media inter carmina poſcunt
Aut vrſum aut pugiles.

Et Dio: qui Circenſes diffiſos ait Venatione & Athletis interpoſitis, lib. LX. ἄρκτοι, inquit, μεταξὺ τοῦ δρόμου τῶν ἵππων ἐσφάγησαν, καὶ ἀθληταὶ ἠγωνίσαντο, καὶ παῖδες Ἀσιανοὶ πυῤῥίχην ὠρχήσαντο: id eſt, *Vrſi Circenſibus interpoſiti & cæſi, & athletæ certarunt, & pueri Aſiatici Pyrrhicham ſaltarunt.* Approbo, ait Duza. Et ſimilis calamitas Terentianæ Hecyræ interuenit, interpoſito funambulo. Eius enim ſententiæ querela illa Prologi,

Ita populus ſtudio ſtupidus in funambulo
Animum occupârat.

Etiam gladiatoribus: vt ſtatim,

Primo actu, placeo: cùm intereà rumor venit
Datum iri gladiatores. populus conuolat.
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco.

Cùm dixiſſet, paterâ acceptâ ego Victorem intuitus, Hanc ita ſpumantem, inquam, Latio & Lariæ. Eduxi, & Victori tradens, Viuamus, inquam; moriendum eſt. Ille abominatus tam triſtē vocem, Quæſo, inquit, vitemus hanc δυσφημίαν in menſâ: & deſpue, ne omen habeat tua vox. Ego riſi, &, Homo religioſiſſime, inquam, ita neſcis morem antiquum? Numquam illi hilariùs ſe inuitabant, quin laceſſerent lætitiam hoc ſermone. Atque adeò ipſa verba, vt protuli, apud Vibium Gallum in Controuerſiâ Senecæ VII. lib. IX. *Conuiuæ certè tui dicunt, Viuamus, moriendum eſt.* Ita lego, non *Bibamus*, cum vulgo. Ritum non vulgatum obſeruo in hac ipſâ admonitione apud Ammianum, lib. XVI. Nam pueri miniſtri cùm lumina menſæ inferrent, ſoliti ſimilia dicere. Ita enim ſuppleam legámque defecta hæc verba: *Malignitate ſimili quidem Africanus in rebus in Hiſpaniâ, ad cœnam itidem inuitatus, cùm inferentes veſpertina lumina pueros exclamaſſe audiſſet ex vſu, Vincamus *perum.........lens ne.......interpretatum, atrociter delenit nobilem domum.* Lego, *Viuamus, pereundum eſt.* addiditque Ammianus calumniatorem aliquem ſic interpretatum eſſe, ſolemne verbum, tanquam machinaretur Dominus ille aliquid magnum, & cum exitij ſui metu coniunctum, aut, tanquam id detorſiſſet in ſæuitiam Imperatoris, ſub quo omnibus pereundum eſſet. Hoc ecphonema etiam in veteri inſcriptione ſepulchrali,

Inuitandi mora, ipſa priſca ratio. Seneca bene correctus. * At qui docuerunt reſtituere Ammianum, hoc nomine uſi de omiſſis.

AMICI.
DVM. VIVIMVS.
VIVAMVS.

Et ſententia non ſemel obuia in poëtis. Quid autem dices, ſi ipſum cranium mortui inferre in menſam ſoliti, huic rei? Epigramma Græcum diſertè:

Ἡ φιλόχαυς χρήζουσα πανοπλίην, ἀρτολάγυνος
Αὐτὴ, καὶ δροσερῶν ἐκ πετάλων στέφανος,
Καὶ τοῦτο φθιμένοιο προάστιον ἱερὸν ὀστοῦν,
Ἐγκεφάλου ψυχῆς φρούριον ἀκρότατον.
Πῖνε, λέγει τὸ γλύμμα, καὶ ἔσθιε, καὶ περίκεισο
Ἄνθεα. τοιοῦτοι γινόμεθ' ἐξαπίνης.

Cranium in menſâ.

Sed & in Trimalcionis conuiuio apud Petronium: *Potantibus & accuratiſſimè lautitias nobis mirantibus, laruam argenteam attulit nobis ſeruus. ſic aptam, Vt articuli eius vertebræq́ laxatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cùm ſuper menſam ſemel iterúmque abiecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adiecit,*

Heu heu nos miſeros: quàm totus homuncio nil eſt.
* * *
Sic erimus cuncti, poſtquam nos auferet Orcus.
Ergo viuamus, dum licet eſſe bene.

Quod ab Ægyptio quidem ritu videtur, qui σκελετὸν ipſum mortui inferre conuiuio ſoliti, cum monitione, Ita breui omnes futuros. Plutarchus auctor in Conuiuio. Hîc Lernutius: Morem aſperum, inquit, & non longè à Scythis; quibus etiam potus in cranio mortuorum. Quin & hodie, vt audio, apud quoſdam noui orbis Indos. Tamen inuitatio illa in ſpecie barbaræ, optima. Quid enim homulli ſumus? aut quamdiu hæc vita! Ite mortales, & magnis cogitationibus animum implete: cras morituri. Et in calore illo ſimul effudit hos Anapæſtos:

Vana ſpes vitæ.

Miſerum, miſerum, mortale genus,
Cui vix orto fatum abortu eſt:
Heu quàm fallaci iactaris
Turbine vita!
Ille ſuperbi limina regis
Ambit, & alter populi faſces:
Alter nullo fine parandi
Aurum congerit, & congeſta
Pauper in auro eſt.
Ah neſcitis viuere, nec mori.
Moneo, moneo, ponite curas:
Curſu præcipiti ruit ætas.
Ludite, viuite, dum breuia ſinunt
Penſa ſororum.

Cum

Cum fine verſuum omnes ſurgebant. Duzam ego laciniâ tenui, Atque audin? inquam, iam opus viuere. Imò Bibere, ait, vt Comici noſtri loquebantur. Tempus nos admonet; certè ſomnus. Non etiam mittis? Polypus mihi videre: ita quidquid tetigeris, tenes. Mittam in hanc legem, inquam, vti cras iterum apud me ſitis. Imò apud me, ait Letnutius. Sit enim hæc per dies hos feſtos quædam, vt antiqui dicebant, Mutitatio. Mirantibus nouitatem verbi, Ita dico, inquit, Mutitatio. Agellius: *Legitur in Attei Capitonis Coniectaneis Senatus decretum vetus, in quo iubentur principes ciuitatis, qui ludis Megalenſibus mutitarent, id eſt mutua inter ſe conuiuia agitarent, iurare apud Coſ.* &c. Vbi lego fide codicum, *mutua inter ſe dominia agitarent.* Dominus antiquis, Præbitor: & Dominia, præbitiones hilariores. Lucillius: *Primùm dominia*

Mutitatio priſcorum. Agellius correctus.

A *atque ſodalitia omnia tolluntur.* Cicero Frumētariā in Verrem: *Huius argento dominia veſtra, huius ſignis forum comitiúmq; ornari.* Mutilus hic Tullij locus apud Nonium in Dominus: *Cicero Frumentaria: Adria argento dominos veſtræ:* facilis ex Cicerone correctu. Ad hæc alternantia conuiuia Virgilius reſpexit,

Mutuáque inter ſe læti conuiuia curant.

Et Nonius.

Etiam Pindarus Ode I. de Tantalo, qui, *ἀμοιβαῖα θεοῖς δεῖπνα παρέχει*: id eſt, *alternantia conuiuia diis præbet.* Occupauit reſpondere Duza. Ergo apud te Letnuti in prandio cras erimus. Nam hic Lipſius petit tanquam Cæſaris candidatus. Etiam irrides? inquam. At enim Betchemium vocaui. Igitur & is apud nos erit, ait Letnutius. Tu abi, & cùm nos bene curaſti, valetudinem tuam cura. Et cum dicto facta diſceſſio, vel vt ego appellabam, fuga.

IVSTI LIPSI SATVRNALIVM SERMONVM

LIBER II.

CAPVT I.

Quid ante diei ſecundi conuiuium. cum Victore diſſertatio ſuper Taciti loco, de inuentione genti apud Germanos. crebra manuum lautio antiquis.

SECVNDVS dies erat, quo Lernutio conſtitueramus: venitque ad me ante conuiuij horam Victor. Iámne vales? inquit. Ab animo Victor, inquam: à corpore (vt Auguſtus loquebatur) betizo. Quid ergo mirum, inquit, a morbo tam propinquo? Sed animum quod purgas; crede mihi, ab illo fonte hic languor. Studia animum, animus corpus fatigauit. Nec vultu aſpernêre. Eſt enim & animorũ laſſitudo quędam, non minor quàm corporum, ſed occultior: quæ fugienda nobis, & ſcintilla illa diuini ignis non obruenda eſt. Sed cui rei in menſâ libri? quos peius odiſſe te volo, quàm fullo vlulam. Ne erres Victor, inquam: libris nihil nunc facio pericli. Tacitum alucinans modò in manus ſumpſeram, atque aliud agens. Ecce autem verſabar & vexabar in loco iſto, De Germanorũ moribus. *Aurum & argentum propitij an irati dij negauerint, dubito. Nec tamen affirmauerim, nullam Germaniæ venam argẽtum aurúmue gignere. quis enim ſcrutatus eſt? poſſeſſione & vſu haud perinde adficiuntur.* Negat ecce clarè inuentã in Germaniâ argenti venã, quæſitámue. At contrà Annali xi. *Nec multo pòſt Curtius Ruffus eundẽ honorem adipiſcitur, qui in agro Mattiaco recluſerat ſpecus quærendis venis argenti.* Quæ inuentio argenti, quinquaginta, ante hũc libellũ Taciti ſcriptum, annis. Non cõcilio prorſus. Libri veteres, *in agro Machiaco.* Igitur lego, *Maciaco*, vel, *Mazyaco.* Nõ enim apud Germaniæ Mattiacos hæc Curtij foſſio, vt arbitrãtur: ſed apud Macas vel Mazyas Africæ populos. cui ipſi prouinciæ hic Curtius præfectus. Plinius certè in Germaniâ venã argenti nullam, ambiguè æris cõmemorat: & multis ſæculis pòſt, inuentionem hanc adſignant medij tẽporis ſcriptores. Ditmarus li. II. Chronicorum: *Temporibus Othonis aureum illuxit ſæculũ, apud nos inuentâ primùm venâ argenti.* Windichindus monachus (vixit ante annos DC.) lib. III. *Ergo qualiter Otho Romanos duobus prælus vicerit, terra Saxonia venas argẽti aperuerit, imperiumque cũ filio quàm magnificè dilatauerit, noſtræ tenuitatis non eſt dicere.* Hæc taliaque, Victor, hiſtorica & oblectãtia muginabar. Ne iſta quidem fas, inquit, ſed eamus. Sol iã duodecimã lineam tangit. In viâ eramus; ecce obuius nobis Duza. Bona ſcæua eſt, inquam, capio ex nomine tuo omen hodiernæ voluptatis. Sed quod herè oblitus, Hautenus noſter quî valet? ille flos poëtarum? Nam certè hoc elogiũ illi debemus, Vnũ eſſe inter Belgas, qui noſtrâ linguâ viam viderit ad carmen. Ille quidẽ rectè, inquit: & te amat. Sed carminũ eius famã ſcis quàm premant iudicia vulgi. Nempe vulgi, inquam: ſed dic illi à me, ſodes: peruincet hãc nouitatis inuidiã: & vt arbores quædam, ſic fama eius æternior erit, quò tardiùs creſcet. Pulchrũ eſt cũ Manilio gloriari, —*nec in turbã, nec turbæ carmina ſcribo.* In his ſermonib. peruentũ ad Lernutij ædes. Triſtior nobis viſus. Itaque Duza ad illum,

Quis iſtic voltus, quæ caligans triſtitas?

Parúmne in tempore, aut parum grati aduenimus? Ille ſingulos amplexus, Vos quidem opportuni & gratiſſimi, inquit. Pighius dedit me in hunc tumorem, qui puerum iam nunc miſit, & renuntiari iuſſit: Negotium ſibi natum eſſe. Id tu triſtis? inquam ego. Ne veniat. an de illius veſpere victuri ſumus? & ſuccidaneum ecce tibi hunc Berchemium do, qui in portâ. Simul intrauit Berchemius, & ad eum Lernutius, Tu certè fidem amas, & te fides. Naſiternam huc puer: lauate. Non ego, ait Victor: iam antè laui. Hem! ait Lernutius, adeò remotus à more priſco? qui non ante menſam modò, ſed in conuiuio meliore per ſingula fercula & miſſus lauabant. Ita apud Athenæum lib. IIII. cap. I. in Carani Macedonis conuiuio iam medio leges: καὶ ὡς ἅδην εἴχομεν βρώσεως, ἐχερνιψάμεθα: *& cùm ſatis cibi ſumpſiſſemus, manus lauimus.* Iterúmq; poſt aliud ferculum: καὶ ἀπονιψάμενοι τὰς χεῖρας ἐστεφανούμεθα: id eſt, *& manus loti coronas ſumpſimus.* Apud Lampridiũ in Eligabalo: *Exhibuit aliquando & tale conuiuiũ, vt haberet viginti duo fercula ingentiũ epularum, & per ſingula fercula lauarẽt.* Idem in eodẽ Principe: *Paraſitis in ſecundâ menſâ ſæpe ceream cœnam, ſæpe ligneã, ſæpe eburneam exhibuit: cùm tantùm biberẽt per ſingula fercula, & manus quaſi comediſſent, lauarẽt.* Hoc quidem moleſtum more Romano, inquit Victor. Quomodo enim in lecto? & ſurgebántne? Minimè, inquit. ſed auertebant à menſâ. Sidonius benè adſignificat, lib. I. cùm apud Cæſarem epularetur: *Retrorſúſque conuerſus, tanquam manibus aquam poſtularem, tantũmque remoratus quãtum ſtibadij circulum celerata miniſteria percurrũt, cubitũ thoro reddidi.* Fateor Lernuti, inquit, hoc me hodie doces.

In uno conuiuio Romani ſæpius lauabant.

CAPVT II.

In ipſo conuiuio, de Carptorum munere & vario nomine. Item de Structoribus. Tranſlatus cœptus ſermo ſermo à Pighio ad Duzam.

IAM adſederamus, & illatæ ſunt epulæ ſanè lautæ, & quæ (vt Plauti iocus) cinerem non quærerent. Inter alia Capus, qui magnitudine ſua omniū oculos in ſe conuertit. Tamen ad nos Lernutius: Mi hoſpites, inquit, pauca præſtinaui. Nam per hos dies, vt ſcitis, promiſcuæ cœnæ non ſolùm cande, ſed vacuefaciunt annonam macelli. Itaque hic Capus prandij noſtri fundus & fundamentum eſt. Tu Duza, diuide

B hunc ſpadonem, quod ſine fraude legis Scantiniæ fit. Carptor hîc ego? inquit Duza. tibi hoc ius erat in domo tuâ. Mirantibus, vt videbatur, nobis inſolentiam vocis: Duza, Carptores, inquit, antiquis dicti, qui cibum ſcindentes carpentéſque præminiſtrarent. Iuuenalis:

Carptores qui?

———carptores, archimagiri.

Stabilita Iuuenalis lectio.

Vbi tamen, *fartores*, &, *captores* ſubſtituunt non boni arbitri veterum conuiuiorum. Proprium enim huic muneri Carpendi verbum. Apud Petronium Trimalcio, quaſi per delicias, identidem imperat, Carpe: & explicat conuiua veteranus, *Vides illum qui obſonium carpit? Carpus vocatur. itaque quotieſcumque dicit, Carpe, eodem verbo & vocat & imperat.* Quod

C proinde eſt, quaſi tu Lernuti hunc puerum pocillatorem voces Fundum. Sciſſores iidem dicti. Petronius: *Proceſſit ſtatim ſciſſor; & ad ſymphoniam ita geſticulatus lacerauit obſonium, vt putares Darium hydraule cantante pugnare.* Qui locus ſatis indicat, cur eoſdem Cheironomontas Iuuenalis dixerit ——— *& cheironomonta volanti Cultello* ——— Itémque Sidonius lib. IIII. *Inter Apicios epulones, & Byzantinos chironomontas.* Neſcio an eos ipſos, Diribitores dixerit Apuleius lib. II. *Diribitores pluſculi ſplendidè amicti, fercula copioſa ſcitulè ſubminiſtrata.* an potiùs, qui fercula puerorum manibus allata commodè diſponerent & collocarent (vt ille iocatur) velut ſub ſignis. Vtraque certè notio in verbo veteri Diribendi. Hos

Sciſſores.

Cheironomontes.

Diribitores.

D tamen poſtremos, verbo magis trito Structores nominabant. Iuuenalis:

Structores.

Structorem intereà, ne qua indignatio deſit,
Saltantem ſpectas.

Petronius: *Proprium conuenientémque materiæ ſtructor impoſuerat cibum.* Athenæus lib. IIII. Ἰόβας ὁ βασιλεὺς τ̃ αὐτὸν εἶναί φησι τραπεζοκόμον, ὃ τ̃ ὑπὸ Ῥωμαίων καλούμενον στρύκτορα. id eſt: *Iuba rex eundem cenſet Græcorum* τραπεζοκόμον (quaſi dicas menſæ Curatorem) *cum eo quem Romani Structorem dicunt.* In hoc verbo Senecam velim emendari libro De vitâ beatâ, cap. XVII. *Quare ars eſt apud te, miniſtrare? nec temerè & vt libet collocatur argentum, ſed peritè ſeruatur, & eſt aliquis ſcindendi obſonij magiſter?* reſcribique, *peritè ſtruitur.*

Seneca emendatus.

E Tertullianus libello De cultu: *Structores capillatura*, paullò aliter dixit. Deſierat Duza, excepit Lernutius, De verbo optimè, ô magiſter: rem vide. Et ſimul admouit lancem. Duza capum etiam atque etiam adſpiciens, Heu gallum decumanum! inquit. & mirum ni iſtum ſubmiſerint Brugæ tuæ. Ita eſt, inquit: ſed tu Carpe carpe. Quàm pinguis autem! ait inter carpendum Duza. video, Lipſi, quis fructus cælibis vitæ? Fateor, inquam: & cælibem quaſi cælitem agnoſco, nec in alio etymo Grammaticis credo magis. Sed vt epulæ tam lautæ condimentum aliquod habeant; placétne Lernuti in Arenam redeamus, ſpectatum Gladiatores? Placet maximè, inquit. Hæret enim adhuc animo meo heſternus Pighij ſer-

A mo: cum delectabili recordatione veterum morum. Atque vt ij qui ſymphoniam audierunt, ferūt ſecum in auribus modulationem illam & dulcedinem cantus: ſic ego in animo narrationem Pighianam. Sed quis abſente illo nunc Editor? Quis niſi tu dominus? inquam. Ita enim ius, mos, vt qui menſam, præbeat & ludos. Ain' tu? inquit. At per meam editionem, ætatem eſtote ſine ludis. Et pugnē ipſe potiùs, quàm vt edam. Cur non autem noſter Duza? ——— ὥσπερ μὴ πολλὸν ἀμείνων. Conuerſi taciti omnes ad Duzam ſumus, quaſi rogantes. At ille, Amici, inquit, vnde mihi ea vis? ab ingenio tantùm, an à memoriâ poſſim? Denique cœpit herè Pighius, & vniuerſum hoc ar-

B gumentum diſpoſuit & intra ſeſe formauit. Eam partitionem ordinémque quâ diuinatione adſequar? Illud modò fiet, vt, ego ipſe qui ludos paro, vobis ſim ludus. Imò omnes nos in partem iuuabimus, ait Berchemius: ſpondeo. Et ego reſpondeo, inquam: aude modò. Æſtuo, ait Duza,

———velut minuta magno
Deprenſa nauis in mari, veſaniente vento.

Hinc preces veſtræ ſunt: illinc molimentum rei & difficultas. Tamen quoniam iubetis (nam mihi amicorum preces, iuſſa) aggrediar, & quod in hac re appoſitè dicitur, * Gladiator in arenâ conſilium capiam.

** Prouerbium apud Senecam epiſt. XXII.*

C

CAPVT III.

Propoſitio dicendorum. primóque de conditione gladiatorum, quoſdam ſeruos eſſe aut quaſi ſeruos: quoſdam initio liberos, imò nobiles. Equites Senatoréſque paßim arenâ ſe polluiſſe. quod aliis Principibus permiſſum, aliis vetitum.

COMPOSVIT ſe Duza ad dicendum: nos ad audiēdum. Et meditatione aliquâ interpoſitâ, ſic infit: Quattuor, vt meminiſſe potui, limitibus terminatus à Pighio hic ſermo: Origine, Loco, Hominibus, Modo. Priores duo benè & legitimè ab eo deſti-

Quæ dicenda Duzæ.

D tuti ſunt: tertium nunc collocabo, & de Hominibus duo dicam. Quæ conditio gladiatorū fuerit: & Quæ eorum genera, quódque diſcrimen. Ad conditionem quod attinet: è ſeruis plerumque cōperiot fuiſſe, aut captiuis. Serui aut vendebantur in ludum, aut damnabantur. De venditione Tertullianus: *Olim captiuos, vel malo ingenio ſeruos emercari.* Et Suetonius Vitellio: *Aſiaticum ob nimiam contumaciam & ferocitatem grauatus, circumforaneo laniſtæ vendidit, dilatúmque ad finem muneris repentè ſurripuit.* Adeóque id increbuit, & ob leuem ſæpe cauſſam: vt Hadrianus Imp. *Lenoni & laniſtæ ſeruum vel ancillam vendi vetuerit, cauſſâ non præſtitâ,* ait Spartianus. De damnatione,

E ſeruis.

E paſſim hiſtoriæ & legum libri, vbi damnati ad * gladium, leguntur, vel ad gladij ludum. Sic enim etiam loquebantur. Capitolinus in Macrino: *Seruos qui à dominis fugiſſent, repertos, ad gladij ludum deputabat.* Eos conquiri moris etiam in prouinciis fuit; ex Tacito, qui lib. III. Annal. in Galliâ nominat, *E ſeruitiis gladiaturæ deſtinatos.* De Captiuis etiam, non ignotum. Aut enim venditi illi ipſi laniſtis, aut ab Impp. poſtquam in triumpho ducti, dati in ludum. In vitâ Probi: *Edita gladiatorum paria trecenta, Blemiis pleriſque pugnantibus qui per triumphum erant ducti, pleriſque Germanis & Sarmatis.* Vopiſcus de triumpho Aureliani: *Per ordinem ducta gladiatorum paria octingenta, præter captiuos gentium barbararum.* Sæpe & ſine triūpho. In vitâ Claudij: *Claudius omnes*

E dānatis.
** Diſcrimē tamen aliquod Vlpianus facit inter Damnatos in ludum & ad gladium. Cuius verba infrà cap. XXI.*
E Captiuis

qui rebelles animos extuleꝛint, capti, atque in vincla Romam etiam miſſi ludo publico deputatos. Ad captiuos pertinere Tertulliani querelam puto: *Certè quidem & innocentes gladiatores in ludum veniunt, vt voluptatis publicæ hoſtiæ fiant.* Serui ergo captiuique primò ad hoc munus. Sed paullatim etiam liberi & ingenui, nullâ quidem aliunde vi, ſed pretio inducti vel malâ libidine pugnandi. Vtrunque genus coniunxit Liuius lib. XXVIII. *Gladiatorum ſpectaculum fuit, non ex eo genere hominum ex quo laniſtis comparare mos eſt, ſeruorum deſtis ac * liberorum qui venalem ſanguinem habent: gratuita omnis pugnantium opera fuit.* At de liberis, Labienus apud Senecam patrem lib. X. Controuerſ. *Curat ne quis ex ſolitudine infantes auferat perituros niſi auferantur: non curat quòd iuuenum miſerorum ſimplicitatem circumueniunt, & ſpecioſiſſimum quemque maximè idoneum caſtris, in ludum conducunt.* Tertullianus ad martyres: *Quot otioſos adfectatio armorum ad gladium locat? Certè ad feras ipſas adfectatione deſcendunt, & de morſibus & cicatricibus formoſiores ſibi videntur.* Lactantius lib. V. cap. IX. *Et quod eſt ſceleratius, vt ſint religionis antiſtites, qui nec vitæ quidem ſuæ parcant, ſed extinguendas publicè animas vendant.* Manilius lib. IIII.

Etiam è liberis.

Qui pretio ſe vendebant.

** Male vulgo libertorum.*

> *Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ:*
> *Atque hoſtem ſibi quiſque parat, cùm bella quieſcunt.*

Et verò paullatim, non deſidentibus ſed corruentibus moribus, eò ventum, vt primæ nobilitatis viri operas arenæ locarent: quidam deſperatione & bonis exuti, alij principibus gratificantes. Seneca epiſtolâ centeſimâ: *Aſpice illos iuuenes, quos ex nobiliſſimis domibus in arenam luxuria coniecit.* Idem epiſt. LXXXVIII. eleganter: *O quàm vellem Catoni nunc occurrere aliquem ex his treſſulis in viâ diuitibus, curſores & Numidas, & multum ante ſe pulueris agentem. Hic ſine dubio cultior comitatiórque quàm M. Cato videretur: hic, qui inter illos apparatus delicatus cùm maximè dubitat, vtrum ſe ad gladium locet an ad cultrum.* Ludit ſuauiter in homines inopes ſui æuis, diuites alieni: qui re cum ſpe conſumptâ, ad extremum deliberant Gladiatores fiant an Venatores. Id enim valet, Ad cultrum. Putaui aliquando; *ad pulpitum*, blandiente coniecturâ, ſed vanâ. Nam culter propriè venatorum. Suetonius Auguſto: *Laxa quidam cultro venatorio cinctus.* Martialis ad lêma *Culter venatorius*:

Sæpe & nobiles re comesâ.

Seneca explicatus.

Culter venatorum.

> *Si deſecta gemes grandi venabula roſtro,*
> *Hic breuis in grandem cominus ibit aprum.*

Sed ad dictum morê Iuuenalis de nobilibus ſui æui:

> ——*quanti ſua funera vendant*
> *Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone.*
> *Nec dubitant Celſi prætoris vendere ludis.*

Quin vulgò iam ſub Principibus equites polluti arenâ & Senatores. Origo prima rei à C. Cæſare, opinor: *cuius munere in foro, depugnauit Furius Leptinus ſtirpe prætoriâ, & A. Calenus Senator quondam actórque cauſſarum*, ait Suetonius in Iulio capite XXXIX. Dio hoc amplius, permiſiſſe eum equitibus Romanis vti pugnarent, lib. XLIII. Eóque temeritas hæc, ſiue inſania fuit, euaſit, vt lege cauere Auguſtus debuerit μήτε βουλευτὴν μονομαχεῖν, μήτε δοῦλον ῥαβδουχεῖν, *nec Senatorem gladiatorem fieri, nec ſeruum lictorem.* Equitibus tamen palàm id permiſit, non ſine admiratione meâ & Dionis lib. LVI. τοῖς ἱππεῦσιν (ὃ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις) μονομαχεῖν ἐπέτρεψε. *Neque enim*, vt Calpurnius ait, *conditione gladiatoriâ quidquam eſt humilius in vulgo.* Sed denuò id vetitum Senatuſconſulto. Suetonius Auguſti cap. XLIII. *Ad ſcenicas & gladiatorias operas etiam equitibus Romanis aliquando eſt vſus: verum priuſquam Sc. interdiceretur.* Et fraudē quę huic legi fiebat, repreſſit Tiberius, apud eūdem Suetonium cap. XXXV. *Ex iuuentute vtriuſque ordinis (Senatorium cape & Equeſtrem) profligatiſſimus quiſque, quò minus in operâ ſcenæ arenæque edendâ Senatuſconſulto tenerentur, famoſi iudicij notam ſponte ſubibant. Eos omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquā eſſet, exſilio affecit.* Sed non ad Tiberij ſeueritatem Principes ſecuti: qui ſolutè adeò permiſerunt, vt Caligula vnâ commiſſione vigintiſex equites dederit: Nero *exhibuerit ad ferrum quadringentos Senatores, ſexcentóſque equites Romanos, & quoſdā fortunæ atque exiſtimationis integræ ex iiſdē ordinibus, confectoréſque ferarum & varia arenæ miniſteria.* Interpellauit hîc Berchemius, Ais quadringentos Senatores? ſexcentos equites? Extra fidem ea adſeueratio eſt, mi Duza. At fidus huic rei ſcriptor Tranquillus, inquit Duza. cap. XII. Fateor, ait Berchemius: neſcio an fidus exſcriptor. Numeri nimium faciles corruptu. & vereor vt Suetonius ſcripſerit, *quadragenos Senatores.* Vniuerſus ordo patrum lege Auguſti intra ſexcentos: & tam matula ego, vt credam pugnaſſe ex iis infamem hanc pugnam quadringentos? Sed & equites in parte libero eius culpæ, ſcribóque, *ſexagenos*, numero ſatis etiam liberali, quoniam Dio ſub eodem Nerone pugnaſſe duntaxat ſcribit, vnis ludis, triginta. ἱππεῖς, inquit, ἐν τῷ τέλους τριάκοντα ἐμονομάχησαν. Ego ad Berchemium, Faueo correctioni tuæ, inquam. nec magiſè Suetonio maculam illam eluis, quàm è nomine Romano. Sed & reliqua Tranquilli ſic potiùs legerim: *Fortunæ atque exiſtimationis integræ. Ex iiſdem ordinibus confectores quoque ferarum.* fuſtra expletáque ſententia quæ pendens aliter & hiulca eſſet. Duza iterum: Iam viri eſtis, inquit, laudo. Anteà ſilentium veſtrum perpes, & non ex ſponſo: nunc cùm iuuatis, paſcor opere. Igitur pergo. Vitellius quamquam ipſe infamis, infamiam hanc genere quodam ſuſtulit, *cauitque ſeuerè ne equites Romani ludo aut arenâ pollucrentur. Priores id Principes pecuniâ & ſæpius vi perpulerant: ac pleraque municipia & coloniæ æmulabantur corruptiſſimum quemque adoleſcentium pretio illicere*, ait Tacitus lib. II. Hiſtoriarum.

Permiſere iterum alij Principes.

Præter fidē in Tráquillo numerus.

Is mutatus.

Iterum correctus ibi.

CAPVT IIII.

Feminas imò ipſas deſcendiſſe in hunc ludum: in publico depugnaſſe. donec id vetitum à Seuero.

MIRABAMVR omnes proteruiam illam Romanæ iuuentutis, quæ tam prodiga ſanguinis ſui pariter & honoris. Sed Duza inſurgens, & geſtu ipſo nouum aliquid dicturus, Viros habetis, inquit; vultis etiam Amazonas? Ænigmata loqueris, ait Victor: vnde eæ Romæ? Dico feminas Romanas, inquit Duza. Victor caput mouens, Lamiæ turres dicis, inquit, & pectines Solis. Duza, Ego ſeriò loquor, inquit: & iam producā. Hîc ego, Apage Duza, inquam. ain' tu feminas pugnaſſe Romæ? Pugnaſſe, ait. Fortaſſe pygiaeam pugnam, inquam ridens. Imò illam gladiatoriam veram, inquit. Vel Tacitū ipſum audi, lib. XV. *Feminarum Senatorúmque illuſtrium plures per arenam fœdati ſunt.* cum quo in eadem narratione conſentit Dio, in rebus Neronis. Suetonius Domitiano: *Venationes gladiatoréſque & noctibus ad lychnuchos dedit: nec virorum modò pugnas, ſed & feminarum.* Dêque hiſdem Domitiani ludis Statius in Siluis:

Feminæ etiam ad gladium.

> *Hos inter fremitus nouóſque * luſus,*
> *Stat ſexus rudis inſciúſque ferri:*
> *Et pugnas capit improbus viriles.*
> *Credas ad Tanaim feróſque Phaſim*
> *Thermodontiacas calere turmas.*

** Male vulgò, lusus.*

Neu

Neu Principes modò cenſete hanc inſaniam inſaniſſe: ecce apud Athenæum priuatus quidam teſtamento cauet, γυναῖκας δ' ἀξιοπρεπεστάτας μονομαχῆσαι. id eſt, *pulcherrimas mulieres gladiatoriam pugnam edere.* Hoc adeò verum eſt vt, Seuero Principe, vetandum Senatuſconſulto fuerit, μηκέτι μηδεμίαν γυναῖκα μονομαχεῖν, *non vltra feminam vllam ad gladium depugnare.* Et quid dicitis? iamne mihi fides? Fides, ait Victor. Sed ô Vates Euripides! mânibus tuis bene ſit, cum poëtâ Aquinate. Lernutius ridens, Quid culpas? ait. nónne hæc nuda & * Lacæna ſimplicitas? Oculis meis ſpectaculum tale ſit, & Dianis illis Actæon ego.

** Nam ea in gymnaſio nuda*

Duza ſuſcipiens. Ridemuſne etiam? inquit. Atqui non ſolùm feminas veniſſe in has pugnas, ſed pumilos & nanos, improbo quodam ſtudio nouitatis. Xiphilinus in Domitiano: Πολλάκις δὲ τοὺς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει, καὶ νάνους καὶ γυναῖκας συνέβαλλε. *Pugnas etiam noctu ſæpe exhibuit: & interdum nanos ac feminas inter ſe commiſit.* Ita enim rectè emendauit vir eruditus Theodorus Marcilius, cùm νέας legeretur. Papinius de iiſdem Domitiani ludis:

His audax ſubit ordo pumilorum,
Quos natura breui ſtatu peractos
Nodoſum ſemel in globum ligauit.
Edunt vulnera, conſerúntque dextras,
Et mortem ſibi quâ manu minentur
Ridet Mars pater & cruenta Virtus,
Caſſuræq; vagæ grues rapinæ.

FEMINÆ.

A



NANI.

B



CAPVT V.

Liberos homines qui in Arenam veniebant, propriè Auctoratos dictos. pretium mercéſque eorum Auctoramentum. Vis & effectus Auctorationis. item ſolemne gladiatorum iuramentum.

Duo genera voluntariorû gladiatorû.

SEQVT veſtigia mea relegam, ex ijs quæ dixi videtis, duplex genus fuiſſe inter gladiatores, Coactos & Voluntarios. Coacti, ſerui, damnati, captiui: Voluntarij, liberi, quique pretio ſe addicebant. Hi poſtremi, propriè Auctorati dicti. Vetus Horatij interpres: *Auctorati vocantur, qui ſe vendunt ludo. Auctoratio enim dicitur venditio gladiatorum.* Gloſſæ priſcæ: *Auctoratus, αὐθαιρέτως εἰς δοῦλον ἑαυτὸν βάλλων, καὶ μονόμαχος.* Inde Auctorandi verbum, notione pari. Quinctilianus: *Quidam vt patrem ſepeliret, auctorauit ſe.* Aſinius Pollio ad Ciceronem: *Fadium quendam, quia cùm depreſſus in ludum bis gratis depugnaſſet, auctorari nolebat, viuum combuſſit.* Plinius lib. XIIII. *Vineæ in tantum ſublimes, vt vindemiator auctoratus rogum & tumulum excipiat.* Ab eodem & Auctoramentum pretium ipſum gladiatoris, & merces. Paterculus: *In eâ ingulati ciuis publicè conſtitueretur auctoramentum.* Seneca: *Quocumque ſe verterit, pretium aliquod præſens occupationis ſuæ inueniet. nullum ſine auctoramento malum eſt.* Cicero: *Merces ipſa in mercenarijs, auctoramentum eſt ſeruitutis.* Seneca: *Hominem venalis anima crebris incitabat auctoramentis.* Gladiatorium Liuius appellauit lib. XLIIII. *Deinde in cuſtodiam C. Caſſio tribuno mil. traditus, vix gladiatorio accepto ab rege, rex vt in eam fortunam recideret.* niſi ini bi legendum, *vix gladiatorio auctoramento, ab rege rex vt in eam f. r.* Nam vulgata non mihi certa. Sed hæc Auctoratio non ſimplex. Quia enim liberi, iuramento ſolemni interpoſito fiebat, quod vinclum ſeruitutis. iurabátque nouitius gladiator, ſe omnia paſſurum auſurúmque, quæ legitimum gladiatorum ius mos eſſet. Formula adeò ipſa iuramenti in Petronij Arbitri fragmentis: *In verba Eumolpi*, inquit, *ſacramentum iurauimus, vri, vinciri, verberari, ferróque necari. & quidquid aliud Eumolpus iuſſiſſet, tanquam legitimi gladiatores domino, corpora animóſque religioſiſſimè addicimus.* Horat.

Auctorati.

Auctorare.

Auctoramentum.

Iuramentū in auctoratione.

Eius forma.

> *Quid refert, vri, virgis ferróque necari*
> *Auctoratus eas? an turpi clauſus in arcâ?*

Seneca epiſtola XXXVII. *Eadem honeſtiſſimi huius & illius turpiſſimi auctoramenti verba ſunt, vri, vinciri, ferróque necari. Ab illis qui manus arenæ locant, & edunt ac bibunt quæ per ſanguinem reddant, cauetur vt iſta vel inuiti patiantur: à te vt volens libénſque.* Alluſit Tibullus:

> *Vre meum potiùs flammâ caput, & pete ferro*
> *Corpus, & intorto verbere terga ſeca.*

Ad tria pœnam.

Sed in Senecæ loco *Vinciri* verbum ſuſpectum habeo: & fortaſſe, *Virgari.* In tria enim iurabant, Vſtionem, Verbera, Necem: quæ gladiatores patiebantur ex more. Necem, cùm cecidiſſent, & ferrum iuberentur recipere: flammam & verbera, ſi quando timidiùs pugnarent, aut fugerent à ferro. Acron in Horatium: *Gladiatores ita ſe vendunt, & cautiones faciunt, vri flammis, virgis ſecari, ferróque necari.* Seneca epiſt. VII. exprimens ſæuientis populi voces: *Occîde, vre, verbera. Quare tam timidè incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parum libenter moritur? Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis & obuiis pectoribus excipiunt.* Vbi rideatis licet notam oræ appoſitam, *Plagis, id eſt retibus.* Imò verberibus, ô ſtupor; & tu iis dignus. Quinctiliani verba huic

A tei, in Gladiatore: *Fremebant vbique omnia apparatu mortis. Hic ferrum acuebat, ille accendebat ignibus laminas: hinc virgæ, inde flagella adferebantur.* Item Tertulliani: *imò qui propter homicidæ pœnam ad ſpectaculum veniat, idem gladiatorem ad homicidium flagellis & virgis compellat inuitum.* Hac fini Lorarij fuerunt, vt obſeruo, ſiue Maſtigophori in Arenâ & in Scenâ. Xiphilinus in Nerone: Καίτοι πῶς ἄν τις ἀκοῦσαι μὴ ὅτι ἰδεῖν ὑπομείνειεν, αὐτοκράτορα Αὔγουστον τοὺς ἀγωνοθέτας τούς τε μαστιγοφόρους φοβούμενον, καὶ χρήματα αὐτοῖς κρύφα ἀναλίσκοντα μὴ ἐλεγχθεὶς μαστιγωθῇ. *Quis verò audire nedum videre poſſet, Imp. Auguſtúmque præfectos ludorum & Lorarios timentem? iiſque clam pecuniam ſubminiſtrantem, ne reprehenſus vapularet?* Arcadius Iuriſc. l. XVIII. De muneribus: *Maſtigophori quoque qui agonothetas in certaminibus comitantur, & ſcribæ magiſtratus, perſonali munere ſeruiunt.* Mentio eorum & Thucydidi libro quarto, & Polluci lib. III. Apud Euſebium lib. V. Eccleſ. hiſtoriæ in epiſt. Viennenſium & Lugdunenſium, de martyribus qui ad beſtias dati: ὑπέφερον πάλιν τὰς διεξόδους τῶν μαστίγων τὰς ἐκεῖσε εἰθισμένας: id eſt, *Suſtinuerunt iterum reciprocationes flagellorum, ibi vſitatas.*

Maſtigophori.

B

CAPVT VI.

Factâ fine dicendi de conditione gladiatorum, interlocutiones aliarum rerum inſertæ. De orientalium parcimoniâ, vel abſtinentiâ potiùs, in potu. De nuntiis litteríſque per columbas aut hirundines, etiam in Spectaculis.

C

MISSVS ſecundus inferebatur; & Duza, dum menſæ commutantur, cibi collocantur, paulliſper interquieuit. Lernutiumque adſpectans, Dic ſodes, domine, inquit: apud Orientis populos natus es tu? Quid iam? inquit Lernutius. Quia enim caninum hoc prandium eſt, ait Duza. mihi certè, qui vinum nô attigi. Neſcio quis autem ſcriptor apud Suidam notat, ita receptum fuiſſe populis ad Ortum, nemo vt vinum infunderet nec biberet quiſquâ inter cibum. Verba eius: οἰνοχόει οὐδείς, οὐδὲ νομίζεται παρὰ τοῖς Ἑώοις βαρβάροις ἐμπίνειν δειπνοῦντας: id eſt: *Nemo vinum infundebat, nec moris eſt apud Orietales barbaros bibere cœnantes.* Colorem non tenuit Lernutius; & miniſtrum reſpiciens, Scelus pueri, inquit, caſſus oculis manibúſque es tu? Monitū hoc à me oportuit? Tamen Duza, ne neſcias, nouæ imò veteris Italiæ placitus mihi mos, Sitis? poſce. Ita hîc viuitur. Sed de colūbis iſtis guſtas? Pone Victor, ad Duzam. Duza toto vultu renuit. Non ego inquit, non ego. Quid ita? inquit Lernutius. fortaſſe te columbis non amicum? Amiciſſimus ſum ait Duza. Quian' igitur Syrus es? inquit. Minimè, ait. tamen & nobis Batauis hæ columbæ ſacræ. Iure. vitam & hunc ſpiritum debemus illis. Eæ nobis obſeſſis arcanorum apud ſocios interpretes; eæ litterarum fidæ adminiſtræ; eæ rebus iam deploratis, & tantùm non funere noſtro conclamato, ſolæ indices auxilij ſalutaris. Audita nobis hæc miracula, ait Victor. & tuum tunc robur: ſed miracula apud vulgus. Nam nos exemplum eſſe ſcimus ab D. Bruto, obſidione Mutinenſi. Nam vt tu disertè ſcripſiſti,

Orientales non bibere ſolitos ad menſam.

D

E

> *Quid vigil obſidio, quid arces,*
> *Aut valla proſunt, per ſpatia inuij*
> *Eunte cæli nuntio?*

Imò Victor, inquit Berchemius, in re ludicrâ inque his ipſis Spectaculis, de quibus cùm maximè agimus, vſus olim ſimilis columbarum. Nam patres familias

Columbæ ad litteras ferendas, in ſpectaculis.

qui

Digitized by Google

qui in Theatrum aut circum, ibant, vnde non pro arbitrio reditus, columbas ſecum ſinu ferebant; eáſque emittebant cum tabellis, nuntias domum quid vellent. Varro de Re ruſticâ: *Columbas redire ſolere ad locum licet animaduertere, quòd multi in theatro è ſinu miſſas faciunt, atque ad locum redeunt: quæ niſi reuerterentur, non emitterentur.* Atque à theatro, credo, illud Brutinæ militiæ exemplum. Plinius factitatum idem in hirundinibus obſeruat lib. x. *Cæcina*, inquit, *Volaterranus equeſtris ordinis, quadrigarum dominus, comprehenſas hirundines in vrbem ſecum auferens, victoriæ nuntias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ* * *colore.* Dum fabulamur, Pighius ecce intrat. Gratulatione & ſalute à nobis excipitur; non à Lernutio, qui adductâ fronte, Homo inſide, inquit, quid de te merui, vt diem tam feſtum abſentiâ tuâ redderes nobis infeſtum? Hoc herè pollicitus? Per fidem Lernuti, inquit Pighius, ignoſce. Neſcio quod purgamentum hodie egrediens calcaui: ita notabiliter toto die infelix, & non mei iuris. Et ſimul neſcio quid in aurem Lernutio ſuſurrauit: iterúmque altiore voce, In Catonum poſthac malo, inquit: quàm denuò ad hos Catones. Duza ad illum, Non tu gratus Lernutio? mihi certè. Non ille columbarum liberatricium nuper iocundior aſpectus; quàm nûc tuus. Ecce enim ſuppoſiticium tibi me fecerant boni iſti Editores: at nunc ſcilicet per te ſoluor. Solui ego te? ait Lernutius. Agite maſtigophori, flagella & ignem. Quid iis facturus? inquam ego. Vt hunc, ait, nouum auctoratum compellam ad cœptam pugnam. Hem! inquit Duza. ab igne mihi cautio eſt, Thetidis marinæ filio. Pateo, magiſter, potiùs.

Varroni a ligna ... .

** Falliunt ſcoliaſtæ eius qua veteres poeta Veneta, Praſina, &c.*

CAPVT VII.

Reditio ad gladiatores. De generibus eorum & diſcrimine. De Secutoribus primò; cauſſâ nominis: ratione pugnandi, & armis.

Varia genera gladiatorum.

PIGHIO locus ſedendi apud me fuit. At Duza iterum ſic orſus eſt. Quod primùm ergo in Hominibus propoſui, id dixi: Genera ſequuntur & diſcrimen. Nec enim gladiatorum vnum nomen aut vna claſſis: ſed ab armis, à locis, à tempore, aliiſque cauſſis diuerſi. Ea omnia operæ mihi eſt, vt accuratè perſequar: quia nec vulgo nota, & litteratorum noſtrorum in his ſæpe error. In primâ claſſe, qui armis & ratione pugnæ diuerſi, colloco iſtos,

SECVTORES
RETIARIOS
THRECES
MYRMILLONES
HOPLOMACHOS
SAMNITES
ESSEDARIOS
ANDABATAS
DIMACHAEROS
LAQVEARIOS

Secutores qui?

Ordiar à Secutore. is ab inſequendo Retiarium, dictus, ait Iſidorus. Et verum eſt. nam ſecutor propriè adſecla, comes ἀκόλουθος. Itaque extra rem gladiatoriam lego Secutorem Tribuni, Secutorem Cæſaris, muneris operæque nomen. Neapoli in marmore:

Secutor in militiâ, vt videtur ex Lapidibus.

TAVRO. SECVTO
RI. CÆSARIS

Romæ ad columnam Antonini:

M. ANTONI. M.F. FAB. PHOEBI
MIL. COH. XIV. VRB. Ↄ. PERENNI
STIPENDIOR. IIII. SECVTOR. TRIBVNI

Et alibi:

M. SIL. ROMVLIANVS
MIL. COH. VII. PR. Ↄ. VICTORIS
SECVTOR. TRIB.

Et fortean ſic dicti milites, qui ex inſtituto priſco Tribunos comitabantur, velut loco apparitorum: de quo Lampridius in Alexandro. Sic & Paulinus Nolanus in epiſtolâ ad militem: *In militiâ ſæculari ſocius & ſecutor contubernij tui fui.* Ab hac eâdem notione Mars cognomento Secutor apud Mileſiarũ ſcriptorem lib. VII. *Grandẽ hircum, annoſum, & horricomem Marti ſecutori comitique immolant*, quod cognomen ei aptum, eùm ſecundus obſequénſque. Ideò rectè Comitem adiecit Apuleius, velut interpretamentum. Nec abiit ab hac proprietate idem ſcriptor lib. IIII. *Non diu*, inquit, *cruciatus vitâ euaſit. quẽ prioris exemplo ſepulturæ traditum, bonum ſecutorem Lamacho dedimus.* id eſt, qui Lamachum ſequeretur comitareturque ad Orci domum. In Petronio etiam lego Secutuleiam mulierem: *Et prò pudor*, inquit, *tanquam mulier ſecutuleia vnius noctis tactu omnia vendidit.* ſi recta lectio eſt, ab hoc eodem etymo, quæ virum appetat & ſectetur ipſa. Quamquam & reſpectus ibi fortè aliquis ad rem gladiatoriam: quia fugitiui illi, quos inducit Arbiter, olim in Arenâ. At Secutorum, inter certa gladiatorum nomina, mentio multa. Cicero ad Atticum lib. VII. *Gladiatores Cæſaris qui Capuæ ſunt, ſanè commode Pompeius diſtribuit, binos ſingulis patribus familiarum. Secutorum in ludo ∞. ∞. fuerunt*, id eſt, duo millia. Ita mihi malo, quàm IↃↃ. cum Manutio & aliis, numerum exorbitantẽ. Quis enim crediderit quinque millia gladiatorum Capuæ fuiſſe, & quidẽ Secutorianæ, id eſt vnius armaturæ? Iuuenalis:

Martis ad cognomen.

Apuleius interpretatio.

Secutuleia.

Petronius interpretatus.

Numerus in Ciceron. ... .

———*cum Graccho iuſſus pugnare ſecutor.*

Lapis Veronæ: AEDONI. SECVTORI PVGN. VIII. Dio in Commodo, ἐχρῆτο τῇ ὁπλίσει τῇ τῶν Σεκούτωρος καλουμένων: *vſus eſt armaturâ eorum qui Secutores dicuntur.* Lampridius in eius vitâ: *Appellatus eſt inter cetera triumphalia nomina etiam ſexcenties vicies, Paulus primus ſecutorum.* Vbi optem ſcribere, *Palus primus.* Certè enim nomen eſt vilis alicuius gladiatoris, non cognomen Æmiliæ gentis. Ille autem ſic dictus fuerit, quia immobilis inuictúſque aduerſum oppugnantes, velut palus, ad quem milites exercebantur. Suadet hanc ſcripturam etiam Dio: ἐπίγραψε πρὸς τοῖς ὁπλομάχοις αὐτὸ ἐπονύμιος καὶ τοῦτο, πρωτόπαλος Σεκουτόρων, ſi diductim tamen legas corrigáſque, πρῶτος πάλος. Nam nomen proprium fuiſſe non dubium, ex ritu quo ſolent victores appellari nomine alicuius celebris gladiatoris. Lampridius: *Nomina gladiatorum recepit eo gaudio, quaſi acciperet triumphalia.* Arma Secutoris deſcribit Iſiodorus, neſcio an ex fide: *Secutor eſt ab inſequendo retiarium, dictus. Geſtabat enim cuſpidem & maſſam plumbeam, quæ aduerſarij iaculum impediret, vt antequam ille feriret reto, iſte ſuperaret. Hæc armatura ſacra erat Vulcano. Ignis enim ſẽper inſequitur. ideóque cum Retiario componebatur, quia ignis & aqua ſemper inter ſe inimica ſunt.* De maſſa quidem plũbea nihil mihi lectum. & gladium illi tribuit Prudentius:

Conſtellatio in Lampridio.

Et altera in Dione.

Secutorum arma.

Gladius.

Altius impreſſo dum palpitat enſe ſecutor.

Clypeum adiungit Dio, de Commodo: τὴν μὲν ἀσπίδα ἐν τῇ δεξιᾷ ἔχων. quẽ inſerit eius dextræ, non quia id alij Secutores, ſed quia Commodus gloriabatur iactabátque ſe eſſe ſcæuam. Idem & Galeam: quæ cõmunis gladiatoribus pleriſque. Artemidorus lib. II. aliquid iuuat in ratione Secutoriana pugnãdi: *Si quis*, inquit, *cum Secutore compoſitus ſibi videbitur*, εὔμορφον μὲν λήψεται γυναῖκα πλουσίαν, μεγάλα δὲ φρονοῦσαν ἐπὶ τῷ πλούτῳ, καὶ διὰ τὸ καταφρονοῦσαν τοῦ ἀνδρὸς, καὶ πολλῶν κακῶν αἰτίαν ἐσομένην ἀεὶ τῷ ἀνδρί: id eſt, *pulchram quidem fœminam ſibi iunget & diuitem, ſed magnum ſpirantem ob*

Clypeus.

Galea.

opes, adeóque & viri contemptricem, & multorum malorum auctorem. ſemper enim inſequitur. Secutores cum Myrmillonibus eoſdem eſſe ſcribit in Epiſtolas ad Atticum vir diſertus. & vellem ratione aliqua id docuiſſet, aut exemplo.

CAPVT VIII.

De Retiario. vnde petitum id genus. deſcriptio pugnæ & armorum. & cum quo commiſſus.

Retiarij, qui?

RETIARIVM tíre ſubiungam. is enim plerumque commiſſus cum Secutore. Iſidorus deſcribit his verbis: *Retiarius*, inquit, *qui contra alterum pugnantem occulte ferebat rete quod iaculum appellatur* (vellem ſcripſiſſet breuius & verius, *ferebat retetaculum*) *vt aduerſarium cuſpide inſiſtentem operiret, implicitumque viribus ſuperaret. qua armatura pugnabat Neptuno tridentis cauſſá.* Oiigo & exemplum eius armaturæ, noo dubiè à Pittaco, qui inter ſapientes. Ita enim ille ex prouocatione cum Phrynone pugnauit. Strabo li. XIII. ὕστερον δὲ ἐκ μονομαχίας προκληθεὶς ὑπὸ τοῦ Φρυνώνος, ἁλιευτικὴν ἀναλαβὼν σκευὴν συνέδραμε, καὶ τῷ μὲν ἀμφιβλήστρῳ περιέβαλε, τῇ τριαίνῃ δὲ καὶ τῷ ξιφιδίῳ ἐπείρε καὶ ἀνεῖλε. id eſt: *Poſteà verò ad ſingularem pugnam à Phrynone prouocatus, cum piſcatoria ſchemá in eum pugnauit. & retiaculo quidem hominem circumuoluit, tridente verò & pugione impulit occiditque.*

Eorum origo.

Similia Diogenes lib. I. præter quod δίκτυον ὑπὸ τὴν ἀσπίδα λαθραίως habuiſſe eum ſcribit. At Retiario certè noſtro non clypeus. Iuuenalis cum curá eius arma deſcripſit, & velut ex profeſſo, dum Gracchum quendam ex primá nobilitate tangit, qui in arenâ retiarius pugnauit, Satyrá VIII.

———*& illud*

Dedecus vrbis habe. nec myrmillonis in armis,
Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce ſupiná,
Damnat enim tales habitus, & damnat & odit.
Nec galeá frontem abſcondit. mouet ecce tridentem,
Poſtquam vibratá pendentia retia dextrá
Nequicquam effudit nudum ad ſpectacula vultum
Erigit, & totá fugit agnoſcendus arená.
Credamus tunica, de faucibus aurea cùm ſe
Porrigat, & longo iactetur ſpira galero.
Ergo ignominiam grauiorem pertulit omni
Vulnere cum Graccho iuſſus pugnare ſecutor.

Iuuenalis ex iactatur & retiariorum arma.

Quæ digna explicatu. Ait, *nec clypeo Gracchum pugnantem*. nō ergo Retiario clypeus: & remouet à Secutoribus. Addit, *aut falce ſupiná*. oon ergo ſica: & remouet à Threcibus. Deinde, *Nec galeá frōtem abſcondit*. quia coorētus ſolo galero, de quo etiam ſubiecit, *& longo iactetur ſpira galero*. Nudá facie ergo Retiarij, ſoli ex gladiatoribus.

Retiarij ſine galea. Nudo vultu.

Ad quam ſententiam aptanda ſæuitia illa Claudij Trāquillo narrata, qui *gladiatores etiá forte prolapſos iugulari iubebat maxime retiarios, vt exſpirantium faciem videret*. cap. XXXIIII. Item hoc Iuuenalis, in loco: *nudum ad ſpectacula vultum Erigit*. Pergit, *Poſtquam vibratá pēdentia retia dextra Nequicquam effudit*, & oculis ſubiicit ſolēne genus eius pugnæ.

Rete effundebant.

Ita enim docti Retiarij factique, vt arte quádā, collectum ſuſpenſúmq; dextrâ manu rete in aduerſarij caput iacerent: & ſi erraſſent, effusè fugerēt, donec fortè iterum rete collegiſſent.

Deinde fugiebant.

Ad hanc fugam illud, *totá fugit agnoſcendus arená*. & Artemidori interpretatio: εἰ δὲ ῥητιαρίῳ, λήψεται γυναῖκα ἄπορον καὶ ἑταιρικὴν, καὶ φυγάδα, ἥτις τῷ βουλομένῳ πλησιάζουσα: id eſt, *Si cum Retiario, capiet vxorem pauperculá & laſciuiuſculam, & fugacem, & facilem volenti cuiq; iungi*. Ait etiá Iuuenalis ——*mouet ecce tridentem*. Tridens enim ſiue fuſcina illi, pro gladio.

Tridens et pro telo.

Poſtremò ——— *credamus tunicæ*. ſcilicet quia inermes retiarij, & in ſolâ tunicá. Sic de eodē alibi * idem: ——*tunicati fuſcina Gracchi*. Suetoñ. Calig. *Retiarij tunicati quinque*.

** Sat. II.*

Tertullianus tamen Spongiam iis adtribuit, pectori nimirum tegmen. *Poterit*, inquit, *de miſericordia moueri defixus in morſus vrſorum, & ſpongias retiariorum*.

Et Spongia tegmen.

Nec plura dixerim de armis. Interrumpens Pighius, Nō tu plora? inquit. Atqui etiam gladium illis fuiſſe firmare ex Valerio meo poſſum, à te negatum.

An & gladium habuerint?

Verba eius lib. I. De ſomnus: *Cùm gladiatorium munus Syracuſis ederetur, inter quietem Aterius Rufus quidam retiarij ſe manu confodi vidit: idq; poſtero die in ſpectaculo conſeſſoribus narrauit. Incidit deinde vt proximo ab equite loco, retiarius cum myrmillone introduceretur. cuius cū faciem vidiſſet* (nota & hic vultū retiarij nudum) * *idem dixit ab illo retiario ſe trucidari putaſſe, protinúſque inde diſcedere voluit. Illi ſermone ſuo metu eius diſcuſſo cauſſá exitij miſero attulerunt. Retiarius enim in eum locum cōpulſo myrmillone & abiecto, dum iacētem ferire conatur, traiectum gladio Aterium interemit*.

** Mallem eoſdem.*

Nónne diſertè ait gladium? Duza excepit ambigeos, Semel id lectum, inquit. & quis ſcit an gladius non venerit in locum tridentis? cuiuſmodi mendá pluria ſublata tibi Valerius debet.

Dubitatum in Valerij ſcriptum.

Rem certè vide. quomodo gladius illi, ſi in ſiniſtrâ tridens, in dextrâ rete? Niſi fortè ad latus ſuccinctus ille, noo ad pugnæ vſum ſed cædis. id eſt, quo proſtratū abiectúmque aduerſarium iugularet. Quod eò magis illabitur, quia Pittaco ξιφίδιον etiam tribuit Strabo. Victor hîc Duzæ, Sequitur vara vibiā, inquit. Poſt Pighium, etiam ego in te ibo. Dixiſti Retiarium cum Secutore compoſitum: ego aio cū Myrmilloone.

Retiarius cū Myrmillone compoſitus.

Occupás Duza: Mane Victor, inquit, mane. hoc iam agebam, vt expedirē. Dixi cum Secutore; & rem dixi. Iuuenalis, ——*cum Graccho iuſſus pugnare ſecutor*. At Gracchus retiarius. Suetonius Caligulá: *Retiarij tunicati quinque numero gregatim dimicantes, ſine certamine vllo totidē ſecutoribus ſuccubuerant. cùm occidi iuberentur, vnus reſumptá fuſciná omnes victores interēmit*. Iuuat quod Lampridius ſcribit: *Commodum confeciſſe mille palmas retiariis victis vel occiſis*. Commodus autem inter Secutores. Nec negaui tamen de Myrmillone.

Vel cū Myrmillone.

cuius compoſitionis exemplum in Valerij paullò antè verbis, & in Feſto, *Retiario*, inquit, *aduerſum Myrmillonem pugnanti cantatur, Non te peto, piſcem peto*. Et Quinctiliano, apud quē Pedonis iocus *de myrmillone qui retiarium conſequebatur, Viuum, inquit, capere vult*. Nec nouum vt vnus cum diuerſis componatur: ſicut Myrmillo ipſe etiam cū Threce. Finio de Retiariis, ſi verſus Prudentij addidero:

Spectant aratam faciem quam crebra tridente
Impacto quatiant haſtilia, ſaucius & quam
Vulneribus patulis partem perfundat arena.

Itē inſcriptionem veterē ſatis argutá, quæ Tergeſte:

CONSTANCIVS. MV
NERARIVS. GLADIA
TORIBVS. SVIS. PROP
TER. FAVOREM. MV
NERIS. MVNVS SEPV
LCHRVM. DEDIT. DE
CORATO. RAETIA
RIO. QVI. PEREMIT. CA
ERVLEVM. ET. PER
EMPTVS. DECIDIT. * AM
BOS. EXTINXIT. RV
DIS. VTROSQ. PROTE
GIT. ROGVS. DECORA
TVS. SECVTOR. PVG
NARVM. VIIII. VALE
RAE. VXORI. DOLO
RE. PRIVVM
RELIQVIT.

** Significat vtroſque rudiarios fuiſſe, & primo induiſtos pugnaſſe.*

RETIARIVS CVM SECVTORE.



CAPVT IX.

De Threce. vnde & quando orti. de armis eorum, & præſertim accuratè de Sicâ.

Threces, qui & vnde dicti.

THRACEM nunc dabo, vel, vt libri fideliores ſemper, Threcem. ad quod exemplum in Maximini vitâ, Threciſcus. Feſtus de iſtis: *Threces gladiatores, à ſimilitudine parmularum Thraciarum.* Imò non ab armis ſolùm, ſed, credo, quia ipſi ex eâ gente. Odorati videor è veſtigiis Liuianæ ſcriptutæ, parum firmis tamen pleniſque, lib. XLI. vbi cùm narraſſet Perſea regem crebras gladiatorum pugnas dediſſe, imitatione Romanâ, addit: *Familiare oculis gratúmque id ſpectaculum fecit, & armorum ſtudium pleriſque iuuenum accendit. Itaque, qui primò ab Româ magnis præmiis paratos gladiatores acceſſere ſolitus erat, iam ſuo* ** Nam quæ ſequuntur, ſunt in lacunâ. Tamen videtur mihi ſubieciſſe, *iam ſuo è regno Romam mittebat*, aut quid tale. Et, niſi fallor, hæc origo Threcum.

Conatus interpretandi explendíq. Liuij.

Threces cruenti.

Certè ſuo ingenio prona ea gens ad pugnas & cædes. Ammianus: *E Thracibus inter alios immaniter efferati memorantur Odryſæ, ita humanum fundere ſanguinem adſueti, vt cùm hoſtium copia non daretur, ipſi inter epulas ſuis velut alienis corporibus imprimerent ferrum.* Imò verò iam antiquitus ad rogum ſingulari certamine decertabant, quod omnino obſeruandum Herodotus ſuggeſſit, in Euterpe, vbi de ritibus eorum ſepeliendi: χῶμα δὲ χέαντες ἀγῶνα τιθέασι παντοῖον, ἐν τῷ τὰ μέγιστα ἄεθλα τίθεται κατὰ λόγον μουνομαχίης: *Tumulū cum fecerint, certamen varium inſtituunt, in quo maxima præmia ponuntur pro ratione ſingularis cuiuſque pugnæ.* Sanè Monomachia hęc ad Gladiatores Threcas ſpectat, quorum ſparſa in libris mentio. Apud Plinium lib. XI. *Studioſo Threcis in C. Cæſaris ludo notum eſt dextram fuiſſe proceriorem.* Apud Senecam, initio libri IV. Queſtion. Natural. *Te*, inquit, *longiorem curabo Fido Annæo & Apollonio Pyctâ, quamuis ſtaturam habeas Thebis Threca incompoſiti.* quæ poſtrema in libro Lipſij ſcripto, *Threciſum trece compoſiti.* ex iiſque proclîua correctio, *Threcis cum Threce compoſiti.* Habitum videlicet aſpicit pugnantium inter ſe Threcum, &, dum in arma ſe colligunt, ſubſidentium. Mentio & iſtorū Horatio, —*Threx eſt Gallina Syro par:* Quæ ad verba ludus mihi & iocus Scholiaſtes vetus (ſi tamen ille) *Threx Gallina* inquit, *fuit ſecutor, Syrus autem retiarius.* O homo, * Αὐτὸν κέκρουκας τὸν βατῆρα τῆς θύρας vt eſt parœmia. At ecce nouitius interpres colligit i... oculos, & *Thrax*, inquit, *eſt myrmillo: & ſecutor idem cum retiario.* Quid reſtat? niſi vt columba ſit miluu... & ouis lupus? Nugantur illi: nos arma Threcum v... deamus. Feſtus dat iis parmas. etiam Martialis:

Threcem cū ſecutore cōmiſit Horatij interpres.

Hæc quæ ſæpè ſolet vinci, quæ vincere rarò
Parma, tibi ſcutum pumilionis erit.

Sumpta autem parma à Thracū populo, quibus veli... propria. Gloſſæ: *Parma*, Θρακικὸν ὅπλον. Plinius de Sp... culis: *Plurimúmque refert concaua ſint poculi & mod... an parma Threcidica.* Corruptus in hac voce Alexa... drinus Clemens Stromat. I. Θρᾷκες, inquit, πρῶτοι τὴν καλουμένην πάρμην εὗρον (ἔστι δὲ μάχαιρα καμπύλη) καὶ πρῶτοι πέλταις ἐπὶ τῶν ἵππων ἐχρήσαντο, id eſt, *Thraces pri... eam, quæ Parma nominatur, inuenerunt, (eſt autem gl... dius incuruus) & primi peltis in equis ſunt vſi.* Qui... parma, gladius? dictu audituque nouum. Corrigo, ... καλουμένην ἅρπην. Harpe enim Thracum, quæ Latin... ſica. Ioſephos lib. XX. Οἱ Σικάριοι καλούμενοι (λῃσταὶ δέ εἰσιν οὗτοι) τότε μάλιστα ἐπλήθυνον, χρώμενοι ξιφιδίοις παραπλησίοις μὲν τὸ μέγεθος τοῖς τῶν Περσῶν ἀκινάκαις, ... καμπύλοις δὲ καὶ παραπλησίοις ταῖς ὑπὸ Ῥωμαίων Σίκαις κα... λουμέναις ἀφ' ὧν καὶ τὴν προσηγορίαν οἱ λῃστεύοντες ἔλαβον. Id eſt: *Ij qui Sicarij appellati (latronum genus eſt) tunc ſ... nè excreuerant, vtebantur gladiolis, quod ad magnitud... nem attinet, haud longe ab Perſarū Acinace diuerſis ſe... incuruis tamen inflexiſque, quales ſunt ea quæ Roman... appellantur Sicæ. vnde & agnominationem latrones ij h... buerunt.* Gloſſæ: *Sica* Θρακικὸν ξίφος ἐπικαμπές. Ha... autem ipſa Sica, in vſu Threci gladiatori. Suetoni... in Caligulâ: *Myrmillonem rudibus ſecum batuentem, ... fronte proſtratum confōdit ferreâ ſicâ.* Probabile enim contra myrmillonem, pugnaſſe cum Threcidicis. Iu... uenalis clariùs: —*pugnantem falce ſupinâ.* Quam fal... cem doceo interpretes Harpen eſſe ſiue Sicam, ... Threcē circumſcribi. Et clariſſimè Artemidorus, m... quidem emendante: εἰ μὲν Θρᾷκι μονομαχεῖν τις, λήψεται γυναῖκα πλουσίαν, πανοῦργον, καὶ φιλόπρωτον πλεῖον μὲν διὰ τὸ κατεσκεπάσθαι τοῖς ὅπλοις· πανοῦργον δὲ, διὰ τὸ μὴ ὀρθὸν ἔχειν τὸ ξίφος· φιλόπρωτον δὲ, διὰ τὸ ὑψοῦσθαι. ... N... libri præferunt, θυρεῷ. & interpres nihil ſani. Men... verborum eius hæc: *Si quis cum Thrace certare ſibi v... detur, vxorem ducet diuitem, aſtutam, ambitioſam. Di... uitem, quia protectus armis. aſtutam, quia gladius illi n... rectus. ambitioſam, quia attollit ſe & inſurgit.* Vbi omn...

expre

expreſſa, quæ ad hanc armaturam. Sicam etiam deſcribit nobis è Suetonij verbis Iſidorus, ſed, peruerſis & pollutis. *Sica, inquit, à ſecando. Tranquillus autem dicit, dum cuiuſdam gladiatoris in ludum emiſſi gladius curnatus fuiſſet ex acie rectâ procurrit vnus ad eum corrigendum sumque à pugnante reſponſum, ſic pugnabo. inde* * *Sica nomen datum eſt.* An meos hæc Tranquilli, neſcio & ambigo; balbutiem quidem Hiſpalenſis illius videtis. Arma Threcum, Ciceroni, aliíſque, Threcidica dicta: & pugnare Threcidicis.

Certè Sica potius producitur: ſane quàm aliunde nomen quàm a ſecando. Threcidica ὅπλα, ipſa arma Threcum.

CAPVT X.

De Myrmillone. origine nominis vix inuentâ, ipſi è Galliâ petiti. Arma eorum, & compoſitio.

MYRMILLONEM in Arenam nunc produco. & ſimul obortus Dozæ largior riſus. Nos mirati ſumus. Quid rei ſubitæ eſt? inquā. & quem rides, aut irrides: Non poſſum, inquit, mihi admoderarier. Virum doctum rideo, virum magnum, qui Myrmillones dictos quaſi Myrmidones cenſet, litterâ D. in L. mutante. O Muſæ! quò non penetrat Criticum acumen? vt ego me hebetiorem natum eſſe, non moleſtè feram. Transfert ecce velificatore vnâ litterâ Myrmillones in Græciam. At ego in Galliam potius; vnde veniſſe eos accredam Feſto: *Retiario, inquit, pugnanti aduerſus myrmillonem cantatur, Non te peto, piſcem peto: quid me fugis Galle? quia myrmillonicum genus armatura Gallicum eſt, ipſiq. Myrmillones antè Galli appellabantur, in quorum galeis piſcis effigies inerat.* Nec abit à Feſto Plutarchus in Craſſo, qui gladiatores eos qui cum Spartaco rebellarunt, è ludo Lentuli, Gallos fuiſſe ait & Thraces. Et Gallos ceperim, Myrmillones. Deſcribere mihi hanc armaturam Tacitus videatur, lib. III. Annalium: *Adduntur è ſeruitiis gladiatura deſtinati, quibus more gentico continuum ferri tegimen.* * *Crupellarios vocant.* Nam & Myrmillones certè tecti in armis. Ammianus indicat de Perſis, libro XXIII. *Pedites enim in ſpeciem myrmillonum contecti iuſſa faciunt.* Videntur inter pugnam ſoliti ſubſidere, ad excipiendum aduerſarium, & virabundi. Auſonius oſtendit Præloquio Centonis ſui: *Simulantur ſpecies multæ formarum, aper beſtia, anſer volans, aut myrmillo in armis ſubſidens.* Sed & Ammianus lib. XVI. *Séque in modum myrmillonis operiens, hoſtium latera perforabat.* Capitis ergo illa Artemidori verba de Threce, ſuprà: quem ait ſolitum, ἐπιβαίνειν, ſiue inſurgere & velut conſcendere in hoſtem: id eſt, myrmillonem ſubſidentem. Nam ij duo plerumque compoſiti. Auſonius in Monoſyllabis:

Quis myrmilloni componitur æquimanus? Threx.

Cicero V. in Antonium: *Myrmillo pugnauit in Aſiâ. cùm ornaſſet Threcidicis comitem & familiarem ſuum, illum miſerum fugientem trucidauit.* Tamen etiam cum Retiariis, vt monui antè. Deſinebat ſermonem hunc Duza: ſed ad eum Victor: Siccine defungeris? Turnebo modò inequitaſti (ſenſi enim) in originatione Myrmillonis: tu, bone, quid adfers? Inſcitiam tantùm, inquit Duza. & ſi vis ſuſpicionem, ab Etruſcis eam eſſe vocem. Cùm enim res gladiatoria ab iis, quidni hoc vnum nomen? Turnebi autem, Victor, nec deriſor nec arroſor ego. cuius probum doctúmque os veneror, & quem cum vno alteróque habeo velut * λοίπαιν τ̃ χρυσῶ γένους.

Turnebi originatio derisa ſuper Myrmillone.

Myrmillones Galli.

Videtur eos Galli crupellarios dixiſſe.

Certè à ſta dicti: Galli quaſi qui ob grauitatem armorum reperent, non irent, Crupellarii. ſiue Prorepes. Ratio pugnandi.

Artemidorus explicatus.

Myrmillo cum Threce pugnabat.

Sine etiam cū Retiario.

Myrmillonis verbū, moris ex Etruſcis.

Reliquum ſemen aurei generis.

MYRMILLO CVM THRECE.



CAPVT XI.

De Hoplomacho & Samnite. qui fortaſſis ijdem. Samnitium origo, & arma. Item de Prouocatoribus.

HOPLOMACHOS ſubiungo & Samnites. Græcum illud nomen, vniuersè ſonat quemuis gladiatorem, qui pugnet armatus. Et vix aliter Dio Caſſius, quàm ὁπλομάχους & ὁπλομαχίας ſcripſit, vbi magis ritè dixeris μονομάχους & μονομαχίας. Tamen etiam ſpecies certa gladiatorum. Seneca pater li. III. Controuerſ. apertè: *Quidam cum Hoplomachis, quidam cum Threcibus optimè pugnant.* Suetonius in Caligulâ: *Hunc è ſpectaculis detractum repentè Threci, & mox Hoplomacho comparauit.* Nec enim eſt vt loca ea interpretādo eludas. Martialis verſus in vtrūuis valet.

Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus antè.
Feciſti medicus, quod facis Hoplomachus.

Dubius animi ſum, ſeparem Hoplomachos; an cum Myrmillonibus, aut Samnitibus confundam. Puto eum alterutris. Nam & in Myrmillonem vox Græca conuenit, quia tectus armis: & verius fortaſſe in Samnitē cuius nomē ante Ciceronē celebre, deſiiſſe ſub Imperatoribus videtur, & abiiſſe in Hoplomachum. At res armáque eadem. Samnitum ſanè memoriam poſt Auguſtum non reperi. Anteà ſæpe. Lucilius,

Eſernnus fuit, Flaccorum munere, quidam
Samnis ſpurcus homo.

Hoplomachus Græcis, pro quouis gladiatore: Romanis pro certâ ſpecie.

Eoſdē videri cū Samnitibus.

Nonius, in Spurcum, emendatur.

Ita ſrgo

Ita lego conſtituóque iactatum à Criticis verſum. Varro apud Plinium, Tritanum quempiam celebrat *Samnitium armaturâ celebrem*. Quem locum tranſ-ſcribens Solinus cap. IIII. Polyhiſtoris, aut corrupit, aut corruptus ipſe. *Varro*, inquit; *annotauit Tritanum Samnitem gladiatorem naturâ fuiſſe: qui & rectis & tranſuerſis neruis*, &c. Abſurdè. quis verò gladiator naturâ eſt? nec id per ſomnium voluit Varro. Corrigo, *Tritanum Samnitium armatura fuiſſe*. Et apud Ciceronem, Horatium, alióſque, Samnites crebri. Originem eorum non celat nos Liuius lib. IX. *Campani*, inquit, *odio Samnitium gladiatores eo ornatu armarunt, Samnitiúmque nomine appellarunt*. E quibus verbis etiam armatura eorum non ignota. nempe illa ipſa, quam in Samnitibus deſcribit idem Liuius: *Samnites*, inquit, *præter ceteros apparatus, vt acies ſua fulgeret nouis armorum inſignibus fecerunt. Duo exercitus erant. ſcuta alterius auro, alterius argento cælauerunt. Forma erat ſcuti, ſummum latius. quà pectus atque humeri teguntur, faſtigio æquali: ad imum cuneatior, mobilitatis cauſſâ. Spongia pectoris tegumentum, & ſiniſtrum crus ocreâ tectum. galea criſtata*. Picturam omnem ſperno, præ hac deſcriptione: quam ordine videamus. Ait, ſcuta cælata argento. Iam ergo intellego & diſco ad Samnites referenda, quę Artemidorus ſcribit: εἰ δέ τις μετ' ἀργυρέων ὅπλων πυκτεύει, λήψεται γυναῖκα ἠρέμα πλουσίαν, πιστὴν, καὶ οἰκουρὸν, καὶ πειθομένην τῷ ἀνδρί. καὶ γὰρ ὑποβαίνει καὶ ἐπιτέτακται. id eſt, *Si quis autem cum argenteis armis pugnet, vxorem ducet mediocriter diuitem, fidam, domus ſeruantem, viróque obſequentem. Nam & ſubit, & tectus eſt*. Addit Spongiam pectori tegmē. Ea eſt, quam in notâ feminei ſexus, qui gladiatoriam exercebat, vocat Iuuenalis Baltheum,

Et Solinus.

Samnitium origo.

Arma eorū.

Scutum argentatum.

Artemidorus interpretatur.

Spongia ſiue baltheus.

Quale decus, rerum ſi coniugis auctio fiat,
Baltheus & manicæ, & criſtæ, cruriſque ſiniſtri
Dimidium tegmen.

Nam ij verſus planè apti de induſtriâ ad armaturam Samnitum; quam vt nobiliorem, feminæ (quoniam ita Veneri cum Marte viſum) feminæ, inquam, nobiles adfectabant. Pergit Liuius: *ſiniſtrum crus ocreâ tectum*. quid aliud Satyricus ——— *cruriſque ſiniſtri Dimidium tegmē?* Poſtremò, *galea criſtata*. At Iuuenalis, —— *& manica & criſtæ*. Varro: *Pinnæ, quas inſignitè milites in galeis habere ſolent, & in gladiatoribus Samnites*. Itaque Pinnirapi, noto illo verſu

Pinnirapi cultos iuuenes iuueneſque laniſtæ,

non alij quàm qui cum Samnite compoſiti, quíque rapiunt eius pinnas. Onomaſticon vetus Securores eos facere videtur: *Pinnirapi*, inquit, *ſectatores gladiatores quòd pinnas rapiant*. Puto, *ſecutores*. In Ciceroне tamen obſeruo Prouocatores componi ſolere cum Samnitibus. Oratione pro Seſtio: *Ex ergaſtulis emptos nominibus gladiatoriis ornauit, & ſortitò alios Samnites, alios Prouocatores fecit*. Quanquam obſcuri mihi Prouocatores, niſi ſi lucem iis dabunt hæc Artemidori: ὁ δὲ προβοκάτωρ, εὔμορφον μὲν καὶ χαρίεσσαν, λαμυρὰν δὲ καὶ ἐρωτικήν: id eſt, *Probactor autem pulchram quidem & venuſtam* (vxorem ſignificat) *ſed lubricam & amoribus deditam*. * Probactorem enim vocare videatur, quem Cicero Prouocatorem: & in alterutro vox emendanda. Ad Samnites etiam pertinere illa Apuleij cenſeam è lib. XI. *Porrò alium ocreis, ſcuto, galeâ, ferróque inſignem, e ludo putares gladiatorio procedere*. Dat enim eorum arma. Nec plura de ſalebroſo hoc vtroque genere: è quo non ſatis me expio. Tu Lipſi, tu Pighi, iuuate.

Iuuenalis verſus de ſemina explicatus.

Ocrea in ſiniſtro crure.

Pinna in galea.

Iuuenalis explicatus.

Prouocatores ſiue probactores.

* Nam fieri poteſt, vt propriū nomen ſit, vt Myrmillo

HOPLOMACHVS SIVE SAMNIS CVM PROVOCATORE.



CAPVT XII.

De Eſſedariis, déque Andabatis. & de vtraque ratione pugnandi.

SILENTIBVS nobis, Heu capita ſine linguâ! inquit. ſed pergo. Hactenus notiſſimos frequentiſſimóſque gladiatores produxi. ſuperſunt alij, famoſi non adæquè. Eſſedarij ſunt, qui ex eſſedo pugnant. Mentio eorum Suetonio, Calig. cap. XXXV. *Cùm quodam die muneris eſſedario Poro ob proſperam pugnam ſeruum ſuum manumittenti ſtudioſius plauſum eſſet: proripuit ſe è ſpectaculis indignabundus & clamitans, dominum gentium pop. lum ex re leuiſſimâ plus honoris gladiatori tribuentem, quam conſecratis Principibus aut præſenti ſibi*. Iterum Claudio, cap. XXI. *Cùm eſſedario pro quo quattuor filij deprecabantur, magno omnium fauore indulſiſſet rudem, tabulam illicò miſit admonens populum quanto opere liberos ſuſcipere deberent quos viderent & gladiatori præſidio gratiaque eſſe*. Ex quibus liquet inter legitimos gladiatores eos fuiſſe: quanquam mixtim, opinor, modò è curru, modò pedites præliati ſint. Nam deſiluiſſe eos, & pedibus pugnaſſe, præit ad ſuſpicandum Seneca in loco Iulij Græcini, de Ariſtone philoſopho qui in geſtatione diſſerebat epiſt. XXIX. *De eodem cùm conſuleretur Iulius Græcinus, vir egregius quid ſentiret, Non poſſum, inquit, tibi dicere. neſcio enim quid de gradu faciat.*

Eſſedarij gladiatores.

Ratio eorū pugnandi.

Locus apud Senecā explicatus, correctúſque.

cias.tanquàm de Eſſedario interrogaretur. Vbi legerim, *degrudus.* Seruum etiam habuiſſe videntur in pugnâ, qui pro aurigâ: ex Tranquilli priore loco. Neſcio an in Artemidoro reſtituenda hæc vox: ὁ δὲ ἀεδάρι@, ἀργὴν καὶ μωρὰν τὴν γυναῖκα σημαίνει: id eſt, *Aridarius, ignauam & ſtultam uxorem deſignat.* neſcio, inquam, an legendum, ὁ δὲ ἐσσεδάρι@. Credo reſtituenda, quia coniungit cum eius Equite Andabatâ. deinde ex interpretatione. Nam ἀργὴν velocem, vagam ibi accepetim: non otioſam inertémque. quod conuenit cum curru & cum actionibus ſtolidæ & motæ.

Bona fortaſſ. in Artemidoro correctio.

Andabatæ his proximi, ſiue ἀναβάται. ſed Latina cõſuetudo vetus D. interiecit. Hi pugnabãt ex equis, galeâ frontem oculóſque tecti. Varronis Satyram fuiſſe ſcimus, cui titulus, Andabatæ. Ex ea fragmentum, quod aptum huic ritui firmando leuiter emendatum: *Aurum*, inquit, *non minus præſtingit oculos, quã τὸ σῦ κράν@.* vbi Iunius olim noſter, *quàm ὑπ' αἰτίου κράν@.* Veriſſimè ego, *quàm τὸ σῦ κράν@.* Andabatam alloquitur: Et ô mi homo (ait Varro) aurum non minùs excæcat oculos, quàm tua hæc galea. Certè enim pugnabant clauſis oculis, adeò vt origo adagij inde. Hieronymus contra Iouinianũ: *Melius tamen eſt quod dicitur, clauſis oculis Andabatarum more pugnare, quàm directa ſpicula clypeo non repellere veritatis.* Idem contra Rufinum: *Habetur dialogus apud Græcos Origenis & Candidi: in quo duos Andabatas digladiãtes inter ſe ſpectaſſe me fateor.* Valet, duos cæcos. Ambigo an iidẽ hi ſint, qui Deſultores (etſi non me fugit communius paullò id nomen fuiſſe, & pertinuiſſe ad eos qui ex equo in equum ſine vllâ pugnâ tranſiliebãt, arte,) ob verba hæc Pauſaniæ, lib. v. *Ad Carpentum iungebantur equæ doſſuarte, è quibus in extremo curriculo deſilientes ſeſſores, prehenſis manu frenis, ad metam curſitabant. qui mos ætate meâ ſeruatur ab iis qui Anabatæ appellantur.* Sed iſti Græci: & alij, vt videtur, à Romanis. Andabatam non dubiè Artemidorus intellexit: ἱππεὺς δὲ τὴν γυναῖκα πλουσίαν μὲν ὑπ' αὐτοῦ λέγει καὶ εὐγενῆ, ἐσομένης δὲ ἐκ ἴσχυ@ν. id eſt: *Eques verò uxorem prædicit diuitem & nobilẽ, ſed quæ futura excors.* Ita enim diuinat, quia Eques ſine vſu oculorum. Martialem etiam de Andabatâ interpretet, vbi Hermetem gladiatorem attollit, & variis armis pugnacem facit, libro v.

Andabatæ, qui? Clauſis oculis pugnabant.

Varro emẽdatus.

Adagium ab iis ortũ.

Artemidorus explicatus.

Hermes belligerâ ſuperbus haſtâ,
Hermes æquoreo minax tridente,
Hermes caſſide languidâ tremendus.

Puto enim intellegit ſingulis verſibus, Sãnitem, Retiarium, Andabatã. Quid enim aliud ſit languida illa caſſis, quàm hæc tenebras & languidam caliginẽ inducẽs? Iſidorus neſcio quid vani de iſtis & imperfecti: *Genera gladiatorum plura*, inquit, *quorum primum ludus equeſtrium. Duo enim equites præcedentibus prius*

Iſidori locus de Andabatis expẽditus.

ESSEDARII.

F



ANDABATÆ.

G



ſignis militaribus, vnus à portâ Orientis, alter ab Occidentis procedebant in equis albis, cum aureis galeis minoribus & habilioribus armis: ſicque atroci perſeuerantiâ inibant pugnam, dimicantes quouſque alter in alterius morte proſiliret, Qua armatura pugnabat Marti, duelli cauſſa. Nugæ mixtæ veris. De aureis galeis, credo illum rectè dicere: & eò ſpectare interpretamentum Artemidori, πλευτίαι. Vtroſque, Eſſedarios dico & Andabatas, Cicero in epiſtolâ ad Trebatium cõiunxit: *Sed tu in re militari multò es cautior, qui neque in Oceano natare volueris, neque eſſedarios ſpectare: quem anteà ne Andabatâ quidem fraudare poteramus.* Nec ad alios referri placet quæ de Equis gladiatorũ idem ille, pro Seſtio, ſcribit: *Qui quo tempore conſpectus erat, non modò gladiatores, ſed equi ipſi gladiatorum repentinis ſibilis extimeſcebant.*

Galeæ ex auro.

Cicero explicatus.

CAPVT XIII.

Quidam adiecti nondum peruoti. Dimacheri, Laquearij item oſtenſum confundi interdum dicta nomina à poetis, ſæpè à litteratoribus ſemidoctis. Artemidori caput deſcriptum, ad lucem.

DIxi omnes: certè quidem mihi notos: Nam alij inter legendum reperti etiam, ſed non inuenti. Vt in Artemidoro, * Dimachærus vel Orbelas: quem colligas facilè duobus gladiis pugnaſſe, nec ſcio vltrà.

Ignoti iterum gladiatores. * In Polluce lecti διμάχαι, milites qui & pedites & equites officio funct.

Item in Iſidoro Laquearij: *quorum pugna erat*, inquit, *fugientes in ludo homines iniecto laqueo impeditos conſecutóſque proſternere, amictos vmbone pelliceo.* De quibus hîc tantùm legi.

Laquearij

Finierat Duza: excepit Lernutius, Multa hercle bonaque nos docuiſti: ſed diſcrimina hæc ſempérne certa? Ferè ſemper, ait Duza. Confuſa tamen eſt cùm inuenias à poëtis, vt ab Auſonio in Imperatoribus, de Commodo:


Confuſa interdum gladiatorum nomina.

Commodus inſequitur pugnis maculoſus arena,
Threcidico princeps bella mouens gladio.

Non enim ſicâ pugnauit, ſed inter Secutores, vt dixi. At Threcidicum gladium, in genere poſuit, pro gladiatorio. Sic idem, *Tres primas Threcum pugnas.* non reuerà Threeum, ſed * Samnitium potiùs, aut Myrmillonum. Sic Florus contrà, Myrmillooem Spartacum appellat; quem fatetur gente Thracem fuiſſe, credo & armis. Huiuſmodi talia facile & deprehendere vobis & excuſare: non item gregis noſtri grammatici imperitiam, qui hæc omnia turbant, miſcent. Sed quia Artemidori mihi non ſemel mentio: iube, ſodes, promi librum, Lipſi: vt puer totum caput ex eo legat, huic gladiatoriæ rei.

* Hi ... Threcibus

DIMACHÆRI.



LAQVEARII.



EX ARTEMIDORI

LIBRO II.

CAPVT XXXIII.

Περὶ μονομαχίας.

Μονομαχεῖν δὲ, δικάζεσθαι σημαίνει, ἢ ἄλλην τινὰ στάσιν καὶ μάχην μαχέσασθαι. μάχη τε γὰρ καὶ ἡ πυγμὴ καλεῖται, εἰ καὶ μὴ δι' ὅπλων γίνεται, τὰ δὲ αὐτὰ καὶ ἔγγραφα καὶ δίκαια τῶν μαχομένων σημαίνει. ἀεὶ δὲ τὰ μὲν τοῦ φεύγοντος ὅπλα ἐγκληθῆναι σημαίνει· τὰ δὲ τοῦ διώκοντος ἐγκαλέσαι. ἐτήρησα δὲ ἐγὼ πολλάκις καὶ γάμον τὸν τοιοῦτον ὄνειρον προαγορεύσαντα γυναικὸς τοιαύτης, οἷα ἂν ᾖ ὅπλα ἔχων ᾧ τις ὑπολάβοι πυκτεύειν. ἐπειδὴ δὲ ἄνευ τῶν ὀνομάτων αὐτῶν οὐκ ἔστι σαφῶς παραστῆσαι τὰς ἀποδείξεις, χρήσομαι καὶ τοῖς ὀνόμασιν. εἰ μὲν Θρᾳκὶ πυκτεύει τις, λήψεται γυναῖκα, πλουσίαν, πανοῦργον, καὶ φιλόπρωτον. πλουσίαν μὲν, διὰ τὸ κατεσκεπάσθαι τοῖς ὅπλοις. πανοῦργον δὲ, διὰ τὸ μὴ ὀρθὸν ἔχειν τὸ ξίφος. φιλόπρωτον δὲ, διὰ τὸ ἐπιβαίνειν. εἰ δὲ ὡς μετ' ἀργυρέων ὅπλων πυκτεύει, λήψεται γυναῖκα ἠρέμα πλουσίαν, πιστὴν, καὶ οἰκουρὸν, καὶ πειθομένην τῷ ἀνδρί. καὶ γὰρ ὑποβαίνει καὶ ἐσκέπασται. καὶ εὐμορφοτέρα ἡ πανοπλία αὐτῇ τῆς προτέρας. εἰ δὲ σεκούτορι, εὔμορφον μὲν λήψεται γυναῖκα καὶ πλουσίαν, μεγάλα δὲ φρονοῦσαν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ, καὶ διὰ τοῦτο καταφρονοῦσαν τοῦ ἀνδρὸς καὶ κακῶν πολλῶν αἰτίαν ἐσομένην. ἀεὶ γὰρ διώκει. εἰ δὲ ῥητιαρίῳ, λήψεται γυναῖκα ἄπορον καὶ ἐρωτικὴν, καὶ δρυγάδα, ῥᾷστα τοῖς βουλομένοις πλησιάζουσαν. ἱππεὺς δὲ τὴν γυναῖκα πλουσίαν μὲν εἶναι λέγει καὶ εὐγενῆ, φρένας δὲ οὐκ ἔχουσαν. ὁ δὲ ἀσσεδάριος, ἀργὴν καὶ μωρὰν τὴν γυναῖκα σημαίνει. ὁ δὲ προβοκάτωρ, εὔμορφον μὲν καὶ χαρίεσσαν· λαμυρὰν δὲ καὶ ἐρωτικήν. διμάχαιρος δὲ καὶ ὁ λεγόμενος ἀρβήλας ἤτοι φάρμακον, ἢ ἄλλως κακότροπον ἢ ἄμορφον εἶναι τὴν γυναῖκα σημαίνει. ταῦτα, οὐ πιθανολογούμενος, οὐδὲ κατὰ τὸ εἰκὸς συντιθεὶς λόγους γράφω, ἀλλὰ ἀπὸ πείρας τῶν ἑκάστοτε ἀποβαινόντων πολλάκις ἐτήρησα.

ID EST,

Gladiatoriam exercere, ſignificat iudicium ſubire, aut aliud aliquod certamen ſiue pugnam pugnare. Pugna enim appellatur & ipſe Pugillatus ſiue Gladiatura, etiamſi abſque armis fiat. eadémque illa ſignificant inſcriptiones aut iura pugnantium. Semper autẽ fugientis armatura ſignificat in ius trahi: perſequentis autem, trahere. Obſeruatum autem mihi & ſæpe tale hoc ſomniũ nuptias deſignare eiuſmodi fœminæ, qualia arma erant eius cum quo digladiari videbare. Quoniam autẽ ſine Nomenclaturâ demonſtrare id non licet, vtar & nominibus. Siquis cum Thrace componitur, capiet vxorem diuitem, callidam, & ambitioſam. Diuitẽ quidem, quia tegitur armis. callidam, quia gladium haud rectũ gerit: ambitioſam, quia aſſurgit & inuadit. Siquis verò cum argenteis armis componitur, (id eſt Samnitibus) *capiet vxorem ſatis diuitẽ, fidam, domus & viri ſeruantem. Nam & inuadit, & tegitur: & pulchrior hæc armatura priore. Si cum Secutore; formoſam quidem & diuitem capiet vxorem, ſed ob opes ſuperbam & virum aſpernantem, & malorum illi cauſſam. Semper enim inſequitur, Si cum Retiario, capiet pauperem & laſciuam, & fugacem, facilè volentis ſe vulgantem. Eques verò mulierem diuitem & nobilem prodicit, ſed amentem. Aridarius autem* (ſiue Eſſedarius) *ignauam & fatuam. Probactor, pulchram, venuſtam, ſed lubricam & laſciuam. Dimacharus, ſiue duobus gladiis pugnans, & is qui dicitur Orbelas, purgamẽtum aut neſcio quod piaculum fœmina ſignificat, malis moribus, malâ formâ. Atque hæc non conyciens nec ad probabilia ſermones accommodans ſcribo, ſed ab experientiâ doctus, quâ ſæpe hæc ſingillatim ſic eueniſſe obſeruaui.*

CAPVT XIV.

Pauſa aliqua iterum. intereà de Suppoſiticiis dictum, déque ſorte. ſtatim in viam reditum, & reliqua genera vel cognomina potiùs gladiatorum adiecta. Primò Pegmares.

FINIERAT Duza, & ſimul bellaria illata ſunt menſæque poſtremæ. Duza audè manum ad paſſulas porrexit, quæ appoſitæ: O dapes opportunæ! loquit. vobis mihi opus: ita itraui. Et iámne, muneratiè, mittis? Nam Suppoſiticium pro me hunc Lipſium dabo. Ego adſurgens, Tu me? inquam, quo iure? iure veteri, ait Duza. quia ita receptum, vt feſſo gladiatori aut victo alius atque alius ſufficeretur, & contenderet cum victore. Ij Subditicij, vel Suppoſiticij dicti. Martialis, [Suppoſiticij gladiatores.]

Hermes ſuppoſiticius ſibi ipſe.

Græci apud quos idem in * Athletis mos) vocant ἐφέδρους. Plutarchus in Sullâ: τὸν μέντοι τελευταῖον ἀγῶνα, καθάπερ ἔφεδρος ἀθλητὴς καταπόνῳ προσενεχθεὶς, ὁ Σαυνίτης Τελεσῖνος, ἐγγὺς ἦλθεν τοῦ σφῆλαι καὶ καταβαλεῖν ἐπὶ θύραις τῆς Ῥώμης: *At poſtremâ pugnâ, Teleſinus Samnis, tanquam ſuccentarius ſuffectusque athleta, defeſſo iam Sulla comparatus, haud multum abfuit quin eũ ad portas vrbis Romæ funderet proſterneretque.* Subſtituebatur autem ſæpe vnus, alter, tertius. Vnde in Gloſſis, Ἔφεδρος, *tertiarius.* Dio in Caracallâ: μονομάχων ἀνδρῶν ὅτι πλεῖστον ἔχαιρεν αἵματι, καὶ ἕνα γέ τινα Βάτωνα τρισὶν ἐφεξῆς ἀνδράσιν ὁπλομαχῆσαι τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἀναγκάσας, ἔπειτα ἀποθανόντα ὑπὸ τοῦ τελευταίου περιφανεῖ ταφῇ ἐτίμησε: *Gladiatorum ſanguine imprimis delectabatur. & ex iis Batonem quendam, cum tribus ex ordine eodem die pugnare iuſſit, eumq; à poſtremo interfectum magnificè ſepeliit.* Credo & Lactantium ſentire de hoc ritu: *Iraſcuntur etiam pugnantibus, niſi celeriter alter è duobus occiſus eſt, & tanquam humanum ſanguinem ſitiant, oderunt moras. alios illis compares dari poſcunt recentiores, vt quamprimùm oculos ſuos ſatient.* Itaque ades, Lipſi, & pugna mei feſſi vicẽ. Ego æſtuabam & tacebam. ſed commodùm ſubuẽnit Pighius Non imponis nobis homo argutiſſime, inquit, non ſupponis. Mos hoc ſuadet? ſed non ad arbitriũ tuum. Sors decidebat. Plinius lib. VIII. Epiſtolarum: *Scilicet vt in ſpectaculis quibuſdam ſors aliquem ſeponit ac ſeruat, qui cum victore contendat: ſic in Senatu ſunt aliqua prima, ſunt ſecũda certamina: & ex duabus ſententiis, eam quæ ſuperior exierit, tertia exſpectat.* Statius lib. III. Siluarum:

[* Vide A. Gellium lib. V. cap. IX.]

[Sæpe plures, vnde Secundarij & Tertiarij.]

[Ex ſorte dari ſoliti. Firmat id & Statius.]

Iam placidæ dant ſigna tubæ, iam ſortibus ardens
Fumat arena ſacris.

vbi malè vulgò, *fortibus.* Ego ad Pighium, Mi ſerua- [Statius correctus.]

tor, inquam, ſtatuam certum eſt ſtatuam tibi: ita in tempore ſuppetias aduenisti. Sed quid ad hæc Duza? Tange hominem. licet ad tibicines mittamus. Imò ad ſortes, ait Duza: nam ad eas appello. Non placet, inquit Lernutius. Duza mihi hunc diem pugnet; ſine miſſione. Heu munerarium crudum! inquit Duza. ſed ſequi mihi potius eſt, quàm trahi. Igitur quia de armis dictum, venio ad reliqua genera gladiatorum. Inter quos primi ſe offerunt PAGMARAS. iis à loco nomen, quia pegmatis impoſiti depugnabāt. Locus vnus Suetonij eſt, qui eos adſtruit, in Caligulâ ca. XXVI. *Gladiatorio munere, reductis interdũ flagrantiſſimo Sole velis, emitti quemquam vetabat. remotóque ordinario apparatu, rapidis feris viliſſimos ſenióque confectos, gladiatores quoque pegmares, patresfamiliarum notos, ſed inſignes debilitate aliquâ corporis ſubiiciebat.* & is ipſe locus anceps. Nam potiùs ibi legerim, *gladiatoribus quoque pegmares.* hoc ſenſu: Rabidis feris beſtiarios viles, inualidóſque: & gladiatoribus, operas pegmares fabroſque ſubiiciebat. Fauet huic interpretationi ipſe Suetonius in Claudio, cap. XXXIV. *Præter deſtinatos etiam leui ſubitáque de cauſſâ quoſdã commiſit, de fabrorũ quoque ac miniſtrorum atque id genus numero, ſi αὐτόματο vel pegma vel quid tale aliud parum ceſſiſſet.* Hîc Victor: De ſententiâ herclè perſuades, inquit. Nam * gladiatores in pegmate pugnantes quis legit? Non ego. & Strabonis lib. VI. Ioſephique lib. VII. loca hoc tantùm euincere ſcio captiuos aut inſignis ſceleris damnatos in Pegmate ſolere oſtendi. De pugnâ verbum nuſquam. In voce tantùm hæreo. quâ enim denotatione, quóue exemplo, à Pegmate Pegmares? Pegmaticos potiùs. & certè libri antiqui, *Pegmatos*, in Tranquillo plurimùm referunt: *pegmatis*, quidam. alterutráque lectio retineri poteſt, eâ mente vt gladiatoribus ſuppoſitos ſcribat patresfamilias pegmatis, id eſt, è pegmate. Ad pegma autem moliendum mouendumque multi è numero fabrorum adminiſtri. Ij ergo admoti per occaſionem tractíque in arenam à Caligulâ. A quâ interpretatione ſtare etiàm Dio videtur, qui de eâdem hac ſæuitiâ, ait illum deficientibus beſtiariis rapi iuſſiſſe quoſdam ἐκ τοῦ ὄχλου τοῖς ἰκρίοις προσεστηκότας, *è turbâ qua pegmatibus adſtabat.*

Pegmares gladiatores vulgò.

Et ſubdebat.

Pegmares magno duci.

Patresfamilias pegmatis.

CAPVT XV.

Meridiani, non inter veros legitimóſque gladiatores. ſine armis, ſine arte, ſeminudi.

DVZA iterum, MERIDIANI, inquit, nunc occurrunt. quibus hoc nomen ſcilicet à tempore, quia ſub meridiem darentur. Dio in Claudio: ἔνιδθεν δὲ συνεχῶς μονομαχίας ἀγῶνας. πάνυ γὰρ σφίσιν ἔχαιρε. τούτοις γὰρ ἄλλα καὶ τοὺς ἀδὰ μέσου τῆς ἡμέρας ... τὸν τοῦ ἀρίστου καιρὸν καταλιπομένους ἤδιστα ἐθεώρει. Cui velut interpres Suetonius cap. XXXIV. *Beſtiarijs meridianiſque adeò delectabatur, vt etiam primâ luce ad ſpectaculum deſcenderet, & meridie, dimiſſo ad prandium populo, perſederet.* Nominat eoſdem Tertullianus: *Riſimus & inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem; vidimus & Iouis fratrem gladiatorum cadauera cum malleo deducentem.* Nec hi tamen, vt obſeruo, legitimi deſtinatíque gladiatores; ſed beſtiariorum velut reliquiæ quædam & purgamenta. Duplex enim ſpectaculũ * Matutinum & Meridianũ. Manè cum beſtiis depugnabant: poſt meridiem, ij qui ſuperfuerant, inter ſeſe. & Meridiani gladiatores vocabãtur. Ceterũ nec docti factíque ad pugnam erant, nec armis in eâ vtebantur aut arte. Cædes tantùm promiſcua, & velut laniena. Seneca epiſtolâ VII. bene explicat: *Caſu in meridianum ſpectaculum incidi, luſus expectans & ſales, & aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquieſcant. Contrà eſt. quidquid antè pugnatum eſt, miſericordia fuit. Nunc omiſſis nugis mera homicidia ſunt. nihil habent quo tegantur, ad ictum totis corporibus expoſiti, nunquam fruſtrà mittunt manum. Non galeâ, non ſcuto repellitur ferrum. Quò munimenta? quò artes? omnia iſta mortis mora ſunt.* (aut vt rectè liber vetus, *mortis mora*) *Mane leonibus & vrſis homines: meridie ſpectatoribus ſuis obiiciuntur.* * *Interfectores interfecturis iubentur obiici, & victorem in aliam detinent cædem. exitus pugnantium mors eſt. Hæc fiunt dum vacat arena.* Nec ad aliam crudelitatẽ grauis eiuſdẽ Senecæ querela ſpectat, epiſtolâ XCVI. *Homo, ſacra res, homo, iam per luſum & iocum occiditur; & quem erudiri ad accipienda inferendáque vulnera nefas erat, is iam * nudus inermiſque producitur, ſatíſque ſpectaculi in homine mors eſt.* Mehercules, inquit Victor, pectus mihi commouit Seneca. & quas arbitrer eas feras, quæ hæc ſpectarunt non dicam lætis, ſed ſiccis oculis: —* ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες, vt verbum vetus eſt. At perge Duza. Iterúmque ille:

Meridiani

Non veri gladiatores

* Adi lib. ... teriorum.

* Ita emendamus vulgo

* Viri ab bono prone ad lacrymas.

MERIDIANI.



CAPVT XVI.

Plura agnomina vno capite. Fiſcales ſiue Cæſariani. Poſtulaticij. Cateruarij. Conſummati. Ordinarij. Cauſſæ omnes nominum explicatæ.

SVPERANT mihi etiam aliquot non tam genera gladiatorum quàm cognomenta. quos omnes promiſcuè dabo & velut vnâ commiſſione.

Gladiato. fiſcales. FISCALES gladiatores reperti in vitâ Gordiani Iunioris. *Fuerunt*, ait Capitolinus, *ſub Gordiano Romæ elephanti triginta & duo, gladiatorum fiſcalium paria mille.* Sunt ij, qui in Cęſaris bonis, & velut fiſco. Nam Principes ipſi proprios & peculiares gladiatores alebant, ad inſtruendum ſuas populique voluptates. Itaque rectè καίσαρος μονομάχους Arrianus (Siue Cæſariani, aulicique.) dixit iſtos. Libro primo Diſſertationum: ἀλλ' ἐν μὲν τοῖς καίσαρος μονομάχοις εἰσί τινες οἱ ἀγανακτοῦντες, ὅτι οὐδεὶς αὐτοὺς προάγει οὐδὲ ζευγνύει. *At in Cæſaris gladiatoribus quidam ſunt quibus moleſtum eſt non produci, non componi.* Eadem eſt ſententia (vt multa alia) expreſſa in Senecâ: *Myrmillonem ὁ C. Cæſaris ludo audini de raritate munerum querentem. Quam bella, inquit, ætas perit!* Nec gladiatores ſolùm ſed alebant etiam hiſtriones. (Hiſtriones Principum.) & ſcripſit in Alexandri vitâ Lampridius, *Hiſtriones aulicos eum publicaſſe.* Ab his orti

POSTVLATICII gladiatores. Quia enim Cæſariani iſti eximij viribus, arte, ornatu: ſæpe poſtula- (Poſtulari gladiatores ſolent.) ri à populo ſolent, velut muneris auctarium & ornamentum. Seneca epiſt. VII. *Hos plerique ordinariis & poſtulaticiis paribus præferunt.* Suetonius in Domitiano: *Quæſtoriis muneribus, quæ omiſſa reuocauerat, ita ſemper interfuit, vt populo poteſtatem faceret bina paria* (Suetonius explicatus.) *è ſuo ludo poſtulandi, quæ nouiſſima aulico apparatu induceret.* Ait aulicum apparatum, quod in Gallienis Capitolinus, *gladiatores pompabiliter ornatos, cum auratis veſtibus matronarum.* Et credo ornatos eos * au- (* Vide ali quid in Electis noſtris capite XXV.) ro: præeunte mihi Spartiano in vita Hadriani: *Trecentos noxios cum auratis chlamydibus in arenam miſit, ad deridenda eius munera.* Numerum enim ibi dumtaxat præter morem fuiſſe cenſeam, non veſtem. Ad hoc gladiatorum genus referendi hi loci Suetonij in Claudio, cap. XXI. *Palumbum* (ita gladiatori famoſo nomen) *poſtulantibus, daturum ſe promiſit ſi captus eſſet.* Calig. cap. XXX. *Cùm Tetrinius latro poſtularetur, & qui poſtularent Tetrinios eſſe ait.* Plinij in laudatione Traiani: *Impetratum eſt quod poſtulabatur, oblatum quod non poſtulabatur.* Martialis:

Cùm peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum:

Promiſit pariter Cæſar vtrâque manu.

Ex quibus etiam diſcitis, nominatim hunc illùmve gladiatorem flagitari in pugnam ſolere, ſiue manu ſiue ſcelere notum. Sunt &

CATERVARII inter gladiatores, à modo pugnæ. ſcilicet cùm non ſinguli cum ſingulis, vt moris, ſed confuſi mixtique pugnant & per cateruas. Scio eſſe * qui abnuant, quique ſecus interpretentur: ſed (* Vulgò interpretes Suetonij.) à me omnia exempla. Suetonius Caligulâ: *Retiarij quinque numero gregatim dimicantes.* id eſt, velut cateruatim. Dio clariſſimè de Cæſare lib. XLIII. τοὺς δὲ ἄνδρας συνέβαλε μὲν καὶ ἕνα ἑνὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ, ὥσπερ εἴθιστο, συνέβαλε δὲ καὶ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ πλείους, καὶ ἱππέας ἱππεῦσι, καὶ πεζοὺς πεζοῖς, ἄλλους τε ἀναμὶξ ἀλλήλοις ἴσους: *Viros quidem inter ſe commiſit, vt moris erat, ſingulos cum ſingulis: ſed tamen etiam maiore numero in Circo confertos dedit, equites cum equitibus, pedites cum peditibus pugnantes: alios verò confuſè & permixtim, æquo vtrimque numero.* Ioſephus libro VII. Antiquitatum, de Tito, qui Cæſareæ ſpectaculum dabat: καὶ πολλοὶ τῶν αἰχμαλώτων ἐνταῦθα διεφθάρησαν, οἱ μὲν θηρίοις παραβαλλόμενοι, οἱ δὲ κατὰ πλῆθος ἀλλήλοις ἀναγκαζόμενοι χρῆσθαι πολεμίοις. *Multi è captiuis illic cõſumpti. alij beſtiis obiecti, alij cateruatim & plures, more hoſtium, depugnare inter ſe iuſſi.* Dio iterum in Nerone: πεζοὶ οὐχ ὅπως ἕνα πρὸς ἕνα ἀλλὰ καὶ πολλοὶ ἅμα πρὸς ἴσους συνέβαλον: id eſt, *Pedites, non ſolùm ſingulos cum ſingulis, ſed etiam multos cum pari numero componebat.* Nec ab aliâ mente Cateruarij Pugiles Tranquillo, in Auguſto, cap. XLV. Inuenio &

VICTORES, in Plinij XXXVI. cap. XV. de Curione: *Raptiſque è contrario repente pulpitis, eodem die victores è gladiatoribus ſuis produxit.* Et in lapide veteri. neſcio an γενναῖος & ab affectu; an cognomine certo diſcernendi cauſsâ. HIC. PRIMVS. ET. SOLVS. VICTORES. CAMPANIAE. PRAETIS. ET. ASSTIM. PARIA. GLAD. EDIDIT. Item in Plinio

CONSVMMATOS. non diſertè ſcriptos, ſed eliciunt ex eius verbis lib. VIII. de Elephantis: *Pugnauère poſteà & ſinguli Principibus Claudio & Neroni, in conſummatione gladiatorum.* At ego abire eos à Plinij (Conſummati gladiatores qui ſint.) mente iudico: nec aliter eum accipio; quàm quaſi dixerit, in fine gladiatorij ſpectaculi. vt elephanti additi fuerint velut corollarium ad concludendos finiendoſq; ludos. Poſſis etiam accipere * conſummationem gladiatorum, cùm coniuncti omnes congre- (* Adi Turnebum lib. XXX. cap. XXXVIII.) gatique pugnant, redacti tamquam in vnam ſummam. Poſtremò

ORDINARII gladiatores lecti qui legitimo (Ordinarij gladiatores.) tempore, loco & apparatu inducuntur: à prioribus illis (Poſtulaticios dico & Catenarios) diuerſi. Seneca nominat epiſt. VII. & Ordinarios pugiles Sueton. Auguſto, cap. XLV. quem eumdem in Caligulâ videte, cap. XXVI. Vidi & riſi qui OBSEQVENTES gla- (Obſequentes qui apud Capitolinũ.) diatores erueret è vitâ M. Antonini philoſophi: *Armauit etiam gladiatores, quos Obſequentes appellauit.* ſed enim diſcat, Spartianum hoc ſentire, Marcum in militiã legiſſe gladiatores, quos ad velandã ignominiam honeſtè Obſequentes appellauit: ſicut & ſeruos, quos Volones. De hominibus dixi omnia, vt meæ quidem memoriæ captus fuit. Siquid me prętеriit, ſubiicite.

POSTVLATICII.



CATERVARII.



CAPVT XVII.

Ad terminum de Hominibus, veſtis adiecta: Togáne fuerit, an Tunica. Item quid Ornamenta.

De veſte gladiatoria in genere. Tunicatos video fuiſſe quod de omnibus fateor.

DIXISTI ſanè quàm accuratè, ait Berchemius; ſed quoniam inuitas, velut in ſcenâ, monitor ego. De veſte & armis ecquid potes plenius? Age, inquit Duza, ſit hoc velut auctarium operæ huius. Retiariorum veſtem Tunicam dixi fuiſſe: opinor & aliorum. Certè Dio Commodum vt Secutorem adornans, facit eum prodiſſe ἐν τῷ χιτῶνι καὶ ἀνυπόδετον; *in tunicâ & diſcalceatum* Suetonius etiam in Claudio notat vt inſolens: *Induxit*, inquit, *vnum ex nomenclatoribus ſuis*, *ſicut erat, togatum.* Tamen ecce Tertullianus diſertè, de Pallio: *Verùm & cerdones & omnis gladiatorum ignominia togata producitur.* Et Capitolinus in Pertinace, de veſte Commodi venditâ. *Toga*, inquit, *armáque gladiatoria gemmis auróque compoſita.* Nec facile compono diuerſos; niſi ſi, labenti æuo, mutata res. Togam certè, eùm in honore & vſu fuit, quis credat fœdatam miniſteriis arenæ? De ar-

At Togatos, ex Tertulliano & Capitolino.

Arma, Ornamenta dicta.

A mis non magnoperè habeo quod addam, niſi appellata ea antiquis propriè Ornamenta. Eò moneo, quia titubare, imò labi, video in eâ voce viros doctos. Seneca Natural. Quæſtion. libro quarto, initio: *Sic ergo formare vt ſcias te non poſſe conſequi vt ſis impenetrabilis: cùm omnia caueris, per ornamenta ferieris.* honeſtiſſimè à re gladiatoriâ, id eſt per ipſa arma. At *armamenta*, ibi mauult vir eruditus. Seneca epiſtolâ XXIII. *Ars eſt conſtat, qui per ornamenta percuſſus eſt.* Et Suetonius ecce audentiùs, ipſos gladios appellat Ornamenta. Titi cap. IX. *In ſequenti die, gladiatorum ſpectaculo, circa ſe ex induſtria collocatis, oblata ſibi ornamenta pugnantium inſpicienda porrexit.* Ille Ornamenta dicit, at Victor in eâdem re, *iiſque gladios tradidit.* rectè. Tamen in Tranquillo non defuit Beroaldus ſubſtituere, *inſtrumenta*. Vos Feſtum audite: *Ornatus*, inquit, *dicitur bene aptus, vt miles, aut gladiator, aut acturus fabulas.* Bene Feſtus: & ad eius mentem Plautus: *Ornamenta abſunt: Aiacem, hunc cùm vides, ipſum vides.* Ornamenta etiam boum, apud Catonem. De armis, videtur neſcio quid mutaſſe aut potiùs deſitum reuocaſſe Domitianus. quod Martialis indicat illo Epigrammate:

Stabilita lectio in Senecâ.

Cùm veteres Latia ritus renouentur arena,
Et pugnet virtus ſimpliciore manu.

ſed indicat tantùm:& ideò nihil elicio certi.

CAPVT XVIII.

Finis Duzaci ſermonis. Orditur Victor, partitúrque. Hoc capite, apparatus & inuitatio, quæ ante diem muneris vſurpata, explicantur.

SE o ego iam portum video. Salue ô optatum mihi Sigæum. Quid ais? inquit Victor. tu vt ſileas? vbi quartus ergo terminus de Modo? aut quis eum panget? Illi Duza, Varro opinor olim, Eſt modus matulæ: ſic nobis, mi Victor, fabulæ. Aut ſi tanta libertas audiendi vobis: agite, Victor ipſe mittatur in hoc ſtadium, cui lampada ego do. Leruutius ridens, B Et ego tibi Duza rudem. Bonam ſtrenuámque hanc pugnam pugnaſti nobis. igitur ornamenta tua transfer in hunc Victorem. Hem! inquit Victor: hoc eſt quod olim dicitur, Fabrum cadere cùm ferias fullonem. Duzæ parabam vincula, conſtringor ipſe. Tamen adeſte, audite: de Modo modicè dicam, aut potiùs intra modum. Tria ſermonis mei capita. Quid ante pugnam: Quid in pugnâ: Quid poſt pugnam.

Vltimus ſermo de modo.

Victori dicenda.

Libelli gladiatorij.

Ante pugnam moris, vt Editor libellos proponeret in quibus dies futuri muneris, item nomina & paria gladiatorum: ſcilicet alliciendæ plebi, & exſpectationi commouendæ. Id vocabant Pronuntiare munus. Suetonius in Iulio: *Munus populo pronuntiauit in filiæ memoriam.* Oſtendere munus. Cicero: *Etſi munus flagitare, quamuis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet niſi concitatus.* Proponere munus. C Suetonius in Tito: *Omnes tantâ comitate tractauit, vt propoſito gladiatorio munere non ad ſuum ſed ad ſpectantium arbitrium editurum ſe profeſſus ſit.* Ad has editiones Senecæ locus facit, de Breuitate vitæ: *Itaque ad occupationem aliquam tendunt, & quidquid interiacet graue eſt: tam mehercules quam quando dies gladiatorij muneris dictus eſt, tranſire medios dies volunt.* Quin & edicta vocat, epiſtolâ CXIX. *Nemo qui parturienti filiæ obſtetricem accerſit, edictum & ludorum * ordinem perlegit.* Edicebant autem deſcribebántque futurum munus in libellis. Ita Cicero vocat Philippicâ II. *Quid de Commentariis infinitis? quid de chirographis loquar? quorum etiam imitatores ſunt, quia ea tanquam gladiatorum libellos palàm vendittent.* Nec enim placet referri ad libellos, in quibus Laniſtarum dictata. D Potiùs ad libellos indices ludorum, quos vendebant deſcribebántque palàm, vt in prouincias mitterent & ad amicos abſentes. Nec alium libellum Cælius Ciceroni miſerat meritus eius notam, lib. II, epiſtolar. ad Familiares: *Quid? tu me hoc tibi mandaſſe exiſtimas, vt gladiatorum compoſitiones, & vadimonia dilata ad me mitteres?* Libellum muneratium adpoſitè vocat Pollio, in Claudio: *At ego ſcio ſæpiùs inter gladiatores bonis pugnatoribus Aureoli nomen appoſitum. Habuit proximè tuus libellus muneratius hoc nomen in Indice ludorum.* Adiulit & explicuit comiter bonus Seneca (patrem dico) lib IIII. Controu. *Quod munerarij ſolent facere ad exſpectationem populi detinendam, qui noua paria per omnes dies diſpenſant, vt ſit quod populum & delectet & reuocet: hoc ego facio: non omnes ſimul produco. aliquid noui ſemper habeat libellus.* E Nec verò in libellis ſolùm pronuntiatio hæc munerum: ſed etiam in tabulis & picturâ. Pingi, inquam, iubebant habitum formámque pugnantium gladiatorum, item loci, muneríſque totius. Plinius ſeriò notat libro XXXV. *Pingi, inquit, gladiatoria munera atque in publicum exponi cœpta à C. * Terentio Lucano. Is auo ſuo triginta paria in foro per* A *triduum dedit, tabulámque pictam in nemore Dianæ poſuit.* Apud Horatium lib. II. Satyrâ VII. eleganter Dauus.

Pronuntiare munus, Oſtendere

Proponere

Edicta, & edicere dicti.

** quasi pictura deſcripta ordine & totius apparatus Libelli gladiatorum.*

Cicero emendatus.

Pictæ tabulæ gladiatorum Quando primum.

** Eſt ille cuius meminit Donatus in vitâ Terentij: & cui poeta ex libertus.*

Horatius illuſtratus.

Vel cum Pauſiacâ torpes inſane tabellâ;
Qui peccas minus atque ego, cùm Fului Rutubíque
Aut Placideiani, contento poplite miror
Prœlia, rubricâ picta aut carbone? velut ſi
Reuerâ pugnent. feriant, viténtque, mouentes
Arma viri.

vbi graphicè videris formam eiuſmodi tabularum. Illud autem, *Contento poplite*, habitum nimirum exprimit pugnantium gladiatorum: ne ad ſeruum ipſum referatis, cum interpretibus læuis. De his picturis Trebellium capio in Vitâ Carini: *Memorabile maximè Carini & Numeriani hoc habuit imperium, quòd ludos Romanos nouis ornatos ſpectaculis dederunt, quos in Palatio circa porticum ſtabuli pictos vidimus.* B Vbi neſcio an reſtituenda *Porticus Statilij.* Idémque in Venatione ſeruatum eſſe ex Capitolino diſcere eſt, in Gordianis: & hodie ſeruant noſtri in iſto Battualium ludicro, quod Gladiatorium vocant, etſi priſci illius vix vmbram.

Et Trebellius Pollio.

Emendatus & emendatum.

CAPVT XIX.

Quæ ipſo die facta: & tamen ante pugnam. Pompa, traductióque. compoſitiones, & oſtenſio ornamentorum. Præluſio, haſtis, rudibus, armis. Tubæ cantus, & Verſa arma.

C HÆc ante muneris diem. At die ipſo, gladiatores ordine deduci in Arenam mos fuit, & inibi ſolemni quâdam pompâ circumduci. Quinctilianus: *Iam dies aderat, iam ad ſpectaculum ſupplicij noſtri populus conuenerat. iam oſtentata per arenam periturorum corpora mortis ſuæ pompam duxerant.* Ad quam traductionem accommodo illud Capitolini in M. Antonino: *Fauſtinam quondam cùm gladiatores tranſire vidiſſet, vnius ex his amore ſuccenſam.* Poſtquam introducti, paria inter ſe componebantur, ſiue vt Græci decenter appellant, ζεύγη. Componere dixi. ita enim loquebantur. Plinius pulcherrimè de occultâ quorundam animalium diſcordiâ lib. VIII. cap. XII. *Quam quis aliam tanta diſcordiæ cauſſam adtulerit, niſi natura ſpectaculum, ſibi paria componentis?* D Vbi meliùs liber vetus, *niſi naturam, ſpectaculum ſibi ac paria componentem.* Etiam, Comparare. Quinctilianus: *Cùm me vna tamen res apud quoſdam faceret miſerabilem, quòd viderer inique comparatus. Certa enim arena deſtinabat victima. nemo munerario viliùs ſteterat.* Item Committere. cuius verbi ſæpe exempla. In hac compoſitione prima Editoris cura, vt pares cum paribus conſligerent. Atque adeò id volebant ipſi Gladiatores. Seneca alibi: *Ignominiam iudicat gladiator cum inferiore componi: & ſcit eum ſine gloriâ vinci, qui ſine periculo vincitur.* Lucanus lib. IIII.

Pompa gladiatorum.

Compoſitio & Componere.

Plinius emendatus, Comparare.

Committere.

Pares inter ſe commiſſi.

——velut fatalis arena
Muneribus, non ira vetus concurrere cogit
Productos: odêre pares.

E Et benè, productos: quia id quoque arenæ huius verbum. Seneca de virtute loquens: *Produci enim illi & tentari expedit: nec vlli intelligunt, quanta ſit, quàm qui vires eius laceſſendo ſenſerunt.* Poſt comparationem, credo gladij armáque quibus pugnaturi, Munerario oſtendebantur: explorandi cauſâ, & an ſatis acuti. Suetonius Tito: *Ceterùm ipſos non ſolùm familiari cœna adhibuit, ſed & inſequenti die, gladiatorum ſpectaculo, circa ſe ex induſtriâ collocatis, oblata ſibi ornamenta pugnantium inſpicienda porrexit.* Nam Titus ipſe tunc Editor. Victor de eodem facto, *petiiſſe eum*

gladium

gladium dicit, *quaſi ad explorandam aciem*. Dio clariſſimè in Neruâ: *Collocauit eos in ſpectaculo quodam iuxta ſe, ignaros quòd proditi eſſent: ijsque gladios tradidit, in ſpeciem quidē vt dijudicarent an ſatis acuti eſſent (quod fieri ſolet;) reuerâ vt oſtenderet parum ſe ſollicitum, ſi vel ſtatim interficeretur.* Facit ad huc inuulgatum adhuc ritum, quòd Dio idem ſcribit gladios acutiſſimos * Druſianos vulgò vocatos: videlicet quia crudelis ille & cruentus editor acutiſſimos eos ſemper exigebat. Contrà leuiſſimos Marcus Imperator, qui, vt Dio ait, οὕτω τι φόνοις οὐκ ἔχαιρεν, ὥστε καὶ τοὺς μονομάχους ἐν τῇ Ῥώμῃ ὥσπερ ἀθλητὰς ἀκινδύνως ὁρᾶν μαχομένους. σιδήριον γὰρ οὐδέποτε οὐδενὶ αὐτῶν ὀξὺ ἔδωκεν, ἀλλὰ καὶ ἀμβλέσιν ὥσπερ ἐσφαιρωμένοις πάντες ἐμάχοντο. *adeò à cade abhorruit, vt & gladiatores Romæ, tamquam athletas, ſine periculo aut noxâ, pugnantes cerneret. Ferrum enim acutum nemini eorum commiſit, ſed obtuſis & velut orbiculatis gladijs omnes pugnabant.* Interpellauit hîc Lernutius, Heus tu, inquit, lōgum hoc tuum anteloquium: pugnam ipſam videre aueo. iam committe. Mane etiam, inquit Victor: præluſio præmittenda eſt. Vides tu illos qui arte quâdam iaciunt haſtas? vides qui velut feriunt gladijs? Puræ à ferro illæ haſtæ, obtuſi gladij. denique proludunt, & eludunt. Præluſionis diem Symmachus appellat lib. II. epiſt. de canibus: *Quos præluſionis die ita Roma mirata eſt, vt ferreis canes putaret aduectos.* Sed ille de Venatione aut Circenſibus: at propriè de Gladiatoribus, Cicero de Oratore: *Sed ſi in illo ipſo gladiatorio vitæ certamine, quo ferro decernitur, tamen ante congreſſionem multa fiunt, quæ non ad vulnus ſed ad ſpeciem valere videantur; quanto hoc magis in oratione exſpectandum eſt?* Vbi ſcripſerim, *in illo ipſo gladiatorio vulſ certamine.* Præluſio autem in Haſtis, Rudibus, Armis. De haſtis, Cicero in iiſdem libris: *Atque eiuſmodi illa præluſio eſſe debet, non vt Samnitium qui vibrant haſtas ante pugnam, quibus in pugnando nihil vtuntur.* Iterum idem: *Et aut cùm brachium concalfecerit, tum ſe ſolere pugnare. neque attendit eos ipſos* (gladiatores intelligit) *vnde hoc ſimile ducit, illas primas haſtas ita iactare leniter, vt & venuſtati vel maximè ſeruiant, & in reliquum viribus.* Hos Pilarios & Venulatores Quinctilianus appellat: *qui ea quæ emiſerant ita librabant, vt venire in manus viderentur, quâque iuberentur decurrere.* De rudibus, Eumenius Rhetor in ea quæ De inſtaurandis Mænianis: *Neque enim tanta me aut negligentia aut confidentia tenet, vt neſciam quanta ſit inter hanc aciem fori, & noſtra illa ſecreta ſtudiorum exercitia diuerſitas. Ibi armantur ingenia, hic præliantur: ibi præluſio, hic pugna committitur: hic plerumque velut ſudibus & ſaxis, illic ſemper telis ſplendentibus dimicatur.* Nec enim ambigo quin reſcribendum *rudibus & haſtis*. Vnde enim ibi ſaxa? Et hanc correctionem, amici, imputo hodie vobis. Ouidius I. 2. De arte.

> *Sic vbi proluſit, rudibus puer ille relictis*
> *Spicula de pharetrâ promit acuta ſuâ.*

Tertullianus oculos hîc habuit, dum ſcripſit aduerſus Valentinianos: *Congreſſionis luſionem deputa lector, haud pugnam: oſtendam, ſed non imprimam vulnera.* Appellabant hæc luſoria tela. Seneca: *Remoue iſta luſoria arma, decretorijs opus eſt.* Item lib. II. Quæſt. Natural. *Illos verò viros altiſſimos error iſte non tenuit, vt putarent Iouem modò leuioribus fulminibus, & luſorijs telis vti.* Exercitoria tela, alibi * Tertullianus. E contrà, vera & acuta tela, Decretoria: vt in verbis Senecæ iam dictis. Credo ideò, quia hæc velut decreto Prætoris ſiue Editoris dabantur, poſtquàm inſpecta acriter & probata. Hinc obſcuriores illæ metaphoræ lucem accipient in eodem Senecâ: vt lib. I. De Clementiâ: *Niſi plus eſt quod timet quàm quod damnat, non accedet ad decretorium ſtilum.* Et Epiſtolâ CIII. *Intrepidus horam illam decretoriam proſpice.* Eadem arma dixêre &, Pugnatoria, Suetonius in Caio: *Batuebat pugnatorijs armis.* Significat enim eum omiſſâ rudi, vſum gladio vero. Non aliter quàm Commodus, *qui gladiatores, ſpecie depugnandi, crebrò trucidauit, cùm ipſe ferrum obiectum veronibus plumbeis vteretur*, ait Aurelius Victor. quem locum vexant variè viri docti. Reſtituo ego, *ferro obtecto veronibus plumbeis.* Hæc ſanè ſcriptoris cognominis mihi mens, malâ fraude pugnaſſe Commodum: & velut luſorijs armis vteretur, vſum veris. Ferrum enim obduxiſſe dumtaxat laminis è plumbo: cùm gladium ipſum putarent eſſe è plumbo. Sed redeo ad rem. Pugnatorium mucronem Seneca pater dixit lib. II. præfatione: *Deerat illis oratorium robur, & ille pugnatorius mucro.* Addidi etiam armis eos præluſiſſe: & rem dixi. Nam parmas aut clypeos in altum iaciebant, recipiebantque cum venuſtate. Martialis lib. IX.

> *Summa licet velox Agathine pericula ludas,*
> *Non tamen efficies vt tibi parma cadat.*
> *Nolentem ſequitur tenueſq; reuerſa per auras*
> *Vel pede, vel tergo, clune, vel vngue ſedet.*
> *Vt peccare velis, cùm feceris omnia, falli*
> *Non potes: arte opus eſt, vt tibi parma cadat.*

Nec parmas ſolùm, ſed & haſtas, vt prædixi: fortaſſe & gladios. Id vocabant propriè Ventilare. Seneca pater lib. III. Controu. *Deinde res ipſa diuerſa tota eſt: aliud eſt ventilare, aliud pugnare.* Seneca filius Epiſtolâ CXIII. *Quàm ſtultum eſt, cùm ſignum pugnæ acceperis, ventilare?* Martialis:

> *Currit, & in toto ventilat arma loco.*

Plinius etiam elephantes doctos ad hanc præluſionem oſtendit. *Vulgare erat*, inquit, *per auras arma iacere, non auferentibus ventis, & gladiatorios inter ſe edere congreſſus.* Hoc ergo, Præludere: at cùm deſierint, dicuntur eluſiſſe, aut deluſiſſe. Cicero de Iſocrate: *Non enim in acie verſatur & ferro: quaſi rudibus eius eludit oratio.* Nec abſimili notione *Luſum* definiebat Aquilius *quâ fluctus eluderet*. id eſt, ludere deſineret. Plinius Deludere dixiſſe videtur, lib. XXXVI. *Luxatis potius medetur, vt licet videre gladiatores, cùm deluſerunt, hac iuuari potione.* Auditiſne iam, amici, has tubas? ſignum commiſſionis ſunt & veræ pugnæ. Ideò Apuleius tubam terminalē appellat, quia primitias & ludicra certaminis finiret terminarétque. Libro X. *At vbi diſcurſus reciproci multinodes ambages tubæ terminalis cantus explicuit.* Virgilius:

> *At tuba commiſſos medio canit aggere ludos.*

Quinctilianus in Gladiatore; *Sonabant clangore ferali tubæ.* Statius in Siluis;

> *Iam placidæ dant ſigna tubæ.*

Nec alterius ſententiæ illud Satyrici — *digniſſima prorſus Florali matrona tuba.* id eſt, digna quæ commiſſione Floralium producatur. Idque in omnibus ludis factitatum, etiam ſcenicis. Seneca epiſt. LXXXV. *In comeſſationibus* (emendo clarè, *commiſſionibus*) *noſtris plus cantorum eſt, quàm in theatro olim ſpectatorum fuit. cùm omnes vias ordo canentium implevit, & cauea æneatoribus cincta eſt*, &c. Æneatores enim, Tubicines. Plinius lib. II. epiſt. *Qui nunquam caſtra viderunt, nunquam tubarum ſonum niſi in ſpectaculis audierunt.* Iuuenalis de ſenum incommodis.

> *Quid refert magni ſedeat qui parte theatri*
> *Qui vix cornicines exaudiat atque tubarum*
> *Concentus?* ———

Seneca hoc ſignum pugnæ intellexit. *Quàm ſtultum eſt, cùm ſignum pugnæ acceperis, ventilare?* Diremptà ergo Præluſione, abiectiſque luſorijs armis, tranſibant ad vera. Atque hoc eſt quod *Dimicare ad cer-*

* Vide & quæ ſcripſi ad lib. III Annal. Taciti.

Præluſio, ſiue proluſio. Dies præluſionum, qui præmiſſus iuſto certamini.

Haſtis præludebant.

Pilarij.

Rudibus præludebant.

Eumenius correctus.

Luſoria tela.

* De pænitentia.

Verſu armis pugnare.

** Cum ponunt ſumebat alterius coloris: puta pro ruſſato Venetum. Plautus ex placatu.*

tum Tertullianus alibi vocat. Appellabant id etiam, pugnare verſis armis. Caper litterator: *Inuerſis armis pugnaſſe gladiatores non eſt dicendum, ſed verſis, id eſt transmutatis. ſic non inuerſis* pannis agitaſſe aurigas, ſed verſis.* Plauti verſum è Caſinâ illuſtrabit hæc nota:

——ita rem natam intellego,
Neceſſum eſt verſis gladijs depugnarier.

A Nec enim aliud in eâ armorum verſione eſſe, facile perſuadeor Ouidij verſu De arte:

Ponite iam gladios hebetes, pugnetur acutis.

Aliàs ſuſpicari poſſimus, ſiquis à genere ad genus alterum tranſeat, puta à Secutore ad Retiarium, dici eum pugnare verſis armis. At placet prius. etſi in Plauti verſu ſaliuam etiamnum mihi mouet mea olim diuinatio, *veris gladijs.*

Scito, Lector, quædam à pictore eſſe ad rem ſubijciendam oculis, non à veritate. vt oſtiolum ante Editorem, gradus in arenam: quia reuera per alios interiores aditus delati gladij & arma in Orcheſtram.



LIB. 2. CAP. 19.

CAPVT XX.

Pugnæ ipſius deſcriptio. In ſtatu ſtabant. Petebant, repetebant. Exibant, excedebant. Latus tegebant.

Modus gladiatoriæ pugnæ.

QVæso oculos mihi nunc date & aures. Pugnam vobis oſtendam: ſed cum Ioue Homerico in monte ſitis, & extra teli iactum. Ecce componunt ſe gladiatores & colligunt in arma: deus bone! quantâ arte curâque, ſui defendendi, alterius petendi! Nec mirum. *Gladiatori enim compoſito ad pugnandum* (ait Agellius) *hæc propoſita ſors eſt: aut occidere, ſi occupauerit: aut occũbere, ſi ceſſauerit.* Hãc ex arte poſituram, vocabãt Statum. Petronius de anu: *Statū prælianti componit.* Plautus facetè, vt ſolet, alluſit Milite:

In ſtatu ſtare.

——in ſtatu ſtat ſenex
Vt adoriatur mœchum qui formâ eſt ferox.

Quadrigarius correctus apud Agellium.

Quadrigarius in ſingulari certamine Galli cum T. Manlio: *Ita vt antè dixi conſtiterunt. Gallus ſuâ diſciplinâ, ſcuto proiecto, cantabundus* (malim, *cantabundus* quaſi vitabundus.) *Manlius animo magis, quàm arte confiſus, ſcutum ſcuto percuſſit, atque ſtatum Galli conturbauit. Gallus dum ſe iterum eodem pacto conſtituere ſtudet, Manlius iterum ſcutum ſcuto percutit, atque de loco hominem proiecit.* Vbi videtis curæ iis fuiſſe atque adeò laudi, manſiſſe in ſtatu. Laberius:

B *Quem nulla ambitio, nulla vnquam largitio*
Mouere potuit in iuuentâ de ſtatu.

In gradu ſtare.

Imò nec læſi deſerebant. Seneca Conſolatione ad Polybium: *Omnes ſcient quomodo te in iſto geſſeris vulnere, vtrùmne ſtatim percuſſus arma ſubmiſeris, an in ſtatu & in gradu ſteteris.* quem locum tentant fruſtrà. Idem enim eſt, Stare in gradu. Seneca: *Quorum alter vulnus premit, & conſtat in gradu.* Lucanus, ſiue quis alius auctor Poëmatij ad Piſonem:

Correctus Lucanus.

Arma tuis etiam ſi fortè rotare lacertis,
Inq; gradu clauſis libuit conſiſtere membris,
Et vitare ſimul, ſimul & captare petentem.

Ita malo prorſus, quàm vt edunt, *Inq; gradum.* Hinc apud Tertullianum: *De gradu pellere,* aduerſus Marcionem: *Cedere de gradu,* Præſcriptione aduerſus Hæreticos: *Conſtruere gradum*, Apologetico. Cicero

C etiam ab hoc gladiatorio more elegantem metaphoram plus ſemel vſurpat, Deiici, deturbari, de ſtatu animi, ſtatu mentis: & reſtituendam in Oratore eius ad Brutum (libro, qui non legendus iuuentuti, ſed ediſcendus) cenſeo: *Quo genere nos mediocres, aut multò etiam minus: ſed magno ſemper vſi impetu, ſæpe aduerſarios de ſtatu animi deiecimus.* Sic eligam, præ vulgatâ, *de ſtatu omni.* Certè hoc Cicero voluit, & accommodat ad Hortenſium, Catilinam,

Correctura in Cicerone.

Curionem,

Curionem, quibus vis illa dicendi linguam imò mentem eripuit. Cùm hoc modo igitur paria in ſtatu: petebat alter, vitabat alter. Petebat dico, ita enim propriè: & ictos ipſi, Petitiones. Seruius ad illud Virgilij, *Volſcẽtem petit, in ſolo Volſcente moratur: Petitiones*, inquit, *propriè dicimus impetus gladiatorum*. Cicero in Catilinam: *Quot ego tuas petitiones, ita coniectas vt vitari nullo modo poſſent, paruâ quadam declinatione, & vt aiunt,* * *corpore, exceſſi?* Idem in Oratore: *Vt enim athletas, nec multo ſecus gladiatores, videmus nihil nec vitando facere cautè, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæſtram quandam, ſic oratio neque plagam grauem facit: niſi petitio fuerit apta.* Videntur etiam appellaſſe conatus inuaſionéſque ſingulas, Manus. Quinctilianus lib. v. cap. XIIII. *Vt gladiatorum manus quæ ſecundæ vocantur, ſiunt & tertia, ſi prima ad euocandum aduerſarij ictum prolata erat: & quarta ſi geminata captatio eſt, vt bis cauere, bis repetere oportuerit.* Idem lib. IX. cap. I. *Nam vt in armorum certamine aduerſos ictus & rectas manus cùm videre tum etiam propulſare facile eſt; auerſæ tectæq; minus ſunt obſeruabiles: ſic oratio,* &c. Nec diuersâ multum ratione Seneca dicit, Manum mittere, epiſt. VII. *Nunc nihil habent quo tegantur, totis corporibus ad ictum expoſiti, nunquam fruſtrà manum mittunt.* Paullò aliter Apuleius lib. IIII. *Gladiatores illi famoſæ manus, venatores illi probata pernicitatis.* Significat enim veteres gladiatores, & quorum dextræ non vnâ cæde imbutæ. Magis conuenit, quòd in ludo aleæ ſingulos iactus ſiue miſſus, ratione ſimili appellarunt Manus. Auguſtus in epiſt. apud Tranquillum: *Nã ſi quaſcũque manus remiſi, exegiſſem.* Petere igitur, arenæ verbum. etiam Repetere. Ita appellabant geminare ictum. Lactantius: *Percuſſos iacenteſque repeti iubent.* In Quinctiliani verbis ſuprà, *Vt bis cauere, bis repetere oportuerit.* Inde natum in Caligulæ cæde ſymbolum, de quo

Petere. & Petitiones.

* *Vt Prudentius interpretatur. Latera ſinuamine.*

Manus gladiatoria.

Manus aleatoria.

Repetere.

A Tranquillus, *Iacentem contractiſque membris clamitantem ſe viuere, ceteri vulneribus triginta confecerunt. Nam ſignum erat omnium, Repete.* Hæc inuadendi verba; at vitandi cauendique, Exire. Virgilius:

Corpore tela modò atque oculis vigilantibus exit.

Manilius:

Ille cito motu rigidos eludere ceſtus
Nunc exire leuis miſſes.

Etiam Excedere. Cicero: *paruâ quâdam declinatione, & vt aiunt, corpore exceſſi.* Prudentius idipſum, vti & Manilios, Ludere vel Eludere dixit:

Nam ſi noſtra fides ſaclo iam tuta quiete
Viribus infeſtis hoſtilique arte petita eſt:
Cur mihi fas non ſit lateris ſinuamine flexi
Ludere ventoſas iactu pereunte ſagittas?

B Vbi ambigo, num, *Sariſſas*, melius. præceſſit enim, *iactu*: haſtæ autem iaciuntur pilàque, non ſagittæ. Tamen in Prudentio verborum non tam acer dilectus. In vitando præcipua cura, vt latus tegerẽt. Apud Terentium elegantiſſimo Mureto admonente iam innotuit: *Liceat modo tecto latere diſcedere.* Seneca li. IIII. Quæſt. Natur. *A turbâ quãtum potes te ſepara, nec adulatoribus latus prabeas.* Et latus certè aduerſarius maximè petebat. Ammianus: *Séque in medium myrmillonis operiens, hoſtium latera, qua nudabat ira flagrãtior, diſtrictis mucronibus perforabat.* Et Quinctilianus in Declamatione quapiã, de Gladiatoribus qui vinci volebant: *Concurrebant lateribus nudis.* Tibullus:

Sæpe dabis nudum, vincat vt ille latus.

C Nec rarũ erat, vt cùm plura paria pugnarent, vulneraretur quiſpiam per alterius latus. A quâ mente Ciceronis illud Interrogatione in Vatinium: *Omnia mea tela ſic in te conicientur, vt nemo per tuum latus, quod ſoles dicere, ſaucietur.* Et Liuius lib. XL. *Vt à me cœptum ſcelus in me finem habeat, nec per meum latus tu petaris.*

Tranquillus dat

Exire.

Excedere.

Ludere.

Latus tegere.

Per latus alterius.



LIB. 2. CAP. 20. 21. 22.

CAPVT

CAPVT XXI.

Clamor ad vulnus, Hoc habet. Læſi ſupplicabant, & arma ſubmittebant. populum, editores, orabant. ſi is vellet, mittebantur. Quid miſſio, & pugna ſine miſſione.

Hoc habet, vulnere ictum.

ET cum exclamatione ſubitâ hîc Victor: En, en, inquit. Hoc habet. Nos commoti, Quid ſibi hic clamor vult? inquimus. Non etiam videtis? inquit. læſus eſt, cecidit Birria. Vox ea propria inſultantis aduerſarij, aut acclamantis vulgi. Virgilius:

——teloque orantem multa trabali
Deſuper altus equo grauiter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet: hæc magnis melior data victima diuis.

Prudentius meus Pſychomachiâ:

Tunc exarmata iugulum meretricis adacto
Transfigit gladio: calidos vomit illa vapores.
Hoc habet, exclamas victrix regina.

Simpliciter etiam, Habet. Seneca in Tragœdiis:

Habet, peractum eſt: quas petis pœnas dedit.

Idem:

Habet, peractum eſt: fata ſe noſtra explicant.

Et apud eumpſe pluriens. Nec alius ſanè clamor eſt, quẽ Auguſtinus indicat lib. VI. Confeſſ. ca. VIII. vbi de Alypio. Læſi autem gladiatores & mortis metuẽtes, ſubmittebant arma. Id ſignum victi fractique. Seneca de prouidentiâ: *Quid ego iſtum aduerſarium mihi ſumam? ſtatim arma ſubmittet. non opus eſt in illum totâ potentiâ meâ: leui comminatione pelletur.* Nec ideò tamen liberi. à nutu populi pendebat mors eorum vel ſalus. Horatius:

Submittere arma.

Populus orari debebat à gladiatoribus.

Nec populum extremâ toties exoret arenâ.*

* Quia rogatum admonebant ſi ſpectaculo, vnde audiri poſſent Editores etiam rogaſſe.

Seneca: *Gladiatoribus licet arma ſubmittere, miſericordiam populi tentare; tu neque ſubmittes arma, nec vitam rogabis. recto tibi inuictóque moriendum eſt.* Idem epiſt. CVIII. alluſit: *Non faciam quod victi ſolent, vt prouocem ad populum.* Siue etiam ab Editoris. Cicero II. Tuſcul. *Mittunt etiam vulneribus confecti ad Dominos, qui quærant quid velint. ſi iis ſatisfactum non ſit, ſe velle decumbere.* Dio in Caracallâ, cum inſectatione ſæuitiæ eius; ἀγῶνα μονομαχίας ἐν Νικομηδείᾳ ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ γενεθλίοις ἐποίησεν. ἔνθα λέγεται ἡττηθέντος τινὸς καὶ ἱκετεύοντος αὐτὸν ὅπως σωθῇ, τὸν Ἀντωνῖνον εἰπεῖν Ἄπελθε, καὶ τοῦ ἀντιπάλου δεήθητι. id eſt, *Munus Nicomediæ præbuit die ſuo natali. in quo ferunt victũ quempiam è gladiatoribus ſupplicaſſe Antonino vti ſeruaretur. illum reſpondiſſe, Abi, & * aduerſario tuo ſupplica.* Nam Antoninus ibi Editor. Quanquam reuerà Imperatori, cùm præſens, ſemper ius liberandi. Quinimò & ſolo * ſuperuentu ſuo: niſi fallunt me Ouidij verba de Ponto:

Cæſaris aduentu tutâ gladiator arenâ
Exit, & auxilium non leue vultus habet.

* Atque aduerſario nullum ſupplicando ius. Ideò ita negãte hoc reſponſum.
* Ad quẽ plane credo illuſtrandum, quia caſtigata proſtituebant noxiorum pœnam.
Quid miſſio propriè. Diſcrimen inter eam & Rudem. Sine miſſione dare gladiatores.

Hæc liberatio, Miſſio dicta. Non enim audio viros eruditos, qui cum Rude confundunt. Errare eos ſcio totâ viâ. Miſſio ad victos pertinebat: Rudis ad victores. Illius effectus, vt ab imminenti periculo, & in eum diem dumtaxat liberarentur: huius, vt ætatem. Martialis: *Nuper cùm Myrino peteretur miſſio læſo.* mittebantur ergo læſi. Itaque ſine miſſione dare gladiatores, & ſine miſſione pugna; non aliud, quàm ad certam mortem dari, niſi vincas: ius nõ eſſe, vulneratos ſupplicéſque liberandi. Satis clarè vim eius verbi expreſſit Liuius de Perſeo, lib XLI. *Deinde ſæpius gladiatores dando, & modò vulneribus tenus, modò ſine miſſione etiam,* & Florus de pugnâ cum Spartaco: *Tandem eruptione factâ, dignam viris obiêre mortem, & quod ſub gladiatore duce oportuit, ſine miſſione pugnatum eſt.* Nec video quid iis locis poſſit opponi. non itẽ quid huic Senecæ: *Abſciſſâ miſſione gladiator, quem armatus fugerat, nudus inſequitur:* Non enim certè hîc de Rude. & Senecæ mentem ſatis illuſtrarunt ſub Caio *quinque retiarij, qui totidem ſecutoribus ſuccubuerant: cúmque iuberẽtur occidi* (id eſt, abſciſſâ miſſione) *vnus reſumptâ fuſcinâ omnes victores interemit.* Hinc illud Auguſti decretum, qui *Gladiatores ſine miſſione edi prohibuit.* ait Tranquillus cap. XLV. Clementer. quoniam reperti ſæui munerarij, qui omnes dabant in certam mortem. Qualem fuiſſe credimus Domitium auum Neronis, qui *Munus gladiatorium edidit* (verba Suetonij ſunt, Neronis cap. IIII.) *tantâ ſæuitiâ, vt neceſſe fuerit Auguſto clam fruſtrà monitum edicto coërcere.* Et ſuſpicer hoc ipſum edictum eſſe, quo vetiti dare ſine miſſione. De hac miſſione Quinctilianus in Gladiatore: *Quas ego illius preces? quàm pertinaces lacrymas? quàm miſerabilem obteſtationem vidi? nemo vnquam ſic rogauit miſſionem.* Idem: *Nec difficilem tamen ſub illo præſertim auctoramento habuiſſet miſſionem, ſed noluit gladiator viuere.* Ad hanc etiã refero non ad militarem, variè & decenter tranſlata ſcriptorũ loca, vt Senecæ: *Quid porro prodeſt paucos annos vel dies lucrifacere? ſine miſſione naſcimur.* Apuleij libat. vbi nequiſſima fœminarum. *Hodierna pugna*, inquit, *non habet miſſionem.* & in ſimili nequitiâ illud Petronij: *Donec Quartilla ballenatiam tenens virgam, altéque ſuccincta iuſſit infelicibus dari miſſionem.* Eiuſdem: *Inhibuitque Tryphæna tam grande facinus, non diſſimulatâ miſſione.* Sed inprimis elegans Martialis epigramma, quod in Catalectis vulgauit Ioſ. Scaliger, anteà publicè non viſum: quod totum ſubiicio libens illuſtrandæ huic rei.

Vetuit id Auguſtus.

Translata ad alia ad res alias.

Cùm traheret Priſcus, traheret certamina Verus,
Eſſet & æqualis Mars vtriuſque diu.
Miſſio ſæpe viris magno clamore petita eſt.
Sed Cæſar legi paruit ipſe ſuæ.
Lex erat, ad digitum poſitam concurrere palmam.*
Quod licuit, lances, donáque ſæpe dedit.
Inuentus tamen eſt finis diſcriminis æqui.
Pugnauêre pares: ſuccubuêre pares.
Miſit vtriſque rudes, & palmas Cæſar vtriſque.
Hoc pretium virtus ingenioſa tulit.
Contigit hoc nullo, niſi te, ſub Principe, Cæſar:
Cùm duo pugnarent, victor vterque fuit.

* poſita ex. palma.

Vbi tamen quid ſit, *ad digitum concurrere*, ambigo: an non ita propinquos iunctóſque pugnare, vt digitus modò intereſſet? Alioqui & *Digitum* (opportunè monebo) Gladiatores ſolent *tollere*, cùm victos ſe faterentur. Vetus Scholiaſtes ad illud Perſij ——*digitum exere, peccas.* *Digito*, inquit, *ſublato oſtende victum te eſſe à vitiis. Tractum à gladiatoribus, qui victi oſtenſione digiti veniam à populo poſtulabant.*

CAPVT XXII.

Populus moderator & arbiter horum ludorum. Intercedebat. interficiebat motu pollicis. Ferrum recipere iubebantur proſtrati: qui non vno ictu interficiebantur. Manum mittebant in vulnus. Poſtremò Libitina in Amphitheatris.

POPVLI ergo, vt videtis in arenâ præcipuum ius: & ad eius voluntatem Domini plerumque ſe conformabant. Intercedebat pro victis læſiſque. Seneca de Tranquillitate libro II. *Quæris quid inter duos interſit? quòd inter gladiatores fortiſſimos. quorum alter premit vulnus, & conſtat in gradu: alter reſpiciens ad clamantem populum, ſignificat nihil eſſe, & intercedi non patitur.* Interfici iubebat idem. Signum, conuerſus pollex. Iuuenalis:

Populus intercedebat.

Idem occidi iubebat. Pollice verso.

Munera nunc edunt & verſo pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

Prudentius, de Veſtalibus:

——conſurgit ad ictus
Et quoties victor ferrum iugulo inſerit, illa
Delicias ait eſſe ſuas, pectúſque iacentis
Virgo modeſta iubet conuerſo pollice rumpi.

Poëta vetus ἀνώνυμ⊕,

Spernit & inſanâ victus gladiator arenâ,
Sit licet infeſto pollice turba minax.

Pollices premere.

Hoc Tranquillus dixit, infeſtis ſpectatoribus dimicare, in Iulio cap. XXVI. *Gladiatores notos, ſicubi infeſtis ſpectatoribus dimicarent, vi rapiendos ſeruandoſque mandabat.* Cauſſa huic maleuolæ notæ à contrario prouerbio in fauore pollices premendi. quod apud Plinium Horatiúmque. Ceterùm in quos fauor populi, in quos odium inclinare ſolitum: diſcite ab his exemplis. Cicero pro Milone: *Etenim ſi in gladiatoriys pugnis timidos & ſupplices, & vt viuere liceat, obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus: fortes & animoſos & ſe acriter ipſos morti offerentes, ſeruari cupimus.* Seneca de Irâ li. I. *Quid gladiatoribus quare populus iraſcitur, & tam inique vt iniuriam putet quòd non libenter pereunt? contemni ſe iudicat, & vultu, geſtu, ardore, de ſpectatore in aduerſarium vertitur.* Et bene furorem hunc Quiritium tangit Lactantius lib. VI. *Quæro nunc an poſſint pij & iuſti homines eſſe, qui conſtitutos ſub ictu mortis ac miſericordiam deprecantes, non tantùm patiuntur occidi, ſed efflagitant. Iraſcuntur etiam pugnantibus, niſi celeriter è duobus alter occiſus eſt.* Exhorruimus in hac commemoratione, & Heu ſæuitiam! inquit Duza: ſupra fidem meam, niſi fidos dares auctores. Certa Duza res, inquam ego. ſed meo voto, Vtinam illi Buſitides omnes vnum oculum habuiſſent! Sed nos ſpectemus etiam. Dic victor. Iterúmque Victor: Poſt hæc ergo, inquit, ſuffragia vulgi, ſi alba quidem fauénſque ſententia; miſer ille muniebatur, ſed in eum diem aut id Munus dumtaxat, vt cenſeo. ſin funeſta; boni gladiatoris erat decumbere, & libenter fortitérque recipere ferrum. Id enim imperabatur, Recipe ferrum. Cicero pro Sextio: *Ipſum verò quid accuſas? nũ defuit gladys? num repugnauit? num, vt gladiatoribus imperari ſoles, ferrum non recepit?* Iis verbis ſubiecta vis; vt iugulum vltrò præberent; ne membra contraherent; ne manum opponerent. Mira firmitas, ſi in re bonâ ſeriáque. Seneca epiſtolâ XXX. *Mors enim admota, etiam imperitis animum dedit non vitandi ineuitabilia. Sic gladiator totâ pugnâ timidiſſimus, iugulum aduerſario præſtat, & errantem gladium ſibi attemperat.* Cicero prorſus graphicè totam rem depinxit in Tuſculanâ ſecundâ. *Quis mediocris gladiator nõ modò ſtetit, verumetiam decubuit turpiter? quis cùm decubuiſſet, ferrum iuſſus recipere, collum contraxit?* Seneca iterum, De Tranquillitate: *Fortuna illa qua ludos ſibi facit, quo, inquit, te ſeruem malum & trepidum animal? eò magis confodieris & conuulneraberis, quia neſcis præbere iugulum. Viues tutiùs & morieris expeditius, qui ferrum non ſubductâ ceruice, nec manibus oppoſitis, ſed animosè recipis.* Pertinet huc apud eundem Tullium pro Roſcio, C. Fimbriæ impotens reſponſum, Scæuulam accuſantis *quòd non totum ferrum corpore recepiſſet.* Et alluſit poëta magnus:

Audacia & conſtantia gladiatorum accepta populo. Ignauia, odio.

Recipere ferrum.

Sic loquitur, iugulóque haud inſcius accipit enſem.

Etiam Prudentius:

Ferrum in papillas omne recepero.

Miſerabiles famoſi gladiatores.

Et tamen miſericordia (ſi ita placet) admixta his ſceleribus, ſiquis caderet gladiator famoſus. Statius, de leone:

——quòd te populuſque patréſque,
Ceu notus caderes triſti gladiator arenâ,

A *Ingemuêre mori.*

Imò & quidam quaſi mitiores, auertebant ſe à vulneribus. Quinctilianus Declam. CCLXXXIX. *Multi ſe à gladiatorum vulneribus auertunt: & quamquam nemo dubitet illud ſpectaculum eſſe in parte pœnarum, tamen nequiſſimorum quoque hominum ſuprema pericula habent ſuam gratiam.* At illud feritatis inauditæ, quod Lactantij ipſis verbis ponam: *Quinetiam*, inquit, *percuſſos iacenteſque repeti iubent, & cadauera ictibus diſſipari: ne quis illos ſimulatâ morte deludat.* Et éſtne ſuper alius ad ſæuitiam gradus? Eſt. Nam & manum mittebant in vulnus, & ſanguine velut ſe proluebant. Colligo ex Lampridij Commodo: qui omen ſibi ante mortem, vt ait, non leue fecit. *Nam cùm in gladiatoris occiſi vulnus manum miſiſſet, ad caput ſibi deterſit.* B Illud ſcilicet prodigio habitum, non quòd manum cruentaſſet (ex more enim:) ſed quòd capiti ſuo admouiſſet. quaſi precatus ſibi ſuóque capiti eadem. Sed nec defuiſſe è populo ſcite, qui gladiatorum ſanguinem ex ipſo vulneris hiatu biberent, calidum adhuc ſpirantémque. contra morbum, fateor: ſed iuſtâ * Plinij deteſtatione, *cùm plagis ne ferarum quidem admoueri ora fas ſit humana.* Non ergo iniuriâ in hanc feralem arenam illata, vnà cum reliquo apparatu, Libitinæ inſtrumenta. vt eſſet videlicet, quò mortui ſubitò efferrentur. Quinctilianus clarè notat: *Sonabant clangore ferali tuba, illatiſq; Libitinæ thoris ducebatur funus ante mortem.* Nec Plinium aliter audietis lib. XXXVII. cap. III. vbi de gladiatorio munere C Neronis: *Arma verò & Libitina, totúſque vnius diei apparatus è ſuccino.* Ab hac re certa porta in Amphitheatro, quę Libitinenſis dicta. Lampridius in Commodo: *Galea eius bis per portam Libitinenſem elata eſt.* Dio de eâdem re: Ὅτι ἐν τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ τὸ κράνος αὐτοῦ κατὰ τὰς πύλας, καθ' ἃς οἱ τελευτῶντες ἐκφέρονται, ἐξεκομίσθη: id eſt, *Et quòd vltimâ ſpectaculorum die, galea eius per eam portam quâ mortui efferri ſolent, elata eſt.* Ex his videtis, opinor, ſatis, quanta iſta cruditas: & quàm iure Prouerbij vicem ſcripſerit Poſidippus Comicus apud Athenæum:

Iurabant illos.

Manum in vulnus mittebant.

Bibebãt ſanguinem.

** li. XXVIII. cap. I.*

Libitina in Amphitheatro.

Plinius explicatus.

Porta Libitinenſis.

* Τῶν μονομαχούντων ἐστὶν ἀθλιώτερος.

** Nos miſeriores gladiatoribus ſumus*

CAPVT XXIII.

Præmia victorum, palma, & pecunia. item Rudis. D *Diſcrimen inter Rudem & Pilleum: Arma ad Herculis.*

INTERFATVS hîc ego, Parce oculis, inquam, iſtis Victor. non enim vltrà poſſum ſine lacrimis. Lupi, non homines; quíque edere ſuſtinuerunt, quiq; ſpectare. Macte Conſtantine, qui ſuſtuliſti. Date etiam paullulùm, inquit Victor. iam ad exodium perducta res: & pugna certè pugnata eſt. Venio ad ea quæ poſt pugnam. Præmia dico, & Rudem. Præmia? inquam ego. quid? vtrumne iſtis parricidis? Iſtis, inquit. Auguſtinum audi tecum indignantem libro III. De ciuit. cap. XIIII. *Pugnant etiam gladiatores, vincunt & ipſi: habet præmia laudis & illa crudelitas.* & quidem præmium victori duplex, Palma & Pecunia. De palmâ E Suetonius Caio: *Myrmillonem ferreâ ſicâ confodit, & more victorum cum palmâ diſcurrit.* Lampridius in Commodo: *Tantum palmarum gladiatoriarum confecerat, vt mille contingeret.* Cicero pro Roſcio: *Plurimarum palmarum nobilis ac vetus gladiator.* & ibidem: *Multas eius eſſe inſignes palmas, hanc primam lemniſcatam quo Roma deferatur.* Iidem & pecunia data. Suetonius in Claudio, de ſubito gladiatorio munere loquens: *Nec vllo ſpectaculi genere communior* (ego verò legerim, *comior*: vt comitatem Claudij prædicet) *aut remiſſior erat: adeò vt oblatos victoribus aureos, prola-*

Palma gladiatorum.

Pecunia iis.

Suetonius correctus.

táque

táque ſiniſtrâ manu, pariter cum vulgo voce digitiſq́; numeraret. Iuuenalis Satyrâ VII.

Accipe victor populus quod poſtulat aurum.

Quæ donationes effuſè creuerant, & coërcendæ à Principibus ſæpe. Sed & vltra legitima præmia, corollaria adiiciebantur, exemplo à ſcenâ. Suetonius Auguſto: *Corollaria & præmia alienis quoque muneribus & ludis & grandia & crebra de ſuo offerebat.* Supereſt de Rude: cuius mentio iucunda mihi. *Hanc indulgebant gladiatoribus veteranis, quaſi magiſterij ſignum: aut etiam nouis, in nouo aliquo & ſtrenuo facto. Idq́ue populo impetrante. Quinctil. *Quidam vt patrem ſepeliret, ſe auctorauit: ſed die muneris productus, ſub titulo cauſſa rudem poſtulante populo accepit.* Hanc gladiator (ſi tamen vera & germana Acronis in Horatium nota) *ſtans ad crepidinem Circi ſub circulo Amphitheatri à populo petere & impetrare ſolebat.* Dabat eam, vt videtur, Editor, vel Laniſta etiam ipſe. Calpurnius Declam. I. in Themate: *Redemit eum Laniſta, & rudem ei in arenâ dedit.* Sed tamen, vt dixi, populi arbitrio aut poſtulatione. quod etiam in aliis præmiis obtinuit. Lactantius: *Non poteſt eſſe immunis à ſanguine, qui voluit effundi: aut videri non interfeciſſe, qui interfectori & fauit & præmium poſtulauit.* At Rudis mentio apud omnes ſcriptores crebra: eius effectus, liberatio ab arenâ. Quod tamen diſtinctè intelligetis, aliter atque aliter pro conditione gladiatorum. Quidam enim, (vt Duza hîc prædixit) liberi erant ſiue Auctorati, qui arenæ operam pretio locabant. Ij donati rude, redibant in veterem protſus libertatem, nullo vltrà vinculo ſeruitutis. Exemplum in Opilio Macrino, de quo Capitolinus: *Plerique gladiatoriam pugnam eum exhibuiſſe dixerunt. & acceptâ rude, ad Africam iſſe, venatorem primò, pòſt etiam tabellionem fuiſſe, deinde aduocatum fiſci.* Alij è gladiatoribus, conditione ſerui. Hi donati rude, non libertatem accipiebant, ſed vacationem dumtaxat à pugnâ. Laniſtæ deinceps ptóve laniſtis erant. doctores tironum, & batuebant, non pugnabant. Ideò tuta rudis Ouidio dicta:

Tutáque, depoſito poſcitur enſe, rudis.

Quòd ſi libertatem etiam impetrarent: mos erat, vti pillearentur, id eſt, * pillei impoſitione liberi iudicarentur. Itaque Tertullianus bene Rudem à Pilleo ſeiunxit: *Et qui inſigniori cuique homicidæ leonem poſcit, idem gladiatori atroci petat rudem, & pilleum præmium conferat.* Quæ tamen præmia ne temerè conferrentur: cautum eſt quid in noxiis damnatiſque ſeruaretur. Tempus rudi, tempus pilleo præſcriptum. Quod è ſolo Fragmento Vlpiani nobis innotuit, vulgato à doctiſſimo I C. Pythœo. *Eſt autem differentia,* inquit, *inter eos qui ad gladium & eos qui ad ludum damnantur. Nam ad gladium damnati, confeſtim conſumuntur, vel certe intra annum debent conſumi. enimuerò qui in ludum damnantur, non vtique conſumuntur, ſed etiam pilleari & rudem accipere poſſunt poſt interuallum. Siquidem poſt quinquennium pilleari: poſt triennium autem rudem induere iis permittitur.* Vbi vel ex interuallo temporis vides pilleum rude meliorem. Qui donati rude, Rudiarij dicti. Tranquillus Tiberio, cap. VII. *Munus gladiatorium dedit, rudiarijs quoque quibuſdam reuocatis auctoramento centum millium.* Ex quo pronum colligere, non depugnaſſe vltrà rudiarios, niſi pretio aut ſponte inductos. Horatij verſus totum hunc ritum ſatis aperiunt, Ad Mæcenatem ſuum:

Spectatum ſatis & donatum iam rude, quæris
Mæcenas iterum antiquo me includere ludo.
Non eadem eſt ætas, non mens. Veianius armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro.

Rude donare.
** Rudem à ferulâ: de quâ lib. I. c. XV.*
Acronis ambigua adſertio.
Diſcrimen in data rude, pro perſonis.
Auctorati, ſtatim & plenè liberi.
Serui, non item.
Sed pillei impoſitio quoque.
** Exemplo ſcilicet vel quorū ſeruorum.*
Qui dānati in ludū, non tamen liberati.
Rudiarij gladiatores.

E quibus poſtremis admonitum etiam hoc volo: morem fuiſſe, vti gladiatores emeriti arma ſua ſuſpenderent ad Herculis ſacra videlicet eiuſmodi gymnaſtorum deo. Nam & athletis & gladiatoribus Hercules præeſſe putabatur: qui facta eius ſcilicet & robur æmularentur. De athletis, lapis Græcus Romæ indicat, in quo aliquoties nominari, οἱ περὶ τὸν Ἡρακλέα ἀθληταὶ: id eſt, *Herculanei athletæ.* Varro: *Ex his atque huiuſmodi inſtitutis vel ad Herculis athletæ facti erant.* De gladiatoribus, præter Horatium Commodus ille teſtis, qui Herculem dici ſe voluit, imò pingi, fingi: quia gladiator. Igitur vt in Circo, Neptuni: in theatro, Veneris: ſic in Amphitheatro, Herculis ædes vulgò. Vitruuius indicat clarè lib. I. admonens exſtruendam ædem *Herculi, vbi gymnaſia aut amphitheatra non ſunt, in Circo.*

Mos arma conſecrandi Herculi. Hercules Athletis & gladiatoribus præſes.
Eius templum vulgò in Amphitheatro.

CAPVT XXIV.

Studia vulgi in varia genera gladiatorum. item ſponſiones. Principum ipſorum crudus fauor.

DIXIN' omnia, Lipſi? an eſt quod me fugit? fugit etiam. Nam de factionibus ſponſionibúſque in Arenâ, dignum notâ. Viliſſimæ enim animæ addictæ his ludis & velut conſecratæ, in partes diducebantur, & magno ſtudio huic generi gladiatorum fauebant aut illi. Atque vt in Circo, alius in Venetum pannum, alius in Praſinum pronus: ſic in Amphitheatro, hic in Thracum armaturam, alius in Myrmillonum aut Secutorum. Antoninus Imp. in vitâ ſuâ: παρὰ τοῦ τροφέως, τὸ μήτε πρασιανὸς, μήτε βενετιανὸς, μήτε παλμυλάριος ἢ σεκυτόριος γενέσθαι: id eſt, *Ab educatore ſuo, non Praſianus, non Venetianus, non Parmularius, aut Secutorius factus.* Parmularij videlicet fautores Thracum dicti, quia quia parmæ fauebant: & ſimili modo, Secutoriani. Martialis:

Vincenti parmæ cùm ſua turba fauet.

Apud Arrianum Epictetus & explicat hunc morem & coërcet lib. III. Diſſertationum, cap. IIII. quem videte. Sed & ſponſiones interponebantur vulgò, vter vinceret. Ouidius I. de Arte:

Hos aditus Circuſq́; nouo præbebit amori:
Sparſaq́; ſollicito triſtis arena foro.
Illâ ſæpe puer Veneris pugnauit arenâ:
Et qui ſpectauit vulnera, vulnus habet.
Dum loquitur, tangitq́; manum, poſcitq́; libellum,
Et quærit, poſito pignore, vincat vter:
Saucius ingemuit, telumque volatile ſenſit,
Et pars ſpectati vulneris ipſe fuit.

Et vulgus hæc tantùm? Principes imò ipſi. Titus Imp. *ſtudium armaturæ Thracum præ ſe ferens, ſæpe cum populo & voce & geſtu, vt fautor, cauillatus eſt,* ait Suetonius in Tito cap. VIII. Quo loco non luſciotiolus ſed cæcus Glareanus, qui reſcribendum contendit, *non vt fautor,* additâ negatione. Sed ego, vóſque, capimus. Domitianus contrà, in hoc quoque diſſidens à fratre, myrmillonibus fautor. Nec ſimplex hic fauor, & in re ludicrâ, ludus: in iram, inimicitiam erūpebat, imò cædem. Domitianus *Patrem familias, quod Thracem myrmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum è ſpectaculis in arenam, canibus obiecit, cum hoc titulo, Impiè locutus parmularius,* vt verba Suetonij ſunt Domitiani cap. X. Hoc volebat ſcilicet ille ciuis, Thracem reſiſtere myrmilloni poſſe, cui viribus par: non poſſe Editori (ipſi nempe Domitiano) à quo premebatur. Hoc dictum luit ſanguine ſuo miſer. Appoſitè & apertè hanc ſæuitiam erigit Plinius in laudatione Traiani: *Nemo ſpectator ſpectaculum factus, miſeræ voluptates*

Studia & factiones in Arenâ.
Parmularij
Secutoriani.
Sponſiones prouulgatā.
Principes ipſi quibus hoc fauore aut odio.
Aſſertio Suetonij lectio.
Cauſſa mortis hic fauor.
Suetonius explicatus.

*vnco & ignibus expiauit. Demens * ille veríque honoris ignarus, qui crimina maieſtatis in arenâ colligebat, & ſe deſpici ac contemni, niſi etiam gladiatores eius veneraremur, ſibi maledici in illis ſuam diuinitatem, ſuum numen violari interpretabatur: cùm ſe idem, quod deos, gladiatores, quod ſe putabat. At tu Cæſar quam pulchrum ſpectaculum pro illo nobis execrabili reddidiſti? Vidimus delatorum iudicium, quaſi graſſatorum, quaſi latronum. non ſolitudinem illi non iter* (moneo legendum abiunctis litteris, *non iter*) *ſed templum ſed forum inſederant.* &c. Et ſanè etiam ante Domitianum hæc factitata: ex his Senecæ verbis, lib. 1. de Clementiâ, cap. xxvi. *Non conuiuia ſecura ineunt, in quibus lingua ſolicitè etiam ebriis cuſtodienda eſt: non ſpectacula, ex quibus materia criminis ac periculi quæritur. Apparentur licet inquit, magna impenſâ & regiis opibus, & artificum exquiſitis nominibus: quem tamē è ludo in carcerem ire iuuet?*

* Domitianus Legis.

Plinius correctus.

CAPVT XXV.

Quid pro Romanis próque his ludis dici poſſit. Solitos dare ſub belli tempus. In fine mos de reliquiis vini.

SEd ego abiungo feſſus. & dicite ſerìò, nonne etiam vobis

Lumbi ſedendo, oculíque ſpectando dolent?

Non mihi, ait Lernutius. Pulchri illi & oblectantes ludi. Ego ad eum adducto vultu, Quod verbum refugit? inquam. Ex imo pectore id dicis, an è labris? Ex pectore, inquit: atque adeò addo vtiles fuiſſe, non ſolum oblectantes. Nec vultu iſto me terrueris. de Romanis loquor, non de orbis: de noxiorum cæde, non de innocentum. Et dic ſodes, tu: gentem natam ad arma, & in armis; cui fatum, vt domaret orbem, militaris in remiſſionibus ludicriſque ipſis prætuliſſe arma? ſanguinem oculis vſurpaſſe & cædem? Ego verò à legiſlatoribus multas meditationes gymnaſiáque inſtituta ſcio ad fortitudinem: nullum efficacius iſto. Lacedæmonij pueros ad aram cædunt, ſanguinem eliciunt: tu homo miſericors, ſi interuenias, credo, plores. At palæſtram eam fortitudinis patientiæque Lycurgus cenſuit. Atque illi in liberis innoxiiſque corporibus ſæuitiâ eâ vſi: Romanis, quos ſcelera ſua léxque damnarant, non licuit interficere animaduerſioni pariter & exemplo? At enim delectati eâ cæde fuerunt. Fateor, ſed non is finis. Non delectare, ſed confirmare eo ſpectaculo mentem oculóſque voluerunt: & viuis præſentibúſque exemplis monere *Fortiter agere, fortiter pati.* Acceſſit tamen trepida quædam voluptas. quid mirum? Apud noſipſos, qui religione & more arcemur ab laniena, in hanc partem ſcilicet non peccatur. Præliorum igitur ſermo ſit: quotuſquiſque erit, qui non è ſpecula aliquâ videre optet pugnantium morientiúmque ſtragem? Lege in reum agatur: quis non relictis rebus in forum accurret, vt ſtrictum carnificis gladium videat, & vnius miſeri purpuream ceruicem? Ita eſt: quem liber de peruerſitate naturæ. Hominem naſcentem videre non capimur: capimur præter fatum morientem. Sed Romanis, vt dixi, qui primi ludicri auctores, non is ſcopus: militiam modo & fortitudinem ſpectarunt. Cicero bene Tuſculanâ ſecundâ: *Crudele gladiatorum ſpectaculum & inhumanum nonnullis videri ſolet. & haud ſcio an ita ſit, vt nunc fit. cum vero ſontes ferro depugnabant, auribus fortaſſe multa, oculis quidem nulla poterat eſſe fortior contra dolorem & mortem diſciplina.* Et Plinius in Panegyrico: *Viſum eſt ſpectaculum inde non eneruе nec fluxum, nec quod animos virorum molliret ac frangeret: ſed quod ad pulchra vulnera, contemptúmque mortis accenderet, cum in ſeruorum etiam noxiorúmque corporibus amor laudis & cupido victoriæ cerneretur.* Itaque dabant plerumque gladiatores, ituri ad bella. Spartianus in Seuero: *Profectus dehinc ad bellum Parthicum eſt, edito munere gladiatorio.* Et ſatis multis verbis Capitolinus in vitâ Maximi & Balbini: *Vnde autem mos tractus ſit vt proficiſcentes ad bellum Imperatores munus gladiatorium & venatus darent, breuiter dicendum eſt. Multi dicunt apud veteres hanc deuotionem contra hoſtes factam, vt ciuium ſanguine litato ſpecie pugnarum ſe Nemeſis, id eſt vis quædam fortunæ ſatiaret. Alij hoc litteris tradunt, quod veriſimilius credo, ituros ad bellum Romanos, debuiſſe pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudos inter ſe * cohortes,* (emendandum cenſeo, *nudos inter ſe certos,*) *ne dimicantes in bello armatos hoſtes timerent, aut ſanguinem perhorreſcerent.* Atque hæc ſatis, vt opinor, ad excuſandum publicum morem, quem tamen ipſum priuatum ſi ſpectas, quid: non tu, Lipſi, momentum aliquod habuiſſe cenſes ad virtutem? Magnum. Tempora noſtra, noſque ipſos videamus. Oppidum ecce vnum alterúmve captum, direptum eſt? tumultus circa nos, non in nobis: & tamen concidimus, ac turbamur. Vbi robur? vbi tot per annos meditata ſapientiæ ſtudia? vbi ille animus qui poſſit dicere, *Si fractus illabatur orbis?* Ignaue miles, ſequere me non in philoſophicum, ſed in hunc pugnatorum ludum. Vides tu illum gladiatorem? illum barbarum? illum perditum? fortiter ecce occumbit: iugulum præbet: ferrum attemperat ſibi ipſi. Tu degener, rem non trahis in exemplum? non tecum ſic loquere? Homullus ille ſine litteris, ſine diſciplinâ, mortem contemnere poteſt, extremum rerum humanarum: exilium ego & mutationem loci formido. Ille ſanguinem amittet: tacere ego ſi ager aut reſculæ meæ mihi eripiantur, plorem. Ceruorum videlicet ſimilis, quibus vt fruſtrà ingentia cornua, cùm deſit animus; ſic mihi hæc litterarum tela neſcio vti. Deſiderat Lernutius. & parabam reſpondere ego: ſed Duza interpellans, Ne nunc reciproca Lipſi, inquit, hanc ſerram. Diei tempus vides? contenebrauit. Certè video, inquam: eamus. Et iam ſurgere nitebamur, ſed capite quaſſante Lernutius Non ita, non ita, inquit. non dimitto. Quid? inquam, etiam Caligulam imitabere, & incluſos necabis in hoc Circo? Prorſus, inquit. aut vos bellaria hæc tangite, ne adpoſita fruſtrà. Vin' tu, Lipſi, de hoc cannarum melle? Sacchar appellarunt Arabes. Certè conuenit tibi homini tam miti & tam molli. Ego renui: &, non capio, inquam, ab hoc Falaride. Apud Anthropophagos nasci debuiſti tu. non ſpectaſſes ſolùm, credo, ſanguinem, ſed guſtaſſes. Pax! bona verba, ait Lernutius. & in fermento es? exturbabo potiùs; me priora illa dixiſſe per iocum. Vinum hoc à me cape. Cyathúmque porrexit; quem ego vix ſummo ore delibans puero tradidi, & bibere iuſſi. Non tulit Lernutius: & quæ hæc res? inquit. Proba & antiqua, inquam. Ita receptum, vt in fine menſæ, puero qui à poculis, reliquias darent vini. Imò religio quædam in illo. Athenæus libro extremo: Ἔθος δὲ ἦν ἀναστάντων ἐκ τοῦ δείπνου ... τοῦ διακόνου ... ἐκ ποτοῦ δοῦναι, Id eſt: *Mos erat vt cùm ſurgerent à menſâ, cùmque libaſſent, vini reliquum puero illi darent qui bibere miniſtraſſet.* Dixi, & ſurrexi. ſed Victor ad nos, Amici, inquit, cras nempe apud me eritis. Hem! inquit Duza. cras iterum ad conuiuium? Hæc erit profectò, vt Græci dicunt, νησιῶν βίος. Tamen, ſi Pighius hic vult; me Victor, vincе. Sint ſanè hæc tertia legitima Saturnalia, inquit Pighius. Veniemus. Dictum ſimul, abiúmque.

Pro gladiatoribus aliquid.

Bellicum eſſe ſpectaculum.

Meditationem fortitudinis.

Voluptatem ſpectandi ... eſſe non ſine ...

Cupiditas humana videndi ſanguinis.

Ad mortis contemptum facere.

Hi dant ... gladiatoria.

* Alias ...

Vel quia vini pincerna puero data, vim priſca.

FINIS.

INDEX CAPITVM

QVÆ LIBRO PRIMO.

CAP. I.

OCCASIO & origo horum ſermonum. 691.

CAP. II.

Salinireligio in menſâ. Arnobius explicatus: Liuij lectio vulgata defenſa. Saturnalia, ſeruorum dies. Seneca correctus, explicatúſque. Saturnus Deus. Feſtus & Cicero emendati. Mutatio veſtis. Syntheſis. Plautus explicatus. Petronius & Dio correcti. 692.a

CAP. III.

De Saturnalibus diebus. Opalia. Suidæ lux. Auſonio medicina. Varroni lux & medicina. Aucti Saturnalium dies. 694.a

CAP. IIII.

Etiam quæſitum de diebus. Obiectiones poſitæ, & in parte remotæ. ibid.c,2

CAP. V.

Saturnalia gladiatoribus ludíſque deſtinata. Ipſi gladiatores Marti, vel potiùs Saturno ſacri. Saturnus inter inferos, maleficus, & cruento ſacro gaudens. Tibullo lux & Tertulliano. Sacerdotes Saturni. 695.b

CAP. VI.

Gladiatores olim in conuiuiis: Campanorum inſtituto. Romani id æmulati. Lampridius contra Turnebum explicatus, in cubiculariis gladiatoribus. Germanorum immanitas. ibid.d,2

CAP. VII.

In genere de ſpectaculis, primò. Tum de celebritate & frequentia gladiatorij ludicri: quámque id gratum. Quo nomine antiquis dictum, Munus, Munerarius, Munerator. Editio: Editor. Tacitus correctus. Gladiatores ſignificatione duplici, pro re próque hominibus. 697.a

CAP. VIII.

Diſpoſitio & ordo futuri ſermonis. Origo ludicri: & cauſſa. Ciceroni lux facta. Primi gladiatores. Auſonio præluximus, eúmque emendauimus. Recenſio veterum munerum, quæ olim comprehenſa Actis, inter res ſerias. In illuſtrium funere gladiatores: mox etiam plebeio, ídque ex teſtamento. poſtremò & feminarum. 698.d

CAP. IX.

Præter funus & religionem, etiam voluptatis cauſſa dati gladiatores. A pleriſque magiſtratibus etiam Sacerdotibus. Arcariis (in quâ voce Lampridius correctus.) Imperatoribus. 700.a

CAP. X.

Nec Romæ ſolùm, ſed in prouinciis: vbi reges dabant, præſidéſque. paulatim in coloniis & municipiis increbuit mos: vbi minores magiſtratus dabant. poſtea promiſcuè priuati, vario prætextu. Dies etiam, quibus ex more dabant. ibid.e,2

CAP. XI.

Crebritas munerum, & multitudo pugnantium, ſupra noſtram fidem. Plinius ac Suetonius probabiliter emendati. 702.a

CAP. XII.

Deteſtatio huius verè ſceleris. quæq; leges ab antiquis latæ, ad coercendum effuſam prabitionem. Eæ duorum generum, quæ certos homines ab editione arcerent: quæq; numerum & modum editioni ipſi ponerent. Poſtremò tota res ſublata. Ammianus explicatus, & Prudentius. ibid.e

CAP. XIII.

Additamenti loco ad primam ſermonis partem adiectum, de habitu Edentium: de habitu Spectantium. Suetonius illuſtratus. 703.c,2

CAP. XIV.

Pars ſecunda, De loco, qui cùm duplex, primò de Ludo dictum. Cui res inuentus: quàm multi Romæ: qui præfecti & adminiſtri: De victu & ſaginâ gladiatorum in his ludis, qui fuêre etiam extra Romam. & aliquid de ludorum formâ. 704.a

CAP. XV.

Ludorum præfecti, Laniſtæ: qui familiæ præeſſe dicti, eámque Ducere. Iidem doctores, magiſtri, Commentabantur, Dictata dabant. Tirones apud eos inſtituti: quorum exercitium Batuere rudibus. Rudem videri gladium è ligno. Aliámque laniſtis fuiſſe, ac tironibus. 705.d

CAP. XVI.

Menſæ ſecundæ interruptus paullum ſermo de loco: dictúmque per occaſionem de Saturnalitiis muneribus: item de Apophoretis, quæ duplicia; & in menſis, item in ludis ſpectaculíſque. 206.a,2

CAP. XVII.

Iterum ad gladiatores reditum: déque locis pugnæ dictum. Ea ſunt Rogus, Forum, Amphitheatrum, Septa, Circus, Vici & regiones. 707.c

CAP. XVIII.

De Spoliario, quod item pars ludi. vnde id dictum, & cui rei vſuíque. Obiter etiam de obſcænâ ludi parte. ibid.b,2

CAP. XIX.

Finis conuiuij ſermoniſque. per occaſionem de diludiis. item de ratione inuitandi ad hilaritatem, inuſitatum hodie. Ammianus expletus à coniecturâ. De Mutitatione, Agellius correctus, & Nonius. 608.a

QVÆ LIBRO II.

CAP. I.

QVID ante diei ſecundi conuiuium. cum Victore diſſertatio ſuper Taciti loco de inuentione argenti apud Germanos.crebra manuum lautio antiquis. 710.

CAP. II.

In ipſo conuiuio de Carptorum munere, & vario nomine. Item de ſtructoribus. Tranſlatum cœptus ſermo à Pighio ad Duzam. 711.a

CAP. III.

Propoſitio dicendorum: primóque de conditione gladiatorum. quoſdam ſeruos eſſe, aut quaſi ſeruos: quoſdam initio liberos, imò nobiles. Equites Senatoréſque paſſim arenâ ſe polluiſſe. quod aliis principibus permiſſum, aliis vetitum. ibid.c,2

CAP. IIII.

Feminas imo ipſas deſcendiſſe in hunc ludum: in publico depugnaſſe. Donec id vetitum à Seuero. 712.c,2

CAP. V.

Liberos homines qui in arenam veniebant, propriè Auctoratos dictos. pretium mercéſque eorum, Auctoramentum. Vis & effectus Auctorationis. Item ſolemne gladiatorum iuramentum. 714.a

CAP. VI.

Facta fine dicendi de conditione gladiatorum, interlocutiones aliarum rerum inſerta. De Orientalium parcimoniâ, vel abſtinentiâ potiùs, in potu. De nunciis litteriſque per columbas aut hirundines, etiam in Spectaculis. ibid.b,2

CAP. VII.

Reditio ad gladiatores. De generibus eorum, & diſcrimine. De Secutoribus primò: cauſsâ nominis: ratione pugnandi, & armis. 715.c

CAP. VIII.

De Retiario. vnde petitum id genus. deſcriptio pugnæ, & armorum. & cum quo commiſſus. 716.a

CAP. IX.

De Threce. vnde, & quando orti. de armis eorum, & præſertim accuratè de Sicâ. 717.a

CAP. X.

De Myrmillone. origine nominis vix inuentâ, ipſi è Galliâ petiti. Arma eorum & compoſitio. 718.b

CAP. XI.

De Hoplomacho & Samnite: qui fortaſſis iidem. Samnitum origo, & arma. item de Prouocatoribus. ibid.d

CAP. XII.

De Eſſedariis, déque Andabatis. & de vtriuſque ratione pugnandi. 719.d

CAP. XIII.

Quidam adiecti nondum pernoti. Dimacheri, Laquearij. item oſtenſum confundi interdum dicta nomina à poëtis, ſæpe à litteratoribus ſemidoctis. Artemidori caput deſcriptum ad lucem. 721.b

CAP. XIV.

Pauſa aliqua iterum. interea de Suppoſititiis dictum. déque ſorte. ſtatim in viam reditum, & reliqua genera vel cognomina potiùs gladiatorum adiecta. primò Pegmares. 722.b,2

CAP. XV.

Meridiani, non inter veros legitimóſque gladiatores: ſine armis, ſiue arte ſeminudi. 723.c

CAP. XVI.

Plura agnomina vno capite. Fiſcales ſiue Cæſariani. Poſtulatitij. Caternarij. Cõſummati. Ordinarij. Cauſſa omnes nominum explicata. 724.a

CAP. XVII.

Ad terminum de hominibus, veſtis adiecta: Togáne fuerit, an Tunica. item quid ornamenta. 725.a

CAP. XVIII.

Finis Duziaci ſermonis. Orditur Victor, partitúrque. Hoc capite, apparatus & inuitatio, quæ ante diem muneris vſurpata, explicantur. 726.a

CAP. XIX.

Quæ ipſo die facta: & tamen ante pugnam Pompa, traductióque: compoſitiones, & oſtenſio ornamentorum. Prælufio, haſtis, rudibus, armis. Tubæ cantus, & verſa arma. ibid.b,2

CAP. XX.

Pugnæ ipſius deſcriptio. In ſtatu ſtabant. Petebant, repetebant. Exibant, excedebant. Latus tegebant. 728.b

CAP. XXI.

Clamor ad vulnus, Hoc habet. Læſi ſupplicabant, & arma ſubmittebant: populum, editores, orabant. ſi is vellet, mittebantur. Quid miſſio, & pugna ſine miſſione. 730.a

CAP. XXII.

Populus moderator & arbiter horum ludorum. intercedebat. interficiebat motu pollicis. Ferrum recipere iubebantur proſtrati. qui non vno ictu interficiebantur, manum mittebant in vulnus. poſtremò Libitina in Amphitheatris. ibid.

CAP. XXIII.

Præmia victorum, palma & pecunia. item Rudis. diſcrimen inter Rudem & Pilleum. Arma ad Herculis. 731.c,2

CAP. XXIIII.

Studia vulgi in varia genera gladiatorum. Item ſponſiones. Principum ipſorum crudus fauor. 732.b,2

CAP. XXV.

Quid pro Romanis próque his ludis dici poſſit. Solitos dari ſub belli tempus. in fine mos de reliquiis vini. 733.b

INDEX RERVM
ET VERBORVM.

A

ACcubitoria veſtimenta. 693.d,2
Acinacis Perſarum. 717.c,2
ἀκόλυθος. 715.e
Ad cultrum. 712.e
Ad gladium. ibid.d
Aduentitia. 691.d,2
Æneatores, Tobicines. 722.d,2
Agellius correctus. 709.a
Ἀγωνοθέτης. 698.a
Alcedonia. 691.b,2
A lineâ excidere. 699.a
Ammianus illuſtratus. 703.d
Amphitbeatra ludicro & venationi data. 707.a,2
Amphitheatra ſedes cædium ſ. gladiatorum. 701.c
in Amphithearro templum Herculis. 732.a,2
Amplexus, gratulationis ſignum. 691.d
Anaxagoræ locus de patria. ibid.c
Andabatæ, qui? 720.a
clauſis oculis pugnabant. ibid.
Andabatarum ruote pugnare. ibid.b
Andabatis galea ex auro. 721.a
Ἀποδυτήριον. 707.d,2
Apophoreta, quid? 706.d,2
Apophoreta Saturnalibus miſſitata. ibid.c,2
& in ludis. ibid.e,2
Apophorera, lanx. 707.a
Apparatus aulicus. 724.c
Appianus illuſtratus. 699.b
Apuleius illuſtratus, 701.d
& ioterpretatus. 715.a,2
Argenti venæ apud Germanos quando repetiæ. 710.b
Arma, ornamenta dicta. 725.b
Arma luſoria. 727.d
Arma pugnatoria. ibid.a,2
Arma ſubmittere. 730.b
Artemidorus emendatus. 717.d,2
720.a, explicatus, 718.b,2.720.a,a
& interpretatus. 719.b
Aſparagi quàm coquantur, redire citiùs. 692.a
Aterij ſomniom. 716.a,2
Aterius à Retiario occiſus. ibid.b,2
Auctorare. 714.b
Auctorati gladiatores. ibid.a
Auctoramentum. ibid.b
Auguſtus primus ſpectaculorum Editorem, Munerariuru dixit. 698.a
Aur. Victor explicatus & emendatus. 727.a,2
Auſonius correctus, 694.d
& explicatus. 698.c,2

B

BAttalia gladiatorum exercitariooes. 706.a
Battualia, gymnaſium gladiatorum. ibid.
Batuere quid? ibid.717.c,2
Belli tempore dati gladiatores. 733.a,2
Betizare. 710.a
Birere. 709.a
Bona Saturnalia clamari ſolitum. 693.a
Buſtuarij gladiatores. 698.a,2

C

CÆnatoria veſtis, domeſtica tantùm. 693.a,2
Cæſariani gladiatores. 724.b
Calamitas orbi iouecta per ludos gladiatorios. 702.a,2
Campani conuiuiis gladiatorum ſpectacula exhibueruot. 696.d
quos Romaoi imitari ſunt. ibid.
Candidatis gladiatores dare vetitum. 702.b,2
Caninum prandium. 714.c,2
Capitolinus correctos. 733.b,2
Caprioi in exſequiis immolari ſoliti, & ad buſtum. 698.a,2
Carptores, qoi? 711.b
Carpus, quid? ibid.
Cateruarij gladiatores. 724.d
Cellæ meretriciæ. 705.c
Cellæ ſeruiles. ibid.
Cerei io Saturnalibus dati. 707.b
Cheironomoutes. 711.c
Chirurgi etiam medicorum nomine comprehenſi. 704.c
Χιτώνιον ἄνθινον. 694.e,2
Cicero emendatus, 692.d,2.702.c,2
& explicatus. 698.a,2.721.a.726.d
Claudius Prætoria munera tollit. 700.a,2.701.e,2
Clemens Alexandrinus correctus. 717.a,2
Clypeus, enſis, & galea, ſuor arma Secutoris. 715.d,e,2
Coacti gladiatores. 714.a
Collum inuadere. 691.a,2
Columbæ ad ferendas litteras, in Spectaculis. 714.e,2
Colombæ liberatrices. 715.a
Columbæ ſacræ Syris. 714.d,2
Comburere diem. 692.b,2
Commeotator pro Laniſta. 705.a,2
Committere gladiatores. 726.d,2
Comparare gladiatores. ibid.
Compitalia. 694.d,2
Componere & compoſitio. 726.c,2
Coniectura in Cicerone. 728.c,2
Conſtantinus gladiatorum munus ſuſtulit. 703.e
Conſummati gladiatores. 724.c,2
Copis. 717.b,2.
Corollatia. 732.a
Cranium mortui in mēſam inferri ſolitum. 708.b,a
Criticum acumen. 718.b
Crixus Spartaci dux. 199.b
Κρόνιον ἧμμα. 695.b,2
Cruenta Romanorum conuiuia. 696.c,2
Crupellarij Gallis iidem qui Myrmillones. 718.a,2
Cubicularij gladiatores. 696.b,2
Culigna. 602.c
Culter Venatorum. 712.c
Cupiditas humana videndi ſanguinis. 733.d
Curæ, infirmo viandæ. 691.b
Curatores menſæ. 711.d

Deorum

D

DEorum imago olim in menſâ. 692.c
Dictata dare. 705.d,2
Diludia,quid? 708.c
Dimachæri. 721.b
Diribitores. 711.c
Diſcrimen inter Miſſionem & Rudem. 730
Diſcrimen in datâ Rude,pro perſonis. 732.b
Diti ſacri gladiatores. 695.c,2
Doctores,pro Laniſtis. 705.c,2
Domeſtica veſtis. 693.b,2
Domini ludorum. 698.a
Dominia & Dominus quid? 709.a
Domitio. 708.b
Druſiani gladij. 727.a
Ducere claſſem. 705.c,2
Ducere familiam. ibid.b,2
Ducere ordines. ibid.c,2

E

EAnus,Ianus. 692 c,2
Edicere diem. 726.c
Edicta. ibid.
Editiones Spectaculorum. 698.a
Editores ludorum. ibid.
Editorum habitus veſtíſque. 703.c,2
Eludere ſiue deludere. 727.c,2
ἐν χειρὸς νόμῳ. 691.e,2
Enſis, clypeus, & galea, ſunt arma Secutoris. 715.d,e,2
Ἐφεδρ☉. 722.c,2
Epicteti diſſertationes. 693.a
Equites Senatoréſque ad gladium. 712.d
Eſſedarij gladiatores. 719.d
ratio pugnandi eorum. ibid.d,a
Eumenius Rhetor correctus. 727.c
Excedere, exire, ludere, & eludere, vitandi verba. 729.
Exhortatio ad conſtantiam. 733.b,2

F

FAbrum cadere cùm ferias fullonem. 726.b
Familiam ducere. 705.b,2
Familia gladiatorum. ibid.a,a
Famoſi gladiatóres,miſerabiles. 731.e
Fauor interdum cauſſa mortis. 732.d,2
Fax exſtincta & igni admota,vehementiùs accenditur. 691.b,a
Feminæ etiam ad gladium. 712.d,2
in gymnaſiis nudæ. 713.a
Feminarum in funere etiam gladiatores dari.699.b,a
Feminis monomachia interdicta. 713 a
Ferula quid,& vnde dicta. 706.e
Ferulis vapulabant tirones. ibid.d
Fides dea. 700.c
Fiſcales gladiatores. 724.a
Florus illuſtratus. 699.b
Forenſis veſtis. 693.e
Frigus ſtrictum. 691.a,2
Fronto orator Turbonis tribunal adiit in veſte conuiuiali. 693.a,2
Funus cauſa muneris Gladiatorij. 698.e
Funus indictiuum. 699.a

G

GAlea communis pleriſque gladiatoribus. 715.e,2
Galeæ criſtatæ Samnitium. 719.b
Germanorum immanitas. 696.d,2
Gladiator,quis. 698.c
Gladiatores orti ab Etruſcis. ibid.d
Gladiatores primi publici Romæ. ibid.b,2
Gladiatores è quo genere hominum. 711.d,2
Gladiatorum varia genera. ibid.
Gladiatores buſtuarij,698.a,2.Cæſariani, 724.b,cateruarij,724.d,coacti,711.d, 2.714.a, cubicularij, 696.b.2.fiſcales,724.a,obſequentes,ibid.d,2. ordinarij,ibid.c,2.poſtulaticij. ibid.b
Gladiatores conſummati. ibid.c,2
victores. ibid.b,a
Gladiatores dati à pleriſque Magiſtratibus. 700.a, & ſeq.
etiam Sacerdotibus & Principibus. 700.c,d,2
à quo & quando ſublati. 703.b
Gladiatores,Venatio & Circenſes Saturnalibus propriè dabantur. 695.c, olim tantùm in funere. 699.a & ſuper menſam. 696.a
Gladiatores vbi dari. 707.c
etiam in Græciâ,& Iodæâ. 701.a
Gladiatores pro ipſis ludis apud Ciceronem. 698.c
Gladiatores Marti,vel potiùs Saturno ſacri. 695.c
item Diti. ibid c,2
Gladiatoriæ rei intellectæ vtilitas maxima. 696 a
Gladiatorij ludi aliis celebriores. 697.a,2
gratiſſimi plebi. ibid.b,2
Gladiatorij victus ratio. 704.d,2
Gladiatorium quid? 698.c
Gladiatorum crebritas & numerus. 702.a
Gladiatorum editiones in morte priuatorum, ídque ex teſtamento. 699.c, actis publicis perſcriptæ. ibid.a
Gladiatorum interfectorum numerus. 702.a,2
Gladiatorum nomina interdum confuſa. 721.a,2
Gladiatorum pompa, 726.c,2
Gladiatorum tabulæ pictæ. ibid e
Gladiatoriorum munerum ſumptus. 703.a
Gladij Druſiani. 727.a
Glareani error. 731.d,2
Gymnici ludi. 697.a,2

H

HArpe,enſis falcatus. 717.b,2
Hecatomba. 699.d
Hercules athletis gladiatoribúſqoe præſes. 732.a,2
eius templum vulgò in Amphitheatris. ibid.b,2
Hercules,epitrapezius dictus. 692.d
Harma. ibid.d,2
Hirundines victoriæ nunciæ. 715.a
Hiſtriones Principum. 724.b
Hoc habet,in vulnere dici ſolitum. 730.a
etiam,habet,ſimpliciter. ibid.b
Homines ſæpè pro re ponuntur, vt contrà res, pro hominibus. 698.c
Hoplomachos. 718.d
Horatius explicatus,696.a,2.& illuſtratus. 726.a,2
Hordeaceus panis non bonus. 705.a
Hygeia. 691.b

I

IAnthina veſtis. 694.a
Ianus,Eanus. 692.c,2
Indictiuum funus. 699.a
Inualetudo. 691.a,2
Inuitandi mira,ſed priſca ratio. 708.a,2
Iocus apud Senecam explicatus correctúſque. 720.a

Iò Saturnalia, clamari ſolitum. 693.a
Iugulum petere. 691.c,2
Iulius Cæſar munus Gladiatorium in filiæ memoriam pronuntiauit. 699.c,2
Iunius Blæſus Pannoniæ Præfectus. 701.c
Iuramentum in auctoratione. 714.c
Iuuenalis dies dictus, Saturnalium quintus, à Caligulâ additus. 694.a,
Iuuenalis explicatus. 719.a,2

I.

LAcæna ſimplicitas. 713.a
Læna, pro cænatoriis. 693.c,2
Lætitia Saturnalium. 693.b
Lampada dare. 716.a
Lampridius correctus. 700.b,2.706.e,2
Laniſtæ auium. 705.e
Laniſtæ ludorum, gladiatorum præfecti, ibid. d, & pro ipſis gladiatoribus. ibid.a,2
Laniſtæ honeſtiori verbo Doctores dicti, ibid.c, 2. & Magiſtri. ibid.
Lapitharum conuiuia. 696.e,2
Laquearij. 721.a,2
Laſſitudo animorum quæ? 710.a
Latus tegere, in vitando, præcipuum. 729
Lauabant ſæpius in vno conuiuio Romani, 710.b,2 cuiuſmodi ea lotio? ibid.c,2
Lectio nimia infirmo vitanda. 691.a
Leges reprimendis munerum editionibus. 702.b,2
Libelli gladiatorij ante pugnam. 726.b
Libellus munerarius. ibid. d
Libitina in Amphitheatro. 731.b,2
Libitinenſis porta. ibid.c,2
Licentia plebis in flagitandis muneribus. 699.d
Lictores & accenſus Editori. 703.d,2
Limen ipſum attigiſti oſtij. 717.a,2
Lineam aduerſum aliquem poſcere. 698.d
Linguarium dare. 695.e,2
Liuius correctus. 706.b
Locare ſe ad gladium aut cultrum, quid? 712.b
Lorarij. 714.a,2
Lubentia. 691.c,2
Lucanus correctus. 728.b,2
Ludi ad artem gladiatoriam deſtinati. 704.b,705.a
Ludi pœna. 705.d
Ludorum arbiter populus. 731.b
Ludorum catalogus. 704.e
Luſoria tela. 727.d
Luſorium, locus exercendis gladiatoribus, 704.c

M

MἈχειροτόνοι. 698.c
Macrobij centones. 692.d,2
Magiſtri pro laniſtis. 705.c,2
Manes gladiatorum ſanguine placari ſoliti. 695.b,2
Mantinenſes gladiatoriæ pugnæ inuentores. 698.e
Manus aleatoriæ. 729.c
Manus gladiatoriæ, quæ? ibid.a
Mare malorum. 691.b,2
Martialis illuſtratus. 706.
Maſtigophori. 714.a,2.715.b
Mattiacus ſiue Maciacus ager argenti venas habet. 710.b
Matulæ modus eſt. 726.a
Medici ludorum gladiatorum. 704.b,2
Medici etiam pro chirurgis. ibid.c,2
Meridiani, gladiatores. 725.a,2
modus pugnæ inter eos. ibid.b,2
Millenaria nota ſæpe corrupta. 702.d
Miſſio quid propriè? 730.d
inter eam & Rudem diſcrimen. ibid.
ſine Miſſione gladiatores dare. ibid.
Moneta dea. 697.b
de Monomachia ex Artemidoro. 722.a
Moſarma conſecrandi Herculi. 732.a,2
Mucro pugnatorius. 727.a,2
Munerarius. 698.a
Munerator, à Floro dictus eſt munerarius. 698.b, 699.b
Munerum publicorum diligens in Liuio recenſus. 698.d,2
Munus ad rogum. ibid.e,2
Munus oſtendere. 726.b
Munus pronuntiare. ibid.
Muſici agones. 697.a,2
Mutitare, quid? 709.a
Mutitatio priſcorum. ibid.
Myrmillones, Gallis Crupellarij dicti, 718.b.
Eorum pugnandi ratio, ibid.a,2
toti in armis erant. ibid.

N

NAſiterna. 710.b,2
Neptunus. 692.c,2
Neptuni templum in Circo. 732.a,2
Nero Quæſtorum munera tollit. 700.a,2
Nobiles re comesâ, gladiatores facti. 712.b
Nonius emendatus. 719.a
Nouius Attellanarum ſcriptor citatus. 695.a
Nummetia dea. 697.b
Νυμφίος βίος. 733.e,2
Nuptunnus à nuptu dictus. 692.c,2

O

OBſequentes gladiatores. 724.d,2
Ocrea in ſiniſtro crure. 719.a,2
Odryſæ immaniter efferati. 719.b
Opalia in eandem cum Saturnalibus incidebant diem. 694.b
Opera vocata. 691.c,2
Ordinarij gladiatores. 724.c,2
Orientales non bibere ſoliti ad menſam. 714.c,2
Ornamenta, arma dicta. 725.b
Ornamenta Boum. ibid.b,2
Ornamenta gladiatorum ante pugnam inſpici ſolita. 726.e,2.
Oſtendere munus. 726.b

P

PÆdagogorum ſceptrum. 706.d
Pallium Malacum. 693.c,2
Palliolati ægri. 703.d,2
Palma, gladiatorum præmium. 731.e,2
pecunia item. ibid.
Paludamenta Imperatorum coccinea. 695.c,2
Parma Threcibus data. 717.a,2
Parmularij. 732.c,2
Pares inter ſe commiſſi. 726.d,2
Patria noſtra, quæ ſit. 691.b
Pegmates gladiatores vulgo. 723.a
Pegmares ineptè dici. ibid.c
Pegmati. ibid.
Peithous. 692.d
Penulati in munere funebri ſpectati. 703.e,2
Perſius contra vulgum explicatus. 699.d
Petere & Petitiones. 729.a
Petere arenæ verbum. ibid.c

Google

Peti per alterius latus. ibid.
Petronius emendatus, 693.d,2
&c interpretatus. 713.b,2
Phæaces. 698.c,2
Picunnus. 692.c,2
Pilatij. 727.d
Pilunnus. 692.c,2
Pinnæ in galeis. 719.a,2
Pinnirapi. ibid.
Plautus explicatus. 693.c,2 728.a
Plinius emendatus. 702.c,707.d,726.c,2.733,a
explicatus, 731.b,2
illuſtratus. 722.e,2
Pollicem vertere. 730.e,2
Pollices premere. 731.a
Pompa gladiatorum. 726.c,2
Portunnus à portu dictus. 692.e,2
Poſtulati gladiatores ſolent. 724.b
Poſtulaticij gladiatores. ibid.
Præſtinare. 711.a
Præluſionis dies legitimo certamini præmiſſus. 727.b
Præluſiones haſtis fieri ſolebant. ibid.
& rudibus. ibid.c
Prætextati Editores. 703.d,2
Prandium caninum. 714.c,2
Pretio ſe vendunt aliqui in gladiatores. 711.a
Probactores. 719.b,2
Procuratores ludorum ex ciuium primis. 704.e
Profana menſa quæ? 692.b
Prometheus, apud Æſchylum, Saturnum in Tartaro collocat. 695.a,2
Pronuntiare munus. 726.b
Proponere munus. ibid.
Prouocatores ſiue Probactores. 719.b,2
Pugil pro gladiatore. 703.e
Pugnæ gladiatoriæ modus. 728.b
Pugnare verſis armis. ibid.a
Purgamentum calcare. 715.b

Q

Quadrigarius correctus. 728.e
Quinquatribus gladiatores dati. 701.d,2
Quintilianus citatus. 698.c

R

Recipere ferrum. 731.c
Reliquiæ vini pincernæ puero datæ ritu priſco. 733.d,2
Repetere, arenæ verbum. 729.c
Retiarij, qui? 716.a, eorum origo. ibid.b
eorum arma & pugnandi ratio. ibid.d
ſine galeâ pugnabant & clypeo. ibid.
Romanus ſedendo vincit. 691.b,2
Rudis, quid? 706.b
Rudis duplex fuit Tironis & Laniſtæ. ibid.e
Rude donare. 732.a
Rudiarij gladiatores. ibid.d
Rudibus batuere. 706.a

S

Sacerdotes Saturni pallio coccineo velabantur. 695.b,2
Sagina gladiatoria. 704.e,2
Salini religio in menſâ. 692.b
Salinum ſacram menſam facit. ibid.
Samnites. 719.a
eorum origo & arma. ibid.
Sanguinem aliqui victores bibebant. 731.b,2
Saturni etymon Latinum. 792.c,
Saturnus, vnde Pollucis filius dictus? 693.b
Saturnus maleficus. 695.a,2
inter deos inferos habitus. ibid
Saturnalium Sermonum occaſio & origo. 691
Saturnalia, ſeruorum dies. 692.e
Saturnalia quando inſtituta. ibid.d,2
Saturnalia veterum quo die? ibid.d
Saturnalium dies legitimi quinque. 694.d,2
Saturnalibus gladiatores dati. 701.d,2
manè lauabatur, 693.c
munera miſſitata, 706.
veſtis mutari ſolita. 693.e
Saturnalibus togati. ibid.d
Scantinia lex. 711.b
Sciſſores, qui? ibid.c
Scriptores olim ex profeſſo de re ludicrâ ſcripſerunt. 697.b
Scutum argentatum. 719.b
Scythæ in conuiuiis, è cranio mortui potabant. 708.d,2
Secundarij ſuppoſiticij. 722.d,2
Secutor. 715.d
Secutor Cæſaris. ibid.e
Secutor Tribuni. ibid.
Secutor Martis cognomen. ibid.a,2
Secutores, qui? ibid.d, eos cum Myrmillonibus confundit Ciceronis interpres. 716.a
eorum arma. 715.d,2
Secutoriani. 732.c,2
Secutoleia. 715.a,2
Sedendo vincit Romanus. 691.b,2
Seges curarum. ibid.b
Seneca explicatus & correctus. 692.a, 2.699.e,708.a,2.711.d,712.c,727.d,2
Sermonum Saturnalium occaſio & origo. 691
Serram reciprocare. 733.c,2
Serui in exſequiis immolari ſoliti. 698.a,2
Serui cum dominis veſtem commutabant Saturnalibus. 692.e
Seruis Domini miniſtrabant Saturnalibus. ibid.
Sica vnde dicta? 718.a
Sica Romanorum qualis? 717.b,2
Sicarij. ibid.
Sigæum. 726.a
Sigillaria ſequebantur Saturnalia. 694.c,2
Solinus emendatus. 719.a
Spartaci immane factum. 699.a
Spectacula & eorum diuiſio. 697.e
Spectaculum propriè munus appellatur, & quare? ibid.c,2
Spectaculũ bellicum eſt munus gladiatorium. 733.c
ad mortis contemptum facit. ibid.e
Spectatores munerum, in quâ veſte? 703.e,2
Spoliarium, quid? 707.e,2
vnde dictum. ibid.d,2
Spongia ſiue Baltheus, tegmen pectori Retiariis attribuitur. 716.a,2
Sponſiones pro victoria. 732.c,2
Stare in gradu. 728.b,2
Stare in ſtatu. ibid.b
Statius correctus. 723.a
Status. 728.b
ϛολὴ ἀνεπίτης. 693.a,2
Strictum frigus. 691.a,2
Structores. 711.d
Stupor è frigore. 691.a,2
Submittere arma. 730.b
Submittentium arma, mors aut ſalus à populi nutu pendebat. ibid.c, & Editorum. ibid

Suetonius emendatus. 702.d.712.b,2
explicatus. 724.c,722.e,2
& illuſtratus. 703.d,2.729.c,2
Suidas explicatus. 694.c
Sumptus munerum gladiatoriorum. 703.a
Suppoſititij gladiatoribus. 722.e,2
forte dari ſoliti. ibid.b,2
Syntheſinati Saturnalibus honeſtiores ciues. 693.c
& homines lautiores. ibid.b,2
Syris columbæ ſacræ. 714.e,2

T

TAbulæ gladiatorum pictæ. 716.e
Tacitus emendatus. 698.b,710.b
& explicatus. 701.c.702.e,2
Tela luſoria. 727.a,2
Tertiarij ſuppoſititij. 722.d,2
Theologi veteres crebrò inuecti in Spectacula. 697.c
Threces qui, & vnde dicti? 717.a
pro quouis etiam gladiatore. 698.e,2
eorum arma. 717.a,2
Threcem cum Secutore confundit Horatij interpres. ibid.d
Threces cruenti. ibid.b
Threciſcus. ibid.a
Threcidica, arma Thracum. 718.b
Tibullus illuſtratus. 695.a,2
Tirones, nouitij gladiatores. 705.e,2
docti in ludis. ibid. vapulabant ferulis. 706.e
eorum arma grauia. ibid.e
Togati ſpectatores in Voluptario monere. 703.e,2
Togati etiam gladiatores. 725.b
Traiani incredibilis gladiatorum editio. 702.b
Trebellius Pollio emendatus. 726.a,2
Trico oummarius. 691.c,2
Tridens pro gladio Retiarus. 716.e
Trimalcionis conuiuium. 708.c,2
Tuba terminalis. 727.c,2
Tubæ ſigno Indi commiſſi. ibid.
Tunica, veſtis Retiariorum. 723.b
Turnebi originatio ridicula ſuper Myrmillone. 718.b

V

VAletudo venæ tactu indagatur. 691.a
Vara vibiam ſequitur. 716.b,2
Varro emendatus. 720.b
& illuſtratus. 694.d.706.d,715.a
Vaſum ſecundâ declinat. 692.a
Venæ tactu, valetudo inquiritur. 691.a
Veneris templum in theatro. 732.a,2
Ventilare. 727.b,2
Verſis armis pugnare. 728.a
Vertumnus. 692.c,2
Veſtales caſu obuiæ, noxiorum pœnam protollebant. 730.d
Veſtes gladiatorum in genere. 725.a
Veſtimenta accubitoria. 693.d,2
Veſtis conuiuialis. ibid.b,2
Veterani gladiatores. 705.e,2
Victores gladiatores. 724.b,2
Victores manum in vulnos mittebant. 731.a,2
Vini reliquiæ pincernæ puero datæ ritu priſco. 733.d,2
Vitæ vana ſpes. 708.d,2
Vitalis fons curarum igne interficitur. 691.b
Vmbo pelliceus. 721.a,2
Vocata opera. 691.c,2
Volones. 724.c,2
Voluntarij gladiatores. 712.a,714.2
Viſtaria ſeruorum libertas. 692.e

F I N I S.

APPROBATIO.

Hi I. Lipſij Saturnalium Sermonum de Gladiatoribus libri vtiliter recudentur, quòd priſcorum auctorum ſcriptis lucem & medicinam adferant. 3. Calend. Iul. 1598.

Guiliel. Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus ac Regius librorum Cenſor.

IVSTI LIPSI

DE VESTA

ET

VESTALIBVS

SYNTAGMA.

Altera editio, atque ab vltimâ Auctoris manu, Notis auctior, & Figuris illuſtrior.

ILL^MO ET REV^MO
MATTHIÆ HOVIO ARCHIEPISCOPO
MECHLINIENSI.

EXIGVVM aliquid,& pænè verens, aut certè verecundans, ad te adfero ILLVSTRISSIME PRÆSVL, iſtud DE VESTA ET VESTALIBVS:quod tamen ſolus titulus excuſet, non enim dicam commendet. Res ſacrorum eſt: vanorum & veterum, fateor: ſed ſacrorum, & quæ noſtris etiam piis veríſque ſacris faciant illuſtrandis, aut approbandis. Illuſtrandis,quia multa ſuper eâ re in ſcriptis olim Doctorum noſtrorum:approbandis, quia cùm illi tantum honorem paucis iſtis coactíſque à pueritiâ virgunculis detulerint; quid nos æquum verúmque eſt facere,in deuotis Deo puellis,ætate adultâ, voluntate præuiâ,quæ diuino cultui corpus atque animum manciparunt? Beata virginitas,quæ cum Angelis de gloriâ certat:certat? imò ſuperat, virtute, non felicitate.quia illorum tota à Dei munere eſt, iſtarum ab electione: ſine pugnâ aut labore,illa;iſta, à certamine parata; & quæ laudem habere,illa admirationem tantùm poteſt. Iam in veteri Româ, ſex aut ſeptem Veſtales,tot præmiis aut præconiis inſignes:iſtæ quid? auſim aſſerere, in ſolâ Belgicâ ſupra ſex aut ſeptem millia eſſe, nec ſatis etiam dixi. *O illuſtris portio* (Cypriani verba agnoſce) *gregis Chriſti*! ô flos nunc in terrâ religionis, lucida ſidera olim in cælo! quàm vndique vana & profana illa ſuperamus,veritate,aut frequentiâ? Accipe igitur VESTALES veteres,ſed in illis noſtras feliciores cogita;accipe tu PONTIFEX meritò,quod Pontificiæ olim & nunc curæ commiſſum.Certè tu non ſolùm ſacris noſtris in Belgicâ rector & director præſides; ſed huius virginei cœtus tua inſpectio & arbitratio eſt.tu ducere,formare,coërcere pontificium habes; & tot millia, quarum precibus ſalus publica nititur,tuâ auctoritate & tutelâ nituntur.Non te mouebit,quòd multa,imò pleraque iſta ,priſcæ litteraturæ ſint:ne cenſe,optime Antiſtes, alienam à Chriſtianis vſibus:imò ornamentum, imò adiumentum

hæc

hæc talia, germanæ Pietatis. Vides Græcos Latinóſque illos religionis noſtræ Duces aut ſigniferos? plerique omnes hac doctrinâ non inſigniti tantùm, ſed inſignes fuêre: Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus: & è Græcis, Clemens, Iuſtinus, Baſilius, Gregorij, & quotquot ex illo aureo æuo eſt nominare. Cur diffugimus hodie aut damnamus? Neque enim ſolùm voluptatem ex iſtis aut ſcientiam probi prudentéſque, ſed vſum quærunt. & vt floribus alij ad odorem aut adſpectum tantùm, apes ad mellificium, medici etiam ad ſalutem vtuntur: ſic illi amœniora hæc ſtudia traducunt & aptant ad ſerium animorum fructum. Quæ iacent valdè, vt pleraque honeſta, in publicâ hac tempeſtate & bellorum nimbis: ſed tu ac tales (nam & hæc tua cura eſt) tuemini atque erigite, & Eccleſiæ dignitatem ſi ſaluam vultis, etiam illa. Neque ſemper profectò hæ procellæ. & erit tempus, quo

——redeat Concordia, Virtus,
Cúmque Fide Pietas altâ ceruice vagetur.

Deus citò donet: te autem ILLVSTRISSIME ET REVERENDISSIME PRÆSVL, decus & columnam huic ſtatui ſeruet, Louanij, Idibus Iuniis, ∞.IↃCIII.

I. LIPSIVS PP. cliens.

AD LECTOREM.

CAPE *breue hoc* Syntagmation,*quod eſt de vetuſtiſsimis & celeberrimis item ſacris. Quædam alij ſparſim ſuper iis libarunt : ſed libarunt : nos ordine & methodo rem aperuimus,atque adeò plenè dedimus , vt licuit obliuia iſta & fugitiua. Siquid me quoque feſellit ,aut fugit ; ſit venia. nemo ita induſtriâ aut ingenio poteſt , vt omnia colligat: intelligat : nec veto, imò poſco , vt manum alius addat. Benignè in me conſulet,ſiquis monebit aut ſuggeret.à te peto tantùm,*

Ne mea dona tibi ſtudio diſpoſta fideli,
Intellecta priùs quàm ſint,contempta relinquas.

Nam multi iudicant , priuſquam legerint : quid? etiam priuſquam inſpexerint quidam. contemptores ſcilicet honeſtarum artium,& quorum voto iamdiu Doctrina omnis ſit funus. Non audi ô Deus,neque ſolem hunc è mundo tolle.

INDEX CAPITVM.

CAPVT I.

QVid Veſtæ aliis Ignem, aliis Terram eſſe. déque eâ priſca fabula. pag. 747.a

CAPVT II.

Quibuſdam & Venerem dici. Sed Veſtam, pro Igne ſiue face, antiquitus & paſſim cultam: & à quo exemplo Roma. 748.e

CAPVT III.

Numam templum ſacraſſe, atque id rotundum: viris noctu interdictum. Nulla ibi ſtatua: & tamen vulgò eius imago. 749.b

CAP. IV.

Aliud ab Auguſto Veſtæ templum. item de Regiâ, & Atrio Veſtæ. 650.a

CAPVT V.

Veſtales ſacerdotes, Virgines captas. quo æuo? quo numero? 751.d

CAPVT VI.

Alia in capiendo ſpectata, ſeruatáque. Sortem, aut Oblationem interueniſſe. 752.b

CAPVT VII.

Diſciplina captarum: gradatio & aſcenſus: tempora miniſterij: & Virgo Maxima. ibid. c, 2

CAPVT VIII.

Munera earum, primúmque tutela Ignis. Perpetuum hunc fuiſſe: ſi deſiiſſet, pœna Virginum & flagra: iterúmque inſtauratio. 753.c

CAPVT IX.

Seruabant & imperij pignus, variâ interpretatione: etſi plerique ad Palladium trahant. Quid illud, vnde, vbi? 754.a

CAPVT X.

Sacra etiam aſſidua faciebant. an & Aquæ curabant? an Draconi? hæc inquiſita: & aliquid de Deo Fonte. 756.a

CAP. XI.

Præmia & priuilegia earum. Ius teſtandi, Lictor, Carpentum, aliáque data. ibid. d, 2

CAPVT XII.

Item ornamenta aut inſignia: vt Vittæ, Purpura in veſte, Stipendia & Agri, Auctoritas in deprecando. 757.a, 2

CAP. XIII.

Contrà, Pœnæ cùm peccaſſent, cum æuo variæ: ſed ſollennis & nobilis à Tarquinio Priſco. Pontifices arbitros fuiſſe: conuictam, defoſſam: & quæ huic rei. 758 e

CAP. XIV.

Quando Veſtales deſierint? in Arnobio nodus, nec ſolutus. 759.d, 2

CAP. XV.

Alibi Ignis cultura, & ſimulacrum Veſtalium. 760.a

IVSTI LIPSI DE VESTA ET VESTALIBVS SYNTAGMA.

CAPVT I.

Quid Veſta? aliis Ignem, aliis Terram eſſe. déque eâ priſca fabula.

INTER antiquas religiones, eam quæ *Veſtam* ſpectat, comperior vel præcipuam fuiſſe: Romanis quidem: & ergo ad priſci æui ſcriptorúmque lucem facere, ſiquis illuſtrat. Suſcepi hoc fine: pergite manus & calame hanc quoque operam nauare iis, quos vetus & melior illa doctrina capit; & ſimul Sacris quoque noſtris auctoribus, qui hæc tangunt in occaſione, facem aliquam præferre. VESTA igitur, plurium ſenſu, Saturni ac Rheæ filia, ſorores habuit Cererem & Iunonem, ipſa natu prima fratres, Plutonem, Neptunum, Iouem. Ita Apollodorus[1]: itémque Auſonius;

1. Bibliothec.

B

Veſta, Ceres, & Iuno, ſecus muliebre, ſorores.

Vides primam locari. at Ouidius in ordine aliquid mutat;

Ex Ope Iunonem memorant Cereremq; creatam
Semine Saturni, tertia Veſta fuit.

Nam Ops eadem, quæ Rhea. Alij tamen diſſident, & Vrani ſiue Cœli vxorem Veſtam faciunt: myſtica hæc ſunt, vt verbo abſoluam, variè tradita, ſed in re & interpretatione concordant. Nam Cæli vxor Terra fuit: ex iis omnia nata: & [2], Veſtam ipſam paſſim Terram interpretantur. Itaque & cum Cerere quidam confundunt, quæ ipſa eſt Terra: ſed diſtinguenda, quòd hæc terra dumtaxat fertilis & frugifera; illa (Veſtam dico) ea vniuerſa. Inde & nomen petunt, vt Ouidius:

2.

C

Stat vi Terra ſuâ, vi ſtando Veſta vocatur:

quaſi, quòd vi ſuâ ſtet & immota libretur. Alij (vt Seruius[In I. Aen.]) *quòd variis veſtita ſit rebus. Ipſa enim* (inquit) *dicitur eſſe Terra.* Plato huc facit: qui *vndecim Deos, chorago & præſultore Ioue, incedere* facit, *eiúſque currum ſequi*, ait, inquit, μένει γὰρ Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη: *manet & ſiſtit Veſta in Deorum domo ſola.* Quâ domo? hoc mundo. quod Arnobius explicet: *Terram nonnulli Veſtam pronunciant, quod in mundo ſtet ſola, ceteris eius partibus in mobilitate perpetuâ conſtitutis.* Vbi & ipſa Platonis verba expreſſa. Qui Plato, neſcio an hac mente iterum: Γῆ μὲν οὖν Ἑστία τε, οἰκήσεως ἱερὰ πᾶσι πάντων θεῶν, μηδεὶς οὖν δεύτερος ἱερὰ καθιερούτω τοῖς θεοῖς. *Terra & Veſta omnibus diis habitaculum ſacrum eſt.*

In Phædo.

Lib. III.

In. De Leg.

A

nemo igitur ſecundaria quædam templa iis inſtituat. Et videatur hîc diſtinguere à Terrâ, & Ignem facere, vt mox è Plutarchi verbis diſcas. Nam hæc quoque crebra imò paſſiua opinio, Veſtam Ignem eſſe. Ouidius:

Nec tu aliud Veſtam, quàm viuā intellige flammam.

Vox Græca adſonat, qui ἑστίαν *Focum*, ſiue ἐσχάραν appellant. Cicero: *Cúmque Veſta quaſi focum vrbis, vt Græco nomine eſt appellata, complexa ſit.* Iterúmque alibi: *Veſtæ nomen ſumptum eſt a Græcis. ea enim eſt, quæ illis Ἑστία dicitur. viſque eius ad aras & focos pertinet.* Seruius pariter, ad illa Virgilij: *Cana Fides, & Veſta*: *Veſtam*, inquit, *Religionem dicit. quia nullum ſacrificium ſine igne eſt, ipſáque in omnibus inuocatur. Veſta autem dicta ἀπὸ τῆς ἑστίας, vt digammos ſit adiecta: ſicut Er, Ver, Eneus, Venetus.* Eſt igitur iſta quaſi *Publicus focus*, ſicut priuatim in ædibus alij conſecrantur: eóque haud abſurdè Macrobius, *Veſtam inter Deos Penates, aut certe comitem eorum*, recenſet. Sed quomodo Veſta, Ignis? duplex opinio. Prior ad ipſam Terram reſtringit & refert: in quâ Phurnutus. *quòd vis ignea*, inquit, *quæ in mundo eſt, hinc nutriatur, ac per hanc ſubſiſtat: aut. quòd fecunda Terra etiam animalium ſit mater, quibus vis ignea vitæ eſt cauſſa.* A priore illâ cauſsâ Dionyſius eſt. qui *Veſtæ ideo ſacrari Ignem* tradit ὅτι γῆ τε οὖσα ἡ θεὸς, καὶ τὸν μέσον κατέχουσα τοῦ κόσμου τόπον, τὰς ἀνάψεις τοῦ μετεώρου πυρὸς ἀφ' ἑαυτῆς: *quòd cùm Veſta ſit Terra, atque ea medium mundi locum ſortita, accendat è ſeſe ſuperiores illos ignes.* Nota ſententia plurium veterum, è Terræ vaporibus aurìſque ſidera nutriri & exardere. Hac ipſa mente fabula, *Veſtam nutricem Iouis* eſſe; Marciano Capellæ ſcriptum. Aliter paullò Pythagoræi, qui Ignem medium, non Terram faciebant (nobiliſſimum quippe elementum in loco tali eſſe debere) atque ipſum Veſtam dici, & *cuſtodiam Iouis* appellari. Ariſtoteles hæc tangit: & pleniſſimè exſequitur Plutarchus, qui lucem ei donet. *Dicitur*, inquit, *Numa Veſtæ ædem orbiculari forma igni perpetuo cuſtodiam circumieciſſe, non vt adſimilaret Terræ figuram, tăquam ea Veſta eſſet, ſed vniuerſi huius Mundi, cuius* [2] *medium Pythagorici Ignem eſſe arbitrantur: atque id Veſtam appellant, & vnitatem. Terram autem neque immobilem eſſe, neque in medio circumlationis ſitam; ſed in orbe cir-*

cum ignem ſuſpenſam, neque inter eximias aut primas mundi partes cenſendam. Eadem Platonem volunt iam ſenem ſenſiſſe de Terrâ, tamquam in alio loco ſitâ; mediam autem digniſſimámque regionem alteri alicui præſtantiori conuenire. Summa horum, Terram mediam non eſſe, Ignem eſſe: atque hunc Veſtam dici. Sed altera Phurnuti opinatio, in Terrâ ipsâ mixtum eſſe Ignem. pro quâ & Seruius: *Veſta enim dicitur eſſe Terra, quam Ignem habere non dubium eſt, vt ex Ætnâ Vulcanóque datur intellegi.* Atque hoc quidem ſatis * παχυλῶς: cùm & aliter conſtet, Terræ paſſim mixtos genitabiles quoſdam & vitales ignes. Vides opiniones duas. ſiue Ignem eſſe hanc Deam, ſed ſenſu vario; ſiue Terram ipſam. & pro hac etiam Euripides:

Καὶ Γαῖα μῆτερ, Ἑστίαν δ' σ' οἱ σοφοὶ
Βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι:
Et Terra mater, Veſta quæ ſapientibus
Agnominaris, ipſo in aere & ſedes.

Itaque magiſtri Græci deriuant Ἑστίαν παρὰ τὸ ἑστάναι, ὅ ἐστιν ἱδρῦσθαι· ἢ παρὰ τὸ ἑστάναι, ὅ ἐστιν ἐν ἑαυτῷ ἱδρῦσθαι. Sunt qui *Statam matrem* (in Feſto) hanc eamdem opinentur: ſed opinentur.

* craſſè.

NOTÆ.

1. Veſtam ipſam paſſim Terram.] *Et à ſimilitudine, quia Menſa nos alit, itémque rotunda eſt, ſicut Terra, notat Plutarchus* Menſam *ipſam quibuſdam* Veſtæ *nomine dictam. In Sympoſiac.* VII. *cap.* IV. Ἐμοὶ δέ, ἔφη, ἰδέαν καὶ μίμημα τῆς γῆς ἡ τράπεζα εἶναι. πρὸς γὰρ τὸ τρέφειν ἡμᾶς καὶ μόνιμός ἐστι, καὶ καλῶς ὑπ' ἐνίων Ἑστία καλεῖται. Mihi videtur & Terræ ſimulacrum Veſta eſſe. Nam & alit nos, & ſtabilis præterea manet: eóque à quibuſdam benè Veſta appellatur. *Cauſſam deinde & hanc dat priſci moris ſiue religionis, ne Menſa vacua relinquatur: nam nec Terram ſic eſſe volumus aut optamus.*

2. Medium Pythagorici eſſe Ignem arbitrantur.] *Addendus Ariſtoteles* II. *De Cælo, cap.* XIII. *qui eadem diffusè: & vtrique illuſtrando Philolai Pythagorici ipſa verba, in Stobæi Phyſicis Eclogis. Eorum ſumma:* Duplicem Ignem eſſe: Supremum illum, qui circumplectitur; Medium, qui naturâ antiquior eſt, & centri locum tenet. quem vocari dicit τοῦ παντὸς Ἑστίαν, Veſtam ſiue Larem & focum Vniuerſi; itémque Διὸς οἶκον, μητέρα θεῶν, βωμὸν καὶ συνοχὴν φύσεως, Iouis domum, Deorum matrem, Baſim & ſuſtentaculum Naturæ. Circa hunc decem corpora ferri & volui, Cælum, Planetas, Solem, Lunam, Terram, iterúmque Terram oppoſitam, & deinde hunc Ignem Ἑστίας τάξιν ἔχοντα, Veſtæ aut Foci locum tenentem. *Mira ſententia, & parum adhuc nobilis. At de Igne Veſtæ, etiam Numi. vt iſte.*

Fauſtina Pij Æ.



CAPVT II.

Quibuſdam & Venerem dici. Sed Veſtam, pro Igne ſiue Foco, antiquitus & paſſim cultam: & à quo exemplo Romæ.

ISTA igitur Veſta eſt. nam Auguſtini traditio, vt fidem habeat, vix exempla, *Veſtam etiam Venerem dici.* Ita enim ille: *Quis ferat, quòd cùm tantum honoris & quaſi caſtitatis Igni tribuerint, aliquando Veſtam non erubeſcunt etiam Venerem dicere?* An quia Ignis eſt, & tale Venus? an quia (vt Macrobius ſcripſit) *Phyſici terræ ſuperius hemiſphærium, cuius partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt: inferius verò Proſerpinæ?* Sed hæc longinqua, aut aliena: magis illud Apollodori, *vnam e quattuor Heſperidibus Veſtam eſſe.* Nihil ad noſtram quæ Græcis Latiniſque culta, inter præcipua numina, fuit: atque adeò, inter duodecim illa prima. Pauſanias, de ſacrificiis quæ ſollenniter in Olympiâ fiunt: θύουσι δὲ Ἑστίᾳ μὲν πρώτῃ, δευτέρῳ δὲ τῷ Ὀλυμπίῳ Διΐ: *Sacrificant Veſtæ primùm, tum ſecundo loco Ioui Olympio.* Phurnuti nota huc facit: *Veſta*, inquit, *prima & poſtrema nata perhibetur, quòd in hanc* (id eſt Terram) *reſoluantur quæ ab eâ producuntur, & ab eâdem conſtituuntur. Quare & Græci ab illa ſacrificiorum principium ſumpſerunt, & in illam poſtremò deſinebant.* Tradit & Seruius, *Nullum ſacrificium ſine Igne eſſe, Veſtámque in omnibus inuocari.* Ad principium, alludere aliquid Ouidij illud videatur:

— *inde precando*
Dicimus, ô Veſta quæ loca prima tenes.

Etſi ipſe ad veſtibulum, vbi olim Focus, refert. De poſtremo autem loco, ſic & Cicero: *Vis autem Veſtæ ad aras & focos pertinet. itaque in eâ Deâ, quæ eſt cuſtos rerum intimarum, omnis & precatio & ſacrificatio extrema eſt.* Virgilius ſeruauit:

Dij patrij indigetes, & Romule, Veſtáque mater.

Velleius: *Iupiter Capitoline, Gradiue Mars, perpetuorúmque cuſtos Veſta ignium, vos publicâ voce obteſtor.* Et alius alia exempla obſeruet. Sed ad Romanam propriè Veſtam vt veniamus (id inſtituti:) vnde ei exemplum, & quando origo? Exemplum à Troianis, atque vnà cum Æneâ in Italiam venit. Nam primitus culta in Ilio, extulitque Æneas. Virgilius:

Sic ait, & manibus vittas Veſtámque potentem,
Æternúmque adytis effert penetralibus Ignem.

Elatam Lauinij conſtituit, conditâ à ſe vrbe, & ſede regni. Inde in Albam Longam tranſtulit Aſcanius: & denique ab vrbe eâ matrice coloni Romam. Hoc eſt, quod Auguſtinus tetigit: *Sacra illa fatalia* (Veſtæ) *quæ iam tres, in quibus fuerant, preſſerunt ciuitates.* Tres iam dictas, mali nempe fati, nec diuturnas. Prudentius ambiguè, vel ad *Troiam*, vel *Athenas*, refert:

—*in his quoniam Veſtalis origo fauilla*
Vrbibus, vt memorant, primo de fomite ſumpta eſt:
Sacrauitque focos aut Phryx, aut Græius alumnos.

Et Athenis quidem Ignem cultum, mox dicam: ſed propior tamen certiórque origo à Troianis, & Albâ: immò manſit ſacrum Albæ, etiamſi Roma iam accepiſſet. Notandum eſt. & Iuuenalis ita intellegendus:

Ignem Troianum, & Veſtam colit Alba minorem.

Scholiaſtes ibi vetus: *Romanos Tullo rege mouere ea ſacra, & transferre voluiſſe: ſed magnam lapidationem de cælo factam. Et iuſſi*, inquit, *ex libris Sibyllinis Pontifices ex Sc. ſacra Alba renouare inde ibi perſeuerant deo. & Veſtam minorem dixit, ad compoſitionem.* Ecce, Tullo rege, notum Albam dirutam, & ciues Romam traductos: tamen ſacra illa Veſtæ ait Scholiaſtes manſiſſe, monitu diuino, & lapidatione territos amouere. Addit & de *libris Sibyllinis*. quos refert ſcilicet ad Tulli æuum, non Tarquinij Superbi, vt plures. Sed cum Scholiaſte etiam Varro facit. Additque, *perſeueraſſe*. quod clarius in eo meliúſque ſcribas: *renouare. Inde ibi perſeuerant*

De Ciuit. lib IV. cap 2.
I. Saturn cap XII.
II. Bibl.
I.
Lib V.
II. De Nat deor.
I. Geor.
III. De Ciuit. cap. XVIII.
II adner Symmac.

ſeuerant adeo & Veſtam. Sanè perſeuerarunt, etiam Symmachi æuu. atque ille in epiſtolâ quadam: *Inceſtum Primogeniæ, apud Albam Veſtalis antiſtitis.* iterúmque in epiſtolâ ſequenti. Igitur etſi Romam inde traducta, non tamen Albæ ſacra eſſe deſierunt. Sed quando traducta? Plutarchus ambigit: & *Fama eſt*, inquit, *Romulum etiam Ignem ſacrum inſtituiſſe, & Virgines legiſſe, quas Veſtales vocant: ſed alij tribuunt hoc Numæ.* Propertius quidem palàm Romulo, de Tarpeiâ, quam facit ſacerdotem Veſtæ:

Lib. ix. epiſt. cxx. — In Romulo. — Lib. iv. Eleg. iv.

Et ſatis vna malè potuit mors eſſe puellæ,
Quæ voluit flammas fallere Veſta tuas?

& paſſim totâ Elegiâ. Sed Dionyſius abit, atque adeò refellit, aitque: *Romulum dumtaxat focos ſingulis curiis conſtituiſſe, nullum Veſtæ publicum; memorem dedecoris, quod mater in Deæ eius ſacerdotio ſubiſſet. Argumentum huic rei certum, quòd Veſtæ ædes ſita ſit extra Romam quadratam, quam Romulus condidit: non futurum, ſi ille auctor. Nam publicum*, inquit, *focum ſolent omnes in præcipua vrbis parte collocare.* Tamen & Cicero in priorem ire videatur: *Quod ſacrificium tam vetus eſt, quàm hoc* (Veſtalium) *quod à regibus æquale huic vrbi accepimus.* Si æquale, ergo à Romulo. Sed tamen communior fama ad Numam refert. de quo Liuius: *Virgines Veſtæ legit, Albâ oriundum ſacerdotium, & genti conditoris* (ob Iliam ſcilicet) *haud alienum.* Idem Dionyſius, Plutarchus, alij.

Lib. ii. — De Haruſp. reſp.

NOTÆ.

1. Inter duodecim illa prima.] *Ennij verſus in Apuleio:* Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

CAPVT III.

Numam templum ſacraſſe, atque id rotundum: viris noctu interdictum. Nulla ibi ſtatua: & tamen vulgò eius imago.

ATQVE adeò Templum Veſtæ inſtituit, & quidquid ad certum & ſollemnem eius cultum. Id fuit ſitum *inter Capitolium & Palatium, medio ferè ſpatio:* disertè Dionyſio ſcriptum, & extra Romuleam vrbem, quæ radicibus Palatij ferè terminabatur. Indicat & Liuius: *In Nouâ viâ. vbi nunc ſacellum eſt, ſupra ædem Veſtæ.* Nam via hæc Noua ex Palatij parte iuncta Romano foro: & in Fori parte ipſa ædes. Condidit Numa anno Vrbis quadrageſimo, id eſt regni ſui ſecundo. quod Ouidius ita notat:

v. Faſtor.

Dena quater memorant habuiſſe Palilia Romam,
Cùm flammæ cuſtos vrbe recepta Dea eſt.
Regis opus placidi, quo non metuentius vllum
Numinis ingenium terra Sabina tulit.

Oſtendit deinde olim vile, nunc ære & marmore nituiſſe. Ære, in tecto: ſed, vt opinor, aurato.

Quæ nunc ære vides, ſtipula tum tecta videbant,
Et paries lento vimine textus erat.

Addit, [1] rotundam olim & nunc fuiſſe:

Forma tamen templi, quæ nunc manet, antè fuiſſe
Dicitur: & formæ cauſſa probanda ſubeſt.

Cauſſam addit pluſculis verſibus, quia Veſta Terram notat, Terra autem rotunda. Quod ipſum in Feſto. *Rotundam ædem Veſtæ Numa rex conſecraſſe videtur, quòd eamdem eſſe terram, quâ vita hominum ſuſtineretur, crediderit, eámque in pilæ formam eſſe, vt ſimili templo Dea coleretur.* Seruius amplius, neſcio an verè, ſuggerit, *Ædem hanc potiùs quàm Templum fuiſſe, neque inauguratum à Numâ, ne Senatus ibi haberi poſſet.* Etſi tamen nefas non fuit viros intrare, ſed penetrare. Dionyſius indicat: qui ſcribit, *de die patuiſſe* OMNIBVS, *at* PERNOCTARE *fas fuiſſe nemini maſculo.* Docet & Neronis factum (in Tacito) qui *ſuper profectione ſuâ veneraturus deos, adiit Capitolium, & Veſtæ quoque templum inijt.* Sed & Piſo (apud eumdem) *peruaſit in ædem Veſtæ.* Viri igitur intrabant, ſed non pernoctabant, neque ad intima, vt dixi, penetrabant. Ideò Metellus Pontifex, ſacra ab igne erepturus, apud Ouidium profatur:

xv. Annal.

Sacra vir intrabo, non adeunda viro.

nempe illa penetralia, & quò ſolæ Virgines ibant. In hac autem æde negant ſimulacrum vllum fuiſſe. Ouidius:

Eſſe diu ſtultus Veſtæ ſimulacra putaui,
Mox didici curuo nulla ſubeſſe tholo.

Simile in Græciâ. Pauſanias: Παρελθοῦσι δὲ ἐς τὸ τῆς Ἑστίας, ἄγαλμα μὲν ἔστιν οὐδέν, βωμὸς δέ, καὶ ἐπ' αὐτοῦ θύουσι: *Progredientibus in Veſtæ, ſimulacrum nullum occurrit, Ara tantùm, & in eâ Veſtæ ſacrificant.* Cauſſam Faſtorum ille conditor reddit:

In Corint.

Ignis inextinctus templo celatur in illo,
Effigiem nullam Veſta nec Ignis habent.

Quæ vt ita ſint, tamen Veſtæ imago paſſim in Nummis aut Statuis expreſſa, hodiéque exſtat. Plinius [2] ſedentem effingi ſolitam oſtendit, à ſtabilitate: ſed Nummi hoc ampliùs, & ſedentem exprimunt, & alterâ manu facem, alterâ diſcum ſiue pateram libatoriam præferentem: cum inſcriptione, VESTA. P. R. QVIRITIVM. De Face, ad ignem pertinet: de Diſco, ad ſacrificia ſollenniter & perpetim oblata. Suidas Tympanum ei tribuit: neſcio an in veteribus ſpectionibus obſeruatum. Γῆς ἄγαλμα. ἡ, γυναῖκα πλάττουσι τὴν Ἑστίαν, οἱονεὶ τὴν γῆν τύμπανον βαστάζουσαν, ἐπειδὴ τοὺς ἀνέμους ἡ γῆ ὑφ' ἑαυτὴν συγκλείει: *Terræ effigies. mulierem formant Veſtam, tamquam Terram, Tympanum præferentem: quoniam ventos terra intra ſe concludit.*

NOTÆ

1. Rotundam olim & nūc fuiſſe.] *Docent Nummi vt iſti, atque alij plures.*

Æ — *Argent.*



2. Sedentem effingi ſolitam.] *Crebro. ſed etiam ſtantem: & figuras aliquot è Nummis vide.*

Caij Cal. Æ. — *Num. Argent.* — Æ *Num incertus*



Veſpaſiani Æ. — Æ. *& Argent diuerſorum Conſ.* — *Num. Argent. incertus.*



P. Faber f.

CAPVT IIII.

Aliud ab Auguſto Veſtæ templum. item de Regiâ, & Atrio Veſtæ.

ATQVE hoc Veſtæ igitur templum: éſtne aliud? aliud, Falſum, & Verum. Falſum, quod antiquarij hodie adtribuunt, ad Tiberim, iuxta Forum Piſcarium, ſub Auentino. Ædicula exſtat; formâ rotundâ, & extra murum interiorem columellæ XVIII. velut porticum formant. Quia rotunda, quia extra pomœrium Romuli, faciunt veterem illam Numæ eſſe. Falli arbitror. nec aſſertor huic opinioni, in iſto quidem loco, erit: & quis neſcit aliorum quoque Deorum templa ſæpe eâ formâ fuiſſe? Quòd autem extra Romuli pomœrium: valde quidem. etiam extra Numæ: ſed ante docuimus, hanc veram à nobis deſcriptam, item extra finitionem illam fuiſſe. Ergo hæc valeat: altera eſt vera, & à me eruenda, in Palatio collocanda. Ouidius in extremâ Metamorphoſi palàm de eâ:

Veſtáque Cæſareos inter ſacrata penates,

A *Et cum Cæſareâ tu Phœbe domeſtice Veſtâ.*

Viden' duo numina in Palatio dicata, Veſtam & Apollinem? Quod idem poëta clariùs etiã, in Faſtis: Lib. IV. extremo.

Aufert Veſta diem. cognati Veſta recepta eſt
Limine: ſic iuſti conſtituêre patres.
Phœbus habet partem, Veſtæ pars altera ceſſit:
Quod ſupereſt illis, tertius ipſe tenet.

Diem quartum Kalendarum Maij, inquit, *Veſta aufert.* Quare? ſuntne tunc Veſtalia? non illa priſca quidem, quæ incidunt in quintum Idus Iunij, ipſo Ouidio atteſtante, & marmoreis Faſtis. Nam in his hodie inſculptum eo die legitur, VEST. NF. PR. quod Lib. VI. B ſignificat, VESTALIA. NEFAS PRÆTORI. Prior autem ille dies iiſdem Faſtis in Aprili non ſignatur: quia nouellus, & dedicationis modò index. Nam Auguſtus, cùm omnino in Palatio habitare vellet, & mos tamen ac cerimonia haberet Pontificem Max. in domo publicâ, iuxta Veſtæ, habitare: ipſe Veſtam potiùs ad ſe tranſtulit, & Sc. partem domus ſuæ publicauit, atque alteram illi conſecrauit. Ouidius notat, Patres ita cenſuiſſe: qui ſcilicet proni tunc valde in Principum deſideria ſiue affectus. Et poëta quidem clariſſimè: ſed & in aliis

ſcripto

Lib. LIV. ſcriptoribus ſunt quæ eò ducant. Dio ſcribit: Ἐπειδή τε τοῦ Λεπίδου μεταλλάξαντος ἀρχιερεὺς ἀπεδείχθη, οὔτ' οἰκίαν τινὰ δημοσίαν ἔλαβε, ἀλλὰ μέρος τι τῆς ἑαυτοῦ, ὅτι τὸν ἀρχιερέα ἐν κοινῷ πάντως οἰκεῖν ἐχρῆν, ἐδημοσίωσε: *Poſtquam Lepido mortuo Pontifex Max. deſignatus eſt* (Auguſtus) *nullam domum publicam accepit, ſed partem ſua, quoniam omnino Pontificem in publico habitare oportebat, publicauit.* Imò non partem tantùm, ſed mox totam. Lib. LV. Ita enim idem ſcriptor: Ὁ δὲ Αὔγουστος τὴν οἰκίαν οἰκοδομήσας, ἐδημοσίωσε πᾶσαν, εἴτε διὰ τὴν συντέλειαν τὴν παρὰ τοῦ δήμου οἱ γενομένην, εἴτε ὅτι ἀρχιερεὺς ἦν, ἵν' ἐν τοῖς ἰδίοις ἅμα καὶ τοῖς κοινοῖς οἰκοίη: *Auguſtus domum cùm exædificaſſet, totā publicauit: ſiue quia collato ære à populo ſtruxerat, ſiue quia Pōtifex Max. cùm eſſet, vt in proprijs ſimul & publicis ædibus habitaret.* Secūda cauſſa B veriſſima eſt. Cap. XLVI. Suetonius, de Iulio Cæſare: *Habitauit primò in Suburrâ, poſt autem Pontificatū max. in Sacrâ viâ, domo publicâ.* Agnoſciſne *Domum publicam* in Pontifice? & quidem Sacrâ viâ, non procul à Veſta? Etſi Regis Sacrificuli domus fuiſſe etiam videtur propior, quam ipſam Veſtalibus Auguſtus dono dedit. Lib. LIV. Ita enim Dio ibidem narrat, & ſubdit: Τὴν μέντοι τοῦ βασιλέως τῶν ἱερῶν (ita hæc legenda) ταῖς ἀειπαρθένοις ἔδωκεν, ἐπειδὴ ὁμότοιχος ταῖς οἰκήσεσιν αὐτῶν ἦν: *Et tamen illam domum, quæ Regis ſacrorum erat, Virginibus Veſtæ dono dedit; quoniam ædibus earum* CONTIGVA *hærebat.* De quâ domo *Regis*, in Feſto aliquid legas, *Viâ Sacrâ*, & inibi fuiſſe. An quia ipſam *Regiam*, exemplo Numæ, incoluit: an quia in vicino? C De Regiâ quidem, Ouidius:

Hic locus eſt Veſtæ, qui Pallada ſeruat, & ignem:
Hic fuit antiqui regia PARVA *Numæ.*

Pro Mil. Meminit Cicero: *Nuper quidem ad Regiam me penè confecit.* Horatius: Lib. I. Odar.

Vidimus flauum Tiberim, retortis
Litore Etruſco violenter vndis,
Ire deiectum monumenta Regis
Templáque Veſtæ.

Ibi Scholiaſtes: *Regiam dicit Numæ Pompilij, qui ad Veſtæ ſuam habuit Regiam.* P. Victor, in deſcriptione Vrbis: *Regia Numæ, & Templum Veſtæ.* Ibidem & *Atrium Veſtæ*, quod Regiæ huic adiunctum. etſi Ouidius confundere videatur:

Hic locus exiguus, qui ſuſtinet atria Veſtæ,
Tunc erat intonſi regia magna Numæ.

Nempe & ille locus pars Regiæ erat: non ipſa illa tota. D Hoc Atrium Virginum habitationi ſeruiebat, vt Regia propriè dicta Pontificum. Agellius: *Virgo Veſtalis ſimul eſt capta, & in atrium Veſtæ deducta:* ſicut nupta in domum. Lib. I. cap. XII. Plinius: *Virgines cùm vi morbi Atrio Veſtæ coguntur excedere, matronarum curæ cuſtodiæq; mandantur.* Obſerua igitur illîc egiſſe: ſed vi morbi exiſſe, quia locus ſcilicet parum laxus, nec ægrorum curæ. Etſi maior tamen, iam ab Auguſto, Regiâ etiam, vt dixi, iis conceſſâ: ſed neque ſic amplus.

CAPVT V.

Veſtales ſacerdotes, Virgines captas. quo æuo? quo numero?

E SATIS de ipſâ Deâ, & templo: de miniſterio alióque eius cultu videamus. Miniſtræ Veſtales fuêre, atque eæ Virgines. In Ouidio duplex cauſſa. Prior, quòd Iuno, & Ceres, ſorores Veſtæ,

Vtraque nupſerunt: ambæ peperiſſe feruntur:
Reſtitit impatiens de tribus vna viri.

nempe hæc Veſta. Ergo,

Quid mirum, virgo ſi virgine læta miniſtrâ,
A *Admittit caſtas in ſua ſacra manus?*

Altera cauſſa, quòd Veſta Ignis, qui nihil gignit,

Nataque de flammâ corpora nulla vides.
Iure igitur virgo eſt, quæ ſemina nulla remittit,
Nec capit: & comites virginitatis amat.

Cicero & duas alias dedit: *Veſtæ colendæ,* inquit, *virgines præſunt, vt aduigiletur faciliùs ad cuſtodiam ignis: & ſentiant mulieres, in naturâ feminarum omnem caſtitatem peti.* Aduigilent faciliùs. quare? quia liberæ à viro, prole, aliis curis. Caſtitatem peti. quomodo? cùm virgines placere Diis vident, ipſæ, pro parte ſuâ quæque, ſint caſtæ. Alij libri, *pati* habent, non *peti.* Tum mallem, *mulieres, naturam.* Poteſt & ab exemplo eſſe. nam Plutarchus ſcribit, *in Græciâ quoque, vt* B *Athenis & Delphis, & ſicubi ſeruatur æternus ignis præeſſe ſi non Virgines, tamen Viduas & à viro caſtas.* Eius ergô Romæ obtinuit, vt paruæ & tenerâ ætate caperentur, certæ pudicitiæ, & vitij expertes. Labeo Antiſtius ſcripſit, *minorem quàm annos ſex, maiorem quàm annos decem natam, capi fas non eſſe.* Prudentius aſpicit: II. contra Sym.

Ac primùm paruæ teneris capiuntur in annis,
Antè voluntatis propriæ quàm libera ſecta
Iuſta maritandi condemnet vincula ſexus.

Et Auguſtus, apud Suetonium: *Cùm in demortuæ Veſtalis locum aliam capi oporteret, ambirénique multi ne filias in ſortem darent; adiurauit, ſi cuiuſquam neptium ſuarum ætas competeret, oblaturum ſe fuiſſe eam.* Ca. XXXI. De ætate, palàm vides: & hoc quoque, ægrè parentes in hanc velut cuſtodiam, & adactam virginitatem, C ſuas dediſſe. Etſi multæ tamen non erant, nec crebræ iſtæ lectiones. Nam Numa in vniuerſum quattuor eas inſtituit, cepitque: *Gegamiam, Veraniam, Canuleiam, Tarpeiam:* vti nomina hæc à Plutarcho produntur. Duas deinde alias Seruius Tullius addidit, vt Plutarchus; ſiue ante eum potiùs Tarquinius Priſcus, vt Dionyſius adſerit. & addit, *ad ſuam autem ætatem eum numerum ſic manſiſſe.* Quò fortaſſe Valerius reſpexit, cùm de hoc Tarquinio: *Dilatauit imperij fines, cultum deorum nouis ſacerdotijs auxit.* Neque enim legere memini, de aliis ab eo ſacerdotibus inſtitutis. Ceterùm de numero iſto, etiam Feſtus: *Sex Veſtæ ſacerdotes conſtitutæ ſunt, vt populus pro ſuâ quiſque parte haberet miniſtram ſacrorum: quia ciuitas Romana in ſex eſt diſtributa partes, in primos ſecundoſque Titienſes, Ramnes, Luceres.* D Vnus Ambroſius aliter, qui ſeptem eas facit. *Quot tamen illis Virgines præmia promiſſa fecerunt?* (puto, *ferunt*, legendum) *vix ſeptem Veſtales capiuntur puellæ.* Epiſt. II. contra Sym. An tamen [1] non *ſex* potiùs ibi reſcribendum? [2] an Auguſtum, qui pleraque ſacerdotia numero, etiam Veſtale hoc cenſemus auxiſſe? Aliud quod ſuſpicer non habeo. nam quod quidam prætendunt aut excuſant, *Veſtalem maximam* extra ſenarium illum numerum fuiſſe, ab Ambroſio autem includi: quis dicit? aut quæ ratio eſt? Quin vel maximè ea Veſtalis, & in miniſterio ſacrorum ſolâ ætate antecedens.

NOTÆ.

E 1. Non *ſex* potiùs ibi reſcribendum.] *Dubito, nec temerè fecerim. nam & Ambroſius voculam vix addidit, quaſi negantem, certè minuentem. Sunt etiam Nummi Fauſtinæ Auguſtæ, quæ vxor M. Antonino Philoſopho fuit. in quibus ſex ſacrificātes Virgines ad aram, & vna paruula ſeptima. quam ſuſpicantur diſcipulam eſſe, & nondum legitimam ſacerdotem: ideoq; ſcitè & cautè Ambroſium dixiſſe,* Vix ſeptem. *At ecce ſunt, qui Puerum hunc faciunt, & ſacrorum camillum: & ſanè difficile, certè ex Nummis arbitrari. Etiam C. Anto-*

nius Hopperus, magni illius Præſidis filius, antiquitatum harum peritus, addubitabat an Veſtales eſſent, ob templi formam: quæ non rotunda, ſed angularis conſpicitur. aliter, quàm in reliquis de Veſtâ Nummis. Sed & alij exſtant Lucillæ *inſcripti, ſub id æui, vbi ſex tantùm Virgines comparent, nullâ illâ minore adſtante. Itaque iterùm ad incertum redigimur: ſed Nummi ſunt iſti. vide.*

Fauſtina. Æ.  *Lucilla. Æ.* 

2. An Auguſtum.] *Neque id ſedere omnino poteſt. cùm Plutarchus, poſt ſex enumeratas, addat:* Καὶ διατηρῆσαι μέχρι χρόνων τούτων τὸ πλῆθος: & ſeruaſſe, vſque ad ſua tempora, eum numerum. *Si ad ſua, id eſt Traiani, quomodo Auguſtus auxerit?*

CAPVT VI.

Alia in capiendo ſpectata, ſeruatáque. Sortem, aut Oblationem, interueniſſe.

QVOT captæ fuerint, vidimus: nunc & Modum capiendi colluſtremus. Hoc enim verbo ſollenniter vtebantur: cauſſántque dat Agellius: *Capi virgo propterea dici videtur, quia Pontificis maximi manu prehenſa, ab eo parente, in cuius poteſtate eſt, veluti bello capta abducitur.* Cepit primas ipſe Numa: & , vt Dionyſius ait, *ius deinceps capiendi voluit apud Reges eſſe.* At pulſis Regibus, Pontifex maximus in locum venit: ſed non liberâ prorſus electione, legibúſque ſuis adſtrictâ. E quibus *Papia* fuit (in Agellio) *quâ cauetur, vti Pontificis maximi arbitratu, virgines è populo viginti legantur: ſortitióque in concione ex eo numero fiat: & cuius virginis ducta erit, vt eam Pontifex max. capiat, eáque Veſtæ fiat.* Ait primùm, *Pontificis arbitratu legi.* quo ſenſu? nempe vt ius probandi reiiciendíque ipſe habeat, & ſitne idonea diiudicandi. Nam non Ætatem ſolùm, ſed Genus, Corpus, quæque adhærent, inſpici ſolent, & vt omnia apta, honeſtáque miniſterio eſſent. In Genere quidem, *ne cuius parentes alter ambóve ſeruitutem ſeruiſſent: aut in negotijs ſordidis diuerſantur.* Item excuſati, *cuius pater Flamen, Augur, Quindecimuir, aut Septemuir, aut Salius eſt:* & talia minuta, quæ in Agellio legas. In Corpore, *ne linguâ debilis, ſenſúve aurium deminuta, aliáve quâ corporis labe inſignita ſit.* Quæ adhærent: *vt patrima ſit & matrima, vt ne emancipata ſit:* & talia, dicto loco videnda. Sequebatur in lege, *Virgines viginti.* Magno ſatis numero, ad vnam dumtaxat capiendam: ſed cauſſa eſt, vt ſors leuior accidat, ſparſa ſic per plures. Addit, *E populo.* Toto, inquam, populo, non è patriciis tantùm, ſed & plebeiis. Imò verò Auguſti æuo, præter legem moremque veterem, etiam ex libertinis captæ. Dio Caſſius: Ἐπειδὴ τινὶ ῥᾳδίως οἱ πάνυ εὐγενεῖς τὰς θυγατέρας ἐς τὴν τῆς Ἑστίας ἱερατείαν ἐπεδίδοσαν, ἐνομοθετήθη καὶ ἐξ ἀπελευθέρων γεγονυίας ἱερᾶσθαι: *Quoniam haud promptè ij qui planè nobiles erant, filias ſuas ad Veſtalê ſacerdotium darent, Lege ſtatutum eſt etiam è libertinis natas poſſe capi.* Sequitur, *Sortitionem in concione fieri.* In concione, comitijs, puto, Curiatis: vt coram teſtibus res fieret, & dignitas ſacerdotio

Lib.1.cap. XII.

Lib.1.v.

A adcreſceret dignitate actionis. Sortitio autem adhibita, vt quaſi diuinitus legi excerpíque è pluribus talis videretur. Facit huc Suetonij illud ſuprà, *Ambientique multi ne filias in ſortem darent.* Tangit & Sortem Dio, poſt ſuperiora illa verba, additque; *cùm ſortitio facta eſſet, Libertinam nullam tunc ductam* Nec tamen ſemper ad Sortem ventum: Oblatio locum habebat, & talis (ſi apta) præferebatur. In Agellio: *Siquis honeſto loco natus adeat Pontificem maximum, atque* OFFERAT *ad ſacerdotium filiam ſuam, gratia Papiæ legis per Senatum fit.* Omittitur ſcilicet, S. C. interueniente, ſortitio. Vox Auguſti huc ſpectabat; *Si neptium ſuarum competeret ætas,* OBLATVRVM *ſe fuiſſe eam.* Taciti item narratio: B *Retulit Cæſar* (tanquam Pont. maximus) *capiendam Virginem in locum Occiæ: egitque grates Fonteio Agrippæ & Domitio Pollioni, quòd* OFFERENDO *filias, de officio in rempublicam certarent.* Addit deinde in ipſâ oblatione electionem & arbitrium: & *prælatam Pollionis filiam, non ob aliud, quàm quòd mater eius in eodem coniugio maneret:* id eſt, vniuira eſſet. quæ ipſa ſpecies aliqua caſtitatis. Habet deinde lex, *Eam Pontifex max. capiat.* Atque ipſa verba ſollennia, ex libro primo Fabij Pictoris, recenſet illuſtris Noctium ſcriptor: SACERDOTEM. VESTALEM. QVÆ. SACRA. FACIAT. QVÆ. IOVS. SIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPLO. ROMANO. QVIRITIBVS. VTI. Q. QVÆ. OPTVMA. LEGE. C FOVIT. ITA. TE. AMATA. CAPIO. Adiicit Agellius: AMATA *inter capiendum à Pontifice max. appellatur, quoniam quæ prima capta eſt, hoc fuiſſe nomine traditum eſt.* Sed vbi prima capta? Si Romæ, & à Numa: Plutarchus redarguit, qui quattuor nominat, nec vllam inter eas *Amatam.* Sin Albæ, aut Lauinij; hoc neſcio, & in medio relinquo.

CAPVT VII.

Diſciplina captarum: gradatio & aſcenſus: tempora miniſterij: & Virgo Maxima.

SEd iam igitur captæ, & ſic puellæ ac teneræ: quid deinde? Diſciplina ſequitur, & quomodo ad miniſteria ſua factæ. D Deducebantur in Atrium Veſtæ, atque ibi à ſenioribus ad ritus & cerimonias omnes (pluſculæ erant) inſtructæ. Nam in tres velut claſſes, etſi paruus hic numerus, diuidebantur: Diſcentium, Exercentium, Docentiúmque. Seneca, De Vitâ Beatâ: *Virginum Veſtalium more, quæ annis inter officia diuiſis, diſcunt facere ſacra, & cùm didicerunt, docent.* Dionyſius etiam diſtinctiùs: *Tempus tricennale manere eas oportet, caſtas & à nuptijs vacuas, ſacra ex more facientes. quo tempore decem annos diſcere debent, decem ſacris operari, decem docere.* Pulchra diuiſio: & eadem alibi in Plutarcho. Itaque non niſi XXX. annos obligabantur, & poſt id tempus licitum nubere, haud peſſimâ adhuc ætate. E Nam pone ab anno VI. (id licebat) ingreſſam: ergo anno XXXVI. fas virum quærere, & ætate etiam frui. Ambroſius hoc irridet: *Qualis eſt iſta non morum pudicitia, ſed annorum? quæ non perpetuitate, ſed ætate præſcribitur?* Ergo & interdum nubebant, vt illa in Prudentio:

Nubit anus veterana, ſacro perfuncta labore.

etſi antiquitus obſeruatum, infauſtas ferè & parum lætabiles eas nuptias fuiſſe. Sed, vt dixi, non niſi triginta annis obligabantur: antè autem nefas excedere. Ideò Symmachus, vt Pontifex, Veſtalem quamdam increpat: *Diceris ante annos legibus defi-*

Cap. XXIX.

An ſeni ger. ſit Reſp.

Lib. IX. epiſt. c. XI.

nitos Veſtali ſecreto velle decedere; nondum credo rumors, ſed aſſertionem sua vocis expecto. Hoc illam tunc ſub Chriſtianis Principibus auſam opinandum eſt, noſtræ religionis zelo ſiue velo: ſed olim ſilendum manendúmque, aut in mundo pœna erat. An eadem autem annorum terminatio Albæ, vnde omnium hoc ſacerdotium? Dionyſius abnuat, ſi verba eius germana, de Iliâ: Πενταετῆ ἢ ἵνα ἡ ἐκείνη χρόνον ἰδεῖν ἁγνὰς διαμένειν γάμων: *Quinquennio autem, nec minus, oportebat à nuptijs caſtas manere.* Itáne quinquennio tantùm? vanitas: imò πεντηκονταετῆ, *quinquaginta annos*, in Dionyſio legendum, vt lex Albana paullo durior Romanâ etiam fuerit. quod Liuius ſubindicat, qui tradit de hac ipsâ Iliâ, *perpetuâ virginitate ſpem partus ei ademptam*: & item Zonaras, qui, παρθένον διὰ βίου, *virginem perpetuam* dicit. Conſideretur. ego obſeruo, pleraſque ad vltimam ætatem in ſacerdotio perſeueraſſe: & exemplum in Tacito, de Occiâ: quam ſcribit, *ſeptem & quinquaginta per annos, ſummâ ſanctimoniâ, ſacris Veſtalibus præſediſſe*. Ergo xx. circiter annos manſit, vltra ſuum tempus. Quod *Præſediſſe* ait, non traho ad dignitatem, & quaſi *Maxima* fuerit (vix annitli admittunt:) ſed omnes *Præſidere* ſacris, itémque *Antiſtites* vel *Antiſtitæ* dicuntur. Liuius apertè, de omnibus: *vt aſſiduæ templi antiſtites eſſent*. & Symmachus: *Primogenia dudum apud Albam Veſtalis antiſtitis*. Etſi ordo tamen inter eas fuit, ſed miniſterij & ætatis. Vna enim quæ vetuſtiſſima, *Maxima* dicebatur. Ad ætatem, inquam, id referendum. atque ita Ouidius:

Igne cremat vitulos, quæ NATV MAXIMA *virgo eſt.*

Suetonius, Iulio: *Teſtamentum eius demandatum virgini Veſtali Maximæ*. Idem, in Domitiano: *Damnatam ab eo Corneliam virginem Maximam*: quæ malè in Plinij epiſtolis, *Cornelia Maxilla*. In lapidibus ſæpe: V. V. MAXIMÆ. quod eſt, *Virgini Veſtali Max.* Quæ ipſa Dioni ἡ πρεσβεύουσα: & Tacito, *Veſtalium vetuſtiſſima* nominatur.

Lib.1.

Lib.ii.

11. Faſtor.

Ca. lxxxiii. Cap. vii.

Lib vi. Epiſt xx.

Lib xiv. et Annal.

CAPVT VIII.

Munera earum, primúmque tutela Ignis. Perpetuum hunc fuiſſe: ſi defiſſet, pœna Virginum & flagra: iterúmque inſtauratio.

NVMERVM, *Capturam, Diſciplinam, Ordinem*, habemus: ad *Munia* earum tranſeamus. Neque enim vacuæ vnquam aut feriatæ habitæ: ſed plures frequentéſque operæ, & mirecis tam paucas ſuffecisse. Tria præcipua, in quibus deditæ: *Vigilare, Adſeruare, Sacrificare*. Vigilia ad Ignem ſpectauit, quem ſine intermiſſione ali opus, & reparari. Itaque *Æternum* ſiue *Sempiternum* dicebant. Cicero: *Virgineſq. Veſtales in Vrbe cuſtodiunto ignem foci publici* SEMPITERNVM. Silius:

11. De Legib.

Et vos Virgineâ LVCENTES SEMPER *in arâ*
Laomedonteæ Troiana altaria flammæ.

Florus, de Numâ: *Is primus focum Veſtæ virginibus colendum dedit, vt ad ſimulacrum celeſtium ſiderum cuſtos imperij flamma vigilaret*. Vult, ſicut ſidera æternùm lucent, ſic debere, virginum aſſiduâ curâ atque operâ, hunc ignem. Atque ita erat. Nam ignis σβέσιν (ait Dionyſius) ὑπὲρ ἅπαντα δεινὰ Ῥωμαῖοι δεδοίκασιν, ἀφανισμὸν τῆς πόλεως σημεῖον ὑπολαμβάνοντες, ἀφ' ἧς ποτ' ἂν αἰτίας γένηται: *Extinctionem, ſuper omnia grauia & timenda, Romani timent: interitus aut imminutionis Reipublicæ id ſignum interpretantes, à quacumque tandem cauſſâ euenerit.* Liuius cum eo: *Plus omnibus aut nunciatis peregrè, aut viſis domi prodigijs, terruit animos hominum ignis in æde Veſtæ extinctus.* Et miſeras Virgines, ſi eueniſſet, Nam *ignis Veſtæ* (ait Feſtus) *ſiquando interſtinctus eſſet, verberibus afficiebantur à Pontifice*. Sed pudore virgineo tamen ſaluo, *in loco obſcuro, & velo medio interpoſito*, vti Plutarchus notauit. Exempla autem huius caſtigationis in hiſtoriâ. vt Valerio: *P. Licinio Pontifici maximo virgo Veſtalis, quia quâdam nocte parum diligens ignis æterni cuſtos fuiſſet, digna viſa eſt quæ flagro admoneretur*. In Liuio: *Ignis in æde Veſtæ eſt extinctus, caſaq. flagro Veſtalis, cuius cuſtodia noctis eius fuerat*. Nota de *Flagro* vtrobique: quæ ſeruilis caſtigatio. nota etiam de *cuſtodiâ eius noctis*, vt per vices iniſſe videatur, & ſingulæ ſuis noctibus dumtaxat excubaſſe. Quòd ſi autem extinctus; ſua & certa ratio accendendi iterùm erat: quam Dionyſius alibi ſe dixiſſe profitetur: ſed nempe in libris, quos fatum inuidit. Eſt ea tamen in Feſtu: &, *Mos erat*, inquit, *tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quouſque exceptum ignem cribro æneo Virgo in ædem ferret.* Quam rationem eliciendi ignis Simplicius in Ariſtotelem etiam agnoſcit: ἀπὸ ξύλων ἢ ὠθουμένων, θατέρου τοῦ ξύλου, ὡς τερετρον, ἐν θατέρῳ στρεφομένου: *Ignem è lignis excutiunt, alterum ligno rum, ¹ tanquam terebram, in altero circumuertentes.* Tangit & Iſidorus Peluſiota: & hodie adſiduè vſurpant occidui orbis Indi. Similem cerimoniam Græcis fuiſſe, Plutarchus tradit: ſed paullo diuerſam. Nam ſiquando ſacer ibi ignis deiuxit, *negant eum fas eſſe ex alio igne accendi, ſed nouum parandum eliciendúmque ex ipſo Sole. Quod faciunt ² ſcaphijs ſine vaſculis, quæ parantur ex latere Trigoni rectanguli, quod duo latera æqualia habeat: deuergunt autem ex circumferentiâ in vnum centrum. Cùm igitur Soli opponuntur, vt radij eius in ipſum centrum cogantur & implicentur, aere attenuato, fomenta leuiſſima & ſicciſſima apponunt, quæ facillime per renixum & reflexionem concipiant accenſum ignem*. Hæc ita alibi: Romæ, vt dixi, Addo, etiam ſine interſtinctione vllâ Ignis, ſolere nouum accendi, nouo anno. Macrobius: *Primâ die Martij, ignem nouum Veſtæ aris ſolent accendere, vt incipiente anno cura denuò ſeruandi nouati ignis inciperet*. Ouidius:

Li. xxvi

Lib i ca

Li xxviii

1. Lib vi. epiſt. x.

2.

Lib. Saturn. cap. xii.

Adde, quod arcanâ fieri nouus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Vtrque adducit, & argumentum habet, pro Martio, duce olim anni: vt ſciamus annum, cùm Veſtales à Numâ inſtitutæ, nondum ſic auctum & correctum. Nam Martius certè poſteà non princeps. Addit Ouidius,

Veſta quoque vt niteat folio velata recenti,
*Cedit ab Iliacis laurea *cana focis.*

iii. Faſt.

* id eſt, vetus.


Eodem illo primo die reliqua ſcilicet innouabant, & laurus veteres tollebant, nouas ſurrogabant.

NOTÆ.

1\. Tanquam terebram, in altero circumuertentes.] *Hoc genus Ignarij Theophraſtus agnoſcit, v. de Plantis, in fine: vbi &* Terebram *è Lauru ſæpè factam oſtendit.* Ποιεῖται μὲν, *inquit*, γίνεται ἐκ πολλῶν. ἄριστα δ' ἐκ κιττοῦ: *& addit alia quadam item ligna, vt Rhamnum. Tum deinde:* δεῖ δὲ τὴν ἐσχάραν ἐκ τούτων ποιεῖν, τὸ δὲ τρύπανον ἐκ δάφνης: Igniaria è multis lignis fiunt; optima è nuce iuglande. Oportet autem receptaculum ex illis facere; at terebram ex lauru. *Hunc locum opportunè ſuggeſſit vetus amicus, Hieronymus Mercurialis, litterarum omni doctrinâ, & ſimul (rarò exemplo) medicinâ clariſſimus.*

1\. Sca

2. Scaphiis ſiue vaſculis.] *Ea ſunt ex ære, & à Vitruuio* Scaphia *item appellantur. De formâ, aut formatione, obſcuriuſcula Plutarchi verba: etſi interpretatione aliquid ego alluxi. Vult autem dictum, ex circumuolutione* Trianguli, rectanguli, æquicruri (ἰσοσκελοῦς *ſic vertam*) *Vaſcula iſta oriri, patula ſupernè, & in arctum coeuntia. En figuram.*



Sicca materia vi Solis accenſa.

CAPVT IX.

Seruabant & imperij pignus, variâ interpretatione: etſi plerique ad Palladium trahant. Quid illud, vnde, vbi?

ALTERVM Munus dixi fuiſſe, *Adſeruare.* Quid autem? arcanum IMPERII PIGNVS,
lib. xxvi. vt appellabant. Liuius: *Veſtæ ædem petitam, & æternos ignes, & conditum in penetrali fatale imperij pignus.*
lib. ix. Lucanus:

— *in abſtruſo pignus memorabile templo.*

Faſt. Ouidius:

Vidimus Iliaca transferri pignora Veſtæ.

Contr. lib. 1. Seneca pater: *Veniet ad colendum Romani imperij pignus carnificis manu inceſta?* Quid autem pignus iſtud & cuiuſmodi fuerit, in arcanis habebãt: & ideò variant auctores. Dionyſius ait: Εἰσὶ δέ τινες οἵ φασιν ἔξω
Contr. lib. 1. τοῦ πυρὸς ἀπόρρητα τοῖς πολλοῖς ἱερὰ κεῖσθαι τινὰ ἐν τῷ τεμένει τῆς θεᾶς, ὧν οἵ τε ἱεροφάνται τὴν γνῶσιν ἔχουσι καὶ αἱ παρθένοι: *Sunt qui aſſerant, præter ignem, arcana & multitudini non offerenda ſacra, in Deæ templo eſſe depoſita, quorum Pontifices notitiam habeant, itémque ipſæ Virgines.* Addit ſignum huic rei certum, quòd cùm templum olim arderet, L. Metellus Pontifex, trepidantibus Virginibus, irrupiſſe in ardens penetrale dicitur, & Sacra è flammis eripuiſſe: id quod ſubſcriptum ſtatuæ eius in Capitolio legebatur. Iterúmque Dionyſius: *Huic rei confeſſa addunt coniecturas ſuas. alij ſeruari ſacrorum partem è Samothraciâ, quæ Dardanus Troiam, Æneas in Italiam aduexerit: alij cælo delapſum Palladium, quod verum idem Æneas adſportarit. nam falſum & adſimulatum Achiuos furto ſuſtuliſſe.* Hæc ille: videamus. Prima opinio de *Sacris Samothracum*, quæ & in Plutarcho expreſ-
in Camill. ſa: *cenſere quoſdam, deos Samothracum hic condi*:
1. quos cum Penatibus alij confundunt. Videatúrque Tacitus in hac parte, vbi de Neroniano incendio:
xv. Annal. *Numæ regia, & delubrum Veſtæ, cum Penatibus populi Romani exuſta.* quaſi Penates ecce illic aſſeruati. Sed poteſt & aliter capi, vt Veſtæ delubrum, itémque Penatium templum, haud procul inde in Veliâ, ſint exuſta. Altera opinio, de *Palladio*, quæ in vulgus maximè recepta eſt, & nobile illud fecit ac
2. decantatum. Quid appellamus? Palladis minu-

A tam effigiem, Græcanicâ ſermonis formâ. Euſta- In Iliad.
thius: Τὰ τῆς Παλλάδος εἴδωλα, Παλλάδια τοῖς παλαιοῖς
ὀνομάζονται: *Palladis imagines Palladia antiquis appel-* Bibl.
lantur. Multa ſuper iſto multi: Apollodorus intellegendo ſufficiet. *A cælo hoc delapſum eſt, & Ilo regi traditum. Erat autem magnitudine tricubitali: habitu quaſi ingredientis: dextrâ haſtam ſublatam præferebat, ſiniſtrâ fuſum & colum.* Exſtant in gente Iuliâ Nummi, quibus Æneas inſculptus viſitur, ſiniſtrâ Anchiſem humeris tolerans, dextrâ Palladium iſtud geſtans. Itaque plurium, vt dixi, hæc opinio. Liuij, vt appa-
ret: *Quid de æternis Veſtæ ignibus*, SIGNOQVE, *quod* Lib. v.
imperij pignus cuſtodiâ eius templi tenetur, loquar? Signo, nempe hoc Palladis. Lucani certè:

—*nulliq́; adſpecta virorum*
Pallas, in abſtruſo pignus memorabile templo.

B Obſerua, *nulli virorum*: ſolis ergo Virginibus fas videre. Idem poëta, de Veſtali:

Troianam ſoli cui fas vidiſſe Mineruam. Lib. 1.

Sed nec Pontifici Maximo fas: etſi eſſe ſciebat & coli: ex Dionyſio ſuprà adſtructum. Itaque nec impune Metello fuit vidiſſe, vt ſeruaret. Plinius: *Metellus orbam luminibus exegit ſenectutem, amiſſis incendio, cùm Palladium raperet ex æde Veſtæ.* Ceterùm & Ci-
cero in hac ſenteõtiâ: *Qui* (Brutus) *ita conſeruandus* Phil. xi.
eſt, vt id ſignum quod de cælo delapſum Veſtæ cuſtodijs continetur: quo ſaluo ſalui ſumus futuri. Nam ait, *de cælo lapſum.* Propertius:

Palladis exſtinctos ſiquis mirabitur ignes, Lib. iv. Eleg. iv.
Ignoſcat, lacrymis ſpargitur ara meis.

Vbi & ipſum cultum ignium Palladi adſcribit. Sicut in Martyrologiis quibuſdam noſtris, *Daria ſcribitur Mineruæ ſacerdos* fuiſſe: quæ alijs ſimpliciter eſt *Ve-*
C *ſtalis.* Tertiam opinionem licet addere, ex Plutarcho: *Qui plus in his rebus volunt ſapere, duo Dolia haud magna recondi aiunt: atque vnum ex ijs plenum eſſe, obſignatúmque; alterum vacuum. vtrumque tamen ſolis virginum oculis vſurpandum.* Quæ dant & capiunt lucem è Lampridio, in Elagabalo: *Qui penetrale*, inquit, *ſacrum auferre eſt conatus. cúmque Seriam* (ſiue Dolium) *quaſi veram rapuiſſet, quam Virgo Maxima falſam monſtrauerat atque in eâ nihil repperiſſet, apploſam fregit.* Sed idem Lampridius an non ſubindicat in ipſâ Seriâ Palladium hoc fuiſſe? Nam de eodem

principe, an pecude, ait: *Signum quod Palladium eſſe credebat, abſtulit.* Incerta hæc igitur: & bono religioſóque animo Dionyſius; *Ego*, inquit, *adſeruari à Virginibus non Ignē ſolum, ſed & Sacra quædam vulgo incognita, multis indicijs colligo: ſed quæ iſta ſint, neque me, neque alium qui religioſè deos & diuina colit, inquirere curioſè oportere arbitror.* Atque ipſi ſanè Romani velabant, ſi non vetabant. Itaque in operto habebant, in adyto & Penetrali, quod *Penum* vocabant. Feſtus: *Penus vocatur, locus intimus in æde Veſtæ tegetibus ſeptus: qui certis diebus circa Veſtalia aperitur. Ij dies religioſi habentur.* De eodem etiā Lampridius: Impius ille Eligabalus *Penum Veſtæ, quò ſolæ Virgines, ſolíq; Pontifices adeunt, irrupit.* Ergo & Pontifices? apparet, ſed non vt viderent. Adire, hoc ſatis iis fuit. Sed nónne ipſe Eligabalus, exemplo omnium Principum, tunc Pontifex maximus? certè, & Numi centeni dicunt. Quid ergo Lampridi culpas? hactenus non potes, niſi quòd abſtulit tamen, & conatus videre. Nefas. atq; ita Herodianus, vt prodigioſam rē narrat: quòd Cōmodi imperio *Veſtæ templum arſerit, & nudum viſum ſit Palladium, quod Romani & colunt maximè & celant: viſum, dico, tunc primùm poſt allatum ab Ilio in Italiam.* Legas, & hæreas. ergóne *tunc primùm*? Atqui & à Metello Pontifice raptum ex incendio, & conſpectum vnà dicas (vnde enim oculi aliter amiſſi?) & in Dione ſcriptum, ſub Auguſto *Veſtam arſiſſe, & Virgines Palladium extuliſſe, ac poſuiſſe in domo Auguſti.* Sed dicere licet ac credere, *nudum* non viſum, quod in Herodiano erat; ſed velamento ſuo, ſiue Setiâ, obductum. Ac talis fortaſſe in Statio ſenſus, & alluſio: vbi Tydeus Palladi vota faciens, ait;

Lib. 3. · Lib. LIV. · Lib. II. Thebaid.

> *Peruigilemq́; focis ignem longæua ſacerdos*
> *Nutriet, arcanum non inſpectura pudorem.*

Hîc Seboliaſtes vetus: *Arcanum Pudorem dicit, aut eius ſimulacrum verum, id eſt Palladium: quo quidam* (Metellus) *quondam viſo, priuatus eſt viſu: aut virginitatem eius.* Etſi magis pro verbis Statij videatur altera interpretatio de *Virginitate*, ſiue Virginali mani dicere: atque eam partem in hoc ſigno ſemper, religione quâdam obuelatam fuiſſe. Non ita in alus, quæ nudare, lauare, vngere ſollenne erat. Satis de Palladio. vnum ex Dionyſio ſubtexo ambiguæ vel obſcuræ notitiæ: *Nautium quendam è comitibus Æneæ, ſacerdotem Mineruæ Vrbicæ fuiſſe, eiúſque ſimulacrum ſecum Troiâ extuliſſe, quod*, inquit, *aſſeruabant alij ab alijs ſuſcipientes, quicumque eius gentis eſſent.* Eſtne de iſto noſtro, an alio? an iam olim dumtaxat adſeruauit ea gens, ante conditum Veſtæ templum? Etſi Cedrenus *à Romulo Martis ædem ſacratam* vult, *& in eâ repoſitum tunc Palladium.* Ouidius etiam de auctore vel aduectore Palladij ſatis incerto:

Lib. II. · VI. Faſt. · *Diomedes.

> *Seu *genus Adraſti, ſeu furtis aptus Vlyſſes,*
> *Seu pius Æneas, eripuiſſe ferunt.*
> *Auctor in incerto eſt: res eſt Romana: tuetur*
> *Veſta, quòd aſſiduo lumine cuncta videt.*

NOTÆ.

1. Quos cum Penatibus alij confundunt.] *Et Nummi ſunt, qui huc facere videntur, & Penates Veſtæ iungunt. vtiſte.*

N. Com. Imp. Æ



2. Palladis minutam effigiem.] *In Nummis ſæpe expreſſam: & hic vide.*

51

Num. Argent. 51 · N. Iul. Caeſ. Æ



Neronis Aur. et Æ. Veſpaſ. Aug. Item Titi. Iuliæ Piæ Æ.



Item ex reſtitutione Traiani Imp. cum hac inſcriptione IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST.

CAPVT

CAPVT X.

Sacra etiam aſsidua faciebant. an & Aquæ curabant? an Draconi hac inquiſita: & aliquid de Deo Fonte.

Cap. v. TERTIVM dixi Munus *Sacrificare.* Atque id adſiduum penè erat, diu noctuque Seneca, De Prouidentiâ: *Quid porrò? non eſt iniquum nobiliſsimas Virgines ad ſacra facienda noctibus excitari, altiſsimo ſomno inquinatas frui?* Prudentius:

1 1 contra Sym. *Hoc illud meritum eſt, quòd continuare feruntur Excubias, Latij pro maieſtate Palati.*

1. Et [1] in Nummis paſſim Veſtalis ſacrificans, ipſo habitu quem Feſtus deſcribit: *Armata virgo dicebatur ſacrificans, cui lacinia toga in humerum reiecta.* De quo cultu aliquid & idem Feſtus: *Suffibulum, veſtimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Veſtales, cùm ſacrificant, ſemper habent: idque fibulâ comprehenditur.* De ſacrificiis autem ipſis, aut eorum ritibus, longum & tenue ſit hic dicere: omitto. quod dubium ſit, magis inquiro. Etiamne Aquæ Virgines curabant? Ex Suidâ hoc adſtruitur: Νουμᾶς τὰς Ἑστιάδας παρθένους τοῦ πυρὸς καὶ ὕδατος τὴν ἐπιμέλειαν ἔχειν προσέταξε: *Numa Virgines Veſtales* IGNIS ET AQVÆ *curam habere demandauit.* Totidem ferè verbis hoc legas in Georgio Cedreno. Cur tamen alij veterum ſilent? aut quæ hæc Aquæ cura? Opinor non aliam, quàm quòd Fonti Camœnarum præeſſent, éxque eo ſolo aquam ad ſacra peterent. Poſſit ſanè aliquis ad Phyſiologiam referre, quaſi duo rerum principia coli Numa voluerit: ſed ad rem iuúmque firmandum Plutarchus nunc adhibeatur. Ait, *Numam prata & campum, ubi plurimùm cum Egeriâ verſatus eſſet, Camœnis conſecraſſe*: tum addit: Τὴν δὲ πηγὴν, ἣ κατάρδει τὸ χωρίον, ὕδωρ ἱερὸν ἀποδεῖξαι ταῖς Ἑστιάσι παρθένοις, ὅπως λαμβάνουσαι καθημέραν ἁγνίζωσι καὶ ῥαίνωσι τὸ ἀνάκτορον: *Fontem autem qui locum irrigat,* AQVAM SACRAM *Virginibus Veſtæ attribuiſſe, vt ex eo* COTTIDIE *haurientes purificarent & aſpergerent ſacram ædem.* Niſi hæc aqua ſit, cuius curam geſſerint, non reperio: ad cottidianam quidem lauationem illam, ſcio & Ouidium reſpexiſſe, dum de Siluiâ Veſtali ſcribit:

Sacra lauaturas manè petebat aquas:

etſi ex alio fonte ea (quippe ſub Amulio) ſumpſit.

at. II. Itémque in Perſio hoc fine, *Veſtales vrnas* legi: & in Propertio de Tarpeiâ:

Vrgebat medium fictilis vrna caput.

Sed vt obiter addam, ille Fons Veſtalibus dedicatus, ſacer habitus, & in Deos etiam relatus, delubrum poſteà accepit. de quo Iuuenalis:

at. III. *Nunc* SACRI FONTIS *nemus &* DELVBRA *locantur Iudæis.*

11 De D. nat. Cicero: *Fontis delubrum Maſo ex Corſicâ dedicauit.* Feſtus: *Fontinalia, fontium ſacra, vnde & Fontinalis porta.* Imò ſingulariè (& ſic corrige) *Fontis ſacra.*

L. 1. epiſt. IV. Symmachus: *Sed enim præterea etiam Camœnarum religio, &* SACRI FONTIS, *aduectitur:* ita malo, quàm *aduertitur*, ex ſcriptoris mente. Fuit & alia aqua Veſtæ haud longinqua, Iuturnæ fons & lacus: ſed de eâ quod huc faciat, nihil legi. Simili in ambage vel nube eſt, quod in Silueſtri Pontificis Actis quibuſdam legitur, *Draconis eum ora clauſiſſe, & perpetuo ergaſtulo mancipaſſe: cui Kalendis ſingulis à Virginibus Veſtæ ſuppeditari ſolita ſint alimenta.* Nam quis veterum tale aliquid? eóque ſperni aut abiici à magnis viris, vt falſa, video: me cunctante, an non

d Apol. c. VI. Tertullianus huc adſpexerit, hiſce verbis: *Romæ quidem, quæ Ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auſpicia pœnæ ſuæ cum ipſo* DRACONE CVRANTES, *de virginitate cenſentur.* Profectò dicit & Ignẽ curaſſe, & Draconem: vtrumque in imagine futurorum. Neque nimis abhorream, talia quædam, præter morem veterem, nouitiâ ſuperſtitione, & cauſſa aut caſu aliquo, adſumpta: quæ ideò priſcis nec dicta. Draconem quidem vnà cum Bonâ Deâ cultum, hoc legi: ſed quid ad Veſtam? in quâ pergo.

NOTÆ.

1. In Nummis paſſim.] *Sacrificia & ſacrificantes exprimuntur, & item vaſa ſacrorum. vt in iſtis.*

Hadriani Imp. Æ. *N. R. Æ.*



Num. Argent.



CAPVT XI.

Præmia & priuilegia earum. Ius teſtandi, Lictor, Carpentum, aliaq; data.

MVNIA & labores vidimus: nunc iuſtè *Præmia* & honores, quibus ad illa exercitatæ. Pleraque eorum Plutarchus exſequitur: & ſiquid deſiet, addam. Ait: *Honores magnos Numa iis tribuit. velutì quòd viuo patre teſtari poſſint, atque alia facere ſine auctore* (ἄνευ προστάτου) *eo modo & iure, quo matribus trium liberorum id permiſſum. Item lictor præcedit exeuntes. Quòd ſi reo, ad ſupplicium qui ducitur, fortuitò facta ſint obuiæ, is pœnâ liberatur. Oportet autem iurare, à caſu, non à conſilio, fuiſſe hunc occurſum. Qui verò lecticam earum aut ſellam quâ vehũtur, ſubit, morte id luit.* Hæc more noſtro luſtremus paullùm & illuſtremus. Ait primò, *ius teſtãdi habuiſſe.* ſcilicet quia ſtatim exibant è patriâ aliáque omni poteſtate: & ætatis deliquium leges benignè ſupplebant. Adde vt vel *ſexennes*, id eſt primo anno quo captæ, teſtari poſſent. Sozomenus diſertim: Οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι ἐξεῖναι διατίθεσθαι τὰς Ἑστιάδας παρθένους, καὶ ἑξαετεῖς οὔσας, ἐνομοθέτησαν: *Priſci Romani liberè teſtari Virgines Veſtales, etiam ſexennes, lege ſanxerunt.* Addit Plutarchus, *Præmia habuiſſe, quæ trium liberûm matres.* At reuerà non Numa hoc (neque enim tunc de iſto iure) ſed Auguſtus inſtituit. quod Dio in loco & anno ſuo ſcripſit: Ταῖς, inquit, ἀειπαρθένοις πάνθ᾽, ὅσα περ αἱ τεκοῦσαι εἶχον, ἐχαρίσατο: *Veſtæ Virginibus omnia, quæ matres habebant, indulſit.* Alius honos: *præcedere & deducere lictorem.* Id quoque non à Numâ, ſed Triumuiris referunt acceptum. Dio Caſſius: Ταῖς ἀειπαρθένοις ῥαβδούχῳ ἑνὶ ἑκάστῃ χρῆσθαι ἔδωκαν: *Virginibus Veſtæ*

1 Eccl Hiſt. c. 10.

Lib. LV.

Li. XLVII.

A *ſingulis lictore vno vti dederunt.* Et cauſſam ſiue *πρόφασιν* addit. quòd vna aliqua earum veſperi à cœnâ rediens, & incognita, malè habita ac violata eſſet. Tutela igitur & decus, Lictor additus. Seneca pater: [1. Controu.] *Procedente hac lictor ſubmoueri iubebitur: huic Prætor viâ cedet: ſummum imperium Conſules cedent tibi.* In eodem alibi: [vi. Controu. vii.] *Tibi magiſtratus ſuos faſces ſubmittunt: tibi Conſules Prætoréſque viâ cedunt. Nunquid exiguâ mercede virgo es?* Attende: omnem honorem huic ſacro miniſterio, & ipſos Conſules ceſſiſſe. Quartum in Plutarcho: *morte liberaſſe, illis addictos.* Credo: ſed de iuramento fortuiti occurſus nodum aut remoram habet. quomodo enim? cùm nec iurare omnino Veſtalis deberet? Ita ſanè in edicto Prætoris perpetuo, B apud Agellium: [Lib. x. cap. xv.] *Sacerdotem Veſtalem, & Flaminem Dialem in omni iuriſdictione meâ iurare non cogã.* Nec de iuramento controuerto: tamen in foro auditas, & pro teſtimonio dixiſſe, Tacitus palàm firmat. [11. Annal.] *Miſſus eſt Prætor,* (de Vrgulaniâ quâdam, gratioſâ aulicâ) *qui domi interrogaret: cùm Virgines Veſtales in foro & iudicio audiri, quoties teſtimonium dicerent, vetus mos fuerit.* Veniſſe igitur in forum, teſtes adhibitas, liquet: ſed, ex Edicti verbis, non iuratas dixiſſe, niſi ſi vellet. Nam eſt in Edicto, *non cogam.* Religionis igitur honore, voluerint vel iniuratis credi. Vltimum in Plutarcho: *Siquis lecticam ſubiſſet, morte plecti.* In Græco eſt, *τὸ φορεῖον: geſtamen.* Quod commune nomen eſt, C & plurimùm Lecticam aut Sellam ſignat: atque ita latas, cùm mos ſuadet, tum Ambroſij de ipſis verba: [Contra Sym.] *Pompa lectica, miniſtrorum circumfuſa comitatu.* Sed addo, & Pilento ſiue Carpento plurimùm vectas. Prudentius:

Fertur per medias, vt publica pompa, plateas
Pilento reſidens molli.

[x11. Ann.] Tacitus: *Suum quoque faſtigium Agrippina altiùs tollere, carpento Capitolium ingredi: qui mos* [* vide me in Comment.] *ſacerdotibus & ſacris antiquitùs conceſſus, venerationem augebat fœminæ.* Sacerdotibus, nempe iſtis Veſtæ, ſed & Flaminibus olim. [Lib. 1.] Liuius: *Ad fidei ſacrarium Flamines bigis, curru arcuato, vehi iuſſit.* Quis ille currus *arcuatus*? carpentum, id eſt tectum ſupernè, & cameræ in modum. Talia enim hæc fuiſſe, Nummi hodie dicunt, D qui plures exſtant: neque à *Thensâ* nimis diuerſum fuit. Id quoque enim vehiculum ſacrorum. Quia igitur ita tectum, & velut ſolidum perfectúmque vehiculum; Dio Caſſius dixiſſe videtur & circumſcripſiſſe, *ἅρμα ὅλον.* Vt in honoribus Iulio Cæſari, tamquam Deo decreuit: [Lib. xlii.] *Ὕστερον δὲ καὶ ἅρμα ὅλον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις μετὰ τῶν θείων ἀγαλμάτων, ἐσπέμπεσθαι ἔγνωσαν: Denique & currum integrum, ſiue Thenſam, vnà cum Deorum ſtatuis, in Circum inferri decrêrunt.* Simile in libro ſequenti, de eodem Iulio: *Καὶ ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις ὄχλον εἰσάγεσθαι ἐψηφίσαντο:* Legendum videtur, *ὄχον ὅλον*, ex priore loco: ſi tamen lectio illa certa. Id eſſet: *Et in Circenſibus thenſam introduci cenſuerunt.* Suetonius ad iſta: *Quædam ampliora humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt, Thenſam & Ferculum Circenſi pompâ.* Itaque non nimis diuerſa (quod ad for- E mam) *Thenſa*, *Carpentum* ſiue *Pilentum*: ſed prius illud diis adtributum, alia eorum etiam miniſtris. Sed ad Veſtales. quid ergo vult Plutarchus? *Siquis ſubiſſet*, inquit. nónne per proteruiam aut ludibrium, & quaſi velandis illis reuelandis? An ſignificat, in idem vehiculum aſcendiſſe? Et apparet tale aliquid factitatum ab improbulis, in matronarum tranſuectione: ſed hîc, honor Virginum, morte vindicatum.

CAPVT XII.

Item ornamenta aut inſignia: vt Vittæ, Purpura in veſte, Stipendia & Agri, Auctoritas in deprecando.

ATQVE iſti honores ſiue prærogatiuæ ex Plutarcho: alias alibi repperi, opportunè adiexendas. Sicut in ipſo cultu aliquid eximium. inprimis *Vitta* in capite, vt in Deo Deave conſecrans. Prudentius: ——*ſedet illa verendis*
Vittarum inſignis phaleris.
Idem explicat: ——*cingunt*
Tempora taniolis, & licia crinibus addunt.
B Ouidius, de Iliâ iam compreſſâ:
Decidit ante ſacros lanea vitta focos.
Ingenioſè. quaſi non iam Veſtalis, amiſſâ virginitate, nec dignanda illis inſignibus. Sic Dionyſius ſcripſit: *Licere nubere, poſt annos impletos,* ἀλλ', inquit, *ἀποθεῖσαν τὰ στέμματα, καὶ τὰ λοιπὰ τῆς ἱερωσύνης παράσημα: ſed depoſitis vittis, & quæ alia ſunt Sacerdotij inſignia.* Quæ igitur alia? In Ambroſio aliquid: *Inſula vittati capitis, purpuratarum veſtium murices.* Nota & veſtes purpuratas fuiſſe: nempe prætextâ eas vſas, id eſt limbo in oris purpureo. Nam ita Magiſtratus, atque item (ex Liuio aliiſque) Sacerdotes. Ergo & Veſtales, vt ſuprà in *Suffibulo* obſerues. Non pugnat cum iſtis C Suidas, qui ſcripſit: *Οὐ μύροις, οὐκ ἄνθεσιν, οὐχ ἱματίῳ χρῆσθαι συνεχώρουν πλὴν λευκοῦ: Non vnguento eis, non floribus, non veſte vti conceſſerunt, niſi albâ.* Quæ vera ſunt & inducta contra laſciuiam: ſed purpuratas eas, non purpureas dicimus fuiſſe. Veſte albâ vſæ, ſed limbo, vt diximus, punicante: non tamen floridâ, aut variegatâ, vt aliæ ſolent. In carbaſo etiam aut tenui lino fuiſſe, ex Valerio & Dionyſio aliquis dicat: vbi de Æmiliâ Veſtali. Dionyſius quidem: *auulſiſſe & defregiſſe* ait, *ἀπὸ τῆς καρπασίνης ἐσθῆτος, ἣν ἔτυχεν ἐνδεδυμένη, τὸν τελαμῶνα: à carbaſinâ ſuâ veſte, quam indutam habebat, laciniam,* & impoſuiſſe Aræ. Nec de cultu alia habeo: niſi capillum in ſpiras quaſdam plexum & diuiſum, tum vittis illigatum, à tergo & in ceruices anulatim dependiſſe. Prudentij ea mens:
D *Perfundunt quia colla comis benè, vel quia cingunt*
Tempora taniolis.
Neque enim vult perfundi vel flagellari ſparſo capillitio, ſed ſic aggeſtu & ſuſpenſo. In Statuâ Romæ repertâ (quam in fine repræſento) palàm videbis. Aliquis etiam ambigat, an non tonderi ſolitæ (ritu noſtratum Virginum quæ Deo ſacrantur) ex Plinio: *Antiquior eſt lotos, quæ capillata dicitur: quoniam Virginum Veſtalium ad eam crinis defertur.* & Feſto: Capillatam vel *Capillarem arborem dicunt, in quâ capillum tonſum ſuſpendebant.* Semel igitur tonſæ, atque in ingreſſu, fortaſſe: & capillum hunc Deæ Veſtæ ſuſpendebant. An & aliàs crinem eò, caducum, vulſum, ſciſſum, deferebant? in obſcuro hæc atque etiam E in patuo. Magis notum & notandum de Bullâ, ſiue Phylacterium, aut aliud ad Ornatum fuit, quod in dictâ illâ Statuâ à pectore dependet: vide, & quæ ibi notantur. Addo, præter hæc Ornamenta aut Inſignia, res & fructus eoam acceſſiſſe: id eſt, Stipendia & Opes. Liuius, de ipſo Numâ: *His ſtipendium de publico ſtatuit*: vt vacuæ ſcilicet ab aliis curis, Deæ & ſacris operarêtur Et credo agros à Numâ adtributos, quorũ vectigalibus alerêtur. Incertus auctor, de Limitibus: *Vt nominibus vetuſtis vtatur. vt, vectigalis ager Virginũ Veſtearis:* nempe nõ *Veſtalis*, vt vulgò. Hyginus item, de Limitibus *Virginum quoque Veſtalium & ſacerdotum quidam agri vectigalibus ſunt redditi locatim.* Sed & Auguſtinus adiecit. de quo vniuersè

Cap. xxxi. Suetonius: *Sacerdotum & dignitatem & commoda auxit*, PRAECIPVA *Veſtalium virginum*. Aliquid in Catalogo Coloniarum, quem ſcriptum vidi: *Lanuuium muro cinctum, colonia deducta à D. Iulio. Ager eius, limitibus Auguſteis, pro parte eſt adſignatus militibus veteranis, & pro parte Veſtaliũ, lege Auguſtianâ, fuit.* Imò & alios agros habuerunt, à priuatis pietatis ergô (vt hodiéque ſolet) legatos: quos omnes Fiſcus eripuit ſub Valente & Theodoſio Principibus, inuidioſâ & diſertâ ſanè Symmachi querelâ: *Agros etiã*, inquit, *Virginibus & miniſtris deficientium voluntate legatos Fiſcus retentat.* Plura addit, atque arguit: & Ambroſius noſter contrà obducit: *Sola ſublata ſunt prædia, quæ non religioſè vtebantur iis, quæ religionis iure defenderent.* Sed præter Agros, video & Pecuniam interdum cepiſſe. Tacitus, de Tiberio: *Corneliæ Virgini, quæ in locum Scantiæ capiebatur*, HS. *vicies* dedit. (III. Ann.) quæ ſunt nobis, *quinquaginta Philippæorum millia.* Hem, vni virgini? ſic fuit. nec immeritò obiicit iis Ambroſius, *Priuilegia maxima*, LVCRA *ingentia.* Atque inter Priuilegia, addamus: etiam ludis certo & honeſtiſſimo loco ſpectaſſe. Suetonius: (In Augu. cap xliiij.) *Virginibus Veſtalibus locum in theatro ſeparatim, & contra Prætoris tribunal, dedit* Auguſtus: de quo noſtra in Amphitheatro, ſis, vide. Denique, vt finiam, Auctoritas earum maxima, & in precibus, aut aliâ re, vix repudianda. Cicero, cùm pro Fonteio cauſſam diceret, ſororis eius Veſtalis interceſſione vſus: *Superbum ſit*, inquit, *eius obſecrationem repudiare, cuius preces ſi Dij aſpernarentur, hæc ſalua eſſe non poſſent.* Atque inter exempla eſt [1] Claudia Veſtalis, (1. Tiber. cap. ii.) *quæ fratrem iniuſſu populi* (in Suetonio) *triumphantem, adſcenſo ſimul curru, vſque in Capitolium proſecuta eſt, ne vetare aut intercedere cuiquam Tribunorum fas eſſet.* Adeò & leges & magiſtratus reueriti ſunt hanc impotentem, vt ſic dicam, poteſtatem. Adde Suetonium in Iulio cap. I. in Vitellio cap. XVI. Tacitum III. Hiſtoriarum & plures.

NOTÆ.

1. Claudia Veſtalis.] *Cuius imaginem viſum appingere è Fului Vrſini gemmâ.*

CLAVDIA VESTALIS.



CAPVT XIII.

Contrà, Pœna cùm peccaſſent, cum æuo varia: ſed ſollennis & nobilis à Tarquinio Priſco. Pontifices arbitros fuiſſe: conuictam, defoſſam: & quæ huic rei.

HÆc Præmia igitur, ſed Virginum: nam pollutarum Pœnæ etiam grandes & graues. Vetus lex fuit, Feſto prodita: *Probrum virginis Veſtalis vt capite puniretur, vir qui eam inceſtauiſſet, verberibus necaretur. Lex fixa in Atrio libertatis, cum multis aliis legibus incendio conſumpta eſt, vt ait M. Cato.* Sed cuius hæc lex? credam Numæ regis, qui ſimpliciter ſtatuit *inceſtam lapidibus obrui*, ſine aliâ ſupplicij pompâ: in Cedreno ſcriptum. Alia autem Albæ, ante Romam conditam: *quæ iuberet pollutam virgis ad necem cædi*, Dionyſio in rebus Iliæ tradente. Sed Tarquinius Priſcus, qui numerum earum auxit, idem & pœnam, & conſpicuam magis horrendámque fecit: Sic enim in Zonarâ: *Veſtalium corruptam vnam, [1] ſpecu ſubterraneo oblongo excauato, atque ibi lectulo poſito, & lucernâ, & menſâ cibis refertâ, deducentibus eam multis, viuámque includens obſtruxit. Et ſic deinceps pollutas puniri obtinuit. Qui autem polluerint, in lignum biceps, ſiue in furcam, collum inſerunt, in ipſo foro: atque ita ad necem eos tradunt.* Dionyſius pariter ad Tarquiniũ refert, & primam ſub eo Pinariam quamdam ſupplicio iſto affectam. Quod vberiùs clariúſque tamen narrat, & verba eius digna apponi. *Pœnæ*, inquit, *delinquẽtibus graues conſtituta: quarum arbitri & exactores ſunt, ex lege, Pontifices. Quæ virgis quidem cædunt compertas leuioris delicti: probroſas verò & inceſtas fœdiſſimo & maximè miſerabili mactant ſupplicio. Viua enim, funebri ritu & pompâ, efferuntur: amicis ac cognatis, cum luctu & lacrymis, comitantibus. Delata autem ad portam Collinam, intra muros, ſubterraneâ in cellâ, cum funeralibus ornamentis, deponuntur: nec monumento porrò dignata, nec parentalibus, aliſve ſollennibus defunctorum.* Ita Dionyſius: inhæreamus paulùm, & magis etiã diffundamus. Ait, *Pontifices arbitros.* quod in omni earum culpâ ſine delicto obtinuit, cauſſámque apud hoc tribunal dixêre. Liuius: *Poſtumia Veſtalis de inceſto cauſſam dixit. ampliatam, deinde abſolutam, pro collegij ſententiâ Pontifex maximus abſtinere iocis, colique ſanctè potiùs quàm ſcitè iuſſit.* (Lib. IV.) Nota obiter, & iocos & cultum ſcitiorem vetita. Quo aſpectu Declamatores Veſtali dicam ob carmen iſtud ſcribunt:

Felices nuptæ moriar, niſi nubere dulce eſt: (Senec. lib. 6. Controu. vlt.)

& addũt, *Tu carmẽ ſcribas, in verba pedibus ſuis emollias, & ſeueritatem templo debitam modulatione frangas?* Atque ibidẽ oſtenditur, *omnis cultus luxurioſior, conuerſatio cum viris licentior*, iis interdicta. Ampliùs nota, Pontifices omnes, id eſt collegium iudicaſſe: Pontifice tamen maximo conuocante, & præſidente. (Lib. IV. epiſt. XI.) Plinius: *Cùm Corneliam Maximam Veſtalem defodere viuam Domitianus cupiſſet, vt qui illuſtrari ſæculum ſuum eiuſmodi exemplo arbitraretur: Pontificis maximi iure, ſeu potiùs immanitate tyranni, licentiâ domini, reliquos Pontifices non in Regiam, ſed in Albanam villam conuocauit.* Vbi hoc culpat, non Pontifices conuocatos, ſed in talem locum, id eſt Albanam villam: cùm ſollenne eſſet, in Regiam cõuenire, quæ adſita templo Veſtæ. Ad hanc Pontificis maximi cognitionem Statius reſpexit, Domitiano blandiens: (In Equo Domit.)

Templa ſuperfulges, & proſpectare videris,
An noua contemptus ſurgant pallatia flammis
Pulchriùs? an tacitâ vigilet face Troicus ignis,
Atque exploratas iam laudet Veſta miniſtras?

Itémque Ouidius: (V. Faſt.)

Si mihi bellandi pater eſt Veſtáq; ſacerdos
Auctor, & vtiſque nomen vtrumque paro.

Quæ

Quæ facit Auguſtum dicere, parantem vlciſci mortem Iulij, & Patris ſui, & Pontificis maximi. Neque enim aliud voluit, cùm *Veſta ſacerdotem* ſcripſit: curantem ſcilicet huic Deæ, & ſacra eius tuentem. Lego & in lapidibus: PONTIFEX VESTÆ. quo ſenſu? an quia proprius aliquis ei fuit? Præter hunc Maximum, Romæ nemo: & magis fortaſſe ſit tales titulos ad prouincias coloniáſque referri: ² vbi cùm nullæ Veſtales, Pontifex aliquis & velut Flamen proprius ei Deæ fuit. Moneo etiam, inferiore æuo aliquid huic pontificio detractum. & cognouiſſe quidem de culpâ, pœnam tamen non exegiſſe: quæ Præfecto vrbis reſeruata fuit. Diſces è Symmacho clarè: qui *ætate proximâ* id inſtitutum oſtendit, id eſt Chriſtianorum Principum aliquâ lege, niſi fallor. Sed ad Dionyſium. addit: *Funebri pompâ efferri.* quod Plutarchus etiam expreſſiùs: *Lecticâ inditam per Forum deferri, clauſa vndique & loris reuincta, vt nec vox eius poſſit exaudiri.* Atque hoc de Foro, alibi item Dionyſius, vbi de *Opimiâ* Veſtali (Liuio eſt *Oppia*:) *quam Pontifices,* inquit, *damnarunt, & demptis e capite vittis, per Forum traduxerunt, viuámque defoderunt.* Vbi & Vittas atque ornamenta vides ablata, quia ſcilicet polluiſſet. Ouidius:

> *Nulláque dicetur vittas temeraſſe ſacerdos*
> *Hoc duce, nec viuâ defodietur humo.*

Pergit Dionyſius: *Amicos cum luctu comitatos.* Plutarchus autem, non amicos tantùm, ſed *totam ciuitatem in luctu & gemitu ponit, neque vllam in eâ diem triſtiorem. Obuios autem viâ decedere, vaſto vbique ſilentio, attonitóſque omnes ſtare, aut comitari.* Amplius Dionyſius: *Ad portam Collinam delatas.* ad locum nempe, qui *Sceleratus campus* ideò dictus. Feſtus: *Sceleratus campus proxime portam Collinam, in quo virgines Veſtales, quæ inceſtum fecerunt, viua defodiuntur.* Item Liuius: *Eo anno Mucia Veſtalis, facto iudicio, viua ſub terrâ, ad portam Collinam, dexterâ viâ ſtratâ, defoſſa Scelerato campo. ab inceſto id ei loco nomen factum.* Plutarchus deſcribit, *ſuperciloſum & tumidum eum locum eſſe, & Latinâ voce Aggerem dici.* De quo Aggere (nec enim alius iſte eſt) ego pluſcula De Militiâ Romanâ in occaſione ſcripſi. etſi non totum Aggerem huic vſui applicamus: proximam portæ tantùm eius partem. Pergit Dionyſius: *In ſubterraneâ cellâ.* Græcè dixit οἴκῳ ὑπὸ γῆν κατεσκευασμένῳ: *ædiculam ſub terrâ ſtructam:* ſicut Plutarchus οἶκον κατάγειον, alibi οἴκημα, at Plinius *cubiculum,* dixêre. Amplius: *Cum funebribus ornamentis.* quod accipio, ipſam vt cadauer velatam & cultam. Zonaras ſuprà dicebat, *Lectulum appoſitum, & lucernam, & menſam cum cibis.* De lectulo, neſcio: fuítne velut ad cibum, & vt accumberet? an magis eſt funebrem capere, vſui quem dicam. De aliis, Plutarchus etiam addicit, qui *lucernam ardentem, panis modicum, aqua & olei,* ſcribit depoſita: *ne ſacratiſſimum illud corpus viderentur fame conſumpſiſſe.* Dionyſius deinde, *in eâ cellâ deponi.* Hoc eſt, quod Satyricus:

> *Sanguine adhuc viuo terram ſubitura ſacerdos.*

Quod tamen priuſquam fieret (ex Plutarcho) *Pontifex maximus arcanas quaſdam preces, manibus in cælum ſublatis, fundebat: tum ipſe ſuâ manu eductam è lecticâ in ſcalis conſtituebat: & ſic carnifici ac miniſtris ſupplicij tradebat.* Plinius itē de Corneliâ: *Cùm in illud ſubterraneum cubiculum demitteretur, hæſiſſetq́ue* (nempe in ſcalis) *deſcendentis ſtola, vertit ſe ac recollegit. cúmque carnifex manum daret, auerſata eſt & reſiluit, fœdúmque contactum quaſi planè à caſto puróque corpore reiecit.* Atque his geſtis, ait Plutarchus, *ſcala attrahuntur, & ædicula multâ humo iniectâ contegitur, donec reliquo aggeri ſolum adæquetur.* Sed vinctam illam ibi, aut ſtantem ſedentémve obrutam, nemo declarat: putem in lecto depoſitam, de quo ex Zonarâ dixi. Claudit denique Dionyſius: *Nec monumento, nec Parentalibus dignatas.* Et de monumento vel ideò monendum, quia inculpatæ in hoc quoque eximiæ, & *Veſtalium cineres* (ait Plutarchus) *in Foro ipſo recondi fas erat.* At de Parentalibus, controuertat aliquis ex eodem Plutarcho, qui ſcribit: *defoſſâ Veſtali, ne ſic quidem Romanos quieuiſſe, religione liberos*: atque adeò, μέχρι νῦν, inquit, ἐναγίζουσιν οἱ ἱερεῖς βαδίζοντες ἐπὶ τὸν τόπον: *vſque ad hoc æui Pontifices parentant, ad locum ipſum euntes.* Sed quamquam vterque eodem verbo ἐναγισμοῦ vtatur, putarim Plutarchū potiùs ad Expiationes aut Procurationes, quàm ad vera Parentalia referendum. Habes ſupplicium, & cauſſam eius ex Ouidio:

> *Sic inceſta perit, quia quam violauit, in illâ*
> *Conditur: & Tellus Veſtáque numen idem eſt.*

Etſi duplex etiam alia in Plutarcho. Vel, *quia igne Romani mortuos cremant: igne autem funerare eam, quæ ignem parùm caſtè coluit, iniquum erat.* Vel, *quia corpus maximis conſecratum ceremoniis occidere, aut manus mulieri adferre, nefas putauerunt. Sub terram igitur condi, cum victu appoſito, vt quaſi ſponte exanimata videretur.* Atque hæc ſollēnia: Principes interdum immutarunt, aut mitigarunt. vt Domitianus: qui *inceſta Veſtalium virginum* (Suetonij verba) *varie ac ſeuere coercuit: priora* (ſub patre aut fratre admiſſa) *capitali ſupplicio; poſteriora* (ſuo principatu) *more veteri.* Addit deinde, prioribus *liberum mortis arbitrium permiſiſſe; Corneliam virginem Maximam defodi imperaſſe: ſtupratoreſq́ue virgis in comitio ad necem cædi.* Quod poſtremum de Stupratoribus, Zonaras è Tarquinij etiam lege fuiſſe oſtendit. Apud Declamatores reperio, *Inceſtam de ſaxo deiici:* ſed ſcholicâ, opinor, & fictâ lege.

Margin notes: 2. — Lib. ix. epit. c xx. 11. & ſeq. — In Numâ. — Lib. viii. — Lib. v. Dial. xiv. — In Numâ & Quæſt. Ro. xcvi. — Quæſt. Ro. xcv. — vi Faſt. — Sen. 2. Controu. iii.

NOTÆ.

1. Specu ſubterraneo.] *Legimus in Martyrum actis, de* Dariâ, *quæ Chryſantho nupſerat, olim Veſtalis, iuſſam cum marito* à Numeriano Imperatore, viâ *Sa*lariâ, in Arenario deponi, atque illic viuentes terrâ & lapidibus obrui. *In quo videntur, quaſi Veſtalem, cum ſtupratore ſuo punire voluiſſe: certè ad veterem pœnam adſpexiſſe.*

2. Vbi cùm nullæ Veſtales.] *Non opinor, neque è veteri ſcripto vllo adſtructum iri. Fama tamen & traditio eſt in pluribus locis, vt Agrippina, vt Valentianis noſtris, atque alibi fuiſſe: ſed fortaſſe ſacerdotulas Mineruæ, aut & Veſtæ. ſed non iis legibus aut ceremoniis quibus Romæ.*

CAPVT XIV.

Quando Veſtales deſierint? in Arnobio nodus, nec ſolutus.

FINIVI de *Veſtalibus*: quæ & ipſæ finem ſuum ſub Chriſtianis mox Principibus inuenerunt. Quando? extremo Theodoſij ſenioris æuo. Nam etſi concuſſæ anteà, & periclitatæ ſub Valentiniano, * Theodoſio, Arcadio, quod ex Symmachi & Ambroſij epiſtolis conſtat: tamen animam traxêre ad vltimum Theodoſij, id eſt, decimum ſeptimum Imperij eius annum: cùm ille *templa claudi, & ſacrificia tolli* lege iuſſit. Præter alios, Zoſimus, clarè: *Theodoſius maior, euerſâ Eugenij tyrannide, Romam venit, & contemptum religionum in animis omnium excitauit, publicum ſumptum vltrà dare* ad

Margin notes: * Is fuit ſextus Theodoſij annus. — Lib. v.

ad ſacrificia abnuent. Pollebantur vtriuſque ſexus ſacerdotes, & fana ſacrificiis abolitis deſerta relinquebantur. Hæc ille. & lapides atque inſcriptiones etiam teſtificantur, Veſtales ad hoc æui circiter perſeueraſſe. Itaque mirum, bis mirum, Arnobium doctum illum res veteres ſcriptorem *Ignem perpetuum* inter abolita aut deſita iamdiu habere. Ita enim Romanos alloquitur, & arguit, *identidem in alios mores ac ritus, priorum condemnatione, tranſiſſe.* Tum adiungit & adſtruit: *Numquid magiſtratus per populum creatis? in poteſtatibus obeundis leges conſeruatis Annarias?* [1] *in penetralibus Veſtæ ignis perpetuos ſeruatis focos?* quas interrogationes omnes negandi mente ſuſcipi, palàm eſt. Atqui Arnobium Diocletiani temporibus vixiſſe & ſcripſiſſe, id quoque palàm eſt: id eſt, centum circiter ante Theodoſij finem annis. Quis hæc defendit, aut ſoluit? nam vel maximè tunc ſacra viguiſſe, Principibus eorum ex profeſſo aſſertoribus, nemo neget. Quid etiā Symmacho & Ambroſio fiet, aliter proclamantibus? quid ipſi Arnobio in Arnobium dicenti? Nam ita in iiſdem libris: *Sedent in ſpectaculis publicis ſacerdotum omnium magiſtratuumque collegia, nec non & caſtæ Virgines,* PERPETVI *nutrices & conſeruatores* IGNIS. De ſuo æuo dicit: nec ego, quid de priore loco dicam aut velem, habeo: manum tollo, & auxilium ſpecto.

(Side notes: Aduerſ. gent. — 1. — Lib. iiii.)

NOTÆ.

1. In penetralibus Veſtæ ignis perpetuos.] *Fallor, aut vt hæc leguntur, non ipſa Pax conciliauerit cum ſequenti loco, & cum vero. At enim libri ſcripti aliò ducunt, quod monuit me P. Heribertus Roſvveydus è Societate Ieſu, vir eruditus. Illi enim:* In penetralibus & colignis perpetuos fouetis focos. *Vnus:* In peoe impenetrabilibus & coliginis. *Sagacitatem aliorum aduoco: ſuccurrat. Mihi nunc iſtud; legendum:* In penetralibus & colinis perpetuos fouetis focos? *Et nihil de Veſtâ capio, non certè illâ publicâ: ſed referam ad priuatum in ædibus ritum, vbi antiquitus Ignem aſſeruabant & fouebant in parte interiore, & culinâ. Id factum Larium, aut & Veſtæ priuatim honori. Varro in* 1. *De Vitâ pop. R.* Colina dicta, quòd ibi colebant ignem. *Nota de* Cultu *ignis: etſi aliter fateor poſſe capi. An etiam places ad Veſtam publicam referri, &* culignis *ſcribi? Vt velit olim non in Arâ ignem illum ſtructum, ſed in* Culignis, *& vaſis fictilibus repoſitum: vti etiamnunc foueri ſub cineribus ſolet. Si tamen* Culignæ *illo ſenſu aut vſu lecta. quæ alioqui ſcio* vas potorium, *aut* ſacrificale, *in Feſto, Varrone, Liuio eſſe.*

CAPVT XV.

Alibi ignis cultura, & ſimulacrum Veſtalium.

LVBET autem pro Corollario addere, vbi locorum præcipuè cultus etiam Ignis, ſiue imago aliqua Veſtalium fuit. Apud Iudæos primùm. & Dei iuſſio: *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubiiciens ligna manè per ſingulos dies.* Et mox: *Ignis eſt iſte perpetuus, qui numquam deficiet in altari.* Habuere & Ægyptij. ac Diodorus vult *ſeruandi ignem perpetuum, cæleſti ſimilem, morem ab illis natum, & ad alias gentes propagatum.* Item Afri. & Plutarchus auctor, in Iouis Ammonis λύχνον ἄσβεστον, ſiue *lucernam inextinctam*, arſiſſe. Silius viderit & in Arâ flammas ſtatuere, vbi de hoc templo:

Inueſtincta focis ſeruant altaria flammæ.

Apud Indos, Ammianus: *Brachmanes ferunt, ſi iuſtum eſt credi, ignem cælitus lapſum; apud ſe ſempiternis foculis cuſtodiri.* In Perſis ſimile. & verba Procopij: *Magnum hîc Pyræum eſt* (πυρεῖον, *focus*, ſiue *Vas ignarium*) *quod Perſæ inter omnes Deos maximè venerantur: vbi Ignem perpetuum cuſtodiunt Magi. Hic eſt ignis, quem Veſtam olim Romani vocabant.* atque alij plures de hoc igne. Idem apud Cappadoces. Strabo: Ἔστι πυραιθεῖα, σηκοί τινες ἀξιόλογοι. ἐν δὲ τούτοις μέσοις βωμός, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς, καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ μάγοι: *Sunt Pyrathéa, ſacella quædam modica. & in iis medius Ara, in quâ cinis multus, & Ignem inextinctū Magi ſeruant.* iam in Græciæ Prytaneis, Pauſanias ſæpè cōmemorat ipſam hanc *Veſtam & æternum focū*, itémque Athenæus, & alij: iterúmque diſtinctè, *Mantineæ, in templo Cereris; Athenis, in Mineruæ; Delfis, in Apollinis.* Imò & Virgines ipſas aliquot locis habuere. Tertullianus: *Nouerani virgines Veſtæ, & Iunonis* [1] *apud Achaiæ ganeum, & Atrocis apud Delphos, & Mineruæ, & Dianæ.* Et quem hîc *Atrocem*, *Apollinem* interpretatur & indigetat. De Monogamiâ idē ſcriptor. Dubitet aliquis, an non *Aerecem*, id eſt ἀτρεκῆ, ſiue *Veracem*, à diuinādi calliditate voluerit dictum. Video & Perſas Soli virgines ſacraſſe. de quibus Iuſtinus: *Artaxerxem regem, ne Aſpaſiā pellicem filio daret, & honeſtè negaret, quod temerè promiſerat, Solis ſacerdotio præfeciſſe, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur.* Simillimum nuper, priuſquam Hiſpani Regi & Religioni ſubegiſſent, in toto Peruano tractu. vbi *crebra & magna templa dicata Soli, & in iis virgines ſæpè ducentas fuiſſe* tradunt qui viderunt: *è quibus ſiqua corpus polluiſſet, morte luebat, niſi tamen è Sole ſe concepiſſe* (vide credulitatem ſuperſtitioſam) *ſanctè adiuraſſet.* Satis de *Veſtâ & Veſtalibus*: quas olim nobiles, ſed æuo obſcuratas, iterùm in lucem protraximus, bono (ita confidimus) veterum ſcriptorum.

(Side notes: Leuit. cap. vi. — De Defectu orac. — Lib. iii. initio. — Li. xxiii. — Lib. i. bell. Perſ. — Lib. xv. — Exhor. ad caſtit. cap. vlt. — 1. — Lib. x. — P. Cieca. & Auguſtinus Carata.)

NOTÆ.

1. Apud Achaiæ ganeum, & Atrocis apud Delfos.] *Hæc Tertulliani, illuſtriſſimum genius & ingenium Scaliger, legit:* Achaiæ Ægiū, & Apollinis apud Delphos. *Non retractem. etſi P. Heribertus Roſvveydus* Atrocem *aſſeritum ibat, & conuenire Apollini, qui apud Homerū* δεινὸς θεὸς, grauis Deus *dicitur; apud Statium,*

——arcu crudelis Apollo.

Intelligit autem vates ſacerdoteſque Delphicas, quæ Virgines.

Inſcriptiones aliquot de VESTALIBVS *in memoriis priſcis.*

Romæ, in baſi, cui Statua olim ſuperpoſita.

NVMISIAE. MA
XIMILLAE. *V. V.
MAX. TI. IVL. BAL
BILLVS. *S. SOLIS
DED. IDIB. IAN.
L. ANNIO. FABIANO
M. NONIO. MVCIANO COS.

(Side note: * Virginis Veſtalis Maximæ * Sacerdos.)

In vrnulâ ſepulchrali.

D. M.
TEIÆ. EVFHROSINES
RVFINÆ. V. V.
DELICATÆ.

In baſi.

COELIÆ. CLAVDIANÆ.
V. V. MAXIMÆ.
A. DIIS. ELECTÆ. MERITO

SIBI. TALEM. ANTISTITEM
NVMEN. VESTÆ. RESERVARE
VOLVIT.
COELIA. NVMFRIANA. SOROR. VNA
CVM. PIERIO. CONIVGE. AC. LIEERIS
SVIS. ORANTES. VT. PER. *TOT. SECVLA
FACERE. DII. PERMITTANT.

* Quot nêpe ipſi eum liberis eſſent. Egregia adulatio.

Romæ.

*CLOELIÆ. CIAVDIANÆ.
V. V. MAX.
RELIOIOSISSIMÆ. BENIGNISSI
MÆQVE. CVIVS. RITVS. ET. PLENAM
SACRORVM. EROA. OEOS
ADMINISTRATIONEM
VREIS. ÆTERNÆ. LAVDIEVS
*S. S. COMPROEAT. OCTAVIA
NONORATA. V. DIVINIS
EIVS. ADMONITIONIEVS
SEMPER. PROVOCATA
COLLOCATA. XII. XAL. APRIL.
C. AVPIOIO. ATTICO
C. ASINIO. PRÆTEXTATO
COS.

* Suprà *Cœlia*: ſi tamen eadem.

* *Sanctus Senatus.*

Romæ, trans Tiberim, item in baſi.

TERENTIÆ
FLAVOLÆ. V. V.
MAXIMÆ
AVREL. IVLIVS. BAL
BILLVS. SAC. SOL
OE. PLVRA. EIVS
IN. SE. MERITA
D. D. PR. NON. APRIL.
LÆTO. II. ET. CERIALE
COS.

Romæ.

TERENTIÆ RVFFILLÆ
V. V. MAX.
DED. PRIO. NON. MAI
TITIANO. II. ET NEPOTIANO
COS.
*CVR. AVRELIO. NICETA

* *Curante.*

Romæ.

FL. MANILIÆ. V. V. MAX.
CVIVS. EGREGIAM. SANCTIMO
NIAM. ET. VENERAEILEM
MORVM. DISCIPLINAM
IN. DEOS. QVOQVE. PERVIGILEM
ADMINISTRATIONEM
SENATVS. LAVDANDO
COMPROBAVIT
ÆMILIVS. FRATER. ET
RVFINVS. FRATER. ET
FLAVII. EILVANVS. ET

A EIRENEVS. SORORIS. FILII
A. MILITIIS. OE. EXIMIAM
ERCA. SE. PIETATEM
PRÆSTANTIAMQVE

Ibidem.

FL. PVELICIÆ. V. V. MAX.
SANCTISSIMÆ. ET. PIISSIMÆ.
AC. SVPER. OMNES. RETRO
RELIGIOSISSIMÆ. PVRISSIMÆ.
CASTISSIMÆQVE.
CVIVS. RELIGIOSAM. CVRAM
SACRORVM. ET. MORVM. PRÆOI
CABILEM. OISCIPLINAM.
NVMEN. QVOQVE. VESTÆ. COMPROEAVIT.
Q. VETVRIVS. MEMPHIVS. V. E.
B *PICTOR. V. V. DIGNATIONIS. ERCA. SE
HONORISQVE. CAVSA. PLVRIMIS
IN. SE. CONLATIS. BENSPICIIS.

* Scri... Elec... cap.xvi...

Ibidem, de eâdem.

FL. PVELICIÆ. V. V. MAX
MERITO. SANCTISSIMÆ. AC. PIISSI
MÆ. QVÆ. RITE. ET. PERVIGILI. ADMINIS
TRATIONE. OMNES. ORADVS. LAVOE
CVMVLATA. SACRA. SVA. VENERATA. VI
VIT. VT. SECVLARI. ÆTATE. ET. MINISTERIO
AOSIT. ET. IN FVTORO. PERSEVERET
Q. TERENTIVS. RVFVS. ET. CÆNIA
VERISSIMA. PARENTES
TERENTIÆ. RVFILLÆ. V. V.
CVIVS. MVLTI. TEMPORIS. EONITATEM
C ET. HVMANITATEM. EIVS. CIRCA. SE
IN. BREVI. SENSERVNT.

Ex his talibus vides adulationes laudéſque erga *Veſtales Maximas*: apparétque magnas iis opes fuiſſe, vt dixi. & adminiſtrationem permiſſam, copiámque benignè faciendi. Eſt & Romæ nuper eruta Statua, quæ adſeruatur apud Ill^mum^ Cardinalem Cæſium: vbi habitus cultúſque *Veſtalis Maximæ*, quem hîc vides. Sed de illo ante pectorali variè quæri poteſt: nec apud veteres opinor reperiri. An proprius ornatus & inſigne *Maximæ* huius fuit? an & nouitia inferioris æui vſurpatio? cogitetur: tu Statuam vide, ab amico meo *Io. Hemelario*, optimo & ſuauiſſimo viro, deſcriptam & tranſmiſſam. *Statua eſt*, inquit, *è marmore* D *Pario candidiſſimo perfectiſſimi operis, capite, brachiis, & ſummitatibus pedum mutila: habuit & monile baccatum, è quo bulla dependebat ab humeris, ſed illud comminutum eſt dum ſtatua tranſportabatur. A tergo apparent vitta, è collo ſine capite in nodum deſinentes. capillorum non apparent extremitates. Inſcriptio labentis Imperij tempus referre videtur, ob litterarum formas ductiúſque imperfectiores, & interpunctiones omiſſas.*

APPROBATIO.

Syntagma iſtud dignum luce eſt, quòd ad Priſcorum lucem conferat plurimùm. 7. Calend. April.

Guilielmus Fabricius Nouiomagus Apoſtolicus & Archiducalis librorum Cenſor.

52.


Vittæ in hunc modum
a tergo conſpiciuntur
COELIAE CONCORDIAE VIRGINI
VESTALI MAXIMAE FABIA PAV
LINA C.F. STATVAM FACIEN
DAM CONLOCANDAMQVE
CVRAVIT CVM PROPTER
EGREGIAM EIVS PVDICI
TIAM INSIGNEMQVE
CIRCA CVLTVM NVMINVM
SANCTITATEM TVM QVOD
HAEC PRIOR EIVS VIRO
VETTIO AGORIO PRAETEXTA
TO V.C. OMNIA SINGVLARI
DIGNOQVE ETIAM AB HVIVS
MODI VIRGINIBVS ET SA
CERDOTIBVS COLI STATV
AM CONLOCARAT.
Monile in hanc
fere formam.

IVSTI LIPSI

DE CRVCE

LIBRI TRES,

*Ad ſacram profanámque hi-
ſtoriam vtiles,*

Vnà cum NOTIS.

Digitized by Google

AD TRES ORDINES BRABANTIÆ,

ANTISTITES NOBILES MAGISTRATVS.

LIBELLOS de CRVCE quos ſcripſi,meritiſſimò ad vos defero patriæ noſtræ primores viri.Primùm , quia in ſolo veſtro concepti natiq; ſunt,in hac Louanienſi vrbe:tum quia aura fauoris veſtri elicuit,qui me benignè huc arceſſendum putaſtis, bono rei litterariæ & iuuentutis.Laudo hunc animum,atque etiam miror. qui in tot circumſtantibus turbis,& cùm vndique inſonuit bellorum tubas ; tibias tamen & fiſtulas,vt ſic dicam,Muſarum cogitatis, & pacis artes neglectum non itis inter media arma.Quod rectè & vtiliter à vobis fieri , prudentes magis ſentiunt quàm vulgus.Nam reuera,inclyti Ordines,hæc non ornamenta ſolùm reip.ſunt,ſed auxilia & fulcra.Tollite;quid niſi ſquallor & tenebræ occupant,& ferox quædam,aut vt veriùs dicam,ferina vita?Ab omni æuo (Annales ſacros & profanos conſulite)Deus exſtare artes iſtas voluit, velut pharos & lucentes quoſdam ignes in tempeſtuoſo mari. Iſtæ pacem diligunt , bellum dirimunt:iſtæ vitia virtutéſque premunt aut excitant,teſtes temporum , arbitræ meritorum.Reges,& magna illa nomina,obliuionem æternam iam nunc cogitent, niſi pennatus iſte currus euehat,& oſtendat per æuum & per gentes. Quid argumenta colligo?vno verbo rem dixi,Deus exſtare artes iſtas voluit : & hoc quoque ab eo,quòd vos iuuatis.Eat in ſæcula,fuiſſe in vnâ prouinciâ per quinque ampliùs luſtra bellum,idq; ciuile , imò inteſtinum ; collapſa tractu, aut deiecta impetu omnia;publicam priuatámque inopiam:vos animo ſtetiſſe dites & vberes , & de rebus ſalutaribus iudicaſſe magis quàm computaſſe.Enimuerò facite ita Ordines, manum labenti patriæ ſupponite,nec præſentia ſolùm in oculis habete , ſed futura.Potens ille Deus viuit,& magnus noſter Rex:vterque auxiliabitur, ille & iſte in ſuâ cauſsâ.Interea CRVCEM accipite,atque etiam ferte.Vt columna,quæ recta ſtat,impoſito magis pondere firmatur:ſic altas rectáſque mentes oportet, non cedere oneri , ſed obniti. Vos per vos facietis.ita vterque ille faueat & auxilietur quem dixi. Louanij,pridie Nonas Nouemb. ∞.IↃ. XCII.

AD LECTOREM.

HABES *Lector quæ de Cruce ſcripſimus, ſed germana. Anteà atque alibi quæ edita (credes hoc nobis) non ſunt noſtra. Quid ergo? non illa dictauimus? Fortaſſe. ſed ô imperitiam! quaſi edendi illo fine. Reuerentior poſteritatis ſum: & aliud ſcio eſſe Schedia, aliud Opera; nec ſubitaria hæc noſtra dedicanda in Memoriæ templo. Quid, quod alij grauiùs etiam peccant? qui excipiunt aut intercipiunt dicta aut oratiunculas noſtras, & in contumeliam mei diuulgant. Aliter non accipio. Æuum hoc vt multis delictis fibulam, ita petulantiæ & licentiæ laxat: & quod auet procaciſsimus quiſque, id etiam audet. Ego ſemel & seriò teſtor, audite qui in Europâ.* NIHIL MEVM EST, AVT ERIT, QVOD NON DE AVTOGRAPHO MEO, ET ME VOLENTE, SIT EXPRESSVM. *Quicunque aliter, mihi iniuriam facit, vobis fucum. Deus bone, hæc monenda publicè eſſe? Ecce in bona opeſq́; externas ius eſt non viuo mihi ſolùm ſed mortuo, & ſolatium fati eſt voluntas vltra fatum: in iſtis animi & ingenij verè bonis non idem erit? Reprimite Principes qui poteſtis, & vos lectores quâ poteſtis: illi puniendo, vos ſpernendo. Ego præter teſtari nihil habeo, & hoc etiam addo, Siquid vſquam præter religionem moreſq́; veterum, non agnoſco: & tibi adhæreo* Statu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli Petrus & Paulus cum ſanguine ſuo profuderunt. *Hæc ex animo ſcripta, vt in animum demittas, te, per ſpes tuas & per quidquid carum eſt, Lector rogo.*

IN IVSTI LIPSI V. CL. DE CRVCE LIBRVM, AD PRINCIPES CHRISTIANOS

ELEGIA IOANNIS BOCHII S. P. Q. Antuerpienſi à Secretis.

SI QVA ſaluiferi tangit vos gloria ſigni,
Si qua fides, ſi quis religionis amor;
Si meritũ Crucis, & ſtudiũ vos excitat vllũ,
Et memores veſtri nominis eſſe iuuat;
Chriſtiadûm ô proceres, poſitis aduertite mentes
Rebus, & hoc vno figite corda libro.
Hic decus, & factis ſeges hic vberrima veſtris,
Laurus & hic vero Principe digna viret.
Qua genus humanum deuicta morte triumphat
Arbore, cui noſtræ ſtemma ſalutis ineſt.
Ipſa Dei pietas ramorum amplexibus hæret,
Et rigimus Chriſti ſanguine vernat apex.
De trunco fidei pendent myſteria noſtra,
Maieſtate Deus, corpore verus homo.
Radicem cruor innocui purisſimus agni,
Quilauat humana vulnera ſontis, alit.
O Crux, ô columen, ſpes vnica, planta ſalutis,
O lignum arboris fertile depoſiti.
Noxia prima fuit miſeris mortalibus arbor,
Damna ſed hæc medica noſtra reſarcit ope.
Protulit illa necem, vitam hæc. erat illa doloris
Mater, at hæc plauſus lætitiæq; fuit:
Pérque nefas, vitiúmque ſuo de ſemine, cælum
Clauſerat illa, fores hac reſerante patent.
Illam Tænario fallax è gurgite ſerpens
Occupat, impietas, & furor, ira, dolus:
Hanc natus genitore Deo, qui fœderis obſes,
Lethæo veteres carcere traxit auos.
Nec voluit ſeros Erebo parere nepotes,
Colla ſed excuſſo libera ferre iugo.
Victricis vexilla Crucis, credentibus omen
Extulit, imperij ſigna futura ſui.
Vmbrarum hæc oculis haud aſpicit arbiter æquis,
Sæuit, & auxilijs expedit arma nouis.
In Crucis excidium Latias aptare ſecures
Apparat, & domina concitat vrbis opem.
Primáque Cæſareus tentauit verbera lictor
Incaſſum, & rabie proficiente nihil.
Nam lignum Crucis ad quoſuis obduruit ictus.
Státque magis, quanto caditur illa magis.
Chriſtiadûmque fidei numerum cruciatibus auget,
A *Et Crucis imperium creſcere pœna facit.*
Crux vicit crucis artifices, tormenta propago,
Vnus & innumeros Chriſtus in orbe Deos.
Non tamen antiquus furiarum in ſede quieſcit
Hoſtis, at indicto prælia Marte ciet.
Omnia conquirit pœnarum inuenta, tyrannos,
Monſtra, faces, laqueos, flagra, metalla, feras.
Donec Romuleos Chriſti victoria faſces
Subdidit, & victo Cæſare iura dedit.
Hinc aquilæ ceſſêre Cruci, vaſtúmque per orbem
Crux fuit auguſtis gloria prima viris.
Vt quoties fera barbaries, aut nominis hoſtes
Chriſtiadûm, ſacra mouerit arma Cruci,
Arſacides, vel mollis Arabs, Macedûmque phalanges,
Pontus, & Iſmarij Luna ſuperba ducis,
B *Aut Scytha, vel Garamas, medijs vel Syrtibus Ammon,*
Errorum aut furiis gens agitata nouis;
Protinus intrepidis animis, armiſque paratis,
Sancta ſaluiferâ pro Cruce turba ſtetit.
Nunc idem, & rabie nunc imminet hoſtis eâdem,
O proceres, eadem cauſſa tuenda Crucis.
Iungite communes fata in communia dextras,
Ne pereant omnes, dum ſibi quiſque cauet.
Crux acies volet in medias, hoc vincite ſigno,
Cui didicit famulas mors dare victa manus.
Quod Stygij tremuere lacus, quod mundus, & hoſtis
Quo viſo, trepida perdidit arma fuga.
Hæc monet antiqui ſcrutator Lipſius æui,
C *Et ſtimulos ſcriptis ſubdit ad arma ſuis.*
Vile crucis quondam leti genus eruit vmbris,
Pœnáque ſupplicij quanta, quibúſque fuit.
Exemplóque docet, tantum ſi dedecus inſons
Mortis, ob humani crimina acta tulit;
Si Deus eſſe reus voluit, culpámque piauit,
Deleuitque necem morte cruore nefas;
Hortari benefacta Crucis vos ſtringere ferrum
Pro cruce, coniunctas ſumere tela manus.
Hoc vos ſancta fides (nam defenſoribus iſtis
Tempus eget) pietas, officiúmque rogant.
Arma dabunt ſuperi victricia, teſſera Chriſtus,
Crux ſignum, noſter buccina Iuſtus erit.

MAXÆMYLIANI
DE VRIENDT,
SENATVI GANDAVENSI
A SECRETIS, AD IVSTI LIPSI de Cruce libros.

Epigramma.

SVpplicij ferale genus, trabs hoſpita leti,
Crux olim, & dirus ſontibus horror erat.
Tormentum inuiſum, durum, execrobile lignum,
Quo grauius nullum terra nouerca dabat.
At poſtquam ſata patre Deo, ſata Virgine proles
Diluit in celsâ crimina noſtra Cruce:
Victima pro ſeruis dominus, pro ſontibus inſons,
Pro læſis medicus, pro grege paſtor amans;
Ilicet ex illo, Crux lux, mors vita, trophæum
Furca, decus probrum, pœna medela fuit.
Hoſpite preſſa Deo tanti Crux numinis, olim
Crux ſcelerũ Nemeſis, nunc ſcelerũ vna ſalus.
Hoc olim tam grande decus, tam mobile pignus
Terra diu cæco texit auara ſinu:
Dum veluti poſtliminio tandem extulit illam,
*Et luci lucem * Cæſar habere dedit.* [* Conſtā-tinus.]
Fallor? an & IVSTVS ceu Cæſaris æmulus, atra
Nocte laborantem tollit ad aſtra Crucem?
O factum iuſtè: ſic rident lumina iuſtis,
Inuidiâ iniuſtis lumina fracta dolent.

Anumam rex Delius indit.

DE IVSTI LIPSI
LIBRIS DE CRVCE,
MICHAELIS VANDER-HAGHEN ANTVERPIENSIS

Ad Lectorem Epigramma.

SI te priſca iuuant: hoc, docti, DE CRVCE, LIPSI,
Ingentis plenum, volue, laboris opus.
Supplicium Crucis ille vetus deſcribit ad vnguem,
Quale fuit, noſtram SALVIFICAMQVE CRVCEM:
In qua hominum lapſus, ſcelerúmque Piator, atrocẽ
Mortem, inſons, multo ſanguine paſſus erat.
Vnde noua extinctis lux extitit, vnde ſepultis
Vita oriens, rutilam ſuſtulit alta facem.
Vnde redemptio & alma reconciliatio manant:
Vnde perennantis flumina pacis eunt.
Iſta vetuſtatis teſerat penetralia, Lector,
Vtere eo; & quantus, diſce, vir ille fiet.

IN CLAR. VIRI
IVSTI LIPSI
DE CRVCE
LIBROS.

LIPSI, *Palladiæ decus coronæ,*
LIPSI, *delicium nouem Sororum,*
Quo nec eſt melior benigniórque:
Iam loquax nimium, nec æqua lingua,
Quæ, vah, artibus abrogare ſanctam
Virtutem ſolet ac politiori
Doctrinæ, reprimetur illa. nam tu,
Qui doctiſſimus vnus es virorum,
Vnus es ſimul optimus virorum.
Eſt curæ pietas, & ipſa virtus,
Hac doctrina velut politur auro:
Teſtes DE CRVCE *ſunto tres Libelli:*
Docti, Jupiter! & pij libelli.
Coniunctam, bone lector, hîc videre
Virtutem licet eruditioni.

Balthaſar Moretus I. F.

IVSTI LIPSI DE CRVCE

LIBER I.

CAPVT I.

Precatiuncula. Materies & ordo operis.

AGGREDIOR de CRVCE ſcribere, ſed tuam priùs opem auxiliúmque inuocâs, qui eam conſecraſti, & infame illud lignum inſtrumentum feciſti publicæ ſalutis. Tu Deus à Deo genite, homo ex homine genite, hominibus genite, da mihi vera, da recta ſcribere, tibi in honorem, Cruci in ſplendorem, nobis in fructum. Materies & ordo mei operis iſtę. *Quid* Crux, & *Cuiuſmodi* fuerit: *Vbi*, *Quare*, *Quomodo*, & *Quatenus* vſurpata. Hæc omnia non diſtinctè ſolùm, ſed diffuſè dicam: nec diſplicebit accuratio illi, cui ſalutare hoc ſignum placebit.

CAP. II.

Crucis nomen polyſemon. Hac noſtra Gabalus etiam dicta, item Infelix lignum, & Infame. Sed & Crux non in ligno.

Crux quid quid cruciatus.

CRVX ſignificatione duplici, Laxâ & Adſtrictâ. Illa eſt, cùm pro omni angore, tormento, atque etiam interitu ſumunt. vt Comici paſſim, qui *Abire* iubent *in malam Crucem*: vt Gracchus, qui dixit (alio etiam genere) *Malo Cruce perire*: vt Plautus de homine merſo aquis, *Abſtractum in maximam malam Crucem*. Sed & Terentius à cruciando, Meretrices dixit *Cruces*: nec diſſimiliter Plautus, *Aliqua mala Crux ſemper eſt, quæ aliquid petat*. Paullò diuerſius illud eiuſdem: *Quæ te mala Crux agitat?* quod adfine iſtis, *Quæ laruæ, aut quæ intemperiæ*. At Adſtricta ſignificatio eſt hæc mea, & vulgò receptiſſima, cùm peculiariter cruciatum & interitū notamus in ligno. Quid ita? credo, quia eximius ille, mors tarda & planè cum ſenſu. Dixerunt & alio nomine *Gabalum* Nonius ex Varrone citat: *Nos barbari quòd nocentes in Gabalum ſuffigimus homines, vos non barbari noxios abſoluitis*. Quæ vox etiam in priſcis Gloſſis, ſed vocali mediâ mutante: *Gabulum*, βάσανος. explicátque laxè, vt vides, & pro quocumque tormento. Dixerunt aliter, *Infelicem arborem, lignum, ſtipitem*. In carmine horrendo apud Liuium: *Caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito*. De Cruce accipi res docet, & Cicero, qui in eâ pro Rabirio palàm ſic interpretatur. & Seneca: *Inuenitur qui velit adactus ad infelix illud lignum trahere animam tot tormenta tracturam*. Minutius Felix: *Deus ligneus, rogi fortaſſe vel infelicis ſtipitis portio*: id eſt, Crucis. Dixit & *Infamem* Poëta incertus.

Menæch. Prolog.

Aulular.

Ibidem.

Mors in ligno.

Gabalus. In Gabalū.

Lib. I. Infelix arbor.

Epiſt. ci. Infelix lignum.

In Octauio. Infelix ſtipes.

In Catalect. Virg. Infamis ſtipes.

Noxius infami diſtrictus ſtipite membra,
Sperat & à fixâ poſſe redire Cruce.

Natæ appellationes à iudicio & ſenſu vulgi, quibus hoc ſupplicium in horrore pariter & vilitate. Itaque Apuleius (in meo quidem & priſco libro) *Damnatam Crucem* dixit. * *Damnata*, inquit, *iam crucis candidatus*: bene, & pro hoc ſenſu. Etſi autem Crux propriè in ligno: tamē adnoto, ſimilitudine etiam ita dictam ſuſpenſionem aut fixionem in aliâ paraturâ. puta in mōte aut petrâ. Sic Tertulliano ſunt *Cruces Caucaſorum*, alludēti ad Promethea illîc affixum: quē ipſum Lucianus deſcribit & appellat ἀνεσταυρωμένον. Sic & Manilius de Andromedâ, quæ in ſcopulo vincta & ceto expoſita: *Et cruce virgineâ moritura puella pependit.*

Lib. I. de Aſin. * Vulgò deſtinata.

Lib. 2. aduer. Marc. cap. I. Cruces in petrâ. Lib. V.

CAP. III.

Nomina phraſésve ad hoc ſupplicium: Figere, Configere, Cruciare. item Cruciarius, pro appendendo.

CRVCIS hæc nomina: ſupplicij quod per eam, iſta. *Cruci ſuffigere*. vt Velleius de piratis, quos Cæſar, inquit, *Cruci ſuffixit*. *In cruce ſuffigere*. vt Hirtius. *Iuba Numidas eos, qui loco amiſſo fugâ ſe receperāt, in cruce omnes ſuffixit*. Item *Cruci affigere*, & *Crucifigere*, crebra in libris. Illud minùs, *Figere* ἀπλῶς & ſine additione. Tertullianus ſic vtitur: *Taceo quòd figitur* (Chriſtus:) *in hoc enim venerat*. Quod idem *Configere* Paulinus Nolanus Epiſcopus dixit:

De bello Afric.

Figere. De patiētia, c. III. Configere. Natali IX. Felic.

Agnoſcant trepidi, quem confixere rebelles:

de Chriſto ad iudicium venturo. Etſi Tertullianus paullò aliter, *veterem hominem confixum eſſe Chriſto* dicit: quod vulgò, *vna Crucifixum*. Suo etiam & proprio verbo appellarunt, *Cruciare*. Auſonius:

De Reſurr. carn. cap. XLVII.

Cruciare. In Cupidine cruc.

——Cruciauerat illic
Spreta olim, memorem Veneris, Proſerpina Adonim.

Hegeſippus: *Capiebantur innumeri* (Iudæi,) *quingenti ferme ad diem cruciabantur*. quod eſt in crucem agebantur: atque Ioſephus in iſtâ ipſâ re dixerat, ἀνεσταυροῦντο. Paulinus:

Lib. V c. XVIII.

Lib. VI. Excid. c. XII.

Natal. IX. Fel.

— Cruciatâ in carne coruſcum
Agnoſcant trepidi.

Gloſſæ veteres: *Cruciat, crucificat*, σταυροῖ. Nota ibidem & *Crucificat*, quod in iiſdem gloſſis alibi: *Crucificatus*, ἐσταυρωμένος. A *Crucio* ſiue & *Cruce* ipſâ *Cruciarius* dictus is qui in cruce. vel qui eâ dignus. In ipſâ, vt Petronius: *Cruciarij vnius parentes vt viderunt noctu laxatam cuſtodiam, detraxēre pendentem*. Et in Declamationibus Calpurnij Flacci inſcriptio: *Pædagogus cruciarius*: & *Peregrinus cruciarius*. de his qui appenſi iam in cruce. At qui eâ digni, per conuicium aut minas quoque ſic nominati. Iſidorus: *Cruciarius, eò quod ſit cruce dignus*. Apuleius: *Nec tantillum cruciarius ille deterritus*. Ammianus: *Longum eſt, quæ cruciarius ille conſtanter*.

Cruciarius. σταυρωθείς in Satyr.

Declam. XVII & XXXII.

Lib. X. cruciarius ὁ σταυρωτέος. Lib. XXIX.

CAP. IV.

Græcorum verba ad Crucem & crucifixionem. Heſychius & Ouidius emendati, iſte etiam explicatus.

ISTA Latinis: Græcis duo ferè Crucis nomina, Σταυρὸς & Σκόλοψ. Illud frequentius: quod tamen propriè non niſi ſtipitē ſignat ſingularē & erectum. Latinè dixeris *Palum* ſiue *Vallum*. Euſtathius: Σταυροὶ ὀρθὰ καὶ ἀπωξυμμένα ξύλα· τὰ καὶ σταυρὰ παρὰ τοῖς μὴ καλῶς ἑλληνίζουσι· λέγονται δὲ παρὰ τὸ εἰς ἀέρα ἵστασθαι, ἢ παρὰ τὸ εἰς εὖρος ἵστασθαι. οἱ δὲ αὐτοὶ σκόλοπες λέγονται. i. *Stauri ſunt ligna recta & præacuta. quæ & Staura dicuntur ab iis qui minùs ingenuè loquuntur, facta vox: vel quòd ad aerem ſtent, vel quod in latum. Hi ipſi & Scolopes dicuntur*. Quod ait, εἰς εὖρος vel *in latum*, de pluribus iunctis verum eſt, vt ſolet in caſtrorum vallo. Neque immuto: etſi ex Heſychio paullò aliter demutante, poſſim. Ille ſic: Σταυροί, οἱ καταπεπηγότες ὀρθοὶ σκόλοπες, χάρακες καὶ πάντα τὰ ἑστῶτα ξύλα. ἀπὸ τοῦ ἑστάναι σταυροί, ἢ ἐκ τοῦ εἰς τὸν ἀέρα ἵστασθαι. *Stauri, defixi ſtipites ſunt, valli, & omnia*

Σταυρὸς quid.

In Odyſſ. ε initio. Vnde vox ſudis.

ligna recta ſtatua: ab eo quòd ſtent Stauri, vel quòd ad auram conſiſtant. Alluſiſſe ad poſtremum hoc etymon Prudentius videatur:

Πυρὶ ϛεφ. Hymn. xi.

—Crux illum tollat in auras
Viuentéſque oculos offerat aliti bus.

Lucianus ſcitè derivatio.

Hæc Grammatici. ſed Lucianus ingenioſè & pro argumento, in Iudicio vocalium, deriuat à Tau litterâ, quæ figurâ crucem refert. Ait ἀπὸ τούτου (τοῦ Ταῦ) καὶ τῷ τεχνήματι τοῦ ποιητοῦ τὴν πονηρὰν ἐπωνυμίαν συνελθεῖν: *ab iſta etiam inſtrumento peſſimo* (cruci) *peſſimum nomen veniſſe.* Atque hoc in fine eius dialogi iterat. Iam Σκόλοψ propriè, vallum, ſudémque ſignificat acutam. Heſychius: Σκόλοπες, ὀξέα ξύλα, ὀρθά: *Scolopes, acuta ligna, recta.* Homerus:

Σκόλοψ, quid.

Iliad μ. ver. 63.

———Σκόλοπες γὰρ ἐν αὐτῇ τάφρῳ
Ὀξέες ἑστᾶσιν.

Ibi Euſtathius: Σκόλοπες, ὀρθὰ ξύλα καὶ ὀξέα, ἃ καὶ σταυροὺς ἐκάλουν· ἐφ᾽ οὓς οἱ κρεμασθέντες ἀνεσταυροῦσθαι καὶ ἀνεσκολοπίσθαι ἐλέγοντο: *Scolopes recta ligna & acuta, quæ & Stauros vocabant: in quibus appenſi, cruci aut vallo figi dicebantur.* Et benè, quòd duo illa verba ſuggerit, quibus ipſam crucifixionem ſignificabant, Ανασταυροῦν & Ανασκολοπίζειν. Ita enim plerumque compoſitè, ad elationem ſcilicet fixionémque in alto notandam: etſi aliàs etiam ſimpliciter, Σταυροῦν & Σκολοπίζειν. Sunt & alia duo verba, quibus vulgò valdè vſi, Προσηλοῦν & Κρεμᾶν ſiue Ανακρεμᾶν. quorum illud clauationem ipſam in ligno propriè notat, hoc ſuſpenſionem. In illo, ſcriptoris aliquis error videtur apud Heſychium: Προσήλωται, ἀνέστρωται. atque ego reſcribam, ἀνεσταύρωται. In iſto, ſæpe interpretum, qui ad ſuſpenſionem vulgariam & in laqueo aptant. Ita quod Arrianus narrat de Muſicano: τοῦτον κρεμάσαι Αλέξανδρος κελεύει ἐν τῇ αὐτοῦ γῇ: aliter verſum legi, cùm ſic debuerit: *Hunc Alexander crucifigi in ſuâ regione iubet.* Curtius ſatis præit, qui ſcribit *in crucem ſublatum.* Ita quod Diodorus Siculus in eiuſdem

Heſychius correctus.

Lib. vi.

Lib. xvii.

53



Alexandri rebus, de Tyro captâ: τοὺς δὲ νέους πάντας ὄντας οὐκ ἐλάττους τῶν δισχιλίων, ἐκρέμασεν: idem Curtius rectè: *Duo millia crucibus affixa, per ingens litoris ſpatium pependerunt.* Et exempla pluſcula. Tale apud Latinos ipſum *Suſpendere*, quod ad Crucem referendum moneo iuuentutem. Vt in Silio:

Suſpendere quid.

Hunc poſtquam diro ſuſpenſum robore vidit.

Lib. i.

In Senecâ: *Latrocinium fecit aliquis. quid ergo meruit? vt ſuſpendatur.* In Ouidio:

Epiſt. ci.

More vel intereas capti ſuſpenſus Achæi,
Qui miſer auriferâ teſte pependit aquâ.

In Ibin.

Quibus verſibus vera hiſtoria & ſcolus è Polybio reddatur iſte. Antiochus rex per fraudem Achæum ex arce Sardium deduxit, & per inſidias cepit. Καὶ ἔδοξε, addit, πρῶτον μὲν ἀκρωτηριάσαι τὸν ταλαίπωρον, μετὰ δὲ ταῦτα τὴν κεφαλὴν ἀποτεμόντας αὐτοῦ, καὶ καταρράψαντας εἰς ὄνειον ἀσκὸν, ἀνασταυρῶσαι τὸ σῶμα: *Et viſum eſt, primo admutilare illum miſerum & extremas partes ſuccidere, deinde capite eius reſecto, & in Aſininum culleum coniecto, reliquum corpus crucifigere.* Hæc res: ſperne aliorum inanes logos. Sed & mecum lege, *teſte pependit aquâ*: non *triſte* aut *reſte*, quod vulgatur. Vult enim, eum non in ipſâ auriferâ aquâ, id eſt Pactolo, ſuſpenſum: qui potuit? ſed iuxta eam, atque illâ quaſi arbitrâ & inſpectante. Pactolus autem haud longè Sardes, vbi hæc geſta.

Lib. viii. Ouid. ii explicatus.

Leuiter emendatum.

CAPVT V.

Diuiſio prima Crucium: & de ſpecie vetuſtiſſimâ dictum, Affixione. Tertullianus per occaſionem correctus, atque Iſis eadem cum Cerere exiſtimata.

VERBA non vltrà me tenent: rem ordiamur. cui illuſtrandæ duplex genus Crucium ſtatuo, *Simplex* & *Compactum*. Illud voco, *cùm in vno ſimplicíque ligno fit affixio, aut infixio.* Quæ crux, meo iudicio, prima fuit, & in aliam ſpeciem à rudi hac ventum. Sed ea quoque duplex, vt tetigi: altera ad *Affixionem*, altera ad *Infixionem*. Nam aliàs ad arborem ſiue ſtipitem alligabant figebántve hominem: vt in *Cupidine crucifixo* Auſonij, quem ſic deſcribit:

Crux ſimplex.

Eius diſcrimen.

Eligitur maſto myrtus notiſſima luco,
Inuidioſa Deûm pœnis. Cruciauerat illic,
Spreta olim, memorem Veneris, Proſerpina Adonim.
Huius in excelſo ſuſpenſum ſtipite Amorem,
Deuinctum poſt terga manus, ſubſtrictáque plantis
Vincula mærentem, nullo moderamine pœnæ
Adfigunt.

Verba omnia nota: videbis & in arboris ſtipite appenſum, nec manibus expanſis, ſed à tergo deuinctis, denique nec clauis ſed funibus ſubſtrictum: niſi fortè in pedibus. Simile in Tertulliano, de Tiberio: qui Saturni *ſacerdotes*, vt inquit, *in eiſdem arboribus templi ſui, obumbratricibus ſcelerum, votiuis Crucibus expoſuit.* In Martyrologio, de Paphnutio: *Ipſe palmæ arbori affigitur, cæteri autem ferro necantur.* Nec ambigimus arbores plerumque huic rei ſeruiſſe, præſertim in grandi numero cruciandorum, ſiue reciſas leuiter & ad Crucem aptatas, ſiue etiam comantes. Sed & in ſtipite ſimplici idem fuit ex Tertulliano: *Quanto diſtinguitur à Crucis ſtipite Pallas Attica, vel Ceres Farrea, quæ ſine effigie, rudi palo & informi ligno proſtant?*


Apolog. cap. viii. In arboribus appenſio.

xxiv Septemb.

Apolog. cap. xvi. Stirpe in rudi ſtipite.

Nam

54



55



Nam rudem ecce palum componit & aſſimilat cum Cruce. Sed in eius verbis menda de Cerere Farreâ. Cur enim ſic appellet? an quia far inuenerit? Eſtn. atqui non omnis Ceres ſic efficta, ſed certa aliqua, & in loco quem voluit expreſſum: ſicut de Pallade, quæ Athenis. Legendum arbitror, *Faria* ſiue *Pharia*: quaſi dixerit Cererem, quæ in Ægypto. Et intelligi credam Iſidem: quæ nomine diuertit à Cerere, numine communicat. Ita Herodotus: Δημήτηρ δὲ, Ἶσις. In Apuleio, ipſa de ſe Iſis: *Me primigenij Phryges Peſſinuntiam matrem nominant, me Eleuſinij vetuſtam deam Cererem.* Euſebius de Præparatione: Φασὶ τοίνυν Αἰγυπτίους τὸν μὲν Ὄσιριν εἶναι τὸν Διόνυσον, τὴν δὲ Ἶσιν τὴν Δήμητραν: *Aiunt Ægyptij Oſirim eſſe Bacchum, Iſidem verò Cererem.* Tertullianus emendatus. Ceres Pharia, ſiue Ægyptia. Lib. XI. de Aſin. Lib. II. cap. I.

CAPVT VI.

Altera Simplicis Crucis ſpecies, Infixio. Seneca, Heſychius, Plato, Plinius, illuſtrati.

ATQVE hæc fuit in Simplici Cruce affixio: eſt & in eâdem Infixio. qualis? *cùm nudum hominem erectè acutóque ſtipiti infigebant*, eâ formâ & facie quam exempla hæc docebunt. Seneca: *Video iſtic Cruces nec vnius generis, ſed aliter ab aliis fabricatas. Alij capite conuerſo in terram ſuſpendere, alij per obſcœna ſtipitem egerunt.* Duo in iis verbis obſerues, & Cruces varias fuiſſe, quod nunc diducimus: & inter eas, Infixionem. Quam magis etiam aperit idem Seneca: *Cogita hoc loco carcerem & Cruces, & adactum per medium hominem, qui per os emergat, ſtipitem.* Viden' clarè medium hominem ſciſſum & transfoſſum? Atque id imagine etiam illuſtrat Heſychius: Σκόλοψιν, ὡς ὄπλισιν· τὸ γὰρ παλαιὸν τοὺς κακούργους οὕτως ἀνεσκολόπιζον, ὀξύνοντες ξύλον διὰ ῥάχεως καὶ τοῦ νώτου, καθάπερ τοὺς ὀπτωμένους ἰχθύας ἐπὶ ὀβελίσκων: *Sudifixionem* dixeris, *quaſi Aſſationem. Nam antiquitus maleficos ſudi infigebant, acuto ligno penetrantes ſpinam & dorſum, ſicuti aſſos in verubus piſces.* vbi amplius diſco, propriè hoc eſſe Σκόλοψιν & Σκολοπίζειν vbi legitur, plerumque referendum ad hanc formam. Iſta Crux neſcin an Mæcenati etiam deſcripta: cuius verſus apud Senecam iam olim ſic legimus: Infixio quæ vulgò Impalatio. Conſolat. ad Mart. cap. XX. Epiſt. XIV. Σκόλοψις. vnde dicta. Mæcenatis lus. Epiſt. CI.

Hanc mihi, vel acutâ
Si ſedeam Cruce, ſuſtine.
Vita dum ſupereſt, bene eſt.

Vult miſer & adſuſpirat viuere, etiam inter tormenta, & in iſtâ maximè cruciante Cruce, quam ſignanter dixit *Acutam.* Sed ait etiam *Sedere*: bène. Nam ille profectò habitus hominis ab infero in ſuperum ſic transfixi. Hoc ipſum genus Ἀνασχινδυλεύειν, dictum Græcis, quaſi diffindere & diſſecare. Heſychius: Ἀνασχινδυλευθῆναι, ἀνασκολοπισθῆναι. Plato eo verbo vſus: Μαστιγώσεται, στρεβλώσεται, τελευτῶν δὲ πάντα κακὰ παθὼν ἀνασχινδυλευθήσεται: *Flagellabitur, diſtorquebitur, denique omnia mala paſſus Cruce diffindetur.* Plinij etiam verba huc referam narrantis, Polybium cum Scipione in Africâ leones homicidas *crucifixos vidiſſe, quia cæteri metu pœnæ ſimilis abſterrerentur eâdem noxâ.* Quis enim credat operoſam & compoſitam crucifixionem illam fuiſſe? non ego: & accipiam de hac promptâ & fortuitâ in ſtipite infixione, ſiue etiam affixione. Et Platoni, II. De Repub. Et Plinio. Lib. VIII. cap. XVI.

CAPVT VII.

In genere de Cruce Compactâ: tum de primâ eius ſpecie, Decuſſatâ. & an hæc ſit Andreana?

AT *Compacta* Crux eſt, quæ *manu facta, idque è duplici ligno*. Ita ſeptuaginta Interpretes Ptolomæani, libro Ioſuæ quâ vulgò eſt, *lignum*, & Chaldæo paraphraſte, *Crux*, ipſi verterunt ξύλον δίδυμον: bene ſanè, ad hanc formam. Hæc eſt plena & vera Crux, in qua brachia etiam explicantur, atque ideò *Patibulum* non ſemel dicta. Huius ſpecies triplex, vt diſtinctè imò curioſè ediſſeram, & ſemel tollam dubitationes aut lites. Eſt *Decuſſata*, eſt *Commiſſa*, eſt *Immiſſa*. Illa prima mihi dicitur, *in quâ duo ligna directa & æquabilia, inter ſe obliquantur*. Decuſſare hoc enim Romani dixeruot. Hieronymus: *Decuſſare, eſt per medium ſecare, veluti ſi duæ regulæ concurrant*

Lignum immiſſum.

Patibulum quid proprie.

Crux Decuſſata.

In Hieron. Ep. XXXI.

56



ad ſpeciem litteræ X quæ figura eſt Crucis. Nec minùs clarè Iſidorus: *X littera, & in figurâ Crucem, & in numero decem demonſtrat*. Obſcuriùs paullò alij Patres & Doctores noſtri. Vt Iuſtinus Martyr: qui illud Platonis in Timæo, Ἐχίαζεν αὐτὸν ἐν τῷ παντί: *Decuſſauit eum in vniuerſo*: adſeueranter ad Chriſtum & Crucem noſtram retulit, quo niſi hoc aſpectu? Iam cùm tranſuerſis obliquatiſque manibus benedictionem Iacobi eôdem aptant: quid niſi hæc forma in oculis? Damaſcenus: Ἰακὼβ προσκυνήσας τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου, ἐναλλαγμέναις ταῖς χερσὶ τοὺς υἱοὺς Ἰωσὴφ εὐλογήσας, καὶ τὸ σημεῖον τοῦ σταυροῦ διαγράφει σαφέστατα: *Iacob adorans extremum virgæ, alternatis manibus liberos Ioſeph benedicens, etiam ſignum hoc Crucis deſcribit manifeſtiſſimè*. Quid χεῖρες iſtæ ἐναλλαγμέναι etſi non ambiguum, tamen audiamus Cedrenum commodè explicantem. Ἰσραὴλ (idem cum Iacobo) τὰς χεῖρας ἀμείβων, τὴν μὲν δεξιὰν ἐπὶ τοῦ νεωτέρου, τὴν λαιὰν δ' ἐπὶ τοῦ πρεσβυτέρου τὴν κεφαλὴν τεθείς: *Iſrael manus permutans, dextram quidem in iuniorus, ſiniſtram verò in ſenioris caput imponens*. Et Tertullianum in iſtâ ipsâ re: *Impoſitis & intermutatis manibus benedixit, & quidem ita tranſuerſim obliquatis inter ſe, vt Chriſtum deformantes, iam tunc portenderent benedictionem in Chriſtum futuram*. Quomodo *Chriſtum deformarunt* illæ manus? imò *Crucem*: & ſic mihi libido aliquando legere: ſed refræno, & accipio Chriſtum crucifixum. Hæc illa eſt quam Andreanam hodie dicimus, validâ & ſatis veteri famâ diuum iſtum in eâ cruciatum. Anne verâ? facit me vt ambigam Martyrologium Romanum: in quo hoc ſaltem * legas, *in Cruce ſuſpenſum*. & magis Hippolytus, qui ſcribit *Crucifixum Patris in Achaiâ, ad arborem oliuæ rectum*. Quid magis contra famam? Atque hæc fixio ad Simplicem noſtram potiùs abeat, longè à Decuſſatâ.

Lib. I. Orig. ca. III.

Aduerſ. Triph. Iuſtinus explicatus.

Lib. IV. de Orth. c. XII. Et Damaſcenus.

De Baptiſ. cap. VIII.

Crux Andreana.

*Vt & in Abdiâ lib. III.

In Comment. Græco.

CAPVT VIII.

Commiſſa Crux quid nobis ſit? exemplis teſtibúſque aſſerta, tum etiam veſtigio noſtræ linguæ.

IAM *Commiſſam* Crucem appello, *cùm ligno erecto breuius alterum ſuperne, & in ipſo capite committitur, ſic vt nihil exſtet*. ea forma examuſſim eſt in T litterâ, quam vno ore omnes cum Cruce componunt. Lucianus vbi Tau accuſator: τῷ γὰρ τούτου σώματί φασι τοὺς τυράννους ἀκολουθήσαντας καὶ μιμησαμένους αὐτοῦ τὸ πλάσμα, ἔπειτα σχήματι τοιούτῳ ξύλα τεκτήναντας, ἀνθρώπους ἀνασκολοπίζειν ἐπ' αὐτά: *Huius enim corporis filum tyrannos aiunt ſecutos, eiúſque ſpeciem imitatos, ſimili deinde figurâ ligna fabricaſſe, & homines in iis fixiſſe*. Palàm eſt Crucem intelligi. Tertullianus: *Ipſa enim littera Græcorum Tau, noſtra autem T, ſpecies Crucis*. Iſidorus: *Tau littera ſpeciem Crucis demonſtrat*. Hieronymus: *Antiquis Hebræorum litteris, quibus vſque hodie Samaritæ vtuntur, extrema Tau Crucis habet ſimilitudinem*. Paulinus Nolanus: *Chriſtus non multitudine nec virtute legionum, ſed iam tunc in ſacramento Crucis, cuius figura per litteram Græcam Tau numero trecentorum exprimitur, aduerſarios Principes debellauit*. Adſtruunt etiam picturæ, & noſtra lingua. In illis quidem, paſſim hodie videas D. Antonij vetuſtiſſimi monachi peculæ & manui aſſui aut imponi hanc crucem. An quia Ægyptius ille vir, quibus iam olim notû, & inter ſacra hoc ſignum? Certè in obeliſcis, qui inde Romam vecti, ſculptum ſic vidimus  : cum anulo tamen vel anſulâ supernè, nec ſatis ſolidè ſcio ad quam rem aut vſum. Sed de præcipuâ ipsâ notâ, dignum aliquid notâ Eccleſiaſticæ noſtræ hiſtoriæ prodiderunt. Ruffinus: *Signum hoc dominicæ Crucis, inter illas quas dicunt ἱερατικὰς, id eſt Sacerdotales litteras, habere Ægypij dicuntur, velut vnum ex iis quæ apud illos ſunt litterarum elementis. Cuius litteræ ſeu vocabuli hanc aſſerunt eſſe interpretationem*, VITA VENTVRA. Sozomenus: Φασὶ δὲ τοῦ ναοῦ καθαιρουμένου τούτου (τοῦ Σαράπιδος) τινὰς τῶν καλουμένων ἱερογλυφικῶν χαρακτήρων σταυροῦ σημείῳ ἐμφερεῖς ἐγκεχαραγμένους τοῖς λίθοις ἀναφανῆναι· παρ' ἐπισταμένων δὲ τὰ τοιάδε ἑρμηνευθῆναι σημαίνειν ταύτην τὴν γραφήν, ζωὴν ἐπερχομένην. *Aiunt templo iſto* (Sarapidis) *diruto & diſiecto, quaſdam ex iis, quas vocant Hieroglyphicas notas, ſimiles ſigno Crucis inſcriptas lapidibus appáruiſſe. Ab iis autem, qui docti hæc talia, explicatam eam notam, ſignificare vitam venturam*. In Suidâ etiam

Commiſſa Crux.

Aduer. Iudæos. De vocat. gent. In Ezech. ap. IX. Epiſt. ad ...

Antoniana crux. Ægyptia ... notat.

Lib. II. ca. XXIX.

Significatio eius.

Lib. VII. Eccl. Hiſt. cap. XV.

historiola

A hiſtoriola hæc breuiter. Ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου βασιλέως καθαιρουμένων τῶν Ἑλληνικῶν ἱερῶν, εὑρέθησαν ἐν τῷ Σεραπείῳ ἐν λίθοις ἱερογλυφικὰ γράμματα σταυροῦ ἔχοντα τύπους. ἅπερ θεασάμενοι οἱ ἐξ Ἑλλήνων χριστιανίσαντες, ἔφασαν σημαίνειν τὸν σταυρὸν παρὰ τοῖς ἱερογλυφικὰ γινώσκουσι γράμματα, ζωὴν ἐπερχομένην. *Theodoſio magno regnante, cùm fana Gentilium diruerentur, inuenta ſunt in Serapidis templo Hieroglyphica littera habentes Crucis formas, quas videntes y gentilibus qui Chriſto iam addicti erant, aiebant ſignificare Crucem apud peritos Hieroglyphicarum notarum, Vitam venturam.* Atqui & à linguâ argumentum petij, ſed noſtrâ. Nos inquam Belgæ hodie, bacillus in hanc formam, quos ægrorum brachiis ſuſtentaculum ſubiicimus, vocâmus ipsâ Latinâ voce *Cruckas.*

CAPVT IX.

Affirmata Crux Immiſſa è ſcriptis maximè Patrum: ipſi alij per alios, & imaginibus per nos etiam, explicati.

Immiſſa quid.

DENIQVE *Immiſſa* crux eſt, *cùm ligno erecto tranſuerſum alterum iniungitur atque immittitur, ſed ſic vt ipſum ſecet.* Ita eminentia hîc ſemper aliqua & capitellum, aliter quàm in Commiſſâ. Etiam anguli hîc ſiue fines quaterni, illic terni. Quis de iſtâ ambiget? Ingerunt eam oculis Picturæ pariter & Scripturæ priſcæ. Sed illas omitto aut differo: hæ variæ & obuiæ ſunt, atque ex iis eligam non colligam, noſtro more. Iuſtinus ſignanter in primis deformat aduerſus Tryphonem. Explicat vetus illud vaticinium de Vnicorni, & ad Crucem ſic aptat. Μονοκέρωτος γὰρ κέρατα οὐδενὸς ἄλλου πράγματος, ἢ σχήματος ἔχοι ἄν τις εἰπεῖν καὶ ἀποδεῖξαι, εἰ μὴ τοῦ τύπου ὃς τὸν Σταυρὸν δείκνυσιν. ὄρθιον γὰρ ἓν ἐστι τὸ ξύλον, ἀφ' οὗ ἐστι τὸ ἀνώτατον μέρος εἰς κέρας ὑπηρμένον, ὅταν τὸ ἄλλο ξύλον προσαρμοσθῇ, καὶ ἑκατέρωθεν ὡς κέρατα τῷ ἑνὶ κέρατι παρεζευγμένα τὰ ἄκρα φαίνηται, καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ὡς κέρας καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστίν, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι. *Vnicornis enim cornua alteri rei aut figuræ haud quiſpiam ſimilia dixerit aut oſtenderit, quam illi quæ Crucem refert. Rectum enim vnum eſt lignum à quo eſt ſuprema pars in cornu ſublata, cùm alterum lignum aptatum eſt: & vtrimque tamquam cornua illi vni cornu coniuncta, extrema apparent: & illud in medio defixum, & ipſum tamquam cornu eminet, in quo requieſcunt & inuehuntur crucifixi.* Obſcuriuſcula alibi verba, ſed hac parte liquidiſſima, quòd eminens vnum cornu facit à vertice crucis. Iam alij Patrum, variâ imagine, non ſine laſciuiâ quâdam ingeniorum & ſtili eam deſcribunt & notificant. Vt Hieronymus: *Ipſa ſpecies Crucis, quid eſt niſi forma quadrata mundi? Aues quando volant ad æthera, formam Crucis aſſumunt. Homo natans per aquas, vel orans, formâ Crucis viſitur.* Vt Tertullianus: *Victorias adoratis, cùm in Tropæis Cruces inteſtina ſint tropæorum. Omnes illi imaginum ſuggeſtus in ſignis monilia crucium ſunt. Sipara illa vexillorum & cantabrorum ſtolæ crucium ſunt. Laudo diligentiam, noluiſtis incultas Cruces conſecrare.* Vt Minutius Felix: *Cruces nec colimus, nec optamus. Vos planè, qui ligneos Deos conſecratis, cruces ligneas, vt deorum veſtrorum partes, forſitan adoratis. nā & ſigna ipſa, & cantabra, & vexilla caſtrorum quid aliud quam inaurata Cruces ſunt & ornatæ? Trophæa veſtra victricia non tantùm ſimplicis Crucis faciem, verùm & affixi hominis imitantur. Signum ſanè Crucis naturaliter viſimus in naui, cùm velis tumentibus vehitur, cùm expanſis palmulis labitur: & cùm erigitur iugum, Crucis ſignum eſt: & cùm homo porrectis manibus Deum purâ mente veneratur. Ita ſigno Crucis aut ratio naturalis innititur, aut veſtra religio formatur.* Vt Maximus Taurinenſis: *Grande eſt Crucis ſacramentum, & ſi intellegimus, per hoc ſignum mundus ipſe ſaluatur. Nam cùm à nautis ſcinditur mare, priùs arbor erigitur, velum diſtenditur, vt Cruce Domini facta aquarum fluenta rumpantur. Sed & bonus agricola, cùm parat terræ ſolum vertere, non niſi per ſignum Crucis id facere conatur. Dum enim aratro dentale ſubiicit, afficit* (lege *affigit*) *aures, ſtiuam inſerit, figuram Crucis imitatur. Cælum quoque ipſum huius ſigni figurâ diſpoſitum eſt. Nam cùm quattuor partibus diſtinguitur, Oriente, Occidente, Meridiano, ac Septemtrione, quattuor quaſi Crucis angulis continetur. Ipſius etiam inceſſus hominis, cùm manus leuauerit, Crucem pingit. atque ideò eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipſo quoque membrorum geſtu paſſionem Domini fateamur.* Et diffuſiſſimè omnium Iuſtinus: Κατανοήσατε πάντα τὰ ἐν τῷ κόσμῳ, εἰ ἄνευ τοῦ σχήματος τούτου (Σταυροῦ) διοικεῖται, ἢ κοινωνίαν ἔχειν δύναται. θάλασσα μὲν γὰρ οὐ τέμνεται, ἢν μὴ τοῦτο τὸ τρόπαιον ὃ καλεῖται ἱστίον ἐν τῇ νηῒ σῶον μείνῃ, γῆ δὲ οὐκ ἀροῦται ἄνευ αὐτοῦ. σκαπανεῖς δὲ ἐργασίαν οὐ ποιοῦνται, οὐδὲ βαναυσουργοὶ ὁμοίως, εἰ μὴ διὰ τῶν τὸ σχῆμα τοῦτο ἐχόντων ἐργαλείων. τὸ δὲ ἀνθρώπειον σχῆμα οὐδενὶ ἄλλῳ τῶν ἀλόγων ζώων διαφέρει, ἢ τῷ ὀρθόν τε εἶναι καὶ ἔκτασιν χειρῶν ἔχειν, καὶ ἐν τῷ προσώπῳ ἀπὸ τοῦ μετωπίου τεταμένον τὸν λεγόμενον μυξωτῆρα φέρειν, δι' οὗ ἥ τε ἀναπνοή ἐστι τῷ ζώῳ, καὶ οὐδὲν ἄλλο δείκνυσιν ἢ τὸ σχῆμα τοῦ Σταυροῦ. καὶ τὰ παρ' ὑμῖν δὲ σύμβολα τὴν τοῦ σχήματος τούτου δύναμιν δηλοῖ. *λάβαρα καὶ τῶν τροπαίων δι' ὧν αἵ τε πρόοδοι ὑμῶν πανταχοῦ γίνονται, τῆς ἀρχῆς καὶ δυνάμεως τὰ σημεῖα ἐν τούτοις δεικνύντες, εἰ καὶ μὴ νοοῦντες τοῦτο πράττετε. καὶ τῶν παρ' ὑμῖν ἀποθνησκόντων αὐτοκρατόρων τὰς εἰκόνας ἐπὶ τούτῳ τῷ σχήματι ἀνατίθετε, καὶ θεοὺς διὰ γραμμάτων ὀνομάζετε. *Conſiderate omnia quæ in mundo ſunt, an ſine ſigno hoc Crucis gubernentur, aut poſſint præbere ſui vſum. Mare enim non ſcinditur, niſi tropæum iſtud, quod malus*

A Iuſtino deſcripta.

In Matt. cap. 27. Ab Hieronymo.

Apolog. cap. xvi. Tertulliano.

In Dialog. Octauio. Minutio.

Maximo. De Cruce Dom. Homil. 2.


Iterum in fine. Apolo. 2

* Vide N

B

C


57



appellatur, ſaluum in naui maneat. Terra non aratur ſine eo. Foſſores verò opus non abſoluunt, neque alij item operarij Mechanici, niſi per inſtrumenta quæ formam hanc referant. At humana figura non aliâ re bellnis differt, quàm quòd, & recta ſit, & manuum extenſionem habeat, & in facie à fronte protenſum naſum, per quem & reſpiratio animalibus eſt, neque aliud demõſtrat quàm ſignum hoc Crucis. Sed & apud vos notæ huius ſigni po- A *tentiam declarant:* cùm alia quædã, tum tropæa, ob quæ progreſſus & expeditiones vbique vobis fiunt imperij & potentiæ ſigna in iſtis præferentes, etſi ignorãtes hoc facitis. Et Imperatorum qui apud vos mortui ſunt imagines in hac figurâ ponitis, & Deos per literas appellatis.* Quæ pluſcula poſui, quia me quoque inter exſcribendum delectarunt inuentiunculæ iſtæ Patrũ. Spero & te, ſi plenè intelleges: atq; adminiculũ, figuras iſtas, habe.

* Vide Not.

58



CAPVT X.

In quâ Crucium formâ Chriſtus mortem tulerit? videri in vltimâ, argumento è Patribus & picturis. Ruffini non bona fides notata in verbis Pauli citandis ſiue explicandis.

HABES omnes Crucium ſpecies. In quâ earum ille mortuus, qui morte ſuà nobis vita? Ne quærendum quidem cenſeam, niſi dubitaſſe & diſputaſſe viderem viros graues & ſacrorum peritos. ego arbitror & pronuncio, in hac poſtremâ. in illâ inquam, quæ quatuor finibus vniuerſum orbem complexa eſt, non ſine myſterio, quòd toti orbi mortuos, Saluator noſter pependit. Tangit hoc & docet Sedulius:

Néve quis ignoret ſpeciem Crucis eſſe colendam,
Quæ Dominum portauit ouans, ratione potenti,*
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo ſacra lambuntur ſidere plantæ,
Arcton dextra tenet, medium læua erigit axem.

Et auctoritas etiam firma à D. Paulo. cuius hæc verba, *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ* B *ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas & profundum,* plerique Doctorum veterum referunt ad Crucem. Auguſtinus: *Erat latitudo, in quâ porrectæ ſunt manus; longitudo à terrâ ſurgens, in quâ erat corpus infixum; altitudo, ab illo innexo ligno ſurſum quod eminet; profundum, vbi fixa erat Crux, & ibi omnis ſpes vitæ noſtræ.* Damaſcenus: Ὥσπερ τὰ τέσσαρα ἄκρα τοῦ σταυροῦ διὰ τοῦ μέσου κέντρου κρατοῦνται καὶ συσφίγγονται, οὕτω διὰ τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως τό, τε ὕψος καὶ τὸ βάθος, μῆκος καὶ πλάτος, ἤτοι πᾶσα ὁρατή τε καὶ ἀόρατος κτίσις συνέχεται. *Sicut quatuor extrema Crucis per medium centrum vinciuntur & iunguntur: ſic per diuinam potentiam Sublimitas & Profunditas, Longitudo & Latitudo, ſiue omnis conſpicua & inconſpicua creatura continetur.* C Palàm & ipſe quatuor fines nominat, & verba Pauli huc adaptat. Ruffinus cur diſſentit? qui tres modò agnoſcit, & ipſa Apoſtoli verba (nefas!) admutilat & detruncat. *Docet,* inquit, *Apoſtolus Paulus illuminatos eſſe debere oculos cordis ad intellegendum quæ ſit altitudo, latitudo, & profundum. Deſcriptio Crucis eſt. cuius eam partem quæ in terram defixa eſt, profundum appellauit: altitudinem verò illam, quæ in aerem porrecta ſublimis erigitur: latitudinem quoque illam, quæ diſtenta in dextram læuámque protenditur.*

In Pſalm. ciii. & alibi.

De Orth. lib. iv. cap. xii.

Ruffini ſingularis ſententia. In Symbol.

Vnus quadrangula, non myſtica.

lib. 1.

Siue, virtute.

Paulus ... ad Epheſ. p. iii.

Mirum,

A Mitum, & in verbis Pauli, & in eorum ſenſu *longitudinem* vbique improuidè omiſit, an de induſtriâ eiecit? Culpa, ſi illud: crimen, ſi iſtud. Sed ad rem. Poëtæ quoque & Pictores ſunt à formâ iſtâ. Nonnus diſertè ſcribit, Chriſtum ſublatum Εἰς δόρυ τετράπλευρον: *in lignum quadrilaterum*. Et in priſcis ſculpturis (illis meritò fides) quadrata conſpicitur hæc forma. Conſtantinus Imp. in Labaro ſuo expreſſit: & Deus ipſe in aëre ei deformarat. In columnis eiuſdem Principis, quæ nunc in cognomine vrbe (heu, quò ea recidit?) Crux eiuſmodi  inſculpta viſitur, & vtrimque ab alatis Geniis ſuſtentatur. Quid, quòd in Numis pluriſariam ſic appâret? quorum alibi damus typos. Nec meo ſenſu, ambigi profectò poteſt, in tam veteri Chriſtianorum ſenſu. Tamen ſunt qui de Commiſſâ ſiue de Tau formâ contendunt, nec damno, etſi diſſideo: quia & illi ſi Titulū supernè addis, efficere atque imaginari poſſis quaternos iſtos fines. B

Crux in lapidibus.

CAPVT XI.

Apud pleraſque gentium Cruces ferè vſitatas. Apud Syros, Iudæos, Ægyptios, Perſas, Afros, Græcos, maximè Romanos. Quando apud eos cœperit? An & apud Germanos?

CRVCES ſatis vidimus: vbi gentium eæ in vſu fuerint, addam. Etſi vno verbo pænè dixerim, vbiq; gentium receptas. Oriens quidem pleroſque vſurpauit, idque iam olim. De Syris in Eſthêre ſcriptum: *Suſpenſus eſt Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo*. De Iudæis, in Ioſuâ: *qui regem eius (Hai) ſuſpendit in patibulo vſque ad veſperam*. Item in Numeris: *Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra Solem in patibulis*. Atque in ſacris libris ſæpiùs. Ægyptios etiam vſos reperio. vt Thucydes de rege Inaro: προδοσίᾳ ληφθεὶς, ἀνεσταυρώθη: *proditione captus, in crucem eſt actus*. Et Iuſtinus, in eâdem Ægypto: *Agathocles occiditur, & mulieres in vltionem Eurydices patibulis ſuffiguntur*. Et Perſas crebrò. Herodotus de Polycrate: Ἀποκτείνας δέ μιν οὐκ ἀξίως ἀπηγήσιος Ὀροίτης ἀνεσταύρωσε: *Interfecit eum (quod indignum relatu ſit) Orœtes in Cruce ſuffixit*. Ammianus de ſuo æuo: *Ælianus Comes & Tribuni patibulis ſceleſtè ſuffixi*: capti nempe à Perſis. Sed Afros vel omnium creberrimè: qui non in viles modò, ſed illuſtriſſimas perſonas adhibebāt. Atque à Senatu Carthaginieſium etiam *Duces*, (Valerij verba ſunt) *bella prauo conſilio gerentes, etſi proſpera fortuna ſubſecuta eſſet, Cruci ſuffigebantur*: Video & Græcos vſitaſſe. Certè Alexander Macedo Glaucum medicum, & Tyrios, & plures crucifixit. Etiam Xantippus Athenienſis Artayctam Perſam, de quo apud Herodotum in Calliope extremâ leges. Iam Romanis *vetus veterrimúmque* (verba Victoris vſurpabo) *ſupplicium patibulorum*. Si Liuio fides, ſtatim ſub primis regibus vſurparũt: & exēplum in Horatio, cui id ſub Tullo parabatur. Etſi Cicero diſſentire videtur, & horridum illud Carmen ad Tarquinium Superbum auctorem referre. *I lictor*, inquit, *colliga manus. quæ non modò huius libertatis manſuetudiniſque, non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numæ, ſed Tarquinij, ſuperbiſſimi ac crudeliſſimi regis iſta ſunt cruciatus carmina, Caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito*. Quæ tamen aut populariter & ad cauſſam Cicero dixerit; aut hoc ſentiens, non ab auctore illa Tarquinio fuiſſe, ſed illo maximè digna, & apud eum crebra. Vtrum horum eſt, video etiā liberâ rep. ſtatim in vſu cruces. Dionyſius de ſeruis coniuratis: Καὶ αὐτίκα οἱ μὲν ἐξ οἰκιῶν συλληφθέντες, οἱ δὲ ἐκ τῶν ἀγορῶν ἀχθέντες, ἀνεσκολοπίσθησαν ἅπαντες: *Et ſtatim alij quidem è domibus extracti, alij è foris abducti, omnes in Crucem acti ſunt.*

Crux Syris in vſu: Iudæis.
Cap. VII.
Cap. VIII.
Cap. XXV.
Ægyptijs. Lib. I.
Perſis. Lib. XXX. In Thalia.
Lib. XIX.
Afris.
Lib. II. cap. VII.
Græcis, Plutarch. in Alexã.
Romanis, & quando. In Conſtantino. Lib. I.
Orat. pro Rabir.
Cicero explicatus.
Lib. V. Antiq.

C D E

A & deinceps * φαρμακόδοτοι, vt cum Græcis dicam, teſtes. Quid Germani? nunquid & illi vſi? diſtrahor. Tacitus videtur dicere: *Proditores & transfugas arboribus ſuſpendunt*. ſed fortaſſis ad laqueum & ſuffocationem hoc aliquis trahat. Tamen idem *Patibul.* etiam attribuit: *Quot patibula captiuis, quæ ſcrobes* quo niſi ſuo & Romano ſenſu?

CAPVT XII.

Apud Romanos vile fuiſſe hoc ſupplicium, & plurimùm ſeruorum. Quas ob cauſſas ij affecti.

PLVRIFARIAM igitur receptæ Cruces, ſed vix tamen niſi in homines viliores, Romano quidem ritu. Atque apud eos ſeruorum ferè hoc ſupplicium aut plebeiorum qui iuxta ſeruos. De ſeruis mulier apud Iuuenalem: B

Pone Crucem ſeruo.

Et alia apud Petronium: *Nec Dij ſinant, vt amplexus meos in Crucē mittam*. Ita enim venuſtè ſeruum cruciarium appellat, quâ facie ſermonis Scelus pro ſceleſto. Seruus ipſe apud Plautum comiter fatetur:

Noli minitari, ſcio crucem futuram mihi ſepulcrum,
Ibi maiores mei ſiti ſunt, pater, auus, proauus, abauus.

Atque adeò peculiare hoc ſeruis, vt nomine *Seruilis ſupplicij* Crux veniat capienda. In Tacito: *Aſiaticus (enim is libertus) malam potentiam ſeruili ſupplicio expiauit*: Iterùm. *Sumptum de eo ſupplicium in ſeruilem modum*. In Vulcatio explicatiùs: *Centuriones rapi iuſſit & in crucem tolli, ſeruilique ſupplicio affici*. In Capitolino: *Nam & in crucem milites tulit, & ſeruilibus ſupplicijs ſemper affecit*. Ergo Liuium ſic euolues: *De captiuis, vt quiſque liber, aut ſeruus, ſuæ fortunæ à quoque ſumptum ſupplicium eſt*. Suæ fortunæ: nempe Crux ſeruo repoſita, gladius aut ſecuris liberis. Ipſum hoc ita in Hirtio legas: *Prehenſi ſerui tres, & vnus è legione vernaculâ. Serui ſunt in crucem ſublati, militi ceruices abſciſſæ*. Seruile igitur hoc ſupplicium, ſed non ob leuem aut cottidianam noxam. Horatius indicat: C

Si quis eum ſeruum patinam qui tollere iuſſus
Semeſos piſces tepidumque ligurrierit ius,
In cruce ſuffigat; Labeone inſanior inter
Sanos dicatur. D

Indicat, inquam, graues fuiſſe & in extremo ſupplicio extremas cauſſas. Sed quas illas? ægrè vniuerſa dixerim: quaſdam adnumerabo. Delatura dominorum. Pertinax apud Capitolinum, *eos qui calumnijs appetiti per ſeruos fuerant, damnatis ſeruis delatoribus, liberauit, in Crucem ſublatis talibus ſeruis*. Sic Macrino iam Principe, συκοφάνται τε ἢ δοῦλοι, ὅσοι δεσπότας κατείπον, ἀνεσκολοπίσθησαν: *Sycophantæ, aut ſerui, qui cumque dominos detulerant, in crucem ſunt acti*. Et in genere, omnis machina contra dominicam ſalutem. Paulus: *Si ſerui de domini ſalute conſuluerint* (Mathematicos intellige:) *ſummo ſupplicio, id eſt Cruce, afficiuntur*. Item Fuga, ſed (vt opinor) diuturna, aut repetita. Cicero tangit: *Quæ Crux huic fugitiuo poteſt ſatis ſupplicij adferre?* Et Valerius; *Cruce digniſſimi fugitiui*. Quin Scipio, apud eundem, transfugas Romanos, *tanquam patriæ fugitiuos, Crucibus affixit*. Simile ſub Auguſto, in Sexti milite puniendo, qui ferè è fugitiuis: Τὸ μὲν δὲ δουλικὸν, ait Dio, τοῖς δεσπόταις πρὸς τιμωρίαν ἀπέδωκεν· εἰ δέ τινος μὴ δεσπότης εὑρίσκετο, ἀνεσκολοπίζετο: *Seruitia dominis reddita ad pœnam; quorum domini non exſtarent, Cruci ſuffixa*. Quanquam hîc & alia cauſſa ſuberat, Hoſtilit: E

in rem Romanam. Hæc & plura in ſeruis: quos mitiores durioréſve domini, grauiùs, mitiùs, pro arbitrio ſunt puniti.

CAPVT XIII.

Etiam liberi quidam in Crucem dati, ſed viliores aut nocentiores: vt Latrones, Sicarij, Falſarij, atque alibi & Fures.

Crux indigna liberis. Lib. IV. Inſt cap. XXVI.

QVID autem in liberis? Rara crux, vt prædixi. Quin remouere prorſus ab hoc genere Lactantius videatur, vbi de Christo: *Cur ſi Deus fuit, & mori voluit, non ſaltem aliquo honeſto genere mortis affectus eſt? cur potiſſimùm Cruce? cur infami genere ſupplicij? quod etiam homine libero, quamuis nocente, videatur indignum.* Sed frænanda ea aſſertio eſt: & ciue quidem indigna Crux, nec credo vſurpatam in eos niſi præter leges, & per ſæuitiam: viliores liberi, & prouinciales, non ab eâ profectò immunes. Atque hæc crimina in iis cruciaria: primùm, Latrocinium. Seneca: *Latrocinium fecit aliquis. quid ergo meruit? vt ſuſpendatur.* Caue de alio ſuſpendio interpretêre. Petronius: *Imperator prouinciæ iuſſit Latrones Crucibus affigi.* Apuleius: *Latronem iſtum, miſerorum pignoram meorū peremptorem, Cruci affigatis.* Calliſtratus Ic.tus. *Famoſos latrones, in his locis vbi graſſati ſūt, furcâ figēdos compluribus placuit.* Scripſerat ille, *Cruce*, vt pòſt ducemus. Cum ipſo Seruatore vtrimque ſecus latrones duo fixi: quos duo Euangeliſtæ diſertè λῃςὰς appellant, Lucas paullò communiùs κακούργους. Deinde Sicariatus. Paulus: *Inhoneſtiores (ſicarios) pœnâ capitis vindicari placuit, humiliores verò in Crucem tolluntur, aut beſtijs ſubijciuntur.* Tertiò, crimen Falſi. Firmicus: *Facient in crimine falſi comprehenſos in Crucem tolli.* Anne & furtum? ita, ſed non Romæ. Lampridius: *Cùm quæreretur à regibus, quid apud eos fures paterentur? illi reſponderunt, Crucem.* Et mirum ni è Gallis Germaniſve iſti reges, quorum moribus etiam nunc Fures ad furcam. Alia etiam crimina in hanc pœnam, ne ambigas: ſed ego ſileo, quæ teſtibus aut tabulis non conſigno.

Præſertim ciuibus.

Latrones ſic puniti. Epiſt. VII.

In Satyr.

Lib. III. de Aſin.

Lib. XXX. VIII. De pœnis.

Et Sicarij. Lib. V. Sēt. XXIII.

Et Falſarij. Lib. VI. Math. cap. XXVI.

In Alex. *Alibi & Fures.*

CAPVT XIV.

Quæ cauſſa falsò aſſignata in Cruce Chriſti? videri Innouationem & Seditionem eſſe.

Chriſtus nō ob blaſphemiam fixus.

CVM hæc vidimus, piè non curiosè quæro, in Seruatore noſtro quis prætextus (nam cauſſa nunquam fuit) ad Crucem? Blaſphemiam aliquis dixerit, ex vocibus aut iudiciis Iudæorum. Atque ipſi ſanè ita apud Pontificem accuſant, & huic noxæ teſtes quæruntur, & ipſe denique Pontifex eius damnat. Attamen, ſi legem ſpectes, hi tales lapidibus, non cruce puniti. An non veriùs ac ſimpliciùs, totum illud iudicium, etſi iudicij diſſimile, Romanis moribus legibúſque directum? Mihi videatur. & reſpondeam damnatum innoxium noſtrum agnum, quaſi Seditionis nomine & Regni affectati. Certè Romanâ lege, *auctores ſeditionis aut tumultus, pro qualitatis dignitate, aut in Crucem tolluntur, aut beſtijs obijciuntur.* Quòd autem ſic etiam apud Pilatum accuſatus, Lucas clarè: *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe.* Credidit, nec credidit Pilatus: & Titulum tamen cauſſamque mortis inſcripſit, *Rex Iudæorum.* Ex Iudæorum quidem libris ſi rem decidimus, intricamur: nec vſquam traditum clarè quæ noxa ad crucem, niſi quod Philo prodidit de Homicidis. *contra quos* ait *Legiſlatorem mille mortis genera, ſi potuiſſet, delecturum fuiſſe. cùm non potuit*, τιμωρίαν ἄλλην προσδιατέταχε, κελεύων τοὺς ἀνελόντας ἀνασκολοπίζεσθαι: *pœnam aliam adiunxit, iubēs homicidas & ſicarios crucifigi.* Sed tuâ pace Philo, vbi hoc Legiſlator? nuſquā expreſsè. hoc tātùm vniuersè: *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo.* Peccatum non deſignat: & fruſtrà credo fore, ſi quis nunc quærat. Tamen Theologi vidento. ego * ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα ἐ τίθεμαι.

Paſſus ob regni cupiditatem. Lib. V. Paulus, Tit. XXII.

Ca. XXIII.

Apud Iudæos nona cruciaria hodie incerta. Libello de ſpeciali lege.

Deutero. cap. XXI.

* *In alieno choro pedem non pono.*

CAPVT XV.

Crux interdum liberè & laxè vagata: in hoſtes, in ſeditioſos, in Chriſtianos, in fœminas denique.

IN hos ergo tales ex ordine & more Crux vſurpata. Interdum regnum ei largius, & præſertim apud reges. Nam hi ex libidine ſæpe ita ſæuierunt in hoſtes aut rebelles, & vno tempore multos. Alexander Magnus, vt ſuprà tetigi, *duo millia Tyriorum*, captâ eorum vrbe, *crucifixit.* Alius Minutus Alexander in Iudæâ, εὐωχούμενος ἐν ἀπόπτῳ μετὰ τῶν παλλακίδων, ἀνασταυρῶσαι προσέταξεν Ἰουδαίων εἰς ὀκτακοσίους: *Conuiuans in publico & conſpicuo loco vnà cum pellicibus, iuſſit in Crucem dari Iudæorum ad octingentos.* Quinctilius etiam Varus, ex eâdem gente, ob neſcio quem motum, ἀνεσταύρωσε περὶ δισχιλίους: *crucifixit circiter bis mille.* At Titus in obſidione illâ exitiali, *quingenos, & plures, in ſingulos dies Crucibus affixit*: καὶ διὰ τὸ πλῆθος χώρα τε ἐνελείπετο τοῖς σταυροῖς, καὶ σταυροὶ τοῖς σώμασι: *& ob multitudinem terra Crucibus, & Cruces corporibus deerant.* Nota, nota. hiſtoricâ hæc fide, non attollendi cauſsâ dicuntur, & ab eo qui vidit, Ioſepho. Nec ego miſeror. abi peſſima natio, hæc præmia Crucis illius, quam impiè poſuiſti noſtro & tuo (voluiſſes modò) Seruatori. Iam & Auguſtus confecto bello Siculo, * *ſex millia ſeruorum, quorum domini non exſtabant, in Crucem egit.* Et in Chriſtianos Tyranni crebrò adhibuerunt, atque eos numeroſos. Lego vno tempore, vno loco, *ad millia decem ſic interfecta.* Atqui nec à fœmineo ſexu abſtinuerunt hoc ſupplicium. & Tiberius, ob adulteratam in templo Iſidis Paulinam, τούς τε ἱερεῖς ἀνεσταύρωσε, καὶ τὴν Ἴδην ὀλέθρου γενομένην αἰτίαν: *& Sacerdotes crucifixit, & Idam* (ancillæ nomen) *quæ corruptelæ cauſſa fuerat.* E Chriſtianis etiam Beata Eulalia, *vngulas flammáſque perpeſſa, demum cruci affixa martyrij coronam accepit.* Sed & in Corſicâ, *ſancta Iulia virgo crucis ſupplicio coronata eſt.* Plura in Martyrum hiſtoriis exempla reperies, &, ſi voles, addes.

Hoſtes ſic puniti.

Ant. turbi de Ioſeph. li. XIII. Antiq. ca. XXII.

Ioſeph li. II. Excid ca. III. Idē lib. V. Excid. ca. XXVIII. *Grande numero ſæpe.*

* Eſt idem quod ex Dione ſuprà ca. XII. Oroſius lib. VI. cap. XVIII. *Interdum & fœminæ* Martyrol. XXVI. Iun. Ioſeph. XVIII. Antiq. ca. V.

Martyrol. XII. Idē, XXII. Maij.

IVSTI LIPSI DE CRVCE LIBER II.

CAPVT I.

Tranſitio ad Modum figendi. præmiſſum de atrocitate huius ſuppliey, quod Summum & Extremum dictum.

A DIXI ſatis *Quid* Crux & *Cuiuſmodi* fuerit, *Vbi* & *Quare* vſurpata: pergo longiùs, & voiuerſum huc pœnale ædificium exſtruo; per ſingula etiam membra. Dicam enim *Quomodo* vſurpata: & oun animis ſolùm, ſed pænè uculis ſubuciam ſæuitiam & fœditatem eius ſupplicij: quæ ſanè magna. Nec temerè Cicero *crudeliſsimum teterrimúmque* appellauit: & poëta Nonnus

Crudele hoc ſupplicium. v In Verr.

In ca.xix

——— ἐλέγχιστόν τινα πότμον:

Iamuatiſsimum quoddam fatum. Quin etiam Iuriſconſulti, numine *Summi ſupplicij*, velut ob eminentiam, deſignant iſtud. Paulus: *Summo ſupplicio, id eſt Cruce, afficiuntur.* Ab eâdem mente *Supremum* Vlpianus dixit: *Si liberi ſint, ad beſtias dari; ſi ſerui, ſupremo ſupplicio affici.* cùm enim aliud oon exprimat, & de ſeruis reſponſum ſit, iure capio Crucem. B cur nun ignem? inquies: cùm Tertullianus etiam dixerit & cenſuerit, *Summam ignium pœnam?* Quia ex Iuriſcóſultorum mente, Crux etiam ſupra ignem. Certè Paulus hoc ordine *Summi ſupplicij tria genera* recenſet: *Crucem, Cremationem, Decollationem.* Præit, vt vides, Crux: & cum cauſsâ, ſi infamiam, magnitudinem, & præſertim diuturuitatem pœnarum in eâ attendis. Dicta hæc ipſa *Extrema pœna.* vt in Apuleio de ſeruo cruciando: *Certum extrema pœna, quæ more maiorum in eum competit.* Au & ſic Arnobius? *Crucem mereatur extremam, quiſquis vobis dominis ſupplicarit.* Quud tamen etiam laxè, & de peſte aut pernicie capit interpretari.

Summum dictum. Lib. v. Sēt. tit. xii. Lib. viii. Ad leg. Corn. Falſi. Supremum.

Ad Marty. cap. iv.

Lib. v Sēt. tit. xvii.

Et Extremum. Lib. x. Lib. i Aduer. Gent.

CAPVT II.

C *Duplex figendi Modus, Vulgaris & Rarus. In illo Flagellatio ex more ſemper anteiuit.*

SED ſæui fœdíque quidiu hoc ſuppliciu fuerit, Modus ipſe dixerit: qoem graphicè imos repræſentatum. Vt magis poſſit; partimor, & doplicem eum facimus: *Vulgarem, & Rarum.* Illum, *qui receptiſsimus, & quo vulgò vtebantur:* Alterum, *qui magis ſepoſitus, nec in tam aſsiduo vſu.* De illo priùs: & quidem ordine hæc tria, *Quæ ante fixionem, Quæ in ipſâ, Quæ poſt ipſam.* Ante fixiunem dùo adbibita: *Flagellatio & Deductio.* Flagellariu quidem ſollennis anteceſſor, & ratò in crucem dati niſi ſic purpurati. Apud Liuium, de ſeruis coniuratis: *Multi occiſi, multi capti,* A *alij verberati crucibus affixi.* Verberatos ecce prædixit. Alexander apud Curtium, moris huios retinens, eós qui Petram obſtinatè defenderant, *omnes verberibus affectos, ſub ipſis radicibus Petræ crucibus iuſsit affigi.* Iudæi, apud Ioſephum, μαστιγούμενοι καὶ προβασανιζόμενοι τοῦ θανάτου πᾶσαν αἰκίαν, ἀνεσταυροῦντο: *flagellati & precruciati ante mortem omne genus verberibus, crucifigebantur.* Philu item narrans Iudæos Alexandriæ in crucem actos à Flacco: hoc addit: μετὰ τὸ αἰκισθῆναι ἐν τῷ θεάτρῳ. *poſtquam flagellati fuiſſent in theatro.* Sollennis ergo mos, imò lex: & horrendum Carmen diſertè canebat: *Verbera intra aut extra pomœrium:* & tum deuique ſuccinebat: *Arbori infelici ſuſpendito.*

Diuiſio dicendorum.

Flagellatio ante cruci.

Li. xxxiv.

CAPVT III.

B *Flagellorum & Virgarum diſcrimen. Illa magis vilia, & magis acerba eſſe. ſolere & talis aſperari.*

VERBERATI igitur: ſed vtrùm virgis au flagellis? Illas interdum reperio: ſed magis crebrò iſta. Diſcrimen enim eſſe ſcimus: & quia Virgæ honeſtiores, inhoneſtiſſimo huic ſupplicio attributa Flagra. Cicero illudens & cauillans in Labienum: *Porcia lex virgas ab omnium ciuium corpore amouit; hic miſericors flagella retulit.* Quomodu retulit? vnà cum Cruce ſcilicet, cui hæc adiuncta. Dixi inhoneſtiora fuiſſe. Ita, & propriè ſeruorum. Sic apud Terentium,

———*ad necem operiere loris.* SAN. *loris liber:*

Exclamat & indignatur, vt in re inſolenti, quòd libe- C ro intentata lora. Et ab hac notâ ſeruilem conditionem Menæ Horatius approbat:

Sectus flagellis hic triumuiralibus
Præconis ad faſtidium.

Significat à Triumuiris (Imperium iis & animaduerſio in ſeruos) cæſum flagris publicè, idque ſub præcuois voce. Itaque & Macer Ic.tus ſcripſit, *Ex quibus cauſsis liber fuſtibus, ex his ſeruum flagellis cadi.* Et Impp. reſcripſerunt, mulierem habere iuſtas diuortij cauſſas, *ſi ſe verberibus, quæ ingenuo aliena ſunt, afficientem maritum probauerit.* Flagra hæc ipſa intelliguot: quæ cùm ab ingenuis, tum à fæminis remota maximè. Atqui vt nouum & ſeuerum in Licinio Pontifice narrat Valerius: quòd ei virgo Veſtalis, *quia parum diligen*

igniꝰ æterni cuſtos fuiſſet, digna viſa eſt, quæ flagro admoneretur. Flagella autem hæc aſpera, adeò vt Vlpianus ſcripſerit, *miniſtrorum immanitate, multos ſub eiuſmodi flagellis interijſſe.* Et *Horribile* etiam id Horatio viſum agnominare: [Lib. VIII. de pœnis] [Lib. I. Ser. III.]

Nec ſcutica dignum, horribili ſectere flagello.

Quod magis fuit, cùm ea initiis talis aut oſſiculis exaſperabant. Factum Romæ, atque alibi. Euſtathius dici notat ἀστραγαλωτὰς μάστιγας, τὰς ἐξ ἀστραγάλων ἐνειρομένων κατεσκευασμένας: *Flagra talaria, quæ talis inſertis inuolutiſque confecta ſunt.* Apud Athenæum quiſpiam recenſet, in Parthis optimates quoque & Satrapas, vbi viſum Regi, ῥάβδοις, καὶ ἱμᾶσιν ἀστραγαλωτοῖς μαστιγοῦσθαι: *virgis & loris taxillatis cædi.* Apuleius agnoſcit, & *Flagrum pecuinis oſſibus cathenatum*, ſcitè appellat. Ille idem Gallis Matriſdeûm adſcribit. *Arrepto flagro*, inquit, *quod ſemiuiris illis proprium geſtamen eſt, contortis tænijs lanoſi velleris prolixè fimbriatum, & multiiugis talis ouium teſſellatum, indidem ſeſe multinodis commulcant ictibus.* Et Plutarchus appoſitè ad eius lucem: Οὐδὲ μάστιγος ἐλευθέρας δεόμενος, ἀλλὰ τῆς ἀστραγαλωτῆς ἐκείνης, ᾗ τοὺς Γάλλους πλημμελοῦντας ἐν τοῖς μητρῴοις κολάζουσι: *Nec qui libera verberationis egeat, ſed flagri illius taxillati, quo Gallos aliquid offendentes in ſacris Magnæ matris coercent.* An tale aliquod flagri genus, quo Chriſtus etiam noſter cæſus? imaginantur aut pingunt per pietatem nonnulli. Haud ego aſſero: ſed illud Euangeliſtæ, cæſum eſſe & quidem flagro. Sic enim Matthæus, corruptâ ipsâ Latinâ voce: Τὸν δὲ Ἰησοῦν φραγελλώσας παρέδωκεν ἵνα σταυρωθῇ. *Ieſum cùm flagellaſſet, tradidit, vt crucifigeretur.* Ἱμάσθλην, id eſt, loreum flagellum appellat Nonnus. [Flagellata-xillata.] [Lib. IV.] [Lib. VIII. Gallis vſitata.] [Contra Colot.] [Chriſtus flagro cæſus.]

Ῥιγεδανῇ Χριστοῖο δέμας φοινίξεν ἱμάσθλῃ,
Horribili Chriſti corpus rubefecit habenâ.

CAPVT IV.

Solitos ad Columnam verberari; atque aliàs per viam. De ipsâ columnâ cui ſacrum corpus annexum.

SED obſerua. Flagellario hæc non vno ſemper loco, aut tempore. Aut enim ante Deductionem vtebantur, idque domi, aut in prætorio: quod in Seruatore factum. aut in ipsâ Deductione, per viam: quod moris fuit magis priſci. Si domi, ligabant interdum ad columnam. Firmamenta huic ritui non tam multa reperio, reperio tamen. Artemidorus, vbi ſomnium narrat ſerui, qui viſus ſibi ab hero δέρεσθαι, *deglubi & turpiter tangi: addit,* προσδεθεὶς κίονι πολλὰς ἔλαβε πληγάς: *columnæ alligatus, multas accepit plagas.* Phileas etiam apud Euſebium, ſæuitiam in Martyres, qui Alexandriæ, referens: Ἄλλοι δὲ πρὸς τοῖς κίοσιν ἀντιπρόσωποι ἐδοῦντο: *Alij autem ad columnas vultibus inter ſe aduerſis, aſtringebantur:* & de flagellatione ſentit. An & Plautum ſic accipimus? [Pluriſariâ flagellatio.] [Ad columnam domi.] [Lib. VIII. Eccl. Hiſt. cap. X.] [Plauto lux. Bacchid.]

——— Abducite hunc
Intrò, atque adſtringite ad columnam fortiter.

Ego quidem: etſi ad cuſtodiam modò id factum aliquis pertendat. Sed de Seruatore noſtro non ambiguum, piis quidem & in religione antiquis. Etſi enim Euangelia non exprimunt: tamen ſecuti Patres. Prudentius clarè, & cum ritus quoque priſci atteſtatione: [Id Chriſto factum.] [Nouo Teſtam.]

——— atque columnæ
Annexus, tergum dedit, vt ſeruile, flagellis.

A Hieronymus & ſuo æuo extitiſſe commemorat. *Oſtendebatur illi* (Paulæ) *Columna, Eccleſiæ porticum ſuſtinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur flagellatus.* Indicat fulcri vſum habuiſſe in ædificio templi: quod ipſum Prudentius: [Epiſt. ad Euſtoch.] [Ibidem.]

Perſtat adhuc, templumq; gerit veneranda columna.

Etſi Bedæ tempore in medio Eccleſiæ fuiſſe, ipſe teſtatur. Meminit huius quoque, & miraculorum per eam, Gregorius Turonenſis. Hæc domi flagellatio, & ad columnam: quid per viam? ſub furcâ id factum, de quâ in * loco dicam. [De Glor. Mart. cap. XI.] [* Lib. III. cap. III.]

CAPVT V.

B *Crucem ſuam tuliſſe, aut totam, aut eius partem.*

AD Deductionem venio, in quâ duo obſeruo, *Ludibrium* & *Tormentum.* Ludibrium, quòd ipſi coacti crucem ſuam ferre, aut certè eius partem: vt verè eſſet illud quod dicitur, *Suo ſibi iumento malum.* Artemidorus: βαστάζειν τινὰ τῶν δαιμόνων χθονίων κακούργῳ μὲν ἰδόντι σταυρὸν αὐτῷ σημαίνει, ἔοικε γὰρ καὶ ὁ σταυρὸς θανάτῳ, καὶ ὁ μέλλων προσηλοῦσθαι πρότερον αὐτὸν βαστάζει: *ferre aliquem Deorum inferorum, malefico quidem id videnti Crucem prædicit. Similis enim & Crux morti; & qui in eâ figendus, prius eam portat.* Plutarchus etiam comparatione quadam vtili: Καὶ τῷ μὲν σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαστος τῶν κακούργων ἐκφέρει τὸν αὐτοῦ σταυρόν, ἡ δὲ κακία τῶν κολαστηρίων ἐφ' ἑαυτὴν ἕκαστον ἐξ αὑτῆς τεκταίνεται: *Et corpore quidem quiſque maleficorum ſuam effert Crucem: malitia autem cruciatuum quemque in ſe, ex ſe, gignit & fabricatur.* Benè hoc & ſalubriter Plutarchus: *Dij Deæq;* (ait quiſpiam) *quàm male eſt extra legem viuentibus? quidquid meruerunt, ſemper exſpectant.* Sed repono me in gradum. Ferebant Crucem. atque ita Iohannes de Chriſto: βαστάζων τὸν σταυρὸν αὐτοῦ ἐξῆλθεν εἰς τὸν λεγόμενον κρανίου τόπον: *baiulans ſuam Crucem, exiuit in locum Caluariæ dictum.* Quâ ſolâ cauſsâ vetera quædam vaticinia aut imagines Doctores noſtri ad Chriſtum trahunt. Vt Tertullianus hoc de Iſaaco. *Cùm*, inquit, *Iſaac à patre hoſtia duceretur, & lignum ipſe ſibi portaret, Chriſti exitum iam tunc denotabat, in victimam conceſſi à Patre, lignum paſſionis ſuæ baiulantis.* Idem in Iſaiæ verbis iſtis: *Cuius imperium factum eſt ſuper humerum ipſius. Solus*, ait, *nouus rex Chriſtus nouæ gloriæ poteſtatem & ſublimitatem in humero extulit, id eſt, Crucem.* Et Chriſtus ſanè totam plenámque Crucem tulit. Ni feciſſet, quid opus erat auxiliatore & ſubſequâ, qui adleuaſſet? Alij non ſemper totam: atque ideò cautè prædixi, *eius partem.* Nam qui ritu veteri ſub furcâ cæſi ducebantur, * ferebant non niſi iſtam, Imò interdum nec iſtam. Nam fac in arbore aliquâ cruciſixum, & ſubitò: profectò, præter ſe, nihil tulit. [Crucē humeris ferebant.] [Lib. II. cap. LVI.] [C] [De tarda Dei vindicta.] [Petron. Satyr.] [Ferre Cruciſixo, Cap. XIX.] [Vaticinia ſumpta Aduerſus Iudæos cap. X.] [Eod. lib.] [D] [* Vide lib. III.]

CAPVT VI.

Deductos cum vexatione, Stimulis etiam actos.

E TORMENTVM etiam in Deductione: quia trahere, diuexare, & ſtimulis agere per viam ſolent. Dionyſius de tractione: δι' ἀγορᾶς αὐτὸν μαστιγούμενον ἐκέλευσεν ἕλκειν: *per forum flagellatum ipſum, trahere eos iuſſit.* Nec dubium eſt quin impulerint, deiecerint, erexerint, per ſæuitiam aut per luſum. De Stimulis etiam non temerè addo. & apertè auctor adfirmandi Plautus, apud quem conſeruo ſeruus. [Tracti per viam. Lib. VII. Antiq.] [Et ſtimulis ſoſſi.]

Plautus Moſtell. / Moſtellar.

O carnificinum cribrum! quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, ſi huc reueniet ſenex.

Asinar. Habes *Stimulos*, idque in *Patibulato* (ad furcam aſtricto) & *per vias*. Iungit iterùm cum Cruce Plautus: *Stimulos, Laminas, Crucesque*. & aliàs meminit, ſed ſic vt ſeorſim eos fuiſſe ſciamus inter cruciatus & tormenta, ſicut laminas & ignes. Pictores noſtri aſſerculum ſiue tabellam imæ Chriſti veſti appingunt, quæ clauis præacutis conſita pedibus calcibúſque euntis illidatur: nunquid alludentes ad hanc Deſtimulationem? quæ tamen ſtimulis aliis facta, quos oblongos, ſiue è ſudibus præacutis, ſiue & ferro præfixis, geſtabant ad hunc vſum. Sumptum à bubus, quos ſic exſtimulabant. Sed niſi ea Pictorum mens, ipſi viderint: ego inuentiunculæ eius nec auctor ſim, nec interpres.

CAPVT VII.

In ipſâ Fixione nudi in crucem dati: in altam, an in terrâ depoſitam? id quæſitum, & vtrumque firmatum.

ISTA ſunt quæ Ante fixionem: nunc quæ in ipſâ. Tria conſidero, *Suſpenſionem*, *Aſtrictionem*, *Inſcriptionem*. Suſpenſio præit, & ante illam etiam Nudatio. quia ſimul ad crucem ventum, ſpoliabant hominem, & ſic in eam dabant. Receptum hoc in pleriſque ſuppliciis, velut Naturæ ſuaſu, quæ nudos induxit in vitam, & educit: etiam in iſto. Artemidorus: Σταυροῦσθαι ἀγαθὸν τῷ πένητι· καὶ γὰρ ὑψηλὸς ὁ σταυρωθείς· τοὺς δὲ πλουσίους βλάπτει· γυμνοὶ γὰρ σταυροῦνται. *Crucifigi bonum pauperi, quia ſublimis eſt crucifixus: noxium verò diuiti, quia nudi crucifiguntur.* In Chriſto factum hoc obſerues: quem Euangeliſtæ narrant recepiſſe veſtes poſt flagellationem iam deducendum, & poſuiſſe iterùm deductum. Ergo nudi dati in crucem: ſed Iacentem an Erectam? Pro Iacente, Acta vetera de Pionio Martyre: *Vltrò ſe veſtimentis ſpolians, & in cælum ſuſpiciens ac Deo gratias agens, ſuper lignum ſeipſum extendit, militique tradidit vt clauis configeretur.* Sanè claré: atque etiam mox clariùs: *Eum igitur ligno fixum erexerunt.* Dici nihil poteſt, quin fixio hîc in Iacente facta fuerit, quæ pôſt erecta. Et ratio etiam aliqua ſuadet. Nônne enim facilius hominem ſic affigere ſupinum & inclinatum: quàm tollere in erectam, pendulum, labentem, fortaſſe & reluctantem? videtur. Tamen quòd in Erectam, pluſculi adfirmant teſtes. Cicero in Gauianâ cruce deſcribendâ: *Quid attinuit, cùm Mamertini more atque inſtituto ſuo Crucem fixiſſent poſt vrbem in viâ Pompeiâ, te iubere figere in viâ quâ Rhegium ſpectat?* Et verba & rei ſeriem vide, obſeruabis fixam primò crucem, & tum in eam datum. Idem in Rabirianâ: *In campo Martio Crucem ad ciuium ſupplicium defigi & conſtitui iubes.* Stabat iam defixa, dum cauſſa diceretur, & cruciarium ſuum exſpectabat. Galba apud Suetonium, cuidam inclamanti ſe ciuem Romanum eſſe, *multo præter ceteras altiorem & dealbatam crucem ſtatui iuſſit.* Statui, ac tum ſuffigi. Ioſephus de Iudæo quodam à Romanis capto: Ὁ δὲ Βάσσος προσέταξε καταπηγνύειν σταυρόν, ὡς αὐτίκα κρεμῶν τὸν Ἐλεάζαρον: *Baſſus iuſſit defigi crucem, tanquam ſtatim ſuſpenſurus in eâ Eleazarum.* Denique & libro Eſdræ: *Vt omnis homo qui hanc mutauerit iuſſionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & configatur in eo.* Vtrobique hîc erectio, fixionem antecedit. Nec video quid obduci poſſit: niſi iſtud infirmum, ſtatuiſſe quidem, ſed ſub aduentum noxij iterùm demiſſas. Quis credat? aut ſtriti laboris quæ ratio? Abnuunt etiam phraſes veteres, quas ſcimus plerumque adſimiles rebus ipſis. Dicunt enim *Tollere*, *Agere*, *Ferre*, *Dare* in crucem: quæ omnia elationis ſunt aut molitionis. Item in ipſis fontibus, *Excurrere*, *Aſcendere*, *Salire*, in crucem: quæ mihi videntur conuenire non niſi in Erectam. Priorum phraſium exempla nota atque obuia ſunt: poſteriorum cape iſta. Plautus:

Nudati ante fixionem. — Lib. II. ca. LVIII. — Quomodo in crucem dati. Pro iacente. — Pro ſublatâ. Lib. V. in Verr. — Cap. IX. — Li. VII. Ex cid. Iud. — In cap. VI. — Refellio ea nida. — Iterùm pro ſublatâ. — Moſtellar. — Περὶ στεφ. Hym. X. — Bacchid.

Ego dabo ei talentum primus, qui in crucem excucurrerit.

Prudentius:

Crux illa noſtra eſt, nos patibulum aſcendimus.

Plautus:

Credo hercle aduenien nomen mutabit mihi,
Faciétque extemplo Crucifalum me ex Chryſalo.

Sed & teſtes, in ipſâ narratione, pro Erectâ. Nonnus de Chriſto:

Εἰς δόρυ τετράπλευρον, ἐπήορον, ὑψόθι γαίης
Ὄρθιον ἐξετάνυσσαν.
In lignum quadratum, altum, terraq; leuatum,
Rectum extenderunt.

De eodem Nazianzenus:

Αὐτίχ᾽ ὅμιλος οὐρανοδρόμῳ ξύλῳ
Ἀνῆγον, ἦγον, ἦγεν εἰς ἄκρον τέλος.
Ὀρθὸς δ᾽ ἐς ὀρθὸν αἰθέρ᾽ ἐστηρίζετο,
Ἐγκλάσαντα δ᾽ ἐγκάρσιον ἄλλον αὐθίως
Ἔτεινον, ἐξέτειναν, ἥλωσαν χέρας,
Πόδας δὲ καθήλωσαν ἐν πηκτῷ ξύλῳ.

In Chriſto patiente. — * Neque ſcio an ipſa Tragœdia germana Nazianzeni.

Quorum verſuum (haud ſanè * optimorum, liberè dicam) hæc ſententia. *Ductum & ſubductum in altam crucem ad vltimum eius finem: rectum ita ſtatutum: tum ad tranſuerſarium lignum manus fixas: denique & pedes ad ſtipitem defixum.* Atque iſta pro Erectâ. In diſſenſu autem nos quid definimus? conſenſum, quâ licet. Dicimus vtrumque vſurpatum, ſæpiùs tamen hoc poſtremum. Imò interim neceſſariò hoc poſtremum. Pone enim in arbore ſuſpenſos (ſæpe factum!) quomodo demitti ea potuit, & tunc attolli?

CAPVT VIII.

Clauis figi ſolitos, interdum funibus adſtringi.

SEo iam ad *Adſtrictionem* tranſeo; quæ facta clauis, aut funibus, ſed plurimùm illis. Seneca: *Cùm refigere ſe crucibus conentur, in quas vnuſquiſque veſtrum clauos ſuos ipſe adigit.* Ita legendum, *non adducit*. Illi, inquit, conantur tollere ſe de crucibus ſuis: vos contrà, magis magíſque affigitis, & clauos adigitis in lignum. Meminit & Apollo in oraculo quopiam, de Chriſto:

Γόμφοις καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελευτήν:
Clauiſq; & palis mortem exantlauit acerbam.

Loquitur de hac eius morte per crucem: quia, vt Artemidorus ait, ἐκ ξύλων καὶ ἥλων γέγονεν ὁ σταυρός: *ex lignis & clauis crux confecta eſt.* Atque ab hac re Græcis paſſim ipſa crucifixio, προσήλωσις dicta: quaſi dicas *claui-fixio*. Vlpianus in Demoſthenem explicat προσηλῶσαι, σταυρῷ προσηλῶσαι τοῖς ἥλοις: *cruci affigi clauis.* Et fortaſſe eò reſpexit Strabo cùm de Cantabris dixit, ἀναπεπηγότας ἐπὶ τῶν σταυρῶν: *ſuffixos in crucibus.* Ergo de clauis certum: an etiam de funibus? ſunt exempla. Auſonius ſuum Cupidinem facit

Deuinctum poſt terga manus, ſubſtrictáque plantis
Vincula mærentem.

De vitâ beatâ cap. XIX. — Apud Lactant. lib. IV. ca. XIII. — Contra Mid. — Lib. III.

Et

Lib. II. cap. LVIII.

Et communi *ligandi* verbo in hac re Artemidorus vſus: Σταυροῦσθαι, inquit, ἀνδρὶ ἀγάμῳ γάμον προλέγει, ὁμοίως δὲ τὴν δέσιν: *Crucifigi* (in ſomnis) *viro cælibi nuptias deſignat, ob ligaturam*, quia ſcilicet ligno iungitur copulatúrque. Plinius inter magicas ineptias *Spartum* etiam *è cruce* numerat, id eſt ſpartcos funes. Quid, quod D. Andreas ita alligatus? Abdias apertè, & cauſſam etiam addit: *Proconſul mandat quæſtionariis, vt ligatis manibus & pedibus, non clauis affixus ſuſpenderetur, quo diutino cruciatu deficeret.* Ex quo colligas, habitum id magis ſæuum. Etſi prima forraſſe crucifixio talis, & in Liuij priſcis ſcriptíſque libris legas: *Arbori infelici reſte ſuſpendito.* Reſte, inquam, additur: quod tamen heri ac nuper eiecerunt correctores. An ſic quoque appenſi latrones bini, qui cum Chriſto? Vulgò ſentiunt, nec aliter pingunt. Tamen falsò: quia illi, qui pariter ac Chriſtus, fixi. Nonnus adfirmat.

Li. XXVIII. cap. IV.

Lib. III. Hiſt. Apo.

Lib. I.

In ca. XIX.

κλινετῆρσιν ἀδιστύπτοισιν ἐπὶ Σταυροῖς δεθέντας:

In cruce præduris clauis fixi, ínq; ligati.

Et magis Hiſtoria priſca, quæ eſt de Helenâ Conſtantini matre. Ea cùm veniſſet ſacra & Deo-homini trita loca, cupidine viſendi & venerandi: de Cruce etiam inquiſiuit noſtrâ illâ ſeruatrice. Fodit, tres reperit, ac diu animi anceps hæſit quæ eſſet illa vera. Nam Titulus, quo dignoſci potuiſſet, iacebat ſeorſim diſiectus. Denique miraculo & diuinâ indicatione opus fuit ad diſcernendum. Quid autem opus, ſi veſtigia clauorum modò in vnâ? Argumentum certum eſt, & res ipſa per Eccleſiæ annales.

CAPVT IX.

In quibus partibus claui, & quo numero?

CLAVOS autem iſtos, ſiue & funes, in manibus pedibúſque fuiſſe ſatis notum. Nonnus de Seruatore:

Καὶ ποσὶ καὶ παλάμῃσι σιδήρεα κέντρα κομίζων:

Et pedibus manibuſq; ferent ſtimulos ferratos.

Aduerſ. Iud. ca. X.

Tertullianus de veteri vaticinio: *Foderunt manus meas & pedes*] *quæ propria atrocitas crucis.* Habent *atrocia* libri ſcripti: & rectè, vt amat loqui ille ſcriptor. At quàm multi iſti claui? enimuerò diſſident. Alij de ternis aſſerunt, vt Nonnus, qui Chriſtum depingit.

Quot claui in pedibus.

Tres quidam volũt.

——ἀμετρήτῳ δ' ἐπὶ ταρμένον ὄζυγι γόμφῳ

Δίπλοον ἴχνος ἔχοντα μιῇ τετορημένον ὁρμῇ,

Ποσσὶν ὁμοπλεκέεσσιν.

In Chriſto patiente.

Facit ecce *magno & ſingulari clauo pedes vtriuſque pectuſculum eranſfigi, & quidem vno ictu, idque pedibus mutuò impoſitis & complicatis.* Clarum eſt etiam illud Nazianzeni, pariter de Chriſto, vbi cruce deponitur:

Γυμνὸν τριγόμφοις κείμενον ξύλῳ λαβόντες:

Nudum triclaui repoſitum ligno auferent.

Alij quatuor.

De Glor. cap. VI.

Serm. De Paſſione.

At contrà tamen tendunt alij, & ſuggerunt quaternos. De eodem Chriſto Gregorius Turonus: *Clauorum dominicorum, quòd quatuor fuerint, hæc eſt ratio. Duo ſunt affixi in palmis, & duo in plantis.* Sed & Cyprianus melior maiórque auctor πληθυντικῶς ſcripſit: *Clauis ſacros pedes terebrantibus.* Quid, quòd Plautus ex more aſtruere videtur tantos?

Moſtellar.

Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit,

Sed eâ lege, vt offigantur bis pedes, bis brachia.

In Plauto noua explicatio.

Pluribus clauis fixi.

Niſi is tamen ibi ſenſus, vt ſeruulus ad maiorem quaſi cautionem, & ne facilè ſe refrigeret, voluerit non ſemel manus pedéſque, ſed bis ſingula figi: ita inquam, vt bini in quoq; membro eſſent claui. Quàm magis conſidero, tam magis hoc dictum cenſeo: cùm id quoque reperiam, per ſæuitiam multiplicatos alibi clauos. Vt in Martyrologio: *Agricolam plurimis clauis Cruci affigentes interemerunt.* Interdum & in aliâ corporis parte. In eodem Martyrologio: *Philomenus manibus pedibúſque, ac demum capite clauis confixo, martyrium conſummauit.* Itaque ſi morem veterem vides, arbitrarium fuit de clauis, & fruſtra litigemus. Si de Chriſto tamen quæritur; neſcio, & in diſſenſu Patrum non eſt meum arbitrari.

IV. Noue.

XXIX. Nouemb.

CAPVT X.

Ordo & Modus affigendi. An lignum aliquod in Cruce ſuppedaneum?

Manus primum fixæ.

ADDO magis de figendi modo. Is fuit, vt manus primùm figerent, inde pedes. Graphicè Lucianus in Dialogo vbi Prometheus figitur. Vulcanus Mercurio loquitur: Ἀνεσταυρώσθω, ἐκπεπετασμένος τὼ χεῖρε ἀπὸ τουτουὶ τοῦ κρημνοῦ πρὸς τὸν ἐναντίον: *Crucifigatur, extenſus ambas manus ab hac parte in aduerſam.* Atque initium à manu dextrâ. Ibidem Mercurius Prometheo: Ἀλλ' ὄρεγε τὴν δεξιάν. σὺ δὲ ὦ Ἥφαιστε, κατάκλειε, καὶ προσπατταλευε, καὶ τὴν σφῦραν ἐρρωμένως κατάφερε· δὸς καὶ τὴν ἑτέραν, κατειλήφθω εὖ μάλα καὶ αὕτη: *Sed præbe dexteram. tu autem Vulcane, aſtringe, & confige, & malleum fortiter demitte. Da & alteram, quo illa etiam rectè aſtringatur.* Tum itum ad pedes. Sed ambigas, Manúſne fuerint toti moli ferendæ? Apparet enim corpus omne (præſertim ſi quis pedes inflecteret) pependiſſe à manibus ſulis. Ego ita arbitror. Quidni? Duræ & neruoſæ illæ partes, & lentæ frangi. Forraſſe nec in mediâ ſemper manus volâ claui fixi, ſed ſuperiùs paullò quâ cum brachio coit, id eſt circa carpum. Plautus facit ſuſpicari, qui diſertè ſcribit *brachia offigi*, non manus. Sed puto equidem amplius. ſi corpus grauius, aut manus tenuior; adminiculum ſæpè fuiſſe funes. Illos quoque additos, & circa humeros aut pectus medium, ad crucem adſtrictos. Hoc malim, quàm cum aliis aſſerculum ſiue tabellam inducere, in quâ innixi & fixi ſimul pedes. Nimis accurata ea fabrica, imò delicata. Tamen in Chriſti cruce Gregorius Turonicus agnuſcit; quiáne fuit, an quia piè imaginatus eſt? Ipſe quidem ſic: *In ſtipite erecto foramen factum manifeſtum eſt. pes quoque paruæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt: ſuper hanc verò tabulam, tanquam ſtantis hominis, ſacræ affixæ ſunt plantæ.* Nec ſcio an illuc Innocentij hæc referenda: *fuerunt in cruce dominicâ ligna quattuor, ſtipes erectus, & lignum tranſuerſum, truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus.* Nam vidi qui de *Trunco* ſic acciperent: etſi vox videtur abnuere: quæ parùm apta ad minutam illam tabellam. Verba etiam plura & ſequentia Innocentij cùm examino, ſentire eum dixerim non de hac impoſitâ, ſed verè (vt loquitur) *ſuppoſito trunco*, è quo ipſa crux ſurgat. Ita enim ſenſiſſe videtur: truncum aliquem fuiſſe, ſiue fulciendæ cruci in imo appoſitum (ἀντηρίδας Græci id genus obliqui ſuſtentaculi vocant;) ſiue ſub ipſo recto ſtipite in terrâ, cui ille immiſſus, vt firmior ſtaret. Neque ego aſſero id factitatum: ſed mentem ſcriptoris pono. Trahunt etiam Irenæum iſtuc, qui crucem ſic deformat: *Ipſe habitus crucis fines & ſummitates habet quinque: duos in longitudinem, & duos in latitudinem, & vnum in medio vbi requieſcit qui clauis configitur.* En, inquiunt, medius ille finis tabella eſt, in quâ corpus requieſcit. Fateor verba hue ire, nec temerè contenderim de alienâ mente. Tamen Iuſtinus martyr, è quo ſumpta hæc videntur, ſic de iſto fine: Καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ξύλον ὡς κέρας καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστὶν, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι: *Et illud in medio defixum lignum, vt cornu ipſum etiam eminet, in quo feruntur & quaſi inuehuntur, qui crucifiguntur.*

An ſoris potuerint pendulum corpus?

An ſemper in ipſa volá fixi?

De tabellâ ſuppedaneâ.

De Glor. Mart. cap. VI.

Serm. I. de vno Mart.

Lib. IV. cap. XXXIV.

Vide ſup. Lib. I. cap. IX. Aduerſ. Tryph. Iud.

guntur. Cornu id appellat, & notare vult: quomodo aptè in planâ hac tabellâ? Videndum ne vterque ille ſcriptor aliud intellegat à iam dicto ſenſu. Diuidunt crucem in quinque fines (*Apices* Tertullianus ſcitè appellat:) quattuor illos, qui noti ſunt & incurrunt: quintum, quẽ in mediâ cruce collocant, vbi lignum trãſuerſum ſcindit tranſitque ſtipitem defixum. Hac conſideratione, quinque ſunt fines: & vnus ille ſtipes (ſed ſectus) facit ternos. Quod autem aiunt *inuehi & requieſcere:* verũ eſt. corpus acclinatur ei & quaſi innititur à tergo. Auguſtinus hoc ſenſu ſcripſit, *Longitudinem crucis à terrâ ſurgentem, cui corpus erat infixum.* An totum corpus? imò pedes tãtum quod liquet: ſed adfixum innixúmque intellegit, nec ſcio an *innixum* ſcripſit. Tamen in picturis ſculpturíſque etiã priſcis veſtigium tabellæ huius exſtare audio. nõ ergo temere ſpreuerim. non certè à Chriſti cruce: de aliis audacius. Quod enim veſtigium in ſcriptoribus antiquis?

Lib. III. aduerſ. Marc. ca. XIX.

Vide ſuprà lib. I. ca. X.

CAPVT XI.

De Titulo, quid is Latinis? quomodo aſſcriptus, aut prælatus.

POST Aſtrictionem *Inſcriptio.* Quid ea eſt? Cauſſa ſupplicij, & ipſum crimen, & Romanâ voce *Titulus:* quâ & Iohannes eſt vſus. Atque item Nonnus:

Titulus quid Latinis? Io. ca. XIX.

Γράμμα, τὸ τιρ... Λατινίδι Τίτλον ἰοῦ.

A Matthæus Αἰτίαν benè & ſignãter dixit. Gloſſæ Græcanicæ veteres: Αἰτία, *cauſſa, materia, titulus.* Eædem Latinæ, *Titulus*, ἔλεγχον. Latini etiam paſſim pro cauſſâ. Vt poëta:

Et poteris titulum mortis habere meæ?

Valerius: *Fine vita noſtra variis & occultis cauſſis expoſito, interdum quadam immerentia ſupremi fati titulum occupant?* Atque hic Titulus præferri aut apponi ſolet damnatis. Præferri, vt in Suetonij Caligulâ: *Præcedente titulo qui cauſſam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumducitur.* Epiſtola Lugdunenſium, de Attalo Martyre: Περιαχθεὶς κύκλῳ τοῦ ἀμφιθεάτρου, πίνακος αὐτὸν προάγοντος, ἐν ᾧ ἐγέγραπτο Ῥωμαϊστί, Οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ χριστιανός: *Circumactus per amphitheatrum, tabellâ ipſum præeunte, in quâ Latinè ſcriptum, Hic eſt Attalus Chriſtianus.* Sed & appendi, aut apponi damnatis ſolet. Suetonius Domitiano: *Patrem familiâs detractum è ſpectaculis in arenam canibus obiecit cum hoc titulo, Impie locutus parmularius.* Quintilianus oſtendit Gladiatores quoque ſic productos: *Quidam vt patrem ſepeliret, auctorauit ſe. Die muneris productus ſub titulo cauſſa, rudem populo poſtulante accepit.* Sed facit propriè ad Crucem Dionis locus, de ſeruo, quem dominus agi in crucem, idque per forum, iuſſit: μετὰ γραμμάτων τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως δηλούντων: *Cum litteris* (ſiue Titulo) *quæ cauſſam mortis aperirent.* Sæpe etiam neglecto aut ſpreto titulo contenti Superdictione fuerunt, id eſt vt Præconis præeuntis voce populo id nuntiaretur: de quo more alij, & ego aliàs.

Lib. IX. cap. XII. Damnatis anteferri ſolitus. Cap. XXXVII.

Apud Euſeb. lib. V. cap. I.

B Cap. X. Vel in appoſ. Declam. CCCII.

Lib. LIV.


Loco eius, ſæpe vox præconis.

C

CAPVT XII.

Poſt fixionem, quomodo mortui in cruce? languore, aut fame. Vitalitas quorumdam.

59



A BENE iam & fideliter fiximus: quid poſt fixionem? hæc tria, *Mors, Corruptio, Cuſtodia.* Mors lenta, moleſta, & vel à ſtillante paulatim ſanguine, vel fame. Quid ſi etiam ab auium ferarúmque laniatu? videbimus, & ſingillatim diducemus. De ſanguine quem demittebant fixi, clarum eſt, nec teſtimonio eget: & tum eâ cauſſâ, tum ex acri verberatione quæ præiuerat, credo inualidiores multos obiiſſe. At de fame, Euſebius vbi Martyres narrat crucifixos in Ægypto: Τηρούμενοί τε ζῶντες, εἰσότε καὶ ἐπ' αὐτῶν ἰκρίων λιμῷ διεφθαρεῖεν: *& ſeruati ſunt viui, donec in ipſis patibulis fame morerentur.* Itaque legas quoſdam diu in crucibus vixiſſe, vt ingenitum ſcilicet robur erat, aut vires. Beatus Andreas *in cruce ſuſpenſus, in ea populum docens,* (ô athletam Deo dignum!) *biduo superuixit.* Victorinus ſub Neruâ, *iuſſus ſuſpendi capite deorſum ita per triduum vixit.* Quod ſanè miror in ſchemate illo minimè apto ad longam vitam. Magis etiam

B iſtud: quòd *Timotheus & Maura in Cruce nouem diebus viui pendentes, ac ſeipſos in fide corroborantes, martyrium conſumpſerunt.* Vnde hæc vis aut vitalitas, niſi à vitæ ipſo fonte? Quanquam & alij quidam animoſè egiſſe in extremiſſimis iſtis rebus legantur. velut Bomilcar ille apud Iuſtinum: *qui patibulo ſuffixus in foro medio, magno animo crudelitatem ciuium tulit: adeò vt de ſummâ Cruce, veluti de tribunali, in Pœnorum ſcelera concionaretur.* Quidam etiam petulanter: vt proteruuli apud Senecam, *qui ex patibulo ſpectatores ſuos*

C *conſpuunt.* Atque etiam adnotabis quoſdam miſeratione Principis, aut Magiſtratuum è Cruce ablatos, pòſt vixiſſe. Ioſephus in vitâ ſuâ recitat: *Redibam,* inquit, *è vico quodam, & vidi multos ex hoſtibus* (Iudæis) *crucifixos: & tres ex iis adagnoſcens, cum quibus antè mihi conſuetudo, valde in animo dolui, & cum lacrimis progreſſus, dixi Tito. Ille autem ſtatim depoſitos eos mandat diligentiſſimè curari, atque ex iis duo inter ipſam curam obierunt, tertius ſuperuixit.*

CAPVT XIII.

Quoſdam à volucribus, aut feris etiam viuos laceratos, & pleroſque omnes mortuos. interdum & lanceis interfectos.

AT de laniatu etiam addidi, & cauſſam illam quoque feci mortis. Haud temerè. quia ſic ligati, & cùm ſe non commouerent, dati reuera * ἑλώρια, vt cum poëtâ dicam, κυνέσσιν Οἰωνοῖσί τε πᾶσι. Atque id etiam viui. Prudentius:

——Crux illum tollat in auras,
Viuentéſque oculos offerat alitibus.

Horatius aſpexit:

Non hominem occidi. non paſces in cruce coruos.

quia ſicarij ſcilicet & homicidæ dari ſolent in crucem. Item Iuuenalis:

Vultur iumento, & canibus, crucibúſque relictis
Ad fœtus properat, partémque cadaueris affert.

Quin reperio in ſententiâ iudiciali quoque id aliquando expreſſum. Actis Martyrum: *Claudius, Aſterius, Neon, cruci affiguntur, & corpora eorum auibus laceranda relinquantur.* Itaque Apuleius proprium hunc refert *Patibuli cruciatum, cùm canes & vultures intima protrahũt viſcera.* Addit autẽ & *Canes*: & diſcas licet cruces non ſemper fuiſſe per-altas. Quomodo enim, ſi canes attingerent, atque etiam lupi? Nam & hos Catullus addit in Epigrammatio, quod mihi quidem non niſi circumlocutio videtur cruciariæ huius mortis.

Si Comini arbitrio populi, tua cana ſenectus
Spurcata impuris moribus, intereat:
Non equidem dubito, quin primùm inimica bonorum
Lingua exſecta auido ſit data vulturio:
Effoſſos oculos voret atro gutture coruus,
Inteſtina canes, cætera membra lupi.

Iſtæ mortes. niſi quod interdum lanceis etiam tranſverberatos lego, an ad accelerandum fatum, an explorandum? Illud fuit in Marcelliano & Marco: *quibus ad ſtipitem ligatis in pedibus eorum affixi ſunt claui, cúmque tranſiſſet vnus dies & nox, iuſſit ambos* (Fabianus iudex) *lanceis per latera verberari.* At iſtud in noſtro Domino; cui miles iam mortuo lanceâ latus aperuit, ſcilicet periculum an bonâ fide obiiſſet.

CAPVT XIV.

Crurifragium à Cruce remotum. Quid fuerit, in quos receptum, & quomodo?

NON autem & crura iis fracta, inquies, atque ita interempti? Vulgò inualuit hæc opinio, ſed vulgò. Qui penetrant & examinant, vident diſparata hæc ſupplicia & ſeorſim fuiſſe. Induxit vulgum, quòd in ſacrâ hiſtoriâ latronibus duobus crura fracta leguntur. Atque ſciant pro moribus Iudæorum id fuiſſe: atque illic fortaſſe tantùm. Lactantius monuit: *Suffixus itaque Chriſtus cùm ſpiritum depoſuiſſet, neceſſarium carnifices non putauerunt oſſa eius ſuffringere, ſicut eorum mos ferebat.* Ait cautè *eorum mos*: nempe Iudæorum. Et cur hoc Iudæi? ne fraus legi fieret, quæ iuſſerat ad Solem occaſum ſuſpendioſos deponi. At deponi niſi mortui non debebant: diutius autẽ plerique viuebant: ergo hac aut aliâ viâ mors feſtinanda. Aliâ etiam dico viâ: nec crediderim fuiſſe hanc ſolam. Lex quam tango, eſt in Deuteronomio: & vertit ſic doctor Afer: *Si autem fuerit in aliquo delicto, ita vt iudicium mortis ſit, & morietur, & ſuſpendetis eum in ligno, ſed & ſepultura ſepelietis eum ipſâ die.* *(Tertull. Aduerſ. Iud. ca. x. De Crurifragio.)* Ergo crurifragium propriè nihil ad Crucem: tamen quia ſe ingerit, & vile, atque item ſæuum eſt iuxta crucem, breuiter de eo dicam. Vox ipſa proba & vetus. Gloſſæ priſcæ: *Crurifragium*, σκελοκοπία. atque alibi *Crurifrangium* rectè etiam ſcribunt. Nam *Tago* & *Tango*, & *Frago* & *Frango*, dixerunt: ſed prior ſcilicet ſcriptio magis pro archaiſmo. Diuiſit elegantiæ gratiâ Apuleius: *Vxor diras in eum deuotiones deprecata, & crurum eius fragium abominata.* vbi *adominata* pro vero magis & pro ſenſu. *(Lib. ix. de Aſin.)* Ipſa res antiqua, & iam Plauti, & antè æuo, paſſim Crurifragium minati ſeruis. *(Olim in vſu.)* In eius Aſinariâ: *(Aſinar.)*

——Crura hercle offringentur,
Age impudice, niſi iſtum percies.

Et credam, vt crucem ipſam, peculiare fuiſſe ſeruis. *(Ferè in ſeruos.)* Seneca: *Magnam rem ſine dubio fecerimus, ſi ſeruulum infelicem in ergaſtulum miſerimus. Quid properamus verberare ſtatim, crura protinus frangere?* *(De Ira. III. ca. XXXII.)* Suetonius Auguſto: *Thallo à manu, quòd pro epiſtolâ proditâ denarios quingenos accepiſſet, crura effregit.* *(Ca. LXVII.)* Idem in Tiberio: *Vtrique mox* (miniſtro cuipiam, & tibicini) *quod mutuo flagitium exprobraſſent, crura fregiſſe.* *(Ca. XLIV.)* Ergo in ſeruis: ſed ita, vt liberi non immunes. ſiue in crimine, ſiue potiùs per ſæuitiam vindicantis. *(Interdum & liberis.)* Ita M. Mario Gratidiano Cornelius Sulla *perfringi crura, erui oculos, amputari manus iuſſit.* *(Sen. de Ira III. cap. XVIII.)* Et Spendiani rebelles in Africâ, cùm Pœnorum optimates cepiſſent, Κολοβώσαντες, καὶ συντρίψαντες τὰ σκέλη, ἔτι ζῶντας ἔρριψαν εἴς τινα τάφρον: *admutilantes, & crura conterentes, adhuc viuos proiecerunt in foueam aliquam.* *(Polyb. I.)* Et in Martyres noſtros plurifariam ſic ſæuitum. *(Martyres ſic mulctati.)* Euſebius de his quæ in Arabiâ aut Cappadociâ: τῶν Μαρτύρων τοὺς μὲν πελέκει ἀναιρουμένων, τοὺς δὲ τὰ σκέλη κατεαγνυμένων: *Martyribus aliàs ſecuribus interfectis aliàs Crurifragio punitis.* *(Lib. VIII. cap. XII.)* Martyrologium memorat *Hadrianum Nicomediæ, cum aliis vigintitribus, omnes ſub Diocletiano martyrium crurifragio conſummaſſe.* *(IV. Martij.)* Idem de pluribus, atque innominatis: *Commemoratio SS. Martyrum, qui in perſecutione Maximini fractis cruribus necati ſunt.* *(XXIII. Maij.)* Et ſæpiùs. Modus huius ſupplicij, vt incus cum malleo, vel vecte ferreo inſereretur, ac tibias incudi imponerent, validis ictibus ſic frangendas. *(Ratio frangendi crura.)* Colliges ex Actis Martyrum priſcis, quæ Surius vulgauit. *(Tom. V. die VIII. Septemb.)* Sublatum hoc ſuppliciũ à Conſtantino Victor aſſeuerat, de quo in * loco. *(* Lib. III. cap. XIV.)*

CAPVT XV.

Corrumpi in cruce paſſi ſunt, & nefas ſepelire.

CORRVPTIO iam poſt Mortem. Quam ſic intellego, quòd nec mortuos deponerent, ſed tabo illic paſſi ſunt diffluere, & à Sole ac pluuiâ corrumpi. *(Corrupti in Crucibus.)* Valerius impreſsè hoc narrat de Polycrate, qui ab Orœte cruci affixus: *E quâ*, inquit, *putres eius artus, & tabido cruore manantia membra, atque illam læuam, cui Neptunus annulum manu piſcatoris reſtituerat, ſitu marcidam, Samos læto oculo aſpexit.* *(Lib. VI. cap. IX.)* De quo ipſo Afer noſter, vt ſolet, ſuccinctè: *Polycratis Samij filia Crucem proſpicit de Solis vnguine & lauacro Iouis.* *(Tertull. de Anima. Lib. III. Tertull. in eius explicatione.)* Tangit hiſtoriam, & ſomnium quod in Herodoto, & tu ab eo pete. Sed hæc mẽs ſomnij, ſublimé in cruce

madidandum à Ioue cùm plueret, à Sole vngendum cùm is calidus è nudo corpore saniem eliceret adipémque. Hanc in cruce putrefactionem intellexit Theodorus Cyrenæus, cùm Tyranno minanti (Apud Cicer. & Valer.) eam reſpondit: *Suâ nihil intereſſe, humi, an ſublimis putreſceret.* Neque aliam Artemidorus, (Et Artemidorus. Lib. II. ca LVII.) cùm malum diuitibus ominatur à ſomniatâ cruce: τὰς γὰρ σάρκας ἀπολλύουσιν οἱ σταυρωθέντες: *Carnes enim amittunt qui in cruce fixi.* Ita inquam, amittunt: ſiue tempore & defluxu: ſiue & laniena volucrum ferarúmque, de quâ dixi.

CAPVT XVI.

Cuſtodia & miles ad Crucem, nequis detraheret.

ITAQVE hoc fine aſſeruati in Cruce, & deponi (Rarò ablati è cruce.) rarum omnino fuit. Niſi quod Philo tamen notat, *receptum moribus fuiſſe in Natali Imperatoris, aut* A *ſimili die feſto quoſdam e crucibus deponi, & permitti ſepulturæ: at Flaccum contra, nonos etiam tum iis a[...] xiſſe.* Ne quis autem deponeret, miles & cuſto[...] aſsêdit. Petronius: *Miles cruces aſſeruabat, nequis c[...] pora ad ſepulturam detraheret.* Plutarchus in Cle[...] mene: Ὀλίγαις δὲ ὕστερον ἡμέραις οἱ τὸ σῶμα τοῦ Κλεομέν[...] ἀνεσταυρωμένον φυλάττοντες, εἶδον εὐμεγέθη δράκοντα τῇ [...] φαλῇ περιπεπλεγμένον, καὶ ἀποκρύπτοντα τὸ πρόσωπον, ὥ[...] μηδὲν ὄρνιν ἐφίπτασθαι σαρκοφάγον: *Paucis poſt diebu[...] qui Cleomenis cruci affixum corpus cuſtodiebant, vid[...] runt magnum ſerpentem capiti eius circumplexum, [...] faciem velantem tegétemque, ne qua carniuora auis a[...] tingeret.* Vbi vtrumque habes, & cuſtodiri ſolit[...] mortuos; & aues faciem in primis inuolaſſe. Poſ[...] ad hanc cuſtodiam illud Euangeliſtæ referre: Ἔχε[...] κουστωδίαν, ὑπάγετε: *Habetis cuſtodiã, abite.* Quæ Pila[...] B vox fuit ad Iudæos petentes aſſeruari monumentum. Videtur autem intelligere cuſtodiam, qu[...] paullò antè ad crucem. niſi quis malit, *Habete cuſt[...] diam*; quaſi ab imperante & indignanter dante. Vo[...] enim Græca in vtrumuis valet.

IVSTI LIPSI DE CRVCE LIBER III.

CAPVT I.

Tranſitio ad Rarum figendi Modum. Furca diuiſa,& hîc de Ignominioſâ dictum.

A ABVNDE quæ ad *Vulgarem* crucifigendi modũ,diximus: *Rarus* ſupereſt, quem ipſum pari curâ imus expũctum. Eum ſuprà deſcripſimus(& vox præfert) *ſepoſitum, & minùs in aſſiduo vſu*. Sepoſitũ æuo, Inuſitatũ vel *Schemate* vel *Fine*. De his tribus ordine & partitè dicam (innat in his talibus)& in lucem fortaſſe protraham, quę vſque adhuc parũ claro oculo conſpecta. Æuo ſepoſita *Furca* eſt:olim quidẽ in crebetrimo vſu, ſed quæ paulatim deſiit atque aboleuit. Mentio crebra nõ in hiſtoriis ſolùm,ſed Comœdiis priſcis:mentio tamẽ magis, quàm explicatio. ego hîc faciã, & pro copiâ ingenij dabo in ſplendorem. Vt poſſim, duplicem illã facio, *Veterem* & *Nouam*, Priorem,quæ priſcis Romanis(non enim apud alias gentes legi)vſurata: atque hanc iterùm duplicẽ. B *Ignominioſam* & *Pœnalẽ*. Illa eſt,*quâ collo impoſita ſerui circumduci ſolent ob culpam aliquã, oſtentui & ad riſum*. Iſidorus: *Furcifer dicebatur olim, qui ob leue delictũ cogebatur à dominis ignominiæ magis quàm ſupplicij cauſſâ, furcam circa vrbẽ ferre, prædicans peccatũ ſuum, & monens ceteros ne quid ſimile peccarẽt*. Plutarchus in Coriolano, *Humanè habitos ſeruos à priſcis dominis* notat. & addit: ἦν δὲ μεγάλη κόλασις οἰκέτου πλημμελήσαντος, εἰ ξύλον ἁμάξης ᾧ τὸν ῥυμὸν ὑπερείδουσιν ἀράμενος, διεξέλθοι παρὰ τὴν γειτνίασιν. ὁ γὰρ τοῦτο παθὼν καὶ ὀφθεὶς, οὐκέτι πίστιν εἶχεν. ἐκαλεῖτο δὲ Φουρκίφερ. *Erat autem magna caſtigatio ſerui delinquentis, ſi lignum curtus, quo temonem ſuſtentant, tollens & ferens exiret circà viciniã. Id enim paſſus, & ſic conſpectus, non vltrà fidem habebat, & vocabatur Furcifer*. Talia idẽ in Quæſtionib. C Rumanis. Et Gloſſæ veteres: *Furcifer*, σταυρονόμιος. Δικρανοφόρος. οἱ παλαιοὶ ἀντὶ τιμωρίας δίκρανον ἐν τοῖς τραχήλοις ἔχοντες περιεκόμιζον, διὰ τῆς πόλεως περιαγόμενοι: *qui patibulũ fert, qui furcam. Qui peccauerant, pro pœnâ furcam in collo habentes circuibant, per vrbẽ vndique ducti*. Atque hæc illa prima eſt, ab ipſâ re & fine *Ignominioſa* à me dicta: quæ origo aut exẽplar tamẽ *Pœnalis*.

Id rarum (…) diuiſus. — *(…) Non ad mortem.* — *Lib. 2. Ant.*

CAPVT II.

De Furcâ Pœnali, & caſos ſub eâ ad mortem.

EA eſt, *quâ item collo impoſitâ circumducti, ſed cum verberibus & pœna cauſſâ*. Atque adeò mors plerumque huic conſequa: ſiue ſub ipſâ Furcâ ad necem cæſis, ſiue cum eâ in crucem latis. Seorſim vtrumque explicabo, & firmabo. Sub eâ ad mortem cæſi: ex D Suetonio, *qui pœnam more maiorum interpretatur, nudi hominis ceruicem inſeri furcæ, corpus virgis ad necem cædi*. Atque idem etiam Victor: *Senatus ſententiâ conſtitutum, vt, more maiorum, collo in furcam coniecto, virgis ad necem cæderetur*. Ac reperio exempla etiam in hiſtoriâ, etſi haud crebra. Liuius * inceſtum cum Veſtale ſic punitum oſtendit: *L. Cătilibus ſcriba Pontificum, quos nunc minores Pontifices appellant, qui* A *cum Floroniâ ſtuprum fecerat, à Pontifice Max. eouſque virgis in Comitio caſus, vt inter verbera exſpiraret*. Dionyſius in culpâ ſimili, & de iis qui Vrbiniam ſtuprarant: τῶν δὲ ἐξαμαρτανόντων τὴν ἀνόσιον φθορὰν, ὁ μὲν ἕτερος ἑαυτὸν διεχειρίσατο, τὸν δὲ ἕτερον οἱ τῶν ἱερῶν ἐπίσκοποι συλλαβόντες, ἐν ἀγορᾷ μάστιξιν αἰκισάμενοι, καθάπερ ἀνδράποδον, ἀπέκτειναν: *Ex iis autem qui illicitam corruptionem patrauerant, alter ſeipſum interemit, alterum ij qui ſacris præerant* (ij ſunt Pontifices) *comprehendentes, in foro flagris ſecantes, tanquam mancipium, interemerunt*. Nam etſi neuter furcæ hîc mentionem faciat, tamen cùm verberibus ad necem datus denarrent, probabile id ita ritu priſco factum: hoc magis, quòd Dionyſius quaſi indicans addit, καθάπερ ἀνδράποδον, *ſeruilem in modum*. Quod autem liberi etiã ſub B furcâ interdum cæſi, exemplũ in Epitomâ Liuij clarũ, de C. Matieno: *qui accuſatus apud Tribunos quòd exercitum in Hiſpaniâ deſeruiſſet, damnatuſq́ue, ſub furcâ diu virgis cæſus, & ſeſtertio nummo venit*. Nam etſi ille non ad verã mortẽ cæſus, tamen ad ciuilem, & libertatẽ ciuitatemq́ue pariter amiſit. Atque ideò dixi *plerumque* mortẽ conſequam: cùm & in Plauto legam:

Et ob eam rem in carcerem ted eſſe compactum ſcio,
Et poſtquam es emiſſus, caſum virgis ſub furcâ ſcio.

Quæ obiciuntur ſenio viuo etiam & videnti.

Sub furcâ cadi. — *Neron. cap. XLIX. Ad mortẽ. In Nerone.* — ** Vide Feſtum in Probrum. Lib. XXII.* — *Lib. II. Antiq.* — *Lib. XV. Non ad mortem.* — *Menæch.*

CAPVT III.

Ligatos ad Furcam in crucem ſolere tolli. Furcam & patibulum videri eadem, aut haud longè diſſita.

C SED cum Furcâ in crucẽ latos etiam dixi: quod rei noſtræ facit, atque id tale fuit. Ligati ad Furcã, & ſub eâ cæſi, per viam ducebãtur; fixi deinde ad eam, tollebantur in crucem. Firmamus veterũ ſcriptis. Arnobius: *Seruum peſſimè meritum per Circi aream mediã traduxiſſe cæſum virgis, &, ex more multaſſe poſt patibuli pœnâ*. Ita legimus, non *pœnã*. Et quod ait, *ex more*, huic rei ſeligimus: quaſi receptũ videlicet & tralaticiũ poſt cæſionem hanc, ſuſpẽdi. Nam etſi Arnobius non expreſſit ſub Furcâ cæſum: tamen ita fuit, & in ipſâ hac narratiunculâ alij omnes conſenſu produnt. Liuius: *Seruum quidam paterfamilias nõdum commiſſo ſpectaculo, ſub Furcâ cæſum, medio egerat Circo*. Cicero: *Seruus per Circũ, cùm virgis cæderetur, Furcã ferens ductus eſt*. Valerius: *Cùm ſeruum ſuum verberibus multatum ſub Furcâ ad ſuppliciũ egiſſet*. Denique Lactantius, qui D & Patrisfamiliæ nomẽ expreſſit: *Antonius Maximus* (potiùs *Autronius*, ex Macrobio) *diuerberatũ ſeruũ ſub Furcâ, medio Circo ad ſupplicium egerat*. Ergo ſub Furcâ ad ſupplicium acti: ſed nunquid in eâ appenſi? Ita. quia hæc Furca non aliud quàm Patibulũ fuit. Certa auctoritas Macrobij: qui de illo ipſo facto. *Autronius*, inquit, *Maximus quidam ſeruum ſuum verberatum, patibuloque conſtrictum, per Circum egit*. Quid

Lib. VII. aduerſ. Gent. Cum Furcâ appenſi. Arnobius obiter notandus. — *Lib. II. De Diuinat.* — *Lib. I. cap. VII.* — *Lib. II. cap. VIII.* — *Furca & patibulum eadem. Lib. I. Saturn. cap. XI.*

hoc eſt, *patibulo conſtrictum*, niſi quod alij omnes *Furcam* dixerunt. & Liuius de Horatio, *ſub Furcâ vinctum*? Nam ita res fuit. Alligati brachia manúſque ad hanc furcam ſolent: atque ita circumduci, mox in eâ attolli. In Plauto legis, *Diſpeſſis manibus patibulum habere*. item: *ire patibulatum per vias*. Et quod Nonius ex eo citat: *Patibulum ferre per vrbem, deinde affigi cruci*. Nota verba & ſeriem: *Ferre*, deinde *Affigi*. Quæ ipſa in Licinij hiſtorici fragmento apud eundẽ Nonium: *Ad patibulos* (ita mutato genere, pro *patibula*) *deligantur*, *& circumferantur, cruci defiguntur*. Clarè omnia. Habes, vt in Macrobio, ligati conſtringique ad patibulum; habes, circumferre; habes defigi. *Circumferre* inquam. nam quod vulgò eſt *circumferuntur*, vereor vt rectum ſit. quia non profectò circumlati, ſed ipſi pedibus ſuis ibant: niſi tamen capias quaſi circumductos. Sed ego malim, *circumferunt* reponi. vt ſit ligatos ad patibula, ea ipſa circumtuliſſe. Ita Plautus: *Tu quidem hodie canem & furcam feras*. Nam ibi Furcam, quod patibulum aliàs, dixit. ſicut & hîc: *Cum furcâ in vrbem, tamquam Carbonarium*. Atqui docendum etiam eſt, inquies, in eâ appenſos: Nónne res clamat? Si enim Furca idem quod patibulum: quid ambigas? Conſtat certè in patibulo ſuſpenſos. Sed firmo & teſtibus. Feſtus: *Furcilla ſiue Furcilla, quibus homines ſuſpendebant*. Cedò de quibus aliis hoc accipies? Plinius: *Supplicia annua canes pendunt, inter ædem Iuuentutis & Summani, furcâ ſambuceâ, arbore fixi*. Vix eſt vt aliter intelligas, quàm in furcâ ad arborem fixos. At clariſſimè iam Firmicus: *Seuerâ animaduertentis ſententia patibulo ſuffixus, in crucem crudeliter erigetur*. En, primò patibulo ſuffigitur, deinde tollitur in crucẽ. Atque hinc illa phraſis, *Patibulo crucis affigi*: quia patibulum ſcilicet, hoc ſenſu, pars crucis. Diſtinguit & Tacitus, *Patibula, ignes, cruces*. & quod patens hæc tranſuerſáque pars ſic dicta, Seneca indicat: *Alij brachia patibulo explicuerunt*. ſicut inferior defixúſque ſtipes, *Crux* propriè dictus.

Moſtell. Plautini locus ſuſtulit. In patib.

Cornelius Licinius Macer.

Caſinâ.

In ipsâ furcâ appenſi.

Lib. vr. Matheſ. cap. xxxi.

Patibulum propriè à Cruce diuerſum.

CAPVT IV.

Quæ forma Furcæ fuerit, obſcurè traditum in veterum ſcriptis.

SEd qualis hæc ſuſpenſio, & quâ verâ germanáque facie ipſa Furca; vt ingenuè dicam, hæreo, & velut inter Solem & orcum erro. Video, non video; probo, improbo; & planè quod Græci dicunt, τὴν γνώμην ἐταλαντεύω. Suidas Furcam ſic deſcribit: Φοῦρκα παρὰ ῥωμαίοις ξύλον δίδυμον: *Furca Romanis eſt lignum duplex ſiue geminum*. Plutarchus paullò magis videtur aperire: διπλοῦν ξύλον ὃ τῶν ἁμάξαις ὑφιστᾶσιν: *duplex lignum quod curribus ſubiciunt*. Tamen hoc ipſum ſatis γρίφωδες & ἀσαφές. itaque diſtinctiùs alibi: ξύλον ἁμάξης ᾧ τὸν ῥυμὸν ὑπερείδουσι: *lignum currus, quo temonem ſuſtentant*. Atque addit: ὃ γὰρ Ἕλληνες ὑποστάτην καὶ στήριγμα, τοῦτο ῥωμαῖοι φοῦρκαν ὀνομάζουσι: *quod enim Græci Hypoſtaten & Sterigma* (ſuffulcimentum & ſuſtentaculum) *id Romani appellant Furcam*. Benè & clarè pro ſuis Græcis: nos an ſcitiores? In Heſychio hoc ſaltem repetio: στήριγξας (idem quod στηρίγματα) *dici à quibuſdam*, τὸ δικροῦν ὅπερ ὑποτιθέασι τῷ τῆς ἁμάξης ζυγῷ: *illud biceps aut furcatum, quod ſubiciunt curruum iugo*. Iuuat, an moratur? iſtud potiùs, quoniã ζυγὸν ſcribit ſiue *Iugum*, quod Plutarchus *Temonem* & ῥυμόν. Vtri accedimus? Plutarcho magis, nec video quid Iugo fulciendo ſubieceris, quod dependet & fertur collo boum. Ergo, me quidem arbitro, Heſychius, in vicinis voculis, ſic corrigatur. Atque ex iſtis rem factã habeamus, ſi nota veterum curruũ membra. Opinamur tamẽ ſimilia noſtris fuiſſe, & Dionyſium etiam audiamus. In eo, vbi pœnã deſcribit ſerui illius Autronij Maximi (de quo pluſcula ſuprà) hæc lego: Ἀνὴρ ῥωμαῖος οὐκ ἀφανὴς θεράποντα ἴδιον ἐπὶ τιμωρίᾳ θανάτῳ παραδοὺς τοῖς ὁμοδούλοις ἄγειν, ἵνα δὴ περιφανὴς ἡ τιμωρία τοῦ ἀνθρώπου γένηται, δι' ἀγορᾶς αὐτὸν μαστιγούμενον ἐκέλευσεν ἕλκειν, καὶ εἴ τις ἄλλος ἦν τῆς πόλεως τόπος ἐπιφανής. οἱ δὲ ἄγοντες τὸν θεράποντα ἐπὶ τὴν τιμωρίαν, τὰς χεῖρας ἀποτείναντες ἀμφοτέρας, καὶ ξύλῳ προσδήσαντες παρὰ τά στέρνα τε καὶ τοὺς ὤμους, καὶ μέχρι τῶν καρπῶν διήκοντι, παρηκολούθουν ξαίνοντες μάστιξι, γυμνὸν ὄντα: *Vir Romanus haud ignobilis, ſeruum ſuum ad mortis ſupplicium tradens conſeruis aliis ducendum, vt conſpicua & illuſtris pœna hominis eius fieret, per forum verberibus affectum trahere ipſos iuſſit, & ſi quis alius in vrbe locus celebris. Qui autem ducebant eum ad pœnam, manus eius ambas extendentes, & ad lignum alligantes, quod circa pectus & humeros ad manuum volam pertingeret, ſequebantur flagris cædentes ſic nudum*. Iam Plautus imagine etiam videtur voluiſſe expreſſam.

——ego remittam ad te virum
Cum furca in vrbem, tamquam carbonarium.

Quid Furca quæſitũ.

Plutarchi deſignatio. In Cauſſis.

In Coriolano.

Dubitatum de Heſychij loco.

Fortaſſe emendatus.

CAPVT V.

Ex iis tres ſententiæ erutæ, & ſingulæ explicatæ. Tertiam πιθανωτάτην videri.

HÆc ſunt quæ apud veteres quidem legerim rei huic illuſtrandæ. Nos ex iis ſententias, an ſomnia noſtra? proponemus: impetrabili tamen veniâ, ſicubi in antiquitatis illis tenebris ſubſiſtemus, aut labemur. Sententias, dixi. nam tria ſunt quæ ex deſcriptiunculis elicio iam dictis. Primùm, Furcã potuiſſe eſſe facie quâ noſtrum hodie Patibulum: atque idipſum reliquias & exemplar eſſe à pœnâ priſcâ. Ait Plutarchus, *currus aut temoni ſubiectum fuiſſe*. quid olim, neſcio: tale aliquid in noſtris curribus ſupra ipſum axẽ. Ait Dionyſius, *per humeros, per pectus iſſe*: hoc in iſto, ſi collo imponas. Obſtat tamẽ huic, quod diſertè aiunt ξύλον διπλοῦν, δικροῦν, δίδυμον. *lignũ duplex, biceps, geminum*. Nam certè hoc triplex lignum eſt: etſi iſta quoque forma Furca olim dicta. Sententia altera, Lignum fuiſſe geminum, quod à tergo per humeros, & ante per pectus, hominem medium includeret; atque ita rectum ad expanſas vtraſque manus iret. Forma, quam Dionyſius ingerere videtur & ſuadere. Quid tamen hîc ſimile Furcæ? quomodo in vtroque iſto ligno homo ſuſpenſus? Nam anterius illud incõmodauerit, imò ad guttur ſtrangularit. Sed nec in curribus quid ſimile, ſcio. Sentẽtia tertia. Furcam, veram eſſe furcam: quam * hodieque dicimus, & quam Varro indicat, vbi Vallum ἐτυμολογεῖ: *quòd ſingula ibi extrema bacilla furcillata figuram habeant litteræ* V. Pro hac ſententiâ multa ſunt. Primùm quod *Furca* δίκρανος, in bonis priſciſque Gloſſis. item *Furcifer* δικρανοφόρος. Atqui δικράνους Heſychius deſcribit τὰς ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς ἐπὶ δύο ἐκνεύοντας, οἷον δύο τέλη ἐχόντας: *eas quæ ab vno initio & capite in duo deſinunt, tamquam duos fines habentes*. Eſt planè figura Varroniana, & litteræ iam dictæ. Quid, quod in curribus hodie, quà Temo cum axe coit, Furca eſt ſuſtentãdo illi aut fulciendo? Quâ mente in Sidonio, de Baccho:

Vite capiſtratas cogebat ad eſſeda tigres,
Intrabat duplicem quà temo racemifer arcum.

Denique cum deſcriptione Dionyſij mihi conuenire videtur examuſſim. Da Furcam iſtam paulatim diuaricantem, ab humeris per pectus, & inde manus

veniat; eſt illud ipſum lignum quod deſcripſit. Iam Plaoti Carbonarium, quò niſi hoc referas? Ecce qui lignarios faſces aut carbonom ſacellos hodiéqoe ferunt, furcam iungunt. cuius caput cùm exſtantiâ aliqoâ bacillorum à tergo eſt; longiores dno fines diuerſi per pectus deſcendunt, & manu vtrâque (quaſi ad contranixum) ſuſtentantur. Arqui, inquies, manus hîc non in alto expanſæ. Fateor non in alto, expanſæ tamen: & cùm funibus traherentur, ligatis ad extremas manos, etiã protendebantur tollebantúrque. Quin alius locos Plaoti eſt, qui videatur ab hac

A modeſtâ expanſione, ſi attendis. Nã in Milite, ſeruus quiſpiam in oſtio ſtabat, mulierculam redituram exſpectans, & nequa elaberetur. Ad eum ſeruus alter:

Credo ego iſtoc tibi exemplo eundum eſſe actutum extra portam,
Diſpeſſis manibus, patibulum cùm habebis.

Benè eſt, inquit, forma & ſtatus in te, qui mox erit; cùm herus alligatum te patibulo per vrbem ducet. Arqoin ſtetiſſe ego eum opinor, manibus ante ſe proiectis & leuiter diductis, habitu quo ſolent capiantes & apprehenſuri.

60



CAPVT VI.

Ratio ſuſpendendi per ſingulas illas formas expoſita, atque etiam oculis propoſita.

TRES ſeotentias ſuper Forcæ formâ habes: tu elige: etſi nos ad vltimam vides proclinatos. Quomodo aotem nunc Suſpenſio? Pro formis diſtiognenda eſt. Si prima placet, res facilis. io trooco abſciſo, in paxillo infixo, imò in fiſſurâ supernè factâ, potuit firmiter appendi. Imaginem (oculorum enim magis res quàm verborum eſt) infrà habes. Si altera, tùm, ſic cenſeo, ductos quidem cum duplici ligno ad Crucé, ſed noo eum vtroque in eam actos. Quod ante pectus, depoſitum porem: manus fixas in altero, atque id ipſum in trunco, paxillo, fiſſurâ (vt priùs) firmatum. Imaginem vide. Nec abſurda aut vero nimis extranea ſententia eſt: cùm & Patibulum reperiam ſingularem eiuſmodi rectúmque ſtipitem di-

B ctum. Nonius ex Titinio citat:

*——ſi quiſquam hodie * præter hanc*
Poſticum noſtrum pepulerit, patibulo hoc
Ei caput defringam.

Et interpretatur *Seram, quâ oſtia occluduntur, quò hac remotâ valua pateant*. Credo eum ex ipſo argumento fabolæ ſic proferre, & quòd ianitor aliquis atque oſtij cuſtos hæc dicat. Certè quidem Sera eſt lignum tranſuerſum quod oſtiis opponi ſolet, io poſtem vtrimque immiſſum. Hodie quoqoe vſus. Itaque Gloſſæ: *Sera*, μοχλὸς θύρας: Et Poëta aliquis *—excute poſte ſeram*. Atque ego ampliùs arbitror. etiam ſi olim Furca aliâ facie fuerit: tamen commodi cauſſâ, & quia pronior faciliórque hæc appenſio, ſucceſſiſſe ſingulare hoc rectúmque lignum, & id tuliſſe io humeris, manibus ibi reuinctis, in eóque mox figendis.
C At ſi tertia ſententia ſedeat, facilis ſuſpenſio. ſiue in ipſâ Furcâ defixâ in terram ſimpliciter; ſiue cum eâ in altiorem arborem aut lignum ſint ſublati. Figuræ videantur.

* Mellm, præterhac, vt poſſimus ...

In primâ Furcâ appenſio.

In ſecundâ.

Patibulum vnus ſtipes etiam.

Furca ſpecies.

In tertiam appenſio.

61



CAP. VII.

De nouâ Furcâ, quæ noſtrum Patibulum. Tribonianum ſubſtituiſſe paſsim in Legum libris.

DE veteri Furcâ, ſic cenſemus, cum lege reſipiendi & reſiliendi, ſi quis meliora. Mutare in his talibus non mihi probrum. *Noua* ſequitur quam dixi, quia inferioris æui inuentum. Ea eſt *inſtrumentum è ligno triplici, formâ Iugi veteris, cui appenſos homines laqueo ſtrangulamus.* Hodie quoque vſum & ſpeciem hanc habet in pleráque Europâ. Non & priſcis cognitam non arbitramur. Pœna quidem laquei Homero expreſſa, qui facit impudicas ancillas ab Vlyſſe ſic puniri. atque idem infamem καὶ μὴ καθαρῷ θανάτῳ (ita loquitur) *& impuram mortem* oſtédit: vti & Plinius, qui *præpoſteram* dixit, quia *ſpiritus intercluditur, cui exitus quærebatur.* Sed à Græcis vſurpatam vix reperias: nec à Romanis quidem in publico etſi ij, in carcere, damnatis gulam * laqueo frangebant. Credo cœpiſſe, cùm crux deſiit; & vicariam illi factam. Iſidori quidem æuo nomen hoc & vſum habuit. *Patibulum vulgò*, inquit, *Furca dicitur* (ita nunc quoque in Hiſpaniâ, vbi ille ſcripſit) *quaſi ferens caput. Suſpenſum enim & ſtrangulatum hæc exanimat.* In libris legum, quas Tribonianus atque eius adiutores collegerunt, ſatis frequens hoc nomen: &, vt opinor, ſignificatione nouitiâ: quia ſublato Crucis ſupplicio, quidni etiam Furca vetus? Itaque ipſos Iuriſconſultos vſurpaſſe, non habet fidem apud * iuris & moris antiqui peritos. qui verè notant, ſubſtitutum id pro Cruce: cauſsâ apertâ & liquidâ, quia Conſtantinus lege latâ ſuſtulerat Crucem. Ergo ipſi quoque, qui leges collectum ibant in æui illius & ſequentis vſum. Exempla plura ſunt, & notata aliis: quædam etiam vbi inconſpectiùs. vt in iſto Calliſtrati, de Pœnis: *Famoſos latrones furcâ figendos placuit.* Inconſpectè, inquam, imò ineptè. Quid? ad Furcam nouam homines figuntur? certum eſt aſtringi. Sed fuerat *Cruci figendos:* mouerunt alterum, altero retento, quod non debebant. Simile in Vlpiani de Pœnis: quod exſcriptor etiam fortaſſe corrupit. *Decuriones in metallum dari non poſſunt, nec furcæ ſubici. Cruci* in Vlpiano fuerat: ſed quis dixerit, *Cruci ſubici?* Itaque * *ſubfigi*, vel *ſuffigi*, verum cenſeam; & eamdem [illegible] hîc agnoſcam.

CAP. VIII.

De Raro modo in Schemate. & primùm de Inuerſâ ſuſpenſione.

ADFATIM de Furcâ, quæ inter *Raros* figẽdi primus Modus fuit. Alter, qui *Schemate* à vulgari diuerſus. Intellego, *cùm alio atque alio habitu hominẽ affigebant.* Id quoq; factitatũ, vt ingenioſa crudelitas eſt in pœnas. Ioſephus, vbi narrat Iudæos iuſſu Titi crucifixos: Προσήλουν δὲ οἱ στρατιῶται δι' ὀργὴν καὶ μῖσος τοὺς ἁλόντας, ἄλλον ἄλλῳ σχήματι, πρὸς χλεύην: *Affigebant milites, ab irâ & odio, eos quos ceperant, alium alio ſchemate, ad ludibrium.* Hæc ſchemata varia fuêre, quæ in lectione vidi, tangam. Eſt illud, quod *Inuerſum* dixeris, cùm hominem in caput ſuſpendunt, pedibus ſublatis. Seneca: *Alij capite conuerſo in terram ſuſpendêre.* Euſebius oſtendit Martyribus in Ægypto id factum, καὶ ἄλλοι πάλιν μὲν ἀνασκολοπισθέντες, οἱ μὲν κατὰ τὸ σύνηθες τοῖς κακούργοις, οἱ δὲ καὶ χειρόνως ἀνάπαλιν κατωκάρα προσηλωθέντες: *Atque alij iterum crucifixi: quidã more in maleficis recepto; quidam etiam deterius, inuerſâ figurâ, &*

Marginal notes (left): Quid noua Furca? — Laqueo an priſci occiderint. — * Sed non vt appenderent. — Lib. v. Orig. — Quando id cœperit? — * Calacis, Fabrum, alios.

Marginal notes (right): L. xxix. — L. ix. — * Vt in libris aliquoties ſcriptum vidimus, conſtans corruptela. — Varij figendi modi. — Lib. v. Excid. cap. xxviii — Inuerſo capite. — Côſolat. ad Marc. cap. xx — Lib. viii. cap. viii

in caput pendentes. Quod ipſum in D. Petro, ſed eo rogante, ne aſſimularetur Magiſtro. Abdias: *Et accedens ad Crucem, rogauit vt inuerſis veſtigiis figeretur.* Chryſoſtomus: Χαίροις Πέτρε, ὁ τοῦ ξύλου τοῦ σταυροῦ ἀπολαύσας, καὶ καθ' ὁμοιότητα τοῦ διδασκάλου σταυρωθῆναι μὴ θελήσας ἐν ὀρθῷ σχήματι, ἀλλὰ μᾶλλον ἐπὶ κεφαλὴν, ὡς εἰς οὐρανὸν τὴν πορείαν ἐκ τῆς γῆς ποιούμενος. *Gaudeas ô Petre crucis lignum deguſtans, & ad inſtar Magiſtri crucifixi recuſans in recto ſchemate, ſed magis in caput obuerſus, tanquam in cælum viam à terra faciens.* Et Petrum quidem etiam clauis mihi fixum, idem Chryſoſtomus teſtatur: Ὦ

tot. in ... 11. & ... ul.


A

εὐλογημένοι ἧλοι, οἵτινες τὰ ἅγια ἐκεῖνα μέλη διῆλθον: *O benedicti Claui, qui ſacra illa membra penetrarunt!* Sicut & Calliopius martyr, *poſt tormenta, verſo in terram capite Cruci affixus eſt.* Affixus, non deuinctus. Tamen & funibus adſtricti, vt Simeon Metaphraſtes de Philippo Apoſtolo: *Flagris cædunt & verberant, deinde cùm funibus à talis vinxiſſent, ſublimem ſuſpendunt præcipitem.* In cruce enim aut ſtipite ſic ſuſpenſum accipio. Nec aliter Ammianum: *Dracontius & Diodorus, iniectis per crura funibus, exanimati ſunt.*

Martyrol. vii. April.

Lib. xxii.

62



B

CAP IX.

De obliquâ ſuſpenſione, de varicante, & inter arbores ſciſſione.

Obliqua ſu-...ne.

REPERIO & obliquos ſuper crucem crucéſve poſitos: vt in Plutarchi Artaxerxe: Is narrat Paryſatidem regis matrem infenſam Eunucho cuipiá, arte eum redegiſſe in ſuam poteſtatem. tum iuſſiſſe ἐκδεῖραι ζῶντα, καὶ τὸ μὲν σῶμα πλάγιον διὰ τριῶν σταυρῶν ἀναπῆξαι, τὸ δὲ δέρμα χωρὶς διαπατταλεῦσαι: *cutem viuo detrahi, & corpus quidem obliquum iacénſque tribus ſtipitibus ſiue crucibus infigi, pellem ſeorſim in palo poni.* Video & inter duos palos diſpeſſis manibus pedibúſq; alligatos, vt in Martyrologio, de Anaſtaſiâ: *Manibus & pedibus extenſis ligata eſt ad palos.* Video & inter arbores appenſos, &, reductis iis, ſciſſos. De Coronâ martyre: *Ipſa inter arbores ſciſſa, Victor autem decollatus eſt.* Quod ipſum Schema ad Cruces referendum Propertio facilè accredam, qui ſic appellat:

Decuſſata.

Martyr. xiv Maij.

Arboreáſque cruces Sinis, & non hoſpita Graiis
Saxa, & curuatas in ſua fata trabes.

Senecam etiam huc traham, ſi fidem libris priſcis habeo; qui inter genera Crucium recenſet, *diſtracta in diuerſum actis cruribus membra.* Ita libri inquam, quos ego vidi. Eſt tamẽ vulgò *curribus*, bono & ſuo ſenſu. ad Metium enim reſpiciat: etſi vetus deſitúmque id ſupplicium, nec inter vſitata fortaſſe ibi referendum.

Epiſt. xiv.

CAP. X.

De modo qui Fine diuerſus. primùm de his qui in Cruce vſtulati.

C

TERTIVS figendi modus Rarior, qui *Fine* diuertit à vulgaro. Quem intellego, cùm *cruces aliò ſpectant, & hominem capiunt moriturum in ipſis, non per ipſas.* In exemplis diſces. Tale, cùm appenſi flãmâ aut fumo necati. Olim factum ex Cicerone diſcas: qui fratrem obiurgans, *Quid opus fuit*, inquit, *eiuſmodi litteris, quas ad ipſum miſiſti: Illum crucem ſibi conſtituere, ex quâ tu eum ante detraxiſſes. te curaturum fumo vt combureretur, totâ plaudente prouinciâ.* Verba Quincti & minę eò ſpectant, vt homo in cruce fixus vſtuletur fumo. Alexander etiam Imp. quempiam qui fumum vendiderat, quaſi compari pœnâ affecturus, *ad ſtipitem ligari præcepit, & fumo appoſito quem ex ſtipulis &*

Fumo necari in cruce.

Lib. 1. ad Q. Frat. epiſt. 11.

Lampr. in Alex.

humidis

63



humidis lignis fieri iuſſerat, necauit, præcone dicente, Fumo punitur qui vendidit fumum. Atque in Martyribus noſtris hoc genus crebrum. Acta vetera de Pionio: *Confixus clauis in cruce, aggeſtis ligne, flamâ combuſtus eſt.* Nec aliter Polycarpus mortuus, antiſtes Smyrnæorum. ipſi in epiſtolâ Μελλόντων δὲ αὐτὸν καὶ προσηλοῦν, εἶπεν, Ἄφετέ με οὕτως. ὁ γὰρ δοὺς ὑπομεῖναι τὸ πῦρ, δώσει καὶ χωρὶς τῆς ὑμετέρας ἐκ τῶν ἥλων ἀσφαλείας ἀσκύλτως ἐπιμεῖναι τῇ πυρᾷ. Οἱ δὲ οὐ καθήλωσαν, προσέδησαν δὲ αὐτόν: *Cum pararent eum cruci ſuffigere, dixit, Relinquite me ſic. qui enim dedit exſpectare ignem, dabit & ſine veſtrâ clauorum firmitate, ſolutum manere in rogo. Illi autem non confixerunt eum, ſed ligarunt.* Quin vno etiam tempore plures, *appenſi pedibus in ſublime* (nota hîc & Schema inuerſum) *capite verſo deorſum, ſuffocati fumo, & lento igne conſumpti ſunt.* Non ergo iniuriâ Tertullianus ſcripſit. *Licet nunc Sarmentitios & Semaxios appelleris, quòd ad ſtipitem dimidij axis reuincti, ſarmentorum ambitu exurimur.* ſignificat enim adeò crebrum in maiores illos noſtros & in religione proceres ſupplicium hoc fuiſſe; vt in ludiũ conuitiúmque venerit; & Chriſtiani vulgò *Semaxij*, à ſtipite cui aſtringebantur, & *Sarmentitij*, à ſarmentis quibus vrebantur, ſint dicti. Atque hoc eſt quod *Axem* vocant alibi *incendio conſtrictum*, id eſt, ad incendium iam cum homine ligatum.

Aut flamâ.

Apud Euſeb. lib. IV. cap. XV.

Martyrol. XXIII. Iunij.

Tertullianus explicatus. Apolog. cap. vlt.

Lib. de pudicit. cap. vlt.

CAP. XI.

De his qui beſtiis in Cruce obiecti.

64



CRVX & iſta *Fine* alia, cũ homines in eâ fixos beſtiis obiiciebant. In publicis ſpectaculis id ſæpe factum. Epiſtola Lugdunenſium, de Blandinâ Martyre: Βλανδίνα ἐπὶ ξύλου κρεμασθεῖσα προὔκειτο βορὰ τῶν εἰσβαλλομένων θηρίων. ἣ καὶ διὰ τοῦ βλέπεσθαι σταυροῦ σχήματι, καὶ διὰ τῆς εὐτόνου προσευχῆς, πολλὴν προθυμίαν τοῖς ἀγωνιζομένοις ἐνεποίει: *Blandina in ligno ſuſpenſa proſtituta eſt eſca & lanienæ incurrentium ferarum. Quæ & quòd in ſpecie Crucis videbatur, & ob continuam orationem, multam alacritatem iniiciebat certantibus.* Sed factum & non Chriſtianis. vt illi apud Martialem Laureolo:

Beſtiis obiecti in cruce. Apud Euſeb. lib. V. cap. I.

Qualiter in Scythicâ religatus rupe Prometheus
Aſſiduam nimio pectore pauit auem,
Nuda Caledonio ſic pectora præbuit vrſo
Non falsâ pendens in cruce Laureolus.

Lib. I.

Nec ſatis capiunt, certè non reuelant, interpretes. Vult quempiam ſuſtinuiſſe velut in fabulâ perſonam Laureoli: & cùm is pro argumento crucifigendus eſſet, ſed in ſpeciem & moris cauſsâ: rem ex fabulâ Titus fecit, & noxium quempiam ita fixit, & fixum beſtiis etiam obiecit. Dico *obiecit*. atque ita propriè: aliud eſt, dare ad beſtias. Vopiſcus in Aureliano: *Sane Mneſtheus poſteà ſurrectus ad ſtipitem, beſtiis obiectus eſt.* Surrectus, valet rectus ligatus. Hic eſt *ſtipes*, quem Tertullianus appellat *Leonis conceſſum*. Ita lego, non *Leone*, libello De Pudicitiâ extremo. Atque ad hunc ipſum morem infamis & infanda illa turpitudo Neronis: *quâ viros feminâſque ad ſtipitem deligatos, ipſe fera pelle contectus, emiſſus è caueâ*, medios inuadebat. Xiphilinus è Dione: Μειράκια καὶ κόρας σταυροῖς γυμνὰς προσεδίου, θηρίου τέ τινος δορὰν ἀναλάμβανε, καὶ προσεπίπτων σφίσιν ἠσέλγαινε, ὥσπερ τι ἐσθίων.

Martialis explicatus.

Tertullianus.

Et Suetonius. Sueton. cap. XXIX. in Nerone.

CAP.

CAP. XII.

De mortuorum in Cruce ſuſpenſione.

Mortui in cruce ſuſpenſi.

A AC poſtremò Crux *Fine* alia, cùm non viui ſed mortui in eâ appenſi. Notabis. & quod nobis ſollenne in rotâ exponere ſupplicio iam affectos, ad notam ſceleris & infamiam, id olim in Cruce, & Orientalibus præſertim. De Romanis nondum legi.niſi quòd Cæſar *piratas, a quibus captus eſſet, cum in deditionem redegiſſet, quoniam ſuffixurum ſe cruci iurauerat, iugulari prius iuſſit, atque ita ſuffigi.* Sed id per clementiam, & vt ſubtraheret diuturnæ pœnæ. Alij per ſæuitiam & ad infamiam, vt dixi. Ita Carthaginenſes in Hannone. *qui captus virgiſque caſus, effoſſis oculis, & manibus cruribúſque fractis, velut à ſingulis membris pœna exigeretur, in conſpectu populi occiditur. corpus verberibus laceru in cruce figitur.* Idem Paryſatis in Eunucho, de quo * ſuprà. Item Ptolomæus Ægypti rex, in Cleomene. qui etſi manu ſuâ animosè cecidiſſet, tamen προσέταξε τὸ σῶμα κρεμάσαι καὶ ἀνασταυρῶσαι: *iuſſit corpus crucifigi, cum cute priùs decraxiſſent.* Vbi obſeruo obiter, antiquum hunc morem excoriandi in ſupplicijs, Ægyptus Perſiſque fuiſſe, quem & hodie Ægyptij tenent. nam graſſatores ſicarióſque ita puniunt, diu viuos, donec ad vmbilicum carnifex perueniat: quod narrat Iohânes Leo, qui cum fide ſatis & iudicio res Africæ & Ægypti ſcripſit. Nec cadauer ſolùm, ſed imagines ſublatæ in crucem. exemplo in Celſo: cuius *corpus à canibus conſumptum eſt, & nouo iniuria genere imago in crucem ſublata.* Auctor Pollio in xxx. tyrannis.

Sueton. ca. LXXIV.

Plerumque poſt mortem. Iuſtin. lib. XXI.

* Cap. in. huius libri.

Deglubere in cruce. Orientalium.

CAP. XIII.

E quo ligno Crux fuerit? Item in monte plerumque defixam, ipſam ſæpe altiuſculam.

PEREGIMVS, de Formâ & Modo: duo velut ſucciſiua & extra diuiſionem relicta; nunc adiungo *Materiam & Locum.* E quâ materie Crux? ex obuio & prompto aliquo ligno. E quâ noſtri Seruatoris? cenſemus è quercu. Primùm quia viri fide digni aſſerunt, fruſtra ſacratiſſimi huius ligni quæ hodie exſtant, ſpeciem hanc referre. Tum, quia crebra & frequens in Iudæâ olim & nunc quoque illa arbor. Tertiò, quia robuſtum lignum & fixioni laturæque aptū. Itaque Silius in eo etiam crucifigit.

Crux Christi quercu.

*Quem poſtquam diro ſuſpenſum * robore vidit.*

Iterum:

——Erecto ſuffixum robore maeſtis
Oſtentabat ouans populis.

Lib. 2. * poſtis ca ...

Nam quòd ſuperioris aliquot æui ſcriptores tria aut * quatuor genera ligni in Cruce dominicâ agnoſcunt, curioſè magis dictum arbitramur quàm verè. At quis *Locus* cruci? Incertus, & pro arbitrio: tamen plerumque conſpectus aliquis, & iuxta vias. Exempla enim exempla eſſe deſinunt, niſi aliorum animum oculóſque in ſe vertant. Quinctilianus: *Quoties noxios crucifigimus, celeberrima eliguntur via, vbi plurimi intueri, plurimi commoueri hoc metu poſſint.* Ita Alexâder Imp. Eunuchum *in crucem tolli iuſſit per eam viam, quâ erat ſeruis ſuis ad ſuburbana Imperatoria iter frequentiſſimū.* Quinetiam opida, certa loca habuiſſe videntur, huic rei adtributa. Sic Mamertini, *more atque inſtituto, crucem fixerunt in viâ Pompeiâ.* Sic Romæ iuxta Vrbem Tacitus agnoſcit *Locum ſeruilibus pœnis ſepoſitum.* quod de Cruce & Crurifragio interpretamur. Hac ipſâ de cauſâ poſita ea ſæpe in monte. Vt Seruatoris noſtri, in Caluariæ: vt Polycratis, *in excelſiſſimo Mycalenſis montis vertice.* Quin ipſa ſæpe alta, præſertim in noxio aliquo inſigni. Iſtiſio Galbæ huc pertinuit. qui cuidam *implorant leges & ciuem Rom. ſe teſtificanti, quaſi ſolatio & honore aliquo pœnam leuaturus, mutari, multóque præter ceteras altiorem, & dealbatam, ſtatui crucem iuſſit.* Altiorem, vt digniori, albatam, * vt ciui, quia in veſte albâ. Tale in Iuſtino, de Carthalone: quem pater, *cum ornatu ſuo, in altiſſimam crucem in conſpectu vrbis ſuffigi iuſſit.* Et Pœni fecerant in Regulo. Apud Silium:

Ibidem. Cedrum, Palmam, Cupreſſū, Oliuam.

Cruces vbi? iuxta vias.

Declam. CCLXXV.

Cic. V. in Verr. Annal. XV.

In alto.

Valer lib. VI. ca. VII.

Sueton. cap. IX.

* Siue etiā vt magis notabilis cōſpicuaque eſſet. Lib. XVIII.

——vidi cùm robore pendens
Italiam cruce ſublimis ſpectaret ab altâ.

Iam illa Amanis præalta: qui Mardochæo *crucem quinquaginta cubitorum* poſuit, ſed ipſi aſcendendam. Sanè pleræque omnes altiuſculæ. atque ideò communiter Tertullianus: *Timebit forſitan caro gladium grauem, aut crucem excelſam.* Quam ipſam rationem

Ipſa cruces ſæpe altæ. In Eſther cap. VI. & VII. Ad Mart. cap. IV.

B Lactantius in Dominicâ aſſignat. *Nam quoniam*, inquit, *is qui patibulo ſuſpenditur, & conſpicuus eſt omnibus, & ceteris altior. crux potiùs electa eſt, quæ ſignificaret illum tam conſpicuum támque ſublimem futurum, vt ad eum cognoſcendum pariter & colendum cuncta nationes ex omni orbe concurrerent.* O inopinatam, ſed verâ dictionem! cui fides maximè noſtro æuo facta: cùm, virtute & gloriâ magnâ Hiſpanicæ gentis, Nouus etiam orbis venit in Chriſtianas leges.

Lib. IV. cap. XXVI.

Crux omnia amplexa.

CAP. XIV.

Crux ſublata, atque etiam Crurifragium fortaſſe. Quando id factum, quæſitum.

C NVNC pedem in vltimo velut ſpatio pono, quod eſt *Quatenus* Crux vſurpata. Poſtquâ enim Vitam ipſam interfecit, non diu illi vita: & ſuſtulit ex humanis. aut certè Romanis rebus, Conſtantinus. Serò iam ille Chriſtianus, noluit ſalutare ſignum ſubſeruire ad perniciem; & colendum illud atque eximium, pœnis vileſcere damnatorum. Ergo ſuſtulit. Victor: *Vetus veterrimúmque ſupplicium patibulorum, & cruribus ſuffringendis, primus remouit.* Caſſiodorus: *Supplicium Crucis, quod primitus apud Romanos erat in vſu, lege prohibuit.* Atque efficaciter etiam ſuſtulit: nec poſteà reperies reductam. Auguſtinus: *Anteà homines cruci figebantur, quod poſteà edicto prohibitum, manet.* Scholiaſtes Iuuenalis ad illud —*Partemque cadaueris adferre*, notat: *Hominum. nam antiqui cru-*

Conſtantinus crucē e ſupplicijs tollit.

In Conſtant.

Hiſtor. Tripar. I. cap. IX. Quæſt. in Vet. Teſt.

D *cibus figebant.* Non ergo eius æuo. atque ex eo diſcas non nimis antiquum ipſum, etſi antiqua doctum. Quando autem ſuſtulit? ſerò, nec niſi ſub imperij extrema. Colligo, quia illo iam imperante mentio etiā crucium: quid, quòd apud ipſum? Lex in eius nomine exſtat Theodoſij Codice: quâ ſerui ac liberti, *qui dominos aut patronos accuſare aut deferre tentauerint, denegatâ audientiâ patibulo adfigantur.* Iam Iulius Firmicus, qui eius regno ſcripſit, non ſemel Crucis meminit vt recepti ſupplicij atque vſitati. Suprà exēpla reperies, atque adde iſtud de latronibus; *Hi*, in-

Tempus inueſtigatum.

Lib. IX. Tit. V.

E quit, *in crucem tollentur, aut publicâ animaduerſione damnati crudeliſſimâ nece peribunt.* Atquin illa ipſa Firmicus ſcripſit, ſub finem eius imperij, & liberis iam adultis. Diſces ex fine libri primi. Ergo ſerò, vt dixi, ſub vitæ finem. Indicat clarè Sozomenus, qui inter omnes ab eo leges hanc recenſet poſtremam. Ἀμέλει τοι πρότερον, inquit, νενομισμένην Ῥωμαίοις τὴν τοῦ σταυροῦ τιμωρίαν νόμῳ ἀνεῖλε τῆς χρήσεως τῶν δικαστηρίων: *Denique priùs vſitatam Romanis crucis pœnam, lege ſuſtulit ex vſu tribunalium ac iudiciorū.* An, δικαστηρίων: an hoc indicans, quòd nondum ſublata ex vſu omni priuato? & quòd dominis etiā in ſeruos vetus ſuum ius: cogitandum ſit. Sicut & illud, ſatiſne Victor ex

Lib. VIII. cap. XX.

Lib. I cap. VIII.

Appenſa verba Sozomeni.

veio

An cruri fragiũ vnà ſublatum.

vero de Crurifragio pariter ſublato ſcripſerit, verbis quę iamante dedi. Ratio vix eſſe videtur. Quid enim Cruci aut Chriſto etiam cum Crurifragio? niſi quia latrones fortaſſe iuxta Chriſtum. Ridiculum videatur. & ſi fuit; illud magis ſit, quòd martyres multi eo tetro ſupplicio ſint interfecti. Sed profectò ſub Cõſtantio eius filio viuum id reperio. *Apollinares ambo,* ait Ammianus, *pater & filius, vt mandatum eſt, fractis cruribus occiduntur.* Firmicus etiam agnoſcit: *Hi tales aut in crucem tolluntur, aut illis crura publicâ iudicum animaduerſione franguntur.* Vbi notabis, palàm, vt diuerſum, à cruce ſeiungi: quod ſuprà monui.

Lib. xiv. Lib. v. ii. cap. vi.

CAP. XV.

Honores quos Conſtantinus Cruci habitum iuit. Signis ea & vexillis impoſita, aut inſerta.

Honos primus Crucis. Zonar. in Conſtantino.

HIc exitus Pœnalis Crucis fuit: & iam à Conſtantini primordiis Salutaris noſtra cœpta honorari. Cauſſa & origo à victoriâ contra Tyrannum. Nam cùm Maxentium aggreſſurus eſſet, ἀγωνιῶντι διὰ ταῦτα, τύπος αὐτῷ σταυρικὸς μεσούσης ἡμέρας δι' ἀστέρων ἐφάνη κατ' οὐρανόν, καὶ γραφὴ περὶ τὸν σταυρὸν ῥωμαϊκοῖς στοιχείοις, ἐν τούτῳ νίκα. ἐκ χρυσοῦ τοίνυν αὐτίκα κατασκευάσας σταυρὸν κατὰ τὸν φανέντα τύπον αὐτῷ, καὶ τοῦτον κελεύσας στρατιᾶς αὐτοῦ προπορεύεσθαι, τοῖς τοῦ Μαξεντίου συμμίγνυται καὶ ὑπερβαλεῖ: *ambigenti & animo anxio, ob iſta figura eſt crucis media die, ſtellis effictа, apparuit in cælo, & ſcriptura circa eam Romanis litteris, In hoc vince. Igitur ex auro ſtatim ſubitario opere efformans crucem, iuxta ſpeciem quæ apparuiſſet, & hanc iubens prægredi exercitum, cum Maxentianis prælium commiſit, & ſuperauit.* Itaque ſtatim victrix illud ſignum militaribus ſignis inſeruit, & maximè Labaro quod inter ea primum. Prudentius ad ipſam Romam:

Inſertam militaribus ſignis. Cõtra Symmach.

> *Agnoſcas Regina libens mea ſigna neceſſe eſt,*
> *In quibus effigies crucis aut gemmata refulget,*
> *Aut longis ſolido ex auro præfertur in haſtis.*


Dupliciter Poëta notat Crucem inſitam ſignis, ſemel in vexillorum purpurâ, gemmis intextam & expreſſam: iterum in haſtarum vertice ſuperſtantem, ſolido auro furmatam. Sed, vt dixi, in Labaro maximè ea conſpicua. de quo Prudentius:

> *Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro*
> *Signabat labarum.*

Duplex ... tum Labaro. Lib. i... xxv D... vitâ Conſtant.

Quomodo Chriſtus? quia & nomen eius in ipſo velo expreſſum, & crux nihilominus in haſtâ. Euſebius diffusè: ὑψηλὸν δόρυ χρυσῷ κατημφιεσμένον, κέρας εἶχεν ἐγκάρσιον, σταυροῦ σχήματι πεποιημένον. ἄνω δὲ πρὸς ἄκρῳ τοῦ παντὸς, στέφανος ἐκ λίθων πολυτελῶν καὶ χρυσοῦ συμπεπλεγμένος κατεστήρικτο. καθ' οὗ τῆς σωτηρίου ἐπηγορίας τὸ σύμβολον δύο στοιχεῖα, τὸ Χριστοῦ παραδηλοῦντα ὄνομα, διὰ τῶν πρώτων ὑπεσήμαινον χαρακτήρων, χιαζομένου τοῦ Ρ κατὰ τὸ μεσαίτατον: *Sublimis haſta auro circumueſtita, cornu tranſuerſum habebat effictum in formâ crucis. Suprà verò, in ipſo culmine omnium, corona è lapidibus pretioſis & auro contexta infigebatur: iuxta quam ſalutaris appellationis ſymbolum, duæ litteræ Chriſti nomen exprimentes, per primos dumtaxat characteres, litterâ Græcanicâ* P *ſcilicet decuſſatâ & ſciſſâ per medium ipſo* X. Neqoe cruces modò ſignis inſeri voluit; ſed hoc amplius, ſolas: καὶ τῶν χρυσῶν ἀγαλμάτων, ὁποῖα πρότερον αὐτοῖς ἔθος ἦν, τὰ μηδέν: *& aurearum imaginum cuiuſmodi anteà ſolebant, nullas.* Intellegit aureas imagines vultúſque Imperatorum. Formæ ecce in Nummis.

Euſeb. vitâ C... lib. iv. cap ...



CAP. XVI.

Crux in Militum armis: in Imperatorum capite & manibus; & pro inſigni.

NEc verò in Signis ſolùm Crux expreſſa, ſed etiam ipſorum militum armis. Euſebius: Ἤδη δὲ καὶ ἐπ' αὐτῶν τῶν ὅπλων τὸ τοῦ σωτηρίου τροπαίου σύμβολον κατασημαίνεσθαι ἐποίει: *Iam vero in armis ipſorum militum ſalutaris tropæi ſignum iuſſit exſtare.* Quibus armis? duplicibus, Clypeis & Galeis: ſed ita, vt Chriſti quidem ipſum nomen (literis & notis, quibus in Labaro) clypeis inſcriberetur, Galeis autem imponeretur ſupernè Crux ipſa. Prudentius ſic diſcriminat:

——clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis crux addita criſtis.

Et meritò Chriſtus in clypeis, eo ritu quo ſolent nomina Imperatorum. Atque etiam hodie Conſtantinopoli ſunt columnæ, à Conſtantino, vt putatur: in quarum baſibus clypei cum his notis. ☧

Sed & crucem in ſuum caput & ad Diadema Imperator tranſtulit, hicne, an alius? In Hieronymo quidem lego: *Regum purpuras & ardentes diadematum gemmas patibuli Saluatoris pictura condecoras.* Et credo ab ipſo eſſe Conſtantino: qui, *& in figurationibus ſolidorum & imaginibus propriis ſignum crucis iuſſit inſcribi.* Id Sozomenus quoque aſſerit: Ἐνεσημαίνετο δὲ τῷ νομίσματι, καὶ ταῖς εἰκόσι γραφομέναις, ἐπιλέγων ἀεὶ ἐγχαράττεσθαι καὶ ἐγγράφεσθαι τοῦτο τὸ θεῖον σύμβολον· καὶ μαρτυροῦσιν εἰς ἔτι νῦν εἰκόνες αὐτοῦ ἐπὶ τούτου τοῦ σχήματος: *Impreſſo autem ſibi in nummis, aut picto in imaginibus, iuſſit ſemper adprimi & adpingi iſtud diuinum ſymbolum: & teſtantur etiamnunc imagines quæ in eo ſchemate exſtant.* Statuam etiam ſibi erigi fecit Romæ in vrbe mediâ, quæ manu hoc ſalutare ſignum teneret, cum inſcriptione quam apud Euſebium, qui volet, leget. Et exemplum ſecuti Imperatores alij, in quorũ * Nummis hodiéque cruces variè videmus. Aliâs victoriæ ſunt quæ manu eas leuent; aliâs ipſi, idque dupliciter. aut enim ſolam eam geſtant, aut globulum cui ea infixa. De globulo Suidas etiam tangit, & cauſſam aperuit, in Iuſtiniano. Qui, inquit, ἔστησε τὴν ἑαυτοῦ εἰκόνα ἐπὶ κίονος ἐφ' ἵππῳ. καὶ τῇ μὲν ἀριστερᾷ χειρὶ φέρει σφαῖραν, ἐμπεπηγότος τοῦ σταυροῦ ἐν αὐτῇ, ὑποσημαίνοντος ὡς διὰ τῆς εἰς τὸν σταυρὸν πίστεως τῆς γῆς ἐγκρατὴς γέγονε· σφαῖρα μὲν γὰρ ἡ γῆ, διὰ τὸ σφαιροειδὲς τοῦ αὐτῆς σχήματος· πίστις δὲ ὁ σταυρὸς, διὰ τὸν ἐν αὐτῷ σαρκὶ προσηλωθέντα θεόν: Iuſtinianus *imaginem ſuam poſuit ſuper columnam in equo. Ea ſiniſtrâ manu fert globum, cruce in eo infixâ: ſignificante quòd per fidem in crucem, terræ dominus ſit factus. Globus enim terra eſt, ob hanc eius rotundam formam: fides autẽ crux, ob Deum qui carne in eâ affixus.* Nec tamen Iuſtinianus inuentî eius auctor: exſtant Theodoſij aliorúmque nummi ſic inſigniti diu ante illum. Quin obſeruo Principes Byzantinos in progreſſibus publicis crucem hanc prætuliſſe ſuâpte manu. Ioannes Curopalates: Ἀπὸ μὲν οὖν τῶν τοιούτων φορημάτων φορεῖ ὁ βασιλεὺς οἷα ἂν βούληται, τὸν δέ γε σταυρὸν ἐν δεξιᾷ φέρει αἰεί. *Ex reliquis geſtaminibus geſtat Imperator quæ voluerit cunque: Crucem autem dexterâ ſemper geſtat.* Atque infrà: Καὶ τῇ μὲν δεξιᾷ χειρὶ κατέχει τὸν σταυρὸν, ὡς σύνηθές ἐστι κρατεῖν τὸν βασιλέα ὅταν καὶ τὸ στέμμα φορῇ: *Et dextrâ quidem manu tenet crucem, ſicut ſollenne eſt teneri ab Imperatore, quoties & Stemma fert*, id eſt diadema. Ab hoc rim etiamnunc crucifer ille globus inter Sacri illius Imperij inſignia: quod tu RVDOLPHE CÆSAR per tot inclytos maiores ad te miſſum tenes, tenebíſque diu (ita voueo) bono Chriſtiani orbis.

Lib. 1. cap. 18.

Manu eam tenet.

De vitâ Conſt. l. 1. c. xx… & alibi.

*Etiã quorundam, qui nec Chriſtiani. Occo notat in Galliano & Romulo Auguſtis.


In globo fixa.

Lib. De Offic. Aulæ Conſtant.

66



67



CAPVT XVII.

Laudatiuncula Crucis.

SEd iam mihi ſalue

Ὦ ξύλον μακαριστόν, ἐφ' οὗ θεὸς ἐξετανύσθη,

O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit.

Sibylla apud Sozom. II. cap. 1. Lib. IV. De Orig. Fide.

Quod in elogiis cum Damaſceno lubens meritò afficio, Θυρεὸς καὶ ὅπλον καὶ τρόπαιον κατὰ τοῦ διαβόλου, σφραγὶς ἵνα μὴ θίγῃ ἡμῶν ὁ ὀλοθρεύων, τῶν κειμένων ἀνάστασις, τῶν ἑστώτων στήριγμα, ἀσθενῶν βακτηρία, ποιμαινομένων ῥάβδος, A ἐπιστρεφόντων χειραγωγία, προκοπτόντων τελείωσις, ψυχῆς σωτηρία καὶ σώματος, πάντων τῶν κακῶν ἀποτρόπαιον, πάντων τῶν ἀγαθῶν πρόξενος, ἁμαρτίας ἀναίρεσις, φυτὸν ἀναστάσεως, ξύλον ζωῆς αἰωνίου: *Clypeus & armatura & tropaeum contra diabolum, ſignaculum ne tangat nos euerſor, iacentium erectio, ſtantium fulcrum, infirmorum ſcipio, paſtorum virga, reuertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ conſeruatio & corporis, omnium malorum auerſio, omnium bonorum conciliatio, peccati pernicies, ſtirps reſurrectionis, lignum vitæ æterna.* Da hanc nobis ô ÆTARNE.

FINIS LIBRI III. DE CRVCE.

IVSTI LIPSI AD EOSDEM LIBROS NOTÆ.

ALLOCVTIO.

AD TEXTVM *etiam meum,Lector, viſum fuit breuiter hæc notare. Cur non in ipſo? quia non pro omnium guſtu hæc talia,& pleriſque ſatis eſt capita rerum delibaſſe. Cauſſa etiam, quia placuit quædam explicatiùs aut firmiùs iterare. Debui ſanè,vt hoc æuum eſt:in quo calumniæ,vt ille inquit,*

Quaſi herba irrigua,ſuccreuerunt vberrimè.

In culpâ ſumus,ſiue quid commiſimus, ſiue etiam omiſimus: & pleriſque pulchrum, non niſi * τὰς ἀκάνθας τῶν βιβλίων ἐκλέγειν. *Ego verò ſcio* neminem eſſe tam felicem, qui non ſubiectus ſit errori,& hoc non dementis eſſe proprium,verùm hominis. *Itaque ne nunc quidem cùm caueo, ſatis cauero:vtique in iſto vario & diffuſo ſcribendi genere, in quo,* alius alio plura inuenire poteſt,nemo omnia.*Quo magis mirum,quoſdam nobis inſultare:nec cogitare quàm multa ipſi fortaſſe non repperiſſent,ſi primi quæſiſſent. Non ſum tam Lynceus,inquiunt,quàm mihi videor. Egóne? teſtor te ſumme Deus, non videor: & ſiquid olim in calidâ illâ ætate calidius,abiit,& veris me pretiis nunc æſtimo & pẽdo. Quò longius in hac vitæ viâ progredior,magis magisq; aſpicio circumfuſam animo caliginem,corpori imbecillitatem. Heracleitus,vt opinor,olim dicere ſolitus,*Se cùm iuuenis eſſet, nihil ſcire; cùm ſenex, nihil ignorare:*mihi planiſſimè contrà euenit,& qui olim aliquid ſcire viſus, nunc parum aut nihil. Et ô miſeri, quid nos, doctrina,fama ſumus? Ipſi puluis, illa opinio,iſta ventus. Atqui etiam tangunt quaſi manum iniecerimus ſcriptis alienis. Vellem parciùs:certè non merito meo fit, qui prolixè & libenter honorem ingeniis inuentoribusque habitum iui, niſi ſicubi Dialogorum ratio & decorum id impediuit. Tale in Saturnalibus neque negamus virum magnum multa ante nos in eo argumento obſeruitaſſe: ſed ſcripta eius exſtant; quid detraximus? Illud tamen non arbitror, ibi aut alibi inſigniorem notam aut correctiunculam malâ fraude in nomen meum transſcriptam. Tetigit aliquis hanc aut illam materiam? quid tum? ego fortaſſis impleui. Et vt ſeriò loquar,lectionis aut collectionis tota iſta res eſt:cur alteri imputemus? Tot iam annos,imò luſtra,in iiſdem illis ſcriptoribus verſor,voluo reuoluo in eaſdem curas:malè me hercules de induſtriâ ingenioque noſtro ſentit,quiſquis aut non lecta ea nobis cenſet, aut neglecta. Vt è fonte quod haurimus,noſtrum eſt,quiſque tamen ſuo vaſe: ſic quod è communibus illis ſcriptoribus,ſed quiſque pro iudicij ſui modo. Denique legere,aut colligere parum eſt: ſeligere, diſponere,eloqui,poſcit laudem. Hæc & talia ſatiare nos ſcriptionis poterant: melior ratio reuocauit, & ſuaſit publico prodeſſe quâ poſſum. Opes atque arma noſtra,ſtilus. Quem tamen in alium nunquam ſtringam aut proferam: abſit:Chriſtianum me commemini,id eſt, Sacerdotem pacis.* Habet quidem gloria,*ait Plinius,*præſertim in ſtudiis, quiddam * ἀκοινώνητον: *nolo in me expetat. & quandocunque moriar,feram mecum hanc conſcientiam,nullius me famæ inuidiſſe,quoſdam meæ. Quod ſi æuum hoc parum etiam gratum ſit: quid noui?* Suum cuique pretium poſteritas rependet. *Tu Lector vale,& iuuantem,aut certè volentem,ama.*

* Spinas librorum eligere.

* Inſociabile.

NOTÆ AD LIB. I.

CAPVT II.

GABALVM.] Exoticam vocem eſſe per me ſuſpicabar, didici & Hebræam origine à Mart. Antonio Delrio, doctiſſimo & amiciſſimo viro. nam illis *Gab*, excelſum: *Gabal*, terminus, aut rectus ſtipes in agris. Quid niſi tale crux quæ erecta, & in excelſo? Reperio & in Perſicarum vocum indice (à Franc. Raphelengio noſtro habui) *Gab* notare excelſum. Iam noſtras vox quantulum abit, qui patibulum *Galgam* appellamus? Sed nec Gallica valdè abludit.

Cruces Caucaſorum.] Potes pro ipſis ſuppliciis accipere, & cruciariâ morte. Auſonius de hac quoque Prometheâ:

Sic inter rupes Scythicas ſtetit altibus crux.
Vnde Prometheo de corpore ſanguineus ros.

Iunius Baſſus apud Senecam lib. I. Controu. III. *Nihil amplius putabam aduerſus iſtius audaciæ poſſe, quàm quòd in illâ cruce Veſtam nominauerat.* Nuſquam ſanè crux, ſed virgo deiicienda de ſaxo erat, Veſtam inuocauit, & cecidit illæſa.

AD CAP. III.

Confixum eſſe Chriſto dicit.] Eſt illud Pauli ad Romanos cap. VI. Ὅτι ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεσταυρώθη.

Cruciarius.] Quo modo & *Verberonem*, *Flagrionem*, *Maſtigiam* dicimus, verbere, flagro, maſtige dignum. Tertullianus aliter hac voce vtitur. *Febris per cruciarios & mortiferos exitus erogat hominem*: id eſt, cruciantes. Quâ mente & *Viuam crucium* in Lucilio Feſtus obſeruat, inſuaue, acerbum.

AD CAP. IIII.

Σταυρὸς & Σκόλοψ.] Nec tamen nego pluribus etiam verbis in hanc rem vti. Ecce & Ἴκριον appellant crucem. Scriptor anonymus apud Suidam: Ἰκρίῳ Ἰουδαῖοι τὸν σωτῆρα προσηλώκασι: *Ligno recto Iudæi Seruatorem affixerunt.* Sunt qui ita hoc verbi explicent & vertant in Thucydidis vitâ quam ſcripſit Marcellinus: Ἴκριον ἐπὶ τοῦ τάφου κεῖσθαι. τοῦ κενοταφίου δὲ τοῦτο γνώρισμα εἶναι ἐπιχώριον καὶ νόμιμον Ἀττικὸν τῶν ἐπὶ τοιαύτῃ δυστυχίᾳ τετελευτηκότων, καὶ μὴ ἐν Ἀθήναις ταφέντων: Ait quoſdam opinari Thucydidem peregrè & in exſilio mortuum. *Lignum enim ſiue Tabulam ſuper ſepulchrum eius poſitum eſſe. Hoc autem inanis & honorarij tumuli patrium ſignum & ſollenne Atticum haberi, in iis qui tali infortunio obiiſſent, nec Athenis ſepulti eſſent.* Sunt, inquam, qui *Crucem* aut *Furcam* vertant, nec mihi probant. Magis eſt, vt Ἴκριον, hîc lignum nauale ſit (peregrinantis, aut abſentiæ indicium, quoniam mari ferè ex Atticâ abitur) de quo Heſychium vide. Ille idem Grammaticus addit: Ἴκριον, σανίδωμα, ἢ ξύλον ἐν ᾧ κακοῦργοι ξέονται. Melius δέονται. id eſſet, *lignum ſiue axis in quo malefici ligantur.* Atque ita Euſtathius in Iliad. X. Σανὶς, ἐν ᾗ τοὺς κακούργους ἔδεον. *Aſſer, in quo maleficos ligabant.* Item Ariſtophanes: βασανίζων παντὶ τρόπῳ, ἐν σανίσι δήσας: *Omni modo torquens, in aſſere ligans.* Repetio & in Euſebio Ἴκριον pro cruce, & ſuprà adduxi, lib. II. cap. XII. Σανίδα in hac re dixit Herodotus in extremâ Calliope: Ἀπαγαγόντες δὲ αὐτὸν ἐς τὴν ἄκρην, σανίδα προσπασσαλεύσαντες ἀνεκρέμασαν. Quod

Ex verſu 174.

A vertunt: *Adductum hunc in litus depactis humi aſſeribus ſuſpenderunt.* Vide an non σανίδι legas ponùs, hoc noſtro ſenſu: *Abducentes eum ad litus, aſſeri affigentes ſuſpenderunt.* Eſſet affixio in ſtipite ſimplex.

Κρεμᾶν.] Ita palàm Plutarchus in Cæſare, de piratis: πολλάκις ἠπείλησε κρεμᾶν αὐτούς: *Sæpe minatus crucifigere eos*, vt Latini omnes loquuntur & narrant. Eſt & Antiochi regis edictum, quo philoſophos regno pellit, & pœnam etiam aſſectantibus ponit iſtam: τῶν δὲ νεανίσκων ὅσοι ἐὰν ἁλίσκωνται πρὸς τούτοις γινόμενοι, διότι κρεμάσονται, καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν ἐν αἰτίαις ἔσονται μεγίσταις: *Iuuenum verò quicumque reperientur apud iſtos, iij ſuſpendentur, & patres eorum hærebunt in maximâ noxa.* B Ita Athenæus recitat lib. XII. ſed vtrùm de hac noſtrâ in cruce ſuſpenſione, an de aliâ in trabe accipimus? in trabe, inquam, ad verberandum flagellandumque. quem morem Græcis Latiniſque fuiſſe, comœdiæ atque alia docent.

Aliorum inanes logos.] Ita verè, inanes. Nam Alciati quale eſt? Ait *Hiſtiæum Mileſium* intelligi, *quem Sardibus præpoſitum Artaphernes & Harpagus cruci fixerunt, capite deſecto & ad regem miſſo.* Ita Herodotus, inquit, libro ſexto. Quod verum eſt: ſed quid Hiſtiæo, cum Achæo? Reſpondet, *ideo ſic vocari a poeta, quia Hiſtiæus Mileſius fuit, Mileſij coloni Ionum, Iones Achæi. Ergo à patria, Achæus.* Quis color in hoc ſermone? Sed nec amicum noſtrum audio ſine auctore ſcribentem: *Achæum intelligi Lydiæ regem, qui* C *ob auaritiam necatus in Pactoli aquis pependit.*

AD CAP. V.

Memorem Veneris Proſerpina Adonim.] Auſonius fabellam aſpicit, quæ eſt iſta. Venus iam olim puerum hunc deamauerat, & vt ſola frueretur, clàm depoſuerat apud Proſerpinam. Sed hæc mox in eâdem flammâ: ac repetenti Veneri negat date. Lis eſt, itur ad Iouem. Ille rem ſic componit, vt Adonis, quod ad vſum, in tres anni partes ſecaretur. Primâ, vt Adonis, Adonidis eſſet: ſecundâ, Veneris: tertiâ, Proſerpinæ. Acquieuerunt: ſed enim Adonis pronior in Venerem, ſuum quoque trientem illi tribuit. Hæc Apollodorus lib. III. Bibliothecæ. Ergo iſtud eſt, quod Proſerpina nunc cruce vindicat. Theocritus & ipſe huc aſpexit. Eidyll. XV.

D Ἕρπεις ὦ φίλ' Ἄδωνι, καὶ ἐνθάδε κ' εἰς Ἀχέροντα
Ἡμιθέων, ὡς φαντί, μονώτατος.
Migras, ô bone Adonis, iſthuc & ad infera regna,
Semideùm, vt dicunt, ſolus.

Nam vult non alteri conceſſum, vt modò ad inferos, modò ad ſuperos iret, & alternis copiam ſui faceret duabus deabus.

Arbores reciſas leuiter.] Ad has, vel ad nudum alium ſtipitem, alluſit Quinctius in epigrammate quo poëtam Græculum facetè eſt vltus. Ille Philippum & Macedones inſigni victoriâ fregerat, cuius laudem ad Ætolos transferre Alcæus quiſpiam voluit Græcâ leuitate. Scilicet quia in auxiliis Romanis E fuerant Ætoli. Scripſerat igitur:

Ἄκλαυστοι καὶ ἄθαπτοι, ὁδοιπόρε, τῷδ' ἐπὶ τύμβῳ
Θεσσαλίας, τρισσαὶ κείμεθα μυριάδες,
Αἰτωλῶν δμηθέντες ὑπ' Ἄρεος, ἠδὲ Λατίνων,
Οὓς Τίτος εὐρείης ἤγαγ' ἀπ' Ἰταλίης:

Iadeſleti,inhumati,his campis ecce iacemus
Theſſalia,caſi millia ter decies,
Ætolo domiti ſub Marte, & Marte Latino,
Quos Titus è lati duxerat Italiâ.

En Ætolos Romanis præpoſitos, & quaſi hi aceeſſio illorum. Momordit Titum, & vltus eſt, ſed verſus verſu. Reſcripſit alludens:

Ἄφλοιος καὶ ἄφυλλ☉, ὁδοιπόρε, τῷδ' ἐπὶ νώτῳ
Ἀλκαίῳ σταυρὸς πήγνυ) ἠλίβατ☉:

Corticibúſque & fronde carens, hoc monte, viator,
Alcæo crux defigitur aeria.

Quibus verſibus ſignificat crucem defixam ibi ſtare, quæ hominem illum exſpectet. Plutarchum in Quinctio lege: & ſimul nota, altam hîc Crucem poni, quaſi in ſcelere inſigni, ſuo loco à nobis dictum.

B *Iſidem verò Cererem.*] Ipſe Tertullianus hoc affirmat, de Coronâ militis: *Primus Iſis repertas ſpicas capite circumtulit.* nam quæ hæc Iſis quæ ſpicas repperit, niſi Ceres?

AD CAP. VI.

Neſcio an Mæcenatis deſcripta.] Ambiguè profero quia etſi Mæcenatis verba nobis faciunt, vix tamen Senecæ, qui velut interpretãs ſubdit: *Suffigas licet, & acutam ſeſſuro* (ita legendum, non *ſenſuro*) *crucem ſubdas, eſt tanti vulnus ſuum premere, & patibulo pendere diſtrictum.* Atqui *pendère,* & *patibulo* quidem, vix eſt vt conueniat in noſtram Acutam. Niſi ſi tamen patibulum etiam de vno ligno, in quo homo quomodocumque expanſus: quod haud nimis velim ſpernere.
C Si diſplicet: alia interpretatio quærenda ſit crucis hîc *acuta.* An ideò talis, quia eum dolore acri necat? vt morbi quidam acuti medicis. Lentè probem: & mauelim opinari genus aliquod crucium triſte, rarum, in quo ſtipes, cui homo acclinatur, ſtimulis clauiſque acutis ſit præfixus. vt cùm acquieſcere vellet (*ſeſſuri* vox in Senecâ) pungeretur ac ſcinderetur in corpore auerſo. Nihil ſuper hoc legi, fateor: commentum eſt merum, niſi ſi quid iuuat illa Reguli machina, quæ ſic armata, & in eam ipſe incluſus. Quæ etſi noſtra crux non fuit (armarium potiùs quoddam & arca) tamen & *crucem* Seneca appellauit epiſtolâ xcviii.
D itémque libro de Prouidentiâ cap. iii. Certè quidem *Acuta* vocem in Mæcenatis verſibus non ſic leuiter & in ventum additam, ipſe indicat Seneca, qui eam attollit ac repetit (tu vide) quaſi in eâ ſententiæ momentum.

Iam olim ſic legimus.] Nempe in curis ſecundis: idque è libris tantùm: imò ante me Pincianus, vir fidei & iudicij bonus. Mutetus tamen aliter: ſed qui benè examinat, ſtabit à noſtrâ. cuius ſententia, *Hanc vitam mihi ſuſtine & proroga, etiam ſedenti in acutâ cruce.*

AD CAP. VII.

Ipſi verterunt ξύλον δίδυμον.] Quod ipſum pro cruce poſuit incertus ſcriptor apud Suidam: Εὑρὼν δ'
E ἀλλοῦσοι φθορέα, ἐκρέμασεν ἐπὶ διδύμου ξύλου: *Inueniens Pluſtam corruptorem, ſuſpendit in gemino ligno.* Id eſt *cruce*: etſi Suidas interpretatur, τὸν πόδα ῥομφαίοις φουρκαν. Vide ipſum in voce Δίδυμον, & Ἰλλοῦς☉.

Vt Chriſtum deformantes.] Puto ſcribendum, *vt Chi deformantes,* Intellego. X. litteram Græcanicam, quæ verè figura manuum illarum fuit.

AD CAP. VIII.

Penula aut manus.] In penulâ aut veſte monachorum crux, imò & cruces, ſi rectè capio Nicephorum Gregoram, qui ſic de Imp. Andronico monacho nouello: Ἄνω μὲν ἐρυθρὸν προῦθηκε τὸν τοῦ θείου σταυροῦ τύπον, κάτω δὲ μέλανα, *Supernè rubrum prætulit diuinæ crucis ſignum, infernè nigrum.* Duas diuerſi co-

A loris cruces appoſitas videtur dicere: nos tamen vnam intellegit, ſic diſtinctam. Quod manu autem tulerunt, hodiéque in Æthiopibus ſiue Abyſſinis illemos, vti vulgus reliquum cruces è collo pendulas geſtet, monachi hoc amplius etiam manu. Auctor Damianus à Goës in illorum rebus. Illud etiam mihi nouitium lêgi, miſeros oppreſſóſque cruces prætuliſſe, haud aliter quàm olim infulas & velamenta. Ligurinus lib. viii. de Italis hoc notat, qui ius auxiliumque poſcebant ab Imp. Frederico:

———ex omnibus vndique multi
Vrbibus ac vicis aderant, queruloque ferebant
Innumeras clamore cruces. hoc quippe querelas
More ſolent aperire ſuas.

B *Cum annulo vel anſula.*] Anſulam Becanus facit, & interpretatur (ita ingenium & ſcopus viri fuit) μνῆσαι, quaſi moneamur apprehendere crucem, & eam tenere. Quid ſi oculum eſſe dicam? Iuuat aliquid Macrobius, qui inter notas Ægyptiacas refert, & ſignificare ait Solem. Lib. i. Saturn. cap. xxi. *Oſirim Ægyptij vt Solem eſſe aſſerant, quoties Hieroglyphicis litteris ſuis exprimere volunt, inſculpunt ſceptrum, inque eo ſpeciem Oculi exprimunt, & hoc ſigno Oſirim monſtrant: quia Solem, Iouis oculum, appellauit antiquitas.* Et ſanè quia ſignum hoc Tau *Vitam venturam* deſignauit: nónne appoſitè Sol aſcriptus, qui auctor vitæ?

AD CAP. X.

Vnicornis enim cornua.] Curioſè & pænè dixerim
C moroſè explicat Iuſtinus. Simplicius multò Tertullianus aduerſ. Iud. cap. x. *Tauri decor eius, cornua vnicornis cornua eius, in eis nationes ventilabit pariter vſque ad ſummum terræ. Non vtique Rhinoceros deſtinabatur vnicornis, nec Minotaurus bicornis: ſed Chriſtus in illo ſignificabatur: cuius cornua eſſent crucis extima. Nam & in antennâ nauis, quâ crucis pars eſt, hac extremitates huius cornua vocantur; vnicornis autem medij Stipitis palus.*

* Ἄλλων ζῆν ... τροπαίων.] Mutilus locus. & aptant quidem hæc ad tropæa vulgaria, ſiue monumenta victoriæ: ego cùm in verba intendo, ambigo: & neſcio quid de faſcibus potiùs ſuboler dictum.
D *Per illos* (ita verterim δι' ὧν) *progreſſus in publicum fiunt.* illi verè *ſigna imperij & poteſtatis.* Atque cum inſertâ ſecuti, crucem referunt planiſſimè. Nónne



etiam Tropæa? inquies. Quis neſcit? ſed præiuit fortaſſe aliquid de Tropæis illis: hîc magis de faſcibus (mihi quidem) dixiſſe videtur. Nec moueor quòd τρόπαιον voce vtatur: nónne & ſuprà Malum in naui ſic vocauit? & Euſebius etiam Labarum illum militarem. Poſſunt & verba alia excidiſſe. Nec pono tamen iſta, ſed propono.

Αὐτοκρατόρων ἀποθεωθέντων τὰς εἰκόνας.] Quæ illæ ſunt? quis me docet? In Nummis, in ſtatuis nihil tale
E video, nec vſquam in cruce propoſitos Principes defunctus. Subdubitabam an ad aquilas reſpiceret, quæ volantium habitu, & in cælum tendentium paſſis alis conſpiciuntur in Nummis, & additum CONSECRATIO. Scilicet quaſi Iouis illa ales animam defuncti ferret in gremium Iouis. Certè quidem eam formam crucis eſſe & Patres monent & res ipſa docet. Sed non placet. Hoc nunc magis, intellegere eum imagines defunctorum Principum, quæ ordine innexæ in militaribus ſignis. Nec enim viuorum ſolùm illîc effigies, ſed magis mortuorum. De iſto ipſo æuo Conſtantini Euſebius, lib. ii. De vitâ eius, cap. xvi.

Deſcribit

Deſcribit Licinij milites in pugnam, more veterum, id eſt, gentilium, exeuntes: οἱ δὲ, inquit, πολυπληθείᾳ θεῶν θαῤῥοῦντες σὺν πολλῇ δυνάμει χειρὸς στρατιωτικῆς ἐπῄεσαν, νεκρῶν εἴδωλα θανόντων ἐν ἀψύχοις ἀγάλμασι προβεβλημένοι: *Hi quidem numero deorum freti cum multâ manu militari ingruebant, mortuorum imagines in ſignis inanimatis præferentes.* Et ſcripſi de hoc more in Militiâ Romanâ. Ergo hoc Iuſtinus exprobrat, Vos, inquit, cruces colitis, cùm Imperatorum & quidem Diuorum imagines proponitis in haſtis & vexillis, quid niſi in crucibus? Nam ea illis figura. Reſpexi etiam aliquando ad Tertullianum, in Apologetico: *Quod non ſimulacrum priùs argilla deformat, cruci & ſtipiti ſuperpoſita.* Sed hoc diffuſum nimis eſt, nec tangit Imperatores tantùm.

AD CAP. XI.

Populariter & ad cauſſam Cicero dixerit.] Quòd hiſtoricâ fide, non opinor. Plinius non ei fautor lib. XXXVI. cap. XV. *Nouum & inexcogitatum anteà poſteáque remedium inuenit ille rex* (Tarquinius ſuperbus) *vt omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora, ſpectanda ciuibus, ſimul & feris volucribúſque laceranda.* Nam liquet eum loqui de mortuis & iis qui ſe interficerent laborum tædio, quos ille crucifixit. At non id in viuis vſurpauit primus, vt ait, vltimúſque.

Arboribus ſuſpendunt.] Haud iniuriâ ambigo, ad vtram pœnam referam, laquei an Crucis. Nam nec verba alterutrum euincunt, nec alia exempla. Lego in Martyrologio, die XIIII. Martij, de duobus Monachis, *quos Longobardi ſuſpendio necauerunt in arbore.* In ipſis Longobardorum Legibus, Tit. c. XIII. *Si ſeruus regis Mortē fecerit, ita decreuimus vt componatur ipſa perſona ſicut adpreciatus fuerit: & ſeruus ipſe ſuper foſſam mortui appendatur, & in eum vindicta detur, & ſit cauſſa finita.* Plurium (antiquorum quidem) nunc non memini: & hæc ipſa incerta, nec diiudicanerint litem.

IVSTI LIPSI

NOTÆ AD LIB. II.

CAPVT II.

CAPVT *obnubito.*] Quod pleriſque puniendis factum, præſertim ſi gladio. Hegeſippus lib. V. cap. XLVII. *Dum percuſſor moratur, clauſis iam faſciolis oculis, ſeſe proripuit ad Romanos.* In vitâ Cypriani: *Poſteà verò B. Cyprianus manu ſuâ oculos ſibi texit.* Sed & cùm ducerentur ad carcerem, aut ad mortem, caput tegebatur. Tacitus III. Annal. *Trahebatur damnatus, quantum obductâ veſte & adſtrictis faucibus niti poterat, clamitans.* Ammianus lib. XIIII. *Carnifex rapinarum ſequeſter, & obductio capitum, & bonorum vbique multatio.* Imò & torquendis hoc factum. In Curtio lib. VI. de Philotâ. *Dum obligantur oculi, dum veſtis exuitur, deos patrios, gentium iura inuocabat.* Propriè autem de crucifigendis, vetus illud carmen quod iam explico: & in libro Eſther, cùm Aman ad crucem rapitur, *Statim operuerunt faciem eius.*

AD CAP. III.

Ἀστραγαλωτὰς μάστιγας.] Addo, ſi noſſe lubet, quaſdam etiam dictas στραγγαλωτὰς, iſtis haud abſimiles, contortas ſcilicet & nodoſas. Suidas: στραγγαλιώδεις, διεστραμμένον. Καὶ στραγγαλωτὴ μάστιξ. Addit deinde verba incerti ſcriptoris: Ὁ δὲ ἐπιλαβὼν αὐτὸν μαστιγοῖ δὶς τῇ στραγγαλωτῇ μάστιγι.

AD CAP. V.

Quid opus erat auxiliatore & ſubſequâ, qui adleuaſſet?] Ita vulgata quidem opinio eſt, dumtaxat adleuaſſe. At D. Hieronymus in Matthæum cenſet etiam tuliſſe, ſed ſeorſim & poſt Chriſtum. Nam cùm Ioannes apertè ſcribat Chriſtum tuliſſe, alij tres Euangeliſtæ Simonem Cyreneum: ipſe conciliat, & *hoc intelligendum eſt*, inquit, *quòd egrediens de Prætorio Ieſus ipſe portauerit Crucem ſuam: poſteà obuium habuerint Simonem, cui portandam crucem impoſuerunt.*

AD CAP. VII.

Super lignum ſe ipſum extendit.] Quid ſi de tranſuerſario tantùm ligno capias, in eo figi ſolitos, & deinde ſubduci atque appendi? Pugna omnis ceſſet, & breuiter fortaſſe rem dixi.

AD CAP. VIII.


Clauis aut funibus.] Neſcio an Lucanus non vtroſque memoret in his occultioris ſententiæ verſibus: qui quoniam tori ad crucem, ponamus, & retegamus. Lib. 6. de magâ Theſſalâ:

——— Laqueum nodóſque nocentes
Ore ſuo rupit, pendentia corpora carpſit,
Abraſitque cruces, percuſſáque viſcera nimbis
Vulſit, & incoctas admiſſo Sole medullas:
Incertum manibus chalybem, nigrámque per artus
Stillantis tabi ſaniem, viruſque coactum
Suſtulit, & neruo morſus retinente pependit.

Quod ait *laqueum & nodos nocentes*: alij *nocentum*: atque ita haud incommodè ad vincula aptes, quibus noxij ad cruces aſtricti. Tamen in aliquot ſcriptis libris, *recentes.* & id malim: credámque ad ſuſpendioſos dumtaxat referendum, & qui ſeipſos illaquearunt. Reliqua iam de Cruce: & *percuſſa viſcera nimbis, & incoctas ſole medullas.* ſignanter dixit de corporibus quæ (vt lib. II. cap. XV. ſcripſi) in crucibus relicta, ſitu marcida & tabida fiebant, quatenus volucres non laniarent. Iam *Incertum manibus chalybem*, clauos intelligi liquebit, ſi emendes *Inſertum.* Nam hos quoque appetitos ad Magicas artes Apuleius oſtendit, in deſcribendâ ferali illâ officinâ, lib. III. *Hic nares & digiti, illic carnoſi claui pendentium.* Sed & amplius de his funibus addo. Videri, quorundam indicio, neceſſarios fuiſſe in omni fixione. Nam volunt manus ligatas, ne ſe ſubducerent ad ictum aut commouerent. tum etiam vt firmiùs & cum adminiculo penderent. deinde & alterum funem ad pectus, corpus ambiiſſe ſub ipſas alas, eóque ſubleuatum hominem & attractum in ſummam crucem. Id porrò factum admotis vtrimque ſcalis. Eius ſententiæ vir ſtirpe & moribus antiquis Ioannes Boiſotus eſt, qui amicè hoc ſuggeſſit. Et ſanè de ſcalis, apponere eas pænè neceſſarium videtur, vtique ad Erectam crucem. Quomodo aliàs ſubduxeris, aut fixeris? Etiam de funibus ſunt quæ ſuadeant, præter antè dicta: vt Hilarius de Trinitate lib. X. *Pendulis in cruce corporis pœna, & colligantium funium violenta vincula, & adactorum clauorum vulnera.* Iungit ſimul & funes & clauos, vt Lucanus. Etiam illud Chriſti vaticinium in Petri mortem, poſcit funes Ioannis cap. XIX. *Extendes manus tuas, & alius te cinget.* Cinctio iſta vinculorum in cruce eſt. Theophylactus: Τὴν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ ἔκτασιν καὶ τὰ δεσμὰ δηλοῖ: *Extenſionem in cruce & vincula notat.* Tertullianus in Scorpiaco: *Tunc Petrus ab altero cingitur, cùm cruci adſtringitur.* Videndum an non in Auſonij Cupidine ſimile, qui adſtrictus deſcribitur, & mox addit. *Adſignunt.* Atque ecce in tabulâ formam duplicem fixionis, pro duplici ſubductione.

Aeſchylus [illegible] *appellat, in Prometheo*

68



Tres repperit.] An & duas latronum tranſtulit, non cultus ſed memoriæ cauſsâ? Videtur ex Suidâ, ſi tamen ex meo nunc ſenſu corrigendus. In voce φόρος inquit: κατιόντων τοῦ φόρου κεχωσμένοι ὑπῆρχον δύο σταυροὶ τῶν δύο λῃστῶν, καὶ βικίον μύρου ᾧ ἠλείψατο ὁ Χριστός, καὶ πολλὰ ἕτερα σημειοφορικὰ, τεθέντα μὲν παρὰ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου, ἀφανισθέντα δὲ ὑπὸ τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου: Nam puto legendum δύο σταυροί. Qui verò fuerint στρατηγοὶ, ſiue *duces duorum latronum*? nec id ſit idonei vllius ſenſus. Vertam igitur: *Infra forum defoſſæ erant duæ cruces duorum latronum, & vaſculum vnguenti quo Chriſtus vnctus, & alia multa inſignia, poſita quidem à Conſtantino magno, ſublata verò ſub Theodoſio magno.* Admonitus poſteà B per literas ſum à Ioanne Liuineio amico noſtro, ſerio & ſine ambitione docto, vitium eſſe ab imperitiâ tranſſcriptorum. qui cùm in autographo reperiſſent σρoì, quod compendiariâ illâ ſcripturâ σταυροὶ erat, fecerunt flagitioſè στρατηγοί.

Ad cap. IX.


Ἀμετρήτῳ γε.] Ita benè & doctè Franc. Nanſius, cùm anteà eſſet ὁμοτρήτῳ. Et ſanè claui iſti grandes: atque ita ipſe Nonnus identidem σιδήρεα κέντρα appellat *Stimulos ferreos.*

Contrà tendunt alij & ſuggerunt quaternos.] Atque ego, etſi negaui me decidere, pronior ſum in hanc C partem. In templis Græciæ hodie intellego paſſim Chriſtum cruci affixum, diſparatis pedibus ſic pingi. Vidimus id ipſi Venetiis in gentis eius templo, tum & alibi in antiquioribus picturis. Audin & Treuiris A clauum qui aſſeruatur, disertè in memoriis antiquis ſcribi *clauum pedis dextri.* Addo autem, Conſtantinum Imperatorem quoſdam ex his clauis (id quoque multitudinem ſuadet) inſeruiſſe capiti ſtatuæ quam ſuo nomine Conſtantinopoli poſuit. Zonaras: Ὁ δὲ θειότατος αὐτοκράτωρ εἰς οἰκεῖον ὄνομα τὸ ἄγαλμα (τοῦ Ἀπόλλωνος) ἔστησε τῇ κεφαλῇ τούτου τινὰς τῶν ἥλων ἐναρμοσάμενος, οἳ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου προσεπατταλεύθησαν τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ.

Ad cap. X.

Extenſus ambas manus.] Proprium hoc Crucis, extendi. Itaque Euangeliorum vetus Gothica tranſ- B latio (auctor Antonius Morillonus) vertit identidem Crucifigere, *Vſrâemen*, quaſi dicas extendere, & quidem propriè de pannis, quos in palis valliſque diſtendit fullo. Ea extenſio ad manus maximè refertur. Artemidorus lib. I. c. LXXVIII. Εἰ δέ τις ὑψηλὸς ἐπί τινος ὀρχοῖτο, εἰς φόβον καὶ δέος πεσεῖται. κακοῦργος δὲ ὢν, σταυρωθήσεται, διὰ τὸ ὕψος καὶ τὴν τῶν χειρῶν ἔκτασιν: *Si quis ſublimis in loco quopiam ſaltet, in periculum & metum incidet. maleficus autem exiſtens, crucifigetur, ob altitudinem & manuum extenſionem.* Epictetus apud Arrianum, ab hac cauſsâ comparat falsè eos qui in balneis ſe diſtendunt & lauandos fricandóſque præbent, cum crucifixis; libro III. Diſſertat. cap. XXVI. C Ἵν' ἐν τῷ βαλανείῳ ἐκδυσάμενος, καὶ ἐκτείνας σεαυτὸν, ὡς οἱ ἐσταυρωμένοι, τρίβῃ ἔνθεν καὶ ἔνθεν: *Vt in balneo exutus & teipſum diſtendens, vt ſolent crucifixi, fricêris hinc atque illinc.*

Veſtigium huius tabellæ exſtare audio.]Imò & video: ac miſit ad me Dionyſius Vi etius vir veteri doctrinæ & mihi valde amicus ectypon nummi Græcanici veteris, qui aureus aſſeruatur in monaſterio Laetienſi in Hannoniâ, quem ecce habes.



Inſcriptio in eo eſt: Κόσμου τὸ λύτρον, αἷμα τοῦ θεοῦ λόγου: *Mūdi redemptio, ſanguis dei verbi.* Miſſus is nummus cum aliis ſacris donariis eſt ab Henrico Imperatore, tunc Conſtantinopoli, anno Chriſti ∞. CC. VIII.

B

AD CAP. XI.

Περιαχθεὶς κύκλῳ τοῦ ἀμφιθεάτρου.] Id dicunt Circumduci; ſicut Traduci, cùm oſtentui dumtaxat per ora populi ducebantur, & ſæpe alibi puniendi. Suetonius in Tito, cap. VIII. *Hos*(Delatores) *nouiſſime traductos per amphitheatri arenam, partim ſubiici in ſeruos ac venire præcepit partim in aſperrimas inſularum auehi.* Neſcio an Martialis verſus, qui iamdiu cubat in morbo, ſic ſanandus, lib. I. de hiſpitis Delatoribus & Titi facto:

Turba grauis paci placidæq; inimica quieti,
Quæ ſemper miſeras ſollicitabat opes:
Traducta eſt titulis, nec cepit arena nocentes,
Et delator habet quod dabat exſilium.

C Titulis enim vult traductos Delatores. quomodo? nonne omnium vnus eſt communis? non hîc: quia additum, quos & quàm illuſtres quiſque detuliſſet. Exempli cauſâ: *Hic eſt Titius qui Camerinum detulit. Hic, qui Lateranum,* & talia. In libris legitur: *Traducta eſt gatulis,* in aliis, *Tradita Gatulis:* & emendarunt, *Traducta eſt Gyaris,* quod ego & ratio facilè refellant.

Πίνακος αὐτὸν προάγοντος.] In tabellâ enim hæc talia ſcribi ſolêt: ſicut & Titulus Seruatoris. Cyprianus de montibus Sinâ & Syon: *Pontius Pilatus impulsâ mente à Deo accepit Tabulam, & titulum ſcripſit tribus linguis: & in capite ligni clauis tribus Tabulam cum nomine regis Iudæorum confixit.* Ex cuius verbis vides etiam Tabulam non ſuper lignum (vt multi repræſentant & pingunt) ſed in ipſo ſupremo ligno clauis fixam.

D *De quo more alij.*] Inter eos P. Faber libris Semeſtrium; vbi & ſparſim plura de Cruce, & quædam ſelecta atque edecumata.

AD CAP. XIV.

Diſparata hæc ſupplicia.] Notauit & publicè ante nos monuit Cæſar Baronius, vir ſacra profanáq; doctus in Martyrologio. Sed cur frangebant iis, quos ſtatim mortuos vellent, crura? An non cauſſa in Plinio? Ille lib. XI. cap. XLV. notat in iis vitalitatem eſſe: atque addit: *Namque in ipſâ genus vtriuſque commiſſurâ, dextrâ leuâq; à priore parte, gemina quædam buccarum inanitas ineſt quâ perfoſſa, ceu iugulo, ſpiritus fugit.*

E Aliud autem eſt à fragio crurium. *Exſecare crura* quod in Ammiani lib. XXIV. leges, in oratione Iuliani: *Quiſque agminis cohærens incedat, ſciens quod, ſi remanſerit vſquam, exſectis cruribus relinquetur.* Hoc enim proinde eſt, quaſi dixiſſet, neruis aut ſuffraginibus inciſis. Vetus ſæuitia, & Annibali vſurpata in Romanos. Ennius:

Hic pernas ſuccidit iniqua potentia Pœni.

Potentia Pœni more Græco, eſt Pœnus. Liuius de ea ipſâ re, in clade Cannenſi: *Quoſdam iacentes viuos ſuccisis feminibus poplitibuſque inuentos fuiſſe* nempe ne attollerent ſe, & vt deſolati morerentur.

A Vſurpatum eſt Tyrannis in Chriſtianos. Sozomenus, lib. I. cap. X. de Paphnutio & Maximo: quos, inquit Μαξιμῖνος ἐν τοῖς μετάλλοις ἐργάζεσθαι κατεδίκασε, τοὺς δεξιοὺς αὐτῶν ἐκκόψας ὀφθαλμούς, καὶ τὰς ἀριστερὰς ἀγκύλας ἀποτεμών: *Maximinus ad opus metalli cōdemnauit, dextros eorum oculos excutiens, & ſiniſtri pedis ſuffragines abſcindens.* Euſebius oſtendit aduri etiā ſolere, lib. VIII. cap. XII. vbi quorundam meminit τοὺς λαιοὺς πόδας κατὰ τῶν ἀγκυλῶν καυτῆρσιν ἀχρειουμένων: *qui ſiniſtris pedibus, circa poplites, ferro aduſtis, inutiles facti eſſent.*

Libri non immunes.] Lego in Euſebij lib. VI. ca. XIX. de Apollonio Martyre, cùm is ſub Commodo Principe delatus eſſet vt Chriſtianus, accuſatori, ex lege crura fracta fuiſſe. Verba huic rei: ὅτι μηδὲ ζῆν ἐξὸν ἦν, κατὰ τὸν βασιλικὸν ὅρον, τοὺς τῶν τοιῶνδε μηνυτάς, αὐτίκα κατεάγνυται τὰ σκέλη: *quoniam viuere nefas, iuxta legem Principis, talium delatores, ſtatim crura ei fracta ſunt.* Sed

B cuius Principis hæc lex tam commoda in Chriſtianos? Non opinor ipſius Commodi. Nunquid M. Aurelij? de quo Tertullianus Apolog. cap. V. *Qui ſicut palam ab eiuſmodi hominibus* (Chriſtianis) *pœnam dimouit; ita alio modo palàm diſperſit, adiecta etiam accuſatoribus damnatione, & quidem tetriore.* Et quod ait de *dānatione tetriore,* poſſis vel ad Crurifragium iſtud referre: vel ad Viuicomburium, quo affici accuſatores Chriſtianorum iubet eiuſce Principis epiſtola apud Onufrium in Faſtis expreſſa.

AD CAP. XV.

A Sole ac pluuiâ corrumpi.] Exemplum huic rei etiam in libris ſacris, vt Reg. II. cap. XXI. *Dedit eos* (ſeptem

C viros) *in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos in monte coram Domino. Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium ſubſtrauit ſibi ſupra petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem neque beſtias per noctem.* Hoc de pluuiâ: de ſole, in Artemidoro lib. V. Ἔδοξέ τις λαμπάδας ἀπὸ τῆς ἑστίας μὴ δύνασθαι ἀνάψαι, ἀπὸ δὲ τοῦ οὐρανοῦ ἀνάψαι, ἐσταυρώθη. καὶ κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον τῷ οὐρανίῳ πυρὶ ἐθάλπετο: *Viſus aliquis faces è foco non poſſe accendere & à cælo eas accendit, crucifixus eſt. atque hoc modo igni cæleſti concalefactus.*

IVSTI LIPSI

D

AD LIB. III. NOTÆ

CAPVT III.

VErberatum *patibuloq; conſtrictum.*] An ergo huc referas Dionis etiam illud libr. XLIX. de Antonij ſæuitiâ in Iudææ regē Antigonum? τὸν δὲ Ἀντίγονον, inquit ἐμαστίγωσε σταυρῷ προσδήσας (ὃ μηδεὶς ἄλλος βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπεπόνθει) καὶ μετὰ τοῦτο ἀπέσφαξεν: *Antigonum flagellauit cruci ſiue furcæ alligans* (*quod nemo alius rex à Romanis vmquam paſſus erat*) *ac poſtea interfecit.* Verba ita præferre videntur nec abhorreat ab Antonij impotentiâ, vt ſeruili ſæuiret etiam in regem. Tamen verius puto vt capiamus verſaque *Palum.* Vt Palo, inquam alligatus fuerit ſolemni Romanis more, & tū ſecuri percuſſus. Quod

E ipſum huic Antigono factum, etſi Dio non expreſſit, notauit Strabo, citante Ioſepho (nam hodie non exſtat) libr. XVI. Antiq. cap. I. Ἀντώνιος Ἀντίγονον τὸν Ἰουδαῖον ἀχθέντα εἰς Ἀντιόχειαν πελεκίζει, καὶ ἔδοξε μὲν οὗτος πρῶτος Ῥωμαίων βασιλέα πελεκίσαι: *Antonius Antigonū Iudæum Antiochiam perductum ſecuri percutit, & viſus eſt primus Romanorum ſecuri ſubieciſſe regem.* Idem Plutarchus in Antonio.

Patent hæc tranſuerſaque pars ſedicta.] Stricte & propriè inquam. Aliàs quis neſcit totam crucem ſæpe venire in hoc nomen? Salluſtius vtro modo

cepetit haud dixetim, in loco vitiato. Fragmentum eſt apud Nonium è IV. Hiſtor. *In quis notiſſumus quiſque aut malo dependens verberabatur, aut immutilato corpore improbi patibulo eminens affigebatur.* Lego *mutilato corpore:* quia mos ille freqoens Orientalibus, vt priuſquam crucifigerent, admutilarent, aut etiam per tormenta necarent. Exempla habes io boc libro, cap. XII. & alibi. At illud *improbi*, qui reformandum ignoto. Tentaui olim *in proris*. An & *impropo?* qood ſic compoſitum pro ſimplici, vt *mane* & talia, apod Tertullianom reperies Exhortat. ad Caſtitat. Cap. x. Ao etiam *improbe?* vt ſit corpus fuiſſe improbè mutilatum. Credo enim hæc narraſſe de ſæuitiâ Mithridatis io Cyziceoos, quos terrâ mariſque obsédit.

Ad cap. v.

Facie quâ noſtrum hodie patibulum.] Quæ ſententia fuit Aotonij Morilloni, viri ſummi futuri ſi diutiùs vixiſſet. Argumenta habebat (vidi & legi io epiſtolâ eius ad Lindanum, quam heredes adſeruant) quod id referret formam iugi: ferre autem iugum, ignominia & qoaſi comminatio huiuſce mortis. Itaque illinc petenda forma. Amplios, Liuius ait lib. I. Romanos *ſpectaſſe furcis duodenos à terrâ ſpectacula alia ſuſtinentibus pedes:* eas furcas proclinantia vtrimque

69



A ligoa fuiſſe cum tertio tranſuerſario supernè immiſſo, quod genos *Capreolos* Latini vocaot, & nos hodie *Schragas*: ergo banc eſſe faciẽ furcæ. Tertiò Hebræos hodieque ſuum Tau ſic pingere: cum eo autem comparari paſſim: tale igitur eſſe. Credo etiam addere (noo firmiter nũc commemini, ſed addi poteſt) Auſonium cum Φ. littera Græca Crucem comparare: at ea quoque iſtuc abit. Sed hæc ſententia, etſi arguta, proba mihi oon eſt ob multas cauſſas, atque hãc vnicam firmiſſimam, quòd refellunt ſpectiones & monumenta omnia antiqua, omnia inquam conſenſu. Quid Chriſtianis oobis fiet, ſi ipſa imago crucis aliter vbique oon pingenda ſolùm, ſed manibus cottidie deformaoda? At enim iugum tale olim. Ita, ſed quid ad rem? militaris ſaltem ignominia illa fuit: & liberorum ea hominum, non ſeruorum, vt latura furcæ. De Liuio, nihil impedit Furcas noſtro vulgariſque

B more iotellegi, quibos ligna tranſuerſa iniecta, & ſuper ea aſſeres, ad ſpectandum inſiſteodúmque. Fit & hodie, & olim primas domos ſic erectas ex Poſidooij ſententia poto Senecam alibi tradere, & vti pariter voce *furca*. De Hebræis, verum eſt, ſed hodiernis. Priſcas eorum litteras alias & diuerſiformes fuiſſe, periti eios linguæ atque ipſe Hierooymus tradideroot. Iam de Auſonij verſu, is talis:

Et crucis effigie Palamedica porrigitur Φ.

Lectionem non muto, etſi alij libri proferũt *gruis*: nec id malè. Sed eſto *crucis*: veriſſimũ eſt in noſtrâ etiam formâ. quomodo? in cruce inquã veſtitâ, & in quâ homo appenſus. Vide faciem & pendula à ligno brachia, eſt hæc ipſa litteræ forma. Subiicio & formam crucifixionis quam imaginabatur & deliocabat Morillonus.

Ao cap. vii.

Impudicas ancillas ſic puniri.] Et eſt ſanè ignaua mors, & *Feminea* etiam Panegyriſtæ dicta. *Alteri manibus ſatellitum Britannorum gula demi fracta, & inuſta feminea mortis infamia, vt ſcilicet maluiſſe vir ferri amantiſſimus videretur laqueo perire quam gladio.* Victor *poſtremam* appellauit, viliſſimámque, in Maximiano: *Pœnas mortis genere poſtremo, fractis laqueo ceruicibus luit.*

Patibulũ vulgò Furca dicitur.] Quo ipſo ſenſit inferiores Græci dixerũt φελκίζειν *in furcã agere*, aſpetiore illâ litterâ mutatâ. Cedrenus in Iuſtioiano Rinotmetâ: Ἐν τῷ τείχει πάντας ἐφέλκισεν. quod vertendum eſt, *In muro omnes de furcâ ſuſpendit.* Docet Zonaras qui io ea ipsâ re: Ἐν ξύλοις παρὰ τοῖς τείχεσιν ἀνῃώρησε: *In lignis apud muros ſuſpendit.* Credo autẽ hanc Furcam primò non niſi dimidiatum Patibulum fuiſſe, id eſt, facie adhuc aliquâ Furcæ; paullatim, & quo plures appendi poſſeor, immutaſſe.

Ad cap. ix.

Iniectis per crura funibus.] An magis placet hic ſeorſus, Funes ipſos per crura eorum traiectos & tranſmiſſos? Tale in Curtio lego Alexandrum vſurpaſſe io Batio queodam, lib. IIII. *Per talos ſpirantis lora traiecta ſunt, religatúmque ad currum traxére circa vrbem equi.* Id factum à rege, exemplo Achillis, qui Hectorem ſic fœdauit, vt Curtius ibi notat. Sed tamen Ammianus *Iniectos* ait, non *Traiectos*, nec id ſuppliciũ credam vulgò vſitatum.

Ad cap. x.

Moriturum in ipſis, non per ipſas.] Præter exempla quæ dedi, hoc rarum videatur in Philippo, de quo Euſebius in Chrooico, anoo XII. Claudij.

C *Philippus Apoſtolus Chriſti apud Hierapolim Aſiæ ciuitatem, dum Euangelium populo nunciaret, cruci affixus, lapidibus opprimitur.* Quaſi in ipsâ cruce lapidibus obrutus eſſet. Atque hoc quidem in vulgatis libris, in veteri & probo meo manuſcripto veſtigium noo eſt horum verborum.

Ao cap. xiii.

Viri fide digni aſſerunt.] Ioter eos eximius Theologus Alfonſus Ciacco, qui de ſignis Crucis ounc nuper accuratè ſcripſit.

Iam illa Amanis prealta.] De qua accipienda quæ

in

in Codice Iuſtinianæo leguntur, De Iudæis & cælic. vbi ſcribuntur *Iudæi quodam feſtiuitatis ſuæ ſollenni, Aman ad pœnæ quondam recordationem incendere, & ſanctæ crucis adſimulatam ſpeciem in contemptum Chriſtianæ fidei exurere*, atque id facere deinceps vetantur. Totidem pænè verbis in Codice Theod. lib. XVI. tit. VIII. Ex quibus vides Iudæos Amanis inimici ſui mortem annuâ memoriâ repræſentaſſe, & in cruce ſuſpenſum cum eâ ipsâ combuſſiſſe: ſpecie Amanem, re & mente Seruatorem & noſtram crucem. Ideò meritiſſimò interdicti.

Nonus etiam orbis.] In quo ſanè hoc mirum, cruces repertas fuiſſe plurifariàm in templis atque in ſepulchris. De Indiâ Occiduâ loquor. Quâ origine aut fine neſcimus, niſi ſi iam tunc prouidus ille Deus exſtare voluit omen & ſignũ dominaturæ illic crucis.

AD CAP. XIIII.

Edicto prohibitum manet.] Atqui in Panegyricâ oratione, ſanè diſertâ, quæ Theodoſio dicta, mentio etiam crucis quaſi licitæ & manentis. *Et poſt hanc in vocem, non illum in crucem tolli, non culleo inſui, non diſcerpi in fruſta iuſſiſti.* Et fieri ſanè poteſt vt apud gentiles, & Chriſto aduerſos, ſupplicium etiam manſerit. ſicut de Slauis in Helmoldi Chronico ſcriptum lib. I. *In illis diebus Slaui quendam Danum ſuffixerunt cruci:* In ignominiam ſcilicet diuinæ crucis.

AD CAP. XV.

In hoc vince.] Nummis hoc pluribus expreſſum cernitur, atque etiam quibuſdam vberius. *In hoc ſigno vince.* Sanè Chriſtiani libenter appellarunt *ſignum Dei*, aut *Chriſti*, ipſam Crucem, quaſi Imperatoris illius teſſeram aut vexillum. Iuſtinianæo Codice vetatur, *ſignum Saluatoris Chriſti humi vel in ſilice inſculpi.* Quid, quod Græci interpretes ſic legem Scæuolæ accipiunt, XXXVIII. De aur. arg. mund. *Fieri volo inde ſignum Dei ex libris centum* Accipiunt, inquam, & reddunt *Crucem.* An verè? minimè ſcimus *ſignum Dei* ſtatuam eſſe apud Scæuolam ſiue Solis, ſiue indigetis cuiuſpiam & familiaris dei. Sed pietas, nõ error, Græcos eò traxit. Monuit ſuper hac interpretatiunculâ Petrus Oranus, iuris & litterarum conſultus, & germanum in modum mihi amicus.

Ἐκ χρυσοῦ χωνεύσας σταυρόν.] Quem ſuo æuo extitiſſe in Palatio Socrates aſſeuerat, Eccl. Hiſt. lib. I. cap. I. *Τούτῳ πεισθεὶς τῷ χρησμῷ, κατασκευάζει μὲν τὸ σταυροειδὲς τρόπαιον, ὃ μέχρι νῦν ἐν τοῖς βασιλείοις φυλάττεται: Huic oraculo fidem habens, conficit ſimile illud crucis tropæum, quod vſque nunc in regiâ ſeruatur.* Idem Cedrenus: *τότε σταυρὸν χρυσοῦν χωνεύσας, ὃς ἔστι μέχρι καὶ νῦν: Tunc crucem auream efformans quæ etiam nunc extat.* Non opinor tamen hanc eſſe, de quâ Suidas: *σταυρὸς ὑπὲρ τὸ μέσον τοῦ φόρου μέγιστος ἵσταται, ὡς εἶδεν αὐτὸν Κωνσταντῖνος, χρυ-*

A *σήλατος ἐν τοῖς ἀκροθινιακοῖς στρογγύλοις μήλοις, ἔνθα καὶ αὐτὸς καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ καθεωρῶντο γεγλυμμένοι: Crux ad partem Borealem fori ſtabat, vt vidit eum Conſtantinus auro illita in extremis rotundis pomis, vbi & ipſe & filij eius conſpiciebantur aurati.*

—gemmantis textus in auro Signabat labarum.] Dixi ipſi velo nomen intextum: & poëta hîc apertè. Tamen ex deſcriptione Euſebij, videbis & ſuprà velum ſæpe ex auro ſtatui: & exẽpla in nummis vtriuſq; poſituræ dedi. illius tamen magis crebra. Ipſa Labari vox qualis? vereor vt peregrina, certè nouitia, & ſub Traiani aut illud æuum nata. Vetuſtior Tertulliano, qui hodie exſtant, non commeminit. Gregorius Nazianzenus, doctus & fortis Orator, ait *Καμάτων λυτήριον εἶναι, καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ὀνομάζεσθαι: Laborum leuamen pauſamq; eſſe, & à Romanis ſic appellari.* Igitur à labo-
B re deriuauit, eò procliuiùs, quia ipſi Græci λάβωρον ſcribebant. Sed noſtri poëtæ nonne corripiunt? Quomodo etiam pauſam laboris, non aliâ additione, vox ea ſignificet? niſi fortè, quia vbi laborabatur in acie, ſignum illud eò ſolet ferri. Longinquum eſt, & perſeuero exteram vocem eſſe.

Duæ litteræ Chriſti nomen exprimentes.] Ita eſt, & conſpicuæ ſunt in Nummis. Ipſum etiam Chi ſolitarium, ſignabat Chriſtum. In Antiochenorum dicteriis recenſet Iulianus, Miſopogone: Τὸ Χῖ, φασίν, οὐδὲν ἠδίκησε τὴν πόλιν, οὐδὲ τὸ Κάππα & addit: ἡμεῖς δὲ ἐδιδάχθημεν ἀρχὰς ὀνομάτων εἶναι τὰ γράμματα, δηλοῦν δ' ἐθέλειν τὸ μὲν Χριστόν, τὸ δὲ Κωνστάντιον. *Chi, inquiunt, & Kappa nihil iniuriæ intulerant ciuitati. Nos autem didicimus initia nominum eſſe has litteras, & ſignificare velle illud quidem Chriſtum, hoc Conſtantium.* Ita Iulianus, qui
C has ipſas litteras è Labaro poſteà conatus remouere. Fruſtrà, & vicit nomẽ quod æternùm viuit & vincet.

AD CAP. XVII.

Ὦ ξύλον μακαριστόν.] Verè, quia nos per illud *μάκαρες*: Atque ita *προσκυνητὸν καὶ τίμιον, adorandum & venerabile*, Imperator appellat nouellâ quintâ. Eáque cauſâ vetitum, in lapidibus ſculpi, quæ in ſolo. Lex extat in Codice Iuſtinianæo: & apud Paullum Diaconum ſic Tiberius: *Crucem Domini quâ frontem noſtram & pectora munire debemus, eam ſub pedibus conculcamus:* Tale & Synodus habita in Trullo, can. LXXIII. Quanquam autem è pauimentis templorum remota, non etiam è tectis. Fulſit iam olim ibi, clarum certumque ſymbolum Chriſtiani cultus. Nicephorus Gregoras lib. IX. in deſcriptione tempeſtatis quæ Conſtantinopoli: *Γεγόνασι μὲν ἐξ ἀνατροπῆς καὶ πολλοὶ τῶν ἐπὶ τοῖς νεὼς ἱδρυμένων ἐκ σιδήρου σταυρῶν, ὑπενεγκεῖν οὐ δυνάμενοι τὴν τοῦ ἀνέμου βίαν: Tunc cecidêre multæ crucium, quæ templis imponi e ferro ſolent, ſufferre non valentes vim venti.*

FINIS.

APPROBATIO.

Hos I. Lipſij, Academiæ Louanienſis Profeſſoris clariſſimi, de Crucis ſupplicio conſcriptos tres libros, vnà cum Notis additis, teſtor nihil ſacræ ac orthodoxæ fidei repugnans aut ab ea diſſentiens continere, inſuper & varia eruditione refertos ac prælo digniſſimos eſſe cẽſeo. Louanij 12. Calendas Decẽbres 1592.

Henricus Cuyckius D. Petri Louanij Decanus, Academiæ Cancellarius, & Pontificius ac Regius librorum Cenſor.

INDEX CAPITVM.

LIBRI PRIMI.

PRAECATIVNCVLA. *Materies & ordo operis.* Cap. I. *Paginâ* 769.*a*

Crucis nomen polyſemon. Hac noſtra Gabalus etiam dicta, item Infelix lignum & infame. Sed & Crux non in ligno. Cap. II. *ibid.b*

Nomina phraſeſve ad hoc ſupplicium: Figere, Configere, Cruciare item Cruciarius, pro appendendo. Ca. III. *ibid.a,2*

Græcorum verba ad Crucem & crucifixionem. Heſychius & Ouidius emendati, iſti etiam explicatus. Cap. IV. *ibid.d,2*

Diuiſio prima Crucium: & de ſpecie vetuſtiſſimâ dictum, Affixione. Tertullianus per occaſionem correctus, atque Iſis eadem cum Cerere exiſtimata. Cap. V. 770.*b,2*

Altera Simplicis Crucis ſpecies, Infixio. Seneca. Heſychius, Plato, Plinius, illuſtrati. Cap. VI. 771.*b*

In genere de Cruce Compactâ: tum de primâ eius ſpecie, Decuſſatâ. & an hæc ſit Andreana? Cap. VII. 772.*a*

Commiſſa Crux quid nobis ſit? exemplis teſtibúſque aſſerta, tum etiam veſtigio noſtra lingua. Cap. VIII. *ibid.b,2*

Affirmata Crux Immiſſa è ſcriptis maximè Patrum: ipſi alij per alios, & imaginibus per nos etiam, explicati. Cap. IX. 773.*b*

In quâ Crucium formâ Chriſtus mortem tulerit? videri in ultimâ, argumento è Patribus & picturis. Ruffini non bona fides notata in verbis Pauli citandis ſiue explicandis. Cap. X. 774.*b*

Apud pleraſque gentium Cruces ferè vſitatas. Apud Syros, Iudæos, Ægyptios, Perſas, Afros, Græcos, maximè Romanos. Quando apud eos cœperit? An & apud Germanos? Cap. XI. 775.*b*

Apud Romanos vile fuiſſe hoc ſupplicium, & plurimùm ſeruorum. Quas ob cauſas ij affecti. Cap. XII. *ibid.a,2*

Etiam liberi quidam in crucem dati, ſed viliores aut nocentiores: vt Latrones, Sicarij, Falſarij, atque alibi & Fures. Cap. XIII. 776.*a*

Quæ cauſſa falsò aſſignata in Cruce Chriſti? videri Innouationem & Seditionem eſſe. Cap. XIV. *ibid.d*

Crux interdum liberè & laxè vagata: in hoſtes, in ſeditioſes, in Chriſtianos, in feminas denique. Cap. XV. *ibid.b,2*

LIBRI SECVNDI.

Tranſitio ad Modum figendi. præmiſſum de atrocitate huius ſupplicij, quod Summum & Extremum dictum. Cap. I. *pag.* 777.*a*

Duplex figendi Modus, Vulgaris & Rarus. In illo Flagellatio ex more ſemper anteiuit. Cap. II. *ibid.c*

Flagellorum & virgarum diſcrimen. Illa magis vilia, & magis acerba eſſe, ſolere & talis aſperari. Cap. III. *ibid.b,2*

Solitos ad Columnam verberari; atque alias per viam. De ipsâ columnâ cui ſacrum corpus annexum. Cap. IV. 778.*c*

Crucem ſuam tuliſſe, aut totam, aut eius partem Cap. V. *ibid.a,2*

Deductos cum vexatione, Stimulis etiam actos. Cap. VI. *ibid.d,2*

In ipsâ Fixione vndè in crucem dati: an altam, an in terrâ, an alteram depoſitam? id quæſitum, & vtrumque firmatum. Cap. VII. 779.*b*

Clauis figi ſolitos, interdum funibus adſtringi. Cap. VIII. *ibid.c,2*

In quibus partibus claui, & quo numero. Cap. IX. 780.*c*

Ordo & modus affigendi. An lignum aliquod in Cruce ſuppedaneum? Cap. X. *ibid.a,2*

De Titulo, quid is Latinis? quomodo aſſcriptus aut prælatus. Cap. XI. 781.*a*

Poſt fixionem, quomodo mortui in Cruce? languore aut fame. Vitalitas quorumdam. Cap. XII. *ibid.c*

Quoſdam à volucribus, aut feris etiam viuos laceratos, & pleroſque omnes mortuos, interdum & lanceis interfectos. Cap. XIII. 782.*a*

Crurifragium à Cruce remotum. Quid fuerit, in quos receptum, & quomodo? Cap. XIV. *ibid.*

Corrumpi in Cruce paſſi ſunt, & nefas ſepelire. Cap. XV. *ibid.e,2*

Cuſtodia & miles ad Crucem, ne quis detraheret. Cap. XVI. 785.*b*

LIBRI TERTII.

Tranſitio ad Rarum figendi Modum. Furca diuiſa, & hîc de ignominioſâ dictum. Cap. I. 784.*a*

De Furcâ Pœnali, & cæſis ſub eâ ad mortem. Cap. II. *ibid.c*

Legatos ad Furcam in Crucem ſolere tolli, Furcam & patibulum videri eadem, aut haud longè diſſita. Cap. III. *ibid.b,2*

Quæ forma furca fuerit, obſcurè traditum in veterum ſcriptis. Cap. IV. 785.*c*

Ex ijs tres ſententiæ erutæ, & ſingulæ explicatæ. Tertiam πιθανωτάτην videri. Cap. V. *ibid.b,2*

Ratio ſuſpendendi per ſingulas illas formas expoſita, atque etiam oculis propoſita. Cap. VI. 786.*b*

De nouâ Furcâ, quæ noſtrum Patibulum. Tribonianum ſubſtituiſſe paſſim in Legum libris. Cap. VII. 787.*a*

De Raro modo in Schemate. & primùm de Inuersâ ſuſpenſione, Cap. VIII. *ibid.b,2*

De obliquâ ſuſpenſione, de varicante, & inter arbores ſciſſione. Cap. IX. 788.*b*

De Modo qui Fine diuerſus, primùm de his qui in Cruce vſtulati. Cap. X. *ibid.b,2*

De his qui beſtijs in Cruce obiecti. Cap. XI. 789.

De mortuorum in Cruce ſuſpenſione. Cap. XII. 790.*a*

E quo ligno Crux fuerit? Item in Monte plerumque defixam, ipſam ſæpe altiuſculam. Cap. XIII. *ibid.c*

Crux ſublata, atque etiam Crurifragium fortaſſe. Quando id factum, quæſitum. Cap. XIV. *ibid.b,2*

Honores quos Conſtantinus Cruci habitum iuit. Signis ea & vexillis impoſita, aut inſerta. Cap. XV. 791.*b*

Crux in militum armis: in Imperatorum capite & manibus. & pro inſigni. Cap. XVI. 792.*a*

Laudatiuncula Crucis. Cap. XVII. 793.*a*

IVSTI LIPSI

DIVA VIRGO HALLENSIS.

Beneficia eius & Miracula fide atque ordine deſcripta.

ILL^{MO} ET REV^{MO}

PRÆSVLI D. GVILIELMO DE BERGES, ARCHIEPISCOPO ET DVCI CAMERACENSI,

PRINCIPI S. R. IMPERII, COMITI CAMERACENSII.

NON diu,nec ancipiti conſilij lance,deliberandum mihi fuit, magne PRÆSVL, cuius tutelæ vel gratiæ munuſculum hoc meum offerrem:tibi debebatur. Argumentum video: ſacrorum res eſt; & tu ſacrorum in ipsâ illâ prouinciâ,in quâ hæc geſta narrantur, antiſtes & præſes. Hallæ,& templum, & ſacrata in eo ſtatua,tuæ iuriſdictionis & curæ ſunt:& iure igitur,quod de iis ſcribimus, in tuam item tutelam arbitriúmque damus. Quid,quòd ipſa MIRACVLA cenſionẽ & tribunal tuum ſpectant?nequid vanum,ſubdolum,infirmum ſurrepat aut imponat,tuũ iudicium & tabella quæritur:ad te itaque imus, & velut ad Quæſitorem coniicimus hanc cauſſam. Iam ſi ſplendor aut fama operi ab illuſtris præſcriptione tituli quæritur: poſſúmne magis inclytum nomen,quàm GRIMBERGIORVM, præferre? Vos olim è Ducibus Brabantiæ,& mox Marchionibus Bergezomij,vos nobiliſſimis familiis innexi,locum & lucem inter Belgarum proceres ſemper tenuiſtis. Sed tu à te etiam lucem:qui animi dotes & virtutes eas ſtatim prætuliſti,quibus vel obſcuram familiam & famam illuſtrares. Sacris,Deo duce,admotus cùm Romam & Italiam vidiſſes,Leodici in Eburonum vrbe ſedem legiſti:atque ita ibi egiſti,vt voce ac digito ſignareris,probitatis,caſtitatis,modeſtæ grauitatis exemplar. Quæ ipſa ſtatim te extulerunt, & in vetuſto illo & auguſto collegio principem locum DECANI titulo adſignarunt. Vidimus te hac dignitate,in amore omnium ac veneratione:& veritas ac merita,non ſimulatio aut adulatio dabant. Sed non diu vidimus:& diffusâ mox tui famâ, PHILIPPVS II. rex Hiſpaniarum Antuerpiam euocauit,ad Epiſcopale faſtigium:cui par fuiſti,& ſedem impleſti, eò dignior ſemper habitus, quò diutiùs imperaſſes. Denique magna etiam illa Antuerpia, anguſta Regi ac Principibus viſa: Cameracum te produxerunt: vbi nunc primariam dignitatem ſuſtines, cum fauore, laude, plauſu,

Omnibus incutiens blandum per pectora amorem;

ſed quem reuerentia tamen temperat ac concinnat. En cauſſas dedicationis meæ, ſed publicas:priuatã vnam addam?Olim cùm Leodici eſſes, notitiâ & conſuetudine iuncti fuimus,& priuſquam inter Principes cenſereris,amici vocabamur. Hæc me impulerunt ſcriptum ſacrum,& quod ego inter mea ab argumento amo,ad te cultus & affectus teſſeram mittere:ſuſcipe Ill^{me} & Reu^{me} PRÆSVL, & ſi non ab ingenio aut labore meo,ab eâdem illâ cauſſâ ama. Louanij,Idibus Iuliis, ∞.IƆCIV.

Google

LECTORI S. M. D.

*SACRA hæc ſcripſi: & ſtatim animi oculis præuidi fore, qui inclamarent: Quid in alienos fines ſcandis? quid vana hæc affers, aut ſupra verum eſſe? Vtriſque reſpondendum breuiter eſt: & prioribus obduco, Chriſtianum me, & quidem puri priſcique ritus eſſe; quid alienum facio, ſi non adoro ſolùm Numen, ſed adorno? Decet nos, & laudes grateſque ei dicere, & præſertim opera eius mira ac magna propagare: quod hîc à me factum. Nam per Virginem matrem quæ Memoranda & Admiranda patrare ei viſum, narraui. narraui, inquam: non ſubtiliter aut tenuiter aliquid ſuper religione diſputaui. Itaque intra fines meos manſi, & ipſum tituli mei atque inſcriptionis agrum colui, id eſt, Hiſtoriam ſcripſi. Sed vanam, vel coloratam, aiunt alij. Dei fides, quàm falluntur! Nihil de mendacio aut fuco ſumimus: Acta & Re geſta legimus, & ex iis ſelegimus, quæ digniſſima videbantur proulgari. An iis fidem non habent? in oculis plurium geſta, teſtibus firmata ſunt, ſæpè magiſtratuum ſignis: & caput rei, Acta hæc maiores noſtri confecerunt, religioſiſſimi homines, & ante doctrinam hanc ſpernentem Diuos nati. An & de meâ fide dubitant? mittant viſere, ſi non credunt: imò mittant, vt credant. Plura reperient: & quantumuis ſint, vt cum Platone hoc dicam, * περίσβολοι, mitigabuntur & cedent, magnitudine vel nouitate rerum perſtricti.* Miracula, *ait verè Auguſtinus,* ſunt introitus ad fidem. *Quòd ſi quis etiam ſic non mouetur: iure ei Homericum hoc accinam,*

* Perſtricti.

Lib. IX Confeſſ.

* ἢ νύ τοι αὔτως
Οὔατ' ἀχήεντ' ἐστὶ, νόος δ' ἀπόλωλε καὶ αἰδώς.

* — certè aures ſunt tibi tantū. Quęls audire quęas, periit Mens ipſa Pudorque.

Sed de Actis, *habuiſſe ea me deſcripta exſignatáque profiteor, operâ* Auberti Miræi *doctiſſimi viri, Canonici Antuerpienſis, &* Ioannis Houij, *magnifici in eâdem vrbe ciuis. Gratia iis eſto: mihi fides, qui apicem non detraxi, aut addidi: niſi quòd digeſſi, concinnaui, & affectus obiter miſcui, orationi erigendæ aut animandæ. Ius & laus eſt fieri. Etſi quæ magna laus? ex facili mihi & iucunda opera hæc fluxit: & teſtificor, non decem totos dies illi impenſos. Nimirum vt auro aut ebori facile eſt decus addere, cùm materies per ſe niteat: tale iſtis gratiam à ſtilo dare, per ſe gratis. Fruere bone Lector, & Euripidis illud ſemper hic cogita:*

* Τὸ σωφρονεῖν δὲ, καὶ σέβειν τὰ τῶν θεῶν,
Κάλλιστον οἶμαι γ' αὐτὸ, καὶ σοφώτατον
Θνητοῖσιν ἔργον.

* Sapere modeſtè, & colere quæ diuina ſunt, Pulcherrimum puto, atque ſapientiſſimum Hominibus eſſe.

Puto tecum Euripides: & odi, odi curioſulos, qui etiam in illa penetrant, id eſt, Gygantæo periculo in cælum ſcandunt. Tu aliter, vt tutò & feliciter ſcandas: quod voueo, & DEVS *&* DIVA *tibi mecum donent.*

IVSTI LIPSI
DIVA VIRGO HALLENSIS.

CAPVT I.

Affectus noſter vetus erga Diuam: iter Hallas, & occaſio ſcripti: tum verſus.

A Primâ adoleſcentiâ, DIVÆ VIRGINIS amorem & cultum indui, eámque patronam mihi & ducem in periculis, in moleſtiis, in omni vitæ curſu, elegi. Etiam in ſtudiis. & ſi quid accuratiùs pagendum, aut dicendum publicè eſſet, vbi Famæ vel memoriæ res agebatur, precibus & votis ad eâ iuiſſe me fateor: & felici ferè ſucceſſu. Itaque vt primùm licuit, in Sodalitium eius nomen etiam dedi, quod apud Eburones, & in hac item vrbe frequens honeſtumque eſt: cui Patres Societatis Ieſu præſident, dirigúntque. Ab eodem deinde iſto affectu Hallas diu adſpiraui, tandem iui: locum in multâ apud noſtros & exteros famâ. & inclytum *Miraculis*, quæ tutelaris
Anno ∞. ICↃI. ibi Diua à multis iam annis patrat. Sed cùm veni, & calidè templum adij, ac preces cœpi fundere, ſenſi
B trepido quodã gaudio, & mixta veneratione, corpus animúmque percelli: & palàm in loco Numen eſſe, quod vel ignaris mentibus ſe ſuperfundat. Precibus autem breuiter tunc (veſpera erat) conceptis, & ſequenti die ſacris ritè peractis, quibus interfui; cœpi oculos auidè circumferre ad Aram ipſam, ad Sacelli reliqua, Tabulas, Donaria, & plurima ibi diuinæ potentiæ, aut humanæ pietatis, monumenta. Vbique FACTA MIRANDA, ſupra captum aut fidem hominum, ſupra ipſam naturam: & inter tot miranda, ſubiit illud mirari, nondum fuiſſe, qui ea ſcripto complecteretur, & Dei ac Virginis gloriæ diuulgaret. Incidit mihi cupido, fateor: cupido? quam voto etiam adſtrinxi, concepíque inquirere, colligere, ſcribere, quæ huic rei eſſent. Ea mente ad hoſpitiũ redij, Verſibus paullò pòſt teſtatus & gaudium meum in hoc
C adſpectu, & laudes Diuæ leuiter, atque inſtitutum meum, tangens. Sunt iſti:

Ode ad Diuam Hallenſem ab interuallo conſpectam, & veneratam.

QVEM me, quòue loci eſſe
Dicam? téne ego, Diua,
Cerno? te fruor, & datur
Ora tueri?

Ora, qua toties mihi
Contemplarier ardor:
Pro quâ luce tot olim
Vouis ego vota.

Quorum nunc benè damnâs,
Sacram pronus ad aram
Flecto corpus, & ipſam
Conſecro mentem.

Suſcipe, & tibi deditum
O admitte clientem:
Et linguæ atque ſtili mihi
Fræna relaxa.

Etſi quid tibi dicere
Dignum, Diua, habeam? tibi,
Quæ magni genitus es Dei,
Cui Deus ipſe

Imputat genus, & ſuam
Inſcribit ſibi matrem.
O mirum! ſtupet hæc humus,
Et ſtupet æther.

Qui verbo omnia condidit,
Is ſeſe in gremium tuum
Verbum condidit, & tuâ
Editus aluo eſt.

Da flores puer, & ſacri
Da mî thuris honores:
Illos ſpargere, & hos ſit
Fas adolere.

Plura non datur. & licet
Prædicare ſilentio,
Quæ laudes hominum ſupra,
Quæ Geniorum es.

CAPVT II.

Origo imaginis à Diuâ Elizabethâ. de hac igitur præmiſſum, de ſtirpe eius, quâ genita, & quam genuit, de morte & conſecratione.

LAudare igitur abſtinebo, narrare incipiam, & ſtilo vulgare ADMIRANDA tua opera, vtinam vel in fines vltimos terræ poſſim! Incipiam ab ipſo capite, & primò dicam *Vnde hæc imago*, & in hunc locum delata: tum *Beneficia* adiungam, & *Facta inopinata*, & quæ non niſi diuinæ potẽtiæ vlla mens tranſſcribat. Da mihi O DIVA, quam præſentem, animo contemplor, quod piè ſanctéque inſtitui, ritè & feliciter exſequi, nomini & cultui tuo propagando, pietati & ſanctimoniæ augendæ quos: duos profiteor huic ſcriptioni eſſe fines. *Andreas ſecundus* Rex Hungariæ (quæ priſcorum ferè Pannoniam & Daciam continet) Rex, inquam, Hungariæ fuit, anno
D ∞. CCI. Vxorẽ habuit *Gertrudem*, Ducis Meraniæ, Carinthiæ, & Iſtriæ filiam: cuius ſoror (dignum monitu) *Hedvvigis*, nupta *Hẽrico Barbato*, Principi Sileſiæ & Poloniæ, inſigni pietate inclaruit, adeò vt Sãctorum numeris meruerit adſcribi. Ea obiit anno ∞. CCXLIII. diu poſt ipſam *Elizabetham*, ex ſoro-

re neptem, de qua eo dictum. Nam Andreas ex coniuge illa ſua tulit quattuor liberos, *Belam*, *Colomannum*, *Andream*, *Elizabetham*. Duos priores omitto, non pro re noſtrâ: è duobus aliis, *Andreas* regni expers, ob naſcendi ordinem, in Italiam & Venetias venit, fortunam ſibi aut ſuis facturus, atque ibi ducta prædiuite vxore conſedit. Filium *Marcum* reliquit. qui largus opum, & honorum auidus, in Galliam, florentiſſimum tunc regnum, migrauit: atque ibi dignum ſtirpe regia coniugium & proles repperit, fundauitque inclytam hanc CROYORVM familiam, nunc quoque opibus & honoribus florentem. Cui magnum decus DIVA ELIZABATHA innectitur, ſoror, vt dixi, huius Andreæ, & filia illius Regis. Hæc ad inſtitutum noſtrum maximè pertinet, & eius ergô præmittenda illa ad lucem fuerunt. Quæ admodum puella, & trimula dumtaxat, *Ludouici* filij *Hermãni*, Lantgrauij Thuringiæ & Haſſiæ, nuptiis deſpondetur, legatis vtrimque miſſis: qui Ludouicus inter potentes Germaniæ Dynaſtas eminebat, & genus ac ſanguinem ad *Carolum Magnum* referebat. Deducitur in Turingiam anno pòſt, id eſt quadriennis: & ſub oculis curâque parentum, futuro marito creſcit & educatur. Quantis iamtum ſanctimoniæ indiciis, longum ſit dicere: hoc moneo, puellam, vxorem, viduam, mira pietatis laude celebrem fuiſſe: ideóque à pictoribus aut ſculptoribus paſſim caput eius triplici corona inſigniri, quam in quoque ordine illo iure ſibi poſcit. Sed hæc igitur grandiuſcula, & viri iam patiens, marito iungitur, annos nata circiter quattuordecim. Is mulierem matrémque fecit, & genuit ex ea anno altero *Hermannum*, primum vnicúmque filium: & mox biennio pòſt filiam *Sophiam*, quæ Duci noſtro Brabantiæ nupſit, vt dicam; iterúmque biennio alteram *Sophiam*. quæ matris, opinor, monitis aut exemplo, pertæſa rerum terreſtrium, & cæleſtia ſpirans, ſacrarum Virginum cœtui ſe mancipauit, in Franconiæ monaſterio *Kitzingâ*. Quod ita in Chronicis Erphordiēſibus fideliter ſcriptis reperio: etſi alibi, hanc non *Sophiam*, ſed *Gertrudem* dictam, & Virginitatem conſecraſſe Aldenburgi. Hi liberi. neque maritus diu ſuperfuit: eſt tactus piæ militiæ amore, anno ꝏ. CCXXVII. vnà cum Frederico Imp. ad Terræ ſanctæ recuperationem iret: iret, nec perueniret. Nam Hydrunti in Apuleiâ, dum transgreſſui omnia parantur, febri correptus obiit, ſiue, vt alij, veneno interceptus. De loco, plures conſentiunt: legi tamen qui in Siciliâ obiiſſe aſſerant. noſtro fortaſſe, nō ſuo errore: cùm illius æui nomenclaturâ ipſa Apulia, & regnum illud hodie Neapolitanum, Siciliæ nomine diceretur. Duplex enim ea erat, vltra & citra fretum ſiue pharum, vt loquuntur: atque ita igitur hîc capiamus. Sunt etiam qui in ipsâ Terrâ ſanctâ obiiſſe, ſed temerè & falsò, tradant. Loculus quidem & oſſa paullò pòſt ad mæſtam Elizabetham tranſlata: mæſtam etiam ab iniuriis, quas ab *Henrico* fratre mariti erat paſſa. Is enim à primis ſtatim nunciis de morte, Hermanni pueritiam ſuum commodum ratus, prouinciam, arcem, bona inuaſerat: Elizabetham cum ſuis eiecerat: ita properè & ferociter, vt miſera paruos liberos trahens, & cum fortunâ deſerta ab omnibus, vix hoſpitium reperiret, metu potentioris. Contulit ſe itaque in Haſſiam, tota pietati iam conſecrata, eique aſſiduè, ductore quodam *Conrado*, religioſo & optimo viro, operatur Marburgi: vbi & diem ſuum obiit, etſi placato iam Henrico, & ideò ab opibus inſtructior. ſed quas non niſi in pauperum vſum, & ſtatim elargitura admiſit. Obiit autem quadriennio circiter à marito, anno ꝏ CC.XXXI. quod ſcriptores eius æui conſtanter tradunt: & ergo iuuenis obiit, nec niſi annos vigintiquattuor nata: breui circulo quantam virtutum copiam complexa? Quæ famâ, ſed & miraculis diffuſæ, caput Eccleſiæ Gregorium tunc Nonum haud latuerunt: atque is eas produxit & propalauit, & ipſam, conuentu & conſenſu ſacrorum Procerum Peruſiæ, cæleſtium numeris adſcripſit: iuſſitq; precibus & veneratione proſequi, & feſtum quotānis diem habere XIII. Kal. Decēbres, quo ex hac vita migraſſet. Diploma ipſum Pōtificis Vaticana Bibliotheca in Regeſtis ſuis habet, promulgatū anno ꝏ. CCXXXV. quadriennio ab eius morte. Eo autem in Germaniam perlato, cōcurſus Marburgum factus: oſſa de humiliore in altiorem locum, & auguſtiorem loculum, trāſlata: cùm adeſſet Imperator ipſe *Fridericus*, honoris & pietatis ergô, itémque Archiepiſcopi Mogūtinus, Colonienſis, Bremēſis, & magna vtriuſque ordinis procerū manus. Quo tempore è ſacro cadauere oleū vbertim manauit. Imperator corona aurea decorauit, alij donis aliis: ego te, Diua, breuiter laudibus precibuſque, *Salue & faue*.

A B C D E

CAPVT III.

De filiâ Elizabetha Sophiâ. qua in Brabantiam venit, ſtatuas attulit, diuiſit, & quomodo hac Hallis dedicata.

HErmannum, vt dixi, filium habuit, ſed nec hunc longæuum. Cùm enim octauodecimo circiter anno vxorem duxiſſet, in flore æui, ſtatim ab ipſis nuptiis obiit, veneficio, vt conſtans fama ferebat, *Berchta Sebergia*, nobilis fœminæ: incertum amore an odio, ſuo an alieno impulſæ. Sed obiit, & ſororem reliquit *Sophiam*, de qua tetigi, & nunc vberiùs dicam, vel Brabantiæ noſtræ cauſâ, in quam venit & nupſit; itémque inſtituti, quia propioribus lineis ſacram ſtatuam noſtram tangit. Igitur *Hēricus* II. Dux Brabantiæ tunc præerat, cognomento Bonus: qui primis nuptiis *Mariam Sueuicā*, *Philippi* Imp. F. vxorem habuerat, exque ea *Henricum* III. ſuſtulerat, Magnanimum dictum: vt tunc apud nos moris erat, principes viros titulo aliquo diſcernendi, vel potiùs honeſtandi. Is *Henricus* & poſteri in patria noſtra Principatum tenuerunt; & ſtirpe meliore deficiente, per *Margareta* nuptias ad inclytam BVRGVNDIÆ gentem detulerunt: quæ *Margareta*, matre itē *Margaretâ Ioannis* III. neptis nupſit *Philippo Audaci*, primo noſtro inter externos Duci. Hæc igitur *Maria* cùm prior *Henrici* vxor fuiſſet, abiiſſetque: iunxit ille ſibi nuptiis alteris *Sophiam Elizabetha* filiam, generis nobilitate, & matris pietate demonſtratam. Ex ꝏ. CC. XLII. qua tulit item *Henricum* filium, cognomine Brabantinum dictum. Qui cùm expers paterni Ducatus eſſet, fratri prærogatiua ætatis tranſcripti: annos iam duodecim natus adiecit oculos atque animum ad Thuringiæ & Haſſiæ Principatum, materno iure & gratia fretus. quippe quæ in iis locis, vel Diuæ *Elizabetha* memoria, vel & propria virtute, ingens nomen & amicos fautoréſque reliquiſſet. Sed ecce, mortuo *Hermanno* fratre *Sophia*, cui ius illud ſine controuerſia debebatur, ſucceſſit & vindicauit ſibi, excluſa fœmina, *Henricus* frater *Ludouici*: tenuítque quoad vixit, opibus & potētia valdè auctus, & faciente Pontifice Innocentio II. Rex Romanorum contra *Conradum* Frederici F. electus. ꝏ. CC. XLVII. Quem prælio apud Francofurtum etiam vicit: vir magni animi & ſpei, ſed quam Fata inciderunt, obiitque anno poſt electionem, liberorum expers. Ea res iterùm ius & ſpem *Sophia* noſtræ præbere viſa, venitque multis aduocantibus in Thuringiam: etſi alij contrà nitebantur, aduocato *Henrico* altero, Marchione Miſniæ & terræ Orientalis, nato ex ſorore Henrici Regis de-


tuucti Sophia vetuſius prætendebat; iſte nouellum. A
denique pacificatione aliquoties tentata & irrita,
armis decretum eſt: quorum finis, vt partitione fa-
cta, Thuringia penes Marchionem Miſniæ maneret,
Haſſia Henrico Brabantino cederet. Idque ad poſte-
ros obtinuit: & ſtirps iſta, quæ hodiéque eſt Landi-
grauiorum Haſſiæ, originē & dynaſtiam ſuam Hen-
rico, & Sophiæ eius matri debet acceptam, itémque
piæ Elizabethæ. Sed abite nunc confines hiſtoriæ, ad
rem ipſam noſtram veniamus, qua cauſſa, & fidei
ſtruendæ, hæc præmiſſa. Sophia igitur iſta maternæ
pietatis etiam heres & adſecla, Diuæ Virginis cultui
inprimis fuit mancipata. Putatur à matre ſtatuas ali-
quot accepiſſe, quas vel ob eius memoriam caras
ſanctáſque habuit: è quibus vnam Viluordiæ, in cœ-
tu Virginum religioſarum dedit dedicauit, miraculis B
olim & nuper claram; cui cognomen DIVÆ CONSO-
LATRICIS à re inditum: quia multi malis animi cor-
poriſque remedia illîc aut leuamenta reperiebant.
Tres alias dediſſe *Machtildi* ſorori Hērici Ducis, ma-
riti ſui: quæ alteris nuptiis iuncta *Florentio* IIII. Hol-
landiæ & Zelandiæ Comiti fuit. E quo cõiugio *Gui-
lielmus* II. ille natus, illuſtre nomen, & Rex Roma-
norum in diſſidio electus. Accepit, inquam, Mach-
tildis ab ipsâ Sophiâ: quod vero propius & rationi
temporum aſſidet, quàm vt à Diuâ Elizabethâ, quæ
diu mortua, & vix eſt vt cauſſam donādi, aut arctio-
rem notitiam, in tam diſſitis locis, habuerit cum iſtâ.
Vndecumque ea nacta, Statuas tamen habuit, co-
luit: & iam moritura diſpartiuit, & locis ſuis quam-
que aſſignauit. Vnam Graueſandæ, Hollandiæ veteri
opido, quod finitimum eſt Loſdunenſi cœnobio: C
quod ipſa condiderat, in eóque vitam à morte ma-
riti caſtè piéque egerat. Alteram Harlemi, adſeruan-
dam in ſacrario Carmelitarum: tertiā denique hanc
noſtram *Hallis* Hannoniæ collocari voluit, ſiue iuſſit.
Quare illic, & cur extra Bataulam? Credo, quia inter
alias prolèm ex Florētio marito *Adelheidem* genue-
rat, nuptam Ioanni Auennenſi, Comiti Hannoniæ:
& hanc igitur, eiúſque ditionem, ſacro hoc donatio
iuit auctum. Hoc euenit anno Chriſti CIƆ. CC. LXVII.
quo Malchtildis illa diem obiit. Addo obiter, huius
filiam fuiſſe item *Machtildem*, quæ nupta Comiti
Hennenbergio vno partu protulit CCCLXIV. pro-
les, quas Otho Antiſtes Vltraiectinus ſacro fonte o-
mnes abluit: rem fabulæ, quàm hiſtoriæ propiorē, niſi D
eam Annales noſtri conſtanti aſſenſu tradidiſſent.

CAPVT IIII.

Aliquid ſuper ipſo opido Hallenſi, itemq́; templo.

ERGO hęc illa, & tali origine, Statua eſt quā *Hal-
lis* hodiéque colimus: de quo loco & opido ex-
terorum cauſſâ, breuiter libemus. Eſt illud in finibus
Hannoniæ, quà Brabantiam tangit, tertio à Bruxellâ
noſtrâ milliari. Ipſum modicum eſt, neque opere aut
ædificiis conſpicuum: ſufficit loci ſanctimonia, ad
præſidium ſimul & ornamentum. Ager tamen in
ambitu bonus, fœcunda pratis aruiſque planicies,
quam Zēna flumen interluit, & ipſum item opidum:
atque illinc riuis amnibuſque auctum Bruxellam,
nauium in ea & extra eam patiens, venit. Nomen à
tutela aut conſeruatione habet, vt aliæ item *Halæ*,
ſiue placet *Hallæ*, quæ paſſim exſtant. Enimuerò vul-
gò etiam ædificia ſic appellamus, vbi merces aut ho-
mines tueri ab iniuriis aëris ſolent: aut littera mutan-
te, *Salas*. Atque iſta vox Gallis nobiſque in aſſiduo
vſu eſt, pro *Atriis*: cauſſâ eâdem, quia ibi conuentus,
& in tuto ac ſudo agunt. Sed & *Halas* Louanij habe-
mus, veterem lanificij & lanificum domum, eorúm-
que receptui: nunc, meliore auſpicio, ab Arachne ad
Palladem tranſlatam, in quâ optimarū artium ſcien-
tiarúmque doctores & diſcipuli cottidie operantur.
Sunt & Saxonicæ *Halæ*, itémque Tirolenſes ad Oe-
num: à ſalis aſſeruatione dictæ, ſiue ab ipſo *ſale*: nam
& hoc originationem ſuam primogenio huic debet.
Quid enim magis, quàm *Sal*, ſeruat? quod priſcis
Græcis noſtriſque *Hals*, ſiue *Halt* fuit: & mox in *Salt*
mutauit: ab eóque, dixerit Becanus, Latinorum *Sa-
lis*. Hoc noſtrum opidum quando conditum, neſcio:
vetuſtatem tamen aliquam habet. Itémque arcem,
Dynaſtarum eius tractus olim domum, an Præto-
rium: in quâ egiſſe ſæpiùs, atque etiam obiiſſe *Philip-
pus Audax* dicitur, is qui Flandriam cum Brabantiâ
iunxit. Etſi Froſſardus in opido quidem, ſed in ho-
ſpitio Cerui (nunc quoque domus ibi, & inſigne)
non autem in arce ſcripſit obiiſſe. Id fuit anno Chri-
ſti CIƆ. CCCC. IIII. Eſt autem templum in opido,
foro imminens, eleganti ſatis opere: cuius ala ingre-
dientibus ſiniſtra ſacellum habet & Aram, ac ſuper
eam Statuam hanc DIVÆ VIRGINIS, de quâ
agimus & agemus. Sacellum modicum eſt, ornatum
à donariis & tabulis votiuis habet, religionem à ſe,
& neſcio quomodo ingredientes ea tangit. Concur-
ſus huc olim & nunc vndique, etiam à longinquis
locis, & quàm latè propemodum Chriſtiani fines ſe
tendunt. Quid mirum MIRA hoc effecerunt,
quæ crebra & vel aſſidua hîc euenerunt,
eueniúntque. quod boni gaudea-
mus & iactemus; improbi
liueant, aut calu-
mnientur.

70



1. Statua ſacra. 2. Duodecim Apoſtoli argentei, donum Philippi Boni. 3. Statua Diuæ argentea, eiuſdem 4. Maximilianus Imp. Albertus Dux Saxoniæ & quidam procerum. 5. Arbor aurea Maximiliani, inſcripta ANNO VIIII. IVLIVS PONT. MAX. ANNO VIIII. *6. Lampas argentea Iulij II. P.M. inſcripta. 7. Paludamentum Caroli V. Imp. 8. Statua argentea viri geniculantis, donum Fuggerorum.*

CAP. V.

Tranſitum ad Miracula; ſed primò communiter Vera hæc aſſerta, & diſcrimen triplex à Falſis datum.

QVSP tamen calumnientur? non certius diuinitatis argumeotum, quàm à MIRACVLIS: quæ Deus ipſe homo factus, vt talem ſe aſſereret atque oſtenderet, palàm exhibuit & vulgauit. Sunt, & fuerunt Geoij, fateor, qui ludibrio aut fraudi noſtræ ſimilia quædam patraot: ſed ſimilia. ab ipſis illis Veris non vnâ aut fallaci notâ ſeiungenda. Dicam, vt bonitatem noſtris præſtruam, & cootra improborum, an impiorum calumoias, præferam ſcutum. Triplex nota eſt, quâ Vera à Vanis miracula differunt: *Magnitudo, Finis, & Fides.* Magnitudo, quòd non exigua aliqua aut leuia ſunt in opere, ſed quæ opinionem, ſenſum, naturam omnem vincant: & quæ ipſa illa Natura non niſi domino ſuo poſſit indulgere. Legiſtine à Moyſe, Pharäooe rege arbitro, victos variè eius præſtigiatores, aut Magos? Tale vniuersè in Veris Vaniſque ſcito: vim illîc veram & diuinam eminere, ideóqoe & maieſtatem: hîc fallax aliquid, luſorium & illuſorium: & in exploratiooe leue reperiẽdum. Genij ſe miſcent, aërei, terrei, aut inferi, & opellas aliqoot exhibeot, ſed opellas: quod ex comparatione diuioorum operũ peruideas, & peruincas. En in veteris Scripturæ libris, tot centena millia hominum, ſectis diuiſiſque aquis, velut per ſiccum tra-

ducta.

A ducta. En iterùm, in ſqualidis arentibuſque locis, è
durâ petrâ, ictu virgæ, torrentes aquarum manan-
tes. Quis non anguſtum & ingens hoc videt, in mari
abductas, è lapide eductas aquas? & à quo niſi à Nu-
mine? Nam magi omnes conueniant, non facient:
niſi fallaci aliquâ imagine, & ſine alio fructu mox
perituâ. Idem in nouæ Scripturæ libris, idem in no-
uitiæ magis & noſtræ. Non damus nauim zonâ mu-
liericulæ alligatam, & aduerſo flumine motam; non
aquam in cribro geſtatam; non manu permulſam, &
tactu æneam factam barbam; non cotem nouaculâ
ſciſſam: minuta & à minutis Geniis hæc facinora eſſe
ſcimus. Quid ergo nos? claudos erectos; cæcos luce
affectos; morbidos perſanatos; mortuos ipſos ſuſci-
B tatos, & verâ vitali luce iterùm donatos. Imperiũm
elementa, in animantia, in naturam ipſam rerum
Chriſtus & Chriſtiani vſurparunt, & vſurpant. Iam
diſcrimen alterum à Fine eſt. Vt demus magna quæ-
dam à profanis prauiſque hominibus patrari: finis
diſſidet. Illi in ludibrium aut noxam faciunt: noſtri
in ſerium fructum, aut ſalutem. Præſtigiatores, cal-
culatores, & id genus, quid niſi vanâ ſpecie obiecta
oculos ſenſuſque fallunt? & fallendo delectatione nul-
lâ aliquâ fortaſſe permulcent. Magi, incantatores,
venefici, nocendi palàm finem habent, & ad Dæ-
monum cultum adducendi, quorum ope conſilió-
que hæc patrant. Itaque non fallax & iſte character,
quòd Vera miracula ad verum, & vnum, Deum du-
C cunt; falſa ad falſos, & multos. Tertium denique di-
ſcrimen, Fides: atque id dupliciter. Primùm, quia va-
na multa eiuſmodi famâ aut ſcriptis prodita: & Li-
uius ipſe non ſemel agnoſcit, turbido aliquo tem-
pore, *verſis in religionem animis, multa viſa credi-
táque prodigia, quæ non erant.* Natura ſcilicet humana,
ſuperſtitioni prona, hæc accipit: & fraus Genialis ob-
ncit, inſinuátque. Senſu etiam altero vana, quia ſpe-
ciem ſæpe, non rem habent: non certè perfectionem,
aut diuturnitatem. Nam & Genij ecce morbos in-
terdum, aut cæcitates, aut alia damna corporis cura-
re videntur. Videntur, inquam. vel quia ipſi tempo-
raneum aliquid tale intulerunt, vt auferant; vel quia
non in longum curant, & eadem aut maior noxa (vſu
cognitum) mox adhæret. Non ſic in Veris, abſit. o-
D mnia fidem habent, ſiue libris ſacris tradita, qui non
magis quàm eorum auctor (is Deus eſt) mentiuntur:
ſiue bonis teſtibus arbitriſque affirmata: denique fi-
di etiam perfectíque operis, nec retractantur ex fa-
cili, aut mutant. Et verò illa ipſa tamen Geniorum
opera ſicui miranda videntur, vt flumen ſiſtere, plu-
uias immittere, futura prædicere: quid niſi in Dei po-
tentiam pia mens ducat, quo faciente, aut certè per-
mittente, illa ipſa eueniunt? Ac ſi minuti creati iſti
ſpiritus talia; quanto maiora maximus ille, conditor
& creator omnium, poteſt? Vides diſcrimina: interro-
get me aliquis, Sed cur Miracula hæc non ipſe in ſuo
nomine Deus, & magis ſæpiúſque hodie in Diuo-
rum, & ſæpiſſimè Diuæ ſuæ matris, edit? Cum Au-
guſtino reſpondeam, Non opus nunc Chriſto aſſe-
rendo prodigiis: imo *ſiquis ea requirat, ipſum eſſe pro-
digium, qui mundo credente non credat.* Excipio, ſi apud
E gentes longinquas res geritur, & omnis fidei noſtræ
adhuc expertes. At in Diuis quia aliter eſt, & multi
etiam Chriſtum profeſſi obſtrigillant eorum hono-
ri, aut cultui: meritò extra ordinem eos aſſerit; & quos
abiiciunt, alleuat; quos obtenebrant, illuſtrat. Et quis
neſcit, tot iſtas hodie nouellarum opinionum ſectas,
conſenſu & velut de compacto in vnam *Diuam Vir-
ginem* incurrere, & decus eius omne ire imminutum?
Ergo iſte vindex tuetur, & auget cottidie: & auſim
dicere, nullibi, in nullo nomine aut titulo, plura &
maiora *Miracula*, quàm in eius exhiberi.

De ciuitate Dei xxii. cap. viii.

CAP. VI.

Miracula quæ ipſum opidum, aut templum aut ſtatuam propriè tangunt: & tutela in iſtis Diuæ palàm obſeruata.

ET noſtra iam videamus: quæ ſedulò & fideliter
ex archiis aut monumentis deſcripta tradenius,
procul ab adſtruendo, omiſſioni propiores. Quid ita?
quia, vt æui ſuperioris ſimplicitas aut neglectus fuit,
multa ab iis non conſignata ſcriptis fuêre, etiam quæ
in illuſtribus perſonis patrata opinemur. Quidni o-
pinemur, in tam frequenti eius cultu: quem non niſi
beneficiis & miraculis probabile eſt prouocatum?
Atqui pauca ante annum ∞. CCCC. exſtant: niſi
longiùs quædam ſpectant, quibus temporis nota
non eſt adiecta. Queramur, imò indignemur: quam-
quam olim ſimile. atque ipſe Auguſtinus, æuo illo
curioſo & erudito, ſcribit *multa ad memorias marty-
rum facta*, ignoratione aut obliuione, famâ excidiſ-
ſe. atque adeò *in ipſâ vrbe Carthagine eueniſſe, quæ
Carthago neſciret.* Simile Hallis noſtris factum: & de-
mus ſimplici pietati veniam, quæ contenta præſcuti
& ſuo fructu fuit. Illud autem primùm obſeruo, in
ipſâ Statuâ mira aliquid videri: quæ haud magna (bi-
pedalis circiter) & è puro nec medicato ligno, tot ſæ-
cula perſeuerat, immunis adhuc ab exitiali peſte. Im-
munis etiam ab incendiis: quæ vrbecula illa aliquo-
ties, vel noſtrâ memoriâ, ſenſit: cùm illa Diua & ſe, &
templum ſuum, omni vicino foro, & iuxta ipſam æ-
dem ædibus ardentibus, defendit. Quid, quòd ab ho-
ſte, & vi bellicâ, defendit? Incolæ præferunt, & An-
nales referunt, aliquoties opidum illud, nec ſitu nec
opere munitum, tentatum ab hoſte, vel clàm & frau-
dibus, vel palàm & machinis: ſed tutelâ, præſidióque
eius ſtetiſſe inuictum. Cùm bellum ciuile, aut po-
tiùs inteſtinum, inter miſeros & fato quodam huic
malo deſtinatos Belgas eſſet, quo tempore *Maximi-
lianus Primus Auſtriacus* rebus præerat, filij ſui Phi-
lippi tutor: cùm, inquam, alia Flandri atque vnà Bru-
xellenſes, alia & meliora Hannonii & maior pro-
uinciarum pars ſentirent, Principi * nouo & veteri
adhærentes: ecce *Philippus Cliuius* partium aduerſa-
rum Dux, animo & manu ſtrenuus, Bruxellæ tunc
agebat, & valdè in rem putabat *Hallas* ita propin-
quas capi. Vno anno bis tentat. per inſidias ſemel, &
occultam intra muros conſpirationem: iamque co-
pias ad ſex millia militum cum tormentis eduxerat,
ignaris ſuperuenturus. Caſu ciuis (quid caſu? Numi-
ne, & Diua vigilabat) ciuis, inquam, Bruxellenſis à
præſidiariis capitur: qui rem omnem & coniuratos
ipſos detexit. Cliuius ignarus aduenit, & vt putabat,
ignaris. Illi ſilent, diſſimulant, adire patiuntur, foſſas
tranſire, muris ſubire: tum vndique ex præparato, in-
gruunt, tela, viri, fæminæ, & magnâ ſuâ clade protur-
bant incautum hoſtem: deleturi etiam, ſi maior ali-
qua manus in opido fuiſſet. Alterum eodem anno,
clarioris ſubſidij. Quod fraus abnuerat, à vi Cliuius
vult impetratum. Venit eò cum inſtructo decem
millium equitum peditúmque exercitu. Ita autem
ſubitus venit, vt centum viginti Hallenſes præſidia-
rios, lignatum & pabulatum egreſſos, ad vnũ omnes
interciperet: triſti augurio, & damno certiore, quò
minor in vrbe manus, vix ducenti quinquaginta mi-
lites, remanebant. Sed DIVA ſcilicet, quæ tutelæ
ſuæ totam rem facere voluit, etiam muros dirui tor-
mentis paſſa, & aditum lato limite fieri, quà vel tria
plauſtra tranſirent. Præterea ignis, ferreis canatis glo-
bis, & qui emiſſi pateſcerent eúmque funderent, in
domos variè ſparſus: & quaſdam iam comprehende-
rat. Vbique periculum, clamor, conſternatio: ſed in

Lib. xxii. De ciuit. Dei, cap. viii.

* Philippo Maximiliani F. atque ipſi Maximiliano. ∞ cccc. lxxxix.

vnà te ciues conſtantes,ad DIVÆ opem pius vo-
tis confugiunt. Tum velut robore diuinitus immiſ-
ſo,à templo feruntur in hoſtem, ipſi ſacerdotes iis
mixti. Pugnatur acriter, illinc viribus,hinc animis
maioribus: ac denique ſub veſperam cum multâ ſuâ
cæde hoſtis pellitur, ipſe quoque faſſus Numen ſibi
palàm repugnaſſe. Interea fæminæ & imbellis ma-
nus incendia reſtinguere.è quibus decem,vnâ aliquâ
domo conſcensâ,cum eâ ipsâ decidunt. Mortuas &
obtritas, tam graui ruinâ, omnes exiſtimare: at illæ
ſurgunt ſine maiore aliquâ noxâ, & domum quæ-
que ſuam,ſuis pedibus,eunt. Quis non tum laudes
gratéſque ſacræ Virgini corde, ore, plauſu dixit? Et
hoſtis cùm ſequenti die iterùm oppugnare pararet:
ecce tabellarius à *Carolo Croyo* Chimaci Principe(qui
toto hoc bello fidam & eximiam operâ Maximilia-
no præbuit: cuius ad illum litteras Latinè ſcri-
ptas ipsâ Maximiliani manu,libens* vidi)ab eo, di-
co,Hallenſibus litteræ,quibus intra triduum auxiliũ
& copias magnanimus ille Princeps promittebat.Ci-
ues gaudio exſultare, tympana & campanæ ſonare,
omnia lætitiæ ſigna dare:vt hoſtis non aduentare,ſed
aduenisse iam auxilia ſuſpicatus,ſiue Deo etiam ter-
rente & auertente, trepidus feſtinúſque inde diſce-
deret:ne mortuorũ quidem curâ aut ſauciorũ, quos
in foſſis viíſque reliquit,ipſa etiã oppugnationis aut
belli inſtrumenta.Sanè centum circiter globos è fer-
ro aut lapide, etiamnunc monumentum rei, in æde
ſacrâ ſeruant,arcis ligneis conditos,qui triginta,qua-
draginta,ſunt & qui ſexaginta,pondo libras pendũt.

** Oſtendente Illuſtriſſimo Carolo, Duce Croyo & Arſchotano.*


CAP. VII.

Duo eiuſdem rei exempla, à noſtro æuo, ſeria ſimul & iocoſa.

Anno CIↃ IↃ. LXXX.

SEd & hoc etiam,in eadem tutelâ ſui & ſuorum,le-
pidum, & quod cum riſu admirationem habeat;
geſtum haud pridem, iſto noſtro infauſto ciuili bel-
lo. *Oliuerius Tempelius*,vir militiæ gnarus & acer,Bru-
xellæ præerat:quæ tunc quoque in alias partes iuerat,
non capta, ſed decepta. Iſte imminebat Hallis aſſi-
duè: quas cum Hannoniâ & Arteſiâ, reſtitutas iam
Regi audiebat. Bis igitur tentat. eò audaciùs quòd
& finitima opida ſuæ poteſtatis eſſent;& in ipſis Hal-
lis vix quadraginta nouelli milites, qui tuerentur.
Primo die repellitur,& callidè,quaſi omiſſo incepto,
abit:ſed in animo aliud verſat, & clàm conductis in
vnum præſidiis vires auget,& inopinatus ſub noctem
ſequentem redit.Et iam cum ſcalis & reliquo appa-
ratu,in viâ,vt fit,incedunt alacres,mutuò ſeſe adhor-
tantes.Erat in numeris *Ioannes Zwychkius* quidam,
homo non religionis ſolùm & vitæ improbus, ſed
linguæ.Is canere iam triumphum,& iactitare palàm:
Se ſuis manibus Hallenſi mulierculæ (Dei parentem in-
telligebat)*naſum abſciſſurum*.Itur porrò,peruenitur:
quid factum?Diua audierat,& quaſi talionis pœnam
machinata,procurat mox, glande plumbeâ excuſsâ,
ſcurræ illi ipſi naſum auferri.Pœnam habuit,& irriſum
inter ipſos commilitones perpetuum meruit: qui
identidem hominem ad naſum recipiendum Hallas
mittebant. Sed & alter in eâdem expeditione,*Ioan-
nes Ryſſelmannus*,immaniore etiam ſæuitiâ,& ore te-
triore effuderat,*Sacratam ſe ſtatuam Bruxellam addu-
cturum, atque ibi igne ſubiecto publicè crematurum.*
Deus,Deus(mitiſſimam Virginem hîc omitto) au-
diit:& illi impio blaſphemum os ac mentum tor-
menti ictu abſtulit, & paullò pòſt ipſam vitam. En
vindicem etiam Diuam: ſed magis iuuat audire &
videre adiutricem.

71



CAPVT VIII.

Beneficia eius deinceps in priuatos. & primò à morte ſeruatus & patibulo, qui Falconem amiſerat.

O Quàm variè, & quam multis! in animo, in corpore; in periculis, in calamitatibus; in languoribus, in ipsâ morte. Exempla videamus: & primum iſtud, quod lignea vetus imago repræſentat, donarium ibi & monumentum. Scripta etiam in archiuis habent plenam hiſtoriam: ſed annum omittunt. & rem tamen veterem eſſe, cùm dictus ille typus, tum ipſa ſcriptio adfirmat, vetuſtioris ſtili ac linguæ. Res ita habet. Aucupium inter nobilitatis noſtræ priſca & prima exercitia fuit, etiam nuper, priuſquam triſtia hæc bella omnem ludicram honeſtámque voluptatem arcerent. Huic capturę Falcones habebantur, impenſo pretio è Septemtrionis ferè partibus petiti, fuſci, albicantes, aut varij; bonitate etiam varia, vt genus cuique ſuum, & ex eo vigor aut rapacitas erant. Vir igitur nobilis (nomen ſiletur) talem auem prædatricem æſtimatam & amatam habebat: quæ caſu, aut negligentia miniſtri, auolauit. Dominus in occaſione requirere: ille muſſare, & quod res erat, denique dicere, Auolaſſe. Bilis huic in naribus: &, *Sceleſte, ſic impenſo pretio auem alienaſti, & manum mihi mendacio adis. Audin' autem? ſerio edico, niſi intra quinque ſeptimanas (hanc comperendinationem vitæ tuæ dono) auis compàret, tu periſti.* Seruus in metu, qui dominica & ſemibarbara tunc imperia norat: itaque requirit ipſe & alij vndique, ſiluas & deuia veſtigant. fruſtrà. Dies lapſus, hero minæ non elapſæ: quas ad rem vult cóferre. Iterùm ille ſupplex precatur, & impetrat menſtruam dilationem. Sed nulla quæſitio iuuat. Dominus crucem iubet ſtatui, miſellum ſub ea deſtitui, iam laqueo illigandum. Carnifex adeſt, * oculi obligantur: ſpe omni atque ope humanâ abeunte, diuina ſubuenit: & in métem ei eſt *Diua Hallenſis*, quam miſerorum, & præſertim innocentium, ſæpè leuamen audierat fuiſſe. Tacitis precibus inuocat: atque ecce ſtatim in aëre viſus audire ſonum tintinnabulorum, quibus pedes huic auium, vt amiſſæ ſe prodant, ſolent illigari. Iam mens, iam ſpes illi redit: & dominum ſupplex rogat paullùm reuelari, vt liberis ſaltem, & erectis in cælum oculis, vltimas preces poſſit effundere. Cóceditur, orat iterùm Diuam, quàm ex animo quid opus dicere? pro ipsâ animâ. Ecce autem palàm & in conſpectu omnium, ille ipſe Falco, nihil deterritus ea populi multitudine, è ſublimi aëre præceps deuolat, & in humero eius conſedit. Clamor & gratulatio facta: ipſe auem, in aue vitam recuperat, dominus innocentiam. At Diua Virgo omnium ore laudes accipit: & ab ipſo quem ſeruauit, teſtimoniũ. quod, vt dixi, nunc ibi in ligno comparet: aliquâ tamen diſſonantiâ à recitatione meâ & Scripto. Nam illic Falco non precanti & appendendo, ſed iam appenſo & illigato ſuperuenit: quod magis ſum vt credam, & augendæ admirationi facit. Cur enim non tam vetuſto typo? in quo etiam veſtitum veterem notes, ſerui tunicati & accincti.

* Ita in Scripto, hodie non vſitatum, in illo ſupplicio.

CAPVT IX.

Quidam inter aquas ſeruatus, in immani & ſubito diluuio.

A ALiud ab illo æuo: ſed quod certius deſignem. Euênit enim, vt memoriæ veteres habent, anno ∞. ccc. xc. menſis Auguſti die, qui Petro eſt ſacer. Angianum in Hannonia opidum eſt, in decliui ſitum: vbi ciuis quidam inter gregarios, *Paſtinus* nomine fuit. Euênit die iam dicto, vt ſubita, & prodigioſa tempeſtas eſſet; nimbi, tonitrua, fulmina, & aquæ ſic denſæ caderent, vt torrentes vbique fluerent, domos abriperent, plateas delapidarent, molas auferrent, omnia denique, vt mare, inundarent. Homines trepidare. alius in altum, alius imum fugere; ille aquas, hic fulmina: & *Paſtinus* noſter in cellam penuariam ſuam, pluribus gradibus demiſſam. Dum ibi eſt, & ſeruate etiam edulia aliqua aut vtenſilia ſua ſatagit; ecce aquæ vis perrumpit, cauum implet, tantâ
B vi, vt exitus ipſi, nec ipſis quidem eſſet, niſi muris in parte perruptis & deiectis. Sed nec ſic finis. aquæ aliæ adueniunt, & iam *Paſtino* mors in oculis, *Diua Virgo Hallenſis* in ſenſibus: quam trepidus inuocat, & vnà (illâ inſpirante) ianuam in ſublimi, quæ fornicem claudebat, manibus apprehendit. Tenet fortiter duas totas horas, & aquæ nihilominus vndique aſſultant, mentum & caput interim ſupergrediuntur, aut tangunt. Iam nox aduenit, & mortis nuncia aut ſoror caligo: cùm ille flebiliter iterùm Diuam, nec fruſtrà, inuocat. quippe quæ claris radiis immiſſis locum illuſtrauit, & ſimul vires ei addidit ad perdurandum. Nox & aqua abiit, ipſe emerſit, vxore &
C prole tamen ſubmerſis: Hallas venit, ceream imaginem obtulit, ſeptemdecim fidos teſtes adduxit, qui vnà cum eo de re ſic geſtâ affirmarunt.

CAP. X.

Puer merſus in vitam reuocatur.

ALIA rei magnæ, ſed breuiſcula, & ſine tempore, aut perſonâ, loco, narratio: ſed vetus, & mihi fida. Puer domo egreſſus quæritur duas horas amplius, nec inuenitur. Pater denique in lacunam lapſum
D repperit, capite in limo fixum, pedibus ſupernè elatis. Educit, deponit in terram, adſtat mœſtus, & explorat ſiquid adhuc animæ inſit. Exſpiraſſe videt, & hora tota iam lapſa ab eductione erat: cùm interno quodam inſtinctu ad *Virginem Hallenſem* impellitur, eique puerum & preces offert. Vix factum, vita redit, puer palpitat & erigitur, cum læto patre domum abit.

CAPVT XI.

Homo mali genij hoſpes ab eo liberatur.

E ALIA item ſine tempore, ſed aliis tamen notis inſignita. Fuit Aldenardæ in Flandriâ *Reinerus VVilegemius*, vir mente & corpore validus: ſed in quē ipſo Aſſumptionis Diuæ Virginis feſto malignus Genius iruit, & domum ſibi fecit. Fremebat, ſpumabat, laniabat ſeſe & alios: fœda facies, & vel hoſti miſeranda: quid cognatis & amicis? Illi conſenſu & voto Hallas adſpiciunt, tutelarem hanc inuocant, aduerſus notum & ſæpiùs fractum hoſtem. Audit, adeſt, occultâ vi eiicit: & ſtatim reſtituit ſibi & ſuis, verè iam *Reinerum*, & purum. *O potens, ô benigna, nos quoque ab eodem fallaci ſerpente defende. & qua caput eius ſemel in ſacrâ partione tuâ contriuiſti, ne cauda nos flagellet aut ſternat, adiuua & indulge.*

CAP. XII.

Leodici puer luminibus captus, & toto corpore æger aut impotens, ab vtraque labe ſanatur.

A*Lia, carmine complectenda.*

In terrâ & vrbe Eburonum fuit puer
Stirpe atque cenſu honeſtus, æger corporis,
Et orbe vtroque lucis orbus: quod patri
Perdoluit & matri, atque amicis omnibus,
Medicina adhibitis fruſtrà, inhærebat malum
Et cæcitatis ſimul, & ægrimoniæ.
Sed ecce fama melior aures accidit
De Virgine hac Hallenſe. Vota nuncupant
Et nuncupatis luce donatur puer,
Clarâ atque certâ: quique heri tenebrio
Vulgò audiebat, prouocat nunc Lyncea:
Donatur & ſalute reliqui corporis.
Venit parens vterque, venit & puer,
Cui Nicolaus *nomen, Hallas oppidum:*
Siſtúntque Diuæ ſeſe, & vnà imaginem
Puri & puti argenti offerunt: quæ poſteris
Beneficij teſtamen eſſet & fides.

Salue ô amica mihi Eburonum vrbs, & his atque aliis documentis in auitâ tuâ, quod adhuc facis, religione perſeuera.

CAP. XIII.

Tempeſtate iactati, & iam naufragantes erepti.

IAM ad ea venio, quæ temporis, etſi non rei, magis certa. Anno ∞. CCCCV. viri tredecim, quorum nomina ſchedis expreſſa pretium non eſt iterare, naui è Batauiâ Antuerpiam vehebant. Tempeſtas oboritur & mare fit magnum, & nox ſuperueniens mala metúmque auget. Magis etiam gubernator, qui victam à vi artem faſſus, oratione ſtrictâ & aſperâ hortatur, *Quiſque ſe fatis paret, Deo litet, ad meliorem vitam iturus hac amiſſâ.* Fit gemitus, & comploratio, in genua voluuntur, manus ad cælum tendunt, præſentem omnes mortem exſpectant. Fuit, qui ſuggereret, Diuam Virginem Hallenſem communibus votis vocibúſque inuocandam: quod faciunt. Et facto, ſtatim clarum lumen naui ſuperfulſit, quod tenebras diſpulit, metum minuit: & mox illâ gubernante nauis portum tenuit. è qua totidem illi viri egreſſi, omiſſis rebus, Hallas venêre, & vitam ſe Virgini debere teſtati, votum bonâ fide ſoluerunt.

CAP. XIV.

Furioſa virgo mentem recipit.

ANNO ∞. CCCCVII. virgo fuit nobilis è gente Hangereliâ, quæ corpore ſana, & formâ bella, ſubitò mente capta fuit, & in furorem data. Matrem habebat caſu hoc (quis de parentali affectu dubitet?) confuſam & afflictam. Omnia experitur & facit: ad Diuam denique Virginem ipſa auxilij cauſâ venit. In templo eſt, & preces fundit: ipſo illo momento filia abſens conualeſcit, & plenè ad mentem redit, priuſquam mater rediret. O gaudium & amplexus! *Eamus mea filia, coràm gratias actura benigniſſimæ Patronæ, cui tu ſanitatem, ego vitam debemus.* Veniunt, ceream imaginem *centum decem pondo libras* offerunt, quæ filiam ipſam repræſentaret, ἰϭόσταθμον vt cum Græcis dicam, & ipſo illo pondere æqualem.

CAP. XV.

Puer in Moſâ iam mergendus educitur.

ANNO ∞. CCCCVIII. Huyum opidum in terrâ Eburonum ſuper Moſam eſt: qui medium ſcindit & interfluit, ſed ponte lapideo coniunctum. Puer ibi annos quattuordecim natus, cum quattuor æqualibus ſuis cymbam conſcendunt, & ſolitâ huic ætati laſciuiâ in flumen pergunt, ludere & vagari captantes. Sed miſeri in diſcrimen & angorem veniunt, venti ſurgunt, & flumen à pluuiâ increuerat: iactantur, fluctuant, & tamen adniſi ad ripam appellunt, & quattuor exſiliunt, primus ille quattuordecennis puer relinquitur, repulsâ, vt fit, pedibus aliorum cymbâ. Venti etiam abripiunt, atque adeò cymbam euertunt. puer in vndis voluitur, pueri compares Odem clamant: accurrunt plures, & inter eos trepida mater. Quid faceret? tollit in cælum oculos, & *O Dei mater, quæ Hallis coleris, matri ſuccurre. Ego & filius ſoſpites tibi ſiſtemur: votum facio.* Dixerat. ecce puer inter ingentes vndas ad pontem abripitur, inter arcus illæſus tranſit, & ad medium circiter milliare ſupernatat: quo, niſi cæleſti manu, ſubleuante? Cuius ductu, longè infra opidum, in pratum deuehitur (nā flumen reſtagnabat:) & ibi molliter deponitur, ac matri redditur. Reddunt & ipſi votum Hallis, lubentes, meritò, tibi Virgo auxiliatrix.

CAP. XVI.

Puer iam merſus in puteo vitæ redditur.

ANNO ∞. CCCCX. Bruxellæ in ſuburbio, quà Hallas itur (*Obbruſſeliam* vocant) rusticula mater erat; quæ puerum ſexennem in viridarium ſecum duxit, herbas & gramen iumentis reſectura. Comitatur & alter aliquis è viciniâ puer, & mater opus ſuum facit, ſuum pueri, id eſt ludunt. Sed puteus ibi profundior erat, è quo aquas hauriebāt, in orbem lapidibus ſubſtructus, vt ſolet. In hunc filius fœminæ (*Lilia* illi nomen) improuidè decidit: puero altero adſtante, & ſuppetias clamante. *Lilia* venit, puerum non videt, pilleum eius ſuperfluitantem aquis videt, ipſo graui caſu ad fundum demerſo. Tollit clamores, viciniam concitat: è quibus vnus denique cum harpagone accurrit, quo in aquam demiſſo puerum extrahunt, ſed palàm mortuum, & colore mortis. Nam vel atrior carbone erat, ſollenne ſuffocatis. Iacet ibi, & miſera parens affligitur, ſimul aliæ mulierculæ: & tandem, vnâ aliquâ præeunte, votum Diuæ Hallenſi concipitur: quod ab eâ auditur, ſtatímque vitam & vires puer recipit, ſurgit, domum abit. Triduo pòſt cum matre & vicinis Hallas veniunt, factum narrant, grates laudéſque dicunt.

CAPVT XVII.

Puer faſciâ ſtrangulatus, ſpiritum & vitam recipit.

SIMILE factum, & vitam puero, ſed aliter ſuffocato, redditam nunc narrabo, quod euênit anno ∞. CCCC. XIX. Binchium Hannoniæ opidum eſt, aëre ſanum, ſitu amœnum, & vtrâque hac dote

A Reginæ Mariæ Caroli Quinti ſorori commendatum, quæ amplas ibi ædes ſtruxit, & hortos item variè inſtruxit. Libenter hanc heroïnam (ſic appellanda eſt) memoro, quia meritis eius in Belgicam hoc debetur: quã induſtriè, integrè, bono & gaudio omniũ, annos aliquot nomine fratris moderata eſt & rexit. Sed in eo, quod inſtitui, oppido mulier paupertina erat, quæ operas locare mercede aliis ſolita: atque eo quæſticulo ſeſe ac liberos tolerabat. *Catharina* illi nomen, & habebat infantem in cunis adhuc iacentem, *Chriſtophorulum*. Ita eum reliquit, & ad ſolleones, vt dixi, operas ipſo profeſto Paſchatis iuit. Poſt B horas aliquot quàm digreſſa, vicina mulier domum pulſat, nec artè clauſam (quid enim cuſtodiretur in illâ inopiâ?) eam intrat. Neminem reperit, ſed videt infantem cunis appenſum è cingulo aut faſciâ, quâ illigatus supernè erat. Obſtupuit, accedit, mortuum videt, & glacie frigidiorem. Scilicet euenerat, vt ſolus infans volutaret ſe aut verteret, & è cunis laberetur pendulus, collo obſtricto. Clamat, & quiritatur, adueniunt, atque ipſa mater, triſtitiam præſagio anxia: quid cùm rem videt? Collabitur, alterum pænè funus. matronæ (& honeſtiores iam quædam excitæ erant) atque vnà viri ſolantur, erigunt, & conſecrare infantem *Diuæ Hallenſi* ſuadent. Facit ex animo, & verbis conceptis: ecce autem infans rigidus, & tres ampliùs horas mortuus, animam recipit, & ſe commouet, oblata in cibum aut potum libat: deni que valetudine integratâ, eum mater comitante C matronâ nobili *Scarſiniâ*, & aliquot notæ fidei hominibus, Hallas defert, offert, ac voti ſe abſoluit.

CAP. XVIII.

Puella in puteum præceps lapſa, & ſuffocata, in vitam redit.

HEm magis priori illi ſimilem inuenio, & puellam in aquâ merſam, ad vitam reuocatam. Factum in arce *Ligniacâ* anno eodem ∞. CCCC. XIX. Virguncula erat (*Ioanna Maillarta* nomen) quæ ad do- D meſticos vſus aquam petitum iuit, è profundiore puteo vicino. Is puteus (obſerua) quadraginta circiter pedes altus à fundo erat, in ſuperiore autem parte lapidibus marginatus, & ſaxo vno grandiore, cui adſtare & inniti haurientes ſolent. Dum ergo puella fune aquam educit & attrahit, ſaxum anterius, quod dixi, collabitur: ipſa cum eo vnà. Sed præter merſionem, aliud etiam malum. Natiuus lapis, ſiue rupes, in parte putei imi erat: in hanc impetu decidit & impacta eſt, vt caput grauiter læſerit, brachium, & tibiam. Tibiam quidem ita, vt cùm extracta fuit, intumuiſſe eam viderint ad corporis totius modum. Semihoram deinde in aquis iacuit, priuſquam auxilium ad- E uenit: ac tum educta, mortua apparuit, atro & fœdo colore, ad horas circiter trinas. Mater puellæ cum pluribus, mœſtiſſima inter mœſtos, ſtabat: ſuggeſtum celebre notúmque iam effugium, ad *Diuam* hanc Virginem. Ita preces & vota offerunt, admittuntur: & color primùm teter puellæ abit, vita redit, plagæ perſanantur: ac denique poſt paucos dies voti damnata mater Hallas venit, puellâ comite, quã offert merito ſuæ Seruatrici.

CAP. XIX.

Puer triduum mortuus, & ſepultus reuiuiſcit.

A SVNT hæc ferè vniformia, fateor: & alia etiam dicenda reſtant. Quid enim iſta omittã? aut quid magis poſſit eſſe Dei, potentiæ, matris gratiæ aſſerendæ, quàm mortuos per eam ſuſcitatos? Gentiles hi ſtupeant, improbi ſileant: nec color ſit iſtis verè *Miraculis* diluendis. Ergo non rem, ſed ſtilum tamen mutabo & vertam.

Seneffia, qui pagus eſt Brabantiæ
Hallis propinquus, nimia mira ediſſeram
Olim accidiſſe. audite, res certiſſima eſt,
Firmata ſcriptis ſeriis, & teſtibus,
Firmata item tapete picto, textili,
Quem nunc videre templo in Hallenſi licet.
Res ſic habet. Matrona nupta partus
B *Propinqua, Languet: mortuam prolem parit.*
Amici & agnati, vt ſolet, mandant humo
Cadauer: abeunt, atque luce poſterâ
Matri haud volentes non volentes nunciant:
Sed nunciant. in lacrimas hæc ſoluitur,
Diémque totum luget: ecce veſpere
Videre viſa ſpecie honeſtâ fœminam,
Solatij quæ hac lege faceret copiam,
Si vota concepiſſet Hallenſi Deæ.
Nihil morata concipit, dein vocat
Orátque præſentes, ſuam prolem ſibi
Saltem liceret leuiter oculis tangere,
Quam menſibus tot conditam in ſinu ſuo
Mater tuliſſet. ſpernere illi, & dicere
C *Prolem ſepultam, & mortuam ante triduum.*
Inſiſtit hæc, & precibus iterùm quæſere:
Negantibúſque, verſa in iram edicere,
Se potionis & cibi expertem fore,
Id donec impetraſſet. His victi minis,
Eunt, refodiunt, adferunt in lectulo
Locant parentis. illa lumen poſcere,
Et intueri ſedulò: quid fit? puer
Mutat colorem, è pallidóque punicat,
Mouétque vtrumque brachium, & bis ter gemit.
Defertur in ſacram ædem, vt vndis abluant
Ex lege ſacris: ſed ſacerdos in morâ eſt.
Adſtabat aræ, & incruentam victimam
D *Deo immolabat: immolato, iterùm tamen*
Moratur, & negat puellum viuere.
Hi dicere, ille abnuere: at ecce mox puer
Et ſpiritum palàm atque aquas emittere.
Ergo ille munus fungitur ſuum, hi ſuum,
Domúmque redeunt: denique à meridie
Sopitus iterùm, Chriſtianum iam gregis,
Demoritur infans, calcúmque init demum.

CAPVT XX.

Puer diu amiſſus, & in voragine mortuus repertus, item vitam recuperat.

E CANTIPRATVM pagus eſt in Cameracenſi tractu, atque ibidem religioſorum cœtus cum Abbate. Vir inhabitabat, cui nomen *Ioannes Bidaus*, Anno ∞. CCCC. XXVII. atque illi puer bimulus, nomine *Martinus*. Dies Dominicus erat, & vir cum vxore manè ſacris operaturi, Chriſtiano more, ad templum eunt. Emanent, & alibi apud amicos prandent: nec niſi à meridie, ſecundâ horâ, domum remeant. Statim prolem ſuam oculis & affectu requirunt (nouimus parentes:) non reperiunt. Quærunt in viciniâ, & ab ipſis vicinis, ſiquis vidiſſet? negare omnes, pater percelli: & rogare igitur ſeſe in quærendo adiuuent, ſicubi fortè puer (nec longè tantillus poterat) aberraſſet. Eunt, reliquum diem illum & totam noctem quæſitioni donant, ad-

[A] dunt diem alterum in veſperam. Tunc vicini deſperantes inuenire, & bonâ fide alibi periiſſe arbitrati, patri Vale dicunt, & vt idem filiolo faciat, ſuadent. Domum quiſque ſuam redeunt; etiam pater ad mœſtam vxorem, eò vterque mœſtior, quòd frigidiſſima fortè tunc aura erat, nec tenellus puer ſub dio ſicubi eſſet, poſſet ſubſiſtere. In hoc doloris æſtu ad diuam Virginem, quæ Hallis colitur, animum & preces pater vertit, & votum peregrinationis addit. Statim in ſomnum ſoluitur, & viſo monetur quærere etiam puerum, certò inueniendum. Luce ortâ vicinos iterùm adit, & rogat ſecum eamdem operam dare. Haud facilè inducuntur, &, *Irritam*, aiunt, *ſpem foues. nonne biduum iam penè quæſiuimus? inuentus eſſet, ſi eſſet.* [B] Tamen inſtantem ſequuntur, & omnes agros, dumeta, foſſas ſcrutantur: donec ſub ipſam meridiem ad voraginem aliquam, limo & aquis obſitam, ventum. Pater inſtinctu aliquo interno, *Et hic*, ait, *perquiramus.* Illi negare puerum eò pedes tuliſſe, quò ægrè ipſi poſſent. Eunt tamen. ecce iacentem, & cœno atque aquis obrutum, reperiunt. Triſte ſpectaculum. nec audent tollere: nam ſponte aut caſu mortuos tangere, niſi iudice permittente, non licet. Ille igitur aduocatur, venit, indulget: puerum deinde ad templum deferunt, mox, vt putabant, terræ dandum. Sed patrem ſpes non deſerit, & Diua Virgo excitat, atque internum robur addit. [C] In altari igitur prolem collocat, ante ipſam Diuæ illius ibi imaginem: & prolapſus in genua, calidis precibus lacrimiſque opem poſcit. Adſtabat turba hominum, ipſe Abbas Cantipratanus *Nicolaus*, & puer (ô mirum!) ſtatim vitam & vocem recipit, ſurgit, cum patre domum, cum eodem mox Hallas venit, gratias acturi, & laudes Diuæ meritiſſimò propagaturi.

vij. Martij.

CAP. XXI.

Mira, mira, de puero item reſuſcitato, aut ſub terris ſeruato, non ſine aliis ſtupendis.

Anno ꝏ. cccc. xxviii.

[D] QVID iam narrabo? iterùm tale, ſed quod plura miracula in vno continet: & quod diuinæ benignitatis & potentiæ totum fontem manat atque oſtendit. Aſſurge anime & ſtile, & maiori quodam ore hoc effer: & vt poſſim, tu Diua manum moue, & mentem inſpira. *Sancti Hilarij* vicus eſt minùs nobilis, iuxta Cameracum nobiliſſimum oppidum. eius incola *Stephanus Morelius* fuit, cui vxor *Firmina*. & hæc prolem ei non prolem peperit, anno ꝏ. cccc. xxviii. Mortua enim erat, & obſtetrix ac fœminæ omnes, quæ partioni interfuerant, ita iudicabant: idque exploratò, cùm lauiſſent, fouiſſent, igni, experiendæ aut eliciendæ vitæ, admouiſſent. Puer igitur in terrâ communi & profanâ, de more, ſepelitur: & [E] alij quidem curam aut cogitationem eius vnà deponunt. At non mater, cui duplex luctus, & à morte prolis, & à tali morte, quòd nondum conſors & particeps diuini baptiſmi & lauacri fuiſſet. Itaque plangere, & ſe affligere: & tamen ſpem vel fiduciam in Diuâ Virgine ponere, eò magis quòd ſolita eſſet annuâ peregrinatione eam colere, & Hallas venire, ac ſtatuam piè caſtéque venerari. Vota igitur facit, iterátque de die in diem, & contra ordinem rerum vel naturam pugnat, vſque ad diem quintumdecimum à prolis ſuæ morte. Etiam fidentior eſſe, at palàm affirmare illam viuere: gnatam certámque ſe factam ex viſo nocturno, quod ſæpius eueniſſet. Mulieres denique adminiſtras importuna vrget ac propellit ad hortum ire, vnà cum patre Stephano, & puerum terrâ iam tot dies conditum contemplari, & arbitrari ecquid eius rei eſſet. Refodiunt tres pedes circiter defoſſum puerum, terrâ etiam ſupernè pedibus inculcatâ: vident ipſum & miraculum, pulchellum, viuidum, & roſæ inſtar, quod dicitur, rubentem. Nulla nota mortis in corpore, ne noxa quidem, niſi quòd maxilla altera terræ aggeſtu & impreſſione attrita leniter eſſet. Mirantur trepido gaudio, nec audent tamen tollere: quippe iamdiu mortuum: & contra calumniam omnem, ad Paſtorem ſuum eunt. Ille venit. ipſe quoque ſtat attonitus, & ſigna vitæ palàm videt: ſuadet, quoniam in Diuæ Virginis patrocinio puer eſſet, deferri ad proximum pagũ *Vertenguelium*, qui frequentior erat, & vbi ea colebatur. Eunt, obſtetrix, fœminæ, magnâ pompâ: & quia dies inclinabat, & pagus ſecundo lapide aberat, prouida mater ſacratæ cãdelæ cereæ partem donat, quæ in laternâ præluceret. Mirum hîc alterum. cùm lento paſſu irẽt, vt amat hic ſexus, pars illa cerei, cuius modulus ſeſquipalmis erat, non defecit, ne minuit quidem: & perſeuerauit ardere ac lucere à ſextâ veſpertinâ ad lucem ſequentis diei, ſine vllâ, vt dixi, diminutione. Mirum tertium. via anterior, quam inibant & petebant, tota illuſtris, inſtar diei erat; ſtatim ab agmine, tenebræ & nox excipiebant. Iam in propinquo *Vertenguelij* erant, & de Paſtore audiunt non eſſe inibi, ſed in arce aliquâ (*Vertainum* ei nomen) cum Præfecto, viro nobili, conuiuari. Ergo pater Stephanus, cum æditui S. Hilarij vxore, quæ comes hæſerat, illuc celeri pede eunt. reperiunt arcem ſub tẽpus prandij clauſam, pulſant, repulſant: nemo audit, vel admittit. Quid tamen? ſpõte (quartum miraculum obſerua) dum adſtant, portula maiori portę (vt fit in arcibus) inſerta, ſpõte aperitur, dat aditum: ineunt, & ad alteram portam accedũt. Pulſant item, & nemine conſpecto portula aperitur: pergũt ad tertiam, fit idem. Veniũt igitur ignaris omnibus in cœnaculum: *Henricus Dammanus*, præfectus arcis, inclamat, *Quis intromiſiſſet? & ſocios, an hoſtes?* Imò exſilit, & ianitore conſpecto gladium educens, in eum ingruit: Et *Sceleſte*, inquit, *vbi fides?* Ille excuſare & deprecari, ſedulò ſe portas omnes clauſiſſe neque recluſiſſe, & teſtem filiam Præfecti, quæ adfuerat, dare. Admiratio in locum iræ ſuccedit, & videt imbellem manum, & hoſtile nihil eſſe. Itaq; preces admiſſi exponũt, & Paſtorem poſcere, vt *Vertenguelij* talem puerum (rei ordinem breuiter addũt) velit ſacro fonte ablutum, Chriſti numeris adſcribere. Surgit nquirare hac & illâ attonitus, & comitantur eum, è conuiuio, viri fœminæque ad viginti. Ipſe Præfectus equum inſterni iubet, & conſcenſo, cum quinque comitibus eodem intendit. Vocatâ autem virgine filiâ, portas maiores aperiri illicò iubet: fruſtrà, iam ſponte omnes reſerauerãt; aut vt veriùs dicam, Virgo illa Mater aperuerat. Ipſe ſigno crucis identidem ſe ſignare, & tamen pergere, donec ad templum cum Paſtore aduenirẽt. Ibi puer, omnibus cõſpicuus, ſigna vitæ clara mittit, ſanguinẽ ſtillat è naribus, os aperit clauditque, idẽ in oculis, & denique gemit etiam ac lacrimatur; & veris quidem grãdibuſque lacrimis, & quas detergere linteo & excipere licebat. Ergo baptiſmum Paſtor, incoràm omnibus (ad ſeptuaginta hominũ erant) indulget: & vixit puer quinque horas circiter, in arâ Beatę Virginis reclinat⁹. ac mox (quintum miraculum) inſtar niuis viſus palàm liqueſcere & tabeſcere, & ſic ad mortem ire. Terræ igitur ibi ſacræ mãdatur: & ſextum miraculum addam? poſſum.

Firmina mater abſens & in lecto, ipſâ illâ horâ, ſenſit mammas ſibi areſcere, anteà lactantes, & quas nullâ arte donec puer baptiſmo tinctus & verè mortuus eſſet (vide ſympathiam) potuit areſacere aut exſiccare. Huic rei duo pagi, & tot homines teſtes: ô rei mirandæ! & quid omnis calumnia vel impudentia hæc contra poſſit? *Ego verò te Diua veneror ſupplex, atque innoco: quæ puerum à morte ad vitam, donec in veram vitam ſurgeret, reduxiſti: nos quoque benigna intuere & effice, vt momentaneâ hac vitâ functi ad illam æternam, te duce & directore, veniamus: quod per illum, quem genuiſti, te quæ genuiſti precamur, ô* DIVA DIVARVM.

CAPVT XXII.

Innocens mirabiliter à laqueo liberatus.

SEd ad alia imus: & omne genus auxilij *Miſericordiæ matrem*, vt Eccleſia appellat, in omni genere miſeriarum oſtendemus attuliſſe. *Auenna* in finibus Hannoniæ & Picardię opidum eſt, Ducibus Arſchotanis iure & mancipio ſubditum: vſu tamen, & tranſactione aliquâ, Principum Belgicæ factum, vt præſidia locare, munire & tueri faciliùs, pro ſuo arbitratu poſſent. Quid hîc mirandum euenerit, iam dicam. Erat *Ioannes* quidam *Sampenoius* Gallus natione, ex opidulo *Aſpernaco* in Campaniâ, opinor. Is pietate motus, Hallas ad viſendam Virginem affectabat: & in viâ duos comites (heu, parùm fidos!) reperit, *Nicolaum Barenium*, & *Petrum Normannum*. Illi benigne appellare, & *Quo iter? In Belgicam. Nos vnà: te pietas, nos lucellum trahit, & mercatores ſumus.* Auennas iuncti veniunt. ſtatim miſſi è Galliâ ſuperueniunt, qui duos illos furti & rapinarum nimis ex vero arguunt: atque illi duo iam capti iſtum, falsò. Fatentur in tormentis, quattuor argenteas pateras ſe furto abſtuliſſe, vendidiſſe, & trientem pecuniæ huius Ioanni ceſſiſſe. Amplius, tres alias in opido S. Maxentij, partitione eadem facta. Denique, præter hæc atque alia furta, cædem patraſſe innoxij viatoris: & ſuius quoque conſcium atque adiuuam Ioannem fuiſſe. Itaque ille in iiſdem vinculis & cuſtodiâ habetur: & *Nicolaus* iam eductus, & cruci admotus, in eaque ſuſpendendus, religione tactus liberat culpæ omnis Ioannem, & reuocat quidquid accuſarat. At ret *Petrus* contrà, & palàm iterumque aſſerit, & in extremis fallere ſe Deum hominéſque negat: *Ioannem* conſortem facinorum illorum verè eſſe. Hîc Prætor nihil vltrà ambigere, & Ioannem eôdem adigere: & tamen quia innoxium ſe proclamabat, populum hortari vt ſacrificio Miſſæ intereſſe vellent, in gratiam veniámque criminum morituri. At Ioannes, *Imo potiùs, ô Prætor*, inquit, *Dominicam orationem & Angelicam ſalutationem ſinguli recitent, honori Beatæ Virginis Hallenſis, ad quam ibam. Et quoniam in innocentiâ parùm præſidij eſt, ad illam appello, ea me tueatur.* Poſt dicta, carnifex hominem cruci applicat, laqueo illigat, ſcalis deiicit: & ille viuere perſeuerat, quod alij mirantur, carnifex indignatur. Itaque funem trahere, & ſtringere, genibus niti ſuper eum & premere, omnia facere, quæ accelerandæ morti eſſent. At ille tamen viuere: & palàm videre (poſteà faſſus eſt) pulchra & auguſtâ facie fœminam à tergo ſibi ſtantem, quæ amplecteretur & circumdaret, velut in tutelam ſuam receptum. Hora ampliùs ſic exigitur: atque ecce demirantibus ſuperuenit in equo vir nobilis *Ioannes Sellius*, omnibus ibi à virtute, ſtirpe, & opibus notus. Is ad Prætorem, *Domine*, inquit, *precibus à te poſco, hunc innoxium hominem mihi dones, aut potiùs Beatæ Virgini, cuius nomine & monitu huc veni.* Ille impellitur, iam antè inclinatus: & ſolui iubet, ac ſibi habere. Accedit Sampenoius ad ſuum ſeruatorem, grates gratias agit: ille à ſe abdicat, & *ad Diuam*, inquit, *Hallenſem perge, cui promiſeras, auctorem tuæ ſalutis agnoſcere, & meam ab illâ depoſcere.* Nos quoque facimus, *ô clemens, ô pia: & vt hunc innocentem laqueo mortis exuiſti, ſic nos nocentes, & vitiis illigatos abſolue, & ad beata tecum regna perduce.*

Ann. ∞ CCCC.V.

CAPVT XXIII.

Captiuus in vltimâ Galliâ è carcere, ad inſtar Diui Petri, eductus.

GVilhelmus *Moſterius*, Picardus gente, non bonâ ſuâ ſorte in Pictoniæ fines venit, negotij cauſâ. Bellum autem eâ tempeſtate Anglis cum Gallis vetus & diuturnum erat, manebátque, rege tunc Galliæ *Carolo Septimo*. Incidit igitur in Anglorum manus, & captiuus abducitur in opidum S^ti^ Michaëlis, ac decem circiter menſes detinetur. Detinetur. nam redimias, quas ab eo poſcebant, octoginta aureorum, homo fortunæ modicus expedire non poterat, neque ſpes erat. Sed nec fraude aut vi euadendi: quoniam in puteum profundum demiſerant, atque ibidem pede vtroque firmiter boijs illigatum habebãt. Dum igitur mœſtus & anxius iacet, ac fortè panis fruſtum comedit, quod ſupernè deiecerant: mentem ei tetigit memoria & affectus erga Diuam Hallenſem Virginem, cuius nomen & cultus tum in Picardiâ frequens etiam erat. Itaque toto corde eam inuocat, & à ſqualore, pædore, ac tenebris illis, liberari ope eius optat. Preces vix fuderat, ſomnus eum molliter amplectitur, & manè cùm expergiſcitur (res ipſi & nobis ſtupenda) videt ſe liberum à vinculis & carcere, & tribus adeò milliaribus ab ipſo opido S^ti^ Michaëlis abiunctum. Dum miratur, gaudet, & vix credit: ecce Angli equites adueniunt, præfectorum & nobilium aliqua manus. Hominem iacentem in agro vident, & ipſi quoque mirati, accedunt. Erat inter eos centurio, *Tournebolius* nomine, qui agnoſcit: & *Túne captiuus ille noſter es? vnde huc? qua vi, fraude, arte?* Guilhelmus ex gaudio iterùm confuſus: *Domine vera audi*, inquit. *Nec fraus, nec vis mea aut aliena, huc adduxit, & arctâ cuſtodiâ (noſti ipſe) eduxit. Diuæ Virginis hoc totum eſt, ad quam preces equidem fudi, & illa ignarum ac dormientem huc tranſuexit. Rem vides, crede, & cœleſti beneficio tu quoque ſuffragator accede.* Tetigit hominem religio, itémque alios; dimittunt, re tamen exploratâ: atque diploma, quò ſecurior tranſeat, donant, eóque miraculum conſignant, cuius ſe auctores & teſtes profitentur. Id ipſe Moſterius Hallas ſecum tulit, atque ibi liberatricem Diuam meritò eſt veneratus.

CAPVT XXIV.

Mulier ſub rotâ molari mirificè ſeruata.

MOlitor erat, *Ioannes Maſſardus*, iuxta Abbatiam Lobienſem in Hannoniâ, cui vxor *Catharina*, eáque fœtu granida, & menſibus vtero legitimis ferè iam exactis. Molitor iſte idem lignarius faber erat: itaque per eam cauſſam fortè egreſſus, molam & domum vxori commendat. Vxor ſedulò officium factura, rotam molarem cenſet ſat dioſcnlè volui, atque aquæ inopem eſſe. Venit igitur, repagulum ligneum leuatura, & flumen vberiùs admiſſura. Sed dum conatur, tabula ſiue ponticulus cui inſiſtit, frangitur: atque in aquam ea, & ſub ipſam rotam

lapſa hæret. Nam rota liberam volutionem non habere, & ipſa identidem à rotâ premi; atque ita tum aquis mergi, tum pondere ſimul cum fœtu ſuo allidi. Semihoram ampliùs ſic iacet. ſed initio lapſus Diuam Virginem Hallis in mente habet, atque inuocat: quæ palàm à duplici periculo, & merſionis & oppreſſionis, ſeruat. Nam maritus tandem ſuperuenit, & miratur molam ſiſtere, nec circumagi, vxorem etiam requirit: cùm ecce eam ſub molâ adflictam videt, & conſternatus, *Opem, Opem* clamat. Accurrunt vicini, inter eos Prætor & religioſi etiam aliquot Lobienſes: mulierem ægrè ſubtrahunt, certò non arbitrati mortuam, vt cenſebant. At illa viuam & ſanam ſe exhibet, *Sanctam Mariam* in ore ingeminans, eiúſque præſidio tutam ſe coram omnibus teſtata. Poſt dies etiam aliquot pulchrum puerum parit, qui dies duodecim ſuperuixit. quod omnes iure mirabantur, tanto illo rotæ pondere ne fœtum quidem non dicam eliſum, ſed læſum.

CAPVT XXV.

Sartor, qui acum temerè in os immiſerat, & porrò demiſerat, liber ab eá redditus.

∞.CCCC.L. TEneramundæ in Flandriâ ad Scaldim flumen ſartor opificio fuit, cui nomen *Bartholomæus Broecus*. Is cùm panni aliquid ſuiſſet, ſurgit & veſtem nouam parat ſcindere. Acum igitur cum filo in os accipit, vt liberas manus haberet: & dum operi totus intendit, acus inſertæ oblitus, eam cum filamento demittit & deglutit. Poſt factum ſentit, & ſtat attonitus: ad vxorem deinde abiens, *Perij ô mea*, inquit, ac caſum narrat. Illa vnà lamentari, & ad vicinos, deinde cognatos & medicos ire, opem ab omnibus aut conſilium poſcere. Multa dicuntur, & fiunt, fruſtra omnis conatus eſt, & dies ipſos quattuor acum in corpore circumfert. Venit denique Mechliniam, vbi fratrem habebat rei medicinæ deditum: conſulit & iſtum & alios. purgant & medicantur: ſed acum hanc inter eiectamenta nuſquam vident. Fortè dies Sabbathi erat, & conuiuiolum aliquod Medicus inſtituerat, fratri recreando. Producunt id hilariter, & more noſtræ gentis, in veſperam. Ecce autem æs campanum ſonat, & Medicus ad templum ire ſe iuſſit, ad Diuæ Virginis eo die ſollennes laudes. Alij tamen reſident: ipſe Bartholomæus; cui vultus quàm animus hilarior, ſurgit & ad ignem ſolus adſtat meditabundus. Incidit cogitatio, quoniam frater de Sacrâ Virgine, illius inclytæ Hallenſis: & ſtatim animum eò mittit, & corpore vouet ſecuturum, ſi eius ope ſit ſaluus. Vix dixerat, ſentit in dentibus aliquid volui & implicari: digitos immittit, acum vnà cum filo educit. Lætus fratrem reuerſum lætificat, miraculum oſtendit potiùs quàm narrat, & fidem à re facit.

CAPVT XXVI.

Oculus ex ictu ſaucius ſtatim ſaneſcit.

Ann. ∞.CCCC.XLIII. IN pago Wachalio, apud Inſulas Flandriæ, *Ioannes Cunellerius* fuit, qui binos habebat ſequioris ſexus liberos, paruos, tenellos, vix benè adhuc fantes: & triennium maior natu nondum attigerat. Dum ludunt, abſente vtroque parente, minor cultrum reperit, & manu cum verſat: maiuſcula videt, & verita noxam, eripere conatur, eripítque. ſed tantâ vi (alterâ ſcilicet renitente) vt ſibi ipſa improuidè cultri aciem in oculum demerſerit, & pupillam ipſam perfoderit, valido ictu. Clamores, & fletus. parentes audiunt, accurrunt: quid conſilij? quod bonus Genius Ioanni iniecit. inuocat ſtatim *Diuam Hallenſem*, promittu ſuum & filiæ illuc iter & piam inuiſionem, ſi reciperet viſionem. O bonitas, ô potentia! non alio remedio ſaneſcit mox puella, & cum parentibus viciniſque (qui atteſtati) Hallas venit.

CAPVT XXVII.

Bauarus nobilis in naui à morte eripitur, & item Hallas venit.

∞.CCCC.XLII. VIr nobilis erat è terrâ Bauariâ, Monachio oriundus, qui religione motus in Iudæam, & loca Seruatori noſtro calcata, & ſanguine ſacro reſperſa, iuit. Peruênit, & redibat. ſed in viâ cùm in naui, mari Ionio, ferretur, acer eum morbus inuaſit, & ad extremas Fati lineas admouit. Nauticum genus ſatis aſperum, neque ægris aut languidis amicum, hominem in imam cauernam & angulum aliquem nauis detrudunt. Ingraueſcit ibi magis morbus, & iam in eo erat vt deſperatus in mare abiiceretur, piſcium & belluarum eſca. Sênſit & doluit alius è Belgicâ noſtrâ vir nobilis in eâdem naui vector. is ad hominem accedit, linguæ iam impotem, mentis vix compotem: ſolatur tamen & erigit verbis, quà poteſt: & inter alia dicit, *Diuam Virginem Hallis coli, inſignem beneficiis, & velut publicam miſerorum tutelam: ſuadet ad hanc aram confugiat, & quoniam linguâ nuncupare preces aut vota non poſſit, corde faciat: confidere ſe de præſenti auxilio & ſalute.* Homo intelligit, arripit: etſi antea fama nulla eius patrocinij ad aures eius veniſſet. Tamen è cordis penetrali ſuſpiria & preces ad eam mittit: & ipſo tempore videt agmen varium & miſcellum Geniorum malorū ſuper nauim volitare: & ſimul auguſtâ formâ fœminam ante ſe ſtare, quæ prolem in brachio, & manu alterâ cereum ardentem præferret. Ea vix comparuit, cùm Genialis illa turba diſparuit: & hanc adorans, ac pacem veniamque ab eâ precatus, mox ſentit vires reſtitui, ſermonem & valetudinem veterem redire. Quod ipſe gauiſus, alij mirati ſunt, in tam ſubitâ mutatione. Ac cùm deinde patriam attigiſſet, nihil prius habuit, quàm ad Seruatricem ſuam venire: quod non ſine inſigni teſtimonio pietatis fecit. Nam ipſe cum famulo totum illud iter, quàm lata pænè Germania eſt, nudipes confecit: iterúmque eo habitu repedauit. En religioſum in Bauarâ pectus! neque nunc deſunt priſci & puri illîc cultores, præeuntibus Principibus, quos fulcrum & exemplum appellare licet auitæ pietatis.

CAPVT XXVIII.

Auriga cum carro, & ipſe ſub eo in aquam lapſus, vitâ donatur.

∞.CCCC.XLII. IN Gallicâ Brabantiâ erat auriga quidam, qui merces pretio vectitare ſolitus in biroto curro, quem *Carrum* nos appellamus. Fors fuit, vt ſalem veheret, venitque ad *Longcampium* pagum, vbi flumen ponte tranſmittendum erat. Cùm ſuper ipſum medium eſt pôtem, malâ ſorte carrus euertitur, & in aquam ſubiectam cadit. Peior etiā ſorte ipſe auriga, qui ſiſtere nitebatur, ſub illū. Ergo ipſe equus, carrus, iacent: & ecce, quod Deus voluit, puella aliqua vidit, quæ Suppetiatum inclamauit, & vicinos exciuit. Sed mora longiuſcula interpoſita, priuſquā concurrerēt, & iuſta manus eſſent ad ſubleuandum. Prætor denique & alij adſunt, carrum primò attollunt, & ſub eo

inopinatò

A inopinatò hominem vident, leuántque. Quem illi nihil ambigẽtes mortuum & ſuffocatum, quà aquis, quà onere eſſe, ad domum tamen Prætoris deferunt, longulè diſſitam, & veſtibus ibi ſpoliant nihil ſentientem. Atque adeò vitæ nulla ſigna edebat, non motum, non ſuſpirium, non halitum: cùm vnus alterve è turbâ, piâ miſeratione hominem Diuæ Virgini noſtræ offerunt, & vota pro eo interponunt. Cordi etiam alteua pietas fuit: & ſtatim ſui compos, mali omnis expers redditur; ſtetitque intuens intuentes. Ac poſt breuem deinde pauſam cætrum repetit, & viam ſuam porrò pergit. Sed oneris eius liber, religione etiam animum expedit, & Diuam ipſam in loco ſalutatum venit, & de beneficio grates laudéſque dictum.

B

CAPVT XXIX.

Multiplex tutela cuiuſdam militaris viri, in pugnâ, & poſt pugnam.

Ann. ∞. cccc. xliii.

COmes fani S^ti Paulli, nobile & notum nomen eſt in illâ & noſtrâ Galliâ. Is, cùm bella feruerent inter Anglos Gallóſque variâ ſorte, & factionibus alita gangræna hæc mali, membra pænè omnia florentiſſimi regni peruaderet: fors fuit vt ipſe in arce *Carteleriâ* eſſet, tractu Picardiæ, illinc ad Delphinum iturus, qui Compendij agebat. Ecce præmittit manè (dies Sabbathi erat) metatorem ſuum, coquum, & diſpenſatorem, vt parata omnia in diuerſorio Compendij reperiret. At illi leuiter progreſſi, hoſtium aliquam manum vident (ad LX. aut LXX. erant) qui in C ſubiectis prans pecudes rapiebant agebántque, & ſiquid aliud in agris eſſet. Remeant igitur trepidi, domino nunciatum: & *Hoſtes*, & *Ad arma*, clamant. Comes vir magni animi erat, nec talium expers: inuocat ſuos, *arma & equos expedirent, ſequerentur, ſiquis fidem & ſe amaret.* Simul ipſe in equum, abit, aſſequitur: & vnà cum ipſo fidus famulorum, *Ioannes Gertrudanus* nomine, qui ſemiermis, vt feſtinatio erat, comitabatur. Idem aliquot alij, ſinguli aut bini aduenientes: qui omnes tamen iuncti vix octoginta, nec ab armis inſtructi ſatis erant. At hoſtes, qui in ſubſidio fuerant, iam conſpicui, & primis illis iuncti, facilè ad *mille quingentos* accedebant. *Ioannes*, quem dixi, aduertit, & dominum iræ propetum, & animi nimium, D *abire & ſibi conſulere* hortatur: *nos intereà*, inquit, *viliter manus propugnabimus, & tutum tibi receptum reddemus.* Non mouetur dominus, pugnat: ſed ante eum *Ioãnes*. qui ſtatim duplici ſagittâ balliſtariâ brachium traiicitur: & herum eùm reſpicit iterùm moniturus, tertia collum ei trãſit. Tum denique, *Domine*, inquit, (ô amor, ô fides!) *conſule tuæ vitæ: nam de meâ quidem eſt actum.* Et cum dicto ex equo delabitur: Comes atque alij in vicinum opidulum fugâ delati ſeruantur. Sed Comitem mæror tetigit, amiſſu, vt putabat, tam fido miniſtro: ſed quem Dei & Diuæ benignitas incolumem, præter opinionem, & pænè fidem, reddidit. Nam dum ibi iacet inter viros equóſque, Diua Hallenſis ei in mente atque ore eſt, & quæ tam mul- E tis cottidie auxilium eſſet, vt ſibi in hoc diſcrimine, precatur. Auditus eſt. & ſimul manibus genibuſque nixus, prorepſit in viam proximam, ac viribus defectus ibi hæſit. Nondum finis. mala accumulantur, vt remedia creſcant; & diſcrimina iterantur, vt ſalutaris illa vis magis inclareſcat. Tres ex hoſtibus ſeorſum adueniunt, ſcrutaturi omnia, & prædam, vt fit, quærentes. miſerum hunc vident, accedunt, pecuniam, anulos, veſtem tollunt: ſublatiſque, gladio exſerto vnus caput illi findit. Ne ſic quidem moritur, ſed MARIAM identidem ingeminat, & in eius ac Diuæ *Barbaræ* honorem, vt ſas ſibi ſit peccata apud ſacerdotem expiandi, precatur. Tangit etiam duros animos, Diuâ faciente, pietas. permittunt, imò & operam promittunt: atque ecce ruſticanum ſacerdotem per viam fortè euntem vident, aduocant, & homini admouent. Expectant vt finiat, & tum illi quoque dent ſuum finem. nam occidere nihilo ſeciùs hominem deſtinatum erat. Sacerdote igitur etiam adſtante, vnus eorum mucronem gladij, vt cenſebat, in gutture eius defigit: Diua auertit: & ſubuculam eius modò ſcindit. Sacerdos intereà deprecari, & mitigare: exorat tandem, & recedunt. atque ipſe ſic ſaucium in proximum quoddam horreum partim ducit, partim trahit, & vulnera eius, vt copia erat, obligat. At ecce noua hoſtium manus, inter quos Duces ipſi & honeſtiores militum erant. eorum metu ſacerdos fugere, *Ioannes* conſpectis iis veniam vitámque petere: & facilè impetrat ab animis nobilioribus, & quos honor & humanitas non prorſus reliquiſſent. Sed enim diſceſſu iſtorum, tres illi ſicarij, immani ſæuitiâ, iterum redeunt: & cùm viuere vidẽt, gladium vnus ſtrictum viribus in caput librat; ſed Diuâ, quam inclamabat, ictum moderante, humerum modò attigit, & leuiter etiam ſtrinxit. Conſilium deinde capiunt in flumen cadauer (pro tali habebant) abiiciendi, quod faciunt, & ſanguine manãtem ferociter eò trahunt. quo tempore viſa illi palàm adſtare Diua Virgo, quæ ſolamen & iuuamen benignè promitteret: conſilium etiam daret, vt mortuum ſe gereret & ſimularet. Pa- ret. illi autem è ripâ in flumen deuoluunt: atque vnus haſtâ etiam petit, vt ſi quid fortè reliqui ſpiritus aut vitæ eſſet, educeret. Sed Diua & hunc ictum irritum facit, & clientem ſuum in inſulã modicam peruehit, limoſam, & leuiter flumine exſtantem. Ibi confectus nouem plagis grandioribus, aquis refrigeratus, ad horas ferè tres iacet, erigere aut mouere ſe impotens: cùm ſacerdos, apud quem culpas ſuas faſſus erat, miſeratione impulſus redit, & eum quærit, & ſanguinis veſtigia ſecutus ad flumen denique venit. Ibi non reperto, percellitur & merſũ omnino cenſet: cùm ecce oculos longiùs & intentiùs permittens, videre in limo illo inſulæ viſus effigiem hominis. Neque certus tamen, homo an ludibriũ Genij eſſet, cruce ſe ſignat, & altè inclamat, *Adiuro te, ſi homo & Chriſtianus es, ſignum aut vocem ede.* Ioannes audit, & manum attollit. Sacerdos audacter in aquam inſilit, & collo tenus madidatus ad eum penadit. Erigit, & in ſiccum, quantum poteſt, perducit: curſu inde in opidulum propinquum fertur, vehiculum & homines adducit miſero huic ſubleuãdo. Qui inibi curatus, poſt paucas etiam ſeptimanas Hallas venit, Diuæ præco, & omnibus narrabat quæ vix ipſe, niſi ſibi, credidiſſet.

CAPVT XXX.

E carcere vir nobilis liberatur, & Hallas porrò ducitur.

PHilippus Clinius cognomento, quia ex illuſtri eâ gente originem, ſed naturâ non lege ducebat, in opido Burgundiæ claro & noto Diuione agebat. Militiã ſectabatur: neque ea proſpera illi tum fuit. Nam captus à Gallis, abductus *Vaucolorium* fuit, ad Lotharingiæ fines, & turri præaltæ creditus, quæ cubitos LXXX ſupra terram eminebat. Petitum ab eo lutrum ſiue redemptionis pretium, vt à viro nobili, *quingenti aurei.* Nimium quantum ei viſum, pro fortunâ & opibus: itaque æger animi mærebat, & corpore etiam languebat. Die quadam ſub meridiem cibus ei adfertur, non ſumit, ſed ſomnus eum ſtatim occupat:

& dormit in ſequentis diei alterum meridiem, dormiíſétque etiam (ſedens & in vinculis) niſi cuſtos excitaſſet, & ad cibum inuitaſſet: At ille ſpreuit, neque cupido erat: ita toto animo agitabat & defixus hærebat in viſo, quod per ſomnum erat obiectum. Id tale. Videbatur Hallis eſſe, & iacere in ipſis gradibus ſacelli, quod Diuæ Virgini eſt ſacratum. Ibi preces fundebat, coram eius imagine: atque ea ſolari, & animos addere, vt breui liberando. Hoc ſomnium, dico, cùm ſuauiter menti obuerſaretur: cuſtodis abſceſſu in genua voluitur, & illam ipſam Diuam precatur, ratum firmúmque id velit eſſe. Spei impletur, & os arripit è carne bubulâ, quæ eſui anteposita erat, eóque velut limâ vſus (ah ſtulte, non ſtulte, quid facis? oſſe ferrum ſecas?) vſus, inquam, ſtatim numellas ferreas, quibus ceruix adſtricta, decidere videt fractas. Idem in manicis, idem in compedibus. Et iam vinculis omnibus liber, fune quem è lineis laneiſque veſtibus ſuis fecerat, è feneſtrâ ſe demittit. Sed turris, vt dixi, præalta erat, nec funis ſatis competebat: tamen fiduciâ diuini auxilij pergit demittere, & illæſus in terram ſaltu fertur. Iterùm hîc miraculum. Fugit in proximam ſiluam, & metu perquiſitorum diem totum latet: idem altero tertióque facit, & noctes ſaltem itineri impendit, idque ſine vllo cibo, aut etiam veſte. Diua tamē tuita eſt, ſanúmque perduxit Hallas tali illo habitu, id eſt nudum & ſqualentem.

CAPVT XXXI.

Cacula militaris à ſuſpendio liberatus, cùm Diuam inuocaſſet.

∞ DC. IV Kal. Sept.

QVod non pridem, nec procul euênit, incolis & accolis notum, Carmine complectamur.

Seditio militaris, heu, Belgas meos
Quoties malè habuit atque pænè perdidit!
Vel illa, quæ biennium ante, in oppido
WEARDTA coaluit, atque ibi fixit pedem.
Erant quaterna aut quina millia militum,
Erant calones, & mala manus, fœminæ.
Hi iúſque faſque, & imperantium iugum,
Etſi exuiſſent; attamen ſine legibus,
Aut ſpecie earum, haud agere poſſe ſe vident.
Statuta condunt ergo militariter,
Et maximè quæ commeatum tangerent:
Vt liber ille vbérque poſſet aduehi,
Aduectus vt vænire, ſciſcunt neminem
Diripere poſſe inempta, vel ſubducere
Colore nullo, niſi dati nummi forent.
Et quiſquis aliter, capital hoc ipſum foret.
Sciſcunt, & exſequuntur. ecce ſeruulos
Inter, *Ioannes*, gente Lucemburgius,
Haleca dum vult emere, itémque ſoluere;
Abripitur à premente turbâ, & in manu
Numos tamen reſeruat. iſtud conſpicit
Tubicina quidam, & incitante præmio
(Index ferebat quinquies quinque aureos)
Accuſat hunc apud Ducem, quem legerant.
Ille aduocare concionem, & dicere
Reum *Ioannem*, quid videtur? omnium
Vox vna, Lex ſeruetur, & pereat nocens.
Crux illicò ſtatuitur, & myſtæ duo
Sacri accientur, vt ſuas culpas piè
Piet Ioannes. qui tamen reſiſtere,
Et velle ſe purgare: fruſtrà, ita omnium
Aures ad innocentis occluſæ logos.
Ergo ille tollit lumina, & mentem ſimul
Ad alta. *Tu regina cælitum potens,*
Quæ cultum & ædem in oppido Hallenſi tenes,
Tuere me innocentium vindex ſolens.
Dixit, ſimúlque concipit fiduciam
Certam ſalutis. lictor abducit tamen,
Crucíque ſiſtit: tollit inde carnifex,
Adſtringit, & deuoluit. ille duplici
A fune dependebat, alter rumpere,
Altérque idem minatur. miraculum
Viſum omnibus, clamántque mitti innoxium.
Non mittit, imò carnifex magis premit
Manu genúque: donec vnus militum
Conſcendit, & funem alterum gladio ſecat.
Sic liber à gabalo Ioannes tunc abit,
Et vênit Hallas, votaque exſoluit Deæ.

CAPVT XXXII.

Religioſa virgo à Spaſmo ſtatim libera reddita.

Ann. ∞. IDCII.

VIrgo nobilis *Hadriana T'ſerarts*, filia *Lanceloti* Equitis, religioſam vitam profeſſa in Cænobio Vorſtenſi, quod lapide circiter vno à Bruxellâ diſtat, ipsâ viâ quâ Hallas itur, annum iam agebat alterum & vigeſimum, bonâ ætate & bonâ valetudine: donec inuaſit eam Spaſmus ſiue Conuulſio, graue malum & medicis deteſtatum, in brachio dextro. Id ita vehementer virginem adflixit, vt noctes dieſque ſomni ac quietis expers ageret: nec medicina aut chirurgia vlla, varia expertæ, ſubueniret. Quid facit? virgo virginem adſpicit: & ſpretis humanis remedijs animum, ſpem, preces ad illam vertit. Venit igitur ad Antiſtitam ſuam, quam Abbatiſſam vocamus: petit, *quoniam ipſa cænobij liminibus clauſa egredi per ſacramenti religionem non poſſet, vellet vnam aliquam ſufficere, quæ vicem ſuam ſacrâ legatione & precatione apud Diuam Hallenſem fungeretur, & ſalutem ab eâ corporis (quod ex ſalute tamen animæ eſſet) peteret, atque impetraret. Impetraret. nam ita animum ſibi dicere, & in Diuæ benignitate prorſus ſperare.* Antiſtita indulget libens, iubetque quæ donarium aliquod offerret, & ſimul auguſtum illud Sacrificium fieri, bono & voto illius ægræ, curaret. O mira, ſed vera! Ipſo tempore quo munus à fœminâ, quo ſacrificium à ſacerdote offertur; hæc Hadriana tum in templo, inter conſortes ſuas religioſas, ſentit brachium velut manu prehendi & premi: ac ſimul omnis conuulſio, tremor, dolor, abierunt, neque poſt eum diem vel indicium mali redijt, bonâ fide ab optimâ Diuâ deterſum.

CAPVT XXXIII.

Plura miracula, varij generis, varijs locis, è Tabellis aut inſcriptionibus collecta, & ſerie temporum digeſta.

ET quæ hactenus dedi, vnius ferè ſæculi ſunt (duo excipio) id eſt ab anno ∞. CCCC. aut circà, ad annum *quingenteſimum*, imò ad eum non pertingūt. Deinceps vſque ad hoc noſtrum æuum ferè ſilentium eſt, an non incuriâ, aut omiſſione eorum, qui Actis præfuerunt? Ego arbitror: ſiue etiam ſatietas eos cepit ſcribendi aut colligendi, cùm viderent Diuæ gloriam ſatis iam propagatam teſtatámque eſſe. Neque enim deſiiſſe miracula, vel hæc ætas dicit: in quâ paucis ab annis memorabilia euenêre: quę tamen non Actis comprehenſa, ſed Tabulis ferè votiuis ſignata, aut depicta, breuiter hîc cōmemorabo. ANNO ∞. IↃ. XXXV. quo tempore Carolus V. Imp. fortiter magis quàm feliciter Africam, & in eâ Algerium vrbem tentauit: fuit in expeditione *Ioannes Preſius*

cum

Digitized by Google

cum vxore, qui in reditu præſens vitæ periculum adiit, ipſâ naui, quâ vehebatur, euerſâ & merſâ: cùm ille Diuâ Hallenſi inclamarâ. teſtatur in Tabulâ incolumem ſeſe atque illam euaſiſſe: & nundum vltrà non addit.

Anno ꝏ. IƆ. LXIIII. Mantuæ Carpetanorum, quod Madritum hodie appellant, puella Aulam regiam cum parentibus ſecuta (ij autem Hallis oriundi erant) caſu è feneſtrâ ſublimi, & quadraginta ampliùs pedes altâ, decidit. Diuæ corde inuocatæ auxilio, immunis ab omni noxâ ſurrexit, vocem ſtatim emittens, *O Diua Parens me tuere.* Bona Virguncula, iam tuita erat: quid poſcis? agnoſce magis, quàm pete: ſed & hæc agnitio erat, ore faſſæ quod corde vouerat.

Anno ꝏ. IƆ. LXXI. Alfonſus Guſmannus Hiſpanus, domi nobilis, eiúſque filius, ille in gutture letale vulnus, hic in capite, exceperant; & à medicis deſperati ac relicti, ad Diuæ huius opem verſi, ſtatim eam ſenſerunt, & cum omnium admiratione intra paucos dies vtrumque vulnus conſanuit.

Anno ꝏ. IƆ. XCI. fuit vir nobilis Antuerpiæ (nomen verecundè ſilemus) qui fœdum & immane aliquid in ſe meditans. & animi impetu victus, fræna rationis excuſſerat: ſubitò ad Diuam ipſam ſeſe & preces conuertens, mirabili mutatione ſenſit refrigeratum pectus, & ſcelus quod amabat, deteſtari. Quo offenſus, qui prædæ iam imminebat, malus Genius, ex alto loco & ſeptemdecim gradibus ſcantili, hominem præcipitem dedit. ceciditque ſine noxâ corporis aut membrorum, pugione tantùm diffracto, quem ſceleris inſtrumentum geſtabat. Diuæ igitur huic gratus tabulam poſuit, obſcurum nec obſcurum rei monumentum.

Anno ꝏ. IƆ. XCIII. *Nicolaus Biatta*, inter Epirotarum equitum (qui laudem à tempore *Caſtriotæ* illius, vulgò *Scanderbegi*, equeſtris militiæ retinuerunt) inter equitum dico illorum vexillationes, & alæ vnius Præfectus, in Galliâ militabat *Carolo* Duci Mayennio, qui religionis cauſſam tueri cenſebatur. Cùm autem iuxta Cambreſium in pago aliquo cum Alâ ſuâ ſolus ageret, occaſio viſa Duci Longeuillio (is partes Henrici IIII. Regis ſequebatur) rei benè gerendæ, & hominis opprimendi. Itaque venit ſubitus, & inuadit eum cum ducentis circiter equitibus, quadringentis peditibus. Impar valde pugna, & vel numero vincitur: equus ſub eo confoditur, ipſe capitur, & vt bellis ciuilibus ſanguis magis quàm præda petitur, clamatum imperatúmque, *Occide.* Vulnus igitur in capite letale accipit, viginti in reliquo corpore plagas: & cùm in tanto diſcrimine Diuam hanc palàm inuocaſſet, re ſemimortuus, opinione mortuus relictus, incolumis tamen euaſit, & voti reus Hallas paullò pòſt venit, tabulâ rem & miraculum teſtatus.

Anno ꝏ. IƆ. XCV. *Antonius Chamberus* Anglus natione, vicarius Centuriæ Tribuni ſui *Stanley*: cùm Spadam in Eburonum tractu, ad laudatos illos & medicatos fontes veniſſet, fors fuit (memini, & pars periculi eram) vt Bataui trecenti equites inopinati aduenirent, multos opprimerent, & abducerent captiuos. Iſte in eorum medio tutus & intactus (dicámne & inconſpectus?) egit: ſolâ Diuâ hac Virgine, cui ſe deuouerat, velante, & per medios hoſtes eripiente. Senſit & faſſus eſt, & tabulâ ſcriptâ adfirmauit.

Anno ꝏ. IƆ. XCVII. *Stephanus Robinus*, Montibus Hannoniæ oriundus, rei & negotij cauſâ Luſitaniam cùm feliciter veniſſet, in reditu non eâdem fortunâ fuit. Tempeſtas occupat, & in medio mari nauim frangit, & vectorum pleroſque demergit. Ipſe in Diuâ Virgine fretus, tabulam arripit, & inter tenebras vaſtóſque fluctus, ſidere illo allucente ac dirigente, terram & vitam tenuit. Tabellam dedicauit, & breui narrationi ſubſcripſit: *Mirabilis eſt Deus in ſanctis ſuis.*

Anno ꝏ. IↃC. II. *Geryon Parmenterius*, nobilis vir & miles, in præſidio arcis Tornacenſis agebat, ſub Illmo *Philippo* Comite Solrano, virtutum & prudentiæ dotibus inſigni Principe. Improuidus, an feſtinus, decidit veſpere ſub horam octauam, denſis iam tenebris, Februario menſe, in ſubiectum arci flumen, magnum & rapidum, Scaldim. Ipſo caſu Virginem Hallenſem inclamat, & vota vouet: ſtatímque non auxilio ſolùm, ſed præſentiâ adeſt, vidétque coràm Diuam tali effigie, quâ in æde Hallenſi aræ ſuperſtat. Et quaſi manu ſentit ſubleuari ſe, & impelli ad ripam fluminis: vbi ſalicis ramum apprehendit; tenuítque firmiter, donec cymbâ ex alterâ ripæ parte appulsâ, in eam impoſitus liberatur. Hoc non ipſe magis, quàm vigiles omnes arcis teſtati ſunt, qui viderunt audierúntque.

Anno ꝏ. IↃC. III. quo hæc ſcribimus, vxor *Nicolai Langy* graui morbo detinebatur, depoſita & à medicorum ope abdicata. Decem horas pro mortuâ iacuit: cùm maritus vota noſtræ Diuæ fecit, factíſque vxor reuiguit, an reuixit? certè intra paucas horas plenè reualuit. Vterque Hallas venit, monumentum dedicauit. Plura liceat aggerere: ſed aut prioribus paria, quæ cum tædio iterentur: aut obſcura, id eſt, nec locis, nec temporibus, aut perſonis ſatis definita. Paſſim enim ibi ſcipiones, fulcra, mali aut tabulæ nauium, variæ hominum aut euentuum figuræ: quæ latam opem oſtendunt, ſed vt dixi, incertam, & narratu haud facilem. quoniam in re iſtâ ſacrorum nec libet, nec licet, ingenio indulgere, Superſedemus. & quidni ſatis ſint iſta, beneficentiæ & potentiæ eius aſſerendæ? ſed & pietati ac religioni in animis excitandæ, ſiqui ab vtraque ex profeſſo non ſint alieni.

CAPVT XXXIV.

Sodalitas Beatæ Virginis, & Principum aliquot inſcriptorum nomina: tum aliquid de Supplicatione.

TRanſeo ad Exempla eorum, qui eximiè in cultu & veneratione huius Diuæ dediti fuerunt. Ij quoque multi, & dignitate ac potentiâ inter Europæ primos. Fuit *Sodalitas antiquitùs inſtituta: & Codex aſſeruatur, in quem relati qui nomina dederunt. Plurimi vtriuſque ſexus ſunt: ſed ferè titulis, non proprijs ſuis nominibus inſigniti. in quo Actuarios equidem culpem. Scribuntur iſti, *Cæſar cum vxore & liberis. Rex Angliæ, cum vxore & liberis.* & conijcere licet, illum fuiſſe Maximilianum Auſtriacum, noſtrum: & hunc, Henricum Octauum, eidem Cæſari amicum. Eſt deinde *Dux Brabantiæ, Lotharingiæ, Lemburgi, cum vxore & liberis*: item *Dux Geldriæ & Iuliaci.* Etiam nominatim

Guilielmus ſenior, Comes Hannoniæ, & vxor.

Alius *Guilielmus Comes Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ, cum vxore & liberis.*

Albertus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, & Friſiæ, cum vxore & liberis.

Ludouicus, Comes Flandriæ, & vxor Margareta.

Fredericus, Dux Bauariæ.

Theodoricus, Comes Loſſenſis.

Guilielmus Flander, Comes Namurcenſis, Bethuniæ Dominus cum Ioannâ vxore.

Multi alij, Principes, Antiſtites, Nobiles, Priuati, Plebeij: quos ſine fructu, aut oblectatione, nominemus. Illud addo, aliam velut Sodalitatem eſſe eorum, qui Diuam Virginem ſollenni *Supplicationis* die inuiſunt, & dona publicè ei ferunt, atque ipſam adeò ferunt. Res explicanda eſt. Sunt duodecim partim Opida, partim Municipia, quæ quotannis primâ Dominicâ Septembris (is ſtatus & ſollennis dies eſt) Hallis ſe ſiſtunt: id eſt, ab iis miſſi primores aliquot ciuium aut incolarum. Quibus Eccleſiaſtæ & Magiſtratus Hallenſis obuij fiunt, comiter & honeſtè excipiunt, & ad ædem ſtatuámque ſacram venerandam deducunt. Iiſdem vina & cibi, beniuolentiæ ergô, offeruntur. Illi autem, pro ſuo quiſque opido aut municipio, Chlamydem Diuæ offerunt, numero vniuersè duodecim: aut (quia affatim iam Chlamydum eſt) ipſas ab æditius templi ſumunt, & certam pecuniam in pios vſus rependunt. In Supplicatione deinde, cùm Statua per vrbem & ſuburbana defertur, illi comites ſunt: & ordine etiam humeros ſupponunt, piâ æmulatione ſacrum onus affectantes. Opida ſunt iſta: *Athum, Tornacum, Bruxella, Valentiana, Condatum, Namurum*. Municipia autem, *Lembeca, Quiuranea, Criſpinum, Brania, Buſigniacum, & Sancli.*

CAPVT XXXV.

Dona memorata, ſed tantùm Principum. idque eorum qui Belgicæ præfuerunt.

IAm ad eos venio, qui *Donis* etiam & Muneribus variè teſtati ſunt affectum. Et quamquam hîc quoque magnus numerus (in Rationario templi vidi) tamen duplici cauſsâ diffundere hæc prohibeor. Primùm, quia ipſa Dona non omnia, imò exigua para comparet: cùm olim, & nunc maximè in publicâ hac inopiâ, multa conſilio & conſenſu diuendita ſint, ad templi & ſacrorum vſum. Deinde, quia eadem hîc Actuariorum ruditas culpanda. qui Dona quidem conſignant, & appendunt: ſed donantium nomina inſuper habent, titulos indicaſſe contenti. Vt, *Dux Brabantiæ calicem dedit. Seneſchallus Hannoniæ ſtatuam argenteam armati militis. Crucem inauratam magni pretij & operis, figuris variegatam, * Delphinus Galliæ.* Ille ipſe *Falconem magnum argenteum inauratum*. Item, *Statua donata argëtea, muliebri habitu, cum inſignibus Bauariæ*. Item, *Statua argentea, coronâ & capillis inauratis, ipſius Diuæ Virginis, donante Toparchâ Montmorencio*. Multa, inquam, hæc talia lego: ſed quid memorem, perſonis & cauſſis ſic incertis? Ego verò pauca illa digeram, quæ noſtri Principes & Dynaſtæ dederunt: & initium ab illo faciam, qui Belgicam noſtram in hoc vnum corpus feliciter iunxit. Is eſt PHILIPPVS ſiue ſuo BONVS: & huic Diuæ quàm addictus! Docent monumenta, quæ affectus & cultus ſui reliquit. Primò, ipſius Virginis ſtatua grandiuſcula, in mediâ Arâ poſita: ſed auro puro inducta. Filium brachio vno præfert, altero florem Lilij inauratum. In pectore monilis vice ſunt, vniones ſex, puri, grandes: & in eorum medio carbunculus, ſiue Pyropus lapis, quem *Rubinum* nos à colore vocamus. At in capite corona eſt puri puti auri. Sunt deinde in eâdem Arâ duodecim Apoſtoli, ex argento, fabrè ſatis facti: quos inibi etiamnunc eſt videre. ſimúlque ad latus vtrumque Aræ, duos cæleſtes Genios, ſiue Angelos, eodem metallo, candelabra præferëtes, & venerationem Diuæ exhibentes. Supra has ſtatuas, ibidem duæ ſunt militares, altera Pedeſtris, altera Equeſtris: & ſignificatum liquet, vtramque militiam ſuam verè BONVM Principem Diuæ conſecraſſe. Iſtæ pariter ex argento: ſed fuerunt & duæ, eodem militari habitu, puri auri: quarum Pedeſtris ſecurim, Equeſtris lanceam manu teneret. Idem Lampadem auream, inſigne munus dedit: cui aliam inauratam publica neceſſitas deinde ſubſtituit. Fuit & Statua, iuſtæ magnitudinis, dimidiata ex argento, donum eius Vxoris. Conſpicitur item Feneſtra vitrea in eo ſacello, variè picturata, Philippo curante & donante. Denique & Tabula eſt, in quâ ipſe Dux ſupplicis habitu effingitur procumbens ad Diuæ genua; & verſus aliquot Gallici inſcripti, pij magis quàm boni, in huius laudes. Annus ſubſcribitur ∞. CCCC LV. Martij dies XX. Enimuerò (vides Lector) valdè hanc Diuam, nec ſine mercede coluit. quippe quæ pariter eum extulit, & ad id æui diuulſas Belgicæ prouincias, paullatim conciliauit, & vnius illius imperio ſubiecit.

CAROLVS eius filius, cognomento & re AVDAX: atque vtinam non fuiſſet! Eius ibi donum lego, Falconem argenteum: nec vltrà.

MAXIMILIANVS ſucceſſit, qui in Auſtriam gentem omnem hanc potentiam tranſtulit, matrimonio *Mariæ Burgundicæ*, Caroli filiæ, iunctus. Dignus eâ fortuna, & maiore, Princeps fuit: virtutibus, & animi magnitudine, itémque benignitate, cum optimis comparandus. Quid dicam de Scientiæ, & Sapientiæ ſtudio? Quod ad Scientiam, vix alius in eo culmine litteras, & memoriam rerum veterum, magis ipſo coluit, earúmque gnaros honeſtauit. De Sapientiâ, vnum, ſed eximium factum, dicat. Biennio toto ante mortem (& ætas adhuc bona, ac valetudo erant) capulum è plumbo funebrem, arcæ ligneæ incluſum, circũferri ſecum, quaquà iret, & in dormitorio ſemper cubiculo deponi curauit. Theſaurum ignari cenſebant oculi: & erat, ſed Philoſophiæ, cuius ſtudium veteres definierunt, *Meditationem mortis eſſe*. Sed Principis huius laudes arctâ paginâ non ſtringo: Pietatem memoraſſe contentus, quæ agmen virtutum eius duxit. Oſtendit habuítque eximiè in hanc Virginem: & quid niſi ipſum reſtem demus? Conſpicitur etiam nunc, genibus nixus, in ſacelli dextro latere, tabulato paullum altiore, loricatus, & cetero cultu militari. Ponè eum *Albertus Dux Saxoniæ* geniculatur, itidem armatus: qui bellis tunc noſtris fidam fortémque operam Maximiliano præbuit, & filio eius Philippo. Illum eſſe, inſignia gentilicia ſatis oſtendunt. Eſt & tertius, velut per ſubmiſſionem paullùm ab illis remotior, genu pariter flexo: quem, ex inſignibus, gentis Meluniæ eſſe apparet: ac fortaſſe *Robertum Melunium*, id æui rebus conſilijſque mixtum. Dona Maximiliani ſunt, Calix cum patinâ inauratus: cui inſculpta Auſtriæ gentis inſignia, ſuperaddito pilleo Archiducali. Ex quo liquet, ſub initia, & Archiducem adhuc dediſſe. Eiuſdem eſt *Diui Maximiliani* ſtatua argentea, admodum bipedalis: quæ mitram capite, crucem vnâ manu, alterâ gladium geſtat; & ab eo depẽdentes argenteas duas claues. Fama tenet (& clauium argumento adſtruas) Bruxellenſes noſtros, anteà aliarum partium, tunc in pacem ditionémque acceptos, velut molctam dependiſſe. Eſt ab eodem Arbor, ſiue Roſæ frutex, è puro auro, cum pluſculis ramis floribúſque, item bipedalis: quam ſacratam à ſe Pontifex Maximiliano donum, ipſe porrò Diuæ Halleoſi miſit. An non velut omen, aut votum? vt ſuâ ope vellet Belgicam, attonſam tot bellis & attritam, ſub nouo imperio iterùm reuireſcere, & pace ſuauiter florere. Et verò ſæpe auxiliatem illam ſenſit. palàm in Attrebatium vrbe à Francis auellendâ, & in corpus ſuum reſtituendâ. Anno ∞. cccc.xcii. Tenebatur grandi præſidio: ciuium optimi, quod

vitibus

*Qui fuit Ludovicus, opinor, poſteà Vndecimus Rex, dum in Belgicâ exſul.

viribus non poterant,aſtu patrandum ſuſcipiunt:ſed trepidi & anxij, vt inter plures,ne res emanaret, aut in euentu falleret, animos ad Deum & Diuam vertunt. Vouent huic, ſi adſpiraſſet,nudis pedibus Hallenſem eius ædem inuiſere; oblaturóſque è ferro & cerâ tabulas,rei geſtæ monumentum. Ampliùs,egenis pecuniæ certum modum, eius honori elargituros: & denique aquâ ac pane vitam toleratûros,donec votorum iſtorum ſe liberaſſent. Factum & hoc, & illud eſt: ciues & vrbs Principi ſuo redditi,& vota noſtræ Diuæ.

PHILIPPVS ſequebatur,huius filius: qui Hiſpaniarum regna per coniugium eſt ſortitus. Magna indoles virtutum, ſed breui imperio & vitâ:cùm fata hanc lucem terris tantùm oſtendiſſent.

Ergo excipit CAROLVS QVINTVS, pius & felix Imperator: cuius laudes ne libare quidem hîc ſuſtineo, alibi pleno ore dicendas. Is ſæpè ad hanc ædem, religionis cauſsâ, ventitare ſolitus,donis etiam auxit. Statuam argenteam viri armati,genibus nixi, manibus in cælum ſublatis, ſupplice habitu, dedit dicauítque. Idem Scyphum grandem inauratum, operis antiqui. Idem militari formâ chlamydem, villoſo ſerico, auro intertextam, inſignibus Imperij, & gentis Auſtriæ, decoratam: quid in eâ, niſi ſuam Diuæ militiam & victorias, aut conſecrans, aut referens acceptas? Ciues autem, ab inſito in hunc Principem affectu,donum hoc ſuper alia honeſtant:& quotannis, ſolêni ſupplicatione(primâ Dominicâ Septembris)eâ chlamyde ſtatuam Virginis ornatam,templo efferunt. Efferunt, inquam.nam mox,viâ procedente, mos habet ſæpiùs ſæpiúſque veſtes mutare,& pia aliorum etiam dona admouere:ſed primum, vt dixi, velandi honorem Cæſareum illud habet.

Iterùm PHILIPPVS ſequitur:ſed breui in his locis morâ,affectum (vt cetera eius pietas ſuadet) habuit magis,quàm oſtendit.

ALBERTVS tam noſter AVSTRIACVS, & ISABELLA, CLARA, EVGENIA, eius vxor, optimi atque optatiſſimi Principes,ſingulari vterque religione, eam in hoc loco & Diuâ eminere etiam voluerunt. Sæpiùs adierunt, preces fuderunt.& ille donum ſuſpendit Lampadem argenteam, pondere & opere inſignem: eique vectigal annuum addidit, vt in æuum ante effigiem ſacram luceret. ISABELLA autē Chlamydē ſacrauit,auro & argēto intertextam.

An non liceat ALEXANDRVM Parmæ & Placentiæ Ducem ſubiungere, cui materna ab Auſtriacis origo?Sed & ideo ſi non Princeps,vicem & munus Principis plures annos feliciter hîc obiuit. Sile enim liuor,& vel mortuum hunc *Camillum* noſtrum reuerere. quídni ſic dicam? quem ille titulum variis victoriis, conſilio & virtute partis, meruit: in rebus afflictis, & Belgicâ non diuiſâ ſolùm, ſed in ſe armatâ. Ille magnam partem iterùm iunxit, legitimo imperio ſubiunxit: & quia euentus tamen à Deo eſſe ſciebat,interpretem apud eum & conciliatricem habuit hanc matrem. Sæpe huc commeare ſolitus, &

A *vix aliter* in expeditionem vllam ire, niſi precibus votiſque ad aram eius ritè pièque conceptis. Atque hoc in eo notabile, & laudabile: quòd ferè aut pedes iter totum(ratum priuatis, quid Principibus?) conficere, aut certè in ipsâ viâ, ad primom conſpectum ſacræ turris, deſilire ex equo, & reliquum ſic peragere, teſtandæ venerationi, conſuerat. Dona porrò eius ibi crebra, ſubmiſſa aut oblata: ſed ferè ſtipes aut nummi fuerunt, opportuna ſolatia in arctis tunc rebus. Hoc ipſo laudandus, quòd beneficium dare,non famam parare voluit: & Deum notorem ac muneratorem aſpexit.

CAPVT XXXVI.

Finis,& precatio. item Penna noſtra Diuæ ſuſpenſa.

B DOna alia & varia eſſe aut fuiſſe,iam præmonui: ſed quid commemorem? Pompâ aut opibus non certamus: & datores facilè indulgebunt ſilentio veniam, quibus præmium in ſuperis æternisquè locis ſemper paratum eſt, & ſemel partum. Nos quidem ſine noxâ lateant hæc talia:at nunquam O DIVA tua benignitas, cui parem vim & potentiam es ſortita. Tu illa REGINA cæli,terræ,maris:ſupra quam nihil niſi Deus eſt: LVNA ab illo SOLE proxima: quam precibus imploro atque inuoco, Publicè ac priuatim tuêre nos & reſpice. Vides publicè iactari quadraginta iam ferè annos fluctibus bellorum ciuilium: placa illud mare O MARIA, & auulſos à nobis,in veterem ſocietatem, amorem,fidem compelle. Priuatim etiam noſipſos, vitiis aut deliciis fractos, emenda, erige: & ad virtutem ac robur illud

C vetus traductos,te dignos clientes,cęlo dignos incolas effice. Quæ omnia per te vis O BONA, per filium autem potes O MAGNA, O ADMIRANDA in æternum. Peregi.ipſom tamen me,& hoc quidquid ingenij ac ſtili eſt, iterùm tibi do,dico,conſecro:quod x animo feci ante biennium, PENNA argenteâ in templo, ante Aram tuam, ſuſpensâ. cui hos verſus ſubſcripſi:

HAnc, DIVA, PENNAM *interpretem mentis meæ,*
Per alta ſpatia quæ volauit ætheris,
Per ima quæ volauit & terræ, & maris,
Scientiæ, Prudentiæ. Sapientiæ
Operata ſemper. auſa quæ CONSTANTIAM
Deſcribere, & vulgare; quæ CIVILIA,
Quæ MILITARIA, *atque* POLIORCETICA;
D *Quæ* ROMÆ MAGNITVDINEM *adſtruxit tuam;*
Variaq; luce ſcripta priſci ſæculi
Affecit, & perfudit hanc PENNAM *tibi*
Nunc, DIVA, *meritò conſecrauit* LIPSIVS,
Nam numine iſtæc inchoata ſunt tuo,
Et numine iſtæc abſoluta ſunt tuo.
Porrò ò benignitatis aura perpetim
Hac ſpiret! & famæ fugacis in vicem,
Quam PENNA *peperit, tu perenne gaudium*
Vitamq; DIVA, LIPSIO *pares tuo.*

AD LECTOREM.

VIſum eſt hîc in fine apponere, Lector, Pontificum aliquot approbationes, teſtimonia, indulgentias, quæ loci ſanctimoniam affirmant, & prouocant ad colendum. Plura ſanè ſunt & vetera, ab ipſo anno Chriſti ∞.CCCXVIII. ab Epiſcopis, à Cardinalibus, Legatis, ab ipſo ſupremo Capite: ſed duo dediſſe ſatis habebo, alterum *Nicolai Quinti*, alterum *Clementis* nunc *Octaui*, Pontificum verè Maximorum. Illud ita habet:

NICOLAVS EPISCOPVS,

SERVVS SERVORVM DEI,

VNIVERSIS Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Dum excelſa meritorum inſignia, quibus Regina cælorum, Virgo Dei genitrix glorioſa, ſedibus prælata ſidereis quaſi ſtella matutina prærutilat, deuotæ conſiderationis indagine perſcrutamur; dum etiam intra noſtri pectoris arcana reuoluimus, quòd ipſa, vtpote mater miſericordiæ, mater gratiæ & pietatis, amica humani generis conſolatrix, pro ſalute fidelium qui delictorum onere prægrauantur ſedula exoratrix, peruigil apud Regem quem genuit intercedit; dignum, quin potiùs debitum arbitramur, vt Capellas & loca in honorem nominis ſui dedicata gratioſis remiſſionum proſequamur impendijs, & gratiarum muneribus honoremus. Sanè ſicut fide digná dilecti filij Magiſtri Nicolai Plonchet, Perſonæ perſonatus in parochiali Eccleſiâ S. Martini oppidi Hallenſis Cameracenſis Diœceſis, Cubicularij ac Scriptoris & familiaris noſtri continui commēſalis, relatione didicimus; quædam honorabilis Capella ad honorē & ſub titulo beatæ Mariæ virginis præfatæ, in quâ ſingulis diebus ad laudem eiuſdem Virginis Mariæ vna altâ & plures aliæ ſubmiſſâ vocibus cum deuotione magná Miſſæ celebrantur, & ad quā copioſa Chriſti fidelium ex diuerſis mūdi partibus multitudo, propter loci illius deuotionem, ac miraculorū quibus eadem virgo Maria inibi coruſcare dignoſcitur, frequentiam & magnitudinem, confluere dietim proſpicitur in dictâ Eccleſiâ à multis iam tranſactis temporibus, ita quòd de illius contrario hominum memoria vix habetur, ſolemniter fundata & dotata exiſtit; ipſiuſque virginis Mariæ imago Dominicâ primâ Septembris ſingulis annis cum magnâ honorificentiâ, tam dicti quàm circumiacentium oppidorum, ciuitatum & villarum, aliorumque locorum Scabinis, Conſulibus, & Communitatibus magnifica donaria in reuerentiam præfatæ virginis Mariæ, ex parte ciuitatum, oppidorum, villarum, & locorum à quibus occurrente tempore ad id ſpecialiter mittuntur, deferentibus & offerentibus, ſingularibuſque vtriuſque ſexus earundem partium cum ſingulari deuotione concurrentibus perſonis, cum magna ſolemnitate proceſſionaliter Clero pſallente & populo orante defertur commeantibus. Oblationes quoque ad dictam Capellam ex ipſorum Chriſti fidelium erogationibus prouenientes in Fabricam, quæ inibi ſumptuosè incepta extitit, & dietim continuatur, nec non reparationes & ornamenta ac alias parochialis Eccleſiæ & Capellæ huiuſmodi vtilitates & neceſſitates per certos probos viros ad id per Scabinos & alios ipſius oppidi oppidanos pro tempore deputatos, Eccleſiæ magiſtros nuncupatos, qui Eccleſiam & Capellam antedictas bonáque ipſarum regere & gubernare ac vtiliter conſeruare & diſponere tenentur, quamdiu onus geſſerint antedictum. Nos igitur cupientes vt dicta Capella congruis frequentetur honoribus, & vt Chriſti fideles ipſi eò libentiùs cauſâ deuotionis confluant ad eandem, ac præfatæ proceſſioni deuotiùs interſint, ac ad fabricam & reparationes aliáſque Capellæ & Eccleſiæ huiuſmodi neceſſitates manus promptiùs porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem cæleſtis dono gratiæ conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordiâ ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui in Dominicâ quâ huiuſmodi proceſſio fiet, eidem proceſſioni interfuerint, illámque à principio vſque in finem continuauerint, ac eadem nec non Epiphaniæ Domini & Exaltationis ſanctæ Crucis feſtiuitatum diebus dictam Capellam deuotè viſitauerint: & ad fabricam & reparationes, aliáſque Eccleſiæ & Capellæ prædicta-

rum neceſſitates, manus porrexerint adiutrices, annuatim, ſingulis videlicet diebus huiuſmodi quibus proceſſioni interfuerint, aut dictam Capellam viſitauerint, & manus porrexerint adiutrices vt præfertur, ſeptem annos & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus; præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. *Volumus autem, quòd ſi aliàs Capellam ſeu Eccleſiam huiuſmodi viſitantibus, & ad ſabricam & reparationes aliáſque Eccleſiæ & Capellæ prædictarum neceſſitates manus adiutrices porrigentibus, ſeu aliàs aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapſum duratura pèr nos conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullius exiſtant roboris vel momenti. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo, prid. Non. Septembris, Pontificatus noſtri anno quinto.*

Petrus de Noxeto.

CLEMENS PP. VIII.

Niuerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad augendam fidelium Religionem & animarum ſalutem, cæleſtibus Eccleſiæ theſauris piâ charitate intenti, omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, ac ſacrâ communione refectis, qui Eccleſiam parochialem beatæ Virginis Mariæ Hallenſis, diœceſis Cameracenſis, in *Conceptionis, Natiuitatis, Præſentationis, Annunciationis, Viſitationis, Purificationis, Aſſumptionis, & beatæ Mariæ ad Niues feſtiuitatibus,* nec non *Dominicâ primâ Septembris, & per totam Octauam eiuſdem Dominicæ,* quo die imago beatæ Mariæ proceſsionaliter defertur, quóque tempore peregrini vndique ad dictam Eccleſiam confluunt, à primis Veſperis vſque ad occaſum Solis, feſtiuitatum ac dierum huiuſmodi, deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordiâ, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, *plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam* & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus & indulgemus, præſentibus ad viginti annos, elapſo anno Iubilæi, dumtaxat valituris. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die quintâ Nouembris, M. D. XCIX. Pontificatus noſtri anno octauo.

M. Veſtrius Barbianus.

INDEX CAPITVM.

AFFECTVS *noſter vetus erga Diuam iter Hallas, & occaſio ſcripti tum Verſus.* Cap. I. Pag. 807

Origo imaginis a Diuâ Elizabethâ. de hac igitur præmiſſum, de ſtirpe eius, quâ genita, & quam genuit, de morte & conſecratione. Cap. II. ibid. b. 2

De filiâ Elizabetha Sophiâ. quæ in Brabantiam venit, ſtatuas attulit, diuiſit, & quomodo hæc Hallis dedicata. Cap. III. 808. b, 2

Aliquid ſuper ipſo oppido Hallenſi, itemq́ templo. Cap. IV. 809. d

Tranſitum ad Miracula; ſed primò cõmuniter Vera hæc aſſerta, & diſcrimẽ triplex a Falſis datũ. Cap. V. 810. a

Miracula quæ ipſum oppidum, aut templum, aut ſtatuam propriè tangunt, & tutela in iſtis Diuæ palàm obſeruata. Cap. VI. 811. a, 2

Duo eiuſdem rei exempla, à noſtro æuo, ſeria ſimul & iocoſa. Cap. VII. 812. b

Beneficia eius deinceps in priuatos. & primò à morte ſeruatus & patibulo, qui Falconem amiſerat. Cap. VIII. 813. a

Quidam inter aquas ſeruatus, in immani & ſubito diluuio. Cap. IX. ibid. e

Puer merſus in vitam reuocatur. Cap. X. ibid. c, 2

Homo mali Genij hoſpes ab eo liberatur. Cap. XI. ibid. d, 2

Leodici puer luminibus captus, & toto corpore æger aut impotens, ab vtrâque labe ſanatur. Cap. XII. 814. a

Tempeſtate iactati, & iam naufragantes erepti. Ca. XIII. ibid. c

Furioſa virgo mentem recipit. Cap. XIV. ibid. d

Puer in Moſâ iam mergendus educitur. Cap. XV. ibi. a, 2

Puer iã merſus in puteo vitæ redditur. Cap. XVI. ibid. c, 2

Puer faſciâ ſtrangulatus, ſpiritum & vitam recipit. Cap. XVII. ibid. e, 2

Puella in puteum præceps lapſa, & ſuffocata, in vitam redit. Cap. XVIII. 815. c

Puer triduum mortuus, & ſepultus, reuiuiſcit. Cap. XIX. ibid. e

Puer diu amiſſus, & in voragine mortuus repertus, item vitam recuperat. Cap. XX. ibid. d, 2

Mira, mira, de puero item reſuſcitato, aut ſub terris ſeruato, non ſine alijs ſtupendis. Cap. XXI. 816. c

Innocens mirabiliter à laqueo liberatus. Cap. XXII. 817. b

Captiuus in vltimâ Galliâ e Carcere, ad inſtar Diui Petri, eductus. Cap. XXIII. ibid. a, 2

Mulier ſub rotâ molari mirificè ſeruata. Cap. XXIV. ibid. e, 2

Sartor, qui acum in os immiſerat & porrò demiſerat, liber ab eâ redditus. Cap. XXV. 818. b

Oculus ex ictu ſaucius ſtatim ſaneſcit. Cap. XXVI. ibid. d

Bauarus nobilis in naui a morte eripitur, & item Hallas venit. Cap. XXVII. ibid. a, 2

Auriga cum carro, & ipſe ſub eo in aquam lapſus, vitâ donatur. Cap. XXVIII. ibid. d, 2

Multiplex tutela cuiuſdam militaris viri, in pugnâ, & poſt pugnam. Cap. XXIX. 819 b

E carcere vir nobilis liberatur, & Hallas porrò ducitur. Cap. XXX. ibid. d, 2

Cacula militaris à ſuſpendio liberatus, cùm Diuam inuocaſſet. Cap. XXXI. 810. c

Religioſa virgo à Spaſmo libera ſtatim reddita. Cap. XXXII. ibid. b, 2

Plura miracula, varij generis, varijs locis, è Tabellis aut inſcriptionibus collecta, & ſerie temporum digeſta. Cap. XXXIII. ibid. d, 2

Sodalitas Beatæ Virginis, & Principum aliquot inſcriptorum nomina: tum aliquid de ſupplicatione. Cap. XXXIV. 821. d, 2

Dona memorata, ſed tantùm Principum, idq́ eorum qui Belgicæ præfuerunt. Cap. XXXV. 822. b

Finis, & precatio: item Penna noſtra Diuæ ſuſpenſa. Cap. XXXVI. 823. a, 2

NOS Guilielmus de Berches, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archiepiſcopus & Dux Cameracenſis, Viſa narratione miraculorum quæ Beata Virgo Eccleſiæ Parochialis Oppidi Hallenſis noſtræ Diœceſis Cameracenſis, pro ſumma gratia qua apud Deum Omnipotentem, & Ieſum Chriſtum eius Filium Dominum noſtrum pollet, variis temporibus patrauit; & de quibus nobis conſtitit; eadem miracula ab Ornatiſſimo Viro Domino IVSTO LIPSIO, Ser^morum Archiducum Belgij Principum Hiſtoriographo, fideliter collecta & deſcripta, approbanda duximus, prout tenore præſentium approbamus. Datum in Palatio noſtro Archiepiſcopali Cameracenſi, ſub noſtra ſignatora & paruo ſigillo, Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo quarto, Menſis verò Aprilis die quarta.

Guilielmus Archiepiſcopus Cameracenſis.

V^t Valerianus Floſſius Vic. Generalis.

De mandato Ill^mi & R^mi Domini

D. le Meſureur Secret.

APPROBATIO.

Libellus iſte non ſolùm vtiliter, ſed & religioſè vulgabitur, quòd in eo deſcripta miracula non tantùm ad Deiparæ Virginis honorem excitent, ſed ad ipſius quoque Dei amorem mirificè accendant, ſi in illis diuinæ bonitatis ac ſuauitatis erga Deiparam & Sanctos Viſcera conſiderentur; quibus, quod ſibi omnipotentia & diuinitatis iure eſt proprium, non modò Deiparæ ac ſanctis, verumetiam (quod mirabilius eſt) eorum imaginibus; &, vt in Actis Apoſtolorum legimus, vmbris, ſemicinctiis ac ſudariolis communicare dignatur. 5. Calend. Feb. 1604.

Guilielmus Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus ac Archiducalis librorum Cenſor.

IVSTI LIPSI
DIVA SICHEMIENSIS
ſiue
ASPRICOLLIS:
Noua eius Beneficia & Admiranda.

Google

SERENISSIMÆ

ISABELLÆ,

CLARÆ, EVGENIÆ,

INFANTI

HISPANIARVM,

Principi & Dominæ noſtær·

DIVAM VIRGINEM Sichemienſem ad te DOMINA noſtra adfero: tuam illam, animo ſemper cultam, corpore & oculis etiam aditam atque vſurpatam. Pietas tua cui non innotuit? quam velut hereditariam virtutem vindicas, ab auis proauíſque tranſmiſſam, & vel ab ISABELLA illâ (cuius nomen feliciter refers) FERDINANDI coniuge aſſumptam. O magnam reginarum! & cùm aliis laudibus, tum hac duplici eximiam, Modeſtiæ, & Pietatis, quæ vtraque in te effulget. Quid autem Principibus dignius, aut decentius? Proximi à Deo ſunt, & vicem atque imaginem eius in terris repræſentant: ergo & colere ac venerari magis par eſt, quò propiùs & norunt ſupremum illud Bonum, & ſenſerunt. Tu facis. & quamquam inter turbas tumultúſque bellicos, verſa ad Deum, verſa ad Diuam, votis precibúſque in hoſtem, vt PRINCEPS maritus conſiliis & armis, pugnas. Et expugnabis ô SERENISSIMA, confide: & miſerator ille Deus iamnunc ſigna mittere cœpit placati ſui in Belgas animi, aut certè placandi. Quò Miracula hæc noua pij prudentéſque interpretes trahunt, & benignitatem Numinis ſic palàm & ſubitò oſtenſam, velut auroram eſſe Solis illius concordiæ & pacis mox ſecuturæ. O fiat, & exorere! & nobis bonos hos Principes habere & frui fas ſit, in tranquillitate temporum; atque ipſos Belgicam ſuam videre, qualis olim fuit, ab omni externo decore formoſam & florentem. Iterùm, FIAT. Louanij, XV. Kalend. Maijas. anno Chriſtiano

ꝏ. IↃↃ. V.

AD LECTOREM.

HALLENSEM DIVAM *cùm nuper dedi; meritò iungetur hæc altera, ad quam non ſolùm viri magni & religionis noſtræ Antiſtites, ſed ipſe meus animus, vocarunt. Silerem ſic in propinquo, & tantâ omnium admiratione, bonorum etiam exſultatione, geſta? Diffundantur, & eant in ſæcula: & Diuæ noua gloria, Miraculis fides adſtruatur. Quid enim de hominibus dicam, ſiquis non abnuit, ſed ambigit, in tam illuſtribus? nec homines eſſe, aut certè ſpōte oculos claudere, ne Solem hunc admittant tam claræ veritatis. Sunt enim in ſenſibus noſtris pleraque geſta: quid etiam? ne fraus & fucus imponant, publico mandato Ill*[mi] *Mechlinienſis Antiſtitis explorata & inquiſita, à Reu*[mo] *Antuerpienſi Epiſcopo,* Ioanne Miræo: *qui & ſcripto ea, cum fide & induſtriâ, digeſſit & conſignauit. Ab illo hauſi: itemque à viro docto, prudenti, pio,* Philippo Numanno, *qui ipſe etiam linguâ noſtrâ Belgicâ diuulgauit. Lege igitur, & crede. Ac ſunt pleraque omnia iſta vera & mera* Beneficia, *in ſalute hominum curandâ: corporis quidem, ſed & per eam animi, ad diuinum cultum ſic excitandi. Varietatem ideò tantam non habent: neque ſtilus noſter colores, vt ſic dicam, aut ornatum. Quid etiam opus eſt? pluribus ſcripta, plures legant & intellegant: & alibi deceat, doctum aut diſertum eſſe. Non philologi, ſed philothei huc vocantur: aut etiam illi, ſed vt ſint iſti. Verſiculos interim miſcui, quaſi paritatis illius condimentum: & ſi boni ſunt, pellant oblectatione faſtidium; ſi alij, diſcutiant riſu. Sed meo animo, Lector, nihil horum valdè obſerues: ſenſum intende, & finem apprehende, qui eſt pium boniúmque eſſe.* DIVÆ *etiam nouam gloriam attende: & quàm ex vero vaticinata ſit,* Beatam me dicent omnes generationes. *Omnes, & ex æuo in æuum ſic erit.*

IVSTI LIPSI DIVA VIRGO ASPRICOLLIS.

CAPVT I.

Aliquid pro fide Miraculorum: & decorum huius ſcriptionis.

EN, coronam hanc alteram ad te, DIVA, adfero, è floribus tuis plexam, è vicino horto tuo decerptam. Et recenter decerptam: vt etiamnunc ſenſus ſuauitate, animos admiratione afficiat atque adflet. Vbi eſtis, qui paullò vetuſtiora eleuatis, aut illuditis? ecce noua nouitia: ecce in oculis atque auribus omniũ noſtrûm geſta: ecce concurſu, plauſu, fructu gentium celebrata. Quæ fides poteſt eſſe in rebus humanis, ſi hæc non eſt? Quamquam iſta ipſa, attendite, fidem vetuſtioribus etiam illis, vel ab exemplo, ſtruunt. Si enim nunc facta, & videmus: cur nuper & olim abnuam fuiſſe? Idẽ ille Deus eſt qui patrat, eadem illa MATER-VIRGO, per quam patrat, & quã honore hoc honeſtat, & attollit. Imprudens non dicã religionis, ſed numinis eſt, qui abiicit diffidẽtia, aut negat. Omni æuo fuêre, pleriſque omnibus locis: & eruut in æuũ, etſi parciùs, denſiùs, vt diuinæ Prouidẽtię viſum. Ideò piè & viriliter hæc ſcribi, & prodi poſteris arbitror: vtinam maiores noſtri induſtriè & intentè ſemper feciſſent! Annales condimus, & facta aut facinora hominũ, imò & ſcelera propagamus: & non magis Dei Diuorúmque opera decet, & iuuat? Decet: & de me, animum, manum, ſtilum illuc dabo, & verſu libet teſtari. A B

O Helicony
Numinu collis,
Quondam cultu,
Ite, valete.
Ego demuto, &
Transfero caſtra
Ad COLLEM *alium*
ASPERVM, ACVTVM.
Grauiora ætas
Grauior ſuadet.
En ego metam
Iamnunc video,
Palmam adſpiro
Illam cælicam,
Permanſuram.
Cetera lapſa,
Aut lapſura,
Fluminis inſtar,
Vndam trudit
Venient vnda:
Atque diem dies,
Horam ipſa hora.
Has inter fugas,
Quid molimur
Vanis vana?
Me cùm video,
Quid fuſtis habeo
Tot iam luſtris?
Legi publicè,
Scripſi publicè,
Quo fine, aut bono?
Famam peperi,
Hoc eſt fumum,
Hoc eſt, vmbram,
Aut, vt verius,
Vmbra ipſam vmbram.
Sapio, fugio,
Ad quod aſylum? C

O DIVA, *tuum.*
Tu reparatrix
Miſeræ ſortis
Primorum hominum,
Cælo pulſos
Iterùm cælo
Aſſeruiſti.
Et nos aſſere,
Suſcipe, dirige.
In laudes tuas
Linguam ſoluimus,
Et ſoluemus,
Dum lingua hæc erit,
Dum vita hæc erit,
Donec eæ vtraque
Fati lege
Diſſoluentur.

CAPVT II.

Fructus huius ſcriptionis. & Miracula ad Deum communiter, mox propriè ad verum illum ducere.

B DECET igitur ea ſcribere, ſed & iuuat. An non iuuet, vbi tam palam fructus, & tam magnus eſt? Et fructus quidem non vnus. Ille primò, quòd Miracula communiter religionẽ in animis excitant, & Deum credere, Deum colere, ſuadẽt & inducunt. Quis eſt tam alienus à pietate, qui rem euentúmque nouum, à naturâ, à ratione diſſonum videt, non moueatur animo & intimis pręcordiis, & velut ictu quodam admirationis percuti ſe fateatur? Itaque clauſos vel conniuentes aperit oculos, ad alta tollit, & Numen aliquod in his agnoſcit, cui vni cauſſam delegat. Inde ad venerationem compungitur, ad fidem diſponitur: & hic eſt primus ille, & communis, fructus Miraculorum. Alter magis diſtinctus, quòd ad veram religionem ducunt, ſiue potiùs trahunt. Fit enim diuinâ benignitate, & arcanâ Prouidentiâ, vt vera Miracula nuſquam & nunquam, niſi in verâ fide, & à fidelibus patrentur: ne falſa quidem ſæpè apud alios, & certè non ſic conſpicua & inſignita. De *Veſpaſiano*, *Hadriano*, talibus, quædam leguntur, fronte & facie Miraculorum: ſed inſpecta dignoſcuntur, & vanitas aut ſimulatio adparent: & quod dixi, rarò ea ipſa edita, ne ſi Magos quidem omnes adiungas, vel milleſimâ pro noſtris parte. Ergo vbi ea video, & tam certa & crebra video: quid, niſi fauorem & inclinationem Numinis agnoſco? quid etiam, niſi velut tubam & claſſicum audio, quod ad talem fidem & cœtum appellat? Benè Auguſtinus: *Catholicæ Eccleſiæ auctoritatem Miraculis eſſe* INCHOATAM, *Vetuſtate* FIRMATAM. Vtrũq; agnoſco. & initia, Miraculis egerũt, & C

progreſſio, æui auctoritate ſe defendit. Sed & in ipsâ Vetuſtate, Miracula vſum habent. Sicut pueris lac neceſſarium eſt ad alimentum, viris etiam vtile & iuuat: ſic tirones aut errones in fide Miraculis nutriûtur, viri & robuſti etiam oblectantur. Itaque idem Deus, etſi Chriſtianis, tamen extraneis à Catholicâ, hoc donum non indulget: teſſeram & ſignum veri ſui cultus ſeruat. Auguſtinus: *Culmen auctoritatis obtinuiſſe Eccleſiam Catholicam, hæreticis* MIRACVLORVM MAIESTATE *damnatis.* Ita verò, maieſtate & ſplendore illo damnatis. An non maieſtas eſt, diuina illa opera edere? cæcis lumen, claudis greſſum, ægris ſalutem, mortuis vitam reddere? Nostri faciunt: & imperium in ipſos dæmones etiam exercent. Hæc cùm vident, qui in beato cœtu iſto ſunt, iure firmantur, & diſputationum omnes nebulas factorum Sole diſpellunt. Clamant cum pio ſcriptore: *Domine, ſi error eſt, à te decepti ſumus: nam iſta in nobis tantis ſignis & prodigijs confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt.* Et agnoſcas ſanè hîc diuinam bonitatem. qui non contentus libris ſacris & concionibus ducere & docere, & hæc etiam Miracula ſuperiore & noſtro æuo adiungit, ſuis firmandis, alijs formandis. Nec vno ea loco, aut tempore: ſpargit & variat, vt plures certò cognoſcant, nec aurium ſolùm, ſed oculorum ſenſu hauriantur. Quid in noſtrâ Belgicâ, factionibus iſtis ciuilibus, & ſacris, nónne paſſim ea edidit: & iam recenter edit, in viciniâ hac noſtrâ, limite à partibus infeſto? Edit, & triûphamus ac plaudimus: & ſunt ea ipſa, quæ ſtilo eo vulgatum.

De vtil. cred. cap. xvii.

Richard. de S. Victore. De Trinitate lib.1.ca.2.

Perge calame, perge, pange Virginis Miracula,
Quæ Sichemienſi in agro, tractu COLLIS ASPERI
Euenêre, itémque eueniunt, arbitris his ſenſibus.
Nos videmus, nos audimus. quis profeſtus abnuet?
Niſi profeſſus Scepticam ipſam, & hæreſim Pyrrhoniam.
Perge calame, perge laudes Virginis diffundere,
Illius, quæ peperit orbi Seruatorem gentium,
Illius, quæ pergit orbi dare, donare, munera.
Sanat ægros animi, ſanat ægros etiam corporis.
Quàm benigna in his volenſque, quàm potẽs & efficax,
Vis videre? vide ſis noſtra, ſed mentem affer & fidem.
Illam pronam, & iſtam promptam: fruſtra alioqui iſtac legas.
* *In diuina non inquire, crede, qui fructum petis.*

* *Miracula diuina conſideranda ſunt, & non diſcutienda.* Gregor.

CAPVT III.

Ad rem ipſam. & obiter de Sichemio, & Colle, & Imagine, & Paſtore.

SICHEMIVM autem opidulum, ad Demeram fluuium ſitum, inter exigua, ſed vetera Brabantiæ habetur. Annales noſtri in æuo paullò magis remoto deficiunt, & tenebræ igitur habent: quas ſagacia ingenia coniecturis interim illuſtrant. Sanè *Sichemium*, quaſi *Aegrorũ domus* dicta videtur, quia fortè ibi Valetudinarium *Sick heim*: an meliori nomine *Sig-heim*, id eſt Victoriæ domus? Faciat, quòd propinquum opidum *Dieſt heminum* dictum: quid niſi Martis & belli ſedes? quiáne ibi caſtra, an ipſe ille bellicus Deus olim cultus? *Dieſtum*, aut *Dienſtum* certè eum vocamus: & dies ab eius nomine etiamnunc adfirmat. Quid quòd finitimum opidum *Areſcotum* (ita vetuſtiores dicunt) notas item Romani huius æui & titus præfert? Eſt enim *Aquilæ repoſitoriũ*, aut *ſedes*. Sed vtcumque iſta, Sichemium vetus opidum, & quinto milliari à Louanio noſtro, vno circiter à *Dieſthemio* abiunctum. Patet & proprium eſt, cum

A finitimis, Naſouiæ genti: & in eâ tutelâ * diu floruit, donec nuper & ciuilibus his bellis, nõ florem ſolùm, ſed vitam pænè amiſit. Captum, receptum; præſidijs aut prædonibus infeſſum; ignes etiã paſſum; ad eam infrequentiam deductum eſt, vt paucos ciues habeat, relictos velut in ſemen. Sed in eius opidi finibus, medio illinc milliari, COLLIS exſurgit leni faſtigio: quẽ ACVTVM vulgò dicunt, non quia in verticẽ talem aut conum deſinat (imò æquabili ferè planicie eſt, & ſatis latâ:) ſed quia idiotiſmo ruſtico & metaphorâ, terram ſcabram, aridam, horridã, *Acutam* etiam dicunt: quam Latinè *Aſperam*, verè & pro ingenio loci reddas. Ita enim eſt. exſuccum, macrum, amarum ibi ſolum, frugum & pænè herbæ vacuum, arbuſtis quàm arboribus gaudet. In eius parte verticã ſine

B colliculus fuit, & in eo quercus: & in hac DIVÆ VIRGINIS adfixa iconcula: quæ culta accolis à tali initio fertur. Aiunt ante annos centum (& conſtans ita fama habet) fuiſſe paſtorem, qui oues in eo tractu paſceret: atque is repertam, neſcio quo caſu, humi imaginem ſuſtulit, in ſinum condidit, certus eã domum ſecum auferre. Parua enim erat, & priuato cultui videbatur opportuna. Sed dum agitat, ecce membra eius omnia ſtupere, pedes vtique non mouere, & quaſi frutex aut ſtipes ibi ſtare. Ipſe mirari, & animo quoque ſtupere, nec ad cauſſam adſurgere: herus autem villicus abſens, requirere paſtorem ſuum & gregem. nã hora iam reditui lapſa, & Sole remoto nox propinquabat. Itaque infortunij anxius, eò accurrit: & repperit defixum ſtantem, & quæ geſta ſimpliciter

C narrantem. At ille mentis melior, imaginem ſtatim recipit, & timidâ religione in veteri ſuâ ſede & quercu reponit. Eóque facto, paſtor velut vinculis liberatur: & venerati vterque Numen domum abeunt, rem denarrant, & viciniam totam religionis implent.

Beate paſtor, cui ſacratam imaginem
Datum inuenire, & tangere.
Beata vita ruſtica, ò vita innocens,
Amica ſemper Numini!
Te ſolitudo, & a malis ſecretio,
Cæleſtium iungit choris.
Hac vita quondam, ab orbe condito fuit
Primigenijs parentibus.
Cum rure quiſque, & filiolis lætus ſuis,
Et coniuge atque liberis,
D *Luxum affluentem, & improbum cupidinem,*
Neſciret, aut contemneret.
Non fora ſtrepebant litibus, non claſſibus
Infida feruebant freta.
Non purpura, aut argento honos ſed præmium
Pretiúmque erat virtutibus.
Hæc vita redeat, mihi ſit hæc voto, ô Dea!
Vt numen atque te colam,
Expers ab aliâ curâ. & in libris ſacris
Aut cogitationibus,
Quod temporis erit reliqui, fallam & teram:
Dum Parca me fallens mea
Obrepat, atque abducat ad cæleſtium,
Præeunte Diuâ te, choros.

E

CAPVT IV.

Febrium ibi curatio. Imaginis abolitio, & alius ſubſtitutio. Aliquid de quercu.

AB hoc deinde Miraculo, iam famâ in multâ & cultu imago fuit: & auxit, quòd morbis & præſertim febri, ſollennis ac pænè certa ibi medicina. Confluebãt vndique *Sichemio, Dieſthemio, Areſchoto,*

* Ab anno circiter ∞. cccc l.

locis finitimis, ciues, pagani, milites, & ſalutarem illic opem poſcebant, & ferebant. Hoc qui viuunt boni ſenes, aut nuper vixerunt, ex fide teſtati ſunt: & liquet communi ſuffragio, ante hos viginti annos ſic fuiſſe. Itaque locus frequens & celeber, vt dixi. ſed enim euênit, & candidè fatendum eſt, vt dicta imago illa ſiue ſtatua perierit; incertum quâ vi, aut caſu, niſi quòd ſuſpicio prædones culpat, in iis luſtris aſſiduos per hæc bella, non ſolùm crebros. Ea amiſſio incidit circa annum CIↃ. IↃ. LXXX. vt aiunt: & conſpici ibi DIVA deſiit, ſed non coli. Veniebant enim nihilo ſegniùs ad locum loculúmque vacuum: & opem ac ſolatium etiam inueniebant. Quis miretur, aut culpet? Perſæ, regis ſui ſellam venerati ſunt, quia maieſtas illa inſediſſet, & attactu velut ſacraſſet: cur non liceat piis loca Numini electa, & conſecrata? Nec tamen quercum illam (nemo cenſeat) ob ipſam; ſed in eâ ſtatuam, in ſtatuâ Diuam; in hac Deum venerati ſunt, & adorarunt. Nec in ſtatuâ ſanè propriè vis aut virtus: quod res hîc docuit eâ amiſſâ, & mox mutatâ. Nam poſt annos ſeptem, id eſt anno CIↃ. IↃ. LXXXVI. religioſus quidã ſenior & Senator Sichemienſis, conſpecta affluẽtium multitudine & ardore, qui inter ſicarios & tela prædonum, non abſiſtebant locum hunc petere; ſuffecit imaginem arculæ ligneæ impoſitam, & quercui ibidem affixit. Manſit, donec anno CIↃ. IↃCII. maiore in dies concurſu, *Godefridus* Paſtor Sichemienſis, venerationi augendæ, detractam arbore, in ſacello modico, quod è tabulis iuxtà ſtruxerat, ritè & piè collocauit: Sed enimuerò, cùm id anguſtum turbis (ita loquendum eſt, & hoc numero iam concurrebant) eſſet: ſacellum è lapide ſecto inchoatum abſolutúmque eſt, & DIVÆ dicatum ſacrarúmque ab Illmo & Ren^mo *Matthiâ Houio*, Mechlinenſi Archiepiſcopo, tanto hominum, è diſſitis etiam locis, conuentu, vt id quoque inter Miranda, ſi non Miracula, cenſeri mereatur. Hoc factum anno iſto CIↃ. IↃC. IIII. Idibus Iuniis, die qui SS. Trinitati eſt ſacer: & ex eo, ipſa illa imaguncula ibi perſeuerat. At quercus paullò antè, conſilio & decreto, à ſtirpe exciſa eſt: idque vel ideò, quòd trunco variè ſciſſo & imminuto, cùm fragmenta, & aſſulas quiſque ſibi peteret, caſum iam minabatur. Exciſa itaque, & Sichemium, quod eius ſuperfuit, tranſlatum. Vnde quidam, & icunculas ſibi fecêre, & piè colunt: alij fruſtulis in potu vſi, & conſtat quòd cum morborum medelâ.

CAP. V.

Sanguinis ſudor in Statuâ.

AT iam ad ipſa Miracula veniamus: quæ pullulare, vt ſic dicam, & magnis auctibus augeſcere cœperunt, poſt Paſcha ſtatim anni ſuperioris, *milleſimi ſexcenteſimi tertij*. Etſi iamantè plurima: vnde enim locus aliter in tanto cultu, & confluxu? ſed parùm obſeruata, aut quidem conſignata ſunt: & certum nobis, nihil niſi certum dare. Primum igitur quod memorem, eſt in ipſâ ſtatuâ: quam ſanguinem ſtillaſſe, anno iam dicto, plurium oculis eſt vſurpatum. Venerant Sichemium è magiſtratibus pagorum adiacentium, negotij publici cauſſâ: eóque peracto domum quiſque rediturí, ad ſacrum tamen locum, religionis & orationis ergô, diuertunt. Quinque erant: atque ij duro corpore flexo orant, vnus intentior in Diuam, guttam ſanguinis, floridè purpurantem, in labro eius videt. Hæret, ambigit, accedit: & audet manu tãgere, & digitis primoribus abſtergere. Attonitus, oſtendit proximis, pariter mirantibus: atque ecce alia eodem loci gutta ſe oſtendit, & ab alio detergetur. Fit tertiùm, fit quartùm: quam primus ille (*VValtherus Vuckelenus* nomen) candido linteo exceptam, omnibus exhibuit, veri ſanguinis colore & facie: manſitque & in poſterum diem, denarij nummi modulo diffuſa, ſed dilutiùs rubens. Circumſpicere iis cura fuit ſacelli tectum, & num perplueret: neqnis humor fortè delapſus fefelliſſet. nihil fuit: ne ipſa quidem ſtatua colore vllo nouo tincta iampridem. ſed quidquid, & quaquâ cauſſâ hoc fuit, vi cæleſti ex arido ligno ſtillauit.

Quid ſigni tamen hoc fuiſſe dicam?
An ſudas, Dea, ſanguinem hoc in anno,
Quo ſanguis malè funditur: dolorem
Et ſic exprimis? an magis cruenta
Siſtes bella, tuiſque gutta labris
Vt deterſa fuit, ſic & madenti
Huic fiet patriæ? ô benigna, fiat:
Et iuua precibus, Deúmque placa.

CAP. VI.

Puella claudicans correcta.

HOc in ſtatuâ miraculum, nunc ab ipſâ, aut ad ipſam. Areſchoti erat *Maria Leukens, Franciſci & Catharinæ filia*, decem admodũ annos nata. Contractio huic in tibia & pede facta eſt dextro, & vel tres digitos minuit ab altero. Minuit etiam craſſitie, cœpítque marceſſere & tabêre. Tres annos ita fuit, difficili aut nullo inceſſu: nec medicina ſubuênit. Mater excita miraculis, ad Diuam eam ducit, & in equo ventum ad *Demeram*, propinquum Colli flumen. Sed ibi ſalebræ, lamæ & vligines erant, infida equiti: & filia deſcendit. Pedibus connixa, & identidem lapſabunda, ægrè quidem, tamen eò peruênit. Funduntur preces, ſtatim malum mitius, & vigor tibiæ redditur, pedibúſque ſuis domum ex facili redit. Ipſa mox tibia par & æqualis vndique concinnatur, craſſa, longa, vt ante noxam illam fuit. Verbo, nullum eius vltrà veſtigium.

Tale fac nobis, veneranda mater:
Claudimus greſſu inualido, atque ſcambi,
Semitam virtutis inire lenti:
Fac properemus.
Corrige incuruos, vitiiſque fractos:
Vt domum læti redeamus, illam
Quam colis cum prole tuâ, colóſque
Omne per æuum.

CAP. VII.

Mulier oculis grauiter affecta, ſtatim ſanata.

FVIT *Petronella Riddera* vxor *Lamberti Balduini* boni & ſtrenui equitis, in bonâ ſelectâque alâ *Baronis Grobbendoncquij*, quæ Dieſthemij metationem ſuam tunc habebat. Hæc mulier ab oculis grauiter laborare cœpit, plures dies affligi, & velut vermium (ita loquebatur) eroſiones ſentire: donec cæca denique, prorſus & bona fide, eſt facta. Medici culpabant aſſiduos acrium humorum defluxus in eam partem: culpabant, non ſanabant. Iſta queri, lamentari, doloris & orbitatis illius impatiens eſſe. At enim mulierculæ aliæ miſerantes, rogant & ſuggerunt, *Ecquid ad Diuam Aſpricollem vellet deduci? Multis ibi medelam adhibitam, & in manu Dei ac Diuæ eſſe, vt ipſi.* Statim aſſentit, fidem & fiduciam habet, & iam eſt in viâ. Appropinquat, ecce dolores minuunt, viſio redire incipit: nondum tamen tota. Illa alacris pergere, & ad fontem primò, ſine ſcaturigi-

nem modicam ſub Sacello deduci. Ibi lauat aquâ oculos: venit deinde ad ipſum Sacellum, proſternitur, orat: quid verba facio? dicto citiùs viſum & ſanitatem recipit. gaudet, clamat, eum lætus læta domum abit.

CAPVT VIII.

Paralyſis & languor corporis ſublati.

An. ∞. IɔCIII. VII. Idus April.

C*Ampaniam*, tractum Brabantiæ dicimus, latum, vaſtum: ab opidis non ſic frequentem, pagis inſeſſum. Planities ferè & æquor eſt, ſed ſabuloſum, aut terrâ alibi fungoſâ & paluſtri: ceterùm humano cultu & improbâ induſtriâ ſic emendatum, vt fruges fructúſque exuberent, etiam quæ accolis communicentur. Mirum dictu, & citra fidem videatur: ab annis iam triginta ſeptem belli tempeſtas ferè ibi deſæuiit; nec frangere patientiam hominum, aut auertere à ſoli ſui affectu & cultu potuit. Omnia etiamnunc inter prædones, inter milites, inter exercitus diſcurſantes, rapientes, vaſtantes, omnia, inquam, florent, rident, pænè vt pace: iterùm dico, rem non niſi nobis credendam, ſenſuum fide. Sed in hac Campaniâ *Meerhoutum* pagus eſt, & in eo quid pro te noſtrâ euenerit, verſâ oratione dicam.

Petrus *erat, in Meerhoutio hoc*, Honsbergius,
Honeſtiores inter, à cenſu, & loco:
Nam * *Iudicem ſæpè, & Senatorem egerat.*
Is luſtra vita dena iam decurrerat,
Sed virium & ſalutis integer ſatis.
Cùm ſubitus, ecce, languor inuadit; dehinc
Paralyſis inſecuta, & artuum ſtupor.
Non brachia, manus, genua, tibia, & pedes
Officia facere: viuus ipſe mortuus
Iamnunc videri, niſi quòd os vnum & caput
Vigeret, & moueret ô ſortem malam!
Et aſperabat acer, aſſiduus, dolor,
Qui nec quietem nocte, nec die daret.
Ipſiue tantùm? imò & domeſticos ſimul
Habet inquietos. dum ferunt, dum transferunt,
A ſede in hanc ſedem, à toro in alium torum.
Medici vocati, induſtriè facere omnia:
Sed irritâ. artem pertinax vincit malum.
Dimittit ergo, & mittit aliò ſpes ſuas,
Audítque Diuam *mira magna in* Aſpero
Patrare Colle*: adſpirat, & votum vouet,*
Et vênit illuc, in die * *Diuæ ſacro:*
Venitne? reuoco, vectus in curru fuit.
Peruectus autem (turba populi ſic erat)
Attingere aut accedere aram non poteſt;
Sed, quod poteſt, ad illum Imaginem ferunt.
Piè oſculatur, corde & ore ſupplicat:
O Numen! ecce membra perfundi nouo
Vigore, & omnia ad ſuum vſum vergere.
Primùm ambulare cœpit, & fulcris tamen
Innixus, at iſtis ſcipio ſuccedere,
Et ſcipioni mox pedes ſoli. ambulat,
Viget, valétque plenè, & ad veterem modum.

* Scabinũ.

* Anniuerſationis ipſo feſto.

Talem ſe domi & ſuis exhibuit: talem paullò pòſt in iſtoipſo *Colle*, vbi turbæ ſe oſtendit, & iterùm Diuæ gratias lubens meritò egit.

CAP. IX.

Simile in Apoplexiâ, & cæcitate.

TALI etiam morbo (ſiue Apoplexia fuit) *Anna Verreyckia* ſuccubuit, in pago *Tiſtelio*, qui Sichemio eſt vicinus. Alius deinde oculorum acceſſit, & viſio planè deliquit. Quæ lamenta illius miſeræ? quæ mariti afflictio? nam ille hanc immobilem ferre, referre, ad lectum, focum, menſam, ſellam, opus habebat, & deſerere aliud pænè omne opus. Tres menſes ita perſeuerat: ad vicinâ Diuam itur, & quàm promptè & certò auxiliatrem! Vix vênit, precata eſt, impetrauit: & membra atque oculos, id eſt alteram vitam, recepit.

CAP. X.

Quidam ob dicteria punitus.

ATQVI & vindicem ſe, non beneficam ſolùm, eſt cùm oſtendit. *Dieſthemy* ciuis erat (nomen conſilio non prodimus) qui vxorem ſuam aliáſque fœminas illudebat identidem, vt fœminas; quæ ad hanc imagunculam aut pupam irent, & quæ ſolent iſti talium contemptores. Ad Diuam conuicia venerunt: ab eâ ſupplicium, an remedium dicam? nam vtrumque fuit, & hoc ab eo fluxit. Statim ille, ſine cauſſâ aliâ, claudus effectus, internis doloribus etiam adflictus, denique lecto adfixus. Quid ais homo? numen agnoſcis? Agnoſcit. ad Diuam ſe vertit, & ſeriò pœnitens pacem veniámque, tum & ſanitatem apprecatur. Vouet ad *Collem* ire, & iuit. O benignitas! ſanitatem corporis ſtatim recipit: an non & animi putamus.

Euenit, euenit hoc. Audi impia turba, profanis
Quæ ſalibus gaudes diuina illudere facta.
Eſt Numen, quod cuncta oculis hæc arbitratur:
Eſt quoque, cùm punit. ſi non; in tempore fiet,
Credite, cùm fuerint vitæ lumina adempta.

CAP. XI.

Tabes, cæcitas, tumor, ſimul curata.

ALIVD, ſed eodem opido. *Ioanna* ibi *Maſia* vidua, ex marito *Ludouico Caſtelio* infantē vnius anni habebat, ſolatium & deliciū, ſed quod vertit in pœnā. Nam ille morbo trimeſtri affligi, tabeſcere, & oſſa ac pellis totus eſſe. Præterea, & dextrum oculum amiſit, & inter cæculos iam cenſeri. Aliud? aliud. tertium malum tumor in gutture, quem ἀνδρομὸν, ab illapſu prauæ materiæ, Græci vocant. Et puer pænè, & mater, confecti: quid remedij? humana experta erat; talum à ſacrâ lineâ, vt ſic dicam, mouet, & ad Diuam noſtram venit. Ter viſere & venerari eam, ſexto quoque die (Veneris dicimus) vouet: & incipit. Ac primâ viſione, puerum in ipsâ arâ cùm depoſuiſſet, ad ſe recipit, iam mitiorem & meliorem: atque adeò in brachiis eius (olim non factum) ſuauiter indormientem. Venit iterùm, iterúmque meliùs; tertiùm, & iam infans membris valetudinem, oculo lumen recipit, & pro vndique ſano deinde fuit.

CAP. XII.

Antiſtita quædam ab Ictero liberata, itémque Anginâ.

PAVLLÒ longiùs eo, quia iam fama & beneficia Diuæ longiùs diffuſa.

Eſt oppidum Traiectum, *& eius finibus*
Hochtum, *ſacrata cœtus Veſtalium*
Antiquitus ſedes. in hac Antiſtita
Munus gerebat, ſtirpe mulier nobilis,

Franciſca Mombecana: & hanc morbus capit,
Quem Regium ſermo Latinus nuncupat,
Quòd regi; atque molliter curari amet:
Græci Icterum; quòd ſanè affectu hac auis.
Sed morbo eo laborat, & grauiter habet.
Medicus vocatur ipsâ ab vrbe Eburonum,
Artis vetus, famaq; vt ægram conſpicit,
Signa haud placere, & libero ore effatur,
Vita aut medela habere ſeſe ſpem leuem.
Præſcribit herbas tamen, & alia pharmaca,
Sed dicit atque monet ergo. Antiſtitam
Non fallit: abdicare ea hac & ſpernere,
Et ſpes opéſque omnes in vnâ ponere
Diuâ Aſpricolle. *vota et ergo concipit,*
Et quoniam obire ipſa impotens, vicem ſuam
*Fungi iubet * piam miniſtram virginem.*
Venit, precatur: iam redibat, ſed prius
Pauxilla fruſta de ſacrâ quercu impetrat,
Secúmque læta porrigit ea Antiſtita.
Hoc pharmaco illa freta, mox in potibus
Cibiſque miſcet: ô bonam fiduciam!
Fugit ecce morbus, vnica hoc à pharmaco,
Et in diebus valuit illa pauculis.

De eâdem, aliud.

At fuit, vt etiam Angina *poſt inuaderet,*
Minata fauces ſeriò intercludere:
Fit lingua nigra, & guttur. illicò vocant
Medicum, & Chirurgum: & iſte venam incidere
Linguâ ſub ipsâ; vt vſio hoc & ars habeat.
Incidere, at non ſanguinem etiam educere.
Fit biſque térque: fruſtrà, nec vel guttula
Stillare. quid tunc ergo? medici muſſitant.
At iſta nuper tam potentem Diuæ opem
Experta, eò recurrit, vota nuncupat,
Iterúmque mittit è miniſtris. illa eunt
Redeúntque, & alma Sanitas vnà redit.

* Cui nomen Oda.

CAP. XIII.

Quidam in aſthmate & claudicatione ſanatus.

HVyam terræ Eburonum opidum (*Iuhones* Taciti fuiſſe arbitrantur) ciuem habet *Bertrandum*, fabrum ferrarium: qui ſæua correptus lumbagine, itémque ſuſpitio & aſthmate, ita virium vacuus eſt factus, vt ægrè primò opus facere, denique deſinere deberet: lecto etiam quinque circiter menſes affixus. Feſſus tam longi decubitus, pridie feſti Paſchatis tentat ſurgere; & ecce dum connititur, tibiam ſiniſtram videt toto pede breuiorem dextrâ eſſe. Miratur, angitur: fulcris incipit vti, eáque alis brachiorum ſupponit, & ſic leuitè huc illuc ſe transfert. Aliquandiu ſic fuit: audit de Diuâ Virgine, nouellíſque Miraculis: capturit ire, & in animo obfirmat. Quid facies æger, & claude, Vulcani fili? Animus, inquit, transferet: & quoniam opes ad currum non erant, pedibus ſuis, illíſque ligneis, dat ſe in iter, Iunio præcipitante. Dies ferè quinque in eo eſt, leucas decem ita conficit, & optatum collem venit: magno ſuo labore, & totius corporis fatigatione. At ſpes & animus ſublenant: & calidas mox preces ante aram edit: denique ſacellum ter, identidem orans, ambit. In ambitione alterâ, viſus adflari ſpiritu, aut aëre vehementiore: & cum eo calorem & vigorem membra artúſque penetrare. Denique tertiâ, ipſam tibiam ſiniſtram è contractione laxari, extendi, parem iam alteri factam. O lætitiam eius, ſed trepidam! & vix ſibi ſenſibúſque credere. Tamen res fidem facit: & fulcris abiectis, rectus ad aram & alacer ire, gratias agere, laudes prædicare. Fecit & poſteà, menſibus interiectis: atque ibidem videndum ſe exhibuit, ſanum & rectum.

CAP. XIV.

Apoplectica in pede & manu reſtituitur.

CIRCA *Aquaſ-grani*, nobilem vrbem, & *Carolo* illi *Magno* olim in amoribus, habitauit in pago *Eſſelbekâ*, *Maria Hertanda*: quæ diu in languore aut morbo, denique paullò melior, conatur in cellam ſubterraneam (vbi penu noſtri condunt) deſcendere: & in vltimo, ecce, gradu Apoplexia inuadit, abijcit; latere dehinc ſiniſtro affectam, itémque pede & manu, ſic vt ſine motu aut vitâ eæ partes viderentur. Ipſa quidem manus in pugnum aſtricta, nec aperiri vi aut arte vllâ poterat. Decem ſeptimanas ita fuit. In quarum exitu, aures eius de *Colle Aſpro* ſermo pepulit, & ire inclinauit, & iuit. Vt vicina fuit, *(xi Kal. Iulias.)* ſaſſa eſt ſentire velut pruritum in affectâ manu: & mirabatur, quia iamdiu adeò ſine ſenſu ea pars, vt nec ſtimulis aut punctionibus excitaretur. At tunc deinde, non ſenſum ſolùm, ſed veterem vſum recepit: & ſidem ſpectantibus, eam aperuit, mouit, capiti admouit, atque adeò in proximo tuguriolo ſolutos capillos diſpoſuit ipſa ſibi, atque ornauit. Idem in reliquo corpore factum: ſana abijt, ſana perſeuerauit.

CAP. XV.

Claudus & paralyticus erigitur.

HEaricus *Caphenbergius*, è terrâ Limburgenſi, annos ipſos octo (tempus obſerua) claudus & ſine vſu pedum, reſolutione quâdam neruorum fuerat, vt vix etiam fulcris poſſet ire. Multa pater conſilia vel auxilia audiuerat, adhibuerat: fruſtrà, non remittebat malum. Fama accidit de noſtrâ Diuâ, & iter eò intendit: precibus effuſis ipſo * die *Viſitationis Virginis*, animo & corpore factus melior, domum iterum cœpit reuerti. Sed dum *Aquaſ-grani* tranſit, & Diuam ibi tutelarem in ſuâ æde ſalutat, ita recreatus eſt, vt alterum è fulcris depoſuerit, vno contentus. In fine autem Iulij, noſtram Aſpricollem reuiſens, iterúmque piè venerans, totam ſanitatem & greſſum recuperat, nullo adminiculo vltrà vſus, aut egens.

* Poſtrid. Kal. Iul.

CAP. XVI.

Hernia, claudicatio, ventris tumor ſublata.

NAmurcam ad Moſam (eum ſcidis vetuſtioribus ita ſcribimus, & * originatio liquet) nobile opidum eſt, & in ſuburbanis agebat *Ioanna Caſia*, vxor *Guilielmi Boyſij*: quæ hernioſa vtrimque erat, iam à duodecim ferè annis. Ampliùs, cùm fœnum iumentis supernè deijceret, ipſa improuidè lapſa eſt, & tibiam ſibi dextram diffregit. Medicata eſt, ſed non vt vſum veterem reciperet: clauda manſit, & tibiâ item retractiore. Tertium, venter intumuit magno gibbo, & qui vel humanum caput exæquaret. Ita mulier variè afflicta, viribus & ſpe cadere, lecto decumbere,

* Quaſi propinquus murorum, noſtrâ lingua.

medicos admittere,dimittere nihil adiuuantes.Quin & ipſi eam deponere,& abdicare. Ad ſic adflictam, è vicinis mulier venit, & *Quin tu*, inquit,*magno illo remedio vteris,& Diuam inuocas Aſpricollem? me vide,fecis in aſperrimo calculo,medicinam præſentem accepi.* Mouit fœminam,cui à cælo & bono Genio (& res etat) venire ea vox viſa. itaque auſcultat, & ſtatim corde atque ore votum vouet. Quid hîc dicam? rem effectu certiorem, quàm fide: tribus poſt horis, ab ipſo voto,inquam,mulier plenè ſaneſcit. Hernia introcedit,& ſolidatur; ſtomachus detumeſcit; ipſa tibia vires ſumpſit,& de lecto ſurgens,ex facili,& ſine vllo innixu ambulauit. Hoc tantùm, tibia contractior etiam paullò manſit,palmari menſurâ circiter: ſed voto deinde ſoluto,eadem extendi cœpit,& pollex vix intereſſe inter vtramque. Iterùm, Quid ego dicam? ſtupeo.quid tu calumnia? vacat hîc omnis argutia, ſile.

CAPVT XVII.

Louanij ſtrumoſa,& vlceroſa mirificè puella, ſanatur.

SED ades,ades,Louanium, & tu claſſicum
Virgines honoris inſona mihi,& tubam.
Fama ipſa ſedes,gloria domicilium,
Diffunde famam gloriamq́, Virginis.
Experta ſæpè numen eius es domi,
Experta nuper etiam Colle in Aſpero.
Quod tenuis ego ore ediſſeram tu ſpargere
Memento, & orbem implere nominis ſacri.

In hac vrbe *Gualterus Gillonius* agit, qui vitreas ex opificio concinnat,vir ſanè bonus, & mihi quoque, ab hac operâ, notus. Is filiam tredecennem habebat: quæ triennio antè infeſtari ſtrumis multiſque vlceribus cœpit, nec in vnâ corporis parte. Caput, brachia,manus,femora, tibiæ,pedes infici:ſed caput maximè, atque ibi genæ, oculi, os ipſum, & aures obſideri,intumeſcere,ſic vt non palpebras diducere, vix labia aperire & ſpiritum emittere poſſet. Interim & diſrumpi alibi vlcera,& tætro odore adſtantes fugare. Anxius angor parentum,atque eius:& remedia doctè & ſolicitè adhibita,non iuuant. Tres, vt dixi, ſic annos affecta iacuit: verè iacuit, nam & ingredi inualida iam erat. Ecce audit de beneficâ iſtâ Diuâ: & parentes rogat,permittere illuc iter,& ſi commodum eſſet,comitari. Annuunt, & pater vir validus, *Vel humeris te meis filia*,inquit,*geſtabo.* Hoc illa per pietatem deprecari,& *Quin me pedes pater ibo,& Diua conantem iuuabit.* Certè iuuit.iuerunt enim, & alij cum iis vicini,filiam miſerantes: quæ feſſa & languida,tardo gradu,ad votiuum tamen locum venit. Precantur ibi omnes calidè, domum redeunt, & in viâ puella animo alacrior eſſe, & corpore agilior, cantare etiam, quaſi veterum malorum ſana, aut certè oblita. Cænat domi,dormit: manè ignara matre ſurgit,ipſa ſe ornat & veſtit(diu non factum:) deſcendit, & interulam linteam parentibus oſtendit mundam, & nullo pure attaminatam. Addit dolorem omnem ſibi deterſum. Mirari parentes, & nondum credere. explorant linteam, inſpiciunt corpuſculum,vident omnia vlcera coiuiſſe,imò vix cicatrices aut veſtigia comparere. Tum ſeriò læti,grates Diuæ acclamant: atque adeò mater eodem veſpere, certa ſanitatis, inter ſanos pueros eam in lecto depoſuit.

Poſtrid. Kal. Sextil.

CAP. XVIII.

Fœdum vlcus, & cancri facie, in ſene curatum.

VICINVM Louanio,& milliari modico abiunctum,*Berthemum* pagus: vbi *Henricus Viſcherius* agebat,vel nunc agit,ſenior,& LXXVI. annos natus. In hac ætate, quæ ipſa morbus, occupat tibiæ vtriuſque inflatio & tumor, ita vt calceari vltrà non poſſet. Quid etiam? ab eo mox tumore, ſingula in ſingulis vlcera, quæ verè *Telephia* liceat appellare, fœda, immedicabilia,oris ſideratis,& carne exſenſâ ac mortuâ: vt plerique *Cancrum* interpretarentur. Accedebat fœtor puris emanantis, mixto ſanguine, qui omnes fugabat:dolor etiam interior vehemens, & (vt ipſe dicebat) quaſi canes arroderent & lancinarent. Suadetur bonus ſenex ire ad *Collem Aſperum:* & audit. Sed non à ſuis ipſe auditur. qui hominem ſic affectum, & id ætatis, tardabant vehere: ne in viâ fortè deficeret, & in ipſo conatu moreretur. Viſum ergo, vt priùs peccata expiaret, ſacrum viaticum ſumeret: quod fecit, & in currum ita viámque ſe dedit. Ter,de conſilio alicuius pij viri, vouit ire:ac primo itu,remiſit ſe dolor & tumor;magis ſecundo; poſt vicem tertiam, cùm domum rediſſet, animo malè factum eſt,& defectionem eius ſenſit,ſic vt domeſtici exitum exſpectarent. At ille cùm ad ſe rediſſet, clamare tibias ſibi meliùs habere: & ab eo die paullatim conſanuerunt,ſine humanâ vllâ operâ, atque ipſa caro morticina in viuam vigentémque ſponte mutauit. Viuebat ante hos paucos dies, eâdem ſanitate,& cicatrices vlcerum oſtendebat, latas palmari modo.

CAP. XIX.

Gibberus tumor in virgine æquatus.

ITERVM noſtrum Louanium. in quo cùm alij cœtus Sacrarum virginum ſunt, tum frequens vnus in *Plateâ dimidiatâ*, quam vocant, in *Diuæ Vrſulæ* tutelâ. Ibi *Beatrix* quædam,inter Laicas, (ſic appellant,& diſtinguunt) tumore affecta eſt infra humerum, & ad papillam dextram, parte inquam anteriore:atque ea ſpecies Gibbi videbatur. Deforme & moleſtum malum, maximè ſiquis admotâ manu premeret:tum enim acuto dolore,etiam ſanguinem per os reijciebat. Cauſſa, & medela mali,ignota: & ſeſquiannum iam patiebatur. Ad Diuam denique itum:& cùm preces ibi fundit,ſentit diſtendi, & velut diſtrahi partes illas affectas: reuerſáque Louanium,quieti ſe dat,& manè valens ſurgit,nullo veſtigio vltrà tumoris.

CAPVT XX.

Epilepſia frequens & vetus curata.

IN terrâ *Iuliacenſi Matthias Packgenius*, ſeptem annos diuexatus aſſiduè ab Epilepſiæ non vno genere erat;& ſæpiùs in die cadere,ſpumare,frendere, verberare,morſicare,cum magno aſtantium vel terrore,vel miſeratione,ſolebat. Hic quoque ad decantatum iam in iis locis remedium properare,& ſiſtere ſe in *Aſpero Colle*. Decem dies manſit:& primis illis morbus nihil remiſit, aut intermiſit, ſed quinquies,

ſexies

ſexies vel vno die inuaſit. Credo, vt ille manifeſtior, & medicina item eſſet. Nam pridie *Aſſumptionis D. Virginis*, piè precatus ante aram ſtatuámque, immunem illum diem habuit: & mox palàm affirmauit, ſanum ſe & morbi ſolutum. Poſtero etiam die, ita viſentibus apparuit, quin & rubor vigórque in facie, quam pallor & luror anteà deformabant. Domum rediit, huc poſt menſes aliquot ſemel iterumque rediit, firmiter & bonâ fide ſanus.

CAP. XXI.

Elephantiacus mundatur.

IN *Huyo* Eburonum opido, *Matthæus Croiſecius Reineri* filius, annum duodecimum agebat: & ſcabies aut vitiligo totum corpus eius infecit, quam *Elephantiam* eſſe (Græci λιπὰν dicunt) arbitri & inſpectores iudicabant. Deteſtabile malum, & quod extra conſortium hominum ablegat: Europæ noſtræ, vt cenſent, primùm *Cn. Pompeij* tempore cognitum, & è Syriâ Iudæáque illatum. Pater dolere, & pudere: & quia recens in *Colle* noſtro fuerat, ſtatim eò mentem & filium mittere: iubétque deduci. Venit, & circum Sacellum defertur: atque in ipsâ latione clamat, introrſus totum ſe æſtuare, & velut igne comburi. O ſalutaris ignis, qui malam illam luem abſumpſit! nam delatus deinde in tuguriolum, cœnauit, quieuit: & manè pleraque vlcerum & tuberculorum coiuerant, aut reſederant, & poſt biduum denique reliquiarum reliquiæ ſublatæ. Nihil in corpore, præter veſtigia, quæ dicerent malum fuiſſe. Ampliùs. Idem ille in ſcroto ipſo vtrimque diruptus & herniosus: eadémque diuinâ ope perſanatus.

CAP. XXIII.

Hernioſi atque hernioſæ plures ſolidatæ.

SED heus, quia ſæpè de *Ramice* aut tali eruptione: annon melius, tædij vitandi, in vnum ea faſcem coiecta proponi? Videtur, & faciam: tu, Lector, nihilo ſequiùs miraberis ſingula, etſi iunctim videbis plura.

∞. IↃCII. *Ioannes Hagelius* iuxta Tillæmontem habirabat, annum agens ſexageſimum quartum. Anno ſuperiore, cùm ſegetem meteret, menſe Auguſto, valido & continuo illo motu, comperit viſcera ſibi rupta, & mox prominere. In dolore iſto annum hæret; tum ad Diuam venit ipſo Natiuitatis eius feſto, & bis deinde iterat. Tertiâ vice, coaleſcunt viſcera, faſciam ponit, ibique ſuſpendit, ex eo liber. (VI. Idus Septemb.)

Daniel Smetius, Viluordiæ templi æditiuus, natus annos LXVII. hernioſus ante viginti factus erat. Acceſſit & morbus ventriculi, cum perpetuâ nauſeâ: & hydropem medici præſagiebant. Vxor miſerta viri, intendit ad *Collem* ire, & pro eo deprecari. ipsâ horâ veſpertinâ, quâ id facit, morbus nauſeæ hominem relinquit, edit, bibit vt ſanus. Eâ re motus Daniel, ipſe iter eò parat, & exſequitur: nam ab herniâ nondum erat liber. Venit, faſciam poſuit, neque vmquam reſumpſit: hoc tantùm? imò & vires nouas ſumpſit, faſſus ante viginti annos vegetiorem ſe non fuiſſe. (Menſe Septembri, ∞. IↃCII.)

Idem in *Franciſco Alarcone*, è familiâ Principum noſtrorum: qui dum equum tractat ferociorem, hernia prorupit, tulitque tres annos & dimidium. Ad *Collem* venit, hernia ab eo abit.

Idem in illuſtri viro *Balthazare Roſſemio*, qui Tribunus legioni Germanicæ præfuit. Et is Lucemburgi cùm ageret, diſruptus eſt, & poſt ſex annos, ſola inuiſione Diuæ, plenè curatus. (In Septẽbri, ∞. IↃCIII.)

Idem in *Ioanne Montadio*, ex interiore Galliâ, Angoliſmo vrbe. Qui annos natus nonaginta, ſed crudâ adhuc ſenectute, militabat in legione Comitis Buckoij, caſtris Oſtendanis. Fuit vt pila ferrea, tormento ab hoſtibus emiſſa, palum ligneum raperet, & iuxta *Montadium* (qui vigilem tunc agebat) eum ferret. Ille à vi motı aëris, ſenſit concuti ſe, & mox rumpi, idque latere ſiniſtro: tantá quidem procidentia, vt caput humanum tumor æquaret. Diſceſſit commeatu accepto, & Inſulis fortè erat: auditque de hac Diuâ. Vouet adire, fulcra ſua lignea capit, & iam eſt in viâ: ſentítque vires palàm ſibi augeri, & celeriùs ſolito ambulare. Iam peruênit, eſt ante aram, orat: inter orandum motus & dolor in herniâ, quaſi infans in vtero ſe agitaret. Dolor, dico, qui exclamare eum, etſi inuitum, coëgit. Accurrit, qui à Sacris ibi eſt, *Bartholomæus Tichonius*, alleuat hominem, inſpicit, vidétque reducta viſcera & retracta. Sic & manſêre: & ipſe lætus, fulcris ſitis, & Diuæ, valedicit. (∞. IↃCIV. menſe Aprili.)

Iam & in fœminis, *Chriſtina Schabekia*, Antuerpienſis, à primâ ætate hernioſa vtroque latere fuit, manſítque annos octo. Mater denique Diuæ eam ſiſtit, precatur, & in fontanâ aquâ ſubiecta Sacello lauat. Iterùm vtrumque facit: & cùm in diuerſorio eſſent, prandij cauſsâ, queritur filia faſciam ſe ſtringere, nec vltrà ferendæ eſſe. Bona mater manu illam capit, & miſerans ad Sacellum reducit. vix pedem intulerant, frangitur ſponte faſcia, & ad pedes puellæ cadit. Quid plura? ſana erat, & ipſo illo die ſex milliaria pedibus, ſine ſenſu vllo doloris, confecit.

Denique *Gudela Schinckia* Bruxellæ, *Martini Alardi*, noti Notarij vidua, cùm eſſet annos nata triginta duos, ſitellam aquæ grandiorem attollens rupta eſt ſiniſtro latere, idque cùm grauida puero etiam eſſet. Ita manſit triginta alteros duos annos: donec ad *Collem* huc iuit, ibique ſanitatem recepit. (∞. IↃCIII. menſe Iunio.)

CAP. XXIIII.

Pectus graui caſu ſaucium curatur.

CORNELIVS, *cognomen illi* Foxius,
Dieſthemenſis incola, ad pagum adſitum
Rei ſua cauſsâ ibat: in viâ cadit
Preceps in arboris reciſæ ſtipitem,
Illique pectus grauiter illidit ſuum.
Medici aduocati, interna læſa dicere,
Sed rebus haud mederi. ita ad Collem *venit,*
In fonte Collis ſubdito pectus lauat,
Vnáque morbum, eiuſque ſenſum omnem, abluit.

CAP. XXIV.

Claudus & vlceroſus perſanatur.

ET tale factum in *Leonardo Stocquio*, qui iuxta *Huyum* habitabat: ſed cùm negotia eum miſiſſent Bruxellam noſtram verſus, in ſiluâ Sogniacenſi prædo hominem aggreſſus, multis vulneribus afficit, & pro confecto ibi relinquit. Delatus eſt in vrbem, ad publicum Noſocomium: ſanatur, exceptâ vnâ plagâ grandiore in tibiâ auerſâ, ſub ipſo genu.

quam

quam cæſim ſicarius intulerat,& neruos omnes valido ictu abſciderat. Itaque eâ etiam apertâ (& chirurgi ſanare deſperabant) ſurgit, in patriam redit, ſed ligneis ſubalaribus fultus & adiutus. At enim delapſu humorum in partem imbecillam, alia etiam vlcera aut foramina ſponte circum plagam nata: & magis ægreſcit cottidie ac debilitatur, donec Collem noſtrum vênit. Ibi nouem dies manſit, poſt preces in Sacello, ad fontem ſolitus deſcendere, atque ibi plagas lauare. Illo igitur ſpatio, omnes minores aut nouitiæ illæ coaluerunt; vetus & grandior, ipſo dierum fine. Nam tum inſpexit, & vidit neruos palàm creuiſſe, & extenſos coiuiſſe, carne etiam & cute nouellâ inductâ. Tantùm veſtigium concaui vulneris apparebat, hiatu in quem pugnum liceret immittere. At cetera ſanus, & æqualiter vtraque tibiâ validus fuit. O vim diuinam! & quæ glaucoma oculis hîc poteſt obijci?

CAP. XXV.

Vulgi Scorbutus tollitur.

IAm non procul Dieſthemio, in pago Craſeno, mulier erat *Elizabetha Houia.* quam morbus cepit, veteribus haud certò notus: etſi quidam στομακακίαν fuiſſe (Lanoorum *Oſcedinem*) aut σκελοτύρβην arbitrentur. Et inuadit quidem os & tibias id malum, ſed & in aliis partibus ſe prodit: noſtri *Scorbutum* appellant. Atque eſt ferè vernaculus Friſiis, Batauis, Chaucis morbus: quique in maritimo tractu, ſiue diutiùs in mari agunt. Itaque & nautas ſæpè corripit, & vexat aut occidit. Sed prore, tali iſto morbo conflictari dicta mulier viſa, & paſſim liuentes maculæ in corpore ſparſæ, grandes, vel ad Philippæi nummi modum. Valdè affligebatur, nec die quietem, nec nocte capiebat: idque ſemeſtre totum eſt paſſa. Venit demum ad Diuam, ad ipſam ſanitas: & primò dolores ſenſit minui; & iterùm cùm rediit, & precata eſt, totam ſanam valentémque, vt nec in omni vitâ magis, ſe eſt profeſſa.

CAP. XXVI.

Celebritas loci; concurſus, & noſtra inuiſio preceſque.

O Crebra, ô aſſidua Miracula! & quis non excitetur? Iam fama meritò vicina & longinqua implebat, iam concurſus vndique, & tanta cottidie frequentia (ipſi vidimus) vt viæ penè commeantibus anguſtæ eſſent. Sæpè in vno die quinque, ſex, millia notata; vis & quaſi-miraculum? in vno *Natiuitatis* eius feſto, ad viginti millia ſunt obſeruata. Quis, niſi Numen, in vnum locum ſic conduxit, & hunc Pietatis ſenſum infudit? Nos quoque, ſub id tempus, pars inuiſentium fuimus: & ad te Diua, animi magis quàm corporis cauſsâ, iuimus: tamen & pro iſto apprecari, ſi ſanari & vireſcere expediret. Preces eas & verſu poſteà concepi; quas corde itero & pono.

Accedo, DIVA, *trepidus ad ſacrum locum,*
Quem tu colis colenda; quem notum facis
Notum per orbem, ab inclytis Miraculis,
Quæ magna, noua & inuſitata iſtic patras.
En, DIVA, *pronus ara ego aduoluor tua,*
Tu ſupplicem audi. tabet hoc corpus mihi,
Simulque corpore ipſa mens: & hæc negat
Munus ſuum viceſque & illud fungier.
Languore langueo, marceo, ego ſum linea,
Vt vera dicam, vnius homo. tu ſubueni,
Aut ire iam mox Lipſio exſequias licet.
Sed ſubueni. rogamus hoc, per gaudia
Quæ nuncius cæleſtis attulit ſacra
Cùm partioni te parentem deſtinat.
Rogamus hoc, & per doloris intimo
Senſus, vbi oculis ipſa conſpexti tuis
Cruentum in altâ filium fixum cruce.
Miſerere. VIRGO *mitis es; fac, quod ſoles.*
Miſerere. MATER *es Dei; fac, quod potes.*

CAP. XXVII.

Sacer morbus vetus ſublatus.

SEd nos porrò excerpamus, vt cœpimus. *Ægidius Liebenus,* pago *Attenhouio,* annos LXX. natus, ab anno ætatis vigeſimo, morbo Herculaneo, ſiue caduco, laborarat: & inuadebat maximè feſtis diebus, aut diuino cultui deſtinatis. Remedium à Diuâ in loco flagitauit, impetrauit, liber rediit, & manſit. Septẽbri.

CAP. XXVIII.

Aſthma & Apoplexia ſimul pulſa.

FRanciſcus Elandius, Theologus ſacerdos & paſtor parochiæ (*Curiam* liceat dicere: ſed receptis vtendum eſt) quam *Capellam* Bruxellæ dicimus, diutino Hemorrhoïdum fluxu exhauſtus attenuatuſque eſt; tum & aſthmate cœpit diuexari, ac mirificè ſuſpirioſus eſſe. Eò denique deductus, vt medici reſtitui poſſe abnegarent: & iam ab aquâ intercute palàm metus eſſe, cùm pedes & tibiæ tumeſcerent, & quattuor ſic annos langueret. Balnea, fomenta, alia adhibita: ſed in peius ibat: & anno ipſo ſexageſimo tertio, apoplexiâ viſus corripi, & mens & memoria minuta, lingua debilitata, inutilem functioni ſuæ reddebant. Vertit igitur ſe ad Deum, & hanc Diuam: quam inuiſit, veneratúſque eſt: & rediens, in ipſâ viâ quaſi pruritum & neſcio quem motum in tibiis ſentit, & prætereà nouum aliquem in neruis & toto corpore vigorem. Sed domi cùm eſſet, planè plenéque ſanum ſe agnoſcit, omnia detumuiſſe, ſtomacho vim rediiſſe, Hemorrhoïdas ceſſaſſe: atque ex eo die (fatetur, & ad Dei gloriam iactat) vires & alacritatem habuit, quam vel in mediâ ætate vmquam. Qui diffidit, ad ipſum ito: viuit, & munus ſuum cum laude obit.

CAP. XXIX.

Femur fœdè vlceroſum ſaneſcit.

ILLVSTRI ſtirpe mulier, *Martha Roſenbergia,* Baronis *Maximiliani Roſenbergij* filia, maritum in militiam noſtram ſecuta fuerat, eóque amiſſo vidua agebat, annos circiter LX. nata. Hæc ante biennium femore fœdè affecta fuit, à ſummo eo ad genu, tribus vlceribus grandibus, minoribus aliis in ambitu duodenis. Ac primùm, pudore muliebri, verecundans partes eas viris oſtendere, mulierum operâ ac curâ vſa fuerat: fruſtrà. adhibuit & chirurgum igitur, peritum, ſedulum: fruſtrà. Ad Diuam confugit, ſomnio etiam monita, in quo ſibi viſa videre ſtatuam eius in *Colle,* & aream, & aram, & ſiluam ambientem: atque

expertecta, calore quodam & inſtinctu interno impelli ſe ad iter ſenſit. Paret, in ipsâ viâ paullò melior facta; magis in loco; maximè cùm domum rediit, vlceribus omnibus, vnico excepto, ſanis. Illud ipſum reliquum, biduo pòſt ſponte coiuit: ipſa quoque faſſa & gloriata de meliore valetudine & viribus, quàm quibus anteà vſa fuiſſet.

CAPVT XXX.

Veneficio affecta & penè confecta mulier, ſanitatem recipit.

B AT mirum etiam hîc factum euentúſque narranda, in fæminâ item ſexagenariâ: quæ veneficio, nec ſine Geniali operâ, affecta diu languit, & in ſolâ Diuæ benignitate repperit medelam. *Magdalena Preud'homme* illi nomen, patria Bruxella, artificium veſtes aut ſcruta vendere, quo quæſtu ſe & vitam tenebat. Fuit vt anno cIɔ. Iɔ. xciii. id eſt ante annos decem, *Berthemum* pagum veniret, iuxta Louanium, & id tempore meſſis. Ibi in agro, & dum frumenta demeſſa colliguntur, & deportantur; villicus hanc orat cuſtodiæ operam dare, & nequis ſpecie ſpicas legendi auferret. Suſcipit, & ecce fæmina eiuſdem pagi aduenit, & manipulos aliquot capit, aſportat. Villicus ab iſtâ monitus, perſequitur, & compertam malè excipit, & ipſum frumentum aufert. Indignata fæmilla, & huic ſtatim minata, vt iudi-
C ci: *Et tu*, inquit, *tuo malo hoc mihi lues. Nam garrula, accuſaſti*. Eunt domum vtraque, & in vicino hæc diuerſabatur: venitque mala fæmina, ſed vultu bona; & faſeolos aliquot frixos ei offert. De irâ etiam præteritâ dicit, ſed præteritâ: obliteratum hoc totum in animo eſſe. Magdalena haud libens, tamen vel hoc nomine capit, ne videatur offenſa: comedit pauculos, febrile aliquid eâ nocte ſentit. Manè iterùm in agro, & dolor capitis aduenit, acer, intolerabilis: ſic vt illa ſe torqueret, verteret, inſanum in modum. Veſpere etiam diarrhœa vehemens moleſtauit, & perſeuerauit. Notæ fæminæ, & quæ malam illam nouerant, hanc obiurgare, quòd cibos de manu eius ſumpſiſſet, quæ venefica vulgò audiret. Serum erat. redit Bruxellam Magdalena, & cubiculum ſibi conducit
D apud *Simonem* quendam in Sabuleto: ſed non diu hæret, quia ille ſordes eas & continuum (ſit honos auribus) ſterquilinium abhorrens, migrare iuſſit: quod etiam ter quatérque aliis locis euênit. Omnes fugere, deſpuere: & velut purgamentum eam habere. Plures annos in hac miſeriâ egit, & ferè die ac nocte, quadraginta deiectiones habebat. Quæſierat interim remedia à medicis, non inuenerat: Berthemium etiam redierat, ab ipsâ maleficâ petitura, ſed ſupplicio affectam accepit. Quò nunc miſera? ad errorem aut culpam vulgariam. Audijt enim eſſe iuxta Hallas
E hominem talium gnarum, qui iudicare de veneficiis, qui liberare poſſet: adijt, ſpem non retulit, imò ætatem is huic malo eam damnauit. Certè magis magiſque affligebatur, & annum totum nil niſi purum ſanguinem per aluum emiſit. Itaque debilitari ſupra modum, vix pedibus incedere, ſæpè per domum manibus pedibuſque repere. Ecce aliud igitur remedium, ſed contra malum Genium à Genio tali. Mulier Bruxellę conſulta, quæ piatrix habebatur, vinum bibendum porrigit, herbulis aliquot temperatum. Biberat, domum redibat, in viâ iuxta Capucinorum templum malè ſit, & nauſeat, & (iterùm venia) vomit: quid? octo beſtiolas, quæ muſculos recentes à matre
A imitabantur, raro pilo, caudatas, & viuas. Bibit ſecundò, nihil exit: tertiò, piſciculos minutos è vilium capitonum genere duos eijcit, iterùm alîus generis quattuor, denique vermem inſtar modicæ viperæ. Poſt hæc meliùs habere viſa, & præcordia magis libera: ſed fluxus tamen manere, & iam cibi, vt aſſumpti erant, emitti. Decennium, in vniuerſum, hæc afflictio: & miſerante Deo, ſuadetur denique ad matrem eius ire, in *Aſperum* & celebrem illum *Collem*. Deſtinat, ſed ecce fæminæ duæ è notis illuc ierant, & reditum earum exſpectat, auditura plura & rogatura. Cùm rediſſent, altera earum è ligno Quercus, de quâ diximus, fruſtulum cum hac participat, & ſuadet piâ in Diuam veneratione potui inijciat, & bibat. Illa auidè accepto, ſtatim ad templum quod *Ca-*
B *pellam* dicunt (in propinquo habitabat) ire pergit; & ante Virginia altare inclinata, illâ feruidè inuocatâ, fruſtum ore ſumit, atterit, & demittit. Vix factum, ſentit pondus aliquod è ſtomacho ſiniſtram in partem deſcendere: ceterùm toto corpore meliùs habere, atque adeò fluxum illum reprimi & ſiſtere. Læta igitur, ad fæminam donatricem recurrit, nunciat, & ſtatim ad iter ſe parat, & cum aliis adeò ciuibus pergit. Etiam nunc fluxus ceſſare, & fortior melióque aſſiduè in ipsâ viâ fieri: donec propinqua iam *Colli*, vbi ſuppliciorum lucus eſt, ventre ſic doluit, quaſi partus inſtaret. Et coacta ſubſiſtere, alios præmiſit, exceptis duabus fæminis, quarum altera filia eius erat. Ibi adnixa arbori, emiſit parte genitali aliquid, inſtar cullei aut veſicæ, magnitudine heminæ vinariæ circiter: atque id diſploſione quâdam & ſonitu. Fra-
C cta autem veſica (baculis & pedibus id fecêre) ſordes oſtendit varij coloris, & miſcellas, è luteo, viridi, cærulo, nigro. Sed emiſsâ eâ, nimium quantum vegeta & valida mulier facta: ac curſu præeuntes aſſecuta, ſimul ante Diuam preces, & hæc etiam grates, ſuderunt. Fusíſque, reuerſæ iuxta Louanium diuerterunt: cùm eo die Magdalena decem circiter milliaria noſtra, ſine vllâ fatigatione feciſſet. Quid ampliùs? quod res eſt, exſpecta: liberam & immunem deinceps ab omni Geniali illo malo vixiſſe. Hæc in nobili illâ vrbium Bruxellâ nota: nec niſi impudentia neget, impietas cauilletur.

Et quem non Genium fuget,
Quam non Theſſalicam ſtriga,
Magni magna Dei parens?
D *De quâ Sacra profantur,*
Hanc fore, quæ ſerpentis
Contereret caput improbi.
Feciſti ô Dea: porrò fac,
Et fraudes, laqueos Mali
Detege, ſolue, aut frange.

CAP. XXXI.

E
Religioſa virgo ab congenitâ claudicatione reſtituta.

VOLENS ſciénſque omitto quædam: nam quis finis ſit? & patriam fugio, atque ex eâ tędium. Dicam quod in noſtrâ hac vrbe mirabile euênit, & me gnaro ac fortuito quodam teſte. *Catharina Serraertia*, nobili ſtirpe virgo, *Antonij* Equitis filia, Deo caſtitatem & vitam vouit, in cœtu Virginum Louanij, quas *Albas* (ab habito) vulgò vocant, *Diuo Victori* ſacras. Ea ab natiuitate ipsâ clauda fuerat, pede altero breuiore, &, niſi cothurno adiuuaretur, inutili ad greſſum. Cauſſa in coxendice apparebat, vbi os

remotum ſuo ſitu retrorſum eminebat,& velut gibbum reddebat: genu autem ſuppoſitum intrò curuabatur,& breuitatem faciebat quam dixi, palmati circiter modo. Itaque altiuſculo calceo neceſſum habebat attolli, aut nec ambulare. Quid, quòd neque ingeniculare & inflectere, niſi alterum genu, poſſet? Et res hæc nota domeſticis,& amicis omnibus; nota & calceolariis, qui nuper aut olim tales illos cothurnos adaptaſſent. Nota & chirurgis, quos variè pater aduncauerat, peritiſſimos: nec impendij parcus in filiâ,& opum largus. Omnia in naturam pro vano fuêre: ita manſit ad annum quadrageſimum ætatis. En tempore, famâ mota tot miraculorum,& ipſa ad *Collem* adſpirauit: ſed qui quæque præerant (inter eos *Iacobus Ianſſonius*, Theologię Doctor, amicus noſter & Virtutis, commeatum non indulgere,& monere acquieſceret in ſorte, quam Deus adſignaſſet,& melius ita ſalubriúſque cenſeret. Acquieuit, donec ecce Ill^mus^ Princeps *Carolus-Philippus*, Haurechij Marchio, Louanium venit, pietatis ergò ad Diuam illam iturus. Hanc inuitat,& veniam impetrat:& cũ conſorte ſuâ virgine, curru illuc eſt vecta. *Dieſthemium* veſpere diuerterunt, manè cum Marchione ipſa in eſſedo ad Collem:& in viâ, Princeps interrogare (ab ipſo audiui) *Ecquid precari Diuam pro ſanitate, & reſtitutione greſſus vellet?* Illa ambigere,& natiuum hoc malum dicere: tot annos tuliſſe,& porrò laturam quamdiu Deo viſum eſſet: oratum autem pro ſalute & quiete Eccleſiæ, ac patriæ, ſeriò veniſſe. Iam in ſacello, iam ſacro interſunt:& illa ab aure ſiniſtrâ dolorem viſa percipere, qui totum corpus permearet aduſque femur,& tibiam adſectam. Nihil etiam ſuſpicari: ſacris peractis ad prandiolum, inde in eſſedum, in eo Louanium veniunt. Et quia veſpera erat, ſtatim (vt Antiſtitam ſalutauit,& ſe exhibuit) ad cellulam properat; ſed enim in adſcenſu, aduertit calceum illum altiuſculum impedimento ſibi eſſe,& gradum refrænare. Cùm aſcendit igitur, abijcit,& videt abſque eo (numquam anteà factum) inſiſtere,& ambulare rectam poſſe. Percipit & tenſiones quaſdam,& laxationes in totâ eâ parte: atque gaudio attonita, orationi incumbit, Deum & Diuam rogat, firmum & proprium hoc bonum ſibi eſſe. Laſſa denique in lectulum incumbit: manè ſurgens,& experta, videt nihil cothurno opus eſſe. æquales ſoleas ſumit,& iis quaquauerſus inambulat,& Antiſtitam ac ſodales gnaras facit,& ſe oſtendit. Mirari omnes, laudes dicere,& canere: denique fama in vrbem,& ſtatim ad Marchionem deferri. Ego ei fortè aderam,& ſeriis de rebus ſermones erant, conclaui etiam clauſo. Pulſant validè, ingreſſi Miraculum acclamant,& narrant: ipſe gaudio exſultare,& pias lacrymas manare. Mittere tamen *Philippum Numannum* (is tum vnà venerat) virum fidei & probitatis notum, cum alio nobili, vt ipſi adirent & oculis vſurparent, ſatin' certò ita eſſet? Clara, conſpecta omnia: ergo veniam impetrat, vt ſecum ea Virgo Bruxellam iret,& Ser^mæ^ *Iſabellæ*, Principi noſtræ, piiſſimæ feminarum, ſiſteretur. Factum:& ipſa Virgo aſſiduè melior, non greſſum ſolùm, ſed modulum tibiæ (quæ attenuatior anteà) receperat,& gibbum in femore exſtantem amiſerat. Ipſe calceus altior eò latus, quem & nos vidimus,& menſi ſumus, ad modum ſuprà dictum: qui ad aram deinde D. Virginis appenſus, monumentum rei exſtat. Exhibuit ſe omnibus etiam Illmo Antiſtiti Mechlinienſi, qui tum Bruxellæ: is inquiſiuit,& comperit fraude omnia vacua, Deo plena.

CAP. XXXII.

Prolapſus vteri ſubitò repoſitus, firmatúſque.

ITA fuit, neque aliter in *Magdalenâ Hereniâ*, Bruxellæ, virgine adultâ,& quinquaginta circiter annorum. Ea ante annos tres eniſa aliquid ab alto ſumere, dum viribus ſe attollit & ſublimat; interiora viſcerum læſit,& vteri pars procidit, atque in loco quem fæmineus pudor celat, propendit. Turpe malum, triſte malum:& medici vix ſpondent leuamen. Retinaculum aliquod, faſciari & inuolui,& vetare vlteriorem aut totum lapſum. At dolor tamen continuus adeſt,& greſſus impedimẽtum,& quiete etſi inquietâ eſt opus. Ita in illâ fuit ad Octobrem vſque menſem:& tum diuino inſtinctu,& comitatu honeſtiorum matronarum aliquot aut virginum, ad *Collem* ſacrum eſt vecta. Orauit, pars ea reducta & firmata eſt, faſcias Diuæ obtulit liberatrici.

CAPVT XXXIII.

Cephalalgia continua,& permoleſta, ſublata.

SÆPE *Louanium* noſtrum, atque etiamnunc vocat. Quid mirum? ſedes illa pietatis & doctrinæ eſt: in Deum & diuina afficitur,& fructum ac gaudium ſæpè ſentit. Louanij igitur, inter alia religioſorum cœnobia, duo ſunt, quæ Ill^mus^ Princeps *Guilhelmus Croyus*, Dux Soræ,& idem magni illius *Caroli Quinti* educator & doctor, ſuâ pecuniâ ſtruxit: aut certè, eo defuncto, vxor. Sine liberis enim erat,& magnas opes diuino cultui, etiam poſt ſe, impendit. Hoc fine extra oppidum, ad arcem *Heuerleam*, cœtui Cæleſtinorum ſacram ædem,& ædificia alia ampla ſtruxit, inſtruxítque: in ipſâ vrbe, Virginum, quæ ſupremæ Virgini, *Annunciatæ* titulo, ex inſtituto ſacrantur. Inter iſtas erat *Anna Laurentia*, annos nunc ſexaginta tres nata: quæ cùm, de more, inter conſortes caneret (ante annos circiter octodecim) caneret dico,& vocem altiùs tolleret, correpta eſt dolore capitis, qui vltra patientiam eſſet: ſecutúſque tinnitus & ſonitus in eo continuus, velut horologij, per rotulas ſuas labentis. Itaque ſecedere,& diuinis officiis abeſſe plurimùm coacta; cùm adeò cantum non ferret, vt vix vocem aut ſermonẽ elatiorem. Inſomnia accedebat,& corpore ac viribus iã tabeſcebat. Fama tetigit de *Diuâ Aſſpricollê*, animum & preces eò vertit: ſed quia, ex lege, neſas finibus ſacrati loci egredi; ecce Virgines in horto elegerant ſacellum quoddam modicum,& collapſum inſtaurauerant, in quo Diua illa, atque inſtar eius, coleretur. Huc tridnum ſe contulit, piè precibus precata eſt: ſub veſperam, valdè alleuata animo ac corpore, noctem eam quietam habuit, nullo ſonitu interpellante aut moleſtante. Imò expertecta, ſanam ſe ac vegetam ſenſit: ac deinceps bonâ fide manſit.

CAP. XXXIV.

Vehemens Paralyſis curata.

ET tale in religioſâ, ſed vrbe aliâ,& valetudine: Antuerpiæ dico,& in Paralyſi, ac membrorum omnium ſtupore aut inuſu. Erat *Anna Bruyna*, in cœtu *Clariſſarum*, Diuum Franciſcum æmulantium: quæ anno ∞.DC.XCVII. in morbum incidit ancipitem, vel vt iudicabant, extremum: atque adeò bis

Sacramentorum adminiſtratione ad exitum erat, communi decreto, præparata. Tamen refici leuiter viſa: ſed hactenus, vt ſcipione innixa, aut parieti inclinata, ambulare lentè & trepidè poſſet. Mox incumbit malum, & plenâ reſolutione neruorum adfecta, nec ambulare vltrà, nec ingeniculare, nec ſtare quidem potuit: aut ſi loco mouenda eſſet, transferri à duabus fœminis, aut certè trahi, neceſſum haberet. Ipſæ manus plurimùm ſic immobiles, vt cibari alienâ ope manuque, inſtar infantium, deberet. Sex annos impotentia hæc tenuit: nec medici, pharmaca, balnea, vnguina, hilum profuerunt. Deſperata, ad piam illam Matrem reſpexit: & Antiſtitam ſuam rogauit (quoniam ipſa obſtricta non egredi) mittere è Laicis Virginibus, quæ vicem ſuam functæ, munuſculum & preces in *Aſpero Colle* offerrent. [v. Kal. Octob.] Facilè impetrat, eunt, biduum orât: ipſo tertio die, manè cùm expertecta Anna eſſet, dolor etiam habuit & angor, in morbo nondum ſoluto. Tamen confiſa dixit, *Et quis Deo legem ponit? quis miſerationi eius terminum? Quod non eſt, eſſe poteſt: imò erit, adiuua ô Diua.* Dixerat, vigorem nouum capit, & impetum ſurgendi, atque ad Chorum eundi. Arripit baculum lecto vicinum, innititur: procedit, videt opus non eſſe, abiicit: & ſine adminiculo (mirata ipſa, cruce ſe ſignans, & bis térque precata) ad Chorum venit, proſternitur, laudes & grates Deo ac Diuæ dicit. Facit idem Antiſtita, ab ipſa iam monita, & publicè vniuerſus ille cœtus. O gratas à piis illis laudes! & addo, ſanitatem huic ratam.

CAPVT XXXV.

A duro & diro Cancro virgo religioſa liberata.

ITARVM in clarâ vrbium *Antuerpia*, & in religioſâ Virgine *Margareta Perria*, Miraculum illuſtre. Ea Margareta in cœtu tertij ordinis *D. Franciſci*, agebat annum trigeſimum: & iam duos annos ac menſes quattuor infeſtata duro tumore, in vtràque mammâ, fuerat: quem medici conſenſu *Cancrum* definierunt. Et erat. nam præter duritiem, quæ lapidis videbatur, liuor aderat, perpetuus dolor & exeſio: & ſerpebat ſub alam in dorſum vſque malum. Horrebant, qui adſpiciebant: quid illa miſera quæ ſerebat? Non motum, non quietē tolerabat: ipſas noctes inſomnes plurimùm, & ſedens (nam decūbere inimicum) trāſigebat. Brachium prætereà alterum ſtupere & rigeſcere, & nec ad caput admouere poſſe. Quid etiam? ô Deus benè tuos exerces: herniæ malū iam ab octo annis affligebat. Medici, medicæ, variè aduocati aut euocati, manum adhibuerunt, non remedium, & victi denique ægram deponere, & carcinoma illud non, niſi diuinâ ope, curandum dictitare. Ea adfuit, & Diua Aſpricollis, ab hac occaſione. Iam narraui, *Annam Bruynam* in eâdem vrbe miraculo perſanatam: vēnit ad huius aures, ſpem & votum concipit, & Antiſtitam ſuam adit, & commeatum poſcit. [Pridie Nonas Nouẽb.] Hæc indulget, comitem è ſuis adiungit: perueniunt, orant, & trino ſacrificio Miſſæ interſunt. In primo, debilitari & langueſcere ſatis cœpit: ſed ſacro Domini corpori cùm communicaſſet, meliùs exinde habuit, & mox in tertio ſacrificio viſa manū ſentire certò, quæ fricaret & demulceret partes cauſſarias, & dolorem tolleret, atque adeò ſanaret. quam manum, niſi diuinam? Illam, illam: & omni malo depulſo, extemplò, imò in templo, conualuit: omni. etiam illo Herniæ, quod vt dixi, vetus habebat. Quæ, putas, lætitia ſacratum Virginum, cùm ad eas rediit? quæ admiratio medicorum, & ibi ciuium? Omnes concurrere, ad videndum: illi etiam, ad tractādum & explorandum. Vera ſanitas erat, nihil inimicum: & vera etiamnunc manet. O Diua, quæ non curanda curas, hanc deſperatam patriam etiam adſpice & adiuua. Nam

Altera iam bello ciuili voluitur ætas,
Suiſque Belga viribus
Interit, ac toti debet ludibria mundo:
Heu triſte fatum! quis modus
Et quis finis erit? finis, ſi turbida vita,
Emancipata crimini,
Mundatur, ſi vindicat hanc ſibi maſcula virtus.
Tu Diua conantes iuua.
Et veluti cancer ferus ille quieuit, & à te
Prohibitus vltrà ſerpere:
Sic gangrena mali deſæuiat inteſtini,
Et in vicem veniat Quies.
Illa Quies optata bonis, & ſuſpirata:
Adſpira, & indulge frui.

CAPVT XXXVI.

Languor varius mixtúſque curatus.

EST Louanij in meâ viciniâ, ſic vt manu tangi pæne poſſit, *Thomas Blyleuius*, vir perhoneſtus & amicus noſter, vigilum vigil Præfectus. Filia illi eſt, aut fuit (nam Deo dedit & dedicauit) *Michaela*, quæ in B. Virginis *Annunciatæ* cœnobio religioſam vitam eſt profeſſa. Hæc in languorem incidit prauum, occultum, incertâ cauſa: qui cor aſſiduè obſideret, & angeret; item ſuſpirium gigneret; imbecillitatem denique omnium virium pareret; ſudore, vno aliquo die, vel ſepties erumpente. Nauſea ſtomachi acceſſit, nec appetitu, ſed imperio, leue aliquid cibi ſumebat. Sex menſes ita languit, nec periti noſtri medici profuêre: profuit illa cæleſtis, & *Virgini Aſpricolli* ſe deuouit, eiúſque ſacellum (quod antè monui) in horto ibi piè ſtructum adornatumque, inuiſit. Dum illîc ergo precatur, vigorem nouum in corpore ſentiſcit: eodémque die in genua proſtrata, orationes aliquot ſolitas legit. Hoc ei à quinque menſibus non licitum animos addit: & nocte in pſallentium chorum ingreſſa, dum cum iiſdem pſallit, ipſo momento quo inclytum illud *Salue Regina* canitur, manum ſuper humeros incumbentem & prementem percipit, atque adeò ipſos digitos tractim diducentem. Mota eſt, & ſubtiluit, & reſpexit: neminem videt. Lectum & ſomnum petiit, iterum ſurrexit, & manè in templo ſic clarum & validum voce ſuâ concinuit, vt mirarentur aliæ Virgines, quæ tam ſonora vox, & vnde hoc robur? Talis eſt, & maneat: pro patriâ, parentibus, ſed & vicinis oret.

CAPVT XXXVII.

Apoplexia & Spaſmus fugantur.

EST Antuerpiæ *Angela Vvonteria*, patre *Matthiâ*, vaſculario; quæ tredecim annos nata incidit in Apoplexiam, & præſertim dextri totius lateris. Adhærebat tremor & quaſſatio artuum, vt ire, ſtare, ſedere ſine agitatione non poſſet. Ampliùs, lingua & os primùm impediri, & balbum loqui: tum muteſcere, & ſenſu denique alienari, & palàm dementire. Spaſmum ſiue conuulſionem mixtam eſſe, medici etiam cenſebant: ſed medelam nemo ferebat. Parentes mœſti, ſuaſi ſunt ad Diuam noſtram hanc ducere: quod deſtinant vouéntque facere, vtique cum eâ eorum alter. Dum in eo ſunt, Virginis feſtum, quod *Præſentatio* dicitur, aduênit: & pater obſeruat, ac manè vxorem monet. cum filiâ ad templum Diuæ ſacrum in eâ vrbe ire, & precari. Exſequitur, ceterum

emit,& puellæ iubet accendere, accenſúmque ante A
aram Diuæ collocare. Quod fecit, ipſâ manu ægrâ; quam attollere tamen, niſi adiuuante alterâ, non quiuit. Ecce autem hîc mirum. cereus ille ſic benè accenſus, ſponte extinguitur, ſine vento aut aliâ vi; iterúmque accenditur, reponitur vt antè; exſtinguitur ſecundò, tertióque fit idem. Mater mirata, & toto corde Deum precata pro filiæ ſalute, pro ſuo ſolatio, domum redit. Nihil eo die filia mutat: ſed ſequenti, benè manè ſurgit, ſeſe veſtit, calceat, deſcendit. Mirantur parentes, & trepidè gaudent: mater, *Quis te alleuauit, & veſtiit?* Illa, *Ego me*, inquit. *Sine alienâ operâ? Sine vllâ.* Tum iſti ſeriò gaudere: & magis cùm ambulare, ſedere, ſtare, omnia pro ſanâ facere vident. Et gratias ergo Diuæ agunt, & tam inopinatam ei B
ſalutem meritò adſcribunt, & diuulgant.

CAPVT XXXVIII.

Mirus, nec ſine Genio fortaſſe morbus, tollitur.

IBIDEM etiam *Barbara à Bergis, Gerardi* Doctoris medici filia, in monaſterio deuota Deo virgo erat, quod *Diui Auguſtini* inſtitutum & normam profitetur, & inter pia opera, Elephantiacis ſiue leproſis curat. Hæc annos triginta ſex fecerat, cùm incerto morbo, ſed graui detinetur, qui ſex totos annos & tres C
menſes adfixam lectulo habet. Incerto dixi. nam medici variè diſſerebant; alij Cancrum internum eſſe; alij Melancholiam Hypochondriacam, ſed variis ſymptomatis mixtam. Certè grauia & inſolita patiebatur. vt, cordis perpetuam ferè palpitationem; vt, angorem & animi deliquium, quod occupabat, ſimul aliquis vel leuiter eam tangeret: atque ita, vt mortem in limine eſſe iudicares. Inde factum, vt vix bis térque in anno lecto demoueretur, concinnandi & insternendi cauſsâ: & huc tam periculosè, vt quâdam vice in lectulum humi depoſitam, & ſic ægreſcentem, nemo auſus ſit tangere, manſeritque ad quindecim dies. Multis & primariis viris hæc nota, quos nouitas rei ad viſendum, aut & miſeratio excitabat: at- D
que eò res venit, vt neque linteo corpus mundare aut tergere: quid corpus? nec ſpondam aut partem lignei lecti digito libare, ſine manifeſto eius deliquio, liceret. Itaque virgines, quæ curabant, lectum interim ſpinis circumdederant, nequis temerè manum admoueret, cum tantâ ægræ noxâ. Ampliùs, contractio neruorum ex tam longo decubitu ſecuta, & ſiniſtra tibia toto pede breuior, quàm dextra erat. Denique ſex ipſos menſes (obſerua) ante curationem, lecto ſe non mouerat: viua non viua, portentum vix homo. Et ſanè aliquid Geniale huic toti morbo interueniſſe, facilè ego ſuadeor: neque mirum igitur, humanâ nullâ ope ſublatum. Diuinâ opus fuit, & ad hanc ventum. Virgo noſtra, iam in eâ vrbe celebris, inuo- E
cata; & ipſa Præfecta cœtui, pia & amans ſuarum fœmina, vicem ægræ, eò iuit. Redit, nihil mutatum repperit: nec ægra tamen animo aut ſpe deficitur, ſed ait *Deſtinatum ſibi, ter eò mittere, aut certè ipſam ſe (quod ſperabat) tertiò illuc ire.* Sub id tempus, perhoneſtus quidam Canonicus Antuerpiæ, ſacrificium Miſſæ in eo cœnobio fortè offerebat: oblatóque, ad ægram viſit, vt anteà ſæpiùs, & dicit, in ipſo ſacrificio memorem ſe eius precibus fuiſſe, & decreuiſſe ad Diuam, vicem illius, ire. Valdè lætari viſa eſt, hoc promiſſo. & ipſe in rem contulit, atque vnà cum *Vulmaro Scheto*, qui Paſtor in eo loco, iter ineunt, & ad. III. Nonarum Nouembrium ibi ſe ſiſtunt. Myſticum ſacrum pro eâ offerunt: & ecce eodem die, vires illa abſens recipere viſa eſt, ſed mox acres dolores ſecuti, ſic vt in febrim morbus tranſiret. Sequenti autem die, iterùm emendatio & alacritas, & vnam ex aſſiſtentibus rogat, manum ſibi commodare leuaturæ. Facit, & tactu illo (quod ſolet) non offenditur, imò adſurgit, pedibus inſtat: quod altera ſic miratur, vt clamet, & eam deſerat, iterùm in lectum ſic delapſam. Sed ſequenti ecce die, ſeriò & certò iam ſanam ſe approbat. veſtes manè petit, ſumit, ipſa induit, nullo adiutorio: deſcendit, ambulat, ad focum ſedet, cibum potúmque capit. Quæ voces videntium, quæ gaudia? lacrimas etiam aliquæ non tenent. At illa magis magiſque vigeſcere: & faſſa eſt, infundi ſibi vires, vt aquam ab alto, & per corpus totum manare ac diſpergi. Sic igitur refecta, ipſa tertiam peregrinationem (quod prædixerat) ad Diuam noſtram obiuit, rediuit, populiſque mirantibus ſe oſtendit.

CAPVT XXXIX.

Auditus ſurdæ reditus.

OVdergemium pagus eſt, in exitu Sogniacenſis ſiluæ, Bruxellam verſus: & ibi Virginum cœnobium à Ducibus Brabantiæ, inter plura alia inſtitutum, vt pietas maiorum fuit. Inter eas *Hadriana Gouſia*, quæ ab annis iam triginta octo ſurda facta erat: vt, non dicam verba aut ſermones, ſed nec cantum, nec validum campani æris ſonum audiret, niſi leuiter & incertò. Adhærebat dolor in vertice capitis aſſiduus, & ſtrepitus in auribus permoleſtus, qui murmur rotæ molaris referret. Poſt medicos, ad *Diuam Aſpricollem* bis miſit: & à reditu, cùm noctu quieti ſe componeret, nondum etiam dormiens: vidit adſtantem lecto Diuam Virginem, quæ oculis ſublatis intentíſque adſpiciebat. Primùm formidine aliquâ correpta eſt; ſed depulsâ, ad preces ſe vertit, & ſanitatem ab eâ ſupplex rogat. Statim Diua manum exſerit, tempus vtrumque in capite ei tangit, tangit & oculos: & verba addidit, quæ edere Virgini non eſt viſum. At ſequenti die meliùs illa audire, & mox meliùs meliúſque, donec ad verum & veterem ſenſum venit.

CAPVT XL.

Clauda in greſſum erigitur.

MArgareta, filia *Ioannis Neomagi*, aromatarij Antuerpiæ, tredecim annos nata, clauda ab infantiâ fuerat, id eſt à ſexto ætatis menſe. Clauda inquam, vt toto palmo pes alter retractior eſſet, & in calceo altiore ac ſuffulto ambularet: id quoque ægrè, nec niſi digitis primoribus, calce ſolum vix calcans. Patrem igitur orat, copiâ hac miraculorum excita, ad Diuam iſtam ſe mitti: mittit, & cum eâ ancillam. Biduum ibi ſunt, orant: ipſo ſecundo die, Miſſæ ſacrificio, animus puellæ dicit (id eſt, bonus Genius) ſanam eſſe, adſurgeret, experiretur. Audit, ancillæ dicit, & calceum altiorem abiicit, vtroque pede æqualiter inſiſtit. Dieſthemium veniunt, alios calceos pares emunt, domum redeunt, lætificant parentes.

CAPVT XLI.

Puella malis Geniis inceſſa, & diu poſſeſſa, vindicatur & ſibi redditur.

INſulas Flandriæ opidum appellamus, mercatu & opibus celebre: in quo *Catharina Buſia* erat, ſed non pro nomine ſuo pura. Malus Genius, aut veriùs Genij, eam ſedem ſibi, arcano Dei permiſſu, legerant ceperántque, & iam ab anno ætatis decimoſexto tenebant. O puellæ miſerias, aut iniurias! torquebant,

diſtra

diſtrahebant, geſtus motúſque fœdos, aut ſupra naturam validos, edebant: & ſæpè quini aut ſeni homines non erant coërcendæ. Quid, quòd Latinè, Græcè, Hebraïcè loquebatur? Quid, quòd præterita & occulta edicebat, facta aliena, aut culpas? Et euênit, cùm duo milites (Heluetij erant) ſigna & caſtra deſeruiſſent ad Oſtendam, & in opidum illud veniſſent, rumorem ſparſerunt de eâ deditâ, & valdè adfirmarunt. Creduli ciues lætari, alius alij nunciare: ſed hæc, interno ſuo auctore, falſa dicere, & ampliùs addere, *Duos illos profugos eſſe, & ex opido Nouoportu argenteam thecam, Dominici corporis receptaculum, furto abſtuliſſe. Rem ſic habere inquirerent: ſeſe autem cogi ad vulgandum a magno* (ita loquebatur) *magiſtro*. Inquiſitu, comperti ſunt: & talia multa efferebat. Amici ad Exorciſmos Eccleſiæ ſollennes, rem deduxerunt. ſæpè vſurpati, & iterati ſunt: cum illo dénique fructu, vt ſeptem Genij (tot ſe eſſe dixerant) eiicerentur. Sed falsò dixerant, plures enim erant, quod res oſtendit. Priuſquam autem eiicerentur, dignum memoratu, per puellæ os acus multas effuderunt, item ſulphur, nummum argenteum eroſum, clauum ferreum palmarem. Sed quod meritò admiremur, in turbâ adſiſtentium fuit vnus, qui à Diuâ noſtrâ recèns veniret: quem puella deſignans, *Es tu*, inquit, *ibi es? Vnde venias, quid adferas, ſatis ſcio. A Mariâ illâ Aſpricolle es, quam viſum iuiſti*. Alij in eum oculos coniiciunt, & ipſe adiurator ſiue Exorciſta (cui *Silueſtro* nomen, è Capucinorum cœtu) appellat eum, & rogat. Ille fatetur, & quercus etiam fragmentum ſe adferre. Silueſter bono conſilio, an inſtinctu potiùs, de quercu aſſulam poſcit, & ſumit: & puellæ in os inſerit, ac iubet comedere ac demittere. Paret. vix demiſerat, cùm Genius in gutture ſe oſtendit, clamat & queritur ardere ſe ac torqueri à ligno. addidit, tres etiam reliquos ſe in hoſpitio iſto eſſe. Iterúmque adiuratus & adiurati de egreſſu, facturos reſpondent, idque *virtute & intercesſione Mariæ Aſpricollis. Quo ſigno?* inquit ille: *Vitream*, inquiunt, *frangemus*. Duo egreſſi, frangunt: tertius vltimuſque clauum ferreum è pariete eductum in vitream proiicit, nec tamen tangit. At ille in exitu altùm clamat, *Viuat Domina Aſpricollis, quæ egredi me cogit*. Quid? inquies. ipſe laudat & magnificat? Ita. ſic & à Chriſto olim eiecti, prædicabant, & teſtabantur *filium Dei eſſe*. Sed de puellâ, pura ſemel facta, ex eo manſit, ad Collem venit, nouem ibi dies precata, & ſacris operata eſt. O quis ille malus. Diuæ vires abnuat, quas princeps malorum Genius agnoſcit?

CAPVT XLII.

Cæcus ab vtroque oculo illuminatur.

ANtonius Grotius, è confinio Antuerpiæ, militem ibidem in propugnaculo aliquo egit. Ante annus ferè ſeptem, defluxio in oculum dextrum facta vexauit, & adegit Antuerpiam ire, medicinæ cauſſâ. Adhibita eſt, ſed adeò non iuuit, vt cæcum fecerit, amiſſo prorſus oculi eius vſu. Redit ad militiam: & biennio pòſt idem fluxus in alterum oculum incubuit, eodem fine. Nam & huius vſum intra dies octo planiſſimè amiſit. Ita militiam coactus deſerere, Antuerpiam ſe contulit, reſculas ſuas vendidit, & paulliſper eâ pecuniâ ſe tolerauit. Inſumptâ, ad mendicimonium verſus, ſtipe aut cibo vicatim quæſito ſuſtentabatur. Sed audito de Diuâ Virgine, ad eam iter deſtinat, & ingreditur, puero ductore. Preces fundit, triduum hæret, ac quoque die bis aquâ ibi fontanâ oculos lauat. Primo die nihil mutat: ſequenti, dolores acutos in capite, & præſertim circa oculos, habet; tertiò, cùm Dominicum corpus ſumpſiſſet, & ſub veſperam in Sacello precaretur, viſum ei vincula quædam in oculis rumpi, & ſtatim aperti ſunt, manſeruntque, ad plenam viſionem. Multi grauéſque teſtes, & mali huius, & remedij: nec ambigere eſt, niſi iis, qui ex profeſſo impugnant Diuam & diuina.

CAPVT XLIII.

Herpes exedens ſiſtitur, fugatúrque.

HAdrianus Aſbroeckius, natum Bruxellæ nomen & in munere publico, filium *Guilielmum* habuit, quem *Herpes* occupauit, & depaſci cœpit: ex illo peſſimo genere, quem *Exedentem* medici vocant, inſtar ignis peruadentem & abſumentem. Puſtulæ erant, & papulæ, ſed ſtillantes pure ſordido: atque eæ toto corpore, totâ facie ſparſæ, vt liberum nihil, præter os ſolum, eſſet. Pruritus accedebat, & pueri frictus aſſiduus, ſic vt ſanguis paſſim manaret: & iam penetrabant vlcera atque exedebant cutem, carnem, ad ipſa vſque oſſa. Fœdus aſpectus, & fugabat videntes. Medici adhiberi abſiſtere, indomitum malum cenſere: Diua aduocatur. Parens vterque puerum defert, & offert: redeunt, nec medelæ copiam primò vident. Sed mox deinde apparuit vlcera ſiccari, minui, euaneſcere: vt intra quindecim dies nihil maligni in corpore eſſet, ſpecie omni morbi, cum ipſo, depulsâ. Ne cicatrix quidem (ô mirabile!) vſquam conſpici potuit. VII Kal. Iulias.

CAP. XLIIII.

Vulnus incurabile curatum.

IOannes Courteſius, inter belli adminiſtros Antuerpiæ domum habebat. Fortè in Campaniâ noſtrâ, ad *Hoochſtratam* arcem, in rixâ aliquâ, ictus gladio punctim fuit: idque in manu iuxta pollicem, ſed ita vt ad cubitum læſio & vis pertingeret, ac nerui plerique brachij abſcinderentur. Dum curatur, inflammatio ſuperuênit, & medicantium ſententia decretoria, brachium amitti atque abſcindi, aut vitam debere. Ille tamen mollior ad iſta, abnuere: & mortem potiùs eligere: ſed ante omnia ad Diuam Hallenſem recurrere, & votum ei vouere. Audit ab ipſo voto, & intra paucos dies ſanitatem recipit, & vires: ita vt Antuerpiam rediret, & inde Hallas iret. Ceterùm plena illa ſanitas non fuit; manus manca, & digiti tres primores rigidi, & ſine motu, manſerunt. Non impotentia hæc (nos ſcimus) numinis, ſed prouidentia fuit: & in partem venire Diuam etiam *Aſpricollem* voluit, aut potiùs idem Deus & Diua hîc etiam reliqua beneficij ire expunctum. Venit eò, inuocat: globulos, quibus preces ſolet perſoluere, ſacerdoti offert, vt ſacram ſtatuam tangant. Dum recipit, manum laxatam videt, moueri, claudi, vt anteà, & nihil ex contractione vltrà eſſe. Prid. Nonas Iulij. ∞.IϽC.IIII.

CAPVT XLV.

Fœda facies membrorum correcta, & congenita reductio laxata.

PLVRA ſunt, & ſciens quædam omiſi: quàm multa & ipſi, qui beneficia adepti, gaudij ſui tacitâ conſcientiâ contenti, non retulerunt ad Actuarium, aut expreſſerunt? Pænè liquet, altera tanta dictis eſſe. At claudam iam (nec Diua tamen adhuc ſuum fontem:) ſed ego, inquam, claudam inſigni & nobili cu-

ratione hominis exierat, quæ Belgicam famâ & admiratione ſui impleuit. Erat Bruxellæ *Ioannes Clemens*, filius *Iacobi*, Lucernæ io medus Heluetius natus. Sed ad hæc luca cum patre venit, quo tempore *Erneſtus Auſtriacus* præerat: ô Princeps bonus, & bono noſtro natus, ſi Deo viſum diuturnum eum hîc eſſe! Venit aotem ipſe pater, in comitatu Poloni viri nobilis, *Tobia Metzkue*, cui, in peritiâ aliquâ linguarum, pro interprete eſſet. Sed enim iſte *Ioannes* à natiuitate claudus, debilis, imò monſtruſâ quâdam facie corporis fuit. Tibiæ & pedes contracti, & antrorſum verſi in pectus: ſic vt genua iniungerentur & adhærefcerent, nec eſſet digitum aut aliud immittere, tamquam natiuâ concretione. Imò verò cauitas, & velut putei, apparuerunt ſub pectore, cùm ſanatus ille fuit. Idem in vtraque femore, & ventre imo iungebantur. Globoſum aliquod corpus diceres, nec ſtare, iacere, ambulare idoneum: ſedere tantùm, & ſedendo proſerpere, manuum aliquo nixu, quæ fuleris etiam iuuabantur. Hæc deformitas parti dolori, matri etiam exitio fuerat: quæ in partu obiit, cùm ventre exſecto *Caſo* hic prodiit, triſti fato. Talis igitur, cum patre delatus inter impedimenta, variis Belgicæ locis cum eo fuit: vbique viſus, deteſtatione aut miſeratione, vt ingenium hominum erat. Pater varia tentauit, curando & corrigendo: etiam ad inclytas thermas Aquægraneoſium miſit: ſed dum ibi eſt, patrem amiſit, à prædonibus interfectum. Noua calamitas. Bruxellam rediit, paternam peculiolam conſumpſit, benignitate alienâ deinceps ſuſtentatus: ibi, Antuerpiæ, in ipsâ Batauiâ, Zelandiâ: nam & ad hæc luca errabundus iuit. Tamen religione tactus ad nos rediit, & ſtipe diurnâ victitauit: donec moti miſeratione aliqui ciuium, picturæ artem
co. 1ɔci. diſcere fecerunt, & magiſtrum repperetunt. Diſcit, & inibi crebrâ famâ motus, capitur ad Diuam noſtram venire, ſi fortè & ipſe opem ac ſolatium referret. Vectus eſt curru, in Sacellum repſit, culpas con-
Nonis Iulis. feſſione & pœnitentiâ expiauit, ſacram hoſtiam ſumpſit: & paullò pòſt angi viſus & animo collabi, item dolores in omni corpore ſentire: denique ſudor à capite ad calces diffluere. Er dom conatur egredi, atque aëre refici, magis increuit morbus: manſitque volens nolens totum diem in veſperam. Tunc ſolleones Diuæ laudes canebantur, & ipſe ante aram: ſentitque palàm à terrâ ſe attolli, & pedes antè contortus & ligatos laxari, deiici: idque thorace, qui velabat, per vim diſrupto: & ſtatim directus, pedibus ſuis ſtetit. Ipſe attonitus: quid alij? io tantâ mutatione, animo iterùm labi & corpore viſus; ſed erigitur, in ſede collocatur, veſtes tegendo adferuntur, & feminalia inducuntur. Vires deinde magis magiſque augeſcere: ipſæ tibiæ tenues & exſuccæ, carne &

A ſanguine impleri. Alterum autem mirum. vulnus in capite ante dies quindecim acceperat, nec id coïuerat: coïuit ſponte ipſo illo tempore, & cicatricem accepit. Hæc turbis ibi viſa, hæc Louaoij cùm rediit, hæc Bruxellæ: & quis non occurrit? Audiui medicus primarios, & talium haud temerè credulus, exclamantes, *Verè hanc vim & manum Dei eſſe.*

CAPVT XLVI.

Finis, & pro Patriâ preces.

B VERa fuit, & tua ô DIVA: porrò beneficia eſſe perge, & in corpore animum etiam cura. Cura illos, qui à Deo & à te verſi, priſca ſacra & ritus deſeruerunt, nouis adhæſerunt: iterùm deſerant, & tam claris ſignis moniti hîc Deum, hîc pietatem eſſe, rebus ducti aſſeotiantur. Et patriæ denique adflictæ, & iam extremum pæoè ſuſpirantis, miſerere: quod verſu ſerò & calidè rogamus: audi, exaudi.

DIVA, *quæ gentes hominum, ſalutis*
Exſules, partu recreas beato:
Aſtra quæ pandis, veterumque mutas
Fata parentum.
DIVA, *quæ gaudens iterare dona*
Erigis lapſos, trepidiſque robur
C *Addis, & ſeruas variis periclis*
Vndique cinctos.
Clamat hoc ætas vetus, iſta clamat:
Belgica hoc HALLIS, GRVOITSQVE, *vidit,*
Et palàm iamnunc videt in propinquo
Colle SICHAMI.
Hîc tui vultus modica eſt imago,
Sed potens præſénſque leuare noxas,
Quas neget curare vel Aeſculapi
Doctæ medela:
Cedit hîc febris mala, cedit hydrops,
Claudus hîc greſſum recipit, ſonorem
Surdus admittit, radios dies
Cæcus ab ortu.
Adſtupet quiſquis videt, & ſolutâ
Voce mox laudans, precibus fatigat,
Vt ſibi cariſque ſuis viciſſim
D *Suppetieris.*
DIVA *fac nobis, miſerare Belgas:*
Quos nimis ſæuis agitat procellis
Ciuicum bellum, & minitatur ipſam
Mergere nauim.
Tu malis feſſos releua, & fauente
Pacis, indulge, recreemur aurâ:
Tunc tibi laudes, Dea, dicet omnis
Sexus & ætas.

FINIS.

REIE

REIECTIVNCVLA
SANNIONIS CVIVSDAM
BATAVI.

FVIT *hiſ diebus, Lector, neſcio quis homo nebulo (ita eſt, & nugas meras & ſordes loquitur, & id plebeiâ ſuâ linguâ) homo, inquam, nebulo qui* DIVAM *& me peteret, & conuiciorum ſtrue vtrumque oneraret. Vidi, legi, riſi, etſi in morbo atque eo ancipiti: denique atra etiam bilis mea, credo, incaluit, & hæc pauca apud te dicere vel fundere iuſſit, quamuis neglectim. Quid enim accuratè in illum opus, quem ego infra iram meam exiſtimo: iram? etiam vires, & primis dentibus (ne inuidioſum ſit) leo leporem hunc frangam. Miſer, quid facis?* χύτρα ϗ πέτρα, vt verbum eſt, ἀσύμφωνα: comparem aliquem tuum quære. Et quid tamen ait noſter balathro? Primùm,* me è Batauis diſceſſiſſe. *Hoc fateor, & volui, & addam debui: cur liberum mihi non eſſet?* Aluerunt te, *inquis. Quid? ſuperuacuum, aut terræ onus? Ego profeſſionem meam tredecim annorum illis imputo, & cum humanitate litteras, & ſcientiam cum prudentiâ, ſparſa in eorum iuuentutem. Adeſte, quàm multi è diſciplinâ meâ etiamnunc fatemini? milleni, & exteros omitto.* Atqui dolo abij, & perfidiam miſcui. *De dolo agnoſco, ſed bono: de perfidiâ, quis præter iſtas caniculas dicit? Petite à Curatoribus Academiæ, petite à Senatu Leidenſi: nemo obligatum me in diem vnum dicet. Liber & meæ ſpontis eò veni, liber & meæ ſpontis diſceſſi. Spem feci reditus, fateor: ſed ſpem, non promiſſum: & cùm in Spadanis aquis fui, ſtatim ad eos ſuper mente aut decreto meo ſcripſi, non mutando, etſi illi aureos montes (fatendum eſt, & benignitati habeo gratiam) offerrent. Inquirite imperiti aut iuuenes, ſeniores vos docebunt. Sed altera calumnia,* In religione mutaui. *Nego. in ſede veſtrâ, non in ſenſu fui. & vt in peregrinatione, corporis non animi requiem illîc elegi. In tempore, vt meum ingenium eſt, quietè modeſtéque me habui: an in ſacra aut ritus veſtros tranſiui? nec impudentia hoc dicet. Et fac feciſſe:* non ſuffundar errore (*ait Tertullianus*) quo caruiſſe delector. *& cum gaudio meliorem me recognoſcam. Bona iſta leuitas, quæ attollit & ad alta ducit. Quid deinde etiam?* In Eburones veni, & illîc rem meam feci. *Dij deæq́; obolum nemo eſt in Eburonum terrâ qui tunc mihi dederit: meum ſalem, vt ſic dicam, linxi, & valetudini ſaltem curandæ illîc vixi. Humanitas tamen & comitas inuiſentium, atque etiam inuitantium, non defuit, agnoſco: & amicos habui, atque habeo: & oblata iamtunc à* SER^{MO} *illo* PRINCIPE, *ad quæ nec popularium meorum benignitas acceſſit. Sed patriam antehabui: quo fine?* Ambitionis, *ait ille*: & vt ad purpuram viam mihi munirem. *O quàm rem tetigit! ô acre & ardens meum illud votum! Non ſic Empedocles amore immortalitatis in Aetnâ, vt ego in hoc igne. Quis leget iſta ſine riſu, imò ſine iracundiâ, qui me quidem vel extremis lineis norit? Modeſtia, modeſtia eſt, quam appeto, quam præfero: & quæ ſæpè iam efferendum retinuit & repreſſit. In Batauis ſigna dedi, & ſciunt amici: quid iam & olim hîc? ſileo. Reliqua in eo ſcripto ſunt meri luſus, aut conuicia: & quibus, ita me Deus, non habeo quod reponam. Quid enim? etiam conuicia? cum Catone profiteor*: Iniquam mihi hanc pugnam fore. Nam & malè audiunt iſti ex facili, & dicunt: mihi & dicere moleſtũ eſt, & audiendi ſum inſolitus. *Et quæ etiam conuicia? à curru, naui, ſtabulo: & quæ liberalior animus aut auris, non niſi cum nauſeâ admittat. Atque hæc primaria iſtorũ ars, & velut profeſſio eſt. & ſicut ſimiæ nulli bono vſui, niſi vt ſaltent, morſicent, riſum moueant: ſic noſtri iſti agyrtæ. Ego me componam?** ὗς πρὸς Ἀθηναίαν ἔριν ἤρισε, *audacter dicam: nec linguam aut ſtilum maculo, talium vel contactu. Abite in veſtras tenebras, quibus ſolum nomen* LIPSI *præſcriptum leuiter vos extrahit, grauiùs mox deprimendos. Ego autem ſto, & fulgeo. atque vt ignis paleam exurit, aurum nitidius reddit: ſic iſtæ calumniæ vanum aut vacuum aliquem abſumant, verâ virtute grauem illuſtrant. Nos ij ſumus, cum Deo dicimus: & quidquid obijcitis, bona Famæ aura hunc cygnum leuabit, & à morte canentem etiam audietis. Hæc de me: de* DIVA, *iniurius in ipſam ſim, ſi non dicam refellam, ſed repetam, quæ impudentiſſimus atque impuriſſimus tympanotriba in eam iecit. Illa viuit, videt, atque eam innoco: vt aut cum linguâ mentem meliorem iſtis donet, ſi poteſt; aut ſi non, malos malè perdat: quod optimum iis eſt, & ne vitia & ſupplicia accumulando conſeneſcant. Satis, & nimis in iſtum Lector: erunt alij, erunt, qui maledictis doctioribus fortaſſe protelabunt. vt proteruia & licentia eſt huius æui, quo palmam fert* ——* ὃς μετὰ πᾶσιν ἐρίζεμεν ἔξοχός ἐστι. *Faciant: nos contemnimus, & cum Demoſthene decretum habemus,* *— τὰς τῶν διαβαλλόντων βλασφημίας ἔργῳ ἀπολύεσθαι. *Deus & boni fauete.*

INDEX CAPITVM

ALiquid pro fide Miraculorum; & decorum huius ſcriptionis. Cap.I. pagina 831.a
Fructus huius ſcriptionis: & miracula ad Deum communiter, mox propriè ad verum illum ducere. Cap.II. ibid.a,2
Ad rem ipſam. & obiter de Sichemie, & Celle, & Imagine, & Paſtore. Cap.III. 832.d
Febrium ibi curatio. Imaginis abolitio, & alius ſubſtitutio. Aliquid de quercu. Cap.IIII. ibid.e,2
Sanguinis ſudor in ſtatuâ. Cap.V. 833.d
Puella claudicans correcta. Cap.VI. ibid.b,2
Mulier oculis grauiter affecta, ſtatim ſanata. Cap.VII. ibid d,2
Paralyſis & languor corporis ſublati. Cap.VIII. 834.a
Simile in apoplexiâ, & cæcitate. Cap.IX. ibid e
Quidam ob dicteria punitus. Cap.X. ibid a,2
Rabies, cæcitas, tumor ſimul curata. Cap.XI. ibid.c,2
Antiſtita quædam ab Ictero liberata, itemque Anginâ. Cap.XII. ibid.e,2
Quidam in aſthmate & claudicatione ſanatus. Cap.XIII. 835.c
Apoplectica in pede & manu reſtituitur. Cap.XIIII. ibid.a,2
Claudus & paralyticus erigitur. Cap.XV. ibid.c,2
Hernia, claudicatio, ventris tumor ſublata. Cap.XVI. ibid.e,2
Louanij ſtrumoſa, & vlceroſa miſericè puella, ſanatur. Cap.XVII. 837.b
Fœdum vlcus, & cancri facie, in ſene curatũ. Cap.XVIII. ibid.a,2
Gibberus tumor in virgine æquatus. Cap.XIX. ibid.c,2
Epilepſia frequens & vetus curata. Cap.XX. ibid.e,2
Elephantiacus mundatur. Cap.XXI. 837.b
Hernioſi atque hernioſæ plures ſolidati. Cap.XXII. ibid.c
Pectus graui caſu ſaucium curatur. Cap. XXIII. ibid. d,2
Claudus & vlceroſus perſanatur. Caput XXIIII. ibid.e,2
Valgi Scorbutus tollitur. Cap.XXV. 838.b
Celebritas loci, concurſus, & noſtra iuſſio precéſque. Cap.XXVI. ibid.
Sacer morbus vetus ſublatus. Cap.XXVII. ibid.a,2
Aſthma & Apoplexia ſimul pulſa. Cap. XXVIII. ibid.b,2
Femur fœdè vlceroſum ſaneſcit. Cap.XXIX. ibid.e,2
Veneficio affecta, & penè confecta mulier, ſanitatem recipit. Cap.XXX. 839 a
Religioſa virgo ab congenitâ claudicatione reſtituta. Cap.XXXI. ibid.d,2
Prolapſus vteri ſubitò repoſitus, firmatúſque. Cap.XXXII. ibid a,2
Cephalalgia cõtinua, & permoleſta, ſublata. Cap.XXXIII. ibid.b,2
Vehemens paralyſis curata. Cap.XXXIIII. ibid.e,2
A duro & diro Cancro virgo religioſa curata. Cap.XXXV. 841.c
Languor varias mixtúſque curatus. Cap. XXXVI. ibid.b,2
Apoplexia & Spaſmus fugantur. Cap.XXXVII. ibid.d,2
Mirus, nec ſine genio fortuiſſe morbus tollitur. Caput XXXVIII. 842.b
Audiens ſurda redditus. Cap.XXXIX. ibid.b,2
Clauda in greſſum erigitur. Cap.XL. ibid.d,2
Puella malis genijs infeſſa, & diu poſſeſſa, vindicatur & ſibi redditur. Cap.XLI. ibid.e,2
Cæcus ab vtroque oculo illuminatur. Cap.XLII. 843.d
Herpes exedens ſiſtitur, fugatúrque. Caput XLIII. ibid.a,2
Vulnus incurabile curatum. Cap.XLIIII. ibid.c,2
Fœda facies membrorum correcta, & congenita reductio laxata. Cap.XLV. ibid.e,2
Finis, & pro patriâ preces. Cap.XLVI. 844.a,2

APPROBATIO.

MIRA hæc Dei opera, ad inuocationem, interceſſionem, & honorem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ facta, & iuſſu noſtro conſignata confirmatáque tabulis ac teſtimonijs publicis, clariſſimi diſertiſſimíque D. Iuſti Lipſij pio ſtilo elaborata, luci dentur.

Matthias Archiepiſcopus Mechlinienſis.

LIBELLVS *iſte, vt luculentam habet diuinorum operum narrationem, ita angelico elogio admodum conſentaneè proferetur in lucem:* Etenim Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum eſt, *Tob.* 12.

Guilielmus Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus ac Archiducalis librorum cenſor.

IVSTI

IVSTI LIPSI

LOVANIVM

id eſt,

OPIDI ET ACADEMIÆ EIVS

DESCRIPTIO.

LIBRI TRES.

Alterâ editione, quæ eſt ab vltimâ Auctoris manu, aucti & correcti.

Google

ILL^{MO} ET EXCELL^{MO}

PRINCIPI CAROLO, DVCI CROYO ET ARSCHOTANO, S. R. I. PRINCIPI, EQVITI AVREI VELLERIS.

LOVANIVM & HEVERLEAM, quæ deſcripſi, & quanquam nota, in maiorem notitiam & lucem protraxi, ea cui potiùs, quàm tibi Ill^{me} PRINCEPS donarem & dicarem? Scis vetus vinculum meum, & obſequij velut ſacramentum, quo obſtringor: ſed ipſa res huc etiam ducit, quid dicam temporis huius opportunitas? De re, ecce LOVANIVM, quid niſi veteri affectu & incolatu eſt tuum? Inhabitaſti, & amaſti olim, & optimas ibi artes hauſiſti: quatum fructu ſuauiter paſceris, & aut otia temporum fallis, aut triſtitias ac curas, quæ (vt ſunt humana) interueniunt, mitigas ac ſolaris. Sicut Helena illa, apud Homerum, pharmacum babuit ac propinauit

* Νηπενθές τ' ἀχολόν τε, κακῶν τ' ἐπίληθον ἁπάντων:

tale ſunt amœniores, & magis grauiores illæ litteræ, quas Philoſophiam appellamus. Vtraſque Louanium, noſtra Helena, propinauit: & gratiam debes, ac refers; & vel HEVERLEA tua dicet. Quæ tu illîc opera ſub terrâ, & ſupra eam paraſti, aut paras? quot ædificia, vias, hortos, fontes, arboreta inſtruxiſti & adornaſti, ingenio vel effectu admiranda? Certè LOVANIVM, & in eo ſtudioſi, id eſt è pleraque Europâ iuuentus, obligantur, & voluptatem ac delectationem ſuam DVCI CROYO & ARSCHOTANO inſcribunt. Magne & magnanime PRINCEPS, fruere hac gloriâ, & illud à maximo Ariſtotele dictum tibi habe:

* Οὐ γὰρ εἰς ἑαυτὸν δαπανηρὸς ὁ μεγαλοπρεπής, ἀλλ' εἰς τὰ κοινά.

Alij in luxum, conuiuia, aleam impendunt, vt nunc ſunt mores: tu poſteritatem habes in oculis, & vix, niſi alienum fructum, in operibus tuis ſpectas. Ergo iure hæc vtraq; tua TIBI offero: & offero, niſi fallor, Opportunè Quid enim? Nuptię tuæ ſunt, quas Belgica noſtra fauore & plauſu proſequitur: & priuatim multi votis, quæ voce, ſcriptis, donis teſtificantur, & conſignant. Viſum idem facere, monumento quod æuum ferre poſſet, & memoriam ad poſteros propagare magnæ huius diei. Iungitur tecum ſtirpe illuſtriſſima, dotibus animi ac corporis laudatiſſima, DOROTHEA CROYA, cognata tua: &, iungitur vinculo, quod niſi ſola mors non diſſoluit. O felicem copulam! coeunt Regum & Principum ſtemmata: & cùm vtrimque Hungariæ ſceptra fulgeāt, illa etiam Hieroſolymorum adfert & miſcet. Nomen ipſum ſponſæ quanti eſt! DIVINVM DONVM: & ita accipe, magne PRINCEPS, atque è pulchra arbore ſtirpem ac propaginem Deum poſce. Ecce patrem eius, Ill^{mum} Principem CAROLVM-PHILIPPVM, Marchionem Haurechium, inter Belgicæ culmina; idem vouet, & tacitâ futuri gaudij ſpe pectus eius ſuauiter fouetur. Quid nos tui? palàm vota concipimus, eáque duplicia: TE cum TVA incolumes eſſe, & ex VTROQVE ſupereſſe, qui nomen & gloriam maiorum referant, & in natos natorum propagent. Hominibus ſingulis breue curriculum, & mortalitas: ſtirpe & ſatione æterni fiunt. Eſtote. & conceptis verbis proferam:

DEVS ET FECVNDITAS GENTI CROYÆ
STIRPE, MERITIS, GLORIA ILLVSTRISSIMÆ,
POSTEROS IN ÆVVM, ET IN BONVM PVBLICVM, DONATE.

Louanij ſcripſit & vouit

EX^{TIÆ} TVÆ *P P. cliens* I. LIPSIVS.

* Quod luctum atque iram minuat, malorumque obli-[illegible]

* Non qui in ſe inſumit, magnificus; ſed qui in publica.

AD LECTOREM.

DAMVS *aliquid ſubitarium, & ex occaſione natum, Lector, quam in Præfatione meâ vides. Hiſtoricum eſt, ſed anguſtioribus finibus clauſum, & noſtros iſtos Louanienſes vix exit. Ita nunc libuit, & decuit: alioqui fateor, eodem tenore & panè labore, Brabantiæ hiſtoriam prætexere potuiſſem. Nam initia tenebras aut ſalebras ſuas habent: reliquus curſus eſt in procliui. Quædam ab alijs, & præſertim* Petri Diuæi, *huius vrbis ciuis, & talium rerum diligentis, ſcriptis hauſi: plura meâ induſtriâ addidi, & è remotioribus etiam ſcriptoribus conduxi. Non iacto. componi vellem: ſed illud addo, pleraque omnia accuratiùs inquiſita hic eſſe, quæ alij * ἐυχερῶς, & quomodocumque tradita porrò tradunt,*

Securi, cadat an recto ſtet fabula talo.

Nos veritati, nos Fidei litare, ſtudium habuimus: & vbi non liceret, inopiam profiteri, nec impuris victimis ſacrum profanare. Accipe, Lector, qualecumque hoc munus: & laborem noſtrum pietatis titulo (patriam ornatum iuimus) vel excuſa, vel quod malim ama. Ego te, & ſalue hoc natali meo quinquageſimo nono, xv. *Kal. Nouembr.* ∞. IↃC. V.

IVSTI LIPSI LOVANIVM:

id eſt, OPIDI ET ACADEMIÆ EIVS DESCRIPTIO.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Occaſio ſermonis, & in rem præparatio.

A AMBVLATIVNCVLA inſtituta nobis fuit ſereno die, menſe Sextili, ad collem vrbi vicinum: idq; viſendæ antiquitatis. Fama tenebat & tenet, arcem illîc veterem fuiſſe, alij à Iulianis, alij à Normannicis temporibus: cuius veſtigia exſtarent: & cupido nos ſubiit videre, & arbitrari. Feceram olim (probè memini) ante annos triginta, duce *Petro Diuæo*, qui rerum noſtratium, & quæ ad hiſtoriam veterem pertinerent, cupiens admodum, ſed & ſciens erat: feceram, ſed neque attenderam valdè, & in illo æuo vnicus Romanarum rerum, in contemptu ferè ceterarum eram. Nam fateor hoc ſtudium meum, ſiue morbum: nihil afficiebat, præter antiqua, & noſtri aut paullò ſuperioris æui omnia, vt Barbarica & ſordentia, contemnebam. Nunc in parte mutaui iudicium: & quamquam illa immenſum præfero, tamen & hæc in ſubſeciuis habeo, B & iuuat etiam maiorum noſtrorum res, ingenia, mores noſſe, & quædam ex iis in vſum aut exemplum transferre. Ergo hac mente in collem illum iui; qui ad Orientem vrbi huic imminet, & ſubiectum *Dilam* flumen parte vnâ ad Septemtrionem habet; alterâ, verſus Auſtrum, *Loam* collem & ſiluam; antrorſus autem, interiectam vrbi planiciem, pulchrâ, latam, & viridariis aut pratis peramœnam. *Keſſelium-montem* vocant: an non à *Caſtello* (quaſi *Caſtel berch*) quod olim illîc fuit? Sic apparet, nec aliud reperio: ſed ad rem. Illoc iuimus, & comites fuerunt quatuor è ſtudioſâ noſtrâ iuuentute ſelecti. Miniſtrum meum addo: & quid omitto? canes meos maiores duos, qui auidè ſunt aſſectari, aut præcurrerunt, vt feruor & ingenium illorum amat. *Mopſulus* meus C domi ſeruauit: nec ille viſus, corpore paruo, ætate grandiuſculâ, ad lõgiuſculum hoc iter eſſe. Nec mei quidem volebant me, niſi equitem, ire: ſed libuit vires poſt morbum experiri, & montana illa ac prærupta equo non faciebant. Ergo iuimus: in viâ è meis vnus; Lipſi, ab exteris ego venio, & è Batauiâ recèns: quàm iuuaret ſcire de Louanio veſtro vlteriora paullò & veteriora! Louanio, quod famâ ſic diffuſum eſt; Louanio, quod mœnibus etiã & ambitu ſic magnũ. Et fuitne res tanta? an verũ eſt, famã in maius omnia ferre? & maius hîc nihil, quàm quod oculis vſurpamus, affirmãdum: LIPS. Imò affirmandũ. ſcitote Louaniũ rem inſignem, rem hiſtoriâ & notitiâ dignam fuiſſe: ſed fuiſſe, & fato rerũ humanarũ huc redactũ. Quid enim nunc, niſi vos pauci ſtudioſi, ſuſtinetis? Pauci, ſi meum adoleſcentiæ æuum video: & ante annos trigintaſeptem, ſcio ad ſeptena aut octona millia eorum, qui Muſis operabantur, domicilium hîc habuiſſe. Pulcher aſpectus, cùm Batauí, Friſij, Menapij, vlteriores Germani, & magna nobilitas occurreret: cùm Galli, Britanni, Hiſpani, Itali, & è longinquis etiam gentibus Europæ. Hæc nos vidimus, & mixti iis fuimus: nunc, *Heu!* neque aliud, quàm *Heu*, dico. AVD. At Lipſi, bone doctor, quin tu inter ambulãdum paullò altiùs repetita hæc nos edoces: & tempus viámque fallimus delectabili ſermone? LIPS. Licet. nam amo locum, eiúſque memoriam cùpio ire propagatum. quidni? veteris meæ parentis, & pænè patriæ: quoniam & *Iſca* mea hanc dominam & velut matrem vrbem agnoſcit: & maiores etiam mei quidam originem iſtinc ducunt. Vt hæc non ſint; Muſæ & illæ artes, quas colimus, hîc locum habent: & nosipſi quot iam annos aut diſcimus hîc, aut docemus? Certè adficior, & illuſtrare opidum ingenio, ſtilo, voce capior: & iam audite. Nam ordior. vos ingeniorum Muſæ præſides, tu mater earum Memoria, adſpirate, & per obliqua aut oblita æui euntem ducite, & in tenebris prælucete. Tenebris, quas paucitati ſcriptorum aſſignamus: & malo fato, neque noſtrâ neque aliâ linguâ, res maiorum curioſè aut fideliter proditæ; & pauca quæ exſtant, fabulis aut ludibriis aſperſa, melior mens non admittit. Vulgus probat, imò iactat, ſcio: & ab Hectore & Phrygibus, aut Romanis, ſiue etiam Scotis, petimur; & ſeries deinde texitur, dijs deæque, quàm non vana ſolùm, ſed ridicula! & pueri, qui ſari incipiunt, aſpernẽtur. Itaque talia ne exſpectate: vera & ſeria amamus; & vbi ea deſunt, ſilere aut opinari.

CAPVT II.

De æuo & nomine Louanij, reiectæ opinationes leues, aut fabellæ.

VENIAMVS ergo ad inclytam hanc,& Homeri verbo *ἀγακλειτὸν vrbem:à capite inquiramus, *Quando, Quanta, Qualis* fuerit: & diſtinctè de Æuo, Magnitudine eius, & Progreſſu aut Regreſſu dicamus. Hi limites ſermonis noſtri erunt: non excedam: ordinem amo: ſi facio, reprehendite me,& intra metas coërcete. AVR. Certè ordinem amas, gloriari potes: & eâ re palmam non aufert hæc, fortaſſe nec prior ætas. LIPS. Tu amanter, vt ſoles: ſed *baccare frontem mihi cinge*: nos pergamus. Quæſiui, *Quando?* & hanc inter primas laudes opida ſibi vindicant, antiquitatem & æuum habere. An noſtrum Louanium? Si nomen hoc vides, non opinor: perantiquum non eſt. ſi quorumdam ſenſum aut opinationes; Cæſarem & Romanos licet iactare. *Grudios* ille memorat? ecce ſunt, qui Louanienſes interpretentur. AVR. Bonâ veniâ. non ſunt illi, minimè gentium: & Brugenſes iam ſibi varijs argumentis adſumpſerunt. LIPS. Per me habeant: vtrumque opidum amo, & vtraſque, vt olim appellaui, Belgicæ noſtræ Athenas. Sed mihi crede, neque hîc neque ibi firmitas eſt: ventuli opinionum ſunt, quibus nimis indulgent, & ferri ſe iis patiuntur ingenia quædam huius æui. Conuenit in illos hoc magni vatis:

*—ψεύδεα πολλὰ λέγειν, ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

AVR. At alia opinio veracior, *Leuacos* Cæſaris eſſe: & magis, ſi *Louacos* ſcribas. Quid caput moues? LIPS. Etiam abnuo. Ecce *Leuacos* noſtros finitimos, *Levvenſes* eſſe, nónne vero, certè verbo, propiùs aſſidet? Quis autem ferret te aut alium, pro arbitrio reſcribentem? Dicamus, quod res eſt: ignota hæc eſſe, & Æui caligine quâdam inuoluta aut ſepulta. At ipſum *Louanij* nomen ſatis priſcum eſt: & inuenio ante annos circiter DCCXX. *Reginoni* nominatum. Quin vetuſtius tamen fuerit, vix ambigo: ſed firmo teſtimonio (quod ad opidum quidem attinet) aut de ſcripto, aliam tabellam vix licet proferre. AVR. Imò alia teſtimonia. Annales noſtri habent, *centum ſexaginta* ante Chriſtum natum annis, *Lupum* quendam Scotorum dynaſtam ſiue regulum, hoc opidum condidiſſe, & nomen à ſe indidiſſe. LIPS. Qui Annales? illi ne plebeij & triti, quos plerosque (& initia præſertim) ſomniculoſa anus condidiſſe videatur? Da veniam rem dicenti: ſunt hæc *παίδων ἀθύρματα, & verè *ἀσπανίοντες ὄνειροι. Atquin etiam hoc audiendum eſt, Lupum iſtum nomen à ſe dediſſe opido, & *Lupoſinam* appellaſſe: quod Galliſſantes *Lou-ſin* mox dixerunt. O bellaria! diripiamus. Nugæ, nugæ, ſine capite, ſine auctore: tam herclè quàm illud, tempore Iulij Cæſaris templum *Veſtæ* hîc fuiſſe, ipſo loco (viden' quàm ſignatè?) vbi nunc *Diuus Michaelis* eſt: & quia ibi laudes diis ſolent dicere, quod noſtrâ linguâ *Louen* eſt, *Louanium* appellatum. Quid tibi dicam? piget vel tangere, quæ alij amplectuntur: & quis huic narratiunculæ color? Scilicet templum Veſtæ in opidi portâ ſolent condere: (nam ita ibi eſt) aut laudare deos tantùm in Veſtæ. Quòd ſi alibi, & in aliis opidis: cur hæc nomenclatura hîc eximia? At ego nugas ago, cùm refello: de re cenſeo. Louanium, quod nunc comparet, ſub illa Normannica, tempora atque annos qui in Reginone, conditum fuiſſe: (mox videbimus) nomen autem ab ipſo ſitu, linguâ noſtrâ inditum olim tractui huic eſ-

* Valdè celebrem.
* dicere vana haud abſona veris.
* Luſus puerorum,
* Somnia ſenum.

A ſe. Eſt ad Orientem, quò nunc imus, ex aduerſo ecce collis & ſilua iſta: quam *Lo* etiamnunc vocant, & *Lo bergh*, & *Loboſch*. eſt & ſubiecta iſta pulcherrima planicies, ad flumen, quam vetus lingua *Vên* dixit. Inde *Vena* Batauorum etiam hodie, vnde ceſpes ille viſibilis eruitur: & ſuperioribus annis, certò comperi in pratis hic Martinienſium, quæ vocamus, idem genus eductum. Ergo *Louanium*, ſiue vt vulgata & vera vox eſt, *Louen*: dictum quaſi *Lo-uen*, humida planicies iſta *Loæ* ſubiecta. Latini * *Louanium* fecerunt, Gallicam magis pronunciationem *Louuain* ſecuti: & nos retinemus. etſi in priſcis diplomatibus aut libris, mutato genere, *Louaniam* plerumque legi. Neque aliter ſanè 1 Thomas Cantipratanus, B qui ante trecentos quinquaginta circiter annos hîc vixit, ſcripſitque. Virum perdoctum etiam noui, qui in ſuis ad me litteris ſemper *Lovvanium*, duplici *vv.* ſcribit: ſed quâ cauſsâ, & an cauſsâ, fateor me ignorare.

NOTA.

1. Thomas Cantipratanus inter diſcipulos Alberti Magni, atque ordinis eiuſdem ſiue cœtus, obiit anno ∞ CCLXIII. Scripſit de Apibus myſticis vatium & iucundum opus, ſalubribus monitis exemplíſque refertum: ſunt & qui Ariſtotelis verſionem veterem, quæ in ſcholis obtinet, illi eant adſcriptum

CAPVT III.

C *Conditus opidi ad Normannica tempora relatus: & de iis igitur prædictum, & immani tunc vaſtitate.*

DE nomine, hoc ſcio: de primo conditu, diuinum oporteat eſſe, qui certò dicat. Illud habeo aſſerere, Normannicis illis temporalibus clarum fuiſſe, aut certè inclaruiſſe: & maximè à ſtrage, quam piratica & prædatoria ea gens ingentem & memorabilem hic eſt paſſa. Res ita habet. Normanni, colluuies hominum, à Septemtrionis oris, itémque viciniore Germaniâ, exigua primò manus, mox pro ſucceſſu auctis viribus, ingentes claſſes, multa hominum millia, per annos aliquot, imò ſæcula, in Galliam, Britanniam, Italiam, Siciliam, Græciam ipſam immiſerunt. Incredibile dictu eſt, quas clades dederint: & Gothi, Hunni, Vandali, modeſtiæ laudem habeant (ſiquis comparat) præ iſtorum rapinâ, cæde, flammâ. D Horror me tenet, fateor, recolentem: & priores illi Barbari impetu valuerunt, & velut fulmen percuſſerunt, abierunt; iſti iterarunt, redierunt, & tepetitis tanquam ictibus Europam, ità quâdam Numinis, non dicam afflixerunt, ſed perdiderunt. Prima origo à *Saxonibus*, qui claſſibus littora infeſtarunt, iamtum à *Conſtantini* temporibus: & ſcriptores ab eo æuo, aut infrà, meminerunt. Iidem iuſto exercitu Britannias inuaſerunt, ceperunt, tenuerunt: denique mox Normanni in vicem locúmque veniunt, & ab anno Chriſtiano DCCC. auditum hoc nomen & formidatum. *Caroli Magni* imperio primùm innotuêre, & nihil vim aut magnitudinem viri reueriti, Galliæ & Germaniæ limitem inuaſerunt. Sed primò limi- E tem: mox per fluuiorum ora ſe inſinuantes, ipſa penetralia petiuerunt florentiſſimarũ regionum. Quod maximè accidit *Caroli Calui* imperio, circa annum DCCCXLVI. cùm *Godefridus* eorum rex in Friſiâ appulit, claſſe ducentarum nauium: prœliis aliquot incolas & accolas vicit: ac denique vectigalis nomine *centũ viginti argentei libras* accipiunt, & in annos paciſcuntur. *Friſiam* autem latè illa ætas appellat, & Hollandiã ipſam (obſeruaui) includit. Nam & *Rineburga* & *Fladertinga*, Friſiæ (ſiue, vt ipſi, *Freſia*) vrbes

memo

memorantur. Atque hæc vaſtatio viginti annos tenuit: cùm domum reuerſi, ciuili factione & bellis diſtinentur: non tamen in longum: iterùmque Galliam repetunt, atque *oram Ligeris fluminis occupantes, Nannetenſem, Andegauenſem, Piſtauenſem, Turonicam prouinciam crudeliter ſunt depopulati.* Ita Regino & Sigebertus: & vidéſne florentiſſima Galliarum attrita? atque illinc in Germaniam auſi, à *Ludouico Secundo* Imp. repulſi ſunt, ſed non cæſi aut fracti. Nam ecce iterùm mox in Galliam, & *duo ſimul reges* (verba Reginonis dabo) *Godefridus & Sigefridus, cum* INÆSTIMABILI MVLTITVDINE *peditum & equitum aduenêre.* Peruagati deinde ſunt (è Sigeberto aſſumo) *Franciam & Lotharingiam, Ambianum, Atrebates, Corbeiam, Camaracum, Taruennam, fines Morinorum,* [1] *Menapiorum, Brachatenſium, omnémque circa Scaldim fluuium terram. Inde VValam fluuium ingreßi, totam Batauiam, palatium etiam Neomagi (ingentis magnitudinis,* ait Regino, *miríque operis) incendunt.* Heu cladem! & vis metiri? metire animo maximas & pulcherrimas regiones. Breui ſermone hæc dicuntur, & tranſeuntur: ſed attenta miſerationem habent, & ſtuporem. Neque etiam finis. *Per Moſam mox aſcendunt, & Leodicum. Traiectum, Tungros, Coloniam Agrippinam, Bonnam, cum adiacentibus caſtellis comburunt. Aquis in palatio equos ſtabulantur, & palatium incendunt: præterea monaſterium Stabulaus, Malmundarium, Indam, Prumiam.* Hæc ita Sigebertus: Regino & alij addunt, *combuſtum Tulpiacum, Iuliacum, Noueſium,* alia minora. Et modicâ quiete ſumptâ, anno ſequenti Moſellâ flumine ſubuecti, *Treuerim incendunt, & Metim vſque perueniunt, ibique prælio vincunt, & Epiſcopum occidunt.* Bone Deus, quod flagellum, imò quam procellam iræ tuæ in Europam immiſiſti? neque alia exſequor: iuiſſe in Italiam, Siciliam, Græciam, & Byzantium ipſum.

Anno dccclxvi. *Anno dccclxxiii.*

NOTA.

1. Menapij, quos alij *Menapiſcos,* & *Pagum* item *Menapiſcum* ſcribunt, fuere ſupra Morinos, id eſt, ſuperiora Flandriæ tenuerunt. Orti ab illis Cæſaris Menapiis videntur, & migratione huc veniſſe.

CAPVT IV.

Louanij Normanni fuerunt, ſederunt, & graui ibi prœlio attriti, aut deleti.

AD rem meam & inſtitutum apto. Illi igitur, anno pòſt, *Franciam repetentes* (ait Regino) * *Sonum fluuium intrant, ibique conſederunt. Et poſt multas incurſiones, à Carlomanno, rege Francorum, duodecim millia argenti probati pondo, pro tributo, exigunt: & ſic in duodecim annos pacem promittentes, mare repetunt.* Ecce pactionem: etiámne pacem? non fuit: & ô perfidiam! Pecuniâ illâ, aliíſque muneribus acceptis, ſtatim poſt annum, mortuo Carlomanno, redeunt: cauillati, *ſe cum rege Francorum, non etiam cum Francis fœdus pepigiſſe.* Atque ita, vt ad noſtra iam veniamus, *à Sono exeunt* (ait Regino) *& in regnum Lotharij rurſus reuertentes, in loco, qui dicitur* LOVEN, *caſtra metati ſunt: & continuis infeſtationibus vtraque regna fatigant.* Quæ vtraque? Galliæ, & Lotharingiæ: quæ iam auulſa erat, vt in loco dicemus. AVD. Satis hæc mihi mira: quippe piratas, & nauibus aduenisse eos facis: & tamen narrationes tuæ ad penetralia terrarum ducunt. Sanè Louanium noſtrum ſatis longinquum à mari eſt: quid *Treuiri, Atrebates, Camaracum,* & quæ narraſti? LIPS. Et verè narraui: ſed tetigi obiter & prædixi (parùm à te obſeruatum) fluminibus ſe inſinuaſſe, atque ita ad vlteriora & interiora veniſſe. Præſumendum igitur, magnas minoréſque naues habuiſſe: atque illis in ſtatione alibi relictis, his minoribus aſcendiſſe, & quæ etiam tuta ab eâ peſte videbantur, vaſtaſſe. Sic Louanium nunc veniſſe: etſi Dilia noſter grandiorum nauium non eſt tolerans, ſed modicas tamen admittit. Ergo iam Louanij ſunt, & hærent. placuit amœniſſima planicies, & in ambitu agri fertiles: nec procul Scaldis & mare, ad quod in diſcrimine recurrant. Miſit quidem in eos exercitum *Carolus Craſſus* Imp. ſed, præter dedecus, nihil retulit: atque ipſi animo auctiores, biennio pòſt *à Louanio exeuntes* (iterùm Regino) *Sequanam ingrediuntur, & Pariſios obſidione cingunt.* Mittit & tunc Imp. *Henricum Ducem,* cum valido exercitu: ſed illi aſtu militari, foſſas leui ſtipulâ & terrâ integunt, & Henricum neſcium præcipitant, turbant, cædunt. Denique poſt annuam ferè obſidionem, argento accepto, abeunt: pars in *Normanniam, quam ad incolendum à rege acceperat;* pars aliò delapſi, & hoſtiliter *Burgundiam, Senones, Trecas vrbem incendunt, & Virdunum ac Tullum vſque omnia populantur.* Videris per florentiſſimi regni membra, & ipſa, vt ſic dicam, vitalia, graſſari Barbaros? Pergunt etiam, & Britanniam atque Aremoricos petunt: ſed repulſi, *duodecim millia ſuorum amittunt.* Ita Lotharingiam noſtram iterùm repetunt, & circa Moſam fluuium, obuiis Arnulphi Imperatoris copiis, *cùm torrentem qui dicitur Gulid tranſiſſent, ſubſtiterunt.* Ingens ibi pugna, ſed Barbaris pro meliore fuit: & cadit inter alios *Sundolchus* (quibuſdam *Sundaroldus*) Archiepiſcopus Moguntinus; cadit & *Arnulphus* Comes, limitis Præfectus; & ex aliis multa millia. AVD. Ne graue ſit, quis ille *Gulid* torrens? & iuuet noſſe à clade iſtâ memorabilem, nec longinquum nobis locum. LIPS. Haud liquidò dicam. ſuſpicor eſſe in *Falckenburgeſi* tractu, paullò infra *Traiectu* oppidum: vbi *Vll* riuus cernitur, & quà Moſâ excipitur, pagus qui [1] *Guel* nomen etiam nunc habet. Eſt & *Guelpen* in viciniâ riuus, & pagus: veſtigia illius nomenclaturæ. Sanè Regino paullò pòſt, *Guliæ locum* etiam dixit. Sed iam adeſte, & tot iſtis triſtibus lætiora ſubnectamus. Arnulphus enim Imp. ſeriò iam excitus, & de ſalute non de dignitate ſolùm anxius, pace cum Sclauis Morauíſque factâ, *vires vtriuſque regni* (Germaniæ & Galliæ) *contrahit,* & ipſe approperat, ſuo ductu rem geſturus. *Quod illi cernentes* (Reginonem recito) *ſuper fluuium, qui Thilia dicitur, ligno & terra congerie, more ſolito ſe communiunt: & cachinnis & exprobationibus agmina laceſſunt, ingeminantes vt memorarentur Guliæ, turpiſq; ibi fuga.* Hæc & in Fuldenſibus Annalibus reperio, ſed corrupta, his verbis: *Normanni, deuaſtatâ ex maximâ parte regni Hlotarici regione, prope fluuium* * *Clyla, loco qui dicitur* * *Lauonium, ſepibus (more eorum) munitione ſeptâ, ſecuri conſederunt.* Facile ea ad verum dirigere: nos ad pugnam & victoriam eamus. Imperator enim, propinquo diſcrimine, ſuos excitat: iniurias illorum, atque impia facta, commemorat. *Nam cui ſexui, ordini, ætati tot annos, in tot regionibus, peperciſſe? non ſenibus, non pueris, non ſacratis ordinis viris fœminíſque: quos vides ad prædam, ludibrio mactaſſent. Immanes,* inquit, *belluas, non homines, niſi a facie, videtis. Nihil auaritia, nihil libidini, nihil ſanctita exceptum: nec imperium aut gloriam, prædam ſuam & alienum exitium quærunt tantùm. Et hominum dico? tectorum & adeum:*

Anno dccclxxxv. *Anno dcccxcv.*

* Hodie Somona: in ſcidis, Somno.

* Vult Diliam dicere.

* Eſt Louanium.

templo

templorum etiam, & contemptu religionis in Diuos ipſos ferrum ignémque capiunt, & graſſantur. Exardeſcite. & dolorem veſtrum in vltionem, iram in virtutem conferte. Agite Dei hominúmque cauſſam, & pulcherrimum titulum induite, Orbis terrarum defenſores. En robora hic Germaniæ, & Galliæ; quidquid virium aut ſpei eſt, in manibus veſtris poſuimus: has exſerite, viros oſtendite, victores olim & nuper tot gentium, & noui imperij conditores. Pacem aut pacta cum hac latronum & ſacrilegorum colluuie nemo cogitet. vincendum, aut moriendum eſt. & vincetis, ſi perſuaſi eritis mori. Iterùm dico, VINCETIS, *& in hoc omine ſigna canant.* Dixerat Imperator apud alacrem iam inſtinctúmque exercitum; & quia hoſtes flumine aut palude claudebantur, nec in equis facile eos aggredi; omnes clamant equos dimittendos, hoſtem in receſſu ac latebris ſuis quærendum inuadendúmque: & faciunt. Nec illi ſegniùs pro ſalute arma expediunt, ordines inſtruunt, ſubſidiis firmant; tot prœliis & victoriis docti, vel feroces. Concurritur, impellunt & impelluntur; cædes, gemitus, clamor miſcentur; & ambigebat etiam Victoria, donec *Deo vires cælitus adminiſtrante, vſque ad internecionem ferro hoſtes cadantur: ita vt ex* INNVMERABILI *multitudine, vix reſiduus eſſet, qui ad claſſem nuncium reportaret.* Hæc Regino, quem libenter aduoco, haud longè nimis ab ea ætate remotum. Sed & Fuldenſe Chronicum quædam ſuppeditat, ſcribítque in fugâ pleroſque flumine merſos, *ita vt cadaueribus interceptus alueus, ſiccus appareret.* Cæſos etiam *duos eorum reges, Sigefridum & Godefridum; regia ſigna* XVI. *ablata, & in Baioariam, teſtimonium victoriæ, tranſmiſſa.* Addit & illud mirum, *a parte Chriſtianorum* VNVM *tantùm hominem occiſum, idque compertum* affirmat. Quid Helmoldus cognomento Presbyter? *Centum millibus paganorum proſtratis in bello, vix* VNVS *de Chriſtianis cecidiſſe repertus eſt.* Quem Helmoldum ante annos circiter CCCC. in Germaniâ ſcitore ſcripſiſſe: & ex eo obſeruate de C. *millibus* (alij XCV. numerant) occiſis. Egregia victoria, & quæ furorem Barbaricum non repreſſit ſolùm, ſed exſtinxit.

Lib. 1. Chron. cap. VII.

NOTA.

1. *Guel nomen*] Neque enim ipſum *Iuliacum* eſſe arbitror (quod olim amicum video ſentire) etſi nomen alludit. Nam ex Reginone, ad ipſum Moſam hæc geſta, à quo diſſidet ſanè id opidum.

CAP. V.

Diei eius lætitia, & nunc etiam memoria. Initium interioris opidi, & poſteà portarum è lapide, ac murorum.

AVD. Certè egregia victoria: & ô felix Louanium, in cuius finibus ea parta! LIPS. Imò in oculis eius, & pænè dicam noſtris, parta. Videtiſne planiciem iſtam ad ſiniſtrā, Diliam verſus, quæ montem *Keſſelium* (quò nunc imus) interiacet, & *Arſchotanam* portam? Prata ſunt, & quædam etiamnunc paluſtria: ego nihil ambigo in eoipſo loco pugnam hanc pugnatam. Sanè porta ea ab antiquo dicta, [1] *Dai-lach-poorte:* ſiue à paluſtribus (*Doy-laeghe* nos ſic appellamus) ſiue à mortuis, *Doo-laeghe.* & quòd cæſi ibi ſepulti. Victoriæ quidem eius illuſtris memoria hodieque agitur, ſed non omnibus gnara aut obſeruata. Nam dies ille feſti publici, qui nunc inſtat, Kalendis Septembribus, quem Supplicatione annuâ, ludis, conuiuiis, lætitiâque celebramus, originem iſtam habet: & monumentum eſt feliciſſimæ illius pugnæ. Hoc Annales dicti Fuldenſes mihi aſſerunt, & diem hunc celebrem, auctore ipſo Arnulpho, probant. *Eodem in loco,* inquiunt (vbi pugnatum) *die .... Kal. Letanias rex celebrari præcepit: & ipſe, cum omni exercitu, laudes Deo canendo* PROCESSIT, *qui talem victoriam ſuis tribuit.* Habetis *Letanias* & preces, habetis *Proceſſionem:* quæ pius Princeps pro militari triumpho vſurpauit, & diem eumdem poſteris ſacrauit. Quem diē? in Chronico deficit, & lacuna eſt: ſed facile ſupplebitur, *die Septembr. Kalendarum.* Nam ſic res fuit, & memoria nunc manet. Atque hæc igitur (vt in argumenti mei lineam redeam) prima Louanij mentio eſt: neque opidi tamen, ſed loci. Obſeruate Reginonis verba: *in loco, qui dicitur Loaen.* & potuit ipſa planicies aut tractus ſic dici. Potuerunt & domus paucæ, aut vicus eſſe, more veterum Germanorum: de opido ſanè aut caſtro, nihil etiam lectum. Et vultis ſententiam meam promam? Opinor ab had victuriâ, & à Nurmannorum iſtic ſeſſione, Louanio ortum, aut certè frequentiam datam. Nam manſerunt, vt in opportuno loco, per annos circiter vndecim; ſi pugna iſta fuit anno DCCCXCV. vt Sigebertus atque alij numerant: aut octo, ſi anno DCCCXCII. vt quidam. Quomodocumque; probabile, imò verum eſt, quòd ſeſe tāto illo tempore munierint, ædes aut tabernacula ſtruxerint, ſibi receptaculum & ſuis prædis. Hoc diſertim in Reginonis verbis erat, ſi attendiſtis: *Ligno & terra congerie* munitos fuiſſe: hoc in Fuldenſi Chronico, *ſepibus munitionem ſepſiſſe.* Intelligunt vallum feciſſe, more inferioris æui, terrâ infrà, ſupernè ſudibus infixis firmatum. Atque ego hoc initium opidi fuiſſe arbitror: & confluxiſſe ad felicem locum, & victoriâ recenti inſignem, plures accolas aut aduenas, & caſtra illa in vrbem vertiſſe. AVD. Viſne ergo interius iſtud opidum (nam de exteriore aliud eſt) Normannica illa caſtra & munitionem fuiſſe? LIPS. Hoc volo. quid ergo? inquies. etiámne Portæ, & muri iſti ſunt ab illis? Hoc nolo. imò de muris conſtat ex archiuis vrbicis (etſi pauca talia ibi notantur) conſtat, inquam, è lapide primùm ſtructos anno ∞. C. LVI. quod fuit *Godofredo Tertio* Duce noſtro imperāte. Diu herclè poſt Normannos: & eouſque è terrâ aut ligno manſiſſe. Quid Portæ? palàm vetuſtioris operis ſunt, & facilè ſexcenteſimum, aut vltrà, annum (ſiquid mei iudicij eſt) æquant. Inſpicite. & præſertim illam quæ * *Lupina* dicitur, domui meæ vicinam; illam *Sancto-Quintinianam*; illam *Michaëlinam*: manifeſta veſtigia æui & antiquitatis præ ſe ferunt. quod idem in reliquis etiam (credo octo eſſe:) ſiquis examinat, & à fundamentis curioſè luſtrat. Nam ſuperiùs, nouella manus ſæpè interuēnit, & per partes, cùm labi cœperunt, ſunt inſtauratæ. AVD. Sanè de *Lupinâ*, veterem addico: & ſunt qui eam quoque trahant in argumentum *Lupi* illius conditoris. LIPS. Gerræ. Lupi duo inſculpti, etſi nunc exoleſcentes, comparent, cum viro aliquo, ſiue Deo medio: & ſunt qui Martem fuiſſe opinentur. Tempus exēdit, neque lapis firmiſſimus eſt contra eius cælique iniurias: & ideò haud liquidò diſcernamus. Ceterùm reliquę, duæ præſertim quas prædixi, nihil antiquitate huic cedunt. Quid tu Rubenlēnā dicturire aliquid videris. AVD. De lupis illis inſculptis, cauſſam requiro. LIPS. Apollo ego ſum? & vis diuinē? Potuit fortuitum aliquid eſſe: & lupus aut lupi eo loci capti, ſiue interfecti. Potuit inſigne eſſe Martialis gētis: potuit & ab arbitrio ſculptoris ornamentum aut parergon apponi. Quid etiam? Dei illius (ſiue Mars, ſiue Faunus potiùs capripes fuit, vt mihi videtur) co-

limites atque aſſeclas liceat cenſere. Nam in iſtis trepido pede imus:

Quale per incertam lunam, ſub luce malignâ,
Eſt iter in ſiluis: vbi cælum condidit vmbrâ
Iupiter, & rebus nox abſtulit atra colorem.

Vnum illud ſcio, primum opidum ſine muris, ſine lapideis portis fuiſſe: & has tamen ante illos ſtructas: quid ita? quia maioris ſcilicet vſus, & pænè neceſſarij fuit, ad claudendum, ad reſerandum. AVN. At ſatis mirum, tam ſerotinos muros circumiectos. LIPS. Non mirum. maiores noſtri non ſic curioſi, aut politi: neque Italiam cogita, aut Romanos. Adſpice vicinum iſtud & vetus *Leodicum*. neque id quidem muros habuit, niſi à ſexcentis paullò ampliùs annis. Sigebertus: *Anno* DCCCCLXX. *Rogerus ordinatur Epiſcopus Leodicenſium. hic muro vrbem circumcinxit, & ædificiis honeſtauit.*

NOTA.

1. *Duilach-poorte.*] Aliquid coniiciens & ambigens dico. Sed addo, poſſe videri dictum quaſi *D'vvtlaege-poorte*: quia flumio ibi grandi & coëunte, merces exponuntur & imponuntur: quod hodiéque obtinet.

2. *Lupinâ.*] Quam audio, in ſchidis quibuſdam, *Portam Priapi* dici: quaſi illi imago inſculpta ſit eius Dei. Sed audio, non etiam vidi.

CAPVT VI.

De Arce ſiue Burgo, non videri perantiquam: nec niſi Comitum domicilium fuiſſe.

OPIDI igitur hæc origo: quæ *Burgi*, vt vocamus, ſiue Arcis? Nam ea extra vetus hoc Louanium eſt, in colle qui flumini imminet, ad Septemtrionem obuerſa. *Iulium Cæſarem* auctorem inſcribunt, ſcio, & indignentur abnuenti: tamen ego, vt Æneas, has vmbras opinionũ gladio rationis diuerberem, & leui ictu fugem. Cæſarem hic fuiſſe, non equidem eo negatũ: quis dicit caſtra aut præſidium habuiſſe? quis arcem condidiſſe? Ipſa ſtructura ſcilicet! quæ adeò Iuliani aut Romani operis non eſt, vt vix Barbarici vllius vetuſti. Sunt in parte occiduâ muri, fateor, lapides aliqui exeſi, attriti: ſed ne imponant, & antiquitatem perſuadeant, ex illo fragili genere, arenoſo, ciner̃icio aut ſubruffo, & quod in puluerem ex facili ſoluatur. Non ſunt, inquam, ſerendo æuo. Enimuerò ſiquis in Italiâ aut prouinciis antiqua opera vidit, primo adſpectu iſtud deſpuet: rude, vile, informe, & vt iterùm dicam, Barbaricę ac nouitiæ ſtructuræ. Videtur tamẽ meminiſſe eius ante annos ferè quingentos Sigebertus: *Anno*, inquit, ∞. C. XII. *Henricus Imp. Godefridum Ducem cum exercitu in fines Bracuſpantium mittit, ad obſidendum caſtrum Louanium: ſed inefficax rediit.* Hoc ſcimus fuiſſe tempore *Lamberti* noſtri, primi Comitis: ſed cur de Arce magis, quàm opido accipiunt? Ego de iſto. & ſcio ſæpè *Caſtra* ab illius æui ſcriptoribus nominari ipſa opida (quia Caſtrorum militariũ ritu, vallo & foſſis clauſa:) arces autem, *Caſtella*. Ita *Caſtrũ Antuerpiam, Gandam, Valencianas*, atque alia lego. Arcem igitur iſtam, ſiquis meum ſenſum quærit, cenſeo à Comitibus noſtris ante quadringentos aut circiter annos ſtructam, ſibi domicilium: vt ſolent illâ tempeſtate libenter in edito ædificare, & habitare. Argumẽtum, quòd *Henricum Primum* Comitem Annales tradũt *in Arce interfectum*. Ergo in eâ agebat: atque etiam abſens *Burggrauium* (ſic vocabant; id eſt, *Arcis-comitem*, ſiue Præfectum) habebat, qui vice ſuâ incoleret & curaret. Lego inſtauratum hoc ædificium, publico Senatus huius decreto & ſumptu, anno ∞. CCCC. LXXV. atque ea eſt, quam nunc videtis. O antiquitatem! rideamus. Quid autem anteà fuerit, liquidò neſcio: maius aut elegãtius ſuſpicari vix poſſum, etſi in æſtimatione locus habitus, quia vetuſta ſcilicet Comitum ſedes. Itaque & liberos ſuos ferè hîc locabant, & alebant: etſi alibi iam, aucto imperio, domicilium ſuum haberent. Quod ad inferiora tempora obſeruatum, *Carolus* noſter *Quintus* dicet: qui cum ſororibus ſuis puer hîc eſt educatus. Lego & exteros Principes, ſiqui aduenirent, mãtationem accepiſſe, & velut per honorem in veteri Aulâ collocatos. Sic *Edwardus* ille, rex Angliæ, qui *Philippo* Galliæ bellum fecit, cùm in Belgicam veniſſet, ſocietatem & auxilia rogaturus, cum vxore totam hiemem in Arce egit. (Anno ∞. CCC. XXX. VIII.) Et verò proſpectus circùm pulcherrimus eſt, aër etiam purus & ſalutaris. Puteus in eâ miræ profunditatis: egregium opus, & quod vnum ibi notes.

CAPVT VII.

Opidi exterioris initium, mœnium operoſitas & magnitudo.

QVID iam? de Exteriore etiam opido requiritis? neque illud antiquum eſſe, ſed æuo pòſt, alterum circumiectum, oculi ſtatim affirmãt. Scilicet vetus illud Louanium florere cœpit opibus viriſque, & auctâ deinde per lanificium maximè multitudine, opus fuit pomœrium producere, & vaſtum hũc ambitum includere, quem videtis. Quando id factum? Archiua produnt, *cœptos muros eos ſirmi anno* ∞. CCC. LVII. *& biennio ſtatim perfectos.* Id fuit *VVenceſlao & Ioannâ* Principibus, quorum imperio & floruiſſe & defloruiſſe hanc vrbem, verè dicam. Quid tibi eſt Santene? quid corrugas, & aſperoaris? AVN. Nõ equidem reiicio temerè; ſed diffido & ſubſiſto. Tantumne opus *biennio?* nam ego oculis pedibúſque peragraui, & cogitatione menſus ſum: magnũ, diffuſum, elegans, validum, multiplex: nec mihi videatur vel decennio vnum opidum confeciſſe. Opidum? prouincia ſi concurrat & conferat, multum ſit vel ſic abſolutum in eo ſpatio eſſe. LIPS. Atqui fuit, ne ambige, nec publicis ſcriptis fidem detrahe, quæ clarè adfirmant. Et quid potuit illo æuo teſtatius eſſe? At tu noſtram inertiam aut impotentiam conſideras fortaſſe: qui validi ſumus tantùm in vitia & luxum. Maiores noſtri priuatim haud diuites, publicè erant: & in patriæ vſum aut ornamentum liberaliter ſua impendebant. Sed caput rei, ſe quoque impendebant: id eſt, ipſi ciues atque incolæ, credo & accolæ, manus accommodabant: & gratuito labore magna pars hæc operum ſurrexit. Ipſi qui mercedem capiebant; exiguam, vt tunc res erat, & annonæ laxitas. atque ita hîc & alibi templorum moles, ædificia publica ſtruxerunt, quæ miremur magis, quàm imitemur. Sed totum igitur hoc opus biennio. quale? videte mihi foſſas iſtas primùm latas, profundas; atque eas ſæpè per viuum ſilicem, aut ſcrupoſam terram, percuſſas. Videte muros latericio pulchro opere, & ſectis deinde lapidibus albis, latis magniſque, interſtinctos aut intectos. eoſdem validis fundamentis ab imâ foſsâ eductos: ſic vt operis tertia pars vix veniat in adſpectum. Videte turres denſas & altas, quæ diſtinguunt: atque infra eas fornices & cryptas, robuſto opere, ad condita, aut vſus militares. Videte & portas, & pontes alibi, magnifica omnia, & è candenti ſecto lapide: denique opus ipſum totâ

facie æquabile & vniforme, quod nec Inuidia carpat. Iam ambitus, quantus eſt? non de opinione, ſed menſione dicã: quæ inſtituta anno ∞.CCCCXXVII. procerum certamine fuit. Erant hîc Aulici complures cum ipſo Duce, per occaſionem inſtitutæ nuper Academiæ: & fortè ſermo de vrbis huius magnitudine, & ecquid aliæ finitimæ æquarent, aut ſuperarent? Sermo primùm, mox ſponſio: atque ea inter quattuor Dynaſtas, *Schonnorſtium*, *Veſemalium*, *Dieſthemienſem*, *Bergizomienſem*. Incaluerant, & miſerunt gnaros talium, & metiri iuſſerunt: compertúmque eſt, *Louanium ſuperare Gãdauum tribus virgis, Leodium octo, Lutetiam decem, Coloniam octodecim*. Hæc fideliter ex Archiuis: videtis, quid inter finitima opida interſit, quæ magnitudine ſe iactant: videtis etiam, palmam Louanio eſſe datam. AVO. Videmus, & fauemus: ſed *Virgas* hîc quid appellas? LIPS. Perticas, quæ alibi *ſedecim pedum & ſemis* ſunt; hîc ferè *octodecim*, aut & *viginti*. Neque tamen adhuc iuſtam magnitudinem Louanij habetis: ſed ea vel ex ambulatione prompta eſt, & interiore mœniũ ambitu (plus in exteriore) *ſeſquimilliare* noſtrum circiter continere ſæpè ſumus experti. AVO. Et ego tecum. ſed Roma illa quanto maior? LIPS. Et aliæ vrbium veteres: ſed has omitte, noſtra pro æuo mirare.

CAPVT VIII.

Nomen Louanij paullo vetuſtius, itémque Comitum, qui huic loco fuerunt. Aliquid de Lotharingiâ præmiſſum.

ET opidum habetis. cui, [1] vt nunc eſt, etſi principium à Normannis dedi; tamen anteà aliquid hîc fuiſſe non abnuam, conuentum, ſiue pagum, ſiue ditionem ipſam hoc nominẽ inſignem. Nam *Comites Louanienſes* iam antiquitus reperio: vt in Flandriæ Annalibus, *viuente Pipino, Burchardum Liderici primi Foreſtarij filium, Comitem Louanienſem fuiſſe: eique ſucceſſiſſe filium Eſtoredum, quem Vendali & Hunni Louanio pepulerunt*. Hæc euenisse aiunt annis DCXLVII. & DCCXXXVII. ſed me nonnihil ambigente, nec vndique huic narratiunculæ aſſentiente. Qui enim, vel vnde, in hoc tractu ſub id tempus Vandali, ſiue Hunni? non inuenio. Itaque magis fortaſſe certa memoria in vitâ *Diui Huberti*, cui vxorem *Floriuinam* tribuunt, & ſocerum *Floribertum*, *Comitem Louanienſem*. quod fuerit circa annum DCLXX. diu ante tempora Normannorum. Imò & Clothario rege nominari inuenio, ſub annum DLXIV. *Anſtrogiſilum Comitem Louanienſem*: & in memoriis templi huius Diui Petri, *Anſelmum Comitem*, inter ſanctos. Quid mirum olim, & plures fuiſſe, cùm perpetui nondum eſſent, & alij atque alij, pro arbitrio regum, ſubſtituerentur? Itaque noſtri Annales tam altè non repetunt: & primum faciunt *Lambertum*, circa annum DCCCC. LXX. & ex eo ſeriem deinde continuam & ſtirpem texunt. AVO. Solent initia talium obſcura ſæpè eſſe: ſed placétne inquirere, & facem nobis allucere? LIPS. Si habeam vnde accendam, velim: ſed tenebræ meræ ſunt circa id æui, & intrantibus labyrinthi. Qui etiam ſcriptores, ad dirigendum aut firmandum? pauci, & ſparſim aliquid aut obiter tangunt. Sed colligam, diſponam, nectam: & ordine & fide, vt poſſum, dicam. Ab alto res petenda eſt. *Carolus Magnus*, qui rebus & virtutibus hoc cognomen meruit, imperium nouum in Occidẽte inſtituit: quo Italiam, Galliam, Germaniam eſt complexus. Tenuit vel auxit, quam-

A diu vixit: non ſic poſteri, & primùm *Ludouicus Pius* filius (præter hoc cognomen haud multa in eo pulchra) remiſſior fuit, & ab hoſtibus, ciuibus, liberis, clades aut ignominias accepit. Vtcumque tamen, imperium iunctum habuit: voluitque filius ſuus *Lotharius* natu maximus; ſed & alij duo, *Ludouicus* & *Carolus*, reſtiterunt, & ad diuiſionem verbis, mox armis vocarunt. Pugnata acris pugna in pago *Altedronenſi* (alij, *Anteſſiodorenſi*) ad villam *Fontanetam*: ita inquam acris, vt *nulla ætas meminerit* (verba veterum Annalium) *tantam ſtragem in gente Francorum eſſe factã*. Pleraque nobilitas, & vetus miles, periit: ipſum Imperium in diuiſionem venit, quia fratres duo videbantur viciſſe. Diuiſum, vt *Italia*, *Prouincia*, *Burgundia citerior*, Lotharij eſſet; tum magna illa *Belgica*, B ab ipſâ *Burgundiâ* ordiendo, & quidquid terrarum intra *Moſam & Rhenum* ſupernè, infernè inter illum & *Scaldim* eſſet. Vaſtum ſpatium: & quia hæc pars à reliquâ Galliâ iam diuidebatur, quæ regem ſuum ſeorſim habebat cum Franciæ titulo; placuit nouum huic nomen imponere, & à *Lothario*, *Lothariam*, vel noſtro verbo *Lotharyckriam* (quaſi *regnum Lotharij* dicas) appellare. Poſteri aut exteri deprauarunt, & molliùs *Lotharingiam* dixerunt. Hæc pars, quia plurimum Galliæ Belgicæ tenuit (non enim omnia, & vltra Scaldim ad Sequanam vſque deſunt omnia, itémque ſupra ad Matronam) ſed quia plurimum; confundunt ſcriptores, vt Otho Friſingenſis: *Lothario obuenit Gallia Belgica, quæ ex eius nomine Lotharingia eſt dicta*. Atque idem, & alij, *Belgarũ Ducem*, C hunc Lotharingum appellant: non verè aut exactè, vt dixi.

NOTA.

1. Diſertè ſcripſi, *vt nunc eſt*: neque nego antè aliquid hîc fuiſſe. At quas voces ſuſtinui, quia antiquius non facio? Dicunt *litteras* eſſe *Scabinales* anni DCCCLX. ſed quid in iis ſit, non addunt. Vidiſſe vellem, & tum arbitrari de fide ſcripti, ac de ſenſu. At illi, vt Veſtale ſecretum, ſeruant.

CAP. IX.

Reges & mox Duces Lotharingiæ, itémque Archiduces: Comites noſtri in hac parte, & ſtirpe. D

HÆc ita diuiſa: ſed & iterùm mox diuiſa, & vires magis magiſque, præſertim in Lotharij parte fractæ. Nam ille iam ſenior, tædio rerum aut pietate, Deo ſe conſecrat, & ſpreto imperio in Prumienſe monaſterium concedit. Partitus tamen illud inter liberos priùs, his finibus. vt *Ludouicus* Italiam haberet; *Lotharius* cognominis, hanc noſtram; *Carolus*, Prouinciam Burgundiámque. Ita, quæ pulcherrimè anteà hærebant, diuulſa. nam conſideratione dignum, in prima Lotharij parte, licuiſſe ab Oceano ad mare Mediterraneum venire, itémque ab vltimâ Italiâ ad Belgarum extremos. non alio Dynaſtâ, qui interpellaret. At nunc abiuncta: iterúmque magis, mortuo Lothario iuniore, qui cùm legitimos libe- E ros non haberet, *Ludouicus* & *Carolus* patrui, vterque Lotharingiam ad ſe trahere, & armis ſuper eâ certare. Mox pace factâ, partiuêre: quomodo dicet, non dicet *Diuiſio* quæ in Aimoino, itémque Pythœanis ſchidis exſtat. Nam confuſa eſt ipſa, & loca multa oblitterata: ſed lucem tamen aliquam eruet, qui intendet. Sed & aliæ mox partitiones, de quibus alibi videro: obſcuræ item &

multiplices; & pars Eccleſiaſticis, pars minutis Dominis abſtracta. Enimuerò confuſio hîc rerum, & ſcriptorum: & addo, nimbi ac tempeſtas temporum, cùm Normanni (vt prædixi) has partes paſſim inuaderent, & Galliæ reges, per ignauiam aut imbelliam, tuendis ſuis non eſſent. Itaque factum, vt Germani totam eam ſui iuris facerent. quod cœpit *Arnulphus* Imp. ille victor Normannorum: nec iniuriâ; nam ipſe è faucibus eorū eripuerat, & iure quodam manuum habebat. Tenuit & *Henricus* Imperator. ſed ita vt *Duces* ei non Reges darent, & in *Comitatus* etiam diuiſam, beneficij ſui facerent hanc ditionem. Ita mox *Otho* Imperator, *Henrici* filius, *Brunonem* fratrem ſuum, Archiepiſcopum Colonienſem, donaſſe Ducatu Lotharingiæ legitur: quem tamen ille titulum mutauit, & *Archiducem* nouo nomine ſe ſcripſit. Obſeruate iuuenes. non antè ea vox aut dignitas: nec in Lotharingiâ quidē poſt illum hæſit. AVD. Sed quâ cauſſâ aut exemplo excogitauit? LIPS. Opinor ſolo *Archi-epiſcopi* nomine motum: & viſum ei decorum, illud *Archi* etiam in *Ducem* transferre. Exemplum quidem (quod ſciam) antè non fuit: & illi *Auſtriæ*, diu ſanè poſt vſurparunt; mirum in iſto præeunte. Sed ad rem noſtram, hoc *Brunonis* tempore, duo fratres fuêre, *Reginerius Longicollus* cognomine, & *Lambertus*: ille *Montenſium* (id eſt, *Hainaniæ*) iſte *Louanienſium* Comes. Hi duo è regum Franciæ proſapiâ, ius ſibi in Lotharingiam eſſe dicebant, & armis vindicabant. *Bruno* dolo graſſandum ratus, ne longo aut difficili bello implicaretur, ſpecie pacis vtrumque *Valentianas* euocat, & *Reginerium* in vincla conijcit: *Lamberto* quid factum, non produnt. *Reginerius* igitur ibi ſato aut fraude obiit: ſed duos filios reliquit, *Reginerū*, & *Lambertum*: qui concorditer inter ſe patrium, ille Montēſium, hic Louanienſium Comitatum vt haberent, Fruſtrà. *Bruno* turbauit, & *Reginerium* vi pepulit: nec aliter auſus exſpectare, vterque patriam Franciâ, & dynaſtiam exſilio mutarunt. Inde iræ, minæ, & apparatus: & Franci fauebant: ſed hęc tātùm. Intereà *Otho*. Imp. obiit, itémque *Bruno*: & in ſucceſſore *Othone Secundo* non eadem vis vel auctoritas erat. Itaque liberè tunc duo fratres prorupêre, & ſuis ac Francorum copijs, *Garnerium* & *Reinoldum*, paterni patrimonij occupatores, acie vincunt. Id factum anno DCCCC. LXXVI. vincunt, inquam, acie: nec tamen loca omnia occupant: & ad obſidia conuerſi, caſtellum *Buxidis* (*Boſſutum* hodiernum eſſe cenſent: quò ducit magis vetus ſcriptio, *Buxúdis*.) hoc, dico caſtellum muniunt, & refugium ſibi, ac prædis receptaculum, habent. Quas cùm effuſè agerent, aliique Imperatorem, vt læſum, in partes vocarent: venit *Otho*, & caſtellum obſidet, expugnat, euertit. Fratres tamen elapſi. Imperator Montenſem Comitatum in duos diuidit, *Godefridum & Arnulphum*, illum *Arduennæ*, hunc *Flandriæ* Comitem, opibus potentes, eóque dilectos qui controuerſam ditionem tuerentur. Neque noſtros tamen animus, etſi melior fortuna, deſerit: colligunt iterùm copias, & montem *Caſtrilocum* obſident. dicti duo Comites ſuppetias veniunt, pugna committitur, ambiguâ victoriâ: niſi quòd obſidio tamen ſoluta, & noſtri in Franciam relapſi. Illic nouum regni fatum, res eorum & fata correxit. Erat *Hugo Capetus*, Pariſiorum tunc Comes: ſed potens opibus, & gratiâ, & addo aſtu & ingenio: quæ regnum ei mox pepererunt. Huius filiam *Haudam* Reginerius vxorem capit; noſter Lambertus *Gerbergam*, Caroli filiam, qui frater *Lotharij* regis tunc Francorum erat. Ita fulti opibus, & aduerſariis iam terriris, ſaciente etiam palàm & fauente Rege, vterque Comitatum ſuum recipit: & receptum, firmiter ipſi & poſteri tenuerunt.

Anno DCCCXCVI. ſeq.

Anno DCCCCLIX.

Anno DCCCCLXXIV.

Anno DCCCCLXXVI.

NOTA.

Hîc & alibi *Hainaniam* ſiue *Hainoniam* appellaui, quæ vulgò *Hannonia* eſt, & incolæ *Hannones*: ſed vulgò; neque voces eas, aut analogiam, aut paullò vetuſtiorem auctoritatem habere, opinor. Appello ad ſchidas. Vera ſanè vox, *Hainau*: quaſi dicas, *Haina regionem*, qui fluuius eam interluit. Illa, inquam, vocula nobis hoc notat: atque ita *Batau*, *Mor-au*, *Run-au*, & plura formauimus: *Bauregionem* (vel *commodi bonique*. nam & id prior vox notat) *Paluſtrem regionem*, *Rheni regionem*. Ab his exemplis *Hainania* Latinè: etſi reperio etiam *Hainegoiam*, vel *Henegoiam*: nimirum à litteræ *G.* inſitione, quæ interponi inter duas vocales *d'φώνως* ſolet. Ita cùm *Haine-au* vellemus, *Hainegau* fecimus, & craſſiuſculè *gou*, vel *goi*; vt *Auſter*, *Oiſter*, & quæ talia facilè notes. Sic & *Runganiam*, pro *Runauiâ* leges.

CAPVT X.

Comites hic perpetui: & de Carolo Duce dictum, à quo noſtra magnitudo.

ETiam certus primúſque (vt apparet) perpetuus Comes Louanienſium, *Lambertus* iſte eſt: & Annales ab eo numerant, neque vltrà tendunt. Nam quæ dixi de *Floriberto*, aut talibus; alia ratio eſt, & more priſco, poſt *Conſtantinum*, Comites, id eſt Iudices prouinciis ſiue opidis dabantur, quos Germanica lingua *Grauiones* appellat. Quidam à canicie vocem petunt, quia Seniores in hoc munere; alij à foſſis, quia ad limites; mihi leuiter incidit, Græciſſante voce, quaſi *Graphiones* dictos, & quia rara tunc inter barbaros, peritia ſcribendi, & Iudicibus vſurpata. Vtcumque ea res ſit, *Comites* mox facti perpetui, & in Principatum ac Dynaſtiam vox iuit. Sed de *Lamberto* priuſquam alia exſequar, de *Carolo* eius ſocero præmittam: quia illinc, & ab hoc capite, magnitudo præcipua Belgicæ eſt, quam miramur. *Carolus* igitur, è ſtirpe *Caroli* illius *Magni*, filius *Ludouici Quarti* Francorum regis fuit, frater autem *Lotharij*, qui tunc maior natu regnabat. Hic *Lotharius* bellum cum *Othone* Imp. habuit: ſed pace factâ, frater eius *Carolus* Ducatum Lotharingiæ, velut pignus illius, aut donum, accepit. Neque tamen totum accepit: multum Imperator deminuit, & aut Imperio, aut aliis adſignauit. Imperio, *Aquaſgrani*, *Noneſium*, *Antuerpiam* noſtram cum *Marchiâ Rienſi*, item Comitatum (vt ego opinor) *Brachantiæ*: aliis, *Leodicenſi & Colonienſi* Epiſcopis, multum adiacentium terrarum, aut opidorum, quæ etiamnunc latâ ſatis iuriſdictione tenent. Scilicet de alieno, facile & in procliui erat; largum eſſe: & circumcidere etiam Lotharingiæ vires, inter conſilia habebatur. Tamen *Carolus* cetera tenuit, & quindecim ferè annos poſſedit. Intereà *Lotharius* rex nullis liberis, aut nō diuturnis, obiit: & iſte regnum iure & more vindicabat. Sed vis aut fraus plus potuit: & *Hugo Capetus*, de quo dixi, cùm iam diu ambitioni ſuæ viam præſtruxiſſet, non ſolùm regnum obtinuit, ſed iſtum in vincula dedit, obiítque in iis *Aureliani* ſexto circiter pòſt anno. O res humanas, & infida ſceptrorum! Spectarunt alij, alij adiuuerunt: & quamquam huic propria ſoboles eſſet *Otho*, qui Ducem Lotharingiæ agebat; tamen adſpirandi ad regnum, aut conandi, vel animus vel vires defuctūt, obiitque in ſuo Ducatu, cùm annos XIIII. circiter tenuiſſet. Hic eſt,

quem

Anno ∞. V. quem *Epternaci* in Leucorum ditione ſepultum quidam credunt: vbi hodiéque tumulus, in Benedictinorum cœnobio, cum inſcriptione:

Otho Comes, tibi ſit requies per ſæcula perpes.

Non putamus: & ecce *Comitis* modò titulum ille habet. Quid quòd alibi legi, Niuigellæ noſtræ hunc ſepultum eſſe? Quomodocumque, defuncto iam eo Lotharingiæ Ducatus datus ab Imperatore *Henrico* Comiti Arduennæ *Godefrido*: etſi Carolus filiam *Gerbergam*, vt dixi, collocaſſet *Lamberto* Comiti noſtro, (Anno ∞. VI.) anno ∞. II. vt ab *Edmundo Dintero* annotatum reperio: quæ iure ſanguinis eum vindicabat. Sed in alia hoc non valuit: dumtaxat *Comitatus Brachbantenſis*, & *Bruxellenſis*, cum iis quæ adhærebant, apud Carolinam hanc ſtirpem manſerũt, & Comitatum Louanienſem inſigni acceſſione auxerunt. Idem alij tradunt de *Niuigellenſi*: quem *Niuellenſem* hodiernus ſermo dicit. Sanè de Bruxellenſi, certum eſt, vbi crebrò egit Carolus, & iam tunc iſte locus Genium habuit, vt ſic dicam, ad Principes alliciẽdos, & ſuaui ac ſplendido domicilio retinendos. Scribit *Dinterus* Carolum *hic principale dominium tenuiſſe, inter duo brachia Zennæ fluminis, prope Eccleſiam S. Gangerici.* Locus etiamnunc notus, & vetus ibi (notent curioſi) in paruâ inſulâ Aula fuit. Idem Diuam opidi tutelarem *Gudilam*, à *Morzellâ* in vrbem tranſtulit, & in æde *S. Gangerici* collocauit, donatam ipſam & ſacrorum miniſtros, fũdis & vectigalibus, quæ etiamnunc tenent. At non locum; & mox tranſlata in ſuperam partem fuit, vbi templum nunc ſuperbum viſitur, eius nomini ſacratum.

CAP. XI.

Lambertus Comes, aliique ex ordine, ad Godefridum primum Ducem.

LAMBERTVS igitur iam Comes, & viribus finibuſque auctior: ſed & plura appetebat. Nam ſpes de Lotharingiâ non deſerebat, & omnia occupandę monebat & turbabat: ideóque *Godefridus* nouellus Dux, ſuis & Imperij viribus, in fines noſtros venit, ſummam, vt putabat, manum bello impoſiturus. Itaque Louanium ipſum obſedit, & Lambertum (Anno ∞. XLI.) inibi clauſit. Qui ſunt auxilio? Deus, & ciues. atque iſti mirâ virtute & conſtãtiâ, poſt varios conatus aut adſultus, hoſtem tritum irriſúmque dimiſerunt. Ita finis belli, non ſpei. quam tamen interpellauit Leodicenſis Epiſcopus *Baldericus*, qui ſtatim anno ſequente bellum intulit, & iuxta *Hugardas* caſtra eſt metatus. Noſter aduẽnit, manum conſeruit, & cum cæde aliquâ (trecenti obiiſſe dicuntur) Antiſtitem fugauit. Ille, quod bello non potuit, à religione voluit impetrari: & ſacrorum communione ipſum ciuéſque arcuit, donec Comes *Horrentium* villam, velut luendæ culpæ, ipſi poſteriſque adſignauit. Iterúmque cum *Godefrido* occupatore Lotharingiæ bellum. qui Hainouiam inuaſerat, quam *Reginerius*, ex fratre nepos huius noſtri, tenebat: ideóque ſtatim ſuppetias venit, & infelix prœlium iniit, in quo vi- (Anno ∞. XIV.) tam amiſit. Id pugnatum circa *Florennas*: ſcribitq́ue Sigebertus, *Phylacterium à collo pendulum habuiſſe Lambertum, in quo Diuorum reliquiæ: atque id in medio ardore prœlij excuſſum vel amiſſum diuinitus, & viſum et mox ereptam.* Obiit pridie Idus Septembres, vir à puero variè exercitus, & animi magnus, melius fortunæ. Sepultus eſt *Niuigellis*, vbi & vxor eius Gerberga, Filium reliquit

HENRICVM. quem didici cum matre *Gerbergâ* res aliquamdiu adminiſtraſſe: ſed in pace. Memorabile quidem nihil inuenio, præter in vſus ſacrorum donationes quaſdam, vt pietas illa maiorum fuit. Præfuit ita *viginti quatuor* circiter annos, noſter, vt ſic dicam, Numa. Mors tamen tragica: & à captiuo quodam ſuo, viro nobili, *Hermanno* domi inſidioſè interfectus eſt, ſiue vt alij exprimunt, in Arce. Factum anno ∞. XXXVIII.

OTHO ſucceſſit, *Henrici* filius, breuis æui puer: neque annum ipſum in Principatu exegit.

Ergo patruus eius LAMBERTVS, *Baldericus* cognomento, eũ excepit, filius illius *Primi*. Aliqui confundunt, malè. Hic eſt qui *Decimas agri Louanienſis, Collegio Canonicorũ Diui Petri adſignauit*, octauo imperij ſui anno. Idẽ Diuæ *Gudila* corpus, quod Bruxellæ aſſeruatur, è *Gangerici* æde ſublatum, in *S^ti^ Michaelis* (ita tunc dicebatur) repoſuit: & ipſum illud templum auxit, vel ornauit, Canonicos inſtituit, & ampliter ſatis donauit. Factum anno ∞. XLVII. vt monimenta in eo ipſo templo nunc docent: adiuuante & fauente in talibus optimâ coniuge Odâ, quæ filia fuit *Gozelonis Lotharingiæ* Ducis. Sed neque Martis expers hic Princeps fuit. Nam cùm Flandria bello arderet, quod *Henricus Tertius* Imp. inferebat *Balduino* Comiti, noſter arma cum vicino iunxit; ſed arma parùm fauſta. Flander variè petitur, vincitur, terrâ & mari: cùm Hollandi & Zelandi in partes Cæſarianas ducti aut tracti eſſent. Itaque *Clanſulis captis* (ait Sigebertus: & puto *Sluſas* hodiernas eſſe) multam cædem Imperator fecit: ipſum *Lambertum*, cùm Tornacum obſeſſum pergeret, obuium ſibi, aut in ipsâ obſidione (vt alij) interfecit. Obiit autem (memoriæ Louanienſes notant) XIII. Kal. Iulij, anno ∞. LIIII. Iacet Niuigellis. Et cur ibi primi ferè noſtri Comites? credo per religionem: quia certum, *Defenſores & Aduocatos* eius cœnobij fuiſſe.

Succeſſit HENRICVS *Secundus*, eius filius: cui vxor *Adela*, filia Landtgrauij Thuringiæ. Neque aliud de eo lego, quàm cum Hollandis variè pugnaſſe: & obiiſſe anno ∞. LXVIII. Hunc *Ducem Carinthiæ* (addunt aliqui, *& Auſtriæ*) ab *Henrico Quarto* factum, ſunt qui tradant: & inter eos *VVolfgangus Lazius*, vir multæ induſtriæ, & lectionis: iudicium & fidem eſt vbi requiras. Sed tradunt: & hinc euenisſe, vt inſignia vtriuſque Principatus (Louanienſis, & Auſtriaci) eadem ſint & concordent. Dubito, & Annales noſtri nihil produnt.

Huic HENRICVS *Tertius* ſufficitur, filius natu maximus: cui vxor *Gertrudis*, filia *Roberti* Comitis Flandriæ. Annos *viginti octo* rexit, pacatè, id eſt beatè: nec belli aut tumultus ſub eo ſermo. Mortem in ludicro haſtarum certamine quæſiuit, à *Goſuino* viro nobili: quem dum temerè prouocat, & inuitum ſecum concurrere adigit, vno ictu confoſſus, obiit. Is fuit annus ∞. XCVI. Et huius monumenta pietatis exſtant, donationes cœnobiis factæ, inprimis *Affligemenſi*. Sepultus eſt Niuigellis: liberos mares non reliquit. Itaque

Venit in locum frater GODEFRIDVS, duplici cognomine, *Barbatus*, & *Magnus*. Illud habuit à voce quâ ſe obligauit *barbã non ponere, donec Lotharingiæ, Ducatus diu debiti, compos eſſet.* Alterum ab iſto ipſo manauit, quòd eâ adiectione verè iam magnus eſſet; tum & animo ac virtute merebatur. Auctores habeo, qui tradant, quo tempore frater Henricus obiit, in Syriâ, nobili illâ *Godefridi* expeditione, captiuum fuiſſe: eóque communi patriæ decreto, matrem *Adelam* rebus præfectam, donec de filio certiora adferrentur. Ad quem liberandum reducendúmque

Oliuerius Leefdalius vir nobilis, Bruxellâ oiſſus, feliciter rem confecit, & optantibus ſuis Principem reſtituit. Statim redux *Sophiam*, filiam *Henrici Quarti* Imp. vxorem cepit: atque ea ad Ducatum Lotharingiæ gradum ſtruxit. Nam cùm *Henricus Quintus* patri bellum faceret, & à partibus huius *Henricus* Limburgenſis, Dux tunc Lotharingiæ, ſtaret; patre mortuo, cepit eum, & Ducatu ſpoliauit, tranſtulitque in hunc affinem ſuum *Godefridum*. Id factum anno ꝏ. c. vi. Ab hoc tempore potens iam iſte, & contra *Henricum* (cuſtodiâ elapſum) fortiter ſua defendit: itemque cum *Bertoutis*, qui Mechliniæ, Grimbergæ, alijſque locis latè imperabant, acre bellũ, etſi parùm felix, habuit. Cum Leodicenſibus autem, vario A euentu. Nec in bellis *Cæſarem* facimus: in virtutibus, pietate, iuſtitiâ, benignitate, Annales noſtri palmam ſuper omnes donant. Cœnobia & religioſos cœtus inſtituit, vel auxit. Auxit *Affligimum*, *S. Trudonem*, *Bigardenſe monaſterium* ſupra Bruxellam, in ipsâ Bruxellâ *Præpoſituram Capellæ*, alia inſtituit *Parcenſe* hoc nobile, item *Fliederbecenſe*, vtrumque nobis in própinquo. Obiit anno ꝏ. c. xl. cùm annos xliiii. imperaſſet. Sepultus eſt Affliginij. Ab illo ſeries Ducum Lotharingiæ & Brabantiæ, mox & Burgundiæ atque Auſtriæ, qui in præſentem hanc magnitudinem creuerunt. quos nunc ſepono: neque ad rem Louanienſem propriè ſpectant. Septem dedi Comites: atque ecce breuiter, & in vno aſpectu, ſtirpem &

STEMMA.

MANASSES, *Comes Hainauiæ.* — LVDOVICVS IIII. *Rex Franciæ.*

REGINERIVS *ibidem Comes.* — LAMBERTVS *Louaniæ Comes, ſine liberis.* — LOTHARIVS *item Rex.* — CAROLVS, *Dux Lotharingiæ: vxor filia Comitis Trecenſis.*

REGINERIVS, *ibidem Comes.* — LAMBERTVS, *loco patrui, ibidem.* — GERBERGA *vxor Lamberti.* — OTHO *Dux Lotharingiæ, ſine liberis.* — ERMINGARDIS, *nupta Alberto, Comiti Namurenſi.*

MACHTHILDIS, *nupta Comiti Euſtathio Bononienſi & Bullionenſi. qui filium Euſtathium habuit, & ex eo nepotes Reges Hieroſolymorum.* — HENRICVS, *neſcitur vxor.* — LAMBERTVS *Baldericus, vxor Oda.*

OTHO, Ἄπαις.

HENRICVS *Secundus, vxor Adela.*

HENRICVS, *Tertius, vxor Gertrudis Ἄπαις.* — GODEFRIDVS *Barbatus, idem Magnus. Vxor Sophia. primus Dux Loth.* — REGINERIVS, *qui in Hasbaniâ, caſus. Ἄπαις.*

HENRICVS, *viuo patre Monachus Affliginij.* — GODEFRIDVS *Secundus, ſucceſſor.* — ADELA *nupta Regi Angliæ.* — IDA *nupta Comiti Cliuenſi.* — CLARISIA, *virgo.*

Genus ex his videre eſt, & ſanguinẽ vtrimque *Regium*: illum è vetuſtis *Merouæis*, hunc *Carolinis*. Adfinitates deinde, & ſangnis mixtos cum omnibus, ferè dicam. Europæ Imperatoribus, Regibus, Dynaſtis.

CAP. XII.

De Marchionatu Rienſi, quis ille, & quando acceſſerit.

ORDINE iſti Comites: & augmenta paullatim habetis, denique Lotharingiam, tot annis debitam, exſpectatam, tãdem impetratã. Quid etiam? *Brabantiam*, & *Marchiam Rienſem* addere debemus: ſed vtram priùs? difficile eſt dicere, & vno ferè tempore inuenio (de Comitibus noſtris loquor) titulos vſurpatos. In manuſcripto Chronico legi:

Henricus genuit Henricum Louanienſem,
Quilibet iſtorum Romani Marchio regni.

B Hæc ſpectant ad *Henricum Secundum*, & *Henricum Tertium*, Comites (Catalogum in mente habete:) qui præceſſerunt *Godefridum Magnum*, Lotharingiæ primum Ducem. Itaque titulus ille anterior iſto Lotharingiæ: ſicut & Brabantiæ, quem *Henricus Tertius* in Diplomate ſumit, anni ꝏ. lxxxvi. Donatione Affliginienſi: *Henricus, diuinâ propitiante Clementiâ, Bracbatenſis patriæ Comes & Aduocatus*. Poſteà de iſto, nunc de *Marchiâ*. Marchiam vocamus, limitem Lotharingiæ ad Scaldim fluuium: quem *Pagum Rienſem* olim dixerunt: qui cõtinebat *Antuerpiã* hanc nobilem, *Liram*, *Bredam*, *Herendatum*, *Bergam*, & Campaniæ multos pagos. Lazius *Marchiam limitis Anglicani* appellatam vult & *Vulonem* Marchionem agnoſcit, iam olim anno ꝏ. xi. Adduntur alij: & denique ipſi Duces Lotharingiæ ab Imperatore impetrarunt, inter quos *Carolus* Lamberti ſocer, & *Otho* filius, de quibus prædixi. Neque tamen *Lambertus* ipſe Comes obtinuit,

vt

vt apparet: legiturque *Godefridus Gibber*, Dux Lotharingiæ, Antuerpiæ interfectus, tanquam ibi Dynaſta & Marchio; itémque *Godefridus* filius Euſtathij. *Marchio Antuerpiæ* ſcribitur, & militêm ibi collegiſſe, cùm ad ſacram & inclytam illam expeditionem iret. Ideò dubitatio ſubit de *Henrico Tertio* (etſi Epigrammatium ſuprà dixit.) cùm *Godefridus* ille *Gibber*, anno ꝏ.LXXVI. interfectus ſcribatur: qui tamen Lamberto Schafnaburgenſi *Gozilo* dicitur, re & tempore iiſdem. *Gozilo*, inquit, *Dux Lotharingorum cùm eſſet in confinio Lotharingiæ & Flandriæ, in ciuitate quæ dicitur Antuerpha, occiſus eſt.* At alij *Godefridum* hunc fratrem faciunt *Gozelonis*, quibus magis accedo. Sed quomodocumque, non potuit *Henricus Tertius* Marchio eſſe, aut non diu eſſe: præſertim cum *Godefridus* ille alter eodem titulo ornetur, ſub annum ꝏ.XCVI. Niſi exiſtimat aliquis (nec de nihilo) Lamberti poſteros vſurpare voluiſſe, tanquam deberetur, etſi in poſſeſſione alij eſſent: aut, ſi fortè, vtroſque in parte poſſediſſe. At illud iam conſtat, *Godefridum Magnum*, vnà cum Lotharingiæ & hunc ſumpſiſſe, atque adeò rem tenuiſſe. Diplomata eius: *Godefridus Dei miſeratione, Dux & Marchio Lotharingiæ, Comes Louanij*: anno ꝏ.C.XXXVIII. In alio, Cœnobij Parcenſis donatione: *Ego Godefridus Dux, qui & Marchio.* & poſteri deinceps vſurparunt. Magna acceſſio fuit: notandumque à Brabantiâ & Lotharingiâ (etſi nunc in illâ cenſetur) Marchiam diuulſam fuiſſe. De Lotharingiâ, diſertè Schafnaburgenſis: *in confinio Lotharingiæ & Flandriæ fuiſſe.* Non quin olim in Lotharingia non fuerit: ſed nimirum Imperatores Germanici auellerunt, & ſibi aut ſuis, quibus gratificari vellent, eam ſeruarunt. Mos etiam vetus habebat, ad limites imperij aut flumina, *Marchias* iſtas habere, & in iis præſidia contra hoſtes.

CAP. XIII.

Idem in Brabantiâ quæſitum: qualis, & vbi ea?

SEQVITVR de Brabantiæ acceſſione, à me poſitum & huc dilatum. Video quidem *Henricum Tertium* vſurpaſſe, verbis quæ dedi: iterúmque in manumiſſione puellæ cuiuſdam, quam manuſcriptâ vidi, *Ego Henricus Comes & Aduocatus* *Brachbantinenſis patriæ*: ſed *Comitem* ſe, non *Ducem* ſcribit. Et verò idem titulus in Sigefrido, actis anni DCCCC.XCVII. *Ansfridus, cùm* *Comes fuiſſet Bratuſpantium, depoſito militiæ cingulo factus eſt Epiſcopus Vltraiectenſis.* Idem titulus, ſed in alio (quod miremur) ſub idem tempus: nam ille *Henricus* noſter obijt anno ꝏ.XCVI. Quomodo expedimus? neque enim vno tempore duo Comites, vt opinor. AVD. Ex facili, nam *Bratuſpantes* diuerſi à *Brachantis* ſunt, quod vel ex Cæſare conſtat. LIPS. Verè tu, ſi Cæſarem ſpectas. nam ille iuxta Sueſſiones collocat, procul à nobis: ſed Sigefridus aliter: & illam Iulianam vocem, neſcio quâ affectiuncula, ad nos transfert. Ne ambigas, ecce clarè in actis anni ꝏ.XII. *Godefridus Dux in fines Bratuſpantium venit, & Louanium obſedit.* Cedò, an non Louanium in noſtrâ Brabantiâ eſt? Equidem hæreo: & magis, quòd in Dintero ſcriptum, *Gerbergam ſucceſſiſſe fratri ſuo Othoni in dominio Comitatus Bracbatenſis, & Bruxellenſis, cum ſuis appendicibus.* Si iam tunc Gerberga, id eſt vxor *Lamberti Primi*, ſucceſſit: cur non ipſe, non alij ante *Henricum* dictam vſurparunt? Tenebræ: & omnia faciamus, nullum ingenium vel induſtria examuſſim hæc ad equet incuriosè ſcripta, aut nec ſcripta. Illud tamen video & teneo, *Comitatum* modò *Bracbantiam* tunc fuiſſe: ne-

A que *Ducatus* nomen apud noſtros reperiri ante *Henricum Quartum* Louanij Comitem, qui accepit. Nam hoc Hiſtorici noſtri docendi ſunt: & eſt epiſtola imperij nomine ſcripta ad *Innocentium Tertium* Pontificem, & ſubſcripta inter plures ab iſto: *Ego Henricus Dux Lotharingiæ, qui & Brabantiæ.* Item in ſepulchro eius, in hac vrbe, æde Petrinâ:

Brabantinorum Dux, regni Marchio, morum
Regula.

Neque de ſequentibus deinceps ambigitur: omnes vtrumque illum *Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis*, aſſumpſerunt. AVD. Satis mihi mirum, quòd ſic nouellum titulum facis; cùm Gallici atque alij Annales tradant, *Arnoldum*, & mox *Arnulphum*, denique *Angiſum & Pipinum Craſſum*, Brabantiæ Duces, & Ant-
B uerpiæ Marchiones fuiſſe. LIPS. Scio eſſe, qui fortiter tradiderint, ſed veteres auctores equidem requiro. Illud de iſtis verius, *Auſtraſiæ Duces* & rectores, ſub Galliæ Regibus, fuiſſe: quæ tamen Auſtraſia hanc partem ferè tenuit, quæ *Lotharingia* poſteà dicta. Vbi & Brabantiam eſſe [illegible] nomine tam antiquo? Etiam olim aliquid [illegible] Annalibus Gallicis, vbi in Diuiſione *Ludouici* Imp. [illegible] facta ſcribitur: *Friſia, Ardenna,* [illegible], *Franderes,* * *Menpiſlon*: & videtur ex connexione locorum *Brabantiam & Flandriam* ſic nominare. Magis etiã accedit Diuiſio vetus *Caroli & Ludouici regum*, anno DCCC.LXX. *In Brachanto Comitatus III. Cameraceſium, Hanoum, Lomenſem.* Vox ſanè eſt hæc
C ipſa, & magis ſi quis *Bracbanto* me volente ſcribat. Sed quid igitur? tam latè patuerit, vt *Cameracum & Hainoniam* (nam iſtud eſt *Hanoum*) incluſerit? De *Lomenſi*, hæreo: & pronus ſim ſcribere *Louenſem*, vel * *Louanenſem*, & capere hunc noſtrum. Enimverò etiam Rodericus Toletanus *Brabantiam* valdè producit, & cum ipsâ *Lotharingiâ* adæquat. Nam in deſcriptione Germaniæ ait: *Teutonia continet has regiones, Lotharingiam ſiue Brabantiam, VVeſtfaliam, Friſiam*. Sed exteri parùm hæc accuratè exſequuntur & ille fortaſſe titulos Ducum noſtrorum ſaltem adſpexit, quibus iunctim tunc vtebantur. Illud comperior, *Bracbantiam* hanc poſteriorem ad *Scaldim &*
D *Teneram* fluuios ſitam fuiſſe, & verſus Tornacum etiam ſe extendiſſe. Ex Sigefrido; in actis anni ꝏ LIX. *In pago Bracbatenſi, iuxta Tornacum.* Et in additionibus Roberti Montenſis, anno ꝏ.C.XIII. vbi tamen *Bracatenſi*, male cenſeo ſcribi. *Pago*, id eſt regione & tractu: quomodo *pagos Heluetiorum* Cæſar dixit. Ita & Flandriæ Chronica ſcribunt, *Diuum Lamnum ad Eſcam, in pago Bracbatenſi, martyrio coronatum.* Quæ ſi fida ſcriptio, nónne *Bracbantiæ* hoc nomen iterùm * antiquum adſtruimus? nam id euenit anno DC.XXXIII. Flandriæ item ſcriptor *Brando*, nominat in actis anni DCCCC.LVI. & ponit in *Pago Bracbantenſi, Meren, Craunbam, Bellauicum, Bruggiernam,*
E *Milunam, Merſken,* * *Aydgam, Badingam, Morteſelam, & Maſminam.* Itémque diploma *Othonis Secundi*, anno DCCCC.LXXIIII. commemorat, *confirmaſſe eum poſſeſſiones Grandenſis cœnobij. in pago quidem Bracbatenſi, villam Verniniam, & Pleterſelt, & Papingham, & Baningam, & Giſenſele, & Holthem* Quæ loca diſtinctè ſi inquiris, reperies pleraque palam in hodiernæ Flandriæ finibus, inter flumina à me dicta. Quid concludimus? *Brabantiæ* nomen antiquitùs videri latiùs patuiſſe: poſteà reſtrictum aut obſcuratum, vt ſolent hæc talia, hæſiſſe in finibus Flandriæ, vbi nunc ferè eſt *Comitatus Aloſtenſis.* AVD. Mira. & vnde noſtri Principes hunc titulum, ſi Flandriæ tu accenſes? LIPS. Dicam. Scito Lotharingiam noſtram olim certò ad Scaldim ſe extendiſſe. atqui

* Ideóque & nunc Imperialis dicitur, co titulo à Flandriâ diſcreta.

ita illam *Bracbantiam* * in eâ tunc fuiſſe; ſed tempore ad Flandriam iiſſe. Noſtri certè Annales habent, *Teneramundam cum agris, in pretium fida operæ atque opis contra Grimbergios, Theoderico tunc Comiti Flandriæ acceſſiſſe, atque abiunctam deinceps à nobis eſſe.* Ita vera Bracbantia non eſt vltrà noſtrorum Principum: nomen tamen tenemus, imò diffudimus in reliquos veteres Comitatus. AVD. Quomodo id factum, aut quando? ſodes, doce. LIPS. Difficile eſt (& pudet me toties queri:) ſed ſuſpicor, cùm Duces iam Lotharingiæ noſtri eſſent, impetraſſe ab Imp. vt ille *Comitum Bracbantiæ* titulus in *Ducatum* item mutaretur. Factum. & placuit nouellus hic præ illo veteri, quia ambiguus erat, & *Duces Superioris Lotharingiæ* etiam vſurpabant. Adeoque innaluit, vt obliterato Lotharingiæ & alijs, hunc retinerent, & terris ſuis communicarent.

A

NOTA.

1. *Bracbantia*, vel *Brachbantia* antiquioribus ferè ſcribitur: ideóque *Branaband* ë Becani, originem ſic petentis, locum vix habet. *Bant* limitem ſignificat: ſic *Oſterbant*, & *VVeſterbant* appellata: quæ *Auſtrouantiam* & *VVeſtrouantiam* non benè efferunt aut ſcribunt. Et fuit ſanè limitanea hæc regio, inter vtraque regna: ideóque *Brac*, *A* craſſo, fortaſsè dicta: quia ſæpè ceſſabant ij agri & inculti erant. quod nos *Braecken*, & *Braec-lands* vocamus. Sed origines obſcuræ, nugari omittamus.

2. Hunc Anſfndum Annales Leodicenſes *Comitem* faciunt *Louanienſem & Dionantenſem*. quod prius quidem non opinamur, & cum omni hiſtoriâ noſtrâ pugnat. Sed Comitem tamen fuiſſe in parte aliquâ Brabantiæ, facilè donem: atque ita titulum exaudiendum, *Comes Brabantiæ*, id eſt in Brabantiâ, non quòd totius illius eſſet.

IVSTI LIPSI
LOVANIVM:
id eſt,
OPIDI ET ACADEMIÆ EIVS DESCRIPTIO.
LIBER SECVNDVS.
CAPVT PRIMVM.

Dignitas Ducum Brabantiæ, atque opidi Louanij: Cuius nomen in titulis præualuit. Eaipſa caput Lotharingiæ.

QVando Louaniū noſtrum fuerit, & progreſſus eius dixi: *Quantum*, & *Quale*, iam addā. Neque enim à præſenti fortunâ aut ſpecie æſtimate: res magna, inſignis, laudabilis fuit, & pauca in hoc axe opida, quæ potentiâ aut opibus, & addam virtutibus, æquauerint ſe aut æquent. Vt capiatis credatisque, à capite deducam. Poſtquam Lotharingia annexa Louanio, itemque Brabantia fuit; magna iam Ducum noſtrorum dignatio, validæ copiæ atque opes: vſqueeò, vt inter Germaniæ primos Principes (nam ad Germaniam Inferior Lotharingia pertinuit) primos, inquam, cenſerentur. Clarum & notabile argumentum, quòd cùm *Innocentius* IIII. Pontifex, in Concilio Lugdunenſi, Imperij *Electores* conſtitueret, quattuor ſæculares iſtos nominauit: *Ducem Auſtriæ, Ducem Bauariæ, Ducem Saxoniæ, Ducem Brabantiæ, qui & Louaniæ.* Hæc ita ex ipſis Actis verbatim, inter alia recitat *Matthæus Pariſienſis*, qui

B

Hiſtoriam ante *trecentos quinquaginta* circiter annos in Angliâ, nec infideliter, ſcripſit. Atqui Electorum honore affecti, non niſi primi & potentiſſimi Germaniæ, quod ex adiunctis collegis liquet. Ergo dignitas magna Brabantiæ, & in eâ Louanij fuit. Diſcitis ex ipſo titulo, quem dedi: *Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ*, quaſi hæc additio lucem aut ſplendorem ꝑnoti daret. Et ita fuit. tam celebre enim & diffuſum nomen huius vrbis, vt non ſolùm adtexeretur illi Brabantiæ, ſed præponeretur ſæpè, aut & pro eo ſolum poneretur. Præponi video in Diplomatis. vt Gemblacenſi donatione, anno ∞. c. XXIII. *Godefridus gratiâ Dei Comes Louanienſis, Dux Lotharienſis.* Adtexi, in Othone Sancto-Blaſiano, actis anni ∞. XCVI. de expeditione Syriacâ illâ ſacrâ:

C

Cui interfuit Dux Brabantiæ de Louen, cum multis Baronibus. Solum poni, in Diplomate quod in S^ti^ *Michaelis* Antuerpiæ ſeruatur: *Ego Godefridus Tertius, Dux Louanienſis.* In Guilielmo Malmeſburienſi, Anglico ſcriptore: *Deſponſa eſt Henrico Primo Adela, filia Ducis Louanienſis.* In Rogerio, eiuſdem generis: Anno ∞. c. xxvi. Anno ∞. c. xcix.

Rex

Rex Richardus venit e Germania ad portum de Anuers, & eſt ille portus in terra Ducis de Louain. Clarum eſt Antuerpiam dici, & noſtrum tunc Ducem *Henricum Primum*. Repperi & epiſtolam *Comitis de Sancto Paullo*, in terra Sanctâ ſcriptam, & ſic inſcriptam: *Henrico Duci de Louaino, viro nobili.* Quorſum iſta? vt eminentia quædam oppidi oſtendatur, ſenſu & voce exterorum etiam adſtimata: qui hanc, vt præcipuum & excellens Brabantiæ aut Lotharingiæ decus, ſuſpiciebant. Itaque diſertè etiam lego in Malmesburienſi (notent & iactent ciues:) *Louanium caput Lotharingiæ*. Ita inquam, *caput*: & fuit, & manſit, etſi fortuna non eadem manſit. Varia autem cauſſa huius dignitatis, vel quia prima ipſa poſſeſſio Principum noſtrorum fuit, & ideò velut agmen inter temporis ducit: vel quia potentiſſima, & inter alias frequens ac florens. Sanè quia prima fuit, & reliquæ dignitates pòſt acceſſêre: ecce ipſa retinuit inſignia Comitum etiam Louanienſium, ſiue Lotharingiæ dicam. Sunt enim eadem. quare? nimirum quia noſtri Comites primi, Lotharingiam ſibi iure ſucceſſionis vindicabant; & cùm rem non poſſent, inſignia ſaltem (ita ſolet) quaſi capiendæ poſſeſſioni vſurpabant. At cùm iſti tempore mutaſſent, Louanienſes tamen illa priora tenuerunt. Ab hoc ipſo primatu eſt, quod & nunc obtinet, vt cùm Principes imperium Belgicæ auſpicantur, hìc faciant, & primam fidem à ſubditis ſollenniter capiant, ac donent. Denique in omni publico conuentu aut conſeſſu, non Brabantiæ ſolùm, ſed aliarum prouinciarum, Louanium vel ab eâ miſſi primas habent. Magna dignitas, & non controuerſa: ac reliquæ faſces ſponte ſubmittunt. Scio Antiquitatem vulgò etiam inter cauſſas cenſeri: ſed quæ nulli ambigua eſt, & Annalium teſtimonia controuertant. Nam *Antuerpia* ante mille paullò minùs annos mentio eſt in vitâ S. Eligij: itemque in teſtamento S. Willebrordi. qui legatur *Eccleſiam ſtruxiſſe in Antuerpo caſtello, ſuper Scaldim.* Neque æuo *Bruxella* cedit: legimuſque *S. Vinditianum apud Broſellam* (ita illæ ſchedæ) *in morbum incidiſſe*. At Louanio hanc vetuſtatem firmiter vix ibis adſtructum.

Anno ∞.CC. III.

Anno IↃC.L.

Anno IↃC.XC.

Anno IↃC.LXXX.

CAP. II.

Frequentia olim Louanij, & incolentium mira multitudo.

RETTVLI & cauſſam ad *Frequentiam*, & *Florem*: de quo vtroque nunc videamus. Et plenam frequentémque fuiſſe hanc vrbem, quid clariùs quàm magnitudo & productio iſta mœnium oſtendit? quæ non in vanitatem aut oſtentationem profectò facta eſt, ſed quia res & copia poſcebat. Sunt nunc vacua multa, fateor: ſed exſtant in Archiuis Cenſuales tabulæ anni ∞. CCC. LX. quæ palàm ponunt & docent, *omnem hunc exteriorem ambitum ædibus refertum.* Vultis & alterum argumentum? Annales habeo, tempore & Imperio *Ioannis Tertij*. anno ∞. CCC. L. *tantam textorum multitudinem hîc fuiſſe, vt ad tria, imo quattuor millia textrinorum ibi eſſent.* Addunt autem, *cuique textrino opus fuiſſe non minus triginta aut quadraginta homines*, qui lanam præpararent, qui carminarent, qui nererent, aliaque tales operas exercerent. Sed inprimis qui fullonicam. multus enim is opus, cùm molæ iſtæ aquatiæ ad eam rem aptatæ tunc nondũ legantur. Hæc ſi vera (neque ego ambigo) oportuit ex ſolo illo genere ad *centum ſexaginta millia* in hac vrbe degiſſe. AVD. Percutis me, & percellis. LIPS. Atque ipſi ſæpe alios, mi Vvvenc. Nã audiui à maioribus, quòd & ipſi à maioribus, tantã hîc eam turbã fuiſſe, vt cum horâ vndecimâ ſignum cãpanâ datetur deſinendi operis, patentes ſollicitè minores liberos in ædes occiderent aut traherent, ne impetu & impulſu venientium obtererentur. Atque hi ſi tam multi: quid aliarum deinde artium cenſes? nónne ἀναλόγως & pro numero oportuit caupones, ſartores, ſutores, lanios, omne aliud genus eſſe? mihi videtur. Quid deinde honeſtiores ciues, quid magna illa & frequens (mox dicam) nobilitas? quid aſſeclæ eorum & famuli? Profectò ſi alterum tantum addam, non peccem forſaſſe: ſed non addam; & illos etiam primos, ſi vis, imminuo: quid tamen minus poteſt hîc, quàm *ducenta millia* locare? at meo animo, excelſerunt. AVD. Dij boni, quæ copia præ hac infrequentiâ? LIPS. Quæ nunc ſunt, omitte: aut ego ſermonem omitto. Fuiſſe, inquam, grandem hunc numerum, etiam à Magiſtratu argumentum eſt, qui hîc, ſuprà quàm in alia vrbe, grandis & numeroſus. Sunt enim *viginti & vnus Senatores*, è quibus duo Conſules leguntur; tum ſeorſim ſeptem Scabini. Illi omnes, è nobilitate olim: obtinuíſque ad annum ∞.CCC.LX. cùm ſeditionibus (de quibus poſteà) plebs etiam ſe inſeruit, & mixtio eſt facta. Sed vidętis igitur grandem Magiſtratum: quo fine aut cauſſâ, niſi quia regendi multi?

A

B

C

CAP. III.

Nobilitatem multam fuiſſe: in ſeptem familias diuiſam: eiúſque origo quæſita.

SEO de Nobilitate, quæ copioſa, & ſuper opinionem hîc fuit, accuratiùs & ab origine eius videndum eſt: quæ tamé parùm certa adſertur, & veteres fabellæ miſcentur. Aiunt *Baſtinum* quemdam olim fuiſſe (tempus aliter non deſignant) corpore & animo pariter validum, qui ſeptem filias habuit, & eas totidem viris elocauit: ſed cum lege, quoniam ipſe virilis ſexus liberos non haberet, hæ nobilitatis ſuæ ius tenerent & diffunderent, atque ex iis nati, tales cenſerentur. Siue res fuit, ſiue inuentiuncula eſt, non tamen abſona à vero & more. quia ſeptem Familiæ primariæ ſunt: quibus ius etiam eſt, vt nobilitatem per fœminas tranſmittant. ſic, inquam, vt ſiquis plebeius aut impar fœminam talem nobilem ducat; liberi è coniugio nati habeantur nobiles, & Senatoria atque alia munia vſurpent. Vna traditio hæc eſt: alia origo in Annalium quibuſdam, refertur ad *Lambertum Primum* Comitem. quem *Patricios* & *Petermannos* inſtituiſſe volunt: idque ex merito virtutis. Nam primùm in obſidione illa *Godefridi Lotharingi*,* de quâ prædixi, Louanienſes magnum ſpecimen virtutis in repugnando ediderunt: eteumque in prœlio illo ad *Hugardas*, contra Leodicenſes. Ille igitur Comitem honeſtâtum eos, quorum virtus eminuiſſet, & in certas familias diſtributos, hoc nobilitatis decore ornaſſe. Vndeunde origo, de numero familiarum conſtat, & iure ſæmuco: atque vtraque etiamnunc durant. Familiæ autem, ſiue Gentes vetus, ſunt iſtæ: *Lominęy, Calſtery, Radingy, Steeny, Verenſaly, Gœly, Rody*: è quibus ſingulis, alij familiarum velut rami orti, latè ſparguntur, & quamquam ad vnum caput relati, nominibus diuiduntur. Repero in prima *Lominęyorum*, & quæ ſub eâ cenſentur, Familias *triginta & vnam*; in ſecundâ, *viginti octo*; in tertiâ,

D

E

nouem, in quartâ, *duodecim*; quintâ, *quattuor*; sextâ, *ſeptem*; ſeptimâ, *nouem*. Sunt ita [1] centum familiæ: & vos iam quamque earum in domos & capita diuidite, efficietis ingentem nobilium manum, nec in aliâ vrbium reperiendam. Certè in vnâ ſeditionum, de quâ poſteà, lego *Equites ad viginti quinque, Scutarios centum quinquaginta, captos fuiſſe*. & elapſi aut abſentes, quàm multi erant? Scio hæc nunc noua aut inopinata videri: ſed nos vetera loquimur, & illa pro merito laudatum imus, & ab obliuione vindicatum.

N O T A.

1. Tot familias (centum dico) Diuæus numerat: alij plures. & quid mirum eſt, vbi per fœminas accreſcunt? Aliæ pereunt, aliæ renaſcuntur: ſed certum, ad illarum aliquas referri.

CAPVT IIII.

De hominibus S. Petri, qui item nobilitatis ius habent. Origo, & honores.

ATQVE iſti ſunt, quos *Patricios* vulgò dicunt, & qui ſoli in Patres ſiue Senatores legebantur: ſunt & *Petermanni*, plebeio verbo, quaſi dicas *Homines Petri*, ſiue vt ſcripta noſtra Latina appellant, *Homines de familiâ S. Petri*. E quâ dictione cauſſam & finem inſtituti agnoſcitis: quòd videlicet, vt alij adſcribi honoris ergò in Aulam & familiam Principum ſolent; ſic iſti in eius Diui fidem ac clientelam. Sunt qui confundunt eos cum Patriciis: & vt hodie res eſt, vix diſſident: olim aliter, vt videtur, & latiùs *Petermanni* patuerunt. Nam etſi facilè hoc donabo, omnes Patricios in communionem huius honoris veniſſe, non tamen contrà, omnes *Petermannos* Patriciis accenſitos. Origo etiam vtrorumque diuerſa eſt. & iſtorum refertur ad *Henricum Primum* Lotharingiæ Ducem, & Louanij Comitem: itemque ex operâ militari. Bellum ei erat cum Leodicenſibus: & ipſe animo ac copiis paratior, fines iſtorum inuaſit, & *Tungros* opidum oppugnauit, & cepit. Hic ſucceſſus dedit audaciam, vt matrem vrbium *Leodicum* ipſum, raptim ducto exercitu aggrederetur. Spes in celeritate erat, & vt imparatis ſuperueniret: contrà fuit, intenti inſtructique exſpectant, reijciunt, & reiectum ipſi iam animis aucti inſequuntur. *Anno ∞ cc.xiii.* Noſtri ſub noctem *Steppus* caſtra locant: hoſtes aſſident, &, vt è vicinis frequentibúſque locis, nobilitas ac plebs adfluit, & in horas copiæ augentur. Adeſt ipſe Epiſcopus *Hugo*, adeſt *Ludouicus* Comes Loſſenſis, item *Philippus* Namurcenſis, ipſe *Henricus* Dux Limburgenſis, & clientium cuique ſelecti. Noſtri numero valdè impares, caſtris primò ſe continent: ſed poſt bidui inopiam, omnibus circà hoſtilibus, auſi aciem, egrediuntur, & hoſtem vltrò laceſſunt. Stant in principiis *Louanienſes*, iiſque adiuncti *Lirani*, & *Sandthouiani*: pugnant acriter, cædunt & cæduntur: ſed hoſtes paullatim circumfuſi, reliquos noſtrûm turbant, & dant in fugam. Multi cadunt, aut capiuntur: ipſe Dux *Henricus* in diſcrimine, equo lapſus; & ſunt qui captum etiam tradant, ſed forti & fideli operâ Louanienſium ereptum. Illud conſtat, horum ope Ducem ſeruatum, ſed cum multâ noſtrorum cæde, è quibus ad *duo millia* periiſſe ſcribûtur, intérque eos è Patriciis multi. Ducem igitur reducem, meliorem virtutis, nec ingratum in eam fuiſſe: omneſque qui ;
ſub *vexillo Diui Petri* (id inſigne Louanienſium erat) militaſſent, prærogatiuis donauit, & *Petermannos* appellauit. Hanc narrationem illud [1] affirmat, quod etiamnunc ſint è *Liranis* & *Sandthouianis*, qui idem nomen & ius iactent. Ius autem olim ſingulare, & perhoneſtum: ſed æuo aut neglectu defecit. Lego in litteris quibuſdam publicis: *Homines B. Petri Louanienſis, liberi & priuilegiati eſſe debent, & ſunt* PRÆ ALIIS *hominibus*. Cenſebãtur, vt dixi, in familiâ Diui Petri, imò & Ducis, quaſi Palatini quidam & domeſtici eius. Senatorum litteras vidi, anni ∞.ccc.xxxiv. quibus eximitur quidam iuriſdictioni communi, qui *diceret ſe eſſe Hominem S. Petri, & ad familiam liberam Domini Ducis pertinere*. Habent inter cetera eximium: vt nuſquam vadari, conueniri, iudicari, niſi coram ſui collegij hominibus poſſint. Quos conuocat Prætor, & præſidet Conſul opidanus. Ita poſtremùm obtinuit: initio, quia res tangere ſacra & diuum Petrum videbatur; Decanus & Canonici moderari ſolebant, & cognitioni huic præeſſe. Sed indecorum viſum, rei diuinæ addictos litibus operari, & iuſſi abdicare, ac ſuarum curarum eſſe. Iſti *Petermanni*: quorum nomen viuit, iura exſtincta, aut certè languida ſunt. & quamquam Princeps ex formulâ iuret, *Obſeruaturum ſe iura Eccleſiarum, & hominum ſpectantium ad familiam B. Petri Louanienſis*: fit moris priſci cauſſa, & res inuſu ferè abolcuit.

N O T A.

1. *Affirmat.*] Alij conuellunt, & litteras producunt, in quibus Decanus & Capitulum S. Petri pro iſtis ſcribunt, anno ∞. c c. v. quod eſſet ſexennio circiter anterius. Sed ibi dicuntur, *Homines B. Petri cenſuales*: & videndum an non diſtincti ſint, & vereor non vnum genus fuiſſe.

CAP. V.

Plebs olim in militiâ: & hoc fine exercitia, & Gildæ. Tum de Lanificio.

NOBILITATEM habetis: Plebem iterùm luſtramus: Multa fuit, vt dixi: & ea ipſa, præſertim ante lanifices, honeſta & modeſta, & bonis artibus addicta. Militiam aut agros multi, alij ſellularia opificia exercebant: ſed honeſtiores, & qui præter caput aliquid in cenſu habebant, arma etiam feſtis vacuiſque diebus tractabant. Militia tunc & tela (quod ad plebem attinet) ferè ſagittæ erãt, eæque arcu vel balliſtâ emiſſæ. Igitur Collegia talia inſtituta, in quæ nomen darent, qui hoc vel illo telo vterentur. Erat vnum *Sagittariorum* ſimplice arcu; duo *Balliſtariorum*; poſtremò *Sclopetariorum* acceſſit, eâ quoque machinâ * repertâ. Hæc Collegia *Gildas* noſtrâ linguâ dicunt: & imago manet, vſus periit, ille quidem verus qui ad militiam ſpectat. ** Et viſâ in Belgio, anno ∞.ccc.lvi.* Nam in oblectationem aut pompam nunc vſurpant. His talibus areæ ſiue *Herts*, vt vocant, deſtinati, loca idonea exercitio: ad quæ conueniebant, & diſcebant docebántque. Præmiis etiam ſe mutuò prouocabant, & æmulatione excitabant. quod non priuatim ſolùm, & in ſuo quique opidu; ſed publicè faciebant, & plurium opidorum conuentu. Louanienſes certè & Bruxellenſes, finibus & amicitiâ ſemper iũcti, ſtatum quotannis tempus habebant, quo *Furam* conuenirent: amœnum locum, & pari ferè ſpatio ab vrbe vtraque ſeiunctum. Vetuſta ibi arx eſt Principum noſtrorum,

& aſſita

& aſſita *Sogniacenſis ſilua*: & iuxta eam area, & certamen. Quod balliſtarij ſelecti certabant, & præmium victoribus vinum erat. Vidimus nos in adoleſcentiâ comiter celebrari: & *Ioannes Quartus* inſtituerat, ac leges dederat in rixam aut tumultum. Quid etiam? *Iſcam* meam ſileo, quæ conſors certaminum iſtorum fuit? nam municipium eſt, & opidorum iura habet. Itaque publica iſta panegyris ſiue commiſſio ibi etiam celebrata, anno ∞. CCC. XVII. & præmium *Ceruus viuus* fuit, ſatis decorè, quoniam & ſiluis ij adhabitant, & venationem in promptu habent. Vicerunt, tuleruntque Louanienſes. Atque hæc, vt dixi, olim plebs erat: nec ſtudia iſta culpes, imò laudes. Acceſſere deinde magis magiſque lanifices, & quia lucrum adfluebat, omnes ferè eò, etiam nobilium multi verſi. Alius opus exercebat, alius pecuniam dabat, alius emebat aut vendebat. Imò & ad opida ac pagos vicinos artificium iuit: & *Dieſthemij*, *Tillemonte*, *Trudonopoli* paſſim in lanis occupari. Quid verba facio? quæ gloria aut frequentia panno nunc

* Lib. II. cap. XII. Britannico tribuitur, ea Louanienſi fuit: & hinc (* in loco dicendum) ad illos iuit. Conſtat ex Archiuis vrbicis, ciues iſtos annuatim *Francofurtum*, *Lutetiam*, *Londinium*, alia loca mercatui deſtinata adiiſſe, & Baſilicas ibi ſuas ac tabernas, panificij huius gratiâ, habuiſſe. In ipsâ hac vrbe, proprium iis tribunal fuit, quod octo *Decanos* (ita vocant) habet, & cauſſas omnes tales cognoſcebat ac decidebat. Manet & illud, res abijt, vt ſunt humana. AVD. Atque ego doleo, in flore ſanè tunc vrbs erat. LIPS. Ne dole, mi Del-Plani. quid? nónne melior Mineruæ ſucceſſit? denique ea turba & copia vrbem perdidit, & quidquid honeſti ac priſci moris erat, corrupit.

CAP. VI.

Opes Louanienſium, vt illo æuo, notabiles: & pauca exempla.

LASCIVIA orta, & luxus, & quæ alia Opes ſequi amant. Nam & eæ ex his commercijs ſatis iam auctæ erant, & vt tunc cenſus Belgicæ, *Louanienſes diuites* habebantur. Ipſi nobiles prædiis & villis, atque etiam dominiis (vt noſter mos habet) opulenti, & pleroſque vicinorum pagorum poſſidebant. Lego *Gualterum Heremachum* ex ijs, in An-

Anno ∞. CCC. LVI. gliam nauigantem, captum à *Moranto* famoſo pirata eſſe, & redimias *quattuor millia aureorum Scutatorum* exactum eſſe, ac ſoluiſſe. Item bello Iuliacenſi

Anno ∞. CCC. LXXI. infauſto, cùm Dux noſter *VVenceſlaus* ipſe in manus venit, duos Louanienſium captos, ad luendum ſe dediſſe *decem millia aureorum*. Et addunt Annales, *grandem hanc ſummam petitam, quia conſtabat Louanienſes diuites eſſe.* AVD. Bis iam hoc elogium reperis, & rideo: quis neſcit meram paupertatem hîc nunc habitare? LIPS. Semper me ad iſta reflectitis: ego in imagine eius æui hærere vos velim. Neque item in iſtis opibus, Hiſpaniam hodiernam aut Italiam cogitare, nec Antuerpiam quidem tuam Rubeni: ſed illa tempora & homines, virtutum magis quàm auri copioſos. Et tamen pretia, quæ dixi, etiam hodie ſint alicui ex proceribus redimendo. Iam & illud argumentum Opum, quòd publicè ex ærario

Anno ∞. CCC. LVI. largiri magna & multa ſolebant. *VVenceſlaus*, in auſpiciis hîc imperij, accepit à Senatu *Scyphos plures argenteos, itemque vinarias amphoras: præterea vini Rhenani ſex & viginti Amas*, *Pannos coccineos* (*Scarlatos* nos vocamus) *ſex, denique totidem boues pingues.* Eidem poſt paucos annos, pro pace inter ciues conciliatâ (etſi hercules parùm vtili) *ex ærario triginta quinque millia aureorum, quos Verueces vocant*. iterumque biennio pòſt, *tria millia*; & non longè, *ſex millia* donata. Hæc extra ordinem, præter publica & ſollennia tributa: ſicut & illud donatiuum, *vndecim millium aureorum*, quod in vitam eius quotannis pependerunt. Omitto, quæ miniſtris & Palatinis huius Principis dediſſe varia reperio: qui & ipſi, pro ingenio Domini, rapaces aut auari erant. Cogitate & conſummate, etiam in iſtâ pecuniæ adfluentiâ, quam nouus Orbis inuexit, iuſtæ ſunt iſtę opes. Itaque apud exteros etiam magnifici & munifici noſtri habeban-

B tur: quidni? exempla edebant. Vnum referre libet *Ludouici Pinnoccij* patricij, & in hac vrbe per annos XLIIII. Prætoris. Multa ille bella obiuit, ſuo impendio & ſumptu: etiam legationem in Auſtriam, cùm publicè honeſtiſſimi quique mitterentur, ad *Maximilianum Auſtrium* arceſſendum, qui *Mariam* noſtram Burgundicam, & vnà Belgicam, deſponderet. Viennam venerunt: benignè accepti ſunt à *Friderico* Imperatore. qui loca, lautia & munera dedit; inter primos *Pinnoccio*, vti dignitas eius & vrbis erat. Id munus fuit, magnus crater ex auro ſolido, & intus aurei Ducati Hungarici ſtipabant. Accepit noſter, & gratias egit dicam, an reddidit? nam ſequenti ſtatim die ipſum Imperatorem (ea tunc comitas erat) cum pleriſque Palatinis ad conuiuium vocat, ſplen-

C didè & dapſilè accepit, omnibus mirantibus, & vel duplum doni ſui fatentibus impendiſſe. Opinionem peperit, eſſe è Principibus patriæ: & iidem Germani cum paullò pòſt huc veniſſent magis mirati ſunt, cùm non niſi Prætorem Louanienſem agnouerunt. Sed ea viri liberalitas, an profuſio fuit, quâ factum (nam aſſiduè vtebatur) vt mortuo eo vix eſſet vnde iuſta funeri fierent, niſi ſoror ſubueniſſet, quæ *Domino Melderatenſi* iuncta nuptiis erat. Habuerat & ipſe duo Dominia, *Herſtam & Velpam*: vtraque vendiderat, ſplendori & famæ ſuſtentandæ.

CAPVT VII.

Pietas & Probitas Louanienſium.

ISTA de Opibus: ſed magis laudare eos à Virtute capior, & Probitate: qua ſemper eximia ſplenduerunt. Deo & religioni addicti, exemplo ſuorum Comitum: quibus non alios dabis, qui ſacra magis coluerunt, auxerunt vel ornarunt. Scribebant ſe, & ſuperbiebant in hoc titulo, *Aduocatos*, aut *Defenſores Eccleſiarum ac Cœnobiorum*: quod Diplomata eorum paſſim oſtendunt. Scribebant, & reipsâ exhibebāt. quot ab iis monaſteria inſtituta, vel aucta? quot templa, aut ſacella? quot paſſim donária? infinitum ſit referre: & quædam tetigi, ſed quædam, & poſteà tangam. His ducibus, meritò igitur ciues ſecuti & æmulati ſunt pietatem: quam inuiolatam ad hoc æui, inter ruinas aut lapſus, etiam inter ciuicas iſtas procellas, & communem, penè dicam, furorem, tenuerunt. Atque olim leges etiam ſanxerunt pro diuino cultu: ac reperio iſtas. *Templis adibúſque ſacris honos eſto. & nequis pilam, neve trochum in areâ aut circum illa ludito.* Ecce, etiam pueris reuerentiam illam volebant inſitam, & ſacra loca nec luſu temerare: quis nunc vetat? Alia grauior: *Diebus feſtis ſacratiſque nequis aliud agito. nemo cauponam, aut tabernam promercalem, ante publici ſacrificij finem reſerato, neve quid emito aut vendito.* De Tabernis, ſernatur fortaſ-

D

E

ſede

ſe: de cauponis quàm aliud eſt, & quam vulgò ſe in eas immergunt? Iam alia ad Probitatem. *Nequis noctu perſonatus, néve mutatà veſte, obambulato.* Item: *Ne taberna, ne caupona, poſt veſpertini æris ſignum patens eſto.* Item vna ſingularis, in raptores: *Stupri raptúſve conciliator aut adiutor, exſul eſto, qui autem patrauerit, ligneâ ferrâ caput abſcinditor.* Nouum herculès de *lignea ferra*, & abſterrere graui & lento hoc ſupplicij genere voluerunt. Plures memorare poſſim ad modeſtiam, contra luxum & vitia: ſed quia etiam alibi, omitto: nec copia ſanè legum bonos beatóſque facit, ſed obſequium & cultus. Id hîc fuit: & paucis legibus, populus naturâ atque inſtitutione bonus, virtutem coluit, ſiue ciuilem hanc vides, ſiue militarem.

CAP. VIII.

Facta militaria eorum, & expeditiones pro religione. Virtus Guilielmi Rodij.

NAM & *Militiâ* ciuitas iſta excelluit, ſuper omnes finitimos, & video te auertere Vwene, ac ridere. AVD. Da veniam, nihil iam alienum nunc videtur. LIPS. Gratia noſtris Muſis togiſque eſto, quæ pacem intulerunt, & ad hanc ciues formarunt: ſed quoties dixi, aliam olim faciem fuiſſe? Louanium, præter nomen, vetera pauca habet. Sed de militiâ, aſſidui in eâ olim, & præſertim multa hæc nobilitas, quæ vnum id ſtudium, aut præcipuum, colebat. Ideò & honos ijs atque æſtimatio: & in omnibus bellis (inquiſita narro) proximi tabernaculo Principis, vt fidi maximè & ſtrenui, tendebant. In acie etiam, honeſtiorem locum atque ordinem ſortiebantur. Quod tamen controuertere Bruxellenſes cœperunt, anno demum ꝏ. CCC. XL. Tornacenſi bello. Dux *Ioannes Tertius*, qui neutros volebat illo tempore alienatos, ita tunc definiuit: *Vt ſi in Flandriam, Hollandiam, Hainoniam arma inferrentur; primas, vt ſemper, Louanienſes haberent: ſin autem in Geldros, Leodi-* A *cenſes, Namurcenſes iretur, Bruxellenſes præferrentur.* Appàret in vltimâ clauſulâ non ius, ſed comitatem ſpectatam: & vt Louanienſes longinquis, & velut hoſpitibus, cederent, quoties per eorum fines, aut ad propiora ijs iretur. Sed bellatores igitur magni: & quod in laude meritò pono, in ſacrâ militiâ exerciti, & ſemper in eam proni. Dico, quoties bella hoſtibus religionis illata, ſiue in Oriente, ſiue in Septemtrione ſunt, ſiue in propiore Europâ noſtrâ hæreticis & turbatoribus; ſemper iſti in armis, & vel Principum ſuorum aſſeclæ, vel & exterorum fuerunt. Quid aſſeclæ? multi & ſuâ ſponte & ſumptu ierunt. Prima, ecce, expeditio Duce *Godefrido Bullonio* in Syriam fuit, anno ꝏ. XCVI: cui noſter *Godefridus*, poſteà Dux, interfuit. quod Annales quidam noſtri tradunt (neque enim omnes:) ſed pronâ meâ fide, quia *Henricus* frater eius adhuc imperium tenebat, & probabile in tam laudabilem militiam, cùm aliud B non alligaret, nomen dediſſe. Certè idem poſteà iterùm, fecit, aut conatus eſt: & Regeſta vrbis huius habent, anno ꝏ. C. VI. *crucem enim cum Lotharingis & Francis pro Terra ſanctâ aſſumpſiſſe.* neque vltrà addunt. Idem in *Godefrido Tertio*, qui anno ꝏ. C. LXXXIII. expediuit, & cum eo è Louanienſibus tres equeſtri dignitate, *Ioannes Radingius*, *Arnoldus Rodius*, *Henricus Neſenius*, & mox *Ioannes Calſterius*, item eques. Et quid ordine recenſeam? fidei hoc meæ credite, vix annus eſt, quo non legam aliquos ab hac vrbe in *Aſiam* iuiſſe, alios in *Pruſſiam*, in *Saxoniam* contra *Stadingos* (tunc hæreticos) in *Boemiam* contra *Huſſitas*. Nam ad ea vſque tempora prius ardor hic manſit: imò manipulatim ibant, & C lego anno ꝏ. CCCC. XXI. perrexiſſe in Huſſitas *centum octoginta voluntarios ciues, multóſque è patricijs:* & anno ſequenti, iterùm *octoginta popularium, è nobilitate autem ſeptenos.* Et cur priuatam etiam gloriam meam ſileam, referendam ex fide? Fuit è maioribus meis *Guilielmus Rodius*, cuius eximia facta memoriam merentur, & publicè eam in æde ſacrâ Dominicanorum, choro medio, habent. Lapis ibi ſepulchralis, in hanc faciem & inſcriptionem:

72



Videte & miramini vel pietatem, vel robor, atqoe etiam felicitatem viri: qui *decies octies* in longinquam illam Boruſſiam iuit, rediuit, quoties mercatorem aliquem aut lucripetam feciſſe, miraculo ſit. Quid etiam? *ſemel in Terram ſanctam*, vt habet inſcriptio: etſi Annales libri vtbicit augēt, *& ter iuiſſe*, palàm ſcribunt. Nec refutò, & quod eſt in epitaphiâ illâ, capiendum, vt verba ſunt, de profectiooe *ſub propriâ habenâ*: id eſt, quòd ſemel ſuo doctu imperióque iuerit, ſæpiùs alieno. Scito autem Boruſſos illos, ſiue Pruſſos, gentili religione partim etiam infectos fuiſſe, & magis vicinos Lithoanos; & hæc bella inferendæ noſtræ ſuſcepta. O generoſa bella! nunc ea ſint! Sed ad *Guilielmum*, in eius viri ſtirpem per *Ægidium Rodium* nos inſerimur. qui filias duas habuit, & priorem nuptam *Ioanni Linckebekio* viro nobili, atauo meo. Ille iterùm duas filias; & prior denupſit *Iuſto Lipſio* proauo: & villa Rodia, quamquam diuiſionibus fracta (vidiſti eam Robeni) etiamnune eſt in manu ac poſſeſſione ooſtrâ.

A

CAPVT IX.

Facta alia militaria, & virtus in præcipuis prœliis.

IAM alia bella videre ſi lubet (& multa ooſtri Principes habuerunt) vbi non dicam præſentia, ſed gloria Louanienſium, non eminuit? Vnum aut alterum è pluribus adferam, & reliqua iuſtæ Hiſtoriæ reſeruentur. Ecce,

GODEFRIDVS *Tertius* Dux ooſter erat, anno CIↃ. C. XLIII. ſed in primâ infantiâ, & vitæ ordientis annum nondum egreſſus. Ea res animos ſpéſque mouit veteri hoſti, *Bertoutiorum* genti, cum quâ bellum auó patríqoe eius fuerat: & ſeptemdecim etiam iuſta prœlia, neque nobis ſemper ſecunda. Hæc familia *Grimbergæ*, *Mechliniæ*, aliiſque locis præerat; tum & fœdera cum *Francis*, *Hollandis*, *Geldris*, & ab

lis auxilia habebat. Itaque grandes copias in aciem educebant: occultè aut palàm illis aliiſque inuanti-bus, quibus magnitudo noſtri Principis inuidioſa, aut formidoloſa etiam eſſet. Ergo nunc opportunum rati, & infantiæ inſidiati, inſurgunt. Noſtri Proceres Louanij conueniunt, deliberant, ante omnia Principem nouum in paterno ſolio locant, & fidem ei popularium obſtringunt. Hoc facto, ad bellum accingunt: & hoſtis vrgebat. nam arcem *Netelariam*, itémque *Viluordiam* iam ceperat, vſſerátque. Noſtri obuiàm progreſſi, in propinquo caſtra metantur, & iuſtè ac piè Fecialem primò ad hoſtem mittunt, qui conditiones æquas pacémque offerret: redirent modò ad vetus imperium, & Dominum quem Deus & mos huic regioni dediſſet, ipſi in eâ mediâ, colerent agnoſcerêntque. Ferociter reclamatum eſt, & vix manus à Feciale abſtinuerunt, qui vt rediit, & pugnandum denunciauit, in craſtinum diem alacriter prœlio ſe parant. Haud procul Bruxellâ res geſta, in patêtibus ad Viluordiam campis: placuítque, conſilio *Godefridi Baronis Gaeſbekani*, puerum Ducem illuc deferri, & animandis noſtris oſtentari. Quod ſanè factum eſt vel ipſo aſpectu miſerabilis infantis, in cunis allati, & ad ſaliceam arborem (ita tradunt) ſuſpenſi. Quæ concio potuit diſertior hac facie eſſe? Conijciunt oculos, manu qui poſſunt tangunt; omnes, vt numen, ſuum Principem voce & affectu venerantur: & animis inflammatis in hoſtem eunt. Magna pugna, magna cædes: illinc veteranum robur, & multæ victoriæ; hinc virtus, ardor, & pro omnibus ducibus Dux infans. Quoties pedem referre cœperant, flexi ad hunc oculi reprimebant: vagitus, qui interueniebat, & ne ſacrum pignus proderent, pro omni exhortatione erat. Deniq; vi vincunt. cecidêre ex hoſtibus plerique omnes duces, aut capti ſunt ipſa capita rebellionum, *Bertouty* Zennã fluuiũ cruentum fluxiſſe è reliquâ vulgi cæde, Annalium habet fides. Neque noſtris ſine nube victoria, cæſis Procerũ primis, & inter eos Patriciis duobus Louanienſibus, *Rodulfo Radingio*. & *Simone Grindelio*. Ante etiam prœlium, baltheo equeſtri cincti è Louanienſibus fuerant, *Gerardus Dormalius*, *Radulphus Erpenſis*; inſigni in ipſo prœlio virtute. Pugna hæc pugnata XVII. Kal. Sextilés.

IOANNES *Primus*, anno ∞.CC.LXXXVIII. bellum habuit cum *Reginaldo* Comite Geldriæ, qui de Limburgenſi Ducatu controuerſiam nobis faciebat. Erant in partibus huius plerique vicinorum Principum, atque ipſe Antiſtes Colonienſis *Sifridus*. Falcoburgi conuentum habuerunt, arma & militem parantes: ſed noſter occupauit, & totâ Brabantiâ delectu indicto, inſigni exercitu, Moſam flumen *Traiecti* tranſmiſit. It in hoſtes, illi in fugam: & Antiſtitem, vt columen partium, noſter perſecutus, Bonnam vſque peruênit, & proturbia exuſſit. Cùm pugnæ copia non fieret, reduxit ſuos, iuſſos priùs equos omnes militari quâdam iactantiâ, in Rheno potare: factóque, * *Voringam* arcem, validiſſimum in iis locis propugnaculum, obſedit. Non deſerit ſe & ſuos Antiſtes, amicos & fœderatos è Germaniâ connocat, & ingentem exercitum facit, venitque prœlio certaturus. Septem primarij duces erant, totidem catervæ conſpiciebantur: ipſe *Antiſtes*, *Henricus* deinde Lucemburgenſis, *Reginaldus* Geldrus, *Adolphus* Naſſouius, *Valerannus* Falcoburgenſis, & *duo* huius fratres. Vt in propinquo fuêre, noſter Dux animandos ſuos ratus, ita infit: *Breui & ſimplici oratione apud vos vtar, commilitones; Viri eſſe, aut viui nec eſſe. Quid verbis opus eſt? animis & oculis circumſpicite: cincti vndique ab hoſtibus ſumus, à fronte, tergo, latere, & in mediâ eorum terrâ. Fugam aliquis cogitat? niſi alas ſumitis, non euaditis: ideoque vana aut fœda omittite; ferro viam hanc fecimus, ferro reditus eſt parandus. Glorioſum huc uſque penetraſſe, & hoſtibus profugis ſolum eorum calcaſſe aut ſubiciſſe ſed tanto maius periculum aut infamia eſt, remittentibus & ignauis. Procul amici, procul patria: cuique in ſe ſpes. & Deum, cauſſam, & me videte. Iniuſtis armis laceſſiti ſumus: & ideò timor in illos ingruit, atque aris focíſque patriis deſertis fugerunt. Quid iam? venit imbellis dux, non quia audet, ſed quia latêre vltrà non poteſt; & animos a deſperatione ſimulat magis, quàm ſumit. Trahit ſecum ſeptem agmina: & gaudeo, diuulſi ſunt. Facile cohærere: nempe ſub illo capite, quòd ſacra magis quàm arma, tractare didicit. & addam, debuit. Quid tibi vis Antiſtes? Aciem, cruorem, cædem omitte: puras manus Deo offer, & ab armis ad aras iterùm refer. Si non vis, adigemus: & hoc quoque victoriæ huius decus erit, Deo & diuinis ſuum vindicaſſe. Agite ô equites peditéſque, vos ô mei è Brabantiâ, qui eſtis & fuiſtis, exhibete. Quot victorias ego aut pater meus vobiſcum peperit? agnoſco ora manúſque: & cinctus vobis vel in mediâ Barbariâ confidam. Semper ſupra pericula, extra dedecora fuiſtis: idem nunc, aut mihi quidem ſuprema hæc lux eſto. Sed abominor, hoſtibus eueniat: en ibi ſunt, in illos imus. qui me amat, verè nunc Ducem ſequatur*, IMVS. Dixit, & adhuc dicentem voces interpellarunt, & tympana vndique ac tubæ. Nam & hoſtes magno animo ingruebant. Concurritur, & negant Annales ab vllâ hominum memoriâ talem in iſtis partibus pugnam pugnatam. Noſter, vt promiſerat, eminet: & inter primos voce, manu, incitat aut pugnat. Atque adeò in manus hoſtium, preſſus cinctúſque multitudine, venit: ſed Brabantini eò acriùs irrumpere: intérque eos primus *Arnoldus Heſſladius*, Louanienſis Eques, vetere militari gloriâ. Is diſiectis aut cæſis proximis, magnâ vi Ducem eripit, & in equum ſuum ipſe deſiliens imponit. Iamque pedes pugnabat, & periclitabatur: ſed iterùm egregio facinore, imminentem ſibi hoſtem interficit, equúmque eius conſcendit. Eo exemplo, & aſpectu Principis ſui, animati Brabantini, nouo impetu inuadunt ſternúntque hoſtem. *Quadringenti* ordinis equeſtris viri cæſi, è ducibus *Lucemburgenſis*, & duo *Falcoburgij* fratres: vulgum non numerant. Capti ipſe Antiſtes *Colonienſis*, *Geldrus*, *Naſſouius*, *Falcoburgenſis*. Memorabile ſatis eſt de Naſſouio, quod narrant. captus videlicet, cùm Duci noſtro ſiſteretur, rogaretúrque ab eo *Quis eſſet? Comes ſum*, inquit, *Naſſouius*: & addidit, *Tu autem quis es?* Noſter: *Dux ſum Brabantiæ, quem bello iniuſto petiiſti.* Ille: *Túne autem? miror & indignor gladium meum euaſiſſe, quem in te vnum acueram, & ſanguine iſto tingere auebam.* Ferox & militare dictum, alium irritaſſet: noſtri altum animum ad clementiam mouit: & virtute ac libertate viri inductus, veniam ei, imò & amicitiam ſuam dedit. Hoc initium aiunt, familiæ eius in Belgicam traductæ, vbi opibus gloriáque diu floruit. Sed ad inſtitutum noſtrum. claruerunt hoc bello è Louanienſibus, præter eximium illum *Heſſladium*, *Arnoldus Steenius*, *Leonius Harſius*, *Henricus Oppendorpius*, *Henricus VVilreus*, *Ioannes Rodius*, *Gulielmus & Arnoldus Radingij*, *Henricus Bealandenſis*, omnes Equites. Alij è patriciis Scutarij aut * *Cnapones* (vt non inſcitè Annales quidam formant) multi fuêre, & plurimi è plebe.

Ad Rhenum, duo miliaria circiter ſupra Coloniam ſitam.

* Nam Germanicè *Schildknapen* dicuntur, & ſimpliciter *knapen*.

CAPVT X.

Labes vrbis, & in eâ ſeditiones. Prima leuior, ſecunda grauiſſima, Couterelliana: eáque accuratè deſcripta.

ET Frequentiam ac Florem ſatis iam vidiſtis: quid exſpectatis, niſi (vt in aliis humanis) imminutionem aut lapſum? Quæ mox ſecuta à grandi populo, opibúſque: & laſciuia, diſſidia, ſeditiones fuêre, venena omnis ſtatus. Cauſſam vel initium hæc à plebe habuerunt, iam contumaci; & cùm frequentiam ſuam vidiſſet, intrepidâ: atque ita paullatim in rectores & optimates primò minas, tum & manus auſa inferre. Adnoto primos motus fuiſſe anno ∞. B CCC. XL. cùm plerique nobilium (ij ad hoc tempus rempublicam ſoli rexerant) in obſidione Tornaci eſſent, Anglo regi hanc operam gratificantes. Sed dum, inquam, abſunt: plebs ſuum tempus rata, remp. inuadit; & cùm alia mutat, tum in primis exſules quoſdam ſui corporis, ſuperiore anno legibus pulſos, reducit. Patricij cùm rediſſent, querelæ, iurgia, arma: & pugnatum atrociter in foro medio, ſed vicerunt Patricij, manu clientium ſubnixi, & longâ armorum tractatione ſuperiores. Fuga tamen maior, quàm cædes fuit. niſi quòd in victoriâ ſæuitum, & abſtracti ædibus ſuis, atque etiam ſacris, qui in eas fugerant, gladio, carcere, exilio pœnas dederũt. Quies C deinde per vicennium, ſed infida. quippe animis exulceratis, & plebeiorum non occulto fremitu: qui in motum turbáſque iterùm erupit, à principio vnde non timebatur. *Petrus Couterellus* Prætor erat anno ∞. CCC. LX. qui homo etſi nobilis, & è Patriciis, tamen, prauitate ingenij vel ambitu, iam à primâ Præturâ (nouennium tenuerat) omnem anſam laceſſendi aut lædendi Patrum quærebat. Oblata eſt, aut arripuit, anno iam dicto, iſtam. Ciuis quidam piſces vænales in vrbem carro aduehẽs, cùm is in luto hæſiſſet, equum ſubitò paſcuis eductum, ſubiunxit, & carrum extraxit: ſtatímque equum bonâ fide & illæſum reduxit. *Couterellus* hominem, vt furti reum, D in carcerem conijcit: Scabini appellantur, cognoſcunt, inſontem pronunciant. & cùm Prætor non remitteret, iuriſdictione ei interdicunt, quòd contra leges, ciuem in vinclis haberet. Prætor illicò Bruxellam, ad Principem. qui tunc *VVenceſlaus* erat, *Ioannæ* maritus, gente Bohemus, frater *Caroli Quarti* Imperatoris: quem produnt cæſo matris vtero in lucem veniſſe. Hunc neque pace, neque bello optimum, certè non feliciſſimum, fuiſſe, licet dicere: & Louanienſibus cauſſa non eſt, cur valdè ament. Ad tem. aures iſti Prætori credulas præbuit, potentiam Patriciorum calumnianti, & reprimendam à Principe, bono ſuo, aſſerenti. Neque fautores talium deeſſe in Aulâ poterant: inter quos *Sconuorſtius* quidam, vir præpotens, ſed animi aut conſilij parùm rectus. Is E palàm dicere, *Cornua Patriciis* (verba eius ſunt) *minuenda, qui nimiùm iam ferocirent. Poſſe id Principem, ſine ſuâ operâ aut inuidiâ, plebe efferri permiſſâ.* Princeps in aperto ſententiam non tulit: hoc tamen Couterellus facilè vidit, non iniquis auribus animiſque ſe auditum. Itaque alacer domum redit, ad ſuos refert, & factioſiſſimo cuique faces ſubdit. Iam in eo erat vt ſeditio erumperet: neque neſcire Patres poterant, ſed remiſſiùs agebant, ſiue mitigare bonitate parantes, ſiue fatali, vt ſolet, ignauiâ. Aderat fortè per hos dies *Gerardus Vorſelarius*, vir & miles nobilis, cum ſelectâ Equitum alâ: qui operam ſuam Patribus vltrò obtulit, & ſuaſit vti: iſti dimiſerunt. At non incepta ſua Couterellus. qui die A quodam Senatus habendi, ſuos conuenire ſenſim in forum iubet adéque cum armis. Adſunt, & iam turba eſt, atque ipſe concionabundus excitat, & *ſuperbiam Patrum, & dura imperia*, inculcat. *Hos eſſe, qui ſoli rem publicam occupent, qui honores, qui pecuniam, ſua faciant, qui tot fortiſſimis viris imperent, vt ſeruis. An excidiſſent, ante paucos annos, tot innocentes ſui corporis, gladio, laqueo, exſilio punitos, ob liberiores quaſdam voces & facta? Eadem manere ipſos, niſi viri ſint ſed eſſent, & quem timerent? In manu*, inquit, *veſtrâ eſt, finem malis facere: audete tantùm, multi in paucos, parati in improuidos, laeſi in laceſſentes. Deus hominéſque fauebunt. Ipſum Principem, diuinâ benignitate, mitem animi habemus, & æquo eo laturum, ſiquid* B *illi patiantur, vos faciatis. Iniurias veſtras in oculis habete*, LIBERTATEM *in ore, & hæc teſſera eſto: ite, iſtam aſſerite, illas propulſate.* Dixerat, & loquente adhuc eo fremitus, clamor, minæ, & ad curiam verſi manus & voces intentant: *Prodirent ciuium oppreſſores, ærarij prædones, pœnas daturi ſcelerum, aut iniuriarum.* Et iam ſe quiſque hortari, & vim parant. Curia clauſa erat, & trepidi Patres, neque ad reſiſtendum pares: cùm Couterellus prouolat, & quaſi benignitate deditionem ſuadet, & nihil vltrà mali paſſuros adfirmat. Prudentium eſſe, cedere huic tempeſtati. Cedunt, & ſe dedunt. At turba ſtatim irruit, manus & vincla iniicit, & in Arcem captiui deducuntur. Tum armaria & archia Senatus frangunt aut reſe- C rant, armamentarium pariter: compilant, dilacerant, aut vſui ſuo quod erat, tollunt. Exſtant nomina & numerus captiorum, paullò minus *ducentis*: interque eos Equites *vigintiquinque*: reliqui in proximas vrbes dilapſi, aut in prædiis villiſque ſuis latebant. Couterellus ſedato tumultu, & vt forma aliqua reipublicæ eſſet, nouum Senatum legit, mixtum è plebe & Patriciis. nam & ex iſtis molles aut ignauos quoſdam repperit, conſiliis ſuis opportunos, quique communem iniuriam præſenti honore mutarent. Tum ad captiuos ſubmittit, qui periculum à plebe denuncient; ipſos quoſdam è plebe, qui turbidis vocibus circum Arcem, ad cædem eos depoſcant. Ita D illi trepidi, Couterello ſupplices fiunt: & denique grandi pecuniâ, ſeorſim quiſque pacti, dimittuntur. In Leucis *VVenceſlaus* erat, dum hæc geruntur, caſu an conſilio longinquus: ſed adeunt ſtatim exſules, & facta docent, & remedium atque vltionem expoſcunt. Cum rigore audiuntur: etſi nobilitas pleraque faueret, & è conſiliariis, quibus æqui honeſtique cura aliqua eſſet. Venit & ipſe Couterellus, qui auro multos ſuos fecerat: & res dilata eſt, dum Princeps rediret. Quod factum ſequenti anno. & intereà imperium Couterellus continuauit. Iam Bruxellam wenceſlaus venerat, atque ibi agminatim nobiles adeunt, orant, vrgent, tam peſſimi exempli vindicare, néve ſeditioni aut licentiæ campum aperiret. Inſtant ſeorſim & Bruxellenſes, ac pro ſociâ vr- E be acriter nituntur. Denique perpellunt, vt conductis in vnum copiis, Louanium moueret: venítque *Bancum*. Dum ibi eſt, ſtatim Couterelliani, quibus aduerſus Principem nec vis nec animus erat, ad eum veniunt, & imperata facturos ſpondent. Ita Princeps admiſſus, exſules reducit, ſed in turbatores iram aut vindictam non oſtendit. Ipſum Couterellum, caput malorum, Præturâ dumtaxat abdicatum, in nouo Senatu Scabinum creat; & eius inſtituto, Senatum ipſum mixtim è Patribus & plebe legit, ſeminarium deinde turbarum. Amor pacis & concordiæ prætexebatur: ſed prudentioribus eo facto apparuit, non imprudente, certè non illibente Principe, priora illa adminiſtrata. Itaque quies vrbi, ſed parùm certa aut

longa, reſtituta. nam plebs exſultare, & illis vt victis inſultare; ipſe Couretellus dominationem exercere, & augere: donec tædio præſentium, & futurorum etiam metu, Patricij plerique ſponte vrbe cedunt. Lætum id Coutetello fuit, & iam liberè agere, amotis æmulis: ſeque in ſequentem annum Conſulem, cum *Geldolpho Roggâ*, textore, deſignat. Et quia præſidium in auro expetitus eſſe ſciebat, vndique illud quærere; nec domi tantùm, ſed apud exteros, fide ciuitatis publicâ, corrogare. nam ſigillum in eius manu erat. Eoque opum & potentiæ venit, vt *Henrico* Dynaſtæ Hooghſtratano filiam ſuam cum grandi dote elocaret, & quą tam iſte popoſciſſet. Sed inuidia etiam comitata, & crebræ apud Principem querelæ: neque gener aut *Sconuorſtius* excuſare ſatis, aut tueri poterant: eoque ventum, vt iterùm caſtra ad vrbem moueret. Fiunt & iterùm eadem, illi Principem admittunt: iſte vtramque partem in pacem iuramento adigit, & obſides etiam capit; è Patriciis *duodecim*, è plebe *quadraginta*. Coutetello Conſulatus manſit, & in communione honorum nihil mutatum. Tamen ipſe, conſcientiâ terrente, & quia alieniorem iam Principem ſenſerat, ſponte, rebus collectis, vnà cum aliquot factioſorum anteſignanis, aufugit in agrum Leodicenſem. Ibi cùm infeſta itinera haberet, & mercatores Louanio Germaniam petentes ſiſteret, aut in vincla daret, pecuniæ extorquendæ: iram VVenceſlai ſeriò mouit, qui ipſum ac vigintiquinque textorum proſcripſit. Nec ſic quidem quieuit, ſed conatus vrbem irrumpere & ſuam facere, ſubſidio clàm in eâ conſpiratorum, ſucceſſum non habuit, & ſupplicium de iſtis ſumptum. Ita rebus deſperatis, ad preces verſus, & *Hooghſtratani* maximè operâ, veniam exſilij impetrauit, rediitque Louanium anno ∞.CCC.LXIX. vbi vitam in glotiam, & in publicâ exſecratione, finiuit. Miteris vel auſum talia, tam magno animo; vel deſiiſſe, tam vili.

CAPVT XI.

Seditio tertia, & diro facinore horrenda.

IAM exitialis ſeditio narranda eſt, quæ nouem annis poſterior, ab illo fonte manauit. VVenceſlaus, vt dixi, honores cum plebe communicauerat, & ſic aliquot annis habuerat: donec bello Iuliacenſi infauſto, ipſe captus, & multa nobilitas cæſa etiam Louanienſium, eſſet. Hoc igitur bello, cùm Patricij fidem & animum approbaſſent, plebs tarda aut refractaria fuiſſet, nec niſi ſexaginta Sagittarios dediſſet; Princeps è cuſtodiâ reuerſus Louanium, illis honorem priſtinum & magiſtratum reſtituit, tantùm quòd duo deinceps Senatores è plebe eſſent. Plebs ægrè tulit, ſed tulit ſexennium, ad comitia vſque anni ∞.CCC.LXXVIII. quibus ipſis, cùm ex formulâ dictâ Senatus creatus eſſet, ſed Patres inter ſe diſcordes palàm agerent; plebs diu occaſioni intenta, arripuit, & ipſo *Magdalenæ* ſacro die, regionatim, tres quattuórve textores, totâ vrbe diſcurrentes, clamore & peluium ſonitu, *Ad arma, Ad arma*, reliquos concitarunt. Concurritur, & ſtatim captâ Curiâ Conſules cum Scabinis in vincla dantur: *VValterus Leidanus* textor, Præfectus vrbis dictus. Placuit mox, Gandenſium exemplo, albos galeros ſiue caputia, inſigne factionis aſſumi: factúmque eſt. & adeò proni in res nouas turbidáſque tum ferebantur, vt Patriciorum non pauci degenerarint, & idem inſigne capiti, animo factionem induerint. Intereà *VVenceſlaus* è Franciâ redux (eò ierat) iſta

Anno ∞. CC.LXXII.

edoctus, Louanium venit: ordinemque Senatus legendi iterùm, plebi placandæ, mutauit, & in dimidiam partem admiſit. Mireris inconſtantiam: & magis, ſi non tempori ſolùm, ſed pecuniæ hæc data, ſcribentibus credas: quam è publico aliquam multam ſanè accepit. Ceterùm ciues iureiurando adegit pacatè inter ſe agere, & vt membra vnius corporis decere: quod tamen Patriciorum aliqui abnuerunt, & patriâ carere, quàm ſubiici iniuriis aut contumeliis plebis, elegerunt. Ita *Areſchots*, aut *Namurs*, plerique horum agentes, hanc infeſtabant, & in agris aut vis deprehenſam abducebant, redemtias poſcebant. Contrà iſti, prædiis illorum ignem inicere, item quos poſſent capere; & quoſdam gladio carnificis ſubiecêre. Denique in ipsâ vrbe, qui reliqui Patriciorum eſſent, ſuſpecti agere, aut ſuſpectantes: vtque poſt cædem *VValteri Leidani*, qui inter capita *Galeritorum* erat. Is fortè Bruxellam miſſus, rei publicæ gratiâ, noctu à cœnâ reuertens interfectus eſt, inſidiis, vt putatur, *Ioannis Calſterij*, & *Gulielmi VVilres*, Patriciorum, qui tunc in eâ vrbe verſabantur. Re perlatâ, turbatum Louanium, plebs minari & fremere, optimates timere: atque hi, vt inſontes inſciíſque ſe oſtenderent, Legatos ad *Ioannam* mittere (nam maritus in Galliâ etiam aberat) qui peterent inquiri in auctores cædis, & vindicari. Illâ tardante, plebs ludibrium rata, aut ex compacto geri, arma corripit, & in forum venit. Vocantur & in curiam Patres: quorum aliqui venêre, quidam triſte & ferale ominantes, mutato habitu, vrbe profugêre. Statim appoſita Senatui cuſtodia: & ſeditioſi furioſo animo ad fores prouolant, & adſiſtunt: pars etiam, nemine prohibente, ingreſſa. Ibi auditæ voces, *Cedo nobis illum, & illum, ſtatim, ſtatim.* Atque ij qui intromiſſi, ad nomen ſingulos capiebant, & præcipites è feneſtris (horreo dicere) datos, plebs infernè lanceis ſpiculíſque exceptos laniabat. Periêre hac rabie ad *ſeptemdecim*: additúſque vnus è plebe, quòd is * *Platuotium*, miſertus veteris patroni, ſcamnis abditum, veſte contexerat. Hæc facta XVI. Kal. Decembris: & qui Patrum reliqui domi reperti ſunt, in cuſtodiam dari. Poſt factum, frigus & mos pœnitentia aut metus ſubiit. Nam quomodo Principem hæc laturum? qui breui rediturus, pœnas de ſontibus inſontibúſque caperet. Itaque deprecatores parant *Levvenſes Tillamontanos, Dieſthemienſes, Liranos, Bruxellenſes, Eburones quoque & Tungros* & citiùs, ecce, opinione wenceſlaus Bruxellam venit. Arma & machinas ille parabat, vltioni intentus: cùm legati à prædictis ciuitatibus adſunt, & veniam ſuppliciter petunt, expiationem cædis, quam vellet, offerentes. Tandem, diu deliberato, præſcriptum, vt quatuordecim è plebe, præcipui auctores, in Cyprum relegarentur; agnatis cæſorum, certa pecuniæ ſumma daretur. Mitis tranſactio, & intra magnitudinem noxæ omnibus viſa: tum illud turpe, quòd ipſis relegatis pecunia in viaticum, quaſi Legatis à republicâ, attribueretur. Itaque non fuit animus placandis. Nam Patriciorum iuuentus fremebat, ſanguinem parentum vænalem non habere, nec modicâ iſtâ pecuniâ redimendum. Iámque vicinis locis aut arcibus occupatis, bellum in ſuos ipſi ciues gerebant, & prædas vndique agebât. Nec ceſſare etiam plebeij: quin vim & maleficia reponere, vel augere, & denique longiùs ire, & contra Principem etiam occulta fœdera cum Gandenſibus (qui arma in Comitem tunc habebant, & totâ pænè Flandriâ dominabantur) ferre. Denique poſt mutuas vtrimque cædes, doctus tandem wenceſlaus fruſtrà & temerè plebi indultum, arma cepit, vrbémque aſſedit. Illi repugnant, propugnacula erigunt,

*Planctus Latinis.

Anno ∞. CCC LXXXII.

gunt, & auxilia à Gandenſibus, à ſe impares, exſpectant. Sed cùm ea ſallerent, & ipſi à *Ludouico* Comite ac Francis premerentur: decurſum iterùm ad preces, quas *Arnoldus Hornanus*, Leodicenſis Antiſtes, ipſe in caſtra veniens, ad Principem tulit, & veniam certis legibus impetrauit. Pauci pœnâ affecti; plures indignatione aut metu, patriam mutarunt; & præſertim laniſices, qui in Angliam iuerunt. Obſeruate. hæ ſunt illæ à nobis coloniæ, quæ gloriam pannificij aut intulerunt, aut valdè quidem auxerunt. A

N O T A.

1. Dixi de *albis galeris* aſſumptis, exemplo turbidorum Gandenſium: & inde obtinuiſſe vernile dictum, ſiue conuicium, ego arbitror, quo *Albati* Louanienſes appellantur ab accolis: ſiue noſtrâ voce *VVitingi*. Quod non aliud valet, quàm *Seditioſe*, & tu quoque ex illis fuiſti. B

CAPVT XII.

Seditio quarta, & vltima, cum motu minisque magis quàm præſenti noxâ.

NE ENVM finis. à lanarijs ad lanios imus: atque ex iſto etiam corpore ſuêre, qui rempublicam turbarent. *Paullus Loenkenus* ex infimâ plebe lanius, poſt cædem *Caroli Audacis*, & dum de matrimonio *Mariæ* cum *Maximiliano* deliberatur, partem ſe reip. fecit, & plebem ſuam. C Rumores diſſipat, falsò exſpectari Maximilianum, illudere ſic Senatores: & melius tutiusque, ipſos imperium habere & exercere. Concitat deinde dictam populi fæcem, capit & abducit ex improuiſo quoſdam è Senatu, & gladio ſubiecturus erat, niſi lictor publicus ſe ſubduxiſſet. Iam & Academiæ primores ſe miſcuerunt, & auctoritate ſuâ tumultum ſedarunt. Superuenit paullò pòſt ipſa *Maria*, vt auſpicia capeſſeret, de more, Principatus: neque ſeditioſi admiſerunt aut agnouerunt, niſi noua iura & immunitates extorſiſſent. Quinetiam cùm illa, ad compeſcendum, Sagittarios ipſius vrbis (honeſtiores populi) armaſſet, iſti & Sagittariorum quoſdam, impetu facto, ceperunt, & quattuor forte obuios Senatorum. D Nec niſi ægrè ſedari à *Paullo* ipſo potuêre, quin vitâ eos mulctarent. Tum & in Arcem, vbi diuerſabatur Maria, incurrunt, & adigunt tot malis trepidam virginem, anteacta condonare, & alia pro arbitrio ſuo ſancire. Iam vt ſpecies etiam publicè noui popularis imperij eſſet, additi *Paullo*, cuſtodiæ cauſſa, viginti ſatellites, & menſtruum ex ærario ſtipendium. Atque ex eadem deinde publicâ pecuniâ laſciuiebant, potabant, conuiuia, velut ad ſocietatem & fidem ſtabiliendam, agitabant. Sed agitantibus, opinione maturiùs *Maximilianus* aduenit: quo propinquo, minui potentia *Paulli* cœpit, & ſtipatores à Senatu adempti. Tamen ipſe Maximilianus præſens, nihil etiam pro Principe agere, neque vlcus hoc tangere, niſi compos nuptiarum decreuit. E Ergo iterùm poſt abitum inſoleſcere Paulliani, ſtipatores repoſcere, & res miſcere. Sed edoctus de totâ re & periculo denique Maximilianus, *Engelbertum Naſſouium*, Brabantiæ Seneſchallum, cum equitatu Louanium præmiſit, ipſe mox ſecuturus. Diffugiunt ad Solem nebulæ & nebulones, Paullus

Anno ∞. cccc. lxxvii.

Anno ∞. cccc. lxxviii.


in Zelandiam, atque ibi agnitus capite luit. Pleraque horum, & certè initia, abſente *Ludouico* Prætore geſta (is in Germaniam, inter Legatos, ierat) qui vt vir erat, animo promptus, manu ſtrenuus, oppreſſiſſet, aut quidem repreſſiſſet: Deo & fato aliter viſum. Sed vt finiam, hæc quoque ſeditio vrbem minuit, multis non è plebe ſolùm, ſed optimatium in agros aut prædia ſua dilapſis, atque illîc ſedem locantibus, tædio tot turbarum. Videtis cauſſas & tempora, quibus florentiſſima olim vrbs defloruit, & ex veteri gloriâ & copiâ non niſi vmbram iſtam habet.

CAPVT XIII.

De arce Keſſelſteiniâ aliquid: tum Eiconiſmus vrbis.


DVM in his ſermonibus ſumus, & ego atque illi intendunt, fugit nos deflectere, qu[illegible]d montem rectà ibatur. Itaque progreſſi etiam paullùm, hæremus: & ego circumſpiciens, Amici, inquam, omnia me fallunt, aut via feſellit, de quâ vxorem ſcio monuiſſe. Vbi etiam domus illa ruſtica, quam ſignauerat? atque ibi ductor noſter quærendus, aut potiùs euocandus. nam (Iuno mea hoc curauit) ex ſpectat. Ecce illum à tergo. hem, & hoc viæ fruſtrà etiam confecimus, & arduus ille adſcenſus manet? ſuccumbemus. Vir bone, vis nos ducere in hunc verticem, ad arcem illam famoſam & vetuſtam? Volo equidem Domine, inquit: aut pro me hæc filia mea. nam ego ſenex à pedibus laboro. Et tu ſuſtinebis? arrectus adſcenſus eſt. Confido, inquam. Iuimus duce mulierculâ, peruenimus: atque ego (mirantibus meis & gaudentibus) vno tenore, & ſine interquiete, cliuum peruaſi. Oſtendit rudera aliquot muri, & lapides in aceruo: ſed lapides rudes, ex indigenis illis, & arenaceis. dixit, murum olim ibi fuiſſe. Ego & foſſas ſtatim adnotaui, ſatis grandes & conſpicuas, etſi vepribus vel arboribus obſitas: quæ foſſæ cinxerant hoc quidquid ædificij fuit. Ducimur deinde ad cauum ſubterraneum: ſed recenti lapſu os eius clauſum erat, & lapides illîc accumulati. Quid fuit? inquam. Illa, Grande ſubterraneum atrium, fornicato opere, & lapidibus alibi ferro inter ſe deuinctis. Intraſti? inquam. Sæpiùs, ait illa, & meus parens atque omnis vicinia. magnitudo eſt pedum quadraginta aut plurium: tum murus è latere coctili iterùm occurrit. Quid deinde? inquam. Illa, Aiunt obſeptum ibi aditum: ſed ſubterraneas cryptas eſſe, quæ Louanium vſque in Diui Petri ducant. Ibi riſi, & ad meos: Non ſapuiſſet nobis cibus, ſine hoc fabellæ condimento. ſed res neque magna, neque vetus nimis hæc fuit: quidquid fama attollat. Nam & Gygantes aiunt inhab[illegible]aſſe. At nos ad verticis hoc labrum eamus, niſi fall[illegible], ſub oculis omne opidum & vicina habituri. Videtiſne? ô delectabilem adſpectum! tanti fuit veniſſe, vt hoc frueremur. Quis pictor hîc eſt, qui delineet, & penicillo ſuo omnia loca effingat? poteſt: & vos adſpicite. Ecce *Diui Petri*, *Michaelis*, *Gertrudis*, *Iacobi*, templa alia: ecce *collegia* illa atque illa, & notabiles etiam domos. Iterùm deſidero pictorem, & qui in tabellâ repræſentet.

Curaui tibi Lector: atque ecce habes.



A. Heuerléa, Prætorium.
B. Banzum, cænobium.
C. Mons caluariæ.
D. Fliederbeka, cænobium.
E. Parcum cænobium.
F. Silua Heuerleënsis.
1. Porta Arschotana.
2. Porta Dieſthemiensis.
3. Porta Thenensis.
4. Porta Parcensis.
5. Porta Heuerlensis.
6. Cataracta maior.
7. Cataracta minor.
8. Porta Bruxellensis.
9. Porta Vinearum.
10. Turris impensæ superuacuæ.
11. Porta Mechliniensis
12. Ara siue Burgus
13. Commendataria S. Ioannis Baptiſtæ.
14. Duodecim Apoſtoli. Xenodochium.
15. S. Martini cænobium.
16. Sancta Genouena. Xenodochium.
17. Sancta Catharinæ sacellum.
18. Sancta Mariæ exterioris sacellum.
19. Sanctus Nicolaus. Xenodochium.
20. S. Mariæ Visitationis sacellum.
21. S. Quintini templum, parochia.
22. Collegium Viglij Zuichemi.
23. Beginagium.
24. Nigræ sorores cænobium.
25. Carthusia, cænobium.
26. Sacellum S. Crucis.
27. Capucini, cænobium.
28. Annunciatæ, cænobium.
29. Alexiani fratres
30. S. Iacobi, parochia.
31. S. Laurentius. Xenodochium.
32. Prætorium PLACET
33. S. Mar
34. Collegi
35. S. Vriu
36. Begard
bium
37. Vinea
38. S. Gert
39. Porta
40. S. Spir
41. S. Mich
42. S. Quin
43. Lupina
44. Molari
45. Pratens
46. Francis.
47. Bieſtm
48. Leidens
49. Caſtr
50. Caſtr

73.
IVM.



e sacellum.
ulxcianum,
nobium:
c Fliederbekenses, cano-

ria, cœnobium.
, parochia & cœnobium.
ea.
porta.
porta.
orta,
:
ta.
n.,
m porta.
rta.
rta.
rta.
dagogium.

51. Auguſtiniani, cœnobium.
52. Albæ Dominæ, cœnobium.
53. Clariſsæ, cœnobium.
54. S. Donatiani collegium.
55. Patres Societatis Ieſu.
56. Atrebatenſe collegium.
57. Dalenſe collegium.
58. Seminarium regium.
59. Collegium Theologorum duplex, Maius & Minus.
60. S. Annæ collegium.
61. Sacellum S. Antonij, vulgo Clericorum.
62. Pulchra Diua Virgo.
63. Lipſij domus.
64. Franciſcani cœnobium.
65. S. Barbaræ Sacellum.
66. Dominicani cœnobium.
67. Peelſianum collegium.
68. Magnum Xenodochium.

69. S. Eligij ſacellum.
70. S. Petri parochia.
71. Collegium trilingue.
72. Curia Senatorum.
73. Hallæ, ſiue Athenæum.
74. Lilium, pædagogium.
75. Vicus artium.
76. Collegium Sabaudiæ.
77. Collegium Iuris.
78. Falco, pædagogium.
79. Collegium Winckelianum.
80. Collegium Pontificium.
81. Porcus pædagogium, & Standonc. collegium.
82. Cranendonckij collegium.
83. Drutij collegium.
84. Hauterlé collegium.
85. Collegium Leodicenſe.
86. Collegium Diuæi.

CAP. XIV.

De incendijs in hac vrbe: tum de æde D. Petri, eius Canonicis, & Præpoſito. Denique de turre.

AVD. At nobis magis ſuaue (nam oculis ſatis antè vſurpauimus) per te diſcere initia præcipuorum operum, vel auctores. Hæc cupido nos tenet. LIPS. Id quoque indulgebo, & paullùm ſedeamus. Tu mea, accipe munuſculum, atque abi. Primùm moneo, vetuſta aliqua ædificia fruſtrà hîc quæri. non quin fuerint; ſed verè fuerint, & ignis violentia ſemel iterúmque abſumpſit. Nam ecce memoriæ publicæ habent, principatu *Godefridi Primi* Ducis, anno ∞.C.XXX. TOTVM LOVANIVM *fortuito igne abſumptum.* Auditis, *totum?* itaque nihil ſuperfuit operis vetuſti. Surrexit tamen iterùm, vel ex nouâ materiâ, vel rediuiuâ: iterúmque *exuſtum penè totum* (eædem Memoriæ) *cum primario ipſo templo,* annis paullò plus quadraginta à priore flammâ. Ergo fruſtrà ea, vt dixi, quæramus: quæ exſtant, videamus. Conſpicitis in vrbe mediâ templum *Diui Petri,* quis condidit? *Lambertus Primus* Comes, & honori huius Diui illud ſacrauit, & opidum tutelæ commiſit. Idem & Canonicos inſtituit: etſi alij ad filium eius *Lambertum Baldericum* referunt, qui etiam Bruxellæ in Diuæ *Gudilæ* collocauit. Certè iſte *Decimas agri Louanienſis* iis legitur *adſignaſſe.* Initio ſeptem fuerunt, iíque *Fratres* primò appellati: mox *Domini*, ad diſcrimen Minorum, qui acceſſerunt. Nam vt erat maiorum pietas, quidam & è priuatis opes ſuas huc contulerunt, & augendo collegio Canonicatus inſtituerunt. inter quos vnum *Simon Grindelius* è Patriciis, anno ∞.C.LXIIII. & poſt viginti quatuor annos alium, *Godefridus* Prætor vrbis. Alios deinde (nam ad octodecim peruenerunt) aut Duces ipſi noſtri, aut item ciues. *Godefridus* quidem *Primus* Dux legitur duos inſtituiſſe, anno ∞.C.XL. Sed diſcrimen tamen erat, vt tetigi: quòd illi primi ſeptem, opibus præeminebant, & Decimas ſoli poſſidebant; donec anno ∞.CCC.XI. ſponte illorum, Minores in diuiſionem admiſſi, & ſic æquales omnes facti. Sponte, inquam: & ô miram raràmque benignitatem! nam iure laudanda eſt: & hoc æuum, vereor, exempla non donet. Sed hi Canonici: quibus *Præpoſitus* etiam, præter Decanum, velut caput præeſt: magna dignitas, & olim non niſi in Principum aut Procerum filios collata. Notantur certè ex Ducum noſtrorum liberis, item è Lucemburgenſium, aliíſque. Adhæret dignitati honos, quòd is à nouo Principe, quoties auſpicia imperij ſuſcipit, iuramentum ſollenniter exigat, capiátque: in quo & *Aduocatos ſe Canonicorum Diui Petri fore* profitentur. Equum deinde Principis, cui inſidet, donatiuum habet: quem tamen olim *Cantor* vindicabat, & lis inter eos fuit. Eſt nunc in hac dignitate, vir eâ & aliâ digniſſimus, *D. Georgius Auſtrius*: qui ipſo nomine inclytum genus prodit, & virtutes pro genere habet. Amorem certè & cultum ſtudiorum, quæ laudatiſſimi illius *Maximiliani Primi* Imp. nepotem decent. Sed heu, deſero hanc ædem, & non ſine gemitu: vt collapſa eſt? quàm lacerâ & fœdâ nunc facie? Mali fati (ſi auſim dicere) ea fuit, ſemper ignibus aut ruinis afflicta. Nam præter incendia dicta, arſit etiam anno ∞.CCCC.LVIII. & tota edacibus flammis abſumpta eſt: ipſum æs Campanum liquefactum: ſed omnia ſtatim reparata, & Turris interuallo aliquo

A addita anno ∞.IↃ.VII. id eſt, quinquaginta circiter pòſt annis. Fuit ea inter egregias Belgicæ: ſed ruinæ deformarunt. prima anno ∞.IↃ.LXX. menſe Nouembri, me audiente & ad ſtrepitum procurrente, ſub veſperam; iterùm, anno ∞.IↃ.LXXVIIIS. denique vltimò iamnuper Decembri menſe, ante biennium. Quis excitat & reponit? calamitas temporum vetat, aut & ſugas in talia, cùm ad ſuum modò quæſtum priuatim quiſque calet & callet.

CAP. XV.

Reliquæ Parochiæ, & earum æuum percurſum: & ſiquid notandum.

B SVNT & alia illa Templa maiora, quæ videtis, & quas *Parochias* (alij *Paræcias* malunt) appellamus. *Diui Michaëlis* portæ murorum veteri ſuperſtructum, anno ∞.C.LXV. Fallitur enim vulgus, qui vetuſtiſſimum cenſet. & quòd *Chriſma* ſacrum illinc petitur, & ad *D. Petri* defertur; non ea cauſa eſt, ſed quia in viâ Leodicenſi eſt ſitum: Chriſma autem Leodico mitti olim ſolet, & illîc igitur decorè deponi. Sed partitio ipſa fit deinde in æde Petri, vt vetuſtiſſimâ, & primariâ. Turrim initio & hæc ædes habuit altiorem: ſed corruit cum vicinarum ædium detrimento, anno ∞.CC.XXV. neque iterùm eſt educta.

C Tertia eſt *Diui Iacobi* ædes, æuo iſtis proxima: quæ anno ∞.CC. memoratur exſtructa. Eſt in exteriore vrbe, ſed ſcire licet iamtunc ea loca ædibus hominibúſque frequentia fuiſſe: & ideò templum nouum aptatum. Neque alia rem cauſſa *Michaëlinæ* ædis ſuperſtructæ in portâ fuit, quàm vt vicinior atque opportunior eſſet illis ſuburbanis. Flagrauit *Iacobæum* de cælo tactum, anno ∞.CCC.L. reparatum eſt, & pars veteris turris etiam manet. Collegium Canonicorum habet, ſed ex tranſlatione. primitus enim Eincuriæ fuit: agente autem apud *Nicolaum Quintum* Pont. Duce noſtro *Philippo Bono*, anno ∞.CCCC.LVI. huc eſt tranſlatum. Mouit eum, opinor, ſolitudo aut inopia opidi, ſic etiam attollendi: mouit & Academiæ adſpectus, quam Canonici decorè colerent, & ipſi ab eâ excolerentur. D

Quarta, *Sancta Gertrudis*, quæ *Henricum Primum* Ducem auctorem inſcribit. Condita eſt anno ∞.CC.VI. ſtatim à Iacobæa. Sacellum antreà erat: fecit aut fieri curauit ille Princeps Parochiam: itémque *Canonicos Regulares* ibi collocauit. Fama habet, turrim iſtam ſatis egregio opere, emolitos lanifices eſſe, idque collaticio inter ſe ære: potentem hîc ſcilicet frequentemque tunc nationem. Canonici iſti initio *Præpoſitos* habuêre, fuítque primus *Franco* quidam, qui obijt anno ∞.CC.XXX. Sed anno deinde ∞.CCCC.XLIIII. *Henricus Furenſis* nomen *Abbatis* Romæ impetrauit, prætulítque. Non item ſucceſſor *Henricus Rodius* (è meis, niſi fallor, maioribus) E qui modeſtiæ amans illum *Præpoſiti* recepit, & duo item alij ſecuti. Tum *Gualterus Moliardus* iterùm Abbas, anno ∞.CCCC.LXVI. & poſteri tenuerunt: inter quos nunc eſt & præſidet *Arnoldus Eynhouttius*, pius, induſtrius, prudens vir, & qui cœnobium pulcherrimo ædificio auxit & ornauit. Eſt ab eo perpetua & magna *Porticus* circum hortos, in membra & cubicula ſupernè diſtincta: ad vſum duo-

decim

A

de cim è nobili ſtirpe adoleſcentium (nam tales admittuntur tantùm) quos hîc ali, & ſcientiâ ac pietate voluit informari. Inſigne opus, & inſtitutio: laus hîc auctori & gratia, præmium in melioribus locis eſto.

Quintum, *Sancti Quintini* templum, ſtructum ſub idem cum priore æui. Non maximum, ſed vel pulcherrimum, meo iudicio, inter omnia eſt: benè & aptè commenſuratum, multâ luce vndique colluſtratum. Atque hæ nunc ſunt quinque illæ *Parochiæ*: olim vnica *D. Petri* erat, manſitque ad annum ∞.CC.LII. Sed notant, grandi iam tunc populo, curas eius Parochi alleuandas fuiſſe, & quinque iſtas deſignatas, quas dedi.

B

CAPVT XVI.

Virorum Cœnobia.

SVNT & Cœnobia plura, aut Sacella: quæ luſtrabo, & ſiquid dicendum videbitur, non omittam. Primi

DOMINICANI: qui & tempore ſunt inter religioſos hîc primi. Venerunt in vrbem, ſub annum ∞.CC.XXVIII. haud diu ſanè poſt primam inſtitutionem Sed locum iis ſuum aſſignauit & ceſſit (mira pietas!) *Henricus Tertius*, anno ∞.CC.LVI. Ceſſit, inquam, iis ipsâ Aulâ ſuâ, quam in Diliæ inſulâ habebat, medio ferè vrbis loco: quam Annales noſtri *Baſſam Curtim* (id eſt, *Inferiorem Aulam*) vocant, ad diſcrimen illius ſuperæ, quam *Burgum* diximus fuiſſe. Ille idem Princeps templum, & alia, ibi ſtruxit: extantque ab illo æuo (ſatis notabile) ipſæ feneſtræ vitreæ in Choro, quas ille & liberi donarunt. Fama tenet *Albertum Magnum* Ratiſponenſem Epiſcopum huc veniſſe, & altaria quædam in interiore templo ſacraſſe, anno ∞.CC.LXXVI. Aiunt & diſcipulum eius, inclytum illum *Thomam Aquinatem*, comitem fuiſſe, & Euangelium de loco ſuperiore ceciniſſe: ac pulpitum ipſum ſeruant, quo ferunt vſum. Familiarem fuiſſe Principibus noſtris, illud conſtat: & *Aleidem*, viduam dicti *Henrici*, ad eum Pariſiis agentem ſcriptitaſſe, & conſilia vitæ dirigendæ petiſſe, atque accepiſſe.

D

FRANCISCANI à tergo adhærent, brachio fluminis diuiſi. Ipſi in memoriis habent (nam alij aliter: ſed ipſis credimus) huc veniſſe quinquennio poſt *D. Franciſci* mortem, qui eſſet annus ∞.CC.XXXI. non diu poſt Dominicanos. Initio fuêre, qui *Gaudentes* vocantur: ſucceſſêre anno ∞.IↃ.II. qui *Colentani*: & poſt ſedecim deinde annos iſti, ex vero *Obſeruantes*. Cœnobium vetus eſt; chorus templi nouus, altus & illuſtris, ſtructus anno ∞.IↃ.XXXVI. & conſecratus IIII. Nonas Iulij, quem vt Dedicationis templi diem ſollenniter nunc ſeruant.

E

AVGVSTINIANI cœperunt anno ∞.CC.LXIIII. qui (ſicut & Franciſcani) ſtipe collatâ templum & ædificia ſtruxerunt.

BOGARDI fratres, olim Laici, vt appellamus, & texendo vitam tolerabant; certis tamen inter ſe legibus & communione deuincti. Fuêre ab anno ∞.CC.LXXX. vel antè. nam exſtat tunc Diploma *Ioannis* Ducis, recipientis eos in tutelam.

MARTINIANI tenue principium ab *Henrico VVelleo* fuit, in Diui Petri Sacellano, anno ∞.

A

CCCC.XXXIII. *Fratres* initio dicti. Aucti numero & opibus, quindecim circiter poſt annos, mutarunt inſtitutum, & *Canonici Regulares* facti, ex normâ Diui Auguſtini. Inter eos floruit, & famam ſtudiis ſcriptiſque fecit patruus meus maior, *Martinus Lipſius*: qui obiit in Eburonum terrâ, cœnobio, quod *Crucis Lemum* dicunt, Præfectus: anno ∞.IↃ.LV.

CARTVSIANI cœperunt circa annum ∞.CCCC.LXXXIX. neque vnum auctorem operi inſcribunt. Alij alias cellas dederunt: ſed eminet *Ioannes Ouerboſius* Antuerpienſis, Naſſouiorum Quæſtor. Fuerunt & duæ fœminæ auxiliatrices, *Margareta*, *Eduardi* regis Angliæ ſoror, vidua noſtri *Caroli Audacis*; & *Maria Magdalena Hamalia*, vidua item *Guilhelmi Croy*, vtraque pietate, & liberalitate in pios, inſignis. Eſt in hoc Cœnobio ſpectabilis Porticus, magnitudine & opere: nec ſcio an hîc, aut in finitimis locis, alia comparanda.

B

PATRES SOCIETATIS IESV, primùm duo venerunt circa annum ∞.IↃ.XLII. Pietas & eruditio ſtatim prouexit, plures acceſſerunt, & Collegium eſt factum: quod *Leuini Torrentij*, Epiſcopi Antuerpienſis, & amici noſtri, liberalitate mirificè auxit, qui moriens opes ſuas ei legauit.

CAPVCINI vltimi, & per medias turbas ingreſſi. *Iacobus Bayus* Theologiæ Doctor, piè & liberaliter accepit, aream ædificiis, & hortos, itémque alia ipſe largitus, aut ab aliis impetrans, *Conductoris* nomen meruit habere.

C

CAPVT XVII.

Fœminarum cœnobia, aut cœtus.

SVNT & Fœminarum ſacri cœtus, omni ſanctimoniâ & caſtimoniâ compoſiti: quæ precibus hymniſque Deum die & nocte venerantur ac placant. Sunt

BEGINÆ, non propriè aut ſtrictè Religioſæ, ſed quæ tamen eas æmulantur. Æuum earum vidi in templi lapidibus ſculptum: *Anno* ∞.CCCV. *hac curia incepit.*

D

HOSPITALE magnum, ſiue Xenodochium, *Diuæ Elizabethæ* ſacrum. Inſtitutum ab *Henrico* illo *Tertio*, qui Dominicanos: & ſub idem ferè tempus.

ALBÆ DOMINÆ quæ vocantur, primùm fuêre *Conuentus pœnitentium*, *ordinis S. Mariæ Magdalenæ*. Mutarunt, & aſſumpſerunt *S. Victoris Pariſienſis*, anno ∞.CC.LII.

S. VRSVLÆ in mediâ Plateâ, cœpit à priuatâ liberalitate *Eliſabethæ VVeſeliæ*, quæ vidua domos ibi in ipſo loco ſuas, & hortos, & vineas, legauit hoc fine anno ∞.CCCC.XV. Sunt *Regulares*, & *Priori Bethlemitico* ſubiectæ.

E

GRISEÆ SORORES, à leucophæâ veſte. Dicunt ſe à ducentis annis huc veniſſe, è cœnobio Theonſi. Subſunt *Abbati Gertrudano*.

NIGRÆ SORORES, ſuâ ipſæ induſtriâ ſurrexerunt. Vna aut altera cœpit, & curâ ægris impenſâ (nunc quoquè faciunt) nummulos corrogarunt, domum emerunt. Aliæ iunctæ ſunt, in regulam *S. Auguſtini* tranſierunt anno ∞.CCCC.LXII. Templum paullò pòſt ſtruunt, quod conſecrauit *Libertus* Epiſcopus Berytenſis, anno ∞.CCCC.LXXVIII.

CLARIS-

Clarissæ, id eſt *D. Claræ* aſſeclæ, ordinis *Diui Franciſci*. Inſtituit nobilis matrona *Catharina Oppendorpia*, vidua *Ioannis Bloſij*, Equitis, anno ꝏ.Ↄ.XVI.

Svb-castrenses, vt vocantur, Ordinis *Ciſtertienſis*: quibus conditor *Gualterus Templum*, vir nobilis: & acceſſit in partem eadem *Catharina Oppendorpia* iam dicta. Anno ꝏ.IↃ.XVIII. Abbatiſſam habent.

Annvnciatæ: quarum prima inſtitutio in Galliâ à *Ioannâ*, filiâ *Ludouici Vndecimi* regis, vxore autem *Ludouici Duodecimi*. Cui cùm diu ante regnum nupſiſſet, *Dux* adhuc *Aurelianenſis*, in ipſo regno, ſuaſu miniſtrorum, & ſuo ambitu, ne Britanniæ Ducatus abalienaretur, *Annam* eius Duciſſam vxorem cepit, hac demiſſâ. Cauſſa diuortij, metus præferebatur, & quod non ſponte duxiſſet: neque iſta oppoſuit, & libens ad alterius æternique Regis cultum ſe conuertit. *Ducatum Bituricenſem* donum acceperat, cuius fructibus ſe tolerauit, & alia piis vſibus impendit. Inſtituit has Virgines, in honorem cultúmque Divæ Virginis, anno ꝏ.IↃ.I. Diffuſæ ſunt in Belgicam, & Brugas venerunt: illinc hùc pars earum traducta, faciente *Mariâ Hamaliâ*, de quâ dixi. Ingreſſæ primitus *viginti* ſunt, è quibus *ſex Brugenſes*, quæ regimen aut exemplum nouellis eſſent.

CAPVT XVIII.

Profana aliquot loca.

Absolvi. an & pauca in profanis opidi locis noto? ſed pauca. Ecce Cvria iſta ſpectabilis eſt, ſiue Senatorum domus: tota è ſecto per- A tem lapide, figuris & emblematis variè ornata. Magnitudo iuſta eſt, ſymmetria belliſſima: & inſigne maiorum elegantiæ vel opulentiæ monumentum. Exteri cùm video, laudant, an & inuident dicam? Strui cœpit anno ꝏ.CCCC.L. & intra decennium (ita notant) eſt abſoluta. Cauſſa ſtruendi, abominatio prioris Curiæ, illius infauſtæ Foro veteri, vbi Patriciorum lanięna, quam deſcripſi. Ab eo tempore abhorruerunt adire Senatores, & in Sagittariorum ædibus conuenerunt, donec hoc opus abſolueretur.

Tvrris in mœnibus, longè conſpicua, quam *Impenſa perdita* vocant. Laterculo muri introrſum ſtructi, lapide deinde candido veſtiuntur: rotundâ formâ, in altum æquabiliter ſurgit, non in alium (& hoc fine factam credo) quàm Speculæ vſum. B Circumiecta enim ad *multa millia* paſſuum vndique detegit: & ſunt qui aſſerant Antuerpiam, ſereno die, ab acribus oculis videri. Structa eſt anno ꝏ.CCCC.LXIIII.

Cataractes pulchro & operoſo opere, in ipſo *Dilia*, atque illi coërcendo, aut diſpenſando, anno poſt *Turrim* illam factus. Qui tamen ex inſidiis vrbem, meo æuo, penè oppreſſit. Nam ecce, anno ꝏ.IↃ.LXXIII. cùm ingentes pluuiæ fuiſſent, & nix item ſoluta, VI. Idus Ianuarias, negligentiâ Curatoris euênit, vt obices parùm in tempore leuarentur, aquámque tranſmitterent. Stitit ſe amnis igitur, & magnâ mole intumuit, & mœnia iam ipſa æquabat, quæ iuxta Cataractem denique perrupit, & C toto impetu vrbem inuaſit. Pecudes, & hominum quoſdam abſtulit, ædificia deiecit, libros corrupit, vt aliam ſupellectilem & penum ciuium omittam. *Guilielmus Canterus* noſter, in ſelectâ Bibliothecâ ſuâ ingens tunc damnum & mærorem accepit.

IVSTI LIPSI
LOVANIVM
id eſt,
OPIDI ET ACADEMIÆ EIVS DESCRIPTIO.
LIBER TERTIVS.
CAPVT PRIMVM.

Jnitium Louanienſis Academiæ, & hic conditæ cauſſa.

SEd heus amici, an non ſatis iam vidimus, ſatis ſedimus, & ſatias etiam ſermonũ vos capit? Avd. Nos? vt verſu tibi dicam,

Antè diem clauſo componat veſper Olympo.

At te ne fatigemos, illa cautio eſt. Lips. Ergo ſurgamus, in vrbem vorſoriam capiamus. nam & Sol in meridiem inclinat. Deſcendimus, & in viâ iterùm eramus, cùm Avd. Vrbem habemus, ſed præcipuum eius membrum, an animam dicam, omiſiſti, publicam Scholam, & quam *Academiã* ſolemus appellare. Animam dixi. quæ enim vita aut vigor ſine eâ huic opido ſit? quis adueniat, aut frequentet? Nos certè exteros non congeries hæc lapidum, aut pratorum colliúmque adſpectus trahit; ſed Muſa & Minerua, quę hîc ſedem habent, & tu earum ſacerdos Lipſi. Age, originem eius explica & progreſſum: quod nos alióſque iuuet nouiſſe. Lips. Non hercules inuitus fecero: & quis ſermo magis me delectet? Miles caſtra aut prœlia, ruſticus agros & ſegetes loquitur: hæc mea caſtra ſunt, hic ager quem colo, hîc ſeges aliqua gloriæ, quam meto. Ordiamur. Cùm Louanium ſeditionibus, vt dixi, afflictum & paullatim vacuefactum eſſet, mercimoniis pleriſque in Angliam aut aliò dilapſis: miſeratio & cura Principem etiam noſtrum habuit primariæ vrbis inſtaurandæ, & aliâ aliquâ viâ frequentandæ. Hæc occurrit, quam in manibus tũc habebat. Præërat nobis *Ioannes* Dux, miti imperio: & cùm bella ceſſarent, artium amor ſubiit, & exemplum etiam, quod aliæ iam prouinciæ præbebant. *Coloniæ* enim & *Lutetiæ* Academia erat: cur non florẽs & copioſa hęc Belgica haberet? cur liberos ſuos magno impendio ad longinqua loca mitterent, prompto, ſub manu & oculis eos habere? Itaque voces iam & conſilia apud Principem: ac didici *Engilbertum Naſſouium*, in flagrante tunc gratiâ, & animi honeſtum, præcipuum auctorem fuiſſe, & *Ioannem* ad Academiã inſtituendam perpuliſſe. Vbi de re ſedit, de loco deliberatum eſt; & multi *Mechliniam*, aëre & munditie commen-

A dabilem, ſuggerebant: ſed vicit *Louanium*, præter miſerationis adſpectum, quem dixi, quòd ingenio loci hominúmque non alia vrbs aptior otio ſtudiorum videretur. Et benè iudicaſſe, quis non iudicat? Situ quid ſalubrius, vel amœnius? Aër purus & ridens: loca paſſim vacua & delectantia, prata, agri, vineæ, luci, & rus, vt ſic dicam, in ipsâ vrbe. Mœnia conſcende, & perambula: quæ ſubiecta facies? cuius frontem animúmque non explicet iſta mirabilis ſimul & delectabilis varietas? Hîc ſegetes, poma, vuæ creſcunt, hîc pecudes balant, aut mugiunt; ibi aues garriunt & cantillant. Iam pedes aut oculos extra mœnia effer. ſunt riuuli, aut flumen Dilia, vago flexu; ſunt villæ, aut Cœnobia; eſt ſuperbum illud Prætorium *Heuerléa*; arboreta, aut ſiluæ intermixtæ; & vbique meræ locorum deliciæ. Nam de hominibus ciuibúſque, quid prædicem? Solem non videre magis ad huma- B nitatem & benignitatem factos. Appello vos, qui inſediſtis: probitatem & candorem vidiſtis, officia & alacritatem ad miniſtrandum. Itaque mirabile, & verum eſt, velut Homericam loton hîc eſſe, & qui ſemel guſtarunt, vix auelli, aut auulſos deſiderare identidem & reſpectare. Hæc ipſi ſenſimus, hæc ab aliis audiuimus: & ô ſalue amœna & amata nobis vrbs,

Saluete Athenæ noſtræ, Athenæ Belgicæ,
O fida ſedes artium, & fructu bona,
Lateq; ſpargens lumen & nomen tuum!
Te Gallus, & Germanus, & te Sarmata
Inuiſit, & Britannus, & te duplicis
Heſperiæ alumnus. quàm frequens frequentia
Stipauit olim, & aduenarum copia
Quæ minuit aliquid ciuicus, fateor, furor
C *Et Mars cruentus: ſed fuère, quis neget?*
Et fructus etiam apparet. ô quot millia
(Ita dico) protuliſtis inſignes viros,
Auxilia vel conſilia publicæ rei?
Quot Famæ in æde conſecraſtis nomina,
Perennibus victura ſcriptionibus

Et porrò proferetis, & ſacrabitis,
Si donat aliquam mitior pacem Deus.
Donabit autem. vota vos modò & preces
Concipite, & in partem aduocate Virginem,
Patrona quæ veſtra audit, & Dei parens.

CAP. II.

Martinus Quintus approbauit. Natalis Academiæ, & Lectionum.

SEn hem, né extra lineám me eiiciat affectus. A v n. Sæpè ſic eiiciat, & tu tales voces: ſed perge. L i p s. Decreto igitur iam de Academiâ, & de loco: viſum mittere legatos ad Pontificem, cuius veniâ & auctoritate opus erat ad instituendam grauiorum artium Scholam. Præerat tunc Eccleſiæ *Martinus Quintus*, è gente *Columnâ*: id eſt, primariâ Lanij familiâ; & quæ bello ac pace inſignia lumina rei Christianæ dedit. Sed hic Pontifex bonarum etiam artium ſciens & cupiens erat: eòque faciliùs de Academiâ impetratum. Diploma datum eſt ſignatúmque, anno ∞. cccc. xxv. quod nobis conſtat, & hîc aſſeruatur: fruſtrà exteri ambigunt de anno ſequente. Poteſtatem faciebat amplam omne genus artium docendi, doctos producendi & titulis honoribúſque afficiendi: ſolâ tamen Theologiâ, reginâ ſcientiarum, exceptâ. Quid mouerit, neſcio: fortaſsè vulgare doctrinam eam & ſpargere, haud ex vſu cenſuit, neque campum nimis aperire diſputationibus & ſermonibus ſuper rebus diuinis. Quod tamē ipſe abnuit, ſtatim pòſt annuit *Eugenius Quartus*, quinto ipſo anno à Scholâ inſtitutâ: cùm ſuper hac te legatos ad eum *Philippus Bonus*, tunc noſter Princeps, miſiſſet. Nam *Ioannes* magno illi operi haud diu ſuperfuit; vix ſamam etiam, niſi ab eo, & diſcidio cum * vxore, habiturus. Sed à Diplomate primo impetrato, non ſtatim etiam lectiones habitæ, ne erretis: & reiectæ eæ in annum ſequentem, id eſt *vigeſimum ſextum*, fuerunt. Quid ita? credo, quia Scholæ cathedris ſedilibúſque inſtruendæ; quia Doctores eligendi; quia ipſa iuuentus conuocanda erat. quod fecit publico edicto *Ioannes*, & in eo inuitat exteros & indigenas ad nouam Scholam: *in quâ*, inquit, *Doctores & Magiſtri lecturas ſuas, quilibet in ſuâ facultate, & alios actus Scholaſticos, ſecundâ die menſis Octobris, inchoabunt*. Ecce, auſpicalem diem videtis, ipſo Duce ſic adfirmante: & hodie hæc Schola ſeruat, & illo exemplo, eo die lectiones quotannis renouantur, ſiue ipſo noſtrorum verbo, reſumuntur. Hoc ita verum videtur: tamen aliæ memoriæ, itémque diligens talium *Hadrianus Barlandus*, tradiderunt Septembri menſe initium factum, ídque pridie *Natalem Diuæ Virginis*. Credo vtroſque vera dicere. ſed hos de auſpiciis primis loqui, id eſt, cùm velut in poſſeſſionem miſſi profeſſores ſunt, & oratio publicè habita eſt, magno Procerum conuentu (nam & id notant) perorante *Nicolao Pruneo* Iuriſconſulto. Sed oratio tantùm: & lectiones dilatæ in ſequentem menſem, vt dictum.

* *Iacobâ*, Hollandiæ Comite.

CAP. III.

Regimen Academiæ, Rector, Conſeruator, Promotor, Senatus. obiter & de Cancellario.

INITIVM Academiæ habetis: noſcite & faciem aliquam eius atque adminiſtrationis formam. A *Rector* & *Senatus* ſunt qui regunt, & Dux *Ioannes* olim, monitu Pontificis, omne ius ſuum in eos contulit, ac liberam poteſtatem in Studioſos permiſit. *Rector* à Senatu Academico creatur, ídque ſingulis ſemeſtribus, vt nunc res habet. Anteà reperio, trimeſtrem modò dignitatem fuiſſe, atque id duraſſe ad annum ∞. cccc. xlvi. id eſt per viginti circiter annos. Atque inter primos illos lætis animi oculis vidi *Ioannem Eechkoutium*, nobilem virum, è maioribus meis; qui patris mei auunculus maior, in Burgundicâ aulâ poſteà vixit obiítque. Magna eſt hæc dignitas, & ſplendorem ei dant Accenſi, ſiue *Bedelli*, vt vocamus: quorum vnus, prælato grandi argenteo ſceptro ſemper præcedit & ducit, famulis ſequentibus; interdum & *octo* præëunt, cum ſuis quiſque ſceptris, ſed in ſollenni proceſsione, aut die feſto. B Obuertunt omnes ora, venerantur & cedunt: atque alius quiuis honor faſces huic ſubmittit. Dicámne etiam? ſed narrantium fide, aiunt *Carolum Quintum*, Imperatorem illum verè Auguſtum, cùm fortè hîc eſſet, loco ceſsiſſe, & latus Rectori texiſſe. Magna humanitas, ſi non debuit; magna, etiamſi debuit. Ampliùs, inſigne poteſtatis purpuram geſtat, & in humeros extenſam epomidem reiicit, cuius oræ pellibus variegatis prætexuntur. *Caputium* vocant, nec abs re: nam olim caput eo velare ſolent, & ſic geſtare. Hoc palàm liquet ex Pontificio diplomate, in quo Rector deſcribitur & ornatur: éſtque à Principum imitatione & exemplo, quorum talis ille olim cultus. Hic Rector, vt tetigi, ius omne in C Scholaſticos habet, cauſſas audit, decîdit, mulctat, punit. Cui rei *Promotor* etiam eſt (ſic Prætorem noſtrum appellamus;) qui iubente aut conſentiente Rectore, neque aliter, manus inicit, in cuſtodiam & vincula etiam ducit. Grandioris noxæ conuictos punit, vel capite, ſi viſum eſt. ſed rarò viſum: & omnis iſta iudiciorum ſeueritas in pecuniarias ferè mulctas deſignit; mitigátque crimen vel ætas adoleſcentiæ, vel & fauor qui ſtudiis debetur. A v n. Ita diſcimus. ſed inuiſum hoc *Promotoris* nomen vnde ductum? L i p s. Neque ego ſatis ſcio, an quia ius promouet, & lites intentat? vndeunde, de munere conſtat: & in eius æui vocibus nec Varro ſatis Latinos fontes indaget. Barbara multa ſunt, ab Italis aut Gallis inuecta: quod notare potuiſtis & in *Bedellis*, quos ſcitiùs alij putant dicere *Pedellos*. A v n. D Alia etiam quæſtiuncula. recens ego à Batauis ſum: neque Rectoris ibi tam magna & mera poteſtas. Apud vos autem hoc ambigo. ſi ciuis cum Studioſo agat, aut contrà, quod forum aut iudex eſt? L i p s. Diſtinctè dicam. ſi ciuis agit, rei forum ſequitur, id eſt ad Rectorem venit: ſi ſtudioſus in ciuem, aliud huic rei tribunal repertum eſt, neque ad vrbanum aut ſæcularem magiſtratum itur. Eſt enim *Conſeruator* (nomen illi, quia iura noſtra tuetur & ſeruat:) qui tribunal ſuum habet, & Adſeſſorem iuris peritum, ad quem cauſſæ hæ tales conueniuntur & aguntur. Imò licet ad eum è totâ Brabantiâ euocare, etiam æs aut aliud debitum petere: magno ſtudioſorum commodo, qui domo ſe, aut certè opido, non mouent. Quid ſi aliquis non pareat? dices. Scito igitur E Eccleſiaſticum hoc tribunal eſſe, & ideò telum aut fulmen *Excommunicationis* poſſe exſerere: quod item Rector. Qui autem & hoc contemnunt, in eos Iudex à ſæculo aduocatur. Singulare hoc ius eſt, & olim ac nuper (ego vſus ſum, & ſcio) latè obtinuit: nunc peruicaciâ opidorum, quæ ſuos tuentur, itémque remiſsione aut frigore noſtrorum, reſtringitur: & cauſſas alias non dico. Si tamen ſic pergitur, breui non niſi nomen & memoria eius erit. Huic

muneri ſolet præfici aliquis Antiſtitum, & ferè *Abbas Gertrudanus*, qui in vrbe agit. Eſt & alius in Academiâ honos, ſuper illum *Conſeruatoris*, quem *Cancellarium* dicunt. Is iuriſdictione abſtinet, dumtaxat titulos & honores, exactis ſtudiorum ſpatiis, auctoritate Pontificiâ confert: dico *Magiſterij*, *Licentiæ*, *Doctoratus*, vt Academiarum mos nunc habet. Hoc munus vindicat *Præpoſitus Diui Petri*, & illo abſente *Decanus*: ac proximum à Rectore in conuentibus publicis locum tenet. Dixi regimen & capita: ſed *Senatum*, qui omnia adgubernat, quem appello? Quinque claſſes, ſiue vt loquimur *Facultates*: *Theologiæ*, *Iuris Canonici*, *Iuris Ciuilis*, *Medicinæ*, *Artiúmque*. In has Doctores omnes veniunt, adſciſcuntur & aliqui non doctores, vt prudentia aut vſus ab iis ſuadent: in illam autem *Artium* præcipuè Magiſtris. Hæc & *Decanum* habet, ſeorſum in conſeſſibus honeſtandum. Hic Senatus Rectorem, vt dixi, creat: idem omnia moderatur & temperat, & *Rector* etſi nomen magnum, tamen potentiâ ferè vt Venetorum Dux eſt, & à Senatu ſuo pendet.

CAP. IV.

Hala noſtra, ſiue Schola publica: item Pædagogia, & Collegium trilingue.

HÆc adminiſtratio & regimen eſt Academiæ: quæ ſtudiorum ratio, fundamenta, aut adiumenta, dicam. Primùm, eſt publicus locus, vbi tres primariæ ſcientiæ docentur, *Theologia*, *Iuriſprudentia*, *Medicina*: prima, inferiùs; ſupernè duę reliquæ; & ſunt auditoria in vniuerſum quinque. Ædificiũ vetꝰ eſt, nec huic vſui primò ſtructũ: ſtructum autem lanificibus, cùm ij in flore eſſent, anno ∞.CCC.XVII. quo duplex inſcriptio parietibus inſerta docet. Vocant *Halas*, vt ſolent iſta hominum aut mercium receptacula: liceret Latinè *Baſilicas* dixiſſe. Vt autem nunc vſus eſt, *Athenæum* appellemus; & huic rei, id eſt auditioni, præcipua membra adaptarunt. Scitis etiam me ibi docere, & Hiſtorias aut antiquitates explicare. Sed præter hunc locum, qui liberis auditionibus ſeruit (nemo enim adigitur) ſunt etiam *Pædagogia* quattuor, vbi ſtrictior diſciplina, & pueri vel adoleſcẽtes in primis artibus, atque ipsâ Philoſophiâ maximè, inſtituuntur. Egredi, aut abeſſe, ſine veniâ non fas: & præceptores ius ſuum tenent, & tempus non temerè diſpenſant. Sunt ea quattuor, *Lilium*, *Falco*, *Caſtrum*, *Porcus*: ita enim nomina ab inſignibus ſuis habent. Denique tertius eſt locus, linguarum notitiæ deſtinatus, quem à re vocãt *Collegium trilingue*: nam *Hebraica*, *Græca*, *Latina* illîc præceptores ſuos habet. Alio nomine *Buſlidianum* dicitur, nimirum ab auctore *Hieronymo Buſlidio*, Præpoſito Arienſi, gratioſo apud *Carolum Quintum* viro, & qui moriens opes ſuas in hos ſtudiorum vſus reliquit. Viros aliquot inſignes, & Profeſſores habuit: inter eos *Petrum Nannium*, qui alios poſt ſe, vt meum iudicium eſt, reliquit, & fortaſſe relinquet. At nunc iacent ibi omnia & ſilent: heu tempora, an & heu iudicia dicam? ſed refræno. AVD. Non ego, & publicum deſiderium votumque eſt, præſertim Græcæ linguæ. Quando habebimus? LIPS. Tempeſtiuitas exſpectanda eſt: tamen & ego eos qui præſunt hortor intendere, & illud Tertulliani ſeriò cogitare: *Litteraturam, inſtrumentum eſſe ad omnem vitam*. Vetus etiam verſiculus eſt,

ne Idola.

Δὶς πλέον ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

Qui litteras didicère, bis tanto vident.

CAPVT V.

Collegia alendæ iuuentuti, Theologiæ, Iuris, miſcella.

PERGAMVS. nam & aliud Collegiorum genus eſt, vbi non tam docetur, quàm alitur iuuentus, & ſubſidia ſtudiorum in certos annos habet. Pulchrum inuẽtum, & quod in Angliâ magnificè vſurpatur: neque credam in orbe terrarum ſimile eſſe, addam & fuiſſe. Magnæ illîc opes & vectigalia: verbo vobis dicam? vnum *Oxonienſe* collegium (rem inquiſiui) ſuperet vel decem noſtra. At nos plura, & ſparſa habemus: primumq; omnium inſtituit, quod *Theologorum* dicitur, *Ludouicus Ruckius*, vir hîc Patricius & Principis Quæſtor. Ipſe, inquam, inſtituit anno ∞.CCCC.XLII. ſed alij auxerunt, & fundamentis ab eo iactis, vt ſic dicam, ſuperſtruxerunt. Diuiſum eſt, & vt facilius regimen eſſet, alterũ factum, quod *Paruum* appellant. Accepi *Beſſarionem* Cardinalem (ô magnum in Græcis virum!) hîc fuiſſe, & hoſpitio exceptũ, memoriam ſui reliquiſſe, Biblia manuſcripta. Id fuit anno ∞.IↃ.XIII. cùm Legatus à S. Sede in Belgium eſſet. Eminet iiſdem Theologiæ ſtudiis dicatum, *Collegium Pontificium*, ab auctore *Hadriano Sexto*, poſteà Pontifice: ſed cùm cœpit, Decanus hîc in æde Diui Petri erat. Alij etiam auxerũt; & induſtriâ ac probitate Præſidum incrementa cepit, ac nunc capit. Alia ſunt, ſacrata ſacris etiam ſtudiis, ſed minora: & ſatis ſit in deſcriptione vrbis, breuiculo inſeruiſſe. At in iure primum fuiſſe opinor, quod *Diui Iuonis* titulo dedicarunt, & *Collegium Iuris* appellarunt. *Robertus à Lacu* præcipuus auctor, aliique deinde ſtudij eius Anteceſſores. anno ∞.CCCC.LXXXIII. Succeſſit *quadriennio* poſterius *Sti Donatiani*. quod nomen ita habet, quia primus auctor, *Antonius Haueron*, Præpoſitus eius ædis *Brugis* erat. Ille cœpit, & domum ac vectigalia aliqua dedit, ſed tenuiter: poſteà *Ioannes Carondeletus*, Epiſcopus Panormitanus, apud Cæſarem gratioſus, reparauit, ornauit, auxit, ſic luculentè, vt meritò alter conditor habeatur. Eſt & tertium *VVinckelianum*, Iuri dicatum, etſi (quod mireris) à Doctore medico *Ioanne VVinckelio*, anno ∞.IↃ.LII. Ab his exemplis alia ſucceſſerunt, aut & quædam præiuerunt: ſed longum ſit referre, nec poſſim niſi referre. Duo tamen ſunt ædificiis conſpicua, *Sabaudianũ*, & *Dalianum*: atque illud iuuentute etiam frequens ſatis eſt, & floret; hoc modicè, ſed ob ſplendorem Princeps ſibi in Palatium lêgit, & huc veniens eò diuertit. Quid ſileo? nouum iſtud *Leodicenſe*? pecco. Etſi enim perfectum non eſt, tamen affectum, & ſurgit auſpiciis Serm. ERNESTI BAVARI, magnanimi Principis, & litterarum velut parentis. Inter magna erit, ſumma manus ſi imponitur, & multam frugem SEMINARIVM hoc feret: vt imponatur voueo, & hanc quoque gloriam faueo Eburonum amicæ genti.

CAPVT VI.

Vetus Academiarum ſpecimen in Oriente, itémque Aethiopiâ, Africâ, Nouo orbe.

DE Academiâ, mei iuuenes, alia non habeo quæ vtiliter dicam. AVD. At ego, quod quærant. Scire lubet, & ſæpè cupido fuit, an & antiquitùs in Græciâ aut Latio Academiarum iſte mos, & tali diſciplinâ atque exercitiis habita iuuentus? LIPS. Fuit, & non fuit. Loca habuiſſe ſtudiis deſtinata, id verum

eſt, talibus ſtudiis haud prorſus, neque hac item facie aut formâ. Lôgiùs repetâ, & peregrinabor paulliſper, iucundâ recordatione, per orbem terræ. In Oriente, vnde omnia bona & pulchra, reperio Academiam in Iudæâ fuiſſe, quæ *Dabir* dicta, & priùs vocabatur *Cariatſepher*, id eſt *ciuitas litterarum*. *Ioſue ca. xv. & xxi.* Græca Biblia, Τὸ δὲ ὄνομα Δαβεὶρ. ἦν πόλις γραμμάτων τὸ πρότερον. Sed & opidatim prætereà Scholas habebant, quas ſuo nomine *Batte Midras* vocabant (à peritis ſic accepi) inſtituendæ pueritiæ. In Ægypto olim *Sais* & *Heliopolis* fuêre, & artium ibi doctores Sacerdotes. Homerus eò diſcendi cauſsâ, Solon, Thales, Plato, alij iuerunt: & ſacræ litteræ palàm, *Moyſen inſtitutum omni diſciplinâ Ægyptiorum*: ergo loca fuêre, vbi docerentur. Inter quæ *Alexandria* poſtmodum eminuit, & iam à conditore illo cœpit. Multa exempla, ſed illuſtre de *Iulio Cæſare*: qui cùm poſt Pompeij necem eò veniſſet, *ii. Ciuil.* τὴν πόλιν περιϊὼν, ait Appianus, τοῦ κάλλους ἐθαύμαζε, καὶ τῶν φιλοσόφων μετὰ τὸ πλῆθος ἑστὼς ἠκροᾶτο: *vrbem circumiens, mirabatur pulchritudinem, & ſtans inter plebem Philoſophos audiebat*: nempe in publicis auditoriis & gymnaſiis. Sacras etiam ibi litteras ab antiquo floruiſſe, Euſebius Cæſarienſis docet, vbi de *Panteno*. *Lib. v. Eccleſ. Hiſt.* *Docebat is*, inquit, *Alexandriæ*, ἐξ ἀρχαίου ἔθους τοῦ διδασκαλείου τῶν ἱερῶν λόγων παρ' αὐτοῖς συνεστῶτος, ὃ καὶ παρ' ἡμᾶς παρατείνεται: *cùm ex antiquo Schola illic conſtituta eſſet ſacrarũ litterarum, quæ & ad noſtra tempora peruenit.* Viguit & Medicina, ex Ammiano, & quidem eximiè: *adeò*, inquit, *vt pro omni experimento ſufficiat medico, ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriæ ſe dixerit eruditum.* Oſtendit idem ſcriptor, *in eâdem vrbe doctrinas varias ſemper floruiſſe*: donec *Aureliano* imperante ciuilibus diſſidiis concuſſa, *amiſit regionis maximam partem, quæ Bruchion appellatur, diuturnum præſtantium hominum domicilium.* Igitur is locus fuiſſe videtur, vbi auditoria, & domicilia doctorum: etſi mox reſurrexiſſe iterùm ſtudia oſtendit. Certè Gregorius Nazianzenus, ἐργαστήριον πάσης παιδείας, *officinam omnis doctrinæ*, appellat: & diu pòſt (id eſt ante annos CCCC. & quod excurrit) *Beniaminus* Iudæus ſcribit, *ſe extra vrbem ædificium vidiſſe magnum & ſpatioſum, quod fuiſſe dicebatur Ariſtotelis* GYMNASIVM. *Alexandri præceptoris: in quo* VIGINTI *ferè Scholæ ſunt, a* TOTIVS ORBIS *hominibus olim frequentata.* De Ariſtotele, remitto: reliqua veritatem habent. Iam in alio Oriente, item Scholæ. De *Indis*, certum eſt Brachmanas & Gymnoſophiſtas fuiſſe, & cœtus ſuos docendi diſcendique habuiſſe. Manent hodièque, & nomen ipſum *Brachmanum* durat. At in *Iaponiâ*, *Bonzy* ſunt: & ij magnos diſcentium cœtus in primariis opidis habent, & legi, qui eum Patauienſi aliquâ Academiâ componant. Quid in Africâ? omitto *Abyſſinos*, quos qui nuper luſtrarunt, aiũt iuuentutem litteris & Philoſophiâ imbui, & nouo nobis more, ad Scholas ire in elephantis. Sed de viciniore *Africâ*, certum eſt olim ſtudia viguiſſe, & vel *Carthago* illa Romæ æmula dicet. Apuleius atque alij de eâ: ſed de ſuo etiam æuo Auguſtinus: *Duæ vrbes litterarum Latinarum artifices, Roma atque Carthago.* Iam diu pòſt lego, in Mauritaniâ *Al-manzorem* regem, iis propagandis in opido *Maroco* ſuperba ædificia inſtituiſſe: de quibus *Ioannes Leo* teſtis atque arbiter oculatus: *Templum* eſſe, *quo maius vix reperiatur in toto orbe: in cuius Porticu centum circiter librariorum officinas, itémque alias totidem è regione fuiſſe. Præterea, Collegium ibi nobiliſſimum, in quo triginta Aulæ ſiue Atria, & in medio vnum ampliſſimum: vbi legere publicè ſolent, dum vrbs ea, & ibi litteræ, florebant.* Sed hæc omnia periiſſe, vel certè vacua & ſine vſu, iam ſuo æuo (*Leonis Decimi* Pontificis) fuiſſe: & quod reliqui, *Feſſam* migraſſe. *In hac ipſâ Feſſâ ducentas ferè numerari Scholas, quarum quælibet formam habet ampliſſimæ Aulæ: & in ambitu diſpoſiti gradus, quibus pueri ceu ſedilibus vtuntur.* Dicit prætereà, & *publicas Scholas* eſſe, quas aliter tamen non deſcribit. Item, notabile: præmia fuiſſe etiam Poëtis, atque eos ſolere, certo anni tempore (quamdiu reges ex *Marinorum* familiâ imperarunt) in regiam venire, ibi carmen è loco eminentiore, præſente rege aliiſque, vt in theatro recitare: & qui victor iudicatus eſſet, *equo inſigni donari, item ancillâ feminâ, centum aureis, & veſte quâ rex indutus tum fuiſſet. Cæteris etiam omnibus, qui certaſſent, quinquaginta aureos adnumeratos.* Conſiderate, magnus ingeniorum honos & excitatio fuit: vbi in noſtro æuo aut orbe reperienda? Quid etiam? ad Nouum orbem ibo? Sanè ibi barbaries: ſed tamen apud Mexicanos lego, *Scholas in Templis fuiſſe, & ad eas, diuites præſertim nobiléſque, filios ſuos miſſitare ſolitos ab anno ætatis quinto: vbi à præceptoribus ſuis docebantur, coërcebantur, neque egredi fas erat. Et ad vſum iuuentutis huius, terræ & agri erant, è quibus fructus & annonam colligebant.* *Lopez Gomara.*

CAPVT VII.

Idem in Græciâ, Aſiâ, Italiâ, & Romæ.

AD notiora, & propiora venio. Et de *Græciâ*, quis ambigit? aut quis neſcit, acceptâ ab Orientalibus doctrinâ, non ibi ſolùm proſeminaſſe, ſed in Aſiam, Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Siciliam propagaſſe? Ita res eſt: & vbicumque Græcanicæ coloniæ, cœtus ſtatim & exercitia doctrinæ. In ipſâ Græciæ *Bœotiâ*, vetuſtã Scholam reperio *Mycaleſſi*: quam Thucydides fuiſſe oſtendit Peloponneſiaco bello. *Lib. vii.* Narrat vrbem eam ex improuiſo à Thracibus captam, & inter clades præcipuam fuiſſe, quòd ἐπιπεσόντες διδασκαλείῳ παίδων (ὅπερ μέγιστον ἦν αὐτόθι, καὶ ἄρτι ἔτυχον οἱ παῖδες ἐσεληλυθότες) κατέκοψαν πάντας: *incidẽtes in ludum litterarium (qui* MAXIMVS *ibi erat, & pueri etiam paullò antè ingreſſi) omnes interfecerunt.* Sed hanc & alias vetuſtate, opinor, certè celebritate & gloriâ, *Athenæ* ſuperarunt. de quibus Iuſtinus: *Litteræ ac facundia, & hic ciuilis ordo diſciplinæ, velut* TEMPLVM *Athenas habent.* Adeóque ſuper reliquam Græciam fuerunt, vt Philo ſcitè ſcripſerit: Ὅπερ ἐν ὀφθαλμῷ κόρη, ἐν ψυχῇ λογισμός, τοῦτ' ἐν Ἑλλάδι Ἀθῆναι: *Quod pupilla in oculo, in animâ mens ſiue ratio, hoc in Græciâ Athenæ.* Atque alius breuiter, Ἑλλάδος Ἑλλάδα, *Græciæ Græciam*, eas dixit. Hanc vltrà laudare aut deſcribere, ſit Soli lucem dare: fatum eius deplorandum eſt, quòd iam tum *Syneſij* tempore (ſub Arcadio & Honorio vixit) *nil niſi mellis fere opifices illic agerent*, bonâ omni arte in exſilium pulsâ. *Epi. cxxxvi.* Nunc autem vicus eſt, & paucula etiam domus. Poſt Athenas, *Rhodus* in famâ & frequentiâ maximè fuit: & celebres in Aſiâ vrbes, *Epheſus*, *Tarſus*, *Mitylene*, & quas longum ſit numerare. In Italiam venio, atque ibi ſtatim *Thurij* occurrunt, quorum legiſlator magnus ille *Charondas*, inter alia ſciuit, τῶν πολιτῶν τοὺς υἱεῖς ἅπαντας μανθάνειν τὰ γράμματα: *Ciuium* OMNES *filios diſcere litteras.* *Diod. lib. xii.* Et quia videbat fore, vt pauperes inopia fortaſſe non poſſent; amplius ſtatuit, *vt è publico ciuitatis ærario honoraria præceptoribus ſoluerentur.* Digna lectu, quæ in laudem eius inſtituti Diodorus prudenter adiungit. Occurit in eâdem Italiâ *Heraclea*, *Metapontus*, & *Croto*; vbi Pythagoras etiam ille (ait Liuius) *cœtus habuit iuuenum, æmulantium ſtu-*

dia

dia doctrinæ. Iam in Italiâ interiore *Faliſcis* fuerunt, & nota eorum Schola perfidiâ magiſtri, & generoſo Camilli facto. Nec longè *Gabijs*: quò, vt ad publicum ludum, ablegatos Romulum & Remum Dionyſius ac Plutarchus faciunt, ibique *inſtitutos Græcanicis litteris, item muſicâ, & tractatione armorum.* Quid *Tuſculi*? Liuius apertè, in Dictatoris Romani ingreſſu, *ludos litterarum ſtrepuiſſe diſcentium vocibus.* Sed ipſa iam *Roma* me vocat, illæ Athenæ, vt ſic dicam, noſtri Occidentis. Ea enim vrbs, poſtquam ipſa litteras accepit, ſtatim vnà cum imperio diffudit & ſparſit in has omnes terras. Accepit autem paullò poſt Punicum primum bellum; cùm *L. Liuius poeta docere fabulas Romæ cœpit:* & ſub idem tempus *ludum aperire, ac mercede Grammaticam docere Sp. Caruilius, qui libertus Sp. Caruilij erat, eius qui primus Romæ ab vxore diuertit.* Ita palàm Plutarchus in Romanis Quæſtionibus, & Caruilij huius æuum (ex Agellio, Valerio, alijs) eſt quale iam dixi. Tamen Suetonius in hæc pugnare videtur: qui libello *De Grammaticis*, vbi in ætatem eorum inquirit, *Primus,* inquit, *quantum opinamur, Grammaticæ ſtudium in vrbem intulit Crates Mallotes, qui miſſus ad Senatum ab Attalo Rege, inter ſecundum ac tertium bellum Punicum, ſub ipſam Ennij mortem.* Pugnare, inquam: ſed *opinari ſe*, dicit, ſignificàtque alios aliter tradidiſſe. Id quidem eius æuum *ſexaginta* ampliùs annis poſterius ſit: nec mihi perſuadeat Suetonius, cùm & *Næuius* fabulas diu antè dederit, & verſus ſcripſerit *Ennius*: & probabile, cùm fructus iam eſſent, inſtitutores, &, liceat, ita dicere, cultores fuiſſe. Minùs à priore ſententiâ *Licinius Porcius* abit, cuius hi verſus:

Agellius lib. XVII. Noct. cap. vlt.

B

Punico bello ſecundo, Muſa pennato gradu,
Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem feram.

Significat celeri paſſu, & velut curſu, Muſam & litteras tunc ingreſſas: & ita fuit. A V D. Quid ergo? non iam antè Romæ ludos palàm Liuius agnoſcit, vbi de Virginiâ? *Virgini*, inquit, *venienti in forum (ibi namque in tabernis litterarum ludi erant) miniſter Decemuiri manum iniecit.* Idem Dionyſius: & ſuprà, loca à te laudata. L I P S. Ludi fuêre, ſed litterarij, id eſt in quibus legere & ſcribere, nec vltrà, docebantur. Ij doctores, *Grammatiſtæ* Græcis dicuntur, nobis *Litteratores*: at *Grammatici* nomen honeſtius, & plura complectitur, & Poëtas atque Hiſtoricos illuſtrat & docet. Ij Latinè *Litterati* appellabantur. Qui ſtatim ſub bellum Punicum ſecundum Romæ ſic increuerunt, vt *temporibus quibuſdam* (verba Suetonij) *ſuper viginti Grammaticorum celebres Scholæ fuiſſe in vrbe tradantur.* Addit, *ne clariſſimos quidem viros abſtinuiſſe, quò minus & ipſi aliquid de eâ arte ſcriberent.* Neque longè pòſt *Rhetores* & *Philoſophi* Romæ: denique omne genus doctrinæ, quod ingenuum hominem deceret. A V D. Iterùm de Rhetoribus ambigo. nam in Chronico Euſebiano disertè: *Primus Quinctilianus publicam Scholam Romæ, & ſalarium è fiſco accepit:* idque in æuo Domitiani. L I P S. Quid velit Euſebius, non planè ſcio. ſi de *publicâ Scholâ*, id eſt in quâ publicè doceretur; errat, & Suetonius reuincit, qui de *Epidio Rhetore: Ludum docendi aperuit, docuitque inter ceteros M. Antonium, & Auguſtum.* Idem in pluribus alijs certum verúmque eſt, publicè docuiſſe: vel ipſum Suetonium in *claris Rhetoribus* vide. Sed hoc opinor Euſebium voluiſſe, quòd publicè data ei Schola fuerit, itémque ſalarium: at alij priuatim alibi ludum aperiebant, & mercedes à diſcipulis capiebant. Sanè *Veſpaſianus* (vt idem Suetonius de illo) *primus è fiſco Latinis Græciſque Rhetoribus annua * centena conſtituit.* Atque inter iſtos primos, potuit Quinctilianus eſſe. Hono-

C

Lib. III.

D

E

Cap XVIII.

* Bis mille & quingenti Philipp.

A

rem quidem *Iulius Cæſar* diu antè habuerat: ſed honorem atque is (iterùm Suetonius) *omnes medicinam Romæ profeſſos, & liberalium artium doctores, ciuitate donauit.* Ciuitate, ſed non ſtipendio: obſeruate. Primus ergo Veſpaſianus, ſed Rhetoribus: addidit *Philoſophos* M. Antonius Pius, & liberalitatem etiam per prouincias diffudit. *Rhetoribus & Philoſophis*, ait Capitolinus, *per* OMNES PROVINCIAS, *& honores & ſalaria conſtituit.* Quæ ſalaria prouincialia (nam in vrbe Veſpaſiani ſtatutum fortaſſe tenuit) fuiſſe *ſexcentos Rom. aureos*, ſiue Latinè efferendo, * *ſexagena ſeſtertia*, obſeruauit doctiſſimus Caſaubonus è Tatiano. qui philoſophos auaritiæ increpans, *tantum*, inquit, *à contemptu opum abſunt*, ὥστε καὶ τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως ἐτησίους χρυσοῦς ἑξακοσίους λαμβάνειν τινάς: *vt à Romano Imperatore quidam illorum ad ſexcentos annuos aureos accipiant.* Quidam, neque opinor omnes: & Luciani notabilis locus eſt, qui huc facit. In *Eunucho*, vbi Philoſophos ſolens ſugillat, ait obiiſſe diem aliquem ex Peripateticis doctoribus, in cuius locum alij (inter eos Eunuchus quidam) ſubrogari contendebât. Nec immeritò, inquit. *nam ſtipendium grande ab Imperatore conſtitutum erat ſingulis Philoſophorum generibus*: & quod illud? *decem millia drachmarum in ſingulos annos* Ecce, minus illo quod è Tatiano dictum eſt: & ſunt hæc ſaltem Romano ſermone, * *quadragena ſeſtertia.* Variaſſe igitur videntur, & certum eſt: ſiue ab ingenio Principum, ſiue à meritis doctorum. Inter quos ſiquis excellens, longè amplius ſanè, ſed extra ordinem, capiebat. Tale de Eumenio, qui vel * *ſexcenta* videtur tuliſſe. Ipſe in *Oratione pro Scholis* profitetur, *ſalarium ſe accipere à liberaliſſimis * Principibus, in ſexcentis millibus nummûm.* Et ea dictio ac ſcriptio ter iteratur, in vetuſtis etiam libris. Cur diffidimus, aut reſcribimus? Laudat *liberalitatem* Principum: & ipſe antè in dignitate Palatinâ, & *Magiſter memoriæ* fuerat; atque extra ordinem electus Scholæ huic inſtaurandæ, cur non plus aliquid, imò largiter, acceperit? Alij tamen *ſexagena* hîc reſcribunt (quem dixi, Caſaubonus:) alij ad vnā donationem referunt, Eumenio ipſo (qui *Salarium* appellat) abnuēre. Vtcūque hoc habuit, olim iis honores & præmia: atque illud ab *Hadriano* benigniſſimè, quòd *Doctores, qui profeſſioni ſuæ inhabiles videbantur* (æuo, aut morbo) *ditatos honoratóſque à profeſſione dimiſit.* O bonum factum! & cur non, vt militibus, emerita ſua iis eſſent? Manſerunt ſtipendia iſta ad Symmachi æuum (*Valentiniani, Theodoſij, Arcadij* Principum:) cùm rebus labentibus, artiúmque etiam contemptu, *Romanæ iuuentutis magiſtris*, inquit, *detracta ſunt ſubſidia ſollennis alimoniæ.* Quæ tamen poſteà reſtituta dicas: certè ſub *Athalarico* Gothorum rege habuerūt, cuius pulcherrima & digna legi epiſtola eſt apud Caſſiodorum, iubentis *ſine deductione ea ſolui, & ſemeſtribus etiam ſingulis.* O Gothos iam non barbaros! & alia multa laudabilia eorum tunc legas.

Iul. cap. XLII.

* Nobis mille quingenti Philippi.

B

* Mille Philipp. ici.

C

* Quindecim millia Philipp.

* Dioclet. & Maximiano.

D

Sym. lib. V. Epiſt. XXXIII.

Lib. IX Epi. XXI.

E

CAP. VIII.

Idem in Prouinciis, & Galliâ noſtrâ: nec tamen eadem planè cum hodiernis Scholis facies.

ROMÆ igitur iſta: ſed ſtatim à capite in reliqua imperij membra hæc cura & amor diffuſa. Ecce in Hiſpaniâ, quæ inter primas Prouinciarum adita & intrata Romanis, probabile *Emporiis, Rhoda, & Sagunti* fortaſſe fuiſſe: quæ opida Græcanicæ originis, cur nō inſtituta & artes habuerint Græcorum? Et vt

non ibi, certè *Oſca* (quæ duplex fuit, in Tarracouenſi & Bæticâ: ſed hanc ego Bæticæ accipiam) *Oſca*, inquam, *ludum publicum Græcis Latiniſque litteris Sertorius*, aoimoſus ille exſul, *aperuit, & Hiſpanorum eò nobiliſſimos liberos conduxit, ſaſtituit, ſtipendiis è publico datis*. Diſertè hoc ſactum eius Plutarchus prodit, & laudat: & quid ſacturum talem in pace autumemus, qui iſta in bello; quid Principem aut potentem, qui exſul concepit? At Suetonius etiam haoc diffuſiuoem indicat, & ad Galliam noſtram mox deriuat. *Tradunt*, inquit, *L. Apuleium* (Grammaticum) *ab Eſicio Caluino Equite R. prædiuite quadringenis annuis conductum ad docendum. Nam in prouincias quoque Grammatica penetrauerat, ac nonnulli de notiſſimis doctoribus peregrè docuerunt, maximè in Gallia Togatâ.* Apuleius ille inter primos Grammaticos fuit: & extra Romam alibi docuit, tali illâ mercede annuâ, quam corruptè legi tamen mihi eſt certum. Nam ſcribendum, *quadragenis*: qui ſunt ipſi *mille Philippei* noſtri. Alia ſumma exoibitat, & eſt equeſtris cenſus. Addit Suetonius in *Galliâ Togatâ* increbuiſſe: & verum eſt, ac pulcherrima ibi ingenia, *Catullus, Liuius, Plinij, Tacitus* noſter: ſed & *Mediolanum* ſcholam ſtatim apetuit, quæ grandis pro vrbe fuit. ad quam & *Diuus Auguſtinus* docendi cauſsâ euocatum ſe ſcribit, *impertitâ etiam publicâ euectione*: id eſt, curſu publico, & eius gratuitâ exhibitione. Iam in eâdem Galliâ, quis neſcit *Maſſiliam* fuiſſe, illam, vt Tacitus dixit, *ſtudiorum magiſtram*? Quis *Auguſtodunum, Burdigalam, Toloſam*? & locis pluribus *viguêre ſtudia*, ait Ammianus *laudabilium doctrinarum, incohata per Bardos, & Eubages, & Druidas*. Ad quos vltimos, ait Cæſar, *magnus adoleſcentium numerus concurrebat, diſciplinæ cauſsâ*. En, veſtigia vbique Academiarum, & ab antiquo: ſed ſæuitiâ temporum deinde, & barbarie inuadente, oppreſſa. adeò, vt laus hæc *Carolo Magno* ab Annalium ſcriptoribus iure tribuatur, vindicaſſe doctrinam, & litteras in Galliam poſtliminio reduxiſſe. Ille enim *iterùm à Româ artis Grammaticæ, & Computatoriæ, magiſtros ſecum adduxit in Franciam, & vbique ſtudium litterarum expandere iuſſit. Ante ipſum enim Dominum regem Carolum, in Galliâ nullum ſtudium fuerat liberalium artium.* Ab illo auctore Pariſienſis Schola, mater pænè dicam ceterarū: etſi *Bononia* antiquior eſſe iactat, & à *Theodoſio* Imp. ſed documentis parùm certis. Et loquor iam de Scholis, in hunc ferè noſtrum morem diſpoſitis & ordinatis. Quæ incredibile eſt, quàm in Germaniâ pullulauerint: & illa regio, in quâ, Taciti etiā ætate, *litterarum ſecreta viri pariter ac fœminæ ignorabant*, pænè plures nunc Academias habet, quàm reliqua Europa vniuerſa. Sed ſatis ſit huius excurſus: & de hodiernis Academiis ſeorſim etiam libri exſtant: eos videre. A v o. Exſtant: ſed in formâ & ordine an veteres illæ cum noſtris conuenerint, nondum à te dictum. L I P S. Scilicet non conueniſſe. Illæ Eloquentiam & Philoſophiam, duo præcipua ſtudia habebant: noſtræ Theologiam, Iuriſprudentiam, Medicinam. Illæ doctores nullos, niſi à re & merito, ſciebant: noſtræ titulos & honores ſuos habent, ac donant. In diſcipulis etiam, Collegia aut alimenta nō video: niſi quòd obiter in *Alexādri Seueri* vitâ apud Lampridiū, *Doctoribus auditoria & ſalaria decreuiſſe, & diſcipulos cum annonis, pauperū filios, modò ingenuos, dari iuſſit*. Sanè ibi annonæ & alimēta pauperū ſunt, ſed neſcio an poſt ipſum (imò non puto) diuturna. Fuit & Alexādriæ *Muſeum*, ſed viris doctis inſtitutum: pulcherrimo inuento, & quod dilaudaui ac propoſui in libello *De Bibliothecis*. At cui bono? pauci legunt, pauciores attendunt: & mihi credite, pigere incipit ſalutarium monitorum, quæ ſuggerimus, quo, niſi conſcientiæ, fructu? Neglectus optimarum rerum eſt, imò contemptus: & breui de bonis honeſtiſque licebit dicere, *Vixerunt*.

Lib v. Confeſſ. cap. xiii.

Annales à Pythœo editi.

CAP. IX.

Loca ſuburbana percurſa, & deſcripta, id eſt tria Cœnobia.

SEd finem denique ſermoni noſtro imponamus: nec vos vltrà abducere, rogo quæſoque. Nam ad plenam vrbis deſcriptionem ſuburbana dumtaxat iſta loca pertinent, quæ breuiter perſtringam. Eſt *Bancum* illud, quod videtis ad læuam, ipsâ viâ Bruxellenſi, teli iactu à portâ. Cœnobium Virginum eſt, Ordinis *D. Auguſtini*: & auctorem habet *Henricum Primum* Ducem, cuius Diploma aſſeruant, datum anno ∞.c.xcvii Inter alia, peculiari inſtituto, obligantur iudicare de Leproſis: & iudicatos recipere atque alere, qui ſunt quidem Louanienſes aut Heuerleenſes. Numerum nouenarium non excedunt, & promiſit Dux *Ioannes* non vltrà ſe nominaturum, anno ∞.c c c c. x x i i. Princeps nouus, priuſquam Louanium intret, illîc quoque iuramentum ad altare *S. Georgij* ſolet edere, & precibus nuncupatis, dono aliquo honeſtare. Vlteriùs *Fliederbeka* eſt, cui vicini iam fuimus, Ordinis *D. Benedicti* cœnobium, quod auctorem præfert *Godefridum Primum* Ducem anno ∞. c. xxv. Filia &, vt ſic dicam, tradux eſt Cœnobij *Affligenienſis*, quod è ſuis quoſdam miſit, formandæ diſciplinæ. Extremis his temporibus Oeconomiæ laude non floruit: acceſſit & à bellis calamitas, & denique (ruinas vidiſtis) pulcherrima ædificia pleraque & templum ipſum ignis abſumpſit. Nunc in vrbe agunt, & præeſt *Abbatis* titulo *Libertus Chalonias*, vir genere nobili, idémque cum probitate & modeſtia induſtrius: & conatus attollere, Deus vires & ſucceſſum donet. Iam è regione hîc noſtri *Parcum* videtis, item cœnobium, ſed Ordinis Præmonſtratenſis. Nomen habet ab ipsâ re & vſu, quem antè præbuit. fuit enim *Viuarium*, ſiue locus clauſus, alendis feris ad delectationem Principum, quod genus *Parcos* noſtri & finitimi dicunt. *Godefridus* ille idem, quem dixi, paullò poſt *Fliederbekam* inſtituit, & locum hunc ad meliores vſus, vt ipſe in Diplomate fatetur, vertit. Vocauit eò ab vrbe Lauduno Galliæ *Præmonſtratenſes*, quorum celebris tunc pietas & eruditio: & operam egregiam Antuerpiæ, atque alibi, nauauerant contra *Tanchelinum* hæreticum, qui venena opinionum variè in Belgicâ ſpargebat. Factum anno ∞. c. xxix. quinque circiter annis ante mortem ipſius *Norberti, Magdaburgenſis Archiepiſcopi*, qui Ordinem hunc Præmonſtratenſem inſtituit, condidítque. Abbas primus fuit *Simon* quidam: & ab eo *viginti tres* alij, vſque ad *Theodericum Tuldelium*, qui mitræ geſtandæ ius à Pontifice impetrauit. Vir hic non pius ſolùm, ſed prudens fuiſſe legitur, multa in amplificationem loci feciſſe: atque idem carus *Carolo Audaci*, & mox *Maximiliano Auſtrio*, Principibus noſtris, & conſiliis eorum immixtus. Succeſsêre alij ad hoc æui circiter triginta: & plerique omnes, diuino quodam beneficio, laudabiles, legum & diſciplinæ tenaces, in œconomia etiam boni. Præeſt nunc *Ioannes Drutius*, ab iiſdem aliiſque laudibus æſtimandus. Amœnus hic locus eſt, ſiluâ, piſcinis, riuo, pratis delectabilis: & ſtudioſos ſæpè ad ſe trahit.

CAPVT

CAP. X.

Heuerléa breuiter laudata, & luſtrata.


SED quàm magis *Heuerléa* iſta, quæ nunc ſe aperit, & pergentibus pulchrâ facie occurrit? O videam, & fruar te, noſtræ deliciæ! ô inſiſtamus, & fixo pede atque oculo, pænè dicam oſculo, libemus! Hæc eſt *Heuerléa* olim dicta, *Heuriam* nunc compendio vel mutilatione appellant: & *Dominium* ſine Toparchia, non *Baronatus*, vt nunc titulus eſt, fuit. Sed potens ſatis Dominium, & *Berthemium*, *Egenhouium*, *Siluam-Merdabam*, *Altam-Heuerléam*, aliaque finitima, ad ipſas vrbis portas habuit ſubiecta. Domini ſe inſcribebant, *Cubicularios Ducis Brabantiæ*: habuitque veteri ſtemmate & propagine proprios ſuos, vſque ad *Ranzonem Grauium*, *Henrici* generum, quo defuncto, emit *Antonius Croyus*, inter prudentes & opulentos Principes cenſendus, & qui magnâ apud *Philippum Burgundum* gratiâ, valdè familiæ ſuæ decus ſtabiliuit vel auxit. Ille enim & *Comitatum Bellimontanum*, cum opido; item *Cerniam*, egregia ſanè membra, adiunxit. Obiit ipſe anno ∞. CCCC. LXXVII. At in *Baronatum* Heuerléa poſteà tranſiit, cùm *Philippus Croyus* primus *Dux Areſcotanus* eſt inſtitutus. Sed prima igitur emptio ab *Antonio*; ornatus & cultus deinde, à *Guilielmo Croyo*: quod clarum apud nos nomen eſſe ſcitis, & meritis ſuis illuſtre. Ille eſt, qui pro *Carolo Quinto*, poſteà Auguſto, in ſacro fonte ſpopondit; ille, qui eiuſdem iuuentæ rector & moderator datus; ille, qui Hiſpaniis præfuit; ille, qui pace & bello omnia apud magnum hunc Cæſarem fuit. Prudentiâ & virtute inſignis, ſed & felicitate notabilis, quòd ad extremum vitæ æquabili gratiâ vel auctoritate viguit: neque vel alienus liuor, aut Principis frigus, minuit vel detraxit. Itaque magnas opes vel relictas à maioribus, vel partas à ſe habuit: ſed neque iis, neque potentiâ, niſi in

A publicum bonum velt ornatum vſus, hîc atque alibi egregia monumenta eliquit, alter *M. Agrippa*, vt eum adſimili viro componam. Cùm enim liberos non haberet, etſi in iuuenili & nobili coniugio *Mariæ Magdalenæ Hamalia*; multa ſibi ſuiſque ſtruxit, plura Deo, & in vſum religionis aut ſacrorum. Alia nunc omitto, ſed ab eo ecce pulcherrima hæc Arx, etſi opere (mors enim interuênit) imperfecto: ab eo templum & cœnobium hoc amplû Cæleſtinorum, quod vxor perfecit. Nam obiit, dum curis publicis intêdit, in Germaniæ *VVormatiâ*, menſe Maio, anno ∞. I Ɔ. XXI. cuius defuncti corpus relatum, * *Areſcoti* primò ſepultum eſt, mox in hoc templo, chori medio, vbi & monumentum ſuperbum & titulos eſt videre. In latere etiam ad parietem, veram eius in tabellâ effigiem. Neque defuncto amorem & ho-
B norem *Carolus* noſter non exhibuit: imò ipſe exſequiis interfuit, & raro in Cæſaribus exemplo, funus deduxit & honeſtauit. Ille igitur auctor præcipuorum operum: ſed ecce Ill^mus & Excell^mus qui nunc præeſt, *Carolus* primus *Dux Croyus*, & quartus *Areſchotanus*, immane quantum auxit & ornauit. Deus bone, quot ille opera ſtruxit, quæ apparent, & non apparent? multa enim terrâ conduntur: & valles ſuſtulit, & montes deduxit; & quidquid hîc viarû, arborû, ſepium, fontium, viridariorum, hortorum eſt, illi auctori inſcribendû. Omitto ædificia quæ fecit, cœpit, aut concepit: quibus perfectis, credite, non erit in Europâ prætorium quod iure ſe anteponat. Quò maximè facit facies ipſa loci, à Deo & naturâ ſic amœna. Ecce inter modicè decliues colles Arx
C iacet; flumen Dilia prætercurrit à fronte; à tergo *Fura* riuus; tum prata, agri, ſiluæ, pulcherrimo adſpectu recreant animum & diffundunt. Quid fontes, vias, & manu facta, aut facienda dicam? Quin videte in hac Tabulâ & diſcite: quam ipſe ille Princeps delineari iuſſit; & eſt expreſſa tota *Heuerléa*, qualis eſt, aut qualem mente deformauit. Videte.

* C… locu… *Mar*… nata… tolli… ueta…



1. Porta opidi, quæ Heuerleënſis dicitur, quia huc ducit
2. Porta noua quæ Baronatum Heuerlée à ditione Louanienſi ſeparat.
3. Pulcherrima Via, quæ ab ipſo opido, recto limite, aduſque ſiluulam & fontium receptaculũ, ſiue caſtellum aquarum, ducit. Longa eſt paullò minùs mille paſſus, lata pedes XL. ad libellam æquabilis, & inter montes aut colles, altos alibi ad viginti pedes, depreſſa & complanata. Margines ſepibus viuis clauduntur in, parte muris: tilijs arboribus adſitis vtrimque obumbratur. Egregium, & regium opus. Vt verbo dicamus.
4. Parcum ſiue Viuarium, quod feris eſt deſtinatum.
5. Via, Wauriam municipium verſus.
6. Riuus, qui à Parcenſi Cænobio in Diliam manat.
7. Piſcinæ, numero ſeptem, ſuaui aſpectu & opportuno ſitu. interdecliues agros, & veſtitos arboretis colles
8. Silua Heuerleënſis, magna, venatibus apta.
9. Domus & receptaculum Venatorum.
10 Area ſubiecta, itemque riuus & piſcinæ.
11. Silua Merdalienſis, lata, diffuſa.
12. Dilia flumen.
13 Prata adſita.
14. Furt riuus, cuius curſum in præcipuâ parte opus & manus direxit: eumdem per prata deriuauit, piſcibus aut piſciculis receptaculum & cuſtodiam.
15. Agri arui, & prata.
16. Hortus pomorum.
17. Limes ad flumen, nucetis alibi conſitus.
18. Templum Parochiale Heuerléa, antiquum.
19. Agri arui,
20. Viuarium cuniculis aut lepuſculis, itemq; Columbarium.
21. Domus in vſum nobilium domeſticorum, itemque aduentorum
22. Vi[illegible] ad Siluam Heuerleënſem tendit
23. Are[illegible]nte Equile.
24. Ipſum Equile, & area interior.
25. Area ante Arcem, lata & pulcherrima, vtrimque arboribus, ambulacris & xyſtis clauſa.
26. Tiliæ arbores diſpoſitæ.
27. Hortus prunorum, perſicorum. & id genus.
28. Hortus florum, cum ſuis flexibus & labyrinthis.
29. Fons, qui alte ſubſtiliẽs marmoreo labro duplici excipitur.
30. Pergulæ, topiario opere, grandes occultæ aquæ aut ſiphones in ijs, qui ingredientes fallunt & inundant: monticuli item ſiue rupes è topho, ſilice, teſtis conchiſque marinis, miran—



ſtâ arte Vertebrâ motâ molæ mouent, auiculæ cantant, aqua ad- ſtantes ſpargit: alia, cum oblectatione miranda.

31. *Fons publici vſus.*
32. *Hortus ceraſorum, varij generis.*
33. *Via arboribus limitata ad Cœnobium.*
34. *Hortus holerum, & herbarum edulium.*
35. *Fons in ſcitum è marmore & tali vaſto labro.*
36. *Pergulæ, Labyrinthus, & fons.*
37. *Via & arbores adſitæ, iuxta flumen.*
38. *Idem ante Cœnobium.*
39. *Templum, & cœnobij multiplex ædificium: in quo Vi- gintiquatuor religioſos eſſe oporteat, ex lege & ſtito teſtatoris. ſed iniuria temporum, itemque hominum incuria, diminuerunt.*
40. *Hortus religioſorum.*
41. *Area Cœnobij.*
42. *Collegium, quod deſtinatum, vt parua Academia Lectio- nibus aut diſſertationibus, in gratiam Principis & aduentorum.*
43. *Hortus Cœnobij.*
44. *Aula inferior Cœnobij, & piſcinæ.*
45. *Hortus pirorum Cœnobij.*
46. *Agri arui.*
47. *Prata.*
48. *Agri arui.*
49. *Parcum, ſiue locus clauſus in ſiluâ ad feras.*
50. *Arboreta, fons primarius & ſcaturigo, item piſcinæ.*
51. *Arx ipſa, domicilium Principis: ſuperbum opus, ſi per- fectum.*
52. *Fons in eâ pulcherrimus, altè ſaliens, & labris marmoreis exceptus; ſtatuis ornatus.*
53. *Foſſa circum arcem, latæ, profundæ, nitidâ aquâ plenæ.*
54. *Hortus voluptatis.*
55. *Molendinum duplex: frumentis frangendis. & ſecandis lignis.*
56. *Venatorum domus, & Falconariorum.*
57. *Area pone Arcem.*
58. *Prata.*
59. *Foſſæ minores, vel Elices è riuo Furâ.*
60. *Via & adſitæ arbores, itemque ſepes.*
61. *Agri arui.*
62. *Communes agri.*
63. *Via, quæ Bauoum cœnobium ducit.*
64. *Ipſum Bauoum.*
65. *Via regia, quâ Bruxellam itur veniturque.*
66. *Porta Bruxellenſis.*

A Satis vidiſtis, imò non ſatis (quis enim faſtidiat?) locum amœnitati & Muſis factum. Has addo, quia ipſe Ill^mus Princeps impendia ſua & curas eò confert. Deus donet perficere, donet ipſum & ex eo poſteros ſui. En & Epigrammatium quod olim luſi

IN HEVERLEAM.

MÆSTA ô Belgica noſtra, tolle vultus,
Tolle, & lumine lætiore luſtra
Magni PRINCIPIS *hoc opus, ſacratum*
MVSIS ET VENERI, *& venuſtiorum*
B *Quidquid eſt hominum. ſuperba gaude*
His adaucta Palatiis & Hortis,
Hiſce Fontibus, hiſce & Arboretis,
Xyſtis, Limitibúſque, & Ambulacris.
O diſpar facies vetuſtiori!
Antè ſcabra loca hæc, & abſque cultu
Horrida, ardua, iniqua, ſabuloſa:
Nunc quàm ſplendida, quàm polita rident?
Ades GRÆCIA *tu vetus, vetúſque*
C *Ades* ROMA: *mea, ecce,* BELGICA *audet*
Se conferre, an & auſit anteferre?

Sed iam pedem in portam ponimus: benè eſt, venite rectà ad ædes meas, prandebimus vnà, & miſcebimus alios ſermones. Quid ſubducitis? tu, inquam, *Rubens*, tu *Santene*, tu *Vvvene*, tu *Del-Plani*.

Lubet ſubtexere hunc SCAZONTEM, quem ſuper inclinatione Vrbis ſcripſi.

LOVANIVM loquitur.

VRBS vrbium fuiſſe glorior quondam,
Lumen decúſque Belgica, & caput regni
Quod à Lothario inclytum trahit nomen.
Quàm lata muris, & frequens fui tectis?
Quàm denſa ciue? ſicut æther hic ſtellis.
Nam multi honeſti & nobiles ſuam ſedem
Iſtîc habere, multa plebs ſuam ſedem.
Vulgus Mineruæ factum & æmulum, lanam
Tractabat & texebat, exteris mercem.
Quid nobiles? ferocis ij magis Martis
Pulli audiebant, bella & arma poſcebant.
Meus ille ciuis (credet hoc ſequens æuum?)
Domi foriſq; claritudinem & nomen
A Marte peperit: ille adoreas crebras
Eques pedéſque patriæ tulit terræ.
Germanus hunc miratus, acer & Gallus,
Pugnax ſimul Britannus. & quid hæc iacto?
Hunc Aſia vidit terra, vidit Aegyptus;
Et axe vidit altero ferox Lituo,
Itémque Lithuanus, & Scytha, & Moſcus.
Sunt vera, & hæc fuiſſe glorior quondam;
Sed heu, fuiſſe: iam quid eſſe me dicam?
Ludibrium ſtatus prioris & fati,
Vmbrámque ſomniúmque floris antiqui.
Huc me redegit contumacia, & fœda
Seditio, ab impotente plebe concita
Semel iterúmque. quod luit quidem magno
Suo ipſa damno, pulſa, cæſa, & afflicta:
Sed & ego ſenſi. ſolitudo nam vaſta
Mox inſecuta: quam fugare dum Princeps
Parat Ioannes, *nobile hîc Athenæum*
Inſtituit: & res hæc habere ſucceſſum
Iam cœperat, iam cœperámque florere,
Cùm ciuica, ecce, bella, triſtia heu bella,
Iterùm dederunt infrequentiam priſcam.
Heu fata rerum! abite, & alta ſpirate:
En illa cecidi ego alta, nec caput tollo
Lumen decúſque Belgicæ, & caput quondam.

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI.

CAP. I.

OCCASIO *ſermonis, & in rem preparatio.* Pag. 850.a

CAP. II.

De auo & nomine Louanÿ, reiecta opinationes leues, aut fabella. 852.a

CAP. III.

Conditus opidi ad Normannica tempora relatus: & de iis igitur prædictum, & immani tunc vaſtitate. ibid.b,2

CAP. IIII.

Louanÿ Normanni fuerunt, ſederunt, & grani ibi prælio attriti, aut deleti. 852.d

CAP. V.

Diei eius lætitia, & nunc etiam memoria. Initium interioris opidi, & poſteà portarum è lapide, ac murorum. 853.d

CAP. VI.

De arce ſiue Burgo, non videri perantiquam: nec niſi Comitum domicilium fuiſſe. 854.c

CAP. VII.

Opidi exterioris initium, mœnium operoſitas & magnitudo. ibid.b,2

CAP. VIII.

Nomen Louanÿ paullò vetuſtius, itémque Comitum, qui hîc loco fuerunt. Aliquid de Lotharingiá præmiſſum. 855.b

CAP. IX.

Reges & mox Duces Lotharingiæ, itémque Archiduces: Comites noſtri in hac parte, & ſtirpe. ibid.c,2

CAP. X.

Comites hîc perpetui: & de Carolo Duce dictum, à quo noſtra magnitudo. 856.b,2

CAP. XI.

Lambertus Comes, aliique ex ordine, ad Godefridum primum Ducem. 857.c

CAP. XII.

De Marchionatu Rienſi, quis ille, & quando acceſſerit. 858.b

CAP. XIII.

Idem in Brabantiâ quæſitum: qualis, & vbi ea? 859.c

LIBRI SECVNDI.

CAP. I.

Dignitas Ducum Brabantiæ, atque opidi Louanÿ: Cuius nomen in titulis prævaluit. Eaipſa caput Lotharingiæ. 860.a

CAP. II.

Frequentia olim Louanÿ, & incolentium mira multitudo. 861.d

CAP. III.

Nobilitatem multam fuiſſe, in ſeptem familias diuiſam: eiúſque origo quæſita. ibid.c,2

CAP. IIII.

De hominibus S. Petri, qui item nobilitatis ius habent. Origo & honores. 862.b

CAP. V.

Plebs olim in militiâ: & hoc fine exercitia, & Gilda. Tum de Lanificio. ibid.c,2

CAP. VI.

Opes Louanienſium, vt illo æuo, notabiles: & pauca exempla. 863.c

CAP. VII.

Pietas & Probitas Louanienſium. ibid.d,2

CAP. VIII.

Facta militaria eorum, & expeditiones pro religione. Virtus Guilielmi Rhodÿ. 864.b

CAP. IX.

Facta alia militaria, & virtus in præcipuis prælüs. 865.a,2

CAP. X.

Labes vrbis, & in eâ ſeditiones. Prima leuior, ſecunda grauiſſima, Conterelliana: eáque accuratè deſcripta. 867.a

CAP. XI.

Seditio tertia, & diro facinore horrenda. 868.c

CAP. XII.

Seditio quarta, & vltima, cum motu minîſque magis quàm præſenti noxâ. 869.b

CAP. XIII.

De arce Keſſelſteiniâ aliquid: tum Eiconiſmus vrbis. ibid.a,2

CAP. XIV.

De incendiis in hac vrbe. tum de æde D. Petri,

eius Canonicis,& Præpoſita. Denique de turre. 870.a

CAP. XV.

Reliqua Parochia, & earum aunm percurſum:& ſiquid notandum. ibid.a,2

CAP. XVI.

Virorum Cœnobia. 873.b

CAP. XVII.

Fœminarum Cœnobia,aut cætus. ibid.c,2

CAP. XVIII.

Profana aliquot loca. 874.c

LIBRI TERTII.

CAP. I.

Initium Louanienſis Academiæ,& hic conditæ cauſſa. 875.a

CAP. II.

Martinus Quintus approbauit. Natalis Academiæ,& Lectionum. 876.a

CAP. III.

Regimen Academiæ, Rector, Conſeruator, Promotor, Senatus obiter & de Cancellario. ibid.c

CAP. IV.

Halæ noſtræ,ſiue Scholæ publicæ: item Pædagogia, & Collegium trilingue. 877.b

CAP. V.

Collegia alenda iuuentuti, Theologiæ, Iuris, miſcella. ibid.a,2

CAP. VI.

Vetus Academiarum ſpecimen in Oriente, itémque Aethiopiâ, Africâ, Nouo orbe. ibid.c,2

CAP. VII.

Idem in Græciâ, Aſiâ, Italiâ,& Romæ. 878.b,2

CAP. VIII.

Idem in prouinciis,& Galliâ noſtrâ: nec tamen eadem planè cum hodiernis Scholis facies. 879.c,2

CAP. IX.

Loca ſuburbana percurſa,& deſcripta, id eſt tria Cœnobia. 880.a,2

CAP. X.

Heuerléa breuiter laudata,& luſtrata. 881.a

APPROBATIO.

Hoc Iuſti Lipſij Hiſtoriographi ac Profeſſoris Regij de Louanio ſcriptum ſi emittatur in lucem, poſterioris æui hiſtoriis multam adferet lucem. Datum Louanij, 28. Septemb. 1605.

Guilielmus Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus & Archiducalis librorum Cenſor.

IVSTI LIPSI

DE BIBLIOTHECIS SYNTAGMA.

Editio ſecunda, & ab vltimâ Auctoris manu.

ILL.^MO ET EXCELL.^MO

PRINCIPI CAROLO, DVCI CROIIO

ET ARSCHOTANO, PRINCIPI S. IMPERII, EQVITI AVREI VELLERIS.

HOC DE BIBLIOTHECIS quod ſcripſi, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, ipſum iſe ad te ambiebat, vix me mittente. Quis neſcit te eximium inter Belgij proceres eſſe, qui harum rerum elegantiâ & ſtudio capiatur? Itaque cùm alia artium veterum inſtruis & adornas, tum *Nummos* & *Bibliothecas* maximè: de quibus iſtis Commentarium hunc concepi & digeſsi, non voce ſed facto tuo incitatus. qui vidi quàm magnorum illorum Regum ſiue Heroum exempla, in conquirendis aut propagandis talibus, æmuleris & aſſequare. Aſſequare, inquam: quid mirum? omnia magna & ampla in te, aut iuxta te: quem Deus, Natura, Fortuna

Omnibus ornatum voluêre excellere rebus.

Stirpem tuam video? à regibus eſt. Opes? pænè regiæ. Animum? planè regius: & quid niſi altum ac magnificum illo concipis, factis promis? Ad longinqua non eo: vna HEVRIA tua, huic vbi in ore atque oculis, fidem facit, quàm nihil niſi ſtirpe, opibus, animo iſto dignum cogites ac patres. Quæ tua ibi opera? ingenio cum ingenio loci pugnas ac ſuperas, ardua in plana, hæc in ardua deducis: ſed omnia ad normam & decorem dirigis: alter, vt verbo dicam, BELGICVS LVCVLLVS. Non indignare, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, cum illo componi: verâ æſtimatione, inter raros magnóſque fuit: bellis victoriíſque in florente ætate celebris: & mox inclinante, ad quietem & ad ſe inclinauit, id eſt animum & ſtudia coluit, atque opes in præſentium ac poſterorum delectationem ſiue vſum impendit. Ab illo Bibliothecarum Romæ præcipuum exemplum; ab illo eruditi in ſermone, menſâ, domo habiti; ab illo denique Prætoria &

amœnitates ſtructæ, quæ & Principes rei Romanæ poſtea frui vtique æſtimarunt. Tu, inquam, noſter PRINCEPS imitans. Nam in caligine hac rerum temporúmque, patriæ & Regi opera laudabiliter nauatâ, copiis triumphíſque ductis; vergente iam æuo, portum hunc quietis & te reſpicis, & ab externis ad interna, id eſt verè bona, reducis. Inter varios autem ſeceſſus, HEVRIAM, Academiæ noſtræ hoc ſuburbanum, eligis: & eam magnificis, vt dixi, operibus, quid niſi in artium ingeniorúmque præcipuè vſum, adornas? Audeo dicere. tua illa ædificia, ambulacra, horti, fontes, arboreta, nobis ſtructa aut ſata: & non ſolùm qui nunc ſunt, fruuntur, id eſt tranſeunt, adeunt, ineunt: ſed & qui venturi, facient: venturi autem, vel huius oblectationis deinceps, non Louanij ſolius, cauſsâ. Omitto alia & interiora, quæ augendo vel ornando huic Athenæo cogitas: magnifica & te Principe digna, ſed in tempore magis promenda. O igitur curæ & quietis felicem! perſeuera. & iſtâ te, illâ nos paſce, cum æterno bono tuo ſimul & famâ. Nos certè, qui publicè loquimur aut ſcribimus, id eſt famæ quidam præcones, cælo tuum nomen feremus: ipſum te Deus inferet, iuſtus arbiter & munerator meritorum. Voueo ILLVSTRISSIME PRINCEPS,

æternùm tuus

I. LIPSIVS.

Louanij, XII. Kal. Iul. ∞. IↃCII.

AD

AD LECTOREM.

BREVE hoc De Bibliothecis, *id eſt libris, habes: quid nobis dignius, qui libros aſſiduè tractamus? Etſi reuera* * οὐδ' ὄναρ *hoc cogitaram, niſi me Principis viri, cui dicatum iuimus, in hac re ſtudium excitaſſet. Atque hos tales in bonis altiſque conſiliis confirmare aut & inflammare, optimo publico cenſeo equidem fieri. Quàm pauci magnatum ſe eò dant? quàm ad priſtinas ſordes & tenebras omnia videntur ire? Quàm etiam, ſpretis antiquis & veris, noua quadam hodie producunt doctrinarum! quibus illud iure dixeris:*

* Ὁδοῦ παρούσης τὴν ἀτραπὸν ζητεῖς.

Viderint. nos priſca adhæremus: & vtiliter ſæpè (ita confido) eruimus, digerimus, illuſtramus. Faue tu, bona mentis lector.

IVSTI LIPSI DE BIBLIOTHECIS SYNTAGMA.

CAPVT PRIMVM.

Bibliotheca, & Libraria, quid? Reges veteres habuiſſe, atque illos Ægypti.

A BIBLIOTHECA tria ſignificat, *Locum*, *Armarium*, *Libros*. Græca vox Latinis in vſum etiam venit, & quamquam *Librarium* dicunt, tamen magis eſt eâ voce tabernam capi, in quâ venales libri extiant. Sed Bibliothecarum res vetus, &, niſi fallor, cum ipſis litteris adinuenta. Nam ſimul ac ſcire & ſapere natum eſt, mox etiam ſcribere: & iſtud eſſe cum fructu non potuit, niſi vt libri adſeruarentur & diſponerentur, ad præſentium & poſterorum vſum. Priuata primùm ea cura, & quiſque ſibi ſuiſque ſtruebat: poſtmodũ Reges & Dynaſtæ vſurparunt, nec in vſum ſolùm, ſed ambitionem aut ſplendorem. Sanè multos congerere, vix fuit priuati B hominis aut cenſus: cùm tarda & impendioſa deſcriptio eſſet: donec vtiliſſima hæc Typographia rem in compendium miſit. Qui primus Regum illuſtrem habuit (quod memoria ſeruet) is fuit Oſymanduas, Ægypti. qui inter alia operum præclara, *Sacram Bibliothecam ſtruxit, & in eius fronte præſcripſit*, ψυχῆς ἰατρεῖον: ANIMI MEDICA OFFICINA. Ita Diodorus. & quamquam ille inter veteres Regum fuerit, non tamen dubito exemplum, ſi non ipſam rem, inâliſſe, & in Ægypto Bibliothecas ſemper aliquas exinde extitiſſe: idque in templis præcipuè, & ſacerdotum curâ. Multa argumento, tum & illud de Homero: quem Naucrates quidam plagij accuſat, & in Ægyptum cùm veniſſet, libros repperiſſe *Phantaſiæ fœminæ*, quæ Iliadem atque Vlyſſeam ſcripſerit, C *& Memphi in templo depoſuerit Vulcani*. Homerum igitur vidiſſe, ſibi adſcripſiſſe, & edidiſſe. Quæ in vito, opinor, falſa, rem tamen & morem firmant.

CAPVT II.

Alexandrina Bibliotheca, cui Philadelphus primus & præcipuus auctor. Varietas & numerus ibi librorum. Combuſta, & iterùm inſtaurata.

SED reliqua ibi in obſcuro ſunt, *Ptolomæi Philadelphi* Regis in magnâ luce & laude fuit. *Is Ptolomæi Lagi* filius, ſecũdus eo nomine & ſtirpe Ægypti regum: artium & ingeniorum cultor, & quod adhæret, librorum. Itaque Alexandriæ ingentem Bibliothecam compoſuit: inſtructione & exemplo Ariſtotelis adiutus, imò & ipſis eius libris. Nam Ariſtoteles, vt pòſt dicam, copiâ & delectu inſignem Bibliothecam adornauerat. de quâ Strabo: Ἀριστοτέλης πρῶτος, ὧν ἴσμεν, συναγαγὼν βιβλία, καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν: *Ariſtoteles primus, quos nouimus, collector librorum fuit, & reges in Ægypto docuit Bibliothecæ ſtructuram.* Quæ tamen cautè & cum ſua interpretatione legenda: nec enim vel *primus omnium* fuit, & certè æuo anterior, docere *Philadelphum* hunc non potuit, niſi, vt dixi, exemplo. Hoc fortaſſe verum, quod Athenæo ſcriptum: *Ariſtotelem, Theophraſto libros reliquiſſe, hũc Neleo. a quo eos mercatus Ptolomæus, cum iis quos Athenis & Rhodi coëmerat, omnes in pulchram Alexandriam transferri curauit.* Etſi alij tamen diſſentiunt, vt in loco dicam. Sed Bibliothecam igitur ille vndique, & omne genus libris, inſtruxit: etiam ſacris, & è Iudæâ petitis. Nam cùm aures eius fama tetigiſſet Hebrææ ſapientiæ, miſit qui libros depoſcerent, & idoneos ſimul homines conduxit, qui in Græcam linguam verterent, communi omnium vſui. Ea interpretatio eſt, quam *Septuaginta*, à numero ſcilicet qui operam dederunt, dicunt. Id eueniſſe anno eius regni XVII. Epiphanius tradidit, Olympiade CXXVII. Præerat Bibliothecæ vir ſcriptis & factis illuſtris, Demetrius Phalereus, exſul à ſuis Athenis: & quem rex benignè habitũ ad hæc & maiora miniſteria admouit. Idémque à Chaldæis, Ægyptiis, Romanis etiam libros petiuit, & pariter in linguam Græcam transfundi curauit. De quibus Georgium Cedrenum capio: *Philadelphus libros Sacros, Chaldaicos, Ægyptios, & Romanos, alióſque diuerſilingues in Græcam omnes cõuerti curauit, in vniuerſum ad centum millia voluminum: quæ omnia in bibliothecis ſuis Alexandriæ repoſuit.* Duo noto, & curam peregrinos libros vertendi, vtilem meo animo, & vobis PRINCIPTAVS etiamnunc vſurpandam: & numerum librorum, grandem ſatis, ſed non pro vero, ſi de vniuerſis capiamus. Quod abnuo, & Cedreni mentem de cõuerſis tantùm eſſe arbitror: atque ipſos primogenios Græcos, longè ſuperaſſe. Hoc alij ſcriptores dixerint, qui valdè adaugẽt. vt Seneca noſter: *Quadringenta millia librorum Alexãdriæ arſerunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum.* Sanè pulcherrimum, & ſupra gẽmas omnes vel aurum: ſed quãto pulchrius, ſi vberius? Nam nec is Se-

Margin notes: Lib. I. — Lib. I. — Depõder. & mẽſur. — Lib. XXII. — De Tranqui. cap. IX.

neçæ

A

necæ numerus ex vero ſatis, & ad *Septingenta millia* redigendus. Ioſephus doceat, qui tradit *Demetrium* (illum Præfectum, de quo dixi) *aliquando interrogatum à Philadelpho, quot millia librorum iam haberet reſpondiſſe, ducenta millia admodum, ſed ſperare breui ad quingenta.* Vides, quàm auxerit: ſed quantò magis poſteà, atque etiam alij Reges? Profectò ad *Septingenta millia* venerunt, Agellio diſertim ſcribente: *Ingens numerus librorum in Ægypto à Ptolomæis regibus vel conquiſitus* (emptione) *vel confectus* (deſcriptione) *eſt, ad millia ferme voluminum ſeptingenta.* Idem Ammianus, verbis ſtatim dandis: idē Iſidorus, ſed emendandus: *Septuaginta millia librorum Alexandriæ, Philadelfi temporibus inuenta ſunt.* Scribendum, inquam, *ſeptingenta.* O theſaurum, ſed in re æternâ non æternum! Nam totum hoc, quidquid fuit librorū, bello

B

ciuili Pompeiano periit, cùm Cæſar in ipsâ vrbe Alexandriâ bellum cum incolis gereret, & tuitionis ſuæ cauſâ ignem in naues miſiſſet; qui & vicina naualibus, ipſámque Bibliothecam comprehendit & abſumpſit. Triſte fatum, & Cæſari (etſi abſque deſtinatâ culpâ) pudēdum! itaque nec ipſe in tertio Ciuilium, nec Hirtius dein de meminêre: alij tamen; vt Plutarchus, Dio, etiam Liuius, vti ex Senecâ facile eſt haurire. Nam poſt ſuperiora illa verba, addit: *Alius laudauerit, vt Liuius, qui elegantiæ regum curæq́; egregium id opus ait fuiſſe.* Sunt ipſa Liuij verba, vbi de hoc incendio: & iuſto elogio in rem & Reges. Sed de hoc triſti igne etiam Ammianus: *Inter templa eminet Serapeum, in quo Bibliothecæ fuerunt inæſtimabiles, & loquitur monumentorum veterum concinens fides, ſeptingenta voluminum millia, Ptolemæis regibus vigiliis intentis cōpoſita, bello Alexandrino, dum diripitur ciuitas ſub Dictatore Cæſare conflagraſſe.* Ipſe in direptione

C

euenisse vult: itémque Agellius. *Ea omnia volumina,* inquit, *bello priore Alexandrino* (ad diſcrimen eius, quod ſub Antonio) *dum diripitur ciuitas, non ſponte neque operâ conſultâ, ſed a militibus fortè auxiliariis incenſa ſunt.* Excuſat verò ipſe non Cæſarem tantum (quo quid librorum aut ingeniorum amantius?) ſed Romanos milites, & culpam hanc ad cæteros auxiliares ablegat. Ceterū de direptione, non ita Plutarchus aut Dio: quos eſt videre. Hic igitur finis nobilis Bibliothecæ, Olympiade CLXXXIII. cùm vix CCXXIV. annos fuiſſet. Etſi reuixit tamen, non eadē (qui id potuit?) ſed conſimilis, & eodem loci, id eſt in Serapéo,

D

collocāda. Auctor reparādi Cleopatra, illa amoribus Antonij famoſa: quæ ab eo in auſpicium & velut fundamentum operis impetrauit Bibliothecam *Attalicam* ſiue Pergamenam. Itaque totam cùm dono cepiſſet, & transferri curaſſet, iterùm adornata auctáque eſt, & Chriſtianorum etiam temporibus, in vitâ & famâ fuit. Tertullianus: *Hodie, apud Serapéum, Ptolomæi Bibliotheca, cum ipſis Hebraicis litteris, exhibentur.* Nota, apud Serapéum iterùm fuiſſe, id eſt in eius porticibus: atque id vicinum portui & naualibus, ex Strabone aliiſque diſcas. Nota, & *Ptolomæi Bibliothecas* dici: etſi reuera non illæ iam eſſent, ſed

E

conſimiles, & primogenij illi Hebraici libri, vnáque LXX. interpretatio, flammâ periiſſent. Tamen ecce, tanta auctoritas & fides ab antiquo eius Bibliothecæ, vt Tertullianus gentiles eò aduocet aut amandet. Credo ſtetiſſe, quamdiu ipſum Serapéum, immenſæ molis & ſtupendi artificij templum: quod Chriſtiani denique, Theodoſij maioris imperio, vt arcem ſuperſtitionis, demoliti à fundo ſunt, Eccleſiaſticis ſcriptoribus traditum & laudatum.

XII. Antiq. ca. II. & Euſeb. De Præparat. lib. VIII. ex Ariſteâ.

Lib. VI. cap. XVII.

Lib. XXII.

Lib. VI.

Apolog. cap. XVIII.

Ruffin. II. cap. XXIII. itemque Socrates & Sozomen alij

CAPVT III.

Græcæ Bibliothecæ: Piſiſtrati & Ariſtotelis præcipuæ, itémque Byzantina.

ATQVE iſta de Ægypti Bibliothecis reppeti, pauca & parua fortaſſe de multis & magnis. Sed æuum ſcilicet abſorpſit: quod & in *Græcis Bibliothecis* liceat accuſare. De quibus nobilioribus, ſtrictim Athenæus: vbi *Laurentium* ſuum iſta in hoc ſtudio parādorum librorum dilaudat, vt dicat eum, *Polycratem Samium, Piſiſtratum tyrannum, Euclidem Athenienſem, Nicocratem Cyprium, Euripidem poëtam, Ariſtotelem philoſophum ſuperaſſe.* Et de omnibus iſtis ſingillatim non habeo dicere: niſi de *Piſiſtrato*, cui & laudem primi auctoris in hoc ſtudio Agellius adſcripſit. Et ſanè *Polycrates* æuo ferè concurrit. Sed Agellij verba: *Libros Athenis diſciplinarum liberalium, publicè ad legendum præbendos, primus poſuiſſe dicitur Piſiſtratus tyrannus.* Magnus vir (odioſum hoc modò cognomen tolle) & cui Homerum etiam digeſtum & correctum numquam ſoluturi debemus. Adeò Critica hæc cura olim Principum, imò Regum, fuit. Ea Bibliotheca ab ipſis deinde Athenienſibus variè aucta, donec ſpoliauit & auexit Xerxes, Athenarum potitus. Sed eoſdem, *multis pòſt annis, Seleucus Nicanor, Syriæ rex, liberaliter remittendos Athenas curauit, donauitque. Et manſiſſe deinde ad Sullæ tempora, qui & ipſe Athenas cepit, diripuit, afflixit: poſteà tamen inſtauratam, iuſtè opinor. quomodo enim mater artium, ſine inſtrumento hoc librorum? Imò plures ibi Bibliothecæ poſteà: & *Hadrianus Imp. Iouis Panellenij ædem Athenis ſtruxit, & in eâ Bibliothecam*, Pauſaniæ ſcriptum. Sed de *Euclide*, quod ait Athenæus: hunc Archontem fuiſſe, inter primos eius magiſtratus comperior: nec vltrà. De *Ariſtotele* autem, Strabo magnificè in verbis, quæ ſuprà dedi: & addidi ex Athenæo, Bibliothecam eius tandem ad Ptolomæos Reges veniſſe: etſi Strabo atque alij videantur negare. Nam ille ita: *Libros Ariſtotelis, qui ad Neleum veniſſent, ad poſteros deinde tranſmiſſos, inerudito homines, & qui ſub clauibus eos, ſine vſu vllo habuiſſent. Denique ſub terram conditos, à blattis & tineis vaſtatos, tandem Apellicon Teio magnâ pecuniâ addictos fuiſſe. Qui eroſos lacerósque deſcribi, vulgari, etſi parum bonâ fide aut iudicio curaſſet. Eo autem mortuo, Sullam Athenis potitum, eóſdem libros ſuos feciſſe, Romam miſiſſe, ibique Tyrannionem Grammaticum iis vſum, atque (vt fama eſt) intercidiſſe, aut inuertiſſe.* Quibus ſimilia aut eadem Plutarchus, in Sullâ. Quæ ſi vera, quomodo ad Philadelphum à Neleo venerint, Athenæo ſuprà aſſertum? Niſi fortè (atque ego arbitror) ipſos quidem Ariſtotelis libros, ab illo, inquam, ſcriptos Neleus tenuerit, poſteriſque tranſmiſerit, vt peculiarem theſaurum: at reliquam vim alienorum ſcriptorum, vendiderit Philadelpho. Neque memoratu digna alia de Græciæ Bibliothecis legere memini: & Romani haud dubiè pleraque talia ad ſe transduxerunt, Græciâ iam potiti: niſi placet Byzantinam his accenſere, quæ Principum æuo fuit. Nam Zonaras & Cedrenus tradunt, Baſiliſci imperio, *Bibliothecam ibi conflagraſſe, in quâ centum viginti millia librorum eſſent recondita, inter ea Draconis inteſtinum, CXX. pedes longum, cui aureis litteris Homeri Ilias atque Odyſſea fuerint inſcripta.* Etſi hæc Thraciæ propriè, non Græciæ attribuenda.

CAPVT IV.

Attalica Bibliotheca, cui Eumenes auctor. Plinij & Vitruuij aliqua hic fortè inconſiderantia. Quanta, & quàm diu fuerit.

SICVT & *Attalica* ſiue *Pergamena*, Aſiæ: quæ proxima claritate ab illâ Aleaandrinâ fuit. Nam Attalici Reges, è paruis progreſſi, cùm ſocietate opibúſque Romanis creuiſſent: ſedem regni *Pergamum* variè, tum & Bibliothecis, exornarunt. Eumenem, Attali Regis filium, auctorem huic rei Strabo prodidit: *Eumenes*, inquit, *vrbem inſtruxit, & donariis ac Bibliothecis, vti nunc eſt, eleganter excoluit.* Et Plinius. qui ſcribit, *æmulatione circa Bibliothecas Regum, Ptolomæi & Eumenis ſupprimente chartas Ptolomæo, membranas Pergami, vt Varro auctor eſt, repertas.* Cui paria Hieronymus in Epiſtolâ ad Chromatium, itémque Ælianus tradiderunt: ſed *Attalum*, pro *Eumene*, nominantes. Enimuerò de neutro horum ſatis conuenit, ſi tempora examinas: quoniam iſti poſteriores *Philadelpho*, toto ferè ſæculo, fuerunt. Quomodo igitur, quod Plinius ait, *æmulatio* inter eos? Niſi hoc ſubuenit, *Ptolemæum* ſimpliciter nominari: qui alius à Philadelpho eſſe potuit, & *Ptolemæus Quintus*, cognomento *Epiphanes*, cum Eumene vixit. Atque ille fortaſſe (quamquam de inſigni eius ſtudio in Bibliothecas nihil proditum) chartam ſuppreſſit, inuidiâ, ne alter veterem illam nouâ ſuâ æquaret. Sed error ſiue inconſpectio clarior in Vitruuio, qui his verbis ſcripſit: *Reges Attalici, magnis Philologiæ dulcedinibus inducti, cùm egregiam Pergamè Bibliothecam, ad communem delectationem, inſtituiſſent, tunc item Ptolemæus, infinito zelo cupiditatiſque ſtudio incitatus, non minoribus induſtriis, ad eundem modum, contenderat Alexandriæ comparare.* Quid? vt Attalici reges ante Aleaandrinos in hoc ſtudio? vt exemplum ardorémque iſti ab iis ſumpſerint? Imò verò contrà fuit, & peregerant iam, cùm nec illi cogitarent. Niſi & hîc placet de poſteriore aliquo *Ptolemæo* adducere & velare, ſed velare. Ceterùm Bibliotheca hæc nec copiâ, nec æuo, Alexandrinam æquauit. Nam de vtroque iſto Plutarchus ſcribit, Antonium III. virum, faſcinatum amoribus Cleopatræ, χαρίσασθαι μὲν αὐτῇ τὰς ἐκ Περγάμου βιβλιοθήκας, ... *gratificatum ei Bibliothecam Pergami, in qua eſſent ducenta millia ſingularum librorum*, id eſt voluminum. Hoc enim opinor ἁπλᾶ βιβλία dici, cùm in vno volumine plures ſæpè libri: quos non vult in numerum hunc venire. Ergo ea ipſa ſtatim poſt Alexandrinam periit, ſed in eâ vixit: an & in loco ſuo reuixit? Certè Strabonis ſuprà verba ſi attendis, ſignificant: cùm ait, *Vti nunc eſt, excoluit.* Quando *nunc*? Strabonis ſcribentis, id eſt, Tiberij æuo. Vt appareat, aut reuectam ab Auguſto victore eſſe, qui pleraque irrita Antonij fecit; aut certè exſcriptam iterùm, & inſtauratam. De quo, præter ſuſpicari, non equidem dicam.

CAPVT V.

Romanæ Bibliothecæ, priuatæ: & prima publica Aſinij Pollionis.

ATQVE hæ Bibliothecæ, quas memoratu dignas apud exteros reperi: veniamus ad Romanos, ſitu & æuo magis propinquas. Satis enim ſerò ibi hæc cura aut ſtudium, apud Martis non Mu- A ſarum proles: etſi, cum bono Deo, hîc quoque cultus & elegantia denique inualuit, paruis primò initiis, vt ſolet. Iſidori notatio eſt: *Romam primus librorum copiam aduexit Æmilius Paullus, Perſe Macedonum rege deuicto: deinde Lucullus e Ponticâ prædâ.* Duos nominat, qui libros aduexêre, ſed publici vſus aut iuris non prorſus fecêre. Et de Æmilio, haud vltrà legi: de Lucullo, Plutarchus vbertim: *Laudanda eius impenſa, inquit, & ſtudium in libris. Nam & multos, & eleganter ſcriptos, conquiſiuit: eóſque vt liberaliter parauit, ita etiam vtendos dedit. Patebant enim omnibus Bibliotheca, & in porticus adiectas atque exedras Græci præſertim recipiebantur: qui velut ad Muſarum ædem eò ventitabant, tempúſque inter ſe iucundè traducebant, ab aliis curis liberi. Sæpè & ipſe cum iis verſabatur, & philologis ſe immiſcebat ad has porticus & ambulationes* B *veniens.* Ex quibus vides, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, velut publicas fuiſſe has Bibliothecas, & quàmquam ius mancipiúmque ſibi retineret, vſum tamen eruditis conceſſiſſe: quod & benignè vos facere ſoletis. At verò tertium etiam his duobus licebat addere, Cornelium Sullam, poſteà Dictatorem: qui è Græciâ Athenîſque magnam librorum vim traduxit, & Romæ depoſuit ac diſpoſuit: quod, præter Plutarchum, * Lucianus etiam ſcripſit. Tamen his omnibus verè Publica Bibliotheca nondum ſtructa: quam cogitatione primus magnanimus & magnificus ille Iulius Cæſar concepit, ac, niſi fata interpellaſſent, effeciſſet. Suetonius de eo: *Deſtinabat Bibliothecas Græcas & Latinas, quam maximas poſſet, publicare, datâ M. Varroni curâ comparandarum ac diri-* C *gendarum.* O rem magni animi, atque item conſilij! Nam quis in orbe terrarum huic curæ aptior M. illo Varrone, doctiſſimo inter Græcos Latinóſque? Sed deſtinauit Cæſar, non perfecit: Auguſtus, adoptione filius, inter alia ornamenta vrbis & imperij, hoc quoque pluriſariàm adiunxit. Nam eo inuitante atque incitatore, Aſinius Pollio, orator & Senator nobilis, (Suetonio narrante) *Atrium Libertatis exſtruxit*, atque in eo Bibliothecam publicauit. Iſidorus: *Primus Romæ Bibliothecas publicauit Pollio, Græcas Latináſq., additis auctorum imaginibus in Atrio, quod de manubiis magnificentiſſimum inſtruxerat.* De manubiis, inquit: nempe Dalmatarum, quos vicit. Item Plinius: *Aſinius Pollio, primus Bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit.* In Atrio Libertatis fuiſſe, id eſt in monte Auentino, ex iſtis conſtat: quod D tamen inſtructum aut reparatum ab eo magis dixerim, quàm extructum. Nam iamdiu antè id fuiſſe, & quidem à Tib. Graccho, patre Gracchorum, Plutarchus atque alij ſcriptores dicunt. Itaque ipſe refecit, & ad hunc vſum ſplēdidè concinnauit. De eo Ouidius capiendus:

Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis,
Atria Libertas tangere paſſa ſuneſt.

Non enim viros doctos audio, qui hæc ad λιγλω, ſiue conuentum poëtarum, ducunt. Palàm libellus conqueritur, non receptum ſe in Bibliothecam Aſinij, quæ *prima patuit*, ſiue publicata eſt, *doctis libris.*

E

CAPVT VI.

Auguſti, Octauia; itémque Palatina. Præfecti & cuſtodes iis.

ATQVE hæc igitur ſub Auguſto prima Publica fuit: duæ mox aliæ, ab ipſo. Prior, *Octauia*: quam

* Aduerſus indoctum.

Lib. XXXV. cap. II.

III. Triſt. eleg. I.

ſororis

A

Lib. XLIX.

In Marcello.

ſororis ſuæ memoriæ & nomini dedicauit. De eâ Dio Caſſius, in actis anni DCCXXI. *Auguſtus Porticus & Bibliothecas, à ſororis nomine Octauias dictas, exſtruxit.* Etſi Plutarchus tamen in ipſam Octauiam tranſſcribere hoc opus videtur: Εἰς δὲ τιμὴν αὐτοῦ (μαρκέλλου) καὶ μνήμην ὀκταβία μὲν ἡ μήτηρ τὴν βιβλιοθήκην ἀνέθηκε, καῖσαρ δὲ θέατρον, ἐπιγράψας μαρκέλλου: *In honorem ac memoriam defuncti Marcelli mater Octauia Bibliothecam dedicauit, Cæſar Auguſtus Theatrum, Marcelli nomine inſcriptum.* Falli Plutarchum opinor: quia Dionis quidem notatio tutis decem annis citerior eſt Marcelli morte. Atque addit, ex *Dalmatarum manubiis* opera ea ſtructa: miro concurſu, vt prima atque altera Bibliotheca gẽti Barbaræ debeatur.

B

De hac & Suetonius, in *Meliſſo Grammatico*: *Cùm manumiſſus, Auguſto etiam inſinuatus eſt, quòd elegante curam ordinandarum Bibliothecarum in Octauiæ porticu ſuſcepit.* Nota, in ipsâ *Porticu* fuiſſe: quomodo? ſuperiore eius parte, vti arbitror, tutò & decorè: cùm inferior ambulationi modò eſſet. De hac Ouidius item ſenſit:

III. Triſt. eleg. I.

Altera templa peto, vicino iuncta theatro:
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.

Nam & ab hac Bibliothecâ ſpretum ſe libellus queritur: & locum vbi fuerit, deſignat. Quem? vicinum Theatro Marcelli. *Templa* autem dicit, quia in hac Porticu *Iunonis ædes* fuit, & nobiles in eâ ſtatuę, quod Plinius dicet. Altera porrò ab eodem Auguſto Bibliotheca eſt, *Palatina*, à loco dicta: quia in ipſo Palatio.

C

Cap. XXIX.

Suetonius: *Templum Apollinis in eâ parte Palatinæ domus excitauit, quam fulmine ictam deſiderari à Deo haruſpices reſponderant. Addita Porticus, cum Bibliothecâ Latina Græcáque.* Id factum anno Vrbis DCCXXVI. vt ex Dionis LIII. initio diſcas. Itaque temporum ordinem in Bibliothecis recenſendis Ouidius ſecutus eſt, cùm primò *Aſiniam*, tum *Octauiam*, denique iſtam *Palatinam* ſic adnumerat:

Inde tenore pari gradibus ſublimia celſis
Ducor ad intonſi candida templa Dei.
Signa peregrinis vbi ſunt alterna columnis,
Belides, & ſtricto barbarus enſe pater,
Quæq; viri docto veteres fecêre nouique
Pectore, lecturis inſpicienda patent.
Quærebam fratres, exceptis ſcilicet illis,
Quos ſuus optaret non genuiſſe pater:
Quærentem fruſtrà, cuſtos, & ſedibus illis
Præpoſitus, ſancto iuſſit abire loco.

D

Præter alia, oſtendit & *Præpoſitum* ſiue *Cuſtodem* huic loco fuiſſe: quem Suetonius facit *C. Iulium Hyginum*. Is in Grammaticis celebris, *præfuit*, vt inquit, *Palatinæ Bibliothecæ, nec eò ſecius plurimos docuit.* Imò ſeorſim *Græca* cuſtodem ſuum habuit, & *Latina*. In marmore priſco: ANTIOCHVS. TI. CLAVDI. CÆSARIS. A. BIBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS. In alio: C. IVLIVS. FALYX. A. BIBLIOTHECA. GRÆCA. PALAT. Et ſimiles alibi inſcriptiones.

Lib. XXXIIII. cap. VII.

Huius Bibliothecæ meminit & Plinius: *Videmus Apollinem in Bibliothecâ templi Auguſti Thuſcanicum, quinquaginta pedum à pollice.* Etſi poſſis referre etiam ad Veſpaſiani Auguſti Bibliothecam, quæ in Pacis templo fuit.

E

Lib. VII. cap. LVIII.

Apertiùs de Palatinâ, idem Plinius alibi: *Veteres Græcas litteras fuiſſe eaſdem penè, quæ nunc ſunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ eſt hodie in Palatio, dono Principum Mineruæ dicata, in Bibliothecâ.* Hanc diutiſſimè Romæ manſiſſe, inducor credere verbis

Lib. II. De nug. Cur.

Io. Sariſberienſis, qui ſcribit: *Doctorem ſanctiſſimum illum Gregorium, non modò Matheſim pepuliſſe ab Aula, ſed vt traditur à maioribus, incendio dediſſe probatæ lectionis*

A

Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo.
In quibus erat præcipua, quæ cæleſtium mentem, & ſuperiorum oracula hominibus videbantur reuelare. Notandum.

CAPVT VII.

Tiberij, Traiani, Veſpaſiani, item Capitolina: aliæ ignotæ.

B

AB Auguſto igitur, artium, ingeniorùmque amantiſſimo Principe, duæ iſtæ fuerunt. quid ab aliis? aliæ. Videtur enim certamen in hac re Principum fuiſſe, & velut contendiſſe de palmâ. Ecce *Tiberius* ſtatim ab Auguſto, in ipſo Palatio etiam ſtruxit, eâ parte quâ Viam Sacram ſpectat. Nam illic, Tiberij domum fuiſſe, curioſi Italorum hodie autumant: & in domo eius hæc locatur. Ab Agellio: *Cùm in domus Tiberianæ Bibliothecâ ſederemus, ego & Apollinaris.* A Vopiſco itero: *quo vſum ſe ſcribit libris è Bibliothecâ Vlpiâ, item ex domo Tiberianâ.* Videtur & *Veſpaſianus* deinde ſtruxiſſe, & adiunxiſſe templo Pacis. de quâ Agellius: *Commentarium L. Ælij, qui Varronis magiſter fuit, ſtudioſè quæſiuimus, eumque in Pacis Bibliothecâ repertum legimus.* Meminitque &

C

Galenus, De compoſit. medicamentorum. Fuit item à *Traiano* alia. de quâ etiam Agellius: *Sedentibus forte nobis in Bibliotheca templi Traiani.* Atque eſt eadem, quæ à gentili Principis eius nomine, *Vlpia* paſſim nominatur. Vopiſcus: *Hac ego à grauibus viris comperi, & in Vlpiæ Bibliothecæ libris relegi.* Iterumque: *Et ſi his contentus non fueris, lectites Græcos, linteos etiam libros requiras, quos Vlpia tibi Bibliotheca, cùm volueris, miniſtrabit.* Hanc in foro Traiani initiò fuiſſe, vbi Principis eius alta opera, facilè perſuadeor: ſed æuo motaſſe, & tranſlatam in collem Viminalem, ad ornandas Diocletiani Thermas, (an ab ipſo Diocletiano?) Vopiſcus inducit. *Vſus ſum*, inquit, *præcipuè libris ex Bibliothecâ Vlpiâ, ætate meâ Thermis Diocletianis.* Cùm disertè de *ſuâ* dicit, oſtendit igitur, aliâ ætate aliter fuiſſe.

D

Reperio & *Capitolinam*, in vrbe. de quâ Euſebius, in rebus Commodi Imperatoris: *In Capitolium fulmen ruit, & magnâ inflammatione factâ, Bibliothecam, & vicinas quaſque ædes, concremauit.* Vberiùs hoc ipſum ita Oroſius: *Flagitia regis pœna vrbis inſequitur. Nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio Bibliothecam illam, maiorum ſtudio curâque compoſitam, ædéſque alias iuxtà ſitas, rapaci turbine concremauit.* Quis tamen eius auctor ad ſcire haud liceat, diuinare libeat, Domitianum fuiſſe. Nam ille, ſeruatus olim in Capitolio, templum ibi Princeps ſtruxit: quid ſi & hanc Bibliothecam? Etſi nemo tradidit, qui nunc exſtant: Suetonius hoc tantùm de eo vniuersè: *Bibliothecas incendio abſumptas impenſiſſimè reparari curauit, exemplaribus vndique petitis, miſſiſque Alexandriam, qui deſcriberent emendarentque.*

E

Vbi obſerues, etiam tunc illam *Alexandrinam* velut originem & matricem aliarum habitam, & has corruptas ex eâ iterùm refectas & adornatas. Amplius, Principum ſtudio ab interitu vindicatas: quod niſi fuiſſet, quomodo tam multæ illæ ad P. Victoris, id eſt Conſtantini æuum, veniſſent? Nam ille ſic inter ſingularia vrbis notat: *Bibliothecæ publicæ, vndetriginta. ex iis præcipuæ duæ, Palatina & Vlpia.* Heu, quàm etiam à memoriâ perierunt! nam ex illis XXIX. vix ſeptem induſtria noſtra indagare potuit, & nomina ſaltem ab obliuione vindicare.

CAP. VIII.

Tiburtina, & quædam etiam Priuatorum vberiores. Habebant in Balneis, atque item in agris.

PLVRES, inquam, Publicas non eruo: non quidem in vrbe. iuxta eam, Tiburi, etiam vnam. De quâ Agellius: *Meminimus in Tiburti Bibliothecâ inuenire nos in eodem Claudij libro ſcriptum.* Iterúmque: *Promit è Bibliothecâ Tiburti, quæ tunc in Herculis templo inſtructa ſatis commodè erat.* Hîc & alibi de *Templis* adnotes, & ferè iuxta ea aut in illis fuiſſe. Quidni, ſacra illa ingeniorum opera, in locis ſacratis? Fortaſſis autem Hadrianus Imp. illam Tibure inſtruxit, quem eo loco & ſeceſſu impensè delectatum conſtat, variáque & ampla inædificaſſe. Etſi mihi certum, aliis municipiis coloniíſque Bibliothecas ſparſas fuiſſe, æquè atque artium iſtum cultum. Sed & priuatim viri diuites, vſus & famæ cauſsâ, ſibi pararunt: & nobiles ex iis quaſdam. Sicut Tyrannio Grammaticus, Sullæ temporibus: qui *tria millia librorum* poſſedit. Sicut *Epaphroditus Chæroneus*, item Grammaticus profeſſione. quem Suidas tradit, *ſub Nerone ad Neruam Romæ vixiſſe: & aſſiduè libros ementem, vſque ad triginta millia collegiſſe, optimorum quidem & ſelectorum.* Laudo hoc vltimum. nec tam copiam quæri, quàm bonitatem, cum delectu. Optarim hunc fuiſſe, qui Epictetum, apicem veræ Philoſophiæ, in ſeruis habuerit: & æuum conſentit: ſed titulus & munus vitæ diſſentit, cùm iſte *Grammaticus* fuerit, alter è *cuſtodibus corporum Neronis*, eodem Suidâ prodente. Sed quiſquis iſte, ſuperauit eum *Sammonicus Serenus* in hoc ſtudio: qui Bibliothecam habuit, *in quâ ſexaginta duo millia librorum cenſebantur.* Is moriens eam reliquit *Gordiano minori*, qui Guſtauit Imperium Capitolino traditum, cum hoc elogio: *Quod Gordianum quidem* AD CÆLVM TVLIT. *ſiquidem tanta Bibliotheca copiâ & ſplendore donatus, in famam * hominum litteratorum decore peruenit.* Vide ILLVSTRISSIME PRINCEPS, quàm hæc cura gratiam famámque pariat, vobis magnis inſatiabiliter parandam. Atque hi, aut pauci alij, proditi ſunt inſigniores Bibliothecas habuiſſe. plures tamé fuêre: & Seneca commune hoc ſtudium iâ tunc ſuo æuo oſtendit, & damnat. Damnat. quare? *Non enim in ſtudium*, inquit, *ſed in ſpectaculum comparabant ſicut pleriſque ignaris etiam ſeruilium litterarum, libri non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt.* Et mox addit: *Apud deſidioſiſſimos ergo videbis, quidquid orationum, hiſtoriarúmque eſt, & tecto tenus exſtructa loculamenta. Iam enim inter balnearia & thermas, Bibliotheca quoque, vt neceſſarium domus inſtrumentum, expolitur.* Malè, fateor: & vtinam tamen noſtri diuites ſi laſciuiant! ſemper cum alieno aliquo, ſi non ſuo, vſu & bono. Obſeruate autem hîc eſt de *Balneis & Thermis* etiam: ſicut ſuprà notauimus, illam *Vlpiam* in Diocletiani Thermis dicatam. Cur autem ibi? credo, quia corpori curando otioſè tunc vacabant: & igitur occaſio erat legendi aliquid, hominibus aliâs occupatis, vel audiendi. Enimuerò etiam in Villis & Prætoriis paſſim habebant: ab eâdem hac, otij & vacationis ibi, cauſsâ. Ad quem morem Pauli Ic^ti^ reſponſum dirigitur: *Fundo legato libros quoque & Bibliothecas, quæ in eodem fundo ſunt, legato contineri.* Plinius de ſuâ villâ: *Paries, in Bibliothecæ ſpeciem, armarium inſeritur.* Martialis, alterius cuiuſdam Iulij Martialis, villaticam Bibliothecam commendat.

Ruris Bibliotheca delicati,
Vicinam videt vnde lector vrbem,
Inter carmina ſanctiora ſi quis
Laſciuæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inſeras vel imo,
Septem quos tibi miſimus libellos.

CAP. IX.

Ornatus Bibliothecarum, ebore & vitro. Armaria, & Foruli, & Plutei, & Cunei.

PEREGI de Bibliothecis: & produxi, quas æuum quidem non ſubduxit. Vt rem dicam, paucas è multis & *ſtillicidium de ſitulâ*, veteri verbo: tamen vel hæc ſatis ad ſtimulum, & exemplum. An & addam aliquid de ornatu earum ſiue inſtructo? fiat. In Iſidoro lego: *Peritiores architectos neque aurea lacunaria ponenda in Bibliothecis putaſſe: neque pauimenta alia, quàm è Caryſtio marmore. quòd auri fulgor hebetet, & Caryſtij viriditas reficiat oculos.* Bono hoc iudicio iſte, ſiue à quo hauſit. Nam de fulgore, certum eſt & mihi compertum, intentioni & ſtilo officere: ſicut de virore, liquet oculis recreandis eſſe. Boëtius hoc amplius in Conſolatione ſuggerit: *comptos ebore & vitro parietes fuiſſe.* Quid, parietes laterales? non ergo Armaria aut Plutei ad parietes (neque enim conſpicuus ſic ille ornatus fuiſſet) ſed in medio diſpoſita, vt hodie quoque publicæ ferè Bibliothecæ vſurpant. Sanè Vitra olim in quadras, orbes, oua, aut rhombos diſtincta parietes ornabant, non aliter quàm marmoreæ cruſtæ: ſæpiùs tamen cameras, & lacunar. Ita enim Plinius, libro XXXVI. *Pulſa ex humo pauimenta in cameras tranſiêre, è vitro: nouitium & hoc inuentum.* Nouitium ita, vt tamen eſſet Neronis & Senecæ æuo. Nam vt de re vulgatâ Seneca, epiſt. LXXXVI. de Balneis: *Niſi vitro abſconditur camera:* atque ibi me vide. Tamen in *parietibus* etiam fuiſſe, præter Boëtium, Vopiſcus oſtendit, in Firmo: *Nam & vitreis quadraturis, bitumine aliíſque medicamentis inſertis, domum induxiſſe perhibetur.* Bitumen autem hîc ad committendum nectendúmque parieti accipio inſertum, non ad ipſas quadras iungendas: quas decorè magis ebur (vt in Boëtio) diſtinxit. Atque id etiam in Armariis ipſis fuit: vnde *Eborea Bibliotheca* in Pandectis legum: & in Senecâ, *Armaria cedro atque ebore aptantur.* (De Tranquil. cap. IX.) Armaria autem fuiſſe in Bibliothecis, res & hodierna vſio demonſtrant: ſed addo, numeris ſuis diſtincta. Ita Vopiſcus: *Habet Bibliotheca Vlpia in Armario ſextô librum elephantinum.* Elephantinum. an ex ebore, an in corio elephanti perſcriptum? Vetus Scholiaſtes Iuuenalis, in illud: *Hic libros dabit & forulos.*] *Armarium*, inquit, *bibliothecam.* Etſi propriè, opinor, *Foruli*, ipſi *nidi*, vt cũ Martiale dicam, librorum, ſiue cum Senecâ, diſtincta *loculamenta.* Sidonius & hæc & alia in Bibliothecis collocat: *Hic libri affatim in promptu. videre te crederes aut Grammaticales Pluteos, aut Athenæi Cuneos, aut Armaria exſtructa Bibliopolarum.* (Lib. II. Epiſt. II) *Pluteos*, id eſt tabulas inclinatas tranſuerſim, quibus libri legendi imponerentur: *Cuneos*, ſcamnorum ſeriem, vt in Athenæo, ſic digeſtam: *Armaria* autem plena & alta, quæ dixi. Ea *Pegmata* Cicero ad Atticum videtur appellaſſe. (Lib. I.)

CAPVT X.

Imagines in iis doctorum, laudabili more: cui origo ab Aſinio.

SEo vel præcipuus ornatus, & imitandus; meo
iudicio, nondum hodie imitatus, ſunt *Imagines*
ſiue & *Statuæ* doctorum, quas vnà cum libris diſpo-
nebant. Nónne pulchrum, &. ſuaue oculis ac cogita-
tioni fuit? Naturâ trahimur ad ſimulacra & effigies
magnorum virorum noſcendas, & illa corpora, ſiue
hoſpitia, quibus cæleſtis ſe animus incluſit: ecce hîc
erat. Homeri, Hippocratis, Ariſtotelis, Pindari, Vir-
gilij, Ciceronis, & alia ſcripta videres aut libares ocu-
lis: vnà etiam imaginem ſcriptoris adiunctam. Ite-
rùm repeto, pulchrum: &, te ILLVSTRISSIME
præeunte, cur non vſurpamus? Romanum hoc in-
uentum videtur: ne omnia bella ad Græciam refe-
Lib. xxxv. cap. 11. rantur: & Plinius inclinat. *Nullum maius* (inquit pul-
cherrimâ gnomâ) *felicitatis ſpecimen arbitror, quàm
ſemper omnes ſcire cupere, qualis fuerit aliquis. Aſinij
Pollionis hoc Romæ inuentum, qui primus Bibliothecam
dicando, ingenia hominum rem publicam fecit. An prio-
res cœperint Alexandriæ & Pergami Reges, qui Biblio-
thecas magno certamine inſtituêre, non facile dixerim.*
Itaque Aſinius videtur auctor. qui etiam (eodem
Lib. vii. cap xxx. Plinio prodente) M. Varronis, *in Bibliothecâ, quæ pri-
ma in vrbe* (abſurdè in *orbe* alij) *publicata eſt, vnius vi-
uentis poſuit imaginem*. Quod tamen & aliis poſteà,
indulgentiâ an iudicio, datum video: & nominatim
Præfat. lib. ix. Martiali poëtæ, qui gloriatur, quòd *Stertinius imagi-
nem eius ponere in Bibliothecâ ſuâ voluerit*. Sed ple-
rumque mortuorum, & quos famæ conſenſus iam
Lib xxxv. cap. 11. ſacraſſet. Plinius: *Non eſt prætereundum & nouitium
inuentum. ſiquidem non ſolum ex auro argentóve, aut
certè ex ære, in Bibliothecis dicantur illi, quorum IM-
MORTALES ANIMÆ in iiſdem locis loquuntur;
quinimò etiam quæ non ſunt, finguntur, pariúntque de-
ſideria non traditi vultus.* Appellat *nouitium*, id eſt
Pollionis *inuentum*. oſtendit mortuorum, & è me-
tallo plurimùm fuiſſe: ſed addo etiam è gypſo, in
priuatis (pro cuiuſque ſcilicet copiâ) Bibliothecis.
Iuuenalis:

> —— *quamquam plena omnia gypſo*
> *Chryſippi inuenias.*

Imò & in tabulis, opinor, imagines fuêre: & fortaſſe
De Tranquill. in librorum fronte picturâ etiam expreſſæ. Seneca:
Iſta exquiſita, & cum imaginibus ſuis deſcripta ſacro-
Cap. lxx. *rum opera ingeniorum.* Suetonius in Tiberio: *Scripta
eorum & imagines, publicis Bibliothecis, inter veteres &
receptos auctores, dedicauit.* Plinius in Epiſtolis: *Heren-
nius Seuerus, vir doctiſſimus, magni æſtimat in Biblio-
thecâ ſuâ ponere imagines Cornelij Nepotis, & Titi At-
tici.* Itaque vtrumque, & Statuæ & Imagines fuêre.
Plinius idem, de Silio Italico: *Plures iiſdem in locis
villas poſſidebat. multum vbique librorum, multum ſta-
tuarum, multum imaginum: quas non habebat modò,
verumetiam venerabatur. Virgilij ante omnes.* Vo-
piſcus, de Numeriano: *Huius oratio tantum habuiſſe
fertur eloquentiæ, vt illi ſtatua, non quaſi Cæſari, ſed
quaſi Rhetori decerneretur, ponenda in Bibliothecâ Vl-
piâ, cui ſubſcriptum eſt*: NVMERIANO. CÆSA-
RI. ORATORI. TEMPORIBVS. SVIS.
POTENTISSIMO. Sed & Sidonius ſibi ibidem
poſitam, iure gloriatur:

> *Cùm meis poni ſtatuam perennem*
> *Nerua Traianus titulis videret,*
> *Inter auctores vtriuſque fixam*
> *Bibliotheca.*

A Significat, & in Græcâ & Latinâ Bibliothecâ, ſta-
tuam ſe habuiſſe. Ceterùm minores illæ imagines ſi-
ne ſtatuæ plutæis plerumque impoſitæ videntur, an-
te ſuos quæque libros. Iuuenalis:

> *Et iubet archetypos Pluteum ſeruare Cleanthas.*

Veteris diſtichi ea mens, quod *Imagini* tali *Virgi-
lianæ ſubſcriptum* fuit:

> *Lucis damna nihil tanto nocuêre poëtæ.*
> *Quem præſentat honos carminis & Plutei.*

Significat, videri viuere, qui in libris & imagine vi-
uit. Inde & *Sigilla Pluteala* apud Ciceronem, ad At-
B ticum. Nam iamtunc Bibliothecas exornabant
Deorum, ſi non auctorum ſigillis.

CAP. XI.

In occaſione de Muséo Alexandrino, docti viri ibi habiti atque aliti, in publicum bonum. Reges aut Imperatores ei curabant.

C ET plura equidem ſuper Bibliothecis, quæ ἀξιό-
λογα ſint, non habeo: vnum etiam, quod ad ea-
tum fructum. Nam ſi ſolæ eæ, aut rarus aduentor, ſi
homines, inquam, non ſunt qui frequententet & euol-
uant: quò iſta congeries? & quid niſi *ſtudioſa quadam
luxuria* ſint, vt Seneca appellat? Prouiderunt hoc
quoque Alexandrini Reges: & vnà cum illis *Mu-
ſeum* (ita dixerunt, quaſi *Muſarum ædem*) exſtruxe-
runt, in quo faſ eſſet Muſis operari, à ceteris rebus
feriatos. Imò & à vitæ victúſque curis vacuos: cum
alimenta iis hîc è publico darentur. Præclarum inſti-
tutum! quod vnus Strabo optimè deſcribit: Τῶν δὲ
βασιλείων μέρος ἐστὶ καὶ τὸ μουσεῖον, ἔχον περίπατον καὶ
ἐξέδραν, καὶ οἶκον μέγαν, ἐν ᾧ τὸ συσσίτιον τῶν μετεχόντων
τοῦ μουσείου φιλολόγων ἀνδρῶν. Ἔστι δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ καὶ
D χρήματα κοινά, καὶ ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ μουσείῳ τεταγμένος
τότε μὲν ὑπὸ τῶν βασιλέων, νυνὶ δ' ὑπὸ Καίσαρος: *Pars
etiam Regiæ eſt Muséum, quod ambulationi & ſeſſioni
loca habet, & magnam vnam domum, in quâ conui-
uunt & comedunt vnà, qui Muséi conſortes ſunt, litte-
rati viri. Habet autem hoc collegium & pecuniam ſine
vectigalia in commune, & Sacerdotem item, qui Mu-
séo præeſt, olim à Regibus, nunc à Cæſare conſtituen-
dum.* Primùm ait, *Regiæ* ſiue *Aulæ partem* fuiſſe. Sci-
licet adnecti ſibi & iungi voluerunt Reges, vt in
propinquo & propriè eſſent eruditi iſti, cum quibus
diſſererent, cùm libitũ, animo docendo, & paſcen-
do. Habuit *Porticus* & *Exedras*: illas exercitio cor-
poris magis; has animi, & vbi conſidentes alterca-
rentur & conferrent. Fuit & *Domus, vbi communis
is victus & menſa*: quod ſic etiam Philoſtratus ex-
preſſit, de Dionyſio: quem in *Muséum receptum* ſcri-
E bit, additque: τὸ δὲ μουσεῖον τράπεζα Αἰγυπτία ξυγκαλοῦσα
τοὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους: *Muséum autem eſt Ægy-
ptia menſa, quæ conuocat omnes in vniuerſâ terrâ litte-
ratos.* Verba penſitari cupio. *omnes ex omni terrâ*: &
viden' numerum, nec rem tenuem & parui impen-
dij fuiſſe? Quod & Timon Sillographus indicat, etſi
more & inſtituto ſuo carpens:

> Πολλοὶ μὲν βόσκονται ἐν Αἰγύπτῳ πολυφύλῳ
> Βιβλιακοὶ χαρακῖται, ἀπείριτα δηριόωντες,
> Μουσέων ἐν ταλάρῳ.

Permulti paſcuntur in Ægypto populoſâ
Pugnantes libris, ac ſemper digladiantes
Muſarum in caueâ.

Nam, explicante Athenæo, τὸ μουσεῖον τάλαρόν που ὀνομάζων, ἐπισκώπτων τοὺς ἐν αὐτῷ τρεφομένους φιλοσόφους, ὅτι ὥσπερ ἐν πανάγρῳ τινὶ σιτοῦνται, καθάπερ οἱ πολυτιμότατοι ὄρνιθες: *Muſéum dixit Caueam, irridens Philoſophos qui in eo alebantur, velut pretioſa quædam aues.* Iſte Philoſophos nominat, ſed Strabo vniuersè φιλολόγους ἄνδρας dixit, *litteratos doctóſque viros*: & omne genus haud dubiè receptum. Sed *viros* ait: non ergo pueros aut iuuenes, & qui velut in ſpem ſtudiorum (hodie ſolitum) educarentur. Non. quin iſtud velut præmium eruditis, & quies quædam honeſta fuit: haud aliter quàm Athenis, benè de rep. meritis victus erat in Prytanéo. Vbi eſtis PRINCIPES! & quos vrit aut excitat honeſtus æmulandi ignis? Sed pergit Strabo, & *Sacerdotem* præficit, *Regum aut Cæſarũ delectu*. Magna igitur dignitas, & quæ ab ipſo Cæſare conferenda. Sed quid, quòd ipſa ibi loca idẽ Cęſar adſignaret? Ita enim Philoſtratus de Dionyſio Sophiſtâ: Ἀδριανὸς σατράπην αὐτὸν ἀπέφηνεν οὐκ ἀδήλων ἐθνῶν, κατέλεξε δὲ τοῖς δημοσίᾳ ἱππεύουσι, καὶ τοῖς ἐν τῷ μουσείῳ σιτουμένοις: *Hadrianus Imp. Satrapam ſiue Præfectũ eum conſtituit non exiguarum gentium. & adſcripſit inter eos qui publicè equo veherentur: itemque qui in Muséo alerentur.* Iterùm, de Polemone: Κατέλεξε δὲ αὐτὸν καὶ τῷ τῶν μουσῶν κύκλῳ ἐς τὴν αἰγυπτίαν σίτησιν: *Allegit eum* (Hadrianus) *& Muſei conuentui, ad Ægyptiam menſam.* Sed notem ibi vocem κύκλῳ, *circulo* (etſi ego *Conuentus* reddidi:) quâ ſignificari arbitror, in orbem rem iuiſſe, & quoſdam allectos tempeſtiuè, & in anteceſſum: id eſt, priuſquam locus vacuus etiam eſſet. Sed ſpes ſuſtentabat, & ordine ſuccedebant, qui ſic adſcripti: vt hodie in beneficiorum collatione Principes quidam vſurpant. Athenæus denique huius donationis à Principe etiam meminit: vbi ait *Pancratem quendam poetam, ingenioſè Hadriano adulatum de Antinoo ſuo: atque ille*, inquit, ἡσθεὶς τῷ εὑρήματι, τὴν ἐν μουσείῳ σίτησιν αὐτῷ ἔχειν ἐχαρίσατο, *delectatus inuentiunculâ, cibum in Muséo illi gratificatus eſt.* Atque hæc Strabo aliíq; ſuper loco & inſtituto: licet addere, non vacuã omnino aut otioſam ibi vitã vixiſſe (quî poſſent viri bono publico nati?) ſed aut ſcripſiſſe, aut diſſeruiſſe, & recitaſſe. Ita Spartianus tradit, *Hadrianum Alexãdriæ in Muséo multas quæſtiones Profeſſoribus propoſuiſſe, aut propoſitas diſſoluiſſe.* Adde Suetonium, in Claudio: qui & Muséum hoc, altero addito, adauxit: vt certi libri ibi quotannis recitarentur. Deſino.

Lib. xv.

Cap. xxii.

DVX ILLVSTRISSIME. & te è magnis, ad omnia magna natum, hortor viam hanc veræ laudis porrò inſiſtere, & libris litteríſque propagandis, æternitati tuum nomen conſecrare.

VITTORIO EMANUELE III · BIBLIOTECA NAZIONALE · IN ROMA

APPROBATIO.

Libellus iſte vtiliter admodum in lucem proferetur, quòd præter Bibliothecarum originem ac fructum, ea contineat, quæ ad ſtimulum conferant & exemplum. Quas, ſi quidem auctorum ſint optimorum ac ſelectorum, non immeritò Seuerinus Boëtius certiſſimas Philoſophiæ ſedes appellat, vt in quibus ipſa cum erudito lectore de humanarum diuinarúmque rerum ſcientia diſſerat.

Guilielmus Fabricius Nouiomagus Apoſtolicus
ac Archiducalis librorum Cenſor.

INDEX CAPITVM.

CAPVT I.

Bibliotheca, & Libraria, quid? Reges veteres habuiſſe, atque illos Aegypti. 892

CAPVT II.

Alexandrina Bibliotheca, cui Philadelphus primus & pracipuus auctor. Varietas & numerus ibi librorum. Combuſta, & iterùm inſtaurata. ibid.e

CAPVT III.

Graca Bibliotheca. Piſiſtrati & Ariſtotelis pracipua, itémque Byzantina. 893.a,2

CAPVT IV.

Attalica Bibliotheca, cui Eumenes auctor. Plinij & Vitruuij aliqua hîc fortè inconſiderantia. Quanta, & quàm diu fuerit. 894.a

CAPVT V.

Romana Bibliotheca, priuata: & prima publica Aſinij Pollionis. ibid.e

CAPVT VI.

Auguſti, Octauia; itémque Palatina. Praſecti & cuſtodes iis. ibid.e,2

CAPVT VII.

Tiberij, Traiani, Veſpaſiani, item Capitolina: aliæ ignota. 895.a

CAPVT VIII.

Tiburtina, & quædam etiam Priuatorum uberiores. Habebant in Balneis, atque item in agris. 896.a

CAPVT IX.

Ornatus Bibliothecarum, ebore & vitro. Armaria, & Foruli, & Plutei, & Cunei. ibid.a,2

CAPVT X.

Imagines in iis doctorum, laudabili more: cui origo ab Aſinio. 897.a

CAPVT XI.

In occaſione de Muséo Alexandrino. docti viri ibi habiti atque aliti, in publicum bonum. Reges aut Imperatores ei curabant. ibid.b,2

FINIS.

Google